160
y
20.
B.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
160
I
20

Digitized by Google

COMMENTARIUM LITERALE IN BIBLIA.

S. MATTHÆUS. S. MARCUS.
S. LUCAS. S. JOANNES.
ET
ACTA APOSTOLORUM.
Cum variantibus Lectionibus Evangeliorum.

Digitized by Google

COMMENTARIUM
LITERALE
IN OMNES AC SINGULOS
TUM VETERIS CUM NOVI
TESTAMENTI
LIBROS

AUTHORE R. P. D.

AUGUSTINO CALMET

Ordinis S. Benedicti, Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi.

E Gallico in Latinum ſermonem translatum.

TOMUS SEPTIMUS.



VENETIIS MDCCXXXII.

APUD SEBASTIANUM COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

IN LIBROS
NOVI TESTAMENTI
PRÆFATIO.

M*Ultifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula*, Hebr. 1. 1. 2. Loquutus eſt ad Patres noſtros in Veteri Teſtamento, loquutus eſt & in Novo. Moyſes vetuſti fœderis conciliator eſt, Prophetæ miniſtri; hi Legem rogavit, hi Meſſiæ adventum prænunciarunt. Lex & Prophetę aliò plane ſpectabant, nec illud, cujus priores tantùm rudioreſque lineas duxerunt, perficere unquam permiſſi ſunt (1); non datum ipſis conſentire, quod tantùm permittebant; neque omnibus numeris abſolvere, quod veluti delineatum repræſentabant. Hominum vota promovebant tantùm, non implebant.

Sed Jeſu Chriſto in mundum tandem veniente, & novo fœdere in veteris locum ſuccedente, ſtatim umbræ depulſæ, & figuræ & Prophetarum oracula impleta. Lex perfecta, novus populus pro veteri, novumque tempus ſucceſſit, quo juxta Jeremiæ 36. 31. vaticinium: *Feriam Domui Iſrael* (dicit Dominus) *& domui Juda fœdus novum. Non ſecundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit quod feriam cum Domo Iſrael poſt dies illos: dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.*

Fœdus in monte Sinai initum uni tantùm domui Iſrael favebat; novum æquè omnes filios hominum complectitur. Primum obſignatum eſt cruore arietum & taurorum; novum Filii Dei ſanguine. Poſterius illud fœdus ſupremi Legiſlatoris primam curam tenebat (2); hoc omnia, quæ in Libris Veteris Teſtamenti leguntur, ſpectabant. Spiritus timoris & ſervitutis veterem Legem tenebat; amoris novæ erat decus & privilegium. Illa ſtato tempore duratura; hæc æterna, ut omnia æquaret ſæcula atque per omnes gentes diffunderetur, præmia pollicebatur æterna pariter & infinita; cùm peritura tantùm Lex illa vetus conferret.

Eccleſia Chriſtiana promiſſorum omnium, quibus Deus fidem ſuam obſtrinxerat Synagogæ, hæres, pretioſum ſibi commiſſum Scripturarum Veteris Teſtamenti depoſitum ſanctè cuſtodit, veluti inſtrumentum poſſeſſionis ſuę & electionis, ſicut æmulę ſuę Synagogę reprobationis. Sed majori quadam cura & veneratione ſervat Libros Novi Teſtamenti, quibus veluti fides conſtet, adoptionis ſuę & tanquam pignus felicitatis; veluti publicas aliquas Tabulas latè demonſtrantes Domini & parentis ſui voluntatem; tanquam codicem vitę, prodigiorum, & doctrinę Dei ſui, ac tandem tanquam regulam rerum morumque directricem.

D. N. Jeſus Chriſtus nihil ipſe per ſe poſteritati ſcripſit (3), neque vitam ſuam & doctrinam, ut literis mandarent, Apoſtolis unquam pręcepit. Contentus tantum voce populos ſive pro concione ſive privatis colloquiis inſtruxiſſe, cetera neglexit. Antequam tamen homines pręſentia ſua desereret, miſſurum ſe inviſibilem quendam Pręceptorem ſpopondit (4), quo interius docente, & veritatem diſcerent omnes, tum & quę maximè quiſque & pręſtare & dicere teneretur, pro nata quacumque occaſione illos inſtrueret.

Hujus promiſſionis fidem impleturus S. Spiritum quinquageſimo poſt Reſurrectionem ſuam die ad Apoſtolos miſit, cujus illapſu ſubito lumine irradiati, novoque ardore incalentes, & Sancta Evangelia, & ceteros Novi Teſtamenti Libros ſcribere aggreſſi ſunt; quos ſanè Libros non immeritò nos tanquam ipſa Jeſu Chriſti Opera, digito Dei ſcripta, ſuſpicimus (5). *Non dicamus: O illi felices qui eum videre potuerunt: quia multi in eis, qui viderunt, occiderunt: Multi autem in nobis, qui non viderunt, crediderunt. Quod enim pretioſum ſonabat de ore Domini, & propter nos ſcriptum eſt, & nobis ſervatum eſt, & propter nos recitatur, & propter poſteros recitabitur, donec ſæculum finiatur.*

(1) Hebr 7. 19. *Nihil ad perfectum adduxit Lex.*
[2] August. contra duas Epiſtolas Pelag. l. 3. c. 4. n. 7.
(3) Vide Aug. lib. 1. de Conſen. Evang. cap. 7 & 9. & lib. 28. cont. Fauſt. Manich. cap. 4. Epiſ. 237. Nov. edit. *ſermo ibi de hymno Jeſu Chriſto adſcripto, ex quo nonnulla referuntur. Meminit etiam alterius Operis ejuſdem J. C. nomine inſcripti ad S. Petrum & Paulum. Liber erat Magicus. Scitum eſt, quid de Epiſtola J. C. ad Abgarum feratur. Sed hæc omnia ab Eruditis rejecta.* (4) Joan. 14. 26. & 16. 13. (5) Auguſ. l. 1. c. 35. de Conſenſu Evangel. *Non aliter accipiat quod narrantibus Diſcipulis Chriſti in Evangelio legerit, quàm ſi ipſam manum Domini, quam in proprio corpore geſtabat, ſcribentem conſpexerit.*

Nec major Apoſtolis ſcribendi ſollicitudo; priùs enim illi, Præceptoris ſui exemplum ſequuti, docendos ſibi inſtituendoſque viva voce populos ſuſceperunt. Altè enim menti impreſſas habentes, quas ore loquentis Præceptoris veritates audierant, futurum ut aliquando illorum obliviſceretur, nunquam timebant; quos inſuper tutos in ea re faciebant ejuſdem Magiſtri promiſſiones, de aſſerendo ſemper illis Spiritu ſuo, à quo nunquam desererentur. Succeſſu verò temporis pium Fidelium ſtudium ab illis tandem extorſit, ut quæcunque ab illis voce auſcultarant, hæc literis mandata de ſcripto legerent. Hujus rei gratia S. Matthæus ſcribere aggreſſus; nec facile alio conſilio S. Marcus id ſibi ſuſcepit, ut ſynopſim operis ejuſdem S. Matthæi daret, nonnullis adjectis, quæ ipſe aliorum relatione haberet explorata.

S. Lucas s. t. a. eam ſe habuiſſe ſcribendi cauſam prodit, quòd ſcilicet plures de vita & doctrina Jeſu Chriſti ex ore loquentium Apoſtolorum exceptos Libros in vulgus ſpargi animadvertiſſet; ſe verò, ait, omnia quæ ſcriberet, teſtium de viſu relatione compertiſſe; rem autem Eccleſiæ maximè utilem ſe præſtiturum confidere, ſi ordine omnia digereret, quæ ab ipſo rerum exordio contigiſſe veriſſimè norat. Docent tandem Patres (1), S. Joannem ad Evangelium ſuum literis mandandum exortas hæreſes Cerinthi, & Nicolaitarum Jeſu Chriſti divinitatem negantium impuliſſe.

Ad Acta Apoſtolorum quod ſpectat, continuatio ſunt Evangelii S. Lucæ, & hiſtoria rerum geſtarum ab exordio Eccleſiæ Jeroſolymis aduſque S. Pauli ad Chriſtiana ſacra tranſeuntis; quibus deinde acceſſit hiſtoria rerum ab eodem Apoſtolo geſtarum uſque ad primum ejus iter Romanum. Nihil fermè refert in eo Opere S. Lucas, quod ipſe ocularus teſtis non exploraſſet, quippè qui comes in omnibus ejuſdem Apoſtoli, quà in laboribus, quà in viciſſitudinibus, quà tandem in prædicationibus fidus hæſiſſet. Pro variis rerum opportunitatibus, & cùm maximè è re Eccleſiæ cenſeret, S. Paulus Epiſtolas ſuas ſcripſit, non quidem eo conſilio ut veritates omnes, quas ipſe prædicatione docuerat, uno veluti ſcripto ad poſteritatis memoriam complecteretur; quamquam divinæ providentiæ diſpoſitione factum ſit, ut quæ ipſe fortuito caſu ſcriberet, hæc poſteritati tanquam ſupplementum quoddam Evangeliorum inſtruendis populis maximè utile commendarentur. Eadem ceteris Apoſtolis, quorum manent Epiſtolæ, fuit ſcribendi ratio, quò nimirum utilitati Eccleſiarum, ad quas literas dabant, ſervirent; quanquam id certò noſſent futurum, ut tandem ceteris Eccleſiis communicarentur; tantùm enim Apoſtolicis ſcriptis dabatur; & eo uſque pium Fidelium ſtudium conſervandis illis doctrinæ & pietatis pretioſiſſimis monumentis devenerat.

CANON NOVI TESTAMENTI.

Nihil in præſentia moramor, tum Sacrorum Librorum Novi Teſtamenti authoritatem, cùm eorum Librorum ſive Authores, ſive ſcribendi finem, tempus, & occaſiones, quæ omnia ſingularibus ad ſingula illa ſcripta Prolegomenibus fuſius proſequemur. Sunt in utroque Teſtamento Opera, quorum omnibus retro ſæculis aſſerta fuit authoritas; ſunt de quibus in particularibus Eccleſiis dubitatum eſt aliquandiu; quanquam nullus Scripturæ Liber hodie in Canone recenſetur, quem ſanior veterum Eccleſiarum pars ſuffragio ſuo non probaverit. Fruſtra veteres Hæretici ſive fictis Evangeliis procudendis, ſeu veris corrumpendis laborarunt, integra ſemper fides Originalium in Eccleſiis Catholicis manſit; & ſucceſſu temporis corruptis eorum Exemplaribus in oblivionem Eccleſiarum ſollicitudine, proſcriptione & damnatione traditis, veritas obtinuit.

Quo anno Canon Librorum Novi Teſtamenti abſolveretur, certo definiri vix poteſt; ſed ſatis expreſſus jam inde à ſecundo Eccleſiæ ſæculo legitur. Cùm ab Aſiaticis Epiſcopis tria Evangelia ſcripta jam & publici juris facta S. Joanni Evangeliſtæ exhiberentur; recepiſſe illa & probaſſe narrat Euſebius l. 3. cap. 24. Hiſt. Eccleſ. ſupplendis autem quæ illis deeſſe videbantur, alterum ipſum ſcribere aggreſſum eſſe, addit idem Euſebius, quo geſta omnia in exordio prædicationis Jeſu Chriſti ab aliis omiſſa expreſſa ſunt. Ita Canon Evangeliorum conſtitit. Tria illa priora Evangelia laudantur in Epiſtola S. Clementis ad Corinthios, quæ Evangelio S. Joannis vetuſtior eſt. S. Polycarpus in ſua ad Philippenſes Epiſtola quinquies vel ſexies uſurpat Evangelia S. Matthæi, & Lucæ, nomine tamen illorum ſuppreſſo. Crebrò legas quatuor Evangeliſtas in Epiſtola S. Barnabæ laudatos; idem obſerves in ſeptem Epiſtolis S. Ignatii, in quibus maximè ad Evangelium S. Joannis alluditur.

Commentaria Apoſtolorum legas apud S. Juſtinum Martyrem in Apolog. 2., quo nomine deſignat Evangelia *ab Apoſtolis*, ait ille, ſive ab eorum Diſcipulis ſcripta, Tertullianus contra Marcion. l. 4. cap. 5. hæc habet: *Si conſtat id verius, quod prius; id prius, quod & ab initio; id ab initio, quod ab Apoſtolis; pariter utique conſtabit, id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacroſanctum*. Addit idem Author l. 4. cap. 4. antiquitatem Evangeliorum ex corruptis eorum Codicibus ab Hæreticis maximè demonſtrari:

Ita-

[1] Iren. lib. 1. cap. 21. Hieronym. de viris Illuſ. c. 9. Victorin. Pictav. in Apocal.

Itaque dum emendat utrumque confirmat & noſtrum anterius; id emendans, quod invenit, & id poſterius, quod de noſtri emendatione conſtituens ſuum, & novum fecit. Novis Hæreticorum ſcriptis vetera, & probata Apoſtolorum orginalia opponit S. Irænens l. 5. cap. 30., quatuor Evangelia ſimul agnoſcens, & congruas ejuſdem numeri rationes afferens (1).

Ex his, quantum arbitror, demonſtratur, exeunte primo ſeculo, & ineunte ſecundo, & tertio, canonem quatuor Evangeliorum receptum, agnitumque fuiſſe, cui authoritas ex ipſis Apoſtolis conſtabat; cum S. Joannes tria Evangelia viderit, probaritque; & S. Paulus Evangelium plerumque juxta S. Lucę textum laudet. Porrò canon iſte non in cœtu aliquo publico, vel Concilio digeſtus eſt; ſed Eccleſiarum conſenſu, & de ſententia Epiſcoporum, quorum plerique cum Apoſtolis, & Diſcipulis familiarem conſuetudinem habuerunt.

Epiſtolarum Apoſtolicarum nec authoritas minor habenda eſt, nec eorum collectio quatuor Evangelia multò recentior. S. Polycarpus diſertè laudat Epiſtolas S. Pauli, S. Petri, & S. Joannis. Nihil quidem apud illum de epiſtola ad Hebræos, ſecunda S. Petri, ſecunda, & tertia S. Joannis; ſed ideò facilè, quod in priori illa epiſtolarum collectione deſiderantur. Habebat enim Eccleſia jam inde ante Marcionem (2) in unum corpus collecta Evangelia, & Epiſtolas, ejuſque exemplo hæreticus procudit Codicem ſuum Evangeliorum, & Apoſtolorum, nempè Apoſtolicarum Epiſtolarum. S. Ignatius in ſua ad Philadelphienſes Epiſtola non obſcurè deſignat Scripturarum corpus ex Evangelio, Apoſtolis & Prophetis collectum: *Confugiens ad Evangelium, tanquam ad carnem Jeſu Chriſti; & ad Apoſtolos, velut ad Eccleſiæ presbyterium. Prophetas etiam diligo, ut qui Chriſtum annuntiarunt.* Apoſtolicarum Epiſtolarum Autographa ſua adhuc ætate alicubi ſervari Tertullianus de præſcription. cap. 36. teſtatur: *Authentica ipſa litera Apoſtolorum ſonantes vocem, & repræſentantes faciem uniuſcujuſque.*

De Panthæno Philoſopho Chriſtiano, qui Alexandriæ circa A. C. 174. Scholam moderabatur, legimus apud Euſebium (3), offendiſſe nimirum illum apud Indos Hebraicum Evangelii S. Matthæi exemplar, eò, uti ferebatur, à S. Bartholomæo delatum. Porrò exemplar illud Alexandriam retuliſſe Panthænum S. Hieronymus, & Rufinus eſt author. Addit inſuper idem S. Hieronymus in Catal. c. 3. exemplar hebraicum S. Matthæi Cæſareæ in Bibliotheca Pamphyli ſervatum fuiſſe; ex quo facilis conjectura Alexandria Cæſaream Exemplar illud translatum; niſi ſi fortè Codex Cæſarienſis ex Alexandrino deſcriptus credendus eſſet. S. Petri Alexandrini ætate, labente ſcilicet ſecundo ſæculo, ſivè tertio ineunte, Autographum S. Joannis ipſa ejus manu deſcriptum religioſiſſimè ſervabatur (4). Nihil ego impræſentia de Codice Veneto tanquam Originali, S. Marci habito, cùm de illo fuſiùs in Prolegomeno ad illud Evangelium diſſerere conſtituerim. In Inſula Cypri an. 488. ſuper ipſum S. Barnabæ corpus poſitum, Evangelii Exemplar inventum eſt; quod ipſa ejus Apoſtoli manu in ligneo axe pretioſo æquè & ſolido deſcriptum fuerunt; illud autem, addunt, diutiùs Conſtantinopoli ſervatum, ubi pariter ſingulis annis feria quinta majoris hebdomadæ legi conſueverit.

Hæc quidem ſatis ſuperque dicta arbitror, quò ora obſtruantur dictitantium, Canonem Librorum N. T. non niſi ſæculo ſecundo, & ſeriùs etiam digeſtum fuiſſe; ſicut eorum, qui autumant, numerum Evangeliorum & Epiſtolarum non niſi ſeriùs determinatum. Quanquam enim prioribus Eccleſiæ ſæculis plures obtinerent Apocryphi, ab Hæreticis procuſi, ſive eorum opera corrupti Libri; æquè tamen conſtat, certum Sacrorum & Canonicorum Librorum numerum ab aliis quibuſque diſcretum, ſuam habuiſſe, alterius planè ab omnibus aliis ordinis, authoritatem.

TEXTUS ORIGINALIS N. T.

TExtus Originalis Librorum N. T. Græcus eſt. S. Matthæi Evangelium Hebraicè (5) primùm ſive potiùs vernaculo tum temporis apud Hebræos ſermone Syriacè deſcriptum eſt; citiſſimè tamen Græcis literis traditum, conſtat. Servabatur etiam Hebraicus iſte Originalis Textus SS. Epiphanii & Hieronymi ætate; dein prorsùs intercidit. Corruptus enim Ebionitarum aliorumque hæreticorum fraude, contemptui primùm, dein oblivioni traditus eſt. Græca verſio, qualis hodie extat, atque originalis locum uſurpat, vetuſtiſſima eſt, & S. Jacobo à nonnullis (6), ab aliis verò Joanni tribuitur; nec minoris eſt, ſive fidei, ſive exactitudinis, ſive vetuſtatis Latina verſio Authoris incogniti.

Suſpicabantur olim nonnulli, S. Marcum Latinis literis Opus ſuum tradidiſſe, quorum tamen ſententia hodie aſſertore caret. Non defuerunt, qui crederent, Epiſtolam ad Hebræos Hebraicè primum ſcriptam in Græcum deinde translatam fuiſſe. Sed temerè prorſus illi; ejuſque Exemplar, niſi Græcum ſpectaſſe neminem conſtat. Cùm verò Librorum N. T. Authores Ju-

(1) Iren. l. 3. cap. 11. n. 7. & 8. (2) Patuit Hæreticus ille A. S. C. 127.
(3) Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. cap. 10. (4) Fragment. M. S. Petri Alexan. de Paſchate apud Petavium.
(5) Papias apud Euſebium l. 3. c. 39. Hiſt. Eccl. Irenæ. Origen Euſeb. Cyrill. Jeroſolymit. Epiph. Hieronym. alii.
(6) Synopſ. S. Script. ſeu Author. addition. in fine Synopſ. *Cujus tamen verba deſignare etiam poſſunt, S. Jacobum Evangelium illud Fidelibus explicaſſe.*

res Judæam referrent originem, & Hebraicæ vel Syriacæ linguæ ab ineunte ætate aſſuevisſant, vernaculi illius ſermonis genium ſervant; nihil præſeferunt illius elegantiæ & cultus, qui in probatis quibuſque ejuſdem ætatis Græcis Authoribus ſentitur. Nec ab his nævis prorsùm immunis eſt S. Lucas, quamquam majori eloquii puritate niteat. Sed minimum illum defectum verum granditas & majeſtas ſatis compenſat; eòque magis prodigium Evangelicæ prædicationis ſpectandum eſt, quò admiranda plurima patrata intelligimus: *Non in doctis humanæ Sapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus.*

VERSIONES NOVI TESTAMENTI.

CUm ab ipſis crepundiis Eccleſia longè latèque per orbem diffunderetur, factum eſt, ut ab ipſo pariter ejus initio variorum ſermone tradita Evangelia vulgarentur. Euſebius in Iſa. 45. 20. de ſua ætate, quarto nempè ſæculo, teſtatur, omnium ſermone & characteribus deſcriptos Sacros Libros nullam gentem latere. Cùm verò inter omnes linguas Latina maximè & Syriaca poſt Græcam latiùs obtinerent, Verſiones illæ N. T. omnium primæ non immeritò reputantur.

VERSIO SYRIACA.

PErſuaſum eſt apud Syros, vernaculam N. T. verſionem ad ætatem Regis Abgari pertinere, quem Regem ferunt nunciis ad Jeſum Chriſtum miſſis, illum invitaſſe, ut ad Urbem Edeſſam Regni ſui Metropolim confugeret. S. Thadæus eò à Jeſu Chriſto miſſus, in eam Verſionem laboraſſe fertur. Sed cùm rerum omnium fides apud Eruditos noſtræ ætatis nutet, nihil exinde certi, ne quid gravius dixerim, pro hiſtoria ejuſdem Verſionis deduci poſſe arbitror. Valtonius tota ea diſcuſſione omiſſa ad ætatem Apoſtolorum Verſionem illam cenſuit pertinere, eo potiſſimùm ductus argumento, quòd in eo Codice nihil legatur, tum de ſecunda Epiſtola S. Petri, cùm de ſecunda S. Joannis, S. Judæ, & Apocalypſi; unde facilis conjectura, opus illud adornatum, antequam hæc omnia in Canonem reciperentur. Verùm eos omnes Libros, non ſecùs ac reliquos in Canonem Syri recipiunt; eorumque Verſiones ejuſdem Valtonii opera in Polyglottis Londinenſibus inſertæ ſunt. Si in nonnullis Syris Codicibus deſiderantur, ideò contigiſſe credendum eſt, quòd Operum illorum minor eſſet uſus, ſive rarius major.

Sunt qui Verſionum illarum Authorem conſtituunt Thomam Heracleenſem, cujus tamen opera potiùs recenſitos Sacros Codices cenſemus; cùm Exemplaria Syriaca pluribus ſæculis antea obtinerent, quàm ille Ægyptum peteret, corrigendis Codicibus illis ad normam Græcorum Monaſterii S. Antonii. Poſt eam ætatem, receptum eſt apud Syros, ut Codices ſuos ad Exemplaria ejuſdem Thomæ emendarent, utpote quæ omnium potiſſima haberentur (1).

Syrorum nonnulli autumarunt (2), S. Marcum poſt ſcriptum Latinè Evangelium ſuum, Hebraicè vel Syriacè, quæ vernacula erat tum temporis Hebræorum lingua, reddidiſſe; idemque deindè & cum aliis Libris N. T. ab ipſo eodem Authore præſtitum. Simonius (3) arbitratur, Syriacam illam Verſionem neque Antiochiæ, neque in regione illa, quæ peculiari nomine Syria appellatur, ubi Græcus ſermo vernaculus habebatur, ſed potiùs in Tranſeuphratæa, ubi Syriacus, adornatam fuiſſe. Huic conjecturæ multum deeſt ad perſuadendum; quamquam enim Græcus ſermo Antiochiæ & in florentiſſimis ejus regionis Urbibus vulgo obtineret; in agro tamen & in reliqua Syria priſtina loquendi ratio familiaris haberi potuiſſet S. Ephrem quarto ſæculo, & Moyſes Bar cepha decimo, in ea regione verſantes, Syriacè ſcripſerunt; nec infrequentes occurrant Epiſcopi in Conciliis, qui Syriacè tantùm loquerentur.

Vidmanſtadius & Guido Fabricius in ea fuerunt ſententia, Originale S. Matthæi apud Syros manſiſſe; nec ſanè alia fuit ratio, quare ſcriptum Syriacè Opus Syriacè verteretur. Verùm ut perſuadeamur, Syriacam S. Matthæi Verſionem è Græco expreſſam, nihil præſtandum nobis, quàm ut utramque ſimul exemplar conferamus. Regnat in Syro Exemplari Græcus genius; errata plurima deprehenduntur, quæ non niſi ex Græco ſubrepſerunt; & ſanè expreſſam eam Verſionem conſtat è Græco vetuſtiſſimo, unciali charactere, Exemplari, antequam accentuum uſus ſuper vocales literas obtineret: ejuſdemque Græci Codicis voces inter ſe non ſatis diſtinctas fuiſſe oportet; ſunt enim plura in Syriaco menda, quæ non niſi ex varia legendi accentus, & puncta adſcribendi, ac tandem diſtinguendi voces Græcas ratione, referenda videntur (4).

Aliud etiam animadverſione dignum occurrit, Syriacum ſcilicet prorsùs congruere cum Græco,

(1) Euſeb. Renaudot in Addend ad Biblioth Sac. P. Le Longe pag 659.
(2) Guiell. Poſtel. uti narrat Guido Fabric. Boderian. in Præfat. tom. 5. Polyglott. Antuerp.
(3) Simon. Hiſtor. Critic N. T. p. 262.
(4) Vide Prolegom. D. Millii Prolegom. 1237. & ſeq.

Græco, quod ſibi vertendum Author Vulgatæ propoſuerat, ut Syriacus ſemper cum Vulgata in his quoque locis conveniat, in quibus illa à Græcis impreſſis ſive Mſs. diſſidet. Ea porrò eſt utriuſque Verſionis affinitas, ut D. Millio (1) ſuſpicionem moverit, num Syriacus ad Latinam Verſionem reformatus fuiſſet; ſed cùm paulò diligentiùs rem examinaſſet, ſuam hanc conjecturam futilem inanemque deprehendit.

VERSIO LATINA.

Latina N.T. Verſio originalibus ipſis penè coæva, ad tempora Apoſtolorum ſpectat, quamquam certum ejus tempus & Author ignoretur. Cum Romani imperii ditio latè per orbem porrecta eſſet, iiſdemque ferè finibus, quibus Imperium illud, Lingua Latina terminaretur, qui iiſdem literis Verſionem Scripturæ traderent, plures fuerant. Ex quo enim quiſpiam de lingua Græca & Latina aliquid norat, ſatis ſibi eſſe in cenſu arbitrabatur, cur portionem aliquam N. T. vertendam ſuſciperet. Hinc inundarunt adeò Verſiones, ut earum copia numerum vinceret, juxtà ac S. Auguſtinus obſervat (2): *Qui Scripturas ex Hebraica Lingua in Græcam tranſtulerunt, numerari poſſunt; Latini autem Interpretes nullo modo; ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, auſus eſt interpretari.*

Hinc copia illa variantium in omnibus Latinis Exemplaribus (3), quæ deinde Damaſum Pontificem impulit, ut à S. Hieronymo novam verſionem precario obtineret. Porrò inter priſcas illas Verſiones eminebat & generali aſſenſu probabatur Italica Verſio (4), quam alio nomine Communem, Vulgatam (5), & Veterem (6) appellabant; cujus illud ferebatur elogium (7): *Verborum tenacior, cum perſpicuitate ſententiæ.* Poſt verſionem S. Hieronymi, vetus hæc Italica nullibi locorum integra in Mſs. reperitur. Extant tantummodo collecta quędam fragmenta, ſive ſcripta nonnulla, veluti Evangelium S. Matthęi, Epiſtola S. Jacobi, Job, Pſalmi, aliique quidam Libri publici juris facti in nova Editione S. Hieronymi, & ſeorſum in exiguæ molis Libello. Priſcam V. T. Vulgatam reſtituendam in ſua Romana Editione Nobilius ſuſcepit; ſed cum Patres, è quibus longa ille fragmenta deſcripſit, non rarò dictante memoria ſcriberent, an integer Veteris Vulgatæ Textus in ejus Opere maneat, ambiguum eſt & incertum. Manuſcriptum tamen Corbejenſe quatuor referens Evangelia, ſpem de reliquis tandem in publicum proferendis facit.

Cum de S. Hieronymo feratur, Verſionem illam N. T. ſuſcepiſſe, *Novum Teſtamentum Græcæ reddidi authoritati* (8), non eſt continuò reputandum, novam illam Verſionem adeò molitum fuiſſe, ut nihil ex Italica retineret. *Ita*, ait ille Præfat. in quat. Evang. ad Damaſ. *calamo temperavimus, ut his tantum, quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua pateremur manere ut fuerant* (9): quæ S. Doctoris cautio ejus Verſioni toti Eccleſię approbandæ ac veteri abolendæ magnopere contulit. Plura tamen ſuperſunt monumenta Veteris Italicæ, quà in Vulgata, quà in operibus PP. & Mſs. uti in Claramontano, S. Germani Pratenſis Græco & Latino, in quibus omnibus, quæ ex Veteri Interprete, quæ verò ex S. Hieronymo, ſatis diſcernuntur.

D. Millius integram Latini Interpretis S. Matthæi fidem ad religionem uſque recognoſcit, quem dicit non rarò ipſis Syntaxeos regulis neglectis, ipſos in Textu ſuo caſus, genera & modos nominum ac Græcorum verborum expreſſiſſe. Cenſet Verſionem Latinam S. Marci alterius eſſe à Latina S. Matthæi Authoris; illi enim eidem rei exprimendæ aliæ ab iſto voces uſurpantur; à quo pariter felicius vis Græcarum vocum exprimitur. Adhuc autem & Interpretem S. Lucæ alium cenſet ab illis; ſicut & alium S. Joannis, quod iiſdem conjectuis demonſtrat. Vereor tamen, ne viri docti critica ſubtilior ſit quàm res tulerit. Quis, rogo, Latinus Interpres iiſdem ſemper vocibus utitur? Quis eundem retinet ſtilum, cum ad literam vertendos ſuſcipit Scriptores, quà ſtilo, quà ſcribendi genio adeò diverſos, quantum inter ſe S. Matthæus, S. Lucas, & S. Joannes diſcrepant?

VERSIO ARABICA.

An Verſio Arabica N. T. è Græco ſive è Syriaco expreſſa ſit, non ſatis convenit inter Authores. E Syriaco deſcendit Simonius (10); è Græco Badvulius, & Valtonus (11). D. Millius (12), qui Syriacum & Arabicum Græco ſeduiò contulit, egregiè demonſtrat, Arabicum ex aliis deducendum fontibus, quàm è Syriaco, cum duo illa Exemplaria frequenter inter ſe diſcrepent, maximè in lectione propriorum nominum locorum, Urbium, & provincia-

(1) Mill. Prolegom. 1249. 1250. (2) Auguſt. l. 2. c. 11. Doctrin. Chriſt.
(3) Hieron. Præfat. in quatuor Evangeliſt. *Tot enim ſunt Exemplaria penè quot Codices.*
(4) Auguſt. l. 2. de Doct. Chriſt. c. 15. (5) Hieronym. in Iſai. 19. & 49. (6) Gregor. Magn. Præfat. Moral.
(7) Auguſt. de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 15. (8) Hieronym. ad Lucinium Epiſt. olim 28, nunc 52 novæ Edit.
(9) Vide etiam Ep. ad Sun. & Fretell. *Noluimus ergo immutare quod ab antiquis legebatur, quia idem ſenſus erat .... Et nos antiquam interpretationem ſequentes, quod non nocebat mutare noluimus.*
(10) D. Simon Hiſt. Critic. N. T. c. 18. (11) Badvel. in Epiſt. ad Jean. ad calcem Valton. prolegom. c. 14. n. 25.
(12) Mill. prolegom. 1895.

vinciarum. Erpenius perſuaſum habuit, quatuor Evangeliſtas è Græco in Arabicum tranſtuliſſe Neſjulamanum quemdam filium Azalkeſat; reliquum verò N. T. è Syriaco Exemplaſi ignotum alium Authorem vertiſſe (1); quod ſuffragio ſuo viri alii Eruditi nonnulli confirmant.

VERSIO ÆTIOPICA.

GRæco Alexandrino optimæ notæ Exemplari Verſionem Æthiopicam N. T. debemus (2), cujus tamen Author non ſatis interdum in reddenda vi Græcarum vocum felix eſt, ſive quòd Græcas literas minùs calleret, ſive quòd oſcitans ſcriberet. Quæ ſtili varietas in variis N. T. Libris animadvertitur, totum opus pluribus Authoribus deberi ſatis demonſtrat (3). Quatuor Evangeliſtarum Verſio correctior eſt reliqua, & exactior; in reliquis enim Author interpretationes quaſdam de ſuo addere religioni non ducit. Subinde quædam in Codice deſiderantur, quibus ſupplendis ab Editoribus ad Græca & Latina Exemplaria confugiendum fuit.

Tempus & Author ejus Operis æquè ignorantur: ſpectat facilè ad exordium annunciati apud Æthiopes Evangelii; quod alii factum credunt ſæculo quarto S. Athanaſii ætate; alii, ſexti dimidio Juſtiniano imperante. Sunt qui opus credant Monachorum, quos Frumentius ad Æthiopes ad Chriſtiana Sacra translatos duxit (4); nec deſunt, qui eidem Frumentio tribuant. Obſervatum eſt, Verſionem hanc Æthiopicam plurimùm congruere cum vetuſtiſſimo Mſ. Alexandrino, noſtra ætate in Anglia ſervato. Menda etiam nonnulla deprehenduntur, non aliunde quàm ex veteri iſto vel alio ſimili Codice derivanda.

D. Abbati Renaudot (5) remota illa Verſionum Æthiopicarum, qualis vulgo aſſeritur, vetuſtas non perſuadetur. Expreſſas enim credit è Verſionibus Cophticis ſive Ægyptiis, quæ pariter originem ſuam referunt ex vetuſtis Mſs. Græcis in Ægyptiis, quæ pariter originem ſuam referunt ex vetuſtis Mſs. Græcis in Ægypto vulgatis, unde repetenda affinitas illa inter codicem Æthiopicum & Mſ. Alexandrinum. Ceterùm operæ pretium eſt animadvertere, Æthiopicam linguam, qualis Verſione illa exprimitur, non vernaculam eſſe hodie apud eos populos obtinentem, ſed vetuſtiorem alteram hodie abolitam (6), & olim ante deſertam ab Æthiopibus urbem Auxumam, vulgatam.

VERSIO COPHTICA.

VErſio Cophtica ſivè Ægyptiaca, nunquam, quamvis maximè omnium Orientalium excuſarum Verſionum mereretur, typis vulgata eſt. Minùs ſanè præ illa curandæ fuerant reliquæ, veluti Arabica & Perſica, quarum hæc poſtrema nonniſi ex alia priori Verſione expreſſa eſt. Porrò Verſio hæc Cophtica è vetuſtis probatiſque Mſs. eſt adornata. Variantia plura, ex variis Mſs. Codicibus Cophticis ſtudio D. Mareſchalli collecta, Millius in ſua Editione N. T. vulgavit: quorum pariter alia non pauca in N. T. Oxonienſi an. 1675. publici juris facta ſunt.

Suſpicantur nonnulli (7), ipsâ S. Antonii ætate, tertio nempè ſæculo exeunte & ineunte quarto, Ægyptiam Verſionem aliquam jam obtinuiſſe; vir enim ille Sanctus, qui nonniſi Ægyptium ſermonem norat (8), majorem Scripturarum partem memoria complectebatur, & data occaſione in colloquiis ſuis earum ſententias aptè laudabat. P. Kircherius (9) cenſet, circa medium quarti ſæculi cœptam Verſionem Cophticam adornari; quam ille opinionem probat ex fide vetuſti Cophtici Martyrologii, referentis, Monachos ejus ætatis in vertendis ex Græco, Hebræo, & Chaldæo in Cophticum Sacris Libris potiſſimum occupari. D. Pik (10) Verſiones Cophticas non niſi ab octavo ſæculo vel priùs aliquanto revocat. Ceteùm Cophticus ſermo inter priores illas & matrices linguas habetur; vetus eſt enim Ægyptius, quamvis maximè corruptus.

VERSIO PERSICA.

DUæ circumferuntur Perſicæ Verſiones: recentior ex Græco adornata, cura Abrahami Vecloeb, linguæ Arabicæ Cantabrigiæ profeſſoris, publici juris facta eſt: vetuſtiorem & melioris notæ è Syriaca expreſſam, Valtonius in ſuis Polyglottis (11) impreſſit. Poſterior hæc ſatis fidelis quidem, interdum tamen à Textu recedit, & gloſſas quaſdam minus neceſſarias addit.

VER-

(1) Erpenius Præfat. in N. T. Arab. editum Leid. 1616. (2) Mill. Prolegom. 1472. (3) Idem Prolegm. 1188. (4) Vide Ludolf. Hiſtor. Æthiop. l. 1. c. 4. & Epiſt. ad Hottinger. & Hottinger. Diſſer. 3. de tranſlatione Bibl. in ling. vernac. (5) In Appendic. ad Biblioi. Sacr. P. Long. pag. 660. (6) Ludolf. Hiſtor. Æth. l. 1. cap. 15. a. 6 10. 11. 19. (7) Vide Jacob. Le Long Bibl. Sacr. t. 1. c. 2. ſect. 9. (8) Pall. Hiſtor. Lauſiae. c. 26. (9) Prodrom. Copht. c. 8. Ita & Simon, Diſquiſ. Critic. de variis Bibl. Edit. c. 21. (10) Pik Epiſt. ad V. Cl. Mill. Prolegom. ad N. T. (11) Vide Mill. Prolegom. in N. T. G. Proleg. 1369.

PRÆFATIO.

VERSIO ARMENA.

VErſionem Scripturarum ſuam Armeni ad S. Chryſoſtomi ætatem ſpectare arbitrantur (1); adornatam verò autumant duplicis Scriptoris opera, Moyſis ſcilicet Grammatici, & Davidis Philoſophi. Ex Græco tota tam quoad Vetus, quàm ad Novum Teſtamentum expreſſa eſt. Prodiit Antuerpiæ primùm An. 1666. deinde alibi pluries. Sunt qui illam tribuant S. Chryſoſtomo (2), dum in exilio ſuo Cucuſæ detineretur; alii verò tradunt (3), B. Meſropam conſilium agitantem tradendi gentilibus ſuis Armenium Scripturarum Verſionem, miſiſſe ſub Theodoſio juniori duos è Diſcipulis ſuis, Eznar & Joſephum, ad urbem Edeſſam, ubi juncta ſimul opera Verſioni incumberent. Adornarunt igitur Opus ex Syriaco Textu. Sed utraque hæc opinio ejuſdem eſt fidei & authoritatis. Conſtat ſanè, Armenam Verſionem è Græco repetendam (4), quo tamen Authore, incertum.

VERSIO GOTHICA.

ULphilas, qui circa annum J. C. 360. Epiſcopum Gothorum agebat (5), Gothicæ Verſionis eſt Author. Ab eo viro inventos characteres Gothicos tradunt Socrates, Sozomenus, & Philoſtorgius; addentes, vertiſſe illum pariter univerſam Scripturam, ſolis Libris Regum exceptis. Id autem eo conſilio à viro præſtitum, quod timeret, ne tot bellorum, quæ in Libris Regum leguntur, lectione, bellicoſa gens & fera plus nimiò animaretur.

Porrò Verſio iſta longa oblivione ſepulta manſit, donec fragmenta quædam Mſſ. in Abbatia Werdinienſi, non longè à Colonia, reperta ſunt. Codex erat membranaceus vetuſtiſſimus, argenteis ſcriptus characteribus, quin & aureis initialibus literis ornatus; hinc nomen inditum Exemplari, *Codex argenteus*. Emptum eſt 500. ducatis pretioſum illud vetuſtatis monumentum à D. de la Gardie Sveciæ Cancellario, quod deinde exſcribens Franciſcus Junius, publici juris fecit A. 1665. additis Notis D. Mareſchelli, & Lexico.

Ulphilas Arianam ſectam profitebatur: verùm ſivè opus adornavit antequam à fide deſciſceret, ſive ea, quam profitebatur, ingenuitate, ſive metu ne doli mali convinceretur, illud planè conſtat, loca omnia, quibus maximè hæreſis impugnatur, integra fide in ejus Verſione ſervari. Unus eſt in cap. 13. S. Joannis Textus, qui ſuſpicandi anſam præberet; ſed facta ejus cum altero ejuſdem Interpretis loco collatio, ab omni illum fraudis ſuſpicione liberat. Fidem ſecutus eſt veteris & probatiſſimi Græci cujuſdam Codicis, cujus ille ſinceritati ſinceritate ſuæ adeò reſpondit, ut periiſſe reliqua hujus pretioſiſſimi monumenti ægrè feramus.

Maxima omnium, quæ ex Verſionibus hiſce utilitas deducitur, illa eſt, nimirum conſtare ex illis quem ſecuti ſint legendi rationem veteres codices, unde Verſiones illæ exprimuntur; alioquin enim in ſcientia Græcæ Linguæ noſtra ætate nihil vetuſtis illis Interpretibus conceditur. Sed de genuina & vetuſte Græcorum originalium lectione non ſatis convenit, quòd Exemplaria Græca diſcrepare plurimùm hodie deprehendantur. Quare commodiſſimè accidit noſſe, quam lectionem Veteres ſecuti ſint, ut certa in noſtris Exemplaribus determinetur.

De Verſionibus quà Latinis, quà vernaculis noſtræ ætatis nihil agendum ducimus in præſenti, tum quòd eò intento nimis abduceremur, cùm etiam quòd labori par fructus non reſponderet. Gallicam Verſionem ad Latinum Textum & ad Vulgatam tunc etiam in Commentario ſequuti ſumus, cùm Græcus Latino meliora præferre videretur. Sedulò pariter alicujus momenti variantia tam Græci & Latini quàm Græcorum Exemplarium, ad infimas paginarum oras, ne Textus nimis infarciretur, adnotavimus.

Porrò eadem in Novi Teſtamenti interpretatione, quàm in Veteris, methodum ſequuti ſumus, niſi quòd plus aliquid in Novo laudavimus ex PP. Græcis & Latinis, genuinis ſcilicet divini hujus Operis Interpretibus. Junximus Authores Catholicos unà cum illis, Eccleſiaſticæ traditionis in ſenſu Sacri Textus ſeriem continuantes. Nec in rebus criticis, & literalibus Textuum expoſitionibus Authores Proteſtantes neglеximus. Fatemur autem ingenuè, plus externæ opis retuliſſe nos in Novi quàm in Veteris Teſtamenti interpretatione, quòd Græcum N. T. eloquium plus multò innoteſcet, quàm Hebræum Veteris. Major ſanè fuit difficultas in conciliandis inter ſe Evangeliſtis, & mente S. Pauli attingenda; minima profectò in genuina verborum ſignificatione pandenda.

In hiſtoria Harmonica & Chronologica juxta quatuor Evangeliſtas eam Chronologiam ſecuti ſumus, quam D. Toynardus ſtatuit, cujus docti viri Harmonia nuper typis excuſa eſt. Cenſemus autem cum peritiſſimis Chronologiſtis Æram Vulgarem Eccleſiæ Latinæ uſu poſt Dionyſium exiguum receptam, nempe poſt ſæculum ſextum, triennio ſeriùs veram Epocham ab exorto Jeſu Chriſto repeti, adeò ut quo loco nos hodie annum Jeſu Chriſti 1715. ſupputamus, ſtatuendus eſſet annus 1718. Æquivocationi autem tollendæ in annorum adſcriptionibus duplicem Epocham conſignamus, vulgarem nempe, & veram; ut primus J. C. annus juxta Æram Vulgarem reſpondeat quarto J. C. juxta Epocham genuinam; & cum J. C. diem clauſiſſe ſtatuatur Æræ Vulgaris anno 33. ætatis, ejus loco juxta veram Chronologiam ſcribendum eſſet, ætatis 37.

IN

(1) Uſcam Epiſcop Armen. apud D. Simon. Hiſtor. Critic. V. T. l. 2. c. 16. (2) Georg. Alexand. qui claruit an. 620. & poſt eum Sixt. Senenſ. l. 6. (3) Author vitæ S. Meſrop. apud P. Le Long Bibl. Sacr. c. 2. ſect. 8. p. 230.
(4) Mill. Proleg. 1402. (5) Vide Mill. Proleg. 1356. & Præfat. in N. T. Goth.

IN EVANGELIUM
S. MATTHÆI
PRÆFATIO.

S. Matthæus Evangelii, quod modo exponendum ſuſcipimus, Author, Alphæum habuit parentem (1), patriam Galilæam, Religione fuit Judæus & profeſſione Publicanus. *Publicanum* egiſſe cæteri Evangeliſtæ non ſatis exprimentes *Levi* tantummodo appellant, quòd ſcilicet inviſum eſſet apud Judæos *Publicanorum* nomen, & munus (2). Sibi tamen vir Sanctus ea cautione utendum non cenſuit; ſed nomen ſuum & munus palam annunciat, quò beneficii à J. C. accepti, Apoſtolatus nempe, magis magiſque donum commendaret, ſuoque demonſtraret exemplo de miſeratione Dei nemini deſperandum (3). Urbis Capharnaum incola telonium habebat extra Urbem poſitum, in litore maris Tiberiadis (4); undè tranſiens Jeſus Virum ad ſui ſequelam invitavit.

Cognomen illud *Alphai* ſive *filii Alphai*, quod apud S. Marcum (5) obtinet, ſuſpicionem movit Veteribus nonnullis (6), cui fidem addunt Græci recentiores, fratrem habuiſſe S. Jacobum filium Alphæi ſive minorem, cujus tamen opinionis nulla ſpecies eſt veritatis.

Conjecturas quaſdam Grotius (7) congeſſit adversùs receptam illam opinionem, qua S. Matthæus cum Levi filio Alphæi, de quo SS. Marcus & Lucas, confunditur. Obſervat ille; 1. S. Matthæo nunquam adjectum Levi cognomen, nec viciſſim Levi nomen S. Matthæi in omnibus N. T. Libris; 2. Heracleonem, à S. Clemente Alexandrino lib. 4. cap. 5. laudatum, Matthæum & Levi in duos viros diſtinguere, nec ejus ſententiam S. Clementem refutaſſe; 3. Origenem contra Celſum lib. 1. ſcripſiſſe, Levi Publicanum, qui Jeſu Chriſto comes acceſſit, inter Apoſtolos non recenſeri; niſi, ait, in quibuſdam Exemplaribus S. Marci. Profectò Exemplaria quædam illius Evangelii & inter cetera Mſ. Cantuarienſe legit Marc. 2. 14. *Jeſus vidit Jacobum filium Alphai*, alia legunt: *Vidit Matthaum Publicanum*; pro eo quod in Vulgata & pleriſque Codicibus tam Mſs. quàm impreſſis Græcis legitur *Levi Publicanum*. Addit Grotius, Levi præfecturam facilè geſſiſſe telonii; Matthæum vero miniſtrum ejus fuiſſe; & convivium, de quo S. Matthæus, non in Matthæi domo ſed Levi inſtructum.

En Grotii conjecturas, quas minus habere ponderis agnoſcimus, ut contra Veterem opinionem aſſertam adeò, omnibuſque hiſtoriæ circumſtantiis congruentem, quemadmodum ipſe etiam Grotius fatetur, valeat. Heracleonis authoritas, Originis dubitationes, ſilentium S. Clementis, quorumdam Mſs. lectio tantine facienda eſt, ut Codicum omnium, & perpetui omnium Scriptorum aſſenſus, tum & 17. ſæculorum poſſeſſionis fidem enervet?

Fauſtus Manichæus olim, ſcriptum à S. Matthæo Evangelium, quod ejus nomine habemus, negandum ſibi ſuſceperat; quòd ſcilicet, cùm in eodem Evangelio ejuſdem Matthæi vocatio refertur, non ſcripſerit Sacer Hiſtoricus: *Jeſus vidit me, & ait mihi, ſequere me*. Bella Authoris ratiocinatio, digna ſanè, cui adeò ſolida, & gravis Auguſtini refutatio opponeretur (8). Rufinus l. 10. c. 9. & Socrates l. 1. c. 19. aliique nonnulli (9) tradunt, S. Matthæum in Æthyopia Evangelium anounciaſſe; in Perſide ſive apud Parthos S. Ambroſius in Pſ. 45. S. Paulinus (10), aliique. Incerta omnia; & cùm non raro apud Authores Æthyopiæ nomen latiſſimo ſenſu uſurpetur, deſignatum facile credimus eo nomine Provinciam quandam Regni Parthorum, ex quo nullo negocio utraque hæc ſententia conciliaretur.

Antequam è Judæa digrediens in remotas Provincias Evangelii annunciandi gratia proficiſceretur (11), quò Fidelium Palæſtinæ votis annueret, ea quæ viva voce prædicaverat, literis mandare aggreſſus eſt. Scripſit ergo Evangelium, bonum nempe nuncium ſalutis, & libertatis, quam J. C. mortalibus omnibus largitus eſt. Apoſtolorum precibus, & juſſionibus ad eam rem virum ſanctum impulſum Patres nonnulli (12) aſſeruerunt. Scripſit Jeroſolymæ (13), uſua ſermone Hebræo, ſive Syriaco, Palæſtinis Judæis tunc temporis vernaculo (14). Ea res tanquam certa à priſcis omnibus Scriptoribus traditur.

Opus hoc ſuum ſuſcepiſſe (15) refertur S. Matthæus anno octavo poſt reſurrectionem J. C. & 41. Æræ vulgaris. Eam temporis adſcriptionem ſervant in calce operis vetera omnia Græca Mſs. Omnium primum ſcribendi Evangelii conſilium ab eo ſuſceptum tradunt SS. PP. cujus rei argumentum eſt pariter ordo, quem in omnibus Exemplaribus N. T. tenet; eſt enim omnium

Evange-

(1) Marc. 2. 14. Luc. 5. 27. (2) Hieron. in Matth. (3) Chryſoſt. 1. 6. homil. 18. (4) Mar. 2. 13. 14. Luc. 5. 28.
(5) Mar. 2. 14. *Vidit Levi Alphai ſedentem ad telonium.* (6) Chryſoſt. hom. 23. Theodoret. Pſal. 67. ver. 28.
(7) Grot. ad Matt. 9. 9. Vide & Cleric. in Hamm. ad Luc. 5. 29. (8) Auguſt. l. 17. c. 4. contra Fauſt. Manich.
(9) Eucher. qu. l. 1. p. 379. Fortun. l. 5. c. 1. Gregor. in Reg. 9. (10) Paulin. carm. 26. [illegible] Martyrol. ſub nomin. Hiern. [illegible] alii.
(11) Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 24. Chryſoſt. in Matth. hom. 1. Iren. l. 3. c. 1. Hieron. de vir. illuſtr. aliique. (12) Euſeb. Iren.
(13) Euſeb. Demonſt. l. 3. c. 14. & Mſs. Græca Evangelii ſecund. Matthæum ad calcem, Ita Chryſoſt. Theophyl. &c.
(14) Ita cod. Mſs. plures, Syr. Arab. Per. Athan. in Synopſi, Iren. Origenes, Hier. Epiph. Chriſ. Theophyl. Euthym. alii paſſim.
(15) Athanaſ. in Synopſ. de Matth. Theophyl. Euthym. in Matth. Nicephor. l. 2. c. 45. Euſeb. in Chronic.

Evangeliſtarum primus, S. Irenæus l. 3. cap. 1. ſcripſiſſe perhibet circa an. Ch. 61. cùm, ait ille, eo tempore ſe ad opus accingeret, quo SS. Petrus, & Paulus Romæ Evangelium annunciantes Eccleſiæ J. C. fundamenta locabant. Verùm eo ſemel admiſſo, nimirum S. Matthæum omnium primum Evangelium ſcripſiſſe, & S. Marcum ſuum illud adornaſſe circa a. 43. epocham S. Irenæi deſeruiſſe cogemur (1). Cornelius à Lapide, Baronius poſt Authorem imperfecti in S. Matthæum autumant, ſcribendi occaſionem dediſſe primam Apoſtolorum diſperſionem, circa 3. vel 4. annum a J. C. in Cœlum recepto. Sed ejus diſperſionis anno incerto nihil exinde certi deduceretur.

Summo Veterum aſſenſu traditum eſt, hoc S. Matthæi Evangelium Hebraico ſermone vel Syro tum temporis Palæſtinis vernaculo ſcriptum fuiſſe (2). *Chaldaico Syroque ſermone, ſed Hebraicis literis, ſcriptum*, ait S. Hieronymus adverſ. Pelag. lib. 3. cap. 1. Judæis Palæſtinis ad Chriſtiana ſacra translatis uſibus ſervilt, qui obſidionem Urbis per Romanos vitaturi Pellam Urbem Transjordanam digreſſi unà illud tranſtulerunt. Inde per totam Decapolim & Transjordanam regionem ſcriptum illud obtinuit, quo pariter uſos ejuſdem Regionis Chriſtianos ætate S. Epiphanii (3), & Euſebii (4) conſtat.

Codicem quendam Evangelii S. Matthæi vel ſecundùm Hebræos præ manibus habuiſſe & Græcis Latiniſque literis tradidiſſe ſe S. Hieronymus teſtatur. Addit inſuper laudari idem Exemplar ab Origene; neque ambigere ſe, quemadmodum nec S. Epiphanium ipſum eſſe Autographum S. Matthæi; quamquam à Chriſtianis Hebraizantibus, quorum plerique parùm ſanctè purioris fidei depoſitum ſervarint, in pluribus interpolatum (5).

Prima igitur huic interpolationi via aperta eſt, quòd plura ex ipſis Apoſtolis ſive prioribus Diſcipulis audita addenda reputarunt. Hinc creata in Evangelium illud penes ceteros Fideles ſuſpicio. Deinde ſemel aperto interpolandi Textum aditu, Ebionitæ addenda ſibi plurima atque detrahenda, prout erroribus ſuis conduceret, ſuſceperunt; ex quo cæteris Fidelibus repellendi Operis occaſio data eſt. Ipſa Origenis ætate, i.e. ſecundo ſæculo (6), è Sacrorum Librorum authoritate Evangelium illud exciderat. Inter Apocrypha rejicit Euſebius; quæque ex eodem Evangelio apud S. Ignatium, S. Clementem Alexandrinum, S. Hieronymum, & alios laudantur ex eodem Evangelio ſententiæ, fruſtrà in Græco quærendæ, illius interpolationem ſatis ſuperque demonſtrant.

Puerilia etiam plura & erronea in eodem Libro legebantur, ut illud de juvene, cui à J.C. denunciatum: *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*; quem juvenem legimus in eodem Evangelio abiiſſe ſcalpentem ſibi caput (7). Jeſum Chriſtum invitum à S. Joanne aqua Baptiſmatis tinctum ex eodem Evangelio refert S. Hieronymus lib. 3. contra Pelagium cap. 1. Laudat etiam ex eodem Evangelio Hebræorum S. Hieronymus in Epiſt. ad Epheſ. 5. 4. illam ſententiam: *Nunquam læti ſitis, niſi cum fratrem veſtrum videritis in charitate*.

S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 2. refert ex eodem: *Qui admiratus fuit regnabit, & qui regnaverit, requieſcet*; & illud: *Secretum meum mihi, & omnibus Domus mea*. Potuit tamen poſteriorem hanc ſententiam decerpſiſſe S. Clemens ex Evangelio ſecundùm Ægyptios interdum ab ipſo laudato. Origenes in Joannem cap. 2. loquentem inducit Jeſum Chriſtum juxta Evangelium ſecundùm Hebræos: *Modò accepit me mater mea S. Spiritus unum capillorum meorum, & me in montem magnum Tabor portavit*. Curſim hic adnotandum Hebræum *Ruah* nempe *Spiritus*, vocem eſſe fœmininam; hinc data occaſio illis verbis: *Mater mea S. Spiritus*. Hæc pariter verba S. Spiritus ad Jeſum Chriſtum è fluentis Jordanis poſt Baptiſmum S. Joannis aſcendentem leguntur: *Fili mi, ego expectabam adventum tuum in omnibus Prophetiſe Tu es filius meus dilectus, qui in æternum regnas*. Et alibi (8): *Et ecce mater Domini & fratres ejus dicebant ei: Joannes Baptiſta baptizat in remiſſionem peccatorum; eamus & baptizemur ab eo. Dixit autem eis: Quid peccavi, ut vadam & baptizer ab eo? Niſi fortè hoc ipſum quod dixi ignorantia eſt*. Plura eſſent alia ex eodem Evangelio congerenda, quæ nos opportunè in Commentariis laudavimus.

Non abs re credimus, ipſum eſſe Hebraicum S. Matthæi Evangelium, quod nomine Evangelii duodecim Apoſtolorum à pluribus laudatur (*). Ita enim à Chriſtianis Hebraizantibus appellatur, ratis illud ex Apoſtolorum Collegio ſe recepiſſe, atque in eo collecta omnia, quæcumque è loquentium ipſorum ore auſcultata fuerant. Dictum eſt etiam Evangelium Nazaræorum (9), quòd eo uterentur primi illi Chriſtiani Nazaræi, ex Nazareth Jeſu Chriſti patria appellati. Nihil probroſum primò nomen illud ſonabat; deinde Hæreticos certæ cujuſdam ſectæ denotavit; qui adeò Legalibus cæremoniis hærebant, ut nullam abſque illis teſtare ſalutis ſpem blaſphemarent.

Diù quidem hujus Evangelii ſanctum integrum depoſitum manſit penes Nazaræos ſive priores Fideles (10), manſit, inquam, etiam poſt ejus interpolationem fraude Ebionitarum, qui facta a fide ſeceſſione plura in Divinitatem J. C. & Virginitatem B. Mariæ erronea effutierunt.

(1) V. Not. 5. Tillemont. in S. Matt. (2) Orig. hom. 8. in Matth. Iren. apud Euſeb. l. 5. c. 10. Hieronym. in Catalog. Epiphan. Hæreſ. 29. Theodor. de hæreſ. &c. (3) Epiphan. hæreſ. 29. c. 7.
(4) Euſeb. l. 3. c. 25. Hiſtor. Eccleſ. (5) Vide Hieron. in Catalog. V. Matthæus, & V. Jacobus, & in Matth. 12.
(6) Hom 8. in Matth. Edit. Latin. (7) Vide Orig. in Matth. c. 8. (8) Hieron. l. 3. contra Pelag. c. 1.
* Apud Origen. homil. 8. in Matth. Ambroſ. Prœm. in Luc. Hieron. l. 3. contra Pelag. c. 1.
(9) Iren. l. 1. c. 26. & l. 3. c. 11. Hieron. in Matth. 12. (10) S. Ignat. apud Euſ. hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 36; S. Hieron. in Matt. S. Epiph. hæreſ. 30. in fin. *Evangelium illud, tanquam genuinum S. Matthæi laudans*.

Erant etiam S. Hieronymi ætate Nazaræi (1), quibus nihil tale ac Ebionitis exprobrabatur. Nihil ex Evangelio detraxerant, nullam ex traditionibus Phariſaicis recipiebant; quanquam alioqui obſervationi Legalium inhærerent.

Docet etiam Theodoretus hæret. Fabul. lib. 2. cap. 2. adjectam pariter Evangelio Nazaræorum inſcriptionem; *Evangelium S. Petri* (2) ſive *Evangelium ſecundùm Petrum* (3). Utebantur eo S. Petri Evangelio *Docetes* hæretici ſecundi ſæculi, blaſphemantes Jeſum Chriſtum in ſpeciem tantùm natum, in ſpeciem pariter mala paſſionis mortemque ipſam toleraſſe. Hujus ſectæ Authorem ſe ducemque præbuit Julius Caſſianus (4), diſcipulus Valentini, qui ſub Imperio Marci Aurelii nova hac hæreſi Eccleſiam afflixit. Serapio Epiſcopus Antiochiæ ſub Commodo cum Marciano ejuſdem Caſſiani Diſcipulo conflixit (5).

Prædicatio S. Petri (6), qua Heracleon Valentini amicus utebatur, ipſum erat Evangelium ſecundùm Petrum, de quo impræſentia. Omnes porrò Hæretici illi è cœtu priorum Fidelium ex Hebræis ſeceſſionem fecerant; quare omnes idem præterebant Evangelium; ſinguli prout ſibi commodum cenſebant addendum ſibi aliquod detrahendumque ſuſceperunt; reapſe tamen idem erat omnibus Evangelium Hebraicum S. Matthæi.

Originale S. Scriptoris Evangelium hodie periit; quæ enim publici juris facta ſunt à Munſtero Baſilææ 1533. à du Tuillet Pariſiis 1555. nullius ſunt authoritatis, & ex Latino expreſſa, atque recentiora ab Eruditis creduntur (7). Quędam etiam in illis ad Rabbinorum genium expreſſa animadvertuntur; quibus aliiſque characteribus ſuppoſitionis & novitatis nota meritiſſime Exemplaria illa inuſta ſunt. Munſteri tamen prę altero mendoſius, utpote ex Autographo mutilo & imperfecto deſcriptum.

D. Millius poſt Titum Boſtrenſem (8) autumat, *Evangelium Hebræorum*, de quo huc uſque, recentiſſimè poſt paſſionem Jeſu Chriſti procuſum à Viro aliquo Fideli Jeroſolymis verſante, qui Jeſum Chriſtum facie norit, & ex illis Evangeliis unum cenſet, quemadmodum & Evangelium Ægyptium, quorum S. Lucas in ipſo Evangelii ſui exordio meminit, teſtatus hiſtoriam rerum ab initio geſtarum plures ſcribendas ſuſcepiſſe (9). Porrò conjectura iſta certum conſtituit, quod nobis ſuſpicioſum maxime creditur, vel etiam abſolutè falſum; nimirum Evangelium Hebræorum aliud eſſe ab Evangelio Nazaræorum, ſicut & ab Opere S. Matthæi diverſum. Arbitramur enim omnia hæc ſcripta variis tantùm additamentis, ſicut & detractionibus quibuſdam Hęreticorum injuria factis inter ſe diſcrepare.

Huc uſque a nobis deducta de Originali Hebraico S. Matthæi in dubium à nonnullis noſtræ ętatis Criticis revocantur (10). Statuunt nimirum illi S. Scriptorem Græcis literis Opus ſuum mandaſſe, & quęcumque de Evangelio illo Syriacè, Chaldaice, ſive Hebraicè (11) ſcripto à SS. Patribus feruntur, ſive falſa eſſe, ſive incerta, vel ſaltem præpoſterè intellecta. Non ſatis enim inter Veteres ea in re convenit, nec ſinguli aliquando ſecum ipſi cohærent. S. Hieronymus interdum velut eximium Opus commendat (12), pluribus laudat; cùm tamen de reformandis Exemplaribus N. T. ſive juſſu Damaſi vertendo Evangelio agitur, Originali illo neglecto ad Gręcam veritatem recurrit (13). Origenes laudat quidem ſæpè (14); interdum tamen leviſſimæ eſſe authoritatis Opus deſignat. S. Epiphanius, qui ſemel illud tamquam authenticum non ſine elogio uſurpat (15), alibi tamen ſuggillat tamquam mutilum & corruptum (16).

Cùm autem Græca lingua vulgaris in Palęſtina ea ætate haberetur, è re maxime fuerat, ſi Græcis literis S. Matthęus Opus ſuum traderet; quippè quod populis è vulgo potiùs, quam Sapientibus ſcriberetur. Profectò ſcriptum Hębraice Opus, cur oblivioni tandem traditum periiſſet? Nemine enim diſſitente Hebraica illa Evangelia poſt aliquot annos excuſa longè diverſa ſunt ab Originali S. Matthæi; quod idem judicium de Syriaco ferendum eſt, quidquid in contrarium Editores ejuſdem Teſtamenti Syriaci adnitantur. Addunt inſuper, vix fieri potuiſſe ut Opus à S. Matthæo Hebraice ſcriptum, Gręcas interpretationes nominum Hæbreorum præſeferret, quæ tamen in Evangelio S. Matthęi ſpectantur. Numquam etiam ejuſdem Auctor teſtimonia Scripturæ è Verſione Septuaginta laudaſſet. Porrò tum temporis vulgaris erat per univerſum Imperium Gręcę linguę uſus in familiaribus conſuetudinibus; ut S. Paulus Græcè ad Romanos ſcriberet, & SS. Petrus, & Jacobus Epiſtolas darent Græcas ad Judæos diſperſos; quemadmodum Sanctus Paulus ad Judæos Palęſtinę. Ut quid igitur unus S. Matthęus inter omnes Novi Teſtamenti Authores Gręcè ſcribentes Hebręum affectaſſet; Fulciendæ pariter huic ſententię Rabbinorum ſuffragium petitur, pronunciantium piaculare eſſe Libros Sacros alteri quàm Græcę lingvę tradere (17). Hæc momenta hujus ſententiæ.

Sed

(1) Hieronym. in Iſai. 8. 9. & 29. 10. & 31. 6. & 9. 2. [2] Ibidem Serapion. [3] Euſeb. l. 6. c. 3. Orig. in Matt. pag. 222. Edit. Huet. (4) Clem. Alex. l. 3. Strom. (5) Eus. l. 6. c. 12. Hiſt. Eccl. (6) Orig. Clem. Alex. Euſeb.
(7) Grot. init. Commenti in Matt. Huet de Claris Interpp. §. 12. Heidegger. Enchirid. Bib. l. 3. c. 2. Mill. Proleg. 1236.
(8) Tit. Boſtrenſ. in Luc. 1. Coll. g. nov. apud Mill Proleg. p. 139. col. 1. (9) Luc. 1. 1.
(10) Eraſm. in Matth. 6. 2. & 5. 21. & 8. 22. & 19. 5. Apol. ad Stunicam. Cajet. ad Matt. 1. 23. Calvin ad Matt. 2. 6. Cornel. D. Sect. Oper. tom. 2. p. 513. Ligfoot. Hor. Hebr. ad Matth. 1. 23. Vitriak. i Schmith. Fraſſen Diſquiſ. p. 661. 662. Beza ad Matth. 1. Caſaubon. in Baron. Illyric. Cleric. Diſſert. 3. in ſuam Concord. Evangel. plures.
(11) Hieron. l. 2. de Script. Eccleſiaſ. & in Matth. 12. (12) Idem Præfat. in quatuor Evangel.
(13) Hieron. in Commen. in Matth. 12. (14) Orig. hom. 8. in Matth. in Edit. Latin.
(15) Epiphan. hæreſi 29. (16) Idem hæreſi 30. & 51. (17) Vide Jeroſolym. Megillat, fol. 9. apud Ligfoot. in Matth. Hor. Hebr. Vide & Blauæ. de Natali Chriſti l. 1. c. 1. art. 15.

Sed ejus aſſertores conſueto ſupercilio ſtultitiæ damnat Iſaacius Voſſius (1), & contemptu potius quàm refutatione dignos judicat. *Stulti ſimus ſi iſtiuſmodi deliriis aliquid reponamus*. Imprudens tamen ille adverſariis ſuis, quos tantopere traducit, arma ſubminiſtrat, defendens, Græcum ſermonem vernaculum fuiſſe Palæſtinorum Jeſu Chriſti ætate, ut Chaldaicam vel Syriacum unis tantum viris doctis reſervaretur; Jeſum Chriſtum, Apoſtolos, & Judæos omnes Jeroſolymæ verſantes Græcè tantùm locutos. Sed unde, quæſo, Evangeliſtæ Hebraicas quaſdam vel Syriacas voces tamquam à Jeſu Chriſto prolatas non ſemel referunt (2)? Unde S. Paulus ad Judæos in Templo pro concione loquens Hebraicè vel Syriacè perorat (3)? Unde Paraphraſes Chaldææ paulò poſt Jeſu Chriſti ætatem in favorem populi Græco eloquio rudis adornatæ?

Quò tamen rationes negantium ſcriptum Hebraicè à S. Matthæo Opus directè petamus; reponendum eſt primò, ea, quæ in teſtimonio Veterum repugnantia animadvertuntur, in ſpeciem tantùm ſibi ipſis adverſari. Idem enim Textus varia ad diverſa tempora & perſonas, quæ illo utebantur, relatione ſpectatus a ſe ipſo difformis, variis Authorum teſtimoniis unus idemque ſufficit. Primò enim integer erat, purus, ſacer, & aſſertæ fidei; deinde nonnullis additionibus minoris momenti & fidei ſubleſtæ interpolatus eſt; quomodo in manibus Nazaræorum uſque ad quartum ſæculum manſit. Simul tamen exeunte priori ſæculo corruptus eſt mala fide ab Ebionitis; atque in Hæreticorum manibus ſpectatum Opus valut Hæreticum, Apocryphum & nullius authoritatis rejectum aſt ab Eccleſiis. Hinc variis Authorum ſententiis & opinionibus occaſionem unus idemque Textus præbuit.

2. Quę de Gręco ſermone tanquam in Palæſtina eodem tempore vernaculo feruntur, veritati prorſùs non cohærent. Jeſum Chriſtum Hebraicè locutum ex ipſo Evangelii teſtimonio intelligimus. 3. Græca Hebræorum nominum expoſitio ſcriptum Græcè Evangelium ita plane demonſtrat, quemadmodum nomina Hebræa Gręcè ſive Latinè in Geneſi reddita ſcriptum Græcè vel Latinè Opus minimè perſuadent. Quin & contraria omnia ab argumento probantur; non enim Hebraicorum nominum in altera lingua interpretatio alio conſilio adjicitur, quàm quòd Græci Interpretes vim nominum, de quibus in Originali, totum volunt Lectoribus pandere.

4. Magis quidem ad intentum in ſpeciem ſerviunt ea, quæ de laudatis ſententiis Veteris Teſtamenti juxta Verſionem Septuaginta animadvertuntur; quo unico argumento, ſi veritate conſtaret, aliquid ſanè, non quidem omnia convincerentur; cùm fieri optimè potuiſſet, Interpretem Textu Septuaginta veluti omnium probatiſſimo utendum ſibi cenſuiſſe, pro eo quòd S. Matthæus Hebræum laudaret. Sed hæc veritati non conſtant. S. Matthæus non verba plerumque ſed Prophetarum ſenſum uſurpat; & ex decem ſententiis V. T. ab eo relatis, ſeptem (4) ad Hebræum magis quàm ad Septuaginta accedunt. Tres tantummodo Septuaginta reſpondent (5); ſed illæ viciſſim cum Hebræo congruunt; ut proinde cum Septuaginta, & cum Hebræo conveniſſe perinde habeantur. Conſule S. Hieronymum in Catal. Script. in Matt. qui luculenter obſervat, S. Matthæum non Septuaginta ſed Hebraico Codice uti.

Cùm itaque de Evangelio Hebraico S. Matthæi agendum eſt, quò æquivocatio omnis tollatur, tempora & perſonæ ſeduiò diſtinguenda ſunt. Purum namque putumque ex Evangeliſtæ manibus exiit, & ex puro pariter probatęque fidei Autographo jam inde ab initio Græcæ Latinæque Verſiones derivatæ ſunt. Dein Chriſtiani hebraizantes ſive præpoſtero zelo, ſive inſcitia, ſive præſumptione adjicienda ſibi quædam bona fide cenſuerunt; quæ nimirum illos ex Fidelibus, qui Jeſum Chriſtum norant, & ex Apoſtolis didiciſſe contigerat. Is Exemplaris ſtatus in manibus Catholicorum Nazaræorum diutius manſit, apud quos ſcilicet non integra quidem fide ſanctèque depoſitum illud ſervatum eſt; quamquam non ea eſſet corruptio, quæ rejiciendum prorſùs Librum, & e manibus Fidelium detrahendum ſuaderet.

Ex ipſo Eccleſiæ Nazaræorum ſive Chriſtianorum hebraizantium cœtu ſeceſſionem fecit priori ſęculo exeunte & ineunte ſecundo ingens hæreticorum turba, divinitatem Jeſu Chriſti & Marię Virginitatem negantium, quibus etiam erroribus plura & maximi planè momenti adjecerunt. Erroribus ſuis fulciendis inſerendum ſibi detrahendumque in Evangelio S. Matthęi, quod unicè plerique probabant (6), utpote prę cęteris omnibus ſibi conducens, inſerendum, inquam, ſuſceperunt, quidquid pręjudicans ſingulorum opinionibus maximè cenſerent opportunum. Itaque idem prorſùs Evangelium, quod in Nazaræorum manibus laudatur probaturque, penes Ebionitas rejectum velut Hæreticorum commentum damnatur. Ne verò Scriptum illud à quoquam agnoſci contingeret, neve duli mali Hæretici illi, tamquam genuini Textus interpolatores, convincerentur, perſonatum titulum nomenque addiderunt, appellantes: *Evangelium duodecim Apoſtolorum*, *Evangelium S. Petri*, *Nazaraeorum*, *vel Ebionitarum &c.*

Non eſt igitur cur admiratione aliqua teneamur, ſi Hebraicum Evangelii hujus Exemplar noſtra ætate penitus interciderit, cùm interpolari illud diluculò adeò contigerit. Semel verò Ebionitarum fraude corruptum, cum nullis prodeſſet Catholicorum uſibus, negligi ab Eccleſia jure meritoque par fuit. Plus aliquid cautionis in ſervando Evangelio Nazaræorum adhibitum eſt; ſed cum turba hominum eſſet infrequens, ac tandem veluti Hæretici ipſi pariter haberentur, quod Lega-

(1) Iſaac. Voſſius Præfat. Append. in l. 2. de 70 Interpret. (2) Matth. 27. 46. Mar. 14. 36. & 5. 41.
(3) Act. 21. 40 & 22. 2. & 26. 14 (4) Vide Matth. 1. 23. & 2. 6. 15. 17. & 4. 10. 15. & 8. 17.
(5) Matth. 3. 3. & 4. 4. 7. (6) Iren. l. 1. c. 26. l. 3. c. 21.

libus cæremoniis plus nimio inhærerent; tandem factum eſt, ut ipſi pariter cum Evangelio ſuo evaneſcerent. Rari erant Catholici, qui Hebræum iſtud Exemplar intelligerent, ſive qui uti illo poſſent, vel ſi maximè poſſent, voluiſſent. Græco potiùs inhærendum ſibi cenſuerunt, cujus aſſerta erat authoritas, ſeu Verſionibus è Græco adornatis; id enim conducibilius viſum eſt, quàm ut ad Hebraicos Codices corruptos planè, vel ſaltem maximè ſuſpectos confugerent.

Nihil Rabbinorum authoritatem moramur, quorum ſententia piaculare eſt Sacros Libros aliis quàm Græcorum literis tradere. Bellam ſanè objectionem! cùm tandem de facto aliquo, ut in præſentia, agitur, unanimis Veterum omnium aſſenſus, qui vidiſſe, legiſſe, vertendum ſuſcepiſſe, revocaſſe in examen vetus illud Originale aſſeverant, majoris ponderis habendus eſt, quàm deductæ ex rerum convenientia Scriptorum noſtræ ætatis ratiocinationes. Neque intentum convincit, ſi quis aſſerat, veterem illum Hebræum Textum, Origeni, S. Hieronymo, aliiſque viſum, è Græco Originali expreſſum fuiſſe; neque enim hæc aſſerenda tantum, ſed etiam ſolidis adductis rationibus forent demonſtranda.

Verſio Græca, quæ ſola noſtra ætate ſupereſt, & poſt Hebraici Originalis amiſſionem originalis habetur, ad ipſa Apoſtolorum tempora ſpectat. Temerè prorſus, & nonniſi divinando quidam tribuunt S. Jacobo Epiſcopo Jeruſalem (1), S. Joanni Evangeliſtæ (2) S. Paulo (3), S. Barnabæ, S. Lucæ, atque ipſi tandem S. Matthæo, qui opus ſuum Hebraicis, Græciſque literis conſignarit. Inter tot ambigua id unum conſtat, Verſionis hujus ſive controverſia vetuſtiſſimæ certum Authorem ignorari. Papias apud Euſebium l.3.c.39. Hiſtor. Eccleſ. tradit, plures fuiſſe, qui pro modulo ſuo vertendum ſibi Græcè opus ſuſceperint. Incertior adhuc reputandus eſt Author Latinæ verſionis ex Græco ab ipſo Eccleſiæ exordio adornatæ, quod nos in ſuperiori Prolegomeno demonſtravimus.

Illum maximè ſcribendi finem ſpectaſſe S. Hiſtoricum S. Auguſtinus obſervat (4), ut ſcilicet regale genus J. C. & humanam ejus inter homines converſationem deſcriberet. Id enim ſuarum eſſe partium potiſſimè duxit, ſi geſta omnia, & inſtitutiones J. C. referret, in quibus ſapientiam ipſe ſuam cum majeſtate adeò temperaſſet, ut exemplum exhiberet imbecillitati mortalium accommodum. Neminem ex Evangeliſtis præ illo ſingillatim ſingula percurriſſe S. Ambroſius animadvertit; addens ſimul, neminem vitæ normam & morales inſtitutiones maximè naturæ humanæ J. C. conformes præ S. iſto Evangeliſta expreſſiſſe (5). Eundem locum inter Evangeliſtas tenere ait S. Petrus Damiani ſerm. de S. Matthæo, quem Moyſes inter Scriptores V. T. utrique enim primas defertur, illi inter Veteris, huic inter Novi Fœderis Scriptores.

Cum S. Matthæus opus ſuum auſpicaretur, inter Apoſtolos, & Judæos magna illa quæſtio agitabatur, utrum Chriſtus Meſſias habendus eſſet? Ultro quidem dabant Judæi, Chriſtum e Maria parente natum Bethleem prodiiſſe, Nazareth innotuiſſe, Davidicum genus referre. Norant omnia tum prædicationis illius, tum mortis hiſtoriam; ſed Filium Dei, Meſſiam, & è virgine parente natum eſſe pervicaciùs negabant; ejus prodigia magiæ deputabant, tanquam ſeductorem denique Legiſque everſorem accuſabant. Accuſabant & Apoſtolos, tanquam malæ fidei teſtes, & qui furtim ſublato Præceptoris cadavere è mortuis ſurrexiſſe illum venditarent.

S. Matthæus contra illos J. C. Divinitatem aſſerit, è virgine parente ſatum, ac tandem veniſſe illum non evertendæ Legi, ſed perficiendæ demonſtrat; ejus verò prodigia neque humano artificio, neque magicis præſtigiis tribuenda; quin potiùs cùm rara eſſent & Divina, argumentum ex illis duci inconcuſſum, quò verum eſſe Meſſiam J. C. demonſtraretur. Hæc operis idea.


Si Evangelium iſtud cum cæteris conferatur, rerum geſtarum ſeriem aliter ab illo, atque apud alios dirigi ſtatim apparebit; quod mirè torquet Chronologos, & Interpretes. Alii temporum ordinem ſecutum Scriptorem; alii verò neglectum ab illo autumant; faciliùs enim unus ordinem temporis, quàm tres invertiſſe crederentur. Accedit huic opinioni ſuffragium ex S. Marco, qui in reliquis S. Matthæum hiſtoriæ ducem ſequutus, alium tamen chronologiæ ordinem ſervat.

Undè verò hæc in Matthæum? Caſune illud vel ex induſtria? Incertum planè. Sunt qui meditato conſilio id affectaſſe S. Scriptorem credant (6), ut plures, veluti ſub uno conſpectu hiſtorias argumento ſervientes proponeret, quò Judæos incredulos magis magiſque revinceret. Malunt tamen alii, hanc ordinis inverſionem fortuito caſui (7), ex tumultuaria ſchedarum S. Scriptoris collectione tribuere.

Quæ ſi vera ſint, oportet ſanè poſt S. Marcum contigiſſe; facilè enim S. Marcus ordinem chronologicum, quem in Exemplari S. Matthæi, unde Evangelium ſuum expreſſit, ſecutus eſt. Quomodocumque tandem res habuerit ſeſe, nos in Chronologia noſtra atque rerum ſerie deducenda S. Marco, S. Lucæ, & S. Joanni ita inhæſimus, ut à S. Matthæo poſt cap. 4. 22. uſque ad 14. 13. penitùs recederemus.


HAR-

(1) Athan. ſeu alius in ſeldis. ad Synopſ. (2) Theophylact. præfat. in Matth. (3) Anaſt. Synaita ſerm. 8. in Gen. *A Luca, & Paulo*. (4) Aug. l. 1. de Conſenſ. Evangel. Vide & Tertull. de Carne Chriſti c. 22. Vide & Theophylact. Proœm. in Matth. (5) Ambroſ. Præfat. in Luc. (6) Vantil. (7) Toynard. Prolegom. ad Harmon. c. 1. p. 5.



Digitized by Google





Digitized by Google

HARMONIA
QUATUOR EVANGELIORUM,
VEL

Synopſis Vitæ Jeſu Chriſti Chronologico ordine deducta, A. M. 3999. Periodi Julianæ 4709. ante Chriſtum natum A. 2. ante Aeram Vulgarem 5.

Conceptio Joannis Baptiſtæ.

CUM divinæ providentiæ conſilio ventum in mundum Meſſiæ Præcurſor pararetur, Zachariæ Sacerdoti è familiis Abiæ divinitus renunciatum eſt, futurum, ut è conjuge ſua filium gigneret, cui Joannis nomen imponeretur. Cùm Angeli Gabrielis alloquio lætum nuncium accepit Zacharias, in Sancto verſabatur, munus ſuum, incenſum Domino adolendi, implens; ſed cum Angelicis dictis fidem renuiſſet, actutum loquendi uſu privatus obmutuit Luc. 5.. 22.. Nec multis abhinc diebus reſtituto jam Zacharia in domum ſuam in Hebron, Eliſabeth ejus uxor concepit.

A. M. 4000. Per. Jul. 4710. Ante Æram Vulg. 4. J. C. 1. Nuncium de orituro in Mundum J. C.

POſt ſex menſes Angelus Gabriel coram Maria Sponſa Joſeph ſe ſiſtens, futuram illam mox parentem Servatoris Mundi, cui Jeſu nomen imponeretur, renunciavit. Maria S. Spiritus operatione concepit, Luc. 1 26...38.; & paulò poſt è Nazareth ad conſobrinam ſuam Eliſabeth, jam inde a ſex menſibus Præcurſore Meſſiæ fœtam contendit

Viſitatio.

AD primam Virginis Mariæ ſalutationem Eliſabeth in nova gaudia, & exilire ipſa ſe, & exultare pariter tenerum in utero fœtum ſenſit. Namque divino perfuſa lumine, quanta dignaretur viſitatione novit atque viciſſim Maria tota in gratiarum actiones ad Dominum converſa, canticum effudit, Luc. 1. 39. 56.

Joannis Baptiſtæ Natalitia.

CUm Eliſabeth felicibus auſpiciis puerum edidiſſet, cognati ejus omnes, & vicini gratulatum ad illam venerunt, & octavo jam vertente die, quo pueri circumciſio decreta, cum ad eam deſtinati veniſſent miniſtri, de imponendo puero nomine diſceptatum eſt. Zachariam volebant propinqui; ſed mater Joannem præferebat. Requiſitus ea de re Pater, aſſumpto pugillari ſcripſit: *Joannes eſt nomen ejus*. Statimque linguæ vinculis reſolutis, ipſe Zacharias in laudes Dei effuſus, cùm divino quodam œſtro ſubitò afflaretur, extemporale canticum cecinit, Luc. 1. 57. 79.

Joſephi ſuſpicio.

MAriam, poſt trium menſium in ædibus conſobrinæ moram, in Nazareth remeantem, Luc. 1. 56. Joſephus fœtam deprehendit; & cum nullo ſe maritali commercio noſſe uxorem ſuam ſciret, legum rigore puniendam tradere non tulit animus, ſed clam remittendam cogitabat. Talia meditanti apparuit per quietem Angelus Domini, totiuſque rei myſterium revelavit. Uxorem igitur domi ſuæ retinuit; quanquam non conjugis, ſed tantùm ſororis loco haberet, Matth. 1. 18. 25.

Jeſus Chriſtus naſcitur die 25. Decembris, Feria 5. & 7. menſis Thebat.

NOvem circiter poſt conceptum Filium Dei menſibus, Edictum Auguſti Imperatoris pro-

A mulguvit, quo ſingulis patribus familias injunctum, ut in loco natalitio vel originis ſuum quiſque nomen profiteretur. Principis imperio morem geſturus Joſephus, è Nazareth unà cum Maria uxore ſua Bethleem, locum unde trahebat originem, tetendit. In publicum Urbis diverſorium ſacri conjuges declinarunt, ubi Maria Primogenitum ſuum in dies luminis auras effudit. Cùm verò nullus ibi commodior locus præberetur, reclinando infanti præſepe animalium ſelectum eſt, Luc. 2. 1. 7.

B *Paſtores Infantem adoraturi veniunt.*

VIx in Bethleem nato Jeſu, Angelus Domini lætum ejus rei nuncium ad Paſtores in viciniis verſantes, & excubias nocturnas in gregem agentes, detulit. Nec mora, illi ad locum convolantes, Mariam, Joſephum, & Infantem in præſepio poſitum invenerunt. Viſa à ſe omnia obviis quibuſque narrabant, quod omnibus, ad quos rei fama pervenit, admirationi fuit, & ſtupori, Luc. 2. 8...20.

C *A. M. 4001. Per. Jul. 4711. J. C. 2. ante Aeram Vulg. 3. Circumciditur feria 5. & 1. Januarii, 14. Thebat. A Magis adoratur.*

OCto diebus natum puerum circumciſione initiandum, Jeſu nomine, Angelica viſione præmoniti parentes appellarunt, Luc. 2. 21.

Poſt aliquod temporis Magi ductu ſtellæ, quam ſub ipſa Jeſu natalia ſpectarant, ex Oriente Jeroſolymam venerunt. Ad primum eorum adventum conturbari omnes, cùm maximè cujus rei gratia D veniſſent, adorandi nempe recens nati Judæorum Regis, cujus viderant in Oriente ſtellam, audiere. Herodes, qui tunc valetudine affecta Jericho verſabatur, accitis ad ſe Sacerdotibus quæſivit, ecquem locum Meſſiæ patriam futurum ducebant. Illis Bethleem deſignantibus, Rex actutum vocatos ad ſe clam Magos ire juſſit ad Regem, & cùm inveniſſent, renunciare ſtatim, quò & ipſe pariter adoratum veniret. Digreſſi igitur Magi iterum ſtellam priùs in Oriente viſam iter Bethleem ſignantem ſpectarunt; quæ cùm ſupra pueri contubernium ſe E ſiſteret, eo indicio Magi locum ingreſſi, puerum noverunt, agnitumque quà corporis obſequio, quà munerum oblatione adorarunt. Succedente autem nocte, ab Angelo per quietem admoniti, ne unquam committerent, ut ad Herodem regrederentur, per aliam viam ad propria remearunt, Matth. 2. 1...... 12.

Purificatio Mariæ, die 2. Februarii, 7. Sebat, juxta Hebræorum ſupputationem.

F POſt 40. à puerperio dies Maria ſtato purificationis tempore è Bethleem Jeroſolymam ſe contulit, quò Filium ſuum in Templo coram Domino, & victimas à Lege fœminis poſt puerperium præſcriptas offerret. Simeon vir grandævus Spiritu S. afflatus, cùm eadem ipſa hora ad Templum ſe contuliſſet, manibus ſuis excipiens puerum, gratias egit Deo quàm maximas de tam inſigni accepto beneficio, ac ſcilicet

tandiu ſibi vitæ uſuram induſiſſet, quoadque Servatorem Mundi, & Spem Iſraelis ſuiſmet oculis aſpiceret. Tum ad matrem converſus, futurum prænunciavit, ut ejus cor intimo doloris ſenſu premeretur, ejuſque Filius offendiculo & reſurrectioni multorum eſſet. Verſabatur pariter in Templo vidua ſanctiſſima, Anna filia Phanuelis, quæ de viſis à ſe rebus hiſce omnibus in laudes Dei effuſa eſt; undè pariter rerum earum fama per totum Iſraelem increbuit. Luc. 2. 22. 38.

Fuga in Ægyptum, 3. Februarii.

SEcundùm hæc ambo Conjuges ad propria jam remeaturi, ab Angelo per quietem à Joſepho viſo juſſi ſunt, puerum in Ægyptum deducere, quò furorem Herodis in necem illum mox quæſituri declinarent. Paruit Joſephus, atque iter Ægyptum verſùs inivit. Matth. 2. 13. 15.

Innocentium cædes. Joſephus Judæam repetit die 2. Aprilis circiter.

CUm Herodes illuſum ſe à Magis intelligeret, ſuiſque rebus vehementer timeret, metuens, ne tandem à novo Rege è Regno extorris ageretur, miſſa in Bethleem ſatellitum manu, trucidari mares omnes à biennio & infra in urbe ejuſque finibus juſſit. Matth. 2. 16. 18.

Poſt eam eadem quinque vel ſex diebus Herode fatis functo, Archelaus ejus filius regnavit; & Joſephus Angeli monitu, poſt menſem fortaſsè, in Judæam reducere puerum juſſus eſt. Divertit autem in Nazareth Urbem Galilææ, ubi Jeſus Chriſtus uſque ad annum 30. æræ vulgaris, ætatis verò 33. moratus eſt.

A. M. 4012. Per. Jul. 4722. Æra Vulg. 9. J. C. 12. Iter Jeſu Jeroſolymam, 30. & 31. Martii 15. & 16. Niſam.

DUodennis Jeſus unà cum Parentibus Jeroſolymam ad Feſtum Paſchale ſe contulit. Impletis Legis juſſionibus Joſephus, & Maria regreſſi ſunt, ratique redire pariter Jeſum in comitatu parentum ſive amicorum, nihil de eo requirentes unius diei iter confecerunt. Sed cùm veſperi filium quærentes non inveniſſent, actutum Jeroſolymam repetierunt, quæſitumque invenerunt in Templo inter medios Doctores aſſidentem, percontantem, audientemque quæcumque ab illis dicerentur. Sollicitudinem ea de re ſuam Filio parentes ſignificarunt; illiſque querentibus, reſpondit Jeſus, noſſe illos debuiſſe, nuſpiam niſi in Templo Patris Filium reperturos. Secundùm hæc Nazareth cum parentibus repetens in eorum obſequiis perſeveravit, Luc. 2. 42. 52.

A. M. 4032. Per. Jul. 4742. J. C. 31. Æra Vulgaris 38. Joannes Baptiſta prædicationem ſuam auſpicatur A. C. 31. Æra Vulg. 28. Joannis Baptiſtæ 32.

JOannes Zachariæ filius poſt exactam uſque ad 32 ætatis annum in deſerto vitam ad Jordanem exiens, Baptiſmi pœnitentiæ prædicationem exorſus eſt, & ad eum ex omni latè adjacenti regione factus concurſus Baptiſmum poſtulantium, tum & criminum ſuorum exomologeſim facientium. Verba ad illos faciebat gravia, vehementique ſermone adhortabatur nullius perſonam reſpiciens; denunciabat ad radicem jam arboris ſecurim poſitam, & niſi prompta reſipiſcentia Deum ſibi redderent propitium, futurum, ut brevi gravem in ſe ejus ultionem experirentur. Plura milites docebat, Publicanus, Phariſæus, Saducæos, & neminem tandem, qui ad ipſum veniret, monitis vacuum remittebat. Vitam agebat frugi oppidò, & auſteram; ſolis quippè locuſtis, & melle ſylveſtri victitans, veſteque utens ex cameli ſetis contexta, quam pellicea zona adſtringebat, Matth. 3. 1. 10. Marc. 1. 2....6. Luc. 3. 1. 14.

Joannes Baptiſta Jeſum Chriſtum verum Meſſiam agnoſcit.

CUm ſingularis vitæ genere, datiſque præclaris virtutis exemplis Joannes emineret plurimùm, ſuccurrit pluribus ſuſpicio, num Meſſiæ, qui venturus expectabatur, perſonam gereret & officium. Sed ille hanc à ſe opinionem depulit, alium ſe à Meſſia eſſe profeſſus; veniſſe autem, ut aquæ baptiſmate initiatum populum, tum ad pœnitentiam diſponeret, cùm alteri venturo recipiendo compararet; alteri, inquam, cui ipſe & fortitudine & dignitate multo concedens, ne ſolvere quidem ejus corrigiam calceamenti ſibi ſumpſiſſet. Hunc autem ſcirent baptiſmum in Spiritu S. & igne collaturum; ventilabrum in manibus tenere, illud repurgandæ areæ ſuæ paleiſque flammis tradendis in promptu jam paratumque verſantem.

A. M. 4033. Per. Jul. 4743. J. C. 33. Ær. Vulg. 30. Jeſus Chriſtus baptiſmate Joannis tingitur.

EX omni latè regione concurſu facto ad Joannem, venit inter cæteros è Galilæa Jeſus; quem à ſe baptiſma poſtulantem removit Joannes, ſe potiùs ab eo baptizandum eſſe profeſſus. Sed inſtanti Jeſu à ſe juſtitiam omnem implendam eſſe dictitanti, tandem alter acquieſcens, Baptiſmate Dei Filium initiavit. Aſcendente ex aquis Jeſu, atque orationi inſtanti Cœlo continuò dehiſcente, S. Spiritus in columbæ formam advolavit, auditaque ſimul vox dicentis; *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, Matth. 3. 13. 17. Marc. 1. 9. 11. Luc. 3. 21. 22.

Jeſus in deſertum ſe confert.

INitiatus baptiſmate Jeſus dum Nazareth repeteret, ſubito à Spiritu in deſertum raptus eſt, ut ibi cum tentatore luctaretur. Poſt continuatum eo loci 40. dierum totidemque noctium jejunium, eſuriens, tandem obvium habuit malum illum Spiritum, à quo lapides oblatos ut in panes verteret, ſollicitabatur. Repulit ille, dicens, non in ſolo pane vitam homines tolerare, ſed omnia alendo homini ſufficere, quæ à Deo in cibum præberentur. Tum in ſummum altiſſimi montis cacumen à Dæmone raptus, Regna terræ univerſa oculis ſubjecta ſpectavit, ſuggerentemque audivit tentatorem, hæc omnia ab illo in ſui poteſtatem tradenda, ſi pronus ipſum eundem Dæmonem adoraret. Cui Jeſus: *Scriptum eſt*, ait, *Dominum Deum tuum adorabis*. Tandem ſupra Templi pinnaculum ab ipſo Dæmone conſtitutus eſt, provocatuſque ut præcipitem ſe daret, futurum enim dicebat, ut ruentem Angeli manibus exciperent, ne quidquam læderetur. Cui iterum Jeſus: *Scriptum eſt*, ait, *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Proripuit itaque ſe Dæmon ab eo uſque ad tempus; & continuò accurrentes Angeli allatis cibis eſurientem refecerunt, Matth. 4. 1. 11. Mar. 1. 12. Luc. 4. 1. 13.

Judæorum ad S. Joannem legatio.

CUm S. Joannes Baptiſta deſertis Judee, ubi priùs baptiſmum conferebat, relictis, in Bethaniam Urbem Transjordanam ſe contuliſſet, inſtruendis batizandiſque populis operam dabat. Cùm autem prædicationum illius longè lateque fama propagaretur, Sacerdotum, & Levitarum ab optimatibus miſſa legatio illum convenit, num Chriſtus eſſet, ſciſcitatura. Negavit ille; profeſſus ſe neque Chriſtum, neque Eliam, neque tandem Prophe-

Prophetam fuiſſe, inſtantibuſque Legatis ecquem tandem ſe diceret; reſpondit, Vocem eſſe ſe clamantis in deſerto: *Parate viam Domino.* Adjecit, ſe quidem aqua baptizare; quem vero ipſi quærerent, in cœtu ſuo, incognitum tamen, illos habere, Joan. 1. 19. 28.

Joannes Jeſum Chriſtum iterum Meſſiam agnoſcit.

MAne alterius diei Joannes, cùm forte ad ſe venientem Jeſum vidiſſet, populo indicavit, dicens, hunc eſſe Dei Agnum, qui criminibus Mundi tollendis veniſſet. Adjecit ipſum eſſe, cujus venturi teſtimonium ipſemet Joannes perhibuiſſet; à quo etiam dignitate ſuperaretur; Facie quidem illum nunquam ſe noſſe; ſed divinitus admonitum fuiſſe, eum, ſupra quem deſcendentem S. Spiritum videret, ipſum eſſe Dei Filium ſciret; vidiſſe autem ſe Dei Spiritum ſuper hunc hominem illabentem, Joan. 1. 29. 34.

Joannes tertiò confitetur J. C. SS. Andræas & Petrus vocantur.

ALtera die Joannes pertranſeuntem Jeſum videns, duobus Diſcipulis ſuis digito illum indicans, ait: *Ecce Agnus Dei.* Quare duo illi Diſcipuli ad Jeſum divertentes illius ædes petierunt, totaque apud ipſum die commorati ſunt. Poſt quatuor à meridie horas Andreas fratrem ſuum Simonem ad Jeſum adduxit, cui Jeſus: *Tu es Simon filius Jona*, adjecitque, poſt hac Cephas i. e. petra appellandum, Joan. 1. 35. 43.

Jeſus petit Nazareth: Philippus & Nathanael vocantur.

MAnè alterius diei Jeſus in Nazareth Galilææ redux, Philippum forte offendens, ut ſibi comes accederet invitavit. Paruit Philippus; & cum forte in Nathanaelem incidiſſet, unà ſecum Jeſum ſequi, quippe qui Propheta eſſet à Moyſe & Prophetis annunciatus, perſuaſit. Cui Nathanael vix perſuaderi ſe dixit, boni aliquid à Nazareth ſperari potuiſſe. Tum Philippus, veniret, ipſe & experimento probaret, reſpondit. Vix autem viſo Nathanael Jeſus: *Ecce*, ait, *verus Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Miranti Nathanaeli ſe à viro agnitum, iterum Jeſus ſignificavit, vidiſſe ſe illum ſub ficu, antequam à Philippo appellaretur. His auditis Nathanael experimento probare ſe ait, ipſum eundem Jeſum Filium eſſe Dei, & Regem Iſraelis. Majora expectare Jeſus denunciavit; addens, oculatum teſtem ſpectaturum, cùm Cœli dehiſcerent, & Angeli Domini in obſequium Filii hominis deſcenderent, Joan. 1. 45. 52.

Nuptiæ in Cana Galilææ. Primum Jeſu Chriſti prodigium.

POſt tres à relicta Bethania ſive Bethabara dies, Jeſus cum Diſcipulis ſuis & Matre ad nuptias invitatus, ſe contulit. Vini penuriam admonitus à Matre, ſex hydriis aqua oppletis in vinum tranſmutatis, abunde ſupplevit. Quo primo poſt ſuſceptam miſſionem ſuam prodigio Jeſus inclaruit, Joan. 2. 12. 25.

Jeſus primò Capharnaum, inde Jeruſalem ad Feſtum Paſcha divertit. Primum Paſcha J. C. poſt prædicationem ſuam.

POſt cæremoniam nuptiarum, quæ intra ſeptimanæ ſpatium plerumque claudebatur, Jeſus Capharnaum Urbem ad mare Tiberiadis divertit, ubi & paucis diebus cum Matre & diſcipulis ſuis ſtetit. Venit inde Jeruſalem occaſione Feſti Paſchalis, poſt Baptiſmum ſuum primi. In Templum A ingreſſus nummularios; inde, pecudes & animalia in uſum ſacrificiorum vendentes, e loco Sancto expulit. Rogatuſque qua id præſtaret authoritate, reſpondit: *Deſtruite Templum hoc, & tribus diebus reædificabo illud.* Quæ ille de interitu & reparatione corporis ſui uſurpabat. Illis autem claruit ea occaſione prodigiis, ut pluribus perſuaderet; quibus tamen credendum ſe Jeſus minimè cenſuit, Joan. 3. 1. 25.

Nicodemus Jeſum Chriſtum convenit.

EX Optimatibus Judæorum quidam, Nicodemus B nomine, ſubſiſtentem adhuc Jeroſolymis Jeſum convenit, ſignificans, credere ſe nunquam fieri potuiſſe, quin tanta poſſens prodigiorum virtute ſine Deo eſſet. Cum illo Jeſus plura diſſeruit de regeneratione, & baptiſmo S. Spiritus & aquæ; quæ tamen alterius captum excedebant. Adjecit inſuper, è Cœlo deſcendiſſe ſe; lumen eſſe Mundi, ac tandem Filium Dei, Joan. 3. 1. 22.

Jeſus in Judæam veniens Baptiſmum adminiſtrat.

PAſchali feſto Jeroſolymis celebrato, actaque ibi bidui mora, digreſſus Jeſus in Judæam ſe contulit, C ubi miniſtrando baptiſmati una cum Diſcipulis ſuis occupabatur, Joan. 3. 22.

Joannes Baptiſta Aenon venit Diſcipuli Jeſu baptizant.

POſt deſertam Bethaniam ſivè Bethabaram Joannes Baptiſta Aenon juxta Salim ſubſiſtens, munus ſuum, Baptiſmate nempè initiandi, præſtabat. Sed cum major ad Baptiſma Jeſu fieret concurſus, Joannis Diſcipuli ægro id animo ferentes, rem totam ad Joannem detulerunt; quibus ille, ut par erat ſapientiſſimo viro, reponens; non ſibi ſit tantum arrogare, ut Meſſiam ſe jactitaret; ſed Præcurſorem potiùs, & veluti illius Paranym- D phum præbere, Joan. 3. 25. 36.

A. M. 4034. Per. Jul. 4744. J. C. 34. Æra Vul. 31. Joannes in carcere detinetur.

LIberioribus verbis inſectans Joannes Baptiſta Herodis cum Herodiade, quam à Philippo fratre ſuo ſceleſtus rapuerat uxorem, nuptias inceſtuoſas, in ſe tandem Herodem ipſum ab Herodiade ſollicitatum adeò animavit; ut in arce Macheronte, Matt. 14. 3. 4. Marc. 1. 14. & 17. 18. Luc. 3. 19. 20., ſpecie quaſi nimio populi ſtudio ſuſpicioſus redderetur, arcto carceri traditus fue- E tit. Antiq. l. 18. c. 7.

Jeſus in Galilæam ſecedit. Cum Samaritana colloquium.

DEtruſo igitur in carcerem Joanne, metuens Jeſus, ne inſtigantibus Judæis Pilatus aliquid ſimile in ſe, exemplo Herodis in Joannem, auderet, deſerta Judæa in Galilæam regionem extra fines Præfecturæ Pilati, & in ditione Philippi contendit. Tranſeundum illi fuerat per Samariam; & cùm non longè eſſet ab Urbe Sichar, miſſis ad Urbem Diſcipulis emendis commeatibus, ad puteum Jacob non longe à foribus Sichar F conſedit. Accidit, ut fœmina è propinqua Urbe eo hauriendis aquis veniret, quæ à Jeſu, ut potum ſibi præberet, requiſita, mirari ſe dixit, Judæum hominem aquam à fœmina Samaritana poſtulare; non enim Judæi Samaritanis coutebantur. Tunc Jeſus plura mulierem edocuit, ejuſque ſecreta omnia cordis revelavit, ſeque ipſum Meſſiam prodidit, futurum annuncians, ut brevi purus Fidelium cultus in ſpiritu & veritate Patri, non in Garizim, neque in Templo Jeroſolymitano, ſed ubique locorum exhiberetur. Supervenientibus interim Diſcipulis, capiendiſque cibis Jeſum urgentibus,

tibus, reſpondit ille, latantes ſibi epulas, quibus ſaturaretur, voluntatem oimirum Patris ſui, in promptu fuiſſe. Mulier autem illa in Urbem regreſſa, totius rei hiſtoriam atque ſermones Jeſu omnes longè lateque promulgavit. Egreſſi proinde cives ut in Urbem veniret, invitaruut; quibus acqoieſcens, biduo non ſine plurimurum fructu ibidem manſit, Joan. 4. 1. 43.

Jeſus fidem annunciat in Nazareth. Præcipitem è vertice montis agere illum Judæi tentant.

IN Galilæam igitur veniens, & per Synagogas diſcurrens, prædicabat; quod cùm ſemel in Synagoga Naaareth patriæ ſuæ occaſione ſententiæ Iſaiæ, quam ibidem legerat, præſtaret, ſeque ipſum eu Prophetæ oraculo Meſſiam à Prophetis annunciatum demonſtraret, omnium in ſe oculos & admiratiunes coovertit. Sed revocata dein in memoriam natalium ipſius obſcuritate; quippè qui Joſephi filius crederetur; eives Naaareth contemptui hominem habuerunt. Quare Jeſus oullo illis ex iis prodigiis, quibus ſibi demeruit Caphuarnaitas, faciendum cenſuit. Adjecit neminem è Prophetis in Patria ſua ſatis honorari. Quibus aliiſque objurgationibus provocatus populus ſupra verticem montis, cui urbs inſidebat, conſtitutum, præcipitem agere moliti ſunt. Sed Jeſus per medios illos dilapſus ea Urbe ſecedens, Luc. 4. 14.30. ſedem in Capharnaum Matth. 4. 13. 16. ferè perpetuam conſtituit; unde decurrens per univerſam Galilæam ſummo populi aſſeoſu auſcultabatur, Joan. 4. 45.

Valetudini reſtituit Filium unius ex Regiis Præfectis Capharnaum.

VEnerat iterum Canam, cùm Præfectus quidam Regius Capharnaum commorans, ad illum ſe contulit, pro valetudine filii ſui rogaturus. Nec mora; ſtatim de eadem recepta valetudine nuncio à Jeſu certior factus eſt. Quare cùm bonâ ſpe plenus rediret, obvios habuit familiares nuncianres, præcedenti die ſeptima hora, nempè prima poſt meridiem, quo ille momento nuncium acceperat à Jeſu de filii valetudine, puerum valuiſſe, Joan. 4.46.54.

St. Andreas & Petrus ſecundò vocantur.

POſt aliquot dies per litus maris Tiberiadis inambulans, duos fratres, Simonem, alio nomine Petrum, & Andream piſcationi intentos offendit, quos cùm ad ſui ſequelam invitaſſet, illi ſtatim retibus, navicula, cæteriſque omnibus relictis paruerunt Matt. 4. 18. 20. Marc. 1. 16. 18.

Jacobus & Joannes filii Zebedæi vocantur.

INde longiùs aliqoanto digreſſus, duos fratres Jacobum & Joannem in navicula eum Zebedæo patre retia ſua reficientes offendit, qui pariter ab illo invitati, omnibus relictis vocanti comites acceſſerunt. Matth 4.21.22 Marc. 1.19.20.

Valetudo Dæmoniaci in Capharnaum.

COmmorans igitur Capharnaum Jeſus, ſingulis Sabbatis prædicabat. Accidit, ut in Synagoga eſſet vir quidam Dæmuniacus, qui in clamores effuſus elata voce dixit: *Scio te, quis ſis, Sanctus Dei*. Dæmonem objurgans Jeſus, actutum quieſceret, & e viri corpore faceſſeret, imperavit. Contorquebatur miſerè æger; ſed brevi, Dæmone faceſſente, ſalva viro omnia facta ſunt, Marc. 1. 21. 28. Luc. 4. 31. 37.

Socrus Petri febri laborans curatur.

E Synagoga in domum Simonis, alio nomine Petri, ad curandam Socrum illius febri laborantem ſe contulit, Marc. 1. 29. 30. 31. Matt. 8. 14. 15. Luc. 4. 38. 39.

Inclinante in veſperam die, omnes undique ex univerſa Urbe ægroti præ foribus ædium Jeſu Chriſti poſiti, valetudini ab illo reſtituti ſunt. Matt. 8. 16. Marc. 1. 32. 33. 34. Luc. 4. 40. 41.

Jeſus in deſertum ſe confert.

DIluculo alterius diei Jeſus in deſertum ſecedens, orationi vacavit; quem Petrus aliique diſcipuli convenientes ab ingenti hominum turba ejus præſentiam repoſci ſignificarunt. Duxit illos Jeſus in vicos, totamque demum Galilæam, undique Evangelium Regni annuncians, Matt. 8. 23. Mar. 43. Luc. 4. 42.

Magdalena ſanatur.

IN eo itinere creditur Magdalena ſeptem Dæmonum contubernio liberata convaluiſſe; ſicut & præſtantiſſimam eandem opem expertas fuiſſe conſtat Joannam uxorem Chuza, aliaſque nonnullas, quæ deinde Jeſum in prædicationibus ſuis comitatæ, ejus ſeſe obſequiis addixerunt, Matt. 27. 55. 56. Marc. 15. 40. 41. Luc 8. 2. 3. & 23. 49. 55.

Increbuit fama nominis Jeſu Chriſti per univerſam late Syriam, adeò ut ex univerſis undique regionibus ægroti ad illum deducerentur, Matt. 8. 24. 25.

Piſcatio prodigioſa.

REdux è Galilæa, cùm ad lacum Geneſareth veniſſet, turbam hominum, ut ſe auſcultarent, convenientium offendit. Quare Simonis Petri navicula conſcenſa, docendum inde populum incepit. Secundùm hæc in altum ducere navim ſuam Petrum, & projicere in capturam retia juſſit; qui morem Præceptori gerens, ingentem adeò prædam collegit, ut piſcium copia retia ſcinderentur, Luc. 5. 1. 2.

Valetudo Leproſi.

SUb hæc tempora Jeſus ſolo tactu leproſum curatum ire juſſit ad Sacerdotes, de recepta valetudine teſtaturos; mandatis inſuper oneravit, ne medicum ſuum revelaret, Luc. 5. 1 2.

Curatio Paralytici.

AD ejus miraculi pervagantem undique famam adeò apud omnes Jeſus inclaruit, ut ſecretus in Urbibus manere neutiquam poſſet. Transfretato mari Geneſareth, dein in Capharnaum ſe contulit, obi pluribus curatis ægrotis, paralyticum è tecto domus funibus ante ſe demiſſum, eodem, quo cæteros, beneficio donavit, Matt. 9. 2. Marc. 2. 3. Luc. 10. 18. 19.

Vocatio S. Matthæi.

CUm ad lacum Geneſareth ſe contuliſſet, Publicanum quendam, nomine Levi ſive Matthæum, offendens, ad ſui ſequelam invitavit. Cùm autem ab illo convivio exceptus eſſet, murmuris ex ea re Phariſæorum in Jeſum occaſio data eſt. Sed Jeſus tum ſe ab omni crimine purgans, cum pariter declaravit, miſericordiam præ ſeveritate probare ſe, ac jejuniorum pro Diſcipulis ſuis tempus non in præſenti, ſed in futuro expectandum Matt. 9. 10. Mar. 2. 15. Luc. 5. 29.

Secundum Paſcha poſt Baptiſmum J. C.
Curatio Paralytici ad Piſcinam Probaticam.

COntulit ſe Jeſus ad Urbem Metropolim Feſtum Paſchę celebraturus, ubi ſaluti fuit Paralytico, qui 38. ſolidos annos in margine Piſcinæ probaticæ, nomine Betſaidæ, perſeverans, nunquam in ſalutari ejus lavacro demergi permiſſus eſt. Cùm autem

autem valetudini æger reſtitutus ea die, magni nempe Sabbati, ſeu Sabbati Paſchæ proximioris, grabatum ſuum tollens recederet, in varios per vulgus ſermones abitum eſt. Porrò vir ille Jeſum quidem minimè norat; ſed aliquandiu pòſt cùm eundem Jeſum in Templo offendens, moneretur ab illo ne ulteriùs peccaret, tunc Liberatorem ſuum agnoſcens, acceptum ab illo beneficium palam promulgavit. Offenſi ea de re Judæi, necem Jeſu Chriſti tamquam Sabbati violatoris, & qui ſe Dei Filium venditaret, communi conſilio ſtatuerunt, Joan. 5. 1. 47.

Diſcipuli ſpicas ad cibum carpunt.

SAbbatho primo poſt Paſcha ſuccedente, tranſeunte Jeſu, ejuſque Diſcipulis per ſata ad meſſem jam fermè matura, eſurientes Diſcipuli ſpicas carpentes, manu excuſſum frumentum manducabant. Rem animadvertentes Phariſæi, cum Jeſu de violatione Feſti querebantur; ſed ille neceſſitatem excuſavit, Davidis exemplo, qui panibus propoſitionis, alio non ſuppetente cibo, paſtus eſt; idem etiam factum obſervavit à Sacerdotibus, qui à præſtandis in Templo operibus die feſta non abſtinebant. Tandem eſſe ſe dominum Sabbathi, Legiſque palam edixit Matt. 12. 1. 8. Marc. 2. 23 27. Luc. 6. 1. 5.

Manus areſcentis curatio.

SUccedenti Sabbatho cùm inſtituendis populis in Synagoga Capharnaum vacaret, oblatum ſibi manu areſcentem ægrotum curavit, demonſtrans Phariſæis nihil ſe contra Legis religionem in valetudine homini præſtanda egiſſe, Matt. 12. 9. 13. Mar. 3. 1. 5. Luc. 6. 6. 10.

Phariſæi, & Herodiani.

PHariſæi adversùs Jeſum animati, in ejus necem cum Herodianis conſpirarunt. Quo eorum conſilio intellecto, Jeſus in regionem ad mare Galilææ confugit, eumque turba multa, ex omnibus latè regionibus veniens curandoſque deferens ægrotos, ſecuta eſt, Matt. 12. 14. 15. 21. Mar. 3. 6. 8 Luc. 5. 2.

Duodecim Apoſtolorum electis.

PArari ſibi naviculam, ut ſe è turbis expediret, Jeſus præcepit. Seceſſit igitur in montem, ubi totam noctem exegit orando; mane vero deſcendens, deſignatos, aliquos è Diſcipulis ſuis acceivit, electoſque ex illis duodecim Apoſtolorum nomine inſignivit, Mar. 3. 9. 19. Luc. 6. 12. 17.

Sermo in Monte.

CUm è monte deſcendiſſet, è loco quodam prominente docendos Apoſtolos cæteroſque è populo ſuſcepit; octo beatitudines interpretatus, totamque illam orationem planè mirabilem pronunciavit; quæ totius veluti doctrinæ Evangelicæ ſumma jure meritoque habetur, Matt. 5. & 6. & 8. Luc. 6. 17. 49.

Leproſi curatio.

E loco illo deſcendenti leproſus coram ſe obtulit, ſanatumque ſolo tactu monſtrare ſe Sacerdotibus juſſit, Matt. 8. 1. 4.

F

Curatio famuli Centurionis Capharnaum.

VEnit inde Capharnaum, & venienti occurrerunt Optimates Judæorum, rogantes, ut famulum Centurionis periculoſo morbo laborantem ſanitati reſtitueret. Cùm igitur Jeſus ad Centurionis domum ſe conferret, vir ille amicos miſit, ſignificantes indignum ſe, ut in domum ſuam veniret, agnoſcere. Venit & ipſe pariter poſt amicos eadem

A profeſſus. Tantam viri fidem admiratus Jeſus, actutum beneficio, de quo rogabat, donatum remiſit Matt. 8. 5. 13. Luc. 7. 1. 9.

Jeſus vitæ reſtituit filium viduæ Naim.

E Capharnaum Jeſus ad Naim contendens, funebrem pompam filii mulieris cujuſdam viduæ offendit, matriſque lacrymis permotus, defunctum revocavit ad vitam, Luc. 7. 11. 17.

Joannes Baptiſta duos è diſcipulis ſuis ad Jeſum legat.

B FAma prodigiorum J. C. ad Joannem in carcerem perlata, duos ille è Diſcipulis ſuis ad Jeſum legavit, quæſituros: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Quos Jeſus, poſt plures ægrotos forte præſentes curatos, ire juſſit, quæcumque viderant, cæcos nempè ad viſum, ſurdos ad auditum, mortuos ad vitam, leproſos ad valetudinem revocatos, Joanni renunciaturos. Abeuntibus ergo Diſcipulis Joannis Baptiſtæ, Jeſus magnifico elogio Præcurſorem ſuum merito & ſanctitate celebravit; addens cæteris omnibus præſtare, ipſumque eſſe Eliam à Prophetis prænunciatum; quem nec noſſe nec recepiſſe Judæis crimini vertitur, Matt. 11. 1. 19. Luc. 7. 18. 35.

C

Jeſus Chriſtus convivio à Simone Phariſæo excipitur, Fæmina peccatrix.

VErſans adhuc in Naim, ad cœnam à Simone Phariſæo invitatus venit. Interim mulier quædam, criminum ſuorum fama tota Urbe notiſſima, ad Phariſæi ædes ſe contulit, atque ad Jeſu pedes provoluta, quà lacrymis, quà pretioſo unguento perfudit. Infamem ob conſuetudinem mulieris ſcandalo quodam affectus Phariſæus, num Meſſias Jeſus habendus eſſet in dubium revocabat. Jeſus, cui nihil cogitationum illius fuerat inexploratum,
D aſſumpta duorum obæratorum parabola, quorum uni plus, alteri minus à fœneratore remiſſum eſt, pronam illius in ferendo judicio facilitatem objurgavit, Luc. 7. 36. 50.

In hunc modum Jeſus totam Galilæam prædicans decurrit, habebatque itineris comites fœminas, obſequiis ſuis addictas, Luc. 8. 1. 3.

Neceſſarii Jeſu ad illum deducendum veniunt.

CUm iterum veniſſet Capharnaum, turbarum affluentia adeò detinebatur opprimebaturque, ut ne capiendi quidem cibi tempus haberet. Inter
E hæc, ejus neceſſarii venientes, è medio populo reducere illum tentarunt, ſtatu mentis emotum dictitantes, Marc. 3. 20. 21.

Dæmoniacus cæcus, & mutus curatur.

IBi pariter ſaluti fuit Dæmoniaco cæco ſimul, & muto Matt. 1 . 22.

Eam miraculorum famam iniquè ferentes Scribæ & Phariſæi, invidos quoſdam ſermones ſparſerunt in vulgus, dictitantes in nomine Beelzebub adversùs Dæmones virum illum prævalere, quas illorum blaſphemias & falſi arguit Jeſus, & ſimul
F grande illorum crimen demonſtravit, oſtendens peccaſſe illos in Spiritum S. genere criminis de ſe irremiſſibili, Matt. 12. 14. 37. Mar. . 2. 30. 37.

Pollicetur ſignum Jonæ Prophetæ.

SIgnum aliquod ſive prodigium poſtulantibus ab illo Phariſæis, nullum ipſis expectandum dixit, niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Expectarent etiam denunciavit duriorem in ſe quàm in Ninivitas ultionem, arguendoſque die judicii à Regina Auſtri, cauſam contra illos dictura. Propoſuit Dæmonis para-

Parabolam, qui ex homine egreſſus, dein unà ſe- A
ſum adductis ſeptem aliis nequioribus ſpiritibus, regreditur, Matt. 12. 33. 45.

Mater, & Fratres Jeſu illum allocuturi conveniunt.

REnunciatum eſt interim Jeſu, adeſſe Matrem, & Fratres ſuos, qui ſecum aliquid loqui poſtulaſſent. Reſpondit ille, Matris ſe fratrumque loco agnoſcere, qui voces ſuas Deique auſcultarent Matt. 12. 46. 50. Mar. 3. 31. 35. Luc. 19. 20. 21.

Varias Parabolas proponit.

POſt cibum Jeſus in litore maris inambulans, populumque circa habens confertum, conſcenſa navicula, ne à confluentibus opprimeretur, prædicavit. Pro concione expoſuit parabolam ſerentis, Matt. 13. 1. 36. Marc. 4. 1. 3. Luc. 8. 11. 18. lucernæ, quæ ſupra modium non ſubtus illum collocatur, lolii diſſeminati ab adverſario, quo frumenti ſemen corrumpitur, grani ſinapis, & fermenti Matt. 13. 24. &c.

Parabolarum Interpretatio.

DImiſſis jam turbis domum, cum Diſcipulis aſſidens, rogantibus illis ſenſum illarum parabolarum depromeret, acquievit: qua occaſione felicitatem conditionis illorum, quibus daretur non audire tantùm, ſed aſſequi pariter intellectu ea, quæ aliis fuerant inexplorata, demonſtravit, C Matth. 13. 8. 23. Marc. 4. 10. 20. Luc. 8. 9. 11. Adjecit inſuper parabolam theſauri in terram defoſſi, Margaritæ inventę, & retium, quæ in capturam laxatę, ingentem quà optimorum, quà deteriorum piſcium prædam referunt. Matth. 13. 44. 45. 52.

Legis Peritus Jeſum ſecuturus ad illum venit.

VEſpere ejus diei transfretato cum Diſcipulis D mari Geneſareth, Matth 8. 18. Marc. 4. 35. Luc. 8. 22. Legiſperitus ſeſe offerens, velle ſe nomen inter Diſcipulos illius dare profitetur. Cui Jeſus: *Vulpes foveas habent, & volucres Cæli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Rogavit alius quidam, ut antequam ipſi ſe totum addiceret, liceret ſibi parentem ſuum ſepulturæ mandare. Jeſus ad hæc: *Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Matth. 8. 19. 22.

Tempeſtas in mari Galilaa. E

CUm naviculam conſcendiſſet, dormiebat, ſtatimque exurta tempeſtas in ultimas anguſtias nautas adduxit. Accurrentes igitur Diſcipuli Jeſum excitarunt, & ille ventis marique ſilere juſſis omnia ſtatim, non ſine adſtantium omnium admiratione & terrore, compoſuit. Matth. 8. 23. 27. Marc. 4. 36. 40. Luc. 8. 23. 25.

Curatio duplicis Dæmoniaci in Geraſena regione.

IN finibus Geraſenorum duos offendit Dæmoniacos, quorum alterum virum terribilem integra F Dæmonum legio efferabat. Venit ille in occurſum Jeſu, magniſque Dæmones ejulatibus querebantur, veniſſe illum ad ſe torquendos maturiùs: rogabant inſuper ne in abyſſum infernorum detruderentur, quin potiùs, ſi permitteret, inciſſuros porcorum per vicinos montes paſcentium gregem. Annuente Jeſu, ſtatim porci ſubito furore agitati in mare Galilææ præcipites acti ſunt. Quare Geraſeni ſiniſtri aliquid ſibi timentes, rogarunt Jeſum, ut è ſua ipſorum regione faceſſeret Matth. 8. 28. 34. Mar. 5. 1. 17. Luc. 8. 26. 37.

Dæmoniacus Jeſum ſequuturus venit.

MAritimum ad Capharnaum iter initurum Jeſum conveniens vir ille à Dæmone nuper liberatus, rogavit, ut ſocium ſe, & Diſcipulum exciperet. Renuit Jeſus, juſſitque ad propria reverſum, beneficium à ſe divinitus acceptum palam omnibus edicere. Mar. 5. 18. 20. Luc. 8. 38. 40.

Filiam Jairi ad vitam revocat.

MAri transfretato, à turbis exceptus eſt, nec longe offendit Jairum Principem Synagogæ B Capharnaum, rogantem ut veniens puellam filiam ſuam unicam duodennem ſanitati reſtitueret Acquieſcens Jeſus domum viri petebat, Marc. 5. 22. 25. Luc. 8. 41. 42. atque interim mulier ſanguinis fluxu laborans clam veſtimentorum illius fimbriam, non ſine prompto ex contactu remedio, tetigit. Clam hæc omnia; ſed Jeſus palam omnibus manifeſtavit, ne & mulieris illius fides, & Dei virtus ſua gloria fraudaretur Matt. 9. 20. 22. Marc. 5. 25. 34. Luc. 8. 43. 48.

Iret autem proſequentibus occurrerunt famuli Jairi, triſte de obitu puellæ nuncium afferentes. Bono tamen animo eſſet pater, Jeſus præcepit, ingreſſuſque cum tribus ex Diſcipulis domum, recedere C tibicines, qui funeri celebrando aderant, imperavit. Digreſſis igitur omnibus, ipſe non magno ſanè negocio filiam revocavit ad vitam, allatiſque cibis refici, ac tandem miraculi famam ſupprimi mandavit. Matt. 9. 18. 26. Marc. 5. 35. 43. Luc. 8. 49. 56.

Duo cæci in Nazareth curantur.

IBat Nazareth patriam ſuam Marc. 6. 1. cum Diſcipulis, euntemque duo cæci proſecuti, ut valetudini reſtituerentur enixè rogabant. Cum interim domum veniſſet, num crederent ſibi virtutem eſſe morbum illum curandi interrogavit. Affirmantes D manu ſua tetigit, tactumque continuò valetudo ſecuta eſt. Jubenti ne cui rem proderent parere recuſarunt longè lateque famam prodigii evulgantes Matt. 9. 27. 31.

Sub idem ferè tempus Dæmoniaco loquendi facultate carente valere juſſo, anſam præbuit Phariſæis obtrectandi, quaſi ſcilicet accepta à Beelzebub virtute polleret, Matt. 9. 32. 33. 34.

Dæmoniacus mutus curatur. Ieſus in Synagoga Nazareth. E

ADerat die Sabbati in Synagoga Jeſus omnium plauſu & admiratione exceptus; ſed natalium ipſius obſcuritas obtrectandi nonnullis dabat occaſionem, quærentibus invicem: *Nonne hic eſt filius fabri?* Mater ejus appellatur Maria, ejuſque apud nos fratres & ſorores diverſantur Matt. 13. 54. 58. Mar. 6. 1. 5. Jeſus igitur ex Urbe digreſſus nunquam rediit, ſimul pronuncians, neminem è Prophetis in Patria ſua probari.

Diſcurrit autem per vicos, & pagos Galilææ, ubique prædicationum ſuarum, & prodigiorum mo- F numenta relinquens.

A M. 4035. Per. Iul. 4745. I. C. 35. Æra Vulg 32. Uberrima meſſis. Apoſtoli ad fidem annunciandam mittuntur.

CUm ſtudio verbi Dei audiendi teneri populos Jeſus intelligeret, Apoſtolis ſignificavit, uberem quidem meſſem ſuppetere, ea autem laborari meſſorum paucitate, ut, quò novos etiam atque etiam mitteret, Paterfamilias enixè fuerit rogandus. Simul autem Diſcipulos ſuos binos binoſq; per diverſa regionum loca dimiſit, patrandorum miraculorum facultate donatos, oneratos inſuper mandatis, ne quid ſecum ferrent commeatus, non arma, non veſtes mutatorias, non geminata ſandaliorũ paria; ſed ire juſſit

annun-

annunciare Judæis quæcunque vera de Regno cœleſti ſcirent, caverent autem ne quid proderent Gentilibus, vel Samaritanis digniſſimorum domos & religioſiſſimorum eligerent in ſedem, ibique non deſultorio more, ex una in alteram deflectentes, quandiu in loco morarentur, conſiderent. Si quis verò, ait, è loco quopiam vos prohibuerit, excuſſo priùs in illos calceamentorum veſtrorum pulvere, diſcedite Matt. 9. 36. 37 38. & 10. 1. 17. Marc. 6. 7. 11. Plura etiam adjecit ea occaſione digniſſima planè atque utiliſſima, quæ Matth. 10. 17. 42. legas.

Prædicatio & miracula Apoſtolorum.

NOvo munere aucti Apoſtoli regionem undique diſcurrerunt, prædicationibus ubique ſuis & prodigiorum gloria clareſcentes. Sequebatur eorum veluti relegens veſtigia Jeſus, ad eas Urbes divertens, quas Apoſtoli antea præcucurrerant, Matth. 11. 1. Marc. 6. 12. Luc. 9. 6.

Obitus Joannis Baptiſtæ.

SUb idem tempus, Joannes Baptiſta juſſu Herodis Antipæ, inſtigante Salome filia Herodiadis, quæ ſcita ſaltatione oculos Principis ceperat, obtruncatus eſt, Matt. 14. 1. 12. Marc. 6 14. 30. Luc. 4. 7. 8 9.

Redarguit Urbes Bethſaidam, Corozaim & Capharnaum.

POſt decurſam regionem, relictaque altè miraculorum ſuorum ubique in Urbibus, potiſſimùm ad mare Tiberiadis, veſtigia, illarum incredulitatem pluribus redarguit, exprobrans futurum, ut, ſi Tyriis & Sidoniis ea affulſiſſent prodigia, quæ incolis Bethſaidæ. Capharnaum, & Corozaim, diù antea rectum virtutis tramitem tenuiſſent, Matt. 11. 20 21. 22. 32. 34.

Herodes ſuſpicatur Joannem Baptiſtam iterum in Jeſu Chriſto ad vitam rediiſſe.

PErlata ad aures Herodis prodigiorum Jeſu Chriſti fama revocare cœpit in mentem, num ſub Chriſti perſona Joannes Baptiſta iterum ad vitam remeaſſet, Marc. 14. 1. 2. L. 7. 7. 9. Marc, 6. 14. 16.

Apoſtoli è miſſione ſua regrediuntur.

FUncti munere ſuo Apoſtoli certiorem de omnibus Jeſum Chriſtum facturi venerunt Marc. 6. 30. Luc. 9. 10 De omnibus Patri ſuo gratias egit Jeſus quàm maximas, totumque denique mundum, ut collum jugo ſuo ſubmittat, ſuaque relegat veſtigia, invitavit, Matt 11. 25. 30.

Jeſus recipit ſe trans lacum Geneſareth.

CErtior factus Jeſus omnium, quæ Herodes de ipſo diceret, in deſerta una cum Diſcipulis ad quietem aliquam captandam ſe contulit. Cùm verò affluentibus undique turbis adeò premeretur, ut ne capiendi quidem cibi opportunitas daretur, navigium cum Apoſtolis ingreſſus, lacu Geneſareth trajecto, in montem aufugit, Matt. 14. 13. Marc. 6. 31. 32 33. Joan. 6 1. 2. 3.

Pedeſtri itinere circumeuntes turbæ in deſertum Bethſaidæ ipſæ pariter venerunt. Deſcendens autem è monte Jeſus, miſeratione tactus ægrotos omnes curavit, docendoſque populos ſuſcepit, Matt. 14. 14. Mar. 6. 34. Jo. 6. 4 5 6. 7.

Jeſus Chriſtus 5000. hominum paſcit.

ELapſa jam capiendi cibi hora, & inclinante in veſperam die, ſuggerebant Apoſtoli, ut populos tandem remitteret, quò ſinguli ad vicinas Urbes divertentes, de cibo ſibi providerent. Sed Jeſus nihil eſſet dixit cur irent, ſufficerent ipſi ſingulis

A cibos. Rogavit deinde quot ſecum detuliſſent panes; & cùm quinque panes & gemini piſces præſto eſſe renunciarentur, confeſtim accumbere populum & ſingulis ex eo commeatu diſtribui neceſſaria præcepit. Illico omnia; ciboque refecto populo (turba erant hominum ad 5000. nec fœminis nec pueris computatis) duodecim caniſtri ex reliquiis collecti ſunt Matt. 14. 15. 21. Marc. 6. 35. 44. Luc. 9. 11. 17. Joan. 6. 8. 13.

Jeſus & S. Petrus ſuper aquas gradiuntur. Capharnaum perveniunt.

SUbeunte veſpere, probè noſcens Jeſus conſilium B agitare populum de conciliianda illi regia dignitate, coegit Diſcipulos conſcenſo navigio lacum trajicere. Turbam itaque dimiſit, aſcenſoque monte vacavit orationi. Interim Apoſtoli in medio lacus contra reflantes ventos adverſoſque fluctus luctabant; nec longiùs à litore quam 25. v. l 30. ſtadiis aberant, cùm Jeſus ſuper undas gradiens prætergreſſurus navigium videbatur. Illi primo intuitu phantaſma rati timuerunt; ſed ejus vocibus confirmati ſunt. Tunc Petrus Domini voce audita rogavit, ut, bona illius venia, ſuper aquas gradiens eò venire permitteretur. Annuente Jeſu, illico ſe mari Apoſtolus commiſit; ſed fluctiis ſeu immanis cujuſdam verticis objectu turbatus, jam demergebatur, cùm C vocis clamore accitum Jeſum præſto habuit, manuque, ne demergeretur, ſuſtentatus eſt. Rogantibus autem Diſcipulis, navigium Preceptor conſcendit, ſtatimque ad litus delati ſunt, Matt. 14. 13. 34. Mar. 6. 47 53. Jo. 6 16. 21

Volebant Diſcipuli iter Bethſaidam versùs dirigere; ſed adverſo vento prohibiti, Tiberiadem primùm, inde Capharnaum appulerunt.

Inter hæc, turbæ autumantes manſiſse Jeſum in deſerto Bethſaidæ; quippe quæ norant navigium unà cum Diſcipulis non conſcendiſse, mane alterius diei ſedulò virum perquirebant, ut inventum tandem Regem conſtituerent. Sed nautarum Tibe- D riade advenientium relatione comperto eò loci veniſse, actutum Tiberiadem convolarunt. Cum interim Jeſus eo temporis intervallo Capharnaum diverteret; venerunt illi pariter Capharnaum, nactumque in Synagoga ejuſdem Urbis Jeſum interrogarunt, qui illuc perviſset. Quibus Jeſus quærī ſe ab illis ſignificavit non prodigiorum ſuorum cauſa, ſed præſtitæ paulò ante alimoniæ: monere tamen ſe, ut incorruptum alium optarent cibum; addens ſe panem eſse cœleſtem, alium ſanè à manna per E Moyſem parentibus eorum collata. Duriùs ea verba exceperunt turbæ, offendebanturque maximè, quod Fabri filius talia de ſe uſurparet. Cœptum tamen ſermonem proſequens Jeſus, quantum eſset diſcriminis inter mannam illam & panem à ſe oblatum etiam, atque etiam demonſtravit, declarans inſuper ſuam carnem verum eſse cibum, & ſanguinem reapſe in potum exhiberi. His ejus ſermonibus offenſi Diſcipuli plerique, ejus ſequelæ renunciarunt. Quæſivit tunc Jeſus ab Apoſtolis, an ipſi pariter abirent; cui Petrus ſe cæteroſque nuſquam receſsuros ab eo, qui vitæ æternæ verba loqueretur, ſignificavit; perſuaſum verò habere omnes, ipſum eſse Chriſtum Filium Dei vivi. Tunc Jeſus ſe qui- F dem ait duodecim illos elegiſse, ſed in eorum numero proditorem ſuum agnoſcere; Judam ſcilicet Iſcariothem ſignificavit Joan. 6. 22. 71.

Tertium Paſcha in Evangelio expreſſum poſt Baptiſmum J. C. A. J. C. 35. Aera Vulg. 32.

ADducebantur undique ad Jeſum in Capharnaum ægroti, nec abibant incurati; ſed non diu poſt ille ad paſcha Jeroſolymam ſe contulit.

Rediit demum in Galilæam, nec infauſto pro languentibus omine; ſiquis enim veſtimentorum ipſius oram tantummodo tangere permitteretur, continuò integra valetudine donabatur, Matt. 14. 36. Mar. 6. 56. 57. Joan 7.

Stan.

Scandalum Phariſæorum, quod Diſcipuli illotis manibus cibum capiant.

PHariſæorum Scribarumque nonnulli, qui è Feſtu Paſchali Jeroſolyma redierant, cùm receptam apud Judæos manus ante cibum lavandi traditionem minus ſanctè à Diſcipulis Jeſu ſervari animadvertiſſent, querelas ea de re ſuas ad Jeſum detulerunt. Sed ille viciſſim hypocriſim illis exprobravit; quippe qui potiſſimis & majoris momenti Legis præceptis neglectis, illo maximè, quo colere parentes jubebantur, traditionibus ſuis unicè ſtudebant, Matt. 15. 1. 4 Marc. 7. 1. 9.; accitiſque dein turbis palam edixit, hominem inquinari, non iis quæ inde per os demittantur, ſed iis quæ inde emitterentur; tacitè hinc deſignans, maculas illas legales de ſe quidem nihil inquinamenti in animam inferre, Matt. 15. 10. 14. Marc. 7. 14. 15.

Scandalum Phariſæorum.

CUm è populo ſe recepiſſet, narrantibus Apoſtolis Phariſæos duriùs ejus verba accepiſſe, *Sinite*, reſpondit, ille, *cæcos duces cæcorum*. Adjecit, plantam omnem ab alio quam à Patris ſui cœleſtis manu conſitam tandem eradicandam. Cùm Diſcipuli minùs ſe aſſecutos dicerent ſenſum illorum verborum, nihil ſcilicet eorum, quæ per os demitterentur, hominem inquinare, oſtendit, omnia quæ per os mittuntur in ſtomachum, decoqui; tum quæ minus alendo corpori apta fuiſſent, per ſeceſſum abire; cum interim quæ ex ore hominum egrediuntur è corde procedant, atque criminis reum hominem conſtituant; uti jurgia, mendacia, pravæ cogitationes, concupiſcentiæ, & omnia tandem inhoneſta, Matt. 15. 15. 20. Mar. 7. 18. 19. 23.

Filia mulieris Chananææ curatur.

MAjo ineunte, ad finitima Tyri & Sidonis iter inivit, latendi occultandique ſe gratia; brevi tamen proditus eſt. Accurrit ſtatim mulier Chananæa, filiæ ſuæ poſtulans ſanitatem, quam primò Jeſus cenſuit rejiciendam; ſed ea clamante, rogantibuſque Apoſtolis ne miſeram deſpiceret, reſpondit Jeſus, non veniſſe ſe niſi ad errabundas domus Iſrael oves reducendas. Cùm tamen domum veniſſet, & ante pedes provolutam fœminam haberet, rogantem ut voti compos tandem efficeretur; reſpondit ille quidem primò, iniquum eſſe panem filiorum dari canibus; ſed reponens illa, micas quandoque è menſa heri decidentes catellis permitti, tandem merito fidei ſuæ & admirationem & ſanitatem à Jeſu extorſit. Matt. 15. 22. 28. Marc. 7. 15. 30.

Vir ſurdus & mutus curatur.

COEptum iter per Sidonem, & Decapolim proſequens, inde ad mare Galilææ deflexit. Oblatum ſibi hominem ſurdum, mutumque ſeorſum ab aliis deducens, poſitis in auribus ejus digitis, atque ſaliva ſua delinita lingua, duplici morbo liberum dimiſit. Marc. 7. 32. 35.

Septem panes cum piſciculis quibuſdam multiplicantur.

TRiduum in monte egit, cum interim plurima ægrotantium multitudo ad radices montis, ejus deſceſſum opperiebantur, quos omnes morbis liberavit. Quod autem turbæ adventum ſuum triduo ſuſtinuiſſent, ſignificavit Diſcipulis, iniquum eſſe illos jejunos in domos ſuas dimittere. Arctior illis erat ſeptem panum & piſciculorum quorundam commeatus; qui ut omnibus ſufficeret (ad 4000. aſcendebant, fœminis, & pueris ab eo numero excluſis) inſigni prodigio à Jeſu multiplicatus eſt. Ex reliquiis collecti ſeptem caniſtri, Matth. 15. 32. 39. Mar. 8. 1. 20.

Signum Jonæ Prophetæ Phariſæis promiſſum.

COnſcenſo ſtatim navigio, Magedan, in regione Dalmanuthæ locum ad litus ejuſdem maris, ſed meridionalem magis, venit. Opperiebantur ibi ejus adventum Phariſæi, & Saducæi, ſignum de Cœlo aliquod ab eo rogaturi. Quibus Jeſus mirari ſe dixit, cur ipſi, qui varias Cœli facies noſcere, viceſque aeris diſtinguere profiterentur, non ſatis tamen artem callerent temporis diſtinguendi, atque legendi characteres veri Prophetæ, quos ipſe in ſe præſeferebat. Profeſſus eſt tandem, nullum aliud ſignum habere, quàm ſignum Jonæ Prophetæ; relictiſque actutum illis, maritimo itinere Bethſaidam urbem ad oram ſeptentrionalem lacus Genezareth contendit, Matt. 15. 39. & 16. 1. 5. Marc. 8. 10. 13.

Fermentum Phariſæorum, Saducæorum, & Herodis.

CUm Apoſtoli commeatu ſibi providere negligiſſent, in adverſam lacus ripam nonniſi unicum panem detulerunt. Qua occaſione Jeſus cavendum illis edixit à fermento Phariſæorum, Saducæorum, & Herodis. Hæc ille quidem de novis illorum dogmatibus uſurpavit. Sed Diſcipuli de pane reapſe dicta arbitrabantur. Quare Jeſus imbecillitatem fidei exprobravit, revocans in memoriam duplex illud prodigium, quorum ipſi teſtes oculati fuiſſent; aliud nempè pro breviquinque panum annona 5000. hominum paviſſet; alterum quo 4000. ſeptem panibus aluiſſet. Tunc denique aſſecuti ſunt Apoſtoli, figurata illa loquutione moneri, ſe, ut à doctrina Phariſæorum, Saducæorum, & Herodianorum caverent. Matth. 16. 4. 12. Mar. 8. 13. 21.

Cæcus curatur Bethſaidæ.

BEthſaidam Urbem ad ripam ſeptentrionalem lacus appulit, ubi cæcum nactus extra urbem deduxit, tunc linitis ſaliva ejus oculis, manibuſque impoſitis, virum rogavit, num aliquid videret? Significante illo, cernere ſe homines velut arbores inambulantes, Jeſus iterum manu oculos tetigit, quod præſentiſſimo fuit viro illi collyrio. Sanus ergo remiſſus eſt, mandatis priùs oneratus, ne rem illam cuiquam proderet, Mar. 8. 22. 26.

S. Petrus Meſſiam eſſe Jeſum Chriſtum confitetur.

RElicta Bethſaida, & longius in plaga meridionali, qua parte Cæſaream Philippi reſpicit, excurrens, accidit quadam die, dum ſeorſum eum Diſcipulis orationi vacaret, ut ab ipſis Diſcipulis quæreret, quid de ſe homines ſentirent. Reſpondentibus illis, ab aliis Eliam, ab aliis Jeremiam, Joannem Baptiſtam, vel unum ex Prophetis ad vitam regreſſum reputari; iterum Jeſus: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Tunc Petrus: *Tu es*, ait, *Chriſtus Filius Dei vivi* Egregiam viri confeſſionem non laudavit tantùm Jeſus, ſed & pollicitus eſt ſuper ipſum, qui petra eſſet, ſe conſtituturum Eccleſiæ ædificium firmum adeò, ut nullis Infernorum viribus dejiceretur; daturum inſuper in ejus poteſtatem claves Regni Cœlorum, ut quos ipſe in terria ligaret, vinciretque, ipſi pariter in Cœlo ſolverentur ligarenturque: *Præcepit tamen ut nemini dicerent, quia ipſe eſſet Chriſtus*. Matt. 16. 13. 20. Marc. 8. 27. 28. Luc. 9. 18.

Quæ ſibi toleranda eſſent Jeſus C. prædicit.

COEpit autem Jeſus, quæcumque ſe manerent Jeroſolymis mala, Apoſtolis ſuis pandere; quod Petrus minùs ferens, ſeorſim deductum Magiſtrum affatus: Abſint à te iſta, inquit: ſed Jeſus ad cæteros Apoſtolos converſus, durè Petrum redarguit verbis illis: *Vade retro Satana, ſcandalum mihi es*. Tum accitas turbas ita eſt allocutus. Si quis mihi co-

comes acceſſurus eſt, ille ſibi ipſi renunciet, atque cruci humeros ſubjiciens, mea ſelegat veſtigia. Qui etenim ſtudio ſervandæ vitæ ſuæ tenebitur, ipſam perdet; quique viciſſim mei gratia perdiderit, ſervabit. Qui ad nominis mei confeſſionem coram hominibus erubuerit, ego pariter illum erubeſcam, cum venero in majeſtate mea, & Patris, & Sanctorum Angelorum. *Dico vobis verè: ſunt aliqui hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem, donec viderint Regnum Dei*, Matt. 16. 21. 28 Marc. 8. 31. 39. Luc 9 22. 27. Quæ ejus verba ſive ad Transfigurationem ipſius, ſive ad ultionem per Romanos imminentem referenda conſtat.

Transfiguratio Domini.

POſt ſex ab eo ſermone dies, Jeſus è Diſcipulis ſuis tres, Petrum, Jacobum, & Joannem ſeorſum in montem deduxit; & cum per quietem noctis totus in preces reſolveretur, inſueta ſtatim luce, fulgentibuſque, ac candentibus inſtar nivis veſtibus reſplenduit. Alto ſopore detinebantur Apoſtoli: quo tandem excuſſo, oculati teſtes transfigurationis Magiſtri ſui facti ſunt. Adfuerunt ibi pariter Moyſes, & Elias, ſermonem cum Jeſu de futura ejus nece Jeroſolymis toleranda miſcentes. Lætitiæ extaſi extra ſe tactus Petrus, nec ſatis quæ diceret animadvertens, propoſuit Jeſu, num vellet tria ibi fabricari tentoria, quorum alterum ipſi Jeſu, ſecundum Moyſi, reliquum Eliæ ederet. Dum hæc Petrus loqueretur, evaneſcentibus omnibus, nubes ſubitò Diſcipulos obumbravit. Tunc audita de Cœlo vox: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.* Ad ejus vocis tonum ſubito terrore obriguerunt Apoſtoli; ſed à Jeſu confirmati, inter deſcendendum exorto jam die, juſſi ſunt nemini uſque ad Reſurrectionem viſionem illam revelare, Matt. 17. 1. 9 Marc. 9. 1. 8. Luc. 9. 28. 36.

Elias in Joannis perſona venit.

QUæ à Jeſu de futura ejus reſurrectione audierant Apoſtoli, nec planè aſſecuti, in cauſa fuerunt, cur illi familiaribus inter ſe colloquiis ea de re diſceptarent. Quare Jeſum interrogarunt, ut quid igitur docerent Scribæ futurum, ut ante reſurrectionem Elias veniret? Reſpondit Jeſus, pariturum quidem quaſi noviſſimæ diei prænuncium Eliam, ut omnia reſtitueret; veniſſe tamen ipſum in ſpiritu Eliam in perſona Joannis Baptiſtæ, quem Judæi excipere recuſaſſent, & pro arbitrio ſanctiſſimum virum traduxiſſent; nec æquiores illos pariter in filium hominis futuros. Mat 17. 9. 13. Marc. 4. 9. 13.

Curatio pueri lunatici, muti & dæmoniaci.

QUæ noctem transfigurationis excepit, aurora Jeſus è monte unà cum tribus Diſcipulis deſcendens, venit ad reliquos Diſcipulos, qui magna animi contentione in medio frequentis populi cum Scribis diſceptabant; quòd ſcilicet valetudini reſtituere hominem lunaticum pariter, & epilepticum mutum tandem, ac Dæmoniacum non valuiſſent. Vix dum proſpectum ad Jeſum omnes accurrerunt, & inter cæteros pueri parentes, ut ægritudini filii ſui ſubveniret rogabant. Quibus Jeſus: O generatio infidelis, & perverſa, uſquequo ero apud vos, & patiar vos? Adduci autem ad ſe puerum juſſit, quem ſtatim mirè Dæmon torquebat; ſed Jeſus patrem admonuit. *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* Pater in lacrymas reſolutus, credere ſe ait, rogare tamen, ut ejuſdem fidei imbecillitas ejus virtute confirmaretur. Minitans ergo Jeſus Dæmonem faceſſere à puero coegit, Matt. 17. 14. 18. Marc. 9. 14. 27. Luc. 9. 37. 42.

Dæmon ſola oratione, & jejunio pellendus.

INgreſſus inde domum, ac ſolitarius cum Diſcipulis verſans, rogantibus illis ut quid omnes ſuos

A ipſorum conatus pueri illius morbus eluſiſſet? reſpondit, ejus rei in cauſa fuiſſe, quòd fidei eſſent imbecillioris; tantum enim fidei, quantum granum ſinapis, ejus eſſe virtutis, ut transferre montes valeret. Adjecit inſuper, id generis Dæmones oratione tantùm, & jejunio depelli, Matt. 17. 19. 21. Marc. 9. 18 29.

Percurrit ſub hæc, omnibus imprudentibus, Galilæam. Narravit autem Apoſtolis futurum, ut ipſe Judæorum manibus permiſſus occideretur, atq; poſt triduum ad vitam rediret; quod tamen Diſcipuli intellectu minimè aſſecuti ſunt. Quamquam ejus ſermonibus deſignari aliqua de adventu Regni, & B Filii Dei ſubodorati, aliam inde cœperunt diſceptandi, quis eorum in Regno Cœlorum primas tenere debuiſſet, Matt. 17. 22. 23. Marc. 9. 30. 33. Luc. 9. 44. 45.

Jeſus didrachma ſolvit pro Templo.

JEſus, & Petrus præcurrentes, Capharnaum pervenerant, cum exactores didrachmatis, quod per capita tributum Templo ſolvebatur, quæſiverunt à Petro, num Magiſter ejus didrachma, vel hemiſiclum ſolveret. Affirmantem Petrum Jeſus cùm primùm domum pervenit, antequam ab illo quidquam reſciret, interrogavit, quoſnam viros Reges terræ ad ſolvendum tributum cogerent, filios ne an extraneos? Extraneos reſpondit Apoſtolus. Ac Jeſus: Immunes ergo habentur filii? tacitè verbis illis deſignans, ſe, qui Filius eſſet Summi Parentis, tributi C lege non cogi. Ne tamen, adjecit, ſolvere recuſantes viris illis offendiculo ſimus, ad mare ſtatim te conferens, quemcumque piſcem, qui primus ad hamum venerit, excutera, atque duo in ejus ventre reperta didrachmata, tui meique tributum ſolve. Ad fidem dictorum omnia, Matt. 17. 24. 27.

Diſceptatio Apoſtolorum, quis primas in Regno Dei tenere debuiſſet.

EOdem temporis articulo ſupervenerunt Diſcipuli, (neque enim adfuiſſe credimus, cùm tota de ſolutione tributi hiſtoria ageretur, atque ſeriùs D venerant, diſceptantes de Principatu) cùm, inquam, veniſſent, quæſierunt illico à Jeſu, quis in Regno Cœlorum primas haberet? Ille, qui factos ab abſentibus ſermones omnes norat, interrogavit, quid inter ſe venientes diſceptaſſent. Siluerunt illi rubore ſuffuſi. Tum Jeſus poſtulatis eorum reſpondens, dixit, ab obtinendum principem in Cœlo locum illos omnium noviſſimum tenere opus eſſe; atque accito in medium puero, adjecit. illum, qui Regnum Cœlorum affectaret, ad pueri illius ſtatum educi, Matt. 18. 1. 5. Marc. 9. 34. 37. Luc. 9. 47. 48. oportere.

Vir quidam à Diſcipulorum numero alienus, Dæmones invocato Chriſti nomine depellit.

E

NArravit Joannes Magiſtro, vidiſſe ſe cæteroſque ſocios hominem, qui Dæmones ipſius nomine invocato pelleret, quamquam à Diſcipulorum cœtu eſſet alienus; prohibuiſſet autem, ne quid ultra auderet. Negavit Jeſus prohibendum; qui enim ſuo nomine invocato miracula patraret, certè ſibi iniquior eſſe non potuiſſet, & quicumque contra ſe non ſtaret, pro ſe planè reputaretur, Marc. 9. 38. 41. Luc. 9. 49. 50.

F

Quantum damni ſit in ſcandalo.

ADjecit, ne potum quidem aquæ frigidæ ſuo nomine Diſcipulis ſuis collatum mercede vacuum futurum. Veh autem illis, qui puſillis ſuis ſcandalo fuiſſent! præſtare ſanè iis, ut mola aliqua macinaria ad collum ſuſpenſa, in mare projicerentur; Oportere tamen eſſe in mundo ſcandala; ſed veh ſcandalorum authori. Si autem, adjecit, manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & pro-

& proiice abs te. De impiis ad inferna damnatis dixit: Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Bonum eſt ſal; quod ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis Matth. 18. 6. 9. Marc. 9. 41. 50.

Parabola ovis errantis.

ADmonuit; neminem ex Fidelibus, quantumvis minimum, contemnendum, quorum Angeli faciem Patris Cœleſtis aſpicerent. Veniſſe ſe ait, rebus amiſſis quærendis. Propoſuit deinde parabolam hominis, qui cùm centum oves ſibi haberet commiſſas, 99. in montibus relictis, palantem unam quæritat. Plura inſuper de correctione fraterna diſſeruit: oportere primùm fratrem ſeorſum ab omnibus corripere; dein coram duobus vel tribus teſtibus refractarium Eccleſiæ denunciare; & ſi Eccleſiam non audierit, ab ejus conſortio recedendum, habendumque tamquam paganum aliquem & publicanum. Obteſtatus eſt, omnes ab Apoſtolis ſuis ligatos atque ſolutos in terra, in Cœlo pariter ligandos vinciendoſque. Cùm duo vel tres ſimul ejus nomine coiverint, medium ſe inter illos futurum: ſi duo ex ipſis poſtulando aliquid à Patre coiverint, impetraturos omnia, Matt. 18. 10. 20.

Norma fraternæ correptionis.

CUm Jeſus de correptione fraterna quædam diſſeruiſſet, ea accepta occaſione Petrus interrogavit, quoties fratri veniam poſtulanti indulgendum? an ſepties? Cui Ieſus: *Non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies.* Propoſuit deinde parabolam Regis, qui rationem cum ſervis ſuis poſiturus, à famulo 1000. talentorum ſibi obærato requiſitus eſt, ut temporis aliquid ſibi ad ſolvendum indulgeret. Ille non poſtulata tantùm, ſed debitum etiam omne remiſit. Digreſſus inde ſervus, cum obæratum ſibi 100. denariorum alium conſervum offendiſſet, jugulo abreptum, rogantem fruſtra obſecrantemque in carcerem conjecit. Ea in fratrem inhumanitate commotus Rex, malum ſervum carnificibus permiſit, donec totum debitum pendiſſet. Tantumdem, intulit Ieſus, Deus cum illis præſtabit, qui fratribus in ſe peccantibus veniam indulgere recuſarint.

Jeſus ad Feſtum Pentecoſtes Jeroſolymam concedit.

INeunte jam poſtremo vitæ I. C. anno, contulit ſe Ieſus Ieroſolymam ad Feſtum Pentecoſtes. Intereundum viros quoſdam in vicum Samaritanorum parando ſibi hoſpitio præmiſit: ſed à Samaritanis ne locum ingrederetur, prohibitus eſt. Quare duo ex ejus Diſcipulis Jacobus & Joannes ſuggeſſerunt Magiſtro, ut deducto cœlitùs igne vicum abſumeret. Quibus ille neſcire ait eos, ad quem Spiritum pertinerent; ſe verò ſervandis, non perdendis hominibus veniſſe. Hujus ardentioris zeli cauſa duobus illis Diſcipulis nomen inditum *Boanerges* ſeu filii tonitrui, Luc. 9. 51. 56.

Qui Jeſum ſequi oporteat.

OBtulit ſe quidam, fidum totius vitæ comitem ſe acceſſurum profeſſus; cui Ieſus: Vulpibus, ait, ſuæ non deſunt foveæ, nec volucribus nidi; Filio verò hominis nec locus ſuppetit, ut caput reclinet. Cùm virum alterum ad ſui ſequelam invitaſſet Ieſus, permitti ſibi priùs ille poſtulavit, ut parentem ſuum ſepulturæ mandaret; cui Ieſus, *Sinite*, inquit, *mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Alteri verò, qui concedi ſibi poſtulabat, ut vale neceſſariis dicere permitteretur, dixit, eum qui manum habet ad ſtivam, retrorſum oculos convertere minimè oportere, Luc. 9. 57. 61.

A

Septuaginta duo Diſcipuli ad fidem annunciandam mittuntur.

ELegit Ieſus, præter duodecim Apoſtolos, 72. Diſcipulos, quos ante ſe ad loca deſtinavit, ſibi deinde petenda. Cùm autem Ieroſolymam pergeret, dixit, uberrimam quidem meſſem raros habere meſſores; mittere ſe illos tanquam arietes in medio luporum; jubere autem, non crumenam ſecum, neque commeatus, nec tandem mutatoria calceamenta euntes deferre, neminem per viam ſalutare, domum aliquam ſubeuntes fauſta omnia domeſticis
B apprecari; quæ ſcilicet pax, ſiquidem illi digni inveniantur recipiendi vos, ſuper ipſos recidet; ſin autem, ad vos revertetur. Monuit, ut in eadem ſemper domo manerent, quamdiu à domeſticis non pellerentur; comederent quæcumque menſæ apponerentur, curarent morbos, & Regni Dei adventum annunciarent. Adjecit, ſi ex urbe quadam prohiberentur, excutere in illos pulverem pedum ſuorum, ſtatimque faceſſere; ſcirentque duriùs in eam Civitatem ultima Iudicii die animadvertendum, quàm in Sodomam & Gomorrham: *Veh tibi Corozaim, Veh tibi Bethſaida, veh tibi Capharnaum! Tyro & Sidoni remiſſius erit in Judicio, quam vobis*, Luc. 10. 1. 16.

C

Septuaginta duo Diſcipuli poſt impletum munus regrediuntur.

HIs igitur onerati mandatis ſeptuaginta duo Diſcipuli omnia ea loca percurrerunt, quæ deinde Ieſus viſere ſtatuerat, alta ubique & prædicationum ſuarum, & prodigiorum veſtigia relinquentes. Quo ſuo munere functi, Ieſum ſive Ieroſolymis ſive in adjacenti circa regione nacti ſunt, quem de proſpero expeditionis ſuæ ſucceſſu fecerunt certiorem. Cùm narrarent obſequio ſuo morigeros Dœmones habuiſſe, Jeſus videre ſe dixit Satanam velut fulgur è Cœlo ruentem; tum Diſcipulos ſuos ſuper ſcor-
D piones & ſerpentes impavidos gradi imperavit; quippe quibus in venena & noxia quæcumque virtutem contuliſſet. Demum gratias Patri egit, quòd myſteria ſua ſuperbis tumentibuſque viris abſcondens, humilioribus & parvulis revelaſſet. Prodidit, ſuis manibus omnia à Patre tradita, neminem verò Patrem noſſe niſi Filium, ſicuti viciſſim Filium niſi Patrem, cæteroſque quibus Pater revelavit. Tum beatos prædicavit Diſcipulos, quibus intueri datum eſſet, quem Reges & Prophetæ videre & noſſe ſummis votis optarant, Luc. 10. 16. 24.

Parabola hominis vulnerati in via ad Jericho, cui
E *Samaritanus opem præſtitit.*

JEſum convenit Legiſperitus, quid facto opus eſſet, ut vitam æternam aſſequeretur, interrogans. Quem ille, quid in lege præſcriberetur, rogavit. Tum alter. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut te ipſum.* *Rectè*, ait Jeſus: *hoc fac & vives.* Adjecit Scriba, quis eſſet proximus ſuus, interrogans. Ad hæc Jeſus hanc inſtituit parabolam. Judæus quidam è Jeruſalem in Jericho proficiſcens, prædones offendit in via, qui ejus omnia diripuiſſe non contenti, miſerum hominem vulneribus confoſſum penè cadaver reliquerunt. Accidit, ut Sacerdos quidam tranſiens,
F eo ſpectaculo ne moraretur quidem: ita pariter de Levita paulò poſt eandem viam tenente narratur. Tandem Samaritanus quidam fortè illac pertranſiens, miſerum ſuis manibus levavit, obligavit vulnera, in equum aſſumpſit, detulit ad diverſorium, & ſollicitè omnia ejus curavit, data pariter cauponi mercede, quò ſedulam ejus curam gereret. Interrogavit deinde Jeſus, ecquis de tribus hiſce miſeri illius hominis proximus crederetur? Reſpondit Scriba, Samaritanum arbitrari ſe; cui Jeſus: *Vade, & tu fac ſimiliter*, Luc. 10. 23. 37.

Jeſus

Jeſus in domum Marthæ, & Mariæ Bethaniæ recipitur. A

EXceptus eſt Ieſus in domum Marthæ, fœminæ Bethaniæ commorantis, 15. ſtadiis, vel tribus leucæ quadrantibus è Ieruſalem. Parando novo hoſpiti cibo anxiè ſtudebat Martha: cùm interim Maria ejus ſoror ante ejus pedes otioſa loquentem auſcultaret. Conqueſta eſt Martha ea de re cum Ieſu, quippe quæ ſola rei familiaris curis oneraretur. Cui Ieſus: *Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima. Maria optima partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, Luc. 9. 38. 42.

Precandi formula à Jeſu Apoſtolis tradita. B

VErſantem Ieſum in monte Olivarum è regione Ieruſalem, & cum jam preces ſuas abſolviſſet, rogarunt Diſcipuli, ut formulam ſibi precandi aliquam, quemadmodum Ioannes Baptiſta ſuis tradiderat, indulgeret. Docuit illos Ieſus Dominicam orationem, eandem quam priùs in ſermone in monte tradiderat, Matt. 6. 9. 13. Tum multa adjecit de virtute, & dotibùs orationis. Propoſuit parabolam hominis, qui cum trium panum neceſsitate teneretur, quòd ad ſuam domum inopinus veniſſet amicus, ea de re vicinum ſuum, qui cum tota familia cubatum jam iverat, poſtulavit. Recuſavit ille primùm, ſed rogantis importunitate victus, omnia dedit, quæ C poſtulabat. Quare Ieſus. *Petite*, ait, *& accipietis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis*. Quis pater unquam filio ſuo panem, vel ovum poſtulanti lapidem, vel ſerpentem tradidit? Luc. 11. 1. 13.

Dæmoniacus mutus ab utroque morbo curatur. Regnum diviſum non ſtabit.

OBlatum ſibi Dæmoniacum loquendi facultate privatum Ieſus integræ ſanitati reſtituit, cujus rei invidiam apud Phariſæos ſubiit, quaſi ſcilicet in Beelzebub Principe Dæmoniorum Dæmones expelleret. Alii è Phariſæis prodigium aliquod de D Cœlo poſtularunt; ſed eorum prava conſilia intelligens Ieſus, ita doloſos viros affatus eſt. Omne Regnum in ſeipſo diviſum deſolabitur: quare ſi Dæmonis Regnum dividatur, qui ſtabit? Si ego in Beelzebub ejicio Dæmonia, cujus nomine filii veſtri pelluntur? Quare illi ſuo vos judicio damnabunt? Si verò in digito Dei ego Dæmones in fugam ago, Regnum profectò Dei ad vos pervenit. Cùm ſtrenuus aliquis vir armis inſtructus ædem defendit, nemo locum ingredietur, niſi priùs ſtrenuum illum virum vicerit, & armis exuerit.

Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit. Spiritus nequam à loco ſuo E pulſus, requiem undique quæritat, & cùm tutum nuſpiam invenerit, priſtinam domum regreditur, novitque ſe munitionibus, & accitis in auxilium ſeptem aliis nequioribus ſe Spiritibus, defendit: ita ſtatus miſeri illius, qui malo hoſpite antea liberatus erat, miſerabilior, quàm antea efficitur, Luc. 11. 14. 28.

Ieſus Chriſtus plura exprobrat Phariſæis.

EXprobrationes ſuas in Phariſæos proſequens Ieſus, tertiò declaravit nullum ex ſe aliud ſignum ab illis expectandum, quàm ſignum Ionæ Prophetæ. Vide *Matth.* 12. 39. & 16 4. Adjecit Reginam Saba, F & Nivivitas cauſam contra illos ſtata judicii die dicturos, atque incredulitatem eorum & audienda veritate ſegnitiem pluribus redarguturos. Incenſam facem non ſub modio, ſed ſuper eminentem aliquem locum ſtatui, quò tenebras undique depellat. Porrò, ait, *lucerna corporis tui eſt oculus tuus: ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*: ſin minùs, tenebræ omnia. *Vide ergo, ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint*, Luc. 11. 29. 36.

Jeſus diſcumbit cum Phariſæo, indignum reputante, quod illotis manibus cibos capiat.

PHariſæus quidam Jeſum invitarat ad cœnam, & cùm illotis manibus diſcubuiſſe animadverteret, rem habuit indignè. Sed Jeſus Vos, ait, Phariſæi nihil habetis antiquiùs, quàm ut exteriora vaſis mundetis, cùm interim rapinis, & fraudibus interna omnia fœdentur. Tum pluribus exaggeravit eorum abuſum, qui decimam quidem menthæ, & rutæ religioſiſſimè pendunt, juſtitiam & charitatem negligunt. Exprobrat affectata prima in Synagogis, locisque publicis ſubſellia, ſeſeque veluti dealbata ſepulchra exhibere, foris nitorem, intus ſaniem præſeferentes. Adjecit: Væ illis, qui importabilia onera aliorum humeris imponunt, cùm ipſi ne digito quidem ſuo oppreſſos illos relevare ſuſtineant: væ iis, qui monumenta Prophetis conſtruunt, illis, inquam, Prophetis, quos Patres eorum neci tradiderunt: væ iis, qui cum ſibi ſcientiæ clavim uſurparint, neque ipſi quidem ingrediuntur, neque alios ingredi permittunt. Acerbè hæc omnia auſcultantes Phariſæi, ſedula cura in Jeſum incumbebant, ſtudebantque pluribus virum capere, atque è ſuis ſermonibus accuſationes in ipſum ſtruere, Luc. 11. 38. 54.

Hypocriſis Phariſæorum fermentum.

VErba faciebat Jeſus ad Diſcipulos ſuos coram frequenti populo, monens ut ſedulò ab hypocriſi, quod fermentum eſt Phariſæorum, caverent, nil enim tam occultum eſſe latenſque, quod tandem non pateat, & innoteſcat. Scirent, ea, quæ clam diſſeruerant, tandem palam annuncianda, & quæ in aure, ſuper tecta propalanda. Ne timerent eos, qui perdendi quidem corporis habent poteſtatem; ſed eum potius revererentur, penes quem & corpus, & animam ad inferna detrudendi poteſtas. Duæ aviculæ, quæ duobus obolis, viliſſimo pretio, venduntur, curæ ſunt Deo: ut quid igitur vos non curabit, cui ipſi pariter de capite crines innumerato ſunt? Adjecit: Quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: ſicut viciſſim qui nomini meo renunciaverit, ipſi pariter renunciabo. Qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: qui in Spiritum S. blaſphemaverit, non remittetur. Cùm vos ad tribunalia, & Magiſtratus raptaverint, ne ſolliciti ſitis, quam paretis reſponſionem, vos enim Spiritus S. docebit, Luc. 12 1. 12.

Exquiritur Jeſus, ut diviſionem inter duos fratres curet.

VEnit ad Jeſum quidam, ut fratrem ſuum ad hæreditatis diviſionem adigeret; cui Jeſus nil ſe tale curaturum dixit: atque occaſionem nactus, de avaritia diſſerendum ſuſcepit, propoſita viri cujuſdam locupletis parabola, quem deſtruendi horrea ſua, & ampliora ædificandi conſilium capientem, atque de commodæ vitæ deliciis blanditum ſibi inopina mors occupavit. Non eſt igitur, cur de cibo, & veſtimento ſolicitiori cura teneamur, cùm de utroque Deus aviculis provideat, cui ſanè iis minor eſt, quàm de hominibus providentia.

Humilitatem docet, & in pauperes ſtudium.

UT quid de iis omnibus ſolicitudine angamur? Quantumcumque cogitaverit homo, ſtaturæ ſuæ ne cubitum quidem unum adjicere poterit. Quare ſi minori præſtando impar eſt, majus non poterit. Lilia agri non illa quidem de parando ſibi veſtimento ſolicita ſunt, quę tamen magnificentiſsimè veſtiuntur à Deo. Quærite ergo primùm Regnum Cœlorum, & hæc omnia adjicientur vobis. Vendite quæ poſſi-

poſſidetis, & date eleemoſynam, locupletes vobis A
theſauros in Cælis parantes. Sint lumbi veſtri accincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, quò domino veſtro è convivio regredienti præſto occurratis. Amen dico vobis, quòd præcinget ſe & diſcumbentibus miniſtrabit. Si ſciret Paterfamilias, qua hora fur veniret, ædium parietibus ſuffodiendis, vigilaret utique: & vos eſtote parati, qua enim hora non putatis, Filius hominis veniet, Luc 12. 13. 41.

Parabola fidelis Oeconomi, mali ſervi, & alterius famuli immorigeri.

QUæſivit Petrus, num ea quæ hueuſque differuiſſet, B
ad Diſcipulos tantùm, vel ad omnes æquè ſpectarent? Cui Ieſus pluribus parabolis propoſitis reſpondit. 1. Oeconomi fidelis & prudentis, quem Dominus fidei ſuæ merito univerſæ familiæ propoſuit: 2. Mali illius famuli, qui abſentiæ Domini ſui occaſione captata, conſervos vexat, ſibique nihil ad voluptatem reliquum facit. Regreſſus enim Dominus nequam hunc famulum capitali ſupplicio plectit: 3. Famuli qui Domini ſui voluntatem probè noſcens, nec tamen executus, vapulat multis, ſed mitiùs cum ignorantibus agitur. Multum ſanè ab eo exigitur, cui multum concreditur. *Veni*, adjecit, *ignem mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur? Ego Baptiſmo ſanguinis habeo baptizari, &* C
quomodo coarctor uſque dum perficiatur. Non paci in terram inſerendæ veni, ſed diviſioni, committendis nimirum parentibus in filios, filiis in parentes, &c. Luc. 12. 41. 53.

Cum adverſario ante prolatam à Judice ſententiam lis componenda.

EXprobrat Ieſus Phariſæis, omnes aeris viciſſitudines ſola Cæli inſpectione prædicere illos potuiſſe, cùm interim tempori adventus Meſſiæ diſtinguendo nihil valerent. Adiecit. Dum vadis cum adverſario tuo ad Principem, id committe, ut liber D
ab illo te expedias, ne forte à Iudice damnatus in carcerem detrudaris, donec noviſſimum minutum reddas, Luc. 12. 54. 58.

Mixtus inter ſacrificia Galilæorum cæſorum ſanguis à Pilato.

REnunciatum eſt Ieſu, Pilatum Galilæorum Sacrificia quorundam eius gentis cæde fœdaſſe. Quæſivit Ieſus, num crederent miſeros illos majoris eſſe criminis reos præ aliis ejus regionis? Non ſanè, ait: quemadmodum & illi, quos ſubitò corruens turris Siloe oppreſſit, non idcò criminibus re- E
liquos omnes Ieroſolymæ incolas vincebant. *Quare, niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.* Propoſuit deinde parabolam ficulneæ ſterilis, quam ſuccidendam Dominus præcepit; ſed dilationem unius anni vinitor impetravit, pollicitus majori ſe cultu illam curaturum; quibus laboribus ſuis ſi fortè nullus in arbore fructus reſpondiſſet, ſucciſurum tandem ſpopondit, Luc. 13. 1. 9.

Mulier incurva à 18. annis curatur.

DOcebat Ieſus pro recepto ſibi more in Synagogis, cùm fœmina à 18. jam annis incurva, ut ſurſum reſpicere minimè poſſet, adducta eſt. Præ- F
fecti Synagogæ querelas ea de re ſuas egerunt, iniquum eſſe dicentes, ut tot conſtante diebus ſeptimana, adhuc tamen Sabbati dies curandis morbis impenderetur. Tunc Ieſus hypocriſim illorum exprobravit; quippè qui aſinum vel bovem ſuum die Sabbati ſolvere atque adaquare religioni non ducerent; haberet autem graviòs, fœminam moleſta illa infirmitate jam inde à 18. annis laborantem eadem die relevari, Luc. 13. 10. 17.

Parabola grani ſinapis & fermenti. Feſtum Pentecoſtes.

PRopoſuit dein Ieſus iterum parabolam grani ſinapis in arborem ſatis proceram creſcentis, & fermenti quod tria farinę ſata ſubigit. Ita verò viam ad Ieruſalem proſequebatur, ubique per Synagogas docens. Cum autem in Urbe illa die Pentecoſtes verſaretur, interrogavit quiſpiam, num rari eſſent qui ſalutem aſſequerentur. Reſpondit ille: *Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Non omnes qui ad oſtium pulſantes inſtabunt, ingeminando pariter, Domine, Domine, recluſis foribus introducentur: Et dicet: *Neſcio vos unde ſitis, diſcedite a me omnes operarii iniquitatis: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* E quatuor mundi plagis undique accurrent convivæ diſcumbantes in menſa cùm Abraham, Iſaac, & Iacob, dum interim Iudæi arcebuntur. Ita erunt noviſſimi qui ſunt primi, & erunt primi, qui ſunt noviſſimi, Luc. 13. 19. 20.

Herodes necem Jeſu Chriſti molitur.

EAdem die cum renunciaretur à Phariſæis Magiſtro, Herodem necem ipſis moliri, ita illos affatus eſt: *Dicite Vulpi illi: Ecce eiicio Dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras, & tertia die conſummor.* Producendum eſt mihi longiùs aliquanto ſemel à me ſuſceptum miniſterium; mors tandem Hieroſolymis me manet; neque enim alibi fas eſt occumbere Prophetam. Tum Urbis illius Prophetarum cædibus cruentæ, quæ voluntatis ſuæ, cogendi nempè ejus filios, veluti gallina pullos ſuos ſub alia fovet, nunquam non pervicaci auſu reſiſtentis, exitium deſolationemque vaticinatur; ac tandem ita orationem ſuam claudit: *Non videbitis me, donec veniat, cum dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini*, Luc. 13. 31. 35.

Hydropicus ſanitati reſtitutus coram Phariſæis.

RElicta Hieroſolyma, Capharnaum repetiit, ubi ex optimatibus Phariſæorum quidam die Sabbathi ad cænam illum invitavit. Sedulò autem à Phariſæis obſervabatur, num die illa feſta ægrotum aliquem curandum ſuſciperet, quò accuſationes in illum ſuas, tamquam Sabbathi violatorem ſtruendi occaſionem captarent. Stabat coram Hydropicus, quæſivitque Ieſus à Phariſæis, num liceret Sabbato curando homini operam dare? ſilentibus illis, ægrotum valere juſſit, ſimulque interrogavit Phariſæos, num die Sabbati lapſum in foveam jumentum ſuum prætereirent? & illi reponere quidquam non valebant, Luc. 14. 1. 6.

Ne primi accubitus in menſa affectentur.

ANimadvertens Ieſus, Phariſæos, quibuſcum una diſcumbebat, primos ambire accubitus, hæc in parabolę modum affatus eſt. Cum ad menſam veneris invitatus, infimum de induſtria locum elige, quò ſcilicet à Domino ad honeſtiſſimum locum evoceris; cave enim, ne ipſe primùm honoratiſſimum locum ambias, ne fortè te honeſtior aliquis veniens, locum ipſe tuum teneat, te ad infimum amandato: *Quicumque enim ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Quando convivium aliquod paras, cave ne potentiſſimos amicos neceſſariosque invites, fiet enim, ut ipſi pariter te, æquum æquo reddentes, invitent; ſed potiùs voca egenos, ægros, cæcos, quò gratiam non homo ſed in reſurrectione juſtorum referat Deus, Luc. 14. 1. 14.

Parabola inſtructiſſimi convivii, quò invitati convivæ venire cauſatione aliqua recuſant.

HÆc diſſerente Ieſu, ex convivis quidam occaſione captata felicem pronuntiavit, cui id dabitur, ut in Regno Dei diſcumbat. Tunc Ieſus hanc ingeſſit parabolam. Splendidiſſimus Vir quidam inſtruxerat convivium, quò invitati plures venire, cauſationem prætendentes, recuſarunt; alius enim ſe villam emiſſe reſpondit, alius boves, alius duxiſſe conjugem. Eam rem ferens acerbè convivii Dominus, juſſit ad cœnam obvios quoſcumque, egenos, claudoſque invitari. Miſſi pariter & per agros viri, ut quos maximè in via offendiſſent ea infima hominum fœce, eò deducerent; denunciavitque famulis futurum, ut nemo è prioribus invitatis ad cœnam ipſis paratam introducerentur, Luc. 14. 15. 25.

Parabola ædificium aliquod aggredientis, qui ſecum rationem init, num tantum habeat in numerato, quantum abſolvendo ædificio ſat eſt.

MAgno turbarum ſatellitio Ieſus Galilæam diſcurrebat, docens undique per Synagogas, comitibuſque ſuis denuncians, neminem inter Diſcipulos Filii hominis accenſendum, quin priùs parentibus ſuis neceſſariiſque, ac ſibi tandem renunciaverit; oportere ut levata in humeros cruce ipſius Magiſtri relegantur veſtigia. Propoſuit demum parabolam hominis, qui ædificium aliquod molitus, ſecum tandem rationem init, num tantum habeat in numerato, quantum ad abſolvendum opus ſat eſt. Regis pariter, qui ante ſuſceptam expeditionem aliquam in alium Regem, daliberat priùs, num cum collecto decem millium exercitu reſiſtere valeat adverſario, bis totidem militibus valido. Ita pariter, inquit, *qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus. Bonum eſt ſal; ſed ſi fortè evanuerit, in quo condietur? neque in terra, neque in ſterquilinio utile eſt, ſed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat*, Luc. 14. 25. 35.

Jeſus cum Publicanis veſcitur. Parabola ovis palantis.

REdierat jam Capharnaum, factuſque ad illum audiendum & Publicanorum, & perditorum hominum concurſus, quibuſcum ne veſci quidem Ieſus dedignabatur. Murmurantibus ea de re Phariſæis, parabolam narravit. Erant viro centum oves, quarum cùm unam defuiſſe animadverteret, cæteris omnibus relictis errabundam illam quæſivit, inventamque in humeros ſuos levans, reduxit ad gregem. Tanto ille reductæ gaudio affectus eſt, ut amicos ad convivium lætitiæ invitaret. Ita pariter *gaudium erit in Cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.*

Parabola Filii Prodigi.

PRiori alteram attexuit parabolam, filii prodigi, qui portione hæreditatis ſibi obvenientis à Patre requiſita, receptaque, in regionem quandam longinquam cùm divertiſſet, amicorum compotationibus, & luxu patrimonium illud omne dilapidavit. Quare in extremas rerum omnium anguſtias redactus paſcendo grege porcorum vitam tolerare coactus eſt. Iis anguſtæ vitæ incommodis ad ſaniora revocatus conſilia, reverti ad patrem ſtatuit. Venit igitur; exceptuſque humaniſsimè à patre novis veſtibus indutus eſt. Tum ampliſſimum inſtructum ab eodem patre convivium, ut lætam adventus filii ſui diem celebraret. Accidit ut frater natu major ex agro veniens & omnia reſciſcens graviter tantum lætitiæ apparatum ferret. Cui ſenex, oportere dixit feſtum de adventu fratris diem agere, quippè qui ſingulari aliqua ratione velut in vitam rediiſſet, & errabundus palanſque tandem inventus eſſet, Luc. 15. 1. 32.

A Secundùm eſt, traſvadato Iordane, per regionem trans amnem in Iudæam venit. Comitabatur virum cum turbis frequentiſsimis ingens ægrotantium multitudo, quos omnes recepta valetudine incolumes remittebat, Matt. 19. 1. Marc. 10. 1. 2.

Parabola Oeconomi infidelis, & peſſimi adminiſtratoris.

NArravit pariter Diſcipulis parabolam Oeconomi infidelis, qui poſt diſſipata bona Domini ſui, cum in reddenda ratione de rebus ſuis diffideret, ſingulos convenit ejuſdem Domini ſui debitores, debitumque remiſit, quò ſcilicet è domo heri pulſus, illos benevolos hoſpites nanciſceretur. Monuit ergo Jeſus, ut ſibi de divitiis iniquitatis amicos compararent, à quibus in æterna tabernacula reciperentur. *Qui*, ait *in minimo fidelis eſt, erit & in majori, & ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis? Nemo poteſt duobus Dominis ſervire; non poteſtis Deo ſervire, & mammona*, Luc. 16. 1. 13.

Phariſæi, quorum erat auri fames valida, Jeſum talia diſſerentem ridebant; ſed ille Deum dixit intima cordis rimari, & quæcumque in honore eſſent apud homines, hæc maximè abominationi eſſe Deo, & ludibrio. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem; ex eo Regnum Dei evangelizatur; & omnis in illud vim facit.* Facilius eſt autem, Cœlum & terram præterire, quàm de Lege unum apicem cadere, Luc. 16. 14. 17.

C *Licet ne à conjuge facto divortia recedere?*

TEntandi viri gratia rogarunt Phariſæi, num liceret facto divortio conjugem dimittere? Interrogavit viciſſim Jeſus, quid Moyſes ea de re ſtatuiſſet? Cùm permitti repudii libellum audiſſet; fateor ait Jeſus, *ſed hæc à Moyſe permiſſa ſunt ad duritiam cordis veſtri: ab initio autem creatura maſculum, & fœminam fecit eos Deus: propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. Omnis qui dimittit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur*, Matth. 19. 3. 9. Mar. 10. 3. 9. Luc. 16. 18.

Triplex Eunuchorum genera. Virginitas commendatur.

REgreſſum in domum Jeſum Apoſtoli iterum ſuper hæc interrogarunt, eademque ille, quæ priùs Phariſæis, repoſuit. Sed, inquiunt Apoſtoli, ſi ita eſt, non expedit nubere. Tunc Jeſus: *Non omnes capiunt verbum iſtud.* Tria ſunt Eunuchorum genera; alios reddit naturæ, ſive temperamenti vitium, alios neceſſitas, alios voluntas, quorum poſtremi ab eo voluptatum genere ſe continent, ut ſibi Regnum Cœlorum promereantur, Matt. 19. 10. 12. Mar. 10. 10. 12.

Parabola Lazari, & Divitis impii.

NArravit aliam parabolam Lazari, & divitis impii, quorum iſte ſplendidiſſimis veſtibus, & inſtructiſſimis ſemper conviviis luxum ſpirabat; cùm interim Lazarus præ foribus viri illius jacens, micis tantummodo è menſa illius decidentibus ſaturari rogaret. Ambo tandem diem clauſerunt, ſed impari ſorte; nam Lazarus in ſinum Abrahæ, dives in Infernum exceptus eſt. Quare tollens oculos miſer ille, & à longè Abrahamum proſpiciens, ut mitteret Lazarum rogavit, gutta tantummodo frigidæ è ſummo digitulo ſtillante æſtuantem refrigeraturum. Repoſuit Abraham, illum quidem, dum viveret, nil ad voluptatem reliqui feciſſe, quare modò viciſſim Lazarum oblectari par eſſe; ſtatui pariter inter utroſque medium ingens aliquod, & impermeabile chaos, quò tranſire Lazarus hinc illuc prohiberetur. Perrexit iterum Dives, obſecrans ſaltem, ut nuncium vicis ſuæ ad quinque fratres

ſuperſtites mitteret, ne parem vitæ exitum haberent. Cui Abraham: *Habeat Moyſem, & Prophetas: audiant illos: & ſi non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent*, Luc. 16. 19. 31.

Scandali malum & diſcrimen.

IMpoſſibile eſt ut veniant ſcandala, ait Jeſus Diſcipulis ſuis: *Verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit; utilius eſſet illi, ſi lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quam ut ſcandalizet unum de puſillis iſtis.* Si frater tuus aliquis injuria te affecerit, verbis illum corrigere permitteris; ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi; & ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dimitte illi. Rogarunt Magiſtrum Apoſtoli, ut in ſe fidem augeret, quibus ille. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, diceretis huic arbori moro: Eradicare, & transplantare in mare: & obediet vobis.* Luc 17. 1. 6.

Servi inutiles ſumus.

UT noſtrum in Deum obſequium nihil eſſe demonſtraret Jeſus, & poſt hæc omnia inutiles eſſe ſervos palam argueret, parabolam narravit Domini, cujus famulus paſcendo grege ſive colendo agro occupabatur; revertenti enim illi ex agro, an fortè imperabit mensæ accumbat, ſeu potius ut ſibi cibum paret, vescentique miniſtret, ac deinde ipſe ſe cibo reficiat? Numquid autem gratiam habet Dominus ſervo illi, quia fecit, quæ imperaverat? Luc. 17. 7. 10.

Feſtum Tabernaculorum vel Scenopegia 19. Tizri, 13. Octobris, A J.C. Era vulg. 32.
Jeſus a ſuis fratribus ſuis ſollicitatur, ut Jeroſolymam petat.

INſtante jam feſto Tabernaculorum vel Scenopegiæ, neceſſariorum ſuorum ſollicitationibus urgebatur Jeſus, ut Jeroſolymam ſe conferret, quò ſcilicet devinctos ſibi in exordio prædicationis ſuæ biennio ante ibidem Diſcipulos, *Joann.* 2. 32. viſis, quæ ab ipſo patrabantur, miraculis, magis magiſque confirmaret, ſeque ipſum palam orbi oſtenderet: *neque enim fratres ejus adhuc*, inquit *Joan.* 7. 5. *credebant in eum*. Sed Jeſus, irent quidem ipſi, ſiquidem vellent, Jeroſolymam, dixit, ſe tamen non iturum, non enim adhuc tempus adeſſe. Cum tamen illi eò divertiſſent, venit tandem & Jeſus, cujus multus erat rumor in populo, & undique ab omnibus quærebatur. Joan. 7. 2. 13.

Jeſus docet in Templo. Doctrinam ejus ſtupent Judæi.

MEdia jam effluxerat octidui ſolemnitas, cùm petens Templum Jeſus inſtituere populum aggreſſus eſt, non ſine Judæorum admiratione, quippe qui nullis vacaſſe illum litteris norant. Sed Jeſus non eſſe cur ea de re ſtuperent, prodidit: habere enim à Patre Cœleſti, quo mittente venerat, ſibi creditam eruditionem. Cum verò mala eorum edixit, reos eſſe ipſos Moſaicæ Legis tranſgreſſæ; illa enim homicidium prohibente, ipſos ſuam necem moliri. Ad hæc populus, cui nihil de prava Sacerdotum & Phariſæorum voluntate erat exploratum, agi ipſum à Dæmone palam dictitabat: Quis enim, dicebant, necem tuam cogitavit unquam? Quibus Jeſus, Ego, ait, uno inter vos prodigio clarui, valetudine nempe ægroto ad probaticam piſcinam conceſſa *Joan* 5. 1. 15. & vos omnes hæretis ſtupentes. Ducitis autem iniquum, me die Sabbati hominem curare, cùm eadem die, ut Moſaico præcepto, ſeu potiùs ſenioribus eandem cæremoniam jubentibus, obſequamini, à circumcidendo homine nulla vos religio abſterreat, Joan. 7. 14. 24.

Unde proditurus ſit Meſſias, ignotum.

DIgito notabant hominem cives quidam Jeroſolymæ, ſecum invicem ſtupentes, cur homo, quem Phariſæi in necem quærerent, adeo liberis verbis loqui impunè permitteretur. An fortè, dicebant, verè cognoverunt Principes, quia hic eſt Chriſtus? Alii verò contra negabant Meſſiam eſſe; hunc enim, dicebant, ſcimus unde ſit, Chriſtus autem cum venerit, nemo ſcit unde ſit. Clamabat interim Jeſus in Templo: *Et me ſcitis, & unde ſim ſcitis, miſit me, quem vos neſcitis. Ego ſcivi eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.* Volebant injicere in illum manus, ſed nondum maturo ad eam rem tempore, eorum conſilia omnia fruſtra erant. Multi autem credebant in eum ex populo, id apud ſe reputantes: *Chriſtus, cum venerit, numquid plura ſigna faciet, quam quæ hic facit*, Joan. 7. 25. 31.

Sacerdotes capiendo Jeſu ſollicitam manum immittunt.

QUos vulgi ſermones compertos habentes Sacerdotes & Phariſæi, capiendo Jeſu viros ſummiſerunt, quibus ille: *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum, & vado ad eum, qui me miſit. Quæretis me & non invenietis, & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire.* Ambages loqui autumabant Judæi, quonam hæc ſpectarent ſecum invicem quærentes: *Quæretis me & non invenietis.* Numquid, dicebant, *in diſperſionem gentium, & docturus gentes, iturus eſt?* Joan. 7. 32. 36.

Jeſus fons aquæ vivæ.

NOviſſimo Feſti Tabernaculorum die Jeſus ſtans in Templo clamabat, fontem ſe eſſe, unde ſitientes omnes potarent: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*; quibus verbis tacitè inſinuavit ſpiritum, quem accepturi erant credentes in eum. Variè hæc inter populum excipiebantur; alii enim verum Prophetam reputabant, alii Chriſtum. Sed numquid Chriſtus à Galilæa? dicebant nonnulli. Nonne Scriptura dicit, quia ex ſemine David & de Bethleem caſtello, ubi erat David venit Chriſtus? Diſſidium erat ea de re inter turbas, miſſique à Sacerdotibus ad eum capiendum viri, re infecta redierunt, locutum hominem, quæ nemo unquam alius, ſtupentes. Cum hæc renunciarent Sacerdotibus & Phariſæis, reſponderunt illi ex adverſo. Numquid & vos ſeducti eſtis? an ex Principibus, & Phariſæis aliquem inter ejus ſectatores, & nonniſi ex turba maledictos aliquos, vidiſtis? Nicodemus, qui Chriſto occultè ſtudebat, Joan. 3. 1. 21. Nemo, ait, inauditus in Lege damnatur. Illi contra: Nemo è Galilæa Propheta: an tu fortè Galilæus es? Subeunte jam tum veſpere, abierunt omnes in diverſa, totamque illam noctem Jeſus in monte Olivarum exceſſit, Joan 7. 37. 53.

Mulier in adulterio deprehenſa ad Jeſum adducitur.

REdiit in Templum manè, prædicationis munus reſumens, adductaque ad illum muliere in adulterio deprehenſa, parata per dolum quæſtione, interrogarunt Phariſæi, quid facto opus eſſet? Tacens Jeſus ſcribebat in terra; dein ſurgens juſſit, ut qui nulla peccati conſcientia teneretur, primum omnium lapides in fœminam mittere; iterumque inclinatus ſcriptitabat. His auditis, accuſatores alius poſt alium dilapſi ſunt; relictamque fœminam ſolitariam interrogavit Jeſus, num à quoquam damnaretur? Et cum illa à nemine ſe damnatam reſpondiſſet. *Vade*, ait Jeſus, *& jam amplius noli peccare*, Joan. 8. 1. 11.

Jeſus lumen Mundi.

TUm inſtitutam ad populum orationem proſecutus Jeſus, dicebat; *Ego ſum lux mundi: qui ſequi-*

ſequitur me, non ambulat in tenebris. Dicentem exceperunt Phariſæi: *Tu de te ipſo teſtimonium perbibes; teſtimonium tuum non eſt verum.* Tunc Jeſus. *Etſi teſtimonium perbibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio unde veni, & quò vado,* quorum utrumque vos ignoratis. *Si ego judico, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum; ſed ego, & qui miſit me, Pater;* ex Legis autem præſcripto duorum teſtimonium ratum aſſertumque tenendum eſt. Rogarunt illi, ubi nam Parer verſaretur; & ille viciſſim: *Neque me ſcitis, neque Patrem meum; ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.* Hæc diſſerebat Jeſus in gazophylacio Templi; & cùm deſtinata ipſi hora nondum veniſſet, nemo iniicere in eum manus audebat, Joan. 8. 12. 21.

Jeſus abibit, & Judæi in ſuo peccato morientur.

ITerum denunciavit Jeſus, abiturum ſe jam, fruſtrà dein ab illis quærendum, ſed in ſuo peccato adhuc verſantes à morte occuparum iri, ac tandem quò ille abiret, venire illos non poſſe. Reputabant illi hæc audientes, num ſibi mortem conſciſcere molitretur? Tunc Jeſus: *Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum: ſi non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Interrogarunt illi, ecquis tandem eſſet? & Jeſus. *Principium, & qui loquor vobis;* nempe ad mea verba primùm attendite. *Multa habeo vobis loqui, & ego quæ audivi ab eo, qui miſit me, hæc loquor in mundo. Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & quæ docuit me Pater, hæc loquor.* His verbis pluribus, ut in ſe crederent, perſuaſit; quibus ille: *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè Diſcipuli mei eritis, & veritas liberabit vos.* Ad hæc Judæi, nemini ſe unquam ſerviſſe, utpote qui ſemen eſſent Abrahæ, dictitabant. Reſumpto Jeſus ſermone: *Omnis qui facit peccatum,* ait, *ſervus eſt peccati; ſi vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Adjecit ſcire ſe, originem illos ſuam ex Abrahamo referre, ſed necem pariter ſibi inferendam in mente tacitos agitare; quòd ſcilicet verba loqueretur, quæ ipſi in corde admittere non paterentur: *Si filii Abrahæ eſtis,* ait, *opera Abrahæ facite.* Ut quid meam necem molimini: Hoc Abraham non fecit. Ad hæc illi; Nos unum Patrem habemus Deum. Et Jeſus: Si Deus Pater veſter eſſet, diligeretis utique me, qui à Deo miſſus ad eum regredior. *Vos ex Patre Diabolo eſtis,* cujus vos voluntati obtemperatis; jam enim inde à mundi exordio ille homicida erat & mendax, Joan. 8. 22. 46.

Jeſus irreprehenſibilis. Qui ex Deo eſt, Dei verba auſcultat.

SErmonem proſecutus adjecit. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Tenemus te, abrumpentes ſermonem dixerunt Judæi; ex his enim ſatis habemus argumenti, ut Samaritanum te & Dæmoniacum probemus. Tunc Jeſus: *Ego Dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Ego non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, & judicet. Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.* Iterum Iudæi inclamantes ad hæc, noſſe ſe eo novo argumento dictitabant, agi virum à Dæmone; quippe qui ſcirent interiiſſe Abrahamum, cum interim Ieſus profiteretur eos, qui juſſionibus ſuis obtemperaverint, nunquam interituros *Nunquid major es?* dicebant, *Patre noſtro Abraham & Prophetæ mortui ſunt. Quem te ipſum facis?* Ego, inquit Ieſus, *ſi glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt; eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt; & non cognoviſtis eum, ego autem novi eum, & ſermonem ejus ſervo.* Abraham Pater veſter exultavit ſpe videndi diem

A meum, vidit & gaviſus eſt. Hæc dicentem indignati exceperunt Phariſæi. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti? Utique,* ait, Ieſus *antequam Abraham fieret, ego ſum.* Nec plura; namque concurrentibus ad lapides Iudæis, Ieſus furtim è Templo ſe ſubducens delituit, Ioan. 8. 46. 59.

Cæcus à nativitate curatur.

MAnè alterius diei Urbem inambulans Ieſus, cæcum à nativitate offendit, rogantibuſque diſcipulis, cujuſnam merito hæc viro accidiſſent, proprio ne, an parentum? nihil horum in cauſa
B fuiſſe reſpondit Ieſus, ſed viro permiſſum morbum, quò opera Dei manifeſta fierent in illo. *Me oportet,* adjecit, *operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt. Ego lux ſum Mundi.* Simul ad hæc ſaliva terram ſubigens, formato ex ea luto cæcos oculos linivit, juſſitque miſerum hominem lotum ire ad fontem Siloe lumina. Paruit, nihilque ad valetudinem recipiendam reliqui factum eſt. Cùm autem vir ille mendicans tota Urbe notiſſimus eſſet, quicumque virum poſt receptam ſanitatem offendebant, falli ſe, atque alterum pro altero uſurpare arbitrabantur; ſed ille virum ſe eſſe cæcum antea ipſis cognitum ſanctè affirmans, totam receptæ valetudinis hiſtoriam narrabat, Ioan. 9. 1. 12.

C *Cæcus ille coram Sacerdotibus vocatur.*

MAnè alterius diei coram Phariſæis cæcus ille accitur, quò totam receptæ valetudinis hiſtoriam exponeret. Contendebant Phariſæi, nunquam reputandum Ieſum Chriſtum à Deo miſſum fuiſſe, quippe qui cæci nati curatione Sabbati religionem non ſatis revereretur. Sed aliis vix perſuadebatur, ſacrilegum hominem ea miracula patrare unquam potuiſſe. Cæcus verum eſſe Prophetam defendebat. Inter eas diſceptationes, parentes cæci illius acciti interrogantur, num filium hunc ſuum noſcerent, ſcirentque à nativitate cæcitatis morbo laboraſſe.
D Affirmarunt illi; ſed de recepta ab ipſo valetudine nihil comperti habere ſe profeſſi ſunt: illum, utpote præ ætate capacem, interrogarent. Hac illi cautione locuti ſunt, metu Phariſæorum, à quibus pellendos ſe norant è Synagoga, ſi Ieſum Chriſtum Meſſiam eſſe dixiſſent. Statutum iterum in medium cæcum etiam atque etiam hortabantur, ut vera in Dei gloriam proderet, exploratum habere ſe, Ieſum hominem eſſe nequiſſimum. Tunc cæcus: *Si peccator eſt, neſcio; unum ſcio, quia cum cæcus eſſem, modo video.* Interrogatus iterum, qua ratione cæcitatem Ieſus depuliſſet, reſpondit ſemel ſe omnia narraſſe; ut quid igitur interrogarent? *Numquid*
E *& vos,* ait, *vultis Diſcipuli ejus fieri?* Commoti ad hæc verba Sacerdotes, dira in illum imprecati, tum inquiunt, *Diſcipulus illius ſis, nos autem Moyſi Diſcipuli ſumus. Scimus, quia Moyſi locutus eſt Deus, hunc autem neſcimus, unde ſit.* Ideo mirandum eſt maximè, repoſuit alter, vos nimirum undè venerit homo iſte, cujus beneficio viſum recepi, ignorare. Profectò ſcimus, quia *peccatores Deus non audit:* quare *niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quidquam.* Ea viri libertate graviter offenſi Phariſæi exprobrantes: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* è Templo foras egerunt, Ioan. 9. 13. 34.

Cæcus in Jeſum Chriſtum credit.

F CErtior de his omnibus Chriſtus, homini in via occurrens, num crederet in Filium Dei, interrogavit? Ecquis eſſet Filius Dei, reſpondente altero, non alium, quàm ſe, ait Chriſtus. Continuò ad ejus pedes accidens cæcus, adoravit; cum interim Ieſus adjiceret, ideo ſe in mundum veniſſe, ut cæci ad lumen venirent, offunderentur autem videntes tenebris. Hæc cum ad ſe pertinere intelligerent, qui fortè aderant, Phariſæi, num ſe pariter cæcos diceret,

ceret, interrogarunt. Jeſus: Si cæcos vos ipſos agno- A
ſceretis, *non haberetis peccatum; nunc autem dicitis, quia videmus; peccatum veſtrum manet*, Joan. 9. 35. 41.

Verus Paſtor in ovile per oſtium ingreditur. Fur aliunde, quàm per oſtium.

TUnc parabolam inſtituit Jeſus furis, qui in ovile aliunde, quàm per oſtium ingreditur; cum Paſtor viciſſim nonniſi per apertum oſtium introeat, quem ſanè Paſtorem noſcunt, & ſequuntur oves. Porrò oſtium ipſe eſt Jeſus; & quicumque aliunde, quàm per eam portam ingreſſi ſunt, ipſi tanquam fures habendi; qui verò per apertum illud oſtium
B
ingredientur, illis ſalus obtinebitur. Jeſus optimus eſt Paſtor, vitam ſuam pro ovium ſalute ponens; mercenarius fugâ dilapſus irruenti lupo oves in prædam relinquit. Sunt Jeſu aliæ quidem oves, quæ non ſunt ex hoc ovili; nempè de Synagoga, quas in eaſdem caulas una cogere debet, ut tandem fiat unum ovile, & unus Paſtor, Joan. 10. 1. 17. Pater diligit Filium, quia ipſe ponit animam ſuam, ut iterum ſumat eam. *Nemo*, proſequebatur Jeſus, *tollit eam à me; ſed ego pono eam à me ipſo*. Hæc loquentis verba Judæos inter ſe commiſerunt, aliis agi à Dæmone virum contendentibus, negantibus aliis; neque enim, dicebant, Dæmoniacus talia loqueretur, nec cæco à nativitate viſum reſtitue- C
ret, Joan. 10. 17. 21.

Feſtum Dedicationis Templi, 22. Caſleu, 15. Decembris. Decem Leproſi curantur.

COnferens ſe Jeſus Jeroſolymam, occaſione Feſti Dedicationis Templi, per mediam Galilæam & Samariam iter faciebat; cùm in Urbem quandam ingreſſuro decem leproſi occurrerunt, rogantes: *Jeſu Præceptor, miſerere noſtri*; quos ille ire juſſit, & oſtendere ſe Sacerdotibus: cum irent, mundati ſunt. Erat inter illos vir quidam Samaritanus, qui unus referendis Jeſu Chriſto gratiis ve- D
nit; quod miratus eſt Chriſtus; cum enim decem beneficium recepiſſent, unus tantummodo, & alienigena, qui gratiam referret, inventus eſt. Tunc ad illum converſus, *Vade*, ait, *fides tua te ſalvum fecit*.

Regnum Dei non ita veniet, ut ſenſuum teſtimonio innoteſcat.

CUm in Templum veniſſet Jeſus, requiſitus à Phariſæis quando nam Regnum Dei expectaretur, reſpondit, non ita appariturum illud, ut ſenſuum teſtimonio probetur, eoque majeſtatis apparatu, ut oculos ad ſe convertat omnes; ſcirent au- E
tem Regnum Dei inter ipſos medium verſari. Converſus inde ad Diſcipulos: Venient dies, ait, quando deſideretis videre unam diem Filii hominis, & non videbitis. *Et dicent vobis: Ecce illic, & ecce illic. Nolite ire*; ſicut fulgur coruſcans ſub Cœlo fulget, *ita erit filius hominis in die ſua*. Denunciavit deinde, quæcumque illis imminebant à Judæis mala; ſed diem tandem ultionis inopinatò hominibus ſuperventurum; quemadmodum diluvium ſub Noe, & incendium Sodomæ & Gomorrhæ Lothi ætate: eum ſcilicet bibentibus ludentibus atque nuptias celebrantibus, hominibus, ingruit cœlitùs ultio. Ita pariter die Filii hominis continget. Tunc qui fuerit in tecto, & vaſa habuerit in domo, ne deſcen- F
dat tollere illa; & qui in agro ſimiliter, non redeat retro. Memores eſtote Uxoris Loth. *Quicumque quæſierit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam, & quicumque perdiderit illam vivificabit eam. In illa nocte erunt duo in lecto uno, unus aſſumetur, & alter relinquetur. Duæ erunt molentes in unum, una aſſumetur, & altera relinquetur. Duo in agro, unus aſſumetur, & alter relinquetur*. Rogantes Diſcipulos, quando iſta eventura eſſent, ænigmatico illo reſponſo evitavit: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*, Luc. 17. 20. 37.

Parabola Judicis, qui nec Deum reveretur, nec homines.

UT jugem inculcaret orationem, hanc Apoſtolis parabolam propoſuit. Judex quidam nec Deum ſatis nec homines reveritus, importunis à Vidua precibus pulſabatur, ut in adverſarium ſuum jus diceret. Diſtulit ille diutiùs; ſed importunitate victus, tandem miſeram fœminam à moleſtia liberavit. Ita Deus, ait, cui juſta rependendi ingenium ineſt, faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte, Luc. 18. 1. 7.

Cum venerit Filius Dei in terram, fidem ne inveniet? Parabola Phariſæi & Publicani ad Templum venientium.

INterrogatis primùm Diſcipulis, num veniens in terram Filius hominis fidei aliquid inventurus eſſet, dein parabolam exorſus eſt, qua viros illos ſuggillat, opinione ſua adeò juſtos, ut reliquos omnes parvipendant. Duo homines aſcenderunt ad Templum, Phariſæus nempè & Publicanus, quorum primus ſtans gratias Deo agebat quàm maximas, quippe qui à reliquorum hominum nequam, raptorum, & adulterorum fæce abhorreret; longèque ſe ſenſiſſet juſtiorem, quam Publicanum illum, quem coram cernebat. Publicanus autem ſeorſum orans, humilis pronuſque, nec oculos quidem levare in Cœlum audebat; ſed tundens miſerabiliter pectus, ſeque peccatorem ingeminans, rogabat veniam. *Dico vobis*, ait Chriſtus, *deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo*, Luc. 18. 8. 14.

Judæi lapidibus appetere Jeſum minantur, quòd Filium ſe Dei profiteretur.

CUm in Porticu Salomonis Templo adjacenti ambularet, in frequenti hominum corona requiſitus eſt, quandiu animos ſuſpenſos teneret, neque ſe Chriſtum palam profiteretur; reſpondit, ſe quidem manifeſtaſſe, neque, ſi ipſe taceret, fore ut ſilerent de ſe opera; ipſos tamen nunquam in animum eam rem induxiſſe, quòd ex ovibus ſuis non eſſent. *Oves enim meæ*, ait, *vocem meam audiunt, & ſequuntur me. Non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum ſumus*. Ad ea verba tanquam horrendam aliquam blaſphemiam horreſcentes Judæi, lapides in illum intentarunt. Tunc Jeſus ad eos; *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo* (i. e. nomine Patris mei) *propter quod eorum opus me lapidatis? De bono opere*, exceperunt Judæi, *non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu, homo cum ſis, facis te ipſum Deum*, Joan 10. 23. 34.

Ad hæc Jeſus oſtendit in Scriptura homines, quibus Deus locutus eſt, Deos appellari; quare non immeritò ſibi à Patre miſſo, & ſanctitate donato Filii Dei nomen arrogaſſe. *Si non facio*, ait, *opera Patris mei, nolite credere mihi, ſi autem facio, credite, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*. Secundùm hæc, moliebantur iterum Judæi manum in illum injicere, ſed dilapſus abiit, Joan. 10. 34. 39.

Jeſus in Tranſjordana contendit.

PEtiit ergo Bethaniam, urbem Tranſjordanam, baptiſmo ibidem à Joanne Baptiſta collato celebrem; moratus eſt autem per menſem: atque plures Judæi eò convolantes in illum crediderunt; illud reputantes, Joannem Baptiſtam nullo claruiſſe prodigio, è verbis autem Jeſu nullum non è media eſſe veritate, Joan. 10. 40. 42.

A. M. 4036. Per. Jul. 4746. J. C. 36. Æra Vulgaris 33. Lazarus ægrotat.

LAzaro fratre Marthæ, & Mariæ ægro decumbente, ejus rei nuncium ad Ieſum in Transjordanis agentem miſſum eſt. Ille re audita reſpondit, ægritudinem illam non ad mortem eſſe, ſed quò gloria Dei magis magiſque coruſcaret. Biduo ab excepto nuntio quietus in loco ſubſtitit, Ioan. 11. 1. 6.

Infantes coram Jeſu ſtatuuntur.

OBlatis ſibi infantibus manus Ieſus impoſuit, B prohibentibuſque Diſcipulis ne accederent, præcepit ille ut venire permitterent; namque, ait, *talium eſt Regnum Cælorum*, Matt. 19. 13. 15. Mat. 10. 13. 16. Luc. 18. 15. 17.

Lazarus occumbit.

EO temporis intervallo obire Lazarum contigit. Tunc Ieſus Diſcipulis iter in Iudæam propoſuit; ſtupentibuſque illis, quo animo eò redire diſpoſuiſſet, unde nuper lapidibus appetitus, præſentiſſimum diſcrimen fuga evitarat, reſpondit: *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* adjecitque C Lazarum ſopitum quieſcere; ire autem ſe, ut eum à ſomno excitaret. Hæc Apoſtolis reapſe de ſomno dicta excipientibus, mortem viri innuere idem Ieſus expoſuit. Quare Thomas, *Eamus*, ait, *& nos, ut moriamur cum illo*, Ioan. 11. 7. 16.

Quid facto opus ſit ad vitam æternam obtinendam.

ITer ergo Iudæam versùs iniens, obviam occurrentem offendit juvenem quendam Iudæum, qui ad ejus genua provolutus, cum tanquam bonum magiſtrum rogavit, quid facto opus eſſet, ut ſibi vitam æternam acquireret? Cui ille: *Quid me interrogas de bono? Unus eſt bonus Deus. Si vis* D *ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Cùm ille ſe ab ineunte ætate ſervaſſe adoleſcens ingenuè profiteretur, Ieſus intuitus eum, dilexit, adjecitque: *Unum tibi deeſt: vade, & vende quæcumque habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me.* Non lætis auribus hæc excepit locupletiſſimus adoleſcens, triſtiſque receſſit. Ea occaſione Ieſus ita Diſcipulos affatus eſt. Difficilè dives intrabit in Regnum Cœlorum; facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire. Hæſerunt ad hæc Diſcipuli, illud inter ſe reputantes: *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* & Ieſus: *Apud homines hoc eſt impoſſibile; apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*, E Matth. 19. 16. 26. Mat. 10. 17. 27. Luc. 18. 18. 27.

Merces eorum, qui omnibus relictis Jeſum ſecuti ſunt.

TUnc Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Bono eſſe illos animo præcepit Ieſus; ipſum enim cæteroſque, qui ſua omnia tam bona de cauſa deſeruiſſent, manere thronos in novo Regno ſuo, ubi tanquam Iudices jus dicant ſuper omnes Tribus Iſrael. Adjecit, omnes quicumque ſua bona, & domeſticos pro nomine Ieſu, & Evangelio reliquerint, centuplum accepturos in hoc mundo, quanquam non ſine plurium malorum perpeſ- F ſione; &, quod caput eſt, vitam æternam. *Multi autem*, adjecit, *erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi*, Matth. 19. 27. 30. Mar. 10. 28. 31. Luc. 18. 18 28.

Parabola Operariorum, qui in vineam mittuntur.

EA occaſione parabolam narravit. Regnum Cœlorum, ait, ſimile eſt Patrifamilias, qui pri-
A mo mane operarios in vineam miſit, pacta cum illis primò mercede denarii pro opere diurno. Miſit ſubinde novos, & novos, tertia, ſexta, & nona, & tandem undecima hora. Sub veſperam accitis operariis, ſolvi ſingulis æqualem mercedem præcepit; quod cum iniquum videretur operariis primo mane conductis, diſtinguendi enim videbantur ii, qui diei pondus, & æſtus tulerant, ab aliis qui per horam tantum laboraverant; querelas ea de re ſuas ad Dominum detulerunt. Sed ille, nulla a ſe affectos injuria dixit, conveniſſe enim ſecum de mercede. *Ita*, ait Chriſtus, *erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi*, Matt. 19. 1. 16.

Lazari reſurrectio.

VEniens tandem Ieſus Bethaniam, Lazarum quatriduo ante ſepulturæ mandatum audivit. Ejus adventus nuncium allatum eſt duabus defuncti ſororibus, Marthæ, & Mariæ; cum magnus è Ieruſalem concurſus ad eas fieret, levandi doloris gratia pro interitu fratris. Vix autem id comperit Martha, cum ſurgens in occurſum venientis proceſſit, atque inter primas ſalutationes proteſtata eſt, nunquam obiturum Lazarum, ſi opportuniùs veniſſet. Ieſus de reſurrectione fratris fidem ſuam obligavit; *Scio*, ait Martha C *reſurrecturum in noviſſimo die*. Et Ieſus ſtatim ſe reſurrectionem eſſe vitæ dixit; *& quicumque*, ait, *crediderit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet, & qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum*; rogavitque deinde Martham, num hæc omnia crederet? Affirmavit illa, ſanctè proteſtata: *Ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei Vivi*; ſtatimque Mariam ſororem de adventu novi hoſpitis admonuit. Advolavit illico Maria, & pedibus Magiſtri accidens, eadem lacrymans de obitu Fratris ſui, quæ antea Martha, profeſſa eſt: ingemuit unà pariter, & frequens illa comitum turba, quæ mœſtas ſurores proſequebatur. Horum miſertus Ieſus infremuit ſpiritu; dein ro- D gavit, ubi nam Lazarum poſuiſſent. Ad locum deductus, primò recludi ſepulchrum imperavit; dein actis Deo gratiis, quòd precibus ſui annuiſſet propitius, tum clamavit: *Lazare veni foras*: ad quas ille voces excitus, linteis adhuc, & ſudariis obvolutus proceſſit. Solvi omnia, & liberum hominem relinqui Ieſus imperavit, Ioan. 11. 17. 45.

Phariſæi necem Jeſu Chriſti ſtatuunt.

TAnti prodigii teſtis frequentiſſima Iudæorum turba, pars quidem in Ieſum credidit, pars E verò rei nuncia ad Sacerdotes, & Phariſæos venit. Quare illi nimium populi ſtudium in Ieſum, ſimulque Romanorum furorem in Templum totamque gentem provocandum metuentes, de tota re deliberaturi conſilium inierunt. Caiphas, penès quem ſumma erat ejus anni Sacerdotalis dignitas, ſententiam ſuam protulit, pronuncians, oportere unius hominis nece ſaluti totius gentis provideri. Quæ ab illo vaticinandi ſpiritu dicta fuiſſe conſtat; morte enim Ieſu Chriſti ſalus quærenda erat, non Iudæis tantùm, ſed Dei filiis univerſis. Communi igitur conſilio Ieſu Chriſti mors à Sacerdotibus, & Phariſæis decreta eſt; ſed ille eorum evitans congreſſum, in Ephrem F Urbem in loco ab hominum frequentia remoto ſeceſſit, ibique commoratus eſt uſque ad feriam tertiam 24. Martii, & 4. Niſan, Ioan. 11. 45. 54.

Jeſus ad Feſtum Paſcha celebrandum Jeroſolymam venit.

ALiquot ante Feſtum Paſchæ diebus, cùm Iudæorum plures è regione Ephrem adjacente Ieroſolymam venirent, venit unà pariter, & Ieſus,

Jeſus, Joan. 11. 55. nunquam itinere prætermiſſo inſtruendi populi munere, non ſine omnium admiratione, Marc. 10. 32. Seorſum autem revocatis Diſcipulis expoſuit, quæ ſibi imminerent Jeroſolymis mala, ubi & Sacerdotum fraude capiendus eſſet, damnandus, injuriis omnibus afficiendus, deſpuendus, & flagellandus, ac tandem morte plectendus; qua ſemel tolerata, tertia die ad vitam eſſet rediturus. Hæc narrans, ænigmata latentique aliquod myſterium Apoſtolis loqui credebatur, Matt. 20. 17. 19. Marc. 10. 32. 34. Luc. 18. 31 34.

Mater Filiorum Zebedæi pro Filiis ſuis aliquid petit.

SEcundum hæc, Mater Filiorum Zebedæi unà cum filiis ſuis Jeſum conveniens, & ad ejus pedes accedens, duo honoratiſſima in Regno ipſius loca utrique filio poſtulavit. Cui Jeſus: *Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Omnia ſpondentibus illis, ait Jeſus: *Calicem quidem meum bibetis; ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo.* Hæc duorum fratrum poſtulata minùs æquè tulerunt Apoſtoli; ſed Jeſus accitos ad ſe omnes ita affatus eſt: Principes gentium dominantur eorum; non ita erit inter vos; ſed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter, *ſicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis*, Matt. 20. 20. 38 Marc. 10. 35. 45.

Cæcus ad Jericho curatur.

PRopius ad urbem Iericho accedentem Jeſum cæcus juxta viam mendicans, & tranſeuntis turbæ ſtrepitu quid rei eſſet certior factus, clamans, ut ſui miſereretur, etiam atque etiam rogabat. Accitum igitur virum idem Ieſus merito fidei ſuæ ſtatim valetudine donavit, Luc. 18. 35. 43.

Zacchæus ad Dominum convertitur.

CUm igitur ad Urbem veniens per viam tranſiret, Zacchæus Princeps Publicanorum, vir locuples, qui magno, ac diuturno videndi Ieſum deſiderio tenebatur, ſycomoro conſcenſa (erat enim ſtatura puſillus) totum venientis apparatum ſpeculabatur. Ieſus eò ſuccedens, deſcendere actutum juſſit, ſignificans, velle ſe ea die in ejus domo hoſpitari. Eo dignatus honore Zacchæus, illum cæteroſque comites omnes lætus excepit: quæ res variis populi de Jeſu ſermonibus, tanquam ad domum peccatoris divertente, occaſionem præbuit. Sed Zacchæus de tanto accepto hoſpite ſecum ipſe gratulatus, ita Dominum affatus eſt: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Tunc Jeſus: *Hodie ſalus domui huic facta eſt, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ. Veni enim quærere, & ſalvum facere, quod perierat*, Luc. 19. 1. 10.

Parabola Regis, qui remotum aliquod Regnum ſibi petiturus, venit.

NArravit ea occaſione parabolam Regis, qui ad poſtulandum ſibi in remota quadam regione Regnum iter ſuſcepturus, decem mnas totidem ſervis ſingulis ſingulas diſtribuens, juſſit pecuniam negotiationi exponere, quò redux auctam reciperet. Minùs ù ſubditis ſibi populis amabatur: quare vix è ſuis finibus digreſſo per certos nuncios ſignificarunt, nolle ſe amplius ejus imperio ſubeſſe. Verùm Princeps ille poſt obtentam Regni, quod poſtulabat, poſſeſſionem, acci-

A tos ſervos ſuos de pecunia requiſivit. Primus decem mnas pro ea, quam receperat, rependit; atque præmii loco à Rege in decem Urbes præfectura donatus eſt. Secundus 5. mnas ſolvit, totidemque urbibus præfuit. Venit tandem alius, qui ſingularem illam mnam in crumena ſolerti cura ſervatam reſtituit; dictitans metuiſſe ſe ſævum, durum, & avarum Regis ingenium, qui meteret ubi non ſeminaſſet, atque id exigeret, quod nunquam contuliſſet. Gravi ſupercilio miſerum illum intuitus Rex, Tua, inquit, confeſſione damnaris: ſtatimque ablatam ab illo pecuniam ad ulium, qui decem habebat mnas, divertit, ſimul addens: *Omni habenti dabitur, & abun-*
B *dabit; ab eo autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Perduelles autem illos, qui ſuum jugum excuſſerant, coram ſe raptatos trucidari imperavit, Luc. 19. 11. 28.

Exiens Jericho duos cæcos ſanitati reſtituit. Feria ſexta, 7. Niſan, 27. Martii.

EX Urbe Iericho egreſſus, Ieroſolymam iter inſtituturus, duos cæcos magnis vocibus ſanitatem poſtulantes offendit, quorum alter filius erat Timæi, viri in tota regione notiſſimi. Accitos illos ad ſe, interrogatoſque quid maximè
C vellent, viſum poſtulantes, voti compotes fecit, Matt. 20. 29. 34. Marc. 10. 46. 52.

Dies Sabbati, 8. Niſan, 28. Martii.

PAſchalem ſolemnitatem Sabbato proximè præcedente diu quæſitus Jeſus, nuſpiam apparuit; quamquam veniſse illum ad Feſtum habentes exploratum, alter alterum de illo ſciſcitabatur. Juſſerant enim Phariſæi, & Sacerdotes, ſiquidem alicubi proderetur, apprehendi, Joan. 11. 56. 57.

Die Dominica, 9. Niſan, 29. Martii. Jeſus apud
D *Simonem Leproſum cœnat, & Maria unguenti vaſe ejus pedes perfundit.*

SEx ante Paſcha diebus apud Simonem Leproſum Ieſus diſcumbebat, cœnantique miniſtravit Martha, & Lazarus inter convivas allegebatur. Cœnantibus illis, Maria ſoror Marthæ, & Lazari unguenti nardi vas integrum ſuper pedes Ieſu refudit, linitoſque coma capitis ſui abſterſit. Tantam pretioſi unguenti profuſionem minus probavit Iudas proditor, dictitans, meliùs impendi potuiſse, ſi 300. denariis veniret, collectaque ea ſumma in pauperes erogaretur. Sed Ieſus Ma-
E riæ factum defendens, dixit, eo unguento corpus illam ſuum in ſepulturam curandum præoccupaſſe; totamque eam hiſtoriam palam per totum orbem, qua latè patuiſset Evangelium, promulgandam. Plures è Ieruſalem Bethaniam ea occaſione venerunt, non Ieſu tantùm, ſed & Lazari videndi cauſa, Joan. 12. 1. 9. Interea Sacerdotes famæ prodigiorum ipſius, ac maximè reſurrectionis Lazari invidentes, Ieſu & Lazari necem decreverunt, Matt. 26. 6. 13. Mar. 14. 3. 9. Joan 12. 10. 11.

F

Feria ſecunda, 10. Niſan, 30. Martii. Triumphantis habitu Jeroſolymam ingreditur.

MAne alterius diei è Bethania digreſſus, Jeroſolymam versùs proceſſit, & cum ab Betphage proximè jam acceſſiſſet, duos è Diſcipulis ſuis ad proximum pagum miſit, quibus futurum denunciavit, ut inciderent in aſinum cum pullo, cui nemo adhuc inſediſſet. Hanc autem juſſit adducere, & ſi quid à quoquam interrogarentur, dicerent, illius neceſſitate teneri Magiſtrum. Euntes igitur illi, aſinam cum pullo adduxerunt, quem

pullum

pullum Diſcipulorum veſtibus inſtratum adequi- A tans Jeſus, eo apparatu iter proſecutus eſt. Acclamabant interim eunti turbæ, inſternenteſque veſtibus ſuis vias, triumphum ipſius celebrabant. Erant pariter, qui præciſis arborum ramis eaſdem vias ornarent, magnis interim vocibus acclamantes: *Hoſanna Filio David; benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis.* Phariſæi, qui venientem opperiebantur, monuerunt illum, ut turbarum acclamationes ſopiret. Negavit Jeſus, ſe tale aliquid facturum, cùm vel tacentibus illis lapides ipſi plauſus ingeminaturi eſſent, Matt. 21. 9. Marc. 11. 1. 10. Luc. 19. 29. 40.

Jeſus Jeroſolymam proſpiciens, ingemit.

URbi jam proximus, oculis ad illam levatis, ingemuit, hæc ſimul cum lacrymis fundens: *Si cognoviſſes, & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & ad terram proſternent te, nec relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Luc. 19. 39. 44.

Delato adventus Chriſti Jeroſolymam nuncio, procurrentes in occurſum ejus turbæ, palmarum ramis fauſtiſque vocibus acclamabant: *Hoſanna; Benedictus Rex Iſrael, qui venit in nomine Domini*, C Joan. 12. 12. 19.

Jeſus in Templum veniens, negociatores inde pellit.

INter medios acclamantis populi plauſus in Urbem exceptus, ad Templum ſe contulit, unde negociatores omnes ementes vendenteſque depulit, nummulariorum ſubvertit menſas, & cathedras pariter vendentium columbas evertit, ſimul addens: *Scriptum eſt: Domus mea Domus orationis eſt, & vos feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Tum omnes, quos ibi offendit, cæcos, claudoſque, ſanos juſſit abire, & Scribis ac Sacerdotibus infantium acclamationibus, *Hoſanna filio David*, in- D geminantium, offenſis, monentibuſque ut ſilentium clamantibus indiceret, hæc repoſuit: *Nunquam legiſtis, quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem*, Matt. 21. 10. 15. Marc. 11. 11. Luc. 19. 45. 46.

Alienigenæ videndi Jeſum deſiderio tenentur.

GRæcorum nonnulli, alterius à Judæis generis, qui occaſione Feſti Paſchalis Dominum adoraturi venerant, S. Philippum Apoſtolum convenientes, videndi Ieſum copiam ſibi fieri poſtularunt. Ille ad ipſum Ieſum retulit; qui veniſſe jam E horam dixit, qua Patris ſui gloriæ conſuleretur; granum frumenti tunc germen emittere, cùm terræ commiſſum mortuum fuerit; eum qui vitæ ſuæ nimio amore teneretur, illum amiſſurum; viciſſim quicumque illam odio in hoc mundo proſequeretur, tota æternitate ſervaturum. *Si quis mihi miniſtrat*, adjecit, *me ſequatur; & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit*. Secundùm hæc, ſubitò conturbatus, Patrem ut ſuæ gloriæ conſuleret, obſecravit: ſtatimque facta de Cœlo vox: *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Ad inopinæ vocis ſonum hæſerunt circumſtantes, atque attonitis ſimiles, alii tonitrui ſtrepitum audiſſe ſe, alii vocem Angeli loquentis teſtabantur. Tunc Ieſus: *Non* F *propter me vox venit, ſed propter vos. Nunc judicium eſt Mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Quorum verborum ambagibus genus mortis ſuæ deſignabat. Adjecit: *Adhuc modicum lumen in vobis eſt;* monuitque, ut quandiu lux affulgeret, properarent, ne euntibus adhuc tenebræ ſuperfunderentur, Ioan. 12. 20. 34.

Jeſus lumen eſt Mundi.

POſt hæc dicta, abſcondit ſe Ieſus à Iudæis, qui tot viſis prodigiis nunquam tamen in animum induxerant, ut in ipſum crederent. Quamvis non infrequens erat Principum populi numerus, quibus ipſe perſuaſerat; neque ſe prodere in publicum metu Phariſæorum audebat. Tandem è latebris ſuis prodiens Ieſus, elata voce clamavit: *Qui credit in me, credit in eum, qui miſit me; & qui videt me, videt eum, qui miſit me. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Non veni ut judicem mundum,*
B *ſed ut ſalvificem. Qui accipit verba mea, habet, qui judicet eum: ſermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die. Quæ ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor*, Joan. 12. 37. 50.

Semel acceptum conſilium perdendi Ieſum Principes Sacerdotum, & Optimates populi ne executioni mandarent, nimium populi in illum ſtudium prohibebat, Luc. 19. 47. 48.

Feria tertia, 11. Niſan, 31. Martii. Dira in ficulneam ſterilem.

SUbeunte veſpere, recepit ſe Ieſus unà cum Diſcipulis ſuis in Bethaniam, & mane alterius diei Ieroſolymam repetens, cùm cibo indigeret, ad ficulneam foliis quidem fœcundiſſimam, ſed fructibus ſterilem venit. Fruſtra excuſſæ, cùm alioqui immaturum eſſet ferendis fructibus tempus, maledixit; ſtatimque ejus vim ſentiens arbor exaruit, Matt. 21. 18. 19. Marc. 11. 12. 13. 14.

Negociatores iterum è Templo ejicit.

VEnit iterum in Templum, iterumque in negociatores incidens, eorum tabulis menſiſque ſubverſis, omnes foras ejecit. Opportunum captabant tempus illius capiendi Sacerdotes; ſed po-
D puli ad eius ſermonem obſtupeſcentis ſtudium illos remorabatur. Inclinante in veſperam die Bethaniam redit, Marc. 11. 15. 19.

Feria quarta, 12. Niſan, 1. Aprilis. Effectus fidei mirabiles.

REdeunte die, rediit & Ieſus unà cum Diſcipulis Ieroſolymam, & cùm ſecus viam aridam ficulneam illam, de qua ſupra, intueretur, dixit Ieſus Diſcipulis, hæc & majora eos præſtituros, ſicut & ad nutum montes in mare tranſlaturos, ſiquidem fidem haberent. Adjecit: *Amen*
E *dico vobis: omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. Dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem, ut Pater veſter, qui in Cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra: quod ſi non dimiſeritis, nec Pater veſter dimittet vobis*, Matt. 21. 20. 22. Marc. 11. 20. 26.

Baptiſma Joannis unde, è Cælo ne an potius è terra?

CUm pro more ad Templum veniſſet, interrogarunt Ieſum quidam ex Phariſæis, & Optimatibus, qua hæc authoritate præſtaret? Interrogavit viciſſim illos Ieſus, unde nam Baptiſma Ioannis, è Cælo ne an ex hominibus? Vim ejus
F quæſtionis intelligentes Sacerdotes, quippe qui ſi è Cælo fuiſſe reſponderent, à Chriſto urgerentur, cur igitur Ioanni non credidiſſent; ſi verò ex hominibus, adverſarium nacti fuiſſent populum; optimum factu cenſuerunt, ſi neſcire ſe reſponderent. Tunc Ieſus: *Nec ego dico vobis, in qua poteſtate hæc facio*, Matt. 21. 24. 29. Marc. 11. 29. 33. Luc. 20. 2. 7.

Pa-

Parabola duorum Filiorum, qui ambo ad colendam vineam miſſi, alter quidem vadit, non alter.

PArabolam illis propoſuit Ieſus duorum filiorum, quos ambos pater in vineam ire præcepit. Primus ire ſe quidem recuſavit, ivit tamen; alter verò ſe iturum ſpondens, reapſe tamen paternis mandatis non paruit. Quæſivit autem, uter paternæ voluntati morem geſſiſſet. Reſpondentibus illis, filium, qui ad vineam ſe contulit; iterum Jeſus: *Publicani & meretrices præcedent vos in Regnum Dei. Venit ad vos Joannes in via juſtitiæ, & non credidiſtis ei; publicani autem & meretrices crediderunt ei*, Matt. 21. 28. 32.

Parabola vineæ vinitoribus locatæ.

ALiam innectit parabolam, Patris familias, qui vineam ſuam locavit agricolis, exigendiſque ab illis opportuno tempore fructibus ſervos ſuos miſit. Sed venientes illos apprehendentes agricolæ, atque injuriis affectos, depulerunt alios, alios occiderunt. Ratus proinde Dominus ad officium filii ſui præſentia nequiſſimos illos agricolas cogendos fuiſſe, eò filium miſit. Sed via proſpecto, agricolæ mutuis ſeſe ſermonibus hortabantur, ut illata in illum nece tota hæreditate potirentur. Vix igitur venit, apprehenſus & extra poſſeſſionem raptatus, miſere occiſus eſt. Quid, rogo, parricidis iſtis fiet, cùm ultionem exacturus Dominus veniet? Reſpondit quidam ex adſtantibus, fore, ut omnes trucidarentur, atque vinea aliis locaretur. Sed probè intelligentes Sacerdotes, & Phariſæi, vim ſermonis Jeſu Chriſti ad ipſos converti, repoſuerunt: Abſit: ſtatimque Jeſus: *Quid eſt ergo hoc quod ſcriptum eſt? Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus, & qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur; ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.* Hæc omnia ſine ambagibus de ſe dicta probè norant Principes Sacerdotum, omnemque captabant opportunitatem, quò virum apprehenderent; ſed metu populi, tanquam Prophetam illum reſpicientis, retinebantur, Matt. 21. 33. 46. Marc. 12. 1. 12. Luc. 20. 9. 19.

Parabola nuptiarum filii Regis, ad quas invitati convivæ venire recuſant.

HAnc narrare parabolam aggreſſus eſt. Regnum Cælorum aſſimilatur Regi, qui ad paratas filii ſui nuptias plures invitavit; ſed illi omnes venire recuſarunt. Quare alios pariter ad illos ſervos miſit, eadem rogans; ſed pervicaciùs invitati illi adhuc reſiſtentes, alii quidem varias cauſationes prætenderunt, alii apprehenſos ſervos affecerunt injuria, quin & occiderunt nonnullos. His offenſus Rex fidem ſuam ſacramento obligavit, neminem ex invitatis cœnam ſuam guſtaturum; miſſiſque ſtatim ad itinera viarum famulis, obvios quoſcunque invitavit ad cœnam. Cùm omnes accumberent, ingreſſus Rex hominem non veſtitum veſte nuptiali intuitus, apprehendi juſſit, atque manibus pedibuſque religatis, in viam inter tenebroſos noctis horrores projici. Ita verò narrationem hanc ſuam clauſit Jeſus: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Matt. 22. 1. 14.

Phariſæi, & Herodiani capere Jeſum in ſermone tentant.

SEcedentes à Ieſu Phariſæi capere virum in ſermone meditati ſunt; quare per ſummiſſos Diſcipulos ſuos unà cum Herodianis interrogarunt, num vectigal Cæſari pendere fas eſſet. Callidas eorum artes probè intelligens Ieſus, monſtrari
A ſibi numiſma cenſus juſſit; roganſque, cujus illud imaginem & inſcriptionem præferret, auditoque Cæſaris eſſe omnia, ita tandem ſententiam ſuam tulit: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*, Matt. 12. 14. 22. Marc. 12. 12. 17. Luc. 20. 22. 26.

Saducæi confuſi.

EAdem die venerunt Sadducæi, genus hominum nullam eſſe dictitans reſurrectionem mortuorum, immortalitatem animæ, nulloſque dari Spiritus, interrogaruntque, tentandi hominis gratia, num fœmina, quæ ſeptem viris alteri poſt B alterum nupſit, in reſurrectione ad aliquem ex illis, & ad quemnam pertineret? Quibus Ieſus, ignorare illos Scripturas æquè, & Dei potentiam, dixit. Namque in reſurrectione nulla, ait, futura ſunt connubia; *ſed erunt omnes ſicut Angeli Dei.* Quod autem, adjecit, ad reſurrectionem a vobis negatam ſpectat, non legiſtis Deum è rubo ardente ad Moyſem verba facientem ſe ipſum appellaſſe Deum Abraham, Deum Iſaac, Deum Iacob? *Non eſt autem mortuorum Deus, ſed viventium*; vivunt ergo Patriarchæ. Eo reſponſo perculſi Saducæi non ultra tentare virum auſi fuerunt, Matt. 22. 23. 33. Marc. 12. 18. 27. Luc. 20.
C 27. 39.

Quod maximum in lege mandatum?

HIs ſecedentibus, tentaturi venerunt Legis conſultiſſimi viri, quærentes quodnam maximum diceret in tota Lege præceptum? Ieſus præceptum amoris Dei primas tenere indicavit, ſecundum ab eo locum deberi præcepto amoris proximi. *In his duobus mandatis*, ait, *tota Lex pendet & Prophetæ.* Reſponſum Magiſtri Legis peritus probavit; cui Ieſus: *Non es longè à Regno Dei*, Matt. 22. 34. 40. Marc. 12. 28. 34.

D *Cujus Filius Chriſtus?*

NEmo exinde Ieſum quæſtionibus tentare audebat; ſed ille pluribus viciſſim propoſitis, ipſos torquebat. Interrogavit, quid de Chriſto crederent, cujus filium arbitrarentur? Illis nihil cunctantibus, & è David proditurum reſpondentibus; unde ergo, ait Ieſus, David in Spiritu Dominum illum ſuum appellat, dicens. *Dixit Dominus Domino meo?* Si Filius David, quomodo ejuſdem Regis Dominus? Siluerunt Judæi coacti, & exinde ne convenirent quidem virum, ſe continebant, Matt. 22. 41. 46. Marc. 12. 35. 37.
E Luc. 20. 41. 44.

Scribæ, & Phariſæi Moyſis cathedræ inſident.

COnverſo tunc Ieſus ad populum & Apoſtolos ſermone, dixit, Scribas & Phariſæos Moyſis quidem cathedram occupare, auſcultarent proinde docentium verba, ſed ab exemplis abſtinerent; cùm grandia illi onera eorum humeris imponerent, quæ ipſi, vel unico digitulo levare recuſaſſent; atque id unice ſpectarent, ut ſingulares in populo viderentur, prima occuparent ſubſellia, & magiſtrorum ambitioſo titulo intumeſcerent. Idcirco, ait, ampliores in veſtibus ſuis
F anſas, & fimbrias trahunt, quò à cæteris diſtinguantur. Vos igitur ne vana hæc, & ambitioſa quæratis, *ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor: qui enim ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Matt. 23. 1. 13. Marc. 12. 38. Luc. 20. 45. 46.

In Phariſæos invehitur.

INvectivas ſuas in Phariſæos proſecutus, vitio il-
lis vertit. 1. Quòd Cælum aliis ita clauderent, ut
ne ſibi quidem aperirent. 2. Quòd proventus vidua-
rum vorarent, ſub affectato prolixarum orationum
obtentu. 3. Quòd terras & maria decurrerent, ut
Proſelytum facerent, quem deinde plus multo ne-
quiorem, quàm antea, redderent. 4. Quòd duces
eſſent cæci, populos erroneis legis interpretationi-
bus ſeducentes; uti e. g. cum docerent, ſacramento
obligari illum, qui pro auro Templi, & munere,
quòd in Altari offertur, fidem ſuam adſtrinxiſſet;
cum interim jurantes pro Altari & Templo nulla ju-
risjurandi religione tenerentur, quaſi ſcilicet non
B major eſſet Altaris & Templi, quàm victimarum &
auri religio, Matt. 13. 13. 23.

Hypocriſis Phariſæorum.

EXprobravit pariter, decimas menthæ & rutæ hor-
torum ſuorum religioſè ab illis offerri. Legis
verò neceſſaria negligere, juſtitiam, miſericordiam,
fidem; excolare culicem, camelum autem glutire;
exteriora calicis mundare, *intus autem*, ait, *pleni*
eſtis rapina & immunditia; ædificatis ſepulchra Prophe-
tarum, & dicitis. Si fuiſſemus in diebus Patrum no-
C *ſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Propheta-*
rum. Interim *impletis menſuram Patrum veſtrorum*,
cum miſſos à Deo ſanctiſſimos viros impiè occiditis,
adeò ut *veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effu-*
ſus eſt ſuper terram, a ſanguine Abel juſti uſque ad ſan-
guinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter
Templum & altare Jeruſalem, Jeruſalem, quæ oc-
cidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt!
Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gal-
lina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce re-
linquetur vobis domus veſtra deſerta. Converſo dein
ad populum ſermone: *Non me videbitis*, inquit, *amo-*
do, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domi-
ni, Matt. 23. 23. 39.

D *Gazophylacium collatitiæ Fidelium pecuniæ & mu-*
neribus excipiendis deſtinatum.

SEdens Jeſus è regione Gazophylacii, viros plu-
res locupletes ingentem collatitiæ pecuniæ ſum-
mam conferentes animadvertit; cum interim mu-
lier quædam vidua paupercula, non niſi duo minu-
ta, nempe quartam ſicli partem, obtuliſſet. Acci-
tos ergo Diſcipulos ita affatus: Vidua hæc pauper
plus omnibus contulit. Omnes enim ex eo quod
abundabat obtulerunt; hæc vero de penuria ſua om-
nia, quæ habebat, largita eſt, Mar. 12. 41. 44. Luc.
21. 1. 4.

Templi magnifici ædificium. Everſionis illius immi-
nentis vaticinium.

SUb veſperum exeunti è Templo Jeſu ſumptuoſam
illius ædificii ſtructuram, munerum divitias, &
lapidum, quibus conſtabat, immanitatem indica-
runt. Quibus Jeſus futurum tandem prædixit, ut
tota ea moles adeò ſubverteretur, quòd ne lapis qui-
dem lapidi ſuperſtructus maneret. Cùm autem ad
declive Montis Olivarum, unde in Templum pro-
ſpectus, perveniſſet, aſſedit; rogantibuſque Diſci-
pulis, quando oraculum illud, de everſione Tem-
F pli implendum deſtinaretur, & quod de oraculi il-
lius fide ſignum daret, hæc repoſuit, Matt. 24. 1. 3.
Marc. 13. 1. 4. Luc. 21. 5. 7.

Plures Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ.

CAvete ne quis unquam vos ſeducat, plures enim
meo nomine venientes ſub obtentu Chriſti in-
cautos ſeducent. Undique autem obſtrepent bello-
rum, præliorum, & ſeditionum rumores. Quæ

A omnia non terminus erunt malorum, ſed initium &
crepundia. Gentes in gentem committentur, in-
gruent peſtes, fames, terræmotus, & cœlitùs ter-
rendis hominibus data ſigna; quæ omnia futuræ ca-
lamitatis præſagia. Ante hæc omnia injectis in vos
manibus raptabunt ad Judices, coram eorum cœtu
ſiſtent, quò palam meo nomini teſtimonium fera-
tis. Bono tamen animo vos eſſe inter ingruentia hæc
mala jubeo, neque ſollicitos de paranda vobis defen-
ſione cogitare; ego enim tantam vobis ſapientiam,
& eloquentiam ſuppeditabo, ut ſtare contra vos ho-
ſtes nequaquam poſſint; *neque enim vos eſtis, qui*
loquimini, ſed Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis.
B Perſecutorum veſtrorum numerum augebunt neceſ-
ſarii quique veſtri, & amicorum chariſſimi, totiuſ-
que orbis in vos mei gratia invidiam creabitis; ab
omnibus prodemini, ac tandem nece veſtra odio ſuo
indulgebunt. Surgent pariter plures pſeudofratres,
& pſeudoprophetæ; *ſed qui perſeveraverit uſque in*
finem, ſalvus erit. Ante illarum exitum, Evange-
lium longè lateque per orbem annunciabitur, Matt.
24. 5. 14. Marc. 13. 6. 13. Luc. 21. 8. 19

Cum urbs Jeruſalem obſidione premetur, fugite
ad montes.

C ORationem illam ſuam ita proſecutus eſt: Cùm
vos hoſtium corona cinctam urbem Jeruſalem
videritis, atque abominationem deſolationis præ-
dictam à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſan-
cto, tunc imminere Urbis excidium reputate. Qua-
re ſi quis in Judæa tum temporis verſatur, ad montes
ſtatim confugiat; qui ſuper tecta, fuga ſe proripiat,
ne dato quidem ingrediendi domum, ut charum ali-
quod ſecum deferat, tempore; qui in agris, negle-
cta urbe, cum iis, quibus amicitur veſtibus fugiat.
Urget enim dies ultionis: *Væ nutrientibus & præ-*
gnantibus, illis diebus. Orate autem, ut fiat fuga ve-
ſtra in hyeme vel Sabbato. (non enim ſatis prompta
eſſet eo tempore fuga) *Erit tunc tribulatio magna,*
qualis non fuit ab initio mundi uſque modò, neque fiet.
D *Et niſi breviati fuiſſent dies illi propter electos, non fie-*
ret ſalva omnis caro. Adjecit, multos tunc ſeducto-
res, Chriſti & Prophetæ nomen prætendentes, pro-
digiorum fulgore ita oculos mortalium perſtrictu-
ros, ut vel electis ipſis poſſent imponere; adventum
autem Filii Dei velut fulgur, qua latè patet Judæo-
rum gens, micaturum, Matt. 24. 15. 27. Marc. 13.
14. 23. Luc. 21. 20. 24.

Signa in Sole & Luna.

HÆc omnia conſequentur ſigna in ſole pariter &
aſtris edita, quæ omnium gentium luctus &
conſternatio excipiet, utpote imminens grande ali-
E quod malum expectantium. Ejulabunt vicem ſuam
omnes per orbem nationes, cum ſignum filii homi-
nis ſubitò inter nubes emicabit, atque ipſe tandem
nube vectus, & Angelorum ſatellitio comitatus, pa-
tebit; quorum nempe Angelorum miniſterio è qua-
tuor Cœli angulis electi cogentur. *Cum videritis hæc*
omnia, ait, *levate capita veſtra, ecce appropinquat*
redemptio veſtra. Imminentis æſtatis præludium ex
arbore fici gemmante captatis: ita pariter ex his om-
nibus de adventu Regni Cælorum certum vos capere
argumentum licet. *Amen dico vobis, quia non præte-*
ribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant. Cælum &
terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt,
Matt. 24. 28. 36. Marc. 13. 24. 32. Luc. 21. 25. 34.

Sic erit adventus Filii hominis, quemadmodum di-
luvium ſub Noe.

ITA planè filius hominis venturus eſt, quemad-
modum olim ſub Noe diluvium. Inter comeſſa-
tiones lætaque connubia diem fallebant mortales,
cùm ſubitò aquarum effuſis imbribus inundata ter-
ra, omnes demerſi ſunt. Ita planè erit & adventus
Filii hominis. *Tunc duo erunt in agro, unus aſſume-*
tur & unus relinquetur. Duæ molentes in mola, una

aſſumetur, & una relinquetur. Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. Ita vos exhibete, quemadmodum vigil ſervus, qui adventum Domini ſui, incertus qua hora, nunquam non opperitur. *Si ſciret Pater familias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtote parati, quia, qua neſcitis, hora, Filius hominis venturus eſt*, Matt. 24. 38. 44. Marc. 13. 33. 37.

Parabola duorum ſervorum, quorum alter fidelis, alter infidelis.

ADjecit parabolam famuli, qui à Domino diſtribuendæ in reliquos conſervos annonæ præpoſitus, munus ſuum integra adeò implevit fide, ut ejus merito univerſæ domus Oeconomus conſtitueretur. Si verò famulus ille conceſſa ſibi poteſtate abuſus, reliquos conſervos injuriis & verberibus afficiet, comeſſationibus, & ebrietatibus tempus fallet; inopinus ſuperveniens Dominus pro merito ſuo, ait Chriſtus, multabit, detrudet in carcerem, & infidelitatis atque impudentiæ ipſius ultionem exiget acerbiſſimam, Matt. 24. 42. 51.

Parabola decem Virginum;

ATtexuit alias parabolas ad eundem ſcopum collimantes, uti decem Virginum, quarum quinque ſapientes, ſtultæ totidem; illæ parato lampadibus ſuis oleo, ſponſum opperiuntur; illæ omnia negligunt. Superveniente ſponſo, quo tempore omnes quieſcebant, ſapientes excuſſo ſtatim ſomno lampades ſuas facilè aptarunt, ſtultæ poſtulato à comitibus oleo, nec obtento, ad emendum ſibi illud procucurrerunt. Venit inter hæc Sponſus, *& quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias*, cæteris abſentibus excluſis. *Vigilate itaque*, ait Jeſus, *quia neſcitis diem neque horam*, Matt. 25. 1. 5. 15.

Parabola Patrisfamilias, talenta in famulos diſtribuentis.

NArravit pariter de homine, qui iter aliquod inſtitutus, pecuniam diviſit in famulos, negociationis agendæ gratia. Dedit uni quinque talenta, alteri tria, tertio unum. Cum rediiſſet ad propria, & rationem poneret in ſervos, is, cui quinque talenta crediderat, bis totidem tulit accepto; qui tria, ſex rependit; quare laudatos utroſque ad inſtructum à ſe convivium admiſit. Venit tertius, qui datum ſibi talentum reſtituit, dicens, defoſſum in terra ſedulo cuſtodiiſſe ſe, ne à quoquam pecunia raperetur; norat enim, rem ſibi eſſe cum Domino duro pariter & crudeli, cujus pecuniam diſcrimini exponere periculoſum eſſe arbitrabatur. Iratus ad hæc herus, tolli ab eo talentum & dari alteri, qui decem rependerat, ac foras è domo pelli imperavit, Matt. 25. 14. 30.

Judicium Filii Dei deſcribitur.

VEnturus ad hominum judicium Filius Dei, ait, Angelorum ſatellitio comitatus deſcendet, atque throno gloriæ ſuæ aſſidens, oves ad dexteram ſuam, hædos ſtatuet ad ſiniſtram. Horum primos ad gloriam Regni ſui invitabit, illos mittet in ignem æternum, *qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*. Porrò Electis ſuis laudi dabit, quòd eſuriens, ſitiens, in malis verſans, ipſe ſolatium apud illos & levamen invenerit; *quod enim*, inquit, *uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Reprobis viciſſim crimini vertet, quòd in neceſſitatibus ſuis, fame, ſitique duros illos atque immiſericordes nactus ſit; ſibi enim ſumere, quidquid minimis ſuis mali rependiſſent, Matt. 25. 31. 46.

A *Jeſus Chriſtus mortem ſuam & paſſionem Diſcipulis prænunciat.*

VErſo dein ad Apoſtolos ſermone, admonuit futurum, ut Paſchate poſt biduum celebrando, Filius hominis in manus hoſtium traditus, crucis ſupplicio tandem perimeretur, Matt. 26. 1. 2. Marc. 14. 1. 2. Inter hæc deliberabant Principes Sacerdotum, qua ratione Chriſtum tenere potuiſſent; in quam rem minùs opportunum tempus diem feſtum, nequid ſeditionis in populo excitetur, cenſebant, Matth. 26. 3. 4. 5. Marc. 14. 1. 2. Luc. 22. 1. 2. Dum hæc agitabantur conſilia, Judas, unus ex duodecim
B Apoſtolis, cùm iniquo eſſet in Jeſum animo, Sacerdotes conveniens, pacta mercede proditurum ſe in eorum manibus Magiſtrum ſpopondit. Oderat Magiſtrum Apoſtolus, quòd in profuſionem unguenti pretioſi in pedes Jeſu effuſi obmurmurantem in ſe, Præceptor ipſe reprehendiſſet. Proditionem igitur in ſe ſumens Judas, opportunam captabat occaſionem, qua ſolitarium, & à turbarum affluentium concurſu remotum Jeſum nactus, Judæorum manibus traderet, Matt. 26. 14. 16. Marc. 14. 10. 11. Luc. 22. 3. 6.

Feria quinta, 13. Niſan, 2. Aprilis (1) Pro Feſto Paſchatis præparatio.

C FEria quinta contulit ſe Jeſus ad montem Olivarum ſive Bethaniam, nec niſi inclinante jam die Jeroſolymam contendit. Cùm verò nullam ibi certam haberet domum, à Diſcipulis rogatur, quod potiſſimùm cœnaculum celebrando Paſchali convivio ſeligeret. Juſſit ille, Petrum & Joannem ire ad Urbem, & quem primum offenderent hominem, lagenam aquæ portantem, ſequi; deducendos ab illo in cœnaculum ſtratum, in quo nihil eorum, quæ ad Paſcha deſiderentur, defuturum ſcirent. Venerunt illi, factaque fermenti perquiſitione de more, cœnam apprararunt. Inclinante autem die ad montem
D Olivarum regreſſi, præſtita à ſe omnia Magiſtro retulerunt, Matt. 26. 17. 18. 19. Marc. 14. 12. 16. Luc. 22. 7. 13.

Noviſſima cœna Jeſu Chriſti Jeroſolymæ.

SUB veſperam ingreſſus in Urbem Jeſus, ad paratum ab Apoſtolis cœnaculum Paſchali convivio celebrando ſe contulit. Diſcumbentibus, omnibus palam edixit, ex eorum numero quemdam proditionem in ſe moliri. Attonitis ſimiles Apoſtoli, pro ſe ſinguli rogabant, num de ipſis diceret. Siluit Jeſus, id tantùm addens, unum ex duodecim eidem adhibitum convivio nefarium illud crimen moliri;
E oportere autem ire ſe, quò Scripturarum fides impleretur; ſed veh infandæ proditionis authori! Simul ad hæc Judas, num de ſe loqueretur interrogavit; & Jeſus ſubmiſſa fortè voce, cùm Apoſtoli cæteri nihil intellexerint: *Tu dixiſti*, Matt. 26. 20. 25. Marc. 14. 17. 21.

Eucharistiæ inſtitutio.

INter veſcendum ſignificavit Jeſus, ſe magno ſemper deſiderio flagraſſe Paſcha illud cum Diſcipulis veſcendi; poſtremum enim illud eſſe, quod cum illis celebraret, convivium. Simulque calicem accipiens, dixit, ſe nuſpiam adhuc de eo genimine vitis deguſtaturum, donec novum biberet in Regno Dei;
F actiſque gratiis, deguſtare juſſit de illo omnes ſingillatim, *Luc.* 21. 15....18. Acceptum panem benedixit, fregit atque commenſalibus diſtribuit, dicens. *Hoc eſt corpus meum, quòd pro vobis tradetur*; Ita & benedictum priùs poculum deguſtandum tradidit, ſuum eſſe ſanguinem dicens, pro humani generis ſalute effundendum. Tum adjecit: *Hoc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*; tum & illud iterum proteſtatus, ſe nihil cibi potuſve amplius deguſtatu-

(1) De hac temporis diſtributione vide quæ adjecimus ad calcem Diſſertationis de Paſchate.

ſtaturum niſi dum in Regnum ſuum veniret, Matt 29. 26.29. Marc. 14.22.25. Luc. 22.19 20. Confer. 1. Cor. 11. 23.25. Ad Petrum autem converſus ſignificavit: Luc. 22. 24. 32. *Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

Apoſtoli de prima inter ſe dignitate diſceptant.

Diſceptabant Apoſtoli, quis eorum dignior haberetur; quibus Jeſus: *Reges terræ, ait, dominantur eorum; vos autem non ſic; ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor. Vocatis me magiſter & Domine, & benè dicitis; ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Vos permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim Tribus Iſrael*, Luc. 22. 25... 30.

Pedes Apoſtolis lavantur.

POſt cœnam, inſigne humilitatis & amoris erga Apoſtolos ſui argumentum Jeſus relicturus, ſurgens à menſa, poſitiſque veſtibus, & linteo accinctus, lavandos ſuſcepit ſingulorum pedes, & linteo, quo præcingebatur, abſtergere. Ad Petrum cum veniſſet, recuſavit ille pedes ad lavandum exhibere, nunquam ſe id commiſſurum dicens, ut lavari ſe à Magiſtro ſineret. Cui Jeſus: *Si non lavero, non habebis partem mecum.* Protulit illicò pedes Apoſtolus, oblaturum ſe pariter & caput proteſtatus. Ea lotione peracta, Jeſus veſtibus reſumptis, id à ſe præſtitum dixit, ut inſigne exemplum imitarentur; ſi Magiſter eteniṁ pedes illorum laviſſet, lavare ſe invicem ipſi pariter debuiſſent, Jo: 13. 1. 22.

Charitatis & unionis vinculum inter Apoſtolos.

ORationem autem ſuam proſequens, dixit, non niſi modico adhuc temporis ſpatio ſe cum illis verſaturum; quærendum ab illis, nec inveniendum. Hortatus ad mutui amoris conſenſionem, quibus, ait, characteribus Diſcipulos vos meos præſtabitis. Interroganti Petro, quò demum eſſet abiturus, reſpondit: *Quò ego vado, tu neſcis modò, ſcies autem poſtea.* Et Petrus, cur ergo, ait, ego non potuerim? vel vitam pro te meam tradere paratus ſum. Jeſus ad hæc: Animam tuam pones pro me? Amen dico tibi, non cantabit Gallus, donec me ter neges.

Interrogavit proinde, num ad Evangelium annunciandum ante hac à ſe miſſis, ſine argento, & calceamentis, num, inquam, aliquid ipſis defuiſſet; & cum nihil defuiſſe reſponderent, *Sed modò*, ait Jeſus, *qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram, & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Quibus verborum ambagibus rerum omnium, quæ dein opprimerentur, penuriam, & imminentes illis perſecutiones deſignabat. Sed Apoſtoli ad literam ſermonem ejus interpretati, attulerunt illico geminos gladios, num ſatis eſſent, interrogantes. Sed Jeſus majoris momenti aliquid ipſis annunciaturus, nil hæc curans, reſpondit: *Satis eſt*; quippè qui norat futurum, ut poſt reſurrectionem ſuam verborum illorum ſenſum aſſequerentur, Ioan. 13. 33. 38. Luc. 22. 35. 38.

Jeſus vadit, & Apoſtoli locum neſciunt.

QUantam in ſe fiduciam collocarent, poſt hæc fuſiùs demonſtrans, proteſtatus eſt ſe ire in domum Patris, in qua plures eſſent manſiones, ſingulas ſingulis paraturum. Rediturum ſe poſtea ad illos deducendos; & tunc notum illis futurum & locum, quem ipſe petierit, & viam. Ad hæc Thomas: *Domine, neſcimus quò vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire?* Excepit Ieſus: *Ego ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis.* Philippus oſtendi ſibi Patrem, nec aliud ſe, cæteroſque poſcere, obſecrabat. Cui Ieſus: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba quæ loquor vobis, à me ipſo non loquor. Pater in me manens, ipſe facit opera. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea ſervate; & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum, & Mundus jam me non videt, vos autem videtis me. In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo. Et ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*, Io. 14. 1. 21.

Jeſus Chriſtus manifeſtat ſe Diſcipulis, non Mundo.

QUæſivit Iudas, ſive Thaddæus, eccur ipſe ſe Diſcipulis, non Mundo proderet. Reſpondit Ieſus: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Adjecit, ſcientiam illis ſuppeditaturum Spiritum Paraclitum à Patre mittendum, quo dicta à ſe omnia aſſequantur. Dare ſe illis pacem, non quomodo ſolet Mundus; nec verò turbarentur, neque formidarent. *Audiſtis*, ait, *quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, utique gauderetis, quia vado ad Patrem, quia Pater major me eſt. Jam non multa loquar vobiſcum; venit enim Princeps Mundi hujus, & in me non habet quidquam. Sed ut cognoſcat Mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio; ſurgite, eamus*, Io: 14. 22. 31.

Ad Montem Olivarum ſe confert.

E Cœnaculo igitur egreſſus poſt hymnum actionum gratiarum de more recitatum, ad montem Olivarum ſe contulit, Matt. 26. 30. Mar. 14. 26. Luc. 23. 39.

Jeſus vinea eſt. Pater agricola, Diſcipuli palmites.

EUntes alloquebatur Ieſus, ſe vineam eſſe, cujus agricola Pater, edicens. *Omnem autem palmitem, ait, non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Ego ſum vitis, vos palmites; qui manet in me, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere. Si manſeritis in me, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione. Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Hæc loquutus ſum vobis, ut gaudium veſtrum impleatur*, Jo. 15. 1. 13.

Apoſtoli Amici Jeſu Chriſti.

PRoteſtatus eſt, nolle ſe amplius ſervos illos dicere, cum ſervum Domini conſilia lateant, ſed amicos, quibus commiſſa ſibi à Patre ſecreta revelaſſet. Adjecit: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ut fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Ait nihil eſſe cur ſtuperent, ſi odium in ſe Mundi provocaſſent, cùm & ipſe priùs ejus invidiam fuerit expertus. *Si de Mundo fuiſſetis, ſuos amaſſet Mundus*; cùm ſegregatos & ſelectos, ut eſſent Chriſti, Mundus tanquam alienos odio proſequeretur, revocarent in memoriam id à Magiſtro antea prenunciatum; famuli conditionem nihilo quàm Domini meliorem eſſe; & ſi perſecutionem ipſe tuliſſet, & illos paris toleraturos. Et viciſſim, ſi ſermones ipſius homines

D 2

nes ſervarint, & illorum ſervaturos. *Si non veniſſem*, adjecit, *& locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Qui me odit, & Patrem meum odit; ſi opera non feciſſem eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem, & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ille teſtimonium perhibebit de me. Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis*, Joan. 15. 15 27.

Mala & perſecutiones, quæ Apoſtolis imminerent, prædicit.

PRoſecutus eſt narrans, quæ ipſos manerent toleranda mala, ne ſcilicet in errorem ſive infidelitatem prolabi ipſos contingeret. Prænunciavit itaque, extorres è Synagogis faciendos, & neci tradendos, qua in re religionis ſuæ in Deum ſpecimen exhibituros ſe homines crederent. *Et hæc facient vobis*, inquit, *quia non noverunt Patrem neque me. Sed hæc locutus ſum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiſcamini, quia ego dixi vobis*. Dixit redire ſe ad eum, a quo miſſus eſſet; *nemo autem interrogat me: Quò vadis? ſed triſtitia implevit cor veſtrum*. Scirent tamen, è re ipſorum eſſe, ut iret; nunquam enim alioqui ſuper illos Spiritum Paracletum venturum. *Et cum venerit ille*, adjecit, *arguet mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me; de juſtitia verò, quia vado ad Patrem, & jam non videbitis me; de judicio autem, quia Princeps hujus mundi jam judicatus eſt*, Joan 16. 8. 12.

S. Spiritus Apoſtolos docebit.

PLura adhuc ſupereſſe dixit Chriſtus, quæ Apoſtolos doceret; ſilere autem, quòd ipſi ferre tanta non poſſent; Spiritum, qui venturus eſſet, in omnem ſcientiam illos adducturum; quippe qui non ex ſe ipſo locuturus eſſet, ſed quæ audiret quæque pariter ventura eſſent, annunciaturus. *Ille*, ait, *me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Modicum, & jam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem*. Ænigma audire ſe reputabant Apoſtoli, ſecum verba illa verſantes: *Modicum &c.* Quas eorum cogitationes intelligens Jeſus prævenit, dicens: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*. Adducit ſimilitudinem puerperæ, quæ fœtum enitens, ingemit; enixa verò, matrem ſe intelligens, gaudet. *Et vos igitur*, ait, *nunc quidem triſtitiam habetis; iterum autem videbo vos, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*. Queſtus eſt, nihil adhuc ab illis nomine ſuo à Patre poſtulatum; quærerent, & acciperent; quò ſincero plenoque gaudio potirentur. Profeſſus eſt, ſe ad idusque in parabolis locutum, deinceps ſine ambagibus locuturum. *Exivi à Patre*, adjecit, *& veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*. Loquentem interceperunt Diſcipuli; *Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis; nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo exiſti*. Reſpondit Jeſus: *Modò creditis?* Joan. 16. 12. 31.

Apoſtoli in obitu Chriſti ſcandalo afficientur.

ITerum reſumpto ſermone, prædixit Apoſtolis futurum, ut illa eadem nocte omnes ſcandalo ſui gratia afficerentur; veniſſe jam horam, qua ipſis diſperſis ipſe ſolitarius relinqueretur, juxta fidem oraculi: *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis. Poſtquam reſurrexero*, ait, *præcedam vos in Galilæam. In noviſſimo preſſuram habebitis; ſed confidite; ego vici mundum*. Ad hæc Petrus, ſe ait nullum

A paſſurum in Magiſtrum ſcandalum, & ſi omnes imbecillitatis ea occaſione ſuæ argumentum exhibituri fuiſſent; cui Jeſus: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet bis, ter me negabis*. Pervicacior in ſua ſententia Petrus, vel mortem ipſam ſe pro Chriſto toleraturum ſpondebat. Paria de ſe Apoſtoli quique affirmabant, Matt. 26. 31. 35. Marc. 14 27. 31. Joan. 16. 32. 33.

Oratio Jeſu Chriſti ad Patrem pro Apoſtolis.

SEcundùm hæc, ſublatis in Cælum oculis Jeſus in hæc verba oravit. Pater, venit hora: clarifica
B „ Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Quos „ Filio tuo dediſti, illis vitam æternam largiaris „ rogo. Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant „ te ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Jeſum „ Chriſtum. Ego te clarificavi ſuper terram, opus „ conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam. Et „ nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipſum „ claritate, quam habui priùs, quàm mundus eſſet „ apud te. Manifeſtavi nomen tuum hominibus, „ quos dediſti mihi. Verba quæ dediſti mihi, dedi „ eis, & ipſi acceperunt, & cognoverunt, quia „ à te exivi, & crediderunt, quia tu me miſiſti. Rogavit deinde, ut quandoquidem ipſe è mundo decederet, illos ſervandos ſibi ſuſciperet, efficeret-
C que, ut ſint unum, ait, ſicut, & nos. Adjecit ſe quidem, quamdiu cum illis fuiſſet, unicè curaſſe, ut ſervarentur; nunc verò eoſdem in mundo conſervare, atque à Dæmone liberare, ejus eſſe curæ; efficeret proinde, ut è mundo non eſſent, quemadmodum ipſe non fuiſſet; ſe enim ipſos mittere, quemadmodum miſſus eſſet à Patre. Rogavit inſuper, non pro ipſis tantùm, ſed & pro cæteris, qui verba eorum auſcultaſſent, ut ipſi nimirum *ſint unum*, ait, *ſicut & nos unum ſumus*; ſciretque mundus Filium à Patre miſſum fuiſſe. Adjecit: Pater, „ quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi „ ſint mecum, ut videant claritatem meam, „ quam dediſti mihi ante conſtitutionem mundi.
D „ Pater juſte, mundus te non cognovit, ego autem „ te cognovi; & hi cognoverunt, quia tu me miſiſti. „ Ego notum feci eis nomen tuum, ut dilectio, „ qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis, „ Ioan. 17. 1. 26.

Jeſus ad montem Olivarum ſe confert.

SEcundùm hæc, tranſgreſſo Cedron torrente ad Orientale latus Ieruſalem, venit ad hortum in loco Gethſemani ſitum, quem & ſæpè alias, & tunc etiam cum Diſcipulis ſuis ingreſſus eſt; quare notiſſimus erat Iudæ proditori locus. Ibi juſſis Apo-
E ſtolis tamdiù ſubſiſtere, quamdiù preces abſolviſſet ſuas, procedentem cum Petro, Iacobo, & Ioanne continuò triſtis adeò illum angor invaſit, ut ad eos Diſcipulos converſus, *Triſtis eſt*, dixerit, *anima mea uſque ad mortem*; moneníque vigiles illos excubare, ne ſopitis irreperet tentatio, ad lapidis jactum ſecedens, prono in terram vultu procumbens, orationem exorſus eſt, Patrem rogans ſiquidem fieri poſſet, ut à ſe amarus ille calix tranſiret. *Verumtamen*, ait, *non mea, ſed tua voluntas fiat*, Matt. 26. 36. 39. Marc. 14. 32. 36. Luc. 22. 40. 42. Ioan. 18. 1. 2.

Continuò miſſus è Cœlo Angelus in ſolatium venit cùm angore luctantis, & Ieſus in mortali
F agone conſtitutus, prolixius adhuc inſtitit orationi, ut eo pariter tædio, & angore ſudor quidam, velut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, exprimeretur, Luc. 22. 43. 44.

Jeſus in horto preces fundit. Apoſtoli conſopiuntur.

ABſoluta oratione, conveniens Apoſtolos Ieſus, in ſomnum reſolutos offendit; objurgatoque Petro, qui ne brevi quidem horula ſecum vigilare

potuiſ-

Digitized by Google

poțuiſſet, ſurgere juſſit omnes ad orationem, ne in A tentationis diſcrimen venirent. *Spiritus quidem*, ait, *promptus eſt, caro autem infirma*. Secundùm hæc, iterum ad priorem orationis locum ſe conferens, eodem, quo priùs, corporis habitu, eadem, quæ antea, Patrem rogavit. Tum iterum ad Apoſtolos, quos alto adeò ſopore merſos nactus eſt, ut ne reſpondere quidem interroganti noſcerent. Quare conſuetas preces ad Patrem tertiò inſtituit, tum denuò ad Apoſtolos, quos ita affatus eſt: *Dormite jam & requieſcite: Surgite; ecce appropinquat qui me tradet:* eamus in ejus occurſum, Matt. 26. 40. 46. Marc. 14. 37. 42. Luc. 22. 45. 46.

Judas in hortum veniens, Ieſum oſculatur.

B

MAgiſtri ſui proditor Iudas militum cohortem à Principibus Sacerdotum acceptam ad hortum, non ſine armorum, facium, & lanternarum apparatu, (quanquam plena micante Luna) ſecum adduxit. Condixerat antea cum militibus, ut quem ipſe oſculo exciperet virum, hunc Ieſum eſſe noſſent, ſtatimque apprehenſum deducerent. Accedens ergo ad Ieſum, ſalutantis priùs amplexu ad oſculandum excepit, hæc ſimul amicè affatus; *Ave Rabbi*. Cui Jeſus: *Amice ad quid veniſti? Oſculo Filium hominis tradis?* Matt. 26. 47. 50. Marc 14. 40. 45. Luc. 22. 46. 48.

Ieſus verbo milites dejicit.

REcepit ſe ſtatim Iudas ad milites, & Ieſus, quæ ſibi imminebant omnia prænoſcens, obviam illis venientibus accurrens, ecquem quærerent, interrogavit. Reſpondentibus, quærere ſe Ieſum à Nazareth, *Ego ſum*, ait; ſtatimque in terram omnes dejecti ſunt. Surgentes iterum, Ieſus eadem interrogavit, eademque illis reponentibus, *Dixi vobis*, ait, *quia ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos* (Apoſtolos nempè) *abire*, Ioan. 18. 4. 9.

A militibus capitur.

TUnc procurrentes omnes in Ieſum, apprehenderunt; ſtatimque Petrus educto gladio in confertam turbam irruens, abſcidit auriculam Malchi famuli Summi Sacerdotis. Ne ultra proſequeretur, obſtitit Ieſus; tangenſque aurem præciſam, continuo reſtituit, Petro ſimul injungens, ut in vaginam enſem reduceret; *omnes enim*, ait, *qui gladio ferriunt, gladio peribunt*. Adjecit, potuiſſe ſe quidem pluſquam 12. legiones Angelorum à Patre in ſui defenſionem impetrare, noluiſſe tamen, quò Scripturarum Oraculis ſua fides conſtaret, Matt. 26. 50. 54. Mar. 14. 46. 47. Luc. 22. 49. 51. Ioan. 18. 10. 11.

Verſus deinde ad turbas, Sacerdotes, Scribas, & Præfectos Templi, qui cum militibus venerunt, *Tanquam ad latronem*, ait, *exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehendere me. Quotidie apud vos ſedebam docens in Templo, & non me tenuiſtis. Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*. Continuò Apoſtoli, Magiſtro relicto, in diverſa abierunt. Cùm autem juvenis quidam amictus ſindone ſuper nudum illum ſequeretur, apprehenſus à militibus, relicto in eorum manibus amictu, nudus dilapſus eſt. Captus itaque alligatuſque Ieſus, adductus eſt continuò ad Annam Socerum Caiphæ Summi eo anno Sacerdotis, qui capiendi Ieſu author fuerat Iudæis, Matt. 26. 55. 57. Marc. 14. 48. 53. Luc. 22. 52. 54. Io. 18. 12. 13.

Simon Petrus in domum Summi Sacerdotis divertit.

SImon, & alius quidam è diſcipulis Magiſtrum ſequebantur à longè; & cum poſtremus iſte Diſcipulus in domo Summi Sacerdotis notiſſimus eſſet, in atrium ingreſſus eſt, egreſſuſque dein, unà ſecum & Petrum præ foribus verſantem introduxit. Cohors militum, qui Ieſum deduxerat, igne in eodem atrio excitato, algentis brumæ frigus depellebat; acceſſit pariter & Petrus, Ioan. 16. 18. 18. Matt. 26. 58.

A

Ieſus à Summo Sacerdote interrogatur.

ANnas Summus Sacerdos de doctrina & Diſcipulis ſuis Jeſum interrogavit; cui ille, nunquam ſe niſi in Templo & Synagogis, palam locutum, ejus rei teſtes auditores ſuos, ea de re interrogandos, dixit. Ita reſpondentem quidam ex famulis Caiphæ ingenti in os ejus impacto colapho, *Itane reſpondes Pontifici?* objurgavit. Cui Jeſus. *Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem bene, cur me cædis?* Joan. 18. 19. 23.

Ab Anna ad Caipham deducitur. Synedrio Sacerdotum ſiſtitur.

INterrogatum Jeſum Annas ad ſocerum ſuum Caipham, in eadem fortè domo commorantem, miſit. Eò convenientes Principes Sacerdotum Scribæ, & Doctores, idoneos adversùs Ieſum teſtes quærebant; & cum omnes eorum conatus fruſtra eſſent, plures licèt, falſa contra ipſum deponentes audiſſent; duo tandem venerunt, accuſantes, audiviſſe ſe virum jactantem, everſurum ſe Templum Dei, intra tres dies reſtituturum. Sed capitale illud crimen minimè cenſebatur. Silebat Jeſus ad eas cavillationes, & de ſilentio illo interrogante Summo Sacerdote, in ſilentio pariter perſeveravit. Tunc Caiphas. *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis ſi tu*

C *es Chriſtus Filius Dei*. Affirmavit Ieſus, adjecitque futurum, ut tandem viderent Filium hominis in dextera virtutis Dei, nubibus vectum, venire ad judicium. Quibus auditis, Caiphas diſruptis veſtibus audiſſe ſe blaſphemias, quæ damnando reo abundè ſufficerent, conclamavit: conclamatum eſt pariter ab omnibus, morte dignum eſſe virum, qui iſta effutiret, Matth. 26. 59. 66. Marc. 14. 54. 63.

Jeſus ludibrio militum permittitur. S. Petrus ter illum negat.

DImiſſo cœtu, Ieſus militum in atrio commo-

D rantium cuſtodiæ pariter & licentiæ permiſſus eſt. Illi ludibrio hominem excipientes, ejus vultum linteis velabant, expuebant in faciem, cædebant colaphis pugniſque, atque inſultantes dictitabant: *Prophetiza nobis, quis eſt qui te percuſſit?* Inter hæc, Petrus in eodem atrio verſans, ad prunas ſtabat cum aliis; cùm ancilla quædam Summi Sacerdotis virum intuita, Planè, ait, *& hic cum Jeſu Nazareno erat*. Negavit Petrus, palam proteſtatus, ſe ne hominem quidem noſſe. Paulò poſt ex atrio egrediens, in veſtibulum ſe contulit; ſtatimque cantantem audivit gallum. Poſt modicum alia pariter ancilla idem, quod prior, de viro illo affirmavit; iterumque ipſe jurans negavit. Poſt horam quidam è circumſtanti-

E bus Diſcipulum eſſe Ieſu virum illum affirmavit; cui & cæteri omnes aſſenſi, ex ipſo loquentis ſermone Galilæum eſſe probant. Tandem neceſſarius quidam Malchi illius, cujus præciderat Petrus auriculam, vidiſſe ſe illum in horto teſtatus eſt. Sed Petrus ſacramentum ingeminans, ne noſſe quidem ſe hominem proteſtabatur. Inter hæc accidit, ut ſecundò galli cantus audiretur, & Ieſus ad Petrum converſus virum ſuſpexit. Tunc ille in mentem revocans, quæ à Ieſu audiverat, futurum nempe, ut ipſum, antequam gallus bis cantaret, terna negatione rejiceret, egreſſus ex atrio largo fletu crimen expiavit, Matt. 26. 67. 75. Marc. 14. 18. 65. 72. Luc. 22. 56. 63.

F Ioan. 18. 25. 26.

Feria ſexta, mane 14. Niſan, 3. Aprilis. Sacerdotes in Sanhedrin conveniunt. Jeſus ad Pilatum deducitur.

PRimo diluculo Sacerdotes, Scribæ, & Doctores in Sanhedrin coeuntes, de nece Ieſu Chriſti deliberarunt. Vinctus igitur coram concilio adductus, num Chriſtum ſe diceret, interrogatus eſt. Reſpondit, ſibi licèt affirmanti non credituros; & quando ipſe interrogaret, nec reſponſum ullum daturos,

nec

nec remiſſuros liberum. *Ex hoc* autem, adiecit, *erit filius hominis ſedens a dextris virtutis Dei*. Conclamarunt omnes una voce, num Filium Dei ſe diceret? aſſirmantemque, dignum eſſe morte communi ſuffragio ſtatuerunt, neque alios ea de re teſtes audiendos. Soluto in hunc modum concilio, adductus eſt Jeſus ad Pilatum, totius provinciæ Præſidem, qui, ne contaminarentur & a deguſtando Paſchate religione arcerentur, ipſi Prætorium ingredi non auderent, Matt. 27. 1. 2. Marc. 15. 1. 2. Luc. 22. 66. 71.

Pœnitudo Judæ, & deſperatio.

JUdas proditionis in Magiſtrum reus, morte damnatum illum intelligens, criminis pœnitudine ad Principes Sacerdotum & Scribas pecuniam acceptam retulit, peccaſſe ſe, innoxium virum neci tradens, proteſtatus. Reſponderunt illi, nihil ſua id referre. Sed Judas, projecto in Templum argento, abiit, & laqueo ſibi fauces præcidit. Deliberatum eſt inter Sacerdotes, quid de pecunia illa fieret; & cùm pretium ſanguinis in Ærarium Templi inferre nefas arbitrarentur, emendum eo pretio agrum figuli cujuſdam in ſepulturam peregrinorum, communi ſuffragio cenſuerunt, Matt. 27. 3. 10.

Sacerdotes Jeſum accuſant.

TRaditum in manus Pilati Jeſum, cum ejus Accuſatores extra Prætorium ſe continerent, coram illis Præſes cœpit. Deinde quid accuſationis in illum afferrent, interrogans, cum reſpondentes audiſſet, nunquam ſe eum ad ipſum tuliſſe, ut neci tradendum virum innocentem ad illum adducerent; ipſe in eorum ſe manus tradere permittere multandum pro arbitrio legis ſuæ præſcripto dixit. Ad hæc Judæi: *Nobis non licet interficere quemquam*; cæterùm addebant, hunc eſſe virum publicæ quietis perturbatorem, qui dari tributum Cæſari nefas eſſe doceret, ſeque Chriſtum Regem Judæorum jactitaret. Reductum igitur in Prætorium, aſſidens in Tribunali Pilatus interrogavit, an Rex eſſet Judæorum? Quæſivit Jeſus, num hæc à ſemetipſo diceret, an aliorum verbis, & relatione. Cui Præſes: *Numquid ego Judæus ſum? Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi: quid feciſti?* Excepit Jeſus, ſe aliud quam hujus Mundi Regnum poſſidere; ſi enim regnaret in Mundo, ſubditos ſuos vitæ defenſores adversùs Judæos habiturum fuiſſe. Interrogavit itaque denuò Pilatus, num Rex eſſet. Affirmavit Jeſus, veniſſe ſe in Mundum addens, ut teſtimonium perhiberet Veritati. *Quid eſt veritas?* ait Pilatus: ſimulque ad Judæos egreſſus, nil in eo viro morte dignum ſe deprehendiſſe proteſtatus eſt, Matt. 27. 11. Mar. 15. 2. Luc. 23. 2. 3. Jo. 18. 19. 38.

Jeſus coram Pilato ſilet.

INgeminabant accuſationes in Jeſum ſuas Principes Sacerdotum, quas ille ſilens patiebatur, ut mirari Præſidem vehementer contingeret. Quare iterum atque iterum elata voce accuſatores ſeditioſum eſſe virum, turbaſque per totam regionem à Galilæa uſque Jeruſalem cientem clamabant. Audito Galilææ nomine Pilatus, num Galilæus eſſet vir ille, interrogavit; auditoque ad Herodis ditionem pertinere, ab illo judicandum remiſit, Matth. 27. 12. 13. Mar. 15. 4. 5. Luc. 23. 5. 6.

Ad Herodem mittitur.

PRæclarum id ſibi accidiſſe cenſebat Herodes, ut Jeſum, quem longo jam tempore noſſe concupierat, ad ſuum Tribunal ductum judicaret. Quare pluribus interrogationibus virum tentavit, ſed fruſtra; ſilente Jeſu ad omnia, quæ ejus adverſarii in ipſum congerebant. Contempſit proinde Jeſum Herodes, ejuſque ſatellites, indutumque veſte pur-

A purea, quaſi Regiæ ejus dignitati inſultantes, atque exutum deinde ad Pilatum remiſerunt. Ex quo mutuæ ad id uſque inter Pilatum, & Herodem ſimultati terminus impoſitus eſt, Luc. 23. 8. 12.

Pilatus de cavillationibus Judæorum in Jeſum certior factus eſt.

EO temporis intervallo odium Judæorum adversùs Jeſum Pilatus reſciverat: admonebatur etiam, ut innoxium virum dimitteret, à conjuge, quæ ejus occaſione horrendis quibuſdam inſomniis moleſtam eam noctem ſeſe egiſſe narrabat, Matth.
B 27. 19. Quare tertiò è Prætorio egreſſus, Jeſum pariter eduxit, proteſtatuſque nihil ſe morte dignum in illo deprehendiſſe, eademque pariter Herodem cenſuiſſe, quippe qui indemnem remiſerat; emendatum correctumque ſe remiſſurum propoſuit, Luc. 23. 21. 16.

Barabbas Jeſu præfertur.

PRivilegium datum erat Judæis, ut in ſolemnitate Paſchali cujuſcumque mallent criminoſi hominis è carceribus publicis libertatem obtinerent. Vinctus eo tempore detinebatur Barabbas, vir facinoroſus, & homicidii in ſeditione facti reus. Quæſivit ergo Pilatus, utrum è vinculis educi maluiſ-
C ſent, Barabbamne, an Jeſum? Populus, agentibus Sacerdotibus & Scribis, Barabbæ libertatem, Jeſu verò necem poſtulavit. Eadem Pilatus iterum interrogavit, eademque reſponſione ſpe ſua fruſtratus eſt. Rogavit igitur Præſes, quid ergo fieret de Rege Judæorum? & cùm illi ad crucem poſtularent, quæſivit iterum, cujus criminis reus ageretur; ſe etenim nullum in eo deprehendiſſe: quare poſt ſeveram animadverſionem dimiſſurum. Non acquievit populus, ſed iterum ad crucem quaſi reum poſtulavit, Matt. 27. 15. 23. Marc. 15. 6. 13. Luc. 23. 18. 23.

Pilatus flagellandum Jeſum tradit.

D TUnc flagris in Jeſum animadvertendum Pilatus edixit, cui milites tormento de ſuo addiderunt ſpineam quandam coronam capiti ejus impoſitam, inducto inſuper purpureo veſtimento, illudendi hominis gratia. Ita verò paludato alapas impingebant & colaphos, dictitantes: *Prophetiza nobis, quis eſt qui te percuſſit?* Secundùm hæc ducitur iterum Jeſus à Præſide coram populo, ut eo ſpectaculo permotus, tandem conſilia mitiora non reſpuat. Sed ille fortiùs invaleſcens, ad crucem virum poſtulabat. Accipere ſe illum & pro arbitrio habere Pilatus propoſuit; ſe etenim nullius criminis reum nunquam capitali ſupplicio damnaturum. Tunc Judæi dignum
E eſſe morte clamarunt, juxta receptas apud ipſos leges, quippe qui Filium ſe Dei venditaret. His populi clamoribus permotus Judex, recipiens ſe iterum in Prætorium, & pro tribunali ſedens, novam ad Jeſum quæſtionem inſtituit. Interrogavit ergo primùm, cujus eſſet; & cùm ſileret ad iſta Jeſus, Non mihi reſpondes? ait: an neſcis, vitam mortemque tuam in mea ſitam eſſe poteſtate? Tunc Jeſus: *Non haberes poteſtatem adverſus me ullam, niſi tibi data eſſet deſuper: propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*, Joan. 19. 1. 12.

Clamores populi in Jeſum. Pilatus ad crucem damnat.

F NUllum non movebat lapidem Pilatus, ut Jeſum liberaret; ſed obſtantes Judæi, atque ad necem urgentes, reluctanti tandem illi denunciarunt futurum, ut alienus ab Imperatoris ſui partibus cenſeretur, ſi virum hunc, qui ſe Regem agebat, liberum abire permitteret. His auditis, juſſit afferri ſellam judicialem, ſedenſque pro tribunali coram populo, Jeſum indicans, dixit: *Ecce Rex veſter.* Tradi illum cruci clamavit populus, & Pilatus: *Regem veſtrum crucifigam? Non habemus Regem*, reponunt

Judæi,

Judæi, *niſi Cæſarem*. Tunc fruſtra ſe agere intelli- A
gens Præſes, & creſcere in dies ſeditionem animad-
vertens, manus palam lavit, proteſtatus mundum
ſe eſſe à ſanguine viri innocentis; clamantibuſque
Judæis, in ſuum & poſterorum caput crimen illud ſe-
ſe evocare, tandem adverſariorum manibus crucifi-
gendum virum tradidit. Barabba in libertatem reſti-
tuto. Hæc omnia geſta ſunt circa tertiam horam ſi-
ve nonam matutinam, Matt. 27. 24. 26. Marc. 15.
Luc. 23. 24. 25. Joan. 19. 12. 16.

Jeſus deluditur à militibus.

ARripientes ergo milites Pilati Ieſum, extra Præ-
torium raptarunt, accitiſque ſociis militibus, B
propriis illum veſtibus exuerunt; tum purpureo pal-
lio velatum, ſpinea corona redimitum, arundi-
neum ſceptrum tenentem in genua provoluti adora-
runt; & ne quid deeſſet ad ludibrium, expuentes in
ejus faciem, atque arundineo illo ſceptro, quod in
manibus gerebat, percutientes, ſalutabant: *Salve
Rex Judæorum*, Matt. 27. 27. 09. Marc 15. 16. 19.

Jeſus ad Calvariam deducitur.

SEcundùm hæc, propriis iterum veſtibus indui-
tur, atque oneri crucis ſuæ prægravatus, dedu-
ctus eſt ad Calvariam, ut ultimo ſupplicio perime- C
retur. Cùm ad Urbis extrema ventum eſſet, & cru-
cis ponderi opprimi jam vir, tot antea toleratis ma-
lis, viribus exhauſtus cerneretur; Simon quidam
fortè occurrens, à militibus Romanis coactus eſt,
ut crucem portaret retro poſt Ieſum, Matth. 27. 31.
32. Marc. 15. 20. 21. Luc. 23. 26.

Mulieres Jeroſolymitanæ Jeſum lugent.

SEquebatur Ieſum ad Calvariam non ingens tan-
tùm populi multitudo, ſed & fœminarum, vi-
cem ejus dolentium, turba, quas converſo vultu
ejus dolentium, turba, quas converſo vultu Ieſus
reſpiciens, *Filiæ Jeruſalem*, ait, *nolite flere ſuper* D
*me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.
Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent. Bea-
tæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt. Tunc in-
cipient dicere montibus: Cadite ſuper nos; & col-
libus: Operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc fa-
ciunt, in arido quid fiet?* Deducebatur autem Ie-
ſus ad ſupplicium inter duos latrones medius,
Luc. 23. 27. 32.

Jeſus ad Calvariam deducitur, ubi in crucem agitur.

VEntum erat ad Calvariam, ſtatimque vinum
felle, & myrrha conditum mox perimendo vi- E
ro miſcetur, quod ille vix deguſtatum recuſavit.
Tunc cruci ſuffigitur medius inter duos latrones,
quos in ſupplicio comites habuit. Ex eo ſupplicio
pendens, primò pro crucifixoribus ſuis Patrem in
hæc verba rogavit: *Pater, ignoſce illis, non enim
ſciunt quid faciunt*, Matt. 27. 33. Marc. 15. 22. Luc.
23. 33. 34.

Titulus crucis Ieſu Chriſti.

IN prominenti crucis loco hæc inſcriptio, Græ-
cis, Latinis, & Hebraicis literis tradita, lege-
batur: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*. Quam cùm
Judæi plures legiſſent, rogarunt Pilatum, ut pro
Rege Judæorum juberet ſubſtitui: *Qui dixit: Rex* F
ſum Iudæorum. Sed Pilatus nihil reformari juſſit,
Matt. 27. 37. Marc. 15. 26. Luc. 23. 28. Acta hæc circa
horam tertiam, vel nonam matutinam, Mar. 15. 25.

Milites inter ſe veſtes Ieſu partiuntur.

MIlites, qui cruci Ieſum ſuffixerant, veſtimen-
ta ipſius omnia æquè inter ſe diviſerunt; tu-
nicam inconſutilem, quæ unico contextu tota con-
ſtaret, non dividendam, ſed ſortis arbitrio com-
mittendam voluerunt. Aſſidebant autem circa cru-
cem, quò & excubias agerent, nec quemquam ac-
cedere ad miſeros deponendos paterentur, Matt. 27.
36. Marc. 15. 24. Luc. 33. 34.

*Populi, & Magiſtratus Ieſu Chriſto è ſupplicio
pendenti inſultant.*

INſultabant pendenti è cruce Chriſto, qui eò ve-
nerant populi, & Magiſtratus, objicientes:
*Alios ſalvos fecit, ſe ipſum ſalvum faciat, ſi poteſt.
Chriſtus Filius Dei vivi deſcendat nunc de cruce, & cre-
dimus ei*. Milites acetum offerebant, dicentes: *Si
tu es Rex Iudæorum, ſalva temetipſum*. Alii moventes
capita ſua inſultabant: *Vah qui deſtruis Templum Dei, &
in tribus diebus reædificas: ſalvum fac temetipſum, deſcen-
dens de cruce*. Nec minora exprobrant Principes Sa-
cerdotum, dictitantes; *Deſcendat nunc de cruce, ut
videamus, & credamus*. Illudebat pariter è latro-
nibus non diſſimili ſupplicio affectis alter, obtru-
dens: *Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, &
nos*. Talia loquentem illum increpuit alter è cruce
ingerens: *Neque tu times Deum, quòd in eadem da-
mnatione es, & nos quidem juſtè, nam digna factis re-
cipimus: hic verò nihil mali geſſit*. Converſus dein ad
Jeſum, ait; *Domine, memento mei, cum veneris in
Regnum tuum*. Tunc Ieſus ad illum: *Amen dico
tibi, hodie mecum eris in Paradiſo*, Matt. 27. 39.
22. Marc. 15. 29. 32. Luc. 23. 35. 23.

Ieſus Matrem ſuam S. Ioanni commendat.

STabat juxta crucem Jeſu Maria mater ipſius,
Maria Cleophæ, & Maria Magdalene; quam
Matrem ſuam Jeſus intuitus, ſimulque non longè
Diſcipulum ſibi maximè dilectum reſpiciens, ita
Matrem affatus eſt: *Mulier, ecce filius tuus*, Ioan-
nem innuens: tum viciſſim ad Joannem: *Ecce Ma-
ter tua*. Ex quo factum eſt, ut dilectus Diſcipulus
Mariam apud ſe, & in domo ſua deinceps ha-
beret, Joan. 19. 25. 27.

*Solis eclypſis, quo tempore Ieſus Chriſtus in
cruce manſit.*

SExta circiter diei hora agebatur, nempè ad meri-
diem, cum ſol atra obductus caligine lumen
negavit uſque ad horam nonam, nempe tribus ho-
ris poſt meridiem. Ad nonam, diſſipatis tenebris,
clamavit Ieſus. *Eli Eli Lamma-ſabacthani*,
i. e. *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?*
Quas ejus voces quidam de Elia interpretati, appel-
latum ab illo Prophetam autumarunt, & ex mili-
tibus unus ſtatim accurrens, obtulit in ſpongia, hyſ-
ſopo circumpoſita, acetum. Dicebant alii: *Sinite,
videamus, an veniat Elias liberans eum*. Tandem
deguſtato Jeſus aceto, exclamavit: *Conſummatum
eſt. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*:
& inclinato capite tradidit ſpiritum, Matt. 27. 48.
50. Marc. 15. 34. 37 Luc. 23. 46. Joan. 19. 28. 30.

Defuncto jam Chriſto, velum Templi ſcinditur.

TUnc diſciſſum eſt à ſummò uſque deorſum
Templi velum, terra ſubito horrore tremuit,
hiſcere lapides viſi ſunt, & ſepulchra patuerunt.
Quæ ſedulò animadvertens Centurio, militeſque,
qui defuncta reorum corpora cuſtodiebant, inter
pavorem, & ſtuporem attoniti, Deo & veritati at-
teſtante dicebant: *Verè hic homo juſtus erat. Verè Fi-
lius Dei erat iſte*, & turbæ pariter è ſpectaculo re-
dibant, pectus ſuum in doloris argumentum per-
cutientes, Matt. 27. 51. Mar. 15. 37. 39. Luc. 23. 27. 28.
Hæc omnia in monte, ſatis à cruce diſtantes,
ſpectarunt oculati teſtes amici Ieſu, & fœminæ,
quæ venienti è Galilæa comites adhæſerant, Matt.
28. 55. Marc. 15. 20. 21. Lu. 23. 29.

Latus

Latus Ieſu Chriſti transfoditur.

INterim Iudæi, ne mane alterius diei, quu Sabbati, & Paſchæ duæ ſimul ſolemnitates coibant, reorum corpora è cruce pendentia triſte exhiberent ſpectaculum, rogarunt Pilatum, ut & deponi juberet, & quò citiùs interirent, crurifragium præciperet. Venerunt ergo milites, & utriuſque latronis crura fregerunt; Ieſum verò, quòd obiiſset jam, reliquerunt illæſum; ſed unus militum pendentis è cruce latus lancea transfodit, apertumque vulnus aqua manavit, & ſanguine; quemadmodum dilecti Diſcipuli, oculati teſtis, narratione memoriæ proditum eſt, Ioan. 19. 31. 37.

Joſeph ab Arimathia poſtulat cadaver J. C. & tumulo infert.

SUbeunte veſpere, Ioſeph ab Arimathia, vir ampliſſimus è Patribus, omni poſito metu Pilatum adivit, concedi ſibi poſtulans corpus Ieſu, ut ante occaſum Solis tumulo inferret; ad occaſum enim Solis Sabbati Feſtum inibat. Subſtitit aliquantò Pilatus, tam citò obiiſſe Ieſum admirans; ſed de morte ipſius certior etiam à Centurione factus, roganti facilia acquievit. Depoſuit itaque Ioſeph è cruce cadaver, & ſindone candida obvolutum, tum & aromatibus conditum (centum libras myrrhæ, & aloes Nicodemus ad pium illud officium paraverat) tumulo intulit, quem ipſe ſibi Ioſeph excidendum curaverat, in horto non longè ab eo loco poſito, & nullius notea uſibus addicto. Occluſo dein ingenti lapide ſepulchro, diſceſſit, Matt. 27. 57. 60. Marc. 15. 42. 46. Luc. 23. 50. 54. Ioan. 19. 38. 40.

Mulieres, quæ Ieſu è Galilæa venienti comites ſe ſe adjunxerant, ſepulchri hujus locum ſedulò notarunt, volentes poſt exactam illius diei ſolemnitatem condire iterum aromatibus defuncti Magiſtri cadaver, Matt. 27. 61. Marc. 15. 47. Luc. 23. 55. 56.

Milites cuſtodia ſepulchri ſtatuuntur.

EXpoſuerunt Pilato Principes Sacerdotum, & Phariſæi, Jeſum, dum viveret, in cœtu Diſcipulorum jactitaſſe, ſe poſt tridui ſepulturam in vivos rediturum; quare meritò ſuſpicari ſe, Diſcipulos illos defunctum cadaver ſufsuraturos, famam interim Reſurrectionis ipſius non ſine ingenti Judaicæ Religionis diſcrimine, ſpargentes in vulgus. Reſpondit Pilatus, præſto illis eſſe milites Templi cuſtodes, quos pro arbitrio ad ſepulchri cuſtodiam deſtinarent. Statuerunt igitur præ oſtio monumenti milites, lapidemque, quo occludebatur, annulo ſuo obſignarunt. Acta ſunt hæc veſperis ejuſdem diei, antequam Sabbatum iniret, Matt. 27. 62. 66.

Die Sabbati, 4. Aprilis, 15. Niſan. Piæ Mulieres ementes ſibi aromata, defuncti corpus curaturæ veniunt. Jeſus Chriſtus è mortuis reſurgit.

TOtam Paſchalem diem piæ illæ Mulieres de Legis præſcripto quietam egerunt; veſperis, abſoluta jam Sabbathi ſolemnitate, atque prima hebdomadæ die ineunte, emenda ſibi aromata, quò mane alterius diei ad ſepulchrum promptiùs accurrerent, ſumpſerunt. Ante auroram igitur viam ineuntes, mutuo alloquebantur: *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Erat enim lapis major, quàm ut muliebri robore amoveretur. Hæc ſecum reputantes continuò valida terræ concuſſio terruit. Quo judicio, & Domini è mortuis Reſurrectio, Angelus è Cœlo ad removendum monumenti lapidem deſcendens deſigna-

A batur. Porrò Angelus ſupra lapidem illum ſedens, eo terrore militas cuſtodes perculſit, ut dilapſi protinùs in fugam reverterentur, Matt. 28. 1. 4. Marc. 16. 2. 4. Luc. 24. 1. 4. Joan. 20. 1. 2.

Dominica die, 5. Aprilis, 16. Niſan. Duo Angeli ante ſepulchrum apparent.

VEnientes igitur mulieres ad ſepulchrum, binos Angelos offenderunt, humana ſpecie, candido amictu, vultu rutilanti, quorum aſpectu attonitæ paventeſque hæſerunt. Animis deſpondentes alter ex Angelis confirmavit, annuncians, Chriſtum, quem illæ quæſituræ veniſſent, è mor-
B tuis jam ad vitam revocatum, ſepulchrum deſeruiſſe: venirent autem, & viderent locum, ubi defuncti corpus jacuerat. Mandavit deinde, ut irent ſtatim ad Diſcipulos, & ad Petrum lætiſſimum nuncium afferrent, certioreſque pariter facerent, eorum in Galilæam adventum Ieſum Chriſtum præceſſurum, ubi illis videndum ſe præbuiſſet, quemadmodum fidem ea de re ſuam antea obligaverat, Matt. 28. 5. 8. Marc. 16. 6. 8. Luc. 24. 5. 8.

Maria Magdalene nuncia Reſurrectionis Ieſu Chriſti ad Apoſtolos venit. SS. Petrus, & Ioannes ad ſe-
C *pulchrum.*

MAriâ Magdalene ſocias præcurrens, ad Apoſtolos Ieroſolymam convolavit, nuncians furto ſublatum cadaver Ieſu Chriſti, nuſpiam apparuiſſe. Tunc ſtatim ad ſepulchrum ſe contulit; venerunt pariter, & Petrus, & Ioannes, inter timorem, & ſtuporem hærentes. Præcucurrit tamen citiùs dilectus Ieſu Diſcipulus, & cum ad ſepulchrum veniſſet, ſubſtitit. Venit & Petrus, inclinanſque ſeſe deorſum, quò interiora ſepulchri ſcrutaretur, nihil reperit niſi linteamina poſita, & ſudarium, quo defuncti caput jam obvolvebatur. Poſt Petrum ingreſſus eſt monumentum, &
D alter Diſcipulus, qui præ foribus ſubſtiterat, atque ambo totius rei oculati teſtes Ieroſolymam redierunt, Ioan. 20. 2. 8.

Ieſus Chriſtus apparet primùm Mariæ Magdalenæ.

VErſabatur Maria præ oſtio ſepulchri, & cùm interioribus monumenti ſcrutandis deorſum ſe ſe inclinaſset, duos ſpectavit Angelos, alterum ad pedes, alterum ad caput ſepulchri aſſidentes. Interrogantibus illis quid ploraret, conqueſta eſt, ſublatum, nec ſcire ſe quò, præceptoris ſui cadaver. Converſa ſimul retrorſum, vidit ante ſe Ieſum, qui hortu-
E lani ſpecie aſſumpta, mulierem, quid ploraret, quidve quæreret, interrogavit. Illa hortulanum rata, *Domine*, ait, *ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Tunc Ieſus Mariam nomine appellans, agnoſcendum ſe fœminæ præbuit; quæ ſtatim accurrens, pedes ejus prona oſculari tentabat. Prohibuit Ieſus; non enim, ait, adhuc ad Patrem meum aſcendi, quare alia erit tibi mei videndi opportunitas. Ire autem præcepit ad fratres ſuos, & nunciare, aſcendere ſe ad Deum Patremque ſuum, Deum pariter, & Patrem ipſorum, Marc. 16. 9. 10. Ioan. 20. 11. 17.

F *Secundò apparet piis Fœminis ad Sepulchrum venientibus.*

AD mœſtos Diſcipulos lætum afferens nuncium venit Maria, & viſum à ſe Dominum, & colloquium cum illo ſuum narrans. Interea Ieſus ſpectandum ſe præbuit piis fœminis è ſepulchro regredientibus, quibus obviam factus, & timorem excutere juſſit, & nunciare Diſcipulis, in Galilæa ſe ſe illos, & alloquio, & præſentia ſua dignaturum. Accidentes illæ ſtatim ad Magiſtri

pedes,

pedes, pronæ adorarunt; tum Jeroſolymam regreſſæ, omnia narrarunt Apoſtolis, qui tamen totam hanc fabellam tanquam delirantium mulierecularum ludibrium perinde habuerunt, Matt. 28. 9. Mar. 16. 10. 11. Luc. 24. 9. 11. Ioan. 20. 18.

Tum Petrus ad ſepulchrum iterum ſe conferens, non ſecùs ac prius poſita linteamina ſpectavit, Luc. 24. 12.

Furto ſublatum cadaver J. C. falsò rumore ſpargitur.

INterea milites, quibus ſepulchri cuſtodia credita à Sacerdotibus fuerat, Jeroſolymam venientes, quæ ſibi contigiſſent, omnia expoſuerunt. Sacerdotes ad conſilium coeuntes, de re tota ita deliberarunt, ut ingenti pecuniarum vi corrupti milites ſublatum a Diſcipulis nocturno furto cadaver, dum ipſi ſomno tenerentur, ſpargerent in vulgus. Polliciti ſunt autem militibus illis, ejus rei periculum, ſi quod ipſis immineret à Præſide, utpote qui munus ſuum fide non integra obiiſſent, totum in ſeſe ſuſcepturos. Falſus iſte rumor, ait S. Matthæus 28. 15. hodie uſque apud Judæos perſeverat, perſuaſum habentes, corpus Jeſu Chriſti à Diſcipulis ſublatum evanuiſſe, Matt. 28. 11. 15.

Jeſus Chriſtus quartò apparet, duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus ſpectandum ſe præbens.

EAdem die, 16. Niſan, Paſchali ſolemnitate celebri, nocte jam ſubeunte, bini ex Diſcipulis Jeſu Jeruſalem digreſſi in Galilæam veniebant. Cum autem in Emmaus, locum 60. ſtadiis ab Jeroſalem, contenderent, viæ tædium mutuis colloquiis de rebus, quæ per eos dies acciderant Jeroſolymis, levabant. Inter loquendum ſuperveniens Jeſus, peregrini ſpeciem præſeferens, tertius euntibus acceſſit, rogavitque quos invicem ſermones miſcerent? Cleophas ex illis alter mirari ſe dixit illum unum advenam Jeroſolymis fuiſſe, qui neſciret quæcunque per eos dies contigerant. Ecquænam; reſpondit Ieſus. De Ieſu à Nazareth, ait alter, qui cum Propheta eſſet, & opere, & ſermone, Deo coram, & hominibus potens, à Principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus ſupplicio traditus eſt. Nos autem, inquit, ſperabamus, quòd ipſe eſſet redempturus Iſrael, & nunc tertia dies eſt hodie, quòd hæc facta ſunt. Mulieres quidem ex noſtris aliquæ, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, non invento corpore venerunt dicentes, ſe etiam viſionem Angelorum intuitas, qui dicunt eum vivere: quidam etiam ex noſtris, qui ſepulchrum inviſerunt, mulierum narrationi atteſtati ſunt.

Tertiò apparet S. Petro, antequam Diſcipulis euntibus in Emmaus videndum ſe præberet.

EXprobravit tunc Ieſus fidei illorum imbecillitatem, productis è Scriptura teſtimoniis demonſtrans, oportere Chriſtum pati, & ita gloriæ ſuæ compotem fieri. Ventum eſt tandem in Emmaus, & ſimulantem ſe progreſſurum Ieſum, coegerunt Diſcipuli ſecum manere. Manſit igitur, & unà diſcumbentibus benedictum à ſe panem diſtribuit. Quo accepto, illico apertis oculis Magiſtrum agnoverunt; iſque agnitus illicò evanuit. Actutum Diſcipuli Ieroſolymam advolantes, totius rei certiores fecerunt Apoſtolos; à quibus in unum congregatis coetum apparitionem viciſſim Petro factam audierunt, Marc. 16. 12. Luc. 23. 13. 34.

Quintò apparet Apoſtolis ſimul congregatis.

CUm Apoſtoli omnes in eadem coacti domo, ſerà munitis foribus, verſarentur, eorum medius ſubitò ſpectandum ſe offerens Ieſus, pacem omnibus annunciavit. Subito aſpectu tamquam ad A ſpectrum aliquod turbari omnes; ſed confirmati à Ieſu intueri juſſi ſunt manus pedeſque ſibi jam notos, atque tactu explorare, carnem habere ſe pariter, & oſſa, corporis argumentum. His dictis, ſimul manus ſuas, pedes & latus oſtendit, & cùm non adhuc metum ab eorum cordibus excuſſum intelligeret, cibi aliquid, ſi quid haberent, poſtulavit. Oblatam piſcis aſſi partem, & favum mellis palam deguſtavit, iterumque pacem annuncians, ita deinde affatus eſt: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Tum inſufflans in eos, dixit: *Accipite Spiritum S. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, Luc. 24. B 36. 41. Ioan. 20. 19. 23.

S. Thomas e fide labitur. Sextò apparet S. Thomæ cæteriſque Apoſtolis.

E Coetu Apoſtolorum unus tunc aberat S. Thomas, qui vidiſſe ſe Ieſum affirmantibus Apoſtolis, fidem ſe nunquam eorum ſermonibus habiturum dixit, niſi digitis ipſe ſuis vulnera clavorum in manibus pedibuſque, tum & latus ipſius exploraret. Poſt dies octo, Apoſtolis unà cum S. Thoma, occluſis coenaculi foribus, apparuit Ieſus, qui poſt annunciatam omnibus pacem, ad Thomam converſus, *Infer*, ait, *digitum tuum huc, & vide ma-* C *nus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Thomas ſtupenti ſimilis, *Dominus meus, & Deus meus*, exclamavit. Tunc Ieſus: *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti; beati qui non viderunt, & crediderunt.* Multa equidem plura, quàm quæ referuntur in Evangelio, prodigia à Ieſu patrata fuiſſe S. Ioannes 20. 30. eſt author; *hæc autem ſcripta ſunt*, ait, *ut credatis, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*, Ioan. 20 26. 31.

Septimò apparet Diſcipulis ad mare Tiberiadis. Mira piſcatio.

D POſt octavam Paſchæ, cùm Apoſtoli ſeceſſiſſent in Galilæam, obvium habuerunt Ieſum ad mare Tiberiadis. Petrus, Thomas, Nathanael, Iacobus, Ioannes, & alii duo ex Diſcipulis in lacu Geneſareth verſabantur. Petrus piſcatum ſe ire dixit, ituros ſe pariter, & alii dixerunt. Quare conſcenſo omnes navigio, tota nocte jaciendis recipiendiſque retibus fruſtrà laborarunt. Mane alterius diei Ieſus in litore apparens, Diſcipulis incognitus clamavit, num aliquid piſcatu apprehendiſſent. Reſpondentibus illis fruſtra ſe laboraſſe, juſſit retia ad navigii dexteram jacere. Cùm paruiſſent, tanta repentè piſcium præda capta eſt, ut reducere retia E Diſcipuli vix poſſent. Tunc Dilectus Diſcipulus agnitum Ieſum Petro indicavit; ille veſte ſtatim præcinctus pelago ſeſe commiſit; quò citiùs ad litus perveniret. Reliqui reducendo navigio, retibuſque 153. immanibus piſcibus refertis, nec tamen reſciſſis, manſerunt. Cum igitur omnes ad litus perveniſſent, ex piſcibus afferri aliquid Ieſus præcepit; ſed cum attuliſſent, prunis impoſitum piſcem atque panem offenderunt; quæ ſimul cum Ieſu omnes deguſtarunt, nemine, quis eſſet, interrogare audente, cùm Ieſum eſſe haberent compertum. Ita tertiò ſpectandum ſe præbuit Ieſus poſt reſurrectionem ſuam pluribus ſimul Diſcipulis, Ioan. 21. 1. 14.

F *Jeſus paſcendum Gregem ſuum S. Petro committit.*

POſt deguſtatum ab Apoſtolis cibum, interrogavit Jeſus Petrum, num ab ipſo pluſquam à cæteris amaretur; eique affirmanti in hæc verba, *Tu ſcis, Domine, quia amo te*, Ieſus commiſit: *Paſce oves meas.* Tum iterum eadem interrogatione inſtitit; eademque alteri reponenti, eadem Ieſus injunxit. Tertio tandem eadem interrogatione pulſatus Apoſtolus, ait: *Domine tu omnia noſti, tu ſcis*

quia

quia amo te ; Et Ieſua : *Paſce oves meas* ; adjecitque : *Cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas, Cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis*. Proſecutus eſt : *Sequere me*. Paruit Apoſtolua ; ſed retrorſum converſus, cùm ſequentem pariter dilectum Ieſu Diſcipulum ſpectaſſet, quid de illo futurum eſſet, Magiſrrum ioterrogavit ; & ille ; *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te ? tu me ſequere* Rumor ex his verbis inter Diſcipulos increbuit, futurum, ut è mortis lege dilectus ille Diſcipulus eximeretur ; Ieſus tamen non eximendum dixit à morte, ſed tantùm: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te ? tu me ſequere*. Rumor ex his verbis inter Diſcipulos increbuit, futurum, ut è mortis lege dilectus ille Diſcipulus eximeretur ; Jeſus tamen non eximendum dixit à morte, ſed tantùm: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te ? Hic eſt Diſcipulus ille*, ſcribit S. Joannes 21. 24. *qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium ejus*, Joan. 21. 15. 24.

Jeſus octavò apparet pluſquam 500. ſimul in monte Galilææ.

COnvenerant Diſcipuli, Angeli juſſionibus parentes, in Galilæam ; & cum omnes in montem quendam veniſſent, in medio cœtu ſtantem Ieſum ſubitò ſpectarunt. Qua occaſione apparuiſſe Chriſtum cœtui pluſquam 500 fratrum, quorum plures vitam adhuc agebant, cum S Paulus primam daret ad Corinthios epiſtolam, credimus (1. Cor. 15. 5. 6.), Viſum igitur Magiſtrum omnes adorarunt ; dubitarunt tamen nonnulli, num verum corpus ſpectrum illud, quod coram cernebant, haberet ; reſurrexiſſe tamen Ieſum ne ambigebatur quidem. Ita verò Diſcipulos illos affatus eſt Ieſus : *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ; docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis ; & ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, Matt. 28. 16. 20.

Nono apparet Jeſus Diſcipulis, & cum illis familiarius agit in monte Olivarum.

AScenſuro in Cœlum Jeſu è monte Olivarum, redierunt Apoſtoli Jeroſolymam, ubi amicè iterum cum Magiſtro egerunt, commenſalem habuerunt, & incredulitati ſuæ ſuper Paſſione, & Reſurrectione Scripturarum ingeſſo teſtimonio exprobrantem. Tunc excuſſæ ex illorum mentibus tenebræ, oracula Scripturarum omnia, quibus & toleranda ab ipſo mala, & reſurrectio tertia die prædicebantur, patuerunt. Ex ipſis etiam Scripturis tunc primò intellexerunt Apoſtoli, annunciandam omnibus pœnitentiam, & criminum remiſſionem, omnibus, inquam, ab Jeruſalem ad univerſas uſque nationea. *Euntes ergo*, ait, *prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit ; qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur : In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt*, Marc. 16. 14. 18. Luc. 24. 44. 48. Act. 1. 3. & 9. 41.

Jeſus Chriſtus ſpectantibus Diſcipulis in Cælum aſcendit.

JUſſit poſt reſurrectionem ſuam Jeroſolymis manere, quandiu induerentur virtute ex alto, Baptiſmo ſcilicet Spiritus S. quem recepturi erant non poſt multos dies (Act. 1. 5. 6. 7.). Secundùm hæc, è Jeruſalem comitantibus Diſcipulis ſecedens, Bethaniam uſque proceſſit, tollenſque in Cœlum oculos, adſtantes omnes benedixit, atque ſubita quadam fulgentique nube obumbratus, ſtatim ex aſpicientium oculis evanuit. Cum diſcipuli euntem oculis proſequerentur, en ſubitò duo Angeli obviam facti, à quibus certiores ſunt redditi, Jeſum, quem mox in Cœlum ferri viderant, eo habitu certa die venturum. Secundùm hæc, Diſcipuli è monte Olivarum Ieruſalem venientes, in eadem ſimul æde manſerunt, jugibus vacantes orationibus, unà cum Maria Matre cæteriſque neceſſariis Jeſu, donec ſuperno Spiritus Sancti die Pentecoſtes illapſu, promiſſo cælitùs munere donati ſunt, Marc. 21. 19. Luc. 24. 49. 53. Act. 1. 5. 14.

DISSERTATIO
IN EVANGELIA APOCRYPHA.

IN ipſo Evangelii ſui limine narrat S. Lucas, plures Scriptores rerum ab origine Chriſtianæ Religionis geſtarum memoriam literis conſignaſſe ; cùm tamen illorum plerique ſive quàm par eſt fuſiùs, ſive quàm ferri poſſet breviùs, vel minus exactè Commentarios ſuos digeſſiſſent, operæ pretium ſe facturum cenſuit Evangeliſta, ſi limatius aliquid traderet, quò cæteris omnibus minùs perfectis Scriptoris fides detraheretur. Res ceſſit pro voto. Quatuor genuina Evangelia, nempè S. Matthæi, S. Marci, S Lucæ, & omnium poſtremum S. Joannis, ſola ab Apoſtolis probata, & ab inſignibus Eccleſiis recepta ſunt ; cætera oblivioni tradita, & neglectui. Nec minor eſt ambigendi locus, num aliquod ex Evangeliis ante S. Lucam ſcriptis noſtra ætate ſuperſit.

Sed mendacii pater, qui plures Pſeudo-Chriſtos, & Pſeudo-Prophetas falſis præſtigiis imponentes ſuſcitaverat, quò veris Jeſu Chriſti prodigiis fidea detraheretur, eodem aſtu impoſtores pariter ſuppoſuit, quorum fraude genuinæ Scripturæ corrumperentur, commentitiæ plures procuderentur, ut minor eſſet authoritas Operum S. Spiritus, nonniſi verba vitæ æternæ, & ſupremæ veritatis oracula continentium. Quod autem ioca te ſtupori eſſe debet, & admirationi, illud eſt, nimirum viros alioqui pios, & bonæ fidei plenos, ſed inſtructos parùm, id ſibi peſſimo planè exemplo ſuſcepiſſe, ut Libros procuderent, quos Religioni utiles autumabant, id reputantes, ut pia hac fraude Judæos, & Paganos incredulos in ſuas partes pertraherent. Quare nomine celeberrimorum apud illos Authorum Libellus quoſdam obtruſerunt, veluti Eſdræ, S. Jacobi, S. Petri ; eodemque conſilio ingeſſerunt Paganis carmina Sybillarum, Oracula rei Chriſtianæ adeo faventia, ut, ſiquidem cum veritate conſtarent, nullius non fidem credulitatemque extorquerent.

Plus

Plus tamen ab illis, quàm ut perſuaderi potuerint, rei Chriſtianæ commodis derogatum eſt. Ita enim inſerta mendaciis veritas, certaque dubiis corrupta anſam præbent Religionis oſoribus tum in veras genuinaſque Scripturas invidiam creandi, cùm etiam plura pro ſuo arbitrio procudendi, quibus ſub ampliſſimorum nominum obtentu veræ Scripturæ, & noſtræ Religionis ſanctiſſima dogmata concuterentur. Hac ſibi oblata detrectandi opportunitate uſos in nos conſtat Celſum, Porphyrium, & Julianum Apoſtatam; nec ab his armis deſiſtunt increduli noſtræ ætatis, qui Religionis veritati, & Librorum Sacrorum authoritati bellum indixerunt.

Incommodum ejus rei intelligentes SS. PP. id ſibi committendum cenſuerunt, ut Sacros Libros religioſè ſervarent; cautè verò Libros intra Canonicæ authoritatis arcem, parcèque reciperent. Factum inde, ut Eccleſiæ quamplures diu ancipites deliberarint, num quoſdam Scripturarum Libros, quibus nonnullæ ſingulares Eccleſiæ averſabantur, reciperent; factum pariter ut Concilia, & SS. PP. tum frequentes Sacrorum Librorum catalogos inſtruerent, tum ea ſcripta abiicerent, damnarent, ſupprimerent, ſive quæ Hæreticorum fraus, doluſque procuderat, ſive quæ præpoſtera Chriſtianorum quorundam pietas pariter, & inſcitia ſub ampliſſimorum nominum, Apoſtolorum nempe, vel Diſcipulorum, obtentu ſuppoſuerat.

Noſtræ ætatis fideles in iis, quæ ad Libros apocryphos ſpectant, ſatis ſuperque inſtruuntur. Quotuſquiſque enim illorum defendenda ejus generis ſcripta ſuſcepit? Contemptui jam illa & oblivioni tradita ſunt adeò, ut qui vel nomine Libros illos norint, rari occurrant. Abſit hoc autem à nobis, ut authoritatem illorum relevandam ſuſpiciamus; ſed cum nullius diſcriminis res ſit, ſcripta illa noſſe, ut argumentum illud fuſiùs tractemus quis prohibet? cùm maximè pluri-mùm conferre credendum ſit, ut de illis ſeriùs agatur, quò vana lucubrationum illarum ex raritate captata apud quoſdam æſtimatio tollatur; æſtimatio, inquam, quorundam ſuſpicantium, ideo potiſſimùm in latebris illas occultari, quòd ſolidis argumentis refutari non valeant. Porrò fabellæ & ſuppoſitionis aperta adeo exhibent Scripta illa documenta, ut vel parum legiſſe, refutaſſe ſit.

En catalogus Pſeudo-Evangeliorum, quorum ad nos ſcripta nomina in Operibus Patrum pervenerunt. Extant nonnulla noſtra etiam ætate; alia verò penitus interciderunt.

1 Evangelium ſecundum Hebræos.
2 Evangelium ſecundùm Nazaræos.
3 Evangelium duodecim Apoſtolorum.
4 Evangelium S. Petri.

(Hæc quatuor Evangelia facilè unum idemque habenda ſunt, vario tantum nomine diverſa.)

5 Evangelium ſecundum Ægyptios.
6 Evangelium Nativitatis S. Virginis. Extat Latinè.
7 Protevangelium S. Jacobi, Græcè, & Latinè.
8 Evangelium Infantiæ Salvatoris, Græcè & Arabicè.
9 Evangelium S. Thomæ, idem, ac præcedens.
10 Evangelium Nicodemi, Latinè.
11 Evangelium Æternum.
12 Evangelium S. Andreæ.
13 Evangelium S. Bartholomæi.
14 Evangelium Apellis.
15 Evangelium Baſilidis.
16 Evangelium Cerinthi.
17 Evangelium Ebionitarum.
18 Evangelium Encratitarum. Idem, ac Tatiani.
19 Evangelium Evæ.
20 Evangelium Gnoſticorum.
A 21 Evangelium Marcionis. Idem ac S. Pauli.
22 Evangelium S. Pauli. Idem ac Marcionis.
23 De S. Mariæ Interrogationibus majoribus, & minoribus.
24 Liber de Nativitate Salvatoris. Facile idem, ac Protevangelium S. Iacobi.
25 Evangelium S. Ioannis. Aliter Liber Interitus S. Virginis.
26 Evangelium S. Matthiæ.
27 Evangelium Perfectionis.
28 Evangelium Simonitarum.
29 Evangelium ſecundùm Syros.
30 Evangelium Tatiani. Idem ac Encratitarum.
B 31 Evangelium Thadæi, vel S. Judæ.
32 Evangelium Valentini. Idem ac Veritatis.
33 Evangelium Vitæ, ſeu Evangelium Vivum.
34 Evangelium S. Philippi.
35 Evangelium S. Barnabæ.
36 Evangelium S. Iacobi Majoris.
37 Evangelium Judæ Iſcariothæ.
38 Evangelium Veritatis. Idem, ac Valentini.
39 Evangelia Lucii, Seleuci, Luciani, Heſychii.

Plura ex his unum idemque habenda ſunt, varias licèt prætulerant inſcriptiones, ut proinde multò breviorem eorum catalogum conficiendum crediderim. Sed eorum Scriptorum numerum ſanè amplum ea, quæ inferiùs dicenda ſunt, demonſtrant. C

Præter Pſeudo-Evangelia impoſtorum fraudibus procuſa, ſunt etiam Acta quædam Apoſtolorum, & Epiſtolæ Jeſu Chriſti, SS. Virginis, Apoſtolorum, ac tandem Apocalypſes nonnullæ, de quibus in Prolegomenis ad Acta, ad Apocalypſim, cæteraſque Apoſtolorum Epiſtolas.

In Prolegomenis ad S. Matthæum, adductis argumentis probandum ſuſcepimus, 1. *Evangelium ſecundùm Hebræos*, 2. *Evangelium Nazaræorum*, 3. *Evangelium duodecim Apoſtolorum*, 4. *Evangelium S. Petri*, unum idemque Evangelium Hebraicum S. Matthæi habenda eſſe; quæ illic fuſiùs demonſtrata, hic repetere ſupervacaneum ducimus. D

5. *Evangelium ſecundùm Ægyptios* laudatur à S. Clemente Papa, ep. 2. §. 12 à S. Clemente Alexandrino, Strom. l. 3. p. 445. à S Epiphanio hær. 62. S Hieronymo Procem. in Matth. Theodoto, in calce Oper. S. Clemen. Alexand. Origene in Matth. Tito Boſtrenſi, & Theophylacto in Matthæum. Vetuſtiſſimum eſt omnium Apocryphorum Evangeliorum, quorum cognitio ad nos uſque pervenerit.

S. Clemens Papa laudat ex eodem Evangelio hiſtoriam hominis, qui Jeſum Chriſtum interrogavit, quo temporis articulo mundi exitus definitus eſſet: cui Jeſus reſpondit apud Clemen. E Rom. loc cit. *Cùm duo erunt unum, & quod foris, ut quod intus, & maſculum cum fæmina neque mas neque fœmina:* addit S. Clemens Alexandrinus: *Quando pudoris indumentum conculca veritis.* His verbis inſinuatur, quantùm credimus, ſecundum Jeſu Chriſti adventum nonniſi poſt reſurrectionem hominum futurum; tunc, ait, homines nullo pudore nullave concupiſcentiæ titillatione nuditatem ſuam prodent, ut proinde ad Angelorum veluti ſtatum reducantur, qui non nubunt, neque nubentur. Facilè etiam inſinuatur recepta illa apud Veteres opinio, diſcretionem ſexuum nullam in reſurrectione futuram. F Poteſt etiam non incongruè ſententia illa uſurpari de conſtitutione Eccleſiæ Chriſtianæ populis Judaico, & Gentili in unam Eccleſiam coaleſcentibus.

Legitur etiam in eodem Evangelio, apud Clem. Alex l. 3. Strom. Salomen Jeſum interrogaſſe, quoadusque homines morti futuri eſſent addicti. *Dixit Dominus, quoaduſque vos mulieres parietis. Cumque ea dixiſſet: Rectè ergo feci, quæ non peperi; excepit Dominus, dicens: Omni herba veſcere,*

ea

ea autem quæ habet amaritudinem, ne veſcaris. Hanc etiam ex eodem Evangelio Servatoris verba laudat idem S. Clemens, de amore & generatione ſententiam: *Veni ad diſſolvendum opera feminæ*: Qualibus abuſionibus ſententiæ illæ paterent, ſatis, quantum arbitror, Lectores intelligent. Profectò Hæretici, qui generationem tollere è mundo ſatagebant, quique viciſſim incontinentiæ laxabant fræna, illas plenis buccis prædicabant. Cùm tamen ænigmaticum quiddam præferrent, poterant pravo æquè rectoque ſenſu uſurpari; ita nomine *herbæ amaræ* peccatum reddi potuit; *operum feminæ*, crimen originale, quod è fœmina divini præcepti prævaricatrice in poſteros derivatum eſt.

Narrat S. Epiphanius, Sabellianos erroris ſui patrocinium ex eodem Evangelio quæſiviſſe, laudantes illud tanquam à Chriſto dictum: *Eundem eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*; quod ſane Catholico ſenſu uſurpari potuiſſet, de tribus nempe Perſonis Divinis, unius ejuſdemque communione naturæ junctis. Sed æquè favere poterat Hæreticis, ſi ad eam ſententiam pertraheretur, quæ nimirum tres illas perſonas ita conjungeret, ut in nullo diſtingueret.

Non defuerunt, qui ſuſpicarentur, Evangelium illud cum Evangelio Baſilidis confundendum, quòd ſcilicet in Ægypto errores ſuos Baſilides diſſeminaſſet (1). Autumavit Baronius, Hæreticos quoſdam Ægyptios ſcriptum illud ſub ſpecioſo S. Marci nomine procudiſſe (2). D. Grabe in Spicil. PP. t. 1. pag 31. perſuaſum habuit, opus eſſe Fidelium Ægypti, antea ſcriptum, quàm S. Lucas ſuum illud Evangelium adornaret; nec alterum potiſſimùm ſpectaſſe credit Evangelium S. illum Scriptorem, cùm in ipſo Operis ſui limine, rerum ab exordio Eccleſiæ geſtarum hiſtoriam, plures ſcribendam ſuſcepiſſe deſignat. D. Millius maluit ſcriptum in gratiam Eſſeniorum, quos ille primores, & perfectiſſimos Eccleſiæ Ægyptiacæ Chriſtianos arbitratur (3). Scitum eſt, quo illi literaturæ genere maximè delectarentur, parabolico ſcilicet, & allegorico; notumque quanti caſtitatem æſtimarent; quæ duo planè ſub oculos ingerunt rara illa fragmenta ex eodem Evangelio ad nos uſque deducta. Sed quò certius ea de re ferri poſſit judicium, integrum Opus, quòd penitus intercidit, iis exceptis fragmentis ſupra deſcriptis, legiſſe oporteret.

6. *Evangelium Nativitatis B. Virginis.* Tria nota ſunt de ortu Virginis Evangelia, duo integra ſuperſunt. Omnium potiſſimum habendum eſt Protevangelium, S. Jacobi Minoris Epiſcopi Jeroſolymitani nomine inſcriptum. Extat Opus Græcè, & Latinè. Alterum eſt Evangelium Nativitatis Beatæ Virginis Latinè, cum epiſtola ſcripta nomine Chromatii, & Heliodori ad S. Hieronymum, qua ambo illi Viri Sanctiſſimi rogant S. Doctorem, ut opus illud ex Hebræo Latinum faciat. Addita eſt, & Epiſtola S. Hieronymi ad eoſdem, qua votis illorum ſe annuiſſe profitetur. Sed Epiſtolæ, & opus pariter inter apocrypha reiicienda ſunt. Evangelium Latinum Nativitatis Beatæ Virginis nil aliud eſt quàm epitome *Protevangelii S. Iacobi*, de quo nos fuſiùs agendum ſuſcepimus in Diſſertatione, qua conciliare aggreſſi ſumus duas genealogias I. C. apud Lucam, & Matthæum.

Tertium tandem Evangelium Nativitatis B. Virginis intercidit, cujus S. Epiphanius aliquid, non leve quidem, ſed fabuloſum refert, quod etiam habet Serapion Epiſcopus Tmuenſis in ſuo libro adverſùs Manichæos. Porrò S. Epiphanius hær. 26. num. 12. hæc de Evangelio illo refert. Zacharias Pater Ioannis Baptiſtæ, cùm in Templo muneri ſuo thymiamatis offerendi vacaret, hominem aſini ſpeciem præſeferentem obvium habuit, cujus aſpectu territus è Templo ſe proripiens exclamavit: *Væ vobis! quem tandem adoratis?* Ne ulteriùs clamaret, monſtrum manu ſua os ejus occludens prohibuit. Poſtquam loquendi priſtinam facultatem poſt natum Ioannem Baptiſtam obtinuit, myſterium iniquitatis prodere auſum Iudæi in Templo occiderunt; ubi cruenta ejus necis veſtigia pavimento impreſſa diutiùs manſerunt.

Narrat etiam S. Auguſtinus contr. Fauſt. lib. 23. cap. 9. in Libro Nativitatis Mariæ, quo utebantur Manichæi, memoriæ proditum, Ioachimum Patrem SS. Virginis ad Tribum Levi ſpectaſſe, cum in aliis Libris, qui extant ejuſdem argumenti, è Familia David, adeoque è Tribu Iuda repetatur. Protevangelium nihil quidem habet ſatis expreſſum de genere, ſed è ditiſſima & gregibus locupletiſſima domo deducit. Porrò Scripta iſta omnia è Protevangelio, uti facilè credimus, deducta, longam præſeferre antiquitatem negaverit nemo, qui primis Eccleſiæ ſæculis laudata apud PP. animadvertit. S. Epiphanius Hæreſ. 26. 12. Gnoſticis tribuit. Origenes lib. 6. 11. in Matt. pag. 223. & Tertullianus Scorp. cap. 8. ad illa interdum alludunt. Serapion Scriptor quarti ſæculi contra Manichæos, S Gregorius Nyſſenus homil. de Nativitate B. M., S. Hieronymus contra Helvid., S. Zeno Veronenſis hom. 6. de Nativit., Author Operis imperfecti in Matthæum hom. a Euſtathius Antiochenus in Hexaemer. ſive alius quiſpiam ſub ejus nomine ab Allatio vulgatus, S. Petrus Alexandrinus Can. 13. de Pœnitentia, aliique plures iiſdem Operibus uſi ſunt.

8. *Evangelium Infantiæ Salvatoris.* Opus tota antiquitate notiſſimum (4). Arabicè extat cum Latina verſione Henrici Sikii. Ejus Græcum fragmentum vulgavit D. Cotelerius, cui Author inſcribitur Thomas quidam. Scatet Opus prodigiis a Ieſu prima adhuc ætate puero, ſive in itinere ad Ægyptum, ſive cùm Nazareth rediiſſet, uſque ad annum ætatis duodecimum, factis. Pleraque tamen ſupra fidem, & puerilia ſunt adeò, ut vix credulis mulierculis perſuadeantur. Quin & S. Ioannis Evangeliſtæ teſtimonio ſcimus, aquam in vinum tranſmutatam ad nuptias in Cana primum fuiſſe ſignorum Ieſu Chriſti (5). Vix ſanè aliter fieri potuiſſet, ut Ieſus in oblivione tandiù maneret, ſi à prima ineunte ætate tanta prodigiorum gloria claruiſſet.

Sunt qui Operis hujuſce Authorem crediderint S. Petrum, alii S. Matthæum, S. Thomam; multò tamen vero propiùs Hæreticis primorum Eccleſiæ ſæculorum tribueretur. Porrò uſos eo Libro Marcionitas, quod genus erat Gnoſticorum, S. Irenæus l. 1 c. 17. eſt author. Meminit illius ſub nomine Evangelii S. Thomæ Apoſtoli Origenes, S Ambroſius, & S. Hieronymus; ſed S. Cyrilli Ieroſolymitani Cathech. 6. teſtimonio conſtat, non Apoſtolo S. Thomæ, ſed uni ex tribus diſcipulis Manetis, Thomæ tribuendum. Porrò tres illi Diſcipuli ſunt Thomas, Buddas, & Hermas. Verùm ſi Thomæ Manetis diſcipulo Opus aliquod de Infantia Salvatoris vindi-

(1) Apud Albertum Fabric. de Apocryph. N. T. Pag. 335. (2) Baron. ad an. 44. num. 48.
(3) Mill. Proleg. 50. in N. T. Græc. (4) S Iren. adverſùs hæreſ. l. 1. c. 17. Epiphan. hæreſ. 51. n. 20. Orig. hom. 1. in Luc. Chryſoſ. hom. 16. & 20. in Joan. Ambroſ. proœm. in Luc. Hieron. Præfat. in Matt. Euſeb. l. 3. Hiſt. Eccl. c. 25. Cyrill. Jeroſol. Catech. 4. & 6. Athanaſ. in Synopſi. Alii plures apud Albertum Fabric. de Apocryp. N. T. (5) Joan. 2. 11.

vindicetur, alterum ſane illud reputandum eſt ab A eo, quod ætate noſtra ſupereſt, laudaturque à S. Irenæo, & Origene, ac vetuſtiorem præ Manete ætatem præfefert. Sanè Gelaſius, & Timotheus Presbyter (1) duo hæc ſcripta, Evangelium Thomæ, & Infantiæ luculenter diſtinguunt. Facilius tamen unum idemque Opus reputaremus, deceptumque arbitraremur S. Cyrillum, ejus Authorem Thomam Manichæum aſſignantem. Ille profectò nullum aliud opinionis ſuæ habuiſſe potuit fundamentum, quàm quòd eo opere familiarius uterentur Manichæi, quemadmodum S. Auguſtinus, aliique poſt ipſum plures obſervant (2).

Hæc ſumma prodigiorum, quæ in Libro Infantiæ Salvatoris leguntur. *Invenimus in Libro Joſephi* B *Pontificis, alio nomine Caiphæ, Jeſum locutum eſſe, & quidem cum in cunis jaceret* (idem pariter, & in Alcorano ſæpiùs legas). Cùm Joſeph, & Maria Bethleem accederent, ſignificavit mulier ſancta conjugi ſuo partus ſui horam inſtare; quare cum ad Urbem pervenire non poſſent, ibique in ſpeluncam divertêre, ubi fœtum ſuum illa edidit. Eo temporis intervallo quæſiturus obſtetricem aberat Joſephus, qui una cum inventa fœmina vix ſpeluncæ limen attigerat, inſueto fulgore locum irradiatum, natumque puerum in præſepio jacentem, pannisque obvolutum admiratus eſt. Tetigit infantem obſtetrix; nec mora, præſentiſſimum illud lepræ, qua C tenebatur, remedium experta. Apparuerunt per viſum paſtoribus in medio ſubitò coruſcantis lucis Angeli, quemadmodum & in S. Luca relatum eſt. A Circumciſi in ſpelunca Infantis præputium ab obſtetrice ſolerti cura ſervatum eſt, repoſitumque in alabaſtrino vaſe, pretioſis unguentis referto. Porrò vas illud deinde emens Maria peccatrix, Jeſu Chriſti pedes inunxit.

Quarta à nato puero die, Angelorum ſatellitio ſtipatus, oblatus fuit in Templo, in ulnis Simeonis receptus, Anna interim Propheti ſſa gratias agente Deo quam maximas. Venerunt Magi, juxta vaticinium Zoroaſtri, quos Maria panniculo Infantis pretioſiſſimi muneris loco donavit; redieruntque D deinde in regionem ſuam, Angelo in formam ſyderis reducente, quem ducem antea itineris habuerant.

Faſcia illa à Magis Mariæ dono accepta, in ignem projecta illæſa reducta eſt. Decreverat Herodes infantes omnes Bethleemiticos trucidare; qua de re admonitus per ſomnium Joſeph, atque in Ægyptum ſecedere juſſus, cùm Alexandriam veniſſet, corruit Idolum (Serapidis), ingenti terræ concuſſione regio univerſa turbata eſt, obſidentes filium Sacerdotis Dæmones ad contactum panniculorum Jeſu fugati. Joſeph & Maria Paganorum metu ex Urbe ſe proripientes, cum divertiſſent in deſertum, E ſpeluncam Latronum ſubierunt. Ne quid gravius ab illis paterentur fecit ſubitus quidam fragor, cujus terrore in fugam ſe dare coacti ſunt. Obſeſſa a malis ſpiritibus fœmina ſanitati reſtituta eſt; fœmina quædam, ſingulis noctibus Dæmonis in formam anguis ſævitie vexata, liberata eſt; lepræ incommodum nullum ultra ſenſit alia itidem fœmina, quæ aquis Jeſu Chriſti lotione ſanctificatis corpus ſuum lavit, quo itidem remedio convaluit puer quidam leproſus.

Ne conjugium ſuum conſummaret, maleficium aliquod hominem quendam prohibebat; exſufflata ſunt ſtatim omnia. Juvenis quidam in mulum transformatus erat, ſtatim ad priſtinam figuram. F Cum Titus & Dumacus, ambo latrones, liberos abire permiſiſſent Joſeph, & Mariam, ambos unà ſecum in crucem levandos Jeſus Chriſtus prædixit. Venerant Matarama ad fontem, ubi poſt lotam Infantis tunicam à Matre, in fonte balſamum vireſcens apparuit (ea loci alia quædam prodigia facta narrat Sozomenus l.5.c.21.) Manſerunt triennio in Ægypto, ubi pluribus prodigiis, nuſſibi deſcriptis, Jeſus Chriſtus inclaruit. Tandem monitu Angeli Joſephus redire Nazareth juſſus, primò Bethleem contendit, ubi & puerum gravi morbo affectum ſanitati, & defunctum alterum aqua Jeſu Chriſti lotione ſanctificata vitæ reſtituit.

Unius conjugis uxores duæ filium quæque ſuum morbo affectum dolebant, quarum altera ad Mariam confugiens, panniculis Jeſu acceptis, valetudinem contulit filio. Æmulæ filius deceſſit, quod ſimultati in alteram augendæ cauſa fuit. Eò proceſſum eſt, ut mortui filii mater vivum alterius in candentem furnum immitteret; ſed nihil inde incommodi in puerum. Poſt aliquot dies criminoſa illa mulier in puteum decidens, interiit. Mulier altera duorum filiorum mater alterum extinctum dolebat, alterum mox extinguendum; ſed poſtremi hujus valetudo ſtatim reſtituta eſt, cum in lectulo pueri Chriſti jacuit; porrò idem eſt puer ille, qui deinde Bartholomæus in Evangelio. Leproſam fœminam mundavit aqua, qua Jeſus lavit, ſicut & alteram eodem morbo afflictam; Dæmonem tandem puellam quandam draconis aſſumpta forma torturum expulit Jeſus.

Judas filius mulieris cujuſdam Dæmone agitabatur (Judas eſt Iſcariothes): hic Jeſu latus momordit, & ſalva omnia (idem eſt latus in paſſione lanceà transfoſſum). Fabricabat ſemel Jeſus per ludum è luto animalia una cum aliis pueris; ſed fabricata à Jeſu vita ſtatim donabantur, ut nihil illis deeſſet, non motus, non cibi capiendi facultas (ejuſdem prodigii meminit Alcoranus Surat 3. & 5. & *Toldos Jeſu*). Accidit, ut verſans ſemel in officina tinctoris, pannos, quos ibi fortè offendit, ſimul omnes in cacabum tinctorium injiceret, tum eductos peculiari ſingulos ad voluntatem domini colore imbutos exhibuit. Diſcurrebat Joſeph unà cum filio ſuo Jeſu per Urbis ædes, carpentariam, ſive lignariam exercens: quòd ſi fortè aliquod minus quàm pro voto brevius, ſive prolixius occurreret, Jeſus ad menſuram reddebat. Ita Regis Jeruſalem ſolium ampliavit, ſolium, inquam, pretioſiſſimis lignis, jam inde ab ætate Salomonis ſervatis, biennali opere à Joſepho fabricatum.

Ludentium puerorum turbæ ſeſe immiſcuerat Jeſus, in hædos pueros illos transformans, tum & ad priora reſtituens. Pupugerat puerum quendam vipera, & Jeſus adducto puero ante belluæ foramen, illam accivit, jubens ſugere quantocius vulnus; ex quo factum ut anguis necaretur, tum & puer ſanitati reſtitutus, inter Diſcipulos Liberatoris ſui futurum ſe tandem ab ipſo eodemque intellexerit; ipſiſſimus eſt autem Simon Zelotes. Miſit Joſephus Jacobum filium ſuum unà cum Jeſu ligna in nemore quæſituros; factum eſt autem, ut vipera Jacobum morderet, qui tamen Jeſu Chriſti opera convaluit. Cum fortè puer quidam cum Jeſu verſaretur, è tecto ædium lapſus in præceps interiit; accuſatus eſt de parricidio Jeſus; ſed ille extincto puero loquendi facultatem, reſtituens egregiè ſe coram omnibus purgavit. Miſſus afferendis aquis, lagenam caſu fregit, nec tamen inde aliquid ex aquis effluxit, quas in pallio tulit ad Matrem.

Die quadam Sabbati Jeſus luteum quendam fontem fabricavit, luteis item paſſerculis in ejus margine conſtitutis. Actutum violati Sabbati reus Anano defertur; accurrit ille, oculatuſque teſtis non ſine admiratione avolantes aves ſpectavit; fontem verò eùm deſtruere niteretur Anani filius, evanuit aqua; quo pariter emblemate deſignari futurum, ut ejus vita evaneſceret. Jeſus non fruſtrà pronunciavit; illico enim areſcens occubuit: quo eodem fatu interemptus eſt puer, Jeſum impellens, ut

(1) Timoth. Presb. Conſtantinop. lib. de his, qui ad Eccl. accedunt, edito à Meurſio de variis divin. p.117.
(2) Auguſ. contra Adimant. c.17. lib.12. contra Fauſt. c.79. & lib.4.1. de ſerm. Domini in monte c.30.n.65.

caderet, cadens enim puer ille protinus expiravit. Ludimagiſter quidam Jeroſolymæ inter Diſcipulos ſuos habere Jeſum cupiebat, quem ille altis adeò quæſtionibus tentavit, ut quem Diſcipulum habere volebat, hunc ſibi magiſtrum ſentiret. Tandem ſolus alphabetum recitavit, hærente magiſtro præ ſtupore; cum autem ipſe magiſter verberaturus puerum manus extenderet, aruit illico manus, tum & intercluſo ſpiritu vir ille occubuit.

Duodennis Ieſus ad Urbem ſanctam veniens, inter medios Doctores ſeſe conſtituens, plura viros interrogabat, & reſpondebat itidem plura, non de Lege tantùm, ſed in Philoſophia etiam, Aſtronomia, omnique ſcientiarum genere, ex quo in admirationem ſui rapuit univerſos. Redit inde Nazareth cum parentibus ſuis, ad trigeſimum uſque ætatis annum commoraturus; *Atque ab hoc die miracula, arcana, & ſecreta ſua occulere cœpit*. En brevis conſpectus Evangelii Infantiæ Arabicè à Sikio editi.

E' Græco quodam Fragmento, à D. Cotelerio vulgato, conſtat paulò alium fuiſſe in Græco Codice prodigiorum ordinem, & narrationem. Primum ibi prodigium occurrit de 12. paſſerculis luteis, quos Jeſus ad vitam vocavit. Legitur etiam ibidem prodigium de aqua ſontana ad puriores latices reſtituta, de ſanitate, & motu reddito filio Anani, quem priùs membrorum ſtupore perculerat, quòd ſontanas aquas ſuas effudiſſet; ne tamen unquam prodigii memoria intercideret, ex artubus unum arentem reliquit. Accidit ut puer quidam inambulantem per viam Jeſum retro poſt terga tenerct, cui minitans non ultra iret ſuum proſequuturum ipſe Jeſus denunciavit. Nec mora, puer exanimatus intercidit; parentes verò ipſius querelas ea de re ſuas ad Joſeph deferentes, luminum orbitate à Ieſu percuſſi ſunt. Sublatos ea de re clamores intelligens Joſeph, Jeſu filii ſui aures violentè diſtraxit; quare Ieſus in patrem iraſcens, Satis ſit tibi, ait, has gentes quærere nec invenire; non planè egiſti ſapienter; ſuccurrat tibi me filium tuum eſſe, & quietum relinque. Secundùm hæc legitur hiſtoria ludimagiſtri, & fullonis. Ex his ſatis, quantùm arbitror, intelligimus, Græcum Evangelium plus etiam quàm Arabicum, cujus nos epitomen dedimus, impudentia, & fabellis ſcatere.

10. Evangelium Nicodemi, Opus eſt apud Veteres incognitum, cujus nullum apparet apud Græros Authores veſtigium. Meminit illius, ſed tamquam Operis alterius relatione comperti, *Synaxarion* Græcorum, Liber recentiſſimus, cujus Author nunquam facilè Evangelium illud viderat. Laudantur ſæpè apud veteres Acta Pilati (1), quæ Evangelii hujus Authori veluti Operis ſchema exhibuerunt; occurrunt enim in Evangelio quæcumque in vetuſtis Actis referebantur, ſed fabellis plurimis vitiata ſunt. Ætate Pauli Oroſii (2), & S. Gregorii Turonenſis (3) altum erat de Evangelio Nicodemi ſilentium; laudantur tamen ab illis Acta Pilati.

D. Fabricius perſuaſum habet (4) procuſum eſſe Opus, quale noſtra ætate ſupereſt, ab Anglis, recepta ſemel apud illos opinione de Nicodemo primo regionis ſuæ Apoſtolo. Id ſanè conſtat, Evangelium, quale hodie ſupereſt, recentiorem eſſe fabellam, quàm quæ veteribus Patribus Acta Pilati laudantibus innotuerit. Latinum hujus Evangelii pedeſtre eſt maximè, & barbarum; Græcè nunquam ſcriptum eſt; eamque præſefert eloquii rationem, quæ nonniſi poſt plura à Chriſto ſæcula innotuit.

Veteri Pilati Acta Opus fuiſſe credimus deductum ex Epiſtola ejuſdem Præſidis ad Tiberium, qua de rebus Ieſu Chriſti certiorem Principem faciebat; ſed Nicodemi Evangelium prolixior eſt lucubratio, moroſa, barbara, fabellis referta, Authoris fraude

A Nicodemi Iudæi nomine inſcripta. Nihilo meliori fide Hebraicis literis primùm traditam fuiſſe vulgatum eſt.

Porro genuina Pilati epiſtola pia quadam ſed præpoſtera Chriſtiani alicujus fraude deformata in Librum ſatis prolixum inſcriptumque, *Acta Pilati*, tranſivit. His Actis lapſu temporis intercidentibus, Latinum aliud eorum loco procuſum eſt Opus, inſcriptum: *Evangelium Nicodemi*.

Quidquid tandem ſit, legitur in eo Evangelio, Annam, Caipham, Summam, Datam, Gamalielem, Iudam, Levim, Nephtalim, Alexandrum, Cyrum diem dixiſſe Ieſu Chriſto coram Pilato; Pilatum verò diu multumque reluctantem, quin ſen-
B tentiam in illum diceret, importunitate tamen, & minis accuſatorum victum, tandem eorum mentibus Crucis ſupplicio interimendum permiſiſſe. Porrò interrogationes Pilati, accuſationes Iudæorum, quæque pro ſe dixit Ieſus Chriſtus fusè ſatis, & prolixe referuntur. Paruit Nicodemus, defendendi Ieſu partes in ſe ſuſcipiens, una cum Paralytico illo, qui ad Probaticam ſanitati reſtitutus eſt, cum cæco à nativitate, qui oculorum facultatem ejus beneficio receperat, ac tandem cum fœmina ſanguinis profluvio integro 12. annorum ſpatio laborante, cujus morbi præſentiſſimum remedium ſolo tactu fimbriæ Ieſu Chriſti experta eſt. Huic fœminæ Veronicæ
C nomen tribuitur. Frequens pariter teſtium turba pro Ieſu ſtans ibidem inducitur, prodigiorum, quæ ipſi explorato cognoverant, in ejus favorem, numerum, & magnitudinem ponderantes. Fruſtra tamen hæc; Iudex enim dicta in illum ſententia ad Crucem inter duos fures *Dimam*, & *Geſtam* damnavit.

Ad Calvarium itaque deductus, Cruci ſuffigitur, ſtatuto ad dexteram pari ſupplicio affectum *Dimam*, ad ſiniſtram *Geſtam*. Longinus Chriſti latus haſta transfodit; Dimas reſipuit. Inferendi ſepolchro cadaveris Ieſu curam in ſe ſuſcepit Ioſeph ab Arimathia; quare invidia in ſe Optimatum Iudæorum concitata, carceri traditus fuit; unde intempeſtæ noctis ſilentio non ſine ingenti prodigio liberatur;
D namque opera quatuor Angelorum quatuor ædificii parietibus in altum ſublatis, ut abiret, captivo liberum ſpatium factum eſt; tum ædificium in priſtinum ſtatum reſtitutum. Milites excubias ante ſepulchrum agentes, Reſurrectionem Ieſu Hebræis narrarunt, ſed eorum deinde auro corrupti falſos ea de re ſermones ſparſerunt in vulgus. Tres viri Scribis renunciarunt, vidiſſe ſe Ieſum in Monte Olivarum, ſermonem cum Diſcipulis miſcentem; ſed illis affirmantibus credere recuſarunt. Joſeph ab Arimathia narravit Annæ, & Caiphæ, plures ex ſenioribus unà cum Ieſu ad vitam rediiſſe, quos inter duos fratres longævi Simeonis, qui in ulnas ſuas puerum Ieſum exceperat; narravit pariter duos ipſos Simeonis
E fratres in Arimathia commorari. Acciti illi Ieroſolymam, plura venditarunt de adventu Ieſu Chriſti ad Inferos, deque ipſius unà cum aliis pluribus Reſurrectione; referebant totidem verbis colloquium Sathanæ Principis mortis cum Lucifero Principe Inferni, qui coram ſe ſtatuendum Ieſum Chriſtum, quemadmodum, & cæteros omnes defunctos, contendebat. Sed Ieſus apertis inferni foribus, ſecum juſtos omnes adduxit, tetro tantùm in carcere malis ſpiritibus una cum reproborum manibus relictis.

Aſcendentibus ergo in Cœlum viris juſtis Henoch, & Elias occurrerunt, ſociique accedentes inter eundum narrabant, quæ ſe noviſſima Mundi die contra
F Antichriſtum agenda manerent. Supervenit tandem, & probus Latro, crucem ſuam portans, & ipſe pariter cum toto cœtu in Paradiſum introductus eſt. Hæc duorum fratrum Simeonis, *Charini* nempè, & *Lenthii* relatione Ieroſolymis comperta ſunt; & nequid eorum interiret, hiſtoriam hanc omnem

literis

(1) Juſtin. Martyr. Apol. 1. p. 76. & 84. Tertull. Apologet. c. 21. Euſeb. Chronic. l. x, ad an. 5051. & Hiſtor. l. 2. c. 2. Epiphan. hæreſ. 50. n. 1. Chryſoſt. hom. 7. in Paſch. (2) Paul. Oroſ. lib. 7. hiſt. c. 4. (3) Gregor. Turon. lib. 1. Hiſtor. Franc. c. 21. (4) Fabric. de Apocryph. N. T. pag. 235.

literis mandarunt; raptimque tranſlati in Transjordana inventi ſunt.

Horum omnium certior factus Pilatus, ad Templum ſe conferens, oſtendi ſibi ſacros Libros à Sacerdotibus juſſit, invitoſque licèt, & reluctantes fateri coegit Jeſum Chriſtum ipſum eſſe Meſſiam in eorum Scripturis prænunciatum. Clauditur Evangelium illud hac temporis adſcriptione. *In nomine Sanctæ Trinitatis expliciunt geſta per Salvatorem Jeſum Chriſtum, quæ invenit Theodoſius Magnus Imperator in Jeruſalem in prætorio Pontii Pilati, in Codicibus publicis. Facta in anno decimonono Imperatoris Tiberii Cæſaris Romanorum, & Herodis filii Herodis Regis Galilææ, anno decimoſeptimo principatus ejus*, VIII. *Calendas Aprilis, quod eſt* XXIII. *die menſis Martii, Conſultoria Revelationis in anno* CCII. *Olympiadis, ſub Principatu Judæorum Joſephi, & Caiphæ; quanta poſt crucem, & paſſionem Domini hiſtoriatus eſt Nicodemus literis Hebraitis.*

Extant geminæ Latinæ epiſtolæ Pilati ad Tiberium de obitu Jeſu Chriſti, utraque tamen recentiſſima, & ſuppoſititia. Lambecius Græcas legerat; ab illis referendis in præſentia parcimus. Adeat, ſi quis vult, Libros Apocryphos N. T. à Fabricio vulgatos.

Scitum eſt, referente Euſebio, Paganos ſub Maximiano Imperatore Acta quædam Pilati blaſphemiis in Jeſum Chriſtum refertiſſima longè lateque vulgaſſe, mandatis onerantes Ludimagiſtros, ut illa pueris edocenda traderent in Scholis. Opus illud penitùs intercidit, ejuſque commentum ex falsâ temporis adſcriptione prodit Euſebius; conſignabantur enim quarto Tiberii Conſulatu, nempe Imperii ipſius ſeptimo, cùm Pilatus nonniſi Imperii illius duodecimo in Provinciam Judæam veniſset (1).

11. *Evangelium æternum* recens eſt viri Religioſi ex ordine Mendicantium ſæculi 13. commentum. Porrò Author ſententia Alexandri IV. ad ignem damnatus eſt, quamvis clam ſupplicium illud ſubierit, ne in Fratres crearetur invidia (2). Nomen Evangelii æterni ex illo Apocalypſis 14. 6. derivatum eſt, in quo Angelus Evangelium hoc æternum per totam latè terram omneſque gentes evulgat. Porrò Author, qui opus ſæculo 13. ſuppoſuit, prædicebat futurum, ut Evangelium Jeſu Chriſti penès Eccleſias receptum tandem, vel aboleretur, vel ſaltem abrogaretur; quemadmodum Legis Moſaicæ præcepta cæremonialia, & judicialia locum dare Evangelio juſſa ſunt. Porrò de hoc Evangelio fuſiùs in Prolegomenis ſuper Apocalypſim.

12. *Evangelium S. Andreæ*, ex uno fermè decreto Gelaſii, quo cenſura inuritur, notum eſt. De Actis S. Andreæ, opere nec incognito nec obſcuro, alibi agemus.

13. *Evangelium S. Bartholomæi* ab eodem Gelaſio damnatur; extat ejus mentio apud S. Hieronymum Proleg. Comment. in Matt & Bedam Proœm. in Luc. Facilè tamen idem eſt Opus cum Evangelio Hebraico S. Matthæi, quod, referente Euſebio Hiſt. Eccl. lib. 5. cap 10. aliiſque nonnullis poſt ipſum (3), delatum ſcimus apud Indos ab eodem Apoſtolo: inventumque ibidem à Pantæno Alexandriam relatum eſt. Pſeudo-Dionyſius Areopagita de Myſtica Theolog. cap. 1. ſententiam hanc S Bartholomæi nomine refert, *Copioſam eſſe Theologiam, & minimam, atque Evangelium tum amplum, & magnum, tum rurſus concisum*; quam ex Evangelio S. Bartolomæi deductam aliqui ſuſpicantur (4); ſunt qui ex ejus Epiſtolis maluerint (5); alii ex traditione à Fidelibus religioſè ſervata (6).

14. *Pſeudo-Evangelium Apellis* notum eſt apud S. Hieronymum Proœm. Comment. in Matt. & Bedam **A** Prolog. Comment. in Luc. Novum ab Hæretico procuſum Evangelium vix credimus, ſed facilè recepto apud Hæreticos exemplo genuina Evangelia corrupit, quod illi exprobrat Origenes Epiſt. ad Ambroſ. in Apolog. Rufini pro Origen.; & S. Epiphanius hæreſ. 44. num. 2. hæc illius verba refert, quæ indolem viri ſatis demonſtrant: *Eſtote probi argentarii, utere omnibus, ex Scriptura quævis utilia ſeligens.* Pravum Magiſtri exemplum Marcio ejus Diſcipulus deinde imitatus, ex Evangeliis quædam pro arbitrio adjecit retraxitque.

15. *Evangelium Baſilidis*, Opus apud Veteres celebre (7), cujus nihil ætate noſtra ſupereſt. Eo titulo nihil aliud deſignari autumaſſe videtur D. Fa- **B** bricius, quàm 24. ab eo in Evangelia ſcriptos Libros, de quibus Euſebius. Extant ejus Scripti fragmenta quædam in Spicilegio D. Grabe (8). Porrò Baſilides doctrinam ſuam hauſiſſe ſe jactitabat à Glaucia interprete S. Petri (9). Origenes, & S. Hieronymus non obſcurè deſignant Evangelium ſecundùm Baſilidem, qui verborum ambages illas cæterorum Hæreticorum negligens, Opus ſuum non religioſo quodam Apoſtolorum nomine obtruſit, ſed de ipſo ſuo nomine appellans inſcripſit: *Evangelium ſecundùm Baſilidem*.

16. *Evangelium Cerinthi* unum eſſe credit S. Epiphanius hæreſ. 51. ex illis, quæ in Operis ſui veſti- **C** bulo ſcripta jam circumferri S. Lucas cap. 1. 1. teſtatur. Idem S. Epiphanius hæreſ. 30. c. 14. innuere interdum videtur, Cerinthum Evangelio S. Matthæi uſum; & Hæreſ. 51. n. 3. tradit, Alogos eidem Hæretico Evangelium S. Joannis tribuiſſe.

17. *Evangelium Ebionitarum*, ipſum erat S. Matthæi Opus, quod Hæretici pro arbitrio recipiebant, interpolabántque. Exordium ducebat ab illis verbis (10): *Factum eſt in diebus Herodis Regis Judææ, ut veniret Joannes baptizans baptiſmo pœnitentiæ in Jordane fluvio, quem ferebant ex genere Aaronis Sacerdotis, filius Zachariæ, & Elizabet; & egrediebantur ad illum omnes.* Legebatur in eo Jeſus ad Joannis Baptiſmum veniſſe, & ex aquis aſcendente illo patuiſſe Cœlum; **D** continuò verò S. Spiritum *vidiſſe deſcendentem columbæ ſpetie, & intrantem in ſeſe. Et vox reddita de Cœlo dicens: Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui. Et iterum: Ego hodie genui te. Statimque eo in loco lux ingens affulſit; quâ conſpectâ Joannes ſic eum alloquitur: Tu quis es, Domine? Rurſumque lapſa vox de Cœlo. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Ad hæc Joannes ad ejus pedes accidens, Quæſo, inquit, Domine, tu me ipſe baptiza. At ille prohibebat eum, dicens: Sine; ita enim decet nos implere omnia.* Ex his, quantùm arbitror, ſatis intelligimus, Ebionitas Evangelium S. Matthæi fœdè corrupiſſe; quo patrocinium ex illo dogmatis ſui adver- **E** sùs Divinitatem Jeſu Chriſti compararent.

Alibi verò ita loquentem Jeſum inducebant Ebionitæ (11): *Ego ad abroganda ſacrificia veni; & niſi ſacrificare deſieritis, Dei in vos ira non ceſſabit*: Ita pariter Jeſus Chriſtus ad Apoſtolos in noviſſima cœna locutus inducebatur: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha carnale* (ſive carnem) *manducare vobiſcum*; pro eo quod S. Lucas 22. 15. habet tantùm: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*. Hæc duo loca adversùs Nazaræos, ſervandas legales cæremonias contendentes, procuſa videntur.

F Narrat S. Epiphanius hæreſ. Ebionit. nu. 23. Hæreticos illos, ut ſimplicioribus imponerent, nomina duodecim Apoſtolorum admittere, & quoſdam eorum nomine ſuppoſuiſſe Libros, uti *S. Jacobi*. Innuit facilè Protevangelium, de quo in ſuperiorib. egimus.

18. Evangelium Encratitarum à quatuor Canonicis Evangeliis non diſcrepat, ſed ex quatuor

(1) Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 9. & 11. (2) Matth. Pariſ. ad 1257. (3) Nicephor. l. 4. c. 32. Hieron. cap. 46.
(4) Itting. pag. 124. Append. de hæreſiarch. Dallæ. l. 1. c. 27. de ſcriptis Dionyſ. apud Fabric. de Apocr. N. T.
(5) Corder. in Not. ad Dionyſ. (6) Maxim. & Pachym. Vide Combeſis ad Nicet. pag. 496.
(7) Origen & Ambroſ. Proœm. in Luc. Hieron. Præfat. in Matt. Origen. lib. 26. in Matt. 23. 34. 35. Euſeb. lib. 4. & 7. hiſt. Eccleſ. (8) Vide Grab Spicileg. PP. part. 2. pag. 39. (9) Clemens Alexand. l. 7. Strom.
(10) Apud Epiphan. hæreſ. 30. cap. 13. (11) Ibid. num. 16.

unum Tatianus compegit, quod ab illo *Evangelium Tatiani*, ſive *Encratitarum* (1), vel *ſecundum Hebræos*, nomen obtinuit. Eo Codice uſos non Encratitas tantum, ſed & Catholicos Provinciarum Syriæ, & Ciliciæ, Theodoretus Hæretic. fabul. lib. 1. eſt author.

19. *Evangelium Evæ* familiare apud Gnoſticos (2). Rara quædam de illo ſuperſunt; referebat e. g. *Vidi arborem duodecim fructus quotannis ferentem, & dixit mihi: hoc eſt lignum vitæ*; quæ de fluxu menſtruo fœminarum Hæretici interpretabantur. Ænigmaticum aliquid in eodem Opere legebatur (3). *In arduo monte conſiteram, cum ecce video procerum hominem, & mutilum alterum. Inde vocem tonitrui inſtar exaudio. Propius igitur ad audiendum accedo, cum me in hunc modum eſt allocutus: Ego idem ſum ac tu, idem atque ego, & ubicumque tu es, illic ego ſum, ac per omnia ſum diſperſus. Et undecumque volueris, me colligis, me vero colligendo temetipſum colligis.* Legeſis S. Epiphanium, qui hæreticarum fabellarum ſalacitatem exponit; nos hic apertius iniquitatis myſterium proferre exhorreſcimus.

20. *Evangelium Gnoſticorum*, non unum erat, & ſingulare opus; ſed cùm genus eſſet Hæreticorum ex pluribus hæreſum ſectis coaſtans, & inter varios hæreticos diviſum, ita plura ejuſdem farinæ ſcripta ſub uno hoc generali nomine Evangelii Gnoſticorum conſeruntur. Uſurpatur igitur ea inſcriptio de Evangelio *Infantiæ*, *Nativitatis Mariæ*, de libro *Interrogationum Mariæ*, *Evangelio Perfectionis*, *Evangeliis Baſilidis*, *Apellis*, *Valentini*, & *Evæ*. Porrò ex eo Gnoſticorum fonte tota fermè peſſimorum Librorum primis Eccleſiæ ſæculis colluvio mundavit.

21. *Evangelium Marcionis* ipſum eſt Sancti Lucæ Evangelium, ab eodem Hæretico interpolatum corruptumque (4); cujus interpolationis exempla plura fraude Marcionitarum inducta apud Tertullianum, & Sanctum Epiphanium exhibentur. Scriptum autem Evangelium illud autumabant hæretici non à Sancto Luca, ſed ab Apoſtolo Paulo, unicum ex ſacris Scriptoribus, cujus probarent, reciperentque authoritatem, quanquam non ideò ſanctam ratamque haberent, ut totum Evangelium, & Apoſtoli illius epiſtolas reciperent; rejiciebant enim quidquid erroribus ſuis adverſum arbitrabantur. Loca illa hæreticorum fraude corrupta ſedulò in Commentario adnotavimus.

22. *Evangelium Sancti Pauli*; illud eo nomine cenſetur, quod in ejus Epiſtolis innuitur, uti cum ad Rom. 2. 16 ſcribit: *Cum judicabit Deus occulta hominum, ſecundum Evangelium meum*; & 2. Timoth. 2. 8. *Memor eſto Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſse a mortuis, ſecundum Evangelium meum*. Quibus verbis, ſive Evangelium illud inſinuavit Apoſtolus ſibi divinitus revelatum (5), ſeu Evangelium Sancti Lucæ, juxta veterum quorumdam opinionem (6), autumantium Sanctum Lucam, fidum itinerum Apoſtoli comitem, ea ſcriptis redegiſſe, quæ Paulus inter prædicandum promebat. Porrò Marcionitæ, uti jam innuimus, Evangelium iſtud ad S. Paulum ſpectare contendebant, quod in illis citra fidei diſcrimen tolerari potuiſſet, niſi ſimul temerario auſu manum in ſacrum illud ſcriptum auſi fuiſſent inferre, detrahentes addenteſque quidquid è re ſua eſſe arbitrabantur. Nec tamen ita reputandum, quaſi Evangelium aliquod haberent Marcionitæ, ab Evangelio S. Lucæ, vel S. Pauli reapſe diverſum.

23. *Interrogationes Mariæ*. Duo erant hujus inſcriptionis Libri Gnoſticis familiares: alterius titulus: *Majores Interrogationes Mariæ*; alter verò inſcribebatur: *Minores interrogationes Mariæ*. Utrumque autem A ſalaciſſimum erat Opus, ut ne referri quidem ſine pudoris diſpendio earum ſententiæ poſſent. Porrò Gnoſtici quæcumque è corpore fœda ſalaci voluptate exprimebant, ore deinde lambebant, ita ſe à Jeſu Chriſto edoctos profitentes. Plura hujus generis ſanè monſtruoſa apud S. Epiphanium leguntur, quæ ratione utentes homines, vel cogitaſſe quidem vix perſuaderemur.

24. *Liber de Nativitate Salvatoris* ex damnatione Gelaſii tantùm innoteſcit: cùm autem in ejus decreto ſub eadem inſcriptione cum libro *De Virgine, & Obſtetrice* accenſeatur, facilis inde conjectura, ejuſdem ferè eſse argumenti cum Prot-Evangelio S. Jacobi, in quo, & ortus Servatoris hiſtoria, & captum B ab Obſtetrice de integritate Mariæ poſt ejus puerperium experimentum deſcribitur.

25. *Evangelium S. Joannis*, alio nomine *De Dormitione Deiparæ*, cenſura inuritur à Gelaſio. Extat Græcum in nonnullis Bibliothecis (7); & in quibuſdam Mſs. tribuitur S. Jacobo fratri Domini, in aliis S. Joanni Evangeliſtæ. Nondum prodiit in lucem, ſed nec ſatis deſideratur.

26. *Evangelium S. Matthiæ*, de quo Origenes in Luc. hom. 1., & S. Ambroſius Præfat. in Luc. S. Hieronymus Procem. in Matt. Beda Venerabilis Præfat. in Luc. à quibus tamen ſolum operis nomen ſervatum eſt. Inter Apocrypha à Gelaſio rejicitur. Ex- C tant etiam Acta Apocrypha ejuſdem Apoſtoli, ſicut & *Traditiones*, vel axiomata, quæ facilè totum ejus nomine inſcriptum Evangelium conſtituebant; vel ſaltem ex eodem opere excerpta ſunt. Legebatur e. g. in eo Libro, docuiſſe Apoſtolum (8), primum cognitionis gradum *in admiratione rerum præſentium* conſtituendum; quibus verbis facilè inſinuatur, non eſſe rebus præſentibus inſiſtendum, neque earum uſum tanquam indifferens aliquid reputandum. Ex illo acceptam ferebant Carpocratiani ſententiam illam, *oportere cum carne pugnare, & ea uti*; quibus verbis aliud deſignari volebant Hæretici, aliud à S. Viro innuebatur; ita enim ejus mentem interpretatur S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 3. & Euſeb. l. D 3. c. 29. hiſt. Eccl. *Cum carne pugnare, & ea uti, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam per fidem, & cognitionem*. Illud etiam tanquam ab eodem Apoſtolo dictum ferebatur. *Si Electi vicinus peccaverit, peccavit Electus. Nam ſi ſe ita geſſiſſet, ut jubet verbum, ſeu ratio, ejus vitam ita eſset reveritus vicinus, ut non peccaſſet*. Hujus ſententiæ optimus eſſe poterat ſenſus, oportere nempe ita à Chriſtiano vitam inſtitui, ut rectè vivendi atque à crimine abſtinendi cæteris, & frenum ſit, & exemplum. S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 7. pag. 748., penes quem ſententiæ illæ leguntur, teſtatur, non Carpocratianos tantùm, ſed & Valentinum, & Baſilidem ejuſdem Apoſtoli nomine er- E roribus ſuis defendendis abuſos.

27. *Evangelium Perfectionis*, à Gnoſticis fabricatum, erroribus ſuis, & ſalacitatibus defendendis, ſolo ejus contemptu apud Patres innoteſcit. Diabolici Operis elogio notat S. Epiphanius Hæreſ. 26. n. 2., quod inſcribendum ſit potiùs Conſummatio, Dolor, & Luctus, quàm Evangelium Perfectionis, nempe bonum ſive excellentiſſimum Perfectionis nuncium.

28. *Evangelium Simonianorum*, ſive Diſcipulorum Simonis Magi, legitur in Conſtitutionibus Apoſtolicis l. 6. c. 16. & in præfatione Canonum Arabicorum Concilii Nicæni. Porrò in noviſſima ea Collectione narratur, Simonianos totum Evangelium ſuum diſtribuiſse in quatuor tomos, ſive quatuor libros, quos mundi angulos, ſive cardines totius mundi

(1) Epiph. hær. 47. n. 1. (2) Epiphan. hæreſ. 26. n. 2. (3) Ibid. n. 3.
(4) Iren. l. 3. c. 12 *Hi qui à Marcione ſunt, non habent Evangelium; hoc enim quod ſecundùm Lucam decurtantes, glorianturſe habere Evangelium*, &c. Vide & Tertull. l. 4. c. 3. con. Marc. & Epiph. hær. 42.
(5) Galat. 1. 12. Epheſ. 3. 3. (6) Iren. l. 3. c. 1. Euſeb. l. 3. c. 4. Hiſt. Eccleſ. Hieronym. in Catalog. *Quotieſcumque in Epiſtolis dicit Paulus: juxtà Evangelium meum, de Luca ſignificat volumine.*
(7) Codex Labb. 453. Lambec. l. 4. de Bibl. Vindob. 231. 244. & l. 5. pag. 24. (8) Clem. Alex. l. 2 Strom.

mundi machinæ ſuſtinendæ appellabant. Legimus in Conſtitutionibus Apoſtolicis, duos viros, Simonem & Cleobium plures perniciosos Libros ſub ſpecioſo Patriarcharum & Apoſtolorum nomine ſuppoſuiſſe, quibus totum dejiciebatur dogma de creatione, providentia, nuptiis, generatione, Lege, & Prophetis. Nec ultra de opere illo memoriæ proditum eſt.

29. *Evangelium ſecundùm Syros*, notum apud S. Hieronymum in Catal. & Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 22. Confundendus eſt facilè Liber cum Evangelio Nazaræorum, ſive Hebraico S. Matthæi, vel ſaltem cum Opere Tatiani, ea quatuor Evangeliis conſtante, cujus frequens erat apud plures Catholicos in Syria & finitimis regionibus uſus, authore Theodoreto. Porrò Evangelium Hebraicum S. Matthæi commodato recepiſſe ſe à Nazaræis Berœæ in Syria S. Hieronymus profitetur, quod maximè fovet opinioni de *Evangelio ſecundùm Syros* cum Evangelio Nazaræorum confundendo. Verùm S. Epiphanius Hæreſ. 47. 1. Evangelium illud Syrorum à Tatiani Opere non diſtinguit.

30. Eſt igitur *Tatiani Evangelium* harmonia potiùs Evangeliorum, ea quatuor ſimul junctis Evangeliis, quàm reapſe novum aliquod Evangelium (1). Porro Tatianus inſtitutorem habuit S. Juſtinum Martyrem, cui hæſiſſe adhuc nonnulli ſuſpicantur, cùm harmoniam ſuam ſcriberet (2). Verùm quæ è Textu temerario auſu detraxit, alienum virum à Catholicorum ſacris, dum ſcriberet, ſatis demonſtrant. Sublatas ab illo docent Theodoretus Hæretic. fabul. l. 1. cap. 20 genealogias omnes, & quæcumque tandem natum Jeſum Chriſtum ſecundùm carnem è genere David demonſtrabant. Ideò verò eodem Opere uſos plures Catholicos refert, quòd compendioſa via ad ſtudium Evangeliorum deduceret, cùm brevius eſſet opus, quàm integer quatuor ſimul Evangeliorum Textus; addit inſuper, pluſquam 200. ejus Exemplaria è manibus Fidelium ſe retraxiſſe, quatuor Evangeliorum Canonicorum Codice ſubſtituto. Extat in Orthodoxographis & Bibliothecis PP. Harmonia quædam ſive Evangelium, Tatiani quidem nomine inſcriptum; cùm autem nullæ in eo genealogiæ deſiderentur (3), argumentum ex eo ducitur apertiſſimum, non Tatiani Opus illud, ſed Ammonii Alexandrini haberi oportere. Quare interiiſſe prorſus noſtra ætate Opus Tatiani creditur; ſaltem Græcè *ſcriptum* nullum extat, namque ejus Germanicam ſeu veterem Alemanicam verſionem D. Fabricius in Notis ad Evang. Tatiani pollicetur.

31. *Evangelium Thadæi* ſive *Judæ* Gelaſii Papæ judicio apocryphum. An tamen ullum extiterit Thaddæi Evangelium, ambigit Fabricius (4), 1. Quod altum de illo ſit apud Veteres ſilentium, 2. Quod Vincentius Bellovacenſis & vetus MS. Abbatiæ S. Claudii, loco Thaddæi habent *Matthiæ*, cujus Apoſtoli nomine Evangelium quoddam inſcriptum legitur apud Gelaſium. Quidquid tandem ſit, Evangelium illud Thaddæi penitùs ignoratur.

Evangelium S. Thomæ tota antiquitate celebratiſſimum, alio titulo, nempe Evangelii Infantiæ Salvatoris, de quo in ſuperioribus, innoteſcit. Sunt qui ſuſpicentur, duo eſſe Evangelia Infantiæ, alterum apud Gnoſticos vulgatum, aliud apud Manichæos. S. Auguſtinus ſententiam quandam ex Libris apocryphis Manichæorum laudat, non aliundè facilè, quàm ex eorum Evangelio decerptam. Quærunt à Jeſu Chriſto Apoſtoli, quid de Prophetis reputandum ſit; quibus ipſe reponit: *Dimiſiſti vivum, qui ante vos eſt, & de mortuis fabulamini* (5)

32. *Evangelium Valentini* (6), ſeu potiùs Valentinianorum, nullum enim a Valentino ſcriptum Evangelium uſpiam legimus. Porrò idem eſſe opus credimus ab Hæreticis illis Evangelii veritatis titulo inſcriptum, de quo S. Irenæus lib. 3. cap. 11. *Qui ſunt à Valentino, in tantum proceſſerunt audacia, ut quod ab his non olim conſcriptum eſt, veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens Apoſtolorum Evangeliis.*

Inde facilè hæretica illorum dogmata exſcripſit S. Epiphanius Hæreſi 31. Ita verò opus illud exordiebatur. *Apud animales, apud carnales, apud mundanos, apud exaggeratam animi vim, Nus nunquam deſinens perpetuis ac nunquam deſinentibus, ſalutem. Equidem eorum, quæ neque nominari nec explicari oratione poſſunt, quæque cœleſtibus ipſis ſuperiora ſunt, mentionem apud vos inſtituam, quæ neque Principatus, neque Poteſtates, nec quæ illis ſubjecta ſunt, neque aliud quidquam intelligentia poteſt conſequi &c.* Reliqua ejuſdem erant ſaporis; abſurda præter fidem continebant, apta ſimplicibus rerum mirabilium narratione fallendis. Doctrinam ſuam didiciſſe ſe Valentinus ea Theuda Diſcipulo S Pauli jactitabat (7).

33. *Evangelium Vitæ* ſeu *Vivum*, Manichæis probatum (8), apud Veteres nonnullos memoratur (9); nihil niſi nomen de illo uſpiam ſupereſt. Porrò vulgatum erat pariter ab illis Hæreticis Evangelium S. Thomæ, infantiæ Salvatoris, & alterum Scythiani cujuſdam viri Ægyptii, ac tandem alterum inſcriptum *Adda* ſive *Modion*; quæ omnia ætate noſtra penitùs ignorantur.

34. *Evangelium S. Philippi* Manichæis familiare, quantum colligimus ex anathematiſmis, quibus renunciantes olim eorum ſacris hæreſim ejurabant. Erat etiam alterum Evangelium ejuſdem nominis Gnoſticis probatum cujus fragmentum illud refert S. Epiphanius Hæreſ. 26. n. 13. *Mihi Dominus aperuit, quibus anima verbis uti, cum in Cælum aſcendit, ac quemadmodum unicuique Cæleſtium Virtutum reſpondere debeat; nimirum: Ego me ipſam agnovi, atque undequaque collegi, neque Principi* (Mundi, Dæmoni) *filios genui; ſed ejus radices extirpavi, ac diſſipata membra in unum coegi; teque adeo qui ſis novi; ſum enim e Cæleſtium numero. Atque hoc modo illa dimittitur. Si autem ſobolem propagaſſe reperitur, tandiu infrà detinetur, donec filios ſuos recipere potuerit, & ad ſemetipſam attrahere.* Facilè protſus opera eorum verborum ſenſum interpretari & occulta iniquitatis Gnoſticæ myſteria reſerare quis poſſet; ſed pudor vetat. Videſis S. Epiphanium Hæreſ. 26.

35. *Evangelium S. Barnabæ* inter Apocrypha à Gelaſio Papa rejicitur. Memoriæ proditum eſt, an. 488. in Inſula Cypro inventum S. Bartholomæi corpus, atque ſuper jacentis pectus poſitum Librum, quem ejus Apoſtoli manu ſcriptum ferunt (10). Porrò in Codice illo Evangelium Hebræum S. Matthæi deſcriptum aliqui affirmarunt (11); cum interim alii Verſionem Græcam ejuſdem Evangelii maluerint (12); alii Evangelium S. Marci (13). Quod autem à Gelaſio cenſura inuſtum eſt Evangelium, alterum planè fuiſſe Librum oportet; facilè ab Hæretico quodam Authore ſcriptum. Fateri tamen cogimur, nihil ſatis certi de Opere à Gelaſio notato conſtare.

36. *Evangelium S. Jacobi Majoris*, in Hiſpaniis, uti ferunt, inventum A. 1595. à Bivario ad Chron. L. Dextri an. 37. Porrò ille eodem anno reperiſſe

[1] Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 4. cap. 29. (2) Victor Capuan. Præfat. ad Harmon. Tatiani. (3) *Legas illas deductas* cap. 5. [4] Fabric. de Apocryph. N. T. pag. 136. not. ad Gelaſ. decretum.
(5) Cont. Adverſar. Legis & Prophet. l. 2. c. 4. (6) Tertull. de Præſcript. adversùs hæreſ. c. 47. *Evangelium habet etiam ſuum* (Valentinus) *præter hæc noſtra*. (7) Clem. Alexand. Strom. l. 7. pag. 764.
[8] Vide Timoth. Conſtantinopol. libro de his, qui ad Eccleſiam accedunt. Anathematiſ. Manich. apud Coteler. tom. 1. Patr. Apoſtolic. [9] Phot. Cod. 85. & M. S. contra Manich. l. 1. apud Fabric. de Apocryph. N. T. pag. 145. & 381. [10] Theodor. Lector l. 2. Cedren. &c. [11] Sigebert. Gemblac. an. 489.
[12] Caſaubon. in Baron. c. 12. [13] Græci in Synaxario.

dicitur Codicem illum in monte Granatenſi unà cum ſacris Lypſanis Teſiphontis, & Cæcilii diſcipulorum S. Jacobi, atque 18. Codicibus plumbeis in laminis deſcriptis, quarum aliquæ exaratæ narrantur ipſius Apoſtoli manu. Inventa inter cætera Miſſa Apoſtolorum unà cùm Cæremoniali S Jacobi & hiſtoria quadam Evangelica. Sed ſcripta hæc omnia Innocentius XI. A. 1682. cenſura inuſſit.

37. *Evangelium Judæ Iſcariothæ*, commentum Caïnitarum, & abſurdæ illius Hæreſeos propugnaculum [1]. Porrò Hæretici illi virtutem agnoſcebant quandam ipſo Creatore, quem inferiorem virtutem appellabant, præſtantiorem, ſapientiæ titulo inſignitam. Hanc ſupremam virtutem notam habuiſſe viros impietate ſua in veteri Teſtamento notiſſimos, Cainum, Core, Sodomitas, & ipſum pariter Judam defendebant; addentesquoque bellum eorum opera adverſus virtutem Creatoris pro defendenda ſuperiori virture ſuſceptum. Quò igitur abſurda hæc dogmata ſua fidenter venditarent, Evangelium Judæ procuderunt, totum illud iniquitatis myſterium, ab ipſo Juda tantummodo inter omnes Apoſtolos agnitum, exponens. Periit Opus, apud Veteres quidem frequenter memoratum, ſed æterna dignum oblivione.

38. *Evangelium Veritatis*, alius eſt Evangelii Valentinianorum titulus, quemadmodum in ſuperioribus art. 33. innuimus.

39. Mentio eſt apud Veteres de Pſeudoevangeliis interpolatis à Leucio, Luciano, Seleuco, & Heſychio (2); quorum non integra erant procuſa Opera, ſed genuina Evangelia Sacrorum Scriptorum eorum fraude corrupta. Si verò nova erant Evangelia, hæc cum aliquo ex ſuperioribus à nobis deſcriptis confundebatur. D. Grabe in Iren. l. 1. c. 17. reperiſſe ſe in Bibliotheca Corporis Chriſti Oxonienſi teſtatur Codicem Pſeudoevangelii Leucii, cujus refert fragmentum totidem verbis in Evangelio Infantiæ recurrens; quo ſcilicet narratur fabella de Jeſu, qui ad Ludi magiſtrum addiſcendis literis miſſus, quæſtionibus propoſitis habere, ſe unde Doctorem ſuum inſtrueret, demonſtravit.

Hæc habuimus quæ de Apocryphis Evangeliis apud Veteres occurrentibus diſſereremus. Odium, quo ſcripta illa Eccleſia ſemper proſequuta eſt, & contemptus, quo ſemper rejecit, id tandem effecerunt, ut æternæ tradita oblivioni tandem interirent. Cujus quidem jacturæ ſi ex fragmentis in Diſſertatione hac noſtra relatis argumentum capere licet, nullo mœrore affici nos oportet; & ſi nullos alios nacta eſſet Eccleſia noſtræ ætatis Hæreticos adverſarios, quam quos in ſuperioribus memoravimus, quieta ſatis ſibi eſſe omnia reputaret. Sed ea erant Eccleſiæ illius tempora, ut nihil maximè laborandum ſibi Diabolus ſuſciperet, quàm ut odium & contemptum in illam creans, externos ejus adverſarios incitaret.

(1) Iren. l. 1. c. 35. contra hæreſ Epiphan. hæreſ. 38. n. 1 Theodoret, hæretic. Fabul. rom. 1. c. 15. Tertull. Præſcript, c. 47. (2) Vide Decret. Gelaſii & Epiſtolam tertiam Innocentii III. c. 7.

DISSERTATIO
IN MAGOS, QUI JESUM ADORATURI VENERUNT.

MAgorum ad cunas Jeſu Chriſti adventus & præſtita ab illis Divino Infanti adoratio, inter prodigia N. T. primas jure meritoque tenet; tum & argumentum eſt planè ad evidentiam Divinitatem Jeſu Chriſti demonſtrans, ac tandem relatum fidei & gratiæ inſignem triumphum prædicat, ait S. Chryſoſtomus hom. 6. in Matth. Fulgens illud, quod intuentium oculos perſtrinxit, ſidus nova luce & mentem irradiavit, & ſpiritum novo incendit ardore, quò & de ortu novi Regis monerentur, & ad novum longum æquè ac periculoſum iter ſuſcipiendum Magi animarentur. Opportunum tunc ſuccurrit vetus illud ante 1500. annos prolatum à Balaamo Oraculum: *Orietur ſtella ex Jacob, exſurget virga de Iſrael*, Num. 24. 17.. Gratia pariter eorum mentibus affulſit, cujus luce indicatum ab aſtro Regem illum, de quo in Oraculo, noverunt. Venientes igitur Jeroſolymam nihil veriti, de novo Rege nunciari ſibi aliquid quæſierunt; comperto Bethleem Oraculis Prophetarum locum eſſe Meſſiæ cunabulis deſignatum, eo ſtatim ſe conferens Infantem nacti ſunt, & pauperem, imbecillem, & nulla Regiæ dignitatis præſeferentem inſignia: illi accidentes proni adorarunt, muneribus etiam in obſequii ſui pignus oblatis. Quale, rogo, exemplum fidei illuſtrius? quale majus inſigniuſque prodigium?

Totam hic ejus rei hiſtoriam examinandam non ſuſcipimus, iis tantùm contenti, quæ ad Magos ipſos, eorum regionem, & ſidus pertinent.

Magorum nomen generatim uſurpatur de præſtigiatoribus quibuſdam, divinis, genethliacis, & ſomniorum interpretibus, vel etiam de Sacerdotibus & Divinis Perſarum, qui potiſſimum Magorum nomine deſignabantur. Ejus ethymon derivatur ex Hebræo *Moug* ſive *Mag*, diſſolvi, diffluere, & figurata locutione animis cadere (1). Habebatur enim perſuaſum, Magiam terrorem in armatos injicere, & adverſarios ſuos artibus, quibus pollebant, in fugam vertere Magos valuiſſe. Deducunt alii ex Hebræo *Hagab* (2), ex quo *Mehagab*, meditari, muſſitare, & intra dentes loqui; ſolent enim Magi preces ſuas obmurmurare.

Veterum plerique tradunt (3), Magos Perſarum ex inceſtu filii cum matre, ſive patris cum filia, quod familiare erat, nec inauſpicatum apud illos, natos eſſe oportere. Theologiæ potiſſimum, & Religioni operam navabant; fungebantur enim Sacerdotis, & Divinorum apud Perſas munere [4], quod ampliſſimum erat apud eas gentes, & maximæ æſtimationis, ut eorum diſciplinæ inſtituendos ſe tradere Reges ipſi juberentur (5). Inter Aulicos Principis ſedebant (6); nihilque, quod ipſi non probarent ratum habebatur; pœnas pro arbitrio, & præmia diſpenſabant. Cambyſes in expeditionem Ægyptiacam profecturus, Imperii adminiſtratores reliquit; eoque fatis functo, ſupremam invadentes authoritatem, temporis aliquo ſpatio regnarunt.

Divitias plerumque Magi contemnebant; & ab hominum commercio maximè ſecreti, duriſſimum vitæ genus agebant (7), humi enim cubantes, legu-

(1) Vide Stanlei par. 14. Philoſoph. Perſar. & Cleric. Indic. Philolog. ibidem. (2) Vide Iſai. 8. 19. (3) Vide Menag. Notas in Laer. Prœm. (4) Heſychius. (5) Cicero de Divin. l. 1. c. 41. (6) Dio Chriſoſt. Boriſ. thenica. (7) Laert. in Prœm. Hieronym. l. 2. contra Jovinianum.

Digitized by Google

leguminibus victitabant, & caſeo. Veſtibus utebantur albis, parebant viro è ſuo cœtu electo; ne igni traderent defuncta ſuorum corpora, religione abſterrebantur, ne ignem, rem apud illos maximè ſacram, violarent, metuentes. Eorum omnia ſtudia potiſſimùm ad Magiam collimabant, non atram illam, & diabolicam(*), ſed naturalem. Pandendis futurorum oraculis operam impendebant ſomnia interpretabantur, utramque hominum fortunam legere ſe in aſtris jactitantes. Nulla erant huic hominum generi Templa, Aræ, Statuæ, neque enim Divinitatem brevi aliquo loco claudi perſuadebantur; ſed perpetuum in atriis ſub dio ignem religioſe detinebant, quæ loca manè ſingulorum dierum adeuntes, atque virgarum faſciculum tenentes, prolixas inſtituebant preces, capite integumento quodam interim operto, unde pendula quædam ad genas, & labia dimittebantur (5). Sacris operabantur in montium cacumine, puriſſimo ad eam rem loco ſelecto. Has autem in ſacris ſervabant cæremonias. Primò Magus tiaram habens in capite, prolixè orabat; poſtea uoico clavæ ictu victimam necabat, in fruſta dein concidebat partibus in lectulo quodam virentibus herbis conſtrato diſtributis; tum poſt decantatam Theogoniam, ſive Genealogiam Deorum, victimæ carnem ſibi uſurpabant. Hæc de Magis Perſarum memoriæ prodita ſunt.

Hæc facilè ſuccurrebant Veteribus illis, ea perſuaſione ductis, Perſarum Magos cunas Jeſu Chriſti adoraturos veniſſe (1). Magos enim illi veluti Perſarum Philoſophos habebant. Porro ea veterum opinio apud Recentiores pariter non infrequentes obtinuit (2). Magos illos oriundos tradunt Armeni (3) ex vico Maveg, ad lacum Ran in Armenia, quem etiam locum martyrio ſuo conſecraſſe, poſtquam è Bethleem rediiſſent, affirmant. Evangelium apocryphum Infantiæ Salvatoris Diſcipulos Zoroaſtri conſtituit; quare è Perſide appellaſſe Viros illos conſtat. Beda, & Rupertus Abbas in Matt. 2. id perſuaſum habuiſſe creduntur ex tribus Orbis partibus, Aſia, Africa & Europa veniſſe. Id ſaltem ab illis Scriptoribus traditum, Magos illos tres Orbis partes deſignare; quod etiam a Pictoribus noſtræ ætatis inſinuatum eſt, Æthiopem, Perſam & Græcum, ſive Romanum exprimentibus. Vetus Author (4). inter Opera S Auguſtini, ea ultimis Æthiopiæ finibus acceſſit; Author Operis de Mirabilibus S. Scripturæ quæſt. 4. (5) è terra Evilath; Tertullianus è Regione Damaſcena (6).

Sed ex his conjecturis pleræque defendi vix poſſunt; neque Africa, neque Ægyptus, neque Æthiopia regiones ſunt Judææ orientales; Armenia, & Damaſcus ad meridiem eandem regionem ſpectant. Quod ad Magorum nomen pertinet, unde arceſſendi viros è Perſide maxima conjectura, nullum eſt pro ea ætate argumentum; ex quo namque Perſarum Imperio ſub Cyro, ejuſque ſucceſſoribus, major orientis portio acceſſit, Magorum nomen prorogatum eſt ad Sacerdotes, & Divinos omnes, qui ad ſubjectas Imperio Perſarum gentes pertinebant. Quare nomine illoæquè cenſebantur Vates Chaldæi, Arabes, & aliorum populorum; nec planè alio ſenſu, quàm qui ætate illa obtinebat, nomen illud Magorum uſurpaſſe creditur S. Matthæus, ut proinde nihil aliud eo deſignare voluerit, quàm viros Sapientes, qui aſtrorum obſervationibus futurorum auſpicia captare noviſſent.

Quæ noſtra conjectura duplici potiſſimùm ratione probatur: prima ex Regione, unde viri moviſſe perhibentur; ſecunda ex ſtudio ſapientiæ, quod profitebantur, deducta. Venerunt igitur ex Oriente

A te (7) eademque qua, Balaam profeſſione cenſebantur, Balaam, inquam, qui novi ſideris ortum vaticinatus fuerat; cùm illi novi pariter ſideris aſpectu ad Bethleem invitati veniſſent. Porrò in Scriptura Orientis nomen plerumque uſurpatur de Arabia deſerta, Meſopotamia, & Chaldæa. Balaam ad Arabiam deſertam pertinebat, ubi nec Magorum nomen ignotum, quo titulo cenſebantur homines ſapientiam profeſſi, & qui futurorum arcana pandere noſſent. Sed hæc fuſiùs demonſtranda. Ipſe de ſe Balaam teſtatur, veniſſe ex Aram de montibus Orientis Num. 23. 7. erat autem incola *Pethuræ ad fluvium filiorum populi ſui* Num 24. 5. nempe *Pethora* vel *Pacora* ad Euphratem. Illam ſupra ſeu trans
B Meſopotamiam Euſebius in locis conſtituit; an verò cis vel ultra amnem ſita eſſet, eo tacente, incertum; mallem tamen ultra, & in Syria, vel Arabia deſerta collocare.

Porrò regiones iſtæ omnes Orientis nomine in Sacra Scriptura deſignantur. Iſaias 4. 2. verba de Abrahamo faciens: *Vocans ab Oriente avem* (Hebr. juſtum) *& de terra longinqua virum voluntatis meæ, & locutus ſum, & adducam illum;* quibus verbis vocatus Abraham ex Ur Chaldæorum Urbe deſignatur. Vide Geneſ. 15. 7. Jeremias 49. 28. nomine filiorum Orientis innuit Arabes Scenitas, & Saracænos, quorum nullæ certæ ſedes, nullæ Urbes domuſque; ſed
C huc illuc errantes diſcurrebant, ſub tentoriis agentes, comamque attonſam ferebant [8]. *Surgite, aſcendite ad Cedar, & vaſtate filios Orientis. Tabernacula eorum & greges eorum capient pelles eorum, & omnia vaſa eorum & camelos eorum tollent ſibi, & vocabunt ſuper eos formidinem in circuitu. Conſurgite, & aſcendite ad gentem quietam & habitantem confidenter; non oſtia nec vectes eis, ſoli habitant; & diſpergam eos in omnem ventum, qui ſunt attonſi in comam.*

Jungit Ezechiel 25 10. filios Orientis cum Moabitis & Ammonitis tanquam finitimis & limitrophis gentibus; ut proinde eo nomine non niſi Arabes Scenitas, de quibus modò, deſignaverit. Job Idumæus
D orientalis incola, ſedem habens in Bozra vel in adjacenti regione (9), deſignatur tamquam vir magnus inter omnes Orientales, i. e. inter Syros, Arabes, & Chaldæos. Non ſemel etiam Prophetæ (10) innuunt, Hebræos captivos ex Oriente, nempè è Chaldæa in proprias regiones, in Judæam nempè, remeaturos. Eſt itaque cur affirmemus, Arabiam deſertam, Meſopotamiam, & Chaldæam ſingularis Orientis nomine in Sacris Libris deſignari, ut proinde à vero non abhorreat, Magos ex iiſdem regionibus in Judæam veniſſe.

Secunda, qua movemur, ratio ex eo deducitur, quòd viri illi ſapientiam profiterentur, quemadmodum & nomine ipſo Magorum ſatis exprimitur.
E Porro familiares fuiſſe apud Chaldæos viros ſapientiæ profeſſores; qui futurorum arcana reſeranda ſuſciperent, tam ſcitum eſt, quàm quid aliud. Plures horum Divinorum claſſes diſtinguit Daniel, cujus hiſtoria univerſa perpetuum eſt argumentum, ſtudium earum rerum in Chaldæis ad ſenſum demonſtrans. Quantum illi momenti collocarent in ſomniorum & prodigiorum interpretatione exempla Nabuchodonoſoris, & Balthaſaris ſatis docent. De Sapientibus Chaldæorum plura legas apud Prophanos; ejuſque gentis philoſophiæ referendæ D. Stanley decimam tertiam partem hiſtoriæ ſuæ philoſophicæ impendit. Arabes & Idumæi, Orienta-
F lium nomine in Scriptura noti, ſapientia & ſublimium rerum cognitione plurimùm inclaruerant: *Numquid non ultra eſt ſapientia in Theman?* ait Jerem. 49. 7. Porrò Theman urbs eſt in Idumæa Meridionali;

[*] Laert. in Prœm. ex Dinonis Perſicis. [5] Vide Herodot. l. 1. c. 131. & Strab. l. 15.
[1] Chryſoſt. hom. 7. in Matt. Author. Oper. imperfect. Cyrill. Alex. l. 4. in Iſai. Juvencus Poeta, Clemens Alexand. l. 1. Strom. Baſil. de humana Chriſti Nativitate, Theophylact. in Matt.
(2) Maldon. Spanhem. Druſ. Genebr. Petav. Scalig. alii in Num. (3) Chardin. Itiner Perſic. t. 3. pag. 131. Gallicè
(4) Serm. olim. 9. de Sanctis, nunc. 199. in Appendic. (5) Inter Opera ejuſdem Patris (6) Tertull. contra Judæos
(7) Matt. 2. 1. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam.* (8) Herodot. l. 3 c. 8.
(9) Vide Comment. in Job 1. 3. (10) Iſai. 43. 5. Bar. 4. 37. & 5. 5. Zach. 8. 7.

nali; & Abdias ver. 8. *Perdam Sapientes de Idumaa*. Inter Sapientes Orientales non infimum locum tenebant Job & cæteri ejus amici. De Salomone memoriæ proditum eſt, omnibus Orientalibus Sapientiæ laude præſtitiſſe: ipſos etiam Philoſophos ſuos ex commercio & doctrina Sapientum Orientalium profeciſſe plurimùm, ipſi ſua confeſſione Græci teſtantur. Sapientes Arabes conſuluiſſe Pythagoram Porphyrius eſt author.

Balsam ejus regionis incola, Divinus erat & Propheta Moyſis ætate longè clariſſimus; cujus viri ſucceſſores Magos illos, qui ad Jeſum adoraturi venerunt, Patres & Interpretes conſtituunt, addentes pariter, ejus oraculo invitatos Jeroſolymam veniſſe, de novo Rege, cujus ſignum viderant, quæſituri. Ipſi mentem ſuam Magi apertiſſimè exponunt: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex, Judæorum? Vidimus ſtellam ejus in Oriente* Matth. 2. 1. 2.

Utinam alibi in ſacra Scriptura adventus Meſſiæ exorientis aſtri ænigmate deſignatur? & unde potuiſſent viri alienigenæ novi ejuſdem aſtri aſpectu de adventu Meſſiæ, quem Judæi expectabant, fieri certiores, niſi ex Oraculo Balaam, cujus apud illos traditio ex patre in filios recepta ſervabatur? Philoſophi Orientis, Chaldæorum, Meſopotamiæ, Arabiæ, Cappadociæ nullo alio fermè quàm Magorum nomine (1) ea ætate cenſebantur; eodemque Divinos Babylonios ætate Danielis appellant Septuaginta. Quare à vero non abludit, nomen illud ab Evangeliſta uſurpatum de viris quibuſdam Sapientibus Chaldæis, ſive Arabiæ deſertæ, uno verbo Philoſophis, Ariolis, Balaami gentilibus, ſive patriam ejus regionem ultra, ſive cis Euphratem conſtituamus.

Hanc, quam firmavimus de regione Magorum, opinionem, ſive illos ex Arabia deſerta, ſive ex Chaldæa, ſive ex Meſopotamia accerſamus, neque enim de certo aliquo ex iſtis locis ſatis conſtat, communi Patres (2) & Commentatores (3) ſuffragio fulciunt; cui illud commodi præ aliis accedit, quòd Orientis nomen regionibus illis in Scriptura tribuatur. Nec enim illud ſpernendum, quòd ex ea regione paucorum dierum iter ad Jeroſolymam, Urbem per omnes latè illas provincias ad Euphratem ſitas notiſſimam, pateat.

Ad profeſſionem Magorum quod ſpectat, nos planè non latet, Patrum (4) quamplures in ea fuiſſe perſuaſione, viros illos Magiam, curioſas artes, diabolicam divinationem, præſtigia, aſtrologiam judiciariam exercuiſſe. Idem etiam vulgo judicium de Balaamo, quem virum Magum, & Idololatram reputabant, Veteres habuiſſe, in Comment. in Num. 22. 5. animadvertimus. Evangelium Apocryphum Infantiæ Salvatoris perhibet viris, ut ad Jeſum veniret, in cauſa fuiſſe oracula Zoroaſtri inclyti Perſarum Philoſophi.

Alia tamen ſedit de profeſſione Magorum opinio apud alios Patres (5) & Commentatores (6) multos, perſuaſos, nihil Diabolicum in eorum ſtudiis reprehendendum, quippè qui magiam tantùm naturalem callerent. S. Epiphanius Epit. Frid. Cath. ad genus Abrahami ex Cethora, cujus filii in Magodia conſederunt, pertinuiſſe autumavit. Prophetas & viros Dei Spiritu afflatos appellat Rupertus Abbas in Matthæum 2. Origenes (7) perſuaſum habuit, Magos illos cùm imbecilliorem ſolito Dæmoniis in præſtigiis virtutem animadvertiſſent, ſimulque novum ſubitò exortum aſtrum inſpexiſſent,

A autumaſſe ipſum eſſe ſidus Balaami oraculo prædictum, tanquam novi Regis ortum annuncians, cujus virtus malis Spiritibus & ſpectris, quos ad id uſque conſuluerant, præſtitiſſet. Ea perſuaſione ducti viæ ſe dare ſtatuerunt, novum Regem adoraturi. Gemina fermè habent S. Baſilius de humana Chriſt. gener. & S. Ambroſius in Luc. l. 2. pag. 1297.

Tertullianus in lib. de Idololatria inſinuare videtur, aſtrologicæ ſcientiæ cognitione Magos de adventu Jeſu Chriſti certiores factos fuiſſe. *At enim ait, ſcientia iſta uſque ad Evangelium fuit conceſſa, ut Chriſto edito nemo exinde nativitatem alicujus de Cœlo interpretetur.* Opinionem de Magis ſuam ex Origene mutuatus apparuit S. Hieronymus in Iſaiæ 19. B hæc ſcribens: *Magi de Oriente docti à Dæmonibus, vel juxta prophetiam Balaam, intelligentes natum Filium Dei, qui omnem eorum artis deſtrueret poteſtatem, venerunt Bethleem.* Propius tamen vero nos arbitramur, Magos illos viros fuiſſe Sapientes, veri Dei cultores, qui, uti de Job & ejus Amicis, aliiſque facilè pluribus memoriæ proditum eſt, Legem ſcriptam cæteroſque Hebræorum ritus ignorantes, Deum tamen ſupremum rerum arbitrum venerabantur, & Dominatorem illum à Balaamo prædictum opperiebantur. Porrò Orientem univerſum per eam ætatem arrectum fuiſſe in expectationem Regis cujuſdam, qui è Judæa veniens, totum ſuo C Imperio mundum tributarium facturus fuiſſet, ex Joſepho de bello, lib. 7. cap. 12. & prophanis Authoribus (8) compertum habemus. Regionis ſuæ obtinuiſſe principatum tres illos (9) (tres enim (10) numerant) vulgo traditum eſt. Nihil tamen adeò certum ea de re apud Veteres. Laudatur quidem pro Regia illorum dignitate Tertullianus (11); ſed ille poſt laudatum illud Pſal. 71. 10. *Reges Arabum & Saba dona adducent*; addit tantummodo: *Nam & Magos Reges ferè habet Oriens.* Nihil hic ego moror hanc ejus opinionem, Reges nempè Orientales plerumque è Magis conſtitui, quod ſanè incertum eſt, &, nequid gravius dicam, ambiguum. Ve- D rùm illud mihi affirmandum ſuſcipio, regiam Magorum dignitatem, ſi hoc tantùm probetur argumento, futilem eſſe & fabuloſam.

S. Hilarius lib. 4. de Trinit. n. 38. quem alterum pro ea opinione laudant, magis ambiguus eſt Tertulliano, ita enim habet: *In Principum labore totius Ægypti labor demonſtratus eſt*; alludit his verbis ad illud Iſaiæ 45. 14. quo Ægyptus, & Æthyopia Domino laboraſſe perhibentur. Addunt ejus ſententiæ patroni S. Chryſoſtomum hom. 6. in Matt. Authorem Operis Imperfecti, S. Baſilium Hom. de ortu Salvat. Hieronymaſtrum in Pſal. 71. ſed nihil apud illos huic opinioni ſatis E favens.

Author Sermonis de Baptiſmo, S. Cypriani nomine laudatus (12), Magos diſertè Reges appellat; ſed Operis hujus Author habendus eſt Arnaldus Abbas Bonævallis, S. Bernardi amicus. Author ſermonum ad Fratres in *eremo*, ſub S. Auguſtini nomine latens ſerm. 43. eodem illos titulo donat; ſed recentiſſimum eſſe Scriptorem, ſæculum 13. vel ſorte 14. non excedente, ambigit nemo. Ambroſiaſter Serm. 12. trium Regum nomine eoſdem viros deſignat: ſed ſcriptum illud ad S. Cæſarium Arelatenſem ſæculi 6 Scriptorem pertinet, quin & Regum titulus recentiori manu adjectus in Codice videtur. Paſchaſius Radbertus in Matt. 2. noni ſæculi Scriptor, & Abbas Corbeienſis, *Magos*, ait, *Reges extitiſſe*, nemo

(1) Vide Plin. l. 30. c. 1. & Grot. ad Matt. 2. (2) Tertull. contra Judæos, & l. 3. contra Marcion. Juſtin. Dialog. cum Tryphon. Epiph. Epitome fidei Catholic. alii nonnulli (3) Tuſtat. Mariana, Barad. Grotius Corn. à Lapide, Ligfoot. (4) Ignat. Epiſt. ad Epheſ. Juſtin. Dialog. cum Tryph. Origen hom 13. in Num. & l. 1. contra Celſum. Ambroſ. l. 2. in Luc. Tertull. de Idololatr. Baſil. de humana Chriſti Nativitate. Hieronym in Matt. 2. & Iſai. 19. & 48. Hilar. l. 4. de Trinit. num. 36 Aug. ſerm. 2. & 5. de Epiphan. (5) Hieron. in Can. 2. *Conſuetudo & ſermo communis Magos pro maleficis habet, qui aliter habentur apud gentem ſuam, eo quod ſint Philoſophi Chaldæorum, & ad artis hujus ſcientiam Reges quoque, & Principes ejus generis omnia faciant.* Vide Author. Oper. Imperf in Matt. & Author. QQ. ex N. T. q. 63. (6) Vatab. Brugen Hamm. Janſen. Ypreſ. Eraſm. Ligfoot. Maldonat. &c. (7) Orig. l. 1. contra Celſum, Vide & hom. 13. in Num. (8) Tacit. l. 5. Sueton. in Veſp. (9) D. Thomas, Strabus ſeu Gloſſ. ordinar. Alber. Magn. Lyran. Carthuſ. in Matt. Incognitus in Pſal. Maldon. alii plerique. (10) Leo Ser. 1. 4. 5. 6. 7. 8. de Epiphan. ſerm. 133. & 136. Append. t. 5. S. Auguſt. Beda, Rupert. (11) Tertull. contra Judæos, & l. 3. contr. Marcion. (12) Cyprian. ſeu Arnald. Abb. Bonævall. c. 2. de ſeptem Cardinal. operibus. *Non ſatis eſt quòd Angeli locuti ſunt, quòd apparuit ſtella Regibus,*

nemo qui hiſtorias legit Gentilium, ignorat. Theophylactus apud Græcos pro Regia dignitate Magorum meritò laudatur; ſed poſt ipſum Nicephorus in Matt. 2. viros eſſe tantùm ſcientia illuſtres, & potentes, Eccleſ. l. 1. c. 13. ſcribit. Hæc majoris momenti pro hac opinione apud Veteres Recentioreſque occurrunt.

Si Eccleſiæ plurimum intereſſe arbitraremur, ut dignitas hæc Regia Magorum aſſereretur, nos certè operam in hanc rem noſtram collocaremus. Cùm autem neque Scriptura, neque vetuſtiſſimi quique Patres ſatis expreſſum aliquid ea de re tradiderint, nihilque certi definierit Eccleſia, data ſingulis poteſtate, ut ejus veritatem pro arbitrio defendant teneantque; illud nobis fatendum arbitramur, Regiam hanc dignitatem, quæ firmo nullo argumento fulcitur, ſatis certam aſſertamque non reputandam. Olim quidem apud Perſas ſumma erat Magorum authoritas, quorum inſtitutioni ipſi pariter Reges tradebantur: ſed regiam penes illos dignitatem fuiſſe uſpiam nullibi legimus, cùm maximè J. C. ætate nulla eſſet regio neque in Perſide, neque in Chaldæa, Meſopotamia, vel, Arabia, ubi Reges Magi appellarentur, ſive Magorum profeſſio ad Regnum obtinendum neceſſaria reputaretur.

Magorum numerus longa jam ætate ad tres definitus. Id tanquam certum ubique conſtituit S. Leo (1) luculenter adſtruit S. Cæſarius ſerm. 139 App. S. Auguſtini. Paria legas in duobus ſermonibus S. Auguſtini nomine inſcriptis (2), quorum priori alibi præfixum eſt nomen Euſebii Emiſſeni, alteri S. Leonis in omnibus MſS. (3). Beda, Rupertus Abbas, in Matt. 2. & Commentatorum poſt illos turba, quin & communis, atque unica noſtra ætate ferme in Eccleſia recepta ſententia paria docent. Id autem ſtatuendi conjecturam præbuerunt tria munerum genera, aurum, thus, & myrrha à ſanctiſſimis illis viris J. C. oblata (4); ſinguli enim peculiare munus exhibuiſſe creduntur.

Sed communis noſtra ætate ſententia non ſemper in Eccleſia recepta eſt. Author Operis imperfecti in Matt. hom. 2. ex veterum quorumdam Apocryphorum Librorum, quibus Seth nomen præfixum erat, authoritate refert, duodecim fuiſſe Magos, ex univerſo populo ſuo lectos, atque plurium ſæculorum ſucceſſione ex patre in filios deſtinatos, ut Cœli aſſidua inſpectione exortum novi ſideris à Balaamo prædicti explorarent. Porrò ad eam rem in prçalta montis ſpecula conſtituti, Cœlum nunquam non aſpectabant, donec tandem voti ſui compotes poſt tot elapſa ſæcula facti ſunt. Author Gloſſæ ordinariæ nihil certi definiens, magno numero fuiſſe perhibet.

Nomina quædam Magis iſtis noſtra ætate traduntur toti incognita antiquitati; appellant enim *Gaſparem*, *Melchiorem*, & *Balthaſarem*, quæ ſanè recentiſſima ſunt nomina, & nullius fidei, quemadmodum alia quædam relata ab aliis fidei pariter ſubleſtæ Authoribus. Ita appellatos Græcis nominibus tradunt, *Magalat*, *Galgalat*, *Saracin*; Hebraicis verò *Apellim*, *Amerum*, *Damaſcum*, quç ſane commenta ſunt hominis Hebraicè, & Græcè æquè imperiti. Nominant alii *Atorem*, *Satorem*, *Paratoram* (5): ludibria omnia, & minimè ante duodecimum ſæculum procuſæ fabellæ.

Author Operis imperfecti in Matthæum hom. 2. narrat, S. Thomam in Perſide Magos nactum inſtituiſſe, Baptiſmo initiaſſe, & in Evangelio annunciando ſocios adhibuiſſe. Ferunt, martyrium conſummaſſe in Urbe quadam Arabiæ; in Maneg Armeniæ malunt Armeni. Sacra eorum lypſana Coloniæ monſtrantur, & ſingulari coluntur honore. Hæc habuimus, quæ de Magis memoria digna ſcriberemus.

Quo potiſſimùm tempore in Judæam venerint, non una eſt Chronologiſtarum ſententia. Totus autem controverſiæ cardo in eo ſitus eſt, unde potiſſimum Viri illi ad incunabula Jeſu Chriſti deducantur. Qui enim in Perſide (*) ſtatuunt, biennii iter venientibus aſſignant, tanquam certum conſtituentes, novum aſtrum biennio ante natum Chriſtum micuiſſe, juxta illud Evangelii narrantis, Herodem pueros omnes in Bethleem & in finibus occurrentes à biennio & infra, *ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis*, trucidari mandaſſe, Matt. 2. 16. Alii verò biennium ejus itineris à nato Chriſto exordiuntur, eo primùm temporis articulo micuiſſe aſtrum autumantes (6). Alii tandem ipſo nati Chriſti tempore apparuiſſe ſidus contendentes, 13. dierum itinere Bethleem viros deducunt; quo verò totam a Perſide in Bethleem viam tam brevi temporis ſpatio decurriſſe faciliùs demonſtrent, iter habitum dromedariis camelis perniciſſimis ſtatuunt.

S. Chryſoſtomus, hom. 7. in Matt. nihil de tempore, quo Jeroſolymam pervenerint, definiens, nulloſque ſibi biennii fines præſcribens, notat, ſidus paulò ante exortum Chriſtum apparuiſſe, Herodem verò majori, quam pro neceſſitate atque tempore exorti ſideris, cautione, nequid ſibi deeſſet, biennales pueros trucidandos edixiſſe. Non defuerunt qui crederent, ſidus illud ipſo Incarnationis Filii Dei tempore paruiſſe (7); malunt alii tempore concepti S. Joannis Baptiſtæ (8). Certum tamen ſuſcepti à Magis itineris tempus definire audet nemo; cum tamen plerique totum ejus itineris ſpatium intra 13. dies poſt exortum Chriſtum concludant. Porrò ſi è regione ad Euphratem, nempe è finibus Pathuræ, ſive è Chaldæa, vel Babylonia deducantur, viginti ad minus itineris dies, prolixæ adeò viæ per mediam Arabiam deſertam, camelis in ea regione familiaribus, conficiendæ impediiſſe illos reputandum eſt, diſtat enim ab Euphrate Jeroſolyma non minùs quàm 200. leucarum intervallo.

Modò aliqua de ſidere, quod viam Magis ſignavit, & nuncium adventus Meſſiæ attulit, dictum proinde ab Auguſtino (9), *Magnifica lingua Cœli*. Veteribus nonnullis traditum eſt, novum illud fuiſſe creatum in Cœlo aſtrum, ut exorti Meſſiæ nuncium mortalibus veniret (10); ſuſpicantur alii, cometæ inopinato in aere apparentis ſpeciem præſetuliſſe (11). Autumavit Ligfootus (12), eandem lucem, quæ Paſtoribus prope Bethleem emicuerat, viſam procul à Magis in Judæa, cui imminens regioni videbatur illos invitare. Non defuerunt qui crederent, Angelum lucido quodam corpore inſtar ſideris aſſumpto, viam Magis in Judæam monſtraſſe (13). Poſtremam hanc ſententiam confirmant S. Chryſoſtomus, Cæſarius, Theophylactus, quippe quibus intelligentia & ratione inſtructum aſtrum cre-

(1) Leo Magn. ſerm. 1. 4. 5. 6. 7. 8. de Epiphan. & Epiſt. 16. c. 2. (2) Serm. 136. Append. olim. 29. de temp.
(3) Serm. nunc 193. append. tom. 5. olim 32. de tempore. (4) Matth. 2.
(5) Vide Caſaubon. in Baron. Bolland. Maii, tom. 1. p. 7. 8. (*) Quidam apud Theophylact Auctor ſerm. 131. & 135. in Epiph appendic. tom. 5. S. Auguſt. (6) Epiphan. hæreſ. 51. Euſeb. ſeu Hieronym. in Chronic. Nicephor. lib. 1. cap. 13. Beda alii. (7) Bolland. April. tom. 1. pag. 8. Maii tom. 2. pag. 7.
(8) Bolland. Maii tom. 1. Supplemen. p. 519. 520. Toynard. Harmon. Evang. ann. 2. ante Chriſti nativitatem, art. 3.
(9) Auguſt. tom. 5. ſerm. 200. nov. edit. olim 30. de Tempore. *Quid erat niſi magnifica lingua Cœli?* & Serm. 203. olim 64. de Diverſ. initio *ſtellam ſibi apparentem, pro infante verbo viſibiliter loquentem veluti linguam Cœli ſecuti ſunt*.
(10) Leo Mag. ſerm. 1. de Epiphan. Chryſoſt. in Matth. hom 6. Baſil. de hum. Chriſt. nativitat. Ambroſ. lib. 2. in Luc. c. 2. Author de Mirabilib. Sacr. Script. Fulgen. hom. de Epiphan. Author ſerm. 131. Append. t. 5. S. Auguſt.
(11) Origen. lib. contra Celſum, Maldon. Grot. Sculrer. (12) Ligfoot. Hor. Talmud. & in Harmon.
(13) Ita Evangel. Infantiæ, Chryſoſt. & Theophyl. in Matt. Author. de Mirabilib. Sacr. Script. Cæſar. Dialog. 20. Maldon.

credebatur, parens, evaneſcens, iter ſiſtens, pro-
ſequens, prout res exigebat.
Author Operis Imperfecti in Matthæum tradit,
ſidus illud in montem, unde Cælum jam inde à plu-
ribus ſæculis Magorum ſuccedentes generationes in-
ſpexerant, deſcendiſſe, atque in medio veluti ſinu
puerum exhibuiſſe, cujus capiti crux immineret;
ejuſque tandem pueri voce juſſos ad Judæam ſe con-
ferre. Eandem ex Libro apocrypho Seth traditio-
nem ſequutus eſt S. Epiphanius Hæreſ. 26. & 39. Af-
firmarunt alii, novum illud ſidus ipſum fuiſſe S. Spi-
ritum, qui Magis ſub ea ſpecie ſpectandum ſe præ-
buiſſet, quemadmodum deinde cum Jeſus Baptiſmo
abluerctur in ſpecie columbæ (1). Tanta fulgoris
gloria micuiſſe tradit S. Ignatius, ut aſtra omnia vin-
ceret; quin & ſolem, lunam, cæteraque aſtra poſt
ſe veluti in obſequium traxiſſe (2), addit ſuo veluti
lucis imperio omnia illum habuiſſe ſubjecta, totiuſ-
que mundi oculos in ſui admirationem convertiſſe.
Innotuiſſe etiam aliquid de illo phænomeno pro-
phanis Authoribus facilè credimus. Neque hic mo-
ror cometen ſeptem ſuccedentibus diebus Romæ vi-
ſum poſt obitum Julii Cæſaris & initum ab Auguſto
regnum, cui Templum dedicatum eſt à Romanis,
autumantibus, Cæſaris ſpiritum in aſtro micuiſſe
(3). Non defuerunt quidam ex noſtris, qui ſuſpi-
carentur, eo præſagio adventum Jeſu Chriſti por-
tendi, quibus tamen ut aſſentiamur, longior inter
utrumque illud factum diſtantia temporis prohibet
(4). Propiùs ad rem idem Plinius lib. 2. cap. 25. nar-
rat, paruiſſe cometen argenteæ coma & rutilantem
adeo, ut oculos intuentes ægrè admitteret, in quo
veluti *ſpecie humana Dei effigies oſtendebatur*.
Eſt quidem locus nonnullis Criticis ſuſpectus,
neque contentioſum cum illis trahendum mihi fu-
nem ſuſcipio, ut lectionem defendam. En alterum
Chalcidii Philoſophi Platonici, & à ſacris Chriſtia-
ni non alieni, cujus certa ætas ignoratur, apertiſſi-
mum ea de re teſtimonium (5). *Eſt aliqua ſanctior
& venerabilior hiſtoria, quæ perhibet, de ortu ſtellæ
cujuſdam non morbos morteſque denunciantis, ſed de-
ſcenſum Dei venerabilis ad humanæ converſationis, re-
rumque mortalium gratiam. Quam ſtellam, cùm no-
cturno itinere ſuſpexiſſent Chaldæorum profectò ſapien-
tes viri, & conſideratione rerum cæleſtium ſatis exerci-
tati, quæſiſſe dicuntur recentem ortum Dei, reperta-
que illa majeſtate puerili, veneratos eſſe, & vota Deo
tanto convenientia nuncupaſſe, quæ tibi multò melius
ſunt comperta, quàm cæteris.*
Verùm quò ad naturam ſideris regrediamur, cer-
tamque ſeligamus tot inter varias extremaſque ſen-
tentias, conſtituendum nobis arbitramur, flam-
meum aliquod phænomenon in media aëris regione
(6), quod Magi ſpectantes, cùm res nova & miræ
omnibus inſpectis circumſtantiis videretur, in ſu-
ſpicionem venerunt, num Balaami oraculum eo ve-
luti ſidere tunc primò exorto impleretur. Quare in
viam ſe dare cogitarunt, de novo illo Rege in Ju-
dæa naſcituro ſciſcitaturi. De tota re deliberaturi
advocarunt in conſilium receptam tum temporis per
univerſum Orientem de venturo Meſſia opinionem
(7), cujus tantum penès illos fuit pondus, ut tan-
dem iter inſtituerint, viam monſtrante flammeo
illo phænomeno, quod, tanquam columna nubis
Hebræos (8), pios illos viros deduxit.
An mortalium omnibus obtutibus pateret Mago-
A rum illud ſidus, incertum; ſunt qui illis tantum-
modo viſum autumaverint, (9); addunt alii (10),
ſemel tantùm, vel iterum lucem illam in ſuæ regio-
ne verſantibus Magis coruſcaſſe, denuò verò ea urbe
Jeruſalem egreſſis. Deductos per totam viam præe-
unte phænomeno alii maluerunt (11), addentes,
lucem ſuam ingredientibus Urbem abſcondiſſe,
quod in cauſa fuerit cur de Meſſia Jeroſolymis quæ-
rerent. Sunt tandem qui omnium oculis paruiſſe
crediderint (12); quòd autem cæteri per orbem po-
puli ejus ductum non ſequerentur, id unicè tribuen-
dum, ſive internæ Spiritus S. motioni, qua ſoli in-
ter omnes Magi ad iter pellerentur, ſive quòd ejus
B myſterium cæteros omnes lateret. Venientes Jeroſo-
lymam Magi altè inonuerunt: *Ubi eſt, qui natus eſt,
Rex Judæorum? Vidimus ſtellam ejus in Oriente*: qui-
bus verbis mortalibus omnibus ejus aſtri aſpectus
permiſſus fuiſſe inſinuatur.
Verùm ſi Judæis omnibus ſidus affulſit, ut quid
Herodes tanta ſollicitudine tempus illius exorti
quæſiviſſet? non abs re igitur ſuſpicamur, ſpecta-
tum in Oriente à Magis in regione ſua verſantibus
ſidus, venientes Jeroſolymam uſque ſidum ducto-
rem præceſſiſſe; cùm autem Jeroſolymis ſubſiſten-
tibus aliquandiu lumen ſuum prohibuiſſet, iterum ſe
egredientibus monſtravit, ac Bethleem uſque dedu-
xit; quò cum veniſſent, tanquam munere ſuo fun-
C ctum, evanuit. Reductos quidem in patria Magos
ab eodem aſtro Author Evangelii Infantiæ perhi-
buit; ſed ſubleſtæ fidei Scriptori nulla fides præſtan-
da. Protevangelium S. Jacobi tradit, ſpecus, ubi
Infans jacebat, interiora ſubiiſſe ſidus, atque in ſu-
periore ejus parte conſtitiſſe, quandiù Magi ſuppli-
ces puerum adorarunt (13). Quæ ſi vera ſint, mi-
nimum fuiſſe corpus illud lucidum oportet. Plura
ea de re ſilet S. Matthæus, quàm ut curioſitati noſtræ
ſatis habeantur.
Neque magis conſtat de tempore ſpectati à Magis
ſideris; neque enim certi quidquam in ea re à tradi-
tione ſive ab authoritate repetitur. Paruit ne bien-
D nio ante ortum Chriſtum, an ipſo ejus naſcentis ar-
ticulo? Hæc omnia æquè latent, & operoſior de il-
lis exquiſitio tædium augeret, non ſcientiam. Pro-
fectò ſi Magi ab Perſarum finibus ad Jeſum 13. tan-
tùm diebus natum venerunt, diu ejus in mundum
adventum præceſſiſſe ſidus credendum eſt; præceſſiſ-
ſe etiam reputandum aliquandiu, ſi ex Euphratæa
regione ſive Chaldæa moventes, Jeroſolymam die
ſexta Januarii venerunt, dum tempus nati Jeſu
Chriſti conſtituamus die 25. Decembris. Cùm ta-
men ad certam illam diem adventum Magorum in
Judæam definire nulla neceſſitate cogamur, ſatis
habentes ſi intra totum 40. dierum ſpatium, quo B.
E Virgo Bethleem ſubſtitit, veniſſe ſtatuantur (legis
enim præſcripto, Levit. 12. 2. 3. 4. tempus illud fœ-
minis puerperis ad purificationem deſtinabatur) po-
terant iter ſuum confeciſſe ſive die 20. ſive 25. ſive
etiam 30. Januarii. Namque die tantùm 2. Februa-
rii B. Virgo ad Templum aſcendit; & Innocentium
cædes, nonniſi poſt aliquot dies juſſu Herodis facta
eſt; cùm Joſephus interim in Ægyptum aufugeret.
Licèt autem Eccleſia Latina Feſtum Epiphaniæ
cum die ſexta Januarii compoſuerit, non tamen ita
reputandum eſt, quaſi tria illa myſteria, quæ unius
ejus diei Religione jungit, nempe Magorum adven-
tus, primum in nuptiis Canæ prodigium, & Baptiſ-
mus

(1) Quid apud Author. de Mirabilib. Sacr. Scriptur. apud Auguſt.
(2) Ignat. Epiſt. ad Epheſ. Ita Evangel. Infantiæ. (3) Vide Plin. lib. 2. cap. 25.
(4) Natus eſt enim Chriſtus 41. annis poſt obitum Julii Cæſaris.
(5) Qua vixerit ætate, incertum. Commentarium ſcripſit in Timæum Platonis, ubi hæc omnia legas p. 19.
(6) Spanhem. ex Origen. & Auguſt. Brug. Cleric Author Præadam. lib 4 cap. 3.
(7) Sveton. in Veſpaſ. Tacit. hiſtor. lib. 5. Cicero lib. 2. de Divinat. (8) Exod. 13. 21.
(9) Author Præadamit. lib. 4. cap. 3. (10) Baſil. hom. de Human. Chriſt. Nativit. Author de Mirabilib. Sacr. Scripi. q. 4. Tillemont. not. 31. in Jeſum Chriſt. Toynard Harmon. Evang.
(11) Chryſoſt. hom. 6. in Matt. Author. Oper. imperfecti, Ambroſ. l. 2. in Luc. 2. Bern. Serm. 4. in Epiph. Aug. Serm. 20c. 202. 203. nov. edit. Theophyact. Chronic. Alexand. (12) Evang. Infantiæ. Ignat. ad Epheſ.
(13) Subiiſſe ſpeluncam ſidus non legitur in Græco, ſed in Latino Poſtelli.

mus Ieſu Chriſti, ad unam eandemque diem reapſe pertinerant. Sexta Ianuarii dies Nativitati Ieſu Chriſti ſacra longa ætate apud Græcos manſit. Noſtræ ætatis Græci ea die nonniſi Baptiſmum J. C. recolunt; cum Magorum adventum una cum Nativitate I. C. eadem die 25. Decembris componant (1). Non eſt itaque cur præcepto ullo adigamur, ut adventum Magorum Bethleem ad diem 6. Ianuarii definiamus; commodoque proinde itinere licet illos è Meſopotamia, Chaldæa, ſive regione ſupra Euphratem deducere, modò confectum iter illud ſtatuamus, antequam B. Virgo in Ægyptum proficiſceretur.

Quam tenuit S. Matthæus 2. 2. ejus hiſtoriæ de exortu ſideris narrandæ ratio, duas inter ſe pugnantes ſententias induxit. Perſuaſum habent aliqui, Magos Ieroſolymam venientes vidiſſe ſe in *Oriente* ſeu in Orientali Cœli plaga ſidus deſignaſſe (2); alii verò non in orientali Cœli plaga, ſed *exoriens aſtrum* aſpexiſſe malunt (3). Prima tamen verſio pronior eſt; cùm maximè Evangeliſta eandem adhibeat expreſſionem ibidem verſ. 9. ubi via de exortu ſideris uſurparetur: *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat puer. Quam viderant in Oriente*, ait, non quam *exorientem viderant*; inepté enim hunc poſtremum ſeorſum uſurpaſſet Evangeliſta.

A Quò igitur totam hanc diſſertationem in unam veluti ſummam colligamus, ſtatuendum eſt, Magos alios fuiſſe viros à Sapientibus eo nomine apud Perſas jam inclytos; ſed potiùs eo nomine deſignatos viros ſapientes Arabiæ deſertæ, Chaldææ, Meſopotamiæ, ſive regionum ad Euphratem, qui vatis ſeu arioli Balaami veſtigia relegerent, quique receptum haberent traditione oraculum de novo ſidere, cujus micanti fulgore exortus nunciaretur Rex in Jacob, Gentium omnium ſalus & expectatio. Quare eo viſo ſidere, inquirendum ſibi de novo Rege ſuſceperunt. Potuit etiam id cogitantibus animos adjeciſſe B vel S. Spiritus repentinus, in mentem illapſus, vel ſomnium aliquod divinitùs immiſſum. Ad phænomenon quod attinet, non ſidus illud, cometen habendum cenſemus, ſed potiùs meteoron quoddam, brevi diſſolvendum, in media aeris regione inſtar ſideris emicans, & venientibus Jeroſolymam iter monſtrans; cùm autem biduo triduove lumen ſuum prohibuiſſet, iterum ſeſe monſtravit, quò Bethleem uſque iter habentes deduceret. Quòd autem natale Jeſu Chriſti præceſſiſſe ſtatuamus, ſivè intra dies 13. Magorum definiamus iter, vel tandem die 13 à nato Chriſto veniſſe illos fateamur, nihil eſt; ſatis eſt C enim, ſi ante quadrageſimam diem, Purificationi Beatæ Virginis in Lege præſcriptam, veniſſe ſtatuantur.

[1] Vide D. Tillemont. Not. 9. de Jeſu Chriſt.
[2] Chryſoſt. Maldon. Grot. Drul. Hammon. alii.
[3] Borremans, & alii quidam.

DISSERTATIO
DE NOVISSIMO PASCHATE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

TOT in rem præſentem ſcripta poſtremis hiſce annis edita ſunt, ut novi aliquid produci vix ac ne vix quidem poſſit. Quare ſi Sapientibus tantùm viris noſtro hoc Opere laboraremus, ſatius profectò duceremus rem totam præterire, hoc tantum vel illud ſyſtema præferre nos indicantes; ſingulis interim relinquentes, ut de ſuo argumenta & conjecturas ſuppleant. Sed cùm ultro citroque data de hoc argumento ſcripta ratis ad modum innoteſcant, operæ pretium duxi, ſi mea hac diſſertatione varia ſaltem variorum ſyſtemata in medium producerentur, allatis ſimul, quæ illis probandis deducta ſunt, argumentis.

Recepta apud utramque Eccleſiam Græcam ſcilicet Romanamque, ſententia tenet, celebratum à Jeſu una cum Diſcipulis legale Paſcha veſperis feriæ quintæ die 14. Niſan, tum verò altera die, 15. ejuſdem menſis, Paſchatis feſto ſupplicio crucis affectum interiiſſe. Cœptus inde in Eccleſia Latina mos pane azymo conficiendi myſteria; quòd ſcilicet Chriſtus in celebratione Paſchæ, eodem quo Judæi tempore, datum illis de azymis præceptum ſervaſſe crederetur. In hanc ſententiam ſuſtra Patrum & recentiorum Interpretum teſtimonia laudarentur; ingenuè etenim fateamur oportet, omnes in illam ſummo aſſenſu conceſſiſſe; atque ita de illa in Tridentino conſtitui, quaſi communi Eccleſiæ ſuffragio reciperetur. (1)

D Quanquam autem hæc ita ſe habeant, nunquam tamen veluti fidei dogma ab Eccleſia quidquam ea de re definitum eſt; nec religioni ſibi duxerunt viri quidam in primis Catholici nova alia ſyſtemata procudere, ac palam defendere, nulla propterea cenſura ab Eccleſia inuſti, nec offenſionem in ſe ullam ea de re apud religioſos Fideles inducentes. Illorom quidam altera die Jeſum, altera Judæos Paſcha celebraſſe autumarunt; illum nempè feria 5. in veſperam declinante, hos verò feria 6. ſub veſperas (2). Perſuaſum eſt aliis, Judæorum aliquos, de quibus mox, feriam quintam, alios verò feriam 6 convivio Paſchali ſolemnem habuiſſe; Galilæos ſcilicet, & Iſraelitas decem Tribuum per Paleſtinam diſperſos feriam 5. Ieroſolymæ & Judææ univerſæ incolas feriam 6. [3]

Celebrarum (4) à Ieſu Chriſto legale Paſcha ne-F gatunt alii, defendentes noviſſimam illius cœnam vulgare fuiſſe convivium, nihilque à cæteris diverſum. Poſtremam hanc opinionem, quam in Commentariis ſecuti ſumus, non quòd cæteris præponenda videatur, ſed quòd poſſit in eodem cum reliquis authoritatis gradu conſiſtere, adductis argumentis fulciendam ſuſcipimus. Nec tamen propterea aliorum ſyſtematum rationes aggrediemur refutandas, ſed integrum relinquemus Lectori, ut quaſcumque maluerit partes ſequatur, dummodo id maximè præ oculis habeat, ne quid unquam contra Eccleſiæ ſenſum vel admittat, vel defendat. Explo-

(1) Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 5.
(2) Paulus Burgenſis, Paulus Midelburgenſis, Lucidus, Grotius. Onuphrius, Hentenius, Cornelius Janſenius, Maldon. Scalig. Calviſ. P. Lallemant. Laudari etiam poſſunt S. Epiphan. Euthymius Zigabon. de quibus mox.
(3) P. Harduin. in tract. de Noviſſimo Paſchate J. C. Vide etiam P. Pezron. Hiſtor. Evangelic.
(4) Toynard Harm. Evang. p. 107. 108. Lamy in variis ejus ſcriptis de Paſchate.

Exploratum eſt, *Paſcha* nomen latiſſimo in Scriptura ſenſu patere. 1. Angeli exterminatoris (1), qui univerſam percurrens Ægyptum ultore gladio, omnes ejus gentis primores natu interfecit, ſolis relictis Hebræis, *Tranſitum* deſignat, quæ potior eſt & literalis ejus vocis notio. 2 Paſcha eſt etiam *Agnus* (2), quem, memoriam recolentes exempti è gladio Angeli exterminatoris, populi Iſraelis immolare conſueverunt 3. Obtinuit pariter, ut Feſtum, quo accepti ea occaſione beneficii, liberati nempè ab Ægypto Iſraelis, memoria ad poſteros tranſmiſſa eſt, Paſcha itidem appellaretur (3) 4. Eodem cenſebantur nomine *victimæ omnes* ea die ad ſacrificium deſtinatæ (4); agnus enim in pervigilio ejus diei immolabatur, die nempè 14. atque decima quinta ineunte, ſubeunte nocte Paſchale ex illo epulum inſtituebatur. 5. Eodem pariter *azyma*, quæ illis diebus adhibebantur in cibum (5). 6 Eodem *Agni Paſchalis epulum* (6). 7 Pervigilium pariter tum & ſeptem illi ſolemnes Paſchæ dies (7); 8. tandem cæremoniæ ritusque omnes ejus Feſtum præcedentes comitanteſque, Paſchæ nomine deſignabantur; ut *parare Paſcha* perinde habeatur, ac locum Paſchali convivio opportunum inſtruere, victimas comparare, immolationem inſtruere, fermentatum panem ſolerter, ne quid ex illo remaneat, conquirere; conficere, decoquere azyma &c.

Hæc ſimul omnia vel ex his quædam tantummodò præ oculis habuiſſe Evangeliſtas oportet, cum miſſos à Jeſu Diſcipulos ut *pararent Paſcha*, ac reapſe paratum ab illis narrarunt (8). Uno verbo, ſicut Paſchæ nomen vel ſtricta & literali ſignificatione, vel vaga & latiori uſurpatur; ita pariter verbum *parare* & proximam aliquam præparationem, & remotam quandam non incongruè deſignat. Ita cùm Moyſis præcepto juſſi ſunt Hebræi in Ægypto verſantes à die 10. Niſan agnum die 14 vel ineunte 15. ejuſdem menſis immolandum parare, agnus ille ex tunc Paſcha appellatur Exod. 12........ 3.21. & agnum illum ſibi comparare perinde habetur, ac *parare Paſcha*. Nihil autem moror cæteros morales ſenſus eidem nomini tributos; ſcitum eſt enim, Apoſtolum 1. Cor. 5. 7. ita de Jeſu Chriſto loquutum: *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*.

Receptum eſt etiam apud omnes, & ſanctum apud Interpretes, conciliandas inter ſe Scripturas ſibi affirmentes, ut obſcuris clariorum aliorum textuum collatione lux affundatur, & quod illis deeſt, de aliorum perſpicuitate ſuppleatur, æquivocantes voces certis aliis determinentur; nec unquam committitur, ut inverſo ordine perſpicuis certiſque relictis minùs aperta & ambigua præferantur. In eo igitur, quod verſamus, argumento quinque vel ſex occurrunt apud S. Joannem textus, ſi quis alius, perſpicui, ut nihil illis deſit ad evidentiam, apertis demonſtrantes verbis, Jeſum Chriſtum cum Diſcipulis ſuis legale illud Paſcha non celebraſſe. Ut quid igitur tot certis & perſpicuis ejus Evangeliſtæ teſtimoniis relictis, ambigua aliorum Evangeliſtarum ita ſequamur, ut cùm facili negocio cum apertis illis conciliari poſſint, inverſo potiùs ordine clara ad obſcura diſtrahantur? Facilè namque tres illi Evangeliſtæ ita exponerentur, quaſi Jeſus Paſchale illud convivium non celebraſſet; cum interim S. Joannes non facilè in eam ſententiam diſtrahatur; quæ inſtitutum à Jeſu epulum Paſchale defendit. Porrò S. Joannes omnium poſtremus ad ſcribendum ſe conferens, incertum vagumque priorum Evangeliſtarum ſenſum determinavit; nec altero ipſe ſenſu, quàm obvio & Lectoribus ultro ſeſe offerente, exponendus eſt.

Luculentum pariter ad eam ſententiam argumentum ex ipſa textus S. Scripturæ ſerie deducitur. Evangeliſtas inter ſe conciliare rem eſſe, ſi aliam unquam, operoſam, ſatis inter omnes arbitror convenire; neque enim alioqui diuturnæ adeò diſputationes invaluiſſent. In tanta autem rerum difficultate ea maximè præferenda hypotheſis videtur, quæ & cætera omnia levat incommoda, & Evangeliſtarum variis locis apprimè congruit. Hæc autem maximè in noſtra hypotheſi.

Die Dominica *ante ſex dies Paſcha venit Jeſus Bethaniam*, Joan 12. 1. apud Simonem Leproſum, Matt. 26. 6. cœnaturus; qua occaſione Maria ſoror Lazari pretioſo nardi ſpicati unguento Jeſu diſcumbentis pedes linivit. *In craſtinum*, Joan. 12. 12. feria nempè 2. & 10. Niſan, triumphantis more Ieroſolymam veniens Chriſtus exceptus eſt, Matt. 21. 1. Marc. 11. 11. Luc. 19. 29. *Cùm jam veſpera eſſet hora*, Marc. 11. 11. Matt. 21. 17. ex Urbe digreſſus noctem egit in Bethania. *Mane*, (Marc. 11. 12. Matt. 21. 18.) feria 3. & 11. Niſan, ad Urbem regrediens in ficulneam foliis veſtitam & fructibus nudam dira imprecatus eſt. *Cum veſpera facta eſſet*, Marc. 11. 19. in Bethaniam iterum contendit. *Mane*, (Marc. 11. 20.... .27.) feria 4. & 12. Niſan, *venit rurſus Jeroſolymam*, ſtupentibuſque Diſcipulis de ficulnea ante dira devota, quam pertranſeuntes arefactam offendebant, reſpondit, hæc & majora prodigia illis facienda reſervari, ſiquidem fide valerent. Tota ea dies docendis in Templo turbis exacta eſt.

Inclinante jam die è Templo egredienti, Matt. 24. 1. Marc. 13. 1.) monſtrabant Diſcipuli totius ſtructuræ magnificentiam; ſed ille futurum denunciavit, ut tandem omnibus everſis tanti ædificii ne lapis quidem lapidi ſuperſtructus reſtaret. Tum ex Urbe digreſſus, montem Olivarum conſcendit, Matt. 24. 3. Marc 13. 3. Ea occaſione cum in loco è regione Templi omnes aſſiderent, interrogarunt Jeſum Diſcipuli, quo temporis articulo de everſione Templi oracula implenda manerent? quibus prolixa ſatis oratione, à noſtro argumento aliena, Jeſus reſpondit. *Erant autem Paſcha & azyma poſt biduum*, Marc. 14. 1. 1. Matt. 26. 2. monuitque Jeſus Diſcipulos, futurum ut eo temporis articulo *filius hominis traderetur* ad necem, & crucem.

Mane alterius diei, (Matt. 24. 17. Marc. 14. 12. Luc. 22. 7.) feria quinta, 5. & 13. Niſan, *primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant*, i. e. qua die ſub veſperis inibat dies 14. Niſan, agni Paſchalis immolationi deſtinata, tum & azymorum prima. Porrò ea azymorum religio nonniſi poſt meridiem diei 14. exordiebatur, & agnus Paſchalis poſt duas horas à meridie ejuſdem diei immolari permiſſus eſt, Exod. 12. 18. 19. Levit. 23. 5. num 18. 16. Cum tamen inſtrui cœnaculum & ab omni repurgari fermento oporteret, neque ea omnia ipſo Paſchæ pervigilio, quo temporis articulo victima immolabatur, præſtari commodè potuiſſet, *dicunt ei Diſcipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha?* Matth. 26. 17. 18. Marc. 14. 13. 14. Luc. 22. 8. 9. non ea die ſcilicet, ſed altera ſubſequente. Miſſi ſunt itaque Petrus & Joannes, ut pararent Paſcha, ea nempè inſtruerent, quæ epulo Paſcali altera die celebrando requirerentur, cœnaculum à fermento repur-

(1) Exod. 12. 11. 12. (2) Exod. 12. 21. (3) Exod. 12. 14. 15. 16. & paſſim.
(4) 2. Par. 30. 22. 23. 2., Deut. 16. 1. 2. Num. 28. 18. 19.
(5) Luc. 22. 1. *Dies feſtus azymorum, qui dicitur Paſcha*. (6) Exod. 12. 43. 44. 45. 47.
(7) Num. 9. 2. & 33. 1. & 2. Par. 30. 2. 2. &c. Ezech. 45. 21. & in Evangelio paſſim.
(8) Matt. 26. 17. 19. Marc. 14. 12. 16. Luc. 22. 7. 8. 12. 13.

repurgarent, pararent menſas, & lectulos &c. Munere ſuo functi Apoſtoli, ad Magiſtrum regreſſi omnia in promptu eſſe nuntiarunt. Porrò Apoſtolos illos Templum adiiſſe, Paſcha immolaſſe, ne verbum quidem in Evangelio. Quin nec ab alio fieri id oportebat, quam à patrefamilias, ſeu à viro, qui cæteris præerat; quare ipſum Jeſum in Urbem veniſſe, & ſuis ipſum manibus victimam obtuliſſe oportebat.

Veſpere autem facto, ejus ſcilicet diei, feriæ 5. & 13. Niſan, *venit Jeſus cum duodecim, & cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo*, Matt. 26. 20 Marc. 14. 17. Luc. 22. 14. *Ante diem feſtum Paſcha*, Joan. 13. v. 2. &c. (animadverte diligenter nondum Paſcha iniviſſe) *cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, ſurrexit, & lavit pedes eorum.* Tum ad ſuos: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*, *Idem* ℣. 15. 16. communicare nempè vobiſcum in cibo Euchariſtico, cujus jam jam inſtituebat myſterium (1); ſive fortè verbis illis inſinuavit, optaſſe ſe quidem noviſſimum illud Paſcha, cui altera die celebrando omnia jam erant in promptu, unà cum ſuis celebrare; noſſe ſe tamen adverſariorum molitionibus, ne, quod maximè vellet, exequeretur, impediendum; hanc proinde noviſſimam eſſe, quam cum ipſis ageret, cœnam, antequam è mortuis reſurgeret.

Poſt lotos Diſcipulorum pedes, Jo: 13. 21. &c. Luc. 22. 21. &c. iterum Jeſus in eorum verſari cœtu virum proditorem, cujus dolo in manus Principum Sacerdotum ipſe traderetur, denunciavit. Quærenti autem S. Joanni ecquis è Diſcipulis tantum nefas moliretur, illum eſſe ſignificavit, cui intinctum ipſe panem porrigeret, ſtatimque intinctum panem obtulit Judæ, ſimul addens: *Quod facis, fac citius.* Illud Magiſtri dictum quidam ex Diſcipulis ita ſunt interpretati, quaſi emere aliqua ad diem feſtum neceſſaria Judas moneretur. Hæc ſanè omnia cum Paſchali requie ea nocte ineunte minùs quadrant; quemadmodum & cætera, quæ poſt cœnam facta narrantur, uti pedum lotio, ac deinde ex Urbe receſſus; in eadem enim domo, ubi Paſcha celebratum fuerat, cubare Hebræi jubebantur. (2)

In horto ad montem Olivarum oranti ſpiculatorum & ſatellitum Summi Sacerdotis adeoque Iudæorum manus ſupervenit, armis inſtructa, & parata vi reſiſtenti vim inferre (3); quod ne fieret in Solemnitate Paſchali leges moreſque Iudæorum prohibebant. Deductus reus coram Anna primùm, dein tribunali Caiphæ ſtatuitur: judicialibus quæſtionibus interrogatur; teſtes audiuntur; damnatur. Quot, rogo, Legum diei feſti religionem ſanctam habentium infractiones? Primo mane coram Synedrio conſtitutus Ieſus accuſatur iterum, damnaturque. Tum ad Pilatum rapitur, extra Prætorium interim ſe continentibus Iudæis, *ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*, Io: 18. 28. quæ verba ſedulò animadvertenda ſunt; probant enim, nondum Paſcha deguſtaſſe Iudæos.

Fruſtra verò reponeretur, Paſcha illud à Iudæis deguſtandum ipſas deſignare victimas in Templo ſolemni Paſchatis die & ſeptem inde ordine ſuccedentibus immolandas, juxta præſcriptum Moyſis in Deut. 16. 1. 2. Solemnia enim per eos dies Sacrificia, quanquam reapſe *Phaſe* vel Paſcha appellarentur, ex holocauſtorum genere fuerant, ut conſtat ex Num. 18. 17. 23. 24. in quibus nihil de victima in cibum reſervabatur, ſed omnia igne ſacro abſumebantur. Poterant quidem ipſa pariter die victimæ pacificæ, quarum eſt cibus permiſſus, immolari; ſed nihil de ejus generis ſacrificiis ea die præſcriptum. Integrum erat hac vel illa die pro voluntate offerre; nulloque adigebantur præcepto Iudæi, ut oblatas eo ſacrificii genere victimas die Paſchæ vel alio quocumque deguſtarent. Qui ſibi perſuaſerit, levi adeò de cauſa, & nulla adigente neceſſitate, id committere voluiſſe Iudæos, ut Romanum Præſidem ultro, citroque diſcurrere cogerent? Fac autem voluiſſent Iudæi, indulſiſſet nevolentibus, niſi gravi de cauſa, qualis profectò habebatur Paſchatis celebratio, Pilatus?

Poſt plures excitatas turbas, quot vix cum religioſa Paſchatis quiete componerentur, id tandem obtinuerunt Hebræi, ut capitalis in Ieſum ſententia diceretur. Deductus itaque ad Calvarium, ibique actus in Crucem circa horam nonam, tertiam nempe veſpertinam, Matth. 27. 48. & ſeq. expiravit.

Aliquanto poſt Iudæi Præſidem convenientes rogarunt, ut crurifragium imperaret, ne miſero illo ſpectaculo ſolemnitas Sabbathi funeſtaretur; *erat enim magnus dies ille Sabbathi*, vel uti ad literam S. Ioannes, *Magna erat ejus diei ſolemnitas*, Ioan. 19. 31. Quænam, rogo, niſi Paſchæ? Quare depoſitum è cruce cadaver Ieſu, cæterorumque; curatum ejuſdem Chriſti cadaver à Ioſepho ab Arimathia, & Nicodemo, linteiſque obvolutum, tumulo illatum eſt, atque patenti ejus ſepulchri ori magnus quidem lapis oppoſitus. Dein recipere ſe omnes, quoniam Paraſceve erat, Luc. 23. 5. 6. Ioan. 19. 42. i. e. præparatio ad diem feſtam, ſive Sabbathum, quæ occiduo ſole iniens, religioſam quietem imperabat.

Totam hanc hiſtoriæ Paſſionis ſeriem à prima Sabbathi uſque ad diem Paraſceve, eo conſilio tradendam ſuſcepi, quò meliùs Lector & temporum adſcriptiones, & dies comparans, intelligat tandem Paſchalem ſolemnitatem ejus annis in diem Sabbathi incidiſſe, neque unquam commiſſuros Iudæos, ut tanta molitione Chriſti necem urgerent, quanta præſtitum ab ipſis feria ſexta ſcimus, ſiquidem ea die ſolemnitatem Paſchalem celebraſſent.

Profectò Agrippa poſt affectum ſupplicio S. Iacobum Majorem, atque detentum in carcere S. Petrum, ne capitali ſupplicio Apoſtolum illum diebus Azymalibus, ſive Paſchatis, Act. 12. 4. plecteret, cavendum ſibi arbitratus eſt; quare uſque poſt Feſtum ſupplicii illius dilationem (norat enim quid ferrent leges, moreſque Iudæorum) imperavit. Eodem conſilio Iudæi urgendam ſibi cenſuerunt necem Ieſu Chriſti, ipſo Paſchatis pervigilio, ne fortè diei feſti religione abſtinere coacti, ſubducendi ſe à ſuo ipſorum furore ſpatium relinquerent.

Nihil moror eorum ſententiam, qui duobus ſuccedentibus diebus idem Feſtum celebrari potuiſſe ſtatuunt, quidquid enim à Rabbinis ea de re traditum eſt, recentiorem eſſe morem, veteribus Hebræis ignotum, P. Lamy poſt Bochartum (4) demonſtravit. Quando autem potuiſſet duobus ſuccedentibus diebus in remotiſſimis Provinciis Paſcha celebrari, quòd de phaſi lunæ nihil certi conſtaret, id tamen, quòd Hieroſolymis præſtaretur nihil erat. Quæ tandem addunt de translatione Feſtorum, ſi fortè in feriam ſextam inciderent, tum per ſe nullis argumentis probatur, tum & pariter ipſorum Rabbinorum authoritate negata ſunt. Videſis Ligfootum, & Bochartum.

Hanc ſententiam maximè pariter convincit Feſtum Pentecoſtes, nunquam non in Eccleſia die dominica celebratum; quod proinde in eandem diem incidiſſe anno I. C. emortuali negaverit nemo. Porrò Feſtum illud apud Iudæos quinquageſima die ab Azymis ita recurrebat, ut altera ab azymis die, 16. menſis, qua nempe *homer* ſive manipuli novi hordei oblatio deſtinata erat, periodus illa duceretur. Dies igitur decima quinta menſis, adeoque & ſolemnitas Paſchalis cum Sabbato componenda erat, ſicut & dies decima quarta cum feria ſexta

(1) Origen. Chryſoſt. homil. 82. 83. (2) Maimonid. Hilac. Poſach.
(3) Matth. 26. 47. & ſequ. Marc. 14. 42. & ſequ. Luc. 22. 47. &c. Joan. 18. 4. & ſequ.
(4) Lamy. Epiſt. de Paſchate pag. 33. Gallicè. Vide Bochar. de Anim. Sac. lib. 2. cap. 50. & P. Petav. Nót. in hæreſ. 51. S. Epiph.

ſive *Paraſceve*, qua ſcilicet Agnus Paſchalis immolari, atque in cibum adhiberi lege ſanctum habebatur. Cœnam autem ſuam inſtituit Jeſus veſperis diei decimi tertii, quam proinde alteram fuiſſe à cœna Paſchali apertiſſimè convincitur. Videſis de hoc argumento luculentiùs diſſerentes P. Lamy, Epiſt. de Paſchate pag. 66. & D. Toynardum, Harmon. Evangel. not. pag. 151. Si quis autem illud conſtituerit, nimirum quintam Sabbati noviſſima cœna J. C. celebrem in 14. lunæ incidiſſe, atque ſubſequentem deinde diem decimam quintam fuiſſe & Paſchalem, tunc manipuli oblatio ad alteram diem, Sabbathum nempè, rejicienda; neque enim ſolemnitas illa Sabbati demeſſione rei in Templo offerendæ violabatur (1). Incidet autem, ea facta ſupputatione, dies Pentecoſtes ejus anni in Sabbatum, quod primorum ſæculorum receptæ ubique in Eccleſia diſciplinæ repugnat.

Vetus eſt altera, & apud utramque Eccleſiam recepta traditio, feria quarta paſſionis decretum fuiſſe in pleno Judæorum Synedrio, ut in necem Jeſu Chriſti conſpiraretur. Quare eam diem ſolemni jejunio deſtinarunt Eccleſiæ Latina & Græca, vel ſaltem id ſibi pii quique Fideles ſuſceperunt, in memoriam proditionis Judæ atque necis Jeſu Chriſti à Judæis decretæ. Factum id autem biduo ante Paſcha diſertè aſſerunt Evangeliſtæ: *Erant autem Paſcha & Azyma poſt biduum*, ait S. Marcus 14. 1. *& quærebant Summi Sacerdotes, quomodo Jeſum dolo tenerent*. Et S. Matthæus 26. 1. 2. *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur. Tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi, & conſilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent & occiderent*. Profectò à feria quarta ad quintam non duo, ſed una tantùm dies ſupputatur. Neceſſe fuit proinde Paſcha feria ſexta ſub veſperas cœpiſſe, cum ſcilicet Jeſus è Cruce pendens animam efflavit.

Scitum eſt apud omnes, Hebræos in menſibus ſuis dirigendis ad lunæ curſum attendiſſe. Feſtum Paſchale ducebatur à veſperis lunæ decimæquartæ, ac deinde tota decima quinta celebrabatur, Exod. 12. 2. 6. Levit. 23. 5. Exploratum eſt etiam, Hebræos feſta ſua omnia à veſperis ad veſperas duxiſſe, quemadmodum & in Scriptura diſertiſſimè aſſeritur, Levit. 23. 32. Quò igitur certam diem feſti Paſchalis aſſignemus, aſtronomicis ſupputationibus demonſtrandum eſt, diem 14. Niſan ejus anni, 33. Æræ vulgaris, in feriam ſextam incidiſſe; quod ſanè exactiſſimè præſtitum à peritiſſimis noſtræ ætatis Aſtronomis, ut nullus dubitationi locus relinquatur, Jeſum Chriſtum die 14. Niſan poſt meridiem ſupplicium crucis ſubiiſſe; nec proinde Paſchale convivium cum cæteris Judæis celebrare voluiſſe (2).

Duo rebus à nobis dictis opponi poſſunt: 1. Annum 33. Æræ vulgaris emortualem Jeſu Chriſti non fuiſſe; 2. Aſtronomorum noſtrorum ſupputationes erroneas haberi, vel ſaltem minùs exactam temporum rationem ſectatos Hebræos Jeſu Chriſti ætate. Ad poſtremum hoc quod ſpectat, non niſi optimis exhibitis documentis jure id aſſeri nequaquam poteſt. Ecquis enim credat, Judæos in ritibus ſuis omnibus ſervandis religioſiſſimos, temporum ſupputationes tantùm neglexiſſe? Poterant autem illi commodè iſtarum rerum peritiam ſive proprio ſtudio comparaſſe, ſive ope externorum Mathematicorum, quorum plures in vicina Ægypto conſulere valuiſſent.

Neque peritia atque fides Aſtronomorum, quos in ea ſupputatione P. Lancellottus, & D. Toynardus adhibuerunt (3), minori temeritate in ſuſpicionem revocaretur. Porrò eorum tabulas & documenta omnia publici juris facta in examen revocare omnibus permiſſum eſt, Vide laudatos Scriptores, Profectò ſi Textus Evangeliorum apertiſſimi eſſent, atque luculenter celebratum à Jeſu Chriſto poſtremum Paſcha demonſtrarent, nihil ego morarer ſupputationes illas aſtronomicas, neque minùs exactos Judæos ea in re credere recuſarem. Cum autem nihil in Scriptura adversùs illas exploratum habeatur, nulla de imperitia Hebræorum ſuſpicio, non eſt cur pro arbitrio defeciſſe illos in ratione temporum definiamus.

Quo verò ad emortualem Jeſu Chriſti annum ſpectat, componendum illum cum 33. Æræ vulgaris adductis argumentis demonſtrari potuiſſet. S. Joannes munus ſuum Præcurſoris inivit, Luc. 3. 1. anno 15. Imperii Tiberii; incidit autem annus ille in 29. Æræ Vulgaris. Aliquandiu poſt ſuſceptum à S. Præcurſore munus Jeſus Chriſtus Baptiſmi lavacro tinctus eſt. Deinde Jeſus Chriſtus duobus annis & ſemis ad minus poſt Baptiſmum ſuum muneri prædicationis inſtitit. Apud S. Joannem, 2. 13. & 6. 4. gemina Paſchata, ultra noviſſimum illud quo diem clauſit, Joan. 11. 55. & 12. 1. & 13. 1. non obſcurè deſignantur. Non ergo ante annum 29. Æræ vulgaris Jeſus Chriſtus interiit.

Obiit ille procurante Judæam Pilato, quem Præſidem ante obitum Tiberii è provincia pulſum conſtat. Porrò Tiberius nemine ambigente obiit anno 37 Æræ vulgaris; ac proinde obitus Jeſu Chriſti intra annum 29. & 37. Æræ conſignandus eſt. In annis verò intra eos terminos nullus occurrit, quàm 33. cujus Paſcha in feriam quintam vel ſextam inciderit. Is ergo emortualis Jeſu Chriſti ſtatuendus eſt, Vide hæc omnia fuſius apud P. Lamy & D. Toynardum ac ſupputationes Boulliaudi.

Quamquam noſtrum hoc ſyſtema apud Veteres communi ſuffragio non probatur, non defuerunt tamen inter eos, qui ſibi ejus partes defendendas ſuſciperent; nullaque eſt receptior apud Priſcos illos ſententia, ſi ea tantùm excipiatur, quæ legale Paſcha à Jeſu Chriſto celebratum defendit. Neque hic referendam cenſeo opinionem S. Chryſoſtomi in Matth. Hom 85. ſtatuentis poſtremum Paſcha cum Apoſtolis celebraſſe quidem Jeſum, non verò Sacerdotes & Scribas, cæteroſque Judæos, ejus urgendæ neci intentos. Quo enim furore, livore, & odio erant in Jeſum, eo prohibiti ſunt, ut religioni & piis illis cæremoniis vacarent, quare tota diei ſacri religio in alteram diem remiſſa eſt. Hæc ſanè opinio ſingularitate ſua omnes deterret; id tantùm nobis in præſentia ejus occaſione animadvertendum eſt: Textus S. Joannis eam fuiſſe penès S. Doctorem vim, ut non alia ratione ſibi exponendum illum arbitraretur, quam poſtremum illud Paſcha dilatum in alteram diem à Perſecutoribus comminiſcens.

Victor Antiochenus (4) Scriptor ſæculi quinti, quippè qui S. Chryſoſtomum tamquam ſuperſtitem laudet, obſervat, Judæos biduo ante Paſcha & Paſſionem Jeſu Chriſti, nempè feria quarta, de perdendo Chriſto deliberaſſe; oportebat enim, ait, die 14. primi menſis Agnum Paſchalem in ara crucis immolari, Addit, illud S. Matthæi, *Apud te facio Paſcha*, deſignaſſe potuiſſe, non eſum, ſed Paſchæ apparatum; luculenter enim S. Joannes perhibet, qua die Chriſtus neci traditus eſt, Judæos nondum Paſcha deguſtaſſe. Porrò, ait, hac ipſa die debuit Paſcha typicum in Templo immolari, & verus Agnus in cruce mactari.

Nec minùs eidem ſententiæ favet Apollinaris (5), animadvertens, appoſitè quidem Sanctum Joannem poſt cœnam à Chriſto factam animadvertiſſe, nondum Feſtum Paſchale initum; *Ante diem feſtum Paſchæ, cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*, Non-

(1) Miſchna 6. lib. 8. n. 3. (2) Vide Tabulas impreſſas in calce Bibliorum Vitrè pag. 51. & D. Toynard. Harmon. not. pag. 148. (3) D. Fabrum, Boul laudum. Paulum Mildeburgenſem.
(4) Victor Antioch. in Marc. 14. 1. Cod. Reg. 1058. & 437. apud Toynard. Harmon. not. pag. 151. Idem in Marc. 14. 12.
(5) Appollinar. Catten. in Joan. 18. 25. Codex Reg. 343.

Nondum igitur deguſtatum erat Paſcha, cujus eodem tempore Agnus delibandus erat, quo Jeſus Chriſtus verus Agnus Paſchalis in crucis ara mactabatur. Reputandum eſt igitur, addit ille, Textum Evangeliſtarum, quo exprimitur *prima die Azymorum* miſſos à Jeſo Diſcipulos, ut cœnaculum inſtruerent, reputandum eſt, inquam, nihil aliud deſignaſſe, quàm miſſos fuiſſe Apoſtolos *biduo ante Azyma* i.e. die decima tertia menſis; ac tandem cœnam illam alteram fuiſſe à Paſchali. Hæc ſanè expoſitio præſerenda, quò ſimul S. Joannes cæterique Evangeliſtæ concilientur; eamdemque inſinuat S. Matthæus, referens illud Jeſu Chriſti ad Diſcipulos: *Vos ſcitis, quia poſt biduum Paſcha fiet &c.* Quare Jeſus eodem tempore in crucem actus fuit, quo Paſcha immolabatur. Ita Apollinarius.

S. Epiphanius (1), perſuaſum habet, pleroſque Judæorum anno Jeſu Chriſti emortuali Paſcha biduo prævertiſſe; quibuſcum conſenſerit Jeſus; cum interim, ait, alii meliùs inſtructi ad feriam ſextam Feſtum diſtulerint. Singularem hanc ſententiam noſtro ſuffragio probandam non ducimus, ſed ſatis ex illa inſinuatum arbitror, quantis in ambagibus pro conciliando S. Joanne cum cæteris Evangeliſtis Priſci illi verſarentur. Caſaubonus, Exercit. 17. n. 24. P. Petavius, lib. de Doctr. Temp. c. 15. & poſt illos P. Lamy ſententiam laudarunt excerptam è Præfatione Chronici Alexandrini (2), Petro ejuſdem Urbis Epiſcopo tributa, qua Paſchalis Agnus noviſſimo Paſchate à Jeſu Chriſto deguſtatum negatur; ſed ea ipſa hora immolatus dicitur in cruce Jeſus ac in Templo Agnus Paſchalis.

Porrò Author iſte ſive Chronici Scriptor huic fulciendæ ſententiæ laudat teſtimonium S. Hyppoliti Martyris Epiſcopi Portuenſis in Italia, in ejus libro adverſus Hæreſes, quo in Opere Author evertendas aggreditur Quartadecimanorum opiniones, ita ratiocinantium: Jeſus Chriſtus Paſcha celebravit die quarta decima lunæ, non altera igitur eſt nobis dies Paſchalis habenda. Calamum igitur acuens Author adverſùs illos, deſendit, Jeſum Chriſtum à legali Paſchate tempore Paſſionis ſuæ deguſtando prohibitum fuiſſe; quippe qui verum eſſet Paſcha eadem hora immolatum, qua ipſe antea prædixerat. Alterum ejuſdem Authoris teſtimonium laudari poteſt, & in eandem ſententiam ex libro de Paſchate.

Ibi etiam ſervatur fragmentum Apollinaris Epiſcopi Hierapolitani (3), in quo ſententia reprehenditur autumantium, Jeſum Chriſtum cum Diſcipulis ſuis die 14. ejuſdem menſis Paſcha deguſtaſſe. Tandem textus alter tanquam ex S. Clemente Alexandrino (4), ſed perperam inſcriptus, producitur, ubi paratum quidem ab Apoſtolis Paſcha, ſed à Jeſu Chriſto minimè celebratum ſtatuitur, cùm enim verum in ſe Agnum, cujus Judæorum agnus typus eſſet, exhiberet, debuit eadem utrque hora immolari. Non quidem negaverim, ex fragmentis iſtis plura falsò illis Authoribus inſcribi, ſed ex vetuſtiſſimis deſumpta Libris adverſùs Quartadecimanos plerumque ſcriptis conſtat. Author Quæſtionum ad Orthodoxos q. 65. luculenter aſſerit, Jeſum Chriſtum ad necem damnatum obiiſſe die Paraſceve vel Paſchatis pervigilio. Euthymius Zygabenus in Comment. ad Matth. demonſtrat fuſiùs, Chriſtum Paſcha celebraſſe die 13. Lunæ, obiiſſe verò die 14. ac tandem Paſcha in diem 15. incidiſſe.

Philoponus, qui flurebat A. 604. ſub Phoca, de hoc argumento differens, negat celebratum à Jeſu Chriſto noviſſimum illud & Euchariſticum Paſcha. In eandem ſententiam ſcripſiſſe Metrodorum, aliosque duos, qui lucubrationes ſuas, adverſùs Judæos & Quartadecimanos ediderunt, Photius (5) eſt au-

A thor. Id pariter nonnullis ætate ſua probatum Theophylactus & Euthymius aſſeruerunt; & rem eſſe adhuc ſub judice Photius ipſe perhibuit.

In nova Operum S. Joannis Damaſceni Editione gemina Scripta in lucem prodita ſunt, quibus eadem ſententia deſenditur (6); ibique pariter extat fragmentum Authoris cujuſdam Græci ſub S. Joannis Damaſceni nomine (7), in quo Scriptor aſſerendum ſibi arbitratur, Jeſum Chriſtum myſticam cœnam feria quinta, ſexta hora veſpertina deguſtaſſe, cum interim Azyma non niſi altera die, feria nempe ſexta, Chriſto jam in tumulum illato, exordirentur. Euthymius Zygabenus, Græcus, & Schiſmaticus

B Author, tradit Jeſum quidem una die Paſcha Judaicum prævertiſſe, quare celebratum ab ipſo Feſtum feria quinta, à Judæis cæteris feria ſexta, uſum autem in cœna vulgari pane, in quo pariter myſteria confecerit.

Laudat etiam Caſaubonus pro ſententia de non celebrato à Jeſu Chriſto Paſchate Cedrenum, aſſerentem Jeſum Chriſtum à veteri quidem abſtinuiſſe, novo Paſchate, in quo ipſe Author eſſet & victima, contentum.

Petrus Antiochenus in ſua epiſtola ad Dominicum Patriarcham Gradenſem (8), ſententiam illam de non adhibitis in confectione myſteriorum à Jeſu Chriſto Azymis defenturus, noſtram hanc ſen-

C tentiam confirmat; namque, ait, ea dies decima tertia lunæ agebatur, cum interim Agnus Paſchalis non niſi quartæ decimæ addictus eſſet, & poſtea inde die Azyma inirent. Poſſet etiam his omnibus acceſſeri teſtimonium Judæorum (9), aſſerentium, Chriſtum Jeſum, quem Filium Pandir & Satda appellant, ſupplicio crucis in Lydda, ſive Dioſpoli peremptum, damnatumque judicio Magni Synedrii ipſo Paſchatis pervigilio.

Nec altera fuiſſe mens Tertulliani facilè redditur; ita enim illu in opere contra Judæos *cap.* 8. *Quæ paſſio perfecta eſt die 8. Kal. April die primo Azymorum, quo Agnum ut occiderent ad veſperam, a Moyſe*

D *fuerat imperatum. Itaque omnis Synagoga filiorum Iſrael illum interfecit.* Quæ poſtrema verba ad illud Exod. 12. 47. ſpectant: *Omnis cœtus* (Septuag. *Synagoga*) *filiorum Iſrael faciet illud* (Paſcha). Inſinuat autem Scriptor, univerſum Iſraelem in immolationem veri Agni conſenſiſſe, quòd nempe omnes ejus necem poſtulaſſent, eò potiſſimùm temporis articulo, quo Agnus Typicus in Templo mactabatur.

Hilarius Diaconus Eccleſiæ Romanæ ſub Liberio, Author, uti fertur, QQ. in Vetus & Novum Teſtamentum, hanc quæſtionem veluti in Eccleſia receptam proponit: *Quid cauſa fuit, ut illo tempore crucifigi ſe permitteret Dominus, quo octavo Kal. Aprilis Paſcha celebraturi erant Judæi* (10) Et in reſponſione

E rem illam tanquam certam conſtituit. Gemina habet in reſponſione ad quæſtionem 95. *Veſpere*, ait, *eadem die Paſcha acturi erant*. Faviſſe pariter eidem ſententiæ S. Auguſtinus apparet, ſcribens: *Tunc primum Paſcha celebravit Filius Dei, quando ex Ægypto fugientes Rubrum mare tranſierunt. Nunc ergo figura illa Prophetica in veritate completa eſt, cum ſicut ovis ad immolandum ducitur Chriſtus.* Nihil tamen in ea S. Doctoris authoritate momenti collocandum cenſeo, cùm ambigua ſcribentis mens non ſatis appareat.

Illud tantummodo generatim aſſerendum mihi arbitror, Latinos Patres non ſatis argumentum il-

F lud diſcuſſiſſe. Cum enim Textum S. Joannis interpretantur, ita mentem ſuam exprimunt, quaſi non deguſtatum à Jeſu Paſcha cum Judæis autumarint. Idem pariter ſervatur à Patribus Græcis, veluti S. Chryſoſtomo in Matthæum 26. & Theophylacto (11), illud

(1) Epiphan. Panarii hæreſ. 51. & ita Petav. in animadver. in Epiph.
(2) Petr. Alexand. in Chronic. Alexand. Præfat. (3) Apollinaris Hierap. Epiſt. p. 6.
(4) Clemens Alex. p. 7. (5) Metrodor. & duo Anonym. apud Phot. Codd. 115. 16.
(6) Vide nov. Edit. S. Joannis Damaſceni tom. 1. pag. 647. 648. (7) Differt. de Azym. p. 12.
(8) Apud Michaelem Le Quien. Differt. tom. 1. Joan. Damaſ. p. 71. (9) Talmudiſt. Tract. Sanhedrini
(10) Auth. Vide tom. 3. q. 55. Edit. nov. q. 55. pag 63. & quæſt. 9. pag. 85.
(11) In Matt. 31. & in Luc. 23. Vide Differt. de Azymis præfixam priori volumini nov. Edit. S. Joannis Damaſceni à P. Le Quien.

autem S. Matthæi 25. 7. *Prima die Azymorum*, de pervigilio Azymorum interpretantur. Recentiores verò adeo ab ejus ſedulo examine abhorruerunt, ut quicumque aliquid de adverſa opinione effutirent, illos tanquam hæreticos & viſiones venditantes inſectarentur. Vechietius carcerem Inquiſitionis eo nomine ſuſtinuit, quod à communi ea opinione recedere auſus fuiſſet. P. Lamy, qui primus ſyſtema ſuum de Paſchate vulgavit (1), plurium annorum ſpatio, an mentem ſuam ea de re proderet, deliberavit, neque antea conſilium ſuſcepit patendi, quàm vidiſſet D. Toynardum eamdem opinionem defendiſſe in ſua Harmonia, quæ plurium annorum molitione ab ipſo elaborata, tandem poſt Authoris obitum prodiit in lucem. Frequens alterius opinionis aſſertorum turba non eſt cur magni in eam rem momenti habeatur, cum nullum hunc uſque ſedulum examen ſententia illa ſubierit.

Vetus etiam conſuetudo adhibendi panis fermentati in Sacrificio Altaris, poſtremum eſt, quo ſententiam hanc fulcimus, argumentum. Vetuſtiſſimum hunc eſſe in Oriente morem ſatis conſtat. Semel in anno azymo uſos Ebionitas, Paſchalibus nempe diebus, tradit S. Epiphanius, ſatis inſinuans reliquo anni tempore fermentatum adhibuiſſe. Armeni omnium primi inter Orientales, relicto fermentato, ad azyma ſe contulerunt (2). Joannes Philoponus ſexti ſæculi, uti jam innuimus, Scriptor perhibet (3), ætatis ſuæ Ægyptios nonniſi in fermentato Sacramenta conficere. Idem de recentioribus Æthiopibus affirmat Ludolfus (4), & de Ægyptiis Vanſlebius (5). Abraham Echellenſis (*), teſtatur, legi in Canone Jacobitarum, & Neſtorianorum; Et *accipiens panem fermentatum, benedixit, &c.* Solemnis eſt etiam apud Græcos noſtræ ætatis conſuetudo, cujus incerta eſt & ignoti fontis origo. Eſt igitur cur ab initio derivatam ſuſpicemur.

Ad Eccleſiam verò Latinam quod attinet, P. Sirmondus Tract. de Azymis, & Cardinalis Bona de Rebus Liturg. defenderunt, fermentatum panem aduſque decimum ſæculum circiter apud illam obtinuiſſe. Contrariam ſententiam tuetur P. Mabillonius, de fermentato & azymo, cui vetuſtior Azymorum conſuetudo probatur; quin & ſemper apud Latinos eam manſiſſe traditionem contendit, aſſtipulatore uſus Papa Leone IX. (6) qui obtrectationibus Græcorum reſpondens, affirmat jam inde a 1020. annis azymo uſam Eccleſiam, & eo veluti pane nutritos Martyres omnes Eccleſiæ Latinæ. Conſtat planè, Michaelis Cerularii ætate, cùm adverſus Græcos ferverent concertationes, morem illum in Occidente longè latèque obtinuiſſe, quod veteri conſuetudine receptum teſtantur Alcuinus *Epiſ. 69.* Rabanus Maurus *l. 1. Inſtit. Cleric. cap. 31.* & S. Iſidorus Hiſpalenſis de *Offic. Eccleſ. lib. 1.* Fateri tamen oportet, hanc conſuetudinem tota fuiſſe antiquitate probatam non ſatis demonſtrari.

Martinus Polonus in Chronico refert, Alexandrum I. panis fermentati uſum lato edicto ſanxiſſe; qua de re nihil in Pſeudo-Decretalibus Iſidori. Veteres quidem Scholaſtici (*) produnt, ſed nullo, quantum ſcimus, fundamento, Leonem, neſcio quem, Pontificem id decreviſſe, ſtudio opponendi ſe dogmati Ebionitarum, ferentium, Sacra myſteria in Azymis confici oportere; iis verò hæreticis diſſipatis, ad azyma reditum. Azymorum diſciplinam non niſi poſt Carolum Magnum obtinuiſſe Græci Schiſmatici recentiores contendunt (7). Porrò Rex ille, inquiunt, Vandalorum Arrianorum copiis auctus, Urbe ſub jugum miſſa, morem illum, Felicis Pontificis ſibi faventis authoritate, invexit. Sed fides horum obtrectatorum ea eſt, quæ ne in ſuſpicionem revocari quidem paulò operoſiùs mereatur.

Vetuſtiſſimus pro antiquitate panis fermentati in Eccleſia Latina Author laudari poteſt Scriptor Operis de Sacramentis ſub S. Ambroſii nomine, inter ejus opera vulgatus (8). Porro Author ille quinti vel ſexti ſæculi luculenter aſſerit, Euchariſtiam confici in *aſſitata pane*. Laudatur etiam veluti S. Gregorii Magni locus, ubi vir ille ſanctus indiſcriminatim in Eccleſia Romana azymum & fermentatum panem adhiberi affirmat (9). Sed in ejus impreſſis operibus nihil tale uſpiam legitur. Patres Eccleſiæ Latinæ, & Concilia ita de pane Euchariſtico agunt, quaſi de pane familiari (10); ſi quid autem ea in re præſcriptum occurrit, illud tantummodo cautum, ne furfureus, ater, communiſque panis adhiberetur, pura etenim myſteria candidus decet, & defæcatiſſimus panis (11). Non eſt igitur adeò omnibus perſuaſum, Jeſum Chriſtum ſacra poſtremo in Paſchate in azymis confeciſſe.

Nihil moror conjecturas illas ex eo deductas, quòd Jeſum Chriſtum poſtremum illud Paſcha omiſiſſe maximè omnium conveniret. Cùm enim veteri abolito ad novum conſtituendum Paſcha veniſſet, debuit Sacrificium ſuum eodem tempore conſummare, quo typicus Agnus in Templo immolabatur; unde fieret, ut rei veritas in locum figuræ ſubſtitueretur. Id maximè omnium inculcant SS. Patres, & S. Irenæus diſertiſſimè aſſerit, lib. 4. c. 23. *Paſſus eſt Dominus adimplens Paſcha*. Origenes in Joan. tom. 3. & S. Hieronymus in illud Evangelii: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet*, interpretantur de novo Paſchate, nunquam ante hac celebrato, cujus nova tunc fieret inſtitutio, impoſito veteri Paſchati termino: *Finem carnali feſtivitati volens imponere, umbraque tranſeunte Paſcha reddere veritatem*: mactata ſcilicet veri Agni, loco typici Paſchalis, victima. Hæc quidem rationum momenta, ſolida alioqui, tunc planè convincunt, poſtquam ſententia ſolidis primùm documentis aſſerta eſt. Certum aliquod aſſertumque factum nullis quidem contrariis congruentiis expugnatur; ſed ſi quæ fuerint congruentiæ, naturaliter ex illo profluentes, hiſce ſanè plurimùm juvatur.

Cùm igitur Eccleſiæ permiſſione integrum cuique relinquatur, ut, quod maximè ſyſtema placuerit, illud teneatur; & deductum huc uſque ſyſtema difficultates omnes ſubducat. Textus Evangeliſtarum exponat, repugnantes in ſpeciem conciliet, nihilque habeat incommodi, nihil repugnans legibus hiſtoriæ Chronologiæ & moribus Judæorum; congruat autem maximè tum vetuſtiſſimæ de Feſto Pentecoſtes Dominica die celebrato traditioni, cum jejunio feriæ quartæ, jam inde à primis ſæculis in memoriam initi a Judæis adverſus Jeſum biduo ante Paſcha conſilii; quadret inſuper cum vetuſtiſſimæ Eccleſiæ Græcæ quin & Latinæ per plura ſæcula conſuetudini, myſteria nempe in fermentato conficiendi; non eſt cur in eodem cum cæteris ſyſtematibus authoritatis gradu conſiſtere non poſſit. Eo autem maximè quòd adſtipulatores habeat plures Veteres Patres, uti Tertullianum, Hilarium Diaconum, & Authores ſub nomine S. Clementis Alexandrini, S. Petri itidem Alexandrini laudatos, Philoponum, Metrodorum, Cedrenum, alioſque nonnullos veteres, ſicut & idem arriſit Vechietto, D. Toy-

(1) Epiſt. de Paſch. pag. 26. 27. Gallicè. (2) Narratio de rebus Armen. t. 2. Auct. Biblioth. PP. col. 294.
(3) Philopon. tract. de Azymo. (4) Ludolf. l. 2. Hiſtor. Æthiop. proœm. 1. n. 28.
(5) Vanſleb. Iter Ægypt. (6) Abrah. Echell. Epiſt. ad Joann. Morin. inter Morinal epiſt. 85.
(7) Leo IX. ep. 6. ad Michael. Cernel. Idem Epiſt. 2. (*) Alenſ. Bonavent. Scotus, Durand. Thom. in 4. Sent. Diſtinct. 21. (8) Epiphan. Conſtantinopolit. & alii apud Michael. le Quien Diſſertat. de Azymis.
(9) Ambroſ. ſeu quis alius l. 4. de Sacram. cap. 4. (10) Gregor. Mag. apud D. Thomam Catena in Matthæi c. 26. & l. 2. contra errores Græcorum. Vide & Phot. Cod. 252. (11) Tertull. l. 2. c. 5. ad Uxorem. Auguſt. Serm. 227. & 229. Epiſt. 59. & alii paſſim. (12) Concil. Tolet. XVI. can. 4.

D. Toynardo & P. Lamy. Ita paritar perſuaſum habent Judæi, neque noſtræ ætatis plores ab eadem ſententia recedunt, quam non in commentatiis tueri adniſi ſumus.

INTERPRETIS ADDITIO.

Hæc quidem pro iſta ſententia: modò verò quæ pro communi opinione, paucis exponenda. Ad hanc autem controverſiam dirimendam, unicè ſpectandam eſſe literam S. Textus, utra pars proniorem interpretationem, & hominum ſenſui magis conformem præferat, à nemine revocatur in dubium. Quæ etenim in auxilium prioris ſententiæ antea expoſitæ adducta ſunt ex Aſtronomicis ſupputationibus, & ſerie chronologica dierum Antepaſchalium petita, hæc minoris ponderis ſunt momenta. Neque enim dierum illa ſeries ex quatuor Evangeliſtis derivata an exacta ſatis, ad ſenſum demonſtrari poſſe arbitror, ut ea variis variorum Harmoniis intelligimus. Lunares verò ſupputationes exactiſſimas tenuiſſe Judæos, ambiguum eſt maximè, cum & erroris illi ea in re accuſentur in Conſtitutionibus Apoſtolicis l. 5. c. 17. *In ipſo etiam calculo falluntur, quem putant ſe rectè ponere, ut omni ex parte errent &c.* Omnibus igitur relictis conjecturis, ipſe adeundus eſt S. Scripturæ Textus; ſed cùm utraque pars aperta pro ſe in ſpeciem afferat teſtimonia, utra conformia veritati cenſenda ſint, à nemine melius, quàm à traditione judicium petitur. Quæ enim conſtantiorem & vetuſtiorem, ipſi penè rei de qua agitur, coævam, traditionem affert, huic planè lis ab æquis rerum æſtimatoribus adjudicanda. Magna vis eſt veritatis, nec fieri unquam poteſt, ut perſuaſio ab ipſo penè tempore rei geſtæ cœpta & longè lateque obtinens, non aliquid habeat pro ſe veritatis. Quæ cum in aliis omnibus veriſſima ſint, in aſſignando ultimæ cœnæ à Chriſto Domino celebratæ tempore multò ſunt evidentiora. Quis enim credat, pios illos Fideles Apoſtolis coævos, qui Jeſu Chriſti tam ſolerter annotarunt omnia, ut nec minoris momenti multa negligerent, erga tempus noviſſimæ cœnæ à Jeſu Chriſto celebratæ, cùm ſcilicet auguſtiſſimum illud Euchariſtiæ myſterium inſtitutum eſt, incurioſos ſeſe habuiſſe? Quis credat, noluiſſe Fideles illos ſeſe à viris Apoſtolicis ea de re inſtrui, occaſione controverſiæ à Quartadecimanis agitatæ? Univerſam autem Veterum traditionem pro celebrato à Jeſu noviſſimo illo Paſchate ſtare, ipſis fatentibus contrariæ ſententiæ aſſertoribus, compertum eſt. Porrò traditionem illam ex ipſis cœpiſſe Apoſtolicis temporibus inde intelligimus, quod Chriſtiani illi defendentes Paſchalem ſolemnitatem die 14. Lunæ cum Judæis celebrari oportere, exemplo ſe Chriſti, qui Paſcha eadem die celebraſſet, tuebantur. Lege S. Epiphanium in hæreſi Audianorum, & Chronicon Alexandrinum, & quod maximè intentum convincit, fragmentum epiſtolæ Polycratis Epiſcopi Epheſini ad Victorem Pontificem Romanum, quod recitat Euſebius Hiſtoriæ Eccleſ. l. 5. c. 23., ita enim habet: *Iſti omnes diem Paſcha 14. die Lunæ ex Evangelii præſcripto obſervarunt.* Ubinam id præcipit Evangelium, niſi Jeſu Chriſti exemplo propoſito, qui noviſſimum Paſcha die 14 Niſan celebravit? Si enim ſe tantùm celebraturum Paſcha illud Chriſtus ſignificaſſet, ſi in vivis egiſſet nullum profectò datum in Evangelio præceptum ea de re Chriſtianis cenſeretur; quin potiùs id ſibi prætendiſſent, nunquam committendum eſſe à Fidelibus, ut unum idemque haberent cum Judæis Paſcha, quandoquidem de ſervato à Jeſu Chriſto legali Paſchate, quo tempore Legis præcepta ejus morte diſſolvenda erant, nihil in Evangelio legeretur. Nec ſanè aliter huic Quartadecimanorum argumento repoſuerunt ſequioris ætatis Scriptores Catholici, apud quos abolita jam vel obſcurata temporis, quo à Jeſu noviſſima illa cœna inſtituta eſt, memoria, contraria opinio de non celebrato à Jeſu Paſchate gliſcere apud quoſdam cœperat. Reponebant enim illi Quartadecimanis, nunquam à Chriſto commiſſum, ut noviſſimum illud Paſcha cum Judæis celebrarent, quare nec Chriſtianis id eſſe ſervandum inferebant. Hæc Chriſtiani Scriptores, ſed rari & ſequioris ætatis; vetuſtiſſimi enim, ſicut & cæterorum turba, id ultro dantes adverſariis, Chriſtum ſcilicet legale Paſcha celebraſſe, aliis illos argumentis revincebant. Secundi ergo ſæculi traditio pro celebrato à Jeſu Paſchate ſtabat.

At enim Tertullianus, qui pariter ſub Victore florebat, Chriſtum obiiſſe dicit *die primo azymorum, quo Agnus ut occideretur ad veſperam*, Moyſes imperaverat. Quid hic adversùs communem ſententiam? Prima dies azymorum æquè dicebatur & dies 14. Lunæ & dies 15. proximè ſuccedens; cum autem dies 15. prima azymorum ſolemnis haberetur, & feſti apud Judæos dies à Veſperis diei præcedentis inirent, ſicut & in veſperis præcedentis diei, nempe diei 14. Lunæ Paſchalis Agnus immolaretur, rectiſſimè utique dictum eſt à Tertulliano, Chriſtum die prima azymorum obiiſſe, die ſcilicet 15. Lunæ cujus exordium, veſperas nempe diei præcedentis, Paſchalis Agnus conſecraverat. Vetus igitur ab ipſis fermè Apoſtolicis temporibus cœpta traditio, claros in utramque partem Scripturæ Textus ad ſententiam de celebrato à Chriſto noviſſimo Paſchate determinat.

Reſtat, ut, quos diximus, apertos ſaltem in ſpeciem Evangelii Textus pro communi hac ſententia, apertos reipſa in medium adductos demonſtremus. Prima azymorum dies illa ſine controverſia habebatur, quæ immolationi Agni proximè ſuccedens, ſeptimanæ Paſchalis ducebat exordium. *Decimaquinta dies menſis hujus ſolemnitas azymorum eſt. Septem diebus azyma comedetis; dies primus erit vobis celeberrimus*(1). Quare ſi dies 14. ipſa eadem pariter dies prima azymorum appelletur, ejus rei in cauſa fuiſſe oportet, quòd cùm Feſti Judæorum dies à veſperis præcedentis inirent, participatione quadam dies 14. Lunæ primæ azymorum diceretur; veſperæ enim ejuſdem diei initium erant ſolemnitatis azymorum die 15. celebrandæ. Diei igitur primæ azymorum non genuina erat diei 14. ſed ab altera die, ſcilicet 15. communicata appellatio. Porrò monſtri loco habendum eſt, eodem pariter primæ diei azymorum nomine diem quoque 13. Lunæ cenſeri, quòd ſcilicet in veſperis ejuſdem diei 13. dies 14. Lunæ iniret, ut quam dies iſta 14. à ſuccedenti die 15. trahebat appellationem, eandem in diem 13. reflecteret, treſque ſibi ſuccedentes dies eodem communi nomine primæ diei azymorum nuncuparentur. Nemo ſanè prudens id commiſſum à Judæis, niſi apertiſſimis Scripturæ Textibus convictus crederet. Id autem reipſa factum conſtituunt contrariæ ſententiæ patroni, & ita conſtituunt, ut niſi hæc Textus Evangelici interpretatio probetur, actum ſit de illorum ſyſtemate univerſo. Ita ergo habet Evangelium: *Prima die azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: Ubi vis paremus Paſcha?* Matt. 26. 17. & Marcus 14. 12. *Primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant &c.* Et Luc. 22. 1. *Venit dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* Tres iſti Evangeliſtæ uno aſſenſu, & una eademque phraſi aſſerunt, qua die gemini Apoſtolorum ad parandum cœnaculum miſſi ſunt, primam azymorum recurriſſe. Ecquam, rogo? an diem decimam quintam Niſan, quæ prima azymorum ſolemni nomine appellabatur? Minimè, inquiunt ea illis Evangeliſtis duo, ſed dies agebatur prima azymorum quidem, ſed qua *neceſſe* ſimul *erat occidi Paſcha*, nempe 14. Niſan, quæ ſanè prima azymorum rectiſſimè diceretur, cùm ejus diei veſperis azyma inirent. In hac interpretatione & ſententia omnia plana ſunt, non item in adverſa, qua illud *prima die azymorum* interpretari coguntur ejus aſſertores de die 13. Niſan. Quis, rogo, hanc interpretationem arduam non eſſe, & vix ipſis, à quibus adſtruitur, probatam, non intelliget? Promant illi ſimilem loquendi phraſim ex Sacris Libris, ſive è cæteris etiam Recentiorum lucubrationibus, vel unam, qua dies ante pervigilium Feſti tamquam dies ipſa feſta habeatur appelleturque. Nunc autem inſueta

(1) Levit. 23. 5. Vide & Num. 28, 16, 17.

inſueta hac phraſi uſos non unum tantùm vel duos, ſed & tres ſimul Evangeliſtas, diſſito tempore, loco, & conſilio ſcribentes, conſtituunt.

Sed iterum ad Evangelium. *Venit* ait S. Lucas, *prima dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha:* tunc miſſos narrat ad inſtruendum convivium duos ex Diſcipulis, qui *euntes paraverunt Paſcha*. Regreſſis illis ad Jeſum, & præſto eſſe omnia narrantibus, *cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.* Idem pariter apud S. Matthæum legas, poſtquam enim parata omnia à Diſcipulis, ait: *Veſpere facto diſcumbebat cum duodecim*. Plus aliquid addit S. Marcus, nempe & paratum à Diſcipulis Paſcha, in cœnaculo grandi & ſtrato, ac intra Urbem ſitum illud narrat: tum ait: *Veſpere facto venit cum duodecim*. Quò, rogo, venit? ſcilicet ad locum paratum pro celebrando convivio Paſchali, de quo Evangeliſta ille ſermonem inſtituit. Cur tam ſolerter tres illi Scriptores adnotandum ſibi arbitrarentur Jeſum veſpere facto diſcubuiſſe? Quænam hora inſinuatur à S. Matthæo pro cœna inſtituenda, niſi hora Paſchali convivio præſcripta, veſpertina illa ſcilicet, uti ab omnibus Evangeliſtis fideliter adnotatum eſt?

Cum cœnaret Jeſus, familiare cum Apoſtolis colloquium exorſus, ait: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.* Fallor? an hæc verba pro convivio Paſchali tunc inſtituto deſignando, demonſtrationis loco habenda ſunt? Quamquam enim à SS. Patribus nonnullis de Euchariſtico convivio myſticè exponantur, nihil tamen vetat, quin ad literam pariter de Paſchali etiam intelligenda ſint, quomodo reipſa à pleriſque tum ex Patribus cùm ex interpretibus omnis ætatis expoſita ſunt. Periculoſum eſt maximè à communi Patrum & Interpretum expoſitione recedere, niſi ſi fortè literæ Textus apertus ſit adeò, ut aliam à communi interpretationis viam cogat.

Ad hæc, vix ac vix quidem perſuaderemur, Jeſum, parando cœnaculo pro celebratione Paſchatis tam ſedulò miſſis duobus Diſcipulis incubuiſſe, ſi neque ſibi deguſtandam cœnam illam norat, neque Apoſtolis huc illuc morte ſua diſpergendis integrum futurum præviderat, ut quieti in unum convivii locum convenirent. Cur Apoſtolis rogantibus quo maximè in loco Paſcha celebrare decreviſſet, non ſtatim prodidit, omnem ſibi Paſchalis illius cœnæ deguſtandæ occaſionem Judæorum livore tollendam? An forte de imminenti ſibi morte triſte nuncium afferre Diſcipulis timebat, quos paulò antea de omnibus fecit certiores: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius tradetur; ut crucifigatur?*

At enim S. Joannes diſertè aſſerit, Jeſum neci traditum die *Paraſceve Paſcha*, atque defuncta reorum corpora è ſupplicio depoſita fuiſſe ante ſolis occaſum, ne *remanerent in cruce corpora Sabbato; erat enim magnus dies ille Sabbati;* i. e. ſolemnitas azymorum cum Sabbato illo inibat. Addit tandem, Judæos ne in Prætorium ingrederentur, religione abſterritos fuiſſe, *ut non contaminarentur ſed manducarent Paſcha*. Nondum igitur feria ſexta, quando ſcilicet Jeſus ad Pilati Tribunal delatus fuit, Paſchalem Agnum deguſtaverant. Scitum eſt, quam verbis hiſce Evangeliſtæ interpretationem Viri doctiſſimi communis ſententiæ aſſertores tribuerint. Namque ea quæ de Paraſceve Paſchatis à S. Joanne narrantur, hæc intelligenda cenſent de die Paraſceves intra Paſchalem hebdomadam futura. Præceptum enim erat apud Judæos, quemadmodum & Bochartus obſervat, ſingulos hebdomadæ dies ita diſtingui: Prima Sabbatorum, ſecunda Sabbatorum, &c. quinta Sabbatorum, & Paraſceve. Itaque feria ſexta Paſchalis hebdomadæ rectiſſimè Paraſceve Paſchæ appellata eſt. Quod autem inferre pedem in Prætorium religioni ducerent Hebræi, inde cauſa repetenda eſt, quòd Paſchalem ſolemnitatem victimarum pacificarum immolatione ſolemniorem habere conſuevisſent, quarum erat ſingulis, modò expiatis, eſus permiſſus. Ita ſervatum legas in ſolemni illo Paſchate ſub Ezechia celebrato; *Immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominum* (1). Ne igitur quidquam è conſuetis cæremoniis detraheretur, id potiùs ſibi committendum cenſuerunt Hebræi, gens rituum ſuorum tenaciſſima, ut Præſes Romanus ultro citroque diſcurreret, quàm ut ſacris cæremoniis aliquid afferretur incommodi.

Caverunt tandem, ne remanerent in cruce corpora Sabbato, quòd dies ille Sabbati in hebdomadam Paſchalem incidens duplicis Feſti conjunctione ſolemnitatem augeret. Ita quidem S. Joannis Textum Viri ſine controverſia doctiſſimi interpretantur, quorum expoſitio, etſi multùm ab evidentia abeſſe ultro fateamur, illud tamen apud æquos rerum æſtimatores evincit, ut non minùs prona ſaltem, & literalis habeatur, quàm adverſæ ſententiæ altera, diei 13. Niſan primæ azymorum appellationem vindicans.

Quæ cùm ita ſint, eadem planè, quæ priùs adducta eſt, conſecutio recurrit. Cùm de Scripturæ aliqua interpretatione res eſt, ſi utriuſque partis Textus apertiſſimi in ſpeciem videantur, illius eſt potior ratio, cui omnium ſæculorum traditio favet. Favet autem huic poſtremæ ſententiæ, non recepta utcumque, ſed ab ipſis Apoſtolicis temporibus cœpta traditio, quam Fidelium omnium ſæculorum perſuaſio fulcit; doctiſſimorum Criticorum Maudit, Tillemontii, Beſſini &c. ſuffragia confirmant; ac tandem ipſa Eccleſiæ, ſi non definientis ſaltem in illam inclinantis authoritas vindicat.

(1) 2. Par. 30. 22

DISSERTATIO
DE TENEBRIS IN OBITU JESU CHRISTI.

INter potiſſima in obitu Jeſu Chriſti ſpectata prodigia, ſuum ſibi vendicant locum tenebræ illæ, queis ſolido trium horarum ſpatio mundi facies obducta fuit à meridie adusque tertiam horam veſpertinam. Tunc ſanè nullæ intercedere poterant eclypſes, ea anni tempeſtate, qua ſerenus maximè & purus regnat aer, in Palæſtina potiſſimùm, ac tandem ea diei hora, cùm & Sol maximè fervet, ac vividiori lumine aerem colluſtrat. Hoc quidem prodigium ſpectatores non habuit raros, nec uno in loco factum eſt, ſive parum celebri, ab hominum cognitione remoto. *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram;* totum nempè hemiſphærum noſtrum contexerunt; & cum Sol medium diurnum curſum emenſus fuiſſet, quo ſcilicet tempore totam hemiſpherii oppoſiti partem habebant tenebræ: ideò jure meritoque ſuper univerſam terram inductæ tene-

tenebræ illius eclypſis dicuntur; niſi fortè malueris, ſolemni in Scriptura phraſi, univerſæ terræ nomine Palæſtinam, & regiones finitimas deſignari.

Pervigilium tunc agebatur (vel fortè dies ipſa feſta) ſolemniſſimi Judæorum Feſti, cùm ſcilicet undique Judæi Jeroſolymam confluxerant, Paſcha celebraturi. Phenomenon eſt autem non momento temporis ſpectatum, quod brevitate ſua nec videri facile poteſt, nec cauſæ ſuæ pronum exhibet documentum. Tribus integris horis perſeveravit, ut omnium oculis commodè exploraretur, omnium ſcilicet ea ætate, qua nihil erat expendendis omnibus attentius. Quibus omnibus prodigii circumſtantiis in unum collectis, ad eum certitudinis gradum res illa pertingit, ut alia in hiſtoriis nulla, vel rara.

Propoſitum eſt autem nobis in hac Diſſertatione naturam ſcrutari, cauſas, effectus, durationem, & amplitudinem celebratiſſimi hujus phænomeni, omnia expendentes ad normam ſeverioris criticæ, & veritatem adſtruentes teſtimoniis Prophanorum Scriptorum, apud quos de illo mentio.

Chriſtiani nominis oſores quidam apud Origen. in Matth. tract. 35. & Hieronym. in Matth. 27. contenderunt, tenebras illas in obitu Chriſti nihil fuiſſe aliud, quàm eclypſim, quam rudes Chriſti Diſcipuli ſpectantes, rei maximè naturali prodigii gloriam vindicarint. Ipſi verò, qui talia objiciebant, argumentum præbebant inſcitiæ ſuæ, & præjudiciis occupati in res noſtras animi. Cùm enim Paſcha Judaicum tum temporis ageretur, nullæ poterant eſſe in plenilunio eclypſes. Raræ ſunt etiam totum ſolarem diſcum obducentes eclypſes, quibus totam terræ faciem obumbrent tenebræ: parum durant plerumque, cùm noſtra tribus horis perſeveraverit, & ſolis faciem univerſæ terræ interdixerit. *Et ne forſitan videretur umbra terræ, vel orbis lunæ ſoli oppoſitus breves, & ferrugineas feciſſe tenebras, trium horarum ſpatium ponitur, ut cunctantiam occaſio tolleretur*, ait S. Hieronymus.

Pùria obſervat Origenes in Matt. 27. tract. 35. addens inſuper, Evangeliſtarum in referendo ſinceritate factum eſſe, ut talia objicerentur. Habent quædam S. Lucæ Exemplaria (1), terram tenebris ſignificaſſe, *deficiente* ſole: reponit autem ille, phraſim hanc *deficiente ſole* deeſſe in optimis Exemplaribus; ut quæ illam præferunt, piam fraudem ſentiant indocti cujuſdam Chriſtiani, qui ſubſtituendam cenſuerit perſpicuitatis gratia; ſive invidi cujuſpiam & doloſi, qui hanc ſibi calumniandi Eccleſiam anſam præſtruit, quaſi ſcilicet redarguens Evangeliſtas, obtrudentes eclypſim alieno maximè tempore. Utcumque autem res habuerit ſeſe, conſtat, nulla modò Exemplaria hanc lectionem ſervare: *Deficiente ſole*. Legitur in nonnullis, & in omnibus S. Lucæ; *Et obtenebratus eſt Sol*.

Idem Origenes loco cit. perhibet, viros quoſdam hujus ſæculi ſapientes aliud habere, quod veritati hujus prodigii opponant. Qui fieri potuiſſet, inquiunt illi, ut parens adeò & ſupra fidem prodigium nemini niſi Chriſtianis innotuerit, non Græcis, non Barbaris ullis Scriptoribus, non publicos Annales, non ſimilis generis fabellas digerentibus? Sunt iſta quidem per ſe valida; multò autem validiora, quod ea Origenis ætate recens adhuc memoria ejus rei perſeverare potuiſſet, cùm nonniſi 180. annis poſt Chriſtum Origenes floreret (2). Hoc planè ſilentium rei veritatem revocat in ſuſpicionem, atque de Evangeliſtarum fide minùs recta ſentire homines cogit

Duo ad hæc reponit Origenes; 1. Fieri potuiſſe, ut tenebris illis non tota quidem univerſi facies, ſed Jeroſolymæ tantùm & circumjacentis regionis tegeretur. 2. mentionem de illis occurrere apud Phlegontem Paganum Scriptorem. Ego verò, addit, illud reputaverim, ut, quemadmodum cætera in obitu Chriſti prodigia nonniſi Jeroſolyma ſpectavit, ibi enim ſciſſum eſt velum Templi, ibi rupes confractæ, aperta ſepulchra; ita pariter tenebris nonniſi Judæa vel fortè Urbs Jeruſalem obduceretur; nec enim novum eſt in Scriptura, ut univerſæ terræ nomine Judæa deſignetur (3). Non eſt igitur, cur è Paganorum Authorum ſilentio ſiniſtri aliquid de Evangeliſtis ſuſpicemur.

Meminit quidem, addit ille, Phlegon in Annalibus eclypſis cujuſdam ſub Tiberio, ſed in plenilunio contigiſſe ſilet. Quid eſt autem monſtri, ſi extra plenilunii tempus ſpectetur eclypſis? Si pergant, & urgeant, proſequitur Origenes, unde ergo tenebræ niſi ex eclypſi? Reponit ille ſermonem eſſe tantùm apud Evangeliſtas, de tenebris terræ faciem tenentibus, nihil de ſole, ſivè eclypſi; unde facilis conjectura, opaciſſimarum nubium objectu ſolares radios prohibitos, ne Judæam, ſive Jeruſalem colluſtrarent.

Nec abs re cenſet tenebras illas ejuſdem eſſe cauſæ ac Ægypti tenebras ſub Moyſe (4), quibus caligo offuſa eſt Ægypto, regione interim Hebræorum puræ lucis ſereno fruente. Ægypti tenebræ triduo durarunt; tenebræ Jeruſalem tribus tantùm horis; prioribus illis noſtris hiſce præluſum eſt; ſicut enim Moyſes tenebras in Ægyptum inducturus elevatis ad Cælum manibus Dominum invocavit; ita pariter Jeſus Chriſtus caliginem offuſurus in Judæam ſive Jeruſalem, manus ſuas extendit in Cruce ad populum ingratis vocibus clamantem: *Crucifige, crucifige eum* Porrò caligo iſta, atra licèt & obſcura non niſi emblemate quodam deſignabat tenebras, in quibus hodie errare coguntur Judæi; puræ lucis è ſole juſtitiæ derivatæ, ſerenum Eccleſia interim Chriſtiana hauriente. Hæc fermè Origenes.

Paſchaſius Radbertus in Matthæum 27. l. 12. poſt relatam, ſuppreſſo tamen nomine, Origenis ſententiam, defendit contra illum tenebras in obitu Chriſti non Judææ tantùm, ſed univerſæ terræ faciem tenuiſſe; inductas verò illas non objectu nubium inter ſolem & lunam, quemadmodum in Ægypti tenebris ſub Moyſe factum eſt, ſed vera & genuina eclypſi quamquam contra naturæ leges; alienum eſt enim ab eclypſibus plenilunii tempus. Porrò ſol ipſe, juxta phraſim S. Lucæ 23. 45. *obſcuratus eſt*; quibus verbis ſatis determinavit ambiguas aliorum Evangeliſtarum voces (5): *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram*. Recta inde conſecutione deducitur, lumen ſuum negaſſe tunc Cælum mundo univerſo, ut ad literam impleretur illud Amos 8. 9. *Occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis*. Aſſertores ejus rei laudat Oroſium, Phlegontem, & Dionyſium Areopagitam, apud quos de tenebris in obitu Chriſti mentio.

S. Chryſoſtomus hom. 89. in Matth. tunc primò factum cenſet, ut Jeſus poſtulantibus Judæis *ſignum de Cælo*, in documentum miſſionis ſuæ (6), concederet. Ad Crucem & ad exitum uſque vitæ expectavit, ut virtuti ſuæ argumentum exhiberet illuſtre. Tenebris univerſam terræ faciem obduxit, quemadmodum & in Ægypto præſtiterat, quo tempore primùm Paſcha celebrandum fuerat à Judæis, paulo ante quàm ex ea regione pedem referrent. Nec prætereunda temporis circumſtantia, quo prodigium illud ſpectatum eſt; meridies enim agebatur, quo tempore terra univerſa, vel ſaltem noſtrum hemiſphærium luce ſolis colluſtrabatur; qua prohibita, totam latè terram tenentibus tenebris, univerſi oculos inuſitatum prodigium attraxit.

Nec ad eclypſim rem totam redigendam probat caliginis hujus ſive duratio, ſive etiam amplitudo. Parùm enim durant eclypſes, addit ille, nec mun-

(1) Omnia Græca exemplaria habent: *Et obtenebratus eſt Sol*. Quod eumdem fermè eſt, ac *Deficiente ſole*.
(2) Obiit J. C. a. 33. Æræ Vulg. & Origenes obiit a. 185. J. C. (3) 3. Reg. 18. 10. *Non eſt Gens aut Regnum, quò non miſerit Dominus meus te requirere*. Luc. 2. 1. *Exiit Edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis*.
(4) Exod. 10. 21. 22. (5) Matth. 27. 45. Marc. 15. 33. (6) Matth. 16. 1. Marc. 8. 11. Luc. 11. 16.

mundum tenent univerſum. Nunc verò contraria omnia; trium horarum ſpatium tenebris per univerſam terram offuſis datum eſt. Sed unde ad inuſitatum hoc phænomenon tanta in hominibus ſtupiditas & incurioſitas? Ejus rei cauſa repetenda eſt ſive ex obfirmato in malitia hominum corde, ſive ex mortalium incurioſitate & ignorantia. Aliis etenim de cauſa ne ſciciari quidem ſuccurrit; alii rem totam deputarunt eclypſi, nihil ultra quærentes; Judæi prodigii teſtes, ſive alteri potiùs, quàm Jeſu Chriſto, deputarunt, ſive incurioſis oculis ſpectarunt hæc omnia, quemadmodum & cætera à Jeſu patrata prodigia. Brevioribus verbis eadem ingerunt Euthymius, & Theophylactus.

B S. Gregorio Nazianzeno, S. Cyrillo Alexandrino, Theodoreto, S. Hieronymo, & S. Hilario nec eclypſes, nec nubes probantur. Habent autem perſuaſum, ſolis ignem ea occaſione extinctum fuiſſe, ſive radios ſuos in ſe recepiſſe fulgentiſſimum aſtrum, ut ſine luce, & ſine fulgore, ſeu luctum ageret pro obitu Servatoris, ſeu horrorem præferret pro ſcelere & parricidio Judæorum. Tenebris nigricaſſe aſtrum ſcribit S. Gregorius Nazianzenus Orat. 42. ad finem, ac deinde priſtinam lucem reſumpſiſſe; lumen ergo antea quodammodo extinctum erat. Lucem & radios ipſe continuiſſe, ait S. Cyrillus Alexandrinus, in Joel 2. pag. 230. ne in terram illos mitteret.

C *Sol non occidit*, ait S. Hilarius de Trinit. l. 3. c. 11. *ſed refugit. Quid refugiſſe dico? Non receptus in nubem eſt, ſed de curſu operis defecit*. Senſu doloris in obitu Servatoris ſui tactum Cælum, & conceptum de ſcelere Judæorum horrorem cùm alio argumento exhibere non poſſet, tenebris faciem in meridie ſuam obduxit, ait Theodoretus in Iſai. c. 1. pag. 6.

S. Hieronymus in illud Joelis: *Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magna*, habet, ſolem non ſuſtinentem aſpicere Dominum ex infami pendentem patibulo, velaſſe faciem ſuam tenebris, & luctuoſa nocte mundum univerſum, velut ad lugendum invitaſſe. D Tunc autem lunam veluti in ſanguinem traſmutatam fuiſſe, vel ſanguineum prætuliſſe colorem, ut in eclypſibus; quamvis enim nihil tale expreſſerint Evangeliſtæ, hæc tamen oraculi Prophetici pars impleta non abs re crederetur.

Inſinuat Tertullianus Apolog. cap. 21. Solem radios ſuos veluti in ſe recepiſſe, nulla licèt nube aerem tenente. Dies ſtatim defecit, ſole licèt medium diurnum curſum nondum tranſgrediente. *Eodem momento dies, medium orbem ſignante ſole ſubducta eſt*. Pagani, addit ille, eclypſim reputarunt, ignorantes Prophetico id oraculo olim pronunciatum fuiſſe, in obitu Jeſu Chriſti implendum. Quicumque ejus rei cauſam ſcrutati ſunt, cum certam nullam deprehendiſſent, rem E totam negarunt. *Et tamen*, ait, *eum mundi caſum relatum in arcanis veſtris habetis*. Rufinus pariter lib. 9. cap. 6. ita loquentem ad Paganos inducit S. Lucianum Sacerdotem Antiochenum, & Martyrem ann 312. *Requirite in Annalibus veſtris, invenietis temporibus Pilati, Chriſto patiente, fugato Sole, interruptum tenebris diem*.

S. Leo (1) de hoc argumento: *Denſis tenebris ſplendor ſolis obductus, extraordinaria noctis ſubdidit diem*. Elementa omnia, addit ille alibi, obſequium ſuum Judæis negarunt: *Nobis ſol ſervitutem ſuam diemque ſubtraxit*. Inſinuat autem, non Solem tantùm, ſed & aſtra lumen ſuum in horroris argumentum pro F obitu Chriſti negaſſe.

S. Auguſtinus, rationem prodigii relinquens intactam, prodigium tamen re ipſa agnoſcit; cùm enim plenilunium ageretur, nunquam ſanè fieri poterat, ut deliquium ſol pateretur (2). Cenſet au-

A tem, iiſdem, quibus tunc offundebatur, tenebris mundus in obitu Servatoris, ipſis pariter in exitu mundi recurrentibus, Cœlum, & terram, juxta Oraculum Jeſu Chriſti, offuſcanda.

De ratione igitur hujus prodigii tres diſtingui poſſunt ſententiæ. I. tenet interjectu lunæ ſolis radios prohibitos, ne terram colluſtrarent, ut in eclypſibus accidit: ita rem explicant Pſeudo Dionyſius Areopagita, & Pagani Scriptores illi, qui apud Origenem, & S. Hieronymum invidiam creare ſatagunt, in Evangelium. Nec alia planè ſedit opinio Phlegonti, & Thallo, rem illam narrantibus, ſi certum conſtituamus, quemadmodum perſuaſum B eſt Interpretibus omnibus poſt Origenem, Euſebium, Africanum, & S. Hieronymum, Scriptores illos mentionem egiſſe de tenebris in obitu Servatoris. Huc etiam referendi videntur S. Leo, & Paſchaſius Radbertus; ac tandem, teſte Maldonato (3), *Fere apud omnes jam Catholicos obtinuit*.

Quid tamen recentiores iſti Interpretes reponent authoritati Origenis, S. Hieronymi, S. Auguſtini? Quid Aſtronomorum axiomatibus; quid ſæculorum experientiæ; quid phyſicis rationibus, uno omnibus aſſenſu negantibus, nec contigiſſe, nec potuiſſe pariter contingere, ut eclypſes inducerentur in plenilunio? Opponunt illi hiſce omnibus authoritatem S. Dionyſii, oculati nempe & coævi teſtis, aſſeren-C tis ſuis ſe oculis eclypſim ſpectaſſe, cùm in Ægypto verſaretur, factumque narrat miro divinæ virtutis prodigio, ut luna toto hemiſphærio Soli oppoſita, retrogrado curſu delata, inter ipſum & terram ſe mediam conſtitueret: ita planè, ait, ſuperior ætas vidit ſub Ezechia, ſolem retrogrado curſu decem gradus remetientem, ut eo prodigio certum Regi illi receptæ valetudinis argumentum præberet. Judicium permitto Lectoribus, an ſola Pſeudo-Dionyſii authoritas tanta ſit, ut tam ingenti, ſed minùs tamen neceſſario, prodigio adſtruendo ſatis habeatur. Prodigium quidem agnoſcimus, ſed unicum, nec plura in uno cogimur fateri.

D Secundam explicandi prodigii rationem ſtatuunt S. Gregorius Nazianzenus, S. Cyrillus Alexandrinus, & Theodoretus; atque inter Latinos Tertullianus, S. Hilarius, & S. Hieronymus, autumantes, ſolem radios in ſe ſuos lucemque recepiſſe, prohibito mortalibus omnibus, vel ſaltem Judæis lumine, juxta Oraculum Joelis 2. 10. & 3. 15. *Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*. Quare ipſe ſibi deliquium aſſiùm illud induait, conditoque in ſe lumine cæteris omnibus tenebras affudit.

Hæc tamen non ſupra captum tantùm, ſed & impoſſibilia videntur; neque enim lumen adſcititia eſt ſolis qualitas, ut pro arbitrio ducatur reducaturque: E ſi lucem extinguat, ipſum ſe extinguere ſolem neceſſe eſt. Fulgidum eſt natura ſua aſtrum, neceſſario omnia colluſtrans, niſi objectu corporis alicujus opaci emiſſi ab illo radii intercipiantur prohibeanturque, ne terram pertingant, ut in eclypſibus ſpectatur, & cùm aer denſis quibuſdam occupatur nubibus, vel cruſta quadam ſolaris diſcus veſtitur. Cùm igitur Scriptura & Patres continuiſſe aſtra lumen ſuum ſcribunt, populari phraſi uſos conſtat, qua ſenſu quodam tangi aſtra inducuntur, ut eorum abſentia, ſive affectuum ab illis producendorum ſuſpenſio vividiùs ſentiatur.

Tertiam tandem opinionem adſtruunt Origenes, F Theodoretus, Euthymius, aliique, tenentes, denſæ alicujus nubis objectu prohibitis radiis ſolaribus, ſubitis tenebris omnia inhorruiſſe, quemadmodum & in tenebris Ægyptiis factum. Hæc ſanè commodior eſt, & facilior concipiendi prodigii ratio; quam proniorem efficies, ſi *univerſa terra* nomi-

(1) Serm. 51. de Paſſ. Dom. c. 2. *Denſarum horrore tenebrarum radios ſolis abſcondit*. Et ſerm. 59. qui eſt 10. de Paſſio Dom. c. 5. *Sol ſideraque inſolito defectu tenebras mundo veſtra cæcitatis oſtentans*.

(2) Auguſt. Epiſt 199. c. 10. n. 34.

(3) In Matth. 27. Vide Corn. à Lapide in eundem Matthæi locum.

nomine Judæam tantùm deſignatam agnoſcas. Totum igitur prodigium in eo ſitum erat, ut promptè ea anni tempeſtate, atque intempeſtiva maxime hora, denſæ illæ nubes inducerentur, quæ deindè nonniſi poſt breve trium horarum ſpatium diſſiparentur.

Si quis verò Textum Evangeliſtæ ad literam exponere voluerit, contendens, *univerſæ terræ* nomine totam hemiſphærii noſtri faciem, vel ſaltem maximam portionem ejus deſignari, illi præſto erunt maculæ, ſive cruſtæ, ſolarem diſcum veſtientes; ſicut & in aliis aſtris fieri norunt aliquando viri Docti (r); quibus ſanè cruſtis, aſtri facies obducitur, prout craſſiores ſunt, vel tenuiores, omnes ejus radii, vel pars tantummodo prohibentur. Tunc planè denſiores fuiſſe, quàm pro conſueto more, cruſtas illas oportet; ſed intra tres tantùm horas reſolutæ ſunt. Juxta hanc hypotheſim prodigio ab Evangeliſtis narrato vis tota manet; ſua etiam ratio aſſeritur legibus à natura conſtitutis; nihil eſt, quod cum teſtimonio Phlegontis non conveniat, aſſerentis, ut infra demonſtrabimus, univerſæ terræ faciem tenebris obductam fuiſſe, ut plena die ſtellæ ſpectarentur. Nec tamen inde prohibiti ſunt Judæi, ut obſervat Maldonatus, & Janſenius, quin rebus, & negociis ſuis pro conſueto more vacarent, vicinam ſoli operam præſtantibus dubio lumine ſtellis, ac ſolaribus quibuſdam igniculis, quos aer circumfuſus ebiberat.

Cæterùm res erat præter conſuetas naturæ leges, in ipſo medio diei curſu, alieno ab eclypſibus tempore, aſtrum Solis nigricans prorsùs ſpectare; & ſi, denſiſſimæ illæ ignorantiæ tenebræ Judæorum mentibus non affuſæ fuiſſent, fieri vix poterat, ut digitum Dei non agnoſcerent, atque ad mentem tandem revocati, ſaniora non reciperent conſilia. Oraculorum veritatem his tandem veluti tacitus ſpectaſſent (2), oraculorum, inquam, furorem Dei ac tenebras pleno meridie comminantium; perſuaſi tandem fuiſſent, illum, quem è cruce pendentem extremum ſpiritum agere cernebant, ipſum eſſe Dominum elementorum, qui ſub ſervili habitu, quid poſſet, non obſcuris argumentis demonſtrabat.

Voluit planè Deus majora virtutis ſuæ ſpecimina ab ipſo patibulo crucis, quàm reliquo vitæ ſuæ tempore, exhibere, ut ſiniſtram ex aſpectu crucis inditam mentibus Diſcipulorum, ac cæterorum omnium, qui morientem infami mortis genere ſpectaverant, idem contraria alia ingeſta veluti retunderet. Ecquis enim alioqui inducere potuiſſet in mentem, ipſum hunc, quem morientem in ſupplicio ſpectabant, Meſſiam eſſe, Deum fortem, Prophetarum oraculis prænunciatum, niſi latere aliquid ſub illis exuviis Divinum, hoc veluti emiſſo radio indicaſſet? Tanta planè œconomia diſpoſuit Divina Sapientia ortum, vitam, & obitum Jeſu Chriſti, ut cùm maximè deprimeretur, tunc etiam maximè majoribus prodigiis extolleretur.

Cæteras omnes, quas afferunt, ejus prodigii rationes, magis quidem valent tum motibus dirigendis, tum ad captum, & ædificationem vulgaris populi. E. g. ſolem ad infandum parricidii facinus inhorreſcentem, radios ſuos abſcondiſſe, quaſi ſcilicet vultum à tanto ſcelere avertendo. Addunt, intimo veluti doloris ſenſu tactum Solem lumen in ſe ſuum recepiſſe, ac ne pareret, velut in abſcondito, ſeſe continuiſſe, quid Soli Juſtitiæ accidiſſet, eo emblemate deſignantem. Notant pariter, tenebras illas exprimere glomerantes in Judæorum mentibus tenebras, eoſque in obſcuro errantes, tandem miſero lapſu caſuros. Certum pariter erant tenebræ illæ divini furoris argumentum; caligo enim ſoli obducta, ſiderum lapſus, nox & tenebræ, non ſemel in Scriptura furori Dei exprimendo aſſeruntur.

Quoto tempore durarint tenebræ, ſatis luculenter exprimunt tres Evangeliſtæ, S. Matthæus 27. 45. S. Marcus 15. 33. S. Lucas 23. 44. habent enim: *A ſexta hora tenebræ factæ ſunt uſque ad horam nonam*, nempe à meridie adusque tertiam horam veſpertinam. Solemne erat enim Judæis diem, ſicut & noctem, in duodecim æquales horas ita diſtinguere, ut ſexta diei hora ſemper cum meridie congrueret, ſicut, & noctis ſexta cum media nocte. Cæteræ verò horæ non ſemper cum noſtris diurnis horis congruebant; ea inæqualitate enim dierum factum eſt, ut inæquale etiam ſpatium variarum dierum horis reſponderet. Ità hyemalium dierum horæ breviores habebantur, longiores æſtivæ. Cùm verò æquinoctium tunc ageretur, & quartadecima lunæ, nona diei hora ferè incidit cum tertia veſpertina.

Patres nonnulli inſinuare videntur, tenebras illas ſub ipſo mortis Domini articulo paruiſſe; ſed latiùs articulus ille accipiendus eſt pro toto eo tempore, quod à meridie adusque tres inde horas effluxit.

Tenent alii, toto eo tempore perſeveraſſe, quo Chriſtus manſit in patibulo: quod ad literam falſum eſt, niſi juxta eorum ſententiam, qui tenent, Dominum Jeſum ſub ipſum meridiei articulum cruci ſuffixum fuiſſe, ſexta nempe diei hora, quemadmodum notat S. Joannes (3). Sed præſtitum id citiùs credimus non inveroſimiliter; habet enim S. Marcus 15. 25. in crucem illum ſublatum tertia hora, nempè nona hora matutina, quod ſcilicet tempus ita diſtribuimus. Tertia hora circiter, vel nona matutina agebatur, cum Pilatus mortis ſententiam dixit in Jeſum. Major ſanè Codicum S. Joannis pars habet, damnatum Jeſum morti *hora quaſi ſexta*; ſed & alia vetuſtiſſima legunt, Hora tertia, ſicut & apud S. Marcum expreſſum eſt. Poſt dictam ergo ſententiam hora ita quaſi tertia, deductus reus ad Calvarium ſuſpenſus fuit in patibulo. Nec ſanè momento id totum peractum eſt; quare undecima circiter hora meridiana agebatur, cum elevaretur in crucem. Manſit injuriis adverſariorum expoſitus, uſque ad horam ſextam, vel meridiem; quo temporis articulo inductæ tenebræ perſeverarunt uſque ad nonam, ſeu tertiam horam poſt meridiem, quemadmodum à cæteris Evangeliſtis luculenter expreſſum eſt.

Diſcutiendum eſt modò, quid Pagani ea de re ſcripſerint. Laudatur ſuppoſititia quædam Epiſtola S. Dionyſii Areopagitæ ad S. Polycarpum, qua reſpondet calumniis Apollophanis veteris amici ſui, ſibi exprobrantis, quaſi non ſincera fide teſtimonia Paganorum Scriptorum adverſùs Paganicam ſuperſtitionem afferret. Revocat igitur illi in mentem quæcumque, cùm ſimul eſſent in Ægypto, oculati teſtes ſpectaverant (4). Tunc „ ambo juxta Heliopolim præſentes ſimul, & „ aſſtantes mirabili ratione ſoli lunam concide„ re cernebamus, neque tamèn tempus conjun„ ctionis erat; ipſamque rurſus ſub horam no„ nam veſpertinam diametro ſoli oppoſito ſuper„ naturaliter reſtitui. Quin etiam in memoriam „ illi revocat quiddam aliud: ſcit enim, quomo„ do viderimus illum lunæ occurſum ab Orien„ te cœpiſſe, & uſque ad ſolis extremitatem per„ veniſſe,

(r) Vide Regis Phyſic. l. 2. par. 2. cap. 8. Gallicè.
(2) Amos 8. 9. Joel. 2. 10. & 3. 15. Ezech. 32. 7. 8.
(3) Joan. 19. 14. *Hora quaſi ſexta*. Et verſ. 16. *Tunc tradidit illum ut crucifigeretur*. Alii Codd. *Hora quaſi tertia*. Ita Cantabr. Vech. Nonn. Petr. Alex. (4) Dionyſ. l. 3. epiſt. 7. pag. 91.

„ veniſſe, ac tum demum reſiliiſſe, & rurſum non eadem parte occurſum illum, & receſſum extitiſſe, ſed adverſo diametri. Hæc ſi fas eſt, ei dicito; tuque, Apollophanes, refelle, ſi potes, idque adversùm me, qui tunc præſens una tecum adſui, & ſimul aſpexi, & obſervavi omnia cum admiratione. Denique tunc neſcio quo ſpiritu afflatus, in divinationem quoque Apollophanes prorupit, & ad me converſus, *Hæc ſunt, o bone Dionyſi*, ait, *rerum Divinarum mutationes*.

Legitur etiam alia Epiſtola ſuppoſititia S. Dionyſii ad Apollophanem, ad Chriſtiana ſacra jam translatum (1), in qua Dionyſius hæc habet inter cætera ad Apollophanem„ Nobis Heliopoli degentibus, eram tunc annos circiter viginti quinque natus, & tu mihi fermè coævus, die quadam ſexta, & hora itidem ferè ſexta Sol horribiliter ſubeunte luna obſcuratus, non quòd Deus, ſed quòd Dei opus in veræ lucis occubitu lucere non quiverit, tumque ex te cunctatus ego, quid tibi, vir prudentiſſime, ſuper hoc videretur; tu autem ejuſmodi reſponſum dediſti, quod menti penitus infixum, nulla prorsùs oblivione, nulla vel mortis imagine dilabi poſſit. Cùm enim totus Orbis tetra tenebrarum caligine uniformiter obductus fuiſſet, jam repurgari globus ſolis, & reniteſcere occepiſſet, tum aſſumpta Philippi Aridæi regula, & contemplatis Cæli orbibus deprehendimus, quod erat alias quoque notiſſimum, non potuiſſe id temporis defectionem ſolis evenire: deinde obſervavimus Lunam ab oriente ſolem ſubiviſſe, ejuſque radios obſtruxiſſe, donec totum occuleret, quæ tamen aliàs ab occidente ſolita eſſet occurrere; quin illam quoque notavimus, cum ad extrema ſolis perveniſſet, ejuſque univerſum orbem obtexiſſet, tum retro Orientem versùs recurriſſe; quamvis id eſſet tempus, quod nec Lunæ præſentiam, nec ſolis concurſum poſtularet. Ego igitur, multiplicis eruditionis ſacrarium, tanti myſterii neſcius cùm eſſem, ſic te alloquebar. Quid ſibi vult hoc rei, o doctrinæ ſpeculum, Apollophanes? Inſolita iſta portenta ecquorum nam tibi myſteriorum videntur indicia? Tu autem ore divino magis, quàm humanæ vocis ſermone, Hæ ſunt, bone Dionyſi, inquiebas, divinarum rerum mutationes. Denique cum diem annumque adnotaſſem, & tempus illud cum eo, quod Paulus mihi quondam ab ore ſuo pendenti annuntiaverat, ſignis conclamantibus concordare ſenſiſſem, tum & veritati manus dedi, & me falſitatis nexibus expedii.

Hæc Author, qui ſub ementito S. Dionyſiii Areopagitæ nomine diu latuit: noſtro tamen ſæculo detecta veritate, Scriptor quinti, vel ſexti ſæculi, qui illuſtri illo nomine authoritatem ſcriptis ſuis conciliarit, agnitus eſt. Nec irrita ceſſit viro fraus; namque conſtanti ad poſtremum uſque ſæculum poſſeſſione, æquè apud Græcos, & Latinos S Dionyſii Areopagitæ nomen obtinuit. Hujus igitur Dionyſii authoritas multùm valuit ad perſuadendum, tenebras illas in obitu Chriſti induxiſſe miram quandam, & præter naturæ leges eclypſim. Quis enim oculato teſti fidem negaverit?

Modò verò de authoritate Operis, tanquam genuini S. Dionyſii Areopagitæ fœtus, Eruditis planè non imponitur, perſuaſis, Lucubrationes illas Scriptori quinti, vel ſexti ſæculi deberi. Ferunt etiam, S. Dionyſium ea occaſione ſtupentem clamaſſe: *Vel Author naturæ patitur, aut totius Univerſi machina diſſolvitur* (2). Alii verò in hæc verba locutum volunt (3); *Deus ignotus carne patitur*; ſeu: *Deus patitur ignotè, cujus cauſa orbis univerſus tenebris offuſus, & turbatione concuſſus eſt*.

Phlegontis, Adriani liberti (4), teſtimonium majus eſt aliquid. Porrò vir ille, religione Gentilis, Hiſtoriam Olympiadum 16. Libris complexus eſt, ab origine illarum uſque ad an. J. C. 140. circiter. Narrat autem, anno quarto 202. Olympiadis, cujus erat exitus circa dimidium anni 33. Æræ, Jeſu Chriſti emortualis, eclypſim majorem ſolito ſpectatam fuiſſe, deficiente adeò Sole, ut ipſa meridiana horâ ſtellæ apparerent in Cælo. Quo pariter tempore, addit, valida terræ concuſſione in Bithynia maxima Nicænæ urbis portio corruit. Quo in loco Euſebius hoc Phlegontis teſtimonium laudat, hæc pariter reperiſſe ſe in vetuſtis Græcorum monumentis refert: *Anno Tiberii 18. Solis facta defectio, & tenebræ ſuper univerſam terram. Bithynia terræmotu concuſſa, & in urbe Nicæna ædes plurimæ corruerunt*.

Julius Africanus apud Syncellum (5) refert, legi apud Phlegontem, ſub Tiberio in plenilunio eclypſi plenam in Cælo viſam à ſexta uſque ad nonam diei horam. Eadem legas in fragmento Africani apud Euſebium in Chronico, quamquam ipſe nec Phlegontem laudat, nec de *plenilunio* habet quidquam. Mancus tamen locus videtur in Chronico; ſed vix tamen exinde ſuſpicandi daretur conjectura, hanc plenilunii circumſtantiam in originali non defuiſſe; teſtatur enim Origenes in Geneſ. hom 35. nihil apertum ea de re præferre textum Phlegontis, quem referentes Euſebius, S. Hieronymus, Philoponus, Chronicon Alexandrinum, omnes æquè eandem lectionem aſſerentes, ſervant nihil de plenilunio.

Poſt Euſebium, & S. Hieronymum, quicumque inter Græcos, & Latinos de teſtimonio hoc Phlegontis aliquid reſciverunt, omnes fermè habuerunt perſuaſum, non aliò referendum eſſe, quàm ad obitum Jeſu Chriſti, eredendi anſam præbente temporis circumſtantia, componitur enim cum anno 18. Tiberii, Aeræ ſcilicet vulgaris 33. De eclypſi quidem ſermo eſt apud Phlegontem; quæ autem tenebræ terræ faciem tenuerunt in obitu Chriſti, aliundè ſanè quàm ex eclypſi repetendæ ſunt: fieri tamen potuit, ut Phlegon in publicis ſub Tiberio monumentis legens hiſtoriam tenebrarum ſub meridiem, quibus tanta orbem occupavit caligo, ut vel Sidera in Cælo apparerent, nihil ultra diſcutiens, eclypſim reputaverit. Hæc planè circumſtantia, quæ imprudenti viro exciderit, tanti facienda non eſt, ut reiiciendum ſuadeat totam ejus hiſtoriam, teſtimonio Evangeliſtarum in reliquis omnibus ſat conformem.

Hæc autem multò erunt perſuaſibiliora, ſi vera ſint quæ ponit D. Ferrandus, Animadverſ. de Relig. Chriſt. tom. 1. pag. 321. Gallicè. nullam reipſa contigiſſe, ſed ne potuiſſe quidem eclypſim ſolis quarto anno Olympiadis 202. ſed unam tantùm lunarem ſpectatam ſemihora poſt tenebras, de quibus in Evangelio. Porrò certus ejus eclypſis temporis articulus fuit paulò poſt deceſſum Jeſu Chriſti; duravit autem 3. horis circiter, medio lunaris magnitudinis diſco occultato (6). Ita factum eſt, ut una eademque die ſol pariter, & luna deficerent, atque tenebris veſtirentur, ut ſua de utroque aſtro fides conſtaret Prophetarum oraculis.

Ut

(1) In vita Dionyſ. apud Corder, tom. 2. pag. 273. (2) Vide Corder. not. in Epiſt. 7. S. Dionyſ.
(3) Michael. Syncell. Hieroſol. lib. 2. Oper. S. Dionyſ. pag. 348. & apud Svidam in Dionyſ.
(4) Phleg. de Olympiad. Euſ. Chron. pag. 202. (5) Syncell. Chronic. pag. 322.
(6) Vide Toynard. Harmon. Evang. pag. 131.

Ut autem ad Phlegontem regrediamur, alia ſunt etiam, quæ in ejus textu negocium faceſsant. Euſebius, Philoponus l. 2. c. 2., Chronicon Alexandrinum, Julius Africanus apud Syncellum, apertè docent, eclypſim, de qua Phlegon, ſpectatam ann. 4. Olympiadis 202. P. Petavius de Doctrina temporum, l. 12. c. 21. contendit, corruptum eſse locum, & pro anno quarto legendum annum 2. Olympiadis 202. Nullum pro ſe affert ſive Mſ. ſeu veteris alicujus Scriptoris authoritatem, nec incompatibiles eſse Chronologiæ characteres cum epocha illa demonſtrat. Obſervat tantùm, Euſebium, & Julium Africanum Jeſu Chriſti obitum nequaquam conſignare ad quartum hunc annum, ſed ad ſecundum, vel tertium ejuſdem Olympiadis 202. Quis autem ſibi perſuaſerit, teſtimonio Phlegontis illos uti voluiſse, ſi perſuaſioni ſuæ, adeòque intento minimè conducens, deprehendiſsent? Habebat ergo Textus Phlegontis non quartum, ſed alterum annum Olympiadis.

Reponimus hiſce, 1. Nefas eſse, nulla adigente neceſſitate, validis non cogentibus argumentis, veterem lectionem, uniformi omnium Exemplarium aſsenſu confirmatam, corrigere. 2. Quando verum eſset, deceptos fuiſse Euſebium, & Africanum in componendo textu illo Phlegontis cum ſyſtemate ſuo Chronologico de anno emortuali Jeſu Chriſti, non continuò tamen deſerendus eſſet, & lectio corrigenda, quippe quæ favet epochæ hodie in Eccleſia maximè obtinenti. 3. Tandem Euſebius conſtituit Baptiſmum Jeſu Chriſti per S. Joannem anno 1. Olympiadis 202. & 15. Tiberii, & ejus obitum anno 4 ejuſdem Olympiadis, 18. Tiberii. Sola Græci Chronici Editionis Scaligerianæ lectio ad paginam 202. & in Latina Editione ad pag. 158. docere Lectores poteſt. Addit Euſebius in eodem Libro, hujus ſyſtematis ſui rationem notans, poſt annum 15. Tiberii (primus eſt Olympiadis 202.) Jeſum Chriſtum tres inde annos, juxta S. Joannem, in prædicatione perſeveraſse; quare ejus obitus neceſsariò conſignandus eſt ad ann. 18. Tiberii. Ad Julium Africanum quod attinet (1), notat ille non obſcurè annum 2. Olympiadis 202. qui cum Tiberii 16. congrueret, exitum imponere 70. ſeptimanis Danielis.

Præter Phlegontem, laudat etiam Julius Africanus (2), Thallum quendam Græcum hiſtoricum, qui in tertio Hiſtoriæ ſuæ Libro meminit tenebrarum (eclypſim dicit) in obitu Chriſti. Cùm tamen hæc tribuat eclypſi, falli virum
A notat Africanus, quòd nulla ſit ſolis eclypſis in plenilunio. An Euſebius locum hunc Thalli inſinuaverit, cùm ſuppreſso nomine hæc reperiſse ſe in monumentis Græcis habeat, verſos in incerto. Habet igitur Euſebius: *Anno tertio Olympiadis 202. ſolis facta defectio, & tenebræ ſuper univerſam terram. Bithynia terræmotu concuſſa, & in Urbe Nicæna ædes plurimæ corruerunt* (3). Certa ætas Thalli manet in obſcuro; cùm tamen S. Juſtinus (4), & Tertullianus (5) mentionem de illo habuerint, coævus, vel fortè ætate vetuſtior Phlegonte ſtatuendus eſt.

Ad Annales Phlegontis, & ad hiſtoriam Thalli provocaſse facilè Paganos cenſendi ſunt Tertul-
B lianus, & S. Lucianus Martyr Antiochenus (6), ut certiores fierent de prodigio tenebrarum in obitu Chriſti. Suſpicatur autem D. Tillemontius, Phlegontem, & facilè etiam Thallum, totam eam hiſtoriam reſciſcere potuiſse ex relatione, quam Pilatus de obitu Chriſti miſerat ad Tiberium. Utcumque autem res habeat ſeſe, nulla ſuppetit ratio ſatis convincens, quæ deſerere nos cogat celebre hoc teſtimonium, adeò planè conforme, & Evangeliſtis, & Chronologiæ à nobis conſtitutæ, ac tandem plurimùm Religioni noſtræ favens.

Utriuſque igitur teſtimonio adoptato, ſtatua-
C mus oportet, tenebras illas paulò ante Chriſti obitum cauſam ſuam prodigio debuiſse. Quæ verò Phlegon eclypſim reputavit, hæc referenda potiùs in cruſtam quandam ante ſolis diſcum concretam, quæ validè adeò ſolares radios per tres integras horas retudit, ut noctem induceret, vicariam ſolis lucem gerentibus, quæ refulſerunt in Cælo, ſtellis; tenebras verò illas longè lateque terram tenuiſse. Nihil autem eſse quòd miremur, ſi in Tabulis Aſtronomicis rei hujus hiſtoria deſit; nec enim tantùm ſupra naturam fuit, ſed repugnat etiam naturæ legibus, ut eo tempore ſolis defectus contingeret. Hypotheſis nubium, quibus aër occuparetur, nunquam con-
D gruere poteſt cum opinione ſtellarum in Cælo ea occaſione apparentium, quas planè ſtellas nubes, & caligo terræ offuſa perinde ac ſolis lucem prohibuiſsent. Quæ tandem habet Pſeudo Dionyſius Areopagita, de cujus authoritate Scriptoribus quamplurimis etiam vetuſtiſſimis, impoſitum eſt, non repugnant tantùm hiſtoricæ veritati, ſed & incommodis etiam pluribus ex eo obnoxia ſunt, quòd prodigia nulla cogente neceſſitate accumulent.

(1) Vide ejus Fragm. in Chron. Græc. Euſeb. pag. 77. & apud Syncell. (2) Idem ibid.
(3) Euſeb. Chronic. Græc. pag. 202. (4) Cohort. ad Gent. Vide Voſſ. de Hiſtor. Græc. l. 3. p. 487.
(5) Apologet. c. 10. (6) Apud Rufin. Hiſtor. l. 9. c. 6. pag. 149.

DISSERTATIO

DE RESURRECTIONE SS. PATRUM,

Quo tempore Chriſtus rediit ad vitam, ad Matth. 27. 51. 52.

Vix extremum ſpiritum egerat Chriſtus, cùm *terra mota eſt*, (ait S. Matthæus 27. 51. 52. 53.) *& petræ ſciſsæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerant; & exeuntes de monumentis, poſt reſurrectionem ejus venerunt in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Veluti ſi Chriſtus eo virtutis ſuæ argumento
E demonſtrare voluiſſet, victoriam ſe de morte reportaſſe; veniſſe ſe pariter ad revocandos velut è ſepulchro miſeros illos mortales, qui criminis letho oppreſſi jacebant. Tandem *monumenta aperta ſunt*, ait S. Hieronymus ad Hedibiam Epiſt. 52. *in ſignum futuræ reſurrectionis*.

Cùm igitur argumentum verſemus, in quo jucunditatis eſt plurimùm multa cum utilitate conjunctæ, ac quæſtiones ex illo plures non inamœnæ for-

formentur; fuſiùs diſcutiendum ſuſcipimus, quærentes, quinam potiſſimùm redierint ad vitam; quando redierint; qua forma, quo corpore paruerint; an ſecundò obierint, ſive potiùs aſcenderint cum Chriſto in Cælum, ut æterna non ſolùm animæ, ſed & corporis vita fruerentur. Qua in re integrum eſt cuique, ut quamcumque maluerit, ſequatur ſententiam; agitùr enim de argumento in utramque partem verſato à Patribus, & Recentioribus quibuſque Scriptoribus; neque ullum affert Religioni diſcrimen, modò certa conſtituatur, ut reipſa conſtituitur apud omnes, hiſtoriæ Evangelicæ veritas, tota controverſia ad circumſtantias, rationes prodigii, & quæ prodigium conſecuta ſunt, redacta.

Certus eorum numerus, qui ad vitam revocati ſunt, ſicut & qui potiſſimùm revocati ad vitam ſtatuantur, exactè ſatis definiendus, non ſine temeritatis nota ſuſciperetur. Hæc tantùm de illis Evangeliſta: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*. Non igitur omnes: & ſiquidem verum ſit, uti conſtituunt Interpretes quidam, terræmotum illum, & montium ſciſſionem, atque diſrupta ſepulchra non niſi Jeroſolymis, & in circumjacenti regione ſpectata fuiſſe; recta inde conſecutione inferretur, illos tantummodo è viris Sanctis ad vitam rediiſſe, qui in iis locis ſepulturæ mandati, digni ſunt habiti, ut à Filio Dei eo beneficio donarentur. Si quis contendat, ſepulchra Sanctorum patuiſse, ſive per univerſam terram, vel ſaltem per Palæſtinam, in tanta terrarum extenſione multo etiam magis in incerto vagabitur mens, ne quid ſtatuat ſatis exactum, ſive de numero, ſive de qualitate eorum, qui ad vitam regreſſi ſunt.

Sunt qui credant, vetuſtiſſimis quibuſque Patriarchis id privilegii collatum fuiſse, quòd ſcilicet rei æquitas poſtularet, ut quicumque longiorem traxerant ſperando Jeſu Chriſto moram, citiùs pariter ſentirent ejus adventus, & Paſſionis præſentiſſimam efficacitatem. Quæ ſi vera ſint, privilegium illud obtinuiſse oportet Adam, Abelem, Seth, Mathuſalem, Lamech, Noe, Sem, Abraham, Jacob, Joſeph, Moyſem, Ioſue, Davidem, Veteresque cæteros. Cum autem non inveriſimili conjectura credantur, veteres Patriarchæ antediluviani, quin & cæteri omnes ante Abrahamum, vitam egiſſe ac ſepulturæ fuiſse mandati extra Palæſtinam, arduo planè negocio ad vitam rediiſse cum Ieſu Chriſto demonſtrarentur; ea perſuaſione admiſsa, ſepulchra nimirum nonniſi in Judæa, ſive in circumjacenti Jeruſalem regione patuiſse. Adde, nonniſi veriſimilia ſuſpicari illos, qui tenent, revocatos fuiſse potiùs ad vitam viros Judæis tunc ſuperſtitibus cognitos, vel ab eorum ætate non planè diſſitos, quàm veteres illos Patriarchas, quorum nonniſi vetuſtate penè obliterata manebat idea.

Non abs re pariter reputaremus, Prophetas adventus, ortus, vitæ, mortis, & reſurrectionis Ieſu Chriſti potiſſimos teſtes, quorum plerique ſanguine etiam ſuo veritatem illam confirmarunt, inter primos habitos fuiſſe, qui fructus obitus, & reſurrectionis ipſius ſentirent. Quare præferendi cæteris videntur Moyſes, David, Samuel, Iſaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, cæterique, quorum ſcripta ſuperſunt; præferendi, inquam, videntur cæteris, qui eodem licèt Prophetiæ ſpiritu animati, nullum tamen vaticiniorum ſuorum monumentum reliquerunt. Opinantur nonnulli, Iobum, & Ionam, & tres illos juvenes è fornace Babylonis liberatos, veluti Reſurrectionis Ieſu Chriſti typos, & figuras (1), Iſaiam veluti Prophetam Evangelicum, Melchiſedechum veluti Sacerdotii Ieſu Chriſti imaginem, Danielem veluti omnium exactiſſimè annos adventus Ieſu Chriſti definientem, ante cæteros reſurrectionis beneficio potitos fuiſse.

S. Epiphanius in Anchorato cap. 102. pag. 103. mallet, præferendos cæteris viros ætati Ieſu Chriſti viciniores, qui facie noti erant Iudæis tunc ſuperſtitibus, quique teſtimonium poſt Ieſu Chriſti adventum de ipſo reddiderant, inter quos Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ, Simeon grandævus, S. Ioannes Baptiſta, & probus ille Latro. Lorinus in Act. 2. 29. fœminas omnes a reſurrectione excludit; habet enim perſuaſum, S. Virginem omnium primam inter fœminas ad vitam revocatam fuiſſe, ſicut & Ieſus Chriſtus *primogenitus* erat *mortuorum* Coloſs. 1. 18. Quaſi ſcilicet Ieſus Chriſtus non mulieribus æque ac viris privilegium reſurrectionis promeruiſset. Contraria omnia placent aliis (2), ratis, Evam ea occaſione ad vitam, & ſanè inter primos rediiſse, quòd mater eſſet communis hominum. Verùm ſat datum conjecturis; & ne quid certi ſtatuamus in re incertiſſima, illud ſolùm teneamus, quod ſcribunt Evangeliſtæ, *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*.

De tempore reſurrectionis hujuſce Sanctorum duplex eſt ſententia. Tenent alii (3), ſtatim poſt obitum Ieſu Chriſti ad vitam rediiſse Sanctos, ſicut & terræmotu ſtatim poſt deceſsum illius concuſsa ſepulchra patuiſse. Alii verò malunt, nonniſi poſt reſurrectionem Ieſu Chriſti defunctos ſurrexiſse è ſepulchris (4), ut ſua veritas conſtet illis Pauli Apoſtoli de Chriſto: *Qui eſt primogenitus mortuorum*. In ſuffragium utriuſque opinionis vocatur textus S. Matthæi. Priori favet illud, quòd ſcilicet poſt actam à Ieſu Chriſto animam, *Terra mota eſt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*. Nullum hic ponitur intervallum inter obitum Ieſu Chriſti, & Sanctorum reſurrectionem. Quibus contraria ſedet opinio, obſervant, S. Matthæum poſt relatam ſanctorum reſurrectionem addidiſse ſtatim: *Et exeuntes de monumentis, poſt reſurrectionem ejus venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis*; quibus verbis inſinuatur, nonniſi poſt Chriſtum, vel unà cum Chriſto reſurrexiſse Sanctos, quamquam eorum reſurrectio, & lapidum ſepulchralium ſciſſio anticipatione quadam narratæ fuerint. Quid ſanè alioqui feciſsent ſpatio illo temporis poſt obitum & reſurrectionem Chriſti, cùm nec præbere ſe videndos juberentur, nec reipſa præbuerunt, niſi poſt Reſurrectionem Ieſu Chriſti? Tunc ſanè, cùm Ieſus Chriſtus rediit ad vitam, munere illi ſuo functi ſunt, ſpectandos ſe in Urbe ſancta præbentes.

Utramque ſententiam in medium adducit S. Auguſtinus Epiſt. 164. nov. edit. ad Evodium num. 9. pag. 576 & neutram reprobat, quin nec immoratur in illis diſcutiendis, utpotè ab intento ſuo alienis (5). Origenes tract. 35. in Matth. luculenter aſſerit, juſtos illos ad vitam rediiſſe *non antè reſurrectionem primogeniti ex mortuis*. S. Gregorius Magnus ſimiliter homil. 21. in Evangel. n. 6. de Chriſto habet: *Solus mortuus eſt, & tamen ſolus minime ſurrexit*. S. Hieronymus adhuc apertius profert teſtimonium in Matthæum 17. *Quamquam enim*, ait, *in obitu Chriſti monumenta patuerint*,

(1) Vide Pined. in Iob. 19 25. (2) P. Luc. Brug. in Matth. 27.
(3) Vide Chryſoſt. & Theophylact. in Matth. 27. Theodoret. Grot. Ligfoot. Ludovic. de Dieu, Heinſium.
(4) Origen. in Matth 27 Raban. Maur Paſchaſ. Radbert. Beda, Gloſſ. ordinar. Lyran. Cornel. à Lapid. alii plures (5) *Ac ponatur hoc dictum per anticipationem, ut monumenta quidem illo terræmotu aperta eſſe intelligantur . . . reſurrexiſſe autem Juſtorum corpora non tunc, ſed cum ille prior reſurrexiſſet*.

ſuerint, tamen cum monumenta aperta ſunt, non ante ſurrexerunt, quam Dominus ſurgeret; ut eſſet primogenitus reſurrectionis ex mortuis.

Inſinuare videtur S. Hilarius in Matthæum c. 27. reſurrexiſſe illos eo temporis momento, quo Jeſus expiravit: *Tunc*, ait, *monumenta aperta ſunt*, quòd mortis vincula contererentur. Surrexerunt autem mortui, *quia illuminans mortis tenebras, & Infernorum obſcura colluſtrans, in Sanctorum, ad præſens conſpicatorum reſurrectione, mortis ipſius ſpolia detrahebat.* Quibus verbis inſinuat, Jeſum Chriſtum ad Inferos ſtatim poſt obitum deſcendentem, vitam continuò, antequam ipſe reſurgeret, defunctis reſtituiſſe. Apertius etiam S. Chryſoſtomus aſſerit, Chriſtum in revocandis ad vitam famulis ſuis probè demonſtraſſe Judæis, quàm falſa obtruderent, dicentes: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere.* Profectò ſi admirationi fuit Lazarus è tumulo revocatus, multò fuit admirabilius ſpectare Sanctos, qui ad vitam revocati videndos ſe pluribus obtulerunt (1). Theophylactus, & Græcorum cæteri, qui S. Chryſoſtomum præceptorem ſibi in omnibus conſtituunt, paria ſentiunt cum illo, tenentes, mortuorum reſurrectionem, antequam Jeſus è cruce deponeretur, factam, in pignus datam fuiſſe, & ſignum futuræ eorum liberationis, qui in Infernis detinebantur.

Si tamen vera ſint, uti nullus eſſe locus ambigendi videtur, animas Patriarcharum non ante ex Inferni carcere ſolutas fuiſſe, quàm ad illos liberandos deſcenderet Jeſus; neque priùs eorum corpora ad vitam revocata, quàm animæ ex iis locis, ubi tandiu venientem expectaverant, liberæ abire permitterentur; agnoſcamus planè oportet, reſurrectionem Sanctorum ſeriùs aliquanto conſignandam eſſe, quàm ſtatim ab obitu Chriſti. Quamquam enim momento citiùs animæ ex uno in alterum locum feruntur, ut quæcumque a Spiritibus ab omni ſecretis materia geruntur, temporis ſucceſſione non indigeant; vix tamen fieri poſſe concipimus, ut unico temporis momento plura hæc ſimul abſolverentur; Jeſus nimirum ad Inferos deſcenderet; adventum ſuum annunciaret; Sanctos Patriarchas educeret è locis illis; animas corporibus innecteret.

Autumarunt veteres Patres (2), traxiſſe Chriſtum moram aliquam in Infernis, quippe qui prædicandum ſuſceperit detentis ibi incredulorum animabus, quarum plures revocarit ad fidem. Alia eſt hodie quidem recepta in Eccleſia ſententia; conſtat tamen, eos, quibus iſta perſuadebantur, autumaſſe, Sanctos non niſi poſt aliquid temporis ab obitu Servatoris ad vitam rediiſſe; niſi fortè crediderint in dias luminis auras veniſſe illos, antequam Chriſtus ſupra terram regrederetur. Nunquam autem legimus, Chriſtum præſentiæ ſuæ ſuper terram ulla exhibuiſſe argumenta, niſi poſt reſurrectionem; quaſi ſcilicet totum illud temporis intervallum egerit in Infernis, Sanctorum Patriarcharum animas ſolaturus (3).

Eſt igitur cur autumemus, nonniſi poſt Reſurrectionem Jeſu Chriſti, ad vitam Sanctos rediiſſe. Sed quis reſurgentium corporis habitus? an omnibus gloriæ, & immortalitatis dotibus ornatus, quomodo poſt generalem hominum reſurrectionem expectamus? an mortali corpore circumdati, quomodo factum novimus cum Lazaro, cæteriſque revocatis ad vitam, quibus reddita ſunt mortalia corpora palpanda, & cibi potuſque neceſſitati ſubjecta? an tandem fulgenti quadam, ſed temporaria luce nitebant, ſolvenda brevi, poſtquam ſe videndos obtuliſſent? quemadmodum Moyſis, & Eliæ corpora in ipſo transfigurationis Jeſu Chriſti articulo inſigni rutilarunt fulgore, quo brevi diſſipato, in priſtinum ſta-

A tum redierunt. Elias enim ad locum ſuum, ubi Meſſiam opperiebatur, reſtitutus eſt; Moyſis corpus tumulo redditum uſque ad ſecundam peculiarem, vel ſaltem ad generalem corporum reſurrectionem.

Horum ſolutio maximè omnium repetenda eſt ex iis, quæ deinceps diſſerentur, an ſcilicet Juſti illi ad vitam revocati euntem in Cælum Jeſum comitati ſint, non anima tantum, ſed & corpore; an ſepulturæ iterum corpora illa reſtituta, ad novam reſurrectionem ſint reſervata? Si quis velit, rediiſſe illos ad vitam, nunquam deinceps ponendam, cæteras illis beatitudinis dotes nequaquam inviderit neceſſe

B eſt, tenuitatem nempe, facilem per loca cuncta penetrandi virtutem, & cætera, quæ Beatos decent. Si verò momento tantùm, vel ſaltem producta ad horas, vel dies aliquos vita paruerunt, quemadmodum olim Moyſes, & Elias in monte Thabor; quæ tunc fuerit mortalium horum corporum indoles, ſatis intelligere omnes arbitror.

Verùm enim verò vix datur ambigendi locus, ſedulò diſtinguendum eſſe inter corpora ſimplici, ut ita dicam, reſurrectione donata, ac hominum conſuetudini, & vitæ reſtituta, ut conſtat de Lazaro cæteriſque in veteri Teſtamento, qui præſentiſſimam Eliæ, & Eliſæi opem ſenſerunt; & Sanctos illos, de quibus modò, ſat ex Evangelio intelligi-

C mus, viros illos non omnium æquè mortalium obtutibus ſubjectos fuiſſe, ſed pro arbitrio revelaſſe ſeſe; quare vix eſt ut negemus, alio circumdatos fuiſſe corpore, quàm quo mortales cæteri utuntur, neque enim pro arbitrio intuentium obtutibus nos permittimus denegamuſque. Pſeudo Juſtinus in Quæſtionibus ad Orthodoxos quæſt. 85. mediam in hac re viam tenens, agnoſcit, viros illos Sanctos ad vitam rediiſſe nunquam deinceps ponendam; non tamen Cæli felicitate donatos credit. Data illis corpora nondum de gloria corporis Chriſti participaverant; transmutationem enim ſuam opperiuntur; quemadmodum Henoch, & Elias ſuperſtites qui-

D dem adhuc, ſed nondum præmio ſuo donati ſunt; ſiquidem, addit ille, unus inter omnes Jeſus Chriſtus ad vitam hac uſque rediit immortalem, & incorruptibilem, veluti primogenitus mortuorum, primitiæ dormientium.

Maneret ergo diſcutiendum, quis hodie ſit corporum Henoch, & Eliæ ſtatus. Illos planè corpore a noſtro difformi circumdatos, nihil eſt quod ſuadear; eò tamen nobis ſunt feliciores, quò corpora illa nullis humanis vitiis, & imbecillitatibus obnoxia ſunt. Verùm quando de Elia, & Henoch conſtaret, dubii tamen ſemper verſaremur, an Authoris hypotheſis ipſa pariter conſtaret cum veritate.

E Ubi, rogo, locorum degunt Viri illi Sancti, ſi extra Cælum manent? Hæc difficultatis ſolvendæ ratio difficultates ipſas non minuit, ſed auget; majus faceſſunt, quàm quo liberamur, negocium. In re igitur incerta ſuſpenſos manere potiùs optamus, quàm judicare quidquam temerè.

Quod verò in tota hac Diſſertatione arduum eſt maximè, illud reputandum eſt, an viri illi Sancti ad Cælum unà cum Chriſto aſcenderint; an in terra ad communem cum cæteris mortalibus ſortem manſerint. Sunt in utramque partem non opiniones tantùm, ſed & authoritatum ac rationum non infimi ponderis momenta. Aſcendentem in Cælum Dominum exhibet Scriptura tanquam victorem quendam

F Regem, ſpoliis onuſtum, & captivorum, quos in libertatem aſſeruerat, ſatellitio ſtipatum (4). Deſcendit ille in mundum: *Prædicare captivis remiſſionem* Luc. 4. 18. Propius igitur vero reputandum eſt, in Cælum illum rediiſſe, pompam comitante manu-

(1) Chryſoſt. in Matth. 27. homil. 88. (2) Vide Origen. Clem. Alex. Iren. alios.
(3) Vide Euſeb. Emiſ. hom. 6. in Paſcha Theophylact. & Brugenſ. in Matth. 27.
(4) Vide Oſee 13. *De manu mortis liberabo eos, & ero mors tua, o mors.* Pſal. 67. 19. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem.* Ephel. 4. 8. *Aſcendit in altum, cepit captivitatem, dedit dona hominibus.*

miſſa illa captivorum turba, & cum rediret ipſe corpus referens gloria & immortalitate donatum, par equidem videbatur, ut ſimili cum illo gloria fulgerent, potiſſimi reſurrectionis illius teſtes atque amicorum intimi, quos maximè ea de cauſa ad reſurgendum unà ſecum invitaverat (1). An fortè æquum videretur, ut eorum animas à corporibus, cum quibus vinculum ipſe ſociaverat, revocaret, ut iterum corpora illa putreſcerent in ſepulchro? Nec ſanè potuit abſque intimo doloris ſenſu ſociale illud vinculum diſſolvi; cum tamen dolorem omnem à ſpiritibus beatis abeſſe par ſit. An Deus collata à ſe dona tactus pœnitudine revocat, & quæ una manu præbet, altera repetit (2)?

S. Ignatius Martyr in ſua ad Magneſianos Epiſtola cap. 9. ita reſurrectionis Prophetarum in obitu Chriſti meminit, quaſi beneficii abſolutiſſimi, neque ſubjectos illos iterum morti, vel leviter quidem inſinuat: *Ipſum ut Doctorem expectabant, & propter hoc ipſum is adveniens ſuſcitavit ipſos ex mortuis.* Pſeudo-Juſtinus in Quæſtionibus ad Orthodoxos quæſt. 85. tenet, Patriarchas ad vitam quidem immortalem reſurrexiſſe, ſed in Cælum receptos non eſſe uti in ſuperioribus obſervatum eſt.

Origenes in Matth. 7. tract. 35. inſinuat, viros illos Sanctos, reſurrectionis Jeſu Chriſti comites, euntem pariter in Cælum ſequutos fuiſſe. Luculentiùs tamen in Canticum Canticorum aſſerit, illum è mortuis reſurgentem unà ſecum ad vitam revocaſſe, quos mortis captivos detineri comperit; ſecum autem in Cælum non ſpiritus tantùm, ſed & corpora illorum rapuiſſe, uti, ait ille, docet Evangelium, quo plures viros Juſtos vitæ reſtitutos in Sancta Civite Dei viventis viſo inſtruimur. S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 6. obiter tantùm rem attingens, habet tamen ſatis apertè, viros Sanctos, poſt Servatoris deceſſum vitæ reſtitutos, in meliorem alteram vitam fuiſſe translatos.

Euſebius Cæſarienſis Demonſtr. Evangel. cap. 12. ſub ipſis oculis vividis coloribus exprimens victoriam à Jeſu Chriſto de morte ea occaſione relatam, addit, Jeſum Chriſtum poſt commendatum Patri ſuo ſpiritum, ſtatim relicto corpore, ne expectato quidem ſupremo mortis ictu, interiiſſe; ſed, ait, mortem moriendo prævenit, trementem ille victor apprehendit, & fugam tentantem retinens, coegit ad pedes victoris accidere, confregit tenebricoſi illius carceris fores, quibus Sanctorum animæ clauſæ detinebantur, eduxit illas, ac in dias luminis auras, & animas ipſas, & ſe pariter revocavit; tum nobili illo ſatellitio ſtipatus, in cæleſtem Jeruſalem triumphantis more ingreſſus eſt. Favet huic opinioni, nec obſcurè, S. Hilarius (3) aſſerens, Jeſum Chriſtum regnare in Sion, non terreſtri illa parricidii ſanguine fœdata Urbe, ſed in cæleſti altera, *cujus*, ait, *& exiſtimo hodieque incolæ ſunt in Paſſione Domini reſurgentes.*

Non ſatis ſibi conſtare hac in re videtur S. Epiphanius; alicubi enim exponens illud S. Pauli 1. Cor. 15. 20. *Primitiæ dormientium Chriſtus*, obſervat (4), ſpectatos quidem unà cum reduce in vitam Chriſto defunctos alios in vitam revocatos; nonnullos etiam ad vitam reſtituiſſe Eliam, & Eliſeum; Lazarum alioſque nonnullos reſtituiſſe pariter Jeſum Chriſtum; ſed, addit, in eo Chriſti reſurrectio à cæteris diſtinguitur, quòd ille ad vitam immortalem redierit, iſti verò omnes ita ad vitam revocati fuerint, ut morti iterum ſubmitterentur. Alibi verò (5) agens de Juſtorum in terra cadaveribus, ex eo numero excipit Sanctos unà cum Jeſu Chriſto in vitam revocatos, & cum ipſo in conclave ſponſi introductos, de quibus legimus in Evangelio, veniſſe in Sanctam Urbem, & ſpectandos pluribus ſeſe obtuliſſe. Con-

A ſtat enim illos, addit S. Doctor, primò quidem Jeroſolymam terreſtrem ingreſſos, deinde verò in Cæleſtem introductos, cujus fores nemini ad id uſque patuerant.

Ut ſecum ipſe S. Epiphanius concilietur, primus ejus locus explicari poſſet de mortuis, quibus conſuetæ vitæ uſura in corpore mortali, & corruptibili reſtituta eſſet; non verò de illis, quibus ſubtile, & gloria donatum corpus beneficio divino collatum fuiſſet (6). Lazarus, cæterique ad vitam per Eliam, & Eliſeum revocati, tunc ad vitam reſtituti ſunt, eorum corpora recens in tumulum illata, neque in ſaniem neque in pulverem adhuc diſſoluta fuerunt: mortuos verò jam inde à pluribus annis, & in pul-

B verem reſolutos, ſtare vivos juſſit Chriſtus. Priorum caro integrum erat adhuc, & nondum marcidum frumenti granum; nec dum ad germen emittendum paratum; horum verò molleſcens jam, & diffluens, aptumque proindè ut germinaret. Caro iſta novo vitæ ſpiritu fota, immortalitati germinavit.

Plus etiam variat S. Hieronymus, & majori negocio ſecum ipſe conciliaretur. In Epiſtola 3. hæc ſcribit. *Poſt Chriſtum Latro in Paradiſum, & idcirco in reſurrectione ejus multa dormientium corpora ſurrexerunt, viſaque ſunt in cæleſti Jeruſalem.* In Epiſtola verò 17. ad Paulam, & Euſtochium habet. *Nec ſtatim Jeroſolyma cæleſtis, ſicut plerique ridiculè*

C *arbitrantur, in hoc loco intelligitur; cùm ſignum nullum eſſe potuerit apud homines Domini reſurgentis, ſi corpora Sanctorum in Cæleſti Jeruſalem viſa ſunt.*

Vera ſunt iſta quidem, ſi ſtatim in Cælum recepti viri illi Sancti fuiſſent; qui verò tenent, illos in Cælum unà cum Jeſu tranſiiſſe, habent pariter perſuaſum, ſpectatos illos priùs in terreſtri Jeruſalem. Locus enim ille Evangelii, ubi legimus viſos illos in Sancta Civitate, triplici ratione exponitur: 1. Juſtos illos ſpectandos ſe ipſa in urbe Jeruſalem præbuiſſe. 2. Typum verò eorum reſurrectione exhibitum ſpiritualis hominum reſurrectionis, qui per fidem, Baptiſmum, & proborum operum exercitium in Cæleſti Jeruſalem jus ſibi civitatis promeruerunt, quam

D expoſitionem ipſe S. Hieronymus Epiſt. 150. ad Hedibiam qu. 8. ſuppeditat. 3. Non incongruè arbitraremur, illos ad Cæleſtem Jeruſalem immortali, & perpetuo gaudio fruituros aſcendiſſe. Triplex hæc Evangelici textus expoſitio legitur tum apud S. Hieronymum, cùm etiam apud Interpretes.

In terreſtrem Jeruſalem primùm, dein & in Cæleſtem Juſtos illos ſpectandos ducit Beda Venerabilis in Matt. 27. Superſtites adhuc in Cælum unà cùm Jeſu aſcendiſſe illos, docent Rabanus Maurus, & Druthmarus in Matthæum. Paſchaſius Radbertus in Matth. lib. 12. pag. 1187. quæſtionem agitari notat, an ſcilicet viri illi Sancti poſt reſurrectionem iterum obierint, ut novæ iterum reſurrectioni para-

E rentur, quemadmodum, & in Lazaro bis defuncto & bis pariter ad vitam revocando factum ſcimus. Addit, nihil expreſſum ea de re legi in Evangelio; obtinere autem apud pleroſque ſententiam, ita viros illos ad vitam revocatos fuiſſe, ut immortalitate, & cæleſti beatitudine donarentur. Porrò viros illos credit teſtes fuiſſe aſſertæ fidei de reſurrectione Servatoris, ut proinde non piè tantùm cenſeri, ſed & credi pariter ad vitam immortalem revocatos fuiſſe: quomodo enim veri reſurrectionis Jeſu Chriſti, & noſtræ pariter aſſertores haberi potuiſſent, ſi à mortuis revocati morti iterum deſtinarentur? Nihil ſanè, addit ille, ſatis expreſſum ea de re habetur in Evangelio; ſed nec contraria ſententia ex eodem Evangelio, vel minima quidem conjectura, probaretur.

Agnoſcit Tertullianus in l. de Anim. cap. 55. perſuaſum

(1) Vide D. Thom. 3. par. quæſt. 53. art. 3. ad 2. & Maldonat. in Matth. 27.
(2) Rom. 11. 29. *Sine pœnitentia enim ſunt Dei dona.* (3) In Pſal. 2. num. 26. p. 40. Vide ſi lubet, & in Matth. c. 33. n. 7. (4) Hæreſ. 64. n. 65. p. 594. (5) Hæreſ. 75. n. 7. p. 912.
(6) Vide, ſi placet, eundem Epiphan. Anchor. c. 102. p. 103.

ſuaſum eſſe quamplurimis, Patriarchas, & Prophetas ad vitam reſtitutos in Cælum aſcendiſſe *ut appendices Dominicæ reſurrectionis*. Eandem ſententiam recitat S. Auguſtinus in Epiſt. 164. ad Evod. nu. 9. *Scio quibuſdam videri morte Domini Chriſti jam talem reſurrectionem præſtitam juſtis, qualis nobis in fine promittitur*. Neutram ex his opinionibus probat. Sed vetus ex eo Auguſtini teſtimonio, & celebris in Eccleſia perſuaſio ſatis adſtruitur, quam pariter admittit Rufinus in Symboli Expoſitione. *Ingreſſi ſunt in ſanctam Civitatem, de qua Apoſtolus ait: Quæ autem ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt &c.*

Accedit his omnibus recentiorum Interpretum turba, quibus perſuaſum eſt, viros illos Sanctos ad vitam immortalem revocatos fuiſſe, & cæleſti beatitudine in corpore pariter, & in anima donatos. Hanc ſententiam proponit, & nonnullis adductis argumentis fulcit S. Thomas 3. p. q. 53. art. 3. quanquam ipſe aliò divertit. Laudat idem pariter Orationem de Aſſumptione ſub S. Hieronymi nomine vulgatam, in qua res illa in medio relinquitur. Nihil etiam ſatis certi aſſerit ea de re Dionyſius Carthuſianus in Matth. 27. Cornelius à Lapide in Matth. 27. aſſerit, magis communi & probabili perſuaſione teneri, Sanctos illos in Cælum unà cum Jeſu aſcendiſſe. Ita revocatos ipſos ad vitam, ut ab omni ſecundæ mortis metu liberarentur, inſinuare videtur Rubertus Abbas, cùm oppoſitam ſententiam tanquam novam quorumdam opinionem notet; *Qui utique (ut quidam æſtimaverunt) iterum morituri reſurrexerunt* (1). Eximit pariter à morte Maldonatus.

Verùm oppoſita huic ſententia, tenens neque immortalitate neque Cælo viros illos, vitæ reſtitutos, donatos fuiſſe, alteri præſtat, quà Scripturæ Textibus quà Patrum authoritatibus, quà tandem rationum momentis. S. Paulus ad Hebr. 11. 40. habet de Patriarchis: *Non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur*. Non adhuc ergo illi in cæleſtem beatitudinem viventia corpora ſua intulerunt; quid enim tunc ſperandum ipſis aliud ſupereſſet?

Idem pariter Apoſtolus de futura reſurrectione agens, aſſerit, Jeſum Chriſtum primitias eſſe dormientium excitandorum ſuo tandem tempore ad vitam. Profectò ſi quis vivens corpus ſuum in Cælum illaturus fuiſſet unà cum Chriſto, nemo ſane præferendus videbatur Davidi, S. Joanni Baptiſtæ, Patriarchis, & Prophetis in Palæſtina ſepulturæ mandatis. Conſtat autem virorum illorum, & tumulos, & ſacra pariter lypſana in ea regione etiam poſt Aſcenſionem Domini culta fuiſſe; ut proinde fateamur oporteat, nunquam fuiſſe commiſſum, ut ad vitam immortalem revocarentur, vel ſaltem aliam fuiſſe ejus regionis perſuaſionem.

S. Petrus ad Judæos Jeroſolymitanos verba faciens (2), habet: *Viri fratres, liceat audacter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus eſt, & ſepultus, & ſepulchrum ejus eſt apud nos uſque in hodiernum diem*; ex quo inferebat Apoſtolus, de Jeſu Chriſto, & non de ſe ipſo dixiſſe Davidem: *Non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Quæ vis, rogo, eſſet argumenti hujus, ſi David gloria, & immortalitate anima pariter, & corpore donaretur? Repoſuiſſent tunc certè Judæi, vaticinii hujus oraculum in Davide impletum fuiſſe, qui in tumulum quidem fuiſſet illatus, ſed revocatus iterum ad vitam immortalitate, & gloria frueretur.

Si quis reponat, lypſana illa S. Joannis, Samuelis, Eliæ, Eliſei, ſicut & ſepulchra Abrahami, Iſaac, & Jacob, quæ in Palæſtina, & alibi monſtrarentur, nihil ad probandum intentum valere, fieri enim utique potuiſſet, ut vacua eſſent ſepulchra, & lypſana illa ſuſpecta. Eſto quidem: ſed quicumque de veritate earum rerum certa perſuaſione tenebantur, illis utique contraria immortalitati illorum Sanctorum ſedebat opinio; ex quò adverſùs contrariam ſententiam, utpote populorum perſuaſioni oppoſitam, magnum ducitur præjudicium.

Refutat Tertullianus de Anim. c. 55. ſententiam illorum, qui Patriarchas, & Prophetas poſt Reſurrectionem Jeſu Chriſti ad Cælos aſcendiſſe tenent. Imbecillibus ille argumentis probat, animas tantùm Martyrum Cælo donari: aſſerit inſuper, ſcripto à ſe Libro probatum fuiſſe, animas omnes, Martyrum tantùm exceptis, in Infernis uſque ad diem Domini detineri (3). Hæc argumenta rejicimus, ſatis habentes Scriptorem hunc teſtem ſententiæ apud Veteres plurimos obtinentis (3) attuliſſe; Sententiæ, inquam, tenentis ſanctorum animas non priùs beatitudine donandas, quàm poſt generalem hominum reſurrectionem: quod de omnibus æquè ſanctis, ne iis quidem exceptis, qui ad vitam unà cum Jeſu Chriſto redierunt, admittunt. Unde facilis conjectura, ne probaſſe quidem illos ſententiam de recepto illorum SS. corpore in cæleſtem beatitudinē.

S. Chryſoſtomus disertè aſſerit hom. 40. in 1. Cor. 15. viros illos ad vitam revocatos, cùm Jeſus Chriſtus in Cruce adhuc penderet, obiiſſe iterum; & in homil. 28. in Ep. ad Hebr. cap. 11. aſſerit: *Affirmo poſt Apoſtolum, SS. Prophetas, & Patriarchas veteris Teſtamenti debitum ſibi præmium non adhuc recepiſſe, nolente Deo, ut ante nos retributionem obtinerent*. Inter illos Juſtos recenſet Abelem, Noe, Abrahamum, & ipſum tandem Apoſtolum. Adeò ergo longè aberat Chryſoſtomus ab adſtruenda corporum illorum Sanctorum beatitudine, ut ne animabus quidem concederet. Eadem fermè ſcribit Theodoretus in eundem locum S. Pauli (5), omnes enim ſanctos, nullo excepto, opperiri ait debitas ſibi coronas, & præmia. Docet Theophylactus, viros illos ſanctos ad vitam tantùm revocatos fuiſſe, ut reſurrectionis Jeſu Chriſti veritatem adſtruerent; cujus ſignum eſt, ait, quòd poſt quàm ſe ſpectandos pluribus Jeroſolymæ commorantibus obtulerunt, iterum jacuerunt in ſepulchro (6). Agnoſcit Euthymius in Matth. 27. rediiſſe illos ad vitam, ut fidem adſtruerent prædicantibus Jeſu Chriſti reſurrectionem; ſed iterum obiiſſe affirmat: quæ communis eſt Græcorum perſuaſio, ſententias S. Chryſoſtomi plerumque adoptantium.

Aſſerit non ambiguè S. Ambroſius, Jeſum Chriſtum gratiam futuræ reſurrectionis nobis promeruiſſe, *ſed*, ait, *ſolus ipſe adhuc reſurrectione perpetua reſurrexit*. Et alibi (7), temporali reſurrectione viros illos Sanctos ad vitam rediiſſe affirmat; agnoſcens ſimul illa æternæ noſtræ reſurrectionis typum exhiberi.

Patres, quorum teſtimonia huc uſque laudavimus, nonniſi obiter rem attigerunt; ſeriò expendit S. Auguſtinus in Epiſtola 164. ad Evodium nu. 7. 8. 9. Revocat in examen argumenta ferè omnia, ſupra à nobis deducta; & poſt librata utriuſque partis momenta, ſtatuit tandem, minùs ſibi perſuaderi, juſtos ad vitam revocatos cum Jeſu Chriſto, ſive eodem, quo ille, tempore, ſive poſt illum (nihil enim ſibi affirmandum ea de re cenſet), ad vitam immortalem revocatos fuiſſe. Alioqui enim credit Auguſtinus nunquam aſſeri potuiſſe Chriſto privilegium *primogeniti mortuorum*; vix etiam conſtaret illud Apoſtoli ad Hebræos 11. 40. Deum nimirum providentiæ ſuæ conſilio id voluiſſe, ut Patriarchæ per-

(1) In Joan. lib. 6. Comment. p. 31c. (2) Act. 11. 29.
(3) *Habeo etiam de Paradiſo à nobis libellum, quo conſtituimus omnem animam apud inferos ſequeſtrari in diem Domini*. (4) Vide in primis Iren. l. 5. c. 31. pag. 331. nov. edit.
(5) In Hebr. 11. pag. 452. (6) Theophylact. in Matt. 27. pag. 178.
(7) In Luc. c. 8. *Sic & reſurrectio temporalis in Paſſione Domini celebratur, ut perpetua illa credatur*.

perfectam operum ſuorum retributionem ante nos A nequaquam reciperent. Addit tandem, imbecilliorem futuram alioqui vim argumenti S. Petri, qui è ſepulchro Davidis, in Judæa ſua adhuc ætate ſpectando, Judæis demonſtrat, Davidem ipſum à corruptione expertem non fuiſſe, ac proinde ad altum planè ſpectare Textum Pſalmi ſecundi, de quo nos ſupra.

S. Thomas 3. p. q. 53. art. 3., poſt relatas utriuſque opinionis rationes, ſententiam ſuam proferens, docet, Sanctos illos una cum Jeſu Chriſto ad vitam revocatos, nova iterum morte interiiſſe: quam nos pariter ſententiam magis conformem reputamus Scripturæ, Patribus, atque ipſi demum traditioni. B Nec ſuâ reſponſione carent argumenta, quibus ſanctorum æterna reſurrectio probatur. Triumphum Jeſu Chriſti ſatis decorabat ingens illud animarum ſatellitium, quod è longa illa tot ſæculorum captivitate liberatum, ſecum ille triumphantis more in Cœlum tunc primò patens mortalibus deduxit. Æqua enim ratio volebat, triumphatorem illum à cæteris, qui pompam comitabantur, diſtingui, ut glorioſum ejus, & immortale corpus omnium primum in gloriam, introduceretur; quod ſatis erat ad fidem noſtram confirmandam, ſpem erigendam, ſolandos viros Sanctos, qui alioqui futuram corporum reſurrectionem non ſecùs ac nos opperiuntur.

Cùm autem Prophetæ, & Patriarchæ reipſa ad vitam, licèt deinde ponendam, rediiſſent, documentum exhibere poterant apertiſſimum de veritate reſurrectionis Jeſu Chriſti; quæ ſi ſemel mortalibus C conſtitiſſet, conſtare utique poterat futuræ noſtræ reſurrectionis dogma. Viri illi Sancti, qui corpus receperunt, ut de reſurrectione Chriſti fidem exhiberent, eo jubente corpus illud ſine dolore, & dolorum tumultu poſuerunt, ſtatim ac munere ſuo functi ſunt: commodum enim ſibi ducebant, ſi voluntatem cœleſtis Patris implerent. Nec Deus inconſtantiæ, vel pœnitudinis in eo argueretur, quòd novæ illos morti permiſerit; non enim niſi ea conditione revocavit ad vitam. Hanc illis gratiam plenam utique, & abſolutam contulit; nihil autem illum cogebat, ut ſemel ea conceſſa, alteram pariter adderet, ſatis utique diverſam, ut ſcilicet immortalitate corporis, & Cælo donaret.

Patres illi, qui pro immortalitate Sanctorum laudantur, in tres claſſes diſtingui poſſunt. Alii aperto teſtimonio, ſed nullo ſatis valido argumento, rem aſſeruerunt; alii hæſitantes, & ambigue rem docent; alii tandem ſibi ipſis non conſtant, eorumque teſtimonia in utramque ſententiam afferuntur. Prioribus illis Patribus alios opponimus, æquè clarè, & expreſsè, ſed melioribus ductis rationibus, oppoſitum affirmantes. Quorum teſtimonia obſcura ſunt, & ambigua, ſicut & eorum, quorum pro utraque ſententia momenta valent, authoritatem non moramur; æquè enim pro nobis ac contra nos laudarentur. Ejus planè generis teſtimonia nulla ſunt; & cum Patres & Eccleſiaſtici Authores inter ſe committuntur, æqua ratio poſtulat, ut utriuſque partis momenta expendantur. Perſuaſum autem habemus, Scripturæ Textus illos, quos laudavimus, multò eſſe clariores, quàm qui pro adverſa ſententia afferuntur. Accedit inſuper nobis ſuffragium illorum Patrum, qui veluti tres columnæ Theologiæ habentur, nimirum S. Chryſoſtomi apud Græcos, S. Auguſtini apud Latinos, & S. Thomæ apud Scholaſticos.

Audacter igitur affirmandum nobis ducimus, Sanctos illos ita rediiſſe ad vitam, ut novæ morti ſubderentur; e qua iterum in novam vitam ſtata die revocandi ſunt. Si minùs autem conſtet numerus, ætas, & cætera omnia, quæ ad reſurgentes illos pertinent, conſtat tamen reipſa reſurrexiſſe inſtructos corpore, non omnium quidem intuentium oculis ſubjecto, nec ea fortè gloriæ dote aucto, qua tandem fruituri erunt juſti in gloria cœleſti; apto tamen ad perſuadendam, & præſentem Ieſu Chriſti reſurrectionem, & hominum futuram. Aſſerimus tandem, contigiſſe facilè, ut nonniſi poſt Domini reſurrectionem, adeòque poſt reditum ejus ab Inferis (eò enim deſcendiſſe poſt obitum ad liberandas Sanctorum animas in ejus expectationem arrectas, Fides docet) Sanctos illos vitæ reſtitutos; quamquam Textus S. Matthæi 27. 52. 53. habet patuiſſe monumenta ſtatim cum Ieſus Chriſtus in cruce ſpiritum emiſit.

COM-

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN EVANGELIUM
S. MATTHÆI.

CAPUT PRIMUM.

JESU CHRISTI Genealogia . Illius in Virginis utero Conceptio . Suſpiciones S. Joſeph , Sponſi Mariæ ; quæ ab Angelo ipſi auferuntur . Naſcitur JESUS in Bethlehem .

1. Liber generationis Jeſu Chriſti filii David , filii Abraham . 2 Abraham
genuit Iſaac . Iſaac autem genuit Jacob . Jacob autem genuit Judam , &
fratres ejus . 3 Judas autem genuit Phares , & Zaram de Thamar . Pha-
res autem genuit Eſron . Eſron autem genuit Aram . 4 Aram autem genuit A-
minadab . Aminadab autem genuit Naaſſon . Naaſſon autem genuit Salmon . 5
Salmon autem genuit Booz de Rahab . Booz autem genuit Obed ex Ruth . O-
bed autem geouit Jeſſe . Jeſſe autem genuit David regem . 6 David autem
rex genuit Salomoaem ex ea , quæ fuit Uriæ . 7 Salomon autem genuit Roboam.
Roboam autem genuit Abiam . Abias autem genuit Aſa . . 8 Aſa autem genuit
Joſaphat . Joſaphat autem genuit Joram . Joram autem genuit Oziam . 9 Ozias
autem genuit Joatham . Joatham autem genuit Achaz . Achaz autem genuit Eze-
chiam . 10 Ezechias autem genuit Manaſſ:n . Manaſſes autem genuit Amon . A-
mon autem genuit Joſiam . 11 Joſias autem genuit Jechoniam , & fratres ejus in
tranſmigratione Babylonis . 12 Et poſt tranſmigrationem Babylonis Jechonias ge-
nuit Salathiel . Salathiel autem genuit Zorobabel . 13 Zorobabel autem genuit A-
biud . Abiud autem genuit Eliacim . Eliacim autem genuit Azor . 14 Azor au-
tem genuit Sadoc . Sadoc autem genuit Achim . Achim autem genuit Eliud. 15
Eliud autem genuit Eleazar . Eleazar autem genuit Mathan . Mathan autem genuit
Jacob . 16 Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ , de qua natus eſt Jeſus ,
qui vocatur Chriſtus . 17 Omnes itaque generationes ab Abraham uſque ad Da-
vid , generationes quatuordecim : & a David uſque ad tranſmigrationem Babylo-
nis , generationes quatuordecim : & a tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum,
generationes quatuordecim . 18 Chriſti autem generatio ſic erat : Cum eſſet deſ-
ponſata mater ejus Maria Joſeph , antequam convenirent , inventa eſt in utero ha-
bens de Spiritu Sancto . 19 Ioſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus , & nollet
eam traducere , voluit occulte dimittere eam . 20 Hæc autem eo cogitante , ecce
Angelus Domini apparuit in ſomnis ei , dicens : Ioſeph fili David , noli timere
accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum eſt , de Spiritu ſancto
eſt . 21 Pariet autem filium : & vocabis nomen ejus JESUM ; ipſe enim ſalvum
faciet populum ſuum a peccatis eorum . 22 Hoc autem totum factum eſt , ut ad-

Digitized by Google

impleretur, quod dictum eſt a Domino per Prophetam, dicentem: 23 Ecce Vir-
go in utero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen ejus Emmanuel: quod
eſt interpretatum, Nobiſcum Deus. 24 Exurgens autem Joſeph a ſomno, fecit,
ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem ſuam. 25 Et non co-
gnoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum: & vocavit nomen ejus
JESUS.

℣. 1. LIBER GENERATIONIS JESU CHRISTI.] Hic eſt tanquam titulus totius Evangelii a S. Matthæo conſcripti [1]. Textus verti poteſt: *Liber vitæ JESU CHRISTI*; vel liber continens Hiſtoriam vitæ, actionum, & mortis JESU CHRISTI. Hebræi ſcripta quævis *Libros* appellant. *Generationis* nomen ſæpius pro hominis hiſtoria uſurpatur, exempli gratia Gen. 5. 1. *Hic eſt liber Generationis Adam*. Hæc eſt hiſtoria vitæ Adam. Et Gen. 37. 2. *Hæ ſunt generationes Joſeph*; Hæc narratio vitæ Joſeph. Et in Numeris 3. 1. *Hæ ſunt generationes Aaron, & Moyſi, in die qua locutus eſt Dominus* &c. Hæc eſt Moyſis, & Aaronis hiſtoria, ex quo Dominus priorem illum in Sinai eſt allocutus. Et de Cœli, ac Terræ creatione verba faciens Gen. 2. 4. *Iſtæ ſunt generationes cœli, & terræ, quando creata ſunt*; videlicet hæc eſt eorum creationis hiſtoria. Judæi fabellæ quam de JESU CHRISTI vita concinnarunt, affinxerunt nomen [a]: *Sepher Toledoth JESU*, quod idem eſt, ac *Liber Generationis JESU CHRISTI*.

Alii [2] prima hæc verba in hoc explicant ſenſu. *Hæc eſt Genealogia Majorum JESU CHRISTI nomenclatura*. Vel hæc eſt recenſio Avorum ejus. Patrem habuit Davidem, Abraham, & alios, qui omnium præſtantiſſimam progeniem conſtituunt. Regnum, Prophetia, Sacerdotium in Abraham, & David conjuncta videntur. David Rex fuit, & Propheta; Abraham Propheta, & Sacerdos. JESUS CHRISTUS ſupereminenti ratione fuit omnia. Potuiſſet facile S. Matthæus, quod præſtitit S. Lucas, ab Adam ipſo exordium deducere, ſed ſatis erat ab Abraham incipere; inde enim ad primum hominem facilis patet aſcenſus.

JESU CHRISTI.] S. Matthæus JESUM appellat *Chriſtum*, quod nomen unctione delibutum ſignificat, quæ Regni, vel Sacerdotii nota eſt; & reſpondet Hebræo nomini [4] *Meſſiah*, quo Judæi ſemper nuncupabant Redemptorem, quem præſtolabantur, & nequicquam adhuc præſtolantur. Salvator hoc jam appellabatur nomine a Fidelibus, cum hæc ſcriberet Evangeliſta, quemadmodum ipſe infra verſ. 16. teſtatur: *De qua natus eſt JESUS, qui vocatur Chriſtus*. Iis vero, qui eum minime agnoſcebant, & in eum non credebant, deinde vere Meſſiam fuiſſe confirmat.

FILII DAVID, FILII ABRAHAM.] Evangeliſta David primum nominat, licet recentior eſſet, quam Abraham, quia ille præ Abraham Regis dignitate præfulſit, & quod ceteros JESU CHRISTI avos nominis claritate ſuperavit [5]; & quod generales promiſſiones [6] naſcituri Meſſiæ primum quidem factæ fuerunt Abrahæ, mox tribui Judæ confirmatæ [7], ſed tandem in familia David determinatæ [8]. Ita veritates, ac revelationes ſibimet viciſſim facem præferunt, cum a genere fiat deſcenſus ad ſpeciem. Adhæc quemadmodum apud Judæos agnoſcebatur JESUS CHRISTUS nomine *Filii David*, cum Hebræi omnes Abrahæ filii dicerentur, diſcriminis ergo opus erat, ut ſtatim Davidis nomen præponeretur. In Hebræorum lingua *Filii* nomen, non ſemper filium immediatem ſignificat, ſed eum qui ex illo originem duxit, licet plures inter utrumque gradus intercedant. Græcus verti poteſt [9]: *IESUS filius David, & filius Abraham*, vel *IESUS filius David, qui erat filius Abraham*. Sed prior verſio melior eſt, & S. Matthæi conſilio accommodatior.

Quemadmodum Judæi Chriſtianæ Religioni initiati, pro quibus ille præcipue ſcribebat, de JESU CHRISTI divinitate non ambigebant, nequaquam neceſſarium duxit, de eadem hic verba facere [10]; ac ſatis eſſe cenſuit de illius Incarnatione, & ex Virgine nativitate diſſerere, non eo quod utrumque hanc veritatem Fideles in dubium vocarent, ſed quod increduli, obſtinatique Judæi utramque negabant. Sanctus vero Johannes, qui inter Ethnicos ſcribebat, in id potiſſimum incubuit, ut Salvatoris divinitatem oſtenderet; ea quippe in re Gentiles maxime adverſabantur.

℣. 2. ABRAHAM GENUIT ISAAC.] Iſthic memorantur ſolum ii, qui neceſſario requiruntur ad genealogiam Majorum JESU CHRISTI recto ordine [11] inſtituendam. Nulla igitur fit mentio Iſmaelis filii Abrahæ, neque Eſau filii Iſaac, & ex duodecim filiis Jacob, Juda tantummodo recenſetur.

℣. 3. PHARES, & ZARAM DE THAMAR.] Omnibus comperta eſt duorum horum gemellorum hiſtoria [12]; cujus de induſtria videtur iſthic meminiſſe Evangeliſta, ut commendaret myſterium, quo major natu minori poſthabitus eſt, quæ figura erat eorum, quæ inter Eccleſiam, & Synagogam erant eventura [13]. Notandum etiam [14], in hac genealogia quatuor dumtaxat mulierum nomina afferri, quarum laborat fama. Thamar inceſtum cum Juda commiſerat; Ruth erat Moabitis; Rahab vero Chananæa, ac turpe corporis lucrum quæſierat. Berſabee tandem adulterium cum David patraverat. Quibus exemplis indigitatur JESUS CHRISTUS, qui ad ſalvos faciendos peccatores acceſſit, nequaquam dedignatus fuiſſe, eos in Majorum ſuorum numero recenſere, & omnes indiſcriminatim ad ſalutem evocaſſe, ſeu juſti eſſent, ſeu injuſti, peccatores, aut Sancti. Verum hujus rei magis ſimplicem cauſam affert Maldonatus; Evangeliſtam videlicet legitimarum uxorum, & quarum conjugia, vel conditio nihil non commune habebant, non meminiſſe; non enim neceſſarium erat de iis loqui, quæ communia erant; ſed ea non prætermiſiſſe, quæ notandam aliquam circumſtantiam haberent. Hebræi in Genealogiis ſuis, ut plerimum, mulierum rationem non habent, niſi peculiaris aliqua cauſa, qualis hæc, aliter faciendum ſuadeat.

℣. 5. SALMON AUTEM GENUIT BOOZ DE RAHAB.] Salmon uxorem duxit Rahab, quæ Jerichuntæ domi ſuæ Judæorum exploratores exceperat [15]. Nullibi in Scripturis memoratur hoc conjugium Salmonis cum Rahab [16]; ſed illinc didicimus tantum [17], Aminadab de Tribu Juda fuiſſe patrem Naaſſon; hunc vero patrem Salmon, a quo genitus fuit Booz, quin ex qua hic genitus fuerit, colligere liceat. Verum nullus dubio locus eſt, quoniam Evangeliſta ſecutus fuerit

1 Ita Maldonat. Menoch. Hamond. alii plures.
a ספר תולדות ישוע
2 Grot. Clerc. Annot. in Hamond. Vatab. Alii.
4 משיח Χριστός, vel unctus. Unctus.
5 Irenæus l. 3. c. 18. Chryſoſt. in Matth. hom. 2. Auctor Operis imperfecti hom. 1. Alii.
6 Geneſ. 12. 13. 16. 17. 7. 22. 13. 22. 17. 18. Galat. 3. 17.
7 Gen. 49. 10.
8 2. Reg. 7. 12. 13. 14. 16. 1. Par. 22. 10 Pſalm. 88. 3. Pſalm. 131. 11. Act. 13. 23.
9 Τοῦ Δαβίδ, υἱοῦ Ἀβραάμ.
10 Auctor Operis imperfecti.
11 Chryſoſtom. & Theophylact. hic.
12 Geneſ. 38.
13 Auctor Oper. imperfect. homil. 1. Chryſoſt. Euthym.
14 Hieronym. in Matth. cap. 1. Theodoret. quæſt. 1. in Ruth. Theophylact. in Matth. Chryſoſt. Euthym. hic.
15 Joſue 2. 1.
16 Grot. Hamon. Ligfoot.
17 Ruth. 4. 20. 21.

giæ traditionem, quæ ævo ſuo tamquam certiſſima habita fuerit. Tunc enim diligentius aſſervabantur Genealogiæ illuſtrium Familiarum monumenta [1], quæ ſexdecim ab hinc ſæculis interierunt; & Euſebius hiſt. Eccl. l. 1. c. 7. ait, Herodem flammas intuliſſe Tabulariis, ubi ſumma cura cuſtodiebantur. S. Matthæus poſt Herodem vixit; ſed Rex ille non omnia flammis abſumpſit exemplaria, & quæ in vulgus erant effuſa, & quæ privatis in domibus ſervabantur, quæ licet omnia idem nacta fuiſſent infortunium, eorum memoria inter homines diu vigere debuiſſet. Et ſane idem Euſebius loco cit. narrat, eos ex familia David, qui Jesu Christi cognationem ſecundum carnem ſibi gloriæ vertebant, ſuam prompſiſſe genealogiam accuratiſſima vetuſtiſſimarum Tabularum fide, quarum ope facile conciliabatur, quidquid inter S. Matthæum, & S. Lucam hodierna die ſibimet adverſari videtur.

Et profecto ſi hæ genealogiæ in Evangeliis allatæ falſæ fuiſſent, nihil Judæi ævi illius facilius eſſe putaret, quam eorum mendacium detegere, atque ita omnem in reliquis etiam rebus fidem Evangeliſtis abrogare. Judæorum audacia, atque in Chriſtianos odium illis tunc certe non pepercissent, ſi illos calumniæ redarguere valuiſſent. Quæ vero in ſe omnium hominum probra convertiſſent Scriptores noſtri, ſi genealogicas Tabulas vitiare auſi fuiſſent tunc temporis, cum mortales omnes regiam Davidis progeniem palam cognoverant? Si ergo nihil tale in Evangeliis deprehenderunt Hebræi, dicendum reſtat, veritatem hanc tunc fuiſſe meridiana luce clariorem. Origenis, & Africani ævo [2] vigebat adhuc in Eccleſia traditio ex ipſius David ad Jesum Christum geneſi profecta, quæ omnes diſſolvebat difficultates, omneſque auferebat contradictiones, quemadmodum infra videbimus. Celſus, Porphyrius, & Julianus, qui hac in re nonnulla objecerunt, nihil umquam ſcrie ſolidum contra Eccleſiæ fidem attulerunt.

Non defuerunt [3], qui dubitarint, utrum Rahab, quæ iſthic appellatur, eadem ſit, ac illa, quæ Jerichunte exploratores hoſpites habuit. Alii [4] crediderunt, tres pro uno fuiſſe Booz, nam Scriptura tres tantum, vel quatuor memorat cognationis gradus ad replendum trecentorum ac triginta ſex annorum ſpatium, quæ a capta Jerichonte ad Davidis nativitatem effluxerunt. Sed prior ſententia nullis rationibus, altera vero neque Scripturæ textui innititur, neque neceſſitati. Sacer Textus [5] de uno tantum Booz verba facit; & licet hoc nequaquam vulgare ſit, ut quatuor homines ſibimet ſuccedentes, trecentorum, & triginta ſex annorum ſpatium repleant, hoc tamen a fide nequaquam abhorret, iis præſertim temporibus, ubi plures etiam ultra ſæculi ſpatium vitam ſuam producebant.

℣. 6. Genuit Salomonem, ex ea, quæ fuit Uriæ.] Græce verti poſſet [6]: *David Salomonem genuit ex Uriæ uxore*, perinde Salomon adulterii fructus fuiſſet. At conſtat, Salomonem ex legitimo ortum eſſe conjugio poſt mortem prioris filii, quem ex David pepererat Berſabee, & poſtquam hæc illius legitima uxor facta fuerat [7]. Ita Latinus Interpres addidit verbum *fuit*, pro quo libentius legerem *fuerat*, ut inde tunc nequaquam fuiſſe amplius intelligeretur.

℣. 8. Joram genuit Oziam.] Aliter *Azariam* [8] inſignem ob conatum, quo in Templo thus adolere adniſus eſt, & ob lepram, qua ſtatim a Deo percuſſus fuit [9]. Ozias non erat immediatus filius Joram, ſed inter utrumque tres Reges interfuere. Joram fuit *Ochoziæ* pater, *Ochozias* genuit *Joas*, qui filium habuit *Amaſiam*, patrem *Oziæ*. Hoc autem ex omnibus recenſionibus, atque certiſſima Regum Juda ſucceſſione citra quamlibet dubitationem innoteſcit.

At cur nam Evangeliſta tres hos præteriit Reges, Ochoziam, Joas, & Amaſiam? Duæ præ cæteris cauſæ afferuntur, quarum altera eſt, S. Matthæum, cum vellet ſervare numerum ter quatuordecim in recenſione Majorum Jesu Christi, debuiſſe tres Reges reticere, qui illa enumeratione abundabant [10]. At rurſus, cur tres hi potius, Ochozias, Joas, & Amaſias omittendi fuerunt, quam alii? Ob eorum impietatem, ajunt, vel potius, propter Eliæ prædictionem [11], qui dixerat omnem Achab poſteritatem exterminandam; quod ad litteram quidem adimpletum fuit in morte Joram Regis Iſrael, filiorumque illius, qui a Jehu cæſi fuerunt [12]; morali vero, ac civili ratione, ſi Ochozias filius Athaliæ, filiæ Achab, & Jezabel, & Joas, & Amaſias, quorum nativitas propter Athaliam maternitatem ſuam coinquinata erat, abſcinduntur: verum his argumentis non ita facile acquieſcunt Critici. Athaliæ ſcelera cauſam præbere non poterant, ut generatio una abſcinderetur. Iſthic non quæritur, utrum hi Reges ex impia matre nati fuerint; ſed ſimpliciter, utrum ſint ex progenie David.

Alii [13] crediderunt, fortuito dumtaxat tria hæc nomina omiſſa præter Auctoris mentem, & Librarii tantum mendo, qui nominum ſimilitudine fuerat deceptus. At unde nam ergo illa S. Matthæi diſtributio, qui genealogiam hanc trifariam dividit; ita ut pars quælibet quatuordecim virorum generationibus componatur? Certum eſt, hunc numerum interiturum, ſi tres hos Reges adiderit. S. Matthæus non per ignorantiam illos omiſit, error quippe nimis apertus eſt, ut Lectorem ſuum non falleret; inde enim nullum percipere poterat fructum, immo vero maximum detrimentum, ita enim Evangelio ſuo fidem abrogabat.

Potuit vero, quin veritatem ſe lædere exiſtimaret, has ita genealogias diſtribuere, ut facilius mandari memoriæ poſſent. Non deerant in Scripturis exempla, quibus ad id impelleretur. Sacri Auctores in vulgatiſſimis rebus crebro quaſdam prætereunt circumſtantias, & in genealogiis texendis ſemper ad ſcopum tendunt, & eos tantum e majoribus memorant, qui ad id neceſſarii videntur. In 1. Paral. 4. 1. Sobal ponitur tamquam immediatus Judæ filius, licet inter utrumque quinque, vel ſex interfuerint generationes. Plura deprehenduntur in ſecundo primi Libri Eſdræ capite omiſſa nomina, ſi cum Libri ſecundi capite ſeptimo comparentur. S. Lucas undeviginti memorat viros inter Salathiel, & S. Joſephum, inter quos decem tantummodo a S. Matthæo numerantur. Apud prophanos Auctores Regum Catalogi veterum Imperiorum non exiguas habent lacunas [14]. In annis recenſendis Hiſtorici ſæpe anarchiæ, turbarum, & calamitatum tempora prætereunt. Quo plus eſt bonæ fidei, eo in minutis rebus minor eſt cura.

℣. 11. Josias autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transmigratione Babylonis.] Iſthic etiam de re notiſſima loquens Evangeliſta non ita accuratus videtur; ſupponens, Lectorem jam ſatis callere factum, ut quidquid narrationi ſuæ deerat, ſupplere poſſet; Joſias nullum habuit filium nomine Jechoniam, ſed nepotem dumtaxat; qui ſucceſſit Joakim in Regnum Juda. Putant nonnulli [15], e librariis iſthic omiſſum fuiſſe nomen Joakim, & locum hunc ita eſſe reſtituendum [16]: *Joſias autem genuit Joakim, & fratres ejus; Joakim autem genuit Jechoniam, qui*

1 Joſeph. contra Appion. l. 1. p. 1036.
2 African. apud Euſeb. loc. cit.
3 Theophylact. dubitat. Auctor. Oper. imperfect. non audet aſſirmare.
4 Lyran. & alii nonnulli.
5 Ruth. 4. 20. 21. & 1. Par. 2. 11. 12. & Luc. 3. 32.
6 Δαβὶδ δὲ ὁ Βασιλεὺς ἐγέννησε τὸν Σολομῶντα ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου.
7 2. Reg. 11. 17. 12. 24.
8 4. Reg. 15. 1. 1. Par. 3. 12.
9 2. Par. 26. 21. 4. Reg. 15. 5.
10 Hieronym. hic. Ita & D. Thom. Janſen. cap. 6. Concord. Mariana hic, Barad. l. 5. c. 18. Janſen. Ipr. hic. Abul. qu. 17. Grot. Jun. Vide & Hilar. & Rupert. hic, & Auct. qu. in Matth. inter Opera Aug. t. 3. qu. 85.
11 3. Reg. 21. 21.
12 4. Reg. 9. 10.
13 Quid. apud Toſt. Sanct. in 4. Reg. 19. 18.
14 Vide Grot. ad verſ. 12. Ligfoot. hor. Hebr.
15 Vide Epiphan. hæreſ. Epitur. Opuſ. imper. in Matth. Maldonat. Paræum, Kemnit. Jac. Capell. alios.
16 Ita fere legunt Laud. 2. Seld. 4. Mori. 1. Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακεὶμ. Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν. Alii: ἐγέννησε τὸν Ἰωακεὶμ, &c. Ita plures in variant. lect. e Millio collectis. Et alii apud D. Bern. de Montfauc. Diarii Ital. l. 1. c. 21.

Babylonem captivus abductus fuit ; & poſt tranſmigrationem Jechoniae genuit Salathiel ; quo pacto expleta eſt genealogia.

Tenent alii [1], Jechoniam hujus loci eumdem eſſe ac illum, qui in Libris Regum, & Paralipomenon *JoaKim*, *Eliacim*, *vel Joachim* appellatur [2], iſthic vero pro duobus viris apponi, & pro ſe, & pro filio, ita ut ad locum hunc integrum legendum, ita dicendum eſſet [3]: *Joſias genuit Jechoniam*, aliter Joachim, & idem *Jechonias*, vel Joachim genuit *Jechoniam*, vel Joachim alterum; qui Babylonem abductus fuit. Putat Sanctius in 4. Reg. nomen Jechoniæ omnibus Joſiæ filiis commune fuiſſe, idque probare conatur ex tertio Eſdræ libro 1. 34. illum cum quarto Regum 23. 30. & ſecundo Paralipomenon 36. 1. comparans. Qui in poſtremis his duobus libris Joachaz dicitur, in tertio Machabæorum Jechonias appellatur. Et S. Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. *Joachim* vocat illum, quem nos dicimus *Jechoniam*. Sed quomodocumque intelligatur, fatendum erit, iſthic Regis unius nomen deeſſe ad explendam ſecundam, vel tertiam claſſam virorum quatuordecim; ſi enim JoaKim in ſecunda omittitur claſſe, treſdecim erunt; ſin autem Jechoniæ ſecundæ adjicitur, treſdecim tantum reliqui erunt in tertia. Hoc vidit S. Hieronymus in Danielem ſcribens, ubi Porphyrio exprobrat ignorantiam [4].

1. Abraham	1. Salomon	1. Jechonias
2. Iſaac	2. Roboam	2. Salathiel
3. Jacub	3. Abias	3. Zorobabel
4. Juda	4. Aza	4. Abiud
5. Phares	5. Joſaphat	5. Eliacim
6. Eſron	6. Joram	6. Azor
7. Aram	7. Ozias	7. Sadoc
8. Aminadab	8. Joathan	8. Achim
9. Naaſſon	9. Achaz	9. Eliud
10. Salmon	10. Ezechias	10. Eleazar
11. Booz	11. Manaſſe	11. Mathan
12. Obed	12. Amon	12. Jacob
13. Jeſſe	13. Joſias	13. Joſeph
14. David	14. *JoaKim*, vel *Joachim*	14. JESUS.

JECHONIAS, & FRATRES EJUS IN TRANSMIGRATIONE BABYLONIS.] Tres iſthic neque leves occurrunt difficultates. Prior, quod Joſias dicitur Jechoniam genuiſſe, cujus non pater, ſed patruus erat. Altera verſatur in fratribus Jechoniæ, qui nullos, quos ſciamus, fratres habuit. Tertia in tempore captivitatis Babylonicæ, ad quam uſque Joſias non pervenit, ſed viginti ante eamdem annis obiit. Verum ſi Textui reſtituamus Joachim, hæ omnes pereunt difficultates. Joſias pater fuit immediatus Joachim, vel Eliacim, vel JoaKim, & fratrum ejus, qui fuere *Johanan*, *Sedecias*, & *Sellum* [5]. Vel juxta quartum Regum librum 23. 30. *Joachaz*, *Mathanias*, vel *Sedecias*. Quid factum de Johanan non liquet; creditur *Sellum* idem eſſe, ac Joachaz. JoaKim, vel Eliacim, vel Joachim pater fuit *Joachim*, vel *Jechonia* ſub tempus Babylonicæ captivitatis.

Tria enim captivitatis Babylonicæ tempora numerari poſſunt. Prior captivitas accidit quarto JoaKim, Joſiæ filii, anno, Mundi ſcilicet 3398. quo Nabuchodonoſor capta Jeruſalem plurimos Babylonem captivos abduxit. Captivitas altera contigit regnante Jechonia filio Joachim, qui cum tres menſes imperaſſet, in captivitatem abductus fuit cum nationis principibus anno 3405. Poſtrema tandem captivitas evenit poſt Jeroſolymæ excidium, anno Sedeciæ undecimo, Mundi 3416. Ita ergo explicandus eſſet verſ. 11. *Joſias genuit Joachim, & fratres ejus; Joachim vero Jechoniam ſub tempus primæ Babylonicæ captivitatis; & Jechonias genuit Salathiel, poſtquam captivi Babylonem tranſmigrarunt.*

℣. 12. ET POST TRANSMIGRATIONEM BABYLONIS, JECHONIAS GENUIT SALATHIEL.] Jechonias captus a Nabuchodonoſor, & Babylonem translatus, in quodam veluti carcere uſque ad Regis obitum permanſit; tunc enim Nabuchodonoſor ad ſolium evectus Jechoniam de illo ſqualore eduxit, eumque in honore habuit in aula ſua, ejuſque ſolium ſuper alios Principes, qui ibi aderant, conſtituit [6]. Jechonias filios genuit, & Salathiel filius ejus Regiam Davidis progeniem produxit.

Portenderat Jeremias c. 22. 30. Jechoniam futurum ſimilem viro liberos non habenti: *Scribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur; nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David*: quod nonnulli acceperunt, quaſi numquam filios genuiſſet; at verus Jeremiæ ſenſus eſt Jechoniam moriturum quin filios Regni heredes relinquat. Filii ejus in captivitatem tamquam privati, inglorii, atque ſine ullo honore decedent. Et ſane Jechoniæ a Nabuchodonoſor capto ad regnum ſucceſſit Sedecias patruus illius, quo imperante Regnum Juda interiit. Paralipomenon [7] libri, Jechoniæ filios fuiſſe dicunt *Aſir*, & *Salathiel*; at neuter Judæam vidit umquam. Salathiel vero genuit Zorobabel, qui de captivitate reverſus, proſecutus eſt progeniem David per *Abiud* cum S. Matthæo, vel per *Reſa* cum Sancto Luca.

JOSEPH VIRUM MARIÆ.] Hic vir erat Mariæ juxta Hebræorum conſuetudinem, & Maria ſponſa illius erat, licet ſponſalia tantum iniiſſent [8]; Hebræi enim, teſte S. Hieronymo ſponſos viros dicunt, & ſponſas uxores [9]. Si quæ ſponſalium tempore pudicitiæ jacturam fuiſſet paſſa, tamquam adultera plectebatur, & qui deſponſatæ virgini ſtuprum intulerat, capite damnabatur tamquam adulter. Deut. 22. verſ. 25. 28. Sponſæ actio erat in illum, petebatque, ut juxta vim Legis damnaretur. Sponſalia nonniſi tradito repudii libello infringi poterant, quod Judæorum Auctorum teſtimonio [10], fuſius Seldenus oſtendit. Conjugium non in corporum commixtione, ſed in mentium conſenſu poſitum eſſe, docet S. Auguſtinus [11], & quamvis illud inter Joſephum, & Mariam conſummatum non fuerit, vere tamen conjugium fuit.

℣. 17. GENERATIONES QUATUORDECIM.] In memoriæ ſubſidium ita fortaſſe JESU CHRISTI genealogiam S. Matthæus diſtribuit. Haud ignorabat, ab Abraham ad JESUM CHRISTUM ad duum fere millium annorum ſpatium replendum, ſatis non fuiſſe duas & quadraginta generationes [12]; verum numerum hunc retinere voluit ea de cauſa, quam attulimus, & ideo aliquot omiſit generationes, quemadmodum ſupra docuimus: ubi vidimus in altera dumtaxat claſſe pro quatuordecim, treſdecim tantum viros afferri, eo quod abſit *Joachim*, cujus omiſſio nonniſi Librariis eſt imputanda.

℣. 18. CUM ESSET DESPONSATA MATER JESU.] Latini

1 Auguſt. de conſenſu Evang. l. 2. c. 4. Epiphan. Hæreſ. Epicur. Hieron. hic. Ambroſ. in Luc. l. 3. alii paſſim.
2 3. Reg. 23. 34. 34. 1. 2. Par. 36. 4. 5. 8.
3 Vide Maldonat. hic, & Sanct. in 4. Reg. c. 24. 18.
4 Hieronym. in Dan. 1. *Initio in Evangelio ſecundum Matthæum, una videtur deeſſe generatio, quia ſecunda tesſaradecas in Joachim deſinit filio Joſiæ, & tertia incipit a Joachin filio Joachim. Quod ignorans Porphyrius calumniam ſtruit Eccleſiæ, ſuam oſtendens imperitiam, dum Evangeliſtæ Matthæi arguere nititur falſitatem.* Vide & Hieronym. in Matth.
5 1. Par. 3. 15.
6 Jerem. 22. 32. Vide Text. Hebr.
7 2. Par. 3. 10.
8 Chryſoſt. in hunc loc. homil. 4.
9 Hieronym. hic verſ. 16. *Recordare conſuetudinis Scripturarum, quod ſponſi viri, & ſponſæ vocantur uxores.* Ita & in verſ. 20. & lib. contra Helvid.
10 Selden. uxor. Hebr. l. 2. c. 1. & 5.
11 Aug. l. 2. de Conſenſu Evangel. c. 1. *Poſſe permanere vocarique conjugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu.* Vide & l. 1. de Nuptiis & concupiſc. c. 2. & lib. 5. contra Julian. c. 9. S. Chryſoſt. hom. 4. in Matth. verſ. 20.
12 Abraham natus eſt an. M. 2008. Jeſus Chr. natus eſt an. M. 4000.

Latina vox *deſponſata* vere eam ſignificat, quæ adhuc intra ſponſalia eſt, & ad unguem Græcę reſpondet [1], quæ hoc ipſum ſignificat, quemadmodum Origenes in diverſ. Evang. hom. 2. S. Hilarius [2], S. Hieronymus [3], S. Baſilius hom. de hum. Chriſti gener. S. Epiphanius hæreſ. 78. S. Bernardus ſuper *Miſſus eſt* hom. 2. S. Joannes Chryſoſtomus hom. 4. in Matth. aliique plures ſentiunt Interpretes [4], quæ ſententia univerſo ſermonis decurſu probatur. Vide ℣. 20. Patres alii, aliique Interpretes, iique magno in numero tenent, Incarnationis JESU CHRISTI tempore Mariam vere nupſiſſe S. Joſeph; & Auctor operis imperfecti in S. Matthæum, S. Ambroſius l. 2. in S. Lucam, Theophylactus, aliique plures Textum explicant, perinde ac verum conjugium ſignificaret.

Verum fortaſſe hæc de nomine tantum eſt quæſtio; B deſponſatæ enim apud Hebræos habebantur veluti nuptæ, quemadmodum ſupra dictum eſt, ita ut ſine libello repudii minime poſſent dimitti. S. Joannes Chryſoſtomus hom. 4. Auctor operis imperfecti hom. 1. & S. Bernardus ſerm. 2. ſuper *Miſſus eſt*, ſupponunt, Judæorum fuiſſe morem ſponſis tradendi futuræ conjugia curam, qui oppoſitus videtur Scripturarum conſuetudini, ac Rabbinorum doctrinæ, & qui haberi nequit, niſi ſingularis Judæorum aliquibus in locis mos, qui prorſus abhorret ab eo, cui ubilibet alibi Judæi conſueverunt. Sed hoc nihilominus confirmat id, quod diximus, ſponſas apud Hebræos habitas fuiſſe velut uxores eorum, quibus fuerant deſponſatæ, & inter ſponſalia, & conjugium nihil præter cohabitationem interceſſiſſe. C S. Hilarius [5] docet explicite, inter Virginem, ac S. Joſeph nullum proprie, niſi poſt JESU CHRISTI nativitatem, fuiſſe conjugium.

ANTEQUAM CONVENIRENT, INVENTA EST IN UTERO HABENS.] Antequam ſcilicet ſimul fuiſſent; vel antequam Virgo Viri ſui domum [6] adduceretur, & expleretur conjugium. Vetuſtiſſimus enim obtinet inter Judæos mos, ſponſas apud parentes ſuos pluribus menſibus commorari, antequam nuptiarum celebritas fiat, atque viris ſuis tradantur. Sampſonis ſponſa [7], diu domi patris ſui a ſponſalibus ad nuptias permanſit. Filiæ Loth Geneſ. 19. paterna erant in domo, licet jam deſponſatæ, cum acceſſerunt Angeli, Sodomorum urbem everſuri. Ad hunc quoque diem puellæ ſæpe aliquando menſes, vel annum, vel & alterum, prout D paciſcuntur, & prout ſponſalia ineuntium ætas efflagitat, permanent deſponſatæ [8]; namque apud illos adhuc impuberes deſponſantur. Hic ipſe mos in Africa viguiſſe videtur. S. Auguſtinus l. 8. Confeſſ. *Inſtitutum eſt, ut jam pactæ ſponſæ non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus, quam non ſuſpiraverit ſponſus dilatam.*

Veteres quidam Hæretici apud Origenem hom. 7. in Lucam, Tertullianus de Monogam. c. 8. Bonoſus Macedoniæ Epiſcopus, de quo loquitur S. Ambroſius Ep. 79. & Helvidius [9], ex his verbis, *antequam convenirent*, inferebant, Sanctiſſimam Virginem cum conjuge ſuo S. Joſeph poſt JESU CHRISTI nativitatem nequaquam continentiam ſervaſſe, verum filios genuiſſe, qui in Evangelio [10] JESU CHRISTI fratres vocantur. E Sed hæc ſententia perpaucos habuit aſſeclas, eamque S. Hieronymus ſummo vi refutavit. Quotidie dicimus,

A aliquem ad plures abiiſſe, quin, quæ moliebatur, explere potuerit: num inde ſequitur, ipſum poſt obitum illa adimpleſſe? Dicimus a Judice reum, antequam cauſam peroraret, damnatum fuiſſe, num ideo inferre licet, illum poſt damnationem cauſam ſuam peroraſſe? Familiaris hominum ſermo hoc locutionum genere diffluit. Scriptura etiam ſexcentis in locis ſimiliter loquitur. Vide Geneſ. 8. 7. 2. Reg. 6. ult. Pſalm. 109. 1. 93. 15. [illegible] 3. Matt. 12. 20. & 28. 20. & 1. Cor. 15. 25. &c.

Auctor Operis imperfecti in S. Matthæum ex vetuſtæ hiſtoriæ fide refert; cum Angelus Mariam convenit, illi Incarnationis myſterium annuntiaturus, & donec illa iter ſuum in montibus Juda perfecit, Joſephum domo abfuiſſe, eumque reverſum poſtliminio, B cum aliquot menſes peregre fuiſſet, ubi Mariam ventrem ferre, quod jam diſſimulari non poterat, cognovit, illam impudicitiæ redarguiſſe, eique Dei judicia intentaſſe. Sed cum Virgo ſe ſe excuſare non poſſet, illi ſuſpirans, *Vivit Dominus*, ait, *neſcio, unde factum ſit iſtud*. Qua reſponſione perterritus Joſeph, propius Mariæ vivendi ſanctimoniam ad examen revocans, nihilque inveniens, unde aliqua impuritatis ſuſpicio poſſet oboriri, credere maluit, illam citra hominis fraudem concepiſſe, quam eam adulterii accuſare. Verum hic Auctor nonnulla ſubinde apocrypha immiſcet facta. Non liquet ex Evangelio, Joſephum Mariæ ſe de illius facto ſollicitum præbuiſſe, neque Mariam ſtuduiſſe, quo pacto illi id, quod in ſe fuerat experta, detegeret. Tacite, ac humiliter expectavit, C donec Deus viro ſuo innocentiam aperuit.

At cur Salvator Matrem elegit vel nuptam, vel ſaltem deſponſatam, quandoquidem naſciturus erat ex Virgine, & miraculoſa nativitas ſua fidei noſtræ articulus erat futura? Nonne hoc erat myſterium calumniæ objicere, & inimicorum ſuorum incredulitati, ac nequitiæ, arma, atque rationes, quas prætexere poſſent, ſuggerere? Plures hujus rei rationes afferuntur. Prior, ut quodam veluti velamine Mariæ pudor, atque exiſtimatio tegeretur; donec fœcundæ Virginitatis miraculum per Filii ſui miracula portenderetur [11]. Si puella ſimplex intumuiſſe fœtu viſa fuiſſet, quodnam populo ſcandalum, quinam Mariæ pudor fuiſſet? Maluit Dominus ambigi aliquandiu de nativitatis ſuæ puritate, quam matris pudorem, vel minimę ſuſpicioni D objicere: *Maluit aliquos de ſua generatione, quam de Matris pudore dubitare, nec putavit ortus ſui fidem, matris injuriis aſtruendam*, inquit S. Ambroſius l. 2. in Lucam. Secundo, ut Mariæ, ac Jeſu itinerum de Nazareth in Bethlehem, atque inde in Ægyptum ducem compararet; eiſque tribueret auxiliatorem, qui laborum ſuorum quæſtu utrique victum præberet, atque eum, qui & puritatis Mariæ cuſtos, & tum miraculoſæ nativitatis, tum vitæ admirabilis JESU CHRISTI teſtis eſſe poſſet. Addunt & veteres nonnulli [12] tertiam cauſam: ut ſcilicet Meſſiæ Incarnationem Diabolo celaretur. Haud ignorabat quidem humani generis infenſiſſimus hoſtis Chriſtum de Virgine naſciturum, ideoque nulla ipſi ſuboriri ſuſpicio poterat, quod nupta illius mater eſſe poſſet. Eum igitur naſci, adoleſcere, E in mundi hujus luce verſari vidit, quin a reliqua virorum turba poſſet dignoſcere. Si enim eum cognoviſſet,

1 Μνηστευθείσης γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας τῷ Ἰωσήφ.
2 Hilar. hic. *Ergo & conjugis, & nomen ſponſæ ſuſcepit. Et poſt partum in conjugem recognita tantum Jeſu mater oſtenditur.*
3 Hieronym. hic. *Joſeph pene licentia maritali futuram uxorem omnia noverat.* Et verſ. 16. *Cum virum audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum.* Ita & verſ. 20.
4 Eraſm. Martianay, Baronius, Hammond, Le Clerc, Beze, Schmith, &c.
5 Hilar. in Matth. *Ergo & conjugis nomen ſponſa ſuſcepit, & poſt partum in conjugem recognita tantum, Jeſu Mater oſtenditur.*
6 Bez. Var. Spanh. Syr. Ligfoot, Grot. alii paſſim.
7 Judic. 14. 15.
8 Selden. uxor Hebr. Baſnage, Hiſtoire des Juifs, Livre 5. chap. 19. art. 12. Leo Mutinenſis, part. 3. c. 3. Bynæ, de Natali Chriſti, lib. 1. c. 2. art. 5.
9 Vide Hieronym. contra Helvid. c. 2. & in hunc loc. & Chryſoſt. homil. 4. Jovinian. apud Auguſt. lib. de Hæreſib. Epiph. hæreſ. 78. de Antidico-Marian.
10 Matth. 12. 46. 47. 13. 55. Marc. 3. 31. 33. Luc. 8. 19. 20.
11 Origen. Homil. 1. in diverſ. Evang. Hilar. can. 1. Matth. Chryſoſt. homil. 4. Baſil. Homil. de humana Chriſti gener. Theophylact. hic. Bern. ſerm. 2. in Miſſus eſt.
12 Ignatius Martyr. Epiſt. ad Epheſios. Origen. Homil. 6. in Luc. Hieronym. Chryſoſt. hic. Author Oper. imperfect. Homil. 5. alii plerique.

Digitized by Google

gnoviſſet, neque illum tentaret, neque ad eum crucifigendum Judæos impellere auſus fuiſſet? *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent* 1. Corinth. 2. 8.

℣. 19. IOSEPH CUM ESSET JUSTUS, ET NOLLET EAM TRADUCERE.] Crediderunt nonnulli [1], Sanctum Ioſeph, cum Verbi Incarnationem didiciſſet, ſumma captum admiratione, ac reverentia erga Sanctiſſimam Virginem, iniiſſe conſilium ejus deſerendæ, ratum, ſe nequaquam dignum eſſe illius contubernio. Sed oppoſita ſententia plures jactat aſſeclas [2], & fidei propior videtur. Ioſeph non intellexit myſterium, niſi cum ſibi ab Angelo dictum fuit: *Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.*

Ante hanc apparitionem, cum illi pudor, ac virtus Mariæ ſatis eſſet perſpecta, neque eam damnare, neque nomen illius tamquam adulteræ in opprobrium traducere auſus eſt. Credidit potius, quod in ipſa intuebatur, ab aliqua profectum vi, quam eſſet perpeſſa, vel ab alia quapiam ſibi inexplorata cauſa, quam ex turpi, illicitoque concubitu; & cenſuit, ſecundum juſtitiæ regulas, ſe vel judicium differre poſſe, & aliquo prætextu e patrio ſolo diſcedere, vel clam coram duobus teſtibus tradere Mariæ libellum repudii, quin eam palam, atque cum ejus dedecore repudiaret (putant enim, nonnumquam conſueviſſe Hebræos privatim ſine ulla ſolemnitate ſuas uxores [3] dimittere:) vel tandem illi ſecreto dicere, ut viciſſim ultro ſponſalium jus renuntiaret, & alii cuicumque vellet, nuberet. Hujuſmodi receſſiones, atque divortia, quæ ex mutuo utriuſque conſenſu fiebant, magis ſimplicia erant, magiſque commoda, tunc præſertim cum conjugium nondum ratum erat, nec conſummatum.

Quid ſibi velit epithetum illud laudis, *juſtus*, non ſatis liquet. Credunt nonnulli [4] de rigoroſa juſtitia eſſe intelligendum, qua ſedulo cuicumque ſuum tribuimus, & uti par eſt, Domini mandata obſervamus. Ioſeph videns ſponſam ſuam ventrem ferentem, haud credidit, citra culpam ſe diutius cum illa poſſe permanere juxta ea Scripturæ verba [5]: *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt, & impius.* Iniit igitur conſilium, ejus vel dimittendæ, vel repudiandæ; verum cum illi non ſatis liqueret, utrum ſe ultro proſtituiſſet, noluit nomini illius turpitudinis notam adſpergi, neque illam ſupplicio Legis objici, quæ adulteram lapidibus obrui jubebat Lev. 20. 10. In his omnibus accuratiſſimæ juſtitiæ regulas ſecutus eſt: judicium ſuum ultra quod ſibi compertum eſſet, proferre noluit. Satis conſtabat, Mariam fœtam eſſe, quod ſufficiebat, ut jure eam Ioſeph dimitteret; at eam adulteram eſſe, & mortem mereri, id non conſtabat.

Alii [6] *Iuſtum* explicant pro ſuavi, clemente, miſericordi. Ioſepho perſuaſum erat, ſibi a Lege permitti, non autem ab ea ſe cogi, ut adulteram ſponſam ſuppliciis traderet [7]: maluit uti lenitate, ac recedere, vel illam dimittere, quam illius nomini officere, eamque contumelioſe morti objicere. Certum eſt, in Veteri, Novoque Teſtamento, *Iuſti* nomen crebro pro miſericordi, & nomen juſtitiæ pro miſericordia uſurpari: Ex. gr. Pſal. 50. 16. *Libera me de ſanguinibus .... & exultabit lingua mea juſtitiam tuam* Et Pſalm. 142. 1. *Exaudi me in tua juſtitia.* Et Eccleſiaſtes 7. 17. *Noli eſſe juſtus multum*; hoc eſt juxta Hebræorum explicationem [8]: ne nimia utaris clementia, velut Saul cum Agag Rege Amalecitarum 1. Reg. 15. 22. Et S. Paulus ad Roman. 3. 25. de IESU CHRISTO loquens: *Quem*, videlicet IESUM CHRISTUM, *propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Et 2. Cor. 9. Deus *diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* Et Apoſtolus S. Iohannes in 1. Joan. 2. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum juſtum*, hoc eſt miſericordem: quo in ſenſu nihil obſtat, quominus hic intelligamus.

Patres [9] vulgo illhic *Iuſti* nomen explicant pro virtutibus prædito, Deo mire jucundo, ac iis omnibus dotibus exornato, quæ hominem bonum, juſtum, atque perfectum conſtituunt. Tres hi ſenſus conjungi poſſunt, ac aſſerari, in S. Joſeph enituiſſe virtutes omnes, quæ in nomine Iuſti contineri poſſent, ſeu de juſtitia preſſius ſumpta, ſeu de clementia, vel perfectiſſimo virtutum omnium cumulo intelligatur.

Verbum *traducere*, quod pro nomini alicujus turpitudinis notam inurere explicuimus, juxta Græcæ vocis vim [10] ſignificat aliquem velut exemplum proponere; publico, inſignique ſupplicio ignominiæ, atque infamiæ objicere, in exemplum aliorum, velut fures, & ſicarios, qui de cruce ſuſpenduntur, ut aliis terror injiciatur. Teſtis eſt S. Auguſt. ſerm. 51. nov. ed. n. 9. complura Latina Exemplaria legere: *Nolens eam divulgare.*

℣. 20. NOLI TIMERE ACCIPERE MARIAM CONJUGEM TUAM.] Ne verearis illam ducere uxorem, eamque domi tuæ excipere; ſupponimus enim, Mariam ad eam diem domi patris ſui manſiſſe [11] juxta regionis morem. Hinc Joſephus illam uxorem accepit, & in domum ſuam deduxit. ℣. 24. *Accepit conjugem ſuam.*

QUOD ENIM IN EA NATUM EST, DE SPIRITU SANCTO EST.] De ſponſæ tuæ integritate, atque fidelitate nihil ambigas; fructus enim, quem gerit, non flagitii alicujus, vel adulterii effectus eſt, ſed opus Spiritus Sancti. Nullum vidit Maria ſponſum præter Spiritum Sanctum, qui in ejus utero germen ſalutis effinxit. Neque ideo dicas, Spiritum Sanctum eſſe JESU CHRISTI patrem, *Patris* nomen craſſa, & carnali ratione [12] illhic intelligens. Tota Sanctiſſima Trinitas, præter quamlibet dubitationem, Incarnationem Verbi cooperata eſt, juxta illud Theologorum axioma, a tota ſimul Trinitate fieri, quidquid extra ipſam fit; ſed ut plurimum Spiritui Sancto acceptæ refertur Incarnatio, tamquam principio operationum vitæ, liberalitatis, amoris; non ſecus ac paſſim Patri ea referuntur, quæ potentiam, imperiumque reſpiciunt, & Filio ea, ubi præcipue elucet Sapientia.

Quod additur: *Quod in ea natum eſt*, non innuit, uti nonnulli concoderunt [13], Salvatoris Corpus repente ſimul totum in ſinu Virginis fuiſſe creatum; ſed ſimpliciter, Mariam vere JESU CHRISTI Matrem eſſe, illam corpori ejus materiam ſuppeditaſſe; Corpus hoc ſenſim, uti aliorum puerorum corpora, in illius utero eſſe efformatum.

℣. 21. PARIET AUTEM FILIUM, & VOCABIS NOMEN EJUS JESUM.] Angelus S. Joſeph confirmat, illi pro ſigno tribuens rem futuram, ſed proximam. Maria enitetur filium, qui Jeſus vocabitur, & qui erit Salvator populi ſui. In ſcripturis familiare eſt aſſerere aliquid veraudum, quod tamen futurum ſignificat. Ita

cum

1 Origen. Hom. 1. in diverſ. Baſil. tom. 1. Hom. 15. Bernard. ſuper Miſſus eſt.

2 Chryſoſt. hic. Aug. Ep. olim 54 nunc 153 & ſerm. olim 16. de Verb. Domini, nunc 82. Hieronym. in Matthæum.

3 Vide Bynæ de Natali Chriſti l. 1. c. 2. art. 9. 10. 11. 12.

4 Breng. Piſc.

5 Prov. 18 22 Vide Chryſoſt. & Hieron. hic. Aug. l. 1. c. 19. Retract. Baſil. can. 9. & 21. ad Amphiloch.

6 Grot. Druſ. Hammon. Spanh. dub. Evang. Came. Pricæus, Martianæus, Coactbul. Gataker., Clerie. ad Hammon. Toynard. Vida & Aug. ſerm. 5. nov. edit. n. 9 & Chryſoſt. hom. 4.

7 Ambroſ. in Pſalm 118. ſerm. 7.

8 Chald. & Midras, & Rabb. Haccados, & Salom. in eund loc.

9 Chryſoſt. Author Oper. imperf. Ita Maldon.

10 Παραδειγματίσαι. Vide Grot. hic. Sculter. alios in Synopſi critic.

11 Ita Origen. Baſil. Epiphan. Hilar. alii ſupra citati, ad verſ. 18. Vide & Vatab. Piſc. Druſ. Bez. Grot. Toynard. alios.

12 Author Operis imperfecti. *Unigenito Deo Virginem ingreſſuro, Spiritus Sanctus præceſſit, ut præcedente Spiritu Sancto, in ſanctificatione naſceretur Chriſtus ſecundum Corpus, divinitate ingrediente pro ſemine.*

13 Baſilius Homil. 25. tom. 1. de Human. Chriſt. generat.

cum ait Angelus Mariæ, Filium appellandum eſſe Jesum, vel Salvatorem, innuit illum eſſe hujus nominis officia expleturum, & nomine æque, ac effectu Salvatorem futurum. Iſthic Sancto Joseph honor defertur Jesum appellandi: ſed in S. Luca Angelus Mariæ dixit Luc. 1. 31. *vocabis nomen ejus Jeſum*. Apud Hebræos modo pater, modo mater filiis nomina imponebant, neque hac in re uniformis erat conſuetudo: ſed pro utraque varia proferuntur exempla. Primus Auctor nominis Jesu Deus erat; Joſeph autem, ac Maria mandatorum illius tantum miniſtri. A

℣. 22. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur.] Plerique Græcorum poſt S. Johannem Chryſoſtomum putant [1], iſthic pergere ſermonem Angeli cum S. Joſeph. Quidquid Mariæ ſponſæ tuæ accidit, ſecretum, quo hæc omnia peracta ſunt, ſilentium quod ex te requiritur, hæc inquam omnia erant in conſiliis Dei, ut compleretur, quod olim ipſe prædixerat per prophetas ſuos; igitur confortare, ac omnes evaneſcant, quæ in animo tuo ſuboriri potuerunt, ſuſpiciones. B

At plerique alii Patres, atque Interpretes hanc Evangeliſtæ animadverſionem putant, dicentis, Jesu Christi in Mariæ ſinu Incarnationem expleſſe Iſaiæ vaticinium, quod mox afferemus. Cæterum hæc loquendi ratio: *ut adimpleretur quod dictum eſt &c.* non ſemper eſt intelligenda, perinde quaſi res prædicta cauſa eſſet rei illius, quæ contigit, vel res quæ contigit, effectus eſſet illius prædictionis. Plerumque hoc innuit duntaxat, hac in re adimpleri, quod multo ante cecinerat Propheta. Vel: Tunc adimpleta eſt Prophetia &c. Quæ adnotatio locum habere debet in pluribus novi Teſtamenti locis [2], quemadmodum infra videbimus. C

℣. 23. Ecce Virgo in utero habebit &c.] Nihil magis aperte, quam hoc vaticinium ad Sanctiſſimæ Virginis integritatem refertur. In peculiari Diſſertatione in Iſaiam ad examen protulimus varios ſenſus, qui huic prophetiæ tribuuntur, ibique oſtendimus, nullum eſſe dubitandi locum, quin illa Meſſiæ de Virgine Matre nativitatem reſpiciat, I. propter vocum, quibus expreſſa eſt, perſpicuitatem; II. propter Apoſtolorum, ac Judæorum ævi ejuſdem, eam ita intelligentium, auctoritatem. Niſi hæc Judaicæ Eccleſiæ jugis, & conſtans fuiſſet traditio, Meſſiam de Virgine naſciturum, Apoſtoli ne, eorumque Diſcipuli, rem proferre auſi fuiſſent ita incredibilem, atque difficilem, quæ probaretur? Et Judæi, quibus perſuaſum erat, Meſſiam ex Virgine in lucem edendum, potuiſſent ne in Jesum Christum credere, niſi ſibi demonſtratum fuiſſet, Mariam Matrem Jeſu, eſſe vere Matrem, ac Virginem? D

Emmanuel] ſignificat, *Deus eſt nobiſcum*; eaque erat prophetia divinitatis Filii Dei. Si Jesus in terris *Emmanuel* vocatus non fuit, ipſe tamen hujus nominis rem obtinuit [3]; fuit enim Deus abſconditus, & plurimorum miraculorum luce ſuam Divinitatem probavit; quod ſatis eſt, ut Prophetia adimpleta oſtendatur. *Vocari* ſæpius pro *eſſe* ſimpliciter uſurpatur, quemadmodum nuperrime dictum eſt. S. Johannes de Jesu Christo ait, c. 1. 14. *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*.

A ℣. 25. Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum Primogenitum.] Joſeph excepit Mariam domi ſuæ, eamque uxorem accepit juxta nationis ſuæ conſuetudinem; verum ſemper cum eadem perfectiſſimam continentiam tum ante, tum poſt Jesu nativitatem ſervavit. Hæretici nonnulli [4] quemadmodum jam adnotatum eſt, perperam opinati fuerant, poſt primogenitum aliquot ex Sancto Joſeph filios peperiſſe. Hoc *primogeniti* nomen additum particulæ *donec*, *donec peperit Filium ſuum primogenitum*, & Jesu Christi fratres, quorum meminit Evangelium, aliquem huic ſententiæ colorem tribuere videbantur: verum illam univerſa Chriſtiana explodit antiquitas, quæ ſemper credidit, tum ante, tum poſt partum Virginitatis ſuæ jacturam numquam fuiſſe perpeſſam. No-

B men *primogeniti* non probat alios poſt illum natos eſſe [5]; ſed innuit ſimpliciter, Mariam nullos præter hunc genuiſſe [6]. *Primogenitum non tum vocant* (Scripturæ) *quem fratres ſequuntur, ſed qui primus natus ſit*, ait in hunc locum S. Hieronymus.

Particula *donec* non innuit, aliquid, de quo ſermo eſt, poſt illud tempus accidiſſe; ſed ſimpliciter, ante illud non accidiſſe. Cum dicitur Jesus Christus regnaturus, donec Pater poſuerit inimicos ejus ſcabellum pedum ipſius [7]; numquid aſſeritur regnum illius ceſſaturum, poſtquam omnes inimicos ſubegerit? Cum dicimus, quempiam ad mortem uſque inimico ſuo veniam denegaſſe, num inde infertur, ipſum huic poſt obitum pepercisse? Cum ait S. Paulus Timotheo in 1. ep. 4. 13. *Dum venio, attende lectioni,*

C *exhortationi, doctrinæ*, numquid ſignificat, poſt adventum Pauli ipſum huic ſtudio non vacaturum amplius? Vide *Geneſ.* 27. 15. 1. Reg. 15. 35. *Iſai.* 46. 4. *Matth.* 12. 20. & ſupra ℣. 18.

Sanctus Hilarius in Matth. hic, S. Epiphanius hæreſ. 78. n. 7. Theophylactus in Matth. 13. aliique Veteres [8] crediderunt, Sanctum Joſeph ex alia conjuge filios genuiſſe, antequam Sanctam Virginem duceret; & eos Jesu Christi fratres in Scripturis vocari; cui ſententiæ Pſeudo-Evangelium S. Petri, vel S. Jacobi locum tribuiſſe narrat Origenes in Matth. 13. S. Epiphanius in Ancbor. ait, Virginem Sancto Joſeph contigiſſe per ſortes, quæ mittebantur ſuper viduas, & virgines, quæ alebantur in Templo, ut viris earum contribulibus traderentur. Sed omnes id genus

D traditiones cum omni fundamento careant in vera Hiſtoria, ne merentur quidem, ut iis animum advertamus.

S. Hilarius apud S. Thomam in hunc locum, & Auctor Gloſſæ ordinariæ, narrant, ex S. Virginis ore, quoad utero Salvatorem geſſit, tantum lucis emanaſſe, ut Joſeph vir ejus in eam oculorum aciem intendere non potuerit, neque vultus ejus lineamenta, ac formam conſpicere, quod, ajunt illi, iſthic per ea Evangeliſtæ verba indigitatur: *Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum Primogenitum*. Tunc enim cum fulgor, qui in facie illius enitebat, evanuiſſet, Joſeph eam oculis corporis intueri, non autem carnali modo cognoſcere cœpit. Sententia Sancto Hilario indigna, apud quem nullibi invenitur, & quæ in lucem proferri non meretur.

---

1 Chryſoſt. Homil. 5. Theophylact. Euthym. alii Græci. 2 Vide Hammond. hic, & Grot.
3 Juſtin. qu. 132. ad Orthodox. Tertull. contra Judæos, & l. 3. contra Marcion, Lactant. lib. 4. c. 12. de vera Sapientia, &c. 4 Eunom. apud Auctor. Oper. imperf. Helvid. apud Hieronym. Jovinian. apud Auguſt. Anti-dicoman. apud Epiphan. 5 Vide 1. Par. 9. 5. 23. 16. 17.
6 Vide Hieronym. hic, & adverſ. Helvid. Epiphan. Hæreſi 78. Opus imperfect. in Matth. Maldonat. Grot. alios paſſim. 7 Pſalm. 109. 1. 1. Cor. 15. 25.
8 Origen. in Matth. 13.

Digitized by Google

CAPUT II.

*Adoratio Magorum. Fuga Jeſu in Ægyptum. Infantes Bethlehem juſſu Herodis
caſi. Reditus Jeſu de Ægypto.*

1. CUm ergo natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ec-
ce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, 2 Dicentes: Ubi eſt, qui
natus eſt rex Judæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & veni-
mus adorare eum. 3 Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Jeroſoly-
ma cum illo. 4 Et congregans omnes principes ſacerdotum, & Scribas populi,
ſciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur. 5 At illi dixerunt ei: In Bethlehem
Judæ: Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: 6 Et tu Bethlehem terra Iuda, ne-
quaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat popu-
lum meum Iſrael. 7 Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis
tempus ſtellæ, quæ apparuit eis: 8 Et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, &
interrogate diligenter de puero: & cum inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego ve-
niens adorem eum. 9 Qui cum audiſſent regem, abierunt. Et ecce ſtella, quam
viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat
puer. 10 Videntes autem ſtellam, gaviſi ſunt gaudio magno valde. 11 Et intran-
tes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt
eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.
12 Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi
ſunt in regionem ſuam. 13 Qui cum receſſiſſent, ecce angelus Domini apparuit in
ſomnis Joſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Æ-
gyptum, & eſto ibi, uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, ut Herodes quæ-
rat puerum ad perdendum eum. 14 Qui conſurgens, accepit puerum, & matrem
ejus nocte, & receſſit in Ægyptum: 15 Et erat ibi uſque ad obitum Herodis: ut
adimpleretur, quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto
vocavi filium meum. 16 Tunc Herodes videns, quoniam illuſus eſſet a Magis,
iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in
omnibus finibus ejus, a bimatu, & infra, ſecundum tempus, quod exquiſierat a
Magis. 17 Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam, di-
centem: 18 Vox in Rhama audita eſt, ploratus, & ululatus multus: Rachel plo-
rans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt. 19 Defuncto autem Herode,
ecce angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph in Ægypto, 20 Dicens: Surge,
& accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſrael: defuncti ſunt enim,
qui quærebant animam pueri. 21 Qui conſurgens, accepit puerum, & matrem e-
jus, & venit in terram Iſrael. 22 Audiens autem, quod Archelaus regnaret in
Judæa pro Herode patre ſuo, timuit illo ire: & admonitus in ſomnis, ſeceſſit in
partes Galilææ. 23 Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth: ut
adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

℣. 1. CUM ERGO NATUS ESSET JESUS IN BETHLEHEM JUDA.] Græca Exemplaria, & Patres, qui eadem in Lingua ſcripſere [1], legunt: *Bethlehem Judææ*. Sed Latina habent: *Bethlehem Juda* [2] ad diſtinctionem alterius Bethlehem in Tribu Zabulon [3]. Bethlehem Juda erat ad meridiem Ieruſalem, & inde duas leucas aberat. Videbimus in S. Lucam 1. 26 quomodo divinitus factum fuerit, ut Sanctiſſima Virgo, quæ in Nazareth permanebat, in Tribum Iuda, & in Bethlehem aſcenderet, ibi divinum fructum enixura, ut Prophetiæ complerentur.

IN DIEBUS HERODIS REGIS [4].] Hic eſt Magnus Herodes Antipatri filius, origine Idomæus, qui ſeptem ac triginta in Iudæa regnavit annos, ex eo tempore, quo a Romanis regionis illius obtinuit imperium. JESUS CHRISTUS poſtremo regni ejus anno ortus eſt. At cum plures in novi Teſtamenti libris cognomines

1 Ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας.
2 Hieronym. hic, & in Mich. 5.
3 Joſue 19. 15. Judic. 12. 8.
4 Verba hæc non leguntur in pluribus Manuſcriptis Græcis. Vide not. mill. hic.

mines memorentur Principes, operæ me facturum duxi pretium, ſi eorum nomenclaturam, ac ſeriem afferrem. A

Herodes Magnus decem duxit uxores, ex quibus liberos genuit [1]. Prima fuit *Doris*, quæ Idumæa fuiſſe creditur, quam, cum adhuc privatus eſſet, duxerat, ex qua genuit *Antipatrum* natu maximum ex filiis ſuis, quem extremo affecit ſupplicio, diebus decem, antequam ultima pateretur.

Altera fuit *Mariamne* ex Aſmonæorum progenie, mater *Alexandri*, & *Ariſtobuli*, quos Herodes Sebaſte juſſit necari [2]. Ariſtobulus filios poſt ſe reliquit, de quibus infra erit ſermo.

Tertia fuit *Mariamne* Summi Sacerdotis Simonis filia, quæ fuit mater *Herodis*, alio nomine *Philippi*, & *Salome*. Herodes, vel Philippus duxit Herodiadem, B ſaltatricis illius matrem, quæ petiit caput Iohannis Baptiſtæ Marc. 6. 22, Salome in Magni Herodis teſtamento tamquam ſecunda poſt Antipatrum hæres ſcripta erat; verum nomen illius abraſum fuit, ubi cognitum eſt, *Mariamne* matrem ejus conſortem fuiſſe flagitiorum Antipatri, inter Magni Herodis filios natu maximi [3].

Quarta Magni Herodis uxor fuit *Malthace* Samaritana, quæ filios habuit *Archelaum*, & *Philippum*; quorum prior poſſedit dimidium regni Patris ſui, Idumæam ſcilicet, Iudæam, & Samariam [4] Tetrarchæ nomine; ac illud novem annos obtinuit. Sed apud Imperatorem Auguſtum accuſatus, Viennam Gallorum relegatus fuit, ubi ad plures abiit [5]. De hoc Archelao ſermo eſt infra ℣. 22. C

Philippus frater illius uxorem duxit Salome ſaltatricem, filiam Herodiadis, & ſine liberis obiit.

Quinta Herodis Magni conjux fuit *Cleopatra*, Ieroſolymitana, mater Herodis *Antipæ*, qui duxit Herodiadem uxorem fratris ſui, fratre adhuc vivente. Qua de re a S. Iohanne Baptiſta [6] increpatus, Præcurſorem in carcerem trudi juſſit, eique caput amputari juxta ea, quæ temere ſpoponderat filiæ Herodiadis uxoris ſuæ, quæ coram ipſo in numerum ſaliens illi placuerat [7]. Hic ipſe conatus eſt JESUM CHRISTUM capere; hic illum de medio tollere decreverat [8]; ad hunc in paſſione ſua Dominus a Pilato remiſſus fuit [9]. Hic tandem Lugdunum in exilium ſecedere juſſus, cum in Hiſpaniam conceſſiſſet, ibi cum Herodiade uxore ſua e vivis deceſſit [10]. D

Sexta fuit *Pallas*, ex qua genitus fuit Phaſael, cujus hiſtoria nullam cum novo Teſtamento rationem habet.

Septima *Phædra* vocabatur mater Roxanis, quæ filio Pheroræ nupſit.

Octava *Elpides* mater Salome, quæ alteri nupſit Pheroræ filio.

Duarum, quæ ſuperſunt, uxorum Herodis nomina neque comperta nobis ſunt, neque aliquid ad hiſtoriam noſtram conducunt, non ſecus ac Pallas, Phædra, & Elpides, quarum attulimus nomina dumtaxat, ne quis hac in re nos diligentiores deſideraret.

Ariſtobulus Herodis Magni, & Mariamne Aſmonææ filius, duos filios, unamque filiam reliquit, videlicet *Agrippam*, *Herodem*, & *Herodiadem* inſignem E ob inceſtas cum Antipa nuptias, cui, vivente adhuc viro ſuo Philippo, novi conjugis ſui fratre, nupſit.

Agrippa, alio nomine *Herodes* in carcerem conjectus fuit a Tiberio propter aliqua dicteria, quæ in illum effuderat: verum inde a Caligula ereptus Iudææ Rex conſtitutus eſt [11]. Hic S. Iacobum occidi juſſit, & S. Petrum in vincula conjecit, quemadmodum ex Actis 12. 2. innoteſcit. Obiit tandem Cæſareæ eo pacto quo in Actis 12. 22. & a Ioſepho Antiq. l. 19. c. 7. narratur, relicto ſuperſtite filio, cui nomen *Agrippa*, de quo ſermo erit inferius.

Herodes, alter Ariſtobuli filius, fuit Rex Chalcidis, & poſt fratris ſui mortem ab Imperatore facultatem obtinuit aſſumendi ornamenta Summi Pontificis, & quem ipſe vellet, Summum Sacerdotem dicendi [12]. Hic filium genuit Ariſtobulum, cui Nero Armeniam Minorem ſubjecit, & qui uxorem duxit Salome Saltatricem, Herodiadis filiam.

Agrippa Herodis Agrippæ Iudææ Regis filius, & nepos Ariſtobuli, & Mariamne primum quidem fuit Rex Chalcidis, mox Tetrarcha Galilææ pro Philippo patruo ſuo [13]. Coram hoc, & Berenice ſorore ſua, & Felice, qui Druſillam alteram Agrippæ filiam duxerat, S. Paulus locutus eſt Act. 25. 26.

Herodias, Mariamne, & Ariſtobuli filia, ea eſt, de qua ſupra locuti ſumus, & quæ ſubinde duobus fratribus Philippo, atque Antipæ patruis ſuis nupſit, & quæ occaſionem præbuit morti S. Iohannis Baptiſtæ. Ex priori viro peperit *Salome* ſaltatricem, quæ nupſit Philippo Tetrarchæ Trachonitidis, & Herodis Magni filio. Verum cum nullum peperiſſet filium, rurſus nupſit Ariſtobulo patrueli ſuo, filio Herodis Regis Chalcidis, fratri Agrippæ, & Herodiadis, ex quo plures reliquit filios. En paucis ea, quæ neceſſe eſt ſcire de Herodis progenie, ad diſtinguendas hujus familiæ perſonas, quæ ſubinde in novi Teſtamenti libris memorantur.

C ECCE MAGI AB ORIENTE VENERUNT JEROSOLYMAM.] Illuc pervenerunt elapſo circiter menſe ab Salvatoris nativitate [14] poſtremo regni Herodis anno. Hi Magi ſapientes erant, & ab Arabia deſerta e regione Euphratis illuc acceſſerant. Videri poteſt Diſſertatio noſtra de Magis. Venerunt illi Jeroſolymam, & ſane decebat in regionis Metropolim illos ſeſe conferre, ut ibi Regem inquirerent. Creditur ſtella, quæ illos eo uſque deduxerat, tunc evanuiſſe, vel ſubſtitiſſe [15], ut omnis Jeroſolyma teſtis eſſet eorum, quæ hoſpites illi narrarent, atque perterritus Herodes occaſionem nanciſceretur terræ illius Sacerdotes, & Sapientes conſulendi, ut ſciret, ubinam CHRISTUS eſſet naſciturus. Divinitus factum eſt, ut hæc ſe ſe offerret occaſio, unde ex illorum confeſſione extorqueretur argumentum D adventus Meſſiæ, atque ut Magorum fides confirmaretur, qui didicerunt, Bethlehem eſſe natale ſolum ejuſdem. Verum ex Bibliis nequaquam conſtat, quod hoc ſydus Magos Jeroſolymam uſque deduxerit.

℣. 2. UBI EST QUI NATUS EST REX JUDÆORUM?] Vidimus enim in patria terra, in Oriente, aſtrum illius. Illic micare cœpit, & intelleximus, illud ſignum eſſe adventus magni illius Principis, quem olim his vocibus Balaam prædixit. Num. 24. 17. *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet Duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth: Et erit Idumæa poſſeſſio ejus; hæreditas Seir cedet inimicis ſuis: Iſrael vero fortiter aget. De Jacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias civitatis.* Hic eſt ille Rex, ille Dominator, ille Victor, quem Magi inquirebant. E Balaam ex eadem regione fuerat; ejuſque prædictio altius populorum memoriæ inhæſerat; ejuſque complementum ſollicite Magi, atque Sapientes præſtolabantur, qui interiori lumine edocti, illud jampridem promiſſi Dominatoris ſignum eſſe intellexerunt. Neque ſoli fuerunt procul dubio, qui ſtellam viderint; ubi Jeroſolymam pervenere, ita locuti ſunt, quaſi perſuaſum ipſis eſſet, ſyderis illius fulgorem mortalibus omni-

---

1 Euſeb. l. 1. c. 9. p. 27. 2 Joſeph. Antiqu. l. 16. c. 13. de bello, l. 1. c. 17.
3 Joſeph. de bello, l. 1. c. 18. 19. 20. 4 Joſeph. Antiqu. l. 17. c. 11. & de bello, l. 2. c. 1. 2.
5 Joſeph. Antiqu. l. 17. c. 15. 6 Matth. 14. 3. Marc. 6. 17. Luc. 3. 19.
7 Matth. 14. 6. Marc. 6. 22. 8 Luc. 13. 31. 32. 9 Luc. 23. 7.
10 Joſeph. Antiqu. l. 19. c. 14. & de bello, lib. 2. c. 8. 11 Joſeph. Antiqu. lib. 18. c. 8. & de bello, l. 2. c. 8.
12 Joſeph. Antiqu. l. 20. c. 1. 13 Joſeph. Antiqu. l. 20. c. 5.
14 Vult Toinardus, ipſos Jeroſolymam perveniſſe 28. Januar. Jericho 29. ubi duobus ſequentibus diebus morati fuerint; Die vero primo Februarii Bethleem profectos. Jeſus Chriſtus, ex hujus Auctoris ſententia, natus erat 25. Decembris præcedentis. 15 Chryſoſt. homil. 7. Auctor Operis imperfecti, Baſil. alii paſſim.

omnibus illuxiſſe. Verum myſterium hoc non omnes mortales intellexerunt; & illi tantum ſeruti ſunt motum gratiæ, ac fidei lumen.

Et venimus adorare eum.] Intelligunt, illum, cujus nativitas adeo miro, fulgidoque phænomeno denotabatur, & cujus adventum jam dudum Balaam portenderat, non alium eſſe, quam Meſſiam, quem expectabant Hebræi, & quem eorum Prophetæ toties prænuntiaverant. Hoc in omni oriente late percrebuerat fama, illum ſub id ipſum temporis appariturum [1]. Nemo Judæorum ambigebat, quin Meſſias eſſe deberet Deus. Hunc ergo, tanquam Deum, adoraturi Magi acceſſerunt. Hæc verborum ſuorum eſt ſententia, atque ita omnes illa antiquitus explicuerunt. Si ſimplicem Regem certo inquiſiviſſent, Herodes ne univerſum Sanhedrin, omneſque Nationis ſapienter viros coëgiſſet, ut ex eis quæreret, ubi Chriſtus naſceretur? Cumque Magi in Bethlehem pervenerunt, ac viderunt Jesum in ſumma egeſtate, ſine ulla Regis ſpecie, numquid coram illo ſe ſe proſtraſſent, eique ſua obtuliſſent munera, niſi aliquid in eo ſuper hominem cognoviſſent?

℣. 3. Audiens autem Herodes Rex turbatus est.] Horum virorum Jeroſolymam adventus, eorum itineris pompa, illorum percuntatio, & vis cauſa totius civitatis, & aulæ oculos in eos converterunt. Herodes tunc aderat Jerichunte [2], ubi quodam languoris morbo curabatur, quo brevi confectus obiit. Ubi vero audiit, quod Jeroſolymæ ſub Magorum adventum accidiſſet, turbatus eſt. Rex ille ingenio ſuſpicax erat, neque ſe Judæis maxime inviſum ignorabat; ac metuebat, ne hoc nuntio, ſubditorum animi permoverentur, & aliqua oriretur ſeditio. Re quidem vera Jeroſolyma univerſa agitata fuit, & quiſque prout affectus erat, hac de re miſcuit ſermones; nemo tamen fuit, quem novi Regis videndi caperet cura; metus enim Herodis omnes cohibuit.

℣. 5. Congregans omnes Principes Sacerdotum, et Scribas;] vel doctores populi. *Principes Sacerdotum* erant vel Capita familiarum e progenie Aaron, vel ii, quibus aliqua erat dignitas, vel officium in Templo; plurimi enim aderant Miniſtri Summis Sacerdotibus ſubjecti, videlicet Vicarii, & Capita viginti quatuor claſſium Sacerdotalium [3]. Demum hoc nomine intelligi poteſt, tum qui actu erat Summus Sacerdos, tum qui antea hac ornati fuerant dignitate; jampridem enim Summi Sacerdotis dignitas non adhærebat alicui, quoad viveret, ſed per Imperatorum, vel Regum libidinem ſingulis fere annis ad alium transferebatur. Herodes igitur Jerichuntem Magos, omneſque Sacerdotes, atque Doctores acceſſivit; ibique coram ipſo, & Magis habitum fuit ſapientum virorum concilium.

Scribæ populi in veteri Teſtamento, & ante Babylonis captivitatem, latiſſimam obtinebant dignitatem tum in rebus bellicis, tum in iis, quæ ad jus dicendum pertinent [4]. Verum in Teſtamento novo arctioribus finibus illorum auctoritas coarctata videtur; occurrunt in iis tantum, quæ ad Religionem ſpectant, ubi legunt, interpretantur, ac docent legem. Ex omnibus Tribubus, præcipue vero ex Tribu Levi erant Scribæ; Levitæ E enim præ cæteris minus agris colendis operam dantes, poterant per otium impenſius litteris, ſtudioque Legis vacare. S. Lucas 2. 46. nonnumquam *Legis doctores* appellat eos, qui ab aliis Evangeliſtis *Scribæ* dicuntur, licet c. 5. 21. & *Scribarum* nomine utatur: & Je-

A ſus Christus Matth. 23 13 eos redarguit, quod auctoritate, quam habent in populo, veluti ſucceſſores Moyſis, in cathedra veritatis abutantur ad fallendos populos pernicioſa doctrina, falſiſque traditionibus, ac paſſim flagitioſiſſimo vitæ exemplo. Addit, ipſos non ferenda aliis onera imponere, quæ neque extremo digiti articulo vellent attingere: eorum vanitatem, ambitionem, hypocriſim inſectatur, eoſque redarguit, quaſi cœli aditum illis obſtruant, quibus duces ſunt, illuc ne ipſi quidem ingreſſuri. Ait denique, eos cæcos eſſe cæcorum duces: Quæ omnia duo probant, primum penes illos ſcientiæ clavem fuiſſe, ipſoſque in Moyſis cathedra ſediſſe; alterum vero, ipſos nequiſſimos extitiſſe.

Præter hanc auctoritatem, quam illis conferebat B officium Magiſtrorum, atque Doctorum Legis, in caſuum deciſione, & in liberæ, ac voluntariæ juriſdictionis, quam in mentes, atque conſcientias populi exercebant, uſu; plurima etiam erat illorum exiſtimatio in contentionibus, & Judiciis, quæ circa Legem verſabantur. Dei filius ait, ſe traditum iri Sacerdotum Principibus, & Scribis morte damnandum [5]. Et profecto non defuere Scribæ cum Principibus Sacerdotum apud Caipham, ubi Jesus Christus fuit extremo ſupplicio damnatus Matth. 26. 57. Et in cœtu, coram quo Apoſtoli adducti fuerunt Act. 4. 6. illi populi voluntatem, quo vellent, impellebant, & unde vellent, retrahebant, eumque hortabantur ad eorum vitam, vel mortem, quos vel incolumes, vel nullos cuperent, efflagitandam. Auctor Eccleſiaſtici 10 5. ait, Dominum gloriæ ſuæ fulgorem effundere C ſuper Scribæ faciem; quod ſatis indigitat, quo in honore ille apud Judæos haberetur.

℣. 6. Et tu, Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es.] Hoc eſt Sacerdotum, Scribarumque reſponſio, oſtendens, tunc vulgo hanc Prophetiam de Meſſia explicari conſueviſſe. S. Hieronymus [6] animadvertit, nequaquam de verbo ad verbum iſthic a S. Evangeliſta redditum fuiſſe Michææ vaticinium; at hoc certiſſimum eſt, inde ab eo genuinum ſenſum expreſſum fuiſſe. En textum ad litteram [7]: *Et tu Bethlehem*, aliter, *Ephrata*, quæ nimis *anguſta es, ut adnumereris in urbibus Juda, exiet de te Dominator, qui reget Iſrael*. Hic textus directe oppoſitus videtur S. Mattheo: ille enim affirmat, quod ab Evan- D geliſta negatur. Ait quippe, Bethlehem nimis anguſtam eſſe, cum Evangeliſta dicat, *nequaquam minima es*. Sed ſi Hebræum cum interrogatione legas, omnis conciliatur oppoſitio [8]: *Tu vero Bethlehem*, aliter *Ephrata, numquid es nimium exigua, ut ſis ex præcipuis civitatibus Juda? Producet Dominatorem, qui reget Iſrael*. Vel aliter [9]: Tu autem Bethlehem Ephrata minima laus tua eſt, quod in te nati fuerint Principes Juda: ex te naſcitur Princeps, qui populo meo dominabitur.

Tenent Critici [10] quidam, Hebraicam vocem, quæ vertitur, *parva*, ſæpius oppoſitum prorſus ſignificare: ad quod probandum eſſerunt Jeremias 48. 4. 49. 20. & Zacharias 13. 7. ubi ex Judæorum conſenſu [11] vox illa ſignificat duces, & Principes populi. Putant E alii [12] Judæorum Doctores, hunc locum ad Herodem referre, prout explicabatur in gloſſematibus temporis illius, quæ legebantur in populo, quin hærerent verbis Textus, quæ Eruditi dumtaxat noverunt viri. Græca quædam Exemplaria Septuaginta [13] in Michæa negationem legunt, non ſecus ac S. Matthæus in Evangelio, ſed

---

1 Vide Tacit. Hiſt. l. 5. Sueton. in Veſpaſ. Cicero. l. 2. de Divinat. Virgil. Eclog. 4. Suidam in Αὔγουστος.
2 Joſeph. Antiqu. lib. 17. cap. 8. & de Bello, lib. 1. c. 21. Toynard, Harmon. Evangel. hiv.
3 1. Par. 24. 5. 2. Par. 35. 14. 4 Vide noſtram Diſſertationem de Miniſtris Regum Judà Paralipomenis præfixa, & Commentar. in Judith verſ. 14. 5 Matth. 20. 18. Marc. 14 53. Luc. 22. 66.
6 Hieronym. hic. & in Michæam, c. 5. verſ. 2. & ad Pammach.
7 Mich. verſ. 2. ואתה בית לחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל
8 Ita Janſ. Grot. Ribera, Jun. Glaſſ. Le Clerc, Alii. 9 Oſiander. Lud. de Dieu, Foſter, Pfaiffer.
10 Pokoch, Hottinger, Friſchmut. Hammond. Mill. hic. 11 Vide Chaldæum, & Rabbinos, Syrum, & Arabem in hunc locum. 12 Simon Hiſt. Critiq. du nouveau Teſtament, ch. 22.
13 Vide Nobil. ad Mich. 5. 2. S. Cyprianus & Tertullianus hic negationem legunt.

ſed non abhorret a veritatis ſpecie, eum Chriſtiani alicujus eſſe interpretationem, qui Prophetam ad Evangeliſtæ locutionem voluit emendare.

S. Hieronymus, aliique plures poſt illum, crediderunt, S. Matthæum hiſtorice duntaxat locum hunc protuliſſe, eo pacto, quo a Doctoribus efferebatur ad perſtringendum obiter eorum vel negligentiam, vel ignorantiam; ſed prior explicatio, quam attulimus, magis eſt ſimplex, & melior. Judæi [1] poſt Jeſum Chriſtum Prophetiam hanc de Zorobabel explicare voluerunt; at conſtat virum hunc natum Babylone: cæterum quomodo explicari poteſt de illo, quod in Michæa dicitur de Dominatore Iſrael? *Egreſſus ejus*, vel illius generatio *ab initio a diebus æternitatis*.

℣. 7. CLAM VOCATIS MAGIS &c.] Haud e re putavit Herodes, in Seniorum cætu Magos alloqui; didicerat modo a Sacerdotibus, Bethlehem eſſe natale ſolum novi hujus Regis; nunc vero quærit ſigillatim tempus, quo natus eſt, ut conſilium ineat, quomodo parvulum capiat, atque perdat. Princeps hic ſemper crudelis fuit, & ad ſanguinem effundendum pronus; cumque de ſupremæ auctoritate ſervanda agebatur, nihil ſibi nefas eſſe cenſebat.

℣. 8. ITE, ET INTERROGATE DILIGENTER DE PUERO.] Mirum eſt ſane, quod Herodes ita parum fidens, non mitteret ſatellites aliquot una cum Magis, ut nati pueri ſibi nuncium certiſſimum afferretur. Affectavit fortaſſe quamdam confidentiæ ſpeciem, ut ſibi Magos deliniret, atque ut certius, quid fieret, ab illis cognoſceret: ad hæc veritus eſt, ne ſatellitum ſuorum adſpectus, vel civibus Bethlehem, vel recens nati pueri genitoribus curam, & ſuſpicionem immitteret. Poſt nuntium hoc Sacerdotes, Doctores, ac tota civitas Jeruſalem nihil moverunt, quaſi ea res ſua minime intereſſet. Nemo animum appulit, ut de hoc puero cognoſceret, ut illum inquireret, inviſeretque. Neceſſe eſt, ut ex remotiſſimis terris accederent alienigenæ illum veneraturi. Tunc Sacerdotes ea in occaſione ſimiles fuere lapidibus illis, qui aliis quidem viam indigitant, ipſi vero loco non moventur, ut ait S. Auguſtinus ſerm. 1. de Epiph. qui eſt 199. nov. Edit.

℣. 9. STELLA, QUAM VIDERANT IN ORIENTE, ANTECEDEBAT EOS.] Creditur [2] evanuiſſe ſtella, ubi Magi Jeroſolymam pervenerunt, ſed iterum enituiſſe, ubi didicerunt, Regem, quem quærebant, in Bethlehem naſciturum, & iterum viam corripuerunt, ut illum inquirerent. Verum non vacat difficultate hæc ſententia. Ipſos Jeroſolyma egreſſos hoc ſydus, vel phænomenon non longe præceſſit. Vetus auctor quidam [3] ait, illud ſuper caput Jeſu ſtetiſſe, & addit Origenes, quandoquidem nuſquam ipſum receſſiſſe Scriptura teſtetur, credendum eſſe illud ſemper ſupra ſacrum Domini caput, apertiſſimum Divinitatis ejus indicium, ſtetiſſe. Gregorius Turonenſis l. 1. Mirac. c. 1. addit, aſtrum hoc ſe ſe præceps in puteum dediſſe, ubi, qui mundo erant corde, ipſius etiam ævo, illud videbant. Fabuloſa hæc traditio in hodiernum uſque diem permanet, & Viatoribus adhuc puteus oſtenditur [4]. At magis fidem meretur S. Johannes Chryſoſtomus, ubi ait, ſtellam ſtatim ſupra domus faſtigium, ubi infans aderat, ſtetiſſe; mox vero ſuper caput illius enituiſſe, ac deinde evanuiſſe.

℣. 11. INTRANTES DOMUM INVENERUNT PUERUM.] Diverſorium ingreſſi Puerum invenerunt, vel in ſtabulo, ac in præſepi, ubi natus erat, quemadmodum complures e Patribus [5] crediderunt, vel in mundiori diverſorii ejuſdem loco [6]; cum enim non tanta eſſet illic virorum multitudo, cum Maria, & Joſeph eo pervenerunt, potuerunt locum capere commodiorem. Qui crediderunt, Magos in Bethlehem nonniſi poſt biennium a JESU CHRISTI nativitate veniſſe [7], non ambigunt, quin invenerint Salvatorem in domo privata magis decenti, quam ubi in lucem editus fuerat.

Operæ pretium eſt animo concipere æquam ſpeciem horum diverſoriorum apud Orientales, quales ad hanc uſque diem in toto ferme Oriente videntur. Hæc ſunt ingentia quadrata ædificia eodem ferme pacto, quo Cœnobitarum clauſtra, unius ut plurimum contignationis. Ingens janua aditum aperit in aream, ubi dextrorſum, atque lævorſum plurima videntur cubicula deſtinata, quæ penitus vacua ſunt; ideoque omnia utenſilia ſibi quiſque ferat, neceſſe eſt, quemadmodum etiam ſtratum, ubi cubet. Qui prior acceſſit, eligit ſibi cubile, & illius, quod ceperit, dominus eſt. Poſteriori cubiculi parte ſunt equilia, aliorumve jumentorum ſtabula. In agris nihil perſolvitur pro contubernio in *Caravanſeras*, hoc enim nomine diverſoria illa vocantur; ſed in civitatibus exiguum quid penditur. Nocte loci Præfectus januam claudit, de iis omnibus, quæ ibi contigerint, rationem redditurus.

Ex Traditione veteri ferunt, Salvatorem noſtrum in lucem editum fuiſſe in antro quodam, quod erat pro ſtabulo diverſorii illius, quo Maria, & Joſephus ad inhabitandum conceſſerunt. Specus ille fuit ſemper, & eſt ad hoc quoque diem ſumma in veneratione apud Chriſti fideles, eumque illicti etiam & venerantur, & inviſunt. Præſepe vero, ubi poſitum fuit, Romæ ſervatur.

Nulla S. Joſeph mentio fit in hiſtoria adorationis Magorum, ſeu quod Evangeliſta circumſtantiam hanc omiſerit, quippe quæ nihil ad argumentum conferret, ſeu tunc domi non adfuerit, id permittente Deo, ne a Magis velut pueri Jeſu pater haberetur [8].

APERTIS THESAURIS SUIS OBTULERUNT EI MUNERA.] Hebræi *theſauros* appellant quidquid aſſervatur, aurum, argentum, vinum, triticum, oleum, aromata; eodemque vocant nomine ea, quibus hæc continentur. Ita cubiculum, cella, capſula, arca, vas appellari poſſunt theſauri propter ea, quæ ibi aſſervantur. Magi ergo aperuere capſulas ſuas, vel arculas [9], & quidquid pretioſiſſimum habuerunt, hoc obtulerunt Domino. Ibi gentium, & in Oriente univerſo nemo ad virum aliquem præſtanti dignitate accedit, quin primo ſaltem illi munuſculum offerat. Hæc obſequii ſpecies eſt, quam viri nobiles ab illis exigunt, qui ad ipſos acceſſerint. Dominus quoque populo ſuo præceperat, ne vacuis manibus illum adiret [10]; *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*. Ex in regione, unde profecti erant Magi, nihil magis pretioſum erat auro, & aromatibus. Vetus Judæorum traditio ævo S. Epiphanii [11] ferebat, Abraham dediſſe filiis Cethoræ in munus aurum, thus, & myrrham, atque ad ejus exemplum ajebat, Magos illorum poſteros ſimilia JESU CHRISTO donaria attuliſſe.

Interpretes quidam credidere [12], Magos ſingulos JESU CHRISTO terna attuliſſe munera unum auri, myrrhæ alterum, ac tertium thuris. Alii [13] putant, hoc illos præſtitiſſe ſimul, ac ſe ſe una obtuliſſe. Sed vulgatior hodierna die ſententia eſt, eorum ſingulos munus

1 Hieronym. in Mich. 5. D. Thom. in Matth. Melchior. Can. l. 2. c. 14. Maldon. Jun.
2 Apud Chryſoſtom. & Theophylact. hic, & Theodoret. in Mich.
3 Opus imperfectum hic. Ambroſ. l. 2. in Luc. c. 2. Chryſoſt. Homil. 7. & Theophylact. hic. Baſil. Hom. de hum. Chriſti gener. Aug. ſerm. 30. 31. 35. de temp. nunc 200. 201 203. Bernard. ſerm. 3. in Epiphan.
4 Idem. Vide & Origen. in Numer. homil. 22.
5 Maundrel, Voyage d'Alep a Jeruſalem.
6 Juſtin. contra Tryphon. Author Oper. imperf. hic. Chryſoſt. Homil. 7. Euthym. Thom. Raban. hic. Aug. ſerm. 2. & 3. de Epiphan. Bernard. ſerm. de Epiphan. Hieron. hic, & Ep. 27.
7 Maldon. Grot. alii.
8 Epiphan. hæreſ. 51. Theophylact. hic.
9 Raban. Cornel. a Lapide, Janſ. hic.
10 S. Epiphanius notat nonnulla exemplaria Græca legere *Πήρας peras*, pro *theſauros*. Peras autem habet Perſa.
11 Exod. 23. 15. 34. 20. Deut. 6. 16.
12 Epiphan. Expoſit. Cathol. fidei.
13 Chriſtian. & Remig. in Bibl. Patrum.
14 Vide Strab. ſeu Gloſſam ordinar. hic.

munus ſuum attuliſſe, primum quidem auri, alterum A myrrhæ, ac tertium thuris. Hæc autem omnia illi innituntur ſuppoſitioni, quod tres tantum fuerint, quod non caret dubitatione ex Antiquorum ſententia. Vide noſtram de Magis Diſſertationem.

Omnes fere Patres [1] in his muneribus agnovere myſterium, quod IESU CHRISTI Divinitatem, Regnum, & Humanitatem indigitabat. Thus Deo conveniens; Regi aurum; homini mortali, cujus corpus aromatibus conditur, myrrha. Præter myſticam, de qua loquti ſumus explicationem, credit S. Bernardus ſerm. 3. in Epiph. Deum permiſiſſe, ut IESU offerretur aurum in paupertatis ſolatium; thus ad auferendam loci, ubi natus erat, mephitim; myrrham vero ad membra illius adhuc tenella corroboranda. Verum hi theſauri haud modici ſane videntur fuiſſe; quandoquidem tem- B pore Purificationis Virgo par turturum dumtaxat obtulit Templo [2] pro egeno, quemadmodum in pauperum gratiam Moyſes Lev. 12. 8. præceperat. Aliquot dumtaxat nummos aureos obtulerunt Magi potius in obſequii argumentum, quam in divitiarum oſtentationem.

℣. 12. RESPONSO ACCEPTO IN SOMNIS.] Græca vox [3] oraculum, vel Dei reſponſum ſignificat. Magi IESUM CHRISTUM venerati, poſtridie Ierichuntem erant redituri, ut Herodi, quid inveniſſent, nunciarent; ſed nocte eadem per ſomnium fuerunt admoniti, ut alia via in patriam reverterentur. Illi fortaſſe iter per orientale rubri maris littus inſtituerunt, ut inde in Arabiam deſertam, unde venerant, redirent. Patres hæc omnia in morali explicant ſenſu, de fidei, Reli- C gionis, ac morum immutatione.

℣. 13. ANGELUS DOMINI APPARUIT IN SOMNIS JOSEPH.] Hæc apparitio contigit aliquot diebus poſt Magorum diſceſſum, nam ſtatim poſtquam illi IESUM adoraverant, cum tempus purificationis Mariæ eſſet expletum, illa Ieroſolymam acceſſit, & cum puero IESU ſe ſe obtulit Templo Luc. 2. 22. Ieroſolymis fortaſſe, & nocte, quæ Mariæ purificationem eſt ſubſecuta, Angelus Sancto Ioſeph apparuit: Herodes enim ſollicitus, quod Magi, qui triduo, vel quatriduo ab illo diſceſſerant, nullum ſibi reſponſum afferebant, miſit in Bethlehem, qui ſibi aliqua nunciarent; ex quibus audiit illos, biduo ante illic fuiſſe, ſed jam abiiſſe. Hac ipſa die Ioſeph in Ægyptum aufugit.

Regionem eam, quo confugeret, Salvator elegit, D velut propiorem, & quo facilior eſſet via. Patres ad fugam hanc transferunt cum Iſajæ 19. 1. locum: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti a facie ejus.* Levis hæc nubes eſt Sanctiſſima Virgo. Vetus Græcorum traditio [4] fert, cum Salvator Ægyptum ingreſſus eſt, omnia terræ illius Idola coram ipſo concidiſſe. Evagrius in vita Patrum ait, ſe vidiſſe Templum, ubi Idola ceciderant, cum illuc IESUS CHRISTUS introivit; quod innuit, hanc Idolorum ſubverſionem nequaquam generatim ubilibet in Ægypto accidiſſe. Adduat, Mariam, & S. Ioſeph in urbe Hermopoli conſtitiſſe [5]; & adhuc Memphim inter, & Heliopolim locus oſtenditur, cui nomen Mataea, ubi videtur hortus balſami, & Sacellum prope fontem, ubi ferunt, E Beatiſſimam Virginem Filii ſui crepundia abſterſiſſe; qui locus adhuc ſumma ibi eſt in veneratione. Sozomenus addit præterea, IESU Hermopolim ingrediente ingentem perſicum, quæ prope portam conſita erat, velut venerabundam ad terram uſque ſe ſe dimiſiſſe. Hæc omnia incerta ſunt. Hoc autem certius adferri poteſt, IESUM CHRISTUM adſpectu ſuo incœpiſſe in Ægypto dæmonis, atque Idololatriæ Imperium ſubvertere, A quod mox Apoſtolis ibi prædicantibus funditus everſum eſt. Hic ſenſus compluribus Patrum locutionibus [5] tribuendus eſt, quæ vulgari de Idolorum lapſu ſententiæ ſuffragari videntur. Euſebius l. 6. Demonſtr. c. 20. ait, dæmones, qui in Idolis Ægyptiorum inhabitabant, quique populos fictis oraculis fallebant, aufugiſſe, turbatos, ac rubore ſuffuſos, ubi eam in terram Salvator advenit. Hoc ipſum ferme in Commentariis ſuis in Iſajæ 19. S. Hieronymus inquit.

℣. 15. ERAT IBI USQUE AD OBITUM HERODIS.] Herodes ultima paſſus eſt anno eodem, quo & IESUS CHRISTUS natus, & Innocentes cæſi fuerunt. Quinta die antequam ipſe efflaret animam, Antipatrum primogenitum ſuum juſſerat obtruncari. Non deſunt, qui inter Innocentium cædem, et Tyranni obitum menſes B aliquot intercesſiſſe putent; at alii [6] quinque dumtaxat dies cenſent effluxiſſe. Morbus, ac mors Regis hujus habiti fuere tamquam divinæ ultionis effectus [7]. Intrinſecus igni adurebatur, quo ſenſim tabeſcebat; lentus hic erat calor, qui extrinſecus non ita ſentiebatur, ſed qui extra paulatim abſumens, caninam ciebat famem, quæ indeſinenter eſcam efflagitabat. Viſcera illius ulceribus plurimis erant confecta; ipſe vero graviſſime colicis laborabat. Pedes ejus intumuerant pellucida aqua inflati. Tumor ad inguen uſque aſcenderat, omniaque circum ibi inflaverat. & vermes inde graviſſimo cum putore e pudendis egrediebantur. Ad hæc violento aſmate, & gravi nervorum attractione diſcruciabatur: quæ malorum conjunctio divinos, & eos, qui de rebus ſupernaturalibus judi- C cium ferre audebant, impulit, ut hoc apertum eſſe dicerent Regiæ impietatis ſupplicium. Tot licet morbis urgeretur, adhuc ſe convaleſcere poſſe ſperabat, nihilque intentatum relinquebat, ut ſalutem reciperet, verum tandem doloribus obrutus interiit.

EX ÆGYPTO VOCAVI FILIUM MEUM.] Non receſſit in Ægyptum IESUS, ut hanc adimpleat prophetiam, quod innuere voluiſſe videtur Evangeliſta per ea verba, ut *adimpleretur, quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem.* Hoc non cauſam, ſed eventum ſimpliciter indigitat [8]. Cum de Ægypto regreſſus eſt, tum in ipſo vaticinium illud fuit adimpletum. Hebræi, qui de ea terra egreſſi ſunt, duce Moyſe, erant figura eorum, quæ IESU CHRISTO erant eventura. Iudæi Domini noſtri ævo locum hunc de Meſſia intellexerint, D opus eſt, quandoquidem ad illum hunc transfert Evangeliſta.

Multifariam Prophetiæ poſſunt expleti: Primo, nonnumquam ad litteram, veluti cum ait Iſajas 7. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*; hoc eſt Deus nobiſcum, quod ad litteram accidit in IESU CHRISTI nativitate. Secundo, cum id, quod jam in figura contigit, in re adimpletur; ita quod de Salomone tamquam Meſſiæ figura dicitur, expletur in IESU CHRISTO, tamquam prototypo, & re figurata. Tertio, cum ea, quæ olim contigere, ſimpliciter applicantur ad ea, quæ modo contingunt; vel cum Prophetæ, aut Sacri Auctoris alicujus oratio transfertur ad aliquam vitæ, vel mortis Salvatoris noſtri circumſtantiam; ex. gr. quod Iſa- E jas de Hebræis ævi ſui dixerat cap. 29. 13. *Populus iſte labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longe eſt a me* ab Evangeliſtis ad Judæos temporis IESU CHRISTI traducitur Matth. 15. 7. Quarto denique, cum aliquid, quod olim in Lege Veteri prædictum, completumque fuit, rurſus in nova completur: Exempli gratia ea, quæ prophetavit Daniel 9. 14. de abominatione deſolationis, primum quidem adimpleta fuere ſub Machabæis [10], dum Antiochi perſecutio deſæ-

1 Irenæus l. 3. c. 10. Origen. contra Celſ. Baſil. de hum. Chriſti gener. Ambroſ. l. 1. de fide, c. 2. Auguſt. ſerm. 1. de Epiph. Hier. hic. Juvenc. & Sedul. &c. Hilar. in Matt. Bernard. ſerm. 2. in Epiph.
2 Luc. 22. 24. 3 Χρηματισθέντες. 4 Toynard, Harmon. Evang.
5 Athan. de Incarnat. Verbi. Vide Sozomen. Hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 21.
6 Vide Origen. ſeu alium homil. 3. de diverſ. Cyrill. Catecheſ. 10. Opus imperſ. in Matt.
7 Toynard. Harmon. 8 Joſeph. Antiqu. l. 17. c. 8.
9 Vide Maldonat. hic Janſ. Hammon. alios. 10 1. Macc. 1. 51.

deſæviret, mox etiam ſub Romanis, cum noviſſime Jeroſolyma obſidione vallata fuit [1]: & adimplebuntur tandem etiam ſub mundi finem, cum Antichriſti perſecutio debacchabitur.

Quoad locum, quem explicamus: *Ex Ægypto vocavi filium meum*: operæ pretium eſt animadvertere, Græcos Patres [2], qui ante S. Hieronymum vixere, credidiſſe, locum hunc ex Numerorum libro deſumptum, ubi legimus [3]: *Deus eduxit illum, de Ægypto*. Sed poſt S. Hieronymi verſionem plurimi cenſuerunt, idque potiori jure, ob Evangeliſtæ oculos verſatum fuiſſe illum Oſee locum, ubi in Hebræo legimus [4]: *Ex Ægypto vocavi filium meum*: ubi Septuaginta legunt: *vocavi filios ejus de Ægypto*. Quæ varietas locum præbuit Juliano Apoſtatæ, pravæ fidei nomine inſimulandi S. Matthæum, ignoranti Evangeliſtam locum hunc juxta Hebraici textus fidem protuliſſe [5].

℣. 16. HERODES VIDENS, QUONIAM ILLUSUS ESSET A MAGIS.] In iras exarſit, ratus, a Magis prava conſilia ſua fuiſſe detecta; ignorabat enim, illos divinitus admonitos, ut alia via in patriam reverterentur. Eorum fuga illi viſa fuit præmeditata; conſilium iniit eos, una cum novo Judæorum Rege, perdendi, verum repente omnes irritos conatus ſuos vidit, & doluit.

OCCIDIT OMNES PUEROS . . . . . A BIMATU, ET INFRA.] Veteres complures [6] tenent, hanc puerorum internecionem biennio tandem poſt natum Dominum contigiſſe. Quæ ſententia inde probatur, quod Herodes occidit omnes pueros a bimatu, & infra; atque innititur eorum opinioni, qui cenſent, Magos ad Dominum adorandum veniſſe biennio poſt illius nativitatem. Alii [7] quindecim ſtatuunt menſes inter JESU CHRISTI nativitatem, & expletum Herodis imperium. At hac in re ſexcentæ aliæ ſuperſunt ſententiæ, quas referre, & operoſum eſt, & non neceſſarium. Satis eſt dicere, ab iis, qui in Temporum recenſione accuratiores videntur [8], Magorum adventum nequaquam ultra menſem poſt JESU CHRISTI nativitatem, Herodis vero obitum paucos menſes, vel etiam paucos dies poſt Innocentium internecionem differri. Hoc tamen certum eſt, Regis hujus mortem ultra Paſchatis feſtum anni ejuſdem differri non poſſe; hoc eſt, ad ſummum poſt duos menſes, & dimidium a JESU CHRISTI nativitate. Ita Innocentium cædem intra Decembris exitum, & ſubſequentis Martii menſem ſtatuamus, oportet.

Cur ergo pueri omnes a bimatu, & infra erant occidendi? Voluit Herodes ita novum Regem tuto enecare, omnes pueros, qui infra biennium, antequam ſtella Magis apparuiſſet, in Bethlehem nati erant, occidens [9]. Putavit, ſtellam hanc illis non apparuiſſe, antequam Meſſias naſceretur [10]: ideoque inutile eſſe ad necem conquirere eos, qui poſt ejuſdem apparitionem in lucem editi fuiſſent. Verum quemadmodum ſydus illud micare potuerat aliquanto poſt puerum natum, decrevit eos omnes perdere, qui intra biennium erant orti. Sententia hæc præ ceteris magis ſimplex [11] videtur, atque probabilis. Cnathebullus credit, Herodem imperaſſe, ut pueri omnes, qui alterum ætatis annum agebant, hoc eſt, qui annum, & menſes aliquot jam vivebant, enecarentur; atque ita hæc explicat verba: *A bimatu, & infra*. In Scripturis *filius anni* ſignificat puerum, qui non explevit primum ætatis annum, ſed qui tantum intra eumdem verſatur. Ita

A *duorum annorum puer* illum ſignificat, qui alterum ætatis annum agit.

Mirum ſane eſt, Joſephum, qui hiſtoriam ſuis ſedulo conveſtitam circumſtantiis de Herodis vita conſcripſit, ne verbum quidem de Innocentium cæde, feciſſe. Videtur autem Nicolaus Damaſcenus, cujus commentarios Joſephus ſecutus eſt, factum hoc præteriiſſe, Herodis nomini ſane indecorum. Sed Macrobius Ethnicus Auctor [12], qui ſub finem quarti ſæculi floruit, illud non ignoravit; atque inter argute ab Auguſto dicta refert, Imperatorem hunc, *ubi audiviſſet inter pueros quos in Syria Herodes Rex Judæorum, infra bimatum juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum*, dixiſſe: *Melius eſt Herodis porcum eſſe, quam filium*. Herodes quippe Antipatrum filium ſuum primogeni-

B tum ſub idem ferme tempus capite damnarat, quo Bethlehemiticos pueros occidi juſſerat: cujus rei fama Romam delata, Auguſtus, ea, quæ diximus, protulit. Herodes, non ſecus, ac Judæi omnes, & Arabes horrebant porcos, & neque eos necabant, neque ſuilla veſcebantur.

Æthiopes in Liturgia ſua, & Græci in ſuo Calendario legunt, pueros in Bethlehem, & ſuburbiis cæſos fuiſſe quatuordecim mille. Sed numerus hic admodum incertus eſt, non ſecus ac SS. Innocentium Reliquiæ, quæ pluribus in locis oſtentantur [13]. Hoc tamen certum eſt, Sanctorum puerorum cultum in Eccleſia eſſe vetuſtiſſimum, ubi ſemper tamquam Martyrum primitiæ habiti ſunt.

℣. 18. VOX IN RAMA AUDITA EST &c.] Jeremię

C 31. 15. Prophetia, quæ illhic adfertur, eſt ſermo Domini conſolantis Rachelem dolore confectam eo, quod ſibi filii ſui, videlicet Tribus Ephraim, & Manaſſe, qui erant filii Joſeph, dilecti Rachelis, fuiſſent abrepti, eique promittentis futurum, ut quantocyus videat illos postliminio redeuntes. En quomodo afflictam matrem hanc alloquatur. Audivi clamores, & ejulatus tuos ob filiorum tuorum exilium, & captivitatem. Audivi Ephraim, qui in captivitatem abreptus ajebat: Percuſſiſti me, Domine, & poſtquam me caſtigaſti, me me collegi. At hæc Dominus reſpondit: Lacrymas, o Rachel, abſterge, ne plores, quamprimum enim malorum tuorum finem intueberis. Tu vero, Ephraim, dilectus mihi es, tui quoque recordabor. Jeremias hoc in loco non portendit captivitatem

D Ephraim, & Manaſſe; centum jam ac viginti tres effluxerant anni, ex quo Salmanaſar everterat Samariam ac decem Tribuum reliquias abduxerat. Narrat ſolum, quid tunc acciderit; exprimit lacrymas, & querimonias matrum captivorum, quæ iſthic exhibentur in Rachel matre Joſeph, ideoque Avia Ephraim, & Manaſſe [14]. Nomen *Rama* in generico ſenſu pro colle quodam poteſt deſumi [15]. Tribus Ephraim montibus erat frequens, & publici luctus tempore familiare erat juga montium aſcendere, ut ibi apertius querelæ expromerentur. Hæc elegans eſt proſopopeja, ubi populi mater ponitur pro populo eodem, calamitatem ſuam deplorante.

Interpretum plerique [16] in hunc locum credunt, ob oculos Prophetæ verſatam fuiſſe captivitatem Juda, &

E Benjamin, & illum exhibere Rachelem matrem Benjamin, veluti plorantem interitum filiorum ſuorum, qui Babylonem abducebantur. Eam autem exhibet in *Rama* parvo oppidulo ad boream Jeruſalem, & in Tribu.

1 Matth. 24. 15. 2 Theodor. Heracl. in Caten. Græc. in Matth. Simon. Hiſt. Critique de noveau Teſtament, chap. 20. 3 Num. 23. 22. & 24. 8. Θεὸς ὁ ἐξαγαγὼν αὐτὸν ἐξ Αἰγύπτου.
4 Oſee 11 1. ממצרים קראתי לבני 70. Ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ.
5 Hieronym. hic, & in Oſee 11. 6 Epiphan. Theophylact.
7 Euſeb. in Chronico. Eucher. Anſelm. Lyran. &c. 8 Uſſer. Lancelot, Toynard, alii Auctores Concordantiarum Evangel. 9 Putat Toynardus, Magos Herodi dixiſſe, Stellam eis apparuiſſe 18. menſ. ante eorum adventum, ideſt 16. menſ. ante J. C. nativitatem. Chronicon Alexandrinum ait, illam apparuiſſe duobus completis annis ante J. C. ortum. 10 Matth. 2. 2. 11 Euthym. Strabus, Maldon. Janſ. Eſtius, Sa, Brug.
12 Macrob. Saturnal. l. 2. cap. 4. *Cum audiſſet inter pueros quos in Syria Herodes Rex Judæorum, infra bimatum juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum, ait: Melius eſt Herodis porcum eſſe quam filium.*
13 Baillet, Vie des Saints Innocens. 14 Vide Hieronym. ad Ierem. 31. 15. Raban. ibid. Caſt. Muis; Prolog. in Pſalm. 68. 15 רם Origen. in Caten. in Matt. Quid. leguut: Ἐν τῷ ὕψει. Vide & Hieronym. ſeu Vulgat. in Jerem. 31. 15. 16 Maldonat. Grot. Spanh. alii.

bu Benjamin [1], ubi Nabuzardan poſt captam Jeruſalem captivos collegit [2]. Verum ex Prophetæ textu liquet, ipſum de re præterita loqui, non autem futura, ipſumque deſcribere non futuram captivitatem Juda, ſed Ephraim, quæ aliquanto ante contigerat, & cujus finem, reditumque portendit. Hic eſt litteralis, atque hiſtoricus Jeremiæ ſenſus.

S. Matthæus iſthic alludit ad ea, quæ in captivitate Ephraim contigerunt, & ad ejulatus, & gemitus, qui tunc in montium jugis exauditi fuerunt, atque cum illis comparat querimonias Matrum Bethlehem, utque finium illius, ob parvulorum interitum. Hæc ſimplex eſt applicatio, eventuum ſimilitudini innixa.

℣. 19. DEFUNCTO AUTEM HERODE.] Humanis deceſſit non multo poſt Innocentium cladem, ut antea dictum eſt. At Angelus non admonuit Ioſeph, ut in Judæam reverteretur, niſi aliquanto poſt: cum enim ille in Judæam, hoc eſt, in fines Juda, non procul à Gaza, ac Tribu Simeon, pervenit, Archelaus jam Regni poſſeſſionem adierat. Quo autem ſignantes tempore redierit, & quamdiu in Ægypto permanſerit, non ſatis conſtat. Toynardus ibi duos tantum menſes ſubſtitiſſe putat. Alii [3] menſes quatuor, vel quinque, alii annos duos; nec deſunt, qui annos quinque, vel ſex, vel novem etiam, aut decem ibi exiſtiment permanſiſſe.

℣. 20. DEFUNCTI SUNT &c.] Pluralis caſus pro ſingulari. Herodes, qui illi mortem inferre ſtudebat, mortuus eſt. Ita in Exodo c. 4. 19. Deus Moyſi dicit: *Vade, & revertere in Ægyptum: Mortui ſunt enim, qui quærebant animam tuam*, hoc eſt, Pharao jam obiit.

℣. 22. AUDIENS AUTEM, QUOD ARCHELAUS REGNARET IN JUDÆA.] Herodes capite damnato Antipatro filio ſuo primogenito quinto die antequam e vivis decederet, tabulas mutavit [4], & Antipam heredem ſcripſit Tetrarchiæ Galilææ, & Peræa, Philippum vero, Gaulanitidis, Trachonitidis, Batanææ, atque Paneadis, & Archelaum, qui inter ſuperſtites filios natu maximus erat, Judææ. Statim ac Rex Jerichunte efflavit animam, milites, populuſque in amphitheatrum convenere, ubi Herodis teſtamentum fuit recitatum. Archelaus igitur Rex inauguratus ſumma pompa patris funus procuravit, cujus cadaver delatum fuit in Caſtrum Herodium, ducentis procul a Jerichunte ſtadiis. Verum cum populus Jeroſolymitanus pridie Paſchatis per ſeditionem in Regem inſurrexiſſet, Archelaus ultra trium virorum millia in Templo, urbe, agriſque interfecit [5]. Paulo poſt peractis Paſchatis ſolemniis Romam profectus eſt, ut ab Auguſto ratæ fierent Herodis tabulæ, quæ, niſi Auguſto placuiſſent, non erant valituræ. Ambigitur utrum antequam iter illud Archelaus ſuſcepiſſet, an poſt reditum illius, Joſeph in Ægyptum redierit; ſedit autem in Judæam ſub autumnum anni ejuſdem. Nos tamen eos ſequamur, qui ante diſceſſum Archelai, Joſephum reverſum fuiſſe arbitrantur.

Galilææ quo S. Joſeph ſe recepit, Antipæ parebat. Hujus nihilo minus, quam Archelai intererat, neque fortaſſe ille hoc minori flagrabat cupiditate, ut Jeſus tolleretur, ſi illum noviſſet; ſed præterquam, quod Antipas erat Archelao mitior, Salvatoris nativitas

A non ita in Galilæa, & Nazareth, uti in Bethlehem, imo & Jeroſolymæ effulſerat propter Magorum adventum, & propter ea, quæ in Sanctiſſimæ Virginis Purificatione contigerunt. Ad hæc Antipas, eodem tempore, quo frater ſuus Archelaus Romam petierat, huic regnum conabatur eripere, vi prioris teſtamenti, quod ſibi ſuffragabatur. Hæ omnes circumſtantiæ prudetant, ut Jeſus ſe ſe in Nazareth recipere poſſet; erat enim ignobilis vicus ad montis Thabor radices; quæ Sanctiſſimæ Virginis patria, uti S. Joſeph Capharnaum, civitas ad occidentale Tiberiadis litus poſita, fuiſſe perhibetur.

℣. 23. QUONIAM NAZARÆUS VOCABITUR.] Cum hæc ſcriberet S. Matthæus, videntur JESUS, ejuſque ſectatores Nazaræi appellati fuiſſe. Oſtendere vult E-
B vangeliſta, nomen hoc nequaquam fortuito illis inditum, ſed a Prophetis jam fuiſſe prædictum. At quonam a Propheta? Neminem peculiariter ſignat. Fortaſſe locum hunc ex veteri protulit traditione [6]; Judæi quippe eorum complures in populi memoria ſervarunt, non ſcriptis, exempli gratia nomina Jannes, & Mambres, qui Moyſi in Ægypto reſtiterunt [7], atque prophetiam Enoch a S. Juda allatam [8]. Contendunt alii [9], S. Matthæum ad Veteris Teſtamenti *Nazaræos* alludere, qui Domino ſeſe votis adſtringebant, adigebantque ad ea præſtanda, quæ præ ceteris Judæis perfectiſſimos viros decerent [10]. Hoc in ſenſu JESUS CHRISTUS vere *Nazaræus* eſt, ſupereminens quippe vitæ illius eſt perfectio; ac doctrina ejus ſanctitatem prorſus divinam complectitur. Scripturæ omnes, o-
C mneſque Prophetæ illius ſanctitatem, ſummamque perfectionem teſtatam reliquere.

Iis in benedictionibus, quibus Jacob Gen. 49. 26. & Moyſes Deut. 33. 16. Patriarcham Joſeph cumulant, cum *Nazaræum inter fratres ſuos* appellant, videlicet fratrum ſuorum glorioſiſſimum, præſtantiſſimum, atque ſanctiſſimum. Joſeph porro apertiſſima erat Salvatoris imago. Poterat etiam Evangeliſta alludere ad Iſaiæ 11. 1. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos* (Hebraice nezer) *de radice ejus aſcendet*. JESUS CHRISTUS procul dubio eſt hoc germen, vel flos (nezer), qui egreſſus eſt de radice Jeſſe. S. Hieronymus [11] poſtremam hanc ſententiam confirmat, quam eruditiſſimorum Hebræorum eſſe [12] teſtatur, quo nomine fortaſſe intelligit Nazaræos, in quorum gratiam
D S. Matthæus Evangelium ſuum conſcripſerat. Haud ignorabat Doctor ille, *nezer*, cum florem ſignificat, aliter ſcribi, quam cum ſignificat *Nazaræum* [13]; hoc enim animadvertit in Commentariis ſuis in Iſaiam: at ſat iſ erat, ut duabus iis vocibus idem accideret ſonus, ut aſſerere poſſet, S. Matthæum ad id iſthic fortaſſe alludere. Innuit autem permanſionem Jeſu in Nazareth effeciſſe, ut palam perciperetur quædam ſimilitudo inter nomina *Nazaræi*, & *nezer* germen, aut florem, quod illi indiderunt Prophetæ. *Nazaræus* erat ob ſimilitudinem, quæ inter vitam illius aderat, & Nazaræorum ſanctitatem, qui ſe ſe Domino devovebant. *Nazaræus* erat, quia a Prophetis ſub nomine *nezer*, vel floris agnoſcebatur: *Nazaræus* tandem erat, eo quod in Nazareth permanebat.

---

1 Joſue 18. 25. 19. 15. 2 Jerem. 40. 1. 3 Vide Janſen. hic.
4 Joſeph. de Bello l. 1. c. 21. & Antiq. lib. 17. cap. 10. 5 Antiqu. lib. 17. cap. 11. de Bello l. 2. cap. 1.
6 Vide Chryſoſtom. homil. 9. & Theophylact. Euthym. Auctor Operis imperf. Ex libris non canonizatis. Vide Cleric. hic. Not. ad Hammond. & Menard. not. in Epiſt. Barnab. pag. 176.
7 2. Timoth. 3. 8. 8 Epiſt. Judæ verſ. 14. 9 Maldon. Grot. Spanhem. alii.
10 Num. 6. 18. & ſeq. Judic. 13. 5. 16. 17. Thren. 4. 7. Amos 2. 11. & 1. Macc. 3. 49.
11 Hieronym. hic, & in Iſai. 11. 1. & Opus imperfectum in Matth. Ita Janſen. & Eſt. hic. Hammond.
12 Idem in Iſai. 11. 1. 13 נצר *flos* נזיר *Nazaræus* נצרת *Nazareth*

CAPUT III.

Prædicatio, & Baptiſma S. Johannis. Deſcriptio indumentorum, & vita illius. Sermones ejus. Ad hunc JESUS CHRISTUS baptizandus accedit.

1. IN diebus autem illis venit Joannes Baptiſta prædicans in deſerto Judææ. 2
Et dicens: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum. 3
Hic eſt enim, qui dictus eſt per Iſaiam prophetam dicentem: Vox clamantis

tis in deſerto : Parate viam Domini : rectas facite ſemitas ejus . 4 Ipſe autem
Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum , & zonam pelliceam circa lum-
bos ſuos : eſca autem ejus erat locuſtæ , & mel ſilveſtre . 5 Tunc exibat ad
eum Jeroſolyma , & omnis Judæa , & omnis regio circa Jordanem ; 6 Et ba-
ptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata ſua . 7 Videns autem multos
Phariſæorum , & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum , dixit eis : Proge-
nies viperarum , quis demonſtravit vobis fugere a ventura ira ? 8 Facite ergo
fructum dignum pœnitentiæ . 9 Et ne velitis dicere intra vos : Patrem habe-
mus Abraham : dico enim vobis , quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſu-
ſcitare filios Abrahæ . 10 Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt .
Omnis ergo arbor , quæ non facit fructum bonum , excidetur , & in ignem mit-
tetur . 11 Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam : qui autem poſt
me venturus eſt , fortior me eſt , cujus non ſum dignus calceamenta portare :
ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto , & igni . 12 Cujus ventilabrum in manu
ſua : & permundabit aream ſuam : & congregabit triticum ſuum in horreum , pa-
leas autem comburet igni inextinguibili . 13 Tunc venit Jeſus a Galilæa in Jor-
danem ad Joannem , ut baptizaretur ab eo . 14 Joannes autem prohibebat eum ,
dicens : Ego a te debeo baptizari , & tu venis ad me ? 15 Reſpondens autem
Jeſus , dixit ei : Sine modo : ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam . Tunc
dimiſit eum . 16 Baptizatus autem Jeſus , confeſtim aſcendit de aqua , & ecce
aperti ſunt ei cœli : & vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam , & ve-
nientem ſuper ſe . 17 Et ecce vox de cœlis dicens : Hic eſt filius meus dile-
ctus , in quo mihi complacui .

℣. 1. IN DIEBUS AUTEM ILLIS VENIT JOHANNES BAPTISTA .] Hæc loquendi ratio, *in diebus illis*, nequaquam ſignificat, ea, quæ legende ſunt, immediate contigiſſe poſt ea, quæ præceſſerunt. Hic nexus eſt orationis, qui nihil ſtruit de tempore, quo accidit factum. S. Joannes Baptiſta tunc demum prædicare, & baptizare cœpit, cum Tiberius [1] quintum jam regnaret annum, ipſe vero ſecundum ageret ſupra trigeſimum ætatis ſuæ, & JESUS CHRISTUS primum & trigeſimum, qui vigeſimus octavus eſt Æræ Vulgaris, quam ut plurimum in recenſionibus noſtris ſequimur, & quæ per tres annos conſtitute fuit, antequam vere JESU CHRISTI nativitas contigerit.

Iudæi ante annum trigeſimum prædicare nefas eſſe putabant : eaque erat olim ætas in Eccleſia Chriſtiana, Epiſcopatus, atque Sacerdotii.

JOHANNES BAPTISTA PRÆDICANS IN DESERTO IUDÆÆ.] Johannes Zachariæ, & Eliſabeth filius, cujus hiſtoria in S. Luca videbimus, cum plurimos in ſolitudine tranſegiſſet annos, in deſerta Iudææ prædicaturus acceſſit, in ea videlicet, quæ ſunt ad Palæſtinæ meridiem in Tribu Iuda, & prope Ierichuntem; ea enim dumtaxat in Iuda non longe aberant a Iordane, ubi Iohannes populum baptizabat verſ. 6. Hoc illi *Baptiſtæ* nomen conflavit. Populum equis immergebat ritu Hebræorum. Vide verſ. 16.

℣. 2. POENITENTIAM AGITE : APPROPINQUAVIT ENIM REGNUM COELORUM.] Hoc erat prædicationum S. Joannis Baptiſtæ argumentum. Pœnitentiam prædicabat, ut homines ad JESUM CHRISTUM recipiendum præpararet, prædicationi vero addebat Baptiſma, hoc eſt ablutionem per aquam, ut hoc ſymbolo illos ad interiores abluendas ſordes hortaretur. Pœnitentia vera, quam illis prædicabat, nequaquam erat ſimplex peccatorum dolor, vel ſimplex ob præterite ſcelere mœror, & diligens cura, ut a futuris caverent : ſed ab illis fructus dignos pœnitentiæ exigebat; opera, quæ medicinam conferre, & pro peccatis ſatisfacere poſſent [2]. Si vulnere confoſſus es, nequaquam ſatis eſt, S. Ioannes Chryſoſtomus inquit,
A ſpiculum quod vulneri inhæret, evellere, ſed unguente applices opus eſt, ut vulneri medearis. Cordia converſioni, ac ſinceræ peccatorum deteſtationi addenda ſunt opera pœnitentiæ. Vita, externus corporis habitus, omnis agendi ratio in S. Ioanne præclarum erat illius pœnitentiæ, quam efflagitabat, documentum. Sanctus ille Præcurſor in ſemet oſtendebat, quid illis faciendum eſſet [3]. Ninivitæ in cilicio, & cinere pœnitentiam egerunt [4]; Joel c. 2. 15. 16. 17. jejunium, mortificationem, humiliationem, veſtium ſqualorem, doloremque ſuadet : Et JESUS CHRISTUS Matth. 11. 21. ait fuiſſe futurum ut, ſi Tyrii, & Sydonii teſtes fuiſſent miraculorum ſuorum, jampridam in ſacco, & cinere feciſſent pœnitentiam.

APPROPINQUAVIT REGNUM COELORUM.] Vel
B jam advenit, nam idem eſt, hoc in loco ſignificat, prope eſſe, ut Deus ſuam in impios ultionem exerceat [5]: ſupremum Iudicem jamjam ſententiam ſuam prolaturum, patrem familias jam apprehendiſſe cribrum, aut ventilabrum ad aream ſuam detegendam, ac diſtrinxiſſe ſecurim, ut ſteriles arbores pravoſque fructus ferentes ſuccidat. Hæ omnes loquendi rationes iſthic ſynonymæ ſunt. Regnum cœlorum eodem in ſenſu uſurpatum in decem Virginum parabole Matth. 25. ac in illa ſervorum, quibus pater familias talenta tribuit, ut inde lucrum ferant Matt. 25 23. Ubi Salvator terribilia portendiſſet ſigna, quæ noviſſimum Ieroſolymæ excidium erant præceſſure, Apoſtolis inquit Luc. 21. 28. Cum videritis hæc fieri, *levate capita veſtra : quoniam appropinquavit redemptio veſtra*;
C Et paulo poſt : *prope eſt regnum Dei* ; hoc eſt paratus eſt Dominus, ut vobis illata ulciſcatur mala, ac labores veſtros remuneretur. Prope eſt, ut appareat in gloria ſua, & exerceat ultionem ſuam. Et Matt. 16. 28. *Sunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo*, venientem ſcilicet ad ultionem ſuam adverſus Ieroſolymam exercendam.

In veteri quoque teſtamento ſimiles prorſus loquendi rationes occurrunt : Exempli gratia Pſal. 96. 1. *Dominus regnavit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ*,

1 Luc. 3. 1. 2 Chryſoſt. hom. 10. pag. 125.
3 Chryſoſt. homil. 10. pag. 127. Vide & pag. 129. 130. Vide & Ambroſ. pluri. locis, & Cyprian. l. de Lapſis pag. 295. edit. Rigalt. 4 Jonas 3. 5. 5 Vide Chryſoſt. hic. Hammond. Le Clerc.

ta; nubes & caligo in circuitu ejus; juſtitia, & judicium correctio ſedis ejus: Ignis ante ipſum præcedet, & inflammavit in circuitu ejus. Et Pſalmo 98. 1. *Dominus regnavit, iraſcantur*, vel expaveſcant *populi: Qui ſedet ſuper Cherubim* exercebit judicium ſuum, *moveatur terra . . . . Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile, & ſanctum eſt, & honor Regis judicium diligit &c.* Vide Abdiam ℣. 21.

Nonnumquam *Regnum Dei* Meſſiæ manifeſtationem ſignificat: *Porro ſi in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*, inquit Salvator Luc. 11. 20. Et S. Matthæus 9. 35. ait, JESUM CHRISTUM omnes luſtraſſe civitates, & oppida *docentem in ſynagogis eorum, & prædicantem Evangelium Regni*. Et S. Lucas 17. 21. *Ecce Regnum enim Dei intra vos eſt*. Quod ſimile eſt illi S. Joannis 1. 26. dicto; *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.*

Regnum Dei uſurpatur etiam pro æterna beatitudine, qua Angeli, & felices animæ perfruuntur in cœlis: *Qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum* Matth. 7. 21. & Matth. 19. 14. *Sinite parvulos, & nolite prohibere ad me venire: talium eſt regnum cælorum*. Et Matt. 5. 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Per hæc poſtrema verba intelligi quoque poſſunt & Eccleſia, & Synagoga reſpective; exempli gratia, JESUS CHRISTUS ait, Regnum cœlorum ſimile eſſe patri familias, mittenti ſummo mane operarios in vineam ſuam Matt. 20. 1. Manifeſtum eſt, vineam hanc eſſe Synagogam, & regnum Cœlorum hoc in loco nihil eſſe aliud, quam Dei providentiam, qua erga Judæos primum uſus eſt, mox erga Ethnicos, quos noviſſime in vineam ſuam acceſſivit. Et Matt. 8. 12. locutus de Centurionis fide, Gentilium vocationem, Judæorum vero reprobationem prædicit, dicens: *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores*. Regnum hoc aliud eſſe nequit, quam Synagoga, vel Judæi, qui naturales erant promiſſionum, ac Regni cœleſtis hæredes. In eodem ſenſu intelligendæ ſunt parabolæ Regis, convivium pro filii ſui nuptiis inſtruentis Matt. 22. 2. cui intereſſe amicis renuentibus alienos invitat; & agricolarum, Domini ſervos ejicientium, ejuſque filium necantium Matt. 21. 8 Hæc omnia Judæorum quidem reprobationem, Gentilium vero vocationem præſignabant.

Verum vulgatior harum locutionum acceptio illas de JESU CHRISTI intelligit Eccleſia. Ad illum referuntur pluræque ſimilitudines, quas Salvator propoſuit, dicens: Regnum cœlorum ſimile eſſe, exempli gratia Matt. 13. 44. theſauro abſcondito, quod inventum ab homine, rerum omnium impendio emitur, vel lapidi pretioſo, qui a negotiatore, collecta ex omnium bonorum ſuorum pecunia, comparatur Matt. 13. 45. Dicitur etiam regnum cœlorum ſimile agro, ubi inimicus homo malas ſevit fruges Matt. 13. 3. & ſagenæ piſcatorum, bonos, pravoſque piſces capienti Matt. 13. 47. Quæ conſtat de Eccleſia dumtaxat dici, quemadmodum S. Gregorius Papa in homil. animadvertit; ſtatim enim addit Evangeliſta: *Sic erit in conſummatione ſæculi: exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. Matt. etiam 11. 12. ait, Regnum cœlorum ab impiis vim pati, & a violentis hominibus diſcerpi; ubi procul dubio loquitur de perſecutionibus, quas boni in Eccleſia patiuntur.

Ut verbo rem expediam, JESUS CHRISTUS hoc nomine exprimit adventum ſuum, prædicationem, Eccleſiæ inſtitutionem, Fidelium vocationem, rationem, qua Evangelium prædicandum eſt, ultionem, quam contra infideles, & incredulos ſibi eſt exercenda; remunerationes, quas amicis, famuliſque ſuis erogaturus eſt, imperium a ſe in animos, & corda exercendum. Hæc omnia Regnum Dei, vel Regnum Cœlorum appellat. Hebræi Meſſiam præſtolabantur; velut Regem, qui reſtituturus erat Imperium Iſrael, & qui eſſet in univerſam terram dominaturus; quo in re ſequebantur ideam, quam ipſis adſtruxerant Prophetæ[1]. Diſcipuli JESU CHRISTI de temporali regno loquebantur, cum ajebant Act. 1. 6. *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* Salvator, ut ſeſe eorum præjudiciis aptaret, quin temere officeret veritati, loquitur de regno quod ipſe inſtituturus eſt, illis cœleſte regnum pollicetur, verba facit de ſolio, ubi ad dexteram Patris ſedebit. At ſimul illis annuntiat Ioan. 18. 36. Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, eos, qui illic exceptum iri ſperant, excludendos Matt. 8. 12. atque alios in eorum locum ſubituros. Se quidem bonos a malis ſecreturum, & illos, qui Regni hujus inſtitutioni adverſati fuerint, exterminandos; cumque in ipſos juſtam ultionem ſuam exercuerit, ſe regnaturum, ac ſecum electos ſuos, cum interim adverſarii ſui in tenebras exteriores, ignisque fornacem conjicientur, ubi æterno igni, qui numquam extinguetur, cremabuntur. Verba hæc non de noviſſimo judicio, ſed de ultione, quam exercuit Deus in Judæos, verbo ſuo incredulos, ac de remuneratione, quam Martyribus, ac Juſtis, qui in ipſum credidere, ejuſque nomen confeſſi ſunt, tribuere dignatus eſt, ſunt intelligenda. Et ne quis credat, poſt ultionem hanc ſervos illius perfecta pace perfruituros, eos admonet, Regnum cœlorum haud vacuum fore tribulationibus, & ærumnis, quibus ſervos, electoſque probabit.

℣. 3. VOX CLAMANTIS IN DESERTO: PARATE VIAM DOMINI.] Evangeliſtæ unanimi, conſpiratoque conſenſu[2], hæc verba ad divinum transferunt Præcurſorem. Tunc non ambigebatur, quin eſſent adimplenda in eo, qui Meſſiæ vias erat præparaturus, ad quod munus capeſſendum Judæi Eliam venturum eſſe putabant. At nos docet JESUS CHRISTUS, Joannem Baptiſtam eumdem eſſe[3]; hoc eſt illum in ſpiritu, ac virtute Eliæ veniſſe, ut ſummorum infimorumque corda ad Salvatorem excipiendum diſponeret. Iſajas 40. 3. hæc protulerat verba, loquens de reditu Babylonicæ captivitatis. Audire jam videor Dominum nationibus imperantem, ut vias redeunti populo ſternant. Hic reditus, & hæc liberatio, erat figura, & quædam promiſſio libertatis, quam Dei Filius humano generi erat præparaturus. Re ipſa nemo laborem impendit ſuum, ut Hebræis redeuntibus vias præpararet; hæc Iſaiæ verba figurata erant, & in re illa, hyperbolica. At videmus iſthic, S. Joannem omnem operam, atque induſtriam tranſmittentem, ut animos Judæorum ad JESUM CHRISTUM recipiendum diſponat. Ipſe montes evertit, replet valles; hæc autem in ſenſu ſpirituali quidem, ſed pulcherrimo, atque pereleganti.

℣. 4. JOANNES HABEBAT VESTIMENTUM DE PILIS CAMELORUM.] S. Joannis Baptiſtæ indumentum nequaquam erat ex corio cameli[4], quemadmodum pictoribus nonnullis illum coloribus exhibere, & aliquibus Interpretibus explicare perplacuit, ſed ex panno ex camelorum pilis contexto, rudi, craſſoque, coloris vero ſubobſcuri, ut par erat homini, actionibus magis, quam verbis pœnitentiam prædicanti: *Quid exiſtis in deſertum videre?* ajebat JESUS CHRISTUS de S. Joanne loquens Matt. 11. 8. *hominem mollibus veſtitum?* Evangeliſta non ait, Præcurſorem indutum fuiſſe vellere cameli, ſed crinis[5] illius, vel craſſiori pilo. Animalis hujus lana delicatior eſt, atque ad veſtes delicatiores texendas adhibetur; ſed crines hirti ſunt, ac pauperibus tantum, agreſtibuſque conveniunt[6]; ideoque

1 Pſalm. 10. 16. 21. 29. 71. 8. Iſai. 40. 10. 9. 7. 52. 7. Jerem. 23. 3. Dan. 7. 13. 14.
2 Marc. 1. 3. Luc. 3. 4. Joan. 1. 23. 3 Matth. 11. 14. 17. 10. 11. 12. Marc. 9. 10. 11.
4 Ita Burg. Schmid. Piſcat. 5 Matth. 3. 4. Εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου.
6 Auctor Oper. imperfecti hic: *Non dixit de lana cameli, ſed de pilis cameli . . . Quoniam autem non de lana camelina, ſed de pilis cameli habebat veſtimentum, ipſe Dominus manifeſtat dicens de Joanne: Quid exiſtis in deſertum videre? Hominem mollibus veſtitum?*

que Patres nonnulli [1] Sanctum hunc Præcurſorem cilicio indutum fuiſſe dixerunt. Narrat Ælianus [2], ad mare Caſpium camelos adeſſe, quorum vellera adeo tenuia ſunt, ut minimum Mileſiis velleribus cedant; & non Sacerdotes ſolum, ſed ditiores etiam regionis illius incolas eo uti panno, qui inde contexitur. Paulus Venetus [3] verba facit de panno quodam, cui nomen *gambilotti* ex candida cameli lana contextu, ex quo elegantiſſimas veſtes fieri teſtatur. Talmudiſtæ apud Braunium de Veſtit. Sac. Heb. l. 1. c. 9. docent, ſi cameli cum arietis lana commiſceatur, ita tamen ut cameli vis præſtet, poſſe hinc fieri pannum cum lino contextum, non ita vero, ſi arietis vellus, vel æquale ſit, vel minus.

Non igitur veſtium ex camelorum pilis textarum uſus penitus a Iudæis ignorabatur, quemadmodum Caſaubonus exercit. 13. in Baron. contendit; at perraro veſtes ex camelorum dumtaxat pilis contextæ videbantur. Ut plurimum ovina immiſcebatur lana, vel lana cameli eligebatur, & a rudiori pilo ſecernebatur, ex quo pauperum agreſtiumque fiebant lacernæ, uti etiam lugubres veſtes, quæ in Scripturis ſacci, vel cilicia vocantur. Capripilium, quod *camelot* appellamus, a camelis nomen trahit, eo fortaſſe, quod olim ex cameli vellere fieret. At hodie ex velleru Orientalium caprarum admodum delicato non ſine immixto ſerico, vel lana contexitur.

Et zonam pelliceam circa lumbos.] Zonæ, vulgo ex lana, linoque fiebant, delicatiori, ac ſæpius pretioſo contextu [4]. Sed Prophetæ [5], ut Nazaræi [6], & qui in luctu, vel pœnitentiæ ſqualore verſabantur, corio, vel fune ſe præcingebant; quemadmodum ad hanc quoque diem eos ſolere videmus, qui auſteriua vivendi inſtitutum amplexi ſunt, Levit. 11. 22.

Esca autem ejus erant locustæ.] Lex Moyſis permittit, ut quædam locuſtarum ſpecies comedantur. Hoc in pluribus Orientis provinciis aſſolet. Parthi, Syri, Lybiæ populi, aliique in Africa, & Aſia, Græci quoque iis olim veſcebantur, & ad hanc quoque diem plurimis in locis veſcuntur. Cœnobita quidam, qui Africam luſtravit, aſſerit, ſe hujuſmodi locuſtas manducaſſe, & qui ibi in agris morantur, quatuor anni menſibus hac eſca uti. Clenardus certe, qui eam regionem inviſit, ait in epiſtolis, Fezzano in regno, onuſta illis plauſtra vehi. Ferunt, locuſtas has fumo de arboribus dejici, ac ſale conditas, & ad fumum, vel in furnis exſiccatas, ſimulque invicem tamquam in maſſam compactas, in integrum annum aſſervari; earum vero carnem, ubi recentes ſunt, exquiſitiſſimam eſſe profitentur. Leo in Africæ deſcriptione, eas ſale condiri ait, aſſari, ad ſolem exſiccari, ac mox in farinam redigi, ut eſca fiat. Proventus ex Locuſtis, qui Tripoli hauritur, major eſt, quam qui ex coturnicibus in Caprearum inſula in Regno Neapolitano percipitur. S. Hieronymus contra Jovinianum l. 2. verba facit de nubibus locuſtarum, quibus populi veſcebantur, Et pars quidem *Æthiopum*, Plinio teſte l. 6. c. 30. *locuſtis tantum vivit, fumo, & ſale duratis in annua alimenta*. Tandem factum hoc adeo cognitum eſt, ac tanto teſtium cum veterum, tum recentiorum numero probatum, ut ulterius de hoc non liceat ambigere. Vide, ſis, Bochartum de Animal. ſacr. par. 2. l. 4. c. 5.

At enim ſi res ita ſe habet, mirum ergo nequaquam eſt, quod S. Johannes locuſtas comederit, quandoquidem omnes iis veſcebantur, & in agris etiam ex illis munuſcula fierent. Ut huic occurrerent objectioni, veteres quidam dixere [7], S. Johannem Baptiſtam non locuſtas, ſed herbarum, arborumque extremas partes, vel germina comediſſe. S. Epiphanius auctor eſt, Ebionitas vocem hanc ex Evangelio ſuo expunxiſſe, ne S. Johannes carnem manducaſſe crederetur. Eorum ſententia, qui cenſuerunt, Præcurſorem arborum germinibus veſci ſolitum, quamplurimos nacta eſt ſectatores [8]. Neque hoc a fide abhorret. Sarmatæ, vel Germani arborum germinibus veſcebantur, & unda, quam cavis hauriebant manibus, uti hodie quoque ſolent Encratitæ, vel Abſtinentes, ait S. Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. Deſcribit Ovidius Faſt. l. 4. primos homines, quibus non alia ſuppetebat eſca, quam herbæ, & ſummæ ramorum partes, quas colligebant:

Et modo carpebant vivaci ceſpite gramen,
Nunc epulæ tenera fronde cacumen erat.

Primi S. Bernardi in Claravallenſi Cœnobio diſcipuli [9] ſæpius obſonii loco uſi ſunt conditis Cerri foliis. Loquitur Diodorus l. 3. de quibuſdam Æthiopiæ populis, qui herbis, & arborum germinibus veſcebantur.

Brocardus Deſcript. Ter. Sanct. & Jacobus de Vitriaco hiſt. Jeroſol. c. 53. credidere, id, quod a S. Matthæo locuſta dicitur, non aliud eſſe, quam herbam cognominem, qua regionis illius Cœnobitæ, quemadmodum hi ipſi fatebantur, pro eſca utebantur. Pater Eugenius Rogerius l. 1. ait, locuſtas has eſſe fructum, ſanguineo rubore imbutum, ſiliquæ, vel folliculi fabarum ſpeciem referentem, dulcem veluti panem aromaticum, & cui vis ineſt adſtringendi. Arbos hunc fructum ferens non longe invenitur a S. Johannis deſerto, atque ſiliquaſter vocatur. Crediderunt nonnulli [10], illum aſtacis uſum, qui piſcis ex cruſtaceorum genere a Græcis eo nomine vocantur, quod non longe ab illo abhorret, quod locuſtas ſignificat. Alii [11] ſylveſtres illi fructus tribuunt. Theophylactus, & Euthymius ajunt, nonnullos Evangelium intellexiſſe de herba, cui nomen *Melagra*, alios vero de nucibus, & agreſtibus fructibus [12]. Cnatchbullus, aliique putant, illum comediſſe fructus, vel arborum germina, quæ ab Italis *carobe*, a Gallis *carrouge* dicuntur, quam eſcam porcis filius prodigus invidebat. Luc. 15. 16. Verum cur violentas perſcrutemur explicationes textui illi, qui adeo perſpicuus eſt? Locuſtæ cibus ſunt communis, facilis, nullius pretii, ac ſine labore comparandus: hoc ſatis decet vivendi rationem, cui S. Johannes aſſuevit. Locuſtas dumtaxat, ac ſylveſtre mel comedebat, præter hæc nihil. Ex iis vero parum adeo guſtabat, ut illum dæmone obſeſſum dixerint Judæi [13]. Poſt hæc, ullane requiritur pro ratione victus ejus apologia?

Et mel sylvestre.] Evangelium ſecundum Hebræos, a S. Epiphanio hær. 30. allatum, hoc in loco legebat: *Mel ſylveſtre, cujus ſapor erat ſimilis mannæ, ac placenta oleo illita*. Credidit etiam Salmaſius, ſylveſtre S. Johannis mel non aliud fuiſſe, quam mannam, quæ hodierna quoque die in monte Libano, & in Arabia invenitur, & quam Hebræis in deſerto victum tribuiſſe contendit. Innititur autem Suidæ teſtimonio, ex veteris Auctoris fide dicentis, agreſte mel colligi conſueviſſe de arborum foliis, & a compluribus mannam vocatum fuiſſe. Rabanus Maurus, & Arculphus [14] docent, hoc ſylveſtre mel folium eſſe album rotundum, latum, atque tenerrimum, quod manu fricatum mellis odorem, ac ſaporem reddit. S. Iſidorus Peluſiota l. 1. ep. 132. negat, ſylveſtre mel eſſe e genere herbarum, ſed putat vere mel eſſe ab agreſtibus apibus elaboratum, guſtu amarum.

Verum has omnes animadverſiones ipſa expludit Scriptura, quæ de ſylveſtri melle verba facit tam-

1 Athan. Emiſſen. Anſelm. hic. Hammond. Brug. Scult.
2 Ælian. hiſt. animal. lib. 17. cap. 34. Vide & Apollon. de Admirabil. c. 20.
3 Paul. Venet. Peregrinat. l. 1. c. 33.
4 4. Regum. 1. 8. de Elia.
5 Grot. ex Hebræis.
6 S. Bened. Reg. cap. 22. *Cincti cingulis, aut funibus.*
7 Iſidor. Peluſ. l. 1. Epiſt. 5. & 132.
8 Euthym. Nil. Carm. de Joan. Baptiſta Pantaleon. Diacon. ſerm. de Lumin. SS & ex recentiorib. non pauci.
9 Vitæ S. Bern. l. 1. c. 5.
10 Quid. apud Boch. de Animal. parte 2. l. 1. cap. 5. Legerunt καρίδας, pro ἀκρίδας, *locuſtæ*.
11 Beza hic legit, Ἀχράδας, pyra ſylveſtria.
12 Theophylact. & Euthym. hic.
13 Matth. 11. 1. S. Luc. 7. 33.
14 Raban. Maur. & Arculphus in Caten. aurea D. Thom.

quam de re in Judæa vulgatiſſima, & quæ nullam ſequiorem habebat qualitatem. Hoc magis inſipidum, minuſque dulce erat præ alio; ſed vulgo in agris hoc uti conſueverant; ejuſque vis ingens in rupibus, in arborum foraminibus, imo in ipſis terræ cavernis inveniebatur; & aſſerunt Viatores, in Palæſtina paſſim reperiri. Videri poſſunt ea, quæ adnotavimus in Saulis, & Jonathæ hiſtoriam in 1. Regum 14. 26. 27. Evangeliſta hanc vitæ S. Johannis Baptiſtæ circumſtantiam ob oculos ponit, ut nobis adſtruat ideam vitæ illius ſimplicis, frugi, pauperis, atque communis: Iis veſcebatur, quæ inveniebantur in agris, & quibus pauperes dumtaxat utebantur. A

℣. 6. Baptizabantur ab eo in Jordane.] Judæorum baptiſma in eo poſitum erat, ut omne corpus aquis immergerent, non ut parum aquæ capiti infunderetur, uti aſſolet hodie in Chriſtianorum Baptiſmate, & uti Paſtores Jesu Christi exhibent baptiſma. Ablutiones paſſim in Lege Moyſis fiebant ad quaſdam legales ſordes abſtergendas, tunc enim totus homo cum veſtibus, vel ſeorſim & homo, & veſtes aquis immergebantur. Ita expiabatur etiam aliquis, ubi vel hominis [1], vel immundi animalis cadaver tetigiſſet, Levit. 11. 25. vel cum funeri interfuiſſet, vel cum immundum animal attrectaſſet, Levit. 11. 28. vel cum lepra laboraſſet, Levit. 13. 6. aut pollutionem aliquam ſeu ſponte, ſeu involuntarie, ſeu noctu, ſeu interdiu paſſus eſſet Levit. 15. 5. & plurima id genus alia. B

Diverſum tamen erat baptiſma, quod S. Johannes Judæis conferebat; illud enim mere voluntarium erat, atque ea animi devotione, nulla coacti lege illi ſe ſe ſubmittebant; illudque ſymbolum erat remiſſionis peccatorum, quam illis pollicebatur, qui pia mente cum criminum dolore atque pœnitentia poſt eorumdem confeſſionem ad illud acceſſiſſent. Ita illis indigitare ſtudebat neceſſitatem vitæ immutandæ eodem pacto, quo Hebræi proſelytos, qui in ipſorum caſtra tranſirent, cogebant Baptiſmum & Circumciſionem excipere [2], ut per Baptiſma illud quamdam regenerationis, novæque vitæ ſpeciem deſignarent. Verum cum hac de re fuſius loquamur in ſingulari Diſſertatione, plura iſthic addenda non duximus. C

Confitentes peccata sua.] Hanc animi diſpoſitionem in illis expoſcebat, quibus Baptiſmum collaturus erat, quemadmodum eam Moyſes in iis efflagitabat, qui ſacrificia pro peccato offerebant [1]. Hi enim victimam ſuam viventem adhuc ad altare ſtatuentes, capiti illius manu impoſita, peccatum, pro quo hoſtiam offerebant, confitebantur, tacite Dominum orantes, ut in caput hoſtiæ oblatæ omnium ſcelerum ſuorum pœnam transferret. Quæritur, utrum peccata ſua ſingillatim, an generatim dumtaxat obiterque confiterentur: at convenit inter omnes, in confeſſione ordinem ſervandum iis in caſibus fuiſſe; atque in Scripturis plures invenimus preces [4], quæ fuere veluti generales confeſſionum formulæ apud Hebræos. Non ambigit Grotius [5], quin peculiaris atque prolixa coram Sacerdote confeſſio fieret iis in caſibus, qui mortis ſupplicium non merebantur; cæterum vero ſatis fuiſſe, crimina generatim confiteri coram Domino. Addit etiam vero proximum eſſe, Judæos, qui ad Sanctum Johannem accedebant, illi ſua confeſſos fuiſſe facinora, eo majori confidentia, quo magis noverant, non ſolum eum fideliſſimum eſſe virum, verum etiam Sacerdotem, atque Prophetam. Docent Hebræi, peccatorum confeſſionem omnino eſſe neceſſariam ad obtinendam remiſſionem [6]. D

S. Johannes, ut populos ad ſalutis verbum diſponat, ac ut facilius Jesu Christi fidei ſe ſe ſubmittant, eos cogit, ſe ſe peccatores fateri, ſuaque per pœnitentiam, confeſſionem, atque Baptiſmum ſcelera eluere. Ut Medici opem obtinerent, vulnera detegenda erant: Ut Salvatorem cuperent, noſſent, opus erat, ſe ſalutis egere. Maximum Judæorum malum erat, quod ſe nequaquam adeo nequam putabant. Ideoque Præcurſor admittitur præſertim, ut inanem hanc, noxiamque mentem illis auferat [7]. E

℣. 7. Videns autem multos Pharisæorum, & Saducæorum.] Phariſæi, & Saducæi tunc duæ erant validiſſimæ Judæorum ſectæ; quæ principiis admodum variis innitebantur. Primi enim credebant, exiſtere Angelos, atque alteram poſt reſurrectionem vitam ſperabant. Saducæi vero hæc omnia negabant. Verum cum non adſit hic locus, ut de duabus his ſectis loquamur, de illis in Sanctum Lucam peculiari in Diſſertatione tractabimus.

Nequaquam certum eſt, Phariſæos a S. Johanne baptiſmate ablutos fuiſſe; quippe acribus illius irritati increpationibus, & rubore ſuffuſi ob ea, quæ ex illo audierant, re infecta receſſiſſe videntur. S. Lucas 7. 30. ait, quod *Phariſæi, & legis periti conſilium Dei ſpreverunt in ſemetipſos, non baptizati ab eo*. Deus inierat conſilia erga ipſos miſericordiæ, & largitatis ſuæ cumulatiſſima, quorum tamen effectum illorum avertit improbitas; & idem Jesus Christus, ipſos S. Johannis baptiſma renuiſſe docet, cum ait Matth. 21. 24. *Baptiſmus Johannis unde erat? e cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabant, inter ſe dicentes: ſi dixerimus, e cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidiſtis illi? Si autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Johannem ſicut Prophetam. Et reſpondentes JESU, dixerunt, neſcimus.*

Progenies viperarum.] Speratis ne, ſi uti vitam degitis, ita eam degere perſtiteritis, futurum, ut iram Dei evitare poſſitis. Tanta ne vobis inſania, ut ſalutem vobiſmet polliceri audeatis, viventes tamquam ſceleſti, & ab origine ſcelerata profecti, paternæ improbitatis fideles nimium imitatores? Viperæ, & viperarum filii. Peccatores perfrictæ frontis, & pervicaciſſimi. Graviſſima fuerint oportet Phariſæorum, ac Judæorum ſcelera, quandoquidem in illos vehementem adeo, & aculeatam orationem Propheta contorquet. Eamdem nobis adſtruit ideam Jesus Christus, qui in eos indeſinenter invehitur [8]. In penitioribus cordis eorum latebris inſpiciebat præcurſor hypocriſim, atque nequitiam [9], propter quas ad illius Baptiſma excipiendum acceſſerant, ut ſuæ in populo exiſtimationi conſulerent, quin tamen ſe ſe convertere optarent, vel etiam fortaſſe, ut de Johanne obloquendi occaſionem arriperent, ejuſque doctrinam, & vivendi rationem improbarent. In S. Luca c. 3. 7. verba hæc ad turbas populorum dicuntur. S. Johannes vel geſtu, vel ſermonis decurſu oſtendit, ſibi præcipue cum Phariſæis, & Saducæis rem eſſe, qui in cætera multitudine erant commixti.

℣. 8. Facite ergo fructum dignum [10] pœnitentiæ.] Interno dolori, & ſcelerum veſtrorum deteſtationi addite externa opera, atque labores, quibus Deo læſo ſatisfacere valeatis; amate, atque exercete virtutes ſceleribus veſtris oppoſitas. Nam addit ille infra ℣. 10. *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. Fructus ſunt opera. Qui fur erat, & latro, furari ceſſet, & quæ ſurripuit, reſtituat. Qui faſtu intumeſcebat, qui voluptatibus, impuroque amori ſe mancipaverat, hos deſerat habitus, & humilitatem, atque continentiam exerceat. Hos ille fructus pœnitentiæ dignos appellat [11]. Joſephus de S. Johanne Baptiſta loquens Antiq. l. 18. c. 7. ait, hunc Sanctum fuiſſe virum, qui Judæos hor-

1 Num. 5. 2. 6. 6. &c. 2 Selden. de Jure Nat. & Gent. lib. 2. cap. 2. Hammond. hic.
3 Levit. 4. 4. 15. 24. Num. 5. 7. 4 Dan. 9. 4. 5. Baruch. 1. 17. 18. Pſal. 31. 5. 2. Eſdr. 9. 16. 9. 2.
5 Grot. hic. & Janſ. Eſt. 6 Vide Maimon. apud Ligfoot. Lyr. Hebr. 45. Buxtorf. Synag. Jud. c. 20.
7 Chryſoſt. Homil. 10. in Matth. 8 Matth. 23. 32. 33.
9 Hieron. in Iſai. 30. Gregor. Homil. 20. in Evang. Theophylact. hic. 10 Plures legunt Καρποὺς ἀξίους. Ita Lucas, & Græc. impreſ. de Origen. in Joan. Καρπὸν ἄξιον. Et alii quam plurimi. Vide Mill. var. lect.
11 Vide Chryſoſt. hic. & Gregor. Magn. Homil. 20. in Evangelia.

hortabatur ut virtutem exercerent, & baptiſmate abluerentur, erga proximos quidem juſtitiam, erga Deum vero pietatem colentes; & qui dicebat illis, Baptiſmo hoc Deo jucundum eſſe non poſſe, ſi ab aliquibus duntaxat criminibus quis temperaſſet; corporis enim puritati addendam animæ munditiem, quæ non niſi per juſtitiæ exercitationem acquiritur. Hæc erat S. Johannis Baptiſtæ doctrina.

℣. 9. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham.] Judæi ſibi gloriæ vertebant, quod filii eſſent Abraham, plurimiſque in Scripturæ locis præclaram hanc originem oſtentant [1]. Et ſane nihil hac illis ſpecioſius eſſe poterat; per hanc enim erant promiſſionum filii, genus electum ex omnibus terrarum populis, ut eſſent filii, atque electi Dei. Verum non eadem illis erat cura, ut Abrahæ opera imitarentur, quemadmodum illos Salvator redarguit. Joan. 8. 39. *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Abrahæ filii erant ſecundum carnem, non item vero ſecundum ſpiritum [2]. Abraham enim pater eſt Credentium, Fidelium Juſtorum, non autem incredulorum, impiorum, & nequam. *Non enim ſucceſſio carnis quæritur* ait S. Hilarius in hunc locum, *ſed fidei hæreditas, . . . & proſapiæ gloria fidei imitatione deſinitur.*

Potens est Deus de lapidibus istis &c.] Et hoc dicens manu indigitabat rupes deſerti, ubi aderat, vel etiam quemadmodum nonnullis placet [3], lapides, quos filii Iſrael in Jordaniæ alveo ſtatuerant, cum Joſue duce illum traduxerunt [4]. Credunt alii [5], Præcurſorem alludere ad Iſaiæ 51. 1. *attendite ad petram, unde exciſi eſtis, & ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis. Reſpicite Abraham, & Saram parentes veſtros.* Elicere poteſt Deus homines juſtos, atque fideles de lapidibus iſtis, hoc eſt de ipſis Ethnicis, & Infidelibus, miraculo eodem, quo olim Abraham genuit Iſaac e Sara, licet ſterili, neque per ætatem pariendis liberis apta. Patrum plerique [6] putant, lapidum nomine S. Johannem intelligere Gentiles populos, & infideles Populi, quos numquam crediturus, fient filii Dei; quod ipſum docuit eventus in Gentilium vocatione.

℣. 10. Jam enim securis ad radicem arborum posita est.] Prope eſt, ut in vos Domini ultio deſæviat. Adeſt jam tempus, quod de veſtra, vel reprobatione, vel electione decernet. Omnia ab hoc pendent, utrum Jesum Christum recepturi ſitis, doctrinam ejus excepturi, ſanctitatem vitæ illius imitaturi, nec ne. Hactenus Prophetæ vobis eminus minas intentarunt; conditionales erant eorum minæ, ultionique ſuæ Deus limites ſtatuebat, at nunc jam inſtat excidium. Niſi conſilium illud, quod vobis tribuere ceperitis, jam ſecuris ad arboris radicem mittetur. Non ramis, neque ſtipiti, ſed radicibus ipſis jam imminet ictus. Synagoga, ſi hanc ad Deum confugiendi, ac Meſſiam ſuum excipiendi occaſionem ſibi elabi paſſa fuerit, jam derelicta, & reprobata eſt, jam actum de illa. Deus jamjam perfracturus eſt ſindus, quod cum vobis, & patribus veſtris percuſſit [7]. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Non ait, univerſum Iſrael periturum; complures enim ex eo in Jesum Christum crediderunt: hoc ait, eos omnes, qui non convertentur, neque adhærebunt conſiliis ſuis, perituros, & de fœdere Abraham, & numero populi Domini expungendos.

℣. 11. Ego baptizo in aqua . . . ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igni [8].] S. Johannis baptiſma non aliud erat, quam præparatio ad Jesu Christi Baptiſmum, peccatores per pœnitentiam & per juſtitiæ opera diſponebat ad Meſſiam audiendum, & per Jesu Christi baptiſma peccatorum omnium remiſſionem recipiendam. Ait autem, poſtremum hunc Baptiſmum eſſe baptiſmum ignis, & per Spiritum Sanctum faciendum eſſe, hoc eſt non ſimplicem foris ablutionem, qua corpus aquis immergatur, ſed præterea animam quoque Spiritu Sancto fovendam, atque illuſtrandam. In Salvatoris baptiſmate, ubi corpus illius ſe ipſa in aquis Jordanis immerſum fuit, Spiritus Sanctus in Columbæ ſpecie ſuper illum deſcendit, ac viſus eſt ignis, ubi Cœlum diſſectum eſt, & auditum eſt tamquam tonitru dicens infra ℣. 17. *Hic filius meus dilectus* &c. Pentecoſtes die Diſcipuli receperunt Spiritum Sanctum, qui in linguæ igneæ formam ſuper illos deſcendit poſt ingentem ventum, ac ſtrepitum Act. 2. 3. Ob oculos S. Johannis hæc omnia verſari poterant. At de his fuſius in Diſſertatione de Jesu Christi baptiſmate diſſeremus.

Cujus non sum dignus calceamenta portare.] Hoc abjectiſſimorum ſervorum munus erat, dominorum, dominarumque calceamenta geſtare [9], cum vel iter agerent, vel per urbem incederent. Hæ quippe ſoleæ in thecis aſſervatæ deferebantur. Judæi calceos dimiſiſſe dicuntur, ubi Templum ingrederentur, ſervisque ſuis illos tenendos tradidiſſe; quod ad hunc quoque diem apud Turcas, Afros, atque Ethiopes fieri aſſolet, qui in delubra, Meſchitaſque ſuas nudis pedibus ingrediuntur. Cum menſæ aſſiderent, vel potius accumberent juxta eorum temporum conſuetudinem, ſoleas exuebant, quarum cura ſervo tradebatur. Diſcipuli Magiſtris ſuis ea præſtabant, quæ Servi Dominis; quod ex univerſa liquet Scriptura. Joſue ſervus erat Moyſis [10], & Eliſæus aquam manibus Eliæ miniſtrabat [11]. S. Johannes Baptiſta dicens, nihil ſibi ſpecioſius contingere poſſe, quam ſi abjectiſſima quælibet Jesu Christo officia præſtare poſſet, ſe illius veluti famulum, atque diſcipulum profitetur [12].

S. Lucas in loco huic gemino legit [13]: *non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus.* Quod idem ſignificat, utrumque enim ſervorum eſt munus; hero calceos detrahere, corrigias ſolvere, ſoleas geſtare, illas eluere, imponere calceamenta &c. [14]. Hebræi non niſi cum domo egrederentur tibialia deferebant; nudis incedebant cruribus, & ſoleas nudis pedibus inferebant. Immo calceamenta ipſa totum pedem minime obtegebant.

℣. 12. Cujus ventilabrum in manu sua.] Veteres nonnulli legebant [15]: *Tenet palam manu ſua.* In Palæſtina in agris fieri conſueverant areæ æquatæ, obduratæ, & ad id præparatæ, ut ibi fruges tererentur. Colligebantur ariſtæ, ibique non flagellis, & excuſſoriis baculis, uti ſolemus, ſed equorum, vel boum calce, aut immanibus trabibus ferro præfixis, aut lapidibus, qui ſuper inducebantur, vel denique plauſtris quibuſdam, rotæ quorum humiles erant, ſed latæ, ſatis triturabantur. Cum triticum attritum eſt, auferuntur paleæ, & ſaccis in jumentorum pabulum aſſervantur: ſed & ipſa palea, quæ in pulverem redacta eſt, in ventum pala projicitur, ita ut fruges in aream decidant. Ubi vero fruges, & area mundata ſunt, tunc paleæ, vel quiſquiliis ignis injicitur, ita ut penitus abſumantur [16].

Hæc ipſa area, quæ everritur, & minutæ paleæ, quæ

1 Joan. 8. 33. Act. 13. 26. Rom. 9. 7. 11. 1. 2. Cor. 11. 22. Hebr. 2. 16. &c. 2 Rom. 9. 8. & 4. 11. 12. 13. 3 Anſelm. Remig. Pineda. 4 Joſue 4. 7. 5 Chryſoſt. Janſen. Grot. alii. 6 Hieronym. & Chryſoſt. hic, Ambroſ. in Luc. Irenæus, l. 4. c. 16. Origen. Clem. Alex. Theophylact. Alii paſſim. 7 Marian. Grot. Maldon. &c. 8 Vox hæc, & igni καὶ πυρὶ, in ingenti MSS. Græcorum numero non reperitur. Septem codices recenſet Robertus Stephanus, in quibus deeſt. Supra viginti alios enumerat Millius, ubi non legitur. Verum Patres Latini, & major Græcorum pars eam legerunt; S. Chryſoſtomus, S. Cyrillus, Origenes, Juſtinus Martyr. 9 Pignor. de ſerv. p. 105. 206. Plaut. Act. 3. Scen. 5. *Pueri ſandaliſgeruli*, Idem. Trinum, *Puella ſandaliſgerula*. 10 Exod. 24. 13. 11 3. Reg. 19. 21.
12 Hammond. Brug. Grot. Alii. 13 Luc. 3. 16. 14 Terent. *Accurrunt ſervi, ſoccos detrahunt.* Tibull. *Vinclaque de niveo detrahet ipſe pede.* Æſchyl. Agamemn. Ὑπαί τις ἀρβύλας λύοι τάχος, πρόδουλον ἔμβασιν ποδός. 15 Tertull. S. Cyprian. Aug. in Pſalm. 92. Vide Eraſm. Brug. hic. & Martian. nov. Edit. Evang. S. Matth. juxta edit. Italic. 16 Vide Iſai. 41. 16. Hammond. hic. Homer. Iliad. E. 499.

quæ cremantur, ignisq; non extinguitur, niſi eam penitus abſumpſerit, ſimilitudo continet minas, quas Judæis S. Johannes intentat. Paratus eſt Dominus, ut frumenta a paleis ſecernat, et bonos a malis ſejungat. Reprobabit, tradetque ipſorum pertinaciæ, ac infelicitati eos, qui mordicus incredulitati, atque impœnitentiæ adhæſerint, & in Eccleſia ſua, neque in filiorum ſuorum albo eos deſcribet, qui dociles erunt, atque dicto parebunt. Harum complementum minarum videtur in Judæorum obſtinatione, qui JESUM CHRISTUM crucifixerunt, & in Templi, urbiſque eorum interitu, atque in populo a Romanis diſſipato, aliquot annos poſt obitum JESU CHRISTI [1]. Hoc ipſum, ſed ratione multo magis generali videbitur extremi judicii die, ubi omnes reprobi a prædeſtinatis in omne ævum ſeparabuntur [2]. Dominus denique omni tempore purgat aream ſuam, bonos a malis ſecernit perſecutionum adminiculo, quarum ei boni quidem meliores fiunt, impii vero intereunt [3].

℣. 13. VENIT JESUS A GALILÆA IN JORDANEM AD JOHANNEM.] S. Johannes, & JESUS CHRISTUS nunquam ſe ſe corporeis oculis viderant, verum ſe ſe optime norant. S. Johannes noverat, antequam naſceretur, cum exultavit in utero Sanctæ Eliſabeth, coram Sanctiſſima Virgine, quæ incarnatum Salvatorem utero gerebat Luc. 1. 44. Anno tertio ſupra trigeſimum, ex quo natus erat Jeſus, qui alter fuit prædicationis Sancti Johannis, venit ille de Galilæa ad Jordanem e regione Jerichuntis, ibi a S. Johanne baptizandus. At quorſum hæc, quandoquidem Baptiſmate non indigebat? primum ut exemplo ſuo alios, qui egerent, ad baptiſmum accipiendum impelleret [4]; ſecundo, ut ſuam oſtenderet humilitatem, omnem, ut inferius dicitur, juſtitiam, omnemque virtutem exercens; tertio, ut S. Johannis Baptiſma probaret [5]; quarto, ut audiretur palam, quid de ipſo Spiritus Sanctus, Æternuſque Pater, ac S. Johannes de eo erant teſtaturi, atque ita populi ad eum audiendum, atque ſequendum diſponerentur. Quinto, ut ſanctificaret Jordanis aquas, eaſque & præſentia ſua, & ſecreta virtute, quam in iis infudit, præpararet; ut aliquando aliis ſalubres fierent, ac remiſſionem peccatorum conferre poſſent [6] per Sacramentum, quod ante obitum ſuum erat inſtituturus: ſexto denique, ut per hanc cæremoniam Judaicum aboleret Baptiſma, ac proprium inſtitueret [7], cujus tamen præceptum nonniſi multo poſt promulgavit.

S. Hieronymus l. 3. contra Pelag. c. 1. affert circumſtantiam ex Evangelio ſecundum Hebræos depromptam, quæ iſthic locum habere meretur. *Ecce mater Domini, & fratres ejus dicebant ei: Johannes baptizat in remiſſionem peccatorum; eamus, & baptizemur ab eo. Dixit autem eis: Quid peccavi, ut vadam, & baptizer ab eo? Niſi forte hoc ipſum, quod dixi, ignorantia eſt.* Verum nullam merentur fidem ex circumſtantiæ, quibus ex textu Canonicorum Evangeliorum non accedit fides. Non poterat ignorare Sanctiſſima Virgo, JESUM CHRISTUM nullum omnino peccatum committere potuiſſe. Idem Pſeudo-Evangelium dicebat, JESU CHRISTI matrem eſſe Spiritum Sanctum, quod ipſum perperam dictum, non ſemel repetebat [8].

℣. 14. EGO DEBEO A TE BAPTIZARI.] Agnoſcit S. Johannes JESUM CHRISTUM ſtatim ac illum intuetur, neque impelli poteſt, ut illum ſuo Baptiſmo abluat, qui pro peccatoribus erat duntaxat. Scit, JESUM omni

A culpa vacare; ipſum immo mundi peccata auferre; ac veretur, ne ſi illum populus baptizari videret, tamquam unus e peccatorum grege, qui baptiſmo elui cupiebant, haberetur. Confitetur, ſe Baptiſmate JESU CHRISTI indigere, ut mundus fiat; ac ideo ſe tamquam cæteros homines peccatorem videtur agnoſcere. Credit Eccleſia, S. Johannem Baptiſtam ex utero Matris [9] ſanctificatum fuiſſe, ſed neque impeccabilem, neque ſine peccato eum credit; in ipſo etiam erat concupiſcentia, omnis videlicet peccati fomes; & licet ſanctiſſimam, ac integerrimam duxerit vitam, egebat tamen JESU CHRISTI baptiſmate, ut in novum admitteretur fœdus, ſi Sacramentorum inſtitutioni ſuperſtes fuiſſet. Veteres complures [10] crediderunt, illum reipſa a JESU fuiſſe baptizatum, poſtquam hunc ille baptiſ-
B mate abluiſſet. Hoc certe negari non poteſt, quin JESUS CHRISTUS S. Johanni Baptiſmatis Spiritum contulerit, ubi ab hoc aqua fuit baptizatus.

℣. 15. SINE MODO: SIC ENIM DECET NOS IMPLERE OMNEM JUSTITIAM.] Ad breve tempus volo in peccatorum turba verſari, ac me ſubmittere Baptiſmati, quod pro peccatorum tribuis remiſſione [11]; novit Æternus Pater tempore ſuo me diſtinguere, ac meam innocentiam teſtari. Mea intereſt humiliari, ſua vero, me gloria cumulare. Quidquid melius, & perfectius a me eſt adimplendum; neque Legibus tantum parere debeo [12], verum etiam id præſtare, quod ſancte, ac laudabiliter ab illis exercetur [13].

℣. 16. BAPTIZATUS JESUS CONFESTIM ASCENDIT DE AQUA.] Credit Euthymius, JESUM CHRISTUM
C ſtatim de aquis egreſſum fuiſſe, ut ab aliis diſtingueretur, qui ibi diutius morabantur, donec S. Johannes Baptiſta capiti eorum manum impoſitam teneret, & illi peccata ſua confiterentur. Cum nulla eſſent peccata, quæ poſſet Jeſus confiteri, ſtatim emerſit, atque receſſit. Verum Interpretum plerique [14] putant, vocem illam *confeſtim* ad ſequentia eſſe referendam: *Baptizatus Jeſus aſcendit de aqua, & confeſtim ecce aperti ſunt ei cœli*: cui explicationi S. Marcus c. 1. 10. ſuffragatur: *Et ſtatim aſcendens de aqua*, inquit ille, *vidit cœlos apertos*.

At quomodo aperti ſunt cœli? Intelligendum ne eſt, reipſa cœlos diſſectos fuiſſe, an viſum fuiſſe lumen de penitiori cœlorum parte, aut de nubis ſinu emicare veluti cum fulgura, & fulmina aerem ſcindere, ac
D per nubes effulgere videmus? In hoc poſteriori ſenſu debemus procul dubio intelligere [15]. Cœli nequaquam frangi poſſunt. Juxta captum populi loquitur Evangeliſta; Putabant Hebræi, Cœlos craſſitiem habere, atque ſoliditatem; atque credebant, ignes, qui de ſuperiori aeris parte in terram decidunt, de Cœlo egredi, & per immanem fornicem, quo tegimur, viam ſibi aperire.

Ait Evangeliſta, Cœlos apertos fuiſſe *ei*, quin ſignanter dicat, cui, Jeſu Chriſto ne, an S. Johanni; ſed ex ſermonis decurſu liquet, hoc in JESU CHRISTI gratiam contigiſſe. Neque ipſe unus hoc prodigium adſpexit, cujus S. Johannes, omniſque populus teſtes fuerunt: at columba, quæ ſuper illum deſcendit, radius, qui ſuper caput ejus decidit, fulgor, quo circumdatus
E fuit, ſatis omni populo oſtendit, vocem, quæ ſubſecuta eſt, ad illum ſpectare.

VIDIT SPIRITUM DEI DESCENDENTEM SICUT COLUMBAM.] S. Johannes vidit Columbam, ut Joannes 1. 32. docet; at eam a populo non item viſam, e fide

ſit ab-

1 Hammund. Cleric. 2 Chryſoſt. hic. Aug. alii. 3 Irenæus l. 3. c. 28. Tertull. de fuga in perſecut. c. 8. 4 Aug. in c. 1. Joan. tract. 4. Chryſoſt. hom. 12. Hieron. hic. 5 Hieronym. hic. 6 Opus imperfect. hic. Hilar. hic, & in Pſalm. 65. & Ambr. in Luc. 2. & Orig. in Joan. Aug. pluribus locis. Hier. hic. 7 Chryſ. hom. 12. Aug. in Joan. 1. Tract. 4. 8 Vide Hieronym. in Iſai. 11. & 40. & in Ezech. 16. Origen. in Joan. p. 58. 9 Vide Catenam auream S. Thomæ in hunc loc. S. Aug. ſerm. 20. in natali Joan. Baptiſt. & l. 4. Operis imperfect. contra Julian. c. 134. *Jeremias, & Joannes, quamvis ſanctificati in uteris matrum, traxerunt tamen originale peccatum.* 10 Auth. Oper. imperfecti: *Quamvis in ſanctioribus libris manifeſte hoc ſcriptum ſit: & Joannes quidem baptizavit illum in aqua, ille autem Joannem in Spiritu.* Hieronym. hic. Theophylact. Euth. 11 Auguſt. l. 1. contra Donatiſt. cap. 10. Hieronym. hic. Nazianz. orat. 34. 12 Chryſoſt. hic. Hieron. Euthym. 13 Maldon. Brugenſ. Grot. Ienſ. 14 Maldon. Brug. Grot. 15 Hier. hic, & in Ezech. 1. & Author Oper. imperf. & Maldon. Grot. & alii.

ne abhorrat ? Recentiores quidam [1] credunt, abſonum eſſe, aſſerere, Spiritum Sanctum ſub animalis alicujus forma apparuiſſe: atque ajunt, ignem de Cœlo in Jesum Christum eadem permeitate fuiſſe delapſum, qua Columba fertur, vel ignem, indigeſta, ac rudi mole quamdam columbæ ſpeciem referentem, ſuper illum deſcendentem quieviſſe.

Verum omnis Chriſtiana credidit Antiquitas [2], Spiritum Sanctum ſub veræ Columbæ imagine, non autem in ſimplici flamma, vel igne Columbę ſpeciem referente, apparuiſſe. Veteres hac in re nequaquam adeo religioſi ſunt, ut recentiores Interpretes; nihilque indecorum arbitrati ſunt, aſſerere, Spiritum Sanctum A ſub Columbæ ſpecie apparuiſſe, quandoquidem in Scriptura univerſa Dei Filius Leo Juda, Vermis Jacob, Agnus, Lapis Angularis, Aquila &c. vocatur. Patres in Columba, quam Noe emiſit de arca, ut agnoſceret, an receſſiſſent aquæ, viderunt ſymbolum Columbæ illius, quæ in Salvatoris noſtri Baptiſmate apparuit. Columba lenis eſt, innocens, benigna, caſta, fœcunda, amabilis, quæ omnia Spiritus Sancti dona deſignant, ejus bonitatem, ſuavitatem, liberalitatem, fœcunditatem. Veteres [3] in Salvatoris Baptiſmo ignem apparuiſſe, ac tonitrui fragorem exauditum fuiſſe teſtantur, quod fuſius in Diſſertatione de Baptiſmate ad examen vocatum eſt.

1 Boch. de anim. par. 2. l. 2. c. 6. Hammon. Le Clerc, Ligfoot.
2 Ita Patres omnes, fatente Grotio. Ita Grotius ipſe, Mald. Brug. Spanh. alii.
3 Juſtin. Dialogo cum Tryphone. Nazaræi apud Hieron. l. 4. Comment. in Iſaiam 11. Idem, ſeu alius ejus ſub nomine in Pſal. 71. 17. Euthym. in Pſal. 28.3.

CAPUT IV.

JESUS CHRISTUS in Deſertum adductus, quadraginta dies jejunat. Eſurit tandem, & a Dæmone tentatur. In Galilæam ſe recipit, & Capharnai ſedem ſuam conſtituit. Ibi prædicat. Vocatio Petri, & Andreæ, Jacobi, & Joannis. Miraculoſæ curationes a JESU facta.

1. TUnc Jeſus ductus eſt in deſertum a ſpiritu, ut tentaretur a diabolo. 2 Et
cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſu-
riit. 3 Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides iſti
panes fiant. 4 Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane vivit homo;
ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. 5 Tunc aſſumpſit eum diabolus in
ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi. 6 Et dixit ei: Si filius
Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim: Quia angelis ſuis mandavit de te, &
in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 7 Ait illi Jeſus:
Rurſum ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum: 8 Iterum aſſumpſit eum
diabolus in montem excelſum valde: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam
eorum, 9 Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. 10 Tunc
dicit ei Jeſus: Vade Satana: Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis,
& illi ſoli ſervies. 11 Tunc reliquit eum diabolus: & ecce angeli acceſſerunt, &
miniſtrabant ei. 12 Cum autem audiſſet Jeſus, quod Joannes traditus eſſet, ſeceſ-
ſit in Galilæam. 13 Et relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit in Caphar-
naum maritima, in finibus Zabulon, & Nephtalim: 14 Ut adimpleretur, quod di-
ctum eſt per Iſajam prophetam: 15 Terra Zabulon, & terra Nephtalim, via ma-
ris trans Jordanem, Galilææ gentium, 16 Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit
lucem magnam: & ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis: 17 Exin-
de cœpit Jeſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum
cœlorum. 18 Ambulans autem Jeſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simo-
nem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant e-
nim piſcatores) 19 Et ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores ho-
minum. 20 At illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum. 21 Et procedens in-
de, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi cum
Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocavit eos. 22 Illi autem ſtatim re-
lictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum. 23 Et circuibat Jeſus totam Galilæam, do-
cens in ſynagogis eorum, & prædicans Evangelium regni: & ſanans omnem languo-
rem, & omnem infirmitatem in populo. 24 Et abiit opinio ejus in totam Syriam,
& obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, & tormentis comprehen-
ſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paraliticos, & curavit eos: 25 Et
ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Jeroſolymis, & de Ju-
dea, & de trans Jordanem.

Tunc

℣. 1. **T**UNC JESUS DUCTUS EST.] Statim ac Jesus accepit baptiſma, in deſertum receſſit, a Spiritu Sancto, qui ſuper illum deſcenderat, inſpiratus, & actus. S. Marcus 1. 12. vehementiori utitur voce: Spiritus impulit, vel conjecit illum in deſertum. At non invitus illuc conjectus fuit: ultro eo profectus eſt [1], verum juxta validam, & efficacem Spiritus Sancti vim, qua in ſolitudinem agebatur. Putant nonnulli, ipſum in aerem abreptum fuiſſe, ut olim Habacuc. Alii [2] illum in ſpiritu ſimpliciter in deſertum deductum fuiſſe putant. Verum has opiniones orationis decurſus, & eadem verba Textus explodunt. Patres animadvertunt, Dæmonem ſtatim poſt Baptiſmum nos tentare incipere [3]; nos quietos ſinit, donec ad ipſum ſpectamus; nos laceſſit, ſtatim ac illum deſeruimus, ut ad Deum B revertamur. Cnatchbullus ad Matt. 12. 43. videtur aſſerere, ipſum illuc a Dæmone malo ſpiritu adductum, ut tentaretur. S. Marci verba [4], & locus quidam S. Lucæ [5], ubi dicitur ſpiritus nequam, homines, quos obſidebat, in deſertum impuliſſe, ratio denique iſthic allata, *ut tentaretur a diabolo*, ſententiæ huic ſuffragari videntur. Re ipſa hoc nequaquam magis JESU CHRISTO injurium eſſe poteſt, quam quod inferius legimus, a Dæmone Jeruſolymam fuiſſe tranſlatum &c.

UT TENTARETUR A DIABOLO.] Certamen iniit cum Dæmone, ut illum vinceret, atque proſterneret. Tentari voluit, ut nobis victoriam conferret [6]: *Ideo tentatus eſt Chriſtus, ne vincatur a tentatore Chriſtianus*. Nobis præbere voluit exemplum, quomodo contra dæmonem ſit dimicandum. Orditur miſſionem ſuam a C prœlio, in quo ex tentatore triumphum refert, ut primi hominis in deſerto reparet cladem. Nos docet neceſſum eſſe tentari, atque probari, ut perveniamus ad gloriam. Omnia maxime periculoſa, ac laboribus referta voluit experiri, ut nos omnia tutiora, ac faciliora præberet. Ipſe etiam noſtra mala, & ærumnas perferre dignatus eſt, ut ſciret eorum miſereri, qui iis affligantur: *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*. Hebr. 4. 15.

Veteres complures [7] crediderunt, præter eas tentationes, quæ in Evangelio narrantur, JESUM CHRISTUM plures alias in deſerto paſſum fuiſſe; ubi Origenes hom. 29. in Luc. quotidie aſſerit, fuiſſe tentatum. Sed Patrum plerique crediderunt, Dæmonem, cum D illum quadraginta dies curioſius inſpexiſſet, tunc tandem ad illum tentandum accedere auſum fuiſſe, cum illum eſurire cognovit. Supponunt autem, quod humani generis hoſtis hunc eſſe JESUM CHRISTUM ignoraverit. Neſciebat, utrum Deus eſſet, qui humanam induiſſet naturam, an ſimplex homo, ſed perfectior. Paterna vox, quæ illum dilectum ſibi filium declaraverat Matt. 3. 17. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, dæmonem quidem perterruerat, verum non norat adhuc, quonam in ſenſu verba illa *Filius meus dilectus* eſſent intelligenda; utrum adoptionis Dei Filius diceretur, an per naturam talis vere eſſet, ac Patri æqualis. Accedit igitur illum tentaturus; hoc eſt periculum facturus, utrum vere Deus eſſet, an tantum homo; ac ſuppoſito quod homo eſſet E dumtaxat, ut illum in gulæ, vanitatis, ac ambitionis ſcelera impellere adniteretur.

Non ſatis liquet, quem in deſertum JESUS CHRISTUS ſeceſſerit; ſed fidei propius eſt, ipſum in Judææ montes conceſſiſſe, videlicet in auſtralem Palæſtinæ partem, ubi plurima inculta erant loca, atque deſerta; inferius enim ſtatim additur, ubi audiit, Johannem Baptiſtam in vincula fuiſſe conjectum, de Judæa in Galilæam

A migraſſe. Verum cum S. Matthæus in narratione ſua temporum ordini haud innitatur, haud caret difficultate hæc ratio. Alii [8] conjectant, ipſum in montes Galaad fuiſſe profectum, qui ſane ſcabri ſunt, & a Judæa ſatis remoti, cui ſententiæ illud ſuffragari poſſet, quod poſt tentationem ſuam JESUS iterum S. Johannem convenit, qui Bethaniæ ultra Jordanem baptizabat [9]. Viatoribus oſtenditur mons ad boream Jerichuntis, qui *dies quadrageſima* dicitur; opinantur enim illic Jeſum Chriſtum quadraginta jejunii ſui dies tranſegiſſe. Hic altiſſimus eſt mons, ſterilis, atque præruptus, ubi antrum videtur, ubi exiſtimatur comediſſe, poſtquam de Dæmone victoriam reportavit. De montis hujus cacumine dicitur Dæmon illi omnia regna mundi oſtendiſſe; at recentiores Viatores haud ita merentur, ut B ſibi tanta fides habeatur. S. Marcus 1. 3. ait, Salvatorem in deſerto fuiſſe inter feras; at mons ille adeo ſterilis eſt, ut ne feræ quidem ibi victum valeant ſibi invenire.

℣. 2. CUM JEJUNASSET QUADRAGINTA DIEBUS, &c.] Hoc omne tempus tranſegit, quin aliquid vel eſculenti, vel poculenti guſtaret, potus enim abſtinentia in Synagoga, æque ac in Eccleſia, æque jejunio eſſentialis habita fuit, ac a cibis temperantia. Hebræi in jejuniis ſuis ſub diei finem tantummodo comedebant. Mahometani interdiu jejunant, at noctu manducant, cum *Ramadan* ſuum celebrant. Eccleſia quoque Chriſtiana ducentis circiter annis ad veſperam uſque jejunium produxit. Ut omnis tolleretur ambiguitas, & ne crederetur JESUS CHRISTUS jejunaſſe ſimpliciter, C ut tunc fieri conſueverat, videlicet ſemel ſub veſperam comediſſe; addit Evangeliſta, illum quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ab omni eſca ſeſe abſtinuiſſe. Noluit autem ultra quadrageſimum diem jejunium proferre, ne quis [10] illum nequaquam hominem eſſe cenſeret: ideoque tot dies, quot Moyſes, & Elias, jejunavit, ne illis major videretur.

POSTEA ESURIIT.] Patres credunt [11] vulgo, JESUM CHRISTUM nonniſi poſt quadraginta jejunii dies eſuriiſſe. Hactenus incertus fuerat Dæmon, nec ſatis ſtatum, perſonamque Salvatoris noverat; at illum eſurire videns, non dubitavit ultra, quo minus vere mortalis eſſet. JESUS CHRISTUS, qui hactenus in ſe vim famis arcuerat, ea tandem urgeri voluit, atque ita Dæmonem impulit, ut ad ipſum tentandum accederet. D Eum, ut ita dicam, ad pugnam elicuit. *Fames Domini pia fraus eſt*, ut tentatorem falleret, ait S. Ambroſius in Luc. l. 4. Illi in ſpeciem quidem propitiam occaſionem præbuit, ſed quæ illi in pudorem, atque ignominiam erat ceſſura. *Permittitur eſurire corpus, ut diabolo tentandi tribuatur occaſio*, S. Hieronymus inquit [12]. Cenſet Eſtius, jejunium hoc JESU CHRISTO moleſtum fuiſſe, moleſtius imo quam Moyſi fuerat, & Eliæ; hi quippe divina, & ſupernaturali vi erant ſuffulti, JESUS autem jejunium ſuſcepit velut actum pœnitentiæ, & ut omnem illius rigorem ferret, potentiæ ſuæ cohibuit effectum.

℣. 3. ACCEDENS TENTATOR, DIXIT EI &c.] Tentator, dæmon, ſathan, diabolus, hoſtis, hæc omnia unum & idem ſignificant. Hebraica vox *Sathan adverſarium* indigitat, & *diabolus calumniatorem*. E Credidit autem S. Auguſtinus l. 9. de Civ. Dei c. 21. a Dæmonum principe tentatum fuiſſe ea in occaſione JESUM CHRISTUM; hunc autem ſe ſe ſpiritui immundo non aperuiſſe, niſi quantum e re cenſuit. *Tantum innotuit, quantum voluit: tantum autem voluit, quantum oportuit.* Non agnovit perfecte Dæmon, JESUM CHRISTUM vere Deum eſſe, ac Dei Filium, niſi tandem poſt illius reſurrectionem [13]. Illi ergo ſub hominis ſpecie ſe ſe obtu-

---

2 Vide Opus imperfect. hic. Hieronym. & Hilarium. 1 Vide Clerc. not. in Hammond.
3 Hilar. Chryſoſt. Author. Oper. imperfect. 4 Marc. 1. 12. *Expulit eum in deſertum.*
5 Luc. 8. 29. *Agebatur a dæmonio in deſerto.* 6 Aug. in Pſal. 90.
7 Author. Oper. imperfect. Euſeb. l. 9. Demonſt. Aug. de conſenſu Evang. c. 4. Beda, Euthym. hic.
8 Cleric. in hunc locum. Vide & Drutmar. hic. 9 Toynard. Hamon. Joan. 1. 28.
10 Chryſoſt. Theophil. 11 Opus imperf. hic. Chryſ. Hieron. Hilar. Ambroſ. alii.
12 Chryſoſt. Homil. 13. in Matth. & Hieronym. hic.
13 Vide 1. Cor. 11. 7. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio . . . quam nemo principum hujus ſæculi cognovit: ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

obtulit tentator dicens: *Si filius Dei es*, vel, quandoquidem Dei Filius es [1]: *dic, ut lapides iſti panes fiant.* Hæc fraus illi ceſſerat olim in primis parentibus noſtris, quibus pollicitus eſt futurum, ut ſi vetitum veſcerentur fructu, Deo ſimiles fierent. Famem non memorat, ne illi memoriam cieat ejus rei, quæ ejus infirmitatem oſtendere poterat. Vide Chryſoſtomum hic.

℣. 4. NON IN SOLO PANE VIVIT HOMO &c.] Hæc verba jam pridem a Moyſe dicta fuerant, cum de manna loqueretur Deut. 8. 3. *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu, & patres tui; ut oſtenderet tibi, quod non in ſolo pane vivat homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* Poteſt Deus omnipotenti verbo ſuo alendi virtutem, quibuſcumque rebus voluerit, impertire. Hi lapides etiam, ſi vellet, in ſolidam eſcam immutarentur. Vel pro *verbo* rem intelligendo [2]; Poteſt præbere Deus homini cibum in rebus omnibus, quæ ipſe voluerit. Omnia juſſu Dei nutriendi vim poſſunt acquirere. Hac reſponſione JESUS CHRISTUS, quin ſe Deum neget, belle probat ſe hominem eſſe; ac tentatorem, æque ac antea incertum dimittit [3].

Ita etiam locus hic poteſt intelligi: Non corporea tantum eſca hominem nutrit, ſed etiam obedientia, ejuſque erga Dei mandata fides. Per hæc verba Moyſes innuere volebat, Iſraelitis nihil umquam defuturum, ubi Domino obtemperare voluerint. Hoc ipſum tentatori JESUS CHRISTUS dicere poterat: Deus numquam eos patitur indigere, qui illius mandata diligenti cura faceſſunt.

℣. 5. TUNC ASSUMPSIT EUM DIABOLUS IN SANCTAM CIVITATEM.] S. Lucas 4. 9. hanc tentationem tertio loco exponit: ſed Interpretum pleriique ordinem a S. Matthæo memoratum ſequuntur. At Dæmon tranſtulitne per aerem JESUM CHRISTUM inviſibili modo, ſuper urbes, & agros, ut illum Jeroſolymæ ſupra Templi faſtigium ſtatueret; ut olim Angelus Habacuc crinibus arreptum [4] de Judæa tranſtulit Babylonem? Vel illum inaudita pernicitate traduxit; quod Philippo Diacono contigit Actor. 8. 39. ubi Reginæ Candacis Eunuchum baptizavit? Vel ſimpliciter illum impulit, ut tamquam hoſtis, qui hoſtem in aciem detrahit, Jeroſolymam eum ſequeretur? Poſterior hæc ſententia ſatis vulgata eſt, ac apud Veteres nonnullos invenitur [5]; & recentiores complures [6] crediderunt hanc Græco textui magis [7] eſſe conformem, ac JESU CHRISTI dignitati minus indecoram. Altera, quæ cenſet illum re ipſa per aerem ex deſerto, ubi aderat, ad Templi uſque faſtigium fuiſſe delatum, generatim omnibus fere cum Veteribus, tum recentioribus probatur [8]. Vetus Auctor [9], qui S. Cypriani nomine circumfertur, ait, Jeroſolymam ab eodem ſpiritu adductum fuiſſe, qui illum in deſertum deduxerat, & non re ipſa, neque corporaliter, ſed in ſpiritu fuiſſe traductum ſuper Templi, & mox ſuper montis cacumen. At hæc ſententia nullos habet aſſeclas. Totus S. Matthæi decurſus probat, hoc re ipſe contigiſſe.

SUPRA PINNACULUM TEMPLI.] Credunt nonnulli, a Dæmone Dominum poſitum fuiſſe in faſtigio turris, quæ centum, ac viginti cubitorum altitudine præſtabat, & quæ erat in aditu Sancti [10]. At in Librum Paralipomenon oſtendimus, nullam eo in loco fuiſſe turrim, & univerſum Sancti, atque Sanctuarii ædificium æqualis fuiſſe altitudinis. Putant alii, S. Matthæi textum indigitare tectum elatum, atque in apicem deſinens, quales noſtrates turres fieri conſueverunt; atque JESUM CHRISTUM in apice eodem fuiſſe poſitum, vel etiam ſupra coronidem, quæ ſuperiorem turris partem ambiebat. Verum probari nullo modo poteſt, in Templo turres fuiſſe noſtratibus ſimiles. Narrat Joſephus Antiq. l. 6. c. 6. Templi tectum aureis cuſpidibus inhorruiſſe, ne aves illoc advolarent, & ſordibus ſuis illud polluerent. In Palæſtina tecta plana fiebant, circum quæ ad podioli altitudinem murus aſſurgebat, ne quis de ſolario, ubi paſſim [11] verſabantur, poſſet decidere. Super muri hujus crepidinem fortaſſe Dæmon JESUM CHRISTUM tranſtulit; unde ſi ſe ſe dejeciſſet, in atrium Sacerdotale coram omnibus lapſus eſſet [12].

IN MANIBUS TOLLENT TE.] Sathan hoc loco palam abutitur. Dixerat Pſalmiſta, a Domino juſtos protegi, eiſque in via ab Angelis ſuſtineri, ne labantur; at hinc Diabolus infert, ſi de altiſſimo hoc ædificio ſe ſe præcipitem dederit JESUS CHRISTUS, Deum miraculum patraturum, ut eum ſoſpitem reddat: quod nec Deus, neque Propheta ſpoponderat. Hoc enim fuiſſet tentare Deum, ob nullam neceſſitatem poteſtatis illius miracula expetere digna. ℣. 7. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Patres nonnulli locum [13] hunc intellexerunt, perinde ac JESUS CHRISTUS Dæmoni diceret: *Me non tentabis, me, qui ſum Dominus Deus tuus.* Verum ſenſus, quem primum attulimus, ad litteram magis videtur accedere.

℣. 8. ITERUM ASSUMPSIT EUM DIABOLUS IN MONTEM EXCELSUM.] Inter Interpretes eadem illthic ſententiarum occurrit varietas, de ea ratione, qua Dæmon JESUM CHRISTUM ſuper montem tranſtulit, quam vidimus ſupra, cum eumdem Jeroſolymam, ac ſupra Templi pinnaculum traduxit. Putant alii, uno temporis momento illuc fuiſſe tranſlatum; alii cenſent eodem ultro ſe adduci paſſum. Quæritur etiam, quem in montem fuerit adductus. Hunc alii ſtatuunt non procul a Jericunte, eumque aſſerunt eumdem eſſe, ac illum, quem *Montem quadrageſima* vocant, & de quo jam locuti ſumus in verſiculum primum. Putant alii, hunc eſſe montem Hermon ultra, vel Thabor citra Jordanem; at hac in re nihil certum poteſt adferri. Neque putes, Dæmonem elatiſſimum terrarum quæſiviſſe jugum, neque re ipſa inde JESU CHRISTO omnia terrarum regna oſtentaſſe; ſatis enim erat, ut de excelſi montis cacumine iſthinc Romanum illi indigitaret imperium, illinc Regnum Perſarum, hinc Syriam, inde oſtenderet Indos &c. His omnibus dominor populis, utpote Princeps Mundi, eaque cuicumque mihi libitum fuerit, trado; quos ut a me feras, unum hoc poſco, ut in genua procumbens me venereris, meque Deum tuum fatearis. Decurſus poſtulat, ut hoc de vera latriæ adoratione explicetur.

℣. 10. VADE [14] SATHANA: SCRIPTUM EST ENIM; DOMINUM DEUM TUUM ADORABIS.] Dæmonis tentationes diſſipat JESUS CHRISTUS, quin tamen ſe illi aperiat; ita ut ab eo tentator receſſerit ita incertus, utrum Filius Dei eſſet, ſicut erat, cum primum ad eum tentandum acceſſit. Hic reſpondet Dominus, adorationem, atque latriæ cultum uni Deo deberi, atque ita indirecte mendacium, atque ſuperbiam Dæmonis refutat, qui dixerat, ſe Dominum eſſe omnium Mundi regnorum, Deus unus imperiorum, atque Rerumpublicarum eſt Dominus, ipſe unus cultus noſtros meretur.

Crediderunt Patres [15] nonnulli poſtrema hac in tentatione, Dei filium auctoritate, abſolutaque poteſtate ſua contra Dæmonem uſum fuiſſe, præcipientem illi, ut re-

1 Malden. Menoch. Ligf. 2 דבר *Verbum*, vel *Res*.
3 Hilar. Ambroſ. Aug. Jann. Chryſoſt. alii. 4 Deuter. 14. 32. & ſeq.
5 Auctor Operis imperfecti. *In ſequente Domino non infirmitas, ſed patientia eſt: in ducente diabolo non victus, ſed ſuperbia eſt.* Vide & Euthym. 6 Maldon. Spanh. Le Clerc. Ita & Chriſtian. Druthmar. hic.
7 Παραλαμβάνει. Heb. לקח Confer. Matth. 18. 2. 25. 33. Joan. 8. 3. Num. 22. 41. 23. 24. 20.
8 Ita Patres paſſim, & Eraſm. Brug. Piſc. Ligfoot. Spanh. Grot. alii plerique.
9 Cyprian. ſerm. de jejunio, & tentatione Chriſti. 10 2. Par. 3. 4.
11 Vide Deuter. 22. 8. 12 Ita Maldon. Grot. Hammond. alii paſſim.
13 Hilar. hic. Ambroſ. in Luc. 14 Plures Cod. legunt, *Vade retro*, vel *vade poſt me*, ὀπίσω μου. Ex Matth. 16. 23. Marc. 8. 33. 15 Chryſoſt. Auctor Operis imperfecti. Vide & Hilar. & Hieron. hic.

ut recederet: *Vade, Satana*, & dicentem illi implicite, ſibi JESU CHRISTO, veluti Deo ſimul, & homini a Dæmone cultum eſſe præſtandum. *Dominum Deum tuum adorabis*. Operæ pretium eſt adnotare, Salvatorem nequaquam uti propriis Textus verbis, ſed illius tantum afferre ſubſtantiam. In Exodo c. 20. 2. ſcriptum eſt: *Ego ſum Dominus Deus tuus .... Non habebis Deos alienos coram me*. Et in Deuteronomio c. 6. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies*.

℣. 11. TUNC RELIQUIT EUM DIABOLUS [1].] Argumentorum JESU CHRISTI vi, & Spiritus Sancti virtute coactus, invitus, ac rubore ſuffuſus receſſit, æque ac ante tentationem id, quod ſcire quærebat, ignorans. Nequicquam in illum depromſerat tres conatus, qui omnium maxime ad corda fallenda valent; gulam videlicet, avaritiam, & ambitionem; at hos omnes ictus Dominus victor eluſit. Fieri nequit, quin iſthic cum terrore ex una parte cogitemus Dæmonis vim, cum illum patitur Deus agere juxta poteſtatis nequitiæque ipſius magnitudinem; ex altera vero ejuſdem infirmitatem, atque ignorantiam admiremur, ubi e ra cenſet Dominus illum coercere, & quibuſdam veluti cancellis pravos illius conatus infringere. JESUM Ieroſolymam adducit, ſuper Templi pinnas transfert, inde in ſummum montis cacumen illum traducit. Quis non terrore corripitur, modo hujus translationis hiſtoriæ præbeat aurem? Quid juſtiſſimus quiſque ab hoc humani generis hoſte non pateretur, niſi illius poteſtatem, atque nocendi cupiditatem Dominus coerceret?

ANGELI ACCESSERUNT, ET MINISTRABANT EI.] Angeli teſtes fuerant tentationum, & victoriæ JESU CHRISTI. Simulac tentatorem ejecit, ſe obtulerunt, ut ſua illi præſtarent officia, eique miniſtrarent. Non tamen obtulerunt ſe, cum adhuc diabolus adeſſet; ſeorſum tempore tentationis ſteterunt; Princeps enim tenebrarum eorum adſpectum ſuſtinere non potuiſſet [2]. Verum ubi ille receſſit, ſtatim JESU CHRISTO eſcam attulere; eique in omni vita illius deinceps præſto fuere, dum ægros curaret, aliaque patraret miracula; id vero, quia eorum ille indigeret; namque illius Omnipotentia omnibus erat par, ſed ut illius magnitudo, majeſtas, & imperium oſtenderetur [3].

℣. 12. CUM AUTEM AUDISSET JESUS, QUOD JOHANNES TRADITUS ESSET.] Plurima acta tranſactaque ſunt inter JESU CHRISTI tentationes, ejuſque in Galilæam receſſum. Johannes Baptiſta non manſit diu in Ierichuntis deſerto, ex quo JESUM baptizavit; ſed illinc Bethaniam trans Iordanem ſe recepit, ubi perſtitit baptizare. JESUS peracto quadraginta dierum jejunio illum convenit, ibique aliquot ſibi Diſcipulos comparare cœpit ex iis, qui S. Johanni adhæſerant, & qui, cum hujus de JESU præclarum audiiſſent teſtimonium, eum ſecuti ſunt. Andreas, Bartholomæus, Simon, Philippus, & Nathanael ex hoc numero fuerunt. Qui cum JESU in Cana Galilææ profecti, ibi teſtes fuere miraculi illius, quod primum operatus eſt. Inde Capharnaum acceſſit, ubi aliorum miraculorum ſplendore inclaruit; ac demum Ieroſolymam venit, ibi Paſcha celebraturus.

Illinc ad Iordanem in Judæa profectus complures ad ſe venientes baptizavit [4]. Interim vero S. Johannes Baptiſta Iordane traducto venit in Ænon prope Salim, ubi iterum baptiſmo populum abluere proſecutus eſt. Verum cum non ceſſaret invehi in flagitioſiſſimum Herodis Antipæ factum, qui uxorem duxerat Herodiadem fratris ſui Philippi, adhuc viventis uxorem, Regis ſubiit invidiam, a quo comprehenſus, & in carcerem conjectus fuit [5].

JESUS autem, ubi audiit S. Johannem in vincula conjectum, de Judæa in Galilæam ſeceſſit. At quorſum illuc ſeſe recipiebat, ubi imperitabat Herodes, qui nuperrime S. JOHANNEM in carcerem juſſerat trudi? Cur non morabatur potius in Judæa, ubi Antipæ nulla erat poteſtas? Quia Phariſæos verebatur, qui ſibi infenſi, eo quod liberrime in eorum vitam, atque præcepta invehberetur, illum in invidiam apud Pilatum, qui tunc Provinciæ illi Præfectus erat pertrahere poterant; & ut quemadmodum Herodes Johannem ceperat, eo quod maxima populi multitudo eum ſequebatur, ita ipſe JESUM eadem de cauſa comprehenderet. JESUS, qui non habebatur Johannis Baptiſtæ diſcipulus, & qui Herodis conjugium explicite non damnarat, atque minus, quam Johannes baptizabat, prædicationi præcipue, ac populis edocendis intentus, non iiſdem cauſis premebatur, ut Herodem timeret. Ideoque in regnum illius concedere non refugit.

℣. 13. RELICTA CIVITATE NAZARETH VENIT, & HABITAVIT IN CAPHARNAUM.] JESUS de Judæa veniens in Nazareth patria ſua ſubſtitit, ubi de mora prædicavit. Sed cum aliquando Judæam ingreſſus exprobraſſet concivium ſuorum incredulitatem, atque indocilitatem, deduxerunt illum in ſummum cacumen montis, in quo civitas illa ſita eſt, atque inde illum per confragoſas rupes præcipitem deturbare voluerant. Sed cum JESUS per eos tranſiiſſet, Capharnaum ſeceſſit, ibique ſuam ſedem conſtituit. Illuc etiam fortaſſe Maria mater ejus acceſſit, & S. Joſeph, cujus ea erat patria, aliquot annos ante jam humanis deceſſiſſe ſupponitur, quoniam nullibi ulterius in Evangelio memoratur. Credunt nonnulli, Capharnaum S. Joſephi patriam fuiſſe, ut Nazareth Virginis Mariæ; verum hujus rei nullum extat argumentum. *Capharnaum* ſita erat in occidua maris Tiberiadis ora [6]. Loquitur Joſephus de Bello l. 3. c. 28. de fonte quodam, cui nomen Capharnaum, in illud mare defluente; & de loco appellatu *Capharnoma* ad orientem hujus lacus [7], & trans Iordanem. Situs Capharnai conſiliis JESU magis opportunus erat, quam Nazareth, propter affluentiam populi, in mare Genezareth mercaturam exercentis.

℣. 14. UT ADIMPLERETUR, QUOD DICTUM EST PER ISAIAM PROPHETAM: (℣. 15.) TERRA ZABULON &c.] Adnotavimus jam, hæc verba, *ut adimpleretur* &c. ſæpius eventum indigitare, non finalem cauſam. Prior Iſaiæ intentio nequaquam fuit deſcribendi, quid eventurum eſſet, ubi JESUS CHRISTUS appareret in Galilæa. At Evangeliſta oſtendit, aliquid ſimile contigiſſe illi, quod prædixerat Iſaias; & huc transfert id, quod Propheta portenderat de captivitate tribuum Zabulon, & Nephthali, & de felicitate, qua tempore eodem Juda lætatus eſt ob victoriam a Teglatphalaſſar de hoſtibus Achaz relatam; vel potius de eo, quod Ezechia imperante contigit, videlicet exercitus Sennacherib internecione. Hæc litteralis eſt, atque hiſtorica Iſaiæ explicatio [8]: Juda videbit undequaque dolores, tenebras, ſqualorem, mala non evitanda. Terra Zabulon, & Nephtali ante ceteras a Teglatphalaſſar vaſtabuntur; qui mox irruet in eos, qui trans mare Tiberiadis, & Galilæam Gentium incolunt. Tunc terra Juda, quæ hactenus tamquam altis demerſa tenebris delituerat, lumen detegere incipiet, ac malorum ſuorum finem ſe viſuram ſperabit. In ſenſu accommodato eadem terra Zabulon, & Nephthali, Galilæa gentium, & regio trans Iordanem poſita, quæ hactenus in tenebris fuerant, ſine Prophetis, ſine lumine, procul a Templo, & Sancta civitate, repente in JESU CHRISTI perſona inſigne lumen effulgere viderunt.

Zabulon, & Nephthali erant citra Iordanem in Galilæa inferiori. *Via maris, & Galilæa gentium* trans eum fluvium, & ad orientem ejuſdem patebant. Via maris innuere videtur viam, quæ Damaſco ad mare Tiberiadis, vel etiam ad Mediterraneum ducebat.

℣. 17. EX INDE COEPIT JESUS PRÆDICARE, ET DICERE: POENITENTIAM AGITE &c.] JESUS incepit loqui cum S. Johannes ſilere cogitur. Lex & Prophetia in S. Johanne deſinunt; novæ autem Legis gratia incipit in JESU CHRISTO. Salvator confirmat, ac perficit

[1] S. Lucas addit ad tempus, Ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ἄχρι καιροῦ; re enim vera poſtea ſæpe rediit.
[2] Chryſ. & Auctor Operis imperfecti hic.
[3] Vide Opus Imperfect. ad fin. Homil. 5.
[4] Joan. 3. 23. 24.
[5] Matt. 6. 17. Luc. 3. 19.
[6] Joan. 6. 17. 24. & 4. 46. 47. & Matth. 4. 13.
[7] Lib. de Vita ſua, pag. 1029.
[8] Iſai. 8. 22. & 9. 1. 2. 3.

ficit ea, quæ Præcurſor dixerat [1]: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum*. Si participes fieri optatis promiſſionum Evangelii, & evitare mala, quæ jamjam in incredulus ſunt delapſura, ad Deum ſincera converſione redite. JESUS Iohannis prædicationem confirmans confirmat etiam ea, quæ Sanctus ille Præcurſor de ipſo præclara fuerat teſtatus; atque indirecte ſuæ proficit gloriæ, & ad Evangelii progreſſum elaborat.

℣. 18. JUXTA MARE GALILÆÆ.] Hoc nonnumquam *mare Tiberiadis*, & alibi *lacus*, vel ſtagnum *Genezareth*, & in Veteri Teſtamento mare *Cinereth* appellatur. Hebræi maria vocant lacus, aliaſque ingentium aquarum congeries. Illud, de quo hic ſermo, eſt in Galilæa, ac per illum medius Iordanes præterfluit.

VIDIT DUOS FRATRES; SIMONEM &c.] Hos jam viderat ante, quemadmodum ſuperius dicitur ℣. 12. cum Bethaniæ Iohannem Baptiſtam convenit, poſt quadraginta dierum jejunium [2]. Hi duo diſcipuli ad piſcarum redierant, ubi Iohannes Baptiſta, cui primum adhæſerant, in vincula conjectum audierunt. Sed cum JESUS ſedem ſuam Capharnai inſtituiſſet, cujates erant Petrus, & Andreas, hos iterum vocavit, eoſque dicere juſſit piſcatui æternum vale, impoſterum Evangelicæ dumtaxat Prædicationi operam navaturi. Luc. 5. 2.

℣. 21. VIDIT ALIOS DUOS FRATRES, IACOBUM ZEBEDÆI, ET IOHANNEM.] Hi duo Fratres ad Apoſtolatum ſtatim poſt Petrum, & Andream evocati fuerunt. Iacobus filius Zebedæi vocatur *Sanctus Iacobus Major*, videlicet major natu ad diſtinctionem *Iacobi filii Alphæi*, qui dicitur *Minor* [3], & *frater*, vel conſanguineus JESU CHRISTI. Iohannes Zebedæi filius, & Iacobi Frater, eſt Diſcipulus dilectus, alio nomine S. Iohannes Evangeliſta.

℣. 22. RELICTIS RETIBUS ET PATRE.] Græcus legit [4]: *relicta cimba, & patre*. Theophylactus ait, ipſos reliquiſſe patrem, eo quod in JESUM CHRISTUM non crediderit.

℣. 23. DOCENTES IN SYNAGOGIS EORUM.] Synagogæ erant loci, quo Iudæi Religionis cauſa conveniebant, Sabbathis præcipue, ac feſtis Religionis ſuæ diebus, ut ibi orarent, legerent, Dei verbum audirent, aliaque a legibus ſancita adimplerent. Synagogas non adeo antiquas fuiſſe eruditi aſſerunt complures viri: qui nullum certum earum veſtigium ante Babylonis captivitatem in Iuda deprehendunt. At reor, oppoſitum ex ipſa Bibliorum fide poſſe oſtendi. Certo liquet ex Sunamitidis hoſpitæ Eliſæi exemplo pios viros in Iſrael, cum ſibi integrum non eſſet in Domini Templum ſe ſe conferre, ac Sacerdotes audire, quoniam ex eo regno extorres fuerant ejecti, in alicujus Prophetæ domo conveniſſe, ubi Lex explicabatur [5]. Aſaph, qui in ipſa Babylonis captivitate ſcribebat, & qui narrat quid in noviſſimo Nabuchodonoſor bello contigiſſet, ait, Regem hunc Synagogas Domini cremaſſe [6]. Tunc ergo jam aderant in Iuda. Iudith noctem in Synagoga, vel in cœtus loco tranſegit [7]; cjus vero hiſtoria Manaſſe in Iuda regnante contigiſſe perhibetur; hoc etiam inſigne eſt Synagogarum antiquitatis argumentum. Teſtatur Ezechiel 33. 31. populum de more domi ſuæ ad Dei verbum audiendum conveniſſe, quod diutinam populi ejuſdem denotat conſuetudinem: *Et veniunt ad te, quaſi ingrediatur populus, & ſedens coram te populus meus*. Demum S. Iacobus in Actis 15. 21. ait, Moyſi antiquitus non defuiſſe viros, qui legerent in Synagogis. Quomodo autem per tot ſæcula Religionis ſcientia in omni ea regione ſervari potuiſſet, ſi defuiſſent Scholæ, atque loca publica, ubi lectio, & explicatio Legis potuiſſet audiri?

Ambigi profecto nequit, quominus Captivitatis tempore populus apud Sacerdotes, & Prophetas convenire conſuevit, ut edoceretur, & ſolatium aliquod caperet. Quod nuper de Ezechiele dictum eſt, hoc ſatis probat. Legimus in Eſther 4. 16. Mardochæum in Orationum locum omnes Iudæos qui Suſis erant, congregaſſe, ut precibus Domino Eſther conatum commendarent. Fatendum eſt nihilominus, poſt Captivitatem earum numerum longe majorem fuiſſe, quam antea. Non deſunt tamen Auctores, qui nullas ante Macchabæos fuiſſe contendant: Verum non alias ad hoc probandum rationes afferre poſſunt, quam negativum argumentum, quo dicunt, nullas ad illud uſque tempus neque in Sanctis Libris, neque in Joſepho videri, & Antiochum Epiphanem neque Synagogas, neque cœtuum locos, quos ſciamus, incendiſſe. Verum hæc ex ſe corruit argumentatio. Celebris erat Macchabæorum tempore Secta, vel Synagoga Aſſideorum, vel *Aſſidaniorum* [8]: In libris iiſdem ſermo eſt de loco Orationis, qui erat in Maſpha, quo populus congregatus coram Domino Legis librum aperuit [9]. Auctor Eccleſiaſtici [10], qui ſub Macchabæorum tempus vivebat, non ſemel verba facit de loco cœtuum Altiſſimi, ubi Sapientes ſapientiam ſuam oſtendebant, quod de Synagogis dumtaxat intelligendum eſt, ubi Sapientes viri, & prædicabant, & docebant. Auctor tertii Macchabæorum verba faciens de perſecutione, quam a Ptolomæo Philopatore Iudæi paſſi ſunt, palam de Proſeuchis, vel Synagogis verba facit [11]. At Philopator in Ægypto imperavit, multo antequam Antiochus Epiphanes Iudæos perſequeretur.

Poſt Macchabæos Synagogarum numerus adeo crevit in Iſrael, ut in omnibus ferme regionis illius oppidis invenirentur. Jeroſolymæ vero tanto erant in numero, ut quadringentæ & ſexaginta [12], vel etiam octoginta ſupra quadringentas ibi fuiſſe dicantur. Ii omnes, qui ſingulis vacabant artibus, ſuam habebant. Aliarum quoque civitatum complures ibi aderant Synagogæ. Alexandrini ibi ſumptibus ſuis unam ędificaverant. Vocabantur autem *Proſeuchæ*, vel loci precum; aut *Didaſcaleja*, ſcholæ: vel *Phrontiſteria*, Scholæ Sapientiæ, vel *Eccleſiæ*, cœtus loci. Ubi non aderant Synagogæ, ſinguli domi ſuæ Deum precabantur, idque fere ſuper tectis, vel in ſolario domus ſuæ, ibique habebatur cœtus familiæ, vel amicorum, ut Sabbathis aliqua Legis pars legeretur. Aliquando etiam extra civitatem, & ad fluminum ripas conveniebant oraturi [13]; ibi Proſeuchas ſuas, vel Orationis locos ſtatuebant; qui erant quædam veluti clauſtra detecta [14], ad exemplar atriorum Templi Jeroſolymitani ædificata; unde factum, ut Ethnici, qui nullas iis in locis Deorum imagines, & ſimulacra intuebantur, Judæos accuſaverint, quaſi Cœlum dumtaxat nubeſque venerarentur. Juvenalis Sat. 14. ℣. 97.

Nil præter nubes, & cœli lumen adorant.

Synagoga quælibet ſuum Caput, vel Capita ſua, atque Miniſtros habebat, pro civitatum amplitudine, & majori, vel minori Judæorum, qui congregabantur, numero. Non deerat, cui ſeptuaginta Seniores præeſſent, aliis viginti, novem aliis, aliis quatuor tantum vel quinque, vel etiam unus dumtaxat Doctor vel caput pręficiebatur [15]. Synagoga publicus erat locus, vel intra, vel extra civitatem, prout ſitus ferebat; & illis ædificare licebat. Adnotavimus nonnumquam, Synagogas, vel precum loca detectas fuiſſe; ſed paſſim tegebantur, atque ad ſummam altitudinem attollebantur. Volunt Iudæi has ſuper cœtera ædificia conſurgere, neque hac in re deſunt, niſi ſuperior illis obſtet auctoritas.

Medium hoc in ædificio conſurgit pulpitum, quo legis liber adfertur, & unde ſolemniter recitatur. Illuc aſcendit, qui Sacra Biblia explicaturus eſt, ac inde ad populum verba facit. Legens vero, atque explicans caput obtegit ſuum; apud Hebræos enim detecto capite incedere nota eſt audacię, ac libertatis. In ima Syna-

1 Matth. 3. 1. 2. 2 Joan. 1. 35. 3 Marc. 15. 40. 4 Ἀφέντες τὸ πλοῖον, καὶ τὸν πατέρα αὐτῶν. 5 Vide 4. Reg. 4. 23. 6 Pſalm. 73. 8. 7 Judith 6. 21.
8 1. Macc. 2. 42. & 2. Macc. 7. 13. 45. 7. & 4. Macc. 6. & Pſalm. 78.
9 1. Macc. 3. 46. 10 Eccli. 15. 15. 21. 20. 22. 2. 11 3. Macc c. ult.
12 Gemar. ad tit. Megilla, c. 3. ad tit. Cethubot. c. 13. 13 Act. 16. 13. Philo adverſ. Flacc.
14 Tertull. de Pudicit. c. 16. & Epiph. de hæreſ. hæreſ. 80. 15 Vide Baſnage, liv. 7. chap. 6. Hiſtoire de Juifs, art. 11. 12. 13.

gogæ parte ſcrinium adeſt, ubi Legis volumen linteo pretioſo, & acu picto involutum ſervatur. Mulieres cum hominibus non immiſcentur, ſed ſeorſim in pulpitis, atque podiis cancellatis permanent, ita ut dignoſci minime poſſint. In Synagogam autem Sabbatho præſertim feſtiſque diebus congregantur.

Si in cœtu vir aliquis adfuerit, ſapientiæ laude, vel meritis inſignis, *Angelus Synagogæ*, ille videlicet, cujus erat invigilare, Legem legere, publicas preces populi nomine effundere, eum rogabat, ut legeret, & aliquot verba in populo faceret. Ita JESUS CHRISTUS Synagogam Nazareth ingreſſus ſe ſe obtulit, ut legeret, eique liber traditus fuit [1], quem aperuit, legit, ac rurſus involutum Miniſtro tradidit, incœpitque prædicare, & explanare, quod legerat. S. Paulus cum Antiochiam Piſidiæ [2] acceſſiſſet, eſſetque Sabbatho Synagogam ingreſſus, in cœtu ſedit, cumque Lex, & Prophetæ recitati fuerunt, Synagogæ Principes ad eum, ejuſque ſocios miſerunt, qui dicerent, ſi inter eos eſſet aliquis ad loquendum in populi concione paratus, illi integrum eſſe; quapropter Paulus aſſurrexit manuque ad ſilentium indicendum extenta locutus eſt, eiſque annuntiavit JESUM CHRISTUM. S. Matthæus hic ait, JESUM prædicaſſe, ac per omnem Galilæam in Synagogis docuiſſe, quod ſatis probat, quantopere apud omnes ſapientiæ laude floreret. Docet tamen Tertullianus l. 4. contra Marcion. non quemlibet indiſcriminatim admitti conſueviſſe ad hoc opus, ſed eos tantum, quorum explorata, atque comperta eſſet ſapientia, & quos alia merita ſatis commendarent: *Sed nisi paſſim Synagoga aditur, non tamen ad docendum, niſi ab optime cognito, & explorato, & probato jampridem in hoc ipſum, vel aliunde commendato.*

Plures erant in Synagogis miniſtri. Loquitur Evangelium de Capite, vel Principe Synagogæ, quem *Archiſynagogum* appellat [3]. Judæi hos [4] *Chachanim*, vel Sapientes vocabant. Hi de pecuniariis negotiis, de furtis, aliiſque judicabant, ejuſque jus erat loria cædendi, ſi qui Legis prævaricatores ab ipſis fuiſſent deprehenſi. Poterant etiam aliquem anathemate ferire, eumque de Synagoga expungere, quemadmodum planeliquet ex Biblia. JESUS CHRISTUS Diſcipulis ſuis ait, Matth. 10. 17. ſe a Judæis captum iri, flagellatum, de Synagogis ejectum, traditumque Regibus, & Magiſtratibus. S. Paulo a Sacerdotibus Jeruſalem cura demandata fuit, Chriſtianos ubique perſequendi; eoſque in Synagogis flagellandi [5]. Ubi vero ad Chriſti fidem ille evocatus fuit non ſemel hujus conſuetudinis rigorem expertus eſt, atque ſe quinquies quadragenis uno minus verberibus affectum fuiſſe teſtatur [6]. Ille quippe verberum conſuetus apud Judæos numerus erat, quo ſontes plectebantur.

Non aggredimur illhic fuſius verba facere de Synagogæ miniſtris; de quibus, ſi loquendi occaſio in Commentariorum decurſu ſe obtulerit, tunc prolixius id perſequemur. Primi Chriſtianorum cœtus non longe a Synagogis abhorrebant, quoad mores, & diſciplinam; Epiſcopus eorum Princeps erat, vel Præſes, cui ſuberant Sacerdotes, vel Seniores, qui illius quodammodo erant Conſiliarii, deinde vero Diaconi, vel Miniſtri ſequebantur. Optat S. Paulus 1. Cor. 6. 5. ut in Eccleſia eligantur ſpectatæ probitatis, meritique viri, qui judicent de controverſiis, quæ inter fratres oboriuntur. Teſte inceſtuoſo illo Corinthi viro, de cœtu [7], ſanctarumque rerum communione ejiciebantur, qui flagitioſe, ac nefarie viverent [7]. Epiſcopus verbi, atque doctrinæ ordinarius erat Miniſter: verum aliis quoque, immo laicis etiam, dummodo ſapientes eſſent, ac virtutum laude præſtarent, permittere poterant, ut in cœtu loquerentur [8].

EVANGELIUM REGNI.] Annuntiabat illis, Meſſiæ Regnum veniſſe [9], Regnum cœlorum prope eſſe, tempus a Prophetis pro Iſrael redemptione indigitatum adveniſſe. *Evangelium* Græce *bonum nuntium* ſignificat.

℣. 24. QUI DÆMONIA HABEBANT.] Energumeni complures Salvatoris ævo fuere. Sæpius huic malo occaſionem præbet atra melancholia, & prava corporum habitudo; cujus rei in Saulis perſona inſigne ſuppetit exemplum [10]. Energumenos ille apud S. Lucam 9. 39. a S. Matthæo 17. 15. lunaticus duntaxat vocatur; qui tamen illhic palam obſeſſos a lunaticis diſtinguit. Sæpius aliquis a dæmone obſidebatur, in pœnam a Deo inflictam propter peccata, quibus ſcatebat.

LUNATICOS.] *Lunatici* ſæpius [11] ab Epilepticis non diſtinguuntur. Creditur Luna influxu ſuo morbum hunc peperiſſe; Lunatici quippe ſingulis menſibus ſub Plenilunium, vel Luna deficiente agitati, & contorqueri videbantur. Epileptici autem ob majorem duntaxat minoremve morbi vim diſtinguuntur. Araba lunaticum ita explicat, *eum, qui cujuſque menſis initio cadit*. Epileptici, vel qui regio laborant morbo, non omnes æque afficiuntur. Alii quippe rarius, alii frequentius cadunt. Illi ſingulis menſibus, hi ſingulis hebdomadibus, vel etiam ſingulis diebus, vel ſæpius in diem. Syrus *Lunaticum* reddit agreſtem hominem, vel hominum domos evitantem. Ethnici quoque non ſecus ac Judæi morbum hunc Lunæ, ſive ut ipſi loquuntur, iracundæ Dianæ referebant acceptum. Horatius de Arte Poet. ad finem.

Ut mala quem ſcabies, aut morbus regius urget.
Aut fanaticus error, & iracunda Diana.

S. Hieronymus hic tenet, Lunaticos, de quibus hic ſermo, eſſe vere Energumenos, qui a populo per errorem Lunatici appellabantur; Dæmone improbe illos, cum Luna ſuos impleret orbes, agitante, ut populi inde occaſionem arriperent, malum hoc Lunæ attribuendi, & contra Creatorem blaſphemias evomendi.

℣. 25. GALILÆA.] Hæc citra, & ultra Jordanem patebat. Univerſam luſtravit JESUS, & generatim terras omnes tum citra, tum ultra eum fluvium poſitas, uti ex hac Evangeliſtæ recenſione innoteſcit.

ET DECAPOLI.] Plinius [12] affert nomina decem urbium, quæ Decapolim conſtituebant, videlicet, *Damaſcum, Philadelphiam, Raphanam, Scythopolim, Gadaram, Hippon, Dion, Pellam, Galaſam, Canathan*; verum fatemur, non omnium hac in re eamdem eſſe ſententiam. Certum eſt, Damaſcum, Raphanam, & Philadelphiam ad Judæos non ſpectaſſe, ideoque JESUM CHRISTUM ibi non prædicaſſe. Omnia hæc oppida, præter Scythopolim erant ultra Jordanem, & ad Aſphaltitis lacus orientem. Non abhorret a fide, *Galaſam* eamdem eſſe ac *Geraſam* caput parvulæ regionis Gazeniorum, de quibus in Evangelio ſermo eſt [13], & quæ proculdubio in Decapoli adnumerabatur. Vide Marc. 5. 1. 18. 20. Non deeſt vero difficultas in alio S. Marci [14] loco, ubi dicitur JESUS CHRISTUS *exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos*, quod innuere videretur, Decapolim eſſe ad occidentem lacus Genezareth, atque in Galilæa inferiori. At ſi recte animum advertas, JESUS terga vertit mari Galilææ, Tyro Sidonem proficiſcens, Sidone egreſſus fortaſſe in Libani regionem perrexit, Cæſaream Phrygiæ verſus, ultra Jordanis origines, & inde ad mare Tiberiadis per Galilæam ſuperiorem, vel Gentium, vertit iter, ubi ſitæ erant pleræque urbes Decapoleos. Vide Marc. 8. 10. & Matth. 15. 39. ubi dicunt, JESUM Sidone trans Jordanem profectum.

JUDÆA.] Iſthic pro meridionali Paleſtinæ parte accipitur, a Samaria Idumæam uſque.

Regio *trans Jordanem* hoc in loco ſignificat quidquid a Decapoli ad mare mortuum patet, nam de boreali tractus illius parte jam locutus eſt, *Galilææ* nomine, uti etiam de illo, qui eſt e regione maris Tiberiadis nomine *Decapoleos*: neque ſupererat, niſi meridionalis terræ ejuſdem pars.

CAPUT

1 Luc. 4. 16.
2 Act. 13. 13. 14. 15.
3 Marc. 5. 22. 35. 36. 38. Luc. 13. 14. Act. 18. 8.
4 רבנים *Sapientes.*
5 Act. 22. 19.
6 2. Cor. 11. 24. *Quinquies quadragenas una minus accepi.*
7 1. Cor. 5. 1. . . . . . . 5.
8 Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 6. c. 27. & 29.
9 Vide Dan. 2. 44. & ſup. Matth. 3. 1.
10 1. Reg. 16.
11 Σεληνιαζόμενοι.
12 Plin. l. 5. c. 18.
13 Matth. 8. 28. Marc. 5. 1. Luc. 8. 26. 37.
14 Marc. 7. 31. *Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.*

CAPUT V.

Jeſu Chriſti ſermo in Monte. Octo Beatitudines. Non venit Jeſus, ut legem deleret, ſed ut perficeret. A Diſcipulis ſuis majorem, quam a Scribis, & Phariſæis, perfectionem efflagitat.

1. VIdens autem Jeſus turbas, aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſe-
runt ad eum diſcipuli ejus, 2 Et aperiens os ſuum docebat eos, dicens:
3 Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. 4 Bea-
ti mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram. 5 Beati, qui lugent: quoniam ipſi
conſolabuntur. 6 Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam: quoniam ipſi ſaturabun-
tur. 7 Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. 8 Beati
mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. 9 Beati pacifici: quoniam filii Dei
vocabuntur. 10 Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ip-
ſorum eſt regnum cœlorum. 11 Beati eſtis, cum maledixerint vobis, & perſecuti
vos fuerint, & dixerint omne malum adverſus vos mentientes, propter me: 12
Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis: ſic enim perſe-
cuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos. 13 Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal e-
vanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & con-
culcetur ab hominibus. 14 Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſu-
pra montem poſita. 15 Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed
ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. 16 Sic luceat lux ve-
ſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum,
qui in cœlis eſt. 17 Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, aut prophetas:
non veni ſolvere, ſed adimplere. 18 Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœ-
lum, & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.
19 Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, mi-
nimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus
vocabitur in regno cœlorum. 20 Dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia
veſtra plus quam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.
21 Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus e-
rit judicio. 22 Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus
erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca: reus erit concilio: Qui autem di-
xerit, fatue: reus erit gehennæ ignis. 23 Si ergo offers munus tuum ad altare,
& ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te: 24 Relinque
ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens
offeres munus tuum. 25 Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo:
ne forte tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem
mittaris. 26 Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadran-
tem. 27 Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. 28 Ego autem
dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœ-
chatus eſt eam in corde ſuo. 29 Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, e-
rue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum,
quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. 30 Et ſi dextra manus tua ſcandali-
zat te, abſcinde eam, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membro-
rum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. 31 Dictum eſt autem:
Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii. 32 Ego autem dico vo-
bis: Quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam
mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. 33 Iterum audiſtis, quia dictum eſt
antiquis: Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. 34 Ego autem dico
vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei eſt: 35 Neque per
terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus: neque per Jeroſolymam, quia civitas eſt ma-
gni Regis. 36 Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum al-

bum facere, aut nigrum. 37 Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, a malo eſt. 38 Audiſtis, quia dictum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. 39 Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram; 40 Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium. 41 Et quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo. 42 Qui petit a te, da ei: & volenti mutuari a te, ne avertaris. 43 Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. 44 Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: 45 Ut ſitis filii patris veſtri, qui in cœlis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos; & pluit ſuper juſtos, & injuſtos. 46 Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? 47 Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? 48 Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt.

℣. 1. VIDENS JESUS TURBAS ASCENDIT IN MONTEM.] Hic ſermo Jesu multo poſt ea, quæ præcedenti capite afferuntur, prolatus fuit. Ubi evocavit Dominus Apoſtolos Simonem, Andream, Jacobum, & Joannem, omnem luſtravit regionem docens, & ubique miracula patrans. Quadam in urbe hominem [1] lepra infectum mundavit; Capharnaum reverſus paralyticum ad ſe per domus, ubi aderat, tectum funibus demiſſum [2] curavit. Poſtmodum acceerſivit Levi, vel Matthæum, qui erat Publicanus [3]; Jeroſolymam venit, alterum ab initio prædicationis ſuæ paſcha ibi celebraturus [4]; ibique paralyticum, qui octavum jam ſupra quadrageſimum annum [5] prope piſcinam aderat, morbo levavit. Cum illac reverteretur, Diſcipuli ejus in agris iter facientes ſubinde evellebant ariſtas, quas manu tenebant, ut grana comederent [6]: quæ res cum Phariſæis diſplicuiſſet, Jesus hos quidem confudit, & Diſcipulos ſuos defendit. Alia die Sabbathi quamdam ingreſſus Synagogam, hominem aridam, ac ſine motu manum habentem curavit; quæ curationes cum Phariſæos irritarent, cum Herodianis Jesum perdendi inire conſilium [7]. At prava illorum voluntate perſpecta Jesus ad mare Genezareth ſeceſſit, cumque multitudine urgeretur, cymbam advehi juſſit, ut inde citra periculum populos edoceret. Cum adveſperaſſet, ac receſſiſſent turbæ, montem aſcendit, ibique precibus noctem tranſegit. Poſtero die Diſcipulos ſuos vocavit, atque ex eorum numero duodecim elegit, quos Apoſtolos [8] appellavit; cum quibus cum de monte deſcendiſſet, in tumulo quodam in montis proclivi ſubſtitit, ibique turbas, ut hic enarratur, docere incœpit. Hæc eſt ſeries factorum JESU CHRISTI, ex quo priores quatuor Apoſtolos evocavit.

Porro ſermo hic haberi poteſt, velut epilogus Doctrinæ Salvatoris, & Evangelii compendium. Videtur iſthic conſilium, quod ſibi propoſuit JESUS CHRISTUS, novam Legem inſtituens, hoc eſt, reformandi, ac perficiendi Legem veterem, ac puritati priſtinæ reſtituendi moralia præcepta, quæ a neſariis Judæorum interpretationibus fuerant depravata. Collegit hunc in locum Matthæus plurima JESU CHRISTI documenta, aliis in occaſionibus prolata.

Hiſtoriam hanc legimus apud S. Lucam 6. 12. 13. parum aliter, ac a S. Matthæo narratur. Narrat S. Lucas, JESUM, cum oraturus montem aſcendiſſet, ibi noctem tranſegiſſe, atque vocatis Diſcipulis ſuis ex eorum numero duodecim elegiſſe, quos Apoſtolorum nomine inſignivit; cum quibus cum in æquum deſcendiſſet [9], vel *in locum planum, & æqualem*, atque ſuper diſcipu-

A los ſuos extuliſſet oculos, quatuor illis dumtaxat Beatitudines propoſuit; cum S. Matthæus 5. 1. 2. dicat, JESUM, cum vidiſſet turbas, aſcendiſſe montem, eaſque docuiſſe, octo ſtatim Beatitudines, & mox alia præcepta, quæ infra videbimus, proponendo.

Auctor Operis imperfecti in S. Matthæum credit, S. Lucam attuliſſe eum ſermonem, quem habuit JESUS ad Apoſtolos ſuos in monte, tamquam compendium ſermonis illius, quem ubi deſcendit, habuit ad turbas: a qua ſententia non longe recedit S. Auguſtinus l. 2. de conſen. Evang. c. 19. Credunt alii, JESUM ad quamdam uſque altitudinem deſcendiſſe, ubi cum montis radices latius extenderentur, latior turbis patebat campus, & Jesus de eminenti diſſerens loco poterat facilius audiri. Alii denique putant, JESUM cum de monte de-

B ſcendiſſet, tumulum quemdam e congeſta humo in agris poſitum aſcendiſſe, atque illinc incœpiſſe Apoſtolos, omneſque ſimul turbas docere. Hæ omnes ſententiæ reſpective ſumptæ nihil non maxime probabile continent. Quoad quatuor S. Lucæ Beatitudines, S. Ambroſius l. 5. in Luc. oſtendit, in illis octo S. Matthæi contineri. Hic enim fuſius digeſſit, quod brevius, & veluti per compendium S. Lucas narravit.

Quæritur, quinam fuerit hic tumulus, ex quo admirabilem hunc ſermonem protulit Jesus? Nonnulli, S. Hieronymo hic in Matth. 5. teſte, putabant, hunc eſſe montem Olivarum prope Jeruſalem; ipſe vero mavult eſſe Thabor. Sed S. Marcum [10] cum S.S. Luca & Matthæo conferentibus, videtur mons hic a mari Genezareth non procul abfuiſſe, quandoquidem cum

C Jesus prope illud mare ſeceſſiſſet, ibi ad noctem uſque in litore permanſit, mox montem aſcendit, & poſtera die, cum ſermonem ſuum abſolviſſet, ſtatim Capharnaum [11] ingreſſus eſt, quæ civitas erat citra Jordanem, & ad occaſum ejuſdem. Thabor vero quinque circiter, vel ſex leucis aberat a Capharnao.

℣. 2. APERIENS OS SUUM DOCEBAT.] In his verbis myſterium, atque emphaſim ineſſe Patres tradiderunt; ac dixerunt, vel materiæ neceſſitatem, vel myſteriorum profunditatem, vel rerum dicendarum novitatem indigitari. Alii hanc ſimplicem Hebraicam locutionem eſſe rati ſunt. Verum autumo emphaſim non deeſſe; & innui, Dominum, cum præſtolatus eſſet, donec conquieviſſet, ac ſiluiſſet populus, tandem loqui incœpiſſe ea gravitate, ac venuſtate, quæ ipſi

D erant ingenitæ. Non deſunt in Prophanis etiam ſimiles loquendi rationes, ubi Deus, Heroas, Principes ſciſoſque viros loquentes inducunt.

.... Tunc ſua Jupiter ora
Solvit, & o, noſtri ſi qua eſt reverentia, dixit,

Orige-

1 Luc. 4. 12. 2 Matth. 9. 2. Marc. 2. 3. Luc. 5. 18. 3 Matth. 9. 9. Marc. 2. 13. Luc. 5. 27.
4 Joan 5. 1. 5 Ioan. 5. 2. 3. 6 Luc. 6. 1. Matth. 12. 1. Marc. 2. 23.
7 Matth. 12. 14. 8 Marc. 3. 13. 14. Luc. 6. 13. 12.
9 Luc. 6. verſ. 17. Καὶ καταβὰς μετ' αὐτῶν, ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ.
10 Confer. Marc. 3. 7. 12. cum Matth. 12. 24. 15. 5. 1. 2. 3. Luc. 6. 12. & ſeq. 11 Luc. 7. 1.

Origenes Tract. 24. in Matth. & S. Chryſoſtomus hom 15. in Matt. credunt, JESUM CHRISTUM ſermonem ad Diſcipulos ſuos convertiſſe, ut ita populi, qui aderat, attentionem, atque curioſitatem excitaret.

℣. 3. BEATI PAUPERES SPIRITU.] Conſueverant Hebræi, mundi hujus bona cenſere velut divinarum benedictionum effectum, paupertatem vero maledicti loco ponere. Sancta veteris Teſtamenti Biblia ſententiæ huic ſuffragari videbantur, bonis quippe viris bona, malis vero egeſtatem comminabantur. Salvator iſthic hos ſenſus caſtigat, & dicit, Pauperes vere beatos eſſe, ſi tales fuerint ſpiritu: *Pauperes ſpiritu*; videlicet ſi eorum paupertas, neque coacta fuerit, nec querula, nec ſeditioſa, neque inſulens; non inertiæ, atque mali luxus effectus, neque flagitiorum ſupplicium, neque ad inertiam, atque mollitiem colorandam prætextus. Hac in re Iſajas jam prævenerat Judæos, eiſque de Meſſia loquens prędixerat c. 61. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me: ad annunciandum manſuetis miſit me*, hoc eſt pauperibus, &c. Et JESUS CHRISTUS, ut S. Ioannis Baptiſtæ Diſcipulis ſe Meſſiam eſſe probet, ait Matth. 11. 5. *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur*.

Licet Græcus textus [1] de reali paupertate loquatur, & proprie illos indigitet, qui ſumma egeſtate laborant, tamen Patrum plerique [2] hoc de humilitate, atque animi ſuavitate interpretantur. Pauper ſpiritu ille eſt, qui humiles tantum ſenſus concipit, qui nulla tumet jactantia, qui in puerorum ſenſus, ac naturam quodammodo rediit. Innuere quoque poteſt ſimplicitatem, atque docilitatem, quæ neceſſario requiritur, ut quis Evangelii præcepta, ac Myſteriorum fidem amplectatur, quæ naturæ, ac fallacibus humanæ rationis luminibus tantopere adverſantur. Explicari denique poteſt de humilitate, atque ſubmiſſione Providentiæ mandatis, de cordis pœnitentia, de patientia in adverſis, de averſione ab opibus, omnibuſque terræ hujus illecebris. Omnium fere ſæculorum docet experientia, divitiarum amorem, ac paupertatis metum invictos fere ad ſapientiam, atque virtutem obices eſſe; quod ipſi etiam Philoſophi & confeſſi ſunt, & experti.

QUONIAM IPSORUM EST REGNUM COELORUM.] Ipſi ſunt veri filii Regni, veri Meſſiæ diſcipuli, veri promiſſionum hæredes. Paupertas ſpiritus eos ad Evangelium recipiendum, & ad ſalutis præcepta, quibus ad cœli felicitatem perducentur, exercenda diſponit. *Regnum Cœli*, quemadmodum jam adnotatum eſt [3], ſæpius Gentilium vocationem ad fidem, & Evangelii exercitationem, & crebro etiam ipſam cœleſtem ſignificat gloriam.

℣. 4. BEATI MITES, QUONIAM IPSI POSSIDEBUNT TERRAM.] Qui mites ſunt, lenes, pacati, patientes, qui cum omnibus recte vivere adnituntur, omnemque jurgii, & contentionis occaſionem evitant, qui reddunt pro malo bonum [4], hi vere *poſſidebunt terram*; hos nemo non amat, omnium ſibi affectus demerentur, ea pace, ac ſuavitate fruuntur, quam inquieti, violenti, ſuſpicioſi, iracundi non norunt. Moyſes diuturnam in terra promiſſa vitam illis promiſerat, qui fideliter Leges Domini ſervaſſent [5]. JESUS CHRISTUS iſthic idem mitibus pollicetur [6]. Verum ſub hac priori temporalis felicitatis, ac beatæ in hiſce terris vitæ idea, ad alteram terram, vitamque nos attollit [7], quæ nullum eſt finem habitura, *ad terram viventium* nempe [8], & ad æternam felicitatem.

℣. 5. BEATI QUI LUGENT.] Lacrymæ, quas extorquet impatientia, deſperatio, ira, cupiditas, inimicorum odium, temporalium malorum metus, eæ demum, ut verbo me expediam, quæ ex terreno, naturalique fonte dimanant, nullam a Deo remunerationem expectent; quam ille pollicetur dumtaxat lacrymis, quarum principium metus eſt, vel amor, quas pro noſtris, & alienis peccatis effundimus [9], quas vel pœnitentia, vel miſeratio, vel dolor, eo quod tandiu a fine optatiſſimo ſupremaque felicitate diſtinemur, eliciunt: hæ quidem abſtergentur, & qui illas effuderint, ſolatium nanciſcentur hac in vita per ſuaviſſimæ gratiæ infuſionem, in altera vero per cumulatiſſimam ſupremæ beatitudinis fruitionem. Intelligi etiam poteſt de illis, qui plorant propter mala, & perſecutiones, quas hoc in ſæculo patiuntur; qui dolent, effundunt lacrymas in morbis, in adverſis, in egeſtate, aliiſque vitæ hujus malis, quæ ſi patienter Dei mandatis obnoxii pertulerint, ſolatium aliquando in Cœlis invenient. Senſus hic maxime ſimplex, atque naturalis videtur [10].

℣. 6. BEATI, QUI ESURIUNT, & SITIUNT JUSTITIAM.] Qui juſtitiam, Dei voluntatem amant, qui illam tanto fervore inquirunt, quanto homo aliquis fame, vel ſiti laborans, vel ſaturari quærit, vel ſitim releuare, hi inquam invenient, quod tanta ſollicitudine cupiunt [11], Deus horum deſideriorum auctor eſt; ea numquam inutilia relinquit. Qui juſtitiam diligit, & cupit, jam poſſidet. Gratiam, quæ nos prævenit, & hoc deſiderium inſpirat, ignis eſt inextinguibilis, niſi illum per noſtrum patimur ſcelus in nobis met ipſis intermori.

Alii hoc aliter intelligunt: S. Lucas 6. 2. legit ſimpliciter: *Beati, qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini*; & *juſtitiæ* non meminit. Itaque hoc pacto poteſt explicari [12]: *Beati, qui famem, ac ſitim pro juſtitia patiuntur, quoniam ſaturabuntur*. Ita S. Paulus, & Martyres tormenta, famem, ſitim, nuditatem pertulere, ut veritatem atque juſtitiam tuerentur. Alii [13]: *Beati, qui inter* egeſtatem, *famem, ac ſitim, Juſtitiæ guſtum, atque amorem ſervant*, Tobiæ ſimiles, qui dicebat Tob. 4. 23. *Pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene*. Aliter: Beati, qui ultro ſe vitæ hujus commodis exuunt, ut juſtitiam acquirant, virtutemque exerceant, velut ii, qui omnia ſua deſerunt, ut nudi nudum JESUM CHRISTUM ſequantur.

℣. 7. BEATI MISERICORDES &c.] Judæi inſolentes erant, atque crudeles erga alienos; ultores, atque inclementes erga inimicos. Lex Moyſis plurima toleraverat propter duritiem cordis eorum. JESUS CHRISTUS iſthic clementiam, miſericordiam, lenitatem erga mortales omnes, injuriarum veniam, inimicorum amorem commendat. Verum hæc præcepta alibi facilius, atque diſtinctius evolvit [14]. At iſthic ea dicit, quæ ſatis ſunt, ut intelligamus, nullam ſperandam eſſe miſericordiam illis, qui erga proximos fuerint immites. Qui non pepercerint, iis non parcet Deus, &

1 Πτωχοὶ. Mendici. Grot. Maldon. Scult. alii. Et ita ex Patrib. Tertull. lib. adverſ. Marcion. Hieron. hic. alii.
2 Hilar. in Matth. Auctor. Oper. imperfecti, homil. 9. Chryſoſt. in Matth. homil. 15. Ambroſ. lib. 5. in Luc. Auguſt. lib. 1. de Serm. Domini in monte. D. Leo homil. de omnib. SS. Greg. Magn. lib. 36. in Job. Hieronym. alii paſſim. 3 Matth. 3. Vide quoque Matth. 11. 5.
4 Vide Auguſt. lib. 1. de Serm. Domini in monte. 5 Exod. 20. 12. Deut. 5. 16. 22. 7. 31. 47.
6 Chryſoſt. hic. Ita Euthym. & Theophylact. 7 Ita Origen. in Num. 26. Baul. in Pſalm. 33. Cyrill. in Iſai. 38. Auctor. Oper. imperfect. homil. 9. Hieronym. hic.
8 Iſai. 61. 3. Vide Auguſt. lib. 1. de Serm. Domini in monte.
9 Vide Chryſoſt. & Hilar. & Opus imperfect. & Hieronym. hic. Ambroſ. lib. 6. in Luc. S. Leo, homil. de omnib. SS. Cyrill. lib. 5. in Iſai. alii. 10 Auguſt. lib. 1. de Serm. Domini in monte. Nyſſen. lib. de Beatitudinib. Grot. Hammon. Mald. alii. 11 Auctor. Oper. imperf. Hilar. & Hieronym. in hunc loc. Ambroſ. lib. 6. in Luc. Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte. S. Leo ſerm. de omnib. SS. Chryſoſt. hic. Bern. ſerm. de omnib. SS. Euthym. & Theophylact. hic. alii. 12 Maldon. Janſen. Cornel. a Lapide.
13 Theophylact. Mariana, Le Clerc, alii. 14 Vide infra verſ. 44. & 45. & Matth. 6. 12. &c.

qui ultionem, iramque ſuam exercuerint, a Deo ſeveriſſime punientur.

℣. 8. BEATI MUNDO CORDE, QUONIAM IPSI DEUM VIDEBUNT.] Triplex ſenſus tribuitur his verbis: *mundo corde*. Beati, quorum conſcientia integra eſt, ſceleriſque pura, & iis ſordibus vacua, quæ nos Dei inimicos efficiunt [1], atque ab illius viſione, & fruitione ſejungunt. 2. Qui habent rectitudinem, ſimplicitatem, candorem, ſinceritatem, quæ Dei filiis ſunt propriæ [2]. 3. denique, quorum corpus immune eſt ab iis criminibus, quæ carnem corrumpunt, & cor depravant [3]. Nihil nos magis a Deo poteſt arcere, noſque beatiſſimo illius adſpectu privare, quam flagitia pudori, atque honeſtati oppoſita. Hæc quippe denſas offundunt animæ in hoc vita tenebras. Judæorum puritas in eo poſita erat, ſi legalibus ſordibus minime eſſent obnoxii. JESUS CHRISTUS cordis puritatem, integritatem, caſtitatem, innocentiam expoſcit, eique Dei viſionem pollicetur, quæ maximum eſt bonum, quod homo valeat optare. Deus ſeſe nobis in hoc mundo aperit obſcure, atque ænigmatice in Bibliis, ſacriſque myſteriis; at in altera vita illum, omni dempta nube, facie ad faciem intuebimur 1. Cor. 13. 12. Ethnici licet adeo rudes eſſent, intelligebant tamen, ſummum bonum eſſe, Deos præter figuram videre. Ovidius de Ponto l. 2. Eleg. 8.

Felices illi, qui non ſimulacra, ſed ipſos,
Quique Deum coram corpora vera vident.

℣. 9. BEATI PACIFICI, QUONIAM FILII DEI VOCABUNTUR.] Græcus proprie ſignificat [4]: *Beati qui pacem procurant* [5], qui eam tuentur, reſtituunt, ubique inquirunt, qui pacate vivere norunt inter eos, qui ad eam turbandam præſto ſunt, qui ſuavitate, patientia, clementia, indulgentia ſua publice, ac privatim, intrinſecus, & extrinſecus pacem ſervant. Hic eſt Chriſtianæ Religionis ſpiritus, procul abeſſe a contentionibus, ac jurgiis, a vanitate. Deus in Scripturis [6] *Deus pacis* vocatur, & qui in pace vivunt, merito filii Dei nuncupantur. S. Auguſtinus [7] iſthic cordis pacem intelligit, quam obtines, ubi tuos effectus perdomueris, & effeceris, ut caro ſpiritui pareat, ſpiritus Deo. Moyſes, & Joſue cum gladio venerant, mortem ac vaſtitatem ubique inferentes, ut conſtituerent Iſrael in hæreditate, quæ patribus illius fuerat promiſſa. At JESUS CHRISTUS in ſuavitate venit, patientia, & pace, atque Diſcipulis ſuis hanc tantum commendat. Regnum illius regnum pacis eſt, atque miſericordiæ.

℣. 10. BEATI QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR PROPTER JUSTITIAM.] Perſecutionem pati, inimicos nanciſci, nequaquam ſemper eſt prædeſtinationis, & felicitatis nota. Sed pati perſecutionem *propter juſtitiam*, hoc tantum eſt beatitudinis argumentum. Improbos perſequimur, ſontes punimus, hi in utraque vita ſunt calamitoſi, Deo æque, & hominibus inviſi. Abſit, ne quis hac de cauſa nos perſequatur: *Nemo veſtrum patiatur, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat* 1. Pet. 4. 15. Chriſtianus, univerſa licet in oppoſitum adnitatur mundi, atque inferorum nequitia, & rabies, fidem ſuam, innocentiam, veritatem, atque juſtitiam tueri debet. Non perſecutio, ſed probitas cauſæ, quam tuemur nobis præmia promeretur; eſt ratio, modus, finis, propter quem patimur. S. Hilarius per hanc juſtitiam JESUM CHRISTUM intelligit. Felices, qui pro divino hoc Salvatore patiuntur.

℣. 11. BEATI ESTIS, CUM MALEDIXERINT VOBIS.] Addendæ ſunt conditiones duæ, quæ infra exprimuntur: 1. *mentientes*, injuſte, ac fallaciter; 2. *propter me* [8]: propter Deum. Alioquin nihil prodeſt, imo obeſt quam maxime calumniis, dicteriiſque proſcindi; maledictis, atque perſecutionibus urgeri [9]. Judæi, atque Ethnici nihil intentatum reliquerunt, ut JESUM CHRISTUM, & Diſcipulos ejus apud mortales omnes in odium raperent. Redarguebantur impietatis, magiæ, homicidii, inceſtus; ipſi vero iis omnibus patientiam tantummodo oppoſuerunt. Immo ex perſecutionibus ſuis lætitiæ fructum percipiebant [10]; eumque citra quamlibet animi perturbationem calumniam refutaſſent, quieſcebant, ac Deo relinquebant ſuæ innocentiæ, atque nominis curam. Ita Chriſtiana Religio inſtituta eſt; iis qui patiuntur, Cœlorum regnum promittitur. Crucis Diſcipuli, ac JESU CHRISTI imitatores ad hunc glorioſum Chriſtiani titulum jus habent [11]. Græcus ad litteram [12]: *Beati eſtis, cum vos dicteriis proſciderint, & perſecuti vos fuerint, & in vos omnem ſermonem nequam evomuerint;* vel eum omnium flagitiorum, ſcelerumque nomine *falſo, & propter amorem mei* accuſabimini.

℣. 13. VOS ESTIS SAL TERRÆ.] Sanctus Lucas nobis viam aperit [13], utquinam ſit hic terræ ſal, intelligamus; ait enim, ubi ſemel vim amiſerit, neque agris, neque ſterquilinio utilem eſſe, ſed abjici. Et S. Hieronymus hic fatetur, hoc *exemplum de agricultura ſumptum* eſſe. Inquirendus igitur ſal, qui proſit agriculturæ, qui cum vires amiſerit, neque agris amplius inſerviat; neque ſterquilinio, & qui alio ſale ſaliri non poſſit. At hæc omnia in alba, viſcidaque argilla quadam, quæ Gallis *marne* appellatur, deprehendimus, ex qua pluribus in locis agri ſaturantur, vel in cineribus herbarum, frondium, radicum, vel ſepium, quæ in arvis cremantur, quibus ſal ineſt ad agros ſaturandos aptiſſimus. Imber enim hos diſſolvit ſales, eorumque cum humo commixtio, huic ubertatem impertit. At ſi ſales hos infatuari permittis, ſi diu aeri, pluviæque in loco ſterili, & lapidoſo relinquis, jam vires amittunt, neque ulterius proſunt agris ſaginandis, neque ut in ſterquilinium mittantur.

Docent Viatores in Oriente, fimum ad ſtercorandos agros non adhiberi, præſertim vero in Palæſtina [14], non uti noſtrates ſolent, terras ſaginari; immo videntur vel argilla, vel cineribus ſaturari. Pſalmiſta ad hanc alludit conſuetudinem pſalm. 140. 7. *Oſſa noſtra* effuſa ſunt ſuper oſtium ſepulchri, quemadmodum terræ lætamen ſuper agros projicitur. Jeremias 8. 2. loquens de contumeliis, quibus Chaldæi ſepulchra Regum Juda erant inquinaturi, dicit, illos projecturos oſſa illorum, velut id, quod agris ſaturandis inſervit. Nemo ignorat, argillam, quam *marne* appellamus, eſſe foſſilem, candidam, vel ex nigro albentem, & nonnumquam rubentem, pinguem, viſcidam, quæ de imo terræ educitur, & quæ parva in copia ſuper ſolum effunditur; ſi enim majori effundatur in copia, ſolum ipſum exurit; *Si nimia injecta eſt, exurit ſolum*, ait Plinius l. 17. cap. 6. *inſpergitur rara, ſale eam miſceri putant*. Adeo vero fœcunda eſt, ut in annos quinquaginta uberet arva. Hoc genus ſemel in quinquaginta annos valet, & *frugum, & pabuli ubertate*. Adhibetur enim in agris, æque ac in pratis, cum ubi fruges, tum ubi gramina dumtaxat luxuriantur. Uſus ejuſdem vetuſtiſſimus eſt non in Britannia ſolum, & in Gallia, ubi ad hanc quoque diem uſurpatur, verum etiam in Oriente, atque in Græcia [15].

Cinis ramorum, herbarum, frondiumque combuſtarum

---

1 Baſil. Regul. brev. 280. Hilar. in Matth. can. 4. Nyſſen. homil. de Beatitud. Hieronym. & Auctor. Oper. imperf. hic.
2 Auguſt. lib. 1. de Serm. Domini in monte.
3 Chryſoſt. Euthym. Theophylact. hic.
4 Μακάριοι εἰρηνοποιοί.
5 Vide Chryſoſt. Euthym. Theophylact.
6 Rom. 15. 33. 16. 20. & 1. Cor. 14. 33.
7 Auguſt. lib. 1. de Serm. Domini in monte.
8 Ἕνεκεν ἐμοῦ, Plures Codd. ἕνεκεν δικαιοσύνης. Vide Mill. Var. lect.
9 Vide Auctor. Oper. imperfect.
10 Act. 5. 41. Rom. 5. 3. 2. Cor. 12. 9. Galat. 6. 14.
11 1. Petr. 2. 21. & 3. 51.
12 Μακάριοί ἐστε ὅταν ὀνειδίσωσιν ὑμᾶς, καὶ διώξωσιν, καὶ εἴπωσι πᾶν πονηρὸν ῥῆμα καθ' ὑμῶν ψευδόμενοι ἕνεκεν ἐμοῦ. Quidam omittunt: ψευδόμενοι.
13 Luc. 14. 35. Οὔτε εἰς γῆν, οὔτε εἰς κοπρίαν εὔθετόν ἐστι.
14 Eugen. Roger. lib. 1. cap. 2. p. 6.
15 Plin. l. 17. c. 6. & Varro de Re Ruſt. lib. 1. cap. 7.

rum in terram effuſus, ipſe etiam ſal terræ vocari potuit: eamdemque qualitatem habet ac argilla, de qua ſermo fuit, & fimus; præterquamquod vis illius tanta non eſt, neque copioſus adeo ſal, quo ſcatet. Narrat Plinius l. 17. c. 8. in Italia, ſummo haberi in pretio cineres ad terras ſaturandas, eoſque fimo etiam præferri; immo fimum ipſum cremari, ut in cinerem convertatur; teſtatur etiam calcariæ fornacis cineres oliveris præſertim aptos eſſe, ſarmentorum vero viribus, quæ macie tabeſcunt, apprime utiles eſſe. S. Paulus ad Hebr. 6. 8. ait, terram, quæ ſpinas duntaxat, ac tribulos germinat, reprobatam eſſe, ac maledictione dignam; hanc tamen ultimam eſſe illius medicinam, ſi comburatur, videlicet, ſi cremantur ſepes, herbæ, radices, rubi, qui ibi extant; fieri enim poteſt, ut horum cinerum ſales illi forταſſe ubertatem reſtituant.

Patres, atque Interpretes vulgo locum hunc in morali explicant ſenſu, quin negotium illis faceſſat id, quod allegoriæ, vel parabolæ ſubjectum eſt, atque argumentum. JESUS CHRISTUS iſthic Apoſtolis ſuis ait, illos in mundo eſſe debere velut ſalem, qui agros ubertat, & excitat terræ virtutem, ut fructus afferat abundantior. Sermonibus, atque exemplis ſuis in eos, a quibus videntur, & audiuntur, immittere debent amorem virtutis, & cœleſtium voluptatem, ac efficere, ut bonorum operum fructus ferant, eoſque, ut in æquitatis via perſeverent, excitare. Hos admonet, ſi ipſi corrupti fuerint, ac vires ſuas amiſerint, & quia alios ædificant, illos depravaverint, tunc ipſos inventuros neminem, qui quod amiſerint, ipſis reſtituat. Ad nihilum prodeſſent, ac in calamitoſo ſtatu ſuo relinquentur. *Si ſal infatuatum fuerit* [1], *ad nihilum valet ultra*. S. Hilarius ait: *Si ſal infatuatum fuerit, ad nihilum valet id, quod ſalietur*.

℣. 14. VOS ESTIS LUX MUNDI.] Apoſtoli, & Diſcipuli JESU CHRISTI ſunt Lux Mundi, eodem ſenſu quo ſal terræ dicuntur. Populos illuminare debent, aiſque Evangelii lucem adferre. At ſi lux hæc extincta fuerit, & pro lumine effuderit tenebras, quis poterit eos illuminare, & quo horrore totus terrarum orbis ſqualeſcet? *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum*. Ita JESUS CHRISTUS non mittit Apoſtolos, ut celatam in ſe veritatem contineant, ſed ut eam toti mundo & ſermonibus prædicent, & exemplis. Cavete ergo, ne ſcelus huic lumini offundat caliginem, neve per errorem, aa hæreſim extinguatur. Candelabra hæc, ſuper quæ lux collocatur, ſimilia ſunt vetuſtis illis, quæ in aulæ medio collocabatur, & quibus lampas accenſa imponebatur. Vide 4. Reg. 4. 10. & quid in Exodum 25. 31. dictum fuerit de candelabro aureo, quod erat in Sancto, & quid dicat Homerus Odyſſ. H. da candelabris iis, quæ in ædibus Alcinoi conſpiciabantur.

NON POTEST CIVITAS ABSCONDI SUPRA MONTEM POSITA.] Civitas hæc eſt JESU CHRISTI Eccleſia [2], ſuper Prophetas, atque Apoſtolos fundata, qui propter dignitatis celſitudinem, atque doctrinæ ſoliditatem, ſunt veluti montes. Apoſtoli, atque Præcones Evangelii, ipſi quoque ſunt velut civitas ſupra montem poſita [3], atque totius terrarum orbis adſpectui patens. Eorum vita, doctrina, ſapientia, populorum ædificatio eſſe debent. Dei ordinem perturbant, ſi per negligentiam aliis ſe ſe communicare nolunt, vel ſi per nequitiam, lapſus, & ſcandali præbent occaſionem. Poſtremæ hæ parabolæ *lucis mundi, & civitatis ſupra montem poſitæ*, in Textu haud ita explicite ſunt; ſed ex ſermonis decurſu earum ſenſus facile intelligitur.

℣. 16. LUCEAT LUX VESTRA CORAM HOMINIBUS, &c.] Matth. 6. 1. 2. 5. vetat Jeſus Chriſtus, ne coram hominibus jactantiæ ergo juſtitiam faciamus; & admonet eos, qui hominum laudes, ac plauſus aucupantur, cumulatiſſimum jam præmium eſſe conſecutos. Cum eleemoſyna erogatur, id clanculum adeo fieri jubet, ut, quid egerit læva, dextera ignoret. Verum hæc præcepta iis, quæ iſthic dicuntur, minime adverſantur. Non licet ideo bonum agere, ut videaris, & præmium ex mortalium laudibus feras; ſed bonum facere jubemur, ut qui teſtes fuerint, Deum laudent. Rationes enim, quæ nos ad recte agendum impellere debent, ſunt [4] Dei gloria, ſanctificatio noſtra, proximi utilitas. *Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam*, S. Petrus Apoſtolus in 1. Ep. 2. 12. inquit, *ut in eo, quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus, vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis*.

℣. 17. NOLITE PUTARE, QUONIAM VENI SOLVERE LEGEM [5].] Antiquare, delere. Rabbini hac voce uti conſueverunt, ut dicerent *permittere*, vel aliquid permiſſum docere. E contra *ligare* ſignificat rem illicitam eſſe, ac vetitam [6]. Inde autem profecta eſt hæc loquendi ratio, quod Leges habeantur velut vincula, quæ impedimento ſunt, ne quod cuperemus, faciamus. Iſthic ergo innuere vult Jeſus Chriſtus, ſe in hunc mundum nequaquam veniſſe, ut Legi minime obnoxius eſſet, neque ut eam antiquaret, aut homines ab ejuſdem obſervantia averteret; immo e contra, ut illius magnitudinem, atque latitudinem indigitaret [7], atque in ſe met figurarum, atque Prophetiarum complementum oſtenderet [8]. Ita Judæorum, quos alloquitur, animos ad ea, quæ dicenda ſunt, præparare adnititur, atque omnem adimere ſuſpicionem, quæ illis in ipſum poſſet ſuboriri, videntibus, ab eo vitam, mores, atque præcepta Phariſæorum redargui, qui diligentiſſimi, atque religioſiſſimi Legis obſervatores habebantur.

Legis nomine iſthic quinque Moyſis libri intelliguntur; nomine vero Prophetarum, quidquid in Scripturis eſt reliquum. *Lex* accipitur etiam nonnumquam pro univerſa veteris Teſtamenti œconomia, pro Synagoga Eccleſiæ oppoſita, pro veteri Teſtamento, recenti oppoſito, pro Lege Moyſi oppoſita Evangelio, pro Judæo oppoſito Chriſtifideli. Poteſt hæc vox non inconcinne iſthic juxta latiſſimam ejuſdem vim deſumi. JESUS CHRISTUS quodam in ſenſu non venit, ut Legem deleret, ſed ut perficeret. Præcepta, quæ tradit, non evertunt vetera, ſed antiquorum quædam ſunt explicationes, quæ eorum ſenſum evolvunt, quæ olim Deus dederat Moyſi, vel ſunt adminicula, per quæ illis major facilitas adſtruitur, vel reſtrictiones ſunt, quæ libertatem coarctant, aut quod toleratum fuerat, antiquant; vel regulæ, quæ veram eorum mentem aperiunt.

Objiciunt Judæi, contra JESU CHRISTI dicta, & promiſſionem, Apoſtolos, atque Chriſtifideles Moyſis Legem abrogaſſe, & deſeruiſſe. At perperam. Non enim eam reliquimus in iis quæ eſſentialia ſunt, & immutabilia [9]. JESUS CHRISTUS moralia præcepta non attigit, niſi ut perficeret, eaque ad majorem perfectionis gradum evocaret. Quoad leges cæremoniales, quas Prophetæ ipſi [10] antiquandas portenderant, & quas inutiles eſſe oſtenderant, Apoſtoli eas tamquam inutile, ac non ferendum jugum excuſſerunt [11], ita tamen, ut mentem earumdem ſervarint. Legiſlatoris quippe mentem aſſecuti oſtenderunt verum uſum ſenſibilium, exteriorumque cæremoniarum, his alias longe faciliores, utiliores, magiſque ſublimes ſubrogando: *Chriſtus Dei creatoris præcepta ſupplendo, & conſervavit, & auxit*, ait Tertullianus lib. de Patient. Compleverunt, atque detexerunt rem ipſam, quæ ſub figurarum integumento latebat, & Fidelibus auferentes onus obſervationis La-

1 Ἐὰν τὸ ἅλας μωρανθῇ, alii μωρανθῇ. Evanuerit.
2 Author Oper. imperfect. Hieron. plurib. locis.
3 Maldon. Brug. Spanh. Grot. alii pleriquæ.
4 Auguſt. l. de Serm. Domini in monte. Hil. hic.
5 Καταλῦσαι τὸν νόμον.
6 Vide Clericum in hunc locum.
7 Auguſt. l. 1. de Serm. Domini in monte, n. 20. *Chriſtus Legem adimplevit, aut addendo quod minus habet, aut faciendo quod habet; nam qui addit quod minus habet, non utique ſolvit quod invenit, ſed magis perficiendo confirmat, &c.*
8 Hilar. & Chryſoſt. hic.
9 Irenæus lib. 4. cap. 27. *Dominus naturalia Legis non diſſolvit, ſed extendit, ſed & implevit.*
10 Iſai. 1. 11. 12. 13. Jerem. 6. 20. Pſalm. 1. 18. Amos 5. 22.
11 Act. 15. 10. Gal. 5. 1.

Legum figurativarum, & ceremonialium, illis charitatis legem dederunt. Ex prava tabula, rudibuſque lineamentis perfectiſſimum opus effecit.

℣. 18. Amen dico vobis.] Jesus Christus vulgo hac utitur loquendi ratione: *Amen dico vobis*; vel *Amen, Amen dico vobis*. Vox hæc *Amen* nonnumquam aſſerit tantum; nonnumquam ad approbandum inſervit: *Ita ſit*. Salvator noſter, qui eadem erat veritas, hoc populi tribuit ſolemnitati, illud, quod ajebat, affirmans. Ita enim ejus attentionem excitabat.

Donec transeat Coelum, et terra, jota unum &c.] Cœlum, ac terra non tranſibunt, niſi quidquid in Lege eſt, uſque ad unum jota, punctumque adimpleatur. Vel: Citius terra Cœlumque tranſibunt, ac delebuntur, quam quidquid in lege continetur ad minimum uſque jota, vel punctum non expleatur. Hæc hyperbolica, & adagialis loquendi ratio, probat id, quod ſuperius Salvator ait; ſe videlicet veniſſe, non ut ſolveret legem, ſed ut adimpleret. Tantum abeſt, ut eam antiquatam velim, ut illam æternam prædicem, & æque fieri nequit, ut penitus abrogetur, uti fieri non poteſt, ut Cœlum, ac terra deſtruantur. Hæc ad mundi uſque finem permanebit [1], integraque ſubſiſtet: ita ut neque verbum, neque ſyllaba, neque litera, neque litteræ apex futurus ſit, qui omnino non compleatur. *Jota*, vel Jod minima eſt inter Hebraicas litteras, commati ſimilis. *Unus apex*, punctum ſupra literam Græce *Μία κεραία*. Non deſunt, qui hoc explicent de vocalibus punctis, quæ Hebræi litteris ſuis apponunt, in ſupplementum vocalium, quæ ſæpiſſime deſunt, atque lectio textus ſtatuatur; ſed ea multo poſt Jesum Christum fuere adinventa.

Quidquid in Lege, & in Prophetis ſcriptum eſt, ad unguem igitur adimplebitur. Ea omnia veſtigia, quæ Meſſiam indicant, in Jesu Christi perſona expreſſa inveniuntur [2]. Omnia vaticinia, quæ illum pollicebantur, ejuſque portendebant adventum, figuræ omnes, quæ illum exhibebant, omnes cæremoniæ, quæ ad illius Perſonam, vitam, Eccleſiam referebantur, ad litteræ apicem ſunt adimpleta. Quod nondum adimpletum eſt, adimplebitur. Præteritorum certitudo pignus eſt futurorum, ut & quæ ventura ſunt, certa ſint. Leges omnes morales, atque eſſentiales Religionis Judæorum vigent adhoc, omnemque vim ſuam retinent in Chriſtiana Religione, ſed majori cum perfectione quam olim in Synagoga. Si cæremonialia præcepta a nobis ulterius non obſervantur, ea cauſa eſt, quod figurativa dumtaxat erant, & quod aliis ſuperque aliis longe utilioribus, atque perfectioribus ſuppleta fuere. Qui ædificium aliquod reparat, ac illud longe perfectius, ſolidius, & ornatius efficit, ejuſne poteſt everſor appellari? Hoc erga Moyſis legem præſtitit Jesus Christus.

℣. 19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis.] Qui unum aliquod ex his minimis præceptis perfregerit, alioſque illud perfringere docuerit, in Regno cœlorum tamquam minimus, vel poſtremus habebitur, vel etiam omnino Cœleſti regno privabitur, juxta nonnullos Interpretes [3]; hoc eſt, particeps non erit æternarum remunerationum, atque Dei Judicio damnabitur. Non deſunt in Scripturis complures loquendi rationes huic ſimiles, ubi vox eadem in eadem locutione duplici in ſenſu uſurpatur, exempli gratia Matth. 8. 22. *dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Ac alibi perinde ac dixiſſet aliquis Jesu, illum a matre, ac fratribus expectari, ait Matth. 12. 50. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt; ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt*. Alii [4] hoc de ſeceſſione ab Eccleſia interpretantur; neququam dignus eſt, qui inter Jesu Christi diſcipulos enumeA retur. Non erit in numero filiorum Regni. Jesus Christus ſe, ſuoſque Legi ſubjicit, ut omnia illius expleat munia ad unguem, & edicit, ſe ex diſcipulorum ſuorum albo expuncturum, qui eam vel per ſe, vel per alios perfregerint.

At quænam ſunt hæc minima præcepta, de quibus loquitur? *Unum de mandatis iſtis minimis!* Credunt nonnulli [5], ipſum alludere ad ea præcedentis verſiculi verba: *jota unum, aut unus apex non præteribit a Lege*. Hoc jota, hic apex deſignant minora Legis præcepta. At juxta aliorum ſententiam [6] ſignificant præcepta, de quibus nuperrime ſermo fuit, vel mox futurus eſt [7], nempe novæ Legis mandata, quæ minima vocat vel modeſtiæ cauſa, vel quod juxta Scribarum, ac Phariſæorum morem loquitur [8]; ea videlicet præcepta, quæ B magiſtri veſtri veluti nugatoria ducunt; Doctores enim majori habebant in pretio cæremonialia, quam moralia mandata. S. Hieronymus inquit, nihil prodeſſe bene docere, ſi male vivitur; perfectam vero beatitudinem eſſe, *quæ ſermone doceaſ, opere complere*.

℣. 20. Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum &c.] Iſthic, quemadmodum ſuperioribus verſiculis, *Regnum Cœlorum*, vel Æternitatem, & alterius vitæ felicitatem, vel Jesu Christi Eccleſiam, atque Chriſtianam Religionem ſignificat. Adſcribi in albo diſcipulorum Domini, ejuſque mandata obſervare, prærnatura eſt beatitudo, & pignus æternæ felicitatis. Jesus Christus ex diſcipulis ſuis perfectiſſimam legum ſuarum exigit obſervantiam. Qui eas infringit, vel alios docet infringere, ſocietatis illius C expers eſſe, atque ex Regno ejus exire meretur. Hic addit, non ſatis eſſe illam obſervare Scribarum more, ac Phariſæorum, qui ſapientiſſimi, atque diligentiſſimi Legis obſervatores habebantur [9]: Jubet, eos a Diſcipulis ſuis ſuperari fide, ſedulitate, diligentia, & nonnulla affert eorum exempla, quæ ab illis præter Phariſæorum exigit inſtituta.

Generatim poſtremis hiſce externa ſufficiebat actio, quin ipſis negotium faceſſerent ſenſus interni charitatis, humilitatis, & contritionis. Externam dumtaxat ſpeciem componere, ac manum coercere admiſi ſunt; cæterum nullo ipſis erat in diſcrimine pravas fovere cogitationes, ac mala vota, quæ non ſubſequeretur effectus. Joſephus ipſe Hiſtoricus, qui Phariſæus erat, hoc ſcholæ ſuæ præceptum nobis teſtatum reliquit Antiq. D l. 12. c. 13. Dixerat Polybius, Antiochum Epiphanem a Deo fuiſſe percuſſum, eo quod Templum Dianæ diripere voluerat; quod Polybii dictum Joſephus perpendens, ait, voluntati uni, quam non ſubſequitur effectus, nullum adhærere ſupplicium. Eamdem ſententiam Rabbinus Kimchi, aliique plures tuentur [10]. S. Paulus [11], qui Phariſæus fuerat, fatetur, ſe primum nequaquam noviſſe, quænam eſſent noxia deſideria, a ſe illa in Lege non niſi tandem per converſionem ſuam detexiſſe. Verum eſt, Talmudiſtas [12] docere, fas eſſe, hominem occidere, quem certo ſciat pravum aliquod facinus moliri; idque tamen, ut improbe factum tollatur, non ut pravum conſilium puniatur.

Ad hæc Phariſæi pro libidine vero ſenſui, veræque Legis exercitationi contra Legislatoris mentem, ac voE luntatem ſubrogaverant commentitiam traditionem; ideoque diuturnæ conſuetudini innixi, nequaquam ſibi religioni vertebant, ſi plura Legibus contraria perficerent. Alia etiam tamquam optime facta probaverant, veluti ultionem, atque repudium &c. quæ ad ſummum toleraverat Moyſes. Ita propter eorum explicationes, nullum ferme aderat amplius morale præceptum, quod ipſi non antiquarent, vel ſummopere infirmarent. Declarat Jesus Christus, ſe a ſuis perfectiorem exigere ob-

---

1 Pſal. 71. 5. 17. 88. 28; Eccli. 27. 12.
2 Vide SS. Chryſoſt. & Hilar. in verſ. præcedentem.
3 Chryſoſt. Theophil. Aug. lib. 1. de Serm. Domini. Auctor Oper. imperfecti hic. Homil. 11. initio. Grot. Mald. Hamm. Baug. alii.
4 Gregor. Mag. l. 10. Moral. c. 3. Eſt. Janſ. Hamm.
5 Ligfoot, Hor. Heb.
6 Aug. l. 1. de Serm. Grot, Ira & Hieron.
7 Auctor. Oper. imperf. Mald. Chryſoſt. & Theophil. hic.
8 Menoch. Tyr. Piſc. Brug. Spanh. Vide Hier. hic.
9 Act. 26. 5.
10 Vide ad Pſalm. 65. 18. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus*.
11 Rom. 7. 7. Vide Grotium hic.
12 Meſna, tit. Sanhed. c. 8, & Maimon. tract. Rotza, c. 1. Vide Selden. de jure nat. & G. l. 4. cap. 1.

obſervantiam, ut ad litteram magis, magiſque diligenter veram Legis mentem aſſequantur, & expleant. A Et S. Johannes Chryſoſtomus hic addit, Legem non ideo ad Cœlorum Regnum non deducere, eo quod mala eſſet; ſed quod tempus eceſſerat, illuc per præcepta perfectiora aſſequendi. Ad finem ſuum Lex pervenerat, locumque Evangelio vacuum debebat relinquere. Phariſæi in eo juſtitiam ſuam collocabant, ſi Legi paruiſſent, at excellentius aliquid jam petebatur.

℣. 21. AUDISTIS, QUIA DICTUM EST ANTIQUIS: NON OCCIDES.] Moyſes mortis pœna propoſita cavebat, ne quis alterum enecaret [1]. In ſingulis civitatibus Judices erant, qui de vi cognoſcerent [2]; præter quos alii etiam erant in urbibus refugii, qui de cæde fortuita, ac præter voluntatem judicarent [3]. Hæc ea ſunt, quæ extra cædem lex præcipiebat. Quibuſdam in B caſibus permittebat, ut qui occiſum propiori conſanguinitatis gradu attingeret, interfectori manus inferret, ſi ſibi obvius occurreret [4]. Verbo; Lex externum dumtaxat, perfectumque facinus puniebat; de cordis ſenſu non quærebat. At hoc ipſum de JESU CHRISTI lege dici nequit, hæc odium, iram, contumeliam, ac potiori jure volnera, cædeſque condemnat [5].

Ut rectius hujus, & ſequentis verſiculi ſenſum aſſequamur, operæ pretium eſt adnotare apud Judæos, ævo JESU CHRISTI tria fuiſſe genera tribunalium [6]. Primum ex tribus Judicibus componebatur, qui de cauſis levioris momenti, velut de furto judicabant; idque in ſingulis erat civitatibus. Alterum conſtabat ex tribus & viginti viris, qui de rebus majoris momenti, graviſſimiſque flagitiis judicium ferebant, & quorum ſententiæ plerumque capitali ſupplicio aliquem damnabant, eo C quod ad eorum Tribunal ea tantum afferebantur cauſæ, quæ ſupplicium hoc poſtulabant. Vocabatur autem Sanhedrin minor, & ad hoc creditur iſthic JESUS CHRISTUS alludere, ubi ait: *reus erit judicio*, videlicet mortis ſententia in eum proferetur. Tertium denique Sanhedrim majus dicebatur ex duobus, & ſeptuaginta Judicibus conſtatum, qui maximis negotiis ad Religionem, Regem, Summum Pontificem, & Rempublicam generatim decernebant. Poſtremum hoc tribunal *Concilii* nomine JESUS CHRISTUS expreſſit.

Inquit ergo Salvator, ſimplex odium, iram, ultionis cupiditatem, coram Deo æque noxia eſſe, ac cædem ipſam perfectam, quam mortis manet ſupplicium; qui enim fovet odium adverſus proximum ſuum, mortem D illius optare cenſetur, & a cæde cohiberi metu dumtaxat, ne cogitatum facinus expleat. Qui vero ira abreptus in fratrem ſuum contumelioſa evomit verba, puta, *Raca*, quod nequam, vel fatuum ſignificat, coram Deo ſons eſt, iiſque pœnis conſtringendus, quibus majus Sanhedrin majora ſcelera perſequitur. Demum, qui odio adjicit contumelias, jurgia, dicteria, dignus eſt pœnis inferni; nullum quippe in terris ſupplicium tantum eſt, quod tale ſcelus valeat expiare.

At operæ pretium eſt triplex hoc tribunalium genus non æque in Scripturis, & in Joſepho deprehendi: quamobrem vide noſtram de Hebræorum politia Diſſertationem libro Numerorum præpoſitam.

℣. 22. EGO AUTEM DICO VOBIS, QUIA OMNIS, QUI IRASCITUR FRATRI SUO, REUS ERIT JUDICIO.] E vel dignus eris qui a Judicibus damnetur. Vel potius; dico vobis, qui odium aluerit in fratrem ſuum, in Dei judicio, tamquam homicidii reum, plectendum eſſe. Mortalis Judex de externis tantum operibus judicat, vobis autem alius eſt Judex, qui odium, iram, furorem, ultionis deſideria conſtringit. Si foves iram in fratrem tuum, ab homicida ideo differs, quod illum imitari non audes, manum inferens inimico [7]. Non virtutis amor, non charitas, ſed ſupplicii metus te cohibet. Coram ſupremo cordium Judice æque noxius es, ac ſi illud, quod lex vetat, perpetraſſes. Creditur hoc ad iram, & eam ultionis cupiditatem eſſe coarctandum, quæ in cordis latebris deliteſcit [8]; de illa quippe, quæ in contumelioſa erumpit verba, inferius eſt ſermo.

Pleraque Græca Exemplaria [9], & Latina nonnulla hoc addita reſtrictione legunt; Quicumque *immerito* in fratrem ſuum iraſcetur &c. Et ſane iſthic admittendum videtur non ſecus ac in ſequentibus exemplis; quoniam ipſe etiam JESUS CHRISTUS toties iratus eſt contra Phariſæos, eoſque vocavit progeniem viperarum Matth. 23. 33. & dealbata ſepulchra Matth. 23. 27. S. Paulus ad Gal. 3. 1. Galatas ſenſu carentes appellat, nuncupatque vota, ut qui illis fucum faciebant, eiſque oculos faſcinabant, abſcinderentur Galat. 5. 12. Antiquiſſimi Patres, puta S. Juſtinus in Epiſ. ad Zen. & Seren. S. Irenæus l. 4. c. 56. & S. Cyprianus l. 3. Teſtim. atque vetuſtiſſimi manuſcripti codices veluti Cantabrigenſis, ac verſiones, veluti Syriaca, ad hanc uſque diem legunt *ſine cauſa*; quod S. Auguſtinus l. 1. Retract. c. 19. in Latinis Exemplaribus ſuis legebat, ſed in Græcis non invenerat. S. Hieronymus e contra in Matth. hic putat, *ſine cauſa* ex Latinis exemplaribus expungendum, quo obrepſit, & jubet ſervari genuinam lectionem, quæ pura in melioribus Bibliis fuerat ſervata. Hoc ipſum animadvertit Caſſianus Inſtitut. l. 8. c. 20. Verum in Textum niſi admiseris, in ſenſum ejuſdem verba illa admittas opus eſt; non deeſt quippe occaſio, ubi ira, atque indignatio vetitæ non ſunt, dummodo eas regat charitas, atque mali odium, Dei gloria, proximi tales illas ſuccendat. Etenim ſi odio, ac ira ſe abripi citra cauſam patitur, nulla unquam poteſt ratione excuſari.

QUI DIXERIT FRATRI SUO: RAKA, REUS ERIT CONCILIO.] Non cædem ſolum, iram, & ultionem, ſed injurias quoque, & contumelias condemno; & moneo eos omnes, qui his utentur vocibus, Fatue, mentis impos, idiota, inſanum caput (hoc enim Hebraica, vel Syriaca vox *RaKa* ſignificat,) a ſupremo concilio, a *Sanhedrin* videlicet damnabitur [10]. Tribunal hoc e duobus & ſeptuaginta Judicibus ex nationis proceribus conſtatum, tunc quidem vitæ, necíſque jure fraudatum erat [11]; ſed ab origine hac auctoritate pollebat, & Judæis nihil terribilius, vel gravius erat hoc judicio. Vide Joſephum *Antiq.* l. 17. c. 14.

Quid vere ſignificet *RaKa*, non ſatis liquet. Juxta nonnullos [12] hæc irriſionis nota eſt, cujus vis omnis non ſatis exprimi valet alia in lingua, propter adjectam ideam contemptus, quæ in ea continetur. S. Auguſtinus ait, nonnullos ejus originem petiiſſe ex Græca voce *RaKos*, quæ veſtem obſoletam ſignificat, quaſi diceres *pannoſum*: verum etymologiam hanc minime probat, & ſane haud eſt probanda. Ligfoot aſſerit, in Judæorum libris, *RaKa* ſignificare contemptum alicujus rei, vel perſonæ, non ſine geſtu quodam, veluti cum expuimus in eam, ac terga vertimus. *RaKa* fluere poteſt ex Hebræo *RaK*, ſputum [13]: Sed pleríque vocem illam derivant ex *RaK*, vel *RiK*, vacuum, pauperem, inertem, otioſum, ignavum, vel mente captum, inſipientem &c. In Judicum libro 9. 4. dicitur Jephte a fratribus ejectus otioſorum, vel pauperum (*RiKim*) collegiſſe manum; Et in 2. Paralip. 13. 7. Jeroboam filius Nabat otioſos collegit homines (*ReKim*) filios Belial. Reor autem, nullam nobis vocem ſuppetere, quæ melius vim

---

1 Exod. 20. 13. Num. 35. 30. 31. Levit. 24. 21. 2 Deut. 16. 18. & 21. 2. 3.
3 Num. 35. 24. 25. 4 Num. 35. 18. 19. 26. 27. 5 Aug. l. 1. de Serm. Domini, & Chryſoſt. hic.
6 Thalmud. lib. de Sanhedrin, cap. 1. Grot. & alii hic. 7 Auctor. Operis imperfect. *Omnis enim qui iraſcitur ſine cauſa, quantum ad voluntatem ſuam, homicidium facit, etiam ſi non facit propter metum*, Unde Joan. in Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 15. *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* 8 Chryſoſt. hic.
9 Πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῆ, Et ita codd. Græci plerique. Vide var. lect. Mill.
10 Vox hæc e Græco Συνέδριον, quæ concilium, cœtum ſignificat, deſumpta. Hoc erat celeberrimum Judæorum tribunal. Vide noſtram Diſſertationem de Politia Hebræorum Numeris præfixam.
11 Joan. 18. 31. 12 Chryſoſt. Theophyl. Auctor. Oper. imperfecti, hic, Aug. l. 1. de Serm. Domini in monte. 13 Lud. de Dieu, Druſ. Munſt.

Digitized by Google

vim nominis *Raka* Latine exprimat, quam ſi dixeris, infanum caput [1], mente captum, lymphatum, dementem [2].

Credunt Interpretes [3] nonnulli, iſthic ſubintelligendum *ſine cauſa*, non ſecus ac in membro ſuperiori; quoniam Jesus Christus, & S. Paulus nonnumquam uſi ſunt verbis, quæ idem fere valent, ac *Raka* [4], ſed cum zelus, atque ſapientia, non ulcio, & ira eos impellebant. Vatablus hoc aliter explicat; ita ſupplet: *Audiſtis, quod dictum eſt antiquis*: Quicumque appellaverit fratrem ſuum Raka, punietur a Conſilio: *Ego vero dico vobis*, quod quicumque vocaverit fratrem ſuum dementem, damnabitur gehennæ ignis. Verum eſt, in Bibliis non legi, vetitum umquam fuiſſe, fratrem ſuum *Raka* vocare; at contendit ſufficere, id ita docuiſſe Phariſæos ſuæ traditioni innixos. Haud reor opus eſſe, ut ad hanc explicationem confugiamus, quæ alioquin minime noxia eſt, & quæ conſulit conformitati, quæ in ſpeciem occurrit inter hanc, & ſubſequentem propoſitionem, quæ juxta Jesu Christi mentem oppoſitæ eſſe debent, atque diverſæ.

Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.] Dicendum, quod fatui nomen hoc in loco gravius aliquid ſignificet, quam *Raka*; hic enim a Sinhedrim dumtaxat damnatur, hoc eſt ad ſummum, lapidibus obruendus, vel alio genere mortis genere conficiendus; ille vero gehennæ ignis, hoc eſt inferorum ſuppliciis addicitur. Auctor Operis imperfecti hom. 11. 6. duabus hiſce vocibus re ipſa eumdem ſeorſum grammaticalem ineſſe dicit, & utrumque tacuum ſignificare; ſed *Raka*, ais ille, nomen commune erat apud Hebræos, quod contemptum aliquem, vel ſuperbiæ geſtum in proferente innuebat, quam odium, & iram; fatui vero nomen, & iram, & contemptum, & ſuperbiam indigitabat, quod non leviter ſceleris magnitudinem auget. Tenent alii, fatui nomen iſthic uſurpari pro omnibus contumeliis, quæ proximi famam lædunt, atque proſcindunt; vel pro improbo, ac flagitioſo adhiberi. Certum eſt, in Scripturæ ſtylo fatui, & inſaniæ nomine pro ſcelesto viro, ac ſcelere ipſo [5] crebro inveniri.

Quoad *gehennam ignis*, minime dubium eſt, quin hoc in loco infernum, æternamque infelicitatem ſignificet, quod nomen inferno inditum fuit propter vallem filiorum Hinnon, Hebraice [6] *Ge-benei-hinnon*, unde factum *Gehenna*, ubi olim humanæ victimæ in Moloc honorem cremabantur. Ibi perpetuus ignis alebatur, ut ferunt, propter hujuſmodi ſacra, neque locus aberat a Jeruſalem. Joſias Rex Juda polluit vallem Hinnon [7], ibi ſordes, immundoſque cineres effundens, ne impoſterum victimarum humanarum ibi fierent ſacrificia; & deinceps locus ille factus eſt ſterquilinium Jeruſalem. Aſſerunt autem [8], ad aeris tabeſcentiam evitandam, ſemper ibi ignem aſſervatum fuiſſe, ut quæ ibi projiciebantur cadavera, comburerentur; quamobrem factum erat, aliquo modo inferni figura. Nonnulli [9] credunt, ad litteram *projici in gehennam ignis* ſignificare ſimpliciter, in ſterquilinium abjici, ſepulchri honore privari. Ita ſceleſtiſſimos quiſque puniter, etiam poſt mortem aliis exemplo futurus. Animadvertimus jam, in valle Hinnon ignem ſemper accenſum fuiſſe. Alii [10] credunt, Jesum Christum ad ignis ſupplicium alluA dere, quod maximum erat inter cruciatus, quo ſontes a Judæis torquerentur. Animadvertit S. Hieronymus [11], Salvatorem primum fuiſſe, qui hac voce *Gehenna* fuerit uſus. In vetuſtiſſimis quidem Judæis auctoribus in hoc ſenſu invenitur [12]; ſed Auctores illi poſt Jesum Christum ſcripſere.

℣. 23. Si offers munus tuum ad altare.] Hoc etiam præceptum eſt Phariſæorum doctrinæ, & conſuetudini, quam diſſimillimum. Cauſam hanc prætexentes, nihil Domini ſervitio præferendum, & ſacrificia in peccatorum remiſſionem eſſe inſtituta, docebant, ſacrificia hæc offerri poſſe, cum etiam odium, atque inimicitia in corde laterent; omniaque flagitia, quibus cognoſcendis nullus inſtitutus erat Judex, & quibus nulla temporalia irrogata erant ſupplicia, ob-B lationibus, & ſacrificiis expiari [13]. Noxiam hanc doctrinam Jesus Christus explodit, & docet, ſine charitate nullam hoſtiam ſaluti æternæ utilem eſſe, ac opus eſſe, ut qui propter ſimultatem aliquam diſſident, primum in gratiam redeant. Et ſane quomodonam ex Deo pax peti poteſt, cum anima exacerbata eſt? Quomodo Patris Cœleſtis flectet iram, qui fovet odium in fratrem? *Quid eſt ad pacem Dei accedere, ſine pace? ad remiſſionem debitorum, cum retentione? Quomodo placabit Patrem iratus ad fratrem?* Tertul. de Orat. c. 10.

Hoc haberi poteſt veluti eorum, quæ ſuperius dicta ſunt, continuatio [14]: Didiciſtis cædem veteribus interdictam, ego vero odium, iram, injurias, & contumelias prohibeo. Ad hæc dico, ſi obtuleritis prope aram meam hoſtiam veſtram, & eodem temporis mo-C mento recordati eritis, diſſidium aliquod inter vos & fratrem veſtrum intercedere, hoſtia ibi depoſita feſtinabitis, ut prius cum fratre in gratiam revertamini. Non ajo autem: *ſi quid habueris in fratrem tuum*, relinque odium, iramque tuam; ad hoc enim teneris ita, ut nullo pacto te hinc exſolvere poſſis; ſed *ſi frater tuus habet aliquid adverſum te*. Non ſufficit proximum diligere; ſi illum læſiſti, tuum eſt illi ſatisfacere, illius vero extrinſecus etiam amorem, ac benevolentiam teſtari. Alioquin ne ſperes, Deo acceptas fore oblationes tuas [15]: ſin autem tu laceſſitus fuiſti, tu ipſe fratrem tuum conveni, atque præverte, duplicem inde gloriam relaturus, alteram patientiæ, alteram charitatis, quam in eum exercueris [16]. Si propter loci diſtantiam illum adire non potes, vel alia quapiam de D cauſa tua non intereſt, hoc illi officium præſtare, ſaltem ita affectus eſſe debet animus tuus, ut ad faciendum paratus ſit; alioquin nulla eſt oblatio, qua peccatum tuum valeat expiari.

Adnotandum eſt, hic agi de ſacrificiis voluntariis, ac devotionis, quæ differri, ac remitti poterant, non autem de iis, quæ in Lege præcipiebantur. Poſtrema hæc ad privatos non ſpectabant, ſed ad Sacerdotes, ac miniſtros Domini. Judæis mos eſt, ab eo, quod iſthic legimus, non abhorrens. Cum duo mutuis diſſident odiis, accidit nonnumquam, ut alterutrer adverſarium ſuum aliter lædere non valens claudat volumen precum, quo Cantor utitur in Synagoga, & ſtatim cœtus omnis ab oratione deſiſtit, donec inter duos illos mutuo, ac perfecte gratia coierit; qui ſi conciliari non poſſunt, E cœtus dilabitur, precibus inexpletis; & aliquot dies ſine precibus tranſiguntur, ſi illi in odio perſtiterint, donec

1 Confer Exod. 3. 21. 23. 15. 34. 20. Deut. 15. 13. Judic. 9. 4. 11. 4. 11. 3. & 2. Par. 13. 7. 2. Eſdr. 5. 11. Iſai. 29. 8. 32. 6. 2 Vide Proverb. 12. 11. מרדף ריקים חסר לב Et 28. 19. מרדף ריקים, גשבע ריש Vide Hieron. Hilar. Mald. alios. 3 Author. Oper. imperf. Grot. Eraſm. alii quidam.
4 Matth. 23. 17. 19. Luc. 24. 25. Galat. 3. 13.
5 Pſalm. 13. 1. 48. 11. 73. 18. 91. 7. Baruch. 3. 28. 1. Par. 21. 8. Sap. 5. 21. Eccli. 16. 20.
6 גיא בני הנום Vide Hieron ad Matth. 10. verſ. 28. 7 4. Reg. 23. 10. Jer. 7. 32.
8 Ligfoot. Spanh. 9 Petit. var. lect. 5. Confer. Jer. 22. 19. Joſeph. de Bello, l. 5. c. 1.
10 Maldon. Vide & Caniſ. in Petit. 11 Hieron. in Matth. 10. *Nomen gehennæ in veteribus libris non invenitur, ſed primum a Salvatore ponitur.* 12 Vide Spanh. & Ligfoot. hic, & Chald. Paraph. ad Iſai. 26. 15. 33. 14. 17. & in Ruth. 2. 12. & Rab. Salom. in Iſai. 24. 22. & Baal Tur. in Gen. 1. 6.
13 Vide Grot. hic. 14 Maldon. Grot.
15 Vide Chryſoſt. & Hieron. & Author. Oper. imperf. hic. & Aug. l. 1. de Serm. Domini in monte, c. 27.
16 Chryſoſt. hic. & Author. Oper. imperfect. *Ne dicas: ille mihi nocuit, non ego illi: Ille mihi ſatisfacere debet, non ego illi. Si pro gloria ſalutis tuæ jubet te Dominus amicitiam facere, magis nocitus debes rogare, ut duplicem gloriam conſequaris: unam, quia nocitus es: alteram, quia prior rogaſti.*

donec aliæ quæſitæ fuerint viæ, ut in gratiam re- dacatur.

℣. 25. Esto consentiens adversario tuo &c.] Adverſarius, cum quo lite agimus, vel creditor, cui debemus, proximus noſter eſt, etiamſi ab eo laceſſiti fuerimus [1]. Judex, coram quo prodeundum nobis eſt, Deus; via eſt vita præſens; carcer, qui nobis intentatur, vel purgatorium, ut ajunt nonnulli [3], vel cum aliis, infernus [2]. Cenſent nonnulli [4] adverſarium hunc eſſe dæmonem; alii carnem [5] adverſus Spiritum deprælıantem; alii [6] legem, cum qua conſentiendum nobis eſt juxta ejus præcepta viventibus. Alii [7] denique inimicos noſtros, perſecutores, qui bona noſtra diripiant. Pacem agere cum iis debemus, qui nos perſequuntur, & nobis officiunt, ſi judicium Dei ſeveritatem cupimus evitare.

Jesus Christus alludit ad eam rationem, qua apud Hebræos lis inſtitui conſueverat. Actor adverſarium arreptum ad Judicem adducebat; qui ſi reluctaretur, Judicis implorabatur auxilium. Summarim cauſa diſceptabatur; accuſator per ſe quidem agebat, reus reſpondebat; Judex ſententiam proferebat, & Janitor eam ſtatim exequebatur. Salvator ergo ſuadet, ut cum adverſario ſuo rem componat, antequam in judicium prodeat: ubi enim de facto cognoverit Judex, non amplius integrum erit, pactum ullum inire; omniaque ad ultimum uſque quadrantem erunt perſolvenda. Eadem ferme quæſtionis habendæ formula in Ruth 4. 1. Hiſtoria deprehenditur; Mahometani ad hanc quoque diem ita conſueverunt, nec aliter Romani antiquitus cauſas agebant [8]; *Si in jus vocatus, ni it, anteſtator manum injicito; autem anteſtati capito.*

℣. 26. Novissimum quadrantem.] Hoc oſtendit, agi de oberato quodam a creditore ſuo in jus arrepto: *Noviſſimus quadrans*, vel obulus omnium monetarum eſt minima. *Quadrans* autem quarta pars eſt *aſſis*, cujus pretium fuiſſe dicitur duorum denariorum cum quadrante Gallicæ monetæ.

℣. 27. Dictum est antiquis: Non moechaberis &c.] Quemadmodum Salvator jam in ſuperioribus verſiculis, non eodem ſolum, & vim, verum etiam iram, ſimultatem, ultionis cupiditatem, contumelioſa verba damnavit, ita docet hoc in loco, Moſaicæ Legis perfectionem nequaquam in eo poſitam dumtaxat, ne quis adulterium, vel turpe aliquod flagitium committat, ſed ne foveat quidem prava deſideria, neque oculis ſuis libertatem tribuat videndi objecta, quæ nobis pravas obtrudere valeant cogitationes. Voluntas ſceleris patrandi pro ſcelere reputatur, & in Jesu Christi ſchola nullum admittitur diſcrimen, inter cogitatum ſcelus, atque perfectum. Deus de actionibus judicium non fert, niſi ex agentium corde, & voluntate.

Phariſæi, quemadmodum jam ſæpius adnotavimus [9], pravas cogitationes culpa vacare cenſebant; huic vero ſententiæ innixi putabant, lege vetari dumtaxat adulterium conſummatum, aliaque ejuſdem generis ſcelera: *Non mœchaberis*. Immo Doctores ipſi non putant, ſimplex ſtuprum præcepto hoc contineri [10]; ſed illud vetitum eſſe credebant ex veteri traditione, & majorum ſuorum inſtitutis. Neque deſunt ex Rabbi-

A nis, qui doceant, interdictum hoc Aſmonæorum tempora incepiſſe. Jesus Christus venit, ut omnes hos tolleret abuſus, & mores caſtigaret. Ipſe res omnes naturali ordini reddidit, ipſe non turpia facta, honeſtati, atque pudori adverſantia, verum ipſa etiam deſideria, cogitationes, obtutus, & quidquid animam lædere, & cor polluere poteſt, damnavit, juſſitque, Chriſtianum hominem non corpore ſolum, ſed oculis etiam, & corde pudicum eſſe: ut plurimum enim oculi omnium primi delinquunt. Propertius Eleg. 2.

Qui videt, is peccat: Qui te non viderit, ergo
Non cupiet: facti crimina lumen habet.

℣. 29. Si oculus tuus dexter scandalizat te.] Hæc eſt continuatio eorum, quæ præcedenti verſiculo dicta ſunt. Evita curioſos nimis obtutus, voluntarios, deliberatos, & quos deſideria concomitan-

B tur, ne in te impudicum ignem accendant [11]. Si oculus tuus dexter tibi lapſus eſt cauſa, evelle eum, innocuis voluptatibus abſtine, ſi tibi pro laqueo ſunt. Paciſcere cum oculis tuis [12], ut virginem ne videant quidem. Si cum alterius ſexus perſona amicitiæ, & conſanguinitatis vinculis, ac honeſtæ, licitæque conſuetudinis illecebris conjunctus es, atque intelligas, oculos tuos cordi jam interitum moliri, vel cor tuum noxio igne flagrare; te met divelle ab hoc inſani amoris objecto [13].

Alii huic præcepto latiorem ſenſum tribuunt. Non ſecus ac in re medica, ubi membrum aliquod computre-

C ſcit, neque ſervari poteſt citra vitæ periculum, ſtatim haud hæſitanter abſciditur: ita in morum diſciplina, cum de animæ noſtræ ſalute agitur, abſcindamus oportet, quidquid nobis amiciſſimum eſt, & antiquiſſimum; ſtudia, affectuſque noſtros coercere debemus [14], a cariſſimis amicis [15], a conſanguineis, ab iis, quibuſcum arctiori vinculo adſtringimur, ſecedere [16]. Hæc omnia dexteri oculi nomine intelligi poſſunt. Sed prior explicatio, quam attulimus, litteræ magis hæret, & cum ſuperioribus melius congruere videtur.

℣. 30. Si dextra manus tua &c.] Verſiculus hic ſuperioris eſt continuatio, ac in ſenſu eodem eſt explicandus. Quædam adſunt Græca Exemplaria, ubi non extat [17].

℣. 31. Dictum est: Quicumque dimiserit u-

D xorem &c.] Divortium Judæis permiſſum fuit ad majora mala tollenda. Deus illud ob eorum cordis duritiam toleravit [18]. Rationes autem divortii, non ſatis diſtincte in Moyſe, Deut. 24. 1. memorantur, qui ait ſolum: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, &c.* At Salvator facultatem hanc ad unum adulterii crimen coarctat, immo juxta plerorumque Patrum, atque Interpretum ſenſum non permittit viro, ac mulieri, qui hac de cauſa juxta requiſitos ritus ſejuncti fuerint, cum aliis inire conjugium; quod perpetuum futurum eſſe adulterium declarat. At de repudio fuſius in peculiari Diſſertatione Deuteronomio præpoſita locuti ſumus.

Veteres nonnulli crediderunt, ob adulterii ſcelus,

E repudium non tantum permiſſum, verum etiam præceptum fuiſſe, & eum, qui cum uxore in adulterio de-

pre-

[1] Ambroſ. l. 7. in Luc. Vide & Chryſoſt. ad verſ. 23. 24. [2] Origen. in Jerem. homil. 18. Vide & Auguſt. l. 1. de ſerm. Domini in monte c. 24. [3] Aug. l. 1. de ſerm. Domini in monte.
[4] Clem. Alex. l. 4. Strom. Tertull. l. de anima. Quidam apud Hieronym. & apud Chryſoſt.
[5] Athan. qu. 69. Juvencus, & quidam apud Hieronym. & apud Hilar. & apud Auguſt.
[6] Auguſt. l. 1. de ſerm. Domini. Bern. ſerm. 124. de Diverſ. Anſelm. & Beda hic.
[7] Baſil. Regul. brevior. Chryſoſt. hic. [8] Leges 12. Tabul. alias. *Si vis vocationi ſiet, anteſtamino: ni it, antem capito anteſtati.* Horat. Sat. l. 1. Sat. 10.

. . . . *Licet anteſtari?*
Ego vero
Oppono auriculam; rapit in jus; clamor utrinque.

[9] Vide ſupra verſ. 20. [10] Vide Grot. ad explicat. Decalogi. Exod. 20. Scalig. animadverſ. ad Euſeb. p. 149. Maimon. more Neboch. p. 3. Selden. de Jure N. & Gent. l. 6. cap. 12. & l. 7. cap. 5.
[11] Vide Chryſoſt. ad verſ. 28. & Auguſt. & Hieronym. hic. [12] Job 31. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* [13] Chriſoſt. hic, & Author Operis imperfecti.
[14] Hieronym. in Matth. [15] Auguſt. l. 1. de ſerm. Domini in monte. Vide & Origen. in Matth.
[16] Hilar. Theophylact. hic; Cyrill. lib. 12. in Joan. [17] Deeſt in Cantabrig. Cod. Colbert. 2452.
[18] Matth. 19. 3. 8.

Digitized by Google

prehenſa permanſerit, infamem eſſe, atque ſceleſtum. Hæc autem ſententia innititur cuidam Proverbiorum loco, qui in Græco quidem, & Latino legitur textu, non autem in Hebræo [1]: *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt, & inſipiens*. Et alteri huic ex Eccleſiaſt. 25 36. *A carnibus tuis abſcinde illam, ne ſemper te abutatur*. Rabbini putant [2], Deum lædi, ſi quis permanet cum uxore, cujus ſpectatam habet impudicitiam, licet deficientibus argumentis, quibus in judicio uti poſſit. Non deſunt Concilia [3], quibus viri jubentur adulteras uxores ſuas deſerere. Eliberitanum vero ad id Clericos cogit, alioquin illus in ipſo etiam mortis articulo arcet a Communione. Hermas in ſecundo libro Paſtoris Mand. 4. S. Baſilius Can. 9 & 21. S. Hieronymus in c. 19 Matth. S. Auguſtinus l. 1. Retract. c. 19. S. Hilarius in Matth. 5. 32. hoc in caſu divortium fieri debere putant. Eccleſiaſticis addi poſſunt civiles Græcorum, Romanorumque leges. Atticæ jubent [4]: non liceat viro cum uxore in adulterio deprehenſa permanere, alioquin infamis eſto. Romanæ vero [5]: *Qui adulterii damnatam, ſi quocumque modo pœnam capitalem evaſerit, ſciens duxerit, vel reduxerit, lege Julia ex cauſa lenocinii punitur*. At plerique Patrum, atque Theologorum docent, divortium, cum ipſum etiam adſit adulterium, a JESU CHRISTO permitti ſolum, non præcipi. Vide, ſi lubet, noſtros in Proverbiorum librum Commentarios c. 18. 23.

℣. 32. ET QUI DIMISSAM DUXERIT, ADULTERAT.] Animadvertit S. Auguſtinus apud Mill. hic, verba hæc in Latinis quibuſdam Exemplaribus non inveniri, quoniam eorum ſenſus in ſuperioribus jam continetur. Hæc ne in veteri quidem Manuſcripto Cantabrigenſi, Græco pariter, & Latino deſiderantur.

℣. 33. DICTUM EST ANTIQUIS: NON PERJURABIS &c.] Perjurium lege prohibebatur Lev. 19. 12. per eam neque falſo, neque fruſtra jurare licebat Exod. 20. 7. promiſſiones vero jure jurando ſancitæ ſumma fide erant explendæ Num. 30. 3. Juramentum actus eſt Religionis, hoc in nomine ſuo fieri jubebat Deus, Deut. 6. 13. qui ne in alienorum Deorum quis juraret vetabat, Exod. 23. 13. Hæc erat hac in re Legis voluntas [6].

Pharisæi perperam mandare hoc interpretabantur. Docebant, quodvis jusjurandum, quod ex corde non emanabat, & quod ore tenus proferebatur, nullam inferre obligationem, non ſecus ac ea, in quibus vel Dei nomen, vel propria ejuſdem attributa non memorabantur; audacter pejerari poſſe, cum creaturarum dumtaxat, cœli videlicet, terræ, propriique capitis nomina inſumebantur &c. Ad hoc licere indiſcriminatim etiam pro rebus minimis jusjurandum interponere; primo, dummodo explorata veritas non læderetur; ſecundo, cum juraretur ad rem ſatis manifeſtam, atque perſpicuam aſſerendam; verbi gratia; veluti ſi meridie quis diem eſſe juraret: 3. non juraretur de re, quæ fieri minime poſſet, & quarto de re prorſus illicita. Hæ ſunt exceptiones, quibus Judæi Doctores mandatum, ne fruſtra quis juret, coarctant.

Dei Filius, ut Legem priſtinæ reddat puritati, jurare prohibet: *Non jurare omnino*, quæ verba vario in ſenſu intellecta fuere, aliis credentibus ſine ulla exceptione eſſe intelligenda; jusjurandum ſemper malum eſſe, & numquam licere. Primi Chriſtifideles hoc ad litteram obſervabant, uti liquet ex Euſebio Hiſt. Eccl. l. 6. c. 4. Tertulliano l. de Idol. S. Iohanne Chryſoſtomo [7] qui plurimis in locis ſententiam hanc probat. S. Baſilius in Pſalm. 14. S. Hieronymus in hunc locum, Auctor Operis imperfecti in S. Matthæum hic, S. Epiphanius in Panar. l. 1. Theophylactus, Euthymius, & Oecumenicus in S. Matthæum ab hac ſententia minime diſſentiunt. Et ex hoc Evangelii loco nonnulli Syracuſarum Pelagiani, S. Auguſtini ævo [8], & multo poſt Wicleffiſtæ, ac noviſſimo ſæculo Anabaptiſtæ ſententiam ſuam hauſerunt, nefas eſſe, quomodocumque jurare. Hanc eamdem ſententiam S. Hilario attribuere conati ſunt [9]; verum ille ſatis hoc crimine purgatur.

Sed Apoſtoli, & plerique Patrum numquam intellexere, juramentum umquam omnino interdictum eſſe cuivis, & qualibet in occaſione. Fatemur quidem multo melius eſſe, non jurare; optandumque eſſet, ut bona fides, ſinceritas, veritatis, atque juſtitiæ amor ita in Religione Chriſtiana regnarent, ut nulla eſſet umquam vel petendi, vel reddendi juramenti neceſſitas, & ſimplex hominis aſſerentis fides eamdem haberent vim, ac validiſſimum quodvis jusjurandum [10]. Denique ad unguem obſervandum iſthic eſſet, quod ait JESUS CHRISTUS, in minimis etiam rebus, minimiſque vitæ negotiis; quod plane intellexerunt Patres ſupra memorati, cum abſolute juramenta damnarunt, tollere adniſi frequentem jurandi conſuetudinem pro rebus nullius momenti, atque utilitatis.

Melius quippe non verum juratur, ait S. Auguſtinus ep. 157. n. 40 *quam jurandi conſuetudine, & in perjurium ſæpe caditur, & ſemper perjurio propinquatur*. Juramentum, quod in majoris momenti negotiis interponitur, nequaquam ſcelus eſt, dummodo a juſtitia, & veritate abſonum non ſit; verumtamen propter perjurii periculum, ſemper metuendum eſt [11]: *Non quia verum jurare peccatum eſt, ſed quia pejerare immane peccatum eſt*. Eſſenii, de quibus loquitur Joſephus de Bello l. 2. c. 12. recti adeo fidei habebantur, ut eorum verba tamquam religioſiſſimum jusjurandum exiſtimarentur. Ita juramentum horrebant, quaſi perjurio ipſo quodammodo æquius. Ipſimet Ethnici ſapientem honeſtumque virum numquam niſi neceſſitate coactum jurare debere intellexerunt. Ne jures vel vera, vel falſa, Chærilus ajebat apud Stobæum ſerm. 27. Si Apoſtoli [12], novique Teſtamenti Sanctiores viri nonnumquam jurarunt [13], inviti jurarunt, & eorum, ad quos loquebantur, incredulitate coacti [14].

REDDES AUTEM DOMINO JURAMENTA TUA.] Verba hæc duplicem in ſenſum poſſunt intelligi: primum promiſſiones, & vota Deo nuncupata ſunt adimplenda, juxta ea Numerorum verba [15]: *Si quis virorum votum Domino voverit, aut ſe conſtrinxerit juramento, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne, quod promiſit, implebit*. Alterum, jurandum eſſe debere in nomine Domini, ubi neceſſario jurandum eſt; quod ſimile eſt Legi illi ex Deuteronomii 6. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, & per nomen illius jurabis*. Quo poſteriori in ſenſu locum hunc imperfecti Operis Auctor explicuit. S. Joannes ait, verba hæc ſignificare, juranti verum eſſe jurandum.

℣. 34 NEQUE PER COELUM] Teſtis eſt Philo de ſpecial. Leg. init. ævo ſuo nonnumquam jurari conſueviſſe per parentum, ſi viverent, vitam; vel ſi obiiſſent, per eorum memoriam. Hujuſmodi approbat juramenta, & ait, melius eſſe ita jurare, quam Dei nomen proferre. Quam conſuetudinem ut confirmet, addit, veterem quemdam Petrierecham per terrorem patris ſui juraſſe.

Ad

1 Prov. 28. 23. Ὁ δὲ κατέχων μοιχαλίδα, ἄφρων, καὶ ἀσεβής. Vulg. *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt, & inſipiens*.
2 Vide Selden. Uxor. Hebr. l. 3. c. 13.
3 Concil. Neocæſ. can. 8. Eliberit. c. 65. in Trullo c. 87.
4 Demoſth. orat. in Neæram.
5 Leg. C. tit. Eodem C. præter DD.
6 Vide Selden de Synedriis l. 1. cap. 11. art. 7. Grot. hic. Vide infra Matth. 23. 16. 17. 18.
7 Chryſoſt. homil. 9. in Acta. Homil. 15. in Geneſ. & homil. 17. in Matth. & paſſim.
8 Apud Auguſt. Ep olim 88. nunc 156. & 157.
9 Vide Hilar. in Matth. & Not. Coutantii.
10 Aug. in Ep. ad Galat. cap. 1. verſ. 20. *Non eſt contra præceptum juratio quæ a malo eſt, non jurantis, ſed incredulitatis ejus, qui jurare cogitur*.
11 Auguſt. Epiſt. 157. nov. Edit.
12 Vide Rom. 1. 9. & 1. Cor. 15. 31. & Galat. 1. 20. & Philipp. 1. 8.
13 Athan. Apolog. ad Conſt. Imper. Hieronym. nonnullis in locis.
14 Vide Auguſt. in Epiſt. ad Galat. 1. verſ. 20. & lib. 1. de ſerm. Domini in monte c. 51.
15 Num. 30. 3. & Deut. 23. 21. et ibi Interp. paſſim.

Digitized by Google

Ad hæc ſubdit, pios vios ægre & gravata ad jurandum impelli conſueviſſe, cumque jam prima jurisjurandi protuliſſant verba, aadem non perfeciſſe; vel quin dicerent, exempli gratia, puniat, aut juvet me Deus, vel Altiſſimus, Cœli, terræ, Solis, mundive nomen uſurpaſſe. S. Juſtinus Martyr in exhort. ad Græcos affert jusjurandum per Cœlum, ea Orphæi, ut putant, carminibus deſumptum. Hoc jurandi genus adhuc in Libris ſuis uſurpant Judæi [1].

Hæc omnis prohibet JESUS CHRISTUS, ut pejerandi periculum avertat. Cœlum in ſe ipſo nihil eliud eſt, quam inſanſibilis creatura, quæ non meretur teſtem juramenti appellari. Si juras, per nomen ſuum ec jurare jubet Deus, Deut. 6. 13. *Cœlum eſt Dei thronus*. Officit ergo honori erga Deum, hunc lædit, & violet, qui per Cœlum jurat. Per terram jurare, vanum, ec ſuperſtitioſum eſt juramentum; ſi in ſe, atque ſine ulla Dei ratione conſideretur. Sin autem reſpiciatur, velut *ſcabellum pedum Domini*, lædit ravarentiam, quæ illius decet Majeſtatem, qui fruſtra par terram jurat. Hoc ipſum dicendum eſt de iis juramentis, quæ per Ierosolymam, propriumque caput fiunt. Hæc materialiter ſumpta, ſeorſim a Dai cogitetu, noſtri jurisjurandi teſtes eſſe non poſſunt. Sin autem habita ratiana Dei conſiderentur, ſupra captum noſtrum ſunt poſita, & Deus ſemper læditur, ſi falſo, vel fruſtra juraveris. Hoc in ſenſu nullum edeſt juramentum, quod non officiat honori, quem Creatori debamus, quandoquidem penes hona creatarum quarumcumque rerum imperium eſt, eæque omnes per illum vigent. Auctor Operis imperfecti in S. Matthæum omnia hæc juramenta idololatriæ ſpecies eſſe arbitrantur: *Idololatram ſe facit omnis, qui per aliquid aliud a Deo jurat, etiamſi jurare liceret, quia non reddidit Domino Deo ſuo juramenta ſua*.

Ex Ethnicis Hebræi mutueri videntur hæc juramente per Cœlum, terram, mare, Solem; *Terram, mare, ſydera juro*, Virgil. Æneid. 12. per proprium caput, per Principum vitam. Joſephus in Ægypto per Pharaonis vitam jurat Gen. 42. 15. Primi Chriſtifideles fruſtra adigebantur, per caput Imperatoris jurare [2]. Apud Ariſtophanem in Plut. videmus juramentum per *Cœlum*, & apud Sophoclam in Antiqu. per Olympum, & in Virgil. per avi ſui Anchiſis caput jurat Aſcanius.

Per caput hoc juro, per quod pater ante ſolebat.

Et Martialis.

Per tua jurares ſacra, tuumque caput.

Et Romani per Jovem Lapidem jurabant [3]: *Jurabo per Jovem Lapidem Romano vetuſtiſſimo more*. Antiqui Græciæ Principes jurabant per ſceptrum ſuum.

℣. 37. SIT AUTEM SERMO VESTER, EST, EST &c.] Cum interrogemini, & aliquid aſſerera cogamini, dicite ſimplicitar, hoc eſt: vel ſecus. Annuita, vel abnuite citra quodvis jusjurandum: ſi quid addatur, nonniſi ex prava cauſa proficiſci poteſt. Juramento adjacet plerumque periculum, tunc etiam eum vera jurantur. Non ait Salvetor, quotieſcumque jurejurando aliquid aſſeritur, perperam fieri; ait ſolum, hoc plerumque non vacere culpa; quæ vel aa diffidentia illius cum quo loqueris [4], vel levitate tua, vel ex irreverentia ergs juramenti ſanctitatem, vel aa prava jurandi conſuetudine oritur [5]. Plurimi Patres Græci [6], hæc verba *a malo*, intelligunt, perindeac ſi diceretur *a Dæmone*. Dæmon nimis frequantem jurandi abuſum invexit. Plato de Leg. l. 11. ſummopera jurandi habitum improbabat, nolebatque, facile adeo Deorum nomina nuncupari.

℣. 38. OCULUM PRO OCULO, & DENTEM PRO DENTE.] Lex hæc iiſdem expreſſe verbis extet in Moyſe [7]. Facile intelligi poteſt, non eam fuiſſa mentem Legislatoris, ut ad litteræ apicem adimpleretur. Permittebat ſimpliciter, vel tolerabat potius ultionem uſque ad quamdam mediocritatem; patiebatur quidem, ut Judæi coram judicibus, & juxta leges expeterent ultionem injuriarum, quibus vel in corpore, vel in re fuiſſent affecti: at illis nequaquam integrum relinquabant, cum vellent, & quomodo vellent, ulciſci. Limitibus coercebat illorum iras, furoreſque; prohibens, na pœnam accepta contumelia majorem expoſceret. Ita hæc potius erat lex clementiæ, quam violentia, quemadmodum S. Johannes Chryſoſtomus in Matth. hic animadvertit.

Varum Hebræi Doctores ulterius, ultionem ſibi ad talionis uſque regulas licere credabant; nequa ſibi religioni vertebant, ſi intra legis verba ſa ſe continerent. Sadducæi quoque ad litteram hoc adimpleri volebant, neque ullum temperamentum adhiberi patiebantur, non advertentas, legem eamdem, quæ talionem tolerat, damnare vindictam, atque declarare, hanc ad Deum pertinere [8], & licet nullam decerneret Deus pœnam in eos, qui judicio perſequerentur inimicos, ipſum nihilominus ultionis cupiditatem, & charitatis improbare defectum, qui ut plurimum inveniatur in iis, qui, ut acceptæ contumeliæ paria rependant, inimicos ſuos perſequuntur.

Antiquat hoc in loco JESUS CHRISTUS id, quod Lex Hebræa permiſiſſa videtur: *Non modo ulcem, ſed etiam talionem, etiam recordationem, & recogitationem injuriæ prohibet*, ait Tertullianus contra Marcion. l. 4. & Levitici 19. 18. Legem confirmat: *non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*. Verum quemadmodum plurima inde emanarent mala, atque inter ea ſcelera, quæ paſſim in orbe toto graſſantur, quamoptimum juſtitia, atque innocentia viderentur oppreſſæ, niſi ſe ſe tueri fas eſſet, ac vim vi repellere, vel ſaltem juſtitiæ vias perſequi, Patres [9], atque Interpretes, JESU CHRISTI mentem explicant dicentes, Chriſtianæ Religionis perfectionem eſſe, non patienter ſolum, verum etiam hilariter injurias perferre, perſequentibus non reſiſtere, ſed pro illis orare, ac pro malo bonum rependere: adeſſe tamen caſus aliquos, quibus licet, imo & opus eſt nonnumquam propter juſtitiæ, atque veritatis amorem, quin charitas, & Evangelii leges lædantur, reſiſtere malo, fictas criminationes eluere, reperere, ut ob illatam contumeliam paria fiant, interim coercitis ultionis cupiditatibus, atque intrinſecus animo ad quælibet perferenda parato, quam vel officias charitati, vel efficias, ut ejuſdem jacturam proximus faciat.

Ipſe etiam JESUS CHRISTUS non ſemper ad litteræ apicem id, quod illhic præcipitur, exercuit. Cum Salvatoris alapa impacta fuit, alteram non præbuit genam Joan. 18. 22. Ubi accuſatus fuit, quod in Beelzebub nomine ejiceret dæmonia Matt. 12. 24. & ipſe dæmoniacus eſſet, cauſam ſuam peragere non deſtitit Joan. 8. 48. S. Paulus non ſemel coram Judicibus ſuam vivendi rationem probavit [10], fictoſque rumores, qui in ſe ipſum emanavarant, confutavit, Cæſaremque appellavit [11]. Non jubet JESUS CHRISTUS, Diſcipulos ſuos, ubi coram Tribunalibus ſiſterentur, tacere, ac ſinere, ut indicta cauſa damnentur; vetat ſolum, ſtudere, quid dicendum erit, tunc enim Spiritus Sanctus illis ſuggeret, quid ad ſe purgandos erunt dicturi Luc. 21. 14. Non approbat S. Paulus Corinthios, quod plurimæ ipſis ſint lites, & judicia; verum neque eas ipſis crimini vertit; & id improbat ſolum, quod coram Ethnicis,

1 Rabb. Raba Berachoth fol. 55. Talmud. tract. Schebuoth. c. 4. Vide Maim. et Ligfoot Hor. Hebr. & Sanhedr. cap. 4. halac. 2. 2 Tertull. Apologet. 3 Apul. de Deo Socratis.
4 Vide Aug. l. 1. de ſerm. Domini in monte. 5 Philo. de Legib.
6 Epiphan. lib. 1. Panar. Chryſoſt. in Pſalm. 5. et Homil. 19. ad Popul. Antioch. et alibi Græc. E'n ǫ̃ πονηρῶν. Cod. Bold. Seld. 2. Clem Alex. Pædag l. 2. cap. 10. Nyſſen. E'n τῷ διαβόλῳ ὤν.
7 Exod. 21. 24. Levit. 24. 20. Deut. 19. 21. 8 Deut. 32. 35. *Mea eſt ultio, & ego retribuam* Pſalm. 93. 1. *Deus ultionum Dominus*. 9 Vide Auguſt. l. 2. de ſerm. Domini in monte. Et Ep. 138. ad Marcell. ut Maldonat. ad verſ. 39. et Janſ. ad verſ. 40. 41. 10 Act. 18. 13. 14. 25. 6. 7.
11 Act. 25. 10. 11. 12.

ethnicis, & alienis cauſas agant [1], eoſque hortatur, A ut pro viribus cum mortalibus omnibus pacem tueantur. Rom. 12, 18.

ꝟ. 39. NON RESISTERE MALO.] Quod vobis infertur [2]. Non ultionem ſolum, odiumque prohibeo; at id etiam veto, ne reſiſtatis, ac jus veſtrum perſequamini. Condonate priorem injuriam, qua laceſſimini, neque illi reſiſtatis, quam vobis inferre ſtudent. Iræ ſpatium relinquite. Aliter: *dico vobis, ne reſiſtatis malo*, dæmoni [3], qui ciet inimicos veſtros, ut vos laceſſant, eoſque in vos irritat; ne illis alia opponatis arma, quam patientiam: Demum *ne reſiſtatis pravis* hominibus [4], qui vos perſequuntur, & angunt. Græcus Textus triplicem hunc ſenſum poteſt admittere, qui ferme ad eumdem finem collimant. Non ſatis eſt, ubi primum te ſe effundentium inimicorum vim pertuleris, B perferas opus eſt, quotieſcumque te tuus laceſſiverit hoſtis [5].

SI QUIS TE PERCUSSERIT IN DEXTERAM MAXILLAM TUAM.] Hæ ſunt figuratæ, ac adagiales loquendi rationes [2], quæ innuunt, cum vexamur, quin vel ulciſcamur, vel adverſemur, cedendum eſſe, ac parendum inimicis. Numquam fas eſt privatis, propria auctoritate perſequi injuriam; Chriſtifidelis paratus ſemper eſſe debet, ut pro juſtitia, & ad ſervandam charitatem quidlibet ferat. Hoc eſt præcepti, arctiſſimæque obligationis, at conſilii dumtaxat eſt exequi id, quod JESUS CHRISTUS ad litteram hoc in loco ſuadet. Majoris eſt perfectionis, gravioriſque meriti [7], Deo curam relinquere defenſionis noſtræ, ac noſtræ æquitatis cognitionem.

Animadvertis [8], in hoc, & ſequentibus duobus verſiculis, triplicis injuriæ exempla iſthic a Salvatore proferri; quorum primum reſpicit corpus. Si genæ alterutri colaphus illiditur, & alteram præbe: C alterum bona: ſi quis tunicam ſibi rapit, pallium etiam relinque: tertium libertatem: ſi quis te cogit, ut mille paſſus ambules, ad duo millia perge.

ꝟ. 40. ET QUI VULT TECUM JUDICIO CONTENDERE &c.] Lites damnat; non ſolum prohibeo, ne dicam alicui intentetis, cum etiam in vos iniquiſſime excitantur lites, nolo vos cauſam agere. Si veſter adverſarius judicio certat, ut auferat tunicam tuam, tu & pallium etiam relinque. Hinc liques, lites, diſceptationes, contentiones ad bona vel acquirenda, vel ſervanda cum charitatis amittendæ periculo, nequaquam a JESU CHRISTO probari, & perfectis Chriſti- D fidelibus numquam lite eſſe certandum. Senſus eoſdem exprimit S. Paulus in prima ad Corinthios epiſtola 6. 7. *Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Primi Fideles lite eos non perſequebantur, qui ipſis bona rapiebant, quemadmodum in Apologia ſua teſtatur Athenagoras. Si in Chriſtiana Religione omnia JESU CHRISTI mandata ſervarentur ad unguem, numquam litium vel inferendarum, vel propulſandarum neceſſitas ingrueret; nemo enim injurius eſſet proximo ſuo.

Hoc JESU CHRISTI præceptum cum iiſdem exceptionibus, ac ſuperius, intelligendum eſt. Si citra charitatis læſionem, veritatis, atque juſtitiæ detrimentum, E lis nequit haberi, numquam lite decertandum eſt, licet omnium bonorum noſtrorum jactura immineret. Unum illud periculum, in quod veri Chriſtiani adducuntur, ne lites, atque contentiones virtutibus ſuis caliginem aliquam offundant, eos a quovis litium genere deterrere debet. Bonum, quod ex melioris cauſæ contentione emanare poteſt, numquam fere comparandum eſt cum malo, & noxa, cui quis lite agens ſe ſe offert. Fatendum eſt tamen, non deeſſe caſus quoſdam, ubi his præceptis non cogimur, ita ut ſi ſecus fecerimus, peccemus, & in quibus & litem intentare licet, & propulſare. Immo opus eſt id aliquando peragere, ac Deum tentare diceretur, qui nollet, Æquitas, Reſpublica, Religio poſtulant, ut viduæ, ac pupilli oppreſſi protegantur, & impiorum conatus cohibeantur. Non licet Principi, ſinere, ut populi ſui vexentur, atque opprimantur; & nefas eſt, Eccleſiaſticum ſuperiorem exiſtimationis ſuæ curam negligere, nec eum, qui alienorum bonorum diſpenſator, aut cuſtos eſt, pati decet, ut concredita ſibi bona abripiantur. Sed cum juſtitiæ, vel charitatis Leges permittunt, vel cogunt, ut vel aliquem lite laceſſas, vel te met tuearis, ſemper ſervanda eſt mediocritas, & ſapientia, quæ requiruntur, cum jam omnia pacis conſilia inieris, ita ut liqueat, te ideo adverſari, quod viæ pacis non patent, ac lite agere potius, ne frater tuus injuſtum aliquid admittat, quam ut quæ tua ſunt, ſerves [9].

Tunica veſtis erat interior, *pallium* ſuperior. Hebræi duas tantum gerebant veſtes. Præcipit Salvator, ut ſi quis litem intenderit, ut tunicam ferat, deſeramus etiam pallium; hoc eſt, melius eſſe, nudum prorſus incedere, & rebus maxime neceſſariis privari, quam lite contendere. S. Lucas 6. 29. videtur magis naturalem ſecutus ordinem dicens: *Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere*. Pallium quoque, namque primum, mox tunica exuitur.

ꝟ. 41. QUICUMQUE TE ANGARIAVERIT MILLE PASSUS.] Verbum *angariare*, quo utitur Evangeliſta, ab origine Perſicum eſt. Reges Perſarum in regno ſuo inſtituerant ſtathmos, ſeu ſtationes quaſdam, ubi curſores quieſcerent, ac mutarentur, eas vero *Angara*, hos *Angaros* dixerant [10]. Cogebantur ſubditi, homines, equoſque ſuppeditare, qui Regum epiſtolas hinc inde ferrent, eaque non levis erat populis ſervitus. Judæi captivitatis tempore, cum ſub Perſarum imperio viverent, & ipſi quoque hoc onus ſubire debuerunt. Reges Syriæ, Alexandri Magni ſucceſſores eos in eadem ſervitute continuerant uſque ad Demetrium Nicatorem [11] Alexandri Balæ competitorem, qui per epiſtolam Summo Sacerdoti Jonathæ Macchabæo ſcriptam, hoc illos onere liberavit.

Ex ea ratione, qua iſthic loquitur Dominus, videntur Judæi ſub Romanis etiam his angariis obnoxii fuiſſe; & re ipſa videmus infra c. 27. 32. quod milites Romani *angariaverunt*, coegerunt Simonem quemdam forte prætereuntem, ut JESU Crucem ſuam bajulanti ferret opem. Angarorum uſus viget adhuc apud Turcas. Romani vero uſi ſunt verbo *angariare* ad innuendas vigilias, quas in armis tyrones ferre coguntur [12].

Eodem uſi ſunt etiam Juris Civilis auctores, & in actis ſequioris Latinitatis deprehenditur, ubi publica, & privata ſubditorum erga dominos ſuos opera ſignificat, veluti diurnos labores, itinera, rerum ultro citroque vehendarum onera &c. [13] *Angariæ* pluribus in locis dicuntur Quatuor Temporum jejunia. Opinantur ab uno ad alterum angarum quatuor mille paſſus interceſſiſſe. Innuit ergo JESUS CHRISTUS, ut ſi quis te cogit, ut mille paſſus curras, hoc eſt angari unius quadrantem, duo paſſuum millia currenda, hoc eſt dimidium, vel etiam trientes duos, prioribus mille addi-

1 1. Cor. 6. 1. 2. 3. 4. 5. 6.   2 Μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ.
3 Chryſoſtom. Homil. 18. Euthym. Theophyl. hic.   4 Eraſm. Grot. Ham.
5 Aug. l. 1. de Serm. Domini, & Chryſ. Hom. 18.   6 Job. 16 11. Jer. 5. 16. Mich. 5. 1.
7 Vide Maldonat. hic, & Janſ. ad verſ. 41. & Aug. Ep. 138. ad Marcellin. n. 11. *Paratus debet eſſe homo pius & juſtus patienter eorum malitiam ſuſtinere, quos fieri bonos quærit, ut numerus potius creſcat bonorum, non ut pari malitia ſe quoque numero addat malorum.*
8 Auguſt. l. 1. de Serm. Domini in monte. Grot. & Janſen. in hunc locum.
9 Vide Aug. l. 1. de Serm. Domini in monte, c. 8. & Ep. 93. c. 4. & Ser. 350. n. 5. & maxime Ep. 138. ad Marcellin.   10 Herodot. l. 8. cap. 98. Xenoph. Inſtit. Cyri l. 8.
11 Joſeph. Antiq. l. 13. c. 5.   12 Veger. de Re militari.
13 Vide Gloſſar. du Cange, Angariæ.

additis aliis duobus millibus : *Vade, & duo.* A

℣. 42. Qui petit a te, da ei.] S. Lucæ 6. 30. *Omni petenti te tribue.* Duplex huic loco ſenſus poteſt appingi : Ne obſtes iis, qui, quæ habes, auferre conantur ; ultro da, quod rapere adnituntur. Secundo, large, effuſeque eleemoſynam petentibus eroga, ſine ulla perſonarum acceptione, ſeu alieni ſint, ſeu domeſtici, noti, an ignoti, Judæi, an Ethnici ; amici, an inimici. Tunc ſolum perſonæ diſtinguendæ ſunt, cum ſimul duo pauperes petunt ; tunc enim præferendus eſt amicus, cognatus, domeſticus, ignoto, alieno, minus indigenti. Charitatis etiam eſt nonnunquam eleemoſynam denegare, veluti cum ideo negatur, ut inertia, ignavia, vel crimen etiam caſtigetur. Tunc enim corporalem renuens eleemoſynam, perfectius, atque utilius ſpiritualem impertit. *Omni petenti te dabis, quamvis non ſemper id, quod petit, dabis.* B *Et aliquando melius aliquid dabis, cum petentem injuſta correxeris*, ait S. Auguſtinus l. 1. de Serm. Dom. in Monte.

Volenti mutuari a te.] Hoc intelligendum eſt eodem cum temperamento, quo eleemoſynam erogandam eſſe docuimus.

℣. 43. Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.] Prior hujus verſiculi pars luculenter in lege expreſſa invenitur Exod. 23. 5. Lev. 19. 18. altera vero nullibi occurrit ; immo oppoſitum omnino deprehenditur. Deus explicite prohibet, ne Hebræi quærant ultionem, neque reminiſcantur injuriarum, quibus a fratribus ſuis fuerint affecti : *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* C Levit. 19. 18. & Exod. 23. 4. præcipit, ut ſi Iſraelita aliquis invenerit bovem, aut aſinum inimici ſui errantem, illos ad eum reducat ; vel ſi onere obrutos, ac jacentes fuerit intuitus, opem ferat inimico, ad eos relevandos. Cur ergo Dominus hic ait, dictum fuiſſe antiquis ; *odio habebis inimicum tuum?*

Credunt nonnulli [1], hanc eſſe Phariſæorum explicationem, cui vim legis tribuere volebant ; & eam a Jesu Christo juxta eorum mentem, atque traditionem allatam. Tenent alii [2], Deum vere permiſiſſe Judæis, vel etiam quodammodo præcepiſſe, ut odiſſent inimicos ſuos, cum omnem illis penitus interdixit amicitiam, & fœdus cum Chananæis Exod. 34. 12. ac imperavit, ut citra quamlibet miſerationem illos perſequerentur Deut. 7. 2. Amalecitas vero perhorreſcerent, D & contemnerent, ac irreconciliabile in ipſos odium foverent Deuter. 25. 17. & cum Moabitis nullam umquam pacem inirent, neque ulla ipſis bona exoptarent Deut. 23. 3. Pſalmiſta pſalm. 138. 21. teſtatus eſt, ſe Domini inimicos odiſſe, & tamquam internecinos hoſtes habere. Moyſes Deut. 13. 1. præcipit, ut qui ex Judæis fratres ſuos, in ſcelus, atque Idololatriam pellicere adniſi fuerint, interficiantur ; jubet etiam Lev. 24. 14. illico lapidibus obrui, & qui Dei nomen blaſphemiis coinquinare auditi fuerint, & qui Chaldæorum flagitia fuerint imitati Levit. 18. 28. En ergo duo inimicorum genera, quorum odium, & vindicta in Lege probatur : primum quidem inimici Dei, ac populi ejus ; Chananæi, Amalecitæ, Moabitæ ; ſecundo, ſeductores, impii, blaſphemi, publici le- E gum perfractores.

His & commenta ſua Rabbini addidere. Hi eos tantum proximos cenſebant, qui ex ſua eſſent natione, atque Religione [3]. Alienos vero tantopere abhorrebant, & oderant, ut ne dignarentur quidem illi id officii præſtare, quod jus commune, & humanitas jubent nemini negari ; puta viam docere, ad fontem deducere ; quod acerrime illis ab externis Auctoribus exprobratur. Juvenalis Satyr. 14. v. 104.

A *Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti ;*
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Conatur Joſephus contra Appion. l. 2. populum ſuum excuſare Lacedæmonum exemplo, qui cum alienis nullam inire volebant conſuetudinem, ne ex ea, veluti tabo quodam, vitiarentur. Variat adfert Moyſis Leges humanitatis erga alienos, & eos, qui per Palæſtinam iter ſuſcipiunt, imo & erga illos, in quos bella gerunt, refertiſſimos ; qua in re ne latum quidem, ut ajunt, unguem aberrat a veritate : hoc enim in lege præcipiebatur : at in eo res ſita eſt, ut noverimus, utrum re ipſa Judæi legi huic obtemperarent.

In Rabbinorum ſcriptis [4] occurrunt præcepta humanitati, atque charitati maxime nocua ; & qui eorum hiſtoriam, vivendique inſtituta didicerunt, hi B norunt ſane ſtudium eorum in vim, impotentiam, ac ultionem proclive. Doctor Judæus ait, illum, qui ultionem non ſumit, at velut anguem fovet odium in animo, Sapientis non eſſe diſcipulum. Tenent illi, Levit. 19. 18. locum, ubi vindictæ interdictum eſt, temporalia tantum bona, non autem nominis exiſtimationem reſpicere. Ulciſci licet, cum quis nomini ſtudet officere, non autem cum bonorum tuorum jacturam quærit. Ad hæc docent, fas eſſe, odiſſe illum, qui monitus ad frugem non redit : interficere eos, qui hæretici ſunt, Epicuræi, publici Legum prævaricatores ; non licere quidem Ethnicos occidere, citra belli occaſionem, licere autem illis opem non ferre, ſi in mortis diſcrimine verſantur. Hæc ſunt Judæorum præcepta, quæ hoc in loco Salvator voluit reformare.

C ℣. 44. Diligite inimicos veſtros.] Hic primus eſt charitatis gradus. *Benefacite iis, qui oderunt vos* ; hic alter eſt : *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos* : hic eſt tertius. Judæi oderant Ethnicos, maledictis proſcindebant Samaritanos, ac perſecutores ſuos. Vult Jeſus Chriſtus, ut hæc omnia mortalium genera diligere, de illis benemereri, pro illis orare ; atque hoc pacto odium qualecumque ſeu publicum, ſeu privatum tollit. Græcus hujus verſiculi addit [5] : *Benedicite maledicentibus vos* ; vel eorum famæ conſulite, qui veſtræ labem adſpergere adnituntur, quod ex S. Luca 6. 28. depromptum videtur. Quædam extant exemplaria, ubi verba hæc non leguntur, & plerique Græci Codices manuſcripti, Latini Patres [6], & Syriaca verſio illa non legunt. Pro *calum-* D *niantibus* [7] verti poteſt laceſſentes, bonis, nominique veſtro injuriam inferentes. In Scripturæ ſtylo *calumniare* ſæpius *perſequi*, vexare, affligere ſignificat. Græca vox *Epereazein* proprie ſignificat, aliquem injuria afficere per contemptum, ex mera illi doloris inferendi libidine.

℣. 45. Ut sitis filii Patris veſtri.] Imitamini clementiam Dei Creatoris, & Patris veſtri, qui largitatis ſuæ effectus in bonos æque, ac in impios effundit, in fideles non ſecus ac in infideles, in amicos pariter, & inimicos. Ethnici quoque agnovere, & admirati ſunt Providentiam hanc amoris refertiſſimam, ac ſuper mortales omnes indiſcriminatim ſe ſe effundentem. *Sol, & dies non oritur uni, & alteri, ſed omnibus in commune*, Plinius inquit in Panegyr. atque E inde intulerunt, viro bono imitandos eſſe Deos, qui neminem oderunt, ſed qui peculiari charitate eos, qui pie vixerint, complectuntur [8].

℣. 46. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt.] Nomen *Publicani* Latinum eſt, & ſignificat eum, qui vectigalia, aliaſque populi, principumque reditus, certo conſtituto pretio redimebat. Vox hæc Græcæ *telonai* reſpondet, quæ eos, qui exercent vectigalia, ſignificat. Primi Ordinis Publicani, ii videlicet, qui generalia Imperii conducebant vectigalia, ſummo in ho-

1 Eraſm. Druſ. Schind. Janſ. Brug. Spanh.
2 Aug. l. 1. de Serm. Domini in monte. Grot. hic.
3 Tacit. l. 5. Hiſt. *Apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promptu : adverſus omnes alios, hoſtile odium.*
4 Cod. Joma, apud Cartwigt. Melliſic. l. 2. c. 3. & Ligfoot. Hur. Hebr.
5 Ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς.
6 Ea non legerunt S. Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, S. Hieronymus, S. Cyprianus, S. Fulgentius. Verſio Cophtica, Græca Stephani editio in 4. aliique plures. Vide Mill. var. lect. & Prolog. 324.
7 Προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς.
8 Hierocles apud Grot. hic.

in honore apud Romanos habebantur, iique a Cicerone Orat. pro Planco his verbis laudantur: *Flos equitum Romanorum, ornamentum civitatis, Firmamentum Reipublicæ, Publicanorum ordine continetur.* At qui alterius ordinis erant, qui ab illis præpoſiti eorum in urbibus, ac provinciis exercebant vices, hi omnibus erant inviſi, atque veluti latrones habebantur [1]; Judæi vero, quibus nulla umquam natio fuit libertatis appetentior, eos odio pluſquam Vatiniano oderant, eoſque ſuperbiſſime contemnebant.

Qui ex populo ſuo hoc munus obirent, habebantur tamquam Ethnici [2], & Reipublicæ peſtes: non admittebantur in Synagogis, neque in precum communione, neque Reipublicæ dignitatibus, immo neque in judicio teſtes eſſe poterant [3]. Ex Pharisæi, & Publicani [4] parabola liquet, Publicanos quidem in Templum acceſſiſſe, at non ſatis liquet, utrum in atrium Iſrael ingrederentur. *Publicanus a longe ſtans*, ajebat, *Deus propitius eſto mihi peccatori*. Qui his muneribus fungebantur, ut plurimum erant liberti, ſervi, homines ex ima plebe, qui et diteſcerent, ſumma cum ſeveritate exigebant id, quod Principibus debebatur, neque jugis aderat illis occaſio per fas, & nefas dolos nectendi, extorquendi, rapiendi. Svetonius in Veſpaſ. c. 1. refert tamquam elogium ſingulare additum ſtatuis Sabini Patris Veſpaſiani cum epigraphe: *Bene Publicano*. Erat ille ex principibus illis Publicanis, de quibus ſupra locuti ſumus. Attamen licet Ciceronis elogium aliud innuat, eorum tamen officium apud externos præcipue, in honore poſitum non erat. Interrogatus quondam Theocritus apud Muſonium, quænam ferarum omnium eſſet crudeliſſima? e montanis urſum, & leonem: ex urbania vero Publicanos, & Paraſitos reſpondit.

℣. 47. ET SI SALUTAVERITIS FRATRES VESTROS TANTUM.] Omnia fere Græca Exemplaria [5] legunt *amicos*, pro fratribus: & non pauca *publicanos*, pro Ethnicis. Salutandi verbo iſthic omnia urbanitatis intelliguntur officia, quæ in vitæ commercio ultro citroque præſtantur. Ambitio, atque ſuperbia Judæorum efficiebant, ut ubi illi opibus magis pollerent, ne dignarentur quidem ſalutem dicere iis, qui ex ipſorum Religione non eſſent. Jubet JESUS CHRISTUS Diſcipulos ſuos, omnibus & dicere, & reddere ſalutem, cum alienis æque ac cum amicis, & domeſticis omnia urbanitatis munia obire. Verbo, vult nullum nobis eſſe inimicum, & mortales omnes tamquam fratres a nobis amari Joan. ℣. 10. 11.

Primi Chriſtifideles aliquid ex hac veteri Judæorum auſteritate ſervarunt; Hæreticos non jubebant ſalvere, neque ſalutem reddebant. Hoc ipſum fere cum excommunicatis fieri conſueverat. Ita enim ſalubrem

A illis erroris, hæreſiſque pudorem immittere ſtudebant, eoſque cogere, ut in Eccleſiam ingrederentur. Quærebant etiam infirmos confirmare contra dolos, ac fraudes eorum, qui ab Eccleſia ſeceſſerant, illos e ſocietate ſua prohibentes. Narrat S. Irenæus l. 3. cap. 3. S. Johannem Evangeliſtam, cum in publico balneo una cum Cerintho adeſſet, ſtatim ut eum hæreticum vidit, receſſiſſe dicentem, ſe vereri, ne balneum in caput ſuum recideret; quoniam ibi aderat Cerinthus veritatis inimicus. Et S. Polycarpus, cum quondam Marcioni obvius fortuito fuiſſet, interroganti, noſcis ne me? ei que reſpondit: diaboli primogenitum agnoſco. Et S. Paulus ad Tit. 3. 10. expreſſe fidelibus præcipit, ut primum, iterumque monitos vitent hæreticos. Verum hæc omnia minime obſtant iis, quæ

B iſthic ait Jeſus Chriſtus: non enim in odium perſonarum illas aufugimus, ſed in odium erroris, atque ut periculum evitemus, ne eorum conſuetudine corrumpamur.

℣. 48. ESTOTE ERGO VOS PERFECTI, SICUT ET PATER VESTER COELESTIS.] S. Lucas in gemino huic loco, habet: *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt* [6]: Quod coarctare videtur ſimilitudinis perfectionem, quam Salvator ea nobis expoſcit ad imitationem clementiæ, ac miſericordiæ Patris cœleſtis, qui, ut ſuperius dictum eſt, oriri facit ſolem ſuum ſuper bonos, & malos; ita ut hæc eorum omnium, quæ ſuperioribus in verſiculis de proximi charitate dicta ſunt, eſſet concluſio. In his omnibus Patrem cœleſtem imitamini, & ſi fieri poteſt, charitas veſtra

C æque ac in Patre Cœleſti, perfectiſſima eniteat.

At S. Matthæi verbis ſignanter hærere poſſumus. JESUS CHRISTUS nobis hic Patris perfectionem proponit, non velut finem, ad quem pervenire valeamus, ſed tamquam objectum, ad quod tendere opus eſt, & veluti exemplar, quod nobis eſt proponendum. Quotidie ad majorem perfectionis gradum contendite, neque ſufficiat ille, quem jam eſtis aſſecuti. Semper procedite, numquam recedite [7]. Deus, qui ad imaginem ſuam vos creavit, cupit, ut illum in vobis met ipſis referatis, quoad infirmitas veſtra, gratiæ illius ope fulta, poteſt. Antiqui Philoſophi [8] cognovere, ſummam hominis perfectionem in eo eſſe poſitam, ſi Deo ſimiles fierent; viam autem, qua ad perfectam hanc ſimilitudinem pervenire poſſumus, eſſe, juſtitiam, pietatem, at-

D que ſapientiam colere. Stoici vero præcepta hæc, quæ optimum pati ſenſum poſſunt, magis exaggerabant, cenſentes, Dei, hominumque virtutes eſſe eaſdem [9]. S. Clemens Alexandrinus l. 7. Strom. hanc Stoicorum ſententiam atheiſmum ſapere ait, & Theodoretus, nullo modo probari poſſe contendit [10].

---

1 Vetus Poeta. Πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες. 2 Matth. 18. 17. *Sit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* 3 Luc. 18. 10. *Publicanus autem a longe ſtans.*

4 Vide Grot. hic. & Waſer de Numiſ. Hebr. Ligfoot. Hor. Hebr.

5 Ita Stephani omnes Codd. Bodl. mſ. 7. alii quam plurimi. Vide Mill. not. Et loco ἐθνικοὶ, plures legunt τελῶναι. 6 Luc. 6. 36. Vide Maldon. Brug. Grot. hic, & Anthor. Oper. imperfecti in Matth. Homil. 12.

7 Luc. 9. 62. Philipp. 3. 13. 8 Plato in Theæteto.

9 Cicero l. 1. de Legib. *Jam vero virtus eadem in homine, ac Deo eſt; neque ullo alio ingenio præterea. Eſt autem virtus nihil aliud, quam in ſe perfecta, & ad ſummum perfecta natura. Eſt igitur homini cum Deo ſimilitudo.* 10 Theodoret. Serm. 11. de Fine & Judicio.

CAPUT VI.

Pergit ſermo JESU CHRISTI in Monte. Monita, ad Eleemoſynam, orationem, & jejunium ſpectantia. Theſauri in Cœlo collocandi. Intentionis rectitudo. In Providentiæ largitate confidentia.

1. ATtendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum, qui in

nmlis

cœlis eſt. 2 Cum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſi-
cut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, ut honorificentur ab homini-
bus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. 3 Te autem faciente elee-
moſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua: 4 Ut ſit eleemoſyna
tua in abſcondito, & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. 5 Et
cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis, & in angulis
platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus; amen dico vobis, recepe-
runt mercedem ſuam. 6 Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, &
clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito, & pater tuus, qui videt in ab-
ſcondito, reddet tibi. 7 Orantes autem, nolite multum loqui, ſicut ethnici:
putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur. 8 Nolite ergo aſſimilari eis:
ſcit enim pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum. 9 Sic er-
go vos orabitis: Pater noſter, qui es in cœlis: ſanctificetur nomen tuum. 10
Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. 11 Pa-
nem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. 12 Et dimitte nobis debita no-
ſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. 13 Et ne nos inducas in ten-
tationem. Sed libera nos a malo. Amen. 14 Si enim dimiſeritis hominibus pec-
cata eorum: dimittet & vobis pater veſter cœleſtis delicta veſtra. 15 Si autem
non dimiſeritis hominibus: nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. 16
Cum autem jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies
ſuas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mer-
cedem ſuam. 17 Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam la-
va, 18 Ne videaris hominibus jejunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſcondito:
& pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. 19 Nolite theſaurizare
vobis theſauros in terra: ubi ærugo, & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt,
& furantur. 20 Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo; ubi neque æru-
go, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. 21 Ubi
enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. 22 Lucerna corporis tui eſt ocu-
lus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex; totum corpus tuum lucidum erit. 23
Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebroſum erit. Si er-
go lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt? 24 Ne-
mo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum di-
liget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire, &
mammonæ. 25 Ideo dico vobis: ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis,
neque corpori veſtro, quid induamini. Nonne anima plus eſt quam eſca, & cor-
pus plus quam veſtimentum. 26 Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt,
neque metunt, neque congregant in horrea: & pater veſter cœleſtis paſcit illa.
Nonne vos magis pluris eſtis illis? 27 Quis autem veſtrum cogitans poteſt ad-
jicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? 28 Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis?
Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent. 29 Di-
co autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut
unum ex iſtis. 30 Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum
mittitur, Deus ſic veſtit: quanto magis vos modicæ fidei? 31 Nolite ergo ſo-
liciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?
32 Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater veſter, quia his omnibus
indigetis. 33 Quærite ergo primum regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc om-
nia adjicientur vobis. 34 Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim
dies ſolicitus erit ſibi ipſi: ſufficit diei malitia ſua.

℣. 1. ATTENDITE NE JUSTITIAM VESTRAM FACIATIS CORAM HOMINIBUS.] Ubi ſuperiori capite propoſuit erga proximum charitatis officia, iſthic loquitur de intentione, quæ comes adeſſe debet actionibus noſtris. JESUS CHRISTUS eadem inſiſtit methodo, quam Cap. 5. inſtituit, oſtendit Phariſæorum errata, ac ſimul docet, quomodo ſint evitanda. Non prohibet bonum operari coram hominibus, cum id poſcit occaſio, ſed illud facere prohibet, ut eorum admirationem, approbationem, exiſtimationem captemus. Actio poteſt, imo debet nonnumquam palam fieri; intentio vero ſemper latere debet [1]: *Sic autem ſit opus in publico, ut intentio maneat in occulto.*

Ple-

1 Gregor. Magn. Homil. 11. c. 13. in Matth.

Pleraque, imo fere omnia Græca Exemplaria hoc in loco legunt [1]: *Attendite, ne eleemoſynam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*; quam lectionem Græci Patres * vulgo ſequuntur; at nihil habet oppoſitum Vulgatæ, cui Græci quidam Manuſcripti, Syrus, Origenes hom. 2. in Exod. & veteres Latini Patres ſuffragantur. Hebraica vox *Tſedakah*, quæ ſignificat *juſtitiam*, ſæpius etiam pro miſericordia, & eleemoſyna uſurpatur. Salvator ſuperius c. 5. ait: *niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*. Hic addit, non ſatis eſſe, melius operari, quam qui olim Judæorum perfectiſſimi habebantur, ſed hoc faciendum eſſe tantummodo, ut Deo placeamus, & ſatisfaciamus officiis erga proximum, non autem, ut hominum exiſtimationem, ac laudem mereamur [2]. Vanitas venenum eſt optimarum actionum, hæc Sanctis æque, & impiis inſidiatur. Hoc validiſſimum eſt dæmonis telum adverſus eos, quos ſuperare non valuit: eos ad malum alliciens, ambitionis ſtimulis utitur. Vide cap. 5. ℣. 16.

℣. 2. NOLI TUBA CANERE:] Interpretes nonnulli [3] dixere, Phariſæos conſueviſſe ad tubæ ſonitum congregare egenos, quibus eleemoſynam erogarent. Alii putant [4], gazophylacium in templo fuiſſe, in quod conjiciebantur eleemoſynæ; eumque os illius in buccinæ ſpeciem elaboratum eſſet, qui illuc aliquam majoris pretii immittebant eleemoſynam, argentum illic illideze conſueviſſe, ut illius fragore in ſe omnium ora converterent. At qui majorem locarunt operam, ut veterum Hebræorum mores perdiſcerent [5], tenent, in eorum ſcriptis ne veſtigium quidem commentitiæ hujus conſuetudinis extare; & Patres [6] docent, hoc explicandum eſſe veluti adagialiter dictum, quod innuit, ſtipem non eſſe cum pompa erogandam, neque in populi cœtu, ad liberalis viri auram captandam. Locutionis hujus vis ſatis per ſe patet. Conſueverant Hebræi dies feſtos ſuos annuntiare, & ad tubæ clangorem populi conventum indicere [7].

IN SYNAGOGIS, ET IN VICIS.] In locis, ubi ad orationes fundendas populus congregabatur. Eleemoſynam ubique facere, bonum eſt; at non licet umquam illam erogare, oſtentationis gratia, neque multitudinem quærere, ut pluribus inſpectantibus fiat. Pro *Synagogis* intelligi poſſent populi conventus [8] juxta Græcæ vocis ſignificationem; at nequaquam opus eſt, a vulgata verſione recedere.

SICUT HYPOCRITÆ.] Græca vox *hypocrita* proprie ſignificat actorem theatri, qui alienam perſonam gerit. Nomen hoc iis inditum fuit, qui ſuos ſimulant mores extrinſecus quidem pii, & æqui, introrſum vero nequam, & improbi. JESUS CHRISTUS ait, hujuſmodi viros, qui inani virtutis ſpecie ſimplices viros fallere geſtiunt, mercedem ſuam jam retuliſſe, hoc eſt, ipſis nullum amplius in cœlo expectandum eſſe omnium actionum ſuarum fructum, ſeu illis e voto ceſſerit, ut hominum laudes atque admirationes fuerint adepti; ſeu eorum fraude detecta, omnes homines illorum ſanctitatis ſimulationem irriſerint. Sunt, qui Græcum textum vertant [9]: *Prohibent mercedem ſuam*. At nihil video, quod nos cogat, ut a communi verſione recedendum putem; vis verborum novi Teſtamenti ex Libris novi Teſtamenti petenda eſt, non autem ex Græcis ævi melioris auctoribus. At *apecho* ſignificat recipere apud S. Lucam 6. 24. *Philipp.* 4. 18. *Philem.* ℣. 15.

℣. 3. NESCIAT SINISTRA TUA, QUID FACIAT DEXTERA TUA.] Eleemoſynam adeo clanculum eroga, ut, ſi fieri poteſt, neque tu ipſe id ſcias [10]. Hæc loquendi ratio mirum in modum indigitat quam caute, atque ſecreto in oculis Dei unius bona opera facienda ſint. In eodem ferme ſenſu dicebat quidam, futurum, ut ſi noviſſet, tunicæ ſuæ exploratum eſſe conſilium ſuum, eam in ignem projiceret. Patres quidam figuratas huic loco explicationes quæſiverunt. Alii [11] pro dextera Fideles, pro ſiniſtra Infideles, intelligunt. Non eſt neceſſe, ut Ethnici norint bona opera, quæ coram fidelibus operamur. Alii [12] pro dextera virum, pro ſiniſtra uxorem, quæ ut plurimum, minus eſt liberalis, interpretantur. Non opus eſt, ut hæc ſemper ſciat quidquid pauperibus vir erogaverit. Sed ſpiritualia potius quam ſolidæ hæ ſunt explicationes.

℣. 4. PATER TUUS, QUI VIDET IN ABSCONDITO, REDDET TIBI.] Græcus [13] addit, *palam*. Reddet Deus tibi, omnibus mortalibus inſpectantibus, quodcumque clanculum feceris. Hæc additio invenitur etiam infra ℣. 6. & 18. At plurimi extant Manuſcripti libri [14], ubi non invenitur. Chromatius, Juvencus, S. Hieronymus, Origenes, S. Auguſtinus eam non legerunt; immo poſtremus hic [15] palam ait, ſe illam non in Exemplaribus Græcis, ſed in pluribus Latinis, duntaxat inveniſſe. Hodie vero prorſus accidit e contra.

℣. 5. ET CUM ORATIS, NON ERITIS SICUT HYPOCRITÆ &c.] Synagogæ loci ſunt precum; & JESUS CHRISTUS procul dubio non prohibet ibi orare Deum; at non vult, aliquem ibi id agere, ut tamquam miræ pietatis vir videatur [16]. Credunt nonnulli, & jure, *Synagogam* hoc in loco ſignificare publicam plateam, cœtus locum [17], & Phariſæos affectaſſe quibuſdam diei horis ubicumque eſſent, etiam in media populi turba, preces effundere, ita intempeſtivam pietatem præſeferentes. JESUS CHRISTUS ait, ipſos jam mercedem retuliſſe, nihilque ipſis ex cœleſti Patre expectandum, niſi juſtam hypocriſis, atque ambitionis ſuæ pœnam.

Animadvertendum iſthic, Judæos vulgo ſtantes oraſſe. *Amant ſtantes orare.* Abraham ſtetit coram Angelis, quos precatus eſt, ut parcerent Sodomæ Gen. 18. 22. Job 30. 20. ait ad Deum: *Clamo ad te, & non exaudis me, ſto, & non reſpicis me.* Et Jeremias 15. 1. *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum,* ait Dominus. Et 18. 20. *Recordare, quod ſteterim in conſpectu tuo, ut loquerer pro eis bonum &c.* Et in Nehemia 2. Eſdr. 9. 2. Levitæ populo, qui proſtratus erat, dicunt: *Surgite, & benedicite Domino Deo veſtro.* Fatendum eſt tamen, conſuetudinem hanc nequaquam generalem fuiſſe, neque deeſſe exempla eorum, qui preces effuderunt, flexis genibus, ſedentes, proſtrati. Dominus Eliæ dixit 3. Reg. 19. 18. ipſum ſibi reſervaſſe in Iſrael ſeptem hominum millia, qui non curvarunt genu coram Baalam: & in Jeremia 45. 23. jurat Deus, futurum, ut coram eo omne genu flectatur, & omnis lingua per nomen ipſius juret. Dicitur Daniel ter in die genibus flexis Dominum adoraſſe Dan. 6. 10. & Michææ 6. 6. *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelſo.* In Actis 9. 40. & 20. 36. Apoſtoli de genu precantur, uti etiam Publicanus in Evangelio Luc. 18. 13. David 2. Reg. 7. 18. ſedet coram Domino, ut illi gratias agat ob ea, quæ ſibi ab illo magnifica fuerant promiſſa. Primi Chriſtifideles ut plurimum ſtantes in Eccleſiis orabant; alibi vero quilibet pro pietate ſua alium corporis habitum orantes præſeferebant. Non deſunt plurima eorum exempla, qui facie ad terram demiſſa ſuas preces effunderent. Hæ omnes orandi rationes vigent adhuc in Eccleſia.

TU

1 Προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς.
* Chryſoſt. Theophylact. & alii plerique. 2 Chryſoſt. hic Homil. 19. 3 Quid. apud Euthym. Lyr. Strab. Brug. Tirin. Cornel. &c. 4 Vide Cleric. hic. 5 Ligfoot. Hor. Heb. 6 Chryſoſt. & Auctor. Oper. imperfecti. 7 Num. 10. 2. 3. & 10. 4. & 3. Reg. 1. 41. & 4. Reg. 9. 13. 11. 14. Pſalm. 80. 4.
8 Eraſm. Grot. Ham. 9 Ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν. Vide Knatchbull. hic.
10 Vide Chryſoſt. Theophylact. Ambroſ. lib. 1. Offic. c. 30. Grot. Mald. alios.
11 Aug. l. 2. de Serm. Domini in monte. Auctor Oper. imperfecti. 12 Quidam apud Auguſt. l. 2. de Serm. 13 Ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ. Ita legit Auguſt. in Latinis quibuſdam, & Syr. & Græci fere omnes. 14 In Cantabrig. & Colb. duob. & aliis. Vide Mill. Not.
15 Aug. l. 2. de Serm. Domini in monte, cap. 2. 16 Auguſt. l. 2. de Serm. Domini in monte. *Neque hic videri ab hominibus nefas eſt, ſed ideo hæc agere, ut videaris.* 17 Hamm. Bez. Vide ad verſ. 2.

℣. 6. TU AUTEM CUM ORAVERIS, INTRA IN CUBICULUM TUUM.] Non prohibet JESUS CHRISTUS publicas, ſolemneſque preces, quæ in Fidelium cœtibus habentur; imo ait, ubi duo, vel tres fuerint in nomine ſuo congregati, ſe ibi medium inter illos [1]. At jubet, in privatis, ſimpliciſque devotionis precibus quemlibet duplici de cauſa in ſecretum conclave recedat: primum, ne orans diſtrahi poſſit, alterum, ut oſtentationem vitet. Patres [2], in morali etiam, figuratoque ſenſu explicuerunt hoc cubiculum, quo ſecedendum eſt, & oſtium hoc, quod eſt claudendum. Cubiculum eſt cor noſtrum, oſtium vero ſenſus noſtri. Oremus ergo animo quieto, ſerenoque, corde puro, atque in ſilentio. Terrenas omnes arceamus cogitationes, affectuum tumultum ſedemus, obſtruamus ſenſus noſtros iis rebus, quæ nos ab orationibus poſſunt diſtrahere.

℣. 7. ORANTES AUTEM NOLITE MULTUM LOQUI.] Prolixæ preces non ideo penitus Chriſti Fidelibus prohibitæ ſunt. JESUS CHRISTUS Salvator noſter, atque Exemplar, nonnumquam orando preces tranſegit Matt. 14. 23. & in agonia ſua fuſius oraſſe narratur. *Prolixius orabat* Matth. 26. 39. Inutiles ergo repetitiones dumtaxat illhic prohibentur; qui ſenſus eſt Græcæ vocis [3], *Battologein*. Hæc fallax erat Ethnicorum ſententia, qui longas recitabant preces, rati, ſe ita facilius ſibi propitios Deos reddere poſſe: *Putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur.* In 3. Regum 18. 26. videmus Pſeudo Prophetas Baal a mane uſque ad meridiem uſque indeſinenter clamaſſe: *Baal, exaudi nos*; ſuper altare quod erexerant ſalientes, & cultris ſuis juxta ſuperſtitioſam conſuetudinem ſuam, artus ſibi incidentes; at voces eorum ad Baal uſque non perveniebant. Elias vero irridens, ajebat illis: *Clamate voce majore: Deus enim eſt, & forſan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.* Extant adhuc quidam veterum Ethnicorum hymni, qui non aliud ſunt, quam inanes repetitiones, epithetorum, atque ſynonymorum Deorum ſuorum congeries [4]; quam religionis ſuæ conſuetudinem ipſi etiam Ethnici irridebant [5]. *Oho, jam deſine Deos, uxor, gratulando obtundere, tuam eſſe inventam gnatam; niſi illos tuo ex ingenio judicas, ut nil credas intelligere, niſi idem dictum eſt centies.*

Putant [6] Judæi quoque, hunc fuiſſe uſum, vel potius abuſum prolixis orationibus, non ſine repetitionibus Deum fatigandi; cujus rei ſane in Libris precum ſuarum extant exempla; ac illa eſt quorumdam Rabbinorum ſententia [7]: *eum, qui multum rogat, exaudiri.* Hæc eſt formula cujuſdam orationis eorum [8]: *Rogamus te, Domine Deus noſter, & Deus patrum noſtrorum, ut digneris remittere omnes iniquitates noſtras, & remittas nobis omnes prævaricationes noſtras, & expies nos ab omnibus peccatis noſtris, quæ patravimus coram te cogitatione, & peccatis, quæ patravimus coram te, voluntate; & peccatis, quæ patravimus coram te ignorantia; & peccatis, quæ patravimus coram te turpitudinem detegentes*; atque ita de aliis peccatis, quorum moroſa intervenitur enumeratio, cui ſubinde illa interſeruntur verba: *parce nobis, remitte nobis, expia nos* &c. Nemo eſt, qui non intelligat turpium harum repetitionum moleſtiam. Qui ex Judæis ſapientiores feruntur, hoc orandi genus improbarunt [9]. Cogitandum eſt, cum oramus, *non narratores, ſed rogatores nos eſſe*, S. Hieronymus inquit in hunc locum; neque docere magnitudinem, & majeſtatem Dei, neque noſtram infirmitatem, ac neceſſitatem, nimis prolixos eſſe in orationibus, ni aliter nos ſacer Dei Spiritus doceat; nam Spiritus eſt, qui orat, & gemit, & petit intra nos ipſos, Rom. 8. 26.

℣. 8. SCIT ENIM PATER VESTER, QUID OPUS SIT VOBIS.] Craſſus eſſet error, arbitrari, Deum ignorare, quibus rebus egeamus, & ipſum ſermonibus noſtris indigere, ut id ex nobis intelligat. Ethnici ſolum adeo ſtupidi eſſe poſſunt, ut hoc opinentur. Jubet vero, nos illi noſtram egeſtatem exponere, ut noſtram infelicitatem, atque ſubmiſſionem intelligentes fidentius, atque humilius ad eum confugiamus, majori cum grati animi ſenſu beneficia illius recipiamus [10]; & illum erga nos flectere, non docere, quid nobis ſit opus, quæramus [11]. Vetus quidam ſuadebat ut quotidie in precibus noſtris Deo diceremus. *Domine miſerere mei, ut ſcis & vis.* Juvenalis eodem ferme ſenſu dicebat Satyr. 10. ℣. 347.

Permittes ipſis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebuſque ſit utile noſtris.
Nam pro jucundis aptiſſima quæque dabunt Di.
Carior eſt illis homo, quam ſibi.

Socrates [12] jubebat, nihil umquam peculiariter a Diis peti, ſed generatim dumtaxat bona. Norunt illi melius quam nos, quid opus ſit. A Deo peculiariter aliquid petere idem eſt, ajebat ille, quam petere prælium, vel rem, incertæ planam aleæ, quia ſciamus, quem ſit effectum habitura.

℣. 9. SIC ERGO VOS ORABITIS: PATER NOSTER &c.] Cum Apoſtoli a Salvatore petiiſſent orationis formulam [13], quemadmodum S. Joannes Baptiſta aliam Diſcipulis ſuis tradiderat, JESUS docuit eos *Pater noſter*, quæ omnium, quæ umquam prolatæ fuerint, orationum pulcherrima eſt, ac perfectiſſima. Paucis complectitur, quidquid nobis a Deo petendum eſt; & petitiones ea ibi ratione expreſſæ ſunt, quo preces omnes fieri opus eſt; ſumma videlicet cum humilitate, confidentia, ac Divinæ voluntati ſubmiſſione [14]. Tertullianus [15] non dubitavit aſſerere, *Pater noſter* eſſe Evangelii totius compendium. Et ſane in examine illius, quod habituri ſumus, videbimus non doceri ſolum, quid Chriſtiano petendum ſit, verum etiam quid agendum ſit nobis, ut vivamus, uti perfectos decet Chriſtifideles.

Ajunt [16], hanc apud Judæos fuiſſe conſuetudinem, ut præcipui Doctores traderent Diſcipulis ſuis orationum formulas, & in Hebraicis libris non nulla deprehenduntur veſtigia, quæ aliquam habent ſimilitudinem cum iis, quæ legimus in Oratione Dominica, ſeu illæ ex Evangelio depromptæ fuerint, ſeu illa conſignaverint juxta communes Religionis ſuæ ſenſus, in Sacris Bibliis effuſos. Hoc autem certum eſt, Orationem hanc eſſe prorſus divinam, & neminem oſtendere potuiſſe, quomodo orandum ſit, niſi Filium Dei. Pater libenter agnoſcit in precibus noſtris Filii ſui verba [17]; *Agnoſcat Pater filii ſui verba, cum precem facimus*, ac nos exaudiet facilius, cum ea poſcimus, quæ poſcere nos docuit Filius ipſius [18]: *Ut dum Oratione, quam filius docuit, ad Patrem loquimur, facilius audiamur.*

PATER NOSTER QUI ES IN COELIS.] Hæc novi fœderis prærogativa eſt, poſſe appellare Deum Patrem noſtrum. JESUS CHRISTUS nobis hunc honorem contulit,

---

1 Matth. 18. 20. Vide Auctor. Oper. imperfecti, hic. *Alterum dico, alterius cordis: Qui autem ejuſdem ſunt cordis, etſi multi fuerint oratores, unum ſunt.* 2 Aug. Hieronym. Hilar. Auctor. Oper. imperfecti, in hunc locum. Ambroſ. lib. 1. de Cain & Abel, c. 9. Chryſoſt. hic. 3 Μὴ βαττολογήσητε.
4 Vide Selden. de Diis Syriis, proleg. c. 3. 5 Vide Grot. hic.
6 Ligfoot. Le Clerc hic. 7 Jeroſolym. Taanith. 63. 8 Vide apud Selden. de Synedr. l. 1. c. 12. 9 Eccli. 7. 15. Vide Grot. hic. 10 Auguſt. Serm. olim 48. de Diverſ. nunc 56. *Ideo voluit ut ores, ut deſideranti det, ne vileſcat quod dederit, quia & ipſum deſiderium ipſe inſinuavit.*
11 Auctor Operis imperfecti, *Non ideo oramus, ut exponamus Deo quod volumus, ſed ut placeat ei præſtare quod deſideramus.* 12 Xenophon. de Dictis & Fact. Socrat. 13 Luc. 11. 1.
14 Vide Augn. Ep. 130. cap. 12. lib. 2. de Serm. c. 3. & Serm. 56. nov. Edit. & Cyprian. de Orat. Dominic.
15 Tertull. l. de Orat. Dominica. *Breviarium totius Evangelii.*
16 Vide Luc. 11. 1. Gemar. Babil. Berachut. Ligfoot. Hor. Hebr. Grot. hic. Greg. not. 38.
17 Tertull. de Orat. Dominica. 18 Cyprian. de Orat. Dominica.

Digitized by Google

ſit, ut filii, & hæredes Patris Cœleſtis [1] appellemur, & ſimus. Cum Deum Patrem noſtrum dicimus, originem noſtram intelligimus, & noſtræ dignitatis reminiſcimur. Nequaquam licet filiis Dei terrenos fovere ſenſus, & creaturis adhærere. Ipſis jus eſt ad Deum fidenter, veluti ad Patrem confugiendi. Ipſi mortales omnes tamquam fratres habere debent, quandoquidem omnibus unus eſt Pater communis. Quomodo non odiſſe poſſent filios Patris Cœleſtis, qui iram ſuam illis minitatur, niſi eos amaverint? Ex his verbis: *Pater noſter*, diſcunt [2] orare in commune, & Eccleſiæ adhærere. Ex illis vero: *Qui es in Cœlis*, ſtudia, ac vota ſua in Cœlum, atque æternitatem intendere edocentur. *Patris* nomine Veteres plurimi [3] iſthic totam Sanctiſſimam Trinitatem intellexere. Alii [4] *Patrem æternum. Cui dicimus Pater noſter? Patri Chriſti.*

SANCTIFICETUR NOMEN TUUM.] Nomen Dei eſt ipſe Deus. Deus ſemper eſt ſanctus, ſemper glorioſus, ſemper glorificatus, quin aliquid illius ſanctitati conferre valeamus. Et malo, æque ac bono gloriæ cauſam invenit. Ille nobis, bonis, laudibuſve noſtris non indiget. Itaque non poſcimus, ut ipſe nomen ſuum ſanctificet, neque nos illud ſanctificemus; ſed ut ſanctificetur, agnoſcatur, diligatur, adoretur, glorificetur in omni mundo, & ab omnibus creaturis rebus, intelligendi vi præditis [5]. Nos Dominum ſanctificamus recto agendi genere, & actionibus ſanctis, & puris, noſtram ex eo ſanctificationem, & gloriam poſcimus, cum nominis ipſius petimus ſanctificationem, quemadmodum ait S. Auguſtinus [6]: *Hoc rogas, ut quod ſemper ſanctum eſt in ſe, ſanctificetur in te, id ſanctum habeatur non contemnatur &c.* Ethnici nomen Dei non ſanctificabant, immo polluebant, illud Idolis deferentes. Judæi humilem nimis illius ideam conceperant; nec ſerviebant illi ea cum puritate, ac perfectione, quam petit. Illius clementiam ad unam tummodo Judaicam nationem coarctabant, & ea hoc fœdere reliquos omnes populos arcebant. Jubet Jeſus CHRISTUS Diſcipulos ſuos adniti, ut nominis ſui cognitionem in omnes terrarum plagas, omneſque gentes effundant [7].

℣. 10. ADVENIAT REGNUM TUUM.] Plures huic loco ſenſus tribuuntur. 1. Utinam regnet Deus in cordibus noſtris per Fidem, & Charitatem [8]. 2. Utinam creatura omnis rationis compos imperium tuum agnoſcat, & humiliter Providentiæ tuæ mandatis pareat [9]. 3. Verum Regnum cœlorum ſtatim adveniat, quam primum in æterna tua excipiamur tabernacula, atque ea vita perfruamur, quæ nulli periculo, nulliquo eſt obnoxia calamitatibus [10]: *Nihil eſt aliud, quam optare, ut digni nos faciat regno ſuo*, S. Auguſtinus ait. 4. Denique JESU CHRISTI regnum per fidem, atque omnium populorum converſionem [11] inſtituatur, & fine ſervetur, atque augeatur.

FIAT VOLUNTAS TUA SICUT IN COELO, & IN TERRA.] Abſoluta Dei voluntas ſemper expleatur, nemo umquam illius obſiſtere valeat mandatis. Nequiſſimi peccatores, & qui perfrictiſſimæ frontis ſunt, tunc etiam eum Dei conantur imperiis reluctari, explent illa: *Omnipotentis Dei conſilia, dum reſiſtere ni-*

A *tuntur, obſequuntur*, ait S. Gregorius Magnus lib. 6. Moral. in Job. c. 12. At hic petimus, ut noſtra, omniumque mortalium voluntas, ita divinæ ſubmiſſæ ſint voluntati, ut ne minimum quidem huic adverſentur [12]: *Non ut Deus faciat, quod vult, ſed ut nos facere poſſimus, quod Deus vult*; S. Cyprianus inquit. Cupimus, ut peccatoribus converſionis gratiam permittat, ut Dei voluntatem explentibus in iis hæc eadem expleatur voluntas [13]: *Quando facimus voluntatem Dei, tunc fit voluntas ejus in nobis*. Optamus, ut voluntas ejus, & conſilia ita expleantur in terria, quemadmodum in cœlis decreta fuerunt: *Sicut factis voluntas in Cœlo, ſic fiat* [14]: ut perfectam ſemper erga Providentiæ ipſius mandata ſubmiſſionem ſervemus. Denique Sanctos Auguſtinus [15], & Auctor Operis imperfecti [16],

B aliique plures ita intelligunt: *Fiat in nobis, ſicut & in Angelis, qui ſuas in Cœlo voluntas tuas.*

℣. 11. PANEM NOSTRUM SUPERSUBSTANTIALEM DA NOBIS HODIE.] Nomine *panis* Scriptura quodvis eſcæ genus intelligit: hic intelligi etiam poteſt de rebus omnibus ad vitam neceſſariis. Panis eſt neceſſarius, ait S. Auguſtinus [17]: imprudentis eſt petere divitias, quæ ad ferendam vanitatem duntaxat inſerviunt; at non ita, poſcere panem: ſine quo vita omnino tranſigi non poteſt. Mendicus es ad oſtium Dei: ne erubeſcas. Licet immenſis opibus polleas, egenus es tamen, ut alii. Quid petis? Quotidianum panem petis, uti noviſſimus e pauperibus. Et unde habes, quod habes, niſi ex illius largitate, qui temporis momento pauperem te efficere poteſt? Quid haberes, ſi benefacien-

C tem manum ſuam averteret Deus.

Putant nonnulli [18] per hæc verba: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie*, nihil nobis eſſe petendum, quam animæ eſcam, gratiam, lumen, charitatem. Nihil JESU CHRISTO, & Religione Chriſtiana dignius, quam hæc petitio in hunc ſenſum deſumpta. Alii [19] de Sanctiſſima Euchariſtia cenſent intelligendum. Permitte nobis, Deus, ut tali pacto vitam traducamus, ut numquam a ſancto Altari tuo ſeparemur, ait S. Auguſtinus. Da nobis Sanctam Euchariſtiam, panem hunc quotidianum, *Euchariſtiam tuam, quotidianum cibum*; & addit etiam, Dei verbum, quod quotidie prædicatur, aliud eſſe panis quotidiani genus, quem tanta aviditate animæ concupiſcunt, quanta corpus exquiſitiſſimas epulas appetit. Sed hujuſmodi explicationes ad mores magis pertinere, quam ad litteram videntur accedere.

D Græca vox [20], quam Vulgatæ Auctor in S. Luca *quotidianum*, iſthic vero *ſuperſubſtantialem* reddidit, non modicum Criticos viros exercuit. Admonet S. Hieronymus in Matth. l. 1. c. 6. ſe in S. Matthæi verſione *ſuperſubſtantialem* appoſuiſſe: ſed licet id ſumma curaſſet diligentia, factum nihilominus, ut vox ea *quotidianum*, quæ in antiqua aderat Vulgata, & cui populus jam diu conſueverat, apud omnes in uſu fuerit retenta. Sanctus idem animadvertit in Hebræo Nazaræorum Evangelio, legi *Machar*, quæ vox ſignificat *cras*, ita ut ſis omnis hoc pacto dirimatur, ait Grotius [21], & Græcum nomen *Epiouſios* de craſtina die ſit intelligendum, authographum quippe vocabulum citra quam-

1 Rom. 8. 15. 16. Galat. 4. 28. 29. 2 Authos. Oper. imperf.
3 Chryſoſt. hic. Cyprian. lib. de Orat. Dominica. Rupert. in hunc loc.
4 Aug. Tract. 30. in Joan. & alibi. 5 Chryſoſtom. hic.
6 Aug. Serm. olim 48. de Diverſ. nunc 56. & 57. 7 Tertull. de Orat. Dominica, c. 3. *Id petimus, ut ſanctificetur in nobis, qui in illo ſumus, ſimul & in cæteris, quos adhuc gratia Dei expectat.*
8 Ambroſ. l. 5. de Sacram. c. 4. Author. Oper. imperfecti. Hieronym. hic, & l. 3. contra Pelag. Euthym. Greg. Nyſſ. l. de Orat. Dominica. 9 Theophyl. Rupert. Mald. Eſt. Grot. Menochius.
10 Tertull. & Cyprian. l. de Orat. Dominic. Chryſoſt. in Matth. Homil. 20. Aug. Ep. olim 21. nunc 130. ad Probam. c. 11. 11 Auguſt. l. 1. de Serm. Domini in monte.
12 Aug. Serm. 56. nov. edit. 13 Aug. Serm. 68. n. 4. 14 1. Mac. 3. 60.
15 Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte, & Serm. olim 48. de Tempore, nunc 66. Item Serm. 67. num. 6. Ita Chryſoſtom. homil. 6. in 1. Tim. 2. & alibi. 16 Author. Operis imperfecti, Homil. 14. Ita Hieron. hic. Chryſoſtom. homil. 20. Theophyl. Euthym. 17 Serm. olim 48. de Diverſ. nunc 58. num. 9. 10. Ita fere Tertull. Cyprian. Chryſoſt. Nyſſen. Beda. & alii innumeri.
18 Hieronym. hic. Cyrill. Pet. Chryſolog. Rab. Iſaac apud Caſſian. alii.
19 Aug. hom. olim 42. inter 50. nunc 58. n. 5. Tertull. & Cyprian. l. de Orat. Ambroſ. l. 5. de Sacram. c. 4. & alii. 20 Τὸν ἄρτον ἡμῶν, τὸν ἐπιούσιον, δὸς ἡμῖν σήμερον. Luc. 11. 3. Δίδου ἡμῖν καθ' ἡμέραν.
21 מחר Cras. Vide Grot. & Ham. & Clatic. hic, & Mald.

quamvis dubitationem hoc ſignificat. Da nobis impoſterum ſingulis diebus eſcam ad victum neceſſariam. Non poſcimus hodie, quod in reliquum vitæ ſpatium nobis neceſſarium eſt; hæc enim petitio injuriam Providentiæ, ac liberalitati Domini inferret. A Deo poſcimus ſolum, ut ſingulis vitæ noſtræ diebus congruam dignetur eſcam ſuppeditare; perinde ac diceremus, omnem in poſterum victus noſtri curam tuæ largitati, ac Providentiæ relinquimus. Ita in Proverbiis Salomon Deo dicebat [1]: *Nec divitias, nec paupertatem dederis mihi; ſed tantum panis menſuram*, vel victum, quem ſingulis diebus ſervis ſuis heri metiuntur. Suidas, Theophylactus, aliique nonnulli Græcam vocem *Epiouſios* ſufficientem explicant, veluti oppoſitam *Perious ſios*, quæ *ſuperfluum* ſignificat: quæ explicatio a nuper ime tradita non abludit. Syrus: *Da nobis panem, quo indigemus*.

Probant alii [2], verſionem *ſuperſubſtantialis*, panis videlicet, qui ſupra communem panis naturam poſitus eſt, qui eſt naturæ longe ſublimioris; quaſi, ut diximus, intelligenda eſſet Sancta Euchariſtia, vel Dei verbum, vel etiam ſancta illius voluntas, quæ eſſe debet vere eſca noſtra, uti erat cibus Salvatoris noſtri: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me*. Joan. 4. 34. Abaelardus ep. ad D. Bernard. uti nos, legebat: *Panem ſuperſubſtantialem*, ac jubebat *Pater* ita recitari in Cœnobio Paracliti: quam legendi rationem contra S. Bernardum tuetur. Vertunt alii [3]: Panem noſtrum *ſubſtantialem*, communem, victui noſtro idoneum. Non delicatiorem, neque ſuperabundantem petimus eſcam, ſed eam, quæ ſimpliciter eſt neceſſaria. Denique Patrum, atque Interpretum plerique hanc legendi rationem ſequuntur. *Panem noſtrum quotidianum*. Non ingentia petimus bona, ſed panem noſtrum: futurum tempus nos minime vexat; ſatis nobis eſt quotidianus panis, quæ ſententia probatior eſt. Prior quidem fortaſſe ad litteram magis accedit; at parum omnino ab hac recedit.

℣. 12. DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICUT & NOS DIMITTIMUS.] Debita noſtra ſunt peccata noſtra, quemadmodum S. Lucas 11. 4. explicite memorat. Pollicetur quidem peccatorum noſtrorum veniam Deus, verum ſi nos quoque iis pepercerimus, a quibus læſi fuimus [4]. Conditio neque poteſt æquior eſſe, neque mitior. Hoc non abludit ab iis, quæ ſuperius c. 5. 23. dicta ſunt: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo*. Non audit Deus vota tua, non recipit oblationes tuas, donec odium, atque inimicitiam alueris in fratrem tuum. Æquum eſt, nos fratri centum denarios remittere, cum nobis Deus decem mille talenta remittat, ut Evangelii verbis utar [4]. At hæc peccatorum venia, quam fratribus noſtris concedimus, non excludit neceſſitatem pœnitentiam agendi, & ſatisfaciendi Deo, atque hominibus pro iis, quæ in eos mala patravimus. Hæc ſimplex eſt conditio, citra quam Deus veniam nequaquam concedet.

S. Auguſtinus [5] hoc ad quotidiana errata coarctat, quæ juſtiſſimus quilibet, licet diligentiſſimus, tamen ſingulis diebus admittit [6]. Deus ea nobis condonare dignatur, dummodo & nos fratribus ea, quæ ipſi in nos committunt fortaſſe, condonemus. Deus inquit: Vobiſcum hoc paciſcor; parcite, & parcam. Niſi pepercentis, non ego, ſed vos eſtis in cauſa, ne vobis parcatur. Vos quotidianis hiſce peccatis, tamquam gravi onere oppreſſi eſtis. Quid intereſt, utrum vel plumbo, vel arena oneremini? Plumbi quidem unica maſſa eſt, arena vero plurimorum globulorum congeries, verum hæc vos numero obruerit: exigua quidem ſunt, & levia hæc errata, fateor: *at non vides de guttis minutis flumina impleri, & fundos trahi? Minuta ſunt; ſed multa ſunt*. Igitur ut hujuſmodi peccatorum veniam obtineas, Dominicalis Oratio tibi recitanda eſt, atque dicendum quotidie: Dimitte, ſicut dimittimus. *Delet omnino hæc oratio quotidiana peccata* [7]. Hic eſt veluti ſingulorum dierum baptiſmus, quo eas ſordes eluimus, quibus ſingulis fere momentis adſpergimur.

Graviora vero peccata, & illa ipſa, quæ ante Baptiſmum patrare potuimus, per pœnitentiam, & regenerationis Sacramentum remittuntur; ſuppoſita ſemper nihilominus ea conditione, ut iis parcamus, a quibus læſi fuerimus; alioquin nulla ſupereſt venia ſperanda. Auctor operis imperfecti hom. 14. teſtis eſt, quoſdam noluiſſe orationem hanc recitare, quia parcere nolebant. S. Benedictus jubet [8], eam elata voce quotidie recitari in Officio ad Laudes, & Veſperas, ut Cœnobitæ intelligant, ſibi neceſſario condonandum eſſe mutuo, quidquid ultro, citroque deliquerint.

℣. 13. ET NE NOS INDUCAS [9] IN TENTATIONEM.] Ne nos tradas tentationibus; vel, nos illis objicias, vel ne nos iiſdem ſuperari permittas. Plurimæ circum nos undique inſidiantur tentationes, quas mundus, dæmon, & propria ciet concupiſcentia. Mundus æque illecebris, & terroribus nos tentat. Dæmon aſtum, omnemque exerit nequitiam ſuam ut nos fallat. Intra nos vero infeſtiſſimum gerimus hoſtem, qui unus, e S. Jacobi 1. 14. ſententia nos trahit, & ſuperat; concupiſcentiam videlicet, quæ jugiter inter carnem, ac ſpiritum prælia miſcet Galat. 5. 17. Deus ipſe nonnumquam non ſine infinita miſericordia, nos objicit tentationibus, ut vel periculum faciat, vel emendet, & nonnumquam juſtitiæ rationibus actus in ira ſua nos hoſtibus noſtris derelinquit, ac permittit, nos ſuperari, ut noſtram perfidiam, vel ſuperbiam puniat; ita ut dici queat, totum vitæ noſtræ curriculum non aliud eſſe, quam jugem tentationem, ac perenne certamen in terra. Job. 7. 1.

Hac igitur oratione Deum oramus, ne permittat, nos objici tentationibus [10], quibus ſuperandi ſimus, ſi ille nos deſeruerit, neq; auxilium, gratiamq; ſuam nobis conceſſerit; vel ut nobis opem tribuat, præſidiumque neceſſarium, ut victoriam de hoſtibus referamus [11]. Oratio hæc validiſſimum erat argumentum, quo Catholici utebantur adverſus Pelagianos [12] aſſerentes, nos propriis viribus ſine gratiæ adminiculo peccata evitare poſſe. Fruſtra dicimus: *Ne nos inferas in tentationem, ſi hoc in noſtra poſitum eſt poteſtate, ut nullo illius adjutorio id valeamus implere*.

SED LIBERA NOS A MALO.] Græci Patres [13], & Latini complures id vulgo intelligunt, *Libera nos ab improbo*, hoc eſt, a dæmone, & illis non parum Græcos hujus loci Textus ſuffragatur; neque aliter Recentiores non pauci hoc intelligunt: Latini vero Patres [14] ita intelligunt, ut petamus a Deo eripi ex malis, ærumnis, calamitatibus vitæ hujus, vel peccato, quod malorum omnium eſt maximum. Poſtremum hunc ſenſum illi ſequuntur, qui putant Dominicæ Orationis petitiones ex Judæorum conſuetudine depromptas fuiſſe, qui conſueverunt in libello precum ſuarum a Deo petere, ut a

vitæ

1 Prov. 30. 8. לחם חקי 70. Τὰ δέοντα, καὶ τὰ αὐτάρκη. 2 Ambroſ. l. 5. c. 4. de Sacram. Hier. hic.
3 Cyprian. l. de Orat. Dominica. 4 Matth. 18. 24. 25. 28. Vide infra verſ. 14. 15. & Eccl. 28. 1. 2. 3. 4.
5 Aug. Serm. olim 48. de Diverſ. nunc 56. ſerm. olim 42. inter 50. nunc 58. n. 6 7. & ſerm. alias 135. de Tempore, nunc 59. Idem Bonif. l. 1. 6 1. Joan. 1. 8. 9. 10. & Prov. 24. 16. & Matt. 18. 21. 22.
7 Aug. Enchirid. c. 71. 8 S. Bened. Regul. c. 13. 9 S. Cyprianus, pluresque S. Auguſtini ævo legebant: *Et ne nos patiaris induci in tentationem*. 10 Tertull. & Cyprian. de Orat. Dominica, Aug. Epiſt. 157. c. 2. & l. de dono perſev. c. 6. Chryſ. alii. 11 Aug. l. 2. de ſerm. Domini, et Ep. olim 121. nunc 130. ad Probam cap. 11. 12 Hier. l. 3. contra Pelagg. et Aug. Ep. olim 89. nunc 157. ad Hilar. et olim 74. nunc 175. ad eundem.
13 Chryſoſtom. Homil. 20. Euthym. et Theophyl. hic. Tertull. et Cyprian. l. de Orat. Dominica, Ambroſ. l. 5. de Sacram. cap. 4. et alii e recentioribus plurimi. 14 Cyprian. l. de Orat. Dominica, Aug. Ep. 130. nov. Edit. cap. 11. et l. 2. de ſerm. Domini.

vitæ hujus malis; atque periculis liberentur [1]. Tenent alii [2], hoc non aliud eſſe, quam præcedentis petitionis explicationem, ac nos a Deo petere, ut a tentationibus liberet, quas tamquam graviſſimum malum habere debemus, vel ſaltem, ſi umquam illis objicimur, ne vincamur ab eis, quod gravius adhuc eſſet.

Verum cum vulgo ſeptem numerentur petitiones in *Patre* [3], eaſque ſententia hæc ad ſenarium numerum redigat, præſtat aſſerere, hanc novam eſſe petitionem, ubi Deum oramus, ut a vitæ hujus ſeu ſpiritualibus, ſeu corporalibus liberet malis; ne ærumnæ, quibus affligi poſſumus, nos in impatientiam rapiant; ita ut gratiæ jacturam ſubeamus, & recedamus a Deo. Dominum obteſtamur, ut nos ea his eruat malis, vel ne permittat, ut iis vincamur, nobis gratia ſua victoriam largiatur; vel felici morte ex his periculis auferat. Ita ut dici queat, nos in hac petitione præteritorum peccatorum veniam expoſcere: *dimitte nobis peccata noſtra*, ut a futuris liberemur, efflagitare; *Ne nos inducas in tentationem*, & præſentia deprecari: *libera nos a malo*. Quod Eccleſia Latina ſpectaſſe videtur in verbis iis, quæ in Liturgia ſua addit, poſt ea verba: *Sed libera nos a malo: Libera nos Domine a malis omnibus præteritis, præſentibus, & futuris* [4].

Poſt hæc verba, *Sed libera nos a malo*, Græcus addit [5]; Quia Regnum, virtus, & gloria *tua ſunt in ſæcula, Amen*. Hoc ipſum legitur in Apoſtolicis Conſtitutionibus in Opere imperfecto in S. Matthæum, in b Johanne Chryſoſtomo, in veteribus Græcorum Liturgiis, in Verſionibus Syriaca, ac Gotica. At non abhorret a veritatis ſpecie, verba hæc addita fuiſſe, & ea Liturgiis in S. Matthæi textum migraſſe. In S. Luca 11. 4. & antiquis Latinis Evangeliorum exemplaribus, & in veteribus Græcis manuſcriptis [6], atque Verſionibus Cophtis, & Arabicis deſiderantur.

AMEN.] Hæc eſt concluſio orationis hujus, quam JESUS CHRISTUS nos docuit. Judæi, & ad eorum imitationem Chriſtiani [7] conſueverant in publicarum precum fine reſpondere *Amen*. Vox hæc non extat in veteri Manuſcripto Cantabrigenſi, neque in aliis pluribus, cum Græcis, cum Latinis; eamque nec Tertullianus, nec S. Cyprianus, nec S. Auguſtinus, nec Syrus legerunt. Fidei conſonum eſt, iſthic poſt S. Matthæum additam fuiſſe, poſtquam in Liturgia in fine *Patre* cœpit pronuntiari [8].

℣. 14. SI ENIM DIMISERITIS HOMINIBUS &c.] Vide ſupra ℣. 12. & Matth. 18. ℣ ℣. 24. 21. *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam*; ait Auctor Eccli. 28. 1. *& peccata illius ſervans ſervabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur. Homo homini reſervat iram, & a Deo quærit medelam. In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe cum caro ſit, reſervat iram, & propitiationem petit a Deo? quis exorabit pro delictis illius?*

℣. 16. CUM JEJUNATIS, NOLITE FIERI SICUT HYPOCRITÆ.] JESUS CHRISTUS non damnat jejunium in Phariſæis, ſed eorum affectatum ſqualorem, ſitum, triſtitiam, mœſtumque oris habitum, damnat. Græca vox [9] proprie ſignificat, *eum, qui tetrico vultu eſt*, auſterum. Non loquitur vero de jejuniis communibus, ac nationi univerſæ præſcriptis. Phariſæorum ambitio non admodum eniteſcere poterat in id genus jejuniis, quæ omnes, ut illi, ſervabant; niſi fortaſſe in iis majorem aliquam auſteritatem extrinſecus affectabant. Verum inſcii, rudiſque populi æſtimationem captabant jejuniis, quæ ſponte ſuſcipiebant ſervanda, quæque erant ſeveriſſima: ut plurimum enim bis in hebdomada [10], videlicet die Lunæ, vel Jovis, vel etiam nonnumquam diebus Lunæ, & Martis, Jovis, & Veneris jejunabant. His diebus non ab esu carnium dumtaxat ſe ſe abſtinebant, ſed a quavis eſca, quæ guſtui ſuo eſſet jocunda. Veſpere tantum comedebant, ſuper duro ſtrato, & ſæpe humi cubabant [11]. Qui uxorem duxerant, ad eam non accedebant. Non deerant etiam, S. Epiphanio teſte, qui ſpinis incubarent: facies eorum erat pallida, triſtis, ac taberſcens: triſtitiam vero auſtero, tetricoque oris habitu augebant. Squalorem hunc ad fallendos homines quæſitum, affectatamque triſtitiam improbat Jeſus Chriſtus, ac ſuis Diſcipulis interdicit.

EXTERMINANT [12] ENIM FACIES SUAS, UT APPAREANT &c.] Non quod non jejunarent, ut opinatur Auctor Operis Imperfecti: jejunabant enim, qua in re nihil mali operabantur, ſed cupiebant, ut mortales omnes id ſcirent, quæ inanis eſt jactantia. Græcus verti poteſt [13]; *corrumpunt*, aliam veluti perſonam induunt, faciem ſuam celant; obtecto vultu [14] incedunt, velut ii, qui in luctu verſantur. At hic genuinus eſt ſenſus: Affectant videri macie confecti, languentes, ſqualore, ſitu, pallore obſiti. Inanis voluptas, ac fallax gloria, quam ea hoc ſtatu percipiunt, illis erunt veluti merces cumulatiſſima. *Receperunt mercedem ſuam*.

℣. 17. UNGE CAPUT TUUM.] In luctu, atque jejunio nec balneis, nec unguentis utebantur. Non præcipit JESUS CHRISTUS, ut illis in hujuſmodi circumſtantiis utamur; non enim hæc mens eſt verborum ſuorum; vult ſolum nos ita abhorrere ab omni ſtudio videndi jejunantes, ut e contra læti, hilareſque videamur, & pro triſti, auſteroque oris habitu Phariſæorum induamus ſpeciem feſtivam, elegantem, & illi ſimillimam, quam præ nobis aliis ferre temporibus conſuevimus. Verbo; vult, ut extra quamlibet affectationem, vanitatem, fucum, hypocriſim operemur [15]: *Ne videris jejunium tuum vendere hominibus, ne videaris conciliari in animæ tuæ ſalute*, ait S. Ambroſius l. de Elia, & jejunio.

℣. 19. NOLITE THESAURIZARE.] *Theſaurorum* nomine Hebræi, quidquid aſſervatur, intelligunt, aurum, argentum, ſtamnum, æs, veſtes, vinum, oleum, fruges, & cætera. Ærugo [16] metallis adhæreſcit: tineæ veſtes, frugeſque [17] corrumpunt: Fures opes diripiunt, parieteſque perfodiunt. Ne quæratis ergo perituras opes, cujuſcumque generis ſint, non merentur, ut in iis amorem tuum impendas. Nimiis periculis, ac malis obnoxiæ ſunt: ſed congrega dona, ac theſauros in cœlo per eleemoſynam, ac bona opera: illas non tineæ depaſcent, non ærugo conſumet; non fures eripient. Vide ℣. 24. Vel cum S. Hilario cum ſuperioribus connecti poteſt: Ne ſtatuas theſauros tuos in hominum opinione, & laude, ne ab illis mercedem expectes, ſed ab uno Deo. In Deum, ac Cœlum omnem intendere debes animum; illic tuum ſit cor, illic theſaurus tuus: *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*.

℣. 22. LUCERNA CORPORIS TUI EST OCULUS TUUS.] Hæc

---

1 L. Muſar. 4. 12. Berachot. fol. 16. Sedec. Tephilim, p. 151.
2 Auguſt. l. 2. de peccator. meritis, c. 4. & l. 2. de ſerm. Domini in monte. Author. Operis imperf. Janſ. Gandav. cap. 41. Concord. 3 Cyprian. l. de Orat. Dominica, & Aug. lib. 2. de ſerm. Domini in monte, & alibi. Brug. Eraſm. 4 Aug. l. 2. de peccat. meritis, c. 4. Tertull. l. de Orat. Dominica, Maldon.
5 Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ Βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα, εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.
6 Vide Mill. var. Lect. Maldon. Grot. hic. 7 Deut. 27. 15. 16. 17. 25. 26. & 1. Eſdr. 8. 6. & 2. Eſd. 5. 13. 1. Cor. 14. 16. Juſtin. apol. 2. 8 Vide Not. Mill. in N. Teſt. & Grot. & Glaſſ. & alios.
9 Σκυθρωποί. 10 Luc. 18. 12. 11 Vide Grot. hic.
12 Hieronym. *Demoliuntur*. Chryſoſtom. Διαφθείρουσι. Vatabl. *Deformant*.
13 Ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν, ὅπως φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις νηστεύοντες.
14 Hammond. hic. 15 Chryſoſt. Homil. 21. Author. Oper. imperf. Hieron. Theophylact. Euthym alii paſſim inter recentiores. 16 Βρῶσις hic eſt ſynonymus ἰοῦ. S. Auguſtinus, & Auctor Operis imperfect. legunt: *Comeſtum exterminat*, pro *ærugo corrumpit*. 17 Σὴς, accipitur pro vermibus, qui veſtes corrodunt, & illis, qui fruges in horreis corrumpunt.

Hæc eſt parabole, vel ſimilitudo, cujus apodoſis a Salvatore non adfertur; ſed ita plerumque a Patribus explicatur [1]. Oculus tuus eſt veluti lampas illuminens totum corpus tuum: ſi hæc nitens fuerit, ac lucens, totum corpus lucidum erit: at ſi oculus tuus caligine, ac tenebris obſitus erit, totum corpus tuum erit obſcurum. Hoc ipſum in morali ſenſu de anima dicas. Oculus ejus eſt intentio [2]. Intentio vel lucem impertit, vel tenebras offundit ſuper ea omnia, quæ facis, prout bona erit, vel mala, nitens, vel tenebricoſa. Si vis ergo, ut actiones tuæ luceant, adnitere, ut intentio tua expietur, & deſideria tua ſanctificentur. Ut hic interior oculus mundus ſit, habere debet ex D. Bernardi ſententiæ [3], charitatem in intentione, & veritatem in electione.

Alii [4] vero pluribus Scripturarum locutionibus innixi [5], ubi *oculus nequam* pro avaritia, & *oculus rectus, & ſimplex* [6], pro liberalitate uſurpetur, putant, illhic a Salvatore damnari avaritiam, & præcipi liberalitatem, & eleemoſynam, & hanc eſſe continuationem eorum, quæ ſuperius paulo dicta ſunt. Ne adhæreſcat cor tuum vitæ hujus bonis, ſed vota, & cogitationes tuas ſurſum ad Cœlum attolle: congere theſauros tuos in æternis tabernaculis, ubi nihil tibi metuendum eſt, non ærugo, non tinea, non fur. Si liberalis fueris, cor tuum lucidum erit; ſin avarus, & temet terrenis hiſce rebus mancipaveris, anima tua in caligine erit. Verbo, avaritia vitium eſt inviſum, turpe, vile, tenebricoſum. Liberalitas vero e contra virtus nobilis, glorioſa, nitens, effulgens. Avaritia terræ huic te conjunctum tenet, liberalitas quodammodo te ad Deum uſque extollit propter ſimilitudinem miſericordiæ, ac inhexauſtæ ipſius largitatis. Senſus hic mihi magis litteralis videtur, & ingenio Hebraicæ linguæ magis conformis.

℣. 24. NEMO POTEST DUOBUS DOMINIS SERVIRE.] Hæc eſt continuatio eorum, quæ de avaritia, & divitiarum ſumptibus dicta ſunt. Avaritia mammonæ eſt ſerva. Homo liberalis, & utens, uti opus eſt, bonis ſuis, eaque in eleemoſynas, & bona opera impendens, ſervus eſt Dei. Quemadmodum nemo poteſt ſimul duobus dominis ſervire; ita ſimul & Mammonæ, & Deo ſervire; avarus, & miſericors eſſe non potes. Relinque igitur avaritiam, & divitiarum amorem, ſi Dei eſſe vis. Optio tibi datur ex duobus his dominis. Jesus CHRISTUS non prohibet omnino, ſervos ſuos temporalia poſſidere bona; ſed illis adhæreſcere, ab illis quodammodo poſſideri, prohibet. At qui illis utiliter utitur, eaque citra avaritiam, & amorem impendit, eorum ſervus non eſt. Horatius Ep. l. 1. ep. 10.

Imperat, aut ſervit collecta pecunia cuique.

AUT UNUM SUSTINEBIT, ET ALTERUM CONTEMNET.] Odiſſe, contemnere, hoc in loco nequaquam proprie ſignificat aliquem ſpernere, & odio proſequi; ſed minus illum amare, minori in pretio habere, non omnino ſe ſe illi devovere, non pendere ſemper a nutu illius. *Odiſſe* hoc in ſenſu ſæpe in veteri Teſtamento uſurpatur [7]. Deus ſe ſolum amari vult, & coli; vel ſaltem exigit, ut amor ſuus dominetur in nobis. At qui ſtudium ſuum in opibus collocavit, dividit cor ſuum, & fere omnem affectum in pecuniam convertit.

NON POTESTIS DEO SERVIRE, ET MAMMONÆ.] *Mammon*, vel *Mamon* [8] in Hebraica, & Punica lingua, *opes*, lucrum, theſaurum ſignificat. *Mamona* Syriaca vox eſt, & eamdem habet ſignificationem. Tertullianus l. 4. contra Marcion. videtur aſſerere, quamquam confuſius, ſignificare quoque Deum divitiarum. Ita idem eſſet *Dis*, & *Ades*, vel *Pluto* Græcorum, & Latinorum, cujus nomina ſæpe pro auro, argento, opibuſque uſurpantur.

℣. 25. IDEO DICO VOBIS: NE SOLLICITI SITIS ANIMÆ VESTRÆ.] JESUS CHRISTUS non damnat curam æquam, & neceſſariam victus noſtri, noſtrorumque bonorum. Hoc eſſet tentare Deum, negligere adminicula, quæ nobis comparavit Providentia, ut vitæ noſtræ neceſſaria nobis met procuraremus. Ita vox illa, qua illhic Salvator utitur [9], ſignificat, non rei alicujus curam gerere, ſed illius ſollicitudine excruciari; & indigitat animi feſtinantis anxietatem, & ſtimulos, quibus urgetur aliquis, ut eam rem, quam ardenter nimium concupiſcit, aſſequatur; *Animæ veſtræ*, corpori veſtro, vitæ veſtræ, iis, quæ ad vitam ſunt neceſſaria.

NONNE ANIMA PLUS EST [10], QUAM ESCA?] Ut oſtendat JESUS CHRISTUS, Deo relinquendam eſſe eorum curam, quibus indigemus, hoc utitur argumento. Vita majus eſt bonum, quam eſca; & corpus longe majus eſt indumento. At Dominus & vitam dedit, & corpus; ſi dedit ergo, quod præcipuum eſt, & quod conſectaneum, dabit [11]. Certiſſima divini amoris in præteritum tempus pignora nobis ſuppetunt. Noſtri curam geſſit, cum nondum eramus: cum nondum ſimus, ipſe nos fecerit, atque creaverit, noſtri oblivisceretur? Hoc primum eſt noſtræ in Deum confidentiæ argumentum; tria adhuc in ſequentibus attinguntur.

℣. 26. RESPICITE AD VOLATILIA COELI.] Non laborant, & Pater Cœleſtis paſcit illa. Nonne ergo potiori jure curam geret eſcæ veſtræ, cum vos creaverit, atque ſuper cætera animantia ſtatuerit [12]; cum vos illum agnoſcatis, eumque diligere, & orare debeatis? Alterum noſtræ in Deum confidentiæ argumentum. At quemadmodum Providentia agreſtium animalium incolumitati invigilans, non obſtat, quominus victum inquirant: ita Dei amor erga nos efficere non debet, ne curas, & labores noſtros ad victum comparandum impendamus. S. Hilarius in hunc locum pro volatilibus Dæmones interpretatur. Alii intelligunt Angelos [13]: ſed hæ ſpirituales ſunt explicationes.

℣. 27. QUIS AUTEM VESTRUM COGITANS &c.] Tertia ratio, propter quam in Deum confidendum eſt, ex curarum, & ſolicitudinum noſtrarum inutilitate deprompta. Si ea in re, quæ præ cæteris in poteſtate veſtra poſita videtur, & quæ propius vos tangit, in ea videlicet, quæ ſpectat ad ſtaturæ veſtræ incrementum, nihil prorſus poteſtis [14]: quid vos facere poſſe confiditis iis in rebus, quæ extra poteſtatis veſtræ fines poſitæ ſunt, videlicet, ut conatus veſtri e voto cedant, ut corda, & voluntates hominum flectatis, ut de temporibus, annique tempeſtatibus diſponatis, ex quibus vel bona, vel male fortuna veſtra dependet?

℣. 28. CONSIDERATE LILIA AGRI.] Ratio hæc ad ſecundam refertur. Si tantam plantis pulchritudinem tribuit Deus, ſi tantæ curæ illi eſt earum incrementum, atque perfectio, poteritne nullam veſtri curam habere? Patieturne vos nudos, cum magnifice adeo, & præclare lilia cooperiat.

℣. 29. NEC SALOMON IN OMNI GLORIA SUA &c.] Poteſt quidem ars naturam imitari, at ſuperare non poteſt;

---

1 Auguſt. l. 2. de Serm. Domini, n. 41. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 14. Chryſoſtom. hic, Hieronym. Hilar. hic, Author. Oper. imperfecti. Ita Eraſm. Eſt. Brug. Grot. alii.

2 Auguſt. lib. de Serm. Domini. *Oculum ergo hic accipere debemus ipſam intentionem, qua facimus, quicquid facimus; quæ ſi munda fuerit, & recta, & illud aſpiciens quod aſpiciendum eſt, omnia opera noſtra neceſſe eſt, bona ſint.* 3 Bernard. de Præcep. & Diſpenſatione, cap. 14.

4 Ligfoot. Hor. Hebr. Hamm. hic, & Cleric. in Matth. 5 Prov. 20. 1. 6. 23. 9. Matth. 20. 15. Rom. 12. 8. & 2. Cor. 8. 2. 9. 11. 13. Eccli. 14. 8. 9. 10. 6 Vide Rom. 12. Ὁ μεταδιδοὺς ἐν ἁπλότητι. 2. Cor. 8. 2. 9. 11. 13. 7 Geneſ. 24. 31. Deut. 21. 15. 16. 17. Prov. 30. 23. Judic. 14. 16. 15. 2. 3. Reg. 22. 8. Prov. 8. 36. 13. 24. 8 ממונה *Mammone*, Syr. ממון *Mamon*. Heb. מםוני *Mamoni*. Chald.

9 Μὴ μεριμνᾶτε. 10 Hilar. legit: *Plenis eſt*. 11 Chryſoſt. hom. 22. Author. Oper. imperf. Aug. l. 2. de Serm. Domini, Hieronym. hic, Beda, Theophyl. Euthym. Strabus, alii.

12 Chryſ. Homil. 22. & alii paſſim. 13 Quidam apud Hieron. hic.

14 Chryſ. Euthym. Theophylact. Maldon. alii.

poteſt ; immo plurima ſunt, ubi nequeam eam valet imitari. Salomon inter veſtium, ac majeſtatis ſuæ luculentum nitorem, numquam magnificentius indutus fuit, quam lilium agri, qui flos eſt ingens, pulcher, mundus, & ſummi candoris. Antiqui plurimum candidis veſtibus utebantur. Salomon in Eccleſiaſte 9. 8. illum, qui jucundam vitam traducere vult, jubet veſtimenta ſemper candida gerere ; & Joſephus Antiqu. l. 8. cap. 2. teſtis eſt, Regem hunc vulgo, candidis indutum veſtibus curru inſidentem prodire conſueviſſe. Ferunt, cum Solon in Crœſi Regis aula verſaretur, Regem hunc cum omni majeſtatis ſuæ fulgore, magnificiſque indutum veſtibus ſe oſtentaſſe ; & ex Solone quæſiviſſe, utrum quid umquam ſpecioſius vidiſſet ? Cui Philoſophus frigide, ſe gallos, pavones, phaſianos vidiſſe reſpondit [1].

℣. 30. FOENUM AGRI.] Hoc nomine lilium appellat, eo quod in Palæſtina flos hic in agris germinet. Ex hoc loco liquet, Judæos ad comburendum uti conſueviſſe ſtipula, paleis, & aliis id genus [2] : *Cras in clibanum mittitur*. Hoc ipſum in Ægypto conſueverat, quemadmodum oſtendimus in Eccleſ. 40. 16.

MODICÆ FIDEI.] Latina vox *Fides* ſumitur vel pro Fide, qua credimus in Deum, & quæ Fideles nos efficit, vel pro confidentia in Deum : vel pro bona fide, fidelitate, ſinceritate, æquitate, atque in fide præſtanda ſedulitate. Iſthic pro confidentia in Deum uſurpatur.

℣. 31. NOLITE ERGO SOLICITI ESSE.] Damnat ſolum nimiam ſolicitudinem, atque inquietam anxietatem, Ethnicorum curæ ſimilem, qui nullam ſolidam habentes ſpem, omnem confidentiam in labore, ac induſtria ſua collocant. Labora, ita ut omnia ex Dei manu, & benedictione conſequaris.

℣. 33. QUÆRITE PRIMUM REGNUM DEI, ET JUSTITIAM EJUS, ET HÆC OMNIA ADJICIENTUR VOBIS.] Tamquam additamentum, & corollarium. Primum cura tibi ſit Cœlorum regnum inquirere, in æternitatem admitti : integre, ac juſte vitam traducere. Hoc præcipuum eſt. Mundi hujus bona ſunt additamentum ; non ait autem, non eſſe adlaborandum, ut hæc quærantur, ait S. Auguſtinus l. 2. de Serm. Dom.

A in monte, ſed *cum dixit illud primum, ſignificavit, quia hoc poſterius quærendum eſt non tempore, ſed dignitate ; illud tamquam bonum noſtrum, hoc tamquam neceſſarium noſtrum*. Si Fideles eſtis Deo, ſi in eo omnem ſpem collocatis, omnia ex illius largitate expectare debetis. In eo, ex quo aliquid præſtolamur, tria requiruntur ; ut ea, quibus indigemus, agnoſcat : ut opem ferre velit ; ut poſſit. Hæc omnia in uno Deo inveniuntur. Scit, quid vobis deeſt, ea conferre poteſt, quoniam omnipotens eſt ; demum veſtri eſt amantiſſimus, quandoquidem veſter Pater eſt. Si renuit ea, quæ neceſſaria ducitis, quod nonnumquam Dei ſervis accidit ; noſit Dominus ſupplere, ac remunerari aliis bonis, quæ toto cœlo majora ſint, atque ampliora.

Origenes, & S. Clemens Alexandrinus in Exempla-
B ribus ſuis iſthic legebant additionem, quæ non invenitur amplius [3] : *Petite magna, & præter hæc vobis parva etiam concedentur. Petite cæleſtia, & terrena etiam veluti corollarium vobis dabuntur*. Fidei conſonum eſt, additiones has ex veteri Nazaræorum Exemplari eſſe profectas, ubi varia ſimul gloſſemata aſſuta fuere.

℣. 34. NOLITE ERGO SOLICITI ESSE IN CRASTINUM.] Vel potius in futurum. Facite, quod poteſtis, & eo modo facite, quem Deus vult. Adlaborate, ut ad victum neceſſaria comparetis ; verum citra ſolicitudinem, & anxietatem ; permitte Deo cætera, eique futurorum curam relinque [4]. *Incuria ſolicitudinis relaxatæ*, inquit S. Hilarius in Matth. *non negligentiæ, ſed fidei eſt*.

SUFFICIT DIEI MALITIA SUA.] Labores, curæ
C ſuæ [5]. In poſterum tempus cogitare, & ob ea, quæ deinceps eventura ſunt, angi, hoc idem eſt, ac ultro inutilium curarum pondus ſubire. Quorſum enim prodeſſe valent hæ curæ, & ſolicitudines pro tempore, quod nondum eſt, & quod nobis fortaſſe numquam erit ? S. Hilarius *malitiam* de peccato interpretatur. Singuli dies ſua habent peccata, quæ ſatis, ſuperque ſunt, ut in iis expiandis die, ac nocte occupemur, quin pro futuris peccatis inani ſolicitudine angamur. S. Ambroſius de Bono mortis c. 2. id ſimiliter explicat ; ſed priorem ſenſum omnes fere ſequuntur.

1 Lucet. in Solone. 2 Vide Sap. 3. 7. Matth. 3. 12. Luc. 12. 28. Eccli. 40. 16.
3 Αἰτεῖτε τὰ μεγάλα, καὶ τὰ μικρὰ ὑμῖν προστεθήσεται. Καὶ αἰτεῖτε τὰ ἐπουράνια, καὶ τὰ ἐπίγεια ὑμῖν προστεθήσεται. Origen. de Oratione, non ſemel ; & Clem. Alex. l. 1. Stromat. 4 Vide Aug. loc. cit. n. 58.
5 Tertull. lib. 2. contra Marcion. Chryſoſt. in Matth. Hom. 23. Euthym. Theophyl. & Hieron. hic. Aug. l. 2. de Serm. Domini in monte.

CAPUT VII.

Sequitur ſermo JESU CHRISTI in Monte. Non temere judicandum ; neque ſancta canibus projicienda. Petendum, quærendum, pulſandum cum perſeverantia. Pſeudo-Prophetæ lupi ovina pelle contecti. Bonæ arbores bonos fructus ferentes. Ædificium ſuper petram, non ſuper arenam poſitum.

1. NOlite judicare, ut non judicemini. 2 In quo enim judicio judicaveritis,
judicabimini : in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. 3 Quid
autem vides feſtucam in oculo fratris tui : & trabem in oculo tuo non vi-
des ? 4 Aut quomodo dicis fratri tuo : Sine ejiciam feſtucam de oculo tuo : &
ecce trabs eſt in oculo tuo ? 5 Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, &
tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui. 6 Nolite dare ſanctum canibus,
neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis,
& converſi dirumpant vos. 7 Petite, & dabitur vobis : quærite, & invenietis :
pulſate, & aperietur vobis. 8 Omnis enim, qui petit, accipit : & qui quærit,
invenit : & pulſanti aperietur. 9 Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius
panem, numquid lapidem porriget ei ? 10 Aut ſi piſcem petierit, numquid ſer-

pen-

pentem porriget ei? 11 Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis
veſtris: quanto magis pater veſter, qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe? 12
Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc
eſt enim lex, & Prophetæ. 13 Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, &
ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. 14
Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inve-
niunt eam! 15 Attendite a falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovi-
um, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. 16 A fructibus eorum cognoſcetis eos:
Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? 17 Sic omnis arbor bona
fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. 18 Non poteſt arbor bo-
na malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. 19 Omnis arbor,
quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 20 Igitur ex fru-
ctibus eorum cognoſcetis eos. 21 Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine,
intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt,
ipſe intrabit in regnum cœlorum. 22 Multi dicent mihi in illa die: Domine, Do-
mine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fe-
cimus? 23 Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos: diſcedite a me, qui
operamini iniquitatem. 24 Omnis ergo, qui audit verba mea hæc: & facit ea, aſ-
ſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram, 25 Et deſcen-
dit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, &
non cecidit: fundata enim erat ſupra petram. 26 Et omnis, qui audit verba mea
hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper are-
nam: 27 Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt
in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. 28 Et factum eſt: cum con-
ſummaſſet Jeſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus. 29 Erat enim
docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.

℣. 1. NOLITE JUDICARE, UT NON JUDICEMINI [1]] Jeſus Chriſtus non omne judiciorum genus hic improbat. Non loquitur de publicis judiciis ad pacem, & conſenſum in Republica ſervandum inſtitutis; neque de iis, quæ Eccleſiæ Paſtores cognita cauſa ferunt: ſed de iis, quæ improbe, injuſte, præcipitanter, non cognita re adverſus fratres noſtros ſtatuimus [2]. Deus ſibi reſervavit judicium de hominum moribus, ille ejus ſibi vendicat jura, qui vult judicare. Nihil nobis incertius, quam rationes eæ, quibus ad agendum homines impelluntur; temerarium igitur eſt, de illis abſolute decernere. Tandem cum ambigere non licet de malo, cujus oculati teſtes ſumus, ſi animum ad ſeveritatem judiciorum Dei advertimus, ac noſmet, noſtramque vivendi rationem introſpicimus, cautius ſane alios judicabimus, aliiſque nigrum theta affingamus. Nam, ut ait S. Paulus Rom. 2. 1. 2. alios judicantes, & damnantes, noſmet ipſos damnamus; pejora quippe fortaſſe patravimus iis, quæ in fratribus noſtris damnamus [3].

Credimus, hæc omnia a Salvatore in Phariſæos præcipue dicta, qui citra miſericordiam damnabant, quidquid ſuis oppoſitum præjudiciis ab aliis fieri videbant. Illorum patet ingenium ex toto Evangelio. Indefinenter Jeſum Chriſtum obſervant, & quidquid hic agit in pejorem ſenſum detorquent. Si ægros Sabbatho curat, ſi veſcitur cum Publicanis, ſi a muliere, quæ peccatrix fuerat, ſe tangi ſinit, ſi remittit peccata, ſi miraculoſas efficit curationes, omnia nigræ loliginis ſucco inficiunt, de omnibus audacter, & inique judicium ferunt. Homo hic non eſt miſſus a Deo, profanus eſt, dæmonium habet, pſeudopropheta eſt, nebulo, in nomine Belzebub miracula operatur. Hæc ſunt Phariſæorum judicia.

JESUS CHRISTUS eorum temeritatem damnat, eiſque ſuadet, ne judicent, ne judicentur. Homines de vobis judicabunt, uti vos de illis. Si diſtricte ad examen eorum mores vocabitis, ipſi quoque viciſſim vos obſervabunt, & nihil impune præterire ſinent [4]: *in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis*. Vel potius [5]: Deus vos judicabit, ut vos alios judicaveritis. Juſtam in vos exercebit ſeveritatem, uti vos injuſtam in alios exercueritis cenſuram. Judicabit vos in æquitate, & veritate, ut temeritatem, atque injuſtitiam judiciorum veſtrorum puniat. Non imitabitur ille vel levitatem, vel improbitatem judiciorum veſtrorum, ſed tantummodo ſeveritatem. Quod in vobis injuſtitia eſt, æquitas eſt in illo. *Judicium ſine miſericordia ei, qui non facit miſericordiam* Jacob. 2. 13. Alteri ne feceris, quod tibi non vis fieri; & ita cum aliis age, ut tecum agi deſideras. Hoc maximum eſt charitatis erga proximum præceptum. Vis, tecum alios eſſe miſericordes; te vero in alios præbes miſericordem!

℣. 3. QUID AUTEM VIDES FESTUCAM IN OCULO FRATRIS TUI &c.] Adagialis loquendi ratio: Perſpicue vides fratris tui errata, at cæcus es, ne propria cognoſcas: tibi lenis, in alios immitis, omnia tibi, fratribus nihil condonari cupis. Phariſæos alloquitur [6]. Palea, vel feſtuca [7], vel parvula ligni aſſula minora, trabs vero majora vitia deſignant. Horatius l. 1. Sat. 3.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

1 Quædam Exemplaria legunt: *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini*. Non ita leguntur Patres. Vulgata Græco conformis eſt.
2 Hieronym. hic: *Non prohibuit judicare, ſed docuit*. Vide Auguſt. Bedam hic. Baſil. Regul. Brevior. 164. Maldon. hic.
3 Vide Chryſoſtom. Auguſt. Bedam, Anſt. Euthym.
4 Brugenſ. Piſcat. alii quidam.
5 Chryſoſt. Hom. 14. Aug. l. 2. de Serm. Domini. Auth. Oper. imperfecti, Beda, Euthym. alii paſſim.
6 Vide Matth. 23. 4.
7 Κάρφος, μικρὰ ξύλα λεπτά. Heſych. alii, φρύγανα. *Sarmenta*.

℣. 5. Ejice primum trabem de oculo tuo.] Optandum eſſet, ut qui conſtituti ſunt, aliis præfuturi, eoſque judicaturi, omni prorſus vitiorum labe carerent. At ſaltem debent ſemet judicare, ſibi invigilare, & adniti, ut propria corrigant peccata; ac ita cum aliis lenitate, atque clementia urantur, quemadmodum alios in ſe cuperent miſericordes. Ii vero, quibus nullum jus eſt in aliena facta, qui tamen de iis judicandi facultatem ſibi vindicant, næ hi quidem ſe ipſos melius, quam alios corrigerent, ac reformarent [1]. Qui in proximos ſuos judicium prolaturus eſt, integer vitæ, ſceleriſque purus ſit, oportet, ac præterea prudentia, atque rerum cognitione abundet.

℣. 6. Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi disrumpant vos.] Non deeſt hyperbaton: *Nolite ſanctum dare canibus, ne converſi diſrumpant vos; neque mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis.* Hæc adagium ſapiunt; & innuunt, ſacra Religionis myſteria, ac ſalutis veritates nequaquam objiciendas eſſe impiis, flagitioſis, protervis, & iis, qui nequaquam parati ſunt, ut ea, qua par eſt, illas excipiant reverentia [2]. Canis, & ſus immunda erant animalia, in lege Moyſis; ſuaſque ſordes iis communicabant, quos attigiſſent; ac piaculi loco fuiſſet, illis ſanctum, vel ſanctificatum aliquid projicere, veluti carnes victimarum Domino oblatarum. Canes deſignant libidinoſos, impios, pravoſque Chriſtianos, vel etiam Judæos, hæreticos, apoſtatas, qui latrare tantum valent contra ſanctam doctrinam, quæ illis proponitur. Porci vero ſunt Ethnici, infideles, Religionis inimici, proni ſemper ad ſanctiſſimas quidem veritates pedibus conculcandas, eos vero, a quibus annuntiantur, perſequendos [3]. Ut huic præcepto parerent Patres [4], perquam caute loquebantur de Chriſtianæ Religionis myſteriis, eaque iis dumtaxat aperiebant, qui ſacro fuerant baptiſmate abluti, & qui ea poſſent cognoſcere, & revereri.

S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 5. Chriſtianæ Eccleſiæ inſtituta, quoad ſacrorum myſteriorum ſecreta ex omnium ferme veterum Philoſophorum præcepto probavit. Pythagoras ex iis eſt [5], qui philoſophiam ſuam maximæ caliginis integumento celavit, hujuſque ſilentii neceſſitatem ænigmaticis locutionibus indigitavit. Ignem ferro non excitandum; hirundines domi non habendas; in cineribus ollæ illinc ablatæ veſtigium non relinquendum. Jeſus filius Sirach [6] præcepit, *ubi auditus non eſt, ne effundas ſermonem*; & S. Paulus cum Judæis Piſidiæ blaſphemantibus, ac ſalutis verbo contradicentibus hoc præceptum exercuit [7]. Jeſus quidem prædicabat coram Judæis, & Phariſæis, improbum quorum ingenium haud ignorabat; at ſimul populi docilitatem videbat; & diſcipulorum ſuorum, atque multitudinis utilitatem perſpiciebat [8]. Æquum erat, ne pravorum nonnullorum improbitas communi officeret utilitati. Ad hæc myſtice, ut plurimum, loquebatur; neque omnibus ænigmatum, ac parabolarum ſuarum ſenſus aperiebat. Luc. 9. 10.

℣. 7. Petite, et dabitur vobis.] In ſermonis hujus fine, non eadem, quæ in ſuperioribus, occurrit connexio. Jeſus Chriſtus paucis plura complecti cupiens, tenebatur præcepta ſua, ſententiarum more, conciſa oratione proferre. Evangeliſtæ etiam fortaſſe id operis non ſuſceperunt, ut eumdem ſervarent ordinem, quo ille iſta protulerat. Præcipit iſthic, ut *petamus, quæramus, pulſemus*, ſi lumen, atque veritatum ſalutis cognitionem, & adminicula ad eas exercendas conſequi cupimus; & docet, qua ſolicitudine, anxietate, perſeverantia hæc ſunt a nobis petenda [9]; atque pollicetur, ſi quomodo oportet, & quid oportet, popoſcerimus, ſe nos voti damnaturum [10]. Enixius igitur petendum id, quod ſummopere amandum eſt; non enim magno nobis id eſſe ſolet in pretio, quod citra quamlibet difficultatem ſumus conſecuti [11]: *Diu deſiderata dulcius obtinentur; cito autem data viloſcunt.*

Amore petitur, amore quæritur, amore pulſatur, ait S. Auguſtinus [12]: *amore revelatur, amore denique in eo, quod revelatum eſt, permanetur.* Fides petit, ſpes quærit, charitas pulſat [13]. Precibus petimus, recte vivendi ratione quærimus, perſeverantia pulſamus [14]. Fides ſine bonis operibus nihil eſt; ſi fide petis, neque bona opera addis, nihil facis, ut æternitatem promereatis. *Si opera juſtitiæ non facis, id eſt, ſi non pulſas, nec orare ex fide potes; nam virtus orationis eſt opus juſtitiæ.*

℣. 8. Omnis, qui petit, accipit.] Deus liberalitatis ſuæ effectus denegat nemini; a nobis humilitatem, fervorem, perſeverantiam tantummodo petit. Præterea digna Deo, noſtræque ſaluti congrua petere nos jubet. Poſt hæc petite, quod vobis lubet, certi vos id conſequuturos [15]: *Hortatur, ut petas, negabit, quod petis?* Si differt, quod petis, differt ideo, ut tuam augeat cupiditatem. *Cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat* [16]. *Non tribuit ſæpe, quod volumus, ut quod mallemus, attribuat.* Si petierit a patre venenum filius, paterne filio venenum præbebit? Sæpe Deum rogamus ea, quæ ſi largiretur, in noſtrum cederent exitium [17].

℣. 11. Quanto magis Pater vester &c.] S. Lucas ait c. 11. 13. *Quanto magis Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Spiritus hic bonus, bonum hoc cor, hi boni ſenſus ea ſunt, quæ præcipue ad Deum, juſtitiamque amandam, virtutemque exercendam requiruntur. Hæc ſumma officiorum noſtrorum eſt; hoc Chriſtianæ Religionis compendium. Renuat cætera nobis Deus; dummodo hoc largiatur, ſatis beati erimus, & præclarum orationum noſtrarum fructum referemus.

℣. 12. Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines &c.] Hæc eſt concluſio eorum omnium, quæ in toto hoc ſermone de hominum officiis erga proximum a Salvatore docemur. Aliis fac, quæ tibi fieri cuperes; quod vero tibi fieri non placet, alteri ne feceris. Hanc Chriſtianorum ſententiam Severus Imperator admirabatur, eamque jugiter in ore habebat. Tobias quoque [18] edocebat Filium ſuum, ne alteri id faceret umquam, quod ſibi factum non vellet. Jubet Iſocrates ad Nicocl. cum inferioribus ita agi oportere, quemadmodum a ſuperioribus nobiſcum agi optaremus. Nihil præterea, quoad proximi charitatem, Lex, & prophetæ præcipiunt. Verba hæc ſunt veluti præceptorum omnium compendium, & anacephalæoſis.

℣. 13. Intrate per angustam portam &c.] Anguſta hæc porta eſt Ieſu Chriſti doctrina, præcepta, & conſilia Evangelica [19]: vita enim ſæculi, mundique præcepta viam magis latam oſtendunt. Anguſta quidem ad ſalutem deducit ſemita, lata vero via ad interitum, & inferos. Vita Chriſtiana privationis eſt,

1 Chryſoſtom. Homil. 24. Auguſt. lib. 2. de Serm. Domini, &c.
2 Chryſoſtom. Homil. 24. Auguſt. lib. 2. de Serm. Domini, &c. 3 Græc. Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί. Alii: Τὰ ἅγια. Ita Stephan. codd. 2. & alii tres apud Mill. & Chryſoſtom. hic.
4 Vide S. S. Hieronymum, Chryſoſtomum, Euthymium, Auguſtinum, &c.
5 Jamblic. de Pythagor. lib. 2. cap. 12. 6 Eccli. 32. 6.
7 Act. 13. 45. 46. 8 Aug. l. 2. de Serm. Domini in monte. 9 Aug. l. 1. c. 19. Retractat.
10 Jac. 4. 3. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis.* 11 Auguſt. Serm. 5. de verbis Domini, nunc 61. in nov. Edit. 12 Idem l. de moribus Eccleſiæ. 13 Vide Aug. Ep. 130. c. 9. & 13.
14 Tertull. de Orat. Dominica. 15 Auguſt. Serm. 61.
16 Aug. de Paulin. Epiſtola 31. nov. Edit. n. 1. 17 Vide eumdem Epiſtola 140. nov. Edit. p. 7.
18 Tob. 4. 16. 19 Confer Luc. 13. 23. 24. Rom. 8. 18. 2. Cor. 4. 17.

eſt, mortificationis, laboris; vits ſæculi, voluptatum, cupiditatum, oblectationum. Ut Jeſum Chriſtum ſequaris, crucem illius ſumas opus eſt, ejuſque ſubeas veſtigia. Ut mundo obſequaris, ſatis eſt, tuis te affectibus, ſtudiiſque tradas. Crux Salvatoris levis eſt: jugum ejus ſuave, iis præſertim, qui charitatis igne flagrant [1]. Via ſæculi, & vita eorum, qui Mundo inſerviunt, in præruptum deſinit, & in mala æterna deducit. Mundus eam pollicetur felicitatem, quam præſtare non poteſt; Jeſus Chriſtus ſuaves, innocentes, æternumque manſuras promittit voluptates, & gaudia, quæ guſtanda etiam hoc in mundo iis tradit, qui digne ſibi famulantur.

Dicebat Heſiodus, viam, quæ ad virtutem adducit, longam eſſe, ac primum quidem præruptam, & aſperam; mox vero latiorem, æquioremque. Pythagoras Diſcipulos ſuos hortabatur, ne majores vias, frequentioreſque calles [2] ſequerentur; ænigmatice tamen; innuebat enim, neque cum multitudine, ac turba ſentiendum, neque id, quod facilius videtur, amplectendum. Denique veteres Philoſophi [3] eadem ferme ſimilitudine utebantur, qua hic Jeſus Chriſtus, ut vias, quæ ad felicitatem, vel infelicitatem deducunt, indigitarent.

℣. 15. ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS.] *Prophetarum* nomine, Hebræi complectuntur non eos ſolum, qui futura portendunt, ſed generatim omnes, qui ſe afflatos ſimulant, & qui Scripturarum explicandarum, ac in populo loquendi munus ſibi vendicant. Fallaces Prophetæ in iis omnibus, quibus poterant, veros imitabantur. Antiquorum, veterumque Prophetarum veſtes ſimplices erant, & auſteræ, pellibus induebantur [4], ſacco & ciliciis obtegebantur [5]. Tales erant Jeremias, Eliſæus, & Joannes Baptiſta. Ita ſe componebant & Pſeudo-Prophetæ [6], extrinſecus quidem verorum Prophetarum ſpeciem præſeferebant, futura nunciabant, in nomine Domini loquebantur: at ab illis diſcrepabat ſecreta eorum vivendi ratio, opera, ac ratio vitæ univerſa. In eorum prædictionibus error dumtaxat, atque mendacium enitebat, in ſermonibus inconſtantia, in factis hypocriſis, erantque lupi ovina pelle contecti. Peccatoribus blandiebantur, Procerum ambitionem, impietatem, & ſcelus alebant, populorum fovebant ſuperſtitionem, & idololatriam; ſacratas veritates in ſermonibus ſuis vitiabant, & nequiſſimis explicationibus omnem Legis vim auferebant.

Hujuſmodi erant plerique Scribæ, & Phariſæi Salvatoris ævo; in hos præſertim iſthic invehitur. Monet etiam Diſcipulos ſuos, ut ſibi caveant a Pſeudo-Chriſtis, & Pſeudo-Prophetis, quos poſt ipſum Dæmon erat ſuſcitaturus; exempli gratia *Theudam*, & *Barjeſum*, de quibus in Actis cap. 5. & 13. eſt ſermo; *Bar-chochebam*, vel Stellæ filium, qui in ſequenti ſæculo tot peperit mala, Simonem Magum, Apollonium Thianæum, alioſque hujus farinæ plurimos.

Demum Pſeudo-Prophetarum nomine Patres [7] complexi ſunt omnes Pſeudo-Doctores Judæos, vel Chriſtianos, tum qui perperam Evangelii viam arctiorem, tum qui latiorem efficere adnituntur, eos, qui nova in Eccleſia prædicare volunt, qui ſimulata pietatis ſpecie populis fucum facere geſtiunt, illoſque ſuperſtitioſis, noviſque ritibus fallere, qui doctrinam Salvatoris, vel flagitioſo vivendi genere, vel improbis præceptis corrumpunt. Hi omnes, hæretici, ſchiſmatici, hypocritæ Jeſu Chriſto Pſeudoprophetæ, lupi rapaces ovina pelle contecti dicuntur.

℣. 16. A FRUCTIBUS EORUM COGNOSCETIS EOS.] Ut judicium feras, utrum arbor ſit bona, expectes, opus eſt, fructum illius; ut intelligas, utrum Doctor verus ſit, an fallax Propheta, verus Apoſtolus, an hypocrita; ad examen revoces, oportet, fidem ejus [8], opera [9], vivendi rationem, atque doctrinam. Si ſeductor eſt, & hypocrita, ſe ſe prodet confeſtim: illius error, mentis, & cordis improbitas in operibus ejus agnoſcentur. Non permittet Deus, ut Fideles ſui diu in periculo verſentur, ut ab illo fallantur, neque ſinet, ut impius diu verbi, nominiſque ſui ſanctitate abutatur; quamprimum quis vere ſit, intus, & in cute, introſpicietur.

℣. 17. OMNIS ARBOR BONA BONOS FRUCTUS FACIT.] Ne inferas iſthinc, viros bonos numquam errare: neque malos nihil umquam boni conari: hoc de univerſa actionum ſumma eſt intelligendum. Hæ ſuapte natura cordis impetum ſequuntur; ſi cor depravatum eſt, licet in oppoſitum adnitaris, illius improbitas plurimis in locis erumpit; ſin autem cor rectum eſt, ac purum, actionum ſumma hujus puritatis, & æquitatis particeps erit. Sanctioribus etiam aliquod infirmitatis erratum poteſt excidere, ſed hoc longe ab illis differt, quæ ex depravata corruptaque voluntate proficiſcuntur.

℣. 18. NON POTEST ARBOR BONA MALOS FRUCTUS FACERE.] Eo in ſenſu, quem diximus; ſi bona eſt, & malos aliquot fructus parit, hoc vel infirmitatis eſt, vel incuriæ. At arbor bona degenerare poteſt, & vitiari, & tunc malos fructus feret, non ſecus ac quæ mala eſt, bona fieri poteſt, ac bonos fructus producere [10]: *Non dabit arbor mala bonos fructus, ſi non inſeratur: & bona malos dabit, ſi non colatur*, ait Tertullianus l. de Anima. Arbor bona eſt Doctor Fidelis, bonos hic dumtaxat feret fructus, ſanamque doctrinam prædicabit. Arbor mala eſt hæreticus; ne animum, aureſque præbeas doctrinæ illius, licet præclaram bonitatis ſpeciem præſeferat: doctrina ejus prava eſt, & fallax. Veritates maxime utiles, ac ſanæ, in ore illius cum pernicioſiſſimis erroribus ſunt immixtæ. Poſtremus hic ſenſus magis litteralis videtur.

℣. 21. NON OMNIS, QUI DICIT MIHI: DOMINE &c.] Qui ſalutis veritates annuntiant, qui Domini verbum prædicant; qui prolixis precibus illum invocant, in quorum labiis nomen ejus crebro ſonat, non ideo certi ſunt, ſe in Regnum Cœlorum ingreſſuros [11]. Fides ſine charitate mortua eſt, Jacob. 2. 20. ac ſine bonis operibus ad æternitatem inutilis. Cor, atque vivendi ratio fidei, verbiſque congruat, opus eſt [12]. Fructus, non frondes, poſcit Deus.

℣. 22. NONNE IN NOMINE TUO PROPHETAVIMUS.] Prophetia, & donum miraculorum nequaquam certa ſunt ſanctitatis eorum, cui Deus ea eſt elargitus, indicia. Hæc omnia ſine fide, & charitate nihil proſunt [13]. Enituerunt complures maximis Eccleſiæ dignitatibus; complures prædicaverunt, & docuerunt; complures prophetarunt, qui tamen ob flagitioſam vivendi rationem cœleſti regno carent. *Prophetare* iſthic in generico ſenſu uſurpatur pro publicis omnibus muneribus, futura prædicendi, Scripturas explicandi, populos erudiendi, prædicandi &c. *In nomine tuo*, auctoritate tua, tuæ miſſionis virtute, ut doctrinam tuam, tamquam Diſcipuli tui probaremus.

Fatentur Patres [14], poſſe quidem impios vera nonnumquam patrare miracula, licet alio afflati ſpiritu ab eo, quo Jeſus Chriſtus repletus erat. Caiphas licet nequiſſi-

---

1 Matth. 11. 30. Chryſoſtom. hic. 2 Apud Athenæum l. 9.
3 Vide Tabul. Cebetis, & Sophoclem apud Juſtin. de Monarchia. 4 Heb. 11. 37.
5 4. Reg. 1. 8. Iſai. 20. 2. Matth. 3. 4. 6 Zach. 13. 4. *Nec operientur pallio ſaccino, ut mentiantur.*
7 Chryſoſt. hic, & Auth. Oper. imperf. 8 Tertull. l. 1. contra Marcion.
9 Aug. & veteres omnes. Vide Maldon. & Janſ. 10 Auguſt. Hieronym. Chryſoſt. Author. Operis imperfecti ad hunc locum. 11 Author. Oper. imperfecti.
12 Hieronym. Theophyl. Euthym. 13 1. Cor. 13. 1. 2. 3.
14 Chryſoſt. Homil. 25. Hieron. hic. Euthym. Theophyl. Aug. ſerm. 90. nov. Edit. & l. de Diverſ. quæſt. 83. q. 79. n. 3. 4. & l. 2. de Serm. Domini.

quiſſimus de Salvatore noſtro prophetavit Joan. 11. 51. Prophetavit quoque Balaam Num. 24. 17. & Judas cum non ſecus ac alii Apoſtoli facultate prodigia operandi fuiſſet donatus, cum illis reverſus eſt, dicens, *Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo* Matth. 10. 1. Ut digni ſimus Regno Dei, non ſufficit Dei nomen cognoſcere, & celebrare; gratia illius animari, & juxta illius præcepta vitam componere oportet [1].

℣. 23. NUMQUAM NOVI VOS.] Non loquitur de ſpeculativa cognitione, ſed de cognitione approbationis, & amoris. Vos numquam vere mei fuiſtis; non eſtis ex eorum numero, quos mihi dedit Pater [2]; numquam veſtram hanc vivendi rationem approbavi; numquam ex electorum meorum numero fuiſtis. Vide Joan. 10. 4. 1. Cor. 8. 3. & 2. Tim. 2. 19. &c. ubi verbum *cognoſcere* pro approbare uſurpatur.

℣. 24. QUI AUDIT VERBA HÆC.] Jeſus Chriſtus eſt lapis ille, ſuper quem ſalutis noſtræ ædificium ſumus ædificaturi. Ejus præcepta adimplentes, ejuſque exempla ſectantes ad eam perveniemus felicitatem, quam Diſcipulis, & amicis ſuis pollicetur. Ita hoc ædificium erigimus, quod fluctibus, procelliſque reſiſtit, videlicet perſecutionibus, & vitæ hujus periculis.

℣. 29. ERAT DOCENS EOS SICUT POTESTATEM HABENS.] Vel potius tamquam magiſter, Propheta,

A Deus. Eos alloquebatur veluti Legislator; quod Scribis, & Phariſæis nullo modo poterat convenire. Hi ſervili modo Legis Textui adhærebant, vel præceptorum ſuorum traditiones, atque explicationes proferebant, vel argumentis, atque rationibus innitebantur; contendentes argumentorum vi, quod conabantur, perſuadere. Salvator e contra decidebat: obſequium fidei poſtulabat, dicebatque: Ego loquor vobis; ego dico, ego præcipio. Antiqui Prophetæ ſermones ſuos, ut plurimum ex his incipiebant verbis: *Hæc dicit Dominus*. Phariſæi, & Scribæ dicebant: Moyſes jubet, lex præcipit, magiſtri hoc docent.

JESUS CHRISTUS, ut fidem ſibi conciliaret, externam auctoritatem non quærebat; populumque ad ſe trahebat ingentibus veritatibus, quas annuntiabat,
B modo, quo eas proferebat, ſermonum ſuorum vi, & imperio, quod intus in animos, & corda exercebat. Hæc methodus brevior eſt, facilior, ac Divinitate dignior [3]. Si quando doctrinæ ſuæ ſpecimen voluit præbere, in eo adhæſit, ut Divinitatem, ac miſſionem ſuam oſtenderet, & ſi uſpiam doctrinam ſuam cum Lege Moyſis, & Prophetis congruentem oſtendere voluit, id ſumma cum auctoritate, dignitate, ac magnificentia peregit, quæ in admirabili hoc ſermone deprehenditur, quam modo explicuimus, & qui Chriſtianæ Religionis ſummam complectitur.

---

1 Auth. Oper. imperf. 2 Joan. 17. 2. 6. 7. 8. 11. 12. 18. 9.
3 Vide Grot. Brug. Eſt. Ligfoot.

CAPUT VIII.

Leproſus, Filius Centurionis, Socrus Simonis curantur. JESUS lacum Genezareth traducit, tempeſtatem ſedat, duos energumenos liberat. Dæmones in porcos ingrediuntur, eoſque dant in lacum præcipites.

1 CUm autem deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ: 2 Et
ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me
mundare. 3 Et extendens Jeſus manum, tetigit eum, dicens: Volo.
Mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus. 4 Et ait illi Jeſus: Vide, nemini
dixeris: ſed vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus quod præcipit Moyſes,
in teſtimonium illis. 5 Cum autem introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Cen-
turio, rogans eum. 6 Et dicens: Domine puer meus jacet in domo paralyticus,
& male torquetur. 7 Et ait illi Jeſus: Ego veniam, & curabo eum. 8 Et reſ-
pondens Centurio, ait: Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum,
ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. 9 Nam & ego homo ſum ſub po-
teſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alii,
Veni, & venit; & ſervo meo, Fac hoc, & facit. 10 Audiens autem Jeſus mi-
ratus eſt, & ſequentibus ſe, dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in
Iſrael. 11 Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, &
recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cœlorum: 12 Filii autem
regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. 13 Et
dixit Jeſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in
illa hora. 14 Et cum veniſſet Jeſus in domum Petri: vidit ſocerum ejus jacentem,
& febricitantem: 15 Et tetigit manum ejus, & dimiſit eam febris, & ſurrexit, &
miniſtrabat eis. 16 Veſpere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes;
& eji-

Digitized by Google

& ejiciebat ſpiritus verbo: & omnes male habentes curavit: 17 Ut adimpleretur, quod
dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit; & æ-
grotationes noſtras portavit. 18 Videns autem Jeſus turbas multas circum ſe, juſ-
ſit ire trans fretum. 19 Et accedens unus ſcriba, ait illi: Magiſter, ſequar te,
quocumque ieris. 20 Et dicit ei Jeſus: Vulpes foveas habent, & volucres cœli
nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. 21 Alius autem de
diſcipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum.
22 Jeſus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. 23
Et aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus: 24 Et ecce mo-
tus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe vero dor-
miebat. 25 Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt eum, dicentes:
Domine, ſalva nos, perimus. 26 Et dicit eis Jeſus: Quid timidi eſtis, modicæ
fidei? Tunc ſurgens, imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.
27 Porro homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, & mare o-
bediunt ei? 28 Et cum veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum, occur-
rerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſævi nimis, ita ut ne-
mo poſſet tranſire per viam illam. 29 Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid no-
bis, & tibi, Jeſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos? 30 Erat au-
tem non longe ab illis grex multorum porcorum paſcens. 31 Dæmones autem ro-
gabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. 32
Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit to-
tus grex per præceps in mare: & mortui ſunt in aquis. 33 Paſtores autem fu-
gerunt: & venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, & de eis, qui dæmonia
habuerant. 34 Et ecce tota civitas exiit obviam Jeſu, & viſo eo rogabant, ut
tranſiret a finibus eorum.

℣. 1. CUM AUTEM DESCENDISSET DE MONTE.] Eorum plerique, qui audierant ſermonem, qui in ſuperioribus tribus capitibus continetur, ſecuti Jeſum venerunt Capharnaum, ubi ſedem ſuam conſtituerat.

℣. 2. ECCE LEPROSUS VENIENS ADORABAT &c.] Jeſus Chriſtus cum vix prædicaſſet, ſtatim miraculorum fulgore ſuam doctrinam confirmat[1]. Leproſus hic ad Jeſum Chriſtum accedere non auſus eſt, immo neque ad eos, quibus ille ſtipatus erat; eo quod hujus generis homines a mortalium conſuetudine lege ſejungebantur. Leproſus ad illius genua ſe ſe projecit, & facie in terram proſtratus, petiit, ut ab eo ſanaretur. Ita explicanda eſt hæc hiſtoria, ut tres Evangeliſtæ, miraculum hoc enarrantes, concilientur. S. Marcus 1. 40. ait, illum in genua procubuiſſe, & S. Lucas 5. 12. teſtatur, cum Jeſus *eſſet in una civitate*, hoc eſt, cum in civitatem ingreſſurus eſſet, leproſus enim in agro permanebat, neque audebat ingredi in civitatem, hunc procidiſſe in faciem ſuam, & ab eo ſalutem petiiſſe. Urbs hæc fortaſſe eſt Capharnaum. Non deſunt, qui putent, leproſum SS. Marci, & Lucæ alium eſſe ab hoc S. Matthæi.

DOMINE, SI VIS, POTES ME MUNDARE.] Antiqui nonnulli putarunt[2], Jeſum Chriſtum latriæ cultu ab hoc leproſo adoratum fuiſſe, cum ab eo *Dominus* fuit appellatus. Oratio illius fidei magnitudinem indicat, ejuſque fiduciam, ac perfectam ſubmiſſionem ſignificat. Hoc pulcherrimum eſt orationum, quæ in Evangelio videntur, exemplar. Non petit abſolute, ac ſine ulla reſtrictione ſalutem, at ſolum eam poſcit, ſi Deo lubitum fuerit. Non ait, potes a Deo valetudinem meam impetrare: ſed ſi vis, potes me mundare. Divinitatem, ac Omnipotentiam illius confitetur: *Voluntas Dei* A *poteſtas eſt*, ait S. Ambroſius in Luc. l. 5.

Lepra vulgaris erat in Palæſtina, ac finitimis regionibus morbus; quo cutis afficiebatur, & qui tamquam deformitas alique, potiuſquam ægritudo vera habebatur. Iis leproſus non ait: *ſana*, ſed *munda me*, ſordem hanc meam abſterge. In lege leproſi habebantur tamquam permanenti impuritate infecti, ut a Dei unius manu poſſent mundari. Medici ut plurimum morbum hunc negligebant, qui velut ſupplicium a Domino profectum cenſebatur. De morbo hoc fuſius verba fecimus in peculiari Diſſertatione, quam Levitico præpoſuimus.

℣. 3. TETIGIT EUM DICENS; VOLO, MUNDARE[3].] Lege cautum erat, ne lepra infecti cum aliis conſueſcerent, ne illorum ægritudo aliis communicaretur[4], & qui mundi erant, eorum acceſſu pollluerentur. At B neque Sacerdotes, qui eos contrectabant, atque ſcrutabantur, neque Medici, qui illos inviſere, & conſolari poterant, ex eorum contactu ſordes contrahebant, uti neque contraxit Jeſus Chriſtus, qui hunc mundavit[5]. Neque contra mentem, neque contra litteram legis egit; immo ſi proprie loquaris, leproſum minime tetigit; quoniam eo temporis momento, quo illum attigit, hic lepra mundatus fuit. Opera mirabilia, atque ſupernaturalia numquam Legi ſubjecta fuere. In hac occaſione Jeſus Chriſtus oſtendit, ſe non ſervum, ſed Dominum eſſe legis: nam quin ullas contraheret ſordes, hunc hominem attrectans, illi ſuam impertit puritatem, eumque priſtinæ reddidit incolumitati. In hac Hiſtoria trium hæreticorum refutationem S. Ambroſius in Luc. l. 5. deprehendit. Primo, C Jeſus Chriſtus ait, *volo*, imperat abſolute, contra Photinum negantem, Filii potentiam æqualem eſſe potentiæ Patris. Secundo, imperat morbo, *mundare*, contra Arium, Jeſu Chriſti divinitatem, & omnipoten-

1 Chryſoſt. Homil. 26. Item Hieron. hic, & Aug. de utilitate credend. cap. 14.
2 Chryſoſtom. Auth. Operis imperfecti, Euthym. Theophylect. hic.
3 Καθαρίσθητι. *Eſto mundatus*. 4 Levit. 13. 41. 46. 5 Auth. Oper. imperfecti in hunc locum Mald. Janſ.

ſiam negantem ³: tertio leproſum attingit contra errorem Manichæorum non credentium, Jeſum Chriſtum verum, ac naturalem carnem induiſſe.

℣. 4. VIDE, NEMINI DIXERIS.] Non ſemel legimus, Jeſum Chriſtum vetuiſſe, ne illi, quos curaſſet, vel qui miraculorum ſuorum teſtes fuiſſent, hæc prædicarent. Quorſum autem iſthoc? Patrum plerique [1] crediderunt, hunc humilitatis, ac modeſtiæ ipſius effectum fuiſſe. Exemplo ſuo docere nos volebat, ut ab iis omnibus abhorreremus, quæ noſtram ſuperbiam fovere poſſent. Alii [2] id ipſum feciſſe putant, ne locum præberet invidiæ, & improbitati Sacerdotum, & Phariſæorum, qui illius perdendi occaſionem dumtaxat quærebant. Sapientiæ ſuæ erat, illos non irritare, ne præverteret momenta morti, ac paſſioni ſuæ præfinita [3]. Ad hæc operæ erat pretium, ut Evangelii doctrina ſe ſe effunderet, ac ſine hoſtium contradictionibus convaleſceret: ideoque nimio prodigiorum ſplendore in tantam lucem non erat proferenda. Ita ſilentium indicit dæmonibus, ipſum Chriſtum eſſe enuntiantibus: ac in montes ſecedit, ubi populum paratum vidit, ut ſe Regem inaugurarent. Regnum ſuum in pace, ac ſine tumultu ſtatuere cupiebat.

Credunt alii [4], Salvatorem infinita Sapientia edocentem ea, quæ operæ pretium ducebat hominibus aperire, non adeo ſollicitum fuiſſe, ut ſuam probaret Divinitatem: illius miracula, & ſermones ſatis loquebantur: at opus erat, ut omnia per Reſurrectionem ipſius comprobarentur. Tunc miraculorum narratio, & animadverſiones circa doctrinam ejus, quæ antea non ſatis plane intelligebatur, effectum ſuum erant conſecuturæ, ac ratione longe magis efficaci perſuaſuræ. Hinc etiam profectum eſt, ut cum Phariſæi ab eo quondam petiiſſent ſignum, vel miraculum Matth. 12. 39. eis reſpondit, non aliud eſſe ſibi, quod illis præberet, quam ſignum Jonæ Prophetæ: videlicet ſe illis daturum Reſurrectionis ſuæ prodigium, quod & doctrinam, & cætera miracula ſua confirmaret. Et Matt. 17. 9. Diſcipulis, qui Transfigurationis ſuæ teſtes fuerant, præcepit, ut nonniſi poſt reſurrectionem miraculum illud prædicarent.

OSTENDE TE SACERDOTI.] Ut agnoſcat, me non delere, ſed adimplere Legem [5], & efficere, ut religioſiſſime ad unguem expleatur. Vel [6]: Vade oſtende te, verum ne dixeris, te a me curatum fuiſſe, niſi prius Sacerdotes, te vere mundatum fuerint profeſſi; ſi enim ſciverint, a me hoc factum, fortaſſe obſiſtere poterunt, ne aliorum hominum conſuetudine perfruaris. Denique: Oſtende te Sacerdotibus, ut Meſſiam adveniſſe cognoſcant; nam in Scripturis [7] inter alios Meſſiæ characteres, leproſorum curatio recenſebatur. Operæ pretium erat, Sacerdotibus miraculorum JESU CHRISTI veritatem perſuadere. Venturum erat tempus, quo licet inviti, divinitatem illius teſtari cogerentur. JESUS CHRISTUS hæc Apoſtolis ſuis præparabat argumenta in illud tempus, quod Reſurrectionem ſuam ſubſecutum eſt.

IN TESTIMONIUM ILLIS.] Oſtende te Sacerdotibus, & offer hoſtiam, quæ in Lege Lev. 14. 10. præcipitur, ut ſit curationis tuæ teſtimonium adverſus Sacerdotes, qui fortaſſe deinde illam in dubium audebunt revocare [8]. Aliter [9]: Offer illis hoſtiam tuam, ut teſteris adventum Meſſiæ, ex cujus characteribus haud poſtremum eſt leproſorum curatio. Demum oſtende te Sacerdotibus, ac teſtatam fac curationem tuam, ita ut populus omnis eam cognoſcat. Jeroſolymam eundum erat, ut lepra mundaretur, ibique ſuam offerre oblationem. Nequaquam fas erat leproſo in ſocietate

A verſari, niſi Sacerdotes palam ipſum penitus mundatum eſſe edixiſſent [10]. Hammondius ait, leproſos ad portas Jeroſolymæ accedere conſueviſſe, ubi a Sacerdotibus, juxta Legem Levit. 13. 2. diligentius cernebantur; qui ſi mundi inventi fuiſſent, in urbem primum, mox in Templum adducebantur, ubi ſua offerebant ſacrificia Levit. 14. 49. prima quidem die par paſſerum, octava autem agnos duos.

℣. 5. CUM AUTEM INTROISSET CAPHARNAUM, ACCESSIT AD EUM CENTURIO.] Miraculum leproſi viri mundati contigerat prope portam Capharnai, vel non procul. JESUS illuc ingreſſus ſtatim Senatores, vel Judæorum ſeniores invenit, qui Centurionis nomine illum rogavere [11], ut domum illius ſe ſe conferret, ſervum ejus curaturus. Cum vero una cum ipſis ad B Centurionis domum pergeret, hic ad eum alteram amicorum ſuorum legationem miſit, qui verbis ſuis illi dicerent: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.* S. Matthæus ait, Centurionem ipſum ad JESUM CHRISTUM acceſſiſſe, eique illa dixiſſe, quæ attulimus. At a fide abſonum minime eſt [12], Evangeliſtam hunc ſummatim dumtaxat rem hanc enarraſſe, quam S. Lucas fuſius proſecutus eſt. Quotidie vulgo aliquem dixiſſe, & feciſſe dicimus, quod dici, fierique mandavit; cujuſmodi locutionibus ſcatet Scriptura. Hæc Gen. 40. 19. ait a Pharaone Piſtorem ſuum laqueo ſuſpenſum, a Joſue populum circumciſum Joſue 5. 4. ab eodem Regem Hai cruci affixum Joſue 8. 29. ab Herode S. Johannem capite diminutum, a Pilato JESUM virgis C cæſum &c. Vide etiam Exod. 18. 6. ubi Moyſe inducit Jethro loquentem, tamquam ſi adeſſet, licet poſtea tantum die in caſtra pervenerit.

Credunt nonnulli [13], a Centurione primum quidem Judæorum proceres miſſos fuiſſe, qui ut ducis hujus gratiam aucuparentur, JESUM precibus fatigarunt, ut domum ejus adiret, quamquam ab eodem rogati minime fuiſſent, ut hac de re hunc efflagitarent, ſed ut famuli tantum morbum deprecarentur. Centurio videns porro ad ſe Jeſum adventantem, ad illum quoſdam ex amicis ſuis miſit, qui dicerent, ne hoc itineris ſuſcipere vellet, ſe vero illi obvium non venire, quod ſe ejus adſpectu indignum arbitraretur. Intelligens demum, JESUM magis magiſque accedere, ipſe illi occurrit, ut humillime ſe ſe excuſaret, eique diceret: *Domine non* D *ſum dignus, ut intres ſub tectum meum &c.* Addidit Centurio, ſe eſſe hominem alterius poteſtati ſubmiſſum, ac ſibi ſubjectos eſſe milites, qui dicto audientes erant &c.

Profecto Centurionis dignitas illi conferebat imperium dumtaxat in centum militum manum, verum & ipſe quoque Tribunis, aliiſque Imperatoribus erat obnoxius. Hunc Ethnicum fuiſſe [14], Patres communiter cenſent; & ſane eum honorem Romanis dumtaxat Romani deferebant; poterat tamen eſſe proſelytus, non ſecus ac Centurio Cornelius, de quo in Actis 10. 1. eſt ſermo. Teſtis eſt S. Lucas c. 7. 5. huic Centurioni cariſſimos fuiſſe Judæos, & ab eo his Synagogam fuiſſe ædificatam. Putat S. Hilarius in Matth. eum vere Judæum fuiſſe, at ea in occaſione ad Salvatorem accedendo E Gentilitatem expreſſiſſe.

℣. 6. PUER MEUS.] Hoc eſt *Servus meus*, quo in ſenſu intelligendum eſſe perſpicue S. Lucas oſtendit. Priſci calamitoſam ſervorum conditionem lenibant, humanioribus eos nominibus appellantes [15]: Quin eos ſervos dicerent, filios vocabant.

JACET PARALYTICUS, & MALE TORQUETUR.] Paralyſis ut plurimum motum aufert, ſed dolores non gignit.

1 Ambroſ. l. 5. in Luc. Chryſoſt. Homil. 26. Euthym. Theophyl. Beda alii.
2 Vide Auth. Oper. imperf. Grot. Mald. Menoch.
3 Joan. 2. 4. 7. 6. 8. 30. 8. 20. 12. 23.
4 Vide Hammond. hic, & le Clerc.
5 Tertull. l. 4. contra Marcion. Chryſoſt. Hieron. Euthym.
6 Theophylact.
7 Iſai. 61. 1. Matth. 11. 5.
8 Chryſoſt. & Hieronym. hic, Ambroſ. in Luc. lib. 5.
9 Vide Hammond. hic.
10 Maimon. tract. Tumaeth Zeraer. c. 9.
11 Luc. 7. 3.
12 Auguſt. lib. 2. cap. 20. de Conſenſu Evang. & l. 33. contra Fauſt. & ita Leont. Beda, Grot. Mald. Janſ.
13 Chryſoſt. Euthym. Theophyl. hic.
14 Auguſt. & Chryſoſt. Vide verſ. 10. & Luc. 8. 5. 6.
15 Macrob. l. 1. c. 11. Saturnal. *Noſtri majores omnem Dominis invidiam, omnem ſervis contumeliam detrahentes: Dominum patrem familias; ſervos familiares appellarunt.*

git: Quædam tamen paralyſis a chiragræ ſpecie non A abhorret, & acerrimis doloribus afficit [1].

℣. 8 SED TANTUM DIC VERBO &c. [2]] Profer dumtaxat verbum, vel dic per verbum tuum, vel præcipe verbo tuo, mitte verbum tuum ad ſervum meum curandum, & ſtatim curabitur. Exhibet Verbum Domini, velut agens animatum; qui vadit, curat, dicto paret. Pſalmiſta Pſalm. 106. 20. *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos*. Et auctor Libri Sapientiæ c. 12. 9. ait, Deum poſſe per verbum ſuum Chananæos omnes delere, non ſecus ac verbum illius omnes curavit Hebræos, qui a ſerpentibus fuerant demorſi, cum obtemperaverunt illi, ſerpentem æneum intuiti [3]. Verbum idem ex throno Majeſtatis Dei egreſſum omnia Ægypti primogenita delevit [4]. Credunt nonnulli Centurionem [5] indigitare velle Angelos, qui JESU CHRISTO parebant, & B qui ſemper prope illum aderant præſto, ut illius mandata faceſſerent.

℣. 9. NAM & EGO HOMO SUM, SUB POTESTATE CONSTITUTUS [6].] Attamen cum jubeo, milites meos aliquid facere, vel aliquem in locum pergere, mea ſtatim faciunt imperata: quo igitur potiori jure tibi, qui abſolutam habes poteſtatem in morbos, vitam, & mortem, obtemperabitur, ſtatim ac imperaveris [7]. Haud immerito Salvator inferius paulo Centurionis fidem commendat, & ſe nihil tale in Iſrael unquam inveniſſe profitetur. VIR in toto Evangelio ex iis omnibus, quibus ſalutem reddidit JESUS, ſublimes adeo, ac ſtrenuos ſenſus inveneris. In viri hujus ſermone videtur egregia militis recti, ſincerique imago; non multa profert, ſed rem belle tangit.

℣. 10. AUDIENS AUTEM JESUS MIRATUS EST.] C Admiratio ignorantiæ filia eſt. Non defuere inter Philoſophos, qui non exiguam humanæ beatitudinis partem in eo collocarent, ſi quia nihil admirarentur [8]. Dei Filius nihil ignorare poterat, ac ideo nihil admirari; ſed ut alii aliquid tamquam admiratione dignum ſuſpicerent, loqui, & agere poterat, perinde ac vere fuiſſet admiratus. *Jeſus, qui omnia præſciebat, quod mirandum aliis commendabat, mirando laudabat* [9]. In ipſo enim, e S. Auguſtini ſententia l. 1. de Gen. contra Manich. c. 8. *Tales motus non perturbati animi ſunt ſigna, ſed docentis Magiſtri*.

NON INVENI TANTAM FIDEM IN ISRAEL.] *Fides* multiplicem in Bibliis obtinet ſignificationem: 1. Significat perſuaſionem potentiæ JESU CHRISTI, qua D credimus, ipſum, & nomine ipſius Diſcipulos ſuos poſſe operari miracula. Fides hæc donum eſt, quod non negat nonnumquam Deus improbis etiam, quemadmodum vidimus ſupra; ſceleſti enim poſſunt aliquando miracula patrare, & Deus nonnulla quandoque in eorum gratiam operatur. 2. *Fides* uſurpatur pro virtute, quæ nos Fideles, & Chriſti aſſeclas efficit, per quam conſtanter credimus, quidquid nobis Deus revelavit, & Chriſtiana nos docet Eccleſia. 3. S. Paulus nonnumquam [10] fidem intelligit de ſenſu interiori, quo aliquid vel licitum, vel ſecus eſſe edocemur. 4. Vox etiam pro fiducia in Deum adhibetur; 5. ac pro conſtantia in fide eorum, quæ pollicitus aliquis eſt, præſtanda; ſive de Deo, ſive de hominibus hoc intelligatur. Hoc in loco Centurionis fides ſignificat perſuaſionem potentiæ JESU CHRISTI, atque in benignitate illius confidentiam. Cum ait Salvator, ſe non inveniſſe tantam fidem in Iſrael, non comparat fidem Centurionis cum fide S. Johannis, vel Beatiſſimæ Virginis, vel Apoſtolorum, ſed cum fide populi [11]. Hic alienigena majorem pro ratione cognitionem habebat divinæ poteſtatis, majoremque in verbis JESU fidem, quam Judæi vulgo; quod majorem ideo ciebat admirationem, quod ea in Religione ortus, quæ nullam ipſi opem ſuppeditabat, ut animum ſuum ad Deum attolleret.

℣. 11. MULTI AB ORIENTE, & OCCIDENTE VENIENT, & RECUMBENT CUM ABRAHAM.] Hæc præclara eſt confirmatio prophetiarum, quæ ad Gentilium vocationem pertinent; & quæ ſparſim in univerſo veteri Teſtamento effuſæ ſunt. Hebræi cum Gentilibus veſci dedignabantur [12], neque ullam cum illis commotionem inire patiebantur [13], ne eos tangentes, eorumque epulas guſtantes polluerentur. At Dei Filius edicit, futurum, ut in Eccleſia ſua Ethnici ſimul, & Judæi in unum populum coaleſcant, ſimul eidem menſæ accumbant, eorumdem Sacramentorum participes fiant, eademque ſimul præmia, & gloriam in Cœlo conſequantur.

Opinabantur Judæi antiquitus futurum, ut in Regno Dei, ac Meſſiæ Credentes omnes menſæ ſimul diſcumberent, ubi illis exquiſitiſſimæ epulæ apponerentur: quæ traditio in vetuſtiſſimis Rabbinorum Libris [14], immo etiam in quarto Eſdræ c. 6. deprehenditur. Ad hanc Judæorum opinionem alludere videtur JESUS CHRISTUS. Alteram vitam exhibet velut convivium [15], ubi Electi diſcumbunt, atque in ſummæ felicitatis luce hilariter commeſſantur; cum interim Ethnici, ac impii extra in tenebris, ac deſperatione ſiti, fame, frigore laborent; quod iſthic exterioribus tenebris, gemitibus, ac dentium fremitu indigitatur.

Græca quædam Exemplaria legunt [16]: *menſa in Abrahæ ſinu diſcumbunt*. Alludit ad morem, qui tunc vigebat, menſæ accumbendi. Honoratior locus erat ſuperior pars; diſcumbebant in tricliniaribus lectulis convivæ, in cubitum inniti, pedeſque extrinſecus protendebant poſt tergum infra ſe diſcumbentis, ita ut caput illius, qui inferior erat, in ſuperioris ferme ſinu reclinaret. Ita S. Johannis Evangeliſtæ caput erat in Salvatoris noſtri ſinu poſtrema in cœna, quam cum Apoſtolis ſuis JESUS CHRISTUS celebravit Joan. 13. 25. Hic ait Salvator fore, ut Judæi Ethnicis permixti familiariter menſæ accumbant cum antiquis Patriarchis caput ſuum in Abrahæ, Iſaac, Jacob &c. ſinu reclinantes.

℣. 12. FILII AUTEM REGNI EJICIENTUR IN TENEBRAS EXTERIORES.] Judæi ſunt filii Regni, promiſſionum hæredes, populus electus, gens ſancta. Attamen plerique illis ad nuptiale convivium aditus occluſus eſt: In eorum locum excipiuntur Ethnici, ac in cœlo cum Abraham, Iſaac, & Jacob diſcumbent. *Tenebræ exteriores* infernum deſignant [17]. Tobias, S. Petrus, S. Judas hoc ipſum caliginis, & obſcuritatis nomine indigitant [18]. Non recedit JESUS CHRISTUS ab inſtituta convivii allegoria; hoc noctu, ut plurimum, peragebatur; qui ex triclinio ejecti erant, in tenebris verſabantur, plorantes, ac præ ira, & furore dentibus infrendentes [19].

Vete-

1 Plater. de Functionum Læſionib. cap. 2.
2 Εἰπὲ λόγον. Dic verbum. Sed Stephani Codd. 8. Bodl. 5. Seld. 3. alii quam plurimi, εἰπὲ λόγῳ. Dic verbo.
3 Sap. 16. 12.
4 Sap. 18. 15. 16.
5 Author Operis imperfecti, & Hieronym.
6 Græcus non legit *Conſtitutus*. Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας. Quod ita verti poteſt: *nam homo ſum, ſub poteſtate mea milites habeo*. At S. Luc. 7. 8. legit Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν τασσόμενος. *Sub poteſtate conſtitutus*. Vide S. Chryſoſtomum in hunc locum.
7 Auguſt. Serm. 62. nov. Edit. Chryſoſt. homil. 26. Beda, Strabus.
8 Horat. l. 1. Ep. 6.
Nil admirari, prope res eſt una, Numici,
Solaque quæ poſſit facere & ſervare beatum.
9 Aug. lib. 1. contra adverſar. Legis & Prophet. cap. 7.
10 Rom. 14. 22. 23. Hebr. 11. 22.
11 Vide Author. Operis imperfecti, & alios paſſim.
12 Galat. 2. 12.
13 Joan. 18. 28. Infra Matth. 9. 11. 12.
14 Vide Bartholocci, Bibl. Rabb. tom. 2. pag. 507.
15 Vide pariter Luc. 14. 12. 16. Matth. 21. 2. Apoc. 19. 7.
16 Ἀνακλιθήσονται ἐν τοῖς κόλποις τοῦ Ἀβραάμ. Vide Chryſoſt. hic.
17 Auguſt. Serm. 52. nov. Edit. Chryſoſt. hic, & Greg. Magn. Homil. 6. in Ezech. & Origen. in Matth. p. 206 & alii paſſim.
18 Tob. 4. 11. 2. Petr. 2. 17. Jud. verſ. 6.
19 Eſtius, Maldon. Janſ. Menoch. alii.

Vetera quædam Græca Exemplaria [1] poſt ℣. 13. hæc addunt verba: *Et Centurio domum ſuam eadem hora reverſus invenit ſervum ſuum, qui e morbo convaluerat.*

℣. 14. CUM VENISSET JESUS IN DOMUM PETRI, VIDIT SOCRUM EJUS JACENTEM.] Hoc accidit Capharnai [2], quo S. S. Petrus, & Andreas ſedem ſuam tranſtulerant, licet orti Bethſaidæ. Miraculum hoc ſocrus Petri curatæ [3] accidit multo ante Leproſum, & Centurionis ſervum ſanatos, imo etiam ſermonem in monte habitum præceſſit. E Synagoga Capharnai, quo primum JESUS CHRISTUS conceſſerat, egreſſus, domum Petri ingreſſus eſt, cum quinque tantum haberet adhuc diſcipulos.

Antiqui Patres [4] teſtatum reliquere, S. Petri conjugem martyrium fuiſſe perpeſſam, & Apoſtolum, cum eam ad ſupplicium rapi videret, dixiſſe ei, *Uxor, memento Domini*. At quo appellaretur nomine, non conſtat, alii eam *Mariam* dicunt, alii *Concordiam*, *Perpetuam* alii; ejuſque filiam putant fuiſſe *Petronillam*, & ipſam martyrii lauream adeptam. At hæc dubitatione non carent [5].

℣. 16. VESPERE AUTEM FACTO OBTULERUNT EI MULTOS DÆMONIA HABENTES.] S. Petri ſocrus Sabbatho curata fuit. Egreſſo de Synagoga JESU, cum jam occidiſſet Sol, ac Sabbathi requies deſiiſſet, ad oſtium domus illius adducti fuerunt ii omnes, qui in urbe erant energumeni, & ægroti, omneſque verbo ſuo JESUS curavit.

℣. 17. UT ADIMPLERETUR &c.] Iſaiæ prophetia triplicem habet ſenſum. I. JESUS CHRISTUS ſubiit onus infirmitatum, peccatorumque noſtrorum, eorumque piaculum factum eſt. II. In incarnatione ſua humanis ſe ſe infirmitatibus obnoxium præbuit; fame, ſiti, laſſitudine, ſomno, doloribus laboravit; ipſe etiam & lacrymatus, & mortuus eſt. III. Noſtras cum corporales, tum ſpirituales infirmitates curavit [6]. Corporis ægritudines ſunt figura ſpiritualium, quæ præſertim ob Salvatoris animum obverſabantur, quæque erant primum, ac præcipuum objectum Prophetæ iis in verbis, quæ attulimus. Triplicem hunc Prophetæ ſenſum luculenter JESUS CHRISTUS explevit [7]. Ex Paraphraſte Chaldæo Jonathan liquet priſcos Judæos hanc Iſaiæ prophetiam de Meſſia intellexiſſe.

℣. 18. JUSSIT IRE TRANS FRETUM,] lacum Genezareth. Capharnao egreſſus Geraſam profectus eſt, forsaſſe, ut ab importunis turbis ſe ſe liberaret, vel ut nobis modeſtiæ, ac humilitatis exemplum præberet, poſt tot inſignia facta latebras quærens. Vide Chryſoſtomum homil. 28.

℣. 19. SEQUAR TE QUOCUMQUE IERIS.] In diverſa abeunt Interpretes, cauſam ſcrutantes, propter quam hic Scriba JESUM CHRISTUM ſequi vellet. Credunt [8] quidam, illum bona fide egiſſe, ac ex animo optaſſe illius fieri diſcipulum. Putant alii [9], utilitatis ſpe illectum adhærere voluiſſe Salvatori, ratum, ſi Dominum tot patrantem miracula ſequeretur, nihil unquam ſibi defuturum. Non deſunt, qui [10] inani ambitionis, & ſuperbiæ auram hoc illi afflaſſe conſilii cenſeant, ut videlicet ſibi honorem captaret in populo, tamquam diſcipulos Magiſtri illius, quem tantopere omnes admirabantur. Aliis [11] demum perſuaſum eſt, illum quæſiviſſe occaſionem fallendi JESUM, eique inſidias ſtruendi, & improbe doctrinam, moreſque illius penitus exploratos cenſoria nota, ſi poſſet, proſcindendi. JESU CHRISTI reſponſio innuit, illi haud ita re- A ctum fuiſſe conſilium, vel ſaltem ipſum levitate ductum in hanc mentem veniſſe, quin tamen, quid re ipſa vellet, non ſatis intelligeret.

℣. 20. VULPES FOVEAS HABENT.] Majorem hac paupertatem ne animo quidem fingi licet. Ex hoc uno loco judicium ferri poteſt de ærumnis, & laboribus vitæ JESU CHRISTI. Brevibus evertit quævis utilitatis, ambitionis, ſuperbiæ conſilia, quibus fortaſſe ductus Scriba loquebatur. JESUS CHRISTUS iſthic ſe *Filium hominis* dicit, quo nomine paſſim in Evangeliis appellatur; ſeu ita innuere voluerit, ſe verum eſſe hominem [12], carnem, ac naturam humanam vere, atque realiter habentem; quaſi eos, qui hac de re, in Eccleſia graſſaturi erant errores, tunc animo reputaret. Alii putant [13], illum in ſe met oſtendere voluiſſe adimpletam B Danielis Prophetiam, ubi Meſſias *Filius hominis* appellatur; aliis denique perſuaſum eſt, hoc nomine profundam tantummodo humilitatem ſignificari, quippe mos fuit Hebræis, hoc nomine homines ex ima plebecula vocitare [14], cum e contra eos, qui illuſtri virtute emicarent, *filios virorum* dicerent. Animadvertit Grotius, prophetas Danielem [15], & Ezechielem [16] Filios hominis dici, ubi cum Angelis verſantur, ad innuendum videlicet diſcrimen inter utramque naturam, Angelicam nempe, & humanam.

℣. 21. PERMITTE ME PRIMUM IRE, ET SEPELIRE PATREM MEUM.] Putarunt nonnulli [17], diſcipulum hunc facultatem abeundi ad Patrem efferendum petentem, eſſe Philippum, unum ex primis illis, qui ad Salvatoris ſequelam evocati fuerunt. Non deſunt [18], qui C exiſtiment, patrem hujus Diſcipuli, quicumque ſit, nondum e vivis exceſſiſſe, ſed ita ſenio fuiſſe confectum, ut exiguum adhuc vitæ ſpatium illi ſupereſſe poſſet. Permitte mihi, ut pauliſper Patri meo in extremo ſenectutis ſpatio adſim; polliceor enim, reciproque, ſtatim ac ille ad plures abierit, eique juſta perſolverim, ad te reverſurum, ut numquam tua relinquam veſtigia. Alii [19] hoc ad litteræ apicem putant intelligendum, & credunt, hujus hominis patrem vere obiiſſe, & hunc facultatem dumtaxat petiiſſe eum efferendi, eique parentandi; ſed *etiam ſepelire patrem, tardum erat fidei*, inquit Tertullianus lib. de Idolol. Moram non patitur JESUS CHRISTUS, ubi, ut illum ſequamur, invitat. Illico, & citra quamlibet tergiverſationem ſibi poſtulat obtemperari.

D Mortui de quibus ait, *dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, nequaquam ii ſunt, qui re ipſa humanis deceſſerunt: hi enim nulla vel mortuis, vel viventibus officia poſſunt præſtare. Sed per illius, qui vere dies ſuos clauſerat, occaſionem ad mortuum in ſpirituali, ac morali ſenſu gradum facit. Sine, peccatores [20], impios, mundi amatores ſepelire mortuos ſuos, hoc eſt in mundo vivere, ac ſimilibus ſui omnia urbanitatis, atque humanitatis officia præſtare. Tu vero ad majora evocatis, & ea, quæ nullo modo cum terrenis hiſce curis, & officiis valent conſociari. Haud inſepulti quidem mortui remanebunt, nec deerunt, qui præclare hæc mundo præſtare certent officia, licet tu abneges: ea igitur aliis permitte.

Patres nonnulli [21] per hæc verba Ethnicos intellexere, ac inde arguerunt, illum, quem JESUS CHRISTUS alloquebatur, & ipſum non ſecus, ac patrem illius, E Ethnicum fuiſſe. Relinque his hominibus, qui per infidelitatem mortui ſunt, curam iis inſerviendi, qui in iiſdem idololatriæ erroribus verſantur. At fidei ne con-

1 Vide N. Teſt. Oxon. & Not. Mill. 2 Marc. 1. 21. 29. 3 Confer. Marc. 1. 29. Luc. 4. 38. & ſequ.
4 Clem. Alex. Strom. lib. 2. Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 30. 5 Vide Tillemontium hiſt. Eccl. tom. 1. in S. Petro ar. 40. 6 Vide 1. Petr. 2. 24. 7 Vide Chryſoſt. Euthym. Cornel. a Lapide, Janſ. Grot.
8 Barrad. Titelman. 9 Hieron. hic, Chryſoſt. Euthym. Grot. 10 Aug. l. 22. contra Fauſt. c. 48.
11 Aug. Serm. olim 7. de Verbis Domini, nunc 100. n. 1. 12 Tertull. lib. de Carne Chriſti.
13 Dan. 7. 17. Confer. Apoc. 14. 14 Epiphan. hæreſ. 57. Theodoret. in c. 7. Dan. 14 Pſalm. 8. 5. 48. 3. 81. Daniel. 7. 13. 15 Dan. 8. 17. 16 Ezech. 2. 1. 3. 1. & paſſim.
17 Clem. Alex. l. 3. Strom. Grot. hic, Le Clerc. 18 Lyran. Brugenſ. Mariana, le Clerc, Martianay, Cyrill. 19 Chryſoſt. Homil. 28. in Matth. Baſil. l. de Conſtitut. Mon. c. 21. Theophyl. & Euthym. hic. Aug. Serm. olim. 7. nunc 100. Hilar. in Matth. Hieron. hic. Maldon. alii.
20 Aug. lib. 4. de Trinit. c. 3. & 20. de Civitate, cap. 20. Druthmar. hic. Ambroſ. l. de Abraham, c. 8. Maldon. Alii.
21 Chryſoſt. hic. Aug. Serm. 100. nov. Edit. Hilar. hic. Ambroſ. in Pſalm. 48. Euthym. hic.

conſonum eſt Jesum evocare voluiſſe Ethnicum virum, A quem in Diſcipulorum ſuorum albo inſcriberet, ac Evangelii ſui præconem conſtitueret? Janua non niſi poſt Salvatoris Aſcenſionem Ethnicis patuit. In veteri Philoſophia [1] velut mortui cenſebantur, qui ſcholas relinquebant, & a Philoſophorum vivendi ratione recedebant, ut voluptatibus indulgerent; illiſque ſepulchra nonnumquam, & cænotaphia, tamquam mortuis extruebantur.

℣. 24. Et ecce motus magnus.] Mare Galilææ ſimplex erat lacus, verum octo circiter in longitudinem leucas, tres vel quatuor in latitudinem patebat, ita ut cum ventis agitabatur, tantæ inſurgerent procellæ, ut lintres piſcatorii, vel ſcaphæ, quibus ad illud traducendum utebantur, facile ſubmergerentur. Aliæ etiam cymbæ Jesu Christi phaſelum ſequebantur [2], quas B fidei conſonum eſt procella fuiſſe agitatas non ſecus ac eam, qua Salvator vehebatur, quidquid Interpretes quidam fuerint opinati [3]. Ventus, & maris tempeſtas nequaquam miraculoſe acciderunt, ſed ad Jesu Christi nutum quieverunt miraculoſe.

Ipse vero dormiebat] naturali quidem ſomno, ſed voluntario; quem ſibi procuraverat, ut ſequentis miraculi occaſionem arriperet. Cymba, in qua erat Jesus Christus, deſignabat Eccleſiam mundi, procelloſi videlicet maris hujus tempeſtatibus perſecutionum, tentationumque fluctibus agitatam, donec Dominus, qui ſopore captus videtur propter patientiam, qua peccatores ſuffert, ad ſæculorum finem experrectus dæmonis vires reprimit, ſuiſque lætiſſimam tranquillitatem, atque malaciam præbet [4]. Noſtrorum quilibet, C ait S. Auguſtinus Enar. 2. in Pſal. 25. tempeſtatibus, ac procellis agitatur; ſexcentis periculis atque tentationibus ſumus expoſiti. Quorſum iſthoc? niſi quod Jesus dormit: videlicet quod noſtra fides non vigilat. Impios proſpero rerum curſu lætantes conſpicimus, dicimuſque; ubinam, Domine, juſtitia tua? At Dominus vos viciſſim interrogat; ubinam fides tua? Numquid hoc vobis pollicitus ſum? Spopondi ne vos temporalibus bonis cumulandos? Suſcitate Jesum, fidem veſtram ſuſcitate.

℣. 26. Imperavit ventis.] Græcus [5]: *minitatus eſt*. Cum auctoritate, ac minis locutus eſt.

℣. 27. Homines mirati sunt.] Apoſtoli videlicet, qui eadem erant cum Jesu in cymba [6], & alii, qui aliis in lintribus eum ſubſequebantur [7]. Apoſtolis D nondum ſatis perſuaſum erat de Jesu Christi divinitate. Inſignis hæc veritas nonniſi poſt Reſurrectionem omni cum fulgore illis enituit.

℣. 28. In regionem Gerasenorum.] Græcus [8]: *Gerſenorum*; SS. Lucas, & Marcus [9] *Gadarenorum*. Græca quædam S. Matthæi exemplaria ſimiliter hoc in loco legunt. Neque momenti alicujus hæc eſt difficultas: *Gadara*, & *Geraſa* aliter *Gergeſa* duæ erant finitimæ civitates, utraque in Decapoli; & de illis Plinius, Ptolomæus, Joſephus, et Stephanus loquuntur, Euſebius, & S. Hieronymus dicunt, quoſdam credidiſſe *Geraſam*, vel Geraſam, vel Gergeſam eamdem eſſe, et Gadaram [10] SS. Marci, & Lucæ; at Origenes in Commentariis ſuis in S. Joannem, ac Plinius l. 5. c. 15. illas aperte diſtinguunt. Gadara non erat ſecus mare Tiberiadis: verum, ut pote inſignis provinciæ illius civitas in agro, vel in ditione ſua Geraſam poterat complecti. Ita regio *Geraſenorum* eſt etiam ager *Gadarenorum*. Credidere quidam *Geraſenos*, vel *Gerſenos* eſſe reliquias antiquorum populorum Chanaan ejuſdem nominis, quorum aliquando meminit Moyſes [11]. Græci Auctores [12] *Geraſam* a *Geronſia* derivant, quæ vox A *ſenectutem* ſignificat, & aſſerunt, Alexandrum Magnum ibi reliquiſſe partem militum, qui plurima meruerant ſtipendia, & per ætatem bello impares erant: ſed prior opinio mihi vero magis ſimilis videtur. De ſitu Geraſæ fuſius locuti ſumus in S. Lucam 8. 26.

Geraſeni vulgo Ethnici erant; at inter eos non pauci immixti erant Judæi. Joſephus de Bello l. 2. c. 35. narrat ſub initium noviſſimi Judæorum cum Romanis belli, cum aliæ Ethnicorum civitates eos Judæorum trucidarent, quicumque ibi invenirentur, Geraſam illis pepercisse, eoſque præſidio concomitatum fuiſſe, donec ſe ſe in tutum recepere. *Gadara* vero munitum erat Peræa oppidum ſexaginta procul a Tiberiade ſtadiis [13], vel leucis tribus cum dimidia. Urbem eam B Syri poſſidebant [14]; ibi etiam, uti in aliis omnibus terræ illius civitatibus, non deerant Judæi, verum ibi non dominabantur. Inferius patet, Gadarenos alere conſueviſſe porcorum greges, quod ipſum argumentum eſt, illos nequaquam fuiſſe Judæos; refert enim Caſaubonus Judaicam legem rogatam, uti ferunt, Hircani, & Ariſtobuli tempore, qua cautum eſt, ne quis ſub maledicti pœna porcos alat. Putat Ligfoot in Marc. 5. 2. energumenos illos, de quibus hic agitur, Ethnicos fuiſſe.

Occurrerunt ei duo habentes dæmonia.] SS. Marcus 5. 2. & Lucas 8. 27. de uno tantum energumeno verba faciunt, ac putantur eum innuere voluiſſe, qui magis furens erat, ac improbus [15]; vel ſimpliciter, qui jampridem dæmone obſeſſus erat [16]. C Solutioni huic aditum præbet S. Lucas; quoniam ait, dæmoniacum hunc jam diu fuiſſe obſeſſum, ac habuiſſe dæmonum legionem, qua torquebatur. Hujuſmodi homines ex oppidis ejecti in agris, ſepoſitis, remotiſque locis vivebant, quales ſunt ſpeluncæ in rupibus exciſæ, ubi mortuorum cadavera condebantur. Teſtis eſt Joſephus de bello l. 2. c. 42. ſecus oram maris Tiberiadis plurimos fuiſſe ſpecus in rupibus exciſos. Id genus manſiones a Judæis immundæ cenſebantur: verum energumenis quidem erant aptiſſimæ; dæmones enim in deliciis habent locos hujuſmodi, ut foveant inanem populorum errorem credentium, mortuorum manes quandoque in corpora reverti, ut viventibus appareant [17]. Hinc fortaſſe profecta eſt Chriſtianæ Eccleſiæ conſuetudo, cruces in cœmeteriis collocandi, atque D luſtrali aqua ſepulchreta adſpergendi, ad dæmones avertendos, eorumque illuſiones removendas.

Platonicorum [18] ſententia erat, animas, quæ nondum ſolutæ erant ab omni ſorde, quam ex corporis ſocietate contraxerant, prope ſepulchra verſari, ubi crebro, Plato ait, manium phantaſmata conſpiciuntur. Platonicorum ſententiam hac de re explicat Apulejus de Dogmate Platonis dicens, manes mortuorum, qui Diis accepti fuere, & qui integram, ſceleriſque puram vitam duxere, ſingulos familiæ ſuæ regundæ præpoſitos, eoſque in domibus domeſticorum numinum, *Larium*, vel *Penatium* nomine honorari. Si vero, quorum flagitiis, ſceleribuſque inquinata vita fuit, errent, & vagantur in terris, bonis quidem metum, malis damnum inferentes, a Latinis *Larvæ* nuncupatæ. Eorum E denique animæ, quarum vita vel anceps fuit, vel obſcura, propter bonorum, malorumque immixtionem, honoris ergo *Dii Manes* appellantur.

Origenes l. 2. contra Celſum animæ probat immortalitatem ex apparitionibus, quas circum ſepulchra ſupponit. Has Sanctus etiam Auguſtinus [19] tamquam rem certiſſimam dari arbitratur. Nec diſſimilis plane erat

1 Clem. Alex. l. 5. Strom. 2 Marc. 4. 36. 3 Vide Maldon. Menoch.
4 Tertull. lib. de Baptiſmo, c. 12. Author Oper. imperf. 5 Ἐπετίμησε, increpavit, objurgavit.
6 Luc. 8. 25. 7 Marc. 4. 36. 8 Γεργεσηνῶν, Gergeſenorum.
9 Luc. 8. 26. Marc. 5. 1. Γαδαρηνῶν; et plurimi MSS. codices legunt: Γερασηνῶν, Geraſenorum.
10 Euſeb. & Hieron. in locis. 11 Geneſ. 10. 16. 15. 21. Deut. 7. 1. Vide & Joſue 3. 10. 24. 2. 2. Eſdr. 9. 8. 12 Jamblic. Comment. in Nicomachi Arithmetic. Vide Not. in Stephan. Bizant.
13 Joſeph. lib. de vita ſua, p. 1025. 14 Caſaubon. adverſus Baron. Exercit. 13. art. 12. n. 69.
15 Chryſoſt. Theophyl. Euthym. 16 Aug. l. 2. de Conſenſ. Evang. c. 24. Beda & Strabus hic.
17 Grot. Maldon. Hammond. Vide & Syneſ. Hymno 4. verſ. 47. ubi δαίμονες τυμβοτρόποι dicuntur.
18 Plato in Phædone. Vide Aug. l. 9. de Civit. c. 11. 19 Aug. Ep. 159. 161. & 190. & lib. de Orig. animæ.

Digitized by Google

erat antiquorum Judæorum, uti neque recentiorum ſententia. S. Johannis Chryſoſtomi ævo [1] percrebuerat opinio, eos, qui in ſceleribus diem ſuum clauſerant, in dæmones immutari. Euthymius, ac Theophylactus ſecuti ſunt S. Chryſoſtomum, ſolidis argumentis errorem hunc evertentem. Vide Commentarium in S. Johannem cap. 11. ℣. 43.

℣. 29. QUID NOBIS, ET TIBI JESU FILI DEI?] Cur nos perſequeris, cur nos ejicis, quibus nihil unquam tecum, & qui nihil in te ſumus auſi [2]. Eum *Dei Filium* appellant, non quod illum talem eſſe re ipſa cenſerent, ſed quod conjectabant, eum eſſe poſſe Meſſiam per Prophetas promiſſum [3]. Evangeliſtæ alii [4] narrant, e duobus dæmoniacis nequiorem ad JESU pedes acceſſiſſe, eumque rogaſſe, ne tantopere ab illo excruciaretur.

VENISTI HUC ANTE TEMPUS TORQUERE NOS.] Complures antiqui Patres [5] credidere, Dæmones ante Judicii diem cruciatibus non torqueri, quod illis S. Petri verbis in 2. epiſt. 2. 4. probabant: *Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reſervari.* Geminus hic eſt ille S. Judæ locus ℣. 6. *Angelos, qui non ſervaverunt ſuum Principatum . . . in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* At ſententia in univerſa Eccleſia hodie recepta ea eſt, dæmones nunc etiam torqueri, & ex ipſo lapſus ſui momento, quocumque eſſent in loco, ſemper exquiſitiſſimis cruciatibus affectos fuiſſe. Dolent autem, quod venerit JESUS CHRISTUS, ut illos in abyſſum, vel infernum redigeret *ante tempus*, hoc eſt ante illud tempus, quo ipſum venturum putabant, ante judicii diem, non enim ita maturato illum venturum arbitrabantur. Et ſane nondum venerat, & licet ignorarent, quo tempore ſignanter dies hæc eſſet ventura, haud tamen eam prope eſſe dubitabant [6]. S. Hieronymus in Matth. 8. ait, non ſecus ac fugitiva mancipia, ubi poſt longam fugam dominum ſuum offendunt, nihil aliud animo reputare poſſunt, quam quæ meriti ſuere, tormenta; ita dæmones Dominum ſuum in terris videntes, ſtatim credidiſſe ipſum ad ſe puniendos, damnandoſque veniſſe. S. Ambroſius in Luc. 1. 6. ait, credidiſſe Dæmones, ſe ad Meſſiæ adventum in inferorum carcerem eſſe trudendos.

Verum ut ſolide hunc, & præcedentem verſiculum explicemus, confugiamus, neceſſe eſt ad Judæorum ævo Salvatoris noſtri ſenſus. Joſephus, qui Phariſæus erat, & in ſcholæ ſuæ præceptis, ac Judæorum ævi ſui opinionibus conſultiſſimus, ait Antiq. l. 18. c. 2. bonorum animas, poſt obitum eorum, quos amarunt in alia migrare poſſe corpora per quamdam metempſychoſim, quin tamen cogantur, qua in re illis pleniſſima in utramque partem optio relinquitur: improborum vero manes in tenebricoſiſſimis ſub terram carceribus contineri, ut ibi æternam ſcelerum ſuorum pœnam ſolvant. Ac monet lib. 7. de Bello cap. 25. dæmones corpora obſidentes non aliud eſſe, quam animas impiorum, quæ in viventium corpora invadunt, euſque perimunt, quibus nulla opitulatur exorciſmorum vis, vel alia quælibet ad hos nequam ſpiritus ejiciendos idonea. Credebant igitur, hos energumenos obſeſſos eſſe manibus quorumdam impiorum hominum, qui nihil aliud verebantur, niſi ex his corporibus expelli, atque in infernum trudi, unde numquam eſſent evaſuri, & ubi æ- A ternos dumtaxat cruciatus opperiebantur. Hinc eorum terror, & querimonia: ſupplicium ſuum differre quærentes, a Jeſu Chriſto petiere, ne in abyſſum præcipites darentur, ſed ſibi in porcorum gregem irruendi facultas permitteretur: Quæ petitio iſtis oſtendit, quam gravis eorum eſſet dolor, & quæ effugere tormenta peroptarent.

At enim hi Phariſæorum ſenſus ab exacta veritatie ratione abhorrent. Eos quidem probare non auſim, at eos Jeſus Chriſtus numquam refellit: & ſeu veris dæmonibus, ſeu impiorum animabus vexentur energumeni, hoc tamen ita in Phariſæorum, ut in noſtra ſententia verum eſt, illos ſpiritibus nequam obſideri, qui ubi ex iis corporibus ejiciuntur, nonniſi in infernum præcipites dari poſſunt, ibi æternis afficiendi ſuppliciis, B quod ſufficit, ut quidquid hic dicitur, explicetur: id vero multo facilius juxta Phariſæorum hypotheſim, de qua verba fecimus. Jeſus Chriſtus in ſermonibus, ac reſponſionibus ſuis plures ſuppoſuit vulgares ſententias, quas refellere e re non putavit, eo quod nullum Religioni detrimentum erant illaturæ.

℣. 30. ERAT NON LONGE &c.] Græcus Textus in oppoſito ſenſu legit [7]: *Erat autem longe ab illis grex multorum porcorum.* S. S. Lucas, & Marcus legunt [8]: *Aderat ibi in monte*, vel *prope montem grex porcorum.* Varietas, quæ ad litteræ apicem gravis videtur, re ipſa levis eſt; hujuſmodi enim diſtantiæ ex aliarum comparatione dumtaxat ingentes ſunt, vel exiguæ. Urbes Gadara, vel Geraſa erant ſecus oram lacus Genezareth, vel ſatis prope hoc mare. Non aberant hinc C ſues, quemadmodum ex ſequentibus facile colligi poteſt. Hæc omnia contigere, inſpectantibus Jeſu Chriſti Diſcipulis. Hæ diſtantiæ in ſe quidem haud ita erant magnæ, ſed ſatis magnæ erant, ut miraculi vis perciperetur.

℣. 31. MITTE NOS IN GREGEM PORCORUM.] S. Lucas [9] ait, eum, qui ex duobus dæmoniacis magis furens erat, rogaſſe Jeſum Chriſtum, ne *in abyſſum*, hoc eſt in infernum mitteretur [10], neque ſibi in æternum adimeretur facultas torquendi, tentandique homines ſuper terram. Permiſit illis Jeſus, ut in porcorum, qui non procul aberant, gregem ſeſe reciperent, ut oſtenderet, duos illos energumenos vere obſeſſos eſſe, & ut dæmonum exiſtentiam contra Sadducæos probaret [11]. Dæmones, cum ſibi integrum non eſſet ultra D odium ſuum contra hos homines exercere, quoniam ex eorum corporibus ejiciebantur, poſcunt, ut ſibi liceat ſaltem illis in bonis eorum nocere [12]: & Salvator hoc illis permittens oſtendit ſimul & potentiam ſuam, quoniam ne dæmones quidem citra illius facultatem aliquid poterant [13]: & juſtitiam contra Geraſenos, quorum mala norat conſilia, & quorum avaritiam, ac terrenarum rerum amorem punire cupiebat. Rupertus Abbas ſupponens, Geraſenos eſſe Judæos, ait, Jeſum Chriſtum porcorum clade eos mulctare voluiſſe, propterea quod immunda hæc alentes animalia a Lege prævaricati fuerant.

℣. 34. ROGABANT EUM, UT TRANSIRET A FINIBUS EORUM.] S. Hieronymus, & Beda credidere, hos populos petiiſſe, ut Jeſus Chriſtus a regione ſua E ſecederet, ſpiritu humilitatis, non ſecus ac S. Petrus ait Luc. 5. 8. *Exi a me, quia homo peccator ſum, Domine*, & Centurio ſupra ℣. ℣. 7. 8. qui Jeſum rogabat, ut domum ſuam ingredi vellet, quoniam ſe præſentia illius

---

1 Chryſoſt. Homil. 24. in Matth. 2 Confer. 2. Reg. 16. 10. 2. Par. 35. 21.
3 Hieronym hic. Auguſt. lib. 9. de Civit. cap. 21, Remig. & alii plures.
4 Luc. 8. 28. Marc. 5. 6. 5 Hilar. can. 8. in Matth. Quidam apud Chryſoſt. Aug. de Civit. l. 8. c. 23. Vide & Origen. Homil. 8. in 20. Exod 6 Aug. lib. 8. de Civit. cap. 23. *Quia ſubitum illis fuit, quod ſubitum quidem, ſed tardius opinabantur . . . Et hoc erat ante tempus, id eſt, ante tempus Judicii, quo æterna damnatione puniendi ſunt.* 7 Ἦν δὲ μακρὰν ἀπ' αὐτῶν.
8 Marc. 5. 11. Ἦν δὲ ἐκεῖ πρὸς τῷ ὄρει. Luc. 8. 32. Ἦν δὲ ἐκεῖ ἐν τῷ ὄρει. MS. Codex G. L. Cantabrigienſis non legit nec in Latino; verum Textus S. Matthæi, juxta veterem Vulgatam a Martianæo editus, illam particulam legit. 9 Luc. 8. 32. Καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, ἵνα μὴ ἐπιτάξῃ αὐτοῖς, εἰς τὴν ἄβυσσον ἀπελθεῖν.
10 Ita Maldon. hic, & alii paſſim. Confer Apoc. 9. 1. 2. 11; 7. 17. 8. 20, 1. 3.
11 Hilarius hic. 12 Hieron. in vita S. Hilarionis. 13 Chryſ. Euthym. Theophyl. Athan. in vita Antonii.

illius cenſebat indignum. Sed plerique putant [1], illos præ metu, ac avaritia hæc dixiſſe. Verebantur quippe, ne pergeret Salvator, ægros, energumenoſque A curare, porcorum, gregumque ſuorum detrimento; duo quippe porcorum millia periere, quemadmodum S. Marcus 5. 13. teſtatur.

1 Theophyl, Euthym. hic. Ambroſ. in Luc. l. 6. Vide Luc. 8. 37. Maldon. Grot. Brug.

CAPUT IX.

Miraculoſa Paralytici curatio. Vocatio S. Matthæi. Cur Diſcipuli Jeſu Chriſti non jejunent? Filia Jairi reſuſcitata. Hemoroiſſa curata. Cæci duo illuminati. Energumenus mutus liberatus. Phariſæorum blaſphemiæ. Oves ſine Paſtore. Meſſis. Operarii.

1. ET aſcendens in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem ſuam. 2 Et
ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jeſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. 3 Et ecce
quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. 4 Et cum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris? 5 Quid eſt
facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, & ambula? 6
Ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata,
tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. 7 Et
ſurrexit, & abiit in domum ſuam. 8 Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. 9 Et cum tranſiret inde
Jeſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere
me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum. 10 Et factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes, diſcumbebant cum Jeſu, & diſcipulis
ejus. 11 Et videntes Phariſæi, dicebant diſcipulis ejus: Quare cum publicanis, &
peccatoribus manducat magiſter veſter? 12 At Jeſus audiens, ait: Non eſt opus
valentibus medicus, ſed male habentibus. 13 Euntes autem dicite, quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores
14 Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Johannis, dicentes: Quare nos, & Phariſæ
jejunamus frequenter, diſcipuli autem tui non jejunant? 15 Et ait illis Jeſus: Num
quid poſſunt filii ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies
cum auferetur ab eis ſponſus; & tunc jejunabunt. 16 Nemo autem immittet commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus a veſtimento, & pejor ſciſſura fit. 17 Neque mittunt vinum novum in utres veteres: alioquin irrumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum
in utres novos mittunt, & ambo conſervantur. 18 Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus acceſſit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet. 19 Et ſurgens
Jeſus, ſequebatur eum, & diſcipuli ejus. 20 Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum
patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. 21
Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero. 22 At Jeſus converſus, & videns eam, dixit: Confide, filia, fides tua te ſalvam fecit. Et
ſalva facta eſt mulier ex illa hora. 23 Et cum veniſſet Jeſus in domum principis, &
vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: 24 Recedite: non eſt enim
mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum. 25 Et cum ejecta eſſet turba, intravit: & tenuit manum ejus. Et ſurrexit puella. 26 Et exiit fama hæc in univerſam
terram illam. 27 Et tranſeunte inde Jeſu, ſecuti ſunt eum duo cæci, clamantes, &
dicentes: Miſerere noſtri, Fili David. 28 Cum autem veniſſet domum, acceſſeruut
ad eum cæci. Et dicit eis Jeſus: Creditis, quia hoc poſſum facere vobis? Dicunt ei:
Utique, Domine. 29 Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem veſtram
fiat vobis. 30 Et aperti ſunt oculi eorum: & comminatus eſt illis Jeſus, dicens: Videte, ne quis ſciat. 31 Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.
32 Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem,

33 Et

33 Et ejecto dæmonio, locutus eſt mutus, & miratæ ſunt turbæ, dicentes: Nun-
quam apparuit ſic in Iſrael. 34 Phariſæi autem dicebant: in principe dæmonio-
rum ejicit dæmones. 35 Et circuibat Jeſus omnes civitates, & caſtella, docens in
ſynagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem, &
omnem infirmitatem. 36 Videns autem turbas, miſertus eſt eis: quia erant vexa-
ti, & jacentes ſicut oves non habentes paſtorem. 37 Tunc dicit diſcipulis ſuis:
Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. 38 Rogate ergo Dominum meſſis, ut
mittat operarios in meſſem ſuam.

℣. 1. Aſcendens in naviculam, transfretavit.] De terra Geraſenorum, quæ eſt ad orientem maris Tiberiadis, in alteram maris oram traducit, in urbem Capharnaum, quæ *civitas ſua* vocatur; ibi enim, ex quo prædicare inceperat, ſedem ſuam conſtituerat. Crediderunt nonnulli [1], ipſum Nazareth profectum fuiſſe, ac illinc paulo poſt periiſſe Capharnaum. Cenſet Sedulius l. 3. Carm. illum in Bethleem natale ſolum conceſſiſſe. At omnium ferme Patrum, atque Interpretum ſententia eſt, illum Capharnaum veniſſe, ubi curavit paralyticum, de quo mox erit loquendum: licet non ſatis conſtet, miraculum hoc ſtatim poſt reditum illius contigiſſe. Id enim alii [2] rejiciunt ante iter Jeſu trans mare Geneſareth ſuſceptum: alii vero ſtatim [3] poſt illud juxta S. Matthæi narrationem. Nos vero ubique ferme ſequimur Evangeliorum concordantiam Domini Toinard.

℣. 2. Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.] Eo quod penitus amiſerat artuum ſuorum uſum, neque moveri poterat, quin acerrimis doloribus afficeretur. S. S. Marcus 2. 3. & Lucas 5. 18. teſtantur, multitudinem populi Jeſum audientis, ac domum illius obſidentis, tantam fuiſſe, ut qui ſtratum paralytici geſtabant, cum per oſtium inferre non poſſent, ſuperiora domus peterent, detectoque ſolario funibus ipſum in inferiorem domus partem, ubi Jeſus ſedebat, demiſiſſe. Unius dumtaxat contignationis domus hæc fuerit, eſt opus: tectum enim dumtaxat detegendum fuit, ut æger ſtatueretur coram Jeſu Chriſto, qui in foribus, vel e feneſtra domus populum alloquebatur. Vide Commentarios in S. Marcum 2. 4.

Et videns Jeſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.] Fides eorum, qui Salvatori hunc paralyticum obtulerunt, plurimum profuit ad illius curationem promerendam, & una illa ad gratiam obtinendam potuiſſet ſufficere. *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoſcit aliis, & cum alios probat, aliis relaxat peccata*, ait S. Ambroſius [4]. Verum non dubitamus, quin & per ſe egregias animi diſpoſitiones attulerit paralyticus, quibus primum quidem peccatorum veniam, mox vero corporis curationem fuerit promeritus: hæc enim erat tamquam veniæ illius effectus, quemadmodum morbus illius peccati & effectus erat, & ſymbolum [5]. Hebræi [6] credebant, omnes corporis ægritudines ex occulto, vel noto aliquo ſcelere, tamquam ex fonte emanare. Morbi, ii præſertim, qui ſontici habebantur, cenſebantur Divinæ manus flagella, & peccatorum ſupplicia. Id genus erant paralyſis, lepra, dæmonis obſeſſio, cæcitas. Hanc opinionem ſupponit iſthic Chriſtus Jeſus in iis, quæ ait paralytico; *remittuntur tibi peccata tua*. Morbi tui cauſa dempta eſt: nunc te ea liberabo infirmitate, quæ peccatorum tuorum erat effectus. Surge, & auſer ſtratum tuum. Plura, quam petis impertio, præter paralyſis curationem, veniam etiam peccatorum elargior.

℣. 3. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat.] Græcus [7]: *Dixerunt in ſe ipſis*. Sequens verſiculus innuit, hanc ſimplicem fuiſſe cogitationem, & S. Marcus 2. 6. aperte aſſerit, illos hoc in ſemet cogitaſſe, & Jeſum illorum cogitationem, ac interiorem ſenſum intellexiſſe: *Cognito Jeſus ſpiritu ſuo, quod ſic cogitarent intra ſe*. Scribæ, Jeſum merum hominem eſſe cenſentes, merito illum blaſphemare dicebant, ſibi remittendorum peccatorum facultatem vendicantem. Hoc Dei unius eſt; & Salvator hoc permiſit ſcandalum, ut juxta eorumdem ratiocinationem ſe vere Deum eſſe probaret: Peccata remittere ad Deum unice ſpectat: at ego remittere valeo peccata: ergo Deus ſum. Probat autem ſe poſſe peccata remittere, poteſt enim abſoluta poteſtate ſua, ac verbo ſolum morbos curare. Et ſane Deus unus id poteſt in hoc ſenſu, ne Scribis quidem diſſentientibus. Inviſibilem remittendi peccata auctoritatem probat, ſenſibili, quam in morbos exercet, poteſtate. Non permiſiſſet umquam Deus, mendacium, atque vanitatem inſigni adeo miraculo, quale hic J. C. operatur, confirmari.

Non aſſerit Salvator, poteſtatem dimittendi peccata æqualem eſſe, vel minorem ea curandi paralyticum, quemadmodum ex verbis illius inferri poſſe videretur. Scimus, nullam dari inter duo hæc comparationem. Utrumque Deo æque facile eſt: ſed homini æque impoſſibile eſt peccata dimittere, ac Cœlum, terramque creare, ut ait S. Auguſtinus Tract. in Joan. 27. n. 3. Oſtendere vult facilius eſſe mendacii eum redarguere, qui morbos ſe curare poſſe gloriaretur, quam qui diceret ſibi poteſtatem eſſe remittendi peccata. Porro addit, ut intelligatis mihi peccata dimittendi facultatem adeſſe, qua in re mendacii me redarguere non poteſtis, certiſſimum auctoritatis meæ argumentum vobis præbebo ea in re, ubi me, ſi fidem non præſtarem, poſſetis redarguere: videlicet in ea, quæ mihi eſt, morbos curandi auctoritate [8]: & ſimul jubet paralyticum ſurgere, atque grabatum ſuum tollere. Ita locum hunc interpretantur S. Hieronymus, S. Chryſoſtomus, Beda, Theophylactus, Maldonatus, Eſtius, Grotius, ac notæ melioris Interpretes.

Blaſphemare apud Prophanos auctores pro maledicere, conviciis laceſſere, contumeliis aliquem proſcindere uſurpatum reperies: at in Scripturarum ſtylo ſignificat injurios, indignoſque Divinitate, ſacriſque rebus ſermones, cum Deo hominis infirmitates, vel homini Dei perfectiones attribuuntur.

℣. 8. Timuerunt [9], et glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.] Innuere velle videtur Evangeliſta, populum non intellexiſſe, Jeſum Chriſtum eſſe Deum, licet hoc ille probaverit in ſermone ſuo, quem habuit ad Scribas. Turbis ſatis fuit Dei potentiam admirari, qui tantam homini facultatem impertire dignatus fuerat [10]: vel qui inter homines tot poteſtatis ſuæ, eaque præclariſſima ſigna præbuerat.

Vidit

1 Hieronym. & Druthmar. hic. Vide & Auguſt. lib. 2. de Conſenſu, cap. 25.
2 Toynard. Concord. Evang. pag. 24. Le Clerc, pag. 85. 3 Le Roux, Concord. pag. 46 47. Arnaud. pag. 71. 4 Vide Cyrill. Jeroſolym. Catech. 5. Ambroſ. l. 5. in Luc. Chryſoſt. homil. 30. Hieron. hic. Maldon. 5 Vide Hieronym. Euthym. Theophylact.
6 Vide noſtram Diſſertationem de re medica, & Medicis Hebræorum, Eccleſiaſtico præfixam.
7 Ἐν ἑαυτοῖς. 8 Hieron. hic: *Fit igitur carnale ſignum, ut probetur ſpirituale: quamquam ejuſdem virtutis ſit & corporis, & animæ vitia dimittere.* 9 Græc. Ἐθαύμασαν. *Admirati ſunt*. Alii, Ἐφοβήθησαν. *Timuerunt*. 10 Brug. Eſt. Natal. Alexand. Grot. Hammond. alii.

℣. 9. VIDIT HOMINEM SEDENTEM IN TELONIO.] A Jeſus domo egreſſus, ubi paralyticum curaverat, ad Capharnaitus profectus eſt, ubi ſedentem vidit in telonio Publicanum hominem, vel Publicani alicujus famulum, vectigalia exercentem, *Matthæum* nomine, vel aliter, *Levi filium Alphæi* [1]. Hic & nativitate, & Religione Judæus erat, ſed ſuſceptum munus illi populi ſui invidiam conflaverat; tunc enim vulgo quilibet oderat Publicanos. Simulac illum Jeſus acceſſivit, hic relictis omnibus illum ſecutus eſt, quin ne momentum quidem temporis interſereret, & rerum ſuarum diſponendarum prætextum ſeſe ipſe ret; omnia bona, ac rationes ſuas aliis ſtatim reliquit [2].

Veteres Chriſtianæ Religionis inimici [3] levitatis nomine S. Matthæum inſimulabant, eo quod temere ſecutus eſſet hominem, quem non noverat. Verum non B ambigit S. Hieronymus hic, quin S. Matthæus compertam, ac exploratam habuerit Jeſu Chriſti doctrinam, atque miracula: cum pluries fortaſſe prædicantem audierat, & ea, quæ ubique, præcipue vero Capharnai, operatus fuerat, prodigia inſignia erant adeo, ut illum fugere nulla ratione potuerint. Ad hæc intrinſecus vi quadam ſe illectum ſenſit, quæ ſuaviter, ac blande, ſed valide, ac potenter coactus fuit, ut Salvatorem ſequeretur [4]. Denique illum illexit *Fulgor ipſe, & majeſtas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poſſet adſpectu*, S. Hieronymus hic ait; & S. Johannes Chryſoſtomus hom. 28. teſtatur, populos, tamquam conglutinatos illi adhæſiſſe, illius amore, & admiratione repletos, atque aſpectu illius numquam ſaturatos. C Ergo ſi tot illecebras corporalis Jeſu Chriſti habebat obtutus, mirum adeone eſt, S. Matthæum illis affectum, attractumque fuiſſe, ex quo illum Dominus dignatus fuit evocare?

Scio quidem, hæc argumenta ex corporea Jeſu Chriſti ſpecie labefactari poſſe, atque antiquorum plurimos ea in re ab S. S. Johanne Chryſoſtomo, & Hieronymo diſſenſiſſe; verum ſine ullo veritatis diſcrimine hic poſſunt omitti. Duæ illæ rationes, quas primum attulimos, ſatis, ſuperque S. Matthæi factum, & obedientiam probant.

℣. 10. ECCE MULTI PUBLICANI, ET PECCATORES; &c.] Credit Tertullianus l. de Pudicitia cap. 9. Publicanos omnes Ethnicos fuiſſe; quod fortaſſe verum eſt, ſi ſermo ſit de principibus publicanorum, qui ve- D ctigalia redimebant, non item vero de alterius ordinis Publicanis, qui illorum vices gerebant, & ex quorum numero creditur fuiſſe S. Matthæus, aliique *Peccatores*, de quibus hic ſermo. Hi omnes Judæi erant exercendis vectigalibus dediti, aliiſque officiis apud Hebræos inviſis operam navantes. Si Jeſus Chriſtus cum Ethnicis manducaſſet, non tacuiſſent profecto Pharisæi; Judæi enim hac in re nimium erant religioſi [5].

℣. 12. NON EST OPUS VALENTIBUS MEDICUS.] Jeſus Chriſtus majorem Phariſæis honorem, quam quem mererentur, deferre videtur; videtur enim ſupponere eos ſanos, & medici ope non indigentes; vel ſaltem illos juxta ipſorum alloquitur principia. Non ſunt ſimiles veſtri, ſed indigent eruditione, Publicani ſunt, & homines nequam. Redarguebatur Anti- E ſthenes, quod nonnumquam ſceleſtorum hominum conſuetudine uteretur [6]; at Medici, inquit, ſemper cum ægrotis verſantur, & tamen ægri non ſunt. Diogenes Cynicus cum Lacedæmonum leges laudibus extolleret, interrogatus, cur cum illis non viveret? Quia Medici, ait, non vivunt cum iis, qui optima fruuntur valetudine, ſed qui laborant male. Diogenes ipſe apud Laert. l. 6. exprobrantibus quod obſcœna loca ingrederetur: Sol ipſe, reſpondit, fœdiſſimis locorum penetrat, & non polluitur.

℣. 13. MISERICORDIAM VOLO, ET NON SACRIFICIUM.] Hæc loquendi ratio adagium ſapit, & eſt ex Oſee Propheta 6. 6. deſumpta. Magis mihi perplacent charitatis opera, quam cæremoniales Legis obſervantiæ. Malo peccatores ſalvos facere, quam ſervili modo, & ad litteræ apicem ſequi ritus, & traditiones, in quibus nulla auctoritas eſt, utilitas nulla. Denique a peccatoribus ſinceram pietatem, ac veram converſionem potius expeto, quam victimas, & ſacrificia [7]. Publicani, & peccatores, quibuſcum veſcor, ad Deum monitis meis potius, quam ritualium legum obſervatione revertentur.

B NON ENIM VENI VOCARE JUSTOS, SED PECCATORES [8].] Pro peccatoribus præcipue veni, & pro illis potius quodammodo, quam pro juſtis; hi enim non æque ac peccatores meo indigent auxilio. Nec dicas ideo, juſtos, vel eos, qui cum laude vitam ducebant ſecundum Legem, Salvatoris ope non eguiſſe: ſed cum peccatoribus, & ſceleſtis collati minus illa indigebant. Ire cum ſuperius ait: *Miſericordiam volo, non ſacrificium*, non omnino excludit ſacrificia, & Legis opera, ſed his juſtitiæ, & miſericordiæ opera præfert. Sancta Virgo, S. Johannes Baptiſta, Zacharias, Eliſabeth, Anna filia Phanuel, ſenex Simeon, Nathanael ex iis juſtis erant, ad quos vocandos non venerat Dominus: & ſani erant, neque ad eos curandos neceſſe C erat. Hi quodammodo adventu illius minus indigebant, quam alii, quorum vita flagitiis erat inquinata. Alibi Jeſus ait eodem in ſenſu, Cœleſtes Angelos majorem lætitiam percipere ex peccatoris unius converſione, quam ex nonaginta novem virorum juſtitia, qui non indigent pœnitentia Luc. 15. 7. hoc eſt, qui minus, quam alii, egent eadem.

Docent Patres [9], cum Jeſus Chriſtus in Mundum venit, neminem fuiſſe, qui per ſe juſtitiæ laude floreret. Omnes peccatores erant, omnes gratia, & miſericordia illius indigebant; ſi qui Juſti fuere, tales effecti fuerant gratia, & fide, quam in Ipſum habebant. Verum non deerant plerimi, qui jactarent juſtitiam, quam non habebant: inter cæteros præcipue Phariſæi, qui ſe irreprehenſibiles rati, cæteros, quos D tamquam improbos, & nequam habebant, contemnere conſueverant Luc. 18. 9. De his nebulonibus hic loquitur Salvator; iiſque non ſine mordaci ironia ait: Non veni, ut iis medicinam afferrem, qui ſe bene habere putant, neque ut eos ſalvos facerem, qui ſe juſtos arbitrantur, quales vos eſtis. Sed veni, ut eos curarem, qui ſe vere ægros exiſtimant, ac injuſtitiæ ſuæ, ſuorumque peccatorum pondus [10] intelligunt. Hi noviſſimi Medici opem implorant, & Salvatorem requirunt; hunc illi rejiciunt, atque aſpernantur. Ex horum numero vos eſtis; ope mea vos nequaquam egere cenſetis; vos vobiſmet derelinquo. *Si cæci eſſetis*, ut Joann. 9. 41. ait illis Jeſus Chriſtus; vel potius, ſi cæcos vos agnoſceretis, *non haberetis peccatum; nunc vero dicitis, quia videmus; peccatum veſtrum* E *manet*.

℣. 14. QUARE NOS, ET PHARISÆI, JEJUNAMUS FREQUENTER &c.] S. Lucas 5. 33. ait, Scribas, & Phariſæos hoc Jeſu Chriſto, ejuſque Diſcipulis exprobraſſe. S. S. Auguſtinus l. 2. de Conſenſu c. 27. & Johannes Chryſoſtomus hom. 31. credunt, S. Johannis diſcipulos ſe illis ſocios ea in occaſione præbuiſſe;

1 Marc. 2. 14. Luc. 5. 27. 2 Baſil. Regul. Fuſior. 8. Auth. ad Præſid. apud Hieron. & Chryſoſtom. hic. 3 Julian. Imperator, & Porphyr. apud Hieronym. hic.
4 Aug. de Gratia Chriſti contra Pelag. & Cæleſt. c. 45. & l. de Geſtis Pelagii, & alibi paſſim.
5 Galat. 11. 12. Joann. 18. 28. 6 Antiſthen. apud Laert. l. 6.
7 Vide noſtrum Comment. in Oſeam, & S. Hieronymum in eumdem prophetam.
8 Græc. Οὐκ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν. Et ita legunt Hilar. Euſeb. Chryſoſt. quod addunt ex Luca 5. 32. Non habent, εἰς μετάνοιαν. Cod. Cantabrig. Stephani duo, alii plures, Gothic. Syr. Æthiop. Perſ. Arm. Heb. edit. Till. & Munſt. Clem. ep. 2. ad Cor. & Barnab. in Latina verſ. vetuſtiſſime,
9 Vide Hilar. hic. Chryſoſt. homil. 31. in Matth. Hieron. Bedam, Theophyl. &c.
10 Vide Aug. tract. 7. in Joan. & Enarr. in Pſal. 58. & ſerm. 278. nov. edit.

ſe : alii [1] putent, eoſdem Phariſæorum ſollicitationibus ſuperatos hoc ex Jeſu Chriſto exquiſiviſſe. Quodcumque ſit, a fide non abhorret, cum egrederetur Jeſus Chriſtus e cœna, qui in domo S. Matthæi accubuerat, illos teſtatos fuiſſe admirationem ſuam, quod vivendi rationem inſtitueret prorſus aliam ab ea, quam S. Johannes Baptiſta docebat, quam tamen ipſe laudibus celebraverat.

Phariſæi bis ſaltem in hebdomada jejunabant Luc. 18. 12. & quater etiam nonnumquam, præter communes jejunii dies, qui præcipiuntur in lege. Mira, & inaudita erat S. Johannis Baptiſtæ auſteritas. Jeſus Chriſtus hyperbolico loquendi genere teſtatus eſt, ipſum nec manducaſſe, nec bibiſſe, ac Phariſæos dixiſſe, illum dæmone obſeſſum Matt. 11. 18. Diſcipuli ejus magiſtri pro virili vivendi rationem imitabantur; cumque ille in carcere detineretur, haud abſonum eſt a fide, ipſos congeminaſſe jejunia, ut a Deo illius libertatem obtinerent. Jeſu Chriſti, atque Apoſtolorum ejus vita magis popularis erat, & longe commodior videbatur, licet re ipſa plurimis laboribus eſſet occupata, atque pauperrima. Hi ſatis erant jejuniis in lege præſcriptis, vel quæ invexerat conſuetudo, & ea, quæ itinerum circumſtantiæ conferre patiebantur.

℣. 15. NUMQUID POSSUNT FILII SPONSI LUGERE?] Amici ſponſi mœrere non poſſunt, donec cum ipſis ille verſatur? Ad litteram [2]: *Filii thalami*, vel *filii nuptiarum* [3]. Hi erant adoleſcentes, qui honoris ergo comites addebantur ſponſo, ut in nuptiarum ejus celebritate præſto eſſent. Celebritas hæc ſeptem, ut plurimum, dies obtinebat. Videri poteſt noſtra de veterum Hebræorum Conjugiis Diſſertatio Canticis Canticorum propoſita. Nuptiæ pronubis hilaritatis, ac lætitiæ ſunt cæremoniæ. Cum vero nuptiis non interſunt amplius, tunc id præſtabunt, quod e re cenſebunt. JESUS CHRISTUS illic ſe ipſum tamquam ſponſum, ac tempus prædicationis ſuæ ſuper terram, velut tempus nuptiarum exhibet. Diſcipuli illius ſunt ejus pronubi, & ſocii; cum ſponſus morte fuerit ablatus, tunc illis aderunt complures jejunandi, plorandique occaſiones, cum propter Evangelicos labores, quos ferre tenebuntur, tum propter perſecutiones, quibus agitabuntur.

℣. 16. NEMO AUTEM IMMITTIT COMMISSURAM PANNI RUDIS IN VESTIMENTUM VETUS: TOLLIT ENIM PLENITUDINEM EJUS A VESTIMENTO, & PEJOR SCISSURA FIT.] Hoc eſt ſciſſura, quæ ſarciri debet, major fiet; nova enim pars ſecum partem veteris auferet. Hebræi verbo *replendi* utebantur, ut innuerent, aliquid inſerere, foramen aliquod occludere, aliquid reſarcire. *Plenitudo ejus* ſignificat ſciſſuram, ubi ſcrutum aliquod fuerit aſſutum. S. Lucas 5. 36. his verbis eamdem exprimit parabolam: *Nemo commiſſuram novi veſtimenti mittit in veſtimentum vetus; alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commiſſura a novo.* Duplex fit jactura, ſi novum veteri aſſuatur.

JESUS CHRISTUS ſuam, ſuorumque Apoſtolorum agendi rationem duabus probat ſimilitudinibus; altera quidem ex ſcruto novo veſti veteri aſſuto; altera ex recenti, fumoſoque mero deprompta, in antiquis utribus poſita. Novi panni aſſutella magis, magiſque vetus indumentum diſcidit; ac recens vinum antiquos utres diſrumpit. Diſcipuli mei ſunt velut veteres veſtes, ac utres; nimiam auſteritatem ferre nequeunt; neque exercitationem nimis violentam, atque moleſtam pati. Eorum ratio eſt habenda, iique cum mediocritate quadam, ſuavitate, ac lenitate ducendi [4], ut perſeverent, atque graves Apoſtolatus labores ſuſtineant. Cum erunt magis robuſti, ac Sancto Spiritu, qui ſuper illos deſcenſurus eſt, renovati, tunc illis inſtituta præſcribam majoribus conjuncta laboribus, atque pœnitentiæ exercitationibus. Recentes ſunt per converſionem, ac lenes propter habitus malos. Auferendum, quod vetus eſt, & quod novum, confirmandum. Tunc pares erunt non imitandis dumtaxat, verum etiam ſuperandis Phariſæorum, ac Diſcipulorum S. Johannis laboribus, atque jejuniis.

Veteres quidem [5] per antiquas veſtes, & utres Legem veterem intellexerunt, per pannum vero novum, vinumque recens, JESU CHRISTI Legem, & Evangelium. Marcionitæ, & Manichæi hinc inferebant, duas has Leges omnino ſimul ſtare non poſſe, neque Deum eumdem illarum eſſe poſſe Auctorem [6]. At jampridem ridiculæ illationes exciderunt, eæque nunc nonniſi cum miſeratione, & contemptu conſiderantur. Patres [7] hoc in morali ſenſu explicuerunt. Fieri nequit, ut Phariſæi, qui ſunt velut obſoletæ veſtes, utreſque antiqui, Legem Evangelicam, & Chriſtianæ juſtitiæ præcepta recipiant. Aliter [8]: Infirmi adhuc nimis ſunt diſcipuli mei, nec illis aperire poſſum, quidquid illis e me diſcendum eſt. Tempus aderit, cum pares meis erunt præceptis, eiſque omnes cœleſtes veritates, quantæ ſunt, prorſus aperiam.

Nemo adeo rudis eſt, quem fugiat, utres fieri ex hircinis coriis præparatis, atque in ſacci ſpeciem conſutis cum pelle unius ex quatuor partibus animalis, ita concinnata ut pro infundibulo, ad vinum, liquoreſque alios infundendos inſerviat. Hi utres vulgatiſſimi ſunt in Oriente, immo & in nonnullis Galliæ Provinciis; eorumque uſus percommodus eſt ad transferendum ſumma cum facilitate vinum, & oleum ſuper equorum, hominumve terga, quin hæc lædantur, vel periculum adſit liquores perdendi, ſi forte vaſa deciderint. Id enim curandum eſt, ut utres hi boni ſint, ſolidique.

℣. 18. ECCE PRINCEPS UNUS ACCESSIT.] Ex aliis Evangeliſtis didicimus [9], virum hunc vocatum fuiſſe *Jairum*, & *Archiſynagogum* fuiſſe, (nam S. Matthæus præterit circumſtantiam,) & filiam ejus, quæ duodecim erat annos nata, obiiſſe [10]. Putant [11] nonnulli, Archiſynagogi munus ſæcularem fuiſſe dignitatem, eumque fuiſſe caput parvi Conſilii, vel Judicum trium, & viginti, qui criminales cauſas cognoſcebant. At pleriſque perſuaſum eſt [12], munus illius fuiſſe, cœtibus Religionis, qui in Synagoga habebantur, præeſſe, ſeſſionum, lectionum, precumque ordinem imponere. Plures id genus viri in ſingulis erant Synagogis, præſertim vero in majoribus oppidis [13]. Inter hos tamen ſemper unus doctrina, auctoritate, honore eminebat. Talis erat Jairus, de quo hic ſermo.

Hic JESU CHRISTO nuntiat filiam ſuam tertiæ mortuam, licet domo egreſſus viventem reliquiſſet. Verum cum jam animam ageret, & mortis momentum illi prope immineret, hic poſt diſceſſum ſuum credidit, eam vere animam efflaſſe [14]. Fortaſſe etiam famuli filiam obiiſſe nuntiaverunt eodem temporis momento, quo ille JESUM alloquebatur. Non deſunt tandem, qui putant, patrem exaggeratione uſum, ut Salvatorem celerius domum ſuam pertraheret, dicens, *filia mea modo defuncta eſt*, cum dicere debuiſſet, eam brevi morituram. Alii, idque potiori jure [15] credunt, Jairum ad JESUM acceſſiſſe, eique dixiſſe, filiam ſuam jamjam animam efflare, eumque rogaſſe, ut domum ſuam illam

1 Maldon. Menoch. 2 Οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος.
3 Marc. 2. 15. Υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος. Vulg. *Filii nuptiarum*. 4 Vide Chryſoſtom. Hom. 31. Euthym. Theophylact. Hieronym. Maldon. alios. 5 Vide Hieronym. hic. Tertull. contra Marcion.
6 Vide Tertull. lib. 3. & 4. contra Marcion. Epiphan. hæreſ. 42. Auguſtin. lib. 2. contra Fauſt.
7 Hieronymus. 8 Chryſoſtomus hic. 9 Marc. 5. 22. Ἔρχεται εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων ὀνόματι Ἰάειρος. Luc. 8. 41. Ἦλθεν ἀνὴρ ᾧ ὄνομα Ἰάειρος, καὶ αὐτὸς ἄρχων τῆς συναγωγῆς ὑπῆρχε.
10 Marc. 5. 23. Τὸ θυγάτριόν μου ἐσχάτως ἔχει. Luc. 8. 42. Αὕτη ἀπέθνησκεν. Matth. Ἄρτι ἐτελεύτησεν.
11 Hammond. Vide dicta ad Matth. 5. 21. 12 Grot. Lightfoot. Maldon. Camer. alii paſſim.
13 Act. 13. 15. Vide Grotium in S. Matth. 9. 18. 14 Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Evang. c. 18. Chryſoſt. in Matth. Beda, Euthym. Theophylact.
15 Vide Maldon. hic. & Toynard. Harm. Evang. p. 44. 45. Janſ. Gand. c. 34. Arnaud. Concord. c. 35. Le Roux ſect. 3.

Jam certaturus properaret. Jesus illum ſecutus eſt, magna populi caterva concomitante. In ipſo itinere tetigit illum hæmorrhoiſſa, & convaluit, quemadmodum viſuri ſumus. Interim nuntiatum fuit Jairo, filiam exſpiraſſe, ne ſollicitaret ulterius Jesum, ut illum domum ſuam adduceret. Jairus tamen precibus eum fatigare non deſtitit, petens, ut denatam modo puellam ſuſcitaret. Patrem Jesus conſolatus eſt, & cum eo domum illius profectus, filiam ad vitam revocavit. Hæc potiſſima eſt Evangeliſtarum conciliandorum ratio [1].

℣. 20. Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur.] Præceperat Hebræis Moyſes Deut. 22. 12. ut in quatuor angulis palliorum floccolos, ac fimbrias in ora eorumdem geſtarent. Jesus, qui in minimis etiam rebus ne latum quidem unguem recedebat e Lege, uti cæteri Judæorum, indutus erat tunica, vel interiori veſte, ac pallio fimbriis, & lemniſcis juxta aliorum conſuetudinem exornata. Mulier, de qua hic ſermo, duodecim jam annos hæmorrhagia, hoc eſt, ſanguinis fluxu laborabat; vel ut alii putant, hæmorrhoidum dolore urgebatur [2], vel jugi menſtruorum fluxu conficiebatur; quæ poſtrema ſententia ſimplicior eſt, atque probabilior. Auctor quidam, qui S. Ambroſii [3] nomine circumfertur, credidit, mulierem hanc Martham fuiſſe. Euſebius [4] docet, hæmorrhoiſſam fuiſſe e Cæſarea Philippi, & poſt curationem ſuam in ea civitate poſuiſſe Jesu Christi ſimulacrum in accepti beneficii perenne monumentum. Simulacrum hoc Euſebius viderat, ad cujus pedes planta quædam creſcebat, quæ ubi ad fimbriæ pallii Salvatoris altitudinem creverat, morborum curandorum vim acquirebat.

℣. 21. Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.] Mulier hæc nonniſi clanculum, & poſt tergum accedit; ſuus quippe morbus illam ab eorum, qui bona valetudine fruebantur, conſuetudine excludebat [5]; & quod illam pudebat, tanto in populo infirmitatem ſuam declarare [6]. Credebat fortaſſe, curandi virtutem adhærere non perſonæ tantum, ſed & veſtibus, & iis omnibus, quæ ad Salvatorem ſpectabant. Ita illa ſecum: *Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero.* Demum poſt cumulatiſſimum elogium illud, quo Jesus Christus fidem illius commendavit, nihil ultra veritatem dixerit, qui teſtetur, eam interiori lumine afflatam intellexiſſe, illum, ad quem confugiebat, noſcentem & cordis ſui effectus, & morbi naturam, & fidei conſtantiam, non defuturum, quin illi opitularetur, licet ipſe ore votorum ſuorum ſummam non teſtaretur.

℣. 22. Confide filia.] Expaveſcens mulier, eo quod Jesus Christus terga vertens non ſine quadam turbati affectus ſpecie ſciſcitatus fuerat, quis ſe tetigiſſet, actum de ſe putavit, quaſi deprehenſa in curationis ſuæ furto, quemadmodum S. Johannes Chryſoſtomus hom. 32. loquitur; procidenſque ad pedes illius veniam popoſcit. At Salvator hoc fecerat, ut mulieris hujus fidem redderet illuſtriorem, Domini opera manifeſtaret, & confirmaret fidem Jairi, qui per errorem viro in Sacris Bibliis verſatiſſimo indecorum credebat, neceſſe requiri, ut Jesus domum ſuam ſe conferret, filiæ vel ſalutem, vel vitam redditurus. Animos ergo Dominus facit huic mulierculæ, ejuſque fidem coram populo celebrat: *Turba premit, fides tangit*, ait S. Auguſtinus Serm. 243. nov. edit.

℣. 23. Cum venisset Jesus in domum principis, & vidisset tibicines.] In omnibus Veteris Teſtamenti Libris nullum extat inſtrumentorum muſicorum, in funeribus uſurpatorum, veſtigium; eadem ſtitiæ tantum deprehenduntur præficæ [7], & funebres næniæ [8]; muſica vero interdictum erat, tamquam rei intempeſtivæ: *Muſica in luctu importuna narratio* Eccli. 22. 6. Noviſſimis autem Reipublicæ ſuæ temporibus Judæi a Græcis, vel a Romanis muſicorum inſtrumentorum in funeribus conſuetudinem ſunt mutuati. Teſtis eſt, neque obſcure, Joſephus de Bello l. 3. c. 15. ævo ſuo morem hunc in Iſrael percrebuiſſe, & ait, ubi falſus pervaſit Jeroſolymam mortis ſuæ rumor, ultra dies triginta in urbe ploratum fuiſſe, & e pluribus conductos tibicines, qui in honorem illius lugubres nænias concinerent.

Docent Rabbini [9], non licuiſſe præter præficam minores habere tibicines, quam duos, in funeribus plebæorum. Apud Romanos tibia promiſcue uſurpabatur, ſi quid triſte, vel lætum accidiſſet. Ovid. Faſt. l. 6.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis
Cantabat mœſtis tibia funeribus.

Cum provectior aliquis ætate vir obierat, buccinæ, cum vero natu minor, tibiæ ſonus conſueverat adhiberi, teſtibus Servio in Æneid. 5. ac Statio Thebaid. l. 6.

Tibia cui teneros ſuetum producere manes.

℣. 24. Recedite: non est enim mortua puella.] Omnem populi turbam ejecit Jesus, ac parentes dumtaxat puellæ in cubiculo reliquit, ac tres ex Apoſtolis ſuis Petrum, Jacobum, & Johannem teſtes elegit [10]. Volebat autem, ut miraculum celaretur, quemadmodum ex ſequentibus liquet, ubi adſtantibus ſilentium imponit [11]; & eodem fortaſſe conſilio iſthic ait, puellam non obiiſſe, ſed dormire; quaſi modeſtiæ ergo miraculi a ſe patrandi magnitudinem attenuaturus, perſuadere vellet, ſe non e morte, ſed ex alto ſimplicitet ſomno dormientem adoleſcentulam ſuſcitare. Hac in re non mentiebatur; ſed æquivoco utebatur verbo, non ut falleret, ſed ut modeſtiæ, ac humilitatis exemplum præberet [12]. Dormire in proprio, ac litterali ſenſu, ſomnum, ſed in figurato mortem ſignificat. Puella non eſt mortua in æternum, ſimpliciter dormit; eam excitabo, & adeo facile, & celeriter ſuſcitabo, quaſi ſopore tantum capta eſſet. Hæc erat mens Salvatoris, ſed qui audiebant, eam non aſſequebantur.

Non deſunt, qui putent, ſermonem ejus ironicum eſſe ad eorum, qui præſentes erant, ac teſtes fuerant mortis puellæ, expectationem excitandam. Jesus Christus hoc pacto oſtendere vult Judæis, & omni poſteritati, eam vere ex hac vita deceſſiſſe; itaque Evangeliſtæ narrant, illos irriſiſſe Jesum: *Et deridebant eum*; quod probat illis de morte ejus prorſus perſuaſum fuiſſe. Si res in ancipiti fuiſſet, illum audiviſſent, ac rem propius perpendiſſent.

Alii [13] ita explicant: Non mortua eſt in ſempiternum, uti cenſetis, & ne ulterius reviviſcat; eam viventem adhuc intuebimini, perinde ac e ſomno expergiſceretur; vel mortua non eſt in oculis Dei viventis, coram quo omnia vivunt: dormit ſolum, mors ejus ſomnus eſt momenti unius; eam vivificabo, & excitabo [14]. Veteres mortem ſomni nomine appellarunt. Jesus Christus de Lazaro loquens, Joan. 11. 11. ait: *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, ut a ſomno excitem eum.* Homerus Iliad. Ξ ſomnum, mortis fratrem appellat. Gorgias Leontinus ſenio, & morbo confectus cuidam amico ſciſcitanti, quomodo ſe haberet, reſpondit [15]: *ſomnus me fratri ſuo incipit tradere.* Chriſtiani futuram corporum reſurrectionem ſperantes mortem Dormitionem, & ſepulchreta Dormitoria, vel *Cœmeteria* vocarunt.

℣. 25. Tenuit manum ejus, & surrexit puella.] S. S. Marcus 5. 41. & Lucas 8. 54. addunt, Dei filiam,

1 Matth. 9. 19. 20. 21. Marc. 5. 22. & ſequ. Luc. 8. 41. 50.
2 Chryſoſtom. Theophylact. hic. Ader. de Morbis Evang. cap. 12. Maldon. Bez. Piſcat.
3 Vide Serm. 47. in Appendice nov. edit. S. Ambroſ. olim libell. de Salom. cap. 5.
4 Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 18. Sozomen. lib. 5. cap. 21. &c. 5 Levit. 15. 25.
6 Optatus lib. 5. contra Parmen. Et Auth. Serm. 47. in Append. nov. Edit. S. Auguſt. Petr. Chryſol. ſerm. 33.
7 Jerem. 9. 17. 22. 18. 34. 5. Amos 5. 16. 8 2. Par. 35. 25. 2. Reg. 1. 17. 18.
9 Vide Selden. uxor. Hebr. lib. 3. cap. 8. 10 Vide Marc. 5. 37.
11 Marc. 5. 43. Luc. 8. 56. 12 Maldonat. 13 Maldonat. Tirin.
14 Hieronym. Chryſoſt. Theophylact. Brugenſ. Piſcat. 15 Ælian. lib. 2.

filium, cum puellæ manum apprehendiſſet, illi tamquam dormienti clamaſſe: *Puella, Surge*, & eam ſtatim ſurrexiſſe prorſus incolumem, eique appoſitam fuiſſe eſcam, ec Dominum præcepiſſe, ne quis prodigium hoc aliis enarraret. Haud ignorabat profecto, rem vanram nullo modo celari poſſe; ſciebat, tot viros, qui morientem viderent puellam, numquam in animum inducturos, eam dumtaxat ſopore captam fuiſſe: attamen ſilentium Selvator indicit non in hac tantum occaſione, verum etiam in eliis, quæ majoris erant momenti, ec in majorem illius gloriam cedebant. Ita non modeſtiæ ſolum nobis documentum tradere cupit, ſed Phariſæorum quæris etiam odium, & invidiam effugere. Omnem illius auferre vuls anſam, ne ipſum veluc ſeditioſum traduceret, ſi miraculorum fulgore populos ad ſe pertrahere quærerct, vel tamqeam ſepcibum, ſi oſtentationis ergo toto inſpectante populo hæc prodigia patraret.

℣. 27. SECUTI SUNT EUM DUO COECI.] Eis oculos tetigit, curatiſque ſilentium indicit. JESUM de domo Jairi egreſſum ſecuti ſont bi duo cœci, quos alloqui, & ſanare ea in domo noluit. Poſtquam vero illis aciem oculorum impertiit, imperavit, ne curationem ſuam prædicarunt, eadem mente, quam ſuperius vidimus in filia Jairi ſuſcitanda, ad oſtentationem evitandam, & ne Phariſæorum odium eeeireres. Sapientiæ ſuæ intererat, non exacerbare uos homines, qui aliquid in ipſum moliri potuiſſent; non enim conſilium erat Domini, tempora a Cœleſti Patre præſtitera prævertere. Prophetæ [1] cœcorum curationem prænotaverant, tamquam adventum Meſſiæ ſignum. Duo hi cœci JESUM *Filium David* appellant; ipſis qeippe erat perſuaſum, hunc verum eſſe Meſſiam; hoc enim nomine Judæi ævi illius Chriſtum vocabant.

℣. 30. VIDETE, NE QUIS SCIAT.] At hac in re parere tunebantur? Credunt Patres [2], Salvatorem non quæſiviſſe, ut abſolute ſibi obtemperaretur; quærebat ſolum primos horum cœcorum motus inhibere; & cupiebat, ut ſi miraculorum ſuorum fama emanaſſet, id fierut tamen ſine effectatione, ac rumore. Hoc melius ipſius modeſtiam, & ſapientiem decebat. Cœci quoque parendom non crediderent: majorem apud illos vim habuere animi grati ſenſus, ec cœleſtis Medici gloria, quam verborum ejuſdem ſententia; quippe nominis illius celebritatem in omnem provinciam effudere: *Diffamaverunt* [3] *eum in tota terra illa*.

℣. 32. OBTULERUNT EI HOMINEM MUTUM, DÆMONIUM HABENTEM [4].] S. Lucas 11. 14. ait, Dæmonem a JESU ejectum, mutum fuiſſe, hoc eſt [5], effeciſſe, ue ille, quem obſidebat, mutus eſſet. Ita æque verum eſt, & hominem, & dæmonum, quo obſidebatur, utrumque fuiſſe mutum. Homo enim propter Dæmonis improbitatem mutus erat; & ſtatim ac dæmone liberatus fuit, loqui cœpit. Origenes lib. 3. de Princip. cap. 3. & S. Johannes Chryſoſtomus Homil. 33. credunt, dæmonem in eos, quos obſidet, ita dominari, ut neque ſenſum, neque mentem integrem illis relinquat. Et ſane illis crimini minime vertitur quidquid eo in ſtatu, vel dicunt, vel faciunt. Græca vox *Cophos* ſurdum potius, quam mutum ſignificat, juxte S. Hieronymi animadverſionem; ſed in novo teſtamento promiſcue pro utroque uſurpatur.

Non deſunt [6], qui teneant, miraculum iſthic e S. Matthæo allatum aliud eſſe ab eo, quod narrat S. Lucas cap. 11. 14. eaque eſt plerorumque Auctorum, qui de quatuor Evangeliſtarum Concordantiis ſcripſere, ſententia. Cenſent, S. S. Lucam 11. 14. Matthæum 12. 22. & Marcum 3. verſ. 20. 22. eamdem enarrare curationem, aliam prorſus ab hac, & quæ multo poſt hanc accidit; quod vero conſonum videtur propter circumſtantias, quæ actionem hanc ſecutæ ſunt, & quæ in quatuor Evangeliſtis memorantur. Ex noviſſimo hoc prodigio, arrepta occaſione, Phariſæi dixerunt, e JESU dæmones in nomine Beelzebub expelli.

℣. 33. NUMQUAM APPARUIT SIC IN ISRAEL.] Numquam, neque inter priſcos illos Prophetas ullum viderunt Judæi, qui tot miracula, eaque tanta cum facilitate, atque auctoritate fuerit operatus. Hinc facile inferre poterant, JESUM CHRISTUM verum eſſe Meſſiam, quem præſtolabantur, & magnum illum Prophetam, quem Moyſes promiſerat Deuter. 18. 15.

℣. 34. PHARISÆI DICEBANT: IN PRINCIPE DÆMONIORUM EJICIT DÆMONES.] Hanc Phariſæorum calumniam confutavit JESUS CHRISTUS, cum alium energumenum liberavit, de quo ſermo erit cap. 12. ℣. 24. 25. & ubi illius argumenta ad examen vocabimus. Fidei conſentaneum eſt, Phariſæos dixiſſe hæc verba non coram JESU CHRISTO, ſed ſolum coram populo, qui cum admiratione, & laude Salvatoris opera prædicabat.

℣. 35. CIRCUIBAT JESUS OMNES CIVITATES.] Hoc ſecundum eſt iter e JESU CHRISTO ſuſceptum [7], ut Lux Evangelii in omnem eam terram diffunderetur. Creditur hoc accidiſſe poſt S. Johannis Baptiſtæ mortem, & hoc in itinere ſerſur ille diſcipulos ſuos diviſiſſe, ac miſiſſe in omnes regionis illius civitates, ut ad exemplum ipſius prædicarent, permiſſa illis miraculorum patrandorum poteſtate, cum antea illos edocuiſſet ſuſcepti Apoſtulatus officia [8].

℣. 36. ERANT VEXATI, & JACENTES.] Miſeretus eſt populum, qui ſequebatur ipſum, ac inde occaſionem arripuit mittendi Apoſtolos ſuos, qui illum in urbibus, & pagis udocerent, eique demerent curam ex longinquis oppidis accedendi, ut ipſum audiret, & ſanaretur a languoribus ſuis [9]. Græcus legit [10]: *erant fatigati, & diſperſi*; ſed plurimi veteres Manuſcripti Vulgatæ ſimiles ſunt.

℣. 37. MESSIS QUIDEM MULTA, OPERARII AUTEM PAUCI.] Hi populi multi ſunt; parati ad felix Evangelii nuntium recipiendum; eos tantum præſtolantur, qui ſibi illud aperiant, rogete igitur Patrem familias, Cœleſtem Patrem, qui creator eſt, ac meſſis hujus Dominus, ut ad eam colligendam meſſores immittat, & ad populum erudiendum prædicatores: & ſimul tradidit miſſionem Apoſtolis ſuis, tamquam Patris familias diſpenſator, & divini agricolæ filius. Confer Johan. 15. 1. *Pater meus agricola eſt*, & Matth. 21. verſ. 33. 38. Marc. 12. 1. Luc. 20. ubi Patrem ſuum vineæ dominum vocat, & ſe filium, atque hæredem patris familias appellat.

Alio tamen in ſenſu [11] aſſeri poteſt, Filium Dei eſſe eumdem agricolam, meſſiſque Dominum; ac ſuum eſſe, meſſores mittere, quemadmodum iſthic mittit Apoſtolos. Prophetæ araverunt, occarunt, ſeverunt; crevit meſſis, & ad maturitatem pervenit; honor, meſſiſque fructus illi reſervatus eſt. Scribæ, Phariſæi, Sacerdotes creditam ſibi agri Dominici curam negligunt; negligunt gregem creditum ſibi [12]; feſtina, ut meſſem, quæ matura, & copioſa eſt, perages. Fatigati, errantiſque gregem curam ſuſcipe. Juſſerat, Apoſtolos ſuos rogare dominum meſſis, ut in eam operarios immitteret; verum illum ſuam bonitas cogit, ut eos ipſe ſtatim mittet; nec expectat, donec rogetur.

CAPUT

1 Iſai. 35. 5. 42. 7.   2 Chryſoſt. & Theophylact. & Hieronym. & Beda in hunc loc. Gregor. Magn. moral. lib. 9. cap. 18.   3 Διεφήμισαν. *Diffamaverunt*, in bonam partem accipitur pro *divulgaverunt*.

4 Matth. 9. 32. Ἄνθρωπον κωφὸν δαιμονιζόμενον.   5 Auguſt. lib. 2. de Conſenſu. Maldon. Menoch. hic.

6 Vide Toynard. Harmon. pag. 68. Janſen. Gandav. Concord. cap. 49. Arnaud. cap. 49. Le Roux ſect. 5. n. 542. Cleric. pag. 141.   7 Vide ſupra cap. 4. 32.

8 Confer Matth. 10. 1. 2. & ſequ. Marc. 6. 7. 8. 9. Luc. 9. 1. 2. & ſeq.

9 Vide Matth. 10. 1.   10 Ὅτι ἦσαν ἐκλελυμένοι, καὶ ἐῤῥιμμένοι. Alii Codd. Ἐσκυλμένοι, καὶ ἐῤῥιμμένοι. Ita quam plurimi apud Mill. Ita & Gothica. Syr. Æth. Perſic. verſ. Ita & Hilar. Hieron. Baſil. Chryſoſtom. Theophylact. Vide & Hamm. hic.

11 Chryſoſtom. Euthym. hic. Vide Auguſtin. in Joan. tract. 15.   12 Ezech. 34. 2. Jerem. 1. 6.

CAPUT X.

Mittuntur Apoſtoli, ad Regnum Dei in Judæa prædicandum. Nomina eorum. Peculiaria præcepta, ut rite Apoſtolatus munere perfungantur. Poteſtas illis a JESU CHRISTO collata, qui illis prudentiam, patientiam, & confidentiam in Deo commendat; eiſque mala, quæ ſunt paſſuri, portendit, ac Dei Patris ſui præſidium pollicetur.

1. ET convocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immun-
dorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmi-
tatem. 2 Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus, Si-
mon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus. 3 Jacobus Zebedæi, & Joannes
frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Jaco-
bus Alphæi, & Thadæus, 4 Simon Chananæus, & Judas Iſcariotes, qui & tradi-
dit eum. 5 Hos duodecim miſit Jeſus, præcipiens eis, dicens: In viam gentium
ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis: 6 Sed potius ite ad oves,
quæ perierunt, domus Iſrael. 7 Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropin-
quavit regnum cœlorum. 8 Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate,
dœmones ejicite: gratis accepiſtis, gratis date. 9 Nolite poſſidere aurum, neque
argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: 10 Non peram in via, neque duas tu-
nicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim eſt operarius cibo ſuo. 11
In quamcumque autem civitatem, aut caſtellum intraveritis, interrogate, quis in ea
dignus ſit: & ibi manete, donec exeatis. 12 Intrantes autem in domum, ſalutate
eam, dicentes: Pax huic domui. 13 Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet
pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos. 14
Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de
domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris. 15 Amen dico vobis: To-
lerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.
16 Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſer-
pentes, & ſimplices ſicut columbæ. 17 Cavete autem ab hominibus. Tradent enim
vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos: 18 Et ad præſides, & ad re-
ges ducemini propter me, in teſtimonium illis, & gentibus. 19 Cum autem tradent
vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora,
quid loquamini. 20 Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri,
qui loquitur in vobis. 21 Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium:
& inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient. 22 Et eritis odio omnibus pro-
pter nomen meum: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. 23
Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis, non
conſummabitis civitates Iſrael, donec veniat Filius hominis. 24 Non eſt diſcipulus
ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum. 25 Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut
magiſter ejus: & ſervo, ſicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt:
quanto magis domeſticos ejus? 26 Ne ergo timueritis eos. Nihil enim eſt opertum,
quod non revelabitur; & occultum, quod non ſcietur. 27 Quod dico vobis in te-
nebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. 28 Et no-
lite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius
timete eum; qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam. 29 Nonne duo
paſſeres aſſe væneunt: & unus ex iſtis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? 30
Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. 31 Nolite ergo timere: multis paſ-
ſeribus meliores eſtis vos. 32 Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus,
confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. 33 Qui autem negaverit
me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. 34
Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere,
ſed gladium. 35 Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adver-

ſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam: 36 Et inimici hominis, do-
meſtici ejus. 37 Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus;
& qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. 38 Et qui non ac-
cipit Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. 39 Qui invenit animam
ſuam, perdet illam; & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.
40 Qui recipit vos, me recipit; & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit.
41 Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: &
qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. 42 Et quicumque po-
tum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipu-
li; amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

℣. 1. CONVOCATIS DUODECIM DISCIPULIS SUIS.] JESUS CHRISTUS multo pridem ante hanc miſſionem, & cum incepit inſignem illum ſermonem ſuum in monte, ex iis omnibus, qui ſecuti ipſum fuerant, elegit duodecim Diſcipulos [1], quos ſibi magis peculiari modo devinxit, & qui tamquam Eccleſiæ ſuæ columnæ erant futuri. Hi autem *Apoſtoli* vocari inceperunt poſt primam, quam iſthic legimus, miſſionem.

Nomen *Apoſtoli* ſignificat Miſſum, Legatum, Nuntium. Veteris Teſtamenti Prophetæ erant quodammodo Apoſtoli, & Legati Omnipotentis; ejus veritates hominibus annuntiabant, eiſque illius voluntatem ſignificabant. JESUS CHRISTUS omni vitæ ſuæ curriculo Apoſtoli munus geſſit, eumque S. Paulus ad Hebr. 3. 1. *Apoſtolum; & Pontificem confeſſionis noſtræ* nuncupat. Duo, & ſeptuaginta diſcipulos ad Evangelium prædicandum deſtinatos, hoc nonnumquam nomine apud Eccleſiaſticos Auctores appellatos inveneris [2]; quod tamen præcipue duodecim illorum eſt proprium, quorum nomina mox ſumus viſuri.

Apud Judæos poſt Salvatorem noſtrum Apoſtoli vocabantur, *qui ad exigendum aurum, atque argentum a Patriarcha certo tempore deſignabantur, a ſingulis Synagogis exactam ſummam, atque ſuſceptam ad eumdem reportabant* [3]. Apoſtolorum etiam nomine S. Paulus [4] eos fideles vocat, qui Jeroſolymam deferebant eleemoſynas, ſibi a peculiaribus Eccleſiis concreditas.

DEDIT ILLIS POTESTATEM SPIRITUUM IMMUNDORUM.] Dæmones vocantur immundi, non quod tales ſint ex natura ſua; nihil enim immundum, vel pollutum creavit Deus; ſed per ſuperbiam, ac defectionem ſuam immundi facti ſunt: & Scriptura vulgo hoc eos nomine appellat, eo quod auctores ſunt immundi cultus idolorum, qui a Sacris Auctoribus, ut plurimum, proſtitutionis, & fornicationis nomine deſignantur, & quod omnibus adnituntur viribus, ut homines in omnem libidinis, & impuritatis ſpeciem impellant.

℣. 2. PRIMUS SIMON, QUI DICITUR PETRUS.] S. Petrus ſemper Primus Apoſtolorum dicitur. Cum Sanctus Matthæus Evangelium ſuum ſcripſit, tunc primatus ejus in omni celebrabatur Eccleſia. Hæc autem illius dignitas neque ex tempore vocationis, neque ex alia animi, aut nativitatis prærogativa illi ceſſit. Scimus, Andream aliis in JESU CHRISTI cognitione præceſſiſſe, & illum tradidiſſe fratri ſuo Salvatorem noſcendum [5]. Sin ſpectes amorem, & benevolentiam, qua illum JESUS complectebatur, hac etiam in re a S. Johanne Evangeliſta prævertitur. Dicendum igitur, primatus huic Apoſtolo omnino gratuito delatus fuiſſe ex mera Salvatoris gratia, per quam Chriſtiani Caput Eccleſiæ fuit conſtitutus [6], ac Princeps Apoſtolorum electus, JESU CHRISTO tamen ſummo Paſtori, ac invi-

A ſibili Eccleſiæ Capiti ſubordinatus.

Huic additur agnomen *Petri*, quod Simonis nomini adjectum eſt, ut ab alio diſtingueretur Apoſtolo, qui & ipſe Simon dicitur, addito *Zelotis* agnomine [7]. Græca vox *Petros* generatim petram, vel peculiariter rupem ſignificat; & ex adverſo reſpondet Hebraicæ, vel potius Syriacæ *Kepha*, quam ipſe JESUS CHRISTUS impoſuit [8] Simoni. Hoc nomen ſymbolum erat firmitatis, quam præ ſe ferre debebat in exercitatione muneris ſui; debebat enim eſſe petra fundamentalis Eccleſiæ Dei, cujus JESUS CHRISTUS conditor eſt, atque inſtitutor. S. Petrus erat filius *Jonæ* [9], vel *Johannæ*, vel *Johannis* [10]. Patria illius erat Bethſaida Galilææ, vicus ad mare Genezareth; ſedemque ſuam locaverat Capharnai, ubi duxerat uxorem [11]; & ubi JESUS CHRI-
B STUS curavit ſocrum illius, febri laborantem Matt. 8. 14.

Rem veluti certam narrat S. Epiphanius hæreſ. 51. ſcilicet S. Andream fuiſſe natu majorem S. Petro. Sed S. Johannes Chryſoſtomus in Matth. hom. 59. contrarium palam aſſerit; & S. Proclus Orat. 20. tamquam rem mortalibus omnibus compertiſſimam affert, S. Andream natu minorem fuiſſe S. Petro. Caſſianus in Neſtor. l. 3. c. 12. & Auctor nominum Divinorum tenent, S. Petrum maximum natu fuiſſe omnium Apoſtolorum, quemadmodum & maximus fuit dignitate. Catholici quidam Auctores [12] putant, præcipuam primatus illius rationem eam fuiſſe, quod ante omnes Apoſtolos vocatus fuit, quam ſententiam Eruditiſſimi complures e Proteſtantibus adoptarunt. At vidimus jam, JESUM CHRISTUM a S. Andrea, priuſquam a S. Petro, agni-
C tum fuiſſe; & ex SS. Matthæo, & Marco liquet, eos, cum ſecundo vocati fuerunt, ſimul in eadem navi fuiſſe, Matth. 4. 18. Marc. 1. 16.

Primum quidem S. Andreas fuit S. Johannis Baptiſtæ diſcipulus, ejuſque audiit documenta. A quo cum quondam intellexiſſet, JESUM eſſe Agnum Dei, ſecutus eſt Salvatorem cum alio Johannis Diſcipulo, & ſe contulit in eam domum, ubi JESUS incolebat Joan. 1. 39. ibique a quarta ante veſperam hora ad noctem uſque permanſit. Hic primus eſt diſcipulus, quem JESUS CHRISTUS ſectatorem habuerit; hic etiam ad illum adduxit Simonem fratrem ſuum Joan. 1. 41. & cum illo diem unum tranſegere, ac poſtmodum ad priſtinum opus ſuum reverſi ſunt. Poſt aliquot vero menſes eos piſcatui intentos JESUS CHRISTUS iterum vocavit, ſi-
D bique ſocios adjunxit. *Andrea* nomen Græcum eſt, & ſignificat generoſum, fortem, virilem. Quodnam fuerit Hebraicum illius nomen, nos fugit.

℣. 3. JACOBUS ZEBEDÆI, & JOHANNES FRATER EJUS.] Jacobus Zebedæi filius, alio nomine *Major*, vel natu major, ad diſtinctionem S. Jacobi, qui minor dicitur, Epiſcopi Jeroſolymitani, vocatus, frater erat S. Johannis Evangeliſtæ, vel dilecti diſcipuli, & fortaſſe hoc ætate provectior, quandoquidem prior ſem-

1 Matth. 5. 1. 2. collat. cum Luc. 6. 13. 14. 2 Irenæus l. 2. c. 37. Tertull. l. 4. contra Marcion. Græci ſæpius.
3 In Codic. Theodoſ. lib. 16. tit. 8. de Judæis, lege 4. 4 2. Cor. 8. 23. Εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν, Ἀπόστολοι Ἐκκλησιῶν, δόξα Χριστοῦ. Philipp. 2. 25. Ἐπαφρόδιτον τὸν ... συστρατιώτην μου, ὑμῶν δὲ Ἀπόστολον.
5 Joan. 1. 36. 38. 40. 41. 6 Vide Cyprian. de Unit. Eccleſ. Aug. l. 2. de Bapt. contra Donat. c. 1. Cyrill. in Joan. l. 12. Grotium, hic. Belarm, alios. 7 Infra verſ. 4.
8 Matt. 16. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Marc. 3. 16. *Impoſuit Simoni nomen Petrus*. 9 Joan. 1. 42. Matth. 16. 17. 10 Joan. 21. 15. 11 Epiphan. Hæreſ. 51.
12 Dionyſ. de Divinis nominib. c. 3. §. 2. Ἡ κορυφαία, καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης.

ſemper nominatur. Horum mater erat Salome, una ex mulieribus, quæ Dominum ſubſequi conſueverant. Hæc a JESU CHRISTO petiit, ut uterque filius ſuus ſederent, alter quidem ad dexteram, alter vero ad ſiniſtram in regno illius, Matth. 20. 21. Illi piſcationi vacabant, atque in phaſelo ſuo retibus ſarciendis erant intenti, cum illos ad Apoſtolatum JESUS CHRISTUS evocavit Matth. 4. 20. Hi propter zeli ſui fervorem *filii Tonitrui*, vel *Boanerges* appellati ſunt. S. Jacobus quidem Jeroſolymæ capite damnatus fuit [1] ab Herode Agrippa, qui Judæis gratificaturus hoc juſſit: de altero vero fuſius ſermo erit in Evangelii ipſius Præfatione.

PHILIPPUS, ET BARTHOLOMÆUS.] S. Philippi patria fuit Bethſaida in Galilæa. Ille uxorem duxerat, ac plures filias [2] genuerat. Cum recedens JESUS a loco ubi Johannes baptizabat [3], in Galilæam reverteretur, invenit Philippum, eique imperavit, ut ſe ſubſequeretur. S. Clemens Alexandrinus l. 3. Strom. tamquam rem certam narrat, S. Philippum fuiſſe illum, qui a JESU CHRISTO facultatem petiit eundi ad efferendum patrem ſuum, cui ille, *dimitte*, ait, *mortuos ſepelire mortuos ſuos* Matth. 8. 22. S. Philippus ad JESUM CHRISTUM Nathanaelem adduxit Joan. 2. 45. ipſe vero numquam ejus veſtigia reliquit. Græcum eſt nomen illius, & ſignificat *amatorem equorum*. Judæi tunc indiſcriminatim Græcis, vel Hebraicis nominibus appellabantur.

Sanctus Bartholomæus erat Galilæus, ut alii Apoſtoli. Natale ſolum illius, artem, vocationis circumſtantias, ac mortis genus ignoramus. Creditur, Indis prædicaſſe, atque illuc attuliſſe S. Matthæi Evangelium Hebraice ſcriptum, quod ibi centum poſt annos [4] S. Pantenus invenit. Hæretici nomine S. Bartholomæi pſeudo Evangelium concinnaverant, quod Papa Gelaſius damnavit.

Credidere quidam, Sanctum Bartholomæum eumdem eſſe, ac Nathanaelem, a S. Philippo ad JESUM CHRISTUM adductum Joan. 1. 45. Rupertus Abbas in Joan. 1. veteſtiſſimæ ſententiæ hujus auctor eſſe videtur, at id ille plane aſſerere non audet. Toſtatus in hunc locum, non ſecus ac Janſenius, & Cornelius a Lapide & Hammondius in S. Johannem, pro hac ſententia ſe ſtare profitentur; quæ his fere argumentis innititur. I. S. Bartholomæus in Apoſtolorum recenſione ſemper cum S. Philippo conjungitur [5]. II. Si Nathanaelis vocatio non eſt illa S. Bartholomæi; quando Apoſtolus hic vocatus fuerit, non liquet. III. Evangeliſtæ alii, qui de Bartholomæo loquuntur, Nathanaelem prætereunt; & S. Johannes, qui de Nathanaele verba facit, S. Bartholomæum ne nominat quidem. IV. Nomen Bartholomæi non eſt proprium, ſed patronymicum, & ſignificat *Filium Tolmai*. Poterat præter hoc & nomen proprium habere, & dici *Nathanael* Filius Tolmai. V. Mirum videretur, ſi Nathanael ad JESUM cum prioribus quatuor Apoſtolis ductus, e quo eximium amoris, ac honoris ſpecimen tulit, Joan. 1. 47. non fuerit tamen ad Apoſtolatum vocatus; cumque ea inceperit confeſſione JESU CHRISTO adeo glorioſa, dicens Joan. 1. 49. *Tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael*, non adhæſerit tamen Salvatori. VI. Videtur S. Johannes hunc in Apoſtolorum album referre, ubi narrat; cum S. Petrus, Thomas, duo Filii Zebedæi, Nathanael, aliique duo diſcipuli ad prædicandum conceſſiſſent, JESUM poſt Reſurrectionem ſuam, ſe illis manifeſtaſſe Joan. 21. 2. Hæ omnes rationes, quæ ſeorſim ſemper non magni eſſent momenti, ſimul collectæ haud ſpernendum argumentum conficiunt, cui non ita facile reſpondeas.

Si S. Bartholomæus eſt Nathanael, Legis peritus

A ætat, quemadmodum de poſtremo hoc veteres teſtatum reliquere [6]. Dicendum quoque erit, illum fuiſſe ex Cana Galilææ, quam Nathanaelis patriam fuiſſe S. Johannes 21. 2. eſt auctor. Hinc dixere nonnulli, hunc fuiſſe ſponſum nuptiarum, quibus adfuit JESUS in Cana [7]. Alii temere originem illius petiere ex quodam Ptolomæo Rege Syriæ, qui non fuit unquam. Bartholomæi nomen deduci poteſt, ex Syriaca voce *Bar*, *Filius*, & *Ptolomæus*, quod & proprium nomen eſt, & bellatorem ſignificat: vel ex Hebraica *Bar-tolmai*, Filius Tolmai. In Scripturis non deſunt viri, qui Tolmai dicantur [8]; vel ex *Bar-ſalem*, quod idem eſt ac Hebraicum *Schalom* filius pacis; vel ex *Bar-tholeh-mai*, filius aquas ſuſpendentis.

S. Thomas in Evangelio inſignis eſt propter triplicem

B circumſtantiam. I. Cum ad Lazarum ſuſcitandum profectus eſt JESUS, S. Thomas aliis Apoſtolis dixit Joan. 11. 16. *Eamus & nos, ut moriamur cum eo*. II. In Cœna JESUM percontatus eſt, quo pergeret, & quæ ſibi via eſſet ſuſcipienda; cui ille, ego ſum via, inquit, veritas, & vita Joan. 14. 5. III. Denique poſt reſurrectionem cum in aliorum Apoſtolorum cœtu non fuiſſet, quando illis JESUS CHRISTUS apparuit, profeſſus eſt, ſe non crediturum unquam, illum cum palpabili corpore apparuiſſe, niſi manibus ſuis vulnera illius tetigiſſet. JESUS vero hoc in ipſius non ſecus ac in noſtrum omnium gratiam illi indulgere dignatus eſt, & poſt octavam diem eidem apparuit, juſſitque, eum in manuum, pedum, laterisque ſui vulnera digitum immittere, ut reſurrectionis ſuæ veritas illi comperta fieret, atque

C explorata Joan. 20. 19. Tunc credidit S. Thomas, & exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus*. Hic apud Indos prædicaſſe perhibetur, ſed tempus, ac genus mortis latet. Quid Thomæ nomen ſignificet, S. Johannes Evangeliſta 20. 24. docet, dicens, illum Græce *Didymum*, vel Gemellum appellatum fuiſſe. Videtur etiam Euſebius hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 13. aſſerere, S. Thomam alio nomine *Judam* fuiſſe vocatum. Verum nemo antiquorum eum hoc nomine nuncupat.

S. Matthæus iſthic ſe *Publicanum* fuiſſe ait, ac ſe poſt S. Thomam memorat, modeſtiæ ergo, a S. Hieronymi ſententia, nam a reliquis Evangeliſtis [9], vulgo ante hunc collocatur. Dicebatur etiam *Levi*, & S. Marcus cum *Alphæi* nomine deſignat [10]; quamobrem veteres nonnulli, & recentiores Græci omnes dixere,

D hunc fratrem fuiſſe Jacobi filii Alphæi, quod ab omni ſpecie veritatis abhorret. At de illius perſona, & ſcriptis fuſius verba fecimus in Præfatione in Evangelium ipſius. *Matthæi* nomen idem eſt, ac *Matthiæ*; & Hebraice *Dei donum* ſignificat.

S. Jacobus Filius Alphæi primus Jeroſolymæ Epiſcopus, qui *Juſtus*, & Minor appellabatur, Frater S. Judæ Apoſtoli, filius erat *Alphæi*, & *Mariæ*, cujus erga JESUM CHRISTUM charitas, & fides in Evangelio Joan. 19. 25. celebrantur. Hic *frater Domini dicitur*, eo quod propiori cognationis vinculo cum Sancta Virgine erat conjunctus. Hujus eſt Epiſtola [11] Canonica, quæ S. Jacobi nomine inſcribitur; in cujus proœmio de hoc Apoſtolo promiſſius loquemur.

S. Thadæus, alio nomine *Judas*, *Lebbæus* [12] etiam

E vocatur, Judas, & Thadæus unum, & idem ſignificant; prius Hebraicum eſt, alterum Syriacum; & *confeſſionem* deſignant. *Lebbæus* vero ſignificat *hominem cordatum*, tectique ſenſus. Non deſunt ex Patribus [13], qui illum *zelotem* appellent. Hic frater erat S. Jacobi Minoris, & Domini noſtri conſanguineus; quippe qui filius erat Mariæ ſororis Sanctiſſimæ Virginis, & Cleophæ, qui S. Joſephi frater fuiſſe perhibetur. Quoad agnomen *Lebbæi*, quod ipſi in Græco S. Matthæi texto tribuitur, neque in Vulgata, neque in Cophtica vet-

1 Act. 12. 1, 2. 12. 2 Euſeb. l. 3. c. 31. Hiſt. Eccleſ. 3 Joan. 1. 43.
4 Euſeb. l. 5. c. 10. Hiſt. Eccleſ. 5 Matth. 10 3. Marc. 3. 18. Luc. 6. 14. 6 Vide ad Joan. 1. 45.
7 Rupert. in cap. 1. Joan. Oſor. Serm. de S. Johanne.
8 Joſue 15. 4. & 2. Reg. 3. 3. & 13. 37. 9 Marc. 3. 18. Luc. 6. 15.
10 Matth. 2. 14. *Fidis Levi Alphæi*. 11 Galat. 1. 19. 12 Matth. 10. 3. [illegible]
13 Hieronym. in Galat. 4. et in Helvid. c. 7. Chryſoſt. tom. 5. Orat. 32. Origen. in Matth. tom. 35. MS. Velez. habet [illegible], pro [illegible].

verſione [1], neque apud S. Marcum invenitur. Alia Exemplaria ſimpliciter *Lebbæum* legunt, quin Thadæi nomen proferant. Putans quidam [2], hoc eſſe gloſſema, quod ex margine in Textum migravit; illud vero ex ejus, a quo fuerat adſcriptum, ſententia ad S. Matthæum, non ad S. Judam ſpectaſſe; ut indigitaret, Matthæum eumdem eſſe ac *Levi*, vel *Lebbi* S. Marci. Derivant alii vocem *Lebbæus* ex Hebraica לבי *Labi*, quæ leonem, vel *Leb*, quod cor ſignificat, vel *Lebba*, quæ eſt civitas Galilææ. Adeſt Canonica Epiſtola S. Judæ nomine inſcripta. Huic etiam attributum fuerat pſeudo Evangelium a Gelaſio Papa damnatum. Hic uxorem duxerat, ac liberos genuerat; quandoquidem Hegeſippus apud Euſeb. hiſt. Eccl. l. 3. c. 20. loquitur, de duobus Martyribus filiis ipſius. De hoc fuſius ſermonem habebimus in proœmio Epiſtolæ ejuſdem.

ỽ. 4. SIMON CHANANÆUS,] vel potius *Simon Zelotes*, quemadmodum a S. Luca 6. 15. vocatur, qui aufert amphybologiam Hebraicæ vocis *Canani* [4], quæ Chananæum, Phœnicem, vel hominem *Zelo* ſuccenſum, pro varia ſcribendi ratione poteſt ſignificare. Crediderunt quidam [5], illum *Chananæum* appellatum fuiſſe ex Cana Galilææ, quam illius patriam fuiſſe contendunt; at auctor eſt Theodoretus, ipſum fuiſſe ex tribu Nephtali, vel Zabulon. Putant nonnulli [6], eum fuiſſe ex numero *Zelotum* illorum, quorum meminit Joſephus de Bello l. 4. c. 2. & qui, cum Jeroſolyma noviſſime a Romanis obſideretur, tot illi mala intulere. Horum virorum caput eſt Phinees, cujus emicuit zelus in deſerto contra filias Moab Num. 25. 13. Ex horum numero fuit etiam Elias, qui Prophetas Baal enecavit 3. Reg. 18. 40. ac in eodem recenſeri poteſt Matthatias pater Macchabæorum una cum filiis ſuis 1. Macch. 2. 54. Cenſens, Domini noſtri ævo hujuſmodi virorum ſectam quamdam conſtituiſſe, cujus auctores feruntur Judas Gaulonites, & Sadoc. Ex ea Schola, Sanctum Simonem fuiſſe putat Hammondius; quam ſententiam Apoſtolo huic nequaquam contumelioſam eſſe, Grotius autumat. At in eo veritas conſiſtit, utrum vere ſectæ illi eſſet addictus, quod memorati auctores non probant [7]. Immo neque conſtat, ſectam hanc Salvatoris ævo floruiſſe; nam aſſerere S. Simonem ei ſectæ adſcriptum, de qua Joſephus verba facit, hoc profecto nomini ipſius officeret, ejuſque læderet nominis celebritatem.

JUDAS ISCARIOTES.] Hæc Euſebii, & S. Hieronymi ævo [8] paſſim vigebat ſententia, Judam ex Tribu Ephraim fuiſſe, & ex pago quodam, cui nomen Iſcariotes. Verum eſt, nullum cognominem locum in veteris Teſtamenti Libris inveniri; at potuit eſſe oppidulum recens poſt reditum de captivitate conditum.

Tenent alii [9] hunc fuiſſe ex Tribu Iſſachar, & pro Iſcariote, *Iſſacharitem* eſſe legendum. Alii legunt: *Iſch-cariotes*, vir originem ducens ex *Carioth* urbe in Scripturis celebri [10]. Alii agnomen hoc ex Syriaca lingua profectum opinantur; *Iſch ſckariotha*, crumenam ferens. Liquet enim, Judam cuſtodem fuiſſe pecuniæ communis Apoſtolorum [11]. Alii [12] demum vocem hanc ab *Aſchara* derivant, quæ ſuffocationem ſignificat; nam Judas ſe ſe ſuſpendit, ac ſuffocavit. At nihil horum pro certo, ac citra dubitationem poſito poteſt aſſerti. Veteres complures [13] legunt: *Scariotes*, pro *Iſchariotes*.

ỽ. 5. IN VIAM GENTIUM NE ABIERITIS.] Judæi primum ad fidem erant vocandi, eiſque Evangelium prædicandum. Eccleſiæ janua Gentilibus non niſi poſt JESU CHRISTI Reſurrectionem patuit; & tunc renuentibus Judæis, miſit JESUS CHRISTUS Apoſtolos, qui omnibus gentibus fidei lucem proferrent. *Euntes docete omnes gentes*, Matth. 28. 19. Vide Act. 13. 46.

IN CIVITATES SAMARITANORUM [14] NE INTRAVERITIS;] ne in vos Judæorum invidiam ſuccendatis, neque eos irritetis, ſi viderint vos ſalutis verbum iis populis prædicare, atque cum illis conſuetudinem inire. Funditus quidem eamdem Religionem Samaritani, & Judæi profitebantur; utrique Leges Moyſis obſervabant, ac Meſſiam præſtolabantur. Verum ab ipſis uſque primordiis ea inter utrumque populum inoleverat ſimultas, ut non majoribus odiis Ethnicos, & Idololatras, quam ſe ſe mutuo perſequerentur. JESUS CHRISTUS ingreſſus erat in Sichem urbem Samaritanorum, ubi prædicare cœpit, videns Samaritanam mulierem prope puteum ſedentem [15]; at eos docere non perſtitit; & apud S. Lucam 9. 52. videbimus, Samaritanos noluiſſe illum hoſpitio recipere, cum ipſe Jeroſolymam pergeret; tantum erat mutuum utriuſque gentis odium.

ỽ. 6. ITE AD OVES, QUÆ PERIERUNT, DOMUS ISRAEL.] Superius c. 9. 36. dixerat: *Videns* JESUS *turbas, miſertus eſt eis: quia erant vexati, & jacentes, ſicut oves non habentes paſtorem*; & decrevit ad eos mittere Apoſtolos ſuos, qui illis Evangelium prædicarent. His iſthic ſua irrogat mandata, ac imperat, ut primum ovibus, quæ perierunt, conſulant, eaſque ad rectam viam perducant.

ỽ. 7. APPROPINQUAVIT REGNUM COELORUM;] jam acceſſit, pervenit. Sine mora pœnitentiam agite; prope eſt, ut Domini decernet ultio in eos, qui irritarunt illum. Vide quid dictum in S. Matthæum 3. 2. S. Marcus 6. 12. teſtatur explicite, Apoſtolos populo pœnitentiam prædicaſſe.

ỽ. 8. INFIRMOS CURATE, MORTUOS SUSCITATE.] Hoc non imperium eſt, ſed collata facultas. Verba hæc [16]: *mortuos ſuſcitate* in pleriſque veteribus Græcis MSS. non extant [17]: extant vero in Vulgata, Syriaca, Manuſcripto Cantabrigenſi, aliiſque compluribus. Non deſunt, qui hæc S. Matthæo addita fuiſſe arbitrentur: & ſane nullum ab Apoſtolis legimus mortuum ſuſcitatum, ſaltem ante JESU CHRISTI reſurrectionem. S. Johannes Chryſoſtomus, S. Hieronymus, Euthymius, & Theophylactus verba hæc in Commentariis ſuis non explicuere; at non inde ſequitur, hæc in Textu defuiſſe; Interpretes enim nequaquam ſingula Auctorum ſuorum explicant verba. Hæc profecto in pleriſque Exemplaribus leguntur. Morborum curationes, ac donum miraculorum erant neceſſaria, ut ſanctæ veritates, quæ ab illis prædicabantur, facilius fidem invenirent; præſertim vero apud rude vulgus, cui non poterant aliter ſe ſe commendare Apoſtoli, quippe qui eloquentia, ſcientia, auctoritate, exiſtimatione, aliiſque id genus omnibus, quæ ad populorum laudem, ac venerationem captandam quam plurimum poſſunt, maxime erant deſtituti.

GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE.] Prædicate, docete, curate infirmos, ſine ulla utilitatis cupiditate, ac ſine alio conſilio, quam Deum glorificandi, qui gratis adeo hanc vobis facultatem impertiit. Quoſcumque minus generoſos, atque Evangelica gloria indignos ſinus excludit; in Evangelicæ veritatis prædicatione prohibet, ne tuam gloriam, voluptatem, utilita-

1 Deeſt in MS Cantabrig. Copht. Codd. aliis, teſte Aug. l. 2. de Conſenſu, c. 30.
2 Mille Proleg. 384. 3 לביא Leo. לב Cor. 4 Matth. hic. Σίμων ὁ Καναναῖος. Alii: Κανανίτης, vel Χαναναῖος, vel Καναναῖος. Hebr. קנא, vel קנן, vel קנאני Zelotes, כנעני Chananæus.
5 Hieron. in Matth. 10. 4. Theodoret. in Pſal. 67. 28. Menoc. Tirin.
6 Hammond. hic. Scalig. Grot. Vide & Ligfoot. & Druſium. 7 Bertram. de Republ. Judæor. ad finem. 8 Euſeb. in Iſai. 28. & Hieronym. in eundem Iſaiæ locum.
9 Hieron. in Matth. Theophyl. 10 איש קריות Vide Joſue 15. 25. Amos 2. 2. Jerem. 47. 23. 41.
11 Joan. 12. 6. 12 Vide Junium, Ligfoot. Ludov. de Dieu. אסכרא *ſtrangulatio* אשכרא *ſuffocatio*.
13 Origen. Mſ. Cantabrig. G. L. Syr. Codd. Latini a. vetuſtiſſimi Biblioth. Bodlei.
14 Græc. Εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε. *In civitatem*: veluti Samariam deſignare voluiſſet.
15 Joan. 4. 9. 10. 16 Νεκροὺς ἐγείρετε. 17 Non legunt Steph. Ml. 9. Barber. 4. Colbert. 3. Bodleian. 6. Selden. 4. Uſſer. 2. Alii quam plurimi. Vide Var. Lect. Mill.

litatem, magnitudinem quæras. Eſto liberalis bonorum, quibus te cumulavit Deus, & quæ citra quodvis impendium percepiſti [1]. Nemini invideas cognitionem Dominici adventus, & omnes percipiant adventus ejuſdem effectus in beneficiis, orationibus, & doctrina, quam ubique gentium effuderis. *Ut ſit miniſtratio gratuita muneris gratuiti*, inquit hanc in locum S. Hilarius. A

Verum ſi Apoſtolicæ integritatis, & Evangelici honoris intereſt nihil ex iis, qui docentur, vel curantur exigere; juſtitiæ, atque gratitudinis horum eſt Apoſtolis, atque Magiſtris ſuis opem erogare. Non prohibet JESUS CHRISTUS victum, ac mercedem ex iis, ad quos Evangelium prædicat, accipere; at prohibat, ne lucri ſpe prædices Evangelium. Satis palam probavit S. Paulus 1. Cor. 9. 7. quo jure Paſtores, atque Evangelii Præcones victum ab iis populis, quos docent, B poſſint accipere, & oſtendit, qua ratione ii, qui erudiuntur, inſtitutoribus ſuis victui neceſſaria ſuppeditare teneantur [2].

℣. 9. NOLITE POSSIDERE AURUM.] Vel potius cum Græco [3]: *Ne quæratis*, ne vobiſmet comparatis *aurum, & argentum*. Ne vobis negotium hoc iter, & hæc miſſio faceſſat, uti aſſolet in quotidianis itineribus, ad quæ ſuſcipienda comparantur opes, ſoleæ, mutatoriæ veſtes, viaticum, arma; nihil tale vobis quærendum eſt. Qui vos mittit, hic conſulet veſtris neceſſitatibus.

NEQUE PECUNIAM IN ZONIS VESTRIS [4].] Hæc eſt in erumena, quæ olim de zona ſuſpenſa geſtabatur. Horatius Ep. l. 1. Ep. 1. C

Lævo ſuſpenſi loculos, tabulamque lacerto.

In ipſa etiam zona, quæ lata erat, & cava, quales Orientalium pleræque ſunt, argentum nonnumquam deferebatur. Aggæus 1. 6. *Qui laborat, poſuit mercedem ſuam in zona perforata*. C. Gracchus ajebat apud A. Gell. l. 15. c. 12. *Zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli*; & Horatius Ep. 2. *Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit*. Narrat Suetonius in Vitellio, quod Vitellius, cum ſe ad necem conquæſitum eſſe intelligeret, *Zona ſe aureorum plena circumdedit, confugitque in cellam janitoris*. Peſcennius Nigar apud Ælianum edicto cavit, ne Romani militæ in zonis ſuis pecuniam geſtarent: & Alexander Severus Imperator, apud Lampridium ajabat, militem nihil timere, donec ornatiſſimis veſtibus indutus non eſt, nec belle ſaginatus, nec zonam argento tumidam gerit. At hæc D ſatis, ſuperque ſunt ad hanc univerſæ antiquitati communem conſuetudinem confirmandam.

℣. 10. NON PERAM IN VIA [5].] Nemo nequam ſine viatico iter ingrediebatur; & hoc hodierna etiam die in Oriente fieri neceſſe eſt; nam in diverſoriis tectum dumtaxat invenitur, immo neque ubique occurrunt diverſoria. Eorum, quæ diximus, ſuppetunt argumenta in Geneſi 28. 18. in Judith 10. 5. Tobia 6. 6. ac ſexcentis veterum ſcriptorum monumentis. S. Marcus legit [6]: *Nec peram, nec panem*, ad peræ hujus uſum indigitandum.

NEQUE DUAS TUNICAS.] Tunica erat interior veſtis, eodem ferme pacto, quo nobis induſium. Cum magnum iter erat ſuſcipiendum, lineæ ſubuculæ aſſe- E ſabantur, ut quæ ſudore maduerant, recentibus commutarentur [7]. Non loquitur de pallio, quod vulgo non mutabatur, & quod nimis incommodum fuiſſet iis, qui pedeſtri itinere viam carpebant, plura ſecum geſtare.

NEQUE CALCEAMENTA [8].] ſoleas videlicet. S. Marcus c. 6. v. 9. ait, JESUM CHRISTUM Diſcipulis ſuis iter agentibus permittere, ut ſandaliis utantur. Verum cum voces, quibus utitur S. Matthæus, & quas *ſoleas* vertimus, idem ſignificent, ac illæ S. Marci, quæ de *ſandaliis* explicantur, ad utrumque hunc Evangeliſtam ſimul conciliandum, neceſſario relinquenda eſt ea ſolutio, quam plerique Interpretum attulere [9], cenſentes, in S. Matthæo JESUM CHRISTUM ſolearum uſum interdicere, ſandaliorum vero in S. Marco permittere. S. Lucas [10] aliam nobis injicit difficultatem, cum JESUM CHRISTUM ad Apoſtolos loquentem hæc dixiſſe ait: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Quod innuere videtur, Apoſtolos nudis pedibus inceſſiſſe. Vox illa, qua utitur, eadem eſt ac ea, quæ iſthic a S. Matthæo adhibetur, ad innuendum ſolearum ferendarum interdictum. Num dixeris ideo Apoſtolos nudatis omnino pedibus ambulaſſe? Hoc S. Marco adverſatur, ſandaliorum uſum permittenti; & JESU CHRISTO etiam opponitur cum calceamentis juxta regionis illius conſuetudinem incedenti; de quo S. Johannes ajebat, ſe dignum non eſſe, ut corrigiam calceamentorum ejus diſſolveret [11]. Romæ diu aſſervata ſunt Sandalia quædam, quæ Salvatoris fuiſſe ferebantur [12].

Vera igitur iſthæc omnia conciliandi ratio eſt, aſſerere, id Apoſtolis a JESU CHRISTO prohiberi, cum miſſionem, Evangelium prædicaturi ſuſcipiunt; hoc enim interdictum ad unam hanc circumſtantiam eſt coarctandum, ne duo, vel plura ſolearum, vel ſandaliorum, aut alterius generis calceamentorum paria geſtent pro regionis, ubi adeſſent, conſuetudine. Quæ plerumque notæ melioris Interpretum [13] explicatio eſt; quam Presbyter Juvencus l. 2. adoptavit:

Nec geminas veſtes, nec plantis tegmina bina.

Mos ſecum mutatoria deferendi calceamenta ex omni antiquitate probatur. Heri ea ſervis ſuis deferenda tradebant. S. Matthæus 3. 11. Johannem Baptiſtam dicentem inducit, ſe indignum eſſe, qui JESU CHRISTI gerat calceos. Iſthic repetenda eſt vox illa *duas*; quæ decimi verſiculi initio repetitur, *neque duas tunicas, neque duo calceamentorum paria*.

NEQUE VIRGAM.] Complures [14] hoc de armorum genere ad vim vel inferendam, vel propulſandam intelligunt. Ne gladiis, ſive præfixis ſudibus, aliove armorum genere muniamini; omnem confidentiam in Domino collocate. Non prohibet Jesus ſcipionis uſum, quo greſſus firmes, quemadmodum explicite S. Marcus 6. 8. docet: *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum*; quod ipſum innuere videtur S. Lucas 22. 36. ubi cum JESUS CHRISTUS ex diſcipulis ſuis ſciſcitatus fuiſſet: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* cui cum illi dixiſſent, *nihil*; addidit; *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram, & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium*, quo in loco *gladium* pro *baculo* uſurpaſſe putatur. Et quid probabilius pro hac ſententia affertur.

Sed hanc complures eruditi Scriptores oppugnant [15], qui tenent, Salvatorem iſthic vetare, ne diſcipuli plures conditos habeant ſcipiones, non autem, ne baculo utantur, quibus iter agentes ſuos greſſus firment,

Ani-

1 Maldon. Grot. Menoc. Bang. 2 Vide Auguſt. de Conſenſu Evang. lib. 2. cap. 30.
3 Μὴ κτήσησθε χρυσόν. Vide Chryſoſt. hic. 4 Εἰς τὰς ζώνας.
5 Græc. Μὴ πήραν εἰς ὁδόν. 6 Marc. 6. 8. Μὴ πήραν, μὴ ἄρτον.
7 Hieron. hic. Aug. l. 2. de Conſenſu. 8 Μηδὲ ὑποδήματα.
9 Ita fere Hieron. hoc loco. Et Aug. lib. 2. de Conſenſ. c. 30. Salmaſ. ad Tertull. Pall. C. 5. Balduin. de Calceo antiquo, c. 12. Ligfoot. Hor. Hebr. in Matth. alii.
10 Luc. 22. 35. Ἄτερ βαλαντίου, καὶ πήρας, καὶ ὑποδημάτων. Vide, ſi lubet, Aug. Serm. 101. nov. Edit.
11 Marc. 1. 7. Luc. 3. 16. 12 Paſchaſ. Radbert. l. 6. in Matth.
13 Maldonat. Paul. Burg. Cajetan. Gagn. Guilleud. Suarez, Ribera, Contzen, Piſcat. Grot. Eraſm. Beza. Vincent. Regius. Vide Bineum de calceis, Hebr. l. 1. c. 6.
14 Beugenſ. Piſcat. Menoc. Hamm. 15 Grot. Beza, hic. Bynæus de Calceo, l. 1. 2. 6. Natal. Alex. in hunc locum.

Digitized by Google

Animadvertunt autem primo, in plurimis Græcis veteribus MSS. legi [1] *virgas* numero multitudinis pro *virga*. Similiter legit S. Lucas 9. 5. Secundo, ſi S. Marcus 6. 8. explicite ait, Jeſum Chriſtum Apoſtolis ſuis permiſiſſe, ut unum dumtaxat baculum ferrent: vetuit ergo habere plures. Tertio denique, dicunt, in itinere uno plures baculos geſtari conſueviſſe, vel ut illis innicerentur, vel ſarcinulas, ac viaticum ſuum ferrent, ubi qui primum aſſumptus fuerat, vel fractus eſſet, vel attritus [2]. Hæc trium Evangeliſtarum inter ſe conciliandorum ratio ad litteram maxime præ cæteris videtur accedere.

DIGNUS ENIM EST OPERARIUS CIBO SUO.] Hoc ſapit adagium. Operarius nihil minus, quam victum ſuum ſperare poteſt. Deus, cui famulamini, egeſtatibus veſtris conſulet, ſeu per ſe ipſum, ſeu alios impellens, ut veſtris neceſſitatibus opitulentur. Hoc non oberat tamen, quominus Apoſtoli adlaborarent, ut victum ſibi quærerent, cum acto munere ſuo divinum enuntiandi verbum minime fungerentur, cujus rei S. Paulus Apoſtolus exemplo ſuo præclarum nobis ſuppeditat argumentum [3].

℣. 11. INTERROGATE, QUIS IN EA DIGNUS SIT.] Non exiguus eſt honos, Apoſtolum, Apoſtolicumve virum hoſpitio excipere [4]. Qui digni habiti ſunt, ut illos domi ſuæ recipiant, ſe æque felices putent, ac ſi Jeſum Chriſtum hoſpitem haberent: *& magis ſe noverint accipere gratiam, quam dare*, quemadmodum S. Hieronymus docet. Apoſtoli, quique Apoſtolico in miſſionibus munere perfunguntur, conſulere debent honori muneris ſui, non objicere illud opprobriis, pro hoſpitio indignos hoc honore locos eligendo. *Ergo hoſpes fama eligendus eſt populi, & judicio vicinorum, ne prædicationis dignitas ſuſcipientis infamia deturpetur*, doctor idem ait. Non ditiores, non opibus præſtantiores, & eos, a quibus magnificentius excipiaris, præferendos putes, ſed eos, qui Deum magis verentur, & amant, & quibus veritas jucundior accidit, & carior.

IBI MANETE, DONEC EXEATIS.] Hoc eſt, quemadmodum a S. Luca 10. 7. explicatur: *Nolite tranſire de domo in domum*: ne ob animi levitatem hoſpitium immutetis: ita enim contumelioſi eſſetis illi, qui primus vos excepit hoſpitio: quaſi officii ejus vos tæderet, & non ſatis accepta vobis illius hoſpitalitas eſſet. Hoc muneri quidem veſtro contemptum conflaret; debilibus vero ſcandalum præberet, qui vos levitatis redarguerent, vel vitæ hujus commodis, atque bonis nimium addictos cenſerent [5]: *Alienum eſt a prædicatore Regni Cæleſtis curſitare per domos, inviolabilis hoſpitii jura mutare*, S. Ambroſius in Luc. l. 6. n. 66. inquit.

℣. 12. SALUTATE EAM DICENTES: PAX HUIC DOMUI.] Ut hoſpitio excipiamini, non commendatitiis epiſtolis, neque alia quapiam re, quæ in hominum cognitionem vos tradat, indigetis; dicite ſolum: Pax huic domui; Deo cordi erit, ibi incolentium animos præparare, ac facilem vobis aditum aperire. Olim cum in urbem veniſſes, ubi cognatos haberes, vel amicos, apud eos diverſabaris, qui viciſſim ſuo jure utebantur, cum in tuam urbem acceſſiſſent: hoc autem jus hoſpitalitatis de progenie tradebatur in progeniem, ac de patre in filium migrabat. Cum autem ea in familia, in qua hoſpes admitti cupiebas, minime agnoſcebaris; tunc commendatitiæ afferebantur epiſtolæ, vel alia neceſſitudinis monumenta, ut pro hoſpite, vel amico agnoſcereris. Jeſus Chriſtus hic jubet, Apoſtolos ſuos bono eſſe animo, etiamſi in aliquam acceſſerint civitatem, abſque pecunia, commeatu, mutatoriis veſtibus, ideoque minime potuerint in publicum diverſorium concedere, ubi præter manſionem nihil prorſus inveniebatur. Vult ſolum eos attentius veſtigare, quinam in urbe meliores, magiſque frugi ſint, ac ubi in re magis cenſuerint, ſibi hoſpitium eligere, certos, ſe honorem iis tribuere, apud quos conceſſerint, ita ut horum felicitati cæteri invideant. Ubi domum fueris ingreſſus, ſtatim ſalutem dic familiæ, pacem illi, omniaque proſpera precare, quemadmodum conſueverant Judæi, quorum vulgaris ſalutatio hæc erat; Pax tecum: & ſcias, te benigne acceptum iri.

Græca typis cuſa exemplaria non legunt hæc verba: *Pax huic domui*: quæ neque S. Hieronymus in textu legit, neque in Commentariis ſuis in S. Matthæum, licet in Bibliotheca Sacra nuperrime typis edita videantur. Leguntur etiam in omnibus ferme tum editis, tum manuſcriptis Latinis, in non paucis manuſcriptis Græcis [6], in S. Hilario, S. Johanne Chryſoſtomo, ac Theophylacto. Credunt tamen nonnulli iſthic addita fuiſſe, & ex S. Luca 10. 5. deprompta.

℣. 13. SI FUERIT ILLA DOMUS DIGNA.] Si domus ea præparata eſt ad excipiendum Pacis Evangelium, *ſi ibi fuerit filius pacis*, ut S. Lucæ 10. 5. verbis utar, ac prædeſtinati ſint ad ſalutis verbum excipiendum, cum gaudio, & alacritate recipient vos, voſque audient cum fructu, *veniet pax veſtra ſuper eam*: cumulabuntur effectibus votorum veſtrorum, atque auſpicatiſſimi adventus veſtri: Sin autem; *pax veſtra revertetur ad vos*. Si repulerint, atque contempſerint pacem, quam illis offertis, ac verbum veritatis, quod prædicatis; meritorum veſtrorum cumulo accedet, quod & ſalutem eorum pro viribus procuraſtis, & munere veſtro eſtis perfuncti [7]. Pater Cœleſtis, qui de recte factis non ex eventu, ſed ex voluntate, ac zelo, cum quibus illa conjuncta ſunt, judicat, norit quidem præclare vos remunerari. Alii [8] ita poſtrema hæc explicant verba: *pax veſtra revertetur ad vos*. Nullum inveniet effectum in iis, in quorum gratiam illam precamini: re infecta ad vos revertetur, ac aliis illam afferetis, qui ex ea fructum percipiant. Ita in Iſaja 55. 11. Dominus ait: *Sic erit verbum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcumque volui*.

℣. 14. EXEUNTES FORAS DE DOMO, EXCUTITE PULVEREM DE PEDIBUS VESTRIS.] Symbolico facto hoc Patres innuebant, nullam ſe habere velle communionem, aut nexum cum locis, & perſonis, a quibus Dei verbum reſpueretur. Hæc anathematis ſpecies erat, inquit S. Hilarius [9], & ſignum, ea loca ab ipſis haberi tamquam polluta, ita ut ne pulverem quidem eorum pedibus ſuis adhæreſcere paterentur. S. Lucas quoque 9. 5. hunc genuinum eſſe horum verborum ſenſum oſtendit, ubi ait: *pulverem pedum veſtrorum excutite in teſtimonium ſupra illos*, ſcilicet, ut oſtendatis, vos eorum vivendi rationem horrere, atque ænigmatice dicatis illis, noviſſimo Judicii die pulverem pedum ipſorum in teſtimonium contra illos proditurum [10].

Præceptum hoc Salvatoris in Actis Apoſtolorum 13. 14. videmus adimpletum. Judæi Antiochiæ in Piſidia, cum adverſus Paulum, & Barnabam perſecutionem ſuſcitaſſent, fecere, ut urbe ejicerentur; qui egredientes, ipſum etiam de pedibus ſuis pulverem excuſſerunt, ac alio conceſſerunt. Alibi etiam [11] S. Paulus pallium ſuum excutit in eos, qui ſanæ doctrinæ ipſius reluctabantur. Vetus eſt hæc apud Judæos conſuetudo: & in 2. Eſdræ 5. 13. etiam deprehenditur. Videns Nehe-

mias

---

1 Ῥάβδους. Legunt Steph. Codd. 10. Bodl. 4. Veſul. 1. Hunt. 1. Uſſer. 2. Laud. 2. alii plurimi. Vide Mill.

2 Vide Grot. hic. 3 Act. 18. 3. & 1. Corinth. 9. 1.

4 Hieron. Mald. Eſt. alii. 5 Vide S. Chryſoſtomum, Bedam, Euthymium, Theophylactum, Brug. Mald. Grot. 6 Λέγοντες, εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. Ita Codd. Steph. 5. Bold. 3. Cantabrig. Pariſini 3. Et alii plures apud Mill. 7 Aug. de Correp. & Grat. c. 15. *Ad nos revertetur, id eſt, nobis proderit iſta prædicatio, non & illi: ſi autem ſuper eum pax prædicata requieverit: & nobis, & illi*. Vide & Hieron. hic.

8 Maldonat. Grot. Menoch. 9 Chryſoſt. Hieronym. & Theophylact. hic. Auguſt. qu. 7. in Matth. Ambroſ. in Luc. Euthym. hic. Hilar. in Matt. Tertull. l. 4. contra Marcion. Grot. alii.

10 Origen. hom. 18. in Gen. Hilar. hic. Maldonat. Menoch.

11 Act. 18. 6.

mias Jeroſolymæ plebeculam ſeditionem contra divites A moliri propter cordis borum duritiem, acceſſitis populo, & Sacerdotibus, creditores cohortatus eſt, ut obæratis æs conflatum remitterent, ac ſimul ſinum ſuum excutiens, ait: *Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleverit verbum iſtud de domo ſua, & de laboribus ſuis, ſic excutiatur, & vacuus fiat.*

Non deerant [1], qui crederent, actionem hanc pulveris excutiendi de calceamentis, eſſe veluti Apoſtolorum exprobrationem erga eas civitates, quaſi dicerent: Fruſtra laboravimus pro vobis: longum & difficile ingreſſi ſumus iter: en pulvis pedum noſtrorum rei hujus teſtis: illum ſuper vos excutimus, ut ſit aliquando veſtræ damnationis teſtimonium.

℣. 15. TOLERABILIUS ERIT TERRÆ SODOMORUM] Hæ duæ impiæ civitates flagitiis ſuis graviſſima quævis B Divinæ juſtitiæ ſupplicia promeruerunt: ſed quantumcumque fuerit ſcelus earum, illud multo minus erat ob Legis, ac Divinæ voluntatis ignorantiam. Illæ neque repulerunt, neque contempſerunt Domini verbum: & hanc ob rem minus noxiæ ſunt, quam qui per nequitiam, & contemptum legum Domini peccant. Hoc in ſenſu Prophetæ toties exprobrarunt Hebræis, iniquitatem Jeruſalem majorem eſſe iniquitate Sodomorum, & Gomorrhæ: *Major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei, peccato Sodomorum* Thren. 4. 6. Et Ezechiel 16. 48. *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit, ſed viciſti eas ſceleribus tuis.* Alloquitur Jeruſalem. Samariæ ſcelera nequaquam iis gravibus, ac flagitioſis conjuncta fuere circumſtantiis, quales efficiunt, ut crimina tua Dominus adeo perhorreſcat. C

℣. 16. ECCE EGO MITTO OVES IN MEDIO LUPORUM.] Non tradit Jeſus Chriſtus hic ſolum Diſcipulos ſuos pro priori miſſione, quam ipſo adhuc vivente in Judæam aggreſſi ſunt: verum generatim illis tradit præcepta pro omnibus miſſionibus, ac itineribus, quæ toto Apoſtolatus tempore illis erunt ſuſcipienda. Illis prædicit, quidquid eveniet; præmunit adverſus pericula, ac mundi nequitiam. Mundus quodammodo lupis rapacibus refertus erat: Ethnici, qui omnem ferme terram occupabant, infenſiſſime veritatis ſalutia abominabantur. Dæmones exercere debebant omnem furorem ſuum in Evangelii Præcones. Judæi ipſi, quorum corripiebantur flagitia, plurimas ſuſcitaturi erant adverſus Apoſtolos perſecutiones. Hi ſunt lupi, contra quos oves erant decertaturæ. D

ESTOTE ERGO PRUDENTES SICUT SERPENTES &c.] Dixit nuperrime illos futuros velut oves in medio luporum: nec alia ipſis tribuit arma, quam patientiam, & manſuetudinem: eiſque prudentiam, & ſimplicitatem; ſapientiam ſine ſimulatione, ſine aſtu, ſine dolo; ſimplicitatem prudentem, ſapientem, & cautam commendat. Si vos perſecuti fuerint, columbæ inſtar ſine felle, ſine ultionis cupiditate, ſufferte; at ſi fieri poteſt, cum ſerpentis prudentia, ſeu fugientes, ſeu aliter, perſecutionem evitate. S. Paulus ſæpius ſerpentis prudentiam exercuit, cum de muris Damaſci demitti voluit in ſporta, ut perſecutorum ſuorum vigilantiam eluderet [2]: cum ſe Phariſæum profeſſus eſt, ubi Jeroſolymæ captus fuit [3], ut Judæorum furorem falleret, qui in ſe impetum erant facturi: cum deni- E que non ſemel jure civitatis Romanæ frui voluit, ut ex perſecutorum manibus elaberetur [4]. Columbæ quoque ſimplicitas in univerſa ejuſdem Apoſtoli vita liquido apparet: ſemper enim rectus fuit, ſincerus, humilis, patiens, ſine amarore, ſine ſimulatione.

A Duæ hæ qualitates minime ſejungendæ ſunt [5]: ſerpentis prudentia ſine columbæ ſimplicitate inanis eſſet, immo in perniciem verti poſſet: non ſecus ac ſine prudentia ſimplicitas. Sunt, qui docent [6], prudentia adverſus alienos, ac infideles præſertim, ſimplicitate vero, cum fidelibus utendum. At liquido patet, Salvatorem duarum harum virtutum exercitationem popoſciſſe erga eos omnes, quibus prædicaturi erant Apoſtoli, prout aliæ, ac aliæ, quæ occurrere poſſunt, ferrent circumſtantiæ.

Ingenita ſerpentis prudentia, onde ſimilitudinem haurit Jeſus Chriſtus, quam Apoſtolis proponat, juxta pleroſque Interpretes [7], in eo conſiſtit, quod reliquum corpus ſuum ille objicit, ut conſulat capiti, quod ſuis voluminibus obtegit, cum ipſum aliquis ad- B oritur. Credunt alii [8], illum virus ſuum evomere, cum potaturus eſt, ne bibens ſibimet veneno mortem infligat, poſtea vero quam biberit, venenum, quod vomuerat, reſumere [9]. Prudentiam hanc in eo nonnulli conſtituunt, quod ſub hyemis initium, ad ſævum frigus evitandum ſubtus terram latebras quærit; vere autem iterum repubeſcere videtur in ſaxi ſciſſura, veteri cute depoſita. Putant alii [10], Salvatorem alludere ad ea, quæ in Pſalmo 57. 6. dicuntur, ſerpentem obturare aures ſuas, ne venefici vocem exaudiat. Autumat Grotius, hoc ſimpliciſſime explicari poſſe de acie oculorum ſerpentis, qua maxime excellere perhibetur. Horatius l. 1. Satyr. 3.

Tam cernis acutum

Qua aut aquila, aut ſerpens Epidaurius.

C Hoc liquet, veteres plurimum aſtus, & calliditatis ſerpenti tribuiſſe. Moyſes Geneſeos 3. 1. ait, ſerpentem omnium animantium eſſe calliditiſſimum; & S. Paulus 2. Cor. 11. 3. teſtatur, ſerpentem aſtu ſuo Evam in errorem impuliſſe. Dicitur inſidiari calcaneo mulieris, ut illi morſum infligat: ac equi ungulam mordere, ut equitem deturbet Gen. 49. 17 Ariſtoteles quoque hiſt. An. l. 1. c. 1. Serpentis aſtum agnovit: & Æſopus ait, fœdere cancrum inter, ut ſerpentem percuſſo, lum adniſum, ut hic omnem aſtum deſereret. Videndus eſt Bochartus de Animal. ſacr. part. 1. l. 1. c. 4. qui omnem hanc exhauſit materiam in præclaro opere ſuo de Biblicis animantibus.

Serpentis vero calliditati columbæ ſimplicitas opponitur. Scriptura nobis exhibet columbam tamquam a- D vem ſine dolo, & quæ ſe falli facile ſinit [11]: *Ephraim velut columba fatua*, vel ſimplex, *non habens cor*, calliditatem, aſtum. Si pullos auſers columbæ, ad nidum redit, ibique iterum nidificat [12]. Laqueo etiam facile columbam capi ferunt: ita ut apud Ethnicos etiam columbæ ſimplicitas in adagium abierit [13]. Græca vox [14], qua Jeſus Chriſtus uſus eſt, ut columbæ ſimplicitatem innueret, ad litteram ſignificat *ſine cornu*, ſine præſidio; animal mite, ac manſuetum. Alii de ſimplicitate, & candore intelligunt. Græca vox *ſine mixtione* ſignificare poteſt. Sed in eo, quem explicamus, loco, cum ſimplicitas calliditati opponatur, credimus, intelligendam eſſe de ea facilitate, qua avis hæc ſe capi ſinit, non diffidens, non aſtu, aut nequitia utens. Quod in S. Pauli ſenſu eſt intelligendum [15]: E *Fratres, nolite pueri effici ſenſibus: ſed malitia parvuli eſtote.* Hoc iſthic etiam dici poteſt: Eſto ſimplex, ut columba non habens fel, nec dolum malum, nec nequitiam. Sed ne ſimplex ſis, perinde ac ſenſu, ac prudentia careres.

℣. 17. CAVETE AUTEM AB HOMINIBUS.] Hi ſunt lupi

1 Vide Chryſoſtom. Hieronym. Bedam hic, Auguſt. quæſt. 7. in Matth.
2 Act. 9. 25. 3 Act. 23. 6. 4 Act. 16. 37. 22. 25.
5 Auth. Oper. imperf. Tertull. lib. contra Valentin. Nazianz. Orat. 19. Iſidor. Peluſ. l. 3. Ep. 175. Greg. in Job. l. 1. c. 2. 6 Author. Oper. imperfect. Theophyl. hic.
7 Epiphan. Phiſiolog. cap. 15. Et hæreſ. 37. Chryſoſt. in Pſalm. 114. Iſidor. Peluſ. l. 1. Ep 126. Iſidor. Hiſpal. lib. 12. cap. 4. alii paſſim. 8 Epiphan. hæreſ. 37. Cæſar. Dialog. 4. quæſt. 190. Euſtath. in Hexaemer. Petr. Damian. Hieronym. ſeu alius Epiſt. ad Præſidium.
9 Epiph. Phiſiolog. alii paſſim. 10 Vide Grot. hic. & Boch. de Animal. ſacr. par. 1. l. 1. c. 4.
11 Oſee 7. 11. יונה פותה אין לב 12 Theodoret. in Oſee 7. 11. & Hieron. ibid. Theoph. hic.
13 Vide Scholiaſt. in Juvenal. Satyr. Et Suidam in ἁπλοῦς περιστερά. Euſtath. in Iliad. 3. Ariſtophan. & Scholiaſt. in avibus. 14 Ἀκέραιοι ὡς περιστεραί. 15 1. Cor. 14. 20.

lupi illi, de quibus ad vos locutus ſum, cum dixi me mittere vos tanquam oves in medio luporum. Ii, ad quos pergitis ſalutis verbum, & pacis Evangelium annuntiaturi, vos perſequentur, vos contumeliis proſcindent, vobis inſidias ſtruent. In hos ſerpentis prudentiam, ovis manſuetudinem, columbæ ſimplicitatem exercetis, oportet.

TRADENT ENIM VOS IN CONCILIIS, & IN SYNAGOGIS SUIS FLAGELLABUNT VOS.] *Concilia* [1] erant Judicum cujuslibet civitatis ſubſellia, ubi contra rempublicam, bonumque publicum errata puniebantur. Ad ea pertrahemini velut ſeditioſi, ac nebulones, qui Religionem prætexentes in populis cient rerum novarum amorem. Ex his Judicum conciliis ſingula erant in quavis Judæorum civitate [2]. *Synagogæ* alia ſunt Judicum collegia, ubi ſcelera contra Religionem, Legemque commiſſa puniebantur. Ad hæc ſæpius adducti fuerunt Apoſtoli, & S. Paulus 2. ad Corinthios 11. 24 ait, ſe a Judæis quinquies virgis cæſum fuiſſe. Narrat S. Epiphanius apud Grotium hic, Judæum quemdam Chriſtianæ Religioni ſe initiari cupientem, a Judæis in Synagoga fuiſſe flagellatum. Vetus Auctor, qui Commodo imperante [3] contra Montaniſtas ſcribebat, hæreticis illis exprobrat, quod a Judæis numquam vel flagellis cæſi fuerint, vel appetiti lapidibus. Denique ex Rabbinorum ſchola oſtendit Ligfoot, in quavis Synagoga tres fuiſſe Judices, qui de criminibus, quæ in eadem Synagoga patrabantur, exercebant judicium, & qui virgis damnabant eos, qui ſontes inveniebantur.

Minas has, vel potius prædictiones in Actis expletas perſpicue intuemur. Apoſtoli poſt Spiritus Sancti deſcenſum, cum Jeroſolymæ prædicare incepiſſent, ibique plurimos ad Chriſti fidem converriſſent, capti fuere coram magno Conſilio, vel cœtu Sacerdotum, Magiſtratuum Templi, & Seniorum populi [4]. Alia etiam in occaſione Principes Sacerdotum, & Saducæi manus injecerunt in Apoſtolos, qui prædicare pergebant, eoſque in vincula trudi juſſerunt [5]. S. Stephanus, primitiæ Martyrum, ipſe quoque a populo, & Scribis comprehenſus fuit, & ad Judicum ſubſellia raptus, a duobus teſtibus falſis accuſatus. In Synagogis, quæ omnino alia erant a laicorum judicum collegiis, S. Paulus [6], quinquies ut ſupra jam diximus, novem ac triginta verberibus cæſus fuit.

℣. 18. ET AD PRÆSIDES, & AD REGES DUCEMINI.] Ad Provinciarum Præfectos, quales erant Pilatus, Felix, Feſtus, & ad *Reges*, ut Agrippa [7], Nero, ac cæteri alii, ad quorum tribunal Apoſtoli, Apoſtolicique viri adducti fuere.

IN TESTIMONIUM ILLIS.] Coram illis veritatem, ac doctrinam meam teſtabimini. Eritis mihi teſtes, Martyres mei, atque patroni. Aliter; prodibitis coram Ethnicis, & Judæis, ut Judicii die teſtes eſſe poſſitis, eorumque infidelitatem, atque pertinaciam damnare [8].

℣. 19. NOLITE COGITARE.] Non juſtas, æquaſque curas, neque neceſſariam in loquendo, vel reſpondendo diligentiam repellit; damnat ſolum nimiam ſollicitudinem [9], ac Providentiæ diffidentiam. Mea intereſt, cauſam veſtram tueri; illa mea potius cauſa eſt, quam veſtra; ea, quæ pro viribus poteſtis, præſtate, cæterum mihi omnem curam relinquite. Dabo vobis Spiritum meum, qui per os veſtrum loquetur.

℣. 20. TRADET AUTEM FRATER FRATREM.] Calamitoſis autem temporibus objiciemini, ut nemini fidem habere tuto licebit. Grave adeo erit periculum, ut ob illud evitandum frater fratrem, & pater filium prodet. Hunc loci hujus genuinum ſenſum eſſe arbitror. Michææ 7. 2. & Jeremias 9. 4. eodem loquendi genere utuntur, ad eminens periculum indigitandum, ubi terror omnis humanitatis ſenſus ejiciet, & ubi arctiori cognationis vinculo conjuncti mutuo ſibi deerunt, ut ſibimet conſulant, ac ex impendenti periculo evadant.

℣. 22. PROPTER NOMEN MEUM.] Mortalibus omnibus odio eritis hac ſignanter de cauſa, quod mei eſtis Diſcipuli, & ex nomine meo appellamini. De hoc tantum accuſabimini, quod meæ Religionis ſectatores eſtis; nomen veſtrum erit crimen veſtrum: *Illud ſolum expectatur, quod odio publico neceſſarium eſt; confeſſio nominis, non examinatio criminis*. Torquebimini, ut ex vobis Chriſtianæ Religionis confeſſio exprimatur, ſi nomen meum conſtanter confitebimini, exquiſitis cruciatibus vos afficient; ſin autem nomen meum abdicaveritis, Judicio eritis abſoluti: *Torquemur confitentes, & punimur perſeverantes, & abſolvimur negantes; quia nominis prælium eſt*, ait Tertullianus in Apolog. c. 2.

QUI AUTEM PERSEVERAVERIT USQUE IN FINEM, &c.] Qui in fide, patientia, perſecutionibus conſtans permanſerit uſque ad finem; vel qui ad finem uſque patietur [10], hic ſalvus erit: *Qui ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus erit*, ait S. Marcus 13. 13. *Quid ſuſtinendi, niſi perſecutionem, niſi traditionem, niſi occiſionem? Non enim aliud eſt ſuſtinere in finem, quam pati in finem*. Tertull. Scorpiac. c. 9.

℣. 23. CUM PERSEQUENTUR VOS IN CIVITATE ISTA &c.] Antiqui nonnulli MSS. Græci in loci hujus fine hæc addunt verba [11]: *Quod ſi & in ea, quo conceſſiſtis, proſecuti vos fuerint, in aliam abſugite*. Conſtantiam, virtutem, præſentemque animum petit ex Apoſtolis ſuis JESUS CHRISTUS. Eis prædicit, futurum ut mortalium genus univerſum ſibi habeant infeſtum; nomen ipſorum fore crimen eorum; at imperterritam temeritatem non probat. Iſthic ergo animum tenaciter omnis audacem damnat; eis permittit, ut de una in aliam, & hinc rurſus in aliam civitatem ſe ſe recipiant; perſecutiones effugiant, hoſtibus ſe non objiciant; pericula non provocent, ſe ſe in Eccleſiæ utilitatem reſervent, momenta divinitus præfinita expectent; cruorem ſuum, vitamque in diſcrimen non adducant; ac perſecutorum quoque ſuorum animabus parcant; prohibentes, ne illi innocuum effundant ſanguinem, eiſque injuſte agendi occaſionem auferentes.

Non probat ideo tamen ignaviam, inanemque mortis formidinem. Si fugam corripere licet, cum charitas, & prudentia poſtulant, aliis in circumſtantiis fuga ſcelus eſt [12]. Cum Dei, veritatis, & Religionis intereſt, Paſtor, Apoſtolus, Chriſtifidelis conſtanter obſiſtat oportet, generoſe confirmatur, extremaque ſubeat ſupplicia, potiuſquam a ſuis erga Deum officiis recedat. JESUS CHRISTUS in Ægyptum conceſſit, cum illum ad necem Herodes quæſivit [13]. E manibus civium Nazareth elapſus eſt, cum eum præcipitem agere vellent Luc. 4. 30. De Judæa in Galilæam ſe recepit, ubi S. Johannem Baptiſtam in vincula conjectum audiit Joan. 4. 1. at ubi venit hora ipſius, ſe ſe ſponte carnificibus obtulit Matth. 26. 47. Ad eos acceſſit; nihil ut ſuam cauſam tueretur, vel coram Pilato, vel ad Herodis tribunal reſpondit. S. Paulus Damaſco [14] aufugit per ſportam demiſſus: at idem Apoſtolus audacter JESUM CHRISTUM prædicavit, & gloriatus eſt in perſecutionibus, tormentis, carceribus, quæ in ſuæ prædicationis curriculo pati debuit. Nec aliter egere Apoſtolici viri, S. Cyprianus, S. Polycarpus &c.

Veteres nonnulli Patres [15] credidere fugiendi facultatem, quod JESUS CHRISTUS iſthic Diſcipulis ſuis tra-

1 Εἰς συνέδρια. 2 Vide ſupra c. 5. 22. 3 Apud Euſeb. Hiſt. 4. cap. 26.
4 Act. 4. 5. 6. 7. 5 Act. 5. 17. 18. 6 Act. 6. 12. 13.
7 Act. 25. 26. 8 Ita fere Hilar. Author. Oper. imperfect. Euthym. Maldon. Menoch. alii.
9 Græc. Μὴ μεριμνήσητε. Vide ſupra 6. 25. 28. & confer Marc. 13. 11. Luc. 21. 14.
10 Græc. Ὁ δὲ ὑπομείνας. 11 Καὶ ἐὰν ἐν ταύτῃ διώκωσιν ὑμᾶς, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην. Vel: φεύγετε εἰς ἑτέραν. Vel: ἐὰν δὲ ἐν τῇ ἄλλῃ διώκωσιν ὑμᾶς, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην. Vide Var. Lect. Millii.
12 Vide Auguſt. Epiſt. olim 180. nunc 228. 13 Matth. 2. 14.
14 Act. 9. 25. & 2. Cor. 11. 33. 15 Tertull. l. de Fuga in perſecut. Chryſoſt. Homil. 35. Hieronym. hic. Euthym. & Theophylact.

tradidit, ad primam Apoſtolorum miſſionem coarctandam eſſe, ita ut poſt illius Paſſionem, & Reſurrectionem non fuerit amplius integrum hac uti facultate. At alii [1] majori cum veritatis ſpecie tenent, id generice fuiſſe permiſſum, & licet Salvator hanc facultatem tradiderit, cum primum Apoſtolos miſit, quamvis tunc probe noſſet, illos nec in fugæ, neque in tormentorum pericula adducendos, e re cenſuit magis generalia illis tribuere præcepta, quæ ad remotius tempus ſpectarent. Eccleſia nigrum theta affixit ſententiæ Tertulliani, aſſerentis, in perſecutionibus fugam capeſſere nefas eſſe; & ille ipſe in priori libro ad uxorem ſuam, quem ſcripſit antequam Montaniſta fieret, fugam iis in circumſtantiis nequaquam vetitam eſſe arbitrabatur.

Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.] Plures his verbis ſenſus poſſunt appingi [2]. Non luſtrabitis prædicantes omnes Judææ civitates, ante adventum meum, & antequam iram meam adverſus incredulos exerceam. Si vobis obſtiterint Judæi, ne animos deſpondeatis. Cum in una civitate non recipiemini, in aliam concedite; nondum omnes Judææ civitates peragraveritis, cum detonabit ultio mea in adverſarios veſtros, ac in eos, qui vobis obſtiterint [2]. Hic peraptus eſt, ac maxime ſimplex hujus loci ſenſus. Hæc verba: *donec veniat Filius hominis*, & ſimilia [3], vulgo hunc in ſenſum explicantur. Effectus ad unguem permiſſionem hanc comprobavit. Jesus Christus in ira ſua civitates Iſrael, quæ verbum ſuum non receperant, bello viſitavit, quum eas Romani poſt quadraginta circiter annos a morte illius perſecuti ſunt, cum hactenus complures Diſcipulis ejus viverent.

Alii [4] hoc ita explicant: Non conſummabitis civitates Judææ, cum veniam ad vos; vobis opem feram; vos ſequar, perficiam id, quod inceperitis. Hæc explicatio iis S. Lucæ 9. 1. verbis innititur: *Miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus*. Et illis S. Matth. 11. 1. *Et factum eſt, cum conſummaſſet JESUS præcipiens Diſcipulis ſuis, tranſiit inde, ut prædicaret in civitatibus eorum*; hoc eſt, profectus eſt in urbes Iſrael, quo paulo ante miſerat Apoſtolos ſuos.

Patres quidam [5] hunc adventum Filii Dei de noviſſimo Judicio interpretantur. Antequam Judæos omnes ad fidem converteritis, veniet Filius hominis, Mundum judicaturus. Gentium plenitudo in Eccleſiam ingredietur, antequam Iſrael univerſos ad Dominum convertatur. Jesus Christus obſcure Judæorum converſionem prædicit, verum hoc ſero, ac difficile futurum indigitat. Prior, & altera explicatio magis mihi arrident.

℣. 25. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?] Nequaquam melior eſt vobis conditio, quam Magiſtro veſtro; neque ſperare debetis, ut ab illis æquius, quam ego, excipiamini. Ipſi me perſecuti ſunt, contumeliis, calumniis proſcindere non ceſſarunt; vos me ad eadem præparetis oportet: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur* Joan. 15. 20. Si me Beelzebub, dæmonem, dæmoniacumque dixere, vobis minime parcent.

Beelzebub eſt Philiſthinorum Numen, cum ex veteri [6], tum ex novo Teſtamento ſatis notum; idque nomen ſi-

A gnificat *Deum muſcam*. Chananæi [7], & Philiſthini [8] inſectum hoc venerabantur. At de ridiculo hoc Numine fuſius verba fecimus in peculiari Diſſertatione de Philiſthinorum origine, ac Religione. Græca Exemplaria [9] legunt *Beelzebul*, quod Chaldaice *Deum ſordium* ſignificat, & genuina lectio eſt *Beelzebub*, Deus Muſca. Nos vero Gallice pronunciamus *Beelzebut*, mendoſe.

℣. 26. Nihil est opertum, quod non revelabitur.] Ne timeatis eos, qui vos perſequuntur; eorum calumniæ, doli, prava conſilia detegentur, ac inutilia fient, vel in hoc mundo [10], vel tandem noviſſimi Judicii die [11]. Tunc in luce ſua innocentia veſtra effulgebit, & veritas, quam prædicatis, & cui caliginem offundere adnituntur, ab omnibus hominibus in-

B telligetur [12]. Aliter: Ne vereamini inimicorum veſtrorum minas, pravamque voluntatem; quidquid illi conentur, oportet, ut veritas annuncietur, Evangelium in omnibus terrarum plagis prædicetur, populi Myſterium Regni Cœleſtis agnoſcant. Poſtremus hic ſenſus mihi probatior videtur.

Quod in aure auditis, prædicate super tecta.] Hæc adagii ſpecies eſt. Ne ceſſetis, veritates, quas vos docui, in medium proferre; eas elata voce, animoque præſenti, ac ſine metu prædicate. De ſummo domorum cacumine vocem attollite, ut eas mortales omnes audiant, & diſcant. Hoc cum ſuperioribus cohæret; hoc eſt, opus eſſe, ut, quod opertum eſt, retegatur. In Palæſtina tecta plana erant, ac eo aſcendebant, ut in publicis calamitatibus, luctum facerent [13].

C Auctores ſunt Rabbini, antequam in Judæa Synagogæ inſtituerentur, die Sabbathi familiam ibi cogi conſueviſſe ad Legem legendam, preceſque fundendas. Complures ex Auctoribus noſtris [14] putant, reipſa nonnumquam ſuper tecta prædicatum fuiſſe, quod non adeo abhorret a fide; domus enim ibi non admodum elatæ ſunt, ac ſolaria in tectis circumundique ad podioli altitudinem muro clauduntur, ne quis inde in ſubjectas vias poſſit decidere.

Quod ad hæc attinet verba: *Quod in aure auditis*: credunt nonnulli [15], Salvatorem alludere ad conſuetudinem Hebraicarum ſcholarum, ubi prope præceptorem adſtat interpres, cui ille in aure præit voce, quod ille deinceps univerſis tono repetit elatiori. Apud eos præceptorum honor, ac dignitas ex his Interpretibus

D cenſetur. Ad hanc quoque diem apud Judæos morem hunc vigere ferunt: cujus certo certius veſtigia in antiquorum Rabbinorum ſcriptis apparent [16]. Non ita conſueverat Jesus Christus alloqui Diſcipulos ſuos, neque Evangelium ſimile quidpiam nobis teſtatum reliquit, imo ille ipſe nihil clam ſe docuiſſe profitetur [17]; verum ad conſuetudinem in patria ſua conſtitutam alludit. Cæterum nonnumquam locutus fuerat ad Diſcipulos ſuos in itineribus; vel domi, cum aberant turbæ, ad quas ut plurimum prædicare conſueverat.

℣. 29. Nonne duo passeres [18] asse væneunt?] Non dictum eſt ad Apoſtolos confirmandos, ſicubi adverſa quædam illis in Evangelii prædicatione contigerint. Pater Cœleſtis præcipuam veſtri curam gerit; pro illius gloria adlaboratis, nihil vobis ab hominibus

E metuendum eſt. Num tradet ille vos inimicorum veſtrorum furori, ille inquam, qui ne minima quidem negligit animantia, qui in humillima quæque charita-

1 Vide Origen. Homil. 9. in Judic. Athanaſ. Ep. ad Orthodox. ad Marcum Pontif. Rom. & Nazianz. Orat. 1. contra Julian. Cyprian. Epiſt. 56. & tract. de lapſis. Chryſolog. Serm. 151. *Martyr comprehenſus debet ſtare conſtantiam; non comprehenſus debet fugere perſequentem . . . . Perſecutorem qui provocat, facit: qui declinat, corrigit.*
2 Clericus, Hammond. alii quidam. 3 Confer Matth. 15. 28. 9. 1. Matth. 3. 2.
4 Ita fere Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. Brugenſis.
5 Hilarius hic. Aug. lib. 1. contra Gaudentium Donatiſt. c. 18. Rupert. hic. Vide & Maldon. & Tirin. &c.
6 4. Reg. 1. 3. 7 Sap. 12. 8. 23. 24. 27. 8 4. Reg. 1. 2. 3. 6. 9 Βεελζεβούλ.
10 Chryſoſtom. homil. 55. Author Oper. imperfecti, Homil. 25. Euthym. Theophylact. Maldon. Menoch. Grot.
11 Hilar. Hieronym. Beda in hunc locum. 12 Vide Brugenſ.
13 Iſai. 15. 3. 22. 1. Jerem. 48. 38. 7. 29. 14 Anſelm. Remig. Raban. Druthmar. Mariana, Hammond. Vide & Maldonat. 15 Ligfoot. Hor. Hebr. & Hammond. hic.
16 Gamarr. tractat. Sanhedrin. c. 1. §. 7. & Berachoth. cap. 9. & Elias in Thisbi. voce מתורגמן
17 Joan. 18. 20. 18 *Δύο στρουθία duo paſſeres*; vel generatim, *duæ aviculæ*. Vox Græca στρουθίον, non ſecus ac Hebræa צפור duos hoſce ſenſus habet.

33 Et ejecto dæmonio, locutus eſt mutus, & miratæ ſunt turbæ, dicentes: Nun-
quam apparuit ſic in Iſrael. 34 Phariſæi autem dicebant: in principe dæmonio-
rum ejicit dæmones, 35 Et circuibat Jeſus omnes civitates, & caſtella, docens in
ſynagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem, &
omnem infirmitatem. 36 Videns autem turbas, miſertus eſt eis: quia erant vexa-
ti, & jacentes ſicut oves non habentes paſtorem. 37 Tunc dicit diſcipulis ſuis:
Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. 38 Rogate ergo Dominum meſſis, ut
mittat operarios in meſſem ſuam.

℣. 1. ASCENDENS IN NAVICULAM, TRANSFRETAVIT.] De terra Geraſenorum, quæ eſt ad orientem maris Tiberiadis, in alteram maris oram tradubit, in urbem Capharnaum, quæ *civitas ſua* vocatur; ibi enim, ex quo prædicare inceperat, ſedem ſuam conſtituerat. Crediderunt nonnulli [1], ipſum Nazareth profectum fuiſſe, ac illinc paulo poſt petiiſſe Capharnaum. Cenſet Sedulius l. 3. Carm. illum in Bethleem natale ſolum conceſſiſſe. At omnium ferme Patrum, atque Interpretum ſententia eſt, illum Capharnaum veniſſe, ubi curavit paralyticum, de quo mox erit loquendum: licet non ſatis conſtet, miraculum hoc ſtatim poſt reditum illius contigiſſe. Id enim alii [2] rejiciunt ante iter a Jeſu trans mare Geneſareth ſuſceptum: alii vero ſtatim [3] poſt illud juxta S. Matthæi narrationem. Nos vero ubique ferme ſequimur Evangeliorum concordantiam Domini Toinard.

℣. 2. OFFEREBANT EI PARALYTICUM JACENTEM IN LECTO.] Eo quod penitus amiſerat artuum ſuorum uſum, neque moveri poterat, quin acerrimis doloribus afficeretur. S. S. Marcus 2. 3. & Lucas 5. 18. teſtantur, multitudinem populi Jeſum audientis, ac domum illius obſidentis, tantam fuiſſe, ut qui ſtratum paralytici geſtabant, cum per oſtium inferre non poſſent, ſuperiora domus petierint, detectoque ſolario funibus ipſum in inferiorem domus partem, ubi Jeſus aderat, demiſiſſe. Unius duntaxat contignationis domus hæc fuerit, eſt opus: tectum enim duntaxat detegendum fuit, ut æger ſtatueretur coram Jeſu Chriſto, qui in foribus, vel e feneſtra domus populum alloquebatur. Vide Commentarios in S. Marcum 2. 4.

ET VIDENS JESUS FIDEM ILLORUM, DIXIT PARALYTICO: CONFIDE, FILI, REMITTUNTUR TIBI PECCATA TUA.] Fides eorum, qui Salvatori hunc paralyticum obtulerunt, plurimum profuit ad illius curationem promerendam, & una illa ad gratiam obtinendam potuiſſet ſufficere. *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoſcit aliis, & cum alios probat, aliis relaxat peccata*, ait S. Ambroſius [4]. Verum non dubitamus, quin & per ſe egregias animi diſpoſitiones attulerit paralyticus, quibus primum quidem peccatorum veniam, mox vero corporis curationem fuerit promeritus; hæc enim erat tanquam veniæ illius effectus, quemadmodum morbus illius peccati & effectus erat, & ſymbolum [5]. Hebræi [6] credebant, omnes corporis ægritudines ex occulto, vel noto aliquo ſcelere, tanquam ex fonte emanare. Morbi, ii præſertim, qui ſontici habebantur, cenſebantur Divinæ manus flagella, & peccatorum ſupplicia. Id genus erant paralyſis, lepra, dæmonis obſeſſio, cæcitas. Hanc opinionem ſupponit iſthic Chriſtus Jeſus in iis, quæ ait paralytico; *remittuntur tibi peccata tua*. Morbi tui cauſa dempta eſt: nunc te ea liberabo infirmitate, quæ peccatorum tuorum erat effectus. Surge, & aufer ſtratum tuum. Plura, quam petis impertio, præter paralyſis curationem, veniam etiam peccatorum elargior.

℣. 3. ET ECCE QUIDAM DE SCRIBIS DIXERUNT INTRA SE: HIC BLASPHEMAT.] Græcus [7]: *Dixerunt in ſe ipſis*. Sequens verſiculus innuit, hanc ſimplicem fuiſſe cogitationem, & S. Marcus 2. 6. aperte aſſerit, illos hoc in ſe met cogitaſſe, & Jeſum illorum cogitationem, ac interiorem ſenſum intellexiſſe: *Cognito Jeſus ſpiritu ſuo, quod ſic cogitarent intra ſe*. Scribæ, Jeſum merum hominem eſſe cenſentes, merito illum blaſphemaſſe dicebant, ſibi remittendorum peccatorum facultatem vendicantem. Hoc Dei unius eſt; & Salvator hoc permiſit ſcandalum, ut juxta eorumdem ratiocinationem ſe vere Deum eſſe probaret: Peccata remittere ad Deum unice ſpectat: at ego remittere valeo peccata: ergo Deus ſum. Probat autem ſe poſſe peccata remittere, poteſt enim abſoluta poteſtate ſua, ac verbo ſolum morbos curare. Et ſane Deus unus id poteſt in hoc ſenſu, ne Scribis quidem diſſentientibus. Inviſibilem remittendi peccata auctoritatem probat, ſenſibili, quam in morbos exercet, poteſtate. Non permittet unquam Deus, mendacium, atque vanitatem inſigni adeo miraculo, quale hic J. C. operatur, confirmari.

Non aſſerit Salvator, poteſtatem dimittendi peccata æqualem eſſe, vel minorem ea curandi paralyticum, quemadmodum ex verbis illius inferri poſſe videretur. Scimus, nullam dari inter duo hæc comparationem. Utrumque Deo æque facile eſt: ſed homini æque impoſſibile eſt peccata dimittere, ac Cœlum, terramque creare, ut ait S. Auguſtinus Tract. in Joan. 17. n. 3. Oſtendere vult facilius eſſe mendacii eum redarguere, qui morbos ſe curare poſſe gloriaretur, quam qui diceret ſibi poteſtatem eſſe remittendi peccata. Porro addit, ut intelligatis mihi peccata dimittendi facultatem adeſſe, quia in re mendacii me redarguere non poteſtis, certiſſimum auctoritatis meæ argumentum vobis præbebo ea in re, ubi me, ſi fidem non præſtarem, poſſetis redarguere: videlicet in ea, quæ mihi eſt, morbos curandi auctoritate [8]: & ſimul jubet paralyticum ſurgere, atque grabatum ſuum tollere. Ita locum hunc interpretantur S. Hieronymus, S. Chryſoſtomus, Beda, Theophylactus, Maldonatus, Eſtius, Grotius, ac notæ melioris Interpretes.

Blaſphemare apud Prophanos auctores pro maledicere, conviciis laceſſere, contumeliis aliquem proſcindere uſurpatum repereris: at in Scripturarum ſtylo ſignificat injurios, indignoſque Divinitate, ſacrisque rebus ſermones, cum Deo hominis infirmitates, vel homini Dei perfectiones attribuuntur.

℣. 8. TIMUERUNT [9], ET GLORIFICAVERUNT DEUM, QUI DEDIT POTESTATEM TALEM HOMINIBUS.] Innuere velle videtur Evangeliſta, populum non intellexiſſe, Jeſum Chriſtum eſſe Deum, licet hoc ille probaverit in ſermone ſuo, quem habuit ad Scribas. Turbis ſatis fuit Dei potentiam admirari, qui tantam homini facultatem impertire dignatus fuerat [10]: vel qui inter homines tot poteſtatis ſuæ, eaque præclariſſima ſigna præbuerat.

VIDIT

1 Hieronym. & Druthmar. hic. Vide & Auguſt. lib. 2. de Conſenſu, cap. 25.
2 Toynard. Concord. Evang. pag. 24. Le Clerc, pag. 85. 3 Le Roux, Concord. pag. 46. 47. Arnaud. pag. 71. 4 Vide Cyrill. Jeroſolym. Catech. 5. Ambroſ. l. 5. in Luc. Chryſoſt. homil. 30. Hieron. hic. Maldon. 5 Vide Hieronym. Euthym. Theophylact.
6 Vide noſtram Diſſertationem de re medica, & Medicis Hebræorum, Eccleſiaſtico præfixam.
7 Ἐν ἑαυτοῖς. 8 Hieron. hic: *Fit igitur carnale ſignum, ut probetur ſpirituale: quamquam ejuſdem virtutis ſit & corporis, & animæ vitia dimittere.* 9 Græc. Ἐθαύμασαν. *Admirati ſunt*. Alii ἐφοβήθησαν. *Timuerunt*. 10 Brug. Eſt. Natal. Alexand. Grot. Hammond. alii.

℣. 9. VIDIT HOMINEM SEDENTEM IN TELONIO.] Jeſus domo egreſſus, ubi paralyticum curaverat, ad Capharnai litus profectus eſt, ubi ſedentem vidit in telonio Publicanum hominem, vel Publicani alicujus famulum, vectigalia exercentem, *Matthæum* nomine, vel aliter, *Levi filium Alphæi* [1]. Hic & nativitate, & Religione Judæus erat, ſed ſuſceptum munus illi populi ſui invidiam conflaverat; tunc enim vulgo quilibet oderat Publicanos. Simulac illum Jeſus accerſivit, hic relictis omnibus illum ſecutus eſt, quin ne momentum quidem temporis interſereret, & rerum ſuarum diſponendarum prius curam ſuſciperet; omnia bona, ac rationes ſuas aliis ſtatim reliquit [2].

Veteres Chriſtianæ Religionis inimici [3] levitatis nomine S. Matthæum inſimulabant, eo quod temere ſecutus eſſet hominem, quem non noverat. Verum non ambigit S. Hieronymus hìc, quin S. Matthæus compertam, ac exploratam habuerit Jeſu Chriſti doctrinam, atque miracula: cum pluries fortaſſe prædicantem audierat, & ea, quæ ubique, præcipue vero Capharnai, operatus fuerat, prodigia inſignia erant adeo, ut illum fugere nulla ratione potuerint. Ad hæc intrinſecus vi quadam ſe illectum ſenſit, qua ſuaviter, ac blande, ſed valide, ac potenter coactus fuit, ut Salvatorem ſequeretur [4]. Denique illum illexit *Fulgor ipſe, & majeſtas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poſſet adſpectu*, S. Hieronymus hìc ait; & S. Johannes Chryſoſtomus hom. 28. teſtatur, populos, tamquam conglutinatos illi adhæſiſſe, illius amore, & admiratione repletos, atque aſpectu illius numquam ſaturatos. Ergo ſi tot illecebras corporalis Jeſu Chriſti habebat obtutus, mirum adeone eſt, S. Matthæum illis affectum, attractumque fuiſſe, ex quo illum Dominus dignatus fuit evocare?

Scio quidem, hæc argumenta ex corporea Jeſu Chriſti ſpecie labefactari poſſe, atque antiquorum plurimos ea in re a S. S. Johanne Chryſoſtomo, & Hieronymo diſſenſiſſe; verum ſine ullo veritatis diſcrimine hic poſſunt omitti. Duæ illæ rationes, quas primum attulimus, ſatis, ſuperque S. Matthæi factum, & obedientiam probant.

℣. 10. ECCE MULTI PUBLICANI, ET PECCATORES; &c.] Credit Tertullianus l. de Pudicitia cap. 9. Publicanos omnes Ethnicos fuiſſe; quod fortaſſe verum eſt, ſi ſermo ſit de principibus publicanorum, qui vectigalia redimebant, non item vero de alterius ordinis Publicanis, qui illorum vices gerebant, & ex quorum numero creditur fuiſſe S. Matthæus, aliique *Peccatores*, de quibus hìc ſermo. Hi omnes Judæi erant exercendis vectigalibus dediti, aliiſque officiis apud Hebræos inviſis operam navantes. Si Jeſus Chriſtus cum Ethnicis manducaſſet, non tacuiſſent profecto Phariſæi; Judæi enim hac in re nimium erant religioſi [5].

℣. 12. NON EST OPUS VALENTIBUS MEDICUS.] Jeſus Chriſtus majorem Phariſæis honorem, quam quem mererentur, deferre videtur; videtur enim ſupponere eos ſanos, & medici ope non indigentes; vel ſaltem illos juxta ipſorum alloquitur principia. Non ſunt ſimiles veſtri, ſed indigent eruditione, Publicani ſunt, & homines nequam. Redarguebatur Antiſthenes, quod nonnumquam ſceleſtorum hominum conſuetudine uteretur [6]; at Medici, inquit, ſemper cum ægrotis verſantur, & tamen ægri non ſunt. Diogenes Cynicus cum Lacædemonum leges laudibus extolleret, interrogatus, cur cum illis non viveret? Quia Medici, ait, non vivunt cum iis, qui optima fruuntur valetudine, ſed qui laborant mala. Diogenes ipſe apud Laert. l. 6. exprobrantibus quod obſcæna loca ingrederetur: Sol ipſe, reſpondit, fœdiſſima locorum penetrat, & non polluitur.

℣. 13. MISERICORDIAM VOLO, ET NON SACRIFICIUM.] Hæc loquendi ratio adagium ſapit, & eſt ex Oſee Propheta *6. 6.* deſumpta. Magis mihi perplacent charitatis opera, quam cæremoniales Legis obſervantiæ. Malo peccatores ſalvos facere, quam ſervili modo, & ad litteræ apicem ſequi ritus, & traditiones, in quibus nulla auctoritas eſt, utilitas nulla. Demum a peccatoribus ſinceram pietatem, ac veram converſionem potius expeto, quam victimas, & ſacrificia [7]. Publicani, & peccatores, quibuſcum veſcor, ad Deum monitis meis potius, quam ritualium legum obſervatione revertentur.

NON ENIM VENI VOCARE JUSTOS, SED PECCATORES [8].] Pro peccatoribus præcipue veni, & pro illis potius quodammodo, quam pro juſtis; hi enim non æque ac peccatores meo indigent auxilio. Nec dicas ideo, juſtos, vel eos, qui cum laude vitam ducebant ſecundum Legem, Salvatoris ope non eguiſſe: ſed cum peccatoribus, & ſceleſtis collati minus illa indigebant. Ita cum ſuperius ait: *Miſericordiam volo, non ſacrificium*, non omnino excludit ſacrificia, & Legis opera, ſed his juſtitiæ, & miſericordiæ opera præfert. Sancta Virgo, S. Johannes Baptiſta, Zacharias, Eliſabeth, Anna filia Phanuel, ſenex Simeon, Nathanael ex iis juſtis erant, ad quos vocandos non venerat Dominus: & ſani erant, neque ad eos curandos acceſſerat. Hi quodammodo adventu illius minus indigebant, quam alii, quorum vita flagitiis erat inquinata. Alibi Jeſus ait eodem in ſenſu, Cœleſtes Angelos majorem lætitiam percipere ex peccatoris unius converſione, quam ex nonaginta novem virorum juſtitia, qui non indigent pœnitentia Luc. 15. 7. hoc eſt, qui minus, quam alii, egent eadem.

Docent Patres [9], cum Jeſus Chriſtus in Mundum venit, neminem fuiſſe, qui per ſe juſtitiæ laude floreret. Omnes peccatores erant, omnes gratia, & miſericordia illius indigebant; ſi qui Juſti fuere, tales effecti fuerant gratia, & fide, quam in Ipſum habuerant. Verum non deerant plurimi, qui jactarent juſtitiam, quam non habebant: inter cæteros præcipue Phariſæi, qui ſe irreprehenſibiles rati, cæteros, quos tamquam improbos, & nequam habebant, contemnere conſueverant Luc. 18. 9. De his nebulonibus hìc loquitur Salvator; eiſque non ſine mordaci ironia ait: Non veni, ut iis medicinam afferrem, qui ſe bene habere putant, neque ut eos ſalvos facerem, qui ſe juſtos arbitrantur, quales vos eſtis. Sed veni, ut eos curarem, qui ſe vere ægros exiſtimant, ac injuſtitiæ ſuæ, ſuorumque peccatorum pondus [10] intelligunt. Hi noviſſimi Medici opem implorant, & Salvatorem requirunt; hunc illi rejiciunt, atque aſpernantur. Ex horum numero vos eſtis; ope mea vos nequaquam egere cenſetis; vos vobiſmet derelinquo. *Si cæci eſſetis*, ut Joann. 9. 41. ait illis Jeſus Chriſtus; vel potius, ſi cæcos vos cognoſceretis, *non haberetis peccatum; nunc vero dicitis, quia videmus; peccatum veſtrum manet.*

℣. 14. QUARE NOS, ET PHARISÆI, JEJUNAMUS FREQUENTER &c.] S. Lucas 5. 33. ait, Scribas, & Phariſæos hoc Jeſu Chriſto, ejuſque Diſcipulis exprobraſſe. S. S. Auguſtinus l. 2. de Conſenſu c. 27. & Johannes Chryſoſtomus hom. 31. credunt, S. Johannis diſcipulos ſe illis ſocios ea in occaſione præbuiſ-

1 Marc. 2. 14. Luc. 5. 27. 2 Baſil. Regul. Fuſior. 8. Auth. ad Præſid. apud Hieron. & Chryſoſtom. hic. 3 Julian. Imperator, & Porphyr. apud Hieronym. hic.
4 Aug. de Gratia Chriſti contra Pelag. & Cæleſt. c. 22. & l. de Geſtis Pelagii, & alibi paſſim.
5 Galat. 11. 12. Joann. 18. 28. 6 Antiſthen. apud Laert. l. 6.
7 Vide noſtrum Commentar. in Oſeam, & S. Hieronymum in eundem prophetam.
8 Græc. Οὐκ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν. Et ita legunt Hilar. Euſeb. Chryſoſt. quod additum ex Luca 5. 32. Non habent, εἰς μετάνοιαν. Cod. Cantabrig. Stephani duo, alii plures, Gothic. Syr. Æthiop. Perſ. Arm. Heb. edit. Till. & Munſt. Clem. ep. 2. ad Cor. & Barnab. in Latina verſ. vetuſtiſſima.
9 Vide Hilar. hic. Chryſoſt. homil. 31. in Matth. Hieron. Bedam, Theophyl. &c.
10 Vide Aug. tract. 7. in Joan. & Enarr. in Pſal. 58. & ſerm. 278. nov. edit.

ſe: alii [1] putant, eoſdem Phariſæorum ſollicitationibus ſuperatos hoc ex Jeſu Chriſto exquiſiviſſe. Quodcumque ſit, a fide non abhorret, cum egrederetur Jeſus Chriſtus e cœna, qui in domo S. Matthæi accubuerat, illos ceteros fuiſſe admirationem ſuam, quod vivendi rationem inſtitueret prorſus aliam ab ea, quam S. Johannes Baptiſta docebat, quem tamen ipſe laudibus celebraverat.

Phariſæi bis ſaltem in hebdomada jejunabant Luc. 18. 12. & quater etiam nonnumquam, præter communes jejunii dies, qui præcipiuntur in lege. Mira, & inaudita erat S. Johannis Baptiſtæ auſteritas. Jeſus Chriſtus hyperbolico loquendi genere teſtatus eſt, ipſum nec manducaſſe, nec bibiſſe, ac Phariſæos dixiſſe, illum dæmone obſeſſum Matt. 11. 18. Diſcipuli ejus magiſtri pro virili vivendi rationem imitabantur; cumque ille in carcere detineretur, haud abſonum eſt a fide, ipſos congeminaſſe jejunia, ut e Deo illius libertatem obtinerent. Jeſu Chriſti, atque Apoſtolorum ejus vita magis popularis erat, & longe commodior videbatur, licet re ipſa plurimis laboribus eſſet occupata, atque pauperrima. His ſatis erant jejunia in lege proſcripta, vel quæ inveterata conſuetudo, & ea, quæ iis rerum circumſtantiæ conferre patiebantur.

℣. 15. NUMQUID POSSUNT FILII SPONSI LUGERE?] Amici ſponſi mœrere non poſſunt, donec cum ipſis ille verſatur? Ad literam [2]: *Filii thalami*, vel *filii nuptiarum* [3]. Hi erant adoleſcentes, qui honoris ergo comites addebantur ſponſo, ut in nuptiarum ejus celebritate præſto eſſent. Celebritas hæc ſeptem, ut plurimum, dies obtinebat. Videri poteſt noſtra de veterum Hebræorum Conjugiis Diſſertatio Cantici Canticorum præpoſita. Nuptiæ pronubis hilaritatis, ac lætitiæ ſunt ceremoniæ. Cum vero nuptiis non intererunt amplius, tunc id præſtabunt, quod e re cenſebunt. JESUS CHRISTUS iſthic ſe ipſum tamquam ſponſum, et tempus prædicationis ſuæ ſuper terram, velut tempus nuptiarum exhibet. Diſcipuli illius ſunt ejus pronubi, & ſocii; cum ſponſus morte fuerit ablatus, tunc illis aderunt complures jejunandi, plorandique occaſiones, cum propter Evangelicos labores, quos ferre tenebuntur, tum propter perſecutiones, quibus agitabuntur.

℣. 16. NEMO AUTEM IMMITTIT COMMISSURAM PANNI RUDIS IN VESTIMENTUM VETUS: TOLLIT ENIM PLENITUDINEM EJUS A VESTIMENTO, & PEJOR SCISSURA FIT.] Hoc eſt ſciſſura, quæ farciri debet, major fiet; nova enim pars ſecum partem veteris auferet. Hebræi verbo *replendi* utebantur, ut innuerent, aliquid inſerere, foramen aliquod occludere, aliquid reſarcire. *Plenitudo ejus* ſignificat ſciſſuram, ubi ſegmentum aliquod fuerit aſſutum. S. Lucas 5. 36. his verbis eamdem exprimit parabolam: *Nemo commiſſuram a novo veſtimento mittit in veſtimentum vetus; alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commiſſura a novo.* Duplex fit jactura, ſi novum veteri aſſuatur.

JESUS CHRISTUS ſuam, ſuorumque Apoſtolorum agendi rationem duabus probat ſimilitudinibus; altera quidem ex ſegmento novo veſti veteri aſſuto; altera ex recenti, fumoſoque mero deprompta, in antiquis utribus poſita. Novi panni aſſutella magis, magiſque vetus indumentum diſcidit; et recens vinum antiquos utres diſrumpit. Diſcipuli mei ſunt velut veteres veſtes, ac utres; nimiam auſteritatem ferre nequeunt; neque exercitationem nimis violentam, atque moleſtam pati. Eorum ratio eſt habenda, iique cum mediocritate quadam, ſuavitate, ac lenitate ducendi [4], ut perſeverent, atque graves Apoſtolatus labores ſuſtineant. Cum erunt magis robuſti, ac Sancto Spiritu, qui ſuper illos deſcenſurus eſt, renovati, tunc illis inſtitutæ perfectionis majoribus conjunctæ laboribus, atque pœnitentiæ exercitationibus. Recentes ſunt per converſionem, ac ſenes propter habitus malos. Auferendum, quod vetus eſt, & quod novum, confirmandum. Tunc pares erunt non imitandis dumtaxat, verum etiam ſuperandis Phariſæorum, ac Diſcipulorum S. Johannis laboribus, atque jejuniis.

Veteres quidem [5] per antiquas veſtes, & utres Legem veterem intellexerunt, per pannum vero novum, vinumque recens, JESU CHRISTI Legem, & Evangelium. Marcionitæ, & Manichæi hinc inferebant, duas has Leges omnino ſimul ſtare non poſſe, neque Deum eumdem illarum eſſe poſſe Auctorem [6]. At jampridem ridiculæ illationes exciderunt, eæque nunc nonniſi cum miſeratione, & contemptu conſiderantur. Patres [7] hoc in morali ſenſu explicuerunt. Fieri nequit, ut Phariſæi, qui ſunt velut obſoletæ veſtes, utreſque antiqui, Legem Evangelicam, & Chriſtianæ juſtitiæ præcepta recipiant. Aliter [8]: Diſcipuli adhuc nimis ſunt debiles, & infirmi, nec illis aperire poſſum, quidquid illis e me diſcendum eſt. Tempus aderit, cum pares meis erunt præceptis, eiſque omnes cœleſtes veritates, quantæ ſunt, prorſus aperiam.

Nemo adeo rudis eſt, quem fugiat, utres fieri ex hircinis coriis præparatis, atque in ſacci ſpeciem conſutis cum pelle unius ex quatuor partibus animalis, ita concinnata ut pro infundibulo, ad vinum, liquoreſque alios infundendos inſerviat. Hi utres vulgatiſſimi ſunt in Oriente, immo & in nonnullis Galliæ Provinciis; eorumque uſus percommodus eſt ad transferendum ſumma cum facilitate vinum, & oleum ſuper equorum, hominumve terga, quia hæc lædantur, vel periculum adſit liquores perdendi, ſi forte vaſa deciderint. Id unum curandum eſt, ut utres hi boni ſint, ſolidique.

℣. 18. ECCE PRINCEPS UNUS ACCESSIT.] Ex aliis Evangeliſtis didicimus [9], virum hunc vocatum fuiſſe *Jairum*, & *Archiſynagogum* fuiſſe, (nam S. Matthæus præterit circumſtantiam,) & filiam ejus, quæ duodecim erat annos nata, obiiſſe [10]. Putant [11] nonnulli, Archiſynagogi munus ſæcularem fuiſſe dignitatem, eumque fuiſſe caput parvi Conſilii, vel Judicum trium, & viginti, qui criminales cauſas cognoſcebant. At pleriſque perſuaſum eſt [12], munus illius fuiſſe, cœtibus Religionis, qui in Synagoga habebantur, præeſſe, ſeſſionum, lectionum, precumque ordinem imponere. Plures id genus viri in ſingulis erant Synagogis, præſertim vero in majoribus oppidis [13]. Inter hos tamen ſemper unus doctrina, auctoritate, honore eminebat. Talis erat Jairus, de quo hic ſermo.

Hic JESU CHRISTO nuntiat filiam ſuam recens mortuam, licet domo egreſſus viventem reliquiſſet. Verum cum jam animam ageret, & mortis momentum illi prope immineret, hic poſt diſceſſum ſuum credidit, eam vere animam efflaſſe [14]. Fortaſſe etiam famuli filiam obiiſſe nuntiaverunt eodem temporis momento, quo ille JESUM alloquebatur. Non deſunt tandem, qui putant, patrem exaggeratione uſum, ut Salvatorem celerius domum ſuam pertraheret, dicens, *filia mea modo defuncta eſt*, cum dicere debuiſſet, eam brevi morituram. Alii, idque potiori jure [15] credunt, Jairum ad JESUM acceſſiſſe, eique dixiſſe, filiam ſuam jamjam animam efflare, eumque rogaſſe, ut domum ſuam illam

---

1 Maldon. Menoch. 2 Οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος.
3 Marc. 2. 19. Υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος. Vulg. *Filii nuptiarum*. 4 Vide Chryſoſtom. Hom. 32. Euthym. Theophylact. Hieronym. Maldon. alios. 5 Vide Hieronym. hic. Tertull. contra Marcion.
6 Vide Tertull. lib. 3. & 4. contra Marcion. Epiphan. hæreſ. 42. Auguſtin. lib. 8. contra Fauſt.
7 Hieronymus. 8 Chryſoſtomus hic. 9 Marc. 5. 22. Ἔρχεται εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων ὀνόματι Ἰάειρος. Luc. 8. 41. Ἦλθεν ἀνὴρ ᾧ ὄνομα Ἰάειρος, καὶ αὐτὸς ἄρχων τῆς συναγωγῆς ὑπῆρχε.
10 Marc. 5. 23. Τὸ θυγάτριόν μου ἐσχάτως ἔχει. Luc. 8. 42. Αὕτη ἀπέθνησκεν. Matth. Ἄρτι ἐτελεύτησεν.
11 Hammond. Vide dicta ad Matth. 5. 21. 12 Grot. Ligfoot. Maldon. Camer. alii paſſim.
13 Act. 13. 15. Vide Grotium in S. Matth. 9. 18. 14 Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Evang. c. 18. Chryſoſt. in Matth. Beda, Euthym. Theophylact.
15 Vide Maldon hic. & Tuyoard. Harm. Evang. p. 44. 45. Jeoſ. Gand. c. 34. Arnaud. Concord. c. 35. Le Roux ſect. 3.

Jam cantatores properaret. Jesus illum ſecutus eſt, magna populi caterva concomitante. In ipſo itinere tetigit illum hæmorrhoiſſa, & convaluit, quemadmodum viſuri ſumus. Interim nuntiatum fuit Jairo, filiam expiraſſe, ne ſollicitaret ulterius Jesum, ut illum domum ſuam adduceret. Jairus tamen precibus eum fatigare non deſtitit, petens, ut dentaxat modo puellam ſuſcitaret. Patrem Jesus conſolatus eſt, & cum eo domum illius profectus, filiam ad vitam revocavit. Hæc potiſſima eſt Evangeliſtarum conciliandorum ratio [1].

℣. 20. ECCE MULIER, QUÆ SANGUINIS FLUXUM PATIEBATUR.] Præceperat Hebræis Moyſes Deut. 22. 12. ut in quatuor angulis palliorum flocculos, ac fimbrias in ora eorumdem geſtarent. Jesus, qui in minimis etiam rebus ne iſtum quidem unguem recedebat e Lege, uti cæteri Judæorum, indutus erat tunica, vel interiori veſte, ac pallio fimbriis, & lemniſcis juxta aliorum conſuetudinem exornata. Mulier, de qua hic ſermo, duodecim jam annos hæmorrhagia, hoc eſt, ſanguinis fluxu laborabat; vel ut alii putant, hæmorrhoidum dolore urgebatur [2], vel jugi menſtruorum fluxu conficiebatur; quæ poſtrema ſententia ſimplicior eſt, atque probabilior. Auctor quidam, qui S. Ambroſii [3] nomine circumfertur, credidit, mulierem hanc Martham fuiſſe. Euſebius [4] docet, hæmorrhoiſſam fuiſſe e Cæſarea Philippi, & poſt curationem ſuam in ea civitate poſuiſſe JESU CHRISTI ſimulacrum in accepti beneficii perenne monumentum. Simulacrum hoc Euſebius viderat, ad cujus pedes planta quædam creſcebat, quæ ubi ad fimbriæ pallii Salvatoris altitudinem creverat, morborum curandorum vim acquirebat.

℣. 21. SI TETIGERO TANTUM VESTIMENTUM EJUS, SALVA ERO.] Mulier hæc nonniſi clanculum, & poſt tergum accedit; ſuus quippe morbus illam ab eorum, qui bona valetudine fruebantur, conſuetudine excludebat [5]; & quod illam pudebat, tanto in populo infirmitatem ſuam declarare [6]. Credebat fortaſſe, curandi virtutem adhærere non perſonæ tantum, ſed & veſtibus, & iis omnibus, quæ ad Salvatorem ſpectabant. Ita illa ſecum: *Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero.* Demum poſt cumulatiſſimum elogium illud, quo JESUS CHRISTUS fidem illius commendavit, nihil ultra veritatem dixerit, qui teſtetur, eam interiori lumine afflatam intellexiſſe, illum, ad quem confugiebat, noſcentem & cordis ſui affectus, & morbi naturam, & fidei conſtantiam, non defuturum, quin illi opitularetur, licet ipſa ore votorum ſuorum ſummam non taſtaretur.

℣. 22. CONFIDE FILIA.] Expaveſcens mulier, eo quod JESUS CHRISTUS terga vertens non ſine quadam turbati affectus ſpecie ſciſcitatus fuerat, quis ſe tetigiſſet, actum de ſe putavit, quaſi deprehenſa in curationis ſuæ furto, quemadmodum S. Johannes Chryſoſtomus hom. 32. loquitur; procidenſque ad pedes illius veniam popoſcit. At Salvator hoc fecerat, ut mulieris hujus fidem redderet illuſtriorem, Domini opera manifeſtaret, & confirmaret fidem Jairi, qui per errorem viro in Sacris Bibliis verſatiſſimo indecorum credebat, neceſſe requiri, ut JESUS domum ſuam ſe conferret, filiæ vel ſalutem, vel vitam redditurus. Animos ergo Dominus facit huic mulierculæ, ejuſque fidem coram populo celebrat: *Turba premit, fides tangit*, ait S. Auguſtinus Serm. 243. nov. edit.

℣. 23. CUM VENISSET JESUS IN DOMUM PRINCIPIS, & VIDISSET TIBICINES.] In omnibus Veteris Teſtamenti Libris nullum extat inſtrumentorum muſicorum, in funeribus uſurpatorum, veſtigium; conductitiæ tantum deprehenduntur præficæ [7], & funebres næniæ [8]; muſicæ vero interdictum erat, tamquam rei intempeſtivæ: *Muſica in luctu importuna narratio* Eccli. 22. 6. Noviſſimis autem Reipublicæ ſuæ temporibus Judæi a Græcis, vel e Romanis muſicorum inſtrumentorum in funeribus conſuetudinem ſunt mutuati. Teſtis eſt, neque obſcure, Joſephus de Bello l. 3. c. 15. ævo ſuo morem hunc in Iſrael percrebuiſſe, & ait, ubi falſus pervaſit Jeroſolymam mortis ſuæ rumor, ultra dies triginta in urbe ploratum fuiſſe, & a pluribus conductos tibicines, qui in honorem illius lugubres nænias concinuerent.

Docent Rabbini [9], non licuiſſe præter præficam minores habere tibicines, quam duos, in funeribus plebæorum. Apud Romanos tibia promiſcue uſurpabatur, ſi quid triſte, vel lætum acciderat. Ovid. Faſt. l. 6.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis
Cantabat mœſtis tibia funeribus.

Cum provectior aliquis ætate vita obierat, buccina, cum vero ætate minor, tibiæ ſonus conſueverat adhiberi, teſtibus Servio in Æneid. 5. ac Statio Thebaid. l. 6.

Tibia cui teneros ſuetum producere manes.

℣. 24. RECEDITE: NON EST ENIM MORTUA PUELLA.] Omnem populi turbam ejecit Jesus, ac parentes dumtaxat puellæ in cubiculo reliquit, ac tres ex Apoſtolis ſuis Petrum, Jacobum, & Johannem teſtes elegit [10]. Volebat autem, ut miraculum celaretur, quemadmodum ex ſequentibus liquet, ubi adſtantibus ſilentium imponit [11]; & eodem fortaſſe conſilio iſthic ait, puellam non obiiſſe, ſed dormire; quaſi modeſtiæ ergo miraculi a ſe patrandi magnitudinem attenuaturus, perſuadere vellet, ſe non e morte, ſed ex alto ſimpliciter ſomno dormientem adoleſcentulam ſuſcitare. Hac in re non mentiebatur; ſed æquivoco utebatur verbo, non ut falleret, ſed ut modeſtiæ, ac humilitatis exemplum præberet [12]. Dormire in proprio, ac litterali ſenſu, ſomnum, ſed in figurato mortem ſignificat. Puella non eſt mortua in æternum, ſimpliciter dormit; eam excitabo, & adeo facile, & celeriter ſuſcitabo, quaſi ſopore tantum capta eſſet. Hæc erat mens Salvatoris, ſed qui audiebant, eam non aſſequebantur.

Non deſunt, qui putent, ſermonem ejus ironicum eſſe ad eorum, qui præſentes erant, ac teſtes fuerant mortis puellæ, expectationem excitandam. JESUS CHRISTUS hoc pacto oſtendere vult Judæis, & omni poſteritati, eam vere ex hac vita deceſſiſſe; itaque Evangeliſta narrat, illos irriſiſſe JESUM: *Et deridebant eum*; quod probat illis de morte ejus prorſus perſuaſum fuiſſe. Si res in ancipiti fuiſſet, illum audiviſſent, ac rem propius perpendiſſent.

Alii [13] ita explicant: Non mortua eſt in ſempiternum, uti cenſetis, & ne ulterius reviviſcat; eam viventem adhuc intuebimini, perinde ac ex ſomno expergiſceretur; vel mortua non eſt in oculis Dei viventis, coram quo omnia vivunt: dormit ſolum, mors ejus ſomnus eſt momenti unius; eam vivificabo, & excitabo [14]. Veteres mortem ſomni nomine appellarunt. JESUS CHRISTUS de Lazaro loquens, Joan. 11. 11. ait: *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, ut a ſomno excitem eum.* Homerus Iliad. Ξ ſomnum, mortis fratrem appellat. Gorgias Leontinus ſenio, & morbo confectus cuidam amico ſciſcitanti, quomodo ſe haberet, reſpondit [15]: *ſomnus me fratri ſuo incipit tradere.* Chriſtiani futuram corporum reſurrectionem ſperantes mortem Dormitionem, & ſepulchreta Dormitoria, vel *Cœmeteria* vocarunt.

℣. 25. TENUIT MANUM EJUS, & SURREXIT PUELLA.] S. S. Marcus 5. 41. & Lucas 8. 54. addunt, Dei filium,

1 Matth. 9. 19. 20. 21. Marc. 5. 22. & ſequ. Luc. 8. 41. 51.
2 Chryſoſtom. Theophylact. hic. Ader. de Morbis Evang. cap. 12. Maldon. Bez. Piſcat.
3 Vide Serm. 47. in Appendice nov. edit. S. Ambroſ. olim libell. de Salom. cap. 5.
4 Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 18. Sozomen. lib. 5. cap. 21. &c. 5 Levit. 15. 25.
6 Optatus lib. 5. contra Parmen. Et Auth. Serm. 47. in Append. nov. Edit. S. Auguſt. Petr. Chryſol. ſerm. 33.
7 Jerem. 9. 17. 22. 18. 34. 5. Amos 5. 16. 8 2. Par. 35. 25. 2. Reg. 1. 17. 18.
9 Vide Selden. uxor. Hebr. lib. 3. cap. 8. 10 Vide Marc. 5. 37.
11 Marc. 5. 43. Luc. 8. 56. 12 Maldonat. 13 Maldonat. Tirin.
14 Hieronym. Chryſoſt. Theophylact. Brugenſ. Piſcat. 15 Ælian. lib. [illegible]

filium, cum puellæ manum apprehendiſſet, illi tamquam dormienti clamaſſe: *Puella, Surge*, & eam ſtatim ſurrexiſſe proſſus incolumem, eique appoſitam fuiſſe eſcam, ac Dominum præcepiſſe, ne quis prodigium hoc aliis enarraret. Haud ignorabat profecto, rem tantam nullo modo celari poſſe; ſciebat, tot viros, qui morientem viderant puellam, numquam in animum inducturos, eam dormivisse ſopore captam fuiſſe: attamen ſilentium Salvator indicit non in hac tantum occaſione, verum etiam in aliis, quæ majoris erant momenti, ac in majorem illius gloriam cedebant. Ita nos modeſtiæ ſolum nobis documentum tradere cupit, ſed Phariſæorum quærit etiam odium, & invidiam effugere. Omnem illius auferre vult anſam, ne ipſum valeat ſeditioſum traduceret, ſi miraculorum fulgore populos ad ſe pertrahere quæreret, vel tamquam ſuperbum, ſi oſtentationis ergo toto inſpectante populo hæc prodigia patraret.

℣. 27. Secuti sunt eum duo cæci.] Eis oculos tetigit, curatiſque ſilentium indixit. Jesum de domo Jairi egreſſum ſecuti ſunt hi duo cæci, quos alloqui, & ſanare ea in domo noluit. Poſtquam vero illis aciem oculorum impertiit, imperavit, ne curationem ſuam prædicarent, eadem mente, quam ſuperius vidimus in filia Jairi ſuſcitanda, ad oſtentationem evitandam, & ne Phariſæorum odium excitaret. Sapientiæ ſuæ intererat, non exacerbare eos homines, qui aliquid in ipſum moliri potuiſſent; non enim conſilium erat Domini, tempora a Cœleſti Patre præſtituta prævertere. Prophetæ [1] cæcorum curationem prænotaverant, tamquam adventum Meſſiæ ſignum. Duo hi cæci Jesum *Filium David* appellant; ipſis quippe erat perſuaſum, hunc verum eſſe Meſſiam; hoc enim nomine Judæi ævi illius Chriſtum vocabant.

℣. 30. Videte, ne quis sciat.] At hac in re parere renuebantur? Credunt Patres [2], Salvatorem non quæſiviſſe, ut abſolute ſibi obtemperaretur; quærebat ſolum primos horum cæcorum motus inhibere; & cupiebat, ut ſi miraculorum ſuorum fama emanaſſet, id fieret tamen ſine affectatione, ac rumore. Hoc melius ipſius modeſtiam, & ſapientiam decebat. Cæci quoque parendum non crediderunt: majorem apud illos vim habuere animi grati ſenſus, ac cœleſtis Medici gloria, quam verborum ejuſdem ſententia; quippe nominis illius celebritatem in omnem provinciam effudere: *Diffamaverunt* [3] *eum in tota terra illa*.

℣. 32. Obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem [4].] S. Lucas 11. 14 ait, Dæmonem a Jesu ejectum, mutum fuiſſe, hoc eſt [5], effeciſſe, ut ille, quem obſidebat, mutus eſſet. Ita æque verum eſt, & hominem, & dæmonem, quo obſidebatur, utrumque fuiſſe mutum. Homo enim propter Dæmonis improbitatem mutus erat; & ſtatim ac dæmone liberatus fuit, loqui cœpit. Origenes lib. 3. de Princip. cap. 3. & S. Johannes Chryſoſtomus Homil. 33. credunt, dæmonem in eos, quos obſidet, ita dominari, ut neque ſenſum, neque mentem integram illis relinquat. Et ſane illis crimini minime vertitur quidquid eo in ſtatu, vel dicunt, vel faciunt. Græca vox *κωφὸς* ſurdum potius, quam mutum ſignificat, juxta S. Hieronymi animadverſionem; ſed in novo teſtamento promiſcue pro utroque uſurpatur.

Non deſunt [6], qui teneant, miraculum iſthic e S. Matthæo allatum aliud eſſe ab eo, quod narrat S. Lucas cap. 11. 14. eaque eſt plerorumque Auctorum, qui de quatuor Evangeliſtarum Concordantia ſcripſere, ſententia. Cenſent, S. S. Lucam 11. 14. Matthæum 12. 22. & Marcum 3. verſ. 20. 22. eamdem enarrare curationem, aliam prorſus ab hac, & quæ multo poſt hanc accidit; quod vero conſonum videtur propter circumſtantias, quæ actionem hanc ſecutæ ſunt, & quæ in quatuor Evangeliſtis memorantur. Ex noviſſimo hoc prodigio, arrepta occaſione, Phariſæi dixerunt, a Jesu dæmones in nomine Beelzebub expelli.

℣. 33. Numquam apparuit sic in Israel.] Numquam, neque inter priſcos illos Prophetas ullum viderunt Judæi, qui tot miracula, eaque tanta cum facilitate, atque auctoritate fuerit operatus. Hinc facile inferre poterant, Jesum Christum verum eſſe Meſſiam, quem præſtolabantur, & magnum illum Prophetam, quem Moyſes promiſerat Deuter. 18. 15.

℣. 34. Pharisæi dicebant: in principe dæmoniorum ejicit dæmones.] Hanc Phariſæorum calumniam confutavit Jesus Christus, cum alium energumenum liberavit, de quo ſermo erit cap. 12. ℣. 24. 25. & ubi illius argumenta ad examen vocabimus. Fidei conſentaneum eſt, Phariſæos dixiſſe hæc verba non coram Jesu Christo, ſed ſolum coram populo, qui cum admiratione, & laude Salvatoris opera prædicabat.

℣. 35. Circuibat Jesus omnes civitates.] Hoc ſecundum eſt iter a Jesu Christo ſuſceptum [7], ut ſua Evangelii in omnem eam terram diffunderetur. Creditur hoc accidiſſe poſt S. Johannis Baptiſtæ mortem, & hoc in itinere fertur ille diſcipulos ſuos diviſiſſe, ac miſiſſe in omnes regionis illius civitates, ut ad exemplum ipſius prædicarent, permiſſa illis miraculorum patrandorum poteſtate, cum antea illos edocuiſſet ſuſcepti Apoſtolatus officia [8].

℣. 36. Erant vexati, & jacentes.] Miſeratus eſt populum, qui ſequebatur ipſum, ac inde occaſionem arripuit mittendi Apoſtolos ſuos, qui illum in urbibus, & pagis edocerent, eique demerent curam ex longinquis oppidis accedendi, ut ipſum audiret, & ſanarentur a languoribus ſuis [9]. Græcus legit [10]: *erant fatigati, & diſperſi*; ſed plurimi veteres Manuſcripti Vulgatæ ſimiles ſunt.

℣. 37. Messis quidem multa, operarii autem pauci.] Hi populi multi ſunt; parati ad felix Evangelii nuntium recipiendum; eos tantum præſtolantur, qui ſibi illud aperiant, rogate igitur Patrem familias, Cœleſtem Patrem, qui creator eſt, ac meſſis hujus Dominus, ut ad eam colligendam meſſores immittat, & ad populum erudiendum prædicatores: & ſimul tradidit miſſionem Apoſtolis ſuis, tamquam Patris familias diſpenſator, & divini agricolæ filius. Confer Johan. 15. 1. *Pater meus agricola eſt*, & Matth. 21. verſ. 33. 38. Marc. 12. 1. Luc. 20. ubi Patrem ſuum vineæ dominum vocat, & ſe filium, atque hæredem patris familias appellat.

Alio tamen in ſenſu [11] aſſeri poteſt, Filium Dei eſſe eumdem agricolam, meſſiſque Dominum; ac ſuum eſſe, meſſores mittere, quemadmodum iſthic mittit Apoſtolos. Prophetæ arârunt, ſeminârunt, ſeverunt; crevit meſſis, & ad maturitatem pervenit; honor meſſiſque fructus illi reſervatus eſt. Scribæ, Phariſæi, Sacerdotes creditam ſibi agri Dominici curam negligunt; negligunt gregem creditum ſibi [12]; feſtina, ut meſſem, quæ matura, & copioſa eſt, peragas. Fatigati, errantiſque gregem curam ſuſcipe. Juſſerat, Apoſtolos ſuos rogare dominum meſſis, ut in eam operarios immitteret; verum illum ſuam bonitas cogit, ut eos ipſe ſtatim mittat; nec expectat, donec rogetur.

CAPUT

1 Iſai. 35. 5. 42. 7.
2 Chryſoſt. & Theophylact. & Hieronym. & Beda in hunc loc. Gregor. Magn. moral. lib. 19. cap. 16.
3 [illegible]. *Diffamaverunt*, in bonam partem accipitur pro *divulgaverunt*.
4 Matth. 9. 32. [illegible]
5 Auguſt. lib. 2. de Conſenſu. Maldon. Menoch. hic.
6 Vide Toynard. Harmon. pag. 85. Janſen. Gandav. Concord. cap. 49. Arnaud. cap. 49. Le Roux ſect. 5. n. 142. Cleric. pag. 541.
7 Vide ſupra cap. 4. 32.
8 Confer Matth. 10. 1. 2. & ſequ. Marc. 6. 7. 8. 9. Luc. 9. 1. 2. & ſeq.
9 Vide Matth. 10. 1.
10 [illegible]. Alii Codd. [illegible]. Ita quam plurimi apud Mill. Ita & Gothica. Syr. Æth. Perſic. verſ. Ita & Hilar. Hieron. Baſil. Chryſoſtom. Theophylact. Vide & Hamm. hic.
11 Chryſoſtom. Euthym. hic. Vide Auguſtin. in Joan. tract. 8.
12 Ezech. 34. 2. Jerem. 10. 6.

Digitized by Google

CAPUT X.

Mittuntur Apoſtoli, ad Regnum Dei in Judæa prædicandum. Nomina eorum. Peculiaria præcepta, ut rite Apoſtolatus munere perfungantur. Poteſtas illis a JESU CHRISTO collata, qui illis prudentiam, patientiam, & confidentiam in Deo commendat; eiſque mala, quæ ſunt paſſuri, portendit, ac Dei Patris ſui præſidium pollicetur.

1. ET convocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immun-
dorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmi-
tatem. 2 Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus, Si-
mon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus. 3 Jacobus Zebedæi, & Joannes
frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Jaco-
bus Alphæi, & Thadæus, 4 Simon Chananæus, & Judas Iſcariotes, qui & tradi-
dit eum. 5 Hos duodecim miſit Jeſus, præcipiens eis, dicens: In viam gentium
ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis: 6 Sed potius ite ad oves,
quæ perierunt, domus Iſrael. 7 Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropin-
quavit regnum cœlorum. 8 Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate,
dœmones ejicite: gratis accepiſtis, gratis date. 9 Nolite poſſidere aurum, neque
argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: 10 Non peram in via, neque duas tu-
nicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim eſt operarius cibo ſuo. 11
In quamcumque autem civitatem, aut caſtellum intraveritis, interrogate, quis in ea
dignus ſit: & ibi manete, donec exeatis. 12 Intrantes autem in domum, ſalutate
eam, dicentes: Pax huic domui. 13 Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet
pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos. 14
Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de
domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris. 15 Amen dico vobis: To-
lerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.
16 Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſer-
pentes, & ſimplices ſicut columbæ. 17 Cavete autem ab hominibus. Tradent enim
vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos: 18 Et ad præſides, & ad re-
ges ducemini propter me, in teſtimonium illis, & gentibus. 19 Cum autem tradent
vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora,
quid loquamini. 20 Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri,
qui loquitur in vobis. 21 Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium:
& inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient. 22 Et eritis odio omnibus pro-
pter nomen meum: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. 23
Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis, non
conſummabitis civitates Iſrael, donec veniat Filius hominis. 24 Non eſt diſcipulus
ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum. 25 Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut
magiſter ejus: & ſervo, ſicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt:
quanto magis domeſticos ejus? 26 Ne ergo timueritis eos. Nihil enim eſt opertum,
quod non revelabitur; & occultum, quod non ſcietur. 27 Quod dico vobis in te-
nebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. 28 Et no-
lite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius
timete eum; qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam. 29 Nonne duo
paſſeres aſſe væneunt: & unus ex iſtis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? 30
Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. 31 Nolite ergo timere: multis paſ-
ſeribus meliores eſtis vos. 32 Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus,
confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. 33 Qui autem negaverit
me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. 34
Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere,
ſed gladium. 35 Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adver-

ſemper nominatur. Horum mater erat Salome, una ex mulieribus, quæ Dominum ſubſequi conſueverant. Hæc a JESU CHRISTO petiit, ut uterque filius ſuus ſederent, alter quidem ad dexteram, alter vero ad ſiniſtram in regno illius, Matth. 20. 21. Illi piſcationi vacabant, atque in phaſelo ſuo retibus ſarciendis erant intenti, cum illos ad Apoſtolatum JESUS CHRISTUS evocavit Matth. 4. 20. Hi propter zeli ſui fervorem *filii Tonitrui*, vel *Boanerges* appellati ſunt. S. Jacobus quidem Jeroſolymæ capite damnatus fuit [1] ab Herode Agrippa, qui Judæis gratificaturus hoc juſſit: de altero vero fuſius ſermo erit in Evangelii ipſius Præfatione.

PHILIPPUS, ET BARTHOLOMÆUS.] S. Philippi patria fuit Bethſaida in Galilæa. Ille uxorem duxerat, ac plures filias [2] genuerat. Cum recedens JESUS a loco ubi Johannes baptizabat [3], in Galilæam reverteretur, invenit Philippum, eique imperavit, ut ſe ſubſequeretur. S. Clemens Alexandrinus l. 3. Strom. tamquam rem certam narrat, S. Philippum fuiſſe illum, qui a JESU CHRISTO facultatem petiit eundi ad efferendum patrem ſuum, cui ille, *dimitte*, ait, *mortuos ſepelire mortuos ſuos* Matth. 8. 22. S. Philippus ad JESUM CHRISTUM Nathanaelem adduxit Joan. 1. 45. ipſe vero numquam ejus veſtigia reliquit. Græcum eſt nomen illius, & ſignificat *amatorem equorum*. Judæi tunc indiſcriminatim Græcis, vel Hebraicis nominibus appellabantur.

Sanctus Bartholomæus erat Galilæus, ut alii Apoſtoli. Natale ſolum illius, artem, vocationis circumſtantias, ac mortis genus ignoramus. Creditur, Indis prædicaſſe, atque illuc attuliſſe S. Matthæi Evangelium Hebraice ſcriptum, quod ibi centum poſt annos [4] S. Pantenus invenit. Hæretici nomine S. Bartholomæi pſeudo Evangelium concinnaverant, quod Papa Gelaſius damnavit.

Credidere quidam, Sanctum Bartholomæum eumdem eſſe, ac Nathanaelem, a S. Philippo ad JESUM CHRISTUM adductum Joan. 1. 45. Rupertus Abbas in Joan. 1. vetuſtiſſimus ſententiæ hujus auctor eſſe videtur, at id ille plane aſſerere non audet. Toſtatus in hunc locum, non ſecus ac Janſenius, & Cornelius a Lapide & Hammondius in S. Johannem, pro hac ſententia ſe ſtare profitentur; quæ his fere argumentis innititur. I. S. Bartholomæus in Apoſtolorum recenſione ſemper cum S. Philippo conjungitur [5]. II. Si Nathanaelis vocatio non eſt illa S. Bartholomæi; quando Apoſtolus hic vocatus fuerit, non liquet. III. Evangeliſtæ alii, qui de Bartholomæo loquuntur, Nathanaelem prætereunt; & S. Johannes, qui de Nathanaele verba facit, S. Bartholomæum ne nominat quidem. IV. Nomen Bartholomæi non eſt proprium, ſed patronymicum, & ſignificat *Filium Tolmai*. Poterat præter hoc & nomen proprium habere, & dici *Nathanael* Filius Tolmai. V. Mirum videretur, ſi Nathanael ad JESUM cum prioribus quatuor Apoſtolis ductus, a quo eximium amoris, ac honoris ſpecimen tulit, Joan. 1. 47. non fuerit tamen ad Apoſtolatum vocatus; cumque ea inœperit confeſſione JESU CHRISTO adeo glorioſa, dicens Joan. 1. 49. *Tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael*, non adhæſerit tamen Salvatori. VI. Videtur S. Johannes hunc in Apoſtolorum album referre, ubi narrat, cum S. Petrus, Thomas, duo Filii Zebedæi, Nathanael, aliique duo diſcipuli ad prædicandum conceſſiſſent, JESUM poſt Reſurrectionem ſuam, ſe illis manifeſtaſſe Joan. 21. 2. Hæ omnes rationes, quæ ſeorſim ſumptæ non magni eſſent momenti, ſimul collectæ haud ſpernendum argumentum conficiunt, cui non ita facile reſpondeas.

Si S. Bartholomæus eſt Nathanael, Legis peritus erat, quemadmodum de poſtremo hoc veteres teſtatum reliquere [6]. Dicendum quoque erit, illum fuiſſe ex Cana Galilææ, quam Nathanaelis patriam fuiſſe S. Johannes 21. 2. eſt auctor. Hinc dixere nonnulli, hunc fuiſſe ſponſum nuptiarum, quibus adfuit JESUS in Cana [7]. Alii temere originem illius petiere ex quodam Ptolomæo Rege Syriæ, qui non fuit unquam. Bartholomæi nomen deduci poteſt, ex Syriaca voce *Bar, Filius*, & *Ptolomæus*, quod & proprium nomen eſt, & bellatorem ſignificat: vel ex Hebraica *Bar-tolmai*, Filius Tolmai. In Scripturis non deſunt viri, qui Tolmai dicantur [8]; vel ex *Bar-ſalem*, quod idem eſt ac Hebraicum *Schalom* filius pacis; vel ex *Bar-tholeh-mai*, filius aquas ſuſpendentis.

S. Thomas in Evangelio inſignis eſt propter triplicem circumſtantiam. I. Cum ad Lazarum ſuſcitandum profectus eſt JESUS, S. Thomas aliis Apoſtolis dixit Joan. 11. 16. *Eamus & nos, ut moriamur cum eo*. II. In Cœna JESUM percontatus eſt, quo pergeret, & quæ ſibi via eſſet ſuſcipienda; cui ille, ego ſum via, inquit, veritas, & vita Joan. 14. 5. III. Denique poſt reſurrectionem cum in aliorum Apoſtolorum cœtu non fuiſſet, quando illis JESUS CHRISTUS apparuit, profeſſus eſt, ſe non crediturum unquam, illum cum palpabili corpore apparuiſſe, niſi manibus ſuis vulnera illius tetigiſſet. JESUS vero hoc in ipſius non ſecus ac in noſtrum omnium gratiam illi indulgere dignatus eſt, & poſt octavam diem eidem apparuit, juſſitque, cum in manuum, pedum, laterisque ſui vulnera digitum immittere, ut reſurrectionis ſuæ veritas illi comperta fieret, atque explorata Joan. 20. 19. Tunc credidit S. Thomas, & exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus*. Hic apud Indos prædicaſſe perhibetur, ſed tempus, ac genus mortis latet. Quid Thomæ nomen ſignificet, S. Johannes Evangeliſta 20. 24. docet, dicens, illum Græce *Didymum*, vel Gemellum appellatum fuiſſe. Videtur etiam Euſebius hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 13. aſſerere, S. Thomam alio nomine *Judam* fuiſſe vocatum. Verum nemo antiquorum eum hoc nomine nuncupat.

S. Matthæus iſthic ſe *Publicanum* fuiſſe ait, ac ſe poſt S. Thomam memorat, modeſtiæ ergo, e S. Hieronymi ſententia, nam a reliquis Evangeliſtis [9], vulgo ante hunc collocatur. Dicebatur etiam *Levi*, & S. Marcus eum *Alphæi* nomine deſignat [10]; quamobrem veteres nonnulli, & recentiores Græci omnes dixere, hunc fratrem fuiſſe Jacobi filii Alphæi, quod ab omni ſpecie veritatis abhorret. At de illius perſona, & ſcriptis fuſius verba fecimus in Præfatione in Evangelium ipſius. *Matthæi* nomen idem eſt, ac *Matthiæ*; & Hebraice *Dei donum* ſignificat.

S. Jacobus Filius Alphæi primus Jeroſolymæ Epiſcopus, qui *Juſtus*, & Minor appellabatur, Frater S. Judæ Apoſtoli, filius erat *Alphæi*, & *Mariæ*, cujus erga JESUM CHRISTUM charitas, & fides in Evangelio Joan. 19. 25. celebrantur. Hic *frater Domini dicitur*, eo quod propiori cognationis vinculo cum Sancta Virgine erat conjunctus. Hujus eſt Epiſtola [11] Canonica, quæ S. Jacobi nomine inſcribitur; in cujus prooemio de hoc Apoſtolo promiſſius loquemur.

S. Thadæus, alio nomine *Judas*, *Lebbæus* [12] etiam vocatur. Judas, & Thadæus unum, & idem ſignificant; prius Hebraicum eſt, alterum Syriacum; & *confeſſionem* deſignant. *Lebbæus* vero ſignificat *hominem cordatum*, rectique ſenſus. Non deſunt ex Patribus [13], qui illum *zelotem* appellent. Hic frater erat S. Jacobi Minoris, & Domini noſtri conſanguineus; quippe qui filius erat Mariæ ſororis Sanctiſſimæ Virginis, & Cleophæ, qui S. Joſephi frater fuiſſe perhibetur. Quoad agnomen *Lebbæi*, quod ipſi in Græco S. Matthæi textu tribuitur, neque in Vulgata, neque in Cophtica ver-

1 Act. 12. 1. 2. 12. 2 Euſeb. l. 3. c. 31. Hiſt. Eccleſ. 3 Joan. 1. 43.
4 Euſeb. l. 5. c. 10. Hiſt. Eccleſ. 5 Matth. 10. 3. Marc. 3. 18. Luc. 6. 14. 6 Vide ad Joan. 1. 45.
7 Rupert. in cap. 1. Joan. Oſor. Serm. de S. Johanne.
8 Joſue 15. 4. & 2. Reg. 3. 3. et 13. 37. 9 Marc. 3. 18. Luc. 6. 15.
10 Matth. 2. 14. *Vidit Levi Alphæi*. 11 Galat. 1. 19. 12 Matth. 10. 3. Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος.
13 Hieronym. in Galat. 4. et in Helvid. c. 7. Chryſoſt. tom. 5. Orat. 32. Origen. in Matth. tom. 35. MS. Velez. habet Κανανίτης, pro Λεββαῖος.

verſiona [1], neque apud S. Marcum invenitur. Alia Exemplaria ſimpliciter *Lebbæum* legunt, quin Thadæi nomen proferant. Putant quidem [2], hoc eſſe gloſſema, quod ex margine in Textum migravit; illud vero ex ejus, a quo fuerat adſcriptum, ſententia ad S. Matthæum, non ad S. Judam ſpectaſſe; ut indigitaret, Matthæum eumdem eſſe ac *Levi*, vel *Lebbi* S. Marci. Derivant alii vocem *Lebbaios* ex Hebraice [3] *Labi*, quæ leonem, vel *Lob*, quæ cor ſignificat, vel *Lebba*, quæ eſt civitas Galilææ. Adeſt Canonica Epiſtola S. Judæ nomine inſcripta. Huic etiam attributum fuerat pſeudo Evangelium a Gelaſio Papa damnatum. Hic uxorem duxerat, ac liberos genuerat; quandoquidem Hegeſippus apud Euſeb. hiſt. Eccl. l. 3. c. 20. loquitur, de duobus Martyribus filiis ipſius. De hoc fuſius ſermonem habebimus in proœmio Epiſtolæ ejuſdem.

℣. 4. SIMON CHANANÆUS,] vel potius *Simon Zelotes*, quemadmodum a S. Luca 6. 15. vocatur, qui enſert amphybologiam Hebraicæ vocis *Canani* [4], quæ Chananæum, Phœnicem, vel hominem *Zelo* ſuccenſum, pro varia ſcribendi ratione poteſt ſignificare. Crediderunt quidam [5], illum *Chananæum* appellatum fuiſſe ex Cana Galilææ, quam illius patriam fuiſſe contendunt; ut auctor eſt Theodoretus, ipſum fuiſſe ex tribu Nephtali, vel Zabulun. Putant nonnulli [6], eum fuiſſe ex numero *Zelotum* illorum, quorum meminit Joſephus de Bello l. 4. c. c. & qui, cum Jeroſolyma noviſſime a Romanis obſideretur, tot illi mala intulere. Horum virorum caput eſt Phinees, cujus enituit zelus in deſerto contra filias Moab Num. 25. 13. Ex horum numero fuit etiam Elias, qui Prophetas Baal enecavit 3. Reg. C 18. 40. et in eodem recenſeri poteſt Matthatias pater Macchabæorum una cum filiis ſuis 1. Macch. c. 54. Cenſent, Domini noſtri ævo hujuſmodi viros ſectam quamdam conſtituiſſe, cujus auctores fuerunt Judas Gaulonitea, & Sadoc. Ex ea Schola, Sanctum Simonem fuiſſe putat Hammondius; quam ſententiam Apoſtolo huic nequaquam contumelioſam eſſe, Grotius autumat. At in eo veritas conſiſtit, utrum vere ſectæ illi eſſet addictus, quod memorati auctores non probant [7]. Immo neque conſtat, ſectam hanc Salvatoris ævo floruiſſe; nam aſſerere S. Simonem ei ſectæ adſcriptum, de qua Joſephus verba facit, hoc profecto nomini ipſius officeret, ejuſque læderet nominis celebritatem.

JUDAS ISCARIOTES.] Hæc Euſebii, & S. Hieronymi ævo [8] paſſim vigebat ſententia, Judam ex Tribu Ephraim fuiſſe, & ex pago quodam, cui nomen Iſcariotes. Verum eſt, nullum cognominem locum in veteris Teſtamenti Libris inveniri; at potuit eſſe oppidulum recens poſt reditum de captivitate conditum.

Tenent alii [9] hunc fuiſſe ex Tribu Iſſachar, & pro Iſcariote, *Iſſachariotem* eſſe legendum. Alii legunt: *Iſch-cariot*, vir originem ducens ex *Carioth* urbe in Scripturis celebri [10]. Alii agnomen hoc ex Syriaca lingua profectum opinantur: *Iſch-ſekariotha*, crumenam ferens. Liquet enim, Judam cuſtodem fuiſſe pecuniæ communis Apoſtolorum [11]. Alii [12] demum vocem hanc ab *Aſchara* derivant, quæ ſuffocationem ſignificat; nam Judas ſe ſe ſuſpendit, ac ſuffocavit. At nihil horum pro certo, ac citra dubitationem poſitum poteſt efferri. E Veteres complures [13] legunt: *Scariotes*, pro *Iſchariotes*.

℣. 5. IN VIAM GENTIUM NE ABIERITIS.] Judæi primum ad fidem erant vocandi, eiſque Evangelium

A prædicandum. Eccleſiæ janua Gentilibus non niſi poſt JESU CHRISTI Reſurrectionem patuit; & tunc renuentibus Judæis, miſit JESUS CHRISTUS Apoſtolos, qui omnibus gentibus fidei lucem proferrent. *Euntes docete omnes gentes*, Matth. 28. 19. Vide Act. 13. 46.

IN CIVITATES SAMARITANORUM [14] NE INTRAVERITIS;] ne in vos Judæorum invidiam ſuccendatis, neque eos irritetis, ſi viderint vos ſalutis verbum iis populis prædicare, atque cum illis conſuetudinem inire. Eandem quidem eamdem Religionem Samaritani, & Judæi profitebantur; utrique Leges Moyſis obſervabant, et Meſſiam præſtolabantur. Verum ab ipſis uſque primordiis ea inter utrumque populum inoleverat ſimultas, ut non majoribus odiis Ethnicos, & Idololatras, quam ſe ſe mutuo perſequerentur. JESUS

B CHRISTUS ingreſſus erat in Sichem urbem Samaritanorum, ubi prædicare cœpit, videns Samaritanam mulierem prope puteum ſedentem [15]; et eos docere non perſtitit; & apud S. Lucam 9. 52. videbimus, Samaritanos noluiſſe illum hoſpitio recipere, cum ipſe Jeroſolymam pergeret; tantum erat mutuum utriuſque gentis odium.

℣. 6. ITE AD OVES, QUÆ PERIERUNT, DOMUS ISRAEL.] Superius c. 9. 36. dixerat: *Videns* JESUS *turbas, miſertus eſt eis: quia erant vexati, & jacentes, ſicut oves non habentes paſtorem*; & decrevit ad eos mittere Apoſtolos ſuos, qui illis Evangelium prædicarent. His iſthic ſua erogat mandata, ac imperat, ut primum ovibus, quæ perierunt, conſulant, eaſque ad rectam viam perducant.

C ℣. 7. APPROPINQUAVIT REGNUM COELORUM;] jam acceſſit, pervenit. Sine mora pœnitentiam agite; prope eſt, ut Domini detonet ultio in eos, qui irritarunt illum. Vide quid dictum in S. Matthæum 3. 2. S. Marcus 6. 12. teſtatur explicite, Apoſtolos populo pœnitentiam prædicaſſe.

℣. 8. INFIRMOS CURATE, MORTUOS SUSCITATE.] Hoc non imperium eſt, ſed collata facultas. Verba hæc [16]: *mortuos ſuſcitate* in pleriſque veteribus Græcis MSS. non extant [17]: extant vero in Vulgata, Syriaca, Manuſcripto Cantabrigenſi, aliiſque compluribus. Non deſunt, qui hæc S. Matthæo addita fuiſſe arbitrentur: & ſane nullum ab Apoſtolis legimus mortuum ſuſcitatum, ſaltem ante JESU CHRISTI reſurrectionem. S. Johannes Chryſoſtomus, S. Hieronymus,

D Euthymius, & Theophylactus verba hæc in Commentariis ſuis non explicuere; at non inde ſequitur, hæc in Textu defuiſſe; Interpretes enim nequaquam ſingula Auctorum ſuorum explicant verba. Hæc profecto in pleriſque Exemplaribus leguntur. Morborum curationes, et donum miraculorum erant neceſſaria, ut ſanctæ veritates, quæ ab illis prædicabantur, facilius fidem invenirent; præſertim vero apud rude vulgus, cui non poterant aliter ſe ſe commendare Apoſtoli, quippe qui eloquentia, ſcientia, auctoritate, exiſtimatione, aliiſque id genus omnibus, quæ ad popularem laudem, ac venerationem captandam quam plurimum poſſunt, maxime erant deſtituti.

GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE.] Prædicate, docete, curate infirmos, ſine ulla utilitatis cupidita-

E te, ac ſine alio conſilio, quam Deum glorificandi, qui gratis adeo hanc vobis facultatem impertiit. Quoſcumque minus generoſos, atque Evangelica gloria indignos ſinet excludit; in Evangelicæ veritatis prædicatione prohibet, ne tuam gloriam, voluptatem, utilita-

1 Deeſt in MS Cantabrig. Copht. Codd. aliis, teſte Aug. l. 2. de Conſenſu, c. 30.

2 Mille Proleg. 384. 3 לביא Leo. לב Cor. 4 Matth hic. Σιμων ὁ Καναναῖος. Alii: Κανανίτης, vel Χαναναῖος, vel Κανναῖος. Hebr. קנא, vel קנאן, vel קנאי *Zelotes*, כנעני *Chananæus*.

5 Hieron. in Matth. 10. 4. Theodoret. in Pſal. 67. 28. Menoc. Tirin.

6 Hammond. hic. Scelig. Grot. Vide & Ligfoot. & Druſium. 7 Bertram. de Republ. Judæor. ad finem. 8 Euſeb. in Iſai. 28. 1. Hieronym. in eumdem Iſaiæ locum.

9 Hieron. in Matth. Theophyl. 10 איש קריות Vide Joſue 15. 25. Amos 2. 2. Jerem. 47. 23. 41.

11 Joan. 12. 6. 12 Vide Lucium, Ligfoot. Ludov. de Dieu. אסכרא *Strangulatio* חשברה *ſuffocatio*.

13 Origen. MS. Cantabrig. G. L. Syr. Codd. Latini 2. vetuſtiſſimi Biblioth. Bodlei.

14 Græc. Εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε. *In civitatem*: veluti Samariam deſignare voluiſſet.

15 Joan. 4. 9. 10. 16 Νεκροὺς ἐγείρετε. 17 Non legunt Steph. Ml. 9. Berber. 8. Colbert. 3. Bodleian. 6. Selden. 4. Uſſer. 2. Alii quam plurimi. Vide Var. Lect. Mill.

Digitized by Google

liratem, magnitudinem quæras. Eſto liberalis bonorum, quibus te cumulavit Deus, & quæ citra quodvis impendium percepiſti [1]. Nemini invideas cognitionem Dominici adventus, & omnes percipiant adventus ejuſdem effectus in beneficiis, curationibus, & doctrina, quam ubique gentium effuderis. *Ut ſit miniſtratio gratuita muneris gratuiti*, inquit hunc in locum S. Hilarius.

Verum ſi Apoſtolicæ integritatis, & Evangelici honoris intereſt nihil ex iis, qui docentur, vel curantur exigere; juſtitiæ, atque gratitudinis horum eſt Apoſtolis, atque Magiſtris ſuis opem erogare. Non prohibet Jesus Christus victum, ac mercedem ex iis, ad quos Evangelium prædicas, accipere; at prohibes, ne lucri ſpe prædices Evangelium. Satis palam probavit S. Paulus 1. Cor. 9. 7. quo jure Paſtores, atque Evangelii Præcones victum ab iis populis, quos docent, poſſint accipere, & oſtendit, qua ratione ii, qui erudiuntur, inſtitutoribus ſuis victui neceſſaria ſuppeditare teneantur [2].

ỳ. 9. Nolite possidere aurum.] Vel potius cum Græco [3]: *Ne quæratis*, ne vobiſmet comparetis *aurum*, & *argentum*. Ne vobis negotium hoc ſit, & hæc miſſio faceſſat, uti alſolet in quotidianis itineribus, ad quæ ſuſcipienda comparantur opes, ſolææ, mutatoriæ veſtes, viaticum, arma; nihil tale vobis quærendum eſt. Qui vos mittit, hic conſulet veſtris neceſſitatibus.

Neque pecuniam in zonis vestris [4].] Hoc eſt in crumena, quæ olim de zona ſuſpenſa geſtabatur. Horatius Ep. l. 1. Ep. 1.

Lævo ſuſpenſi loculos, tabulamque lacerto.

In ipſa etiam zona, quæ lata erat, & cava, quales Orientalium pleræque ſunt, argentum nonnunquam deferebatur. Aggæus 1. 6. *Qui laborat, ponit mercedem ſuam in zona perforata*. C. Gracchus ajebat apud A. Gell. l. 15. c. 12. *Zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli*; & Horatius Ep. 2. *Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit*. Narrat Suetonius in Vitellio, quod Vitellius, cum ſe ad necem conquæſitum eſſe intelligeret, *Zona ſe aureorum plena circumdedit, confugitque in cellam janitoris*. Peſcennius Niger apud Ælianum edicto cavit, ne Romani milites in zonis ſuis pecuniam geſtarent: & Alexander Severus Imperator, apud Lampridium ajebat, militem nihil timere, donec ornatiſſimis veſtibus indutus non eſt, nec bellu ſaginatus, nec zonam argento tumidam gerit. At hæc ſatis, ſuperque ſunt ad hanc univerſæ antiquitati communem conſuetudinem confirmandam.

ỳ. 10. Non peram in via [5].] Nemo unquam ſine viatico iter ingrediebatur; & hoc hodierna etiam die in Oriente fieri neceſſe eſt; nam in diverſoriis tectum dumtaxat invenitur, immo neque ubique occurrunt diverſoria. Eorum, quæ dicimus, ſuppetunt argumenta in Geneſi 28. 18. in Judith 10. 5. Tobia 6. 6. ac ſexcentis veterum ſcriptorum monumentis. S. Marcus legit [6]: *Nec peram, nec panem*, ad peræ hujus uſum indigitandum.

Neque duas tunicas.] Tunica erat interior veſtis, eodem ferme pacto, quo nobis induſium. Cum magnum iter erat ſuſcipiendum, lineæ ſubuculæ afferebantur, ut quæ ſudore maduerant, recentibus commutarentur [7]. Non loquitur de pallio, quod vulgo non mutabatur, & quod nimis incommodum fuiſſet iis, qui pedeſtri itinere viam carpebant, plura ſecum geſtare.

Neque calceamenta [8]] ſoleas videlicet. S. Marcus c. 6. v. 9. ait, Jesum Christum Diſcipulis ſuis iter agentibus permittere, ut ſandaliis utantur. Verum cum voces, quibus utitur S. Matthæus, & quas *ſoleas* vertimus, idem ſignificent, ac illæ S. Marci, quæ de *ſandaliis* explicantur, ad utrumque hunc Evangeliſtam ſimul conciliandum, neceſſario relinquenda eſt ea ſolutio, quam pleriſque Interpretum attulere [9], cenſentes, in S. Matthæo Jesum Christum ſolearum uſum interdicere, ſandaliorum vero in S. Marco permittere. S. Lucas [10] aliam nobis injicit difficultatem, cum Jesum Christum ad Apoſtolos loquentem hæc dixiſſe ait: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Quod innuere videtur, Apoſtolos nudis pedibus inceſſiſſe. Vox illa, qua utitur, eadem eſt ac ea, quæ iſthic a S. Matthæo adhibetur, ad innuendum ſolearum ſecundarum interdictum. Num dixeris ideo Apoſtolos nudatis omnino pedibus ambulaſſe? Hoc S. Marco adverſatur, ſandaliorum uſum permittenti; & Jesu Christo etiam opponitur cum calceamentis juxta regionis illius conſuetudinem incedenti; de quo S. Johannes ajebat, ſe dignum non eſſe, ut corrigiam calceamentorum ejus diſſolveret [11]. Romæ diu aſſervata ſunt Sandalia quædam, quæ Salvatoris fuiſſe ferebantur [12].

Vera igitur iſthæc omnia conciliandi ratio eſt, aſſerere, id Apoſtolis a Jesu Christo prohiberi, cum miſſionem, Evangelium prædicaturi ſuſcipiunt; hoc enim interdictum ad unam hanc circumſtantiam eſt coarctandum, ne duo, vel plura ſolearum, vel ſandaliorum, aut alterius generis calceamentorum paria geſtent pro regionis, ubi adeſſent, conſuetudine. Quæ plerorumque notæ melioris Interpretum [13] explicatio eſt; quam Presbyter Juvencus l. 2. adoptavit:

Nec geminas veſtes, nec plantis tegmina bina.

Mos ſecum mutatoria deferendi calceamenta ex omni antiquitate probatur. Heri ea ſervis ſuis deferenda tradebant. S. Matthæus 3. 11. Johannem Baptiſtam dicentem inducit, ſe indignum eſſe, qui Jesu Christi geras calceos. Iſthic repetenda eſt vox illa *duas*; quæ decimi verſiculi initio reperitur, *neque duas tunicas, neque duo calceamentorum paria*.

Neque virgam.] Complures [14] hoc de armorum genere ad vim vel inferendam, vel propulſandam intelligunt. Ne gladiis, ferrove præfixis ſudibus, aliove armorum genere muniamini; omnem confidentiam in Domino collocate. Non prohibet Jesus ſcipionis uſum, quo greſſus firmes, quemadmodum explicite S. Marcus 6. 8. docet: *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum*; quod ipſum innuere videtur S. Lucas 22. 36. ubi cum Jesus Christus ex diſcipulis ſuis ſciſcitatus fuiſſet: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* cui cum illi dixiſſent, *nihil*; addidit; *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram, & qui non habet vendat tunicam ſuam, & emat gladium*, quo in loco *gladium* pro *baculo* uſurpaſſe putatur. Et quid probabilius pro hac ſententia affertur.

Sed hanc complures eruditi Scriptores oppugnant [15], qui tenent, Salvatorem iſthic vetare, ne diſcipuli plures conditos habeant ſcipiones, non autem, ne baculo utantur, quibus iter agentes ſuos greſſus firment,

Ani-

1 Maldon. Grot. Menoc. Brug. 2 Vide Auguſt. de Conſenſu Evang. lib. 2. cap. 30.
3 Μὴ κτήσησθε χρυσόν. Vide Chryſoſt. hic. 4 Εἰς τὰς ζώνας.
5 Græc. Μὴ πήραν εἰς ὁδόν. 6 Marc. 6. 8. Μὴ πήραν, μὴ ἄρτον.
7 Hieron. hic. Aug. l. 2. de Conſenſu. 8 Μηδὲ ὑποδήματα.
9 Ita fere Hieron. hoc loco. Et Aug. lib. 2. de Conſenſ. c. 30. Salmaſ. ad Tertull. Pall. C. 5. Balduin. de Calceo antiquo, c. 12. Ligfoot. Hor. Hebr. in Matth. alii.
10 Luc. 22. 35. Ἄτερ βαλαντίου, καὶ πήρας, καὶ ὑποδημάτων. Vide, ſi lubet, Aug. Serm. 101. nov. Edit.
11 Marc. 1. 7. Luc. 3. 16. 12 Paſchaſ. Radbert. l. 6. in Matth.
13 Maldonat. Paul. Burg. Cajetan. Gagn. Guilland. Suarez, Ribera, Contzen, Piſcat. Grot. Eraſm. Beza. Vincent. Regius. Vide Bineum de calceis Hebr. l. 1. c. 6.
14 Brugenſ. Piſcat. Menoc. Hamm. 15 Grot. Beza, hic. Bynæus de Calceo, l. 1. c. 6. Natal. Alex. in hunc locum.

Animadvertunt autem primo, in plurimis Græcis veteribus MSS. legi [1] *virgas* numero multitudinis pro *virga*. Similiter legit S. Lucas 9. 3. Secundo, ſi S. Marcus 6. 8. explicite ait, Jeſum Chriſtum Apoſtolis ſuis permiſiſſe, ut unum dumtaxat baculum ferrent: vetuit ergo habere plures. Tertio denique, dicunt, in itinere uno plures baculos geſtari conſueviſſe, vel ut illis innitereotur, vel ſarcinulas, ac viaticum ſuum ferrent, ubi qui primum aſſumptus fuerat, vel fractus eſſet, vel attritus [2]. Hæc trium Evangeliſtarum inter ſe conciliandorum ratio ad litteram maxime præ cæteris videtur accedere.

Dignus enim est operarius cibo suo.] Hoc ſapit adagium. Operarius nihil minus, quam victum ſuum ſperare poteſt. Deus, cui famulamini, egeſtatibus veſtris conſulet, ſeu per ſe ipſum, ſeu alios impellens, ut veſtris neceſſitatibus opitulentur. Hoc non oberat tamen, quominus Apoſtoli adlaborarent, ut victum ſibi quærerent, cum actu munere ſuo divinum enuntiandi verbum minime fungerentur, cujus rei S. Paulus Apoſtolus exemplo ſuo præclarum nobis ſuppeditat argumentum [3].

℣. 11. Interrogate, quis in ea dignus sit.] Non exiguus eſt honos, Apoſtolum, Apoſtolicumve virum hoſpitio excipere [4]. Qui digni habiti ſunt, ut illos domi ſuæ recipiant, ſe uque felices putent, ac ſi Jeſum Chriſtum hoſpitem haberent: *& magis ſe noverint accipere gratiam, quam dare*, quemadmodum S. Hieronymus docet. Apoſtoli, quique Apoſtolico in miſſionibus munere perfunguntur, conſulere debent honori muneris ſui, non objicere illud opprobriis, pro hoſpitio indignos hoc honore locos eligendo. *Ergo hoſpes fama eligendus eſt populi, & judicio vicinorum, ne prædicationis dignitas ſuſcipientis infamia detorpetur*, doctor idem ait. Non ditiores, non opibus præſtantiores, & eos, a quibus magnificentius exeipiaris, præferendos putes, ſed eos, qui Deum magis verentur, & amant, & quibus veritas jucundior accidit, & carior.

Ibi manete, donec exeatis.] Hoc eſt, quemadmodum a S. Luca 10. 7. explicatur: *Nolite tranſire de domo in domum*: ne ob animi levitatem hoſpitium immuteris: ita enim contumelioſi eſſetis illi, qui primus vos excepit hoſpitio: quaſi officii ejus vos tæduerit, & non ſatis accepta vobis illius hoſpitalitas eſſet. Hoc muneri quidem veſtro contemptum conflaret; debilibus vero ſcandalum præberet, qui vos levitatis condarguerent, vel vitæ hujus commodis, atque bonis nimium addictos cenſerent [1]: *Alienum eſt a prædicatore Regni Cæleſtis curſitare per domos, & inviolabilis hoſpitii jura mutare*, S. Ambroſius in Luc. l. 6. n. 66. inquit.

℣. 12. Salutate eam dicentes: Pax huic domui.] Ut hoſpitio excipiamini, non commendatitiis epiſtolis, neque alia quapiam re, quæ in hominum cognitionem vos tradat, indigetis; dicite ſolum: Pax huic domui; Deo cordi erit, ibi incolentium animos præparare, ut facilem vobis aditum aperiat. Olim cum in urbem veniſſes, ubi cognatos haberes, vel amicos, apud eos diverſabaris, qui viciſſim tuo jure utebantur, cum in tuam urbem acceſſiſſent: hoc autem jus hoſpitalitatis de progenie tradebatur in progeniem, ac de patre in filium migrabat. Cum autem ea in familia, in qua hoſpes admitti cupiebas, minime agnoſcebaris; tunc commendatitiæ afferebantur epiſtolæ, vel alia neceſſitudinis monumenta, ut pro hoſpite, vel amico agnoſcereris. Jeſus Chriſtus hic jubet, Apoſtolos ſuos bono eſſe animo, etiamſi in aliquam

A acceſſerint civitatem, abſque pecunia, commeatu, mutatoriis veſtibus, ideoque minime potuerint in publicum diverſorium concedere, ubi præter manſionem nihil prorſus inveniebatur. Vult ſolum eos attentius veſtigare, quinam in urbe meliores, magiſque frugi ſint, ac ubi in re magis cenſuerint, ſibi hoſpitium eligere, certos, ſe honorem iis tribuere, apud quos conceſſerint, ita ut horum felicitati cæteri invideant. Ubi domum fueris ingreſſus, ſtatim ſalutem dic familiæ, pacem illi, omniaque proſpera precare, quemadmodum conſueverant Judæi, quorum vulgata ſalutatio hæc erat; Pax tecum: & ſcias, te benigne acceptum iri.

Græca typis cuſa exemplaria non legunt hæc verba: *Pax huic domui*; quæ neque S. Hieronymus in textu legit, neque in Commentariis ſuis in S. Matthæum,
B licet in Bibliotheca Sacra opertime typis edita videantur. Leguntur etiam in omnibus ferme tum editis, tum manuſcriptis Latinis, in non paucis manuſcriptis Græcis [6], in S. Hilario, S. Johanne Chryſoſtomo, ac Theophylacto. Credunt tamen nonnulli iſthic addita fuiſſe, & ex S. Luca 10. 5. deprompta.

℣. 13. Si fuerit illa domus digna.] Si domus ea præparata eſt ad excipiendum Pacis Evangelium, *ſi ibi fuerit filius pacis*, ut S. Lucæ 10. 5. verbis utar, ac prædeſtinati ſint ad ſalutis verbum excipiendum, cum gaudio, & alacritate recipient vos, voſque audient cum fructu, *veniet pax veſtra ſuper eam*: cumulabuntur effectibus votorum veſtrorum, atque auſpicatiſſimi adventus veſtri: Sin autem; *pax veſtra revertetur ad vos*. Si repulerint, atque contempſerint pacem, quam
C illis offertis, ac verbum veritatis, quod prædicatis; meritorum veſtrorum cumulo accedet, quod & ſalutem eorum pro viribus procuraſtis, & munere veſtro efficis perfuncti [7]. Pater Cæleſtis, qui de recte factis non ex eventu, ſed ex voluntate, ac zelo, cum quibus illa conjuncta ſunt, judicat, norit quidem præclare vos remunerari. Alii [8] ita poſtrema hæc explicant verba: *pax veſtra revertetur ad vos*. Nullam inveniet effectum in iis, in quorum gratiam illam precamini: re infecta ad vos revertetur, ac aliis illam afferetis, qui ex ea fructum percipiant. Ita in Iſaja 55. 11. Dominus ait: *Sic erit verbum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcumque volui*.

℣. 14. Exeuntes foras de domo, excutite
D pulverem de pedibus vestris.] Symbolico facto hoc Patres innuebant, nullam ſe habere velle communionem, aut nexum cum locis, & perſonis, a quibus Dei verbum reſpueretur. Hæc anathematis ſpecies erat, inquit S. Hilarius [9], & ſignum, ea loca ab ipſis haberi tamquam polluta, ita ut ne pulverem quidem eorum pedibus ſuis adhæreſcere paterentur. S. Lucas quoque 9. 5. hunc genuinum eſſe horum verborum ſenſum oſtendit, ubi ait: *pulverem pedum veſtrorum excutite in teſtimonium ſupra illos*, ſcilicet, ut oſtendatis, vos eorum vivendi rationem horrere, atque ænigmatice dicatis illis, noviſſimo Judicii die pulverem pedum ipſorum in teſtimonium contra illos proditurum [10].

Præceptum hoc Salvatoris in Actis Apoſtolorum 13. 51. videmus adimpletum. Judæi Antiochiæ in Piſidia,
E cum adverſus Paulum, & Barnabam perſecutionem ſuſcitaſſent, fecere, ut urbe ejicerentur; qui egredientes, ipſum etiam de pedibus ſuis pulverem excuſſerunt, ac alio conceſſerunt. Alibi etiam [11] S. Paulus pallium ſuum excutit in eos, qui ſanæ doctrinæ ipſius reluctabantur. Vetus eſt hæc apud Judæos conſuetudo: & in 2. Eſdræ 5. 13. etiam deprehenditur. Videns Nehemias

1 *Ῥάβδους*. Legunt Steph. Codd. 10. Bodl. 4. Voſſ. 1. Hunt. 1. Uſſer. 2. Laud. 2. alii plurimi. Vide Mill.
2 Vide Grot. hic. 3 Act. 18. 3. & 1. Corinth. 9. 1.
4 Hieron. Mald. Eſt. alii. 5 Vide S. Chryſoſtomum, Bedam, Euthymium, Theophylactum, Brug. Mald. Grot. 6 *Λέγοντες, εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ*. Ita Codd. Steph. 5. Bodl. 3. Cantabrig. Pariſini 3. Et alii plures apud Mill. 7 Aug. de Corrept. & Grat. c. 15. *Ad nos revertetur, id eſt, nobis proderit iſta prædicatio, non & illi; ſi autem ſuper eum pax prædicata requieverit: & nobis, & illi*. Vide & Hieron. hic.
8 Maldonat. Grot. Menoch. 9 Chryſoſt. Hieronym. & Theophylact. hic. Auguſt. qu. 7. in Matth. Ambroſ. in Luc. Euthym. hic. Hilar. in Matt. Tertull. l. 4. contra Marcion. Grot. alii.
10 Origen. hom. 18. in Gen. Hilar. hic. Maldonat. Menoch.
11 Act. 18. 6.

A mias Jeruſolymæ plebeculam ſeditionem contra divites moliri propter cordis horum duritiem, accerſitis populo, & Sacerdotibus, creditores cohortatus eſt, ut obæratis æs conflatum remitterent, ac ſimul ſinum ſuum excutiens, ait: *Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleverit verbum iſtud de domo ſua, & de laboribus ſuis, ſic excutiatur, & vacuus fiat.*

Non defuerunt [1], qui crederent, actionem hanc pulveris excutiendi de calceamentis, eſſe veluti Apoſtolorum exprobrationem erga eas civitates, quaſi dicerent: Fruſtra laboravimus pro vobis: longum & difficile ingreſſi ſumus iter: en pulvis pedum noſtrorum rei hujus teſtis: illum ſuper vos excutimus, ut ſit aliquando veſtræ damnationis teſtimonium.

℣. 15. TOLERABILIUS ERIT TERRÆ SODOMORUM] B Hæ duæ impiæ civitates flagitiis ſuis graviſſima quævis Divinæ juſtitiæ ſupplicia promeruerant: ſed quantumcumque fuerit ſcelus earum, illud multo minus erat ob Legis, ac Divinæ voluntatis ignorantiam. Illæ neque repulerunt, neque contempſerunt Domini verbum: & hanc ob rem minus noxiæ ſunt, quam qui per nequitiam, & contemptum legum Domini peccant. Hoc in ſenſu Prophetæ ſæpius exprobrarunt Hebræis, iniquitatem Jeruſalem majorem eſſe iniquitate Sodomorum, & Gomorrhæ: *Major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei, peccato Sodomorum* Thren. 4. 6. Et Ezechiel 16. 48. *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit, ſed viciſti eas ſceleribus tuis.* Alloquitur Jeruſalem. Samariæ ſcelera nequaquam iis gravibus, ac flagitioſis conjuncta fuere circumſtantiis, quales efficiunt, ut crimina tua Dominus adeo perhorreſcat.

C ℣. 16. ECCE EGO MITTO OVES IN MEDIO LUPORUM.] Non tradit Jeſus Chriſtus hic ſolum Diſcipulos ſuos pro priori miſſione, quam ipſo adhuc vivente in Judæam aggreſſi ſunt: verum generatim illis tradit præcepta pro omnibus miſſionibus, ac itineribus, quæ toto Apoſtolatus tempore illis erunt ſuſcipienda. Illis prædicit, quidquid eveniet; præmonet adverſus pericula, ac mundi nequitiam. Mundus quodammodo lupis rapacibus refertus erat: Ethnici, qui omnem ferme terram occupabant, infenſiſſime veritates ſalutis abominabantur. Dæmones exercere debebant omnem furorem ſuum in Evangelii Præcones. Judæi ipſi, quorum corripiebantur flagitia, plurimas ſuſcitaturi erant adverſus Apoſtolos perſecutiones. Hi ſunt lupi, contra quos oves erant decertaturæ.

D ESTOTE ERGO PRUDENTES SICUT SERPENTES &c.] Dixit nuperrime illos futuros velut oves in medio luporum: nec alia ipſis tribuit arma, quam patientiam, & manſuetudinem: eiſque prudentiam, & ſimplicitatem; ſapientiam ſine ſimulatione, ſine aſtu, ſine dolo; ſimplicitatem prudentem, ſapientem, & cautam commendat. Si vos perſecuti fuerint, columbæ inſtar ſine felle, ſine ultionis cupiditate, ſufferte; at ſi fieri poteſt, cum ſerpentis prudentia, ſeu fugientes, ſeu aliter, perſecutionem evitate. S. Paulus ſæpius ſerpentis prudentiam exercuit, cum de muris Damaſci demitti voluit in ſporta, ut perſecutorum ſuorum vigilantiam eluderet [2]: cum ſe Phariſæum profeſſus eſt, ubi Jeroſolymæ captus fuit [3], ut Judæorum furorem falleret, qui in ſe impetum erant facturi: cum denique non ſemel jure civitatis Romanæ frui voluit, ut e perſecutorum manibus elaberetur [4]. Columbæ quoque ſimplicitas in univerſa ejuſdem Apoſtoli vita liquido apparet: ſemper enim rectus fuit, ſincerus, humilis, patiens, ſine amarore, ſine ſimultatione.

A Duæ hæ qualitates minime ſejungendæ ſunt [5]: ſerpentis prudentia ſine columbæ ſimplicitate inanis eſſet, immo in perniciem verti poſſet: non ſecus ac ſine prudentia ſimplicitas. Sunt, qui docent [6], prudentia adverſus alienos, ac infideles præſertim, ſimplicitate vero, cum fidelibus utendum. At liquido patet, Salvatorem duarum harum virtutum exercitationem popoſciſſe erga eos omnes, quibus prædicaturi erant Apoſtoli, prout aliæ, ac aliæ, quæ occurrere poſſunt, ferrent circumſtantiæ.

Ingenita ſerpentis prudentia, unde ſimilitudinem haurit Jeſus Chriſtus, quam Apoſtolis proponat, juxta pleroſque Interpretes [7], in eo conſiſtit, quod reliquum corpus ſuum ille objicit, ut conſulat capiti, quod ſuis voluminibus obtegit, cum ipſum aliquis adoritur. B Credunt alii [8], illum virus ſuum evomere, cum poturus eſt, ne bibens ſibimet veneno mortem infligat, poſtea vero quam biberit, venenum, quod vomuerat, reſumere [9]. Prudentiam hanc in eo nonnulli conſtituunt, quod ſub hyemis initium, ad ſævum frigus evitandum ſubtus terram latebras quærit; vere autem iterum repubeſcere videtur in ſaxi ſciſſura, veteri cute depoſita. Putant alii [10], Salvatorem alludere ad ea, quæ in Pſalmo 57. 6. dicuntur, ſerpentem obturare aures ſuas, ne venefici vocem exaudiat. Autumat Grotius, hoc ſimpliciſſime explicari poſſe de acie oculorum ſerpentis, qua maxime excellere perhibetur. Horatius l. 1. Satyr. 3.

Tam cernis acutum
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius.

C Hoc liquet, veteres plurimum aſtus, & calliditatis ſerpenti tribuiſſe. Moyſes Geneſeos 3. 1. ait, ſerpentem omnium animantium eſſe calidiſſimum; & S. Paulus 2. Cor. 11. 3. teſtatur, ſerpentem aſtu ſuo Evam in errorem impoliſſe. Dicitur inſidiari calcaneo mulieris, ut illi morſum infligat: ac equi ungulam mordere, ut equitem deturbet Gen. 49. 17 Ariſtoteles quoque hiſt. An. l. 1. c. 1. Serpentis aſtum agnovit: Et Æſopus ait, fœdere cancrum inter, ac ſerpentem percuſſo, illum adniſum, ut hic omnem aſtum deſereret. Videndus eſt Bochartus de Animal. ſacr. part. 1. l. 1. c. 4. qui omnem hanc exhauſit materiam in præclaro opere ſuo de Biblicis animantibus.

Serpentis vero calliditati columbæ ſimplicitas opponitur. Scriptura nobis exhibet columbam tamquam aD vem ſine dolo, & quæ ſe falli facile ſinit [11]: *Ephraim velut columba fatua*, vel ſimplex, *non habens cor*, calliditatem, aſtum. Si pullos aufers columbæ, ad nidum redit, ibique iterum nidificat [12]. Laqueo etiam facile columbam capi ferunt: ita ut apud Ethnicos etiam columbæ ſimplicitas in adagium abierit [13]. Græca vox [14], qua Jeſus Chriſtus uſus eſt, ut columbæ ſimplicitatem innueret, ad litteram ſignificat *ſine cornu*, ſine præſidio; animal mite, ac manſuetum. Alii de ſimplicitate, & candore intelligunt. Græca vox *ſine mixtione* ſignificare poteſt. Sed in eo, quem explicamus, loco, cum ſimplicitas calliditati opponatur, credimus, intelligendam eſſe de ea facilitate, qua avis hæc ſe capi ſinit, non diffidens, non aſtu, aut nequitia utens. Quod in S. Pauli ſenſu eſt intelligendum [15]: E *Fratres, nolite pueri effici ſenſibus; ſed malitia parvuli eſtote.* Hinc iſthic etiam dici poteſt: Eſto ſimplex, ut columba non habens fel, nec dolum malum, nec nequitiam. Sed ne ſimplex ſis, perinde ac ſenſu, ac prudentia careres.

℣. 17. CAVETE AUTEM AB HOMINIBUS.] Hi ſunt lupi

1 Vide Chryſoſtom. Hieronym. Bedam hic. Auguſt. quæſt. 7. in Matth.
2 Act. 9. 25. 3 Act. 23. 6. 4 Act. 16. 37. 22. 25.
5 Auth. Oper. imperf. Tertull. lib. contra Valentin. Nazianz. Orat. 19. Iſidor. Peluſ. l. 3. Ep. 175. Greg. in Job. l. 1. c. 2. 6 Author. Oper. imperfect. Theophyl. hic.
7 Epiphan. Phiſiolog. cap. 15. Et hæreſ. 37. Chryſoſt. in Pſalm. 114. Iſidor. Peluſ. l. 1. Ep. 126. Iſidor. Hiſpal. lib. 12. cap. 4. alii paſſim. 8 Epiphan. hæreſ. 37. Cæſar. Dialog. 4. quæſt. 190. Euſtath. in Hexaemer. Petr. Damian. Hieronym. ſeu alius Epiſt. ad Præſidium.
9 Epiph. Phiſiolog. alii paſſim. 10 Vide Grot. hic. & Boch. de Animal. ſacr. par. 1. l. 1. c. 4.
11 Oſee 7. 11. יונה פותה אין לב 12 Theodoret. in Oſee 7. 11. & Hieron. ibid. Theoph. hic.
13 Vide Scholiaſt. in Juvenal. Satyr. Et Suidam in [illegible]. Euſtath. in Iliad. 3. Ariſtophan. & Scholiaſt. in avibus. 14 Ἀκέραιοι ὡς περιστεραί. 15 1. Cor. 14. 20.

ſupi illi, de quibus ad vos locutus ſum, cum dixi me mittere vos tanquam oves in medio luporum. Ii, ad quos pergitis ſalutis verbum, & pacis Evangelium annuntiaturi, vos perſequentur, vos contumeliis proſcident, vobis inſidias ſtruent. In hos ſerpentis prudentiam, ovis manſuetudinem, columbæ ſimplicitatem exercearis, oportet.

TRADENT ENIM VOS IN CONCILIIS, & IN SYNAGOGIS SUIS FLAGELLABUNT VOS.] *Concilia* [1] erant Judicum cujuslibet civitatis ſubſellia, ubi contra rempublicam, bonumque publicum errata puniebantur. Ad ea pertrahemini velut ſeditioſi, ac nebulones, qui Religionem prætexentes in populis cient rerum novarum amorem. Ex his Judicum conciliis ſingula erant in quavis Judæorum civitate [2]. *Synagogæ* alia ſunt Judicum collegia, ubi ſcelera contra Religionem, Legemque commiſſa puniebantur. Ad hæc ſæpius adducti fuerunt Apoſtoli, & S. Paulus 2. ad Corinthios 11. 24 ait, ſe a Judæis quinquies virgis cæſum fuiſſe. Narrat S. Epiphanius apud Grotium hic, Judæum quemdam Chriſtianæ Religioni ſe initiari cupientem, a Judæis in Synagoga fuiſſe flagellatum. Vetus Auctor, qui Commodo imperante [3] contra Montaniſtas ſcribebat, hæreticis illis exprobrat, quod a Judæis numquam vel flagellis cæſi fuerint, vel appetiti lapidibus. Denique ex Rabbinorum ſchola oſtendit Ligfoot, in quavis Synagoga tres fuiſſe Judices, qui de criminibus, quæ in eadem Synagoga patrabantur, exercebant judicium, & qui virgis damnabant eos, qui ſontes inveniebantur.

Minas has, vel potius prædictiones in Actis expletas perſpicue intuemur. Apoſtoli poſt Spiritus Sancti deſcenſum, cum Jeroſolymæ prædicare incepiſſent, ibique plurimos ad Chriſti fidem converſiſſent, rapti fuere coram magno Conſilio, vel cœtu Sacerdotum, Magiſtratuum Templi, & Seniorum populi [4]. Alia etiam in occaſione Principes Sacerdotum, & Saducæi manus injecerunt in Apoſtolos, qui prædicare pergebant, eoſque in vincula trudi juſſerunt [5]. S. Stephanus, primitiæ Martyrum, ipſe quoque a populo, & Scribis comprehenſus fuit, & ad Judicum ſubſellia raptus, a duobus teſtibus fuit accuſatus. In Synagogis, quæ omnino aliæ erant a laicorum judicum collegiis, S. Paulus [6], quinquies ut ſupra jam diximus, novem ac triginta verberibus cæſus fuit.

℣. 18. ET AD PRÆSIDES, & AD REGES DUCEMINI.] Ad Provinciarum Præfectos, quales erant Pilatus, Felix, Feſtus, & ad *Reges*, ut Agrippa [7], Nero, ac tot alii, ad quorum tribunal Apoſtoli, Apoſtolicique viri adducti fuere.

IN TESTIMONIUM ILLIS.] Coram illis veritatem, ac doctrinam meam teſtabimini. Eritis mihi teſtes, Martyres mei, atque patroni. Aliter: prodibitis coram Ethnicis, & Judæis, ut Judicii die teſtes eſſe poſſitis, eorumque infidelitatem, atque pertinaciam damnare [8].

℣. 19. NOLITE COGITARE.] Non juſtas, æquaſque curas, neque neceſſariam in loquendo, vel reſpondendo diligentiam repellit: damnat ſolum nimiam ſollicitudinem [9], ac Providentiæ diffidentiam. Mea intereſt, cauſam veſtram tueri; illa mea potius cauſa eſt, quam veſtra; ea, quæ pro viribus poteſtis, præſtare, cæterum mihi omnem curam relinquite. Dabo vobis Spiritum meum, qui per os veſtrum loquetur.

℣. 20. TRADET AUTEM FRATER FRATREM.] Calamitoſis autem temporibus objiciemini, ut nemini fidem habere tuto licebit. Grave adeo erit periculum, ut ob illud evitandum frater fratrem, & pater filium prodet. Hunc loci hujus genuinum ſenſum eſſe arbi-

A tror. Michæas 7. 2. & Jeremias 9. 4: eodem loquendi genere utuntur, ad eminens periculum indigitandum, ubi terror omnis humanitatis ſenſus ejiciet, & ubi arctiori cognationis vinculo conjuncti mutuo ſibi deerunt, ut ſibimet conſulant, ac ex impendenti periculo evadant.

℣. 22. PROPTER NOMEN MEUM.] Mortalibus omnibus odio eritis hac ſignanter de cauſa, quod mei eſtis Diſcipuli, & ex nomine meo appellamini. De hoc tantum accuſabimini, quod meæ Religionis ſectatores eſtis; nomen veſtrum erit crimen veſtrum: *Illud ſolum expectatur, quod odio publico neceſſarium eſt; confeſſio nominis, non examinatio criminis*. Torquebimini, ut ex vobis Chriſtianæ Religionis confeſſio exprimatur, ſi nomen meum conſtanter confitebimini, exquiſitis cruciatibus vos afficient; ſin au-
B tem nomen meum abdicaveritis, Judicio eritis abſoluti: *Torquemur confitentes, & punimur perſeverantes, & abſolvimur negantes; quia nominis prælium eſt*, ait Tertullianus in Apolog. c. 2.

QUI AUTEM PERSEVERAVERIT USQUE IN FINEM, &c.] Qui in fide, patientia, perſecutionibus conſtans permanſerit uſque ad finem; vel qui ad finem uſque patietur [10], hic ſalvus erit: *Qui ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus erit*, ait S. Marcus 13. 13. *Quid ſuſtinendo, niſi perſecutionem, niſi traditionem, niſi occiſionem? Non enim aliud eſt ſuſtinere in finem, quam pati in finem*. Tertull. Scorpiac. c. 9.

℣. 23. CUM PERSEQUENTUR VOS IN CIVITATE ISTA &c.] Antiqui nonnulli MSS. Græci in loci hujus fine hæc addunt verba [11]: *Quod ſi & in ea*, quo conceſſeritis,
C *perſecuti* vos fuerint, *in aliam effugite*. Conſtantiam, virtutem, præſentemque animum petit ex Apoſtolis ſuis JESUS CHRISTUS. Eis prædicit, futurum ut mortalium genus univerſum ſibi habeant infeſtum; nomen ipſorum fore crimen eorum; at imperteritam temeritatem non probat. Iſthic ergo animum tenaciter nimis audacem damnat; eis permittit, ut de una in aliam, & hinc rurſus in aliam civitatem ſe ſe recipiant; perſecutiones effugiant, hoſtibus ſe non objiciant; pericula non provocent, ſe ſe in Eccleſiæ utilitatem reſervent, momenta divinitus præfinita expectent; cruorem ſuum, vitamque in diſcrimen non adducant; ac perſecutorum quoque ipſorum animabus parcant; prohibentes, ne illi innocuum effundant ſanguinem, eiſque injuſte agendi occaſionem auferentes.

D Non probat ideo tamen ignaviam, inanemque mortis formidinem. Si fugam corripere licet, cum charitas, & prudentia poſtulant, aliis in circumſtantiis fuga ſcelus eſt [12]. Cum Dei, veritatis, & Religionis intereſt, Paſtor, Apoſtolus, Chriſtifidelis conſtanter obſiſtat oportet, generoſe confiteatur, extremaque ſubeat ſupplicia, potiuſquam a ſuis erga Deum officiis recedat. JESUS CHRISTUS in Ægyptum conceſſit, cum illum ad necem Herodes quæſivit [13]. E manibus civium Nazareth elapſus eſt, cum eum præcipitem agere vellent Luc. 4. 30. De Judæa in Galilæam ſe recepit, ubi S. Johannem Baptiſtam in vincula conjectum audiit Joan. 4. 1. at ubi venit hora ipſius, ſe ſe ſponte carnificibus obtulit Matth. 26. 47. Ad eus acceſſit; nihil ut ſuam cauſam tueretur, vel coram Pilato, vel ad Herodis tri-
E bunal reſpondit. S. Paulus Damaſco [14] aufugit per ſportam demiſſus: at idem Apoſtolus audacter JESUM CHRISTUM prædicavit, & gloriatus eſt in perſecutionibus, tormentis, carceribus, quæ in ſuæ prædicationis curriculo pati debuit. Nec aliter egere Apoſtolici viri, S. Cyprianus, S. Polycarpus &c.

Veteres nonnulli Patres [15] credidere fugiendi facultatem, quod JESUS CHRISTUS iſthic Diſcipulis ſuis tra-

---

1 Εἰς συνέδρια. 2 Vide ſupra c. 5. 22. 3 Apud Euſeb. Hiſt. 4. cap. 26.
4 Act. 4. 5. 6. 7. 5 Act. 5. 17. 18. 6 Act. 6. 12. 13.
7 Act. 25. 26. 8 Ita fere Hilar. Author. Oper. imperfect. Euthym. Maldon. Menoch. alii.
9 Græc. Μὴ προμεριμνᾶτε. Vide ſupra 6. 25. 28. & confer Marc. 13. 11. Luc. 21. 14.
10 Græc. Ὁ δὲ ὑπομείνας 11 Καὶ ἐὰν ἐκ ταύτης διώκωσιν ὑμᾶς, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην. Vel: φεύγετε εἰς ἑτέραν. Vel: ἐὰν δὲ ἐν τῇ ἄλλῃ διώκωσιν ὑμᾶς, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην. Vide Var. Lect. Millii.
12 Vide Auguſt. Epiſt. olim 180. nunc 228. 13 Matth. 2. 14.
14 Act. 9. 25. & 2. Cor. 11. 33. 15 Tertull. l. de Fuga in perſecut. Chryſoſt. Homil. 35. Hieronym. hic. Euthym. & Theophylact.

tradidit, ad primam Apoſtolorum miſſionem coarctandam eſſe, ita ut poſt illius Paſſionem, & Reſurrectionem non fuerit amplius integrum hac uti facultate. At alii [2] majori cum veritatis ſpecie tenent, id generice fuiſſe permiſſum, & licet Salvator hanc facultatem tradiderit, cum primum Apoſtolos miſit, quamvis tunc probe noſſet, illos nec in fugæ, neque in tormentorum pericula adducendos, e re cenſuit magis generalia illis tribuere præcepta, quæ ad remotius tempus ſpectarent. Eccleſia nigrum theta affixit ſententiæ Tertulliani, aſſerentis, in perſecutionibus fugam capeſſere nefas eſſe; & ille ipſe in priori libro ad uxorem ſuam, quem ſcripſit antequam Montaniſta fieret, fugam iis in circumſtantiis nequaquam vetitam eſſe arbitrabatur.

NON CONSUMMABITIS CIVITATES ISRAEL, DONEC VENIAT FILIUS HOMINIS.] Plures his verbis ſenſus poſſunt appingi: Non ſatiabitis prædicantes omnes Judææ civitates, ante adventum meum, & antequam iram meam adverſus incredulos exerceam. Si vobis obſtiterint Judæi, ne animos deſpondeatis. Cum in una civitate non recipiemini, in aliam concedite; nondum omnes Judææ civitates peragraveritis, cum detonabit ultio mea in adverſarios veſtros, ac in eos, qui vobis obſtiterint [3]. Hic peraptus eſt, ac maxime ſimplex hujus loci ſenſus. Hæc verba: *donec veniat Filius hominis*, & ſimilia [1], vulgo hunc in ſenſum explicantur. Effectus ad unguem permiſſionem hanc comprobavit. JESUS CHRISTUS in ita ſua civitates Iſrael, quæ verbum ſuum non receperant, bello viſitavit, quo eas Romani poſt quadraginta circiter annos a morte illius perſecuti ſunt, cum hactenus plures e Diſcipulis ejus viverent.

Alii [4] hoc ita explicant: Non conſummabitis civitates Judææ, cum veniam ad vos; vobis opem feram; vos ſequar, perficiam id, quod inceperitis. Hæc explicatio iis S. Lucæ 9. 1. verbis innititur: *Miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus.* Et illis S. Matth. 11. 1. *Et factum eſt, cum conſummaſſet JESUS præcipiens Diſcipulis ſuis, tranſiit inde, ut prædicaret in civitatibus eorum*; hoc eſt, profectus eſt in urbes Iſrael, quo paulo ante miſerat Apoſtolos ſuos.

Patres quidam [5] hunc adventum Filii Dei de noviſſimo Judicio interpretantur. Antequam Judæos omnes ad fidem converteritis, veniet Filius hominis, Mundum judicaturus. Gentium plenitudo in Eccleſiam ingredietur, antequam Iſrael univerſus ad Dominum convertatur. JESUS CHRISTUS obſcure Judæorum converſionem prædicit, verum hoc ſero, ac difficile futurum indigitat. Prior, & altera explicatio magis mihi arrident.

℣. 25. SI PATREM FAMILIAS BEELZEBUB VOCAVERUNT, QUANTO MAGIS DOMESTICOS EJUS?] Nequaquam melior eſt vobis conditio, quam Magiſtro veſtro; neque ſperare debetis, ut ab illis æquius, quam ego, excipiamini. Ipſi me perſecuti ſunt, contumeliis, calumniis proſcindere non ceſſarunt; vosmet ad eadem præparetis oportet: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur* Joan. 15. 20. Si me Beelzebub, dæmonem, dæmoniacumque dixere, vobis minime parcent.

Beelzebub eſt Philiſthinorum Numen, cum ea veteri [6], tum ex novo Teſtamento ſatis notum; idque nomen ſignificat *Deum muſcam*. Chananæi [7], & Philiſthini [8], inſectum hoc venerabantur. At de ridiculo hoc Numine fuſius verba fecimus in peculiari Diſſertatione de Philiſthinorum origine, ac Religione. Græca Exemplaria [9] legunt *Beelzebul*, quod Chaldaice *Deum ſordium* ſignificat, & genuina lectio eſt *Beelzebub*, Deus Muſca. Nos vero Gallice pronunciamus *Beelzebut*, mendoſe.

℣. 26. NIHIL EST OPERTUM, QUOD NON REVELABITUR.] Ne timeatis eos, qui vos perſequuntur; eorum calumniæ, doli, prava conſilia detegentur, ac inutilia fient, vel in hoc mundo [10], vel tandem noviſſimi Judicii die [11]. Tunc in luce ſua innocentia veſtra effulgebit, & veritas, quam prædicatis, & cui caliginem offundere nituntur, ab omnibus hominibus intelligetur [12]. Aliter: Ne vereamini inimicorum veſtrorum minas, pravamque voluntatem; quidquid illi conentur, oportet, ut veritas annuntietur, Evangelium in omnibus terrarum plagis prædicetur, populi Myſterium Regni Cœleſtis agnoſcant. Poſtremus hic ſenſus mihi probatior videtur.

QUOD IN AURE AUDITIS, PRÆDICATE SUPER TECTA.] Hæc adagii ſpecies eſt. Ne ceſſetis, veritates, quas vos docui, in medium proferre; eas clara voce, animoque præſenti, ac ſine metu prædicate. De ſummo domorum cacumine vocem attollite, ut eas mortales omnes audiant, & diſcant. Hoc cum ſuperioribus cohæret; hoc eſt, opus eſſe, ut, quod opertum eſt, retegatur. In Palæſtina tecta plana erant, ac eo aſcendebant, ut in publicis calamitatibus, læſum facerent [13]. Auctores ſunt Rabbini, antequam in Judæa Synagogæ inſtituerentur, die Sabbathi familiam ibi cogi conſueviſſe ad Legem legendam, preceſque fundendas. Complures ex Auctoribus noſtris [14] putant, reipſa nonnunquam ſuper tecta prædicatum fuiſſe, quod non adeo abhorret a fide; domus enim ibi non admodum elatæ ſunt, ac ſolaria in tectis circumundique ad podioli altitudinem muro clauduntur, ne quis inde in ſubjectas vias poſſit decidere.

Quod ad hæc attinet verba: *Quod in aure auditis*: credunt nonnulli [15], Salvatorem alludere ad conſuetudinem Hebraicarum ſcholarum, ubi prope præceptorem adſtat interpres, cui ille in aure præit voce, quod ille deinceps univerſis tono repetit clariori. Apud eos præceptorum honor, ac dignitas ex his Interpretibus cenſetur. Ad hanc quoque diem apud Judæos morem hunc vigere ferunt: cujus certo certius veſtigia in antiquorum Rabbinorum ſcriptis apparent [16]. Non ita conſueverat JESUS CHRISTUS alloqui Diſcipulos ſuos, neque Evangelium ſimile quidpiam nobis teſtatum reliquit, imo ille ipſe nihil clam ſe docuiſſe profitetur [17]; verum ad conſuetudinem in patria ſua conſtitutam alludit. Cæterum nonnunquam locutus fuerat ad Diſcipulos ſuos in itineribus; vel domi, cum aberant turbæ, ad quas ut plurimum prædicare conſueverat.

℣. 29. NONNE DUO PASSERES [18] ASSE VÆNEUNT?] Non dictum eſt ad Apoſtolos confirmandos, ſicubi adverſa quædam illis in Evangelii prædicatione contigerint. Pater Cœleſtis præcipuam veſtri curam gerit; pro illius gloria adlaboratis, nihil vobis ab hominibus metuendum eſt. Num tradet ille vos inimicorum veſtrorum furori, ille inquam, qui ne minima quidem negligit animantia, qui in humillima quæque charita-

1 Vide Origen. Homil. 9. in Judic. Athanaſ. Ep. ad Orthodox. ad Marcum Pontif. Rom. & Nazianz. Orat. 1. contra Julian. Cyprian. Epiſt. 56. & tract. de lapſis. Chryſolog. Serm. 151. *Martyr comprehenſus debet tenere conſtantiam; non comprehenſus debet fugere perſequentem .... Perſecutorem qui provocat, facit: qui declinat, corrigit.*
2 Clericus, Hammond. alii quidam. 3 Confer Matth. 15. 28. 9. 1. Matth. 3. 2.
4 Ita fere Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. Brugenſis.
5 Hilarius hic. Aug. lib. 1. contra Gaudentium Donatiſt. c. 18. Rupert. hic. Vide & Maldon. & Tirin. &c.
6 4. Reg. 1. 3. 7 Sap. 12. 8. 23. 24. 27. 8 4. Reg. 1. 2. 3. 6. 9 Βεελζεβούλ.
10 Chryſoſtom. homil. 55. Author Oper. imperfecti, Homil. 25. Euthym. Theophylact. Maldon. Menoch. Grot.
11 Hilar. Hieronym. Beda in hunc locum. 12 Vide Brugenſ.
13 Iſai. 15. 3. 22. 1. Jerem. 48. 38. 7. 29. 14 Anſelm. Remig. Rabnn. Druthmar. Marian, Hammond, Vide & Maldonat. 15 Ligfoot. Hor. Hebr. & Hammond. hic.
16 Gamar. tractat. Sanhedrin. c. 1. §. 7. & Berachoth. cap. 9. & Elias in Thisbi. voce מתורגמן
17 Joan. 18. 20. 18 Δύο στρουθία *duo paſſeres*; vel generatim, *duæ aviculæ*. Vox Græca στρουθίον, non ſecus ac Hebræa צפור duos hoſce ſenſus habet.

tis ſuæ impenſiſſimas curas extendit? *Obolus* æquat Gallicæ monetæ ſolidum unum, & denarios circiter ſeptem. *Aſſarion*, quæ vox in Græco texto, ex nonnullorum ſententia dimidium aſſis Romani æquabat, hoc eſt denarios quatuor, & $\frac{5}{8}$, vel ſolum quadrantem denarii, hoc eſt denarios duo, & $\frac{5}{16}$. In Templo ob quædam ſacrificicia in Lege præſcripta paſſeres, aliæque aviculæ vendebantur, Levit. 14. 4.

℣. 30. VESTRI CAPILLI CAPITIS.] Pretioſa quælibet ſumma cura numerantur, & cuſtodiuntur. Capilli veſtri, qui minima pars veſtrum ſunt, numerati ſunt; & ne unius quidem obliviſcitur Deus. Quam igitur curam geret veſtri, veſtræque incolumitatis?

℣. 32. QUI CONFITEBITUR ME [1] CORAM HOMINIBUS &c.] Quicumque ſe Diſcipulum meum profitebitur, ac Evangeliom meum recipiet; ego quoque me Deum, ac patronum ſuum coram Patre meo in die Iudicii profitebor; & quem pudebit nominis mei, & abdicabit me coram hominibus, ego quoque illum abdicabo, neque illius coram Patre meo cauſam perorabo. Relinquetur ſine ope, & ſine præſidio improbæ ſorti ſuæ, ac ſine ulla miſeratione damnabitur. Non ſufficit ex corde credere, ore etiam confitendum eſt: *Corde enim creditur ad Juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem* Rom. 10. 10. *Dicant labia, quod habet cor*, S. Ambroſius Enarr. in Pſalm. 39. ait, *hoc contra timorem: habeat cor, quod dicunt labia; hoc contra ſimulationem ... Conſentiant labia tua cordi tuo*.

℣. 34. NOLITE ARBITRARI, QUIA PACEM VENERIM MITTERE IN TERRAM.] Filius Dei in Scriptura [2] deſcribitur velut Princeps pacis, Rex pacificus, qui hominem Deo conciliat, qui Diſcipulis ſuis manſuetudinem, patientiam, charitatem, pacem, unanimitatem ſuadet. Attamen hic ait, ſe in mundum bellum, gladiumque attuliſſe; & hoc bellum, hic gladius numquam ab illo ſibi propoſita fuere, neque probata. Contra primam illius mentem, & ejus conſilia, carnales homines, mundus, dæmon Evangelio ipſius bellum indixere. Prædicit ea, quæ ſunt eventura [3], illa non approbat. Scit futurum, ut Apoſtoli, atque Fideles exagitentur, hic effectus eſt pravæ habitudinis cordis, animique eorum, qui ſunt perſecuturi. Per hanc gratiam, & hæc adverſa adimplet ille conſilia ſua in Electos, & in Eccleſia conſtituit pacem cordis, pacem cum Deo, pacem ſolidam, pacem mortalibus ignotam. Sine his perſecutionibus ulli ne eſſent Martyres, ullane virtutis, atque conſtantiæ exempla haberemus? Gladius hic, ex Patrum [4] ſententia, eſt verbum Dei, juxta doctrinam Apoſtoli ad Epheſ. 6. 17. *Gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei*; vel potius eſt perſecutio, qua Dei verbum exagitatur.

℣. 35. VENI ENIM SEPARARE HOMINEM ADVERSUS PATREM SUUM.] Non eſt hoc ſimplex cum externis hoſtibus bellum; non Ethnici ſolum, barbari, feroces, ignotique populi vos perſequentur; in familiis ipſis bella, ac diſſidia patrem inter & filium, matrem, & natam, graſſabuntur; & qui vos perſequentur, hi ſe Deo gratificari exiſtimabunt. Amici quoque, cognati, fratres, parentes tamquam avitæ Religionis Apoſtatas, ac nationis veſtræ inimicos habebunt. Sævum, atque internecinum vobis bellum indicent. Confer Michææ 7. verſ. 56 & Jeremiæ 9. 4. & 47. 3. loquendi modos cum iis, quibus iſthic utitur Salvator. Hi bellum internum indigitant, ac furorem concitatiſſimum, quem nulla vis umquam vel frangere valeat, vel moderari. Cum Evangelium prædicari cœpit, tunc omne mortalium genus in Apoſtolos debacchatum eſt. Judæi, Ethnici, Barbari, Græci, Romani, Reges, Poteſtates, ſummi æque, & imi, conſanguinei, & alieni, omnes, ſingulique ſua intereſſe cenſuerunt, eam Religionem in ipſis incunabulis tollere, quæ omnes fictas Religiones erat everſura.

℣. 36. INIMICI HOMINIS DOMESTICI EJUS.] Domeſtici ejus vos prodent, amici vobis bellum indicent, ac omnia amicitiæ jura ſubvertent [5]. Tunc velut in ſpeculo proverbii illius veritatem videbitis [6]: *Servus naturaliter odit dominum ſuum*. Græcus textus, & domeſticos, & amicos poteſt innuere.

℣. 38. QUI NON ACCIPIT CRUCEM SUAM &c.] Mirum hoc eſt acroama, quod ſublimem patientiæ, humilitatis, & paupertatis, quas Chriſtifidelis præſeferre debet, adſtruit ideam. Quis unquam magiſter diſcipulis ſuis ſimilia tradidit præcepta? Quomodo fieri poteſt, ut JESUS CHRISTUS vel unum ſectatorem invenerit, cum perſecutores, bella, ærumnas, labores, cruces dumtaxat polliceatur? Qui ſupplicii ſui deferre inſtrumentum, & cujus ob oculos verſatur imago mortis proximæ, doloribus, atque contumeliis refertiſſimæ, ullane voluptate, vel injuria affici poteſt? Nonne hæ ſunt hyperboles, quæ te multo minus dicunt, quam verbis oſtendant? Addit JESUS CHRISTUS, qui non accipit crucem ſuam, *non eſt me dignus*. Illud vero argumento eſt, hanc vere illius eſſe mentem, hoc ejus conſilium, quod ipſe etiam prior crucem tulit, ejuſque vita non aliud fuit, quam dolorum, atque cruciatuum nexus perennis. Omnes illius Apoſtoli, Diſcipuli, ac perfectiores e ſectatoribus ejus id ita intellexerunt, & exercuerunt. *Mihi mundus crucifixus eſt*, ait S. Paulus ad Gal. 6. 14. *& ego mundo*. Me non afficiunt illius gaudia, voluptates, illecebræ, promiſſiones, minæ, bona, mala. Paratus ſum ad omnia ferenda, & aggredienda propter amorem Dei mei; neque renuo ad crucem uſque magiſtrum meum ſequi. *Domine, tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire* Luc. 22. 33. Quotidie adnitor, ut mortificem, atque crucifigam carnem meam, cum pravis illius deſideriis [7]. Hæc eſt locutionis hujus juxta Patrum auctoritatem ſententia [8].

℣. 39. QUI INVENIT ANIMAM SUAM, PERDET ILLAM.] Hæc eſt continuatio eorum, quæ ſuperius dicta ſunt de periculis, quibus obnoxii erunt Chriſti Diſcipuli. Neque credatis me hyperbolice loqui, oſtendentem vobis periculum; neque haud tanta fore cenſeatis mala, ac vos illa effugere poſſe exiſtimetis; ajo, periculum effugere idem eſſe, ac ſe in certum interitum tradere; & vitæ ſuæ conſulere, idem ac illius certiſſimam jacturam ſubire. Si vitam, ac requiem veſtram ſervare cupitis cum detrimento fidei veſtræ, veritatis, ac fidelitatis, quam Deo debetis, jam de vobis actum in æternum eſt, ac præcipites in mortem, æternumque exitium ruitis. E contra, ſi vitam pro Dei veſtri gloria, & ad veritatem propugnandam in diſcrimen adducitis, immortalem, beatamque vitam vobis promeremini: *Mors infertur, ſed immortalitas ſequitur*, S. Cyprianus de laude Martyr. ait; *occiſo mundus eripitur, ſed reſtituto Paradiſus exhibetur: vita temporalis extinguitur, ſed æterna reparatur*.

℣. 40. QUI RECIPIT VOS, ME RECIPIT (41.) QUI RECIPIT PROPHETAM IN NOMINE PROPHETÆ.] Poſtquam locutus eſt de perſecutionibus, & laboribus, quos paſſuri ſunt Apoſtoli ab hominibus, iſthic pollicetur, non defuturos, qui eos excipiant, quemadmodum ſuperius jam dixit verſ. 11. 12. & hos etiam mercedem ſuam habituros. Si vos utpote Diſcipulos meos, & in mei gratiam recipiunt, idem præſtant, ac ſi me ipſum; me vero excipientes, perinde ac Patrem meum reciperent. Præmium nanciſcentur aptatum meritis illius, cui honorem deferre concupierunt, vos recipientes. Sed licet vos hoſpitio dignarentur, tamquam *Prophetae*, hoc eſt Evangelii Præcones, qui Scripturas

1 Ὅστις ὁμολογήσει ἐν ἐμοί. Vide Chryſoſtom. 2 Iſai. 9. 6. 32. 17. 60. 17. Rom. 15. 33. 1. Cor. 14. 33. Epheſ. 2. 14. &c. 3 Vide Hieronym. hic, & Chryſoſtom. ad verſ. ſeq.
4 Hilar. hic, Auguſt. qu. 3. in Matth. Author Oper. imperfect. & Theophylact. hic.
5 Καὶ οἱ ἐχθροὶ τοῦ ἀνθρώπου οἱ οἰκιακοὶ αὐτοῦ. 6 Φύσει ὁ δοῦλος τῷ δεσπότῃ πολέμιος.
7 Galat. 5. 24. *Qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*.
8 Vide Chryſoſtom. Homil. 36. Author Oper. imperf. Homil. 26, Theophylact. alii paſſim.

tes explicant, ac ſalutis veritates edocent [1], quin ad me animum adverterent, ac vos tamquam Diſcipulos meos rependerent, ipſos etiam merces manet pro qualitate illius, quem recipiunt, ac pro cordis ipſorum affectionibus.

Alii [2] ita explicant: *Qui recipit Prophetam, mercedem Prophetæ accipiet*; hoc eſt particeps erit meriti, ac mercedis Prophetæ, quippe qui cum illo ad bonum opus concurrit. Conſors erit gratiæ, gloriæ, beatitudinis ejus. Quamvis etiam is, quem excipis, non eſſet verus Propheta, nec vere Juſtus eſſet, ſatis eſt, ut talem putes, ut merearis a Deo mercedem, perinde ac talis reipſa fuiſſet, qualem credidiſti [3]; *Non perſonas ſuſcipiendas eſſe, ſed nomina*, ait S. Hieronymus, *& mercedem non perdere ſuſcipientes, quamvis indignus ſit, qui ſuſceptus eſt*. Sin autem veros Prophetas, ac vere Juſtos excipis ſpe lucri alicujus, vel alio quopiam humili, ſordidoque conſilio, nihil sibi illorum dignitas proderit: mercedem tuam jam recepiſti [4].

℣. 42. QUICUMQUE POTUM DEDERIT UNI EX MINIMIS ISTIS . . . NON PERDET MERCEDEM SUAM.] Calix aquæ frigidæ pro iis omnibus, quæ minima dari poſſunt, uſurpatur. Licet parum pro Deo, & in charitatis ſpiritu facias, numquam deerit merces tua. Ne cauſeris paupertatem tuam, ſi hoſpitio aliquem recipere non vales, ſtipem eroga. Si adeo egenus es, ut calidam præbere non poſſis, frigidam offer [5]. Voluntatem, & cor intus ſcrutatur Deus. Si parva das, magna dare cupiens, ſatis dediſti: *Magna voluntas multum dedit, multum ſeminavit*, ait S. Auguſtinus Enarr. in Pſalm. 125. n. 11. 12.

MINIMI ISTI.] De quibus loquitur Salvator, ſunt ſimplices Fideles [6], pauperiores, & obſcuriores ex iis, qui credunt in JESUM CHRISTUM. Hos Lucæ 12. 32. vocat *gregem puſillum*, Matth. 25. 40. *fratres ſuos minimos*, vel etiam ſunt ejus Diſcipuli, & Apoſtoli, qui tunc exiguo erant in numero, & parum cogniti in terris; cum ipſe etiam Jesus haberetur ſolum velut propheta, ac miraculorum patrator; nondum enim cognita erat inter homines ipſius Divinitas.

1 Maldonat. Brugenſ. Janſ. alii. 2 Chryſoſt. hic, Remig. Maldon. Menoch. Tiſin. Brug.
3 Hieronym. hic. 4 Vide Auguſt. in Pſalm. 102. n. 11.
5 Hieronym. hic. 6 Vide Matth. 18. 6. 10. 14. Ita Interpretes paſſim.

CAPUT XI.

S. Johannes Baptiſta duos ex diſcipulis ſuis mittit ad JESUM ſciſcitaturus, utrum eſſet CHRISTUS. Elogium S. Johannis Baptiſtæ. Probatur, JESUM eſſe Meſſiam. Johannes Baptiſta, & JESUS uterque a Judæis ejecti. Infelicitas civitatum, quæ ex JESU CHRISTI prædicatione fructum nullum cepere. Sapientes cæci. Simplices illuminati. JESU CHRISTI jugum ſuave, & leve.

1. ET factum eſt, cum conſummaſſet Jeſus, præcipiens duodecim diſcipulis ſuis,
tranſiit inde, ut doceret, & prædicaret in civitatibus eorum. 2 Johannes
autem cum audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, 3
Ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 4 Et reſpondens Jeſus,
ait illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. 5 Cæci vident, claudi
ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur;
6 Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. 7 Illis autem abeuntibus,
cœpit Jeſus dicere ad turbas de Johanne: Quid exiſtis in deſertum videre?
arundinem vento agitatam? 8 Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum?
Ecce, qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. 9 Sed quid exiſtis videre?
prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam prophetam. 10 Hic eſt enim,
de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit
viam tuam ante te. 11 Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum
major Johanne Baptiſta: qui autem minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo.
12 A diebus autem Johannis Baptiſtæ uſque nunc regnum cœlorum vim patitur,
& violenti rapiunt illud. 13 Omnes enim prophetæ, & lex, uſque ad Johannem,
prophetaverunt: 14 Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt.
15 Qui habet aures audiendi, audiat. 16 Cui autem ſimilem æſtimabo generationem
iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus 17
Dicunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentavimus, & non planxiſtis. 18
Venit enim Johannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet.
19 Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax,
& potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et juſtificata eſt ſapientia
a filiis ſuis. 20 Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ
virtutes ejus, quia non egiſſent pœnitentiam. 21 Væ tibi Corozain, væ tibi Beth-

Digitized by Google

bi Bethſaida : quia ſi in Tyro , & Sidone factæ eſſent virtutes , quæ factæ ſunt in
vobis , olim in cilicio , & cinere pœnitentiam egiſſent . 22 Verumtamen dico vo-
bis : Tyro , & Sidoni remiſſius erit in die judicii , quam vobis . 23 Et tu Caphar-
naum ; numquid uſque in cœlum exaltaberis ? uſque in infernum deſcendes ; quia ſi
in Sodomis factæ fuiſſent virtutes , quæ factæ ſunt in te , forte manſiſſent uſque in
hanc diem . 24 Verumtamen dico vobis , quia terræ Sodomorum remiſſius erit in
die Judicii , quam tibi . 25 In illo tempore reſpondens Jeſus , dixit : Confiteor ti-
bi , Pater , Domine cœli , & terræ , quia abſcondiſti hæc a ſapientibus , & pruden-
tibus , & revelaſti ea parvulis : 26 Ita Pater : quoniam ſic fuit placitum ante te .
27 Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo . Et nemo novit Filium niſi Pater : neque
Patrem quis novit niſi Filius , & cui voluerit Filius revelare . 28 Venite ad me o-
mnes , qui laboratis , & onerati eſtis , & ego reficiam vos . 29 Tollite jugum meum
ſuper vos , & diſcite a me , quia mitis ſum , & humilis corde : & invenietis re-
quiem animabus veſtris . 30 Jugum enim meum ſuave eſt , & onus meum leve .

℣. 1. FACTUM EST , CUM CONSUMMASSET JESUS . . . & PRÆDICARET IN CIVITATIBUS EORUM .] In Judæorum *civitatibus* [1] , de quibus ſermo fuit capite ſuperiori , vel in *civitatibus* Apoſtolorum [2] , in Galilæa , cujates erant Apoſtoli ; ad eas univerſum ſpectat caput ſuperius . Vel denique *in civitatibus eorum* , in locis , ubi fuerant Apoſtoli [3] . Eos ſecutus eſt , & quod illi inceperant perfecit . Juſſerat , illos omnem eam regionem luſtrare prædicantes , ac ſpoponderat [4] , eos non conſummaturos civitates Iſrael , donec ipſe ad illos veniret . Et in S. Luca c. 10. 1. mittit illos *in omnem civitatem & locum , quo erat ipſe venturus* . Noviſſimus hic ſenſus haud contemnendus eſt .

TRANSIIT INDE .] Cum non liqueat , ubi eſſet , quando miſit Apoſtolos ſuos , ita neque compertum eſt , unde diſceſſerit . Creditur tamen , hoc accidiſſe Capharnai , vel in finibus ejus .

℣. 2. JOHANNES AUTEM CUM AUDISSET IN VINCULIS OPERA CHRISTI . . . . TU ES QUI VENTURUS ES ?] Poſtremo hoc nomine Meſſias agnoſcebatur [5] . Oriens univerſus , ac Judæa præſertim Liberatorem hunc , qui venturus erat , præſtolabantur . Non ait Scriptura , Johannem audiiſſe opera JESU , ſed *opera Chriſti* tamquam indigitatura , miracula , quæ ille operabatur , mortalibus omnibus fidem adſtruxiſſe , eum eſſe Meſſiam jamdudum omnium votis cupitum . Hoc re ipſa S. Lucas 7. 18. explicite aſſerit dicens , Johannis Diſcipulos Magiſtro ſuo , qui tunc in carcere detinebatur , narraſſe , quanta in omnem regionem illam JESU CHRISTI miraculorum fama percrebreſceret . Creditur divinus Præcurſor ex eorum voce , ac ſono aliquam deprehendiſſe invidiæ ſpeciem in JESUM [6] ; quaſi ejus gloria , & celebritas tenebras offunderet nomini Præceptoris ipſorum , ideoque ut eorum animo mederetur hos ad illum miſiſſe , ut propriis cernentes oculis ejus facta , hunc vere Meſſiam eſſe intelligerent . Prudens illius charitas hanc ipſi aperuit viam , ut omnem diſcipulis ſuis errorem , & ambigendi locum auferret : Abhorret quippe ab omni veritatis ſpecie , ullam Johanni obortam fuiſſe de JESU CHRISTO , quem adeo aperte , ſolemniterque pronuntiaverat , dubitationem [7] .

Poſtremam hanc ſententiam non defuere tamen ex veteribus nonnulli [8] , qui adoptarent ; & credidit Tertullianus , Propheticum Spiritum a Johanne receſſiſſe , ut ſuper JESUM requieſceret . Plurimi Patres [9] animadvertentes opinionem , quam nuperrime vidimus , S. Johanni eſſe injuriam , nec aſſeri poſſe , quin Evangelii fides lædatur , a S. Johanne JESUM CHRISTUM numquam pro Meſſia agnitum fuiſſe , dixere , illum proculdubio non dubitaſſe de qualitate Meſſiæ , ſed de morte illius . Sibi perſuadere non poterat , illum moriturum , neque ut alium quemlibet ex mortalibus ad inferos deſcenſurum . Mittit ergo ad eum ſciſcitatum , utrum ad inferos deſcendet , ac ipſe Præcurſor ibi annuntiaturus ſit adventum ejus illis , qui ibi detinentur , ut apud illos , uti apud viventes Divini Præconis munere perfungatur . S. Johannes imminentem ſibi mortem prævidebat , ſua illi offerebat officia , atque ejus in futurum tempus poſcebat imperia . Sententiam hanc S. Chryſoſtomus , Theophylactus , ac recentiores Interpretes rejecerunt . At Origenes in 1. Reg. S. S. Hippolytus de Antich. & Gregorius Nazianzenus Orat. 20. minime dubitarunt , quin S. Johannes ad inferos deſcenderit , ibique Meſſiæ adventum prænuntiaverit .

Auctor quæſtionum ad Orthodoxos , qui S. Juſtini nomine circumfertur , qu. 38. ait , S. Johannem in carcere non dubitaſſe , utrum JESUS verus eſſet Meſſias , ſed utrum ille , de quo tot miracula prædicari audiebat , idem eſſet ac ille , quem ipſe prænuntiaverat , & quem omni procul dubio vere Meſſiam eſſe cognoverat .

Recentiores Critici quidam [10] Græco Textui ſenſum alium appingunt , punctorum ratione non habita [11] : *Tu es , qui venturus es ; quomodo alium exſpectabimus ?* Num factum adeo perſpicuum in dubium revocari poteſt ? Hoc JESU CHRISTO S. Johannes perhibet teſtimonium . Salvator ut confirmaret , quod Præcurſoris juſſu , ejus dixerant diſcipuli , coram his plurima miracula operatus eſt , quaſi innuere vellet , ſe humanis non egere teſtimoniis , quem Deus Pater ingenti miraculorum fulgore ſatis manifeſtabat : *Ego autem habeo teſtimonium majus Johanne* . Joan. 5. 34. At nulla nos neceſſitas in hanc cogit explicationem , quæ violentior iis , qui ſapiunt , jure videtur .

In Vulgata , Græciſque Exemplaribus [12] legimus , Johannem ad JESUM CHRISTUM ex diſcipulis ſuis *duos* mi-

---

1 Beda , Euthym. Brug. Maldon. Grot. Menoc. Tiriſ. 2 Euthym. Hugo . alii . 3 Ita Quid. in Muld.
4 Matth. 10. 23. 5 Geneſ. 49. 10. *Donec veniat qui mittendus eſt* . Matth. 21. 9. *Benedictus qui venit in nomine Domini* . Joan. 12. 13. Hebr. 10. 37 *Qui venturus eſt , veniet , & non tardabit* , &c.
6 Hilar. Chryſoſt. Origen. in Libb. Reg. Author Oper. imperf. Euthym. Theophylact. Rupert. Maldon. Grot. alii pleique tam antiqui , quam recentiores . 7 Matth. 3. 13. 14. 15. Joan. 1. 15. 32. 33. Luc. 3. 21.
8 Origen. Homil. 27. in Luc. Juſtin , ſeu alius Auth. quæſt. ad orthodox. q. 87. Tertull. lib. 4. adverſ. Marcion. & l. de Baptiſmo , & l. de Præſcriptionib. Le Clerc , hic. Et quid apud. Origen. in Libb. Reg.
9 Origen. Homil. 4 in Luc. Ambroſ. n. 38. lib. 1. in Luc. Julianus Pomer. lib. 3. contra Judæos . Venant. expoſit. in ſymbol. Apoſtol. Gregor. Homil. 1. in Ezech. Euſeb. Emiſſ. Origen. in Libb. Reg. Hieronym. Beda , Quid. apud Chryſoſt. & Theophyl. 10 Epiſcop. Inſtitut. Theolog. l. 3. ſect. 4. c. 35
11 Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν . 12 Πέμψας δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ .

Digitized by Google

miſiſſe. Sed Vetus Cantabrigenſis Manuſcriptus liber [1], Græcus, & Latinus habet: *Mittens per diſcipulos ſuos*; neque aliter legunt Verſiones Goticæ, Perſicæ, Armeniæ, Syriacæ; atque Juvencus, S. Ambroſius, & S. Hilarius qui numerum diſcipulorum a S. Johanne legatorum prætereunt [a]. Nemo unus ignorat, quam ob cauſam Præcurſor in vincula fuerit conjectus. Hanc iſthic miſſam facimus, de illa fuſius in S. Marcum ſermonem habituri. Hoc accidit ante Apoſtolorum miſſionem, cujus hiſtoriam præcedenti capite ſumus intuiti. Vide Tabulam Chronologicam.

℣. 4. Renuntiate Johanni &c.] Diſcipulorum interrogationi Jesus Christus nequaquam directe reſpondet ſatis, ſuperque ducit, illis curationes, quas mirifice operatur oſtendere, ut vaticinia, quæ Meſſiam reſpiciunt, in perſona ſua ad unguem adimpleta intelligant. Hæc docendi via brevior eſt, magiſque potens, & efficax. Hæc Diſcipulorum Johannis invidiam, atque animi præoccupationem tollit, quin tamen eorum philautiam irritet. Hæc denique Salvatoris modeſtiæ, atque humilitati maxime conveniens fuit. S. Lucas 7. 21. neſcio quid affert, quod a S. Matthæo omiſſum eſt; Jesum videlicet ægros quamplurimos curaſſe, nuntiis hiſce inſpectantibus, antequam illis reſponſum daret. Iſaias [3] cæcorum, ſurdorumque curationem tamquam unum ex Meſſiæ characteribus præſignaverat.

℣. 5. Leprosi mundantur [4],] curantur videlicet. Lepra enim habebatur potius tamquam cutis deformitas, vel ſordes, quam vera ægritudo: *Coloris quippe vitium eſt, non valetudinis, aut integritatis ſenſuum, atque membrorum*, ait S. Auguſtinus l. 2. qu. Evang. c. 40.

Mortui resurgunt.] Jesus Christus duos ad vitam revocaverat, hoc eſt filiam Jairi, & filium viduæ de Naim. Iſaias [5] aliique Prophetæ ſæpius ſervitutis, vel peccati ſtatum mortis nomine, curationem vero nomine reſurrectionis indigitarunt. Meſſias habere debebat plenitudinem doni miraculorum ſecundum Scripturas, & Judæorum expectationem. Mortuorum autem reſurrectio tamquam facultatis hujus cumulus habebatur.

Pauperes evangelizantur.] Pauperibus Evangelium annuntiatur; Vel, Pauperes Evangelium recipiunt. Græcus ſignificare etiam poteſt [6]: *Pauperes Evangelium annuntiant*. Quod in Apoſtolis adimpletur, qui pauperes erant, atque infimæ conditionis, quo in ſenſu Theophylactus, atque Euthymius intellexerunt. At vulgo plerique ſenſum, quem priorem propoſuimus, amplectuntur. Pauperes aures, animumque præbent Evangelio. Illis bonum nuntium, & Domini nuntiatur adventus; ipſi vero hoc avidis, bibuliſque auribus excipiunt. Hoc Iſaias etiam prædixerat c. 61. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum* pauperibus *manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde*. Græca vox [7], quæ vertitur *pauper*, ſignificat etiam, manſuetum, humilem, afflictum. Sophonias 3. 12. *Et derelinquam in medio tui populum pauperem; & egenum, & ſperabunt in nomine Domini*. Et Zacharias 11. 7. *Cognoverunt pauperes gregis, qui cuſtodiunt mihi, quia verbum Domini eſt*.

℣. 6. Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.] *Scandali* nomen ad litteram illud ſignificat, in quod impingimus in via, ſeu lapis ſit, lignum, fovea, laqueus, ſeu aliud quodpiam, quod vel fortuito, vel aliter offenditur, ubi viatores pedem illidentes labi poſſint, atque decidere. In figurato ſenſu illud ſignificat, quod homines in peccatum propellit. Ita ſæculi opes, atque dignitates *ſcandalum* ſunt bonis, eo quod occaſionem tribuunt obliviſcendi Dei, atque ſuperbe ſe ſe efferendi. Prava colloquia, & exempla ipſa quoque *ſcandala* ſunt, pleriſque enim videntibus, atque audientibus inſidias ſtruunt.

Salvator iſthic *beatum* prædicat, *qui non fuerit ſcandalizatus in ipſo*, hoc eſt illum, cui externa illius ſpecies, paupertas, vita laboribus cumulatiſſima, doctrinæ ſeveritas lapſus occaſio non erit; & quem non deterrebit aſpectus hominis, omni bonorum, ac dignitatum fulgore carentis, cum Judæi pro Meſſia, ſummum Regem, victorem, ſtrenuumque Imperatorem opperirentur. Et ſane dici poteſt, hoc fuiſſe populi hujus ſcandalum, hanc calamitatem. Vita, Mors, Paſſio, & Crux Salvatoris, Judæis quidem ſcandalum fuit, Gentibus autem ſtultitia, quemadmodum ait S. Paulus 1. Cor. 1. 23. *Nos autem prædicamus JESUM CHRISTUM crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*. S. Johannis diſcipuli nondum fortaſſe ex hac emerſerant caligine, reliquis omnibus Judæis communi. Licet S. Johannes illis aperriſſime Jesu Christi divinitatem fuiſſet teſtatus, hujus attamen exterior oris habitus animos eorum perculit. Prædixerant prophetæ futurorum, ut Meſſias pluribus eſſet lapis offenſionis [8].

℣. 7. Quid existis in desertum videre?] Jesus Christus viciſſim Præcurſoris ſui virtutem, ac ſanctitatem teſtatur; id vero, nonniſi dilapſis jam Johannis diſcipulis; ne quis crederet, illos mutuo colludere, ac eorum laudibus fucum aliquem immixtum ſuſpicaretur, vel etiam ne S. Johannes levitatis, & inconſtantiæ redargueretur [9], eo quod diſcipulos ſuos miſerat ſciſcitatum, utrum Jesus Christus eſſet Meſſias, poſtquam ille hoc palam in populo prædicaverat. Jesus igitur illius conſtantiam, vitæ auſteritatem, extraordinariam miſſionem, Prophetæ, ac pluſquam Prophetæ dignitatem commendat, atque virtutem, quæ illum ſuper cæteros homines evehebat, extollit.

Arundinem vento agitatam?] Omnis Judæa ad Jordanem confluxerat, Johannis baptiſmate abluenda [10]. Ea teſtis fuerat vitæ, atque actionum illius; ac ſanctus hic vir populi totius exiſtimationem, atque admirationem ſibi conciliaverat. Ex illis quærit Jesus: Quid ſecus hoc flumen vidiſtis? Arundinem vento agitatam? Viſus ne vobis eſt Johannes homo levis, inconſtans, in ſermonibus ſuis, atque doctrinis? Creditis ne, ipſum in dubitationem hodierna die revocare, quod tunc conſtanter adeo credebat? Hodierna inquam die, cum tot jam operatus fuerim prodigia, quorum vos teſtes eſtis; licet nunc nihil adhuc extrinſecus egiſſem, unde me cognoſcere poſſet.

℣. 8. Hominem mollibus vestitum.] Docuit jam Evangeliſta c. 3. 4. quænam eſſent Johannis Baptiſtæ indumenta. Perinde ac diceret iſthic Jesus Christus: Hiccine ex illis eſt, qui mundi hujus commoda ſectantur, & quorum vita in omnem luxum edita eſt? Hic vere ſapiens, ac ſerius homo eſt, qui neque fucum, nec varietatem ullam in ſententiis ſuis poteſt admittere.

Prophetam? etiam dico, & plusquam prophetam.] S. Johannes præ antiquis Prophetis non pauca obtinuit. Illi enim ſimpliciter Domini adventum prædixerant, eumque obſcure, atque ænigmatice prænuntiaverant; illum eminus tantum, per ſomnium, ac viſionem, confuſius tantum viderant: at S. Johannes illum palam, atque perſpicue annuntiat; eum digito monſtrat, illum præſentem videt, illum ſuo abluit baptiſmate, Patris vocem audit dicentis [11]: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Denique

1 Πέμψας διὰ τῶν μαθητῶν. *Mittens per Diſcipulos ſuos.* a Vide Mill. Proleg. 387.
3 Iſai. 29. 18. *Audient in die illa ſurdi verba libri; & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt.* Et Iſai. 35. 5. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt.* 4 Λεπροὶ καθαρίζονται.
5 Iſai. 26. 19. 41. 14. Ezech. 37. 1. 2. 3. & ſequ. 6 Πτωχοὶ Εὐαγγελίζονται.
7 לבשר ענוים שלחני Vulg. *Ad Annuntiandum manſuetis miſit me.*
8 Iſai. 8. 14. 15. *Et erit vobis in ſanctificationem; in lapidem autem offenſionis duabus domibus Iſrael*, &c. Luc. 2. 34. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum.* 1. Petr. 2. 8. Rom. 9. 33.
9 Chryſoſt. Hieron. Author. Oper. imperf. Theophyl. Euthym. hic. Cyrill. Alexan. l. 2. Theſauri, c. 4.
10 Matth. 3. 5. Luc. 3. 7. 11 Matth. 3. 17. Luc. 9. 35.

S. Johannes prophetare quodammodo incœpit, antequam eſſet homo, uti animadvertit Auctor Imperfectus in S. Matthæum hom. 27. quoniam eum adhuc in matris utero geſtaretur, repletus fuit Spiritu Sancto, & antequam naſceretur, exultationibus ſuis Salvatorem prænuntiavit.

℣. 10. ECCE EGO MITTO ANGELUM MEUM ANTE FACIEM TUAM.] Hebraicus Malachiæ textus [1] unde locus hic depromptus eſt, ad litteram habet: *Mittam Angelum meum*, nuntium, miniſtrum meum, *qui præparabit viam ante faciem meam*. At Apoſtoli ut plurimum iis in locis, quæ ex veteri Teſtamento daſumunt [2], ſatis eſt eorum ſenſum afferre, quin religioſius eorumdem verba ſectentur. Cum JESUS CHRISTUS Deus eſſet, ac Dei filius, jure ſuo hunc ſibi locum aptare poterat, ubi Deus de ſe ipſo loquitur. Quoad ſenſum verborum Malachiæ, veteres nonnulli crediderunt [3], Prophetam veri Angeli adventum annuntiaſſe, & S. Johannem Angelum eſſe, qui humanam carnem aſſumpſerat; quem errorem S. Cyrillus Alexandrinus in Ioan. c. 1. ℣. 6. refellens teſtis eſt, illum paſſim JESU CHRISTI ævo percrebuiſſe, & cenſet, S. Johannem Evangeliſtam illi obvium fieri voluiſſe per ea verba: *Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Johannes*. Euſebius l. 9. Demonſt. & S. Hieronymus in Agg. 1. credunt, re ipſa auſteritatem, ac ſolitudinem Præcurſoris in cauſa fuiſſe, ut in Judaico populo tamquam Angelus haberetur. At communis Interpretum ſententia eſt, Johannem Angelum fuiſſe non natura, ſed munere, ac vitæ ſuæ integritate.

℣. 11. NON SURREXIT INTER NATOS MULIERUM MAJOR JOHANNE BAPTISTA.] Encomii hujus ſenſus a S. Luca 7. 28. coarctatur, ubi ait: *Major inter natos mulierum propheta Johanne Baptiſta nemo eſt*; quaſi innuere vellet, in JESU CHRISTI Eccleſia, ac in novo Teſtamento fieri poſſe, ut multi illo majores exiſtant [a]. Vel ſimpliciter, ut indigitet, ipſum propter vitæ ſuæ ſanctitatem, ac lumen, quo cœlitus afflatus erat, antiquis præſtitiſſe Prophetis [4]; ipſumque eſſe *plusquam Prophetam*, quemadmodum ſuperius ℣. 9. appellatur. Ad hæc Salvator ait, *inter natos mulierum*, neminem illo majorem fuiſſe, quaſi innueret, ſe ſe cum aliis tantum hominibus communi ratione genitis, editiſque, non autem cum ſe Dei Filio, ex Sancto Spiritu concepto, & ex Virgine nato comparari [5]. Denique *non ſurrexit major*, at fortaſſe æquales non defuere, quemadmodum S. Auguſtinus [6], & Operis Imperfecti Auctor animadvertunt. *Non dicit Johannem majorem eſſe cæteris ſanctis, ſed cæteros Sanctos non eſſe majores Johanne. Coæquavit eum cæteris, non præpoſuit.*

QUI AUTEM MINOR EST IN REGNO COELORUM, MAJOR EST ILLO.] Minimus Angelorum major eſt hominum ſanctiſſimo [7]. Minimus in numero Beatorum majori lumine illuſtratus eſt, quam maximus Prophetarum [8]. Et ſane quodcumque meritum, lumen, gratia in terris homo poſſideat, hoc toto cœlo minus eſt merito, & gratia Angelorum, ac Beatorum, qui cœleſti gloria fruuntur, qui Deum facie ad faciem vident, qui in certo, permanenti, ac æternum feliciſſimo ſtatu quieſcunt. *Aliud eſt coronam victoriæ poſſidere, aliud adhuc in acie pugnare*, S. Hieronymus inquit. Sed cum iſthic S. Johannes non cum Angelis, ſed cum hominibus comparetur, plerique ad alias explicationes confugiunt.

Complures vero [9] de JESU CHRISTO interpretantur: S. Johannes Baptiſta maximus eſt Sanctorum, ac Prophetarum, qui hactenus inter homines viſi ſunt: at ego, qui vobis multo minor Johanne videor, ego inquam multo major illo ſum. Ille Eccleſiæ, Regnique Cœleſtis Miniſter dumtaxat eſt; ego vero Dominus, ac fundamentum. Ipſe ſponſus ſum, ille pronubus. Poſtremum hunc ſenſum cæteris præpoſuit S. Auguſtinus Tract. 13. in Joan. eumque complures Interpretes ſecuti ſunt [10]. Ita modeſte JESUS CHRISTUS confirmat S. Johannis de ſe teſtimonium, dicentis Matt. 3. 11. *Qui poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare.*

Sunt [11], qui ita explicant. Licet Magnus ſit Johannes Baptiſta, ac ſublime officium illius, attamen minimus Apoſtolorum, & Præconum Evangelii eo major eſt. Cenſet Maldonatus, iſthic a JESU CHRISTO antiquam Legem novæ, atque Evangelii gratiam, ſervituti legis comparari. Minimus e Fidelibus meis in Regno meo major eſt, quam ipſe Johannes Baptiſta in Synagoga. Lex nihil perficit [13]: Evangelium autem conſummatio eſt, atque perfectio figurarum Legis.

℣. 12. A DIEBUS JOHANNIS BAPTISTÆ USQUE NUNC, REGNUM COELORUM VIM PATITUR.] Ex quo Johannes Baptiſta prædicare cœpit, quo ipſo tempore Evangelium etiam cœptum eſt prædicari, non niſi per pœnitentiam, mortificationem, crucem, ac vim naturæ ipſi illatam, Cœlum arripitur, & ad beatitudinem via aperitur [14]: hoc iter vobis S. Johannes Baptiſta indigitavit, hoc ille primus ingreſſus eſt. Sed ante Johannis Baptiſtæ prædicationem aliam præter pœnitentiam ad Cœlum patebat via? Num cæteras obſepſit Jeſus Chriſtus, eaſque recentibus ſpinis conſevit? Haud ita ſane? itaque explicatio hæc moralis potius, quam litteralis videtur.

Alii ita explicant [15]: Poſt Johannis Baptiſtæ tempus, qui in Eccleſiam introire contendunt, regnum Cœlorum quodammodo adoriuntur, ac rapiunt. Vim faciunt, ut hanc hæreditatem adipiſcantur, quam priores poſſeſſores vel neglexerunt, vel contempſerunt. Judæi de gradu, ac ſtatione dimovendi ſunt, ut eorum locus occupetur. Hoc re ipſa Ethnici præſtitere in Jeſu Chriſti Eccleſiam ingreſſi; hoc Publicani, & Phariſæi, qui in Regno eſſe videbantur, qui erat quodammodo illius cuſtodes, capita, ac patroni, qui ſcientiæ clavem, & legis cognitionem habebant, inde deturbati fuerunt [16], eam ſibi auferri paſſi ſunt, aures veritatibus, quæ ſibi annuntiabantur, obſtruentes.

Alius quoque ſenſus huic loco poteſt appingi, ſi cum S. Luca conferatur, qui ait cap. 16. 16. *Lex, & Prophetæ, uſque ad Johannem: ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit. Facilius eſt autem cœlum, & terram præterire, quam de lege unum apicem cadere.* Hæc autem dixit Jeſus Chriſtus, cum ſermones ſui a Phariſæis contemnerentur. Hunc in loco S. Matthæus verborum Salvatoris ordinem commutavit, decimum tertium verſiculum in duodecimi locum traducens. Hic ergo ordo eſt verborum Domini ℣. 14. *Ad Johannem uſque Lex, & Prophetæ prophetarunt*. ℣. 12. *Sed ad Johannem ad hanc diem Regnum Cœlorum vim patitur, ac violenti rapiunt illud*. Patet quodammodo populationibus, ac hominum vi; *diripiunt illud*, quemadmodum S. Hilarius, & MSS. quidam legunt. In univerſo hoc capite, Jeſus Chriſtus veterem legem recenti

cenṫi

---

1 Malach. 3. 1. הנני שלח מלאכי ופנה דרך לפני

2 Hieronym. in Iſai. lib. 3. cap. 7. *In multis teſtimoniis, quæ Apoſtoli, vel Evangeliſtæ, de libris veteribus aſſumpſerunt, curioſius attendendum eſt, non eos verborum ordinem ſecutos eſſe, ſed ſenſum.*

3 Origen. tom. 2. in Ioann.

4 Maldonat. Janſ.

5 Hilar. in Matth. Brugenſ. Author. Oper. imperfect.

6 Ambroſ. in Luc. 5. & in Pſalm. 63. Hieronym. in Matth. Theophylact.

7 Auguſt. contra adverſ. Leg. & Prophet. l. 2. c. 5.

8 Aug. l. 2. contra adverſar. Legis, & Prophetarum, cap. 5.

9 Hieronym. Beda hic.

10 Chryſ. Euthym. Theoph. Hilar. hic.

11 Brug. Janſen. Martianay, alii.

12 Cæſar. Dialog. 3. Grot. Hammond. Le Clerc, alii.

13 Hebr. 7. 19. *Nihil enim ad perfectum adduxit Lex.*

14 Auguſt. lib. 2. quæſt. Evangel. quæſt. 37. Gregor. homil. 20. in Evangel. Ambroſ. in Luc. lib. 5. Baſil. Orat. de abdicat. Chryſoſt. Hieronym. Beda, Euthym. Theophylact hic, alii paſſim.

15 Hilar. can. 11. in Matth. Nazianz. Orat. 40. Mald. Brug. Grot. Ligfoot. Eraſm. Ham.

16 Matth. 8. 11.

Digitized by Google

centi comparat, & conqueritor, quod & Præcurſor A
ſuus male habitos fuerit, & in Judææ civitatibus Evangelium ſuum parvi fiat. Lex, & Prophetæ locum habuere a Moyſe ad Johannem Baptiſtam. Neminem fallit, quæ fuerit veſtra fides in legis obſervantia, & quo in loco apud vos antiqui fuerint Prophetæ. Ego, & Johannes venimus, ut vobis Divini Regis ounriaremus adventum; at quomodo a vobis excipimur? Quilibet pro virili Regnum hoc, quod vobis annuntiamus, dilaniat; quivis in eum vim, ac impetum facit. Johannes quidem in carcerem truditur: præcepta mea reſpuuntur, mihi ſtruuntur inſidiæ. Auſteram ducit vitam Johannes, & dæmone abſeſſus dicitur; ego urbanius vobiſcum verſor, & commeſſator nuncupor. Quid faciendum eſt, ut populum perverſum, ac difficilem adeo lucremur? Quomodo adverſus injurias, atque B
contumelias veſtras Regnum cœlorum tueri poſſumus?[1]

℣. 13. PROPHETÆ, ET LEX USQUE AD JOHANNEM PROPHETAVERUNT.] Johannes Baptiſta eſt tamquam nodus Legis, & Evangelii. In ipſo deſinit Lex; ex ipſo incipit Evangelium. Ipſe poſtremus eſt veteris Teſtamenti propheta, ac primus novi præco. Ejus ævo adimplenda lex eſt, & Prophetæ, quoad Meſſiam. Johanni ſuccedit Jeſus Chriſtus; antiquo fœderi recens, Synagogæ Eccleſia. Hæc ſucceſſio, ac Legis in Evangelium mutatio, nequaquam momento peragitur; primum ſtatim perfecta non fuit, ſed a Johanne incœpit, a Salvatorn poſt reſurrectionem perficienda[2]. Poſtremum pergit Salvator, dicens, in Jobanne Legem, ac Prophetas deficere, ac ſub eo incœpturum regnum Meſſiæ; ideo Johannes eſt ille propheta Elias, de quo C
loquitur Malachias[3]: qui præcedere debet adventum magni diei Domini, & qui patres cum filiis, atque cum patribus filios reconciliaturus eſt: hoc eſt, domeſtica adempturus diſſidia, quæ hactenus ſævierunt, vobis oſtendens unicum verum Legis, ac Magiſtrorum Magiſtrum, Meſſiam, Regem, & Liberatorem Iſrael.

Patres quidam hoc ita explicant[4]: Lex & Prophetæ locuti ſunt uſque ad Johannem Baptiſtam, ac locuti obſcure, & ænigmatice de Meſſia: ſed Præcurſor illum vidit, agnovit, oſtendit, indigitavit; quæ res hunc ſuper omnes antiquos prophetas, atque Patriarchas conſtituit. Sed prior explicatio ſimplicior videtur, & æquior.

Johannes Baptiſta Elias eſt non *perſona*, ſed *virtute*[5]. Veteris hujus prophetæ zelum obtinet: meritum, ac ſpiritum conſecutus eſt. Docebant Rabbini, Eliam perſonaliter venturum eſſe ante Meſſiam, ut viam illius præpararet[6]. Jeſus Chriſtus docet, non hanc fuiſſe Malachiæ mentem, ſed illum intellexiſſe venturum hominem eodem zelo, ac ſpiritu, quo Elias olim, afflatum. Chriſtiana credit Eccleſia, propheram hunc re ipſa ante poſtremum Judicii diem, ac alterum Filii Dei adventum[7] eſſe venturum. Duos hoſce adventus ſimul confuderant Judæi. Malachiæ prophetia duo ſignificat; quorum alterum reſpicit Johannem Baptiſtam, qui eſt Elias eo in ſenſu, quem diximus: alterum Eliæ perſonam, qui ad decertandum cum Antichriſto venturus eſt. Ita conciliantur Johannis verba cum verbis Salvatoris. Johannes Baptiſta Judæis E
profitetur, ſe neque propheram eſſe, neque Eliam: & affirmat Jeſus Chriſtus id ipſum jure locutum, quod neque propheta erat, neque Elias eo in ſenſu, quem intelligebant Judæi. Erat pluſquam Propheta, eo quod oculis ſuis cernebat ea, quæ ſpiritu dumtaxat viderant alii. Non erat Elias in perſona, at Eliæ munus explebat, Eliæ ſpiritu repletus[8].

℣. 15. QUI HABET AURES AUDIENDI, AUDIAT.] Adagialiter dictum. Johannes Baptiſta eſt Elias: hoc vobis paradoxum videtur: nihil tamen hoc verius. Qui habet aures, intelligat: in cœtu virorum, quibus non deeſt cognitio, atque intellectus, verba facio.

℣. 16. CUI SIMILEM ÆSTIMABO GENERATIONEM ISTAM?] Similis eſt pueris ſibi mutuo dicentibus: Cecinimus, & non ſaltaſtis; lugubres nænias recitavimus, & non ploraſtis. Alludit Jeſus Chriſtus ad puerilem aliquem Judæorum ludum, in quo & nuptiarum hilares voces, & funerum querimonias imitabantur[9]. Cum ſociis conqueruntur, quod ludi conſortes eſſe nolint, neque vel lætitiæ, vel luctus participes. Nobiſcum neque ridere vultis, nec flere. Quicumque funebrem in via pompam offendiſſent, defuncti conſanguineis ſe ſe comites addebant, Joſepho teſte contra Appion. l. 2. Ego, & Johannes vos invitavimus, ut in Cœlorum regnum ingrederemini, & ad Deum per pœnitentiam rediretis. Johannes quidem vitæ ſuæ auſteritate, lacrymiſque vos eſt adhortatus: ego vero popularibus modis, vobiſcum neceſſitudinem iniens, cum peccatoribus uſque convivari minime dedignatur; ut neque mecum ridere, neque cum Johanne flere voluiſtis. Neutrius vocem ſecuti eſtis[10]; quod ipſum ℣. ℣. 18. & 19. repetitur.

Cum dicit Jeſus Chriſtus Regnum cœlorum ſimile pueris hiſce, non contendit, Paradiſum, vel Evangelii prædicationem colludentibus pueris comparare; ſed ſimpliciter Judæorum incredulorum actionem cum ruſticis his adoleſcentulis, quibus nihil jucundum eſt, & qui æque flere, atque choreas ducere reſpuunt. Græcus ad litteram[11]: *Tibias inflavimus, & non ſaltaſtis; lugubres nænias cecinimus, & nullas querimonias junxiſtis.*

℣. 18. VENIT JOHANNES, NEQUE MANDUCANS &c.] Venit Filius hominis Jeſus Chriſtus, ut cæteri mortalium, vitam traducens, eumque commeſſatorem, compotatoremque vocatis. Quid igitur vobis placere poteſt? qua arte poſſumus uti, vos ad Deum revocantes? Non ſeveritas, non ſuavitas, non auſterum, ac pœnitens vivendi genus, neque moderatior vivendi modus vos ad ſaniora conſilia compellere valuerunt. Cogar tandem vos deſerere velut impares, qui ad frugem redigi poſſitis. *Non manducans, neque bibens* de graviſſima dicitur auſteritate. Energumeni, atque hypochondriaci nonnumquam diu abſtinent cibo. Locus hic oſtendit, S. Johannem non omnibus probatum fuiſſe, & eos, qui huic invidebant, pœnitentiæ ipſius ſeveritati obtrectaſſe, ac tandem prædicationem, & baptiſmum illius haud ita magnum apud Judæos fructum feciſſe.

℣. 19. ET JUSTIFICATA EST SAPIENTIA A FILIIS SUIS[12].] S. Johannis ſapientia, & mea cunctorum ſapientum ſuffragiis probatæ fuerunt. Æqui omnes, prudentes, ac pii viri nos nihil mali feciſſe profeſſi ſunt. Docuit eventus, utrumque noſtrum cum populo ſe ſe prudenter geſſiſſe. Invenit Præcurſor Diſcipulos, qui Baptiſmum ſuum receperunt, auſteramque vitam illius imitati ſunt: & ego ex flagitiorum cœno plurimos peccatores eduxi meo vivendi genere ſuavitatis, atque clementiæ refertiſſimo. Sapientiam noſtram probamus ex eventu, quem nobis Deus dignatus eſt elargi-

1 Vide Joſeph. Mede, triga Diſſert. Eccleſ. p. 95. & Ligfoot. Hor. Hebr. ad Luc. 16. 16.
2 Maldan. Brug. Menoch. Grot. 3 Malach. 4. 5. 6. *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis: & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.*
4 Chryſoſtom. Hieronym. Beda, Euthym. Ita Brug. Piſcat.
5 Luc. 1. 17. *Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ.*
6 Matth. 17. 10. 11. Marc. 9. 10. 11. 12. 7 Hippolit. l. de Conſum. mundi, Origen. Tract. 5. in Matth. Chryſoſtom. homil. 4. in 2. Theſſal. Auguſt. l. 82. quæſtionum, quæſt. 58. & Tract. 4. in Joann. Hieronym. in Matth. 17. Gregor. in Job. Theodoret. in Malach. 4. & alii.
8 Vide Auguſt. Tract. 4. in Joann. Gregor. homil. 7. in Evang. Malach. hic.
9 Theophylact. Lyr. Ham. Brug. Menoch. 10 Vide Hieron. hic. Hugonem, Maldon. Ludov. de Dieu, Grot. Janſ. alios. 11 Ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε. Ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε.
12 Hilar. hic, & Ambroſ. in Luc. cap. 7. *Et juſtificata eſt ſapientia operibus ſuis.* Ita Syr. & Coph. & Perſ. Æthiop. & alii libri apud Hieron. hic.

largiri, ut Sapientes, piique viri nobis aures præbuere, atque conſilia noſtra ſecuti ſunt; *Et omnis populus audiens, & Publicani juſtificaverunt Deum, baptizati baptiſmo Johannis* Luc. 7. 9. Reliqui enim deſerneſunt, atque irriſerunt; at eorum incredulitas, atque excidium præclare cauſam noſtram probent [1]. Stulti dumtaxat, & quibus error penitus inſedit, nos ſequi noluerunt, ac nos damnare poſſunt. Senſus hic mihi melior, atque cum ſermonis decurſu melius cohærere videtur.

Alii textum ita reddunt [2]: *Et ſapientia judicata, & damnata fuit a filiis ſuis*. Scribæ, & Phariſæi, qui ante cæteros ſapientiæ documenta, quæ ego tradebam, & Baptiſmum, quem Johannes prædicabat, recipere debuiſſent, hi animo magis pertinaci eam repulerunt [3]. Phariſæi, & Legiſperiti conſilium Dei ſpreverunt in
B ſemetipſos, non *baptizati ab eo*. Græca vox, quæ paſſim *juſtificare* [4] ſignificat, ſæpe etiam pro damnare uſurpatur.

Hic etiam ſenſus tribui poteſt: *At ſapientia filiis ſuis æquiæra eſt*. Vos injuſte Johannem Baptiſtam, & Jeſum Chriſtum damnatis, illius auſteritatem, & hujus humanitatem: at eorum ſapientia veſtra approbatione non indiget, ſatis ſe ipſam probat ex operum ſuorum eventu, ac per filios ſuos; per eos videlicet, qui eam ſequuntur, illius ſe diſcipulos & Johannis, & Jeſu famulos jactant.

Aliter [5]: *Et juſtificata eſt ſapientia per filios ſuos*, hoc eſt, Domini providentia æque probata eſt per omnes ejuſdem filios, atque Diſcipulos, cum eos, qui
C vere ſapientes ſunt, & JESU CHRISTI, ac Johannis Baptiſtæ dogmata ſecuti; tum per eos, quibus ſpecies tantum adeſt ſapientiæ, quales ſunt Scribæ, & Phariſæi, qui ſcientiam, atque pietatem profitentur, & qui omni pietate, atque doctrina penitus vacui ſunt, Exprobrari nequit providentia, utrumvis horum hominum genus ſpectes, utrique enim, quod meriti ſunt, receperunt; Veri Sapientes in Cœlorum regnum tranſcripti; alii illinc ejecti. Horum pertinaciam, illorumque fidem æque prædixerat Scriptura. Jeſus Chriſtus pluimis in ædificationem, in exitium plurimis ceſſurus erat.

℣. 20. TUNC COEPIT EXPROBRARE &c.] Hoc accidit, cum Jeſus Chriſtus miſit, vel paulo poſt, quam miſerat Apoſtolos ſuos, ut Evangelium prædicarent, atque poſt S. Johannis obitum. Vide Luc. 10. ℣. 1.... 13. [2]. Videns has urbes, ubi frequens adeo Evange-
D lium annuntiaverat, & ubi tot operatus fuerat miracula, in incredulitate ſua perſtitiſſe, mittit Apoſtolos ſuos, ac ipſe etiam in longinquas civitates prædicaturus conceſſit, ubi faciliorem Evangelio aditum ſe inventurum ſperabat.

℣. 21. COROZAIN.] Sita erat ſecus occiduum littus lacus Genezareth, ſatis prope Capharnaum, ubi Jeſus Chriſtus vulgo morabatur. *Bethſaida*, vel Juliades erat erant eumdem lacum Genezareth; ſemper tamen ſatis prope Corozain.

SI IN TYRO, ET SIDONE &c.] In Ethnicorum civitatibus videbat Jeſus Chriſtus minorem duritiem, incredulitatem, fidei, & gratiæ reluctantiam, quam apud Judæos. Tyrus, & Sidon in tenebris erant: il-
E lis nec lex erat, nec prophetæ, neque bona ſanctorum virorum exempla, neque prædicatio miraculorum fulgore illuſtrata; quæ omnia ſatis abunde Judæis ſuppetebant; qui cum tot his adminicula, gratiiſque abuterentur, ante oculos Dei nocentiores videbantur,

A quam Tyrii in ſua jacet Idololatriæ caligine demerſi [7]: Minora ex illis exiguntur, quibus minora dantur. Ac cur Jeſus Chriſtus in eas civitates non proficiſcebatur, quas ipſe fatebatur acceptnras fuiſſe Evangelium, & pœnitentiam amplexuras? Hac ſane de cauſa, quod miſſus erat ad oves, quæ de domo Iſrael erraverant, atque perierant [8]. Primum quidem explere cupiebat officia fœderis cum Abraham icti, mox miſſurus Tyrum etiam, ac Sidonem, uti in alias quoque civitates, diſcipulos ſuos. Iam tunc conferre poterat hanc iis civitatibus gratiam; at nulla ratione tenebatur. S. Auguſt. de Dono perſever. c. 14. ait, Deum illis ſenniſſe prædicationis, cui credidiſſent, gratiam, eo quod ad fidem non erant prædeſtinatæ; *Sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, eſt*
B *negatum. Nec illis profuit, quod poterant credere, quin prædeſtinati non erant ab eo, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, & inveſtigabiles viæ.*

℣. 23. ET TU, CAPHARNAUM, NUMQUID USQUE AD COELUM.] Vel potius per præteritum efferendo. Et tu Capharnaum, nunne ad Cœlum uſque exaltata fuiſti? In infernum, in terræ uſque centrum, in infimum, obſcuriſſimum, ac triſtiſſimum locum deſcendes. Salvator Capharnai diutius, quam alibi prædicaverat: ibique fuerat commoratus, ac plurima operatus miracula. Hæc privilegia, quæ urbem hanc ſuper ipſam Jeroſolymam extollere debuiſſent, in illius excidium, atque infortunium ceſſerunt. Pœnas luit ingratitudinis, & infidelitatis ſuis ſceleribus pares.

Græcus habet [9]: *Et tu Capharnaum, quæ ad Cœlum*
C *uſque exaltata fuiſti, in infernum uſque*, ubi ſedet Pluto, Rex tenebrarum, dimitteris. At plurima antiqua Græca Exemplaria a Vulgata [10], ne tranſverſum quidem unguem aberrant: *Et tu Capharnaum numquid uſque in Cœlum exaltaberis? Uſque in infernum deſcendes.* Hæc adagialis eſt loquendi ratio: ad Cœlum uſque elatus, in abyſſum uſque depreſſus. Hebræi ſub aquis, & in imo abyſſi infernum ſubſidere putabant [11].

FORTE MANSISSENT &c.] Græcus verti poteſt [12]: *Ad hanc uſque diem ſeret manere*.

℣. 25. IN ILLO TEMPORE RESPONDENS JESUS &c.] Ex S. Luca 10. 17. liquet, Jeſum Chriſtum has gratiarum actiones, vel preces Patri ſuo effudiſſe, cum ſeptuaginta duo diſcipuli de miſſione ſua reverſi rationem illi reddiderunt eorum, quæ felici eventu in itinere ſuo fuerant operati. His non niſi Patri ſuo gratias agens, eique omnem gloriam acceptam referens reſpon-
D det. Non lætatur Dominus ob interitum ſapientum, ac prudentum ſæculi, Scribarum, atque Phariſæorum [13], immo & ſapientum Ethnicæ Religionis; quibus Pater Cœleſtis juſto, ſed terribili judiciorum ſuorum effectu Evangelii ſui veritates non aperuerat. Sed illi gratias agit, quod eas Apoſtolis ſuis [14], hominibus rudibus, ac nulla doctrinæ cura excultis communicare dignatus fuerit; qui viciſſim eas ſimplicibus, parvulis, popello humili, atque in omne obſequium compoſito antea ſibi præbenti eſſent communicaturi. Myſteriorum regni Cœleſtis revelatio neutris debebatur [15]: ſed Apoſtoli, ac plebecula minorem illi obicem, quem inanes Judæorum ſapientes oppoſuerant.
E Patres quidam [16] crediderr, *parvulorum* nomine iſthic Ethnicos eſſe intelligendos, quibus Pater Cœleſtis myſteria ſua communicare dignatus eſt. At tunc temporis Evangelii janua illis nondum patebat.

℣. 26. QUONIAM SIC FUIT PLACITUM ANTE TE:] Noluit Dominus myſteriorum ſuorum cognitionem tribuere

1 Hieronym. Natal. Alex. Hamm. Grot. Var. Le Cler. 2 Vide Ham. Camer. Schmit, Caſtal. Cocc.
3 Luc. 7. 30. 4 [illegible], pro *condemnare*. Vide Phavorinum, Suidam, Heſychium, Harpocrat. Jul. Pollucem. Scholiaſt. Thucydid. 5 Ita fere Maldon. Menoch.
6 Ita Mald. Brugenſ. Toynard. pag. 48. Harm. 7 Vide Hieronym.
8 Matth. 10. 6. 15. 24. 9 [illegible]
10 Vide Var. Lect. N. T. Mill. [illegible]
11 Job. 26. 5. Iſai. 14. 19. Ezech. 28. 10. Prov. 2. 18. 9. 18. 21. 16. 70. 20. Iſai. 25. 14.
12 [illegible] 13 Hilar. hic. Hieron. Euthym. Beda, Chryſoſt.
14 Hieronym. Chryſoſt. Beda, Euthym. hic. 15 Bern Epiſt. 46. *Tuo placito ſunt id, quod ſunt, non ſuo merita: nec enim invenis merita, ſed prævenis.* 16 Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 17. Theophylact. Auth. Oper. imperf. hic.

buere ſuperbis ſapientibus, neque prudentibus faſtu A nimium elatis, quippe eam rejiciebant, & contemnebant, teſte S. Johanne Chryſoſtomo, & Theophylacto; voluitque eam ipſorum ludibrio, ac probris objicere; ſed ſimplicibus tantum obtulit illam, qui humilitate, ac docilitate præſtarent. Fruſtra omni niſu contendit humana ſapientia, divinam hanc ſibi ſcientiam comparatura, niſi Deus, qui illuminat corda, eam ipſis infuderit, atque detexerit. *Oſtendit omnem ſapientiam humanæ mentis ad intelligentiam divinæ prædicationis invalidam, niſi Deus per ſe ipſum interius docens illuminet, atque adjuvet audientem*, S. Fulgentius inquit [1]. Nemo diſceptare audeat, cur hic ad fidem Dei benignitate evocetur, illi ob ſua errata inde aditus occludatur; Dei enim Filius non aliam affert cauſam, quam Patris ſui voluntatem, ait S. Gregorius B Magnus [2].

℣. 27. OMNIA MIHI TRADITA SUNT A PATRE MEO.] Ne cui fortaſſe ſuſpicio ſuboriretur, Patrem Cœleſtem de rebus omnibus citra Filii cognitionem diſponere, utque inſcio Filio hominibus myſteriorum ſuorum ſcientiam impertire [3], Salvator addidit: *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*. Ego cum eo ſimul veritatum, & myſteriorum ſcientiam communicamus. Ex his veritatibus, atque myſteriis maximum, ac maxime humanis mentibus ignotum eſt Patris, & Filii cognitio. At hanc noviſſi per me, qui illam aſſequi valeas, eſt nemo. Non tamen hinc Spiritum Sanctum excludit: aſſerit enim S. Paulus [4], divina myſteria non niſi per Spiritum Sanctum cognoſci: & in Sanctiſſima Trinitate, quemadmodum perfectiſſima ſubſtantiæ unitas C reperitur, ita quoque integra adeſt omnis cognitionis.

Alii [5] hoc ſequentibus adnectunt: Res omnes, omnes homines, creata omnia mihi tradita ſunt ab Æterno Patre meo; per me ad illum aſcenſus patet; ego illum hominibus cognoſcendum trado, non ſecus ac ille efficit, ut ego cognoſcar. Venite itaque ad me vos, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Venite inquam ad me, qui Patrem, ac Cœli veritates intelligere quæritis, & eas vobis aperiam.

℣. 28. VENITE AD ME OMNES, QUI LABORATIS, ET ONERATI ESTIS, ET EGO REFICIAM VOS [6]:] JESUS CHRISTUS iſthic omnes generatim homines, peculiariter vero Judæos alloquitur. Humanum genus laboribus premebatur, peccatorum ſuorum pondere oneratum, medium in tenebrarum, errorumque caligine: *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus* Sap. 5. 7. Judæi præceptorum pondere, & Legis jugo, quod jugum nec ipſi neque patres eorum unquam ferre potuerant, oppreſſi laborabant [7]. Jeſus Chriſtus ſe ſe offert utroſque refecturus. Judæos quidem cæremonialium præceptorum gravi pondere levare ault; Ethnicos vero de errore ad lucem, de aſperis, fallacibuſque ſemitis in rectam viam evocare.

℣. 29. TOLLITE JUGUM MEUM SUPER VOS.] Pro Legis jugo Evangelii jugum accipite [8]; quod ſi cum priori conferatur, leve eſt, ac ſuave: *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Non ſum rigidus, ſeveruſque Dominus; nolo vos præceptorum, ac moleſta rituum multitudine obruere. Ego mitis ſum, comis, clemens, humilis [9]. Hæc omnia in me, meiſque præceptis invenietis; ac ex præcipuis mandatis, quæ vobis impono, illud facile princeps eſt, ut meam humilitatem, ac manſuetudinem imitemini [10]: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*.

1 Fulgent. lib. 1. de Verit. Prædeſt. & Grat. lib. 1. cap. 22. 23.
2 Greg. l. 25. Moral. c. 25. *Nemo diſcutiat, cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito . . . Itaque conſilium ſummæ, & occultæ virtutis, ſatisfactio ſit apertæ rationis. Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.*
3 Hilar. Chryſ. Euthym. Theoph. 4 1. Cor. 2. *Quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei.*
5 Hieron. Beda, Mald. 6 Græc. Ἀναπαύσω ὑμᾶς. *Vos quieſcere faciam.*
7 Act. 15. 10. Vide Hilar. & Theoph. alios. 8 Hilar. Beda, Nazianz. orat. 42. Maldon. Brug. Grot. Natal. Alex. 9 Author. Oper. imperfect. Grot. Maldon. alii. 10 Chryſ. hom. 39. Aug. ſerm. olim 10. nunc 69. Item ſerm. olim 38. nunc 117. alii paſſim.

CAPUT XII.

Murmur Phariſæorum contra Diſcipulos, Sabbatho frangentes ariſtas. Homo aridam habens manum curatur. Phariſæorum blaſphemia. Fortis armatus. Peccatum contra Spiritum Sanctum. Jonæ ſignum. Ninivitæ. Regina Auſtri. Mater, & fratres JESU ipſum alloqui quærentes.

1. IN illo tempore abiit Jeſus per ſata ſabbatho: diſcipuli autem ejus eſurientes
cœperunt vellere ſpicas, & manducare. 2 Phariſæi autem videntes, dixerunt
ei: Ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere ſabbatis. 3 At ille dixit
eis: Non legiſtis, quid fecerit David, quando eſuriit, & qui cum eo erant. 4
Quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus? 5 Aut non
legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt? 6 Dico autem vobis, quia templo major eſt hic. 7 Si autem ſciretis, quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium: numquam condemnaſſetis
innocentes: 8 Dominus enim eſt filius hominis etiam ſabbati. 9 Et cum inde
tranſiſſet, venit in ſynagogam eorum. 10 Et ecce homo manum habens aridam,
& interrogabant eum, dicentes: Si licet ſabbatis curare? ut accuſarent eum. 11
Ipſe autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & ſi
ceciderit hæc ſabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? 12 Quanto
magis

magis melior eſt homo ove ? itaque licet ſabbatis benefacere . 13 Tunc ait homi-
ni ; Extende manum tuam. Et extendit , & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera. 14 Ex-
euntes autem Phariſæi , conſilium faciebant adverſus eum , quomodo perderent eum.
15 Jeſus autem ſciens receſſit inde : & ſecuti ſunt eum multi , & curavit eos om-
nes : 16 Et præcepit eis , ne manifeſtum eum facerent . 17 Ut adimpleretur ,
quod dictum eſt per Iſajam Prophetam , dicentem : 18 Ecce puer meus , quem e-
legi , dilectus meus , in quo bene complacuit animæ meæ . Ponam ſpiritum meum
ſuper eum , & judicium gentibus nuntiabit . 19 Non contendet , neque clamabit,
neque audiet aliquis in plateis vocem ejus : 20 Arundinem quaſſatam non confrin-
get , & linum fumigans non extinguet , donec ejiciat ad victoriam judicium : 21
Et in nomine ejus Gentes ſperabunt . 22 Tunc oblatus eſt dæmonium habens , cæ-
cus , & mutus , & curavit eum , ita ut loqueretur , & videret . 23 Et ſtupebant
omnes turbæ , & dicebant : Numquid eſt filius David ? 24 Phariſæi autem audien-
tes , dixerunt : Hic non ejicit dæmones niſi in Beelzebub principe dæmoniorum .
25 Jeſus autem ſciens cogitationes eorum , dixit eis : Omne regnum diviſum contra
ſe deſolabitur : & omnis civitas , vel domus diviſa contra ſe non ſtabit . 26 Et
ſi ſatanas ſatanam ejicit , adverſus ſe diviſus eſt : quomodo ergo ſtabit regnum ejus?
27 Et ſi ego in Beelzebub ejicio dæmones , filii veſtri , in quo ejiciunt ? ideo ipſi
judices veſtri erunt . 28 Si autem ego in ſpiritu Dei ejicio dæmones , igitur per-
venit in vos regnum Dei . 29 Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum
fortis , & vaſa ejus diripere , niſi prius alligaverit fortem ? & tunc domum illius
diripiet . 30 Qui non eſt mecum , contra me eſt : & qui non congregat mecum ,
ſpargit . 31 Ideo dico vobis : Omne peccatum , & blaſphemia remittetur homini-
bus , ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur . 32 Et quicumque dixerit verbum
contra filium hominis , remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum ,
non remittetur ei neque in hoc ſæculo , neque in futuro . 33 Aut facite arborem
bonam , & fructum ejus bonum : aut facite arborem malam , & fructum ejus ma-
lum : ſiquidem ex fructu arbor agnoſcitur . 34 Progenies viperarum , quomodo po-
teſtis bona loqui , cum ſitis mali ? ex abundantia enim cordis os loquitur . 35 Bo-
nus homo de bono theſauro profert bona : & malus homo de malo theſauro pro-
fert mala . 36 Dico autem vobis , quoniam omne verbum otioſum , quod locuti
fuerint homines , reddent rationem de eo in die judicii . 37 Ex verbis enim tuis
juſtificaberis , & ex verbis tuis condemnaberis . 38 Tunc reſponderunt ei quidam
de Scribis , & Phariſæis , dicentes : Magiſter , volumus a te ſignum videre . 39
Qui reſpondens ait illis : Generatio mala , & adultera ſignum quærit : & ſignum non
dabitur ei , niſi ſignum Jonæ Prophetæ . 40 Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti
tribus diebus , & tribus noctibus , ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus die-
bus , & tribus noctibus . 41 Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta,
& condemnabunt eam ; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ . Et ecce
plus quam Jonas hic . 42 Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta ,
& condemnabit eam : quia venit a finibus terræ audire ſapientiam Salomonis , &
ecce plus quam Salomon hic . 43 Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homi-
ne , ambulat per loca arida , quærens requiem , & non invenit . 44 Tunc dicit :
Revertar in domum meam , unde exivi . Et veniens invenit eam vacantem , ſcopis
mundatam , & ornatam . 45 Tunc vadit , & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum ne-
quiores ſe , & intrantes habitant ibi : & fiunt noviſſima hominis illius pejora prio-
ribus , Sic erit generationi huic peſſimæ . 46 Adhuc eo loquente ad turbas , ec-
ce mater ejus , & fratres ſtabant foris , quærentes loqui ei . 47 Dixit autem ei quidam:
Ecce mater tua , & fratres tui foris ſtant quærentes te . 48 At ipſe reſpondens dicenti
ſibi , ait : Quæ eſt mater mea , & qui ſunt fratres mei ? 49 Et extendens manum in
diſcipulos ſuos , dixit : Ecce mater mea , & fratres mei . 50 Quicumque enim fecerit
voluntatem Patris mei , qui in cœlis eſt : ipſe meus frater , & ſoror , & mater eſt.

℣. 1. IN ILLO TEMPORE ABIIT JESUS PER SATA SABBATHO .] Hoc accidit die Sabbathi, cui nomen erat [1] *Sabbatho ſecundo-primo* , hoc eſt , altera die Sabbathi poſt ſecundam azymorum diem, vel poſt ſecundam Paſchatis feſtivitatem, quemadmodum alibi oſtendemus . Quod igitur iſthic refertur , accidit prima die Sabbathi , quæ ſubſecuta eſt alterum Paſcha , de quo meminit Evangelium , cum

Jesus

[1] Luc. 6. 1.

Digitized by Google

Jeſu Capharnaum reverteretur. Nequaquam integrum erat nimis longum iter ſuſcipere die Sabbathi [1]; & Diſcipuli Jesu propter legis interdictum ea die neque aliquid eſculentum ſibi præparare poterant, neque emere obſonium [2]. Alicubi ergo oportebat illos eſcam emendicare, vel ſolis occaſum, Sabbathique finem præſtolari, ut ſibi epulas compararent. Hac neceſſitate coactis non aliud erat ineundum conſilium, quam ut in agris quærerent, quod ſibi in veſperam uſque ad corpus reficiendum ſufficeret. Et re ipſa cum per agros pertranſirent, ariſtas aliquot divulſerunt, eaſque manibus confricare cœperunt [3]. Hinc ſcandali occaſionem, tamquam Lege, qua eſculenta quælibet die comparari prohibentur, palam perfracta, nacti Pharisæi ad Jesum acceſſere, ut de ipſius diſcipulis conquererentur.

Credunt nonnulli [4], Phariſæorum ſcandalum inde obortum, non quod Sabbathi Legem violatam opinarentur, ſed quod mos, qui tunc apud Judæos percrebuerat, Sabbatho, cæteriſque feſtis diebus ante ſextam diei horam, & ante officium Templi cibo abſtinendi, a diſcipulis Jesu neglectus ipſis videretur. At ſupponunt, hoc mane accidiſſe, quod non liquet, non ſecus ac iſta allata conſuetudo ad meridiem uſque jejunandi. Salvator Diſcipulos ſuos excuſat, quod ideo Sabbathum violarint, quia comedendi neceſſitate urgebantur; præterquam factum eorum contra Legem fuiſſe futurum non negat. Inter ea, quæ ea die fieri prohibentur, & hoc Rabbini [5] recenſent, ariſtas convellere, eaſque manu conterere; verum tenet S. Irenæus l. 4. c. 20. nefas fuiſſe tantum metere, non autem ſpicas aliquot colligere, earumque grana Sabbatho excutere comedenda. Judæi aſſerunt econtra, non *patrem* ſolum, hoc eſt *meſſem*, ſed *filium* quoque, hoc eſt ariſtarum evulſionem vetitam eſſe. Novem, ac triginta enumerant, quæ *primitive* Sabbatho prohibentur, & alia quamplurima ex illis fluentia, inter quæ & illud, de quo iſthic agitur, occurrit. At Diſcipulorum factum ſimpliciter ſumptum, qua ratione improbent, non inveniunt; quippe per Legem Deut. 23. 25. licet: *Si intraveris in ſegetem amici tui, franges ſpicas, & manu conteres: falce autem non metes.* At hanc ſolum Sabbathi circumſtantiam redarguunt.

℣. 2. Dixerunt ei.] Refert S. Lucas 6. 2. ab illis Diſcipulos ipſos fuiſſe exprobratos. At omnino veritati conſonum eſt, ubi Diſcipulos increpaverint, eum D Jesu Christo fuiſſe conqueſtos [6].

℣. 3. Non legistis quid fecerit David.] David ſolus ingreſſus eſt in Summi Sacerdotis domum, at ſeorſim ſuos reliquerat ſatellites [7]. Nemo adeo rudis eſt, ac hoſpes, qui Davidis non norit hiſtoriam; quamobrem eam iſthic omittimus.

℣. 4. Intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit.] Venit in Nobe, ubi tunc erat Arca Fœderis, & Tabernaculum. Nobe erat prope Cariath-iarim, & in eadem Tribu Ephraim. *Panes Propoſitionis* [8], vel quemadmodum in Hebræo Moyſis textu vocantur [9], *Panes faciei*, illi ſunt, qui ſingulis Sabbathis in aurea menſa coram Domino apponebantur. Solis tantum Sacerdotibus jus erat iis veſcendi Levit. 24. 6. At neque Summus Sacerdos, quem E proculdubio iſthæc minime fallebant, neque David, qui religioſiſſimus erat Legis obſervator, tunc religioni minime ſibi verterunt, alter quidem præbere, alter panes hos manducare. Hic par occurrit neceſſitas; ubi etiam non agitur, ut ſacrum aliquid, ac Miniſtris Domini reſervata, ſed ſimplices triticeæ ſpicæ

A comedantur: cur ergo iſtud Diſcipulis meis nefas erit?

℣. 5. Aut non legistis in Lege, quia Sabbathis Sacerdotes in Templo Sabbathum violant?] Sacerdotes in Templo ſacrificia offerunt Sabbatho, victimas jugulant, eas deglubunt, in fruſta conciduot, in ara collocant; illuc ligna congerunt, ibique ignem ſuccendunt, non ne hæc omnia facientes Sabbathum vere violare videntur? Id tamen non vetat Lex Num. 28. 9. Hinc infert Jesus Christus, Diſcipulis ſuis ſecum Evangelicæ prædicationi vacantibus, operi videlicet in ſe Legis, ac Prophetarum, perfectionem complectenti, ac urgente præterea comedendi neceſſitate, licuiſſe, citra nefas, Sabbathique violationem, nonnullas convellere ariſtas, & manu illinc excutere grana; cum res hæc exigui ſit adeo momenti,
B & alioquin tot adeo legitimæ diſpenſationis cauſæ non deſint. Cum duæ concurrunt leges, & utraque ſimul obſervari non poteſt, ſecundum juris, atque rationis regulas, ea præferenda eſt, quæ momenti majoris eſt, illi, quæ minoris. Hic autem rationes, quibus adigebantur Apoſtoli, ut vitæ ſuæ conſulerent, atque fame laborantes exiguum quidem, ſed neceſſarium ſubſidium ſibi compararent, longe præſtabant illis, quibus iiſdem in circumſtantiis requiem Sabbathi obſervare tenebantur [10].

℣. 6. Dico autem vobis, quia Templo major est hic.] Græca quædam Exemplaria legunt [11]: *Iſthic Templo majus aliquid ineſt*. Si Templi miniſterium, & Domini cultus Sacerdotes a rigoroſa Sabbathicæ quietis obſervantia diſſolvunt; officium, quo
C Diſcipuli mei me ſectantur, profecto nihilo minorem præbet cauſam: ego enim Templo major ſum. Satis ſe Deum eſſe, ac Patri æqualem indigitat. Si Deus Pater meus ab hujus præcepti obſervantia diſpenſare poteſt cum iis, qui ſibi famulantur, non minor hac in re mihi ſuppetit facultas [12]. S. Hieronymus hoc ita explicat [13]: Edico vobis, *Quod Templo major ſit locus, qui Dominum Templi teneat.*

℣. 7. Misericordiam volo, & non sacrificium.] Hæc adagii ſpecies eſt, qua non ſemel utitur Salvator, ut innuat, ſe pietatis, charitatis, clementiæ exercitia præferre ſtrictæ, ac rigoroſæ operibus obſervantiæ. Vide etiam ſupra cap. 11. 29. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Coactam ſervitutem abominor; violenta, ac invite facta deteſtor, ſuavi-
D tatem & miſericordiam quæro.

℣. 8. Dominus enim est Filius hominis etiam Sabbathi.] Tertium argumentum ad Diſcipulorum factum probandum inviƈtiſſimum. Ego dominus ſum Sabbathi; hac in occaſione Apoſtolos meos a Sabbathi obſervantia diſpenſare volo. Poteſt abrogare, antiquare, moderari Leges poſitivas Deus, prout e re cenſuerit. Aliam affert S. Marcus 2. 27. rationem, quam iſthic præterit S. Matthæus, ſcilicet quod *Sabbathum propter hominem factum eſt, & non homo propter Sabbathum.* Unde non operoſum eſt inferre, ubi agitur de vita corporis, vel animæ alicujus hominis, Legem Sabbathi huic neceſſitati concedere.

Contendunt nonnulli [14] ex hoc S. Marci loco cum SS. Luca, & Matthæo collato inferre, verba hæc, *Dominus eſt Filius hominis etiam Sabbathi*, æquipollentia eſſe his, *Sabbathum propter hominem factum eſt*, atque
E iſthic *filium hominis* pro quovis homine generatim uſurpari. Quilibet Dominus eſt Sabbathi; cuilibet integrum eſt pro tempore illud obſervare, vel ſecus. Si quod ingruat periculum, vel aliqua neceſſitas urgeat, nemini deeſt jus ſeipſum ab illius obſervantia diſpen-
ſan-

1 Matth. 24. 20. Act. 1. 12. 2 Exod. 16. 22. 23. 2. Eſdr. 13. 15. 16.
3 Græc. Ἤρξαντο τίλλειν ςάχυας, καὶ ἐσθίειν. Luc. 6. 1. Ἔτιλλον . . . καὶ ἤσθιον ψώχοντες ταῖς χερσί. Verbum τίλλειν, aliquando ponitur pro *fricare*. Grot. 4 Vide Hamm. hic.
5 Maimonid. Sabb. c. 8. Vide Grot. & Ludov. de Dieu, hic. Ligfoot.
6 Ita Interpp. plerique. 7 1. Reg. 21. 1. 2. 8 Τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔφαγεν.
9 לחם פנים 10 Vide Chryſoſt. Hieronym. Euthym. Maldonat. hic. Grot. ad verſ. 5.
11 Ὅτι τοῦ ἱεροῦ μεῖζόν ἐστιν ὧδε. Ita Cod. plures apud Mill. 12 Vide Euthym. Theophyl. Mald. Brug. Grot. Menoch. 13 Hieron. hic. *Quod Templo major ſit locus, qui Dominum Templi teneat.*
14 Grotius, & Clericus in hunc locum. Vide pariter Clericum in Hammondum, & S. Chryſoſtomum in hunc locum hom. 40.

ſandi. At meridiana luce clarius patet, duas propoſitiones, quas ſimiles, ac gemines eſſe contendunt, omnino eſſe diverſas; licet enim verum ſit aſſerere, Sabbathum propter hominem ſactum, ac homini licere Sabbathi legem interpretari; non licet tamen affirmare, hominem Sabbathi dominum eſſe. Qui e lege diſpenſare poteſt, ac interpretari præcepta, non ideo illorum Dominus eſt. Princeps tamen, ac Legislator, cum de humana lege agitur, & cum de Divina, Deus unus Dominus eſt, & penes hunc eſt illius abrogandæ, vel antiquandæ facultas. Jesus Christus Sabbathi Dominus non eſt, niſi quatenus Deus [1].

℣. 9. Cum inde transiisset, venit in Synagogam.] Capharnai, ubi Jesus, ut plurimum, commorabatur. Adnotat S. Lucas 5. 6. hoc alia die Sabbathi accidiſſe, quæ illam, de qua ſupra ſermo fuit ℣. 5. eſt ſubſecuta.

℣. 10. Ecce homo habens manum aridam,] & paralyticam, qua oti non poterat amplius, ut laboraret. Evangelium Nazaræorum [2] aſſerebat, hominem hunc dixiſſe Jesu: *Faber eram cæmentarius, & laboribus meis mihi victum quæritabam; quæſo, Domine, cura me, ut turpiter ſtipem teneat emendicare.* S. Lucas teſtis eſt, manum hanc aridam fuiſſe dexteram.

℣. 11. Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam.] Jesus Phariſæorum interrogationem elodit; *Si licet Sabbathis curare?* Ego quoque viciſſim ex vobis quæro, utrum liceat ovem, quæ in foveam Sabbatho ceciderit, inde illam educere? Haud illum fallebat conſuetudo; & quid eſſent reſponſuri, palam norat; eoſque verbis ipſorum refellere, ac pudore ſuffundere cupiebat.

Judæi noſtre hac ætate ſibi licere non putant, quod qui Salvatoris ævo vivebant integrum ſibi eſſe arbitrabantur. Dicunt autem, ſi jumentum in foveam ceciderit, poſſe quidem illi cibum ſuppeditari, non tamen illinc educi. Credit Grotius, illos in odium Chriſtianorum Sabbathis ſuis eas nugas, inaneſque ſuperſtitiones patrum ſuorum, antiquarumque Legis Doctorum temporibus ignotas injunxiſſe. Certum eſt, Rabbinos olim credidiſſe, Sabbathi præceptum ceſſare, ubi de hominis, vel jumenti vita ageretur [3]. At non hujus generis ſunt miraculoſæ curationes, quoniam differri poſſunt; & morbi, quibus medebatur Jesus Christus, non erant cum impendenti mortis periculo conjuncti. Verum miracula numquam communium Legum vinculis obnoxia fuere.

℣. 12. Itaque licet Sabbathis benefacere.] Non infert: *Itaque licet curare*, ſed *benefacere*; nam juxta S.S. Marcum 3. 4. & Lucam 6. 9. ex Phariſæis antea quæſiverat Jesus Christus: *Si licet Sabbathis benefacere, an male; animam ſalvam facere, an perdere?* hoc eſt, vitam alicujus ſervare, an relinquere, ut pereat. Sed interrogationi huic Phariſæis non reſpondentibus, docet S. Matthæus, Jesum Christum inde arguiſſe, licuiſſe Sabbatho benefacere, ac ſimul ab eo curatum fuiſſe hunc hominem, aridam manum habentem.

℣. 14. Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant &c.] ut illum tamquam Sabbathi perfractorem comprehenderent; cujus præcepti tranſgreſſores in Lege Num. 15. 35. capite damnabantur. S. Marcus 3. 7. Phariſæis addit Herodianos eo in conſilio, quod in Jesum habitum eſt. Joſephus Antiq. l. 18. c. 2. ait, Diſcipulos Judæ Galilei, quos eoſdem ac Herodianos eſſe putamus, in omnibus ferme cum Phariſæis conſenſiſſe. Horum pravam mentem aſſecutus Salvator e Synagoga ſe ſe recepit, & Capharnao exceſſit, ad maris Genezareth littus concedens [4]; quo in occaſione conſilium exercuit, quod ſuis traderet, ut fugerent, ubi perſecutio immineret [5]. Vitam ſuam ſerva-

A re voluit, nullis futuris perſecutoribus ſuis, & ne illos objiceret periculo, cædem, & injuſtitiam admittendi.

℣. 16. Præcepit eis, ne manifestum eum facerent.] Primum, ut humilitatis, ac modeſtiæ nobis exemplum præberet; deinde ne Phariſæos, alioſque inimicos ſuos exacerbaret. Hoc enim Evangelii progreſſus remorari, & Apoſtolos perſecutioni, recentibuſque periculis objicere potuiſſet. Non vult Jesus Christus momenta a Patre ſuo præfinita prævertere, neque inimicis perſecutionis anſam tribuere [a]. Ariſtoteles Athenis excedere coactus ajebat, ſe eam urbem relinquere, ne Athenienſes in diſcrimen adduceret, ut ſe mortis ipſius, ut olim Socratis, ſontes præberent.

B ℣. 17. Ut adimpleretur &c.] Vidimus jam, hæc verba, *ut adimpleretur, quod dictum eſt* &c. vulgo eventum indigitare, non cauſam; id quod accidit, non cauſam, quæ effectum producit. Inſigne iſthic enitet ſpecimen ſuavitatis, & clementiæ Jesu Christi erga inimicos ſuos. Poterat ille Phariſæos delere, & diſperdere; quandoquidem tot, tantaque patrabat miracula. Poterat eos ſceleratorum ſcelerum redarguere, eoſque in odium populi adducere. Verum quin illis obſiſtat, recedit, neque illos laceſſit: ita ut tunc palam adimpleta fuerit celebris illa Iſaiæ 42. 1. prophetia, ubi Meſſiæ characteres his vocibus indigitantur: *Ecce puer meus, quem elegi* &c.

Jesus Christus erat Filius coæternus, & conſubſtantialis Patri per naturam ſuam, ac ſervi ipſius formam induit, humanam carnem, & infirmitatem aſſu-
C mens. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Philip. 2. 6. Dilectus meus, *in quo bene complacuit animæ meæ*, quemadmodum Pater Cœleſtis, cum Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie ſuper Jesum baptizatum illapſus eſt [7]; & ruſſus etiam in illius Transfiguratione eum appellavit [8]. *Ponam ſpiritum meum ſuper eum*; quemadmodum palam die Baptiſmatis ejus evenit [9]. Ex ipſo enim conceptionis ſuæ momento Sancti Spiritus plenitudinem accepit, ac ſuperabundantia cœleſtium donorum fuit cumulatus. *Tandem judicium gentibus nuntiabit.* Prædicavit iſtis Evangelium ſuum [10], quod perfectiſſimæ juſtitiæ præcepta complectitur; ad eas miſit Apoſtolos ſuos, qui illas erudirent, & ad fidem vocarent; ipſe enim per ſe
D numquam apud Gentiles prædicavit, imo neque Apoſtoli ipſius, niſi poſtquam ille aſcendit ad Cœlos. Non deſunt e Patribus [11] qui hoc de noviſſimo Judicio intelligant. Jesus Christus illud populis omnibus nuntiavit, atque prædixit; ac ſæpe nihil aliud, quam hoc intelligit, nomine Regni Cœleſtis, quod toties in ſermonibus ejus occurrit.

℣. 19. Non contendet, neque clamabit.] Non eſt ex numero dominorum eorum, qui imperioſius, atque impotentius clamitant, minitantur, jurgantur; doctrinam ſuam ſimpliciter prædicabit; eamque ſumma cum ſuavitate ſuadebit, atque manſuetudine, & clementia animos, & corda populorum ſibi devinciet. Jesus Christus nequaquam veterum Prophetarum more uſus eſt, quorum plerique indeſinen-
E ter in ſæculi ſui vicia invehebantur, qui neque Optimatibus, neque Regibus ipſis parcebant; qui zeli ſui impetu abrepti exprobrabant, probriſque queſtus, invectivas, minaſque addebant. Samuelem vidimus tonitrua, & fulmina immittentem, manu ſua necem Agag inferentem, Saoli reſiſtentem. Vidimus Eliam cœleſtem ignem detrahentem, Pſeudoprophetas Baal jugulantem, adverſantem Achab. Qua autem vi Jeremias, & Iſajas Dei cauſam contra Reges, ac Principes Juda ſuſcepere? *Ecce conſtitui te hodie*, ait Dominus

1 Vide Hammond. hic. Maldon. Ligfoot. a Hieron. in Matth. hic.
3 Miſnæ, tom. 2. Maimonid Moſes de Corzi mandato negativo 25. Vide, ſi placet, Tertull. l. 2. adverſ. Jud. c. 4. & l. 4. contra Marcion. & Hieron. ad Iſai. 28. 4 Marc. 3. 7.
5 Matth. 10. 23. 6 Gregor. Nazianz. orat. 1.
7 Matth. 3. 16. Vide Hieronym. in Iſai. 42. 8 Matth. 17. 5. 2. Petr. 1. 17.
9 Matth. 3. 16. 10 Maldon. Hammond.
11 Auguſt. lib. 20. cap. 30. de Civit. Hieron. Ep. 30.

nus Jeremiæ : *ſuper Gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & ædifices, & plantes* Jerem. 1. 10. Alio ſpiritu afflatus erat JESUS CHRISTUS; aliquando loceſſit quidem Phariſæos, ſed ſæpe illis parcit; perraro cum illis contendit; ipſis non adverſatur; rationibus illos avincit; eorum iræ, furorique cedit, ſe ſe recipiens, ac prohibens, ne ſua in vulgus ferantur miracula.

℣. 20. LINUM FUMIGANS NON EXTINGUET.] In peccatores non animadvertet ſumma cum ſeveritate; & donec aliqua converſionis aderit ſpes, lenitate, atque miſericordia utetur. Adhortabitur, rogabit, leniter eos revocabit.

DONEC EJICIAT AD VICTORIAM JUDICIUM [1].] Donec palam juſtitia cauſæ ſuæ triumphum referat, & omnes terrarum populi Judæi, & Ethnici Evangelii veritatem agnoſcant [2]. Tunc, videlicet noviſſimi judicii die, tempus erit ſeveritatis. Ad finem uſque miſericors erit, at cum miſericordiæ tempus abierit, peccatori nihil ultra expectandum eſt, quam terribiles iræ Omnipotentis effectus. Sunt, qui hoc ita explicent: *Donec rejiciat damnationem, ac victoriam reportet*, hoc eſt ad ſuam uſque mortem, in qua damnationis noſtræ chirographum revulſit [3], & per reſurrectionis ſuæ triumphum præclaram nobis de peccato, & dæmone victoriam reportavit. Juxta Romanæ Editionis accentus ita etiam legi poteſt: *Donec rejiciat Judicium in contentionem*. JESUS CHRISTUS ſemper fuit contradictionis, & contentionis argumentum, Luc. 2. 34. Ipſe arguit inimicos ſuos de injuſtitia Joan. 16. 8.

℣. 21. IN NOMINE EJUS GENTES SPERABUNT.] Ad Evangelii ipſius prædicationem convertentur. Clamabunt, ac ſperabunt in illum; eumque tamquam Deum, Dominumque ſuum recipient, Iſaiæ 42. 1. Textus, unde locus hic deſumptus eſt, non parum differt ab eo, quem legimus. Illum igitur juxta Hebraicam lectionem afferemus: *Ecce puer meus, ego innitar illi. Ecce Electus meus, anima mea illum dilexit; poſui ſuper eum Spiritum meum; gentes judicabit*. Ad litteram; emittet judicium ad gentes. *Non clamabit, neque inſurget*, vel non elevabit vocem ſuam, *neque audietur vox ejus in plateis. Non confringet fractam arundinem, neque linum extinguet, obſcuram lucem emittens. Judicabit in veritate: Neque obſcurus erit, neque turbidus, donec Judicium in terra conſtituat*. Vel: *non extinguet, non conteret, donec judicium preſtruat*. Hæc omnia indigitant ſuavitatem, & clementiam regni JESU CHRISTI, qui amoris, & miſericordiæ legem ignitæ, acerrimæque ſubrogat legi. Moyſi dicebat Deus, Exod. 20. 5. *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem*. Et JESUS CHRISTUS ait in Evangelio Matth. 11. 29. *Ego ſum mitis, & humilis corde*, vel patiens, & benignus; & *jugum meum ſuave, & onus meum leve*.

Septuaginta quoque aliquantulum & ab Hebræo, & a S. Matthæo diſcrepant in loci nuperrime allati verſione: *Jacobus eſt filius meus*, vel ſervus meus, *& recipiam illum*, vel protegam: *Iſrael eſt electus meus; anima mea illius patrocinium ſuſcepit; & vox ejus exterius non audietur: Non conteret arundinem fractam, & linum fumigans non extinguet; ſed judicium feret in veritate. Fulgebit, & non conteretur, donec judicium in terra conſtituat*. S. Hieronymus in Iſaiæ c. 42. credere videtur, varietatem, quæ inter S. Matthæum, Hebraicumque textum deprehenditur, ex Librariorum incuria

profectam. At in Michæam l. 2. c. 5. hæc habet: *Sunt autem, qui aſſerant in omnibus pene teſtimoniis, quæ de veteri teſtamento ſumuntur, iſtiuſmodi eſſe errorem; ut aut ordo mutetur, aut verba, & interdum ſenſus quoque ipſe diverſus ſit: vel Apoſtolis; vel Evangeliſtis non ex libro carpentibus teſtimonia, ſed memoriæ credentibus, quæ nonnumquam fallitur*. At poſtuma hæc ſententia nimis obnoxia eſt periculis, cum de tanti momenti re agatur. Malim autem cum Patre eodem [5] alio in loco aſſerere, Salvatorem, & Apoſtolos numquam ſe ſe demiſiſſe, ut proprie Textus verba citarent, ſed eorum ſenſum dumtaxat proferrent de Scribarum, ac Sapientum ævi illius conſuetudine, uti liquet ex nonnullis Evangelii locis, Joſepho inſuper, & Philone.

℣. 22. TUNC OBLATUS EST EI DÆMONIUM HABENS, CÆCUS, & MUTUS.] Dæmon, quo energumenus obſidebatur, duo hæc illi mala pepererat [6]; ita ut Dæmone liberatus, ſtatim videndi, ac loquendi facultatem receperit: *Curavit eum, ita ut loqueretur, & videret*. Hoc miraculum accidit multo poſt ea, quæ Capitis hujus initio afferuntur. Vide Hiſtoriam Chronologicam. Miraculum, quod a S. Luca enarratur, ab hoc differt.

℣. 23. NUMQUID HIC EST FILIUS DAVID?] Meſſias, quem tamdiu præſtolamur? Meſſias enim agnoſcebatur ex nomine Filii David. Vide Matth. 9. 27. 15. 22. &c.

℣. 24. NON EJICIT DÆMONES, NISI IN BEELZEBUB.] Non ex uno Evangelii loco [7] liquet, Judæos tunc temporis in dæmonibus quamdam imperii, atque ſubordinationis ſpeciem credidiſſe, & imperii ejuſdem principem *Beel zebub*, vel Deum Muſcam vocatum fuiſſe; ſeu per irriſionem hoc illi nomen aſſignaverint, ſeu putarint, dæmonem olim a Philiſthinis adoratum, dictumque Beelzebub [8], vere Regem eſſe inferorum; ſeu denique *Accaronis* urbem, ubi Beelzebub adorabatur, cum *Acheronte*, ubi Græci inferni Regem conſtituebant, confundentes, crediderunt, Beelzebub eumdem eſſe ac Plutonem, ac Deum, impiorum manes coercentem. Pluribus in locis innuunt Apoſtoli, non deeſſe principem dæmonum, reliquorum caput: eumque vocant *Principem tenebrarum* Luc. 22. 53. *Principem hujus mundi*, Joan. 12. 31. *Principem ſæculi* 1. Cor. 2. 6. *Principem poteſtatis aeris hujus* Ephes. 2. 2. Et Satanas cum JESUM CHRISTUM in ſummum montis cacumen adduxiſſet, omnia illi mundi Regna oſtendens, hoc ſe illi daturum cuncta recepit, ſi in genua procumbens, ipſum adoraſſet [9]. Loquitur autem juxta Judæorum illorum temporum ideam, vel etiam juxta veritatem; namque ſub Meſſiæ adventum, mundus quodammodo traditus erat crudelis hujus, atque impotentis domini tyrannidi.

Tobiæ ævo videntur Judæi dæmonum principem *Aſmodæum* [10] appellaſſe: qui modo ab illis vulgo *Sammael* vocatur; cui accepta referunt oracula, & falſa miracula, quæ apud Ethnicos fiebant, & quem Patres paſſim *Luciferum* dicunt [11]. S. Gregorius Magnus illum *Behemoth* nuncupat [12]; & alii [13] *Dæmonum Archangelum* vocant. *Serapis, Pluto, Ades, Dis*, qui unum dumtaxat, & idem ſunt; atque *Hecate* ab Ethnicis tamquam Rex & Regina, dominus, ac domina minorum dæmonum habebantur; qui cum magorum imperio ocyus præſto non aderant, terribilia dominorum nomina interponebantur, ut ſervis eorum metus injiceretur [14]. Imo minæ intentabantur Diti ipſi futurum, ut nomen illius detegeretur, niſi fortilegia moram geſſiſſet [15]. Hic Princeps dæmonum ſe tamquam ſupremum Numen

1 Hilar. hic. *Donec eum ejiciat victoriam ad judicium*. 2 Hoc appellavit *Judicium* verſ. 18. Vide Auguſt. lib. 20. de Civit. c. 30. 3 Coloſſ. 2. 14. Vide Hilar. hic.

4 [illegible Greek]. Perinde ac legiſſet in Hebræo [illegible Hebrew] pro [illegible Hebrew]

5 Hieronym. in Matth. 27. *Evangeliſtarum, & Apoſtolorum more vulgato, qui verborum ordine prætermiſſo, ſenſus tantum de veteri Teſtamento proferunt in exemplo*. Vide & Epiſt. ejuſd. ad Algaſiam.

6 Chryſoſtom. Theophylact. Brug. Mald. alii. 7 Matth. 9. 34. 10. 25. Luc. 11. 15.

8 4. Reg. 1. 2. 3. &c. 9 Matth. 4. 8. 9. 10 Tobiæ c. 3. 8.

11 Patres, & Interp. & Theologi paſſim. 12 Gregor. Magn. lib. 1. Moral. in Job. l. 4. c. 13. 18. & 32.

13 Vide Lactant. lib. 2. cap. 15. de orig. erroris. 14 Vide Porphyr. apud Euſeb. Præpar. lib. 4. cap. ult. 15 Lucan. Pharſal. lib. 6.

Jam vos ego nomine vero
Eliciam, &c.

haberi cupiebat [1]; ſibique Principis Mundi, ac ſummi infernalis Exercitus Imperatoris nomen vendicabat. JESUS CHRISTUS Matth. 25. 41. ait, ignem æternum præparatum eſſe Diabolo, & Angelis ejus, hoc eſt miniſtris illius, dæmonibus, quibus præeſt.

Phariſæi ergo JESUM CHRISTUM accuſant Magiæ, & conſuetudinis cum Dæmonibus. Recentes Rabbini veterem hanc criminationem obſoleſcere paſſi ſunt, recentiorem nacti. Contendunt quippe, JESUM doloſe in Templum ingreſſum, ibi incommunicabile, & ineffabile nomen *Jehovah* ſuffuratum, cujus adminiculo ea omnia operatus eſt prodigia, quæ legimus in Evangelio, & longe plura, quæ ipſi huic affingunt. At non immoramur nugis his refellendis.

℣. 25. JESUS SCIENS COGITATIONES EORUM DIXIT &c.] JESUS CHRISTUS Phariſæorum corda perſcrutatus illos eo refellit argumento, quod ad hominem appellatur. Cum illis ſupponit, quin tamen confirmet, inter dæmones adeſſe principatum, & imperium ad mundi uſque finem duraturum, in hoc autem imperio certum eſſe ordinem, atque ſubordinationem, cujus gratia illud vigebat. Huic innixus principio, ita arguit: Fieri non poteſt, ut diviſum imperium diu vigeat; & Princeps, qui norit, quid ſibi conducat, vires ſuas diſtrahat e ducum ſuorum manibus, ea, quæ ipſi vicerint, eripiens: Hoc idem eſſet, ac ſi Princeps copias ſuas mitteret cum Imperatoribus ſuis acie dimicaturas, mox hoſtibus redditurus ea, quæ belli jure cepiſſent. Non ergo fidei conſonum eſt, dæmonum Principem jubere dæmones alios ex iis, quæ obſident, corporibus excedere: ideo neque me in nomine, & auctoritate Beelzebub dæmones ejicere.

At enim inter me, ac dæmonum Principem aliquod fortaſſe pactum intercedit, cujus gratia mihi obtemperare teneatur, licet e re ipſius minime ſit; vel mihi cum illo aliqua ſubeſt colluſionis ſpecies, ita ut dum imperium ejus videar evertere, illud tamen re ipſa confirmem; Principis inſtar, qui oppidulum aliquod ſe dedere polliceretur, ut regnum ferret, vel qui exiguam militum manus jacturam pati vellet, ut prælii totius victoriam reportaret. At hic nil tale dici poteſt: Veni, ut Dei regnum inſtituerem, ac Dæmonis tyrannidem prorſus evellerem. Infeſtiſſimum huic ubique bellum infero; ubique omnia illi auferre ſtudeo, nullibi ipſum patior; & jacio Religionis meæ fundamenta, quæ prorſus ex adverſo regno illius opponuntur. Conſilia mea conſiliis ejus penitus adverſantur; ubique pœnitentiam, cordis converſionem, Dei amorem, & proximi prædico. Hoccine eſt cum Principe Dæmoniorum colludere?

℣. 27. SI IN BEELZEBUB EJICIO DÆMONIA, FILII VESTRI IN QUO EJICIUNT?] Hoc alterum eſt contra Phariſæos argumentum. Si illi ex vobis, qui dæmones ejiciunt, non in nomine Beelzebub ejiciunt, nullum vobis jus eſt me inſimulandi, quaſi eos in illius nomine ejiciam. At audebitisne aſſerere, filios veſtros, exorciſtas veſtros nomine Beelzebub uti, ut dæmones fugent? Non igitur ullo pacto a vobis hoc nomine ſum accuſandus. At enim non ejicio dæmones, ut illi; nullis utor exorciſmis, nulla Dei Patriarcharum invocatione, herbis nullis, nullis odoribus: verum num inde inferendum, me nomen Beelzebub in hoc opus impendere? Quandonam Principis hujus tenebrarum nomen protuli? Quomodo probare poteſtis, mihi ullam cum eo eſſe neceſſitudinem? Si ergo, ut vos ipſi fatemini dæmones expelli queunt, quin Beelzebub auctoritas adſit: cur me arguitis, perinde ac in ejus virtute illos ejiciam. Hoc temere effutitis.

Ex Scripturis, & Joſepho, immo etiam ex antiquis Patribus liquet, apud eorum temporum Judæos non defuiſſe exorciſtas, & eos, qui exorciſmis, Dei Abraham, Iſaac, & Jacob invocatione, & quarumdam herbarum, quas energumenorum naribus objiciebant, odore, dæmones ſe expellere profitebantur. S.S. Marcus, & Lucas teſtantur, fuiſſe quoſdam ex Judæis etiam, qui in nomine JESU CHRISTI dæmonia expellebant. *Magiſter*, inquiunt Apoſtoli [2], *vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nos*, neque eſt ex Diſcipulis tuis, *& eum prohibuimus*. Et in Actis 19. 14. Septem filiis Scevæ Principis Sacerdotum Judæorum in nomine Salvatoris JESU dæmones ejicere quærentibus, hæc dæmon ait: JESU *novi, & Paulum ſcio; vos autem qui eſtis?* Narrat Joſephus Antiqu. l. 8. c. 2. Judæum quemdam, cui nomen Eleazarus, energumenos curare conſueviſſe, annuli cujuſdam ope, ubi radix erat inſerta, quæ a Salomone detecta ferebatur. Odor radicis hujus efficiebat, ut energumenus in terram caderet; exorciſta vero Dæmonem verbis adigebat, ne in corpus illud amplius ingrederetur. S. Juſtinus in Dialog. cum Tryph. S. Irenæus l. 2. c. 5. Origenes l. 1. & 4. contra Celſ. Tertullianus l. 4. contra Marcion. ipſi etiam loquuntur de Judæis, qui ſe dæmones ejicere gloriabantur, & qui eos reipſa nonnumquam ejiciebant, Deum Abraham invocantes. Hi ſunt illi, de quibus loquitur JESUS CHRISTUS, dicens [3]: *Filii veſtri in quo ejiciunt?*

At plurimi Patres [4] ſub hoc nomine eoſdem Apoſtolos intelligunt, qui e Judæorum grege fuerant, quippe fratres erant, vel filii eorum, ad quos JESUS loquebatur. Si Apoſtoli mei dæmonia ejiciunt, idque in nomine meo, non autem in nomine Beelzebub, cur arguitis, me facultate hujus Principis tenebrarum abuti, ut ejiciam illa? Num minor mihi, quam Apoſtolis meis ineſt auctoritas? valent ne ipſi in nomine meo id aſſequi, quod per memet ego non valeam? Dæmoni nonne magis poſſum, quod dæmon, quandoquidem ille corpus, quod obſidet, relinquere cogitur, vix audito nomine JESU? Ex univerſa Judæorum ratiocinatione videntur quamdam in inferioribus dæmonibus, non ſecus ac in Angelis, crediſiſſe ſubordinationem.

IPSI JUDICES VESTRI ERUNT.] Apoſtoli mei, vel exorciſtæ veſtri vos pravæ fidei, vel injuſtitiæ nomine noviſſimo Judicii die condemnabunt; quoniam illi agnoſcunt poteſtatem meam, eademque ad dæmones ejiciendos utuntur: cum interim vos me magiæ ſceleris accuſetis, quaſi Beelzebub nomine abutar ad energumenos liberandos.

℣. 28. IGITUR PERVENIT IN VOS REGNUM DEI.] Si vera operor miracula, & ſi Dei Spiritu, qui in me eſt, quemadmodum nuper oſtendi, ejicio dæmonia, ſum igitur Meſſias. At profecto niſi dæmones per Beelzebub, illos per Spiritum Sanctum, *& digitum Dei*, ut loquitur S. Lucas 11, 20. ejicio.

℣. 29. QUOMODO POTEST QUISQUAM INTRARE IN DOMUM FORTIS &c.] Hæc eſt parabola, qua probatur JESUS CHRISTUS nihil agere ex mutuo cum dæmone conſenſu, tia in miraculis, quæ operatur. Cum domum fortis quis audet diripere, cuſtodem illius primum arripiat, opus eſt; illum vinciat; illi auferat arma, ita ut vim propulſare non valeat. Dæmon ſe Mundi hujus principem jactat; oſtium illius ſervat, ac prohibet, ne quis ingrediatur, qui ſua bona, ac divitias velit eripere; videlicet, qui illi ſtudeat eripere homines, quos in errore, ſcelere, idololatria, ac ſub crudeli tyrannide, tamquam abjecta tenet mancipia. Inimicum hunc in eadem ipſius arce adorior; illi quidquid pretioſiſſimum habet, eripio; modo Publicanum, modo meretricem, iſthic inveteratum peccatorem, illic eum, qui prope erat, ut in præceps rueret. Ubique infeſtiſſimum illi bellum indico: oppugno errorem, mendacium, ultionem, avaritiam, impietatem, ſuperſtitionem. Hæccine ſunt colluſionis, & conſenſus indicia?

FORTIS ARMATUS.] Ille videlicet, quem Priſci

Atriens

1 Jamblic. de Myſter. cap. 30. Μέγαν ἡγεμόνα τῶν δαιμόνων.
2 Marc. 9. 37. Luc. 9. 49. 3 Brug. Grot. Ligf. Druſ. alii plerique ex recentioribus.
4 Hilar. hic. Chryſoſtom. Homil. 42. Hieronym. Athanaſ. de communi eſſentia, Auguſt. Serm. 71. Author Operis imperf. Homil. 29. Theophylact. Euthym. Maldonat.

Atrienſem dixere, fidelem, vigilemque miniſtrum, cui Januæ ædium cura credebatur. Talis erat ſenex iſte Butes Virgilianus Æneid. 9.

Antiquum in Buten: hic Dardanio Anchiſæ
Armiger ante fuit, fidusque ad limina cuſtos.

Hos Janitores ſummo in honore antiquitus fuiſſe, teſtis eſt Servius [1]; eiſque cura committebatur eorum, quæ in domo erant pretioſiſſima; arma, annonæ, Penates. A Romanis *Æditui* appellabantur, *quaſi a tuendis ædibus*, ut monet Aulus Gellius l. 12. c. 10. *Atrienſes* quoque dicebantur, quam ob rem, ait S. Lucas 11. 21. *cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum*, tunc in tuto ſunt, quæcumque ſunt domi.

Atrienſes ſervi quidem erant, ſed primi ordinis: *In magna familia ſunt alii lautiores, ut ſibi videntur, ſervi, ſed tamen ſervi, atrienſes*; ait Cicero Paradox. 5. His etiam olim & pecunia committebatur, & tamquam magnarum domorum curatores habebantur: *Atrienſibi & pecunias habebant; unde qui honoratiores erant, liminum cuſtodes adhibebantur*, ait Servius in Æneid. 2. v. 730. Ruri etiam erant cuſtodes atrii, vel cohortis, quibus omnium agreſtium inſtrumentorum cura erat concredita [2]. In Templo Domini Æditui erant Levitæ, præfecti etiam theſauris [3] auri, argenti, ac frugum domus Domini.

℣. 30. QUI NON EST MECUM, CONTRA ME EST; & QUI NON CONGREGAT MECUM, SPARGIT.] Tutus ſit oportet vel JESU CHRISTI, vel adverſariorum ejus: non licet, in ancipiti verſari, & neutri ſemet addicere. Si JESUS CHRISTUS non eſt Meſſias, nebulo erit, ac tenebrio; ſi Filius Dei non eſt, Pſeudopropheta erit, & mendax. Aſſerere, hærere adhuc judicium, ac recentia expectari argumenta, mera illuſio eſt, & prava reſponſio. Si ea, quæ ad Divinitatem, ac miſſionem ſuam probandam miracula operatus eſt, non ſufficiunt; nulla umquam ad aliam quamlibet Religionem probandam ſatis erunt. Nemo umquam neque his majora, neque certiora, neque plura fecit. Dicere audeo: Si fallimur, JESUM CHRISTUM Meſſiam credentes, Deus ipſe in hunc nos errorem impuliſſe videtur, tot miraculorum ſplendore approbans hominem, qui blaſphemus eſſet, atque ſeductor.

Patres quidam [4] hoc de dæmone intelligunt: *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non congregat mecum, ſpargit.* Quomodo cum Dæmone conſentiam, cujus imperium ſummo niſu evertere conor? Ipſe vero, qua ratione mecum colluderet? quandoquidem nihil intentatum relinquit, ut Evangelii mei, meæque doctrinæ progreſſui adverſetur. Quomodonam ſimul eſſe poſſet & pro me, & contra me? Non ſecus, ac imperium illius vigere non poteſt, cum diviſum ſit; ita mecum neceſſario unionem requirit, omnemque refugit diviſionem. Oſtendi nuper, nullum mihi cum dæmone eſſe poſſe conſenſum, nullam neceſſitudinem; ita nec ulla intercedere poteſt inter illius ſubditos, & meos. Quicumque mecum non eſt, contra me eſt. Si Apoſtoli, ac Diſcipuli mei partibus meis adhærent, dæmoni adverſentur opus eſt; alioquin non mei.

Alibi Salvator nonnihil ait, quod nuperrime dictis videtur oppoſitum. Cum ejus Diſcipuli nuntiaſſent illi, hominem alienum a ſocietate ſua, ejicientem dæmones in nomine JESU, a ſe fuiſſe prohibitum, Salvator ait Luc. 9. 50. *Nolite prohibere: qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt*, quod probare videtur animum in neutram partem inclinatum, quod iſthic damnat. At apud S. Marcum 9. 36. Salvator ſuis aperte mentem ſuam prodit: *Nolite prohibere eum: nemo eſt enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit cito male loqui de me. Qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt.* Licet homo iſte, qui hæc miracula operatur, non ſequatur me; non inde infertur, ipſum in me non credere; & quamquam non crederet in me, mihi non adverſatur, neque meretur, ut vos illi adverſemini. Non agitur iſthic de obligatione credendi, vel non credendi; Deum glorificandi ex adſpectu tot mirabilium ejus poteſtatis effectuum; vel illi adverſandi per diabolicam nequitiam, atque nequiſſimam invidiam; de hoc tantum agit, ut ne quis ſe ſe opponat ei, quem non novit, vel ſaltem, quem non ſatis novit. Si homo iſte in JESUM CHRISTUM minime credebat, nullam tamen admittebat fidei oppoſitionem; imo quod ille faciebat, gradus erat, per quem facilius cognitionem hanc aſſequeretur. At Phariſæi, qui miraculis, & rationibus JESU CHRISTI convincendi erant, non ſolum non credebant, ſed illi adverſabantur, ac in Spiritum Sanctum blaſphemias evomebant, quæ ipſorum erat culpa, propter quam Salvator hic ait: *Qui non eſt mecum, contra me eſt*; illis enim nequaquam integrum erat amplius hunc vel ignorare, vel ambigere.

℣. 31. OMNE PECCATUM, & BLASPHEMIA REMITTETUR HOMINIBUS.] Quandoquidem adeo perfrictæ frontis eſtis, ut me magiæ nomine accuſetis, me dæmoniacum dicatis [5], & ex Beelzebub auctoritate miracula operari, affirmetis; edico, blaſphemiam veſtram ſcelerum omnium maximam eſſe, ac venia indigniſſimam. Si veſtræ criminationes licet putidæ, atque contumelioſæ, me tantum peterent, ferendæ aliquo modo eſſent, ac veniam mererentur. Ambigi poteſt, utrum Chriſtus ſim, & Filius Dei; & pravæ, diabolicæque fidei ſit, oportet, qui aſſerit, miracula mea eſſe magicæ artis effectus. Hæc eſt in Spiritum Sanctum blaſphemia, in digitum Dei, qui palam adeo iſthic apparet, ut illum non cognoſcere, nemini liceat. Scelus hoc ſuapte natura omnem ejicit veniam; hic enim in peccatore affectatam oſtendit nequitiam, ac perviaciſſimam voluntatem; inde vero gratiæ fontibus adverſatur, & obices invictos ſtatuit converſioni illius, & veniæ peccatorum ejus; quippe Spiritum Sanctum irritat, & gratiæ ipſius effectus avertit. Ad ſcelus hoc expiandum nulla in terris par eſt victima, nullum ſacrificium, nullum piaculum, & quidquid fieri poteſt ad promerendam veniam homini; ubi hoc ſcelere inquinatus vita defunctus ſit, nihil illi in altera vita prodeſſe poſſet. Hoc ex iis criminibus eſt, quæ numquam expiantur, hoc eſt quæ expiantur difficillime; tum ob ſuam enormitatem, tum ob difficultatem pœnitentiæ, quæ in hujuſmodi perditis, obſtinatiſque peccatoribus invenitur. Videri poteſt Diſſertatio noſtra de peccato contra Spiritum S.

℣. 33. AUT FACITE ARBOREM BONAM, & FRUCTUM EJUS BONUM.] Vel me bonum putate, ſi ex Divini Spiritus virtute operor; vel nequam, ſi opera mea mala ſunt: ex fructu quippe cognoſcitur arbor [6]. Vos me magum, dæmoniacum, tenebrionem dicitis. Hujus vir vir eane faceret, quæ facio? Eane doceret, quæ doceo? itane viam duceret, itane loqueretur? His verbis JESUS CHRISTUS oſtendit, Phariſæos nequaquam rite argumentari.

Aliter [7]: Si haberi vultis arbores bonæ, bonos fructus facite; ne ſpecie ſanctitatis ſimplicibus viris os ſublinite. Sin autem malos fructus fertis, malas vos arbores eſſe confitemini. Quæ ſequuntur, maxime huic favent explicationi ℣. 34. *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.*

Alii [8] ita explicant: Me dicitis dæmonia in nomine Beelzebub ejicere: quomodonam poſſet Beelzebub hoc boni facere? Spiritus adeo malus, & nequam aliquid ne boni conari poteſt? Si ergo vobis fatendum eſt, ea quæ facio, bona eſſe, fatemini etiam, me illa in dæmonis nomine non facere.

1 Servius ibid. *Æditui fuit, quod in ingenti honore apud majores fuit. Illic enim & epulabantur & Deos colebant; cenſus etiam omnes illic ſervabant.*

2 Columel. lib. 12. cap. 3.

3 1. Par. 9. 19. 22. 26.

4 Hilar. Chryſoſtom. Hieronym. Author Oper. imperf.

5 Marc. 3. 30. *Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.*

6 Ita Hilar. Chryſoſtom. Euthym. Theophylact. Hieronym. alii. Brug. Grot. &c.

7 Vide Auguſt. lib. 2. de Serm. Domini in monte, & lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 6. & ulibi frequenter. Ita Maldon. Menoch. alii.

8 Hieronym. Beda.

℣. 34. Ex abundantia cordis [1] os loquitur.] Interni hominis ſenſus ex illius ſermonibus intelliguntur. Ad aliquod tempus poteſt ille quidem perſonam induere; at tandem, qui penitus illum perſpexerit, illum agnoſcet. Fieri nequit, ut caute adeo ſemper proprium cor aliquis tegat, ut in verbis ſenſus illius non prodeant aliquando. Phariſæi contra Jesum Christum rumpebantur invidia, pro virili adniſebantur, ut turpem hunc animi affectum celarent; at pravum cor ſuum illos prodebat. Hoc ipſum & ſequenti verſiculo iteratur: *bonus homo de bono theſauro profert bona* [2]. Si bene affectum eſſet cor veſtrum, & nulla invidiæ labe corruptum, minime profecto in pravum ſenſum verba mea detorqueretis, neque miracula mea magicas artes appellaretis.

℣. 36. Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint.] Verbum otioſum illud eſt, quod neque proferenti, neque audienti prodeſt [3]. Si otioſa quoque hominum verba punit Deus, qua ſeveritate in vos animadvertet, qui mendacia, atque blaſphemias evomitis [4]? Adnotat S. Johannes Chryſoſtomus; veteres nonnullos pro *otioſo verbo* intellexiſſe verbum nequam; dictum ſcurriliter, & inhoneſte; calumniam; quo in ſenſu Theophylactus, Euthymius, ac pleriqae recentiorum Interpretum poſt illos intellexerunt.

Hebraica vox [5], quæ vulgo vertitur otioſum, inutile, ſignificat etiam falſum, mendax. Græci nonnulli Manuſcripti Codices iſthic legunt [6]; *verbum malum*, pro *otioſo*, & melioris notæ Auctores Latini *inutile* dicunt, ut noxium, & perniciofum ſignificent [7]. Cicero, ac Titus Livius *civem inutilem* eum dicunt; qui improbus eſt; & Horatium *aurum inutile* vocat, quod noxium. Vellejus Paterculus ait, Claudii necem utilem quidem fuiſſe reipublicæ; exemplum vero illius perniciofum: *Exemplo inutili, facto ſalutari*. Ita ex horum Interpretum ſententia, hinc innuit Jesus. Si in Judicio ſuo damnat Deus ſermones mendaces, & malos; parcet ne calumniis veſtris, atque blaſphemiis? Vis argumentationis a minori ad majus apertior eſt, ſi in priori ſenſu, pro *inutili verbo* intelligatur [8].

℣. 37. Ex verbis tuis justificaberis.] Tamen facta minime excludit. Reddet Deus unicuique ſecundum opera illius; at ne credas, voculam unam exiguum aliquid eſſe. Ea quippe ſatis eſt, ut in Dei Judicio damneris, vel abſolvaris: licet nihil aliud boni, vel mali patraveris, ſed tantum lingua tua bene, vel ſecus uſus fueris.

℣. 38. Magister volumus a te signum videre.] Qui a Jesu Christo hic petunt, ut ipſis inſpectantibus miraculum aliquod operetur, alii eſſe videntur ab illis, quos acriter ſupra exprobravit, eo quod in ſe iniquiſſimas magicæ artis criminationes ingeſſerant. Docet S. Lucas 11. 16. quoſdam e Phariſæis Jesu vitio vertiſſe, quod in nomine Beelzebub ejiceret dæmonia; ſed alios identidem hunc tentare conſueviſſe, ex eo prodigium in Cœlo petentes. Nuper prioribus illis reſpondit; nunc poſteriores alloquitur. Putat Origenes in Matth. 16. Phariſæos, qui Dei Filium inſimulabant, quod dæmonum nomine ad prodigia perpetranda abuteretur, crediſiſſe, ut illum pudore ſuffunderent, atque illius impotentia pateret, crediſiſſe inquam ſatis eſſe, ſi ea eo prodigium aliquod peterent in cœlo, vel in ſyderibus, ubi nullum eſt dæmonis imperium; cum omnis hujus poteſtas terræ, vel & aeris ad ſummum limitibus coerceatur. At nobis nequaquam comperta ſatis, exploratáque eſt antiquorum Rabbinorum de dæmonis ſententia, ut judicium feramus, utrum quod illis ab Origene affingitur, veritati conſonum ſit.

Hoc certe liquet, eos crediſiſſe, dæmonem exercere imperium ſuum in terram, & aerem; in Scripturis etiam vocatur *Princeps Mundi* [9], & *Princeps poteſtatis aeris hujus* [10]. Hebræi Cœli nomine aerem intelligebant; & ſi Salvator de Cœlo ignem eliciuiſſet, ut olim Elias [11]; vel feciſſet ſtrepere tonitrua, ut Samuel [12]; aut mannam dilabi, ut Moyſes [13]; Phariſæi capti fuiſſent in verbis ſuis, neque negare fuiſſent auſi, a Jesu datum ſibi prodigium, quale petierant. Attamen ex Sacris Bibliis liquet, dæmonem nonnumquam ſimilia operatum fuiſſe monſtra, puta, cum ignem de cœlo in armenta Job dimiſit [14], vel domos ejus ventorum, ac procellæ vi dejecit [15], & cum Moyſis in Ægypto miracula eſt imitatus. Igitur ſi Phariſæi hoc ſolum a Salvatore petebant, nihil petebant ſane, quod ſibi omnino illius divinitatem perſuadere poſſet, vel quod ultra poteſtatem Jesu poſitum eſſet, juxta etiam fallacem, impiamque eorum ſuppoſitionem, quod videlicet in Beelzebub nomine tantum ille ageret, uti aſſerebant.

Si autem petebant in ſyderibus prodigium illi ſimile, quo Joſue, exempli gratia, Solem, Lunamque retardavit [16], vel quo Iſajas effecit, ut Solis umbra in horologio Achaz retro dilaberetur [17]; numquid credebant, eouſque magorum, dæmonumque virtutem minime extendi? Non ſatis teneo, quæ fuerint veterum Judæorum opiniones, ut de hac re diſceptem; hoc verum teneo, Ethnicorum magos gloriari ſolitos, ſe Lunam, & ſydera continere poſſe, illa tenebrarum caligine involvere, & ubi vellent, dictis ſuis cuncta illa patere [18]. Itaque licet Jesus Christus id præſtitiſſet, hoc nihil profuiſſet ad Phariſæorum obdurationem, & incredulitatem ſuperandam [19]. Dei Filius certiſſima ſuæ Divinitatis ſigna, atque miracula in Reſurrectionis ſuæ tempus, & quod illam ſubſecutum eſt, reſervat; eiſque promittit ſignum Jonæ Prophetæ, cui, quod opponant adverſarii, non erit. Dæmon ad vitam mortuos non revocat; & qui mortuus eſt, dæmoni ulterius non imperat. Poſtremum hoc divinitatis argumentum ſuperioribus quibuſcumque vim addebat; & ex noviſſimo hoc miraculo maxima fidei reliquis omnibus fiebat acceſſio.

℣. 39. Generatio mala, & adultera.] Genus impurum, & illegitimum, longe abhorrens a fide Abrahæ. Infideles filii, qui a parentum veſtrorum fide, ac pietate degeneres eſtis.

℣. 40. Sicut fuit Jonas in ventre ceti.] Obſcure pollicetur Jesus, ſe Phariſæis daturum in Reſurrectione ſua prodigium, illud, cujus Jonas in ventre ceti figura tantum fuerat. Triduum in ſepulchro delitescam, exinde reſurgam; non ſecus ac Jonas in piſcis ventre permanſit, & illinc evaſit incolumis. Jesus Christus in tumulo triduum minime explevit; ibi, exiguam partem feriæ ſextæ permanſit ex eo momento, quo ſub veſperam elatus fuit, uſque ad Sabbathi initium, hoc eſt poſtquam feriæ ſextæ nox initium Sabbatho dederat; Hebræi quippe feſtos dies ab una in alteram veſperam recenſebant [20]; & totam noctem ac diem Sabbathi, ac inſuper partem Dominicæ, initio illius

1 Ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ. *Ex redundantia cordis*. Chryſoſt. Τὸ γὰρ ἔξωθεν λεγόμενον τὸ περιττόν ἐστι τοῦ ἔνδον. 2 Græcus legit, *de bono theſauro cordis*: verum plurimi MSS. non habent additionem, *cordis*. 3 Chryſoſtom. homil. 43. Hilar. hic. Origen. in Matth. tom. 14. Hieronym. hic. Baſil. Reg. brevior. interrog. 28. Ambroſ. in Pſalm. 38. num. 5. & lib. 1. Offic. cap. 2. Gregor. Homil. 6. in Evang. & Moral. in Job. lib. 4. cap. 2. & lib. 7. cap. 17. Bed. in Matth. Bern. l. 2. de Conſider. alii paſſim.
4 Ita Patres & Interpretes plerique omnes.
5 שוא *Schave* Vide Exod. 20. Prov. 30. 8. 6 Ῥῆμα πονηρόν, pro ῥῆμα ἀργόν. Stephan. cod. 1. Selden. 4. Bodl. 12. Vechel. 3. Uſſer. 1. Deeſt ἀργόν in Colbert. 3947. 7 Vide Hamm. hic, & Grot.
8 Brugenſ. Maldonat. alii. 9 Joan. 12. 31. 14. 30. 16. 11.
10 Epheſ. 2. 2. 11 3. Reg. 18. 38. & 4. Reg. 1. 10. 12 1. Reg. 7. 10.
13 Exod. 7. 8. 9. 22. 14 Job. 1. 16. 15 Job. 1. 19. 16 Joſue 10. 12.
17 4. Reg. 20. 9. 10. 11. 18 Horat. in Canidiam. Epodon. ode 5.
Quæ ſydera excantata voce Theſſala,
Lunamque Cœlo deripit.
19 Hieronym. in hunc loc. 20 Levit. 23. 32. *A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra.*

ſtibus ducto ex veſpere Sabbathi ante Dominicam, uſque ſub noctem mediam. In Libro Eſther 4. 16. occurrit huic ſimilis locutio: *Tres dies, ac tres noctes*, pro noctibus duabus, ac die uno uſurpantur. Quoad piſcem, a quo Jonas deglutitus fuit, vide, ſi lubet, noſtram de eodem Diſſertationem.

℣. 41. VIRI NINIVITÆ SURGENT IN JUDICIO.] Surgent die judicii; vel potius inſurgent in judicium cauſam actori, & accuſaturi Judæos. Hi neque Johannem Baptiſtam, neque JESUM CHRISTUM audire voluerunt; illi vero Jonæ præbuerunt aures, ac eo cohortante in cinere, & cilicio peccatorum ſuorum pœnitentiam egerunt. Jonæ 3. 5. & ſeq.

℣. 42. REGINA AUSTRI SURGET IN JUDICIO.] Regina *Saba*, quæ Arabiæ Provincia eſt, ad Judææ meridiem, atque in terræ finibus ſita: *Venit a finibus* B *terræ*; videlicet in finibus terræ ex ea parte hoſpitalis, ulterius enim patet Oceanus. Regina hæc de patrio ſolo ad id unum profecta, ut Salomonis Sapientiam audiret, ſurget judicii die, damnatura Phariſæos, & Scribas, eo quod audire noluerint JESUM CHRISTUM, toto cœlo Salomone ſapientiorem: *Ecce plusquam Salomon hic*. JESUS eſt ipſa Sapientia, ex quo mutuatus fuerat Salomon, quidquid ſibi tantam gloriam, & exiſtimationem comparavit.

℣. 43. CUM AUTEM IMMUNDUS SPIRITUS EXIERIT AB HOMINE &c.] Hebræis perſuaſum erat, Dæmones ex humanis corporibus ejectos in loca deſerta, et in ſolitudines concedere. Ita dæmon Aſmodæus, qui viros Saræ, conjugis Tobiæ jugulaverat, in Ægypti ſuperioris ſolitudinem fuit relegatus [1], C tamquam in exilium. Docent alii [2], malos ſpiritus in deliciis habere deſerta, & eo libenter ſecedere. Pſellus ait, ipſos in remotiſſimis locis, qui maximo frigori, vel ariditati ſummæ ſunt obnoxii, immorari. Ad hanc quoque diem vulgus opinatur, loca inculta, & inhoſpita a dæmonibus occupari, ibique præſtigiatorum conventus haberi. Ego tamen arbitrarer potius, dæmonem hominum ſocietatem perquirere, ut eos tentet, ac illis noceat; in ſolitudines vero tunc ſolum concedere, cum ob acceptam cladem rubore ſuffuſus, dedecus ſuum in ſepoſitis locis celare tenetur. JESUS CHRISTUS ad Judæos loquebatur juxta eorum præjudicia, vulgique ſententiam.

Parabolæ hujus ille finis eſt, ut oſtendat Phariſæis, quemadmodum illi, qui dæmonem ad tempus tantum exeuſſere, in ſtatum priore pejorem relabuntur, cum iterum a ſpiritu nequam obſidentur, vel poſſidentur; D ita Phariſæos, qui gravibus quidem immunes erant flagitiis, atque mortalibus laudabilem vitam ducere videbantur, interiſecus gravius laborare, atqui in oculis Dei nocentiores eſſe propter infidelitatem, ingrati animi vitium, ſuperbiam, atque invidiam, quam ſi extrinſecus quidem non eam præ ſe tuliſſent ſanctitatem, at interim recte fidei fuiſſent, ac miſeriam ſuam cognoviſſent, ſe egere pœnitentia, ac ſibi ad eam gratiam eſſe confugiendum, quæ ultro ipſis a JESU CHRISTO offerebatur. Vide Maldonatum.

Experientia duce generatim veriſſima eſſe intelligimus ea, quæ iſthic Dei Filius de Phariſæis inquit. Vulgo, qui gravioribus vitiis carent, in maxima profanout facinora, ubi ſemel pudori habenas laxare cœperunt. Si ambitione, invidia, aliiſve ſpiritualibus noxis ſe ſe prævertere ſinunt, hoc eorum animum miſere excruciat, ac validos pœnitentiæ obices ſtatuit, ac difficilius reſipiſcant, quam ſi extrinſecus minorem ſanctimoniæ ſpeciem præferentes, gravioribus ſe ſe mancipaſſent criminibus. Qui in ſanctitatis ſtatu, & qui procul a peccandi illecebris ſepoſitus eſt, corrumpitur, nequior ut plurimum fit, quam qui inter mundi lenocinia verſantur [3]; quemadmodum eximiæ cujuslibet rei macies, eſt putidiſſima, & corruptio optimi peſſima. Si Phariſæi ſe peccatores agnoviſſent, JESUS CHRISTUS eos facile curaſſet: *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum, nunc vero dicitis: Quia videmus, peccatum veſtrum manet*. Joan. 9. 41.

Complures e Patribus [4] hoc generatim de Judæis intelligunt; quæ natio quodammodo communem humani generis maledictionem evaſerat; quippe præ ceteris e ſervitute dæmonis eruta fuerat, cum reliqui omnes terrarum populi ejus imperio traditi eſſent. Poſt Babylonicæ captivitatis reditum, ex impuro Idololatriæ dæmone ſunt liberati, quo ſub Regibus Juda, & Iſrael miſere fuerant affecti. Spiritus hic nequam omnia quidem, ſed fruſtra, conatus exeruerat, ut in priorem ſedem reverteretur, dum regnaret Antiochus Epiphanes, ac Hebræos perſequeretur. Demum videns vi nihil proficere, nactus domum ſuam virtutibus vacuam, licet ab Ethnicis ſuperſtitionibus immunem, & divinæ legis cognitione, & cæremoniarum veræ Religionis apparatu exornatam; aſſumpſit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ſub pietatis ſpecie Judæos in hypocriſim, vanitatem, ſuperſtitiones, ac mendaces Legis explicationes impulit; quod ſatis fuit, ut ſuperbia intumeſcerent, inanibuſque præjudiciis replerentur; quamobrem demum JESUM CHRISTUM, ejuſque Evangelium repulerunt. Hic eorum ſtatus erat, cum eos Salvator alloquebatur.

Deinde Synagoga iterum tradita fuit Dæmoni, Principi hujus ſæculi, qui ibi longe violentius exercet imperium, quam olim, etiam ante Legem Moyſis. Non unus illam obſidet dæmon, ſed dæmonum legio. Non ſunt amplius craſſæ idololatriæ traditi, ſed vanis traditionibus, ſexcentis ſuperſtitionibus, denſiſſimæ cæcitati, reprobo ſenſui, cœleſtium veritatum tædio, odio JESU CHRISTI, atque doctrinæ illius, qua una eos ex adeo terribili conditione poſſet eruere. Senſus hic mihi ad litteram magis videtur accedere.

Patres [5] in morali ſenſu hoc de Chriſtianis intelligunt, qui juſtificationis gratia in baptiſmate donati, in crimen aliquod decidunt, ac rurſus ſe ſe dæmoni tradunt, qui in eorum corde locum occupat, quem deſeruerat, ibique recentem ſibi ac ſeptem aliis dæmonibus, hoc eſt longe pluribus, quam antea [6], manſionem exornat. *Tum maxime ſævit, cum hominem plus ſentit liberatum; tunc plurimum accenditur, dum extinguitur*, ait Tertullianus.

E ℣. 46. ADHUC EO LOQUENTE AD TURBAS, ECCE MATER EJUS, &c.] Extrinſecus ſtabant, eo quod domum introire non poterant propter multitudinem. Fratres JESU CHRISTI, de quibus hic ſermo, non ſunt Mariæ filii, uti contendebat Helvidius, qui putabat, illam poſt JESUM NATUM alios S. Joſepho peperiſſe filios: ſed ſunt filii Joſeph, quem omnes fere priſci Patres [7] crediderunt, aliam uxorem duxiſſe, antequam duceret Mariam, ac ex illo thalamo filios proceaſſe; vel ſunt Salvatoris conſobrini ex Maria filia, vel Conjuge Cleophæ, & Sanctiſſimæ Virginis ſorore nati, vel denique conſanguinei JESU CHRISTI ſecundum carnem; liquet enim, in Scripturis fratris nomen in latiori ſenſu uſurpari. At de hac re fuſius loquemur infra in ℣. 55. Capitis 13. ubi horum cognatorum JESU CHRISTI nomen occurrit.

At quorſum beatiſſima Virgo, & fratres JESU hoc iter tunc ſuſcepere? S. Marcus 3. 21. ait, illos crediſſe, hunc de ſano mentis uſu fuiſſe dejectum: Sui

1 Tob. 8. 3. 2 Grot. Beza, Cameraa. Cnsibul.
3 Auguſt. Ep. olim 137. nunc 78. n. 9. *Quomodo difficile expertus ſum meliores, quam qui in Monaſteriis profecerunt; ita non ſum expertus pejores, quam qui in Monaſteriis ceciderunt*.
4 Hilar. & Hieron. et Beda, Auth. Oper. imperfect. hic. Vide et Grot. et alios.
5 Tertull. lib. de pœnitentia. Ambroſ. lib. 7. in Luc. Gregor. Nazianz. orat. 37. Greg. Magn. Paſtoral. Curæ, p. 3. admon. 31. etc. Aug. lib. 1. Quæſt. in Matt. qu. 8. Author Oper. imperf. Homil. 31.
6 1. Reg. 2. 5. et Pſ. 48. 164. Levit. 26. 24. Prov. 24. 16. Iſai. 30. 26. *Septies*, pro *pluries*.
7 Ita Græci PP. nonnulli ex Libb. apocryphis. Ita Hilar. in Matt. et Ambroſ. in Luc. l. 7. de Inſtit. Virg. Epiphan, hæreſ. 28. et 78. Origen. in Luc. Homil. 7. et in Matt. p. 223. Edit. Huet.

Digitized by Google

Sui tentarunt tenere eum, quia in furorem verſus eſt. Quod non niſi cum reſtrictione admitti poteſt, ſi dixerimus, nonnullos ex conſanguineis JESU CHRISTI, qui non credebant in illum [1], hoc fuiſſe opinatos. At eam impietatem hoc Sanctiſſimæ Virgini, exempli gratia, aliiſque JESU CHRISTI cognatis, quorum ſanctitas explorata eſt, nequit imputari. Non deſunt [2], qui putent, hoc illos ſimulaſſe, ac dixiſſe, JESUM de mentis ſanitate excidiſſe, ut domo illum educerent, eique Phariſæorum conatus detegerent, qui illius perniciem decreverant. Auctor Operis Imperfecti in S. Matthæum hom. 31. arbitratus eſt, dæmonem veterum, ne JESUS eos, quos alloquebatur, ad ſuam fidem converteret, conſanguineis JESU CHRISTI hanc mentem immiſiſſe, ut illum de medio eorum amoverent. Tertullianus [3], S. Iohannes Chryſoſtomus, B atque Theophylactus hoc profectum putat ex ſecreta illorum vanitate, qua cognoſci cupiebant, tamquam tanti hujus Prophetæ neceſſarii. Verum hoc de Sancta Virgine poteſtne cogitari? Potuiſſetne, non ſolum, hoc ſecum reputare, verum nec ſe comitem iis, qui talia cogitaſſent, præbere? Interpretes quidam [4] Græcum S. Marci Textum ita vertunt: *animi deliquio laborat*, vel periculum eſt, ne laboret. Hoc verebantur Mater, & cognati JESU CHRISTI. Verbum Græcum *exiſtemi* in novo teſtamento, ut plurimum ingentem lætitiæ, vel ſtuporis, vel admirationis impetum ſignificat; eoque utitur S. Paulus 2. Cor. 5. 13. ut innuat errorem ſuum, quem commiſerat, ſe met coram Corinthiis laudans; vel nimium zeli ſui ardorem, quo proreptus fuit, ut narraret ea, quæ pro Deo fecerat. *Sive excedimus, Deo; ſive ſobrii ſumus, vobis*. Sed pleriique a Vulgatæ ſenſu non abeunt: demens factus eſt, deſipuit.

℣. 48. QUÆ EST MATER MEA, ET QUI SUNT FRATRES MEI?] Quidam Hæretici, velut Marcionitæ, & Manichæi hoc abutebantur loco, ut oſtenderent, JESUM CHRISTUM nequaquam veram induiſſe carnem, ac nullos habuiſſe in terris affines [5]. Illius reſponſio nihil aliud ſignificat, niſi cum Dei gloria, & res agitur, nullam habendam eſſe amicorum, propinquorumque rationem; non carnem, neque ſanguinem audiendum, ubi iis obſtiterint, quæ Deus ex nobis efflagitat [6]. His verbis nos docet, ſe conſanguineis, & amicis ſecundum carnem eos præferre, qui ſibi ſecundum ſpiritum adhærent, qui illum audiunt, amant, ſectantur [7]. *Non injurioſe reſutantur parentes*, S. Ambroſius l. 6. in Luc. n. 36. inquit; *ſed religioſiores copula mentium docentur eſſe, quam corporum*. Ita Luc. 11. 27. reſpondet mulieri ſibi dicenti: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti: Quin immo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Ideo Mater mea longe beatior eſt, quam ſi corpore tantum mihi Mater eſſet [8].

1 Joan. 7. 5. 2 Maldon. Grot. in Marc. 3. 21. & Caſaubon. in Baron.
3 Tertull. lib. de Carne Chriſti. Chryſoſtom. & Theophylact. hic.
4 Vide Grotium in S. Marc. & noſtrum Commentarium in eumdem Evangeliſtam 3. 21.
5 Vide Hieron. & Chryſoſt. hic. et Epiph. Hæreſ. 42. 6 Hieron. hic. Eraſm. Brug. Grot. Vide Luc. 2. 49. Joan. 2. 4. Matth. 16. 23. 7 Maldon. hic.
8 Chryſoſt. Homil. 45. Beda, in Luc. lib. 4. c. 49.

CAPUT XIII.

Parabola ſeminantis; tritici, & zizaniorum; grani ſinapis; fermenti; theſauri in agro abſconditi; negotiatoris margaritas quærentis; retis omne piſcium genus congregantis. JESUS in Synagogis. Scandalum Judæorum.

1. IN illo die exiens Jeſus de domo, ſedebat ſecus mare. 2 Et congregatæ
ſunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam aſcendens ſederet; & omnis turba ſtabat in littore. 3 Et locutus eſt eis multa in parabolis, di-
cens: Ecce exiit, qui ſeminat, ſeminare. 4 Et dum ſeminat, quædam ceci-
derunt ſecus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea. 5 Alia au-
tem ceciderunt in petroſa, ubi non habebant terram multam: & continuo exor-
ta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ. 6 Sole autem orto æſtuaverunt:
& quia non habebant radicem, aruerunt. 7 Alia autem ceciderunt in ſpinas:
& creverunt ſpinæ, & ſuffocaverunt ea. 8 Alia autem ceciderunt in terram bo-
nam: & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum.
9 Qui habet aures audiendi, audiat. 10 Et accedentes diſcipuli dixerunt ei:
Quare in parabolis loqueris eis? 11 Qui reſpondens, ait illis: Quia vobis da-
tum eſt noſſe myſteria regni cœlorum: illis autem non eſt datum. 12 Qui enim
habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. 13 Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & au-
dientes non audiunt, neque intelligunt. 14 Et adimpletur in eis prophetia Iſa-
iæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non vi-
debitis. 15 Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audie-
runt, & oculos ſuos clauſerunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant,
& corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos. 16 Veſtri autem beati ocu-
li, quia vident, & aures veſtræ, quia audiunt. 17 Amen quippe dico vobis,
quia multi prophetæ, & juſti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt;
& au-

& audire, quæ auditis, & non audierunt. 18 Vos ergo audite parabolam ſemi-
nantis, 19 Omnis, qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, &
rapit, quod ſeminatum eſt in corde ejus: hic eſt, qui ſecus viam ſeminatus eſt.
20 Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt, qui verbum audit, & continuo cum
gaudio accipit illud: 21 Non habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis,
facta autem tribulatione, & perſecutione propter verbum, continuo ſcandalizatur.
22 Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum audit, & ſolicitudo
ſæculi iſtius, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur. 23
Qui vero in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt, qui audit verbum, & intel-
ligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſi-
mum, aliud vero trigeſimum. 24 Aliam parabolam propoſuit illis, dicens: Si-
mile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo.
25 Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania
in medio tritici, & abiit. 26 Cum autem creviſſet herba, & fructum feciſſet,
tunc apparuerunt & zizania. 27 Accedentes autem ſervi patrisfamilias, dixerunt
ei: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Unde ergo habet ziza-
nia? 28 Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis,
imus, & colligimus ea? 29 Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradi-
cetis ſimul cum eis & triticum. 30 Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem,
& in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in
faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. 31
Aliam parabolam propoſuit eis dicens: Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis,
quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo: 32 Quod minimum quidem eſt o-
mnibus ſeminibus: cum autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit ar-
bor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus. 33 Aliam para-
bolam locutus eſt eis. Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mu-
lier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum. 34 Hæc o-
mnia locutus eſt Jeſus in parabolis ad turbas: & ſine parabolis non loquebatur
eis. 35 Ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in
parabolis os meum, eructabo abſcondita a conſtitutione mundi. 36 Tunc, di-
miſſis turbis, venit in domum: & acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes:
Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri. 37 Qui reſpondens ait illi: Qui ſemi-
nat bonum ſemen, eſt Filius hominis. 38 Ager autem eſt mundus, Bonum ve-
ro ſemen, hi ſunt filii regni. Zizania autem, filii ſunt nequam. 39 Inimicus au-
tem, qui ſeminavit ea, eſt diabolus: Meſſis vero, conſummatio ſæculi eſt: Meſſo-
res autem, angeli ſunt. 40 Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur:
ſic erit in conſummatione ſæculi. 41 Mittet filius hominis Angrlos ſuos, & col-
ligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem: 42 Et mit-
tent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. 43 Tunc juſti
fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. 44
Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo,
abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa, quæ habet, & emit a-
grum illum. 45 Iterum ſimile eſt regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti
bonas margaritas. 46 Inventa autem una pretioſa margarita, abiit, & vendidit o-
mnia, quæ habuit, & emit eam. 47 Iterum ſimile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ
in mare, & ex omni genere piſcium congreganti: 48 Quam cum implera eſſet,
educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras mi-
ſerunt. 49 Sic erit in conſummatione ſæculi: exibunt angeli, & ſeparabunt malos
de medio juſtorum. 50 Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & ſtri-
dor dentium. 51 Intellexiſtis hæc omnla? Dicunt ei: Etiam. 52 Ait illis: Ideo
omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini patriſfamilias, qui pro-
fert de theſauro ſuo nova, & vetera. 53 Et factum eſt, cum conſummaſſet Jeſus
parabolas iſtas, tranſiit inde. 54 Et veniens in patriam ſuam, docebat eos in ſy-
nagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic ſapientia hæc, & virtu-
tes? 55 Nonne hic eſt fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus
Jacobus, & Joſeph, & Simon, & Judas? 56 Et ſorores ejus, nonne omnes apud

nos

Digitized by Google

nos ſunt? Unde ergo huic omnia iſta? 57 Et ſcandalizabantur in eo. Jeſus autem dixit eis: Non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua. 58 Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.

℣. 1. EXIENS JESUS DE DOMO, SEDEBAT SECUS MARE.] Jeſus toto mane domi obſeſſus populi audientis frequentia, ita ut ne comedendi quidem illi tempus ſupereſſet [1], inde tandem a prandio egreſſus, ſecus lacus oram deambulaturus conceſſit. Sed quamprimum ibi etiam populi multitudine, qui ad eum videndum, & audiendum confluxerat, ſtipatum ſe circumſpexit. Verum, cum in littore commode propter urgentes turbas conſiſtere non poſſet, piſcatorium lintrem aſcendit; & aliquantulum in lacum progreſſus, docere occœpit.

℣. 3. LOCUTUS EST EIS MULTA IN PARABOLIS.] Hac in re JESUS CHRISTUS Syrorum, Judæorumque conſuetudini ſe ſe ſubmiſit, quemadmodum S. Hieronymus in Matth. c. 13. animadvertit. Omnibus ſermonibus ſuis plura adagialiter dicta immiſcebat; quorum B non pauca in ſuperioribus capitibus ſumus intuiti; at hic longe alia res eſt; legimus quippe iſthic ſimilitudines, comparationes, exempla, & nonnumquam etiam ænigmatum ſpecies, quæ ille turbis proponit, & quæ illis non ſemper interpretatur, ut illud Iſaiæ 6. 9. vaticinium adimpleatur: *Audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere*; quemadmodum Salvator ipſe nos monitos voluit inferius ℣. 14.

Hæc docendi ratio per ſimilitudines, & exempla nonnihil magnificum habet in iis, quæ ad Religionem pertinent; in iis vero, quæ ad Philoſophiam, mentem reddit attentiorem majori cum voluptate. Ethnici [2] partim verecundia, partim prudentia religionis ſuæ myſteria celabant. Veritatem aperire, ajebant illi, C idem eſt ac fatuis illius contemnendæ occaſionem præbere, & ſapientes inertes efficere; cum interim emblemata, & fabularum integumenta Religionem obtegentia prohibent, ne illi eam aſpernentur, & hos cogunt, ut impenſius ſtudeant. Sed ut vera dicam, non quærebant illi, ut ſapientes myſteriorum ſuorum latebras, & fabularum intimos ſenſus perſcrutarentur; quippe ſtatim inveniſſent mendacium, & id, quod irriderent, vel cujus ipſos puderet. In vera Religione alio fine proponuntur ænigmata, atque parabolæ; non ut ſimplicibus eorum ſenſus abſcondatur, neque ut ad ea inveſtiganda ſapientes excitentur [3]; verum hoc altiſſimum eſt divinæ in Judæos juſtitiæ myſterium. Ingrata hæc, & infidelis natio merita fuerat, ut alibi dilectum ſibi populum perquireret Deus. In æternis D fatis Judæorum reprobatio jam erat decreta: Ut fidei eorum periculum faceret, illis quaſdam perſpicuas veritates detexerat, & alias item obſcuras iiſdem obtulerat. Verum utraſque flocci fecerunt; & contemnentes perſpicuas, obſcurarum etiam cognitionem amiſere, quæ illis felicitatem, atque ſalutem attuliſſet. Meſſias illis palam promiſſus fuerat; at Meſſiæ characteres non adeo erant perſpicui. Noluerunt Meſſiam in JESU CHRISTO cognoſcere; characteres illius confuderunt; quod illis excidium, atque calamitatem conflavit, quam longiſſime prævaricationum, ſcelerumque ſerie promeriti fuerant.

℣. 8. ALIUD CENTESIMUM.] Hæc ſeminis in agris multiplicatio mira eſt, & fere inaudita; non ideo tamen a fide abhorret, uti liquet exemplo Iſaac [4], qui cum triticum in agro Geraræ ſeviſſet, inde centuplum retulit. Teſtis eſt Plinius l. 18. c. 10. Leontinos agros in Sicilia, & Bæticos in Hiſpania, & Ægyptum præſertim univerſam tritici ſati centuplum ferre. Byzacii in Africa paſſim centena, & quinquagena pro ſingulis granis demetunt; & quidam Auguſti Villicus illinc ad eum Romam, veluti rarum aliquid monſtrum quadringenta paucis minus miſit germina, ex uno tantum grano profecta: ac itidem Neroni etiam trecentæ, & quadraginta ſtipulæ miſſæ fuerunt, quæ itidem ex uno ſemine prodierant.

℣. 9. QUI HABET AURES AUDIENDI, AUDIAT.] Sæpe Jeſus Chriſtus hac utitur loquendi ratione ad ciendam auditorum ſuorum attentionem, atque ut illi B intelligant ea, quæ dicturus eſt, peculiarem in audientibus curam exquirere [5]. Invenitur etiam in veteri teſtamento [6]; & hoc adagium apud Judæos fuiſſe videtur [7].

℣. 10. ACCEDENTES DISCIPULI, DIXERUNT.] Ex S. Marco 4. 10. liquet, Diſcipulos hoc Salvatori dixiſſe, poſtquam domum rediit, ac remotis arbitris ſoli cum illo fuerunt.

℣. 11. VOBIS DATUM EST NOSSE MYSTERIA REGNI COELORUM.] Judæis renuit cognitionem earum veritatum, quas toties contempſerunt; hanc vero concedit Apoſtolis, qui ſua fide illius ſe ſe probaverant dignos [8]: quo in ſenſu antiqui complures, & Græci præſertim, id intellexerunt. At S. Auguſtinus [9], & qui eum ſequuti ſunt, ideo putant, Jeſum C Chriſtum noluiſſe Judæis myſteria ſua communicare, quod jam eſſent reprobati. Verum numquid certum eſt, hoc in loco agi vel de reprobatione, vel de prædeſtinatione ad beatitudinem? Cum vero agatur ſolum de prædeſtinatione ad fidem, nihil obeſt, quominus dicamus, Judæos per ſummum ingrati animi vitium fuiſſe promeritos, ut illis ea denegaret Deus lumina, quibus ſe indignos præbuerant. Judas, cui Salvator ſua detexit myſteria, non ſecus ac reliquis Apoſtolis, reprobus erat, & vas contumeliæ. Quis autem aſſerere valeat, utrum inter eas turbas, quibus noluit Jeſus Chriſtus ſuas aperire veritates, aliquis eſſet prædeſtinatus ad gloriam, & utrum aliquis ante, vel poſt Salvatoris reſurrectionem fidei illius fuerit initiatus?

℣. 12. QUI ENIM HABET, DABITUR EI.] Preſſius D loquendo nihil habenti nihil poteſt auferri. Sed qui parum aliquid habet, nihilum habere cenſetur; eique parum auferre idem eſt, ac auferre totum [10]. Apoſtoli fidei donum acceperant: eos Jeſus familiariter, ac indeſinenter imbuerat, benevolentiæ ſuæ monumentis cumulaverat, ac ſpiritualibus donis locupletaverat. Hiſce divitiis recentes addit gratias; parabolarum intelligentiam eis tribuit, eiſque regni cœleſtis myſterium detegit. Judæi e contra ſpiritualium donorum erant egentiſſimi; luminibus, fide, ſapientia penitus vacui. Reliquus adhuc illis erat quidam fulgor, qui ex parentum ſuorum Lege ipſis micabat: at aufert illis Jeſus & hoc reliquum luminis; tradit eos in reprobum ſenſum ipſorum, eoſque propriæ deſerit cæcitati [11].

VIDEN-

1 Marc. 3. 20. 2 Proclus.
3 Auguſt. l. 12. contra Fauſt. c. 7. *Ad exercitationem quærentis, & delectationem audientis.*
4 Geneſ. 26. 12. 5 Vide Hieron. hic. 6 Deut. 29. 14.
7 Mat. 2. 15. Apoc. 2. 7. 11. 17. 29. 3. 6. 13. 22. 13. 9. 8 Ita Hilar. Chryſoſt. Author Oper. imperfect. Beda, Theophyl. Euthym. 9 Aug. l. de Prædeſt. SS. c. 8. & 16. Lib. de Bono Perſeverantiæ, c. 8. 9. 11. Lib. de Gratia, & libero arbitr. c. 23. & l. de Corrept. & Gratia, c. 4. 2. 7. 8.
10 Juvenal. Satyr. 3.

Nihil habuit Codrus: quis enim negat?
Et tamen illud
Perdidit infelix, totum nihil.

11 Vide Hilar. & Hieron. in hunc loc.

℣. 13. VIDENTES NON VIDENT . . . (℣. 14.) ET ADIMPLETUR IN EIS PROPHETIA ISAJÆ.] Loquor illis in parabolis, ut puniam eorum incredulitatem, meique verbi contemptum. Doctrinam meam excipere noluerunt, & magicæ arti accepta retulerunt miracula mea. Ego quoque loquar ad eos verba, quæ non intelligent, & videbunt prodigia, quæ patrabo, quin illa cognoſcant [1]. Videbuntur in illis adimpleta ea, quæ Judæis ævi ſui dicebat Iſajas, illos videre, quin agnoſcant; audire, quin intelligant; quod cor eorum obduratum eſt, oculi exæcati, & aures ſurdæ.

Hunc Iſajæ 6. 9. textum S. Matthæus paulo aliter protulit, ac illum in authographo legimus. Animadvertimus jam, illum ſenſui potius hærere, quam verbis. En quid afferat Hebræus: Vade, & dic populo huic: *Audite audientes, & non intelligite: videte videntes, & non percipite. Impingua cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos claude, ne videat oculis ſuis, nec auribus audiat, ne cor ejus intelligat; & non convertatur, neque curetur.* Hoc in loco Evangeliſta, non ſecus ac S. Paulus in Actis 28. 26. ſecutus eſt Septuaginta. Videtur Iſajæ præcipere Deus, ſecundum Hebræum, ut induret populum, ac prohibeat, ne ille audiat, & videat; quod explicari nequit, niſi dixeris, Deum illi mandare, ut Judæis ea portendat, quæ ipſis ſunt eventura. Audietis, quin intelligatis; videbitis, quin cognoſcatis; erit cor veſtrum obduratum, obſtructæ aures, oculi clauſi. Non convertemini, neque curabimini. In Prophetarum ſtylo ſæpe ea facere dicuntur, quæ ſolum prædicunt. Prophetia, de qua loquimur, primum in Judæis, Iſajæ ævo, fuit adimpleta, deinde etiam tempore Salvatoris noſtri. Invenit ille in corde, & animo hujus populi, affectiones eaſdem, quas olim ibi invenerat Iſajas.

℣. 16. VESTRI AUTEM BEATI SUNT OCULI.] En qua in re vera Apoſtolorum, aliorumque fidelium beatitudo conſiſtat; ea nihil aliud eſt, quam videre, audire, intelligere, percipere, guſtare, amare cœleſtes veritates. Hoc maximum fuit Apoſtolorum præ Juſtis, atque Prophetis veteris Teſtamenti privilegium, quod illis ſe ſe aperuit Filius Dei, ad eos ſine ænigmatibus locutus eſt, cum illis vixit; atque converſatus eſt. *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum*, ait Jeſus Chriſtus Joann. 8. 56. *vidit, & gaviſus eſt*. At eminus tantum illum proſpexit, & lætatus eſt, ſperans, illum quondam venturum: nos autem vidimus, teſtamur, & annunciamus vobis; *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ*; inquit S. Johannes Apoſtolus in 1. epiſt. c. 1.

℣. 19. VERBUM REGNI.] Evangelii prædicationem, verbum, quod vobis annunciat adventum Regni Dei, regni Juſtitiæ ejus, & veritatis. Vide Matt. 3. 2.

℣. 20. CUM GAUDIO.] Amore ſuccenſus, illectus ſpecie veritatis, quam audit. Sed hoc fluxum eſt, & perfunctorium, eo quod nimis velox, & leve (℣. 21.) *Non habet autem in ſe radicem*: Dei verbum non habet tempus ſe ſe confirmandi in illo, ibique fructum ferendi. Hic illius obliviſcitur, ac illud derelinquit fere ſtatim, ac ipſum cognovit. *Sed eſt temporalis*, inſtar plantarum earum, quæ paucis diebus vigent, & quas minimus Solis radius decoquit, & exſiccat. *Temporalis* [2] hoc in loco opponitur *perenni*; planta inter paucos dies exareſcens arbori, quæ plurimos viget annos, & quæ Solis æſtum, ventorum, turbinumque impetum, hyemiſque rigores perfert.

℣. 21. CONTINUO SCANDALIZATUR.] Minima quælibet ferenda calamitas, minima quævis relinquenda voluptas, minima vis ſibimet inferenda eum retrocedere cogit, ac deſerere veritatem, quam primum ſumma cum aviditate arripuerat.

℣. 22. FALLACIA DIVITIARUM SUFFOCAT VERBUM.] Non ſatis eſt, ſolum, cui committitur ſemen, bonum eſſe, ac ferax; excolatur etiam, oportet. Si tellus erit inculta, quo magis fœcunda erit, eo magis ibi ſpinæ, ac malæ luxuriabuntur herbæ, quæ bonum ſemen ſuffocabunt. Egregia mens, ac illuſtrata; cor molle, ac optime diſpoſitum; mite, ac eximium ingenium nihil proderunt, ut verbum vitæ uberes fructus ferat, ſi terrenarum rerum amor, negotiorum curæ, opum colligendarum cupiditas dominentur; ſi rebus illis mentem appuleris, quæ animum occupent; ſi nimium gravibus te implicueris negotiis, quæ nimiam ex te attentionem depoſcant. Hic amor, hæ curæ, & ſollicitudines Dei verbum ſuffocabunt. Opes vocat *fallaciam divitiarum*; reapſa enim opes fallunt, illudunt, decipiunt eos, qui quærunt, vel poſſident illas.

℣. 23. QUI VERO IN TERRAM BONAM SEMINATUS EST, HIC EST &c.] Non deſunt hoc in capite locutiones aliquot deriuſculæ, ac mutilæ parabolæ; materiæ enim perſpicuitas non petit, ut fuſius exponantur. Iſthic Jeſus Chriſtus terram bonam recipientem ſemen eum recipiente divinum verbum in corde ſuo confundit; hoc enim re ipſa perſpecta idem eſt. In fertili etiam ſolo ſemen non æque multiplicat, plures enim adſunt in terræ varietate gradus ubertatis; & non minimum agricolæ induſtria conducit. Ita Dei verbum in corde bono receptum, non ſemper eoſdem fructus emittit. Hic centuplum, illic tricena, alibi ſexagena pro ſingulis grana producit. Semen quidem idem eſt; at non idem fertilitatis gradus terræ ineſt; hæc melior eſt, illa minus culta.

S. Auguſtinus [3] centeſimum Martyribus, ſexageſimum Virginibus, nuptis trigeſimum tribuit. Sanctus Hieronymus [4] centeſimum illis aſſignat, qui virginitatem tuentur, viduis ſexageſimum, ac trigeſimum illis, qui conjugalem caſtitatem in matrimonio cuſtodiunt. Auctor Operis Imperfecti in S. Matthæum Martyribus centeſimum; iis, qui omnia reliquerunt, ut Jeſum Chriſtum ſequerentur, ſexageſimum; iis vero, qui ſolum in communi præceptorum obſervatione ſubſiſtunt, trigeſimum tribuit. Theophylactus primum illud decus Anachoretis, alterum Cœnobitis, vel Religioſis, qui in communi vivunt; tertium vero matrimonio junctis aſſignat.

℣. 24. SIMILE FACTUM EST REGNUM COELORUM HOMINI, QUI SEMINAVIT BONUM SEMEN &c.] *Regnum Cœlorum* hoc in loco JESU CHRISTI Eccleſiam deſignat, vel Evangelii prædicationem, vel generatim ſacrum Divini Verbi miniſterium. Omnes Miniſtri Evangelii, quicumque Apoſtolico munere perfunguntur, non ſunt veri Apoſtoli. Quicumque in nomine Domini loquuntur, non ſunt nuntii Domini; quicumque in nomine ejus prophetant, non ſunt Spiritu ejus afflati [5]: *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident*, inquit Ezechiel. 13. 2. Scribæ, & Phariſæi Divini Verbi ſemen effundere ſe gloriantur, sed quin bonum ſemen ſpargant, ſerunt zizania. Ego, & Apoſtoli mei puram putam veritatem citra quamlibet commixtionem prædicamus. At inimici, Judæi, Hæretici, falſi fratres, omneſque dæmonis miniſtri clanculum nocte obrepunt, & nec opinantibus nobis, lolium ſuperſeminant. Hoc uſquequaque in Eccleſia, & Synagoga conſuevit. Quot adverſa pati debuere veri Prophetæ? Quoties Jeſu Chriſto legis Doctores, Sacerdotes, & Phariſæi ſunt adverſati? Quot Eccleſiæ mala Hæretici, ac novarum rerum ſtudioſi peperere?

Zizania, vel lolium [6] planta eſt, oblongum, craſſum, ac villoſum habens folium, ſtipulam vero tritico tenuiorem. Ex ſtipulæ hujus vertice prodit ſpica oblonga,

1 Chryſoſt. hic. 2 Πρόσκαιρος. 3 Aug. l. 1. Quæſt. in Evang. c. 9.
4 Hieronymus hic, & lib. contra Jovinian. & ad Pammach. & Athanaſ. Ep. ad Ammon. Monach.
5 Jerem. 14. 14. 15. 16. 23. 25. 27. 10. 14. 29. 9. Iſai. 59. 15.
6 Ζιζάνιον: *Lolium*,

longa, exiguis ſepta ſiliquis, quibus inæqualiter circumdatur, & quibus tria, vel quatuor coacervata continentur grana cortice, qui non adeo facile frangitur, involuta. Panis, cui permultum lolii permixtum ſit, parit ebrietatem, ſtuporem, capitis tremorem comedentibus; unde Gallis *yuraye* appellatur. Lolii folium a triticeo longe differt; ſed planta hæc tunc præſertim diſtinguitur, cum adoleverit, ac jam florere incœpit. Dei Filius ait, ſervos patrisfamilias nihil tale metuentes obſtupuiſſe, ubi viderunt lolium in agro domini ſui, cum jam hoc fructum feciſſet. Illud antea dignoſcere potuiſſent, ſi attentius id perſpexiſſent. Ita in Eccleſia ſæpius error, & rerum novarum perniciosi effectus tunc ſolum agnoſcuntur, cum fructum pepererè, ac altius radices jecere, ita ut facile nequeant convelli. Servis Patrisfamilias zelus non deeſt: vellent quidem lolium a frumento ſecernere; at meſſis, atque noviſſimum Judicium expectandum eſt: tunc ipſe dominus meſſis ſeparationem hanc ſedulo curabit. Ultionis dies ſæpe ſub meſſis figura indigitatur. Vide Joel 3. 13. Apoc. 14. 15.

In Eccleſia lolium ſemper tritico erit immixtum, cum bonis mali, reprobi cum electis, donec eos ſejungere velit Deus [1]. Paſtores numquam ab Eccleſia divellunt eos, qui ſe per nefaria ſcelera excommunicatione, & anathemate dignos præbuerunt. At cavent, ne hæc divulſio in Eccleſia ſchiſma aliquod gignere valeat: *Fiat hoc, ubi periculum ſchiſmatis nullum eſt*; ait Sanctus Auguſtinus loco cit. Eorum enim ſeveritas non eo uſque erumpere debet, ut convellat, ſed ut corrigat noxior. Cum vero ſcelus adeo notum eſt, publicum, invisum, turpe, ut ſchiſma nullum metuendum ſit, ac triticum ſit in tuto, tunc Miniſtrorum zelus ſe ſuſcitet, opus eſt, & quin officiat charitati, in mali correctione omnem diſciplinæ ſeveritatem depromat. *Non dormiat ſeveritas diſciplinæ, in qua tanto eſt efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conſervatio charitatis.*

℣. 31. Simile est Regnum Coelorum grano sinapis.] Chriſtiana Religio, & Evangelii prædicatio, quæ Regni Cœleſtis nomine iſthic indigitatur, ſimilis eſt grano ſinapis, eo quod cum infirma eſſet, obſcura, exilis in ſuis primordiis, deinceps clariſſima, vaſtiſſima, celeberrima facta eſt; idque tanta perniçitate, ut intra pauca ſæcula cæteras ferme Religiones deleverit, & diſſipaverit. *Ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus.* Cum Mundi hujus Principes, Reges, Sapientes, Philoſophi Eccleſiam ingreſſi ſunt, ſub umbra illius ſederunt, & fructibus ejus ſaturati ſunt.

℣. 32. Quod minimum quidem est omnibus seminibus.] Granum ſinapis reipſa inter omnia ſemina minimum non eſt, non deſunt enim alia vel æque exigua, vel minora, quæ proceras arbores gignunt, qualis abies, ſemen papaveris, ruta, aliaque plurima. In familiaribus id genus ſimilitudinibus exacta Philoſophorum cura minime exquiritur; & ſatis eſt granum ſinapis admodum exiguum eſſe, ut Dei Filius populum alloquens bene locutus probetur.

Et fit arbor.] In calidis regionibus, uberibuſque agris plantæ ad majorem aſcendunt proceritatem, quam noſtro hoc cœlo conſueverint. Viatores hac de re mira prorſus narrant. In Talmud Jeroſolymitano, & Babylonico [2] legimus, Simonem quemdam habuiſſe truncum ſinapis, qui ad eam craſſitiem, & altitudinem creverat, ut homo ad illius cacumen aſcendere poſſet, quin illum perfringeret. Alium etiam ſinapis truncum ferunt, tres habuiſſe ramos, quorum unus aptum præbebat figulis quibuſdam umbraculum, qui ſub eo per æſtatem operi ſuo vacabant. Unus hic ramus tria ſinapis dolia replevit. Hoc autem a fide alienum videri minime debet, poſt ea, quæ narrat Joſephus l. 7. de Bello cap. 25. de quadam rutæ planta in oppido Machæro poſita, quæ craſſitie, & magnitudine ficulneam regionis illius exæquabat. Illa plura viguit annos, & nonniſi poſt noviſſimum Judæorum bellum excisa fuit: Reverendus Pater Montfauconius in Diario Italico c. 7. teſtatur ſe Ravennæ roſarium vidiſſe tantæ magnitudinis, ut umbra illius quadraginta viros contegere valuiſſet. Hoc alterius quidem eſt generis, ſed probat tamen, climatis inæqualitatem quamplurimum ad plantarum, arborumque magnitudinem augendam, vel imminuendam conferre.

℣. 33. Simile est Regnum Coelorum fermento &c.] Parabola hæc eamdem habet, ac ſuperior ſignificationem. Doctrina Evangelica, & Chriſtiana Religio exiguis profecta initiis, ſenſim inſignes in terris peperit mutationes. Manifeſta viſa eſt morum reformatio; Idololatria ferme omnia delera: Lex Moyſis perfecta, Ethnicorum mores caſtigati, dæmonis regnum infirmatum, atque ſubverſum.

In farinæ satis tribus.] *Satum*, vel *Seah* Hebraice eſt triens *Bathi*, vel Ephi, capitque novem pintas, ac dimidiam, ſemiſextarium, quartam pintæ partem, & omnino nihil ultra. Videtur *Ephi* communem fuiſſe farinæ menſuram, quæ una vice excoquebatur. Abraham tria juſſit coqui *ſata*, ut tribus Angelis, quos excepit hoſpitio, cœnam præpararet [3]. Eamdem panis vim coquit Gedeon, ubi Angelo, qui ſibi apparuerat, menſam voluit inſtruere [4]. Anna Samuelis mater ad Tabernaculum attulit epha, vel tria farinæ ſata, cum illuc acceſſit, filium ſuum oblatura. 1. Regum 1. 24.

℣. 34. Sine parabolis.] Hoc eſt, tunc nonniſi per parabolas locutus eſt ad eos, inquit S. Johannes Chryſoſtomus.

℣. 35. Ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam, dicentem: Aperiam &c.] Animadvertit S. Hieronymus hic complura Exemplaria legiſſe: *Quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam.* Auctor Commentariorum in Pſalmos, qui Sancti hujus Doctoris nomine circumfertur, licet alius omnino ſit, hoc ipſum adnotat in Pſalm. 77. quod videtur etiam in Catena Patrum Græcorum in Pſalmum 77. & in Euſebii Commentariis in Librum eumdem. Res adeo vulgata erat, atque communis, ut Porphyrius Chriſtianis exprobraverit S. Matthæi inſcitiam, eo quod falſo in Evangelio ſuo Iſajam citaverat. Profecto locus, quem ad examen vocamus, non eſt Iſajæ, ſed Pſalmi 77. Attamen vix unus reperitur exemplar S. Matthæi, ubi Iſajæ nomen legatur; & qui majori cura variantes lectiones Evangeliorum collegerunt, in uno tantum illud deprehenderunt [5]. S. Hieronymus, Auctor Commentariorum in Pſalmos, & Euſebius credunt, Evangeliſtam quidem primum ſcripſiſſe; *quod dictum eſt per Prophetam Aſaph*, qui reipſa auctor eſt Pſalmi, unde locus hic depromptus eſt; at librarios ignaros, quinam eſſet hic Aſaph propheta, Iſajæ nomen ſubrogaſſe. Poſtea vero ſcitos homines, qui norant, hoc minime dictum fuiſſe ab Iſaja propheta, nomen illius de Exemplaribus ſuis expunxiſſe, ita ut legeretur, *quod dictum eſt per Prophetam*, quin prophetæ hujus nomen afferrent.

Eructabo abscondita.] Evangelii myſteria, cognitionem veritatum ſalutis res a mundi primordiis, vel potius ab æterno abſconditæ, & poſt Jesu Christi adventum tandem revelatæ. Ita de veritatibus Evangelicis loquuntur Apoſtoli. Vide Rom. 16. 26. Coloſſ. 1. ℣. 27. 28. & 1. Cor. 11. 7. *loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram &c.*

℣. 38. Bonum semen, hi sunt filii Regni.] Aliquid huic textui ſupplendum eſt, nimis enim eſt brevis. Paterfamilias ſeminans bonum ſemen, eſt Dei Filius, & ejus miniſtri. Inimicus homo ſuperſeminans zizania dæmon eſt, ac ſervi illius, hæretici, ſchiſmatici, novatores. Bonum ſemen eſt bona, & ſancta doctrina, qua *filii regni* nutriuntur; hoc eſt veri fideles,

1 Vide Chryſoſt. & Hieronym. hic. Auguſt. lib. 3. contra Parmenian. c. 3.
2 Talmud. Jeroſolym. cap. 7. Peach, & Talmud. Babil. cap. Cherub.
3 Gen. 18. 6. 4 Judic. 6. 19. 5 Vide Var. Lect. Mill. in hunc verſ.

lee, qui mordices Eccleſiæ, Filioque Dei adhærent. Malum ſemen eſt mala hæreticorum, & pſeudo-Doctorum ſcientia per ſpiritum erroris, nequitiæ, neſariæque libertatis effuſa; quæ a filiis iniquitatis, impiis, & ſæculi amatoribus excipitur.

℣. 41. COLLIGENT DE REGNO EJUS OMNIA SCANDALA.] Noviſſimo Judicii die congregabunt Angeli omnes impios, hæreticos, improbos, qui per occaſionem edendi genus, ac perniciosos ſermones aliis fuerunt occaſio lapſus, & ſcandali: Collectos vero præcipites dabunt in infernum, ubi dignas ſuis ſceleribus pœnas luant.

℣. 42. IN CAMINUM IGNIS.] Perſequitur inutilis plantæ, quæ convellitur, allegoriam. Hæc in unicum dumtaxat uſum converti poteſt, nempe ſi projiciatur in ignem ad fornacem ſuccendendam. In Palæſtina vulgo agreſtibus utebantur plantis ad ignem alendum [1]. Maldonatus in ℣. 32. hujus capitis, vidit in Hiſpania ingentes furnos ſinapis truncis inſigni magnitudine caleſieri. Hoc ipſum ad hanc diem in Ægypto, alibique fieri conſuevit.

℣. 44. SIMILE EST REGNUM COELORUM THESAURO ABSCONDITO IN AGRO.] Theſaurus, de quo hic ſermo, eſt Doctrina Evangelica, Regni Dei ſcientia [2], Jesu Christi cognitio [3]. Theſauri hujus inæſtimabile pretium eſt, atque quarumcumque rerum impendio comparandum: ſeu ad acquirendum, ſeu ad ſervandum illum earum jactura ſit ſubeunda. Salvator ait, eum, qui hunc theſaurum invenit, ſtatim ipſum abſcondere, non invidiæ cauſa, ne alius eadem felicitate fruatur; ſed prudentiæ ergo, ne aliquis eum ſuſuraretur. Mundus, Dæmon, amici, inimici, omnes metuendi ſunt ei, qui de ſua cogitat converſione. Errores, terrores, minæ, illecebræ, laquei ſunt ubique inſtructi, & quos effugere prudentiæ intereſt. In Syria theſauri agrorum domini cedebant, ut liquet ex hoc loco, & hiſtoria, quam Philoſtratus l. 6. c. 16, narrat. Alibi vulgatius ad ſupremum loci Principem ſpectabant [4]: vel dimidium illius erat, qui theſaurum invenerat, dimidium vero illius, ad quem ager pertinebat [5].

Hæc verſiculi quadrageſimi quarti parabola una eſt ex numero illarum, quas Jeſus Chriſtus in navicula ſedens propoſuit; ſaltem Evangeliſta non attulit eam ſuperius cum aliis; non enim tenemur aſſerere, S. Matthæum conſcripſiſſe generatim, quidquid ea in occaſione Salvator edocuit.

℣. 46. INVENTA UNA PRETIOSA.] Supponendum eſt, hanc vili emendam pretio ipſum inveniſſe, ac ſperantem, ſe non modicum lucrum relaturum, omnia, quæ habet vendere, ut emat illam. Margarita hæc eſt Evangelii cognitio, & regnum cœleſte, quod nobis promittitur. Tantum hoc boni jure comparandum eſt, eorum omnium, quæ in terris vel habemus, vel ſperamus impendio [6]. Vide Philipp. 3. ℣. 7. 8.

℣. 47. SIMILE EST REGNUM COELORUM SAGENÆ.] Mare figura eſt Mundi; Piſces boni, & mali retibus incluſi bonos, maloſque Chriſtianos in Eccleſia collectos deſignant; littus eſt extremum judicium, ubi boni ſecernentur a malis. Interim boni malos patiantur, oportet, ait S. Auguſtinus [7]: *Boni tolerant malos, donec in fine ſeparentur.*

℣. 52. IDEO OMNIS SCRIBA DOCTUS IN REGNO COELORUM.] Particula hæc *Ideo* negotium faceſſit Interpretibus. Alii [8] eam ſuperioribus addunt. Nunc intelligetis, quid hiſce verbis indigitaverim: *Ideo* vos eſſe oportet tamquam ſcitos doctores, qui repleti ſunt cumulatiſſima tum veteris, tum novæ Legis cognitione; ubique paratus, ut de Regno Cœlorum loquamini, ac rationem reddatis fidei veſtræ, & eos refellatis, qui veritatem laceſſiverint [9]. S. Auguſtinus [10], aliique nonnulli hoc ita intelligunt: Didiciſtis modo, Regnum cœlorum ſimile eſſe theſauro abſcondito in agro; ideo dico vobis, Doctorem quemlibet bene eruditum eſſe debere locupletem patremfamilias, ſemper paratum ad vetus æque, ac recens promendum; & e vino, tritico, ac indumentis, quid eligat, habentem.

Alii [11] potiori jure putant, *Ideo* hoc in loco abundare, quaſi diceret: Regnum cœlorum ſimile eſt diviti patrifamilias de theſauro ſuo promenti nova, & vetera. Theſauri nomen Hebraice non auri, argenti, metallorumque ſolam congeriem ſignificat; verum etiam cellas uſcalenſorum, puta fructuum, frugum, vini, olei; & aliarum rerum, veſtium, ſupellectilis &c. [12] Paterfamilias dives, & locuples e cellis, arciſque ſuis, quodlibet bonorum genus depromere poteſt, aurum, argentum, fruges &c. *nova, & vetera* deſignant bonorum affluentiam, res jamdudum, & multa in copia aſſervatas, ita ut cum aliquid uſurpandum eſt, eligi valeat. Vide Cant. 7. 13.

Apoſtoli, atque Eccleſiæ Doctores in Eccleſia ea æquo eſſe debent, quod hic Pater familias domi ſuæ, quod hic in temporalibus rei familiaris ſuæ bonis facit, id illis in ſpiritualibus bonis faciendum eſt. Callere quam maxime tenentur Legem Dei, & uberem coacervare copiam cujuslibet generis cognitionum, veterum, novarumque, ſacrarum, & profanarum. Præſertim vero Legem, & Prophetas teneant, opus eſt, omnes eorum ſenſus intelligant, & ſcrutentur myſteria; ac norint Evangelium, quod prædicaturus Jesus Christus deſcendit, quanam in re a Lege differat, quam Moyſes rogavit; conferantque ſimul, quid utraque Lex jubeat, atque veteris in recenti complementum, & perfectionem oſtendant. Hoc Patres intellexere [13] dicentes, Filium Dei cohortatum fuiſſe Apoſtolos ſuos, ut ſtuderent, & veteris, novique Teſtamenti veritates effunderent. Haud fallebat illos, novi Teſtamenti libros nondum ſcriptis fuiſſe mandatos; verumtamen indeſinenter præcepta, praximque in Salvatoris ſermonibus, atque exemplis intuiti eadem meditabantur.

℣. 54. VENIENS IN PATRIAM SUAM.] Jesus Christus natus in Bethleem, educatus in Nazareth, ſedem ſuam Capharnai inſtituerat; ideoque triplicem quodammodo patriam habebat. At hic de Nazareth ſermo eſſe perhibetur, quandoquidem hoc S. Lucas 4. 16. explicite aſſerit: *Venit Nazareth, ubi erat nutritus.*

DOCEBAT EOS IN SYNAGOGIS.] Græcus [14] ſingularis eſt numeri: *In Synagoga*. Neque fidei conſonum eſt, in exiguo oppidulo, quale erat Nazareth, plures Synagogas fuiſſe.

UNDE HUIC SAPIENTIA HÆC?] Nihil aptius inveniri poteſt ad divinam Jesu Christi ſapientiam, & poteſtatem illius miraculorum patrandorum probandam, quam iſthæc concivium ejus admiratio. Norant, quo pacto nutritus fuerat, & quomodo pueritiam, & adoleſcentiam traduxerat; norant quoque familiam, & cognatos illius. Hinc ultro inferendum fuiſſe videtur, illud Dei donum fuiſſe, & Jesum, vel Prophetam eſſe, vel Meſſiam. Verum e contra ſcandali occaſionem arripuerunt, teſte Evangeliſta infra verſ. 57. *& ſcandalizabantur in eo*, quaſi præſtigia, vel magicæ artis illuſiones non defuiſſent.

℣. 55. NONNE HIC EST FABRI FILIUS?] Græca vox [15] quodlibet artificis genus ſignificare poteſt; at probatior ſententia hunc lignarium Fabrum fuiſſe teſtatur.

1 Vide ſupra Matth. 6. 30. 2 Vide Auguſt. lib. 1. Quæſt. Evangel. cap. 13. Ambroſ. in Pſalm. 118. Serm. 2. Euthym. Theophyl. Beda, Gregor. Magn. Homil. 11. in Evangel. 3 Irenæus lib. 4. cap. 45. Hilar. hic. Hieronym. alii. 4 Vide Grot. de Jure Belli, & Pacis, l. 2. cap. 8. art. 7. & in hunc loc. 5 Vide Schmid hic. 6 Greg. Magn. hom. 11. in Evang. Baſil. Regul. Fuſ. diſp. qu. 8. 7 Aug. ſerm. 362. Alias 121. de Diverſis. Vide Greg. hom. 11. in Evang. 8 Natal. Alex. Brug. 9 Tit. 1. 9. 10 Aug. Quæſt. in Matth. cap. 12. Maldon. hic. Menoch. 11 Euthym. Pricæus, alii. 12 Vide Levit. 26. 10. 13 Hilar. Chryſ. Hieron. Beda, Theophyl. Euthym. in hunc loc. Aug. l. Quæſtionum in Matth. c. 16. 14 Ἐν τῇ συναγωγῇ αὐτῶν. 15 Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱός.

eat. Auctor Operis imperfecti in S. Matthæum hom. 1, Syrus, Arabs, S. Thomas, & ingens recentiorum Interpretum caterva in eamdem concedunt. Libanius quondam ex Chriſtiano viro percontatus eſt, quid faceret JESUS CHRISTUS? cui ille, Juliano Imperatori inſtruit ſandapilam. In apocrypho libro de JESU CHRISTI pueritia legimus miraculum, quod in patris ſui fabri lignarii officina patravit. Ajunt etiam, Dei filium una cum S. Joſepho patre ſuo artem hanc exercuiſſe; & S. Marcus teſtatur, Nazarenos ſecum invicem per admirationem hæc dicere conſueviſſe [2]: *Nonne hic eſt faber*, lignarius videlicet? S. Juſtinus Martyr. in Dialogo cum Tryph. ait, Salvatorem auxiliatum fuiſſe patri, juga, & aratra facienti. S. Ambroſius in Luc. 3. a. 2. inquit, illum vaſtaſſe evellendis, excidendiſque arboribus, domibus ædificandis, aliiſque id genus operibus. At eodem in loco meminit inſtrumentorum ferrarii fabri, quæ ille attrectabat, & quibus utebatur, quod ex Theophylacto Antiocheno eſt mutuatus.

Crediderunt alii, hunc ferrarium fabrum fuiſſe, inter quos S. Hilarius in Matth. S. Petrus Chryſologus ſerm. 48. Venerabilis Beda in Marc. c. 6. Evangelium Hebraicum a Tillio editum hoc ipſum innuit. Origenes contra Celſum [3] tenet nullibi legi, JESUM CHRISTUM fuiſſe fabrum lignarium. Nec injuria: verum negari nequit, illum artem aliquam exercuiſſe non ſecus ac S. Joſeph, ut volunt Lyranus, Maldonatus, Grotius, & alii, quandoquidem S. Marcus manifeſte ait: *Nonne hic eſt faber?* licet credat S. Auguſtinus de Conſenſ. Evangeliſt. c. 42. hoc fabri nomen illi inditum, quod cum pater illius huic arti vacaſſet, & ipſum eidem vacaſſe cenſeretur. Hugo Cardinalis in Marc. 6. illum aurificem fuiſſe putat; neque improbat eorum opinionem, qui JESUM cæmentarium fabrum fuiſſe arbitrantur. Cornelius a Lapide citat ſermonem ſub S. Auguſtini nomine, ubi artem hanc exercuiſſe, domoſque dicitur ædificaſſe. Sed hic ſermo neque S. Auguſtini eſt, neque in recentiori Editione invenitur.

NONNE MATER EJUS DICITUR MARIA?] Creditur Joſeph jam obiiſſe, quoniam de eo iſthic, tamquam adhuc vivente, ſermo non eſt, & ex quo JESUS in Templo inventus fuit, illius non meminit ulterius Evangelium. Ille procul dubio inter vivos non verſabatur, cum JESUS cruci affixus fuit; quandoquidem tunc Salvator Matrem ſuam deſolatam dilecto Diſcipulo ſuo commendavit. Celſus apud Origenem l. 6. contra Celſ. Chriſtianis probro vertit, quod Mater Chriſti fuerit muliercula, manuum labore victum quæritans.

ET FRATRES EJUS JACOBUS, & JOSEPH &c.] Qui iſthic dicitur Joſeph, in pleriſque S. Matthæi [4] & S. Lucæ [5] Græcis Exemplaribus *Joſe* appellatur; alibi vero vocatur *Johannes*. Jacobus ille eſt, qui in Eccleſia *S. Jacobus Minor*, Jeroſolymitanus Antiſtes dicitur. Hic filius erat Mariæ, quæ uxor fuerat Cleophæ, vel Alphæi; & quæ Sanctæ Virginis [6] ſoror fuiſſe perhibetur. Alii eum natum putant ex altera S. Joſephi conjuge, quam prius duxerat: ajunt enim [7], eum, antequam Matrem JESU duceret, cum altera matrimonio junctum fuiſſe, cui nomen erat *Eſcha*, ex qua liberos genuit, qui in Evangelio *Fratres Jeſu Chriſti* dicuntur. Ebionitæ dicebant, illum ex priori conjuge ſex habuiſſe filios, videlicet, *Jacobum*, *Joſephum*, *Simonem*, *& Judam*, ac filias duas, *Eſther*, & *Thamar* alio nomine *Mariam*, & *Salome*. Veteres non pauci cum Græci, tum Latini Patres [8], ſententiam hanc ſecuti ſunt, ex quibuſdam apochryphis libris, qui falſo S. Petro, vel S. Jacobo tribuuntur, depromptam. Putat Theophylactus, Fratres JESU eſſe filios, quos habuit S. Joſephus ex Maria, vidua Cleophæ fratris ſui, qui ſine liberis obierat, & cujus viduam ducere coactus fuit juxta Legis ſancita.

At opinio eorum, qui cenſent, S. Jacobum, alioſque Domini fratres eſſe filios S. Joſephi, & Mariæ ſororis Sanctiſſimæ Virginis, nullo pacto probari poteſt [9]; ni dicere velis, Sanctum Joſephum duxiſſe duas ſorores, ſimul utraſque habuiſſe, quod prorſus abſurdum eſt. Hæc autem illatio inde probatur, quod ex Evangelio patet, Mariam S. Jacobi, & Joſephi matrem Dominicæ paſſionis tempore adhuc vixiſſe [10]. At S. Joſeph illam duxiſſe debuerat, diu antequam Sanctiſſimam Virginem duceret, quemadmodum ea, quam impugnamus, ſententia ſupponit. Ergo ille ſimul eodemque tempore habebat uxorem, & Mariam Jacobi matrem, & S. Virginem; eaſque ad obitum uſque retinuit. At longe probabilius eſt, hos Salvatoris fratres ejuſdem conſobrinos fuiſſe per Mariam uxorem Alphæi, vel Cleophæ. Non enim abſurdum eſt aſſerere, S. S. Joachim, & Annam poſt, vel ante Beatiſſimam Virginem plures liberos genuiſſe. S. Hieronymus [11], aliique nonnulli crediderunt, S. Joſephum ad mortem uſque virginitatis florem ſervaſſe, & inſaniæ, ſtultitiæque redarguit ſententiam, quam modo confutavimus [12], fratres ſcilicet Domini, filios eſſe S. Joſeph ex priore conjuge ortos.

Judas, de quo iſthic ſermo eſt, pater eſſe cenſetur, vel avus eorum *poſterorum Judæ*, quos Domitianus ad tribunal ſuum citari juſſit, & de quibus loquitur Euſebius [13].

℣. 57. NON EST PROPHETA SINE HONORE, NISI IN PATRIA SUA.] Natura conſtitutum eſt, ut minoris habeamus in pretio, quæ quotidie intuemur, & quæ a noſtra pendent voluntate, quam aliena, & procul a nobis ſepoſita. Ninivitæ aurem præbuerunt Jonæ; & Prophetæ Domini contempti erant in Iſrael. Quod rarum, charum: quod quæritur, ſemper majori habetur in pretio, quam quod poſſidetur. Philoſopho nulli ſibi male eſt, niſi in patria ſua, ait Ariſtides apud Grotium hic.

℣. 58. NON FECIT IBI VIRTUTES MULTAS.] Se indignos præbuerant, ut ille plura miracula operaretur. Satis illi fuit ægros nonnullos curare [14], neque plures ad eum curandi acceſſerunt; ibi enim in ipſum vulgo nequaquam credebant.

---

1 Theodoret. Hiſtor. Eccleſ. l. 3. c. 18. Sozomen. l. 6. c. 2. Hiſtor. Eccleſ.
2 Marc. c. 3. *Nonne hic eſt faber?* 3 Origen. contra Celſ. lib. 6.
4 Vide Mill. Var. Lect. hic. 5 Marc. 6. 3. in Græco, Ἰωσῆ. Vulg. Joſeph. Alii Ἰωσῆτος, Joſetus, hic & Marc. 15. 40. 6 Vide Hieronym. Ep. 150. Theodoret. ad Galat. 1. Chryſoſtom. alii.
7 Epiphan. hæreſ. 28. & 78. 8 Hieronym. in Matth. 12. & in Helvid. cap. 9. Nicephor. lib. 2. cap. 3. Hilar. in Matth. 1. Nyſſen. Homil. de Reſurrect. Ambroſ. inſtit. Virg. cap. 6. Ambroſiaſter ad Galat. 1. Origen. in Matth. 13. 9 Vide Tillemontium nota 3. in Sanctum Jacobum Minorem.
10 Matth. 28. 1. Marc. 15. 40. 47. Luc. 24. 10. 11 Hieronym. in Helvid. cap. 9. Petr. Damian. Opuſcul. 17. cap. 3. 12 Hieronym. in Matth. 12. in Helvid. cap. 9.
13 Euſeb. Hiſtor. lib. Eccleſ. Vide not. Valeſii, & Scaliger. in Euſeb. pag. 188.
14 Marc. 6. 5.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Herodis juſſu Johannes Baptiſta capite plectitur. JESUS quinque hominum millia quinque panibus, & duobus piſcibus ad ſatietatem paſcit. Tempeſtas in mare Genezareth. JESUS graditur ſuper aquas; S. Petrus & ipſe illuc greſſus tendere conatus, cum jam ſubmergeretur, JESU opem ferente liberatur. Filius Dei in regionem Geneſar proficiſcitur.

1. IN illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jeſu: 2 Et ait pueris ſuis:
Hic eſt Johannes Baptiſta: ipſe ſurrexit a mortuis, & ideo virtutes operan-
tur in eo. 3 Herodes enim tenuit Johannem, & alligavit eum: & poſuit in
carcerem propter Herodiadem uxorem fratris ſui. 4 Dicebat enim illi Johannes: Non
licet tibi habere eam. 5 Et volens illum occidere, timuit populum, quia ſicut
prophetam eum habebant. 6 Die autem natalis Herodis ſaltavit filia Herodiadis
in medio, & placuit Herodi. 7 Unde cum juramento pollicitus eſt ei dare, quod-
cumque poſtulaſſet ab eo. 8 At illa præmonita a matre ſua, Da mihi inquit, hic
in diſco caput Johannis Baptiſtæ. 9 Et contriſtatus eſt rex: propter juramentum
autem, & eos, qui pariter recumbebant, juſſit dari. 10 Miſitque & decollavit Jo-
hannem in carcere. 11 Et allatum eſt caput ejus in diſco, & datum eſt puellæ,
& attulit matri ſuæ. 12 Et accedentes diſcipuli ejus, tulerunt corpus ejus, &
ſepelierunt illud: & venientes nuntiaverunt Jeſu. 13 Quod cum audiſſet Jeſus, ſe-
ceſſit inde in navicula, in locum deſertum ſeorſum: & cum audiſſent turbæ, ſecu-
tæ ſunt eum pedeſtres de civitatibus. 14 Et exiens vidit turbam multam, & mi-
ſertus eſt eis, & curavit languidos eorum. 15 Veſpere autem facto, acceſſerunt
ad eum diſcipuli ejus, dicentes: Deſertus eſt locus, & hora jam præteriit: dimit-
te turbas, ut euntes in caſtella, emant ſibi eſcas. 16 Jeſus autem dixit eis: Non
habent neceſſe ire: date illis vos manducare. 17 Reſponderunt ei: Non habemus
hic niſi quinque panes & duos piſces. 18 Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.
19 Et cum juſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum, acceptis quinque panibus, &
duobus piſcibus, aſpiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis pa-
nes, diſcipuli autem turbis. 20 Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt. Et tule-
runt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. 21 Manducantium autem
fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis. 22 Et
ſtatim compulit Jeſus diſcipulos aſcendere in naviculam, & præcedere eum trans fre-
tum, donec dimitteret turbas. 23 Et dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus o-
rare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi. 24 Navicula autem in medio mari ja-
ctabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. 25 Quarta autem vigilia noctis
venit ad eos ambulans ſuper mare. 26 Et videntes eum ſuper mare ambulantem,
turbati ſunt, dicentes; Quia phantaſma eſt. Et præ timore clamaverunt. 27 Sta-
timque Jeſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam: ego ſum: nolite timere.
28 Reſpondens autem Petrus dixit: Domine: ſi tu es, jube me ad te venire ſu-
per aquas. 29 At ipſe ait: Veni. Et deſcendens Petrus de navicula, ambulabat
ſuper aquam, ut veniret ad Jeſum. 30 Videns vero ventum validum, timuit: &
cum cœpiſſet mergi, clamavit, dicens: Domine ſalvum me fac. 31 Et continuo
Jeſus extendens manum, apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare dubi-
taſti? 32 Et cum aſcendiſſent in naviculam, ceſſavit ventus. 33 Qui autem in na-
vicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es. 34
Et cum transfretaſſent, venerunt in terram Geneſar. 35 Et cum cognoviſſent eum
viri loci illius, miſerunt in univerſam regionem illam, & obtulerunt ei omnes ma-
le habentes. 36 Et rogabant eum, ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent. Et
quicumque tetigerunt, ſalvi facti ſunt.

℣. 1. IN ILLO TEMPORE AUDIVIT HERODES.] A Mirum eſt, Herodem nihil hactenus de JESU CHRISTI miraculis audiviſſe; quamvis duo jam laberentur anni, ex quo in Judæa, & præſertim Galilæa, ubi imperitabat, curationum, & prodigiorum ejus fama percrebuerat. Sed qui huic Principi ingenio pares ſunt, ad ea tantum intendunt animum, quæ ad ſuas voluptates, atque ambitionem pertinent. Herodes hic a Joſepho *Antipa* vocatur, filius Herodis Magni ex Cleopatra. S. Johannem Baptiſtam juſſerat obtruncari aliquot menſes ante ea, quæ iſthic leguntur; videlicet antequam Apoſtoli de miſſione ſua reverterentur, de qua ſermo fuit cap. 10. *Tetrarcha* vero, non *Rex* dicitur, partem enim duntaxat paterni poſſidebat Imperii. *Tetrarcha* nomen illum proprie ſignificat, qui Regni quadrifariam diviſi partem tantum obtinet. Hic B Galilææ, & Peræɶ dominabatur, hoc eſt Judææ ultra Jordanem poſitæ [1]. Rex etiam nonnumquam vocatur.

℣. 2. AIT PUERIS SUIS, HIC EST JOHANNES BAPTISTA] Credidiſſe videtur Herodes quamdam metempſycoſis, vel animarum de uno in alterum corpus tranſmigrationis ſpeciem [2]. Non enim intelligi facile poteſt, quomodo potuerit reſurrectionem appellare id, quod de JESU CHRISTO videbat, quem omnes ante S. Johannis obitum noverunt, & cui Sanctus hic præclarum adeo teſtimonium perhibuerat, & qui oris ſpecie, habituque corporis Præcurſori nequaquam ſimilis erat. Neque miracula, quæ JESUS operabatur argumento eſſe poterant, eum eſſe Johannem Baptiſtam, quandoquidem Sanctus hic vir nullum umquam, quod ſciamus, miraculum eſt operatus. Attamen ex S. Luca 9. 8. patet, Principem hunc, ubi Filii Dei miraculorum fama auribus ſuis acciderit, hæſiſſe ſtatim, ac non ſine ſtupore in ea verba erupiſſe: *Johannem ego decollavi: Quis autem eſt iſte, de quo ego talia audio?* Quaſi patrandorum miraculorum virtus uni Præcurſori inhæreret. At ſententia parum adeo rationi congrua turbatæ Herodis conſcientiæ accepta eſt referenda. Fortaſſe operæ duxit ſe facturum pretium, ſi hanc in populis foveret opinionem, ut eum imminueret horrorem, quem ex nefaria S. Johannis Baptiſtæ cæde conceperant. In S. Lucam ad examen vocabimus Judæorum illius temporis ſenſus de metempſycoſi, & Reſurrectione. Vide Luc. 9. 7. C

VIRTUTES OPERANTUR IN EO.] Ille tot miracola operatur. Textus conſtructio innuere poteſt [3]: *Virtus faciendi miracula in eo ſe manifeſtat*, vel *Cœleſtes virtutes in illo operantur* [4]: perinde ac poteſtas miraculorum patrandorum inhæreret Cœleſtibus poteſtatibus, quæ obediunt hominibus, qui a Deo auctoritatem hanc ſunt conſecuti. In Epiſtola ad Galatas 3. 5. eadem ac iſthic locutio occurrit, innuitque Dei poteſtatem, per Fideles ſuos miracula operantis: *Qui tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis*; vel *per vos*. Et ad Epheſ. 3. 7. loquitur Apoſtolus de hac poteſtate, quæ in ſe, vel per ſe, vel per Fideles miracula operabatur: *Ut potentiæ illius, quæ operatur in me*. De poteſtate hac verba faciunt Apoſtoli, tamquam diſtincta ab eo, qui operatur, velut ante ſpirituali, ac inhærente perſonæ, ex qua emanat, nonnumquam effectum ſuum productura: Exempli gratia, cum mulier, que ſanguinis fluxu laborabat, ex attactu fimbriæ pallii Dominici convaluit, dicitur JESUS ſenſiſſe virtutem ex ſe emanantem [5]. Hæ loquendi rationes non innuunt, Angelum illi præſto fuiſſe, qui has curationes operaretur, neque ex corpore JESU CHRISTI, vel Apoſtolorum ſubſtantialem effluxiſſe ſpiritum, qui hos effectus produceret. Hæ ſunt Hebræorum propriæ locutiones, & quarum extant in Scriptura exempla, ubi Dei verbum, fames, gladius, bellum, tamquam animata exhibentur, & Dei mandatis obtemperantia. Iſthic virtus miraculorum ſimili ratione deſcribitur velut potentia animata, & ſubſiſtens, quæ in JESU CHRISTO operatur, vel ſaltem tamquam diſtincta ab eodem qualitas, que in alium tranſire poterat. Hæc Judæorum erat ſententia. D E

℣. 3. PROPTER HERODIADEM UXOREM FRATRIS SUI.] Græcus addit [6], *Philippi*; quod in S. Marco 6. 17. exprimitur. Philippus hic, aliter a Joſepho [7] *Herodes* appellatus, filius erat Herodis Magni, & Mariamnæ Summi Sacerdotis Simonis filiæ. Herodes Antipas duxerat Herodiadem Philippi fratris ſui, adhuc viventis uxorem; quod conjugium hoc pacto a Joſepho Antiq. l. 18. c. 7. 8. refertur. Antipas Romam proficiſcens apud Philippum, vel Herodem fratrem ſuum diverterit; ubi cum Herodiadem uxorem illius vidiſſet, eam ita deperiit, ut illi amorem, quo flagrabat profeſſus ſpoponderit ſe Roma redeuntem eam ſibi uxorem ducturum. Non abnuit Herodiades, dummodo ille Aretæ filiam, quam duxerat, repudiaret. Antipas ergo Roma reverſus fidem præſtitit non ſine ingenti mortalium omnium horrore. S. Johannis Baptiſtæ zelus exarſit, Regem acerrime ob inceſtas nuptias redarguit; quamobrem in vincula conjectus fuit, & capite diminutus, quemadmodum ex capitis decurſu patebit. Joſephus alia de cauſa illum in carcerem detruſum, & capite damnatum narrat; at rem profecto ignoravit; & colorem, quo Antipas uſus eſt, pro vera mortis ejuſdem cauſa accepit. At hoc infra.

Veteres [8] nonnulli crediderunt, Philippum humanis jam exceſſiſſe, cum Herodiades Antipæ nupſit; qua in re nihil certi eſſe Origenes hom. 11. in Matth. & S. Auguſtinus de Fide & Oper. c. 19. teſtatum reliquere. At plane Joſephum non legerant, qui palam hoc aſſerit Antiq. l. 18. c. 7. licet c. 6. dicat, Philippum nullis poſt ſe relictis liberis occubuiſſe, fortaſſe quod Salome ejus filia matrem ſecuta cum Antipa, velut parente ſuo commoraretur.

Herodiades non ſolum fratria illius erat, quoniam nupſerat Philippo, vel Herodi fratri illius, licet alia ex matre genito; verum neptis quoque erat, utpote filia Ariſtobuli fratris & Herodis, & Philippi. Lege vetita erant conjugia non cum fratre ſolum, & ſorore, leviro, & fratria [9], verum etiam patrui cum nepte [10], ex plurimorum Interpretum ſententia, quamvis hac in re quedam adſit difficultas, quemadmodum in Leviticum adnotavimus. Hoc igitur conjugium erat ſpecies raptus, quoniam Antipas Herodiadem induxerat, ut priorem virum deſereret. 2. Inceſtus erat; Philippus enim adhuc in viventium erat numero, neque ei repudii libellum tradiderat. 3. Licet etiam Philippus ad plures migraſſet, vel eam repudiaſſet, non poterat eam ducere Antipas, eo quod illa ex priori viro filium pepererat.

℣. 5. VOLENS ILLUM OCCIDERE, TIMUIT POPULUM.] Docet Joſephus Antiq. l. 18. c. 7. Herodem Antipam Johanne Baptiſta in vincula conjecto, eo quod maxima ad eum confluentis populi erat frequentia, veritum, ne Sanctus iſte Præcurſor ſua auctoritate, quam apud Judeos fuerat adeptus, uteretur, ut illos ad novarum rerum ſtudia compelleret, maluiſſe malum prævertere, quam tunc illud propulſare, cum acceſſiſſet. Eum igitur comprehendi juſſit, atque in carcerem trudi in caſtro Machæro, ubi aliquanto poſt eum capite damnavit. Verum Hiſtoricus hic vel diſſimulavit, vel ignoravit genuinam cauſam, propter quam Johannes in vincula datus fuit. Unanimi conſenſu teſtantur Evangeliſtæ, ideo in carcerem fuiſſe conjectum, quod liberi-

1 Joſeph. Antiq. l. 17. c. 11. 2 Vide Grotium in hunc locum, & noſtrum Commentarium in S. Luc. 9. 3 Αἱ δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ.
4 Vide Clericum in hunc locum, & alios in Maldonato. 5 Marc. 5. 30. Τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν. Luc. 6. 19. Ὅτι δύναμις παρ' αὐτοῦ ἐξήρχετο. 6 Διὰ Ἡρωδιάδα τὴν γυναῖκα Φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. 7 Joſephus Antiq. l. 18. c. 7. Ab ipſiſmet Judæis appellatur Philippus. Vide Joſipp. Gorionid. & verba Regum Iſrael, et Tzemach. David. 8 Tertull. lib. 4. adverſ. Marcion. Chryſoſtom. Euthym. Theophylact. 9 Levit. 18. 15. 16. 10 Ibid. verſ. 14.

acerrime invectus fuerat in Antipam ob nefarium illius cum Herodiade conjugium. Eum igitur in cuſtodiam tradidit; verumtamen non omnem exuit ejus exiſtimationem, & obſervantiam; immo libenter eum audiebat, & ex illius conſilio non pauca operabatur [1]: tamen Herodiadem non reliquit, quæ ſuperba mulier verita, ne S. Johannis Baptiſtæ increpationes, & monita a ſe Regis animum averterent, nihil intentatum reliquit, ut illum de medio tolleret [2]. Tandem vero conjugis importunis ſuaſiunculis fatigatus Rex Johannem Baptiſtam obtruncari juſſiſſet, quemadmodum iſthic S. Matthæus enarrat, niſi populi, qui Johannem tamquam Prophetam habebat [3], metus illum deterruiſſet.

℣. 6. Die autem natalis &c.] Nemo unus in litterarum ſtudiis hoſpes eſt adeo, qui ignoret, Principes diem, & qua nati, & qua ad regnum evecti fuerunt, ſumma cum hilaritate celebrare. Conſuetudinis hujus antiquitas videtur ex ea ſolemnitate, quam natalitia die Pharao celebrabat [4], & ea, de qua Oſeas 7. 5. loquitur, ſub Regibus Iſrael. In ſolemnibus hiſce conviviis adducebantur fidicines, tibicineſque, ſaltatrices, & joculatores, qui convivas oblectarent: at raro inveneris, ut matronæ ejus dignitatis, qua hæc Regis filia præſtabat, ad ſaltandum prodirent. Putat S. Johannes Chryſoſtomus [5], ipſam Herodiadem, quod evenit, præſcienteem hortatam fuiſſe filiam ad facinus indignum, & quod mimam aliquam duntaxat deceret. *Dies Natalis* [6] nonnumquam uſurpatur etiam pro ea die, qua Princeps aliquis ad ſolium pervenit.

℣. 8. Illa præmonita a matre sua.] Herodiades non aderat in aula Convivii, cum Salome filia ſua ibi ſaltavit, & Rex huic dixit, ut quod vellet, peteret impetratura. Filia ſtatim ſeſe ex aula proripuit, matrem conſuluit, quid ſibi eſſet a Rege petendum; quæ juſſit, nil aliud petere, quam caput Johannis Baptiſtæ. Hoc ex S. Marco 6. 24. didicimus. Græca vox, qua hic utitur S. Matthæus [7], innuit, illam *impulſam, coactam, inductam* fuiſſe a matre, ut S. Johannis caput efflagitaret. Illud ex matris auctoritate, ac juſſu petiit; cum alioquin ſua nihili intereſſet.

Da mihi hic in disco [8].] Diſcum manu gerebat, cum hæc diceret; Mater ſua illum filiæ dederat, ne Rex in aliud tempus adeo importunæ petitioni aſſenſum differret. Quid enim, ait S. Ambroſius lib. de Virgin. commune inter convivii hilaritatem, & calamitoſi viri ſupplicium? Principes ea die ſontibus etiam veniam largiri conſueverant; ac felix hoc tempus diu a miſeris expectatur, ut libertatem depoſcant. Herodes, & Herodiades e contra fecerunt. In Romana legimus hiſtoria [9] Flaminium, ut pellici gratificaretur ſecum ad menſam diſcumbenti, quæ teſtabatur ſe neminí umquam caput abſcindi vidiſſe, reum ad ſe trahi, & coram capite plecti juſſerat, cenſoriam notam tuliſſe, & ex Senatorum albo expunctum, ob inhumanitatem, qua convivio cruorem immiſcuerat, & hominem licet nocuum, ut mulieri placeret, obtruncaverat.

℣. 9. Contristatus est Rex, propter juramentum &c.] quod fecerat dicens, ſe illi quidquid petiiſſet, conceſſurum, licet Regni dimidium efflagitaſſet, & propter diſcumbentes imperavit, ut Johannis caput amputaretur. Hic eſt mundi character. Affectat Herodes videri diligens in promiſſis, & conſtans in conſiliis ſuis; ideoque non pavet injuſtum patrare facinus, quod ſibi mortalium omnium conflavit invidiam. Numquid ignorabat, hoc juramento ſe minime teneri, & convivas, licet coram factum improbare non auderent, intra ſe tamen ſcelus illud abominaturos?

Crediderunt aliqui [10], dolorem, quem tunc Herodes teſtatus eſt, duplicem fuiſſe ſimulationem, & ſubdolam eam *vulpem*, quemadmodum in Evangelio Lucæ

Tom. VII.

A 13. 32. vocatur, ſimulaſſe dolorem ob tanti viri mortem, ne omnino populum exacerbaret. Evangeliſta ſuperius c. 14. 4. ait, illum perdendi Johannis occaſionem perquiſiviſſe; nec eam invenire operoſum fuit. Credunt alii [11], ipſum ægre dediſſe Johannis Baptiſtæ caput, cum propter exiſtimationis, & obſervantiæ erga eumdem reliquias, tum quod vir ille non merebatur, ut ſuo ſanguine mulieris impudicitiæ litaretur, & quod verebatur, ne in ſe populi, bonorumque odia ſuccenderentur, ubi mortis illius cauſam, & circumſtantias didiciſſent.

℣. 10. Misit et decollavit Johannem.] Hæc omnia acta, tranſactaque ſunt in caſtro Machæro [12] quod ultra Jordanem ſitum erat prope ejus fluminis in Aſphaltitem lacum dilabentis oſtium. Joſephus Antiq.

B l. 18. c. 7. auctor eſt, arcem hanc ditionis Aretæ Regis Arabiæ fuiſſe, cum ejuſdem Regis filia, quæ Herodi nupſerat, ad patrem confugit; verum Antipæ ſubjecta erat, cum S. Johannes capite diminutus fuit. Qua ratione vero Antipas illam occupaverit, prætérit Hiſtoricus.

℣. 11. Allatum est caput ejus in disco.] Narrat S. Hieronymus contra Rufinum l. 3. c. 2. Herodiadem manu tenentem S. Johannis caput, illi inſultaſſe, & linguam crinali acu perforaſſe: *Sancto capiti illuſit, & ſicut olim Fulvia linguam Ciceronis, ita hæc linguam Johannis diſcriminali acu confodit*. Joſephus loco citato teſtis eſt, cædem ab Areta Arabiæ Rege Antipæ illatam a Judæis attributam fuiſſe neci, quam per ſummum nefas ille S. Johanni Baptiſtæ intulerat. Ali-

C quot annis poſt Herodiades æquo animo ferre minime valens, virum ſuum eſſe tantummodo Tetrarcham, cum interim Agrippa frater ſuus Regis titulo inſignitus eſſet, illum Romam ire coegit, quo eum ſubſecuta eſt, ut ab Imperatore Cajo eam dignitatem impetraret. At tantum abfuit, ut votis ejus ſubſcriberet Imperator, quod Tetrarchiæ etiam titulo ſpoliatum Lugdunum relegarit. Herodiadi vero in gratiam Agrippæ Regis fratris ejuſdem gratificatus fuiſſet Imperator; ſed illa virum ſequi maluit in eam calamitatem, in qua ipſa illum conjecerat, quam felicitatis fraternæ participem fieri. Nicephorus l. 1. c. 20. Hiſt. Eccleſ. & Metaphraſtes putant, Salome etiam tragica morte abreptam fuiſſe. Cum enim per glaciem graderetur, ea fracta ad collum uſque demerſa eſt, ubi cum

D iterum gelu concreviſſet, caput a reliquo corpore abſcidit; effecitque, ut aliter, quam olim coram Herode, ſaltaret. Sed antiquorum nemo hujus meminit hiſtoriæ, quas inter alias Metaphraſtis fabulas amandamus. Hoc ſolum ſcimus [13], Salome, cum nupſiſſet Philippo Tetrarchæ patruo ſuo, & ex eo nullos genuiſſet liberos, iterum nupſiſſe Ariſtobulo patrueli ſuo, filio Herodis Regis Chalcidis, fratris Agrippæ, & Herodiadis, ex quo plures peperit filios. Mortis vero ſuæ genus, ac tempus nos fallit.

℣. 12. Accedentes Discipuli ejus, tulerunt corpus ejus.] S. Johannis diſcipulis integrum erat illum in carcere convenire, quemadmodum patet ex eorum legatione, quos Sanctus iſte Præcurſor miſit ſciſcitatum, utrum Jesus Christus eſſet Meſſias [14].

E Ubi auribus eorum mortis illius accidit rumor, corpus illius extulerunt, eique parentarunt; & Jesum, quid accidiſſet, certiorem fecerunt. Non ſatis perſpicue patet, ubi corpus illius poſitum fuerit. Dixerunt quidam illud Sebaſte, vel Samariæ tumulatum. Sed odium, quæ Judæos inter, ac Samaritanos intercedebat, non ſinit fidem haberi, niſi meliora afferantur argumenta; quorum unum illud non eſt, quod ſancti illius cineres quarto ſæculo ibi in honore habiti fuerint [15]. Ejus quippe reliquiæ vel cum Romanorum ad-

P 2 ver-

1 Marc. 6. 20. 2 Idem verſ. 19. 3 Vide Euthym. hic.
4 Gen. 40. 20. 5 Chryſoſt. in Matt. Homil. 49. Hieronym. hic. Ambroſ. l. 3. de Virgin.
6 Γενέσια. Vide Heinſ. Exercit. Sacr. pag. 48. 7 Προβιβασθεῖσα.
8 Δός μοι ὧδε ἐπὶ πίνακι. 9 Hieron. hic. 10 Hilar. Hieron. Strab. Gloſſ. alii.
11 Chryſoſt. Euthym. Theophylact. Maldon. Grot. alii. 12 Vide Joſeph. l. 18. Antiqu. c. 7.
13 Joſeph. l. 18. Antiqu. c. 7. 14 Matt. 11. 2. 15 Sub Juliano Apoſtata c. an 362. Ethnici ejus tumulum aperuerunt, ejuſque oſſium partem combuſſerunt.

verſus Judæos ſæviebat bellum, vel cum jam deſævierat, illuc afferri potuerunt.

℣. 13. Quod cum audisset Jesus, secessit inde.] Cum videlicet audiſſet, quid de ſe diceret Herodes, ſcilicet, in perſona ipſius S. Johannem Baptiſtam reſurrexiſſe, ac virtutem patrandorum miraculorum ſe in illo manifeſtaſſe [1], *ſeceſſit in locum deſertum ſeorſum*. Alii [2] ita ſuppleot: Cum nuntiatum fuiſſet Jesu a Johannis Diſcipulis, quid Sancto huic viro accidiſſet, ſeceſſit; qui poſterior ſenſus cum narratione Evangeliſtæ rectius cohærere videtur. Jesus erat in occiduo lacus Genezareth littore, ubi audiit ea, quæ ſuperius narrata ſunt, de ſermonibus Herodis, & populi, ex miraculorum ſuorum occaſione. Aſſumpſit ergo Apoſtolos ſuos, qui paulo ante ex miſſione redierant, atque cum illis lintre in ulteriorem lacus oram in deſertum Betzaidæ [3] trajecit, quæ urbs ſita eſt ad oſtium Jordanis in lacu, vel in mari Genezareth. Urbs hæc erat Galilææ ſuperioris, & ex Tetrarchia Philippi, cui Herodes Herodiadem abſtulerat. Populus, qui Jesum ſequebatur, ubi illum diſceſſiſſe ſcivit, pedeſtri itinere illum ſecutus eſt, immo & prævertit [4]; eamque ante illum Betzaidam pervenit.

B

Ad ea intelligenda, quæ Interpretibus crucem fixere, ſupponendum eſt, I. Betzaidam, vel Juliadem fuiſſe in ulteriori, & occidua Tiberiadis lacus ora prope oſtium Jordanis in lacu eodem: hoc omni caret dubitatione; quippe Plinii, & Joſephi [5] teſtimonio palam evincitur. II. Jesu Capharnao, vel ex finitimis locis diſcedenti tantum ferme itineris mari fuiſſe emetiendum, ut Betzaidam peteret, quantum populo terra. Cum adverſa flat, licet parum, aura, pedite lentior procedit cymba: idemque minime abſonum eſt, quod populus terreſtri itinere eodem tempore, immo citius pervenerit, quam Jesus in ulteriorem fluminis ripam; Jesus enim mari profectus erat, non ut maturaret iter, ſed ut populi turbam evitaret. III. Cum populus perveniſſet ad Jordanem e conſpectu Betzaidæ, fluvium vel pontibus, vel lintribus traduxit, et in ulteriori ripa, & in urbis ejuſdem agro Jesum Christum præſtolaretur. Hoc pacto nulla eſt in itinere vel Jesu, vel populi difficultas. Jesus Betzaidam ſe contulit, uti S. Lucas narrat; in ulteriorem maris oram tranſiit, uti in S. Johanne 6. 1. eſt: populus eum pedeſtri itinere ſequitur, quemadmodum S. Marcus 6. 33. teſtatur.

C

℣. 14. Exiens vidit turbam multam.] Navicula egreſſus vidit ingentem populi vim, qui ipſum præverterat, & qui norat locum, quo ille pergebat, quemadmodum innuit S. Marcus loco citato.

D

℣. 15. Vespere autem facto.] Diſcipuli admonuere Jesum jam advesperaſcere, populumque dimittendum eſſe, ut quilibet domum ſuam ante noctem dilaberetur. Vox hæc *veſpere* non ſumitur iſthic pro ſolis occaſu, ſed tantum pro ejuſdem inclinatione. Hebræis duæ erant veſperæ: altera tunc incipiebat, cum Sol in noctem vergere incipiebat, ſecunda vel quarta hora poſt meridiem juxta noſtram dierum metiendorum rationem; altera vero ſub Solis occaſum. Duas haſce veſperas nonnumquam Scriptura diſtinguit, veluti cum ait, agnum Paſchalem inter *duas veſperas* eſſe immolandum [6]. Iſthic vero diſtinctius adhuc memorantur. Diſcipuli hoc in loco Salvatori dicunt adveſperaſcere: *Veſpere autem facto* [7]; & turbas eſſe dimittendas. Hæc *prima eſt veſpera*. Et infra ℣. 23. ubi omni populo quinque videlicet hominum millibus eſcam tribuit, & non modicum temporis intervallum elapſum

E

eſt, *dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare: Veſpere autem facto ſolus erat ibi*. En ſecundam veſperam. Ad priorem illam innuendam S. Marcus 6. 35. hac utitur locutione: *Cum jam hora multa fieret*, cum melior diei pars abiiſſet, vel refectiunculæ hora præteriiſſet; Et S. Lucas 9. 12. *Dies autem cœperat declinare*: ad alteram veſperam vel noctis initium innuendum, omnes iiſdem vocibus utuntur [8].

Desertus est locus, & hora jam præteriit.] Ultra meridiem proceſſit dies, prandii hora præteriit; nihil eſt, quo hic populus veſcatur; remittendus eſſet domum ſuam, antequam magis adveſperaſceret, ut in pagis eſcam ſibi compararet. In S. Johanne 6. 5. legimus, Jesum navicula egreſſum, cum in deſerto loco turbam illam proſpexiſſet, miſeratione ductum Philippo dixiſſe: Unde ememus panes, ut omnes hi manducent? quod ad eum tentandum ajebat, teſte Evangelio; quid enim ſibi faciendum eſſet, haud ignorabat. Illi vero Philippus reſpondit, quantumvis ducentis argenteis emerentur panes, vix ſatis futuros, ut ſingulis tanto in populo exiguum fruſtulum divideretur. Jesus miſertus ægrotos ad ſe adductos curare cœpit, ac populum docere, de regno Dei verba faciens. Ubi autem diutius diſſeruiſſet, atque nox adveniret, ei dixerunt diſcipuli illa, quæ iſthic in S. Matthæo leguntur. Tunc dixit illis Jesus, neceſſum non eſſe, ut populus longius diſcederet cibum quæſiturus; ipſi illi huic eſcam præberent. Hinc percontanti quot ſecum panes haberent, Andreas Petri frater reſpondit, adeſſe adoleſcentulum cum quinque panibus hordeaceis, & piſcibus duobus. Hos ad ſe afferri juſſit, cumque eos benedixiſſet, imperavit, ut diſcumbenti populo diſtribuerentur. Quinque hi panes, ac piſces duo erant Apoſtolorum [9], univerſum Jesu, ac diſcipulorum ejus victum.

℣. 19. Cum jussisset turbam discumbere super foenum.] Plurimum enim ibi aderat ſœni teſte S. Johanne 6. 10. Et profecto anni tempus ſatis proceſſerat, nam juxta ejuſdem Evangeliſtæ animadverſionem feſtum Paſchatis imminebat, quo tempore in Palæſtina hordea jam maturaſcunt, & gramina jam ſunt falce recidenda. S. Marcus 6. 40. ait, populum *in partes* diſcubuiſſe per centenos, & quinquagenos, ut illis panes, ac piſces diſtribuerentur. Unde facile de illorum numero judicium ferri poteſt. Græcus ad litteram ait [10], quod & Vulgata, juſſiſſe Jesum illos *diſcumbere*; tunc enim de more triclinaribus lectulis diſcumbentes manducabant.

Benedixit, & fregit, & dedit.] S. Johannes addit, illum Patri gratias egiſſe. Orationis ſuæ initium deſumpſit ex laude, & gratiarum actione; quod fortaſſe innuere voluit S. Matthæus ea vocula, *benedixit* [11]. Benedixit Deo, vel benedixit panes, Deum rogans, ut illos multiplicaret; eodemque tempore ſuper hanc materiam effudit virtutem ſuam producendi in infinitum; & illa actu reproducta fuit, cum ab Apoſtolis diſtribueretur. Quærunt Patres, atque Interpretes, utrum in Jesu Christi, an Apoſtolorum manibus panes fuerint multiplicati; qua in re variant ſententiæ [12]. Verum eas conciliare operoſum non eſt, ſi dixeris, Salvatorem illis dediſſe virtutem, cujus Apoſtoli miniſtri fuerunt, ac diſpenſatores, cum panes eoſdem diſtribuerent. Jesus illos frangens in illos abundantiam infudit: *Frangenis Dominus, Seminarium fuit ciborum*, ait, hoc in loco S. Hieronymus. Poteſtas in Salvatoris manibus erat, inquit in S. Johan-

1 Chryſoſt. Homil. 5. Euthym. Grot. Brug. Toynard. Harmon. p. 51.
2 Auguſt. lib. 2. de Conſenſu, c. 45. Euthym. Theophylact. Maldon. 3 Luc. 6. 1.
4 Marc. 6. 33. 5 Joſeph. l. 2. de Bello, c. 13. & Antiqu. l. 18. c. 3. Plin. l. 5. c. 15. Vide Cellar. Geograph. Antiqu. l. 3. c. 13. p. 387. 6 Exod. 12. 6. Levit. 23. 5. בין ערבים *Inter duas veſperas*.
7 Matt. 14. 14. Ὀψίας δὲ γενομένης. 8 Matt. 14. 23. Marc. 6. 47. Ὀψίας δὲ γενομένης. Joan. 6. 16. Ὡς δὲ ὀψία ἐγένετο. 9 Chryſoſt. Theophyl. Leont. Theodor. Mopſ. Ammon.
10 Κελεύσας τοὺς ὄχλους ἀνακλιθῆναι. Marc. Ἀνακλῖναι. Luc. Κατακλίνατε. Joan. Ποιήσατε ἀναπεσεῖν ... ἀνέπεσον οὖν οἱ ἄνδρες, &c. 11 Matt. Marc. Luc. Εὐλόγησε. Joan. 6. 11. Εὐχαριστήσας διέδωκε.
12 S. Auguſtinus Tract. 24. in S. Joan. & S. Hieronymus putant panes fuiſſe in J. C. manibus multiplicatos. S. Chryſoſtomus, Leontius, & Euthymius in manibus Apoſtolorum. S. Hilarius rem decernere non audet.

Johannem Auguſtinus. In manibus ſuis quinque panes multiplicat, uti & meſſes, ex exiguo granorum numero, quæ humi ſeruntur. Videntur autem omnia panis fruſtula, quæ populo diſtributa fuerunt, ex Jesu Christi manibus profecta, qui panes frangebat, prout Diſcipuli ad eos excipiendos, illos diſtributuri revertebantur ℣. 39.

℣. 20. Duodecim cophinos.] Singuli Apoſtoli cophinum ſuum refertum retulerunt. Hoc miraculi certitudinem denotabat. Quinque hominum millia præter mulieres, ac pueros, qui fame laborabant, ad ſatietatem manducarunt; & ex reliquiis, quæ ſuperarunt, duodecim referti caniſtri colliguntur. Quid obſtrepant infideles, non habent; prodigium ſatis patet. Verum cur non ſuperat aliquid ex piſcibus duobus? Potuiſſet procul dubio Jesus, ſi voluiſſet, idem quod in panibus, in piſcibus etiam præſtare; at ſatis illi fuit, ex his affluenter populo tribuere, quin aliquid ſupereſſet, nolens citra neceſſitatem operari miracula. Num apertior eſſet veritas realis multiplicationis panum, & piſcium, ſi utrorumque pleni fuiſſent centum calathi? Qui cum panibus quinque, & piſcibus duobus alere poteſt quinque, vel ſex hominum millia, hic ſane & decem millia alere poſſet.

℣. 22. Jesus compulit Discipulos ascendere &c.] Statim ac Apoſtoli duodecim panis cophinos collegerunt, Jesus coegit illos ſine ipſo naviculam aſcendere, atque lacum transmittere, ut Bethſaidam pergerent [1]. Cogendi autem fuerunt, nolebant enim vel ſolum eum relinquere, vel ab eo recedere. Miraculum, quod nuperrime vidimus, in deſerto Bethſaidæ peractum eſt. Urbs hæc, æque ac deſertum in Orientali Jordanis ripa, ac prope auſtralem maris Tiberiadis extremam partem poſita ſunt. Quomodo ergo Jesus jubet, Apoſtolos ſuos lacum traducere, Bethſaidam profecturos? Nonne hoc ſecum pugnat? Verum ita hæc ſolvitur difficultas. I. Græcus S. Marci Textus verti poteſt *e regione Bethſaidæ*; hoc eſt in occiduum littus ex adverſo Bethſaidæ. II. A deſerto Bethſaidæ ad urbem cognominem duæ patebant viæ, longior altera, nempe terreſtris ſecus obliquos maris ſinus, atque meandros: brevior altera, ſi videlicet navim conſcendiſſent, & recte citra flexus, reflexuſque omnes illuc pertexiſſent. Populus terreſtre carpſit iter; at Jesus adegit Diſcipulos ſuos, ut lintrem conſcenderent, eodem mari profecturi. Verum hoc illis non ceſſit e ſententia, propter venti vim, in oppoſitum flantis; coactique fuerunt de borea in meridiem tendere, ex Bethſaida deſerto Tiberiadem; cum de meridie in boream ituri eſſent, e deſerto ad urbem Bethſaidam, quemadmodum inſtituerant.

Altera difficultas eſt, conciliandi videlicet S. Marcum dicentem, Jesum eos juſſiſſe Bethſaidam proficiſci, cum S. Johanne [2] affirmante, illos navim conſcendiſſe, ac inde Capharnaum veniſſe, & cum S. Matthæo, immo & eodem S. Marco aſſerentibus, craſtina die illos in diluculo in regionem Genezareth fuiſſe [3]. Regio Genezareth, & Capharnai omni procul dubio ſunt in occidua lacus Tiberiadis plaga, & ex adverſo deſerti Bethſaidæ, unde Jesus, et diſcipuli diſceſſerant. Ad hanc difficultatem tollendam, dici poteſt, Apoſtolos Jesu Christi parentes imperio, phaſelum ingreſſos fuiſſe conſilio Bethſaidam proficiſcendi; ſed vento illos ex adverſo propellente advectos fuiſſe verſus terram Genezareth ad meridiem maris Tiberiadis; Jeſus ad eos quarta fere noctis vigilia pervenit, ſedatoque vento, juſſit, eos ad finitimas Tiberiadis oras appellere, unde poſtridie Capharnaum acceſſerunt. S. Johannes etiam [4] hoc videtur innuere, ubi ait, turbas, quæ in ulteriori lacus ora perſtiterant, & quæ norant, Jesum cum diſcipulis non conſcendiſſe, illum ſollicite perquiſiviſſe. Cum autem ex ſcaphis aliquot, quæ Tiberiade illuc appulerant, didiciſſent, Jesum ibi eſſe cum diſcipulis ſuis; illos terreſtri itinere contendentes eum invenerunt, qui nuper Tiberiade Capharnaum pervenerat.

℣. 23. Dimissa turba,] ſolus montem aſcendit oraturus, ubi in multam noctem permanſit. Sciebat Jesus populi mentem, qui illum ſibi Regem conſtituere cupiebat; ex eorum igitur manibus elabi ſtudet, populum æque, ac Diſcipulos dimittit, et ſolus in montem ſecedit. S. Johannes 6. 15. teſtatur eodem ſecundo ea die illum in montem hunc seceſſiſſe. Illuc mane cum Diſcipulis aſcenderat; cumque aliquandiu ibi ſubſtitiſſet, deſcendit, ut turbas doceret, ægroſque ſanaret; et iterum tandem aſcendit, cum adveſperaſſet, atque omnes eſſent dilapſi [5].

℣. 24. Quarta vigilia noctis venit ad eos.] Hebræis olim tres tantum erant noctis vigiliæ [6]; ſed ævo Domini Noſtri Græcorum, Romanorumque more noctem in vigilias quatuor diſtribuebant. Cum hoc ſub æquinoctium vernum acciderit, quarta noctis vigilia cum tertia hora matutina congruit. Hæ quatuor cujuſlibet noctis vigiliæ inter ſe ſemper erant æquales, ſed pro variis anni tempeſtatibus, ſi diverſarum noctium vigiliæ conferantur, inæquales. Jesus cum reliquiſſet Diſcipulos ſuos plures horas cum ventis, fluctibuſque certantes, ad eos tandem ſuper undas ambulans venit. S. Johannes 6. 19. narrat, illos nondum quinque & viginti, vel triginta emenſos mari fuiſſe ſtadia, videlicet tria circiter paſſuum millia, vel leucam unam. Lacus ille duodecim leucas in latitudinem patet, auctore Plinio l. 5. c. 15. Jesus ſuper aquas ambulavit, quin ſubmergeretur; ſive naturale ſui corporis pondus ſuſpenderet, ſeu aquas ſub pedibus ſuis ſolidas inſterneret: par utrobique eſt miraculum.

℣. 26. Turbati sunt, dicentes: quia phantasma est.] Hebræis perſuaſum erat, nonnumquam apparere ſpectra, phantaſmata, Angelos bonos, vel malos. Non deerant illis exempla in ſcripturis [7], ubi Angeli boni vere apparuiſſe dicuntur; neque dubitabant, quominus ſimiliter, & mali poſſent apparere, ac ſe in Angelos lucis transformare, quemadmodum loquitur S. Paulus 2. Cor. 11. 14. Non exiguam doctrinæ ſuæ partem, in horum apparitionum ſcientia Phariſæi collocabant, uti ex Actis 23. 8. 9. innoteſcit. Hiſtoria apparitionis Samuelis ad Saulem [8] ſatis probat, ipſos crediſiſſe, mortuorum manes apparere poſſe. Has Judæorum, ſuorumque Apoſtolorum opiniones Jesus Christus minime explodit; eas immo confirmare videtur, cum illis ait apud S. Lucam 24. 38. *palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & oſſa non habet*. Patres quoque vel confirmarunt, vel ſuppoſuerunt has ſententias; neque illas in dubium vocare fas eſt. Verum quomodonam hæ fiunt apparitiones? Fortaſſe, aeris, fumi, nebulæque adminiculo, quæ a bonis, vel malis ſpiritibus, permittente Deo, condenſari poſſunt, atque ita diſponi, ut corporum ſpeciem referant, licet nihil habeant, quod tactui reſiſtat, non carnem, neque oſſa, quemadmodum Jesus Christus declarat. Hinc fit, ut hujuſmodi apparitiones noctu, ut plurimum, & in obſcuris locis eveniant; illic enim nebuloſa, atque aerea hæc corpora melius videntur, magis ſenſus noſtros afficiunt; ac facilius formantur.

℣. 28. Si tu es, jube me venire.] Iſthinc, non ſecus ac aliunde ſemper videre eſt vividum, ac fervens S. Petri ingenium. Ut certior fiat, nullam in iis, quæ videt, adeſſe illuſionem, ac eum, qui loquitur, vere eſſe Magiſtrum ſuum, ait illi: *Si tu es, jube me venire ſuper aquas*. De Jesu Christi potentia non ambigit; ambigit tamen, utrum hic ille ſit. Si Jesus eſt, me aquis inambulantem ſuſtinere poterit; ſin autem, hoc minime poterit. Et ſi eo permittente ego quoque illuc

1 Marc. 6. 45. Εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν. 2 Ioan. 6. 17. Καὶ ἐμβάντες εἰς τὸ πλοῖον ἤρχοντο πέραν τῆς θαλάσσης εἰς Καπερναούμ. 3 Matt. 14. 34. & Marc. 6. 53. Καὶ διαπεράσαντες ἦλθον ἐπὶ τὴν γῆν Γεννησαρέτ. 4 Vide Ioan. c. 22. 23. 24. 5 Ioan. 6. 3. Ἀνῆλθε δὲ εἰς τὸ ὄρος ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐκεῖ ἐκάθητο μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ. 6 Vide noſtram de Chronologia Diſſertationem, Geneſi præfixam. 7 Geneſ. 18. 19. 32. 24. 25. Exod. 3. 4. &c. 8 1. Reg. 28. 11. 12.

illuc gradiar; ergo illic gradiens phantaſma non eſt. A *Tu præcipe*, S. Hieronymus in hunc locum ait, *& ſolidabuntur aquæ: leve fiet corpus, quod per ſe grave eſt*. S. Marcus 6. 48. auctor eſt, JESUM, cum ad naviculam perveniſſet, ſimulaſſe ultra proceſſurum: *Volebat præterire eos*. Proceſſit, quaſi præterire vellet.

℣. 30. VIDENS VENTUM VALIDUM, TIMUIT.] Imminentis periculi adſpectus adeo illum perterruit, ut oblitus ſit præſentiæ magiſtri ſui. Ratione uſus amplius non eſt, & confidentia; quæ illum hactenus ſuſtinuerat, repente illum deſtituit. Verum ſubmergi ſe ſentiens, ad recentis periculi imaginem oculos aperuit, ac veritus, ne fluctibus mergeretur, *Domine*, clamavit, *ſalvum me fac*. Hæc omnia & miraculi veritatem probant, & hominis infirmitatem, & ſupremam Dei poteſtatem [1]. B

℣. 32. CUM ASCENDISSENT IN NAVICULAM, CESSAVIT VENTUS.] Videtur S. Johannes 6. 21. innuere, illum naviculam non aſcendiſſe; ſed cum Diſcipuli eum excipere vellent, repente navim littori illi, quo contendebant, appuliſſe: *Voluerunt eum accipere in navim, & ſtatim navis fuit ad terram, in quam ibant*.

℣. 33. QUI IN NAVICULA ERANT, VENERUNT, ET ADORAVERUNT &c.] Qui erant in navicula Apoſtoli, & nautæ fortaſſis aliquot, ac viatores quidam, qui illic forte adfuerunt, ad Salvatoris pedes procumbentes illum velut Deum verum, verumque Meſſiam adorarunt, dicentes ei; *Vere Filius Dei es*, & Meſſias, quem præſtolamur.

A ℣. 34. CUM TRANSFRETASSENT, VENERUNT IN TERRAM GENEZAR.] Græcus legit, *Genezareth*. Græca quædam Manuſcripta Exemplaria *Genezar*, vel *Genezara*. Credunt quidam [2], hanc eamdem eſſe regionem ac *Geraſa*, vel *Gergeſenorum*, vel *Geraſenorum*, ubi male adeo habitus fuerat JESUS CHRISTUS [3]. Alii [4] vero potiori jure putant, *Genezareth* eamdem eſſe, ac *Cinnereth*, vel *Cinneroth*, quæ creditur eſſe Tiberiades, & quæ nomen *maris Cinneroth* [5] indidit lacui Tiberiadis. Hæc urbs ſita erat prope extremam maris Genezareth partem, quæ auſtrum ſpectat, in littore occiduo. Non ivit in ipſam civitatem; ſed in terram Genezareth. Non procul ab urbe illa, e navi deſcendit; Vide ℣. 22. De regione, vel exiguo tractu Genezareth his verbis loquitur Joſephus de Bello l. 3. c. 35. *Lacus* B *Genezar alluit regiunculam cognominem, cujus admirabilis forma eſt, ac ubertas. Fonte, cui nomen Capharnaum irrigatur; tractus ille in longitudinem triginta patet ſtadia, in latitudinem viginti*. Reor autem, nomen *Genezareth*; quod illi diverſis temporibus inditum fuit, fluere ex Hebraica voce *Ge*, quæ vallem, & *Nazareth*, vel *Nezereth*, quæ *floridum* ſignificat; ita ut ſit *Vallis florida* [6].

℣. 36. UT VEL FIMBRIAM VESTIMENTI EJUS TANGERENT.] Vide ſupra cap. 9. 20. Judæi in inferiore pallii parte fimbrias, ac præterea in angulis quatuor lemniſcos aſſuebant [7]. Quicumque tetigerunt cum fide fimbriam, vel pallii ejus lemniſcos, omnes curati ſunt.

---

1 Hieronym. *Paululum relinquitur tentationi, ut augeatur fides, & intelligat, ſe non facilitate poſtulationis, ſed potentia Domini conſervatum*. 2 Vide Maldon. ad verſ. 22.
3 Matth. 8. 28. 4 Grot. hic. Hieronym. in locis. Cellar. Geogr. l. 3. cap. 13. pag. 298. Ligfoot. Chorograph. in Matth. cap. 71. Talmudiſtæ apud eumdem. 5 Ioſue 11. 2. 19. 35. &c. Num. 34. 11. Ioſue 13. 27. 6 גיא נצרת *Vallis florida*, vel *Germinans*.
7 Deuter. 22. 12.

CAPUT XV.

Scandalum Phariſæorum, quod Diſcipuli JESU illotis manibus manducarent. Phariſæi Dei Legem violant, traditiones ſuas obſervaturi. Chananææ filia curatur. JESUS CHRISTUS ſeptem panibus, & piſciculis aliquot ſeptem hominum millia paſcit.

1. TUnc acceſſerunt ad eum ab Jeroſolymis Scribæ, & Phariſæi, dicentes: 2
Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lavant manus ſuas, cum panem manducant. 3 Ipſe autem reſpondens ait
illis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam
Deus dixit: 4 Honora patrem, & matrem; & qui maledixerit patri, vel matri,
morte moriatur. 5 Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, munus
quodcumque eſt ex me, tibi proderit: 6 Et non honorificabit patrem ſuum,
aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.
7 Hypocritæ: bene prophetavit de vobis Iſaias, dicens: 8 Populus hic labiis me
honorat: cor autem eorum longe eſt a me. 9 Sine cauſa autem colunt me, docentes
doctrinas, & mandata hominum. 10 Et convocatis ad ſe turbis, dixit
eis: Audite, & intelligite. 11 Non quod intrat in os, coinquinat hominem: ſed
quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. 12 Tunc accedentes diſcipuli
ejus, dixerunt ei: Scis, quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt? 13
At ille reſpondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœleſtis,
eradicabitur. 14 Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum, cæcus autem ſi cæco
ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. 15 Reſpondens autem Petrus dixit
ei: Ediſſere nobis parabolam iſtam. 16 At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu
eſtis? 17 Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit,
& in ſeceſſum emittitur? 18 Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, &

ea co-

ea coinquinant hominem. 19 De corde enim exeunt cogitationes malæ, homici-
dia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. 20 Hæc ſunt,
quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat
hominem. 21 Et egreſſus inde Ieſus, ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis. 22 Et
ecce mulier Chananæa a finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei: Miſerere mei Do-
mine, filii David: Filia mea male a dæmonio vexatur. 23 Qui non reſpondit ei
verbum. Et accedentes diſcipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia
clamat poſt nos. 24 Ipſe autem reſpondens, ait: Non ſum miſſus niſi ad oves,
quæ perierunt domus Iſrael. 25 At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domi-
ne, Adjuva me. 26 Qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum,
& mittere canibus. 27 At illa dixit: Etiam, Domine: nam & catelli edunt de
micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. 28 Tunc reſpondens Jeſus, ait
illi: O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi, ſicut vis. Et ſanata eſt filia ejus ex
illa hora. 29 Et cum tranſiſſet inde Jeſus, venit ſecus mare Galilææ; & aſcendens
in montem, ſedebat ibi. 30 Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum
mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & projecerunt eos ad pedes e-
jus, & curavit eos: 31 Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, clau-
dos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Iſrael. 32 Jeſus autem,
convocatis diſcipulis ſuis, dixit: Miſereor turbæ, quia triduo jam perſeverant me-
cum, & non habent, quod manducent, & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant
in via. 33 Et dicunt ei diſcipuli: Unde ergo nobis in deſerto panes tantos, ut
ſaturemus turbam tantam? 34 Et ait illis Jeſus: Quot habetis panes? At illi di-
xerunt: Septem, & paucos piſciculos. 35 Et præcepit turbæ, ut diſcumberent ſu-
per terram. 36 Et accipiens ſeptem panes, & piſces, & gratias agens, fregit, &
dedit diſcipulis ſuis: & diſcipuli dederunt populo. 37 Et comederunt omnes, &
ſaturati ſunt. Et quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas. 38
Erant autem, qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos, &
mulieres. 39 Et dimiſſa turba, aſcendit in naviculam: & venit in fines Magedan.

ỳ. 1. TUNC ACCESSERUNT AD EUM AB JEROSOLYMIS SCRIBÆ, ET PHARISÆI] qui ſecuti fuerant JESUM CHRISTUM ex Paſchatis celebritate [1] redeuntem, ut illius, ac diſcipulorum ejus vivendi rationem ſcrutarentur; ac dixerunt illi: *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Non enim lavant manus ſuas, cum panem manducant*. Judæi præter leges in Moyſis Libris deſcriptas plurimas habebant traditiones, vel leges minime ſcriptas, quas a majoribus ſuis acceperant, & quibus parem, vel majorem etiam fortaſſe vim tribuebant, quam Legibus ſcriptis. Has a Moyſe profectas, eique in Sinai, non ſecus ac reliquas, traditas fuiſſe putabant. Biblia aquæ comparant, traditionem vero vino egregio. Lex eſt ſal, ajunt Rabbini, *Miſna* vero, ſeu Traditionum collectio, eſt veluti piper, *Talmud* autem tamquam pretioſiſſima aromata. Qui contra Moyſem peccat, abſolvi poteſt: ſed qui Doctoribus contradicit, mortem meretur. Si Doctores dixerint, manum dexteram tuam eſſe lævam, credendum eſt, inquit Rabbinus Bethal. Prophetæ fides habenda non eſt, niſi miſſionis ſuæ ſigna tradiderit: Antiquis vero citra examen eſt habenda. Hæc eſt Judæorum de traditionibus ſuis ſententia [2]. Non credimus, ante Jeſum Chriſtum Judæis ullam fuiſſe traditionum ſuarum collectionem. Primus Auctor, qui earum ſaturam exornaverit, ſcriptiſque ediderit, eſt Judas, cui nomen Sanctus, qui altero Eccleſiæ ſæculo ſub Antonino Pio, & Commodo vivebat.

Chriſtiana etiam Eccleſia ſuas habet traditiones, quibus maximam defert auctoritatem. S. Paulus ad Theſſ. 2. 15. & 3. 6. *Traditionis* utitur nomine ad ea præcepta

A indigitanda, quæ Eccleſiis viva voce, non ſcriptis mandata, tradiderat. Cum Jeſus Chriſtus Judæorum traditiones oppugnat, illas oppugnat ſolum, quod iis abutebantur Judæi. Fieri nequit, ut aliquod Religionis corpus ſine aliqua traditione ſubſiſtat, quæ viget in uſu, memoria, ritibus, cæremoniis. Noſtræ autem Traditiones a Phariſæis, quæ a Jeſu Chriſto improbantur, differunt. Primo, quod illæ auctorem habent vel Spiritum Sanctum, vel Apoſtolos, vel Eccleſiam, Sancto Spiritu animatam. Secundo, quod nihil contrarium continent Divinæ legi, ſacriſque Bibliis. Tertio, quod non ſolum obſervantiæ Mandatorum Dei non opponuntur, ſed huic inſerviunt, ac mirum in modum ſuffragantur [3].

Traditio vero, de qua hic peculiariter eſt ſermo,
B nequaquam in hoc ſimpliciter poſita erat, ut ante prandium manus abluerentur; hæc enim conſuetudo indifferens eſt, quæ vel omittitur, vel exercetur pro neceſſitate; neque fidei conſonum eſt, Apoſtolos conſueviſſe quotidie illotis manibus veſci [4]. Illis autem hoc in loco vitio vertunt Phariſæi, juxta Divum Marcum 7. 34. non quod numquam manus abluerent, ſed quod non quotidie illas abluerent, nec ſæpius adeo, nec ratione eadem, qua ipſi faciebant, hoc eſt, quod religioſius eas non abſtergerent, quotieſcumque e foro, vel nundinis domum reverterentur, quod neceſſario illas non abluerent, cum menſæ diſcumbendum eſſet; demum quod in aquam non immergerent lances, vel
C pocula, neque cura ſatis ſollicita, ac religioſa carnes, ac tricliniares lectulos mundarent: hæ quippe erant Judæorum conſuetudines, & antiquorum traditiones. Hos ritus non omnino negligebant Apoſtoli; verum

neque

---

1 Vide Toynardi Harm. pag. 56. 57. Clerici Harm. pag. 198.
2 Vide Ligfooti Hor. Hebr. & Simonis ſupplementum Cæremoniis Judæorum, cap. 1. Hieronym. Epiſt. 151, Epiphan. Hæreſ. 33. 3 Vide Maldon. & Janſ. & Natal. Alex. hic. ad verſ. 9.
4 Janſen. hic.

neque illi tanta ſervabant ſedulitate, quantam Phariſæi flagitabant. Hos quidem tamquam egregios mores laudabant, ſed quibus cum conſcientia nihil eſſet, & qui vel exerceri, vel omitti poſſent pro prudentiæ monitis, temporiſque, & circumſtantiarum opportunitate [1].

At non hæc erat Phariſæorum mens, religioſiſſimam, ſeveriſſimamque eorum obſervantiam exigebant, neque minus nugas has, quam res maximi momenti, ponderiſque perſequebantur. Rabbinus Akiba ajebat [2], eum, qui illotis manducaret, morte dignum eſſe. Cum Rabbinus hic in carcere detineretur, aquam petiit, quam biberet, & qua manus ablueret: verum cum aquæ pars forte effuſa fuiſſet, reliquum in abluendis manibus inſumpſit dicens, ſe malle mori, quam Patrum traditiones violare. Rabbinus Joſe ait, noxam hanc illotis comedendi manibus nequaquam minorem fuiſſe, quam peccatum impudicitiæ. En quouſque in hiſce nugis cæcitas Judæorum procedat.

℣. 3. QUARE ET VOS TRANSGREDIMINI MANDATA DEI?] JESUS CHRISTUS non reſpondet directe Scribarum, Phariſæorumque criminationi: ſed hanc quadam ſpecie recriminationis evertit; vel ſe illis aurem præbere nolle ſimulat. Vos pares non eſtis, qui diſcipulos meos redarguatis, quod hominum traditionem tranſgrediantur, quandoquidem Dei mandata conculcatis. Secundo, oſtendit traditionem hanc majorum non eſſe Legem, qua conſcientia adſtringeretur; ſordeſque exteriores, a quibus ſe ſe mundare frequentibus hiſce abſterſionibus opinabantur, nullam majorem animæ puritatem afferre ℣. 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.*

℣. 5. QUICUMQUE DIXERIT PATRI, VEL MATRI, &c.] Hoc primum eſt reſponſum, quo adverſus Phariſæos utitur JESUS CHRISTUS. Vos Dei legem tranſgredimini; ergo pares non eſtis, ut Diſcipulos meos tumulent[is], quod hominum traditiones tranſgrediantur. Incipite voſmet curare, ac auferre trabem, quam in oculis habetis, antequam educatis feſtucam, quæ in alieno oculo vobis diſplicet. Dei lex præcipit, ut parentibus habeatur honos, eiſque auxilium feratur: *honorandi* quippe verbo, conſentiunt omnes, non exiſtimationis ſolum, obſervantiæ, & honoris ſigna, verum etiam officia ipſa, & benefacta [3] indigitari. At muneri huic veſtro plane deeſtis; cum enim parentes veſtri egeſtate urgente a vobis opem quæſiverint, Legi facere ſatis arbitramini dicentes: omnia bona mea Domino devovi; mea amplius non ſunt; verum vos etiam participes efficiam meritorum voti, & oblationis meæ. Quidquid obtuli, & vovi, vobis æque proderit ac mihi [4]. Putant nonnulli, illos ſimulaſſe, ſe omnia Domino bona ſua dicaſſe, vel ſolum partem eam, quæ ab ipſis exquiritur. Alii [5] credunt, ipſos ea vere obtuliſſe, vel ea ſe dicaturos Domino promiſiſſe, non ſine tamen quadam reſtrictione, & quin penitus illorum uſum amitterent.

Confeſſus eſt Origenes tom. 11. in Matth. fuiſſe futurum, ut numquam loci hujus ſenſum aſſequeretur ſine Judæi cujuſdam auxilio, qui hunc illi explanavit. Accidit nonnumquam, hic illi ait, creditorem aliquem, ſi illi res eſſet cum obærato improbæ fidei, huic ſolvendi æris alieni neceſſitatem imponere, ac pecuniam Templo, vel pauperibus erogandi; eidem ſignificando id, quod ſibi debebatur, Deo eſſe dicatum [6]. Tunc debitor Deo ipſi debere incipit, ac tenetur quamprimum æs conflatum diſſolvere. Non deerant, qui hoc ipſum cum ſuis conſanguineis uſurparent. Dicebant illis; Quod ex me expectare poteratis in veſtræ neceſſitatis ſubſidium, jam meum non eſt: illud Deo vovi; ad pauperes ſpectat; vos quoque, ut illi, illius eritis participes [7]. Religioſus pater attingere non audebat, quæ conſecrata erant, & Phariſæi avari in ſuam rem vertebant cum pauperum detrimento, vota, & oblationes, quæ fiebant Deo. S. S. Johannes Chryſoſtomus hom. 52. Hieronymus hic, & Ambroſius in Luc. l. 8. n. 78. locum hunc in eumdem ferme ſenſum intelligunt.

Demum alii [8] hoc ita explicant: *Juro per Corban*, vel per donum, quod ſit Domino, *me numquam ulla in re tibi auxiliaturum* [9]. Vel: Habeat perjurus Corban, ſi tibi auxiliatus fuero, minimam bonorum meorum ſibi particulam tribuens. Hæc explicatio innititur, primo S. Marco 7. 11. his verbis ea, quæ iſthic S. Matthæus inquit, ſignificanti: *Corban (quod eſt donum) quodcumque ex me tibi profuerit.* Patet, Corban juſjurandum fuiſſe apud Hebræos vulgatiſſimum. Tyrii externi cujuslibet juramenti uſum damnantes, peculiariter proſcripſerant juſjurandum *Corban*, auctore Theophraſto apud Joſephum l. 1. contra Appion. qui addit, hoc apud Judæos tantum inveniri, & ſignificare *donum Dei*. De hoc cap. 23. 18. loquitur S. Matthæus, & ait ea, quæ per oblationes, quæ Domini templo offeruntur, jurando affirmantur, æque ſe religioſiſſima quælibet juramenta obligare. Secundo, ex Philone de Special. legib. c. 1. didicimus, ævo illius quoſdam fuiſſe Judæos adeo inhumanos, ut juſejurando ſe adigerent, numquam cum aliquibus neceſſitudinem inituros, illis numquam profuturos, & ex eorum manibus nihil umquam accepturos. Ait præterea, ex quo aliquid Deo votum, ac dicatum eſt, ita fieri a vulgaris uſibus alienum, ut qui illud voverit, ne attingere quidem poſſit; & ſi vir Deo uxoris ſuæ alimoniam dicaret, hæc ex viro illa minime exigere poſſet: Hoc a Judæis etiam Doctoribus confirmatur.

Ludovicus Capellus Differt. in hunc locum, Seldenus l. 7. cap. 2. de jure Nat. & Gent. & Ligfoot Hor. Talm. in Matth. qui moribus, ac libris Hebræorum diligentiſſime ſtuduerunt, teſtantur, illis quaſdam eſſe votorum ſpecies, quibus ſibi metipſis, vel aliis ad certum tempus, vel in perpetuum, abſolute, vel conditionate quarumdam rerum uſum interdicunt; Exempli gratia: voveo, me numquam carnem, aut lac manducaturum, vel numquam uxorem ducturum: vel juro, me hoc Petro non daturum, vel illud ab eo non accepturum. Ad hæc autem votorum genera exprimenda variæ aderant formulæ. Quidam ajebant. *Hoc mihi in unum menſem*, vel *in perpetuum interdictum ſit*. Vel, *hoc mihi ſit Corban*: Vel, *quod tibi dare poſſim, ſit Corban* [10]: vel denique generatim: *Quodcumque tibi officium præſtare poſſem, mihi ſit Corban.* Perjurus habeat, ac reus, quod per *Corban*, vel donum oblatum Deo pejeraverim, ſi quid in tui gratiam fecero. Id genus juramenta paſſim inveniuntur in *Miſna*, & veteribus libris Hebræorum. Hoc pacto patres exhæredare poterant filios, & in quem vellent, ſua bona transferre. Ita & vir ſemet ab omni neceſſitate alendi uxorem ſuam liberabat; & hæc alimenta ſua ab eo exigere non poterat, ubi hoc illius ſibi votum exploratum fuiſſet.

Id jurene, an injuria fieri conſueverit, non quærimus. Facile enim quilibet intelligit, nihil Divinæ menti magis adverſari, quam ſimiles abuſus rei ſanctiſſimæ, qualia ſunt vota. Hic ſenſum textus S. Matthæi unice conſideramus. Ex Auctorum, quos attulimus, & Syriacæ

1 Vide Origen. in hunc loc. tom. 11. in Matth. Chryſoſtom. homil. 52. &c.
2 Vide Druſ. Ligfoot. Buxtorſ. Synag. c. 6.
3 Vide Hieronym. hic, & Num. 22. 17. 24. 11. Tob. 1. 16. Prov. 3. 9. & 1. Timot. 5. 3. 17. & Rabbin. apud Selden. de Jure Nat. & G. l. 7. c. 2.
4 Ita Chryſoſtom. Euthym. Theophylact. Ambroſ. l. 8. in Luc. n. 78. 79.
5 Hugo, Strabus, Lyran. Vat. Mald. Ita et fere Ludov. de Dieu. Vide Hier. in Matt. et Ep. ad Algaſiam.
6 Κορβᾶν ἐστιν ... δῶρον.
7 [illegible]
8 Grot. l. 2 de Iure Belli, et pacis, c. 13. et in hunc loc. Vide Brugenſ. Monta. Maſium. Capell. Ligfoot, Seld. alios.
9 Veluti diceretur: *Per munus*, vel: *per Corban*, *ſi quodcumque eſt mihi, tibi profuerit*.
10 קרבן שאני נהנה לך

riſæ Verſionis ſententia ita explicari poteſt. Cum ſi- lius ea patri negare vellet officia, quæ leges, atque humanitas exigunt, in hæc, vel his ſimilia verba vovebat, ſatis erat: *Quidquid ſibi præſtare poſſem, mihi ſit corban*. Statim filius omne jus amittebat de bonis ſuis in patris gratiam diſponendi, & nullum jus erat patri aliquid a filio exigendi: quibus omnibus auctoritatis fiebat acceſſio ex Patrum traditionibus; eæque paſſim in Phariſæorum ſcholis perdocebantur. En quid in hunc locum probabilius afferri poterat.

℣. 7. BENE PROPHETAVIT DE VOBIS ISAJAS.] Iſajas veſtram aptis coloribus delineavit imaginem, de Judæis ævi ſui diſſerens. Eſtis illis quam ſimillimi, veri hypocritæ, qui primoribus tantum labiis Deum colitis, cum interim cor veſtrum quam longiſſime abhorreat. Græcus [1] legit: *Populus hic accedit ad me ore; & labiis me colit; at cor ejus longe eſt a me.*

℣. 9. SINE CAUSA AUTEM COLUNT ME.] Omnem cultum, omnemque ipſorum Religionem nihili facio; quoniam legibus meis ſubrogarunt leges, ac traditiones hominum. Nullum ex me ipſis officiorum ſuorum præmium expectandum eſt. Hujuſmodi officia non acquieſco. Hebraicus Iſajæ textus differt [2]: *& metus, quem de me habent*, & cultus, quem mihi præſtant; Dei quippe timor ſæpius pro omni Religionis officio uſurpatur, *doctrina eſt ab hominibus profecta; vel mandatum eſt, quod homines tradiderunt*. Univerſa eorum religio hominum auctoritati, atque traditioni incumbit. Salvator hoc in loco Verſionem Septuaginta [3] ſecutus eſt.

℣. 10. 11. AUDITE, ET INTELLIGITE; NON QUOD INTRAT IN OS, COINQUINAT [4] HOMINEM &c.] Jeſus de morte ſumma cum auctoritate docet; hic Phariſæos relinquit, & populum erudit de re maximi momenti, quæ ſemel conſtituta, ac probe intellecta Legum cæremonialium everſionem, & abrogationem complectitur. Illis igitur oſtendit, in quo vera hominis conſiſtat impuritas; non in eo, quod ſuillam comedat carnem, quod reptile immundum attingat, quod cadaver attrectet; hæc enim omnia nullas homini ſordes offundunt; ſed eas maxime offundunt pravæ cordis deſideria, nefariæ cogitationes, ſceleſta facta. Hæ ſordes ſunt, a quibus cavendum eſt, & quas ex hominum corde eluere, neque luſtrationes, neque ablutiones valeant.

℣. 13. OMNIS PLANTATIO, QUAM NON PLANTAVIT &c.] Omnis doctrina [5], quam Pater meus Cœleſtis non conſtituit in æternum duraturam, evelletur, antiquabitur. Præcepta moralia æterna ſunt, atque immutabilia; Leges vero cæremoniales mutationi ſunt obnoxiæ, & derogari poſſunt, & in æternum abrogari. Aliter: Phariſæorum traditiones, pravæ eorumdem Legis explicationes, ſuperſtitioſi ritus eorum plantæ ſunt, quas Pater Cœleſtis non plantavit: igitur diu non ſubſiſtent, convellentur [6]. Vel: Quicumque a majorum ſuorum pietate degenerat, qui ex genuina fit ſylveſtris planta; & qui bonos fructus ferat; vel malos, vel nullos parit, penitus eradicabitur [7]. Phariſæi, eorumque ſectatores perperam ſuam jactant originem; nequicquam ſe Abrahæ poſteros ferunt. Deus eas profuis tantum agnoſcit plantas, quas ipſe plantavit, & quæ fructus bonos producunt.

℣. 14. CÆCI SUNT, ET DUCES CÆCORUM.] Jeſus Chriſtus præ ſe maximam ſemper tulit ſollicitudinem, ne cui ſcandalum inferret; & ubi alicui ſcandalum ingeri intellexit, nihil intentatum reliquit, ut hoc illi auferret, ac ſuam, Apoſtolorumque ſuorum

A agendi rationem probaret. Hic inſtituti ſui videtur oblitus; Phariſæorum ſcandalum aſpernatur, eo quod proculdubio non ſolum futile erat, verum etiam, quod ex mera hominum nequitia, & invidia proficiſcebatur. Infimotum ſcandalum magnum eſt malum, pro viribus vel prævertendum, vel auferendum. Sed cum ex prava animi religione, vel alia de cauſa magis adhuc futili, vel etiam injuſta, quis ſcandalizatur; ſi, citra veritatis detrimentum, ſcandalum evitari non poteſt, omnis illius ratio eſt prætermittenda: *Melius eſt, ut ſcandalum oriatur, quam ut veritas derelinquatur*, docent Patres [8].

Phariſæi cæci erant, qui penitus ignorabant, qua mente cæremoniales leges inſtituiſſet Deus; neque verum omnium mandatorum Legis ſenſum erant aſſecuti; nec quid prophetiæ ſignificarent, intellexerant, B ideoque vere cæci erant iis in rebus, quas ſe melius noſſe gloriabantur, & quas ſe aliis explanaturos pollicebantur. Judæi quoque alii erant cæci, minus adhuc quam Scribæ, & Phariſæi in rebus iiſdem videntes; ac cæci dupliciter, quoniam non diffidebant de eorum cæcitate, quos duces ſequebantur, & quod illis ſummam in ſe ipſos auctoritatem conferebant.

℣. 15. EDISSERE NOBIS PARABOLAM ISTAM.] S. Petrus *parabolam* vocat id, quod Salvator dixerat, quodque ſibi proverbium eſſe, vel ænigma viſum fuerat; *Non quod intrat in os, coinquinat hominem* &c. Hebræi *parabolarum* nomine vocabant proverbia, ſententias, ænigmata, & hujus generis alia.

℣. 17. NON INTELLIGITIS, QUIA OMNE, QUOD C IN OS INTRAT &c.] S. Marcus 7. 18. huic eidem ſententiæ majorem affert lucem: *Non intelligitis, quia omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum communicare: Quia non intrat in cor ejus, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas*. JESUS CHRISTUS pro fundamento ſtatuit, nihil niſi quod cor polluit, vere homini impuritatem conferre. Hoc nemo diffitebatur. At, addit ille: eſca, quæ per os ingreditur, non deſcendit in cor, ut illuc afferat ſordes ſuas; hæc igitur hominem minime polluit. Si autem epulæ, quibus alimur, ac nutrimur, nos minime coinquinant, quanto minus cætera, quæ exterius dumtaxat nos tangunt, & quæ in nos minime ingrediuntur.

℣. 18. QUÆ AUTEM PROCEDUNT DE ORE &c.] D Ex corde emanat impuritas. Corpus per ſe mortalibus peccatorum, vitiorumque ſordibus non eſt obnoxium. Una tantum anima hoc impuritatis genus contrahit per nefaria facta, quæ per corpus operatur. Judæus, qui neglexiſſet, vel contempſiſſet Legis cæremonias, legaleſque immunditias, hic ſane Deum læſiſſet; animam ſuam polluiſſet, ac vulneraſſet, non eo quod ſignanter hoc, vel illud omiſiſſet, ſed propter contemptum, atque negligentiam, qua illa non obſervaſſet, quæ a Domino fuerant mandata. Verum ſi in omne obſequium compoſitus omnia Dei præcepta veneratus, aliquam omitteret cæremoniam, vel legales aliquot expiationes prætermitteret, arbitratus, hæc omnia nihil conferre poſſe interiori ſanctificationi, eaque inſtituta ſolum, ut Judæus ab Ethnico diſtingueretur, utque E eſſet quoddam veluti Legis moralis vallum; reor, hunc de peccato redargui non poſſe, & puto, hoc iſthic diſcipulis ſuis Salvatorem innuere. Minime credendum eſt, ipſum eos fuiſſe adhortatum ad legales cæremonias contemnendas, quibus ipſe etiam ſumma cura ſemet ſubjecerat. Veterum intererat docere, quid de illis vere ſentiendum eſſet, & ea ſubvertere, quæ Scribæ,

1 Ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ· ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόῤῥω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ. 2 Iſai. 29 13. ותהי יראתם אתי מצות אנשים מלמדה

3 70. Μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων, καὶ διδασκαλίας.

4 Græc. κοινοῖ reddit communne, profanum, pollutum. Judæi æſtimabant, ſe veluti nationem Sanctam: rerum impurarum contactus eos reddebat immundos, eorumque ſanctitate ſpoliabat. S. Auguſtinus l. 16. cap. 31. contra Fauſtum legit: *communicat*, pro *coinquinat*. Et ſic etiam hic legit S. Hieron.

5 Hilar. Theophylact. Euthym. hic, Theoph. Alexand. homil. 1. Paſchali. Ignat. Ep. ad Trallian.

6 Origen. t. 11. in Mat. Chryſoſt. hic. 7 Origen. hom. 1. in Jer. Hier. hic, Maldon.

8 Bernard Epiſt. 34 nov. Edit. & Epiſt. 78. & Gregor. Magn. Homil. 7. in Ezech. & Auguſt. lib. de Libero Arbitr. & Prædeſtin. 55. Vide & Chryſoſtom. homil. 52.

Scribæ, ac Phariſæi populo ingerebant.

℣. 21. Venit in partes Tyri, et Sidonis.] Hujus itineris cauſa nos fallit. Jeſus Phœniciam ingreſſus non eſt; nondum venerat tempus, Gentibus prædicandi Evangelium. Verum ad regionis illius terminos profectus eſt, ibi Judæis prædicaturus. In domum quamdam ſe receperat, ut ibi, omnibus inſciis, moraretur, at non diu fefellit [1].

℣. 22. Mulier Chananæa.] Ad eum acceſſit, filiæ ſuæ, quæ crudeliter a dæmone torquebatur, medelam deprecatura. Mulier hæc Chananæa dicitur, quod Phœnices Chananæi eſſent origine; quippe Sidon filius Chanaan Sidonem condidit, regionis illius Metropolim. S. Marcus 7. 26. illam *Græcam Syrophœniſſam* appellat; Græcam quidem propter Religionem, Judæi enim tunc temporis *Græcorum* nomine Ethnicos vocabant [2]: *Syrophœniſſam* vero, eo quod Phœnicia veluti Syriæ provincia habebatur [3]. Phœnices quoque Syriæ *Syrophœnices* dicuntur, ut ab Afris Phœnicibus diſtinguantur, Pœnis videlicet, qui ex Phœnicibus Syris originem duxere. Nomen hoc derivatur ex Hebraico, vel Phœnicio nomine [4] *Bene-anak*, vel *Beni-anakim*, filii Enacim, vel *Phenakim* [5], os Anakim; Phœnices quippe haberi affectabant filii gigantum Enacim, & eorum lingua loquebantur, quæ alia non erat a Chananæa, & Hebraica.

S. Marcus 7. 24. ait Phœniſſam hanc mulierem conveniſſe Jesum, cum illum latere, & quieſcere domi arbitrabatur, eamque ad pedes illius procumbentem eciam, atque etiam obſecraſſe, & obteſtatam fuiſſe, ut filiæ ſuæ ſalutem elargiretur. At videtur S. Matthæus innuere, illam ſecutam fuiſſe Jesum, cum eſſet in via; ait enim, ipſum clamoribus ejus non reſpondiſſe, & Apoſtolos dixiſſe ei: *dimitte eam, quia clamat poſt nos.* Quod ita conciliari poteſt, dicendo, illam cœpiſſe clamare, ex quo Jesum in via deprehendit, eumque ſecutam domum uſque, & tunc ad pedes illius provolutam petiiſſe, ut filiæ ſuæ miſereretur. Jesus conſtantia ejus permotus eam allocutus eſt, dixitque, ſe miſſum eſſe tantummodo ad filios domus Iſrael &c. Vel ipſa illum ſecuta eſt etiam poſtquam domo exiiſſet, & per importunitatem gratiam, quam popoſcebat, obtinuit.

Fili David.] Ethnicis etiam, atque alienigenis perſuaſum erat, Meſſiam e progenie David naſciturum; quo nomine Jesus Christus in univerſa regione illa appellabatur. Patres [6] hujus mulieris adorationem ℣. 25. latriæ cultum eſſe cenſuerunt.

℣. 24. Non sum missus nisi ad oves.] Gentiles quoque ad Fidem evocare meditabatur Jesus; verum id non per ſe, ſed per Apoſtolos ſuos erat executurus. Juxta æterna Dei decreta, Evangelium, nonniſi ab Judæis ejectum, alienigenis erat prædicandum. Dei Filius Judæos convertere aditurus, illis probare debebat, ſe verum eſſe Meſſiam pro eorum ſalute, ac liberatione miſſum.

℣. 27. Etiam, Domine; nam & catelli &c.] Verum eſt, me non eſſe ex numero filiorum domus Iſrael; fateor; ego canis ſum, alienigena; ſed catelli ipſi comedunt ſaltem de micis, &c. Mihi ne deneges tantum reliquias gratiarum, quas filiis Iſrael impertis. Eos favoribus cumulas; ſuper illos totum lumen effundis, ſingulis momentis in eorum gratiam miracula operaris; ne dedigneris nobis vel minimam opem conferre. Græca verti poteſt [7]: *Utique, Domine*, injuſtum eſſet canibus panes filiorum tradere &c. *ſed & catelli &c.* Vel: *Obſecro, Domine, nam catelli ſaltem comedunt micas &c.* S. Marcus 7. 28. *Utique, Domine, nam & catelli comedunt ſub menſa de micis puerorum.* Ethnici canes erant propter Idololatriam, ac flagitia, quæ in religione ſua patrabant. Hæc mulier Chananæa figura eſt Eccleſiæ Chriſtianæ, ex Ethnica religione ad fidem evocatæ, juxta Patrum animadverſionem.

℣. 29. Cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ.] S. Marcus 7. 31. diſtinctius deſcribit viam, quam Jesus Christus ſecutus eſt: *Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.* Hoc eſt; de finibus Tyri boream verſus proceſſit Sidonem uſque; inde ad orientem flectens iter ſecus Libani radices, Jordanem rurſus tradaxit prope ejuſdem origines, vel etiam ſupra eaſdem, & per Decapolim rediit ad lacum Geneſareth. Miraculum, quod viſuri ſumus, contigit ultra, & ad orientem maris Tiberiadis; ibi enim eſt *Decapolis*, ut ſuperius c. 4. 25. oſtendimus, & ubi *Magedan*, quo poſt miraculum, ac mare rurſus traductum conceſſit, citra Jordanem eſt, atque ad occaſum ejuſdem, uti probabimus ℣. 39. Operæ pretium eſt hæc adnotare, propter plerorumque Interpretum exiguam hac in re diligentiam.

℣. 30. Mutos, coecos, claudos, debiles.] Hebraica nomina ſignificare poſſunt [8], *cæcos*, *claudos*, vel eos, qui nihilominus ambulare poſſunt, *ſurdos*, vel *mutos*, *mancos*, vel *mutilos*, ſeu membra præciſa ſunt, vel fracta, vel paralyſi laborantia.

℣. 31. Mutos loquentes &c.] Græcus addit [9]; *& mancos convaluiſſe*. Fidei contrarium videtur, veterem Vulgatæ auctorem in Textu ſuo verba hæc non legiſſe. S. Auguſtinus, S. Hieronymus, Verſiones Cophtæ, Arabicæ, Æthiopicæ ea non legerunt, non ſecus ac Græca quædam Manuſcripta exemplaria.

℣. 32. Triduo jam perseverant mecum.] Ad Apoſtolorum ſuorum fidem confirmandam, & oſtendendam ſimul & magnitudinem, & neceſſitatem miraculi, Jesus tertiam præſtolatur diem, ac ſummam populi egeſtatem, antequam Diſcipulis ſuis proponat, quomodo illi eſca poſſit ſuppeditari. Haud credi poteſt, populum triduo nihil manducaſſe; id enim non teſtatur Evangelium; ſed cum triduo eſſet illic, commeatus jam abſumpti eſſe poterant; & Jesus Diſcipulis ait, nihil amplius turbis eſſe, quo veſci poſſint: *Nec habent, quod manducent.*

℣. 39. Venit in fines Magedan.] S. Marcus 8. 9. *in partes Dalmanutha*. Et Græcus S. Matthæi legit [10] *in Magdala*, vel juxta lectionem plurimorum veterum Manuſcriptorum, inter quos Cantabrigenſis, Syriacæ verſionis, & Arabicæ, *Magadan*. Manuſcripti Evangelii S. Marci codices admodum variant, & complures pro *Dalmanutha* legunt, *Magdala*, vel *Magedada*, vel *Magedan* [11]. Et S. S. Auguſtini, & Hieronymi ævo complura S. Marci Exemplaria legebant, *Magedan*. Verum cum Vulgata, & plerique, iique optimi Manuſcripti libri, Syriaca, Arabica Erpenii, & Græci Interpretes in hunc S. Marci locum legant, *Dalmanutha*, & in S. Matthæo, *Magedan*, hanc genuinam lectionem eſſe credere oportet. Id agitur ſolum, ut utriuſque loci ſitus inveniatur. Nulla occurrit civitas, cui nomen *Dalmanutha*, vel in Teſtamento veteri, vel apud Joſephum, vel in alio, quem ſciam, Geographo. Qui eam in tabula deſcribunt, id temere faciunt, ac ſine ulla ratione. Inquirenda ergo *Magedan* eſt, ut circiter intelligamus, ubi erat *Dalmanutha*.

Credit Brocardus in Deſcript. Terr. San. c. 3. *Magedan*, vel ut enuntiant Saraceni, *Medan*, hoc eſt *aquas Dan*, eſſe Jordanis originem, cui nomen *Dan*, ad radices Montis Libani. At lapſus eſt: *Medan* nondinarum locum ſignificat [12]. Confluit quotannis prope lacum Phialæ ingens Saracenorum, Arabum, Parthorum,

---

1 Marc. 7. 24. Εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν, οὐδένα ἤθελε γνῶναι, καὶ οὐκ ἠδυνήθη λαθεῖν.
2 Joan. 7. 35. Act. 14. 1. 17. 14. Rom. 1. 14. & paſſim. 3 Plin. lib. 5. cap. 12.
4 בני־ענקים, *Filii Enacim.* 5 פני־ענקים *Lingua Enacim*; vel *os Enacim.*
6 Origen. Hieronym. hic. Ambroſ. in Pſalm. 45. S. Chryſoſtom. homil. 52. Hilar. hic, &c.
7 Ναί, Κύριε· καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν.
8 Τυφλούς, κωφούς, χωλούς, κυλλούς. 9 Κυλλοὺς ὑγιεῖς.
10 Εἰς τὰ ὅρια Μαγδαλά. 11 Vide Var. Lect. Mill. in Marc. 8. 10.
12 Vide Reland. Palæſtin. tom. 1. cap. 41.

tum, aliorumque vis, qui ibi tunc exigunt ætatem propter ſpeciem, & opportunitatem loci, & negotiationis [1]; quod loco illi nomen *Medan*, vel nundinarum edidit. Hegeſyppus p. 108. hunc ipſum locum *Meldam*, vel *Meldam* appellat, quod nomen ille interpretetur, *platea*, *forum*, ob conventum populorum, de quo locuti ſumus, & de quo ipſe etiam explicite verba facit. At e *Meldan* fieri potuit *Dalman*, & addito *uta*, quemadmodum accidit nonnumquam, ubi ſermo eſt de nominibus locorum, cum motus indigitatur, factum eſt, Dalmanutha.

Euſebius, & S. Hieronymus in locis ſtatuunt Magedan non procul a Geraſa ultra Jordanem; atque ævo ſuo locum illum adhuc Magedene appellatum fuiſſe tenentur. Ex loco eodem videtur Euſebius in S. Marco legiſſe *Magedan*, non ſecus ac in S. Matthæo; quamvis hodie S. Marcus ferat *Dalmanutha*. Verum *Geraſa* erat ultra mare Tiberiadis, ad orientem ejuſdem; ergo *Magedan* quoque ibi locorum erat.

Illud unum in hac ſententia negotium faceſſit, quod Salvator de finibus Sidonis profectus, traduxit mare Tiberiadis, quatuor hominum millia ſeptem panibus, & piſciculis aliquot nutriit; inde navim conſcendit, ac petit Magedan. (Matth. 15. 39. Marc. 8. 10.) De Magedan rurſus mare traducit, ac Betzaidam venit. (Marc. 8. verſ. 13. . . . 22.) & inde Cæſaræam Philippi ad Jordanis origines (Matth. 16. 13. Marc. 8. 27.) At ſi Jesus erat trans Jordanem, ac mare Tiberiadis, cur navem conſcendit, profecturus *Magedan* in eodem littore, & iuxta idem mare ſitam? Reſpondeo, navem conſcendiſſe, ut citius, & facilius illuc perveniret, quemadmodum ſingulis diebus in littoreis accidit locis, ubi hinc illuc, ultro citroque commeant accolæ, laborem terreſtris itineris evitaturi. Ita non ait Evangeliſta ipſum, tranſmiſiſſe mare, ſed tantum mari profectum in Magedan, vel Dalmanutha. Inde mari trajecto venit Betzaida, & illinc Cæſaræam Philippi.

Sententia hæc nullam patitur difficultatem.

Cellarius, & Ligfoot pro ea pugnant lectione, ubi habetur *Magdala* [2], & credunt, urbem hanc fuiſſe prope Gadaram, & Tiberiadem, atque ad orientem lacus Genezareth; et *Mariam Magdalenam* ex Evangelio celeberrimam nomen ſuum deſumpſiſſe ex *Magdala*, cujus & Joſephus in lib. de Vita ſua, & Thalmud. in Thaanit. fol. an. meminerunt. Non procul ab hac urbe *Magdala* conſtituunt Dalmanutham, urbem Hiſtoricis ignotam. Hæc ſententia non longe abhorret ab illa Euſebii, de quo nuper locuti ſumus; Gadara enim, & Geraſa proximæ ſunt, & utraque in eadem provincia trans mare Tiberiadis.

Hammondius, aliique nonnulli opinantur, hanc eſſe civitatem *Mageddo*, quæ iſthic a Syriaca *Magedo*, & in Zacharia 12. 11. *Magedon* vocatur. Urbs hæc ſita erat citra Jordanem in hæreditate dimidiæ Tribus Manaſſe [3]. Inſignis eſt autem ob mortem duorum Regum Ochoziæ [4], & Joſiæ, quorum poſterior ibi occubuit vulneribus confectus, quibus confoſſus fuerat in pugna, infelici marte adverſus Nechao Regem Ægypti pugnante [5]. Illa non procul aberat e faucibus, qua e Palæſtina deſcenſus erat in Phœniciam; ac prope illam ingens planities ad Tiberiadem uſque patebat. A mari Genezareth ad Mageddo quindecim circiter interſunt leucæ. Non ait Evangeliſta, Jesum eo uſque proceſſiſſe, ſed tantum ad fines ejus, uti complures Manuſcripti codices legunt [6]: *ad juga uſque Magedan*, velut S. Marcus ait, *in partes Dalmanutha*. At Mageddo nimis abeſt e Mare Tiberiadis, ut dici poſſit, Jesum Christum in eo mari conſcendiſſe navim Magedam iturum. Et illuc curſus conſcendiſſe, profecturum Betzaide. Magedan procul dubio locus erat ſecus hoc mare poſitus, & plane in littore occiduo, quemadmodum Euſebius, & S. Hieronymus docent; in quorum ſententiam pedibus ire placet.

1 Sanutus de Secretis fidel. crucis pag. 246.
2 Cellar. Geogr. Antiqu. lib. 3. cap. 13. pag. 647.
3 Joſue 17. 11.
4 4. Reg. 9. 27.
5 4. Reg. 23. 29.
6 Eἰς τὰ ὅρη Μαγεδάν.

CAPUT XVI.

Phariſæi, & Sadducæi tentant JESUM. Signum Jonæ Prophetæ. Fermentum Phariſæorum, & Sadducæorum. Sententiæ populorum de JESU CHRISTO. Fides S. Petri. Claves Cæli. Prædictio Dominicæ Paſſionis, Mortis, & Reſurrectionis.

1\. ET acceſſerunt ad eum Phariſæi, & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum, ut ſignum de cœlo oſtenderet eis. 2 At ille reſpondens, ait illis: Facto veſpere dicitis: Serenum erit, rubicundum eſt enim cœlum: 3 Et mane: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum. 4 Faciem ergo cœli diiudicare noſtis: ſigna autem temporum non poteſtis ſcire? Generatio mala, & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ prophetæ. Et relictis illis, abiit. 5 Et cum veniſſent diſcipuli ejus trans fretum, obliti ſunt panes accipere. 6 Qui dixit illis: Intuemini, & cavete a fermento Phariſæorum, & Sadducæorum. 7 At illi cogitabant intra ſe dicentes: Quia panes non accepimus. 8 Sciens autem Jeſus, dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis. 9 Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis? 10 Neque ſeptem panum in quatuor millia hominum, & quot ſportas ſumpſiſtis? 11 Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete a fermento Phariſæorum, & Sadducæorum? 12 Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum, ſed a doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum. 13 Venit autem Jeſus in partes Cæſareæ Philippi: & interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? 14 At illi dixerunt: Alii Joannem

nem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis. 15
Dicit illis Jeſus: Vos autem quem me eſſe dicitis? 16 Reſpondens Simon Petrus di-
xit: Tu es Chriſtus, filius Dei vivi. 17 Reſpondens autem Jeſus, dixit ei: Bea-
tus es Simon Bar-Jona: quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus,
qui in cœlis eſt. 18 Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram æ-
dificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. 19 Et tibi
dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in
cœlis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. 20 Tunc
præcepit diſcipulis ſuis, ut nemini dicerent, quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus. 21 E-
xinde cœpit Jeſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Jeroſolymam, &
multa pati a ſenioribus, & Scribis, & principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia
die reſurgere. 22 Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Abſit a
te, Domine: non erit tibi hoc. 23 Qui converſus, dixit Petro: Vade poſt me ſa-
tana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.
24 Tunc Jeſus dixit diſcipulis ſuis: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum,
& tollat crucem ſuam, & ſequatur me. 25 Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam
facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.
26 Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ de-
trimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? 27 Fi-
lius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum angelis ſuis: & tunc reddet
unicuique ſecundum opera ejus. 28 Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus,
qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo.

℣. 1. ACCESSERUNT AD EUM PHARISÆI, & SADUCÆI.] Phariſæi, et Saducæi duæ erant ſectæ in præceptis ſuis penitus oppoſitæ; verum cum JESU CHRISTO reſiſtendum erat, ſimultas omnis ceſſabat; et contra quaſi communem hoſtem conſociatis viribus decertabant.

ROGAVERUNT EUM, UT SIGNUM DE COELO.] Nunc ſecundo Phariſæi hoc a JESU CHRISTO petunt [1], perinde ac illi non fuiſſet facultas miraculorum in aere, ſyderibuſque patrandorum, qualia in elementis propioribus, terra, et aqua, et in hominum morbis operabatur.

℣. 2. FACTO VESPERE DICITIS: SERENUM ERIT.] Præclara ratione veſtra nitimini, ut de anni temporum qualitate ex naturalibus ſignis dijudicetis. Verum cœci eſtis, atque rationis impotes, cum de ſignis adventus Meſſiæ, regnique illius inſtitutione agitur; licet hæc certiora ſint, et clarius expreſſa, quam pluviæ, aut ſereni temporis præſagia. Conſulite prophetias, et conſiderate, utrum illas ad unguem, et ad litteræ apicem ego ipſe adimpleam. Perpendite miracula mea, et conjicite, utrum his, vel majora, vel plura Meſſias erit operaturus. Ex me de cœlo ſignum quæritis? verum miraculum hoc majorem ne apud vos vim obtinebit, quam ea omnia, quæ ob oculos veſtros ſum operatus? Sciti quidem eſtis aſtrologi, ut udum, vel ſudum tempus præſentiatis; at in iis, quæ ad vos pertinent, hoſpites ſane verſamini. Prophetiarum complementum, regni in familia Juda antiquatio, finis hebdomadarum Danielis, hæc omnia vos maxime afficiunt. (℣. 4.) *Faciem ergo Cœli dijudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis ſcire?* Nonnulli [2] hoc addita interrogatione legunt; alii adempta [3]; at hoc ſenſum non mutat.

Adnotat S. Hieronymus in hunc locum hæc verba ℣. 2. *Facto veſpere, dicitis &c.* uſque ad ea ℣. 4. *Generatio mala, & adultera ſignum quærit, &c.* olim in pleriſque Exemplaribus non extitiſſe; in quibus hæc

A tantum legebantur: *Acceſſerunt ad eum Phariſæi, & Saducæi tentantes, & rogantes eum, ut ſignum de cælo oſtenderet eis: At ille reſpondens, ait illis: Generatio mala, & adultera ſignum quærit &c.* quin ne verbum quidem de ſereno, vel pluvio tempore fiat. Omiſſio hæc deprehenditur in Verſione Copthica, & in Manuſcripto Pariſienſi. In altero vero Baſileenſi, verſiculi hi obelo notati ſunt, tamquam ſuſpecti [4].

℣. 4. SIGNUM JONÆ PROPHETÆ.] JESU CHRISTI Reſurrectio in Jonæ miraculo præſignabatur. Vide ſupra cap. 12. 39.

℣. 5. OBLITI SUNT PANES ACCIPERE.] Juxta eorum temporum, locorumque conſuetudinem, antequam iter ſuſciperent, aliquod ſemper viaticum ſumebant. Quotieſcumque Dei Filius populo eſcam tribuit,

B ſemper Apoſtolorum ſuorum commeatibus uſus eſt.

℣. 6. CAVETE A FERMENTO PHARISÆORUM.] Fermenti nomine, doctrinam, ac ſententias intelligit. Hypocriſis [5] Phariſæorum, eorumque religioſa nimis patrum ſuorum traditionibus adhæſio illorum fermentum erat. Saducæorum vero fermentum erat [6] opinio hæc, quod nulli eſſent Angeli, dæmones nulli, nulla mortuorum reſurrectio, nulla immortalitas animæ. S. Marcus [7], pro fermento Saducæorum, legit, *fermentum Herodis*; vel juxta complures MSS. *fermentum Herodianorum*; unde arguere voluerunt nonnulli, Herodem Saducæum fuiſſe [8], vel Saducæos Herodis, ac Romanorum partibus adhæſiſſe [9]. Ego vero reor, Herodianos eoſdem eſſe, ac Judæ Galilæi ſectatores, qui tenebat, vectigal Romanis perſolvendum non eſſe. At

C de his fuſius in peculiari Diſſertatione de Sectis Judæorum. JESUS CHRISTUS Apoſtolos hortatur, ut ab utroque fermento ſibi caveant; ut eorum ſententias horreſcant, nam non ſecus ac ob fermentum omnis farinæ maſſa illico aceſcit, ita Phariſæorum, Saducæorumque dogmata in omnem agendi, vivendique rationem maxime influunt.

℣. 7. COGITABANT INTRA SE, DICENTES.] Græcus verti poteſt [10]: Secum colloquebantur, dicentes &c.

Prio-

1 Vide ſupra cap. 12. 38. 39. 2 Chryſoſtom. Theophylact.
3 Hieronym. Hilar. Euthym. Beda. 4 Vide Var. Lect. Mill. hic.
5 Luc. 12. 2. *Cavete a fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* 6 Vide Matth. 22. 23. Act. 23. 8. Joſeph. Antiqu. l. 18. c. 2. 7 Marc. 8. 15. Ἀπὸ τῆς ζύμης Ἡρώδου. Alii Codd. Τῶν Ἡρωδιανῶν.
8 Ita Cleric. hic, ad Hammond. Harduin. de Nummis Herodiad. 9 Grot. Hammond.
10 Διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς λέγοντες.

Primum quidem putabant, id, quod ſibi nuperrime a Jesu Christo dictum fuerat de Phariſæorum, & Sadducæorum fermento, eſſe interdictum quoddam, ne ex hujus viæ hominibus panes coemerent: quod illos admonuit, ipſos viaticum ſibi comparare oblitos fuiſſe; at Dei Filius hunc eorum errorem illico ſuſtulit, dicens, fermenti nomine doctrinam eſſe intelligendam.

℣. 13. Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi.] Narrat S. Marcus 8. 22. . . . . 27. Jesum Christum antequam Cæſaream Philippi proficiſceretur, Bethſaida petiiſſe, ubi cæcum ſanavit; hoc autem in Commentariis in eum Evangeliſtam videbimus. Cæſarea Philippi ita vocatur ad diſtinctionem alterius Cæſareæ, quæ ſita erat ad Mediterraneum in loco, ubi antea erat *Turris Stratonis*, ab Herode Magno in Auguſti honorem ædificata. Illa, de qua hic ſermo, ornata, & aucta fuit a Philippo Tetrarcha, Magni Herodis filio, & in Auguſti honorem dicata, unde factum illi nomen *Cæſarea Philippi*. Ibidem antea fuerat locus, cui nomen *Paneades* prope Jordanis origines [1]. Hanc deinde Rex Agrippa in Neronis gratiam *Neroniadem* vocavit [2]. Jesus ergo Cæſaream Philippi verſus proceſſit, & omnes ejus loci vicos, pagoſque luſtravit [3].

Quem dicunt homines esse Filium hominis?] S. Lucas 9. 18. ait, Jesum Christum ſolum precibus vacaſſe, & S. Marcus 8. 27. illum in via fuiſſe teſtatur, cum ex Diſcipulis aſcendentibus quæſivit, quinam de ſe hominum eſſent ſermones. Putat S. Auguſtinus l. 2. de Conſenſu Evangel. c. 53. hos ad illum niſi abſolutis precibus acceſſiſſe, cum jam iterum viam eſſet ingreſſus; ſeorſum enim oraturus conceſſerat. Hujus loci textus tripliciter legitur; 1. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis* [4]? 2. *Quis dicor eſſe? filius hominis?* Vel ſimpliciter 3. [5]: *Quis eſſe dicor, ego qui filius hominis ſum?* Quælibet ex his lectionibus ſuos habet ſuffragatores, & ſingulæ idem ferme ſignificant. Non aliam ſibi defert qualitatem præter hanc filii hominis; & de ſe in tertia loquitur perſona, *ne jactanter de ſe loqui videretur*, S. Hieronymus ait.

℣. 14. Alii Johannem Baptistam &c.] Adnotavimus jam ſupra c. 14. 2. populos dixiſſe, Johannem Baptiſtam in Jesu Christi perſona reſurrexiſſe; cujus ſententiæ ipſe etiam Herodes fuiſſe videtur, ſeu quamdam metempſycoſeos ſpeciem crediderit aliam ab ea, quam Priſci commenti fuerant; ſeu ſimpliciter putavit, Jesum eodem zelo, ſpiritu, & ſenſu ac S. Johannem Baptiſtam, eſſe repletum. Alii arbitrabantur, hunc fortaſſe Eliam eſſe, quem tamquam Meſſiæ Præcurſorem præſtolabantur; quoniam licet teſtes eſſent pietatis, & miraculorum Jesu, in animum ſibi inducere non poterant, hunc eſſe Meſſiam, niſi eum vidiſſent exercitibus præeſſe, gloria circumdatum, & ea fulgentem majeſtate, quæ Regem mundi, & Liberatorem Iſrael maxime deceret. Non deerant denique, qui illius in Phariſæos conſtantiam, ac in perſtringendis Judæorum flagitiis libertatem admirati, illum Jeremiam ex inferis excitatum exiſtimarent. Quilibet pro captu, & libidine ſua de illo judicium ferebat. In S. Lucæ c. 9. ℣. 7. ad examen vocabimus Judæorum ævi illius de metempſycoſi ſententiam.

℣. 16. Respondens Simon Petrus &c.] Jesus Christus hanc de induſtria occaſionem injecit, ut Apoſtolos ſuos crederet, quid vere hac in re illis eſſet ſentiendum. S. Petrus omnium nomine conſueta alacritate, & celeritate reſpondet, ob quam Patres illum vocant, *Os Apoſtolorum* [6], & *Eccleſiæ præconem* [7]. Tu es Chriſtus, Meſſias, Filius Dei vivi. Tu es Liberator tamdiu expectatus. Tu es filius unicus, verus filius ſecundum naturam; non autem ſimpliciter per adoptionem, ut Sancti, & Prophetæ [8].

℣. 17. Beatus es, Simon Bar-Jona.] Simeon, vel Simon verum eſt nomen Sancti Petri Apoſtoli; quod illi immutatum fuit in *Cepha*, quæ vox *petram* ſignificat; filius autem erat *Johanna*, vel *Jona*, vel Johannis. *Jona* compendiaria vox eſt nominis *Jochanna*. *Bar* Chaldaice *filium* ſignificat. Græca quædam Exemplaria legunt *Johanna* pro *Jona* [9]. Salvator S. Petri reſponſionem confirmat, & approbat, illum beatum dicens, quod tantam veritatem, quam nuper confeſſus fuerat, cognoverit.

Caro, & sanguis non revelavit tibi.] Non ex carnalium, ac ſenſibus addictorum hominum ſchola ſublimem hanc percepiſti veritatem; non viribus tuis, neque naturali lumine illam es aſſecutus; ſed eam tibi Pater cœleſtis aperuit. Ille tibi cor docile, ac intelligens præbuit, ut ex mea docendi, agendique ratione me verum eſſe Meſſiam cognoſceres, quin vel meæ nativitatis humilitas, vel conditionis paupertas tibi ingeſſerint ſcandalum. S. Paulus ſæpe hac loquendi ratione utitur, *caro, & ſanguis*, ut rem ſpiritui ex adverſo oppoſitam innuat. Exempli gratia Galat. c. 1. 16. *non acquievi carni, & ſanguini*. Et Epheſ. 6. 12. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes, & poteſtates*. Et 1. Cor. 15. 50. *Caro, & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt*.

℣. 18. Tu es Petrus &c.] Petrus es & nomine, & effectu; omnem poſſides petræ ſoliditatem, ac ſuper te Eccleſiam meam ædificabo, & conſtituam locum cœtus fidelium meorum, quemadmodum domus ſupra petræ ſoliditatem ſtatuitur. Patet, hæc uni Petro dici, & per hæc verba Jesum Christum illi polliceri non Apoſtolatus tantummodo dignitatem, quam jampridem illi pollicitus fuerat, ſed hanc quoque gloriam, quod futurus ſit Eccleſiæ baſis, columna, fulcrum. Jesus Christus ipſe eſt eſſentiale fundamentum, inviſibile Caput, Sponſus Eccleſiæ. Omnes ſimul Apoſtoli fundamenta ſunt [10], columnæ [11], januæ [12], ut Scripturæ verbis utar; ſed inter cæteros S. Petrus in perſona ſua, ac ſucceſſorum ſuorum eximia gaviſus eſt primatus prærogativa, quam illi contulit Jesus Christus. Ille ſemper habitus fuit tamquam Caput, & Princeps Apoſtolorum: atque Romana Eccleſia, ubi ille cathedram ſuam conſtituit, omnibus deinceps ſæculis habita fuit tamquam centrum unitatis Eccleſiæ, atque Religionis Jesu Christi. Hæc juſta eſt confeſſionis S. Petri remuneratio.

Patres quidam [13], per *Petram hanc* intellexerunt fidem, vel confeſſionem, quam fecerat S. Petrus. Alii [14] Jesum Christum, qui eo ipſa Eccleſiæ ſuæ fundamentum eſt, lapis angularis, eſſentiale caput, ac princeps. At plerique id explicant de S. Petro [15]; & S. Auguſtinus [16], qui locum hunc in ſuperius allatam ſententiam [17] de S. Petro explicuerat, ſuper quem Eccleſia ædificata eſt, fatetur, ſe id ſæpe etiam intellexiſſe de Jesu Christo, qui eſt fundamentum Eccleſiæ, & aſſeruiſſe in S. Petro Eccleſiam repræſentatam, cum Salvator illum petram eſſe ait, ſuper quam Eccleſia erat ædificanda. Concludit vero, lectori optionem relinquens, ut alterutram ex hiſce explicationibus, quæ ſibi probabilior videbitur, optet. At certo certius eſt, eam magis naturalem, ſimplicem, ac litteræ inhærentem eſſe, quæ hoc de S. Petro, tamquam Eccleſiæ fundamen-

1 Ioſeph. de Bello lib. 2. cap. 13. 2 Ioſeph. lib. 20. cap. 8.
3 Marc. 8. 27. Ἐξῆλθεν εἰς τὰς κώμας Καισαρείας τῆς Φιλίππου. 4 Ita Latini Codd. pleriquee Auguſt. Hieronym. Copht. Arab. Æthiop. 5 Ita Græc. Τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Epiphan. Theophylact. Hilar. Auguſt. l. 2. de Conſ. Greg. Mag. in mſſ. 6 Chryſoſt. hom. 55.
7 Cyrill. Jeroſol. Catech. 11. 8 Vide Hilar. hic, & l. 6. de Trinit. n. 36. 37. Athanaſ. pluribus in locis. 9 Βὰρ Ἰωνᾶ. Alii Βὰρ Ἰωάννα. Ita Vechel. & alii apud Ioan. 21. 15. & ita legendum cenſet Hieronym. hic. 10 Apoc. 21. 14. Epheſ. 2. 20. 11 Galat. 2. 9. 12 Apoc. 21. 14.
13 Vide Hilar. l. 6. de Trin. n. 36. 37. Greg. Nyſſ. contra Judæos. Chryſoſt. hom. 55. in Matth. & orat. 2. contra Jud. Cyrill. Alex. l. 4. de Trin. Ambroſ. in Luc. l. 6. Greg. Magn. 14 Aug. pluribus in locis, ut Tract. 27. & 124. in Ioan. Vide & Orig. tom. 12. in Matth. Edit. Huetii. 15 Hilar. hic, & in Pſalm. 131. n. 4.
16 Auguſt. lib. 1. Retract. c. 21. 17 Auguſt. lib. contra Epiſt. Donati, & alibi paſſim. Vide Mald. hic.

damento aſſerit intelligendum. A Hoc hodierna die ipſi illi fatentur, qui in Romanæ Eccleſiæ communione minime ſunt [1], licet in reliqua explicatione haudquaquam conſentiant; & quamvis tanta in Patribus occurrat varietas, quoad hujus loci ſenſum, nemo tamen negavit, S. Petrum eſſe Eccleſiæ fundamentum, & Caput, ac Principem Apoſtolorum; verumtamen JESU CHRISTO ſubordinatum, qui primum Caput eſt, ac eſſentiale fundamentum, cui & Eccleſia, & ipſi etiam innituntur Apoſtoli. In Syriaca lingua, qua JESUS utebatur, nullum eſt, ut apud Latinos, generum diſcrimen *Petrum* inter, et *Petram*; neque diſtingui poteſt *Petrus* Princeps Apoſtolorum, a *Petra*, ſuper quam Eccleſia eſt ædificata.

PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBUNT ADVERSUS EAM.] B JESUS CHRISTUS Eccleſiam nuper ædificio, & arci ſuper petram ædificatæ comparavit; eam vero hic ait numquam commotum iri, neque vi expugnatum a portis, ac poteſtate inferorum. Hoſtium portæ in Scripturarum ſtylo eorum vires, arma, conatuſque ſignificant. *Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum* [2]; eos ſuperabit. Et in oppoſito ſenſu Deut. 28. 56. *vaſtaverint te inimici tui intra omnes portas tuas*, in urbibus, arcibuſque tuis. Dæmon nobis exhibetur tamquam Mundi Princeps, dæmonum legiones habens ſuo parentes imperio. *Portæ inferi* omnem illius ditionem, exercitumque ſignificant. Dæmon Eccleſiæ numquam dominabitur, neque adverſus eam prævalebit. Oppugnare eam quidem poterit hæreſum vi, eam perſequi tyrannorum ſævitia, ejuſque partem aliquam opprimere; ſed illi dominari non poterit [3]. C Non mortis terror, non vis perſecutionum, non aſtus dæmonum prohibebunt, quominus vigeat Eccleſia, & Apoſtolici viri illius veritates propugnent, & Chriſtianæ reipublicæ conſulant.

Aliter: Mors illi non dominabitur. Numquam interibit Eccleſia. *Portæ inferi* mortem, ac ſepulchrum ſignificare poſſunt [4]. Opinabantur Hebræi, infernum in imo terræ centro infra aquarum abyſſum patere; ibi impiorum manes coerceri [5], ibique dæmonem imperium ſuum exercere; qui in impios hoc in mundo viventes dominari debebat, donec ad Meſſiæ adventum in infernum præceps daretur. Canticorum Sponſa [6] in ſenſu ferme loci hujus ſententiæ ſimili ait: *Fortis eſt, ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*. Non D mors, neque ſepulchrum illam ſuo imperio ſubmittere poterunt. Vel potius: æque difficile eſt illi, ac moriendi neceſſitati reluctari. Hic Salvator ait, Eccleſiam ſuam, jugum crudelium legum inferni, & mortis excuſſiſſe; eamque æternum victuram. Homines quidem, ex quibus coaleſcit, fato cedent; illa vero eſt immortalis: Illi ipſi, qui in ejus ſinu moriuntur, non ſine reſurrectionis, & immortalitatis ſpe mortem obeunt; & hoc in ſenſu portæ mortis adverſus illos non prævalent [7]. Putat Maldonatus, hanc locutionem: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* huic eſſe æquipollentem: *Portæ inferi non poterunt reſiſtere*. JESU CHRISTI Eccleſia dæmoni, ac inferno bellum indicet, ac inde præclaram victoriam reportabit: Sed neque Græcus textus huic favet explicationi, neque E Vulgata vetus, quæ legebat: *Portæ inferi non vincent illam*.

℣. 19. ET TIBI DABO CLAVES REGNI COELORUM.] Clavis nonnumquam ſupremam ſignificat poteſtatem. In Apocalypſi 3. 7. Dei Filius deſcribitur, manu claves David gerens: *Qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit*. Clavis nonnumquam indigitat præfecturam, vel auctoritatem in Principis domo. Promittit Iſaias c. 22. 22. Eliacim fu- A turum regiæ Domus Juda curatorem: *Et dabo clavem domus David ſuper humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat; & non erit, qui aperiat*. JESUS CHRISTUS eamdem pro ratione S. Petro in Eccleſia ſua dignitatem pollicetur, quam Iſaias Eliacim in aula Regum Juda. Tu deferes clavem Eccleſiæ meæ, regnique cœleſtis. Tu aperies, & claudes, ac nulli ſubditus eris miniſtro, cui rationem ſis redditurus. Quidquid feceris, probe factum eſto; quidquid vetueris, vel præceperis, numquam antiquabitur. Te meum Curatorem, ac Præfectum conſtituo. Hic ex mea quidem ſententia litteralis eſt hujus loci ſenſus [8].

Hæc omnia parabolica ſunt, non enim venit JESUS CHRISTUS, terrenum hoc in mundo conſtituturus imperium [9]: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Regnum B Cœlorum non aliud eſt, quam Eccleſia Chriſtiana [10]; ibi S. Petrus ſuam poteſtatem exercet; ibi ligat, ibi ſolvit; ibi aperit, ibi claudit; *ligare* enim, & *ſolvere* æquipollentia ſunt verbis aperire, & claudere; antiquitus enim ſolvendo aperiebatur, claudebatur ligando, quemadmodum alibi oſtendimus [11]. Hæ loquendi rationes ad litteram intelligi nequeunt: Eccleſia non eſt materialis domus, cujus aliquis curam gerat, & cujus deferat claves, ut illam aperiat, vel claudat. In ipſis ædibus Regum Juda clavis erat ſymbolica honoris nota; & ſignificabat facultatem damnandi, & abſolvendi; permittendi, & prohibendi; puniendi, & remunerandi; ſemper tamen juxta Principis voluntatem, ac Leges ab illo irrogatas. S. Petrus, ejuſque ſucceſſores eamdem ex æquo in Eccleſia obti- C nent auctoritatem. Prohibent, permittunt; damnant, abſolvunt; puniunt, remunerantur, juxta Dei mentem ac regulas a JESU CHRISTO, & Spiritu Sancto inſtitutas, quorum illi miniſtri ſunt, atque Præfecti.

Aliud etiam Salvator addit, quod magnitudinem dignitatis S. Petri, ac poteſtatis ejuſdem excellentiam oſtendit: *Quodcumque ligaveris*, prohibueris, vel damnaveris *ſuper terram, erit ligatum, & in Cœlis, & quodcumque ſolveris*, abſolveris, permiſeris *ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*; hoc eſt, Dei filius in Cœlo ratum faciet, confirmabitque, quidquid in nomine ejus Apoſtolus fecerit in terra. Illi, quorum peccata in terris remittet, in Cœlo erunt abſoluti, & illi, quorum ſcelera noluerit dimittere, in Cœlis etiam condemnabuntur [12]. Nulla profecto hac major, D latiorque poteſtas deferri poteſt: neque hæc eſt res meræ ſpeculationis. Poteſtatem hanc S. Petrus exercuit, & hodie per ſucceſſores exercet, exercebitque.

Oſtendit Ligfoot multa congerie locorum ex Judaicis libris deſumpta verba hæc *ligare*, & *ſolvere* in Hebræorum lingua ſignificaſſe permittere, vel prohibere; juridice aliquid licitum, vel illicitum declarare. Hebræi, cum Doctores ſuos promoverent, in eorum manu claves ponebant dicentes: *Accipe poteſtatem ligandi, atque ſolvendi*, ut hac innuerent cæremonia, illis facultatem conferri alios edocendi, explicandi myſteria, & explanandi, quidquid in Lege, ac Traditionibus impeditius erat, & difficilius [13].

At hæc poteſtas Doctoribus Judæis in eorum promotione collata toto cœlo minor erat illa, qua Apoſtoli E inſigniti ſunt, multiplici de cauſa: I. Apoſtoli a JESU CHRISTO immediate auctoritatem receperunt. Hebræi doctores illam a ſimilibus ſibi, vel ad ſummum a Republica ſua recipiebant, cujus poteſtas nec in animas, nec in conſcientias, neque in Cœlum protendebatur. II. Hebræorum Doctorum auctoritas exiguis ſane finibus arctabatur; Leges quippe tantum declarare, utrum aliquid per Moyſem, vel traditiones fas eſſet, aut nefas, diſſerere poterant. Apoſtoli e contra

1 Camero Prælection. in hunc locum Cleric. hic, not. ad Hamm. Hammond. hic. Grotius in Matth. 16.
2 Geneſ. 22. 17. & 24. 60.
3 Aug. l. 1. de Symbolo ad Cathecum. Epiphan. Anchorat. Euthym. Theophylact.
4 Pſalm. 9. 15. 106. 18. Sap. 16. 13. Iſai. 5. 26. 38. 10.
5 Vide Job. 26. 5. Prov. 1. 12. 27. 20. Iſai. 28. 15.
6 Cant. 8. 6.
7 Vide Grot. Cameron. Le Clerc.
8 Vide Maldon. Menoch. Brugenſ. Grot. Le Clerc, hic.
9 Joan. 18. 36.
10 Vide dicta ad Matth. 3. 2. Brug. Eſt. Janſ. Natal. Alex. Maldon.
11 Vide noſtram Diſſertationem de domibus Hebræorum.
12 Joan. 20. 23.
13 Vide Ligfoot. horæ Talmud. ad Matth. 16. Alting. Hiſt. Promot. Academ. Maimon. Tract. Sanhedrin. c. 4.

era recentia irrogare mandata poſſunt; imperare, prohibere, damnare, abſolvere ex ſibi tradita auctoritate. III. Judæorum Doctorum poteſtas Sacerdotum, Regum, Reique publicæ auctoritati erat obnoxia; Apoſtolica vero, quoad ſpiritualem attinet juriſdictionem, Deo uni ſubjecta eſt. IV. Illorum judicia, deciſiones, mandata ſuperioris Tribunalis judicio, cenſuræ, & approbationi ſubdita erant; at quidquid definiunt Apoſtoli, hoc Deus ipſe, & Spiritus Sanctus definit. V. Hebræis Doctoribus non aliud eſt ſuæ poteſtatis fundamentum, niſi intellectus ſui lumina, & Legis ſcientia, quam ſtudio ſuo conſequi potuerunt; Apoſtoli vero ſuam hauriunt auctoritatem ex Spiritu Sancti aſſiſtentia, quæ illis promiſſa eſt, & quæ illos ad ſæculorum uſque finem non deſtituet umquam.

Antitheſim hanc adornavi de induſtria, ut contra eos, qui putant, Apoſtolorum auctoritatem confictam fuiſſe ad exemplar Rabbinicæ poteſtatis, oſtenderem, illam hac plurimis, ut ajunt, paraſangis eſſe ſuperiorem; & nihil, quod Eccleſiaſticam labefactet poteſtatem, inferri poſſe ex comparatione, quæ cum diſciplina Judæorum inſtituitur. Fatemur quidem, Filium Dei complura ex Hebræorum ritibus fuiſſe mutuatum, & pleraſque illius locutiones ad conſuetudines in Synagoga inſtitutas alludere; non inde ſequitur tamen, eas in eumdem ſenſum in Evangelio uſurpari, neque latius iſthic, quam ibi patere. De hoc loco loquimur etiam cum de excommunicatione verba erunt facienda, & in S. Matthæi caput 18. ℣. 17. 18.

Cæterum dici nequaquam poteſt, S. Petrum dumtaxat, & non alios etiam Apoſtolos Cœli claves accepiſſe [1]; quemadmodum neque ſine reliquis Fundamentalis Eccleſiæ petra minime appellatur; ſed clavium poteſtatem recipit excellentiori modo; & ſolus recipit primatum. Alii etiam Apoſtoli ſunt Capita, & Principes Eccleſiæ, ſed ille inter hos primas obtinet. Ita cum illi dicitur: *Quodcumque ligaveris, aut ſolveris ſuper terram, erit ligatum, & ſolutum in Cœlo*; non dicitur, illum indiſcriminatim, & ſine cauſa poſſe condemnare, & abſolvere [2]. JESUS CHRISTUS illi permittit facere, quod ipſe facturus eſſet; *Judicaturo Chriſto nemo præjudicet*, ait S. Cyprianus [3]. Præterea cum Apoſtoli ligant, vel ſolvunt, non declarant ſimpliciter, peccatorem damnatum eſſe, vel abſolutum; quemadmodum Heretici [4] intelligunt; ſed vere damnant, & abſolvunt [5]. Denique cum dicitur, quidquid illi ligaverint, aut ſolverint *ſuper terram*, in Cœlo quoque ligatum iri, aut ſolutum; hoc minime ſignificat, illos poteſtatem ſuam exercere non poſſe in eos, qui humanis deceſſerunt. Eccleſia viventes communione privare poteſt; poteſt etiam vita functos ſuis ſuffragiis orbare: poteſt illis communionem ſuam reddere, preces, & ſuffragia; eadem etiam illis denegare poteſt [6].

℣. 20. TUNC PRÆCEPIT DISCIPULIS &c.] Nomen JESUS iſthic non legitur in pluribus MSS. cum Græcis, tum Latinis [7], & eruditi complures viri iſthic abundare opinantur. Sed quorſum Dei Filius prohibet, ne ſua Meſſiæ dignitas prædicetur? Quia, S. Lucas 9. 22. ait, filius Hominis multa a Judæis pati debet, atque ab iis contemni, a Scribis, & Phariſæis

Tom. VII.

A improbari, ac denique morte plecti. Ne igitur cognitio hæc, quod ipſe Meſſias eſſet, mortem, ac paſſionem ſuam prohiberet, ideo hoc latere voluit. Fortaſſe nolebat etiam magis Scribarum, & Phariſæorum animos exacerbare; vel nondum Apoſtoli tantam in populo aſſecuti fuerant auctoritatem, ut illi poſſent perſuadere, hunc eſſe Dei Filium [8]. Poſt reſurrectionem vero ſuam illis præcepit, ut hoc ubique prædicarent; ex qua prædicatione maxima fiebat & auctoritatis acceſſio iis omnibus, quæ hactenus fecerat, & momenti, ac ponderis reliquis omnibus divinitatis ejus argumentis. Si palam edixiſſet, & prædicari voluiſſet ante Paſſionem ſuam, ſe verum eſſe Meſſiam, mortis, ac ſupplicii ipſius adſpectus ita infirmis ſcandalum ingeſſiſſet, ut ægre ex illo emergere potuiſſent [9].

B ℣. 21. OPORTERET EUM IRE JEROSOLYMAM &c.] Ubi ſatis Apoſtolos ſuos in divinitatis fide confirmavit, ut illis palam eſſet perſuaſum, ipſum eſſe Meſſiam, iiſdem imminentis Paſſionis ſuæ myſterium aperuit, ne mortis, & cruciatuum ſuorum intuitus illos deterreret, vel ſcandalum ipſis inferret.

℣. 22. ET ASSUMENS EUM &c.] Manu, vel pallio JESUM cepit, vel etiam ſeorſum illum avertit, juxta Græci vocabuli vim [10]; ut que dicit, hujuſmodi mala nequaquam Unicum Patris Filium decere. Ille vivido, ferventique ingenio ſuo ſe abripi paſſus eſt. Superius ardentiorem fidem oſtenderat, hic affectum teneriorem: *Abſit a te, Domine, non erit tibi hoc*: Vel [11] *ſervet te Deus*; vel denique, *Tu a temetipſo hæc mala averte*.

C ℣. 23. VADE POST ME, SATHANA.] Hoc ait a S. Petro recedens, & in Apoſtolos ſuos oculos conjiciens [12]. *Sathan* proprie adverſarium, accuſatorem ſignificat. Recede a me, quærit, ut me in infidelitatem inducas; verba tua audio, perinde hac in cauſa audirem vocem adverſarii mei (*Sathanæ*) qui adverſus cauſam meam aliquid me vel dicere, vel facere ſuaderet. Mihi inſidias ſtruis, recede. Nuperrime Dei filius beatum prædicaverat Petrum, eo quod illa noviſſet, quæ non caro, nec ſanguis ipſi revelaſſent: & nunc ecce illum ſathanam, & ſeductorem appellat. Quorſum iſthuc, quærit S. Auguſtinus [13]: quia tunc primum Petrus divino afflatus ſpiritu loquebatur, dicebatque ea, quæ a Patre didicerat; iſthic autem proprio ſpiritu loquitur, velut homo, qui carnis,

D ſanguiniſque ſenſus tantummodo ſequitur: *Non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum*. Hominum ſalus adeo antiqua eſt JESU CHRISTO, ut citra indignationem ferre nequeat, hunc Apoſtolorum ſuorum Principem conari, ut ipſum a tot cruciatibus deterreat [14].

Origenes in Matth. t. 12. & S. S. Ambroſius l. 1. de Abraham c. 6. & Hilarius in Matth. 16. crediderunt, hæc verba: *Vade retro poſt me*, nequaquam ſignificare, *a me recede*, ſed tantum, *ſequere me*; neque auſcultes conſiliis ſathanæ, qui efficit, ut paſſiones, & cruciatus perhorreſcas: & ſimul JESUM ad ſathanam ſeſe convertendo, huic dixiſſe: *Sathana, ſcandalum es mihi*. Non Petrum, ſed dæmonem alloquitur, a quo ille impulſus Dominum diſſuadere adnitebatur: *Abſit a te, Domine; non erit tibi hoc*. Hoc in ſenſu Euſebius l. 2. contra Marcel. & S. Hilarius in hunc locum [15] poſterio-

Q 2

1 Aug. Serm. 295. alias de Diverſ. 108. *Has claves non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſia. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipſius univerſitatis, & unitatis Eccleſiæ figuram geſſit, quando ei dictum eſt: Tibi trado, quod omnibus traditum eſt*. Vide & in Pſalm. 108. n. 1. & Tract. 50. in Joan. n. 12. & Tract. 118. n. 4. & Theophylact. hic. Οὐ γὰρ πρὸς Πέτρον μόνον εἴρηται τὸ δώσω σοι, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς Ἀποστόλοις δέδοται. Cyprian. de unit. Eccleſ. *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur*. Vide & Origen. tom. 12. in Matth.

2 Vide D. Thom. in Matth. & Maldon. hic. 3 Cyprian. Ep. 52. ad Antonian. Vide & Ambroſ. in Pſ. 118. Ser. 8. 4 Hieron. hic. Raban. alii quidam.

5 Concil. Trident. *Actu judiciali, non nudo miniſterio pronuntiandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata*.

6 Vide Cyprian. Ep. 66. Aug. Epiſt. olim 50 nunc 185. Greg. Mag. l. 4. Dialog. n. 4. Maldon. hic.

7 Vide Var. Lect. Mill. 8 Euthym. Theophylact.

9 Chryſoſtom. Hieronym. Beda, in hunc locum. 10 Καὶ προσλαβόμενος αὐτόν.

11 Ἵλεώς σοι, Κύριε, οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο. *Propitius ſit tibi Deus, non erit hoc tibi*.

12 Marc. 8. 33. 13 Aug. Serm. 76 alias 13. de Verbis Domini. Vide & Theoph.

14 Hilar. hic. Bern. Serm. 20. in Cant. n. 6. 15 At in Pſal. 131. n. 4. ait, S. Petrum a Dei filio Sathanam appellatum.

ſteriorem hanc explicant partem. Verum ſententiam illam S. Hieronymus in hunc locum explodit; & ne unus quidem illam hodie ſectatur. Origenes in hunc locum, & in S. Matth. 18. 1. credit, S. Petrum a JESU *Satbanem* dici.

℣. 34. SI QUIS VULT POST ME VENIRE, ABNEGET SEMETIPSUM.] Ut ex S. Petro, aliiſque Apoſtolis pœnarum, & cruciatuum timorem ejiciat, Dei Filius turbas acceſſit, quæ illum ſequebantur [1]; & coram illis edicit, omnibus, qui ejus Diſcipuli fieri, & haberi voluerint, ſtudia ſua radicitus eſſe evellenda [2], atque animum ad acerba quælibet pro nomine ipſius ferenda parandum, ac ipſum in laboribus, ærumniſque imitandum. Hæ fœderis mei ſunt conditiones. Nam, addit ille, ſi vitæ veſtræ conſulere volueritis, jacturam animæ veſtræ ſubibitis; & ſi fortiter vitæ detrimentum patiemini, ut veritatem, atque juſtitiam tueamini, animæ veſtræ rationem habebitis, æternamque felicitatem vobis comparabitis.

℣. 26. QUAM DABIT HOMO COMMUTATIONEM PRO ANIMA SUA?] Corporis vita ex omnibus terrarum bonis una omnium eſt pretioſiſſima: nam ſine illa alia quæcumque bona nihil ſunt. At animæ vita toto cœlo illius pretium excedit. Verum ſi nihil par eſt corporis vitæ redimendæ; potiori jure nihil jacturam animæ poterit reparare. Quiſlibet animam ſuam amat, S. Auguſtinus ait [3], ſed mortalis eſt amor, & improbus, ſi effecit, ut quod amamus, amittamus: *Si amo, perdo: ergo non amem, ne perdam*; Odium vero, quod eam ſervat, illud utile, ac licitum eſt. Martyres eam bona, perfectaque charitate dilexerunt, qui temporalis vitæ impendio, æternam ſibi promeruerunt. Voluptatum amor eſt mors animæ; quicumque vere animam ſuam dilexerit, illas oderit; ſin autem amaverit illas, oderit animam ſuam: *Ita ſic, ut ſi diligas tam perverſe, perdas illam; ſi oderis illam recte, conſerves illam.*

℣. 27. FILIUS ENIM HOMINIS &c.] Paratos eſſe vos decet ad quælibet pro mea gloria ferenda, ſi Regni mei participes eſſe, animaſque veſtras ſervare cupitis: non enim abeſt perſecutionum tempus, imminet periculum; ultionis, vel præmii dies non procul eſt. Qui mihi conſtans adhæſerit, & cui ſcandalum non ingeſſerit crux mea, qui ea valebit animi præſtantia, ut mecum ad mortem uſque illam ferat, quamprimum laborum ſuorum finem inveniet: *Filius Hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus.* Tunc ille imperium ſuum exercere incipiet [4]. Hoc vulgo de noviſſimo Judicio explicatur. Verum hoc in loco innuitur potius tempus illud, quod reſurrectionem Filii Dei ſubſequetur; indigitatur Eccleſiæ inſtitutio, Synagogæ excidium, Jeroſolymæ everſio, quæ apertiſſima erat finis terrarum, ac noviſſimi Judicii figura, quo in ſenſu locum hunc explicandum eſſe ſequens verſiculus efflagitare videtur.

A ℣. 28. SUNT QUIDAM DE HIC STANTIBUS &c.] Antiquorum [5] plerique hoc de JESU CHRISTI explicant Transfiguratione, cujus non multo poſt teſtes erant futuri nonnulli ex Apoſtolis, qui illic aderant; namque hoc ipſo in itinere, & ſexta poſt hanc prædictionem die [6] ipſe ſe ſe transfiguravit, inſpectantibus SS. Petro, Jacobo, & Johanne. Alii [7] hoc de Salvatoris reſurrectione, ac tempore, quod illam excepit, quo Jeſus tot gloriæ ſuæ veſtigia reliquit, cenſent intelligendum. At dicine poteſt, prærogativam videndi coram ea, quæ tunc evenere, aliquorum dumtaxat ex diſcipulis ejus propriam fuiſſe? Nonne liquet, non omnes ſolum Apoſtolos, ſed omnes ferme Fideles hac felici ſorte gaviſos fuiſſe, ut Dominum ex inferis ſuſcitatum conſpicerent? Non defuerunt [8], qui hoc B de Evangelii prædicatione, deque Eccleſiæ inſtitutione intelligerent; alii de generali reſurrectione, & extremo Judicio. Sed omnes Apoſtoli Evangelii prædicationem viderunt, immo ipſi illud in omnibus terrarum plagis prædicarunt; omneſque homines illius progreſſuum teſtes fuerunt; ac in mundi fine univerſali Judicio apparebunt.

Non deſunt [9], qui eam propugnatori ſententiam, quæ hoc de noviſſimo explicat Judicio, dixerunt, Johannem Evangeliſtam humanis non deceſſiſſe, eumque a Salvatore indigitatum dicente; *Sunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo.* Johannes Trapezuntius ad hoc volumen edidit, ut S. Johannem Evangeliſtam adhuc vivere probaret. Sed hic ipſe Apoſto- C lus hanc refellit ſententiam, cum c. 21. 23. narrat, cum dixiſſet Jeſus Chriſtus: *hic eum volo manere, quid ad te*, diſcipulos quoſdam crediſiſſe, illum non moriturum; ſed addit S. Johannes, illum non dixiſſe, hunc non eſſe moriturum, ſed ſimpliciter, *Si eum volo manere, quid ad te?* Attamen contraria apud antiquos invaluit ſententia [10], quemadmodum in peculiari de hac re Diſſertatione oſtendemus.

Recentiores plurimi [11] non alium ſecrtati ſunt adventum Filii Dei, quam Jeroſolymæ everſæ a Romanis excidium. Tunc venit Jeſus Chriſtus cum Patre in majeſtate ſua, ut ultionem contra rebelles, increduloſque Judæos exerceret. Illuc venit Dominus *cum Angelis ſuis*: eorum quippe corona ſtipatus dicitur, cum tamquam Judex, vel dominator apparet [12]. Ex Apo- D ſtolis S. Johannes Evangeliſta, terribili huic excidio ſuperſtes fuit, ac teſtis, quod Jeſu Chriſti minæ in calamitoſiſſimam eam civitatem fuerint expleræ. Dei Filius Jeroſolymæ everſionem portendens [13] ſermoni ſuo quædam immiſcuit, quæ noviſſimo tantum Judicio conveniunt; cumque Divinæ juſtitiæ ſeveritas numquam majori cum fulgore intonuerit, quam in excidio Jeruſalem, afferi etiam poteſt, nullum factum adeo perſpicue, & ad vivum imaginem poſtremi Judicii exhibuiſſe.

---

1 Marc. 8. 34. Προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ.
2 Vide Chryſoſt. hic, & Baſil. Regul. fuſius diſp. qu. 8. & Aug. Serm. 96.
3 Auguſtin. Serm. 368, olim 37. Ex homil. 50. 4 Matth. 3. 2.
5 Origen. Chryſoſtom. Hieronym. Beda, Theophylact. Euthym. hic. Ambroſ. in Luc. cap. 9. Auguſt. in cap. 2. Epiſt. ad Galat. Remig. alii Maldon. Menoch. Vatabl. Janſen.
6 Matth. 17. 1. Marc. 9. 1. 7 Grot. Scultet. alii. 8 Gregor. Beda, alii apud D. Thom.
9 Vide Strabon. hic. 10 Vide Tillemontium in S. Joan. Evang. art. 11. & n. 17. 18.
11 Hammond. L. Cappell. & Le Clerc, in hunc locum. 12 Deut. 33. 2. Dan. 7. 10. 3. Reg. 22. 19. 2. Theſſ. 1. 7. 13 Matt. 24. 39.

CAPUT XVII.

Transfiguratio JESU CHRISTI. Eliæ adventus. Curatio Lunatici pueri, quem Apoſtoli curare non potuerant. JESUS CHRISTUS pro Templo ſolvit hemiſiclum.

1. ET poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Johannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum, 2 Et transfiguratus eſt

ante eos,

ante eos : Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol : veſtimenta autem ejus facta ſunt al-
ba ſicut nix . 3 Et ecce apparuerunt illis Moyſes , & Elias cum eo loquentes .
4 Reſpondens autem Petrus , dixit ad Jeſum : Domine , bonum eſt nos hic eſ-
ſe : ſi vis , faciamus hic tria tabernacula , tibi unum, Moyſi unum , & Eliæ unum .
5 Adhuc eo loquente , ecce nubes lucida obumbravit eos : Et ecce vox de nube ,
dicens : Hic eſt Filius meus dilectus , in quo mihi bene complacui : ipſum audi-
te . 6 Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam , & timuerunt valde . 7
Et acceſſit Jeſus , & tetigit eos : dixitque eis: Surgite , & nolite timere . 8 Le-
vantes autem oculos ſuos , neminem viderunt , niſi ſolum Jeſum . 9 Et deſcen-
dentibus illis de monte , præcepit eis Jeſus , dicens : Nemini dixeritis viſionem ,
donec Filius hominis a mortuis reſurgat . 10 Et interrogaverunt eum diſcipuli , di-
centes : Quid ergo ſcribæ dicunt , quod Eliam oporteat primum venire ? 11 At
ille reſpondens , ait eis : Elias quidem venturus eſt , & reſtituet omnia : 12 Di-
co autem vobis , quia Elias jam venit , & non cognoverunt eum , ſed fecerunt
in eo , quæcumque voluerunt . Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis . 13
Tunc intellexerunt diſcipuli , quia de Johanne Baptiſta dixiſſet eis . 14 Et cum
veniſſet ad turbam , acceſſit ad eum homo genibus provolutus ante eum , dicens :
Domine , miſerere filio meo , quia lunaticus eſt , & male patitur : nam ſæpe ca-
dit in ignem , & crebro in aquam . 15 Et obtuli eum diſcipulis tuis , & non
potuerunt curare eum . 16 Reſpondens autem Jeſus , ait : O generatio incredula ,
& perverſa , quouſque ero vobiſcum ? uſquequo patiar vos ? Afferte huc illum ad
me . 17 Et increpavit illum Jeſus , & exiit ab eo dæmonium , & curatus eſt puer
ex illa hora . 18 Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum ſecreto , & dixerunt : Qua-
re nos non potuimus ejicere illum ? 19 Dixit illis Jeſus : Propter incredulitatem
veſtram . Amen quippe dico vobis , ſi habueritis fidem , ſicut granum ſinapis , di-
cetis monti huic : Tranſi hinc illuc , & tranſibit , & nihil impoſſibile erit vobis .
20 Hoc autem genus non ejicitur niſi per orationem , & jejunium . 21 Conver-
ſantibus autem eis in Galilæa dixit illis Jeſus : Filius hominis tradendus eſt in ma-
nus hominum : 22 Et occident eum, & tertia die reſurget. Et contriſtati ſunt vehe-
menter . 23 Et cum veniſſet Capharnaum , acceſſerunt , qui didrachma accipie-
bant , ad Petrum , & dixerunt ei : Magiſter veſter non ſolvit didrachma ? 24 Ait :
Etiam. Et cum intraſſet in domum , prævenit eum Jeſus , dicens : Quid tibi videtur
Simon ? Reges terræ a quibus accipiunt tributum , vel cenſum ? a filiis ſuis , an ab
alienis ? 25 Et ille dixit : Ab alienis . Dixit illi Jeſus : Ergo liberi ſunt filii. 26
Ut autem non ſcandalizemus eos , vade ad mare , & mitte hamum : & eum piſcem,
qui primus aſcenderit , tolle , & aperto ore ejus , invenies ſtaterem : illum ſumens ,
da eis pro me, & te.

℣. 1. POST DIES SEX .] S. Lucas 9. 27. ait , hoc accidiſſe poſt *dies octo* : at S. Marcus 9. 1. non ſecus ac S. Matthæus , ſex tantum dies ait interceſſiſſe . Alii plane dies plenos dumtaxat numerarunt ; S. vero Lucas & inceptos : Vel S. Lucas numeravit diem & promiſſionis , & eam , qua promiſſio adimpleta eſt [1] : cum alii duo ſex tantum intermedios dies recenſuerint ; horum ſex dierum initium deſumitur ex tempore , quo Jeſus Chriſtus dixit Apoſtolis ſuis , fore ut aliquis ex illis eum ſua gloria circumdatum videret , antequam humanis decederet . Matt. 16. 27.

ASSUMIT PETRUM &c.] Transfigurationis ſuæ teſtes habere cupiebat , non autem ita multos . Conſilium illius erat , hoc ſecretum permanere : quod haud ita facile ſumma cum ſilentii fide ſervatum fuiſſet , ſi B plures id agnoviſſent . Elegit ergo Petrum , Jacobum , & Johannem, veluti eos , qui præ cæteris Apoſtolis virtute , ac fide præſtarent .

IN MONTEM EXCELSUM .] Quinam hic fuerit mons , Evangeliſtæ minime teſtatum reliquere : ſed plurima
Tom. VII.

A jam exceſſerunt ſæcula , ex quo Thabor fuiſſe perhibetur . Euſebius in pſalm. 88. 13. & S. Hieronymus ep. 27. hoc explicite narrans . Mons hic medius in inferiori Galilæa ſitus erat , in æqua circiter diſtantia a mari Mediterraneo , & a lacu Tiberiadis verſus originem Ciſon ad Boream agri Jezrahel , vel campi magni. Medius aſſurgebat in campeſtribus latiſſimis ad leucæ altitudinem cum dimidia . Græci [2] hunc nonnumquam *Atabyrium* , vel *Itabyrium* appellant . In ſuperiori montis vertice planities aderat , quæ in ſex , & viginti ſtadiorum latitudinem patebat [3] . Hic locus cultus erat , ac mœnibus ſeptus , ubi ex Joſepho , & Polybio [4] innoteſcit . In 1. Paral. etiam cap. 6. 77. ſermo eſt de Thabor urbe , quæ ſubſiſtebat , cum Iſraelitæ de captivitate reverſi ſunt , eratque plane in hujus montis cacumine poſita .

Hæ rationes dubitandi locum tribuunt , utrum Thabor fuerit mons ille , ubi Jeſus Chriſtus transfiguratus eſt : quippe procul dubio deſertiſſimum , & maxime remotum montem nulli conſpiciendus elegit . Adde hic , Thabor nequaquam eſſe locus viam , quæ Cæſarea Phi-

Q 2 lippi

1 August. lib. 2. de Conſenſu , cap. 56. Chryſoſt. hic , Theophylact. Euthym.
2 70. Ad Oſee , 5. 1. Joſeph. lib. 4. de Bello , cap. 6. Polyb. l. 5. cap. 70.
3 Ideſt 3250. paſſibus , vel leuca una , & dimidia circiter in circuitum .
4 Vide Joſeph. loco citato , & de Vita ſua , pag. 1013. & Polyb. lib. 5. cap. 70.

lippi Capharnaum ducit. Verum eſt hunc illuc ſe con-ferre potuiſſe intra ſex dies, qui effluxerunt ex eo tempore, quo in finibus Cæſareæ Philippi morabatur uſque ad transfigurationem. Verum narrant Evangeliſtæ, poſtridie transfigurationis [1] Jeſum, treſque diſcipulos, cum jam de monte deſcendiſſent, in eum devenisse locum, ubi maxima cum populi multitudine alii erant Apoſtoli. Dei Filius ibi puerum curavit, qui Lunaticus erat, ac deinde per Galilæam [2] perrexit, nolens, ut ea in regione, quiſnam eſſet, proderetur. Poſt hæc omnis Capharnaum venere [3]. At certum eſt a Thabor monte ad Capharnaum non plures intereſſe, quam quinque leucas, vel ſex. Et ſuppoſito, quod ille Cæſareæ Philippi ad Thabor veniſſet, eo jam in itinere Galilæam peragraſſet. Poſt Lunatici pueri curationem quomodo nam deliteſcere potuiſſet non procul a mari Galilææ, ubi adeo fama illius percrebuerat? Dubium ergo eſt, utrum Jeſus in Thabor fuerit transfiguratus: ac fidei propius arbitror, id accidiſſe in monte aliquo, qui a lacu Genezareth, atque Capharnao longius abeſſet [4]. Patres, qui locum hunc interpretati ſunt, nu verbum quidem faciunt de monte Thabor: & Euſebius in pſalmum 88. Thabor cum Hermon conjungit, qui trans Jordanem aſſurgebat, aſſerens, Jeſum Chriſtum in utroque eo monte fuiſſe transfiguratum.

℣. 2. Et transfiguratus est ante eos.] Repente apparuit ſuæ Majeſtatis fulgore circumdatus, non amplius tamquam homo ſimplex, ſed veluti homo Deus. At quorſum voluit transfigurari? Duas præcipue Patres memorant cauſas: alteram, ut adimpleret, quod ſuis ſpoponderat diſcipulis, ſe illis majeſtatis ſuæ gloriam oſtenſurum [5], & ut illos confirmaret in fide, ne ultra ipſum verum eſſe Meſſiam poſſent dubitare [6]: alteram, ut eos contra ſuæ Paſſionis, & Crucis ſcandalum præmuniret [7].

Resplenduit facies ejus sicut Sol.] Gloria Divinitatis ſuæ in ejus facie refulſit; & beatitudo, qua ſemper intrinſecus perfruebatur, in univerſum illius corpus emicuit. Facies, oris habitus, veſtes, reipſa immutatæ nequaquam fuerunt, ſed nova dumtaxat luce circumdata; *Transformatio ſplendorem addidit, ſpeciem non ſubtraxit* [8]. Dici poſſet quodam in ſenſu communem Salvatoris noſtri vitam, æternamque ejuſdem humiliationem veram fuiſſe transfigurationem: quandoquidem ibi in ſtatu a natura ſua penitus alieno apparebat, cum ſuæ transfigurationis gloria ipſi naturalis eſſet; ideoque perenni opus eſſet miraculo, ne gloria illius, & Majeſtas in faciem prodiret. At ſatis erat, ut naturales cauſæ agere ſinerentur, ut ſemet, qualis tunc apparuit, oſtenderet. Corpus illius erat veluti quædam offuſa ſoli nebula, natura ſua debebat undequaque effulgere propter lumen, quod involutum quodammodo continebat.

Græcus hic legit [9], *candida ſicut lumen*. S. Lucas 9. 29. *veſtitus ejus albus, & refulgens*, tamquam ignis emicans, vel fulgor erumpens. Sed S. Marcus 9. 3. dicit, illius veſtes nivis inſtar candidas fuiſſe, atque nitentes, ita ut parem illis nequeat in terra fullo candorem inducere. Complures Græci manuſcripti codices legunt, non ſecus ac Vulgata hoc in loco: *alba ſicut nix*. Veſtimenta illius radiis, ac lumine circumfuſa, quod ex corpore illius emicabat, ſpeciem præbuerunt tenuiſſimæ, ac pellucidæ nebulæ, quam radiis Solis pervadunt.

℣. 3. Apparuerunt illis Moyses, et Elias.] En ſignum de Cœlo, quale paulo ante Phariſæi poſtulaverant, ait S. Hieronymus. Moyſes legem, & Elias prophetas exhibent. Vult Deus, duos hoſce ſummos viros in ſua transfiguratione prodire, ut oſtenderet Apoſtolis ſuis, legem, atque prophetas ſibi teſtimonium perhibere, atque in ſua perſona deſinere [10]. Elias adhuc vivens erat, ideoque cum ſuo naturali corpore apparuit. Moyſes ad hoc ſpectaculum ex inferis excitatus eſt, & deinde ſtatim obiit. Tres illi Apoſtoli, quinam duo illi ſancti eſſent, agnovere; vel quod illos ex nomine appellavit; vel quod, cum reverterentur, eos Moyſem, & Eliam fuiſſe docuit; vel denique, quinam eſſent, agnovere ex ea deſcriptione, quam ſæpius a majoribus traditam acceperant. Non enim ambigendum eſt, quin unus apud Judæos conſtans fuerit traditio de Moyſis, ac prophetarum figura [11], quemadmodum in Eccleſia quædam nobis de aliquibus Apoſtolorum forma adhuc ſupereſt. Credidit Strabus in c. 9. Lucæ, duos illos ſanctos viros in viſione, non autem re ipſa apparuiſſe: & cenſet D. Thomas in hunc locum, Moyſem ſaltem cum alieno corpore prodiiſſe. Ludovicus Capellus exiſtimat, Moyſem reſurrexiſſe, non amplius moriturum. Docuerunt Judæi quidam [12], Legislatorem hunc numquam obiiſſe, & Grotius animadvertit, Joſephum de Moyſis morte locutum, dicere, illum evanuiſſe, & iiſdem uti vocibus, quibus de Enoch, & Eliæ obitu verba facit. Cardinalis Hugo de S. Charo putat, hos duos angelos fuiſſe, qui ſub Eliæ, ac Moyſis ſpecie apparuerunt [13].

Druthmarus ait, Origenem narrare, ab Apoſtolis agnitum fuiſſe Eliam, eo quod ignito inſidens curru illuc acceſſit: Moyſem vero, quod Legis tabulas manu præferens apparuit. At nullibi hoc apud Origenem mihi reperire licuit, ibique ſolum notavi [14], poſt hoc colloquium Moyſem, & Eliam profectos, ut Sanctis, veteribuſque Patriarchis proxime eorumdem liberationis nuntium adferrent: illos quamprimum reſuſcitandos, ac in Cœlum aſcenſuros. Hoc adimpletum fuit, teſte S. Matthæo 27. 52. cum poſt Salvatoris reſurrectionem plurimi Sancti reſurrexerunt, atque Jeroſolymæ compluribus apparuerunt.

Jeſus autem cum Moyſe, & Elia de ſuppliciis, ac morte, quam ipſe Hieroſolymæ perlaturus erat, colloquebatur [15]. Sanctus Lucas addit, Petrum, duoſque ejuſdem ſocios ſomno captos fuiſſe, e quo cum evigilaſſent, videre Dei Filium, ſuæ Majeſtatis luce circumdatum. Jeſus plane hunc illis ſomnum immiſit, ut expergefactis ſpectaculum hoc recentius eſſet, ac admirabilius, cum minime vidiſſent, quomodo facies, ac veſtimenta illius fuerint immutata, neque unde Elias, & Moyſes advenerint. Verum S. Johannes Chryſoſtomus [16] adduci nequit, ut credat, hoc verum ſomnium fuiſſe, ac aſſerere mavult, eum fuiſſe quemdam veluti ſtuporem cum terrore permixtum, & quamdam ecſtaſis ſpeciem.

℣. 4. Respondens autem Petrus &c.] Hoc eſt, dixit Petrus &c. Hebræi quippe ſæpius *reſpondendi* verbo pro dicere utuntur. Reliqui Evangeliſtæ [17] ferunt, tres hoſce Apoſtolos pertimuiſſe, & ſanctum Petrum præcipue ignoraſſe, quid diceret, cum hoc Jeſu Chriſto propoſuit: Immo Origenes tom. 12. in Matth. innuit etiam, pravum dæmonem hoc illi inſpiraſſe. Et S. Joannes Chryſoſtomus autumat, illum deſtitutum fuiſſe eo ſupernaturali lumine, quo Filii Dei divinitatem cognoverat. Tertullianus e contra l. 4. contra Marc. putat, tunc Sanctum Petrum in extaſim, atque extra ſe raptum fuiſſe, atque hoc Scripturam innuere velle per ea verba: *neſciens, quid diceret*. Verum omnes Interpretes ad litteram Scripturæ textum intelligunt, & ſane cui bono tria illa tabernacula? nonne præſtitiſſet unum dumtaxat pro Jeſu, Moyſe, atque Elia conſtituere

1 Luc. 9. 37. Ἐγένετο δὲ ἐν τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ κατελθόντων αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ὄρους.
2 Marc. 9. 30. Καὶ ἐκεῖθεν ἐξελθόντες παρεπορεύοντο διὰ τῆς Γαλιλαίας, καὶ οὐκ ἤθελεν ἵνα τις γνῷ.
3 Matt. 17. 24. Marc. 9. 33. 4 Vide Ligfoot. in Marc. 9. & Maldon. hic.
5 Matth. 16. 27. 28. 6 Vide Theophylact. & Hieronym. hic.
7 Hilar. Chryſoſt. Euthym. hic. 8 Hieronym. hic. 9 λευκὰ ὡς τὸ φῶς.
10 Hilar. Chryſ. Beda, Hier. Euthym. hic; & Tertul. l. 4. contra Marcion. Ambr. in Luc. c. 9. alii.
11 Euthym. hic. 12 Maimonid. apud L. Capell. hic, in Synopſi.
13 Hugo in Luc. 14 Origen. in Matth. Edit. Græc. Huetii, tom. 12.
15 Luc. 9. 31. 16 Chryſ. hic. 17 Luc. 9. 33. Marc. 9. 6.

fuerit? Vel credebat ille, ſi tria erigerentur tabernacula, ſe eos pellicere poſſe, ut ſemper, vel ſaltem diu eo in monte permanerent? S. Petrus cordis ſui iſthic ſolum audit conſilia; vivido ingenio ſuo, ac præcetia ardore ſe ſe rapi ſinit, neſciens, quo pacto gratum animum, amoremque ſuum Deo poſſit teſtari [1]. *Non inconſulta petulantia, ſed præmatura devotio fructum pietatis accumulat. Nam quod ignorabat, conditionis fuit; quod promittebat, devotionis.* S. Petrus, auctore S. Luca 9. 33. hoc propoſuit, cum Moyſes, & Elias recedere incœperunt. Tabernacula vero, de quibus loquitur, ſunt mapalia ex arborum ramis, quomodocumque contexta, quæ ſe illis extructurum pollicebatur.

℣. 5. ECCE NUBES LUCIDA &c.] Poſtquam Moyſes, & Elias evanuerunt, ac nubes lucida eos oculis Apoſtolorum eripuit, Deus vocem emiſit, quæ declaravit Jeſum eſſe Filium ſuum dilectum, & præcepit, ut illum audirent. Petrus [2] animadvertunt, vocem hanc tunc ſolum auditam fuiſſe, cum duo Sancti illi receſſerent; ne, cum Jeſus unus eſſet, de quo vox illa (*ipſum audite*) eſſet intelligenda, ambigeretur. Alludit vero ad eum Deuteronomii locum 18. 15. ubi Deus per os Moyſis ait, *ſuſcitabit Dominus Deus tuus Prophetam ſicut me: ipſum audies.* S. Petrus in altera epiſtularum ſuarum cap. 1. 16. eam teſtatur veritatem, quam iſthic legimus in Evangelio, eam iiſdem vocibus narrat, quas dicit ſe in monte ſancto audiviſſe.

℣. 6. CECIDERUNT IN FACIEM SUAM.] Adſpectus Jeſu Chriſti in ſua majeſtate fulgentis illis metum, ac reverentiam injecerat: ſed vox Patris eoſdem proſtervit. Tonitrui hujus fulgorem ferre minime valuerunt; fidei enim conſonum eſt, vocem hanc cum tonitru erupiſſe, non ſecus ac alibi cum Pater Filio ſuo teſtimonium perhibuit: ex. gr. in ejus Baptiſmate Matth. 3. 17. ac in templo Joan. 12. 29.

℣. 9. NEMINI DIXERITIS VISIONEM.] Non defuere Patres [1], qui crediderint, interdictum hoc minime obfuiſſe, quominus tres illi Apoſtoli id cæteris diſcipulis poſſent nunciare: ſed his vetitum, ne quod viderent, in populum vulgarent. At ſi voluiſſet Jeſus Chriſtus, hoc & alios Apoſtolos ſcire, cur cum Petro, Jacobo, & Joanne non & reliquos in montis verticem adduxiſſet. Minime profuiſſet id ante Salvatoris reſurrectionem palam fieri: vel enim fidem apud alios non inveniſſet, vel qui ſtatim illud crediddiſſent, ſcandalum fuiſſent paſſi, & arbitrati fictitia verba, cum Salvatoris ſuppliciis cumulatiſſimam paſſionem, & crucem vidiſſent. At poſt ejuſdem reſurrectionem, nihil fidem ſuperare poterat, ac tres illi teſtes ſatis erant, ut rei fidem facerent. Vide ſupra caput 16. 20.

℣. 10. QUID ERGO SCRIBÆ DICUNT &c.] Apoſtolis perſuaſum jam erat, Jeſum Chriſtum eſſe Meſſiam [4]. Illis aliquot diebus ante dixerat [5], ſe quamprimum Jeroſolymæ occidendum. Nuperrime coram illis in monte de impendente ſibi nece fuerat colloquutus [6]. Illis prædixerat, ſe tertia die e mortuis reſurrecturum: at illi minime intelligebant, quid hæc ſibi vellet reſurrectio [7]. Non enim convenire poſſe putabant ejuſdem ſupplicia, & mortem cum idea, quam ipſi de Meſſiæ Regno, ac Eliæ adventu conceperant, qui Regnum Iſrael reſtituturus erat priſtino fulgori, omniaque ſublaturus diſſidia, quæ jam pridem graſſabantur in populo [8]. Si verum eſt tibi quamprimum moriendum eſſe, ac reſurgendum; quandonam ergo Elias veniet & Regnum Iſrael reſtituetur? Alterumne ſumus adventum præſtolaturi? an mortem, atque reſurrectionem differes, donec venerit Elias, ac illud præſtiterit, quod ab eo præſtandum Sacra Biblia teſtantur? an poſt mortem hanc, & reſurrectionem regnum Meſſiæ advenire intuebimur?

Sunt [9], qui hoc ita intelligunt: ſi verum eſt, quemadmodum Doctores inquiunt, Eliam eſſe appariturum ad vias Domini præparandas, cur ergo avennit, neque nobiſcum permanſit? Si ille Regali chriſmate te uncturus eſt, ac in Judæorum cognitionem te traditurus, cur citius abiit? Alii [10]: ſi verum eſt, Eliam ante Meſſiam proditurum præparandi ergo vias illius, quorſum prohibes nos ea proferre, quæ nuper in monte conſpeximus? Nonne hæc certiſſima eſſet via ad populos in fidem evocandos; hi ſane in te crederent, ſi Eliam jam veniſſe, nobiſque apparuiſſe teſtaremur?

℣. 11. ELIAS QUIDEM VENIET &c.] Jeſus Chriſtus ea, quæ in ſpeciem videbantur oppoſita, & negotium Apoſtolis faceſſebant, ſimul conciliat. Verum eſt, Eliam venturum, & verum, Eliam veniſſe. Venit ille in S. Joannis perſona, & Judæi neque agnoverunt, neque audiverunt illum. Veniet tandem ſub ſæculorum finem, omniaque juxta prophetarum vaticinia reſtituet. Hoc in ſenſu Patres, atque Catholici Interpretes hunc locum explicant.

Verum recentiores quidam [11] tenent hic agi dumtaxat de Joanne Baptiſta, qui venit in ſpiritu, ac virtute Eliæ; contendunt autem Judæorum, & Chriſtianorum ſententiam, qui ſemper credidere, & credunt adhuc, Eliam in perſona venturum ante noviſſimum Judicii diem, vana dumtaxat populorum credulitati incumbere; & numquam in Eccleſia habitam fuiſſe veluti apoſtolicam traditionem: quoniam non deſunt veteres nonnulli, qui hac de re dubitarunt. At dicine poteſt, Joannem omnia reſtituiſſe, quod Eliam facturum iſthic Jeſus profitetur; *ipſe reſtituet omnia*? Dicine poteſt Joannes Baptiſta, terribilem Domini diem præceſſiſſe; *antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*: quemadmodum ait Malachias 4. 6. loquens de adventu hujus prophetæ. Denique nullamne fidem meretur teſtimonium Eccleſiaſtici [12], palam de Eliæ adventu in noviſſimo illo die verba facientis? Quid de Apocalypſi dicam [13], quæ nihilo obſcurius de eodem loquitur? *Et dabo duobus teſtibus meis* (Eliæ, & Henoch) *& prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis .... & ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiit de ore eorum, & devorabit inimicos eorum.* Apocal. 11. 3. 6.

RESTITUET OMNIA.] Hæc eſt explicatio eorum Malachiæ 4. 5. verborum: *Mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & terribilis, & convertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.* Hæc reconciliatio cordis patrum ad filios, & filiorum viciſſim ad patres, hoc unum ſignificat; Eccleſiam cum Synagoga, & Synagogam cum Eccleſia [14], Chriſtianum cum Judæo, & Judæum cum Chriſtiano eſſe conjungendos. Tunc JESU CHRISTI Regnum profecto reſtituetur, cum omnes illius hoſtes proſtrati ad pedes illius procubuerint; omnis lingua illum laudibus exornaverit; ejuſque imperium ſe ſe in populos omnes extenderit. Tunc [14] medius paries proſternetur, & unum erit dumtaxat ovile, & unus paſtor [15]. Propheta Elias beatiſſimæ hujus conjunctionis, ac feliciſſimi reditus auctor erit, vi miraculorum ſuorum, & prædicationis [16].

℣. 12. ELIAS JAM VENIT, & NON COGNOVERUNT EUM.] Venit Johannes Baptiſta in Spiritu, & virtute Eliæ, cum illius zelo, virtute, & vehementia. Ille pœnitentiam prædicavit, proximumque Judæis exitium minitatus eſt; verum aures hoic non præbuerunt;

1 Ambroſ. in Luc. 2 Chryſoſt. Theophyl. alii. 3 Hieron. Beda hic.
4 Matth. 16. 16. 5 Matt. 16. 21. 6 Luc. 9. 31. 7 Marc. 9. 10.
8 Vide Malach. 4. 5. 6. 9 Hieronym. Grot. Le Clerc.
10 Lud. Capel. Camero. 11 Camero. Grot. Med. l. 1. Diſſert. 25. & Ligfoot, Iac. Capell. Hammon. Le Clerc. 12 Eccli. 48. *Qui ſcriptus eſt in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, &c.* 13 Vide Rom. 11. 25. 26. 14 Epheſ. 2. 13. 14. 15.
15 Joan. 10. 16. 16 Vide Brug. Maldon. ſenſ. & ita Patres paſſim. Iren. Tertull. Hil. Hieron. Chryſoſtom. hic. Auguſt. quæſt. Evangel. lib. 1. quæſt. 21. alii paſſim.

erint[1] illum neglexerunt, eſpernati ſunt, ac veloti A dæmoniacum convitia impetere non ceſſarunt[2]. Denique mortis illius cauſa fuerunt[3], erunt & meæ. Itaque nobis expectanda eſt quamprimum regni mei manifeſtatio; nihil amplius obeſt, quominus hoc impleatur, jam jam complebuntur Propheſiæ. Hoc Judæi non intelligunt, ſed eorum cæcitatem ne imitemini.

℣. 14. CUM VENISSET AD TURBAM.] JESUS noctem eam plane tranſegit in monte, ubi transfiguratus fuerat, ac poſtridie mane deſcendit, & ad Diſcipulos ſuos rediit, qui ad montis radices ſubſtiterant cum Turbis, quæ JESUM redeuntem præſtolabantur. S. Lucas narrat explicite[3], JESUM nonniſi poſtridie transfigurationis deſcendiſſe, & ſomnus, quo Apoſtoli primum capti fuerant, cum Magiſter in precibus effundendis detineretur, vim addit eorum conjecturæ, qui hoc B noctu accidiſſe arbitrantur[4]. Tempus hoc ſane opportunius erat diurna luce ad hujus apparitionis fulgorem.

QUIA LUNATICUS ERAT.] Cum deſcendiſſet JESUS de monte, ubi fuerat transfiguratus, ad aliquod illinc intervallum Diſcipulos ſuos cum populi magna multitudine invenit. Teſtatur Sanctus Lucas, illum ad Diſcipulos non rediiſſe, niſi ea die, quæ transfigurationem ſuam eſt ſubſequuta. Tunc Scribæ cum Apoſtolis diſceptabant[5] de curatione pueri illis oblati, quæ illis non ceſſit e ſententia. Ubi Turbæ omnes videre JESUM, ſtatim ad illum pervolarunt, & ſummo cum honore[6] exceperunt. Tunc de turba quidam ad illius pedes procubuit, rogans, ut filium ſuum curaret, qui Epileptico laborabat morbo[7], Lunaticus erat[8], & muto Dæmone obſeſſus[9], e quo nonnunquam C in ignem projiciebatur, ac miſere torquebatur; ita ut pueri clamores mitteret, dentibus infrenderet, ſpumas effunderet, ac totus exareſceret. Hujus pueri morbus, in humoribus, ac pravo corporis habitu ſitus erat, ſed Dæmon hoc eodem pravo habitu corporis abutebatur, ut illum torqueret. Lunatici erant Epileptici quidam, qui in plenilunio magis, quam alio quovis tempore torquebantur. Vide Sanctum Matthæum cap. 4. 24. Nullam morbi naturalem cauſam in hoc homine inveniunt Origenes, & Sancti Chryſoſtomus, & Hieronymus, qui putant, dæmonem ad homines fallendos, & eliciendas in Lunæ creatorem, & Sydus illud tamquam morborum cauſam, blaſphemias, certis ſtatis temporibus ægrotos torquere, juxta Lunæ incrementum, vel decrementum. D

℣. 15. OBTULI EUM DISCIPULIS TUIS.] Creditur[10] illum obtuliſſe, cum JESUS abeſſet, atque in monte cum Sanctis Petro, Jacobo, & Johanne detineretur; cumque illi hunc curare minime valuiſſent; hoc plane occaſionem præbuit contentioni, quæ inter illos, ac Legis Doctores oborta erat.

℣. 16. O GENERATIO INCREDULA!] Hæc exprobratio non ad Apoſtolos, ſed ad pueri parentem, aliosque incredulos Judæos de plurimorum Patrum ſententia refertur[11]. Origenes tract. 4 in Matth. credidit, eam ad Apoſtolos præcipue ſpectaſſe. Alii[12] ad utroſque, & Apoſtolos, & populum. Fides requirebatur, & in his, qui miraculum efflagitabant, & in iis, quos efflagitabant. Et Salvator infra ſeorſim Apoſtolis inquit, propter exiguam illorum fidem non po- E tuiſſe ægrotum illum curari[13].

℣. 17. ET INCREPAVIT EUM.] Ex tribus Evangeliſtis[14] plane conſtat, JESUM CHRISTUM minitatum fuiſſe Dæmoni, non puero; vel ſaltem, minas puero intentatas, reſpexiſſe Dæmonem, a quo ille poſſidebatur, quo in ſenſu Patres, atque Interpretes paſſim explicuerunt. Attamen S. Hieronymus, Beda, Theophylactus, & recentiores nonnulli[15] cenſuerunt, minas has, vel exprobrationes, ad puerum pertinere. Hæc tamen ſimul conciliari poſſunt, ſi dixeris, JESUM acriter in Dæmonem invectum fuiſſe, alloquens puerum ab eodem obſeſſum.

℣. 18. QUARE NON POTUIMUS EJICERE ILLUM?] Non Apoſtolis, neque parenti pueri illius deerat omnino fides; quandoquidem hic acceſſerat filii ſui curationem efflagitaturus, ſi vero illum curare fuerant experti. Attamen JESUS iſthic Diſcipulis ſuis ait, illis B defuiſſe fidem; & pueri pater obortis lacrymis JESUM obteſtatur, ut exiguæ fidei ſuæ[16] miſereatur. Non ergo tanta illis fuerat fides, quanta opus erat. Fides eorum non ejecerat penitus omnem dubitationem, & metum. Credunt Patres[17], non ſolum propter fidei defectum in Apoſtolis, verum etiam propter patris incredulitatem miraculum non fuiſſe adimpletum.

℣. 19. SI HABUERITIS FIDEM SICUT GRANUM SINAPIS, &c.] Non deeſt aliqua iſthic hyperbole, veluti cum alicui dicimus, ſi rationis ſcintilla, vel boni ſenſus uncia tibi eſſet &c. facile cognoſceres hoc minime intereſſe &c. quod dici de illis poteſt, quibus nec ratio, nec ſenſus deeſt; ſed qui iiſdem, quemadmodum deceret, minime utuntur ea in occaſione, de qua agitur. Opponit JESUS CHRISTUS parvitatem grani ſinapis C Montium magnitudini, ut exaggerationis ſuæ vis melius intelligatur. Non enim hæc mens illius ſuit umquam, ut miraculorum patrandorum poteſtate uterentur Apoſtoli ad oſtentationem, atque jactantiam in rebus æque difficilibus, ac montes transferre, niſi opportuniſſima urgeret neceſſitas, uti nonnumquam accidit, quemadmodum de Sancto Gregorio Neocæſareæ Epiſcopo, cui hinc factum nomen *Thaumaturgus*, vel miraculorum Opifex, teſtatum reliquit hiſtoria[18].

Veteres nonnulli[19] credidere, Filium Dei non ad parvitatem ſolum grani ſinapis, verum etiam ad ejuſdem naturam, & qualitates animum advertiſſe. Si vobis fides æque eſſet vivida, fortis & fervens, tamquam granum ſinapis, nihil omnino eſſet, quod a vobis præſtari non poſſet. Perfectiſſima opus eſt fide, D ut montes transferantur. S. Paulus 1. Cor. 13. 2. hoc affert exemplum, tamquam excellentiſſimum egregiæ fidei periculum: *Si habuero fidem, ita ut montes transferam*. Hic mons, qui ab Apoſtolis evertitur, eſt Dæmon, vel humana ſuperbia, ex Patrum ſententia[20].

℣. 20. HOC GENUS NON EJICITUR, NISI PER ORATIONEM.] Veteres nonnulli[21] cenſuerunt, Salvatorem iſthic generatim differere de ejiciendorum Dæmonum difficultate. Hoc morbi genus, Dæmonum poſſeſſio, nequaquam ex numero eſt aliarum corporis ægritudinum. Hæc nonniſi oratione, & jejunio curatur, tum illius, qui æger eſt, tum qui ejuſdem curationem aggreditur. Par eſt, uterque in pœnitentiæ operibus ſe ſe exerceat. Sed plerique exiſtimant, hic agi de quodam Dæmoniorum genere, quæ a cæteris omnino ſunt alia, & quæ difficilius ab iis, quos ſemel poſſederant, expellebantur. Apoſtoli vulgo morbos, & energumenos curabant, illis in nomine JESU præcipien-

1 Matth. 21. 38. 2 Matth. 14. 10. 11.
3 Luc. 9. 37. *Factum eſt ſequenti die, deſcendentibus illis de monte.* 4 Brug. ad Luc. 9. 32.
5 Marc. 9. 14. 16. 6 Marc. 9. 15. Luc. 9. 37. 7 Luc. 9. 39. Πνεῦμα λαμβάνει αὐτὸν, καὶ ἐξαίφνης κράζει, καὶ σπαράσσει αὐτὸν, μετ' ἀφροῦ. Marc. 9. 18. Ὅπου ἂν αὐτὸν καταλάβῃ, ῥήσσει αὐτὸν, καὶ τρίζει.
8 Matth. 17. Σεληνιάζεται, καὶ κακῶς πάσχει. 9 Marc 9. 17. Ἔχοντα πνεῦμα ἄλαλον.
10 Hilar. Chryſoſtom. Maldon. alii. 11 Hilar. Chryſoſtom. Hieronym. Beda, Theophylact. Strab. & alii. 12 Ligfoot. Camero. Gloſſ. Le Clerc. 13 Matth. 17. 20. Διὰ τὴν ἀπιστίαν ὑμῶν.
14 Matth. 17. 18. Καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ τὸ δαιμόνιον. Luc. 9. 42. Ἐπετίμησε δὲ ὁ Ἰησοῦς τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ. Marc. 9. 25. Ἐπετίμησε τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ.
15 Vide Martianai not. hic. Schmid. Zeger. alios. 16 Marc. 9. 23. Βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ.
17 Chryſoſtom. Hieronym. Beda, Theophylact. Strab. D. Thom.
18 Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 7. c. 23. 19 Origen. in Matth. Hieronym. Beda, Strabo hic. Auguſt. tract. 40. in Joan. 20 Hilar. Origen. Hieronym. Beda hic. Auguſt. l. qu. Evang. q. 29.
21 Chryſoſt. Euthym. hic. Athanaſ. l. de Virginitate.

pientes [1] ; ſed iiſdem nunc id minime accidit. Neſciebant quippe preces cum jejunio habendas, ac ſibi rem eſſe cum obſtinatiſſimo, ac rebelli Dæmone, pietatis exercitationibus ſubigendo.

Cameron hoc ita intelligit : hujuſmodi Dæmonia minime ex iis ſunt, quæ exorciſtæ Judæi ejiciunt orationibus ſuis, atque carminibus: non preces ſolum, verum & jejunium adhibendum eſt. Knatebullus hunc illi ſenſum tribuit ; qui fidem habent vel ut granum ſinapis, in fide progredi nequaquam poterunt, niſi per jejunium, & preces; eadem ferme eſt Vantillii ſententia; *Hoc genus Apoſtoli ſcilicet, non proficis niſi oratione, & jejunio*. Non alia vobis pater via, ut fidei perfectionem aſſequamini, præter jejunium, & orationem. Græcus [2] S. Matthæi textus poſſet fortaſſe hunc ſenſum admittere ; at reor geminum huic S. Marci locum explicari ſimiliter poſſe ; ubi explicite ait Evangeliſta, *hoc genus* (Dæmoniorum) *in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & jejunio* [3], quem ſenſum reliqui omnes Interpretes loco huic tribuerunt. Verſiculus hic non in Verſionibus Cophtis, & Æthiopicis, non in Euſebii canone, niſi forte in S. Marco, invenitur.

℣. 21. CONVERSANTIBUS EIS IN GALILÆA.] Hoc illis jam dixerat ante ſuam transfigurationem : verum cum maximopere intereſſet, ex eorum mente convellere ideam Regni temporalis Meſſiæ, quod ſibi pollicebantur, eoſque præoccupare contra paſſionis ſuæ ſcandalum, quæ non longe aberat, illis idem repetit, ut magis, & magis eorum menti infigatur. Hoc accidit poſt transfigurationem, cum adhuc Galilæam peragraret.

℣. 23. ACCESSERUNT AD PETRUM, QUI DIDRACHMA ACCIPIEBANT.] Eumque ſciſcitati ſunt, utrum JESUS eorum Magiſter uti reliqui e populo duas drachmas perſolveret. Didrachma [4] ejuſdem creditur fuiſſe pretii ac hemiſiclus argenteus, qui Gallicæ monetæ ſolidos ſexdecim, denarios duos, & $\frac{11}{16}$ reddit. Hoc erat pretium a Moyſe viciſſim in capita ſingulorum Iſraelitarum impoſitum, perſolvendum, ubi cenſus haberetur. Summa autem inde collecta in opus Tabernaculi erat inſumenda [5]. Poſt Moyſem non liquet e Scriptura, hemiſiclum viritim communiter exactum fuiſſe ; niſi fortaſſe ævo Joas Regis Juda [6], quo tempore collecta facta eſt ad Templi ſarta tecta procuranda. Poſt reditum de captivitate [7] Nehemias, & Seniores populi ſicli trientem viritim impoſuerunt, cum propter egeſtatem ſuam populus par non eſſet ſolvendo hemiſiclo pro Templi inſtauratione, & ſumptibus ſacrificiorum, atque oblationum. Hoc deinceps numquam deſiit perſolvi in Templi utilitatem, uſque ad illius everſionem in noviſſima Romanorum obſidione [8], ſed jampridem res ad hemiſiclum pro ſicli triente redierat. Docebant Hebræi [9], capitationem hanc tanta cum ſeveritate exactam fuiſſe, ut illi ipſi, qui oſtiatim ſtipem, ac victum quæritabant, illam perſolvere tenerentur, atque veſtes ipſas venumdare, ni alia ſuppeterent, cogerentur.

Poſt Templi excidium Veſpaſianus coegit Judæos Capitolio perſolvere, quod antea conferebant in Templum [10]. Domitiano vero ejuſdem filio imperante, Svetonio in Domitiano teſte, *præter cæteros Judaicus fiſcus acerbiſſime actus eſt*. Perſolvebatur adhue Imperio, Origenis ævo, uti liquet ex ejuſdem ad Julium A-

A fricanum epiſtola. Docet SchiKardus Orat. in feſto Purim, ad hanc quoque diem Judæos huc tributi genus perſolvere ſub feſtivitatem ſortium, atque illud in eleemoſynas impendere, in eorum præcipue gratiam, qui Terræ Sanctæ iter aggrediuntur.

Verum, ut ad Evangelii noſtri textum revertamur, Exactores vectigalis hujus Petrum urbane ſciſcitantur, utrum Magiſter illius velit didrachma perſolvere, fortaſſe quod ſolvendi tempus nondum advenerat, vel quod ſe ſe Jeroſolymam conferre poterat perſoluturus ; vel denique hac urbanitate uſi fuerint in honorem JESU CHRISTI, nolentes ex ipſo hanc ſummam expetere, neque ad ſolvendum cogere renuentem. Non enim illum immunem cenſebant, quem ſi cenſuiſſent, numquam id petiiſſent. Docent Rabbini, hemiſiclum

B exigi cœptum fuiſſe die decima quinta, vel quinta ſupra vigeſimam menſis Adar, & ad Paſchatis uſque diem, hoc eſt in menſem integrum ſolutionem differre licuiſſe. Juxta noſtram annorum JESU CHRISTI recenſionem hoc accidere debuiſſet, non menſe uno ante Paſcha, ſed paulo ante Pentecoſtem [11].

Crediderunt quidem [12], didrachma hoc a JESU CHRISTO exactum fuiſſe, quod primogenitus eſſet. Liquet, primogenitos redimi conſueviſſe, at ſemel tantum redimebantur, & ad id parentes quinque ſiclorum ſummam perſolvebant, filium Templo offerentes [13]. Putant alii [14], duas haſce drachmas fuiſſe vectigal a Romanis impoſitum, illudque alii a Pompejo [15] ; ab Auguſto alii [16] ; a Tiberio denique alii [17] irrogatum fuiſſe arbitrantur. Joſephus hac in re non ſatis perſpicuus

C eſt ; verum conſtat præter tributum, quod Templo perſolvebant, alterum Imperatori quoque fuiſſe perſolvendum [18], quemadmodum ex eodem patet Evangelio [19]. In eo vero poſita difficultas eſt, ut oſtendatur, tributum hoc ad hemiſiclum in capita redactum fuiſſe, quod ſententiæ hujus propugnatores numquam oſtendere poterunt. Præſtat ergo a communi ſententia non recedere [20], quæ cenſet, didrachma hoc Templo fuiſſe perſolutum.

MAGISTER VESTER NON SOLVIT DIDRACHMA &c.] Illum fortaſſe duobus ſuperioribus annis perſolventem viderat S. Petrus. Putant Patres [21] in gratiam miraculorum JESU CHRISTI, exactores hemiſicli non ad illum, ſed ad S. Petrum ſe ſe convertiſſe, qui inter Apoſtolos ejus Princeps habebatur. Fortaſſe etiam [22]

D improbe acceſſerunt, ac ſubdole, eum tentaturi, ut certiores fierent, utrum ipſe ex illorum eſſet numero, qui Cæſari tributum negabant, atque utrum adhæreret ſententiæ Judæ Galilæi [23], qui alienis Principibus tributum nequaquam perſolvendum eſſe affirmabat. At poſtrema hæc ſententia conciliari nullo pacto poteſt cum iis, quæ nuper aſſeruimus ; tributum, de quo hic agitur, pro Templo fuiſſe, non pro Romanis Imperatoribus.

℣. 24. REGES TERRÆ, A QUIBUS ACCIPIUNT TRIBUTUM, VEL CENSUM? A FILIIS SUIS, AN AB ALIENIS.] Cum reſpondiſſet Petrus, ab alienis, inde arguit JESUS : Filii ergo immunes ſunt, ſed tributum hoc in nomine Dei Patris mei, & ad domus, Templique ejus ſarta tecta exigitur ; ego igitur jure optimo immunis ſum ;

E quandoquidem illius Unigenitus. Neque tu teneris, tu enim familiaris meus es, ac diſcipulus, quemadmodum miniſtri, & domeſtici filiorum Regis, prærogativis

1 Marc. 6. 13. Luc. 10. 17. 2 Gr. Τοῦτο δὲ τὸ γένος οὐκ ἐκπορεύεται εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ. Quædam Exemplaria legerunt: Ἐξέρχεται. Alia: Ἐκβάλλεται.
3 Marc. 9. 27. Τοῦτο τὸ γένος ἐν οὐδενὶ δύναται ἐξελθεῖν, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ, καὶ νηστείᾳ.
4 Τὸ δίδραχμα. 5 Exod. 30. 13. 6 2. Par. 24. 5.
7 2 Eſdr. 10. 32. 8 Joſeph. Antiqu. l. 18. c. 12. & l. 7. de Bello cap. 26. 27. & Dio-Caſſius l. 66.
9 SchiKard. Jur. Reg. cap. 3. 10 Joſeph. loco ſupra citato.
11 Toynard. Harmon. pag. 64. 66. art. 220. 12 Chryſoſtom. Euthym. Theophylact.
13 Num. 3. 46. 47. & 18. 16. 14 Hieronym. in hunc loc. Selden. lib. 6. cap. 18. de jure nat. & gent. Samuel Petit, Var. Lect. lib. 2. cap. 1. alii. 15 Vide Joſeph. lib. 1. de Bello cap. 5. & Antiqu. lib. 14. c. 8. Hieron. ad Matth. 22. 16 Joſeph. Antiqu. l. 18. c. 1. & de Bello l. 2. c. 7. Hieronym. & Maldon. hic.
17 Samuel Petit loco cit. 18 Appian. Syriac. 19 Matth. 22. 16. Marc. 12. 14. Luc. 20. 20. 21.
20 Ita Hilar. hic. Grot. Camero, Brugenſ. Baron. Annal. tom. 1. Beza, Hamm. Villalp. Caſaubon. & alii paſſim. 21 Ita Chryſoſtom. Hieronym. Beda, Theophylact. Euthym. alii.
22 Ita Hieronym. Ligfoot &c. 23 Joſeph. l. 18. c. 1. & de Bello lib. 2. cap. 7. verſ. 35. & ſeq.

ſtivis immunitatis Domini ſui perfruuntur.

Qui vero credunt, vectigal hoc Imperatorum fuiſſe, ita illum ratiocinantem inducunt; terræ Principes neque tributa, neque operas exigunt ex propriis ſubditis, ſed ex alienis [t], & iis populis, quos armorum vi in ſuam ditionem redegerunt: ſed nos ſumus filii Regni, & proprii ac naturales ſubditi, ergo a vectigalibus immunes ſumus. In Hebræorum ſtylo, *filii Regni* [a] ſunt naturales ſubditi, quemadmodum Reges populorum parentes, atque paſtores dicuntur. Verum dici ne poteſt, ratione habita Romanorum Imperatorum, Judæos hoc in ſenſu, *Regni filios* fuiſſe? nonne e contra populi erant vi, armiſque ſubacti, quibus vectigalium, atque exactionum pondus perferendum erat? ad hæc, ſi JESU CHRISTI argumentatio pro illius perſona valet, cur non item pro ceteris Judæis, qui & ipſi filii erant terreſtris Romanorum Imperii? Non recedendum ergo a priori explicatione: hanc enim nullo modo ſequi poſſemus, quin in rem plane abſurdam incidamus.

A ℣. 26. UT NON SCANDALIZEMUS EOS.] Invictis probaverat argumentis JESUS, tributum a ſe perſolvendum non eſſe, verum hoc probaverat ſolum Petro, & iis, qui eum Dei Filium eſſe cognoſcebant. At aliorum habita ratione, qui hanc ipſius dignitatem minime noverant, ne illis ingeratur ſcandali occaſio, pro Templo tributum perſolvere non dedignatur.

INVENIES STATEREM.] *Stater* ejuſdem pretii erat, ac ſiclus, vel drachmæ quatuor. Hoc igitur tributum erat pro duobus, hemiſiclo in ſingula capita recenſito. Piſcis hic nuper fortaſſe hunc ſtaterem invenerat, nondum enim illum deglutierat, cum Petri hamum momordit, ab ipſo in aquam projectum. Inde apparet, quanta fuerit JESU CHRISTI paupertas, cui nec ſexdecim quidem ſuppetebant ſolidi, ut exiguum hoc ve-
B ctigal perſolveret. Cenſet Theophylactus, piſcem hunc ore unionem geſtaſſe, non argenteum. Videntur autem ceteri Apoſtoli, tunc prope JESUM non fuiſſe, quandoquidem pro ſe tantum, ac Petro, ille ſolvit vectigal [ſ]. Caput ſequens ſententiæ huic ſuffragatur.

t Vide 3. Reg. 9. 22. 2. Par. 8. 9. Diodor. Sicul. lib. 1. de Seſoſtri.
a Matth. 13. 38.
ſ Maldonat.

CAPUT XVIII.

Quiſnam major ſit in Regno Cœlorum? parvulorum in JESUM CHRISTUM credentium ſcandalum. Fraterna correctio. Excommunicatio. Clavium poteſtas. Injuriarum venia. Parabola ſervorum, quorum alter Domino decem talentorum millia debet, alter conſervo ſuo denarios centum.

1. IN illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Quis putas, major eſt in re-
gno cœlorum? 2 Et advocans Jeſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum,
3 Et dixit: Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non
intrabitis in regnum cœlorum. 4 Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte,
hic eſt major in regno cœlorum. 5 Et qui ſuſceperit unum parvulum talem in nomi-
ne meo, me ſuſcipit. 6 Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me
credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in pro-
fundum maris. 7 Væ mundo a ſcandalis. Neceſſe eſt enim, ut veniant ſcandala: ve-
rumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit. 8 Si autem manus tua, vel pes
tuus ſcandalizat te; abſcinde eum, & projice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingre-
di debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem
æternum. 9 Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum
tibi eſt cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehen-
nam ignis. 10 Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis, dico enim vobis, quia
angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt. 11 Venit e-
nim Filius hominis ſalvare, quod perierat. 12 Quid vobis videtur? ſi fuerint alicui
centum oves, & erraverit una ex eis; nonne relinquit nonaginta novem in montibus,
& vadit quærere eam, quæ erravit? 13 Et ſi contigerit, ut inveniat eam: Amen
dico vobis, quia gaudet ſuper eam magis quam ſuper nonaginta novem, quæ non er-
raverunt. 14 Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, ut pereat
unus de puſillis iſtis. 15 Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe
eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. 16 Si
autem te non audierit: adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum,
vel trium teſtium ſtet omne verbum. 17 Quod ſi non audierit eos, dic eccleſiæ.
Si autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. 18 Amen
dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæ-
cumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. 19 Iterum dico vobis, quia
ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet il-

lud

lis a Patre meo, qui in cœlis eſt. 20 Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in no-
mine meo, ibi ſum in medio eorum. 21 Tunc accedens Petrus ad eum, dixit : Do-
mine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei ? uſque ſepties? 22 Dicit
illi Jeſus : Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties. 23 Ideo aſſi-
milatum eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.
24 Et cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem mil-
lia talenta. 25 Cum autem non haberet, unde redderet, juſſit eum dominus ejus ve-
numdari, & uxorem ejus, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi. 26 Procidens
autem ſervus ille orabat eum, dicens : Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.
27 Miſertus autem dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. 28 E-
greſſus autem ſervus ille, invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum de-
narios, & tenens ſuffocabat eum, dicens : Redde, quod debes. 29 Et procidens
conſervus ejus, rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, & omnia reddam ti-
bi. 30 Ille autem noluit, ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet de-
bitum. 31 Videntes autem conſervi ejus, quæ fiebant, contriſtati ſunt valde, &
venerunt, & narraverunt domino ſuo omnia, quæ facta fuerant. 32 Tunc vocavit
illum dominus ſuus : & ait illi : Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quo-
niam rogaſti me : 33 Nonne ergo oportuit, & te miſereri conſervi tui, ſicut &
ego tui miſertus ſum ? 34 Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quo-
adusque redderet univerſum debitum. 35 Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis,
ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

℣. 1. IN ILLA HORA ACCESSERUNT DISCIPULI.] Ex iis, quæ paulo ante diſcipulis ſuis dixerat Jeſus Chriſtus, ſe quamprimum eſſe moriturum, & reſurrecturum, arbitrati fuerant, regnum illius prope eſſe, ac ſe illum in Iſrael ſolio viſuros. Illi ergo iter agentes, quærere inter ſe cœperunt, quinam ea ipſa primus futurus eſſet in Regno Cœlorum. Quæſtioni huic non aderant Jeſus Chriſtus, & Petrus : hi quippe præceſſerunt, & ante alios Capharnaum pervenerant. Inde vero impellor, ut credam, eos ſolos fuiſſe, cum ad Urbem acceſſerunt ; quod Jeſus Chriſtus pro ſe, ac S. Petro dumtaxat cenſum perſolvit, quin ne verbum quidem de reliquis Apoſtolis fiat ; & ſtatim poſt hæc narrat Evangeliſta, *in illa hora* diſcipulos eodem momento perveniſſe, cum in via diſputaſſent, quinam futurus eſſet major in Regno Cœlorum, & Jeſum ſciſcitatos, quinam primus erit in Regno illius ? Addit S. Marcus 9. 32. Jeſum Chriſtum ſtatim illos percontatum fuiſſe, qua de re in via fuiſſent colloquuti, cui cum nihil redderent, advocaſſe parvulum, ac in medio eorum ſtatuiſſe. Quæſtio hæc acrior fortaſſe fuit, & prolixior, neque nondum ad finem pervenerat, cum illi domum acceſſerunt ; ideoque a Domino dirimendam reliquerunt.

A

Apoſtoli, non ſecus ac reliqui Judæorum occupati fuerant fallaci expectatione regni omnino temporalis Meſſiæ, cujus dignitates, munera, & honores iidem circiter eſſent futuri, ac in terrarum Imperiis. Et licet arrepta occaſione Salvator ea dixiſſet, quæ ſatis, ſuperque eſſent, ut illis error adimeretur : attamen nondum illius mentem ſatis erant aſſecuti. Opinabantur quidem, ut ad honores illos pervenirent, humilitate, ac ſimplicitate opus eſſet, at non ambigebant, quin hac via præcipuas dignitates eſſent conſecuturi. Hæ quæſtiones iterantur, eorumque ambitio excitatur fere ſemper, cum Jeſus Chriſtus de morte, Reſurrectione, ac Regno ſuo apud illos loquitur [1], neque errorem hunc, niſi poſt Jeſu Chriſti mortem, ac Sancti Spiritus adventum radicitus ex animo ejecerunt.

B

Patres putant [2], quæſtionem hanc inter Apoſtolos obortam fuiſſe per occaſionem numiſmatis, quem pro Jeſu, ac Sancto Petro perſolvi conſpexerant. Moneta quippe eadem, quæ pro utroque ſatis fecerat, innuebat, Sanctum Petrum reliquis quodammodo præferendum.

℣. 3. ADVOCANS JESUS PARVULUM.] Puer hic ſatis magnus erat, ut ad Jeſum vocantem accederet. Verum non eam ætatem adhuc attigerat, quæ nequitiæ, & ambitionis ſit compos ; quandoquidem hunc diſcipulis ſuis propoſuit Dominus, tamquam ſimplicitatis, innocentiæ, & humilitatis, quas ab illis exigebat, exemplar [3]. Dicunt nonnulli, puerum hunc fuiſſe S. Ignatium [4], qui mox Epiſcopus Antiochenus, in Eccleſia propter martyrium, quod pro Jeſu Chriſto pertulit, maxime enituit.

℣. 3. NISI EFFICIAMINI, SICUT PARVULI, NON INTRABITIS IN REGNUM COELORUM.] Niſi inanes has ſuperbiæ, ac primatus ideas omnino abjeceritis, nullam in Regno meo, neque in hoc, neque in altero mundo, partem obtinebitis. Numquam eritis vere diſcipuli mei, & Eccleſiæ meæ columnæ, mearum promiſſionum hæredes, æternarumque remunerationum participes. Hi quippe ſunt duo illi ſenſus, qui tribuendi ſunt his vocibus *Regnum Cœlorum*, ut Scripturæ concilientur : at horum utrumque diſtincte intelligebant Apoſtoli. Utrumque confundebant, quemadmodum ſuperius dictum eſt, eo quod juxta Scribarum doctrinam falſam ideam conceperunt Regni, ac ditionis temporalis Meſſiæ.

C

℣. 4. QUICUMQUE ERGO HUMILIAVERIT SE.] *Humiliare ſe* hoc in loco preſſius loquendo non intelligitur de humilitate, quæ in eo poſita eſt, ut de te coram Deo, & hominibus minime ſuperbe ſentias, infirmitatem, vilitatemque tuam animo reputans. Generatim vero intelligitur de iis omnibus, quæ opponuntur ſuperbiæ, ambitioni, vanitati, dominandi deſiderio, & philautiæ, quæ nos cogit, ut in omnibus ea quæramus, quæ in noſtram cedunt dignitatem, utilitatem, & commodum. Ut ſis Chriſtianus, & Jeſu Chriſti diſcipulus ; hæc omnia tibi procoldubio abjicienda ſunt. Quo major coram Deo eſſe cupis, atque elatiorem in Cœlo gradum aſſequi, eo magis te in humilitate confirmes, opus eſt, quod iſthic tantopere Salvator commendat. Ipſe omnium humillimus fuit, atque manſuetiſſimus : quo magis nosmet illi ſimiles præbebimus, eo magis gratiæ, & gloriæ ejuſdem participes erimus.

Dili-

1 Vide Matt. 20. 21. 22. Luc. 22. 16. 24.
2 Chryſoſt. Origen. Hieron. Euthym. Beda.
3 Ambroſ. l. 8. in Luc. *Non igitur puerilis, ſed æmula pueriliſ ſimplicitatis bonitas deſignatur.*
4 Græci quid. apud Anaſt. Biblioth.

Diligit ipſe pueritiam hanc, quæ ad veram humilitatem deducit. *Amat Chriſtus infantiam, quam primum & animo ſuſcepit, & corpore. Amat infantiam humilitatis magiſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis formam* [1].

QUI SUSCEPERIT UNUM PARVULUM TALEM &c.] Cum facti fueritis hujuſmodi parvuli ſimiles; ac vos mittam Evangelium meum prædicaturos, nullis opibus, niſi humilitate, atque innocentia commendatos, nihil uſquam vobis deerit; mihique factum ducam, quidquid vobis fiet. Hæc una eſt illa dignitas, ad quam omni niſu vobis eſt contendendum, ut humiles ſitis Apoſtoli magiſtri humilis, & pauperis. Eos admonet, ipſis hoc in mundo nihil præterea ſperandum reliquum eſſe. Vide ſupra cap. 10. ℣. 5. & 42. ubi illis tradit præcepta in miſſionibus obſervanda. Obiter ergo nunc illa in mentem revocat tunc temporis dicta: non mittam vos tamquam ſpectatiſſimos proceres, vel Legatos opibus, & auctoritate pollentes, ut Evangelium meum in omnes terrarum plagas afferatis, Inanes has magnificentiæ, divitiarumque cogitationes procul ejicite. Vobis comes erit puerorum humilitas, innocentia, ſimplicitas. At ſi quis vos laceſſiverit, me laceſſitum putabo; ſi quis vos exceperit, me exiſtimabo receptum: mihique factum ducam, quidquid vel pro vobis, vel in vos, factum fuerit.

℣. 6. QUI AUTEM SCANDALIZAVERIT &c.] *Scandalizare* hoc in loco iis opponitur, quæ ſuperiori verſiculo dicuntur, *qui ſuſceperit unum parvulum talem in nomine meo, me ſuſcipit*; hoc eſt, qui unum ex diſcipulis meis ſuſceperit, eamdem nanciſcetur remunerationem, ac ſi meipſum ſuſcepiſſet. *Qui autem ſcandalizaverit*, qui injurioſius exceperit, qui contempſerit, qui perſecutus fuerit, qui pro virili fuerit adniſus conviciis, contumeliis, verberibus, ſuppliciis, ut illum de mea fide, ac famulatu dejiciat; næ illi quidem nullum ſatis dignum ſui ſceleris ſupplicium infligi poteſt. Exquiſitiſſimis in altera vita cruciatibus torquebitur; ac illi expediet, ut cervicibus ſuis mola alligetur, quæ triticum terit, quam ut in tantum facinus decidat, eoque in ſe iræ meæ ſeveriſſimos effectus promereatur. Quidquid dicitur de illis, qui Apoſtolum detrudere fuerint conati, dicendum quoque de iis, qui fidelem quemlibet a fide revocare adnituntur. Qui hunc ſcandalizant, qui fidem, religionem, pietatem labefactare contendunt, vel qui pravis ſermonibus, ac nefariis exemplis illum in ſcelera præcipitem dant, graviſſimis ſuppliciis digni cenſentur.

Antequam Hydraulicæ, vel Pneumaticæ molæ invenirentur, manuariis utebantur, quæ a mancipiis circumagebantur. Claudebantur in molendinis, quodam veluti in carcere, ſervi; & ab illis in ſingulos dies, aut menſes, certa farinæ copia exigebatur. Ad id aſini etiam, vel equi nonnumquam adhibebantur, ſed tunc molæ graviores erant. Non ait ſimpliciter Jeſus Chriſtus ſatius fore, ut cervicibus illius mola adnectatur: ſed ait, *mola aſinaria*, ad magnitudinem, ac pondus illius indigitandum. Critici nonnulli [2] crediderunt, *molam aſinariam* ſignificare molam inferiorem, quæ ſane gravior eſt, & craſſior, atque nonnumquam a Græcis *ὄνος*, aſinus appellatur. Sed Jeſus Chriſtus non loquebatur Græce; & Syriace *mola aſinaria* eam tantum ſignificat, quæ ab aſino circumagitur [3]. Sanctus Hieronymus, & Interpretes quidam [4] credidere, ſupplicii genus fuiſſe antiquis Hebræis vulgatum, in mare præcipitem dejicere collo mola alligata eos, qui graviſſima perpetraſſent ſcelera, ac ſepulcro ſe minime dignos præbuiſſent. Hoc tamen in dubium a ſcitis nonnullis viris vocatur [5]: neque enim hujus rei ullum in hebraica antiquitate extat exemplum. Syri [6] tamen, vel Romani conſuetudinem hanc invehere potuiſſent in Palæſtinam, ubi loquebatur Jeſus, atque ad præſentes regionis illius conſuetudines, ut plurimum, alludebat.

VÆ MUNDO A SCANDALIS.] Arrepta eorum occaſione, qui parvulis in JESUM CHRISTUM credentibus ingerunt ſcandalum, Salvator generatim de ſcandalis verba facit. Væ mundo, qui infirmis, & puſillis ſcandali occaſionem præbebit: qui alios pelliciet, ut fidem meam deſerant, vel proni in ſcelera ruant. Væ & illi qui hujuſmodi ſcandalis patet [7], & qui ab iiſdem ſuperatur; ſed magis adhuc væ illi, propter quem puſilli decidunt, & qui eſt illis velut lapis offenſionis. *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala*. Cum Mundus tot ſceleribus, atque flagitiis abundet, ac diffluat, fieri nequit, ut nullum accidat ſcandalum; verum non ideo, vel qui illud ingeſſerint, vel qui illud receperint, excuſantur; uterque enim hoc ſciens, & volens libere facit. Eodem in ſenſu S. Paulus 1. Cor. 11. 19. ait, *oportere & hæreſes eſſe*; non ideo tamen hæreſiarcharum hæreticorumque culpa imminuitur.

VÆ HOMINI ILLI, PER QUEM SCANDALUM VENIT.] Veteres [8] paſſim hoc de proditore Juda explicuerunt: verum in latiori ſenſu de his omnibus, qui in Eccleſiam ſcandalum inferunt, eſt intelligendum.

℣. 8. SI AUTEM MANUS TUA &c.] Etiamſi, qui te in ſcelus, atque infidelitatem ſtudet impellere, amicus eſſet, vel cognatus tuus, immo ſi dextera ipſa tua, pes, oculuſve, abſcinde eum, ac projice abs te. Præſtat, hoc in mundo, quam in altero eſſe calamitoſos. Præſtat carere amico, cognato, vel parte aliqua corporis ſui, quam animæ detrimentum ſubire, & in periculum, atque diſcrimen æternam vitam adducere. Vide ſuperius dicta cap. 5. ℣. 29. 30.

℣. 10. VIDETE, NE CONTEMNATIS UNUM EX HIS PUSILLIS.] *Puſillorum* nomine non pueri, ſed diſcipuli fideles, Apoſtoli intelliguntur, qui ob ſimplicitatem, innocentiam, humilitatem, hoc nomine deſignantur. Ad explicationem hanc intelligendam, ea conjungenda ſunt, quæ SS. Marcus 9. 38. & Lucas 9. 49. narrant: videlicet, cum JESUS CHRISTUS ad Apoſtolos diſſereret de eo pretio, in quo puerorum humilitas, atque ſimplicitas habenda eſt, S. Johannes dilectus diſcipulus ait illi: *Magiſter, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia; quia non ſequitur nos, & prohibuimus eum*: JESUS *autem ait: nolite prohibere eum . . . , quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam: & quiſquis ſcandalizaverit unum ex his puſillis credentibus in me, bonum eſt ei magis, ſi circumdaretur mola aſinaria collo ejus, & in mare mitteretur*. Videmus, illum illic duas conjungere ideas, alteram puerorum humilium, ſimplicium, & mitium, alteram diſcipulorum ſuorum, quibus etiam atque etiam humilitatem, atque modeſtiam commendat. Ne credatis, diſcipulos meos, & qui deinceps omnibus ſæculis in me ſunt credituri, gregem eſſe contemptibilem, & quovis merito carentem, eo quod faſtu & ambitione caruerint. Cœleſtes Angeli, qui divino aſſiſtunt ſolio, eorum cuſtodes ſunt, atque Patroni. Hinc judicium ferre licet de illorum dignitate atque nobilitate; quomodo curæ ſint Deo, & quantum impendeat periculum illos laceſſentibus; quandoquidem Deus ipſe illis in præſidium Angelos, ac miniſtros ſuos tradit, ita ut eos lædentes, Angelos eorum lædatis [9].

Loquitur Scriptura non ſolum de Angelis cuilibet Regno, Provinciæ, populo præfectis; verum etiam ſuper quamlibet Civitatem & Eccleſiam conſtitutis.

Da-

1 Leo Magn. Serm. 5. de Epiphan. 7. c. 6. 7.

2 Vide Camer. Grotius e contra tuetur [illegible], ſignificare potius molam ſuperiorem; quod ex Polluce probat.

3 Ita Hilar. hic. Ambroſ. Maldon. Grot. Boch. de Animal. part. 1. l. 2. c. 13.

4 Hieron. hic. Eraſm. Mald.

5 Ligfoot. Lyran. Grot. Ham. Le Clerc.

6 Vide Grot. hic, & Caſaubon. in Sueton. Aug. c. 67.

7 Vide Chryſoſt. Euthym. Theophyl.

8 Philaſtr. *hæreſ. eorum qui Judæ proditionem laudabant*. Hieronym. Beda, hic, Author Comment. in 1. Cor. 11, ſub nomine Ambroſ.

9 Ambroſ. l. 8. in Luc. Hilar. hic.

A Daniel [1] verba facit de Angelo Regni Perſarum & de Sancto Michaele Judaicæ nationis Patrono. Septuaginta quoque in Deuteronomio [2] de Angelis Dei loquuntur, cuilibet populo præpoſitis: *Dominus in nationum diviſione, has pro Angelorum Dei numero diſtribuit*. S. Johannes in Apocalypſi 1. 20. & 2. 1. ſingulis Eccleſiis, de quibus loquitur, Angelos aſſignat, & Moyſes Exod. 23. 20. & 32. 34. teſtatur, Hebræis in deſerto Angelum ducem fuiſſe. Quoad Angelos vero cuſtodes ſingulis hominibus traditos, perſpicua ſuppetunt in novo teſtamento, atque in Judæorum, Chriſtianorumque, immo etiam Ethnicorum traditione, argumenta. Jacob loquitur de Angelo, qui ſibi in omnibus viis dux ſemper adfuerat, quique illum ne omnibus periculis eripuerat [3]. Pſalmiſta non ſemel de Angelis Juſtorum Patronis verba facit [4]. In Actis c. B 12. 14. cum S. Petrus divinitus e carcere evaſiſſet, atque ad oſtium pulſaſſet, ubi alii verſabantur diſcipuli; hi credere nolebant, hunc illum eſſe; ſed Angelum illius eſſe, dicebant. Credidere nonnulli, ipſi etiam Jeſu CHRISTO ſuum præſto fuiſſe Angelum, qui ad illum acceſſit, ut in agone poſitum conſolaretur. *Apparuit illi Angelus de Cœlo confortans eum.* Luc. 22. 43.

Veteres complures docuere ſingulos noſtrum, non ſolum cuſtodem Angelum habere, qui nos regat, atque tueatur; verum etiam Angelum pravum nobis tentandis, atque ſeducendis intentum. Origenis [5] in ſua de Cuſtodibus Angelis ſententia ſibi non conſtat. Alibi enim [6] ſingulis binos tribuit, bonum alterum, alterumque malum: alibi [7] juſtis duntaxat atque fidelibus, eoſque bonos tantummodo Angelos tribuit: C alibi vero [8] fidelibus æque, ac infidelibus aſſignat. Nonnumquam etiam ambigit, utrum ſinguli Angelum ab ipſo nativitatis momento, an ſolum poſt baptiſma ſortiamur, & utrum, qui perfecti ſunt, atque in virtutis via longius proceſſerint, ipſum Dei Filium habeant cuſtodem. Pleræque hujuſmodi ſententiarum Origenis [9] non admodum in Eccleſia proceſſerunt: ſed ea quæ ſingulis binos Angelos, bonum ac malum, attribuit, plures habuit aſſeclas; quoniam in duobus antiquis operibus inveniebatur, quibus vulgo plurima deferebatur auctoritas; videlicet in Hermæ, vel Paſtoris libro, & in S. Barnabæ epiſtola, ubi perſpicuis verbis doctrina hæc continetur. Hanc Sanctus Gregorius Nyſſenus in Vita Moyſis, & auctor operis imperfecti D in S. Matthæum, hom. 5. Beda in c. 12. Act. Apoſt. Caſſianus Collat. 8 c. 17. aliique nonnulli adoptarunt.

Sententiam hanc ex Platone [10] didicerat Origenes. Philoſophus ille duos agnoſcit genios, ſingulorum hominum comites, alterum mali, boni alterum ſuaſorem. Apulejus vero de uno tantum loquitur Dæmone, vel Angelo, quem ſingulis hominibus Plato tradiderit [11]. *Ex hac ſublimiore Dæmonum copia Plato autumat ſingulis hominibus in vita agenda, teſtes & cuſtodes ſingulos additos, qui nemini conſpicui ſemper adſint.* Angelus hic teſtis eſt, non actionum duntaxat noſtrarum, verum etiam cogitationum. Cumque exacto vitæ hujus curriculo ad principium ſuum homo revertatur, oportet; Angelus, qui illi cuſtos aſſignatus fuerat, abit, animamque coram Supremi Judicis ſolio ſtatuit, ac E prope illam adſtat, donec judicetur. Hæc ſi falſum dixerit, eam reprehendit, & mendacii coarguit; ſin verum, confirmat ita, ut ex Spiritus hujus teſtimonio Judex ſententiam ferat. Hæc Apulejus.

A Hic, quæ narrat tamquam Platonis ſententiam, nonnihil immiſcuit, fortaſſe ex Chriſtiana Religione deſumptum. Hoc tamen ſemper probat Chriſtianorum ſententiam, quam neque Ethnici quoque ignorarunt. De hujuſmodi geniis, quos ſingulis hominibus ex ipſo nativitatis exordio ad mortem uſque putabant Ethnici adhæreſcere, Cenſorinus [12] quoque verba facit; atque inde ſane profectam diuturnam veterum erga genios ſuos obſervantiam. Hujus opinionis antiquitas in ipſo deprehenditur Heſiodo, Græcorum omnium Poetarum, qui extant, antiquiſſimo. In tertio ait l. 1. oper. & dier. bonos adeſſe Angelos in hominum cuſtodiam a Jove demiſſos, bonorum, malorumque omnium, quæ fecerint ſedulos exploratores.

℣. 11. VENIT ENIM FILIUS HOMINIS SALVARE B QUOD PERIERAT.] Cave ne ex fidelibus meis minimorum aliquem contemnas, neque aſperneris eos, quorum conditio antea humilis erat, & contemptibilis, & quorum fortaſſe vivendi ratio frugi non erat. Deus nullam perſonarum acceptionem admittit. Venit Filius hominis quærere peccatores [13] & eos ſalvos facere, qui peccarant. Minimus e tuorum numero, toto Cœlo major in pretio habendus eſt quam alii, quod cæleſtes Angeli cura illius ſunt deſtinati, & a cæleſti Patre tanti æſtimatur. Innuere videtur iſthic, ne Ethnicis Eccleſiam ſuam aliquando componendam, neque illos ab Apoſtolis contemnendos eſſe propter priſtinam eorum nuditionem, & infidelitatem.

Non defuere [14] qui non ſatis percipientes loci hujus cum ſuperioribus nexum, arbitrati ſunt, eum iſthuc irrepſiſſe, atque extra veluti locum ſuum migraſſe. C Animadvertunt quidem, non deeſſe Græca quædam exemplaria, in quibus deſideretur, eumque nec ab Origene, neque a S. Hieronymo in Commentariis explanatum fuiſſe; legitur tamen in omnibus antiquis verſionibus, eumque S. Hilarius, S. Johannes Chryſoſtomus, Theophylactus, aliique legerunt, & in variantibus lectionibus novi teſtamenti Domini Millii, unus duntaxat notatur manuſcriptus liber, ubi deſit.

℣. 12. SI FUERINT ALICUI CENTUM OVES &c.] Nonne nonaginta novem oves in montibus deſeret, eam, quæ aberraverat, quæſiturus? Ita Deus quodammodo minorem gerit curam, ac minus afficitur ob ſalutem bonorum, quam ob peccatorum exitium; & his majores quam illis amoris, & benevolentiæ notas oſtendit. D Illum magis magiſque lædit, qui infirmorum interitum & calamitatem feſtinat, quam illi placeat, qui bonorum ſtudet incolumitati. Pergit JESUS CHRISTUS oſtendere, quanti periculi ſit infirmis ſcandalum tribuere, eoſque in ſcelera impellere. Confirmat ea, quæ ſuperiori verſiculo dixerat, Filium Hominis veniſſe, ut ſalvos faceret, qui perierant.

Veteres nonnulli Patres [15] credidere, novem & nonaginta oves, de quibus in parabola ſermo eſt, Angelos eſſe, qui perſtiterunt in fide; ovem autem deviam, & errantem eſſe homines, & infideles Angelos. Verum ſententiæ hujus periculum facile quivis intelligere poteſt: ea quippe nos deducit, ut affirmemus, veniſſe JESUM CHRISTUM, ut homines ſimul, & rebelles Angelos ſalvos faceret: qui non poſtremus fuit E inter errores Origenis, quos damnavit Eccleſia.

℣. 14. SIC NON EST VOLUNTAS ANTE PATREM VESTRUM.] Vult Deus, ut homines omnes ſalvi fiant, & ad veritatis cognitionem perveniant [16]; omnibus viam ſtur-

1 Dan. 10. 13. 21. 2 Deut. 32. 8. *Ita Patres antiqui pene omnes.*
3 Gen. 48. 16. 4 Pſalm. 33. 8. 90. 11. 5 Vide Huet. Origenian. l. 2. c. 5. art. 21. & ſeqq.
6 Origen. lib. 1. in Epiſt. ad Rom. Homil. 23. in Joſue, l. 3. de Princip. cap. 3. Homil. 35. in Luc.
7 Vide Origen. Homil. 20. in Numeros. Homil. 23. in Joſue, Homil. 1. in Ezech. & l. 2. de Princip. c. 2. &c.
8 Origen. tom. 13. in Matth. pag. 310. Homil. 35. in Luc.
9 Vide Origen. Homil. 11. & 25. in Numer. & 23. in Joſue. 10 Plato l. 10. de Legib. apud Theodoret. Serm. de Curandis Græcor. affect. 11 Apulæi, libel. de Deo Socratis.
12 Cenſorin. de Die Natali. *Genius autem ita nobis obſervator appoſitus eſt, ut ne puncto quidem temporis longius abſcedat: ſed ab utero matris exceptos, ad extremum vitæ diem comitetur.*
13 Vide ſupra c. 9. 12. 14 Vide Bezam hic. Vide & Eraſm. 15 Vide, ſi lubet, Iren. lib. 3. cap. 21. & 39. Origen. Homil. 9. in Geneſ. & Homil. 7. in Joſue. Cyrill. Catech. 15. Hilar. hic. Ambroſ. Apolog. David. cap. 3. Greg. Mag. Homil. 34. in Evangel. 16 1. Timot. 2. 4.

ſternit, ut ſi velint, ſerventur: nullius interitum cupit; & mœret, ubi aliquis deerraverit [1]. Væ illi, qui ab hoc bonitatis referriſſimo conſilio abhorruerit, & infirmos ſcandalizaverit. Græcus pluribus in exemplaribus [2] legit, *Patrem meum qui eſt in Cœlis* pro *Patre veſtro &c.*

℣. 15. Si autem peccaverit in te Frater tuus.] Jesus Christus hic tradit præcepta, ut fraterna correctio cum laude exerceatur. Hoc non minimum eſt, at non facillimum noſtræ Religionis officium. Crediderunt Patres quidam [3], hic agi de majoribus noxis nobis illatis, quas vel condonare, vel caſtigare noſtrum eſt juxta ea, quæ iſthic feruntur, præcepta. Etenim quod ad minores pertinet culpas, quæ quotidie admittantur, & quas nemo fere, licet ſapientior, & cautior, evitare poteſt; B harum ſatius eſt oblivisci, earumque veniam elargiri, quam ut nobis ſatis fiat, expetere: neque iis in occaſionibus decet eo uſque progredi, quo iſthic Jesus Christus permittit. Agitur ergo hoc in loco de gravioribus erratis, ſive ad nos ſpectent, ſive in Deum admiſſa ſint, ſive in proximum noſtrum; vel palam, vel privatim, cum prudentiæ, & charitatis leges nobis locum præbent ſperandi futurum, ut noxium corripientes, monenteſque illum ad officium revocare poſſimus; vel cum munus noſtrum expetit, ut illi erratum ſuum aperiamus; hæc ea ſunt præcepta, quæ nos ſequi neceſſum eſt.

Primo. Clam inter te, & ipſum ſolum admoneas oportet, neque palam noxam illius in vulgus proferas. Si te audierit, & ad frugem redierit: animam illius lucri feciſti, & ex graviſſima calamitate illam eripuiſti. C Secundo; ſi non audierit te ſecreto monentem, coram ſapientibus & prudentibus quibuſdam viris illum redargue. Tertio, ſi adhuc monita & caſtigationes ſapientum contempſerit, certiorem fac Eccleſiam, vel populum, ubi in precum locum convenerit, ut vel pudor videndi ſcelus ſuum ab univerſo populo cognitum, vel Eccleſiæ totius ſimul collectæ exhortationes illum deterreant, ac tandem ſe colligat. Quarto, ſi neque te, neque Eccleſiam audierit, habeto illum tamquam Ethnicum, & Publicanum. Nullam cum eo neceſſitudinem ineas, illum ſibimetipſi, veluti inemendabilem derelinque, ac ſufficiet tibi divinæ illum commendare miſericordiæ, quæ eſt domina ſpirituum, & quæ cor lapideum in carneum poteſt immutare.

D Buxtorfius in Synag. Judaic. c. 20. ait, Judæos ut ſe ad ſolemnis expiationis feſtivitatem præparent, adire inimicos ſuos, ut cum illis in gratiam revertantur. Si qui laceſſitus fuerit, renuit parcere alteri, qui laceſſivit, tres ſecum viros aſſumit, ac iterum illum convenit, atque ad lenitatem flectere conatur: qui ſi rurſus flecti minime patiatur, prior ille decem aſſumit teſtes, ac tertio accedit veniam deprecaturus. Sin autem læſus & tertio parcere noluerit, tunc ille abſolutus cenſetur, & innocens coram Deo. Baſnagius [4] nonnihil addit; docet, apud Hebræos, ante excommunicationem, cenſuram vel correptionem præcedere. Hæc fit primum ſecreto: verum ſi ad frugem non revertitur noxius, domus judicii, videlicet Judicum cœtus illi non ſine minis imperat, ut corrigatur: qui ſi in errore perſtiterit, E cenſura quatuor ſubſequentibus Sabbathis palam fit, & noxii nomen, & ſceleris genus in vulgus edicitur, ut ſonti pudor confletur; qui ſi ad frugem minime redit, jam renunciatur excommunicatus, vel ſeparatus.

Hæc excommunicatio major erat, vel minor [5]; prior excommunicatum ab omni Judæorum ſocietate prohibebat; poſterior vero illum arcebat a ſocietate cujuſdam tantummodo partis cœtus ejuſdem: ex. gr. ab univerſa loci illius Synagoga, ubi fuerat excommunicatus. Hæc autem ſeparatio efficiebat, ut nemo ex-

A communicato accumbere poſſet, niſi relicto quatuor ſaltem cubitorum intervallo, excepta illius uxore, & filiis; nec poterat ille cum aliis vel conveſci vel compotare, neque in judicio teſtari, ſed civili vitæ mortuus exiſtimabatur. Ajunt tamen, illi templi aditum nequaquam omnino fuiſſe intercluſum, neque religionis convivia interdicta; at in hoc ab aliis ſecernebatur, quippe per lævum latus ingrediebatur in Templum, & per dexterum egrediebatur; cum cæteri Iſraelitæ e contra, per dexterum ingreſſi, per lævum egrederentur.

Nullus dubito, quin Dei Filius iſthic ad has Hebræorum conſuetudines alludat. Verum ex diſcipulis ſuis longe majorem expetit perfectionem, quam Rabbini ex alumnis ſuis peterent. In hoc etiam, uti in B reliquis jubet, juſtitiam fidelium magis abundare, quam Scribarum, & Phariſæorum. I. apud Judæos, qui læſerat, pro virili adnitebatur ex eo, qui læſus fuerat, veniam impetrare. E contra vero Jesus Christus jubet illum, cui illata fuerit injuria, ejus a quo læſus fuerit, correctionem perquirere: non quod ſonti permittat, non amare eum, qui a ſe læſus fuerit, expectans, donec ad te læſus accedat: hunc enim veniam ab eo petere cogit, quem laceſſivit. At ſi noxius hoc minime fecerit; cupit Dominus, ut qui læſus fuit, in gratiam redire cum lædente conetur. II. apud Judæos excommunicatio inſtituta videbatur veluti pœna, ne inultus eſſet, qui læſus fuerat. In Eccleſia vero id unum quæritur, ut noxius reſipiſcat: *ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum*. Hoc tibi proponas, opus C eſt. III. Hebræorum excommunicatio non aliud erat, quam pœna civilis, cujus effectus in animam minime extendebatur, neque noxium a ſacrorum uſu prohibebat: ſed in Eccleſia pœna eſt ſpiritualis, privans rerum Sanctarum uſu, ut qui in terra vinctus eſt, vinctus ſit etiam in Cœlo, quemadmodum ait Salvator ℣. 18.

℣. 16. Adhibe tecum adhuc unum vel duos.] Ut audiant quid dixeris fratri tuo, atque teſtimonium perhibere poſſint, & pervicaciæ ſontis, & charitatis illius, qui fraternam correptionem exercet [6]; vel ut tuas tuis preces conjungentes, facilius illum movere poſſint [7]; vel denique ut ille cognoſcens, ſe non a te ſolum, verum & ab aliis damnari, conſpecta erroris magnitudine illum facilius pœniteat [8].

℣. 17. Si non audierit eos, dic Ecclesiæ.] D Hæc gradatio ſupponit ſpem, futurum, ut noxius convertatur, atque rectæ voluntatis tuæ fructum percipiat. At ſi prudenti conſilio judicare poſſes, illum neque prioribus neque ſecundis monitionibus aures præbiturum; ſi perfrictæ frontis eſt, & occaluit; ſi talis eſt, ut non ſolum non audiat, verum etiam conviriis laceſſat, qui eum ad frugem revocare conatur; hic divinæ relinquendus eſſet miſericordiæ, ne majus malum efficias, ratus, aliquid boni te conſequi poſſe. Tunc amplectaris opus eſt conſilium Jesu Christi prohibentis, ne margaritæ projiciantur ante porcos. Matt. 7. 6.

Eccleſia hoc in loco cœtus eſt fidelium, qui in Jesum Christum ſunt credituri. Cum Salvator apud Apoſtolos ſuos loqueretur, qui Judæi erant, & qui *Eccleſiæ* nomine intelligebant cœtum populi in Synago- E ga coactum, vel ſimpliciter Synagogæ capita; illis ſignificare ſtudebat, in novo etiam Regno ſuo futuros cœtus, futuros precum locos, futuras Eccleſias, & corpus religionis, quod coaleſceret per fidem, & communionem Sacramentorum, ſententiarum, orationum, ſub Epiſcoporum regimine, ad quos eſſent deferenda eorum nomina, quorum pertinacia, & nequitia ſuperari minime potuiſſent; ut Eccleſia, vel cœtus cum principibus ſuis, orationibus, precibus, vel auctoritate uterentur, illos ad officium revocaturi. Vide 1. *Timoth.* cap. 5. ℣. 20. & 1. *Cor.* cap. 2. ℣. 6.

Si

1 Sap. 1. 13. 2 Ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς.
3 Hilar. Chryſoſt. Hieronym. hic, Ambroſ. in cap. 17. Luc. Theophyl. Euthym. in hunc loc. Auguſt. ſerm. olim 16. de Verbis Domini; nunc 82. c. 7. 4 Baſnage, Hiſtoire des Juifs, Liv. 5. Ch. 18.
5 Vide Seldenum, de Synedriis, Hebr. lib. 1. cap. 7. 8. 9. 10.
6 Chryſoſt. & Euthym. hic. Jac. Capell. 7 Brug. alii.
8 Chryſoſt. hic. Auguſt. ſerm. 82. olim 16. Hieronym. hic. Theophyl. Mald. Grot.

A Si autem Eccleſiam non audierit, sit tibi ſicut Ethnicus.] Si neque Paſtorum voces, neque Seniorum monita, neque cœtus preces audit: ſi negotium illi minime faceſſis, neque corpus Eccleſiæ, nec illi qui eam regunt, & exhibent; eſto iſte tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus. Ejus ſocietatem, & occurſum evites; nullam cum eo conſuetudinem, neceſſitudinem nullam habeas: non comedas, neque commoreris cum illo, neque ei ſalutem dic. Hic enim Judæorum mos erat adverſus Ethnicos, Publicanos, Schiſmaticos Apoſtatas [1]. Inde Christi Eccleſia mutuata eſt diſciplinam, quam ſemper adverſus hæreticos, & excommunicatos exercuit; ut liquet ex Scripturis [2], atque Eccleſiaſticis monumentis [3]. Tibi non licet illum odiſſe, neque de ſalute illius deſperare:
B verum operæ pretium eſt ſalubrem illi verecundiam ingerere ab eo ſemper extrinſecus abhorrendo; utilius vero, ſe etiam ab interitus occaſione longe abeſſe, procul ab illius ſocietate degendo. Pro illius converſione ingemina preces tuas eodem tempore, quo magis ab illius ſcelere te abhorrere ſectaris.

℣. 18. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram.] Eccleſiam alloquitur ex Capitibus ſimul & fidelibus conflatam, Eccleſiæ enim neque caput eſt ſine membris, neque membra ſine capite. Si reus Eccleſiam non audierit, hoc in ſenſu intelligam; videlicet, fideles omnes cum paſtoribus ſuis; vel ſimpliciter Paſtores, Eccleſiæ ſuæ corpus exhibentes; recede ab illius ſocietate, habe illum tamquam anathemate percuſſum; dico enim tibi, eum qui canonica ſententia ita erit ab Eccleſia divulſus, in
C Cœlo quoque vere excommunicatum iri, & e contra illum, qui ſceleris pœnitentia ductus ſe ſe humiliter Eccleſiæ ſubjecerit, atque abſolutus fuerit, in Cœlo quoque vere iri abſolutum. Senſum hunc Patres, atque Doctores Catholici huic loco tribuunt.

Proteſtantes vero auctores nonnulli aliam huic explicationem appingunt. Tenet Seldenus l. 1. de Syned. c. 9. hæc verba, *dic Eccleſiæ*, non innuere Eccleſiæ præſules; quoniam Eccleſiaſtici Antiſtites nullam habebant in fideles auctoritatem, ut juridica ſententia illos a communione divellerent. Jesus Christus apud Judæos verba faciebat, atque juxta eorum conſuetudines, & præjudicia loquebatur: apud quos non Eccleſiaſtici tantum Superiores, verum & laicus quilibet,
D alios excommunicandi poteſtatem habebat. Addit etiam, apud Judæos nullum fuiſſe concilium ſuperiorum Eccleſiaſticorum, illi reſpondens quod in Eccleſia *Presbyterium*, Senatus videlicet Eccleſiaſticus appellatur. Credit hoc in loco, *dic Eccleſiæ*, ſignificare, dic fidelibus congregatis, ſine tamen ulla auctoritate juridica; & idem eſſe perinde ac diceres: illum palam corripe.

Fatemur quidem, Jesum Christum juxta Judæorum captum, & conſuetudinem ſæpius locutum fuiſſe; iſthic vero ad Synagogarum diſciplinam alludere. Verum non inde ſequitur, illum nihil addidiſſe, vel detraxiſſe nihil ex illorum moribus, & diſciplina. Exploratum, compertumque eſt e contra, ubicumque de Regni ſui loquitur inſtitutione, majorem ſemper
E expetere perfectionem, quam Lex a Judæis exigeret, & liquet, ipſum veniſſe, ut Legem reformaret atque perficeret; non ut ſervili pacto illam ſequeretur & ad literæ apicem illi adhæreret. Eſto quidem privatis fuerit excommunicandi poteſtas; verum hic manifeſtus erat abuſus, quem Jesus Christus erat ablaturus. Senatus Eccleſiaſticus nondum inſtitutus erat; ſed jam jam erat inſtituendus. Jesu Christi mandata, ut plurimum, illud reſpiciunt tempus, quod ejus Reſurrectionem, Eccleſiæque ipſius inſtitutionem ſub-

A ſequutum eſt. Patet, hæc verba, *dic Eccleſiæ*, ad Hebræorum conſuetudinem referri, de qua ſuperius loquuti ſumus, ubi palam in Synagoga tribus deinceps Sabbathis proferebatur, & rei nomen, & reatus ſpecies [4]; non autem in hoc commentitio cœtu privatorum quorumdam, quibus nullus eſſet character, auctoritas nulla.

Auctor idem conatur oſtendere, verba hæc, *ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*, intelligi nequaquam poſſe de excommunicatione Judaicæ perſimili, vel quæ ſis deinde in Eccleſia uſum obtinuit; nam, ait ille, Judæi Ethnicos, & Publicanos anathemate non percutiebant; & Judæis excommunicatis neque aditus in Templum intercludebatur, neque ſacrorum communione illi prohibebantur. Demum tenet, hæc verba:
B *quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*, hoc unum ſignificare: quod permiſeritis vel prohibueritis ſuper terram, in Cœlo quoque permiſſum erit, vel prohibitum: non autem, quod alligaveritis per excommunicationem, vel per abſolutionem ſolveritis, quod remiſeritis, vel damnaveritis, in Cœlo etiam abſolutum erit vel damnatum; nam, quemadmodum jam dictum eſt, Judæorum anathema excommunicatis, neque uſum Sacrorum, neque Templi introitum interdicebat. Arbitratur ille contra Patrum omnium, Conciliorum, Scholaſticorum, Interpretum, immo etiam primorum auctorum commentitiæ reformationis ſententiam [5], excommunicationem non eſſe de jure divino, neque Eccleſiæ An-
C tiſtites vere ſolos eſſe ejuſdem miniſtros. Ut verbo me expediam; hoc illius maximum argumentum eſt; Chriſtianorum excommunicationem omnino eamdem eſſe, ac Judæorum [6]: cumque hæc de jure divino non fuerit, & uſum obtinuerit dumtaxat poſt captivitatem, cumque nullam e ſacris rebus inferret ſeceſſionem; ita Eccleſiæ excommunicationem nequaquam majorem effectum producere.

At reſpondemus omnino hunc Seldeni argumentorum Achillem negantes. Quamvis Eccleſiæ excommunicatio Judaicam exceperit, & ad exemplar illius inſtituta fuerit; non ideo eadem eſt, ejuſdem vis, ejuſdemque extenſionis. Noſtrum quoque Baptiſma ad Judaici exemplar effictum fuit; num ideo inferet quiſpiam idem eſſe? Diſciplina noſtra nonnullos Synagogæ
D ritus imitata eſt; quis vero hinc arguet, eſſe eoſdem? hoc ſi verum eſſet, ad quid Jesus Christus veniſſet? videmus ex ipſo Apoſtolorum uſu [7], ac deinceps omnibus ſæculis ab Eccleſia ſententiam excommunicationis latam fuiſſe, qua nefarios a ſua communione divelleret, Sacramentorum uſu privaret, ac de Eccleſia ejiceret, quos ita excommunicaſſet. Umquam ne Sacerdotibus contulit Moyſes eam poteſtatem, quam Jesus Christus elargitur Apoſtolis ſuis; ut quod alligaſſent, vel ſolviſſent, permiſiſſent, aut prohibuiſſent, damnaſſent, aut abſolviſſent ſuper terram, ita etiam in Cœlis vel damnaretur vel abſolveretur? Seldenus ait, a Judæis numquam excommunicatos fuiſſe Ethnicos, & Publicanos; quis hoc in dubium vocat? at hinc infert, illum, qui velut Ethnicus
E & Publicanus habebatur, excommunicatum non fuiſſe. Ego vero omnino e contra argumentor. Excommunicatus, ratione Eccleſiæ, eſt tamquam Ethnicus & Publicanus, eo quod ab Eccleſiæ corpore divulſus eſt, atque tanquam perfrictæ frontis, & inemendabilis exiſtimatur. Alibi egimus de excommunicatione juxta Rabbinorum doctrinam [8]; verum operæ pretium duximus, iſthic fuſius loqui de commentitia ſimilitudine, quæ inter Eccleſiaſticam, & Judaicam excommunicationem intercedit; non deſunt enim recentiores

R 2 qui-

---

1 Ligfoot. Hor. Talm. hic. 2 Vide 1. Cor. 5. 11. 2. Tit. 3. 10. & 2. Joan. 10. 11. & Commeus. noſt. ad Matth. 5. 46. 47. 3 Iren. lib. 3. cap. 3. Vide Grot. & Jac. Capell. & Maldon. hic.
4 Vide Baba Sanhedr. fol. 26. Maimon. in [illegible] c. 10. & 14. Ligfoot, hic.
5 Ita affirmat cap. 10. p. 325. primi libri de Synedriis. 6 Vide eumdem Seldenum l. 3. c. 10. ejuſdem operis. 7 1. Cor. 5. 2. 4. 5. Tit. 3. 10. 11. & 2. Joan. 10. 11. 2. Tim. 2. 17. 18.
8 Vide noſtram Diſſertationem de ſuppliciis veterum Hebræorum, Deuteronomio præfixam.

quidam [1], qui eadem adhortantur ad Eccleſiæ auctoritatem hac in re, ſi fieri poſſet, infirmandam, & evertendam. Verum illis opponi poſſunt ea, quæ Grotius ait, in S. Lucam cap. 6. ℣. 22.

Scio equidem veteres nonnullos [2] credidiſſe, hæc verba, *quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo*, explicanda eſſe, non de Eccleſiæ Paſtoribus, ſed de fidelibus ſingillatim, qui poſſunt illatam ſibi injuriam vel dimittere, vel ſecus. Si omni niſu contenderis ut fratrem tuum ad officium revocares; ſi primum clam, mox coram teſtibus, ac demum coram Eccleſia univerſa illum corripueris, neque ad frugem redierit; immo e contra monita tua contempſerit, ſi illi injuriam non remiſeris, propter quam tibi ſatisfacere renuit, recipio ſpondeoque hanc illi in Cœlo numquam eſſe remittendam. Sin autem e contra ſe ſe collegerit, te audierit ac illi peperceris, in Cœlo quoque parcet illi deus: *Cœpiſti habere fratrem tuum tamquam Publicanum; ligas illum in terra. Sed ut juſte alliges, vide: nam injuſta vincula diſrumpit juſtitia. Cum autem correxeris & concordaveris cum fratre tuo, ſolviſti illum in terra*, inquit S. Auguſtinus Serm. 82. n. 7.

Verum I. Patres hi nunquam negaverunt, Eccleſiam, & Præſules, qui regunt illam, ſequeſtres eſſe poteſtatis ligandi, atque ſolvendi, Apoſtolis a Jesu Christo traditæ. II. locutiones hoc in loco explicandæ ſunt ex ſenſu, & conſuetudine univerſali Eccleſiæ, quam ſemper approbarunt, & quæ ſemper hæc fuit, ut excommunicandi jus numquam ad eos, qui læſi fuerant, attineret; aliter enim læſos quilibet judex fieret in cauſa propria. III. innuere ſolum voluerunt, quod peccator, qui renueret ſatisfacere fratri, & Eccleſiam audire, ſemetipſum alligat ſibique cœli aditum obſtruit, cum nolit eam ſatisfactionem præbere, cui voluit Deus peccati illius veniam adhæreſcere; neque uti eo adminiculo, quod illi ſuppeditavit Deus, ut ſe ſe diſſolvere poſſet. Verum hoc minime obeſt, quin alligari quoque poſſit ab Eccleſiæ miniſtris, vel per excommunicationem, vel per negatam, aut dilatam abſolutionem.

℣. 19. Iterum [3] dico vobis, quia si duo ex vobis &c.] Quidquid ſuperioribus verſiculis dictum eſt, in id unum tendit, ut unio ſervetur, vel reparetur. Hoc ab eodem ſcopo non abeſt: ſi concordes eritis, petite quod vobis lubet, & voti damnabimini. Vel, ſi inter vos obrepit diſſidium, ſtatim in gratiam revertimini: licet parati eſſetis, ut ſacra veſtra offerretis Deo, coram altari munera veſtra deponite, ac ſtatim abite, ut cum fratre veſtro reconciliemini [4]. Hæc una omnium optima via eſt, qua a Patre Cœleſti quidquid petieritis, obtinere poſſitis. Charitas, atque animorum conjunctio ſanctam, amabilemque vim inferunt Deo. Cum ait, illos quidquid petierint impetraturos, id intelligendum eſt, ſi juſta, ac ſaluti ſuæ utilia popoſcerint: hæc enim impetrabunt, vel aliquid aliud, quod eorum ſanctificationi magis expediat. Vide, quæ diximus ſupra ad Matth. 7. 7. 8.

Patres [5], ut plurimum, hoc in allegorico ſenſu explicuerunt; tecum ipſe concors ſis; nullum ſchiſma, diſſidium nullum ſit inter corpus tuum, & animam tuam; anima quidem dominetur, & pareat corpus: pars ea, quæ ſpiritui ſubdita eſſe debet, non inſorgat in partem ſuperiorem; tunc vero a Deo pete quod tibi arriſerit. S. Johannes Chryſoſtomus, & Euthymius hoc ad ſolos Apoſtolos coarctant: ubi duo, aut tres veſtrum convenerint, aliquid a patre meo petituri, fiet illis. Origenes in Matth. hoc transfert ad conjuges, qui ea communi conſenſu ad tempus ſecedunt, orationi vacaturi, juxta Apoſtoli 1. Cor. 7. 5. conſilium. Verum hæc omnia allegoriam potius ſapiunt, quam litteram.

℣. 20. Ubi enim sunt duo, vel tres &c.] Hæc eſt eorum probatio, quæ ſuperiori verſiculo dixit; ſi charitatem, & concordiam ſervaveritis; Pater meus nihil renuet vobis, quoniam ego adero in medio veſtrum, pro vobis intercedam, ac petitionibus veſtris meam auctoritatem adjiciam. Verum hæc promiſſio non coarctatur ad preces tantum, ſed ad omnes cœtus, cœpta, deciſiones factas, vel inceptas in nomine Jesu, ſub illius auctoritate, & de illius mandato, in charitatis, & fidei unione ad majorem illius gloriam, & Eccleſiæ auctoritatem. Hujuſmodi Conciliis ſe interfuturum pollicetur, ac a Patre ſuo impetraturum, ut omnia felicem exitum conſequantur. His promiſſis Eccleſiæ fides innititur, quæ credidit ſemper Dei Filium, ejuſque Spiritum Sanctum Eccleſiaſticis præſidere cœtibus, Conciliis generalibus, & particularibus; & generatim locis omnibus, quo fideles conveniunt, vel oraturi, vel de iis, quæ ad majorem Dei gloriam pertinent, diſceptaturi. Alludit Jesus Hebræorum opinioni credentium, Deum in medio Judicum ſedere [6], & populi cœtum, cœtum Domini appellantium.

℣. 21. Domine quoties peccavit in me frater meus.] Narrat S. Lucas 17. 4. quid occaſionem tribuerit huic petitioni S. Petri. Cum præſcripſiſſet Jesus, quemadmodum vidimus, fraternæ correctionis præcepta, addidit: *ſi peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi; Et ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte illi*. Si frater tuus te audierit, cum illum corripueris, & egerit pœnitentiam; non ſemel, nec bis, ſed ſepties uſque illi parcere debes. Dubitans S. Petrus, utrum id, quod ſibi dictum fuerat a Salvatore, hyperbolicum eſſet, an preſſius intelligendum, ait illi, quoties, Domine, parcere debemus fratri nos laceſſenti? uſque ſepties? *non dico tibi uſque ſepties*, reſpondit Filius Dei, *ſed uſque ſeptuagies ſepties*; hoc eſt quadringentis, & nonaginta vicibus; verbo, toties quoties læſus fueris; *omnia enim peccata dixit, quando ſeptuagies ſepties dixit* [7].

In Exemplari Hebraico, quo utebantur Nazaræi [8], locus hic ita legebatur: *Si frater tuus te verbis ſuis læſerit, & ſepties in die veniam petierit, parce illi. Simon illi reſpondit: quid! ſepties in die? uſque; reddidit illi Jesus, uſque ſeptuagies ſepties; Prophetæ enim ipſi, poſtquam repleti fuerunt Spiritu Sancto, nequaquam peccatis immunes fuerunt.*

℣. 23. Assimilatum est Regnum Cœlorum homini Regi.] Ut magis animis noſtris inhæreant quæ de injuriarum venia ſuperius docuit, iſthic parabolam Salvator proponit, quæ oſtendit, nobis a Deo veniam eſſe ſperandam, ſi fratribus noſtris pepercerimus: *Aſſimilatum eſt Regnum Cœlorum &c.* In Eccleſia mea, atque inter Diſcipulos meos, illud ipſum accidit, quod in Regno, ubi Rex a ſervis ſuis rationem expoſcit. Vel: in altero adventu meo, & cum veniam ſeptus omni fulgore Majeſtatis meæ, vivos ſimul, & mortuos judicaturus, & aditurus poſſeſſionem Regni mei in omnia creata, illud ipſum videbitur, quod accidit, cum Rex miniſtros ſuos rationem reddere cogit. Eadem ferme parabola occurrit infra Matth. 25. cap. 25. ℣. 25. & Lucæ. 9. ℣. 13.

℣. 24. Decem millia talenta.] Hebraici talenti valor erat quatuor millium octingentarum ſexaginta ſeptem librarum, cum ſolidis tribus, & dena-

tiia

1 Vide Bilſon. apud Jac. Capel. in Synopſi Critic. Grot. hic.

2 Origen. in Matth. c. 13. Theophylact. hic. Anaſtaſ. Nican. qu. 61. in Scripturam. Ita fere Chryſoſt. hic. Auguſt. Serm. olim. 16. nunc 82. Vide Grot hic, & Janſ. et Mald.

3 Plura Græca exemplaria legunt: Πάλιν ἀμὴν λέγω ὑμῖν ſeu Πάλιν δὲ ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *Iterum amen dico vobis*. Ita MSS. fere triginta quatuor, et plures Editiones apud Mill.

4 Matth. 5. 23. 5 Orig. tom. 14. in Matth. Ambroſ. de Inſtit. Virg. c. 2. et in cap. 16. Luc. Hieronym. Beda, et Theophyl. hic. 6 Pſal. 81. 1.

7 Aug. 83. de Verbis Evang. n. 7. Hieronym. hic: *Ut toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare poſſit.* 8 Apud Hieronym. l. 3. contra Pelag. c. 1.

viis nuvem. Decem millia talenta efficiunt 48871875. libras Gallicæ monetæ. Ea fortaſſe talenta, de quibus loquitur Jesua Chotarus, veteribus Hebraicis minora ſunt, ſed quamvis etiam de Ægyptiis talentis intelligerentur, quorum ſingula æſtimabantur 2688. libris, vel de Atticis, quæ 2400. ſemper immenſa eſt privato viro ſumma decem millium talentorum. Hanc vero proculdubio uſurpavit Salvator, ut facilius intelligeremus, quid debeamus Deo, & quanta ſint debita ea, quæ cum ipſo contrahimus.

℣. 25. Jussit eum Dominus ejus venumdari.] Secundum vetus Hebræorum, aliorumque plurimorum populorum jus, creditori facultas erat ſibi obæratos, qui ſolvendo non eſſent, vendendi, vel in ſervitutem aſſerendi. In 4. Regum 4. 1. videmus viduam Prophetam Eliam rogantem, ut ſibi ea ſuppeditet, quibus duos filios ſervare poſſit, ne in ſervitutem abripiantur, in quam viri ſui creditor, eos ſe deducturum minitabatur. De jure communi liquet, Hebræos ſervos anno Sabbathico libertate ſua donatos fuiſſe, eorumque Dominis jus non fuiſſe illos alienigenis vendendi. Sed qui ære alieno erant addicti, neque erant ſolvendo, Legis privilegio minime perfruebantur. Ex Rabbinorum ſententia, mulieres tantum, ac puellæ Judaicæ numquam alienigenis venumdari poterant. Vide noſtrum Commentarium in Exod. 21. 2. 3. 4. &c. & Levit. 25. 39.

℣. 27. Debitum dimisit ei.] Græca vox [1] proprie intelligitur de pecunia mutuo accepta cum fœnore.

℣. 28 Centum denarios.] Denarius Romanus decem Gallicis ſolidis æquivalet; alii vero putant, valere ſolidos octo, & denarium unum. Putant alii, *Denarium* iſthic idem eſſe, ac ſiclum, qui duobus, ac triginta ſolidis, & denariis ſex æſtimatur. Modica quidem in ſe hæc ſumma eſt: at nulla ferme, ſi conferatur cum decem millibus talentis, quæ prior ſervus debebat Domino ſuo. Verum hoc affertur, ut facilius percipiamus immenſam diſparitatem, quæ intercedit inter ea, quæ nos Deo, & ea, quæ nobis debent fratres. Multa debemus Deo, quia multum illum offendimus. Frater vero noſter nobis debet, quia in nos peccavit. At quæ paritas umquam inter errata, quibus a fratribus lædimur, & ſcelera quibus Deum provocamus [2]?

Tenens suffocabat eum.] Cervicibus illum arripuit, eumque jam ſuffocabat. Vel illum arripuit collo ſimul & tunica, eumque trahens fere ſuffocabat. Hoc adverſarius facere conſueverat, ut reum ante Judicem ſiſteret: *obtorto collo trahebat*.

℣. 34. Tradidit eum tortoribus.] Romanæ Leges, quæ tunc in Judæa vigebant, permittebant, ut debitor tortoribus traderetur in carcerem trudendus, ac certis pœnis afficiendus: puta virgis, vel *plumbatis* cædendus. Hæ erant ferreæ catenulæ, extremo quarum capiti plumbea pila adnectebantur. Credunt alii [3], tortorum [4] nomen iſthic ſignificare cuſtodes carcerum, & ſervum hunc a Domino ſuo mulctatum fuiſſe, non ſecus, ac ab illo conſervum ſuum, cui verſioni ea, quæ ſequuntur ſuffragantur; *quoad uſque redderes univerſum debitum*. Dominus hic non creditoris tantum jure utitur, verum etiam Judicis, & Principis [5]. Cæterum cum dicitur malus creditor in carcerem conjectus, donec ex aſſe æs conflatum diſſolvat, non inde infertur damnatos aliquando inferni pœnis liberandos; cum enim eorum debita infinita ſint, itaque omnino ſolvere non poſſint, ita numquam inferno egredientur [6].

℣. 35. Sic & Pater meus [7] coelestis faciet vobis.] Numquid ergo Deus iterum vitio vertit jam dimiſſa peccata? haud ita ſane. Deus bis idipſum nec judicat, nec punit [8]; numquam eas antiquat gratias, quas ſemel concesſit; verum dici poteſt cum S. Auguſtinus [9], Deum nobis parcere, ut pareamus; & niſi pepercerimus, illum nos revocaturum, atque rationem experiturum ſcelerum eorum, quos remiſerat: *Imitare Patrem*, ait ille, *ſi enim imitari Patrem non vis, exhæredari diſponis*; & alibi [10]: *Redire, dimiſſa peccata, ubi fraterna charitas non eſt, apertiſſime Dominus in Evangelio docet in illo ſervo, a quo dimiſſum debitum Dominus repetiit*. Addit etiam, niſi proximi odium poſt receptum Baptiſma penitus ex corde ejiciatur, non ſolum hujus criminis, verum etiam peccatorum omnium futurorum æque, & præteritorum rationem eſſe reddendam; atque malum hoc frequenter nimis in Eccleſia contingere: *Deinceps autem reus eſſe omnino incipit, non ſolum conſequentium, ſed etiam præteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus, quæ dimiſſa ſunt; & hæc ſæpe contingunt in Eccleſia*.

S. Gregorius Magnus l. 4. Dial. c. ult. eandem hanc ſententiam tuetur: *Si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rurſus a nobis exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudebamus*, quæ verba in corpore Juris Canonici [11] inſerta ſunt. Docet S. Chryſoſtomus hom 62. quamvis Dei dona, & gratiæ ex ſemel irrevocabiles ſint, ac numquam pœniteat illum boni, quod fecerit, ipſum tamen hominis pertinacia cogi, ut aliquando ea, quæ dederat, auferat. Origenes t. 14. in Matth. in hac ſententia omnibus Patribus anteceſſit, eamque ſatis perſpicue in commentariis ſuis in S. Matthæum confirmavit.

Hanc etiam aliis nonnullis auctoritatibus probat D. Thomas 3. p. q. 88. art. 1. 2. 3. ſed tandem ad Scripturas concludendas, quæ hinc ajunt, peccatum ſemel remiſſum non ultra remittendum; inde, Deum rationem expetere eorum, quæ ſemel remiſerit; concludit, dicens 1. peccata ſemel dimiſſa reviviſcere poſſe, non quoad culpam, ſed quoad æternam pœnam, quam promeruerunt, & peccatorum recentia ſibi cumulare ſupplicia ſceleribus aliis, quæ perpetrat [12]. 2. ſcelera jam remiſſa ob ingratitudinem, qua rurſus in eadem prolabimur, quodammodo reviviſcere. Ingratitudo hæc adeo adauget alterius hujus ſceleris deformitatem, ut illud majori cum ſeveritate puniat Deus, quam ſi nulla prioris culpæ venia præceſſiſſet; & hæc eadem eſt ratio, qua paſſim Theologi [13] hunc explicant locum.

---

1 Τὸ δάνειον ἀφῆκεν αὐτῷ. 2 Auguſt. Serm. 83. olim 15. de Verbis Domini cap. 2. *Omnis homo & debitor eſt Dei, & debitorem habet fratrem ſuum. Quis eſt enim, qui non ſit debitor Dei, niſi in quo nullum inveniri poteſt peccatum? Quis eſt autem qui non habeat debitorem fratrem, niſi in quem nemo peccavit.*

3 Grot. Hamm. Le Clerc. 4 Βασανισταῖς.

5 Chryſoſt. Euthym. Theophylact. 6 Quidam Codd. legunt: Οὕτω καὶ ὁ πατήρ ὑμῶν; quod non probat Chryſoſt. Plures addunt in fine verſus: Τὰ παραπτώματα αὐτῶν. 7 Nahum. 1. 9. in 70. Οὐκ ἐκδικήσει δὶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν θλίψει. 8 Rom. 11. 29. Ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα, καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ.

9 Auguſt. Serm. olim 15. num. 83. num. 7. *Dixit Deus: Dimitte, & dimittetur tibi . . . Nam ſi remiſerit, revocabo te, & quidquid dimiſeram replicabo tibi; non enim mentitur Veritas, quæ dixit: Sic & vobis Pater veſter &c. Invenis Patrem, imitare Patrem: ſi enim imitari Patrem non vis, exhæredari diſponis.*

10 Idem lib. 1. de Baptiſm. contra Donat. cap. 12. 11 De Pœnit. Diſtinct. 4. c. Conſtat.

12 Ita Proſper. Reſponſ. ad ſecundam objectionem Gallorum. 13 Vide Maldonat. & Grot. hic & Ambroſ. in Pſalm. 38. num. 4.

CAPUT XIX.

Divortium. Pueri oblati JESU CHRISTO. Adoleſcens dives JESUM ſequi cupiens. Divitum mala. Felicitas eorum, qui omnia pro Cœlo relinquunt.

1. ET factum eſt, cum conſummaſſet Jeſus ſermones iſtos, migravit a Galilæa,
& venit in fines Judææ trans Jordanem. 2 Et ſecutæ ſunt eum turbæ
multæ, & curavit eos ibi. 3 Et acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes
eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam quacumque ex cauſa?
4 Qui reſpondens, ait eis: Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio,
maſculum, & fœminam fecit eos? & dixit: 5 Propter hoc dimittet homo pa-
trem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. 6 Ita-
que jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non
ſeparet. 7 Dicunt illi: Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, &
dimittere? 8 Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vo-
bis dimittere uxores veſtras; ab initio autem non fuit ſic. 9 Dico autem vo-
bis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam
duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. 10 Dicunt ei diſci-
puli ejus: Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere. 11 Qui
dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. 12 Sunt
enim eunuchi, qui de matris utero nati ſunt: & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab
hominibus: & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.
Qui poteſt capere, capiat. 13 Tunc oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis im-
poneret, & oraret. Diſcipuli autem increpabant eos. 14 Jeſus vero ait eis:
Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium eſt enim regnum
cœlorum. 15 Et cum impoſuiſſet eis manus, abiit inde. 16 Et ecce unus
accedens, ait illi: Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?
17 Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus eſt bonus, Deus. Si au-
tem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. 18 Dicit illi: Quæ? Jeſus autem
dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non fal-
ſum teſtimonium dices: 19 Honora patrem tuum, & matrem tuam: &, Dili-
ges proximum tuum ſicut teipſum. 20 Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſto-
divi a juventute mea, quid adhuc mihi deeſt? 21 Ait illi Jeſus: Si vis per-
fectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſau-
rum in cœlo: & veni, ſequere me. 22 Cum audiſſet autem adoleſcens ver-
bum, abiit triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones. 23 Jeſus autem di-
xit diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum
cœlorum. 24 Iterum dico vobis: Facilius eſt, camelum per foramen acus tran-
ſire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. 25 Auditis autem his, di-
ſcipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit ſalvus eſſe? 26 Aſpi-
ciens autem Jeſus, dixit illis: Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum
autem omnia poſſibilia ſunt. 27 Tunc reſpondens Petrus, dixit ei: Ecce nos
reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? 28 Jeſus autem
dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratio-
ne, cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper
ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael. 29 Et omnis, qui reli-
querit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxo-
rem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vi-
tam æternam poſſidebit. 30 Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi
primi.

MIGRA-

℣. 1. MIGRAVIT A GALILÆA.] Plurima intercesserunt inter illud, quod in fine ſuperioris capitis enarratum eſt, & iter JESU in Judæam ſuſceptum; uti videre eſt in hiſtorico Evangelii compendio. JESUS Capharnaum diſcedit, & in Judæam venit, per regionem trans Jordanem poſitam tranſiens [1]. Evangeliſta plurima ſimul coegiſſe, quæ temporibus longe diverſis acciderunt.

℣. 3. SI LICET HOMINI DIMITTERE UXOREM SUAM.] Phariſæi procul dubio, neque Leges, neque Patriæ ſuæ conſuetudines ignorabant; ſciebant, divortium invaluiſſe, & a Lege vel permiſſum eſſe, vel toleratum [2]. Verum audire fortaſſe potuerant, illud a JESU CHRISTO damnari præter caſum adulterii [3]: igitur, ut illi invidiam conflent in populo, quærunt ex eo, utrum divortium omnino prohibitum ſit, necne. Narrant [4], B tunc temporis Scholas Rabbinorum Hillel, & Sammeæ diſſenſiſſe, quoad ſenſum verborum Moyſis circa divortium [5]. Hillel, ejuſque diſcipuli aſſerebant, licere dare uxori ſuæ libellum repudii, quacumque ex cauſa. Sammea e contra rationem quærebat, ortam ex turpi aliquo facto, & pudicitiæ oppoſito in ea perſona, quæ repudiabatur. Phariſæi Salvatorem adigere cupientes, ut hac in re ſententiam ſuam proferret, inſidias illi ſtruebant; & id quærebant, ut quidquid reſpondiſſet, ex alterutra Doctorum illorum ſchola inimicos in eum excitarent.

℣. 4. QUI FECIT HOMINEM AB INITIO &c.] Probaturus, divortium, & polygamiam, quæ apud Judæos tolerata erant, eſſe contra naturalem conjugii inſtitu- C tionem, rem altius repetit Dei Filius, hominis, & mulieris creationem, & inſtitutionis conjugii originem. Cum Deus primo unum dumtaxat creaverit hominem, mulierem unam, eoſque conjugii vinculo conjunxerit, ut ſimul una tantum caro fierent; patet, mentem illius fuiſſe, ut neque vir a muliere recederet, neque plures ſimul uxores haberet [6].

℣. 5. ET DIXIT: PROPTER HOC DIMITTET HOMO, &c. [7]] Deus hominem, & mulierem creans dixit, illos unam dumtaxat carnem futuros, & per generationem filiorum evaſuros unius tantum carnis principium; vel eos intima, & indiſſolubili ratione ita conjungendos, quaſi unius tantum corporis eſſent membra. Moyſes in Geneſi 2. 24. videtur Adæ tribuere verba illa, *relinquet homo patrem ſuum, & matrem &c.* Sed in Scri- D pturis verbum dixit, crebro in paſſivo ſenſu explicatur, pro *dictum eſt* [8]. Adhæc, cum Adam ibi divino afflatus lumine locutus fuerit, Deo ipſi accepta referri poſſunt ea verba, quæ primus ille hominum Parens protulerat [9].

℣. 6. QUOD ERGO DEUS CONJUNXIT, HOMO NON SEPARET.] Conjugium ergo ſit indiſſolubile, quemadmodum illud inſtituit Deus. Non privatus aliquis propria auctoritate, non Judices, non Principes nexum hunc, nemini ſolvendum, abrumpant. Divortium ex adulterii cauſa conjugii vinculum minime infringit, partes dumtaxat ſejungit, quia tamen illis facultatem elargiatur alias nuptias ineundi.

℣. 7. QUID ERGO MOYSES MANDAVIT &c.] S. Marcus 10. 3. ait, cum Phariſæi ex JESU CHRISTO quæſiviſſent, utrum viro liceret uxorem ſuam repudia- A re, Salvatorem quoque viciſſim ex iis quæſiviſſe, quid hac de re Moyſes præcepiſſet? Cui reſponderunt illi, mandaſſe Moyſem, ut repudii liber mulieri traderetur. Tunc JESUS, hoc ob duritiam cordis veſtri factum, ait; at non hæc erat etiam in ipſis rerum primordiis conſuetudo. Deus enim creavit hominem maſculum, & fœminam; ut in unam quodammodo carnem coaleſcerent; & ea, quæ legimus iſthic verſiculis 4. 5. 6. Tunc Phariſæi, cur ergo, dixerunt, permiſit Moyſes viro, ut uxorem ſuam repudiaret? Quibus reſpondit JESUS: *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit dimittere uxores veſtras . . . . dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.*

Confundebant Phariſæi ea, quæ præceperat Deus, B cum iis, quæ toleraverat Moyſes: hic quidem toleraverat divortium propter Judæorum duritiem, atque indocilitatem [10]; at præceperat Deus, ut vir uxori ſuæ adhæreſceret. JESUS CHRISTUS perfecte duo illa ſejungit: Abrogat ea, quæ Moyſes vel permiſerat, vel toleraverat; atque reſtituit conjugia, qualia ab initio Deus ipſe inſtituerat. De divortio fuſius iſthic a nobis verba non fient, latius locuti de eodem in peculiari Diſſertatione, Deuteronomio præpoſita.

℣. 10. SI ITA CAUSA [11] HOMINIS CUM UXORE.] Si conjugii vinculum ſolvi neutiquam poteſt, & nonniſi propter adulterium, divortium permittitur; quo etiam in caſu non licet viro, alteram ducere uxorem, donec vixerit prior: non ergo operæ pretium eſt, ſe in conjugii vinculis impedire; quandoquidem ſexcenti C occurrere poſſunt caſus alii, in quibus uxor non ferenda ſit; cum cæterum non omnibus continentiæ donum conceſſum ſit.

℣. 11. NON OMNES CAPIUNT VERBUM ISTUD.] Non omnes intelligunt conſilium hoc, conjugium deſerendi [12], atque continenter vivendi. Non omnibus datum eſt ſequi id, quod nuper dixiſtis, ſed nemini Deus hoc renuit donum, dummodo enixius illud petierit [13]: *Petite*, Salvator ait, *& dabitur vobis*. Donum hoc iis omnibus conceditur petentibus illud, inquit S. Johannes Chryſoſtomus hic: *iis datum eſt, qui petiverunt*, S. Hieronymus ait, *qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt*. Aliter [14], non omnes has rationes *intelligunt*; neque inde inferunt, cœlibatum conjugio præſtare. At prior ſenſus melior eſt.

D ℣. 12. SUNT EUNUCHI, QUI DE UTERO MATRIS SIC NATI SUNT.] Ut adſtruat JESUS, continentiam poſſe quidem ſervari, neque ejuſdem exempla deeſſe; tria hominum enumerat genera, a quibus illa exercetur; a primis quidem citra quodvis meritum, ab aliis vero ex quodam virtutis principio. Primi ii ſunt, qui frigidam, aridamque temperiem a natura ſortiti ſunt [15], & illi, quos natura, ars, vel hominum violentia tales effecerunt. Alii vero illi, qui ſublimioribus ducti rationibus ſponte ſibi conjugii uſum interdicunt, & qui in perfectiſſima continentia verſantur, *propter Regnum Cœlorum*, hoc eſt propter Evangelii prædicationem: ex. g. quomodo S. S. Johannes & Baptiſta, & Evangeliſta, qui ad extremum uſque ſpiritum virginitatem ſervarunt; vel ob *Regnum Cœlorum*, atque beatitudinem [16] promerendam, ut tot ii, qui ducere uxorem renuerunt, ut paratiùs, & facilius pro-

priæ

1 Ita Marc. 10. 1. Ἔρχεται εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας, διὰ τοῦ πέραν Ἰορδάνου.
2 Deut. 24. 1. 3 Matth. 5. 31. 32. 4 Selden. uxor. Hebr. lib. 3. c. 23.
5 Deut. 24. 1. 6 Ita Chryſoſt. Hieronym. Author. Oper. imperf. Beda, Theophylact. Euthym. Strab Maldonat. 7 Hebr. לבשר אחד Græc. Εἰς σάρκα μίαν. *In carnem unam*.
8 Vide 1. Cor. 15. 27. Epheſ. 5. 23. Hebr. 1. 17. &c. 9 Vide Auguſt. de Geneſi ad litt. lib. 9. cap. 19. Theophylact. Euthym. hic. 10 Origenes t. 14. in Matth. et S. Hieronymus in hunc locum dicere videntur, Moyſem permiſiſſe divortium, ipſo ſic cenſente, non autem Domini juſſu; non ſecus, ac S. Paulus ait, ſe viduis conſulere, ut ſic permaneant, non autem præcipere: *Ut conſilium ſit hominis, non imperium Dei*. Vide quoque S. Ambroſium l. 8. in Luc. n. 7. *Moyſes permiſit*, inquit, *non Deus juſſit*. Vide quod ſequitur n. 8. *Quæ propter fragilitatem humanam ſcripta ſunt, non a Deo ſcripta*.
11 Αἰτία. *Cauſa, negotium, conditio*. Vox hæc vulgaris eſt in jure Romano ad ſignificandam conditionem. Grot. Camero. 12 Ita Chryſoſt. hom. 63. Origen. in Matth. cap. 14. Ambroſ. Exh. ad Virg. Greg. Nazianz. Orat. in hæc Verba. 13 Origen. cap. 14. in Matth. Chryſoſtom. homil. 63. Hieronym. hic.
14 Vide Epiphan. Maldon. Grot. Brug. 15 Vide Hieronym. et Origen. in hunc locum.
16 Orig. Hilar. Chryſoſt. hic. Author. Oper. imperf. Euthym. Mald. Hamm. Grot. hic. Clem. Alex. Strom. 3.

priæ ſaluti ſtuderent; quales ſunt Eccleſiaſtici viri, & Cœnobitæ, qui continentiæ votis ſe ſe alligant.

Non defuerunt, qui hæc verba ad litteram [1] intelligerent: *ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum*. Verum hujuſmodi homines ab Eccleſia ſemper habiti fuerunt, tamquam furentes, ac ſuimetipſorum inimici, atque homicidæ, quandoquidem in ſeipſos violentum hoc facinus auſi ſunt; vel qui illud ab aliis perpeti voluerunt, inſana ducti Religione. Deus non petit coactum officium, neque in eo caſtitatis virtus poſita eſt: præterquam quod actos ille concupiſcentiæ fomitem minime extinguit, neque externis illecebras cohibet.

℣. 13. TUNC OBLATI SUNT EI PARVULI.] Hæc cenſetur fuiſſe olim conſuetudo, Sanctis, illuſtribuſque viris parvulos offerendi; ut ab his cœleſti benedictione cumularentur, ad imitationem Jacob, qui cum morti proximus eſſet [2], manus impoſuit ſuper Ephraim, & Manaſſe filios Joſeph, extremam illis benedictionem impertiens. Hoc illis perſuaſum erat, attactum manuum JESU CHRISTI utiliſſimum eſſe his pueris, ſeu ut de Cœlo benedictiones promererentur, ſeu ut a morbis ſervarentur incolumes, quibus ætate provectiores ille curabat.

℣. 14. SINITE PARVULOS VENIRE AD ME.] Ex Sancto Luca 18. 15. patet, ad eum adductos fuiſſe etiam lactentes pueros, verum non defuere & grandiores natu, quoniam ex ſemet ad JESUM accedere poterant. Hos ille complectebatur, S. Marco 10. 16. teſte, illis imponebat manus, eiſque benedicebat. Quemadmodum vero undecumque Apoſtolos ſuos edocendi occaſionem quærebat; iſthic illis repetit ea, quæ jam alibi iiſdem dixerat [3]; puerorum ſuavitatem, ſimplicitatem, & humilitatem [4] eſſe imitandam, ſi ad Cœleſtium Regnum contendere, in Eccleſiam ejus ingredi, Evangelium excipere, & exercere: verbo, ſi diſcipuli illius fieri vellent. Tales nimirum omnes Chriſtianos eſſe deceret. S. S. Lucas, & Marcus [5], hæc JESUM dicentem inducunt: *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: Talium enim eſt Regnum Dei. Amen dico vobis: quiſquis non receperit Regnum Dei, velut parvulus, non intrabit in illud*. Dei Regnum iſthic perſpicue ſignificat Evangelium, fidem, profeſſionem, atque exercitationem præceptorum Chriſtianæ Religionis.

℣. 16. MAGISTER BONE, QUID BONI FACIAM?] Ut vitam æternam acquiram, vel in altera vita beatitudine fruar. Manuſcripta quidam [6] non legunt *bone*, ſed tantum *Magiſter*; & in reſponſione verſic. 17. pro his verbis, quæ in Græco excuſa leguntur: *cur me vocas bonum?* meliores MSS. [7] non ſecus, ac Vulgata legunt; *quid me interrogas de bono?* quæ ex plurimorum notæ melioris Interpretum [8], vera eſt lectio S. Matthæi. Fidei conſonum eſt, Græcos librarios, quin ad ſermonis decurſum adverterent animum, in S. Matthæo eam inſeruiſſe lectionem, quam in S. S. Marco 10. 17. & Luca 18. 18. repererant; ut hoc pacto Evangeliſtas conciliarent, inter quos reipſa nihil oppoſitum adeſt; cum S. Matthæus ſimpliciter verbum addiderit, quod alii duo minime attulerunt, & aliud omiſerit, quod illi appoſuerunt, quemadmodum ſexcentis aliis in locis evenit.

S. Lucas c. 18. 18. teſtatur, hominem hunc, qui JESUM CHRISTUM interrogaturus acceſſit, nobilitate ſpectabilem fuiſſe, & S. Marcus 10. 17. affirmat, illum ſumma cum obſervantia ad Salvatorem veniſſe, atque ad pedes illius procubuiſſe, ut illi ſuas preces ſiſteret. His circumſtantiis palam ab altero illo diſtinguitur, qui venit, ut JESUM tentaret; & de quo S. Lucas 10. 25. verba facit. Poſtremus hic Legis peritus erat; ille vero nobis exhibet virum bonæ fidei, & locupletem, qui aliquam in civitate dignitatem, vel munus obtineret. Attamen veteres [9] eos ſimul confuderunt, rati, hunc nobilem virum eumdem eſſe ac illum Legis peritum.

℣. 17. QUID ME INTERROGAS DE BONO? UNUS EST BONUS, DEUS.] S. Matthæum cum S. S. Luca, & Marco conciliaturis iſthic quædam verba ſupplenda ſunt: *cur ex me petis, quid tibi boni faciendum ſit (& cur me bonum appellas?) quandoquidem nemo præter Deum bonus eſt, & in noſti præcepta, omne continentia bonum, quod tibi faciendum eſt*. Adoleſcens hic duo dixerat, alterum incidens, ſcilicet Jeſum eſſe bonum, alterum, quanam in re conſiſteret bonum a ſe faciendum? Utrique reſpondet Filius Dei, ad quorum primum, ſe bonum eſſe non negat: ſed tacite hunc redarguit, quod ad ſe confugiat, tamquam ſolum Magiſtrum bonum, qui illum docere poſſit, quid ſibi faciendum ſit ad vitam æternam acquirendam; licet ipſe tamquam ſimplex dumtaxat homo ab illo cognoſceretur. Si homo ſum tantum, non mereor nomen *Magiſtri boni*, quo me dignaris: ſin autem Deus, uti reipſa ſum, cur me habes tamquam ſimplicem hominem? Adoleſcentem hunc ad cognitionem divinitatis extollere cupiebat; ideoque exaggerat nomen *boni*, quod ab illo ſibi traditum fuerat, qui ipſum Deum eſſe non cogitarat, verum tamquam bonum virum, ac veritatis, & juſtitiæ doctorem dumtaxat perpenderat. Perperam ergo Ariani hoc utebantur loco ad Verbi divinitatem impugnandam: hic enim minimum illis prodeſt; nam probat ſolum, voluiſſe Jeſum Chriſtum adoleſcenti huic [10] ſuam Divinitatem oſtendere; atque hanc occaſionem arripere, quæ ſibi ad veritatem eamdem oſtendendam fuerat oblata.

Quoad alterum, quod ex eo adoleſcens iſte petierat; *quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* Salvator illi reſpondit: *quid me interrogas de bono* a te faciendo? *ſi autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Non deeſt perturbatio quædam, vel omiſſio in textu Evangelii: verum arduum non eſt huic ſupplere, eo pacto, quo fecimus. Recentiores nonnulli [11] vertunt: *quid me interrogas de bono*; ita, *cur me bonum vocas?* verum neque Latinus textus, neque Græcus in plurimis veteribus manuſcriptis, qui illis conformes ſunt, hanc verſionis rationem patiuntur.

℣. 18. QUÆ?] Adoleſcens iſte putabat, ſibi a Filio Dei recentia quædam irroganda eſſe præcepta, a Moſaicis diverſa. Operæ pretium eſt, adnotare, Salvatorem iſthic ne verbum quidem facere de præceptis tabulæ prioris, ad Deum pertinentibus, loquitur enim ſolum de illis, quæ ad proximos ſpectant, ea foreſſe de cauſa, quia in his vulgo magis quam in aliis prævaricari conſueverant.

℣. 19. DILIGES PROXIMUM TUUM, SICUT TEIPSUM.] Per anacephalæoſis ſpeciem complectitur quidquid ſuperius de hoc præcepto diſſeruit. Verbo; *diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Suſpicatus eſt Origenes in Matth. poſtremis hæc verba hoc in loco a Librariis addita fuiſſe perperam textum caſtigare auſis, quin vel auctoris mens, vel ſermonis decurſus illis negotium faceſſerent. Profecto verba hæc neque in ſancto Marco, neque in S. Luca reperiuntur, neque decent hunc

1 Hæretici Valeſii apud Auguſt. hæreſ. 37. & Epiphan. hæreſ. 58. Vide Origen. tom. 15. pag. 368. & 372. Fatetur ſe alias perperam accepiſſe ad litteram hæc verba; atque inde arguit neceſſitatem allegoriarum contra Marcionem, nonnulloſque alios, qui forte Valeſii ſunt. 2 Gen. 48. 14.
3 Matth. 18. 3. 4. 4 Origen. Hieronym. Beda, Theophylact. Euthym. hic.
5 Marc. 10. 14. Luc. 18. 17. 6 Ita Cantab. et Bold. 3 Æthiop. Hilar. et antiqua Vulg. apud Martian.
7 Vid. Var. Lect. Mill. in verſ. 17. impreſſi habent: Τί με λέγεις ἀγαθόν.
8 Vide Eraſm. Luc. Brug. Grot. Mill. Vide Origen. hic, ubi utramque lectionem agnoſcit, et Huet. not. in hunc locum. 9 Hieron. hic. Ambroſ. in Luc. Cyrill. l. 2. Theſauri c. 1. Quidam apud Chryſoſtom. quos ille refellit. 10 Vide Epiph. hæreſ. 69. Ambroſ. in Luc. Auguſt. contra Maximin. Arian. l. 3. c. 13. Cyrill. Alex. l. 2. Theſauri cap. 1. Baſil. ad Amphilor. Vide Maldonat.
11 Maldonat. Janſ. Verſiones Sac. et Mons, Simonis, & Martianay.

hunc adoleſcentem, qui verſiculo vigeſimo ſe ab ineunte ætate ea, quæ Jeſus Chriſtus dicit, obſervaſſe protitetur. Si igitur perfecta charitate proximum fuerat proſecutus, quid ultra illi deerat? Hæc tamen verba in omnibus, & manuſcriptis, & editis Bibliis, atque apud omnes Patres inveniuntur.

A JUVENTUTE MEA.] Ex quo per ætatem illis obſervandis par fui. Verba hæc in antiquis Latinis exemplaribus [1] non legebantur olim, neque leguntur ad hanc quoque diem in quibuſdam antiquis Græcis manuſcriptis [2]. Creditur autem, hoc e S.S. Marco, & Luca in S. Matthæi exemplaria migraſſe.

℣. 21. SI VIS PERFECTUS ESSE &c.] En quid tibi deſit. Abdicet oportet omnia bona tua, & me ſequatis: hæc eſt perfectionis via. Moyſis Leges a puero obſervaſti; hoc ſatis eſt, ut illud capias, quod ex Judæo requiritur: nec aliquid ulterius quærit Deus, vitam æternam elargiturus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, Matth. 19. 17. Verum, ſi ulterius ad altiorem perfectionis gradum contendis, hoc tibi conſilium do [3]. Amplectere vitam pauperem, & Evangelicam, quam cum Apoſtolis meis vivo; temet meæ ſubjice diſciplinæ, Evangelium excipe, & Chriſtianæ Religioni initiare [4]. Ne tamen ideo dixeris, Dei Filium ex omnibus Chriſti fidelibus petere, quod huic adoleſcenti proponit; neque aliquem perfectum eſſe, ſtatim ac opibus vale dixit, ac Jeſum Chriſtum ſectari cœpit. Attamen certum eſt, magnum ad ſalutem obicem tolli, atque ad perfectionem viam hoc pacto maxime ſterni. Ad hoc Dei Filius adoleſcentem hortatur, cujus noverat animi infirmitatem, & quem opibus nimis hærere ſciebat. Ita *cum audiſſet adoleſcens verbum, abiit triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones*.

℣. 24. FACILIUS EST, CAMELUM PER FORAMEN ACUS TRANSIRE.] Ajebat Celſus [5], Jeſum Chriſtum ſententiam hanc mutuatum fuiſſe ex Platone l. 5. de legibus, dicente fieri non poſſe, ut ſimul & magnopere dives, & magnopere bonus ſis: perinde Sapientia Æterna ex Philoſophorum fonte Ethicæ præcepta haurire debuiſſet. Dei Filius iſthic opum amorem, atque aviditatem damnat. Si preſſius loqui velimus; verum eſt, amorem hunc, ubi dominetur, & immodicus ſit, nullo pacto poſſe cum Chriſtiani vita convenire, eumque aditum ad æternam beatitudinem præcludere; & hoc in ſenſu nulla adeſt hyperbole in hac Salvatoris ſententia: quod facilius ſit, Camelum per foramen acus tranſire, quam dives Cœlorum Regnum obtineat, ſive pro noviſſimis his verbis Cœli beatitudinem, ſeu ſinceram Chriſtianæ Religionis profeſſionem intelligas [6].

At locupletem eſſe ſine divitiarum amore, & ſollicitudine, vel ad eas ſervandas, vel ad augendas; bona poſſidere, ut in eum uſum, qui a Deo præcipitur, convertantur; earum jacturam haud ægre ferre, illas relinquere, elargiri, ubi Deus, & providentia poſtulaverint: hoc nequaquam a Jeſu Chriſto damnatur. Hujuſmodi locupletes viri non ſunt ſimiles adoleſcenti, ad quem loquebatur. Hujus mundi bona in impiorum manibus laquei ſunt, & mortis origo: in manibus vero bonorum, actionum bonarum, meritorumque inſtrumenta.

Hoc vero proverbium; *facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire*; a pleriſque veterum [7], & recentiorum Interpretum [8] in naturali ſenſu explicatur. Hæc loquendi ratio erat Hebræis maxime familiaris, cum aliquid fieri minime poſſe indigitarent. Adhuc in Rabbinorum libris hujuſmodi extant locutiones [9]: *ex his forte hominibus es, qui per acus foramen Elephantum traducis?* hoc eſt, ex iis es, qui ſe impoſſibilia facturos pollicentur: & item: *numquam oſtendunt palmam auream, neque Elephantum per foramen acus tranſeuntem.* Demum ad hanc quoque diem Judæorum proverbium eſt: *foramen acus non eſt nimis anguſtum, ut illac duo amici tranſeant; & omnis terrarum orbis duobus inimicis ſatis latus non eſt* [10]. Salvator pro Elephanto Camelum dixit, quod animal eſt ibi gentium, ubi loquebatur, cognitum.

Sed recentiores quamplures [11], quibus non arriſit ea diſparitas, quæ Camelum inter, ac foramen acus intercedit, varias tentati ſunt proverbii hujus explicationes, quin tamen aliquid ex hyperbolica illius ſignificatione deperiret. Crediderunt, *Camelum* iſthic ſignificare rudentem, vel aliquem ex funibus, quorum in navibus uſus eſt. Non ex Græcis dumtaxat auctoribus [12], verum etiam ex Arabibus, & Syris [13], oſtendunt, Authographi vocem in hunc ſenſum poſſe explicari. Inveniunt quippe in iis ſermonibus proverbia, quæ ab hoc non procul abhorrent. Talmudiſtæ ajunt [14], animæ exitum, & ejuſdem a corpore ſeceſſionem æque difficilem eſſe, ac funis tranſitum per acus foramen. Maumethes in Alcorano [15] ait, eos, qui doctrinam ſuam negaverint, & in illam inſurrexerint, in Cœlum minime ingreſſuros, quemadmodum nec funis per foramen acus tranſmitti poteſt. Demum, & ſermonis decurſus, & ratio membrorum comparationis, magis poſteriori huic, quam priori favent explicationi. Apparet enim quædam poſſibilitatis ſpecies, licet infinite difficilis, funem per acus foramen poſſe trajici; ſed inter hoc, & Camelum nulla eſt omnino.

Dixerunt alii [16], Jeroſolymis oſtiolum fuiſſe, breve adeo, & anguſtum, ut Camelus onuſtus illac tranſire non poſſet. Vocabatur illud acus foramen; quod, uti perhibent, locum præbuit adagio, quo iſthic utitur Jeſus Chriſtus. Verum hæc mera fabula eſt, quæ nullam meretur fidem: neque recedendum eſt a naturali loci hujus explicatione. Parabola hyperbolica quidem eſt; ſed quo magis videtur impoſſibilis, eo magis ad Jeſu Chriſti mentem accedit; qui innuere volebat, fieri non poſſe, ut locuples, nimius opum ſuarum amator ſalutem conſequatur. Deus unus tale miraculum poteſt operari: *apud homines impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*. *Impoſſibile* hoc in loco preſſius intelligendum non eſt; vidimus enim Philoſophos opes ſuas deſerentes, & contemnentes, levioribus toto cœlo adductos rationibus, quam iis, quas nobis proponit Evangelium. Sed *impoſſibile* iſthic ſummopere arduum [17] ſignificat, & id, quod ſola naturæ vi fieri nequaquam poteſt. Longe vehementior gratiæ virtus requiritur, ut vincatur cordis duritia, ubi illud divitiarum amor invaſerit.

℣. 27. ECCE NOS RELIQUIMUS OMNIA.] Cum audiſſet S. Petrus Dominum exaggerantem, quam difficile ſit, ut divites ſalutem conſequerentur, occaſionem ſe nactum arbitratus eſt, ſciſcitandi, quid ſibi expectandum eſſet ab eo; quandoquidem omnia reliquerat, ut illi adhæreret. Hactenus Jeſus Chriſtus ærumnas dumtaxat, perſecutiones, cruces, diſcipulis ſuis ſpoponderat: & ſicubi illi ſermonem injecerunt de dignitatibus, & honoribus Regni illius, Salvator illis oſtendit,

1 Ita Luc. Brug. & Grot. BuKentop. Edit. Sixti V. Ita Cyprian. Juvent. Auguſt. & antiqu. mſſ. antiquaque Vulg. apud Martianæum, p. 74. 2 Vide Var. Lect. Millii.
3 Vide Maldon. hic. Brug. 4 Hamm Grot. 5 Origen. l. 6. contra Celſum.
6 Vide Chryſoſt. homil. 64. & Greg. Mag. Moral. in Job, l. 4. c. 3. *Quod valde rarum, & ex ſolo divino miraculo evenire poſſe monſtravit.* 7 Origen. Hilar. Hieronym. Chryſoſt. Author. Oper. imperfect. Juvenc. l. 3. Sedul. lib. 4. Carmin. Alii paſſim. Gregor. Magn. in Job, lib. 4.
8 Eraſm. Beza, Mald. Men. Tir. Druſ. Grot. Sculter. Ligfoot, Le Clerc, Hamm. Ianſ. alii paſſim.
9 Thalmud. Babil. in Perech Haroe Baracoth. 10 Vide Buxtorf. Lexic. Thalmud. voce גמל & Boch. de anim. Sacr. p. 1. lib. 2. cap. 5. 11 Quid. apud Theophyl. Boch. loco citato, Caſtal. Canin. Camero. Vide Huetii not. in Matth. 19. p. 69. 12 Scholiaſt. Ariſtophan. Suidas, Phavorin. Theoph. Euthym.
13 Vide Boch. p. 1. l. 2. cap. 5. de animal. 14 Thalm. in Moed. Katon.
15 Alcoran. Surat. de Limbis. 16 Vide Maldon. hic.
17 Vide Nazianz. Orat. 36.

ſtendit Regni ſui dignitates nonniſi per humilitatem acquiri ab iis, qui ambitionem, & divitiarum amorem ex animo procul expuliſſent: Verumtamen hæc non ſatis erant adhuc iis, qui nondum ſummum perfectionis faſtigium attigerant. Hæc enim objecta nequaquam ſatis faciebant eorum cogitationibus, qui temporale Regnum, beatamque vitam ſibi ſpoponderant. S. Petrus ergo ubique ardens hanc arripit occaſionem, petiturus a Filio Dei, qua tandem mercede ſuam ille fidem, & amorem eſſet remuneraturus. Verum eſt, illum pauca reliquiſſe; quippe dives non erat; reliquerat tamen, quidquid habebat, & quidquid acquirere poterat; immo & habendi deſiderium abdicaverat; *Omnia contemnit, qui non ſolum quantum potuit, ſed etiam quantum voluit, habere contemnit*; ait S. Auguſtinus [1].

ỳ. 28. In regeneratione cum sederit &c.] Palam conſtat, *regenerationem* hoc in loco noviſſimam reſurrectionem, alterumque Filii Dei adventum innuere [2]. Illud proprie initium eſt glorioſi ejuſdem Imperii: cum, ubi judicium exercuerit in omnes homines, & unicuique reddiderit ſecundum opera ſingulorum; omnia illi ſubjiciet Pater Cœleſtis [3], & rediget inimicus ejus, ſcabellum pedum illius. Apoſtoli hoc appellarunt regenerationem [4], vel reſurrectionem, vel recentem vitam; reipſa enim tunc videbitur novum Cœlum, & terra nova [5]. Judæi veteres hac in re ſingulares omnino ſententias fovebant, quas retulimus in diſſertatione de Meſſiæ characteribus juxta Hebræorum Doctorum ideam.

Plerique Patrum priorum ſæculorum ex Judæorum traditionibus hauſerant opinionem ſuam de Jeſu Chriſti Regno, mille annis in terris futuro; quod fortaſſe longe altius adhuc perceperant, quoniam Platonici, atque Stoici regenerationem admittebant, poſt centum annorum numerum rurſus in orbe futuram [6]: ad quam exprimendam eadem utebantur voce, qua iſthic Evangeliſta; ſed illorum ſententia prorſus erat alia.

Nonnulli [7] per hoc *regenerationis* vocabulum intellexere Baptiſma; & certum eſt, a S. Paulo ad Tit. 3. 5. Baptiſma hoc nomine vocari: tunc enim iterum renaſcimur, quemadmodum ait Jeſus Chriſtus Nicodemo Joann. 3. 3. Alii [8] hoc explicant de rerum immutatione, quæ in terris contigit, cum Evangelium prædicatum fuit poſt Jeſu Chriſti reſurrectionem, & aſcenſionem. Tunc viſum eſt quodammodo Cœlum novum, & terra nova, & Salvator ipſe teſtatur, ſe veniſſe omnia inſtauraturum [9]. Explicari etiam poſſet de ultionis tempore a Dei Filio adverſus duodecim tribus Iſrael exercenda [10], & reprobationis plerorumque Judæorum, propter illorum incredulitatem ab eodem illis infligendæ. Sententia hæc confirmari poteſt, primo, quod Jeſus Chriſtus judicium, & ultionem, quam tunc exercebit, ad Judæos tantum coarctat. At in noviſſimo judicio omnes quidem homines judicabuntur, damnabuntur vero omnes impii. Secundo, cum promiſiſſet his, qui ipſum ſecuti fuerant, futurum, ut duodecim ſedibus ſederent duodecim tribus Iſrael judicantes; illis in hac quoque vita centuplum [11], & poſt hanc, æternam etiam vitam pollicetur. Atqui poſt noviſſimum judicium, nullum ultra in terris ſperari centuplum poteſt. Sed ubi Judæi increduli perierint, fideles centuplo in terris perfruentur, licet perſecutionibus affecti, quemadmodum expreſſe S. Marcus teſtatur. Tertio denique ſermonem hunc Jeſus concludit, dicens: *multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi*: quod palam innuit Judæorum reprobationem, & vocationem Gentilium, quæ reipſa perſpicue non adimpleta fuit, niſi poſt Jeroſolymæ excidium, & poſt ultionem, quam contra infideles, atque incredulos Judæos Dominus exercuit. Ea, quæ ſequuntur, nos ad hanc explicationem deducunt. Si de noviſſimo tantum judicio verba faceret Salvator, non meminiſſet ille dumtaxat duodecim Tribuum Iſrael, quoniam omnes homines in judicium erant produituri: neque dixiſſet, futurum ut Filius hominis tunc appareret in gloria ſua cum Apoſtolis non memorato Patre, qui eſt Judex viventium, & mortuorum, & Sanctis, qui cum illo ſunt judicaturi. Ultionem autem, quam Dei Filius contra Judæorum nationem poſt ſuam aſcenſionem exercuit, dicere poſſumus, illud proprium ejus, atque Apoſtolorum fuiſſe judicium. Judæi illum ejecerunt, perſecuti fuerant, Cruci affixerant; eodem pacto in Apoſtolos deſævierant. Par erat, ut ille, & Apoſtoli illius viciſſim eos judicarent, rejicerent, damnarent.

Dei Filius ſæpe nobis apparatum noviſſimi judicii exhibet ſub figura illius, quod tunc adverſus Judæos exercuit [12]; verum eſt, ante noviſſimam Jeroſolymæ obſidionem Apoſtolos non omnes fortaſſe obiiſſe. Certe liquet, S. Johannem Evangeliſtam adhuc vixiſſe, atque non potuiſſe inviſibili modo cum aliis Apoſtolis terribili huic judicio intereſſe. Sed ſtatim ferme poſt Salvatoris aſcenſionem, Apoſtoli inceperunt Gentilibus prædicare Evangelium, & Judæos pertinaces tamquam populum in reprobum ſenſum traditum reſpexerunt. Obſeſſa, & expugnata Jeruſalem initium fuit viſibilis Judæorum interitus; ſed integrum illorum excidium, atque diſperſio ſub Adriano tandem contigit, & tunc S. Joannes, omnes Apoſtoli, atque diſcipuli, qui Dominum viderant, humanis deceſſerant. Adde his, in hujuſmodi figuratis, ænigmaticiſque locutionibus nequaquam petendum eſſe, ut ad unguem omnes parabolæ partes adimpleantur. Alioquin ex decem, & tribus Apoſtolis unus ſede caruiſſet; duodecim enim ſedes erant tantummodo, atque una ex decem, & tribus Iſrael Tribubus judicii immunis fuiſſet: quandoquidem Jeſus ait, duodecim tantum eſſe judicandas [13]. Status, certuſque numerus iſthic pro incerto uſurpatur. Cæterum hæc explicatio nullo pacto adverſatur Patrum, atque Catholicorum ſententiis, qui hoc de extremo judicio intelligendum cenſuerunt. Apud omnes Interpretes conſtat, Jeroſolymitanum excidium imaginem fuiſſe finis terrarum; & ſæpius ſacros Auctores duo ſimul in eodem ſermone ſub uno adſpectu in unα, eademque prophetia ſolere complecti.

ỳ. 29. Centuplum accipiet &c.] Qui Apoſtolorum pietatem, ac fidem fuerint imitati, terrena omnia relinquentes, ut Jeſum Chriſtum ſequerentur, vel ut perfectius illius præcepta, & conſilia exequerentur, eamdem nanciſcentur remunerationem, eamdemque dignitatem, ac Apoſtoli [14]: & præterea centuplum [15] in terris, in cœlo vero vitam æternam. Petrus uxorem ſuam deſerit; Jacobus, & Johannes Patrem relinquunt, Matthæus ſua bona contemnit, omnes ſinunt, quidquid habent, & quidquid habere poſſunt in mundo, ut Salvatorem ſectentur. Ut præclaram jam referant remunerationem, *centuplum*: hoc eſt pro temporalibus, ac perituris bonis ſpiritualia recipiunt, quæ norn cœlo fluxis hiſce, & fragilibus præſtant. Pro ope, quam a Patre, uxore, & filiis ſperare poſſunt longe pluri-

1 Aug. Ep. 31. a. 5. nov. edic. Vide & Greg. hom. 5. in Evang. & Bernard. *Declamat.*
2 Ita Theophylact. & Euthym. hic. Auguſt. lib. 20. cap. 5. de Civit. lib. 3. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 3. & l. 4. cap. 11. Greg. l. 4. Moral. cap. 21. & Mald. Brug. alii paſſim.
3 1. Cor. 15. 27. 28. Epheſ. 1. 22. Hebr. 2. 8.
4 Παλιγγενεσία.
5 Iſai. 60. 22. 65. 17. 2. Petr. 3. 13.
6 Vide Philon. de incorruptibilitate mundi, Marc. Antonin. lib. 11. §. Senec. qu. nat. l. 3. cap. ult. Euſeb. de Præpar. l. 15. cap. 19.
7 Hilar. Author. Oper. imperf.
8 Grot. Hamm. Camero, Iacob. Capell.
9 Vide Matt. 9. 17. 2. Cor. 5. 17. Galat. 6. 15.
10 Vide Ligfoot, Hor. Thalm. hic. Poſtremus hujus capitis verſiculus, totumque caput 20. hanc ſententiam exigunt.
11 Ita Marc. 10. 30. 31. Luc. 18. 30.
12 Matth. 24. 30. 26. 64. Luc. 21. 27. Matth. 1? 39. 10. 23. & 16. 27.
13 Vide Hieronym. hic, & Bedam, & Auguſt. lib. 20. de Civit. cap. 5. & Mald.
14 Chryſoſt. Author. Oper. imperf. Theophyl.
15 Marc. 10. 30. Nunc in tempore hoc, Luc. 18. 30.

plurimos inveniunt, a quibus coluntur, in pretio habentur, qui illis majuri ſolatio, & auxilio ſunt, quam omnes eorum familiæ, omneſque cognati eorum, aſſines, & amici eſſe potuiſſent [1].

Origenes [2], aliique nonnulli crediderunt, iſthic ſermonem eſſe de hominibus, quorum meritum Apoſtolorum merito decedit, & quorum etiam minor eſt remuneratio. Apoſtoli omnia generatim relinquunt, & Jeſum Chriſtum ſequuntor. Hæc eorum eſt merces, ut cum illo ſedeant duodecim Tribus Iſrael judicaturi. Sed illi, de quibus hic ſermo, non omnia relinquunt; ut vel Patrem tantum, vel Matrem &c. vel ſi omnia deſerunt, tamen non ſectantur Salvatorem, uti Apoſtoli; ideoque præmium illorum eſt tantummodo in hac quidem vita centuplum eorum, quæ reliquerint, in altera vero, vita æterna.

℣. 30. MULTI AUTEM ERUNT PRIMI NOVISSIMI,

A ET NOVISSIMI PRIMI.] In poſtremo judicio, in altera vita, in præmiorum, pœnarumque diſtributione terribilis videbitur immutatio in hominum conditione, ac ſtatu. Hic princeps erat in hoc mundo; in altero extremus erit. Ille noviſſimus in terris fuit; primus erit in Judicio Dei. At tenr, litteralem hujus loci ſenſum præcipue Judæorum reprobationem, Ethnicorumque vocationem reſpicere [3], ita ut naturalis ſit nexus cum iis, quæ a ℣. 28. vidimus de Judæorum punitione, diſperſione, & excluſione ab Eccleſia, & cum capite ſequenti, quæ eſt ejuſdem argumenti continuatio [4]: ubi Jeſus Chriſtus apertius adhuc oſtendit Judæos reprobandos. Judæi, qui primi ad Evangelium vocati ſunt legitimi filii Regni, promiſſionum hæredes, illi, qui præcipuas in Meſſiæ Regno ſedes erant
B occupaturi, inde excludentur, ac nullam ibi partem obtinebunt.

1 Rom. 8. 18. 2 Origen. in Matt. Aug. ep. olim 89. nunc 157. Hieron. Beda.
3 Vide Grot. hic, & Med. Diſſ. p. 112. Confer Luc. 13. 29. 30. et Greg. Mag. hom. 65. Hilar. hic.
4 In Græco, et Syriaco ſenſibilia eſt nexus. Legunt: *nam regnum cœlorum ſimile eſt* etc. et parabolæ concluſio eſt eadem, ac id, quod nos hic legimus cap. 19. verſ. 16. *Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi.*

CAPUT XX.

Parabola de Operariis ad vineam excolendam, vario horarum intervallo miſſis, & parem mercedem referentibus. JESUS CHRISTUS ſuam Paſſionem prædicit. Mater filiorum Zebedæi petit, ut duobus filiis ſuis præcipuæ dignitates in JESU CHRISTI Regno deferantur. Cæci duo prope Jerichuntem curati.

1. Simile eſt regnum cœlorum homini patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. 2 Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. 3 Et egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos. 4 Et dixit illis: Ite & vos
in vineam meam, &, quod juſtum fuerit, dabo vobis. 5 Illi autem abierunt.
Iterum autem exiit circa ſextam, & nonam horam; & fecit ſimiliter. 6 Circa
undecimam vero exiit, & invenit alios ſtantes, & dicit illis: quid hic ſtatis tota die otioſi? 7 Dicunt ei. Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. 8 Cum ſero autem factum eſſet, dicit dominus vineæ procuratori
ſuo; Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a noviſſimis uſque ad primos. 9 Cum veniſſent ergo, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt ſingulos
denarios. 10 Venientes autem & primi, arbitrati ſunt, quod plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. 11 Et accipientes murmurabant
adverſus patremfamilias. 12 Dicentes: Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei, & æſtus. 13 At ille reſpondens
uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario conveniſti
mecum? 14 Tolle quod tuum eſt, & vade; volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi. 15 Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam
eſt, quia ego bonus ſum? 16 Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi: multi enim ſunt vocati, pauci vero electi. 17 Et aſcendens Jeſus Jeroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecreto, & ait illis; 18 Ecce aſcendimus Jeroſolymam,
& filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum
morte, 19 Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die reſurget. 20 Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum
filiis ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo. 21 Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram
in regno tuo. 22 Reſpondens autem Jeſus, dixit; Neſcitis, quid petatis. Poteſtis
bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei; Poſſumus. 23 Ait illis: Calicem

licem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non
eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo. 24 Et audientes de-
cem, indignati ſunt de duobus fratribus. 25 Jeſus autem vocavit eos ad ſe, &
ait: Scitis, quia principes gentium dominantur eorum: & qui majores ſunt, pote-
ſtatem exercent in eos. 26 Non ita erit inter vos: ſed quicumque voluerit in-
ter vos major fieri, ſit veſter miniſter: 27 Et qui voluerit inter vos primus eſſe,
erit veſter ſervus. 28 Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, &
dare animam ſuam, redemptionem pro multis. 29 Et egredientibus illis ab Jerico,
ſecuta eſt eum turba multa: 30 Et ecce duo cœci ſedentes ſecus viam, audierunt,
quia Jeſus tranſiret: & clamaverunt, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili Da-
vid. 31 Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, di-
centes: Domine, miſerere noſtri, fili David. 32 Et ſtetit Jeſus, & vocavit eos,
& ait: Quid vultis, ut faciam vobis? 33 Dicunt illi: Domine, ut aperian-
tur oculi noſtri. 34 Miſertus autem eorum Jeſus, tetigit oculos eorum. Et confe-
ſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum.

℣. 1. SIMILE EST REGNUM COELORUM &c.] Ad A ſuperioris capitis calcem adnotavimus jam, hoc illius eſſe continuationem. Ita Græcus legit: *Regnum enim cælorum eſt* &c. Hæc omnia in eum ſcopum tendunt, ut probetur, quod nuperrime dixerat Jeſus Chriſtus, complures ex illis, qui primi ſunt, noviſſimos futuros, hoc eſt Judæis aditum eſſe intercludendum in Eccleſiam, & Regnum Dei, ubi Ethnici primum locum inveniſſent. Hic enim verus eſt eorum verborum ſenſus: *erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi*, ut liquet ex S. Luca cap. 13. ℣. 28. 29. 30. Paterfamilias Deus eſt. Regnum Cœlorum eſt Eccleſia Chriſtiana; vinea Synagoga. Operarii vero ſubinde omnibus horis illuc miſſi, Prophetæ, & Sancti Veteris teſtamenti. Noviſſimi autem ad vineam excolendam mittuntur Apoſtoli, qui illuc Ethnicos evo- B cant, eiſdem Evangelii lucem offerentes. Ethnici eamdem remunerationem accipiunt, atque in Regnum admittuntur, non ſecus ac Judæi, licet hi pondus diei & æſtus pertulerint. Hæc autem omnia fuſius in Commentarii decurſu enucleabuntur.

Simile eſt Regnum Cælorum, hoc eſt, ratio, quam ſervavit Deus, homines ad Fidem, & veritatis cognitionem evocans, ſimilis eſt rationi, qua Paterfamilias qualibet diei hora mittit operarios ad vineam ſuam excolendam. Synagoga crebro in Prophetis ſub vineæ imagine exhibetur [1], ubi & Deus Pater veluti Agricola, & dominus ejuſdem [2]. Omne illud vero tempus, quod ab ipſis terrarum primordiis effluxit [3], vel illud potius, quod abiit, ex quo Dominus vineam ſuam tranſtulit de Ægypto, uti loquitur Pſalmiſta pſal. 79. C eamque in terra Chanaan plantavit, variis diei horis indigitatur. Hora noviſſima juxta hanc hypotheſim ea eſt, qua venit Meſſias, & gloria ejus apparuit. Tempus hoc in Scripturis [4] ſæpius *noviſſimi dies* vocantur. Tunc Judæi reprobati fuerunt, Ethnici in Eccleſia vocati, tunc primi facti ſunt noviſſimi, & noviſſimi primi.

Hæc explicatio minime excludit cæteras, quæ a Patribus, atque Interpretibus loco huic tribuunt; quorum alii, ex. gr. dixere, vineam eſſe animam noſtram [5], cui excolendæ omnibus vitæ noſtræ diebus indeſinenter vacare debemus: alii [6] hanc eſſe juſtitiam, quæ jugiter nobis eſt exercenda. Dies univerſam vitam noſtram ſignificat, veſper mortem, nox judicium. Nihil hoc verius in morali ſenſu: quilibet D noſtrum ſub vitæ exitum, prout laboraverit, vel præmium, vel æterna ſupplicia recipiet. Omnes ſuperos beatitudine fruentur, ait S. Auguſtinus, ſed propter meritorum inæqualitatem non omnes eodem beatitudinis grado fruentur [7]. *Quamvis pro meritorum diverſitate fulgebunt, alius magis, alius minus: quod tamen ad vitam æternam attinet, æqualis erit omnibus.*

EXIIT PRIMO MANE.] Judæi tunc temporis Romanorum more horas recenſebant. Dies quælibet duodecim conſtabat horis, & nox totidem. Hæ diei, noctiſque horæ inæquales erant pro varietate temporum, & dierum longitudine, aut brevitate. *Primo mane* ſignificat primam diei horam, quæ in Æquinoctio, ſexta eſt matutina Gallica. Tertia hora, nona eſt matutina: hora ſexta, meridies: hora nona, tertia pomeridiana: undecima vero, quinta veſpertina: duodecima tandem, ac diei noviſſima, hora ſexta veſpertina in Æquinoctio, & hora occaſus ſolis alio quovis tempore.

℣. 2. CONVENTIONE AUTEM FACTA.] Non ſatis conſtat, quidnam tunc temporis denarius valeret. Fortaſſe denarius etiam generatim pro argenteo nummo uſurpatur; qualis in ſingulos dies conductitiis operis perſolvebatur. Romanus denarius, ex nonnullorum ſententia, decem ſolidis, ex aliorum, ſolidis octo, & uno inſuper noſtratium denariorum; juxta alios denique, ſolidis ſeptem, denariis octo, & nonnihil ultra, noſtratis monetæ æſtimabatur.

℣. 3. VIDIT ALIOS STANTES IN FORO OTIOSOS.] Operarii in foro ſtabant opperientes, donec conducerentur. Hoc ipſum ad hanc quoque diem in præcipuis terrarum civitatibus aſſolet.

℣. 6. CIRCA HORAM UNDECIMAM.] Una dumtaxat ante diei exitum hora. Nobis nequaquam conſuetum eſt, pro una tantum, vel & altera hora, operarios conducere, qui vulgo in diem integrum conducuntur. Non ita vero apud Judæos conſueverat. Joſephus Antiq. l. 20. c. 8. docet, cum templum ædificaretur, ingens illud opus, quod ab Herode primo inchoatum, tandem abſolutum eſt, octavo, antequam templum a Romanis exſcinderetur, anno, per quam diligenter octo & decem operarum millibus mercedem fuiſſe perſolutam, quorum ſingulæ arti ſuæ vacabant: licet una dumtaxat diei hora operi inſudaſſet. Illis merces expectanda non erat, ſed illis ſtatim erogabatur. Hi deſignant Ethnicos, qui ad Evangelium multo ſerius præ Judæis evocati, tamen illuc ingreſſi ſunt, eamdemque retulerunt remunerationem, quam Judæi illi, qui in JESUM crediderunt. *Hora undecima* illam ſignificat, quæ immediate noviſſimam vitæ horam antecedet. Dejotaro [8], qui ætate confectus erat, atque urbem condere incipiebat, Marcus Craſſus ait: quid hoc?

1 Iſai. 5. 5. 12. Jerem. 2. 22. 10. Ezech. 17. Joel. 1. Pſal. 79. 9. & ſeqq. Joan. 15. Matth. 21. &c.
2 Joan. 15. Ita Patres paſſim. 3 Origen. in Matth. Hilar. Beda hic. Greg. Magn. Homil. 19. in Evangel. Iren. lib. 4. cap. 70. Optat. Milev. lib. 5. contra Parmenion. Author Operis imperfecti.
4 Iſai. 2. 2. 30. 8. etc. 5 Theophylact. 6 Iren. l. 4. c. 70. Chryſoſt. hic. alii.
7 Auguſt. ſerm. 87. olim 59. de Verbis Domini.
8 Plutarch. in Craſſo, et Appian. Parthic.

Digitized by Google

hoc? jam jam ad horum duodecimam perveniſti, & urbis ſubſtructionem aggrederis? Græci MSS. quidem [1] iſthic & verſiculo 9. legunt: *horam duodecimam* pro *undecima*.

ỳ. 7. QUIA NEMO NOS CONDUXIT.] Dominus gentes reliquit in errore viarum ſuarum [2], quin illas ſaltem explicite, & palam ad fidem evocaret, uſque ad tempus Evangelicæ prædicationis.

ỳ. 8. DICIT DOMINUS VINEÆ PROCURATORI SUO.] villico ſuo, Oeconomo, qui ſervus erat, ſuper alios familiæ ſervos conſtitutus, & cui cura demandata erat aliis & victum, & laborem diſtribuendi. Pater Familias huic domeſticas curas committere conſueverat [3]; hic ſumptus efficiebat, operas perſolvebat, omniumque rationem hero ſuo, ubi poſceretur, reddebat. Satis crebro de hujuſmodi Oeconomis loquitur Evangelium [4], qui non longe differebant ab illis, quos Latini *villicos* appellabant, & quos Domus ampliſſimi aliquius viri præfectos nuncuparemus [5]. Talis erat Eliezer in Abrahæ domo; Joſephus in domo Pharaonis. Moyſes etiam in Scripturis exhibetur, tamquam dominicæ domus procurator [6].

A NOVISSIMIS USQUE AD PRIMOS.] Ethnici Chriſtianæ Religionis initiati primi ſunt, qui præmium ferunt, eo quod tempus remunerationis eorum minime differtur, cum interim Judæis, ac priſcis hominibus juſtis perfecta beatitudo uſque poſt Salvatoris Reſurrectionem fuerit dilata. Ex pluribus, qui in idem opus incumbunt, illi priores mercedem ferre cenſentur, qui eamdem eodem tempore accipiunt, ac alii, qui antea laborem inceperant [7]. *Hi primi juſti poſt multum tempus; nos poſt medium tempus: quamvis ſimul accipiamus, priores videmur recepiſſe; quia merces noſtra non tardabit.*

ỳ. 11. ACCIPIENTES MURMURABANT.] Omnibus operariis Pater familias ſpoponderat, ſe, quod juſtum fuiſſet, daturum. Superat promiſſiones ſuas erga eos, quos noviſſime in vineam miſit; illis enim quadammodo aliquid ultra, quod juſtum ſit, elargitur. Verum num inde primi jure optimo conquerantur? nonne ille rei ſuæ dominus eſt? nonne cuicumque voluerit, elargiri poteſt. Si noviſſimis aliquid amplius tribuit, quam primis; hæc commerces eſt, ſed gratia, & munus [8]: vel remunerari vult horum zelum, ſedulamque ſolertiam, quo exiguo temporis intervallo, quo laborarunt, æquarunt opus illorum, qui antea fuerunt vocati [9]. Et ſane Eccleſia Chriſtiana prioribus ſæculis tanto ardore, ac vi Deo famulata eſt, in eximiarum virtutum officiis adeo excelluit, ut jure dici queat hæc multis paraſangis poſt ſe Synagogam reliquiſſe, licet hanc tunc etiam conſiderare velis, cum ibi pietas maxime floreſceret atque vigeret.

ỳ. 15. AUT NON LICET MIHI QUOD VOLO FACERE?] Vetera quædam exemplaria legunt [10]: *non mihi licet ex bonis meis, quod volo facere?* quod propoſitionis hujus ſenſum coarctat; quæ in eo ſenſu, qui in vulgata exhibetur, deſempta, innuere videretur, Deum poſſe, vel præmiis afficere, vel ſuppliciis nulla habita meritorum vel ſcelerum ratione; quod citra blaſphemiam affirmari non poſſet. In ea ratione, qua cum operariis agit, ne latum quidem unguem ab exactæ Juſtitiæ legibus recedit: ſingulis dat, quod ſingulis debetur: ſed præter id, quod debetur, erga illorum nonnullos ſuam liberalitatem exeret. Numquid ergo murmurantibus dicere non poteſt, *tolle quod tuum eſt, & vade . . . . aut non licet mihi quod volo facere?* Numquid injurius tibi ſum? numquid vel retineo, vel rapio, quod tuum eſt? *fraudem tibi non feci, quia quod pactus ſum, reddidi. Huic non volo reddere, ſed donare*, S. Auguſtinus ait Serm. 87. n. 4.

AN OCULUS TUUS NEQUAM EST, QUIA EGO BONUS SUM?] in Hebræorum ſtylo [11] *oculus nequam* invidum, avarumque ſignificat. Eadem loquendi ratio [12] apud Græcos, æque ac Latinos invenitur. E contra vero *oculus bonus* [13] *vel bona opera*, ſæpius ſignificant liberalitatem, eleemoſynam, bene facta [14]. In Judæorum libris [15] extat parabola, quæ aliquam habet cum hac ſimilitudinem. Princeps quidem operarios conducit, quos in opere quodam exerceat. Quidam vero ex illis, qui duabus tantum horis laboraverat, eamdem referente mercedem, quam, qui tota die in opus incubuerant, obmurmurarunt cæteri: at Rex illis reſpondit: hic duabus horis majorem operis partem abſolvit, quam vos omnes ſimul die ſolido. Sed parabola hæc ad illius, quæ ab Evangelio affertur, lucubrationem concinnata videtur; liber enim ubi invenitur, centum ſaltem, & quinquaginta annorum intervallo recentior eſt, quam tempus noſtri Salvatoris.

ỳ. 16. SIC ERUNT NOVISSIMI PRIMI, ET PRIMI NOVISSIMI.] Hæc eſt parabolæ concluſio. Hoc ipſum dixerat JESUS ỳ. 30. capitis ſuperioris; quod, ut probaret hanc ſimilitudinem, propoſuit. Judæi, qui primi vocati fuerant, qui promiſſiones receperant, qui fuerant populus electus, quem Deus gratiis cumulaverat, cui Legem, atque Scripturas tradiderat, iis omnibus decedunt privilegiis; cumque primi eſſent, noviſſimi fiunt, in JESUM CHRISTUM habere fidem renuentes. Ethnici vero, qui populus erat in flagitiorum omnium cœno alte demerſus, Idolis mancipatus, ſedens in umbra mortis, nunc eliguntur ad Eccleſiam Chriſtianam componendam, illinc pleriſque Judæorum ejectis. Ita adimplentur ea, quæ a Salvatore dicta ſunt, futurum ut noviſſimi fierent primi.

MULTI ENIM SUNT VOCATI, PAUCI VERO ELECTI.] Hæc alia eſt parabolæ, vel proverbii ſpecies. Cum delectus habetur eorum, qui per ætatem, ac valetudinem armis ferendis ſunt, omnes ſimul coeunt; at non omnes conſcribuntur: fortiores tantum, & qui robore ac forma præſtant, eliguntur [16]. Hinc parabola deſumta plane fuit. Deus omnes Judæos vocavit, eoſque a reliquis gentibus ſecrevit, ut populum ſuum componeret. Verum pauci paruerunt vocationi Dei, vocem ejus audierunt, ac ſe ſe dignos illius diſcipulos præbuerunt. Per infidelitatem, & nequitiam meriti ſunt, ut ſibi aditus in convivium præcluderetur; *qui invitati erant, non fuerunt digni* [17]. Ex illis ii tantum, *qui præordinati erant ad vitam*, ut S. Pauli verbis utar Act. 13. 48. ſalutis verbum receperunt.

1 Vide Var. Lect. Millii his. Ita Perſice verſ. & Hilar. hic. 2 Act. 14. 15.
3 Gregor. Magn. Homil. 19. in Evangel. 4 Geneſ. 15. 2. Matth. 18. 13. 26. 24. 45. &c.
5 Vide Pignor. tract. Servis. p. 263. 6 Num. 12. 7. Joſue 1. 1. 2. 7. &c.
7 Aug. Serm. olim 59. nunc 87. n. 5. Vide & Gregor. in Ezechiel. Homil. 4. n. 6. Theodoret. l. 5. Hæretic. fab. c. 12.
8 Aug. Serm. 87. n. 6. *Non murmuret ergo qui poſt multum tempus accepit, contra eum qui poſt modicum accepit. Illi redditur, illi donatur. Utriſque tamen una res donatur.* 9 Vide Maldon. Men. Ham.
10 Gr. Hᵃ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς. Ita Syr. et Antiqu. Vulg. *Aut non licet mihi quod volo facere de re mea.* Auguſt. ſerm 87. *Non licet mihi quod volo facere de meo.*
11 Prov. 23. 6. *Non comedas cum homine invido.* Hebr. *Mali oculi.* Eccli. 31. 4. *Memento quoniam malus eſt oculus nequam.* Marc. 7. 22. *Oculus malus*, pro invidia. Vide et Tob. 4. 7. 16. Eccle. 14. 10.
12 Horat. lib. 1. carm. Ode 28.

. . . . *Ne parce malignus arenæ,*
Oſſibus & capiti inhumato.

Ovid. lib. 2. Metamorph. de invidia. *Nuſquam recta acies.* Liban. Φθόνε χαλεπῶν ὀφθαλμός, etc.
13 Prov. 22. 9. *Qui pronus eſt ad miſericordiam.* Hebr. *Oculus bonus.* Eccli. 35. 10. Ἐν ἀγαθῷ ὀφθαλμῷ δόξασον τὸν Κύριον. 14 Act. 9. 36. Jacob. 3. 17. Matth. 12. 12. et 2. Cor. 9. 8. Galat. 6. 9. etc.
15 Gemar. Jeroſol. Cod. Berachot. 16 Vide Clericum in hunc locum.
17 Matth. 22. 8.

Vocati ſunt Judæi omnes ; *electi* hoc in loco ii ſunt, qui cum ex Judæis, tum ex Ethnicis in JESUM CHRISTUM crediderunt. De Ægypto ſexcenta bellatorum millia egreſſa ſunt : at duo tantum in terram promiſſam ingreſſi : qui duo, Joſue nempe, & Caleb, figura ſunt electorum ; cœteri vero omnes vocatorum. Ipſi etiam Rabbini hoc Meſſiæ tempore futurum non diffitentur [1]. Ita quoque hic ſenſus explicatur : In Chriſtiana Religione plurimi ſunt vocati, & pauci electi. Omnes quidem ad æternam vitam, atque ſalutem vocati ſunt : *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* 1. Tim. 2. 4. at non omnes Dei conſiliis reſpondent, non omnes operibus ſuis certam efficiunt vocationem ſuam, neque omnes iis Dei donis utuntur [2]. Plurimi quidem vocationis gratiam recipiunt ; at non omnes in eadem perſeverant. Non ſufficit vocari, præterea vivas opus eſt eo pacto, quod vocationem tuam maxime deceat [3] : *obſecro vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis*. Deus *elegit eos*, inquit S. Auguſtinus [4] *& ſecundum ſuam gratiam & ſecundum illorum juſtitiam*. Sed juſtitia hæc gratiæ illius donum eſt, eam cum humilitate cognoſcere debemus, ſervare cum fide, & ex ea fructum ferre cum perſeverantia.

℣. 17. ASSUMPSIT DUODECIM.] Hoc aliquot duntaxat menſes poſt eam parabolam contigit, cujus explicationem ſuperioribus verſiculis intuiti ſumus. Ibat JESUS Jeroſolymam, mortem ibi ſubiturus. Hoc eſt noviſſimum Paſcha, quod ille in terris celebraverit. Illuc autem octo vel decem diebus ante feſtivitatem [5] profectus eſt, ut ea, quæ de ſe in Prophetis prænotata erant, compleret. Cum viam ingreſſus eſſet ingenti populi ſtipatus multitudine, ſeorſim deduxit Apoſtolos ſuos, apud eos rurſus de Paſſione ſua locuturus ; hanc enim jam ſemel illis prædixerat [6]. Verum operæ pretium erat, illos præoccupare adverſus ſcandalum, quod paſſionis ejus adſpectus illis ingerere potuiſſet. De induſtria ergo illos e reliquo populo removet, myſterium hoc decreturus, noverant enim illi, ipſum CHRISTUM eſſe Dei Filium : quę veritas nondum explorata erat, atque comperta vulgo Judæis, quibus nonniſi poſt mortem, atque Reſurrectionem illius, perſpicuis verbis erat prædicanda. Ab his JESU CHRISTI mors haberi non poterat ad ſummum, niſi mors viri Juſti, & Prophetæ : neque fere majus in illis metuendum erat ſcandalum, quam in Apoſtolis majori quidem luce donatis, ſed adhuc infirmis.

℣. 19. TRADENT EUM GENTIBUS.] Cum Principes Sacerdotum in conſilio ſuo JESU CHRISTI mortem decreviſſent, eique jam nigrum theta tamquam extremi ſupplicii digno affixiſſent ; id tamen exequi auſi non ſunt, eo quod ſibi vitæ, neciſque jus fuerat ademptum [7]. Eum ergo Romanis tradiderunt, qui contumeliis affectum, virgis cœſum, atque graviſſimis ſuppliciis excruciatum, cruci affixerunt. Circumſtantia hæc *tradendi Gentilibus*, Judæos ſummo dolore afficiebat, eo quod ſe tanquam liberum populum, & ab aliis diſtinctum ferebant. Teſtatur S. Lucas 18. 34. Apoſtolos nihil intellexiſſe ex his, quæ ſibi a JESU CHRISTO dicebantur. Præjudicium, quo repleti erant, & quod ſermonibus ſuis non ſemel Salvator confirmaverat, futurum ut ille quamprimum regnaret, ultionem ſuam contra inimicos exerceret, in medio Angelorum ſuorum in gloria appareret, in ſolio medius inter Apoſtolos ſuos aſſideret : hoc inquam præjudicium cum ea opinione conjunctum, qua ab ipſa uſque pueritia imbuti fuerant, Meſſiam videlicet futurum potentiſſimum Principem, qui Iſrael de hoſtium manibus liberaret, illis facem minime præferebat, ut ea, quæ ad eumdem, tamquam Deum, Dominatorem, ac dæmonis, mortis & peccati victorem pertinebant. Intelligebant quidem, quid ſibi vellet Gentilibus tradi, contumeliis, ſuppliciis, morti objici ; verum cum hæc ſimul eſſe non poſſe illis viderentur cum iis, quæ aliunde norant ; myſterium ibi non deeſſe putabant, neque inter hæc nexum, rationemque nullam intuebantur.

℣. 20. ACCESSIT AD EUM MATER FILIORUM ZEBEDÆI,] & petiit ex eo, ut duo filii ſui in Regno illius ſederent, alter quidem ad dexteram, alter ad ſiniſtram. Mater hæc vocabatur *Salome* [8], quæ Salvatorem ſequi inceperat, fortaſſe poſt obitum viri ſui Zebedæi. Cum autem cognationis jure propius Sanctiſſimam Virginem, ideoque & JESUM CHRISTUM, attingeret ; credidit, ſe jure optimo pro filiis ſuis aliquid poſſe efflagitare ſuper cœteros Apoſtolos. Jam pridem Salvator apud Apoſtolos ſuos de Reſurrectione ſua, & Regno, veluti de re omnino proxima diſſeruerat ; Salome ergo e re non cenſuit, hanc petitionem differre.

Complures antiqui Patres [9] credidere, Matrem ab Apoſtolis Johanne, & Jacobo actam id petiiſſe : verum fatendum eſt, nullum rei hujus directum, apertumque ſupereſſe argumentum. Verum quidem eſt, illam una cum filiis accedere, & JESUM CHRISTUM non Matri, ſed filiis reſpondere. Verum quoque eſt, S. Marcum 10. 35. aſſerere, illos ex ſemet veniſſe, & dixiſſe JESU CHRISTO : *Magiſter volumus, ut quodcumque petierimus, facies nobis. At ille dixit eis : quid vultis, ut faciam vobis ? & dixerunt : da nobis, ut unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua*. Verum his reſpondemus, ab Evangeliſta filiis tribui, quod pro filiis Mater petierat. Salvatorem vero filiis, non Matri reſpondere, eo quod Mater non pro ſe, ſed pro filiis petebat. Denique Patres alii [10] credunt, Salome ſponte, amore tantum, ac materna ductam charitate, motu proprio ex Filio Dei hoc quæſiviſſe. Suum tantummodo hac in re conſulit affectum, quin ad petitionis ſuæ effectus attendat. *Poſtulat errore muliebri, pietatis affectu, neſciens quid peteret* ; dicit S. Hieronymus. *Verum ſi error eſt*, S. Ambroſius ait, *pietatis tamen error eſt ; neſciunt enim materna viſcera patientiam . . . . Matrem conſiderate, matrem cogitate*.

℣. 21. DIC, UT SEDEANT HI DUO FILII MEI.] Dei Filius pridem dixerat [11], futurum ut duodecim Apoſtoli ſecum duodecim ſedibus conſiderent, duodecim tribus Iſrael judicaturi. At quinam prope ipſum hinc inde ſeſſuri eſſent, non dixerat. Mater Filiorum Zebedæi ſibi cenſuit adlaborandum, ut utrumque locum illum filiis ſuis obtineret. Origenes hom. 25. in Lucam teſtatur, hæreticos nonnullos aſſeruiſſe, dexteram ſimul & ſiniſtram, quæ iſthic a filiis Zebedæi petuntur, S. Paulo, & Marcioni fuiſſe conceſſas.

℣. 22. NESCITIS QUID PETATIS.] Noſtis ne, quid ſibi velit, ad Dei dexteram ſedere ? creditis ne, hunc vulgarem eſſe honorem, & hominibus reſervatum [12] ? aliter : putatis ne, a me inſtituendum eſſe temporale Regnum in terra, Regnique mei dignitates terrenis ſimiles eſſe ? Vos adhuc fallit, quod mihi faciendum ſit, & quale meum Regnum futurum ſit. Dona, atque honores omnino ſpirituales vobis pollicitus ſum : vos autem ex me fluxos, & fragiles quæritis : neſcitis quid petatis. Putatis carnis, & ſanguinis commendationem, & gratiam, vias eſſe, qua aditus pateat ad præcipuas Regni mei dignitates ? neſcitis quid petatis ; illuc per humilitatem, per Crucem, & per ærumnas unica patet via. Triumphum petitis ante prælium, & victoriam ; atque finem medio ipſi anteponitis.

Si Fi-

1 Rab. Sinai in Talmud. apud Grot. hic. 2 2. Petr. 1. 10.
3 Epheſ. 4. 1. 4 Auguſt. Serm. 7. de Verbis Domini ; nunc Serm. 100. n. 3.
5 Operariorum in vineam miſſorum parabolam propoſuit juxta Toynardum, ante menſem Januarium ; idque non contigit, niſi circa 25. Martii, quintum Niſan, 10. dies ante feſtum Paſchæ.
6 Vide Matth. 16. 21. 18. 22. 7 Joan. 18. 31.
8 Marc. 15. 40. Matth. 27. 12. 9 Aug. l. 2. de Conſenſu, c. 64. Chryſoſtom. Homil. 66. Auth. Oper. imperfect. Theophyl. Euthym. Greg. Homil. 27. in Evangel. Hieronym.
10 Hilar. in Matth. Ambroſ. l. 5. de Fide, c. 3. Vide Maldon. 11 Matth. 19. 28.
12 Vide Chryſoſt. Theophyl. Euthym.

Si Filiorum Zebedæi petitio ea tantum fuiſſet, ut illis cum cæteris Apoſtolis ſedere liceret, fuiſſet quidem ferenda; vel potius inutilis etiam; quandoquidem JESUS CHRISTUS hoc illis ſpoponderat. Verum duos illi præcipuos locus ſupra cæteros petierunt: quod illis ſodalium ſuorum invidiam ac indignationem conflavit. ℣. 24. *Audientes decem indignati ſunt*. Ex univerſa Apoſtolorum vivendi ratione liquet, illos adhuc imperfectos fuiſſe, & nondum ſatis profeciſſe ex documentis, & exemplis humilitatis, quæ Salvator, & præclara, & plurima illis tradiderat.

POTESTIS BIBERE CALICEM &c.] Quandoquidem priores Regni mei dignitates poſtulatis, parati ne eſtis ad eas promerendas? Stat vobis, bibere calicem meum, atque doloris, & tribulationis aquis immergi? Hebræi dolorem, & mala, calicis & Baptiſmatis nomine exprimebant. Calicem bibere, in aqua immergi, ſub aquis ſubmergi, maximam innuebant calamitatem. *Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum*: ait Pſalmiſta Pſal. 10. 7. & Pſal. 74. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto . . . bibent omnes peccatores terræ*: Accipit Hieremias de manu Domini calicem plenum vino iræ Dei, eumque exhauriendum tradit omnibus populis, ad quos miſſus eſt *Jerem.* 25. 15. Quod autem ad aquas pertinet, quibus calamitates deſignantur, Pſalmiſta plurima nobis exempla ſuppeditat. Pſal. 143. 7. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis*, & Pſal. 68. 3. *Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me*: Demum Pſal. 123. 4. *cum iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos. Torrentem pertranſivit anima noſtra*: trans Euphratem traducti ſumus, ſed ſine illo non *pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem &c.* Græcus in plurimis Editis exemplaribus addit [2]; *poteſtis ne eo Baptiſmate baptizari, quo ſum baptizandus?* hoc eſt, poteſtis ne, iis paſſionum aquis ſubmergi, quibus ego ſubmergar? Et ſequenti verſiculo: *vos baptiſmate baptizabimini, quo ego ipſe baptizabor*. At non deſunt quam plurimi MSS. Codices, iique eximii, ubi verba hæc deſiderantur [3]. Creduntur hæc a S. Marco 10. 38. fuiſſe deſumpta. Origenes ea iſthic refert, ſed tamquam ex eodem Evangeliſta deprompta. SS. Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, & Verſiones Vulgata, Cophtus, atque Æthiopica, hæc omnino prætereunt.

DICUNT EI: POSSUMUS.] Procul dubio illi ſerio, atque ſincere loquebantur, affectum, cor, animumque ſuum dumtaxat conſulentes. Quænam vero ſibi eſſet conſtantia, deinde in Magiſtri ſui paſſione aperte oſtenderunt. Audacter pollicentur, S. Johannes Chryſoſtomus hic inquit, id, quod parum æque norant, ac honorem, quem concupierant efflagitantes, ut ſibi ad dexteram & ſiniſtram Salvatoris ſedes aſſignaretur.

℣. 23. CALICEM QUIDEM MEUM BIBETIS.] Si mihi, Evangelioque meo adhæſeritis, profecto bibetis calicem, quem bibiturus ſum, ac paſſionum mearum participes eritis. Hoc vobis quidem polliceri poſſum, quippe in mea poſitum eſt poteſtate: non item vero dignitatem, ad dexteram vel ſiniſtram meam ſedendi; quippe Patris mei eſt, ſedes illas diſtribuere.

Quæritur [3], quomodo verum ſit, SS. Jacobum, & Johannem Salvatoris Calicem epotaſſe? conſtat quidem, S. Jacobum ab Herode fuiſſe interfectum [4], atque ita participem factum calicis JESU CHRISTI: ſed S. Johannes Evangeliſta nullum martyrium paſſus eſt: immo dubitatum eſt, utrum humanis [5] deceſſerit. At reſpondemus, exilium, quod Apoſtolus iſte paſſus eſt, labores Apoſtolatus, ferventis oleum, quo immiſſus fuit, & unde incolumis evaſit, verum eſſe Martyrium. Hæc pars eſt calicis illi præparati. Non deerat huic bona voluntas, ſed defuit occaſio, martyrium reipſa ſubeundi [6].

At ea, quæ Salvator ait: *ſedere ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo*, profecto majores pariuntur difficultates. Ariani [7] ſæpius hoc loco uſi ſunt, ut adniterentur oſtendere, JESU CHRISTO minorem eſſe poteſtatem, atque auctoritatem, quam Deo Patri illius. Verum a Patribus triplici ratione reſponſum eſt: 1. Dei Filium iſthic locutum fuiſſe tamquam hominem, non tamquam Deum [8]: 2. expreſſiſſe, non id, quod poteſtatis ſuæ, ſed quod erat officii ſui [9]. Hoc Patri reſervatum eſt, hujus eſt, locos, ac Regni mei dignitates diſtribuere; eodem fermè pacto, quo alibi ait, Patrem rerum omnium judicium Filio detuliſſe [10]: *omne judicium dedit Filio*. Licet id minime excludat poteſtatem Patris judicaturi: 3. non ait explicite JESUS CHRISTUS, ſibi deeſſe facultatem hos dignitatis gradus diſtribuendi; ſed ait, hos a ſe diſtribuendos eſſe illis, quibus parati ſunt a Patre ſuo [11]; perinde ac diceret, honoris gradus, quos petitis, ex his rebus non ſunt, de quibus abſolute diſpono: Pater meus Cœleſtis illos pro beneplacito ſuo, ac meritis ſingulorum diſtribuit [12]; omnia ab illius juſtitia, a carne vero, & ſanguine nihil vobis expectandum eſt. Plurimi notæ melioris Interpretes [13] Græcum in poſtremum hunc ſenſum vertunt; *meum non eſt dare niſi illis, quibus paratum eſt a Patre meo*.

℣. 25. PRINCIPES GENTIUM DOMINANTUR EORUM] Hoc inter meum, & hujus mundi Principum Regna diſcrimen adeſt; hi cum imperio dominantur, imperant cum auctoritate, vi ſeſe tuentur, atque ſuos hoſtes ſubjiciunt. In Regno autem meo oppoſitum prorſus accidit: qui illic dominaturus eſt, ſuavitate dumtaxat, modeſtia, humilitate, patientia, utatur opus eſt. Qui ibi vigere quærit, omne ſtudium tranſmittat, opus eſt, ut ſuavitate aliorum animum ſibi devinciat, patientia inimicos flectat, rationis vi, & efficacia veritatis, homines ſubjiciat. In domo Dei, S. Auguſtinus ait l. 19. de Civit. c. 14. *etiam qui imperant, ſerviunt eis, quibus videntur imperare: non enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi, nec principandi ſuperbia, ſed providendi miſericordia*.

℣. 28. DARE ANIMAM SUAM REDEMPTIONEM PRO MULTIS.] Cum dicitur veniſſe JESUS, ſanguinem ſuum *pro multis* effuſurus, non ideo inferendum eſt, pro mortalium univerſo genere, illum nequaquam animam efflaſſe. *Multi* ſæpius, pro omnibus uſurpantur [14]: ex. gr. in verbis illis, *multi ſunt vocati, pauci vero electi*. Omnes quippe Judæi a Deo vocati ſunt, & ad genus electum conſtituendum deſtinati: at pauci fuerunt, qui hac Dei largitate uti voluerint. Ita Salvator venit, animam ſuam pro omnibus hominibus traditurus [15]: CHRISTUS *pro omnibus mortuus eſt*. At non omnes fructum, quem ex illius ſanguine haurire poterant, perceperunt: *Pro multis, ideſt pro his, qui credere voluerint*, S. Hieronymus hic inquit.

Hæc loquendi ratio, *dare animam ſuam pro aliquo*, proprie ſignificat, alium ab interitu propria morte redime-

2 *Καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι* . . . . 23. *Καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε*.
3 Vide Var. Lect. Millii. 3 Vide Origen. Hieronym. Chryſoſtom. Bedam.
4 Act. 12. 2. 5 Vide Euthym. hic, & Commentarium noſtrum ad Matth. 26. 28.
6 Tertull. lib. 2. de Præſcriptionib. Euſeb. lib. 5. cap. 51. Hiſtor. Eccleſ.
7 Vide Epiphan. hæreſi 69. Ambroſ. lib. 5. de Fide cap. 5. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 12. &c. aliis.
8 Vide Auguſt. lib 1. de Trinit. cap. 12. 9 Ambroſ. lib. 5. de Fide cap. 5.
10 Joan. 5. 22. 11 Vide Chryſoſtom. Homil. 65. Hieronym. hic. Epiphan. hæreſi 69. Ambroſ. loco citato. Cyrill. lib. 10. Theſauri cap. 5. 12 Hieronym. hic. *Regnum Cœlorum non eſt dantis, ſed accipientis. Quicumque talem ſe præbuerit, ut Regno Cœlorum dignus fiat, hic accipiet, quod non perſonæ, ſed vitæ paratum eſt*.
13 Vide Beng. Grot. Lud. de Dieu, Syr. Arab. Perſ. Æthiop. Ἀλλὰ pro *niſi*. Vide Num. 35. 33. Deut. 21. 8. Marc. 4. 22. 2. Cor. 2. 5. 14 Hebr. 19. 8. Matth. 26. 28. Iſai. 53. 11. 12.
15 2. Cor. 5. 14. & 1. Timot. 2. 6. *Unus mediator Dei, & hominum, homo Jeſus Chriſtus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*.

dimere, velati cum jumenti alicujus ſacrificium offerebatur, ut propria vita redimeretur. Ovid. l. 6. Faſt.

Cor pro corde, precor, pro fibris ſumite fibras,
Hanc animam vobis, pro meliore damus.

Vel cum ad manes Deos flectendos, vitam pro vita, pro homine hominem Ethnici dabant. Hæc apud Gallos veteres invaluerat opinio [1], atque inde profectum fuiſſe reor Echatombe, illud multorum hominum ſacrificium, qui ſimul comburebantur in pyrrha ad hominis imaginem circiter concinnata. Romanis quoque eadem, ac Græcis erat ſuperſtitio. Nemo adeo rudis humanarum eſt litterarum, qui non norit hiſtoriam, vel fabulam Iphygeniæ, quæ pro Græci exercitus ſalute erat immolanda. Celebris etiam ſatis eſt Decii hiſtoria, qui ſe pro Romana Republica devovit. Cum Caligula gravi morbo laboraret, complures pro illius incolumitate ſeſe morti B devoverunt [2]. Neque id Hebræos fallebat: humanarum victimarum ſacrificia apud illos, & Phœnices, & Moabitas, & alios populos adeo frequentia, huic uni rationi innitebantur. Iſaias 43. 3. ad hanc alludit conſuetudinem, ubi Dominum his verbis populo ſuo loquentem inducit: *Ego Dominus Deus tuus Sanctus Iſrael, Salvator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, & Saban pro te*; & alibi [3], de Meſſia loquens; *propter ſcelus populi mei percuſſi eum, & dabit impios pro ſepultura, & divitem pro morte ſua ... Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Ad hoc Dei Filius alludit, dicens, a ſe daodam *animam ſuam in redemptionem pro multis*, hoc eſt pro omnibus hominibus.

Poſt vigeſimum octavum verſiculum prolixior extat additio in pluribus antiquis exemplaribus, quam iſthic afferemus; *vos autem quæritis de puſillo creſcere, & de magnis majores fieri.* (Alia legunt [4], & ex magnis parvi fieri.) *Intrantes autem ad cænam nolite recumbere in locis eminentibus, ne forte clarior te ſuperveniat, & accedens, qui ad cænam vocavit te, dicat tibi; adhuc deorſum accede, & confundaris. Si autem in loco inferiori recubueris, & ſupervenerit humilior te, dicet tibi, qui te ad cænam vocavit, accede adhuc ſurſum, & hoc erit tibi utilius.* Hæc additio invenitur in veteri MS. Græco Cantabrigenſi, in tribus Latinis, de quibus verba facit Martianæus in recenti Editione Evangelii S. Matthæi, juxta veterem Italicam [5], in duobus Exemplaribus Latinis Bibliothecæ Bodleyanæ, in aliquibus veteribus MSS. Verſionis Saxonicæ [6], in S. Hilario [7], S. Leone [8], & Presbytero Juvenco [9], qui ſub initium quarti ſæculi florebat. Verumtamen neque in Origene, neque in aliis antiquis invenitur. Ex iis verbis: *cum invitatus fueris ad cænam* &c. additio deſumpta a S. Luca cap. 14. verſ. 8. quamvis nonnulla adſit in verbis varietas.

℣. 30. ECCE DUO CÆCI SEDENTES SECUS VIAM.] Hæc eadem hiſtoria a S. Marco enarratur cap. 10. verſ. 46 ... & 52. [10], ſed longe alia eſt, quæ a S. Luca refertur cap. 18. verſ. 35. ... 43 Hæc accidit, cum JESUS Jerichuntem ingrederetur; altera vero poſtridie illo inde egrediente. S. Marcus de uno tantum cæco verba facit, cui nomen *Bar-Timæus*, vel *Filius Timæi*, eo plane, quod notior erat altero; vel quod Dei Filius alia quapiam in re illum diſtinxit. Sed explicite S. Matthæus teſtatur, duos cæcos fuiſſe. Cæterum in hiſtoriæ hujus narratione non multum diſcriminis occurrit.

1 Cæſar. lib. 6. de bello Gall. *Quod pro vita hominis, niſi vita reddatur, non poſſe aliter Deorum immortalium numen placari.* 2 Sveton. in Caligul. cap. 14.

3 Iſai. 53. 9. Vide quoque Jerem. 10. 15 Prov. 11. 8. 21. 18. Pſalm. 78. verſ. 6.

4 Cantabrig. Ὑμεῖς δὲ ζητεῖτε ἐκ μικροῦ αὐξῆσαι, καὶ ἐκ μείζονος ἔλαττον εἶναι. Εἰσερχόμενοι δὲ, καὶ παρακληθέντες δειπνῆσαι, μὴ ἀνακλίνεσθε εἰς τοὺς ἐξέχοντας τόπους, μήποτε ἐνδοξότερός σου ἐπέλθῃ, καὶ [illegible] ... Ex mſ. Monaſt. S. Andreæ ſecus Avenion. apud Martianæum. *Vos autem quæritis de puſillo creſcere, & de magno majores eſſe. Intrantes autem ad cænam, nolite recumbere in locis eminentibus, ne forte clarior te superveniat, & accedens qui ad cænam vocavit te, dicat tibi: Adhuc deorſum accede, & confundaris. Si autem in loco inferiori recubueris, & ſupervenerit humilior te, dicet tibi, qui te ad cænam vocavit: Accede adhuc ſurſum, & hoc erit tibi utilius.*

5 Ita mſ. Sangerm. & S. Andreæ Avenion. Altera lectio occurrit in Græco Cantabrigenſi, & in veteri Italica, P. Martianæi. 6 Vide Var. Lect. Millii. 7 Hilarius hic n. 22.

8 Leo Magn. Ep. ad Pulcheriam Auguſtam. 9 Juvenc. Paraphr. Evang.

10 Ita Auguſt. lib. 2. cap. 65. de Conſenſu, & lib. 2. Quæſt. Evang. quæſt. 48. Beda, Strab. Lyran. hic Toynard. Harm.

CAPUT XXI.

Triumphantis JESU introitus in Jeruſalem. Vendentes ejicit de Templo. Bethaniam venit: Ficui maledicit. Unde erat Baptiſma Johannis? Parabola duorum Filiorum, qui in vineam miſſi ſunt. Alia parabola vineæ Agricolis locatæ. Sacerdotes, & Phariſæi JESUM comprehendere quærentes.

1. ET cum appropinquaſſent Jeroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem oliveti, tunc Jeſus miſit duos diſcipulos, 2 Dicens eis: Ite in caſtellum, quod
contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite, & adducite mihi: 3 Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his
opus habet: & confeſtim dimittet eos. 4 Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam dicentem: 5 Dicite, filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis. 6 Euntes
autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Jeſus. 7 Et adduxerunt aſinam, & pullum,
& impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua: & eum deſuper ſedere fecerunt. 8 Plurima

autem

autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via : alii autem cædebant ramos de arboribus;
& ſternebant in via : 9 Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, cla-
mabant, dicentes : Hoſanna filio David ; benedictus, qui venit in nomine Domini :
Hoſanna in altiſſimis. 10 Et cum intraſſet Jeroſolymam, commota eſt univerſa civitas,
dicens : Quis eſt hic? 11 Populi autem dicebant : Hic eſt Jeſus propheta a Nazareth
Galilææ. 12 Et intravit Jeſus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & e-
mentes in templo ; & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas e-
vertit. 13 Et dicit eis : Scriptum eſt : Domus mea domus orationis vocabitur : vos
autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. 14 Et acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in
templo : & ſanavit eos. 15 Videntes autem principes ſacerdotum, & Scribæ mira-
bilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes : Hoſanna filio David :
indignati ſunt, 16 Et dixerunt ei : Audis, quid iſti dicunt ? Jeſus autem dixit eis:
Utique, numquam legiſtis : Quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem ?
17 Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam : ibique manſit. 18 Ma-
ne autem revertens in civitatem, eſuriit. 19 Et videns fici arborem unam ſecus viam,
venit ad eam: & nihil invenit in ea, niſi folia tantum, & ait illi : Numquam ex te
fructus naſcatur in ſempiternum. Et areſacta eſt continuo ficulnea. 20 Et videntes
diſcipuli, mirati ſunt, dicentes : Quomodo continuo aruit ? 21 Reſpondens autem
Jeſus, ait eis ; Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, non ſo-
lum de ficulnea facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis : Tolle, & jacta te in mare ;
fiet. 22 Et omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. 23 Et
cum veniſſet in templum, acceſſerunt ad eum docentem principes ſacerdotum, & ſenio-
res populi dicentes : In qua poteſtate hæc facis ? Et quis tibi dedit hanc poteſtatem?
24 Reſpondens Jeſus dixit eis ; Interrogabo vos & ego unum ſermonem : quem ſi di-
xeritis mihi, &ego vobis dicam, in qua poteſtate hæc facio. 25 Baptiſmus Johannis
unde erat ? e cœlo, an ex hominibus ? At illi cogitabant inter ſe dicentes : 26 Si
dixerimus, e cœlo, dicet nobis : Quare ergo non credidiſtis illi ? Si autem dixerimus,
ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Johannem ſicut prophetam. 27
Et reſpondentes Jeſu, dixerunt : Neſcimus. Ait illis, & ipſe : Nec ego dico vobis,
in qua poteſtate ego facio. 28 Quid autem vobis videtur ? Homo quidam habebat
duos filios, & accedens ad primum, dixit : Fili, vade hodie, operare in vinea mea.
29 Ille autem reſpondens, ait ; Nolo. Poſtea autem, pœnitentia motus, abiit. 30
Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter. At ille reſpondens ait : Eo, domine : &
non ivit. 31 Quis ex duobus fecit voluntatem patris ? Dicunt ei ; Primus. Dicit il-
lis Jeſus : Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum
Dei. 32 Venit enim ad vos Johannes in via juſtitiæ, & non credidiſtis ei : publicani
autem, & meretrices crediderunt ei : vos autem videntes nec pœnitentiam habuiſtis
poſtea, ut crederetis ei. 33 Aliam parabolam audite : Homo erat paterfamilias, qui
plantavit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit tur-
rim, & locavit eam agricolis, & peregre profectus eſt. 34 Cum autem tempus fru-
ctuum appropinquaſſet, miſit ſervos ſuos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. 35
Et agricolæ apprehenſis ſervis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero
lapidaverunt. 36 Iterum miſit alios ſervos plures prioribus, & fecerunt illis ſimiliter.
37 Noviſſime autem miſit ad eos filium ſuum dicens : Verebuntur filium meum. 38
Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra ſe : Hic eſt hæres, venite, occidamus
eum, & habebimus hæreditatem ejus. 39 Et apprehenſum eum ejecerunt extra vine-
am, & occiderunt. 40 Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis ?
41 Ajunt illi : Malos male perdet; & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant
ei fructum temporibus ſuis. 42 Dicit illis Jeſus ; Numquam legiſtis in Scripturis ;
Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli ? A Domi-
no factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. 43 Ideo dico vobis, quia aufe-
retur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. 44 Et qui ceci de-
rit ſuper lapidem iſtum, confringetur ; ſuper quem vero ceciderit, conteret eum: 45
Et cum audiſſent principes ſacerdotum, & Phariſæi parabolas ejus, cognoverunt, quod
de ipſis diceret. 46 Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas : quoniam ſicut pro-
phetam eum habebant.

℣. 1. **Cum appropinquaſſent Jeroſolymis, & veniſſent Bethphage.**] Hic pagus erat ad radices Montis Olivarum, non procul a Jeruſalem. S.S. Marcus 11. 1. & Lucas 19. teſtantur, Jesum, cum prope eſſet Jeruſolymam, Bethphage, & Bethaniam, miſiſſe duos ex Apoſtolis ſuis ſibi aſinam, aſinæque pullum quæſituros. Bethaniæ Jesus cubaverat; ſummo mane ex eo vico egreſſus Jeroſolymam accedens, ubi e conſpectu Bethphage pervenit, duos ex Apoſtolis ſuis miſit, ut aſinam, ac pullum ipſius ad ſe adducerent, juſſos, ſi qui illos prohibere vellent, iiſdem dicere, Jesum e Nazareth illis indigere. Fama, atque nominis illius celebritas ſatis percrebuerat: nemo enim erat, qui ſibi honori non verteret, eidem, quodcumque habuiſſet, commodare. Cæterum ſciebat ille, quid eſſet eventurum. S. Juſtinus Martyr. in Apolog. 2. ait, aſinam hanc cum pullo ſuo vineæ alligatam fuiſſe juxta ea, quæ dicuntur in Geneſi 49. 11. *ligans ad vineam pullum ſuum, et ad vitem aſinam ſuam.*

Druthmarus, Petrus Comeſtor, & Lyranus credunt, aſinam hanc publici juris fuiſſe, ac pauperum iter agentium uſui fuiſſe deſtinatam. Sed ipſe textus S. Matthæi hanc opinionem explodit. Si publici juris fuiſſet, & primi occupantis; edocendi fuiſſent Apoſtoli, quid ſibi reſpondendum fuiſſet, ſi qui detrectaſſent, ne ab illis abduceretur. Aſina, ex Patrum ſententia, deſignabat Judæos; pullus vero Gentiles. Crediderunt quidam [1], duos Apoſtolos a Jesu Christo miſſos, fuiſſe S. Petrum, & Philippum. Origenes, & Theophylactus, eos dixere S.S. Petrum, & Paulum; verum nonniſi in morali ſenſu hoc intelligere potuerunt, cum S. Petrus in Eccleſia agnoſcatur veluti Apoſtolus Judæorum, quorum figura erat aſina, & S. Paulus Gentilium, quorum pullus erat imago. S.S. Marcus 11. 2. & Lucas 19. 30. de aſina minime loquuntur, eo plane, quod eadem nequaquam uſus eſt Jesus Christus [2], qui pullo tantum inſedit. At S. Matthæus de induſtria aſinæ mentionem injecit, ut apertius oſtenderet, Zachariæ prophetiam fuiſſe adimpletam, a quo duo hæc animalia palam memorantur; & fortaſſe etiam, ut liqueret, ſuper pullum hunc neminem adhuc aſcendiſſe, quandoquidem matri adhærebat. Quæ niſi in rem eſſent, neque ad Prophetiam aliquam ſpectarent, ſane Evangeliſta, vel potius Spiritus Sanctus, quo afflatus erat, adeo diligenter minime expreſſiſſet. Crediderunt nonnulli [3], Salvatorem alternis modo aſinæ, modo pullo inſediſſe, at hoc neceſſarium non eſt, neque ad ipſam Iſaiæ Prophetiam adimplendam; ſatis enim erat, aſinum adeſſe, & ipſum eadem, ſi vellet, uti poſſe [4].

℣. 4. **Ut impleretur, quod dictum eſt per Prophetam.**] MSS. quidam legunt, *per Prophetam Iſaiam*. Alii: *per Prophetam Zachariam*, & ſane prophetia hæc ex utroque deſumpta eſt. Iſaiæ quidem hæc verba ſunt cap. 62. 11. *dicite filiæ Sion, ecce Salvator tuus venit.* Zachariæ vero iſta c. 9. 9. *ecce Rex tuus venit tibi, juſtus, et Salvator, ipſe pauper, et aſcendens ſuper aſinam, et ſuper pullum filium aſinæ*, vel cum Græco ſuper filium ſubjugalis, quæ noviſſima vox aſinæ ſynonyma eſt. Hoc igitur nequaquam animal erat, ad equitandum inſtitutum, ſed labori aſſuetum, ſarcinis deferendis, vel plauſtro, aut aratro agendis. Cæterum ibi gentium nobiles etiam viri ad equitandum aſinis utebantur [5], quæ ad onera etiam geſtanda, & aratra [6] ducenda adhibebantur, eo pacto, quo noſtris hiſce in Regionibus equis utimur.

Evangeliſta, eo in loco, quem attulit, neque verſionem Septuaginta, neque Hebraicum textum ad litteram ſecutus eſt; ſed illius dumtaxat ſenſum retinuit. Septuaginta hæc habent [7]: *ecce Rex tuus, qui venit ad te Juſtus, et Salvator; ipſe eſt manſuetus, et ſedens ſuper ſubjugalem jumentum, et ſuper pullum.* Hebræus [8]: *Ecce Rex tuus, qui venit ad te Juſtus, et Salvator, ipſe eſt pauper, et ſedet ſuper aſinam, et ſuper pullum filium aſinarum.* Verum diſcrimen, uti liquet, minimi eſt momenti.

℣. 8. **Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua.**] Jehu inauguratus fuit Rex Iſrael eadem ferme celebritate [9]: hic ipſe honor Catoni Uticenſi habitus fuit, cum ſe ſe recepit [10], & nonnihil abſimile in Agamemnone Æſchyli [11] invenitur.

℣. 9. **Hosanna filio David.**] *Hoſanna*, vel *Hoſiah na* Hebraice ſignificat, *Salvator, et precor*. Verum præter hanc litteralem ſignificationem, peculiarem obtinet in acclamationibus vim; veluti, vivat Rex, ſalus ſit filio David; diuturna ſit vita Christo, qui venit in nomine Domini, populum ſuum liberaturus: *Hoſanna in altiſſimis*. Audi Domine ex altiſſimo cœlorum vertice voces noſtras [12]. Cœleſtes Spiritus voces preceſque veſtras, cum noſtris conſociate, ut omnia felicitatum genera Regi Iſrael, Meſſiæ, ſupremo liberatori comprecemur.

Hæc acclamatio deſumpta eſt ex Pſalmo 117. ℣. 25. qui feſto tabernaculorum die concinebatur, quo Jeroſolymam undecumque frondentes rami [13] adducebantur, ut ex illis tentoria fierent populo ex omni provincia illuc affluenti, & in memoriam tabernaculorum, ſub quibus Patres ſui annos quadraginta in deſerto fuerant commorati, octo diebus ſub his frondibus conſiſtenti. Qui ramos hos deferebant, ingentes lætitiæ voces emittebant, clamabantque *Hoſanna*. Unde ramis iiſdem factum fuit nomen *Hoſanna* [14]. In hac circumſtantia populus ſanctæ lætitiæ vi extra ſe raptus, videns in Jesu Christi triumpho nonnihil ſimile iis, quæ in Tabernaculorum feſtivitate fieri conſueverant, (quamvis hoc aliquot diebus, ante Paſchatis feſtivitatem acciderit,) clamare cœpit; *Hoſanna filio David*. Hi rami, quos deferimus, hæc *Hoſanna* ſunt in honorem filii David. Narrat S. Lucas, Jesum, ubi prope Jeroſolymam perveniſſet, ingemuiſſe prævidentem mala, quibus Urbs illa erat obruenda. Cumque Phariſæi dixiſſent illi, ut Diſcipulis ſuis ſilentium indiceret, reſpondit: ſi tacuerint illi, lapides clamabunt.

℣. 12. **Intravit Jeſus in Templum Dei.**] Subſequente populo cum virentibus ramis, & pueris clamantibus alta voce: *Hoſanna filio David* [15].

Ejiciebat omnes vendentes.] Exterius atrium ingreſſus, quod *Gentilium* atrium appellabatur, eo quod cuicumque patebat, ejecit &c. Ibi venundabantur omnia ſacrificiis neceſſaria, arietes, columbæ, vituli, boves, panes, farina, vinum, ſal, eodemque in loco aderant nummularii advenarum commodo, qui ex longinquis Regionibus advenientes, facilius aurum, quam argentum, aliamve pecuniam deferebant itineri magis incommodam; vel qui communi loci illius pecunia non ſine lucro exterius commutabant.

Putat S. Hieronymus in hunc locum, univerſam hanc negotiationem adinventam fuiſſe ab avaritia Sacerdotum, qui jubebant, in Templo venumdari animantia, quæ Deo ibi offerri debebant, & quæ in eorum utilitatem erant ceſſura. Addit etiam avaritiæ ejuſdem conſilio, ut pauperes ipſi eorum inſervirent utilitatibus, in templo poſitos fœneratores, qui pecuniam non ſine pignore

1 Hilar. Author Oper. imperfecti, Beda, Strabo, Author. Hiſt. Scholaſtica.
2 Joan. 12. 14. 15. Vide Hieronym. hic. 3 Vide Sanct. ad Zach. 9. 9.
4 Apud Mill. hic. Nonnus in Paraphr. & Æthiop. legunt Iſaiam.
5 Judic. 5. 10. 10. 4. 12. 14. Num. 22. 21. 6 Deut. 22. 10. Exod. 21. 12.
7 70. Zach. 9. 9. Ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι, δίκαιος καὶ σώζων, αὐτὸς πραῢς, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὑποζύγιον, καὶ πῶλον νέον;
8 הנה מלכך יבוא לך צדיק ונושע הוא עני ורכב על חמור ועל עיר בן אתנות
9 Vide 4. Reg. 9. 13. 10 Plutarch. in Catone minore. 11 Vide Grot. hic.
12 Confer Luc. 2. 14. 19. 38. & Pſalm. 148. 1. & Luc. hic. Εἰρήνη ἐν οὐρανῷ, καὶ δόξα ἐν ὑψίστοις.
13 2. Eſdr. 8. 15. 1. Macch. 13. 51. 2. Macc. 10. 7. 14 Elias Levita in Thisbe. 15 Vide mox verſ. 16.

gnore mutuum darent. Verum cum lex omnino fœnora interdicat, illos pro argento nonnihil cepiſſe lucri, vel in fructibus, vel in leguminibus, aliiſve hujuſmodi rebus, quæ uſu teruntur. Ergo Dei filius indignum hoc negotiationis genus intuitus, & hanc rapinæ ſpeciem, merito exarſit, atque omnes hos iniquitatis mercatores ejecit.

Admirantur, neque injuria, quomodo unus tantum homo, & cui nulla erat in populo auctoritas, potuerit omnes de templo mercatores ejicere, quod ſane JESU CHRISTI miraculum S. Hieron. [1] omnium maximum viſum eſt. Et ſane quid magis mirum, quam unum duntaxat hominem videre, qui tunc adeo humilis, & contemptibilis videbatur, ut non multo poſt turpiſſimo crucis genere fuerit affectus, invitis Scribis, atque Phariſæis mercatores, a quibus Templum polluebatur, ſtrenue ejicientem? Credit Doctor iſte, ea in occaſione, JESUM CHRISTUM, & oris ſui Majeſtate, & fulgore prorſus divino, qui ex illius emicuit perſona, injeciſſe terrorem, atque obſervantiæ ſenſus in animos hominum, ut deterriti adverſari minime auderent: *Igneum enim quiddam, ac ſydereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis Majeſtas lucebat in facie*. Parem auctoritatem jampridem exercuerat Filius Dei, ſuæ prædicationis initio aliquot annos ante contra mercatores, qui Templi ſanctitatem fœde inquinabant [2]. Quod ſuperioribus verſiculis enarratum eſt, accidit ſecunda feria, decima die Niſan; at Salvator ejecit mercatores de Templo [3], etiam poſtridie feria tertia, die undecima menſis ejuſdem. Non deſunt [4], qui credant, hoc illum feciſſe ex Judæorum conſuetudine, quæ illis, qui Zelotes vocabantur, permittebat, ut privata auctoritate perſequerentur, atque occiderent eos, qui acto deprehenderentur, Templo, eam, quæ par eſt, reverentiam minime præſtantes, vel qui palam factum aliquod contra Judæorum nationem committerent. Hæc fortaſſe fuit cauſa, quam ob rem Sacerdotes, & Phariſæi, ea in occaſione JESU CHRISTO adverſari auſi non ſint. Hanc Zelotum legem innuere videtur S. Johannes, cum ait, Diſcipulos JESU, tunc meminiſſe illius, quod ſcriptum eſt: *zelus domus tuæ comedit me*.

MENSAS NUMMULARIORUM.] Vidimus jam, quid hac de re S. Hieronymus doceat. Græcus legit [5], tabulas collybiſtarum, eorum videlicet, qui alias aliis monetas permutant, vel epiſtolas collybiſtis, aut dant, aut acceptas perſolvunt. Ajunt, horum nummulariorum officium fuiſſe, hemiſiclos in ſpecie illis ſuppeditare, quibus deerant, ut tributum viritim Templo, juxta Legem Exod. 30. 15. perſolverent. Qui ſiclum ex. gr. permutabat duos relaturus hemiſiclos, nummulario pretium permutationis erogabat *collybum*, qui nummus idem eſt, ac dimidium *meah*, vel denarii duodecim, vel uctava, & quadrageſima ſicli pars. Ex collybo factum illis fuit nomen *collybiſtæ*, quemadmodum Seldenus l. 4. c. 5. de jure Nat. & Gent. & Ligfoot Hor. Heb. poſt Rabbinos [6] enarrant. Ajunt, ſingulos viritim hemiſiclum ſuum in ſpecie, non aliter perſolvere debuiſſe. Hic autem non Jeroſolymæ tantum, verum etiam in aliis civitatibus exigebatur; & vidimus JESUM CHRISTUM, & S. Petrum Capharnai hunc perſolventes [7]. Verum maxima horum copia Jeroſolymæ ſolvebatur propter magnam illuc affluentium, ex omnibus terrarum provinciis, multitudinem. Cum autem hæc *collybiſtarum*, vel nummulariorum negotiatio eſſet, cum fœnore conjuncta; illam diutius JESUS CHRISTUS ferre non potuit. Immo in hanc quaſi in piraticam invehitur: *Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*. Fœneratores generatim inſignes erant nebriones. Antiphanes apud Athenæum lib. 6. c. 2. ait, poſt veneficos nullum eſſe hominum genus fœneratoribus nequius.

Quoad menſas nummulariorum nonnulla adhuc peculiaria a Rabbinis referuntur [8]. Ajunt, cuilibet nummulario ante ſe treſdecim fuiſſe tabulas, in quarum ſingulis erat capſula quædam, vel gazophylacium, cujus hiatus cornu formam referebat, ſuperius quidem in latitudinem expanſus, inferius vero in arctum deſinens. Prior ex his menſis, vel capſulis erat pro hemiſiclis anni currentis, altera pro ſiclis anni præteriti, tertia pro oblationibus eorum, qui par turturum offerre tenebantur [9]; quarta pro illis, quibus offerenda erat in holocauſtum avis, & qui eam redimebant, in capſulam eandem, oblationem æqualis pretii immittentes. Ceteræ vero nullam habent cum iis, de quibus agimus, rationem, & nobis ſufficit id expoſuiſſe, quod pro menſis nummulariorum, quas JESUS CHRISTUS evertit, cenſemus intelligendum.

℣. 13. SCRIPTUM EST, DOMUS MEA &c.] Verſiculus hic detumptus eſt ex duobus locis, quorum alter Iſaiæ eſt c. 56. verſ. 7. *adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ*: alter vero Jeremiæ cap. 7. verſ. 11. *numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta?* Salvator alludit ad conſuetudinem latronum, et plurimum in inacceſſis ſpecubus [10], in Palæſtina delitentium.

℣. 16. EX ORE INFANTIUM, & LACTENTIUM PERFECISTI LAUDEM.] Non defuerunt [11], qui poſtrema hæc verba ad litteram intelligerent, perinde ac reipſa Deus effecto potentiæ ſuæ aperuiſſet os, & ſolviſſet linguam infantium adhuc lactentium. Alii vero [12] hoc hyperbolice dictum putant, cum hic, tum Pſalmo 8. ℣. 3. ubi Pſalmiſta ait, Deum perfeciſſe gloriam ſuam ex ore infantium, & lactentium, ut ſuos inimicos confunderet; quod innuit, impietatem improborum ab omnibus rebus creatis redargui, & res ipſas ſenſu carentes, plerolque lactentes adverſus illos ſuam vocem extollere. Hebræus [13], habet: *fundaſti vim per os infantium, & lactentium propter inimicos tuos*. Inimicos tuus confodiſti vi rationum puerorum adhuc lactentium. Ita hac in occaſione ex ore puerorum elicuit veritatem, quæ ab illis impugnabatur, qui ejuſdem eſſe debuiſſent prædicatores præcipui.

℣. 17. ABIIT FORAS EXTRA CIVITATEM.] Sub veſperam, S. Marcus 11. 11. ait, cum jam omnia obſervaſſet, & ſciens, a Sacerdotibus & Senioribus populi mortem ſuam jam eſſe decretam [14], urbe egreſſus ſe contulit Bethaniam, vicum, quindecim ſtadiis, vel dimidia circiter leuca a Jeroſolyma remotum, ubi noctem, fortaſſe apud Lazarum, Martham, & Mariam, tranſegit.

℣. 19. VIDENS FICI ARBOREM.] Poſtridie mane (feria tertia) Bethania Jeroſolymam rediens eſuriit, cumque ad ficum ſecus viam poſitam acceſſiſſet, neque ullum in ea fructum inveniſſet (nondum enim ficuum tempus advenerat, teſte S. Marco 11. 13.) ei maledixit. In hunc locum multæ ingeruntur difficultates. Prima, quomodonam Jeſus Bethania egrediens eſurire potuerit, quandoquidem ſummum erat mane. Secunda, cur ex hac ficu fructus quæſierit, cum ignorare non poſſet, in ea nullos eſſe? Tertia denique, cur ei maledixerit? Euthymius [15] ait, nequaquam veriſimile eſſe, ipſum hac hora eſuriiſſe; ſed ſimpliciter ad ficum hanc acceſſiſſe, perinde ac mens illi, fuiſſet fructum aliquem comedendum inveniendi, licet reipſa vellet miraculum illud operari, quod iſthic refertur. Non dubitavit S. Johannes Chryſoſtomus, quin ille vere eſurierit; ſed putat, illum ſponte eſuriiſſe, & de induſtria

1 Hieronym hic. *Mihi inter omnia ſigna, quæ fecit, hoc videtur mirabilius, quod unus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut poſtea crucifigeretur, Scribis, & Phariſæis contra ſe ſævientibus, potuerit &c.*

2 Joan. 2. 15. 3 Marc. 11. 15. 16. 4 Selden. de Jure Nat. & Gent. lib. 4. cap. 5.

5 Τραπέζας τῶν κολλυβιστῶν. 6 Titul. Siklin. cap. 1. et Maimonid. tit. eod. cap. 3.

7 Matth. 17. 23. 8 Miſn. Gemar. & Comment. ad tit. Siklin. cap. 6. Maimon. Halac. eadem, cap. 2.

9 Levit. 5. 7. 12. 8. 15. 14. 10 Joſeph. Antiq. 14. 27. 19. 21. de Bello lib. 1. cap. 12. Strabo l. 16.

11 Chryſoſtom. Euthym. Theophylact. Maldon. 12 Hilar. Auctor. Oper. imperf. Strab. Brug. Menoch. Gibi.

13 מפי עוללים ויונקים יסדת עז למען צורריך 14 Luc. 19. 47. 48.

15 Vide & Auguſt. lib. 2. Quæſt. Evangel. quæſt. 51. & Maldon. hic.

duſtrie hanc ſibi famem protureſſe. Calvinus commentus eſt, quod nullo pacto probabile eſt, Jeſum ſecundum naturam humanam ignoraſſe ficus naturam. Arbor hæc adeo communis erat ibi gentium, ut ipſi pueri noſſent, quo tempore fructus ſuos illa ferret.

Patres hoc in loco [1] ad myſterium confugerunt. Operæ pretium erat, ut Apoſtoli, omneſque fideles imposterum ſcirent, ſed ita ſcirent, ut altè menti, animoque eorum pervaderent, atque inhærerent rationes, propter quas Judæi reprobati fuerunt. Ficus Hebræum populum ſignificabat; qui erat velut arbor in Domini fundo conſita. Ficus non tenebatur fructus habere eo tempore, quo naturaliter nullos fert. Sed Judæi, quorum figura arbor illa erat, quolibet tempore fructus ferre debebant. Dei Filius maledixit ficui, non propter ficum, ſed propter Judæos, quos illa exhibebat. Verum hac de re in commentariis in S. Marcum c. 11. ℣. 13. redibit ſermo.

℣. 20. VIDENTES DISCIPULI MIRATI SUNT.] Hoc accidit poſtridie mane, quemadmodum S. Marcus 11. 20. teſtatur; nam licet ficus *continuo areſacta* fuerit, quemadmodum S. Matthæus refert [2]; attamen maledictionis effectus poſtridie mane magis apparuit, eo quod folia ceciderunt, & lignum penitus aruit. Plures enim gradus diſtinguendi ſunt in effectu verborum Jeſu Chriſti. Cœpit quidem arbor areſcere poſt Salvatoris maledictionem. Statim hoc ex foliis palam intellectum eſt; per gradus tamen uſque ad integram ariditatem proceſſit.

℣. 21. SI HABUERITIS FIDEM, ET NON HÆSITAVERITIS.] Loquitur de miraculorum fide, non de fide ea, quæ virtus eſt, qua juſtificamur. Duplex hæc fides non ſemper in eodem inveniuntur, eaſque palam S. Paulus diſtinguit [3]. Obtineri poteſt hæc fides precibus [4], uſu vero augeri poteſt, atque ſervari. Jeſus Chriſtus crebro Apoſtolos ſuos ad eam ſervandam hortatur: eaque ipſis omnino neceſſaria erat illo in officio, ad quod fuerant evocati. *Et non hæſitaveritis*. Græcus [5]: *& inter vosmet diſceptaveritis*; veluti qui hærent in ancipiti, & qui nondum decreverunt, quod conſilium amplectantur. Miraculorum fides certa eſſe debet, & conſtans. Vide S. Matthæum c. 17. ℣. 19.

℣. 22. OMNIA QUÆCUMQUE PETIERITIS &c.] Nunc ſecundo hoc ipſum pollicetur. Vide S. Matthæum c. 7. ℣. 7. Intelligi poteſt vel generatim de effectibus orationis, vel de fide, quæ ad miracula patranda neceſſario perquiritur. Quidquid cum fide hac ſtabili, ac firma petieritis, impetrabitis; nulla erunt prodigia, quæ a vobis fieri non poſſint.

℣. 23. IN QUA POTESTATE HÆC FACIS?] Hoc accidit die mercurii, duodecima Niſan. Jeſus de Templo ejecerat duobus ſuperioribus diebus ibi vendentes: ibi ſumma cum auctoritate docebat: illuc triumphantis more quodammodo ingreſſus erat inter populi feſtivas acclamationes. Hæc omnia mirum in modum irritaverant Sacerdotes, & Phariſæos, eoſque in Jeſum Chriſtum ſuccenderant. Conſilium jam ceperant illius comprehendendi, perdendique; ſed aliqua prætexenda erat illis cauſa, eo quod populum verebantur. Ajunt, requiſitam fuiſſe miſſionem, atque extraordinariam vocationem Sanhedrim, ut in templo quis prædiceret [6]; non ita vero ut publice aliquis in Synagoga loqueretur; nemo enim obſtiterat Jeſu, ubicumque adfuerat, in Synagogis loquenti.

Cenſet Origenes in Matth. t. 17. Judæos tunc temporis agnoviſſe duas quodammodo poteſtates, a quibus inſignes omnes, quos in mundo intuemur, effectus producerentur. Poteſtatem alteram bonitate refertiſſimam, quæ bonum operatur; alteram vero omnino

A oppoſitam, quæ cauſa eſt omnium malorum, de quibus loquitur Scriptura. Utraque hæc poteſtas plures alias naturæ ejuſdem habet ſibi ſubordinatas, quarum ſingulæ operantur juxta ſibi creditam facultatem. Judæi Jeſum iſthic percontantur, *in qua poteſtate* hæc faciat? utrum in poteſtate Dei, & Angelorum illius, quæ una bona eſt: an in poteſtate Principis tenebrarum, & illius Angelorum. Non cenſet in rem Jeſus Chriſtus illis reſpondere, neque aſſerere, poteſtatem, per quam operabatur, cæteris omnibus ſuperiorem eſſe, ac immediate a Patre profectam. Verum explicatio hæc litteralis nullo modo poteſt haberi.

℣. 24. INTERROGABO ET EGO VOS UNUM SERMONEM [7].] Non reſpondet directe Jeſus quæſtioni, ſibi a Sacerdotibus propoſitæ, ſed aliam viciſſim afferens B quæſtionem, illam eludit. Interrogationi callidæ callida reſponſio. Deus ambagibus utitur cum his, qui ſecum recta incedere nolunt, ait Pſalmiſta pſal. 17. 27. Si voluiſſent Phariſæi interrogationi illius reſpondere, dicere debuiſſent, Johannis Baptiſma e Cœlo eſſe, ac ſtatim reſpondiſſet illis, ſe quoque hæc Dei juſſu facere, ideoque a ſe nullam illis rationem eſſe reddendam. Verum cum illi reſpondere nolint, poteſt ipſe quoque eorum interrogationi haud ſatisfacere.

℣. 28. HOMO QUIDAM HABEBAT DUOS FILIOS.] Conſentiunt Interpretes [8], hominem hunc deſignare Deum, duos vero filios illius exhibere Judæos ſimul, atque Ethnicos. Judæi ſunt primogeniti: Deo perfectiſſimam promittunt [9] obedientiam, at illius dicto non parent. Ethnici ſunt minores natu filii; primum C quidem obtemperare detrectant, Idolorum cultui, atque flagitiis ſe mancipant: ſed pœnitentia ducti mox ad Apoſtolorum prædicationem convertuntur, & ad unguem explent ea, quæ ſibi a Domino fuerant precepta. Videtur etiam Salvator, per duos hoſce filios, duo Judæorum genera innuere voluiſſe [10]. Scribæ, & Phariſæi pollicebantur, ſe legi diligentiſſime adhæſuros, at illi minime adhærebant: e contra vero peccatores, publicani, meretrices, quæ quodammodo publice peccatum profitebantur, S. Johanne Baptiſta prædicante, converſi ſunt, Jeſu Chriſto, & Apoſtolis ejus aurem præbuerunt, atque facti ſunt vere obedientes filii. Vide infra ℣. 31.

Vetera quædem Græca, & Latina exemplaria [11] legebant iſthic, *uter fecit voluntatem Patris? Reſponderunt* D *illi: noviſſimus*: ubi exemplaria typis edita Græca, & Latina legunt; *primus*, quod oritur ex verſiculorum hyperbato 29. & 30. in illis occurrente: *pater dixit primo: 29. Fili mi vade hodie operare in vinea mea, at ille reſpondens ait; eo Domine, & non ivit (30.) partes autem accedens ad alterum dixit ſimiliter, & filius ille reſpondit: nolo: poſtea autem pœnitentia motus abiit. Quis ex duobus fecit voluntatem Patris ſui? dicunt illi, noviſſimus*. Liquet, textum ita diſpoſitum hanc expetere reſponſionem. Sed textus alii [12] ſervant Vulgatæ ordinem, & tamen habent *noviſſimum* pro *primo*: Quod inde plane profectum eſt, quod videns aliquis Jeſum Chriſtum parabolam explicantem præferre publicanos, ac meretrices, quarum in parabola figura eſt filius natu minor, quemadmodum Phariſæi a primogenito exhibentur; E arbitratus eſt non deeſſe mendum in textu & legendum, *noviſſimum*, videlicet natu minorem, non autem primum, hoc eſt primogenitum. Verum nullibi dicitur ille, quocum Pater primo alloquitur, primogenitus eſſe, neque alter minor natu. Immo ordo parabolæ e contra petit, ut Pater primum natu minorem alloquutus fuerit, qui peccatorum, ac publicanorum erat figura, mox primogenitum, qui Phariſæos exhibebat.

VENIT

1 Origen. in Matth. Hilar. Hieron. hic. Auguſt. Serm. 98. alias 44. cap. 13. Vide Gen. Brug.
2 Καὶ ἐξηράνθη παραχρῆμα ἡ συκῆ.
3 1. Cor. 12. 9. 31. & 13. 2. & Matt. 7. 22.
4 1. Cor. 12. 31. Matth. 17. 19. Marc. 11. 22.
5 Καὶ μὴ διακριθῆτε.
6 Vide Grot. & Le Clerc, Chryſoſt. hic.
7 Ἕνα λόγον. דבר אחד Unam rem.
8 Origen. in Matth. Chryſoſt. Author. Oper. imperf. Hieron. Beda, Euthym. alii paſſim.
9 Exod. 19. 8.
10 Mald. Tir. Menoch. Vide & Hieronym. & Hilar. hic.
11 Ita Cantabrig. G. L. Copht. Arm. Leiceſt. Pariſ. 6. apud Mill.
12 Quid. apud Hieronym. Aeth. Sax. Hilar. Aug. Cod. Conſt. quo uſus eſt Eraſm.

℣. 32. Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ.] Jeſus Chriſtus ipſe reſpondet quæſtioni, quam ipſe illis propoſuerat, ac tempore eodem indirecte reſpondet etiam illi, quæ ſibi facta fuerat, & quam ſtatim eluſerat, quemadmodum ſumus intuiti. Dico autem vobis, Johannem veniſſe ad vos in via juſtitiæ. Hic homo vere juſtus, & a Deo miſſus; attamen vos non audiſtis illum. Cum dicam vobis, me in Dei nomine operari, de illius mandato, atque auctoritate, & per Spiritum ipſius, mihine adhibebitis aures, & fidem habebitis? Sed vobis deficientibus, ſuſcitavit ſibi Deus alios fideles famulus, alios filios, alium populum; eos nempe, quos contemnitis, quos aſpernamini. Hi vobis in Dei regnum [1], in Eccleſiam, in Cœlum, præcedent: oſtium illis patebit; vobis vero intercluſum erit.

℣. 33. Aliam parabolam audite.] Hoc dicebat præcipue pro Sacerdotibus, ac proceribus populi, a quibus primum fuerat interrogatus; verum cum populus circumundique confluxiſſet ad hanc contentionem, S. Lucas 20. 9. ait, Jeſum parabolam hanc populo propoſuiſſe. Qui vineam conſerit, Deus eſt. Vinea eſt ejus Eccleſia; illi, quibus eam locavit Deus, hebræi ſunt [2], qui ſatis frequenter in Scripturis ſub vineæ etiam nomine indigitantur [3]. Deus hanc vineam plantat, Judæis Legem irrogans [4]; eam ſæpe circumdat, videlicet cæremonialibus præceptis [5], vel Dei præſidio [6]; ibi torcular, ac turrim ædificat, nempe Templum, & altare ſuum [7]; denique vineæ ſuæ ea omnia præſtat, quæ poteſt [8]: *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Sacerdotes, & Legis periti ii ſunt, quorum potiſſima pars eſt in vineæ hujus cultu [9]; ad eos præcipue ſpectat parabola; ex iis præſertim Deus petit fructus, & redditus. Illi, quos Paterfamilias ad vindemiam peragendam mittit, ſunt antiqui Prophetæ, & Juſti, quos omnibus ſæculis miſit Deus, ut vineam inviſerent, & colligerent fructus: ſed plerique male habiti fuerunt, cæſi, ejecti, lapidibus obruti, cruciatibus vexati, necati. Demum filius Patrisfamilias eſt Jeſus Chriſtus, qui cum noviſſime venerit, non ſolum nullam præ cæteris injecit ſui ipſius obſervantiam in Agricolas, verum majoribus adhuc contumeliis affectus, tandem turpiſſimæ Cruci affixus fuit. Quo magis ad finem accedebat Jeſus Chriſtus, eo diſtinctius, liberius, atque conſtantius in Phariſæorum, atque Sacerdotum abuſus, & ſcelera invehebatur.

Fodit in ea torcular.] Ædificavit ibi turrim, ubi agricolæ, & vineæ cuſtodes commorarentur, fecitque ibi torcular, ubi uva premeretur. Ad litteram [10]: *fodit in ea torcular*. Græca vox proprie ſignificat ſubterraneos lacus, ex optimis cæmentis extructos, & calce diligentiſſime oblitos, ubi vinum in fæcibus ſuis ſervabatur, donec in amphoras, vel fictilia dolia infunderetur. Videri poſſunt ea, quæ de antiquis torcularibus diſſeruimus in Jeremiam cap. 48. ℣. 33. Reor autem, ſubterraneum hoc torcular in inferiori, turris parte foiſſe, quales nonnullibi vidimus.

A ℣. 41. Malos male perdet.] Sacerdotes, ut aliis placet, vel ut aliis, quidam ex populo hoc reſponderunt; ſed S. S. Marcus 12. 9. & Lucas 20. 16. id a Jeſu Chriſto dictum teſtantur. Quod tamen ita conciliari poteſt [11]: Sacerdotes, & populus naturaliter dixere, hujuſmodi locatores meritos fuiſſe, ut miſere perirent; eorum vero reſponſionem Jeſus approbavit, eiſque oſtendit, ſententiam hanc ab illis in ſemetipſos fuiſſe prolatam, qui tunc S. Luca teſtante dixerunt: *abſit*.

℣. 42. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes.] Hæc alia eſt parabola, ſed impeditior. Non ſecus ac in ædibus extruendis accidit aliquando, ut Architecti primum rejiciant eum lapidem, quem
B mox adhibere coguntur, eumque collocare, ubi magis apparet, in ædificii parte magis neceſſaria, hoc ipſum in extruenda Dei domo accidet. Rejeciſtis me tamquam inutilem doctrinam, ac perſonam meam contempſiſtis: at Supremus Dominus irridebit malam hanc electionem veſtram; ac me in ædificii angulo, & fundamento conſtituet [12]. Fiam lapis connexionis inter utrumque ædificii parietem [13], Synagogam, & Eccleſiam, Judæum, atque Ethnicum in fide eadem conjungens.

℣. 43. Auferetur a vobis Regnum Dei.] Synagoga omnibus prærogativis ſuis exuetur; Evangelii cognitio ad alienos migrabit: Jeſu Chriſti Eccleſia præcipue ex Gentilibus ad fidem converſis coaleſcet. Act. c. 13. ℣. 46. 48. Rom. c. 11. ℣. 19. 20.

℣. 44. Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum,
C confringetur.] Qui ſuper lapidem decidunt, vulnus recipiunt, ſed illi, ſuper quos lapis ingens cadit, confringuntur, & conteruntur. Judæi increduli, atque Ethnici, quibus Jeſu Chriſti Crux ſcandalum fuit, ejuſque exterior humilitas argumentum contemptus, ſuper lapidem cadunt [14]; noxius quidem eorum eſt lapſus, nec leve malum: verum cum Dei Filius venerit in Majeſtate ſua ad juſtitiam ſuam diſtricte in impios, infideles, pertinaces, incredulos exercendam, hoc malum erit toto cœlo majus [15]. Lapis illos conteret, & confringet, atque in nullam reditus ſpem exterminabit. Videtur Jeſus Chriſtus ſignificare voluiſſe, Sacerdotibus, Scribis, & Phariſæis, & illis, qui eorum in ſe odium imitabantur, grave quidem eſſe eorum malum, quod in ipſum minime crederent; ſed
D malum longe gravius illos manere in terribili judicio, quod contra illos erat exercendum. Confer Rom. cap. 19. ℣. 32. 1. Petr. c. 2. ℣. 7. 8.

Conteret.] Ad litteram [16]: *in pulverem rediget*, in ventum projiciet tamquam paleas, cum triticum ventilatur. Confringet, diſſipabit. Judicium, quod illis Jeſus Chriſtus hoc in loco minitatur, inceptum fuit in Jeroſolymitano excidio, atque Judæorum diſperſione; verumtamen illud non aliud fuit, quam leve præludium graviſſimi illius mali, quod noviſſimo Judicii die in ſuppliciis æternis impios, atque incredulos manet.

---

1 Verſ. 31. *Publicani, & meretrices præcedent vos in Regno Dei*.
2 Ambroſ. in Luc. Mald. Brug. alii. 3 Pſal. 79. 9. Iſai. 5. 13. Matt. 20. 1. & ſeq.
4 Auguſt. Serm. olim 59. nunc 58. 5 Iren. l. 4. c. 70. Author. Oper. imperf. hom. 40.
6 Origen. Hieronym. Author. Oper. imperfect. hic. Ambroſ. in Luc. 20.
7 Ita Origen. Hieron. Euthym. Theophyl. Beda. 8 Iſai. 5. 4.
9 Origen. Hilar. Author. Operis imperfecti, Euthym. Theophylact. 10 Ὤρυξεν ἐν αὐτῷ ληνόν. Marc. 12. 1. Ὤρυξεν ὑπολήνιον. 11 Vide Chryſoſtom. Euthym. Maldon.
12 Vide Act. 4. 11. Epheſ. 20. & 1. Petri 2. 7. 8. 13 Epheſ. 2. 14. Origen. Hilar. Hieronym. Beda, Theophyl. Euthym. hic. Auguſt. in Pſalm. 22. & 99. & tract. 9. in Joann. &c.
14 Chryſoſt. Euthym. Theophylact. Auguſt. Serm. olim 40. nunc 122. Maldon. Grot. Brug. Menoch. alii plerique. 15 Ita Patres, & Interpp. ut ſupra. 16 Λικμήσει αὐτόν.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Parabola Regis facientis nuptias Filii ſui. Plures invitantur, pauci interſunt. Tributum Cæſari perſolvendum. Sadducæi reſurrectionem negantes redarguuntur. Quodnam ſit maximum mandatum in lege? David Pater Meſſiæ, & Meſſias Dominus David.

1. ET reſpondens Jeſus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: 2 Simile factum
eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. 3 Et miſit ſer-
vos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. 4 Iterum miſit
alios ſervos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, &
altilia occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias. 5 Illi autem neglexerunt:
& abierunt, alius in villam ſuam, alius vero ad negotiationem ſuam. 6 Reliqui ve-
ro tenuerunt ſervos ejus, & contumeliis affectos occiderunt. 7 Rex autem cum au-
diſſet, iratus eſt: & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & civitatem
illorum ſuccendit. 8 Tunc ait ſervis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui in-
vitati erant, non fuerunt digni. 9 Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumque inve-
neritis, vocate ad nuptias. 10 Et egreſſi ſervi ejus in vias, congregaverunt omnes,
quos invenerunt, malos, & bonos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. 11 In-
travit autem rex, ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte
nuptiali. 12 Et ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptia-
lem? At ille obmutuit. 13 Tunc dixit rex miniſtris: Ligatis manibus, & pedibus
ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. 14
Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi. 15 Tunc abeuntes Phariſæi, conſilium
inierunt, ut caperent eum in ſermone. 16 Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Hero-
dianis dicentes: Magiſter, ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces,
& non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum. 17 Dic ergo
nobis, quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non? 18 Cognita autem Je-
ſus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritæ? 19 Oſtendite mihi numiſ-
ma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. 20 Et ait illis Jeſus: Cujus eſt imago
hæc, & ſuperſcriptio? 21 Dicunt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ
ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. 22 Et audientes mirati ſunt, & re-
licto eo abierunt. 23 In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe
reſurrectionem: & interrogaverunt eum, 24 Dicentes: Magiſter, Moyſes dixit:
Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & ſu-
ſcitet ſemen fratri ſuo. 25 Erant autem apud nos ſeptem fratres: & primus, uxore
ducta, defunctus eſt: & non habens ſemen, reliquit uxorem ſuam fratri ſuo. 26 Si-
militer ſecundus, & tertius, uſque ad ſeptimum. 27 Noviſſime autem omnium &
mulier defuncta eſt. 28 In reſurrectione ergo, cujus erit de ſeptem uxor? omnes enim
habuerunt eam. 29 Reſpondens autem Jeſus, ait illis: Erratis, neſcientes Scriptu-
ras, neque virtutem Dei. 30 In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur:
ſed erunt ſicut angeli Dei in cœlo. 31 De reſurrectione autem mortuorum non legi-
ſtis, quod dictum eſt a Deo dicente vobis: 32 Ego ſum Deus Abraham, & Deus
Iſaac, & Deus Jacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium. 33 Et audientes
turbæ, mirabantur in doctrina ejus. 34 Phariſæi autem audientes, quod ſilentium,
impoſuiſſet Sadducæis, convenerunt in unum: 35 Et interrogavit eum unus ex eis
legis doctor, tentans eum: 36 Magiſter, quod eſt mandatum magnum in Lege?
37 Ait illi Jeſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima
tua, & in tota mente tua. 38 Hoc eſt maximum, & primum mandatum. 39 Se-
cundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. 40 In his
duobus mandatis univerſa lex pendet, & prophetæ. 41 Congregatis autem Phari-
ſæis, interrogavit eos Jeſus. 42 Dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? cujus fi-
lius eſt? Dicunt ei: David. 43 Ait illis: Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum
Domi-

Digitized by Google

Dominum, dicens: 44 Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? 45 Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt? 46 Et nemo poterat ei reſpondere verbum, neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.

℣. 2. SIMILE FACTUM EST REGNUM COELORUM, &c.] In Eccleſiæ inſtitutione, quæ eſt *Regnum Cœlorum*, illud ipſum videbitur, quod accidit in nuptiis Regis, quarum hiſtoria hac in parabola vobis ſum enarraturus. Princeps hic ſolemne inſtruit convivium, ac plurimos invitat, cui intereſſe convivæ renuunt. His tamen abnuentibus alienigenæ cujuslibet generis compellantur. Hæc eſt hujus ænigmatis explicatio. Rex inſtruens nuptias filio ſuo, eſt Deus Pater mittens in mundum filium ſuum, ad Eccleſiam ſuam conſtituendam. Convivæ, qui primi invitati fuerant, ſunt Judæi [1]. Servi autem miſſi, ut eos ad convivium evocarent, ſunt Prophetæ, Johannes Baptiſta, & Apoſtoli [2]. At eorum neminem audire voluerunt Judæi, qui convivio, & nuptiis intereſſe noluerunt. His renuentibus Deus Gentiles acceſſit, illis Evangelium prædicari jubet, qui catervatim in Eccleſiam ingrediuntur. Non tamen omnes, qui ingreſſi ſunt, ibidem permanere merentur. Qui non habet veſtem nuptialem ejicitur e convivio; hoc autem hæreticos, ſchiſmaticos, excommunicatos, improboſque Chriſtianos ſignificat.

Parabola hæc comparari poteſt cum illis, quæ a S. Luca cap. 14. verſ. 16. & ſeqq. & a S. Matthæo cap. 20. verſ. 1. & ſeqq. enarrantur. Omnes ad eundem ſcopum collimant, ſcilicet, ut oſtendant futuram Judæorum quidem reprobationem, Ethnicorum vero vocationem. Quæ a Luca refertur, alia eſt ab hac [3], non ſolum propter ingentem circumſtantiarum varietatem, verum etiam propter tempus, quo fuit enarrata. Hæc S. Matthæi parabola pronunciata fuit Jeroſolymæ feria 6. ante noviſſimum Salvatoris noſtri Paſcha; altera vero pluribus ante menſibus Capharnai, in domo cujuſdam Principis Phariſæorum; ubi JESUS convivio fuerat exceptus. JESU CHRISTI cum Eccleſia conjunctio, & amor, quo illam proſequitur, Fidelium in Eccleſia conjunctorum felicitas, vel in Cœlis beatitudo [4], ſæpius in Scripturis, conjugii, nuptiarum, & convivii nomine deſignantur [5]. Harum nuptiarum tempus eſt myſteriorum vitæ JESU CHRISTI conſummatio. Ille ſacri hujus conjugii promiſſiones juravit in fœdere, ab ipſo cum SS. Patriarchis percuſſo, illis pollicitus, ſe venturum in terras, homines e ſervitutis jugo liberaturum. Has ille nuptias incœpit ee ipſo Incarnationis ſuæ tempore; convivium autem apparavit, toto vitæ ſuæ curriculo, ac præſertim annorum prædicationis ſuæ intervallo; ac illud tamen in Paſſione, & Reſurrectione ſua conſummavit. Tunc repudiavit Synagogam priorem conjugem ſuam, & duxit Eccleſiam Gentilium [6].

℣. 4. PRANDIUM MEUM PARAVI.] Vel potius cœnam meam; hæc enim vocari poteſt cœna, quemadmodum liquet ex verſiculo 13. ubi *in tenebras exteriores*, hoc eſt ante januam, atque in noctis tenebras ille projicitur, qui ſine veſte nuptiali ad convivium acceſſerat.

ALTILIA OCCISA SUNT.] Voces Authographi ad litteram ſignificant [7]; *animalia de induſtria ſaginata, immolata ſunt*, ſeu hoc intelligatur de majoribus animantibus, puta, vitulis, bobus, arietibus, vel de volucribus. Hebræi veteres [8], & Græci, ſæpius *immolandi* verbo utuntur, cum ſermo eſt de animantibus, quæ ſimpliciter in vulgatas cœnas necantur: antiquius enim nulla fiebant ſolemnia convivia, niſi diebus omnino alicui dicatis. Præceperat Deus, ut animantia, quæcumque in deſerto occidenda eſſent, adducerentur ad oſtium Tabernaculi, ibi Domino immolanda, Levit. 17. 7. & in univerſo Iſrael ex cunctis animalibus, quæ in urbibus mactabantur, quaſdam partes deſtinaverat Deus in victum Sacerdotibus, atque Levitis [9], ita ut illa ſemper quædam eſſent veluti ſacrificia, quæ Deo offerebantur, & quorum pars illi cedebat.

℣. 7. MISSIS EXERCITIBUS SUIS PERDIDIT HOMICIDAS ILLOS.] Qui occiderant ſervos ſuos. Prophetæ a Judæis male habiti fuerant, & indigna paſſi, & plerique etiam crudeliter interfecti. Eos perſecuti perſtiterunt Hebræi uſque ad mortem Johannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum. Deus vero, ut ulciſceretur tantum ſanguinis injuſte effuſi, in eos miſit Romanos [10], a quibus miſere deleti fuerunt. In Scripturarum ſtylo, Deus exercitus ſuos vocat eos, quos mittit, ad ultionem in populum ſuum exercendam. Hoc nomine, ex. gr. appellat exercitum Aſſyriorum Iſai. 7. 18. Chaldæorum Iſai. 13. 4. immo & locuſtas Joel c. 25. aliaque animalia, quæ mittit in populum ſuum, ad ejuſdem pertinaciam, atque ingratitudinem perſequendam.

℣. 9. AD EXITUS VIARUM.] Cogite in domum meam alienigenas omnes, & viatores quoſcumque offenderitis. Senſus hic melius ad parabolæ ſenſum redit, atque cum verbis textus congruit, quam ea verſio, quæ hoc de viis, & quadriviis intelligit, & ſequenti verſiculo ſervi quæſitum eunt, non in quadriviis, ſed in latioribus viis [11]. *Exitus viarum* [12] hoc in loco ſignificat ergo portas civitatis, vel vias, quæ in agros ducunt.

℣. 11. VIDIT IBI HOMINEM NON VESTITUM VESTE NUPTIALI.] Dixit ſuperiori verſiculo, Regem Miniſtris ſuis præcepiſſe, ut in aulam ſuam cogerent alienigenas omnes, quoſcumque obvios haberent, *bonos, & malos*; hac tamen conditione, ut eorum ſinguli habitu eleganti, & compoſito pro cujuſque ſtatu, conditione, & facultatibus ſeſe ad has nuptias ornarent. Hic autem omnem penitus neglexerat urbanitatem, atque introierat omnino fœdus, ac ſordidus, nulla ratione habita, vel cœtus, cui admittebatur, vel Principis, qui illum invitare fuerat dignatus. Hæc olim erat conſuetudo, & viget adhuc apud cultiores populos, ut nemo nuptiis, ac ſolemni interſit convivio, niſi ornatioribus, pro cujuſque facultate, veſtimentis indutus. Cicero [13] Vatinium perſtringit eo, quod atratus, lugubri veſte, convivio interfuiſſet, cum *ipſe epuli Dominus Quintus Arius albatus eſſet*. Teſtis eſt Joſephus, Eſſenios antequam in triclinium pedem inferrent [14], ſeſe abluere conſueviſſe, ac lineis candidiſſimis veſtibus ſe induere, quibus cœnati exuebantur, rurſus labori vacaturi. Athenæus l. 6. Dipnoſoph. Plutarchus in Sympoſ. Juvena-

1 Origen. Hieron. Beda, Euthym. Theophylact. in hunc loc. Greg. Homil. 38. in Evang. alii paſſim.
2 Origen. Chryſoſt. Author Oper. imperf. Hieronym. Beda, alii hic. Greg. Magn. loco citato.
3 Auguſt. lib. 2. de Conſenſu cap. 7. Gregor. Homil. 38. in Evang. Strabus, D. Thom. Toynard, Harm. Janſ. Gand. Concord. 815. Arnaud, Le Roux, Le Clerc in Concordiis.
4 Epheſ. 5. 23. Apoc. 21. 2. 9. Matth. 9. 15. 25. 1.
5 Luc. 14. 15. & 22. 29. 30.
6 Vide Origen. hic, & Hilarium, & Hieronym. in Matth. Gregor. Magn. Homil. 38.
7 Τὰ σιτιστὰ μου τεθυμένα.
8 Geneſ. 43. 15. Deut. 28. 31. 21. 1. Reg. 25. 11. Geneſ. 31. 54.
9 Deuter. 12. 21. & 18. 3.
10 Chryſoſt. Author Oper. imperfect. Euthym. Brug. alii.
11 Ἐπὶ τὰς ὁδούς.
12 Ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν. Vide Ezech. 48. 3. תוצאות העיר *Egreſſus civitatis*,
13 Cicero in Vatinium. *Cedo, quis unquam cœnavit atratus? Quis unquam in luctu domeſtico, quis in funere familiari cœnavit cum toga pulla . . . . Cum tot hominum millia cum accumberent, cum & ipſe epuli dominus Quintus Arius albatus eſſet?*
14 Joſeph. lib. de Bello cap. 12. Ἀυθις τε καθαροὶ καθάπερ εἰς ἅγιόν τι τέμενος, παραγίνονται τὸ δειπνητήριον.

Digitized by Google

venalis [1], loquuntur de veſtibus peculiaribus paraſitorum, quibus excenati obrepebant ad convivia, ad quæ ſemel invitaverant. Petronius in Trimalc. hæc *veſtimenta tricliniaria* vocat, de quibus Xiphilinus etiam in Adriani vita verba facit.

Non ſatis eſt ergo in Eccleſiam introiſſe, in convivii aulam admiſſum fuiſſe; verum opus eſt, illuc ingredi, uti decet. In agro Domini & lolium eſt, & triticum [2]; in retibus illius & piſces boni ſunt, & mali [3]; non omnes, qui vocati ſunt, iidem etiam electi ſunt [4]; non omnes, qui fidei donum acceperunt, habent & charitatem, & bona opera; & omnes illi, qui aquis Baptiſmi, vel iis Sacramentis, quæ ad peccatores conciliandos a JESU CHRISTO inſtituta, ſanctificati fuerunt, non eam habent fidelitatem, quæ neceſſario requiritur, ut receptam gratiam tueantur, atque in bono perſeverent. Veteres nonnulli Patres [5], togæ nuptialis nomine hoc in loco intellexerunt Spiritum Sanctum, juxta verbum illud Luc. 24. 49. *vos autem ſedete in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Sed plerique [6] hoc explicuerunt de fide, quæ a charitate animatur, & quæ agit per opera bona. Ipſe JESUS CHRISTUS veſtis eſt, qua Chriſtifidelis induendus eſt, juxta S. Pauli verba Rom. 13. 14. *quotquot in* CHRISTO *baptizati eſtis*, CHRISTUM *induiſtis* Galat. 3. 27. Exuamus oportet veterem hominem cum operibus ſuis, ut induamus *novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt* Epheſ. 4. 23. Quomodo autem CHRISTUM induere poſſumus, niſi per charitatem, atque imitationem [7]?

℣. 13. LIGATIS MANIBUS, & PEDIBUS EJUS.] Projiciatur extra aulam in viam, ubi ater incubat tenebrarum horror. Convivium hoc noctu fiebat. Vide ſimilem loquendi rationem apud S. Matthæum cap. 8. verſ. 12. Græcus legit: *ligate illi pedes, & manus; apprehendite illum, atque in tenebras exteriores ejicite*. Sed neque Vulgata, neque Verſiones Copthicæ, Syriacæ, Æthiopicæ, neque S. Auguſtinus, hæc verba legerunt: *Apprehendite eum*. MS. Cantabrigenſis, & S. Irenæus: apprehendite illum per manus, & pedes, atque projicite illum &c.

℣. 14. MULTI VOCATI, PAUCI VERO ELECTI.] In capite 20. verſ. 16. eamdem jam vidimus loquendi rationem: ibi ſignificat plures Judæos vocatos, & invitatos fuiſſe ad Cœleſte Regnum; ſed paucos invitanti aures præbuiſſe: iſthic vero JESUS CHRISTUS id transfert ad Chriſtianos, & eos, qui in Eccleſiam ingreſſi ſunt; ſed qui, cum nuptiali veſte carerent, per contumeliam inde ejecti ſunt [8]. Sed quomodo nam ait, multos eſſe vocatos, paucos vero electos; quandoquidem juxta eamdem parabolam unus dumtaxat ejectus fuit ex ingenti eorum numero, qui in convivii aulam convenerant? nonne aptius eſſet aſſerere, paucos eſſe vocatos, pauciores adhuc electos, at neminem fere excluſum? re quidem vera ex omnibus Judæis pauciſſimi ingreſſi ſunt, plurimi etiam Ethnicorum ingreſſi non ſunt, & ex his omnibus, qui ingreſſi, unus dumtaxat ejectus eſt. Verum non hic eſt ſenſus parabolæ. Innuit ergo Dei filius, 1. ex magno Judæorum numero, quibus Evangelium prædicatum eſt, paucos adeo fructum illius cepiſſe, ut pro nihilo haberi poſſint. 2. ex ipſis, qui credent, tum Judæi, tum Ethnici, non deerunt, qui ejiciantur ex aula convivii, quo fuerant admiſſi. Ita multi vocati, pauci electi, & ex iiſdem, qui electi videntur, & qui in Eccleſiam erant ingreſſi, non deerunt, qui propter indignitatem ſuam ejiciantur [9]. Putat S. Auguſtinus [10], hominem hunc turpiter ex convivio ejectum reproborum hominum eſſe figuram.

℣. 15. CAPERENT EUM IN SERMONE.] Ad litteram [11], ut *caperent eum laqueo*, vel retibus. Conſilium inierunt, illi captioſas quæſtiones proponendi, ut in reſponſionibus illius invenirent, de quo illum accuſarent, atque in ſuſpicionem ad populum raperent, ut facilius deinde perdere poſſent, quandoquidem populi dumtaxat metus eos deterrebat [12].

℣. 16. MITTUNT EI DISCIPULOS SUOS CUM HERODIANIS.] Non multum laborandum eſt, ut ſciamus, quinam ſint diſcipuli Phariſæorum. Hi ſunt Phariſæi, & ſecta, & ſententiis, & fortaſſe ſapientiſſimus, atque ardentiſſimus quiſque electus fuit in hanc legationem. S. Marcus eos ſimpliciter Phariſæos appellat, & ſane diſcipulorum nomine iſthic nequaquam intelligendi ſunt adoleſcentes, & pueri, qui in eorum ſcholam venditarent, ſed adulti jam homines, ac ipſi etiam Phariſæi, quilibet enim ex eo grege, Phariſæorum diſcipulus vocari poteſt. Hi autem cum Herodianis ſe ſe conjungunt, quos credimus diſcipulos eſſe Judæ Gaulonitæ, vel Galilæi, qui teſte Joſepho Antiqu. l. 18. c. 2. a Phariſæis hac una in re diſcrepabant, quod nimio ardore pro publicæ libertatis incolumitate flagrabant. Quæſtio ab illis iſthic JESU CHRISTO propoſita, eorum ſatis probat inſtitutum.

Plerique Interpretum docent, Phariſæos, atque Herodianos in diverſa omnino abiiſſe, quoad tributa Romanis perſolvenda. Phariſæi libertatis ſuæ nimii amatores, inviti ægre illud perſolvebant. Herodiani vero ei adhærentes parti, quæ dominabatur, hoc eſt Herodi, atque Romanis, alacres Imperatorum juſſis parebant. Ita quodcumque reſponderet JESUS, alterutram partem non lædere minime poterat, atque in Phariſæorum laqueos impingere. Si reſponderit, vectigal non eſſe perſolvendum, accuſabimus illum, veluti Cæſarum dominationi infenſum; ſi perſolvendum dixerit, illum item accuſabimus, & Patriæ libertatis inimicum, & quod non habeat unum ex characteribus eſſentialibus Meſſiæ, qui eſt, reſtituere Iſrael priſtinæ libertati, eumque de hoſtili ſervitute eripere. Sed novit Dei Filius eorum interrogationes eludere, & inſidias, quæ ſibi ſtruebantur, evitare. Aliam tamen probavimus ſententiam in Diſſertatione de ſectis Judæorum; ibique oſtendere adniſi ſumus, Herodianos penitus oppoſitos fuiſſe Romanorum Imperio, cui ſiſtemati hoc in commentario incumbemus.

Licet cenſum dare Cæſari, an non? Romani Judææ, Pompejo Duce victæ pecuniam tributi nomine perſolvendam, non ſecus, ac cæteris Imperii ſui provinciis imperarunt [13]. Julius Cæſar tributum illud confirmavit, vel auxit [14]. Auguſto Regnante Judæa Regem habuit Herodem Aſcalonitam, cognomine Magnum, qui ſeveriſſime in eos populos dominatus eſt [15]. Verum non loquimur de pecunia, quam Judæi Regibus ſuis perſolvebant, verum de ea tantum, quæ ad Romanos ſpectabat. Auguſtus, cum Syriæ, ac Judææ totius cenſum haberi juſſiſſet, antiqua reſtauraverit vectigalia. Judæi autem, ſeu inſana Religione ducti, ſeu quod ſe Romanorum fœderatos, non armorum vi ſubjectos [16], putarent, gravate hujuſmodi tributa patiebantur, atque ſubinde ſeditiones quædam excitabantur, quæ tandem in apertum, infenſiſſimumque bellum eruperunt. Theudas quidam jampridem ante JESU CHRISTI obitum inſurrexerat [17]; hunc ſequutus eſt Judas Galilæus, vel Gau-

1 Juvenal. Satyr. 3. verſ. 67.
Ruſticus ille tuus ſumit Trechedipna, Quirine.
2 Matth. 13. 24. 38. 3 Matth. 13. 47. 48. 4 Matth. 22. 14.
5 Iren. lib. 4. cap. 7. Hilar. hic. 6 Tertull. lib. 2 de Reſurrect. carn. Origen. Chryſoſt. Author. Oper. imperfect. Hieronym. Gregor. Magn. Theophylact. Euthym. Auguſt. Serm. 90 num. 6 Alii paſſim.
7 Vide Auguſtin. Serm. 90. de Verb. olim 14. ex edit. a Sirmundo num. 5. 6. Item Serm. 95. nov. antea in edit. n. 5. 8 Hammond. hic. 9 Vide Maldonat. hic.
10 Auguſt. lib. contra Donatiſt. poſt collation. 20. n. 27. ſic Origen. & Hieronym. in Matth.
11 Ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσι. 12 Luc. 22. 2. Matth. 21. 46
13 Joſeph. Antiq. l. 14. cap. 14. de bello lib. 1. cap. 5. 14 Idem Antiq. l. 14. c. 17.
15 Vide Petit. Var. Lect. l. 2. c. 1. 16 Vide Selden. de jure Nat. & Gent. lib. 6. cap. 17. 17 Act. 5. 37.

Gaulonitas [1], qui tenebant, ab Hebræis non alium e- A xiſtimandum eſſe Regem, quam Deum; atque eos libertatem infringere, qui ad tributa eroganda cogerent, quæ ſi umquam, nonniſi propriis principibus, atque nationis ſuæ Regibus erant perſolvenda. Igitur Herodiani, qui ſo Theudæ, & Judæ ſententiam inirant, aſſerebant, hemiſiclum impoſitum minime ſolvendum eſſe; at Phariſæi oppoſitum affirmabant. Impellere igitur adnitebantur JESUM CHRISTUM, ut in alterutram partem concederet, ſuamque ſententiam proferret, ſed eos pudore ſuffuſos dimiſit.

℣. 19. OSTENDITE MIHI NUMISMA CENSUS.] SS. Marcus 12. 15. & Lucas 20. 24. *afferte mihi denarium*; hoc eſt monetam, qua tributum perſolvi conſueverat; conſtat Principi, qui ſumma rerum potitur, tributum deberi; ſed Princeps quem penes imperium eſt [2], B monetam cudit, ejuſque pretium conſtituit: ergo ſtatim ac patebit, quænam ſit moneta, qua utatur Provincia, jam quæſtio veſtra ſoluta erit. Hoc pacto Dei Filius evolvit æquivocum, & aperit laqueos, qui ſibi ſub Herodianorum propoſitione fuerant abſconditi. Hi Dei jura cum jure Principis permiſcere cupiebant, at utraque JESUS CHRISTUS diſtinxit. Quæritur, utrum hoc tributum in ipſa eſſet, viritim omnibus ſubditis impoſitum. Quæ item ſumma illius? Haud ita exiguæ eſt operæ, his quæſtionibus reſpondere: ſed Syriaca, & Perſica verſio, & Interpretes nonnulli [3] credunt, eam fuiſſe capitationem. Quod confirmatur ex Appiani loco, in Syriacis dicentis, nihil Judæis æque acerbum, & durum eſſe, quam viritim tributum perſolvere; & omnes Syros, ac Cilices centeſimam bo- C norum ſuorum partem tribuere. Hoc ab Ulpiano etiam probatur [4], qui ait in Syriæ Provinciis mares, ubi quatuordecim annorum ætatem attigerint, & fœminæ duodecim, uſque ad annum quintum ſupra ſexageſimum, teneri tributum in capita impoſitum pendere. At Judæa tunc Syriæ nomine comprehendebatur; ſidei ergo maxime congruum eſt, Judæos quoque ex omnibus bonis ſuis centeſimum Imperatori perſolviſſe. Vox *cenſus*, qua iſthic utitur Evangeliſta, illud proprie ſignificat, quod viritim veluti tributum perſolvitur. Videtur etiam Auguſtus idem cenſum haberi quam diligentiſſime voluiſſe [5] eorum, qui ſuo ſubditi erant imperio, præſertim vero in Syria; ut videlicet hoc illis in capita tributum imponeret. Ea tunc in occaſione Judas Galilæus inſurrexit [6], & in D hac juris quæſtione Herodiani, atque Phariſæi JESU CHRISTI reſponſionem præſtolabantur.

℣. 20. CUJUS EST IMAGO HÆC?] Romani Imperatores in omnes ditionis ſuæ provincias monetas effuderant. Nemo neſcit, in his nummis, quorum plurimi ad hanc diem ſuperſunt, hinc videri Imperatoris imaginem, inde vero aliam quamdam, quæ rationem habeat cum Imperio illius, veluti abundantiam, victoriam, pacem &c. JESUS CHRISTUS quærit, ſibi nummum oſtendi, quem *denarium* appellat, & ex ipſa imagine Judæis interrogantibus duo probat: primum, ipſos perperam ſe liberos eſſe gloriari, quoniam ab alieno principe nummos recipiebant; & jampridem tributum hoc perſolvere conſueverant (hoc enim innuit JESU CHRISTI interrogatio, & aliunde etiam ex hiſtoria patet): E alteram vero, hanc ſervitutem ſimul eſſe poſſe cum ea quam debebant Deo, cujus oppoſitum Judas Galilæus, & Herodiani ejuſdem ſectatores docebant. Hinc illa infert: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Cæſar tributa petit, & vectigalia; Deus vero obſervantiam, cultum, amorem, ſuæ voluntati obedientiam, fidem in verba ſua, ſedulitatem in voluntate ſua perficienda, verbo ſuo, & eorum qui ab ipſo mittuntur, docilitatem. Statuere nequaquam poſſumus, quanti valeret nummus JESU CHRISTO oblatus; vocabula enim, quibus utuntur Evangeliſtæ, generica ſunt, atque intelligi æque poſſunt de nummo aureo, argenteo, æneo, magnæ molis, & parvæ. Denarius apud Rabbinos [7] quarta ſicli pars eſt, hoc eſt octo gallicæ monetæ ſolidis par. Sed in ſacris libris non ſecus ac alibi, denarii nomen ſæpius pro quovis monetæ genere, & pro pecunia generatim uſurpatur [8]. Scio equidem, eruditos quoſdam viros [9] credidiſſe, nummum, qui in tributum erogabatur, certam, ſtatam, & peculiarem fuiſſe monetam de induſtria cuſam, & ad id deſtinatam. Sed eorum ſententiam omnes ferme [10] abjecerunt. Tributum Judæi perſolventes utebantur nummis Romanis, quibus vulgo; verum cum hi varii eſſent pretii, ponderis atque metalli, quilibet juxta opes ſuas, atque tributum ſibi impoſitum perſolvebant, hi plures, alii pauciores. Denarius JESU CHRISTO oblatus nummus eſt argenteus, vel æneus, monetæ Romanæ, qui primus illis decidit in manus; ubi videbatur imago Cæſaris, & nomen vel Julii vel Auguſti vel Tiberii; nam quamvis tunc Tiberius ſumma rerum potiretur, ſidei propius eſt, duorum deceſſorum ejus nummos ea in regione vulgatiores fuiſſe.

℣. 23. ACCESSERUNT AD EUM SADDUCÆI.] De hac ſecta fuſius locuti ſumus in Diſſertatione de tribus ſectis Hebræorum. Hi præſertim rerum omnium ſpiritualium, excepta divinitate, exiſtentiam negabant [11]: nullos credebant eſſe Angelos, nullos Dæmones, nullos Spiritus, nullam animæ immortalitatem; ideoque nullam mortuorum reſurrectionem, quam Judæi ceteri opperiebantur.

℣. 24. MOYSES DIXIT &c.] Vide *Deuteron.* cap. 25. atque Interpretes in eum locum. Obligatio ducendi uxorem viri ſine liberis mortui, reſpiciebat non ſolum fratrem proprie dictum, verum etiam quicumque propioris cognationis gradu defunctum attingeret: quemadmodum ex Ruth exemplo innoteſcit.

℣. 28. IN RESURRECTIONE CUJUS ERIT DE SEPTEM UXOR?] Hæc ſeptem habuit viros, cujus vero ex his uxor erit poſt reſurrectionem? Hæc argumentatio communi Judæorum ſententiæ omnino erat oppoſita, qui credebant, Meſſiam poſt reſurrectionem in terris regnaturum; atque Iſraelitas omnibus ſenſuum voluptatibus ibi gaviſuros [12]. Joſephus de Bello l. 2. c. 7. Eſſeniorum de Paradiſo ſententiam cum iis comparat, quæ Poetæ de fortunatis inſulis comminiſcuntur. Ut verbo me expediam, eorum Paradiſus idem erat ferme, ac ille Mahometis. Verum Salvator iſthic & Sadducæos de reſurrectione, & Phariſæos, Judæoſque ceteros de inani hac Paradiſi ſententia refellit.

℣. 29. ERRATIS NESCIENTES SCRIPTURAS, NEC VIRTUTEM DEI.] Sadducæi ſententiam ſuam confirmare adnitebantur, locis ex Scriptura depromptis, quos perperam explicabant. Cum Phariſæis in hoc conſentiebant, Scripturam eſſe ſenſuum, & vitæ normam; ſed ajunt, ab illis receptos tantum fuiſſe libros Moyſis, ac neminem ex prophetis ab illis agnoſci. Hoc ex eorum principiis oriebatur. Phariſæi proculdubio illos ſuperabant iis Moyſis locis, ubi de Angelis verba ſiunt; illis quoque modo Sadducæi reſpondebant. Ve-

1 Act. 5. 37. & Joſeph. Antiqu. l. 18. c. 1. & de Bello, l. 2. c. 12.
2 Vide Maimonid. in Gelezarh. c. 5. 3 Natal. Alex. hic. Lip. de Magnitud. Rom. l. 2. c. 1. Freher. de Numiſm. cenſus. 4 Ulpian. leg. 3. digeſt. de Cenſib. *In Syriis a quatuordecim annis maſculi, a duodecim feminæ, uſque ad ſexageſimum quintum annum, tributo capitis obligantur.*
5 Luc. 2. 1. 2. 6 Joſeph. Antiqu. l. 18. c. 1.
7 Maimonid. Hal. Siclim. c. 1. §. 3. 8 Seld. de Jure N. & G. l. 6. c. 17.
9 Baron. Annal. t. 1. an. Chriſti 34. Brug. hic. Eſych. in Κῆνσος.
10 Vide Selden. loco citato, Freher. Diſſert. de Numiſm. cenſus, Caſaub. Exercit. 16. Salmaſ. ad Lamprid. Valeſ. de nummis Hebr. l. 2. c. 20. Grot. hic, alios.
11 Vide Act. 23. 8. Joſeph. lib. 2. de bello, cap. 12. 12 Vide noſtram Diſſertationem de Characteribus Meſſiæ juxta Hebræos.

tum enim eſt, nullum adeo craſſum errorem adeſſe, qui non poſſit aliquo nobili fuco, ubi ſacris Scripturis abuti velis. Igitur JESUS CHRISTUS Saducæis ait, illus palam ſcripturas torquere, earumque ſenſum, ac vim penitus ignorare: idque probat ea eodem loco, quem ipſi attulerant; inde enim concluſionem eruit, omnino oppoſitam iis, quæ illi inferebant, atque ipſis oſtendit, in altera vita, licet ſexuum adſit diſcrimen [1], nullum tamen ibi fore conjugium, nullam propagationem.

Homines reſuſcitati, hac in re Angelis ſimiles erunt, immortales, impaſſibiles, ſine ullo pravarum voluptatum ſenſu, quin alicujus rei indigeant, quæ ad corpus ſpectet. Corpus quidem perfecte animæ ſubjectum erit, quin illi affectus ulli dominetur. Hoc in mundo conjugia ideo neceſſaria ſunt, quoniam nobis graviſſima moriendi impendet neceſſitas. Ut homines ſibimet ſuccedant, ac terrarum orbis infrequens minime fiat, providendum eſt per ſpeciei propagationem, atque multiplicationem, quam abunde ſupplet conjugium. In cœlo vero omnino immortales erimus, neque eadem vigebit amplius neceſſitas.

℣. 31. DE RESURRECTIONE AUTEM MORTUORUM.] Hæc ſunt argumenta JESU CHRISTI: Deus ſeipſum vocat Deum Abraham, Iſaac, & Jacob, diu poſt horum Patriarcharum deceſſum; At Deus eſſe nequit, Deus mortuorum; vivant ergo altero in mundo oportet homines illi. Animæ igitur cum corporibus non moriuntur: ergo immortales ſunt. Huic argumentationi hoc unum objici poteſt, videlicet cum Scriptura inquit, Deum eſſe Deum Abraham, Iſaac, & Jacob, innuere ſimpliciter Deum illum, quem Abraham Iſaac & Jacob coluerunt.

Sed in hac ſuppoſitione, I. dicendum eſſet *ego fui*, non autem *ego ſum* Deus Abraham [2]. II. Si Patriarchæ hi amplius nullo pacto ſubſiſtunt, Deus eorum fœdere minime teneri poteſt, neque cum illis in futurum tempus fœdus ullum potuit percutere. Sin autem e contra cum illis fœdus icit, neque illud in tempora, quod illis ſpoponderat, adimplevit: hinc ſequitur ſane alteram non defuturam vitam, ubi illis ... promiſſionis effectum oſtendet: *juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti*, Apoſtolus inquit ad Hebr. 11. 13. *non acceptis repromiſſionibus, ſed a longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram*. III. Eſſe alicujus Deum, non ſignificat ſolum ab eo coli, vel cultum fuiſſe: ſignificat etiam illum peculiari modo tueri, illi opem, ac præſidium ferre: quo in ſenſu in Bibliis ſæpe dictum eſt; tu eris mihi populus, & ego tibi ero Deus. Ita, ego ſum Deus Abraham, Iſaac, & Jacob, ſignificare poteſt, ego ſum eorum protector, Patronus, Dominus &c. At Deus nequit eſſe Patronus, atque objectum cultus, & obſervantiæ illius, qui eſſe deſiit. IV. Cum Maldonato demum reſponderi poteſt, licet JESU CHRISTI argumentatio nonnullam pateretur difficultatem, ac per ſe non omnem vim obtineret, ſufficere tamen, illam ſatis fuiſſe, ut Saducæis ſilentium injiceret. Dei Filius noverat, quibuscum ſibi res eſſet: major illius virtus eſt, eos facili ratione confundentis, quam ſi invitos præſſos obrueret argumento. Ad hæc cum Saducæi Moyſis dumtaxat libros admitterent, neceſſe erat, ut Dominus illinc erueret, argumenta, ad animæ immortalitatem probandam. Cæterum apud omnes conſtat, inde longe pauciora quam alibi in ſcripturis [3] ſuppetere.

Quoad mortuorum reſurrectionem, quam etiam negabant Saducæi, nihil directe ex JESU CHRISTI argumentatione contra Saducæos erui poteſt, niſi per illationem. Verum enim eſt, mortuos quoad animam ſubſiſtere; nullo pacto impoſſibile eſt, ut eorum corpora reviviſcant, atque rurſus corporibus animæ adhæreſcant, ſeminis inſtar, quod cum humi putruerit, renaſcitur, & reviviſcit quodammodo per plantæ inde prodeuntis [4] productionem. Cumulatiſſimam de Saducæo victoriam referebat, qui illi animæ immortalitatem, atque reſurrectionis poſſibilitatem probabat. Hac poſita, non difficile erat evincere, hominem vere reſurrecturum. Si enim homo integer ſemper vivit coram Domino, etiam poſtquam occubuerit: *omnes enim vivunt ei*, Salvator ait apud S. Lucam 20. 38. Si fœdus, ac promiſſiones Dei erga juſtos, ejuſdemque minæ erga impios vigent, cum in hac, tunc poſt hanc vitam; opus eſt ut totus homo, hoc eſt corpus, & anima ſimul, promiſſionum participes fiant, vel ſibi intentata ſupplicia experiantur. At hoc fieri nullo pacto poteſt, niſi mortuorum reſurrectio admittatur: ergo eſt admittenda, vel aſſerendum, inanes eſſe Dei minas, atque promiſſiones, vel eas effectum imperfecta dumtaxat atque ſolum in animam habituras. Conſtat enim apud omnes, neque juſtos in terris omnibus præmiis, neque impios omnibus, quæ merentur, cruciatibus affici [5]. Nequaquam juſtum eſt, corpus a quo tanquam inſtrumento anima uſa eſt in bonum, remunerationibus non eſſe particeps, atque unam dumtaxat hominis partem gloria frui, cum utraque ſimul laborum ac prælii particeps fuerit.

℣. 35. LEGIS DOCTOR.] Græcus ad litteram *Juris peritus* [6]: S. Marcus *Scriba*, Doctor, qui legem docere atque explicare profitetur, quod præcipuum, ac unicum fere Hebræorum fuiſſe ſtudium, Joſephus l. 1. contra Appion. teſtatur. Non deſunt, qui diſtinguant legis interpretes a Scribis, qui Græce *Grammateis* dicuntur. Hi docebant [7] in Synagogis, illi in Scholis, atque privatim. Vel Scribæ Theoriæ, atque Speculativis quæſtionibus Legis vacabant; juris prudentes vero Græce *nomici* ad ea incumbebant, quæ praxim, & conſuetudinem maxime reſpiciunt [8]. Sed plerique tenent, duabus hiſce vocibus unum, & idem tantummodo ſignificari. S. Marcus *ſcribas* vocat eos, qui a S. Matthæo Legis doctores dicuntur.

Quæſtio ab hoc doctore propoſita erat fortaſſe ex earum numero, quæ tunc animos ſapientum in diverſa diſtinebat [9]. Alii enim Sabbathum, alii circumciſionem, alii Sacrificia præferenda eſſe cenſebant. Apud Prophetas extant veſtigia quædam hujuſmodi contentionum in iis reſponſionibus, quæ ab illis traditæ fuerunt. Verum Dei filius verbo, atque magiſtrali auctoritate omnem hanc ſuſtulit ſententiarum varietatem, dicens, primum & maximum præceptorum illud eſſe, quo jubentur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: illum videlicet ardenti, ſingulari, conſtanti, charitate diligere, citra ullam cordis receſſionem, ſine ulla infirmitate, & languore. Verbo, omnes affectus noſtros, vitam noſtram ac vim in illius amorem ac ſervitutem tranſmittere. *Cum ait toto corde, tota anima, tota mente*, S. Auguſtinus inquit, l. 1. c. 22. de Doct. Chriſt. *nullam vitæ noſtræ partem*

1 Hieronym. hic, & Ep. 27. ad Euſtoch. & Auguſt. lib. 22. de Civit. c. 17. *Corporibus vitia detrahentur, natura ſervabitur*. Aliter cenſuerunt nonnulli veteres. Crediderunt, fœminas nequaquam in proprio ſexu reſurrecturas. Origen. in Matth. Edit. Huet. pag. 467. & 493. Tertull. de Cultu fœmin. l. 1. c. 2. Hilar. in Matth. c. 23. Rufinus S. Hieronymum exprobrat eadem dixiſſe in cap. 5. Epiſt. ad Epheſios; at S. Hieronymus id negat in cap. 6. ſuæ contra Rufinum apologiæ. Origenes in loco cit. docet, in ſæculo futuro nullam ſexus diſtinctionem futuram, & omnes veluti Angelos futuros.
2 Ita Chryſoſt. Euthym. & Theophyl.
3 Vide Origen. in Matth. Hieronym. & Bedam hic. alios recentiores.
4 1. Cor. 15. 35. 36. 37. 38.
5 Vide Grot. & Maldon. hic. Vide & Hebr. 11. 16. *Non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem*. Et 1. Cor. 15. 19. *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*.
6 [illegible]. Marc. Γραμματεύς.
7 Camero.
8 Spanhem.
9 Beda in Marc. 12. Grot. hic.

partem reliquis, quæ vacare debeat, vel quaſi locum dare, ut alia re velis frui.

ỳ. 39. Secundum autem simile est huic.] Quemadmodum præceptum diligendi Deum ex toto corde, omnia in ſe continet hominum erga Deum officia: ita præceptum amandi proximum noſtrum, ut nos metipſos, quælibet erga fratres noſtros officia complectitur. Illos amare, bona quælibet & optare, & pro viribus procurare, illis opem afferre, ex eorum ærumnis mœrore confici, illos conſolari, & omnem curam in id tranſmittere, ut eorum animis Dei amorem inſpiremus, eoſque ad rectam virtutis ſemitam, ſi forte decraverint, revocemus. Uti hoc maximum eſt bonum, quod nobis metipſis præſtare valemus: ita hoc maximum etiam eſt beneficium, quod illis procurare poſſimus [1]. *Quiſquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipſe toto corde, tota anima, tota mente,* diliget Deum.

ỳ. 40. In his duobus mandatis universa Lex pendet, & Prophetæ.] Hoc eſt lex universa, & Prophetæ in duobus hiſce præceptis continentur. Ad litteram: ex duobus hiſce præceptis pendet lex, & Prophetæ; tamquam ea, quæ e clavo parieti infixo dependent. Quidquid Sancti libri nos docent, quidquid præcipiunt, quidquid vetant, ad hæc duo præcepta referuntur, & pendent ex illis. Hoc ſcripturæ totius compendium eſt, quoad ea videlicet, quæ ad morum diſciplinam, & recte vivendi rationem pertinent. *Quidquid ergo Dei lege prohibemur, & quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur, & jubemur, ut duo iſta compleamus,* ait S. Auguſtinus [2]. Et alibi: *In eo quod in Scripturis intelligis, charitas patet, & in eo, quod non intelligis, charitas latet: ille itaque tenet, & quod latet, & quod patet in divinis ſermonibus; qui charitatem tenet in moribus.*

ỳ. 44. Quid vobis videtur de Christo?] Ubi reſpondiſſet Jesus Christus Scribarum, Herodianorum, & Phariſæorum quæſtionibus, ipſe quoque illos interrogat de ea re, quæ maxime eorum intererat. Agebatur enim de Meſſia, & cujus filius eſſet futurus.

A Phariſæis, ac populo univerſo perſuaſum erat, illum ex progenie David naſciturum; ſed plerique nihil ulterius noverant. Expectabant Principem, Victorem, Liberatorem, qui ex familia David prodiiſſet. Verum nequaquam arbitrabantur, hunc, & Deum ſimul, & hominem eſſe futurum. Jesus Christus, ut illos ad Meſſiæ divinitatem agnoſcendam deducat, incipit evertere, non eam ſententiam, quæ hunc filium David futurum aſſerebat, ſed eam, quæ credebat, hunc nihil præterea futurum. Meſſias eſſe debebat Filius David: nemo hoc inficiabatur: attamen David eum Dominum ſuum vocat: hic ergo Davide major futurus eſt. Quid vero Rege adeo inſigni, Sancto, potenti, ac divino ſpiritu repleto eſſe unquam poterat majus? Divinitas nempe, hoc autem illis inferendum
B reliquit.

Obiter etiam docet Salvator, Pſalmum nonum ſupra centeſimum, *dixit Dominus Domino meo &c.* Davidis eſſe, Davidem fuiſſe Prophetam, & Pſalmum hunc ex ipſorum Phariſæorum ſententia Meſſiam reſpicere. Hodierni Judæi nihil intentatum relinquunt, ut Pſalmi hujus ſenſum detorqueant, eumque vel ad Melchiſedech, vel ad Abraham, vel ad Ezechiam, transferant. Verum nobis ſatis eſt, majores illorum Pſalmum hunc de Meſſia explicuiſſe, & hunc preſſiùs ſumptum de alio quovis intelligi non poſſe: ut illos refellamus, atque probemus, de uno illo eſſe explicandum. Vide Commentarios in hunc Pſalmum.

ỳ. 46. Neque ausus fuit quisquam.] Hoc accidit feria quarta, duodecima die Niſan, biduo ante
C mortem illius. Ille erat in templo atque docebat, quemadmodum S. Marcus cap. 35. teſtatur: ubi diutius ea die permanſit docens, ac liberrime loquens, quemadmodum e ſequenti patet verſiculo: quin Phariſæi, Scribæ, & Sacerdotes illi obſtreperent, aut cum illo verbis decertarent. Poſtridie feria quinta in templum non aſcendit, ac nonniſi ſub veſperam venit in civitatem, Sanctiſſimum Corporis ſanguiniſque ſui Sacramentum inſtituturus.

---

1 Auguſt. lib. 1. cap. 6. & 42. de Doctrina Chriſt. Vide & lib. 10. de Civit. cap. 3. & lib. de Morib. Eccleſ. Cathol. cap. 26. *Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo eſt; hoc eſt, ut ipſe perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis ſicut teipſum, ſi non ad id bonum, ad quod tendis, adducere ſatagis.*

2 Auguſt. de Perfectione Juſtitiæ hominis, cap. 5.

3 Auguſt. Serm. 350. olim 39. de temp.

C A P U T   XXIII.

Scribæ, & Phariſæi ſedentes ſuper Cathedram Moyſis audiendi ſunt, at non imitandi. Hujus vitia hominum hypocriſis, atque ſuperbia. Falſæ eorum Legis explicationes. Sanguis Prophetarum. Jeruſalem evertenda.

1. TUnc Jeſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos, 2 Dicens: Su-
per cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. 3 Omnia ergo, quæ-
cumque dixerint vobis, ſervate, & facite, ſecundum opera vero eorum
nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. 4 Alligant enim onera gravia, & im-
portabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea move-
re. 5 Omnia vero opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus: dilatant enim
phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. 6 Amant autem primos recubitus in cœ-
nis, & primas cathedras in ſynagogis, 7 Et ſalutationes in foro, & vocari ab
hominibus, Rabbi. 8 Vos autem nolite vocari Rabbi: unus eſt enim Magiſter ve-
ſter, omnes autem vos fratres eſtis. 9 Et patrem nolite vocare vobis ſuper ter-
ra; unus eſt enim pater veſter, qui in cœlis eſt. 10 Nec vocemini magiſtri: quia
Magiſter veſter unus eſt, Chriſtus. 11 Qui major eſt veſtrum, erit miniſter veſter.
12 Qui autem ſe exaltaverit, humiliabitur: & qui ſe humiliaverit, exaltabitur. 13

Væ autem vobis, Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: quia clauditis regnum cœlorum
ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare. 14 Væ vo-
bis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes lon-
gas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium. 15 Væ vobis, Scribæ, &
Phariſæi hypocritæ: quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proſelytum:
& cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos. 16 Væ vo-
bis, duces cœci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil eſt: qui
autem juraverit in auro templi, debet. 17 Stulti, & cœci: Quid enim majus
eſt, aurum, an templum; quod ſanctificat aurum? 18 Et quicumque juravit in
altari, nihil eſt: quicumque autem juraverit in dono, quod eſt ſuper illud, de-
bet. 19 Cœci: Quid enim majus eſt, donum, an altare, quod ſanctificat do-
num? 20 Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus, quæ ſuper il-
lud ſunt. 21 Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo, qui ha-
bitat in ipſo: 22 Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & in eo, qui ſe-
det ſuper eum. 23 Væ vobis, Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: qui decimatis men-
tham, & anetum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium,
& miſericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere. 24 Du-
ces cœci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. 25 Væ vobis, Scri-
bæ, & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis, quod deforis eſt calicis, & paropſidis:
intus autem pleni eſtis rapina, & immunditia. 26 Phariſæe cœce, munda prius,
quod intus eſt calicis, & paropſidis, ut fiat id, quod deforis eſt, mundum. 27
Væ vobis, Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis,
quæ a foris parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum,
& omni ſpurcitia. 28 Sic & vos a foris quidem paretis hominibus juſti: intus
autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate. 29 Væ vobis, Scribæ, & Phariſæi hy-
pocritæ, qui ædificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum, 30
Et dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in
ſanguine prophetarum. 31 Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eo-
rum, qui prophetas occiderunt. 32 Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.
33 Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? 34 Ideo ec-
ce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, &
crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de civita-
te in civitatem: 35 Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſu-
per terram, a ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ, filii Barachiæ,
quem occidiſtis inter templum, & altare. 36 Amen dico vobis, venient hæc o-
mnia ſuper generationem iſtam. 37 Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis prophe-
tas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare pullos tuos
ſub alas, & noluiſti? 38 Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. 39 Dico
enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in no-
mine Domini.

℣. 1. TUNC JESUS LOQUUTUS EST AD TURBAS.] Ubi JESUS Phariſæos, Herodianos, Saducæoſque confudit, qui alii poſt alios ſubinde acceſſerant ipſum tentaturi, ut illum in ſermone caperent; ſequitur Dei filius, in templo ad populum ac diſcipulos ſuos verba facere. Hæc omnia, non ſecus ac illa, quæ ſuperiori capite referuntur, acciderunt feria quarta, quæ JESU CHRISTI paſſionem præceſſit. Univerſo in hoc capite ea libertate atque vi loquitur, ut ſatis inde intelligi poſſit, horam illius acceſſiſſe, atque nihil ipſi ulterius fuiſſe cavendum. Ait ergo, Scribas, & Phariſæos ſuper Moyſis Cathedram ſedere, ac profiteri, ſe docere populos, legeſque Moyſis interpretari; ſe vero nihil de illorum jure imminutum velle, neque eorum auctoritatem in dubium vocare. Sed in pravam illorum doctrinam, corruptoſque mores invehitur. Do-

A ceant quidem, ſi illis placet; ſint populi capita, ductoreſque: at eum non fallant improbis explicationibus, neque pernicioſiſſimis exemplis illum corrumpant.

Moyſis Cathedra hoc in loco ſignificat, vel doctrinam illius [1], cujus clavem eſſe penes ſe Scribæ gloriabantur; vel illius auctoritatem [2]. Legis Doctores, juris periti, qui Legem in Synagogis explicabant, eam primum ſtantes legebant, mox ſedentes interpretabantur [3]. Salvator Phariſæos enumerat inter illos, quibus Legis explicandæ jus eſſet, non quod auctoritas hæc ſectæ, ac diſciplinæ illorum adhæreret, ſed quod potior illorum pars erant etiam legis Doctores, atque a Judæis veluti optimi legum interpretes, morumque Magiſtri, habebantur [4].

℣. 3. OMNIA ERGO, QUÆCUMQUE DIXERINT VOBIS SERVATE.] In omnibus eorum dicto ſine ulla exceptio-

1 Hieronym. Beda, Maldonat. alii.
2 Hammond. Ligf. Janſ.
3 Vide Luc. 4. 17.
4 Joſeph de Bello Jud. lib. 1. cap. 4.

ceptione obtemperare, niſi doctrina, vel imperium illorum Legi, juſtitiæ, veritati, ac Moyſi ipſi adverſentur. Tunc enim Deo potius, quam hominibus parendum eſt [1]. Exigit quidem obedientiam, & ſubmiſſionem perfectam, ſed illuminatam, & ſapientem, non cæcam, & inconſultam. Non vult quidem ſimplices privatos Judices fieri Magiſtrorum ſuorum, verum non deeſt occaſio, ubi noxia eſſet obedientia, cum ſatis pateat oppoſitio inter ea, quæ nobis præcipiuntur, & legem Dei, aliquid vel jubentem, vel prohibentem [2]. Quod igitur Dei Filius hic ait, minime opponitur iis, quæ mox dicturus eſt, & quæ ſuperius etiam nec ſemel docuit [4], cum hipocryſim Phariſæorum, atque pravas eorum legis explicationes redarguit. Poſtquam hæc prædixerat, atque diſcipulis ſuis ſuaſerat, ut caverent ſibi a fermento hujuſmodi virorum; dicere poterat, illis obtemperandum quidem eſſe, eos vero non eſſe imitandos. Etenim jam præpoſuerat omnes exceptiones, & explicationes neceſſarias, ut unum præverteret abuſum, in quem verba ſua poterant detorqueri.

℣. 4. ALLIGANT ENIM ONERA GRAVIA.] Hæc adagialis loquendi ratio eſt, quæ innuit auſteritatem, atque nimiam ſollicitudinem Rabbinorum in explicatione legum Moyſis, cum interim in praxi ſe nec quam liberaliter diſpenſarent. Ab aliis ſeveriſſimam exigebant cæremonialium legum obſervantiam, cum interim ipſi obtemperare negligerent legibus moralibus, & quæ diſpenſari minime poſſunt. Allegoria deſumpta eſt ex ſarcinis, quæ Camellorum, vel mulorum dorſo alligantur. Rabbini ipſi [5] inter mundi mala enumerant *Phariſæorum Plagas*, videlicet ceremonias, ac ritus ſuperſtitioſos, & ſuperfluos, quos illi addiderant legi, & in Religionem invexerant.

℣. 5. DILATANT ENIM PHYLACTERIA.] Vox *Phylacterion* [6], qua Græci & Vulgata utuntur, proprie *amuletum* ſignificat. Judæi hoc nomine Græce vocabant quaſdam membranas, quas circum caput inter utramque aurem, atque circum brachia in armillarum formam geſtabant, & quibus quædam legis verba erant inſcripta. De iis ſermo jam fuit in Commentariis in Exod. 13. 16. atque in Deuteron. 6. 8. & 11. 18. ubi imperat Moyſes, ut Hebræi ſemper habeant Dei mandata, veluti ſtoris ornamenta inter oculos, & tamquam armillas in manibus. Judæi olim [7] verba hæc in ſenſu figurate accipiebant, quaſi innuerent, numquam ex mente ac memoria Domini legum dilabi debere, ſed ex ea ſibimetipſis pretioſiſſimum ornatum eſſe concinnandum.

Verum enim vero poſtquam Phariſæorum orta eſt ſecta, cœpta ſunt verba hæc ad litteram intelligi, itaut omnes his membranis adſciverint chimericas virtutes, a morbis, & a dæmoniorum inſultibus præſervandi [8]. Hinc illis factum nomen *Phylacteria*, quo Ethnici antidota quædam appellabant, quæ ſuperſtitioſe, tamquam præſentiſſima contra faſcinum, atque ſortilegia deferebant. Hebraica [9] vox *totaphot*, qua utitur Moyſes ad hæc innuenda, proprie ea tantum ſignificat ornamenta, quæ de fronte in ſupercilia pendula deferebantur, & quæ vel lapides pretioſi erant, vel aurea, aut argentea ſupellex.

Veteres complures [10] crediderunt, Moyſis ævo Hebræos religioſe in fronte, brachiiſque ſuis has ex membranis vittas geſtaſſe; neque deſunt [11], qui cenſeant, Jeſu Chriſti ævo hunc vulgo apud Judæos omnes viguiſſe morem, eique & Salvatorem noſtrum adſuevisse. Illa conſuetudinem hanc non reprehendit, ſed Phariſæorum ſuperſtitionem perſtringit ridicula affectatione

A geſtantium vittas hasce latiores, quam cæteri e populo. Verum in Veteris Teſtamenti libris nullum videmus veſtigium, quo perſuaderi poſſimus, aliquem ad litteram hoc facere conſuevisse; ex novo autem nequaquam liquet, Jeſum Chriſtum, ejuſque Apoſtolos *Phylacteria* geſtaſſe. Fieri vero poteſt, ut plurimi, vel pii, vel ſuperſtitioſi hoc facere conſueverint [12]; quippe Phariſæi id tamquam pie factum commendabant, immo & ipſi etiam exercebant, atque præ aliis latiora Phylacteria geſtabant. Verum non reor, conſuetudinem hanc apud omnes viguiſſe. Apud illos Phylacteria idem fere erant ac apud nos *coronæ*, aut roſaria, vel Evangelii partes, quas ab aliquibus piis, vel etiam ſuperſtitioſis, quemadmodum eos S. Hieronymus vocat, dulatas fuiſſe ævo ſuo idem S. Hieronymus, at-

B que S. Johannes Chryſoſtomus teſtantur.

Omnibus ſuadetur coronæ uſus; multi eam clanculum deferunt, alii de zona pendulam gerunt, alii eam magnitudinis mediocris, alii vero majoris, atque nimis oblongam deferunt. Sed uſus non ubique obtinet, neque apud omnes; & ſi quis in jocum traducere vellet eos, qui majores coronas geſtare affectant, atque inde inferret aliquis, omnes mediocris magnitudinis coronas geſtare, fallax eſſet concluſio: hoc ipſum de Phylacteriis uſu reor. Redarguit Jeſus Chriſtus Phariſæorum affectationem; ut non ait, cæteros Judæos vulgo Phylacteria geſtaſſe. S. Hieronymus inquit ævo ſuo Judæos, Indos, Perſas, & Babylonios ferre conſueviſſe adhuc de fronte pendentes hujuſmodi vittas, & eos, a quibus geſtabantur, habitos fuiſſe religioſiores.

C Uſus ergo Phylacteriorum non vigebat amplius tunc temporis apud Judæos citra Euphratem, immo neque apud omnes trans fluvium eumdem vulgo obtinuerat. Hodie Judæi ea deferunt tantum, cum matutinis in Synagoga vacant orationibus [13].

MAGNIFICANT FIMBRIAS.] Præceperat Moyſes, ut Hebræi quadrata ferrent pallia, eorumque oras fimbriis exornarent, & quatuor eorum angulis lineos, vel laneos cœrulei coloris lemniſcos aſſuerent [14]. Hoc explicitum erat, atque Judæi omnes ita in patrio ſolo induebantur. Salvatorem ipſum & fimbrias, & lemniſcos in pallio habuiſſe, liquet ex hemorroiſſa dicente Luc. 16. 44. *ſi tetigero tantum fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero*.

Phariſæi, ut præ cæteris eminerent, fimbrias has, D vel lemniſcos prolixiores, quam alii vulgo Iſraelitæ, deferebant. Docet S. Hieronymus, illos aſſuere conſueviſſe lemniſcis quoſdam veluti aculeos, & ſpinas, ut crori, quod nudum erat, juxta Regionis illius conſuetudinem, illidentes in memoriam eorum indeſinenter vocarent Dei legem, atque illi jugem in ſemet mortificationem exercerent. Judæi hodie, ne populorum, apud quos verſantur, cachinnos cieant, peculiarem hanc veſtium formam reliquere, atque ſe ſe aptavere his locis, ubi commorantur. Deferunt ſolum ſub veſtibus pannum quadratum, cum quatuor funiculis, in lemniſci formam in extrema parte ſolutis, atque retextis [15]; cumque in Synagogam coeunt, homines capiti, vel humeris quoddam veluti vetus pallium, vel oblongum quadratum pannum imponunt,

E quo tamquam pallio obvolvuntur.

℣. 6. AMANT AUTEM PRIMOS RECUBITUS IN COENIS.] Phariſæorum vanitas, & ambitio in univerſa eorum vivendi ratione apparet. Adeo hac in re parum ſibi cavebant, ut quavis in occaſione, tamquam jure optimo, ſibi vindicarent primam ſedem, & vellent ipſi dijudicare, deridere, dominari. Salvator non

1 Act. 5. 29. 2 Vide Hilar. & Auguſt. ſerm. olim 49. nunc 137. cap. 5. 6. 7. Hieron. & Mald. hic.
3 Verſ. 4. 5. 6. 7. 13. 14. 15 . . . 17. 18. & ſeq. 4 Cap. 16. 6. & 5. 20. 21. & ſeq. & 6. 1. 2. &c.
5 Talmud. tract. Sota. c. 3. §. 4. 6 Φυλακτήρια.
7 Ita Grot. Camer. 8 Ligfoot, Fagius, Grot. alii. 9 טוטפות Chald. תפילין *Tephilin*.
10 Origen. Hieronym. Chryſoſt. Euthym. 11 Ligfoot, Scalig. Maldon. alii.
12 Vide Hieronym. Grot. Scultet. 13 Leo Mutinenſ. Cerem. Jud. c. 2.
14 Num. 15. 38. ציצת *zizit*. Deut. 22. 12. גדלים Chald. כרוספדין *Κράσπεδα*, *fimbria*.
15 Leo Mutin. Cærem. Jud. c. 6. & 11. Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap. 4.

ſemel hoc illis exprobravit [1], cum eos redarguit, eo quod primas in Synagogis cathedras ambiant. Non loquitur ille de præcipuis locis eorum, qui in Republicæ, vel Religionis cœtibus præſident: hujuſmodi enim ordines, ac loci, quos inſtituit conſuetudo, vix ſuperari minime poſſunt, niſi cum per vanitatem, ambitionem, atque affectationem nimium ſollicite quæruntur, ac avide nimium retinentur.

℣. 7. SALUTATIONES IN FORO.] Turpis, & demens ambitio; hæ quippe exteriores obſervantiæ notæ, quas homini exhibemus, illum ſalutantes, teſtimonia ſunt incertiſſima exiſtimationis illius, qua intrinſece illum colimus, eæque minimum probant meritum illius, in cujus honorem præſtantur.

VOCARI AB HOMINIBUS RABBI.] Ne quæratis Rabbinos fieri, & Magiſtros in Iſrael, atque hanc inter homines dignitatem obtinere. Citra faſtum, & ambitionem, caſte, integreque docete; nullam mercedem, nullamque gloriam præter Deum unum expetite. *Vos autem nolite vocari Rabbi.* Deus unus vere meretur nomen *Rabbi*, vel Magiſtri; ad illum omnis honor pertinet, ab illo omne lumen proficiſcitur, omnis emanat ſapientia, & cognitio, ipſe illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; unus ille vere docet, ac menti lumen, & cordi amorem impertit. *Unus eſt enim Magiſter veſter.* Græcus legit [2]: *Chriſtus enim veſtrum eſt unicum caput*, & dux.

Sed non pauci MSS. codices omittunt Chriſtum, & legunt, *Magiſter veſter*, ille, qui docet vos, pro *caput veſtrum*, qui vobis præeſt: & Hebraica vox Rabbi ſignificat potius Magiſtrum docentem; quam vocem ad Hebræos Doctores indigitandos ſacravit uſus. Putant, titulum hunc apud illos recentem eſſe, atque tunc tantum adhiberi incœpiſſe, cum Judæi in varias ſectas ſeceſſerunt, variaſque ſcholas habuerunt. Non deſunt etiam, qui illud incœpiſſe putent ævo inſignis Hillel, qui vixiſſe dicitur 100. circiter annis ante Jeſum Chriſtum. Hoc nomine in veteri Teſtamento nemo vocatus fuerat. Jeſus Chriſtus *Rabboni* in S. Marco 10. 51. & S. Joanne 20. 16. appellatur. Differunt inter ſe Rab, Rabbi, & Rabban, quorum poſtremum majoris honoris eſt nota; *Rab* minus eſt, quam *Rabban*, & Rabbi minus adhuc, quam Rab. *Qui ſalutem dicit Magiſtro ſuo, quin illi dicat, ſalvere te jubeo, Rabbi, divinam Majeſtatem irritat, eamque ab Iſrael avertit*, inquiunt Doctores Judæi [3].

℣. 9. PATREM NOLITE VOCARE VOBIS SUPER TERRAM.] Patris nomen hoc in loco dignitatis eſt: eoque appellabantur præſides cœtuum trium, & viginti Judicum; ſecundus Judex Sanhedrin; capita ſcholarum, præcipui doctores. Inſignes hi Magiſtri, vel *Abba*, Patres, diſcipulos ſuos Filiorum nomine vocabant. Hæc omnia jactantiæ nomina a Jeſu Chriſto damnantur. Ne affectaris vocari Magiſtri, Patres, Præſides. Non ideo tamen damnat honoris titulos, qui in Eccleſia Præſulibus, Epiſcopis, Sacerdotibus, atque ſuperioribus Eccleſiaſticis conferuntur; ſed damnat vanitatem, ambitionem, ſuperbiam, illos requirentium, vel affectantium. Primus Eccleſiæ Chriſtianæ, atque Catholicæ Pater ſervum ſe ſervorum Dei vocat. MSS quidam in hujus verſiculi fine legunt ea verba, quæ apud Vulgatam inveniuntur in fine verſiculi præcedentis; *omnes autem vos fratres eſtis* [4].

℣. 10. NE VOCEMINI MAGISTRI.] Græcus [5] ſignificat potius illum, qui præeſt, qui imperat, qui regit; quam qui erudit, & docet: quo poſtremo in ſenſu illum jam vidimus verſiculo octavo. Hoc loco prohibet Jeſus Chriſtus imperii, auctoritatis, ac dominationis titulos. Præſidem Sanhedrin Principem vocabant Judæi, eaque præcipua erat apud illos Judicis dignitas. Dei Filius hoc in ſermone ſuadere vult diſcipulis ſuis, ut ſibi quamdiligentiſſime caveant a faſtu, & jactantia, quæ vitia in Phariſæis maxime dominabantur. Addit autem: *Magiſter veſter unus eſt Chriſtus. Qui major eſt veſtrum, erit miniſter veſter* &c. En quo tendere debet ambitio veſtra, ut videlicet fiatis omnium minimi, omniumque miniſtri.

℣. 12. QUI AUTEM SE EXALTAVERIT, HUMILIABITUR.] Hæc eſt hucuſque dictorum concluſio. Vultis, veram, ac realem gloriam adipiſci? voſmet humiliate, atque demittite. Noviſſimum quærite locum, ſuperbos honoris, atque ambitionis titulos contemnite: quo magis in terris pro Dei gloria voſmet humiliaveritis, eo magis in Regno illius exaltabimini; *Gloriam præcedit humilitas*, Salomon ait Prov. 15. 33.

℣. 13. VÆ AUTEM VOBIS .... QUIA CLAUDITIS REGNUM COELORUM.] Quantum in vobis eſt, præcluditis aditum in Eccleſiam illis, qui ingredi cuperent, ob turpem, qua flagratis in me, invidiam, & quod de me, doctrinaque mea colloquimini. In limine ſtatis quin ingrediamini, & prohibetis, ne alii ingrediantur [6]. Aliter: Legis puritatem pernicioſis explicationibus veſtris corrumpitis, neque vos eam exercetis, neque ab aliis exerceri ſinitis [7]. Penes vos eſt clavis ſcientiæ [8]; ſed quin januam aperiatis, illam & vobis, & aliis obſtruitis.

Eædem occurrunt imprecationes, vel potius, prædictiones infelicitatis Scribarum, & Phariſæorum, apud S. Lucam 11. 39. ſed illæ alia in occaſione & multo tempore ante has [9] prolatæ fuerunt. Confer hæc cum iis, quæ ait Oſee 6. 9. juxta 70. contra Sacerdotes, qui *viam Domini abſcondebant*.

Vetera exemplaria hoc in loco ſibi non conſtant. S. Joannes Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, & Auctor operis imperfecti in S. Matthæum, Græca exemplaria typis edita, & pleraque manuſcripta trajiciunt ℣. 13. poſt 14. alia vero illum præponunt; & alia [10] prorſus omittunt. Origenes, & S. Hieronymus illum minime legerunt, & in Euſebii Canone S. Lucæ duntaxat attribuitur [11]; unde conjicitur, in S. Matthæum migraſſe.

℣. 14. COMEDITIS DOMOS VIDUARUM ORATIONES LONGAS ORANTES.] Sub prolixarum precum colore viduarum domos devoratis: vel [12], *ſimulatis longas preces effundere*, & viduarum domos comeditis. Simplices, piaſque mulieres fallitis inani pietatis ſpecie, ut ex earum eleemoſynis, & largitate lucrum feratis. *Nonnullis in uſum negotiationis vertitur labor orationis.* S. Gregorius Moral. l. 33. in c. 41. Jerem. cap. 23. ait. Ob Salvatoris animum plane verſabatur conſilium auferendi abuſum, quem Phariſæi in religionem invexerant affectata orationum ſuarum prolixitate, cum hortabatur Apoſtolos ſuos, ne multa loquerentur, & ne ſtarent orantes in viarum angulis, & Synagogis [13]. Prolixæ, & frequentes orationes nunquam damnatæ fuerunt, ſed duntaxat ſemper damnanda eſt earum affectatio, atque oſtentatio. Ferunt, pios homines antiquitus apud Judæos novem horas quotidie tribus temporibus ſejunctim oraſſe. Hora una meditabantur, altera orabant, tertia vero, poſtquam oraſſent, ſe ſe colligebant, & hoc ter ſingulis diebus [14].

℣. 15. CIRCUITIS MARE, ET ARIDAM, UT FACIATIS

1 Vide ſupra in S. Matth. 21. 28. & additionem, quæ legitur poſt verſ. 28. & Luc. 14. 8.

2 Εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς, ὁ Χριστός. Alii plerique MSS. Εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ διδάσκαλος. Plures omittunt, Ὁ Χριστός. Var. Lect. Mill.

3 Baba Bera. apud Ligfoot.

4 Vide Var. Lect. Mill.

5 Μηδὲ κληθῆτε καθηγηταί, εἷς γὰρ ὑμῶν ἐστιν ὁ καθηγητὴς ὁ Χριστός.

6 Origen. Hilar. Hieronym. Author Oper. imperf. Beda in hunc loc. Brug. Grot. Tir.

7 Chryſoſtom. hic. Mald.

8 Luc. 11. 52.

9 Auguſt. lib. 2. de Conſenſu, cap. 75. Ita Toynard. & Le Clerc, Harmon. Evangel.

10 Ita Cantabrig. Cod. G. L. Colb. 2. Sax. Codd. Mſſ. Arab. Quid. antiqu. Codd. Lat. Vide Marian. & Brug. hic.

11 Luc. 11. 52.

12 Καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι. *In ſpeciem multum diu orantes.*

13 Matth. 6. 5. 7.

14 Gemar. Babil. in Beracoth. fol. 32. apud Ligfoot.

TIS UNUM PROSELYTUM.] Phariſæi ſummo adnitebantur ſtudio, ut alienigenam quempiam, atque Ethnicum in Judaicam Religionem compellerent, quod ſi illis e ſententia ceſſiſſet, maximum in populo honorem ſibi comparabant. Zelum eorum Dei Filius minime damnat; perſtringit ſolum vitium illorum. Dolet, ab illis recens Judaicæ fidei initiatos perperam erudiri, & quin caſte, integreque illis legem tradant, mentem eorum ſexcentis inanibus traditionibus, cor vero odio, atque ſimultate repleant adverſus illos, a quibus minime probantur, & quibus admirationi non ſunt [1]. Verbo, dolet, quod illos ſemetipſis nequiores, ac veritati infenſiores efficiant: *facitis eum filium gehennæ duplo quam vos*. De Proſelytis fuſius verba fecimus in Exodum c. 12. ℣. 48.

Judæi [2] hunc Evangelii locum inficiantur: tenent, majores ſuos numquam adniſos fuiſſe credentium numerum augere, ex Ethnica religione in Judaicam eos allicientes: cum enim Deus legem ſuam uni dumtaxat populo dediſſet, nun præceperat, ut aliis prædicaretur. Dominus nequaquam ſimilis eſt terræ Principibus, qui latius fines ſuos proferre, inſigneſque victorias referre contendunt. Id ille non quærit, nec umquam quæſivit. Rex, cui unica eſt filia forma, ac virtute æque præſtans, ditioniſque ſuæ hæres, hanc minime offert illi, a quo primum fuerit expetita; ſed expectat, donec alii Reges certent, eam ſibi conjugem efflagitari. Talmudiſtæ [3] addunt, Proſelytos eſſe inſtar apoſtematis, vel lepræ Iſrael; & ſummopere cavendum, ne facilius admittantur. Aſſerit Maimonides, Davide, & Salomone regnantibus nullum receptum fuiſſe proſelytum, quoniam ſuſpicio ſuboriri poterat, potius Regum illorum felicitate, quam religionis amore illectos petere, ut in Judæorum ſacra tranſirent.

Credunt nonnulli [4], ea, quæ Salvator noſter ait, eos ſcil. maria, terraſque luſtraſſe, ut Proſelytum facerent, minus ab illis tentata, ut Ethnicos ad fidem, & veri Dei cognitionem vocarent, quam ut ſectam ſuam ampliorem efficerent; adducentes Judæos alienigenas ex diverſis provinciis, quo tunc eorum natio pervaſerat. Phariſæus, qui plures faceret Phariſæos, majori apud ſuos erat in pretio, atque ad majores honores contendere poterat. Verum ſcimus ex certiſſimis teſtimoniis, tunc temporis Judæos conſueviſſe plures in ſuam Religionem allicere. Horatius hoc ſatis aperte teſtatur Satyr. 4. ſub finem.

At veluti te
Judæi cogemus in hanc concedere turbam:

& Juvenalis Satyr. 14. ait, Romanos plures didiciſſe Judæorum leges, & jura.

Romanas autem ſoliti contemnere leges
Judaicum ediſcunt, & ſervant, & metuunt jus.

Auctor eſt Tacitus, Romæ fuiſſe quamplures, qui ſe Judæorum cæremonias ſequi profitebantur: quod ipſum non ſemel Svetonius etiam teſtatur. Nullus dubito, quin aliqui ex his auctoribus, videlicet Juvenalis, atque Svetonius Judæos fortaſſe cum Chriſtianis confuderint. Verum hoc dici nequit, ex. gr. de iis, quæ Horatius, & Tacitus narrant, & quæ Svetonius ipſe refert de Tiberio, qui Romæ Judæorum, atque Ægyptiorum ſuperſtitiones coercuit.

℣. 16. QUICUMQUE JURAVERIT PER TEMPLUM; NIHIL EST.] Judæi Salvatoris ævo non credebant conſonum eſſe obſervantiæ illi, quæ Omnipotenti debetur ſine ullo diſcrimine per ejus nomen ejurare. Potius per alia, puta, Cœlum, terram, conſanguineos ſuos jurabant, atque minora hæc juramenta minus obligare cenſebant, quam illa, ubi Dei nomen invocaretur, vel quæ fiebant per ea, quæ Deo ſacra erant: niſi qui jurabat, aliquid in ſeipſum imprecaretur, ſi non fidem præſtitiſſet [6]. Non ſatis apparet ratio diſcriminis hujus inter jusjurandum per templum, quod non adigebat, & jusjurandum per aurum Templi, quod maxime adigebat. At de facto conſtat, & Dei Filius oſtendit, veritatem hujus diſcriminis apud Phariſæos haberi. Creditur etiam hac in re Sacerdotum, atque Doctorum avaritia interfuiſſe [7]; eorum quippe intererat, ut Religio oblationum templi ſancta haberetur. Videri poſſunt, quæ ſuperius a nobis dicta ſunt in S. Matthæum cap. 5. ℣. 32. & cap. 25 ℣. 5. Jusjurandum, quod per oblationem fiebat, a Judæis *corban* appellabatur [8].

℣. 21. IN EO, QUI HABITAT.] Judæi Templum ſuum, veluti Dei palatium exiſtimabant. Dei Filius oſtendit, cum neque Templum, neque altare, neque donum in ſeipſis aliquid ſint, ſed ſanctitatem, ac meritum hauriant ex eo, cui dicata ſunt, neceſſario inferendum, quicumque earum rerum ſanctitatem contemnit, injuriam inferre illi, ad quem ſpectant: atque hæc juramenta cum cæteris majoribus eſſe enumeranda.

QUI JURAT IN COELO &c.] Philo de Special. Leg. & Origenes l. 6. contra Celſum loquuntur de Judæorum per Cœlum juramento. Ethnici eos in jocum traducebant, quod cœlum, nubeſque [9] venerarentur; fortaſſe eo quod per illa jurare conſueverant. Ethnici etiam, qui ſydera animata eſſe arbitrabantur, eaque veluti numina colebant, per eorum nomina jurabant [10]. Jeſus Chriſtus autem docet, juramentum per Cœlum nihilo obligare minus, quam quod per ipſum Dei nomen concipitur: quoniam Cælum eſt Thronus Dei, & qui Thronum, atque Sceptrum Principis contemnit, Principem ipſum cenſetur contemnere.

℣. 23. QUI DECIMATIS MENTHAM.] Præcipiebat lex [11], ut decimæ perſolverentur tritici, vini, olei, atque animantium, *quæ ſub paſtoris virga tranſeunt*; hoc eſt boum, caprarum, ovium. Judæi Doctores addiderunt eorum omnium, quæ manducantur, quæ reſervantur, quæque terra producit, decimam eſſe offerendam [12]. Attamen non deſunt complures ex illis, qui tenent, ea ſolum, quæ *redditnum* nomine vocantur, decimæ ſubjecta eſſe: at mentha, anethum, aliæque hortenſes herbæ hoc nomine haud continentur. Vide, quæ diximus de decimis in commentarium in Laviticum cap. 27. ℣. 30. Pro *anetho* Syrus, & Hebræus legunt [13] *rusham*.

Dei Filius nequaquam abſolute damnat Judæorum in decimis ſolvendis ſedulitatem; ſed eorum perſtringit vanitatem, atque affectationem in his, quæ lege minime continentur, cum interim ea, quæ magis neceſſaria ſunt, omnino relinquant. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Hæc Jeſu Chriſti exprobratio innuit, Judæos vulgo olerum, herbarumque hortenſium decimas non perſolviſſe. Si enim omnes id præſtitiſſent, cur in Phariſæis tantum hoc mirum fuiſſet? Videtur S. Hieronymus ſupponere Phariſæis perſolutas fuiſſe decimas earum rerum, de quibus modo locuti ſumus, eorumque diligentiam ex propria utilitate fuiſſe profectam [14].

JUDICIUM, MISERICORDIAM, ET FIDEM.] Juſtitiam, & æquitatem in Judiciis; reddere cuicumque ea, quæ

1 Juſtin. Mart. Dial. cum Triph. 2 Vide Cardoſo, Las excellenzias, &c. Et Baſnage, Hiſtoire des Juifs tom. 5. lib. 7. cap. 11. art. 5. 3 Vide Selden. de Synedr. lib. 2. cap. 2. art. 5.
4 Baſnage lib. 7. cap. 8. art. 8. Edit. Paris. 5 Philo de Special. Leg.
6 Vide Grot. hic, & lib. 2. cap. 13. art. 11. de Jure Belli, & Pacis.
7 Vide Hieronym. Theophyl. D. Thom. Grot. 8 Joſeph. lib. 1. contra Appion.
9 Juvenal. Satyr. 14. v. 97. *Nil præter nubes, & cœli numen adorat.*
10 Ariſtophan. Pluto. Act. 1. ſerm. 2. & Act. 2. ſerm. 1. *Νὴ τὸν ἥλιον.*
11 Levit. 27. 30. Deuter. 12. 17. & 14. 23. 12 Talmud. tr. Maaſarot. cap. 1. hal. 1. & Talmud. Sederzeraim Maſſec. Maaſer. 13 Ludovic. de Dieu, hic.
14 Hieron. hic; *Quæ magna ſunt, devoramus, atque negligimus; & opinionem religionis in parvis, quæ lucrum habent, diligentiam demonſtramus.*

ea, quæ debentur ſine perſonarum acceptione. *Miſericordiam*, benevolentiam erga proximum, omnia charitatis officia. *Fidem*, qua ea, quæ promiſſa ſunt, præſtantur, rectitudinem, ſinceritatem, bonam fidem in hac vita, & negotiatione; Fidem in Deum; & in promiſſiones ejus fiduciam. Hæc omnia neceſſaria officia Phariſæi negligebant, cum interim religioſiſſima ſollicitudine reliqua perſequerentur.

℣. 24. EXCOLANTES CULICEM &c.] Adagialis loquendi ratio, quæ innuit ridiculam diligentiam cum enormi negligentia conjunctam. Hoc vere illis exprobrare ſatis conſtat; dummodo attendas, quo pacto cum Jeſu Chriſto agant Phariſæi; perſequuntur, accuſant, Cruci damnari cupiunt Jeſum Chriſtum, non aliam prætexentes cauſam, quam quod ægrotos curans, Sabbathum violaret, petentes vero, ut ſeditioſus, & nequiſſimus homo, atque ſicarius ſalutari littera dimittatur. Barabbam præferunt Jeſu Chriſto [1].

℣. 25. PLENI ESTIS RAPINA, ET IMMUNDITIA.] Inquinati turpi, ac ſordida avaritia, & alio quovis interiorum facinorum genere. Invidia, ſuperbia, odium, ambitio in vos dominantur. Plurimi Græci MSS. [2] Vulgatæ ſimiles ſunt; ſed typis editi legunt [3]: pleni eſtis rapina, atque intemperantia.

℣. 27. SIMILES ESTIS SEPULCHRIS DEALBATIS.] Extrinſecus nihil non ſpecioſum, & pulchrum præfertis; intrinſecus vero lue, ac tabo diffluitis. JESUS CHRISTUS alludit ad vulgatam Judæorum conſuetudinem. Ne quis pollueretur, mortuorum ſepulchra attingens, vel præter mentem ſuper eadem tranſiens, illa extrinſecus dealbabant [4], ut eminus diſtingui poſſent. Super hos tumulos ſtatuebantur lapides, columnæ, aliave ſigna, ut qui prætergrederentur, procul viſa evitarent. Hæc ſepulchra non ideo magis erant munda, ſed intra ſe non aliud niſi maciem, atque pus continebant. Tales erant Phariſæi coram hominibus frugi, ac ſancti, intrinſecus vero fœdiſſime corrupti. Quod iſthic Salvator ait, probat non in rupibus, ac in montium antris dumtaxat, cadavera tumulari conſueviſſe, verum etiam humi, & ſecus vias. Non immutabimur autem iſthic S. Lucam [5] cum S. Mateo conciliatori, nobis enim perſuaſum eſt a S. Luca referri JESU CHRISTI ſermonem alium ab eo, quem Sanctus Matthæus enarrat.

℣. 29. ÆDIFICATIS SEPULCHRA PROPHETARUM.] Hebræi ſemper ſumma cura mortuorum tumulos ædificarunt. De captivitate reverſi operam ſuam impenderunt, ut antiqua monumenta repararent, exornarentque. Hinc Salvatoris, atque deinde Sancti Hieronymi ævo tot in Palæſtina viſa fuerunt ſepulchra, quæ vetera quidem erant, ſed inſtaurata, vel in veterum loco reædificata. Prophetis autem, ac Juſtis ſepulchra ponere, eorum a quibus cæſi fuerant crudelitatem deteſtari, bonum erat, & laude dignum. Non id ergo in Phariſæis corripit JESUS CHRISTUS, ſed eos redarguit, quod patrum ſuorum exempla ſequantur, Juſtos, ſanctoſque viros perſequentes. Nequicquam dicitis vos non imitari patrum veſtrorum ſævitiam; fruſtra pietatem, atque obſervantiam erga Prophetas jactitatis. Pertinacia veſtra, invidia, impotentia ſatis, ſuperque probant, vos eſſe veros filios, ac nimis fideles imitatores eorum virorum ſanguinis, unde originem duxiſtis. ℣. 31. *teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt.*

℣. 32. IMPLETE MENSURAM PATRUM VESTRORUM.] Non ſemper punit Deus ſcelera ſtatim, ac patrata fuerunt; patientia illius peccatorem ad pœnitentiam expectat, neque iram ſuam depromit tum præſertim, cum natio aliqua punienda eſt, niſi cum illius ſcelera ad cumulum pervaſerint. Judæi a Moyſe ad JESUM CHRISTUM ſemper Domino rebelles fuerant, illius vocem contempſerant, Prophetas perſequuti fuerant, contumeliis exceperant, occiderant. Subinde in illos animadvertebat Deus, ut ad officium revocaret. Verum tunc tandem penitus illos in æternum ex patrio ſolo ejecit, exterminavitque, cum demum Meſſiæ cæde menſuræ iniquitatum Patrum ſuorum cumulum addiderunt; ea quippe omnis iniquitatis fuit conſummatio, ac maximum illorum pertinaciæ facinus.

℣. 34. ECCE EGO MITTO AD VOS PROPHETAS.] Videbat JESUS CHRISTUS nequitiam cordis Judæorum, ſciebat futurum, ut in Apoſtolos, ac Diſcipulos ſuos illi deſævirent, non ſecus ac majores ipſorum in Prophetas, & Juſtos, qui in Dei nomine ad eos loquuti fuerant. Ubique Apoſtolos perſequuti ſunt, qui vere erant Prophetæ; occiderunt S. Jacobum, lapidibus obruerunt S. Stephanum, in carcerem conjecerunt S. Petrum: ut verbo me expediam, nihil intentatum reliquerunt, ut Evangelium via natum de medio tollerent, & vel per ſe, vel per alios, eos omnes perderent, qui JESU CHRISTI nomen profiterentur.

℣. 35. UT VENIAT SUPER VOS OMNIS SANGUIS JUSTUS &c.] Ubi meum & Apoſtolorum meorum ſanguinem effuderitis, tunc repleta erit menſura ſcelerum veſtrorum, ac pœnas depoſcam ſimul ſanguinis tot Juſtorum a vobis effuſi, a ſanguine Abel ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ. At cur eam a ſanguine Abel? Hebræorum natio proprie tum ſolum inſtituta fuit, cum ex Ægypto egreſſa eſt; num ergo rationem redditurа eſt ſanguinis Abel, aliorumque Juſtorum, quem minime effudit? Reſpondemus, neque Abel, neque Juſtorum aliorum mortem, qui ante Hebræorum tempus cæſi fuerunt, illis vitio verti poſſe: Deus juſtus eſt, neque illis adſcribet facta ea, quæ non fecerint. Verum nullum in mundo facinus a cæde Abel, uſque ad Jeroſolymitanum excidium in terris accidit, cujus non inveniantur in natione Judæorum exempla. Cain, ut ita dicam, illorum eſt Patriarcha: *Væ illis, qui in viam Cain abierunt* Jud. ℣. 11. Dæmon, qui ab initio homicida eſt, pater illorum [6] eſt. Hi quodammodo in nationem ſuam collegerunt, atque in caput ſuum converterunt omnem ſanguinem, ab ipſis uſque terrarum primordiis effuſum, quadam tacita approbationis ſpecie, qua interfectorem probarunt, illum imitati, non ab illius exemplo recedentes [7].

Vel; ultio, quam exercebit Dominus in crudelem gentem hanc, tanta erit, ut videri poſſit ira Dei ex illis pœnas expoſcere velle omnium cædium, quæ in terris patratæ fuerunt ab Abel a Cain cæſo, uſque ad Jeroſolymitanum excidium; quin tamen ſeveritas juſtam, quæ illis debetur, pœnam excedat [8].

Quæritur, quinam hic ſit Zacharias Barachiæ filius, qui a Salvatore memoratur, tamquam noviſſimus Juſtorum a Judæis interfectorum, cæſus templum inter, & altare; hoc eſt, inter altare holocauſtorum, & Sancti introitum. Credunt quidam [9], hunc eſſe Zachariam Jojadæ filium, qui a Joas Rege in Templi atrio interfectus fuit, quemadmodum perſpicuis verbis docet Scriptura 2. Par. 24. 21. Sententiæ huic potiſſimum favet circumſtantia hæc, quam poſtremo Dei Filius exaggerat; verum Jojadæ nomen, quo Zachariæ pater appellabatur, negotium faceſſit. Verum dicunt, Jojadam, Barachiam etiam fuiſſe vocatum, cujus rei tamen nullum afferunt argumentum. Verum eſt, Nazaræorum Evangelium [10] legiſſe *Zachariam Jojadæ filium*, pro *Barachiæ*. At nonne hæc textus erat caſtigatio, vel potius corruptio?

Tenent alii [11], Zachariam Barachiæ filium noviſſimum eſſe ex duodecim Prophetis. Barachiæ nomen illi perfecte convenit, ille poſtremus eſt Prophetarum, quos

---

1 Vide Auguſt. Serm. 106. num. 1. nov. Edit. 2 Vide Mill. Var. Lect. hic. Γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς, καὶ ἀδικίας. 3 Γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς, καὶ ἀκρασίας. 4 Adnotatur, quod ſingulis annis die 15. Februarii rurſum dealbabantur. Vide Ligfoot in hunc locum. 5 Luc. 11. 42.
6 Joan. 8. 44. 7 Vide Chryſoſtom. Theophylact. Author Oper. imperf. & Hieronym. Beda, & Maldonat. hic. 8 Cajet. Gros. Gerhard. Le Clerc, Simon.
9 Hieronym. Beda, Maldonat. Le Clerc, alii plures. 10 Apud Hieronym. hic.
11 Sanct. ad Zach. 1. verſ. 1. n. 9. Natal. Alex. hic, & in Diſſert. 6. Ætat. 6. V. T. Strabus hic.

Digitized by Google

quos agnoverint Judæi; & hic nomenclaturam concinnavit juſtorum, quos ab Abel ad ſe uſque fuerunt perſecuti. Verum nullibi teſtantur Biblia, Prophetam hunc violenta nece interemptum, neque in Templo inter altare holocauſtorum, & aditum Sancti cæſum fuiſſe.

Veteres complures docuere [1], Zachariam Barachiæ filium S. Johannis Patrem fuiſſe, quem ab Herode in Templo cæſum dicunt; eo quod parvulum S. Johannem principia illius furori ſubtraxiſſet, cum ille impia cæde omnes in Bethlehem infantes juſſit occidi; vel quem ferunt a Sacerdotibus enecatum, quod aſſerebat, Sanctam Virginem, cum nullam Virginitatis jacturam fuiſſet paſſa concipiens, atque pariens JESUM CHRISTUM, prohibendum non eſſe, quo minus in Templo cum Virginibus priorem locum teneret; vel denique, quod Judæis JESU CHRISTI, tamquam Meſſiæ, adventum annunciabat. Verum hæc omnia quorumdam apocryphorum librorum teſtimonio innituntur, qui nullam in Eccleſia auctoritatem conſecuti ſunt. Nos fallit & nomen Patris Zachariæ, qui Pater fuit S. Johannis, & tempus, & genus, & cauſa mortis ejuſdem.

Alius quoque occurrit [2] Zacharias, Barachiæ filius, qui eſſe poteſt ille, de quo hic loquitur JESUS. Zacharias hic Propheta erat, vel Videns [3], qui Oſia, & Achaz in Juda regnantibus vivebat, & cui Iſajas [4] Dei juſſu, tamquam teſti fideli, communicavit Prophetiam, quam ſcripſerat, & in qua pollicebatur illi Deus nativitatem filii, qui pignus, & ſymbolum liberationis Juda eſſet futurus. Verum Zacharias hic Iſajæ coævus, idem ne eſt, ac ille, qui ſub Oſia degebat, & qui Regi adfuit a conſiliis? Hoc dubitatione non caret: Oſias duos & quinquaginta regnavit annos, Joathan ſexdecim, & Achaz tunc regnare cœperat, cum Iſajas protulit prophetiam, cujus teſtem Zachariam Barachiæ filium aſſumpſit. Ad hæc Propheta ille cæſus ne fuit Templum inter, atque altare? Hoc ipſum non minoribus, quam reliqua difficultatibus obnoxium eſt.

Recentiores non pauci [5], tenent, poſtremum hunc Juſtum, quem a Judæis occiſum exprobrat JESUS CHRISTUS, eſſe *Zachariæ filium Baruch*, de quo Joſephus verba facit, & qui latis diu poſt Domini Reſurrectionem cæſus fuit, paulo antequam Ieroſolyma a Romanis caperetur. Dei Filius iſthic prophetice loquitur: præteritum pro futuro uſurpat. Prædicit hujus viri mortem, qui, Ioſepho l. 5. c. 8. de Bello teſte, inter civitatis illius ampliſſimos homines enitebat, & qui vitium odiſſe, ac patriæ ſuæ libertatem adamare, profitebatur. Ejus juſtitia, & opes illum in invidiam apud Zelotes arripuerant, qui colorem aliquem perquirentes, ut illum & bonis, & vita exuerent, cum accuſarunt coram ſeptuaginta Judicibus, quos ipſi ex plebeculæ fæce collegerunt, quaſi Romanis urbem tradere voluiſſet. Zacharias haud difficile hanc calumniam evertit, ac videns ſibi interitum parari, ac de ſe jam actum, illos alloquutus eſt liberrime, eiſque omnes illorum injuſtitias, & ſcelera exprobravit. Zelotes vero ad finem uſque judicii aliquam ſpeciem quoquo modo tueri cupientes, coegerunt Judices, ut ſententiam ferrent. Tulerunt illi, atque Zachariam innocentem declararunt; ſed infenſiſſimi ejus inimici furore rapti, atque dementes, arreptum Zachariam in Templo enecarunt.

Non deeſt ſingularis circumſtantia, quæ magnum ſententiæ huic pondus affert: hoc eſt, Dei filium Judæis excidium minitantem illis polliceri ſe miſſurum ad eos ſapientes, atque Prophetas, quos illi male mulctabunt, conviciis obruent, necabuntque; ita ut univerſus ſanguis juſtus a ſanguine Abel ad ſanguinem

A Zachariæ filium Barachiæ, in illos relabatur. Igitur juxta Salvatoris mentem, complecti oportet juſtos omnes, qui ab ipſis terrarum originibus, non ſolum uſque ad mortem, ac paſſionem ipſius, verum etiam ad Apoſtolorum, Diſcipulorumque ſuorum cædem necati fuerunt. Porro quodcumque aliud ſiſtema ſectari velis, ſive illud de Zacharia Jojadæ filio, vel duodecimo minorum Prophetarum, vel Joannis Baptiſtæ patre, vel Zacharia, quem Iſajas, Achaz ævo, teſtem aſſumpſit, hoc intelligere placeat, maximum ſemper reliquum erit temporis ſpatium, quod JESU CHRISTI minis minime continetur. Sin autem poſtremum hunc Zachariam intellexeris, nullum non invenies characterem, qui ad prophetiam hanc explendam requiratur [1]. 1. Nomen: *Zacharias filius Baruch*, vel *Barachiæ*; hæc

B enim eadem ſunt nomina, cum Hebræi in propriorum nominum fine, Dei (*Jah*) nomen, apponere conſueverint. 2. locus: *in medio templi*. 3. tempus, paulo antequam Templum exſcinderetur, atque diſpergerentur Judæi, qui finis eſt minatum, iſthic a Dei Filio portentatarum. Verum eſt, neque Joſephum, neque Scriptores Eccleſiaſticos aſſerere Baruch Zachariæ filium Chriſtianum fuiſſe, atque Sacro Baptiſmate ablutum, & liquet, in Synagoga incredula nullam amplius veram fuiſſe juſtitiam. Verum cum ille omnem odiſſet injuſtitiam, & zelo ſucceſus eſſet ob Patriæ libertatem, quemadmodum Joſephus de Bello l. 4. c. 19 teſtatur, non infirmum argumentum eſt, quo ſteti aſſerere poſſimus, etiam Chriſtianum fuiſſe, cum Spiritus Sanctus poſt Salvatoris deceſſum penitus a Synagoga receſſerit. Jo-

C ſephus non ſecernebat Chriſtianos judaizantes ab aliis Judæis. Verba facit de S. Jacobo Minore, tamquam de ſimplici Judæo juſto, ac bono [6]. Hoc ipſum fortaſſe de Zacharia filio Baruch [7] dicendum eſt. Cæterum putat Origenes, Zachariæ filii Barachiæ hiſtoriam in Scripturis canonicis non eſſe quærendam, ſed in aliis monumentis minus authenticis, quibus tamen novum auctoritatis gradum Filius Dei ea proferens impertiebatur.

℣. 36. VENIENT HÆC OMNIA SUPER GENERATIONEM ISTAM.] Mala, quæ vobis portendo, non procul abſunt: in eos ipſos, qui hodie vivunt, irruent; quadraginta non elabentur anni, cum jam ea ad litteræ apicem in Jeroſolymam, ac Jeroſolymitanos expleta videbuntur. Nec deerunt ex illis, qui me eloquentem

D audiunt, eorum malorum teſtes. Hoc reipſa in noviſſimo Romanorum bello contra Judæos bellato accidit, Æræ vulgaris anno 70. poſt JESU CHRISTI mortem circiter quadrageſimo.

℣. 37. QUOTIES VOLUI CONGREGARE FILIOS TUOS &c.] Hæc ad Synagogam. Ego quidquid in me erat, conatus ſum, ut te ad pœnitentiam revocarem. Miſi Prophetas, Apoſtolos, Evangelii mei præcones; illis vero aures negaſti. Ego ipſe acceſſi, tu autem me ejeciſti, & contumeliis affeciſti; contempſiſti præcepta mea, obtruxiſti oculos, ne videres miracula, quæ in medio tui operatus ſum, cordis tui aures interiori voci meæ, qua appellabaris, præcluſiſti, obſtitiſti gratiæ meæ, qua excitabaris, & quæ talis fuiſſet, ut ad officium reverteteris, niſi mordicus in pertinacia tua occaleſcere voluiſſes [8]: *& noluiſti*. Confer Prov. cap. 1.

E verſ. 24. Iſai. cap. 65. ℣. 12. cap. 66. verſ. 4. Jerem. cap. 7. verſ. 13. 14. Ezech. cap. 24. verſ. 13. S. Auguſtinus hic adnotat [9], abſolutam, atque Omnipotentem Dei voluntatem ſemper compleri, quin homo adverſari valeat. Extra omnem dubitationem poſitum eſt, Jeruſalem nihil intentatum reliquiſſe, prohibituram, ne JESUS ſub alas ſuas advocaret filios, quos morti eripere meditabatur. Sed hoc etiam certum eſt, invita Jeroſoſoly-

1 Origen. Chryſoſtom. in Matth. Baſil. homil. de human. Chriſt gener. Theophylact. et Euthym. in hunc loc. Baron. Tertull. Scorpiac. Petr. Alex. Epiphan. etc. Ex Protevangel. Jacobi.
2 Martianæus in notis in hunc S. Matthæi locum.
3 2. Par. 26. 5.
4 Iſai. 8. 2.
5 Grot. Hammond. L'Emper. Ludov. de Dieu in S. Matth. Tillemont. tit. 1. des Emper. art. 54. Vide quoque Janſ. in hunc locum.
6 Joſeph. Antiq. lib. 20. cap. 8.
7 Origen. tom. in Matth. 11. Edit. Huet.
8 Vide Maldonat. hic. Brug. Grot.
9 Auguſt. lib. 1. Oper. noviſſimi contra Julianum. Natal. Alex. et Janſ. hic.

ſolyma, ipſum congregaſſe quoſcumque voluit: *Sicut certum eſt Jeruſalem filios ſuos ab illo colligi voluiſſe; ita certum eſt etiam, illa nolente, quoſcumque horum voluit, collegiſſe.*

℣. 38. ECCE RELINQUETUR VOBIS DOMUS VESTRA DESERTA.] Templum veſtrum [1], quod fiduciæ veſtræ maximum eſt argumentum, delebitur, & ſubvertetur. Civitas veſtra [2], de qua gloriamini, vaſtabitur, atque in rudeſibus jacebit. Ieroſolyma tamquam Judæorum omnium, cujuſcumque regionis eſſent, Metropolis ferebatur. Denique Synagoga omnis [3] abjicietur, & reprobabitur; hæc autem omnia intra breviſſimum temporis intervallum.

℣. 39. NON ME VIDEBITIS AMODO.] Ego vos deſero, & relinquo in voluntaria, ac pertinaci cæcitate veſtra, me non invenietis ultra, neque videbitis niſi in altero adventu meo; tunc me agnoſcetis, & clamabitis, *benedictus, qui venit in nomine Domini*, atque victi ſuperiori lumine, cui reſiſtere non valebitis, congemini adorare me, ac verum Meſſiam confiteri. Omnes Veteres hoc [4] de altero filii Dei adventu vulgo interpretantur; hæc dicta fuerunt in Templo feria 4. ante JESU CHRISTI paſſionem, cum duo tantum vitæ dies illi ſupereſſent.

Grotius hoc intelligit de noviſſimis malis, quæ Iudæis erant intentata. Intra paucos annos iis malis obruemini, ex quibus cupietis emergere, dicentes: *benedictus, qui venit in nomine Domini.* Sed tempus non erit ultra. Sermonis decurſus oſtendit, Salvatoris minas proximum tempus reſpicere. Hoc verum eſt; ſed inter Ieroſolymitani excidii prædictiones, quædam ſubinde immiſcet ad noviſſimum Judicium pertinentia.

---

1 Hieronym. Theophylact. Euthym. alii plerique. Vide Jerem. 7. 4.
2 Beda, Grot. Cleric. Brug. Maldonat. 3 Ambroſ. in Pſalm. 91.
4 Chryſoſtom. Euthym. Theophylact. Hieronym. Auth. Oper. imperf. Maldon. alii.

CAPUT XXIV.

Prædictiones excidii Jeroſolymæ, ac Templi. Portenta, quæ ſecundum JESU CHRISTI adventum, noviſſimumque Judicium præcedent.

1. ET egreſſus Jeſus de templo, ibat. Et acceſſerunt diſcipuli ejus, ut oſtenderent
ei ædificationes templi. 2 Ipſe autem reſpondens dixit illis: Videtis hæc o-
mnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non de-
ſtruatur. 3 Sedente autem eo ſuper montem oliveti, acceſſerunt ad eum diſcipuli ſe-
creto, dicentes: Dic nobis, quando hæc eruor? & quod ſignum adventus tui, & con-
ſummationis ſæculi? 4 Et reſpondens Jeſus, dixit eis: Videte, ne quis vos ſeducat.
5 Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus: & multos ſedu-
cent. 6 Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum. Videte, ne turbemini;
oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis. 7 Conſurget enim gens in gentem, &
regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. 8 Hæc
autem omnia initia ſunt dolorum. 9 Tunc tradent vos in tribulationem, & occident
vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. 10 Et tunc ſcandaliza-
buntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem. 11 Et multi pſeudo-
prophetæ ſurgent, & ſeducent multos. 12 Et quoniam abundavit iniquitas, re-
frigeſcet charitas multorum. 13 Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus
erit. 14 Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium om-
nibus gentibus; & tunc veniet conſummatio. 15 Cum ergo videritis abominationem
deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, in-
telligat: 16 Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes: 17 Et qui in tecto, non
deſcendat tollere aliquid de domo ſua: 18 Et qui in agro, non revertatur tollere
tunicam ſuam. 19 Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. 20 O-
rate autem, ut non fiat fuga veſtra in hyeme, vel ſabbato. 21 Erit enim tunc tribu-
latio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modo, neque fiet. 22 Et niſi
breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabun-
tur dies illi. 23 Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite
credere. 24 Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna ma-
gna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. 25 Ec-
ce prædixi vobis. 26 Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire: ec-
ce in penetralibus, nolite credere. 27 Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret
uſque in Occidentem: ita erit & adventus Filii hominis. 28 Ubicumque fuerit cor-
pus, illic congregabuntur & aquilæ. 29 Statim autem poſt tribulationem dierum il-
lorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & vir-
tutes cœlorum commovebuntur: 30 Et tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo: &

tunc

tunc plangent omnes tribus terræ : & videbunt Filium hominis venientem in nubibus
cœli cum virtute multa, & majeſtate. 31 Et mittet angelos ſuos cum tuba, & voce
magna : & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a ſummis cœlorum uſque ad
terminos eorum. 32 Ab arbore autem fici diſcite parabolam : cum jam ramus ejus te-
ner fuerit, & folia nata, ſcitis, quia prope eſt æſtas : 33 Ita & vos, cum videritis
hæc omnia, ſcitote, quia prope eſt in januis. 34 Amen dico vobis, quia non præ-
teribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. 35 Cœlum, & terra tranſibunt, ver-
ba autem mea non præteribunt. 36 De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque an-
geli cœlorum, niſi ſolus Pater. 37 Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus
Filii hominis. 38 Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes,
nubentes, & nuptui tradentes, uſque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, 39
Et non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes : ita erit & adventus Filii
hominis. 40 Tunc duo erunt in agro : unus aſſumetur, & unus relinquetur. 41 Duæ
molentes in mola : una aſſumetur, & una relinquetur. 42 Vigilate ergo, quia neſci-
tis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. 43 Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret
paterfamilias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non fineret perfodi do-
mum ſuam. 44 Ideo & vos eſtote parati : quia qua neſcitis hora Filius hominis ven-
turus eſt. 45 Quis, putas, eſt fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit dominus
ſuus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore? 46 Beatus ille ſervus,
quem cum venerit dominus ejus, invenerit ſic facientem. 47 Amen dico vobis, quo-
niam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. 48 Si autem dixerit malus ſervus ille in
corde ſuo : Moram facit dominus meus venire : 49 Et cæperit percutere conſervos
ſuos, manducet autem, & bibat cum ebrioſis : 50 Veniet dominus ſervi illius : in
die, qua non ſperat, & hora, qua ignorat : 51 Et dividet eum, partemque ejus
ponet cum hypocritis. Illic erit fletus, & ſtridor dentium.

A ℣. 1. EGRESSUS JESUS DE TEMPLO.] Sub veſperam feriæ 4. ante Paſſionem ſuam, JESUS CHRISTUS de Templo egreſſus eſt, ut ſe ad montem Olivarum conferret, ubi eam noctem tranſigeret [1]. Egredienti autem de Templo, Apoſtoli oſtenderunt ſuperbi illius ædificii magnitudinem, atque magnificentiam.

℣. 2. NON RELINQUETUR HIC LAPIS SUPER LAPIDEM.] Propheria hæc ad ongoem adimpleta fuit poſt Salvatoris mortem, quæ biduo accidit; poſtquam illa fuerat prolara, Romani funditus adeo Templum everterunt, ut illac aratrum immiſerint. Hoc Judæi ſæpius in libris ſuis narrant [2], quemdam Turnum Rufum, qui plane idem eſt, ac Terentius Rufus a Tito Judææ Præfectus [3], ad litteram adimpleſſe ea, quæ jampridem a Michæa 3. 12. & a Jeremia 26. 18. fuerant prædicta : *Sion quaſi ager arabitur*. Attamen Romani non omnia ingentis hujus ædificii fundamenta ſtirpitus convulſerunt; ideoque reſtabat aliquid adhue ad JESU CHRISTI prædictionem ad litteram ſumptam, adimplendam. Sed Julianus Imperator, licet invitus, locum præbuit, ut illa preſſius omnino compleretur. Cum enim ab illo facultatem impetraſſent Judæi Jeroſolymitani Templi a fundamentis excitandi; penitus evulſerunt quidquid e veteribus fundamentis reliquum erat, ut his ruderibus, ac cœmentis in recentis ædificii ſubſtructione uterentur. Verum cœptis eorum non arriſit Cœlum : flammarum enim turbines e fundamentis ipſis erumpentes omnes amoverunt cœmentarios, ideoque re infecta ab incepto deſiſtere coacti ſunt, cum ſolum ea, quæ de antiquo Templo remanſerant, funditus eruiſſent [4]. C

℣. 3. SEDENTE EO SUPER MONTEM OLIVETI.] JESUS de Templo egreſſus in Vallem Cedron ſe contulit, atque montem olivarum aſcendit; e regione Templi, quo oraturus ſecedere conſueverat. Cum illic autem ſederet, e conſpectu Templi, & ad Orientem ejuſdem, acceſſit unus ex Diſcipulis ejus, ut [5] ex eo peteret, quæ iſthic ſignuntur. Cum autem hunc cæteri ſubſequerentur Apoſtoli, ac ille pro omnibus loqueretus, Sanctus Matthæus ait, ſimul omnes hoc perconſatos fuiſſe.

B Apoſtoli, uti liquet ex omnibus eorum interrogationibus, atque vivendi genere, nondum exuerant ideas, quas ex Judæis Doctoribus de futuro Meſſiæ Regno ſemel imbiberant. Quidquid illis JESUS CHRISTUS ajebat, ſuadebat iiſdem, Regnum illius non procul eſſe, Credebant autem, antequam ille ſe ſe penitus proderet, & pacato frueretur imperio, ſeditiones quidem, ac bella futura; ſed ſperabant, eorum omnium finem futurum eſſe Regnum temporale : etſi JESUS CHRISTUS humanis deceſſiſſet, quemadmodum toties prædixerat, illum ejus reſurrecturum, ac tum Regnum illius in Jeruſalem, & Juda incœpturum [6]. Quæ nuperrime illis de Templi excidio prædixerat, ænigma videbantur : Templum enim æternitati ecævum ſperabant futurum [7]. Arbitrari tamen poterant, JESUM CHRISTUM per Reſurrectionem ſuam illum ex ruderibus inſtauraturum eſſe ſpecioſius, quam antea, & quod in omnia ſæcula permaneret.

Ex eo igitur quærunt, quod ſignum erit adventus illius? Triplicem JESU CHRISTI adventum memorat Scriptura. Primum in Incarnatione illius; alterum in ultione contra Jeruſalem, atque Judæos [8]; tertium vero in extremo Judicio, cum accedet, viventes ſimul, ac mortuos judicaturus [9], & cuilibet ſecundum opera ſingulorum redditurus. *Sæculi conſummatio* duplicem ſenſum poteſt admittere : priorem, cum Judæi diſſipati erunt, direpti, exterminati, & Lex Moyſis,
quoad

1 Matth. 26. 6. Marc. 14. 3. 2 Vide Ligfoot Hor. Hebr. Druſ. Maimon. Taanith. c. 5.
3 Joſeph. de Bello lib. 7. cap. 7. 4 Vide Ammian. Marcell. l. 23. Socrat. lib. 3. cap. 2. Sozomen. Ambroſ. Ep. ad Theodor. Chryſoſt. Orat. 2. & 3. contra Jud. Nazianz. Orat. 2. contra Julian.
5 Marc. 13. 1. 6 Vide Act. 1. 6. *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues Regnum Iſrael.*
7 2. Par. 6. 1. 8 Jac. 5. 7. 8. Vide Matth. 24. 13. 16. 23. 24. 32. 33. 34.
9 1. Cor. 15. 23. 27. *Unuſquiſque in ſuo ordine. Primitiæ, Chriſtus; deinde ii qui ſunt Chriſti, qui in adventu ejus crediderunt. Deinde finis &c.* Et 1. Theſſal. c. 8. 2. 3. 4.

quoad ceremonias, abrogata, & antiquata; quod accidit poſt bellum noviſſime a Romanis illatum, & omnibus in oaſis, quibus deinceps fuerunt affecti. Alterum eum præſens interibit Mundus, & Deus novam terram, novoſque cœlos efficiet [1]. Dei Filius in hoc ſermone univerſo miſcet ea, quæ ſecundum adventum reſpiciunt, hoc eſt ultionem contra Judæos ab illo exercendam, cum iis, quæ in tertio ſub mundi finem, & in Judicio univerſali contingent. Prophetias ſuas quodam caliginis involucro abditas relinquit iis in verbis, quibus utitur, ſciens, ubi ſemel prophetiæ pars ad litteram in Templi, ac Jeroſolymæ excidio fuerit adimpleta, eamdem futuram explicationis loco figuratis locutionibus, quæ terrarum finem reſpiciunt [2]: cum prior eventus figura ſit, atque promiſſio alterius. Tria igitur iſthic diſtinguenda ſunt: primum, JESU CHRISTI Regnum, ejuſque Eccleſiæ inſtitutio: alterum ſevera incredulorum Judæorum punitio, & Fidelium, vel Electorum liberatio; tertium poſtremus adventus, & univerſale Judicium.

Grotius, Ligfoot, Hammondius, aliique nonnulli, hæc omnia de Meſſiæ Regno in Eccleſiæ inſtitutione, ac Jeroſolymæ excidio interpretantur. Senſus hic ad litteram magis videtur accedere; ſed in Sanctorum Matthæi, Lucæ [3], & Marci [4] textibus non deſunt locutiones, quæ preſſius ſumptæ ad aliqoid Judæorum diſperſione majus nos adducere videntur, & quæ ad litteræ apicem nonniſi in noviſſimo Judicio adimplebuntur. Figurate vero explicantur in hiſtoria Romani belli contra Judæos.

Plerique veterum Patrum [5] crediderunt, hæc omnia mundi finem ac extremum judicium reſpicere. S. Johannes Chryſoſtomus, Theophylactus, & Euthymius in hunc locum, univerſum hoc caput uſque ad ℣. 23. de Jeroſolymitano excidio, reliquum vero de noviſſimo judicio interpretantur. S. Auguſtinus ep. olim 60. nunc 199. c. 9. S. Hieronymus, & Beda hic, quos recentiores complures ſectantur, credunt, inſignes duos hoſce eventus ſimul iſthic eſſe commixtos, atque textum in ſeipſo examinandum, ut judicetur, utro ſit in ſenſu intelligendus.

℣. 5. MULTI VENIENT IN NOMINE MEO DICENTES: EGO SUM CHRISTUS.] Multi venerunt & ante, & poſt Jeroſolymitanum excidium, & plurimi venient, adhuc ante mundi finem. Gamaliel meminit Theudæ cujuſdam, qui ſe aliquid ſuper hominem eſſe jactitans, quadringentos ſeduxit e plebe; verum occiſus fuit cum his omnibus, qui illum fuerant ſecuti [6]. Alter etiam ejuſdem nominis adfuit, ſub regimine Cuſpii Fadi, qui Judæis ſpopondit, ſe in eorum gratiam inſtauraturum miraculum diviſionis aquarum Jordanis. Populus os ſibi ſubliniri paſſus, illi adhæſit; ſed Fadus eos ad unum trucidavit, captumque Theudam enecavit [7]. In hoc numero haberi poteſt Simon Magus, qui ſe magnam Dei virtutem eſſe gloriabatur, & qui præſtigiis ſuis diu populos feſellit [8]. Cum Felix ei Provinciæ præeſſet, Ægyptius prodiit [9] qui cum triginta hominum millia collegiſſet in monte Olivarum, illis ſpopondit, ſe verbo Jeroſolymitana mœnia everſurum. Alius quoque, Præſide Porcio Feſto, inſurrexit, qui plurimas in ſolitudinem ſecum turbas deduxit, ubi illis a quovis pœnarum genere impunitatem pollicebatur [10]. Poſt Urbis, Templique excidium *Bar-KoKeba* [11] vel Stellæ filius, ſe ſe jactitavit ſtellam Jacob, de qua in Numeris eſt ſermo [12]. Alii etiam nonnulli ſubinde prodierunt, quos iſthic referre immenſi operis eſſet, ac laboris. Eos ſolum dixiſſe ſufficiat, qui ante dirutum templum apparuerunt. Paulo poſt, videlicet ſub annum ſextum & nonageſimum JESU CHRISTI, cum S. Johannes priorem Epiſtolam ſuam conſcriberet, multi erant in mundo *Antichriſti*, hoc eſt vel Pſeodo-Chriſti, vel JESU CHRISTI adverſarii. *Nunc Antichriſti multi facti ſunt, unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt*, 1. Joan. 2. 18.

℣. 6. AUDITURI ENIM ESTIS PRÆLIA.] Bellum Judæis illatum a Veſpaſiano, ac Tito, complures in Provincia tumultus præceſſerunt. Judææ Præſides ſævitia ſua calamitoſam hanc adeo irritarunt gentem, ut tandem defectio, & bellum ubicumque exarſerint [13]. Ita peculiares defectiones, latrones, ac fures, quibus ea Regio maxime abundabat, non aliud erant, quam majorum malorum, quæ illos manebant, præludia, quemadmodum Salvator ipſe teſtatur. ℣. 8. *hæc omnia initia ſunt dolorum*.

℣. 7. CONSURGET ENIM GENS IN GENTEM ET REGNUM ADVERSUS REGNUM.] Samaritani, Syri, Romani non ſemel cum Judæis bella geſſerunt. Judæi quoque non ſemel pluribus in regionis ſuæ locis contra Romanos rebellarunt. Hebræorum hoſtes illos adorti ſunt, eoſque necarunt variis in Civitatibus, Cæſaræa, Scythopoli, Ptolemaide, Tyri &c. [14]. Cum Fadus provinciæ Præſſes, Judæi, qui trans Jordanem incolebant, cum illis, qui Philadelphiæ commorabantur, de limitibus decertarunt: cum præeſſet vero Cumanus, Judæi, & Galilæi Samaritanis bellum intulerunt. Variæ hæc Judæorum partes tamquam exigua Regna habebantur. Hæc etiam intelligi ad litteram poſſunt de turbis, quæ in Romanorum Imperio poſt Neronis obitum, Othonem inter, & Vitellium, Vitellium inter & Veſpaſianum, obortæ ſunt.

PESTILENTIÆ & FAMES.] Fames plerumque bellum ſubſequitur, & peſtis, ut plurimum, famem excipit. De graviſſima fame in Apoſtolorum Actis verba ſunt [15]: & S. Paulus in Græcia collectam procuravit, ut fidelibus Palæſtinæ laborantibus opem ferret [16]: quæ eadem fortaſſe fames eſt, de qua Joſephus loquitur, Fado Præſide [17]. Eam vero annonæ charitatem, qua Jeroſolymæ in noviſſima ſub Tito obſidione fuerit laboratum, nemo unus ignorat.

TERRÆMOTUS PER LOCA.] Ex Judæorum hiſtoria nullum ſupereſt monumentum terræmotuum, qui in Judæa iis temporibus acciderint: at plurima in Aſia minori, atque inſulis Archipelagi, imperantibus Claudio, & Nerone, contigerunt [18]. Antiqui hos terræmotus tanquam funeſtiſſima portenta reſpiciebant [19]. *Non ſimplex malum, aut in ipſo metu tantum periculum eſt, ſed par, aut majus oſtentum*. Hi ſane graviſſimam inſerebant calamitatem his provinciis, atque urbibus, ubi accidiſſent. Non defuere plurimæ Civitates ſubverſæ, ac ingentes calamitoſorum virorum multitudines terræmotibus oppreſſæ.

℣. 9. TUNC TRADENT VOS IN TRIBULATIONEM.] Chriſtiana Religio inter perſecutiones nata eſt: Judæi quocumque terrarum miſerunt epiſtolas [20], ut ubique omnes Chriſtianos perſequerentur. S. Paulus etiam, antequam Religioni Chriſtianæ nomen daret, ex iis fuit, qui impenſius Chriſtianum nomen perſequebantur [21]. Apoſtolorum Acta, & S. Pauli Epiſtolæ ubique ſcatent iis tribulationibus, quæ Chriſtianis ferendæ fuerunt. Svetonius in Nerone, & Tacitus Annal.

1 2. Petr. 14. 15. Hoc ad litteram intelligebant Judæi. Putabant Meſſiæ tempore Hebræos fore reſurrecturos, & tunc hunc mundum terminaturum; aliumque deinde futurum, ubi juſti æternum felices eſſent victuri. Vide Ligfoot. in hunc locum, & noſtram Diſſertar. de Characteribus Meſſiæ juxta Hebræorum ſententiam.
2 Vide Auguſt. Ep. olim. 80. nunc 199. Hieron. Bedam, Maldon. alios hic.
3 Luc. 21. 5. & ſeqo. 4 Marc. 13. 1. & ſequ.
5 Iren. l. 5. c. 25. Hilar. in Matth. hic. Gregor. Homil. 1. in Evang. Ambroſ. in Luc. l. 10.
6 Act. 5. 36. 7 Joſeph. Antiqu. l. 20. c. 1. 8 Act. 8. 9.
9 Act. 21. 38. Joſeph de Bello, l. 2. 10 Joſeph Antiqo. l. 20. c. 3. 11 Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 4. c. 6.
12 Num. 24. 17. 13 Vide Joſeph Antiqu. l. 20. & de Bello, l. 2. & S. Chryſoſtom. Homil. 76.
14 Ioſeph de Bello, l. 2. c. 19. & 20. in Lat. p. 811. & ſeq. 15 Act. 11. 28.
16 1. Cor. 16. 1. 2. 2. Cor. 8. 13. 14. 17 Ioſeph. Antiqu. l. 20. c. 3. 18 Vide Grotium in hunc locum.
19 Plin. lib. 2. cap. 84. 20 Euſeb. in Iſai. 18. Hieronym. in Iſai. 18. 5. 2. 21 Act. 9. 1. 2.

Annal. l. 15. nobis exhibent in Chriſtianos omnia mortalium odia converſa. Cum Nero, quemadmodum ferunt, Urbi Romæ flammas injeciſſet, facinoris odium in Chriſtianos rejecit, quos omnes tanquam humani generis hoſtes deteſtabantur. *Subdidit reos, quos per flagitia inviſos, vulgus Chriſtianos appellabat . . . . Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti ſunt*; Tacitus inquit. Et Suetonius: *Chriſtiani genus ſuperſtitionis novæ, ac maleficæ*. Aliquid Deo maxime acceptum ſe præſtare putabant, qui hujuſmodi viros perſequebantur [1].

℣. 10. TUNC SCANDALIZABUNTUR MULTI.] Scandalum lignum eſt, vel lapis, qui in via ponitur, ut aliquis impingens labatur. *Scandalizari* ad litteram ſignificat in lignum hoc, vel hunc lapidem illidi, & corruere. In morali ſenſu *ſcandalizat* ille, qui pravis ſermonibus, exemplis, illecebris, vel etiam minis aliquem in ſcelus, in laqueos, in errorem ſtudet impellere. Cum ea ſævirent perſecutiones, de quibus loquitur JESUS CHRISTUS, complures Chriſtiani in fide parum conſtantes, ceſſerunt cruciatibus, ac terrori, & religionem abdicarunt. Hi ſcandalizati fuerunt: *Scandalizabuntur multi*.

℣. 11. MULTI PSEUDO PROPHETÆ SURGENT.] Vide ſuperius dicta in verſiculum 5. Simon Magus, Doſitheus [2], Bar-KoKeba, Moyſes Cretenſis, Manes, David El-roi &c. variis ſubinde temporibus apud Judæos extiterunt, ac Meſſiam ſe haberi voluerunt [3]. Paulo ante quam templum caperetur [4], ſeditioſi quoſdam Pſeudo-Prophetas ſubornarunt, qui Dei verbis celerem opem, ſubſidiumque pollicerentur. S. Hilarius in hunc locum, hoc in numero Nicolaum recenſet ex ſeptem Diaconis, qui ab Apoſtolis fuerant conſtituti. In his vero Tertullianus de Præſcript. c. 4. enumerat Menandrum, unum ex Simonis Magi diſcipulis.

℣. 12. QUONIAM ABUNDAVIT INIQUITAS.] Inter perſecutiones, quæ in vos undique inſurgent, paucos reperietis amicos, qui pro vobis ſtent, vobiſque opitulentur: immo ab iis ipſis, quos fidiſſimos amicos arbitramini, vos derelictos intuebimini. Hoc non ſemel S. Paulus expertus eſt. *In prima mea defenſione nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur*, ait ille 2. *Timot.* cap. 4. ℣. 16.

℣. 13. QUI AUTEM PERSEVERAVERIT USQUE IN FINEM &c.] Ille, quem neque perſecutionum metus deterrebit, neque Pſeudo-prophetæ fallent, neque pravi ſermones & ſequiora impiorum exempla corrumpent, ſalvus erit; dummodo in nominis mei confeſſione, meique evangelii, ac fidei profeſſione perſeveret. Tunc ex his omnibus periculis emerget, atque ab his omnibus calamitatibus immunis erit.

℣. 14. PRÆDICABITUR HOC EVANGELIUM REGNI IN UNIVERSO ORBE.] Veteres nonnulli [5] verba hæc preſſius ſumentes putarunt, & omnia, quæ iſthic a JESU CHRISTO prædicuntur, ſub mundi finem duntaxat eventura; cum Evangelium in omni terrarum plaga, omnibuſque gentibus fuerit prædicatum. Alii vero [6] hoc non ita late explicantes, crediderunt, ante Jeroſolymitanum excidium, hoc eſt ante ſpatium annorum quadraginta, qui a Filii Dei morte uſque ad Romanorum bellum contra Judæos effluxerunt, fidem, & Evangelium non Judæis ſolum, verum etiam nationibus omnibus, ex quibus Romanum coaluerat Imperium, atque in omnibus terrarum partibus, quæ agnoſcebantur, prædicata fuiſſe. De Apoſtolorum progreſſu, ac labore quem minime novimus, judicium ferri poteſt ex laboribus S. Pauli, de quibus diſtinctius aliquid accepimus. Quot ille regiones atque provincias peragravit? Judæam, Syriam, Arabiam, Græciam, Macedoniam, Achajam, Aſiam minorem, Italiam, &c. Ad Romanos 1. 8. loquens, haud hæſitanter aſſerit, eorum fidem in univerſo mundo eſſe cognitam; & c. 10. 18. ad Evangelii prædicationem ea transfert Pſalmi 18. 5. verba: *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*.

℣. 15. CUM ERGO VIDERITIS ABOMINATIONEM DESOLATIONIS.] Propheta Daniel c. 9. 10. 11. & 7. 19. duas Jeroſolymæ deſolationes oſtendit, alteram ab Antiocho Epiphane, alteram ab Romanis inferendam. Utraque hæc vaſtitas figura eſt illius, quæ ſub mundi finem in JESU CHRISTI Eccleſia eſt eventura. Illa ipſa Antiochi Epiphanis deſolatio figura erat illius, quæ Jeroſolymæ ab Romanis erat ventura; quoniam Salvator noſter ad noviſſimum Jeroſolymæ excidium transfert locum eumdem, quem Daniel, & Auctor primi Macchabæorum [7] libri, intelligunt de templo ab Antiocho Epiphane fœdiſſime coinquinato, cum ſuper aram holocauſtorum Olympii Jovis Idolum conſtitutum fuit.

Verum in obſidione Jeroſolymæ a Romanis oppugnatæ quidnam pro *abominatione deſolationis* intelligendum eſt? Variant hanc in rem interpretum ſententiæ. Plures [8] crediderunt, Salvatorem ad Romanorum inſignia alludere, quæ tanquam numina habebantur, & quibus in caſtris religioſus cultus adhibebatur [9]. Hæc in Sancto loco infixa fuerunt, in terra ſancta, circum Jeroſolymam, cum Titus ibi caſtrametatus eſt. Tunc tempus erat, adhuc fuga ſibi conſulendi, *tunc, qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes*. Sententiam hanc S. Lucas confirmare videtur cum pro illis verbis *cum ergo videritis abominationem deſolationis . . . . ſtantem in loco ſancto*: legit c. 21. 20. *cum videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem &c.*

Verum plurima in hanc ſententiam adferri poſſunt. I. Titi exercitum, & militaria ejuſdem vexilla non magis fuiſſe *abominationem deſolationis*, quam inſignia Pompeii [10], Soſii, Herodis, & Ceſtii, qui ante jam Jeroſolymam obſidione vallaverant. II. Romanos in arce Antonia prope templum, validum ſemper habuiſſe præſidium [11]. Si Romanorum vexilla erant *abominatio deſolationis*, jampridem hæc in urbe fuerant, antequam noviſſime obſideretur: ideoque Dei Filius nequaquam dediſſet hoc ſignum Electis ſuis, ut ad montes aufugerent. III. abominationem deſolationis eſſe debuiſſe in Templo, *in loco ſancto*, quemadmodum Daniel loquitur. At neque exercitus, neque Romana vexilla in loco ſancto viſa ſunt, niſi urbe capta [12], ita nec illius excidium, neque expugnationem portendere poterant. Denique cum viſa fuit deſolationis abominatio, adhuc fugæ locus patebat, quemadmodum explicite aſſerit JESUS CHRISTUS, *qui ſunt in Judæa, fugiant ad montes*. Atqui cum Jeroſolyma obſidione circumſepta fuit, & Romana acies circumquaque aggeribus, ac vallo, imo etiam muro urbem circumdediſſet, nemini fugam capeſſere integrum fuit, quin ſubiret diſcrimen par ferme periculo in urbe permanendi.

Quoad ea S. Lucæ 21. 20 verba, *cum autem videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem, tunc ſcitote, quia appropinquabit deſolatio ejus: tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes*: non idem innuunt ac illud, quod a Sanctis Matthæo, atque Marco profertur: *cum videritis abominationem deſolationis . . . . qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes*. S. Lucas fortaſſe locutus eſt de urbe a Ceſtio obſeſſa aliquandiu, antequam ab ex-

Tom. VII. V

1 Joan. 16. 2. Vide 1. Petr. 4. 15. 16. 17. 2 Vide Origen. l. 2 contra Celſum. Et in Matth. tract. 27.
3 Vide Grot. Scultet, Baſnage. 4 Vide Joſeph. lib. 7. de Bello, cap. 11. in Lat. pag. 960.
5 Hieronym. & Beda hic. 6 Chryſoſt. Hilar. in Matth. Homil. 76. Theophylact. Mald. Grot. Le Clerc, alii.
7 1. Macc. 1. 57. *Ædificavit Rex Antiochus abominandum idolum deſolationis, ſuper altare Dei.*
8 Origen. Chryſoſt. Maldon. Grot. Scultet. Hammond. Le Clerc, Ludov. de Dieu, Gerhard. Brug. alii plures.
9 Tertull. *Religio Romanorum tota Caſtrenſis. Signa veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus Diis præponit, &c.* Tacit. *Fulgentibus aquilis, ſigniſque & ſimulacris, Deorum, in modum Templi.* Vide Grotium in hunc locum.
10 Joſeph. Antiqu. lib. 14. c. 8. 11 Joſeph. de Bello, lib. 2. c. 13. in Latino, pag. 740.
12 Joſeph. de Bello, lib. 6. cap. 6. in Latin. in Græc. Κεφ. 16. pag. 919.

xercitu Titi oppugnaretur [1]: tunc patebat adhuc fuga. Vel S. Lucas de incepta obſidione locutus eſt: cum exercitum adventantem ad urbem obſidione vallandam intuebimini, fugite ad montes. Dei Filius ea dixit, quæ a Sancto Luca afferuntur; verum dixit & ea, quæ a S. Marco memorantur: hæc duo ſunt inter ſe diverſa, ſed eodem tempore prolata, atque ad eventum eumdem pertinentia.

Credimus [2], abominationem deſolationis non aliud eſſe, quam templi pollutionem a Zelotibus ortam. Zelotes latrones erant, qui Sancto loco potiti fuerant, antequam Jeroſolyma obſideretur, ibique per ſummum ſcelus fœda, infandaque omnia perpetrarunt. Cædes, rapinæ, profanationes, perjuria, omniumque ſcelerum genera ibi non impunitatem ſolum, ſed honorem, atque præmium quodammodo invenerant. Templum factum eſt vera latronum ſpelunca, vel ut Joſephi verbis l. 6. de Bello cap. 1. utar, publicum Judæorum, qui ibi inhumaniſſime cæſi fuerant, ſepulchretum. Vetus obtinuerat apud Judæos traditio, Joſepho auctore l. 5. de Bello cap. 2. urbem Jeroſolymam captum iri, ac templum flammis iri abſumptum juxta leges belli, cum inter illos defectionis ignis exarſiſſet, ac templum propriis illorum manibus pollutum fuiſſet, a quibus magis colenda fuerat ſanctitas ejuſdem. Zelotes univerſa vivendi ratione prophetiam hanc ad unguem repleverant, & videtur traditio, vel rumor, qui jampridem, Joſepho teſte percrebuerat, non aliud fuiſſe, quam hic Jeſu Chriſti ſermo, qui circumſtantias, & Jeroſolymitani excidii præſagia palam adeo, atque perſpicue prædixerat. Nomen hoc, *abominatio deſolationis*, mirum in modum Zelotum ſceleribus congruit. Cum crudelitatem ſuam in templo, atque orbe inceperunt exercere, adhuc tempus erat fugam corripiendi, atque Salvatoris conſiliis parendi. Verum non multo poſt Jeruſolyma circumquaque vallata, non ultra patuit cuilibet fuga.

Sancti Irenæus, Ambroſius, & Hilarius [3], aliique nonnulli crediderunt, abominationem deſolationis innuere Antichriſtum, & quidquid a Jeſu Chriſto hoc in loco portenditur, ſub mundi finem tantummodo eſſe adimplendum. Et nullus dubito, quin reapſe ante extremum judicium videatur, juxta S. Pauli 2. Theſſ. 2. 4. prædictionem *homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur ita, ut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe, tamquam ſit Deus*. Verum quin hi ſenſus nos moventur, alium perquirere poſſumus adimpletum, antequam Jeruſalem caperetur, quæ erat noviſſimi Judicii figura. Duæ aliæ in hanc rem ſententiæ a S. Hieronymo in hunc locum afferuntur: prior eſt, abominationem deſolationis fuiſſe Tiberii ſimulacrum, a Pilato in Templo conſtitutum [4]: altera, eam fuiſſe equeſtrem Adriani ſtatuam, quæ Jeruſolymæ poſita fuit, & quæ S. Hieronymi ævo adhuc ibi ſervebatur. Non deſunt, qui id explicent, vel de aurea aquila ab Herode ſuper unam ex portis Templi poſita [5]; vel de ſtatua Caligulæ in Templo [6] collocata, vel [7] de Titi imagine, quæ & ipſa in Sancto loco dicitur conſtituta. At Tiberii, & Caligulæ ſimulacra nequaquam illuc illata fuerunt, licet Pilatus, atque Petronius id fieri juſſiſſent. Titi imago illic fortaſſe cum militaribus vexillis poſita fuit; hoc tamen non niſi poſt captam Jeroſolymam contigit, neque aliud ultra ſuppetebat tempus fugiendi, ac prævertendi ea mala, quæ Jeſus Chriſtus Jeroſolymæ intentat. Aurea Herodis Aquila illic quidem affixa fuit, ſed etiam refixa, antequam Jeſus Chriſtus naſceretur. Equeſtris Adriani ſtatua minime reſpicit tempus illud, quod captam Jeruſalem, vel præceſſit, vel ſubſecutum eſt; ille enim Imperator centum circiter annos poſt Jeſu Chriſti mortem regnavit, Jeroſolyma vero poſt annos quadraginta ab eadem morte deleta fuit.

ỳ. 16 TUNC QUI IN JUDÆA SUNT, FUGIANT AD MONTES.] Montes, Judeæ habita ratione, ſunt vel montes Galaad ultra Jordanem, vel montes Juda in meridionali terræ illius parte verſus Idumæam. Bellum a Galilæa incepiſſe, Joſephus narrat, & cum Zelotes templo potiti eſſent, atque Veſpaſiano compertum, exploratumque eſſet, Urbem in tres partes, ac ſtudia diſceſſiſſe, illum obſidionem maturare noluiſſe, prævidentem id, quod probavit eventus; partes videlicet illas mutuis cædibus ſe ſe confecturas, donec urbem obſidione circumſeptam minime vidiſſent; quæ ſimul reconciliata gratia coaluiſſent, ſi ad urbem hoſtium copias accedere intellexiſſent. Narrat Euſebius l. 3. cap. 5. Chriſtianos, cum ex peculiari revelatione, quæ aliquibus eorum contigerat, proximam Jeroſolymæ vaſtitatem cognoviſſent, conceſſiſſe ultra Jordanem, Pelam, quæ urbs erat Regni Agrippæ [8] quouſque bellum tunc temporis nequaquam deſævit. S. Epiphanius in hæreſ. Nazaræor. cap. 7. auctor eſt, illos ab ipſo Jeſu Chriſto monitos, ut recederent: at in libro ſuo de ponderibus, & menſuris, Angelo hoc refert acceptum.

ỳ. 17. QUI IN TECTO, NON DESCENDAT.] Palæſtinæ tecta plana erant, atque illuc crebro aſcendebatur. Scalæ, per quas eo patebat aſcenſus, ut plurimum externæ erant, ita ut aſcendere, & deſcendere poſſent, quin domum ingrederentur. Hoc liquet ex hiſtoria Paralytici, quem Jeſus Chriſtus Capharnai curavit [9]; quem qui deferebant, cum præ multitudine domum ingredi non potuiſſent, tectum aſcenderunt, atque Ægrotum funibus demiſſum per hiatum, qui erat in tecto, Jeſu Chriſto obtulerunt, in inferiori domus parte docenti. Igitur hortatur Jeſus fideles ſuos, ut celeriter fugam corripiant, ubi viderint abominationem in loco ſancto, neque ullam temporis jacturam faciant, domum ſuam ingredientes, ut aliquid inde ſecum avehant.

ỳ. 18. QUI IN AGRO, NON REVERTATUR &c.] Hoc etiam indigitat diligentiam, & celeritatem, qua fuga erit corripienda. Agris colendis, ut plurimum ſeminudi, vel male veſtiti, vacabant. Si in agris eſtis ſine veſtibus, ſine commeatu, aufugite, neque domum veſtram revertamini, veſtes ſumpturi. Latinus textus habet *tunicam*, inferiores veſtes, ſed Græcus generaliter legit [10] [illegible], vel veſtem.

ỳ. 19. VÆ AUTEM PRÆGNANTIBUS, ET NUTRIENTIBUS.] Quod illæ conſiliis meis uti non poterunt, neque celeriter adeo, uti opus erit, propter periculi propinquitatem, & magnitudinem fugam maturare.

ỳ. 20. ORATE AUTEM, UT NON FIAT FUGA VESTRA IN HYEME, VEL SABBATHO.] Hyberno tempore dies breves ſunt, viæ iniquæ; itinera incommoda, intempeſtivum ſane tempus fugæ præcipiti, & ubi maturato opus eſt. Sabbatho Judæi non poterant ultra duo paſſuum millia, vel etiam duo millia cubitorum progredi, hoc eſt dimidiam circiter leucam, aliud incommodum, illis, quibus longius iter ſuſcipiendum eſt [11]. Cum urgeret neceſſitas, imminerentque pericula, veluti cum hoſtis perſequeretur, Sabbatho etiam longiorem emetiri viam nefas non erat [12]; at hoc in loco agitur de fuga non ad impendens, ſed ad futurum periculum evitandum, quod ſimpliciter prævidebatur, arrepta,

Erit

1 Joſeph. de Bello, lib. 2. cap. 23. in Lat. in Gr. Κεφ. [illegible]. pag. 818.
2 Ita Toſt. Janſ. Capell. Boug. Baronius.
3 Iren. lib. 5 cap. 25. & Hilar. in hunc loc. & Auth. Op. imperf. & Beda, Ambroſ. in Luc. lib. 10.
4 Joſeph. de Bello, lib. 2. cap. 2. in Lat. pag. 785. et Antiquit. lib. 18. cap. 7. et Euſeb. Demonſtr. lib. 8.
5 Antiq. l. 17. c. 12.
6 Antiq. l. 2. c. 2. in Lat. [illegible]. in Gr. [illegible]. pag. 791.
7 Chryſoſt. Euthym. Theoph.
8 Vide Joſeph. Antiqu. l. 20. c. 5. p. 693.
9 Matt. 9. 9. et Luc. 5. 18. 19. etc.
10 Τὰ ἱμάτια, vel juxta quoſdam Codd. MSS. Τὸ ἱμάτιον.
11 Aug. l. 2. Evangel. qq. c. 37. Chryſoſt. Hieron. Author. Oper. imperf. Theophyl. Beda, &c.
12 1. Macc. 2. 32. 41. Joſeph. Ant. l. 12. c. 8. & l. 13. c. 1.

℣. 21. Erit enim tunc tribulatio magna.] Bellum, quo Judæi ſemet confecerunt inteſtinis diſſidiis, perſecutiones, quas a finitimis omnibus paſſi ſunt, & quæ in Urbibus ingentem eorum numerum abſumpſerunt. Denique mala ipſis illata a Romanis noviſſimo bello, Veſpaſiano duce, peracto, tanta fuerunt, atque adeo inaudita, ut ſimilium malorum perpauca apud hiſtoricos occurrant exempla. Joſephus l. 7. de Bello c. 17. undecies centum millia enumerat eo bello cæſa, & nonaginta ſeptem millia capta; libro vero 6. de Bello cap. 16. ait, ſeditioſorum, qui templo fuerant potiti, ſcelera eo uſque proceſſiſſe, ut, ſi Romani ſtatim non adfuiſſent, genus adeo corruptum, & nequam deleturi, ultro hiaſſet tellus eos voratura, vel miſiſſet Deus recens diluvium ad eos ſubmergendos, vel fulminum, igniumque cœleſtium imbrem, ut olim in Sodomam, effudiſſet; eorum quippe ſcelera longe illorum ſuperabant nequitiam, quæ Civitati huic cœleſte incendium conflavit. Romani ipſi, licet hoſtes, miſeratione tamen ducebantur tot malorum, atque deplorabant tot innocentium virorum ſortem, qui interibant ob quorumdam ſeditioſorum pertinaciam, qui & urbe, & templo potiti majorem adhuc intra, quam Romani extra, vaſtitatem urbi inferebant.

℣. 22. Nisi breviati fuissent dies illi.] Si cædes, & mala, quæ a ſeditioſis intra Civitatem committebantur, ſi perſecutiones, quibus Judæi undequaque erant obnoxii, a finitimis ſuis exagitati, ſi bellum, quod infelici huic populo Romani intulerant, ſi hæc omnia diutius perſtitiſſent, de Judæorum natione jam eſſet actum, ne unus quidem effugiſſet. At non paſſus eſt Deus, tanta mala diutius deſævire propter electos, ac fideles ſuos, hoc eſt in gratiam [1] Chriſti fidelium, qui tunc cum Judæis erant permixti, & qui iiſdem perſecutionibus patebant, quaſi eamdem religionem profiterentur. Chriſtiana enim religio in ipſis incunabulis habita fuit tamquam Judaicæ reformatio. Aliam quoque ob cauſam Deus Judæos ſervare voluit, ut ſcilicet ſupereſſet vivum adhuc Chriſtianæ religionis in illorum perſona argumentum. Illi ſunt veluti ſcripturarum teſtamenti veteris ſequeſtres; illi in ſemet oſtendunt præſenti in ſtatu adimpletas, & veteres, & Jeſu Chriſti prophetias, quæ futuram illorum reprobationem portenderant. Vivant, oportet, ſed vivant calamitoſi, contempti, diſſipati, cæci, pertinaces, ut prophetiarum veritatem oſtendant, & ut aliquando in illis Divinæ miſericordiæ conſilia compleantur: quando quidem eorum nationis reliquiæ ſub ſæculorum finem in Chriſtianæ Religionis ſacra ſunt tranſituræ [2].

℣. 24. Surgent enim Pseudo-Christi &c.] Quam maximi intererat, ut fideles admonerentur de pſeudo-Meſſiis, & pſeudo-prophetis, quorum plures illis temporibus dæmon erat ſuſcitaturus; ideoque non ſatis eſt, Salvatorem id ſemel admonuiſſe, ſed ter in hoc ſermone id ipſum reperit. Vide ℣. 4. 5. 11. 23. 24. 26. Joſephus in libris de bello Judaico verba facit de pluribus Pſeudo-prophetis, qui & ante, & in ipſa Jeroſolymæ obſidione fucum populo fecerunt. Seditioſorum capita, qui ignari, creduli que populi norant infirmitatem, eos ſuſcitabant, ut hunc fallerent. Miracula non ſemper certæ ſunt notæ veritatis, ac meriti patrantium illa; ſed fieri nequaquam poteſt, ut Deus A mendaciis, doliſque faveat, prolixam verorum miraculorum ſeriem permittens; ipſe enim fideles ſuos in errorem induceret. Cautos vult diſcipulos ſuos contra miraculorum opifices, atque omnem aufert ſeductoribus fidem [3]. Quicumque non venit in nomine illius, neque ejus doctrinam, ac veritatem docet, jam hoc ipſo probatur [4] pſeudo-propheta, & falſus artifex miraculorum. Poſſunt quidem ad breve tempus decipi Electi: at ſi velint ſuis uti luminibus, & ſequi præcepta ſibi a Jeſu Chriſto hoc in loco tradita: næ illi quidem brevi errorem agnoſcent, & fugient [5].

℣. 27. Sicut enim fulgor exit ab oriente.] Triplex huic loco ſenſus tribuitur. Primus de Jeroſolymitano excidio explicatur [6], cum Dei Filius accedet ad ultionem ſuam exercendam in hanc impiam Ci- B vitatem, tamquam fulgor apparebit. Romani, quibus veluti inſtrumentis uſus fuit, repente in hanc irruerunt urbem, ita ut advenæ plurimi, qui illuc ad Paſchatis feſtivitatem celebrandam confluxerant, illinc egredi minime potuerint, ibique miſerrime interierint [7]. Alii [8] hoc de Evangelii prædicatione interpretantur: ne ita facile credatis iis, qui ſe prophetas, atque a Deo miſſos prædicabunt, & minus adhuc iis, qui ſe Meſſiam haberi contendent; Evangelium enim meum, Regnum Dei, prædicatio veritatum ſalutis in ictu ferme oculi in omnibus terrarum plagis audietur: hæc eſt certiſſima nota veritatis adventus mei. Patres denique [9] hoc de ſecundo Jeſu Chriſti adventu, vel de noviſſimo judicio plerumque interpretantur. Irruet Dei Filius in homines, ubi minus cogitaverint, C licet ipſe adventus ſui clara adeo ediderit præſagia, atque docuerit, quænam eventura ſint ante exitum mundi, homines de more vitam ſuam traducent, atque ſupremus Judex illos opprimet fulguris inſtar ſimul, & micantis, & evaneſcentis.

℣. 28. Ubicumque fuerit corpus [10], ibi congregabuntur, et aquilæ.] Hoc adagium quoddam eſt ex Job [11] depromptum, ubi ait, aquilam in altiſſimis montium jugis commorari, atque inde veluti ex ſpecula prædam eminus proſpectare, pullos illius ſanguinem cum aviditate abſorbere, & *ubicumque fuerit cadaver, ſtatim adeſſe*. Aquilæ vulgo, uti perhibent, cadaveribus non veſcuntur: ſed naturæ ſcrutatores [12] fatentur, quamdam eſſe aquilarum ſpeciem, quæ corvorum inſtar cadaveribus aluntur. Jeſus Chriſtus innuit [13], D Judæos repente, & undique ab hoſtibus ſuis circumſeptum iri, quin ex horum manibus effugere queant. Ubicumque aderunt Judæi, ibi & inimici aderunt, eos deleturi. In Syria, in Ægypto, in Phœnicia, Antiochiæ, Alexandriæ, Cæſareæ, Ptolemaide, Tyri, Aſcalone, Scythopoli, in urbibus Galilææ, in Judæa, Jeroſolymæ, ubicumque ingraveſcentem in ſe Dei manum experientur. Prophetæ [14] ſæpius diem ultionis Domini vocant diem convivii, quod inſtruit Deus volucribus carnivoris, & beſtiis agri, quas invitat, ut inimicorum ſuorum carnibus ſaturentur. Hic vero Aquilas tantum accerſit, fortaſſe, ut melius indigitet celeritatem, atque aviditatem hoſtium Judæorum. Habacuch 1. 8. de Chaldæis loquens ait, illos veluti Aquilam ad prædam ſuam devolaturos: *Volabunt quaſi* E *aquila feſtinans ad comedendum*.

Veteres vulgo [15] de Jeſu Chriſti corpore hoc explicuerunt.

1 Chryſoſtom. Theophyl. hic. Auguſt. Ep. 80. nunc 199. Janſ. Brug. Grot.

2 Matth. 23. 39. Rom. 11. 26.

3 Tertull. lib. 3. contra Marcion. *Temerariam ſignorum, & virtutum fidem oſtendit, ut etiam apud pſeudochriſtos facillimarum.* Vide & 2. Theſſal. 2. 8. Ubi de Antichriſto. *Cujus adventus eſt ſecundum operationem Sathanæ, in omni virtute, & prodigiis mendacii.*

4 Vide noſtram Diſſertationem de veris, & falſis miraculis, Exodo præmiſſam.

5 Auguſt. de Corrept. & Grat. c. 7. Vide quoque Maldonatum, & Grotium in hunc locum.

6 Ligfoot, Hammond.

7 Joſeph. de Bello, l. 7. cap. 17. in Lat. p. 968.

8 Origen. Auguſt. Grot. & Gerhard. & Beza in hunc locum.

9 Hilar. Hieronym. Author Oper. imperf. Chryſoſt. Euthym. Ita Mald. Brug. alii.

10 Πτῶμα, ideſt, *Cadaver*.

11 Job 39. 30. *Ubicumque fuerit cadaver, ſtatim adeſt.*

12 Ariſtotel. Hiſtor. Animal. lib. 9. cap. 32. & Plin. l. 10. cap. 3.

13 Ligfoot, Hamm. Cleric.

14 Iſai. 34. 6. *Victima Domini in Boſra*, &c. Ierem. 46. 10. *Victima Dei exercituum in terra aquilonis* &c. Ezechiel. 39. 17. *Dic omni volucri, & univerſis avibus, cunctiſque beſtiis agri: convenite, properate, convenite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis*, &c.

15 Vide Iren. l. 4. 28. Hilar. Author Operis imperfect. Chryſ. Euthym. Theoph. Beda, &c.

ſunt. Statim ac divinus hic Salvator prodibit, vivos, æque ac mortuos, Sanctos, Electos, Angeloſque judicaturus, viventes ſimul, & mortui circum illum undique confluent judicio adfuturi, ejuſque ſubituri ſententiam. Haud operoſum eſt, ex hoc loco eximios eruere ſenſus, qui ad Sacramentum corporis, & ſanguinis Jeſu Chriſti traducantur. Ubicumque ſanctiſſimum illud corpus invenitur, ibi adſunt aquilæ, ingentes animæ, atque perfectæ. Attamen qui hoc ad glorificatam Jeſu Chriſti humanitatem transfert, violenter hunc fecere videtur. Græcus enim legit *cadaver* pro corpore. Græci etiam [1], ac Latini auctores ſatis crebro ſolum *corporis* nomen uſurpant ad cadaver ſignificandum.

℣. 29. STATIM AUTEM POST TRIBULATIONEM DIERUM ILLORUM SOL OBSCURABITUR.] Poſt ea omnia mala, quæ huc uſque portendit, poſt captam, vaſtatamque Jaroſolymam, Dei ira nondum lenita fuit; extenſum adhuc fuit brachium illius, & ad percutiendum paratum. Poſt teterrimas heſce tenebras, Judæorum natio non intuebitur ultra ſolem ortum, neque lunam dare lumen ſuum: atra nox atram hanc excipiet caliginem; malorum, atque calamitatum ſeries illos undique involvet [2]: quidquid in exilio, ſervitute, captivitate, egeſtate, ſqualore, duriſſimum eſt, irruet in eos. Qui patriæ ſuæ excidio ſuperſtites fuerunt, varias in terras diſſipati ſunt, vel in ſervos venundati, vel in calamitoſiorem adhuc ſtatum redacti: ſine domo, ſine bonis, ſine ſpe, ſine religione, ſine Templo, ſine Patria: qui Romam adducti fuerunt, victoriæ triumphum ornarunt [3]: qui Antiochiæ erant, crudeliter ea in Civitate trucidati fuerunt [4]: qui in Judææ arcibus, oppidiſque verſabantur capti, cæſique ſunt [5]: qui Thebas, & Alexandriam perfugerant, ibi interitum invenerunt [6]. Onianis Templum, quod in ea Regione aſſurgebat, clauſum fuit [7]: compluſes Judæi Cyrenaicæ cum per ſummam dementiam adhæſiſſent cuidam Pſeudoprophetæ, cui nomen Jonathas, e Romani exercitus Imperatore trucidati ſunt [8]: hæc autem omnia fere ſtatim poſt Jeroſolymæ excidium.

Decimo octavo Imperii Trajani Cæſaris anno, Judæi Ægyptii cum defeciſſent deleti fuerunt, cæſique a Romanis: anno vero inſequenti, qui in Cypro inſula aderant, eodem ſupplicio affecti ſunt: in Meſopotamia etiam acie victi, e Regione eadem ejecti ſunt. Hæc omnia Trajano imperante [9]: Adriano vero, Paleſtinæ defectio erupit; inſignis Bar-Kochebas diutius eam fovit, eſtu, ac præſtigiis ſuis: verum hæc magis, magiſque Romanos irritarunt, ut majora quam quæ in Titi bello fuerant experti, mala coacervarunt. Quodcumque reliquum erat ex urbibus, oppidiſque Judææ, penitus deletum fuit. Oppida quinquaginta, nongenta octoginta quinque vici ea in regione vaſtati fuerunt, & quingenta & octo hominum millia variis temporibus cæſa præter eos, qui fame, morbis, & igne interierunt. Hæc ſatis, ſuperque ſunt, ut adimpletum fuiſſe pateat, quod iſthic Salvator ait, futurum ut poſt terribiles eos dies, de quibus locutus eſt, ſol caligine obduceretur, luna lucem huic calamitoſiſſimo populo minime præberet.

Liquet, hyperbolicas has loquendi rationes in Scripturis frequentius inveniri ad inaudita quædam mala indigitanda. Iſaias de futuris Babylonis calamitatibus verba faciens, hæc ait c. 13. 7. 10. *ululate, quia prope eſt dies Domini, quaſi vaſtitas a Domino veniet. Propter hoc omnes manus diſſolventur, & omne cor hominis contabeſcet . . . Stellæ Cæli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo.* Eodem ferme pacto c. 24. 23. & 60. 20. loquitur, ubi gentibus minas intentat. Ezechiel Ægyptium Regem alloquens c. 32. 7. 8. ait illi, capiam te ingentis inſtar piſcis retibus meis, captum projiciam in terram, ac in fruſta concidam, atque præda fies omnibus beſtiis agri, & volucribus Cœli, cumque obieris, *operiam Cœlum, & nigreſcere faciam ſtellas ejus: Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum; omnia luminaria cæli mœrere faciam ſuper te.* Joel c. 2. 30. miſerrimæ famis atque ariditatis effectus deſcribens, iiſdem ferme loquendi rationibus utitur. Job c. 3. 3. & Jeremias c. 14. ea deplorantes mala, quæ ſibi irruere videbant, eodem modo loquuntur. Stylus hic Orientalibus familiaris eſt; & Grotius oſtendit, profanos etiam auctores nonnumquam iiſdem exaggerationibus uſos fuiſſe, ut extremas calamitates indigitarent. Illud vero mihi perſuadet, iſthic in primo atque immediato ſenſu de Jaroſolymæ excidio verba fieri, quod S. Lucas c. 21. 28. ait, cum hæc omnia cœperint, tunc Apoſtolis caput dumtaxat attollendum eſſe, eo quod ſcelus eorum ſit proxima; & S. Matthæus ait, *ſtatim poſt ea*, quæ narravit, ſolem caligine obducendum eſſe, & S. Marcus c. 13. 24. aſſerit, *in illis diebus, poſt tribulationem illam* hoc eventurum.

Patres & plerique Interpretes univerſum hunc locum intelligunt de ſignis, quæ univerſale judicium præcedent. Verum quilibet pro modulo ſuo explicat, Solem caligine obductum, lunæ Eclypſim, Stellas de Cœlo decidentes: alii hæc omnia ad litteram cenſent explicanda; alii ad allegoriam confugiendum: alii [10] credunt, fulgorem majeſtatis filii Dei, qui tunc apparebit, tantum futurum, ut Soli, lunæ, & Stellis caliginem inducat eo pacto, quo Sol, ut ita dicam, tenebris reliqua ſydera adſpergit.

Stellarum lapſus aliud phænomenon eſt adhuc longe difficilius quod explicetur, ac in eo magis adhuc Interpretum variant ſententiæ. Credunt quidam Stellas vere caſuras: at quonam decidant immenſi illi orbes, qui terram univerſam magnitudine longiſſima ſuperant? Cenſent alii, JESUM CHRISTUM verba facere de cometis, vel cœleſtis ſyderibus; alii de Dæmonibus, quibus cœlum refertiſſimum eſſe putant. Origenes, aliique nonnulli ajunt, ſtellas emiſſuras quidquid terreſtre habent, quod decidet in terram. Verum quid ſibi velit, non ita facile divinaverim. Sed ubi ſatis multa hac de re attulerimus, huc accedamus, oportet, ut confiteamur, nonniſi conjecturas afferri poſſe quoad rationem eam, qua hæ minæ Filii Dei in noviſſimo judicio complebuntur. Sin autem hæ loquendi rationes figuratæ ſunt, cur nobis met crucem figimus, litteralem earum complementum inquirentes?

VIRTUTES COELORUM COMMOVEBUNTUR.] Nomina virtutum Cœleſtium quidam intelligunt Angelos [11]. In altero filii Dei adventu ſuper illis incedent, terribilem illius majeſtatem intuiti. Alii [12] de Syderibus explicant, quæ crebro in Scripturis Cœli exercitus, vel virtus vocantur [13]. Alii [14]: Cœlorum fundamenta, vel ipſi Cœli, licet ſolidiſſimi commovebuntur. *Cœlorum virtus* innuere poteſt id, quod illos ſuſtentet, immotoſque efficit: vel eorum vim atque ſoliditatem. Sed rectius ſimpliciter magis de ſyderibus explicari, quæ frequentius vis, & cœli exercitus appellabantur.

℣. 30. TUNC APPAREBIT SIGNUM FILII HOMINIS IN COELO.] Veteres Patres [15], & pleriqua interpretes uno ore dicunt, hoc ſignum Filii hominis eſſe Crucem, quæ in Cœlo apparebit in altero illius adventu; eamque ſententiam adoptavit Eccleſia in Officio ſuo concinens: *ſignum Crucis erit in Cælo, cum Dominus ad* judi-

1 Homer. Iliad. Σ. 2 Vide Ligfoot. Hammond. Le Clerc.
3 Joſeph. lib. 7. de Bello, cap. 20. & 24. 4 Ibidem c. 21. p. 973.
5 Ibidem c. 25. p. 980. & c. 28. p. 985. 6 Ibidem c. 29. p. 995. 7 Ibidem c. 30. p. 996.
8 Ibidem c. 31. in Latino, p. 996. 9 Vide Euſebium, Dion, Spartian. Baſnagium, Hiſt. Jud. l. 4. c. 1. t. 2.
10 Hieronym. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. 11 Ambroſ. l. 10. in Luc. Orig. Chryſ. Bede, Euthym. Theophyl. Vide 3. Reg. 22. 19. 12 Hamm. alii. 13 Geneſ. 2. 1. Deut. 17. 3. 4. Reg. 17. 16. 21. 3. 5. & paſſim 14 Mald. Piſcat. alii. Job. 26. 11. & 2. Petr. 3. 10.
15 Hilar. Hieron. Bede, Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Brug. Mald. Menoch. alii.

judicandum venerit. Crediderunt quidam [1], hunc eumdem eſſe Dei Filium, qui iſthic *ſignum filii hominis* nuncupatur. Apparebit, ille omni majeſtatis ſuę luce circumfuſus, & in omnium hominum corda terrorem immittet.

Alii ſimplicius adhuc: tunc videbuntur ſigna præſentiæ illius in terribili ultione, quam exercebit in impios. Forſitan etiam innuuntur ea terribilia prodigia, quæ Jeroſolymæ excidium præceſſerunt, & quorum nobis deſcriptionem reliquit Joſephus de Bello l. 7. c. 12. quæ legentibus adhuc terrorem incutit. Cum Dei Filius ea omnia, quæ hucuſque legimus, prædixiſſet, qui illa noverant ſigna, facile intelligere poterant, ea eſſe præſagia adventus ſupremi Judicis, ſeveritatem ſuam in Jeroſolymam exercentis [4]. Evangeliſtæ alii non meminerunt hujus ſigni Filii Hominis; legunt ſimpliciter, non ſecus ac S. Matthæus ſequenti verſiculo, *& videbunt Filium Hominis venientem in nubibus Cœli*: quæ videtur eſſe explicatio ſigni Filii Hominis, de quo ſuperius luquutus eſt. Inde vero explicationi huic robur videtur accedere, quod ℣. 34. Dei Filius ait, eos, qui tunc vivent, non obituros, niſi viderint ea quæ dixerat, adimpleta. Verum enim vero fatendum eſt verſiculos 29. 30. 31. aptius de noviſſimi judicii ſignis, quam de Jeroſolymæ excidio explicari. Conferri poteſt *Daniel* cap. 8. ℣. 9. & ſeq. ubi ultio a Deo in Antiochum Epiphanem alioſque Judæorum perſecutores ſub imagine judicii Antiqui dierum, & aſſeſſorum illius exhibetur.

TUNC PLANGENT OMNES TRIBUS TERRÆ.] Cum videbunt Dei Filium, venientem ad viventes, ac mortuos judicandos. Judæi Increduli, qui illum ejecerunt, & crucifixerunt; Infideles, qui eum in membris ſuis perſequuti ſunt, qui ſine lege, ac veri Dei cognitione mortui ſunt, & qui in omnibus flagitiorum generibus ſe ſe abdiderunt, nequicquam conſcientiæ ſtimulis deterriti, hi omnes mœrebunt, atque dolebunt.

Locus iſte deſumptus eſt ex Zacharia [3], *effundam*, Propheta inquit, *ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem ſpiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu, quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti ..... & planget terra: familiæ & familiæ ſeorſum &c.* Zacharias plane exprimit ſenſus doloris Judæorum poſt converſionem eorum. Nonne hoc poſito dici poteſt Salvator hoc in loco per ejulatus & planctus innuere, non Judæorum, Infideliumque populorum deſperationem, ſed eorum dolorem atque pœnitentiam? Ambigi ne poteſt, quo minus plurimi Judæi, immo & Ethnici videntes ad unguem adimpletas JESU CHRISTI de Jeroſolyma prædictiones, Chriſtianæ religionis initiari voluerint, ac priſtinam cæcitatem ſuam deploraverint? Vel nonne hoc referri poſſet ad apparitionem Crucis, quæ Conſtantino imperante [4] viſa eſt, & quæ fuit tamquam noviſſimum ſignum excidii Ethnicæ ſuperſtitionis, atque inſtitutionis religionis Chriſtianæ? Ex quo Crucis Signum factum fuit Romanorum exercituum vexillum, atque Conſtantinus ſe Chriſtianæ religionis Patronum profeſſus eſt, populi confugerunt in eam, & gentes, quæ hactenus veritati, Evangelioque reſtiterant, tunc fovere ſenſus pœnitentiæ, errореſque præteritos lacrymis eluere, incœperunt.

℣. 31. MITTET ANGELOS SUOS CUM TUBA [5].] Iiſdem ferme vocibus & S. Paulus deſcribit Dei Filium, ad noviſſimum judicium prodeuntem, ac Verba facit de Tubæ clangore, quo mortui e ſepulchris excitabuntur [6]. Videtur autem Evangelium nobis exhibere velle terribile illud judicium, veluti generales eos cœtus, ad quos juxta Moyſis mandatum [7], clangente buccina, populus convocabatur. S. Johannes in Apocalypſi c. 8. 6. & 9. 1. & 11. 15. deſcribit Angelos buccina perſonantes die ultionis Domini. Dici pro certo nequit, utrum vere tunc exaudietur tubarum clangor, vel dumtaxat tonitru, aut fragor aliquis, tubæ clangenti perſimilis.

Fidei conſonum eſt, Salvatorem, Auctoreſque ſacros in noviſſimi illius diei deſcriptione iis uſos fuiſſe coloribus, qui aptiores ad ciendam populorum mentem haberentur: verum Eccleſia numquam fideles ſuos juſſit hoc ad litteram intelligere [8]. Tuba ſymbolum eſt præſentiæ ſupremæ majeſtatis. Deus cum in Sinai deſcendit, tubarum clangor auditus eſt [9]; ad Cœlum vero aſcendit, buccinis concrepantibus [10]. Cum populo ſuo opem tulit, buccinarum ſonitu comitante acceſſit [11]. Balaam perculſus fuit clangore tubarum, quem ex caſtris Domini audiit, atque reverentia perculſus fuit [12]. Hæ loquendi rationes populares ſunt, ſed ſublimes, atque magnam habent vim ad injiciendum metum illum, atque obſervantiam, qua nos ſupremam majeſtatem hanc excipere oportet.

Qui hæc omnia rejiciunt in tempus, quod ſubſequutum eſt Jeroſolymitanum excidium [13], metaphyſice tubarum ſonum explicant, & dicunt, Filium Dei, cum inſignem adeo retuliſſet de Judæis ultionem, coegiſſe illos, ut licet inviti ipſum agnoſcerent; atque tunc proprie Evangelii januam omnibus terrarum gentibus patefactam fuiſſe; cum Angeli Domini, Apoſtoli, virique Apoſtolici prædicationibus ſuis ex quatuor terrarum angulis ſimul coegiſſent omnes Electos, eos videlicet omnes, quibus Deus aperuit oculos, ut Evangelii lumen conſpicerent. S. Lucas 21. 28. & vetus MS. codex Græcus, atque Latinus Cantabrigienſis apud Millium iſthic addunt in S. Matthæo hæc verba, *his fieri incipientibus reſpicite, & levate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra*, quæ verba nuperrime allatæ explicationi non parum ſuffragantur.

℣. 33. AB ARBORE FICI DISCITE PARABOLAM.] Non ſecus, ac frondes, & groſſi ficuum, indicia ſunt certa, atque naturalia æſtatis advenientis; ita omnia portenta, quæ vobis nuper expoſui, certiſſima ſunt adventus, ac Regni mei ſigna; hoc eſt vel inſtitutionis Eccleſiæ meæ, vel ultionis contra Judęos exercendæ, vel denique finis mundi, noviſſimique Judicii. *Regnum* enim *Cœlorum* tres hos ſenſus admittere poteſt.

℣. 34. NON PRÆTERIBIT GENERATIO HÆC, DONEC OMNIA FIANT.] Ea omnia, quæ ad Jeroſolymitanum excidium, atque Judæorum pœnam pertinent, adimplenda erant, cum adhuc nonnulli viverent ex his, vel ad quos JESUS CHRISTUS loquebatur, vel ſaltem, qui tunc, cum ille hæc loquebatur, vivebant [14]. Veteres, qui noviſſimam ſaltem hujus prædictionis partem in finem mundi rejiciunt, juxta hypotheſim ſuam, vel coarctare debent, quidquid iſthic Salvator ait, ad priorem partem, quæ reſpicit Judæorum diſperſionem, ac bellum Romanorum in eos bellatum; vel dicere, hæc verba: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*; ſignificare hæc omnia ante mundi finem ante generis humani interitum [15], ante generalem reſurrectionem eventura. Vel: *generatio hæc*, Eccleſia mea, Fideles mei [16], *non præteribit, donec omnia hæc fiant*. Chriſtiana Eccleſia, licet graviſſimis afflicta-

1 Ita fere Origen. Beza, Gerhard. Piſcat. 2 Ligfoot. Hamm. Le Clerc.
3 Zach. 12. 10. 11. 12. Confer. Apoc. 1. 7. 4 Euſeb. de Vita Conſtantini, l. 1. c. 28. 29. Edit. Valeſ.
5 Gr. Μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης. *Cum tuba vocis magnæ.* Alii plures: Μετὰ σάλπιγγος μεγάλης. Vide Mill
6 1. Cor. 15. 52. *In noviſſima tuba; canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti.* Et 1. Theſſal. 4. 15. 16. *Ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de Cœlo; & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.* 7 Num. 10. 1. 2. & ſeqq. Iſai. 27. 3. 8 Vide Mald.
9 Exod. 20. 18. 10 Pſalm. 46. 5. 6. 11 Zach. 9. 14. Iſai. 18. 3.
12 Num. 23. 21. *Dominus Deus ejus cum eo eſt, & clangor victoria Regis in illo.*
13 Ligfoot, Hamm. Le Clerc. 14 Ita Brug. Grot. Ligfoot, Gerhard. Camer. Hamm. Munſt. Piſc. & olim quidam apud Origen. Confer. Matth. 16. 28. 15 Hieronym. Maldon.
16 Chryſoſt. Author. Oper. imperfecti, Euthym. Theophyl. Vide et Origen, et Hilar. hic.

flictata calamitatibus, ad finem uſque ſubſiſtet, nihil horum eam poterit commovere. Sed aptior eſt explicatio, quæ hoc de Jeroſolyma e Romanis everſa interpretatur.

℣. 36. DE DIE AUTEM ILLA, & HORA NEMO SCIT.] S. Marcus c. 13. 32. addit, *neque filius*, quæ eadem verba inveniuntur in S. Matthæo, juxta veterem MS. Cantabrigienſem, atque alios nonnullos [1]. Hic locus magnæ olim contentionis fuit argumentum, Catholicos inter, atque Arianos, qui illinc inferre admitebantur, JESUM CHRISTUM ergo non eſſe Deum, eo quod aliquid ignoraret. Ut hanc objectionem refelleret, quæ non minimi erat momenti, aſſerebat S. Ambroſius [2], S. Marci textum mendo non carere. Sed omnia Græca, & Latina exemplaria, & typis edita, & MSS. hodie conſtanter legunt id in S. Marco non ſecus, ac plurimi etiam MSS. in S. Matthæo. Ad hæc id etiam Patres alii S. S. Hilarius, Auguſtinus, Athanaſius, Johannes Chryſoſtomus, omneſque veteres legerunt.

Alii [3], ut huic occurrerent difficultati, dixerunt, JESUM CHRISTUM, quatenus hominem, ignoraſſe diem Judicii, non autem quatenus Deum. Non quod JESUS CHRISTUS quatenus homo aliquid ignoraverit, namque propter hypoſtaticam cum divinitate unionem, in eo omnes erant *theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi* 4. Sed quod humanitas ſola a divinitate ſeorſim conſiderata per ſe, ac ſuo tantum lumine id cognoſcere nequiret; vel potius, quod noviſſimi Judicij cognitio non eſt ex his rebus, quæ rationis lumine ſimplex homo aſſequi valeat. Ita ille Apoſtolorum ſuorum, qui ſciſcitati fuerant, quandonam venturum eſſet Regnum illius, ac Mundi finis, intempeſtivam curioſitatem coercet. Illis enim reſpondet, hæc eſſe arcana, quorum cognitionem uni ſibi reſervare voluit Deus; itaque explicationem illius non eſſe petendam ex homine ullo, neque ex Angelo, neque ex ipſo JESU CHRISTO, quoniam hac in re illis non vult reſpondere. Vide Hammondium in ℣. 32. c. 13. S. Marci.

Patres alii [5] crediderunt, Dei Filium ſimpliciter innuere voluiſſe, ſibi hac in re nullam eſſe experientiam, vel ſcientiam experimentalem. Theoretice hoc quidem narrat, non autem practice. Eodem pacto explicatur, quomodo poteſt JESUS proficere ſapientia, virtute, immo & ſcientia. Ille proculdubio nequaquam recentes ſcientiæ, virtutis, vel ſapientiæ habitus acquirebat, ſed eorum quotidie recentia præbebat ſpecimina, & in ſingulos dies nova virtutis exempla proferebat. Hoc ipſum dicendum de ſcientia hac, cujus objectum erat Judicii dies.

Alii [8] dicunt, JESUM CHRISTUM quodam in ſenſu ignoraſſe, quod in re non cenſebat, aperire nobis. Hoc ille nobis neſciebat; volebat enim, ut nos id neſciremus; hac in re ardentem auctoritatem noſtram coercere cupiebat. Dicitur nonnumquam in Scripturis id facere Deus, quod permittit dumtaxat, vel etiam quod prædicit, vel ab aliis prædici jubet. Hoc in ſenſu indurat, obſtruit oculos, & aures; impiorum cor aggravat. Ita dici poteſt, ignorare, quod efficit, ut ignoremus, vel quod non permittit, ut ſciamus, & quod ope illius non neſcire poſſemus. Hoc ipſum ferme S. Paulus 1. Cor. 2. 2. ajebat: *non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi JESUM CHRISTUM, & hunc crucifixum*; hoc eſt ſibi non aliam præter hanc lectionem illis eſſe tradendam. Optio cuicumque datur inter varias explicationes, quæ a Patribus, atque Interpretibus afferuntur.

℣. 37. SICUT IN DIEBUS NOE.] Diluvium homines nec cogitantes oppreſſit, ita Jeroſolyma repente ab hoſtibus circumvallabitur, atque Judæi a Romanis opprimentur, ubi ſe maxime tutos crediderint.

℣. 40. DUO ERUNT IN AGRO, UNUS ASSUMETUR &c.] De more agris excolendis vacabunt, cum repente hoſtium ingruentibus copiis, alter aufugiet, capietur alter [7]. Hoc, uti ſuperius dictum eſt, magnam Judæorum ſecuritatem innuit, atque repentinam hoſtium irruptionem, quæ Judæis integrum non relinquent mutuis ſemet auxiliis confirmare. Aufugiet quilibet, ut poterit, quemadmodum in ſubitis, exciſque terroribus accidit. Antiqui complures hoc de prædeſtinatione, & reprobatione interpretantur.

℣. 41. DUÆ MOLENTES.] Mulieres, & [8] homines ſine ullo timore vacabunt laboribus ſuis, cum in illos irruet hoſtis. Ex ancillis duabus molam circumagentibus ad triticum, in domo heri ſui terendum, hæc fugam arripiet, opprimetur altera. Non ſemel jam animadvertimus eorum temporum molendina alia fuiſſe ab his, quibus hodie conſuevimus. Ancillæ in piſtrino quodam veluti carcere incluſæ manuarias verſabant molas, ut triticum tererent, cui labori calamitoſiſſimus quiſque ex utroque ſexu addicebatur [9].

Vetera complura cum Græca, tum Latina exemplaria MSS. [10], & Patres nonnulli iſthic addunt verba ex S. Luca 17. 34. deprompta: *in die illa erunt duo in lecto uno; unus aſſumetur, & alter relinquetur*. Verumtamen Salvator in S. Luca alia in occaſione hæc dixit, licet tunc etiam de Jeroſolymitano excidio, vel mundi fine loqueretur.

℣. 43. SI SCIRET PATER FAMILIAS, QUA HORA &c.] Græcus ad litteram [11]: *Si ſciret, qua vigilia noctis veniret*. Conſtat, tunc temporis Judæos in quatuor vigilias noctem diſtribuiſſe [12]. JESUS CHRISTUS Diſcipulis ſuis iſthic peculiarem curam commendat, ne ſe decipi ſinant, atque in Judæorum calamitate ipſi quoque opprimantur.

℣. 45. QUIS, PUTAS, EST FIDELIS SERVUS, ET PRUDENS?] In magnis domibus, ubi ingentes erant familiæ, dominus unum ex ſervis præficiebat cæteris, qui eorum vivendi rationi invigilaret, labores illis diſtribueret, & victum in ſingulos menſes, dies, vel hebdomadas erogaret. Hoc autem vulgo illi deferebatur, qui præ cæteris ſapientiſſimus, fideliſſimus, atque domeſticæ rei amantiſſimus ducebatur. Munus hoc erat illi haud ſpernenda merces. Talis fuit Eliezer in domo Abraham, Joſephus in domo Pharaonis. A Romanis *diſpenſator* vocabatur ille, qui familiæ præpoſitus erat; alii vero *Vicarii*, aut *conſervi* appellabantur. Servis autem in capita ſingulis diebus, ut plurimum, panis, vel tritici libra una appendebatur [13].

Di-

1 Ita mſ. Cantabrig. Chryſoſtom. Pariſ. Cod. 6. Codd. alii apud Hieronym. hic. S. Hilarius, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, Theophylactus explicant hic hæc verba, ſed certo definiri nequit, ea in ſuis exemplaribus legiſſe. Ea a S. Marco manabant, ut Arianis reſponderent. Notat S. Hieronymus ea non habuiſſe Origenis, & Pierii exemplaria. Leguntur in veteri Martianæi Vulgata.

2 Ambroſ. lib. 5. de fide cap. 8. *Veteres Græci codices non habent: Quod nec filius ſcit; ſed non mirum eſt, & ſi hoc falſarunt, qui Scripturas interpolavere divinas.* 3 Athanaſ. ſerm. 4. contra Arian. Ambroſ. lib. 8. in Lucam, Nazianz. Orat. 4. de Theologia, Theodoret. Anathem. 4. contra Cyrill. Cyrill. lib. 9. Theſauri cap. 4. Auctor. Oper. imperf. Iren. lib. 4. cap. 48. 49. Vide Grot. in Marc. 13. 32. &c.

4 Coloſſ. 2. 3. Vide Maldonat. hic. 5 Origen. in Matt. & Epiphan. hæreſi 69. Chryſoſtom. homil. de Trinitate, Bern. cap. 3. tract. de Humilit. 6 Vide, ſi placet, Origen. & Chryſoſtom. hic, et Auguſt. lib. 83. Quæſt. qu. 61. et lib. 1. de Trinit. cap. 12. & lib. de Geneſi contra Manich. cap. 23. Greg. lib. 8. Regiſtri Ep. 42. Hieronym. Bedam, Theophylact. hic. Ambroſ. in Luc. lib. 8. Novit ſibi, neſcit mihi.

7 Chryſoſtom. homil. 78. 8 Hieronym. hic. Ambroſ. lib. 8. in Luc. Hilar. hic.

9 Vide Exod. 11. 5. Iſai. 47. 2. Judic. 16. 21. Homer. Odyſſ. 20.

10 In Cantab. Stephan. B. cod. Leiceſtr. Sax. Heb. Munſt. & Tilii. Codd. Latini multi. Chryſoſt. Hil. Juvenc.

11 Ποίᾳ φυλακῇ ὁ κλέπτης ἔρχεται. 12 Matth. 14. 25.

13 Horat. Satyr. 5. lib. 1. Rogabat.

Denique tu numquam fugiſſes, cui ſatis una
Farris libra foret, tenui ſic, tamque puſillo.

℣. 51. DIVIDET EUM, PORTIONEMQUE PONET CUM HYPOCRITIS.] Paterfamilias a cœtu ſuo amandabit, & de munere priſtino dejiciet ſervum hunc, qui ſua abuſus fuerit auctoritate. Cum antea illi præcipuum inter conſervos locum tribuiſſet, in illum deinde animadvertet, uti aſſolet in ſervos fugitivos, infideles, doloſos, perfidos; hoc enim pro *hypocritarum* nomine intelligendum eſt. S. Lucas 12. 46. legit: rejiciet illum in ordinem cum *infidelibus ſervis*, tradet illum in teterrimum carcerem, ubi *erit fletus, & ſtridor dentium*; ibique omnia ea perpatietur, quæ ipſius perfidia, atque infidelitas meritæ ſunt [1].

Nonnulli [2] vertunt [3]: *ſecabit illum medium*. Quod ſupplicii genus erat, ut ajunt, in Oriente vulgatiſſimum. Daniel alteri e ſenioribus, qui Suſannam accuſaverant, inquit [4]: *ecce Angelus Dei ſcindet te medium*. Auctor Epiſtolæ ad Hebræos c. 11. 37. ad hoc ſuppli-

A cium alludit, loquens, quemadmodum creditur, de ea morte, qua Iſajas affectus fuit.

Alii [5]: *illum morti addicet*. Separabit animam ejus a corpore. In Hebraico textu verbum ſeparare, vel dividere, nonnumquam mortem inferre ſignificat, vade, deſcende, ait Dominus Moyſi Exod. 19. 24. dic populo, ne ad montem accedat, ne illum dividam. Et cum Sacer Auctor loquitur de morte Ozæ, ait 2 Reg. 6. 8. Dominum ſeparaſſe Ozam. Verum hæc omnes inde explicationes evertuntur, quod poſtquam Filius ait, a Domino diviſum iri ſervum ſuum, addit etiam, poſitum iri cum ſervis infidelibus in carcere, ubi erit fletus, & ſtridor dentium. Supponit ergo futurum, ut adhuc vivat; niſi altera hæc pars in figurato ſenſu accipiatur, quaſi innuat, illum in Infernum conjiciendum, ubi in doloribus, atque deſperatione verſabitur.

1 Vide Hieronym. Auctor. Oper. imperf. Euthym. Maldonat.
2 Montan. Tremel. Hammond. ex Tertull. Apolog. cap. 3. Camero, alii.
3 *Καὶ διχοτομήσει αὐτόν.* 4 Dan. 13. 54.
5 Maldonat. Beza, Schmit. alii.

CAPUT XXV.

Parabola de decem Virginibus, ac de Patre familias variam pecuniæ vim ſervis ſuis diſtribuente, ut inde fructum ferrent. Judicium Dei, cui boni æque, & mali intererunt. Opera miſericordiæ facta, vel negata JESU CHRISTO in perſona membrorum illius.

1. TUnc ſimile erit regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obviam ſponſo, & ſponſæ. 2 Quinque autem ex eis
erant fatuæ, & quinque prudentes: 3 Sed quinque fatuæ, acceptis lam-
padibus, non ſumpſerunt oleum ſecum: 4 Prudentes vero acceperunt oleum in vaſis
ſuis cum lampadibus. 5 Moram autem faciente ſponſo, dormitaverunt omnes, &
dormierunt. 6 Media autem nocte clamor factus eſt; Ecce ſponſus venit, exite ob-
viam ei. 7 Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades ſuas. 8
Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ
extinguuntur. 9 Reſponderunt prudentes, dicentes; Ne forte non ſufficiat nobis,
& vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. 10 Dum autem irent emere,
venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ja-
nua. 11 Noviſſime vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine,
aperi nobis. 12 At ille reſpondens ait; Amen dico vobis, neſcio vos. 13 Vigi-
late itaque, quia neſcitis diem, neque horam. 14 Sicut enim homo peregre profi-
ciſcens, vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua. 15 Et uni dedit quinque
talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique ſecundum propriam virtutem, &
profectus eſt ſtatim. 16 Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt
in eis, & lucratus eſt alia quinque. 17 Similiter & qui duo acceperat, lucratus eſt
alia duo. 18 Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pe-
cuniam domini ſui. 19 Poſt multum vero temporis venit dominus ſervorum illorum,
& poſuit rationem cum eis. 20 Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit
alia quinque talenta, dicens; Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia
quinque ſuperlucratus ſum. 21 Ait illi dominus ejus: Euge, ſerve bone, & fide-
lis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium do-
mini tui. 22 Acceſſit autem, & qui duo talenta acceperat, & ait; Domine, duo
talenta tradidiſti mihi, ecce alia duo ſuperlucratus ſum. 23 Ait illi dominus ejus:
Euge, ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſti-
tuam, intra in gaudium domini tui. 24 Accedens autem & qui unum talentum ac-
ceperat, ait; Domine, ſcio, quia homo durus es; metis, ubi non ſeminaſti, &

con-

congregas, ubi non ſparſiſti: 25 Et timens abii, & abſcondi talentum tuum in ter-
ra: ecce habes, quod tuum eſt. 26 Reſpondens autem dominus ejus, dixit ei:
Serve male, & piger, ſciebas, quia meto, ubi non ſemino, & congrego, ubi non
ſparſi: 27 Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego
recepiſſem utique, quod meum eſt cum uſura. 28 Tollite itaque ab eo talentum, &
date ei, qui habet decem talenta. 29 Omni enim habenti dabitur, & abundabit:
ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. 30 Et inutilem
ſervum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & ſtridor dentium. 31 Cum
autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit
ſuper ſedem majeſtatis ſuæ: 32 Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſepa-
rabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis: 33 Et ſtatuet oves qui-
dem a dextris ſuis, hœdos autem a ſiniſtris. 34 Tunc dicet rex his, qui a dextris
ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſti-
tutione mundi. 35 Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mi-
hi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: 36 Nudus, & cooperuiſtis me: infir-
mus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me. 37 Tunc reſpondebunt
ei juſti, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus te: ſitien-
tem, & dedimus tibi potum? 38 Quando autem te vidimus hoſpitem, & collegi-
mus te? aut nudum, & cooperuimus te? 39 Aut quando te vidimus infirmum, aut
in carcere, & venimus ad te? 40 Et reſpondens rex, dicet illis: Amen dico vo-
bis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. 41 Tunc di-
cet his, qui a ſiniſtris erunt: Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui
paratus eſt diabolo, & angelis ejus. 42 Eſurivi enim, & non dediſtis mihi mandu-
care: ſitivi, & non dediſtis mihi potum: 43 Hoſpes eram, & non collegiſtis me:
nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. 44
Tunc reſpondebunt ei & ipſi, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem,
aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non mi-
niſtravimus tibi? 45 Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu
non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. 46 Et ibunt hi in ſupplicium æ-
ternum, juſti autem in vitam æternam.

℣. 1. SIMILE ERIT REGNUM COELORUM &c.[1]] Parabula hæc eſt præcedentis capitis continuatio. Ibi JESUS CHRISTUS Diſcipulos ſuos adhortatur, ut vigilent, atque expectent terribilem noviſſimi adventus ſui diem, figura cujus erit Jeroſolymitanum excidium. Hic vero ait, Regnum Cœlorum ſimile eſſe decem Virginibus occurrentibus ſponſo; videlicet fidelibus, qui ſunt in Eccleſia[2], expectandum eſſe eodem pacto, quo Virgines domo egreſſæ ſponſo occurrunt, ut in domum ſponſæ illum adducant. Cum Eccleſia conſtet ex bonis, & malis, ex electis, ac reprobis; iſthic & ſapientes & fatuæ Virgines memorantur. Sponſus eſt JESUS CHRISTUS, Sponſa Eccleſia, dies adventus ejuſdem in domum ſuam eſt dies Judicii.

Ut parabolæ hujus ſenſum facilius aſſequamur, operæ B pretium eſt perpendere, quinam fuerit olim nuptiarum mos, ad quem iſthic JESUS CHRISTUS alludit. Sponſus inviſebat conjugem ſuam, eamque domum ſuam, ut plurimum, noctu, magna cum celebritate, adducebat: eaque erat concluſio cæremoniarum conjugii. Cum vero ſponſæ de una in alteram adducebatur civitatem, Virgines urbis, ad quam accedebat, occurrebant illi, accenſas gerentes tædas, quales iſthic decem Virgines deſcribuntur. Præterea ſecum Sponſa pronubas ſuas, atque pediſſequas pro generis ſui opibus, & nobilitate ducebat; eaque apud omnes ferme Orientales ad hanc diem viget conſuetudo [3]. In Machabæorum 9. 37. legimus, quid contigerit in nuptiis potentis cujuſdam viri, cui nomen *Jambri*, domum ſuam adducentis conjugem, quam Medebæ duxerat. Heſiodus Scut. Herc. verſ. 275. conjugii pompam deſcribens ait, Sponſam magnifico ſuffultam curru, ac nobilibus ſpectatam viris, ad Sponſum fuiſſe deductam. Aer feſtivis concentibus reſonabat, funalia, quæ a ſervis geſtabantur, noctis tenebras vincebant; & Sponſam præcedebant Matronæ eximiæ forma. Statius etiam fingit, conjugio cuidam novem Muſas cum lampadibus adfuiſſe Sylv. lib. 1.

Demigrant Helicone Deæ quatiuntque novena
Lampade ſolemnem thalamis coeuntibus ignem.

In Perſide ſponſam magna ſervorum, virginumque caterva cum facibus ſubſequitur.

ACCIPIENTES LAMPADES SUAS.] Alibi funalia, vel faces ex pinguibus ſarmentis, atque pice oblitis fiebant. Apud Hebræos gerebantur lampades, inquiunt Rabbini, & hoc ipſum Iſraelitæ, vel Arabes conſueverant [4]. Sed lampades hæ a noſtratibus longe erant aliæ, ideoque huic loco lux addenda eſt, ne ſupponentes, lampades has vulgaribus ſimiles fuiſſe, non ita perſpicue intelligamus ea, quæ inferius dicuntur, Virgines fatuas acceptis lampadibus ſuis non ſumpſiſſe oleum ſecum, & videntes illas intermori, petiiſſe e ſociis ſuis, ut ſibi oleum mutuum darent.

Hæ faces erant, vel lampades juxta veterum morem, quæ oleo fovebantur, quod ſecum in vaſculo deferre conſueverant; & quod illis identidem fundebatur. Gallonius de Cruciat. Mart. c. 6. eas ita deſcribit: VE-
ſcula

1 Græcus ſimpliciter legit *obviam ſponſo*: Ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου. Et ſic legebant plerique Codd. MSS. neque ex Origenis S. Hilarii, S. Hieronymi, S. Chryſoſtomi commentariis videntur hi Patres *ſponſæ* nomen legiſſe.
2 Auguſt. Serm. olim 22. nunc 93. Origen. Hieron. Maldon. alii hic.
3 Chardin, Voyage de Perſe pag. 263. & Colovic, Voyage de Jeruſalem cap. 9. aliique plures.
4 Selden. Uxor. Hebr. lib. 2. cap. 1.

ſcula erant fictilia, vel ferrea [1] lata, atque aperta in ſuperiori parte ad palmi unius, vel unciarum quatuor, aut non multo ſecus latitudinem, in apicem inferius deſinentia; hærebantque inſerta ligno cuidam, quod erat velut anſa, qua tenebantur. In veſibus autem combuſtibilis materia cum oleo, vel alia re ſimili, ponebatur ad ignem, & lumen alendum. Harum lampadum reliquiæ in urbis Romæ ruderibus adhuc inveniuntur. Dominus Bernier [2] auctor eſt, præcipuos viros in aula magni Mogolis ad Regis Tabernaculum noctu procedere tædis præeuntibus. *ſed hæ lampades nequaquam ceteræ ſunt, uti noſtrates. Indicæ illæ diutius vigent. Neque aliud ſunt, quam ferrum ligno inſertum, ad cujus extremitatem veterum linteamina obvolvuntur, quæ ſubinde oleo irrigantur. Tædifer illud adſpergit ex vaſculo æreo, vel ferreo prælongum collum habente, quod replerum oleo ſemper manu gerit.*

Hujuſmodi erant Virginum lampades. Sapientes quidem Virgines oleo vas ſuum repleverant, prævidentes futurum, ut ſerius ſponſus accederet. Fatuæ vero exiguam olei copiam ſecum attulerant, quod ſtatim abſumptum eſt, cumque lampades nequaquam ſatis eſſent madefactæ, quamprimum extinctæ ſunt. Reor, lampades militum Gedeonis [3] his fuiſſe perſimiles. Erant faces quædam lineis involutæ ſcrutis, quibus injiciebatur oleum, prout abſumebatur, ut ignis, & lux aleretur; lampades enim vulgares minime prodeſſe potuiſſent ad id, in quod illa erant deſtinata. Quomodo enim accenſæ permanere potuiſſent in prælii agitatione, & in hoſtium fugientium nocturna perſecutione? Quomodo ſubdio deferri potuiſſent ventis, imbribus, atque olei effundendi periculo expoſitæ? Adde his lucem non ſatis ingentem eſſe, ut in magna celebritate reſplendeat, qualis fuit hæc, de qua JESUS CHRISTUS loquitur, vel in re ſummi negotii, ac illud Gedeonis.

℣. 2. QUINQUE AUTEM EX EIS ERANT FATUÆ, & QUINQUE PRUDENTES.] Dementia, atque ſapientia hoc in loco ſignificant potius imprudentiam, vel prudentiam, prævidentiam, vel negligentiam. Oleum deficiens fatuis Virginibus eſt fides, charitas, bona opera, vigilantia [4]. Fatuæ Virgines intermortuam habent fidem, languentem charitatem; illarum attentio neque jugis eſt, neque conſtans. Lampades fidem ſignificant [5]; fatuæ Virgines eam non ſecus, ac ſapientes receperunt. Sed illis deeſt charitas, deſunt opera bona.

℣. 5. MORAM AUTEM FACIENTE SPONSO.] Sponſi mora innuit, adventum illius haud ita imminere; decem Virginum ſomnus, mortem earum deſignare poteſt [6], vel etiam vitam hanc, ubi boni, ac mali vivunt, inſcii, incertique, quo tempore futurus ſit alter hic JESU CHRISTI adventus, & propria mors. Verum hoc inter illas diſcriminis intereſt, quod quamvis Juſti non ſemper actu id mente repureot, numquam tamen non timent; fidem, & charitatem jugiter ſervant, in bonorum operum exercitatione verſantur. Licet dormire videantur, ſemper tamen parati ſunt, ut diſcedant, ſuaſque lampades accendant. Cum interim ſecuri ſint impii, quin ad præſens attenti ſint, quin futurum timeant, ea, quæ ad ſe ſpectant, prorſus negligentes.

℣. 6. MEDIA AUTEM NOCTE CLAMOR FACTUS EST.] Nox hæc deſignat incertitudinem, in qua verſamur, temporis illius, quo Dei Filius venturus eſt [7]. Ipſe nos vocabit, & veniet, cum minus cogitabimus. Veteres nonnulli hoc ad litteram [8] explicabant, & credebant, Dei Filium concubia nocte venturum. Teſtatur D. Hieronymus, Judæos credidiſſe, Meſſiam noctu adfuturum, atque inde profecta eſt, inquit ille, traditio Apoſtolica, prohibens, ne ante mediam noctem vigiliis Paſchatis populus dimittatur; quippe adventus Domini ad mediam uſque noctem expectatur. *Clamor*, qui advenientu ſponſo exauditur, idem ille eſt, qui præcedenti capite [9] buccinarum clangore, qui in Domini adventu maxime perſtrepet [10], deſignatur.

℣. 9 ITE POTIUS AD VENDENTES.] S. Hilarius [11] ait, in altera vita nobis minime profuturum aliorum meritum, ſed illud dumtaxat, quod boni egerimus; *alienis ſcilicet operibus, ac meritis neminem adjuvandum*. Quilibet judicabitur juxta ea, quæ bona fecerit, vel mala: *Neque poſſunt in die Judicii aliorum virtutes, aliorum vitia ſublevare*, S. Hieronymus inquit. Credit S. Auguſtinus ſerm. 93. olim 23. hanc ſapientum Virginum reſponſionem ironicam eſſe: *non conſulentium, ſed irridentium eſt iſta reſponſio*.

℣. 10. DUM AUTEM IRENT EMERE, VENIT SPONSUS.] Hoc ſignificat inutilem pœnitentiam, atque inutilia improborum deſideria terribili divini Judicii die. Pœnitentia, quæ morte imminente fit, non ſemper inutilis eſt; Dei miſericordia nulli momento alligata eſt, quovis tempore ſalvare poteſt. Bonus Latro de Cruce pendens meruit JESUM CHRISTUM agnoſcere, & confiteri. Sed Eccleſia, & Sancti ſuſpicione nequaquam carere crediderunt converſionem illorum, qui ad Deum in ipſo mortis ſuæ momento revertuntur, & qui peccatum relinquunt tunc ſolum, cum ab objectis cupiditatis ſuæ relinquuntur. Quot autem ſunt, qui morte opprimuntur, antequam ad Deum reverti cogitaverint? *Dum autem irent emere, venit Sponſus*.

℣. 12. NESCIO VOS.] Ad nuptias meas minime pertinetis; alieni eſtis, nihilque vobis eſt, vel mecum, vel cum Sponſa mea. Vos minime novi cognitione, amicitiæ, benevolentiæ, approbationis: *Sufficit Virginibus pro pœna, quod ignorantur a Sponſo*, inquit S. Hieronymus in hunc locum.

℣. 14. SICUT ENIM HOMO PEREGRE PROFICISCENS.] Hæc recens eſt parabola, a præcedenti haud abnormis, eo quod Dei Filius in utraque ad ſcopum eumdem contendit. Hic docet quemlibet noſtrum in judicio Dei rationem eorum omnium, quæ a Deo acceperit, cum interiorum gratiarum, tum exteriorum munerum, adminiculorum ſibi ad ſanctificationem præbitorum, provinciarum ſibi creditarum, mortalium eorum, quorum ſaluti præpoſitus fuit, verbo, omnium actionum ſuarum, totiuſque vitæ ſuæ redditurum. Narrat S. Lucas 19. 12. parabolam huic ferme ſimilem, ſed alia in occaſione a JESU CHRISTO propoſitam, ubi non deſunt etiam circumſtantiæ quædam omnino diverſæ.

Vir iſte peregre proficiſcens eſt Jeſus, qui in Cœlum aſcendens Eccleſiæ corporalem ſuam præſentiam ademit [12]. Servi illius ſunt omnes fideles & peculiariter Apoſtoli, atque Paſtores, qui illis in Apoſtolico munere ſucceſſerunt [13]. Talenta illis tradita, quæ in lucrum poni deſiderat, & quorum expetit rationem, naturalia ſunt corporis, & animi dona; interiores, atque ſopernaturales gratiæ, talenta ſcientiæ, & eloquentiæ: officia, munera, dignitates, verbo, quidquid nobis Deus tradidit, ut in illius ſervitutem, & gloriam, noſtram vero ſanctificationem impenderemus.

Poteſt etiam preſſius ad litteram explicari, ita ut directe magis ad Domini noſtri mentem accedat, Judæis oſtendere cupientis contemptum, quo præcepta, ac ve-

1 Columell. l. 18. c. 18. *Vaſa vinaria quæ demiſſa ſunt humi, ferrariis lampadibus ardentibus caleſiunt.*
2 Bernier, Lettre 2. a M. de Merville pag. 34.
3 Judic. 7. 16.
4 Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. Origen. Hilar. Hieronym. Auctor Oper. imperfect.
5 Origen. Hilar. Hieronym. Auctor Oper. imperfect. Auguſt. Serm. 93. nov. edit. olim 23.
6 Hilar. & Chryſoſtom. hic. Auguſt. Epiſt. olim 120. cap. 32. nunc 140.
7 Hieronym. Theophylact. Beda, Hilar. hic, Auguſt. Ep. 120. nunc 140. Greg. Homil. 12. in Evang.
8 Vide Chryſoſt. Euthym. Hieron. hic.
9 Matth. 24. 31. Confer 1. Theſſal. 4. 15. & 1. Cor. 15.
10 Ita PP. Origen. Chryſoſt. Auctor Oper. imperf. Hieronym. Euthym. Theophil. Auguſt. Ep. 140. nov. Edit.
11 Hilar. hic, & ita Chryſoſt. homil. 39.
12 Origen. Hieron. Beda, Auctor Oper. imperf.
13 Chryſoſt. Hieron. Beda, Euthym. Theophylact. Maldon. hic. Ambroſ. in Luc. 19. & alii paſſim.

ac veritatem ſibi ab illo prædicatam exceperunt, reprobationis ipſorum cauſam futurum. Fideles ſervi, & diligentes, qui domini ſui talenta in lucro ponunt, ſunt Apoſtoli, ac Judæi illi, qui in Jeſum Chriſtum crediderunt. Servi mali, qui domini ſui pecuniam aſfoderunt, ac nullum inde quæſtum perceperunt, deſignant pertinaces, atque infideles Judæos, qui cum ignoraſſent tempus viſitationis, atque felicitatis ſuæ, Evangelio autem præbere, atque inde lucrum percipere, neglexerunt. Hi calamitoſi veluti inutiles ſervi, indigna mancipia, de domo Domini ſui ejiciuntur, atque aditus in convivii aulam intercluditur. Parabola decem mnarum, quas Paterfamilias decem ſervis diſtribuit apud S. Lucam cap. 19. ℣. 12. ab hujus argumento minime abhorret.

℣. 15. UNICUIQUE SECUNDUM PROPRIAM VIRTUTEM [1].] Antiquitus heri per ſervos ſuos ex bonis ſuis lucrum quærebant. Eorum quemlibet pro ſingulorum captu, induſtria, merito, ac fide exercebant, vel agris colendis, vel mercaturæ peragendæ, vel arti alicui exercendæ, vel locandis rebus aliis eos addicentes, ubi induſtria, & labor ea pecunia lucrum facere poſſunt [2]. Dominus, de quo hic agitur, peregre profecturus, cum per ſe negotiis ſuis invigilare minime poſſet, ſervis pecuniam diſtribuit, ab iiſdem in lucro ponendam. Hoc ipſum ferme animadvertitur ea in ratione, qua Deus cum miniſtris ſuis operatur. Singulis talenta ſua tradit, & ab illis eorumdem rationem diligentiſſime exquirit [3].

Hoc tamen intereſt diſcrimen inter communes dominos, atque ſupremum Patremfamilias, quod hic auctor eſt & gratiarum, quas impertit, atque habituum naturalium, vel ſupernaturalium, quos in animis inſerit eorum, quorum utitur opera, & recti uſus illius, in quem illos convertere poſſunt: cum vulgares domini induſtriam, fidem, & ſapientiam in iis, quibus pecuniam credunt, vel inveniant, vel ſupponant. Deus, ut apertius ſuam Omnipotentiam indigitet, dignatus iis uti inſtrumentis, quæ conſiliis ſuis minus apta videntur, ne ſuperbiat homo. Elegit, quidquid infirmum erat in Mundo, ut quidquid fortiſſimum erat, confunderet; aſſumpſit, quidquid a mortalibus inſipientiſſimum æſtimabatur, ut inanem ſapientum prudentiam ſuperaret [4]. Ille miniſtris, quos manu ſua conſtituit, tribuit opem, atque prudentiam, eorum officiis accommodatam, quod per hæc verba ſignificat: *ſecundum propriam virtutem*. Noſtrum quilibet a Deo talentum ſuum accepit, de ſingulis ratio reddenda eſt. Nemo dicere poteſt: nihil accepi, nihil debeo. Omnia debemus Deo, quia omnia ab illius manu recepimus [5].

℣. 16. QUI QUINQUE TALENTA ACCEPERAT, LUCRATUS EST ALIA QUINQUE.] Gratiæ, & donorum Dei augmentum meremur, cum præclare illis utimur [6]. Ii præſertim qui ad animarum ſalutem, atque converſionem incumbunt, digni ſunt, quibus Deus donorum affluentiam largiatur, cum fideliter illi ſuam impendunt ſervitutem.

℣. 18. ABSCONDIT PECUNIAM DOMINI SUI.] Hanc neque in domini ſui gloriam, neque ad fratrum ſuorum ſalutem, neque in propriam ſanctificationem tranſmittit. Nequicquam recipit gratiam Dei ſui [7], extinguit ignem, quem venit allaturus in terras Jeſus Chriſtus: lumen abſcondit ſub modio, Deo gloriam, & proximo ſuo opem, quam illis debet, minime tribuit. Impium eſt, atque crudele aliis minime prodeſſe, cum maxime poſſumus: *nulli prodeſſe*, inquit S. Auguſtinus [8], *impium, & crudele eſt*. Paterfamilias non damnavit ſervum, velut doloſe aliquid ſurripuiſſet, vel bona obliguriiſſet; ſed dumtaxat veluti inertem. *Non enim damnavit ſervum, qui intervertit; quod accepit, ſed qui non erogavit. Intelligatur, pœna interverſoris ex pœna pigri.* Deus ſalutis noſtræ avarus eſt.

℣. 21. INTRA IN GAUDIUM DOMINI TUI.] Vel potius in *convivium*, ad nuptias; quod hoc in loco gaudii nomen ſignificat. In Hebræo textu convivia, dies feſti, nonnumquam *gaudia*, vel hilaritates vocantur [9]: Hoc opponitur illi, quod de ſervo nequam dictum eſt, de convivio, ac domo ejiciendo, atque acris contumeliis, noctiſque frigori objiciendo: *in tenebras exteriores* ℣. 30.

℣. 24. SCIO, QUIA HOMO DURUS ES.] Hæc nefaria eſt inertiſſimi ſervi excuſatio, in domini ſui inanem ſævitiam rejicientis eam negligentiam, qua fructum percipere ex credito talento recuſavit. Non moratur Deus iſthic inaniſſimam hanc rationem confutaturus, quæ licet aliquid roboris haberet, ſemper tamen illius, qui eadem utitur, errorem augeret. Vide ℣. 27. vide etiam Lucam 19. 22. *De ore tuo te judico ſerve nequam. De ſolo tibi credito talento reſpondere para, ſecurus de reliquo*, S. Bernardus ait ep. 201. *totum do, quia totum repetendus es, uſque ad noviſſimum quadrantem, ſed ſane quod habes, non quod non habes.*

℣. 27. OPORTUIT ERGO TE COMMITTERE PECUNIAM MEAM NUMMULARIIS.] Si uſura iſthic preſſius intelligatur, dicendum eſt, Jeſum Chriſtum loquentem inducere Patremfamiliam juxta eas omnes calumnias, quæ ſibi a ſervo nequam adſpergebantur. Me durum hominem, inclementem, crudelem, avarum, fœneratorem vocas. Cur ergo ſaltem creditam pecuniam in fœnore non collocaſti, ut lucrum ferres? hoc non aſſerit, dominum crudelem eſſe, & avarum; nec uſuram ab illo probari; ſed ille hunc ſervum nequam ex illius reſponſione redarguit. Dici quoque poteſt, hos *nummularios*, quibus ſervus tradere poterat pecuniam Domini ſui in quæſtum, ſimplices fuiſſe trapezitas [10], qui lucrum dividerent cum eo, a quo pecuniam fuiſſent mutuati. Denique, quemadmodum Hebræi fœnus erga alienigenas [11] ſibi licere putant, credi poteſt, hos fœneratores alienis dumtaxat cum fœnore nummos locaſſe; ideoque fœnus toleratum fuiſſe. Verum quin parabolæ verba preſſius intelligantur, conſtat ſane, mentem Salvatoris fuiſſe docendi, a nobis nihil prætermittendum, ut gratia, quam nobis contulit quocumque in ſtatu Deus, ſeu ad noſtram perfectionem, ſeu ad ſalutem, atque fratrum noſtrorum utilitatem conducat. Patres [12], qui talenti nomine Dei verbum intelligunt, fœnus explicent de fructu, quem in audientibus parit.

℣. 28. TOLLITE ITAQUE AB EO TALENTUM.] Deus amovet gratiam ſuam ab his, qui negligunt illam, vel qui minime illam convertunt in eum uſum, quem vult [13], eamque aliis tradit. Judæi Evangelii gratiam recipere noluerunt. Jeſus Chriſtus illam Ethnicis communicavit. Quot mortales ad ſanctitatem evocati, primum quidem gratiis, atque luminibus cumulati, mox in fide naufragium fecerunt, atque in teterrima flagitia lapſi ſunt? cum interim Deus alios ex vitiorum cœno eruat, & qui vaſa erant contumeliæ, eoſdem in vaſa gloriæ convertat? Judas Jeſum Chriſtum ſequens corrumpitur: S. Paulus Jeſum Chriſtum perſequens, convertitur. Noviſſimi Judicii die, quem in parabola deſignat tempus, quo Dominus e ſervis ſuis rationem expetiturus eſt, non auferet Deus impiis gratias, quibus abuſi ſunt; ſed tribuet Juſtis gloriam, qua impii per inertiam ſeſe indignos præbuerunt, & quam

1 Κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν. 2 Petron. Trimalcion. *Poſtquam cœpi plus habere, quam tota patria mea habet, manum de tabula; ſuſtuli me de generatione, & cœpi libertos fœnerare.*
3 1. Cor. 12. 4. 5. & ſequ. *Diviſiones gratiarum ſunt .... & diviſiones miniſteriorum ſunt ... & diviſiones operationum ſunt: idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.*
4 1. Cor. 1. 27. 5 Vide Chryſoſt. homil. 79. in Matt. Greg. hom. 9. in Matt.
6 Auth. oper. imperf. Mald. alii. 7 2. Cor. 6. 1. 8 Aug. Enarrat. in Pſal. 99.
9 שמחה Vide Geneſ. 31. 27. 1. Par. 29. 22. Eſther. 9. 19. Le Clerc, Piſc. Scultr.
10 Vide ſup. Matth. 22. 10 11 Deut. 23. 20. 12 Origen. Hilar. Chryſoſt. Hieronym.
13 Vide Chryſoſt. hic, hom. 79.

& quam per fidem potuiſſent acquirere.

℣. 30. SERVUM INUTILEM.] Servum, qui minime prodeſt; & ſervus, qui minime prodeſt, malus eſt ſervus. Dominus enim eum emit, ut ſibi famularetur, atque ex eo fructum ferret. Nomen *inutilis* in Scripturis [1] ſæpe *nequam* ſignificat; iſthic vero innuere poteſt eum, qui nullam gerit curam domeſticæ rei, & commodorum domini ſui. Vide S. Lucam 17. 10. Cicero de Officiis civem malum inutilem civem appellat: *ſeditioſum, & inutilem civem Caium Norbanum in judicium vocavit*.

℣. 31. IN MAJESTATE SUA.] Græcus [2] *in gloria ſua*; & ſimiliter paulo poſt; ſedebit ſuper *ſedem gloriæ ſuæ* pro *Majeſtatis ſuæ*.

℣. 32. CONGREGABUNTUR ANTE EUM OMNES GENTES.] Paſtoris inſtar hircos ab arietibus ſeparabit; bonos e malis, prædeſtinatos a reprobis. Jeſus hic apertiſſime judicium mortalium omnium ſignificat; attamen veteres nonnulli [3] alteri incumbentes textui, qui habet [4]: *qui non credit in eum, jam judicatus eſt*, in dubium revocarunt, utrum omnes homines, Ethnici ſimul, & Chriſtiani, judicio ſint interfuturi. Eccleſia priorem ſententiam amplexa eſt, et Theologi S. Joannis locum explicant, dicentes, eos, qui non credunt, jam judicatos eſſe; hoc eſt, damnationem eorum ita certam eſſe, ut nequaquam opus ſit illos rurſus judicari, eorumque cauſam ad judicii trutinam revocari. Sufficit, illos infideles eſſe, ut nigrum theta effigatur. Beda quatuor hominum ordines in noviſſimo judicio diſtinguit. Alii judicabunt, & non judicabuntur; & hi ſunt Apoſtoli, quibus Dei Filius ſpopondit [5], illos ſecum ſeſſuros ad duodecim Tribus Iſrael judicandas. Alii neque judicabunt, neque judicabuntur, eo quod damnatio eorum jam prolata eſt: qui in genere ſunt impii, & infideles. Tertii judicabuntur, ſed non judicabunt, cujus numeri ſunt ſimplices fideles, qui in Evangelium crediderunt, & ſecundum fidem ſuam operati ſunt. Quarti denique non judicabunt, ſed judicabuntur, & damnabuntur: quales ſunt mali Judæi, qui ante Jeſum Chriſtum vixerunt, malique Chriſtiani, qui vixerunt poſt Evangelii prædicationem, vitæque ſuæ ſordibus fidei ſanctitatem fœdiſſime dedecorarunt.

Ea ratio, qua Dei Filius iſthic loquitur, fidem adſtruit, hujus cœtum judicii certo quodam in loco habendum eſſe: illumque veteres nonnulli [6] vallem Joſaphat fore crediderunt, quæ hodierna die communis eſt, atque popularis ſententia. Hæc autem innititur huic Joel. 3. 2. *congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis ibi ſuper populo meo, & hæreditate mea Iſrael* &c. Supremus Judex in

A Olivarum monte ſedebit juxta ea Zachariæ verba c. 14. 4. *& ſtabunt pedes ejus in die illa ſuper montem olivarum* &c. populi vero ad montis ejuſdem radices ſubſiſtent in valle Joſaphat, quemadmodum nuper dictum eſt.

Putant alii [7], judicium hoc in Calvario perficiendum. S. Paulus 1. Theſſal. 4. 16. ait, electos in aerem ſublatum iri, eoſque coram Jeſu Chriſto apparituros, cum ad terram judicandam acceſſerit. Credidit Origenes hom. 9. in div. loc. nationes ſuper omnem terram congregandas eſſe; at ſi judicio cum corporibus ſuis intereſſe debent, quod dubitandum non eſt, longe majori procul dubio ad eas capiendas ſpatio opus erit. S. Hieronymus in ℣. 27. ait, *ſtultum eſſe*, Salvatorem, *in parvo loco, vel abſcondito quærere, qui totius mundi lumen ſit*. Ego vero affirmare non auſim, val-

B lem Joſaphat apud Joelem peculiarem Palæſtinæ locum indigitare. Geographi veteres nullam hujus nominis vallem agnorere. *Joſaphat* ſignificat *Judicium Dei*. Vallis Joſaphat ea eſt generatim, ubi judicia ſua Deus exercebit.

℣. 34. POSSIDETE PARATUM VOBIS REGNUM.] Græcus [8]: *hæreditate Regnum*; poſſidete tamquam hæredes patris, & cohæredes filii, Regnum hoc, quod Jeſu Chriſti mors vobis comparavit, vobis gratuito prædeſtinatum ante originem mundi, & antequam illud bonis operibus veſtris mereremini: *eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare* &c. Hac recenſione Dei Filius vobis oſtendit meritum operum miſericordiæ.

℣. 38. Verſiculus hic in quibuſdam veteribus exemplaribus Græcis deſideratur. Vide Millii variantes

C lectiones.

℣. 41. IN IGNEM ÆTERNUM, QUI PARATUS EST DIABOLO, ET ANGELIS EJUS.] Non ait, uti ℣. 34. *paratum vobis a conſtitutione mundi*; æternus quippe ignis, & damnatio numquam fuere ſecundum Dei mentem; invitus quodammodo creavit Infernum, ut veteres Angelos, hominesque nefarios puniret [9]. Per dæmonis nequitiam dumtaxat [10] mors in Mundum ingreſſa eſt: non lætatur Deus in peccatorum interitu [11]. Peccatores ſceleribus, atque improbitate ſua mortem, atque ſupplicia [12] promerentur: nemo perit, niſi qui perire vult. Punit Jeſus Chriſtus impios igne, et igne æterno, non chimærico, vel allegorico, aut perfunctorio, ſed reali, corporali, & numquam extinguendo. Improborum ſupplicia nullum umquam invenient

D finem, vel decrementum. Æternum & in anima, & in corpore eorum agent, eo quod numquam illorum immutabitur improbitas, neque pertinacia umquam flectetur.

℣. 42. ESURIVI ENIM &c.] *Quam ſpem habere poſſunt, qui mala faciunt*, S. Auguſtinus ait, *quando illi perituri ſunt, qui bona non faciunt* [13]?

---

1 Vide Matt. 12. 36. Job. 15. 16. Pſal. 13. 3. 52. 4. Prov. 6. 12. Eccli. 15. 20. Mich. 11. 1. etc.
2 Ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ . . . ἐπὶ θρόνου τῆς δόξης αὐτοῦ.
3 Vide Origen. hic, in Matt. & Euthym.
4 Joann. 3. 18.
5 Matth. 19. 28.
6 Hieronym. in Joel. 3. 2. Albert. Remig. Haim. Lyran. Var. Sa. Janſ. Tir. alii paſſim.
7 Vide Hilar. can. 21. in Matth. 24. ſeu 25. in nov. Edit. Ita & in cap. 28. n. 2.
8 Κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν, &c.
9 Origen. Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. Mald.
10 Sap. 2. 24.
11 Sap. 1. 13.
12 Sap. 1. 16.
13 Aug. ſerm. olim 38. nunc append. 77.

CAPUT XXVI.

Noviſſimum Domini noſtri Paſcha. Sacerdotes quærunt, quomodo JESUM capiant. Hic domi Simonis leproſi manducat. Mulier ſuper pedes ejus unguentum effundit. Judæ murmuratio, atque proditio. Ultima cœna Euchariſtica. Agonia JESU in horto. Comprehenditur, ducitur ad Caipham, accuſatur, damnatur, S. Petri negatio.

1. ET factum eſt cum conſummaſſet Jeſus ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis: 2 Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur. 3 Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores

Digitized by Google

niores populi in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas: 4 Et con-
ſilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent, & occiderent. 5 Dicebant autem: Non
in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo. 6 Cum autem Jeſus eſſet in Betha-
nia in domo Simonis leproſi, 7 Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum unguen-
ti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. 8 Videntes autem diſcipu-
li, indignati ſunt dicentes: Ut quid perditio hæc? 9 Potuit enim iſtud vænum-
dari multo, & dari pauperibus. 10 Sciens autem Jeſus, ait illis: Quid moleſti
eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me: 11 Nam ſemper pau-
peres habetis vobiſcum: me autem non ſemper habetis. 12 Mittens enim hæc
unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. 13 Amen dico vo-
bis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, & quod
hæc fecit in memoriam ejus. 14 Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Ju-
das Iſcariotes, ad principes ſacerdotum: 15 Et ait illis: Quid vultis mihi dare,
& ego eum vobis tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. 16 Et e-
xinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet. 17 Prima autem die azymo-
rum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pa-
ſcha? 18 At Jeſus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magiſter
dicit: Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. 19
Et fecerunt diſcipuli, ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha. 20 Veſ-
pere autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis, 21 Et edentibus il-
lis, dixit: Amen dico vobis, quia unus veſtrum me traditurus eſt. 22 Et con-
triſtati valde cœperunt ſinguli dicere: Numquid ego ſum, Domine? 23 At ipſe
reſpondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. 24 Fi-
lius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo: Væ autem homini illi, per
quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille. 25
Reſpondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego ſum, Rabbi?
Ait illi: Tu dixiſti. 26 Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedi-
xit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: hoc eſt
corpus meum. 27 Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex
hoc omnes. 28 Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effunde-
tur in remiſſionem peccatorum. 29 Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc
genimine vitis, uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in regno
Patris mei. 30 Et hymno dicto, exierunt in Montem Oliveti. 31 Tunc dicit il-
lis Jeſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim:
Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis. 32 Poſtquam autem reſurrexe-
ro, præcedam vos in Galilæam. 33 Reſpondens autem Petrus, ait illi: Et ſi o-
mnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor. 34 Ait illi Jeſus:
Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam Gallus cantet, ter me negabis. 35
Ait illi Petrus: Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter &
omnes diſcipuli dixerunt. 36 Tunc venit Jeſus cum illis in villam, quæ dicitur
Gethſemani, & dixit diſcipulis ſuis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem.
37 Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe.
38 Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem; ſuſtinete hic, & vigi-
late mecum. 39 Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orans, & di-
cens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte, verumtamen non ſicut e-
go volo, ſed ſicut tu. 40 Et venit ad diſcipulos ſuos, & invenit eos dormien-
tes, & dicit Petro: Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum? 41 Vigilate, &
orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem
infirma. 42 Iterum ſecundo abiit, & oravit, dicens: Pater mi, ſi non po-
teſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua. 43 Et venit iterum,
& invenit eos dormientes; erant enim oculi eorum gravati. 44 Et relictis illis,
iterum abiit, & oravit tertio eumdem ſermonem dicens. 45 Tunc venit ad diſci-
pulos ſuos, & dicit illis: Dormite jam, & requieſcite: ecce appropinquavit hora,
& Filius hominis tradetur in manus peccatorum. 46 Surgite, eamus: ecce appro-
pinquavit, qui me tradet. 47 Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duode-
cim venit, & cum eo turba multa, cum gladiis, & fuſtibus, miſſi a principi-
bus

bus ſacerdotum, & ſenioribus populi. 48 Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum:
dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. 49 Et confeſtim ac-
cedens ad Jeſum, dixit: Ave, Rabbi. Et oſculatus eſt eum. 50 Dixitque illi Je-
ſus: Amice, ad quid veniſti? Tunc acceſſerunt, & manus injecerunt in Jeſum, &
tenuerunt eum. 51 Et ecce unus ex his, qui erant cum Jeſu, extendens manum, e-
xemit gladium ſuum, & percutiens ſervum principis ſacerdotum amputavit auriculam
ejus. 52 Tunc ait illi Jeſus: Converte gladium tuum in locum ſuum, omnes enim,
qui acceperint gladium, gladio peribunt. 53 An putas, quia non poſſum rogare pa-
trem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones angelorum? 54
Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri? 55 In illa hora dixit
Jeſus turbis: Tamquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehendere
me: quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis. 56 Hoc autem
totum factum eſt, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum. Tunc diſcipuli omnes,
relicto eo, fugerunt. 57 At illi tenentes Jeſum, duxerunt ad Caipham principem ſa-
cerdotum, ubi Scribæ, & ſeniores convenerant. 58 Petrus autem ſequebatur eum
a longe, uſque in atrium principis ſacerdotum. Et ingreſſus intro, ſedebat cum mi-
niſtris, ut videret finem. 59 Principes autem ſacerdotum, & omne concilium quæ-
rebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent: 60 Et non inve-
nerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent. Noviſſime autem venerunt duo falſi teſtes,
61 Et dixerunt: Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædifi-
care illud. 62 Et ſurgens princeps ſacerdotum, ait illi: Nihil reſpondens ad ea,
quæ iſti adverſum te teſtificantur? 63 Jeſus autem tacebat. Et princeps ſacerdotum
ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei. 64
Dixit illi Jeſus: Tu dixiſti, verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium homi-
nis ſedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. 65 Tunc prin-
ceps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit: quid adhuc egemus te-
ſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam: 66 Quid vobis videtur? At illi reſpon-
dentes dixerunt: Reus eſt mortis. 67 Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis
eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt, 68 Dicentes: Prophe-
tiza nobis, Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit? 69 Petrus vero ſedebat foris in a-
trio: & acceſſit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jeſu Galilæo eras. 70
At ille negavit coram omnibus, dicens: Neſcio, quid dicis. 71 Exeunte au-
tem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat
cum Jeſu Nazareno. 72 Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi homi-
nem. 73 Et poſt puſillum acceſſerunt, qui ſtabant, & dixerunt Petro: Vere &
tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit. 74 Tunc cœpit deteſta-
ri, & jurare, quia non noviſſet hominem. Et continuo gallus cantavit. 75 Et re-
cordatus eſt Petrus verbi Jeſu, quod dixerat: Prius quam gallus cantet, ter me
negabis. Et egreſſus foras flevit amare.

℣. 2. SCITIS QUIA POST BIDUUM PASCHA FIET.] A Cum JESUS ſolidum feriæ ſextæ diem in templo tranſegiſſet, veſpere ad montem Olivarum conceſſit, ubi noctem traducere conſueverat [1]. In hoc monte dixerat Apoſtolis ſuis, quidquid legimus in cap. 24. v. 5. ibidem autem atque immediate poſt, hoc eſt, ſatis ſero dixit illis, poſt biduum futurum Paſcha, hoc eſt feria ſexta inſequenti [2]; ita enim hoc intelligit Dominus Toynardus, quem in Evangeliſtarum harmonia ſequi nobiſmet propoſuimus. Ejus ſyſtema omnes aufert difficultates, & mirum in modum conciliat S. Johannem cum S. Matthæo; quemadmodum liquebit ex univerſo commentarii decurſu, & liquere poteſt intuenti hiſtoricam ſeriem, & Harmoniam quatuor Evangeliorum, voluminis hujus capiti præpoſitam.

℣. 3. TUNC CONGREGATI SUNT PRINCIPES SACERDOTUM.] Feria quarta veſpere poſtquam JESUS CHRISTUS extra urbem receſſit: quæ conſtans eſt Eccleſiæ traditio, quæ plurimis ſæculis [3] illius diei jejunium ſervavit, ut innueret horrorem ſuum ob Judaici conſilii perfidiam. *Principes Sacerdotum* ſunt, vel capita familiarum Sacerdotalium, vel præcipui e Sacerdotibus, vel illi, qui ſupremi ſacrificii dignitatem obtinuerant; namque poſt Herodem ſuprema ea dignitas non erat cum vitæ diuturnitate conjuncta. *Seniores Populi* ſunt Magiſtratus Civitatis, vel præcipua membra Sanhedrin, aut Jeruſolymitani ſenatus. Græcus, & Syrus addunt [4]; *& Scribæ*, quod conforme eſt S. S. Lucæ 22. 2. & Marco 14. 1. Verumtamen ea verba nequaquam in multis MSS. S. Matthæi exemplaribus inveniuntur [5].

1 Luc. 21. 37. Ἦν δὲ τὰς ἡμέρας διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ, τὰς δὲ νύκτας ἐξερχόμενος ηὐλίζετο εἰς τὸ ὄρος τὸ καλούμενον ἐλαιῶν. 2 Vide Victorem Antiochen. & Apollinar. apud Toynard. in Notis ad Harmon. p. 151. & Præfat. Chron. Alex. Vide P. Lamy, & Vecchietti, Orat. Euthym. Theophylact. &c.

3 Videlicet uſque ad 9. ſæculum. Vide Thomaſini Tractatum de jejuniis.

4 Καὶ οἱ γραμματεῖς. 5 Var. Lect. Mill.

In Atrium Principis Sacerdotum.] In area ſcilicet domus illius. Evangeliſtæ [1] ſæpius utuntur nomine *aula* ad ſummi Sacerdotis atrium indigitandum. Hic locus erat ingens, atque detectus, ubi magnus hic populi cœtus interfuit. *Caipha*, vel *Caphaia*, vel *Joſeph*, quemadmodum ab hiſtorico Judæo Antiq. l. 18. c. 3. appellatur, ſummi Sacerdotis dignitatem a Valerio Grato Pilati prædeceſſore redemerat, de quo honore dejectus fuit a Vitellio, cum decem annos ſummo Sacerdotio fuiſſet perfunctus.

℣. 5. Non in die festo.] Ajebant, Paſchatis feſtivitatem expectandam non eſſe, ſed prævertendum, & quamprimum comprehendendum eſſe Jesum, nocte eadem, vel poſtridie, vel tandem die Veneris, & antequam omnis populus in urbem coiret. *Non in die feſto*, neque in media populi turba, ſed cum ſolus erit. Sciebant, Jesum, cum eſſet Jeroſolymæ vel non procul illinc, de more [2] poſtridie venturum in Templum, ubi ab ipſis capi potuiſſet, atque celeriter ante multitudinis adventum, a qua Jesus tamquam Meſſias, vel ſaltem tamquam Propheta habebatur, damnari. Verumtamen Salvator, cui exploratum erat quodlibet illorum conſilium, & penes quem arbitrium erat omnium momentorum vitæ ſuæ, craſtino die ad Templum non acceſſit; ſed in Urbem dumtaxat ſub veſperam venit, ibi cum Apoſtolis ſuis noviſſimam cœnam celebraturus. Judæorum conſilia Jesum Christum comprehendere cupientium non niſi dies ante Paſcha, vel ipſum Paſchatis diem reſpicere poterant; nam feſtivitate peracta plerique advenarum dilabebantur, atque in rem minime fuiſſet ſtatuere, utrum Jesus tunc comprehenderetur, quippe ignorabatur, utrum poſt eam feſtivitatem ibi eſſet permanſurus; qui immo, ut plurimum, cum aliis in Galilæam revertebatur, cum Jeroſolymis non fuerit umquam ſedes illius. Sententiam nuper propoſitam complures ſequuntur Interpretes [3]; verum probari minime poteſt, ſi Jesus Christus obiiſſe ſupponatur die eadem Paſchatis; alioquin Judæi contra id, quod ipſi decreverant, operati fuiſſent. Ita S. Johannes Chryſoſtomus hom. 79. Theophylactus hic, aliique nonnulli credunt, Judæos, cum occaſionem nacti fuiſſent illum comprehendendi ope Judæ proditoris, cenſuiſſe operæ pretium non pati, ut ſibi e manibus occaſio illa dilaberetur. Ergo conſilium mutarunt, eumque eodem feſtivitatis die Cruci affixerunt.

Alii complures [4] credunt, Judæos non cepiſſe Jesum ante Feſtivitatem comprehendere; quæ ſententia plurimos jactat ſectatores; ſed quomodo eam tueri poſſint, non ſatis video. Si enim hoc illis conſilium fuiſſet; cur non licebat illis Jesum in carcere conjectum, illic uſque poſt octiduum Paſchatis retinere? Cæterum, quomodo arbitrari, poterant, ipſum Jeroſolymæ uſque poſt feſtivitatem peractam permanſurum: quandoquidem plurimi ſecunda die vel poſtridie primæ feſtivitatis Paſchatis domum ſuam revertebantur?

Ajunt, Judæos expectare conſueviſſe dies feſtos, ut ſontes ſuppliciis affligerent [5]. Verumtamen hoc intelligendum eſt de iis diebus, qui feſtos vel præcedunt, vel ſubſequuntur. Liquet enim, feſtis diebus illos numquam capite mulctaſſe aliquem [6]. In Actis c. 12. 34. videmus, S. Jacobum dies aliquot ante Paſcha cæſum, & Herodem voluiſſe S. Petro necem inferre aliquot diebus poſt eam feſtivitatem. Talmudiſtæ [7] docent, Jeſum filium Pandit, qui noſter eſt dominus Jesus

A Christus, Dioſpoli enecatum fuiſſe pridie Paſchatis; Nobis vero perſuaſum eſt, Sacerdotes, atque Phariſæos adimpleviſſe conſilium ſuum mortis Jesu Christo inferendæ ante Paſchatis feſtivitatem; quod ipſum ſatis aperte hoc in loco teſtatur Evangelium.

℣. 6. Cum autem esset Jesus in Bethania.] Hoc accidit ſex diebus ante paſcha [8], quemadmodum explicite S. Johannes 12. 1. indigitat. Alii Evangeliſtæ id afferunt hoc in loco per Anacephalæoſim [9], ut oſtendant Judæ avaritiam murmurantis ob pretium unguenti ſuper Jesu Christi pedes effuſi, & quod ea die conſilium iniit Judas, illum Judæis prodendi; quamobrem Sacerdotes convenit, & cum illis pactus eſt triginta ſiclorum ſummam, ſibi impiiſſimæ proditionis pretium [10] perſolvendam.

B Simon Leproſus erat Bethaniæ Civis, fortaſſe amicus Lazari, Mariæ, & Marthæ; quoniam Lazarus, quem reſuſcitaverat Jesus, aderat convivio, quod Martha inſtruxit; & in quo Maria ſoror illius unguentum ſuper Jesu Christi caput effudit. Simon hic *Leproſus* vocabatur, vel quod hoc morbo infectus fuiſſet, vel quod aliquis ex illius familia eodem laboraſſet.

℣. 7. Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti.] Mulier hæc erat Maria ſoror Marthæ, & Lazari, quemadmodum S. Johannes 12. 3. teſtatur. Hæc hiſtoria omnino alia eſt ab ea, quæ accidit in Naim [11] apud Simonem Phariſæum, ubi mulier peccatrix Jesu Christi pedes [12] inunxit. Maria attolit vas *alabaſtrinum*, videlicet ex quadam candentis marmoris ſpecie confectum, ubi pretioſi liquores

C aſſervabantur. Adhuc in ruinis ædium Romæ reperiuntur fragmenta vaſculorum ex lapide alabaſtrite, qui & onyx vocatur; eumque prope Thebas Ægyptias atque Damaſcum Syriæ inventum fuiſſe auctor eſt Plinius l. 36. c. 8. *Nunc (Onychem) aliqui lapidem alabaſtritem vocant, quem cavant ad vaſa unguentaria; quoniam optime ſervare incorrupta dicitur . . . naſcitur circa Thebas Ægyptias, & Damaſcum Syriæ*. Ajunt, vaſa hæc rotunda fuiſſe forma, ita tamen, ut in ſuperiori parte in latitudinem creſcerent. Grammatici crediderunt, alabaſtritem vocatum fuiſſe, eo quod vas, ſine anſis fieret [13]; Sed aptius eſt, illius nomen deducere ex Arabica voce *al-barzaran*, alabaſtrum [14]. Dominus Cheureau aſſerit, generatim alabaſtra nuncupari conſueviſſe quæcumque vaſa, ubi unguenta ſervabantur,

D ex quavis materia conficerentur. S. Epiphanius haud hæſitanter hoc vitreum fuiſſe teſtatur. Mulier os illius fregit nimis anguſtum, ut facilius liquorem effunderet.

Conſuetudo vero effundendi unguenta ſuper convivarum caput in omni antiquitate celebratur. Hebræi unguenta hæc in deliciis habebant præcipue: Græcis vero, atque Romanis eadem erat conſuetudo [15]. Martialis ait,

Unguentum, fateor, bonum dediſti
Convivis here, ſed nihil ſcidiſti . . .
Qui non cœnat, & ungitur Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur.

S. Matthæus non aſſerit, cujus generis fuerit unguentum a Maria ſuper Jesu Christi caput effuſum;

E ſed hoc non prætererunt SS. Johannes, & Marcus. Ab hoc c. 14. 3. vocatur *nardus ſpicatus pretioſus*; ab illo vero c. 12. 3. *nardus piſticus pretioſus*. Crediderunt nonnulli, S. Johannis textum mendoſum eſſe, & pro *nardo piſtico*, legendum eſſe, *nardum ſpicatum*. Beda ſimiliter legit, ac nullam in hunc locum variantem

---

1 Αὐλή. Matth. 26. 58. 26. 69. Ὁ δὲ Πέτρος ἔξω ἐκάθητο ἐν τῇ αὐλῇ. Marc. 14. 54. Ἕως ἔσω εἰς τὴν αὐλήν. Vide & 66. & 15. 16. Luc. 22. 22. 55. Ἁψάντων δὲ πῦρ ἐν μέσῳ αὐλῆς. 2 Luc. 21. 37.
3 Mald. Belg. alii plures. 4 Chryſ. hom. 79. Geor. Bynæ, de morte Chriſti, l. 1. c. c. n. 29. alii.
5 Peſichte fol. 75. Col. 4. Rab. Salom. ad Deut. 17. 13. alii.
6 Miſch. tit. Sanhedrin. c. 4. 5. 7 Talmud. tract. Sanhedrin.
8 Feria 2. 29. Martii, 9. Niſan. 9 Toynard. Harm. Grot. Hammond. alii.
10 Vide Joan. 12. 9. 10. 11. Luc. 22. 3. Matth. 26. 14. Marc. 14. 10.
11 Luc. 7. 37. . . . . 50. Vide Aug. Bedam, alios. 12 Vide Hieronym. hic.
13 Ἀλάβαστρος, ab alpha privativo, & λαβή, anſa. 14 ל-בצרה. Vide Cleric. ad Hamm. hic.
15 Martial. 3. Epigr. 12. Vide Byna, de morte Chriſti, l. 1. c. 3. art. 32.

tem lectionem animadvertit : Sed exemplaria noſtra Græca ; & Latina, typis edita, & MSS. ſibimet hodie conſtant, & legunt ubique *nardum piſticum*. Credunt nonnulli [1], nomen *piſticum* fluere a Græca voce *piſtis*, *fides*, ſinceritas ; & ſignificare nardum purum citra quamlibet mixtionem. *Pura diſtillent tempora nardo*, Tibullus inquit. Sed Græcæ linguæ analogia efflagitare potius videretur in Græco loquendum *nardon piſtes*, quam *nardon piſtices*, ad purum nardum indigitandum. Cuperent alii, hoc de potabili nardo explicari. Liquet in potionibus nonnumquam nardum fuiſſe commixtum [2] : Sed ad ſententiam hanc tuendam, legendum eſſet *piſtes*, non *piſtices*. Johannes Hartungus legit *nardi opiſtici*, nardi ſcilicet allati ex urbe Opis prope Babylonem, exquiſitis unguentis inſigni ; vel *nardi piſtici* ex urbe *Biſta*, *vel Piſta*, quæ caput eſt Carmaniæ, vel Provinciæ Cabul apud Indos.

Verum ſi ad aliam legendi rationem confugiendum eſt, nulla difficultas eſt, quominus Sancti Marci lectio ſit præferenda [3]. *Nardus ſpicatus* ſatis notus eſt ; Galli eum vocamus *ſpic-nard*. Hæc planta ab India adſertur, emittens calamum oblongum, & exilem, & plures ſpicas ſtatim ex humo proferens. Inter omnes nardos ille majori habetur in pretio, qui ex ſpicis, de quibus locuti ſumus, educitur. Nardus alter, quem vocamus, *Nard de feuilles*, ex jure de illius plantæ foliis expreſſo compoſitus, longe minoris æſtimatur [4].

Effudit super caput ipsius recumbentis.] S. Marcus 14. 3. ait, Mariam fregiſſe vaſculum, atque illud ſuper caput Jesu effudiſſe ; & S. Johannes 12. 3. inquit, ipſam eodem pedes inunxiſſe, quos ita delibutos capillis abſterſit. Nihil abſurdum eſt. Vas quidem, vel os, vel operculum illius fregit [5], vel illud agitavit [6] quod erat in vaſe, effuditque ſuper caput Jesu ; inunxit vero pedes illius eo, quod in imo vaſis ſubſedit. Svidas [7] ait, vas hoc Conſtantinopoli aſſervatum fuiſſe inter alias reliquias, ibi a Conſtantino collectas. Jesus Christus menſæ accumbebat capite, pedibuſque nudatis, uti mos erat.

℣. 8. Videntes autem discipuli indignati sunt.] Judas præcipue teſtatus eſt dolorem ſuum ob hanc profuſionem, quam meram jacturam eſſe arbitrabatur [8]. Eamdem aliqui etiam ex Apoſtoli tacite minime approbarunt [9], & fortaſſe aliqua illis etiam murmurationis verba exciderunt ; ſed Judas elata voce conqueſtus eſt. *Idem & alii Apoſtoli ſenſerant*, S. Ambroſius in Pſal. 40. n. 3. ait, *ſed alio affectu ; ille per avaritiam, iſti per miſericordiam*.

℣. 12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum &c.] Voluit maturato me unguentis fovere, atque ſepulturam meam prævertere. Innuit his verbis Jesus Christus, non procul eſſe mortem ſuam, & mulierem hanc quodammodo præſenſiſſe, quod eventurum erat, cum hæc faceret. S. Johannes 12. 7. Salvatorem hæc loquentem inducit : *ſinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud*. Vel, ſinite eam, quod facit, facere ; ſervavit enim unguentum hoc in diem ſepulturæ meæ. De induſtria ſervavit illud, ut maturato hodie mihi hoc officium perſolveret, quod mortuis, cum opobalſamis liniuntur, exhibetur. Tuetur ille Mariæ liberalitatem, ac diſſipat ſuſpicionem, quæ fortaſſe de ipſius mollitie oboriri potuiſſet.

℣. 14. Tunc abiit unus de duodecim &c.] & pactus eſt cum illis, ſe proditurum Jesum. Hoc accidit immediate poſt cœnam, cui Jesus interfuit domi Simonis Leproſi [10], hoc eſt ſex diebus ante paſcha, vel feria ſecunda ante illud ; quod anno illo die Veneris ſub veſperam incipiebat. Igitur propter exiguam hanc exprobrationem, qua affectus fuerat Judas, conſilium iniit prodendi Dominum ſuum.

℣. 15. Constituerunt ei triginta argenteos.] Vel triginta ſiclos, qui Gallicæ monetæ ſunt libræ octo & quadraginta, ſolidi duodecim, & denarii ſex. Triginta ſicli commune erant mancipii unius pretium, quemadmodum liquet ex Moyſe Exod. 21. 32. Romæ & Pariſiis duo oſtendebantur argentei [11], quos ex eorum numero eſſe affirmabant, quibus Salvator noſter venumdatus fuerat. Verum qui veteres nummos dignoſcunt, conſentiunt ea vetera fuiſſe Rhodia numiſmata, ubi inſculptum eſt coloſſi caput ſolem referentis, & in adverſa parte, Roſa, Civitatis Rhodi ſymbolum.

℣. 17. Prima die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum,] ut eum percontarentur, ubi vellet comedere Paſcha. Paſcha immolabatur in templo quarta decima die menſis Niſan ſub veſperam ; Hoc eſt, poſt duas horas a meridie uſque ad Solis occaſum ; comedebatur vero & veſpere, & nocte eadem, quæ erat initium diei decimæ quintæ Niſan, & quæ proprie erat Paſchatis feſtivitas [12]. Nemo enim neſcit, feſtos Hebræorum dies a veſpera incœpiſſe, ac in veſperam deſiiſſe, atque ab una in alteram veſperam celebrari conſueviſſe [13]. Ut Paſchati celebrando ſe ſe diſponerent advenæ, qui Jeroſolymam confluebant, curabant, ut quamprimum aulam aliquam, vel cubiculum ſibi compararent, ubi poſſent comedere Paſcha, atque primum exacta perquiſitione illud antea ab omni fermento emundare [14]. Cubicula hujuſmodi gratuito commodabantur [15] ; aqua ad panes ſine fermento ſubigendos heſterna jam die hauſta eſſe debebat, ita ut duodecim horas quieſceret [16]. Mane diei decimæ quartæ Niſan deplebantur panes ſine fermento, qui veſpere ejuſdem diei, quo inchoabat dies decima quinta menſis ejuſdem, manducari incipiebant in ea cœna, ubi Paſchalis agnus comedebatur. Hæ omnes adnotationes depromptæ ſunt ex Judæorum libris, earumque explicationem inferius intuebimur in peculiaribus hujus hiſtoriæ circumſtantiis.

Feria igitur quinta ſub veſperam, quo tempore dies decima quarta Niſan incipiebat, diſcipuli Jesum Christum ſciſcitati ſunt, ubi cuperet celebrare Paſcha, ut aulam ſibi comparare poſſent ; & locum ab omni fermentato pane emundare, ita ut poſtridie veſpere Paſchalis agnus poſſet manducari. Craſtina die decima quarta Niſan ſub veſperam, quo tempore dies decima quinta Niſan incipiebat, Paſchalis agnus immolandus erat, & comedendus. *Prima* ergo *dies Azymorum* hoc in loco, ex Apollinarii ſententia [17], ſignificat diem ante Azyma.

Prima die Azymorum.] Aliquibus mirum videbitur, a nobis locum hunc explicari, perinde ac legeremus *pridie Azymorum*, credentibus, hunc S. Matthæi locum aperte probare, feriam quintam fuiſſe Paſchatis vigiliam, & Veneris diem ipſum Paſcha. Verum enim vero facile e Scripturis oſtendi poteſt, *primum*

1 Clericus hic. Vadian. Ep. de Inſul. Mar. Medit. apud Hamm. Vat. Eraſm. Capell. de Dieu.
2 Hiſt de Bello Hiſpanico. *Ipſe de tempore cænavit ; vinum & nardum identidem ſibi infudit*. Æſchylus Φέρμακα μύρα, nardum, quod propinatur ; & Χρίσμα, illud quo ungimur.
3 Eraſm. Grot. Hamm. Brug. Bez. Camero.
4 Plin. l. 12. c. 12. *Cacumina nardi in ariſtas ſe ſpargunt, ideo gemina dote nardi ſpicas, & folia celebrant*.
5 Vide Hamm. hic. Syr. Cophticam verſ. Toynard. not. p. 149. Lud. de Dieu, Druſ. Grot.
6 Hamm. hic. Συντρίβω in Heſychio, ſignificat aliquando agitare, veluti cum agitatur liquor, quo fluidior evadat.
7 Svid. in Φιάλη.
8 Joan. 12. 4.
9 Marc. 14. 4. Ἦσαν δέ τινες ἀγανακτοῦντες πρὸς ἑαυτούς. Ita Patres plerique.
10 Chryſoſt. Theophyl. Euthym. alii.
11 Vide Baron. t. 1. Annal. ann. 34. & Selden. de Jure N. & G. l. 2. c. 8.
12 Vide Exod. 12. 6. 7. & ſeq.
13 Levit. 23. 32.
14 Vide Not. Toynard. in Harmon. p. 87. & 149. col. 1. 151. & Grot. hic, & l. Peſachim 10. 9. & Sebachim 5. 8.
15 Codd. Joma fol. 12. a. Gemar. Megill. fol. 26. a. & Gloſſa ibid.
16 Peſachim fol. 42. a. Gemarr. cum Orach. Chaimin. 455.
17 Apollinarius in Catena Gr. in Joan. 18. 28. in cod. Reg. 247. apud Toynard, not. in Harm. p. 149. col. 1.

Pro *antequam* ſæpius uſurpari, & non ſemper innuere verum primatum immediatum ordinis, vel temporis, ſed duntaxat mediatum, atque remotum. Ex. g. præcipit Moyſes Deut. 17. 7. *manus teſtium prima interficiet eum*; hoc eſt teſtes illi primum ictum inferent, deinde vero hi, qui aderunt, omnes, illum occident. Si enim jam e teſtibus cæſus fuiſſet, iterum jam cædi minime poſſet. *Prima interficiet*, ſignificet ergo, *permittet, antequam interficiatur*. In 2. Regum 19. 20. dicitur Semei, *primus veniſſe de omni domo Joſeph*; hoc eſt veniſſe, antequam domus Joſeph, & tribus Ephraim ac Manaſſe venirent, ut illum Regem revocarent. Semei non erat illis propoſitus, quemadmodum ea verba viderentur innuere; ſed erat cum tribu Juda.

In primo Macchabæorum 1. 1. & 6. 2. dicitur Magnus Alexander *primus in Græcia regnaſſe*: at conſtat, ante illum complures fuiſſe Macedonum Reges; oportet ergo, *primum* illic pro *antequam* uſurpari. In Macedonia regnaverat primum, antequam regnaret in Aſia. In Eccleſiaſtico 24. 5. Sapientia ſe primogenitam ante omnem creaturam appellat, quod nequaquam indigitat, illam creatam fuiſſe uti cæteras creaturas, ac illas gratis primatu duntaxat præcedere. Ipſa increata eſt, atque æterna; in Deo producta, & genita antequam creatura aliqua extrinſecus produceretur. S. Lucas 2. 2. ait, cenſum, propter quem S. Joſeph & Sanctiſſima Virgo Bethleem profecti ſunt, primum eſſe, qui ſub Cirino habitus fuerit, *hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cirino*. Verum liquet, Cirinum tunc temporis Syriæ nondum præfuiſſe. Vertendum ergo: *deſcriptio hæc facta eſt, antequam Cirinus Syriæ præeſſet*. S. Paulus ad Coloſſenſes 1. 15. JESUM CHRISTUM omnium rerum creatarum primogenitum vocat; innuens illum e Patre genitum, antequam ab hoc aliquid crearetur: & 1. ad Theſſalonicenſes 4. 15. inquit, eos, qui mortui ſunt, in JESU CHRISTI fide primos reſurrecturos; hoc eſt reſurrecturos, antequam aſcendant in nubibus coram JESU CHRISTO. Et in Epiſtola prima ad Timotheum 1. 16. *Ideo miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primo oſtenderet Dominus JESUS omnem patientiam*. Numquid S. Paulus primus fuit, in quo Dei miſericordia, atque patientia enituerint? haud ita ſane, ſed ſtatim in hujus Apoſtoli converſione divinæ bonitatis infinita largitas emicuit, ut ille exemplum fieret eorum, qui deinceps converterentur: *ad informationem illorum, qui credituri ſunt illi*. Et in altera ad eumdem Timotheum Epiſtola 2. 6. inquit, *laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere*; hoc eſt oportet laborare, antequam laborum ſuorum fructus percipiat. In Commentariis in S. Lucam attuli nonnulla exempla ex prophanis auctoribus hauſta, ex quibus patet conſuetudo hæc uſurpandi nomen *primus* pro *antequam*. Itaque minime mirum eſſe debet, ſi *primam Azymorum diem* intelligimus, perinde ac diem ante Azyma legeremus.

℣. 18. ITE IN CIVITATEM AD QUEMDAM [1],] cujus nomen afferre, operæ pretium non duxit Evangeliſta; forteſſe etiam, quod ex nomine Salvator non appellavit, ſed juſſit duntaxat, illos ſequi virum deferentem aquam, quem in urbem ingreſſi offendiſſent [2]. Ea quippe in domo, quo aqua illa deferebatur, jubebat Magiſter triclinium præparari, ut poſtridie ibi paſcha celebraretur. Non deſunt [3], qui putent, virum hunc, cujus in domum JESUS diſcipulos mittit, fuiſſe S. Johannem Evangeliſtam, vel ſaltem domum illam ad eum pertinuiſſe. Verum quomodonam hoc eſſe poſſet, non video, quandoquidem idem ipſe S. Johannes cum S. Petro miſſi fuerunt ad domus ejuſdem Dominum, ut illi JESU CHRISTI voluntatem renuntiarent. Putant alii [4], hanc domum fuiſſe Matris Johannis Marci diſcipuli Apoſtolorum, de quo in Actis 12. 25. eſt ſermo; verum ſententiæ hujus nullum apud veteres extat monumentum. Fidei apprime conſonum eſt, JESUM CHRISTUM e domi illius Domino cognitum fuiſſe, & hunc honoris ſibi vertiſſe eo, quod præ cæteris Domus ſua eligeretur. Toynardus not. in Harmon. p. 151. conjicit, aquam, quæ illuc feria quinta ſub veſperam deferebatur, deſtinatam fuiſſe ad panes ſine fermento depſendos, qui poſtridie mane erant efficiendi. Duo diſcipuli, ad hæc omnia præparanda miſſi, fuerunt Petrus & Johannes, quemadmodum S. Lucas 22. 8. teſtatur. Diximus jam, hæc pro Paſchate celebrando domicilia gratis commodari conſueviſſe.

℣. 19. PARAVERUNT PASCHA.] Diſpoſuerunt triclinium, menſas, triclinares lectulos, farinam, & aquam ad panes azymos ſubigendos. Emundarunt aulam ab omni fermento ea, qua par erat diligentia, & qua hujuſmodi in occaſionibus adhiberi conſueverat. Qua autem cura hoc perageretur, liquet ex Rabbinorum libris, & ex auctoribus, qui de Judæorum ritibus atque moribus diſſeruerunt. Fortaſſe emerunt, & agnum, niſi illum jam antea comparaverant: hunc enim Moyſes Exod. 12. 3. præcipere videtur, quatriduo ſaltem ante Paſcha eſſe præparandum.

℣. 20. VESPERE AUTEM FACTO, DISCUMBEBAT CUM DISCIPULIS SUIS.] JESUS in monte Olivarum permanſerat tota die Jovis; ſub veſperam tantum Jeruſolymam ingreſſus eſt, cum Petrus, & Johannes omnia jam præparaſſent. Textus [5] ad litteram innuit, JESUM cum diſcipulis menſæ *diſcubuiſſe*. Menſa quadrata erat, & oblonga; atque in tribus ejuſdem lateribus circumundique lecti erant diſpoſiti: inferius autem latus vacuum miniſtrantibus relinquebatur. Honoris locus erat medius in ſuperiori parte: convivæ diſcumbebant, vel cubito innitebantur, eorumque pedes extrinſecus extendebantur poſt tergum illius, qui inferius aderat, caput vero fere circa ſinum illius, qui ſuperior aderat quieſcebat. Hoc pacto intelligendum eſt, ubi dicitur [6] S. Johannes Evangeliſta ſuper Domini pectus quieviſſe. Ille ad lævam, ſive dexteram Salvatoris poſitus erat, ideoque caput illius in hujus ſinu quodammodo poſitum erat, ita ut facile ſecreto illum interrogare poſſet, atque ex eo ſubmiſſa voce, a quo eſſet prodendus, ſciſcitari.

Præceperat Moyſes Exod. 12. 11. ut ſtantes, renes accincti, habentes calceamenta in pedibus, baculoſque in manibus tenentes, feſtinantes comederent agnum; quod omnino diverſum eſt ab eo, quod iſthic narratur. Non reor autem, Cœnam hanc eam eſſe, quæ legali Paſchate erat facienda; non tamen ob nuper allatam rationem [7]. Judæi [8] Paſcha nonniſi menſæ diſcumbentes manducabant, cujus conſuetudinis origo non ſatis patet. Credunt complures [9], ea, quæ a Moyſe hac de re præcipiuntur, obſervanda fuiſſe duntaxat primi Paſchatis, quod ante exitum de Ægypto celebratum eſt.

℣. 21. AMEN DICO VOBIS, QUIA UNUS VESTRUM ME TRADITURUS EST.] Ter prædixit JESUS, ſe ab uno Apoſtolorum ſuorum tradendum eſſe. Primo, initio cœnæ, quemadmodum S. S. Matthæus hic, & Marcus 14. 18. teſtantur; ſecundo, ubi diſcipulorum ſuorum pedes abluiſſet, ſicuti S. Johannes 13. 18. enarrat: tertio, poſt Euchariſtiæ inſtitutionem, uti S. Lucas 22. 21. & S. Johannes 13. 21. affirmant. Intererat quammaxime, ut Apoſtolis ſuis probaret, mortem ſuam omnino ex ipſius voluntate profectam, & Judæ proditionem ſibi omnino eſſe perſpectam, quam ſi voluiſſet, prævertere, atque evitare potuiſſet [10]. Crediderunt Patres nonnulli [11], ipſum præbere voluiſſe Judæ locum, ut ageret pœnitentiam, atque ſe ſe colli-

lige-

1 Πρὸς τὸν δεῖνα. 2 Luc. 22. 10. Marc. 14. 13.
3 Nicephor. l. 1. c. 28. Cedren. alii Græci apud Baron. an. 34. 4 Alexander apud Surium 11. Junii.
5 Ἀνέκειτο μετὰ τῶν δώδεκα. Marc. 14. 18. Ἀνακειμένων αὐτῶν. 6 Joan. 13. 23. 24.
7 S. Chryſoſtomus, Theophylactus, & alii nonnulli credunt ſtantem primo agnum paſchalem comediſſe, juxta legem, ac deinde menſæ diſcumbentem cœnaſſe. 8 Vide Peſachim, c. 10. Halach. 1. Buxtorf. Diſſert. de Cœna Domini. 9 Scalig. l. 3. de Emend. temp. Tremel. & Pareus ad Matt. 26. 20. etc.
10 Vide Maldon. Janſ. alios. 11 Vide Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Hieron. Bedam.

Digitized by Google

ligeret; pepercit illi uſque ad finem, atque infinitæ bonitatis effectu proditoris nomen retinuit.

℣. 23. QUI INTINGIT MECUM MANUM IN PAROPSIDE.] Jeſus hæc dixiſſe videtur eodem tempore, quo Judas una cum ipſo manum ad lancem protenderet; vel oculorum acie in eum proditorem convertiſſe, ut ille intelligeret hoc ſibi dictum; vel tandem urgentibus conſcientiæ ſtimulis agnovit Judas exprobrationem hanc in ſe contorqueri; ideoque impudentiſſime Salvatorem interrogavit ℣. 25. *numquid ego ſum Rabbi?* Cui, ſubmiſſa voce reſpondit Jeſus: *tu dixiſti*: ita ut cæteri Apoſtoli, quinam eſſet, minime ſcire potuerint.

Veteres quidam crediderunt [1], Judam Euchariſtiæ inſtitutioni minime adfuiſſe, & ſtatim ac deſignatus fuit a Jeſu veluti proditor, egreſſum eſſe. Credit S. Hilarius, illum ad cœnæ uſque finem cum Jeſu Chriſto minime diſcubuiſſe, quæ vulgatiſſima eſt apud Antiquos ſententia. Sed plerique Patres [2], atque Theologi [3] credunt juxta ea, quæ a S. Luca 22. 21. dicuntur, Salvatorem, ubi Euchariſtiam inſtituiſſet, hoc protuliſſe verba, *qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet*: quæ voces, cum perturbaſſent Apoſtolos, quemadmodum S. Johannes 13. 22. refert, mutuo ex ſe ſe quærebant, quinam eſſet illum traditurus. Tunc S. Petrus S. Johanni annuit, ut Jeſum rogaret, ſibi, quinam eſſet futurus hic proditor, vellet innuere: quod ille præſtitit, Judæ exhibens fruſtulum panis in embamate intinctum. Hoc autem non obſtitit, quominus alii diſcipuli Judam ſtatim egredientem intuiti arbitrarentur, illum exire ad aliquid pro Paſchate neceſſarium emendum.

Veteres complures [4] crediderunt, hoc panis intincti fruſtulum partem fuiſſe Euchariſtiæ, quam Jeſus Chriſtus Judæ diſtribuit: & alii [5] arbitrantur, ipſum panem hunc intingentem, illi conſecrationem ademiſſe. Verum liquido conſtat Evangeliſtis ſimul conferentibus, hoc accidiſſe, cum jam antea diſcipulis ſuis Euchariſtiam Dominus tradidiſſet. Origenes in S. Johannem tres affert de communione Judæ ſententias, quarum nulli ſubſcribit. Alii credebant, Judam Salvatoris corpus recepiſſe: alii dæmonem id vetuiſſe: & alii tandem id, quod Jeſus Chriſtus tradiderat huic proditori, panem dumtaxat fuiſſe, cum cæteris corpus ſuum diſtribueret.

℣. 24. BONUM ERAT EI, SI NATUS NON FUISSET HOMO ILLE.] Judas habendus eſt tamquam reprobus. Patres pœnitentiam illius ex deſperatione ortam dicunt, & nulla, vel ex illius vitæ, vel ex morte apparet veræ pœnitentiæ nota, neque aliquis e characteribus prædeſtinatorum. Attamen apud nonnullos hæreticos veluti Cainitas, tamquam Sanctus colebatur; habebantque illi Evangelium, quod ab ipſo conſcriptum ferebant; quemadmodum S. Irenæus l. 1. c. 33. contra hæreſ. S. Epiphanius hæreſ. 38. n. 1. atque Theodoretus hæret. fabul. l. 1. c. 15. teſtantur.

℣. 26. CŒNANTIBUS AUTEM EIS, ACCEPIT JESUS PANEM &c.] Plurima exemplaria pro *benedixit*, legunt, gratias egit. Apoſtoli cum omnes ſimul primum diſcubuiſſent, atque de more manducaſſent, Salvator edicit illis [6], ſe ab uno illorum inimicis ſuis tradendum eſſe eo modo, quem in ℣. 23. explicuimus. Sub cœnæ finem, cum adhuc manducarent Apoſtoli, Jeſus inſtituit Sacramentum Corporis, & Sanguinis ſui. Dixit autem illis primum, ſe ingenti flagrare cupiditate cum illis hoc Paſcha manducandi. Loquebatur autem de Paſchate Corporis, & Sanguinis ſui [7], cujus Paſchæ Judaicum typus erat dumtaxat, atque figura. Deinde profeſſus eſt, ſe tunc cum illis poſtremo ante mortem ſuam manducare; ſed poſt reſurrectionem ſuam iterum cum illis manducaturum [8]. Mox cepit panem, cumque Deo gratias egiſſet, in tot fruſtula fregit, quot erant diſcumbentes; eaque illis diſtribuit, ex ipſo etiam manducavit [9], dicens, hoc eſſe Corpus ſuum. Hoc ipſum de Calice fecit: bibit ipſe, atque ſingulis bibendum tradidit, aſſerens, hunc eſſe ſanguinem ſuum, Sanguinem novi Teſtamenti. Ita Evangeliſtarum narrationes ſimul poſſunt conciliari. Præſtitit Jeſus Chriſtus fidem eorum, quæ olim diſcipulis ſuis ſpoponderat, ſe ipſis carnem ſuam manducandam, & Sanguinem bibendum [10] præbiturum; non autem quemadmodum Capharnaitæ intellexerant modo craſſo, atque rudi; non corpus cruentum, atque in fruſta conciſum, ſed verum Corpus ſuum, reale, atque ſubſtantiale ſub ſpecie panis. Sub his ſpeciebus illis offerebat rem, cujus ſymbolum fuerat Agni Paſchalis ſacrificium. Ita ratum fiebat recens fœdus, atque hoc pignus ſimul erat, ac pretium Redemptionis eorum. Pro agno, qui in memoriam Ægyptiæ liberationis immolabatur, tradit illis corpus ſuum, victimam expiationis pro peccatis eorum, atque pignus vindiciarum ſecundum libertatem. Pro Sanguine, quo imbuebantur Januæ ad exterminatorem angelum amovendum, nos ſuo proprio Sanguine imbuit, ut a Dæmonis poteſtate ſurripiat.

Eadem poteſtate, qua Pater ex nihilo omnia creata eduxit in principio; Dei Filius iſthic in Corpus, & Sanguinem ſuum panis, & vini ſubſtantiam immutat. Cum ait, hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus: vox illius illud operatur, quod ait, atque ineffabili, inviſibilique ratione ſubſtantialis fit permutatio. *Aquam aliquando mutavit in Cana Galileæ ſola voluntate*, ait S. Cyrillus Jeroſolymitanus Cathech. 4. *& non erit dignus, cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutaſſet? Si enim ad nuptias corporales invitatus, ſtupendum miraculum operatus eſt, an non multo magis corpus, & ſanguinem ſuum filiis Sponſi dediſſe illum confitebimur? Quare omni cum certitudine Corpus, & Sanguinem Chriſti ſumamus. Nam ſub ſpecie panis, datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis, ut ſumpto corpore, & ſanguine Chriſti, efficiaris ei comparticeps corporis, & ſanguinis. Sic Chriſtiferi erimus, hoc eſt Chriſtum ferentes.* Hic, qui in Euchariſtia panis vobis videtur, non eſt amplius panis, ait ille eodem loco, ſed eſt Corpus JESU CHRISTI, & quod vinum vobis videtur, non eſt amplius vinum, licet aliter guſtui videatur, ſed eſt ſanguis JESU CHRISTI.

S. Ambroſius [11] admirabilem probaturus mutationem, quæ in hoc Sacramento peragitur, pleraque percurrit miracula, quæ in veteri teſtamento acciderunt, virgam in ſerpentem mutatam, aquas Nili in ſanguinem converſas, rubrum mare, atque Jordanem exſiccatos, aquam de rupe manantem; aquam Maræ dulceſcentem &c. & addit, ſi Omnipotens Dei ſermo efficere potuit, ut ex nihilo emergeret, quod non erat, multo magis facere poſſe, ut quod erat, in id, quod non erat, mutetur. *Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat; non poſſet ea, quæ ſunt, mutare in id, quod non erant?* S. Hilarius l. 8. de Trinit. *de veritate carnis, & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus; nunc enim & ipſius Domini profeſſione, &*

Tom. VII. X 3 fide

1 Conſtit. Apoſtol. lib. 5. cap. 13. Innocent. III. lib. 4. cap. 2. de Myſt. altaris. Hilar. in Matth. cap. 30. Rupert. in Joann. lib. 12. & in Matth. lib. 10. Vide & Theophylact. hic, & Victor. Antioch. ad Marc. 14.

2 Origen. homil. 35. in Matth. Victor. Antioch. in Marc. 14. Cyrill. Jeroſol. Catech. 13. Cyrill. in Jan. lib. 9. cap. 13. Chryſoſtom. homil. 82. & 83. in Matth. Theodoret. ad 2. Cor. 11. 23. Ep. 44. n. 10. Hieronym. lib. 2. contra Jovin. &c.

3 Abaelard ſerm. de Paſſ. Domini, Petr. Lombard. lib. 4. ſent. diſt. 11. Alenſ. par. 4. qu. 11. D. Thom. ſent. 4. diſt. 11. art. 2. Soto ad ſent. 4. diſt. 12. qu. 2. art. 2. etc.

4 Vide Concil. Bracar. 3. cap. 1. 2. Jul. Papæ Ep. ad Epiſcop. per Ægyp. diſt. 2. de Conſecr. cap. 7. Burcard. decret. 5. 1. Ivo parte 2. cap. 11. Allat. diſt. 1. de lib. Græc. etc.

5 Vide Dionyſium Barſalibi Traité du Jeudy ſaint, dans la Perpetuité de la Foi, t. 4. l. 6. c. 5. p. 148.

6 Luc. 22. 15. 7 Ita Chryſoſtom. et Origen. 8 Matth. 26. 29. Marc. 14. 25.

9 Vide Matth. 26. 26. 27. 28. Marc. 14. 22. 23. 24. Luc. 22. 17. 18. 19. 20.

10 Joann. 6. 35. & 56. 11 Ambroſ. de his, qui Myſteriis initiantur, c. 9.

fide noſtra, vere caro eſt, & vere ſanguis eſt. Et hæc accepta, atque hauſta id efficiunt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. In nobis eſt per carnem ſuam, qua nos paſcit, & ſumus in eo per unionem, qua naturam humanam cum ſua divinitate conjunxit. Plurima Patrum afferri poſſent teſtimonia; ſed poſt Berengarium, hæreticoſque noviſſimos, tanta hac de re volumina edita ſunt, ut expediat, lectores mittere illuc, ubi ea penitus, funditusque inſpecta, atque tractata eſt. Nulla umquam fidei veritas, neque tanta arte oppugnata fuit, neque diligentius propugnata.

Non defuerunt populi, qui in fœderibus ſuis percutiendis mutuo proprium ſanguinem epotarent, quales fuere Scythæ, atque Medi, de quibus loquuntur Solinus cap. 25. & Herodotus l. 4. Catilina humanum ſanguinem conjuratis ſuis hauriendum propinavit, ut partibus ſuis acrius hærerent [1]. Ciaxares Medorum Rex, & Haliattes Lydorum, fœdus ſimul percuſſerunt, alter alterius viciſſim ſanguinem [2] exſugendo. Populi Carmaniæ [3] in conviviis ſuis crebris inciſionibus ſibi faciem fœdant, atque inde ſanguinem elicientes extrere excipiunt, quem amicis ſuis exhibent bibendum in amicitiæ argumentum. Non deſunt adhuc in America populi, qui proprio ſanguine ſua fœdera obſignent [4]; at umquam ne viſus eſt Pater filios ſuos carne, atque ſanguine ſuo nutriens? Ulline fuere Paſtores, ovibus corporum ſuorum membra comedenda præbentes? S. Chryſoſtomus ait hom. 83. in Matth. aliquoſne extiterunt domini, qui ſeipſos tradiderint, ac vitam ſuam, & ſanguinem pro redemptione ſervorum effuderint? Incomprehenſibilis dumtaxat Jeſu Chriſti amor huc uſque procedere potuit.

℣. 29. Non bibam amodo &c.] Dei Filius alludere videtur Judæorum ſententiæ, qui in Meſſiæ Regno æternis gaudiis, jugibuſque conviviis ſe interfuturos ſperabant. In S. Luca 22. 29. apertius adhuc ſententiam hanc innuere videtur, *& ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit Pater meus Regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.* Sed Jeſus Chriſtus hæc omnia in ſenſu penitus ſpirituali intelligebat. Convivium, quod electis ſuis inſtruit ſuper terram, eſt convivium Corporis, Sanguiniſque ſui in Euchariſtia; illud vero, quod ipſis in Cœlo deſtinat, eſt torrens ille voluptatis, quo illos inebriat [5]: ſunt deliciæ illæ, quas neque oculus vidit, neque auris audivit, & quæ in cor hominis non aſcenderunt [6]. Patres complures [7] hoc ita explicant; non bibam amplius ante mortem meam ex calice hoc, quem vobis exhibeo, ſed poſt reſurrectionem meam iterum ex eo bibam vobiſcum. Reſurrectionem ſuam vocat *Regnum ſuum*, eo quod tunc incipiebat inſtituere Eccleſiam ſuam, ibique perfectiori modo regnare. Hæc ſane explicatio magis eſt litteralis, & plures aſſeclas jactat.

℣. 30. Et hymno dicto, exierunt.] Qui credunt, Jeſum Chriſtum cum diſcipulis ſuis celebraſſe cœnam Paſchalem, quæ in lege præcipitur, putant ipſum juxta Judæorum ritualia gratias egiſſe [8], videlicet recitaſſe Pſalmos 112. *Laudate pueri Dominum* &c. 113. 114. 115. 116. & 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Cenſuerunt alii [9], Salvatorem recens hymnum compoſuiſſe: & olim ſane [10] quidam hymnus circumferebatur, qui hac in occaſione a Jeſu Chriſto decantatus fuiſſe dicebatur. Verum carmen illud, ex quibuſdam apochryphis Priſcillianiſtarum libris depromptum erat, ab Eccleſia numquam receptum. Illius vetuſta quædam offeremus fragmenta, quæ ex Epiſtola S. Auguſtini ad Ceretium collegimus.

Hymnus Domini, quem dixit ſecrete SS. Apoſtolis diſcipulis ſuis, quia ſcriptum eſt in Evangelio, Hymno dicto, aſcendit in montem: & quod in Canone non eſt poſitum propter eos, qui ſecundum ſe ſentiunt, & non ſecundum Spiritum, & veritatem Dei, eo quod ſcriptum eſt, Sacramentum Regis bonum eſt abſcondere, opera autem Dei revelare honorificum eſt.

Solvere volo, & ſolvi volo.
Salvare volo, & ſalvari volo.
Generare volo, & generari volo.
Cantare volo, ſaltate cuncti.
Plangere volo, tundite vos omnes.
Ornare volo, & ornari volo.
Lucerna ſum tibi, ille, qui me video.
Janua ſum tibi, quicumque me pulſas.
Qui vides, quod ago, tace opera mea.
Verbo illuſi cuncta, & non ſum luſus in totum.

Canticum hoc, quemadmodum liquet, univerſum ænigmaticum eſt, ideoque majori in pretio erat apud Priſcillianiſtas. S. Auguſtinus in ſuperius memorata epiſtola illius commentarium concinnavit, ubi oſtendit, nihil utile eſſe in hoc carmine, quod non inveniatur in ſacris, & Canonicis Libris; atque Eccleſiam nullam ſubiiſſe jacturam, hoc minime recipientem. Sanctus hic Doctor nequaquam ſibi propoſuit integrum nobis exſcribere canticum, neque aſſerere auſim, ea, quæ a nobis allata ſunt, hoc in opere ſibi deinceps cohærere.

Autumat Grotius, hymnum hunc, de quo loquitur Evangeliſta, non aliud eſſe, quam eam gratiarum actionem, quam legimus apud S. Johannem poſt ea verba: *pater, venit hora, clarifica filium tuum*, & reliqua cap. 17. Hinc dicitur ſtatim ille tunc cum Apoſtolis ſuis egreſſus, torrentem Cedron tranſmiſiſſe [11]. At non video, cur non recitaverit formulam precum, quibus Judæi hujuſmodi in occaſionibus conſueverant. Ex Joſepho liquet, Eſſenios menſæ numquam accubuiſſe, neque inde aſſurrexiſſe, niſi poſt ſolemnes gratiarum actiones habitas Deo bonorum omnium auctori [12]: qui mos ab Auctore Eccleſiaſtici c. 32. 17. etiam atque etiam commendatur.

In libris precum hebraicarum leguntur gratiarum actiones, Deo ſub cœnæ finem referendæ. Qui e convivis majori effulget dignitate, manu ſumit cyathum vino plenum, atque elata voce ait: *gratias agamus Deo pro bonis, quibus nos cumulavit.* Qui vero adſunt, reſpondent: *Benedictus Deus: quoniam aluit nos bonis ſuis, & ſaturati ſumus muneribus ſuis.* Qui præeſt, tunc addit: *ille quidem laudatus ſit, & nomen illius benedictum.* Peractis autem aliis nonnullis ejuſdem generis benedictionibus, convivæ omnes ſecreto hanc recitant orationem Pſalm. 33. 10. *timete Dominum omnes Sancti ejus; quoniam non eſt inopia timentibus eum: divites eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Tunc convivii princeps elata voce ait: *Benedictus eſto Domine Deus noſter, Rex Mundi, qui fructum vitis creas;* & ſimul bibit vinum, quod habet in cyatho, quem mox ad omnes convivas tranſmittit, ex quo ſinguli ſorbillant.

℣. 31. Omnes vos scandalum patiemini in me.] Videlicet ero vobis occaſio ſcandali, & lapſus. Paſſionis meæ adſpectus vobis diffidentiam, atque dubitationem injiciet; hic me prodet; ille me negabit; omnes me derelinquent. Neque ideo dixerit, Apoſtolos omnino a fide defeciſſe tunc temporis, neque in apertam dubitationem cecidiſſe. Verum labaſcere cœpit fides eorum, eorumque fiducia concuſſa eſt. Si in lubrico lapſi ſunt, ſtatim conſurrexerunt; ſi diſperſi, celeriter ſtatim in unum coierunt.

℣. 32. Præcedam vos in Galilæam.] Ea in regione adero, antequam illuc revertamini. Iter meum abſolvam ante vos. Hoc pacto oſtendebat, reſurrectionem ſuam quamprimum futuram, & antequam Paſchatis octiduum abiiſſet, atque ipſi expleſſent, quæ a Lege in templo ea feſtivitate perſolvere jubebantur, ſe jam reſuſcitatum iri, atque in Galilæam illos præceſſurum

1 Saluſt. Conjurat. Catilina. 2 Herod. l. 1. 3 Athen. l. 2. c. 7.
4 Horn. l. 3. cap. 18. de Origin. Gen. Americ. 5 Pſalm. 35. 9.
6 1. Cor. 2. 9. 7 Chryſ. Theoph. Euthym. Vide & Origen. Hieron. Bedam.
8 Vide Brug. in Pſalm. 112. Druſ. Obſerv. lib. 7. cap. 15. Buxtorf. Lex Talmud.
9 Vide Bedam, & Grot. hic. 10 Vide Auguſt. Ep. 237. ad Ceretium Epiſcop. n. 2. et 4. in nov. Ed.
11 Joann. 18. 1. 12 Joſeph de Bell. l. 2. c. 12. pag. 784. et ſeq.

rum. Poterant Hebræi altera feſtivitatis die iter ingredi, ut in regionem ſuam reverterentur [1]; quemadmodum liquet ex duorum diſcipulorum exemplo, quibus in Emmaus proficiſcentibus comitem ſe ſe Jeſus Chriſtus adjecit. Luc. 23. 13.

℣. 33. Et si omnes scandalizati fuerint.] Sequitur S. Petrus ardentis animi ſui impetum inconſultis viribus ſuis. Credit, ſe omnia poſſe, quoniam vellet omnia aggredi, & omnia pati pro Magiſtro ſuo. In hac S. Petri reſponſione triplex erratum S. Johannes Chryſoſtomus in Matth. hom. 83. animadvertit. Primum exiguam fidem, quam teſtatur in prædictionibus Jesu Christi, alterum, quod ſeipſum præfert cæteris Apoſtolis, dicens futurum, ut ſi omnes ſcandalizati fuerint, ipſe nequaquam ſcandalizetur. Tertium nimia in propriis viribus confidentia, cum potius humiliter petere debuiſſet, ut Jesus Christus infirmitatem ſuam juvare dignaretur. Ita Dei Filius permittit Apoſtoli ſui lapſum, ut illius medeatur arrogantiæ, atque ſuperbiæ, cum deſtituit viribus ipſius, ut ejuſdem puniat temeritatem. Doctor idem animadvertit S. Petrum deinceps eo magis humilem fuiſſe, quo magis antea fuerat ſuperbus. S. Ambroſius in Luc. l. 10. n. 74. ait, Apoſtolum hunc merito a Deo mulctatum propter errorem ſuum, *quia dixit ſe animam ponere: quod non humanæ eſt infirmitatis, ſed divinæ eſt poteſtatis*. At S. Hieronymus hic, quin S. Petrum temeritatis, vel ſuperbiæ nomine redarguat, illius amorem, ac fidei magnitudinem celebrat: *Non eſt temeritas, neque mendacium, ſed fides eſt Apoſtoli Petri, & ardens affectus erga Deum Salvatorem.*

℣. 34. Antequam Gallus cantet, ter me negabis.] S. Marcus 14. 30. ait, *priuſquam Gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus*; vel ter negabis me ante ſecundum Galli cantum. Gallus enim bis noctu canere dicitur, primum ſub noctis medium, iterum vero ſub diluculum; qui proprie Galli cantus appellatur [2], & de quo intelligendum hic eſſe videtur ex collatione textuum S. S. Marci, & Johannis. Cum dieſcit, Gallus non ſemel cantat. S. Petrus primum ſtatim ſemel negavit, & mox cecinit Gallus [3]; elapſa dehinc modico intervallo, iterum pro Galilæo, & pro Jesu Christi Diſcipulo agnitus fuit, atque bis adhuc eum negavit, cum deinde iterum cecinit Gallus [4]. S. Lucas c. 22. 59. inter alteram, ac tertiam negationem horæ unius circiter ſpatium, ait interceſſiſſe.

℣. 36. Venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani.] Villa hæc erat ad radices montis olivarum trans torrentem Cedron ad orientem Urbis Jeroſolymæ. *Geth-ſemani* ſignificat vallem, vel prælum olivarum.

℣. 37. Assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi.] Iiſdem, qui illum in Thabor fuerant comitati [5], quemadmodum gloriæ illius teſtes fuerant, doloris etiam, orationis, agoniſque ſui teſtes eſſent.

Coepit contristari, & moestus esse.] Græca vox [6] ſignificat doloris magnitudinem, qua aliquis conficitur, qui ſe in id periculi adductum intuetur, onde emergere minime liceat: mœſtitiam cum anxietate, & doloribus animi, atque conſilii incertitudine conjunctam, mœrorem lethalem, atque graviſſimum. Mœror hic omnino voluntarius erat in Domino; qui eidem ſeſe ſponte tradidit, cum interim anima illius beatitudine perfrueretur. Dignatus eſt, inquit S. Auguſtinus [7], in ſe membrorum ſuorum infirmitatem ſuſcipere, atque, ut illa loqui: *loquebantur membra in capite, & loquebatur caput in membris*. Inhibet, inquit

A S. Ambroſius in Luc. l. 10. gaudium, & voluptatem, qua ob hypoſtaticam cum divinitate unionem, perfruebatur, ut noſtris malis mœreret, atque nostra gaudia noſtra caperet: *ſequeſtrata delectatione divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur*. Jesu Christi mœſtitia ſimul, & humanitatis ejuſdem argumentum eſt, & conſolationis occaſio iis, qui vexantur, & qui juxta Apoſtoli verba [8] adimplent, quæ deſunt paſſionum Christi, in carne *ſua*. Origenes, atque Sancti Hieronymus, & Hilarius credunt, Jesum Christum nequaquam doluiſſe propter aſpectum mortis, quam erat ſubiturus, ſed propter Diſcipulorum ſuorum fugam, atque diſperſionem, quæ erat tempore ſuæ mortis eventura.

℣. 39. Pater mi, si possibile est, transeat
B a me Calix iste.] *Calicis* nomine [9] in Scripturis, paſſiones, atque pœnæ intelliguntur. Jesus Christus alludit ad conſuetudinem conviviorum Religionis, ubi convivis omnibus patera vino plena tradebatur, ex qua in orbem ſinguli bibebant: qui autem vel non poterant, vel bibere nolebant, ſe ſe excuſabant, dicentes: *tranſeat a me calix*: mihi integrum ſit non bibere, cum mihi per vicem contigerit. Iſthic in Jesu Christo duplex apparet voluntas, altera humana, & inferior, quæ mortem, atque ſupplicia pati recuſat; ſuperior altera, quæ ſeſe Æterni Patris imperiis ſubmittit, licet ſevera, atque difficiliora videantur: *ſi poſſibile eſt*, vel cum S. Luca 22. 42. *Pater ſi vis, tranſfer calicem iſtum a me*, vel cum S. Marco 14. 36. *Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, tranſfer calicem hunc*
C *a me*. Non ambigit de Patris poteſtate, immo neque de illius voluntate, atque æterno decreto, ſed humanitus loquitur. *Prima petitio infirmitatis eſt*, S. Leo inquit Serm. 5. de Paſſione, *ſecunda virtutis: illud optavit ex noſtro, hoc elegit ex proprio. Superiori voluntati voluntas ceſſit inferior*, Humanitas ait, *tranſeat a me calix iſte*: at homo Deus inquit: *fiat voluntas tua*.

℣. 40. Invenit eos dormientes.] S. Lucas 22. 45. ait, illos præ triſtitia ſopore captos fuiſſe. Sermones, quos habuerat Jesus Christus in cœna, & poſt Euchariſtiæ inſtitutionem, & ea, quæ nuper audierant Apoſtoli in orationis ejuſdem initio, animos eorum ita dejecerant, ut præ mœrore ſomno capti fuerint. Somni cauſam, vel occaſionem ſaltem non raro
D præbet triſtitia.

℣. 41. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.] Experimini, corporis infirmitatem non exæquare voluntatis ardorem, atque non parum diſcriminis eſſe inter polliceri vitam pro Magiſtro ſuo vos tradituros, eamque reipſa profundere: quandoquidem non *potuiſtis una hora vigilare mecum*, Denique, primum de propria infirmitate vobis eſſe diffidendum, quam in viribus propriis gloriandum: *itaque quantum de ardore mentis confidimus, tantum de carnis fragilitate timeamus*, inquit S. Hieronymus hic. Nonnulli [10] ita explicant: *ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*; Dæmon vigilat; ſpiritus hic nequam promptus eſt,
E vos autem parciſſime noxio huic adverſario reſiſtitis.

℣. 45. Dormite jam, & requiescite.] Ironice dictum [11]; dormite jam, ſi vobis lubet; non vigilare ulterius non poteſtis; jam venit hora. Græcus [12] verti poſſet: *dormitis adhuc, & requieſcitis* [13]. Profecto præclare tempus veſtrum inſumitis. Alii hoc ſerio dictum putant [14]: dormite nunc, & requieſcite; ſatis vigilatum eſt: *ſufficit*, ait S. Marcus 14. 41. jam non

1 Deut. 16. 7. *Maneque conſurgens, vades in tabernacula tua*.
2 Bochart. de animal. ſacr. part. 2. lib. 5. cap. 17. 3 Marc. 14. 68. 4 Joan. 27. 27.
5 Matth. 18. 2. Vide Hilar. Chryſoſtom. Theophylact. alios. 6 Ἤρξατο λυπεῖσθαι, καὶ ἀδημονεῖν.
7 Auguſt. in Pſalm. 40. Vide et in Pſalm. 87. et tract. 60. in Joan.
8 Coloſſ. 1. 24. *Adimpleo ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti, in carne mea, &c.*
9 Vide ſup. 20. 22. Pſalm. 10. 7. 74. 9. Iſai. 51. 17. ubi paſſim. 10 Vatabl.
11 Chryſoſtom. Euthym. Theophylact. Maldonat. Eraſm. Munſt. Piſc. alii.
12 Καθεύδετε τὸ λοιπὸν, καὶ ἀναπαύεσθε. 13 Ita Henric. Steph. et Colonica Obſerv. 5. pag. 44. Gerhard. Harmond. Evangel. in Paſſion. cap. 2. 14 Auguſt. Beda, Grot.

non opus eſt amplius ſeſe prælio accingere jam jam præliandum eſt; adeſt hoſtis, venit hora. Noviſſimus hic ſenſus nobis maxime arridet.

℣. 47. CUM GLADIIS, & FUSTIBUS.] Ferro præfixis, vel ad ignem tortis, vel clavis armati, quemadmodum Juvencus ait;

Pars ſtrictis gladiis, pars fidens pondere clavæ,

℣. 48. QUEMCUMQUE OSCULATUS FUERO.] Proditionis ſignum ſtatuit Judas vulgatiſſimam amicitiæ notam. Videtur autem militibus hoc ſignum comprehendendi JESUM tradere voluiſſe, ſi fieri poteſt, fallere Salvatorem, & Apoſtulos, atque ſuam perfidiam contegere. Veteres nonnulli [1] credunt, Judæ præcautionem, ne milites deciperentur, aliam pro JESU comprehendentes, inde ortam; quod Filius Dei non ita pridem eorum oculis apparuerat ratione longe alia ab ea, qua, ut plerumque illis apparere conſueverat, ne alium pro illo caperent. Et Origenes hic in Matth. aſſerit, traditionem diu viguiſſe, Salvatorem modo ſub communi ſpecie, modo ſub ea, in quam transfiguratus fuerat in Thabor, apparuiſſe. Hac in occaſione primum quidem ſub poſtrema hac ſpecie apparuit, quæ deterruit milites, & effecit, ne agnoſceretur; quod cum Judas intellexiſſet, illos cohortatus eſt, ut audacter comprehenderent, quem ipſe oſcularetur.

Sed fidei magis conſonum eſt pleroſque eorum, qui miſſi fuerunt, Ethnicos fuiſſe, qui JESUM minime noverant, vel Sacerdotum domeſticos, qui non ſatis illum agnoſcebant, ut noctu ſecernere poſſent, licet funalium, & lampadum lumen non deeſſet [2]. Denique in circumſtantia hujus momenti, atque in re tantæ invidiæ refertiſſima, proditor nihil neglexit, ut ſcelus ſuum omnino compleret. Nam prodigia, quæ toties a Dei Filio patrari viderat, magica arte facta putabat [3]: in illum vero minime credebat Joan. 6. 64.

℣. 50. AMICE AD QUID VENISTI?] JESUS ſatis aperte oſtendit Judæ, ſe non ignorare, cur acceſſerit. Oſculo ne prodendus eram? *oſculo filium hominis tradis?* ait ille apud S. Lucam 22. 48. Statim ac ab impio diſcipulo accepit oſculum, acceſſit ad eos, qui venerant illum capturi, eoſque ſciſcitatus eſt: *quem quæritis? illi autem dixerunt;* JESUM *Nazarenum*, & ſtatim duxerunt illum ſupinum, quod fuſius in S. Johannem videbimus cap. 18. verſ. 4. & 9.

℣. 51. ECCE UNUS EXTENDENS MANUM.] Abſcidit auriculam cuidam e ſervis ſummi Sacerdotis. Hic fuit S. Petrus, qui videns prope eſſe, ut magiſter ſuus vinculis oneraretur, gladium eduxit, ut illum defenderet [4]. Fortaſſe attulerat ſecum alterum ex duobus gladiis, qui erant in aula, ubi cœna noviſſima celebrata fuerat; tacitam JESU CHRISTI facultatem interpretatus ea verba, quæ dixerat Luc. 22. 36. *qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Cum enim illi reſpondiſſent Apoſtoli, duos ibi eſſe gladios, addidit ille *ſatis eſt*. Hic etiam, quemadmodum & aliunde ſatis apparet vividum, atque alacre S. Petri ingenium.

℣. 52. OMNES ENIM, QUI ACCEPERINT GLADIUM &c.] Videtur JESUS CHRISTUS ad Geneſeos 9. 6. alludere: *quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius.* Hi omnes, qui privata auctoritate gladium diſtringunt, atque ultionem exercent, merentur, ut illi ipſi gladio pereant. Non ideo tamen inferendum eſt, eos omnes, qui aliquem necarint, ſemper violenta morte interire; ſed merentur gladio perimi, cum gladium contra Leges eduxerint.

℣. 53. PLUSQUAM DUODECIM LEGIONES ANGELORUM.] Legio apud Romanos ſex militum millibus conſtabat. Legiones duodecim efficient ſeptuaginta duo Angelorum millia. Si aliena indiguiſſem ope, non uterer ſane duodecim hominibus inermibus, ac militaris ſcientiæ penitus ignaris, quales vos eſtis. Petere poſſem a Patre meo ſeptuaginta duo Angelorum millia, qui me defenderent. Verum ſi minime patior, *quomodo implebuntur Scripturæ* (℣ 54.) quæ de mea morte, paſſione, ac Reſurrectione loquuntur?

℣. 55. QUOTIDIE APUD VOS SEDEBAM DOCENS IN TEMPLO.] Præcipuis feſtivitatibus Jeroſolymam veniebam, ibique palam docebam, atque non modicum tempus ibi commorabar; neque auſi umquam eſtis me comprehendere: quorſum autem? niſi quod nolebam, & nondum venerat hora mea; *Sed hæc hora veſtra, & poteſtas tenebrarum* Luc. 22. 53. Nunc facere poteſtis, quod vobis lubet.

℣. 56. DISCIPULI OMNES FUGERUNT.] Tunc adimpletum eſt id, quod illis JESUS CHRISTUS prædixerat Matth. 26. 31. futurum, ut omnes in eo ſcandalizarentur, eo quod ſcriptum erat; *percutiam paſtorem, & diſpergentur oves.* Ea narrationis decurſu [5], patebit, S. S. Petrum, & Johannem rediiſſe, atque eminus JESUM ſecutos eſſe. Primum quidem aufugerunt veriti, ne & ipſi comprehenderentur. Sed videntes ſe minime inquiri, duo illi Diſcipuli reverſi ſunt, ut quid de Magiſtro ſuo fieret, cognoſcerent.

℣. 57. AD CAIPHAM.] Narrat S. Johannes 18 12. illum primum ad Annam deductum fuiſſe, ſocerum Caiphæ, qui & ipſe fuerat Summus Sacerdos. Annas illum de ipſius doctrina, atque diſcipulis interrogavit. Cui Jesus reſpondit liberrime, cum nihil ipſe ſecreto docuiſſet, ſemper palam, atque in Templo locutus eſſet, id illum cognoſcere poſſe ex iis, qui ſe loquentem audierant. Tunc unus e ſervis Pontificis colaphum impegit illi, dicens: ſiccine reſpondes Pontifici? cui Jesus, ſi male locutus ſum, id oſtende, ſin autem, cur me cædis? tunc Annas illum vinculis adſtrictum, uti erat, juſſit apud Caipham generum ſuum deduci, qui ex quorumdam ſententia eadem in domo commorabatur [6].

℣. 59. QUÆREBANT ADVERSUS EUM FALSUM TESTIMONIUM.] Quocumque modo illum extremo affici cupiebant ſupplicio: verum quamdam Judicii formam negligere renuebant. Ipſi quoſdam falſos teſtes ſubornant, qui contra illum teſtentur. In cauſis, ubi Pſeudo-propheta aliquis, vel alius quiſpiam religionis colore populum in errorem inducens accuſaretur, quodvis teſtium genus juxta Rabbinos admittebatur, ac nemo pro reo cauſam perorare poterat. Nulla ipſi dies dicebatur, qua cauſam ſuam ageret, ſtatim & damnabatur, & plectebatur [7].

Hæc omnia noctu peracta ſunt, licet Rabbini [8] doceant in cauſis, ubi de capite agitur, noctu judicia nequaquam haberi poſſe: ad ſummum eo tempore illa proferri poteſt ſententia, quæ virgis, vel mulcta aliquem damnet, cum jam ſatis interdiu negotium illud ad examen vocatum fuerit. Hinc ſequitur, Sacerdotes, qui Salvatorem coram ſe adduci juſſerant, eumque morte dignum judicarunt, nullam juris ſpeciem in illis omnibus obſervaſſe. Neſcio autem, utrum quoquomodo aliquam juridici Judicii formam ſervarent, iterum majori in copia mane convenerint, cum jam dies eſſet. Vide infra cap. 27. 1.

Doctores iidem [9] docent, nullum actum exerceri potuiſſe, neque ullum judicum cœtum pro criminalibus cauſis haberi potuiſſe pridie feſtorum dierum, vel ipſis diebus feſtis, qua in re ipſa in Salvatoris noſtri cauſa defuere Sacerdotes, nam dies, qua ab illis captus, interrogatus, damnatuſque fuit, erat vel Paſchalis dies, juxta pleroſque; vel ſaltem vigilia Paſchatis juxta ſyſtema illud, quod ſequimur. Docent autem Sanhedrin coiiſſe tunc temporis extra ordinem in aula lapide ſtrata in templo, ut JESUM CHRISTUM morte damnarent; quamvis jampridem illuc minime convenif-

1 Leontius in Joan. 18. 5. Theodor. Heracl. in Catena Chryſoſtom. Theophylact. Cyrill. in Joan. 18. 5.
2 Joan. 18. 3. 3 Hieronym. Beda. 4 Joan. 18.
5 Joan. 18. 15. 6 Toynard. Harm. pag. 117.
7 Vide Fag. in Chald. Paraph. Deuter. 13. 8. Maimon. in Hilcoth. Sanhedr. cap. 11. Ham. hic.
8 Vide Selden. de Synedr. lib. 2. cap. 9. art. 2. pag. 425.
9 Miſna tit. Sanhedrin. cap. 4. & 5. et Maimon. Halab. Sanhedr. cap. 11.

veniſſent, quod poſtremum non ſatis aperte liquet ex Evangelio. Primum quidem coacti fuerunt apud Annam, mox apud Caipham; tertio vero non conſtat, utrum apud Caipham eumdem, an in Templi aula fuerint congregati. Fidei tamen conſonum eſt, futurum nequaquam fuiſſe, ut ab Evangeliſta circumſtantia hæc prætermitteretur, ſi Jesus ad Templum fuiſſet adductus, ut coram Sanhedrin univerſo conſtitueretur.

℣. 61. Possum destruere templum Dei.] Crimen hoc æque, ac ſuperiora, falſum erat, ſed Filius Dei nonnihil protulerat, quod huic præbuerit locum, ubi de corpore ſuo locutus dixerat, Joan. 2. 19. *ſolvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Solvite corpus meum, illud interficite: ego intra triduum reſurgam. Hoc ille ſignificare voluerat: verum in ſenſu prorſus alio intellectus fuit. Attamen S. Marcus 14. 59. teſtatur, adhuc ea, quæ a Teſtibus delata fuerant, nondum ſuffeciſſe, ut damnaretur: eo plane quod Judices de realibus dumtaxat factis cognoſcere debent. Verum liquebat, Jesum Christum nihil eorum feciſſe, quæ dixiſſe accuſabatur. Minitatus fuerat dumtaxat, vel juxta eos, gloriatus fuerat, ſe Templum diſſolvere poſſe, at nihil præterea: neque iis in rebus aliquid mortem merebatur. Summus ergo Sacerdos illum cogere vult ut proferat, utrum ſit Meſſias, Dei Filius, & Rex Judæorum: ipſis enim Jesu verbis ſuam damnationis ſententiam inniti cupiebat. Si ſe Meſſiam, ac Filium Dei dixerit, veluti blaſphemum damnabunt; ſin Regem Judæorum, facile erit evincere, ut a Romanorum Præſide, qui ibi aderat in Provincia, damnaretur. Vide infra ℣. 63. 64.

℣. 63. Adjuro te per Deum vivum.] Judæis erat mos adjurandi per Dei nomen, & exigendi jusjurandum ex illis, quorum ſcelus non ſatis exploratum erat, atque compertum, vel per teſtes, vel aliunde. Vulgata jurisjurandi exigendi formula, qua Judices utebantur, ea erat: *da gloriam Deo*; dic verum, facinus tuum. Qui vero adjuratus fuerat, loqui tenebatur, ac teſtimonium perhibere [1] veritati; ejuſque confeſſio in rebus ambiguis vim obtinebat, ut per illam vel damnaretur vel abſolveretur. Unde factum eſt, ut Dei Filius, qui hactenus tacuerat, ea in occaſione ſilentio finem impoſuerit, atque Summo Sacerdoti reſponderit.

℣. 64. Tu dixisti. Verumtamen .... amodo videbitis Filium Hominis.] Jesus Christus plura profert, quam ex eo ſummus Sacerdos exquirit. Non fatetur ſolum, ſe Dei Filium eſſe; addit præterea, ſe aliquando ad Dei dexteram appariturum, ac in nubibus venturum ad univerſum mortalium genus dijudicandum. Sed antea illos viſuros terribilem ultionem, ab ipſo in Jeroſolymam, Judæoſque incredulos exercendam. Hæc enim Salvatoris verba duo ſimul reſpiciunt, & Judicium noviſſimum, & Jeroſolymæ excidium. Hæ voces [2] *tu dixiſti*, confeſſionis eſt ſpecies [3]. Vide ſupra ℣. 23. & *Matth.* 27. 11. Prophani etiam nonnumquam eadem utuntur affirmandi ratione [4].

℣. 65. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua,] & ait, Morte dignus eſt; ſecundum legem Levit. 24. 16. meretur, ut lapidibus obruatur; atque ſimul ſcidit veſtes ſuas, ut oſtenderet, ſe illius blaſphemiam perhorreſcere; hoc enim ſimili in occaſione fieri conſueverat [5]. Crediderunt nonnul- A li [6], Caipham hac in re violaſſe Legem, quæ prohibet, ne Summus Sacerdos ſua veſtimenta diſcindat [7]; ſed melioris notæ Interpretes docent, Moyſis præceptum id dumtaxat tempus reſpicere, quo Sacerdotes in Templo verſantur, & actu munere ſuo coram Domino perfunguntur. Tunc non licet illis, conſanguineorum ſuorum luctum facere, & in ſe, veſtibuſque ſuis, vulgatas luctus notas præferre. Sed extra Templum, & ubi jam ſuo defuncti fuerint miniſterio, poterant & ipſi, non ſecus ac cæteri Iſraelitæ, conſanguineis ſuis parentare, ac noviſſima officia perſolvere, intra tamen eos limites, qui a Moyſe aſſeruntur [8]. Docent Rabbini [9], Summum Sacerdotem numquam ſacra, atque ſolemnia veſtimenta ſua diſcindere; cæteras vero veſtes ex inferiori parte ad ſuperiorem ſcin- B dere poſſe, cum cæteri Sacerdotes nonniſi ex ſuperiori poſſint in inferiorem ad palmi unius vel ſex digitorum longitudinem.

Quoad commentitiam Jesu Christi blaſphemiam, docent Doctores Judæi [10], ut mortis pœnam ſubiret vi verborum legis, opus fuiſſe, ut Sacrum atque incommunicabile nomen *Jehovah*, vel aliquod ex ſeptem Sacris nominibus *Jehovah*, *Elohe*, *Elohim*, *Adonai*, *Ehihe*, *Sadai*, *Zabaoth*, pronunciaverit. Alii vero tenent, legem ad quodvis blaſphemiæ genus patuiſſe. Non deſunt tamen, qui medium teneant; fateantur quodlibet blaſphemiæ genus mereri mortem, vi, non Legis Moſaycæ, ſed legum Civilium, quibus quodlibet blaſphemiæ genus prohibetur. Verum cum Jesus Christus declaraſſet primo, ſe *Dei Filium* eſſe, non C tantum per adoptionem, quemadmodum omnes Sancti Viri, ſed vere, cum & ipſe ſit Deus: ſecundo cum aſſeruiſſet a Judæis ſe viſum iri aliquando ſedentem *a dextris virtutis Dei*; hoc eſt juxta Hebræorum ſtylum a dextris Dei; hoc ſatis erat, ſuperque, ut tamquam blaſphemus morti addiceretur. Jubebat lex, illum lapidibus obrui, ſed Pilatus, qui Romanus erat, atque leges Judæorum ignorabat, illum Cruci juſſit affigi.

℣. 67. Tunc expuerunt in faciem ejus.] Statim, ac damnationis ſententia in Jesum Christum prolata fuit, Summus Sacerdos concilium dimiſit [11], & Jesus ex aula in atrium eductus fuit, ubi erant ſatellites calefacientes ſe, & S. Petrus cum illis. Illic milites ac ſervi Summi Sacerdotis, ut ludo tererent D tempus, donec dies accederet, Salvatoris oculos velaris obnubere incœperunt, in faciem ejus expuere, & vola manus illum percutientes, alapaſque impingentes per Sarcaſmum ex eo quæritare, ut, a quo cæſus fuiſſet, divinaret. Hoc erat graviſſimum contumeliæ genus, quo tacite exprobrabatur, veluti Pſeudopropheta. Quoniam te prophetis immiſces, vaticinare, qui te percuſſit. Pollux l. 9. c. 7. loquitur, de quodam veterum ludo, in quo alicui oculi & facies obnubebantur, & mox quærebatur ex eo, a quonam fuiſſet percuſſus: Qui ludus idem ferme eſt, ac ille, qui a Gallis *Colin-Maillard*, vel *Cligne-Muſette* appellatur. Græca vox [12], quæ vertitur cædere colaphis, ſignificat etiam ſandalo, vel ſolea aliquem percutere [13]. Nemo neſcit, in alicujus faciem expuere, maximam eſ- E ſe omnium contumeliarum [14]: *expuerunt in faciem ejus*.

℣. 69. Petrus sedebat foris in atrio.] S. Petrus, cum primum Magiſtrum ſuum deſeruiſſet, mox animos collegerat, atque tenebris tectus uſque in aulam

1 Vide Levit. 5. 1. Num. 5. 21. Prov. 29. 24. Judic. 7. 2. & 3. Reg. 8. 31. Hammond. hic.
2 Matth. 19. 28. 24. 30. 3 Mald. Grot. Brug. Capell. alii paſſim.
4 Euripid. Σὺ δ' λεγεῖς ταυτά, οὐκ ἐγώ. Ariſtoph. Pluto, v. 98. & 143. Φημ' ἐγώ. Ita eſt. Plaut. Stic. *Jam miſerum dicet: Tu dixiſti.* 5 4. Reg. 19. 1. Act. 14. 13.
6 Baron. t. 1. Annal. an. 34. Brug. alii. Vide & Hieronym. & Origen. & Theophylact. & maxime Leon. Mag. homil. 55. 7 Levit. 10. 6 *Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere.*
8 Levit. 21. t. 2. & ſeq. 10. 11. & ſeq.
9 Miſna tit. Horaioth. cap. 3. Vide Hamm. hic. & Selden. de Jure N. & G. l. 2. c. 12. p. 266.
10 Miſna tit. Sanhedr. c. 7. Gemar. Babil. ibid. fol. 56. Jarchi ad Levit. 24. 15. Maimon. Halac. Aboda.
11 Matth. 27. 1. Marc. 15. 1. Luc. 22. 66. 12 Ἐῤῥάπισαν.
13 Heinſ. Ariſtarch. Mald. hic. Perſ. Satyr. 5. *Solea, puer, objurgabere rubra.*
14 Num. 12. 14. Deut. 25. 9. Job. 30. 10. Vide Binæ. de morte Chriſti, l. 2. c. 15. art. 31.

ſam Summi Sacerdotis pervaſerat, illuc admiſſus a quodam diſcipulo JESU, a quo agnoſcebatur [1]. Cum ergo illuc una cum ſervis Caiphæ, & militibus, qui cuſtodiebant JESUM, & qui illum in ludibrium ſibi verterant, quemadmodum vidimus, ſimulque in Atrio, ac ſub dio calefaciebant, verſaretur: oſtiaria ancilla, quæ illum admiſerat [2], cum propius eum reſpexiſſet, inquit illi, ipſum quoque ex JESU ſectatoribus fuiſſe: quod Petrus coram omnibus, qui aderant, audacter negavit. Hæc eſt prima ante Galli cantum negatio.

℣. 71. EXEUNTE AUTEM ILLO JANUAM.] Narrat S. Marcus 14. 68. S. Petrum poſt primam negationem ex interiori atrio in veſtibulum exterius ingreſſum fuiſſe, atque Gallum tunc primum ceciniſſe. In veſtibulum fortaſſe exierat, vel ut ab ea domo ſecederet, vel ut evitaret ſermones eorum, quibus oborta erat ſuſpicio, ſe eſſe de diſcipulis JESU. Attamen ſtatim rediit, & alia ancilla cum illum deprehendiſſet inter cæteros, qui ſe ad ignem calefaciebant, præſentibus aſſirmavit, eum vere ex JESU CHRISTI diſcipulis eſſe [3]: & ſane ex illis quidam illum agnovit, qui & ipſe [4] hunc JESU diſcipulum eſſe affirmavit; ſed Petrus acriter iterumque negare non deſtitit.

℣. 73. ET POST PUSILLUM.] Judæi omnino Syriace loquebantur, Galilæi vero lingua eadem ac Judæi; ſed Galilæis quidam erant mali accentus, & quædam pronuntiandi ratio, qua facile ab aliis dignoſcebantur [5]. S. Lucas 22. 59. ait, unius ferme horæ ſpatium elapſum fuiſſe, alteram inter, ac tertiam Petri negationem: & S. Johannes 18. 26. teſtis eſt, unum e ſervis Caiphæ conſanguineum Malchi, cui S. Petrus aurem abſciderat, agnoviſſe illum, & ex eo quæſiiſſe, utrum & ſe in horto vidiſſet? S. Petrus undique urgentibus teſtium affirmationibus non ſine interpoſita juris jurandi fide ejurare cœpit, ſe nequaquam noviſſe JESUM. Tunc ſecundo cecinit Gallus, atque adimpleta fuit JESU CHRISTI prædictio, ſupra ℣. 34.

℣. 75. ET RECORDATUS EST PETRUS VERBI JESU.] S. Lucas 22. 61. animadvertit, tunc JESUM ſe ſe converiſſe, oculoſque in Petrum conjeciſſe; nam JESUS tunc aderat in atrio eodem, ac S. Petrus cum militibus, ac ſervis Caiphæ, qui defatigati ludo, JESUM quieſcere parumper paſſi erant. Tunc JESUS oculorum

A aciem in S. Petrum convertit, quæ diſcipuli cor altius pervaſit. Cohibere minime potuit Petrus erumpentes lacrymas, atque celeriter ſeceſſit, nec ultra tota illa die viſus eſt.

Veteres nonnulli [6] conati ſunt S. Petri erratum imminuere: dixerunt illi, S. Apoſtolum veritatem quidem diſſimulaſſe, at nequaquam mentitum fuiſſe: negaſſe quidem JESUM, ut hominem, ſed non quatenus Filium Dei; & dixiſſe ſimpliciter: *non novi hominem*, non autem: non novi JESUM CHRISTUM, ut Deum. Inanes has excuſationes nullatenus admittit S. Hieronymus [7], licet earum auctoribus parcat; hoc enim eſt, inquit ille, accuſare velle JESUM CHRISTUM mendacii, dum S. Petrum cupis excuſare. Salvator illi prædixerat, antequam Gallus bis cantet, ter me negabis; non dixit illi, negabis hominem; ſed, negabis me. Videri quoque poteſt S. Auguſtinus in Johannem Tract. 66.

Verum licet grave fuerit S. Petri erratum, non ideo tamen eo uſque proceſſit; ut Apoſtolus fidei jacturam ſubiret [8]: *peccavit autem non odiendo, aut ſpernendo Chriſtum, ſed ſe nimis amando*. Amabat magis ſe, quam Magiſtrum ſuum, & hoc minime noverat. Permiſit Deus lapſum illius; ut ejuſdem timorem, ac noſtram ſuperbiam curaret [9]. *In illa negatione*, S. Auguſtinus l. contra Mendac. c. 6. inquit, *intus veritatem tenebat, foris mendacium proferebat*, quod in os ingerebat metus, qui nimius illum inceſſerat. Animus quidem fidelis erat, lingua infidelis. Prudentius l. Cathemerin.

Flevit negator denique
Ex ore prolapſum nefas;
Cum mens maneret innocens,
Animuſque ſervaret fidem.

S. Ambroſius, quem retulimus tamquam acerrimum S. Petri hac in re Patronum, ille ipſe fatetur, ſe nequicquam id excuſare velle, quod neque Petrus excuſatione dignum putavit: *nos excuſamus, ipſe non excuſavit*. Aſſerit etiam S. Petrus ſe vere ſontem agnoviſſe, cum ploravit, non quod feſelliſſet æquivoco eos, a quibus fuerat interrogatus, ſed quod negaſſet JESUM CHRISTUM. *Et ideo Petrus non de induſtria ſic reſpondiſſe inducitur, quia poſtea recordatus eſt, & tamen flevit.*

B

C

---

1 Joan. 18. 15. 16. 2 Joan. 18. 17.
3 Vide Joan. 18. 25. Marc. 14. 69. 4 Luc. 22. 58. Joan. 18. 25.
5 Vide Buxtorf. Lexic. voce גליל Bochart. Phaleg. l. 1. c. 15. & Chanaan. lib. 2. cap. 1. & Act. 2. 7.
6 Ambroſ. in Luc. l. 10. Leo Mag. Serm. 58. Hilar. in Matth. 7 Vide Hier. hic, & Ep. 149. ad Marcellam.
8 Vide Bernard. lib. de Gratia, & lib. Arbitrio, c. 12. 9 S. Leo Serm. 68.

CAPUT XXVII.

JESUS ad Pilatum deducitur. Judas præ deſperatione laqueo ſe ſuſpendit. Barabbas JESU præfertur. Damnatio JESU, qui ad Calvarium adducitur, & crucifigitur. Mors illius. Terræmotus. Complurium mortuorum reſurrectio. JESUS e Cruce refixus tumulatur.

1. MAne autem facto, conſilium inierunt omnes principes ſacerdotum, & ſeniores populi adverſus Jeſum, ut eum morti traderent. 2 Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi. 3 Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus, 4 Dicens: Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. 5 Et projectis argenteis in templo, receſſit: & abiens laqueo ſe ſuſpendit. 6 Principes autem ſacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium ſanguinis eſt. 7 Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. 8 Propter

hoc

hoc vocatus eſt ager ille, Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis, uſque in hodiernum
diem. 9 Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam prophetam, dicentem:
Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Iſrael:
10 Et dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus. 11 Jeſus autem
ſtetit ante præſidem, & interrogavit eum præſes, dicens: Tu es Rex Judæorum? Di-
cit illi Jeſus: Tu dicis. 12 Et cum accuſaretur a principibus ſacerdotum, & ſenio-
ribus, nihil reſpondit. 13 Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta adverſum te
dicunt teſtimonia? 14 Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes
vehementer. 15 Per diem autem ſolemnem conſueverat præſes populo dimittere unum
vinctum, quem voluiſſent. 16 Habebat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur
Barabbas. 17 Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis, dimittam vobis:
Barabbam, an Jeſum, qui dicitur Chriſtus? 18 Sciebat enim, quod per invidiam
tradidiſſent eum. 19 Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus, di-
cens: Nihil tibi, & juſto illi. Multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.
20 Principes autem ſacerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populis, ut peterent Barab-
bam, Jeſum vero perderent. 21 Reſpondens autem præſes ait illis: Quem vultis vo-
bis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam. 22 Dicit illis Pilatus: Quid igi-
tur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus? 23 Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis
præſes: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes: Crucifigatur. 24
Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: accepta aqua,
lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego ſum a ſanguine juſti hujus, vos vi-
deritis. 25 Et reſpondens univerſus populus, dixit: Sanguis ejus ſuper nos, & ſu-
per filios noſtros. 26 Tunc dimiſit illis Barabbam: Jeſum autem flagellatum tradidit
eis, ut crucifigeretur. 27 Tunc milites præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium, con-
gregaverunt ad eum univerſam cohortem: 28 Et exuentes eum, chlamydem coccineam
circumdederunt ei: 29 Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus,
& arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave
rex Judæorum. 30 Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant ca-
put ejus. 31 Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum
veſtimentis ejus, & duxerunt eum, ut crucifigerent. 32 Exeuntes autem invenerunt
hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.
33 Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod eſt Calvariæ locus. 34 Et de-
derunt ei vinum bibere cum felle miſtum. Et cum guſtaſſet, noluit bibere. 35 Poſt-
quam autem crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes: ut im-
pleretur, quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Diviſerunt ſibi veſtimenta mea;
& ſuper veſtem meam miſerunt ſortem: 36 Et ſedentes ſervabant eum. 37 Et impo-
ſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam: HIC EST JESUS REX JUDÆO-
RUM. 38 Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones; unus a dextris, & unus a ſini-
ſtris. 39 Prætereuntes autem blaſphemabant eum moventes capita ſua, & dicentes:
40 Vah, qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas; ſalva temetipſum:
ſi filius Dei es, deſcende de cruce. 41 Similiter & principes ſacerdotum illudentes
cum Scribis, & ſenioribus dicebant: 42 Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſal-
vum facere: ſi rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei: 43 Confidit
in Deo, liberet nunc, ſi vult eum: dixit enim: Quia filius Dei ſum. 44 Idipſum
autem, & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. 45 A ſexta autem
hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam. 46 Et circa
horam nonam clamavit Jeſus voce magna, dicens: Eli Eli, lammaſabacthani? hoc eſt,
Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? 47 Quidam autem illic ſtantes, &
audientes, dicebant: Eliam vocat iſte. 48 Et continuo currens unus ex eis acceptam
ſpongiam implevit aceto: & impoſuit arundini, & dabat ei bibere. 49 Cæteri vero dice-
bant: Sine videamus, an veniat Elias liberans eum. 50 Jeſus autem iterum clamans voce ma-
gna, emiſit ſpiritum. 51 Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſ-
que deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, 52 Et monumenta aperta ſunt:
& multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. 53 Et exeuntes de monu-
mentis poſt reſurrectionem ejus venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis.
54 Centurio autem, & qui cum eo erant, cuſtodientes Jeſum, viſo terræmotu, & his

quæ fie-

quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes : Vere Filius Dei erat iſte. 55 Erant autem
ibi mulieres multæ a longe, quæ ſecutæ erant Jeſum a Galilæa, miniſtrântes ei. 56
Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joſeph mater, & mater filiorum
Zebedæi. 57 Cum autem ſero factum eſſet, venit quidam homo dives ab Arimathæa,
nomine Joſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Jeſu. 58 Hic acceſſit ad Pilatum, & pe-
tiit corpus Jeſu. Tunc Pilatus juſſit reddi corpus. 59 Et accepto corpore, Joſeph
involvit illud in ſindone munda. 60 Et poſuit illud in monumento ſuo novo, quod
exciderat in petra. Et advolvit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit. 61 E-
rat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, ſedentes contra ſepulchrum. 62
Altera autem die, quæ eſt poſt Paraſceven, convenerunt principes ſacerdotum, & Pha-
riſæi ad Pilatum, 63 Dicentes : Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit
adhuc vivens : Poſt tres dies reſurgam. 64 Jube ergo cuſtodiri ſepulchrum uſque in
diem tertium : ne forte veniant diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi : Sur-
rexit a mortuis, & erit noviſſimus error pejor priore. 65 Ait illis Pilatus : Habetis
cuſtodiam, ite, cuſtodite, ſicut ſcitis. 66 Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum,
ſignantes lapidem cum cuſtodibus.

℣. 1. MANE AUTEM FACTO CONSILIUM INJERUNT.] Conſilium, quod noctu habitum fuerat, & ibi Jesus mortis reus declaratus fuerat [1], neque generale erat, neque juridicum juxta Leges, quoniam neque ſecreto, neque noctu jus dicendum eſt. Rurſus ergo adductus fuit Jesus coram omnibus Sacerdotum Principibus, atque proceribus Sanhedrin, ubi iterum interrogatus [2], utrum eſſet Chriſtus, ut primum, ſe eſſe reſpondit, ac futurum, ut aliquando ipſum viderent ſedentem ad dexteram virtutis Dei, tunc ſtatuerunt ipſum ex propria confeſſione blaſphemiæ eſſe reum, ideoque morte dignum. Superius cap. 29. 59. ad examen vocavimus, quonam in loco conſilium hoc habitum fuerit. Putat Ligfoot Hor. Hebr. ad Marc. 15. 25. in aula Sanhedrin coactum fuiſse, atque oſtendit illic cœtum haberi minime conſuevisse ante tertiam diei horam, quæ nonæ matutinæ Gallicæ reſpondet. Verum hoc cum decurſu Evangelicæ hiſtoriæ minime congruit, atque fidei magis conſonum eſt, ipſos iterum apud Caipham convenisse.

℣. 2. ET VINCTUM ADDUXERUNT, & TRADIDERUNT PONTIO PILATO.] Qui tunc Romanorum nomine illi præerat Provinciæ. At quorſum Sacerdotum Principes, ac proceres Sanhedrin juxta Leges ſuas ipſum minime capite damnant, quandoquidem eum morte dignum fatentur ? ajunt, illis nullum fuiſſe amplius vitæ, necisque jus in ſontes, quemadmodum ipſi etiam profitentur; cum enim Pilatus juſſiſſet, illos hunc ſecundum Leges ſuas ſupplicio afficere abnuerunt, dicentes Joan. 18. 31. *nobis non licet interficere quemquam*. Tenent alii, Judæos ſemper gaviſos fuiſſe hoc jure, illos necandi, qui a Lege expliciti morti addicebantur, non autem illos, qui alia qualibet ex cauſa ſupplicium hoc meriti fuiſſent. Opinio hæc probatur ex S. Stephani martyrio Act. 7. 57. adulteræ mulieris hiſtoria Joan. 8. 3. aliiſque exemplis eorum, qui a Judæis cæſi fuerunt. Immo nonne liquet illos tuliſſe lapides, nec ſemel, ut his in Templo etiam JESUM CHRISTUM obruerent ? Ergo ſi JESUM CHRISTUM neque damnare, neque plectere morte voluerunt, ea cauſa fuit ex Sanctorum Chryſoſtomi, & Auguſtini ſententia, quod feſta erat dies illa [4], qua ipſis minime licebat mortis ſententiam explere. Nolebant ſe humano ſanguine polluere. Verebantur etiam in ſe populi odium convertere, a quo JESUS prophetæ loco habebatur.

Sed quamvis hæ pugnent rationes, auſim tamen aſſerere, nullum Judæis fuiſſe jus juridice damnandi aliquem morte; immo neque illos, qui Moyſis Leges perfringerent. Licebat quidem illis ſtatim ſerto in inſontes irruere, quod ab ipſis *Judicium Zeli* vocabatur, quod ſemper ipſis licitum fuit, cum populus zelo ſucceuſus, & legum ſuarum amore proreptus in eos ferebatur, qui nefarie, atque impune Leges violarent. Sed cum JESUS captus fuiſſet, atque apud Caipham adductus, interrogatus juridice, atque ex ipſius confeſſione convictus, illum eſſe Meſſiam, atque Dei Filium; *judicio zeli* nullus amplius aderat locus, ſed juridica opus erat ſententia, qua damnaretur, atque interficeretur.

Pilatus ideo illis dixit, ut ipſi morte illum mulctarent, eo quod a ſe cupiebat avertere & odium, & damnationis hujus injuſtitiam; quam ſubire nolunt Judæi, eo quod verentur populum; neque hac nece illius in ſe conflare volunt indignationem. Denique Prætorium ingredi renuunt, ne polluantur : ea quippe die veſpere Paſcha erant celebraturi juxta noſtrum ſyſtema : juxta enim alienum, atque Vulgatum jamjam illud celebraverant, & nihil illis ea in re præcavendum ſupererat. Animadvertendum tamen ſerio hic eſt, Judæos, Pilatum efflagitantes, ut JESUM capite plectaret, iis præſertim argumentis inniti, quod ſe Regem Judæorum dixerat, quod Cæſari infenſus erat, quod in populo defectionis cupiditatem ſerebat, quod prohibebat, ne Romanis tributum [5] perſolveretur, quæ omnia falſa erant eo in ſenſu, quo ab illis ferebantur. Sciebant enim, Pilatum minime commotum iri ad blaſphemiæ accuſationem, atque nullo in diſcrimine habiturum, quod JESUS CHRISTUS ſe Dei Filium vocaret. Pilatus hoc minime inquirebat, neque id populo ſatis fuiſſet. Res in eo poſita erat, ut intelligeretur, utrum Jesus ea feciſſet opera, quæ probarent, quod dixerat. Si enim ſatis, ſuperque ſe Meſſiam eſſe oſtenderat, ubi erat blaſphemia ? hoc penitus diſcutiendum erat, non autem ille redarguendus, quod ſe Dei Filium ferret.

℣. 3. TUNC VIDENS JUDAS &c.] Judas plane exiſtimabat rem non adeo celeriter eſſe tranſigendam, neque Sacerdotum odio eo evaſuram, ut JESU CHRISTO mors inferretur [6]. Opinatus fuerat illum, vel aliquo miraculo ex eorum manibus elapſurum, vel nationis Principes populi timore deterritos, nihil in illum auſuros ante Paſchatis feſtum : interim vero aliquam perturbationem in Domini ſui gratiam eventuram. Quomodocumque ſe habeat res, videns JESUM CHRISTUM morte damnatum, atque a Principibus Sacerdotum ad Pilatum adductum, ut illius juſſu enecaretur : nullus illi amplius relictus eſt dubitandi locus, quominus inimicorum ſuorum furori ſuccumberet [7]. Acceſſit ergo ad Principes Sacerdotum, & Seniores Populi, vel in

dumum

1 Matth. 26. 57. . . . . 65. 66.
2 Luc. 22. 66. 67. & ſeq.
3 Joan. 8. 59. & 10. 31.
4 Chryſoſtom. homil. 8c. Auguſt. tract. 114. in Joan.
5 Luc. 23. 2.
6 Theophylact. Maldonat. Brug. Cameto.
7 Maldonat. Men. Brug. Eſt. Grot.

domum Caiphæ, vel in Templum, eiſque reddidit pecuniam, quam ab illis acceperat, dicens, ſe peccare, prodendo ſanguinem innocentem.

Quo tempore hæc Judæ pœnitentia, atque deſperatio contigerit, apud Interpretes minime conſtat. Tenent alii [1], ipſum tunc triginta argenteos attuliſſe, cum Pilatus in Jesum mortis ſententiam protulerat. Alii vero, ipſum conveniſſe Sacerdotes, dum eſſent adhuc in domo Caiphæ congregati, vel cum erant ante prætorium urgentes, ut Jesus a Pilato morte damnaretur. At nullam rationem video, quæ nos cogat, ab ordine narrationis S. Matthæi recedere, atque factum hoc alio transferre.

Patres unanimi conſenſu Judæ pœnitentiam damnant, non quod mala fuerit pœnitentia [2], ſed quod in dolore ſuo Judas de Salvatoris miſericordia deſperavit: *Conſummato ſcelere tam perverſa impii converſio fuit, ut etiam pœnitendo peccaret* [3]. Adeo timuit, ut omnem veniæ ſpem amitteret, Verum ſi illius inutilis fuit pœnitentia, utilis eſt tamen ad Judæorum nequitiam, atque incredulitatem evincendam, qui neque proditoris confeſſioni cedunt [4]. Origenes, atque Theophylactus in Matth. id afferunt, quod fabulam ſapere videri poſſit. Judam ſcilicet videntem decretam jam eſſe Jesu Christi mortem, cum ab eo non poſſet amplius hac in vita veniam obtinere, iniiſſe conſilium in alteram præcedendi, ut ibi æternum deprecaretur exitium.

℣. 4. Quid ad nos? tu videris.] Perinde ac proditoris crimen ad eos minime ſpectaret, qui proditionis auctores fuerunt; & damnatio innocentis, quem talem eſſe profitebatur ille, a quo proditus fuerat, ludibrium eſſet [5]. Tanta erat Judæorum cæcitas.

℣. 5. Abiens laqueo se suspendit.] Petrus in Actis 1. 18. ait, Judam eum ſe ſe in præceps dediſſet, crepuiſſe, atque omnia exta illius effuſa fuiſſe. Ut hanc veritatem concilient, varia ſcrutati ſunt Interpretes. Theophylactus credit, Judam, cum primum ſe ſe laqueo ſuſpendiſſet, quemadmodum S. Matthæus enarrat, nimio corporis pondere arborem, cui ſe ſuſpenderat, inclinaſſe, cumque illi opem tuliſſet viator aliquis, aliquandiu adhuc poſtea vixiſſe; ſed cum hydropiſi deinceps laboraret, crepuiſſe, atque animam efflaſſe. Euthymius ait, Judam cum vix ſe ſe ſuſpendiſſet, a funiculo quodam inde ſolutum fuiſſe, atque in locum adductum, ubi vixit aliquando, ſed cum de ſublimi loco poſtea decidiſſet, in lapſu crepuiſſe, atque effudiſſe viſcera. Papias ajebat [6], vinculo, quo Judas ſuſpenſus fuerat, fracto, illum vixiſſe adhuc aliquandiu, & mirum adeo in modum intumuiſſe, ut tandem medius crepuerit.

Verum enim vero, quin tot inquiramus ambages, nonne dici poteſt, proditorem hunc, cum ſe laqueo ſuſpendiſſet, patibulo ſuſpenſum permanſiſſe, donec crepuit? Vel inde demiſſum forte in rupem, aut paxillum aliquem cecidiſſe, ita ut crepuerit [7]; vel tandem, quod magis adhuc probabile videtur, ablatum e loco, ubi ſe ſe ſuſpenderat, atque in ſterquilinium projectum, ibi crepuiſſe, quod accidere ſolet cadaveribus, quæ illuc conjiciuntur? Ex Joſepho de Bello l. 3. c. 25. patet, apud Hebræos in veſperam uſque inſepultos relinqui conſueviſſe eos, qui ſibimet necem conſciſcerent.

Recentiores quidam [8] cenſuerunt, Græcum Sancti Matthæi textum [9], non ſatis apertum eſſe, ut dicatur

A Judas laqueo ſuſpenſus fuiſſe; neque ex Actorum libro colligi poſſe, illum ſe ſe in præceps dediſſe; ſed dumtaxat dolore, mœrore, atque deſperatione fuiſſe confectum, atque immodico languoris exceſſu captum in faciem ſuam cecidiſſe, et labentem crepuiſſe, & expiraſſe. Ferunt, eos, qui angina laborant, nonnumquam diſrumpi: vel ſtimulis conſcientiæ, atque deſperationis actum voluiſſe ſe ſe præcipitem dare, immo & dediſſe, atque ex lapſu crepuiſſe. Sed explicationes hæ nimium acutæ videntur, ac nimium abhorrentes a prima idea, quam S. Marci, Actorumque textus primum lectoribus exhibent. Origenes, S. Chryſoſtomus, ac Theophylactus in S. Matthæum, & S. Leo ſermone 5a. credunt, Judam ſe ſe laqueo ſuſpendiſſe,

B antequam Jesus Christus moreretur. At verus Auctor quæſtionum in novum, ac vetus Teſtamentum, hoc aliquot poſt dies accidiſſe teſtatur [10].

℣. 6. Non licet, eos mittere in corbonam.] Hebraica vox *corbona* ſignificat munera, & oblationes, quæ Templo fiebant, vel arculam, in quam illa conjiciebantur, vel Templi theſaurum [11]. Lege cautum erat, ne munera ex rebus fœdis, veluti libidinis pretium, reciperentur [12]. Uſu vero, interdictum hoc latius ſe ſe extenderat ad ea omnia, quæ aliquam turpitudinis, vel crudelitatis ſuſpicionem continerent, neque recipiebantur donaria ex Publicanis, lictoribus, carnificibus, neque argentum, quod quis pro perjurio receperat, aut proditione, velut alicui necem pararet. Hæc omnia *pretium ſanguinis* appellabantur: viſum fuiſſet ſcelus, vel cædem probari, ſi hujuſmodi

C oblationes acceptæ fuiſſent, quem morem Veteres Chriſtiani ſervaverunt [13]. Apparet hoc in loco verus Judaicorum Sacerdotum character; renuunt in theſaurum immittere pretium proditionis Judæ; & audent tamen quærere mortem Jesu Christi, inanes, futileſque colores, atque criminationes afferendo.

℣. 7. Emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.] Judæorum videlicet [14], vel Ethnicorum [15], vel Proſelytorum [16], qui Ieroſolymæ decederent. Sicli triginta, quemadmodum dictum eſt, æquabant pretium Gallicarum librarum octo, & quadraginta, cum ſolidis duodecim, & denariis ſex. Cum autem illi arbitrarentur, pecuniam hanc pollutam eſſe, operæ pretium cenſuerunt, eadem uti in ea re emenda, quæ ab ipſis immunda habebatur,

D hoc eſt cæmeterio. Hoc tamen non ita ſtatim adimpletum eſt; ſed Evangeliſta huc ſimul congeſſit ea omnia, quæ ad proditoris Judæ pertinent hiſtoriam.

℣. 8. Haceldama, hoc est ager sanguinis.] Hæ voces, *Hacel dama* [17] Syriæ ſunt, & in Græcis exemplaribus non leguntur, ſed ex Actorum libro in Sanctum Matthæum migraſſe creduntur. Inveniuntur tamen in vetuſtiſſimis Latinis exemplaribus, puta in celebri MS. Græco, & Latino Cantabrigienſi; & in veteri Vulgata S. Matthæi Patris Martianæi cura edita. Ager hic eo nomine appellabatur adhuc, cum Evangeliſta hanc conſcriberet hiſtoriam ſeptimo, vel octavo poſt mortem Salvatoris anno. S. Hieronymus in locis ait, cæmeterium hoc fuiſſe ad meridiem Ieruſalem, ibique tumulata fuiſſe pauperum corpora, atque

E eo projecta illorum cadavera, quæ ſepulchri honore indigna habebantur; Druthmarus ait, ibi fuiſſe Xenodochium peregrinorum, terram Sanctam inviſentium.

1 Juvencus lib. 4. Evangel. hiſt. et alii plures e recentiorib.

2 Vide Origenem in Matth. tract. 35. et lib. 2. contra Celſum, et Hieronymum in hunc locum, ubi Judæ pœnitentiam laudare videntur, non ſecus ac S. Ambroſius in Luc. lib. 10. & Chryſoſtom. hom. 86.

3 Leo Magn. ſerm. de Paſſione Domini.

4 Ambroſ. lib. 10. in Luc.

5 Vide Ambroſ. in Luc. 10.

6 Papias apud Oecumen. in acta c. 1. & Auct. Hiſt. Scholiaſticæ.

7 Vide Priccæum hic, & Cleric. ad Hammond. Maldonar. alios paſſim.

8 Vide Eraſm. Heinſ. Grot. Hamm. Gronov. Diſſert. de Caſu Judæ.

9 Matth. 27. 5. Καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο. Vide Tob. 3. 11. de Sara filia Raguelis. Ἐλυπήθη σφόδρα ὥστε ἀπάγξασθαι. Job. 7. 15. *Suſpendium elegit anima mea.*

10 Ita Syr. Arab. Varabl.

11 Joſeph de Bello lib. 2. cap. 8. Suid. Phavorin. Ludov. de Dieu, Hieronym. hic.

12 Deut. 23. 18. *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Domini.*

13 Vide Conſtitut. Clem. apud Hammond. hic.

13 Grot. hic.

14 Hilar. in Matth. can. 32.

15 Gerhard. Hammond. Bynæ lib. 2. cap. 8. de Morte Chriſti.

16 חקל דמא Ἀγρὸς Αἵματος.

Recentes viatores ajunt, agrum hunc exiguum admodum eſſe ſub fornice contentum, ſuper quem veluti ſuper ſolatium deambulatur, atque unde in inferiorem partem per ingentia foramina ſpiraculorum inſtar deſpectus patet, & aſſerunt, loci hujus terram abſumere corpora, antequam trium horarum ſpatium elabatur.

℣. 9. Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam &c.] Prophetia Jeremiæ nomine allata non extat in illius Prophetæ ſcriptis, quæ ſuperſunt. Invenitur tamen apud Zachariam cap. 11. 12. ubi legimus ea, quæ ſequuntur: *& dixi ad eos: ſi bonum eſt in oculis veſtris, afferte mercedem meam; & ſi non, quieſcite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me: projice illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis, & tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad ſtatuarium*. Propheta hic loquitur de Meſſia, quaſi de Paſtore quodam ſubeunte Provinciam paſcendi gregis derelicti, atque lanio devoti. Cum jam ſatis diu gregem hunc egiſſet, mercedem petit, quemadmodum iſthic memoratur. Judæi vero tamquam paſtorem ſuum abdicaturi, illi tribuunt triginta argenteos, vel potius hos erogant proditori, a quibus liberantur hoc Paſtore, cujus redargutiones, juſtamque ſeveritatem ferre non poterant. Vide Commentarium noſtrum in Zachariam.

At undenam Jeremiæ nomen pro Zacharia iſthuc obrepit? Crediderunt nonnulli [1] hoc librarii alicujus mendum fuiſſe, qui pro Zacharia Jeremiam inſeruerit, quod ſi mendum eſt, vetuſtiſſimum eſt: Origenis enim ævo difficultas hæc Patres exercebat. Crediderunt alii [2], Evangeliſtam non expreſſiſſe nomen alicujus Prophetæ hoc in loco, & librarium aliquem proprio marte Jeremiæ nomen appoſuiſſe, quod in vetuſtatis reverentiam deinceps expunctum non fuerit. Plurima tamen adſunt Græca, Latina, Syriaca, Arabica, Perſica [3] Exemplaria, ubi nomen hoc minime reperitur, ſeu quod deſcripta fuerint ex antiquiſſimis, ubi non aderat, ſeu quod inde abraſum fuerit hoc nomen, quod ibidem eſſe minime debebat. Tenent alii [4], S. Matthæum memoria fretum locum hunc afferentem, Jeremiæ nomen pro Zacharia, illa deficiente, ſcripſiſſe; eos vero, qui deinceps vixerunt, licet mendum aperte cognoverint, e re minime cenſuiſſe textum caſtigare, eo quod non magni momenti eſſet hic error. Sanctus Auguſtinus [5] putat, hoc peculiari divinæ providentiæ effectu contigiſſe, quæ cum Evangeliſtarum memoriam regeret, permiſit, ut Jeremiæ nomen ſe ſe offerret pro Zacharia animo S. Matthæi, ſuum Evangelium ſcribenti. S. Evangeliſta potuiſſet quidem, ſi voluiſſet, id corrigere; ſaltem poſtquam Evangelio ab aliis perfecto lapſus hujus certior factus fuit; verum in rem minime putavit hoc facere, ratus, non ſine peculiari cauſa ſibi a Sancto Spiritu injectum fuiſſe pro Zacharia Jeremiam. Hæc eſt S. Auguſtini ſententia, quam fuſius afferre haud abs re exiſtimavi. Patet, illum crediddiſſe, Evangeliſtam minime memoria ſua uſum fuiſſe ea in occaſione, auctoreſque ſacros, dum ſcribunt, nihil aliud eſſe, quam Spiritus Sancti amanuenſes.

Non deſunt alii [6], qui putant, locum hunc & Jeremiæ ſimul eſſe, & Zachariæ; ſed Jeremiæ locum a S. Matthæo allatum non inveniri amplius in his, quæ ab eo Propheta ſcripta ſuperſunt; ſeu quod Judæi nequiter illum expunxerint, ſeu quod alio quolibet caſu interierit. Dominicus Magrius in libro quodam, quem *de apparentibus Scripturarum contradictionibus* edidit, ait, ſibi ab Abraham Echellenſe oſtenſum fuiſſe Arabicum MS. Codicem, cui titulus: *Margaritæ pretioſæ*, cujus auctor ferebat, Judæos in Jesu Christi odium Jeremiæ locum deleſſe a S. Matthæo probatum, qui invita eorumdem improbitate in quibuſdam latentibus libris adhuc ſupereſſet. Hic autem a nobis univerſus aſſeretur. Tunc *dixit Jeremias Phaſsur: jampridem vos, ac patres veſtri adverſati eſtis veritati: ſed filii, qui poſt vos venturi ſunt, ſcelus adhuc nequius patrabunt; quoniam illi, cujus nullum eſt pretium, pretium aſſignabunt, & plectent eum, qui curat morbos, & peccata dimittit, & triginta argenteos pretium a filiis Iſrael traditum pro eo, quem emerunt, recipient*.

Origeni jampridem ſuſpicio oborta eſt [7], locum hunc a S. Matthæo fortaſſe repertum fuiſſe in quodam apocrypho Jeremiæ volumine; cujus alium apocryphum librum ſibi a Nazaræo quodam oſtenſum fuiſſe teſtatur S. Hieronymus, ubi locus hic ita prolixus legebatur. In 2. Macc. 2. 1. quidam Jeremiæ loci afferuntur, qui in operibus ejuſdem minime reperiuntur. In populorum memoria plurima vigebant adhuc, ac plurimi prophetarum ſermones, qui in eorum ſcriptis non aderant; quemadmodum ex Joſepho de Bello l. 5. c. 3. & vitis Prophetarum a Pſeudo-Epiphanio, ac Dorotheo conſcriptis innoteſcit. Grotius in Zacharia [8] peculiariter quaſdam locutiones deprehendit ex Jeremia depromptas, cujus ſpiritum in Zacharia reſediſſe Judæi ipſi fatentur. Ideo fieri potuit, ut noviſſimus hic in prophetia ſua ſcripſerit, quod olim a Jeremia dictum quidem, at ſcriptum non fuerat. Græci [9] docent, hæc S. Pauli verba ad Epheſ. 4. 14. *propter quod dicit: ſurge qui dormis, & exſurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus*, deſumpta fuiſſe ex ſcriptis Jeremiæ, quæ in canone inſerta non ſunt.

Joſephus Medus l. 4. ep. 31. & Hammondius ad Hebr. 8. ambigere videntur, utrum cap. 9. 10. 11. Zachariæ vere hujus Prophetæ ſint, ibi enim aliqua ſe animadvertere arbitrantur, quæ Prophetæ hujus ævo minime congruunt, ſed ad Jeremiæ tempus quam maxime ſpectant. Liquet, librum Pſalmorum plurima continere carmina a Davide nequaquam compoſita, licet omnis illa Pſalmorum collectio, Prophetæ illius nomine inſcribatur; atque in Proverbiorum libris eſſe plures ſententias, quæ Agur filio *Jake* accepta referuntur. Et S. Matthæus explicite ait, locum illum, qui undecimo ſuo capite reperitur, ex Jeremia eſſe deſumptum. En quid hanc in rem Auctores illi comminiſcantur; at vereor, ne nimis conentur, Zachariæ tria denegantes capita, ut unum dumtaxat Jeremiæ locum reſtituant.

Credunt alii [10], Evangeliſtam hic locos duos ſimul protuliſſe, alterum Jeremiæ, Zachariæ alterum. Hoc certo certius eſt, Sacros novi teſtamenti auctores hoc facere conſueviſſe, cujus rei non pauca, & in Evangelio, & apud S. Paulum videntur exempla [11]. Plurima ſimul commiſcent teſtimonia, ex quibus unum dumtaxat efficiunt, quod ipſis maxime conducat, & quod, vel generatim ſub Prophetarum nomine, vel peculiariter proferunt ſub nomine unius ex auctoribus, vel Prophetis, quorum afferunt verba, quin cæterorum meminerint. Eo in loco, quod iſthic ad trutinam revocamus, Evangeliſta Jeremiam appellat, quod propheta ille agrum emerat in Anathoth, ut probaret, poſt captivitatis reditum, adhuc ea in regione emendos, vendendoſque agros eſſe [12]. Ager hic figura erat illius, qui

1 Ita Author Comment. in Pſal. ſub nomine Hieronymi in Pſal. 77. 1. Euſeb. lib. 10. Demonſt. cap. 4. Beza, Gomar. Piſcat. Binæus l. 2. de morte Chriſti c. 8. art. 23. 24. 25. 26. &c. ubi fuſe de hoc loco diſputat.

2 Brug. Janſen. Maldonat. Baron.

3 Vide Var. Lect. Mill. Auguſt. lib. 3. de Conſenſu cap. 7. Lyr. Brug. Janſen. Maldonat. alios.

4 Auguſt. lib. 3. de Conſenſu cap. 7. 8. Beda hic. Eraſm. Druſ. Cnatcbul. Gloſſ. ordinar. Glaſſ. Philol. l. 1. tract. 2.

5 Auguſt. lib. 3. cap. 7. n. 30.

6 Zeger. hic. Ger. Joan. Voſſius Harm. Evang. lib. 2. cap. 3. Colomeſ. obſerv. ſacr. p. 32. Vide Grotium hic.

7 Vide Origen in Matth. hic.

8 Confer Zach. 1. 4. & Jerem. 18. 11. & 35. 15. Zach. 1. 16. & Thren. 2. 17. & Zach. 3. 8. cum Jerem. 23. 5. &c.

9 Grot. hic.

10 Auguſt. lib. 3 de Conſenſu cap. 7. Heinſius Exercit. ſacr. in Matt. 27. & Sanctius ad Zach. 11. 12. & ad Jerem. 32. 14. & Glaſſ. Philol. ſacr. lib. 1. tract. 2.

11 Vide Matth. 21. 5. ubi citat Iſai. 62. 11. et Zach. 9. 9. Vide quoque Matth. 21. 13. ubi citat Iſai. 56. 7. et Jerem. 7. 11. Vide Act. 1. 20. e Pſalmo 68. 26. & 108. 8. Vide quoque Rom. 3. 10. & 9. 33.

12 Jerem. 32. 9. 14. 15. 43.

qui Judæ pecunia emptus fuit triginta. Sed Zachariam non memorat loquentem de argenteis, pretio pro Paſtoris mercede perſoluto. Priorum amplecti poſſumus ſolutionem, vel eam præferre ſententiam, quæ iſthic librarii mendum minime deeſſe arbitratur; vel illam adoptare, quæ putat, locum hunc ex quodam veteri Jeremiæ codice deſumptum, qui ad nos uſque minime pervenit, & ex quo Zacharias hæc verba deprompſit. Evangeliſta non ſatis diligenter prophetæ litteram perſecutus eſt, ac ſatis fuit illi afferre prophetiæ ſenſum, eumque argumento ſuo accommodare [1].

℣. 11. JESUS AUTEM STETIT ANTE PRÆSIDEM.] S. Johannes 18. 28. hæc fuſius enarrat. Jeſus mane ſummo adductus fuit in Prætorium, vel Præſidis domum: cumque Sacerdotes, ac Senatores, qui illuc acceſſerant, ut illius mortem efflagitarent, domum ingredi noluiſſent, ne pollucrentur; quandoquidem die illa ſub veſperam Paſcha erant manducaturi, Pilatus domo egreſſus ex Sacerdotibus quæſivit, quanam de re Jeſum deferrent? Qui reſponderunt [2], niſi ille nefarius fuiſſet, ſe nequaquam illuc fuiſſe adducturos; quibus ille; ergo ſi improbus, arripite illum, atque ſecundum leges veſtras interficite: Judæi vero; *nobis non licere interficere quemquam*. Addit S. Lucas 23. 2. eos Jeſum accuſaſſe, quod rerum novarum ſtudioſus eſſet, turbas in populo cieret, vetaret, ne Cæſari tributum perſolveretur, & ſe Judæorum Regem vocaret. Pilatus in Prætorium rediens pro tribunali ſedit, atque de tribus hiſce criminibus Jeſum interrogavit [3]. Quæſivit ex eo, utrum rex eſſet; cui Jeſus, ſe quidem eſſe, reſpondit: ſed Regnum ſuum ex hoc mundo non eſſe; quibus auditis iterum Prætorio egreſſus Pilatus coram Judæis profeſſus eſt, ſe nullum in hoc homine morte dignum ſcelus invenire.

ET CUM ACCUSARETUR A PRINCIPIBUS SACERDOTUM.] Sacerdotes urgere valide non deſierunt, ut Jeſu mortem extorquerent. Sed Jeſus nihil, vel eorum criminationibus, vel habitæ a Pilato iterum quæſtioni reſpondit. Cum vero accuſatores elata voce conclamarent, Jeſum defectionis animos in populum ſerere, & numquam id facere deſiiſſe, incipientem a Galilæa: Pilatus percontatus, utrum Galilæus eſſet, ubi intellexit, illum Herodis ſubditum eſſe, ad eum Regem miſit [3]. Interim dum Jeſus, atque Sacerdotes actores illius ad Herodem conceſſiſſent; Pilatus cognovit, Judæos invidia correptos Jeſo necem intentare [4].

℣. 15. PER DIEM AUTEM SOLEMNEM.] Futurum credidit, ut hoc ſibi viam aperiret eripiendi Jeſum ex manibus Sacerdotum, curans, ut a populo Jeſus expeteretur. Conſuetudo liberandi aliquem ex his, qui in carcere detinebantur die Paſchatis, unde originem hauſerit, neque ex lege, neque ex Judæorum hiſtoria ſatis patet. Verum illius continuatio deprehenditur in Reſcriptis aliquorum Chriſtianorum Imperatorum præcipientium, ut Paſchatis die liberentur hi omnes, qui in carcerem conjecti eſſent, exceptis dumtaxat quibuſdam caſibus, qui in Reſcriptis iiſdem memorantur [5]. Syrus, aliique nonnulli [6] credunt, Romanos Præſides conſueviſſe unum ex captivis, quem vellent, illis dimittere, tribus præcipuis anni ſolemnitatibus, Paſchatis, Pentecoſtes, atque Tabernaculorum.

℣. 16. HABEBAT AUTEM TUNC VINCTUM INSIGNEM, QUI DICEBATUR BARABBAS.] In carcerem conjectus, quod ſeditionis cujuſdam auctor fuerat, & hominem quemdam occiderat [7]. Credidit Pilatus futurum, ut Jeſus eum tali homine collatus, omnium ſuffragiis præferretur, atque liberaretur.

℣. 19. MISIT AD EUM UXOR EJUS DICENS.] Poſt Tiberii Imperium, qui provinciis præerant, cœperunt ſecum ducere uxores ſuas in Provincias, quod antea illis minime integrum erat. Hoc iſthic per anacephalæoſim refertur. Pilati uxor miſerat ad eum, qui hæc illi referrent, cum primum pro tribunali ſedit, Jeſum interrogaturus ℣. 11. 12. Mulier hæc ait, multa ſe paſſam per viſum propter juſtum hunc. Quidam [8], ſomnium hoc dæmoni attribuunt: Spiritus hic nequam nonnihil dubitare incipiebat, ac verebatur, ne mora Jeſu imperii ſui eſſet exeidium. Credunt alii [9], ſomnium illi a Deo immiſſum fuiſſe; immo Origenes, Sanctus Chryſoſtomus, ac Theophylactus credere videntur, mulierem hanc, & Deum timuiſſe, & ad æternam ſalutem perveniſſe, eamque in Sanctorum albo a Græcis deſcriptam Cornelius a Lapide teſtatur. Vincentius Bellovacenſis profert apocryphum Nicodemi Evangelium, ubi mulier *Claudia Proſcula* appellatur; quo nomine vocatur etiam a Pſeudo Lucio Dextero, & Nicephoro l. 1. cap. 30. a quibus Chriſtiana fuiſſe perhibetur. Verum hæc omnia inter apocrypha amandanda ſunt.

Alii denique tenent, cum mulier hæc aliunde intellexiſſet, Jeſum captum, atque ex fama cognoſceret virum hunc, & Sanctum eſſe, & bonum, illius imaginationem his cogitationibus percitam naturaliter peperiſſe ſomnium illud, quod legimus. Verum nulla adeſt veritatis ſpecies, mulierem hanc ante ſomnium audire potuiſſe Jeſu Chriſti captivitatem. Concubia quippe nocte captus fuit, extra urbem, & quin id Pilatus cognoviſſet; mox autem in Civitatem abreptus apud Sacerdotes in diem uſque clauſus permanſit, & mane ad Pilatum adductus fuit, qui ſimul illum, & captum, & damnatum cognovit. Permiſit Deus, ut hoc ſomnium uxori Pilati accideret, non Pilato; ne diceretur Judex id ſimulaſſe, ut liberandi Jeſum occaſionem arriperet.

℣. 24. ACCEPTA AQUA, LAVIT MANUS.] S. Johannes hoc ipſum fuſius quam Evangeliſtæ cæteri, perſequitur cap. 19. 2.... 15. Cum nihil intentatum reliquiſſet Pilatus, ut Jeſum liberaret, ac palam profeſſus eſſet, illum omni culpa vacare; ut aliquo modo Judæorum cupiditatem expleret, cenſuit, Jeſum aliquo ſupplicio mulctandum, ut ita affectus dimitteretur. Juſſit ergo flagellis cædi, & permiſit militibus ſuis, ut illum rubro induerent pallio, ejuſque capiti ſpineam coronam inſererent; atque in illius manu pro ſceptro fractum calamum ſtatuerent. Eum vero deinceps ita mulctatum obtulit populo, ratus, illum hoc ſpectaculo delinitum iri; ſed illum ſua fefellit opinio. Tertio, Jeſum in Prætorium adduxit, eoque interrogato, rurſum egreſſus eſt, dixitque Judæis, ſe nihil cauſæ in eo reperire, propter quam capite damnaretur. At populo magis, magiſque clamores attollente, atque minas etiam quodammodo immiſcente, Pilatus lavit manus ſuas, ut innueret, ſe nullam in Jeſu Chriſti morte partem habere velle.

Mos hic manus abluendi hujuſmodi in occaſionibus, neque apud Græcos, neque apud Romanos, quod ſciam, obtinuerat. In Fœderibus ſolum expiabantur, corpus totum abluentes; vel manus ſolum: ubi ſuperioribus diis ſacra facerent [10]; ſed cum Infernis diis tantum litabant, luſtrali dumtaxat aqua aſpergebantur. Virg. Æneid. 6.

Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Ubi vero cædem expiare, vel ab effuſo ſanguine belli etiam mundari volebant [11], tunc vel manus, vel corpus univerſum abluebant, Æn. 2.

1 Hieronym. lib. 2. in Amos, c. 5. *In omnibus Scripturis ſanctis obſervandum eſt, Apoſtolos, & Apoſtolicos viros in ponendis teſtimoniis de veteri Teſtamento, non verba conſiderare, ſed ſenſum.*
2 Joann. 18. 33. 3 Luc. 23. 5. 6. 7. 4 Matt. 27. 18. Marc. 15. 10.
5 Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius. Vide Grotium in hunc locum.
6 Beza, Schmid, Coccei. alii. 7 Luc. 23. 19. Marc. 15. 7.
8 Author. Epiſtol. ſub nomine Ignat. ad Philippenſ. Author ſerm. de Paſſione ſub nomine Cypriani. Beda, Anſelm. Hiſt. Scholaſt. Anaſtaſ. tract. ad Maximum, lib. 1. pag. 163.
9 Ambroſ. lib. 10. in Luc. Origen. Hieronym. Chryſoſtom. Euthym. Theophylact. Leo Magn. ſerm. 11. de Paſſione. Gen. Mald. Brug. 10 Homer. Iliad. Γ. 11 Triclin. in Sophoclem.

Me bella e tanto digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Pilatus ergo huic Gentilium conſuetudini alludens, ut ſe a ſanguine juſti immunem oſtenderet, voluit ipſis inſpectantibus manus abluere, ut apertius intelligerent, ſe injuſtum illorum odium maximopere horrere. Sententiam hanc propugnant Caſaubonus, Beza, Heinſius, Meryllus, Schmid, aliique nonnulli [1].

Sed plerique putant, Pinſidem hunc alluſiſſe potius ad ritus Judaicos, atque ſe ſe illorum aptaſſe ingenio, qui animi ſenſum non verbis ſolum, verum etiam ſimbolicis actionibus, atque ſignificantibus notis exprimebant; cujus rei plurima in Scripturis occurrunt exempla. Verum ne ab ea re, de qua agitur, recedamus, bis ait Pſalmiſta pſal. 25. 6. & 72. 13. *ſe manus ſuas inter innocentes laviſſe*; hoc eſt, ſe pure, integreque in juſtitia, & æquitate vitam duxiſſe, non ſanguine, non cæde manus ſuas fœdaſſe. In Deuteronomio etiam cap. 21. 5. præcipitur, ut Seniores Urbis, in cujus agro aliquis a latronibus cæſus fuerit, manus ſuas abluant ſuper caput vitulæ immolandæ, ut ab effuſo eo ſanguine regio illa luſtretur. Videtur iſthic S. Hieronymus Pilati cauſam tueri [2], atque omne facinus in Judæorum improbitatem rejicere. Ego legum dumtaxat miniſter ſum; affirmatis hominem hunc juxta leges veſtras mortem mereri; illam mihi ſceleri verti non patior.

℣. 25. SANGUIS EJUS SUPER NOS.] In nos decidat & ſcelus, & pœna mortis illius, ſi innocens moritur; quæ loquendi ratio Hebræis erat familiaris. Moyſes non ſemel [3] de ſontibus morte dignis verba faciens; ait: *morte moriatur* . . . *ſanguis ejus ſit ſuper eum*. Horribilis hujus ſententiæ, quam in ſeipſos Judæi protulerunt, effectus ad hanc uſque diem apertiſſime videtur, atque in finem uſque ſæculorum in univerſa Hebræorum natione videbitur [4]. Horum ſcelus procul dubio multo majus eſt, quam culpa Pilati. At innocens ne Pilatus, qui propriam conſcientiam tradiderit, atque innoxium, quem ipſe talem eſſe profeſſus fuerat, ſeditioſorum multitudini dereliquerit? nonne qui poteſt, atque cum poſſit, debet ſcelus aliquod avertere, niſi illud prohibuerit, ſe ejuſdem conſortem, & quodammodo auctorem oſtendit [5] *nec ipſe evaſit reatum, qui cooperatus ſeditioſis reliquit judicium proprium, & in crimen tranſivit alienum*.

℣. 26. JESUM AUTEM FLAGELLATUM TRADIDIT EIS.] Illum antea flagellis juſſerat cædi [6], ut aliquo modo populum furiosum leniret. Hebræi, ut plurimum novem, ac triginta verbera infligebant [7]; ſed Romanis hac in re nullus erat modus, nulla lex. Duplici ratione, aut virgis cædebant, aut loris, quæ poſtrema longe crudelior pœna eſt. Quomodo hoc ſupplicio Jeſum Chriſtum affecerint, non latis liquet; verum ad hanc quoque diem in ſancta Praxedis Templo columna oſtenditur, cui Salvator a Romanis militibus alligatus fuit, & quæ adhuc Divino illius ſanguine rubet [8]. Flagellum contumelioſum erat ſupplicii genus, quo ſervi dumtaxat, fures, ejuſque viæ homines afficiebantur: & lege cautum erat, ut honeſto loco nati [9], ac præcipue Romani Cives [10], loris, aut virgis minime cæderentur [11]; *Facinus eſt vincire civem Romanum, ſcelus verberare, prope parricidium necare. Quid dicam in crucem tollere? Verbo ſatis digno res tam nefaria exprimi nullo modo poteſt.* S. Hieronymus, aliique nonnulli crediderunt, nunc iterum cæſum fuiſſe Jeſum, atque Romanorum legem fuiſſe, ut qui ad mortem rapiendi erant, prius flagellis afficerentur. Verum nulla nos neceſſitas cogit, ut illum bis flagellatum aſſeramus.

Veteres nonnulli [12] cenſuerunt, Pilatum non damnaſſe explicite Jeſum Chriſtum, verum dumtaxat Judæorum voluntati ſimpliciter adhæſiſſe, eiſque permiſiſſe, ut eam mortis ſententiam, quam ipſi tulerant, in illum exequerentur. Sententiæ iſti ipſe hic Sancti Matthæi locus non parum favet; ſed reliqua Evangeliſtarum narratio, ac præſertim ea, quæ S. Lucas 23. 24. teſtatur, Pilatum videlicet eorum petitioni ſubſcripſiſſe: *adjudicavit fieri petitionem eorum*, ſatis, ſuperque probat, illum Judicis auctoritate hoc decreviſſe. B Pro Tribunali ſedit, juridice Jeſum interrogavit, Cruci epigraphem affigi juſſit, eum militibus crucifigendum tradidit, ejuſque corpus Joſepho ab Arimathæa tumulandum conceſſit, denique ubique omnia Judicis majeſtate imperavit. Vide Grotium hic.

Crucis ſupplicium erat pœna ſervorum [13], furum, ſeditioſorum, imo horum præcipue juxta leges Romanas [14]. Verum Conſtantinus hoc ſupplicii genus omnino antiquavit in Jeſu Chriſti reverentiam: Hebræi vulgo viventes adhuc homines minime crucifigebant [15]; ſed jam mortuos patibulo ſuſpendebant, unde ante Solis occaſum illos detrahebant [16].

℣. 27. TUNC MILITES PRÆSIDIS SUSCIPIENTES JESUM.] Nunc ſecundo milites Jeſum Chriſtum hac affecerunt contumelia; exutum, purpura induerunt, C tamquam ludicrum aliquod, vel tragediæ Regem [17]. Primum antequam damnaretur: iterum, ubi in eum ſententia prolata fuit. *Cohors* Romana decima erat Legionis pars, & Cohortes ſingulæ quinque, & viginti manipulos habebant, & manipuli ſinguli hominum quinque, & viginti: atque ita Cohors ſexcentis viginti quinque militibus conſtabat; ſed non omnes ſemper completæ erant, neque omnes æque validæ.

℣. 28. CHLAMYDEM COCCINEAM CIRCUMDEDERUNT EI.] Vel purpuream: *coccineus* [18] enim proprie purpureum ſignificat. S. S. Marcus [19], & Johannes pro coccinea dicunt purpuream. Verum duo hi colores ſæpius a Scriptoribus ſimul confunduntur. Purpura rubri erat coloris exuberantis, atque violaceum ferme accedentis; coccineus vero color hilarior eſt, atque D dilutior. *Chlamys* pallii ſpecies erat, quæ ſuper thoracem, vel cæteras veſtes induebantur. Hæc omnia in Jeſu Chriſti ludibrium peracta ſunt, quaſi ad illius ambitionem irridendam, quoniam Rex haberi voluerat. Milites purpureo pallio *ſpineam* addunt *coronam*. Ibi gentium ſpinæ tunc temporis florebant, & nemo neſcit, earum flores in ſerti ſpeciem veluti coronas frondeſcere [20]. Milites igitur veras imitari coronas ſtuduerunt, ſed eas elegerunt ſpinas, ſub quarum floribus acutiſſimi delitеſcerent aculei. *Calamus* vero, quem illi obtulerunt, ſceptrum, vel regalem haſtam exhibebat. Alexandrini Cives, ut illuderent Agrippam, recens Judæorum Regem inauguratum [21], quemdam, cui nomen Caraba, Regiis induerunt ornamentis; pro diademate circum caput illius junci folia intexuerunt, in E manu vero pro ſceptro fractum calamum tribuerunt, eique attritam, ſordidamque veſtem pro chlamide Regali impoſuerunt.

℣. 29. PLECTENTES CORONAM DE SPINIS.] Non deſunt, qui putent ſpineam Domini noſtri coronam compo-

---

1 Vide Bynæum, lib. 3. cap. 4. art. 51. 2 Hieronym. hic: *Ego miniſter ſum legum; veſtra vox ſanguinem fundit.* 3 Levit. 20. 9. 12. 16. 4 Hieron. hic.
5 S. Leo ſerm. 8. de Paſſione. 6 Luc. 23. 22. Joann. 19. 1. 7 2. Cor. 11. 24. 25. Deut. 25. 3.
8 Hieronym. Epiſt. 27. Prudentius, alii. 9 D. Titul. de Pœnis.
10 Cicero in Verrem. 11 Hieronym. hic. Vide & Druſ. & Varab. apud Bynæ. lib. 3. cap. 4. art. 4. de morte Chriſti, & Lipſ. de Cruce, lib. 2. cap. 2. 12 Chryſoſtom. orat. de Eleemoſyna. Lactant. lib. 4. Inſtit. cap. 8. 13 Vide Bynæ. lib. 1. cap. 1. art. 37. de morte Chriſti.
14 Paulus 5. Sent. tit. 22. 15 Maimonid. Halac. Sanhedr. cap. 14.
16 Deuter. 21. 23. Vide noſtram Diſſertationem de Suppliciis. 17 Confer Joan. 19. 1. 2. 3. Cum ſancti Matth. 27. 27. & S. Marc. 15. 16. 18 Matth. hic. Χλαμύδα κοκκίνην.
19 Marc. 15. 17. Ἐνδύουσι αὐτὸν πορφύραν. Joann. 19. 2. Ἱμάτιον πορφυροῦν.
20 Vide Athen. l. 15. p. 680. 21 Philo in Flaccum.

compoſitam fuiſſe ex ramis Acaciæ, eo quod hæc arbos ſpina, *akanthos*, ſine addito appellatur. Alii vero, inter quos Bollonius, credunt, fuiſſe ex rhamno. Hæc enim unica ſpinæ ſpecies eſt, quæ in finibus Jeroſolymæ reperiatur.

℣. 32. EXEUNTES AUTEM INVENERUNT HOMINEM CYRENÆUM.] Jeſus primum Crucis ſuæ ligno gravatus fuit: ea quippe erat conſuetudo, ut ſontes ſupplicii ſui inſtrumenta geſtare cogerentur [1]: immo brachia eorum alligabantur iiſdem, ne ea poſſent relinquere. Cum Jeſus extra Civitatem [2] egreſſus eſſet, labore victus, defecit; ideoque milites coegerunt quemdam, qui Cyrene in Africa natus erat, Crucem bajulare. Textus Evangeliſtarum [3] explicite videtur aſſerere, hunc omne crucis pondus ſubiiſſe, atque ſubſecutum fuiſſe Jeſum, quamvis pictores in tabulis exhibere conſueverint Simonem, extremam dumtaxat Crucis partem deferentem, cum interim Jeſus reliquæ immenſo pondere obruatur. Credunt Patres [4], primum quidem Jeſum totum Crucis pondus ſuſtinuiſſe, quod integrum deinde Simoni ceſſit, ab urbis porta ad Calvarii cacumen. Deprehenditur illhic vetus Hebræorum [5], atque Romanorum mos, non niſi extra Civitatem noxios morte afficiendi. Apud Romanos, milites ipſi noxios torquebant [6], atque hic etiam Jeſum ad Calvarium trahunt, ibique illum de Cruce ſuſpendunt. Nequaquam ſatis conſtat, utrum Salvator integram geſtaret Crucem, vel alteram, & minorem partem illius. Sane difficile eſt, unum dumtaxat hominem ad non modicum intervallum ferre poſſe Crucem ingentem, ſolidamque ex duabus partibus, recta, & obliqua ſimul decuſſatis compoſitam. Traditum eſt, Jeſu Chriſti Crucem quindecim pedibus elatam fuiſſe, atque minorem illius partem ſeptem pedibus in latitudinem patuiſſe. Plerumque patibulum figebatur in loco ſupplicii, antequam illuc damnatus perveniret, & ſæpius hujuſmodi patibula diu ibi relinquebantur, ut illinc & alii etiam ſuſpendi poſſent. Nonnumquam rebelles, improbique ſervi affigebantur transverſo ligno, quod catena illorum brachia teneret; lignum hoc crux, vel furca appellabatur, & ferrea vincula, quibus alligabantur, dicebantur *nervi*.

Ubi ad ſupplicii locum ita perveniſſent, per funem, atque trochleam ad patibuli verticem attollebantur, ibique pedes, & corpus vinculis vinciebantur, vel clavis figebantur; quod ex pluribus veterum locis ſatis patet. Ita Ulyſſes [7] attolli juſſit Melanthium ad patibuli verticem, atque imperavit ſtatim, ut poſt tergum tabulæ affigeretur, ac deinde ſurſum catena connexa alligatus attolleretur. Reor, Prometheum [8] columnæ eodem pacto alligatum fuiſſe, quo Melanthius. Hæc omnia longe differunt ab ea ratione, qua Jeſus Chriſtus Cruci affixus fuit; verumtamen non nihil proſunt, ut Evangeliſtarum ſenſum aſſequamur, & corrigamus pictorum noſtrorum ideam, nobis exhibentium lignum Crucis proſtratum, cui Jeſus cum clavis affigitur, ut deinde una cum cruce extollatur; perinde ut aliquis de patibulo ſuſpendatur, primum patibulum illud convelleretur, oporteret, ut rurſus una cum ſonte attolleretur. Concuſſiones, ac motus Crucis pares fuiſſent pedibus, manibuſque dilaniandis, atque ex ipſa Cruce Corpori refigendo iis cum doloribus, qui explicari nullatenus poſſunt. Nonnus, ac vetus Auctor Tragediæ, cui titulus, *Jeſus patiens*, S. Auguſtinus, ac notæ melioris Interpretes non ali-

Tom. VII.

ter hoc intellexerunt, æque ac illi, qui conſulto hoc argumentum pertractarunt [9].

Illhic quædam de Cruce, ac partibus illius dicenda ſunt; in hoc enim multa ſunt animadvertenda, atque variæ occurrunt ſententiæ. Græca vox *Stauros*, quæ vulgo vertitur crux, a Græcis auctoribus [10] uſurpatur etiam pro patibulo, aut vallo, quod lignum eſt rectum, acutumque humi defixum. Hinc plane occaſionem nacti ſunt Patres nonnulli [11], Salvatoris Crucem cum Rhinocerotis cornu comparandi. Lignum enim rectum, quod præcipuam illius partem conſtituebat, illud erat, quod vere Græci veteres *Stauros* vocabant. S. S. Hieronymus in Iſaiam. 32. atque Iſidorus l. 1. Orig. cap. 3. ajunt, Crucis figuram fuiſſe litteram X, vel Crucem S. Andreæ, atque eorum verbis innituntur illi, qui ajunt, Veterum Hebræorum Thau Crucis figuram præſetuliſſe, & Deum præcepiſſe, ut in eorum fronte, qui ſalvi eſſe deberent, figura illa inſcriberetur: *ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium* &c. Ezech. 9. 4.

Verum quia hæc omnia nos morentur, liquido conſtat, Romanorum Crucem [12] compoſitam fuiſſe ex ligno recto, atque in ſublime elato, & altero, quod ad angulos rectos illud decuſſabatur, ſuper quod, ut plurimum, lignum aliud eminebat, Crucifixi capiti impendens, cui damnationis titulus affigebatur. Præter has partes, de quibus nulla adeſt dubitatio, contendunt nonnulli [13], ſubter Crucifixi pedes extitiſſe lignum quoddam, cui pedes illius innitebantur, & cui affigebantur. S. Gregorius Turonenſis l. 1. de gloria Mart. c. 6. hoc ſatis aperte deſignat: *in ſtipite erecto foramen factum manifeſtum eſt; pes quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt: ſuper hanc vero tabulam tamquam ſtantis hominis ſacræ affixæ ſunt plantæ*. Juxta hoc exemplar quamplurimæ Cruces elaboratæ videntur ubique ferme, in quibus Salvator pedibus, ſcabello veluti cuidam incumbens, exhibetur. Ajunt præterea, non ita facile fuiſſe, ut homo diu ſuſpenſus permanere poſſet pendens ex manibus, quibus infixi clavi totum corporis pondus ſuſtinerent.

Contendunt alii [14], nullum ſupereſſe veſtigium ſcabelli hujus commentitii in deſcriptionibus Crucis, quas vetuſtiſſimi cum Græci, tum Latini Auctores exornarunt. Verum aliam ibi adfuiſſe partem putant, cujus S. Gregorius Turonenſis non meminit; videlicet lignum quoddam in clavi ingentis ſpeciem e Cruce prominens, cui veluti inequitans inſidebat crucifixus, & quod totum corporis pondus ferebat. S. Juſtinus Martyr id ſatis perſpicue innuit, ſic explicans Moyſis locum Deut. 33. 17. *cornua Rhinocerotis, cornua illius*; dicit enim in Dialog. cum Tryph. hæc cornua exhibere Crucem, cui JESUS CHRISTUS confixus erat; *Cum illa conſtabat ex ligno recto, ſuper quod quoddam veluti cornu aſſurgebat*: loquitur autem de eo, quod ſuper Crucifixi caput eminebat. *Ligno huic recto, ſiatoque aliud tranſverſum affixum eſt, & quod duorum aliorum cornuum ſpeciem gerit*: hæc ſunt Crucis brachia: *denique aliud veluti cornu quoddam in medio confixum eſt, cui inſidet Crucifixus*.

Hoc ipſum innuere velle videtur S. Irenæus l. 1. c. 46. contra hæreſ. his verbis; *ipſe habitus Crucis fines, & ſummitates habet quinque; duos in longitudine, & duos in latitudine, & unum in medio, ubi requieſcit, qui clavis affigitur*. Hoc ipſum plane Tertullianus in-

Y 3 digita-

1 Nonius ex Plauto. *Patibulum ferat per urbem: deinde affigatur Cruci*. Vide & Artemidorum, & Grot. hic. & Hamm. 2 Joann. 19. 17. 3 Matth. 27. 32. Marc. 15. 21. Ἵνα ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ. Luc. 23. 26. Ἐπέθηκαν αὐτῷ τὸν σταυρὸν φέρειν ὄπισθεν τοῦ Ἰησοῦ. 4 Chryſ. Hieron. Beda, Theoph. Euthym. hic. Athan. ſerm. de Paſſione Domini. Auguſt. lib. 3. cap. 10. de Conſenſu, Ambroſ. lib. 10. in Luc. alii.

5 Num. 15. 35. 3. Reg. 21. 13. Vide Grot. hic. 6 Vide Grotium in hunc locum, & noſtram Diſſertationem de Suppliciis. 7 Homer. Odyſſ. X. 8 Heſiod. Theogon. v. 520.

9 Vide Bynæum de morte Chriſti. lib. 3. c. 6. art. 7. Lipſ. de Cruce, l. 2 cap. 7.

10 In Homer. Iliad. ω. & Odyſſ. ξ. v. 11. 11 Juſtin. Dialog. cum Tryphon. Tertull. contra Judæos, & alibi non ſemel. 12 Juſtin. Dialog. cum Tryphon. Tertull. adverſ. Gentes, lib. 1. c. 12. Scalig. ad Euſ. n. 1017. in lib. 10. 13 Nanſius ad Nonni Paraphr. in Joan. 19. 18. Feuardent. not. ad Irenæ. lib. 2. cap 42. Lipſ. not. in l. 2. de Cruce, cap. 10. 14 Scalig. animadv. in Euſeb. Digreſſione, de litt. Ionic. orig. littera T. Bynæ. l. 3. c. 5. art. 1. l. 12. 13.

digitare voluit per ea l. 2. adv. Nation. *Nobis tota Crux imputatur cum antenna ſcilicet ſua, & cum illo ſedilis exceſſu*. Antenna lignum eſt tranſverſum, vel Crucis brachium, & *ſedilis exceſſus*, lignum illud eſt e Cruce prominens, atque Crucifixum ſuſtinens: quod in lib. adv. Judæos c. 10. vocat, palum ex medio crucis trunco prodeuntem: *e medio ſtipitis palus*. Salmaſius in l. de Cruce, de ſedili hoc explicat ea, quæ apud Senecam Ep. 101. legimus a Mæcenate prolata:

Vita dum ſupereſt, bene eſt.
Hanc mihi, vel acuta
Si ſedeam Cruce, ſuſtine.

Ut autem eorum, qui damnati fuerant ſupplicium angeretur, lignum illud, cui inſidebat, in cultri morem acuebatur.

S. Juſtini atque Tertulliani teſtimonia hac in re eo majorem obtinent auctoritatem, quod tunc temporis vivebant, cum Crucis ſupplicium nondum antiquatum erat, quod accidit deinceps Conſtantino Imperante[1]. Ea omnia, quæ hac de re propoſuimus, probantur a Joſepho Scaligero ad Euſeb. n. 1617. l. 10. Thoma Bartolino de latere Chriſti aperto cap. 9. Bynæo l. 3. c. 5. av. 12. Salmaſio de Cruce, Gerardo Johanne Voſſio Harm. Evang. l. 2. c. 7. n. 28. aliiſque nonnullis.

Quamvis viventis corporis pondus, immo & ad aliquod tempus poſt obitum ejuſdem, facile ſuſtineri queat, duplici manu clavis perforata[2]: fieri tamen nequaquam poteſt, ut diutius ſuſtineatur. Cum autem ſæpius crucifixorum corpora de patibulo pendentia relinquerentur, donec in fruſta diffluerent, & vel a volucribus, vel a feris vorarentur; neceſſum erat, ut eo modo, quem explicuimus, ſubſtinerentur, vel ſaltem manus non clavis ſolum, verum etiam funibus alligarentur. Hinc Veteres paſſim crucifixorum meminerunt: *Spartum e Cruce* ait, Plinius l. 28. c. 14. S. Hilarius l. 10. de Trinit. n. 13. explicite verba facit de funibus, Dominum noſtrum ſuſtinentibus; & Nonnus Panapolitanus ait, pedes, manuſque illius catenis vinctas fuiſſe.

Quoad clavorum numerum, quibus Salvator Cruci affixus fuit, ea communior ſententia eſt, quatuor fuiſſe, ſingulos in ſingulis manibus, pedibuſque. Numerum hunc explicite memorat l. 1. de Glor. Martyr. c. 6. S. Gregorius Turonenſis, qui addit, Imperatricis Helenæ juſſu, duos ex illis in fræno equi, quo Conſtantinus utebatur, collocatos fuiſſe, atque alium ab eadem in Adriaticum mare projectum, ad ejuſdem tempeſtatem ſedandam. Alii docent Patres, ab eadem Imperatrice unum ex clavis Domini in caſſide Imperatoris filii ſui poſitum fuiſſe[3]. Vide ſis, argumentum hoc fuſius apud Bynæum *de morte CHRISTI* lib. 3. cap. 6. art. 10. & ſupra ℣. 31.

Quod ſpectat ad Simonem Cyreneum, qui a militibus coactus fuit Crucem Jesu geſtare, S. Marcus ait c. 15. 21. eum Patrem fuiſſe Alexandri, & Rufi, eo plane, quod Alexander, & Rufus ſe ſe in Eccleſia inſignes præbuerunt, ac celebre nomen eorum ferebatur, cum ille ſuum Evangelium conſcriberet. Non deſunt[4], qui putent, Simonem & Judæum fuiſſe, & JESU CHRISTI diſcipulum. Immo ex illis nonnulli aſſerunt in odium CHRISTI, Salvatoris Crucem ei impoſitum, eo quod doctrinæ ejuſdem ſectator fuiſſet. SS. Ambroſius in Lucam l. 10. Hilarius in Matth. hic, Leo Serm. 8. de Paſſione, aliique nonnulli[5] eum Ethnicum fuiſſe affirmarunt: verum nomen illius *Simon* ſane Judaicum eſt. Judæi complures in Cyrenaica[6], Ægypto finitima, verſabantur; cumque Paſchalis feſtivitas adeſſet, ex omnibus terrarum partibus Judæi confluebant Jeroſolymam. Opinati ſunt quidam, Simonem, qui in actis 13. 1. Niger appellatur, fuiſſe Cyreneum, & Rufum, cujus mentio fit in S. Paulo *Rom.* 16. 3. & in S. Policarpi Epiſtola ad Philippenſes, nec non in Veteribus Martyrologiis duodevigeſima decembris die, Simonis Cyrenei filium fuiſſe. Hiſpani aſſerunt, S. Rufum Tortoſanum epiſcopum, & S. Alexandrum fratrem illius, qui Carthagine nova Martyrium paſſi ſunt, filios fuiſſe Simonis: verum hujus rei nullum ſatis certum argumentum adfertur.

℣. 33. IN LOCUM, QUI DICITUR GOLGOTHA, QUOD EST CALVARIÆ LOCUS,] vel *Cranii*. Mons hic ad Borealem Jeroſolymæ occaſum aſſurgit. Credit S. Hieronymus, ideo Calvariæ nomen illi factum, quod ibi ſontes capite minuerentur. Hic ſane locus erat, ubi plerumque morte damnati ſuppliciis afficiebantur. Veteres quidam[7] crediderunt, Calvariæ nomen illi inditum ex Calvaria Adam protoparentis noſtri, qui ibi fuerat tumulatus: verum hac traditione incertius nihil. Nomen *Golgotha* Hebræum non eſt; depromptum eſt ex Hebræo *Golgoleth*, quod os capitis ſignificat. Syrus legit *Gegultha*. In paucis illis Syriacis vocibus, quæ in Evangelio leguntur, deprehenditur, linguam Syriacam, qua Judæi Domini noſtri tempore utebantur, nequaquam puram fuiſſe. Mons ſterilis ſæpe *Calvus mons*, velut nudum, exſiccatumque cranium appellabatur.

℣. 34. DEDERUNT EI VINUM BIBERE CUM FELLE MIXTUM.] Græcus[8] legit: *dederunt illi acetum cum felle mixtum*. Sed plurimi, iique optimi MSS. non ſecus ac Vulgata legunt *vinum*[9]. S. Marcus c. 15. 23. vinum *Myrrhatum*, vel cum myrrha mixtum. Ad duos hoſce Evangeliſtas inter ſe conciliandos ajunt[10], myrrham maximopere amaram fuiſſe, atque iſthic pro felle uſurpari: S. Matthæum, qui Hebraice, vel Syriace ſcripſit, uſum fortaſſe verbo *roſch*, quod ſignificat amaritudinem, venenum, herbam amaram; S. Marcum vero peculiariter indigitaſſe, quænam eſſet hæc amaritudo, de qua S. Matthæus loquebatur, dicentem, eam eſſe myrrham; cum interim vetus S. Matthæi Græcus interpres de felle intellexerit. Credunt alii[11], primum preparatum fuiſſe vinum cum myrrha mixtum, ſed milites, vel Judæos, ut illum illuderent, ejuſque dolorem augerent, fel etiam vino addidiſſe. Non deſunt etiam, qui putent[12], primum hunc potum, cujus meminit S. Marcus, Salvatori oblatum, ſtatim ac ad Calvariam pervenit, cum vero, cujus meminit S. Matthæus, eidem jam de Cruce pendenti exhibitum fuiſſe. Verum enim vero S. Matthæus ipſe c. 27. 48. utrumque potum diſtinguit, alterum illi traditum, antequam crucifigeretur, alterum, qui jam in Cruce poſito oblatus fuit. Nos vero aliam in hanc rem attulimus conjecturam in Commentariis in S. Marcum cap. 15. ℣. 23.

At quinam erat uſus hujus vini ſimul cum myrrha commixti? Docent Rabbini[13], conſueviſſe his, qui morte erant afficiendi, præberi potum vehementem, ut illis doloris ſenſus adimeretur; ac putant, Sapientem ad conſuetudinem illam alludere, ubi ait, Prov. 31. 6. *date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo*. Honeſtæ Matronæ potum hunc præparabant, atque illis præbebant, qui ad necem rapiebantur[14]. Baronius, Maldonatus, aliique plures putant, humanitatis ergo Salvatori vinum oblatum fuiſſe, cui

1 Vide Lipſ. de Cruce, lib. 3. cap. 14. 2 Vide Niſium Ep. de Cruce, & Nicol. Fontan. de hac re ſingulari opuſculo. 3 Theodoret. lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 18. Ambroſ. alii. 4 Mald. Brug. Gont. Janſen. 5 Beda, Diutmar. Vide & Hieronym. hic. 6 Act. 2. 10 6. 9. 7 Origen. in Matth. Ambroſ. lib. 10. in Luc. Epiphan. Hæreſi 46. Hieronym. hic. Athanaſ. ſerm. de Paſſione Domini. Baſil. in Iſai. 5. Chryſoſt. in Joan. homil. 84. Auguſt. lib. 16. de Civit. cap. 32. alii. 8 Ἔδωκαν αὐτῷ πιεῖν ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον. Et ita legunt Origen. Chryſoſt. Hieronym. Syr. 9 Iis Cantabrig. Armen Copht. Æthiop. Hilar. Auguſt. Sedul. Juvencus. Vulg. alii apud Mill. hic, & Toynard. Ἔδωκαν αὐτῷ πιεῖν οἶνον, &c. 10 Vide Auguſt. lib. 3. de Conſenſu, cap. 2. Druſ. Piſc. Lud. de Dieu, Grot. 11 Auguſt. lib. 3. de Conſenſu, cap. 2. Beda, Strabus. 12 Chryſoſt. Euthym. 13 Talmud. Lyran. Brug. Hammon. Ligfoot. 14 Galatin. lib. 8. cap. 19. Caſaubon. in Barun.

Digitized by Google

cui de induſtria myrrha immixta fuit, ut vim ſoporis immittendi obtineret. Vinum myrrhatum apud antiquos in deliciis erat, & magno in pretio. Plinius l. 14. c. 13. ait: *lautiſſima apud Priſcos vina erant, myrrhæ odore condita.* Hæc Deorum Templo offerebantur; & duodecim Tabularum leges vetabant: *ne myrrhata potio mortuo inderetur.* Tertullianus adv. Pſychic. crimini vertit Catholicis viris, quod vinum mixtum obtulerint Martyri cuidam ea die, qua ante Judicem producturus erat, eumque illius tanta copia proluerint, ut dicere minime potuerit, quem Deum profiteretur. *Conditis mero tamquam antidoto præmedicatum ita enervaverunt, ut . . . quem Dominum confiteretur interroganti Præſidi, reſpondere non potuerit amplius.* Quomodocumque res hæc habeat ſe, hoc certe liquet, quod Jesus Christus [1], *cum guſtaſſet, noluit bibere.* Vinum hoc prorſus non renuit, ut adimpleretur vaticinium illud Pſal. 68. 22. *& dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Verum bibere noluit, ne quis dicere poſſet, ſe dolorem lenire, atque ſenſus ſuos liquore hoc ſoporare voluiſſe. Calicem paſſionis ſuæ cum omni illius amaritudine voluit exhaurire [2].

℣. 35 Postquam autem crucifixerunt eum.] Nonnihil de illius Crucifixione jam attigimus in ℣. 35. Romani, qui Jesum Christum in Cruce poſuerunt, clavis illum confixerunt. Quæritur quinam fuerit clavorum numerus? Græci illum ſemper quatuor confixum clavis exhibent [3], ſingulis in quovis pede, ac manu, cum quadam baſis ſpecie ſub pedibus ad eos ſuſtinendos: ne corporis ſui pondere in terram detraheretur. Tenent alii [4], tribus dumtaxat clavis fuiſſe confixum, cui ſententiæ Occidentalium conſuetudo magis conformis videtur. Pleræque crucifixi veteres imagines unum dumtaxat in utroque pede clavum conſtituunt, & Tertullianus aſſerit [5], illum una cum Spinea corona affixum Cruci fuiſſe, quod a veritatis ſpecie abhorret. Teſtatur quippe Evangeliſta, c. 27. 31. milites, ubi ſatis Jesum Christum illuſiſſent, atque ad ſatietatem illi inſultaſſent, Regni ejuſdem fictitias ademiſſe notas, cumque propriis veſtibus indutum ad Calvariam adduxiſſe.

Dubitarunt nonnulli [6], utrum Jesus Christus omnino nudus cruci fuerit confixus. Veteres Jesu Christi imagines exhibentur, vel cum lata zona a renibus ad genua uſque, nuda protegente, vel cum ſimplici velamine ea, quæ pudor celari jubet, obvolvente. Quædam tamen in Italia videntur, & in Hiſpaniis, ubi Jesus Christus tunica indutus exhibetur, corpus totum, immo brachia etiam, & crura tegente. Hujuſmodi eſt inſignis imago in Urbe Luca, cujus exemplar eſt in Eccleſia Abbatiæ S. Dionyſii in Gallia, atque illud in Cathedrali Auguſtomagi ſuper oſtium Chori, & aliud illud in altari Cathedralis Eccleſiæ Andomarenenſis. Verum vulgo [7] exiſtimant, Salvatorem noſtrum penitus nudum Cruci fuiſſe confixum: neque Romani conſulebant umquam eorum pudori, quos extremo ſupplicio mulctabant. Evangeliſtæ explicite ajunt, milites ſortem miſiſſe, ut ſibi dividerent tunicam illius, quæ inferior veſtis erat, carni immediate adhæreſcens. Quod additur ad imaginum verenda protegenda, nota eſt pudoris, atque reverentiæ fidelium, non autem veritatis argumentum. Sedulius, & Auctor Commentarii in S. Matthæum, qui S. Hieronymi nomine circumfertur, docent, Jesum de Cruce pendentem Jeroſolymæ terga vertiſſe, facie in occidentem verſa, perinde ac innueret, ſe Judæos deſerere, atque ad Ethnicos ſeſe convertere juxta duplex illud vaticinium. Jerem. 18. 17. *dorſum, & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum*: & Pſalm. 65. 7. *oculi ejus ſuper gentes reſpiciunt.* Verum hæc circumſtantia dubitatione non caret.

Diviserunt vestimenta ejus.] S. Johannes Evangeliſta c. 19. 23. id fuſius narrat. Ait, quatuor milites, qui Jesum Christum adduxerant, eumque Cruci confixerant, veſtimenta illius inter ſe diviſiſſe; tunicam vero, quæ inconſutilis erat atque acu contexta, ne ſcinderetur, ſorte conjeciſſe, cui ea quatuor eſſet ceſſura. Creditur [8], tunicam eam fuiſſe veſtis, quam Jesus Christus immediate carni hærentem geſtabat, & quæ a Sanctiſſima Virgine Matre ſua fuerat contexta. Non deſunt, qui aſſerant, quin probent tamen, tunicam illam una cum Salvatore noſtro creviſſe, & eamdem fuiſſe, quam puero Sancta Mater fuerat elucubrata. Veſtes damnatorum juxta leges iis cedebant, qui Judicis ſententiam fuerant exſecuti. Et Imperator Adrianus prohibet, ne carnifices ex mera auctoritate, & citra Judicum, Præſidumque facultatem, ea ſibi vendicent [9]. Dubium non eſt, quin milites, a quibus latrones duo crucifixi fuerunt, eorum quoque veſtes ſibi diviſerint.

Ut impleretur, quod dictum est.] Verba hæc non inveniuntur in Origene, Euthymio, Theophylacto, S. Hilario, S. Auguſtino, in Tito de Boſtra, in Verſionibus Syriaca, Cophta, Arabica, Æthiopica, pleriſque Græcis MSS. & plurimis Latinis exemplaribus [10], & Vulgata veteri, quod conjecturam adſtruit, illa ex S. Johannis Evangelio in S. Matthæi textum [11] librariorum audacia migraſſe.

℣. 36. Sedentes servabant eum.] Milites, qui Judicis ſententiam exequebantur, a ſupplicii loco non recedebant, niſi Judicis ejuſdem imperio corpora fuiſſent reſixa; ne conſanguinei, vel amici eorum, qui ſupplicio fuerant affecti, horum corpora detraherent; cujus conſuetudinis palam meminit Petronius in Satyric. ubi de matrona Epheſ. *Miles, qui cruces ſervabat, ne quis ad ſepulturam corpus detraheret.*

℣. 37. Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius.] S. Johannes c. 19. 19. ait, ſententiam hanc ſeorſim triplici ſermone fuiſſe conſcriptam; *Hebraice*, vel Syriace; *Græce*, & *Latine*, ibique verba hæc inſculpta: *Jeſus Nazarenus*, vel e Nazareth, *Rex Judæorum*. Aſſervatur adhuc Romæ pars Epigraphis crucis Dominicæ, quæ in tabula inciſa eſt: & Veteres [12] narrant, Helenam Conſtantini Imperatoris matrem illam a Salvatoris cruce ſepoſitam inveniſſe. In illa inſcriptione Pilatus, & nomen expreſſit illius, quem morti adjudicaverat, Jesus, & patriam, *e Nazareth*, & cauſam damnationis, *Rex Judæorum*. At qui illud ſupremo afficiendum ſupplicio curaverant, titulum hunc immutari etiam atque etiam cupientibus, ita ut legeretur: *Jeſus Nazarenus, qui ſe Regem Judæorum ferebat*, vel *commentitius Rex Judæorum*, Romanus Præſes nihil expungi paſſus [13], quod ſcripſi, inquit, ſcripſi: permittente Deo, ut in ipſa morte, atque cruce Jesus, & ab inimicis, & ab iis, a quibus damnatus fuerat, qualis vere eſſet, prædicaretur. Hæc autem inſcriptio triplici charactere inſcul-

1 Matth. hic. γευσάμενος οὐκ ἤθελε πιεῖν. Marc. 15. 23. ὁ δὲ οὐκ ἔλαβε.
2 Hieronym. hic. Brug. Mald. Grot. alii. 3 Ita & Greg. Turon.
4 Nonnus in Joan. & Nazianz. Poemate de Chriſto.
5 Tertull. lib. contra Judæos, cap. 13. Ita & Origen. in Matth. homil. 35.
6 Ita S. Brigitta Revelat. lib. 4. cap. 70. Menoc. de Repub. Hebr. lib. 6. cap. 2. Toſtat. paradox. 5. c. 42. Salmero. t. 10. tract. 35. alii. 7 Vide Ambroſ. lib. 10. in Luc. Auguſt. de Civit. lib. 16. cap. 2. & contra Fauſt. l. 12. cap. 23. Medit. de vita Chriſti, cap. 78. Salmaſ. de Cruce, & Jac. Gretſer, de Cruce, lib. 1. c. 22. Brug. in Matth. hic. Cornel. a Lapid. in Iſai. 20. 2. Ligfoot hic. Gerhard. Joan. Voſſ. Harm. Evang. lib. 2. cap. 7. alii. 8 Euthym. hic, & alii. Vide ad Joan. 19. 23. 24. 9 Vide Grot. hic.
10 Vide Var. Lect. Millii & Martianæum Not. in veter. Vulg. S. Matth.
11 Vide Eraſm. Grot. Vatab. Beza. Mill. &c.
12 Ambroſ. de obitu. Theodoſ. Rufin. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 7.
13 Joan. 19. 21. 22.

ſculpta fuit ; I. Hebraico, vel Syriaco, quæ regionis illius erat lingua ; II. Græco, quo in omnis ferme Orientis commercio utebantur ; III. Latino, propter Romani Imperii dignitatem, quod late tunc temporis in omni fere terrarum orbe dominabatur.

Mos hic damnatorum patibulo affigendi, vel efficiendi, ut illi ipſi damnationis ſuæ titulum ferrent, ex omni prorſus antiquitate deprehenditur. Exempli gratia cuidam Parmulario epigraphes illa appoſita fuit [1] : *Parmularius impie locutus eſt* [2] ; & S. Martyri Attalo [3] : *Hic eſt Attalus Chriſtianus*. Nonnumquam etiam præconis voce damnationis cauſa in vulgus edebatur [4] : Exempli gratia : *Ne temere juraveris*. Vel [5] : *quod cives ad arma compulerit*. Vel [6] : *Homo ex vulgi fæce, ne legatum umquam ampleƈtaris*. Vel [7] : *Qui fumum vendit, fumo perit* : & in S. Polycarpi martyrio [8] : *Polycarpus ſe Chriſtianum profeſſus eſt*. Atque apud S. Ambroſium : *obſcænis traditur locis, Agnes ſacrilega virgo, quæ in Deos blaſphemias evomuit*. Ad morem hunc S. Paulus Coloſſ. 2. 14. alludit, ubi ait, JESUM CHRISTUM cruci ſuæ debiti noſtri chirographum affixiſſe : hoc eſt, ipſum pro ſceleribus noſtris in cruce animam efflaſſe.

℣. 38. CRUCIFIXI SUNT CUM EO DUO LATRONES.] Crux commune erat latronum ſupplicium [9]. Jesus inter duos latrones medius ſtatuitur, perinde ac illorum caput fuiſſet. S. Hilarius in Matth. bonum quidem latronem a dextris fuiſſe, ait ; malum a ſiniſtris Salvatoris ; & SS. Hieronymus in Habac. atque Auguſtinus l. 18. de Civit. c. 32. de duobus hiſce latronibus explicant duo illa animalia, de quibus in Græco Habacuc textu 3. 2. ſermo eſt. *In medio duorum animalium cognoſceris*.

Ajunt [10], feſtos dies expectari conſueviſſe, ut ſontes pleƈterentur ; ut plures eorum ſupplicii teſtes eſſent, eorumque exemplum vulgo prodeſſet [11]. At abhorret a fide, illos eodem feſto die ſuppliciis affeƈtos fuiſſe. Hoc vel pridie feſtivitatem, vel intra oƈtavam iis diebus fiebat, quibus labori vacare nefas non erat ; prima enim tantum, ac ſeptima die ſervilibus operibus erat interdiƈtum. Mos ille, quo Sacerdotes, ac populus hic agebantur, iter ab illis ſuſceptum, labor deferendæ crucis Simoni Cyrenæo impoſitus, nec non corpus Jesu de cruce detrahendi, aromatibus condiendi, in ſepulchrum efferendi : mandatum, quod Apoſtoli a Jesu traditum Judæ credunt, emendi ea, quæ pro die feſto neceſſaria forent, minime conveniunt die Paſchatis, quæ illa ſupponitur fuiſſe in Vulgata ſententia, quæ Salvatorem eadem feſtivitatis hujus die mortuum opinatur. Hæc omnia nimis abhorrent a diei illius requie, & lætitia.

Hebræorum libri inquiunt [12], feſtis diebus nefas eſſe, arborem conſcendere, equo inſidere, natare, choreas ducere, cum aliis mutuo manus tundere, judicata, conjugium ſtatuere, vel aliquid ad jus ſpeƈtans peragere, Deo aliquid dicare, mutuari, vendere, emere ; atque, ut verbo me expediam, ea omnia facere, quæ Sabbatho fieri prohibentur, exceptis epulis, quas feſtis quidem diebus, non autem Sabbatho, coquere licet. Quæ cum ita ſint, quis crediderit umquam, Judæos eodem Paſchatis die ea omnia peregiſſe, quæ in Domini noſtri Paſſione leguntur?

℣. 43. CONFIDIT IN DEO : LIBERET NUNC, SI VULT.] Græcus [13] : *Liberet eum, ſi amat illum*. Quæ verba ex Sapientiæ 2. 18. deſumpta videntur : *Si enim eſt verus Filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum*.

℣. 44. IDIPSUM AUTEM, & LATRONES.] Complures crediderunt [14], duos hoſce latrones certatim Filium Dei illuſiſſe, et mox alterum gratia Dei commotum, & JESU CHRISTI patientiam, ſummamque modeſtiam intuitum, ſeſe convertiſſe, & adniſum eſſe, ſocii procacitatem retundere, dicendo, uti ex S. Luca 23. 39. liquet, ſe quidem mortem juſſe promeritos ; JESUM vero nil tale auſum. Ita S. S. Lucas, & Matthæus ſimul conciliantur. At alii [15], quin ad hanc ſolutionem confugerent, crediderunt, S. Matthæum de latronibus promiſcue locutum, ac multitudinis numero uſum pro ſingulari, latrones dicens, pro latronum altero. Ita Auƈtor Epiſtolæ ad Hebræos c. 11. 37. de Prophetis loquens, ait : *lapidati ſunt, ſeƈti ſunt*, &c. hoc eſt, eorum aliqui hæc vel fecerunt, vel paſſi ſunt.

℣. 45. A SEXTA AUTEM HORA TENEBRÆ FACTÆ SUNT . . . . USQUE AD HORAM NONAM.] Judæi ævi illius diem in horas duodecim partiebantur, ab ortu ſolis ad occaſum, quæ licet inter ſe æquales eſſent, inæquales tamen erant, habita ratione temporum pro varia dierum longitudine, aut brevitate. In æquinoƈtio verno, quo tempore Paſcha celebrabatur, & de quo iſthic ſermo eſt, hora prima, juxta Gallicam horarum diſtributionem, ſextæ matutinæ reſpondebat ; tertia nonæ ; ſexta meridiei ; nona tertiæ veſpertinæ, & duodecima ſextæ item veſpertinæ.

JESUS ſub mediam noƈtem captus, primum quidem apud Annam, mox apud Caipham adduƈtus fuit, ubi in Sacerdotum concilio morti adjudicatus eſt. Ubi Sacerdotes diſceſſerunt, uſque mane in ſervorum manibus reliƈtus fuit [16], donec Sacerdotes, ac Senatores iterum coeuntes JESUM ad ſe adduci juſſum blaſphemum, mortiſque dignum pronuntiarunt. Inde illum ad Pilatum rapuerunt [17], qui illum juridice interrogatum ad Herodem mittit, rurſus interrogat, pro virili annititur e periculo eripere, atque palam ipſum culpa vacare profitetur. Sed viƈtus tandem Judæorum, qui maxime urgebant, petitionibus, eum damnat. Tunc erat, S. Johanne teſte [18], *tertia* circiter hora diei, vel nona matutina. (At pleraque Exemplaria legunt, *horam ſextam*, meridiem videlicet.) Illud tamen *tertiam diei horam* legendum eſſe perſuadet, quod S. Marcus 15. 25. teſtatur, JESUM CHRISTUM hora tertia, hoc eſt, nona circiter matutina cruci affixum fuiſſe : fortaſſe etiam ſerius erat ; non modicum enim tempus inſumendum fuit, ut ex Prætorio ad Calvarium adduceretur. JESUS vero de cruce Judæorum opprobriis, ac irriſionibus obnoxius pependit uſque ad meridiem, vel *horam ſextam*, quemadmodum S. S. Matthæus, Marcus, & Lucas affirmant [19]. Tunc regio omnis tenebris involuta fuit, quæ ad nonam uſque horam, hoc eſt tertiam poſt meridiem permanſerunt ; quibus hora nona diſſipatis [20], JESUS bibere cupit, atque elata voce clamans, *Conſummatum eſt*, expiravit.

Hæ ſunt Paſſionis horæ, quemadmodum perſpicue ab Evangeliſtis memorantur. Una hæc tantum difficultas inter S. Johannem, & Marcum occurrit, quod S. Johannes in pleriſque Exemplaribus ait, JESUM *hora ſexta*

1 Lege Grot. hic. 2 Apud Suetonium.
3 Apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 1. 4 L. Si duo. D. de jurejurando.
5 Apud Diodor. Sicul. 6 Apud Spartianum. 7 Apud Lamprid.
8 Euſeb. lib. 4. cap. 15. Hiſtor. Eccleſ. 9 Petron. Interim. *Imperator Provinciæ latrones juſſit crucibus affigi*. Horat. *Furtum non feci : non paſces in cruce corvos*.
10 Vide Grot. hic, & Hamm. ad cap. 26. 2. 11 Deuter. 17. 13.
12 Miſna fol. 36. de Obligationib. diei boni. 13 Ῥυσάσθω νῦν αὐτόν, εἰ θέλει αὐτόν.
14 Origen. Athanaſ. ſerm. contra Hæreſ. Hilar. Chryſoſtom. Euthym. Theophylaƈt. Juvencus, Faveas. Ambroſ. Hieronym. Beda. 15 Ita Cyprian. ſeu alius ſerm. de Paſſione Domini. Auguſt. lib. 3. de Conſenſu cap. 16. Ambroſ. in Lucam. Hieronym. hic. Leo Magn. ſerm. 2. de Paſſ. Greg. Magn. lib. 27. in Job. cap. 16. Maldonat. Grot. Eraſm. Hammond. 16 Matth. 27. 1. Πρωΐας δὲ γενομένης. Marc. 15. 1. Καὶ εὐθέως ἐπὶ τὸ πρωΐ.
17 Matth. 27. 2. Luc. 23. 1. 18 Joan. 19. 14. Ὥρα δὲ ὡσεὶ τρίτη. Alii Codd. Ὥρα ἕκτη.
19 Matth. 27. 45. Marc. 15. 33. Luc. 23. Vide & Ignat. & Clem. Conſtit. lib 6. cap. 14. & lib. 8. cap. 33. apud Grot. hic. 20 Vide Matth. 27. 46. Marc. 15. 34.

ſexta a Pilato fuiſſe damnatum, num illum *hora tertia* cruci affixum fuiſſe S. Marcus teſtetur. Liquido conſtat, inter hæc tempora oppoſitionem adeſſe, & alterutrum mendo nequaquam vacare. Vetus Auctor Commentarii in Pſalmos, qui S. Hieronymi nomine circumfertur [1], tenet, in S. Marcum mendum obrepſiſſe, ejuſque Exemplaria antiquitus legiſſe, *hora ſexta*, non ſecus ac in S. Johanne. Alii e contra S. Johannis textum deficere arbitrantur, & pro *ſexta* legendum, *hora tertia*, quod mihi quidem magis arridet. Lectio hæc innititur Græco veteris Manuſcripti Cantabrigienſis, aliiſque præterea nonnullis [2]. Similiter legitur apud Nonnum, in Chronicis Alexandrinis, in fragmento de Paſchate, quod S. Petro Alexandrino Archiepiſcopo, qui ſub alterius ſæculi finem degebat, tribuitur. Hoc autem habet: *Erat hora circiter tertia, uti habent Exemplaria caſtigatiora, & ipſum autographum S. Johannis Evangeliſtæ manu conſcriptum, quod in Sancta Epheſi Eccleſia aſſervatur, atque ibi a regionis illius Fidelibus colitur.*

Qui Evangeliſtarum textum non audent attingere, neque iſthic Librarii errorem admittere [3], ajunt, Hebræos præter diei in horas duodecim diſtributionem, quemadmodum nuper adnotatum eſt, alia quoque oſos fuiſſe pro Templi uſu, & juxta tempora publicæ Orationis, quæ fiebat hora tertia, ſexta, & nona [4], hoc eſt, hora nona matutina, meridiana, ac tertia veſpertina. Hæc triplex hora buccinæ ſonitu nuntiabatur ſolemnibus diebus, & populus in Templum oraturus confluebat, vel domi preces ſuas effundebat. Mos obtinuerat, ut ſpatium, quod ab una ex hiſce tribus horis ad aliam fluebat, ex procedentis, vel ſubſequentis horæ nomine appellaretur, prout in rem magis judicabatur. Cum Jesus Christus tertiam inter, & ſextam horam, hoc eſt inter nonam matutinam, ac meridianam fuerit damnatus, S. Marcus dicere potuit, ipſum hora tertia cruci affixum fuiſſe; & S. Johannes, eumdem hora ſexta a Pilato fuiſſe damnatum. S. Marcus loquitur de hora tertia tranſacta, & jamjam ad finem uſque elapſa; S. Johannes vero de ſexta incœpta, perinde ac juxta Gallicam horarum rationem diceres, Jesum Christum ſub horam undecimam damnatum fuiſſe, atque ad ſupplicium raptum, ſub meridiem vero crucifixum fuiſſe. Hæc omnia tertiam inter & ſextam horam contigerunt. Paulo antequam crucifigeretur, tenebræ toti regioni late incubuerunt, eratque tunc hora ſexta, vel meridies; hoc eſt, paulo magis, quam meridies.

S. Auguſtinus [5] Evangeliſtas conciliaturus ait, Jesum Christum hora tertia Judæorum linguis crucifixum fuiſſe; tunc videlicet, Judæos petiiſſe, ut crucifigeretur; hora ſexta vero tandem cruci fuiſſe confixum. Vel, ut alibi, damnatus fuit, juxta S. Johannem *hora ſexta*, non diurna, ſed nocturna; crucifixus vero *hora tertia*, juxta S. Marcum diurna, non nocturna; quæ explicatio ſane acuta eſt, ſed non ſponte nata; at ea, quam omnium primam attulimus, omnium maxime probatur. Verumtamen recentem aliam in S. Johannem proponemus cap. 19. 14.

Tenebræ factæ sunt super universam terram.] Origenes, quem alii plurimi ſequuntur [6], credidit Eclypſim hanc in Judæa tantum contigiſſe, quæ ſæpe *univerſæ terræ* nomine deſignatur. Alii [7] tenent, totum hoc emiſphærium, vel ſaltem majorem illius partem tenebris illis involutam fuiſſe. Africanus apud Syncellum, Euſebius, & Sanctus Hieronymus in Chron. Phlegontem Adriani Imperatoris libertum proferunt, aſſerentem anno quarto Olympiadis 202. quo

A Jesus Christus obiit, accidiſſe Solis Eclypſim earum omnium, quæ uſpiam contigerint, teterrimam, ea quod meridie in Cœlo ardentes ſtellæ viſæ fuerint: eodemque tempore ingentem terræ motum in Bithinia eveniſſe. Tertullianus [8], Ethnicos ad publica Tabularia ablegans remittit, ut in veteribus monumentis noctem reperiant, quæ Paſſionis tempore in ipſo mero meridie incubuerit. Rufinus l. 9. c. 6. S. Lucianum Presbyterum Antiochenum, qui anno 312. martyrii palmam adeptus eſt, ita apud Ethnicos loquentem inducit: Conſulite annales, ibique invenietis, cum Jesus Christus ſub Pontio Pilato paſſus eſt, Solem non deduſſe lumen ſuum, ac diem miris, atque inauditis tenebris interruptum fuiſſe. Thallus etiam Vetus Auctor a Julio Africano profertur, veluti tenebrarum, quæ contigerunt in
B Paſſione Domini, teſtis. Denique Auctor, qui Dionyſii Areopagitæ nomine circumfertur ep. 7. ait, ſe Heliopoli in Ægypto notaſſe Eclypſim, quæ Dominicæ Paſſionis tempore acciderat, cumque bene ſciret, juxta aſtronomiæ regulas, illam tunc temporis contingere minime poſſe, Allophanem, qui ſecum tunc ſtudiis vacabat, clamaſſe; *hæ, Dionyſi mi, ſupernaturales, ac divinæ ſunt mutationes*; vel, *hæ ſunt mutationes rerum divinarum*. Suidas ea in occaſione ipſum S. Dionyſium ita loquentem inducit: *Aut Deus naturæ patitur, aut naturæ patienti compatitur.*

At nemo neſcit, quam fidem Auctor hic mereatur. Origenes etiam in Matth. hom. 35. minimum auctoritatis deferri vult teſtimonio Phlegontis, Ethnici Auctoris, ut eæ tenebræ, de quibus illa verba facit, eæ
C oſtendantur eſſe, quæ Dominicæ Paſſionis tempore contigerunt; quippe Scriptor ille ſupponit, eam vero Eclypſim fuiſſe, quod nulla ratione probari poteſt: tunc enim luna ſuum orbem compleverat; & eclypſis nonniſi incipiente, vel decreſcente luna accidere poteſt [9]: *Solis defectum nonniſi noviſſima, primave fieri luna*. Acta, de quibus Tertullianus, & S. Lucianus Martyr loquuntur, plane ſunt Epiſtolæ a Pilato ad Tiberium tunc temporis datæ; quæ cum minime ſuperſint, divinare minime licet, quid illa de miraculoſis tenebris ſcripſerit. Cenſuit Origenes loco citato, illas profectas a denſa quadam, tetraque caligine, quæ hominibus Solis adſpectum eripuit. Quod ſi verum eſt, potuerunt ne ſtellæ in Cœlo videri, quemadmodum Phlegon teſtatur, & qui illum ſecuti ſunt, crediderant?
D Phlegon aliam nobis injicit difficultatem, ubi ait, hanc Eclypſim fuiſſe. Liquido conſtat, nullam tunc naturalem eſſe potuiſſe eclypſim, quemadmodum nuperrime dictum eſt; atque ut ſupernaturalis extra ordinem fieret, opus fuit, ut luna eum, ubi erat, locum deſereret, ac repente ſe ſe Soli ſubmitteret, quod citra complurium miraculorum congeriem fieri minime potuit. S. Hieronymus hic, & in Amos c. 3. quin immoretur perpendens, quomodo hoc acciderit, & quæ illius cauſa fuerit, ait; Solem quodammodo perpeſſum contumelias, quas Dominus patiebatur, & blaſphemias, quas in illum evomebant Judæi, radios ſuos ſubtraxiſſe, eiſque lucem ſuam ultra impertiri noluiſſe. S. Leo Serm. 10. de Paſſione eodem ferme pacto loquitur. Ego vero minime auſim aliquid proferre, ac di-
E cere quomodo, vel quouſque tenebræ illæ ſe extenderint, in illis divinum miraculum veneratus.

Fieri fortaſſe potuit, ut ea in occaſione in Solis turbine effectæ fuerint cruſtæ quædam, vel corpora opaca, qualia nonnumquam viſa fuere, eaque totum planetæ illius diſcum Judæam verſus, & forſitan alias etiam non ita finitimas Provincias cooperuiſſe. Hoc mea quidem ſententia ſimplicius eſt, quam illuc Lunam accerſere, vel

1 In Pſalm. 77. 1. Videtur eſſe diverſum, ſed non eſt diverſum. Error ſcriptorum fuit; & in Marco hora 6. ſcriptum fuit, ſed multi Epiſemum e, putaverunt eſſe γ. Ita aliqui apud Theophylact. & Petav. Doctr. Temp. pag. 454. Ita & Cajet. & Canus. 2 Codex vet. Camerac. Vechel. Beza; Byonæus, Toynard. Codd. Regis duo. nempe 1007. & 1558. ſive 2860. & 2862.
3 Grot. Maldonat. Lyran. Ligfoot Menoch. Tillemont. alii. 4 Vide Act. 3. 1. 10. 3. Matth. 20. 3. 5. Hieronym. & Cyprian. apud Grot. hic. 5 Auguſt. lib. 3. de Conſenſu, cap. 13. & Tract. 117. in Joan.
6 Origen. in Matth. Maldonat. Eraſm. Vatab. alii. 7 Chryſoſtom. Euthym. Theophylact. alii plerique.
8 Apologetic. cap. 21. *Et tamen eum mundi caſum relatum in Arcanis veſtris habetis.*
9 Plin. lib. 2. cap. 13.

Digitized by Google

vel nubes dumtaxat, vel aliquem ex planetis. Tabulæ Aſtronomicæ [1] oſtendunt, die eadem, qua mundi Redemptor paſſus eſt, tertia circiter poſt meridiem hora, hoc eſt immediate poſt inſignem, & ſupernaturalem Solis Eclypſim, quæ meridie incœpit, ac non niſi poſt tres horas deſiit, Lunæ eclypſim accidiſſe, quæ tribus circiter horis permanſit, & in qua Luna ſecundum magnitudinis ſuæ dimidium fuit obſcurata: ita ut eadem die ad litteram duplex adimpleta fuerit Prophetia; Joelis altera cap. 2. 10. *A facie ejus contremuit terra, moti ſunt cœli: ſol, & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* Et Amos c. 8. 9. *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis; Et convertam feſtivitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum.*

℣. 46. Circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens. Eli, Eli lamma sabacthani [2].] Hæc verba deprompta ſunt ex Pſalmo 21. 1. ubi legimus in Hebræo [3]: *Eli, Eli, lamahzabdani.* Quæ verba ſignificant: *Cur me ſacrificaſti?* licet Pſalmi textus legat: *ut quid me dereliquiſti?* Ea Salvator protulit lingua patria, quæ neque Hebraica erat, neque Syriaca, ſed prava utriuſque commixtio. Salvator non pro ſe, ſed pro membris ſuis exclamat, Patres ajunt [4], tunc enim peccatorum perſonam ſuſtinebat ingementium, ut juſte pro ſceleribus ſuis a Deo deſerantur [5]. Vel, illhic ſecundum ſuam loquitur humanitatem; & in ſe naturæ noſtræ infirmitatem oſtendit, non ſecus, ac in horto olivarum a Patre petiit, ut a ſe Paſſionis ſuæ calix procul abſcederet; *Vox iſta doctrina eſt, non querela*, verba ſunt S. Leonis Papæ, *pro nobis trepidis, & infirmis interrogat, cur tam pati metuens exauditus non fuerit.*

℣. 47. Eliam vocat iste.] Romanus fortaſſe aliquis [6], qui eam ignorabat linguam, ubi illum clamantem audiit: *Eli, Eli, lammaſabacthani*, credidit, ipſum Eliæ opem perquirere. Inde vero opinioni huic robur accedit, hæc ſcilicet a Romanis, non a Judæis dicta, quod illi ipſi Jesu ſtatim obtulerunt acetum. At qui hoc illi obtulerunt, milites erant, qui illum cuſtodiebant, quemadmodum SS. Lucas 23. 36. & Johannes 19. 29. teſtatum reliquerunt.

℣. 48. Continuo currens unus ex eis.] S. Johannes 19. 29. ait, ſpongiam hanc hyſſopo fuiſſe impoſitam; qua in re difficultas quædam ſuboritur; hyſſopus enim ad eam magnitudinem minime aſſurgit, ut ex ea fieri poſſit calamus, qui hominis in cruce ſublati os poſſit attingere. At reſpondemus. 1. ſcalis fortaſſe uſos fuiſſe, ut ad eam altitudinem aſcenderent, ubi facile ſpongiam hanc Salvatoris labiis offerre poſſent: 2. non unam eſſe hyſſopi ſpeciem. *Parietariam* alteram, quæ non admodum creſcit; & agreſtem, ſeu *vallinorum*, quæ ad ſeſquipedalem, vel bipedalem altitudinem aſſurgit [7]. At homo modicæ proceritatis brachium attollens cum bipedali calamo ad novem pedum altitudinem pertingere poteſt; quod ſatis eſt, ut ad os hominis de cruce pendentis pervenire poſſit; vulgo enim, qui cruci affigebantur, non adeo ſupra ſolum efferebantur: Et ex hiſtoria liquet, complures e cruce pendentes a feris fuiſſe diſcerptos. Ludovicus de Dieu [8] conjicit, *calamum*, de quo hic ſermo eſt, eſſe calamum odoratum prorſus integrum illuc allatum, ne odoris ejuſdem virtute patientis ſpiritus reficerentur. Hanc tamen conjecturam modeſte ſatis proponit, neque injuria; nonniſi enim per ſummam indulgentiam citra ſcrupulos excipi poteſt. *Calamus* Græce, cujuſlibet plantæ truncum ſignificat, vel etiam baculum, ſtipitem, arundinem. Hic ſtipes erat hyſſopi.

Quæritur etiam, undenam illuc acetum acceſſerit, & cur Jesu exhibitum fuerit, ubi clamavit: *Eli, Eli, lammaſabacthani?* Quoad alteram quæſtionem hanc, S. Johannes 19. 28. ait, Jesum clamaſſe *ſitio*, ac ſtatim ſatellites accurriſſe, ut potum illi præberent. Quoad acetum vero [9] ajunt, illud in occaſionibus afferri conſueviſſe, ad eos, qui in cruce languebant, reficiendos, ne deficerent ſpiritu, vel ſi defeciſſent, ut ſe ſe colligerent. Alii vero putant [10], milites illuc acetum attuliſſe, quod ipſi biberent, ac per irriſionem dumtaxat illud Jesu Christo obtuliſſe bibendum. Quod S. Lucas innuere videtur, dicens c. 23. 36. *Illudebant ei, & milites accedentes, & acetum offerentes ei; & dicentes: Si tu es Rex Judæorum, ſalvum te fac.*

Harum ſententiarum pleraſque in unum colligere poſſumus, dicentes, Romanos milites, qui juſſi fuerant Jesum Christum ad Calvariam adducere, ibi eum crucifigere, & crucifixum cuſtodire, prævidentes ſibi diu illi eſſe permanendum, ſecum acetum attuliſſe, ac ſimul ſpongiam comparaſſe, qua reficere poſſent eos, qui a cruce potum petiiſſent; quem cum Jesus ſibi præberi rogaſſet, unum ex illis ſpongiam aceto imbutam obtuliſſe, illum irridentem, & fictitiam Regis Judæorum dignitatem in ludibrium traducentem. Romani milites ut plurimum dilutiſſimum bibebant vinum, cui nomen *poſca*, vel acetum ſimplex aquæ permixtum. Peſcennius Niger copiis ſuis vinum interdixit, & acetum tantummodo permiſit. Conſtantinus vero Magnus illis & vinum, & acetum alternis in binos dies bibendum conceſſit. Ruth panem ſuum comedit cum meſſoribus Booz [11] aceto intinctum. Ferunt, ad hanc quoque diem in Batavia, atque in navibus panem aceto imbutum manducari.

℣. 49. Cæteri vero dicebant: sine videamus.] S. Marcus [12] hoc militi attribuit, potum Jesu tribuenti, ut ipſum reficeret. Incœpit ille quidem hæc dicteria inſpergere, quæ & reliqui milites, qui prope aderant, juxta S. Matthæum, reddidere. MSS. hoc in loco addunt [13]: *tunc militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis, & aqua*; quod ex S. Johanne 19. 34. depromptum, huc intempeſtive migravit; Latus enim Jesu poſt illius mortem tantummodo fuit tranſverberatum.

℣. 50. Jesus autem iterum clamans voce magna &c.] Jeſus elata voce clamavit, antequam efflaret animam, ut oſtenderet, ſe neque propter neceſſitatem, neque propter virium defectum obire [14]. Libere, ſponte, & ea, quam ipſe elegerat, hora emiſit ſpiritum. S. Johannes c. 19. 30. illum exclamaſſe ait, *Conſummatum eſt*, & in S. Luca 23. 46. ſpiritum ſuum Patri commendaſſe: quæ fuſius in hos Evangeliſtas ad eamdem vocabuntur.

℣. 51. Et ecce velum Templi scissum est.] In Tabernaculo a Moyſe erecto triplex erat velum; Primum, in aditu Atrii, alterum ad januam Sancti, ac tertium in Sanctuarii introitu. In Salomonico autem, ac eo, quod poſt reditum de captivitate ædificatum

1 Vide Toynard. Harmon. pag. 152. & Not. pag. 148. col. 2. ims.
2 S. Marcus legit: Ἐλωΐ, Ἐλωΐ, λαμμᾶ σαβαχθανί. 3 אלי אלי למה עזבתני
4 Vide Athanaſ. orat. 1. 2. 3. & 4. contra Arianos. Gregor. Nazianz. orat. 4. de Theologia Cyrill. Alex. de Fide ad Reginas. Auguſt. in Pſalm. 21. Leo Magn. ſerm. 16. et 17. de Paſſione Domini.
5 Vide Tertull. adverſ. Praxeam. Hilar. hic Epiphan. hæreſ. 69. Cyrill. lib. 10. theſauri, c. 2. Ambroſ. lib. 10. in Luc. Hieronym. hic. 6 Hieronym. Beda. Strab. Euthym. Maldonat. alii.
7 Vide Dodonæum lib. 4. cap. 19. de Stirpibus. 8 Ludov. de Dieu in Joan. 19. 29.
9 Vide Caſaub. in Baron. Exercit. 16. c. 84. Grot. ad Joan. 19. 29. alii.
10 Mycil. not. Philol. in Paſſion. Chriſti. Viſſenbach. not. in Paſſ. Chr. ad Joan. 19. 29. Ligfoot Hor. Hebr. in Luc. 23. 36. alii. 11 Ruth. 2. 14. 12 Marc. 15. 36. *Sinite, videamus*, Ἄφετε, ἴδωμεν, εἰ ἔρχεται Ἠλίας. Matth. 27. 49. Οἱ δὲ λοιποὶ ἔλεγον, Ἄφες ἴδωμεν εἰ ἔρχεται Ἠλίας.
13 Stephan. S. N. Bald. 7. Hunt. 2. Chryſoſtom. Æthiop. Pariſ. 9.
14 Cyrill. Jeroſolym. Catech. 13. Chryſoſtom. Hieronym. Euthym. Theophylact. hic. Cyprian. ad Demetrian. Auguſtin. tract. 119. in Joan.

catum eſt, duo tantum erant velamina [1], prius ad A
Sancti oſtium, alterum ad Sancti Sanctorum januam; quarum prius ſciſſum fuiſſe, Origenes, & S. Hieronymus crediderunt; cæteris contendentibus, de Sanctuarii velo hic eſſe ſermonem. Poſteriorem hanc ſententiam S. Paulus ad Hebr. 10. 20. confirmare videtur, ubi ait, JESUM, veluti Summum Sacerdotem nobis in Sanctuarium aperuiſſe viam per velum, hoc eſt, carnis ſuæ paſſionem. Hoc veli ſciſſura oſtendebat, Cœli viam nobis per JESU CHRISTI mortem patuiſſe, ac Legis umbras diſſipatas fuiſſe; verum Pontificem in interiorem Templi partem ingreſſum fuiſſe, ut ibi omnium hominum peccata expiaret [2]. S. Ephrem Serm. 1. de Paſſione teſtatur, eodem tempore viſam fuiſſe columbam ex penitiori Sanctuarii adyto evolantem; & Nazaræorum Evangelium addit, ſuperliminare januæ B
fractum fuiſſe [3].

TERRA MOTA EST, ET PETRÆ SCISSÆ SUNT.] Adnotavimus jam ſupra, Phlegontem [4] dixiſſe, una cum eclipſi, quæ meridie contigit, & qua permanentes ſtellæ cœli viſæ ſunt, ingentem etiam terræ motum accidiſſe, cujus effectus Bithinia præſertim experta eſt. Tacitus etiam Annal. l. 2. c. 47. atque Svetonius in Tiber. c. 48. de graviſſimo terræ motu verba faciunt, qui Tiberio imperante detonuit. Complures crediderunt [5], eum terræ motum in orbe univerſo auditum fuiſſe; alii vero [6] in Judæa ſolum, vel etiam, in Templo [7] debacchatum fuiſſe, ubi valvas revulſit, ac velum perfregit. S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. com. 13. teſtis eſt, in Calvario oſtendi conſueviſſe rupes quaſdam terræ motus illius vi ſciſſas, atque divulſas. Oportet quidem, illum ingentem fuiſſe, C
atque cum terribilibus circumſtantiis accidiſſe, quandoquidem Centurio, & qui erant cum eo perterriti ſunt, atque Dei ultionem, & injuſtitiam damnationis JESU confeſſi. Luc. 23. 47.

℣. 52. MONUMENTA APERTA SUNT.] Veteres quidam [8] crediderant, Sanctorum corpora reſurrexiſſe, atque illorum ſepulchra per ſe patuiſſe, vel tempore eodem, vel paulo ante Salvatoris deceſſum, ut illum ad inferos deſcendentem ſubſequerentur. Sed veterum [9] æque, & recentiorum Interpretum [10] plerique putant, monumenta aperta fuiſſe, ſtatim ac Salvator animam efflavit; Sanctos vero cum illo duntaxat reſurrexiſſe. Deſcendit ille ad inferos, ubi ſanctas eas animas inviſit, ac illis feliciſſimum liberatio- D
nis attulit nuntium; cum vero ut has auras iterum carperet, ſuumque corpus reciperet, aſcendit, tunc illas ſecum reduxit, & eorum quaſdam reſuſcitavit. Cum illo in terris verſati ſunt, ac quadraginta eos dies, qui Reſurrectionem ipſius conſecuti ſunt, pluribus apparuerunt: mox vero una cum eo in Cœlum aſcendiſſe creduntur, ut pompam triumphi decorarent. Hæc antiquorum [11], ac recentiorum Interpretum vulgo [12] ſententia eſt.

Hoc tamen difficultate non caret; ſi enim Sancti alii qui erant reſuſcitandi, hi profecto erant David, Abraham, Joſeph, Samuel, Eliſæus, S. Johannes Baptiſta. At S. Petrus ad Judæos loquens Pentecoſtes E
die, videlicet quinquageſima poſt JESU CHRISTI reſurrectionem, dixit illis Act. 2. 29. Davidis corpus adhuc in tumulo ſuo requieſcere: nondum ergo ad

A Cœlum aſcenderat. S. Paulus in Epiſtola ad Hebræos c. 11. 39. ait, Patriarchas nondum mercedem ſuam recepiſſe, volente Deo, ut cum nobis tandem felicitatis ſuæ complementum acquirerent. Denique S. Johannis Baptiſtæ, & quorumdam Prophetarum reliquiæ poſt Domini noſtri Aſcenſionem repertæ ſunt; inferendum eſt ergo, illorum corpora cum JESU CHRISTO in Cœlum minime aſcendiſſe. Patrum plerique [13] docent, antiqui Teſtamenti Patres mercedem ſuam perfecte cum nobis tandem poſt Mundi finem inventuros; & Sanctos, qui cum JESU CHRISTO reſurrexerunt, aliquandiu poſt obiiſſe, ubi complerant opus, ad quod Deus illos deſtinaverat, videlicet ut teſtimonium perhiberent Salvatoris noſtri Reſurrectioni [14]. Reſurrexerunt ergo, quemadmodum Moyſes olim, ubi in Tha-
B bor apparuit, & Lazarus, aliique, quos JESUS CHRISTUS in vitam revocaverat.

℣. 54. CENTURIO AUTEM, ET QUI CUM EO ERANT.] S. Lucas c. 23. 47. Centurionem hæc dicentem inducit: *Vere hic homo juſtus erat*: & S. Marcus c. 15. 39. ait, illum, cum audiiſſet JESUM CHRISTUM, qui expirans ingentem clamorem emiſerat, inde arguiſſe, illum eſſe Filium Dei. Nihil in his abſonum videtur. Centurio commotus fuit omnibus circumſtantiis, quæ Salvatoris mortem concomitatæ, & ſubſecutæ ſunt; agnovitque eum, non ſolum innocentem eſſe, & injuria morte damnatum, verum etiam Filium Dei. Patres quidam [15], verba illius, tamquam Divinitatis Domini confeſſionem explicuerunt; at S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu c. 20. credere potius videtur, illum agni-
C tum a Centurione fuiſſe tamquam ſanctum hominem, ac filium Dei, eo in ſenſu, quo Sancti omnes Dei filii vocantur, & ſunt. Metaphraſtes Centurionem hunc Longinum appellat; cumque apud S. Johannem Chryſoſtomum hom. 88. nonnulli martyrii coronam adeptum fuiſſe teſtantur. Plura extant Acta S. Longini Centurionis, & Græci in Eccleſiaſticis libris ſuis ejuſdem celebrant Officium; ſed ea omnia, quæ ibi leguntur, penitus fabuloſa videntur. Narratur, cum ex Romano exercitu, ubi ſtipendia merebat, aufugiſſet, in Cappadociam ſe ſe recepiſſe, ubi JESUM CHRISTUM cœpit prædicare. Ibi capite imminutus fuit, caputque illius ad Pilatum adductum [16]. Hæc Græci narrant; Latini etiam quemdam S. Longinum venerantur, a quo Salvatoris noſtri latus confoſſum fuiſſe cre-
D dunt. Sed Hiſtoria Sancti hujus, quæ extat, omnino apocrypha eſt, nullamque fidem meretur.

℣. 55. ERANT AUTEM MULIERES IBI MULTÆ A LONGE;] quæ illum a Galilæa ſubſecutæ fuerant, ut ipſum opibus ſuis juvarent, teſte S. Luca c. 8. 3. Plerique Apoſtoli [17] ſecum pias quaſdam mulieres ducebant, quæ ſibi inſervirent; hæc enim apud Judæos vigebat conſuetudo, nullumque in vulgus ſcandalum ingerebat, quemadmodum iſthic S. Hieronymus animadvertit. Harum autem mulierum, quæ Salvatorem ſecutæ fuerant, nomina quædam ab Evangeliſta afferuntur.

Maria Magdalena. Plures crediderunt [18], hanc eſſe
E Mariam Lazari ſororem, quæ ſententia nullis argumentis probatur. Hæc potius eſt peccatrix illa, ex qua JESUS CHRISTUS ſeptem ejecerat dæmonia [19]. Hæc Galilæa erat, & *Magdalenæ* nomen illi plane factum,

eo

1 Joſeph. de Bello, l. 6. c. 14. Hieronym. Ep. 115. ad Hedibiam. Grot. hic.
2 Vide, ſi lubet, Origen. in Matth. hic. Ambroſ. lib. 10. in Luc. Leo Magn. ſerm. 12. de Paſſion. Hieronym. hic. Auguſt. in Pſalm. 64. & 70. & alibi.
3 Hieronym. Ep. 150. *addit Evangelium Nazaræorum etiam ſuperliminare Templi infinitæ magnitudinis fractum eſſe, atque diviſum.*
4 Apud Euſeb. & Hieron. in Chronic.
5 Euſeb. Hieronym. Author. Mirabil. ſacr. Script. l. 2. c. 3. alii.
6 Origen. in Matth.
7 Hammond. hic.
8 Vide Chryſoſt. & Theophylact.
9 Hieron. Beda, Tertull. lib. de Anima, cap. 55.
10 Maldon. & alii hic, & in Cor. 15. 20. & in Coloſſ. 1. 18.
11 Hilar. in Matth. Euſeb. Demonſtrat. lib. 10. c. 8. Origen. in Cantica. Ignatius ad Magneſian. Epiphan. hæreſi 75.
12 Maldon. Cornel. Janſ. Titin. Beza.
13 Vide ſupra cap. 10. 11. 12. & ſeq. Auguſt. tract. 124. in Joan. n. 2. Ep. 164. alias 99. Theodoret. in c. 11. Ep. ad Hebr. Chryſoſt. homil. 28. in Ep. ad Hebr.
14 Vide Chryſoſt. in prim. ad Corinth. homil. 40. Ambroſ. l. 6. in Luc. n. 60. avit. in fragmentis S. Thom. 3. parte, qu. 53. art. 3. ad 2. Aug. in Joan. tract. 124.
15 Cyrill. l. 12. Theſauri, c. 14. Baſil. in Gordian. Mart.
16 Vide Tillemontii Notas in J. C. not. 38.
17 1. Cor. 9. 5. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli?*
18 Ita plerique omnes apud Maldon. hic.
19 Luc. 8. 2. 4. & Marc. 16. 9.

Digitized by Google

ex oppido vel urbe *Magdalo*. Hæc prima fuit, cui JESUS CHRISTUS poſt Reſurrectionem ſuam apparuerit. Dicunt autem, hanc ſecutam fuiſſe Sanctiſſimam Virginem, atque S. Johannem Epheſum, ibique obiiſſe [1], cum ad mortem uſque Sancto huic Apoſtolo, & Evangeliſtæ adhæſiſſet.

Maria mater Jacobi, & Joſephi, vel *Joſe* juxta Exemplaria complura. *Jacobus* hic eſt S. Jacobus Minor, Epiſcopus Jeroſolymitanus. De *Joſe* autem, vel *Joſepho* nihil ex hiſtoria didicimus; credi poſſet, hunc eumdem eſſe, ac Joſephum Barſabam, qui Juſtus appellabatur, & qui cum S. Mathia propoſitus fuit, ut ad Apoſtolatus dignitatem eveheretur Act. 1. 23. ſed hujus ſententiæ nullum ſatis certum adfertur argumentum. Maria duorum Sanctorum horum mater, ſoror erat Sanctiſſimæ Virginis, & uxor Cleophæ [2], vel Alphæi, qui S. Joſephi frater erat [3]. Dominus Toynard ait, Mariam Filiam fuiſſe Cleophæ, uxorem Alphæi, & matrem Joſe.

Mater duorum filiorum Zebedæi vocabatur Salome, ſi penes Origenem, alioſque complures fides eſt; eaque Mater erat S. Jacobi Majoris, & S. Johannis Evangeliſtæ. Præter has mulieres, non deerant etiam homines, teſte S. Luca c. 23. 49. qui ait, eos omnes qui JESUM noverant, procul a cruce ea, quæ fiebant, proſpectantes adſtitiſſe. Ex hoc autem numero excipiendi ſunt Apoſtoli, qui ibi non aderant, dempto S. Johanne Evangeliſta. Diſcipuli, qui illic ſubſiſtebant, minime cogniti erant, neque ipſis illud impendebat periculum, quod ſubiiſſent Apoſtoli, ſi adfuiſſent. Mulieres duæ, Maria Magdalena, & Maria mater Jacobi, & Joſephi prope crucem aderant cum Maria matre JESU, & S. Johanne Evangeliſta [4]: reliquæ vero longius aberant, quemadmodum S. S. Matthæus c. 27. 55. & Marcus 15. 40. teſtantur. Vel, cum aliquandiu prope crucem adſtitiſſent cum reliquis, longius ſeceſſerunt, ibique ad Salvatoris uſque mortem permanſerunt.

℣. 57. CUM AUTEM SERO FACTUM ESSET.] Sub veſperam, hoc eſt, quarta circiter poſt Meridiem hora & prima quaſi, ex quo JESUS animam efflaverat; namque poſt Solis occaſum, propter Sabbathum, quod tunc incipiebat, laboribus vacare nefas erat. Joſeph ab Arimathæa Senator erat Jeroſolymæ, atque aliorum Senatorum conſilio minime adfuerat, cum JESUS CHRISTUS damnatus eſt. Immo erat Salvatoris Diſcipulus [5], & Dei Regnum præſtolabatur: verumtamen latebat propter Judæos, quorum impotentiam maxime verebatur. *Arimathæa* illius natale ſolum, vulgo ſtatuitur ſex vel ſeptem leucas procul a Jeruſalem ad borealem occaſum; alii vero putant, eam eſſe Ramathaim Sophim, cujus erat Samuel [6]. Acceſſit autem *audacter* [7] ad corpus JESU petendum, ſeu Dei ſpiritus hoc animi illi tribueret, ſeu dignitas ſua majorem illi ſpem injiceret, a Præſide id obtinendi, quod erat petiturus [8]. Evangeliſtæ eum divitem ajunt fuiſſe, fortaſſe ut adimpletum oſtendant Iſaiæ vaticinium, dicentis c. 53. 9 *dabit impios pro ſepultura, & divitem pro morte ſua*. Joſephus licet Arimathææ natus, ſedem ſuam Jeroſolymæ conſtituerat, ibique ſibi vivens monumentum poſuerat.

Romanis Legibus cautum erat, ne ſontes extremo ſupplicio affecti citra judicum facultatem efferrentur [9]. Verum facultas hæc nemini negabatur, ni forte pro majeſtatis reo peteretur. Pilato numquam perſuaſum fuerat, JESUM CHRISTUM ſeditioſum fuiſſe, ac multo minus Majeſtatis reum, quemadmodum Judæi obtrudere adnitebantur; ideoque haud arduum fuit, quod petebatur, impetrare. Conſueverant Romani, ubi ſontes de cruce pendentes animam efflaſſent, ibi illos relinquere dies aliquot ad aliorum exemplum. Verum cum Judæorum Leges minime paterentur [10], illic ultra diem corpora permanere, Prætores Romani derogabant conſuetudini [11], ac permittebant, ut corpora veſpere ejuſdem diei refigerentur; juxta Moyſis ſancitas; quæ ſi nondum ſpiritu caruiſſent, ad maturandum mortem, crura perſringebantur, ut mox de cruce revulſa, vel cognatis tumulanda traderentur, vel in publica ſepulchreta projicerentur; quod profecto accidit latronibus duobus, qui cum JESU fuerant crucifixi. Joan. 19. 31.

Miſna c. 6. n. 14. 15. refert, ſupplicio extremo affectorum conſanguineis minime licuiſſe illorum corpora in familiæ ſuæ tumulum inferre, niſi poſtquam eorum carnes in publicis cœmeteriis jam abſumptæ fuiſſent; tunc tandem integrum erat, illorum oſſa in privatis condere monumentis; & hac fortaſſe de cauſa Joſeph ab Arimathæa a Pilato petiit corpus JESU, ne in publica ſepulchreta capite damnatis deſtinata inferretur.

℣. 59. ACCEPTO CORPORE INVOLVIT ILLUD IN SINDONE MUNDA.] Hoc in loco ſupplendæ ſunt aliquot circumſtantiæ ex aliis Evangeliſtis depromptæ. S. Johannes 19. 39. teſtatur, Nicodemum emiſſe centum libras aromatum, quibus Salvatoris corpus condiret; innuit etiam, præter ſindonem, non defuiſſe linteas vittas, quibus corpus JESU involutum fuit [12], atque ſudarium, quo ejus caput fuit cooperatum [13]. Sindonem, in qua poſitus fuit, recentem fuiſſe, S. Marcus teſtatur c. 15. 46. non ſecus ac monumentum, ubi fuit tumulatus.

Minutæ hæ circumſtantiæ mirum in modum inſerviant ad JESU CHRISTI Reſurrectionis, quæ ex mera illius virtute accidit, veritatem probandam. Si enim, quod corpus illius debebat attingere, alia etiam attigiſſet, dixiſſet aliquis fortaſſe, hoc illi reſurrectionis gratiam promeruiſſe, quomodo accidit mortuo illi, qui fortuito in Eliſæi ſepulchrum conjectus fuit [14].

℣. 60. IN MONUMENTO, QUOD EXCIDERAT IN PETRA.] Regionis illius mos erat, ut in rupibus nobilium virorum ſepulchra excinderentur. Hodierna quoque die plurima, eaque maxima videntur in Palæſtina, ubi plures adſunt thecæ in cubiculi ſpeciem cavatæ, ubi familiæ alicujus omnia corpora collocabantur. Hoc Joſephi ab Arimathæa ſepulchrum pro illo uno excīſum fuerat, unum domus erat, illudque exiguum erat cubiculum, atque unum monumentum. Erat autem in monte Calvariæ in horto quodam prope eum locum, ubi Salvator fuerat crucifixus.

℣. 61. MARIA MAGDALENE, & ALTERA MARIA.] Eædem, de quibus ſermo fuit ℣. 55. Altera hæc Maria [15] eſt Mater S. Jacobi Minoris, & Joſe, Alphæi conjux, & Sanctæ Virginis ſoror. Hæ in Calvario permanſerant una cum Maria matre JESU, ut viderent, quid de Salvatoris corpore fieret, atque operam ſuam eidem condiendo conferrent.

℣. 62. ALTERA AUTEM DIE, QUÆ EST POST PARASCEVEN.] Principes Sacerdotum Pilatum convenerunt, dixeruntque illi. Seductor hic promiſit, poſt tertiam ab obitu ſuo diem ſe eſſe reſurrecturum: jube ergo, ſepulchrum uſque in diem tertiam cuſtodiri. Evangeliſta quin *diem Sabbathi* ſtrictim dicat, & circumlocutione uſus ait, *diem, quæ eſt poſt paraſceven*, hoc eſt, *poſt præparationem*; quo nomine diem Veneris [16] appellabant Judæi, ea quippe cibos in diem Sabbathi præparabant, quo neque ignem accendere, neque eſcas coquere fas erat [17]. Hoc accidit feria ſexta poſt Solis occaſum, quod juxta Judæorum morem erat

1 Photius cod. 275. 2 Joan. 19. 25.
3 Hegeſipp. apud Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 11. & lib. 4. cap. 22.
4 Joan. 19. 21. 5 Joan. 19. 38. 6 1. Reg. 1. 7 Marc. 15. 43.
8 Chryſoſt. & Hieronym. hic. Auguſt. l. 3. de Conſenſu. 9 Ulpian. *Eorum in quos animadvertitur corpora non aliter ſepeliuntur, quam ſi fuerit petitum, & permiſſum*. Vide Grot. hic.
10 Deut. 21. 23. 11 Joſeph. l. 8. c. 11. in Luc. p. 910. 12 Joan. 19. 40.
13 Idem 20. 6. 7. 14 4. Reg. 13. 21. Vide Hieronym. hic, ad verſ. 60. & Ambroſ. in Luc. Beda, Euthym. Theophyl. hic. 15 Vide Luc. 23. 55. & 24. 10.
16 Marc. 15. 42. Ἦν παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον. 17 Exod. 16. 5.

erat Sabbathi initium [1]. Occurſus autem Paſchatis in Sabbatho effecit, ut a S. Johanne c. 19. 31. vocaretur, *magnus dies Sabbathi*, & a S. Matthæo, *dies, quæ eſt poſt paraſceven*, aut præparationem.

℣. 63. POST TRES DIES RESURGAM.] Numquam propalam adeo aperte, atque perſpicue ſuam Reſurrectionem prædixerat; dixerat tamen, ſe Judæis in perſona ſua exhibiturum miraculum Jonæ prophetæ [2]: & quemadmodum Jonas tribus diebus, atque noctibus in ceti ventre delituerat, tantumdem temporis & Filium hominis in terræ ſinu futurum. Et Joann. 2. 19. loquens de corpore ſuo, futurum dixerat, ut, ſi illi hoc templum deſtruerent, ſe illud triduo reædificaret. Sed apertius coram Apoſtolis ſuis hac de re fuerat locutus, & fidei conſonum videtur, per illos Reſurrectionis ejuſdem tertia die futuræ prædictionem in populum emanaſſe. Hoc autem Sacerdotibus, & Phariſæis miram curam injecerat; judicabant enim, & jure, ſi Salvator reſurrexiſſet, futurum, ut malum ſibi longe majus immineret, quam antea: *Et erit noviſſimus error pejor priore*.

℣. 65. HABETIS CUSTODIAM.] Levitæ veſtri [3] in Templo agunt excubias, illis utimini ad ſepulchri cuſtodiam. Quid enim opus eſt, ut ad id milites adhibeantur? Horum Levitarum Principes a S. Luca c. 22. 4. vocantur, *Duces Templi*. Alii vertunt [4]: *ſumite cuſtodiam Templi*, ac ſepulchrum prout vobis libuerit, cuſtodiri jubete. Credunt, hanc Templi cuſtodiam fuiſſe Romanorum militum cohortam, quæ armata ſub Templi porticibus, feſtis diebus verſabatur, ne in populi turba malum aliquid eveniret [5]: Sacerdotes militibus his uti potuerant, ut Jeſu Chriſti monumentum cuſtodirent. Ex hiſtoriæ decurſu videntur [6] milites hi Pilato paruiſſe, ejuſque auctoritatem metuiſſe, ideoque Romanos milites fuiſſe.

℣. 66. MUNIERUNT SEPULCHRUM.] Sepulchri lapidem obſignarunt, & ibi cuſtodes poſuerunt; vel: coram cuſtodibus obſignarunt lapidem, quo monumentum claudebatur [7]. Putat Grotius, ibi Pilati annulum impreſſum fuiſſe, tamquam de publica fide ageretur. Ita Daniel ſub annulo Regis Babylonici, & Conſiliariorum ejus in leonum ſpecu concluſus fuit [8]. Sacerdotes hac in re Providentiæ conſiliis, & Reſurrectionis Dominicæ certitudini præter mentem inſerviunt. Hi cuſtodes omnem furti ab Apoſtolis profecti auferunt ſuſpicionem. Timor, & paupertas horum illos ſatis tuentur, ne credat aliquis, vel militibus feciſſe vim, neque eoſdem auro violaſſe. Vult Deus Filii ſui Reſurrectioni, quoſcumque poteſt, certitudinis gradus præbere, atque inimicis, & obtrectatoribus os obſtruere per ea, quæ ipſorum diligentia comparavit, ne ſibi fortaſſe ab Apoſtolis fraus aliqua, & illuſio fieret. Nicephorus l. 2. cap. 32. ait, lapidem, quo tumulus claudebatur, ingenti catena alligatum fuiſſe, cujus veſtigia nonnulla in lapide eodem, vivente Beda, adhuc conſpiciebantur [9]. Vetus Manuſcriptus Græcus, & Latinus Cantabrigienſis, qui Bezæ fuerat, ait in S. Lucæ 24. lapidem hunc tantæ molis fuiſſe, ut viginti homines vix illum movere valuiſſent. Fabulæ.

1 Vide Toynard. Harmon. p. 131. 2 Matth. 12. 39. 40. 3 1. Par. 26. 1. & ſequ.
4 Matth. 27. 65. Ἔχετε κουστωδίαν. *Accipite cuſtodiam*. 5 Joſeph. de Bello, lib. 5. cap. 15. in Græco, p. 919. Et in Latino, lib. 6. cap. 6. & Antiqu. l. 20. c. 4. Ita Grot. Le Clerc, Natal. Alex.
6 Matth. 28. 14. 7 Chryſoſt. Euthym. Brug. 8 Dan. 6. 17.
9 Beda in Lucam.

CAPUT XXVIII.

JESU CHRISTI Reſurrectio. Angelus Sanctis Mulieribus apparet. Principes Sacerdotum Milites Sepulchri cuſtodes corrumpunt. Apparet Salvator pluribus Diſcipulis in monte Galilææ. Miſſio Apoſtolorum.

1. VEſpere autem ſabbathi, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Mag-
dalene, & altera Maria videre ſepulchrum. 2 Et ecce terræmotus fa-
ctus eſt magnus: Angelus enim Domini deſcendit de cœlo: & accedens
revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum. 3 Erat autem aſpectus ejus ſicut ful-
gur, & veſtimentum ejus ſicut nix. 4 Præ timore autem ejus exterriti ſunt cu-
ſtodes, & facti ſunt velut mortui. 5 Reſpondens autem Angelus dixit mulieri-
bus: Nolite timere vos: ſcio enim, quod Jeſum, qui crucifixus eſt, quæritis:
6 Non eſt hic: ſurrexit enim, ſicut dixit. Venite, & videte locum, ubi poſi-
tus erat Dominus. 7 Et cito euntes dicite diſcipulis ejus, quia ſurrexit: & ec-
ce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. 8 Et
exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno currentes nuntiare
diſcipulis ejus. 9 Et ecce Jeſus occurrit illis, dicens: Avete. Illæ autem ac-
ceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum: 10 Tunc ait illis Je-
ſus: Nolite timere: ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me
videbunt. 11 Quæ cum abiiſſent, ecce quidam de cuſtodibus venerunt in ci-
vitatem, & nuntiaverunt principibus ſacerdotum omnia, quæ facta fuerant. 12
Et congregati cum ſenioribus, conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt
militibus, 13 Dicentes: Dicite, quia diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati
ſunt eum, nobis dormientibus. 14 Et ſi hoc auditum fuerit a præſide, nos
ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. 15 At illi, accepta pecunia, fece-

runt ſicut erant edocti. Et divulgatum eſt verbum iſtud apud Judæos uſque in hodiernum diem. 16 Undecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi conſtituerat illis Jeſus. 17 Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt. 18 Et accedens Jeſus locutus eſt eis, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. 19 Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. 20 Docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi,

℣. 1. VESPERE AUTEM SABBATHI &c.] Nocte A Sabbathi, primo hebdomadæ die venerunt Maria Magdalene, & altera Maria, ut ſepulchrum viderent. Vel [1]: *Jam exierat hebdomas, cumque hebdomadis inſequentis prima dies illuceſceret*. Ad Evangeliſtas ſimul conciliandos dicere oportet, Sanctas mulieres veſpere Sabbathi, hoc eſt, poſt Solis occaſum, ſolemnitate jam exacta, cum prima jam dies hebdomadæ incœpiſſet, abiiſſe ad aromata comparanda, ut poſtridie mane ſummo ad corpus Jeſu obliniendum ſe ſe conferrent. Hoc autem a S. Marco narratur [2]. Nihil intellexerant de militibus, pridie illuc ad ſepulchrum aſſervandum miſſis. Hac igitur nocte Sabbathum inter, ac diem Dominicum præpararunt aromata ſua, & cras *ante lucem* [3] urbe egreſſæ ſunt, ut ſepulchrum inviſe- B rent, quo tandem [4] *orto jam ſole* pervenerunt.

S. Matthæus iſthic meminit dumtaxat Mariæ Magdalenæ, & Mariæ Matris Jacobi, atque Joſephi. At S. Marcus cap. 16. 1. ſociam illis addit Salome filiorum Zebedæi matrem: quibus S. Lucas cap. 24. 1. 10. in Græco addit *Johannam*, aliaſque mulieres, quæ Jeſum de Galilæa venientem fuerant ſubſecutæ. Litteralis S. Matthæi loquendi ratio notanda eſt: Ait ille; *Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi*, duæ Mariæ ſepulchrum viſuræ acceſſerunt: quæ Latinis æque, ac Gallis inelegans eſſet loquendi ratio; veſpere enim dies neque luceſcere, neque oriri cœpit, Hebræis vero, veſpere diei exordium ſumentibus, ea minime inuſitata erat, & alibi etiam in Scriptoris occurrit. Exempli gratia S. Lucas verba faciens cap. 23. C 54. de veſpere, quo Jeſus Chriſtus in tumulo conditus fuit, ait, eam fuiſſe diem *Præparationis, & Sabbathum jam oriri*, vel *lucere* occœpiſſe. Ea erat feria ſexta, & Sabbathum orientibus aſtris inchoabat; verbum enim *luceſcere* æque de luna, nocturniſque ſyderibus, ac de ſole prædicatur. S. Marcus hunc in locum S. Matthæi perſpicuus Interpres eſt; & fuſius perſequitur ea, quæ ſtrictim apud S. Matthæum inveniuntur. Hic ait, Sanctas haſce mulieres veſpere ad ſepulchrum viſendum profectas, hoc eſt, ſe ſe præparaſſe, ut illuc ſe conferrent, aromata emerunt. Cupiebant autem quammaxime, ut nemo ſciret, quid illæ conarentur; partem igitur noctis in viam impenderunt [5].

℣. 2 ET ECCE TERRÆMOTUS.] Hoc accidit, antequam Sanctæ Mulieres ad monumentum pervenirent; D quæ nonniſi poſt Domini reſurrectionem, orto jam Sole [6] pervenerunt: at motus hic eodem contigit momento, quo & Reſurrectio. Rumorem illæ auribus hauſerunt, ac terræmotus teſtes fuerunt, ſed Jeſum a ſepulchro egredientem minime viderunt. Has autem circumſtantias, vel ipſi milites monumenti cuſtodes, vel Jeſus Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam, tradiderunt. Credunt nonnulli [7], Græcam vocem [8] non terræ motum, ſed aeris agitationem, turbinem, procellamque ſignificare; hoc enim ſignum fuit deſcendentis Angeli, qui lapidem, quo ſepulchri oſtium obſtruebatur, revulſit. Græcus non legit *terræ*, ſed *magnum motum* dumtaxat, vehementem agitationem; Sed in novo Teſtamento [9] una illa vox pro terræmotu uſurpatur: iſthic vero non Angeli ſolum deſcenſum, verum etiam, idque præcipue, Jeſu Chriſti Reſurrectionem, ejuſdem exitum de ſepulchro, & Reſurrectionem etiam plurimorum Sanctorum ſignificat.

Quæritur iſthic, quanam hora Jeſus reſurrexerit? qua de re cum nihil teſtatum reliquerint biblia, variant Scripturum ſententiæ [10]. Veteres quidam [11] aſſeruerunt, illum veſpere, vel ſub initium noctis, quæ diem Sabbathi ſubſequebatur, reſurrexiſſe. Verum hæc ſententia illis dumtaxat S. Matthæi verbis innixa: *Veſpere Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi*, &c. haud ita in Eccleſia profecit.

Alii vero [12] potiori jure crediderunt, illum media nocte reſurrexiſſe, quandoquidem vetus Eccleſiæ mos fuit, jejunium poſtremi Quadrageſimæ diei nonniſi poſt mediam Paſchatis diei noctem infringere; atque aſſerere haud hæſitanter poſſumus, hanc generalem fuiſſe Eccleſiæ opinionem. Attamen ex veteribus, atque recentioribus [13] non deſunt complures, qui Reſurrectionis momentum in ipſo diluculo ſtatuerunt, hoc eſt, in æquinoctio ſub quartam horam matutinam. Chriſtiani, qui Romæ erant, jejunio vigiliæ Paſchatis finem minime imponebant, niſi ſub diei Dominici auroram; eaque ſententia Scripturis etiam innititur. Liquet, Salvatorem reſurrexiſſe, vel tempore eodem, vel paulo antequam deſcenderet Angelus, Sanctum Sepulchrum aperiturus, & ante motum terræ, quem ille peperit. At hæc omnia acciderunt, cum Sanctæ mulieres ad ſepulchrum proficiſcerentur, quo paulo poſt Solis ortum acceſſeræ ſunt: Salvator ergo reſurrexit paulo ante Solis ortum, ideoque ſub auroram.


ET ACCEDENS REVOLVIT LAPIDEM.] Vel ut ſepulchrum aperiret, ac locum præberet exeundi glorioſo Salvatoris Corpori, quemadmodum Patres quidam docuerunt [14], una cum recentioribus nonnullis Interpretibus; non quod Jeſus hoc indigeret, ſed honoris ergo: vel ut ſemoveret cuſtodes, atque aperiret ſepulchrum, ut Sanctæ mulieres viderent, Jeſum vere a mortuis reſurrexiſſe: nam plerique Patres [15], atque Interpretes docent, Jeſum Chriſtum e tumulo, tam-

1 Matth. 28. 1. Ὀψὲ δὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων.
2 Marc. 16. 1. Καὶ διαγενομένου τοῦ σαββάτου Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου, καὶ Σαλώμη ἠγόρασαν ἀρώματα ἵνα ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν αὐτόν.
3 Luc. 24. 1. Ὄρθρου βαθέος. Joann. 20. 1. Πρωΐ σκοτίας ἔτι οὔσης.
4 Marc. 16. 2. Ἔρχονται ἐπὶ τὸ μνημεῖον ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου.
5 Vide Grot. hic, & Lud. de Dieu. Vide & Bedam, Rupert. Strab. Lyran.
6 Marc. 16. 2.
7 Hammond. Le Clerc.
8 Καὶ ἰδοὺ σεισμὸς ἐγένετο μέγας.
9 Vide Act. 16. 26. Apoc. 6. 12. 11. 13. Matth. 24. 7. 27. 54. Marc. 13. 8. Luc. 21. 11. Apoc. 8. 5. 11. 19. 16. 18. Adnotandum nullibi occurrere Σεισμὸς τῆς γῆς *terræmotus*; ſed ſimpliciter, Σεισμὸς, *motus*.
10 Vide Hieron. ad Hedibiam, & Euthym. hic.
11 Dionyſ. Alexandr. Ep. ad Baſilidem.
12 Vide Dionyſ. Epiſt. ſupra citata, Synod. in Trullo, cap. 89.
13 Vide Gregor. Nyſſen. orat. 1. de Reſurrect. Euthym. hic, Dionyſ. Ep. ſupra citat. Maldon. hic.
14 Hilar. hic. Leo Ep. 83. ad Monachos Paluſt. Vide Grot. & Maldon. hic.
15 Author quæſt. ad Orthodox. ſub nomine Juſtini, qu. 117. Chryſ. hom. 2. de Ioan. Bap. Nazianz. Tragœd. de Chriſto patiente. Hieronym. quæſt. 6. ad Hedibiam. Auguſt. ſeu alius ſerm. olim 139. nunc 169. Append. Alii,

tam quam ex matris ſuæ alvo, infracto ſigno, prodiiſſe. S. Lucas cap. 24. 4. ait, ſanctis hiſce mulieribus viſos fuiſſe duos Angelos, qui ſe ſe illis cum veſtibus, fulgentis inſtar nitentibus, obtulerunt; cum S. Marcus 15. 5. unius dumtaxat meminerit Angeli ad ſepulchri dexteram ſedentis, atque candenti veſte induti. Unum S. Matthæus etiam memorat Angelum ea in occaſione: quidam Evangeliſtæ animum præcipue adverterunt ad illum ex duobus Angelis, qui præſertim ea in occaſione apparuit, & cum ſanctis mulieribus collocutus eſt. S. vero Lucas e re cenſuit, diſtinctum Angelorum numerum afferre; atque juxta communem Scripturarum conſuetudinem, duobus Angelis tribuit, quod unus dumtaxat pro utroque & dixerat, & fecerat.

S. Johannes etiam cap. 20. 12. de duobus Angelis loquitur, ubi apparitionem Mariæ Magdalenę factam aliquanto poſt hanc deſcribit. Eos candentibus indutos fuiſſe veſtibus ait, quemadmodum S. S. Matthæus, & Marcus teſtantur, ſed veſtimenta illa igniarum quodammodo lucem emittebant, uti S. Lucas affirmat. Hic videtur aſſerere, Angelos ſtantes fuiſſe, cum tres reliqui eos ſedentes exhibeant. Sed eruditi quidam Interpretes [1] putant, vocem, quæ ut plurimum ſedere ſignificat, uſurpari etiam pro *ſe ſe offerre*, coram aliquo prodire. Angelus, ubi de Cœlo dilapſus fuit, amovit primum lapidem, quo tumuli oſtium obſtruebatur; mox ſuper lapidem eumdem ſedit; ibique viſus fuit a militibus ſepulchri cuſtodibus [2]. Cum aliquanto poſt ſanctæ mulieres perveniſſent, in ſepulchri veſtibulum ingreſſæ, videntes averſum lapidem, quo oſtium clauſum fuerat, in interiorem uſque monumenti partem penetrare voluerunt [3], ibique conſpexerunt duos Angelos ſedentes, alterum quidem ad caput, alterum ad pedes loci illius, ubi fuerat corpus. Qui vero ad dexteram erat, hoc eſt, ad caput monumenti, ſurrexit, & illas allocutus eſt, quemadmodum hinc, & ex aliis Evangeliſtis innoteſcit.

Ut facilius hiſtoriam hanc aſſequaris, ob oculos tibi verſetur, neceſſe eſt, graphis ſepulchri noſtri Salvatoris; quod ita a Viatoribus deſcribitur. Veſtigium



illius quadrati altera parte longioris imaginem exhibet, in rupe exciſi, & cujus os Orientem reſpicit A. Duabus conſtat partibus, vel ſpeluncis, quarum ex altera in alteram patet ingreſſus, & quarum prior E eſt veluti veſtibulum alterius F. Prior illa novem patet cum dimidio pedes in longitudinem ab Ortu in Occaſum A. B. ac pedes novem in latitudinem a Borea in Auſtrum D. C. Oſtium illius H. ad Orientem ſpectat, ejuſque magnitudo a Vulgaribus non abhorret, atque ad pedum ſex, vel ſeptem aſſurgit altitudinem. Priori hoc in antro apparuit militibus Angelus, inſidens lapidi, quo tumuli os fuerat obſtructum.

Altera ſancti Sepulchri pars, quo per veſtibulum,

A cujus deſcriptionem concinnavimus, aditus patet; ſpelunca eſt F, in rupe exciſa, ſex tantum pedes habens in longitudinem ab Oriente in Occaſum, & ſex in latitudinem in penitiori parte Occaſum verſus, quinque vero tantum cum dimidio prope portam in Orientali parte exciſam. Illius altitudo eſt pedum circiter octo; ſed oſtiolum I exiguum ſane eſt, quippe illius altitudo minime excedit tres pedes, ac ſextans, cum unciæ dimidio, latitudo vero unius pedis eſt cum dextante, craſſities autem pedis item unius cum ſeptunce. Hoc lapide claudebatur, quod apte hiatum omnem replebat, quem lapidem, & Sacerdotes ſignarunt, & ſanctæ mulieres metuebant, ne amovere poſſent, dicentes: *Quis nobis revolvet lapidem ab oſtio monumenti?* Nimis enim gravis erat mulieribus imbecillibus, & quę
B hujuſmodi res attrectare minime conſueverant; atque arduum erat ex foramine, quod ad unguem replebat, evellere, cum nihil eſſet in lapide, ubi manus inſeri poſſent ad eum convellendum; quæ res ingentem illis dolorem afferebat.

Ad dexteram ingredientibus ſpeluncam occurrit tumulus G, ubi poſitum fuit corpus Salvatoris. Ille ſex pedum longitudinem habet, non ſecus ac reliqua ſpeluncæ pars, latitudinem vero in Occidentali parte pedum trium, quo pedes Jeſu erant converſi, in orientali autem pedum trium cum dimidio, ubi caput quieſcebat: & a ſolo ad pedum trium cum quincunce aſſurgebat. Hic Maria Magdalene vidit duos Angelos ſedentes, alterum ad caput, ad tumuli pedes alterum. Dicitur autem [4] illa ſe ſe inclinaſſe, ut intra ſepul-
C chrum reſpiceret, quod cum eſſet in priori cubiculo, aut veſtibulo, ſe ſe inclinare debuit, ut in interius antrum ingrederetur per oſtiolum illud, quod exiguum, arctumque erat, quemadmodum ſuperius dictum eſt.

℣. 6. VENITE, ET VIDETE LOCUM.] Hæ ſanctæ mulieres in oſtio ſpeluncæ interioris, ubi ſepulchrum erat, ſubſtiterant, reverentiæ ergo propter Angelorum adſpectum ingredi non auſæ. At ille, qui ad eas loquebatur, ipſas invitat, ut ingrediantur, ac videant locum, ubi Salvatoris corpus conditum fuerat. At neceſſe non fuit, ipſas introire, ut viderent; illud enim in limine portæ viderant, ubi caput, & corporis partem inſpexerant; hiatus enim anguſtus erat.

℣. 7. PRÆCEDET VOS IN GALILÆAM.] Ii om-
D nes, qui Jeſum ſequuti fuerant, erant Galilæi, vel Galilææ, & ex Galilæa Jeroſolymam pro Paſchatis feſtivitate confluxerant. Angelus ergo Sanctis hiſce mulieribus imperat, ut omnes in Galilæam reverterentur, ſed ante illos Dominum illuc præceſſurum, & ibidem ab illis viſum iri. Diſcipuli quidam profecto die eadem diſceſſerunt; & Jeſus ſe ſe illis prodidit in Emmaus ſecus viam, quæ Jeroſolyma in Galilæam ducebat. S. Petrus, aliique Apoſtoli aliquot dies expectarunt, antequam diſcederent, & Jeſus illis Jeroſolymis apparuit. Verum Jeſus Chriſtus plura præſtitit, quod promiſerat; pluries ſe ſe manifeſtavit in Jeruſalem, & in horto, antequam in Galilæa videretur.

℣. 8. EXIERUNT CITO DE MONUMENTO.] Angelorum adſpectu perterritæ, & lætitia affectæ, quod
E Salvatorem jam reſurrexiſſe cognoverant. S. Joannes c. 20. n. 3. docet, Mariam Magdalenam Jeroſolymam confugiſſe, ut Petro, atque Johanni nuntiaret, Salvatoris corpus non eſſe amplius in ſepulchro, inde jam ablatum fuiſſe, ac ſe præterea, quid de illo factum fuiſſet, neſcire. Petrus, & Johannes illuc ſtatim accurrerunt, & omnia, ut nuntiata fuerant, invenerunt. S. Marcus c. 16. 8. addit, mulieres alias Jeroſolymam euntes, & metu captas nemini in via narraſſe, quod viderant. Maria Magdalene, quæ reliquas celeritate ſuperaverat, ubi Petrum, atque Johannem admonuiſſet,

1 Mald. Grot. Ἐ[illegible]. 2 Matth. 28. 2. Ἀπεκύλισε τὸν λίθον, καὶ ἐκάθητο ἐπάνω αὐτοῦ.

3 Marc. 16. 5. Εἰσελθοῦσαι εἰς τὸ μνημεῖον εἶδον νεανίσκον καθήμενον. Luc. 24. 3. Καὶ εἰσελθοῦσαι οὐχ εὗρον τὸ σῶμα . . . . Καὶ ἰδοὺ δύο ἄνδρες ἐπέστησαν αὐταῖς.

4 Joann. 20. 11. Ὡς οὖν ἔκλαιε, παρέκυψεν εἰς τὸ μνημεῖον, καὶ θεωρεῖ δύο ἀγγέλους ἐν λευκοῖς καθεζομένους, ἕνα πρὸς τῇ κεφαλῇ, καὶ ἕνα πρὸς τοῖς ποσίν, ὅπου ἔκειτο τὸ σῶμα Ἰησοῦ.

ad ſepulchrum rediit, ubi vidit iterum duos Angelos, & Salvator ipſe ſub alterius ſpecie ipſi apparuit Joan. 20. 14. 15. Hæc prima eſt Salvatoris apparitio; apparuit mox Sanctis mulieribus Jeroſolymam redeuntibus, quemadmodum ℣. 9. viſuri ſumus.

℣. 9. ET ECCE JESUS OCCURRIT ILLIS, DICENS: AVETE.] Hæc altera eſt JESU CHRISTI poſt Reſurrectionem apparitio. Jubet, Sanctas mulieres ad Apoſtolos ſe ſe conferre, eiſque Reſurrectionem ſuam nuntiare, ac monere, ut in Galilæam reverterentur, ubi ſe ſe illis manifeſtabit. S. Lucas 24. 9. ait, eas, cum Jeroſolymam perveniſſent, Apoſtolos certiores feciſſe de iis, quæ viderant; cumque Maria Magdalene eo jam perveniſſet [1], ea, quæ ab aliis mulieribus dicebantur, confirmaſſe. At hoc illis adeo mirum videbatur, ut vix fidem adhibere poſſent. S. Petrus iterum ad ſepulchrum acceſſit [2], ibique vidit lintea, quibus Salvator involutus fuerat, atque ſumma captus admiratione inde reverſus eſt.

℣. 10. NUNTIATE FRATRIBUS MEIS.] Jacobum, & Simonem conſanguineos meos, Petrum, aliosque meos Diſcipulos monete, ut in Galilæam redeant; non opus eſt, illos diutius in Jeruſalem commorari; ea omnia, quæ ad Filium Dei ſpectant, quæque adimplenda fuerant in Jeruſalem, jam eſſe adimpleta. Apoſtolos appellat fratres ſuos, ut illos confirmet, ne metuant, poſt Reſurrectionem, neque ob illorum infirmitatem, nihil imminutum fuiſſe de illa charitate, qua illos antea complectebatur; ſe ſemper fratris loco, atque Magiſtrum amantiſſimum futurum.

℣. 11. QUÆ CUM ABIISSENT [3], ECCE QUIDAM DE CUSTODIBUS.] Cum hi milites vidiſſent ea omnia, quæ in JESU CHRISTI Reſurrectione contigerant, atque omnia ſerio perpendiſſent, videntes, corpus ibi amplius non eſſe, conſilium inierunt diſcedendi; atque profecti Sacerdotum Principi ea, quorum teſtes fuerant, nuntiarunt. Non erant amplius ad ſepulchrum, cum illuc mulieres acceſſerunt; ideoque in urbem jam venerant, antequam illæ rediiſſent.

℣. 13. FURATI SUNT EUM NOBIS [4] DORMIENTIBUS.] Perinde ac illud teſtari poſſent, quod, ipſis dormientibus, acciderat: *Stulta inſania! Si vigilabas, quare permiſiſti? Si dormiebas, unde ſciſti?* S. Auguſtinus inquit in Pſalm. 36. ſerm. 2. Quænam eſt fidei ſpecies, Diſcipulos illius, inermes, timidos, advenas, ſimplices, imbecilles eos fuiſſe conatos, ut auferrent corpus, in ſepulchro poſitum, lapidea janua clauſum, atque ſignatum, ac præterea non paucis militibus bene armatis cuſtoditum? Quis unquam credet, poſſe plures homines ingredi in ſepulchrum, per medios milites, quamvis in utramque aurem ſtertentes pertranſire; in media tenebrarum caligine ſaxum ingens in hiatu bene inſertum convellere, auferre corpus, illud ſudariis, ac linteis expedire, quin illi, qui circa ſepulchrum edormire ſupponuntur, expergiſcantur, & ſentiant [5]? Fideine conſonum eſt, ex tanto cuſtodum numero neminem attentum fuiſſe, ac vigilaſſe ea in re, quæ tantopere ipſis fuerat commendata? Fieri denique potuit, ut qui conſilium inierant, Salvatoris corpus auferendi, periculoſiſſimæ rem aleæ cumulatiſſimam, id tanta ſapientia, ne dicam pertinacia, ſecreto ſervarint, ut nemo id cognoſcere potuerit, imo ut mortem ipſam pertulerint, ut, invita conſcientia, JESUM CHRISTUM reſurrexiſſe affirmarent? Militum mendacium, & Sacerdotum calliditas undequaque detegitur.

℣. 14. SI HOC AUDITUM FUERIT A PRÆSIDE, NOS SUADEBIMUS EI.] Rem ita ſe habere, qualem cupimus a vobis in vulgus ferri. Alii Græcum [6] vertunt: *Nos illum placabimus*, ac veſtræ ſtudebimus incolumitati. Suadebimus illi, a vobis nequaquam erratum fuiſſe. Vel cum Vulgata: *Suadebimus illi*, ſua intereſſe, quoad famam, atque utilitatem, quemadmodum ac noſtra minime intereſt, ut corpus inde ablatum fuiſſe credatur. Scimus tamen, Pilatum Tiberio per epiſtolam ea, quæ acciderant, nuntiaſſe; & ſupponitur, hoc etiam addidiſſe; in populo famam eſſe, JESUM reſurrexiſſe. Tertullianus ait, hac in enarratione Præſidem non aliter locutum, ac ſi CHRISTI fuiſſet diſcipulus [7].

℣. 15. DIVULGATUM EST VERBUM ISTUD APUD JUDÆOS.] Credidit Maldonatus, Evangeliſtam hic innuere velle, Judæis exploratum, compertumque fuiſſe, milites a Principibus Sacerdotum fuiſſe corruptos, ut dicerent, JESU CHRISTI corpus a Diſcipulis illius ereptum fuiſſe. Sed Patres [8], ac plerique Interpretes [9] econtra putant, apud Judæos famam percrebuiſſe, JESU CHRISTI Diſcipulos noctu veniſſe, & corpus illius abſtuliſſe. S. Juſtinus Martyr in Dial. cum Tryph. meminit Epiſtolarum, quæ hac de re ab omnibus Judæorum proceribus in omnem terrarum orbem miſſæ fuerunt: immo Tertullianus in Apolog. deſcribit etiam eleganter ſollicitudinem, qua fictitium hunc rumorem, cujus ipſi auctores erant, ubique diſſeminare ſtuduerunt. Eodem ferme pacto Euſebius in Iſai. 18. 1. atque S. Hieronymus in eumdem locum loquuntur. Hoc ipſum probant JESU CHRISTI vitæ a Judæis conſcriptæ [10], quæ inter ſe omnino non conſtant, ſed inde liquet, poſt Jeſu mortem patronos illius adverſus Judæos inſurrexiſſe, aſſerentes, ipſum vere reſurrexiſſe, & poſt Reſurrectionem ſuam de Cœlo ignem detraxiſſe. Sed, addunt illi, Judas corpus illius omnibus, qui ipſum videre cupiebant, Jeroſolymæ oſtendebat; cum illud ſecreto in loco abdidiſſet, ut horrorem ſuum teſtaretur. Hæc Judæorum nequitia in Chriſtianæ Religionis odium commenta eſt.

USQUE IN HODIERNUM DIEM.] Ad illud uſque tempus, quo S. Matthæus Evangelium ſuum ſcribebat, hoc eſt, uti perhibetur, octavum circiter a Salvatoris obitu, annum. Falſus hic rumor numquam penitus inter Judæos diſſipatus fuit, qui ad hanc uſque diem hoc credunt.

℣. 16. ABIERUNT IN GALILÆAM, IN MONTEM, UBI CONSTITUERAT ILLIS JESUS.] Non legimus, quando, neque cui JESUS CHRISTUS montem hunc aſſignaverit, quo Diſcipuli ſe ſe conferrent. Ita nos quoque fallit, quinam mons ille fuerit. Crediderunt quidam, hunc Thaborum eſſe [11]; alii montem olivetum; quorum poſterior hic eſſe minime poteſt, quippe qui Jeroſolymæ proximus erat; Thabor quidem erat in Galilæa; verum eadem ſolitarius erat, ut Salvatoris conſilio eſſet accommodus? Auſim, jugum Thabor tunc cultoribus frequens fuiſſe. Credit Maldonatus, montem, ubi Jeſus ſe ſe manifeſtavit, lacui Tiberiadis fuiſſe propiorem, cujus rei nullum affert argumentum. De hac ſolemni apparitione fortaſſe loquitur S. Paulus, cum ait 1. Cor. 15. 6. Salvatorem quingentis ſimul & ultra ex fidelibus ſuis ſe ſe oſtendiſſe.

℣. 17. VIDENTES EUM ADORAVERUNT: QUIDAM AUTEM DUBITAVERUNT.] Undecim Apoſtoli, ac præcipui Diſcipuli, ſcientes JESUM CHRISTUM vere reſurrexiſſe, illum tamquam verum Dei Filium adoraverunt. *Quidam autem dubitaverunt*, non quidam ex Apoſtolis; Thomas enim, qui aliquam teſtatus fuerat dubitationem, jam ſatis aperte de Reſurrectionis veritate fuerat perſuaſum. Alii ergo ex Diſcipulis dubitarunt, utrum, quod videbant, verum eſſet JESU CHRISTI corpus, an phantaſma dumtaxat. De Reſurrectio-

1 Marc. 16. 10. 2 Luc. 24. 12. 3 [illegible]. *Cum iter arripuiſſent, ut in urbem aſcenderent.* 4 [illegible]. Quid. [illegible]. *Vobis dormientibus.*
5 Vide Chryſoſtom. & Sedul. & Grot. hic. 6 [illegible]. Grot. Heinſ. Hamm. Vatab. Eraſm. Vide Gal. 1. 10. 7 Tertull. in Apolog. *Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tunc Tiberio nuntiavit.* 8 Chryſoſtom. Euthym. Sever. Raban. alii.
9 Vide Grot. 10 Toldoſ. Jeſu ab Huldric. p. 96. 11 Grotius hic, ex antiqua fama.

ratione nullus ſuberat dubitandi locus; dubitari tamen poterat de corporis, quod apparebat, realitate.

Quidam [1] verti vellent: *Viderunt illum, & adoraverunt; quidam autem dubitaverunt*; exempli gratia S. Thomas. Vel [2]: *adoraverunt illum, ii etiam, qui dubitaverant*. Cuperet Beza in Græco textu legi: *Et non dubitaverunt*. Immutatio quidem in litteris Textus ingens non eſſet [3]; verum nullius Manuſcripti fide probatur.

℣. 18. ACCEDENS JESUS LOCUTUS EST EIS.] Videns ſe veluti phantaſma ab aliquibus haberi, acceſſit ad eos, ut propius ab illis perpenderetur, & locutus eſt ad eos, ut intelligerent, ipſum re vera eſſe JESUM.

DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS.] JESUS CHRISTUS utpote Deus ſupremam ſemper in Cœlo, ac in terra poteſtatem obtinuerat; ſed quatenus Homo-Deus, non mediocre potentiæ augmentum poſt ſuam Reſurrectionem accepit. Hactenus JESUS CHRISTUS ſuam, Apoſtolorumque ſuorum miſſionem intra Judæam, Judæorumque populum contineri voluerat: poſt mortem vero, atque Reſurrectionem nationes omnes reſpicit tamquam hæreditatem ſuam: *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam* pſalm. 2. 8. In præmium victoriæ, quam de morte, inferno, ac dæmone retulerat, tradidit illi Deus nomen, quod eſt ſuper omne nomen; ut in nomine JESU [4], omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & inferorum. Pater tunc exſolvit fidem eorum, quæ Filio ſpoponderat, futurum ut omnes inimici ejus tamquam throni ipſius ſcabellum ſubſternerentur: *Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum* Pſalm. 109. JESUS CHRISTUS hic loquitur, velut Redemptor, Salvator Mundi, Caput, atque inſtitutor Eccleſiæ ſuæ; ideoque Apoſtolos ſuos mittit ad gentes omnes erudiendas.

℣. 19. EUNTES ERGO DOCETE OMNES GENTES, BAPTIZANTES EOS &c.] Quamquam JESUS CHRISTUS Apoſtolis ſuis auctoritatem contulerit prædicandi Evangelium ſuum omnibus terrarum populis, Ethnicis ſimul, & Judæis; primum tamen veriti ſunt Evangelii lucem afferre Gentilibus. Opus fuit, ut extraordinariis voluntatis, atque approbationis ſuæ ſignis illos compellaret. Judæis autem præbere abnuentibus, eorum pertinacia victi, veritatis oſtium Ethnicis aperuerunt [5].

Salvator illos jubet docere, & baptizare eos, qui crediderint. Ab illis, qui baptiſmate abluendi ſunt, duo requirit; primum, ut ſatis eruditi ſint; alterum, ut credant. Scire debent, quænam ea ſit Religio, quam amplectuntur, quænam ſit veritas, quam ſe credere profitentur; & quæ ipſos maneant officia. Hoc tamen non prohibet, quominus Eccleſia Divino Spiritu afflata crediderit ſemper, ſe poſſe ad baptiſmum parvulos recipere, qui, in neceſſitatis caſu, a fidelibus parentibus ſibi oblati fuiſſent. Parentum fides ea in occaſione ſupplet fidei filiorum, & filiorum periculum alia ratio eſt, qua Eccleſia permota hanc agendi rationem ſuſceperit.

Ethnici quoque in falſa Religione ipſorum non deerat quædam baptiſmatis ſpecies, quibus graviora ſcelera expiabant. Aliæ etiam apud Hebræos erant, quibus in Religionem ſuam admittebant, qui in eam tranſire voluiſſent. Effectus, quos huic baptiſmati tribuebant, erant admirabiles; verum cum neque Dei promiſſionibus, neque ejuſdem imperiis, neque Prophetarum prædictionibus, quas ſciamus, niterentur, de ejuſdem vi locus eſt dubitandi. At JESU CHRISTI baptiſmus in totius Sanctiſſimæ Trinitatis nomine confertur, ab eodem Filio Dei inſtitutum fuit, eique ſalutis adjecta promiſſio: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*, Marc. 16. 16.

Salvator denique jubet baptizari *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, prolatis nominibus ſingularum Perſonarum Divinarum, tamquam unum dumtaxat Deum conſtituentium. Hinc dicitur *in nomine*, ſingulari numero; non, *in nominibus*, numero multitudinis, ad innuendum, tres hos nequaquam tres eſſe Deos, ſed Perſonas tres in uno tantum Deo [6]. Homo, qui Sacramentum hoc miniſtrat, non agit vel nomine ſuo, vel propria auctoritate; ſed nomine, & auctoritate, ac juſſu Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: & qui baptizatur, tempore eodem publice Religionem a JESU CHRISTO prædicatam profitetur, cujus præcipuus articulus eſt Fides Dei unius in tribus Perſonis.

℣. 20. ECCE EGO VOBISCUM SUM OMNIBUS DIEBUS, USQUE AD CONSUMMATIONEM SÆCULI.] Judæi in Meſſiæ Regno novum ſæculum, ac mundi recentem quandam inſtaurationem expectabant. JESUS CHRISTUS iſthic Apoſtolis ſuis, & illis, qui in ſe credituri ſunt [7], ſuam pollicetur opem, præſidium, præſentiam uſque ad ſæculorum conſummationem. Hoc pacto regnum ſuum æternum oſtendit futurum: Eccleſiam ſuam ad finem uſque Mundi permanſuram: Apoſtolis ſuis, eorumque ſucceſſoribus nullum defuturum umquam auxilium, quod neceſſarium ſit, ut regant Eccleſiam, & rite munera ſuo perfungantur [8].

Græcus in fine Evangelii addit *Amen*; ſed poſt Evangeliſtam additum fuiſſe exiſtimatur ab Eccleſia, vel ut finem ſimpliciter indigitaret, vel ut ſuum conſenſum exprimeret. Complures Manuſcripti Codices Græci ferunt, hoc Hebraice a S. Matthæo ſcriptum fuiſſe octavo poſt Salvatoris Aſcenſionem anno; ſed Præfatio eſt conſulenda.

1 Προσεκύνησαν αὐτῷ, οἱ δὲ ἐδίστασαν. Vide Theophylact. hic. Grot. Brug. Maldonat. Eſtium.
2 Clericus in Not. in novum. Teſtam. Grot. Brug.
3 Οὐδ' ἐδίστασαν, pro οἱ δὲ ἐδίστασαν.
4 Philipp. 2. 10.
5 Vide Hiſtoriam Actorum c. 8. 10. 11.
6 Baſil. lib. 3. contra Eunom. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu Sancto. Alii paſſim. Vide Maldon. hic.
8 Chryſoſtom. homil. 91. & Hieronym. hic.
7 Vide Chryſoſtom. hic. Hieronym. Ep. ad Damaſ. Bedam, Euthym. Proſp. lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 2. alios.

FINIS COMMENTARII IN S. MATTHÆUM.

PRÆFATIO
IN EVANGELIUM
S. MARCI.

Quid de S. Marco ſtatuatur diſſidium eſt inter Authores. Eundem eſſe virum, quem S. Petrus in prima epiſtola [1] ſua ſpiritualem filium appellat (facile, quod ad fidem converſum Baptiſmate [2] initiavit) Veterum plures autumarunt [3]. Papias apud Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 2. c. 14. & S. Irenæus l. 3. c. 1. diſcipulum, & interpretem ejuſdem Apoſtoli appellant; quod ſuffragio deinde ſuo probarunt veteres plures [4] & recentiores Authores. Porro interpretem in eo agebat vir ſanctus, Græce, ſive Latine explicans, quæ alterutro ſermone idem Apoſtolus loquebatur; vel ſaltem dictantis Petri epiſtolas cultiori phraſi ſtiloque excipiebat.

SS. Epiphanius, & Hippolytus [5] in Mſ. Bodlejano, Pſeudo-Dorothæus, Nicephorus, aliique in cenſum ſeptuaginta Diſcipulorum eumdem Evangeliſtam referunt, qua in re conſenſiſſe Veteres conſtat [6]; addunt tamen illi, S. Marcum ſcandalo una cum Capharnaitis omnibus affectum, minus ferentem illa Jeſu Chriſti verba Joan. 6. 55. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Subductum propterea a conſortio Jeſu una cum aliis, exemplum illorum ſecutum, S. Petrus deinde ad fidem reduxit; eoque comite fidiſſimo in itinere ſuo Romam uſus eſt, ubi & ſcriptum ab illo Evangelium. Hæc de S. Marco veroſimiliora feruntur.

Author anonymus in Acta e genere Aaronis virum deducit, narrans pariter inſigne Sacerdotum in capite illum geſtaſſe: *Pontificalis apicis petaſum*. Confundunt alii [7] cum *Joanne Marco*, qui filius in Actis ſcribitur Mariæ fœminæ Jeroſolymitanæ, in cujus hoſpitium, ubi & Fideles ſe ſe continebant, Apoſtolus Petrus, e carcere Angelico beneficio liberatus, ſe ſe receperat. Act. 12, 12. Porro Joannes Marcus conſobrinus erat S. Barnabæ, & S. Paulum una cum S. Barnaba Antiochiam primum, deinde Cyprum ſecutus eſt. Cum veniſſent in Pergem Pamphyliæ utroque comite relicto Jeroſolymam rediit Act. 15. 37. 39. quare Apoſtolus Aſiam ſecundo peragraturus comitem illum recuſavit. Verum hæc quorumdam opinio minus cœteris omnibus probatur [8]. Vix enim perſuaderetur, S. Marcum fidiſſimum Apoſtoli Petri, juxta totius Antiquitatis teſtimonium, comitem ſociumque, quique anno 43. juxta Euſebium, Evangelium ſuum ſcripſerat, & paulo poſt ab eodem Apoſtolo miſſus in Ægyptum venerat, tandiu Apoſtolo Paulo hæſiſſe? Adde pariter, nullibi apud Veteres Joannis Marci nomine appellatum occurrere; quin & duos illos viros apertiſſime ab Euſebio diſtingui.

Joannes ille Marcus, in Actis, & in Epiſtolis Pauli notus, non diu ante obitum Apoſtoli in vivis agebat, cum in epiſtola ad Timotheum ſecunda, ad annum 12. Neronis, & 65. vel 66. Jeſu Chriſti ſpectantes, roget Timotheum Apoſtolus, ut Epheſo Romam deducat Joannem Marcum. Scitum eſt autem, juxta fidem S. Hieronymi in vita S. Marci, Euſebii in Chronico, S. Iſidori in Martyrologio, Sanctum Marcum Evangeliſtam Diſcipulum S. Petri diem clauſiſſe in Ægypto, anno 8. Neronis, & 62. J. C. Citius etiam obiiſſe affirmant alii, inter quos Eutychius Patriarcha Alexandrinus emortualem ejus annum componit cum primo Neronis; & Author Arabs geſtorum S. Marci, publici juris factus Uratislaviæ 1608. cum 14. Claudii, Imperatoris; ac tandem Anonymus a Seldeno laudatus in notis ad Eutychium, ejus necem revocat ad Imperium Caji Caligulæ. Si qua fides hiſce temporum adſcriptionibus, liquido conſtat, Marcum conſobrinum S. Barnabæ ab altero ejuſdem nominis viro & Evangeliſta ſedulo diſtinguendum.

Si Authores illi obitum S. Marci citius conſignant, ſunt etiam alii, qui ſerius quam par eſt, amandaverint. Scriptor Chronici Alexandrini ejus obitum componit cum A. J. C. 104. ſub Imperio Trajani, prima die menſis Pharmut; narrat autem igne vitam conſummaſſe pro fide Jeſu Chriſti, neci traditum a prædonibus, Bucoliam Ægypti regionem incolentibus. Eadem tradit Dorotheus in Synopſi. Fateamur tamen oportet, hoſce Chronologiæ characteres omnes ambiguos eſſe adeo, ut nihil certi de anno emortuali S. Marci definiri poſſe demonſtrent. Quare nihil etiam ſatis certi ſtatui poteſt pro illa ſententia, quæ Joannem Marcum cum Evangeliſta confundit.

Nec magis certa altera illa ſententia, in numero Septuaginta Diſcipulorum S. Marcum accenſens. Papias apud Euſeb. l. 3. c. 39. Hiſtor. Eccleſiaſt. diſerte aſſerit, nec inter Diſcipulos Jeſu Chriſti, nec inter ejus ſectatores S. Marcum unquam cooptatum. Gemina tradit S. Auguſtinus de conſenſu l. 1. c. 10. & in Fauſt. l. 17. c. 3. & poſt illum Theodoretus Præf. in Hiſt. Soliter. Inter homines Apoſtolicos, i. e. inter Diſcipulos Apoſtolorum refert Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 2. nec ab his omnibus Beda diſſentit [9], ratus facile virum Sanctum inter eos habendum, qui poſt reſurrectionem nomen Chriſto dantes juxta

1 1. Per. 5. 13. *Et Marcus filius meus*. 2 Vide Hieron. in Iſai. 65.
3 Hieron. in Catalog. Theophyl. in Marc. Orig. apud Euſeb. l. 6. c. 26. Hiſtor. Eccleſ.
4 Tertull. l. 4. cont. Marc. Vide Epiph. hær. 51. Chryſoſt. hom. 59. in Matth. Hieron. in Catal. Theophyl. Athanaſ. in Synopſi, & alii. 5 Epiph. hæreſ. 57. Hippol. in Mſ. Bodlej. apud Mill. ante init. Marci pag. 69. 6 Orig. de recta in Deum fide, Dorothæus in Synopſi, Procop. Diacon. apud Boll. 25. April.
7 Conſtitut. l. 2. c. 57. Hieron. in Ep. ad Philemon. ver. 23. Scholiaſt. Græc. in Acta 12. Doroth. Spanhem. de Marco Evangeliſta; Combeſ. Auctuar. PP. 8 Baron. Grot. alii.
9 Beda in Marc. c. 1. Ita Pſeudo Hieronym. in Marc. 1.

juxta phraſim Actuum Apoſtolorum 6. 7. *fidei obediebant*. Acta S. Marci excuſa apud Boll. 25. April. quæ antiquitatem præſeferunt, Cyrenem in Libia Cyrenaica patriam illi conſtituunt.

S. Petro Romam eunti circa annum 44. comes Marcus adhæſit; ibique ſcriptum ab illo Evangelium, rogantibus fratribus, ut ea quæ ab Apoſtolo prædicante audierat, ſcriptis ab ipſo tradita ſibi & poſteritati conſervarent, plerique ex Patribus aſſeruerunt [1]. Id factum a Diſcipulo S. Petrus divina revelatione intelligens, juxta aliquos Authores [2], & Opus probavit, & legendum Eccleſiis omnibus tradidit.

Idem Opus in Ægypto adornatum aliqui apud S. Chryſoſtomum hom. 1. in Matth. aſſeruerunt. Elucubratum autem ferunt in gratiam Judæorum Alexandrinorum. Laudatur in eam ſententiam teſtimonium Euſebii, qui tamen nihil aliud in ſuo Opere præfert, quam miſſum S. Marcum in Ægyptum, ſcriptum ab ipſo Evangelium ibidem annunciaſſe. Sunt qui idem Evangelium S. Petro tribuerint: *Licet & Marcus quod edidit Petri affirmetur, cujus interpres Marcus*, ait. Tertullianus [3] Dictante Petro a Marco exceptum affirmat Pſeudo-Athanaſius in Synopſi; ſcriptum etiam a Petro maluit Batricides. Quibus plane repugnans S. Irenæus lib. 3. c. 1. elucubratum ab Evangeliſta Opus poſt obitum S. Petri teſtatur. Tanta hæc opinionum diſcrepantia vix ac ne vix quidem conciliaretur.

Sed in aſſignando ſcripti Operis tempore, minus etiam ex rei difficultate convenitur. Cum anno 3. Claudii componit Euſebius; alii ad quartum revocant, quibus adſtipulatur Scriptum Arabicum Erpenii, & Author vitæ S. Marci a Kirſtenio vulgatus. Mſſ. Græca [4] Evangelii S. Marci, quibus ad calcem adſcriptæ leguntur temporis adornati Evangelii illius notæ, inter ſe non cohærent. Alia enim ſcriptum ferunt 12. *annis poſt Aſcenſionem*; ſed majori numero alia, eandem lectionem ſequentibus Euthymio & Theophylacto, habent *decem*. Plerique ex Patribus tradunt, ſcriptis mandatum præſente Apoſtolo S. Petro. Quare ejus epocha componi poteſt cum anno 43. J. C. quo Evangeliſta una cum Apoſtolo Romæ verſabatur. Contraria S. Irenæi l. 3. c. 1. opinio, autumantis ſcriptum Opus poſt obitum SS. Petri & Pauli, cæterorum omnium teſtimonio adverſa mire torquet Chronologos. Itaque difficultatem hanc repulſuri nonnulli, textum ejuſdem Patris reddunt, ut innuat, non poſt obitum Apoſtolorum, ſed poſt eorum ex Urbe Roma diſceſſum, ad ſcribendum ſe S. Marcum contuliſſe. Confugiunt alii ad lectionem quorumdam Mſſ. [5], qua vulgatum Evangelium fertur poſt Evangelium S. Matthæi: ita plane negocium omne tollitur, ſed nihil certi ea de re docemur.

Quo vero ſermone lucubrationem ſuam digeſſit Evangeliſta? Græco fert communis ſententia, teſtimonio vel ſaltem tacito aſſenſu Veterum ſuffulta. S. Auguſtinus de Conſen. lib. 1. cap. 2. tradit, Evangeliſtas omnes, uno excepto S. Matthæo, Græce ſcripſiſſe. Geminus eſt S. Hieronymus in Matth. 1. idemque ipſe facto probatus, rogatus a Damaſo Pontifice, ut ſe totum recenſendis vel ex integro vertendis Evangeliis traderet, Græcum Originalis loco adhibuit. Nonnulla tamen extant Græca Mſſ. Evangelii Sancti Marci, quæ Latine adornatum illud teſtantur [6]; eamdemque ſententiam tanquam ſibi validis apertiſque rationibus perſpectam Baronius & Seldenus ſecuti ſunt. Favent Syriacus & Arabicus [7]. Quin & maxime congruere arbitrantur ejus ſententiæ aſſertores, ut ſcriptum Romæ Opus Latine cuderetur. Verum & eadem plane ratione, ſiquidem aliquid evinceretur, autumandum eſſet, S. Paulum ad Romanos epiſtolam dantem Latine ſcripſiſſe, & Hebraice SS. Petrum & Jacobum, eo quod ad Hebræos ſcriberent; ſcitum eſt autem omnes illos Græcum ſermonem adhibuiſſe. Eſt etiam omnibus exploratum, Romanos S. Marci ætate Græco perinde ac Latino familiariter, ne fœminis quidem exceptis, uti conſueviſſe [8].

Nullus reſtaret ambigendi ea de re locus, ſiquidem noſtra ætate autographum Evangeliſtæ ſupereſſe compertum fuiſſet; ſed hæc perinde ambigua inter Eruditos. Baronius ad A. 45. J. C. tradit, deſcriptum a S. Marco Evangelium in Urbe Roma, ſcriptum, inquam, Latine, deinde cum Aquilejam ab Apoſtolo miſſus veniſſet Evangeliſta, Græcis literis ab ipſo traditum fuiſſe; quod Græcum autographum longa ætate Aquilejæ ſervatum, Venetias tandem delatum, religioſiſſime noſtra adhuc ætate cuſtoditur. Hæc omnia autem tenere ſe ait idem Scriptor potius traditione & ſparſo longe lateque rumore, quam certis aliquibus vetuſtatis monumentis. Narrant inſuper, Carolum IV. Imperatorem deprehendiſſe Aquilejæ A. 1355. Autographum ſeptem ſcapis compactum, quorum duos ipſe, nec ſine precibus, a Nicolao Epiſcopo Aquilejenſi fratre ſuo impetraſſet [9]. Servantur hæc Scriptorum fruſtula Pragæ, & ex Epiſtola Decani ejuſdem Eccleſiæ deſcripta illa Latino ſermone traduntur [10].

Sumunt etiam ſibi Venetiarum cives MS. Originale S. Marci autographum, quod Venetias Aquileja delatum decimo quinto ſæculo affirmant. Canonicus ille, cui pretioſi depoſiti cura demandata fuerat, ſuis ad Cornelium a Lapide Epiſtolis ab eo conſultus reſpondit, Græcum eſſe Codicem; quamquam, ait idem Cornelius, alii, quos antea ea de re interrogavi, ſuis ad me literis certiorem fecerint, Codicis vetuſtate characteres omnes adeo obliteratos fuiſſe, ut ne litera quidem exprimeretur [11]. Ciaconius in vita S. Petri Latinum eſſe perhibet.

Eundem Codicem P. Mabillon [12] cum Venetiis eſſet, inſpicere cum maxime optaret, minime impetravit, cauſantibus Venetis in arcula quadam pretioſa, veluti in lypſanotecha ſigillis munita, ita claudi, ut nemini permitteretur. Felicior tamen P. D. Bernardus Montfaucon & Librum inſpexit, & plura ad noſtram rem pertinentia obſervavit. Hæc majoris momenti ex illo referimus [13]. Codex eſt MS. ex papyro Ægyptia.

1 Clemens Alex. apud Euſeb. l. 2. c. 15. Hiſtor. Eccleſ. Epiphan. hæreſ. 51. Nazianzen. Car. 34. & Orat. 25. Hieron. de viris illuſtr. Theophylact. in Marc. Eurych. Alexand. alii recentiores. 2 Clemens Alexand. & Theophylact. locis citatis Hieron. Euſeb. 3 Tertull. l. 4. contra Marcionem. Ita Hieronym. de Vir. illuſt.

4 Vide nov. Edit. N. T. Mill. ad calcem Marci. 5 Ita Chryſtophorſon. Petrus Poſſin. Grot. Vide nov. edit. S. Irenæi D. Renati Maſſuet. 6 In nov. Edit. Millii Bodl. 1. M. 2. Syr. Arab. Pariſ. 6.

7 Vide notas Seldeni in Origines Alexandrinas Eutychii. 8 Juvenal. Satyr. 8. . . . Omnia Græce: *Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine.* 9 Vide Boll. 23. April. & Epiſt. Juſti Fontanini ad R. P. D. de Montfaucon, Diarii Ital. c. 4. p. 56. &c. 10 Boll. Fontan. locis citatis. 11 Cornel. a Lapide in Marc. p. 574.

12 Mabillon Iter Italic. p. 32. 13 De Montfaucon Diar. Italic. c. 4. p. 55. &c.

pria, ut ipſe quidem teſtatur ; membranaceum alii cenſuerunt [1]. Vetuſtate autem adeo corruptus eſt, eaque demum loci in quo aſſervatur, eſt humiditas, ut ni prompto remedio occurratur, brevi tandem marceſcens diſſipetur. Raræ quædam literulæ hic illic integræ, ſed Latinæ omnes, exhibentur.

Refutat etiam Scriptorem quendam, qui & literas Græcas & vocem KATA deprehendiſſe ſibi viſus erat ; demonſtrans literas illas omnes Latinas fuiſſe, & quod ipſe KATA legit, re tamen ſcribi BATA ; itemque quod ille D. Græcum ſuſpicatus eſt, Latinum eſſe A. cujus media linea evanuerit. Obſervavit etiam idem Author alicubi D. & R. Latinorum, quarum ſane alia eſt litterarum forma apud Græcos. Addit nullum ſe alium vetuſtiorem Codicem unquam vidiſſe, nullas habentem vocum diſtinctiones, agglutinari autem adeo ejus folia humiditate & ſitu, ut ne ſeparari quidem poſſint. Quadratum eſt Manuſcriptum, cujus papyrus marceſcentium foliorum colorem exhibet. Cum autem neque verti folia, neque legi ſcriptura poſſit, nullo indicio deprehendi poteſt, an duo illi ſcapi, qui Pragæ ſervantur, pars ejuſdem Codicis habendi ſint.

Sed Acta, & Epiſtolæ de hac translatione teſtimonium ferentia, a P. D. Bernardo in ſuo Diario Italico relata, extra controverſiam omnem rem ponunt. Recitantur ea de re plures literæ Ferdinandi Archiducis Auſtriæ ad Baronem Franciſcum a Turre, qui legatione a Cæſare ad Venetos fungebatur Ann. 1564. Rogat autem Archidux per Legatum ſuum, Principem Venetorum, & Senatum, ut reliqui Codicis Veneti Exemplar tranſcriptum, cum alia ejuſdem parte, quæ Pragæ authographa ſervabatur, jungendum ſibi permittant. Hæc omnia expreſſa leguntur in Epiſtola Caroli V. Imperatoris, cujus Exemplar Ferdinandus ad Legatum ſuum tranſmiſit. Ex tunc autem adeo corruptus erat Codex, ut an quinque pluribuſve ſcapis conſtaret, ſatis diſtingui non poſſet ; nec e ſcriptura aliquid niſi pauca tantum verba diſtinguebantur. Quare Legatus unius tantum folii exemplar tranſmiſit, una cum papyri forma, & colore ad vivum expreſſa. D. Fontanini, ex quo P. Montfaucon hæc omnia accepit, invicte demonſtrat, non ante annum 1420. Venetos Authographum illud poſſediſſe, donum Urbis Forojulienſis, quo ex Aquileja everſa translatum fuiſſe conſtat.

Huic ſententiarum diſcrepantiæ conciliandæ affirmandum ſibi aliqui cenſuerunt, [2] S. Marcum Græce pariter, & Latine ſcripſiſſe, vel ſaltem Opus ipſum ſuum ex Græco in Latinum vertiſſe. Alii [3] Apoſtolatum S. Marci Aquilejam negant ; nihil enim ea de re apud Veteres. Ambiguum eſt etiam, Hermagoram, qui ejuſdem Evangeliſtæ in Cathedra Aquilejenſi ſucceſſor creditur, Apoſtolorum ætate vixiſſe. Contendunt pariter, Acta miſſionis S. Marci Aquilejam recentius eſſe commentum ; ac tandem codicem Evangelii Venetiis, & Pragæ aſſervatum vetuſtiſſimum quidem eſſe poſſe Originale, ejuſdem Evangeliſtæ vero non eſſe ; ſatis enim convenit Opus illud mature ſatis Latinis literis traditum fuiſſe ; incertum tamen quo Authore vel tempore.

Quantum ex collatione utriuſque Evangelii SS. Matthæi, & Marci intelligimus, poſtremum hoc ſummam eſſe illius ſuſpicamur. Sæpe enim eaſdem voces retinet, eaſdem refert hiſtorias, iiſdem fere coloribus expreſſas ; addit etiam nonnulla, quibus lucis aliquid Textui S. Matthæi afferatur. Refert tandem S. Marcus duo, vel tria prodigia in S. Matthæo omiſſa [4]. Quod autem animadvertendum in ejus opere maxime, illud eſt, nimirum in reliquis omnibus S. Matthæum ſecutum, in ordine tamen narrationis a capite 4. 12. uſque ad 14. 13. illum deſerere, ut S. Lucæ, & S. Johanni adhæreat. Nec de generatione Jeſu Chriſti ſæculari, neque de ejus crepundiis quidquam attingit, opus ſuum exorſus a prædicatione S. Johannis Baptiſtæ. Parabolas etiam plures omittit, relatas apud S. Matthæum cap. 20. 21. & 25. ſicut & ſermones nonnullos ad Diſcipulos, & Phariſæos, legendos in capp. 5. & 6. & 7. & 16. & 23. S. Matthæi.

Acta S. Marci a Bollandiſtis vulgata ferunt, ſcriptum a S. Viro Evangelium Aquilejæ, ejuſque Authographum ipſum eſſe contendunt, quod in eadem urbe ſervabatur. Vide quæ de Evangelio Latino S. Marci ſcripſimus.

De authoritate poſtremi capitis S Marci, vel ſaltem de duodecim poſtremis verſiculis ejus Evangeli, dubitatum eſt apud Veteres [5]. Unum hoc Evangelium recipere Hæreticos nonnullos teſtatur S. Irenæus lib. 3. cap. 2. Ferunt, viro huic Sancto demandatum fuiſſe munus Evangelii prædicandi in Ægypto, Thebaide, & Lybia Cyrenaica, quo ſcriptum a ſe in Italia Evangelium detulerit. Therapeutas illos, de quibus Philo de Vita Contempl. primos fuiſſe S. Marci Diſcipulos, plurium ſententia tenuit [6]. Martyrium igne conſummavit [7] Alexandriæ, vel ſaltem defunctum ejus corpus igni traditum, in cineres favillaſque abiit.

Suſpicatur Grotius, S. Marcum Hebræo S. Matthæi Codice in Verſione ſua adornanda uſum, ſicut viciſſim interpretem Græcum S. Matthæi, præ oculis habuiſſe Textum Græcum S. Marci [8] ; recurrunt enim in S. Matthæo, & Marco ſimiles loquendi phraſes ; quaſi ſcilicet poſtremus hic Scriptor, qui omnium S. Matthæi ſummam dedit, non æque potuiſſet phraſes Græci Interpretis S. Matthæi in ſuum Opus transferre. Facile perſuaſum habuit Grotius, Evangelium Hebræum S. Matthæi nondum Græcis literis traditum fuiſſe, cum S. Marcus ad ſcribendum ſe conferret. Addit in ſuis Prologomenis ad S. Marcum, Verſionem Latinam ejuſdem Evangelii remotiſſimæ eſſe antiquitatis, nec ſemel Textum Græcum ad Verſionem illam Latinam reformatum fuiſſe.

---

1 Sed Bombycinum eſſe nemo ultra ambigit, poſt ſedulam illius inſpectionem factam a D. Scipione Maffejo, teſte earum rerum maxime idoneo.
2 Cornel. à Lapide, & Janſen. in Marcum.
3 Tillemont. not. 6. in S. Marcum.
4 Vide Marc. 23. & capp. 1. & 2. & 5. & 16.
5 Hieronym. ep. 250. Nyſſen. de Reſurrect. homil. 2.
6 Euſeb. lib. 2. cap 17. Hiſtor. Hieronym. de viris illuſtr. Epiphan. hæreſi 29.
7 Euthychius Patriarcha Alexandrin. Chron. Alexandr. Hippolyt. in Mſ. Bodlei Doroth. & Anonym. apud Miſſ. in capite Evangelii S. Marci.
8 Grot. Præfat. in Matth.

DIS-

DISSERTATIO

De Phariſæis, Saducæis, Herodianis, Eſſeniis.

Articulus Primus.

De Phariſæis.

ANte captivitatem Babylonicam nulla in Religione Judaica Sectarum ſciſſio, uno charitatis vinculo junctum populum dividebat. Legis ſtudio omnes occupati omnes [1], atque avitæ Religionis cæremoniis intenti, quæ apud alias gentes in honore erant, ſtudia negligebant. Scholas non alias maxime frequentabant, quam Templum Domini, & Prophetarum Paleſtras, ubi Sacerdotes Domini, Scribæ, Doctores, & homines divinitus inſpirati rationem docebant colendi Dei, ejuſque præceptis obſequendi. Quamdiu autem Prophetæ in Iſraele obtinuerunt, in varias ſententias abire, cum de Religione ageretur, nemo unquam cogitavit; tantorum enim Virorum authoritas populos veloti ſub iiſdem ſignis continebat omnes, & Spiritus, qui Prophetarum ore loquebatur, id maxime præſtabat, ut neque Sectæ in Religione ullæ admitterentur, neque in ſententiis ab iiſdem Prophetis prolatis erroris alicujus ſuſpicio induceretur. Cum Macchabæorum ætate [2] Altare Holocauſtorum a Gentilibus violatum diſjiceretur deſtrueretur que, ejus lapides in certo aliquo loco ſervati Judas præcepit, donec *veniret Propheta & reſponderet de eis*. Simoni Macchabæo Reipublicæ ſumma poteſtas delata eſt tandio, *donec ſurgeret Propheta fidelis*. 1. Macch. 14. 41.

Poſt captivitatem nulla etiam apparent apud Judæos ſectarum veſtigia, uſque ad tempora Macchabæorum, & Græcorum Imperium; quare nonniſi imitatione quadam Philoſophorum Græcorum id ſibi tandem ſuſceperunt Viri docti apud Hebræos, ut tres illas Sectas diſtinguerent, Phariſæorum, Saducæorum, & Eſſeniorum. Cum itaque de Sectis illis non ſemel in Novo Teſtamento agatur, e re noſtra eſſe duximus, ſi originem, & Dogmata illorum panderemus; addentes pariter aliquid de Herodianis, quorum interdum in Evangelio mentio, quamquam ſecta illa hominum, vel ſaltem nomen apud Judæos non innotuerit.

Vetuſtiſſimum de tribus illis Sectis monumentum ſupereſt in 4. Macchabæorum c. 6. apocrypho, ubi legimus, ætate Hircani Summi Sacerdotis, & Principis Judæorum tres Doctorum Sectas, nempe Phariſæorum, Saducæorum, & Eſſeniorum. Paulo ante eam ætatem Joſephus Antiq. l. 13. c. 9. conſtituit, nempe ſtatim D poſt relatam epiſtolam Jonathæ Summi Sacerdotis ad Lacedæmones. Hæc epiſtola data eſt anno 3860. Jonathæ anno ſequenti defuncto ſucceſſit Simon; cui poſt imperium octo annorum ſuffectus Hircanus, ad novem & viginti annos nationi præfuit.

Epocham harum Sectarum neque Author 4. Macchabæorum, nec Joſephus determinant; ſed poſtremus iſte, qui imperantibus Veſpaſiano, & Domitiano ſcribebat, alicubi tradit [3], jam inde a multis annis notas eſſe in gente ſua Sectas, nihil exactius de earum origine referens. Quando autem ab A. M. 3850. decennio nempe ante Epiſtolam Jonathæ ad Lacedæmones, revocarentur, non longius, quam 220. ſive ad ſummum 230 a Joſepho annis excurrerent. Sed eſto, reducamus illas ad ea uſque tempora, quibus Judæi leves, & inſtabiles honori ſibi duxerunt, ſi contemptis patriis Le- A gibus & ſtudiis, ad illam uſque ætatem in populo unice obtinentibus, ad ſtudia & exercitia Græcorum ſe conferrent [4]; id equidem Sectarum non longius originem rejiciet, quam ad an. circiter annos [5]. Crediderim profecto non altius, quam ab anno 3820. repeti Sectas illas poſſe.

Porro Phariſæi imitationi Stoicorum, ſicut Saducæi Epicuræorum, ſtuduiſſe videntur. Utrique enim aliquid ex ſingulis hiſce Sectis in mores, & Leges Judæorum traduxerunt. Porro Phariſæi auſterum hominum genus, jactabundum, & exactum, Stoicorum mores exprimebant; Saducæi molliores, & faciliores, ſed juri ſuo ſingulis aſſerendo inexorabiles. Priores illi propugnabant animæ vitam immortalem, Angelorum, & Spirituum exiſtentiam, ſicut & alteram agno- B ſcebant vitam, in qua pro hominum merito ſive præmia, ſive ſupplicia diſtribuerentur. Moleſtas rerum futurarum curas omnes excutiebant Saducæi, negantes animæ immortalitatem, & quæ inde ſequuntur dogmata. Erant apud Hebræos ipſa Salomonis ætate viri, quibus Epicuræorum, vel Saducæorum dogmata arridebant, quemadmodum ex Eccleſiaſte [6] intelligimus; ſed in unum corpus coaluiſſe illos nonniſi poſt plures annos conſtat. Extra controverſiam eſt tamen, vetuſtiores eſſe præ Phariſæis, niſi communis opinio fallat, eorum, originem illos ſuam debere Sadok diſcipulo Antigoni Sochæi.

Phariſæorum originem ſecius conſignat S. Hieronymus [7], narrans, Scribas & Phariſæos accepto referri diſſidio, atque diviſioni duarum Scholarum Hillel & C Schammai. Porro Hilleli in regenda ſchola ſucceſſit Akiba, præceptor Aquilæ Pontici, Græca Verſione Sacrarum Scripturarum celebris. Aquilam autem floruiſſe ſecundo Eccleſiæ ſæculo quis neſciat? Pertinebat igitur Hillel ad ætatem partum Chriſtum natum præcedentem.

Fidem S. Hieronymi confirmant Rabbini, quibus Hillel veluti Phariſæorum pater reputatur; vel ſaltem tamquam maximum ejuſdem Sectæ ornamentum. Virum hunc hyperbolice ita laudant, ut nullum ſatis auguſtum titulum alienum ab illo cenſeant. Celebrant præ cæteris incredibilem animi ad ſtudium contentionem; nec ſilent tum numerum tum meritum Diſcipulorum. Ex ejus Schola prodierunt viri cum Moyſe ipſo conferendi, tum & quadraginta alii, jura dare Soli, D inſtar Joſue, digniſſimi. Penes illum princeps in Sanhedrin poteſtas, & viri fama longe lateque per univerſum orbem ferebatur. Ganzius in ſuo Chronico ſub Herodis Magni Regno eum virum conſtituit. Narrat S. Epiphanius Hæreſ. 15. Scribas & Phariſæos quatuor dogmatum ſuorum Authores vel Doctorum claſſes diſtinguere: primas tenet Moyſes, ſecundas Akiba, tertias Andas, ſive Annan, alio nomine Judas, Aſſamonæi quartas; quod ſatis inſinuat Akibam vetuſtiorem Aſſamonæis habendum. Sed nimis iſta repugnant hiſtoriæ rerum ab Akiba geſtarum, quippe qui Hilleli in regenda ſchola ſucceſſit, & paulo ante Jeſu Chriſti tempora floruit.

Quidquid autem fuerit de vetuſtate harum Sectarum inter ſe, his potiſſimum diſtinguebantur. Phariſæi nominis ſui etymon debent voci Hebrææ, quæ ſeparationem [8] ſignificat, quod illi vitæ frugi & modeſtæ gene-

ra a

---

1 Joſeph. contra Appion. l. 1. p. 1018. 2 1. Macch. 4. 46.

3 Lib. 18. c. 2. 4 1. Macchab. 4. 15. 16. *Contempto Templo, & ſacrificiis neglectis, feſtinabant participes fieri paleſtræ & prabitionis ejus injuſtæ, & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur . . . . & eorum inſtituta æmulabantur, ac per omnia his conſimiles eſſe cupiebant, quos hoſtes & peremptores habuerant.* Vide 1. Macchab. 1. 15. 16. 5 Circa A. M. 3830. quo enim nos componimus initium gymnaſii Jeroſolymæ conſtituti. 6 Eccleſ. 7. 11. ubibi ſæpius.

7 Hieronym. in Iſaiam 8. *Quas domus Nazaræi duas familias interpretantur Sammai & Hillel, ex quibus orti ſunt Scribæ & Phariſæi.* 8 *Phares, dividere.*

Digitized by Google

re a cœteris Iſraelitis diſtinguerentur. Unice deferebanr fato vel caſui [1], vel æternis Dei decretis, Dei, inquam, omnia ab æterno certo ordine & ad certos fines dirigentis. Joſephus, Phariſæus ipſe profeſſione [2], teſtatur, ejus Sectæ dogmata ad Stoica ſatis acceſſiſſe [3]; addenr quoque, non omnia quidem ad fatum referre Phariſæos, cum hominibus liberam boni præſtandi omittendive facultatem permitterent [4]; ut proinde nihil libero hominis arbitrio detraxiſſe illi cenſendi ſint; quamquam id S. Epiphanio perſuaſum videtur [5].

In eo autem, quantum ad dogma de fato, ab Eſſeniis diſcrepabant, quod hi quidem omnia fato tribuerent, Phariſæi vero certas tantum actiones, relicta interim ſingulis boni agendi omittendive poteſtate. Semel autem fato deferentes, tradit S. Epiphanius, errandi quadam neceſſitate ad Aſtrologiam ſe totos contuliſſe, veluti ſi aſtrorum contemplatione æterna fati decreta in Cœlo exarata, & in ipſa Dei mente ſcripta legere tandem potuiſſent.

Neque intra unius familiæ limites, vel ad unum aliquod hominum genus Secta illa reſtringebatur: noſcebantur Phariſæorum nomine plures in omnibur Tribubus, familiis, & hominum conditionibur. Qua vero erant ſapientiæ & probitatis apud omnes fama, hæc viros ipſis Regibus venerabiles ac metuendos exhibuit, quemadmodum luculento ſatis documento demonſtrat Alexandra, Regina uſque ad ſuperſtitionem religioſa. Rex ejus fœminæ conjux fato jam deceſſurus, illam rogavit, ut in partes ſuar Phariſæos pertrahere niteretur. Viri conſilium fœmina ſecuta, Phariſæis ſe totam reſque ſuar commiſit, qui opportunam hanc nacti occaſionem, ſummam poteſtatem invaſerunt, omnia deinceps ad ſuum arbitrium moderantes [6]. Nec modice ad eorum augendam potentiam contulit ſummum in illos populi ſtudium, quod ſibi illi ſpecie quadam virtutis, ſcientiæ & pietatis conciliaverint; doctiſſimi enim præ omnibus in Legibus & patriis traditionibus habebantur, auſterum vitæ genur agebant, externum corporis habitum habebant ad virtutem compoſitum; cibo utebantur ſimplici, ſenſuum & voluptatum blandimenta æque vitabant [7]; tandem ad ſuperſtitionem uſque litteralem Legum obſervantiam affectabant.

Nihil tamen illis indulgendum cenſuit Jeſus Chriſtus, eorum virtutem ac ſcientiam paſſim traducendam ſuſcipienr; illud etiam demonſtrans, nonniſi ſimulatione quadam probitatem, qua maxime carerent, affectaſſe. Jejunia ingeminabant, orationer prolixiores agebant; in decimarum ſolutione nemo exactior, cum & tributum de rebus etiam in Lege non præſcriptis penderent; multa largiendo pauperibur erogabant. Sed tantam virtutem majori faſtu & hypocriſi corrumpebant; hæc enim vitia maxime in Phariſæis ſpectabantur, faſtus nempe, oſtentatio, dominandi ſpiritus, atque jactantiæ amor; accedebat laudir apud homines & gloriolæ ſtudium, quo veluti ad ſcopum eorum omnia & vota & ſtudia & actiones collimabant; ſimiles dealbatir quibuſdam & ornatir monumentis, quæ in extima ſuperficie ſplendentia, intus ſaniem recondunt, Matth. 23. 27.

Affectabant in veſtibus phylacteria ſive faſcias membranaceas fronti & pulſibus alligatas, quas majores amplioreſque, quam cæteri Judæi, ferebant; majoribus etiam fimbriis in palliis utebantur; nec deerant, ait S. Hieronymus in Matth. 23 27 qui ſpinis quibuſdam fimbrias armarent, quæ gradientium crura pungentes mentem ad Deum excitarent. Lavabant crebro manur; & quoties e foro in domum redirent, a ſummo cubito adaſque extremum digitum contractas ibi ſordes eluebant, Marc. 7. 4. nec infrequentius frigida totum corpus lavabant, quo ſimul totum purificaretur [8]. Eodem balneorum genere eluebant vaſa, quibur in menſa utebantur, cubilia, quæ ante menſas inſternebant, & alia hujus generis; atque in tantam proceſſerant affectatæ puritatis ſuperſtitionem, ut hominem, quem liberioris vitæ crederent, velut Publicanum &c. ne tangere quidem & cibi cum illo capere aliquid ſuſtinerent. Matth. 9. 11. Luc. 7. 39.

Traditiones de religione a Patribus acceptas ſervari, velut unicam ſtudiorum ſuorum metam ponebant; ex quo factum, ut Legis onus præceptorum leviſſimi momenti ſarcina prægravaſſent, quin & præcepta quædam majoris momenti corrupiſſe illor, nimio traditionum ſuarum ſtudio Jeſus Chriſtus in Evangelio exprobravit. Ita quod in Lege ſine limitatione & expreſſione præcipitur Exod. 20. 12. ut honor nimirum, & ſuppetiæ parentibur ferantur, Phariſæi ita corruperant, docentes poſſe liberor ab obligationem ſubveniendi parentibus eximi, ſi nempe illis petentibur dicerent: Hoc quod a me tradi poſtulatis, devotum eſt Deo, cujus oblationir meæ vos in partem admitto. Si quid iterumpar enter a filiis poſtularent, illi ſe numquam daturos per *Corban*, ſive per donum Dei jurabant Marc. 7. 10. 11. 12. exinde ſi quid patri vel matri etiam in extrema ſenecta vel anguſtia indulgeretur, piaculo erat. Superſtitionem multum provexerant in Sabbathi obſervatione; qua de re ſæpiur cum illis Jeſus diſceptavit; unde pariter accuſationes in illum ſuas ſtruxerunt Hebræi, contendentes, hominem Religionis Sabbati, quam illi tamen, non Deus, invexerant, contemptorem a Deo mitti non potuiſſe Joan. 9. 16. Contendebant inſuper, vetitum ea die ægrotos a Jeſu Chriſto curari Luc. 6. 7. Joan. 9. 16. quamquam id ab ipſo ſolo verbo præſtaretur; vetitum etiam ipſis ægris arbitrabantur, valetudinem poſtulatum venire Luc. 13. 14. nec minus grave habuerunt, quod paralyticus die Sabbati curatus, grabatum ſuum ea die referret Marc. 9. 11. Joan 5. 8. 9. Apoſtoli Jeſu Chriſti eſurientes, ſpicas aliquas, manu interim frumentum excutienter, evulſerant, ſublati hinc Phariſæorum clamores, & ingeminatæ in Jeſum ac Diſcipulos, tamquam violatores Sabbati, accuſationes Matt. 12. 1. 2. 3. &c.

Plura ſibi arbitraria indixerant jejunia, & Phariſæus in Templo bis ſingulis ſeptimanis id a ſe præſtitum jactitabar Luc. 8. 12. nempe feria ſecunda & quinta, juxta S. Epiphanium Hæreſ. 16. Nec in jejuniis eadem illis, ac apud cœteros Judæos, ſed major ſeveritas. In eos viror ita Jeſus Chriſtus Matth. 15. 5. *Cum jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Queruntur alibi Phariſæi, obtendentes ſe & Joannis Baptiſtæ Diſcipulos crebra ſervare jejunia, cum interim Diſcipuli Jeſu Chriſti nihil in cibo & potu a reliquis hominibus diſtinguerentur Marc. 7. 11. & Joſephus in Libro de Vita ſua narrat, inſtituendum ſeipſum tradidiſſe Banno viro frugi, qui nihil coctum paratumque deguſtaret, ſolis communibus alimentis e terra productir victitanti.

Mira & ſupra fidem auſteritatis Phariſaicæ exempla, quibus purum ab omni macula ſervare corpus nitebantur, refert S. Epiphanios Hæreſ. 16. Duris interdum exercitationibus, quatuor integris annir, corpus affligebant, interdum octo, aliquando decem, antequam matrimonio copularentur. Metu vero, ne quid impuri dormientibus irreperet, ſomnum ſibi aſſidue fere interdicenter, jugi vacabanr orationi. Erant qui ſuper axem ſpithama, nempe 12. digitis, latum cubarent, ut ſi forte profundiur dormire aliquando contigiſſet, in terram decidenter, ad orandum excitarentur. Inæqualibus acutiſque ſtratum la-

1 Joſeph. l. 18. c. 2. Antiqu. 2 Joſeph. in vita ſua, initio.
3 Idem ibidem. Vide Cicer. de Natur. Deor. De fato.
4 Joſeph. Antiqu. lib. 13. cap. 9. 5 Epiphan. hæreſ. 16.
6 Joſeph. de bello l. 1. c. 4. p. 716. & l. 13. c. 8. Antiquit. 7 Idem l. 18. Antiquit. c. 2.
8 Joſeph. in vita ſua.

lapillis lectum alii ſibi parabant, quo ſomnum vel dormire volentibus fugeret. Ad eum uſum alii adhibebant ſpinas, quarum aculeis ad vigilias excitabantur. Vitio illis vertit Jeſus Chriſtus, quod ſtantes in Synagogis vel in angulis viarum prolixas ducerent orationes, cum interim ab expilandis viduarum domibus non ſe continerent Matth. 23. 14.

Cum vero nullo Legis præcepto aſperum illud vitæ genus præciperetur, neque Phariſæi peculiari aliqua lege ad eam rem adigerentur, ſinguli vitam, qualem quiſque ſibi conducere arbitrabatur, eligebant; hinc nihil in earum moribus & diſciplina uniforme. Septem Phariſæorum claſſes in Talmud diſtinguuntur. Primam tenebant, qui obedientiam ſuam gloria & utilitate metiebantur: quibus forte verbis inſinuatur, non adeo opinionum ſuarum fuiſſe tenaces, quin commodi ura ſibi aliqua nacti, veritatis etiam diſpendio illis inhærerent: ſecundam, qui gradientes, pedes non levarent, nempe vitæ tragi, auſteræ & ad modeſtiam compoſitæ maxime ſtuderent: tertiam qui in parietem contra caput eliderent, quouſque cruor efflueret a vulnere, facile patientiæ & virtutis vana quadam oſtentatione, vel ſaltem nimio duriori vitæ exercitio viribus pene fractis, huc illuc caput præ laſſitudine quaſſant. Quartam, qui intra cucullum quemdam caput abdentes, ex imo ejus, velut e mortarii fundo, reſpicerent, in ſymbolum pœnitentiæ & doloris. Quintæ claſſis homines audaci quadam ſpiritus præſentia quærebant, quid ſibi faciendum eſſet, ſe factures actutum profitentes, addentes inſuper, nihil ſupereſſe quod adhuc non præſtiterint. Sextæ claſſis homines amore virtutis & ſpe præmii, Legem religioſius ſervantibus promiſſi, morigeros ſe præbebant. Septimam tenent, qui metu pœnarum, ſive ſpe præmii illecti, munus ſuum implerent. In eo cenſu varii perfectionis Phariſaicæ gradus ſpectantur, ſicut & variæ celeberrimæ hujus inter Judæos ſectæ claſſes atque ordines.

Inter Phariſæorum curas non infima illa habebatur, qua ſe totos augendo Proſelytorum numero, ſive reducendis ad Judaicam religionem Paganis impendebant. Concutiſſe terras & maria, ut Paganum aliquem ad fidem converterent, exprobrat illis Jeſus; cum interim eum virum, quem ab impietate Gentili revocarent, pernicioſa imbutum doctrina atque vanis & ſuperſtitioſis traditionibus ſuis inſtructum non ex impio juſtum, ſed impietate ad iniquitatem traducerent Matth. 23. 15. pro eo etenim quod illum ſana Legis doctrina inſtruerent, nonniſi corruptis traditionum ſuarum dogmatibus lactabant. Vitio etiam illis vertit, quod ſuperba veteribus Prophetis monumenta erigere affectarent, alte pariter edicentes, improbare ſe Patrum ſuorum conſilium, qui manus ſuas Sanctiſſimorum Virorum ſanguine cruentaſſent; cum interim ipſi ejuſdem ſpiritus hæredes paria in eos præſtarent, qui ſaniora ſibi perſuaderent. Matt. 23. 29. Luc. 11. 47. 48.

Sacramenti religio ſancta jugiter & inviolabilis apud Hebræos manſit, eratque Divino præcepto Deut. 6. 13. ne quis in alterius quam Dei nomine juraret; vetitum etiam, ne quis Deorum externorum nomine ſacramento aliquo ſe ſe obſtringeret Exod. 23. 13. Eas Leges Phariſæi mire detorſerant. Quicumque, ita illi comminiſcebantur, per Templum juraverit, ſacramento non obligatur; juſjurandum vero per aurum Templi religioſe ſervandum eſt Matth. 23. 16. 18. Ita pariter nullum eſt ſacramentum per Altare; rite vero ſacramento per munus ſive oblationem, quæ eſt in Altari, adigimur. Invexerant pariter ſacramenta per Cœlum, per Jeruſalem, per caput ſinguli ſuum Matt. 23. 21. 22. & 5. 35. 36. quorum plerique ſacramenta, cum Dei nomen expreſſum non præferrent, nulla Religione tranſgrediebantur, veluti ſi non æque ſemper eadem ſacramenti religio conſtaret, ſive per inanime quoddam vel per animatum aliquid in teſtimonium veritatis Deus ſtatuatur. Templum, Altare, Cœlum, oblationes Deo factæ, omnia de Numinis majeſtate,

A ad quod pertinent, cenſentur; cui irrogaretur injuria ſi præſtitum illarum rerum nomine juſjurandum violaretur.

Perſuaſum habebant Phariſæi, animam immortalitate donari, ſpiritus & Angelos exiſtere Act. 23. 8. tam & genus quoddam metempſychoſis, non animarum e vulgo quarumlibet, ſed proborum tantummodo admittebant. Porro illis animabus integrum volebant ex alio in aliud corpus migrare, cum interim impii in ſubterranea loca ad judicium pertracti, æterno & tenebroſo carceri damnati eſſent [1]. Ea perſuaſione ducti nonnulli autumabant, Joannis Baptiſtæ ſive Eliæ, ſive alterius cujuſcumque e Prophetis ſpiritum in Jeſum Chriſtum migraſſe Matth. 16. 15. ut idem eſſet Chriſtus, ac virorum illorum ampliſſimorum aliquis.

B Joſephus l. 7. c. 25. de bello pag. 981. docet, Dæmones homines infeſtantes, non alios reputandos, quam impiorum hominum ſpiritus, qui aliorum hominum obſidentes interdum corpora, exorciſmorum & adjurationum necnon herbarum virtute interdum migrare cogantur. Quare receptum fuiſſe apud illos conſtat, impiorum animas quaſdam non ſtatim in Infernis claudi. Vide S. Matthæum 8. 30. 31. Agnoſcebant pariter Phariſæi, ſicut & Judæorum cæteri, futuram mortuorum reſurrectionem Matt. 22. 23. & quæcumque ex ea ſententia deducebantur, omnia a Sadducæis impugnata. De his ſatis nos in Diſſertatione ſingulari.

Quam doctrinæ laudem apud omnes ſibi comperaverant, ejus ſibi retinendæ cura tenebantur maxime, ipſamque ſibi vindicaverant, juxta phraſim Jeſu Chriſti Luc. 11. 52. ſcientiæ clavem, neminem niſi miniſterio ſuo in Regnum Cœlorum ingredi jactitantes; cum alioqui neque ipſi ingrederentur, neque ingredi alios permitterent. Sedere illos dicit Jeſus Chriſtus ſuper cathedram Moyſis, munere docendi functos Matth. 23. 1. 2. qua in re omnem obtinebant legitimam authoritatem, quare docentes illos auſcultari monet Jeſus Chriſtus, & quæcumque ab ipſis edicerentur, opere præſtari, niſi tamen divinæ Legi repugnantia traderent. Verum, addit, a peſſimis eorum exemplis abſtinere; importabilia enim aliis onera imponunt, quæ ipſi ne ſuppoſito quidem digitulo levare ſuſtinent. Subnectit, cæcos eſſe cæcorum ductores Matth. 15. 16. 17. 18. & 15. 14 quorum ſi juſtitiæ non prevaleret Fidelium juſtitia, excludendos ipſos pariter una cum Scribis & Phariſæis e Regno Cœlorum denunciat Matth. 5. & 21.

Noluit ergo Jeſus cæco quodam more Præceptoribus illis adeo deditos, ut ducendos nos ab illis quocumque tandem facultas tulerit, permittamus. Obſequi illis, ſed explorata prius cauſa, præcepit, & ita obſequi, ut a Lege Domini, ne lato quidem ungue, divertamur. *Utrumque*, ait S. Auguſtinus lib. 16. contra Fauſtum cap. 29. *debetis advertere, & quatenus honor delatus ſit doctrinæ Moyſi, in cujus cathedra etiam mali ſedentes, bona dicere cogebantur.* Hæc quidem Jeſus edicit, ſed monet ſimul Matth. 16. 6. *Cavete a fermento Phariſæorum*: quidquid boni eſt in eorum doctrina, Moyſi; quidquid mali, Præceptoribus hiſce acceptum referendum eſt.

Quo vero majorem traditionibus ſuis venerationem conciliarent, ab ipſo Moyſe receptas illas comminiſcebantur, una cum Legibus in monte Sinai latis; altera Leges enim ſcripto traditas, quædam viva voce docuiſſe Moyſem ſeniores populi ferebant, ex quibus perpetua traditione ad ipſos tandem devenerint, perenni plane doctrinæ flumine, quod per longum ſæculorum alveum fluens illimе decurrerit. Nec ſane diffitemur, veras aliquas atque probatas traditiones apud Judæos ſervatas. Nunquam enim fieri poteſt, ut integra aliqua Religio ſubſiſtat, abſque eo quod plura mentibus & memoriæ hominum committantur, maxime ad cæremoniam & diſciplinam ſpectantia. Ejus generis ſanctiones nunquam ſatis exacte ſcripturæ commendantur; nec aliquid Religioni ea de re timendum eſt, ſiquidem

tes

[1] Joſeph. l. 2. de bello c. 12. & l. 18. Antiquit. c. 2.

res authoritate quadam legitima tuentur, id maxime intendente, ne quid pernicioſum fictumque traditionibus admiſceatur.

Nunquam tamen ſatis timetur periculum, quando gens aliqua Phariſaico ſpiritu, ambitione nempe, faſtu, & vanitate tumens, rerum potitur, omnia pro ſuo arbitrio in Religione diſponit. Id enim ſi forte contigerit, tunc & ſubverti Leges omnes facile acciderit, ipſis earum defenſoribus plus nimio ſuis præjudiciis, quæ tamquam veteres doctrinas obtrudunt, deferentibus. Traditiones quidem recipit Eccleſia Romana, ſed nonniſi antiquitatis teſtimonio probatas, cæteriſque Legibus atque canonibus ab ipſis Eccleſiæ Præſulibus ſancitis maxime conſentaneas; ſolidas ipſas quoque, univerſales, atque morum ædificationi aptiſſimas. Improbat vicissim rejicitque novas alias traditiones, dubias, incertas, frivolas, veteribus probatiſque dogmatibus, legibus, atque diſciplinis repugnantes.

Phariſæorum ſecta, ceſſante Templo permanſit, neque in captivitatem abeuntibus Judæis, cum eorum libertate extincta eſt. Plerique noſtræ ætatis Hebræi illam profeſſi, veteribus inhærent traditionibus [1], quas Oralem legem appellant, implacabili odio inſectantes Caraitas, Textum legis ita probantes, ut traditiones & interpretationes, quæ de Sanctiſſimo veterum nomine cenſentur, non paſſim & indiſcriminatim omnes admittant. *Quicumque legem Oralem rejicit, apoſtata eſt & morte dignus*; quod ſanctum eſt axioma recentiorum Phariſæorum, ſive, qua illi appellatione donantur, Rabbiniſtarum.

Benjamin Tudelenſis exeunte duodecimo ſæculo in vivis agens, in itinere ſuo pag. 75. plures offendiſſe Phariſæos narrat, deplorantes Sionis & Jeroſolymæ caſum, cujus rei mœrore a carne vinoque abſtinebant, in cavernis atque caſis ſub dio agebant, dies tranſigebant jejunos, uno excepto Sabbato, dieſque tandem totos in oratione pro impetranda Iſraelis liberatione continuabant. Sed Scriptori hujus, ſicut & cæterorum fere omnium, qui itinerum ſuorum hiſtorias tradunt, fides plerumque ſubleſta eſt, nihilque certi de Phariſæis iſtis conſtat.

Congruunt recentiorum Phariſæorum cum veteribus dogmata; omnia enim, quæ a libertate non pendent, fato ſubmittentes, illud edicunt: *Omnia ſub manu Cœli ſunt, excepto timore Dei*; i. e. exceptis pietatis operibus, a libero hominum arbitrio pendentibus; bonum enim vel ſecus operandi libera eſt hominibus permiſſa facultas. Remonſtrantibus Belgicis non abludere Sectam hanc hominum D. Baſnage Hiſtor. Jud. l. 3. cap. 6. art. 8. Gallice, arbitratur; Deum enim ad probos quoſcumque actus concurrere docent; quodcumque maluerit, ſive bonum ſive malum eligere, hominis arbitrio datum volunt.

Phariſaicæ Sectæ character luculenter ſatis expreſſus in prece Phariſæi apud Luc. 18. 10. 11. legitur: *Gratias tibi ago, Domine, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus*. Agnoſcit ille decretum Dei, quo ſibi puram, ſanctamque ſupra omnes homines vitam ſanciverit; jactitat ſe libertate ſua optime uſum, cum virtutis exercitio ſe totum addixerit, cæteris hominibus deteriora ſectantibus. Porro ſolemne erat Phariſæis, ut ipſum tantum abſolutum peccati opus damnarent, turpes cogitationes, & vota, tum & conſilia, ſi non probabant, certe non reprehendebant. Ridet Polybium Joſephus Antiq. l. 12. cap. 13. quod autumaverit, Deos ultionem de Antiocho exegiſſe, moliente direptionem Templi Dianæ, quod impium conſilium executioni mandare non potuit.

Indulgentiores pro veteribus illis noſtræ ætatis Phariſæi, aliquanto in cibo cæteriſque corporis afflictationibus mores relaxarunt; ſed nihil remiſſum eſt ab

A illis de vanitate, hypocriſi, atque traditionibus avitis retinendis. Dogma de metempſychoſi, ſicut & de animarum circumvolutione, atque libero hominis arbitrio, ſancte retinent.

Quod autem ad metempſychoſim ſpectat, non deſunt qui autumaverint, apud veteres Phariſæos dogma illud nunquam aſſertum; quod ipſis duplici ratione perſuadetur: ex ſilentio nempe Jeſu Chriſti, S. Clementis Alexandrini, & S. Epiphanii nihil tale Phariſæis exprobrantium. Alterum argumentum deducitur ex dogmate ipſo, quo alterum a Phariſæis admiſſum de reſurrectione dogma funditus evertitur; ad quod enim potiſſimum in reſurrectione corpus pertinere anima judicabitur, quæ plura incoluit?

Sed prior illa ratio non unica reſponſione diluitur.
B 1. Omnes Phariſæorum errores exprobrare Chriſtum quis cogebat? 2. Extra controverſiam poſitum eſt, opinionem de metempſychoſi longe lateque apud Judæos ætate Jeſu Chriſti obtinuiſſe, quantum ex dato a Sancto Petro interroganti Jeſu Chriſto reſponſo intelligimus. Quærenti enim Magiſtro, ecquid homines de ſe cenſerent, reſpondit Matth. 16. 14. *Joannem Baptiſtam*, (eſſe te dicunt) *alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis*. Et Herodes Galilææ Tetrarcha, delata ad ſe miraculorum Jeſu Chriſti fama, rediiſſe ad vivos Joannem ſub aliis mortalis corporis exuviis ſuſpicatus eſt Marc. 6. 16. 17. & Luc. 9. 9. 10. Cæcum a nativitate Apoſtoli reſpicientes, Magiſtrum interrogarunt, cujus crimine ille cæcitate percuſſus eſſet, proprio ne an parentum Joan. 9. 1. 2. quod ſane opinionem de me-
C tempſychoſi non obſcure deſignat.

3. Silentio Librorum N. T. opponimus teſtimonium Joſephi, viri Phariſæam ſectam profitentis; ille enim dogma de metempſychoſi proborum a Phariſæis defendi aſſeverat. 4. Tandem recentiores Phariſæi, quibus circumvolutio animarum probatur, æque pariter de futura reſurrectione dogma tenent recipiuntque [2]. Defendunt autem, ex pluribus ejoſdem animæ contubernio addictis corporibus unum tantummodo in reſurrectione reparandum, manentibus cæteris, inertibus & in pulverem reſolutis. Sed ipſius ne animæ electioni corpus, quod maxime optaverit, permittetur; an illa pariter etiam invita ad unum ſingulare cogetur? Ea de re non ſatis inter Doctores convenit; alii prius corpus præferendum arbitrantur [3], alii [4]
D poſtremo litem adjudicant; quæ tamen opinionum diſſenſio dogmati de metempſychoſi & reſurrectione nihil officere judicatur.

Sunt qui [5] crediderint, Phariſæos tanquam hæreticos Judæorum habendos, cum eos propugnaverint in rebus majoris momenti errores, eaſque invexerint pravas Legis interpretationes, quæ inducendæ hæreſi ſatis ſuperque fuiſſent. Accedit ad hæc in opinionibus ſuis defendendis pertinacia, tum & implacabilis in adverſarios ſuos omnes furor & perſecutio, quibus veluti coloribus hæreſis exprimitur. His facile perſuaderemur, nomine potius ſectariorum vel hæreticorum Judaicæ religionis, quam aſſertorum viros illos ſuggillandos; nec Joſephus Antiq. cap. 9. & alibi diſſentit, eas omnes ſectas ſub hæreſis nomine deſignans.

E Sed minor eſt hujus argumenti vis; ſolemne eſt enim apud Græcos, ut ſectas omnes eodem hæreſis nomine exprimant: quæ proinde appellatio, quamquam apud nos invidioſa ſit, quemadmodum & nomen illud *Secta*, neutrum tamen probroſum erat apud Græcos, unde in Latinos voces illæ derivatæ ſunt. Eſt enim *Secta* gentium quarumdam cœtus in unam aliquam ſententiam coeuntium; quemadmodum nunc etiam contingit in Eccleſia, ut alii aliam Philoſophiæ & Theologiæ Scholam ſequantur, citra diſpendium & diſſenſum in dogmatibus noſtræ fidei, atque interim coeuntibus omnibus in unum Eccleſiæ corpus, quamquam alioqui aliam

1 Serar. tri-hæreſ. c. 16. Baſnag. Hiſtor. Jud. l. 3. cap. 3. art. 25. Gallice.
2 Vide Manaſſ. Ben-Iſrael. de reſurrect. Mortuor. lib 2. cap. 28, pag. 216.
3 Abarbanel. Comment. in Pentateuch. 4 Zoar, Puras, Haye Sara, Manaſſe, Ben-Iſrael, loc. cit.
5 Epiphan. hæreſ. 16. Auguſt. Philaſtr. de hæreſib. alii quidam.

aliam alii defendant interpretandorum illorum dogmatum rationem, parati ab ea, quam tuentur, opinione recedere, ſi Sacris Eccleſiæ Præſulibus alia probetur ſententia.

Si quis tamen hæreſis nomine deſignaverit errores, quos pervicaciter Secta aliqua hominum a cæteris ſegregata defenderit; Phariſæos illos hæreticos habere per me licet, quorum errores luculenter in Evangelio exprimuntur, & pervicacia omnibus ſatis ſuperque eſt explorata. Si vero hæreticos reputemus illos, qui non ſententiarum tantum ſingularitate a cæteris ſegregantur, ſed a communione pariter & ſocietate Fidelium vel ſe actu ſubducunt, vel eam ſervant animi habitudinem, ut ſi forte Eccleſia alia ſederit ſententia, ab ejus potius communione quam a ſuis præjudiciis recedere parati ſint, eo ſenſu Hæreticos Phariſæos appellandos eſſe negamus; quippe qui in unam cum cæteris Judæis Eccleſiam coibant, atque ipſam Moyſis cathedram tenebant, ipſo Jeſu Chriſto teſtante Matth. 23. 2. Digniſſima Reipublicæ munia gerebant, doctiſſimi habebantur legiſque ſtudioſiſſimi, quin & vitæ modeſtæ frugiſque exemplo a cæteris Judæis ſpectabantur. Erant ex Phariſæis, qui ſacra operarentur, qui in Sanhedrium adlegerentur; erant ex omnibus hominum conditionibus. Templum pariter frequentabant, offerebant ſacrificia; nec rari inter illos virtutem non in ſpecie tantum colebant, ac tandem non defuerunt ex Phariſæis, qui Chriſto nomen darent [1], veluti Nicodemus & Gamaliel. De Phariſæorum ſecta hæc S. Paulus Actuum 26. 5. *Secundum certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus.* Hæreſis crimen nunquam illis idem Jeſus exprobravit. Eorum errores vel latebant, vel tolerabantur; & de metempſychoſi ſententia longe tunc lateque per Orientem obtinebat, nec eandem ita reputandum eſt, quaſi de rebus Theologicis eadem eſſet ante Chriſtum, quæ noſtra ætate, explorata & certa cognitio. Ad hæc, viri plures in hoc argumentum ſcribentes doctiſſimi [2] nunquam Phariſæos Hæreticorum nomine traducendos cenſuerunt; ſi quid aliud in SS. Patribus obſervatur, animadvertendum eſt, hæreſis nomine nonniſi Sectam, atque genus hominum erroneis quibuſdam ac ſingularibus opinionibus a reliquis diſcretum deſignari.

ARTICULUS II.

De Saducæis.

Sectæ ſuæ Authorem & Principem Sadok agnoſcunt Saducæi [1], quem virum diſcipulum & ſucceſſorem Antigoni Sochæi ſtatuunt, cujus deceſſor fuerat Simon Juſtus, ſummus Judæorum Sacerdos. Quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi Antigonus in ſumma dignitate Simonem exceperit; ſed tantum in doctrinæ traditione, ut Diſcipulus Magiſtrum. Simon Juſtus, qui poſt Oniam primum Sacerdotii cathedram aſcendit, munere functus eſt ab A. 3702. uſque ad 3711. Poſt illum Sacris præfuit Eleazar, quo Summo Sacerdote Verſio Septuaginta adornata fertur. His omnibus certa elicitur Saducæorum epocha.

Porro Antigonus Sadoki præceptor peculiaris fuit Sectæ Author, cui illud ſingulare, ut eximia pietatis ſtudio doceret, cultum Deo purum atque prorſus gratuitum præſtandum fuiſſe [4]. Monebat igitur Antigonus auditores ſuos, ne vilis mancipii more ſpe pretii illecti venale ſervitium exhiberent; parerent ſine lucro & omni præciſa recipiendæ mercedis ſpe, ſeque ad virtutem ſolo Dei timore impelli ſinerent. Singularia hæc ſunt viro Judæo, Legi aſſueto, in qua nihil frequentius, quam de præmiis temporalibus Juſtis conferendis, atque ultione, quæ impios manet. Itaque Antigoni dogmata paucis quidem arriſerunt.

Quare Sadok ejus Diſcipulus, cum nec tantam Magiſtri virtutem, atque dogmatis puritatem ferre potuiſſet, ſimulque deſerere Virum, quem adeo ſuſpiciebat, non ſuſtineret, axiomate ejus retento, repugnantem de ſuo interpretationem adjecit. Eam proinde induxit opinionem, nihil ſive præmii ſive pœnarum in altera vita manere; unde & bonum præſtari, & evitari malum alia plane, quam præmii ſpe ſive pœnarum oporrere. Hæc de Saducæorum origine Hebræi.

De ejuſdem Sectæ crepundiis nihil ſingulare habet Joſephus; & Author 4. Macchab. id tantummodo deſignat, Sadok illius Authorem fuiſſe. Profecto ſi de origine Saducæorum vera narrant Rabbini, vetuſtiores fuiſſe Phariſæis credendi eſſent; cum Phariſæos nos ab ipſis Macchabæorum crepundiis reputemus. Epocha Phariſæorum conſtituitur circa A. 160. ante Chriſtum, quos proinde 100. ad minus annis præceſſiſſe Saducæos oporteret.

Hunc Sadok Schiſmate a cæteris Judæis & Templo Domini avulſum teſtantur Rabbini, addentes illum recepiſſe ſe Samariam, & in monte Garizim cultum Domino impendiſſe. Sed hanc calumniam inteſtinum Phariſæorum in Saducæos odium invexit; nec recens illa quidem inducta eſt, cum ejus veſtigia in S. Epiphanio [5] & Philaſtrio appareant. Narrant enim Scriptores illi, Saducæos ſurculum eſſe hæreſis Doſithæi, qui facto a cæteris Judæis ſchiſmate, Samariam ſe recepit; quippe qui norat, quæ maxime vellet, in patria ſua minime aſſecuturum. Durum vitæ genus in antro quodam egit, ubi & fame enectus eſt, vana jejunii oſtentatione pariter & obſtinatione: hæc S. Epiphanius. Sed multo præ Sadok recentior habendus Doſithæus, quippe paulo poſt obitum Jeſu Chriſti in vivis agens [6], veniſſe ſe Meſſiam & Chriſtum jactitabat [7].

Aliam de Schiſmate Sadok hiſtoriam referunt Judæi [8]. Cum Alexander Magnus, inquiunt, in Judæam veniſſet, rogarunt Principem Samaritani, ut ædificandi Templi Domini in Monte Garizim facultatem ſibi permitteret, impetraruntque; quod populum Iſraelis in duas partes diſtraxit. Simeon Juſtus, ejuſque Diſcipulus Antigonus Sochæus, cum majori populi parte in fide & cultu Domini manſerunt, in Templo Jeruſalem adorantes. Saduk & Boetus ſive Boitus Diſcipuli Antigoni, cum magna ſceleſtiſſimorum Judæorum manu partes ſecuti ſunt Sanaballat Horonitæ, ejuſque generi Manaſſæ, filii Summi Sacerdotis Juſue filii Joſedech, qui omnes Samaritanis cultum Deo in monte Garizim præſtantibus faverunt. Hæc de Saducæorum origine Judæi.

Contendunt alii [9], Saducæorum nomen ex Zedech, juſtitia, derivatum; quod viri illi juſtitiam præ cæteris vulgo Judæis colere affectarent. Sed quæ hæc juſtitia, niſi forte in exercitiis religionis cæteriſque reipublicæ officiis, nulla utilitatis ſpe ab ipſis præſtitis; quippe qui nulla ſive præmia ſive ſupplicia in altera vita reſpicerent; vel forte in exacta & inflexibili Legis obſervatione, ſicut & inexorabili de ſontibus pœna ab illis exacta?

Inter has ſententias, quæ Sectam accerſit ex Sadok diſcipulo Antigoni ſucceſſoris Simonis Summi Sacerdotis, veritati magis cohæret. Nunquam enim commiſiſſet Joſephus, quin proderet Saducæos a Samaritis originem ſuam repetiiſſe, atque ſchiſmate a cæteris avelli; nunquam etiam inter veteres Sectas Judæorum illos recenſuiſſet; nunquam in Templo tale hominum genus pati Judæi potuiſſent; nunquam ſumma illis Reipublicæ munia demandarentur; a quibus tamen omnibus non excluſos Saducæos ex Joſepho intelligimus.

Potiſſimi Saducæorum errores in eo verſantur, ut Ange-

1 Joan. 3. 1. Vide p. 18. Act. 5. 4.
2 Serar. tri-hæreſ. c. 9. Genebrard. Druſius, Baſnage &c.
3 Ita l. 4. Macchab. c. 6. Philaſtr. Elias in Tisbi, R. Jacob. Præfat. in Lib. En. Auth. Cozri R. Abrah. Levi in Cabala hiſtoric. Rab. Nath. Ita Pirke-Aboth, alii plures.
4 Vide R. Nath. in Comment. in Pirke-Aboth. c. 1. Manaſſe Ben-Iſrael in l. 2. c. 8. de reſurrect. mortuor.
5 Epiphan. hæreſ. 14.
6 Origen. in Matth. tract. 27.
7 Idem l. 2. contra Celſum.
8 R. Abrah. Levi in Cabal. Hiſtorica.
9 Epiphan. hæreſ. 14.

Angelos [1] & animæ immortalitatem [2] negarent. Nec tamen illi impugnabant animam, qua nos intelligentiæ & rationis facultate inſtruimur; ſed interire illam una cum corpore defendentes, quæcumque de ſuppliciis atque præmiis alterius vitę ferebantur [3], quęcumque pariter de reſurrectione mortuorum apud cęteros Judęos obtinebant [4], ad fabellas & puerorum territamenta amandabant. Ignoraſſe illos S. Spiritum, nempe facile Spiritum Prophetię, S. Epiphanius hær. 14. accenſet. Profecto negati a Sadducęis Prophetæ vulgo feruntur. Corpore Deum conſtare, ea eorum dogmatibus intuliſſe Arnobius [5] ſibi viſus eſt. Teſtimonium S. Epiphanii ad literam interpretatus S. Auguſtinus [6] aſſeruit, S. Spiritum a Sadducęis negari, a Phariſæis admitti; quanquam & hi quidem in Jeſu Chriſto reſidere eundem Spiritum negabant.

Nihil tamen de Sadducæis, quod ad S. Spiritum attinet, ſive in S. Scriptura, ſive in Joſepho legitur; nec ſane mirum eſſet, Judæos homines nihil de S. Spiritu tamquam tertia in Trinitate Perſona reſciſſe; quis enim Judæorum ſatis diſtinctam de tanto myſterio ideam habuit? Nec aliud facile voluit S. Epiphanius, quam ut illos opponeret Phariſæis S. Spiritum, ut ille quidem aſſerit, admittentibus; eo nomine Prophetiæ ſpiritum deſignantibus, cujus afflatu Prophetæ vaticinabantur. Ut vera tamen fateamur, quid eo nomine Phariſæi admitterent, rejicerentque Saducæi, non ſatis aſſequimur; an naturam aliquam a Deo diſtinctam, an realem Divinitatis emanationem, perſonam aliquam divinam, non conſtat.

Corpus Deo affinxiſſe Saducæi nullo argumento convincerentur, nihilque tale deduci poſſet ex eorum dogmatibus ſive de Angelis, ſive de mortali animæ natura. Quando enim nec Angeli nec ſpiritales naturæ dantentur, quando anima immortalitate non donaretur, numquid proinde Deus corpore conſtaret?

Recipiebant Saducæi Libros Moyſis, in quibus frequens Angelorum, atque de viſis ab hominibus Angelis mentio. Quomodo ergo dari Angelos negabant? Qui ab ea ſe difficultate expedierint, nec videmus ſatis, nec eorum ad ea loca interpretationes ullibi umquam legimus; ſunt tamen qui ſuſpicentur, perinde ab illis Angelos reputari, quaſi virtutes a Deo indiſcretas [7] inſtar radiorum & lucis, quæ vix ac ne vix quidem a ſole divellerentur; parniſſe autem in terra variis præditos nominibus, pro variis, quibus fungebantur, muneribus.

Ingeniola ſane interpretatio quæ tamen difficultatem prorſus omnem non tollit; non enim Angeli per viſum hominibus ſpectati, de quibus in Libris Moyſis, emanationes quædam, & effluxus divinitatis habendi ſunt; cum potius naturæ videantur prorſus a Deo diſcretæ, & ab eo miſſæ, ut ſuo & nomine, & virtute commiſſas ſibi functiones præſtent. Commodior eſſet, & planior reſponſio, ſi Angelos illos nihil aliud fuiſſe dixiſſent, quam ſpectra quædam, & parvæ ſubſiſtentiæ temporæ phantaſmata, quibus nihil præter ſpeciem ſubeſſet; corpora quædam aerea a Deo mota, vel forte ab aliquo mortali ſpiritu, ab hominis anima mortali illa quidem, juxta eorum opinionem non diſſimilis, animata, quo ciente agerent cæteraſque naturæ intelligentis functiones præſtarent. Apologiam tamen ſtruere Saducæorum non vacat, eorum tantum referimus opiniones.

Quamvis præmia omnia pœnaſque alterius vitæ ſubducerent, Legi tamen exactiſſime parebant, ejuſque obſervantiam ſeveris animadverſionibus exigebant [8]; quod eorum dogmatibus maxime erat conſentaneum; Si enim nullæ manent impios niſi in hac vita pœnæ, ſicut nulla juſtis niſi in præſenti ſæculo præmia, opus ſane fuerat, ut præmia pariter, & ſupplicia pro meritis diſtribuerentur. Quam opinionem iniqua prava Scripturarum interpretatione fulcire poterant. Moyſes in ſuis Legibus numquam niſi de pręmiis vitę præſentis agit. Deus in hoc ſæculo ſeveris animadverſionibus impios punit, cujus documentum exhibet ignis in Sodomitas demiſſus, flagella in Chananæos, in *Her* & *Onam*, in Pharaonem, & Ægyptios excuſſa. Hæc omnia, quorum legebant in Pentateucho hiſtorias, erroneas illorum ſententias fovebant.

Sed principia, æque ac deductæ ex illis conſecutiones omnia erant abſurda, Deus punit, Deus præmia largitur, ſæpe quidem in hoc mundo, ſæpe pariter negligit; nec inde tamen recte deduceretur, ſpes noſtras metuſque intra anguſtos bonorum malorumque vitæ præſentis fines contineri debuiſſe. Poſſunt pro immortalitate animæ argumenta e Geneſi deduci. Homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei formatus eſt; quare cum Deus ſpiritus ſit, homo pariter & ſpiritu conſtabit, quantum ad eam naturæ ſuæ portionem ſpectat, qua ratiocinatur, & cogitat. Abraham, Jacob, cæterique viri ſanctiſſimi nulla pro granditate meritorum ſuorum ſatis ęqua pręmia in hac vita receperunt; promiſſionum, quibus illis ſe Deus obſtrinxerat, fidem ſuam ipſe Deus non liberavit. Par erat ergo in altero mundo illos æqua meritis recepiſſe, vel Deus de injuſtitia accuſandus, & infidelitate in promiſſis ſuis præſtandis. Deus tandem ita ſe Moyſi manifeſtavit Exod. 3. 6. 15. 16. *Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, & Jacob*; eſt autem Deus non mortuorum, ſed viventium; vivunt ergo Patriarchæ. Ita Jeſus Chriſtus ratiocinatur Matth. 22. 32. Marc. 12. 26.

Accuſantur Saducæi de rejectis omnibus Scripturæ Libris, Operibus Moyſis unice exceptis [9]; quam accuſationem confirmant Authores, obſervantes, ex Libro tantum Exodi, quem plane recipiebant, deducta in Evangelio adverſus illos teſtimonia, omiſſis aliis cęterorum Scripturæ Librorum, quamquam probandæ reſurrectionis magis congruere videbantur. Rejiciebant pariter Veterum traditiones, una cum Phariſæorum interpretationibus. Quare eorum ſecta multo & numero hominum, & potentia Phariſæis concedebat; minorem ſibi apud populum conciliaverat famam, venerationem, & amorem. Ditiores tamen Judæorum, & viri quique dignitatis ampliſſimæ, plerumque nomen ſuum inter illos dederant; qui tamen in externa Reipublicæ politia moribus ſe, & dogmatibus Phariſæorum accommodare cogebantur; vix enim alioqui incommodam eorum diſciplinam ferre populus ſuſtinuiſſet [10].

Quam huc uſque firmavimus, de rejecta univerſa Scriptura, uno excepto Pentateucho, difficultatibus nonnullis arguitur opinio. Obſervat Scaliger, Elench. Trihęreſ. cap. 16. poſt abſolutum Sacrorum Librorum Canonem Saducęos paruiſſe, cum ſcilicet nullius arbitrio permitteretur inter Sacros Libros rejicere alios, alios pro arbitrio recipere; omnibus enim æque aſſerta erat & divina authoritas. 2. Si vitiis illis ſeligendi fuiſſent Libri, dogmatibus ſuis vel congruentes, vel ſaltem non repugnantes, non plane illis Moyſis opera fuerant ſeligenda, in quibus de ſpectatis ab hominibus Angelis mentio frequens occurrit. 2. Sadducęi nec a Templo, nec a cœtibus religioſis aberant, ubi lectio frequens Scripturarum, & maxime Prophetarum. Quis autem credat, eorum, quorum tanta religione lectionem

1 Act. 23. 8. Saducæi enim dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum, Phariſæi autem utraque confitentur. 2 Joſeph. lib. 2. de bello, & lib. 18. Antiquit. cap. 2.

3 Joſeph. lib. 2. de Bello cap. 12. 4 Matth. 22. 23. *Saducæos, qui dicunt non eſſe reſurrectionem*, Vide & Marc. 12. 18. Luc. 20. 27. Act. 23 8. 5 Arnobius l. 3. p. 100. Vide & Sculter.

6 Auguſt. Serm. olim 11. de Verbo Domini num. 70. cap. 3. num. 5. p. 386.

7 In eam ſententiam venerunt Judæi S. Juſtini Martyris ætate. Vide Grot. in Matth. 22. 23. Clericum in Act. 23. 8. & S. Juſtin. in Dial. pag. 358. 8 Joſeph. de Bello l. 2. c. 12. Vide Euſ. Hiſt. Eccleſ. l. 6. 23.

9 Vide Serar. trihæreſ. cap. 21. n. 1. & apud eum R. Eliaur in Tisbi, Tertull. Præſcript. cap. 40. Origen. lib. 1. tract. 21. in Matth. Hieronym. in Matth. 22. Beda, alii.

10 Joſeph. Antiquit. lib. 15. cap. 2.

nem auſcultaſſent, Librorum authoritatem penitus rejicere? 3. Meſſiam non ſecus ac Judæorum cæteri expectabant. Itaque Prophetas Meſſiam promittentes, & genuinos ejus characteres deſcribentes, admittere illos par erat.

4. Joſephus, cui præ cæteris omnibus ejus ſectæ dogmata fuerant exploratiſſima, in eo diſcrepaſſe illos e Phariſæis commemorat [1], quod iſti quidem docerent exequerenturque plures traditiones a Patribus acceptas, nec tamen in Lege Moyſis deſcriptas; cum interim Saducæi traditiones illas omnes rejicerent, nihil recipiendum quam quod ſcriptum eſſet, defendentes. Porro locus ille Joſephi pro utraque opinione affirmante, & negante laudatur; quamquam ipſe Joſephus ambiguum determinare ſenſum ad Libros tantum Moſaicos viſus eſt. Quid inde tamen? an forte ex eo adduceretur, rejectos a Saducæis cæteros Scripturæ Libros? 5. Rabbini contra Saducæos diſputantes non teſtimonia tantum prodeeerunt ex Libris Moſaicis, ſed ex cæteris etiam univerſæ Scripturæ, & Prophetarum; nec Saducæi commoda reſponſione argumenta illa diluerunt, Libros Scripturæ negantes, ſed vanis ſubdoliſque interpretationibus eorum potius vim eluſerunt. 6. Quis credat, potuiſſe illos eadem cum cæteris Judæis communione coire, potuiſſe primas Reipublicæ dignitates obire, quin & ſummum aſcendere Sacerdotium, ſi Sacros Judæorum Libros temerario auſu rejeciſſent? Ad hæc, S. Petrus cæterique Apoſtoli coram Saducæis verba facientes, teſtimonia laudant ex Pſalmis indiſcriminatim ac ex aliis omnibus Scripturis [2]. Ex his ergo, quantum eſſequor, intelligimus, Saducæos non ſecus ac Judæorum cæteros, univerſos æque Sacræ Scripturæ Libros probaſſe [3]. Et quando rejectos ab illis aſſerunt Veteres omnes Scripturæ Libros, ſolis exceptis Moſaicis, eorum teſtimonia eodem facile ſenſu interpretemur oportet, quo Joſephi illud, nempe illos Moſaicos Libros tamquam Legem recipere, omnibus Phariſæorum traditionibus rejectis. Cæteros Scripturæ Libros recipiebant quidem, ut canonicos; ſed accommodatis ad ſua præjudicia interpretationibus, loca, ubi de Angelis ſermo, ita detorquebant, quemadmodum cætera ejuſdem ſententiæ, quæ in Pentateucho legebantur.

Reputandum eſt autem, in religione Judæorum poſt captivitatem dogmata de immortalitate animæ, & exiſtentia Spirituum minoris momenti, nec, ut vocant, fundamentalia habita fuiſſe, cum Saducæi inter medios Judæos, nec non ab eorum communione evulſi, ſententias illas profiterentur [4], & Viros haberent ſummæ Sacerdotii dignitate pares, quamquam alioqui errores illos invicte tuerentur. Hæc igitur in gente illa problematice diſputabantur. Phariſæi, & Saducæi alterutrorum invicem principia rejiciebant; nec tamen excommunicatione alii alios damnabant: omnes æque Libros Sacros recipiebant, ſed non eodem ſenſu, & interpretatione. Fidei Phariſaicæ normam conſtituebat Scriptura, morum regulam dabant traditiones. Hanc prærogativam, Saducæi ſolis vindicabant Moſaicis Libris, cæteriſque ſacris Authoribus, quorum tamen ſententiam ſuo marte interpretabantur.

Saducæi fatum negabant, ait Joſephus Antiq. l. 13. c. 9. cujus nomini nihil ſubeſſe niſi phantaſma aliquod ſpectrumque dicebant; nihil enim fati vi imminere arbitrabantur hominibus. Quare ex eorum ſententia, nobis plena manet agendi libertas, qua ad arbitrium utamur. Noſtram proinde ſtruimus bonam deterioremve fortunam, juxta quod in bivio conſtituti receptam, vel deteriorem viam eligimus. Teſtatur de bello l. 2. c. 12. pag. 788. negata ab illo fatum, & providentiam, ſeu aliis verbis *Deum ſive malum operari, ſive noſcere, atque id ſe alienum reputare.* Hominem bonum malumque habere in arbitrio, nihilque illi, niſi quod maxime voluerit, contingere, bono, vel malo eſſe ſuæ libertatis.

Nec homini, quem nihil ſperandum in altera vita manebat, aliquid, quod a Deo poſceret, reliquum eſſe potuiſſe intelligimus. Si enim Deus nihil in bona noſtra, quæ ferimus toleramuſque mala influit; ſi nempe in noſtro omne poſitum arbitrio reputandum eſt, ut abſque Dei ope miſla, vel bona operemur, ſi nulla manent in altera vita præmia, vel ſupplicia, quid a Deo poſceret Saducæus, nec in quo potiſſimum cultum ſuum, & Religionem conſtitueret, ſatis aſſequerer. Si Dei in hac vita ope nulla indigebat; ſi nihil timendum manebat in altera vita, ut quid Deum metueret, coleret, adoraret? Nullo luculentiori argumento intelligimus, quouſque tandem Religionis Judaicæ corruptio devenerit, quam quod illa in ſuo gremio reciperet tam abſurdæ opinionis aſſertores authoreſque. Nec Saducæorum profeſſio multum ab Epicuræis abludebat; nihilque inter illos conſtituerem diſcriminis, quam quod Saducæi ſupplicia ſaltem aliqua in hac vita vel præmia a Deo metuerent, capeſſerentque; quæ ſibi etiam ad bonum incitamenta Epicuræi ſubducebant.

Saducæorum ſecta diutius quidem, & nunc etiam, ad paucos tamen redacta, ſubſiſtit [5]. Hodie quidem a cæteris Judæis tamquam hæretici rejiciuntur; olim tamen alia erga illos diſciplina. Hircanus ſummus Sacerdos, & totius gentis Princeps, poſtquam diutius Phariſæis faviſſet, ſeceſſione ab ipſis facta, ad Saducæorum partes tranſivit [6]. Fertur etiam capitali pœna indixiſſe Judæis, ut dogmata Sadok reciperent [7]. Ariſtobulus, & Alexander Jannæus filii Hircani, Saducæos defendere, & inſectari Phariſæos diutius perſeveraverunt. Teſtatur Maimonides [8], ſub Alexandro Rege Saducæos omnes inveſiſſe Sanhedrii dignitates, uno relicto Simone filio Scetra, qui Phariſæorum partes tueretur. Verum priſtinam authoritatem receperunt Phariſæi ſub Alexandra uxore Alexandri Jannæi. Caiphas, qui JESUM CHRISTUM morti adjudicavit, Saducæorum ſectam profeſſum intelligimus ex Actuum 5. 17. Vide & 4. 1. Eamdem profitebantur patiter Ananus Junior [9], qui Sanctum Jacobum fratrem JESU neci tradidit.

Qui Saducæos veluti Samaritas, & diſcipulos Doſithei habendos cenſuerunt, vitia imputarunt cultum Dei, hirci ſimulacro expreſſi, & corruptum textum primi capitis Geneſeos, ut legerent: *In principio azyma, (ſive hircus) creavit Cælum, & terram.* Sed accuſationes iſtæipſæ ſe deſtruunt, nec eſt cur Lectores quidquam remorentur. Saducæi Deum in Templo Jeroſolymitano colebant, Meſſiam opperiebantur, nihilque ea in re a cæteris vulgo Judæis diſſidebant; quin & in unam cum cæteris Phariſæis conveniebant ſententiam, quippe qui unum Liberatorem, & Regem temporalem tantum capectarent. Ita ſemel utriuſque ſectæ homines perſuaſi, ſi neque Jeſum noſcere, neque ſpiritale ejus Regnum admittere voluerunt, non eſt cur vehementer miremur. Nec ſane quiſquam e Saducæis nomen Chriſto dedi ſe in Evangelio legitur: plura enim habebant in opinionibus ſuis cum fide, & ſalute a JESU CHRISTO ennunciata pugnantia.

1 Joſeph. Antiquit. l. 13. c. 18. 2 Act. 4. 12. & 5. 17.
3 Vide Manaſs. Ben-Iſrael l. 2. cap. 6. *Neque tamen derogabant fidem Prophetis, ſed locu Prophetarum in alium longe ſenſum interpretabantur.* 4 Manaſſe Ben-Iſrael in Epiſtula nuncupatoria Libri ſui de reſurrectione, & lib. 2. cap. 1. teſtatur, veteres Judæos a cœtu Iſraelitarum extraxiſſe eos, qui animæ immortalitatem abolerent; docuiſſe pariter, illud hominum genus nullam habiturum partem in ſæculo futuro, & in mundo animarum.
5 Vide Baſnag. Hiſtor. Judæor lib. 2. cap. 5. art. 13. 14. 15. 21. Serar. trihæreſ. cap. 25. Manaſſe Ben-Iſrael de Reſurrect. lib. 1. cap. 1. 6 Joſeph Antiquit. lib. 13. cap. 18.
7 Vide Abraham Ben-Dior Cabala. Ite apud Trigland. de ſecta Cerait.
8 Maimonid. Halac. Sanhedr. c. 21. 9 Antiq. l. 20. c. 8. pag. 698.

ARTICULUS III.

De Eſſeniis.

Eſſeniorum origo ac etymon æque latent, cum nihil de illis ſatis expreſſum, neque de tempore, neque de Authore ſectæ apud Philonem, & Joſephum legatur. Author quarti Macchabæorum, cujus Operis Gallicam dedimus Verſionem, ſectam illam hominum, quam *Haſdanim* appellant, Hircani Macchabæi ætate circa A. M. 3894. floruiſſe jam tradit c. 6. Sermo eſt apud Joſephum Antiquit. l. 13. c. 19. pag. 455. de Juda, viro inter Eſſenios clariſſimo, qui in vivis agebat ſub Antigono filio Hircani, & fratre Ariſtobuli Regis Judæorum. Porro Judas iſte vaticinatus eſt, Antigonum ſub turri Stratonis proditione interimendum, cujus oraculo ſuæ manſit ab eventu fides, Judæis omnibus Jeruſalem, & ipſo pariter Juda ſtupentibus.

Plinius, qui non ſine ſtupore Eſſeniorum mores a Joſepho deſcriptos legerat, ipſe pariter illorum hiſtoriam florenti, & magnifico ſtylo tradens l. 5. c. 17. gentem illam jam inde a multis ſæculorum myriadibus ſine mulierum commercio propagari aſſerit: *Ita per ſæculorum millia, incredibile dictu, gens æterna eſt, in qua nemo naſcitur*. Sed falli virum conſtat: gentis nempe origo non ante Macchabæos conſtituenda eſt; nec cælibem Eſſenios omnes vitam egiſſe, niſi per errorem aſſereretur. Eſſe namque inter illos virorum manum quandam, qui in reliquæ vitæ profeſſione a ceteris non diſcrepantes, connubio, quod ceteris inſuetum, jungerentur, tradit Joſephus de Bello lib. 2. c. 12. in Lat. & in Græc. pag. 788. D.

Sunt qui autumaverint [1], ad poſteros Ionadab Patris Rechabitarum viros illos pertinere; cujus opinionis unica ratio deducitur ex genere vitæ Eſſeniis familiari; quod ſcilicet & a vino abſtinerent, & vitam agerent in reliquis frugi modeſtamque [2]. Cum tamen & in Urbibus moratos illos conſtet, ædes ſibi & hoſpitibus poſſediſſe, quæ ſane omnia a moribus Rechabitarum erant aliena, vix eſt, quod eorum conjecturæ momenti aliquid habuiſſe judicemus. Vetitum olim erat Rechabitis, ne in Urbibus, & ædibus morarentur, ſed in tentoriis tantum & ſub dio. Neque perpetuo a vino abſtinuiſſe Eſſenios, nec eam rem lege ſibi præſcriptam habuiſſe, quomodo de Rechabitis memoriæ proditum eſt, ullibi legimus.

Eſſenius, ſive ut appellat, Jeſſenios Samaritanorum ſectam autumavit S. Epiphanius hæreſ. 29. de Nazaræis, eorum nomen derivans ex *Jeſſe* patre David, ſive Jeſu, quam vocem Medicum interpretatus; maxime enim decet Eſſenios medici appellatio, quod medici animarum haberi voluiſſent. Narrat inſuper, Elxai, virum ſub Trajano, nova quædam dogmata apud Eſſenios invexiſſe, tradito inſuper vaticiniorum ſuorum Libro; cui pariter fratrem fuiſſe *Jexeum*, qui ſectæ ſuæ homines ad cultum aſtrorum perduxerit. Hiſtorias haſce ceteraſque, quas de Eſſeniis narrat, unde hauſerit S. Epiphanius, incertum; certo tamen conſtat, ſuſpicioſam eſſe ejus narrationem, in iis maxime, quæ de Samaritana gentis origine tradit. Scitum eſt enim, Judæos eſſe, & a Samaritanis maxime abhorruiſſe. Facile S. Epiphanius ex Eſſeniis ſui temporis veterum Eſſeniorum judicium formaverat, de Eſſeniis, inquam, ſui temporis, genere hominum corruptiſſimo, & famæ adeo deploratæ, ut de impenſis divinis honoribus duabus mulierculis viventibus accuſarentur.

Nominis Eſſeniorum duodecim varias ſententias recenset Serarius trihæreſ. l. 3. c. 1. Salmaſius ad Solin. cap. 35 pag. 473. deducit ex Eſſa Palæſtinæ Urbe, de

A qua Joſephus Antiqu. lib. 13. cap. 23. alii ex Hebræo *Choſen*, quo nomine Rationale ſummi Sacerdotis deſignatur; alii ex Chaldæo *Choſen*, robuſtiſſimus; vel ex Syriaco *Aſau*, expelli, ſive ex Hebræo *Aſa*, valetudini reſtituere, vel ex *Haſaab*, facere, operari, ſive *Jeſu* vel *Jeſſe*, vel ex verbo *Chaſu*, contemplari, aut ex *Seabuah*, dividere, ſeparare, repetere. Derivant alii ex Græco *Hoſiot* [3], Sancti, vel tandem ex Hebræo *Chaſid*, miſericordia, quam poſteriorem etymologiam nos præ ceteris probamus. Porro viros miſericordes, tamquam pium aliquem cœtum conſtituentes, in Pſalmis 4. 2. & 84. 9. legimus; nec alios credimus Eſſenios, quam quos Libri Macchabæorum Aſſidæos appellant [4].

Autumavit Druſius, Eſſenios ſurculum eſſe Pharis B ſæorum, eoſque virus perſecutione ab Hircano mota plurima paſſos [5], cujus evitandæ gratia cum in deſerta confugiſſent, aſperum vitæ genus prius neceſſitate ſuſceptum, volentes deinde retinuerint. Sed nos ſupra demonſtravimus, cœtum hunc virorum parem referre cum Phariſæis, Sadducæiſque vetuſtatem, cum Author quarti Macchabæorum, quem librum primo in Arabicis Polyglottorum D. Le Jeay vulgatum, neque Salmaſius, neque Scaliger, Serarius, & Druſius unquam viderunt, eas ſectas ſub Hircano florentes, atque inter ſe diſcretas conſtituat. Ipſe pariter Joſephus, cui ſcribenti præſto erant facile ſimiles Commentarii, inſinuare videtur, floruiſſe illas ſub Hircano, cum poſt, narratam hiſtoriam deſertæ ab Hircano ſectæ Phariſæorum, ut in Sadducæorum partes tranſiret, ſubnectit: C *Sed de his duabus Sectis & Eſſeniorum tertia accurate tractavimus in ſecundo, quem ſcripſimus, de rebus Judaicis libro.*

Poſt Scholas ſive cœtus Prophetarum, nihil inter Hebræos morum ſanctitate magis ſpectatur, quam ſchola Eſſeniorum, quam hanc nobis picturam exhibet Joſephus de bello lib. 2. cap. 12. Vivunt, ait ille, inter ſe mutuo charitatis vinculo conjunctiſſimi, idemque omnibus in voluptatem veluti in præſentiſſimum aliquod virus horror. Potiſſimum victuris ſuæ munumentum conſtituunt, ut continentiam ſervent, & contra voluptatis illecebras armentur. Connubia fugiunt, ſed aliorum liberos tamquam proprios innutrientes, cœtus ſui ſpiritum, & dogmata tenellis animis imprimunt. Quamquam autem connubium renuunt, non tamen da- D mnant, vel generis humani propagationem cenſent negligendam; ſed intemperantiæ, & infidelitatis muliebris metus cautiores illos efficit. Divitias perinde habent ac nihil, & bona ſua omnia ita ſimul poſſident, ut nemo inter illos alius ſit alio locupletior. Sanctum ratumque habent, ut jus in bona ſua omnia a ſe removentes, in ſocietatem transfundant; ex quo id potiſſimum conſequitur, ut unius tenuitati de locupleti aliorum gaza invidia nulla ereetur, nec divitiarum faſtu alius infletur præ alio. Vivunt ut fratres una bonorum & conditionis æqualitate.

Oleum æque, & unguenta rejiciunt, quorum ſiquid caſu aliquo contigerint, veluti ad tactum rei immundæ, purificatione maculas abſtergunt. Externam auſteritatis ſpeciem ita habent in pretio, ut ſordes æque habeant in E horrore, candidas ſemper veſtes præſeferentes. Bonorum ſuorum Oeconomos conſtituunt, a quibus ſingula pro cujuſque neceſſitate diſtributa [6]. Non omnes in eadem Urbe, nec ſemper eodem in loco morantur; ſed per varias ſedes diſtribuuntur, viros ſectæ ſuæ in ſuas ædes excipiunt, quibus bona ſua omnia tamquam ſingulis communia impertiuntur. Cum in viam ſe dederint, nullum aſſumentes commeatum, arma tantum ferunt, quibus a ſe prædonibus defendant. Conſtitutus in ſingulis Urbibus ex eorum cœtu aliquis, hoſpitio venien-

1 Vide Svidam in Rogunoi vel Apogonos. Nilus aſcet. cap. 3. alii quidam.
2 Philo de vita Contemplativa pag. 900.
3 Philo l. quod omnis probus liber. pag. 876. Eſſenior voce Hebræa *Sanctos* ſignificare; eorumque etymologiam deducit ex *Chaſid*. 4 1. Macchab. 2. 41. *Synagoga Aſſidæorum*. 2. Maccab. 14. 7. Vide Eccli. 44. 10.
5 Joſeph. Antiquit. lib. 13. cap. 18. Vide Serar. trihæreſ. cap. 6. pag. 81.
6 In Lib. 18. cap. 2. tradit, eos œconomos e genere Sacerdotum eſſe.

nientes recipit, ſimul veſtes cæteraſque omnia neceſſaria ſufficiens.

Eudem genere victus eademque diſciplina innutriuntur pueri, quos preceptori alicui educandos aſſignant. Veſtes, niſi detritas vel adeo veteraſcentes, ut nullis amplius uſibus ſerviant, numquam immutant. Vendendi emendique negotiationes inter illos nullæ; ſola rerum permutatione uſi, ſuperflua tribuunt, ut neceſſaria recipiant; quin & permiſſum ſingulis gratis, quæ ſibi opus fuerint, ſibi vindicare, quæque fratris eſſent, in proprios uſus transferre. Inſignem erga Deum religionem profeſſi, altum, apud illos ante exortum ſolis ſilentium, niſi ſi forte precum aliquod murmur ante hoc tempus audiatur, precum, inquam, quibus a Patribus ſuis acceptis ſolem, ut tandem in Oriente pareat, invitant. Poſt hæc ſinguli a ſuis Præfectis dimittuntur ad opera.

Poſt datas labori 5. horas, i. e. uſque ad undecimam horam matutinam in æquinoctio, ſicut & data proportione aliis anni temporibus, iterum ſimul coeuntes, albentibuſque lineis accincti, frigida ſe totos lavant; cum ſinguli in ſingulas cellulas, quo interdictus exterris omnibus aditus. Tum in commune cœnaculum, ubi tamquam religioſo aliquo in Templo menſæ aſſidentes, altum ſervant ſilentium. Diſtribuitur ſingulis pro ſua conditione panis ab Oeconomo, tum pulmentum ab illo, cui parandi cura commiſſa. Secundum hæc, preces Sacerdotis ſequuntur; ante laudatum enim prece Deum cibum capere nefas. Poſt cibum iterum ad agendas gratias Deo tamquam bonorum illorum largitori; ſtatimque exutis veſtibus albis, quas tamquam ſacras reſpiciunt, ad laborem, uti prius, regrediuntur. Subeunte veſpere, in cœnaculum iterum redacti cibum capiunt, ubi ſi quem forte ex hoſpitibus nacti fuerint, hunc cibo pariter reficiunt.

In reliquis omnes quidem pendent ad nutum Præſidis, ſed virtutis exercitia præſtandi, & opem ferendi proximo, quantum cuique vires ſufficiunt, libera cuique permiſſa facultas. Neceſſariis tamen quidquam largiri ſine Præſidis aſſenſu nefas. Fidem promiſſionibus obligatam adeo religioſe præſtant, ut promittentibus non ſecus ac juratis credatur. Jusjurandum tamquam perjurium evitant. Veterum ſcripta ſedulo evolvunt, in quibus ea maxime ſcrutantur, quæ animæ profectum & valetudinem juvant. Callent proinde remedia, & ſimplicium, lapidum, ac radicum virtutes omnes. Ægrotos ſumma curant ſedulitate [1], quibus ex communibus bonis neceſſaria omnia ſufficiuntur.

Profiteri ſectam volentes non omnes ſuſcipiunt indiſcriminatim, ſed poſtulantes extra domum abſiſtere coactos, prius exercent. Porro candidatis iſtis ligonem tradunt, latiorem quamdam faſciam in uſum balneorum, & candidum veſtimentum. Si perſeverantiæ ſuæ argumenta præbet Tyro, recipiunt tandem ad commune cœnaculum, & balneum; in domum tamen nonniſi poſt alterius biennii experimentum introducitur. Poſt biennium enim, ſi dignum ſe exhibuerit, in cœtum adlegitur; antea tamen quam ad capiendum una cum aliis cibum admittatur, terribilibus ſacramentis adjuratur, ut purum perfectumque Dei cultum ac legis juſtitiæ erga homines obſervantiam profiteatur, neminem umquam violaturum ne coactum quidem, impios evitaturum, probos tutamine defenſurum, præſtitam fidem erga omnes, & maxime Principes ſanctam habiturum. Sacramento etiam adigitur, numquam ſi forte aliorum præfecturam ſuſceperit, poteſtate ſua opprimendis fratribus abuſurum, nec ſe a ceteris diſtinguendum veſtium ſingularitate, & alia quæcumque re profiſiturum. Sectæ arcana nulla fratrescelaturum pollicetur, quæ interim aliis ſemper etiam vitæ periculo habebit occulta, quæ a Præceptoribus ſuis didicerit, numquam alios docebit, & Libros Sectæ, ſicut & Angelorum nomina, veluti pretioſum aliquod depoſitum caute ſervabit.

A Si quis grande aliquod admiſerit crimen, e cœtu depulſus plerumque miſero mortis genere cogitur interire; terribilibus enim ſacramentis illis adactus, cibum ab externo capere prohibetur; quare herbis veluti bellua quadam victitare coactus, paulatim tandem miſeria premente, & fame opprimitur. Interdum Eſſenii miſeratione illius tacti, data criminis venia, apud ſe miſerum hominem recipiunt, cum jam inter ipſas mortis fauces conſtitutum reſpexerint, rati ſatis diuturnam egiſſe dignamque crimine pœnitentiam.

De re aliqua deliberaturi, centum numero convenientes ſedulo rem ponderant; & quidquid tandem decreverint, ſanctum eſt, & irrefragabile. Poſt Deum, Moyſem unice obſervant, ut ſi quem blaſphemati nomini Moyſis reum tenuerint, illum capitali
B pleclunt ſupplicio. Parendi ſenioribus, & majori præcipientium numero legem ſibi conſtituunt, ut cum decem ſimul convenerint, nemo ſine novem aliorum conſenſu loqui inter ipſos audeat. Excreare coram cœtu vel ad dexteram, vel apud illos nefas.

In Sabbathi obſervatione ad ſuperſtitionem religioſi, ne ignem quidem accendere, nec parare ea die cibos audent; quin nec permiſſum ſibi ducunt utenſilia domus removere, alvum ſuperfluis purgare. Porro alvei neceſſitati aliis diebus ſubventuri, loca occultiſſima ſcrutantur, & poſt egeſtam pede altam foſſam ligone, quem ſupra innuimus, incurvi & undique veſtibus protecti, metu ne Dei radii ea ſorde violentur, rem præſtant. Hæ Joſephi phraſes ſuſpicionem apud aliquos crearunt, num Eſſenii Solem adorarint; quod
C ſane crimen firmiori aliqua conjectura, ut Eſſeniis imputaretur, fulciri oporteret. Potuerunt enim ſolis radios perinde ac Dei ipſius, cujus ſunt opus, ſuſpexiſſe [2].

His omnibus cautionibus aliis adjungentes, foſſam aggeſta terra implent; tum veluti macula quadam contracta, purificationibus eluuntur. In quatuor claſſes totum cœtum diſtribuunt; quarum qui ſuperiores tenent, adeo ſe præſtare inferioribus putant, ut ſi forte aliquem ex illis contigerint veluti legali contracta macula, non ſecus ac ad externi alicujus contactum purificatione expientur. Vitam plerumque ad multos annos (ſeculum implent aliqui) producunt; quod ſimpliciori cibo & vitæ frugi modeſtoque facile tribuendum. In malis perferendis ad miraculum uſque fortes,
D inſignia ejus conſtantiæ ſpecimina, Joſepho oculato teſte, in poſtremo Judæorum cum Romanis bello exhibuerunt. Animæ immortalitatem tuentur, quas ſcilicet animas influere dicunt in corpora, ex aere ſubliriori attractas, neſcio qua ſuperiori virtute, cui reſiſtere nulla vi poſſunt; eaque cogente in corpore, veluti in carcere, toto vitæ tempore detinentur [3]. Semel autem hujus carceris foribus morte recluſis, actutum veluti e longa triſtique captivitate liberatæ in Cœlum aſcendunt. Proborum Spiritibus ſedes aſſignatæ ultra Oceanum, in loco imbribus, ventis, cœteriſque Cœli intemperiis libero, ubi naturali felicitate donantur; quod ab illis eadem ferme idea traditur, ac a Poetis Græcis Elyſia arva deſcripta ſunt. Viciſſim autem impiorum animas relegari dicunt in loca horrida,
E & Cœli inclementiæ expoſita, ubi æternis ſuppliciis cruciantur. Ita plane de Infernis ſcripſere Poetæ, quo in loco cruciantur Tantali, Ixiones, Syſiphi, & ſceleſti quicumque, dignas criminibus ſuis pœnas luentes.

Prophetiæ dono inſignes plures inter illos clarent, eorumque vaticiniis fides aſſeritur ab evento; quemadmodum pluribus allatis documentis demonſtrat Joſephus [4]. Id genti privilegium confert, ait idem Hiſtoricus, tum lectio frequens ſacrorum Librorum & Prophetarum, cum ſanctioris frugique vitæ temperantia. Cœtus eſt inter eos a cœteris aliis in nihilo, præterquam in connubio, quod admittunt, omnibus recentis inſtituti conſuetudinibus, diſtinctus. Uxores

1 Philo l. quod omnis probus liber.
2 Non diſſimile, & aliquid Moyſem præſcripſiſſe Iſraelitis in deſerto legimus in Deuteronomio.
3 Joſeph. loc. cit. 4 Joſeph. Antiquit. l. 13. c. 19. De Juda Eſſeno & l. 15. c. 13. De Manahem Eſſeno.

non ante ducunt, quam prius triennio eorum valetudinem & aptam edendis filiis habitudinem probaverint; conjugio non niſi moderate utuntur adeo, ut ad prægnantes fœminas accedere nefas reputent. Mancipiis carent, quippe qui ſervitutem velut humanæ naturæ irrogatam injuriam reſpiciant [1].

Deum res omnes unice moderantem agnoſcebant Eſſenii, nihil abſque ejus nutu & decreto fieri unquam contendentes [2]. Omnia fato ab illis tribui, nihilque ſine fato diſponi, alibi Joſephus ex illis teſtatur [3]. Huic repugnanti teſtimonio conciliando nullam aliam invenit rationem Serarius [4], quam ut fati nomine nihil aliud deſignatum a Joſepho credat, niſi abſolutum Dei decretum, quo juxta cujuſque naturæ indolem ſingula moderatur; ut proinde nihil contra liberi arbitrii jura diſponat. Reſpondet eorum Secta Pythagoricis apud Græcos [5], ſive *Pliſtis* apud Dacus [6]. Quid *Pliſtarum* nomine intellexerit Joſephus, ignoratur, nec facile ſana eſt ejuſdem Textus lectio. Quare legendum *Ctiſta* ſuſpicatur Serarius, qui nomine Sacerdotes quidam apud Thraces [7], cœlibem vitam agentes innoteſcunt.

Quamquam Hebræorum omnium religioſiſſimi erant Eſſenii, nec Templum frequentare cum cæteris volebant, nec ſacrificia offerre cruenta, ſaltem in loco ſancto; ita enim Joſephus & Philo inter ſe conciliantur. Philo etenim l. Quod omnia probus liber, pag. 876. diſerte aſſerit, nullas unquam ab illis victimas immolari, ſed puras & diligenter paratas animas Deo offerri; Joſephus vero Antiquit. l. 18. c. 2. narrat, nullas quidem ab illis in Templo offerri victimas, metu, ne aliorum hominum forte ibi verſantium commercio macularentur. Satis habebant eo munera ſua mittere, atque conſecrare, veluti grati animi erga Deum ſui pignus & monumentum.

Ad 4000. circiter Eſſeniorum per univerſam Judæam diſperſa Philo loco citato commemorat. In ſuperioribus Engaddi certas eorum ſedes aſſignare Plinius viſus eſt [8], tradens inſuper, palmarum, quarum eſt ingens eo loci ubertas, fructibus victitaſſe. Docet tamen Philo, pluribus in Urbibus vicisque certas gentis ſedes manſiſſe; moram autem libentius in agro traxiſſe quam in urbibus, perſuaſos commercium hominum plus eſſe animabus periculi, quam corporibus corrupti aeris reſpiratio. Agriculturam colebant, & alia quæcumque pacis quietiſque opera, quibus nec ab amore ſolitudinis, nec ab ea vitæ puritate, cui ſtudebant, abſterrerentur. A mari longius ſedes conſtituebant, ait Plinius, quod ſibi periculi plurimum imminere intelligerent ex commercio, maritimis in locis frequenti.

Nec Logicæ nec Phyſicæ operam dabant, teſte Philone loc. citat. quamvis, authore Joſepho de bell. lib. 2. cap. 12. non incurioſi verſarent Veterum Libros, unde plurima de virtutibus ſimplicium, radicum, & alia hujus generis remedia addiſcebant. Eorum tamen ſtudia omnia ad moralem facultatem comparandam Legeſque Moſaicas collimabant, cujus Legis lectioni potiſſimum dies Sabbati ab ipſis devota. Porro die Sabbati in Synagogam convenientes, ſuoque ſinguli aſſidentes loco, ſeniores ſupra juvenes, & illi viriſſim ſuo ordine, unum e cœtu legentem volumen Legis, & alterum lectionem illam interpretantem, ſymbolica plerumque allegorica, & parabolica pro veteri more ratione, auſcultabant. Inſtruebantur potiſſimum in pietate, juſtitia, œconomia, politica, amore Dei, proximi, & virtutis.

Tres erant Eſſeniorum claſſes: prima eorum, qui ſibi connubium interdicebant; ſecunda, quorum permiſſus connubii uſus, non ſine cautionibus, ſupra a nobis deſcriptis; tertia Eſſeniorum contemplationi unice vacantium, quorum mores & diſciplinam ſub *Therapeutarum* nomine deſcribit Philo in libro *de vita contemplativa*; quique Ægyptum pro majori ſuorum parte incolebant, & Chriſtianos habendos Patres Eccleſiæ arbitrati ſunt. Hæc veterum ſententia noſtra ætate iterum reviait, & plures virorum doctorum calamos exercuit, ad quos Lectores remittimos.

Tandem cœtus erat fœminarum, idem inſtituti genus profitentium, quemadmodum Joſephi & Philonis teſtimonio conſtat. Eadem illis data proportione erat inſtituendi tyrones, ſeque ipſas exercendi ratio. Nec deerant inter Therapeutas virgines, & fœminæ, etiam provectioris ætatis, continentiam ſectantes; inſtitutionibus die Sabbathi aderant, in loco tamen a viris intermedio pariete trium vel quatuor cubitorum diſcreto, ut audire quidem vocem loquentis, virorum autem proſpectum habere non poſſent. Communi etiam menſæ aſſidebant; viri quidem ad dexteram, fœminæ ad ſiniſtram, ſtrato cuidam rudi craſſoque aſſidentes. Uxoribus Eſſeniorum idem vitæ genus cum viris præſcriptum.

Mirari ſubit, cur neque in Evangelio, neque in aliis Libris N. T. ne veſtigium quidem ejus ſectæ occurrat, qua honorificentius nihil in tota Judæorum religione, nihilque magis in tota regione celebratum. Quomodo fieri poterat, ut ejus probitatis viri non certatim ad Jeſum Chriſtum accurrerent? Cur nemo unquam illorum ſacra Chriſtianorum amplexus narratur? Profecto ſi Jeſu Chriſto neceſſarii fuiſſent homines longo virtutum ſtudio excoltiſſimi, in Legis & Prophetarum ſcientia verſatiſſimi, nemo aptior, quam Eſſenii ad Apoſtolatum vocari poterat. Verum alia illi ſuerant conſilia, voluitque ita religionem Chriſtianam conſtituere, ut humanum aliquod opus videretur. Quare aptiſſimos ſibi a ſe præſtituto viros elegit.

Ad hæc, Evangelium in locis ab Eſſeniis frequentatis annunciatum fuiſſe non ſatis apparet; neque enim in Ægypto, ubi pro majori ſui parte degebant, fides Chriſti annunciata eſt ab ipſo fidei authore Jeſu, ut proinde nihil de illis haberi in Evangelio facile intelligamus. Nec S. Paulus, cujus unius tantum prædicationis hiſtoriam literis mandatam habemus, eam regionem unquam diſcurrit. Poſt Chriſti Aſcenſionem plures Eſſeniorum victas fidei manus tradidiſſe non inviti cenſemus; nihilque mihi niſi probabiliſſimum apparet in ea Patrum ſententia, quæ Therapeutas primam Ægypti Chriſtianitatem conſtituiſſe arbitratur. Profecto ad eorum normam prima in Eccleſia Cœnobia conſtituta ſunt, & inter Ægypti Fideles plura etiam ſpectantur veſtigia veteris Eſſeniorum diſciplinæ.

ARTICULUS IV.

De Herodianis.

OBſcuriſſima eſt Herodianorum origo, quamquam recentiorem eſſe Sectam, nec niſi poſt initum ab Herode Magno Judææ Regnum cœptam, ſatis conſtat. Neque apud Joſephum, Philonem, & alium coævum Authorem ſub illo Herodianorum nomine, quo in Evangelio non ſemel appellantur, innoteſcunt. Apud S. Matthæum & Marcum una cum Phariſæis capiendi Chriſti conſilium agitant Matth. 22. 16. Marc. 12. 14. quod item alia vice in Capharnaum ab ipſis præſtitum eſt Marc. 3. 6. Cavendum a fermento Phariſæorum & Herodianorum Jeſus Chriſtus edicit; quibus verbis inſinuantur dogmata *Herodis* [9], ſive *Herodianorum*, juxta plura Mſs. ſedulo vitanda [10]. Poſt obitum Jeſu Chriſti nihil de illis ſive in Actis, ſive in Apoſtolicis Scriptis, unde facilis conjectura, Sectam illam & numero hominum & nominis celebritate atque potentia multum reliquis conceſſiſſe.

Sunt

1 Joſeph. Antiquit. l. 18 c. 2. Ita Philo l. Quod omnia probus liber,
2 Joſeph. Antiquit. l. 18. c. 2. 3 Idem l. 13. c. 9. 4 Serar. tribæreſ. c. 4. art. 2.
5 Joſeph. Antiquit. l. 15. c. 13. 6 Joſeph. Antiquit. l. 18. c. 2.
7 Strabo l. 7. 8 Plin. l. 5. c. 17. *Infra hos Engadda oppidum fuit,*
9 Marc. 8. 15. 10 Vide Var. lection. in N. T. Millii,

Sunt autem de Herodianis ſeptem vel octo variæ Authorum ſententiæ. Veteres inter ſe, inter ſe pariter & Recentiores ea in re committuntur. Plurium ſententia tenuit, ideo Herodianos dictos, quod in Herode Meſſiam agnoſcerent. Sed quis Herodes iſte? multi enim ejus nominis Principes in Judæa regnarunt: quem vero hæretici illi Meſſiam crederent, non ſatis convenit. Porro Judææ Regnum tres Herodes, a quibus Herodianorum nomen repeti poſſet, tenuerunt. 1. *Herodes Magnus*, qui paulo poſt Chriſtum natum diem clauſit. 2. *Herodes Antipas*, prioris illius filius, qui in Galilæa regnavit, neci Joannem Baptiſtam tradidit, atque Jeſum Chriſtum capere molitus eſt. 3. *Herodes Agrippa*, nepos Herodis Magni, nece S. Jacobi Epiſcopi Jeroſolymitani, atque carcere S. Petri, ac tandem morte illi cœlitus immiſſa, dum Cæſareæ B verba pro concione diceret, in Actis notus.

S. Epiphanius in hæreſ. Herodian. S. Hieronymus contra Luciferian. & Author Additionum ad Librum de Præſcriptionibus Tertulliani, ſicut & Recentiorum plures [1] autumarunt, Herodianorum nomen ex priori illo Herode, quem veluti Meſſiam habuerint, derivandum. Cum enim ejus ætate in expectationem novi Regis univerſa erigeretur Judæa; cum una eſſet totius Orientis expectatio, de Liberatore nempe & Rege per univerſum orbem regnaturo; cum juxta Jacob oraculum ſceptrum e manibus Juda excidiſſet Gen. 49. 10. in eam venerunt opinionem, num Herodes ipſe, Rex alioqui ſtrenuus, felix, magnificus, Imperatoribus, & maxime fortunę charus, ipſe eſſet quem venturum opperirentur. Porro Rex ille legibus Moſaicis deferebat plurimum, & licet in multis adverſus illas peccaret, neceſſitate tamen colendi Romanorum amicitiam [2], penes quos tunc temporis ſumma erat rerum poteſtas, factum excuſabat.

Adhæc Herodes, Princeps ſi quis alius ambitioſiſſimus, potuit adulatorum aſſentationibus in eam facile opinionem venire, ut ſe ipſum tanquam Meſſiam ingereret, & quamquam alioqui minus in ea re aſſentatoribus illis crederet, e re ſua eſſe facile arbitrabatur, ut eam de ſe opinionem in Republica gubernanda ſibi maxime utilem foveret. Aſſerunt pariter, flammis ejus juſſu abſumpta fuiſſe Tabularia, ubi genealogiarum documenta ſervabantur; ne de Davidis domo, unde Meſſiam proditurum norant omnes, aliquid ulterius noſceretur. Nec modice huic opinioni confert ſumma Regis circumſpectio in omnia, a quibus periculi aliquid ſibi imminere intelligeret, quemadmodum ex Innocentium cęde demonſtratur. His ſimul omnibus perſuaſus, Meſſiam ſe credere, vel ſaltem credi ab aliis non invito facile paſſus eſt.

De feſto quodam Herodis Romę, non ſine luminaribus, ingentibuſque compotationibus in honorem Herodis, hęc legas apud Perſium ſatyr. 5. v. 180.

Herodis venere dies, unctaque feneſtra,
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.
. . . . Tumet alba fidelia vino.

Porro feſtum illud a Judęis in honorem Principis, quem Meſſiam crediderint, celebratum aliqui autumarunt [3]. Malunt alii referre ad Nepotem ipſius ex filio, Herodem nempe Agrippam, virum Caligulę, E Claudii, & Neronis favore potentem. Placet aliis nomine Herodis a Poeta Judęorum gentes omnes deſignari [4]. Aliud Herodis feſtum conſignatur in Veteri Calendario Hebræorum, in quo hæc legas: *Feſtum ſeptimi Caſleu* (menſis eſt Novembris) *pro obitu Herodis, quod ille Sapientes odio inſectaretur; lætantur autem coram Domino, cum impios e mundo faceſſere contigerit;* A *ſcriptum eſt enim, Manus Domini contra eos, ut eos educat ex agro.*

Ne quid autem moremur in demonſtrando, Herodem Magnum diem claudere non potuiſſe menſe Novembris, conſtat ſane, publicam hanc lætitiæ ſignificationem in odium Principis, & ſævæ illius indolis deteſtationem potius quam in ejus honorem indictam. Quare ab iis plane decerni non potuit, qui Herodem tanquam verum Meſſiam habendum cenſuerunt; ſed a Phariſæis potius, quorum viros Principes Herodes perſecutus eſt [5]. Porro nullus e Meſſiæ characteribus Herodi inerat; nec vita, nec obitus viri vulgatæ huic opinioni favebant. Tyrannum enim egerat, libertatis Judaicæ oppreſſorem, qui tantum religioni deferret, quantum rebus ſuis conferre intelligeret. Terribili mortis genere oppreſſus eſt, quæ ultionis Divinæ præſentiſſima animadverſio a Judæis reputabatur [6]. Adverſus illum legatio e Judæa Romam miſſa, quam augebant querelis ſuis 8000. Judæorum Romæ verſantium, rogantibus omnibus ut Præſidis alicujus Pagani potius jugum ſubirent, quam alicujus ex filiis Herodis [7].

Non erat hoc plane Meſſiam, & Liberatorem Iſraelis agnoſcere; & quando aſſentatorum artes adeo valuiſſent, ut novam hanc opinionem aliquibus inderent, parvam hanc virorum manum facile poſt ejus obitum diſſipaſſet evaneſcens tunc Principis metus, & ſpes omnis favoris ipſius præciſa. Quare nihil de illa auditum credi par eſt anno 33. vel 35. Jeſu Chriſti. Tandem nunquam in animum inducimus, Herodem, ſi C Meſſiam eſſe ſibi perſuaſum habuiſſet, viros doctos in adventu Magorum coram ſe acciturum fuiſſe, ut de patria Meſſiæ diſquirentes audiret Matt. 2. 4.

Secundus Herodes, quem Principem Herodianorum, tanquam Meſſiam ab illis habitum, aliqui reputarunt [8], ipſe Antipas Galilææ Tetrarcha. Vir fuit ſi quis alius ambitioſiſſimus, a quo fœdus cum Sejano adverſus Tiberium initum, convictus pariter conſtructi, inſtructique armamentarii 70000. viris armandis [9]. Calliditatem ejus ſuggillans Chriſtus, *vulpem* appellat [10]. Fortunæ Romanorum Imperatorum ſtudere ſe adeo affectabat, ut in nummis hunc ſibi titulum vindicaret: *Amicus Imperatoris Claudii* [11]. In vivis adhuc egiſſe facile credimus, quo tempore Jeſus Apoſtolos monebat Marci 8. 15. ut ab *Herodis fermen-* D *to* caverent. Immodica tandem, qua ferebatur, ambitione, Romam Regio ſibi titulo poſcendo delatus, expeditionis ſuæ infelicem exitum nactus eſt [12]. Lugdunum enim extorris actus, diem ibi clauſit una cum Herodiade fœmina ſceleſtiſſima, quam a priori viro Philippo fratre ſuo adhuc ſuperſtite, & patre ex eadem uxore puellæ nomine Salomes, abripuerat.

Hæc rerum Herodis cataſtrophe non ſatis congruit cum Judæorum de venturo Meſſia idea & præjudiciis. Genus Herodis inſectabantur, raptum Herodiadis, Joannis Baptiſtæ necem adeo deteſtatos illos conſtat, ut his criminibus nihil a Meſſia alienius crederent. Anguſtis continebatur limitibus tota Herodia ditio; E cum interim Hebræorum expectatione Meſſias venturus eſſet tanquam Rex potentia, virtute & gloria florentiſſimus, jugo ſervitutis oppreſſam gentem relevaturus. Nihil tale de Herode ſive narrator, ſive ab illo ſuſcipiendum expectabatur.

Philaſtrius de hæreſib. Prateol. Elench. hæreſ. no. 14. aliique nonnulli autumarunt, Herodem Agrippam a Caligula Judææ Regem conſtitutum, nomen dediſſe ſuum Herodianis; ſed nihilo illi feliciores in ſua hac conjectura. Herodiani ante Agrippæ Regnum in Evan-

1 Vide Nicet. Choniat. Theſaur. Orthod. l. 1. cap. 34. Baro. Apparat. n. 5. Iſaac. Voſſ. de Sybillin. Oracul. Grot. in Matth. 22. alios. 2 Ioſeph. Antiquit. l. 15. c. 12.
3 Cornut. in Perſium. *Herodis diem natalem Herodiani obſervant, ut etiam Sabbathi.*
4 Petit Var. lect. cap. 18. Vitringa de Synag. lib. 1. cap. 9.
5 Ioſeph. de Bello Iudaico l. 1. c. 21. 6 Ioſeph. de Bello l. 1. c. 21. p. 772. 773.
7 Idem Antiquit. l. 17. c. 12. 8 Baſnag. Hiſt. Iud. l. 3. c. 8. n. 8. 26. 17. Gallice. Ita Theophylact. Euthym. 9 Ioſeph. Antiquit. lib. 18. cap. 9. 10 Luc. 13. 32.
11 Apud Harduin. 12 Ioſeph. Antiquit. lib. 17. cap. 9.

Evangelii innoteſcunt ; rerum enim potitus eſt Agrippa tribus, vel quatuor annis poſt Jeſu Chriſti deceſſum. Sectatores habuit plane nullos, nec ulli unquam venit in mentem, ut Meſſiam illum reputares, quo tempore intra privatæ fortunæ terminus tanquam invitus Tiberio Princeps continebatur [1]. Deſerenda igitur hæc ſententia, quippe quæ nullo fulcitur argumento.

Recentiores nonnulli [2] e Saducæis repetendos Herodianos cenſuerunt; alloquens ſane Chriſtus Marc. 8. 15. Diſcipulos, ait: *Cavete a fermento Phariſæorum, & a fermento Herodis*: quæ verba ita reddit S. Matthæus 16. 6. *Cavete a fermento Phariſæorum, & Saducæorum*. Nomina igitur Herodis, ſive Herodianorum, ac Saducæorum tanquam unam eandemque gentem deſignantia indiſcriminatim uſurpantur.

Veritatis iſta quidem ſpeciem præſeferunt, non tamen uſque adeo convincunt. 1. Potuit Herodes Saducæam ſectam profiteri, abſque eo quod ſectæ illi nomen darent Herodiani. 2. Poſuit Jeſus Chriſtus de Phariſæis, Herodianis, & Saducæis egiſſe; cum interim S. Marcus omiſſum nomen a S. Matthæo reſtituerit; ac viciſſim S. Matthæus vocem aliquam expreſſerit a S. Marco neglectam. 3. Saducæi partes faviſſe putarent Herodi, abſque eo quod Saducæiſmum ille profiteretur. 4. In Evangelio tandem Saducæi ab Herodianis aperte diſtinguuntur; quo enim capite narratur, Saducæos, & Herodianos ad capiendum in ſermone Jeſum veniſſe, poſt aliquos verſiculos additum eſt: *In illo die acceſſerunt ad eum Saducæi, qui dicunt non eſſe Reſurrectionem, & interrogaverunt eum*.

Quis porro credat unum eundemque Scriptorem intra ſeptem, vel octo linearum ſpatium eaſdem gentes variis deſignaſſe nominibus, eoſdemque, quos paulo ante Herodianos nuncupavit, deinde verſ. 22. Saducæorum nomine deſignaſſe, tum & dogmate diſtinxiſſe?

Author Operis Imperfecti in Matthæum ex Paganis Herodi Antipæ ſubjectis Herodianos derivat. Sed Phariſæos cum Paganis conſilium capiendi in verbis Jeſum agitaſſe quis credat? Nunquam ſane legimus, Paganos molitionibus Judæorum adverſus Jeſum Chriſtum implicitos.

Demonſtrandum ſibi Druſius ſuſcepit [3], Herodianos potuiſſe facile e Græcis illis acciri, quos Herodes in deſerto nactus Jeroſolymam adduxit, ibique per familias propagati ſunt. Sed Druſius vocem Hebræam *Jonim* de hominibus uſurpavit, cum aliuqui columbas deſignet, quas eicoratas, ac domeſticas Rex Herodes Jeroſolymis habuit, ibique genus avium ſingulare perpetuarunt.

Pleriquе Patrum autumarunt [4], Herodianos appellari ſatellites, milites, cæteroſque Herodem comitantes. Porro Rex ille Feſtum eo anno Paſchale Jeroſolymis celebrabat, quemadmodum ex S. Luca 23. 7. 8. conſtat; eodemque pariter Jeſus advenerat. Flagrabat autem Herodes deſiderio videndi Jeſum, in quem mala agitaſſe conſilia legimus Luc. 13. 31. 32. Quare ejus ſatellites volentes Principis, & ſuo pariter genio, atque livori obſequi, ſive ut gratiam Phariſæis præſtarent, Jeſum tentaturi in re maxime ardua, de ſtatu nimirum rerum præſentium, convenerunt, quærentes, num tributum ſolvere Romanis fas eſſet. Solemne fuit apud Veteres, ut famulis & aulæ Principum Præfectis deducta e Dominis ſuis nomina tribuerentur. Nota ſunt nomina Pompejanorum, Cæſarianorum, & Germanicianorum; eodemque pariter conſilio domeſtici Herodis Herodiani facile appellati ſunt.

Hæc plauſibilia ſunt adeo, ut niſi Herodiani alias etiam paruiſſent, nulla probabilior occurreret ſententia. Sed alibi etiam Herodiani, aliis temporum circumſtantiis locisque ſe produnt, ubi neque Regis neque Regiæ aulæ veſtigia ulla. Ubique autem, cum de Herodianis ſermo, conſtitutæ jam ſectæ, & in regione ſubſiſtentis, & dogmatum ſingularitate a Phariſæis, Saducæis, atque Eſſenis, diſtinctæ ſpecies apparet; quare Jeſus caverent ſe ab eorum opinionibus, Diſcipulos admonuit [5].

Maluerunt nonnulli [6], Herodianos gentem fuiſſe politicam, quæ Romanorum & Herodis dominationi faveret, contendentes adverſus alios Judæos, quos nimios libertatis ſuæ amor tenebat, indicta a Romanis & Herode vectigalia omnino ſolvenda. Invidiæ in illos creandæ gratia Herodiani appellati, quemadmodum ſi forte in Republica duæ civium factiones diſſentiant, alii *Regiorum* appellarentur, alii *Republicanorum*, ſive *libertatis fautorum*. Deſiderantur tale endo huic ſyſtemati argumenta. Quod etiam adſtruunt, illud maxime demonſtrandum eſſet, nimirum Herodianos pro vectigalium ſolutione ſtetiſſe, cum potius adverſæ opinionis fautores a nobis reputentur.

S. Juſtinus Martyr, Dial. cum Tryph. autumavit, Herodianos faviſſe Herodi, non tanquam Regi, ſed tanquam Summo Sacerdoti. De ſacra illa Herodis dignitate ne verbo quidem apud Joſephum, nec ille quidem ad ſacram Aaronis familiam pertinebat. Sed Strabo l. 16. mira confidentia rem illam affirmat; nec latet Herodem Magnum poſt obitum Ariſtobuli fratris uxoris ſuæ de Sacerdotio pro ſuo arbitratu diſpoſuiſſe, modo aſſumentem, modo pro arbitrio Sacerdotes exauthorantem.

Quando tamen Herodes ſatis validam Judæorum manum præſto habuiſſet, quorum favore legitimus Summus Sacerdos aſſereretur, quod ſane prorſus ambiguum eſt, & dubium; ipſa tamen Herodis morte omnis illa factio evanuiſſet, vel ſane 33. integris poſt ejus obitum annis nunquam permanſiſſet, quo tempore Herodes nepos Herodis Magni nullum ſibi in Summum Sacerdotium jus arrogabat; omnia enim arbitratu Præſidum Romanorum, jura in provincia dantium, diſponebantur.

Poſt expoſitas & refutatas diverſorum opiniones de Herodianis, noſtra tandem promenda, in qua hæc potiſſimum congruere neceſſe eſt. 1. Illud laborandum, ut ſententia eligatur, quæ Herodianorum ſectam a Phariſæis, Saducæis, & Eſſenis diſtinguat. Nemo ſane illos cum Phariſæis & Eſſenis confundendos cenſuit; a Saducæis quidam deducentes, a nobis in ſuperioribus argumentis revicti ſunt. 2. Herodianorum nomen ſatis indicat, nonniſi poſt Herodis Regnum genus illud hominum paruiſſe. 3. Mutuo cum Phariſæis fœdere, quibuſcum ſemper in Evangelio junguntur [7], conveniſſe. 4. In partes veneraut illius controverſiæ, num vectigalia Romanis pendenda eſſent. 5. Moralia ſectæ dogmata, tanquam pernicioſiſſima, cavenda Jeſus Chriſtus edixit.

Profecto omnia iſta nemini melius, quam Diſcipulis Judæ Gaulonitæ ſive Galilæi quadrant. Secta erat hominum in regione notiſſima, cujus eſt apud Joſephum Antiqu. l. 18. cap. 1. 2. ſermo. Author ille, poſtquam Phariſæorum, Saducæorum, & Eſſenorum mentioniſſet; quartam aliam Philoſophorum apud Judæos innotuiſſe ſectam, Juda Galilæo authore, narrat; ejus miram fuiſſe addit cum Phariſæis in omnibus quidem conſenſionem, excepto tantum libertatis amore, quo tenebantur adeo, ut Deum unice Dominum & Principem agnoſcendum eſſe, cui tantummodo parendum, contenderent.

Florebant maxime, quo tempore Jeſus Chriſtus in Judæa Evangelium annunciabat; cujus Authorem Judam Galilæum tunc in Provincia verſatum, cum Auguſtus cenſum indixiſſet, Gamaliel in Actis 5. 37. teſtatur.

---

1 Joſeph. Antiquit. l. 18. c. 8. 2 Vide Harduin. de Nummis Herodiad. pag. 97. Not. Critic. in N. T. & Hammon. Ligfoot. hor. Hebr. Faber, Grot. 3 Druſius in præteritis. Ex Libro Aruch.
4 Chryſoſt. Hieronym. Druthmar. hic. Syr. Janſ. Varab. Eraſm. Gerard. Hammond. Scalter. Natal. Alex. hic.
5 Vide Marc. 3. 6. & 8. 15. 6 Origen. in Matth. tom. 17. Grot. Maldon. Ligfoot. Menoch. Vide & Cyrill. Alexand. l. 2. in Iſai. c. 31. & Theophylact. in Matth.
7 Matth. 22. 16. & 12. 14. Marc. 3. 6. & 8. 15.

Digitized by Google

ſtatur. Joſephus ſectas Judæorum in genta ante captam urbem Jeruſalem obtinentes deſcribens, Judę ſectatores non ſilet. Verum poſt everſam Urbem & Templum, deſolatamque provinciam, ad eas anguſtias redactus eſt populus, ut deliberandum ſibi ultra, num ſolvendum eſſet Romanis tributum, non maneret. Quare ſecta illa penitus diſſoluta eſt, ut ne nomine quidem poſthac exaudiretur.

Herodianorum indolem veluti depingit S. Matthæus 22. 16. 17. hæc illorum ad Jeſum Chriſtum verba referens: *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum*. Immodicis laudibus animum Jeſu Chriſti capere tentant, altum & magnanimum poteſtatum contemptum illi tribuentes; eam illi appingentes, qua ipſi erant, animi habitudinem, qui parati eſſent omnia potius ſubire, quam Domini nomen aliis quibuſque, uno excepto Deo, tribuere.

Sciſcitantur deinde, quod maxime capitale ipſorum dogma eſt, & ſectæ indolem demonſtrat: *Licet ne tributum dare Cæſari, an non?* Quibus ea repoſuit Jeſus Chriſtus, ut ſatis inſinuet, in hac quæſtione negantem illos ſententiam tueri. *Reddite*, ait, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*. Aliud illi profecto expectabant, quam ut ad ſolvendum tributum, & manendum in fide Romanorum ſuaderet. Hoc plane reſponſum Phariſæos non tetigit; ſcitum eſt enim Joſephi teſtimonio, dogma illud de Regis titulo atque authoritate nemini præterquam Deo afferenda, peculiare fuiſſe Diſcipulorum Judæ Gaulonitę, quo uno a Phariſæis, in aliis omnibus ſummo conſenſu convenientes, diſtinguebantur.

A ſtructa in illum accuſatio, quod ſeditioſo vir ſpiritu populos in defectionem ſollicitaret, negans tributum a Cæſare indictum ſolvi oportere, uno verbo Herodianorum in illum invidia creata. Galilæos illos, quorum cruore Pilatus ſacra funeſtavit, ſectatores fuiſſe Judæ Gaulonitæ ſuſpicamur; illos autem ſevera animadverſione puniendos tradidit Præfectus quod ſeditioſum ipſi fiſſent in dominationem Romanorum murmur Luc. 13. 1.

Sed cur Joſephus, apud quem frequens de ſectatoribus Juda ſermo, nonquam tamen *Herodianos* illos appellavit? Reſpondeo, 1. Nunquam ipſorum nomen, quale fuerit, Hiſtoricum illum docuiſſe; nunquam enim viros deſignat niſi generali Diſcipulorum Judæ Gaulonitæ titulo; nullum itaque ex ejus ſilentio de nomine Herodianorum ſatis certum argumentum deducetur. 2. Nomen illud facile novoiſi per contemptum Sectæ inditum eſt, quod proinde ipſi refugerent, neque Joſepho ſcriptis prodere viſum eſt. 3. In ejus opere de bello deſignantur nomine *Zelotum*, ipſis enim authoribus igitur ille ſeditionis, & belli Judæam exarſit, qua tota demum provincia abſumpta eſt [2]. Sed nomen illud Zelotum nunquam adeo obtinuit, ut ſectæ univerſæ tribueretur. Notiſſimum aliud, quo maxime vulgo appellabantur, Evangeliſtæ uſurparunt.

B

Opinatur S. Hieronymus in Tit. 3. floruiſſe adhuc in Judæa ſectam, cum S. Paulus Epiſtolas ſuas ſcriberet; id autem in cauſa fuiſſe cenſet, cur Apoſtolus tanta ſedulitate atque diligentia fideles tam ex Judæis quam ex Gentibus inſtruendos ſuſciperet, ne quid debito in Principes ſæculares deeſſent [3]. Eodem ſpiritu animatus S. Petrus Apoſtolus [4], adverſus hanc Herodianorum perſuaſionem Chriſti ſectatores præoccupat. Porro ſanctiſſima illis viris numquam exciderat e mente monitum Jeſu Chriſti, cavendi nempe a fermento Herodianorum [5]. Tandem S. Hieronymus non ambigens quidem aſſeruit [6], Diſcipulos Judę Gaulonitę rogatum veniſſe Jeſum Chriſtum: *Licet ne cenſum dare Cæſari, an non?* Quibus Jeſus: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*.

C Nomen autem Herodianorum ex Herode facile, e cujus ditione tamquam Galilæi cenſebantur, ſectę inditum eſt. Poſtulaverant alii e provincia Judæi a Tiberio, ut detracto e collo dominationis Herodis jugo, Romano Præſidi ſubmitterentur [1]; Galilæi in fide Herodis manſerant, qui omnes de Herodianorum dogmate ſuſpecti habebantur, & tanquam gens omnium pernicioſiſſima Jeroſolymæ cavebantur. Cum Jeſus Chriſtus ad Pilati tribunal raptus eſt Luc. 23. 2. 5.

D I S S E R T A T I O
DE BAPTISMO.

TRia Baptiſmatum genera in Sacra Scriptura diſtinguuntur; Judæorum, Joannis Baptiſtę, & Jeſu Chriſti. Primum illud ſacra erat cæremonia, qua ſe ad ſanctam aliquam actionem præſtandam compararent, ſive maculam aliquam eluerent, ſive recipiendum Proſelytum diſponerent. Secundum Baptiſmi genus homines ad obtinendam remiſſionem peccatorum per criminum confeſſionem & pœnitudinem, a religioſa illa cęremonia non disjunctas, pręparabat. Tandem Jeſu Chriſti Baptiſma & remiſſionem criminum & juſtitiam atque gratiam S. Spiritus conferebat; priora illa duo Baptiſmata ſumma quadam eminentia continebat, augebat, perficiebatque. Quare ut totum ejus meritum & excellentiam aſſequamur, abs re futurum non arbitror, ſi de duobus illis Baptiſmatibus aliquid impręſentiarum agatur, quod in hac Diſſertatione noſtra ſuſcipimus.

ARTICULUS I.

Baptiſma Judæorum.

PUrificationes, luſtrationes, & baptiſmata uſpiam nullus in univerſo Orbe populus ignoravit; quæ enim omnium mentes tenebat de Summi Numinis maje-

D ſtate atque debita ad ejus cultum ſe conferentibus morum ſanctitate, & puritate, idea illud continuo ſuggeſſit, ut purificationem per balnea & luſtrationes puri laticis, ignis, vel thuris exigerent. Judæorum tamen in ea re gens cæteris religioſiorem ſe præbuit. Qui ſe recipiendæ a Deo Legi in monte Sinai, non ſine ingentis Majeſtatis ſignificatione deſcendente, diſponeret, accedere juſſi ſunt a Moyſe ad radicem montis, loto prius aqua corpore pariter, & veſtibus Exod. 19. 10. Aaron, ejuſque Filii non prius Sacerdotis munera fungi ſunt permiſſi, neque ſacris veſtibus induti quam ut antea puro latice corpus mundaſſent Exod. 29. 4. & 40. 12. Levit. 8. 16. Paria in conſecratione Levitarum legas Num. 8. 6. 7. 8.

Maculæ omnes legales Baptiſmate, & plerumque e-E tiam ſacrificio eluebantur. Sordes quoque naturales virorum & mulierum, tum & communia utriuſque ſexus incommoda, veluti lepra, voluntaria ſive etiam invita ſeminis emiſſio balneo mundabantur Lev. 13 6. 34. & 16. 6. 7. & ſeq. Si quis impurum aliquod animal vivum, vel mortuum, ſive impurum aliquem hominem tetigiſſet, eidem ſubdebatur legis diſpoſitioni: quod etiam cautum eſt de illo, qui tactu victimæ pro peccatis immolatæ Lev. 6. 27. 28. ſeu vaccæ die ſolemnis expiationis mactatæ Num. 19. 7. 8. 21. ſive defuncti

1 Joſeph. Antiquit. lib. 17. cap. 12. pag. 610. 611.
2 Joſeph. Antiqu. l. 18. c. 1.
3 Rom. 13. 1. 2. & ſeq. Tit. 3. 1. 2. & 1. Timoth. 2. 1. 2.
4 1. Petri 2. 13. 14. 15. 16. 17.
5 Marc. 8. 15.
6 Hieron. loc. cit. in Ep. ad Tit. 3.

functi hominis Num. 31. 24. & 19. 14. vel tandem rei alicujus impuræ contactu maculam contraxiſſet. Sed Baptiſmata illa corporis quidem, non animi ſordes eluebant. Alia non fuerat ejus diſciplinæ inſtituendæ ratio; neque enim niſi abluendis legalibus maculis ſancita erat.

Hujus cæremoniæ præſtandæ is erat ritus. Nudatum corpus aqua totum immergebatur; ſeorſum deinde lavabantur veſtes; una ſimul cum veſtibus ſe totus aliquando homines balneo infundebant. Namque & veſtes ſine corpore, & viciſſim, nunquam ablui conſueviſſe, doctrina eſt DD. Judaicorum. Quare cum in Scriptura lavari veſtes præſcribuntur, lotio pariter etiam corporis præſcripta cenſenda eſt, ſicuti viciſſim cum de corpore edicit, de veſtibus etiam diſponere cenſenda eſt.

Baptiſma, quod vocant aſperſionis, vel infuſionis, penitus ignorabant; ſicut & nullus fuit ejus uſus in primordiis Eccleſiæ Chriſtianæ, unice inhærentibus fidelibus conſuetudini apud Judæos, cæteroſque populos receptæ. Porro quæcumque hæc fuerint Baptiſmata, derivata facile ſuſpicamur e luſtrationibus ſive aſperſionibus quibuſdam ſub Lege uſitatis, neque in cæremoniis Paganorum ignotis; in quibus ſcilicet non raro totus cœtus luſtrali aqua, vel ſanguine victimarum expiationis aſpergebatur: *Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ*.

Ejus cæremoniæ exempla ſpectantur apud Moyſem in conſecratione Sacerdotum, Exod. 39. 21. Lev. 8. 11. in Feſto Expiationis ſolemnis, Levit. 16. 14. 15. 19. & 19. 4. &c. cum leproſus receptæ valetudinis oblationem Templo inferr, Levit. 14. 7. 16. 51. in ſacrificiis ſolemnibus pro peccato Principis, ſive populi, Levit. 16. 2. 3. 4. 5. 6. 17. tandem in conſuetis ſordibus contractis, ſive cum præſens ſpectaretur cadaver, ſive cum funera lugerentur; quæ ſane omnia aſperſione aquæ luſtralis, immiſſo cinere vaccæ ruſæ mundabantur. Numer. 20. 12.

Singularis eſt Baptiſmus Proſelytorum. Eo nomine cenſebantur apud Judæos quicumque ad eorum ſacra tranſiiſſent, vel ſaltem in regionem illorum fixas ſedes tranſtuliſſent. Porro poſteriores illi Proſelyti neque ad circumciſionem, neque ad baptiſma adigebantur: modo idololatriam ejurarent, & præcepta quædam, Noemo ejuſque infantibus poſt diluvium, uti quidem opinantur Hebræi, propoſita in ſe ſuſciperent obſervanda. Appellabantur illi *Proſelyti domicilii*, ſicut & alii ad ſacra Judæorum tranſeuntes, *Proſelyti juſtitiæ*. Recipiendo itaque *Proſelyto juſtitiæ* hæc potiſſimum ſervabantur. 1. Circumciſione, niſi forte antea recepiſſet, uti recipere conſueviſſe conſtat Samaritanos, Iſmaelitas, ac Æthiopes, initiabantur; ſi nihil circumciſione opus, ſatis habebatur guttam aliquam ſanguinis e loco circumciſionis educere. Aliquando tamen iteratam circumciſionem erga Samaritanos legimus [1].

Poſt obductum vulnus circumciſionis, Baptiſmate Proſelytus abluebatur, quæ unica cæremonia locum circumciſionis in fœminis obtinebat. Porro aqua partes omnes corporis tangi ita neceſſe erat, ut ſi aliqua non ablueretur, nullum eſſet baptiſma. Reiterari cæremoniam illam nefas, ſolaque immerſione peragebatur. Aderant huic cæremoniæ tres Judices conſtituti, quorum ſi unus tantum affuiſſet, nulla ejus baptiſmatis ratio habebatur. Liberi, ſi quos ante baptiſmum Proſelytus genuiſſet, ab hæreditario jure ſtatim excidebant, niſi ipſi pariter & circumciſionem, & baptiſmum admiſiſſent; cæteri vero poſt hæc nati Iſraelitæ cenſebantur, nec niſi circumciſione initiandi erant. Fœminæ prægnantes, quæ Baptiſmate abluerentur, in privilegii ſui conſortium infantes deinde naſcituros admittebant; ambo enim in cœtum Iſraelitarum adlecti erant.

De origine baptiſmatis non ſatis inter Rabbinos convenit: alii, uti Maimonides, e Moyſe repetunt [2], remotioris antiquitatis autumans Grotius in Matth. 3. 6. obtinuiſſe jam inde poſt diluvium, in memoriam expiati per aquarum affuſionem mundi arbitratur. Sed nihil ea de re ſatis expreſſum in Lege Moyſi univerſa; neque Baptiſmum initiatum Jethro ejuſque familiam [3], vel Ruth, vel Rahab, vel Achior, vel alium quemcumque ex alienigenis Judaicam profeſſionem ſuſcipientibus uſpiam occurrit. Narrans etiam Joſephus de Idumæis, quos invitos ad ſacra Judæorum Hircanus traduxit, de circumciſione quidem ab illis exacta, nihil vero de baptiſmate refert [4].

Sunt qui autumaverint, Judæos cæremoniam hanc ſuam vel e Paganis expreſſiſſe, qui Myſteriis initiandos puro latice abſtergebant; vel e Chriſtianis, qui Religionem JESU CHRISTI profitentibus baptiſmi ſacramentum unice neceſſarium tuentur. Verum & Paganorum, & Chriſtianorum nomen Judæis inviſum erat adeo, ut eorum diſciplinam in ſuos mores transferre ſuſtinuiſſe numquam crediderim. Quare facilius autumaverim, ejus cæremoniæ authores fuiſſe Phariſæos, qui poſt captivitatem Babylonicam plures, ultra præſcriptos a Lege, ritus moreſque invexerunt, & baptiſmus ille, quem a S. Johanne Baptiſta in ripa Jordanis collatum affluentibus undique Judæis legimus, ſatis indicat morem fuiſſe tum temporis in ea gente frequentiſſimum.

Porro Baptiſma Proſelytis collatum ſingularibus privilegiis donant Hebræorum Doctores. Duceat enim Proſelytum eo ablutum, novam, cœlitus immiſſam, recipere animam, novamque ſubſtantiæ ſuæ formam induere, ut in alterum hominem tranſmutetur. Ita quos neceſſarios ante converſionem habuit, converſus dein tamquam alienos reſpicit. Mancipia manumittuntur. Si natis poſt baptiſmum nullis liberis deceſſiſſent, eorum bona primis occupantibus cedebant; qui ante Baptiſmum nati erant parenti filii, illi ab avitæ hæreditatis jure excidebant. Uno verbo, e baptiſmatis lavacro emergentes, naſci iterum, & ad novam reſurgere vitam dicebantur [5]. Quos ſpectaſſe viſus eſt JESUS CHRISTUS, cum ad Nicodemum verba faciens, diceret, oportere eos, qui Diſcipuli ſui fierent Jo. 3. 10. iterum renaſci. Interroganti Nicodemo, naſci iterum ſenex qui poſſet? reſpondit iterum: *Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* i. e. an neſcis Proſelytos circumciſione, & baptiſmate iterum naſci?

De neceſſitate tamen hujus baptiſmatis, ejuſque privilegiis non prorſus inter Rabbinos convenit. Maimonides neceſſarium judicat, ſed neceſſitate præcepti, cujus ex mandato *Domus judicii* præſcripta eſt executio. Alii vero Doctores Maimonide mitiorem doctrinam ſectantur. Legitur in Gemarra tit. Jabimoth. c. 4. eos qui circumciſione quidem non baptiſmo initiantur, ſicut viciſſim qui baptiſmo, & non circumciſione, Proſelytos haberi potuiſſe; quod Patres noſtri inquit, circumciſione quidem non baptiſma obtinuerint, & viciſſim matres noſtræ baptiſmate tinctæ, nulla circumciſione, quam recipere non poterant, initiatæ ſint.

Prærogativas Proſelytorum pro viribus extenuare nituntur Rabbini recentiores. 1. Proſelytis viti alienigenæ macula alte imbibitur, ut ne longo quidem ſæculorum tractu tollatur. 2. Omnibus qua civilibus, qua militaribus muniis in Iſraele obtinendis impares fuiſſe defendunt. 3. Mulieris Proſelytæ interdictæ erant cum Sacerdote nuptiæ. 4. Filii Proſelyti, ex Pagana uxore geniti, de matris vitio Pagani cenſebantur. 5. Si Proſelytis æterni Regni fores reſerantur, in Paradiſum tamen non prius recipi permiſſi, quam ut antea

1 Epiphan. de ponderib. & p. 173.
2 Vide Ligſoot Hor. Hebr. 41.
3 Aſſerit Talmud lib. de repud. ſed nullum ejus dicti argumentum affert.
4 Joſeph. Antiquit. l. 13. cap. 17.
5 Vide Selden. de jure Nat. & Gent. lib. 2. cap. 2. & 3. & lib. 1. de Synedr. cap. 3. Hammond. & Ligſoot.

rea in Infernis 12. menſium ſpatio ſupplicia toleraverint; illis enim vitio vertitur, quod adventum Meſſiæ retardaverint, & perinde habentur quaſi *Scabies Iſraelis* [1]. Creditur etiam peſſimam illorum habitudinem, atque ſanctionum Legis ignorationem, corruptionem in Iſraelem inveхiſſe.

ARTICULUS II.

Baptiſmus S. Johannis Baptiſtæ.

POſt exactam 30. annorum ætatem in eremo, in ſumma vitæ afflictatione atque virtutum, omnium exercitio, ſuccurrit tandem S. Johanni Baptiſtæ, ut propius ad Jordanem accedens, in regione Jericho ſe conſtitueret, tamquam novum Eliam ſe ſe exhibens, zelo nempe, & auſterioris vitæ imitatione [2], ac tandem ipſo externo corporis indumento ſanctum illum Prophetam referens. Eo igitur habitu, & apparatu annunciandam ſuſcepit pœnitentiam, dicens appropinquaſſe jam Regnum Cœlorum; nempe Meſſiam tanta ſæculorum expectatione deſideratum, eſſe jam in limine, Meſſiam ſcilicet, cui Deus *dedit poteſtatem & Regnum, & omnes populi, & Tribus & linguæ ſervient; poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus, quod non corrumpetur.* Adjecit, Principem ſæculi mox venturum, & faciem ſuam gentibus revelaturum. Deum populi ſui criminibus provocatum in ultionem ruere, ipſamque ad radicem arboris ſecurim poſitam eſſe. Verba ſancti Præcurſoris, quibus ſanctiſſimi viri exempla, & virtutes vim augebant, adeo ubique Judæos commovebant, ut a Jeruſalem, & ab omni undique regione confluentes, ad recipiendum baptiſma, exomologeſim criminum facientes, tum & ad recipiendas ejus inſtitutiones venirent. Excipiebat ille omnes, monens, ut dignos pœnitentiæ fructus præſtarent; ad Deum non ſimulato mentis affectu converterentur, omniumque tandem ſtatui accommoda præcepta tradebat.

Nihil frequentius tum temporis, quam baptiſma, quo in aquæ fluentis immerſum corpus abluebatur: obtinebat id maxime apud Judæos, quemadmodum etiam in ſuperioribus demonſtratum eſt. Quare miſſi ad illum Legati a Sacerdotibus, & Optimatibus gentis ſuæ, quæſituri, cujus authoritate baptiſma conferret [3]. Nihil illi interrogandum cenſuerunt ſive de ipſo baptiſmate, ſive de ejus virtute, tati nihil a conſueto apud Judæos Baptiſmate differre. Fatebantur ejuſdem conferendi baptiſmatis facultatem, Chriſti, Eliæ, vel Prophetæ alicujus poteſtati reſervari, abſque eo quod ab alio authoritatem illam reciperent: jus etiam in illud reſervatum eſſe Sacerdotibus notant, quippe quos dignitatis character in tantæ culmine poteſtatis conſtituiſſet. Quibus cum Johannes neque Chriſtum ſe, neque Eliam, neque Prophetam eſſe fateretur ingenue, nec tandem a cœtu Sacerdotum, e Sacerdotali alioqui familia natus, miſſus eſſet, intulerunt illi, *Quid ergo baptizas?* Hiſce interrogationibus nihil aliud repoſuit Johannes, quam vocem ſe eſſe Iſajæ Prophetæ, clamantis in deſerto: *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus* [4]. Adjecit, ſe quidem aqua baptizare, in medio vero ipſorum, ignotum licet, verſari, a quo mox baptiſma S. Spiritus & ignis conferretur.

Porro baptiſmati S. Johannis duo erant ſingularia. 1. Quod cæremoniam illam præcederet pœnitentia, dolor nempe, & commiſſorum criminum deteſtatio, opera ſatisfactoria, & vitæ ad meliora traductio. 2. Baptiſmate ablutos fateri ſimul criminum ſuorum ſcelera; cum enim corporis externa ablutio frequentiſſima eſſet apud Judæos, integrum erat cuique contractam aliquam maculam ſimplici eo ritu abluere. Sed quia a Johanne præſtabatur lotio, perfectior erat cæremonia, quæ media inter Baptiſma Judæorum, & JESU CHRISTI conſtituta ex altero ad alterum duceret, & ritum hunc Judæorum perfectione vinceret, quamquam ab altero Chriſti vinceretur.

Tria hic de eodem Baptiſmate quæruntur. 1. Antemittendorum criminum virtus ipſa eſſet ejuſdem baptiſmi Joannis prærogativa, vel tantum ſimplex haberetur diſpoſitio ad Baptiſma JESU CHRISTI recipiendum. 2. An pœnitentia, quam S. Johannes annunciabat, merus eſſet de peccatis dolor, & ægritudo, intimus dolentis animi ſenſus, qui in externas actiones afflictationis, & operum pœnalium non prodiret. 3. Tandem an criminum confeſſio de ſingulis fieret, ut numerus, & culparum indoles panderetur, vel generatim ſe peccatorem fateri ſufficeret.

Inter baptiſma Johannis, & JESU CHRISTI, magnum a SS. Patribus [5] diſcrimen conſtituitur; quod enim illud tantum promittebat, alterum exequebatur; & ad Baptiſma JESU CHRISTI collatum a S. Johanne Baptiſmus animos hominum diſponebat; ſicut etiam præcepta a Johanne criminum exomologeſis baptiſmo præmittebatur, unde ad JESU CHRISTI alterum via ſtrueretur. Viam enim paraſſe Johannem ad CHRISTUM, ait S. Chryſoſtomus; id poſtulaſſe lotione ſua Præcurſorem, quod nonniſi, a Servatore concederetur, ait Tertullianus. Poſt baptiſma Johannis, neceſſarium adhuc ſupererat JESU CHRISTI baptiſma ad criminum remiſſionem impetrandam, ait S. Auguſtinus [6]: *Quamquam ita credam baptizaſſe Johannem in aqua pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in ſpem remitterentur peccata, reipſa vero in Domini baptiſmo id fieret.* Et in Enchir. de Fide, Spe, & Charitate cap. 49. *Non enim renaſcebantur*, ait, *qui baptiſmate Johannis baptizabantur, ſed quodam præcurſoris illius miniſterio qui dicebat: Parate viam Domino; huic uni, in quo ſolo renaſci poterant, parabantur.*

Quam vero prædicabat Johannes pœnitentiam, non in ſolo criminum dolore conſtituendam eſſe, ipſe ſatis inſinuat illis ad Phariſæos verbis Matth. 3. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ, & ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham.* Fruſtra enim hæc omnia obtenderetis; fruſtra aquarum hoc latice abluemini, niſi dignos pœnitentiæ fructus promatis. Qui pœnitentiæ fructus, niſi corporis afflictationes, jejunia, labendi in peccata diſcriminum fuga, opera pœnalia, cilicia, accubatio in cinere, lacrymæ, interdicere ſibi vitia omnia, & voluptates; hanc enim de pœnitentia ideam Scripturæ, & Patres ſufficiunt? Hiſce ſibi veniam criminum ſuorum David obtinuit, 2. Reg. 12. 16. Pſal. 50. hiſce Ninivitæ imminentem in caput ſuum ultionem averterunt, Jonas 3. 6. 7. 8. Eſther, & Mardochæus lata adverſus Judæos in tota Aſſueri ditione ſparſos edicta ſuppreſſerunt, Eſther 4. 1. 2. 3. 16. 17. Ita ploravit Daniel crimina populi ſui, Dan. 9. 3. 4. nec aliam regrediendi ad Deum viam Joel Iſraelitis conſtituit Joel. 2. 12. 12. 13. Tandem nihil aliud ingeſſit S. Johannes in tota vitæ ſerie, nihil in externo corporis ſui habitu præſetulit, ait S. Johannes Chryſoſtomus hom. 10. 11. in Matth.

Porro homini lethaliter vulnerato non ſatis eſt ferrum e vulnere extrahere, niſi pariter opportuna vulneribus obducendis remedia afferantur. Ita pariter, ait idem S. Doctor Hom. 10. non ſatis eſt commiſſi antea criminis conſuetudinem præcidere, ſed bona ma-

---

1 Vide Baſnag. Hiſtor. Jud. l. 7. cap. 9. art. 12. Axioma eſt Hebræorum: *Proſelyti ſunt noxii Iſraeli ſicut ſcabies.* 2 4. Reg. 1. Matth. 3. 3 Joan. 1. 19. 20. 23.
4 Iſai. 40. 3. 5 Chryſoſtom. hom. 10. & 11. in Matth. & hom. 24. primi tomi pag. 312. 313. Tertull. lib. de Baptiſm. pag. 260. *Agebatur itaque baptiſmus pœnitentiæ quaſi candidatus remiſſionis, & ſanctificationis in Chriſto ſubſequuturæ.* Vide & Ambroſ. Pſal. 118. num. 9. *Ante igitur unaquæque anima quaſi ad Baptiſmum S. Johannis venit, ut præmittat pœnitentiam delictorum.* Vide & Authorem Quæſtion. ad Orthod. apud Juſtin. qu. 32. S. Hilar. ad Matth. 3. 6. Origen. in Jo. tom. 8. *Regeneratio non apud Johannem, ſed apud Jeſum per Apoſtolos fiebat.*
6 Auguſt. lib. 5. contra Donat. cap. 10. *Johannes tali Baptiſmo pertinebat; quo percepto eſſet Baptiſma etiam Dominicum neceſſarium.*

malis apponenda ſunt, & bonorum operum fructus promendi. Aliena diripuiſti? eleemoſynas de tuo cenſu facito; malum bono compenſa; illicita admiſiſti? abſtine pariter, & a licitis [1]. Gemina apud alios Patres [2] leges; uno enim omnes conſenſu pœnitentiæ exercitium non verbis tantum, ſed etiam operibus, & exemplis demonſtrarunt. Pruſtra vero quis obtenderet, verbum Græcum, quo uſus eſt Evangeliſta [3], ægritudinem animi, & intimum doloris ſenſum deſignare; latiori namque ſignificatione vox illa a tota Chriſtiana antiquitate uſurpatur; quæ ſane Græcas literas non minus ſaltem, quam novi Evangelii reformatores callebat. Quando vero intimo cordis dolore pro commiſſis a ſe criminibus anima teneretur, non illi plane ſuccurrit, ut de ſignificatione vocum recogitet; ſed impetum cordis ſecuta, commiſſa a ſe in Deum crimina exhorreſcit; nec tantum ſibi ſcelera illa ducit evitanda, ſed rapitur tota in oppoſitæ virtutis exercitium. Sincera cordis converſio priorem in crimen amorem excuſſit omnem, ſcelus illud evitat, virtutem amat & juſtitiam, quibus excolendis aſſidua exercitatione non laſſatur.

Quam vero exigebat S. Johannes, criminum confeſſio non ita reputanda eſt, quaſi confuſa quædam eſſet declaratio, qua ſe peccatores viti illi prodebant; neque id tantum præſtabatur ab illis, ut confuſa quadam accuſatione peccaſſe ſe dicerent cogitationibus, verbis, operibus, & omiſſione, quemadmodum pluribus Scriptoribus perſuaſum eſt; ſed luculenta & diſtincta de ſingulis criminibus contra Legem admiſſis confeſſio cenſenda eſt. Hanc pariter confeſſionem præſtabant Iſraelitæ, manum ſuam capiti victimarum, quas pro crimine offerebant, imponentes, Levit. 5. 5. Num. 5. 7. Crimina pariter ſua, & aliorum Sacerdotum fatebatur Summus Sacerdos die Expiationis ſolemnis, Levit. 16. 6. 11. Qua pariter die cæteris Iſraelitis decies confeſſionem iterandam fuiſſe [4] docent nonnulli. Prima in pervigilio ad veſperam, & ante cœnam; altera ſuccedebat primo mane; totaque deinde die ſæpius repetebatur, ut omnes ſimul decem confeſſiones efficerent, quot pariter vicibus Summi Sacerdotis ore ſolemni illa die, Dei nomen pronunciabatur. Generatim autem aſſerit Maimonides, numquam crimen remitti, quod ipſe prior criminoſus ore non fateretur.

Legimus in Actis Apoſtolorum 19. 18. Gentiles ad Fidem venientes, ante pedes Apoſtolorum crimina a ſe commiſſa fateri: *Multi credentium veniebant, confitentes, & annuntiantes actus ſuos.* Suadet etiam Fidelibus S. Jacobus 5. 16. *confitemini alterutrum peccata ſua.* Similem, ac apud nos obtinet, confeſſionem ſervant Judæi, cum ad mortem ægrotant [5]. Rudioribus quidem præſcripta eſt generalis quædam formula confeſſionis, quam recitent; cæteris vero peccata ſua ſingillatim exprimenda. Novo ineunte anno crimina ſua ita confitentur; vaſe nimirum aqua pleno lavant. Formulam habent confeſſionis, 22. vocibus elementari literarum ordine digeſtam, & ad ſingula confeſſionis verba vir aliquis coram adſtans pœnitentibus caput in aqua immergit, ſimulque pœnitens ipſe pectus dextera manu plangit [6].

Alterutrum etiam crimina ſua confitentur die Expiationis ſolemnis hoc potiſſimum ritu [7]. Cum duo ex Judæis in angulo Synagogæ ſe ſe receperint, alter coram altero pronus & incurvus faciem habens ad ſeptemtrionem verſam, eo corporis habitu perſeverat; cum interim alter ſupplicis dorſum cædat 39. ictibus flagello coriaceo, hæc interim verba obmurmurans Pſal. 77. 38. *Deus miſericors, & propitius fit peccatis eorum, & non diſperdet eos, & abundavit ut averteret*

A *iram ſuam, & non accendit totam iram ſuam*: Quæ Pſalmorum ſententia cum 13. tantum vocibus conſtet in Hebræo, ter repetenda eſt, quo ſcilicet ſingulis vocibus reſpondentes ictus 39. numerum expleant. Interim ſupplex pandit crimina ſua, pectus ad ſingula tundens. Ita expiatus, ſurgit, & coram ſe pronum alterum habens, quod ab ipſo recepit officii, illi pariter rependit.

Ex his, quantum arbitror, ſatis aperte intelligitur, diſciplinam fatendi ſingillatim peccata ſua coram homine, ab ipſa Apoſtolorum ætate derivatam, quæ deinde non interrupta ſucceſſione ad noſtram etiam ætatem tranſmiſſa eſt. Quare nonniſi veroſimilia comminiſcuntur, qui tradunt, confeſſionem criminum a S. Johanne indictam ejuſdem eſſe cum noſtra diſciplinæ;
B quod pariter & Patribus, & optimis quibuſque Commentatoribus perſuaſum eſt. Diſerte admodum ea de re Author Operis Imperfecti in Matth. hom. 3. *Confeſſio peccatorum eſt teſtimonium conſcientiæ timentis Deum. Qui enim timet judicium Dei, peccata ſua non erubeſcit confiteri; qui autem non erubeſcit, non timet.* S. Johannes Chryſoſtomus [8]. *Tempus Confeſſionis æque, & iſtis baptiſmatis, & illorum pœnitentiumque incumbit: illis quidem, ut poſt patentia criminum vulnera pœnitentia intervenientes curentur, & ad ſacra myſteria redire teneantur (nempe ad baptiſmum). Hic vero ut ablutis in baptiſmate maculis, ad Dominicam menſam munda jam conſcientia accedant.*

Grotius in eundem locum, contra Fratrum ſuorum opinionem de confeſſione dictum exponit; ait enim,
C in ea quæ viros doctos inter ſe committit quæſtione, num ſcilicet in locis Numerorum, & Levitici, ubi de confeſſione ſermo, de confeſſione agatur hominis ad Deum, ſive hominis coram Sacerdote crimina accuſantis ſua; in ea, inquam, quæſtione maxime probari ſibi ſententiam de expoſitis particulari confeſſione criminibus, non de iis tamen, quæ capitali pœna luenda eſſent a reo; in illis vero ſolam generatim habitam confeſſionem ſat fuiſſe arbitratur. Credit autem probabiliſſime idem pariter, ſed majori pietate, & confidentia facturus, ad Johannem Baptiſtam, Sacerdotem, Prophetam, ac ſpectatæ virtutis virum Judæos veniſſe. Remittit autem Lectores ad Maldonatum, Janſenium, Eſtium, alioſque Catholicos Interpretes in cap. 3. Matth.

D Quibus verbis concepta eſſet formula baptiſmi S. Johannis, quærunt Scholaſtici [9]; eſt enim in Sacramentis ſingulis ſua requirenda materia, & forma, quibus veluti Sacramenti corpus compingatur. Sunt qui nullam peculiarem formam in eo baptiſmo adhibitam defendant, qua vel unico defectu e Sacramentorum cenſu cæremonia illa expungenda eſſet. Malunt alii [10], collatum baptiſma in nomine Chriſti futuri, quod congruentibus multis ratiunculis fulciunt. Nec ſane certa ejus argumenta petenda ſunt, cujus nihil ſive in Sacra Hiſtoria, ſive in Scriptura legimus.

Nec Johanne vita functo vel ejus Baptiſma, vel ejus Diſcipuli, ceſſarunt evanueruntque. Ex illis quidam ad Jeſum venientes, ejus ſe diſciplinæ inſtruendos tradiderunt; nec aliud ſane optaſſet Johannes, quam
E ut Diſcipuli ſui omnes ad Jeſum tranſirent, quemadmodum ſatis demonſtrat miſſis ab eo, dum in carcere detineretur, aliquandiu ante obitum ad eundem Jeſum legatio [11]. Aliis viſum eſt in annuncianda pœnitentia, & facile etiam conferendo baptiſmate perſeveraſſe; a quo ſcilicet munere conferendi baptiſmi abſtinuiſſe Diſcipuli illi, Johanne ſuperſtite, creduntur [12]. Conſtat autem, nullum habuiſſe a Johanne præceptum, ut in conferendo baptiſmate perſeverarent; norat enim mox pro-

1 Idem Hom. 10. 2 Vide Iuſtin. Dial. & alios. Lege Grot. ad Matth. 3 6.
3 Matth. c. 2. Metanoeite. 4 Buxtor. Synag. c. 20. Morin. de Pœnit. l. 2. c. 22. l. 4. c. 35. 36.
5 Buxtorf. Synagog. c. 35. 6 Idem cap. 18. 7 Buxtorf. Synag. cap. 20.
8 Chryſoſtom. in Matth. hom. 10. Vide homil. 28. S. Baſilii de Pœnitentia.
9 Scot. Diſt. 2. quæſt. 2. art. 1. Durand. Gabr. Franc. Suarez.
10 D. Thom. 3. par. quæſt. 38. art. 6. ad 5. Et alii multi.
11 Matth. 11. 1. 2. 3. 12 Cyrill. tract. 2. in Ioan. cap. 57. Auguſt. tract. 5. in Ioann. & lib. 5. de Baptiſmo cap. 13.

proditurum Meſſiam, a quo baptiſma illud abrogaretur. Verum, injuſſit iter, accedentes ad ſe abluebant, non in Judæa tantum, ſed per univerſas inſuper regiones. Ita Apollo Alexandrinus, vir doctus, & Chriſtianæ doctrinæ ſtudioſiſſimus, 20. annis poſt obitum JESU CHRISTI Epheſum venit, nihilque aliud tum temporis norat, quam baptiſma Johannis [1]. Plures etiam ex Epheſiis, cum eo loci Paulus Apoſtolus poſt Apollo veniſſet [2], nonniſi eo baptiſmate initiati erant, nec de S. Spiritu, qui baptiſmate JESU CHRISTI conferretur, aliquid norant. A

Narrant inſuper, hodie etiam in Oriente [3] audiri Diſcipulos S. Johannis Baptiſtæ, quos *Sabin* appellant; ſed numero eſſe infrequenti, atque in Arabia, Perſide, & ſecundum litus ſinus Perſici diſperſos. Originem ſuam e Chaldæa retulerunt, & ex diſcipulis, uti quidem creditur, Zoroaſtri, cujus plures adhuc retinent opiniones. Porro illi baptiſmate S. Johannis initiati, atque dogma e Chriſtianis doctrinis ritibuſque Judaicis conflantes, male compactum Religionis corpus conſtituerunt, cui deinde ex commentis Mahometiſmi pejor acceſſio facta eſt. Nomen S. Johannis uſurparunt, quod authorem ritus ſui dogmatis, & librorum jactitent S. Johannem Baptiſtam, unde & ipſi pariter glorientur titulo diſcipulorum S. Johannis. Iterant quotannis Baptiſma ejuſdem S. Johannis, quem unicum habent, una cum utroque ejus parente Sanctum votis, & thure colendum. Ejus Præcurſoris tumulum conſtituunt juxta *Chuſter* urbem Metropolim Regni Chuſiſtam, quem locum frequentior *Sabin* turba incolit; ibidemque Jordanis fontem ſtatuunt. B C

JESUM CHRISTUM non quidem Dei Filium, ſed tamquam Prophetam ipſumque Spiritum Dei agnoſcunt; quod in ipſos ex Mahometanis derivatum non inviti crederemus. Crucem venerantur ad ſuperſtitionem uſque. Liber eſt apud illos ſacer, quem *Divan* inſcribunt: legitur in eo Deus corpore quodam conſtare, cujus Filius Gabriel patri ſuo veluti inſtrumentum in creatione Mundi exhibuerit. Stare pariter e nihilo juſſi ſunt Angeli, e Dæmones corpore, & ſexu diſcreti, quibus per generationem eſt propagatio. Fertur moris eſſe apud illos conſecrare panem, vino, oleoque ſubactum, quem ſupplicationis quadam ſpecie circumlatum poſtea deguſtant.

Ex patre in filium derivata apud illos Epiſcoporum, & Sacerdotum ſucceſſio; offerre autem pullum gallinaceum in ripis fluminis, Sacerdotale munus eſt; ſicut & ſemel in anno mactari apud illos agnus narratur. D Baptiſma illud, quod ſingulis annis iteratum diximus, ſive aſperſione, ſive immerſione ad arbitrium, in Dei unius nomine confertur; neque enim ſive Filium, ſive Sanctum Spiritum aliquem agnoſcunt. Connubia Sacerdotum cum virgine aliqua puella permittuntur; eaque in luſtrationibus legalibuſque maculis eadem apud illos ferme, quæ apud Judæos obtinet ſuperſtitio. Polygamiam admittunt, novaſque celebraturi nuptias, ambo conjuges in flumine baptizantur. Ex his omnibus, quantum arbitror, colligimus, Chriſtianos illos neque Judæos, neque Idololatras, neque Mahometanos reapſe habendos, qui recepta ſorte ab exordio Chriſtianæ veritatis ſemina plurimum ignorantia, & ſuperſtitione corruperint. E

Calvinus, & Beza, cæterique illorum clientes [4] defendunt, baptiſma S. Joannis nihil a Baptiſmo Jeſu Chriſti diſcrepaſſe, ut quicumque priori ablutione mundati eſſent, novam deinde nullam admitterent. Utrumque enim æque ad Jeſum Chriſtum ſpectaſſe animadvertunt, utrumque ſymbolum fuiſſe pœnitentiæ, & remiſſionis peccatorum. Ab illis, quos baptiſmo S. Joannis initiatos nactus eſt, Apoſtolus nihil exegit aliud, quam ut in Jeſum Chriſtum fide magis expreſſa crederent, quo ſibi veniam peccatorum promererentur. Addunt inſuper, Jeſum Chriſtum nullo alio initiatum fuiſſe baptiſmate, quam Joannis; quare ſi poſtrema iſta cæremonia altera a Baptiſmate Chriſti ſtatuenda eſſet, Chriſti nos lavacro non ablueremur.

Sed major eſt conſtituta ab Evangelio inter duo hæc Baptiſmata diſcrepantia, quam ut in unum confundantur. Primum illud aqua conferebatur, diſponendis ad pœnitentiam animis; ſecundum in Sancto Spiritu, & igne [5] datum conſtat. Ad hæc S. Lucas non obſcure prodit, ablutos lavacro S. Joannis, novo iterum baptiſmate expiatos fuiſſe: *His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu* Act. 19. 4. 5. Nec ſane niſi per ſummam impudentiam Textus ille verteretur: *Et audientes*, (Joannem Baptiſtam) *acceperunt* (ab illo) *Baptiſma Domini Jeſu*. Adventum Meſſiæ prædicaſſe Joannem tam certo conſtat, quam collatum ab illo in nomine ejuſdem Meſſiæ baptiſmum ambiguum eſt, & incertum. Sophiſma eſt autem, quod ab illis conflatur argumentum, nimirum non recipere nos Baptiſma Jeſu Chriſti, ſi altero lavacri genere, ac ille, abluimur. Fatemur enim nos altero initiatos eſſe baptiſmate; ſed illo tamen abluti ſumus, quod Jeſus Chriſtus inſtituit, injunxitque. Neque enim, ut baptiſma Joannis reciperemus, ſive facta alicujus promiſſionis ſpe, ſive præcepto aliquo juſſit; injunxit tamen, ut ſecundo illo tingeremur, fidem ſuam obligans, omnia ſe noſtra crimina condonaturum Matth. 28. 19. Marc. 16. 16.

ARTICULUS III.

De Baptiſmate Jeſu Chriſti.

NOn diſſertatione ſingulari, ſed pluribus opus eſſet voluminibus, ſiquidem omnia diſcurienda eſſent, quæ ad baptiſma a Jeſu Chriſto inſtitutum pertinerent. Ne latius etiam eo in campo ſpatiemur, prohibent, quos nobis præſcripſimus, anguſtiores hujus lucubrationis limites. Sat igitur habebimus, ſi circumſtantias diſcuſſerimus baptiſmi, quo a Præcurſore Jeſus Chriſtus ablutus eſt; in examen pariter revocantes verba illa ejuſdem viri ſanctiſſimi ad Chriſtum: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni* Matth. 3. 11. Hunc diſſertationi noſtræ modum conſtituimus, ne a Textu S. Matthæi, quem ſuſcepimus exponendum, longius abducamur.

Confluentibus undique ad baptiſma S. Joannis turbis, ambigentibus etiam nonnullis, num veniſſe promiſſum Meſſiam in Viro illo crederent, venit pariter ad ejus baptiſmum Jeſus. Quem vix proſpiciens Joannes, tingere illum recuſavit, dicens, ſe potius ab illo baptizandum. Cui Jeſus abſiſteret dixit, ad ſe enim pertinere omnem implere juſtitiam; tum aquæ fluenta ingreſſus, ad ſacram ſe cæremoniam comparabat. Sed ecce, quo loco peccatorum ſuorum exomologeſim cæteri faciebant, ille vix aquis manu Joannis demerſus, dum ex aqua aſcenderet, hiſcens ſupra ſe Cœlum ſpectavit. Tum & deſcendere viſus ſupra ejus caput in columbæ ſpecie Spiritus Sanctus, atque audita ſubito de Cœlo vox: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* Matth. 3. 17. Ita factum eſt, ut ſpecimen illud humilitatis in argumentum laudum ex teſtimonio Joannis Baptiſtæ, in admirationem turbarum, in gloriam tandem Jeſu Chriſti ex Dei Patris majeſtate, & Spiritus S. plenitudine verteretur.

Dubitarunt alii [6], num S. Spiritus in columbæ ſpeciem ſuper Jeſum deſcenderit, cum Textus habeat tantummodo: *Vidit Spiritum deſcendentem, ſicut columbam*, i. e. rapide & impetu quodam deſcendentem inſtar columbæ, rapide, ſi quæ alia avis, volitantis. Maluerunt alii [7], vorticem quemdam flammarum inſtar columbæ capiti Jeſu deſcendentis ex aquis inſediſſe, quemadmodum ſimili flammarum ſpecie Spiritus S. in Apoſtolos die Pentecoſtes illapſus eſt. Univerſa ta-

1 Act. 18. 25. 2 Act. 19. 1. 3 Chardin. Iter Perſid. t. 1. p. 307. &c. de Civili Perſarum gubernatione. 4 Vide Calvin. & Bezam in Act. 19. 4. 5. Ligfoot. alios.
5 Matth. 3. 11. 6 Hammond. Le Clerc. Bochart. Ligfoot. Brag.
7 Grot. Vide & Bochart.

men antiquitas [1] de columba ave Textum illum interpretata eſt, de columba, inquam, advolitante, quam præſens quiſque inſpexerit. Deſcendit illa veluti e cava quadam nube fulgur, tanto omnia illuſtrans ſplendore, ut Cœli ipſi, juxta Evangeliſtæ phraſim, hiſcere viderentur. Moribus enim poſitum eſt vulgo, ut cum ſubitus aliquis fulgor, vel emiſſum e Cœlo fulmen oculos perſtrinxerit, ipſi pandi Cœli dicantur [2].

Non defuiſſe ætate ſua aliquos, qui crederent, S. Spiritum columbæ corpus aſſumpſiſſe, quemadmodum Jeſus Chriſtus humanos artus induerat, inſinuare videtur. S. Auguſtinus Tract. 99. in Joannem: *Qui ergo dicit, columbam ad unitatem perſonæ Spiritus S. fuiſſe conjunctam, ut ex illa & Deo una Spiritus S. perſona conſtaret, &c.* Candenti nitore fulſiſſe columbam illam legunt Lactantius, & vetera quædam Græca Exemplaria. Verum ex duobus hiſce opinionibus prior, quæ S. Spiritum columbam ſibi in ſocietatem perſonæ aſſumpſiſſe autumat, audacior eſt, quam ut refutatione falſitatis revinci meruerit.

S. Juſtinus Martyr veteri facile traditione inſtructus Dialog. cum Tryphone docet, ſuper ipſas amnis aquas ignis quandam ſpeciem emicuiſſe; & de eodem Chriſti baptiſmate hæc in Nazaræorum Evangelio leguntur apud Hier. l. 4. Comment. in Iſai. c. 11. *Factum eſt autem, cum aſcendiſſet Dominus de aqua, deſcendit fons omnis Sancti Spiritus, & requievit ſuper eum, & dixit illi: Fili mi; in omnibus Prophetis expectabam te, ut venires, & requieſcerem in te. Tu es enim requies mea, tu es Filius meus primogenitus, qui regnas in ſempiternum.* Evangelium Ebionitarum, ipſum plane Opus ac Evangelium Nazaræorum vel Hebræorum, habet apud Epiph. hæreſ. 30. n. 13. *Vidit Spiritum Sanctum columbæ ſpecie deſcendentis, & eo in loco lux ingens affulſit.* Paria legas in Liturgia Syrorum, ubi de eodem baptiſmate ſermo. De igne eadem occaſione emicante, ſimile legas teſtimonium in opere apocrypho de prædicatione S. Petri [3]. Vetus Mſ. S. Germani Pratenſis hæc habet apud Martianæum nov. edit. Evangel. ſecundum Matth. *Et cum baptizaretur Jeſus, lumen magnum fulgebat de aqua, ita ut timerent omnes qui congregati erant &c.* Juvencus Preſbyter, qui ſub Conſtantino florebat, eadem in carmine ſuo refert;

Hæc memorans, vitreas penetrabat fluminis undas,
Surgentis manifeſta Dei præſentia claret.

Adduut alii plures Authores [4], ingenti tunc Cœli tonantis fragore adſtantes omnes concuſſos; de tonitru enim exponunt, quod de voce audita legitur. Et ſane familiare eſt ſtilo Scripturæ, ut *vocis Cœli* nomen pro tonitru uſurpetur. In medio autem tonitru vocem ſuam prompſit Dominus, ſicut olim in Sinai Exod. 20. 18. Ita pariter legitur, cum Jeſus Chriſtus Patrem poſtularet illis verbis: *Pater clarifica nomen tuum*, ſubitam e Cœlo vocem factam: *Et glorificavi, & iterum glorificabo*, Jo. 12. 29. Strepitum vocis audientes turbæ, tonitru quoddam reputarunt; ſed qui attentius audierunt, loquentis Angeli vocem auſcultaſſe ſibi viſi ſunt. Et in hiſtoria S. Pauli Act. 9. 7. legitur, eos, qui virum comitabantur, excitatos voce ſive tonitru quodam, quamquam loquentem neminem viderint. Fulgur quoque ea occaſione circumſtantium oculos perſtrinxiſſe, quamquam loquentis vocem non audirent, Act. 22. 9. narratur; quæ ſane in ſpeciem repugnantia teſtimonia facile conciliantur, ſi confuſum quiddam veluti ſtrepitum & tonitru audiſſe quidem illi, ſed diſtinctas loquentis voces non percepiſſe credantur. *Bath-kol* nempe filiam vocis ſive filiam tonitru appellant Hebræi revelationem traditionis, quam Moyſi in monte Sinai inter media tonitrua & fulgura factam conſtituunt.

Porro hæc, quæ de fulgure, tonitribus, voce Patris & illapſu S. Spiritus in columbæ ſpeciem narrantur, egregie cum illo S. Joannis oraculo cohærent: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*; i. e. ſicut ego vos in aquis immergo, ut ad recipiendam criminum expiationem diſponam; ita pariter S. Spiritus fluenta in vos derivabit; ſacriſque vos ignibus incendet, quo Joelis 2. 28. illud impleatur: *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ; & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt. Sed & ſuper ſervos meos & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum.*

Quid baptiſma S. Spiritus deſignet, inter Veteres Recentioreſque ſatis convenit. Docent nimirum illi una ſententia, per baptiſma rite ſuſceptum S. Spiritum in corda Fidelium illabi; cujus deinde Spiritus plenitudinem Sacramentum Confirmationis in noſtra pectora derivet. Lavacro baptiſmatis mundamur, & ad puriorem ſanctamque vitam innovamur; Confirmatione perficimur, & in accepta gratia ſtabilimur, novo pariter robore aucti, quo & adverſariis ſalutis omnibus reſiſtamus, audacterque Dei nomen confiteamur. Sed de baptiſmate ignis varii varia ſentiunt.

Manere nos Baptiſmum ignis die Judicii docet S. Hilarius in Pſ. 118. num. 5. & 12. Cum enim aquæ lavacrum eximiæ morum puritati conferendæ, qualis ad ingreſſum Regni Cœlorum exigitur, impar habeatur, quidquid reliquum fuerit ſordium, abſterget ignis Judicii, quo veluti ſcoria purgati, Cœlo digni inveniamur. In ipſo Paradiſi limine miniſtrandum Baptiſma illud arbitratur S. Ambroſius in Pſal. 118. 11. 12. 13. 14. 15. in limine enim hujus Paradiſi conſtituit ille gladium ignis, quem Gen. 3. 24. poſitum legimus in ipſo Paradiſi terreſtris aditu poſt commiſſum ab Adamo crimen. Machæram illam ſtringet S. Joannes Baptiſta, ejuſdem ignei baptiſmatis miniſter. Porro lex illa mortalibus omnibus indicta, neminem eximet, ut ipſe S. Petrus, S. Joannes, aliique viri SS. illius rigorem pro merito geſtorum ſuorum fuerint experti. Clamabit clara voce Præcurſor iis, quibus non niſi levia quædam errata manent expianda: *Intrate, qui præſumitis, qui ignem non timetis.* Tranſibunt illi per medium ignem, nullum doloris ſenſum experti; quidquid enim in illis ſcoriæ fuerat, ignis charitatis jam abſumpſerat.

Origenes Hom. 3. in Pſ. 36. & hom. 24. in Luc. & Lactantius l. 7. c. 21. in ipſo Cœli aditu ignem ſtatuentes per medias flammas tranſitum omnibus arbitrantur manere; facto tamen viris ſanctis privilegio, ut illaſi, quin & viam dantibus flammis traducantur. Obſervat idem Origenes hom. 24. in Luc. Jeſum Chriſtum in ripa fluminis ignei ſtantem obvios baptizaturum; non tamen indiſcriminatim omnes; qui enim aquæ & Sancti Spiritus baptiſma nullum unquam receperint, qui recepto abrenuntiaverint, illos a ſecundo hoc baptiſmate, adeoque & beatitudine, quo per ignem aditus, excludet; niſi forte ea morum ſanctitate vixerint, ut nullo indigere piamine deprehendantur. Namque, ait hom. 2. in c. 2. Jerem. ſi quid remanet ſive ligni, ſive paleæ, ſive fœni, per ignem redigendum eſt.

S. Hieronymus in Matt. 3. 11. [5] duas refert interpretationes in illud S. Joannis: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*; ſive enim, ait ille, ignis nomine S. Spiritus deſignatur, qui flammearum linguarum ſpecie aſſumpta ſuper apoſtolos delapſus eſt die Pentecoſtes; ſive nos in hoc mundo Baptiſmo Spiritus abluti, in altera vita igneo expiandi ſumus. Quibus verbis non obſcure inſinuat Veterum illam opinionem, ſupra a nobis relatam. Porro hæc de igne alterius vitæ, Origenis, S. Ambroſii, S. Hilarii & S. Hieronymi opinio ex illis Apoſtoli 1. Cor. 3. 13. 14. 15. repetitur: *Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc* (Jeſu Chriſti) *aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna,*

1 Tertull. de carne Chriſti, Auguſt. de Agone Chriſtiano c. 22. Juſtin. Dialog. cum Tryphone, Origen. D. Thomas. 2 Vide Author. Oper. Imperfect. Hieronym. hic, & in Ezechiel. Maldon. Spanh.

3 Citatur in tractatu de baptiſmo hæreticorum inter Opera Cypriani.

4 Hieron. ſeu alius Author. Comment. in Pſal. 76. 17. *Et tempore quo Deus locutus eſt, hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, facta eſt vox tonitrui voce ſimilis.* Vide Euthym. & alios in Pſ. 28. 3. & Hammon. hic. 5 Vide & Greg.

gna, fœnum, ſtipulam; uniuſcujuſque opus manifeſtum erit; dies enim Domini declarabit, quia igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit quaſi per ignem. Hunc ignem Patres poſteriorum ſæculorum & Scholaſtici *Purgatorium* appellarunt.

Author Operis Imperfecti in Matth. Hom. 3. ignis nomine reddidit ærumnas, mala, tentationes, quibus viros pios Deus in hoc mundo exercet. Obſervat ille, Jeſum Chriſtum aqua Baptiſmatis lotum eſſe S. Joannis miniſterio; Baptiſmate S. Spiritus opera Patris Æterni; ac tandem ignis in iis, quæ Spiritus mali invidia toleravit in deſerto [1]. Contraria omnia placent S. Joanni Chryſoſtomo Hom. 11. in Matth. cui ignis eſt redundans gratiarum, bonorum, & ſupernaturalium voluptatum affluxus. De igne Inferni reddunt S. Baſilius contr. Eunom. lib. 5. & Theophylus Antiochenus lib. 1. Malunt alii, deſignari a S. Joanne illapſum S. Spiritus ignearum linguarum ſpecie ſuper Apoſtolos [2], quam poſteriorem ſententiam probant Commentatores.

Irrepſiſſe in Textum hanc voculam *igni* aliqui ſuſpicantur; neque enim legitur ſive in S. Marco 1. 8. ſive in S. Joanne 1. 33. extat tamen Luc. 3. 16. unde in Textum S. Matthæi derivatam autumant. Conſtat ſane deeſſe in plurimis Mſſ. S. Matthæi [3]. Omittitur pariter in editione Complutenſi. Viciſſim tamen legitur in Syriaco, Coptico, Arabico, Perſico, Æthiopico, in S. Cypriano, Hilario, Origene, aliiſque Patribus; & quando a S. Matthæo abeſſet, conſtanter tamen retinendus eſſet, nemine ambigente, in S. Luca. Quare integra maneret difficultas; neque enim minus ad fidem valet S. Lucæ, quam S. Matthæi auctoritas.

Ignis nomine exorciſmos Baptiſmum præcedentes deſignatos autumat S. Auguſtinus in Pſal. 65. 11. 12. *Unde plerumque*, ait, *immundi Spiritus clamant: Ardeo; ſi ille ignis non eſt? Poſt ignem autem exorciſmi venitur ad Baptiſmum*. Proniorem aliam interpretationem ſectatur alibi, docens ignis nomine mala in hoc mundo a Fidelibus tolerata deſignari; vel ipſum Spiritum, qui ignis ſymbolo aſſumpto ſuper Apoſtolos illapſus corda illorum charitate incendit [4].

Veterum nonnulli verba Textus ad literam uſurpantes, jungendum ignem aquæ in Baptiſmo autumarunt; quod præſtitum a nonnullis Hæreticis priorum ſæculorum memoriæ proditum eſt. Narrat S. Clemens Alexandrinus ex Heracleone, obtinuiſſe apud quoſdam, ut candens aliquod ferrum auribus baptizati applicarent. Idem de Æthiopibus noſtræ ætatis teſtantur quidam [5], baptizatos nempe apud illos tribus candenti ferro impreſſis ſtigmatibus in naſo, inter oculos & ad utraque tempus inuri. Ancipiti ferro ad eam rem uti refert P. Eugenius Rogerius, quod, ait, ad tria illa loca applicant. Idem præſtitum fertur a Chriſtianis Jacobitis in Oriente, qui pueros Baptiſmate & Circumciſione initiant, ac tandem candenti ferro adurunt in fronte.

Verum D. Abbas Renaudot [6], in ritibus & cæremoniis Orientalibus, ſi quis alius, inſtructiſſimus, ad fabellas deputandum contendit quidquid de Baptiſmo per ignem collato apud illas gentes vulgatum eſt; & D. Ludolfus fatetur, nihil ſe ea de re audiſſe a Gregorio Æthiope, quem conſuluit, neque legiſſe quidquam in relationibus Patrum Jeſuitarum. Viciſſim tamen obſervat, receptum eſſe apud Africanas gentes tam Paganas quam Mahometanas, ut adverſus pituitam & gravedinem recens natos pueros præmuniant, tempora vel carothides venas cauterizantes. Idem apud Abyſſinos obtinet, unde facta aſſerendi anſa hanc ab illis cæremoniam tanquam religioſam ſervari.

Memoriæ proditum eſt [7], Seleucianos Hermæque ſectatores Baptiſmum igne contuliſſe; incertum tamen quomodo. Tertullianus ſive alius quidam ſub ejus nomine [8], de Valentino refert, eos, qui in ſuas partes tranſiſſent, iterum baptiſmati ſubjeciſſe hoc ritu.

Bis decuis, ſingui traduſſe corpore flamma.

Quibus obſcuris verbis non ſatis inſinuatur, an per ignem tranſilirent, an inter duos hinc inde incenſos ignes medii tranſire juberentur; utrumque enim in luſtrationibus Paganorum obtinuiſſe ſcimus [9]. Vetus quidam Author libri de Baptiſmo Hæreticorum adverſus S. Cyprianum, eorum commentum refutat, qui tenent, in baptiſmate conferendo aquam pariter cum igne jungi oportere [10].

Poſt hęc omnia teſtimonia vix aliquis reſtat ambigendi locus, non defuiſſe inter veteres Hæreticos nonnullos, qui verba S. Joannis ad litteram uſurparent. Sed numquam Eccleſia Catholica ſuperſtitioſas illas & ſingulares cæremonias admiſit. Quamvis autem certum ejus Textus ſenſum, *Ille vos baptizabit in Spiritu S. & igne*, nullum determinaverit, permiſſa ſingulis facultate intelligendi ſententiam, ſive de igne Purgatorii, ſive de tribulationibus & malis hujus vitæ; ſemper tamen eorum ſenſum improbavit, qui de materiali aliquo igne in adminiſtratione Baptiſmatis neceſſario dictum interpretati ſunt.

De Baptiſmo Jeſu Chriſti nomine collato ſingularem Diſſertationem in Commentario ſuper Acta, & de Baptiſmo pro mortuis alteram in Commentario itidem ſuper primam ad Corinthios dedimus.

DISSERTATIO
DE PECCATO IN SPIRITUM SANCTUM.

QUÆ huic Diſſertationi argumentum præbet difficultas, tanquam omnium maxima & majoris momenti, quæ in Scriptura uſpiam occurrant, a S. Auguſtino reputatur [11]; cui noſtrum etiam accedet ſuffragium, ſola ſpectata ſententiarum, quæ Patres & Interpretes inter ſe committit, varietate. In pronis enim quibuſque facile convenitur, eoque ſatis certo indicio quæſtionis alicujus ambiguitas proditur, ſi in varias ſententias abitum eſt. Duo igitur in preſentia diſquirenda ſunt. I. Quæ indoles & natura peccati in Spiritum Sanctum. II. Quo ſenſu nunquam in hoc mundo, ſed neque in altero, remitti crimen illud dicatur.

S. Athanaſius, qui de hoc argumento peculiariter diſſeruit, refert Epiſt. 4. ad Serapion. n. 8. 9. 10. ſententias Origenis, & Theognoſti, quibus peccatum in Spiritum S. nihil eſt aliud, quam crimen poſt Baptiſ-

1 Hom. 5. 2 Cyrill. Cathec. 17. Hieron. hic. alii.
3 1. Vide Nov. Teſt. edit. Millii in Matth. 3. 11. & Proleg. 690. 1098. & 1177.
4 Idem Serm. 71. de Verb. Apoſt. Matth. n. 19. 5 Leo Rauchvvolf. Itin. Orient. l. 3. c. 17. Paul. Jov. hiſt. lib. 18. & alii. 6 Perpetuit. tom. 14. c. 10. pag. 84.
7 Auguſt. hæreſ. 59. Philaſtr. de hæreſ. cap. 55. 56. 57. 8 Carm. in Marcion. l. 1.
9 *Moxque per ardentes ſtipulę crepitantis acervos Trajicias celeri ſtrenua membra pede. Omnia purgat edax ignis.*
10 Concilior. 10. 1.
11 Auguſt. Serm. olim. 11. nunc 71. n. 8. *Forte in omnibus Scripturis nulla major quęſtio, nulla difficilior invenitur.*

mum commiſſum: Spectaſſe autem illos facile credimus A illud Apoſtoli ad Hebræos 6. 4. *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus S. ; guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt; rurſus revocari ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibimet ipſis Filium Dei & oſtentui habentes.* Quare idem ſpectaſſe Apoſtolus viſus eſt, ac Jeſus Chriſtus illis Matt. 12. 31. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.*

Singulare eſt ea in re Origenis commentum [1]. Pater Æternus, ait ille, ſuum in omnes creaturas tam animatas quam inanimes, tam ratione utentes, quam deſtitutas, imperium dilatat. Filius iis tantum dominatur, qui ratione utuntur, & Spiritus S. Baptiſmate initiatos tantum habet dominationi ſuæ obnoxios. B Cum igitur Pagani vel Cathecumeni vel infideles quicumque in crimen aliquod labuntur, Filium lædunt, & facile impetrant veniam. Cum vero Fidelis aliquis culpam admiſerit, in Spiritum S. peccat, nec veniam meretur. Quare irremiſſibile ejus crimen cenſendum.

Verbis quidem aliquantum diſcrepat Theognoſtus, re ipſa tamen conſentit. Quicumque, ait, primum & ſecundum aggerem tranſegit, nempe juſſionis Patris vel Filii tranſgreſſus eſt, veniam tamen petens impetraverit. Quem autem tertium vallum non coercuerit, nempe præceptum quod ſibi Baptiſmate jam initiato datum eſt, nulla illi veniæ ſpes ſupereſt. Pater & Filius imbecilles & imperfectos docent; Spiritus S. perfectos. C Cum prioribus illis remiſſius agendum, in alios juſtitiæ vigor exerendus eſt. Hæc porro moribus Eccleſiæ primorum ſæculorum ſatis conſonant; cum ſcilicet crimina poſt Baptiſmum commiſſa nonniſi ægre & poſt, diuturnam admiſſam pœnitentiam condonabantur.

Neutram ex his interpretationibus probat S. Athanaſius; recte enim obſervat, Phariſæos, quos Jeſus Chriſtus alloquebatur, ab ejus Baptiſmate alienos, nihil aſſequi potuiſſe eorum, quæ ab illo dicebantur, neque ex eorum eſſe poterant numero, qui crimen in Spiritum S. committere, jure meritoque reputari potuiſſent; cum illorum ſcelera potiſſimum Jeſum Chriſtum ſuggillaret. Addit pariter, vix in eo Textu agi de criminibus tantum poſt Baptiſmum admiſſis potuiſſe: D unde enim alioqui, ait, Apoſtolus nec veniam Corinthii inceſtuoſi [2], neque prævaricatorum Galatiæ [3], non deſperatur; unde Novati dogma foret pœnitentiæ & veniæ peccantibus poſt Baptiſmum eludentis rejiat Eccleſia? Ad Textum Apoſtoli quod ſpectat, quo ſcilicet peccatum poſt Baptiſmum admittentes numquam renovari poſſe per pœnitentiam aſſeritur, S. Athanaſius, & plerique ex Patribus contendunt, numquam fieri potuiſſe, ut qui ſemel poſt Baptiſmum prolapſi ſunt iterum, novo Baptiſmate a priori non diſſimili releventur; numquam enim Eccleſia juxta hanc S. Pauli definitionem, alterum a priore Baptiſmate vel probavit vel toleravit.

Contendit igitur S. Athanaſius [4] crimen in Spiritum S. ipſum eſſe Phariſæorum, & ſimilis farinæ hominum, E crimen, qui in lectione Scripturæ verſatiſſimi, nulſumque habentes ambigendi locum, ut de Jeſu nil niſi probum ractumque ſuſpicarentur, ejus tamen opera malo ſpiritui deputabant, malo conſilio ſua id præſtantes, ut Deum concedere Dæmoni locum cogerent, nihilque amplius poteſtatis Filio Dei, quam Dæmoni permitterent. Quamdiu cum aſſumpta a ſe hominis natura res erat, injurias omnes æquo animo Jeſus toleravit, excuſavit ignorantiam; cum vero opera, quæ a Deo ipſo præſtabantur, quæque unicum authorem S. Spiritum præſeferebant; ad malum ſpiritum detorqueri intelligeret, reos æterni ſupplicii illos pronunciavit.

Cæterum quando peccata in Filium hominis remitti, irremiſſa vero damnari crimina in Spiritum S. aſſeruntur, non ita reputandum eſt, quaſi S. Spiritus Filio major habeatur; ambo enim in unam coaleſcentes naturam, unum eundemque Deum conſtituunt. Id ergo tantum inſinuatur, prolatam in Spiritum S. blaſphemiam grandiuſeſſe, quam ſi in Filium pronunciaretur, ſcelus & crimen. Quæcumque enim in Filium effutiuntur, humanam ab ipſo ſuſceptam naturam injuria afficiunt, quemadmodum conſtanter obſervat S. Athanaſius; ſed in Spiritum Sanctum blaſphemiæ ipſam Dei naturam probro ducunt, & contemptui. Porro animadvertiſſe juvat, nomine Sancti Spiritus a S. Athanaſio Divinam Verbi naturam reddi; quæ loquendi phraſis apud veteres PP. obtinet. Addit, Magos Pharaonis, quos religio ipſa, & profeſſio excæcabat, minoribus tamen præ Phariſæis tenebris obvolutos fuiſſe; inſpectis enim prodigiis a Moyſe patratis, Dei in illis opus agnoverunt Exod. 8. 19. cum interim Phariſæi prodigia Jeſu Chriſti ſuis oculis obverſantia, ad Magiam & incantationes detorquerent. Non abs re itaque Chriſtus omnem illis veniæ ſpem tum in hoc mundo, tum in altero futuro præcidit. Ad quem enim illis confugiendum eſſet, ſi Divinam a Filio naturam abjudicarent? Quam ſibi vitam, quam felicitatem reliquam fecerant, qui vitam, veritatem, & viam Cœlorum recuſaverant?

Eadem, ac S. Athanaſii, ſententia ſedit S. Hilario in Matt. cap. 12. & cap. 31. n. 5. & Theophylo Antiocheno Comment. in Evangel. l. 2. qui omne criminis in Spiritum S. ſcelus conſtituunt in negata Filii divinitate: *Cum cætera dicta geſtaque liberali venia relaxentur*, ait S. Hilarius, *caret miſericordia, ſi Deus negetur in Chriſto.* Nomine S. Spiritus, eadem ipſa cum S. Athanaſio ſentiens, deſignatam credit ipſam Dei naturam. *Quid enim*, ait, *tam extra veniam eſt, quam in Chriſto negare quod Deus ſit; cum in Spiritu Dei opus omne conſummet?* Non tamen negat S. Doctor, crimen illud pœnitudine expiari potuiſſe, cum ipſe in Matt. 18. n. 10. pronunciat: *Omnium omnino peccaminum veniam nobis Dominus largitur*: largitus eſt autem, ait, Judæis, quorum ſcelere cruci traditus fuerat. Idem, nec obſcure, inſinuat pluribus in locis S. Athanaſius [5], docens neminem veniam rogantem vacuum a Jeſu Chriſto remitti, nec blaſphemum quidem: ſed qui in crimine perſeveraverit, illum damnari; namque, ait, condigna pœnitentia omnia delet peccata.

De peccato in Spiritum S. non ſemel mentem ſuam prodidit S. Auguſtinus. Cum ſemel illi placuiſſet [6], ſcelus illud in eo potiſſimum conſtitui, quod fraterna charitas invidia, iniquitate, impeteretur; adjiciendum bis cenſuit in Retract. l. 1. cap 19. peccatum illud tunc potiſſimum effici irremiſſibile, cum peſſima hæc cordis habitudo ad extremum uſque ſpiritum perſeverat. Et in Expoſit. Epiſt. ad Rom. n. 14. *Ille peccat in Spiritum S.* ait, *qui deſperans vel irridens, atque contemnens, prædicationem gratiæ, per quam peccata diluuntur, & pacis, per quam reconciliamur Deo, detrectat agere pœnitentiam de peccatis ſuis, & in eorum impia atque mortifera quadam ſuavitate perdurandum ſibi eſſe decernit, & in finem uſque perdurat.* Eadem alibi repetita atque conſtans eſt Auguſtini ſententia: *Peccatum in Spiritum S. nullum intelligimus, niſi perſeverantia in malignitate cum deſperatione indulgentiæ Dei* [7]. Addit, nemini hominum permitti, ut de alicujus hominis ſuperſtitis pœnitentia deſperet; cum divinæ miſerationis theſauri tam immenſa beneficiorum copia redundent, ut qui hodie obfirmato in malitia eſt animo, eras taogi

1 Origen. in Jo. tom. 2. edit. Huet. pag. 359. 2 2. Cor. 11. 10.

3 Galat. 4 19. 4 Epiſt. 4. ad Serap. n. 12. Vide & ſerm. in Matth. 10. 2. oper. nov. Collect. Veter. PP. 5 Serm. in Matth. tom. 2. nov. Collect. Vet. Patrum. Ita & de communi eſſentia, & reſponſ. ad qu. 12. ad Antioch. & fragm. in Comment. in Matth. tom. 1. par. 2.

6 Auguſt. lib. 1. de ſerm. Dom. in monte, cap. 22. 7 Aug. ibid. n. 22. Vide & ſerm. 71. nov. Edit. num. 20. &c. & Ep. 85. nov. Edit. num. 5. *Hoc peccatum eſt duritia cordis uſque ad finem vitæ.*

tangi poſſit & ad Deum inclinari. Statuit proinde evitandam eſſe mentem in malo obfirmatam, inhærendum Eccleſiæ, cui uni remittendorum criminum poteſtas demandata eſt, ut criminis in Spiritum S. venia tandem impetretur.

Porro crimina in Spiritum S. plura & varia diſtinguit [1], ut negantium Eccleſiam, divinitatem S. Spiritus, ſicut & eorum qui prodigia Jeſu Chriſti ad incantationes detorquent. Ex his tamen criminibus nullum reipſa veniam excludit, niſi una excepta finali impœnitentia. Refutat pariter idem vir ſanctus Origenem, cæteroſque autumantes, crimina poſt Baptiſmum admiſſa blaſphemias eſſe in Spiritum S. deſcendit autem, nec immerito, Jeſum Chriſtum nullum peculiare crimen, ſive Chriſtianorum tantum ſive Judæorum ſugillaſſe, ſed ejus potiſſimum generis crimen reprehendiſſe, quod omnes pariter homines committerent, crimen non difficilis tantum veniæ, & indulgentiæ; ſed prorſus irremiſſibile. Porro nullius eſt criminis deſperanda venia, niſi finalis tantum impœnitentiæ; cum Eccleſia pro reſipiſcentia peccatorum omnium preces exhibeat, horteturque omnes, ut tandem ad bonam frugem redire ſatagant. Hoc de peccato in Spiritum S. univerſum S. Auguſtini ſyſtema, quod poſt S. Doctorem cæteris in Eccleſia Latina pluribus arriſit.

S. Joannes Chryſoſtomus hom. 42. in Matth. & Author Operis Imperfecti in Matt. hom. 31. ſub S. Chryſoſtomi nomine vulgatus, S. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Ep. 59. aliique plures in eo crimen in Spiritum S. conſtituunt, ſi prodigia Jeſu Chriſti Dæmonis operationi tribuantur; quod autem veniam difficile impetret, ideo irremiſſibile appellatum arbitrati ſunt. Ita ergo locum S. Matthæi paraphraſi exponit S. Chryſoſtomus: *Multa iam adverſum me calumniati eſtis: quoniam ſeductor, quoniam Deo adverſarius, aliaque plura, quæ omnia vobis, ſi pænitentiam egeritis penitus dimitto, nulla ſupplicia ſumam . . . . Quamnam*, addit, *ob rem? Quia videlicet quiſnam eſſet Chriſtus, ignorabant. Quæ autem, adjecit, de Spiritu dixiſtis, nullam pro eis veniam impetrabitis. Nam ſi me ignoratis, ignorare tamen non poteſtis, expulſionem Dæmonum, curationeſque hominum mirificas Spiritus S. eſſe operationes. Non ergo mihi ſed Spiritui S. contumelias exaggerare conamini. Dicitur autem crimen iſtud irremiſſibile, quo ſignificatur, multo minus hoc eſſe ignoſcibile ac veniale; quapropter niſi pænitentiam egerint, nec in præſenti vita nec in futura puniſionem effugient.*

Variat tum in eo crimine exponendo, tum in judicio de ejus irremiſſibilitate ferendo S. Ambroſius. Namque in Comment. in Luc. l. 10. num. 94. totum ejus ſcelus in negata Divinitate Filii, quemadmodum & a S. Hilario præſtitum ſupra obſervavimus, conſtituit. In libro de Spiritu S. lib. 1. cap. 3. ait: *Si quis Spiritus S. dignitatem & poteſtatem abneget ſempiternam, & putet non in Spiritu Dei ejici Dæmonia, ſed in Beelzebub, non poteſt ibi exoratio eſſe veniæ, ubi ſacrilegii plenitudo eſt. Quia qui ſpiritum negavit, & Deum Patrem negavit, & Filium.* Tandem de Pœnit. lib. 2. cap. 4. Hæreticos & Schiſmaticos reos damnat peccati in Spiritum S. De irremiſſibilitate vero aliquando ita agit, quaſi omnem præcidat criminis illi ſpem veniæ; alibi tamen non obſcure docet, Eccleſiam veniam omnibus indulgere, quos ſerio pœniteat, quocumque tandem crimine irretiantur.

Hæc S. Ambroſii ſententia criminis in Spiritum S. de crimine hæreſis exponentis, ſediſſe etiam Auguſtino ſerm. 71. num. 34. videtur; docet enim hæreſim, unionis vinculo, abſciſſo J. C. ſeparare nos, ab Eccleſia interdicere, extra quam nulla ſpes veniæ remanet: *Quia hoc ſibi tranſit ubi remittitur*. Author Conſtitutionum Apoſtolicarum l. 6. cap. 18. & Philaſtrius hæreſi Rethorii, in eandem ſententiam inclinant.

A Nullum quidem crimen majorem habet irremiſſibilitatis ſpeciem, quam hæreſis; ſiquidem ad mortem uſque in illa perſeveretur. Sed hæreticos ad bonam frugem redeuntes in ſinu ſuo ſemper recepit Eccleſia.

Author QQ. in utrumque Teſtamentum inter Opera S. Auguſtini qu. 102. autumat, quicumque Deo abrenunciat, illum criminis in Spiritum S. quod nullam promeretur veniam, reum eſſe [3]. Hermas Paſtor. l. 3. ſimilit. 6. 8. 9. blaſphemiam in Deum cum peccato in Spiritum S. confundit; qua in re cum præcedenti Scriptore ſatis conſonat. Magis exactam ejus ideam exhibens S. Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis Ep. 3. ad Sympronian. docet, opera S. Spiritus Dæmoni tribuere ipſum eſſe in Spiritum Sanctum crimen; tum addit: *Hoc eſt ergo*, (blaſphemia in Spiritum S.)
B *quod non dimittitur: Reliqua bonis pœnitentibus, frater Semproniane, donantur.*

S. Hieronymus plures adducit interpretationes in Textum S. Matthæi de irremiſſibilitate peccati in hoc præſenti & in altero mundo. Reum dicit hujus criminis, qui Filium Dei malo ſpiritu agi blaſphemat [4]; qui pariter ejus prodigia operationi Beelzebub deputat; illi omnes nullam promerentur veniam. Ita pariter quicumque aliqua in Filium Dei effutierit, uti merum eſſe, putetque hominem, filium Fabri, hominem voratorem, & cætera, hic ſane *quamquam culpa non careat, erroris tamen habet veniam, propter corporis vilitatem*. Qui vero inſpecta S. Spiritus opera nequitiæ ſpiritu damnat, calumniatur, & reprobat, illi nulla veniæ ſpes [5].

C S. Clemens Papa [6] cenſet, peccato in Spiritum S. irremiſſibili damnari illum, qui obfirmato in malitia animo, in Deum veluti collato pede decertat; quod Scripturæ phraſi diceretur *contra Deum adverſum incedere* Lev. 26. 24. 28. vel peccare *elata manu* Num. 15. 30. Ita pariter locum Grotius interpretatur, & in exemplum adducit peccatum Core & Symmyſtarum, qui erecta contra Deum cervice, injuriam illi in Moyſe famulo ipſius & Aarone uncto ejus irrogare auſi fuerunt; adducit & Pharaonis Exod. 8. 19. qui obfirmavit in malo animum, quanquam a ſuis pariter Magis moneretur, digitum Dei eſſe, quo prodigia adverſus illum patrarentur; ſicut & Ananiæ & Sapphiræ [7]; qui in Spiritum S. mentientes, ſubita percuſſi ultione ante Apoſtoli pedes exanimes ceciderunt; Simonis tan-
D dem Magi, cui Apoſtolus S. Petrus denunciavit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem* Act. 5. 3. 9.

Nullam hic Author [8] ſive Filii ſive Spiritus Sancti Divinitatem injuria affectam agnoſcit; ſed tantum de honore Deo impendendo derogatum aliquid, detractumque; quod quidem ſcelus, juxta ejus ſententiam, irremiſſibile non eſſet, neque in hoc mundo neque in altero, ſed tantum ea eorum numero cenſeretur, quæ utrobique ſupplicio luenda eſſent. Verba Judæis faciebat, eorum ſe ſe præjudiciis accommodans; quare cum illi crimina ſua in hoc mundo expiari arbitrarentur pœnitudine, mœrore, cæteriſque corporis afflictationibus, uti jejunio, & humilitatis ſignificationibus die ſolemnis Expiationis, vel ſaltem nece corporis, unde ſibi morientes imprecantur: *Sit obitus meus in ex-*
E *piationem omnium peccatorum*: viciſſim autem cum magnum aliquod crimen admiſiſſent, manere ſibi cenſebant in altera vita genus quoddam Inferni, non longius quam per annum duraturi. Cum igitur hæc omnia tenerent Judæi, id tantum inſinuavit Magiſter, contempti Dei crimen neque in hoc mundo ſacrificiis & pœnitudine expiari, neque in altero ſuppliciis Purgatorii, quippe quod lethale eſſet crimen, cui nulla pro meritis venia danda eſſet. Non agebat ille quidem de judicio Eccleſiæ Chriſtianę; ſed tantum ad perſuaſiones Judæorum, quibuſcum verba faciebat, attendit. Hæc Grotius.

1 Aug. ſerm. 71. n. 8. 9. & ſeq. 2 *Si idem eſt negare Dominum, quod peccare in Spiritum Sanctum nulla venia ſperanda eſt negantibus.* 3 Ex Marc. 3. 4 Vide eundem Epiſt. 149. ad Marcellam. 5 Clemens Rom. ſeu alius Recognit. l. 2. c. 25. Vide Not. Coteler. in eum locum. 6 Exod. 8. 19. 7 Act. c. 18, 19.
8 Grot. in Matth. 12. 31.

Hammondus & Clericus in Matth. 12. 31. arbitrantur, peccatum in Filium hominis appellari crimen omnium vulgo Judæorum, Jeſum Chriſtum tanquam Meſſiam agnoſcere recuſantium, quippe cui non omnes quadrare Meſſiæ characteres arbitrarentur; ſicut viciſſim crimen in Spiritum S. cenſens crimen Phariſæorum, qui inſpecta prodigiorum JESU CHRISTI gloria, unde luculentiſſimum pro ipſo argumentum deducebatur, verum tamen eſſe Meſſiam, & pervicacius negabant, & in apertiſſima ejus prodigia, ut a Dæmone eſſe patrata, ſpargebant invidiam. Porro vulgarium Judæorum peccatum, quod eorum potius ignorantiæ deputaretur, ſacrificiis & confeſſione criminum, numquam non ſacrificiis jungenda ¹ expiabatur; eorum vero qui ſcientes prudenteſque peccaſſent, pœnæ excommunicationis, abſciſſionis, ſive anathematis, ſive exterminationis ſubdebantur; nihil enim illis veniæ maneret in Lege, ſive hoſtia aliqua, ſive expiatione injuncta, quemadmodum nec ulla erat expiatio criminibus contemptus, & impudentiæ.

Catholici Interpretes in duas potiſſimum abeunt ſententias; alii enim S. Auguſtinum ſecuti peccatum in Spiritum Sanctum appellant impœnitentiam finalem; alii affectatam eorum nequitiam, qui apertæ veritati reſiſtunt, & prodigia JESU CHRISTI, quæ maxime habent exploraTa, & Deo vindicanda eſſe intelligentes, ea ſunt tamen nequitia, ut Dæmoni attribuant. Porro illi ejuſdem ſunt criminis rei, ac qui cognitæ veritati reſiſtunt, qui ſe viris probis opponentes, calumniis illos exagitant, atque proba illorum opera, quamquam rectiſſima eſſe intelligant, de vanitate tamen, & hypocriſi accuſant. Poſterior hæc ſententia aſſertores habet SS. Chryſoſtomum, Hieronymum, & optimos fere omnes Commentatores.

Porro Chriſtus verba ad Judæos, nec incognita illis loquendi ratione, faciebat; norant proinde illi quid eſſet peccatum in Spiritum S. quamquam enim nullam adhuc haberent ſatis exactam S. Spiritus ideam, veluti perſonæ a Patre, & Filio diſtinctæ, ſciebant tamen S. Spiritum ore Prophetarum loqui, patrare ipſorum miniſterio prodigia, ac ſuper illos tandem quieſcere. Notæ ſunt apud illos loquendi formulæ: *Exacerbare Spiritum* Pſal. 105. 35. Epheſ. 4. 30. Iſai. 63. 10. *Extinguere Spiritum* 1. Theſſal. 5. 19. *Spiritui Sancto reſiſtere* Act. 7. 51. *Blaſphemare in Spiritum Sanctum*, Matth. 12. 31. 32. *Spiritui Sancto contumeliam facere*, Hebr. 10. 29. Hæc porro omnia Hebræis erant familiaria.

In hac rerum circumſtantia JESUS Dei Spiritum malo ſpiritui opponit; & Phariſæi maligni ſpiritus operationi tribuebant, quæ Jeſus Sancti Spiritus virtute patraret; hoc igitur totum blaſphemiæ illorum ſcelus reputandum eſt. Ego, dicebat ille Phariſæis, quæcumque in me committeretis omnia ultro dimitterem; vix enim unde ego ſim noſcere vobis datum eſt, ſed blaſphemiæ, quas egeritis in Spiritum Sanctum, ea in me patrantem prodigia, quibus nemo prudens refragaretur, non mereniur veniam ſive in hoc mundo, ſive in altero judicio.

Diſtinguebant enim Judæi duo criminum genera, alia ſacrificiis, vel temporalibus in Lege præſcriptis afflictationibus, vel ſaltem pœnitentia, jejunio, humilitatis ſignificationibus, eleemoſynis &c. expianda. Aliis ſua erant in altera vita ſupplicia, ſupplicia, inquam, ſive temporanea, ſive æterna. Crimen in Spiritum Sanctum, blaſphemiæ in opera Dei, neque in præſenti, neque in altera vita dimittebantur; in præſenti quidem, quod capitalia eſſent; in altera vero, quod æternis ſuppliciis in illud animadverteretur. Capitale eſt ſupplicium in Lege indictum adverſus blaſphemos Levit. 24. 11. 12. 13. 14. Num. 15. 30. 31. ſeductoreſque, qui ſe Deo afflatos mentirentur Deut. 13. 1. 2. 3. Erant illi quidem neſcio cujus in Spiritum Sanctum criminis rei, ſed multo ſane tolerabiliores præ Phariſæis, qui nihil non Divinum in JESU CHRISTO agnoſcerent. His porro criminibus, præter ſupplicia hujus vitæ, ſupplicia in altera vita æterna deſtinata erant, ſi quidem ſeria in hac vita pœnitentia non expiarentur.

In ea fuiſſe vulgo Judæos perſuaſione, non obſcuris argumentis demonſtratur ex Libris Sapientiæ 5. 2. 2. Macchabæorum 12. 42. Joſephi de Bello l. 2. c. 7. Philonis de Præmiis & pœn. p. 713. & de Prolog. pag. 358. & ex Evangelio; nihil enim novi docuit JESUS CHRISTUS, cum peccata lethalis inferni pœnas manere aſſeruit. Eſt etiam recentioribus Rabbinis torquendis æterno ſupplicio ſontibus, ſua gehenna, vel infernus; eſt & Purgatorium ab inferno non niſi duratione pœnarum diſtinctum, torquendis proborum animabus, quibus expiandum aliquid remanet.

B Erant igitur apud Judæos crimina, quibus in altera vita dabatur venia; erant, quibus omnis ea de re ſpes præcidebatur. Judas Macchabæus ſummam 40. drachmarum argenti, quam collatitio ære comparaverat, Jeroſolymam miſit, ſacrificiis pro ſalute cæſorum in prælio impendendam, 2. Macch. 12. 43. quibus ſacrificiis expiaretur eorum crimen, rapti nempe ex Idolorum dono auri, contra Legis ſanctionem Deut. 7. 25. Blaſphemia in Spiritum Sanctum inter ea crimina recenſebatur, quibus nulla eſſet ſpes veniæ in altera vita; quæ ſcilicet neque ſuppliciis Purgatorii, neque ſacrificiis, neque orationibus expiarentur, nihilque ab illis experirentur ſolatii, ſive levaminis. Is genuinus hujus loci ſenſus, quem in noſtra hac Diſſertatione excutiendum ſuſcepimus.

C Blaſphemia igitur in Spiritum Sanctum neque in præſenti, neque in altera vita remittenda, non eſt cum crimine quocumque lethali a Chriſtiano poſt Baptiſmum admiſſo, uti Origeni, Theognoſto, aliiſque nonnullis creditum, confundenda. Neque enim ejus ſe criminis reos noſſe poterant Phariſæi, quibuſcum JESUS CHRISTUS verba miſcebat; certum eſt tamen, peculiare aliquod crimen deſignare voluiſſe JESUM, neque omnia æque crimina ſuggillaſſe poſt Baptiſmum commiſſa. Ita pariter hæreſis crimen deſignari eo nomine negamus; cum alieni eſſent ab eo crimine Phariſæi, & cum illis ita ageret Chriſtus, quaſi uno communionis vinculo cum cæteris Judæis jungerentur, primaſque in Synagoga cathedras tenerent: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi* Matth. 23. 2.

D Qui blaſphemiam in Spiritum Sanctum conſtituunt in neganda Filii, vel Spiritus Sancti Divinitate totam Divinæ ſententiæ ſignificationem aſſecuti non eſſe videntur. Non enim agebat Chriſtus de S. Spiritus Divinitate, quam luculente ſatis ipſe Jeſus non adhuc expreſſerat. Verba ea de re primum fecerat ſeorſum cum Diſcipulis, paulo ante obitum ſuum, & poſt Reſurrectionem iterum. Ad Divinitatem ſuam quod attinet, inſinuare eo loco videtur Phariſæis, ſiquidem nullo alio præterquam negatæ ſibi Divinitatis crimine irretirentur, omnia ſe facile condonaturum. Neque enim hanc fidem exegit, nec annunciandum illud Fidei dogma antea juſſit, quam poſt Reſurrectionem ſuam.

E Auguſtino cæteriſque ſententiam ejus ſecutis negare quidem non poſſumus, livorem, nequitiam charitatem proximi deſtruentem, cum ſcilicet ad finem uſque vitæ duraverint, ac tandem finalem impœnitentiam crimina reputanda eſſe omni veniæ ſpe deſtituta; ſed eadem pariter blaſphemiam in Spiritum S. habenda eſſe via credimus. Fatemur quidem ſceleribus hiſce Dei ſanctitatem violari, charitati S. Spiritus injuriam irrogari, gratiæ divinæ ad ſe pellectu ſuo trahenti homines reſiſtere, eamque tandem, quantum in illis eſt, evertere atque deſtruere. Sed nihil illis non commune ea in re cum cæteris aliis criminibus, quibus tamen blaſphemiæ in Spiritum S. nomen non vindicatur.

Eadem pariter de apoſtaſia, de blaſphemia in nomen Dei dicenda manent; quæ omnia a nonnullis Veterum nomine criminis in Spiritum S. deſignari credita ſunt.

¹ Levit. 5. 1. 2. 3. &c. Num. 15. 28. Hebr. 9. 7.

raſunt. Immania ſunt quidem crimina adeo, ut nec veniam mereantur, niſi forte non fucata cordis pœnitudine eamdem veniam deprecemur. Ut quid tamen hæc potius crimina blaſphemiæ in Spiritum S. nomine deſignentur præ Idololatria, perjuriis, aliiſque criminibus, quibus majeſtati potentiæ, & bonitati divinæ injuria irrogatur? Audax ille & impius, qui *elata manu* in Deum fertur, tum in præſenti mundo cum in altera vita diris animadverſionibus punitur: quod autem tantum crimen peccati in Spiritum S. nomine a Grotio deſignetur, nihil eſt; æque enim tribus, Patri ſcilicet, Filio, & Spiritui S. repugnaret.

Quæ Spiritum S. potiſſimum offendunt crimina, ſex aſſignant Theologi, videlicet 1. Impœnitentiam finalem. 2. Deſperationem, 3. Obfirmatum in malo animum, 4. Exploratæ veritati contradictionem. 5. Nimiam de bonitate Dei præſumptionem, quibus in peccatum animamur. 6. Iniquioribus oculis eos ſuſpicere, qui ſinceræ charitatis vinculo inter ſe colligantur. Nihil tamen ex his JESUS CHRISTUS Phariſæis potiſſimum exprobrat; vitio enim illis vertit, Dæmonis operationi tribuiſſe præſtita a ſe opera, quamquam a Deo patrata probe intelligerent.

Simonis Magi crimen, qui vendi ſibi, collato pretio, poſtulavit prodigiorum patrandorum virtutem, tum & manuum impoſitione prodigia pro arbitrio diſpenſandi, quemadmodum & ab Apoſtolis factum norat [1], alterum eſt criminis in Spiritum S. genus. Impius enim ille magicæ operationi præſtigiiſque tribuebat, quæ Apoſtoli nonniſi divina virtute operabantur. Habebat viros illos divinos tamquam magicis artibus peritiſſimos, & ſe pariter Dæmoniacis illis ſcientiis inſtructiores; volebat proinde arcanum illud ſibi pretio referari, ut pretio vicissim ipſe ceteris venderet. Itaque S. Petrus, veluti dubitans num remiſſionem de tanto crimine eſſet impetraturus, denunciavit: *Pœnitentiam age, ſi forte remittatur tibi*, quibus ſatis innuavit, non ſegniter illi laborandum, ut veniam impetraret.

Porro crimen illud neque in hoc mundo, neque in altero remiſſum iri Chriſtus ideo denunciavit, quod natura ſua omnem excluderet veniam; directe enim, neque ex obliquo impetit bonitatem, & miſericordiam S. Spiritus, ſontem proinde arceret a venia, fores occludit indulgentiæ, & divinæ miſericordiæ velut aggerem opponit. Ea eſt enim illorum criminum, ceu lethalium quorumdam morborum, indoles, qui alto ſopientes torpore ægrotum, negligere, quin & contemnere pariter monita, & pharmaca Medici languentem cogunt. Accidit etiam interdum, ut non contemnat tantum ſanitatem, ſed & contraria etiam omnia præſtet. Hæc flagitiorum immanitas nonniſi prodigiis expugnaretur [2]. Parum eſt igitur, ſi cum S. Johanne Chryſoſtomo, aliiſque nonnullis flagitium illud ideo irremiſſibile credatur, quod ægre expietur; ineſſe etiam vitio ſcelus aliquod repotandum eſt, quod veniæ natura ipſa repugnet. Nemo tamen fines divinæ bonitati, vel potentiæ præſcribere audemus; ſicut neque Eccleſiæ collatam a Chriſto omnium criminum remittendorum poteſtatem cum Novatianis negamus. Nullum re ipſa crimen inexpiabile ultro quidem agnoſcimus; præſto eſt enim ſemper Deus crimini deflentibus remittendo; præſto eſt ſemper Eccleſia, ut averſos a Deo homines in ejus amicitiam redintegret, modo pœnitudinis ſuę intimę minime fucata exhibeant documenta. In hanc ſententiam revocandum eſt illud S. Paciani Ep. 3. ad Sympronianum, qui exceſſiſſe aliquanto viſus eſt, dum crimen in Spiritum S. extra fines receptæ ab Eccleſia abſolvendi a criminibus poteſtatis conſtituit.

---

1 Act. 8. 20. 21. 22.

2 Vide Maldonat. Menoch. in Matth. 12. 31.

COMMENTARIUM LITTERALE IN EVANGELIUM SANCTI MARCI.

CAPUT PRIMUM.

Baptiſma S. Johannis. JESUS baptizatur, & in deſertum recedit. Ejus tentatio. In Galilæam migrat. Vocatio S. S. Petri, Andreæ, Jacobi, & Johannis. Socrus S. Petri, & Leproſus curantur.

1. INitium Evangelii Jeſu Chriſti Filii Dei. Sicut ſcriptum eſt in Iſaia propheta:
2 Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam
tuam ante te. 3 Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas fa-
cite ſemitas ejus. 4 Fuit Johannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum
pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. 5 Et egrediebatur ad eum omnis Judææ
regio, & Jeroſolymitæ univerſi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, con-
fitentes peccata ſua. 6 Et erat Johannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea
circa lumbos ejus, & locuſtas, & mel ſilveſtre edebat. Et prædicabat, dicens:
7 Venit fortior me poſt me: cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam
calceamentorum ejus. 8 Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizavit vos Spi-
ritu Sancto. 9 Et factum eſt: in diebus illis venit Jeſus a Nazareth Galilææ, &
baptizatus eſt a Johanne in Jordane. 10 Et ſtatim aſcendens de aqua, vidit cœ-
los apertos, & Spiritum tamquam columbam deſcendentem, & manentem in ipſo.
11 Et vox facta eſt de cœlis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui. 12
Et ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum. 13 Et erat in deſerto quadraginta
diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur a ſatana: eratque cum beſtiis, &
angeli miniſtrabant illi. 14 Poſtquam autem traditus eſt Johannes, venit Jeſus in
Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei. 15 Et dicens: Quoniam impletum
eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei: pœnitemini, & credite Evangelio.
16 Et prætериens ſecus mare Galilææ vidit Simonem, & Andream fratrem ejus,
mittentes retia in mare (erant enim piſcatores,) 17 Et dixit eis Jeſus: Venite
poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. 18 Et protinus relictis reti-
bus, ſecuti ſunt eum. 19 Et progreſſus inde puſillum, vidit Jacobum Zebedæi,
& Johannem fratrem ejus, & ipſos componentes retia in navi. 20 Et ſtatim voca-
vit illos. Et relicto patre ſuo Zebedæo in navi cum mercenariis, ſecuti ſunt eum.
21 Et ingrediuntur Capharnaum: & ſtatim ſabbathis ingreſſus in ſynagogam, doce-
bat eos. 22 Et ſtupebant ſuper doctrina ejus: erat enim docens eos, quaſi po-
teſtatem habens, & non ſicut Scribæ. 23 Et erat in ſynagoga eorum homo in
ſpiritu immundo, & exclamavit. 24 Dicens: Quid nobis, & tibi, Jeſu Nazare-
ne? veniſti perdere nos? ſcio, qui ſis, Sanctus Dei. 25 Et comminatus eſt ei
Jeſus,

Jeſus, dicens: Obmuteſce, & exi de homine. 26 Et diſcerpens eum ſpiritus im-
mundus, & exclamans voce magna exiit ab eo. 27 Et mirati ſunt omnes, ita
ut conquirerent inter ſe dicentes: Quidnam eſt hoc? quænam doctrina hæc nova?
quia in poteſtate etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei. 28 Et pro-
ceſſit rumor ejus ſtatim in omnem regionem Galilææ. 29 Et protinus egredientes
de ſynagoga, venerunt in domum Simonis, & Andreæ cum Jacobo, & Johanne.
30 Decumbebat autem ſocrus Simonis febricitans, & ſtatim dicunt ei de illa. 31
Et accedens elevavit eam, apprehenſa manu ejus: & continuo dimiſit eam febris,
& miniſtrabat eis. 32 Veſpere autem facto cum occidiſſet ſol, afferebant ad eos
omnes male habentes, & dæmonia habentes. 33 Et erat omnis civitas congrega-
ta ad januam. 34 Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, & dæ-
monia multa ejiciebat, & non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum. 35 Et di-
luculo valde ſurgens, egreſſus abiit in deſertum locum, ibique orabat. 36 Et
proſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erant. 37 Et cum inveniſſent eum,
dixerunt ei: Quia omnes quærunt te. 38 Et ait illis: Eamus in proximos vicos,
& civitates, ut & ibi prædicem: ad hoc enim veni. 39 Et erat prædicans in Sy-
nagogis eorum, & in omni Galilæa & dæmonia ejiciens. 40 Et venit ad eum le-
proſus deprecans eum, & genu flexo dixit ei: Si vis, potes me mundare. 41
Jeſus autem miſertus ejus, extendit manum ſuam, & tangens eum, ait illi: Volo:
Mundare. 42 Et cum dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra, & mundatus eſt. 43
Et comminatus eſt ei, ſtatimque ejecit illum, 44 Et dicit ei: Vide nemini di-
xeris: ſed vade, oſtende te principi ſacerdotum, & offer pro emundatione tua,
quæ præcepit Moyſes in teſtimonium illis. 45 At ille egreſſus cœpit prædicare,
& diffamare ſermonem, ita ut jam non poſſet manifeſte introire in civitatem, ſed
foris in deſertis locis eſſet, & conveniebant ad eum undique.

℣. 1. INITIUM EVANGELII.] Hæc verba ſunt vel ſimplex titulus Evangelii S. Marci, vel initium narrationis ejuſdem, ſequentibus ita adnectendum: *Initium Evangelii JESU CHRISTI, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta*. Evangelii exordium deſumit ex trigeſimo JESU CHRISTI anno juxta æram Vulgarem, cum S. Johannes ordiatur ex æterna Verbi generatione ante omnia tempora; S. Matthæus ex temporali ejuſdem generatione; & S. Lucas ex S. Johannis Baptiſtæ conceptione. Qui hoc explicant tamquam ſimplicem Evangelii titulum, ea, quæ ſequuntur: *Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta*, cum illis ℣. 4. verbis conjungunt: *Fuit Johannes in deſerto* &c. Sanctus hic Præcurſor Iſaiæ vaticinium adimplevit, dicentis: *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini*.

℣. 2. SICUT SCRIPTUM EST IN ISAIA PROPHETA.] Duos iſthic S. Marcus Prophetas citat: Malachiam 3. 1. in iis verbis: *Ecce ego mitto angelum meum; & præparabit viam ante faciem meam*; Et Iſaiam 40. 3. in illis: *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini*. Attamen Iſaiam dumtaxat, utpote antiquiorem, ac notiorem appellat. Neque aliter vulgo novi Teſtamenti Auctores facere conſueverunt. Prophetarum generatim, vel Prophetæ alicujus nomine allato plures ſimul concervatos proferunt locos, unum quodammodo contexentes. Verum non pauca exemplaria Græca manu exarata, & pleraque typis edita legunt: *Sicut ſcriptum eſt in Prophetis*. Sed Vulgatæ lectio probatior, meliorque videtur; eamque ſequuntur Verſiones Syriaca, Gotica, Cophta, Armenia, Perſica, Arabica. S. Irenæus utramque legit, ſed Origenes, S. Athanaſius, S. Hieronymus, & Porphyrius apud Origen. l. 2. contra Celſum, Latinorum Exemplarium lectionem præferunt, quæ in pluribus etiam Græcis MSS. apud Millium hic invenitur.

℣. 4. PRÆDICANS BAPTISMUM POENITENTIÆ IN REMISSIONEM PECCATORUM.] In noſtra Diſſertatione de Baptiſmate oſtendimus, S. Johannis baptiſmum inſtitutum fuiſſe non ad peccata abluenda, ſed A ſimpliciter ad præparandos homines ad pœnitentiam peragendam, ideoque ad peccatorum veniam in JESU CHRISTI Baptiſmate recipiendam: *Baptiſmum pœnitentiæ quaſi candidatum remiſſionis, & ſanctificationis in Chriſto ſubſecuturæ*, ait Tertullianus.

℣. 6. PILIS CAMELI.] Rudi, craſſiorique panno, ex pilis cameli aſſatim contexto indutus erat: Judæi quippe vetitum erat ex lino ſimul, & lana veſtes contexere Levit. 19. 19.

℣. 7. PROCUMBENS SOLVERE CORRIGIAM CALCEAMENTORUM.] S. Matthæus 3. 11. legit: *cujus non ſum dignus calceamenta portare*. Ea & ſolvere, & geſtare ſervorum erat officium. S. Marcus ubique ferme S. Matthæum exſcribit, & coarctat; non ideo tamen adeo religioſus eſt, ut ſemper illius referat verba; ſed mentem, ſeorſumque ipſius dumtaxat exponit. Vide etiam verſ. 21.

B ℣. 8. SPIRITU SANCTO.] Dabit vobis Baptiſma cum remiſſione peccatorum, & Spiritu Sancto. Spiritus Sanctus, qui Pentecoſtes die ſuper Apoſtolos dilapſus eſt, ab eodem Salvatore Spiritus Sanctus vocatur Act. 1. 5. *Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies*.

℣. 10. ASCENDENS DE AQUA VIDIT &c.] Statim ac JESUS de aqua emerſit, Johannes Baptiſta Cœlos pateſcere vidit; hoc enim miraculum in illius gratiam præcipue contigit: *Teſtimonium perhibuit Johannes dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de Cœlo, & manſit ſuper eum: & ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto* C Joan. 1. 32. hoc tamen non innuit, Spiritum Sanctum hunc a JESU viſum non fuiſſe; immo fidei conſonum eſt, pleroſque ex populo miraculi hujus teſtes fuiſſe. Narrat S. Lucas 3. 21. JESUM ex aquis egreſſum oraſſe, eoque orante Cœlum ſuper caput illius patuiſſe.

℣. 11. IN TE COMPLACUI [1].] Græca Exemplaria typis edita, & quædam manuſcripta legunt, uti in S. Matthæo: *In quo mihi bene complacui*. Sed S. Lucas Vul-

1 Ἐν σοὶ εὐδόκησα. Ita Luc. 3. 22. ſed Matth. 3. 17. Ἐν ᾧ εὐδόκησα.

Vulgatæ noſtræ conformis eſt, non ſecus ac mſſ. pars maxima.

℣. 12. STATIM SPIRITUS EXPULIT EUM.] Græcus textus [1] ad litteram redditus eſt: Verum hoc verbum *expulit* in mitiori ſenſu eſt intelligendum, pro, adduxit, impulit in deſertum. JESUS a Johanne Baptiſta receſſit, conceſſitque in locum penitus deſertum, ubi non alia niſi ferarum ei eſſe poterat ſocietas; *Eratque cum beſtiis*. In deſerto quidem baptizatus fuit Matth. 3. 1. ſed in penitiora deſerti ejuſdem pervaſit.

℣. 13. ANGELI MINISTRABANT ILLI.] Poſtquam a Dæmone tentatus fuit, eumque profligavit, acceſſerunt Angeli, ei miniſtraturi, quemadmodum narrat S. Matthæus 4. 11. Beda credit, Angelos illi fuiſſe famulatos toto eo tempore, quo in deſerto permanſit; & Ligfoot cenſet, illum a Dæmone inviſibiliter tentatum, Angelos vero viſibiliter ei miniſtraſſe quadraginta illos dies; ac tandem dæmonem expertum ſe nihil hac tentandi ratione proficere, viſibilem induiſſe ſpeciem, ac voluiſſe, cum Angelis lucis ſe ſe illius famulitio immiſcere.

℣. 14. POSTQUAM AUTEM TRADITUS EST JOHANNES.] Cum Herodes Antipas uxorem duxiſſet Herodiadem conjugem Philippi fratris ſui adhuc viventis, acerrime a Johanne Baptiſta increpitus fuit [2], ut ſeverum adeo cenſorem de medio tolleret, in carcerem trudi juſſit, cauſam prætexens, quod baptiſmate, ac prædicatione ſua ad ſe nimiam populi turbam attraheret [3]. Sub idem tempus fama percrebuit, JESUM quoque baptizare, ac mortales omnes ad illum concurrere; ita ut inde invidiæ occaſionem nacti fuerint iidem S. Johannis diſcipuli [4]; quamvis non per ſe, ſed per Apoſtolos ſuos dumtaxat JESUS baptizaret [5]. Salvator veritus, ne Phariſæi famæ ſuæ invidentes, Pilatum impellerent, ut illum in vincula conjiceret eodem colore, quo Johannes Baptiſta ab Herode in vincula datus fuerat, e re cenſuit, in Galilæam dilabi, ubi nihil ſibi vel a Pilato erat metuendum, cujus poteſtas in eam uſque Provinciam minime protendebatur, vel ab Herode, quem dictis non laceſſiverat, & a quo ignorabatur. Ita credimus, locum hunc explicari poſſe, qui ſane eſt impeditior. S. Marcus narrat hic, quomodo S. Johannes in carcerem abreptus fuerit, quaſi hoc accidiſſet ſtatim poſt reditum JESU de deſerto; at liquet, illud multo poſt eveniſſe.

℣. 15. QUONIAM IMPLETUM EST TEMPUS] a Prophetis præſignatum: a Jacob quidem Gen. 49. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*: & a Daniele 9. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum; & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſumatur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum*. Ecce tempora adventus Meſſiæ perſpicue præſignata: Tempora hæc adimpleta videntur in Johannis, & JESU CHRISTI prædicationibus.

℣. 16. VIDIT SIMONEM, ET ANDREAM.] S. Marcus plurima, quæ ab aliis Evangeliſtis narrantur, miſſa facit. Videri poteſt Harmonia noſtra, vel Hiſtorica ſeries Quatuor Evangeliorum. Simon, & Andreas jam noverant JESUM CHRISTUM: quippe jampridem Andreas illum domi convenerat, & illuc deinde Petrum fratrem ſuum adduxerat. Vide S. Johannem cap. 1. ℣. 36. 37. 43. Verumtamen nondum illi adeo adhæſerant, ut ad piſcatoriam minime redierint. Matth. 4. 13.

℣. 21. INGREDIUNTUR CAPHARNAUM.] Nunc ſecundo JESUS hanc civitatem ingreditur, ac nunc eo concedit, ibi ſedem ſuam, ac manſionem collocaturus; ſi hoc nomine appellare fas eſt vitam, quam prædicationis ſuæ tempore ſuper terram duxit Salvator.

℣. 22. STUPEBANT SUPER DOCTRINA EJUS.] Triplici de cauſa, primum quod numquam ſtuduerat; deinde, quod ſublimis erat doctrina illius: tertio quod cum auctoritate, ac vi magiſtrali loquebatur, hac etiam in re longe diſſimilis a Scribis, Legiſque Doctoribus, quorum omnis ſcientia, inanis eſt ſtudii jactantia, & futilis verborum ſupellex e ſcriptis, vel traditione majorum emendicata. Quod JESUS CHRISTUS dicebat, authographum erat; ex ipſo fonte manabat; ad hæc, erat jugi miraculorum fulgore confirmatum.

℣. 23. ERAT IN SYNAGOGA EORUM HOMO &c.] Hujuſmodi ergo hominibus patebat aditus in cœtu Religionis; & hic fortaſſe a dæmone ſubinde tantum torquebatur. Hoc miraculum a S. Matthæo non refertur; ſed apud S. Lucam invenitur cap. 4. ℣. 31. 32. & ſequentibus.

℣. 24. VENISTI PERDERE NOS [6]?] Numquid veniſti imperium noſtrum everſurus, ac nos in infernum relegaturus [7]? Quæritur iſthic, utrum Dæmon vere Dei filium cognoſceret, quemadmodum iſthic gloriatur: *Scio, qui ſis, ſanctus Dei*. Hoc eodem in Capite S. Marcus infra ℣. 34. ait, Dei Filium Dæmonibus ſilentium impoſuiſſe, quia ab illis agnoſcebatur: *Non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum*. Et S. Lucas c. 4. 41. hoc ipſum teſtatur. Dæmonem toties in deſerto victum, cum JESUM CHRISTUM tentare auſus eſt, fidei ne conſonum eſt, ignoraſſe, quis eſſet? Eruditi complures Interpretes [8] tenent, illum hactenus dubitaſſe, ac deinceps omnem dubitandi locum illi ademptum fuiſſe: Alii [9] vero tenent, illum, non niſi poſt Domini reſurrectionem, perfecte noviſſe, JESUM CHRISTUM eſſe Dei Filium, & Meſſiam: ad illud uſque temporis dubius hæſit. Salvatoris humilitas, ærumnoſa vita, perſecutiones, quas patiebatur, qui vi ſua ad eas coercendas uteretur; cura, qua facta ſua magis illuſtria celabat; ſollicitudo, qua Deo Patri acceptam referebat gloriam actionum ſuarum, fallebant dæmonem, ejuſque dubitationem fovebant. Si JESUM CHRISTUM noviſſet, numquid Judam ad eum prodendum impuliſſet [10]? Numquid Judæis ſuaſor fuiſſet, ut illum cruci ſuffigerent [11]? Illi ex veteribus [12], qui credunt, ſomnium de JESU CHRISTO, quod uxori Pilati tot turbas ingeſſit, a Dæmone profectum; qui tunc timere incipiebat, an Juſtus hic eſſet Meſſias; illi procul dubio JESUM a dæmone hactenus ignoratum fuiſſe cenſuerunt; quod nobis etiam probatius videtur.

℣. 26. OBMUTESCE.] Dei Filius hoc ſibi teſtimonium a parente mendacii reddi non vult, S. Johannes Chryſoſtomus inquit [13]. Teſtem rejicit, cui vel adulationis, vel falſitatis non deeſt ſuſpicio, quemadmodum Tertullianus l. 4. contra Marcion. animadvertit. Non vult adeo cito divinitatem ſuam palam fieri. Nondum venerant tempora, & momenta, & populorum mentes nondum erant diſpoſitæ ad tantam hanc veritatem excipiendam. Vide ℣. 34.

℣. 26. DISCERPENS EUM.] Ita oſtendebat ſe invitum ex corpore, quod poſſederat, diſcedere [14]. S. Lucas 4. 35. ait, hominem hunc a dæmone in medio cœtu humo alliſum, quin tamen ullum vulnus illi infligeretur; Satanas illum ſimpliciter agitavit, & everrit; non permittente Deo, ut lapſus ullum inſigne detrimentum inferret.

℣. 27. QUÆNAM DOCTRINA HÆC NOVA?] Non quod

1 Τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει εἰς τὴν ἔρημον. 2 Luc. 3. 19. Marc. 6. 17. Matth. 14. 3. 4.
3 Joſeph. Antiqu. lib. 18. cap. 7. 4 Joan. 3. 22. 25. 26. 5 Joan. 4. 1. 2.
6 Plura Mſſ. legunt: *Veniſti ante tempus*; quod ex S. Matth. c. 8. 29. ſumptum.
7 Euthym. Theophyl. Mald. Grot. Brug. 8 Vide Mald. Grot. Brug. Bedam, hic.
9 Vide Hieronym. in Matth. 8. 29. Aug. lib. 9. de Civit. cap. 21. Remig. apud D. Thom. in Matth. 8.
10 Joan. 13. 2. 11 1. Cor. 2. 8. *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*.
12 Ignatius Ep. ad Philipp. Beda, in Matth. 27. 19. alii.
13 Chryſoſtom. & Euthym. hic. & Tertull. obiter lib. 4. contra Marcion. Et Ambroſ. lib. 4. in Luc. n. 102.
14 Maldon. Grot. Brug.

quod Jesus Christus nova doceret, & reipſa aliam prædicaret Legem ab ea, quam illi acceperant; verum admirabantur ejus auctoritatem, & miracula, quæ dicta illius comitabantur. Stupebant, intuiti illum imperioſe dœmones expellentem.

℣. 32. Vespere autem facto cum occidisset Sol;] & Sabbathum deſiit; incipiebat enim feria ſexta veſpere, ac veſpere Sabbathi poſt ſolis occaſum deſinebat. Tunc nulla quietis lege impediti ad S. Petri domum, ubi Jesus morabatur, concurrerunt, omneſque urbis ægrotos ad eum attulerunt.

℣. 34. Curavit multos.] Tot videlicet, quot ad ipſum adducti fuerunt. S. Lucas 4. 41. ait, illum ſingulis uni poſt alium manus impoſuiſſe, eoſque ſanaſſe.

℣. 35. Et diluculo valde.] Circumſtantiam hanc præterit S. Matthæus; & S. Lucas, a quo refertur, quin diluculi meminerit, ait ſimpliciter, craſtina die orto jam ſole [1] omnibus inſciis in deſertum conceſſiſſe. Attamen S. Petrus, aliique diſcipuli eum aſſecuti, eum ab omni populo perquiri, ac omnes eum ſequi nuntiarunt.

℣. 36. Prosecutus est eum Simon;] vel *perſecutus eſt* eum, juxta vim Græcæ vocis [2]; nam Jesus incomitatus diſceſſerat. S. S. Petrus, Andreas, Jacobus, & Johannes omnium primi illum abeſſe ſenſerunt, eumque ſecuti ſunt. Mox turbæ venerunt, & ipſæ etiam illum ſunt aſſecutæ.

℣. 38. Eamus in proximos vicos.] S. Lucas 4. 42. ait, turbas has, quæ ad eum venerunt, continuiſſe Jesum, ac noluiſſe pati, ut ille ab ſe diſcederet; ipſum vero illis dixiſſe, ſibi aliis etiam civitatibus prædicandum eſſe; ſe ideo a Patre miſſum fuiſſe; qua mente illum Capharnao egreſſum, S. Marcus hic teſtatur.

℣. 40. Venit ad eum leprosus.] Leproſus hic idem eſt, ac ille de quo verba facit S. Lucas cap. 5. ℣. 12. & ſequentibus; longe alius ab eo, cujus meminit S. Matthæus c. 8. ℣. 2 3. 4. quem poſt ſermonem in monte habitum mundavit.

℣. 44. Ostende te Principi Sacerdotum.] Græcos legit ſimpliciter [3]: *Oſtende te Sacerdoti*, vel *Sacerdotibus* numero multitudinis; uti eſt in verſionibus Syriaca, & Perſica. Græci quidam Mſſ. legunt *Principi Sacerdotum*, non ſecus ac Vulgata. At conſtat, neceſſe nequaquam fuiſſe ad ſummum Sacerdotem perfugere, ut mundus renuntiaretur, ac in hominum cœterorum conſuetudinem traderetur.

℣. 45. Diffamare sermonem,] curationem ſuam. *Sermo*, uti paſſim in Bibliis, iſthic uſurpatur pro *re*. Leproſus hic perperam ne egit, Jesu Christo, a quo prohibitus fuerat acceptum beneficium prædicare, non obediens? Veteres [4] unanimi conſenſu hunc, & alios, quicumque ſimili in occaſione ſimiliter egerunt, excuſant. Neque Salvatori mens erat illis ſeveram adeo neceſſitatem imponendi, ut de eo minime loquerentur, quod celari non poterat [5]; ſed mandatum hoc erat ſuæ humilitatis effectus. Qui etiam ab illo curati fuerant, neque ob contemptum, neque ut ſoſpitatori ſuo eſſent injurii, hoc agebant; ſed animi motu penitus oppoſito id agere cogebantur; ac ſe eo abripi ſinebant affectu, quem & gratitudo, & amor illis ſuadebant. Oportebat autem, ut ad majorem Dei gloriam miracula celebrarentur; atque ſimul operæ pretium erat, ut nobis Salvator tribueret modeſtiæ, & humilitatis exemplum. *Quantum ad gloriæ humanæ averſionem pertinebat, vetuit eum divulgare*, Tertullianus l. 4. contra Marcion. ait: *Quantum autem ad tutelam legis, juſſit ordinem impleri*.

Addit Evangeliſta, Jesum Christum non potuiſſe amplius *introire in civitatem* populo inſpectante; turbæ enim ad illum undique confluentes ei impedimento fuiſſent; neque valuiſſet ille de media multitudine, a qua quodammodo obſeſſus fuiſſet, evadere. At ille in pagis potius, agriſque prædicare cupiebat. *Non poterat*, ſignificat *nolebat*, propter allatas rationes. S. S. Lucas 5. 16. & Marcus illum in deſertis locis manſiſſe, ibi orationi vacaſſe, & illuc ad eum undequaque populos confluxiſſe teſtantur.

1 Luc. 4. 42. Γενομένης δ' ἡμέρας.
2 Κατεδίωξεν αὐτὸν ὁ Σίμων, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ.
3 Σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ. Quidam: Ἀρχιερεῖ. Leiceſt. Cod. Velez. Pariſ. 5. apud Mill. hic.
4 Chryſoſt. Hieronym. Beda, Theophylact. ad Matth. 9. 31.
5 Vide Hieronym. Gregor. Magn. Bedam, in Matth. 9. 31.

CAPUT II.

Paralyticus curatur. S. Matthæus ad Apoſtolatum vocatur. Murmur Phariſæorum, quod JESUS cum Publicanis comederet, ejuſque Diſcipuli non, ut ipſi, jejunarent. JESUS Diſcipulos ſuos excuſat Sabbatho colligentes, ac manu tenentes ariſtas.

1. ET iterum intravit Capharnaum poſt dies, 2 Et auditum eſt quod in do-
mo eſſet, & convenerunt multi, ita ut non caperet, neque ad januam, &
loquebatur eis verbum. 3 Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui
a quatuor portabatur. 4 Et cum non poſſent offerre eum illi præ turba, nudave-
runt tectum, ubi erat: & patefacientes ſubmiſerunt grabatum, in quo paralyticus
jacebat. 5 Cum autem vidiſſet Jeſus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittun-
tur tibi peccata tua. 6 Erant autem illic quidam de Scribis ſedentes, & cogitan-
tes in cordibus ſuis: 7 Quid hic ſic loquitur? Blaſphemat. Quis poteſt dimitte-
re peccata, niſi ſolus Deus? 8 Quo ſtatim cognito Jeſus ſpiritu ſuo, quia ſic co-
gitarent intra ſe, dicit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris? 9 Quid eſt
facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, tolle gra-
batum tuum, & ambula? 10 Ut autem ſciatis, quia Filius Hominis habet pote-
ſtatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico:) 11 Tibi dico: Surge, tolle

graba-

grabatum tuum, & vade in domum tuam. 12 Et ſtatim ſurrexit ille, & ſublato
grabato, abiit coram omnibus: ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum,
dicentes: Quia numquam ſic vidimus. 13 Et egreſſus eſt rurſus ad mare: omniſ-
que turba veniebat ad eum, & docebat eos. 14 Et cum præteriret, vidit Levi
Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi: ſequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum.
15 Et factum eſt, cum accumberet in domo illius, multi Publicani, & peccatores
ſimul diſcumbebant cum Jeſu, & Diſcipulis ejus: erant enim multi, qui & ſeque-
bantur eum. 16 Et Scribæ, & Phariſæi videntes quia manducaret cum Publicanis,
& peccatoribus, dicebant Diſcipulis ejus: Quare cum Publicanis, & peccatoribus
manducat, & bibit Magiſter veſter? 17 Hoc audito, Jeſus ait illis: Non neceſſe
habent ſani medico, ſed qui male habent: non enim veni vocare juſtos, ſed pec-
catores. 18 Et erant diſcipuli Joannis, & Phariſæi jejunantes: & veniunt, & di-
cunt illi: Quare diſcipuli Joannis, & Phariſæorum jejunant: tui autem Diſcipuli
non jejunant? 19 Et ait illis Jeſus: Numquid poſſunt filii nuptiarum, quamdiu
ſponſus cum illis eſt, jejunare? Quanto tempore habent ſecum ſponſum, non poſ-
ſunt jejunare. 20 Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejuna-
bunt in illis diebus. 21 Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri:
alioquin aufert ſupplementum novum a veteri, & major ſciſſura fit. 22 Et nemo
mittit vinum novum in utres veteres: alioquin dirumpet vinum utres, & vinum
effundetur, & utres peribunt: ſed vinum novum in utres novos mitti debet. 23
Et factum eſt iterum cum Dominus Sabbathis ambularet per ſata, & Diſcipuli ejus
cœperunt progredi, & vellere ſpicas. 24 Phariſæi autem dicebant ei: Ecce, quid
faciunt Sabbathis quod non licet? 25 Et ait illis: Numquam legiſtis quid fecerit
David, quando neceſſitatem habuit: & eſuriit ipſe, & qui cum eo erant? 26
Quomodo introivit in domum Dei ſub Abiathar Principe Sacerdotum, & panes pro-
poſitionis manducavit, quos non licebat manducare, niſi Sacerdotibus: & dedit eis,
qui cum eo erant? 27 Et dicebat eis: Sabbathum propter hominem factum eſt,
& non homo propter Sabbatum. 28 Itaque dominus eſt Filius Hominis, etiam
Sabbathi.

℣. 1. ET ITERUM INTRAVIT CAPHARNAUM POST DIES.] Ubi ſatis ægrorum cultores edocuit, iterum Capharnaum petit; quo ut veniret, navim conſcendiſſe dicitur a S. Matthæo. Tunc igitur in ulteriori maris Tiberiadis littore verſabatur; quo ſæpe conceſſit & oraturus, & turbarum ſequentium vim evitaturus. Exemplaria quædam legunt [1]: *Poſt dies octo*; ſed optima, & vetuſtiſſima cum Græca, tum Latina legunt ſimpliciter: *Poſt dies*; at dierum numerus neque a S. Matthæo, neque a S. Luca memoratur.

℣. 2. ITA UT NON CAPERET, NEQUE AD JANUAM[2].] Ita ut ſpatium, quod prope januam patebat, illos capere non poſſet. Intelligitur plane veſtibulum [3], atrium ante oſtium. Jeſus ergo medius in aula, vel oſtio loquebatur, ut cum qui domi, tum qui foris erant audirent.

℣. 4. NUDAVERUNT TECTUM.] Domus, ubi Jeſus erat, & totum illa per funes demiſerunt lectulum, ubi erat Paralyticus. Tecta in Paleſtina plana erant, ac non patebat aſcenſus per ſcalas, quin domum ingredereris [4]. Perhibent etiam, in ſolarii illius medio oſtiolum fuiſſe, cancellis circumſeptum, quod aperiebatur, ut in cubicula infra poſita aeri, lucique aditus pateret; claudebatur vero, cum ſol nimis ureret, vel cum imber, aut nix dilaberetur. Hoc oſtiolum tunc apertum fuiſſe dicitur, ut paralyticus coram Jeſu in aula docente demitteretur. At duo iſthic me tangunt; primo quod ſanctus Lucas 5. 19. ait, illum demiſſum *per tegulas*; ſecundo, quod unius tantum contignationis eſſe debuiſſet domus illa, ita ut ab imo ad ſummum nulla media eſſent laquearia. Putat Lightfoot, Jeſum in ſuperiori aula fuiſſe cum Phariſæis, Legiſque Doctoribus; oſtenditque vulgo illuc ſecedere conſueviſſe Judæos, de Religione diſputaturos: at hæc ratio non ſatis probat. Liquet enim, ubicumque fuiſſent, ibi de rebus ad Religionem ſpectantibus citra quamvis locorum electionem diſſeruiſſe. Simplicius dixeris, domum fuiſſe, uti nunc etiam pleræque Orientalium ſunt, ſine ulla contignatione. Homines ergo illi evulſis lateribus aliquot, quibus ſtratum erat ſolarium, ut latiorem facerent hiatum tecti, paralyticum intra domum demiſerunt, ita ut repente ad Jeſu ad januam, vel feneſtram ædium loquentis pedes jaceret.

℣. 8. SPIRITU SUO.] Ut illum cognoſceret, opus non fuit, ut alios audiret, atque admoneretur, neque peculiaris alicujus revelationis gratia certior fieret, uti Prophetæ, qui interiori quidem lumine, ſed non ſuo, ſecreta noverant. Jeſus omnia *ſpiritu ſuo* intelligebat, infinita ſapientia ſua, Divinitate ſua, quæ hypoſtatice cum humanitate ſua erat conjuncta. Dei Filius, Verbum, increata Sapientia, Filii Perſona a priſcis Patribus Spiritus nonnumquam vocatur. Vide Gentium in hunc locum.

℣. 9. QUID EST FACILIUS DICERE &c.] Vide, ſi lubet, noſtros in ſanctum Matthæum 9. 5. Commentarios.

℣. 13. EGRESSUS EST RURSUS AD MARE.] Vel lacum Tiberiadis. Vidimus ℣. 1 Jeſum phaſelo Capharnaum veniſſe, ideoque ex ulteriori Lacus ripa. S. Marcus ait, illum rurſus ad mare egreſſum, hoc eſt ſecundo, poſt adventum ſuum. Vel potius, *rurſus* refer-

1 Ita Codd. Latini quidem, & Græci nonnulli, apud Mald. & Mill. hic. Forte ſcriptum fuerat ab Evangeliſta: Δι' ἡμερῶν, pro quo nunc legitur: Δι' ἡμερῶν. Mill. Prolog. 413.

2 Forte: *Neque quæ ad januam*. Μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν.

3 Meld. Grot. alii plerique.

4 Vide Matth. 24. 17. Marc. 13. 15.

refertur ad ea capitis ſuperioris verba ℣. 16. *Et præteriens ſecus mare Galilææ vidit Simonem, & Andream*, eoſque ad ſe invitavit. Alia etiam die ad lacum profectus, cum ibi vidiſſet Levi, eum quoque ad Apoſtolatum evocavit. Vox illa *rurſus* in quibuſdam Exemplaribus antiquis deſideratur [1].

℣. 14. VIDIT LEVI ALPHÆI.] Pleraque Græcorum Exemplarium legunt *Levin* pro *Levi*. Alia vero [2]: *Jacobum filium Alphæi*. Adi Præfationem noſtram in ſanctum Matthæum, & Commentarium in caput illius 9. ℣. 9.

℣. 15. ERANT MULTI, QUI ET SEQUEBANTUR EUM.] Poſt ſancti Matthæi vocationem, & cœnam, cui intereſſe dignatus eſt Jeſus Chriſtus apud eum, ubi complures aderant, qui & ipſi vectigalia exercebant: alii Publicani illi adhæſerunt, eique fideles fuerunt; quam circumſtantiam Evangeliſtæ alii prætereunt. Hanc tamen innuere videntur ſancti Matthæus 11. 19. & Lucas 7. 34. ubi narrant, Salvatori Judæos probro vertiſſe, quod ſe in publicanorum, & peccatorum neceſſitudinem traderet. Et Matth. 21. 31. Salvator aſſerit, futurum, ut in altera vita Publicani, & meretrices Phariſæis, ac Scribis præferantur. Demum Luc. 18. 10. prætulit humilem Publicanum in Templo orantem Phariſæo ſuperbo, commentitia bona opera ſua tumide jactitanti Lucæ 19. 2. Zachæi publicani domum antefert Sacerdotum, & Phariſæorum ædibus. Ubique repetit, ſe non tam pro juſtis veniſſe, quam ut peccatores ad pœnitentiæ viam revocaret.

℣. 17. NON NECESSE HABENT SANI MEDICO.] Adagialiter dictum in morali ſenſu non adeo ſtrictim explicandum. Nemo enim eſt vel ſoſpes, vel æger, vel juſtus, vel peccator, qui ſupremi medici ope non indigeat: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei* Rom. 3. 23. Qui meliori fruitur valetudine, repente ægrotare poteſt, quique graviſſime laborat, illico Medici Omnipotentis auxilio poteſt convaleſcere [3]. Univerſum genus humanum ægrotat, ait S. Auguſtinus; Dei Filius acceſſit illud curaturus [4]: *Jacet toto orbe terrarum ab Oriente uſque ad Occidentem grandis ægrotus: ad ſanandum grandem ægrotum deſcendit Omnipotens Medicus*.

NON ENIM VENI VOCARE JUSTOS, SED PECCATORES.] Plurima Græca Exemplaria addunt [5], *ad pœnitentiam*. Non venit Jeſus vocare peccatores, ut in peccato perſeverent; ſed ut convertantur, ſerio pœnitentiam agant, juſti fiant, atque fideles. Hoc ſatis intelligitur. Horum verborum additio *ad pœnitentiam*, ex S. Matthæo 9. 13. deſumpta eſt.

℣. 19. FILII NUPTIARUM.] Pronubi. Juvenes, qui nuptiarum tempore recentem ſponſum honoris ergo comitantur. Apoſtoli proculdubio omnia ſervabant jejunia a Lege præſcripta; at non ea, quæ Phariſæi ex propria voluntate prioribus adjecerant. Eorum ſtatus, ac profeſſio, cui Jeſus eos deſtinabat, & cui tunc temporis vacabant, non ſinebat eos, rigoroſa illa ſervare jejunia, quæ Phariſæi adeo oſtentabant. Hæc omnia jam explicuimus in c. 9. S. Matthæi.

℣. 26. SUB ABIATHAR PRINCIPE SACERDOTUM.] Cum David ex Summo Sacerdote panes petiit [6], tunc eam dignitatem obtinebat Achimelech, filius Abiathar. Ad hanc difficultatem tollendam alii dicunt, hic non deeſſe Librarii mendum, & Abiathar pro Achimelech obrepſiſſe: alii [7] putant, Achimelech duo habuiſſe nomina, & vocatum quoque fuiſſe Abiathar, non ſecus ac Abiathar, quoque nonnumquam Achimelech dicitur [8]. Certum eſt, Davidis ævo Summos Sacerdotes modo *Sadoch*, & *Abiathar*, modo *Sadoc*, & *Achimelech* appellari [9]. Tenent alii [10], Summum Sacerdotem Abiathar adhuc inter vivos verſatum fuiſſe, & Davidem, cum domum illius in Nobe acceſſiſſet, exoraſſe Achimelech filium ejus, ut viaticum obtineret. Achimelech certe illi panes propoſitionis tradidit; at nondum ille ſummi Sacerdotii honorem adeptus parentis ſui vices gerebat. Vetus Mſ. Cantabrigienſis, qui olim Bezæ fuit, hunc omittit verſiculum. Alii quidam Mſſ. pro *Summo Sacerdote Abiathar* legunt Abiathar Sacerdotem. Verum eam eligere poſſumus ſententiam, quæ duo Achimelech tribuit nomina, vel illam, quæ duos ſimul ſummos Sacerdotes admittit, Abiathar quidem hoc honore inſignitum, Achimelech vero illius munere perfungentem.

PANES PROPOSITIONIS.] Panes, qui poſiti fuerant in ſacra menſa in Sancto, & qui Sabbatho præcedenti inde fuerant ablati. Vide 1. Reg. 21. 1. ſeq. Iis veſci nefas erat Laicis [11], uti ex Bibliis patet. Neceſſitas una Davidem, ac milites ejus excuſare poteſt, ut citra noxam id fecerint.

℣. 28. DOMINUS EST FILIUS HOMINIS, ETIAM SABBATHI.] Ego, utpote Deus Diſcipulos meos a Sabbathi obſervantia diſpenſare poſſum. Quemadmodum leges ſancivi, ita & ab illis diſpenſare, & illas antiquare, mihi, ſi lubet, licet; verum iſthic mea poteſtate non utor. Diſcipuli mei facientes, quæ faciunt, fame coacti, Sabbathum minime violant.

---

1 Cantabrig. Coph. Cod. Lat. Bodl. antiquiſſimo. 2 Ita Cantabrig. G. L. & Leiceſt. & Pariſ. 6. & codd. aliqui, teſte Victore Antioch. Vide & Origen. lib. 1. contra Celſ. negat. hunc Levin eſſe Apoſtolum. Ἐν μὲν τῷ τῶν τῆς ἀναγραφῆς τὰ κατὰ Μάρκον Εὐαγγελίῳ. 3 Auguſt. in Pſalm. 102. num. 5. *Sanabuntur omnes languores tui, noli timere. Magni ſunt, inquies, ſed major eſt medicus. Omnipotenti medico nullus languor inſanabilis occurrit*. 4 Aug. ſerm. 87. nov. edit. num. 13. 14.

5 Vide Græca impreſſa. Plura manuſcripta non habent, Mill. hic.

6 1. Reg. 21. 1. *Venit David ad Nobe, ad Achimelech Sacerdotem, & obſtupuit Achimelech* &c.

7 Vide Druſ. Eſt. Tir. Ben. Glaſſ. alios paſſim. 8 Confer 2. Reg. 8. 17. & 1. Par. 24. 2. 3. ubi occurrit nomen Achimelech, ſeu Abimelech, etiam 2. Reg. 15. 29. 35. & 3. Reg. 2. 26. 27. ubi extat nomen Abiathar, ad eamdem perſonam innuendam. 9 1. Par. 15. 11. Vocavit *David Sadoch, & Abiathar ſacerdotes*, & 1. Par. 18. 16. *Sadoch autem .... & Achimelech ſacerdotes*.

10 Grot. Clericus. 11 Levit. 24. 6. 7. 8. 9.

CAPUT III.

Miraculoſa hominis aridam manum habentis curatio. Phariſæorum Scandalum. JESUS populi multitudine oppreſſus. Plurimorum ægrotorum curatio. Traducit Tiberiadis mare; Eligit duodecim Apoſtolos; eoſque miſit ad Evangelium prædicandum. Peccatum contra Spiritum Sanctum,

1. ET introivit iterum in ſynagogam, & erat ibi homo habens manum aridam. 2 Et obſervabant eum, ſi ſabbathis curaret, ut accuſarent illum. 3 Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium. 4

Et dicit eis : Licet ſabbathis benefacere , an male ? animam ſalvam facere , an
perdere ? At illi tacebant . 5 Et circumſpiciens eos cum ira , contriſtatus ſuper
cæcitate cordis eorum , dicit homini : Extende manum tuam , Et extendit , & re-
ſtituta eſt manus illi . 6 Exeuntes autem Phariſæi , ſtatim cum Herodianis con-
ſilium faciebant adverſus eum , quomodo eum perderent . 7 Jeſus autem cum di-
ſcipulis ſuis ſeceſſit ad mare : & multa turba a Galilæa , & Judæa ſecuta eſt eum ,
8 Et ab Jeroſolymis , & ab Idumæa , & trans Jordanem , & qui circa Tyrum , &
Sidonem , multitudo magna , audientes , quæ faciebat , venerunt ad eum . 9 Et
dixit diſcipulis ſuis , ut navicula ſibi deſerviret propter turbam , ne comprimeret
eum : 10 Multos enim ſanabat , ita ut irruerent in eum , ut illum tangerent
quotquot habebant plagas . 11 Et ſpiritus immundi , cum illum videbant , pro-
cidebant ei , & clamabant dicentes : 12 Tu es Filius Dei . Et vehementer com-
minabatur eis , ne manifeſtarent illum . 13 Et aſcendens in montem vocavit ad
ſe quos voluit ipſe : & venerunt ad eum . 14 Et fecit , ut eſſent duodecim cum
illo , & ut mitteret eos prædicare . 15 Et dedit illis poteſtatem curandi infirmi-
tates , & ejiciendi dœmonia . 16 Et impoſuit Simoni nomen Petrus : 17 Et Ja-
cobum Zebedæi , & Joannem fratrem Jacobi , & impoſuit eis nomina Boanerges ,
quod eſt , Filii tonitrui : 18 Et Andream , & Philippum , & Matthæum , &
Thomam , & Jacobum Alphæi , & Thaddæum , & Simonem Chananæum , 19 Et
Judam Iſcariotem , qui & tradidit illum . 20 Et veniunt ad domum , & conve-
nit iterum turba , ita ut non poſſent neque panem manducare . 21 Et cum au-
diſſent ſui , exierunt tenere eum ; dicebant enim : Quoniam in furorem verſus
eſt . 22 Et Scribæ , qui ab Jeroſolymis deſcenderant , dicebant : Quoniam Beel-
zebub habet , & quia in principe dœmoniorum ejicit dœmonia . 23 Et convoca-
tis eis , in parabolis dicebat illis : Quomodo poteſt ſathanas ſathanam ejicere ?
24 Et ſi regnum in ſe dividatur , non poteſt regnum illud ſtare . 25 Et ſi do-
mus ſuper ſemetipſam diſpertiatur , non poteſt domus illa ſtare . 26 Et ſi ſatha-
nas conſurrexerit in ſemetipſum , diſpertitus eſt , & non poterit ſtare , ſed finem
habet . 27 Nemo poteſt vaſa fortis ingreſſus in domum diripere , niſi prius for-
tem alliget , & tunc domum ejus diripiet . 28 Amen dico vobis , quoniam om-
nia dimittentur filiis hominum peccata , & blaſphemiæ , quibus blaſphemaverint ;
29 Qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum , non habebit remiſſionem in
æternum , ſed reus erit æterni delicti . 30 Quoniam dicebant : Spiritum immun-
dum habet . 31 Et veniunt mater ejus , & fratres : & foris ſtantes miſerunt ad
eum vocantes eum , 32 Et ſedebat circa eum turba , & dicunt ei : Ecce mater
tua , & fratres tui foris quærunt te . 33 Et reſpondens eis , ait : Quæ eſt ma-
ter mea , & fratres mei ? 34 Et circumſpiciens eos , qui in circuitu ejus ſede-
bant , ait : Ecce mater mea , & fratres mei . 35 Qui enim fecerit voluntatem
Dei , hic frater meus , & ſoror mea , & mater eſt .

℣. 1. ERAT IBI HOMO HABENS MANUM ARIDAM .] Videri poſſunt dicta in ſanctum Matthæum cap. 12. ℣. 8. 9. 10. Hoc accidit in Synagoga Capharnai , non ſecus ac curatio Dæmoniaci , de qua ſermo fuit cap. 1. ℣. 34. S. Lucas 6. 7. ait , hominem hunc , qui curatus fuit , aridam , perecluſamque dexteram manum habuiſſe.

℣. 4 LICET SABBATHO BENEFACERE , AN MALE?] Judæi nequaquam licere credebant hoſti vim inferre Sabbatho ; ſed integrum eſſe , vim vi propulſare [1] . Jeſus Chriſtus iſthic ex Phariſæis quærit , utrum ſuppoſito , quod non liceat facere male , ſaltem liceat bene facere ? Et ſi nefas eſt vitam auferre , fas ſit eam alteri ſervare Sabbatho ? Creditis , lege prohiberi hoſti vitam eripere Sabbatho ; eſto : at prohibetne etiam illam tueri , & ægroto valetudinem reddere ?

℣. 6. CUM HERODIANIS .] Credimus , hos fuiſſe Diſcipulos Judæ Galilæi , qui tenebant , non licere tri-
A butum Romanis perſolvere , & Judæos Dei unius ſervos eſſe .

℣. 7. SECESSIT AD MARE .] Galilææ , vel Tiberiadis , ubi ſcapham conſcendit , in ulteriorem Jordanis ripam tranſituros . Vide infra ℣. 9. . . . 13.

℣. 8. AB IDUMÆA .] Idumæa , quæ erat ad meridiem Tribus Juda omnis ferme Judaicæ Religioni erat initiata , ex quo Hircanus Idumæos coegit , ut circumciſionem acciperent , ac in Judæorum ſacra tranſirent [2] . Deinceps habiti ſunt , perinde ac cum Judæis unum tantummodo populum conſtituerent . Cum noviſſime Jeruſalem obſeſſa fuit , in Templum evocati fuere , ut illud una cum Hebræis contra Romanos defenderent [3] . Idumæi poſt Babylonis captivitatem non modicam Judææ partem Meridiem verſus occupabant .

B TRANS JORDANEM .] Peræa , Batanea , Ituræa , Trachonitis , ſuperior Galilæa .

QUI CIRCA TYRUM , ET SIDONEM .] Judæi , qui non

1 Joſeph. Antiqu. l. 14. c. 8.
2 Joſeph. Antiquit. l. 13. c. 17.
3 Joſeph. de Bello , l. 4. c. 6. p. 877. 878.

non procul ab his civitatibus morabantur, Ethnicæ Religioni addictis. Tribus Aſer Phœniciæ erat contermina.

℣. 9. UT NAVICULA SIBI DESERVIRET.] Multitudinem evitare voluit, Jordanem linere traducens dumtaxat cum Diſcipulis ſuis. Verum ſtatim illum turbæ ſecutæ ſunt, emenſæ omnem lacus ambitum, et terra in alteram maris oram dilapſæ.

℣. 10. QUOTQUOT HABEBANT PLAGAS [1].] Quocumque morbo laborarent. Ad litteram: *quocumque flagello* eſſent percuſſi. Hebræi enim ægritudines omnes tamquam totidem Divinæ manus flagella cenſebant.

℣. 11. SPIRITUS IMMUNDI PROCIDEBANT EI.] Dæmoniaci, Energumeni procumbebant, ex eo pacem petituri. Dæmonibus tribuitur, quod eorum impulſu faciebant, ac dicebant obſeſſi. Illumne Dei Filium norant? Vide Marc. 1. 24.

℣. 13. ASCENDENS IN MONTEM.] Oraturus ait, ſanctus Lucas 6. 12. *Vocavit ad ſe, quos voluit ipſe*. Eos vocavit, ubi noctem in oratione tranſmiſiſſet, quemadmodum ſanctus Lucas teſtatur. Ea in occaſione duodecim elegit, quibus Apoſtolorum nomen impoſuit, & quos peculiariter Evangelii præcones inſtituit.

℣. 17. IMPOSUIT EIS NOMINA BOANERGES, QUOD EST FILII TONITRUI.] Hoc nomen illis indidit fortaſſe per occaſionem, cum a JESU in quemdam Samaritanorum vicum miſſi, ut ibi pro Magiſtro ſuo, ac ſe diverticulum quærerent, Samaritanis eus hoſpitio excipere annuentibus, Salvatori dixere Luc. 9. 53. Vis, Domine, cœleſti imperemus igni, ut in hanc urbem deſcendat, ac in cineres redigat, ut olim Elia jubente? At JESUS hæc illis: Neſcitis cujus ſpiritus eſtis. Per prolepſim ergo ait iſthic Evangeliſta, Dei Filium illis impoſuiſſe nomen filiorum tonitrui, fulminum, belli, bellatorum fulgurantium.

Nomen hoc *Boanerges* neque Hebraicum eſt, neque Syriacum; ſed fidei propius eſt, a Græcis librariis perperam ſcriptum fuiſſe, qui pro *Bene-regem*, vel *Reges* [2] filii tonitrui, vel tempeſtatis, legerint *Boanerges*. Fortaſſe etiam *Boanerges* corrupta eſt pronuntiandi ratio Galilæorum, aliorumque Judææ populorum, qui Syriace quidem, ſed impure omnino loquebantur [3].

℣. 18. THADDÆUS.] Exemplaria quædam legunt *Lebbæus* [4], quod ex S. Matthæo deſumptum videtur [5]. Vocabatur etiam *Judas*, vel *Juda*, ita ut tria nomina haberet.

SIMONEM CHANANÆUM.] S. Lucas 6. 15. *Simonem, qui vocatur Zelotes*. Hæc litteralis eſt Hebraicæ vocis *Kanani* ſignificatio [6].

℣. 20. ET VENIUNT AD DOMUM.] S. Marcus præterit omnem ſermonem, quem habuit JESUS in monte, & complura alia facta, quæ a S. Matthæo referuntur in capitibus 5. 6. 7. 8. & 9. & a S. Luca in capite 6. poſt ℣. 17. & in capitibus 7. & 8. 3.

℣. 21. ET CUM AUDISSENT SUI &c.] Non omnes JESU CHRISTI conſanguinei fideles erant; non deerant, qui in illum minime crederent, ait Evangelium [7]. Hi plane illi erant, qui dicebant, JESUM CHRISTUM de mentis ſanitate dejectum eſſe: namque non ſinit Religio, nos id ſuſpicari, vel de Beatiſſima Virgine, vel de aliis, qui credebant in illum. Venerunt illi e Nazareth, ubi JESUS educatus fuerat, vel potius a domo ſua Capharnai, ubi JESUS aliquot ex ſuis conſanguineis habebat, & quo fidei conſonum eſt, Mariam ſedem ſuam conſtituiſſe, ex quo Salvator ibi cœperat commorari? Domo ſua acceſſerunt, ut ſubducerent JESUM e loco, ubi erat, veriti ne nimia populi frequentia comprimeretur.

Grotius oſtendere adnititur, Græcam vocem [8] ſignificare; *deliquium paſſus eſt*; ac profert Caſaubonum [9], Arabicamque verſionem, atque Syriacam, quæ hoc in ſenſu id intelligunt. Sed Syriaca æque ac Arabica [10] illi in dubium vocantur. Circumſtantiæ, & vis verborum Autographi, atque Vulgatæ, nec non unanimis ferme omnium cum veterum, tum recentiorum Interpretum conſenſus in illum pugnant. Ex S. Johanne 11. 20. liquet a plurimis Judæis JESUM CHRISTUM habitum fuiſſe velut dementem, & dæmoniacum: *Dæmonium habet, & inſanit: quid eum auditis?* Curnam aliquis e JESU CHRISTI conſanguineis ſecundum carnem de illo idem ac alios judicium ferre non potuit? Adeone mirum eſt, ut inſanientes putemus illos, qui loquuntur, agunt, & cogitant aliter ab aliis hominibus? Quoties ſimili ratione & Prophetæ conviciis laceſſiti fuere? Sanctiſſima Virgo forte cum illis adeſt, at ſenſu prorſus alio, & fortaſſe quin ſibi exploratum eſſet, quid illi ſentirent, & quid conarentur.

Mitior ſignificatio, quæ his vocibus valeat appingi, ea eſt, ut innuant, extra ſe rapi, Prophetarum inſtar eo temporis momento, quo actu ſuperiori numine afflantur, vel eorum inſtar, qui in extaſim, atque extra ſe rapiuntur [11]: quo in ſenſu Scriptura ſæpe Autographi verbum uſurpat [12]. Vertunt alii [13]: *Egreſſus eſt domo*; perinde ac cognati JESU CHRISTI ut illum ex Judæorum turba ſubducerent, dicerent, illum præter ipſorum mentem aufugiſſe, quaſi JESUS CHRISTUS homo fuiſſet vinculis conſtringendus, ac domi includendus. Senſus hic nihilo æquior eſt eo, qui aſſerit, illum a conſanguineis, pro inſaniente habitum fuiſſe. Tandem hic error, hæc fama unice eorum fidei innitebatur, qui hæc dixerant, vel crediderant. Nemini umquam oborta eſt ſuſpicio, quod JESUS tamquam ſui minime compos loqueretur; nemo enim umquam adeo ſolide, prudenterque diſſeruit. Liquet, ſapientiam illius divinam magis, quam humanam fuiſſe. Cnatchbullus hoc ad populum transfert. Proceſſerunt cognati JESU, ut populum continerent; hic enim inſaniiſſe dicebatur.

℣. 22. BEELZEBUB HABET.] Judæi non ſemel JESUM CHRISTUM dæmonium habere dixerunt [14]; hoc autem dæmonium iſthic Beelzebub eſſe dicunt, cujus ope ille tot miracula operatur. Obſidetur ille a dæmone, at eo dæmone, qui aliis præſtat, & imperat.

℣. 23. QUOMODO POTEST SATANAS.] Verſiculorum qui uſque ad 30. ſequuntur, explicatio peti poteſt ex Commentariis in S. Matthæum cap. 12. ℣. 26. uſque ad 31. & ex Diſſertatione de peccato in Spiritum Sanctum.

℣. 29. REUS ERIT ÆTERNI DELICTI.] Græcus [15]: *Judicii æterni*. MSſ. quidam cum Vulgata legunt *æterni delicti*: ſed conſentiunt Interpretes, utut vertatur, damnationis, judicii vel peccati pœnam, quæ nullum umquam habitura finem erit, eſſe intelligendam.

℣. 32. ECCE MATER TUA, ET FRATRES TUI.] In hunc, & ſequentes verſiculos ad finem uſque capitis, vide *Matth.* 12. 46. & ſequ. MSſ. complures legunt: *Mater tua, fratres tui, & ſorores tuæ*; hoc eſt Mater & utriuſque ſexus cognati tui.

---

1 Ὅσοι εἶχον μάστιγας. 2 בני רגשא *Filii tonitrui*. בני רגש *Filii tumultus*, vel *tempeſtatis*.
3 Vide Ludovicum de Dieu in hunc locum. 4 Vide Var. Lect. Mill. hic. & Grot.
5 Matth. 10. 3. Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος. 6 קנני vel קנאני
7 Joan. 7. 5. *Neque enim fratres ejus credebant in eum*. Vide Bed. Euthym. Theophyl. Mald. Brug. Grot. Sye.
8 Ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη. 9 Caſaubon. Exercit. ad Annal. Baron. pag. 247.
10 Vide Ludov. de Dieu. Hamm. Eraſm. Bez. Brug. Mald. alios paſſim, antiquos omnes.
11 Vide Heinſ. Hamm. Ligfoot hic. 12 Marc. 11. 12. verſ. 42. Ἐξέστησαν ἐκστάσει μεγάλῃ. 6. 51. & 2. Cor. 5. 13. Εἴτε γὰρ ἐξέστημεν, Θεῷ. Εἴτε σωφρονοῦμεν, ὑμῖν.
13 Cloppenburg. in Collat. Critic. Quidam in Mald. 14 Joan. 7. 20. 8. 48. 10. 20.
15 Ἔνοχός ἐστιν αἰωνίου κρίσεως. Quid. codd. Ἁμαρτίας, ſeu ἁμαρτήματος.

CAPUT IV.

Agricolæ agrum ſuum ſerentis parabola , ejuſque explicatio . Parabola item de grano ſinapis . JESUS ſæviente procella dormit : experrectus mari imperat , & ſedatur .

1. ET iterum cœpit docere ad mare , & congregata eſt ad eum turba multa, ita
ut navim aſcendens ſederet in mari , & omnis turba circa mare ſuper ter-
ram erat : 2 Et docebat eos in parabolis multa , & dicebat illis in doctrina ſua :
3 Audite ; Ecce exiit ſeminans ad ſeminandum . 4 Et dum ſeminat , aliud ceci-
dit circa viam , & venerunt volucres cœli , & comederunt illud . 5 Aliud vero
cecidit ſuper petroſa , ubi non habuit terram multam : & ſtatim exortum eſt, quo-
niam non habebat altitudinem terræ ; 6 Et quando exortus eſt ſol , exæſtuavit :
& eo quod non habebat radicem , exaruit . 7 Et aliud cecidit in ſpinas ; & a-
ſcenderunt ſpinæ , & ſuffocaverunt illud , & fructum non dedit , 8 Et aliud ceci-
dit in terram bonam : & dabat fructum aſcendentem , & creſcentem , & afferebat u-
num triginta , unum ſexaginta , & unum centum . 9 Et dicebat : Qui habet aures
audiendi , audiat . 10 Et cum eſſet ſingularis , interrogaverunt eum hi , qui cum
eo erant duodecim , parabolam . 11 Et dicebat eis : Vobis datum eſt noſſe myſte-
rium regni Dei : illis autem , qui foris ſunt , in parabolis omnia fiunt : 12 Ut vi-
dentes videant , & non videant : & audientes audiant , & non intelligant : ne
quando convertantur , & dimittantur eis peccata , 13 Et ait illis : Neſcitis pa-
rabolam hanc ? & quomodo omnes parabolas cognoſcetis ? 14 Qui ſeminat , ver-
bum ſeminat , 15 Hi autem ſunt , qui circa viam , ubi ſeminatur verbum , & cum
audierint , confeſtim venit ſatanas , & aufert verbum , quod ſeminatum eſt in cordi-
bus eorum . 16 Et hi ſunt ſimiliter , qui ſuper petroſa ſeminantur : qui cum au-
dierint verbum , ſtatim cum gaudio accipiunt illud : 17 Et non habent radicem in
ſe , ſed temporales ſunt ; deinde orta tribulatione , & perſecutione propter verbum,
confeſtim ſcandalizantur, 18 Et alii ſunt, qui in ſpinis ſeminantur; hi ſunt, qui ver-
bum audiunt . 19 Et ærumnæ ſæculi , & deceptio divitiarum , & circa reliqua con-
cupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum , & ſine fructu efficitur . 20 Et hi ſunt ,
qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt , qui audiunt verbum , & ſuſcipiunt , & fru-
ctificant , unum triginta , unum ſexaginta , & unum centum . 21 Et dicebat illis :
Numquid venit lucerna , ut ſub modio ponatur , aut ſub lecto ? nonne ut ſuper can-
delabrum ponatur ? 22 Non eſt enim aliquid abſconditum , quod non manifeſte-
tur : nec factum eſt occultum , ſed ut in palam veniat . 23 Si quis habet aures au-
diendi , audiat . 24 Et dicebat illis : Videte , quid audiatis . In qua menſura men-
ſi fueritis , remetietur vobis , & adjicietur vobis . 25 Qui enim habet , dabitur il-
li , & qui non habet , etiam quod habet , auferetur ab eo . 26 Et dicebat : Sic
eſt regnum Dei , quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram , 27 Et dor-
miat , & exurgat nocte , & die , & ſemen germinet , & increſcat , dum neſcit ille
28 Ultro enim terra fructificat , primum herbam , deinde ſpicam , deinde plenum
frumentum in ſpica . 29 Et cum produxerit fructus , ſtatim mittit falcem , quo-
niam adeſt meſſis . 30 Et dicebat : Cui aſſimilabimus regnum Dei ? aut cui para-
bolæ comparabimus illud ? 31 Sicut granum ſinapis , quod cum ſeminatum fuerit
in terra , minus eſt omnibus ſeminibus , quæ ſunt in terra ; 32 Et cum ſemina-
tum fuerit , aſcendit , & fit majus omnibus oleribus , & facit ramos magnos ,
ita ut poſſint ſub umbra ejus aves cœli habitare . 33 Et talibus multis parabolis
loquebatur eis verbum , prout poterant audire : 34 Sine parabola autem non lo-
quebatur eis : ſeorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia . 35 Et ait illis in il-
la die , cum ſero eſſet factum : Tranſeamus contra . 36 Et dimittentes turbam , aſ-
ſumunt eum ita ut erat in navi : & aliæ naves erant cum illo . 37 Et facta eſt pro-
cella magna venti , & fluctus mittebat in navim , ita ut impleretur navis . 38 Et

erat

Digitized by Google

erat ipſe in puppi ſuper cervical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus? 39 Et exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace, obmuteſce. Et ceſſavit ventus, & facta eſt tranquillitas magna. 40 Et ait illis: Quid timidi eſtis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, et dicebant ad alterutrum: Quis, putas, eſt iſte, quia et ventus, et mare obediunt ei?

℣. 1. ITA UT NAVIM ASCENDENS SEDERET IN MARI.] Juſſit navim paromper a littore amoveri, ut facilius a populo audiretur, quin premeretur ab eodem, quod accidiſſet, ſi ſubſtitiſſet in littore. Confer Matth. 13. ℣. 2. & ſequent. A

℣. 2. DICEBAT ILLIS IN DOCTRINA SUA.] Juxta ſuam docendi conſuetudinem. Hæc eſt repetitio prioris partis hujus verſiculi, ubi dicitur in parabolis locutus fuiſſe; qua ratione loquendi, ut plurimum, apud populum utebatur [1]. Vel; docebat ea cum auctoritate, quæ ipſum maxime decebat [2].

℣. 3. EXIIT SEMINANS AD SEMINANDUM.] Parabola hæc ab ipſo Jeſu inferius explicatur ℣. 26. 27. Vide etiam ſanctum Matthæum 13. 18. & ſeq.

℣. 8. UNUS TRIGINTA, ET UNUS SEXAGINTA.] B Quælibet ſeminis ſpecies fructum ſuum parit pro ſoli, ubi ſeritur, ſterilitate, vel ubertate, nec non pro agricolarum ſolertia, & labore, aliiſque circumſtantiis, quæ omnino alienæ ſunt a ſemine. At Dei verbum, quod in cordibus noſtris recipitur, licet in ſe habeat fertilitatem, vim, ac virtutem parem flectendis, molliendiſque cordibus noſtris; nihil tamen citra Divini cultoris opem proferet. Non enim qui plantat, neque qui rigat; ſed Deus unus dat incrementum. 1. Corinth. 3. 7.

℣. 10. ET CUM ESSET SINGULARIS.] Hæc circumſtantia, quæ ad Textus ſenſum aſſequendum neceſſaria eſt, in ſancto Marco dumtaxat legitur. Diſcipuli præſtolati ſunt, donec domum Jeſus rediiſſet, ut hac de re illum percontarentur.

℣. 11. ILLIS AUTEM, QUI FORIS SUNT [3].] Alieni, qui e ſchola tua minime ſunt. Ita a Philoſophis ii vocabantur, qui ex auditorum ſuorum numero non erant. Apoſtoli [4], & primævi Chriſtiani eodem vocabant nomine Ethnicos, Judæos, & generatim omnes, qui in Eccleſia non erant. C

℣. 12. UT VIDENTES VIDEANT, ET NON VIDEANT.] Deus illorum prorſus voluntariam cæcitatem portendit. Non vident, quod lumini oculos claudunt. Hujuſmodi fuere omni tempore Judæi, Moyſis, Prophetarum, JESU CHRISTI ævo ſemper pertinaces, infideles, increduli, rebelles mandatis Dei, omnibus illius beneficiis ingrati; ejuſdem gratiæ, atque auxilii contemptores. Dei Filius eos vocavit; at oculos averterunt, & cor, aureſque ſuas obſtruxerunt. D

℣. 15. VENIT SATANAS, ET AUFERT VERBUM.] Suadet, ut monita, vel monitores, aut contemnantur, aut frigide audiantur; eorumque recordationem ex animo delet, mentem cogitationibus, ſenſibuſque prorſus oppoſitis replens; ac ciens in corde motus ex adverſo pugnantes, affectibus, quos ingerit Spiritus ſanctus. Dæmon tamen non hæc omnia directe perficit; ſed affectuum noſtrorum utitur illecebris; nos in hanc impellit ſocietatem, eam adſtruit occaſionem; improbos excitat homines, praviſque principiis imbutos, qui brevi ſubvertant, quidquid boni lectio, vel prædicatio ſancta in nobis inceperat.

℣. 17. CONFESTIM SCANDALIZANTUR.] Offendunt quodammodo in verbum hoc, & decidunt in terram, velut qui in lapidem, vel lignum impingunt. E

JESU CHRISTI doctrina Judæis ænigma eſt, ac ſtultitia videtur ſectatoribus mundi: illa abutuntur hæretici, in pravum ſenſum detorquentes; hæc illis omnibus eſt petra ſcandali; in eam quippe impingentes decidunt.

℣. 21. NUMQUID VENIT LUCERNA, UT SUB MODIO PONATUR?] Ut hoc ſuperioribus adnectatur, ſupponendum eſt, JESUM CHRISTUM hæc loqui domi ſuæ, & privatim ad Apoſtolos, electoſque diſcipulos ſuos; cum ad turbas in parabolis tantum locutus fuiſſet. Cum in populo figurate, & per parabolas loquor, ne credatis, me illi veritates abſcondere velle: illis earum cognitionem nequaquam invideo; imo veni, hanc illis communicaturus; at quodlibet tempore ſuo contingat, opus eſt. Nihil hodie in parabolis adeo involutum eſt, quod non aliquando proferatur in lucem: *Numquid venit lucerna, ut ſub modio ponatur? aut ſub lecto? nonne ut ſuper candelabrum ponatur? Non eſt enim aliquid abſconditum, quod non manifeſtetur; nec factum eſt occultum, ſed ut in palam veniat. Si quis habet aures audiendi, audiat.* S. Matthæus [5] verba hæc iſthic non legit; ſed S. Lucas 8. 16. a S. Marco non diſcrepat. Hoc ipſum adagium pluribus, iiſque variis argumentis aptari poteſt, ſemper tamen juſte, ac utiliter. Id enim pendet ab iis, qui eodem utuntur.

℣. 24. VIDETE, QUID AUDIATIS. IN QUA MENSURA &c.] Hoc ſequitur ex iis, quæ nuper dixit Jeſus. Vobis illa aperio myſteria, quæ nemini præter vos: Incumbite, ut illa intelligatis, eaque uti didiciſtis, & aliis tradite. Aliis eadem menſura metimini, qua menſi fuiſtis. Sine invidia, caſte, integreque communicate, quod gratis accepiſtis [6]. Hæc vobis trado, ut aliis vos ipſi reddatis; neque vereamini, vobis aliquid defuturum: bonis cumulabuntur, qui iiſdem referti jam ſunt, aliis vero & parum illud, quod videntur habere, auferetur. Jeſus Chriſtus duobus iſthic vulgatis utitur adagiis, quæ in id unum tendunt, ut Apoſtolis inſeratur ſpiritus ille, quo ipſe abundabat, & ardor, quo erat ſuccenſus, veritatem univerſo Mundo aperiendi, &, cum tempus acceſſiſſet proferendi eas cognitiones, quas acceperant. Eædem loquendi rationes apud S. Matthæum 7. 2. ſed alia in occaſione inveniuntur. Verum nihil obſtat, quin ſæpius uſus fuerit iiſdem.

Græca Exemplaria hoc in loco non ſibi conſtant. Alia quippe legunt [7]: *Audite, dabitur enim habenti, & non habenti auferetur; huic auferetur, quod videtur habere. Adhibebitur pro vobis, qui me auditis, menſura eadem, quam pro aliis vos adhibueritis, & bonis cumulabimini.* Alia vero legunt: *Audite; & credentibus bonis cumulabimini, ſi audieritis; dabitur enim habenti, & non habenti, id, quod habere videtur, auferetur. Eadem vobiſcum menſura adhibebitur, qua pro aliis menſi fueritis, & aliquid ultra addetur.*

℣. 26. SIC EST REGNUM DEI, QUEMADMODUM SI HOMO JACIAT SEMENTEM &c.] Hæc etiam parabola a Jeſu Chriſto propoſita fuit, dum adhuc eſſet in navicula; illius vero peculiarem non affert explicationem; non enim difficilis eſt. *Regnum Dei* eſt *Eccleſia*: *Semen* eſt prædicatio Evangelii [8]: *ager*, auditorum animæ: *ſator* vero, præco verbi Dei: *Meſſis tempus* eſt mors:

1 Vatabl. Brug. 2 Matth. 7. 28. 29. Vide infra cap. 12. 28.
3 Τοῖς ἔξω, *his qui foris ſunt*; oppoſitum οἱ περὶ αὐτόν. *Ejus diſcipuli, ſectatores*.
4 1. Cor. 5. 12. 13. Τί δέ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν. Et τοὺς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρίνει. Vide & 2. Corinth. 4. 16. Coloſſ. 4. 5. & 1. Theſſ. 4. 12. Vide Grot. & Le Clerc. 5 S. Matthæus 5. 15. in alia penitus occaſione. At Salvator noſter idem pluribus in locis dicere potuit, & diverſimode juxta circumſtantias accommodare.
6 Matth. 10. 8. *Gratis accepiſtis, gratis date*. 7 Vide Vechel. Bez. Mill. Var. Lect. hic.
8 Chryſoſt. Hieronym. Beda, Mald.

Meſſor Deus, qui falce meſſem præcidit, eamque vel A in horreu condit, vel projicit in ignem, prout bonam, vel malam invenit. Hæc parabola aliquam habet ſimilitudinem cum illa de lolio, quod in patris familias dormientis agro ſatum eſt. Reor, S. Marcum iſthic in compendium cogere voluiſſe, quod a S. Matthæo fuſius c. 13. 24 narratur. Hoc liquet, utramque tempore eodem, eodem ordine, eodemque in loco fuiſſe propoſitam. Somni tempus, quo meſſis adoleſcit, confirmatur, matureſcit, hæc etiam haud ſpernenda eſt circumſtantia, quæ in S. Matthæo, æque ac in S. Marco legitur.

ỳ. 28 PLENUM FRUMENTUM IN SPICA [1].] Segetem maturam, atque perfectam. Dei verbum non illico profert fructum ſuum, ſed fert illum in patientia, quemadmodum Salvator ait apud S. Lucam 8. 15. Ita B qui ſerunt, qui rigant, qui plantant, animos minime deſpondeant; tempus requiritur, ut Dei Verbum radices jaciat, atque ad lætam maturitatem perveniat.

ỳ 33. PROUT POTERANT AUDIRE.] Bifariam hoc explicatur; prout intelligere poterant, hoc eſt [2], juxta captum illorum. Jeſus Chriſtus auditorum captui ſe ſubmittit, ut utilis ſit; utque facilius intelligatur, ex communibus, vulgatiſque rebus parabolas deſumit. Alii [3] hoc in ſenſu prorſus oppoſito interpretantur: loquebatur ad eos juxta eorum diſpoſitionem: aperiebat illis veritatem, quemadmodum iidem digni erant. Illorum ſuperbia, parva docilitas non merebantur, ut melius tractarentur, ac majorem cognitionem acciperent. Diſcipulos vero ſuos alloquebatur ſine ænigmatibus, ſive involucris, ſine parabolis. Quod ad Judæos pertinet, in iis adimpletum eſt illud Moyſis vaticinium [4]: videbunt, quin videant, & audient, quin intelligant; ſed cum Apoſtolis ſuis Dei Filius nihil habeat ſecretum; eos amicorum loco habet. Hæc vera eſt loci hujus ſententia.

ỳ. 34. SINE PARABOLA AUTEM NON LOQUEBATUR EIS.] Perquam raro ad eos ſine parabolis loquebatur. Hac in occaſione nequaquam aliter locutus eſt. Cum de Regni ſui myſteriis, Eccleſiæque ſuæ inſtitutione agebatur, hæc illis palam non aperiebat [5]: at morum præcepta ſumma cum perſpicuitate illis tradebat, uti liquet ex ſermone, quem habuit in monte.

ỳ 35. AIT ILLIS IN ILLA DIE.] Mane ad turbas locutus fuerat, primum in S. Petri domo, & deinde ad mare Genezareth ſedens in navicula. Illinc redierat domum pranſurus; ubi omnia Diſcipulis ſuis explanavit. Sub veſperam cum affluenti multitudine premeretur [6], juſſit, Diſcipulos naviculam ſibi parare, ut in ulteriorem lacus oram tranſmitteret; Capharnao igitur in regionem Geraſenorum profecti ſunt, uti in ſequenti capite videbimus. In reliquam capitis partem, adi, ſi lubet, ea quæ in S. Matthæum elucubrati ſumus c. 8. verſ. 18. 27.

---

1 Πλήρη σῖτον. 2 Chryſoſtom. in Matth. homil. 45. Theophyl. hic. Brug. Piſcat.
3 Clem. Alex. lib. 1. Strom. Ambroſ. in Pſalm. 43. Jeronymiaſter, & Beda, hic. Mald. Grot.
4 Iſai. 6. 9. Vide Matth. 13. 11. 13. & Marc. 4. 12. 5 Vide Mald. & Grot.
6 Matth. 8. 18. Ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς πολλοὺς ὄχλους περὶ αὐτόν.

CAPUT V.

Venit JESUS in terram Geraſenorum, & energumenum liberat. Permittit Dæmonibus, ut in porcos migrent. Dæmoniaco a ſe curato non permittit, ut ſequatur ſe. Hemoroiſſa curatur. Filia Jair ex inferis excitatur.

1. ET venerunt trans fretum maris in regionem Geraſenorum. 2 Et exeunti ei de
navi, ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo, 3 Qui domi-
cilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quiſquam poterat eum ligare: 4
Quoniam ſæpe compedibus, & catenis vinctus, dirupiſſet catenas, & compedes commi-
nuiſſet, & nemo poterat eum domare, 5 Et ſemper die, ac nocte in monumentis, &
in montibus erat, clamans, & concidens ſe lapidibus. 6 Videns autem Jeſum a lon-
ge, cucurrit, & adoravit eum: 7 Et clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi,
Jeſu fili Dei altiſſimi? adjuro te per Deum, ne me torqueas. 8 Dicebat enim illi: Exi
ſpiritus immunde ab homine. 9 Et interrogabat eum: Quod tibi nomen eſt? Et dicit
ei: Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus. 10 Et deprecabatur eum multum, ne
ſe expelleret extra regionem. 11 Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus,
paſcens. 12 Et deprecabantur eum ſpiritus, dicentes: mitte nos in porcos, ut in eos
introeamus. 13 Et conceſſit eis ſtatim Jeſus. Et exeuntes ſpiritus immundi introierunt
in porcos: & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare ad duo millia, & ſuffocati
ſunt in mari. 14 Qui autem paſcebant eos, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem,
& in agros. Et egreſſi ſunt videre, quid eſſet factum: 15 Et veniunt ad Jeſum: & vi-
dent illum, qui a dæmonio vexabatur, ſedentem, veſtitum, & ſanæ mentis, & timue-
runt. 16 Et narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum eſſet ei, qui dæmonium
habuerat, & de porcis. 17 Et rogare cœperunt eum, ut diſcederet de finibus eorum.
18 Cumque aſcenderet navim, cœpit illum deprecari, qui a dæmonio vexatus fuerat,
ut eſſet cum illo: 19 Et non admiſit eum, ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos,
& annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui. 20 Et abiit, & cœ-

Digitized by Google

pit prædicare in Decapoli, quanta ſibi feciſſet Jeſus: & omnes mirabantur. 21 Et cum tranſcendiſſet Jeſus in navi rurſum trans fretum, convenit turba multa ad eum, & erat circa mare. 22 Et venit quidam de archiſynagogis, nomine Jairus: & videns eum, procidit ad pedes ejus, 23 Et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt. Veni, impone manum ſuper eam, ut ſalva ſit, & vivat. 24 Et abiit cum illo, & ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum. 25 Et mulier, quæ erat in profluvio ſanguinis annis duodecim, 26 Et fuerat multa perpeſſa a compluribus medicis, & erogaverat omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat: 27 Cum audiſſet de Jeſu, venit in turba retro, & tetigit veſtimentum ejus: 28 Dicebat enim: Quia ſi vel veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero. 29 Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus: & ſenſit corpore, quia ſanata eſſet a plaga. 30 Et ſtatim Jeſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo, converſus ad turbam, ajebat: Quis tetigit veſtimenta mea? 31 Et dicebant ei diſcipuli ſui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit? 32 Et circumſpiciebant videre eam, quæ hoc fecerat. 33 Mulier vero timens, & tremens, ſciens, quod factum eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. 34 Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te ſalvam fecit: vade in pace, & eſto ſana a plaga tua. 35 Adhuc eo loquente, veniunt ad archiſynagogum, dicentes: Quia filia tua mortua eſt: quid ultra vexas Magiſtrum? 36 Jeſus autem audito verbo, quod dicebatur, ait archiſynagogo: Noli timere, tantummodo crede. 37 Et non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi. 38 Et veniunt in domum archiſynagogi, & videt tumultum, & flentes, & ejulantes multum. 39 Et ingreſſus, ait illis: Quid turbamini, & ploratis? puella non eſt mortua, ſed dormit. 40 Et irridebant eum. Ipſe vero, ejectis omnibus, aſſumit patrem, & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur, ubi puella erat jacens. 41 Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge. 42 Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim, & obſtupuerunt ſtupore magno. 43 Et præcepit illis vehementer, ut nemo id ſciret; & dixit dari illi manducare.

℣. 1. IN REGIONEM GERASENORUM.] Ad orientem maris Galilææ. Græcus typis editus legit [1]: *In terram Gadarenorum*; at plerique meliores MSS: Armenius, Cophtus, Arabs, Æthiops, legunt, Geraſenorum; quam genuinam eſſe S. Marci lectionem tenet S. Epiphanius. Victor Antiochenus, Theophylactus, & Auctor Scholiorum Euthymii notis immiſtorum, aſſerunt ita in optimis, & caſtigatiſſimis Exemplaribus legi. Quid a nobis de hac Geraſenorum terra dictum fuerit, videri poteſt in Commentariis in S. Matthæum 8. 28.

℣. 2. HOMO IN SPIRITU IMMUNDO.] S. Lucas etiam unius tantum; ſed S. Matthæus 8. 28. duorum meminit. Alii Evangeliſtæ de illo tantum verba faciunt, qui notior erat, & cujus hac in re potiſſima pars fuit. At quorſum in novi Teſtamenti libris, Dæmones vulgo *immundi ſpiritus* appellantur? Locutione eadem utitur Zacharias c. 13. 2. ad innuendum pravum ſpiritum, quo Pſeudo-prophetæ animati erant: *Pſeudo-prophetas, & ſpiritum immundum auferam de terra*. Hi ſpiritus in ſemet, & quatenus a Deo creati, immundi non ſunt. Quælibet Dei creatura in ſeipſa bona eſt: dæmones triplici tantum in ſenſu immundi eſſe poſſunt; eo quod per ſcelus, ambitionem, ſuperbiam immundi effecti ſunt; vel quod impellunt homines ad obſcæna dicta, & facta: Vel demum, quod qui ab iiſdem poſſeſſi ſunt, ſemet polluunt, ſine ulla Religione res immundas, & a lege prohibitas attrectantes, & comedentes. Illi, quos iſthic videmus, in ſepulchris morabantur, ac petunt, ut ſibi liceat porcos invadere, qui ex earum rerum numero ſunt, quas Judæi quam diligentiſſime vitabant. Hac fortaſſe de cauſa mali ſpiritus dicebantur immundi. Autumo apud Judæos, energumenos eodem in loco habitos fuiſſe, quo Ethnici habebantur: eorum evitabantur, non ſecus, ac lepra infectorum, ſocietas. Aliqua tamen exceptio eſt admittenda; in priori enim S. Marci capite verſ. 23. energumenum vidimus in Synagoga, ubi Ethnicum, & hominem immundum adſtare minime paſſi fuiſſent. Verum non unum erat obſeſſorum genus. Cenſet Ligfoot, dæmoniacos, de quibus hic ſermo eſt, Ethnicos fuiſſe; & ſane urbes Gadara, & Geraſa Ethnicorum erant.

A

B

C

℣. 3. IN MONUMENTIS.] Hæc erant antra in rupibus effoſſa, juxta locorum illorum conſuetudinem. Viventes homines commode ibi poterant commorari, niſi horror, quo ſepulchra intuemur, & hujuſmodi manſionis ſqualor, atque triſtitia eos deterruiſſet.

℣. 7. JESU FILI DEI ALTISSIMI, ADJURO TE PER DEUM, NE ME TORQUEAS.] Dæmon, qui iſthic loquitur nomine legionis totius, quæ hunc hominem poſſidebat, vel noverat Jeſum Chriſtum, vel hunc Deum eſſe dubitabat [a]. Eum obteſtatur, *ne me torqueas*, ne me ex hoc humano corpore ejicias, ne in abyſſum detrudas [1]. S. Matthæus hunc loquentem inducit: *Veniſti huc ante tempus torquere nos*. S. S. Marcus, & Lucas teſtantur, Jeſum Chriſtum illi imperaſſe, ut de hoc corpore egrederetur; quamobrem has ille preces fundebat.

℣. 9. LEGIO MIHI NOMEN EST.] Legio erat ſex millium virorum. Difficile eſt, ſex dæmonum millia uno in homine fuiſſe; at legionis nomen adfertur, ad ingentem numerum indigitandum. Ac quomodo nam in calamitoſiſſimi hujus corporis poſſeſſione tot pravi ſpiritus poterant convenire? Fidei conſonum eſt, eum, qui

1 Εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν a Vide ſupra cap. 1. 24.
1 Ita Hamm. hic, & Interpp. plerique ad Matth. 8. 29. Luc. hic 8. 31. *Rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyſſum irent*.

qui iſthic Jeſum Chriſtum alloquitur, cæteris imperitaſſe, quorum ſinguli officium ſuum obtinuerant in ea actionum varietate, quam ea hoc dæmoniaco exerquebant. Angelis vero, ac dæmoniis nomina attribui minime poſſunt, niſi habita ratione actionum earum, quas varie edere intuemur, vel proprietatum, quas in illis cognoſcimus. Angelus Raphael, vel Dei medicina vocatur, quod Tobiam, & Saram curavit. Hic dæmon *Dominus Muſca*, vel *Beelzebub* appellatur, eo plane, quod ſub inſecti hujus ſpecie adorabatur. Cæterum non ſatis nobis explorati ſunt Angeli, Dæmoneſque, ut illis nomina tribuere poſſimus, quæ illorum propriam qualitatem, intimamque differentiam indigitent. Deus unus perfecte Angelos novit.

℣. 10. NE SE EXPELLERET EXTRA REGIONEM.] Quare dæmon hic tantopere terram Geraſenorum in delitiis habet? Id cauſæ fuiſſe Grotius arbitratur, quod regio illa Judæis erat referta, qui legum ſuarum nequaquam ſeduli erant obſervatores, utpote, qui inter Ethnicos verſabantur. Putat Ligfoot, univerſam terram illam Ethnicis frequentiſſimam fuiſſe, & hunc eumdem energumenum minime Judæum fuiſſe. At nullum meſſ his rationibus pondus. Non plures erant in infidelium regionibus energumeni, quam apud Judæos eſſent; neque dæmonibus his deerant Ethnicorum provinciæ, quo ſe ſe recipere poſſent. Verum metuebant, ne in abyſſum detruderentur, vel uti dæmon Aſmodæus Tob. 8. 3. in inhoſpita, & inculta loca relegarentur, ubi in neminem nequitiam ſuam exercere ipſis liceret. Vide, ſis, noſtram de bonis, maliſque Angelis Diſſertatiunculam.

℣. 17. UT DISCEDERET A FINIBUS EORUM.] Rogabant illum, ut diſcederet, veriti, ne illius præſentia majora ſibi inferret detrimenta. Nullo ipſi in diſcrimine habebant corporum ſuorum, animarumque curationem; imo hanc porcorum jacturæ poſteriorem habebant.

℣. 20. COEPIT PRÆDICARE IN DECAPOLI.] Jeſus Chriſtus, cui mos fuerat vetare, ne ægroti, quos curabat, curationem ſuam prædicarent, dæmoniaco huic ab ſe curato, præcipit, ut id ubique prædicare non ceſſet: ea fortaſſe de cauſa, quod ipſe illinc abiturus erat, atque ab ea regione diſceſſurus; cum plerumque aliis in locis, ubi miracula patrabat, commorabatur. *Decapolis* regio eſt ad orientem maris Tiberiadis, quæ hoc appellabatur nomine propter decem præcipuas civitates, e quibus componebatur. Vide Commentarios noſtros in Matth. 4. 25.

℣. 21. CUM TRANSCENDISSET TRANS FRETUM.] Mare videlicet Genezareth, veniſſetque Capharnaum, unde pridie veſpere diſceſſerat Marc. 4. 35.

℣. 22. UNUS DE ARCHISYNAGOGIS NOMINE JAIRUS.] Hiſtoria hæc in S. Matthæo non invenitur, ſed dumtaxat in SS. Marco, & Luca 8. 40. Archiſynagogus hic ex iis erat, qui cœtibus Religionis in Synagoga Capharnai præerat. Qui hujuſmodi materias [1], intus, penituſque ſcrutati ſunt, ajunt, ut plurimum, multos fuiſſe urbis proceres, qui Synagogæ præſiderent; eorum vero numerum ſtatum non fuiſſe, ſed majorem, minoremve pro urbis magnitudine, ac Judæorum numero, qui in his precum locis congregabantur. Vide a nobis dicta de Synagogis in S. Matth. 4. 23. Hammondius, *Archiſynagogum* intelligit Præſidem conſilii trium, & viginti Judicum, quod in qualibet aderat civitate. Animadvertit, in Romanorum Imperatorum Conſtitutionibus [2], hujuſmodi præſides *Archiſynagogos* vocari, at conſtat, iſthic agi de Principe Synagogæ, vel domus orationis.

℣. 25. MULIER, QUÆ ERAT IN PROFLUVIO SANGUINIS.] Vide, quæ diximus in S. Matth. 9. 20.

℣. 29. SICCATUS EST FONS SANGUINIS EJUS.] Convaluit. Litteralis locutio Evangeliſtæ hujus loci cum aliis Scripturæ locis collata [3], innuit hoc immodicum, & perennis menſtrui ſanguinis fuiſſe profluvium.

℣. 30. IN SEMETIPSO COGNOSCENS VIRTUTEM.] Veriſſimum profecto eſt, Sacram Jeſu Chriſti Humanitatem benedictionum, & ſalutis fontem fuiſſe. At videntur Judæi virtutem hanc concepiſſe velut aliquid per effluvium ex illius corpore emanans. Sententiæ huic favet S. Lucas, ubi ait c. 6. 19. *virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. At vulgates hæ locutiones preſſius intelligendæ non ſunt, quæ licet vim habeant ſignificandi, ad litteram tamen intelligi nequeunt. Miraculoſa Jeſu Chriſti virtus ex illo in nos dimanat, cum ſe ſe in operibus manifeſtat [4].

℣. 35. FILIA TUA MORTUA EST. QUID ULTRA VEXAS MAGISTRUM?] Hi non credebant, Jeſu Chriſto facultatem eſſe mortuos excitandi, licet ægrotos poſſet priſtinæ valetudini reſtituere. At Dei Filius huic homini animos facit, ibique nihil impoſſibile futurum pollicetur, ſi ille fidem haberet. *Tantummodo crede*. Ea quæ tibi dicuntur, fidem tuam non concutiant.

℣. 38. VIDET TUMULTUM, & FLENTES.] S. Matthæus 9. 23. ait, ibi jam præficas adfuiſſe, ac ingentem populi tumultum, uti in hujuſmodi occaſionibus aſſolet. Græca vox, quam Vulgata reddidit [5]: *Ejulantes*, proprie hilaritatis clamorem ſignificat, vel eum, quem emittunt milites, ut ſe ſe mutuo ad prælium ineundum cohortentur. At Helleniſtæ non adeo ſeduli erant in locutionibus ſuis: *alalagmos* non ſemel in Scripturis doloris vocem ſignificat [6].

℣. 39. NON EST MORTUA, SED DORMIT.] Innuere volebat, ſe illam ea facilitate e morte revocaturum, qua homo dormiens excitatur. Mors ſæpe ſomnus vocatur; & Jeſus de Lazari morte verba faciens, ait a Joan. 11. 11. *Lazarus amicus noſter dormit*. Hoc fortaſſe pacto loquitur, ut ex omni frequentia ad gloriam Dei non inutilem confeſſionem extorqueat; eam videlicet puellam vere, atque citra ullam dubitationem obiiſſe. Irridebant enim, ſcientes, illam non ſomno, ſed neci lumina clauſiſſe.

℣. 41. TALITHA CUMI.] Verba hæc, *tibi dico*, non continentur in illis, *Thalitha cumi* [7], quæ ſignificant ſolum, *puella ſurge*. Hinc liquet, Jeſum Chriſtum vulgo Syriace, non Hebraice locutum fuiſſe; hæc quippe verba Syriaca ſunt.

℣. 43. PRÆCEPIT ILLIS VEHEMENTER.] Seu ut nobis humilitatis, & modeſtiæ præberet exemplum; ſeu ne Phariſæorum ſibi infenſos animos exacerbaret; ſeu ne ad ſe mortui ſuſcitandi, quemadmodum ægri curandi, adducerentur. Non quærebat ille oſtentare virtutem ſuam operandi miracula; eique illa facere latis erat, ubi & Dei gloria, & veritatis ratio poſtularet. Verebatur etiam effectus invidiæ, & ultionis inimicorum ſuorum, præſertim Phariſæorum, qui extremum aliquid audere potuiſſent, ac tempora in decretis Æterni Patris notata prævertere. Præcepit ſimul Jeſus, ut puellæ eſca afferretur, ut argumento eſſet, illam non tantum vere reſurrexiſſe, ſed perfecte etiam convaluiſſe [8].

---

1 Vide Vitringam de Synagogis, & Baſnage lib. 7. Continuat. hiſt. Judæor.

2 Vide Imperatorum Conſtitutiones, & vitam Alex. Severi.

3 Levit. 12. 7. *Mundabitur a profluvio ſanguinis ſui*. Et 20. 18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, ipſaque aperuerit fontem ſanguinis ſui*.

4 Brug. Grot. le Clerc, alii.

5 [illegible]. Quidam [illegible] ſcriptum putant ab Evangeliſta, ſed omnes Codd. conſentiunt in [illegible].

6 Vide Iſai. 15. 4. Mich. 4. 9. Ludov. de Dieu, hic.

7 טליתא קומי

8 Grot. Ligfoot, alii.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

JESUS Nazareth pergit. Apoſtolorum miſſio. Monita a JESU CHRISTO illis tradita; qui donum miraculorum recipiunt. Herodes ait, JESUM eſſe Johannem Baptiſtam ex inferis reſuſcitatum. Qua de cauſa Rex ille S. Johannem capite damnaverit. Quinque panum multiplicatio. JESUS ſuper aquas incedit; tempeſtatem ſedat, plurimos ægrotos curat,

1. ET egreſſus inde, abiit in patriam ſuam: & ſequebantur eum diſcipuli ſui;
2 Et facto ſabbato cœpit in ſynagoga docere, & multi audientes admira-
bantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia? & quæ eſt ſa-
pientia, quæ data eſt illi; & virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur? 3
Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joſeph, & Judæ, & Simonis?
nonne, & ſorores ejus hic nobiſcum ſunt? & ſcandalizabantur in illo. 4 Et di-
cebat illis Jeſus: Quia non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua, & in domo
ſua, & in cognatione ſua. 5 Et non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi pau-
cos infirmos impoſitis manibus curavit; 6 Et mirabatur propter incredulitatem eo-
rum, & circuibat caſtella in circuitu docens. 7 Et vocavit duodecim; & cœpit
eos mittere binos, & dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorum. 8 Et præce-
pit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum; non peram, non panem,
neque in zona æs. 9 Sed calceatos ſandaliis, & ne induerentur duabus tunicis. 10
Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde;
11 Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite
pulverem de pedibus veſtris in teſtimonium illis. 12 Et exeuntes prædicabant, ut
pœnitentiam agerent; 13 Et dœmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos æ-
gros & ſanabant. 14 Et audivit rex Herodes (manifeſtum enim factum eſt nomen
ejus) & dicebat: Quia Joannes Baptiſta reſurrexit a mortuis, & propterea virtutes
operantur in illo. 15 Alii autem dicebant: Quia Elias eſt. Alii vero dicebant: Quia
propheta eſt, quaſi unus ex prophetis. 16 Quo audito Herodes ait: Quem ego de-
collavi Joannem, hic a mortuis reſurrexit. 17 Ipſe enim Herodes miſit, ac tenuit
Joannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui,
quia duxerat eam. 18 Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem
fratris tui. 19 Herodias autem inſidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec pote-
rat. 20 Herodes enim metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum, & ſanctum:
& cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. 21 Et
cum dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus, & tri-
bunis, & primis Galilææ. 22 Cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet,
& placuiſſet Herodi, ſimulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete a me quod vis,
& dabo tibi: 23 Et juravit illi: Quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium
regni mei. 24 Quæ cum exiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Ca-
put Joannis Baptiſtæ. 25 Cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem, peti-
vit dicens: Volo, ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ. 26 Et con-
triſtatus eſt rex propter jusjurandum: & propter ſimul diſcumbentes, noluit eam con-
triſtare: 27 Sed miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput ejus in diſco. Et decolla-
vit eum in carcere. 28 Et attulit caput ejus in diſco: & dedit illud puellæ, &
puella dedit matris ſuæ. 29 Quo audito, diſcipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus
ejus: & poſuerunt illud in monumento. 30 Et convenientes Apoſtoli ad Jeſum, re-
nuntiaverunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant. 31 Et ait illis: Venite ſeorſum
in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim, qui veniebant, & redibant
multi: & nec ſpatium manducandi habebant. 32 Et aſcendentes in navim, abierunt
in deſertum locum ſeorſum. 33 Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi: &
pedeſtres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, & prævenerunt eos. 34 Et e-
xiens vidit turbam multam Jeſus, & miſertus eſt ſuper eos, quia erant ſicut oves
non

Digitized by Google

non habentes paſtorem, & cœpit illos docere multa. 35 Et cum jam hora multa
fieret, acceſſerunt diſcipuli ejus, dicentes: Deſertus eſt locus, & jam hora præte-
riit. 36 Dimitte illos, ut euntes in proximas villas, & vicos emant ſibi cibos,
quos manducent. 37 Et reſpondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt
ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare. 38 Et dicit
eis: Quot panes habetis? ite, & videte. Et cum cognoviſſent, dicunt: Quinque,
& duos piſces. 39 Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes ſecundum contu-
bernia ſuper viride fœnum. 40 Et diſcubuerunt in partes, per centenos, & quin-
quagenos. 41 Et acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus intuens in cœlum,
benedixit, & fregit panes, & dedit diſcipulis ſuis, ut ponerent ante eos: & duos
piſces diviſit omnibus: 42 Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt. 43 Et ſu-
ſtulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piſcibus. 44
Erant autem, qui manducaverunt, quinque millia virorum. 45 Et ſtatim coegit di-
ſcipulos ſuos aſcendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethſaidam, dum
ipſe dimitteret populum. 46 Et cum dimiſiſſet eos, abiit in montem orare. 47 Et
cum ſero eſſet, erat navis in medio mari, & ipſe ſolus in terra. 48 Et videns eos
laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam
noctis venit ad eos ambulans ſuper mare: & volebat præterire eos. 49 At illi ut vi-
derunt eum ambulantem ſupra mare, putaverunt phantaſma eſſe, & exclamaverunt.
50 Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt cum eis, &
dixit eis: Confidite, ego ſum, nolite timere. 51 Et aſcendit ad illos in navim, &
ceſſavit ventus. Et plus magis intra ſe ſtupebant: 52 Non enim intellexerunt de pani-
bus, erat enim cor eorum obcæcatum: 53 Et cum transfretaſſent, venerunt in terram
Geneſareth, & applicuerunt. 54 Cum egreſſi eſſent de navi, continuo cognoverunt
eum. 55 Et percurrentes univerſam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui
ſe male habebant, circumferre, ubi audiebant eum eſſe. 56 Et quocumque introi-
bat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & depre-
cabantur eum, ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent; & quotquot tangebant eum,
ſalvi fiebant.

℣. 1. ABIIT IN PATRIAM SUAM.] Nazareth, unde egreſſus fuerat undecim ferme ab hinc menſibus [a], ut Capharnaum habitaturus conſederet. A

℣. 2. QUÆ EST SAPIENTIA, QUÆ DATA EST ILLI, & VIRTUTES?] Hebræi ſæpe ſapientiæ nomen uſurpabant, ad doctrinam, prudentiam, induſtriam indigitandam. Nazaræi, apud quos JESUS ultra annos triginta vixerat ſine ulla nominis fama, ingloriuſ, ſine ſtudio, quin magiſtrorum ſcholas adiret, divinare non poterant, unde tantam percepiſſet eloquentiam, doctrinæ profunditatem, auctoritatem, quam in docendo præſeferebat, ac præſertim eam miraculorum patrandorum virtutem, quæ illi ubique aderat comes. Invidia, atque humani cordis ſuperbia, quæ pati nequeunt, eos, quos tamquam pares cenſemus, evolare, ac nos relinquere, cauſæ fuerunt incredulitatis, atque contemptus, quo illum exceperunt. B

℣. 3. NONNE HIC EST FABER?] In ſenſum Matthæum perpendimus, quam artem S. Joſeph, ideoque JESUS CHRISTUS etiam fuerint profeſſi, qui procul dubio cum patre laboravit, ut victum quæreret, antequam prædicationis miniſterium exerceret. Græca quædam exemplaria [b] legunt: *Nonne hic filius eſt Fabri lignarii*, vel opificis? Autographi enim vox generica eſt, & pro quavis artificum ſpecie uſurpatur. Origenes l. 6. contra Celſum ait, nullibi in Evangeliis legi, JESUM artificem fuiſſe, licet artificis fuiſſe filium nemo neget. Sed pleríque MSS. & omnia ferme typis edita Biblia, atque Interpretes unanimi conſenſu legunt, JESUM arti alicui vacaſſe. S. Matthæus 13. 55. legit: *Nonne hic eſt fabri* lignarii *filius?* C

FRATER JACOBI &c.] Frater, hoc eſt, vel agnatus, vel matruelis *Jacobi*, cui cognomen, Minor Epiſcopus Jeroſolymitanus; *Joſephi*, vel potius *Joſe*, uti eſt in Græco; *Judæ* Auctoris Epiſtolæ illius, quæ ſub ejus nomine extat; *Simonis*, qui Chananæus, vel Zelotes appellabatur. Creduntur autem hi filii fuiſſe Mariæ, ſororis Sanctiſſimæ Virginis, uxoris Alphæi, & filiæ Cleophæ.

SCANDALIZABANTUR IN ILLO.] Humilitas natalium JESU CHRISTI, conſanguineorum ejus paupertas, vitæ ratio ab illo uſque ad prædicationis initium ſervata, hæc omnia erant illi ſcandalum; obſtant quippe, ne crederent in JESUM CHRISTUM, quod cauſa fuit, ne Divinus Salvator in eos ſuas gratias effunderet. Fuit tamquam lapis offenſionis, in quem impegerunt. Matth. 21. 42. Luc. 20. 18.

℣. 4. NON EST PROPHETA SINE HONORE &c.] Hoc adagium eſt, quod ad ſe ipſum transfert JESUS CHRISTUS. Magis ſemper æſtimatur, quod abeſt, quam quod ex ſola fama cognoſcitur; id quod non habetur, quam quod habetur. Quantumcumque ſit viri alicujus meritum, ubi illum ſæpe videre conſuevimus, ex priori decidit æſtimatione. Salvator noſter, qui in ſe infinitam meritorum copiam habebat, & ne minimi quidem defectus umbram, hunc tamen expertus eſt humanæ opinionis effectum.

℣. 5. NON POTERAT IBI VIRTUTEM ULLAM FACERE.] Non poterat, quia nolebat: nolebat autem, eo quod concivium ſuorum ingratitudo, ac infidelitas ejus bonitati obicem oppoſuere. Se ipſum non potuit adigere ad conferendas ingratis gratias, neque ad oſtendendam ſuam miraculorum virtutem illis, a quibus

a Toynard. Harmon. hic. Brug. Mald.

b Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱός. Ita Codd. aliqui veteres Teſta-
Eraſmo, Colb. 8. Pariſ. 6. Arab. Æthiop. &c.

Digitized by Google

bus ipſe contemnebatur [1]. Quotidie dicimus ; facere minime poſſem ; illi parcere nequeo : quod non de abſoluta impotentia, ſed de repugnantia penitus ex voluntate profecta, eſt intelligendum.

℣. 6. MIRABATUR PROPTER INCREDULITATEM EORUM.] Humana admiratio ex inſcitia proficiſcitur. JESUS CHRISTUS hoc in ſenſu nihil umquam admiratus eſt ; verum nonnumquam extrinſecus egit, perinde admiratione captus eſſet. Aliis oſtendere volebat miram cæcitatem, ac inauditam concivium ſuorum incredulitatem.

℣. 7. VOCAVIT DUODECIM, & COEPIT EOS MITTERE BINOS.] S. Matthæus 9. 36. hanc præterit circumſtantiam, quod Apoſtoli *bini* miſſi fuerint : verum ait, Dominum miſertum, eo quod videret populos defatigatos, & ſine doctore, velut oves ſine paſtore, cumque ipſe quocumque pergere minime poſſet, miſiſſe Apoſtolos ſuos in finitimas terras, qui ſibi viam præpararent, atque ad ſe recipiendum populorum animos diſponerent.

℣. 8. NE QUID TOLLERENT IN VIA NISI VIRGAM TANTUM.] Neque virgam hanc illis tribuit S. Matthæus 9. 10. Putant nonnulli, JESUM prohibere, ne plures haberent baculos, quemadmodum plura veſtimenta, & plura ſoleatum, vel ſandaliorum paria ; verum magis ad fidem accedit, illum hoc unum jubere : Pergite, quin viatici cura vos angat. Statim diſcedite, eo, quo eſtis, modo induti ; qui ſcipionem manu gerit, eum ſervet ; qui ſecus, ne adlaboret eum quæſiturus. Ite alacriter, Deus curam geret eorum, quæ vobis erunt neceſſaria. Hoc in ſenſu, pedibus ite, ſine armis, ſine baculo, & iter ſuſcipere iiſdem indutum veſtibus, quibus nunc operiris, ſcipionem dumtaxat manu tenentem, idem reipſa ſignificat ; neque ulla dici poteſt inter Evangeliſtas eſſe oppoſitio. Videri poteſt noſtrum in *S. Matth.* 9. 10. Commentarium. Perſæ ad hanc quoque diem ad nobilem quempiam virum inviſendum minime concedunt, quin ſecum veſtes, pileumque jubeant deferri ; & ſi in agros ad deambulandum ſecedunt, non nihil ſecum ad refectiunculam ſemper adferunt [2]. Hoc oſtendit ingenium, & conſuetudinem Orientalium, quæ longe a noſtris abhorrent.

℣. 11. Ad verſiculi hujus calcem Græcus addit : *Profecto dico vobis, futurum, ut in noviſſimo Judicii die mitius agatur cum Sodoma, & Gomorrha, quam cum hac civitate.* Quod deſumptum eſt ex D. Matthæi 9. 15. & in pleriſque melioribus Exemplaribus Græcis non invenitur.

℣. 13. UNGEBANT OLEO MULTOS ÆGROS.] Hæc circumſtantia apud alios Evangeliſtas non extat. Ajunt [3], Judæos conſuevilſe oleo ægros inungere, & ſanctos quoſdam viros accerſere, qui illis manus imponerent, ac pro illorum ſalute preces effunderent. Hæc tamen conſuetudo ex veteri Teſtamento non ſatis innoteſcit ; in novo autem perſpicue patet ex loco hoc, & altero S. Jacobi 5. 14. dicentis : *Infirmatur quis in vobis ; inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.*

Quæritur, utrum hæc unctio iſthic ab Apoſtolis exercita, eſſet Sacramentum Unctionis a JESU CHRISTO inſtitutum, & ab Eccleſia in Fidelium morbis adhibitum ? An ſimplex, & medica unctio ad corporum morbos diſcutiendos ? I. Dici nequit, hoc fuiſſe medicum cataplaſma ab Apoſtolis adhibitum : hanc enim unctionem palam memorat Scriptura inter illorum miracula. Verum ad divini Præceptoris ſui imitationem, preces, manuumque impoſitiones cum actione aliqua figurativa conſociabant ad inanem gloriam evitandam, vel ad populorum animos ad aliquid aliud deducendos. II. Operoſum eſt probare, hoc eſſe Sacramentum Unctionis [4] ; quandoquidem Apoſtolorum unctio ad corporum præcipue morbos leniendos adhibebatur, cum ægrotantium unctio, quæ fit in Eccleſia, animæ ægritudines potiſſimum ſpectet. Ad hæc Apoſtoli nondum erant Sacerdotes, cum miſſi fuerunt ad prædicandum, ægroſque curandos ; cum Sacramentum Unctionis a Sacerdotibus tantum tribuatur : *inducat Presbyteros*, ait S. Jacobus 5. 14. Demum Unctio hæc indiſcriminatim ægris omnibus, quovis morbo laborantibus, dummodo eam peterent, conferebatur, cum Unctio, utpote Sacramentum Eccleſiæ Fidelibus dumtaxat Baptizatis tribuatur. Dicendum igitur cum Tridentino Concilio Seſſ. 14. c. 1. ac pleriſque Theologis [5], atque Interpretibus, Unctionis Sacramentum, *apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum, & Domini Fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum.*

℣. 15. PROPHETA EST, QUASI UNUS EX PROPHETIS.] Græca quædam Exemplaria legunt [6] : *hic eſt Propheta, vel tamquam unus ex Prophetis.* Ipſe vel Propheta eſt, vel Prophetarum merito proximus. Quaſi JESUS plura non patraſſet miracula, quam antiqui Prophetæ ; at populus vetera ſemper recentioribus anteferre conſuevit. Legunt alii [7] : *Hic eſt Propheta*, antonomaſtice, *Meſſias* a Moyſe promiſſus [8] : vel *aliquis ex antiquis Prophetis*, qui rurſus prodiit.

℣. 16. QUEM EGO DECOLLAVI JOHANNEM, HIC RESURREXIT.] Hæc Herodis argumentatio non ſatis percipitur. Licet mortuorum reſurrectionem, & metempſycoſim crediſſet ; num inde ſequebatur, JESUM fuiſſe Johannem redivivum, eo quod ille miracula operabatur ? Nonne ex Evangelio Joan. 10. 41. didicimus, Johannem Baptiſtam cum viveret, nullum umquam miraculum patraſſe ? *Johannes quidem ſignum fecit nullum.* Cæterum quomodonam aſſerere poterat, Salvatorem eſſe Johannem e morte excitatum ; quandoquidem JESUS in terris viſus fuerat, diu antequam Johannes Baptiſta ex humanis decederet ; & illius Diſcipuli antequam ipſe Johannes in carcerem truderetur, majorem populi copiam baptizabant, quam ipſe Johannes [9] ; ipſe vero longe majorem Diſcipulorum numerum habebat, atque miraculorum ſuorum fama in Syriam, Phœniciam, Idumæam, omneſque finitimas terras late percrebuerat ? Noſtrum non eſt oſtendere, Herodem recte, ac vere argumentatum fuiſſe. Illum hoc ſenſiſſe, unanimi conſenſu Evangeliſtæ teſtatum reliquere ; factum in dubium revocari non poteſt. Vide Commentarios in S. Lucam 9. ℣. 8. 9.

℣. 19. INSIDIABATUR ILLI.] Herodiades ſemper occaſionem illum de medio auferendi quæſierat. Græcus [10] ſignificat potius : *in animo habebat, illi* mortem inferre ; illum odio ut ita dicam, pluſquam Vatiniano infenſiſſime oderat ; at illud in penitioribus cordis latebris fovebat occaſionem illius promendi.

℣. 20. HERODES CUSTODIEBAT EUM.] In carcere tenebat eum, ſervabatque, ne fugeret, vel Diſcipuli ejus illum tollerent. Sed plerique Interpretum Græcum in meliorem partem vertunt [11] : *Cuſtodiebat eum*, tuebatur, ac tutum præſtabat ab Herodiadis inſidiis. Alii vertunt : *Herodes obſervabat illum, cumque illum audiſſet, admodum commotus erat* [12], *& libenter ei aures præbebat.*

℣. 21. CUM DIES OPPORTUNUS ACCIDISSET.] Eruditi quidam Critici [13] putant, Autographi verba innuere poſſe, *diem ſolemnem*, feſtum. Dies natalitius Regis,

---

1 Vide Maldon. Brug. Grot. Vatab. Menoch. Hammon. alios paſſim.
2 Chardin, Voyage de Perſe, l. 2. p. 55.
3 Grot. Ligfoot, le Clerc.
4 Id tuentur Lucas Brugenſis, & Maldonatus.
5 Bellarm. Natal. Alex. hic. Menoch. Tirin. alii.
6 Ὅτι Προφήτης ἐστὶν, ἢ ὡς εἷς τῶν Προφητῶν. At plerique MSS. Codices reſtituunt particulam ἢ, *ſeu*.
7 Heinſ. Ὅτι ὁ Προφήτης ἐστὶ, &c.
8 Deut. 18. 15. 18. Vide Joan. 1. 21. 25. 6. 14. 7. 40. Euthym.
9 Joan. 4. 1.
10 Ἐνεῖχεν αὐτῷ. Vide Hammond. & Lud. de Dieu, in hunc locum.
11 Καὶ συνετήρει αὐτόν. *Tuebatur eum, & tutum præſtabat ab Herodiadis inſidiis.* Ita Grot. Hamm. Brug. alii.
12 Πολλὰ ἐποίει. Alii, ἠπόρει. Steph. Bez. Goth.
13 Ludov. de Dieu, Hammond. Καὶ γενομένης ἡμέρας εὐκαίρου.

Regis, dies erat hilaritatis; credebatque Herodiades, ea die illa inter pocula, & ludos invenire poſſe viam, Johannis Baptiſtæ perdendi. Pro reliqua hac hiſtoria videri poteſt Commentarium in S. Matth. 14.

℣. 30. CONVENIENTES APOSTOLI AD JESUM.] ex ſua prædicatione reverſi. Haud alienum eſt a fide, JESUM CHRISTUM ſtatum itineri eorum tempus aſſignaſſe; omnes enim ſimul redierunt.

℣. 33. VIDERUNT EOS ABEUNTES, ET COGNOVERUNT MULTI.] Et eos ſecuti ſunt. Narrat S. Lucas 9. 10. illos trans mare Tiberiadis in deſertum Bethſaidæ conceſſiſſe. Capharnao plane, vel ex finibus illius profecti erant. Populi, qui JESUM non deſerebant, cum vidiſſent illum cum Apoſtolis ſuis navim conſcendere, terreſtri itinere [1] ad borealem uſque maris Tiberiadis apicem contenderunt: cumque illic ponte, vel lintribus Jordanem tranſmiſiſſent, venerunt in deſertum Bethſaidæ, quo JESUS appellere debebat, antequam hic eo perveniſſet. Græca quædam exemplaria [2] omiſerunt ea verba, *& prævenerunt eos*, quæ Lucas Brugenſis ſcholion eſſe putat, & ex margine in Textum migraſſe.

℣. 37. DUCENTIS DENARIIS.] Ducenti denarii, ſi de ſiclis intelligendi ſunt, efficiunt trecentas & viginti quatuor libras ſolidos tres, & quatuor denarios Pariſienſes. At ſi denarii nomen de Romana moneta explicare velis, cujus pretium erat ſolidi octo, & denarius unus, octoginta circiter Gallicæ monetæ libras conſtituunt.

℣. 39. SUPER VIRIDE FOENUM.] In Commentariis in S. Matthæum 14. 15. & in Concordia Hiſtorica videri poſſunt aliæ hujus miraculi circumſtantiæ. S. Johannes 6. 4. refert, hoc accidiſſe paulo ante Paſchatis feſtum; quod facem profert explicantibus, & locum hunc, ubi dicitur populus *ſuper viride fœnum* ſediſſe, & illum S. Johannis, ubi ait plurimum fœnum ibi fuiſſe.

℣. 40. DISCUBUERUNT IN PARTES.] Græcus ℣. 39. ad litteram [3] legit: *in varias tabulas*, & ℣. 40. *in quadrata*, tamquam in viridario. Simul viceni, vel triceni ſeorſim diſcubuerunt, atque ita ſedentes in gramine ſpeciem exhibebant quamdam veluti quadratarum areolarum in viridario diſpoſitarum.

℣. 44. QUINQUE MILLIA VIRORUM.] Præter mulieres, ac pueros, ait S. Matthæus 14. 21. Complura Græca Exemplaria iſthic legunt, uti in S. Matthæo [4], *circiter quinque millia virorum*.

℣. 45. UT PRÆCEDERENT EUM TRANS FRETUM AD BETHSAIDAM.] Urbs hæc erat in orientali maris Genezareth ora, eadem ex parte, ubi tunc aderat Jeſus; quo Salvator mari profectus eſt dumtaxat, ut turbarum tumultum evitaret. Procella, quæ noctu contigit, naviculam, ubi erant Apoſtoli, inde longius projecit; ita ut poſtridie mane fuerint prope littus Tiberiadis ad occaſum, & meridiem lacus. Vide Commentarium in ſanctum Matthæum, & in ſanctum Johannem 6. 17. & Harmoniam.

℣. 48. CIRCA QUARTAM VIGILIAM NOCTIS.] Nox diviſa erat in horas duodecim, & vigilias quatuor, quarum ſingulæ ternis horis conſtabant. Tertia igitur ferme ante Solis ortum hora, venit Jeſus ad Diſcipulos ſuos.

℣. 52. NON ENIM INTELLEXERUNT DE PANIBUS.] Viderant Salvatoris Diſcipuli miraculum, multiplicationis quinque panum, quin tamen ferme ad illud animum advertiſſent. Non enim inde hanc naturalem, ac neceſſariam concluſionem deducebant, illum, cui talis erat poteſtas, poſſe etiam ſiccis pedibus ſuper aquas incedere. S. Petrus majorem præ ceteris fidem habuerat, quandoquidem teſte S. Matthæo 14. 28. ſuper aquas deambulaverat. Verum fides illius labefactari cœpit, ubi fluctus minaces intuitus eſt. Græca vox [5], quæ vertitur *obcæcatum*, proprie ſignificat *obduratum*, quod occalluit, quod non afficitur, ſtupidum eſt.

℣. 53. IN TERRAM GENESARETH.] Creditur Genezareth eadem eſſe ac Tiberiades. Si terra Genezareth iſthic de urbis illius agro intelligitur, dicendum erit, Apoſtolos profectos de agris, vel deſerto Bethſaidæ ad borealem maris Tiberiadis apicem poſito, in oppoſitam veniſſe plagam, meridiem verſus, & mari emenſos eſſe leucas octo tribus primis noctis vigiliis. Hoc probat, quod iſthic dicitur, ventum illis adverſum fuiſſe, eiſque nocte illa remis maris impetum fuiſſe ſuperandum; cum duas tantum, vel tres leucas metiri debuiſſent, ſi ex deſerto Bethſaidæ ſimpliciter in urbem eamdem, vel etiam hac ex altera lacus ora de Oriente in Occidentem fuiſſent profecti. Videri poteſt in S. Matt. c. 14. quomodo concilientur quatuor Evangeliſtæ in hoc, quod de Jeſu, ac diſcipulis ejus itinere narrant.

---

1 Marc. hic. Πεζῇ συνέδραμον, καὶ προῆλθον αὐτούς. 2 Deeſt in Cantabrig. Colb. 2. Laud. 1. Alii [illegible] προσῆλθον, Colb. 48. Arab. Eph. 3 Verſ. 39. Ἀνακλῖναι πάντας συμπόσια συμπόσια. 40. Καὶ ἀνέπεσον πρασιαὶ πρασιαί. 4 Ὡσεὶ πεντακισχίλιοι. Vide Mill. hic. 5 Ἦν γὰρ ἡ καρδία αὐτῶν πεπωρωμένη. Vide Lud. de Dieu, Bea Syr. Arab. Tremell. Pagn. alios.

CAPUT VII.

Phariſæi Diſcipulos JESU redarguunt, quod crebro manus non abluant. Phariſæorum hac in re traditio, & conſuetudo. His exprobrat JESUS eorum hypocriſim. Mulier Chananæa filiæ ſuæ ſalutem obtinet. Surdus, & mutus curatur.

1. ET conveniunt ad eum Phariſæi, & quidam de Scribis, venientes ab Jeroſolymis. 2 Et cum vidiſſent quoſdam ex diſcipulis ejus, communibus manibus, id eſt non lotis, manducare panes, vituperaverunt. 3 Phariſæi enim, & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum. 4 Et a foro niſi baptizentur, non comedunt: & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare, baptiſmata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum. 5 Et interrogabant eum Phariſæi, & Scribæ: Quare diſcipuli tui non ambulant juxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem

nem ? 6 At ille reſpondens , dixit eis : Bene prophetavit Iſaias de vobis hypo-
critis , ſicut ſcriptum eſt : Populus hic labiis me honorat , cor autem eorum longe
eſt a me . 7 In vanum autem me colunt , docentes doctrinas , & præcepta homi-
num . 8 Relinquentes enim mandatum Dei , tenetis traditionem hominum , baptiſ-
mata urceorum , & calicum , & alia ſimilia his facitis multa . 9 Et dicebat illis :
Bene irritum facitis præceptum Dei , ut traditionem veſtram ſerveris . 10 Moyſes
enim dixit : Honora patrem tuum , & matrem tuam . Et : Qui maledixerit patri ,
vel matri , morte moriatur . 11 Vos autem dicitis : Si dixerit homo patri , aut
matri , Corban (quod eſt donum) quodcumque ex me , tibi profuerit : 12 Et ul-
tra non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo , aut matri . 13 Reſcindentes
verbum Dei per traditionem veſtram , quam tradidiſtis : & ſimilia hujuſmodi multa
facitis . 14 Et advocans iterum turbam , dicebat illis : Audite me omnes , & in-
telligite . 15 Nihil eſt extra hominem introiens in eum , quod poſſit eum coinqui-
nare , ſed quæ de homine procedunt , illa ſunt , quæ communicant hominem . 16
Si quis habet aures audiendi , audiat . 17 Et cum introiſſet in domum a turba ,
interrogabant eum diſcipuli ejus parabolam . 18 Et ait illis : Sic & vos impruden-
tes eſtis ? Non intelligitis , quia omne extrinſecus introiens in hominem , non po-
teſt eum communicare . 19 Quia non intrat in cor ejus , ſed in ventrem vadit , &
in ſeceſſum exit , purgans omnes eſcas ? 20 Dicebat autem , quoniam quæ de ho-
mine exeunt , illa communicant hominem . 21 Ab intus enim de corde hominum
malæ cogitationes procedunt , adulteria , fornicationes , homicidia . 22 Furta , ava-
ritiæ , nequitiæ , dolus , impudicitiæ , oculus malus , blaſphemia , ſuperbia , ſtulti-
tia : 23 Omnia hæc mala ab intus procedunt , & communicant hominem . 24 Et
inde ſurgens abiit in fines Tyri , & Sidonis : & ingreſſus domum , neminem voluit
ſcire , & non potuit latere . 25 Mulier enim ſtatim ut audivit de eo , cujus filia
habebat ſpiritum immundum , intravit , & procidit ad pedes ejus . 26 Erat enim
mulier Gentilis , Syrophœniſſa genere . Et rogabat eum , ut dœmonium ejiceret de
filia ejus . 27 Qui dixit illi : Sine prius ſaturari filios : non eſt enim bonum ſume-
re panem filiorum , & mittere canibus . 28 At illa reſpondit , & dixit illi : Uti-
que , Domine , nam & catelli comedunt ſub menſa de micis puerorum . 29 Et ait
illi : Propter hunc ſermonem vade , exiit dæmonium a filia tua . 30 Et cum abiiſ-
ſet domum ſuam , invenit puellam jacentem ſupra lectum , & dæmonium exiiſſe . 31
Et iterum exiens de finibus Tyri , venit per Sidonem ad mare Galilææ inter me-
dios fines Decapoleos . 32 Et adducunt ei ſurdum , & mutum , & deprecabantur
eum , ut imponat illi manum : 33 Et apprehendens eum de turba ſeorſum , miſit
digitos ſuos in auriculas ejus : & expuens , tetigit linguam ejus : 34 Et ſuſpiciens
in cœlum , ingemuit , & ait illi : Ephphetha , quod eſt adaperire . 35 Et ſtatim a-
pertæ ſunt aures ejus , & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus , & loquebatur recte :
36 Et præcepit illis , ne cui dicerent : Quanto autem eis præcipiebat , tanto magis
plus prædicabant : 37 Et eo amplius admirabantur , dicentes : Bene omnia fecit : &
ſurdos fecit audire , & mutos loqui .

℣. 1. CONVENIUNT AD EUM PHARISÆI . . . . VENIENTES AB JEROSOLYMIS .] Datane opera illuc Jeruſolymis acceſſerunt , an ſimpliciter illinc paulo ante redierant ? Hoc certe aſſeri non poteſt . Probabilius eſt tamen , hos fuiſſe Phariſæos Galilææ , vel fortaſſe Capharnai , qui ex Paſchatis feſtivitate reverſi erant , cui Jeſus etiam interfuerat , quin tamen ſe ſe manifeſtaret propter Judæos , qui illi necem inferre quærebant [s] .

℣. 2. COMMUNIBUS MANIBUS , ID EST , NON LOTIS , MANDUCARE PANES .] JESU CHRISTI Diſcipuli procul dubio ea ſervabant , quæ urbanitatis , & elegantiæ leges efflagitant , ubi menſæ accumbebant : verum in hoc haud ita religioſos ſe ſe ferebant ; manus enim tunc abluebant , cum ſordidæ eſſent , non alias . Phariſæi , & Judæi , qui diligentiores haberi curabant, A religioſius hunc morem tuebantur , putabantque, hujuſmodi nugas eſſe quoddam veluti vallum Legis , & eos , qui ſumma fide has traditiones ſervarent , numquam leges magis neceſſarias violaturos . Textus *manus communes* appellat pro *ſordidis* ; Hebræorum more , qui [a] *communia* dicunt ea , quæ in communes uſus adhibentur ; cum enim a quolibet indiſcriminatim tangantur , fieri quodammodo non poteſt , ut aliquibus ſordibus non inquinentur ; cum res , atque perſonæ ſacræ , & mundæ ab omni communi , profanoque uſu abhorrebant .

℣. 3. JUDÆI NISI CREBRO LAVERINT MANUS , NON MANDUCANT .] Hæc communis eſt Judæorum Doctorum ſententia [1] , antequam menſæ accumbas , manus eſſe abluendas ; non tamen quotieſcumque extra prandium comedendum , vel guſtandum eſt , veluti fructus &c. Græcus [4] pro iis verbis , *niſi crebro laverint ma-*

Tom. VII. D d *nus* ,

[s] Toynard. Harm. hic. [a] 1. Macchab. 1. 47. 62. Act. 10. 14. 11. 8. Rom. 14. 14. Hebr. 10. 29. Matth. 15. 11.

[1] Maimon. in Miſnath. tract. Chagigah. cap. 11. ſect. 5. cap. 6. & lib. Jad. tract. Berachot.

[4] Ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας, οὐκ ἐσθίουσι.

nus, legit, *niſi crebro laverint pugnum*, hoc eſt, ab extrema parte digitorum, ad brachii nexum cum carpo [1]. Theophylactus, & poſt hunc eruditi Interpretes alii [2] credunt, illos & brachia ad cubitum abluiſſe. Non ſatis illis erat digitos, vel pugnum lavare; brachium quoque abluebant; ſinebantque, aquam a manu ad cubitum uſque defluere. Videtur autem Vulgatæ Auctor aliter legiſſe ab hodiernis exemplaribus Græcis [3]. Poſt prandium æque, ac ante manus eluebant, ex Rabbinorum teſtimonio. Tantæ ſe ſe abluerent, aquam primum in cavam manus volam infundunt, unde per brachium ad cubitum uſque defluit, quo ubi pervenerit, dilabitur. Perſæ e contra ſuper brachium, & cubiti articulum aquam effundunt, quæ mox per brachium ad extremos uſque digitos deſcendat [4]. A

Hæc autem manus abluendi traditio initii creditur cuidam Moyſis loco [5], ubi qui hominem gonorrhea laborantem tetigerit, jubetur manus abluere, ut immundus ad veſperam uſque ſit, cum neceſſitate corporis, ac indumentorum abluendorum, antequam rurſus in hominum luce verſetur. Non ultima Phariſaicæ ſanctitatis pars erat, non cum omni mortalium genere converſari [6], ac ſe a legalibus ſordibus immunes ſervare. Ideo toties Salvatori noſtro vitio verterunt, quod cum peccatoribus comederet, ſe ſe a meretrice tangi ſineret, cum publicanis verſaretur; hic vero, quod ejus Apoſtoli illotis manibus manducarent. B

℣. 4. A FORO NISI BAPTIZENTUR, NON COMEDUNT.] Statim ac a nundinis [7], vel compitis, aut judiciorum locis domum redierint, non manducant, niſi ſemel abluerint. Ex S. Johanne 18. 28. liquet, eos credidiſſe, qui in locum, ubi jus dicebatur, pedem intuliſſet, jam pollutus eſſet, ita ut ſacrorum particeps fieri non poſſet. Rabbini, ſeitique Interpretes alii [8] credunt, immundos eos etiam fuiſſe, qui nundinis interfuiſſent, propter nimiam alienigenarum undecumque affluentium turbam. Cum ex hujuſmodi locis quis domum redierat, non manus tantum illi erant eluendæ, verum etiam corpus totum aquis immergendum, ſi fides eſt penes pleroſque Interpretes, qui Scripturæ litteram propius ſectantur [9]. Alii vero [10] putant, ſatis fuiſſe manus in aqua immergere, ubi e foro aliquis fuiſſet reverſus; at cum menſæ accumbendum eſſet, manus ad cubitum uſque, cum aliis, vel pugnum dumtaxat, ex aliorum ſententia fuiſſe abluendum: hac enim in re Auctorum variant ſententiæ. C D

BAPTISMATA CALICUM, ET URCEORUM, ET ÆRAMENTORUM, ET LECTORUM.] Tunc enim menſæ accumbebant ſuper lectulis circum undique diſpoſitis [11]; cumque contingere poterat, ut ibi immundi homines diſcubuiſſent, abluebantur, ut alii ibi ſterni poſſent, quin legalem aliquam immunditiam contrahere vererentur. De communibus etiam cubilibus hoc intelligi poteſt [12], ubi vel homo aliquis efflaſſet animam, vel mulier fuiſſet enixa, vel leproſus cubaſſet. Hac in re nihil peculiariter lege cautum eſt; at ſedula Doctorum diligentia mandatis Moyſis plurima addiderat.

Cæterum ſupellex omnis, pocula, lances, vaſa ad liquores capiendos facta ex quacumque materia, fictilia, argentea, ærea, lignea, crebro abſtergebantur, ne qui illis utebantur, ſorde aliqua inficerentur. E

℣. 9. BAPTISMATA URCEORUM, ET CALICUM.] Abluentes urceos, & calices, vel potius, illos aquis immergentes, antequam utamini. Non damnat JESUS elegantiæ curam in vaſis, quæ in menſam afferuntur; at immodicam ſollicitudinem, ac nimium religioſas ablutiones damnat.

℣. 11. SI DIXERIT HOMO PATRI, AUT MATRI, CORBAN.] Vide S. Matt. 15. 5.

℣. 14. ADVOCANS ITERUM TURBAM.] Videntur Phariſæi ſeorſim adduxiſſe Jeſum, ut cum eo quererentur de Diſcipulis ejus, qui Seniorum traditiones irriti faciebant. At illis ut vi multa obſtruit; & mox advocans turbas, quæ ſeceſſerant, ne illorum colloquium turbarent, dixit illis; cognoſcite, quæ dicam. Non loquor de majorum veſtrorum deciſionibus, neque de traditionibus, quibus nulla ineſt auctoritas; audacter ajo, non id, quod intrat per os, ſed quod inde egreditur, nempe obſcœna dictu, ſuperbos ſermones, dicteria, jurgia &c. animam coinquinare. Hæc ea ſunt, quæ vere hominem polluunt. A

Non defuere, qui parte priori verborum JESU CHRISTI abuterentur: Nihil eſt extra *hominem introiens in eum, quod poſſit eum coinquinare*; contendentes, perperam ab Eccleſia carnium uſum ſtatis temporibus fuiſſe interdictum, & jejunia, atque peculiaria abſtinentiæ genera indicta. Verum numquam illa iſthæc prohibuit, quaſi creata hæc mala eſſe arbitraretur; ſed illa tantum prohibuit, ut filii ſui pœnitentiæ, atque mortificationis virtutem exercerent; atque hoc pacto illa expiarent ſcelera, in quæ fortaſſe per intemperantiam ceciderant. Illa perſuaſum eſt, omnem Dei creaturam in ſe bonam eſſe [13], ac eadem cum actione gratiarum utendum. At ſimulac legitima auctoritas eorum interdixit uſum, ea illicita fiunt; & inobedientia, atque intemperantia illier, qui eiſdem contra leges utitur, ejuſdem animam polluunt, eamque immundam efficiunt ob oculos Creatoris, & JESU CHRISTI, qui Caput eſt Eccleſiæ, & Auctor legum omnium ſalutarium, quæ in ea inſtitutæ, atque per ejuſdem Spiritum, ad finem uſque ſæculorum ſunt inſtituendæ. B C

℣. 19. IN SECESSUM EXIT PURGANS OMNES ESCAS.] Phyſica ratio poteſt oſtendere, iis, quibus veſcimur, minime nos coinquinari; quidquid enim ore excipimus, digeritur, & in ſubſtantiam noſtram immutatur, vel in ſecretum locum cum retrimentis ciborum ejicitur. Si in ſubſtantiam noſtram convertitur, dicine poteſt, immundum, & pravum eſſe? Si id quod immundum eſt, ac inutile, in ſecretum locum projicitur, dicine poteſt, nos eodem fœdari. Immutatio, quæ in cibis accidit, ex quo nec illos mandimus, donec convertantur alii quidem in chylum, & ſanguinem, alii vero in ſeceſſum exeant, ratio eſt omnium maxime naturalis, quam inſtituerit Deus, ut mundum ab immundo, bonum a malo, utile ab inutili ſecerneremus. D

Duo tamen objici poſſunt: primum, Deum per Moyſem, ciborum quorumdam uſum interdicentem, eos immundos, maloſque declaraſſe: alterum alimenta in ſemet immunda, veluti noxia, & guſtui injucunda animantia, alere poſſe hominem. Verum advertendum eſt. 1. Salvatorem heic initio principio, Moyſis interdictum ſupponere, non efficere res immundas, quod indebium vocari non poteſt. 2. Cum de alimentis agitur, immundum idem eſt ac noxium, inutile, indigeſtum. Guſtui ergo, atque experientiæ dijudicandum eſt, utrum eſca munda ſit, an immunda. 3. Immundi nomen duplici iſthic in ſenſu uſurpari. 1. pro iis, quæ animam polluunt, & hoc in ſenſu fieri, ut epulæ per ſe umquam animam impuram efficiant; nulla enim cum hac phyſica ratio intercedit. 2. pro iis, quæ polluunt corpus; at omni caret dubitatione, ea, quæ in corpus ingrediuntur, illud polluere non poſſe: aut enim digeſtioni apta erunt, atque alendo corpori idonea; & tunc in ſanguinem, & ſuccum convertentur: aut ſecus, & tunc cum ciborum retrimentis in ſeceſſum exibunt. Ita Jeſus priſtinæ, ac ſimplici ideæ omnia reſtituit, præjudiciis omnibus, ac fallacibus hominum explicationibus expedita. E

De

1 Rabb. Maim. Joſeph Ben Levi, & Alphes, apud Ham. hic. Vide & Druſ. & Pokoch. Miſcell. 9.
2 Theophylact. hic, Lud. de Dieu, Eraſm. Capell. PoKoch. Miſcell.
3 Auctor Vulgatæ legit, Πυκνὰ, vel πυκνῶς, *frequenter*.
4 Chardin, Voyage de Perſe, tom. 3.
5 Levit. 15. 11. Vide Grot. hic, & Cleric. ad Hamm. hic.
6 Vide PoKoch. & Druſ. in Synopſi hic.
7 *Καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσι.*
8 Vide PoKoch. Hamm. Vatab.
9 Vide Vat. Grot. Druſ. Bez. alios.
10 PoKoch. Miſcell. Ligfoot. Hor. Hebr.
11 Eraſm. Mald. alii.
12 PoKoch. Ligfoot.
13 1. Timoth. 4. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt.*

℣. 21. De corde hominum procedunt &c.] A Scelera in corde primum pariuntur, in cogitatione, in voluntate, mox extrinſecus erumpunt, ac ſe ſe humanis oculis produnt. Cor fons eſt omnium, quæ vel bona, vel mala homo operatur.

℣. 22. Nequitiæ, oculus malus, blasphemia, stultitia.] *Nequitiæ* [1] generatim omnia vitiorum, ſcelerumque genera ſignificare poſſunt, vel peculiariter improbitatem, malitiam, ac priori in ſenſu intelligere malim. *Oculus malus* [2] in Hebræorum ſtylo ſignificat, zelotypiam, invidiam, avaritiam, ex omnium Interpretum conſenſu. *Blaſphemiæ* explicentur de ſecretis maledictionibus, & conviciis, quæ in proximum ingeruntur, vel denique de blaſphemiis, quæ in Deum evomuntur; at hic in priori ſenſu intelliguntur. *Stultitia* [3] Græca vox & ſtultitiam, B & peccatum, quod in Scripturis ſtultitiæ nomine appellatur, vel imprudentiam, & levitatem, vel officiorum ſuorum negligentiam, vel ſtupiditatem, & ſenſum carentiam in iis, quæ ſancta ſunt, atque ad ſalutem utilia; vel demum intemperantiam ſignificat.

℣. 24. Neminem voluit scire.] Non abſolute, atque efficaci voluntate, ſed ea, quæ *ſigni* dicitur, hoc voluit. Agebat velut homo, qui latere cupit. Sed Phœnices licet Ethnici, ſatis inſigne illius meritum, ac miracula ab illo patrata cognoverant. In ſuis finibus Jeſum eſſe, ſtatim intellexerunt, ſeu aliquis ex Diſcipulis ejus ipſi illum detexerit, ſeu Judæorum turbæ, qui eum ubique perquirebant, illis cognoſcendum tradiderint, ſeu denique Phœnices ipſi illum ex facie cognoverint. C

℣. 26. Mulier Gentilis, Syrophœnissa genere.] Duo hi obices erant, ne ad Jeſum accederet, & ab eo, quod petitura erat, impetraret. Sed fidei magnitudo, devotionis fervor, conſtantia, & perſeverantia omnes ſuperarunt difficultates. Hæc *Syrophœniſſa* [4] erat, hoc eſt ex ea Phœniciæ parte, quæ ad Syriam patet, ac a Geographis Phœnicia mediterranea vocatur. S. Matthæus 15. 22. ait, mulierem hanc fuiſſe *Chananæam, egreſſam de finibus illis*; quod eorum opinionem evertit, qui illam Damaſco acceſſunt [5], quam Syrophœniciam eſſe arbitrantur. Hebræi *Chananæos* dicebant, Phœnices, tum qui Tyri, & Sidone, atque in finitimis locis commorabantur, tum poſteros Chanaan. Hic vero Tyri, & Sidonis propinquitas nos impellit, ut de muliere locorum illorum intelligamus. D Pro reliqua hac hiſtoria, adi, ſi lubet, Sanctum Matthæum cap. 15.

℣. 31. Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem.] Hoc eſt per fines Sidonis: non enim fidei conſonum eſt, illum hanc urbem, quæ omnino gentilis erat, ingreſſum fuiſſe. Tranſit per boreales Galilææ fines ad radices Libani montis, verſus Jordanis origines, omnemque luſtravit Galilæam ſuperiorem ad Jordanis orientem, ut per Decapolim ad orientalem maris Galilææ oram deſcenderet. Qui Decapolim ſtatuunt citra, & ad occaſum Jordanis [6], vix intelligunt, quomodo Jeſus Tyro profectus Sidonem verſus per eam ſit per Decapolim, ad mare Tiberiadis venturus. At omnis evaneſcit difficultas, ſi cum Antiquis omnibus ſupponatur Decapolis trans Jordanem, non ſecus ac E Galilæa ſuperior. Tyriis egreſſus finibus Jeſus ad boream Sidonem verſus contendit, inde flexit iter ad ortum verſus Jordanis origines, ac illinc ad meridiem Decapolim verſus.

Græcus textus legit [7]: *Jeſus exiens de finibus Tyri, & Sidonis venit rurſus ad mare Galilææ*. Sed Verſio Copta, Arabica, Æthiopica, ac MSS. plurimi Vulgatæ ſimiles ſunt. Ibi poſiti ſunt *fines Tyri, & Sidonis*, pro *finibus Tyri per Sidonem*, ad evitandum, ut cenſebantur, abſurdum, in quod ſe elabi putabant, ſi dixiſſent, Jeſum *Tyro per Sidonem* veniſſe ad mare Galilææ, cui terga vertere videbatur. Dicitur autem *rurſus* veniſſe, & ſane inde paulo ante exceſſerat, Marc. 6. 53.

℣. 32. Adducunt ei surdum, & mutum.] Græcus [8]: *ſurdum, qui ægre loquebatur*. Tuentur aliqui [9], hominem hunc neque penitus ſurdum, neque mutum omnino fuiſſe; ſed tantum eum difficultate quadam audiviſſe, & non ſine labore verba enuntiaſſe. Autographi voces ſententiæ huic ſuffragantur, quam magis adhuc ea, quæ ſequuntur confirmant: dicitur enim homo hic, ubi curatus fuit [10], *recte locutus*, non autem locutus ſimpliciter fuiſſe. Quomodo autem loqui potuiſſet, ſi ab incunabulis ſurdus fuiſſet? Neque ea, quæ dicebantur, intelligere, neque interrogantibus reſpondere potuiſſet, cum antea neque loqui ſciviſſet, neque alias loquentes audiviſſet, itaque dicitur incœpiſſe tunc *recte*, & citra quamlibet moram, aut difficultatem verba proferre, quod innuit illum non omnino, ſed per accidens tantum, ſurdum fuiſſe, & non a puero, ſed aliquot ab hinc menſibus, vel annis fortaſſe morbo hoc laboraſſe; atque hanc loquendi difficultatem non penitus loquendi uſum illi ademiſſe.

Hæ tamen rationes non obſunt, quominus alii complures hoc intelligant in ſenſu, quem exhibet Vulgata de ſurdo, ac muto preſſius ſumpto. Cum alii Evangeliſtæ factum hoc non attulerint, nihil inde lucis hauriri poteſt, ut hoc facilius explicetur. Græca vox, quam vertimus, *hominem impeditioris linguæ*, nonnumquam in Septuaginta [11], omnino mutum ſignificat; & ex decurſu liquet, in miraculi hujus occaſione populos dixiſſe: *bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui* [12]: quod favet iis, quæ dicimus, mutum hunc loqui incœpiſſe, ex quo curatus fuit; hoc eſt, belle imitatum fuiſſe verba, & ſonos, quæ ab ipſo exprimebantur; ac brevi didiciſſe, quomodo ſuos ſenſus exprimeret, alienoſque perciperet. At prior ſententia probabilior eſt, pluteſque jactat ſectatores.

℣. 33. Misit digitos suos in auriculas ejus.] Jeſus hominem hunc curaturus ſeorſum adducit, digitos in aures ejus immittit, linguam ejus ſaliva attingit, gemit, imperat auribus, ut aperiantur, quæ omnia procul dubio curationi illius neceſſaria non erant. Verum actiones hæ ſymbolicæ ſunt, atque ad erudiendum nata. Secedens modeſtiæ præceptum tradit: gemit, ac ferventes preces effundit, ut doceat, quomodo nobis orandum ſit. Digitos in aures, ſalivam in ſurdi, & muti linguam inſerit, ut in Divina perſona ſua quidquid ſalubre, & efficax eſſe oſtendat [13]; vel ut indigitet difficultatem peccatoris convertendi, cujus imago eſt ſurdus, & mutus. Vel denique, ut Spiritus Sancti, qui digitus [14], Divinæque Sapientiæ [15], quæ ſaliva exhibetur, operationem deſignet.

℣. 34. Ephpheta.] Aperire. Loquitur ad os, & aures ſurdi, vel potius, & ſurdi, & muti. Quidquid in te clauſum eſt, aperietur; quidquid impeditum, diſſolvetur. Vox *Ephphetha*, vel *Ephphata* Syriaca eſt [16], non ſecus, ac aliæ nonnullæ, quæ in Evangeliis ſuperſunt. In Baptiſmatis ritus actionem hanc Chriſtiana tranſtulit Eccleſia, non ſecus ac alia Salvatoris ſymbolica facta, veluti manuum impoſitionem, unctionem,

1 Πονηρίαι. 2 Deut. 15. 9. רע עין Πονηρὸς ὀφθαλμός. 3 Ἀφροσύνη.
4 Συροφοινίσσα. Alii Codd. Συροφοινίκισσα. 5 Eraſm. Druſ. Beza.
6 Vide Bez. Ludov. de Dieu, alios. 7 Ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου, καὶ Σιδῶνος ἦλθε, πρὸς τὴν θάλασσαν &c. Alii, Ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου, ἦλθε διὰ Σιδῶνος. Ita Cantab. Colb. 6. Barber. 1. Alii.
8 Κωφὸς, καὶ μογιλάλος. 9 Eraſm. Vatab. Grot. Bez. Pago. Tigur. Syr. Maldonat. alii.
10 Marc. 7. 35. *Solutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte.*
11 Exod. 4. 11. Iſai. 35. 6. אלם *Mutus*, 70. μογιλάλος.
12 Verſ. 37. Καὶ τοὺς κωφοὺς ποιεῖ ἀκούειν, καὶ τοὺς ἀλάλους λαλεῖν.
13 Vide Maldon. Grot. Euthym. Theophylact. 14 Luc. 11. 20. collat. cum Matth. 12. 28.
15 Ita Gregor. Magn. homil. 10. in Ezech. Hieronym. Beda, Strab. alii. 16 הפתח *Heppatach.*

&c. Dominus ſaliva ſua quoſdam cæcos etiam curavit. Pro ; *ingemuit, & ait illi : Ephphetha*, verti poteſt [1] : *clamavit : Ephphetha.*

℣. 36. QUANTO AUTEM EIS PRÆCIPIEBAT, &c.] Numquid hac in re peccabant ? Hoc ſupra c. 1. 45. ad examen vocatum eſt. Si Dei Filius jubebat veluti cum ea imperantur, in quibus ſibi quam diligentiſſime obtemperari, deſideratur, & illis hanc ejus mentem eſſe compertum erat, crimine excuſari minime poſſunt : ſin autem modeſtiæ cauſa hoc jubebat, quemadmodum honores, ac laudes oblatæ, quibus nos indignos cenſemus, reſpuuntur, non ſolum minime injurii erant Deo ; verum illud explebant officium, quod juſtitia, grati animi virtus, & charitas efflagitabant [2] : Jeſu Chriſto id præſtante, quod modeſtia, & inſtructio noſtra ab illo exigebant. Populi beneficiis ab eo cumulati, illud huic teſtimonium perhibuere, quod gratitudo exquirebat.

℣. 37. BENE OMNIA FECIT &c.] Hæc ſpecies eſt vulgaris cantici, illi ſimilis, quod in honorem David decantatum fuit : *Saul occidit mille, & David decem millia.* Græcus : *bene omnia fecit, & ſurdos facit audire &c.* Omnia morborum genera curat ; fecit, & facere pergit adhuc. Hæc præclara eſt Salvatoris apologia, contra Phariſæorum criminationes, & dicteria : *Bene omnia fecit.* Elogium, quod proprie uni convenit Deo [3] : *Opera Domini univerſa bona valde.*

1 Ἐστέναξε, eſt ſignificatio Græci in Job. 24. 12. 21. 30.
2 Vide Auguſtin. lib. 4. de Conſenſu cap. 4. & Bedam hic &c.
3 Eccli. 39. 21. Vide Geneſ. 1. 31.

CAPUT VIII.

JESUS quatuor hominum millia ſeptem panibus paſcit. Phariſæorum fermentum evitandum. Cæci curatio. Quiſnam eſſe dicitur Filius Hominis ? Sancti Petri reſponſio. Hic JESUM CHRISTUM a paſſione ſtudet avertere. Crucis ferendæ, vitæque ſuæ pro Salvatore contemnendæ neceſſitas.

1. IN diebus illis iterum cum turba multa eſſet, nec haberent, quod manduca-
rent, convocatis diſcipulis ait illis : 2 Miſereor ſuper turbam : quia ecce
jam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent : 3 Et ſi dimiſero eos je-
junos in domum ſuam, deficient in via : quidam enim ex eis de longe venerunt.
4 Et reſponderunt ei diſcipuli ſui : Unde illos quis poterit hic ſaturare panibus
in ſolitudine ? 5 Et interrogavit eos : Quot panes habetis ? Qui dixerunt : Se-
ptem. 6 Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes,
gratias agens fregit, & dabat diſcipulis ſuis, ut apponerent, & appoſuerunt tur-
bæ. 7 Et habebant piſciculos paucos : & ipſos benedixit, & juſſit apponi. 8 Et
manducaverunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt, quod ſuperaverat de fragmentis,
ſeptem ſportas. 9 Erant autem, qui manducaverant, quaſi quatuor millia : & di-
miſit eos. 10 Et ſtatim aſcendens navim cum diſcipulis ſuis, venit in partes Dal-
manutha. 11 Et exierunt Phariſæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab
illo ſignum de cœlo tentantes eum. 12 Et ingemiſcens ſpiritu, ait : Quid gene-
ratio illa ſignum quærit ? Amen dico vobis, ſi dabitur generationi iſti ſignum. 13
Et dimittens eos, aſcendit iterum navim, & abiit trans fretum. 14 Et obliti ſunt
panes ſumere : & niſi unum panem non habebant ſecum in navi. 15 Et præci-
piebat eis, dicens : Videte, & cavete a fermento Phariſæorum, & fermento He-
rodis. 16 Et cogitabant ad alterutrum, dicentes : Quia panes non habemus. 17
Quo cognito, ait illis Jeſus : Quid cogitatis, quia panes non habetis : nondum co-
gnoſcitis, nec intelligitis ? adhuc cæcatum habetis cor veſtrum ? 18 Oculos ha-
bentes non videtis ? & aures habentes non auditis ? Nec recordamini, 19 Quan-
do quinque panes fregi in quinque millia, quot cophinos fragmentorum plenos ſuſtu-
liſtis ? Dicunt ei : Duodecim. 20 Quando & ſeptem panes in quatuor millia : quot
ſportas fragmentorum tuliſtis ? Et dicunt ei : Septem. 21 Et dicebat eis : Quomodo
nondum intelligitis ? 22 Et veniunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant
eum, ut illum tangeret. 23 Et apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum : &
expuens in oculos ejus impoſitis manibus ſuis, interrogavit eum, ſi quid videret. 24
Et aſpiciens, ait : Video homines velut arbores ambulantes ; 25 Deinde iterum im-
poſuit manus ſuper oculos ejus : & cœpit videre, & reſtitutus eſt, ita ut clare videret
omnia. 26 Et miſit illum in domum ſuam, dicens : Vade in domum tuam ; & ſi in
vicum introieris, nemini dixeris. 27 Et egreſſus eſt Jeſus, & diſcipuli ejus in caſtella

Cæſareæ

Cæſareæ Philippi ; & in via interrogabat diſcipulos ſuos , dicens eis : Quem me dicunt
eſſe homines ? 28 Qui reſponderunt illi , dicentes : Joannem Baptiſtam , alii Eliam , a-
lii vero quaſi unum de prophetis . 29 Tunc dicit illis : Vos vero quem me eſſe dici-
tis ? Reſpondens Petrus ait ei ; Tu es Chriſtus . 30 Et comminatus eſt eis , ne cui
dicerent de illo . 31 Et cœpit docere eos , quoniam oportet filium hominis pati mul-
ta , & reprobari a ſenioribus , & a ſummis ſacerdotibus , & Scribis , & occidi : & poſt
tres dies reſurgere . 32 Et palam verbum loquebatur . Et apprehendens eum Petrus ,
cœpit increpare eum . 33 Qui converſus , & videns diſcipulos ſuos , comminatus eſt
Petro , dicens : Vade retro me , ſatana , quoniam non ſapis , quæ Dei ſunt , ſed quæ
ſunt hominum . 34 Et convocata turba cum diſcipulis ſuis , dixit eis : Si quis vult me
ſequi , deneget ſemetipſum : & tollat crucem ſuam , & ſequatur me . 35 Qui enim
voluerit animam ſuam ſalvam facere , perdet eam ; qui autem perdiderit animam
ſuam propter me , & Evangelium , ſalvam faciet eam . 36 Quid enim proderit homi-
ni , ſi lucretur mundum totum , & detrimentum animæ ſuæ faciat ? 37 Aut quid da-
bit homo commutationis pro anima ſua ? 38 Qui enim me confeſſus fuerit , & ver-
ba mea in generatione iſta adultera , & peccatrice : & filius hominis confitebitur eum ,
cum venerit in gloria patris ſui cum angelis ſanctis . 39 Et dicebat illis : Amen
dico vobis , quia ſunt quidam de hic ſtantibus , qui non guſtabunt mortem , donec vi-
deant regnum Dei veniens in virtute ,

℣. 1. IN DIEBUS ILLIS ITERUM CUM TURBA MULTA .] Hoc accidit , cum Jeſus adhuc eſſet trans Mare Tiberiadis in Decapoli , eodem ferme in loco , ubi non ita pridem quinque panes multiplicaverat , quibus quinque hominum millia ſatiaverat [1] : ad quod factum vox illa *iterum* refertur . Jeſus jam triduo ante ſaltem illuc acceſſerat , quemadmodum ex ſequenti verſiculo patet .

℣. 2. JAM TRIDUO SUSTINENT ME .] Tertia jam abit dies , ex quo mecum indeſinenter morantur . Vel potius [2] : *triduo jam me expectant* . Jeſus primum montem aſcenderat , ubi triduo permanſerat . Interim undecumque ægri ad montis radices adducti fuerunt [3] , quos deſcendens curavit , & in quorum gratiam miraculum illud operatus eſt , quod viſuri ſumus , & quod legi poteſt apud S. Matthæum c. 15. verſ. 30 & ſequ. Homines hi , qui domum ſe rediturος putabant , ſtatim ac Jeſum vidiſſent , nullum ſecum viaticum attulerant , niſi quod ſatis eſſet tempori , quo in deſerto ſe permanſuros ſperabant .

℣. 9. QUASI QUATUOR MILLIA .] Præter mulieres , & pueros [4] , quæ ſimul totidem ſaltem erant capita .

℣. 10. VENIT IN PARTES DALMANUTHA .] Vel *Magedan* , quemadmodum a S. Matthæo 15. 39. immo etiam in compluribus S. Marci MSS. vocatur . Plerique Interpretum putant , urbem hanc eſſe ultra , & ad orientem maris Tiberiadis , non procul a Geraſa , vel Gadara , & Dalmanutham nomen eſſe regionis illius , ubi urbes hæ ſitæ erant . Vide Commentarium in S. Matthæum 15. 39.

℣. 15. CAVETE A FERMENTO PHARISÆORUM , & FERMENTO HERODIS .] S. Matthæus 16. 6. pro Herodis fermento , ait , *fermentum Sadducæorum* ; quod fidem adſtruit , Herodem Sadducæum fuiſſe , quod tamen certum non eſt . Vidimus ſupra c. 6. 16. Regem hunc dixiſſe , Johannem Baptiſtam in Jeſu Chriſti perſona reſurrexiſſe , quod Sadducæi non eſt , animæ immortalitatem , atque reſurrectionem negantis . Græca quædam Exemplaria [5] pro Herodis fermento , legunt : *fermentum Herodianorum* ; lectio haud ſane contemnenda . Utrumque dicere potuit Salvator fermentum Phariſæorum , Sadducæorum , & Herodis , vel *Herodianorum* . In Diſſertatione de Judæorum ſectis oſtendimus , *Herodianos*

A non alios fuiſſe , quam Judæ Gaulonitæ , vel Galilæi diſcipulos .

℣. 18. OCULOS HABENTES NON VIDETIS ?] Numquid ſemper habebitis oculos , quin videatis ? Vel ſimpliciter : habetis oculos , perinde eos minime haberetis . Eſtis veluti cæci voluntarii coram lumine . Nihil vos movent omnia ea miracula , quæ vobis inſpectantibus operor , quaſi cæci , ac inſipientes eſſetis ; ſimiles illis priorum temporum hominibus apud Æſchylum , qui diutiſſimam vitam ducebant , quodam veluti ſtupore , ac ſopore capti , ſurdis , cæciſque ſimillimi .

℣. 22. ET VENIUNT BETHSAIDAM .] E Magedan , vel Dalmanutha Bethſaidam venere . Evangeliſta non ait , Jeſum Chriſtum trajeciſſe lacum , ut ſe in hanc urbem conferret ; *Dalmanutha* enim , & *Magedan* erant ad Jordanis , & maris mortui orientem , non ſecus ac Bethſaida . Vide Matth. 15. 39.

B

℣. 23. EDUXIT EUM EXTRA VICUM .] Bethſaida , quæ vicus erat , facta eſt inſignis civitas , opera Philippi , qui vetere illius immutato nomine [6] *Juliadem* in Juliæ Auguſti filiæ gratiam appellavit . Hoc acciderat aliquot annis ante ea , quæ iſthic leguntur .

℣. 24. VIDEO HOMINES , VELUT ARBORES AMBULANTES .] Eos confuſius videbat perinde ac arbores eſſent ambulantes ; ab arboribus motu ſolum diſſimiles . Verum quorſum Salvator cæcum hunc non ſtatim omnino curat , & nonniſi interpolatis ſubinde ſpatiis perfectam oculorum aciem illi reſtituit ? Hoc fortaſſe proderat , ut miraculi veritas extra omnem dubitationem collocaretur , vel voluit Jeſus gratiæ vim fi-

C dei magnitudini aptare . Hæc primum infirma erat , ac languens ; prout vero deinceps crevit , ita & oculi videndi facultatem obtinuerunt [7] . Græca Exemplaria typis edita legunt [8] : *dixit : video homines : eos enim video incedentes , tanquam arbores* . Vel , *homines video : video enim quoſdam velut arbores ambulantes* .

℣. 26. SI IN VICUM INTROIERIS , NEMINI DIXERIS .] Hinc liquet , hominem hunc e Bethſaida fuiſſe .

℣. 27. IN CASTELLA CÆSAREÆ PHILIPPI .] Prope Jordanis origines . Urbs Paneades a Philippo Magni Herodis filio inſtaurata , atque ornata , vocata fuit Cæſarea Philippi [9] . Peti poteſt ex S. Matthæo 16. 13. hiſtoria , quam iſthic legimus .

1 Marc. 6. 35. & ſequ. Matth. 14. 15. & ſeq.
2 Ἤδη ἡμέραι τρεῖς προσμένουσί μοι.
3 Vide Matth. 15. 30.
4 Matth. 15. 37.
5 Καὶ τῆς ζύμης Ἡρωδιανῶν. Vide Mill. hic.
6 Joſeph. Antiqu. lib. 18. cap. 3.
7 Theophylact. Euthym. Chryſoſtom. apud D. Thom. Maldon. Brug.
8 Ἔλεγε , Βλέπω τοὺς ἀνθρώπους , ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ περιπατοῦντας. Ita Euthym. Theophylact.
9 Joſeph. Antiqu. lib. 18. cap. 3.

Digitized by Google

℣. 31. POST TRES DIES RESURGERE.] Græca quædam exemplaria legunt [1]: *tertia die reſurgere*, uti quoque eſt in S. Matthæo 16. 21. Hæc eſt Librarii correctio, qui cenſuit, veritati magis eſſe conforme, aſſerere, Jeſum Chriſtum tertia die, quam poſt tres dies a morte ſua reſurrexiſſe.

℣. 32. ET PALAM VERBUM LOQUEBATUR.] Græcus verti poteſt [2]: *Libere loquebatur*, audacter, citra ambages, ſine metu, ſine figuris, ſine parabolis. Vulgata hoc belle exprimit, eamque eruditi plurimi Interpretes ſequuntur [3].

APPREHENDENS EUM PETRUS.] Petrus, illum ſeorſim adducens. Vel [4] illum *retinens*, complectens, ait: Hoc avertat Deus. Petrus iſthic ſuum tantum cor, vividumque conſuluit ingenium.

℣. 35. QUI AUTEM PERDIDERIT ANIMAM SUAM.] Qui vitam ſuam pro me effuderit, hoc illi in ſummam cedet beatitudinem, atque ſalutem. Ita ne vereamini,

A me mortem metuere: hanc ne vos quidem metuetis, ſi vos movet æternæ vitæ beatitudo. *Vitæ*, vel *animæ* nomen æquivocum eſt in hoc verſiculo. *Vitam ſuam perdere*, ſignificat vel re ipſa, vitæ, vel bonorum, honoris, ac vitæ commodorum jacturam ſubire. *Vitam*, vel animam ſalvam facere, ſignificat æternam vitam acquirere. Cetera detrimenta, ſi cum animæ jactura conferantur, nihil ſunt; ac cetera quæcumque lucra, ſi animæ fiat detrimentum, nihil ſunt. In ea una vel damnum, vel lucrum eſſentialia ſunt; damnum hinc irreparabile; lucrum illinc inæſtimabile, quod ſequentibus verſiculis exponitur.

Græca Exemplaria typis edita verſ. 39. hujus capitis in ſubſequentis initium rejiciunt; ſed orationis decurſus efflagitat, ut hoc in loco relinquatur. Ille belle

B cum ſuperioribus cohæret; ejuſque explicatio ex cap. 16. verſ. 28. Matthæi petenda eſt.

---

1 Vide Eraſm. & Mill. hic. 2 Καὶ παῤῥησίᾳ τὸ ἐλάλει.
3 Eraſm. Illyric. Pagn. Bez. Grot. Piſc. alii. 4 Καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν ὁ Πετρος,

CAPUT IX.

JESU CHRISTI Transfiguratio. Declarat ille, jam veniſſe Eliam in S. Johannis Baptiſtæ perſona. Surdus, & mutus curatur. Diſceptant Apoſtoli, quinam futurus ſit major. Qui contra nos eſt, pro nobis eſt. Evelle oculum tuum, ſi te ſcandalizat.

1. ET poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem: & ducit il-
los in montem excelſum ſeorſum ſolos, & transfiguratus eſt coram ipſis. 2
Et veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia
fullo non poteſt ſuper terram candida facere. 3 Et apparuit illis Elias cum Moyſe:
& erant loquentes cum Jeſu. 4 Et reſpondens Petrus ait Jeſu: Rabbi, bonum eſt
nos hic eſſe: & faciamus tria tabernacula, Tibi unum, & Moyſi unum, & Eliæ u-
num; 5 Non enim ſciebat, quid diceret: erant enim timore exterriti. 6 Et facta
eſt nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus chariſſi-
mus: audite illum, 7 Et ſtatim circumſpicientes, neminem amplius viderunt, niſi
Jeſum tantum ſecum. 8 Et deſcendentibus illis de monte, præcepit illis, ne cui-
quam, quæ vidiſſent, narrarent: niſi cum filius hominis a mortuis reſurrexerit. 9 Et
verbum continuerunt apud ſe, conquirentes quid eſſet: Cum a mortuis reſurrexerit.
10 Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Phariſæi, & Scribæ, quia E-
liam oportet venire primum? 11 Qui reſpondens, ait illis: Elias, cum venerit pri-
mo, reſtituet omnia: & quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis, ut multa patiatur,
& contemnatur. 12 Sed dico vobis, quia & Elias venit, (& fecerunt illi, quæ-
cumque voluerunt,) ſicut ſcriptum eſt de eo. 13 Et veniens ad diſcipulos ſuos, vi-
dit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis. 14 Et confe-
ſtim omnis populus videns Jeſum, ſtupefactus eſt, & expaverunt, & accurrentes ſalu-
tabant eum. 15 Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis? 16 Et reſpon-
dens unus de turba, dixit: Magiſter, attuli filium meum ad te habentem ſpiritum
mutum: 17 Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtri-
det dentibus, & areſcit: dixi diſcipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt.
18 Qui reſpondens eis, dixit: O generatio incredula, quandiu apud vos ero?
quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. 19 Et attulerunt eum. Et cum vidiſſet
eum, ſtatim ſpiritus conturbavit illum: & eliſus in terram, volutabatur ſpumans,
20 Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit? At
ille ait: Ab infantia: 21 Et frequenter eum in ignem, & in aquas miſit, ut eum
perderet: ſed ſi quid potes, adjuva nos, miſertus noſtri. 22 Jeſus autem ait illi:
Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. 23 Et continuo exclamans pater

pueri,

pueri, cum lacrymis ajebat: Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam. 24 Et
cum videret Jeſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens
illi: Surde, & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo & amplius ne introeas in
eum. 25 Et exclamans, & multum diſcerpens eum, exiit ab eo, & factus eſt ſicut
mortuus, ita ut multi dicerent; Quia mortuus eſt. 26 Jeſus autem tenens manum
ejus, elevavit eum, & ſurrexit. 27 Et cum introiſſet in domum, diſcipuli ejus ſe-
creto interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum? 28 Et dixit illis:
Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & jejunio. 29 Et inde profecti
prætergrediebantur Galilæam; nec volebat quemquam ſcire. 30 Docebat autem di-
ſcipulos ſuos, & dicebat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum,
& occident eum, & occiſus tertia die reſurget. 31 At illi ignorabant verbum: &
timebant interrogare eum. 32 Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi eſſent, in-
terrogabat eos: Quid in via tractabatis? 33 At illi tacebant, ſiquidem in via inter
ſe diſputaverant, quis eorum major eſſet. 34 Et reſidens vocavit duodecim, & ait
illis: Si quis vult primus eſſe, erit omnium noviſſimus, & omnium miniſter. 35
Et accipiens puerum, ſtatuit eum in medio eorum: quem cum complexus eſſet, ait
illis: 36 Quiſquis unum ex hujuſmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit:
& quicumque me ſuſceperit, non me ſuſcipit, ſed eum, qui miſit me. 37 Reſpon-
dit illi Joannes, dicens: Magiſter, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæ-
monia, qui non ſequitur nos, & prohibimus eum. 38 Jeſus autem ait: Nolite
prohibere eum, nemo eſt enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit cito
male loqui de me. 39 Qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt. 40 Quiſ-
quis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis:
amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam, 41 Et quiſquis ſcandalizaverit unum
ex his puſillis credentibus in me: bonum eſt ei magis, ſi circumdaretur mola aſina-
ria collo ejus, & in mare mitteretur. 42 Et ſi ſcandalizaverit te manus tua, ab-
ſcinde illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habeu-
tem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: 43 Ubi vermis eorum non mo-
ritur, & ignis non extinguitur. 44 Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum:
bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem
mitti in gehennam ignis inextinguibilis: 45 Ubi vermis eorum non moritur, &
ignis non extinguitur. 46 Quod ſi oculus tuus ſcandalizat te, ejice eum: bonum
eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in ge-
hennam ignis: 47 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 48
Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur. 49 Bonum eſt ſal: quod
ſi ſal inſulſum fuerit: in quo illud condietis? Habete in vobis ſal, & pacem ha-
bete inter vos.

℣. 1. POST DIES SEX ASSUMIT JESUS PETRUM, &c.] Sex hi dies numerari incipiunt ex eo die, quo Salvator Apoſtolis pollicitus fuerat, in eorum numero aliquos non morituros, antequam Dei regnum vidiſſent [1], quæ promiſſio prope Cæſaream Philippi facta fuit [2]. Octo circiter dies S. Lucas 9. 28. interceſſiſſe teſtatur: verum & promiſſionis diem numerat, & eum, quo promiſſio adimpleta fuit, cum S. S. Marcus, & Mattheus ſex dumtaxat memorent dies, qui inter utrumque effluxerunt.

Quamvis multa jam elapſa ſint ſæcula, ex quo invaluit opinio, montem, in quo Jeſus transfiguratus eſt, eſſe Thabor; hoc tamen maxime incertum eſt. Ex decurſu narrationis Evangeliſtæ, videtur, Jeſus Chriſtus ſatis procul a Capharnao fuiſſe transfiguratus. Proficiſcitur in partes Cæſareæ Philippi ad extremam Palæſtinæ plagam, quæ Boream ſpectat [1]. Ex Diſcipulis ſuis quærit, quid de ſe homines ſentiant. Nonnullis eorum pollicetur, ſe ante obitum ipſis gloriam ſuam oſtenſurum. Poſt ſex, vel octo ab hinc dies tres ex Apoſtolis ſuis in excelſum montem ſeorſim adducit, & coram illis in gloriæ ſuæ majeſtatem ſeſe transfigurat [4]. Craſtina die de monte deſcendit, ad Apoſtolos [5] redit, Galilæam omnem tranſverſo itinere percurrit, cupiens ab omnibus ignorari, quis eſſet [6]. Inde Capharnaum [7] venit, atque hinc per Samariam Jeroſolymam [8] ad feſtum Pentecoſtes diem accedit. A Thabor ad Capharnaum non ultra quinque, vel ſex leucarum intereſt ſpatium. A Thabor autem Capharnaum proficiſci, huccine eſt univerſam percurrere Galilæam? huc ne quinquageſima quidem Galilææ pars eſt. Crederem potius, in aliquo Libani jugo, vel monte alio trans Jordanem non procul a montibus Hermon hoc accidiſſe, quemadmodum Euſebius in Pſalmum 88. crediddiſſe videtur.

℣. 9. CONQUIRENTES QUID ESSET: CUM A MORTUIS RESURREXERIT.] Non auſi ſunt ſciſcitari, quid per hæc verba innuere vellet, cum probe meminiſſent, quid S. Petro acciderit, Salvatorem a Paſſione diſſuadere conanti. Apoſtoli haud ignorabant quidem, quid ſibi vellet nomen reſurrectionis; hic enim Judaicæ fidei articulus erat,

1 Marc. 8. 39. 2 Ibid. verſ. 27. 3 Marc. 16. 13. Marc. 8. 27.
4 Matth. 17. 1. & ſeq. Marc. 9. 1. & ſeq. 5 Luc. 9. 37. Marc. 9. 14.
6 Marc. 9. 30. Matth. 17. 22. 7 Matth. 17. 24. Marc. 9. 33. 8 Luc. 9. 51.

erat, futurorum ut mortui reſurgerent [1]. Ac illos latebat, quomodo, & quibus circumſtantiis Jeſu Chriſti Reſurrectio eſſet eventura; utrum ſolus reſurgeret, an cum aliis; & an reſurrectio illius figurata eſſet, ac parabolica, nec ne. Verbis majus ibi ineſſe putabant myſterium, quam eſſet re ipſa.

℣. 10. QUIA ELIAM OPORTET VENIRE PRIMUM.] Judæi Malachiæ prædictionibus [2] innixi, præſtolabantur Eliæ Prophetæ adventum ante diem Domini, hoc eſt, antequam Meſſias ultionem ſuam in omnes infideles, atque incredulas gentes exerceret, imperium ſuum in Jeruſalem, atque in univerſam terram inſtituturus; ita enim illum tunc temporis expectabant, & ad hunc quoque diem nequicquam expectant. Verum tempus, atque duos Chriſti adventus confundunt. In priori Elias quidem venturus eſt, verum in ſpiritu duntaxat; B & Elias hic fuit S. Joannes Baptiſta, Meſſias everſurus eſt idolorum imperium, atque dominationem ſuam in omnes populos conſtituturus, quod ille præclare per Gentilium vocationem, atque Chriſtianæ Eccleſiæ inſtitutionem explevit. Alter vero Meſſiæ adventus juſtitiæ erit, atque ultionis adverſus impios. Tunc aderit in perſona Elias. Jeſus Chriſtus viventes ſimul ac mortuos judicabit, ac novos cœlos, novamque terram efficiet. Hoc autem Judæi ſecernere minime norant.

℣. 11. ELIAS RESTITUET OMNIA.] Ad id veniet; in id omnes ſuos labores, operasque tranſmittet, omniaque illi cedent e ſententia. At dici ne poteſt, vel S. Joannem Baptiſtam omnia in ordinem redegiſſe, vel Eliam ante mundi finem omne mortalium genus ad fidem evocaturum? Scripturæ ſæpius actum inceptum uſurpat pro completo; & conatum, quem exeris, ut votorum ſummam aſſequaris, pro eventu integro, atque perfecto.

℣. 12. ELIAS VENIT, (& FECERUNT ILLI, QUÆCUMQUE VOLUERUNT) SICUT SCRIPTUM EST DE EO.] Non unus huic verſiculo ſenſus appingitur. Sunt, qui ordinatim verba illius ita putent intelligenda. Elias venit, ſicut ſcriptum eſt de eo in Malachia; Elias hic eſt Joannes Baptiſta, ſed Judæi, quin illi aures præberent, eum pro libidine contumeliis affectum [3], C tandem interfecerunt [4]. Aliter: Venit Elias in Joannis Baptiſtæ perſona; ſed Judæi fecerunt illi, quæcumque voluerunt, quemadmodum ſcriptum eſt in Prophetis. Et ſane Interpretes nonnulli [5] putant, ſupplicia, & perſecutiones, quas ſub mundi finem Elias D paſſurus dicitur, intelligenda eſſe, partim ſaltem, de illis, quas pertulit S. Joannes Baptiſta. Exempli gratia ea, quæ Iſaias 49. 50. Jeremias c. 1. vaticinantur, & quæ ad S. Joannem Baptiſtam tranſtulit Eccleſia: Et id, quod in Apocalypſi 11. 3. de duobus dicitur teſtibus, qui Elias, & Henoch futuri creduntur, ubi Auctor ſatis perſpicue alludit ad Zachariæ 4. 3. prophetiam, ubi Propheta de duabus olivis, & duobus candelabris in domo Domini poſitis verba facit.

Græcus Textus a Vulgata [6] longe diſtat, atque aliter explicatur. En verſ. 11. & 12. *Reſpondit illis: Veniet Elias primum, & omnia reſtituet. Et quomodonam ſcriptum eſt de Filio hominis, quod multa patiatur, & contemnatur? At ego dico vobis, Eliam jam veniſſe, & illi ea, quæcumque voluerunt, feciſſe, ſicut ſcriptum eſt de eo.* Quæ reſponſio, ut intelligatur, non abs re puto illinc addere, quæ in gemino E huic loco ait S. Matthæus 17. 12. *Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab iis.* En ergo hujus loci ſenſum. Cum audiſſent Apoſtoli Salvatorem dicentem, ſe poſt tres dies reſurrecturum, putarunt, ſtatim poſt reſurre-

A ctionem illius, de qua tamquam omnino proxima loquebatur, regnum illius incepturum ſuper terram. Illi ergo dixerunt. Quomodonam Legis Doctores aſſerunt, ante Meſſiæ regnum adventum Eliæ præceſſurum? Quibus duo Jeſus reſpondit. Primum, Eliam quidem venturum, vel potius jam veniſſe in S. Joannis Baptiſtæ perſona: alterum, quod ad ſe ſpectet, paſſionem, atque cruciatus ſuos perſpicuis adeo verbis in Scriptura deſignari, ut illos quilibet videre poſſit; quod ſi Præcurſor ſuus male adeo acceptus fuerit a Judæis, quamvis Scriptura de ſuppliciis illius non ſatis aperte loquatur, ſe multo majora eſſe perpeſſurum, quandoquidem plane adeo Sancta Oracula de iiſdem loquuta fuerunt.

Venit Elias, & fecerunt illi, quæcumque voluerunt, B ſicuti ſcriptum eſt de eo. Sed paſſio mea longe apertius, atque diſtinctius in Scripturis memoratur. Hæc exclamatio deſignat cupiditatem, qua Jeſus Chriſtus flagrabat, patiendi, & deſiderium, quo cupiebat, ut Apoſtoli ſui aliquando tandem veritatem hanc adeo neceſſariam intelligerent. Similis ferme exclamatio in S. Lucæ 12. 49. videtur: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur? Baptiſmo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor uſque dum perficiatur?*

℣. 14. POPULUS STUPEFACTUS EST, & EXPAVERUNT.] Ubi Jeſum accedentem viderunt. Inde vero populi pavor profectus erat, quod turbæ, ac Legis Doctores contra Diſcipulos cœperant diſputare. Crediderunt enim futurum, ut Jeſus Apoſtolorum ſuorum contra illos cauſam ſuſciperet, eoſque pudore ſuffunC deret, atque opprobriis oneraret.

℣. 16. HABENTEM SPIRITUM MUTUM.] Hebræi omnes ferme morbos ſpiritibus nequam referebant acceptos. Puer hic re ipſa dæmone obſeſſus erat, quemadmodum ex decurſu liquet; & dæmon hic illum ſurdum [7], mutum, & epilepticum efficiebat [8], quemadmodum S. Matthæus affirmat.

℣. 17. ALLIDIT ILLUM, ET SPUMAT.] Græcus [9]: *Allidit illum* in terram, vel *conterit illum*, atque ita quod intelligi nequit, niſi de convulſionibus, quas in illo parit, & quæ illud exſiccare videntur. Inferius etiam ℣. 25. [10] ait, dæmonem ex hoc puero egreſſum fuiſſe, ubi illum diſcerpſiſſet, violentis ſcilicet, atque terribilibus convulſionibus agitaſſet. Pergit EvanD geliſta: Puer *ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit.* Et pater addit ℣. 20. illum a dæmone nonnumquam in ignem, aut aquam fuiſſe projectum, & a teneris uſque unguiculis morbo hoc laboraſſe. Græca vox, quæ iſthic vertitur *areſcere*, a Septuaginta ſæpius uſurpatur pro *abire, recedere*. Vide Geneſ. 35. 5. Exod. 14. 19. Zach. 10 10.

℣. 18. O GENERATIO INCREDULA!] Credunt nonnulli, verba hæc Judæis dici, atque præſertim Legis Doctoribus: alii vero Diſcipulis Domini; at prior præſtet ſententia.

℣. 22. OMNIA POSSIBILIA SUNT CREDENTI.] Si tantum fidei haberetis, quantum eſt granum ſinapis, ait illis Matth. 17. 19. nihil vobis eſſet impoſſibile, & montes ipſos transferre poſſetis. Sed præſtat vertere: *Omnia poſſibilia ſunt in gratiam credentis.* Qui petit conE ſtanti fide, atque haud hæſitanter, hic omnia a Dei largitate ſibi polliceatur, numquam repulſam laturus [11].

℣. 23. ADJUVA INCREDULITATEM MEAM.] *Incredulitatem* vocat fidem adhuc infirmam. Auge fidem meam, illam confirma, ſi quid deeſt, ſupple. Confer Rom. 8. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.*

℣. 25. EXCLAMANS, ET MULTUM DISCERPENS EUM,

1 2. Macchab. 12. 43. & 7. 9. 14. Joan. 11. 24. 2 Malach. 4. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & terribilis.*
3 Matth. 11. 18. 4 Matth. 14. 3. Marc. 6. 17.
5 Grotius. Vide & Brug. 6 Verſ. 11. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς, Ἠλίας μὲν ἐλθὼν πρῶτον ἀποκαθιστᾷ πάντα. Καὶ πῶς γέγραπται ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα πολλὰ πάθῃ, καὶ ἐξουδενωθῇ. Verſ. 12. Ἀλλὰ λέγω ὑμῖν ὅτι, καὶ Ἠλίας ἐλήλυθε, καὶ ἐποίησαν αὐτῷ ὅσα ἠθέλησαν, καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτόν.
7 Marc. 9. 25. Τὸ πνεῦμα τὸ ἄλαλον καὶ κωφὸν, ἐγώ σοι ἐπιτάσσω, ἔξελθε. 8 Matth. 17. 15. Ὅτι σεληνιάζεται καὶ κακῶς πάσχει. 9 Ῥήσσει αὐτὸν, καὶ ἀφρίζει, καὶ τρίζει τοὺς ὀδόντας, καὶ ξηραίνεται.
10 26. Κράξαν καὶ πολλὰ σπαράξαν αὐτὸν, ἐξῆλθε.
11 Jacobi 1. 6. Marc. 11. 24. Vide Brug. Vatabl. Grot.

Digitized by Google

PUM, EXIIT.] Vel potius: Exiit afficiens, ut puer hic ingentes clamores emitteret, illum exagitans, perinde ac diſcerpere eum vellet. Crediderat quidam, Græcam vocem[1] ſignificare, dæmonem pueri veſtes diſcidiſſe, vel puerum ipſum ſibi nimia corporis agitatione eaſdem diſcerpſiſſe. Factum haud quidem aliqua veritatis ſpecie caret; at nemo oſtendet, quod Authographi verbum, abſolute poſitum, et hoc in loco, ſignificet veſtes diſcindere. Illud in toto Teſtamento novo iſthic ſolum invenitur ℣. ℣. 20. & 26. & apud S. Lucam 9. ℣. 39. ubi de puero eodem ſermo eſt.

℣. 28. IN NULLO POTEST EXIRE, NISI IN ORATIONE, ET JEJUNIO.] Vide Commentaria noſtra in S. Matthæum 17. 21. Non ſatis eſt, habere fidem; oratio quoque, & jejunium afferenda ſunt, ſeu ad fidei noſtræ augmentum petendum, ſeu ad hujuſmodi ægritudinum, quæ jam inveteraverunt, atque occalluerunt, curationem obtinendam.

℣. 29. PRÆTERGREDIEBANTUR GALILÆAM.] Ex eo loco, ubi puerum iſtum curavit, tranſverſo itinere Galilæam omnem peragravit, Capharnaum venturus: quod ſidem poſſet adſtruere, locum, ubi transfiguratus eſt, ab hac urbe procul abfuiſſe, quandoquidem hoc accidit in uno montis vertice, ad cujus radices puerum curavit.

℣. 31. AT ILLI IGNORABANT VERBUM.] Jeſus ſæpe loquebatur ad Diſcipulos ſuos de morte, paſſione, & Reſurrectione ſua, præſertim vero noviſſimis vitæ ſuæ menſibus; conabatur eorum corda, & animos ad extremum illum eventum præparare, qui graviſſimæ tentationis, & ſcandali loco illis erat futurus. At illi hæc omnia minime intelligebant; cum enim mens eorum præjudiciis eſſet imbuta, atque immortalem Meſſiam, terrenumque regnum præſtolarentur, ſe ſe aptare non poterant iis, quæ ſibi a Domino dicebantur; ſed illius ſermones, vel parabolicas locutiones eſſe, vel exaggerationes putabant, quæ ad litteræ apicem nequaquam eſſent explendæ. Addit Evangeliſta *& timebant interrogare eum*, fortaſſe ne & ipſi repellerentur, ut olim Petrus, qui illum a Paſſione diſſuadere fuerat conatus 8. 32. 33.

℣. 34 SI QUIS VULT PRIMUS ESSE, ERIT OMNIUM NOVISSIMUS.] Quia illos pudore ſuffuderat, eis detegens, qua de re in via diſceptaſſent, familiari, & efficaci ratione duriorem illorum vanitati, & ambitioni adfert medicinam. Dicit illis, Regnum ſuum haud eſſe terrenis ſimile, ubi potentiores ſuperbe imperium in eos, qui ſibi ſubditi ſunt, exercent. Hic prorſus oppoſitum accidit; qui primi ſunt, hi majori cum humilitate, & cura aliis inſerviant, oportet. Operæ pretium eſt animadvertere, Jeſum Chriſtum, & S. Petrum ante alios Apoſtolos perveniſſe[2] Capharnaum. Inde fortaſſe contentio hæc fuerat oborta, quod abeſſet Petrus, quem ſatis perſpicue Salvator Regni ſui præcipuum Miniſtrum deſignaverat, dicens, ſe illi Regni Cœlorum claves deferre. Matth. 16. 13. Marc. 8. 29.

℣. 36. QUISQUIS UNUM EX HUJUSMODI PUERIS RECEPERIT.] Quicumque receperit unum ex Diſcipulis, & Fidelibus meis, qui æque ac puer iſte procul abhorrere debent ab omni dolo, & ambitione, ſed mites, & ſimplices eſſe, hic me recipit: videlicet mihi factum putabo, quidquid illi fiet.

℣. 37. RESPONDIT ILLI JOHANNES &c. ET PROHIBUIMUS EUM, QUIA NON SEQUITUR NOS.] Circumſtantiam hanc præterit S. Matthæus; ſed eam refert S. Lucas cap. 9. 49. Quæritur, quanam in occaſione S. Johannes hoc Salvatori narraverit? hoc plane, quod nuperrime dixerat Jeſus Chriſtus, quod quicumque recipit unum ex diſcipulis ejus in nomine ſuo, ipſum recipit; ac ſibi fieri ducit, quodcumque boni, vel mali factum fuerit illi, qui ad ipſum pertinere ſe profitetur. Veritus ergo S. Johannes, ne erraſſet, prohibens hominem hunc, in Salvatoris nomine ejicientem; rem ſincere narrat. Credunt aliqui, ob eodem tamquam præclarum aliquod facinus referri, opinantes non modicam ſibi ceſſuram gloriam, eo quod zelum, & amorem erga Magiſtrum ſuum fuiſſet teſtatus; eodem ferme pacto, quo Joſue Num. 11. 28. ubi audiviſſet *Eldad*, & *Medad* in caſtris prophetare, Moyſem oravit, ut eos prohiberet; at longe alia ratione abest S. Pauli, dicentis Philipp. 1. 18. *Dum omnimodo ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuncietur; & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.*

Verum quomodonam homo, qui Jeſum minime ſequebatur, poterat ejicere Dæmones in nomine illius? Reſpondent primo, potuiſſe credere in Jeſum, quin tamen illum ſequeretur, non ſecus ac alii plurimi, qui doctrinam illius, non perſonam ſequebantur[3]. Secundo poterat, quin vere eſſet Jeſu Chriſti diſcipulus, in nomine illius operari miracula, quemadmodum Judas feciſſe creditur, & illi, qui noviſſimo Judicii die dicent Jeſu Chriſto[4]: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Credebat S. Johannes, miraculorum patrandorum virtutem Apoſtolis tantum fuiſſe conceſſam[5], ac præterea nemini. Et ſane Apoſtolis donum illam Jeſus contulerat; verum nequaquam perſonæ illorum eo pacto illam adjecerat, ut nemo alius eadem poſſet donari.

℣. 38. NOLITE PROHIBERE.] Hoc jam ſatis eſt, quod meum nomen cognoſcat, ejuſque vim, atque virtutem oſtendat. Hic ſane meis obtrectatoribus, & inimicis ſocium ſe non præbebit. Intereſt ſua de me loqui bene, ac in meas partes concedere, ne ſe ipſum deſtruat[6]. Nam, Salvator addit: *Qui non eſt adverſum nos, pro nobis eſt.* Vel juxta alia Exemplaria[7]: *Qui non eſt adverſum nos, pro nobis eſt.* Idem proverbium alibi Jeſus Chriſtus in oppoſito ſenſu uſurpavit[8], ut innueret, in fidelibus ſuis omnem diviſionem cordis odiſſe, & vel illius totus ſit, oportere, vel illius inimicus. Etenim, quemadmodum S. Paulus ait 2. Cor. 6. 14. *quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? aut, quæ pars fideli cum infideli?* Verum conſtat, hujuſmodi popularia proverbia ad varia argumenta transferri poſſe, & varios ſenſus admittere, pro circumſtantiis, in quibus uſurpantur. Vide, quæ adnotata ſunt in S. Matthæum cap. 12. 30.

℣. 40. QUISQUIS ENIM DEDERIT VOBIS POTUM, &c.] Hoc ſatis ad Matth. 10. 42. explicatum fuit. Ut decurſum ſermonis Jeſu Chriſti aſſequamur, hoc addendum eſt ℣. 37. & veluti cum parentheſi quadam legendi ſunt ℣. ℣. 37. 38. 39. qui continent obiter id, quod a S. Johanne narratum fuit. Pergit Salvator Apoſtolos ſuos erudire de iis, quæ eventura ſunt illis, a quibus Diſcipuli ſui male, vel ſecus excipientur.

℣. 41. QUISQUIS SCANDALIZAVERIT UNUM.] Si quis vel minis, vel perſecutionibus, vel pravis ſermonibus, improbiſve exemplis fuerit lapis offenſionis, & cauſa lapſus Diſcipulis meis, quibus etiam, atque etiam puerorum manſuetudinem, atque humilitatem commendo; *bonum eſt ei magis, ſi circumdaretur mola aſinaria collo ejus, & in mare mitteretur.*

℣. 43. UBI VERMIS EORUM NON MORITUR, ET IGNIS NON EXTINGUITUR.] Hoc ex Iſaja deſumptum eſt, ubi Propheta cap. 66. 24. loquitur de ſuppliciis, quibus hoſtes Domini ſunt afficiendi, ait: *Et egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati ſunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt uſque ad ſatietatem viſionis omni carni.* Alludit propheta ad duplicem rationem, qua

1 P. Martianæus in Notis in novum Teſtam. Σπαράξας αὐτόν.
2 Matth. 17. 24.
3 Ambroſ. in Luc. lib. 7. Euthym. hic.
4 Matth. 7. 22. Vide S. Auguſtinum lib. 4. de Conſenſ. cap. 5. Bedam, Theophylactum, Maldonatum, Grotium &c. in hunc locum.
5 Marc. 3. 15.
6 Vide Euthym. Theophyl. Brug. Grot.
7 Ita quamplurimi Codd. apud Mill.
8 Matth. 12. 30. Luc. 11. 23.

quæ mortuorum cadavera vel tumulentur, aut inſepulta projiciuntur, vel flammis cremantur. Tumulata corpora, vel ſepulchri honore carentia, vermes depaſcunt; quæ vero cremantur, ignis pabulum fiunt. Impii non, ut mortui vulgo, vermibus, aut flammis tradentur, ſed vermibus eternis, & flammis, quæ numquam extinguentur [1]. Vermes, ac flammæ vulgares, corpora, quibus adhæreſcunt, brevi conficiunt. Homo poſt obitum nullo afficitur dolore, quocumque ſuppliciorum genere corpus ſuum torqueatur: ſed vermes, & flammæ, de quibus loquimur, & in animam æque, & in corpus agent [2], & antequam corpus iterum animæ ſuæ conjungatur, hæc ſævis doloribus excruciabitur, qui toto cœlo exſuperent, quidquid his in terris homines pati poſſunt. Sive de vermibus, & igne reali, atque materiali juxta pleroſque Doctores intelligatur; ſive de vermibus, & igne metaphorice explicetur, videlicet de conſcientiæ ſtimulis, juxta alios complures; pœnæ illæ ſemper & exceſſu terribiles, & diuturnitate infinitæ, & humanæ menti ſunt incomprehenſibiles. Vide Commentarium noſtrum in Eccli. 7. 19.

℣. 48. OMNIS ENIM IGNE SALIETUR; ET OMNIS VICTIMA SALIETUR.] Moyſis Lex præcipit Levit. 2. 13. ut in omnibus oblationibus, & ſacrificiis ſal adhibeatur: *In omni oblatione tua offeres ſal*: Idemque jubet Levit. 6. 12. ignem perpetuo in ara aſſervari, quin extinguatur: *Ignis in altari ſemper ardebit*. Impii alia in vita erunt tamquam victimæ iræ Dei [3]: ardebunt in igne, qui numquam extinguetur; cauſticum, urenſque ſal altius illos pervadet, quod numquam abſumetur [4]. Maldonatus ita explicat: Non ſecus ac juxta Legem omnis victima cum ſale offertur; ita in inferno peccatores omnes erunt veluti ſaliti, & ſale A conditi, tamquam pabulum ignis, eos numquam abſument iis. Lighfoot: Impii traditi erunt ℣. 43. vermi, qui non morietur, & igni, qui nullum inveniet finem. ℣. 49. Quin ignis illos abſumat, erit veluti ſal, quo ſalientur, & ab omni tabe ſervabuntur. Infinitis, atque æternis cruciatibus torquebuntur.

Alii [5] hoc addunt cum iis, quæ immediate præcedunt: Quicumque Deo placere vult, ac fieri verus Jeſu Chriſti diſcipulus doctrinæ, ſapientiæ, prudentiæ ſale condiatur, opus eſt, atque ſaliatur igne afflictionum, ac tentationum, quæ nobis idem ſunt, ac metallis flamma, emundans, & efficiens illa pretioſiora.

℣. 49. BONUM EST SAL &c.] Sententia hæc nullum habet cum ſuperioribus nexum; ſed arrepta ſalis B occaſione, de quo ℣. ſuperiore locutus eſt [6], Salvator ſub quadam parabolæ ſpecie utiliſſimum Apoſtolis ſuis tradit documentum: Sal ſapientiæ, atque doctrinæ ſymbolum eſt. Habete ergo ſal: animum veſtrum cognitione veritatum ſalutis imbuite. Verum quemadmodum ſal infatuatum inutile eſt, neque ſale poteſt alio priſtina virtus illius revocari; ita ſi ea ſcientia, quam accepiſtis, corrumpi paſſi fueritis; ſi veritates in vobis met infatuantur; per quos edocti, atque ad rectam virtutis viam revocari poteritis; cum vos conſtituerit Deus, ut ſitis ſal terræ, atque, ſi dicere fas eſt, ut alios ſaliatis [7]? Vide Commentarium noſtrum in S. Matthæum 5. 13.

PACEM HABETE INTER VOS.] Contentiones effugite, ac præſertim ambitionem, atque ſuperbiam a- C bominamini. Qui in vobis princeps eſt, adnitatur, aliorum ſervus fieri. Hæc eſt concluſio eorum, quæ dixit Apoſtolis ſuis, arrepta occaſione contentionis, quæ de primatu inter ipſos in via fuerat oborta.

---

1 Minut. Fœlix. in Octav. *Illic ſapiens ignis membra urit, & reficit; carpit, & nutrit: ſicut ignes fulminum corpora tangunt, nec abſumunt. Ita pœnale illud incendium non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporum laceratione nutritur.* 2 Vide Mald. & Grot. hic. 3 Vide Iſai. 34. 6 Jerem. 12. 3. 51. 40. Ezech. 21. 9. 10. 39. 17. 4 Vide Grot. hic. 5 Vide Bed. Theophyl. Strab. Lud. de Dieu, Spah. Capell. 6 Mald. Grot. Natal. Alex. 7 Auguſt. lib. 1. de Sermone Domini in monte. Brug. Grot. Mald.

CAPUT X.

Præcepta ad divortium ſpectantia. JESU CHRISTO offeruntur pueri, quibus manus imponit. Pericula amoris divitiarum. Felicitas eorum, qui omnia pro JESU CHRISTO relinquunt. Salvator ſuam Paſſionem prædicit. Jacobus, & Joannes primas in illius Regno ſedes ſibi depoſcunt. Cæcus prope Jerichuntem curatur.

1. ET inde exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem, & conveniunt iterum
turbæ ad eum; & ſicut conſueverat, iterum docebat illos. 2 Et accedentes
Phariſæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere: tentantes
eum. 3 At ille reſpondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyſes? 4 Qui di-
xerunt: Moyſes permiſit libellum repudii ſcribere, & dimittere. 5 Quibus reſpon-
dens Jeſus, ait: Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud. 6 Ab ini-
tio autem creaturæ, maſculum, & fœminam fecit eos Deus. 7 Propter hoc relinquet
homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit ad uxorem ſuam. 8 Et erunt duo in
carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. 9 Quod ergo Deus conjun-
xit, homo non ſeparet. 10 Et in domo iterum diſcipuli ejus de eodem interrogaverunt
eum. 11 Et ait illis: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adul-
terium committit ſuper eam: 12 Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit,
mœchatur. 13 Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos. Diſcipuli autem com-
minabantur offerentibus. 14 Quos cum videret Jeſus, indigne tulit, & ait illis: Si-

nite

nite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim eſt regnum Dei.
15 Amen dico vobis: Quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intra-
bit in illud. 16 Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat
eos. 17 Et cum egreſſus eſſet in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum,
rogabat eum: Magiſter bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? 18 Jeſus
autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi unus Deus. 19 Præce-
pta noſti: Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falſum teſtimonium dixeris,
Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum, & matrem. 20 At ille reſpondens, ait illi:
Magiſter, hæc omnia obſervavi a juventute mea. 21 Jeſus autem intuitus eum, dilexit
eum, & dixit ei: Unum tibi deeſt: vade, quæcumque habes, vende, & da pauperibus,
& habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me. 22 Qui contriſtatus in verbo,
abiit mœrens, erat enim habens multas poſſeſſiones. 23 Et circumſpiciens Jeſus, ait
diſcipulis ſuis: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!
24 Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis ejus. At Jeſus rurſus reſpondens ait il-
lis: Filioli, quam difficile eſt, confidentes in pecuniis in regnum Dei introire. 25 Fa-
cilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum Dei. 26
Qui magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos: Et quis poteſt ſalvus fieri? 27 Et
intuens illos Jeſus, ait: Apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum; omnia enim
poſſibilia ſunt apud Deum. 28 Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimiſimus omnia,
& ſecuti ſumus te. 29 Reſpondens Jeſus, ait: Amen dico vobis: Nemo eſt, qui
reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios,
aut agros propter me, & propter evangelium, 30 Qui non accipiet centies tan-
tum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios,
& agros, cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam. 31 Multi autem
erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi. 32 Erant autem in via aſcendentes Jero-
ſolymam: & præcedebat illos Jeſus, & ſtupebant: & ſequentes timebant. Et aſſu-
mens iterum duodecim, cœpit illis dicere, quæ eſſent ei eventura. 33 Quia ec-
ce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, &
Scribis, & ſenioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus. 34
Et illudent ei, & conſpuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum: & tertia
die reſurget. 35 Et accedunt ad eum Jacobus, & Johannes filii Zebedæi dicentes:
Magiſter, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis. 36 At ille dixit eis:
Quid vultis, ut faciam vobis? 37 Et dixerunt: Da nobis, ut unus ad dexteram
tuam, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua. 38 Jeſus autem ait eis:
Neſcitis, quid petatis: poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo
ego baptizor, baptizari? 39 At illi dixerunt ei: Poſſumus. Jeſus autem ait eis:
Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis, & baptiſmo, quo ego baptizor, bapti-
zabimini. 40 Sedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum da-
re vobis, ſed quibus paratum eſt. 41 Et audientes decem, cœperunt indignari de Ja-
cobo, & Johanne. 42 Jeſus autem vocans eos, ait illis: Scitis, quia hi, qui vi-
dentur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum poteſtatem habent ip-
ſorum. 43 Non ita eſt autem in vobis: ſed quicumque voluerit fieri major, erit ve-
ſter miniſter: 44 Et quicumque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſervus.
45 Nam & Filius hominis non venit, ut miniſtraretur ei, ſed ut miniſtraret, & da-
ret animam ſuam redemptionem pro multis. 46 Et veniunt Jericho, & proficiſcen-
te eo de Jericho, & diſcipulis ejus, & plurima multitudine filius Timæi Bartimæus
cœcus ſedebat juxta viam mendicans. 47 Qui cum audiſſet, quia Jeſus Nazare-
nus eſt, cœpit clamare, & dicere: Jeſu fili David, miſerere mei. 48 Et com-
minabantur ei multi, ut taceret. At ille multo magis clamabat: fili David, miſe-
rere mei. 49 Et ſtans Jeſus præcepit illum vocari. Et vocant cœcum dicentes ei:
Animæquior eſto; ſurge, vocat te. 50 Qui projecto veſtimento ſuo exiliens, ve-
nit ad eum. 51 Et reſpondens Jeſus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cœcus au-
tem dixit ei: Rabboni, ut videam. 52 Jeſus autem ait illi: Vade, fides tua te
ſalvum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur eum in via.

℣. 1. INDE EXURGENS VENIT IN FINES JUDÆÆ ULTRA JORDANEM.] Jeſus illinc egreſſus, ad Judææ fines venit per regionem illam, quæ trans Jordanem protenditur: ita enim Vulgatam eſſe intelligendam ex Græco textu liquet [1]. Reliquit Jeſus Capharnaum, & Galilæam, venitque ad extremos Judææ fines per Peræam, quæ regio eſt trans Jordanem. Fortaſſe fluvium illum ad *Bethſan*, vel *Scythopolim* trajecit; iterque ſuum proſecutus eſt trans eumdem, uſque ex adverſo Jerichuntis, ubi iterum Jordanem tranſmiſit.

℣. 2. PHARISÆI INTERROGABANT EUM &c.] Adi Commentarium noſtrum in S. Matthæum 9. 3. & ſeq.

℣. 5. AD DURITIAM CORDIS VESTRI SCRIPSIT VOBIS PRÆCEPTUM ISTUD.] *Præceptum* pro *facultate* uſurpatur. Lex univerſa quodam in ſenſu præceptum eſt. Permittit Moyſes, ut viri uxoribus dent libellum repudii, ſed quibuſdam cæremoniis, ritibuſque. Permiſſio vero fit obligatio, ſtatim ac quædam formulæ actui permiſſo addi jubentur.

℣. 6. AB INITIO AUTEM CREATURÆ.] Res ita ſe non habebat. Non permiſit Deus, ut vir ab uxore ſecederet. Primitivis quodammodo legibus derogavit Moyſes, minus tolerans malum, ut majus evitaretur; verum tolerantia illius non efficit, ut res licita fiat, ac laudem mereatur. Syrus, Perſa, ac vetus Cantabrigienſis MS. legunt ſimpliciter [2]: *Ab initio maſculum, & feminam fecit eos Deus.*

℣. 8. ERUNT DUO IN CARNE UNA.] Unum, ut ita dicam, individuum, corpus unum, unum quid component; adeo arcta, perfecta, inſeparabilis erit eorum conjunctio.

℣. 10. IN DOMO ITERUM DISCIPULI EJUS &c.] S. Marcus unus neceſſariam hanc ad Textus intelligentiam aperit circumſtantiam. Ita conſueverant Diſcipuli [3], privatim ex Salvatore quærebant plurimarum rerum explicationem, quas turbis dixerat, ac ſemper recentem aliquam lucem hauriebant. Ad hoc fortaſſe S. Marcus alludit, ubi ait, illos *iterum* acceſſiſſe, ut privatim illum interrogarent; quandoquidem Capharnai jam ex eo quæſierant ſeorſim, qua de cauſa dæmonem mutum ipſi ejicere non potuiſſent.

℣. 12. ET SI UXOR DIMISERIT VIRUM SUUM.] Moyſes in Lege Deut. 24. 1. hominibus tantum permittit, repudiare conjuges ſuas, & ne verbum quidem addit, ex quo liceat arguere, hoc & mulieribus integrum fuiſſe. Attamen ſupponit hoc in loco JESUS CHRISTUS, mulierem etiam hac in re pari privilegio frui; & ſane in Lege veteri quædam extant veſtigia, ex quibus colligere eſt, a mulieribus viros abdicatos fuiſſe. Samſonis uxor viro invito, atque inſcio [4], alteri nupſit. Levitæ mulier, quæ contumeliis iniquiſſime affecta fuit in Gabaa Benjamin, & ipſa virum ſuum reliquerat, & paternam domum redierat [5]. Saul Phaltieli nuptui tradidit filiam ſuam Michol, quam Davidi deſponderat [6]. Salome Magni Herodis uxor Coſtobarum virum ſuum repudiavit [7]. Herodias Philippum reliquit, ut Antipæ levito ſuo nuberet [8]. Verumtamen noviſſima hæc exempla legis extenſiones, vel libertates menti Legiſlatoris oppoſitas fuiſſe, erudiri cenſent Interpretes. Joſephus ipſe fatetur, Salome in divortio Judæorum leges perfregiſſe [9], quæ viris quidem permittunt repudiare conjuges; uxoribus vero e contra non item. Quoad alia exempla non deeſt diſcrimen aliquod, quod peti poteſt ex Diſſertatione noſtra de Divortio, Deuteronomio præfixa.

℣. 13. UT TANGERET ILLOS,] vel cum S. Matthæo 19. 13. ut illis manus imponeret, ac ſuper eos preces aliquot effunderet; ea quippe erat populorum pietas, quibus perſuaſum erat, ut preces, atque tactus Salvatoris poſſent filios ſuos benedictionibus cumulare. Non parva ſemper illis futura erat conſolatio, & felicitas, ubi deinceps meminiſſent, ſe a JESU Filio David benedictionem accepiſſe.

℣. 15. QUISQUIS NON RECEPERIT REGNUM DEI VELUT PARVULUS.] Evangelium, ac fidem cum docilitate, manſuetudine, humilitate pueri oportet recipere. Ex iis omnibus, quæcumque ſe ſe obtulerint, occaſionem arripit JESUS maximi momenti veritates tradendi Diſcipulis ſuis.

℣. 17. PROCURRENS QUIDAM.] Plurima exemplaria addunt, *quidam homo dives* [10]. Et profecto opibus abundabat, quemadmodum ex ℣. 22. innoteſcit; ideoque male JESU CHRISTI conſiliis reſpondit. Dubium etiam eſt, utrum Chriſtianam Religionem fuerit amplexus. Vide, ſis, hanc hiſtoriam apud S. Matthæum 19. 16. ubi illam explicuimus.

℣. 19. NE FRAUDEM FECERIS.] Græcus ad litteram [11]: ne abſtuleris cuiquam, quod ſuum eſt. Sed cum ſuperius paulo dixerit [12], *ne fureris*; ut hoc a ſuperiori præcepto diſtinguatur, dicendum eſt, iſthic alienorum bonorum cupiditatem damnari [13]; vel ſimpliciter fraudibus, ſecretis dolis, aliiſque omnibus ſuffurandi rationibus interdici [14], quæ ſub furti nomine proprie non intelliguntur.

℣. 21. INTUITUS EUM, DILEXIT EUM.] Eum benigno, & comi oris habitu excepit; ex oculis, ac vultu facile intellectum eſt, eum ſumma voluptate hæc reſpondentem audiiſſe. Credunt [15] nonnulli, JESUM illi amplexus, & oſcula dediſſe. Alii [16], eum laudaſſe, & cum eo amice collocutum fuiſſe.

℣. 23. QUAM DIFFICILE, QUI PECUNIAS HABENT.] Sequenti explicat verſiculo, quid intelligat pro illis, qui divites ſunt, & quorum ſalus difficilis adeo videtur. Illi videlicet ſunt, qui in opibus ſuis ſpem conſtituunt: *Confidentes in pecuniis*; qui exiſtimationi ſuæ, ac bonis, potius quam Divinæ miſericordiæ, ac providentiæ confidunt; qui facile Dei leges contemnunt, ac maxime neceſſaria officia ſua negligunt, ut opes vel tueantur, vel augeant [17]; qui denique lætitiam, finem, voluptatem, felicitatemque ſuam in divitiis conſtituunt. Hujus viæ virorum ſtatus nullo pacto cum Chriſtiana Religione poteſt congruere. Fieri non poteſt, ut JESUM CHRISTUM ſequatur, ſi taliter affectus ſit; at non eſt impoſſibile, licet difficillimum, vel opes, vel bonorum hujus mundi amorem abdicare, ſi divina affulſerit gratia [18].

℣. 25. FACILIUS EST CAMELUM.] Vide S. Matth. 19. 24.

℣. 30. QUI NON ACCIPIAT CENTIES TANTUM, NUNC IN TEMPORE HOC; DOMOS, ET FRATRES.... CUM PERSECUTIONIBUS [19].] Dei Filius duo promittit illis, qui hæc omnia deſeruerunt, ut illum ſequerentur. Alterum, centuplum eſt in hac vita; alterum, æterna vita in futura. Fideles centuplum hoc in mundo recipiunt, e Patrum ſententia [20], quod cum omnia inter Chriſtianos ſint communia, ſua abdicantes, obtinent jus, imo quodammodo fruuntur etiam bonis omnium Fidelium; atque in Fratribus majorem inveniunt opem, benevolentiam, & charitatem, quam in iis,

1 Ἔρχεται εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου.
2 Ἀπὸ δὲ ἀρχῆς κτίσεως. Non legunt κτίσεως, Syr. Cantab. Perſ.
3 Marc. 7. 17. 9. 27. 4 Judic. 14. 20. 5 Judic. 19. 2.
6 1. Reg. 25. 44. 7 Joſeph. Antiqu. lib. 15. cap. 11. 8 Joſeph. Antiqu. lib. 18. cap. 7. Vide Matth. 14. 3. 4. Marc. 6. 17. 18. 9 Joſeph. Antiqu. lib. 15. cap. 11.
10 Εἷς τις πλούσιος προσδραμών. Vide var. Lect. Millii. 11 Μὴ ἀποστερήσῃς.
12 Μὴ κλέψῃς. 13 Hammond. hic. 14 Eraſm. Le Clerc. Arab. Vulg. Tig. Illyr. alii.
15 Origen. Munſt. Caſaub. 16 Grot. Lud. de Dieu.
17 Vide Pſalm. 61. 11. *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* 18 Infra verſ. 27.
19 Μετὰ διωγμῶν. Heinſius, Caſtal. Arias Mont. Μετὰ διωγμὸν, *poſt perſecutionem*. Recipient centuplum poſt perſecutionum finem. At hæc lectio MSS. non innititur.
20 Origen. Theophyl. Euthym. Author. Oper. imperf. in Matt. 19. 29.

lis; qui ſibi arctiori conſanguinitatis, vel amicitiæ A vinculo devincti ſunt, nacti fuiſſent, ſi in mundo, vel in infidelitate perſtitiſſent.

S. Marcus rem addit notandam, quam Evangeliſtæ cæteri omiſerunt; illos ſcilicet recepturos eſſe centuplum *cum perſecutionibus*. Numquid ergo perſecutiones partem conſtituunt promiſſionum JESU CHRISTI, ac remunerationum, quas ſervis ſuis pollicetur? Ita procul dubio. Perſecutiones, ærumnæ, labores ſunt, gaudium, & pars Chriſtifidelium, & certiſſimum futuræ illorum beatitudinis pignus. JESUS eamdem amicis ſuis partem tribuit, quam ſibi aſſumpſit [1]: *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*. Qui vero illum ſequuntur, vicem ſuam minime dolent, immo ſe beatiores putant, quam ſi omnes mundi hujus voluptates ſibi offerrentur. *Omne gaudium exiſtimate, fratres,* B *cum in tentationes varias incideritis* [2]. *Chriſtianorum eſt*, S. Auguſtinus ait [3], *pati mala temporalia, & bona ſperare ſempiterna*.

Interpretes [4] alium tribuunt litteralem ſenſum textui S. Marci, dicentes, Deum Fidelibus centuplum polliceri, eiſque *in perſecutionibus* opem ſuam promittere, ipſumque numquam illis, ubi indiguerint, defuturum. Licet gravia ſint ea mala, quibus erunt obnoxii, noverit Deus auxilium ſuum eorum aptare neceſſitati. Verbo, non delitias, ſed opem illis pollicetur.

℣. 31. MULTI ERUNT PRIMI, NOVISSIMI.] Judæorum plurimi, qui primi vocati ſunt, in regno Cœlorum erunt noviſſimi; vel potius, hinc penitus prohibebuntur propter ſuam incredulitatem, atque infidelitatem. Adoleſcens hic, qui regno Cœlorum pro- C ximus adeo videbatur, eo quod diligentius Legis præcepta ſervabat; inde tamen procul ſe abeſſe intellexit, eo quod nimis divitias amaret. Retrocedit, atque vocationis illecebris reſiſtit, cum interim plurimi peccatores, Ethnici, Publicani, ac impudicæ mulieres in Eccleſiam ingredientur, ibique ſalutem invenient. Ex loci hujus collatione cum illis SS. Matthæi 19. 30. & Lucæ 13. 30. qui huic gemini ſunt, hunc verum illius ſenſum eſſe innoteſcit.

℣. 32. JESUS PRÆCEDEBAT ILLOS, & STUPEBANT, & SEQUENTES TIMEBANT.] Hoc noviſſimum eſt JESU CHRISTI iter ad Jeruſalem. Sæpius admonuerat Diſcipulos ſuos, quæ ibi eſſet paſſurus [5]; nullamque elabi occaſionem patiebatur, quin hoc ipſum illis in memoriam revocaret. Hoc autem in itinere in oris il- D lius habitu, atque inceſſu majus aliquid conſtantiæ deprehenderunt. Ad ſupplicium ſibi paratum evolare videbatur. Illi ejus alacritatem admirabantur; verum ſimul cum illi, tum ſibi met ipſis metuebant, veriti, ne mortis ejuſdem hora immineret, & ipſi illius cauſa, vel diſperſi eſſent, vel exagitari [6]. Demum naturalis dumtaxat affectus hunc illis timorem injicere poterat. Veteres non pauci MSS. codices hæc omiſerunt verba [7], *& ſequentes timebant*.

℣. 35. ACCEDUNT AD EUM JACOBUS, & JOHANNES.] S. Matthæus ait, Salome eorum matrem hoc, quod iſthic legimus, petiiſſe; at plane ab utroque filio impulſam, vel ſaltem illis minime invitis. Vide Commentarium noſtrum in S. Matthæum cap. 20. 20. Notandum eſt, numquam Dei Filium de morte ſua coram Diſcipulis verba facere, quin illis ſuboriantur cogitationes primatus: alte adeo in animis eorum inſederat ſpes temporalis imperii; & parum adeo a ſuperbia, & ambitione abhorrebant.

℣. 42. QUI VIDENTUR PRINCIPARI GENTIBUS, DOMINANTUR EIS.] Recentiores Critici nonnulli [8] Græcum [9] ita vertunt: *Quibus honor eſt, ut nationibus imperent*. Similes loquendi rationes occurrunt in Daniele 13. 5. & S. Paulo ad Galatas 2. 2. & apud Euripidem in Hecuba apud Grotium hic, ubi hoc ipſum ſignificare exiſtimantur. Tenent alii [10], Græcam locutionem, quæ ad litteram habet: *qui videntur populis imperare*, pleonaſmum eſſe, pro, *qui imperant*, quemadmodum dicitur, hic videtur eſſe ſapiens, eſſe Propheta, Eccleſiæ columen, ut ille vere talis & haberi, & vocari innuatur. Ita S. Paulus 1. ad Corinthios 11. 16. *Si quis autem videtur contentioſus eſſe*, hoc eſt, qui re ipſa contentioſus eſt. Et apud S. Matthæum 3. 8. *Et ne videamini dicere: Patrem habemus Abraham*, ſcilicet, ne gloriemini hac de re, neque dicatis &c. Et in S. Luca 22. 24. *Facta eſt autem contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major*, hoc eſt, quis re ipſa primas eſſet obtenturus.

℣. 46. PROFICISCENTE EO DE JERICHO FILIUS TIMÆI &c.] Duo erant cæci, qui viſum & petierunt, & obtinuerunt [11]. S. Marcus illius meminit dumtaxat, cujus curatio inſignibus circumſtantiis conſociata fuit. Salvator Jerichuntem ingrediens, alium cæcum curaverat [12], ſed qui longe diverſus eſt ab eo, de quo hic ſermo eſt. Evangeliſta duplici lingua exprimit nomen illius, de quo loquitur, *Bar-Timæus* eſt nomen illius Syriacum; *Filius Timæi*, Latinum. Ita S. Paulus dixit: *Abba, Pater, Abba* Syriace, *Pater*, Græce, vel Latine.

℣. 50. PROJECTO VESTIMENTO.] Textus verba [13] generatim quodlibet veſtium genus poſſunt ſignificare: Sed circumſtantiæ non patiuntur, ut de alia veſte, quam pallio ipſius intelligamus.

---

1 Hebr. 12. 2. 2 Jacobi 1. 2. 3 Auguſt. Serm. 296. Alias de Diverſis 106. cap. 7.
4 Theophyl. Grot. Vat. Brug. alii. 5 Marc. 8. 31. 9. 31. &c.
6 Theophylact. Beda, Maldon. Grot. Brug. Le Clerc.
7 Non legunt: Καὶ ἀκολουθοῦντες ἐφοβοῦντο. Cantab. Mont. Magd. Colb. 2. Cyprian. Pariſ. 4.
8 Grot. Ludov. de Dieu, Le Clerc. Vide & Maldon. 9 Οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν.
10 Cargtvigt. ad Matth. 20. Gataker, hic, in Synopſi, alii plures.
11 Matth. 20. 29. 30. 12 Luc. 18. 35. 13 Ἀποβαλὼν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ.

CAPUT XI.

JESUS Jeroſolymam ingreditur aſinæ inſidens pullo. Maledicit ficum, nullos fructus habentem. Ejicit vendentes de Templo. Fidei poteſtas. Venia inimicis danda. Scribæ pudore ſuffuſi.

1. ET cum appropinquarent Jeroſolymæ, & Bethaniæ ad Montem olivarum, mittit duos ex diſcipulis ſuis. 2 Et ait illis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim introeuntes illuc invenietis pullum ligatum, ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit: ſolvite illum, & adducite. 3 Et ſi quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite, quia Domino neceſſarius eſt: & continuo illum dimittet huc. 4 Et

abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & ſolvunt eum. 5
Et quidam de illic ſtantibus dicebant illis: Quid facitis ſolventes pullum? 6 Qui
dixerunt eis, ſicut præceperat illis Jeſus, & dimiſerunt eis. 7 Et duxerunt pul-
lum ad Jeſum: & imponunt illi veſtimenta ſua, & ſedit ſuper eum. 8 Multi au-
tem veſtimenta ſua ſtraverunt in via: alii autem frondes cædebant de arboribus, &
ſternebant in via. 9 Et qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant, dicentes:
Hoſanna: 10 Benedictus, qui venit in nomine Domini: Benedictum quod venit
regnum patris noſtri David: Hoſanna in excelſis. 11 Et introivit Jeroſolymam in
templum: & circumſpectis omnibus, cum jam veſpera eſſet hora, exiit in Betha-
niam cum duodecim. 12 Et alia die cum exirent a Bethania, eſuriit. 13 Cum-
que vidiſſet a longe ficum habentem folia, venit, ſi quid forte inveniret in ea,
& cum veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum.
14 Et reſpondens dixit ei: Jam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam
manducet. Et audiebant diſcipuli ejus. 15 Et veniunt Jeroſolymam. Et cum in-
troiſſet in templum, cœpit ejicere vendentes, & ementes in templo: & menſas
nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit. 16 Et non ſinebat, ut
quiſquam transferret vas per templum: 17 Et docebat, dicens eis: Nonne ſcri-
ptum eſt: Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos
autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. 18 Quo audito, principes ſacerdotum, &
Scribæ quærebant, quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam univer-
ſa turba admirabatur ſuper doctrina ejus. 19 Et cum veſpera facta eſſet, egredie-
batur de civitate. 20 Et cum mane tranſirent, viderunt ficum aridam factam a ra-
dicibus. 21 Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixiſti,
aruit. 22 Et reſpondens Jeſus ait illis: Habete fidem Dei. 23 Amen dico vo-
bis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæ-
ſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. 24
Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis,
& evenient vobis. 25 Et cum ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis
adverſus aliquem: ut & Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata
veſtra. 26 Quod ſi vos non dimiſeritis: nec Pater veſter, qui in cœlis eſt, di-
mittet vobis peccata veſtra. 27 Et veniunt rurſus Jeroſolymam. Et cum ambula-
ret in templo, accedunt ad eum ſummi ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores: 28
Et dicunt ei: In qua poteſtate hæc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem, ut
iſta facias? 29 Jeſus autem reſpondens, ait illis: Interrogabo vos, & ego unum
verbum, & reſpondete mihi: & dicam vobis, in qua poteſtate hæc faciam. 30
Baptiſmus Joannis, de cœlo erat, an ex hominibus? Reſpondete mihi. 31 At il-
li cogitabant ſecum, dicentes: Si dixerimus, De cœlo, dicet: Quare ergo non
crediſtis ei? 32 Si dixerimus, Ex hominibus, timemus populum, omnes enim
habebant Joannem, quia vere propheta eſſet. 33 Et reſpondentes dicunt Jeſu;
Neſcimus. Et reſpondens Jeſus ait illis: Neque ego dico vobis, in qua poteſtate hæc faciam.

℣. 1. CUM APPROPINQUARENT JEROSOLYMÆ, ET BETHANIÆ.] Hoc accidit die Lunæ ante Salvatoris Paſſionem; JESUS Bethaniæ cubaverat, quæ dimidium circiter leucæ aberat a Jeroſolyma [1]. Bethania egreſſus miſit duos ex diſcipulis ſuis *Bethphage*, ignobilem vicum ad radices montis Olivarum, & Jeroſolymæ adeo proximum, ut pro illius ſuburbio accipi poſſet. Judæi [2] dicunt, Bethphage æque ſacram eſſe ac Jeruſalem ipſam, ibique panes [3], qui in Templo offerebantur, excoqui conſueviſſe.

℣. 2. IN CASTELLUM.] Bethphage, quod erat Bethaniam inter, unde diſceſſerant, & Jeruſalem, quo proficiſcebantur.

INVENIETIS PULLUM LIGATUM.] S. Matthæus c. 21. 2. de aſina etiam & pullo verba facit. Sed S. Lu- B cas, non ſecus ac S. Marcus pulli dumtaxat meminerunt, huic enim Salvator inſedit. Neqoe temernadditur, neminem adhuc ſuper illum ſediſſe: Veteres [4] enim in ſacros uſus, quoad fieri poterat, indomita dumtaxat, & quibus nemo uſus fuerat, impendebant animantia. Plauſtro penitus recenti Philiſthiim impoſuerunt Arcam Domini, cum donariis ſuis [5]. Neque ſpernendum miraculum eſt, quod aſinus indomitus JESUM CHRISTUM ad templum uſque adduxerit, inter lætantis populi rumorem, motum, & voces [6].

℣. 4. ANTE JANUAM FORIS IN BIVIO.] Hæ circumſtantiæ a S. Marco ſupplentur, & apud alios Evangeliſtas non inveniuntur. Pullus plane erat cum aſina matre ſua ligatus prope portam oppidi ſecus viam, quæ ducebat Jeruſalem, & ubi biſariam dividebatur [7]. Hæc omnis hiſtoria peti poteſt ex S. Matthæo c. 21. ℣. 1. 2. & ſeq.

℣. 10. BENEDICTUM, QUOD VENIT REGNUM PATRIS

1 Joan. 11. 18. 15. ſtadia; vel 2. milliar. a Jeruſalem. Luc. 24. 50. & Act. 1. 12. quæ diſtabat a Jeruſalem itinere, quod fieri poteſt die Sabbati. 2 Rabb. apud Ligfoot, & Bochart. de animal. par. 1. lib. 2. c. 17.
3 Εἰς τὴν κατέναντι κώμην. Ita Matth. & Luc. 4 Vide Grot. hic. Feſt. Macrob. Euripid. Ovid.
5 1. Reg. 6. 7. 6 Brug. 7 Act. 5. 6. & 6. 16.

TRIS NOSTRI DAVID.] Sperabant Judæi futurum, ut Meſſias in priſtinum fulgorem revocaret familiam David, & regnum illius æque ac Davidicum florens eſſet, atque glorioſum. Hic vero lætantur ſpe fulfulti, per JESUM CHRISTUM complenda eſſe vota ſua. Græcus in editis legit [1]: *Benedictum ſit regnum Patris noſtri David.* Benedictum ſit regnum hoc, *quod venit in nomine Domini*. Sed pleriſque Veteres MSS. hæc omittunt verba: *In nomine Domini*, quæ neque in Vulgata, neque in Orientalibus Verſionibus, hoc in loco inveniuntur.

℣. 11. ET INTROIVIT JEROSOLYMAM, IN TEMPLUM.] S. Marcus ne verbum quidem facit de iis omnibus, quæ prima hac die JESUS in Templo operatus eſt: ſed ea videri poſſunt apud SS. Matthæum 21. 10. Lucam 19. 40. & Johannem 19. 12. Conſule quæſumus Evangeliſtarum Harmoniam.

℣. 13. CUMQUE VIDISSET A LONGE FICUM HABENTEM FOLIA.] De hac ficu, & maledictione, quam in illam Dei Filius ejaculatus eſt, verba jam fecimus in Commentariis in S. Matthæum 21. 19. Illud vero nobis iſthic negotium faceſſit, quod S. Marcus edixerit, nondum *tempus fuiſſe ficuum*; quod ſi fuiſſet, cur ipſa ferebat, ut JESUS eſuriens ad arborem illam, ad illius fructus decerpendos accederet, ubi eum nullos inveniſſet, mirum minime fuiſſet, quod ficum maledictione feriret, inde occaſionem de more arripiens, de magni momenti veritate Diſcipulos ſuos erudiendi. Cæterum re ipſa quid virtuti, vel vitio vertendum eſt arbori, ſit ne illa fertilis, an infœcunda, fructibus onuſta, an inutili dumtaxat frondium coma impedita? Numquid illa optionis, voluntatis, rationis eſt compos [2]? Semper ergo incongruum videretur, arborem quamlibet maledicere; ſed minus eſſet mirum, ſi arbor fructifera, fructuum tempore frondibus dumtaxat gravis malediceretur. Verum cum minime liceat credere, JESUM in juſtitiam, ſapientiam, rectumque ſenſum peccare potuiſſe, pro virili enitendum eſt, ut difficultatis hujus ſolutionem inveniamus.

Veteres, Recentioreſque Interpretes [3] vulgo hanc Jeſu Chriſti actionem, tamquam Judæorum reprobationis figuram intuiti ſunt. Synagoga pro fructibus frondes habebat dumtaxat, atque inanem cæremoniarum, obſervationum, atque traditionum ſuarum pompam jactabat; ſed pietate, ſolidiſque virtutibus prorſus carebat. Hac in re ſimilis erat ficui, folia tantum habenti; cum hoc tamen diſcrimine, quod tunc ficuum tempus non erat, cum alioquin tempore quovis Synagoga bonorum operum fructibus onuſta eſſe deberet. Hæc tamen ſolutio alteri dumtaxat difficultatis parti ſatisfacit; oſtendit Jeſu Chriſti finem ac in maledictione, qua ficum percuſſit; ſed maledictionis juſtitiam minime oſtendit. Sexcentæ non deerant rationes, quibus futuram Judæorum reprobationem oſtenderet, quin hac uteretur, quæ ſingularis adeo, nec ſatis æqua videtur. Ad hæc illud ſi ficuum tempus non erat, cur acceſſit Jeſus, ut ibi inveniret? & ſi ficus injuſte maledictionem paſſa eſt, quomodo id probat, Synagogam jure reprobatam fuiſſe?

Vertunt nonnulli [4]: *Non erat ille annus ficuum*. Eo anno ficuum meſſis pareiſſima ferebatur, atque deficeret. Sed ipſi hujus verſionis Auctores non inficiantur authographi locutionem hoc in ſenſu omnino ſingularem eſſe, ejuſque nullum vel in Evangelio, vel in Prophanis Auctoribus exemplum adeſſe. Heinſius [5], & Gatakerus interpunctionibus, accentibuſque variatis ita legunt [6]: *Nam ibi, ubi erat, illud erat ficuum tempus*. Perinde ac ſi S. Marcus eo ſub cœlo ſcribens, ubi ficus autumno tantum maturеſcunt, innuere voluiſſet, in Palæſtina, ubi Jeſus verſabatur, non defuiſſe maturas ficus ſub Martii menſis dimidium, dies aliquot ante Paſchatis Feſtivitatem. Sed oculus in Textum conjicere ſatis eſt, ut liqueat, hoc ab Evangeliſtarum ſtylo abhorrere; qui ſtrictim adeo, & laconice minime ſcribunt. Cæterum, cui bono hoc notatum fuiſſet? Alibi ne ſimilibus præcautionibus utuntur, ubi neceſſum videretur rationes reddere, conſuetudinum, temporum, rituum regionis, vel populi, de quo verba faciunt?

Oportet igitur, ſi fieri poteſt, in ſe ipſa ſcrutari, quomodo, & Salvatoris factum, & Evangeliſtæ animadverſio probetur, oſtendendo: 1. tunc vere ficuum tempus non fuiſſe: 2. at quaſdam præcoces inveniri potuiſſe ea in arbore, quæ tunc frondibus erat impeditiſſima. Ficus autumno fere, vel ſub meſſem maturеſcunt; qua de re nemo dubitat [7]; nec deſunt ſerotinæ, quæ ſub hyemis initium tandem ad maturitatem perveniunt, ſed commune earum maturitatis tempus, illud eſt, quo meſſis, & vindemia peragitur. Nec deſunt ficus aliæ, quæ totam hyemem retinent folia, & bis quotannis fructus emittunt: vere, & autumno; nam germina, quæ ante hyemem producta fuerant, frigoris tempore non decidunt, & ſimul ac iterum calor redit, maturеſcunt eo tempore, quo ficus, quæ autumno ad maturitatem ſunt redigendæ, vix incipiant germinare. Hoc autem & prophanorum, & Scripturarum auctoritate probandum eſt.

Theophraſtus hiſt. Plant. l. 4. c. 2. & Plinius l. 13. c. 8. verba faciunt de hujuſmodi ficubus, quæ ſemper virent, ac jugiter fructibus onuſtæ ſunt, aliis quidem maturis, vel ad maturitatem feſtinantibus pro temporum varietate, aliis vero vix prodeuntibus. Has autem in Syria communes eſſe, & priores vere, poſteriores autumno fructus colligi fatentur: *Pomo antecedentis anni circa canis ortus detracto, ſtatim alterum parit, poſtea florem per arcturum hyeme ſatus enutrimus*: Plinius ait.

In Scripturis etiam aperte videmus autumnales ficus, quæ ſub veris initium germinant: *Cum jam ramus tener fuerit, & folia nata, ſcitis, quia prope eſt æſtas*, ait J. C. Matth. 24. 32. Canticorum Sponſa 2. 13. Ver deſcribens ait, turturis vocem auditam jam eſſe, & ficus protuliſſe groſſos ſuos. Hæ communes ſunt ficus, quas Exploratores in promiſſam Terram miſſi, una cum uvæ racemis, in deſertum ad Iſraelitas attulerunt Num. 13. 24. Sed Iſaias 28. 4. loquitur de ficubus præcoquis, quæ vere maturеſcunt, cum Samariæ pulchritudinem ſimilem dicit vernis ficubus; quæ ubi inveniuntur, ſumma cum aviditate corripiuntur, & manducantur. Et Oſee 9. 10. *Quaſi uvas in deſerto inveni Iſrael, quaſi prima poma ficulneæ in cacumine ejus, vidi patres eorum*. Eas etiam Jeremiae 24. 2. veluti egregias ficus deſcribit: *Ficus bonas nimis, ut ſolent ficus eſſe primi temporis*.

En igitur ficus vernas, ficus præcoquas, ficus foliis ornatas in Palæſtina tunc temporis, cum aliæ vix frondes, groſſoſque emittere incipiunt. Videt JESUS CHRISTUS quamdam ex hujuſmodi ficubus, quæ in ſpeciem aliquot ſaltem præcoquas ferre videbatur. Eo accedit certus jam, ſe nullum in ea fructum inventurum, ſed ut inde utiliſſimum erueret documentum. Quærit, & non invenit fructus; maledicit ficum, ac fallacem ſpeciem illius, & arbor illico exareſcit. Videtur autem ad Michææ 7. 1. alludere, ubi ait, ſe eſſe velut hominem, qui autumno poſt vindemiam in vitibus uvam quærit, at ne racemum quidem invenit, quo ſitim levet; vel tamquam illum, qui vere præcocem quærit in ficubus fructum, at ne quidem unum naneiſcitur, quo ſuam expleat voluntatem: *Væ mihi, quia factus ſum, ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non eſt botrus ad comedendum. Præcoquas ficus deſideravit anima mea; periit ſanctus de terra &c.* Hic ipſum acci-

1 Εὐλογημένη ἡ ἐρχομένη βασιλεία ἐν ὀνόματι Κυρίου, τοῦ πατρὸς ἡμῶν Δαβίδ.
2 Beda in hunc loc. Grot. ad verſ. 12.
3 Auguſt. lib. 2. Quæſt. Evang. cap. 51. Origen. Hilar. Chryſoſtom. Euthym. Hieronym. Brug. & Maldonat. in Matth. 21. 19.
4 Hamm. Clericus, Simonius Not. in N. T. Οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων.
5 Heinſ. Exercit. ſacr. lib. 2. cap. 6. Ita Verſio Gothica.
6 Οὗ γὰρ ἦν, καιρὸς σύκων.
7 Plin. lib. 15. cap. 18. Vide Ligfoot, hic.

accidit Jesu Christo cum Judæis ; præclaram quidem cernebat ſpeciem , ſed bonis fructibus ſteriles erant. Virtutem quærit , pietatem , religionem in iis , qui perfectiores videntur , & virium , atque tabum dumtaxat invenit ; ideoque in illos terribilem damnationis , & maledictionis ſententiam ejaculatur.

Viator quidam , qui Palæſtinam aliaſque plures terrarum plagas peragravit , aſserit , ibi non unius generis ficus eſse. Aliæ bis anno fructus ferunt , vere , & æſtate ; ſemel aliæ ; & ex his quædam Septembri menſe , quædam Novembri , atque Decembri ; quæ poſtremæ cum minime abundent calore , ut omnes fructus ad maturitatem duobus illis menſibus perducant , ſervant nonnumquam ficus uſque in Februarium , & Martium ; quas plane Salvator quærebat in arbore , quam foliis nitentem conſpexit. Non erat commune ficuum tempus ; verum eo tempore nonnullæ ficus aliquando ex arboribus pendulæ inveniuntur. Si ver jam proceſſiſset , vulgo ficus inveniri potuiſsent ; ſed ſub veris initium rariores ſunt. Juxta hoc ſyſtema locus hic eſt explicandus , non juxta illam hypotheſim , quam propoſuimus , ſupponentes , regionis illius ficus noſtratibus ferme eſse conſimiles.

℣. 15. Coepit ejicere vendentes.] Hoc accidit feria tertia ante Paſſionem illius ; poſtridie jam [1] hos Mercatores ejecerat , ſed illuc fortaſse Sacerdotum auctoritate fuerant reducti , a quibus Jesu Christi zelus probatus non fuerat.

℣. 16. Non sinebat , ut quisquam transferret vas per Templum.] *Vas* [2] pro qualibet re iſthic uſurpatur , quæ profanis uſibus inſerviat , ac præſertim mercaturæ , & negotiationi ; nam quod attinet ad cultum Domini , ſacrificia , oblationes , victumque miniſtrorum illius , fieri minime poterat , quin per Templum transferrentur. Eos igitur damnat , qui per medium Templum tranſibant , ut compendiaria via uterentur , qui ſarcinas , & merces deferebant , eoſque offerebant illis , qui oraturi in Templum accederent : verbo , eos , qui in ſancto loco ſe ſic gerebant , tamquam ſi in triviis , compitiſque fuiſsent , quin Domini Majeſtatem vererentur , & quin caverent , ne orantibus obſtreperent.

Rabbini emphatice nobis venditant regulas , quæ in Templo erant ſervandæ , ſed ex Evangelio liquet , eas perperam fuiſse obſervatas ; ni forte dixeris , abuſus , qui hoc in loco a Salvatore corripiuntur , in atrio Gentilium dumtaxat admitti conſuevisse , quod Judæi non eadem obſervantia , ac reliquas Templi partes colebant. Ajunt ergo [3] , nemini fas eſse , neque in Gentilium atrium ingredi , cum baculo , ſoleis , pera , vel calceis lutulentis , vel cum pecunia ſudariolo involuta , vel in crumena poſita ; neque licere expuere , aut pertranſire &c. Sanctuario terga vertere nefas erat , omneſque in obſequium compoſiti debebant in Templum accedere , quæ omnia theoretice quidem eximia ſunt , verum praxis eorum eſset oſtendenda.

℣. 22. Habete fidem Dei.] Conſtanti fide credite in Deum , & nihil vobis arduum erit. In promiſſionibus ejus confidite , humilem confidentiam ab eo petite , ac ne dubiteritis , quin conceſsurus ſit , quidquid juſte petieritis [4]. Verti etiam poſset : habete fidem perfectam [5] , fidem Dei , fidem magnam : quemadmodum dicuntur cedri Dei Pſalm. 79. 11. mons Dei Pſalm. 35. 7. zelus Dei Rom. 10. 2. pulchritudo Dei Act. 7. 2. tuba Dei 1. Theſsal. 4. 15. ad innuendum cedros , montes , pulchritudinem , zelum , tubam , ſingula in genere ſuo , præſtantiſſima.

℣. 25. Cum stabitis ad orandum.] Hebræi ſtantes ut plurimum orabant [6] , ſed ſæpe etiam in genua procumbebant [7]. Stare non ſemper ſignificat , ſeſe in pedibus rectum tenere , ſed ſe ſe offerre , in aliquem locum prodire. Veteres quidam MSS. [8] addunt ea , quæ ſequuntur : *Et dico vobis , petite , & dabitur vobis : quærite , & invenietis , pulſate , & aperietur vobis. Omnes enim petentes recipiunt , quærentes inveniunt , & pulſantibus aperitur.* Quod ex S. Matthæo deſumptum eſt cap. 7. ℣. 7. 8.

℣. 28. In qua potestate hæc facis ?] Cur doces in Templo , ejicis Mercatores , & Trapezitas , eamque tibi vendicas auctoritatem , quæ ad te minime ſpectat ? Hoc accidit feria quarta ante Paſſionem Domini ; quæ poſtrema fuit dies , quo in Templum acceſserit , Confer Matth. 21. 23. & ſeq.

---

1 Matth. 21. 12. 2 כלי *Keli , σκεῦος , Vas , ſupellex , inſtrumentum , res qualibet.*
3 Bab. Jevamoth. fol. 6. Maimon. Vide Ligfoot , hic. 4 Martianæus.
5 Infra verſ. 24. 6 Vide Matth. 6. 5. Luc. 18. 11. 7 Dan. 6. 10. Act. 9. 40. 20. 36. 21. 5. &c.
8 Mſſ. Bodl. 2. Seld. 2. Laud. 5. & in Pariſ. 2. poſt verſ. ſeq.

CAPUT XII.

Agricolarum Domini ſui Filium occidentium parabola. Phariſæi , & Herodiani JESUM CHRISTUM tentant de tributi ſolutione , & Saducæi de Fide reſurrectionis mortuorum. Quodnam ſit maximum mandatum ? Cur David Meſſiam Dominum vocet ? Oblatio pauperis viduæ omnibus ingentibus locupletum muneribus prælata.

1. Et cœpit illis in parabolis loqui : Vineam paſtinavit homo , & circumdedit ſepem , & fodit lacum , & ædificavit turrim , & locavit eam agricolis , & peregre profectus eſt. 2 Et miſit ad agricolas in tempore ſervum , ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ. 3 Qui apprehenſum eum cæciderunt , & dimiſerunt vacuum. 4 Et iterum miſit ad illos alium ſervum , & illum in capite vulneraverunt , & contumeliis affecerunt. 5 Et rurſum alium miſit , & illum occiderunt , & plures alios : quoſdam cædentes , alios vero occidentes. 6 Adhuc ergo unum habens filium chariſſimum ; & illum miſit ad eos noviſſimum , dicens : Quia reverebuntur filium meum. 7 Coloni autem dixerunt ad invicem : Hic eſt hæres : venite , occidamus eum : & noſtra erit hæreditas. 8 Et apprehendentes eum , occiderunt , & ejecerunt

extra

extra vineam. 9 Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos, &
dabit vineam aliis. 10 Nec ſcripturam hanc legiſtis: Lapidem quem reprobaverunt
ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: 11 A Domino factum eſt iſtud, & eſt
mirabile in oculis noſtris? 12 Et quærebant eum tenere, & timuerunt turbam, co-
gnoverunt enim, quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt.
13 Et mittunt ad eum quoſdam ex Phariſæis, & Herodianis, ut eum caperent in ver-
bo. 14 Qui venientes dicunt ei: Magiſter, ſcimus, quia verax es, & non curas
quemquam: nec enim vides in faciem hominum, ſed in veritate viam Dei doces: li-
cet dari tributum Cæſari, an non dabimus? 15 Qui ſciens verſutiam illorum, ait il-
lis: Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam. 16 At illi attulerunt ei. Et
ait illis: Cujus eſt imago hæc, & inſcriptio? Dicunt ei: Cæſaris. 17 Reſpondens
autem Jeſus dixit illis: Reddite igitur, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei,
Deo. Et mirabantur ſuper eo. 18 Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt, reſur-
rectionem non eſſe: & interrogabant eum dicentes: 19 Magiſter, Moyſes nobis ſcri-
pſit: ut ſi cujus frater mortuus fuerit, & dimiſerit uxorem, & filios non reliquerit,
accipiat frater ejus uxorem ipſius, & reſuſcitet ſemen fratri ſuo. 20 Septem ergo
fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus eſt, non relicto ſemine. 21 Et
ſecundus accepit eam, & mortuus eſt: & nec iſte reliquit ſemen. Et tertius ſimiliter.
22 Et acceperunt eam ſimiliter ſeptem, & non reliquerunt ſemen. Noviſſima omnium
defuncta eſt & mulier. 23 In reſurrectione ergo, cum reſurrexerint, cujus de his erit
uxor? ſeptem enim habuerunt eam uxorem. 24 Et reſpondens Jeſus, ait illis: Non-
ne ideo erratis, non ſcientes Scripturas, neque virtutem Dei? 25 Cum enim a mor-
tuis reſurrexerint, neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli in cœlis.
26 De mortuis autem quod reſurgant, non legiſtis in libro Moyſi, ſuper rubum quo-
modo dixerit illi Deus, inquiens: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus
Jacob? 27 Non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum. Vos ergo multum erratis. 28
Et acceſſit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene
illis reſponderit, interrogavit eum, quod eſſet primum omnium mandatum. 29 Jeſus
autem reſpondit ei. Quia primum omnium mandatum eſt: Audi Iſrael, Dominus Deus
tuus, Deus unus eſt: 30 Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex
tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc eſt primum manda-
tum. 31 Secundum autem ſimile eſt illi: Diliges proximum tuum tamquam te ipſum.
Majus horum aliud mandatum non eſt. 32 Et ait illi Scriba: Bene, Magiſter, in ve-
ritate dixiſti, quia unus eſt Deus, & non eſt alius præter eum. 33 Et ut diligatur ex
toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere
proximum tamquam ſeipſum, majus eſt omnibus holocautomatibus, & ſacrificiis. 34
Jeſus autem videns quod ſapienter reſpondiſſet, dixit illi: Non es longe a regno Dei.
Et nemo jam audebat eum interrogare. 35 Et reſpondens Jeſus dicebat, docens in
templo: Quomodo dicunt Scribæ Chriſtum filium eſſe David? 36 Ipſe enim David di-
cit in Spiritu ſancto: Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, donec ponam
inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. 37 Ipſe ergo David dicit eum Dominum, &
unde eſt filius ejus? Et multa turba eum libenter audivit. 38 Et dicebat eis in do-
ctrina ſua: Cavete a Scribis, qui volunt in ſtolis ambulare, & ſalutari in foro. 39 Et
in primis cathedris ſedere in ſynagogis, & primos diſcubitus in cœnis: 40 Qui devo-
rant domos viduarum ſub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius judicium.
41 Et ſedens Jeſus contra gazophylacium, aſpiciebat quomodo turba jactaret æs in
gazophylacium, & multi divites jactabant multa. 42 Cum veniſſet autem vidua una
pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans. 43 Et convocans diſcipulos ſuos;
ait illis. Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui
miſerunt in gazophylacium. 44 Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miſe-
runt; hæc vero de penuria ſua omnia, quæ habuit, miſit totum victum ſuum.

℣. 1. VINEAM PASTINAVIT HOMO . . . & FODIT LACUM.] Vel torcular, vel ſcrobem, ciſternam ſubterraneam, optime cœmentis, & calce illitam, ubi vinum A ſervari poſſet. Hujuſmodi lacus ſemper in vinea eadem fiebant, & prope torcular, ubi uva premebatur; non enim veteres habebant cellas vinarias, quales hodie habemus [1]. Humi defodiebant amphoras fictiles

[1] Panciroll. Rerum mirabil. lib. 2. cap. de Cellis. Vide & Suid. in voce Λάκκος. Ulpian. *Vini ciſterna*.

vino repletas, cum dolia ipſi deeſſent. Parabolæ hujus explicatio petenda eſt ex Commentariis in Sanctum Matthæum 21. 32.

℣. 4. Illum in capite vulneraverunt.] Græcos aliter vertitur [1]; *jecerunt lapides in eum, & caput ejus vulneraverunt*; vel *lapidibus eum petierunt, ejuſque caput contriverunt*. Quod non eſt intelligendum de eo lapidum jactu, ut inde mors ſubſequatur, neque de ea capitis fractura, quæ hominem enecet: quandoquidem ſtatim ſubditur, hunc contumeliis affectum ejectum fuiſſe. Hæc igitur popularis eſt loquendi ratio, cum dicitur alicui caput conteriogere, ubi graviter lapidibus caput illius ictum fuerit. Quidam [2] Græcum verbum alium in ſenſum vertunt: *Illum, quotquot excogitare valuerunt, contumeliis affecerunt*. Illum injuriis, & contumeliis cumularunt. Alii [3]: *Illi contumelias, & mala rependerunt*. Enumerarunt illi, ut ita dicam, ſummam, quam debebant, lapidum ictibus. Verum quin ad violentas, alienaſque explicationes confugiamus, nihil ſimplicius puto, quam Vulgatam ſequi, ubi aptiſſimus, maximeque commodus ſenſus invenitur. Parabolæ hujus explicatio ex S. Matthæo 21. 32. peti poteſt.

℣. 13. Mittunt ad eum quoſdam ex Phariſæis, & Herodianis.] Phariſæi quoſdam ex ſchola ſua, vel *diſcipulis ſuis* [4], cum Herodianis miſerunt, qui ex Jesu verba extorquere adniterentur, quibus vel faveret, vel adverſaretur ſententiæ Judæ Galilæi, quem Herodianorum ſectæ auctorem fuiſſe cenſemus, ut inde ſemper aliquid in ipſum contorquerent. Si enim pro Juda ſtetiſſet, vel pro libertate, illum veluti ſeditioſum ad Romani Præſidis Tribunal arripuiſſent; ſin ab ea doctrina abhorruiſſet, illum in ſuſpicionem vocaſſent ad populum, qui ſententiæ illi maxime ſuffragabatur.

Notandum eſt, hac die omnes Judæorum ſectas deinceps ad Jesum acceſſiſſe, illum tentaturas, atque exploraturas, utri potius ſententiæ faveret. Phariſæi, Herodiani, Scribæ, Sadducæi omnes deinceps venerunt; at fruſtra: ſubdolas eorum interrogationes eluſit Deus, oſtenditque, ſe nulli eorum ſectæ adhæreſcere, eaſque omnes in erroris caligine verſari.

℣. 14. Licet dari tributum Cæsari?] Græcus pro *tributo* legit *Kenſon* [5], cujus explicationem in S. Matthæo 22. 6. tradidimus. Credunt Critici vocem hanc aliquod monetæ genus ſignificare certi pretii, certamque imaginem referentis, quæ unice ad tributum ſolvendum excudebatur. Sed huic ſententiæ minime ſubſcripſerim. Moneta quælibet, quæ in Imperio adhibebatur, apta erat, ut illis ſatisfieret, qui vectigalia exercebant. Hoc extra omnem dubitationem poſitum eſt. Non deerant nummi cujuslibet magnitudinis, variæque formæ, pretii, ac metalli; quemadmodum ex Muſæis hodie aperte colligitur.

℣. 17. Quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei Deo.] Herodiani, vel diſcipuli Judæ Galilæi tenebant, eſſe contra Legem, & voluntatem Dei, alium præter Deum agnoſcere Dominum, & alieno vectigal pendere. At docet Jesus, ipſos ex in principiis ſuis, & in illationibus longe aberrare. Deus unus eſt animæ, & cordis Dominus: uni illi cultus debetur: ſed vectigal, aliaque id genus officia jure, vel conſuetudine inſtituta illis debentur, quos nobis Providentia propoſuit. At Romani tunc Judææ imperium obtinebant; illis ergo perſolvendum erat, quidquid Divinæ Legi minime adverſabatur. Herodiani perperam temporalem poteſtatem cum eo cultu, & adoratione, quæ Deo uni debetur, confundebant. Eorum ſententia, qui putant, Salvatorem per hæc verba: *Reddite... quæ ſunt Dei, Deo*, intelligere tributum viritim perſolvendum ab omnibus Iſraelitis Templo, ac illud peculiari quadam moneta, cujus norma, & pondus in Templo aſſervabatur, erogari conſueviſſe, nulli ſatis firmo innititur argumento; neque probaverit quiſpiam neceſſe fuiſſe, ut Judaicæ monetæ hemiſiclus appenderetur. Hebræi numquam cudere potuerunt nummos, qui vel centeſimam hemiſiclorum ita perſolvendorum partem æquarint. De hoc hemiſiclo fuſius locuti ſumus in S. Matthæum 17. 23.

℣. 18. Venerunt ad eum Sadducæi.] De hac ſecta locuti ſumus in Diſſertatione de ſectis Hebræorum, & quod de hac interrogatione addamus, nihil nobis ſuppetit, poſt ea, quæ diximus in S. Matthæum 22. 23. & ſeqq.

℣. 28. Unus ex Scribis videns, quoniam illis bene responderit.] Acceſſit ab eo, quæſiturus, quodnam eſſet mandatum majus in Lege. Sadducæi, & Scribæ, vel Legis periti non ſatis conſentiebant in doctrina ſua; neque gravate paſſi ſunt Scribæ, quod Salvator Sadducæi temeritatem retudiſſet. Hæc autem celebris fortaſſe in eorum ſchola quæſtio agitabatur, quodnam eſſet primum omnium mandatum in Lege?

℣. 29. Audi Israel &c.] S. Matthæus priorem partem reſponſionis Filii Dei præteriit; ſed hoc ſolum habet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* utraque vero deſumpta eſt ex Deuteronomio 6. ℣. 4. 5. & alterum præceptum depromptum eſt ex Levitico 19. 18. Vocantur autem, primum, & ſecundum, habita ratione, non ordinis, quem apud Moyſem obtinent, ſed dignitatis, qua reliquis omnibus mandatis præcellunt. Hebræos ad litteram legit [6]: *Audi Iſrael, Jehovah eſt Deus noſter, Jehovah unus*. Liquet, nomen hoc *Jehovah* ſignificare Deum, præſertim utpote Creatorem. Hebræi ut hujus præcepti utilitatem indigitent, poſtremas primi, noviſſimique verbi litteras majoribus ſcribunt characteribus. Hæ repetitiones, *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua*, mirum in modum ſignificant, quo ardore, ac ſollicitudine Deum amare debemus. Dominanti charitate illum diligere, in eo omnem confidentiam ſtatuere, Leges, & voluntates ipſius ſumma, & conſtanti fide adimplere.

℣. 33. Majus est omnibus holocautomatibus.] Præcepta duo, de quibus nuperrime locutus ſum, toto cœlo præſtantiora ſunt omnibus Legibus ceremonialibus, iis etiam, quæ majoris momenti ſunt, puta, variis ſacrificiorum generibus. Innuit Jesus, Legis peritos plurimum hiſce ritibus deferre conſueviſſe, quorum iſthic verum pretium deſignat, eos cum eſſentialibus Religionis Legibus conferens. Sacrificiorum leges additamentum quoddam ſunt, atque mere accidentales: & omne earum meritum ex charitate erga Deum, & erga proximum proficiſcitur, citra quam cætera inania ſunt, ac inutilia.

℣. 34. Non est longe a Regno Dei.] Intelligis quodnam ſit veræ, ſolidæque Religionis fundamentum; Unus tibi dumtaxat gradus faciendus eſt, ut in Scholam, Eccleſiamque meam ingrediaris; videlicet, ut credas in me. Cum Jesus Christus veniſſet, ut Legem perficeret, ſtatim ac Judæus aliquis bene intellexiſſet veram Legis mentem, eſſentiam, atque perfectionem, hic proximus erat Regno Dei, ac veræ Religioni, quam Salvator in terris inſtituturus erat; vel omnino ferme eadem erat imbutus.

℣. 35. Quomodo dicunt Scribæ, Christum Filium esse David.] Ubi Phariſæorum, Herodianorum, Sadducæorum, atque Legisperitorum quæſtionibus reſpondit Jesus; ipſe quoque viciſſim [7] Phariſæos de Meſſiæ patre interrogat. Conſentiebant omnes futurum, ut Chriſtus de familia David eſſet naſciturus: ſed Phariſæi, & Scribæ illum præſtolabantur, velut hominem virtutis, meritique undequaque præſtantiſſimi. Sal-

[1] Λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν. Quid. Codd. omittunt λιθοβολήσαντες. Ut Cant. Velez. Barb. 1. Colb. 8. Steph. 11. Vulg. Coph.
[2] Theophylact. Beza, Lud. de Dieu.
[3] Ligfoot.
[4] Matth. 22. 16.
[5] Ἔξεστι κῆνσον Καίσαρι δοῦναι, ἢ οὔ. Cantab. Ἐπικεφάλαιον Καίσαρι. La Capitation.
[6] שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד
[7] Matth. 22. 41. 42.

Salvator eos ad ſuæ divinitatis cognitionem traducere cupit, oſtendens, Meſſiam non futurum filium David, eo modo quo ipſi intelligebant, quandoquidem eum David Dominum ſuum appellabat. Videri poſſunt Commentarii in S. Matthæum 22. ℣℣. 41. 42. 43.

℣. 38. DICEBAT EIS IN DOCTRINA SUA,] juxta ſuum docendi morem. Vide ſimilem loquendi rationem ſupra Marc. 4. 2. pro explicatione vero illius, quod ſe Dei Filium appellat, ad S. Matthæum 23. ℣. 2. 3. &c.

VOLUNT IN STOLIS AMBULARE.] Hebræi, ut plurimum, inferius quidem tunicam, ſuperius vero pallium deferebant, neque alia ipſorum veſtimenti genera agnoſcimus. *Stola*, de qua iſthic S. Marcus loquitur [1], erat fortaſſe tunica, vel veſtis inferior, quam Scribæ, & Phariſæi magis fluentem, promiſſamque gerere affectabant, & fortaſſe diſcolorem, nec ſine fimbriis. Iſthic S. Marcus eumdem videtur perſtringere voluiſſe abuſum, quem S. Matthæus, ubi ait c. 23. 5. *Magnificant fimbrias*. Sed cum Moyſes [2] fimbrias, & lemniſcos in palliis dumtaxat præceperit, & *ſtola* citra dubitationem in Helleniſtarum, qui novi Teſtamenti Auctores ſunt [3], & Romanorum lingua, longam ſignificet veſtem, a pallio prorſus diſſimilem; vero multo magis ſimile videtur, Evangeliſtam innuere voluiſſe tunicam, quam Phariſæi longiorem, ſyrmatis inſtar deferre geſtiebant, cum Judæorum reliqui breviorem, & ad dimidium circiter crus illam geſtarent. Oblongæ, caudatæque veſtes hominis nobilitatem, vel dignitatem ſignificant; Phariſæorum autem potiſſimum vitium ſuperbia erat, atque ambitio.

℣. 41. QUOMODO TURBA JACTARET ÆS IN GAZOPHYLACIUM.] *Gazophylacium* proprie eum ſignificat locum, ubi aurum, argentumque ſervabatur, & ſæpe in ſcripturis hoc in ſenſu adhibetur [4], pro Templi theſauro: hic autem arculam eam ſignificat, in quam quilibet pro pietate ſua conjiciebat id, quod potiſſimum cenſebat. Hæc autem gazophylacia in mulierum atrio fuiſſe, eaque decem, ac tria fuiſſe dicuntur, & in porticu poſita, ubi tunc ſedit JESUS CHRISTUS.

A Acceſſit vidua, in eam immiſſura capſulam æs ſuum, ubi traditio, jubebat a mulieribus oblationes ſuas conjici; quibus illas alibi immittere nefas erat, neque iiſdem integrum erat ulterius in Templum procedere, ex Rabbinorum apud Ligfoot ſententia.

MULTI DIVITES JACTABANT MULTA.] In gazophylacium majores conjiciebant nummos, vel ingentem eorum vim, idque ad oſtentationem.

℣. 42. MISIT DUO MINUTA, QUOD EST QUADRANS.] Duo hæc minuta idem erat ac quarta pars aſſis Romani, hoc eſt Pariſienſis monetæ denarii circiter novem.

℣. 43. VIDUA HÆC PAUPER PLUS OMNIBUS MI-

B SIT.] Major eſt liberalitas, pauca tribuere, ubi pauperrimus ſis, quam multa, ubi opibus diffluas [5]. Dives multa erogans pauper non fit, neque periculum ſubit, ut in egeſtatem prolabatur; ac ſemper ei ſuppetit, unde vivat opipare: pauper e contra ſe ſe in periculum objicit, ut omnia paupertatis mala ferat, ubi id, quod habet, dederit. Hæc igitur vidua plura dat, quam cæteri, ſi animum illius, ſi voluntatem ſpectes, & ſi comparare velis illud, quod erogat, cum eo, quod habet, idemque in eo, quod divites faciunt velis exiſtimare [6].

℣. 44. OMNES ENIM EX EO, QUOD ABUNDABAT ILLIS.] Græcus [7]: *Alii dederunt ex iis, quæ ſibi erant ſuperflua; hæc vero, quæ ſibi erant neceſſaria*; vel quæ ſibi deerant; *dedit omnem vitam ſuam*; ea de-

C dit, quibus ſe ſe orbare non poterat, quin periculum ſubiret fame emoriendi. Hac nulla eſt liberalitas major. Quod hæc mulier præſtitit, opus fuit ſupererogationis. Quid autem exiſtimandum de fide illius in eſſentialibus Religionis officiis explendis, cum adeo fervens fuerit in iis, quæ ex mera pietate ſua ultro pendebant?

---

1 Τῶν θελόντων περιπατεῖν ἐν στολαῖς. 2 Num. 15. 38. Deut. 22. 12.
3 Vide Marc. 16. 15. Luc. 15. 22. Apoc. 6. 11. 7. 9. 13. 14.
4 Vide Grotium & Ligfoot in hunc locum. 5 Ambroſ. lib. de Viduis, cap. 5. *Uberior eſt enim nummus e parvo; quia non quantum detur, ſed quantum reſideat, expenditur.*
6 Vide Grot. hic. Chryſoſt. homil. 19. in Joan. Et ad 2. Cor. 9. 7. Cyprian. de opere & Eleemoſynis.
7 Πάντες γὰρ ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς. Ἡ δὲ ἐκ τῆς ὑστερήσεως αὐτῆς, ὅλον τὸν βίον αὐτῆς.

CAPUT XIII.

Evertendi Templi prædictio. Terribilis hujus eventus præſagia. Deſolationis abominatio. Pſeudo-Chriſti, & Pſeudo-Prophetæ. JESU CHRISTI adventus in nubibus. Parabola ficus folia producentis. Jugis vigilantia.

1. ET cum egrederetur de templo, ait illi unus ex diſcipulis ſuis: Magiſter, aſpi-
ce, quales lapides, & quales ſtructuræ. 2 Et reſpondens Jeſus, ait illi: Vi-
des has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem,
qui non deſtruatur. 3 Et cum ſederet in Monte olivarum contra templum, interro-
gabant eum ſeparatim Petrus, & Jacobus, & Johannes, & Andreas. 4 Dic nobis,
quando iſta fient? & quod ſignum erit, quando hæc omnia incipient conſummari? 5
Et reſpondens Jeſus cœpit dicere illis: Videte, ne quis vos ſeducat: 6 Multi enim
venient in nomine meo, dicentes, quia ego ſum: & multos ſeducent: 7 Cum au-
dieritis autem bella, & opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri, ſed
nondum finis. 8 Exurget enim gens contra gentem, & regnum ſuper regnum, & e-
runt terræmotus per loca, & fames. Initium dolorum hæc. 9 Videte autem voſmet-
ipſos. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis vapulabitis, & ante præſides,
& reges ſtabitis propter me, in teſtimonium illis, 10 Et in omnes gentes primum

opor-

oportet prædicari Evangelium. 11 Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogi-
tare quid loquamini: ſed quod datum vobis fuerit illa hora, id loquimini: non enim
vos eſtis loquentes, ſed Spiritus Sanctus. 12 Tradet autem frater fratrem in mor-
tem, & pater filium: & conſurgent filii in parentes, & morte afficient eos. 13 Et
eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus
erit. 14 Cum autem videritis abominationem deſolationis, ſtantem ubi non debet,
qui legit, intelligat; tunc qui in Judæa ſunt, fugiant in montes: 15 Et qui ſuper
tectum, ne deſcendat in domum, nec introeat, ut tollat quid de domo ſua: 16 Et
qui in agro erit, non revertatur retro tollere veſtimentum ſuum. 17 Væ autem præ-
gnantibus, & nutrientibus in illis diebus. 18 Orate vero, ut hyeme non fiant. 19
Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam
condidit Deus, uſque nunc, neque fient. 20 Et niſi breviaſſet Dominus dies, non
fuiſſet ſalva omnis caro: ſed propter electos, quos elegit, breviavit dies. 21 Et
tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, ne crediderítis. 22 E-
xurgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna, & portenta ad ſe-
ducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos. 23 Vos ergo videte, ecce prædixi vobis o-
mnia. 24 Sed in illis diebus poſt tribulationem illam, ſol contenebrabitur, & luna
non dabit ſplendorem ſuum. 25 Et ſtellæ cœli erunt decidentes, & virtutes, quæ
in cœlis ſunt, movebuntur. 26 Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubi-
bus cum virtute multa, & gloria. 27 Et tunc mittet angelos ſuos, & congregabit
electos ſuos a quatuor ventis, a ſummo terræ uſque ad ſummum cœli. 28 A ficu au-
tem diſcite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, & nata fuerint folia, co-
gnoſcitis, quia in proximo ſit æſtas. 29 Sic & vos cum videritis hæc fieri, ſcitote,
quod in proximo ſit in oſtiis. 30 Amen dico vobis, quoniam non tranſibit gene-
ratio hæc, donec omnia iſta fiant. 31 Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem
mea non tranſibunt. 32 De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque angeli in
cœlo, neque Filius, niſi Pater. 33 Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim
quando tempus ſit. 34 Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum ſuam,
& dedit ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis, & janitori præcepit, ut vigilet.
35 Vigilate ergo (neſcitis enim quando dominus domus veniat: ſero, an media no-
cte, an galli cantu, an mane.) 36 Ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes.
37 Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

℣. 1. AIT ILLI UNUS EX DISCIPULIS.] Narrat S. Matthæus 24. 3. JESUM e Templo egreſſum, ut de more extra urbem ſeſe reciperet, diſcipulos ad illum acceſſiſſe, ut eximiam ædificiorum Templi pulchritudinem indigitarent. At S. Marcus ſignanter nobis ait, unum ex diſcipulis illi oſtendiſſe *lapides, & ſtructuras*. Joſephus Antiqu. l. 15. c. 14. ait, Magnum Herodem, ubi opus ſuſcepit veteris Templi diruendi, ac novi ædificandi, quamplurima undequaque cæmenta comparaſſe, & ad ſuperbum hoc ædificium extruendum decem opificum millia annos in octo conduxiſſe. Templum hoc ædificatum erat ex candentibus, duriſque lapidibus, quorum longitudo erat cubitorum quinque, & viginti; altitudo octo, & duodecim latitudo. Hoc erat ex magnificentiſſimis Orientis operibus, & fortaſſe reliqua nitore, ac ſumptu ſuperabat. Apoſtoli, qui Galilæi erant, & qui ter ad ſummum quotannis Jeroſolymam aſcendebant, non admirari non poterant tantam hanc lapidum congeriem, ſtructuramque ſuperbam adeo, & magnificam.

℣. 2. NON RELINQUETUR LAPIS SUPER LAPIDEM.] Hoc adimpletum fuit poſt elapſos a Salvatoris obitu annos quadraginta; Romanis molem eam evertentibus.

℣. 3. INTERROGABANT EUM SEPARATIM PETRUS, ET JACOBUS &c.] S. Matthæus ait, Diſcipulos ſimul omnes in communi hac de re illum interrogaſſe. Verum quatuor Apoſtoli, qui iſthic memorantur, ipſum allocuti ſunt.

A ℣. 4. DIC NOBIS, QUANDO ISTA FIENT?] Quandonam eveniet hoc excidium Templi? quod ipſe noviſſime de Templo egrediens, non enim deinde amplius illuc acceſſit, portenderat. Reſponſio ad hanc Apoſtolorum quæſtionem inferius tantum legitur ℣. 32. *De die autem illo, vel hora, nemo neſcit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, niſi Pater.* Quæ leguntur a ℣. 4. ad 32. prolixior eſt eorum explicatio, quæ paucis dixerat: *non relinquetur lapis ſuper lapidem*.

℣. 6. MULTI ENIM VENIENT DICENTES: QUIA EGO SUM.] Ante Jeroſolymæ, Templique excidium plures extiterunt in Iſrael Pſeudo-Prophetæ S. Joannes Evangeliſta in priori Epiſtola ævo ſuo plures fuiſſe teſtatur *Antichriſtos*, vel JESU CHRISTI adverſarios. At ſi ad illud duntaxat tempus noſmet coarcta-
B re velimus, quod Jeroſolymitanum excidium præceſſit, quoniam S. hujus Apoſtoli epiſtolæ poſt tempus illud ſcriptæ feruntur [1]: in Antichriſtorum, & Pſeudo-prophetarum numero recenſeri poſſunt, Theudas uterque, quorum poſterior a Fado Præſide deletus fuit; Simon Magus, & Ægyptius ille, qui Felice provinciam eam obtinente prodiit, & alius, cum eidem Portius Feſtus præeſſet. Vide Commentarium noſtrum in S.Matthæum 24.5. & in primam S. Johannis Epiſtolam.

℣. 8. EXURGET GENS CONTRA GENTEM.] Hoc innuere poteſt varias Judæorum defectiones, & nonnullarum civitatum in illos concitationes. Hi nonnullis in locis cæſi fuerunt, Alexandriæ, Tyri, Cæſareæ, Scythopoli, Aſcalone [2]. Ini-

1 Circa ann. 96. vel 97. J. C.

2 Joſeph. de Bello lib. 2. cap. 19. in Latino pag. 813. & ſequ.

INITIUM DOLORUM HÆC.] Græcus [1]: *initium dolorum partus*. Cum hæc fieri videbitis, aſſerere poteritis, quamprimum ſummum excidium futorum; non ſecus ac parturientis dolores partus imminentis indicia ſunt. Prophetæ ea mala, quæ populis intentant, ſæpe parturientis doloribus comparant.

℣. 9. TRADENT ENIM VOS IN CONCILIIS.] Hæc omnia ad litteram adimpleta ſunt in Apoſtolorum perſona ante Jeroſolymitanum excidium. Judæi eos Jeroſolymam ad Tribunal arripuerunt [2]: illi in Synagogis virgis cæſi ſunt [3]; Ad Judææ præſides [4], Reges, & Imperatores [5] adducti ſunt: quæ omnia palam referuntur in Actis Apoſtolorum, quæ de SS. Petro, & Paulo dumtaxat ferme loquuntur: ſi enim aliorum Apoſtolorum hiſtoriam haberemus, hoc ipſum in aliis oſtenderemus, quod in duobus iſtis, quorum facta nobis magis ſunt comperta, & explorata.

℣. 10. IN OMNES GENTES PRIMUM OPORTET PRÆDICARI EVANGELIUM.] Antequam Templum exſcinderetur Paulus unus [6] Evangelii lucem in pleraſque Romani Imperii Provincias attulerat [7]: Alii vero Apoſtoli & ipſi eodem pacto adlaboraverant. S. Petrus Apoſtolus priorem epiſtolam mittit ad Fideles Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithiniæ; Paulus vero ad Romanos 1. 8. ſcribit, fidei ſuæ famam in omnes terrarum plagas jam percrebuiſſe.

℣. 11. NOLITE PRÆCOGITARE.] Salvator hoc ipſum jam dixerat alia in occaſione, *Matth.* 10. ℣. 19. 20. Vide etiam *Luc.* 12. 11.

℣. 12. TRADET AUTEM FRATER FRATREM IN MORTEM.] Apoſtoli nullos infenſiores, acrioreſque inimicos nacti ſunt, quam Judæos fratres; qui eos ubique perſecuti ſunt, & coram Ethnicis, atque Judicibus nationis ſuæ.

℣. 14. CUM AUTEM VIDERITIS ABOMINATIONEM DESOLATIONIS.] Videri poteſt Commentarium noſtrum in S. Matthæum 24. 15. & *Dan.* 9. 26. & item pro ſequentibus Verſiculis.

℣. 24. SOL CONTENEBRABITUR.] Hæ loquendi rationes meræ figuræ ſunt, atque omnimodam vaſtitatem deſignant. Prophetæ illis ſæpius utuntur [8], ubi populis nationum integrum portendunt excidium. Earum vero ad litteram neque ante, neque poſt Jeroſolymitanum excidium quærendum complementum eſt. Vulgo aliquis in tenebris, ac umbra mortis verſari dicitur, cum extremis, & inopinis malis obruitur. Hæc vero ſigna ſub mundi finem, & ante extremum Judicium vere in Cœlo apparitura creduntur. Vide Matth. 24. 29.

℣. 30. NON TRANSIBIT GENERATIO HÆC.] Hæc verba maxime favent illis, qui hoc de Jeroſolymitano excidio cenſent intelligendum: & nullus dubito, quin hic verus ſit, ac litteralis eorum ſenſus; quin tamen inficias eam, alio in ſenſu intelligendum quoque cum priſcis Patribus de noviſſimo Judicio, cujus ſymbolum, & præcurſor quodammodo fuit Jeroſolymæ interitus.

℣. 32. DE DIE AUTEM ILLO, VEL HORA NEMO SCIT &c.] Apoſtoli ex eo quæſierant ℣. 4. *Dic nobis, quando iſta fient; & quod ſignum erit, quando hæc omnia incipient conſummari?* Alteri interrogationis parti in reliqua Capitis parte reſpondit: eique dixit, ſe poſſe quidem ſem ipſam porſeodere, & illis indigitare ſigna, & oſtenta, quæ eam præcedent, ac circumſtantias, quæ illam concomitabuntur; ſed temporis, & horæ ſibi Patrem reſervaſſe cognitionem, & nolle ea hominibus neque per ſe, neque per Angelos, neque per Prophetas, neque per Filium ſuum revelari; demum ſecreto hoc humanis mentibus invio nos in vigilantia, jugique cura vult continere, ac in nobis vanam curioſitatem, & perquiſitiones ad ſalutem conſequendam inutiles coercere. Fuſius locum hunc pertractavimus in S. Matthæum cap. 24. 36.

℣. 34. SICUT HOMO, QUI PEREGRE &c.] Videtur S. Marcus in hoc, ac ſubſequentibus tribus Verſiculis complexi voluiſſe ea, quæ in S. Matthæo leguntur 24. ℣. 42 & ſequen. uſque ad 51. Paterfamilias eſt JESUS, ſervi, quibus rei familiaris curam reliquit, ſunt Apoſtoli eorumque ſucceſſores: omnibus præcipit, ut vigilent, horam adventus ſui, hoc eſt mortis ſuæ, vel tempus, quo Judicium ſuum in Judæos exercebit, expectent.

℣ 37. QUOD AUTEM VOBIS DICO &c.] Eccleſiæ Capita jugiter, & accurate magis, quam ceteri Fideles vigilare tenentur; ſed hi quoque ſibi met ipſis invigilent, opus eſt. Omnes Chriſtiani, qui a Jeſu Chriſti Reſurrectione ad Jeroſolymitanum excidium vixere, conſtantem fovere debuerunt ſpem, futurum ut viderent adimpleta ea, quæ hoc in Capite Jeſus Chriſtus portendit. Nunc cum hæc omnia contigerint, nobis ſollicite expectanda eſt noviſſimi Judicii dies, cujus nonniſi imago fuit Jeroſolymæ vaſtitas.

---

1 Ἀρχαὶ ὠδίνων ταῦτα. 2 Act. 4. 3. 5. 6. &c. 3 Act. 6. 9. 22. 19. &c.
4 Act. 24. 21. 5 Act. 15. 13. & ſeq. 6 Act. 25. 10. & 2. Timoth. 4. 16.
7 Rom. 15. 19. Galat. 1. 17. 18. 19. &c. Act. paſſim. 8 Iſai. 13. 9. 10. 24. 23. 60. 20. Ezech. 32. 7. 8. Joel. 2. 30. &c.

CAPUT XIV.

Conſilium ineunt Sacerdotes, ut JESUM capiant. Hic Bethaniæ cœnat apud Simonem Leproſum, ubi mulier quædam ſuper pedes illius effundit unguentum. Judæ obmurmuratio. Noviſſima JESU CHRISTI cœna. Prædictio proditionis Judæ. JESUS inſtituit Euchariſtiam. In hortum ſecedit, orat, capitur. Diſcipulorum fuga. Ad Caipham adductus morte damnatur. S. Petrus eum negat.

1. ERat autem Paſcha, & Azyma poſt biduum, & quærebant ſummi ſacerdotes, &
Scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. 2 Dicebant autem: Non
in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo. 3 Et cum eſſet Bethaniæ in domo Si-
monis leproſi, & recumberet: venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati
pretioſi, & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput ejus. 4 Erant autem quidam indigne
ferentes intra ſemetipſos, & dicentes: Ut quid perditio iſta unguenti facta eſt? 5

Poterat

Poterat enim unguentum iſtud venumdari plus quam trecentis denariis, & dari paupe-
ribus. Et fremebant in eam. *6* Jeſus autem dixit : Sinite eam, quid illi moleſti eſtis?
Bonum opus operata eſt in me, *7* Semper enim pauperes habetis vobiſcum : & cum
volueritis, poteſtis illis benefacere, me autem non ſemper habetis. 8 Quod habuit
hæc, fecit : prævenit ungere corpus meum in ſepulturam. *9* Amen dico vobis : Ubi-
cumque prædicatum fuerit Evangelium iſtud in univerſo mundo, & quod fecit hæc,
narrabitur in memoriam ejus. 10 Et Judas Iſcariotes, unus de duodecim, abiit ad
ſummos ſacerdotes, ut proderet eum illis. 11 Qui audientes gaviſi ſunt : & promiſe-
runt ei pecuniam ſe daturos. Et quærebat, quomodo illum opportune traderet. 12 Et
primo die Azymorum quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli : Quo vis eamus,
& paremus tibi, ut manduces Paſcha? 13 Et mittit duos ex diſcipulis ſuis, & dicit
eis : Ite in civitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, ſequimini eum:
14 Et quocumque introierit, dicite domino domus, quia magiſter dicit : Ubi eſt refe-
ctio mea, ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? 15 Et ipſe vobis demonſtrabit
cœnaculum grande, ſtratum, & illic parate nobis. 16 Et abierunt diſcipuli ejus, &
venerunt in civitatem, & invenerunt, ſicut dixerat illis, & paraverunt Paſcha. 17
Veſpere autem facto, venit cum duodecim. 18 Et diſcumbentibus eis, & manducan-
tibus, ait JESUS : Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat
mecum. 19 At illi cœperunt contriſtari, & dicere ei ſingulatim : Numquid ego? 20
Qui ait illis : Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. 21 Et Filius
quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de eo : væ autem homini illi, per quem Fi-
lius hominis tradetur : bonum erat ei, ſi non eſſet natus homo ille. 22 Et mandu-
cantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait : Sumite,
hoc eſt Corpus meum., 23 Et accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex
illo omnes. 24 Et ait illis : Hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis ef-
fundetur. 25 Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, uſque
in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei. 26 Et hymno dicto exierunt in
Montem olivarum. 27 Et ait eis Jeſus : Omnes ſcandalizabimini in me in nocte iſta :
quia ſcriptum eſt : Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves. 28 Sed poſtquam re-
ſurrexero, præcedam vos in Galilæam. 29 Petrus autem ait illi : Et ſi omnes ſcanda-
lizati fuerint in te, ſed non ego. 30 Et ait illi Jeſus : Amen dico tibi, quia tu ho-
die in nocte hac, priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. 31 At
ille amplius loquebatur : Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. Si-
militer autem & omnes dicebant. 32 Et veniunt in prædium, cui nomen Gethſemani.
Et ait diſcipulis ſuis : Sedete hic, donec orem. 33 Et aſſumit Petrum, & Jacobum,
& Joannem ſecum : & cœpit pavere, & tædere. 34 Et air illis : Triſtis eſt anima mea
uſque ad mortem : ſuſtinete hic, & vigilate. 35 Et cum proceſſiſſet paululum, pro-
cidit ſuper terram, & orabat, ut ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora. 36 Et dixit :
Abba pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem hunc a me, ſed non quod ego
volo, ſed quod tu. 37 Et venit, & invenit eos dormientes. Et ait Petro : Simon,
dormis? non potuiſti una hora vigilare? 38 Vigilate, & orate, ut non intretis in ten-
tationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro vero infirma. 39 Et iterum abiens o-
ravit eundem ſermonem dicens. 40 Et reverſus denuo, invenit eos dormientes (erant
enim oculi eorum gravati) & ignorabant, quid reſponderent ei. 41 Et venit tertio,
& ait illis : Dormite jam, & requieſcite. Sufficit : venit hora, ecce Filius hominis tra-
detur in manus peccatorum. 42 Surgite, eamus : ecce qui me tradet, prope eſt. 43
Et adhuc eo loquente, venit Judas Iſcariotes unus de duodecim, & cum eo turba mul-
ta cum gladiis, & lignis, a ſummis ſacerdotibus, Scribis, & ſenioribus. 44 Dederat
autem traditor ejus ſignum eis, dicens : Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete
eum, & ducite caute. 45 Et cum veniſſet, ſtatim accedens ad eum, ait : Ave Rabbi,
& oſculatus eſt eum. 46 At illi manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum. 47 U-
nus autem quidam de circumſtantibus educens gladium, percuſſit ſervum ſummi ſacer-
dotis, & amputavit illi auriculam. 48 Et reſpondens Jeſus, ait illis : Tamquam ad la-
tronem exiſtis cum gladiis, & lignis comprehendere me? 49 Quotidie eram apud vos
in templo docens, & non me tenuiſtis. Sed ut impleantur Scripturæ. 50 Tunc diſci-
puli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt. 51 Adoleſcens autem quidam ſequeba-
tur eum

Digitized by Google

tur eum amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum. 52 At ille rejecta ſindone,
nudus profugit ab eis. 53 Et adduxerunt Jeſum ad ſummum ſacerdotem: & convene-
runt omnes ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores. 54 Petrus autem a longe ſecutus eſt
eum, uſque intro in atrium ſummi ſacerdotis: & ſedebat cum miniſtris ad ignem, &
calefaciebat ſe. 55 Summi vero ſacerdotes, & omne concilium quærebant adverſus
Jeſum teſtimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. 56 Multi enim teſti-
monium falſum dicebant adverſus eum: & convenientia teſtimonia non erant. 57 Et
quidam ſurgentes, falſum teſtimonium ferebant adverſus eum, dicentes: 58 Quo-
niam nos audivimus eum dicentem: Ego diſſolvam templum hoc manufactum, & per
triduum aliud non manufactum ædificabo. 59 Et non erat conveniens teſtimonium il-
lorum. 60 Et exurgens ſummus Sacerdos in medium, interrogavit Jeſum, dicens:
Non reſpondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his? 61 Ille autem tacebat,
& nihil reſpondit. Rurſum ſummus ſacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es
Chriſtus filius Dei benedicti? 62 Jeſus autem dixit illi: Ego ſum: & videbitis Fi-
lium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli. 63
Summus autem ſacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait: Quid adhuc deſideramus teſtes?
64 Audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum eſſe
reum mortis. 65 Et cœperunt quidam conſpuere in eum, & velare faciem ejus, &
colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza: & miniſtri alapis eum cædebant. 66
Et cum eſſet Petrus in atrio deorſum, venit una ex ancillis ſummi ſacerdotis: 67 Et
cum vidiſſet Petrum calefacientem ſe, aſpiciens illum, ait: Et tu cum Jeſu Nazareno
eras. 68 At ille negavit, dicens: Neque ſcio, neque novi quid dicas. Et exiit fo-
ras ante atrium, & gallus cantavit. 69 Rurſus autem cum vidiſſet illum ancilla, cœ-
pit dicere circumſtantibus: Quia hic ex illis eſt. 70 At ille iterum negavit. Et poſt
puſillum rurſus, qui aſtabant, dicebant Petro: Vere ex illis es: nam & Galilæus es.
71 Ille autem cœpit anathematizare, & jurare: Quia neſcio hominem iſtum, quem di-
citis. 72 Et ſtatim gallus iterum cantavit. Et recordatus eſt Petrus verbi,
quod dixerat ei Jeſus: Prius quam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœ-
pit flere.

℣. 1. Erat autem Pascha, et azyma post biduum.] Hæc dicta, factaque ſunt feria quarta. Paſchatis feſtum incœpit feria ſexta; Veſpere, & Sabbatho celebratum fuit. Itaque inter feriam quartam, & Paſcha, feria quinta, & ſexta intercedebant.

℣. 2. Non in die festo.] Verentur Jeſum die feſto in Templo comprehendere in populi turba, ne quis tumultus exurgat; ſed illum ante feſtum diem, & clanculum vinculis adſtringere cupiunt. Judas illis viam aperuit, eum tradens noctu feriæ quintæ, adventante feria ſexta Paſchatis vigilia. Cum Jeſus Jeruſolymam præcipuis tantum feſtivitatibus accederet, ac ſtatim deinde in Galilæam reverteretur, ubi, ut plurimum permanebat, & ubi Sacerdotes Jeruſalem nullam poteſtatem habebant, eo quod ibi in aliena ditione verſare- B tur; nam Herodes in Galilæa, & Romani Jeroſolymæ dominabantur: minime illis ita facile fuiſſet Jeſum comprehendere, niſi voluiſſet, & non injuria hac de re ſolliciti erant, atque tanta cura metiebantur conſilia ſua, quibus illum comprehenderent.

℣. 3. Alabastrum unguenti nardi spicati.] Hæc cœna, cui Bethaniæ Jeſus interfuit apud Simonem leproſum, quinque diebus ante Paſchatis feſtivitatem peracta fuit [1]: hoc eſt die Dominico, quem *Palmarum* vocamus. S. Johannes eam ſuo retulit loco; ſed alii Evangeliſtæ hanc iſthic per anacephalæoſim memorarunt, ut oſtenderent, qua de cauſa Judas Magiſtrum prodiderit. Alabaſtrum non ſignificat ſolum vas ex Alabaſtrite lapide confectum: verum etiam quodvis aliud ad unguenta capienda accommodatum. Mulier, quæ ſuper Jeſum hoc unguentum effudit, erat Maria ſoror A Lazari, quemadmodum S. Johannes 12. 3. teſtatur. Attulit illa vas plenum unguenti ex nardo ſpicato compoſiti, quod majori erat in pretio, & melius ferebatur. Fregit illa, vel totum vas, quemadmodum S. Marcus inquit explicite [2], vel dumtaxat os illius, quemadmodum Auctores nonnulli putant, ut facilius inde unguentum difflueret [3]. Vide S. Matt. 26. 6. &c.

℣. 8. Quod habuit, hæc fecit.] Obſervantiam, atque amorem ſuum, quantum in ipſa fuit, mihi teſtata eſt: hac uti voluit occaſione, ut mihi honorem deferret, cum non alia ipſi facilior ſuppeteret. Quidam vertunt etiam [1]: fecit mihi ſacrificium illius rei, quam maxime pretioſam habebat. *Facere* ſæpius pro offerre in ſacrificium uſurpatur [4].

℣. 11. Quærebat, quomodo illum opportune traderet.] Sacerdotes plane Judæ ſollicitudinem ſuam aperuerunt, quoad circumſtantias temporis, quo Jeſus eſſet comprehendendus. Verebantur populi tumultum, & ne obeſſet occurſus diei Paſchatis. Hoc accidit, quemadmodum ante dictum eſt, die Dominico, ſexto videlicet ante feſtivitatem die: ideoque Judæ minime defuit tempus ſtudendi, quo pacto promiſſi ſceleris fidem præſtaret.

℣. 12. Primo die Azymorum.] Evangeliſta redit ad temporum ordinem, ubi ab eodem parum receſſiſſet, cauſam narraturus, quæ Judam compulit in proditionem. Miſit ergo Jeſus diſcipulos ſuos feria quinta ſub veſperam, aliquot horis, antequam feria ſexta inciperet, quæ ſub veſperam feriæ quintæ inchoabat. Feria autem ſexta erat dies Azymorum; ea enim die, C mane depiſebantur, & coquebantur; namque poſtmeridiem ejuſdem diei aliis panibus veſci per leges minime licebat. Ma-

1 Joan. 12. 1. 2 Συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον. Hæc altera circumſtantia ab aliis Evangeliſtis non adnotatur. 3 P. Martianæus in Notis in S. Marcum. 4 Exod. 12. 47. & 15. 15.

℣. 14. Magiſter dicit: ubi eſt refectio mea? ubi Paſcha &c.] Homo hic plane noverat Jeſum, ejuſque Apoſtolos. Cives Jeruſalem hoſpitibus gratis præbebant cubicula, ubi Paſchalem victimam comederent; quilibet vero maturato propter hoſpitum confluentium multitudinem, cœnaculum aliquod ſibi comparabat, quod ab omni fermento poſſent expurgare, ibique tricliniares lectulos, & quodcumque neceſſarium diſponere. Ad hoc autem Jeſus miſit Petrum, & Johannem. Vide S. Matthæum cap. 26. ℣. ℣. 17. 18. 19. Græcus ad litteram [1]: ubi eſt *cubile meum*, vel hoſpitium, *ubi manducem Paſcha cum diſcipulis meis*.

℣. 15. Coenaculum grande stratum [2].] Tapetibus, vel tricliniaribus lectulis ornatum. Hi lectuli triplici ex latere menſam circuibant; quartum enim latus patebat, ut menſa pararetur, & apponerentur fercula, & auferrentur.

℣. 22. Manducantibus illis accepit Jesus panem.] Benedixit Deum, panem accipiens; benedictiones enim panis, ac vini fiebant, Deum laudando, eique gratias agendo. S. Marcus ne verbum quidem fecit de pedum ablutione, quam Jeſus Chriſtus poſt inſtitutionem Sacramenti ſui Corporis, & Sanguinis exercuit. Joan. 13. 1.

℣. 24. Hic est Sanguis meus novi testamenti.] Hoc dixit Jeſus, antequam diſcipuli ex eo guſtaſſent [3]. Vide S. Matth. 26. 28. Luc. 22. 20. 1. Cor 2. 25.

℣. 25. Non bibam de hoc genimine vitis.] Hæc erit ultima cœna, qui vobiſcum ante meam mortem interero; ſed poſt Reſurrectionem meam iterum reviſam vos, iterumque vobiſcum veſcar. Hoc illud eſt tempus, quod Dei Regnum appellat, *uſque in diem illum, cum illud bibam novum in Regno Dei*.

℣. 27. Omnes scandalizabimini.] Omnes quidem mortis meæ occaſione deficietis; at non omnes æque. Alii fugam arripient, alii me abdicabunt; omnes graviſſimam præſeferent animi infirmitatem.

℣. 28. Præcedam vos in Galilæam.] Antequam domos veſtras revertamini, in Galilæam redibo. Reverſi videbitis me ſtatim poſt Paſchatis feſtivitatem.

℣. 30. Priusquam gallus &c.] Gallus, ut plurimum, non ſemel ſub diluculum canit. Inter primam alteramque S. Petri negationem una circiter hora elapſa eſt [4].

℣. 35. Ut si fieri posset, transiret ab eo hora.] Hora pro neceſſitate patiendi uſurpatur. Interim pars humana infirmitas ad ſuppliciorum impendentium adſpectum contremiſcit. S. Matthæus *calicis* nomine illud ipſum expreſſit, quod S. Marcus *horam* vocavit.

℣. 36. Abba pater.] *Abba* Syriaca vox eſt; *Pater* Græce, & Latine. S. Marcus in deliciis habet ita Syriacas voces ſuo textui inſerere. S. Paulus ſimiliter ait; *Abba Pater* Rom. 8. 15. Galat. 4. 6.

℣. 37. Simon dormis?] Ne una quidem hora mecum vigilare potuiſti; ubi ergo virtus tua, ubi promiſſiones eæ? Itane paratus es mecum mortem ſubire [5]? oſtendis quidem *ſpiritum promptum eſſe, carnem autem infirmam*. Non exiguum diſcrimen adeſt inter ſententiam, quam aliquando præ nobis ferimus, & verum cordis habitum, inter ardentem quidem, ſed infirmam voluntatem, & conſilium certum, atque confirmatum: denique inter hominem, qui nimium propriis viribus confidit, & eum, qui omnem ſpem unice in Deo conſtituit.

℣. 40. Erant enim oculi eorum gravati.] Somno graves erant, neque amplius reſiſtere poterant, quin præ laſſitudine clauderentur: veluti hi, qui cum primum quidem dormiendi cupiditati minime obſiſte-

A rint, in eum ſoporem decidunt, quem mox excutere minime poſſunt.

℣. 41. Dormite jam, et requiescite: sufficit.] Satis vigilatum eſt, ſomno date lumina poteſtis, ſi vultis. Pro me quidem advenit hora, & de me conſilium jam captum eſt. Urget momentum illud, de quo toties vos allocutus ſum, & quo in manus inimicorum meorum tradendus ſum. Græcus verti poteſt [6]: *dormite jam, & requieſcite. Jam actum eſt*; conſilium meum jam captum eſt. Vel [7]; *Venit finis*; ſufficit; vel cum Vatablo: *alio tempore dormietis, et quieſcetis; nunc ſatis eſt*. Poteſt etiam intelligi, veluti ironice dictum: Vel tamquam appoſito interrogationis ſigno legi: cur dormitis, & requieſcitis? Vide S. Matt. 26. 45.

℣. 44. Tenete eum, et ducite caute.] Ne e

B manibus veſtris elabatur. Verebatur quippe, ne ſi res e voto non ceſſiſſet, proditionis pretium non ferret.

℣. 47. Amputavit illi auriculam.] Voces quibus quatuor Evangeliſtæ [8] utuntur, ſatis aperte innuunt, aurem omnino abſciſſam fuiſſe: et S. Lucas cap. 22. 51. immediate ſtatim innuit, eam a Malchi capite omnino ſejunctam non fuiſſe; quoniam ait eam ſtatim curatam fuiſſe, ubi Salvator attigit illam; quam circumſtantiam Evangeliſtæ cæteri prætereierunt. S. Johannes docet, auriculam hanc, & a Petro, & Malcho fuiſſe amputatam. *Malchus* Syriace regem ſignificat.

℣. 51. Adolescens autem quidam.] Non ſatis liquet, quinam fuerit hic adoleſcens, nec qua de cauſa Salvatorem ſequeretur. Creditur [9] ſimplici curioſitate illuc adſectus fuiſſe, & audito ſtrepitu in domo

C Gethſemani, ubi cubaverat, conſurrexiſſe; & illuc cucurriſſe, ut quid fieret, intueretur: quem cum Satellites diſcipulum Jeſu eſſe putarent, illum quoque comprehendere voluerunt. S. Hieronymus [10], vel Auctor, qui ſub nomine illius in Pſalmos circumfertur, atque S. Epiphanius [11] crediderunt, hunc eſſe S. Jacobum Domini fratrem, qui Juſtus appellabatur, quam ſententiam complures veteres complexi ſunt, teſte Theophylacto, qui eamdem minime refellit. Ratio vero, qua ad eamdem probandam utuntur, ea eſt, quod Sanctus ille vir lineas deferret veſtes, Sacerdotum more, & linteum illud, quo erat indutus, vere Sacerdotale Ephod eſſet. Nemo opinionis hujus infirmitatem non ſentit.

Patres alii [12] hunc Johannem Evangeliſtam fuiſſe te-

D ſtantur: cui ſententiæ S. Johannis, qui adoleſcentulus adhuc eſſe debebat, ætas originem præbere potuit. Putat Theophylactus [13], illum aliquem fuiſſe ex ea domo, ubi Dominus cœnaverat, una cum Apoſtolis ſubſequutum de Civitate Jeſum egredientem, ut in hortum Olivarum proficiſceretur. Sancti Chryſoſtomus in Matth. hom. 66. & Hieronymus ep. 16. tenent, S. Johannem cum aliis Apoſtolis non fugiſſe, atque ab eo S. Petrum in Caiphæ domum introductum fuiſſe: at eum hunc adoleſcentem, de quo hic ſermo, non aſſerunt.

Amictus syndone super nudo.] *Syndon* non ſignificat ſimpliciter linteum, vel telam, qua aliquis involvi ſe poterat: ſignificat etiam linteum veſtimentum, quo noctu utebantur: ſubuculam, vel induſium, quo induti nonnumquam cubabant [14], eamque

E *veſtem cubitariam* Petronius appellat. S. Dionyſius Alexandrinus de ſe ipſo verba faciens ait, ſe in linea veſte nocte cubaſſe [15]. Maldonatus hoc intelligit de veſte quadam ad frigus arcendum inventa, veluti chlæna. Et ſane Syndon apud Phœnices veſtimenti genus adverſus frigoris vim fuiſſe videtur. Inquit Evangeliſta,

1 Ποῦ ἐστι τὸ κατάλυμα ὅπου τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου φάγω.
2 Ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον. 3 Brug. Bez. alii. 4 Marc. 14. 68. Luc. 22. 59. & Marc. 14. 72.
5 Luc. 22. 33. 6 Καθεύδετε τὸ λοιπὸν, καὶ ἀναπαύεσθε. Ἀπέχει.
7 Grot. Camer. Salmas. Cleric. Græci quidam. Ἀπέχει τὸ τέλος. Vide Mill.
8 Matth. 26. 51. Et Marc. hic. Ἀφεῖλεν αὐτοῦ τὸ ὠτίον. Luc. 22. 50. Ἀφεῖλεν αὐτοῦ τὸ οὖς τὸ δεξιόν. Joann. 18, 10. Ἀπέκοψεν αὐτοῦ τὸ ὠτίον τὸ δεξιόν. 9 Maldon. Gent. alii.
10 Hieronym. ſeu alius in Pſalm. 37. 11 Epiphan. hæreſ. 78. Elias cret. ad orat. 11. Nazianz. contra Arianos. 12 Chryſoſtom. in Pſalm. 13. Ambroſ. in Pſalm. 36. Gregor. lib. 14. moral. cap. 24. Beda hic: & Author. Hiſt. Scholaſt. Baron. 13 Theophylact. hic, & Euthym. hic & Caſaubon. in Baron. Exercit. 18. 14 Kimchi, lib. *Radicum*. [illegible]
15 Dionyſ. Alexand. apud Euſeb. l. 6. c. 40.

ſta, huncadoleſcentem ſindone omnino fuiſſe involutum [1]: & Martialis l. 4. Epigr. 19. ait, Tyriam, vel Phœniſſam ſindonem, quę eadem erat plane ac Judaica, hominem a ventis, imbribuſque ſatis tueri potuiſſe.

Ridebis ventos hoc munere tectus, et imbres;
Nec ſic in Tyria Sindone tutus eris.

Fortis apud Salamonem Prov. 31. 24. mulier ſindones has elucubrabatur, eaſque Phœnicibus vendebat. Baronius, & Ciacconius putant, hoc peculiare fuiſſe veſtimenti genus, quo menſæ accumbentes induebantur. Ligfoot vero in hor. Hebraic. cenſet, hanc eſſe Judæorum veſtem, quam *Thalith* appellabant, & quæ lineum erat pallium, quod & hyeme, & ęſtate Jeroſolymæ geſtabatur; ; & cui fimbrias, & lemniſcos, de quibus loquitur Moyſes Num. 15. 38. aſſuebant. Ferebatur autem ſupra tunicam, quæ idem fermeerat, ac nobis induſium. Sed ait Evangeliſta, adoleſcentem hunc ſindone involutum fuiſſe ſuper nudo, fortaſſe mortificationis ergo: non ſecus ac plurimi Judæorum duro, atque acerbo vivendi genere ſe ſe exercebant. Hæc Auctoris illius ſententia eſt. Ego vero intelligere malim de ſindone Phœnicum, quæ linea quidem erat, ſed plane duplex: eratque ſuperior veſtis, quæ in Scripturis vulgo *pallium* vocatur. Pallium ex lino contextum *ſindon*; ex panno vero, vel pelle aſſutum, aliis nominibus appellabatur.

ET TENUERUNT EUM.] Græcus [2]: *adoleſcentes tenuerunt eum*, videlicet *milites*, qui venerant, ut Jeſum Chriſtum comprehenderent. Milites ſæpe *adoleſcentes* vocantur; hæc enim ætas militiæ nomen dare cogebatur [3]. Exilis hæc circumſtantia a S. Marco allata palam probat ſinceritatem, qua ſcribit, & narrationis ſuæ veritatem.

℣. 53. ADDUXERUNT JESUM AD SUMMUM SACERDOTEM.] In Annæ domum, Veteris Summi Sacerdotis, & Soceri Caiphæ, qui cum Anna eadem in domo commorabatur. Jeſus primum quidem ad Annam adductus fuit [4]; verum ſine concilio, atque ſine ulla judicii forma: ubi Pontificis illius ſervus JESU alapam impegit. S. Marcus aliique Evangeliſtæ primam hanc a JESU quæſtionem habitam omittunt; & de ea tantum verba faciunt, quam ſubiit coram Caipha, & juridico Sacerdotum concilio, de qua hic verba fiunt.

℣. 54. PETRUS AUTEM A LONGE SECUTUS EST EUM USQUE INTRO IN ATRIUM SUMMI SACERDOTIS,] quo admiſſus fuit a diſcipulo, qui ee in domo cognitus erat [5], & quem plures S. Iohannem Evangeliſtam fuiſſe arbitrantur.

SEDEBAT AD IGNEM,] qui medius in atrio accenſus fuerat, ut qui JESUM CHRISTUM comprehenderant, calefierent. Græcus [6] ait, illum *ſe ſe ad lumen calefeciſſe*, quod idem eſt: Hebræi enim, & Græci ignem nonnumquam lumen appellant [7].

℣. 56. CONVENIENTIA TESTIMONIA NON ERANT.] Teſtes inter ſe minime conſtabant; vel potius: teſtimonia eorum minime ſufficiebant. Conſentiebant quidem dicentes, JESUM CHRISTUM minitatum fuiſſe, ſe Dei templum everſurum, illudque intra tres dies inſtauraturum; ℣. 58. Verum hoc minime ſatis erat, ut ille morti damnaretur: liquebat enim, ipſum nihil tale, aut feciſſe umquam, aut conatum eſſe. Simplex voluntas minime damnatur, niſi vel effectus, vel conatus aliquis eam ſubſequatur. Textus ad litteram habet [8]: *iterum teſtimonia æqualia non erant*, ponderis æqualis, quemadmodum cum ex duabus rebus in libra appenſis neutra pondere præſtat. Ea, quæ illi criminabantur, neqeaquam tanti erant ponderis, ut libræ lanx ad mortem vergeret [9]. Quæſiverunt nonnulli [10], quanam in re falſi teſtes minime convenerint, ibique diſcrimen aliquod ſe ſe deprehendere crediderunt, quod tamen exiguum eſt adeo, ut vix intelligatur.

℣. 58. TEMPLUM HOC MANUFACTUM.] Hæc falſorum teſtium additamentum eſt. JESUS enim CHRISTUS id minime dixerat, ſed de corpore ſuo verba faciens hoc tantum protulerat: *ſolvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Joan. 2. 19.

℣. 61. TU ES CHRISTUS &c.] S. Matthæus 26. 63. ait, Summum Pontificem interpoſito Dei viventis nomine illum adegiſſe, ut aſſereret, utrum CHRISTUS eſſet, & tunc JESUM reſpondiſſe.

℣. 63. SCINDENS VESTIMENTA SUA.] Græcus [11]: *tunicas ſuas*. Una dumtaxat tunica ut plurimum deferebatur: ſed propter nocturnum frigus duabus fortaſſe indutus erat. Hæ autem communes erant veſtes, non pontificiæ dignitatis ornamenta.

℣. 64. CONDEMNAVERUNT EUM.] Judicium hoc omnimode erat irregulare. Ipſi & Judices erant, & actores. Non conſueverant in Iſrael noctu jure agi, neque nocturna habere concilia; ideoque illud nonniſi conciliabulum haberi poterat. Itaque, ut huic malo mederentur, mane in Sanhedrin omnes convenere. Vide primum Capitis ſequentis verſiculum.

℣. 65. MINISTRI ALAPIS EUM &c.] Servi, lictores, Satellites, qui miſſi fuerant ad JESUM capiendum, alapis illum cædebant. Hoc actum in Atrio non procul ab igne ibi ſuccenſo, ubi S. Petrus ſe calefaciebat.

℣. 66. VENIT UNA EX ANCILLIS.] Oſtiaria videlicet, de qua S. Johannes 18. 16. verba facit, & a qua Petrus tamquam diſcipulus JESU cognitus fuit.

℣. 68. EXIIT FORAS ANTE ATRIUM, & GALLUS CANTAVIT.] S. Petrus conſcientiæ ſuæ ſtimulis actus, & veritus, ne apud alios rubore in faciem erumpente proderetur, veluti aliud agens ex eo cętu diſceſſit, receſſit in veſtibulum, quod ante januam [12], vel ante atrium patebat. Veſtibulum hoc, ut plurimum, locus tectus erat, atque columnis ſuffultus, qui in aditu domorum præſtantiſſimarum inveniebatur, ubi clientes, & qui ſua obituri negotia accedebant, præſtolarentur.

℣. 69. CUM VIDISSET ILLUM ANCILLA.] Ancilla hæc alia eſt a priori, juxta S. Matthæum 25. 7.

℣. 71. COEPIT ANATHEMATIZARE.] Cœpit id interpoſita jurisjurandi fide negare, vel in ſeipſum mala quælibet imprecari, ac in caput ſuum quamlibet calamitatem obteſtari, ſi JESUM cognoſceret.

℣. 72. STATIM GALLUS ITERUM CANTAVIT.] Hæc vox *ſtatim* eam reſpicit negationem, quæ poſt Galli cantum ſubſecuta eſt: nam apud veteres ſecundus Galli cantus noctis finem, atque diei initium ſignificabat [13].

ET COEPIT FLERE.] Græcus [14]: *egreſſus eſt, & flevit*. Receſſit, atque lacrymas effundere cœpit [15], vel repente in fletus erupit; lacrymas [16] cohibere non potuit. Alii vertunt, *flevit copioſe*, torrentem lacrymarum emiſit [17]. Theophylactus, Salmaſius, Voſſius, Coccius, aliique nonnulli verti vellent: *operuit caput ſuum, & flevit*. Hammondius: *conjectis oculis in JESUM* CHRI-

1 Περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ. 2 Κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι.
3 Caſaub. Druſ. Grot. Hamm. alii. Vide 70. in Joſue 2. 1. 6. 22. Iſai. 13. 18. & paſſim apud Polyb. & alios.
4 Joan. 18. 13. . . . . 24. 5 Joan. 18. 15.
6 Θερμαινόμενος πρὸς τὸ φῶς. 7 Exech. 5. 2. Dan. 5. 6. Ubi נור pro אש Et Euripid. Vide Grot. Vat. Hamm. 8 Καὶ ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν. 9 Vide Grot. Hamm.
10 Beza hic, Merill. 11 Διαρρήξας τοὺς χιτῶνας αὐτοῦ.
12 Ἐξῆλθεν ἔξω εἰς τὸ προαύλιον. Matth. 26. 71. Εἰς τὸν πυλῶνα.
13 Ariſtophan. Τὸ δεύτερον ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο. Juven. Satyr. 9.
Quod tamen ad cantum galli facit ille ſecundi.
14 Ἐπιβαλὼν ἔκλαιε. 15 Beze, Piſc. Mont. 16 Eraſm. Ludov. de Dieu.
17 Grot. Lud. de Dieu: Le Clerc, Heinſius: perinde ac diceretur, *addidit flere*. Verum hæc locutio non uſurpatur niſi cum eadem res jam facta eſt, & continuatur. Hic S. Petrus nondum ploraverat.

Christum ſe reſpicientem, atque in terram procumbens *ploravit*. Alii [1]: *reputans crimen ſuum, lacrymas effudit*. Hæc omnis varietas profecta eſt ex æquivoco Græcæ vocis *epiballo*; & cenſeo eam verſionem, quæ legit: *involvit ſe veſtibus ſuis, & in lacrymas erupit*,

A ad litteram præ ceteris magis accedere: S. Matthæus ſimpliciter ait [2]: *egreſſus foras flevit amare*. Vetus Cantabrigienſis MS. Syriaca Verſio, & Gothica hoc in loco Vulgatæ ſimiles ſunt [3]; *cœpit flere*.

1 Beza hic, Lyd. florum ſparſione in Paſſ. Chriſti, p. 103.
2 Ἐξελθὼν ἔξω ἔκλαυσε πικρῶς.
3 Cantab. ἤρξατο κλαίειν. Vide Bynæum lib. 2. de morte Chriſti, cap. 6. art. 17. 18.

CAPUT XV.

JESUS iterum adducitur ad Sacerdotes, atque Senatores: inde vero ad Pilatum, ubi damnatur, Populo mortem illius expetente, & Barabbam eidem præpoſito. Ad Calvarium rapitur, & crucifigitur. Blaſphemiæ in illum evomuntur. Sol caligine obducitur. Acetum illi bibendum traditur. Clamans emittit Spiritum. Joſeph ab Arimathæa petit corpus illius, atque honorifice illud effert.

1. ET confeſtim mane conſilium facientes ſummi ſacerdotes cum ſenioribus, &
Scribis, & univerſo concilio, vincientes Jeſum, duxerunt, & tradiderunt
Pilato. 2 Et interrogavit eum Pilatus: Tu es rex Judæorum? At ille re-
ſpondens, ait illi: Tu dicis. 3 Et accuſabant eum ſummi ſacerdotes in multis. 4
Pilatus autem rurſum interrogavit eum, dicens: Non reſpondes quidquam? vide, in
quantis te accuſant. 5 Jeſus autem amplius nihil reſpondit, ita ut miraretur Pila-
tus. 6 Per diem autem feſtum ſolebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque
petiiſſent. 7 Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum ſeditioſis erat vinctus,
qui in ſeditione fecerat homicidium. 8 Et cum aſcendiſſet turba, cœpit rogare, ſi-
cut ſemper faciebat illis. 9 Pilatus autem reſpondit eis, & dixit: Vultis dimittam
vobis regem Judæorum? 10 Sciebat enim, quod per invidiam tradidiſſent eum ſum-
mi ſacerdotes. 11 Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam di-
mitteret eis. 12 Pilatus autem iterum reſpondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam
regi Judæorum? 13 At illi iterum clamaverunt: Crucifige eum. 14 Pilatus vero
dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum. 15
Pilatus autem volens populo ſatisfacere, dimiſit illis Barabbam, & tradidit Jeſum fla-
gellis cœſum, ut crucifigeretur. 16 Milites autem duxerunt eum in atrium præto-
rii, & convocant totam cohortem, 17 Et induunt eum purpura, & imponunt ei
plectentes ſpineam coronam. 18 Et cœperunt ſalutare eum: Ave rex Judæorum.
19 Et percutiebant caput ejus arundine, & conſpuebant eum, & ponentes genua,
adorabant eum. 20 Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt illum purpura, & indue-
runt eum veſtimentis ſuis: & educunt illum, ut crucifigerent eum. 21 Et angaria-
verunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem
Alexandri, & Rufi, ut tolleret crucem ejus. 22 Et perducunt illum in Golgotha
locum: quod eſt interpretatum Calvariæ locus. 23 Et dabant ei bibere myrrhatum
vinum: & non accepit. 24 Et crucifigentes eum, diviſerunt veſtimenta ejus, mit-
tentes ſortem ſuper eis, quis quid tolleret. 25 Erat autem hora tertia, & crucifi-
xerunt eum. 26 Et erat titulus cauſæ ejus inſcriptus: REX JUDÆORUM, 27
Et cum eo crucifigunt duos latrones; unum a dextris, & alium a ſiniſtris ejus. 28
Et impleta eſt ſcriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus eſt. 29 Et præte-
reuntes blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes: Vah qui deſtruis
templum Dei, & in tribus diebus reædificas: 30 Salvum fac temetipſum, deſcen-
dens de cruce. 31 Similiter & ſummi ſacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scri-
bis dicebant: Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere. 32 Chriſtus
rex Iſrael deſcendat nunc de cruce, ut videamus, & credamus. Et qui cum eo cru-
cifixi erant, convitiabantur ei. 33 Et facta hora ſexta, tenebræ factæ ſunt per to-
tam terram uſque in horam nonam. 34 Et hora nona exclamavit Jeſus voce magna,
dicens:

dicens : Eloi, Eloi, lamma ſabactani ? quod eſt interpretatum : Deus meus, Deus
meus, ut quid dereliquiſti me ? 35 Et quidam de circumſtantibus audientes, dice-
bant : Ecce Eliam vocat. 36 Currens autem unus, & implens ſpongiam aceto, cir-
cumponenſque calamo, potum dabat ei, dicens : Sinite, videamus, ſi veniat Elias
ad deponendum eum. 37 Jeſus autem emiſſa voce magna expiravit. 38 Et velum
templi ſciſſum eſt in duo, a ſummo uſque deorſum. 39 Videns autem Centurio, qui
ex adverſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait : Vere hic homo Filius Dei erat.
40 Erant autem & mulieres de longe aſpicientes : inter quas erat Maria Magdalene,
& Maria Jacobi minoris, & Joſeph mater, & Salome : 41 Et cum eſſet in Galilæa,
ſequebantur eum, & miniſtrabant ei, & aliæ multæ, quæ ſimul cum eo aſcenderant
Jeroſolymam. 42 Et cum jam ſero eſſet factum (quia erat paraſceve, quod eſt ante
ſabbatum) 43 Venit Joſeph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipſe erat expe-
ctans regnum Dei, & audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu. 44 Pi-
latus autem mirabatur, ſi jam obiiſſet. Et accerſito Centurione, interrogavit eum,
ſi jam mortuus eſſet. 45 Et cum cognoviſſet a Centurione, donavit corpus Joſeph.
46 Joſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum involvit ſindone, & poſuit
eum in monumento, quod erat excisum de petra, & advolvit lapidem ad oſtium
monumenti. 47 Maria autem Magdalene, & Maria Joſeph aſpiciebant, ubi po-
neretur.

℣. 1. ET CONFESTIM MANE CONSILIUM FACIENTES.] Sacerdotes, qui JESUM in nocturno concilio ſuo mortis reum adjudicaverant, in frequentiori concilio, atque majori cum ſolemnitate coacto illum coram Sanhedrin judicare voluerunt. Ajunt, Senatum hunc in quadam Templi aula cogi conſueviſſe. Illuc ergo JESUS adductus fuit, accuſatus, atque juridice damnatus [1]. Sed cum Judæis tunc temporis minime liceret jus vitæ neciſque exercere [2], & tantum poſſent quæſtionem habere, atque juxta leges ſuas aliquem judicare : ipſi JESUM ad Pilatum Provinciæ a Romanis Præfectum adduxerunt ; hunc rogantes, ut quandoquidem extremo dignus erat ſupplicio, ſecundum leges ſuas illum damnaret, atque morte affici vellet. Hæc omnia paucis narrat S. Marcus, cujus narrationi plurima ſupplenda ſunt ex aliorum Evangeliſtarum collatione. Conſule itaque poteſt Harmonia Evangelica, quam in S. Matthæi fronte poſuimus.

℣. 2. TU ES REX JUDÆORUM ?] Hæc una erat, vel ſaltem potiſſima inter criminationes, quæ Pilatum impellere in hoc judicium poſſent. Blaſphemia enim, ex. gr. ob quam unice a Sacerdotibus damnatus fuerat, Pilato negotium minime faceſſebat : ille quippe id unum quærebat, utrum JESUS ſeditioſus eſſet, novarum rerum cupidus, atque Regni appetens, nec ne.

℣. 3. ACCUSABANT EUM IN MULTIS.] Complures MSS. addunt [3] : *ſed JESUS nihil illis reſpondit*, quæ Librariorum additio fuiſſe videtur [4].

℣. 6. PER DIEM AUTEM FESTUM SOLEBAT &c.] Die videlicet Paſchatis [5], non autem aliis præcipuis festivitatibus, quod ſciam, quidquid complures Interpretes comminiſcantur [6]. Hanc fortaſſe conſuetudinem Romani in Judæa inſtitutam invenerant, eamque antiquandam cenſuerunt. Liberatio hæc in memoriam Ægyptiæ ſervitutis facta fuiſſe perhibetur : eaque vel Paſchatis vigilia, vel intra octiduum fieri conſueverat.

℣. 7. ERAT AUTEM, QUI DICEBATUR BARABBAS.] Græcus [7] legit : erat in carcere cum aliis ſeditionis ſuæ ſociis, eo quod cædem patraverat. Sed fidei maxi-

A me conſonum videtur, vel cædem a Barabba fuiſſe patratam, vel Barabbam rebellium caput fuiſſe ; alioquin cur diſtinguendus erat ab aliis ſceleris ejuſdem conſortibus, ſi æque ſontes fuiſſent. Potior Manuſcriptorum pars favet lectioni Græci textus, qui Vulgo circumfertur. Armena verſio, & MSS. Marchionis de Velez Vulgatæ ſimiles ſunt.

ET CUM ASCENDISSET TURBA,] quæ ad rumorem eorum, quæ fiebant, undequaque convenerat. Adhuc ſummum erat mane, & fama JESU in vinculis poſiti vix ſe ſe effuderat, cum nunciatum eſt, illum in Prætorium, vel Pilati domum abreptum fuiſſe : ibique illius cauſam haberi ; quæ res adeo nova ſtatim maximam populi multitudinem in Prætorium adduxit. Græcus textus cuſus legit [8] : *turba inceperunt clamare, & petere, ut ſibi faceret, quemadmodum facere* B *conſueverat* : hoc eſt, ut vinctum aliquem liberaret. Sed Vulgata, & Verſiones Cophtæ, Gothicæ, atque Æthiopicæ, vetus Cantabrigienſis MS. aliique nonnulli legunt [9] : *& cum aſcendiſſet turba*, vel cum veniſſet &c.

℣. 9. VULTIS DIMITTAM VOBIS &c.] illum, qui ſe facit Regem Judæorum, vel illum, qui accuſatur, quod hanc ſibi vendicet dignitatem. Niſi aliunde pateret, Pilatum ſerio optaſſe JESUM CHRISTUM ex eo periculo eruere, ſuſpicio oboriri poſſet, ipſum illuſiſſe ita loquentem ; ſciebat enim propter invidiam JESUM ad Tribunal ſuum raptum fuiſſe, atque affectati Regni ſcelus eidem affictum, quemadmodum ſequenti verſiculo animadvertit Evangeliſta.

℣. 15. DIMISIT ILLIS BARABBAM,] qui fur erat, C & ſeditioſus. Provincia ea hujuſmodi ſceleſtis hominibus erat refertiſſima, qui ſub inani libertatis ſpecie plurima ibi gentium flagitia perpetrabant. Populus præſens regimen ſummopere pertæſus, & novarum rerum ſtudioſus, clanculum illis favebat, immo & opem ferebat.

ET TRADIDIT JESUM FLAGELLIS CÆSUM,] eum quippe antea flagellis cædi juſſerat, conatus aliquo modo Judæorum odium explere, & ratus, illos poſtmodum minime obſtituros, quo minus illum judicio abſolveret : quemadmodum ſe facturum prædixerat.

1 Luc. 22 66 67. 2 Joan. 18. 31.
3 Αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο. Ita Complut. Vechel. Arm. Æthiop. alii plures.
4 Grot. Brug. &c. 5 Joan. 18. 19.
6 Vide Syriac. Arab. Æthiop. Perſ. Bez. Tremel.
7 Μετὰ τῶν συστασιαστῶν δεδεμένος, οἵτινες ἐν τῇ στάσει φόνον πεποιήκεισαν.
8 Ἀναβοήσας ὁ ὄχλος ἤρξατο αἰτεῖσθαι.
9 Ἀναβὰς ὁ ὄχλος.

Non igitur hæc recens eſt flagellatio. Vide Commentarium in S. Matth. 26. 26. & Johan. 19. 2.

℣. 19. ADORABANT EUM.] Simulabant, ſe extrinſecus ea illi exhibere officia, quæ regibus debentur, coram illo genua flectentes.

℣. 21. PATREM ALEXANDRI, & RUFI.] Hæc nomina licet Græca, & Romana, communia tamen erant in Ægypto vel Cyrenaica, cujus erat Simon [1].

℣. 23. MYRRHATUM VINUM.] Hoc idem plane eſt ac illud, quod Græcus Interpres S. Matthæi c. 27. 34. *vinum cum felle mixtum* appellavit. Mirrhæ nomen Hebraice [2] proprie ſignificat amaritudinem, & in eadem lingua *fel* vocatur *marrar*, vel *meruruth*, quæ vox ab eadem origine fluit. Ita S. Matthæus *marra* fortaſſe ſcripſit pro myrrha [3], eamque vocem pro felle accepit Interpres. Vinum myrrhatum, odorum erat, & maximo in pretio apud veteres cum propter vim, tum propter odorem habebatur [4]. Apud Hebræos autem præberi conſueverant iis, qui ad ſupplicium rapiebantur, potiones vehementes, & ſoporiferæ, ut doloris ſenſus quodammodo auferretur [5]. Vide S. Matth. 27. 34.

NON ACCEPIT.] Guſtavit quidem, ſed noluit bibere [6]: fortaſſe ne videretur lenire velle cruciatus ſuos, & imminuere calicis amaritudinem; quem ſibi exhauriendum Pater tradiderat.

℣. 25. ERAT AUTEM HORA TERTIA,] quæ immo jam proceſſerat, & non procul *ab hora ſexta* diſtabat; ita ut S. Johannes 19. 14. ſextam, veluti propiorem, pro tertia notandam eſſe crediderit. Vide dicta in S. Matth. 27. 45.

℣. 28. ET CUM INIQUIS REPUTATUS EST.] Hæc prophetia ex Iſaja 53. 12. deſumpta eſt. Judæi veteres, & Chaldæus Paraphraſtes hoc de Meſſia intelligunt, ad quem etiam S. Philippus in Actis 8. 32. hoc ipſum tranſtulit, & JESUS ipſe apud S. Lucam 22. 37. dixerat, opus fuiſſe, ut illud ipſum vaticinium in ſe adimpleretur. Veteres quidam [7] legerunt, *& cum mortuis reputatus eſt*, quod ex eodem Iſaja huc allatum fuiſſe videtur 14. 10. [8].

℣. 32. ET QUI CUM EO CRUCIFIXI ERANT.] Alter dumtaxat illum conviciis proſcindebat, ſed pluralis pro ſingulari uſurpatur. Vide S. Lucam 23. 39. & S. Matth. 27. 34.

℣. 34. ELOI ELOI LAMMASABACTANI?] JESUS iſthic exhibet infirmitatem membrorum ſuorum, fidelium videlicet, qui patiuntur, atque apud Deum de malorum ſuorum magnitudine conqueruntur. Deus uſquequo ſines, amicos tuos malis confici, & in oppreſſionis ſqualore verſari? Exemplaria Græca nonnulla legunt [9]: *Eloi Eloi* &c. & S. Matthæus 27. 46. *Eli Eli*: Quæ poſterior vox Hebraica eſt; Elohi vero potius Syriaca.

℣. 35. ECCE ELIAM VOCAT.] Helleniſta aliquis deceptus ſono vocis Eli, credidit, JESUM CHRISTUM appellare *Eliam*; Hebraice *Eliahu*. Cum enim ſcirent, Prophetam hunc venturum ad Meſſiæ vias præparandas, & JESUS ſe Meſſiam eſſe teſtatus fuiſſet, crediderunt, ab eodem Eliæ opem depoſci.

℣. 36. CIRCUMPONENSQUE CALAMO.] Extremæ ex hyſſoppo virgæ [10], quæ eſt planta, vel arbuſtum ibi locorum ad non ita exiguam altitudinem creſcens.

℣. 38. VELUM TEMPLI SCISSUM EST.] Duo erant in Templo vela, alterum exterius, quo Sanctum claudebatur, interius alterum, quo Sanctoſtium. Poſtremum hoc, neque populi, neque Levitarum oculis patebat: Sacerdotes tantum, qui thus in Sanctum oblaturi accedebant, illud conſpicere poterant: alterum vero ab omnibus videbatur, quoniam eodem non modica ex parte frons templi cooperiebatur: habebant enim quinque & quinquaginta cubitos altitudinis, & ſexdecim latitudinis. Hoc pretioſum erat velum, ubi admirabili varietate purpureus, cæruleus, coccineus color, & byſſus erant immixti. Joſephus lib. 6. de Bello c. 6. nobis Sanctuarii velum minime deſcribit, quod ſaltem æque ornatum eſſe debebat, licet non adeo magnum. Non ſatis conſtat, utrum eorum ſciſſum fuerit a ſummo uſque ad imum, tempore Mortis JESU CHRISTI.] Vide S. Matth. 27. 1. 2.

℣. 39. VIDENS AUTEM CENTURIO, QUIA SIC CLAMANS EXPIRASSET &c.] Naturale non eſt, ut homo moriens, & in Cruce moriens, quod lentæ atque acerbiſſimæ mortis genus eſt, & ubi præ virium defectu ſpiritus emittitur, mittat clamorem æque validum, ac illum, quo JESUS CHRISTUS moriens exclamavit. Centurio hoc audiens, inde argumentatus eſt, hunc ultra hominem eſſe, & vere Dei Filium, quemadmodum ille ſemper aſſeruerat, & diſcipuli ejus profitebantur.

℣. 40. MARIA MAGDALENE.] Hæc mulier erat e Galilæa, ex qua JESUS ſeptem Dæmonia ejecerat, & quæ ante converſionem ſuam [11], tamquam peccatrix habebatur.

MARIA JACOBI MINORIS, & JOSEPH MATER.] Jacobus *minor* dicitur, vel *puſillus*; nam Græca vox [12] proprie ſignificat hominem, ſtaturę magnitudine non ita præſtantem. Maria fortaſſe avia erat, non Mater, Jacobi minoris. Si enim Mater fuiſſet, tres agnoſcendi eſſent Jacobi celebres in Evangelio. Primo: Jacobus frater Johannis, & filius Salome, & Zebedæi, qui major dicitur: ſecundo: Jacobus minor, de quo hic agitur, qui vocatur etiam frater Domini, filius Mariæ, & frater Joſe, vel Joſephi, qui ab Hegeſippo, Clemente Alexandrino, & Euſebio [13] vocatur etiam Juſtus, & Ophlias, qui mox primus fuit Hieroſolymitanus Epiſcopus, cujus laudes ipſe etiam Joſephus hiſtoricus adfert l. 20. Antiqu. c. 8. Tertio denique a Græci [14], & eruditi quidam diſtinguunt Jacobum minorem Jeroſolymæ Antiſtitem a Jacobo filio Alphæi, & Apoſtolo. Iſthic quæſtionem hanc funditus pertractare minime conamur; ſatis hoc in loco reor dicere, veteres complures Patres tenuiſſe, Jacobum minorem, & filium Alphæi unum, eumdemque eſſe virum, eamque ſententiam ab Eccleſia Latina vulgo probari. Quæſtio hæc intus & in cute pertractari poterit in præfatione Epiſtolæ S. Jacobi propoſita.

SALOME] erat Mater Jacobi Majoris, & Iohannis dilecti diſcipuli, & Evangeliſtæ.

℣. 42. CUM JAM SERO ESSET FACTUM [QUIA ERAT PARASCEVE, QUOD EST ANTE SABBATHUM.] Paraſceve, ſeu præparatio, dicebatur feria ſexta, quod ea die eſculenta omnia in Sabbathum præparabantur, quod hac die minime licebat [15]. Cum JESUS animam efflaſſet feria ſexta ſub tertiam horam pomeridianam, opus erat, ut Joſeph ab Arimathæa maxima uteretur cura, ut poſſet ex Pilato Salvatoris Corpus petere, illud e Cruce divellere, abluere, aromatibus oblinire, in tumulum collocare, & monumentum obſtrue-

---

1 Joſeph. lib. 7. de Bello, cap. 25. & Toynardi, not. in Harmon. pag. 155.
2 מור *Myrrha*. 3 מררת Job. 16. 13. 20. 14. 25. Item 9. 18. Thren. 3. 15.
4 Plin. lib. 14. cap. 13. Dioſcorid. Colomel. lib. 12. cap. 38.
5 Talmud. tract. Sanhedrin, cap. 6. fol. 43. 6 Matth. 27. 34. Γευσάμενος οὐκ ἤθελε πιεῖν.
7 Ita legit Hyppolith. tract. de Antichriſto. Εἰ νεκρῶν κατελογίσθη; ſeu μετὰ νεκρῶν ἐλογίσθη. Ita legebant Eutychiani, teſte Vigilio, lib. 4. contra Eutych. Vide Mill.
8 Iſai. 14. 10. Καὶ σὺ ἑάλως ὥσπερ καὶ ἡμεῖς, ἐν ἡμῖν δὲ κατελογίσθης.
9 Cantab. Armen. Euſeb. Vide Grot. hic. 10 Joan. 19. 29.
11 Luc. 7. 37. 39. 8. 2. Marc. 16. 9. 12 Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου τοῦ μικροῦ.
13 Euſeb. lib. 2. Hiſtor. Eccl. cap. 1. Ex Hegeſippo, & Clem. Alex.
14 Vide Coteler not. in Can. Apoſtol. & Bolland. in 1. Maii. Vide Tillemontium, Not. 1. & 2. in S. Jacobum Minorem. 15 Exod. 15. 6. 23.

Digitized by Google

ſtruere; nam Sabbatho requies ſtatim incipiebat poſt Solis occaſum, & tunc Vernum agebatur æquinoctium. Si dies illa fuiſſet Paſchalis dies; quomodonam potuiſſet Joſeph hæc omnia præſtare? nonne Sanctæ adeo feſtivitatis requiem palam violaſſet? quomodonam Nicodemus ea die auſus fuiſſet aromata comparare, quibus corpus filii Dei condiret?

℣. 43. Ioseph ab Arimathæa nobilis Decurio.] Græcus legit *Senator* [1], vel Conſiliarius; Sed Latina vox Decurio apud Romanos ducem ſignificabat, qui decem equitibus præerat, vel etiam peditibus tribus, ac triginta. Decurionis nomen accipitur etiam pro Iuſtitiæ Præfectis, qui Senatum componebant in Civitatibus municipalibus, Romaniſque coloniis [2]. Sed Arimathæa neque Romana erat colonia, neque municipium. Ligfoot credit, ipſum fuiſſe e conſilio magni Sacerdotis ad ea, quæ Dei cultum, & ceremonias reſpiciunt. Alii [3] eum fuiſſe membrum Sanhedrin Ieroſolymitani, vel e numero trium, ac viginti Iudicum urbis Arimatheæ.

Qui & ipse erat expectans.] Ex bonorum Judæorum numero erat, qui Meſſiæ adventum præſtolabantur, & qui cum in Iesu Christo deprehendiſſent characteres illius, qui tandiu omnium votis peroptabatur, ejus doctrinam atque perſonam fuerant ſequuti. S. Lucas 2. 25. verba faciens de Sancto Sene Simeone ait, Et ipſum *expectaſſe conſolationem Iſrael.* Diſcipuli etiam, in Emmaus pergentes de Iesu Christo dicebant; *ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael*. Luc. 24. 21.

Audacter introivit ad Pilatum.] Ioſephus non modicum ſubibat periculum, non ex Pilati quidem parte, qui jam declaraverat, mortem Iesu injuſtam eſſe, & qui invitus illum damnaverat, ſed ex parte Iudæorum, ac præſertim Sacerdotum, atque Doctorum, qui contra Iesum graviſſima quælibet auſi nonniſi inimicum habere poterant, qui cauſam illius tutaretur; atque incertum iræ furoriſque illorum diſcrimen ſe ſe objiciebat, qui illius efferendi curam ſuſcipere, eique juſta perſolvere, ac parentare adnitebatur.

℣. 44. Pilatus autem mirabatur.] Iesus tribus dumtaxat horis e Cruce pependerat. Homines bene valentes, atque ætatis robore adhuc vigentes ibi diutius vitam producere conſueverunt [4]: quam ob rem fracta ſunt crura duobus latronibus, qui cum Iesu fuerunt crucifixi, ut mors illis maturaretur [5]. At Salvator ſæpius edixerat, penes ſe vitæ, ac mortis ſuæ imperium eſſe, & ſe ideo mori, quia vellet [6].

Ioſephus in vitæ ſuæ libro narrat, ſe quadam die, cum plurimos vidiſſet Judæos captivos de Cruce pendentes, inter quos tres agnovit e neceſſariis ſuis, ſumma captum miſeratione, ſtatim ad Titum acceſſiſſe, illos petiturum: Titum vero votis illius adhæſiſſe. Miſit enim, qui eos de Cruce ſtatim divellerent, præcipiens, ut ſumma cura demitterentur. Sed ex tribus duo inter medicorum manus animam efflarunt, atque unus tantum huic fuit ſupplicio ſuperſtes.

℣. 46. Ioseph autem mercatus Sindonem.] Ioſephus in poſtremis officiis illis, quæ præſtitit Iesu Christo, adjutorem habuit Nicodemum [7], ac Sanctas mulieres, quæ ibi permanſerunt, donec in ſepulchro Corpus fuit conſtitutum. Marc. 15. 47.

---

1 Εὐσχήμων βουλευτής. *Honeſtus conſiliarius*; ſeu, *Dives conſiliarius*; nam *honeſtus* paſſim accipitur pro divite. S. Matthæus cum divitem dicit: *Homo dives ab Arimathia*. Matth. 27. 57.
2 Digeſt. L. 50. Vide Hamm. hic. 3 Brug. Bez. Lud. de Dieu, Le Clerc.
4 Grot. ad Matth. 27. 50. Brug. hic.
5 Joan. 19. 31. 32. 33. 6 Joan. 7. 30. 8. 20. 13. 1. & 10. 18.
7 Joan. 19. 39.

CAPUT XVI.

Reſurrectio JESU CHRISTI. Sanctæ mulieres mane ſummo ad ſepulchrum illius proficiſcuntur, quibus Angelus eum reſurrexiſſe nuntiat. JESUS apparet Mariæ Magdalenæ, mox duobus diſcipulis, deinde omnibus ſimul. Apoſtolorum miſſio. Miracula, quæ prædicationem eorum erant concomitatura.


1. ET cum tranſiſſet ſabbathum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome
emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum. 2 Et valde mane una ſab-
bathorum, veniunt ad monumentum, orto jam ſole. 3 Et dicebant ad in-
vicem: Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti? 4 Et reſpicientes vi-
derunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. 5 Et introeuntes in mo-
numentum viderunt juvenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida, & ob-
ſtupuerunt. 6 Qui dicit illis: Nolite expaveſcere: Jeſum quæritis Nazarenum, cru-
cifixum: ſurrexit, non eſt hic, ecce locus, ubi poſuerunt eum. 7 Sed ite,
dicite diſcipulis ejus, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum vide-
bitis, ſicut dixit vobis. 8 At illæ exeuntes, fugerunt de monumento: inva-
ſerat enim eas tremor, & pavor, & nemini quidquam dixerunt: timebant enim.
9 Surgens autem mane, prima ſabbathi, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de
qua ejecerat ſeptem dæmonia. 10 Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant,
lugentibus, & flentibus. 11 Et illi audientes quia viveret, & viſus eſſet ab ea,
non crediderunt. 12 Poſt hæc autem duobus ex his ambulantibus oſtenſus eſt in
alia effigie, euntibus in villam: 13 Et illi euntes nuntiaverunt ceteris, nec illis
crediderunt. 14 Noviſſime recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobravit

incredulitatem eorum , & duritiam cordis , quia iis , qui viderant eum reſurrexiſ-
ſe , non crediderunt . 15 Et dixit eis : Euntes in mundum univerſum prædica-
te Evangelium omni creaturæ . 16 Qui crediderit , & baptizatus fuerit , ſalvus e-
rit : qui vero non crediderit , condemnabitur . 17 Signa autem eos , qui crediderint , hæc ſequentur : In nomine meo dæmonia ejicient , linguis loquentur no-
vis : 18 Serpentes tollent : & ſi mortiferum quid biberint , non eis nocebit : ſu-
per ægros manus imponent , & bene habebunt . 19 Et Dominus quidem Jeſus ,
poſtquam locutus eſt eis , aſſumptus eſt in cœlum , & ſedet a dextris Dei . 20 Il-
li autem profecti prædicaverunt ubique , Domino cooperante , & ſermonem confir-
mante ſequentibus ſignis .

℣. 1. CUM TRANSISSET SABBATHUM .] Vel cum requies Sabbathi tranſiſſet . Dies , & requies Sabbathi deſinebant veſpere Sabbathi poſt ſolis occaſum , atque tunc primus hebdomadæ incipiebat dies , licebatque omnibus ſuis vacare negotiis , & aliis diebus vendere , atque emere . S. Marcus hic ait : *emerunt aromata , ut venientes ungerent Jeſum* : Sed ut cum S. Luca 23. 56. dicente illas Sabbathi ipſius vigilia aromata hæc præparaſſe , concilietur ; vertendum eſt , *emerant aromata* [1] , vel recens alia adhuc emerunt unguenta , & alia quædam neceſſaria , ut ea , qua par erat diligentia , Sanctiſſimum Corpus illud conditetur . Vel denique fatendum eſt , S. Lucam emptionis narrationem [2] prævertiſſe . Profecto difficile eſt , Sanctas mulieres prope ſepulchrum permanentes , atque dum clauſum fuit , potuiſſe etiam ea die aromata comparare [3] . Quomodocumque ſit , nulla inter utrumque Evangeliſtam hac in re occurrit oppoſitio ; ſeu S. Lucas occupaverit , ſeu S. Marcus emptionem hanc , tamquam aliquid præteritum , enarraverit . Interpretes quidam ad univerſum hoc caput referunt , quæ S. Hieronymus qu. 3. ad Hedibiam de parte illius dumtaxat , videlicet de ea , quæ a ℣. 9. ad finem uſque videtur : hanc ſcilicet in perpaucis Exemplaribus dumtaxat lectam fuiſſe , & in Græcis pleriſque minime extitiſſe : *Aut enim non recipimus Marci teſtimonium , quod in raris fertur , Evangeliis , omnibus Græciæ libris pene hoc capitulum in fine non habentibus* . Auctores illos fefellit capituli nomen , quod intellexerunt , perinde ac Sancti Hieronymi tempore novum Teſtamentum ita diviſum fuerit , ut hodie habemus ; & S. Matthæus habuerit ſolum capita 28 & S. Marcus 16. Patet e contra , SS. Libros olim in plura , eaque minora diviſos fuiſſe capita , quod innoteſcere poteſt intuentibus antiquos MSS. & novam S. Hieronymi editionem . Hoc certe conſtat , octo ſaltem priores hujus capitis verſiculos inveniri in omnibus , cum typis editis , cum Græcis , tum Latinis Exemplaribus , atque in omnibus aliis Evangelii Verſionibus ſecundum S. Marcum . Quoad alios verſiculos , videbimus infra eas , quæ variantes Lectiones occurrunt .

℣. 2. VALDE MANE UNA SABBATHORUM .] Pridie veſpere præpararunt quidquid opus erat , & antequam illuceſceret [4] , diſceſſerunt ad monumentum ituræ . Luna pleno orbe enitebat , & noctu iter corripi poterat . *Una Sabbathorum* ponitur pro *prima Sabbathorum* , quæ voces apud Hebræos primum hebdomadæ diem , nobis vero Dominicum , ſignificabant .

ORTO JAM SOLE [5] .] Vel oriente . Complura Græca Exemplaria [6] legunt : *Cum jam jam ſol ortus eſſet* , hoc eſt orto vix ſole : alia , cum Sol oriretur , in ipſo Solis ortu . In S. Matthæum cap. 28. ℣. 1. n. & ſeq. adniſi ſumus Evangeliſtas inter ſe conciliare .



℣. 5. INTROEUNTES IN MONUMENTUM .] Viderunt Angelum adoleſcentis forma , ſedentem ad dexteram , vel caput ſepulchri G , quod erat ad dexteram eorum , qui intra antrum F illud monumentum ſpectabant . Satis eſt oculos conjicias in ichonographicum veſtigium , quod ſupra adjecimus . Duo ſedebant Angeli [7] alter ad pedes , alter ad caput monumenti ; ſed unus dumtaxat locutus eſt , ideoque S. Matthæus 28. 5. & S. Marcus hoc loco unius tantummodo meminerunt . Id genus omiſſiones apud Sacros Hiſtoricos ſæpius occurrunt .

℣. 7. DICITE DISCIPULIS EJUS , & PETRO .] Ille in Galilæam vos præcedet , ibi vos præſtolabitur . Diſcipuli , cum Galilæi eſſent , ſtatim poſt feſtivitatem domum ſuam illuc erant redituri . Angeli peculiariter Petrum ſignarunt ; *Diſcipulis ejus , & Petro* , tum eo quod primus habebatur ex duodecim , tum quod cum Deum , atque Magiſtrum ſuum abnegaſſet , credere fortaſſe alii diſcipuli potuiſſent , illum de primatu ſuo decidiſſe , vel ipſe etiam Petrus exiſtimare potuiſſet , ſe a Magiſtro nonniſi tamquam apoſtatam , atque infidelem diſcipulum habendum eſſe . Dei Filius , ut illi animos faceret , eumque conſolaretur , ubi intellexiſſet , dolorem , lacrymaſque ſuas minime inanes fuiſſe , huic ſignanter nunciari voluit futurum , ut in Galilæa illi occurreret [8] .

℣. 8. NEMINI QUIDQUAM DIXERUNT .] In via ad Apoſtolos tantum locutæ ſunt , ubi pervenerunt in eam domum , ubi mœrore , lacrymiſque confecti ſimul omnes verſabantur .

℣. 9. SURGENS AUTEM [9] .] Hactenus ſe nemini oſtenderat JESUS : miſerat ſolum Angelos ſuos , qui Sanctas mulieres alloquerentur : hic vero ipſe apparet Mariæ Magdalenæ , quæ ipſos ante Apoſtolos hoc honore , atque conſolatione digna habita fuit . S. Johannes 20. 11. fuſius deſcribit rationem , qua ille Magdalenæ apparuit . Hæc Sancta mulier , ubi audiit Angelos prope mo-

1 Grot. Bez. Piſc. Lodov. de Dieu . Alii paſſim. 2 Ita Toynard. Harmon.
3 Bez. Druſ. Maldonat. Grot. 4 Ioan. 20. 1. πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης . Luc. 24. 1. Ὄρθρου βαθέως .
5 Ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου . 6 Ἔτι ἀνατέλλοντος ἡλίου . Greg. de Nyſſ. Euſeb. Alii apud Mill. hic. Cantab. ἀνατέλλοντος . 7 Luc. 24. 4. Ioan. 20. 12.
8 Vide Chryſoſtom. Euthym. in Matth. 28. Greg. homil. 21. in Evangel. Mald. Grot. Caſaub. alii.
9 Siat. V. Plura Latin. pleraque Græca addunt : Jeſus.

pe monumentum, Jeroſolymam occurrit, ut Petrum, & Johannem de his, quæ acciderunt, admoneret. Momento eodem Petrus, & Johannes ad Sepulchrum venerant, & invenerunt ea, quæ ſibi nuntiata fuerant; ſed minime viderant Angelos, qui mulieres fuerant allocuti. Inde in Civitatem reverſi ſunt; ſed Maria, cum in horto ſubſtitiſſet prope monumentum, ſeſe inclinavit, ut intra ſepulchrum conſpiceret per oſtiolum, quod humile erat, & breve, cumque ibi duos intuita fuiſſet Angelos ſedentes, alterum quidem ad caput, alterum ad tumuli pedes, receſſit, eodemque temporis momento JESUS ſe ſe illi ſub olitoris ſpecie videndum obtulit. Hæc prima eſt JESU CHRISTI apparitio.

DE QUA EJECERAT SEPTEM DÆMONIA.] Lucas 8. 2. illam ex eadem circumſtantia deſignat. Credimus, hanc eſſe eam peccatricem, cujus converſio inſignis fuit, & quam Salvator ipſe laudibus ſuis dignatus eſt, cum apud Phariſæum convivio intereſſet [1]. Septem Dæmones, a quibus illam Salvator eripuit, pro maximo ſcelerum numero uſurpantur, quibus ſoluta fuit juxta plurimorum Interpretum ſententiam [2]. Septenarius numerus ſæpe pro numero indefinito uſurpatur. Credunt tamen alii [3], hoc in loco ad litteram eſſe intelligendum, & mulierem hanc, antequam curaretur, revera a ſeptem Dæmonibus obſeſſam fuiſſe, qui plures illi corporis infirmitates pepererant, uti tunc temporis paſſim contingere conſueverat. Deus enim animæ peccata corporis ægritudinibus multare ſolebat.

Nonus hic verſiculus, & undecim, qui ſubſequuntur, olim minime legebantur in compluribus cum Græcis, tum Latinis Exemplaribus, quod de ævi ſui Exemplaribus SS. Gregorius Nyſſenus Orat. 2. de Reſurrect. atque Hieronymus ad Hedibiam qu. 3. teſtatum reliquerunt. Quorum poſterior aſſerit etiam, perpaucos eſſe Latinos libros, & pauciores adhuc Græcos, ubi hic finis capitis hujus inveniatur. Victor Antiochenus, & Anonymus Tholoſanus in Catena ſua in S. Marcum ultra nonum hunc verſiculum minime procedunt; in aliis vero [4] poſt octavum hæc tantum verba leguntur, quibus caput abſolvitur: *brevi narraverunt Petro, & illis, qui erant cum eo, quidquid nuntiare juſſæ fuerant. Poſtmodum vero JESUS ipſe miſit illos ad prædicandum ab Oriente in Occidentem ſelix, ſanctumque æternæ Salutis nuntium.*

Librarii ea ratione adducti ſunt, ut hos duodecim S. Marci verſiculos expungerent, quod Evangeliſta hic [5] nimis S. Matthæo adverſari videbatur, & in noviſſima hac parte quædam inveniri circumſtantiæ, quæ cum aliis Evangeliſtis conciliari minime poſſent. Verum librariorum non intereſt hac de re judicium ferre; non enim tanta ſapientioribus Interpretibus uſpiam necne erit oppoſitio. Patres, puta, S. Irenæus l. 3. c. 11. Euſebius in Demonſtr. Ammonius in Monoteſſ. S. Athanaſius in Synopſi, S. Auguſtinus [6], Theophylactus legerunt hunc capitis 16. finem, & omnes ferme cum MSS. Veteres, cum typis editi Græci, & Latini, Syriaca, Arabica, aliæque Orientales Verſiones eum ſimiliter legunt.

℣. 11. ILLI AUDIENTES NON CREDIDERUNT.] Non crediderunt, quæ ſibi ab illis mulieribus nuntiabantur; putabant enim, illas per ſomnium hæc vidiſſe, atque hæc eſſe earum deliramenta, quemadmodum ait S. Lucas 24. 11. præſertim vero cum Magdalene aſſereret, ſe illum vidiſſe, atque cum eo locutum eſſe; hoc adeo erat ſingulare, ut impoſſibile etiam arbitrarentur.

℣. 12. POST HÆC AUTEM DUOBUS.] Apparuit duobus ex illis, qui in agros pergebant: hic enim Græci textus ſenſus eſt [7]. Ibant autem in Emmaus [8], quod oppidulum erat duabus leucis procul a Jeroſolyma. Apparuerat JESUS Magdalene ſub olitoris imagine, nunc ſe oſtendit Diſcipulis ſub ſpecie viatoris: *in alia effigie*. Hoc accidit die Dominico, vel primo die hebdomadæ, eodem videlicet, quo JESUS reſurrexerit.

℣. 14. NOVISSIME RECUMBENTIBUS ILLIS UNDECIM APPARUIT.] Hæc poſtrema eſt Salvatoris apparitio, quemadmodum Evangeliſta teſtatur, *noviſſime*. Accidit autem Jeroſolymæ, poſtquam illuc Apoſtoli reverſi ſunt, teſtes futuri Dominicæ Aſcenſionis, & Spiritum Sanctum die Pentecoſtes recepturi, quæ eſt S. Auguſtini de Conſenſ. l. 3. c. 25. Gregorii Magni hom. 29. Bedæ, aliorumque nonnullorum ſententia.

Dominus Toynard illam contigiſſe putat feria quinta, die decima quarta Maii, decima vero quinta Iiar, quadrageſima poſt Reſurrectionem die. Hæc eadem eſt apparitio, de qua loquitur S. Paulus 1. ad Corinthios 15. 7. *deinde viſus eſt Jacobo, deinde Apoſtolis omnibus*. Ibi cum illis bibit, atque comedit, antequam ad Cœlos aſcenderet, quemadmodum in Apoſtolorum Actis 1. 3. & 11. 41. narratur.

Crediderunt quidam [9], hac voce *noviſſime* S. Marcum innuere voluiſſe poſtremam apparitionem, quæ contigit primo Reſurrectionis die; & hanc eamdem eſſe, ac illam, quæ a S. Luca 24. 36. refertur: ſed hanc ſuperius ℣. ℣. 12. 13. jam indigitavit. Credunt alii [10], hanc illam eſſe, in qua S. Thomas intulit digitos in foramina manuum, & lateris Salvatoris. Sed Apparitio hæc minime fuit poſtrema JESU CHRISTI, qualis hæc fuiſſe a S. Marco refertur.

QUIA IIS, QUI VIDERANT EUM &c.] S. Bernardus Serm. 1. de Aſcenſ. ait, Salvatorem illos exprobrare, quod minime crediderint Angelis, qui ſoli fuerant ſuæ Reſurrectionis teſtes, & qui eamdem illis nuntiaverant. Sed plerique [11] credunt, illos exprobrare potius, quod non crediderint Mariæ Magdalenæ, S. Petro, duobus diſcipulis in Emmaus euntibus, atque tot aliis, qui ſuiſmet oculis illum viderant, & ſe illum e mortuis ſuſcitatum vidiſſe teſtati fuerant.

Poſt hunc verſ. in quibuſdam Exemplaribus, præſertim vero in Græcis, hæc legebantur verba apud Hieron. l. 2. contra Pelag. c. 6. *& illi ſatisfaciebant, dicentes: ſæculum iſtud iniquitatis, & incredulitatis ſubſtantia eſt, quæ non ſinit per immundos ſpiritus veram Dei apprehendi virtutem: idcirco jam nunc revela juſtitiam tuam*. Nemo non videt, hæc verba huic acceſſiſſe ex apocryphis quibuſdam libris deprompta, atque a Montaniſtis, vel aliis profecta Hæreticis, qui in terris malum principium totius mali neceſſariam cauſam admittebant.

℣. 15. EUNTES IN MUNDUM UNIVERSUM &c.] *Creaturæ* nomine Hebræi ſæpius *hominem* [12] generatim intelligunt, & ſæpius etiam infideles: *Væ Creaturæ viventi, & non intelligenti; in terra manenti, quin cognoſcat, qua re ſubſtineatur, videlicet, quia ſcias, cuinam rei terra innitatur*. Ita illi loquuntur de Gentilibus populis, quibus nulla eſt Creationis Mundi cognitio [13]; & alibi [14]: *omnia creaturarum colloquia, hoc eſt Ethnicorum, ſunt de rebus terrenis; omnes eorum preces terrena ſpectant, ſed omnia Iſraelitarum vota loci Sancti reſtaurationem efflagitant: Domine, ut Templum tuum reſtituatur*. Salvator Apoſtolos mittit in omnes terrarum plagas ad omnes populos. Hactenus miſi vos dumtaxat ad oves Iſrael, quæ perierant; prohibui, ne verbum ſalutis ad Idololatras, atque Samaritanos ferretis [15]; hodie vero mitto vos generatim in omnes locos, ad omnes gentes, nulla excepta. Moras media-

1 Luc. 7. 38. 39. & ſeq. 2 Gregor. homil. 33. in Evangel. Beda, & ut videtur, Theophylact.
3 Vide Maldonat. hic, Grot. in Luc. 8. 2. 4 In Vechel. vet. Cod. & in Cod. Reg. 2681. Πάντα δὲ τὰ παρηγγελμένα τοῖς περὶ τὸν Πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν, μετὰ δὲ ταῦτα καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ ἀνατολῆς, καὶ ἄχρι δύσεως ἐξαπέστειλε δι' αὐτῶν τὸ ἱερὸν καὶ ἄφθαρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίου σωτηρίας.
5 Ita Hieronym. ad Hedibiam loco citato. Nyſſen. Grot. hic. Mill. prolegom. 812. 813. 814. in Evangel.
6 Auguſt. ſæpius. Vide e. parte 3. tom. p. 209. & 2. tom. p. 515. E. 5. tom. 998. c. &c.
7 Ἐφανερώθη ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ πορευομένοις εἰς ἀγρόν. 8 Luc. 24. 13.
9 Vide Euthym. Brug. Zeger. 10 Maldonat. hic.
11 Auguſt. lib. 3. de Conſenſ. Euthym. Mald. Grot. Brug. 12 Vide Cartwrigt. Melliſic. Grot. hic. Ligfoot, Hammond. 13 Rab. Chagig. fol. 12. 14 Bereſch. Rab. ſect. 13. 15 Matt. 10. 5.

medianus, quo Judæus ab Ethnico ſejungebatur, dirutus eſt [1]; per mortem meam adeptus ſum imperium in omnem terram; obtinui in hæreditatem omnes gentes. Effudi Sanguinem meum pro omnibus, nemo a fœdere meo prohibetur; niſi qui ejuſdem particeps eſſe noluerit.

℣. 16. QUI CREDIDERIT, & BAPTIZATUS FUERIT &c.] Ille, cujus fides recta erit, ſincera, ardens, charitate animata, bonorum operum fœcunda, in bono ad finem uſque perſeverans, hic ſalvus erit. JESU CHRISTI verba nequaquam ſeorſim ſingula accipienda ſunt; ſed oportet, univerſam ejus doctrinam amplectamur, atque præcepta, vitæ illius exempla imitemur, ſi promiſſionum, & gloriæ ejus participes fieri deſideramus. Deo citra fidem [2] placere nequaquam poſſumus: at non inde ſequitur, eos omnes, qui fidem ha- B bent, ſalvos fore. Dæmones credunt, ac pavent [3]; ſed fides eorum mortua eſt, ac ſterilis: *qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt*, ait S. Johannes in 1. ep. 2. 4. qui baptiſmate abluitur, palam profitetur, ſe ad normam legum Chriſtianæ religionis vitam ſuam inſtituturum; ſtatim ac ſanctæ illius cæremoniæ Sacramento JESU CHRISTO adſtringitur, ſub prævaricationis pœna, ſumma fide ejuſdem Sacramenti officia perſolvat oportet [4].

℣. 17. SIGNA EOS, QUI CREDIDERINT.] Non omnibus fidelibus miraculorum donum JESUS pollicetur; hæc enim promiſſio non exiguis obnoxia eſſet incommodis, quoniam fierent inutilia, ubi eſſent nimis communia, actiones hæ ſupernaturales, certa quadam ſapientia impendendæ ſunt, atque iis tantum in circum- C ſtantiis, ubi illa, & communis Eccleſiæ neceſſitas, & Dei gloria, & maxima proximorum expoſcit utilitas; quæ circumſtantiæ cum non ita frequens occurrant, ita & miracula raro contingere debent. Dei Filius, Apoſtolis, Apoſtolicisque viris hanc poteſtatem promittit, ut eadem juxta Spiritus Sancti lumina, & in Eccleſiæ utilitatem utantur. Deus quovis tempore prodigia operatus eſt, frequentius tamen prioribus Eccleſiæ ſæculis; tunc enim major neceſſitas [5] impendebat.

℣. 18. SERPENTES TOLLENT.] Quia morſum, ac virus illorum timeant. Ita S. Paulus Act. 28. 3. quin expaveſceret, vidit viperam manui ſuæ mordicus hærentem. Græcus [6] proprie ſignificat; *manu ſerpentes tollent*; verum intelligi etiam poteſt [7], *ſerpentes occident*. Occident illos, quin eorum venenum timeant, D ejicient eos ex iis locis, ubi maxime nocui ſunt. Complures ſuperſunt Sanctorum virorum hiſtoriæ, quæ ſerpentes, aliaque virulenta animalia de his locis in quibus erant, expulerunt; neque enim iſthic probandum eſſe reor, Apoſtolos, Apoſtolicoſque viros ejeciſſe Dæmones, curaſſe morbos, & linguis antea ſibi ignotis locutos fuiſſe; hac quippe de re omnes conſentiunt [8].

SI MORTIFERUM QUID BIBERINT, NON EIS NOCEBIT.] Hoc accidiſſe ferunt S. Johanni Evangeliſtæ, quapropter a Pictoribus exhibetur calicem manu tenens, unde ſerpens egreditur. Euſebius ſimilem narrat hiſtoriam de Barſaba, & Gregorius Turonenſis de S. Sabino Antiſtite Caniſano.

℣. 19. ASSUMPTUS EST IN COELUM.] Illuc propria aſcendit virtute. Hoc accidit eadem die, qua A noviſſime apparuit Diſcipulis ſuis. Eduxit illos extra Jeruſalem, Bethaniam verſus, cumque illis benedictionem ſuam elargitus eſſet, in aerem ſe ſe extulit, illiſque inſpectantibus ad Cœlos [9] aſcendit, ſecum adducens tamquam in triumphum, inferorum manubias [10], animas SS. Patriarcharum, qui hactenus eam felicitatem fuerant præſtolati. Apoſtoli [11] Bethania, quæ jacet ad radices Montis olivarum, Jeroſolymam redierunt, ubi uſque ad Pentecoſtes diem permanſerunt, Paracliti Spiritus ſibi a JESU promiſſi adventum opperientes Act. 1. 8.

ET SEDET A DEXTRIS DEI.] Pater Cœleſtis nullum peculiarem in Cœlo occupat locum, neque materiali inſidet ſolio, ubi dignoſci poſſit dextera, & læva ſedes, atque ſcabellum. Si quando hujuſmodi locutionibus utuntur Scripturæ, ſe ſe ad populi captum ſubmittunt, qui Deum conſiderare conſuevit, tamquam Monarcham throno inſidentem, miniſtris ſuis amicis, & Conſiliariis ſtipatum. Ad ſupremam JESU CHRISTI poteſtatem, ejuſque cum Patre ſuo æqualitatem, atque infinitam gloriam innuendam fingi ne poterat præſtantior figura, atque loquendi genus ſignificantius, quam aſſerere, ipſum ſedere a dextris Patris ſui, cum Filio poteſtatem, magnitudinem, Divinamque Majeſtatem communicantis [12]? Ita Scriptura, ut plurimum, Salvatorem in ſtatu hoc adeo glorioſo deſcribit. S. Stephanus videt JESUM ad dexteram Patris [13]; Salvator ipſe ait, ſe ad dexteram virtutis Dei ſedentem apparitorum [14]. Auctor epiſtolę ad Hebręos ait [15], illum hunc honoris apicem humilitate, atque laboribus ſuis fuiſſe prometitum. S. Paulus ad Epheſios 1. 20. ait, Deum ſuſcitaſſe JESUM a mortuis, & illum conſtituiſſe *ad dexteram ſuam in Cœleſtibus ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem &c.* & ſuper ea, quę magis glorioſa ſunt, atque ſublimia, non in terris ſolum, verum etiam in futuro ſęculo: nam [16] *ad quem Angelorum dixit aliquando; ſede a dextris meis?* In veteri etiam Teſtamento, Meſſias ad dexteram Dei ſedens exhibetur: *Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis* Pſal. 109. 1.

℣. 20. ILLI AUTEM PROFECTI PRÆDICAVERUNT UBIQUE.] Non ſtatim poſt Pentecoſtem diſceſſerunt; aliquandiu adhuc in Palæſtina, & apud Hebręos permanſerunt, ut & recentes, quos poſſent, converterent, & in fide eos confirmarent, quos Salvatoris Paſſio, ac mors deterruerat. Sed videntes, Judęos verbum ſalutis reſpuere, & Dominum Eccleſię januam non dubiis ſignis, atque miraculis Gentilibus aperire, non diſtulerunt amplius, quominus Evangelium Regni Dei illis annuntiarent. Labores eorum ſubſequutus eſt ſemper tantus prodigiorum fulgor, tantaque benedictionum copia, ut non obſcure Dei manus apparuerit in plurimis iis converſionibus, quę in omnibus terrarum plagis acciderunt: *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* Pſal. 18. 5. Ille vero gratię ſuę effuſione, miraculorum nitore, ac potentię auctoritate, Apoſtolorum prędicationi, ac fidelium fidei ſemper cooperatus eſt: *miraculis conciliavit auctoritatem; auctoritate meruit fidem; fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetuſtatem, vetuſtate roboravit Religionem.* Auguſt. lib de util. credendi cap. 14.

---

1 Epheſ. 2. 14. 2 Hebr. 11. 6. 3 Jacob. 2. 19.
4 Vide Grot. Brug. Le Clerc. Mald. 5 Auguſt. de vera Relig. cap. 25. Greg. homil. 29. in Evangel. Bed. Mald. 6 Θεριεῖ ὄφεις. 7 Hammond. le Clerc. Martian.
8 Videri poteſt Grotius in hunc locum. 9 Luc. 24. 50.
10 Pſalm. 67. 19. Epheſ. 4. 8. 11 Act. 1. 12. 12 Athanaſ. orat. 2. contra Arian. Baſil. de Spiritu Sancto cap. 6. Auguſt. lib. de Agone Chriſtiano cap. 26. de Fide & Symb. cap. 7.
13 Act. 7. 55. 56. 14 Marc. 14. 62. 15 Hebr. 12. 2. 16 Hebr. 1. 13.

FINIS COMMENTARIORUM IN S. MARCUM.

PRÆ-

PRÆFATIO IN EVANGELIUM S. LUCÆ.

SAnctus Lucas ſive Lucanus [1], ut in nonnullis Mſs. vel *Lucius*, ut in Epiſtola Apoſtoli ad Romanos 16. 21. oriundus erat Antiochia urbe Syriæ metropoli, & medicinam non ſine egregia laudis fama, addit S. Hieronymus, profeſſus eſt [2]. Cœlibem vitam agens neque conjugem ullam duxit, neque liberos genuit, ut in Additione ad viros illuſtres ejuſdem Patris legimus. Sunt qui Paganum religione crediderint [3], cui tandem S. Paulus Evangelium Antiochiæ annuncians fidem perſuaſerit. Judæum tamen alii, & e numero Septuaginta Diſcipulorum arbitrantur [4]. Narrant S. Hippolytus [5], & S. Epiphanius, virum illum, cum audiſſet Jeſum dicentem: *Qui non manducat meam carnem, nec bibit meum Sanguinem, non eſt me dignus*, abalienatum receſſiſſe; iterum deinde Pauli concionibus ad priſtina conſilia revocatum. Una cum Cleopha iter egiſſe ad Emmaus, cum Jeſum habuerunt in comitatu, alii ex Patribus teſtantur [6].

Alii tandem memoriæ prodiderunt, pingendi ſcientia non imperitum [7], tabulas plures, quas monſtrant, poſteritati tranſmiſiſſe. Cenſent pariter [8], confundendum cum *Lucio*, de quo S. Paulus in Epiſt. ad Rom. 16. 21. quem viro neceſſitudine cum Apoſtolo conjunctum arbitrantur. Meminit porro Lucæ itinerum ſuorum comitis idem Apoſtolus in ſuis Epiſtolis non ſemel [9]; autumantque nonnulli, Apoſtolum illum familiari ea phraſi [10], *ſecundum Evangelium meum*, ſcriptum a Luca Evangelium deſignare, de quo pariter interpretantur ejuſdem Apoſtoli illud 2. Cor. 8. 18. *Miſimus etiam cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias; non ſolum autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ.*

Dicta tamen hucuſque non æque certa ſunt omnia; nec meliori fide aſſertum a nonnullis Veterum credimus, virum illum inter Septuaginta Diſcipulos Jeſu Chriſti adlectum fuiſſe. Scribit enim de ſe Evangeliſta c. 1. 2. non niſi oculatorum teſtium fide & revelatione Opus ſuum ſcripſiſſe. Tertullianus pariter contra Marcion. l. 4. c. 2. velut exploratiſſimum conſtituit, numquam illum inter Diſcipulos Jeſu Chriſti cooptatum, Evangelium non niſi S. Pauli revelatione didiciſſe; idemque Scriptor cum S. Irenæo l. 1. cap. 20. virum Apoſtolicum tantum appellat. Huic pariter ſententiæ multo magis repugnant, quicumque ex Pagano vel Proſelyto ad fidem traductum arbitrantur. Pingendi arte peritum nemo Veterum ante Nicephorum agnovit. Quod autem eam opinionem inducere potuit, illud facile reputandum eſt, quod plura de infantia Jeſu Chriſti, & rerum geſtarum Beatæ Virginis, fruſtra alibi quærenda, exhibuerit.

Apoſtoli Pauli Diſcipulum, & itinerum ſocium fuiſſe nemo quidem negat; quo tamen potiſſimum tempore in ejus ſe clientelam aſſeruerit, diſquiritur. Quicumque ab Apoſtolo Antiochiæ verſante ad fidem traductum arbitrantur, ab eo tempore Magiſtro fidum, & indivulſum comitem adhæſiſſe defendunt: quam opinionem ſecutos credimus SS. Epiphanium, & Hippolytum. Idem pariter docet vetus Mſ. Cantabrigenſe, cui Pearſonius ſuffragatur. Malunt alii acceſſiſſe S. Paulo comitem Troade, laudantes in eam rem illud Actuum 16. 8. 9. 10. *Statim quæſivimus a Troade proficiſci in Macedoniam*; quibus verbis una cum Paulo verſari ſe Lucas ejus Libri author ſatis innuat. S. Irenæus pariter itinera S. Lucæ una cum Apoſtolo facta percurrens, inde narrationem ſuam exorditur l. 3. c. 14. Nicephorus, & Græci recentiores [11] autumant, S. Lucam avitis erroribus renunciaturum veniſſe Thebas Bœotiæ; ſed hæc recentiorum Græcorum tantum fide aſſerta, nullius ſunt momenti. S. Lucam in itineribus ſuis proſequi, alienum eſſe a noſtro inſtituto arbitramur.

Poſt Pauli exceſſum, diutius vitam produxiſſe ex eo credimus, quod plurium ſententia 80. vel 84. annorum grandævus vita exceſſerit. S. Epiphanius hæreſi 51. teſtatur, nunciatum ab illo Evangelium in Dalmatia, Galliis, Italia, & Macedonia. Ex urbe Roma in Græciam rediiſſe non modico animarum compendio, teſtatur Nicephorus l. 2. c. 43. Veniſſe in Ægyptum, Lybiam, & Thebaidem, Metaphraſtes eſt author. Diem clauſiſſe in Achaja creditur [12]; unde ſacra ejus lypſana Conſtantinopolim ſub Conſtantio tranſlata aſſerit Philoſtorgius l. 3. c. 2. Thebis in Bœotia, Nicephoro authore, obiit [13]; ubi hodie pariter ejus ſepulchrum monſtrari fama eſt [14].

Non abs re tamen ſuſpicamur, confuſos in unum duos cognomines viros, nempe S. Lucam Evangeliſtam, & S. Lucam Stiriotem, heremi ejus regionis incolam. S. Hippolytus tradit, crucis ſupplicium ſubiiſſe Eleæ in Peloponneſo [15]; Dorothæus in Synopſi obiiſſe refert, & ſepulturæ mandatum Epheſi; Beda, Addo, & Martyrologium

---

1 Lucas ex contractione Lucani. Legitur: Evangelium ſecundum Lucanum in Cod. Mſ. Bobienſi 51. 1. & S. Jo. de Carbonaria Neapoli altero; & ad calcem Cod. Cottoniani: Explicit Evangelium ſecundum Lucanum. Vide Mill. ad 1. Theſſal. cap. 1. 2 Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. c. 4. Hieron. de viris Illuſtr. & in Matt. & alii.
3 Hieronym. quæſt. in Geneſ. p. 225. 4 Adamant. l. 1. pag. 8. Epiph. hæreſ. 51.
5 Hippol. Mſ. in Bibl. Bodlei. apud Mill. Præfat. in Luc. p. 120. Ita & Epiphan. hæreſ. 51.
6 Gregor. Magn. l. 1. Moral. cap. 1. Quid. apud Theophylact.
7 Nicephor. lib. 2. cap. 43. & l. 6. cap. 6. Theodor. Lector. hiſt. lib. 1. pag. 551. alii.
8 Quid. apud. Orig. in Epiſt. ad Rom. 9 2. Timoth. 4. 11. Philem. ver. 23. 24. Coloſſ. 4. 14.
10 Rom. 2. 16. 11 Nicephor. lib. 2. cap. 43. Menæa 18. Octobr.
12 Hieronym. de Viris Illuſtr. Gaudent. Brix. hom. 17. 13 Nicephor. lib. 2. c. 43.
14 Ubclei. p. 379. 15 Hippolyt. in Mſ. Bobl. ſupra citato.

gium Romanum defunctum conſtituunt in Bithinia. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 3. S. Paulinus Epiſt. 12. martyrium conſummaſſe tradunt. S. Gaudentius Brixienſis [1] inter eos recenſet, qui mortem ab impiis tolerarunt. Recentiores quidam Græci aſſerunt in oliva arbore crucem ſubiiſſe [2]. Verum S. Hieronymus, & Euſebius nihil habent de ejus martyrio, nihil pariter de illo in Martyrologiis; quin & Elias Cretenſis [3] certum conſtituit, violentæ mortis genere non interiiſſe, in quam pariter ſententiam a Recentioribus conceſſum eſt.

Ex Operibus S. Lucæ innotuit Evangelium, & Acta Apoſtolorum, nullo refragante genuina omnia: Eidem etiam Authori tribuitur verſio Græcæ Epiſtolæ ad Hebræos [4]. Sunt etiam qui eandem epiſtolam exaraſſe Lucam, ex verbis & conceptibus ejuſdem Apoſtoli [5], aſſeruerint. Sed fuſius ea de re in Prolegomenis ad eandem epiſtolam. Ipſi pariter inſcribitur a S. Clemente Alexandrino apud Euſeb. l. 6. cap. 14. diſputatio Jaſonis viri Chriſtiani cum Papiſco Judæo Alexandrino, qui tandem rationibus Jaſonis perſuaſus, victas manus fidei dedit. Hanc collationem Origenes appellat *contradictionem* [6]. S. Hieronymus, *altercationem* [7]. Porro opus illud ætate noſtra intercidit, de quo ita Origenes, & S. Hieronymus agunt, tanquam a S. Luca nequaquam ſcriptum arbitrarentur. S. Maximus Abbas tuetur, Librum illum ſcripſiſſe Ariſtonem Pellæum, qui circa annum J. C. 140 florebat.

Quo tempore S. Lucas ad ſcribendum Evangelium ſeſe contulerit, non ſatis convenit. Ejus epocham conſtituunt Græca pleraque Mſſ. [8] anno J. C. 51. nempe 48. Æræ Chriſtianæ, triennio antea quam comes S. Paulo acceſſiſſe legatur; quod ſatis argumenti eſt ad epocham illam prorſus abjiciendam. Si Patrum fides [9] teneatur, autumantium de Evangelio S. Lucæ ſermonem eſſe illis Apoſtoli 2. Corinth. 8. 18. verbis: *Cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*; ſcriptum Opus cenſendum eſt ante annum 57. J. C. quo ſcilicet ea ad Corinthios Epiſtola data; & facile etiam certa ejus Epocha conſtituenda circa annum 53. cum Paulus Corinthi in Achaja verſaretur; ibi enim literis mandatum opus S. Gregorius Nazianzenus Car. 33. & S. Hieronymus in Matt. Prol. Comment. autumarunt.

Eſthius in 2. Corinth. 8. Grotius in Luc. Præfat. ſuſpicantur annum ſcripti Evangelii & Actorum ipſum eumdemque reputandum eſſe, in quem eorumdem Actuum hiſtoria clauditur, circa annum nempe 63. J. C. cum S. Paulus Roma digreſſus in Hiſpaniam iter ſuſcepit. Suſpicatur Grotius, Sacrum Scriptorem ex Urbe in Achajam conceſſiſſe, ibique literis tradidiſſe Evangelium. In pluribus inſcriptionibus Syriaci, Perſici, & Græci adornatum fertur Alexandriæ, quod ſatis conſonat cum recepta apud Authores mediæ ætatis [10] traditione, apud quos Evangelium annunciaſſe, & vitam clauſiſſe in Ægypto S. Lucam fama eſt conſtantiſſima. Fertur etiam [11] ibidem in tertium Alexandriæ Epiſcopum Abilium conſecraſſe circa annum 86. J. C.

In aliis nonnullis Mſſ. Latinis literis Romæ ſcriptum Evangelium illud narratur [12]. Recepta tamen, & melior ſententia tenet, Græcis literis, & in Achaja digeſtum fuiſſe opus circa annum 53. J. C.

Non deſunt inter Veteres, qui ab Apoſtolo Paulo dictatum, excipiente Luca, Evangelium illud autumaverint [13]. Tertullianus l. 4. contra Marcionem c. 5. teſtatur de quibuſdam: *Nam & Lucæ Digeſtum Paulo adſcribere ſolent. Capit Magiſtrorum videri, quæ Diſcipuli promulgarunt*. Aſſeruerunt alii [14], Apoſtolum illis verbis, *Secundum Evangelium meum*, Sancti Lucæ Evangelium deſignaſſe. S. Pauli ope confiſum ad ſcribendum ſe contuliſſe canit S. Gregorius Nazianzenus carmine 43. Scriptis mandaſſe, quæ Paulus verbo Gentibus annuntiaret, ait S. Irenæus l. 3. c. 1. Dorotheus in Synopſi tradit, ſcriptum ab illo Evangelium, dirigente S. Petro, ſicut & Acta ſub Paulo Magiſtro. Verum nullibi ſive in actis, ſive in Evangelio inſinuat S. Lucas, ſcribenti ſibi hiſtoriam adfuiſſe Apoſtolum Paulum, ſive Evangelium ſub Petro ab ore dictantis Petri excepiſſe, quanquam id Menologium Baſilii aſſeruerit. Porro ad ſcribendum ſe contulit tum poſt vulgata SS. Matthæi, & Marci Opera, cum etiam poſtquam alii plures non penitus ſibi, exploratam hiſtoriam illam tentarunt [15].

Utrumque opus inſcribit Theophylo, quo nomine generatim Deum amantes animas deſignari, plures inter Veteres autumarunt [16]. Alii vero, quorum hodie opinio invaluit, certum aliquem virum inſinuari credunt, virum, inquam, ampliſſimum, ſive Provinciæ Præſidem, qui nomen dediſſet inter Chriſtianos [17]. Pro Gentibus ad fidem Chriſti ductis ſcripſiſſe Lucam ſentit Origenes apud Euſeb. hiſt. Eccleſiaſt. l. 6. c. 25.

Unum hoc Evangelium, & fœde a ſe detruncatum, excipere Marcionitas tradunt Tertullianus, & S. Epiphanius [18]. Scriptoris illi nomen ab Opere adimebant, adimebant pariter cætera omnia capita, a tertio exordientes in illa verba: *Anno quintodecimo* (detrahebant particulam *autem* quæ in Textu Legitur) *Imperii Tiberii Cæſaris*. Hæc autem verba juncta ab illis verſui 31. c. 4. cujus majorem partem expunxerant, ab illis verbis narrationem ineuntes: *Deſcendit Jeſus in civitatem Galilææ Capharnaum*.

Plura etiam alia demebant addebantque, quemadmodum in Tertulliano, & Epiphanio legere eſt: Porro cetera rejicientes Evangelia, illud ad Galatas 1. 7. in patrocinium erroris ſui aſſumebant: *Miror, quod*

---

1 Gaudent. Brix. Serm. 17. Martyrem & Evangeliſtam appellat etiam vetus Martyrologium Eccleſiæ Africanæ; Vide Analect. t. 3. pag. 214. 2 Glycas, Cedren. Niceph. Vide Tillem. hiſt. Eccl. t. 2. pag. 148.
3 Elias in Greg. Naz. orat. 3. 4 Clemens Alexandr. apud Euſeb. l. 6. Hiſtor. Eccleſ. c. 14. & Hieron. de viris Illuſtr. 5 Origen. apud Euſeb. l. 6. c. 25. hiſt. Eccl. 6 Origen. l. 4 contra Celſum.
7 Hieronym. quæſ. Hebr. in Geneſ. 8 Vide Var. lect. Mill. ad finem S. Luc.
9 Origen. Ambroſ. Hieron. Chryſoſt. alii. 10 Fortunat. l. 8. c. 4. Metaphraſt.
11 Conſtit. Apoſt. l. 7. c. 46. 12 Mſſ quædam apud Mill. ad Calc. Luc.
13 Athanaſ. Synopſ. 14 Euſ. l. 3. c. 4. & l. 6. c. 25. Hiſt. Eccl. ex Origene Hieron. non ſemel.
15 Luc. 1. 1. 2. 16 Origen. in Luc. hom. 1. Ambroſ ibidem, Salvian. epiſt. 9. Epiphan. hæreſ. 51.
17 Auguſt. de conſenſu Evang. l. 4. c. 8. Chryſoſt. in Act. hom. 8. Theophyl. in Luc. Præfat.
18 Vide Epiphan. hæreſ. 42. Tertull. contra Marcion. l. 5. Chryſoſt. in cap. 1. Epiſt. ad Galat.

Digitized by Google

quod ſic tam cito transferimini in aliud Evangelium, quod non eſt aliud, ſecundum Evangelium meum; ſic in correctis Exemplaribus legebatur tantum: *Quod non eſt aliud*. Quæ de geſtis Beatæ Virginis, de Infantia J. C. de Cantico ejuſdem Virginis, colloquio cum Angelo, profectione ad Eliſabeth, & Zachariam, quæque da repoſitis in corde Beatæ Virginis quæcunque in Filio ſuo admiranda contemplabatur [1]; hæc omnia ſatis inſinuant, ſacrum Scriptorem familiari Beatæ Virginis conſuetudine uſum, unde plura tum de rebus ipſius, cum de J. C. didicerit [2].

Ratio, quam conſtantiſſime ſervat, laudandi Scripturæ teſtimonia juxta verſionem Septuaginta, etiam cum ab Originali Hebræo recedunt [3], ſatis inſinuat alienam a Judæis originem retuliſſe; unde pariter confirmatur eorum opinio, qui ea Proſelytis ſive alienigenis ad ſacra Judæorum traductis, ſive ea Paganis ad fidem Chriſti acceſſunt. Ita pariter quæ eſt inter ejus Evangelium, & ea, quæ in prima Epiſtola ad Corinthios leguntur, rerum conſonantia, opinionem eorum fulcit, qui adoptatum ab Apoſtolo Evangelium S. Lucæ aſſeruerunt; utrobique enim iiſdem verbis inſtitutio Euchariſtiæ narratur [4]. S. Paulus, & S. Lucas ſoli inter cæteros produnt, Chriſtum ipſo Reſurrectionis ſuæ die Apoſtolo Petro ſpectandum ſe præbuiſſe [5].

Ad ſtilum quod attinet, redundare Helleniſmis Grotius [6] obſervat, quos forte ſimul cum Judaicæ religionis profeſſione & Librorum Hebraicorum lectione adſciverat. Medicinæ ſtudebat, unde ſtili puritas & correctio major quam in aliis N. T. Scriptoribus. Occurrunt etiam aliquando ſimiles loquendi phraſes, quæ Syriacam, & vernaculam Scriptoris originem produnt. Addit etiam nonnulla ad genium & ſaporem linguæ Latinæ. Hoc Critici illius emunctiſſimæ naris judicium. Quanquam non omnibus eadem ſunt de Sacro Scriptore explorata, ſatis tamen convenit, puriori Græco eloquio, quam Evangeliſtas cæteros, fluere.

1 Luc. 2. 19. & 51. 2 Vide Grot. ad Luc. 2. 51. 3 Vide Actuum 7. 14. ubi S. Lucas 75. poſteros Jacob recenſet, quanquam in Hebræo tantum 70. leguntur. Adoptat pariter cap. 3. 37. Cainum, quanquam nonniſi apud Septuaginta extat. 4 1. Cor. 11. 23. 24. 25. Confer cum S. Luca 22. 18. 19. 20. 5 1. Cor. 15. 5. Confer cum Luc. 24. 34. 6 Grot. Proleg. in Luc.

DISSERTATIO

De conciliatione Genealogiarum JESU CHRISTI apud S. Matthæum, & S. Lucam.

JAm inde a pluribus ſæculis Chriſtiani nominis oſores cavillandi anſam ex Genealogiis JESU CHRISTI arripuerunt. Si JESUS alterum habuit a Joſeph, quod Chriſtianis perſuaſum eſt, parentem; ut quid igitur Evangeliſtæ Joſephi genealogiam retexunt? Si vero ex Patre Joſepho natus eſt, quomodo Dei Filius, & Virginis Parentis appellaretur? Expectamus JESU CHRISTI genealogiam, & nobis oggeritur ſeries Avorum Joſephi, cui viro nihil ad JESUM. Ita Porphyrius, Manichæi [1], Julianus Imperator [2], Celſus [3], & hodie pariter Judæi calumniantur. Eorum cavillis diverſa Patres, & Interpretes ſyſtemata opponunt: quæ adductis in utramque partem rationibus proponemus. Verum in ipſo Diſſertationis hujus limine ambæ illæ, de quibus agitatur controverſia, genealogiæ cum annotatiunculis noſtris afferendæ ſunt, quo uno veluti conſpectu Lectori exhibeantur virorum illorum ſeries, de quibus in ſubſequentibus agendum eſt, tum & comparet inter ſe facilius. Porro Genealogiam S. Lucæ nonniſi e Davide repetamus.

Genealogia Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

Juxta S. Matthæum 1, 1. & ſeq.	*Juxta S. Lucam 3. 23. & ſeq.*
DAVID	
SALOMON	NATHAN [4]
ROBOAM	MATHATA
ABIA	MAINAN
ASA	MELCHA

Juxta S. Matthæum.	*Juxta S. Lucam.*
JOSAPHAT	ELIACIM
JORAM	JONAM
OCHOSIAS [5]	JOSEPH
JOAS	JUDA
AMASIAS	SIMEON
OZIAS	LEVI
JOATHAN	MATHAT
ACHAZ	JORIM
EZECHIAS	ELIEZER
MANASSE	JOSE
AMON	ER
JOSIAS	ELMODAN
JOACHIM [6]	COSAN
	ADDI
	MELCHI
JECHONIAS [7]	NERI

SALATHIEL [8].
ZOROBABEL,

ABIUD	RESA
	JOHANAN
ELIACIM [9]	ASOR
	JUDA
AZOR	JOSEPH
	SEMEI

SA-

1 Vide Fauſt. Manich. apud Auguſt. l. 23. contra Fauſt. c. 1. 2. 3. & l. 3. c. 1. 2 Julian. apud Cyrill. Alex. c. 3. contra eundem Julian. 3 Vide Origen. contra Celſum l. 2. 4 Nathan eodem ac Salomon parente, Davide ſcilicet, natus eſt. Sed juſſu Domini Salomon regnavit 3. Reg. 1. 13. & 2. Reg. 12. 25.
5 Hunc Regem, ac proxime ſuccedentes duos a S. Matthæo omiſſos ambigit nemo: nos ſupplendos duximus, ut ſucceſſio Regum Juda conſtet. 6 Hunc Regem vel S. Matthæus ipſe, vel ejus Amanuenſes omiſerunt.
7 Jechoniæ ſuccedit Sedecias ejus patruus. 8 Jechonias cum Babylone verſaretur, filios genuit Aſir, & Salathiel 1. Par. 3. 19. 9 Medius inter Eliacim, & Azor in quibuſdam Mſ. conſtituitur Abner.

Juxta S. Matthæum.	*Juxta S. Lucam.*
SADOC [1]	MATTHATIAS
	MAHAT
ACHIM	MAGGE
	HESTI
ELIUD	NAHUM
	AMOS
ELEAZAR	MATTHATIAS
	JOSEPH
MATHAN	JANNE
	MELCHI
JACOB	MATTHAT [3]
JOSEPH [2]	LEVI
Vir Mariæ	HELI [4]
Matris	MARIA Mater

JESU.

Ex collatione duplicis hujus genealogiæ ſatis apparet, geminas ex eodem Davide, per Salomonem alteram, alteram vero per Nathan deductas familias in Salathiele, & Zorobabele primum conjunctas, coiviſſe iterum in Jeſu filio Mariæ, & conſobrino Joſephi, ut unus Jeſus flos eſſet ſive germen Jeſſe [5], filius David & Salomonis, & promiſſorum, quæ utrique facta ſunt, hæres.

Cum vero eorumdem Evangeliſtarum teſtimonio certum ſit, JESUM CHRISTUM non ad Joſephum ſpectare, ſed ad Mariam, plura ſunt, quæ negotium faC ciunt: 1. Cur genealogia Joſephi, & non potius Mariæ retexitur? 2. Quomodo JESUS CHRISTUS e Davide, & Salomone recta generationis ſerie deductus, ex eo infertur, quod Joſeph e filiis David demonſtretur? 3. Quomodo gemini Joſepho parentes ſtatuuntur, Jacob e genere Salomonis, & Heli e ſtirpe Nathan? 4. Tandem quomodo JESUS inter poſteros Davidis, & Salomonis demonſtraretur, ſemel etiam admiſſo apud S. Lucam Virginis genealogiam retexi; cum juxta eam hypotheſim e Nathan, non e Salomone, genus retulerit?

Hiſce omnibus reponitur. 1. Alienum fuiſſe a moribus Hebræorum, ut mulierum genealogiæ retexerentur. Cum autem Jeſus filius haberetur Joſephi, ſive adoptione, ſive ex eo ſaltem quod ad Mariam ejus conjugem pertineret; cumque Joſephus tamquam filium D in domo ſua excepiſſet aluiſſetque; in omnia proinde jura domus Joſephi ipſe Jeſus admittebatur. 2. Heli patrem fuiſſe Joſephi legalem, Iacob vero genuinum, & naturalem; vel ſecus, Heli naturalem, legalem vero Iacob. 3. His ſemel conſtitutis, genealogiam nempe Virginis a S. Luca adornari, duo evidentiſſime conſequuntur; primo nempe Ieſum genus e Davide retrahere: ſecundo vero filium eſſe, & hæredem Salomonis duplici jure; duæ enim Nathani, & Salomonis familiæ in Salathiele olim coeuntes, iterum deinde conjugio Ioſephi, hæredis familiæ Salomonis cum Maria hærede Nathani coiverunt. Ita pariter factum eſt, ut Ioſeph in ſe uno duas familias conciliaret, & utriuſque generis ſtirpem in JESUM filium ſuum, & heredem E tranſmitteret. Latius exponenda ſunt hæc omnia, & ab incommodis vindicanda, quo apertior ſe veritas prodat.

Hebræorum moribus receptum fuiſſe, ut genealogiæ per viros ducerentur, aſſiduis Scripturarum exemplis, & teſtimonio Rabbinorum & Patrum demonſtratur [6]. Sanctum eſt inter Doctores Judæos, matris familiam, A familiam non eſſe. Quamquam autem Joſephus Jeſum non genuerat, tamquam parens tamen habebatur, qui eum ut filium in domo ſua aluit, adoptavitque, atque jurium ſuorum omnium participem fecit, ut proinde jure meritoque ſuam pariter illi genealogiam vindicaret. Attinebat etiam Jeſus ad Joſephi domum alio titulo, Mariæ ſcilicet parentis ſuæ, quæ vero conjugii vinculo cum Joſepho conjuncta, id efficiebat, ut natus ex ipſa, eodem conjugio conſtante, ſine humano ſemine filius ad ipſum Joſephum, tamquam in ejus fundo natum germen, pertineret. Jeſus viciſſim filiale Joſepho obſequium præbuit & amorem: unde tam alta inſedit omnibus perſuaſio, Jeſum nempe ad Joſephum parentem pertinere, ut pater ipſius in Evangelio, ſicut etiam a Beata Virgine, nunquam non appelletur [7].

B Mos adoptandorum ſibi filiorum apud Hebræos ante legem ſpectatur. Sara in thorum viri ſamulam ſuam invexit, quo ſcilicet natos inde filios ſibi adoptionis jure vindicaret Geneſ. 16. 2. Eodem jure ſibi Jacob uſurpavit Ephraimum & Manaſſem Geneſ. 48. 5. eodem filia Pharaonis ſibi adſcivit Moyſem Exod. 2. 10. Eſther filia habebatur Mardochæi patrui ſui Eſther 2. 7. 15. Major natu filiorum e fœmina nupta fratri prioris viri ſui fato ſine liberis functi, tanquam viri illius defuncti filius habebatur Deut. 25. 5. Quando itaque Jeſus nullo alio quam adoptionis jure ad Joſephum pertineret, vindicando ſibi titulo filii David, atque hæredem ſe promiſſionum ejus familiæ aſſerendo, ſatis ſuperque habuiſſet.

C Accedit alia quidem & firmior ratio, quod ſcilicet Maria ad eandem familiam & domum Joſephi pertineret; ut proinde una eademque genealogia utriuſque avos exhiberet. Conſtat primum illud noſtrum aſſertum uno Patrum omnium aſſenſu [8]. Obſervant illi, Lege cautum eſſe, ne puellæ ex alienis Tribubus viros ducerent; quin etiam, ſiquidem fieri potuiſſet, viris ejuſdem familiæ nuberent. Cogebantur etiam ad eas nuptias in ſingularibus quibuſdam rerum articulis; veluti cum filia paternæ domus hæreditatem ſuſtineret Num. 36. 37. vel cum viro, nullis ſuſceptis ex eo filiis, orbaretur Deut. 25. 5. ſi quid ex his accidiſſet, intra familiam quærere ſibi conjugem adigebatur. Vetus eſt autem in Eccleſia traditio Beatam Virginem parentum ſuorum unicam, ac proinde avitæ facultatis hæredem fuiſſe [9]; ejuſque nuptias Joſephum patruum vel D avunculum ipſius, vel fratrem neceſſitudine omnium conjunctiſſimum, Legis præcipientis ſanctione, ſibi quærere coactum.

Fatemur quidem nonnulla adverſus opinionem illam opponi. 1. Mariam ad parentes ſuos filiam unicam pertinuiſſe, ſibique paternam omnem hæreditatem vindicaſſe, nullo documento conſtat. Neque enim ſatis convincens ejus rei argumentum Evangeliſtarum ſilentium cenſendum eſt. Porro fœminis Iſraelitis nuptiæ ſive intra Tribum, ſive extra liberæ permittebantur. 2. Quando vero bonorum patris ſui hæres Maria velut unica cenſeretur; nullum tamen e familia ſua virum ſibi quærere cogebatur; integrum ipſi erat, quemcumque maluiſſet, virum contribulem ſuum ducere. Non ſatis eſt autem Jeſum Chriſtum ad Tribum Juda ſpe E ctantem demonſtraſſe; debuit pariter e radice Davidis & familia Salomonis duci, quo ſua fides Prophetarum oraculis conſtaret.

Ambiguum eſt etiam & incertum, num Legis illa ſanctio ipſa Jeſu Chriſti ætate maneret [10]. Bona Tribuum, & Familiarum in unum confuſa, abolendæ Legi cauſam, & argumentum præbuerant. 3. S. Lucas non

1 Poſt Sadoc aduſque Jacob patrem S. Joſeph generationes quædam omiſſæ ex collatione Genealogiarum Sancti Matthæi & S. Lucæ facile apparent. 2 Joſeph apud S. Matthæum filius Jacob appellatur, quod parentem illum reipſa haberet: in S. Luca vero filius dicitur Heli: quod ſcilicet ſocerum illum haberet: erat enim Heli ipſiſſimus ac Joachim pater Mariæ. 3 Iſaia 10. 1. 10 Rom. 15. 1.

4 Ambo hæc nomina Matthat & Levi deſunt in nonnullis Mſſ. Africanus, Euſebius & S. Irenæus non legerunt. 5 Heli idem facile vir ac Joachim pater Ss. Virginis. 6 Iren. l. 3. c. 18. Tertullian. contra Judæos, Athan. Epiſt. ad Epictet. Ambroſ l. 3. in Luc. Auguſ. plurib. in locis, Hieron. hic, alii paſſim etiam ex recentioribus. 7 Vide Mald. Brug. Grot. alios. Aug. l. 2. de conſenſ. c. 3. 8 Iren. l. 3. c. 18. Tertull. cont. Judæos, Aug. qq. in Judic. q. 47. & Quæſt. in N. T. q. 56. & l. 23. cont. Fauſt. Hieron. hic. Amb. l. 3. in Luc. Nyſſen. de S. Chriſt. Nativit Damaſc. alii. 8 Hilar. in Matth. 1. Euſeb. Hiſtor. Eccl. l. 1. c. 7. ad fin. Cyrill. contra Julian. l. 7. & 8. Eucher. q. 2. in Matth. Euthym. Theophylact. ad Matth. 1. Vide Maldonat. ad Matth. 1. 16. Brug. Grot. ibid. 9 Nazianz. cat. 39.

noo obſcure prodit c. 1. ſ. 36. Virginem Mariam coofobrinam fuiſſa Eliſabeth, fœminæ e8 Aarona genus referantis. Non abs re igitur ad eaodem ſtirpam pertinere Maria ceoſeretur. Nec ſatis aſſat, ut ſua fidee divinis promiſſionibos conſtaret, ſi damonſtraretur Jeſus adoptione in familiam Joſapb adſcitus fuiſſa: val ſi e Maria cnojuge Joſaphi ſatus, jora propriataris ad ipſum pertinare diceretue. Deus anim Meſſiam oon adoptione oeqae parricipatione io jaribus ſamiliæ, ſad ax Davide prognatum ſecundum camam promiſit [1].

Faremur nos quidem, in Scripturis vaeturum Meſſiam e Tribu Juda & familia David per Salomonem deſignari; ſed nobis æqaa perſnaſiſſimam aſt, cartiſqua probatum argumentis, Jeſum Chriſtum originem inda ſuam reperiiſſe, non per Joſephum tantum, cujus legitimas hæres babebatur, ſad potiſſimum per Mariam, qua parente genitas aſt. Parmiſſum quidem erat fœminis Iſraeliticis, ad quas paternæ hæreditatis jura noo pertioerent, quaſcumqua mallent, ouptias axtra Tribum etiam ſaam quærara; ſi vero bona ad ipſaa paterna davolvarentur, noo ſolum illis vetitum erat virum extra cnntribules ſuos, ſed vel extra familiam procurrere, quemadmodum apertiſſimis varbis io Lege Moſaica Num. 35. 5. ſancitum eſt, & a doctiſſimis Interpretibus demonſtretur [2].

Quod autem ad Mariam avitæ hæraditatis jura pertinerent, quamquem nulla ſuppetant Sacrorum Librorum documenta, vetuſtiſſima tamen traditione, cui na Judæis quidem reſragari unquam ſuccurrit, receptum aſt. Erat quidem booorum per ſingulas familias, ſicut & Tribuum, diſtribationis ordo ætate Jeſu Chriſti noo nihil torbatur; vix tamen propteraa neglectam illam legis ſanctionem cradimus, qua de paellis hæredibus conjugem eatra familiam quærentibos ſanciebatur. Familiæ etanim canſus noo latifundiis tantam conſtabaot, nec minns ad patriam hæraditaram pertinebant bona, ſive quæ io territorio Tribus ſuæ, ſive qaæ alibi ſita aſſent; idemqua manabat Legis ſpiritus, ut ſcilicet hæraditatea in ſuis ſingulæ familiis aſſererentur. Profecto Tobias & Ragaal [3] io alienigenarum ditione verſantas, ab ea Lagis obligatinea axampros ſo minime arbitrabantur, quamvis alioqui caoſus ſuos omnes in pecuoia, mancipiis, & gregibus conſtitutos habaraot.

Quæ iotercedebat iorer Baaram Virginam, & S. Eliſaberh oaram e ſtirpa Aaron neceſſitudo, plos aliquid maretur indaginis; non quod majas ſacaſſat negocium, ſed ideo tantum, quod Patribos quibuſdam [4] perſuaſum eſt, a S. Matthæo genealogiam Chriſti veluti Regis, e S. Luca velur Sacerdotis readi. Quæ ſi veritati cohæraant, profecto oeceſſitudo Mariæ cum Eliſabethæ, & junctum Ragalis cam Sacerdotali familia fœdas non ſolum ſententiæ noſtræ non officaret, ſad plorimum prodeſſet; quippe qui perſuaſum babaamos, Jeſum Chriſtom non taotom filium David & Ragem Judæorum ſtatuendum eſſe, ſad etiam Sacerdotam æteroum. Poterat itaqae Maria conſobrioam ſuam Eliſabetham habere, quod ſeiliaet aliquis a familia ajua fœminæ oeceſſariam B. Virginis aliqnam in conjugem habuerit; ſive viciſſim aliquis ad familiam Mariæ pertinens filiam aliquam Sacerdotis & a familia Eliſaberb duxarit. Nihil in ea re arduum; quemadmodum aoim ſupra innuimus, conjogia paellis oon hæredibus libera permittebantur. Quæ omnibus data ſaculcas, amplior pariter puellis Sacerdotalibos patebat, quippe qaæ ex aa familia prodiiſſent, cui oulla erat in regione hæreditas aſſignata: ut proiode nomqoam cootingere potaiſſet, eorom connubia ad viros contribules & ejuſdem familiæ, motu ne turbarentur hæreditates, raſtringi.

Quando tamen nos utramqaa Chriſto dignitatem, Sacardotalem ſcilicat & Regiam, aſſerimas, non ita tamen reputandum aſt, quaſi a S. Luca Sacerdotalam, a S. Matthæo Ragiam genealogiam reteai fataamur. Nno eoim receptam ex Aaroot [5] Sacardotalem dignitatem Jaſus Chriſtus gerabat; quippe qui Sacardos aſſet ſecundum ordinam Melchiſedech [6]. In ſeria avorum Jaſu apud S. Laaam nihil unquam ſiva da Aarone, ſiva da ejus filiis, ſive de alio quocunque Sacerdore in hiſtoriis noto legitar. Porro Meſſias Sacardotium Aaronicom abrogaturus venerat, ut novom conderat, neque da ajus Sacerdorio Aaronico quidquam apud Evangeliſtas legitur, cum viciſſim de ſtirpa ejas Davidicanunquam ſileant. S. Lucas genaalogiam David uſque ad Zorobabelem & Reſam aperriſſime proſequitur; quis cradat deiode, ea relicta, ad ſariem Sacerdotalem ſa conruliſſe, ne Lectore quidem admonito, naqua rationa ulla indicata? Sit itaque conſtitutom, Jaſum Chriſtum a Davide genus ſecundum carnem retuliſſe, quod val unico hoc argumanto convincitur: S. Lucas, & S. Matthæus diſerte teſtantur, Jeſum e Joſepho prognatum non fuiſſe; ſed ipſis pariter Evangeliſtis parſuaſum aſt, Jeſum parrem habuiſſe Davidem; quare, ut ambo ſimul conſtent, reputaodum eſt, genus e Davide non niſi per Mariam parentem ſaam retuliſſe. Maria igitur, & Jeſus ad genus Davidicum pertinent. Demonſtrant pariter iidem Evangeliſtæ, Joſephum e Tribu Juda, & radica David latam fuiſſe; ejaſdem ergo familiæ, & Tribus gemini reputandi ſunt Joſephus & Maria.

Gemini patres, qui uni eidemqua filio Joſepho aſſeri in Evangelio videntur, nempe Jacob juxta S. Matthæum, & Heli juxta S. Lucam, unicum in hac ra negocium faceſſunt, totamqae ſibi Diſſertatiooam hanc noſtram vindicant. Rei arduitatem jam inde ab initio PP. & Interpretes ſenſerunt, nec Chriſtiani nomioia oſores ab hoc ſibi contra nos argamento urgeodo temperarant, qaibus tria reponenda ſuot. 1. Jacob filium Joſephum reipſa ex ſe genitum habuit, eundemque vero lagalam ſibi filium adſcivit Heli i. e. ſeu viciſſim Heli jnara naturam, Jacob ſecundom lagem pater repotandus eſt [7]. 2. Potuit Joſephus adoptione filius alterutrius, alterius vero natura raputari [8].

Priori ſententiæ favet apertus S. Matthæi Textus: *Jacob genuit Joſeph*, cum S. Lucas tantum legat: *Joſeph qui fuit Heli*; quod reddi poteſt; *Qui ad Heli pertinebat*; ſicut eodem ſenſu legitur in capite ajus genealogiæ: *Adam qui fuit Dei*; nempe e manibus Dei opificis prodiit. Conceſſerant in eam ſententiam Veterum ferme omnes [9], quam Julius Africanus Anthor tertii ſæculi ineuntis in Palæſtina degens excepiſſe ſe ab ipſis Servatoris noſtri cognatis ſecundam carnem, e Nazareth, & Cocaba, vicis Judææ, per omnes terraa illas diffuſis. Ita varo ille banc Genealogiam explicat. *Mathan* e Davida per Salomonem daductus, & *Melchi* e Davide per Nathan ſatus, alter poſt alterom eandem uxorem *Eſtham* duxerunt. Ex eo conjugio oati ſunt quidem e Mathao *Jacob*, & e Melchi *Heli*. Poſterior iſta dacta conjuge ſina liberis deceſſit; cujus proinde viduam uxorem ex Legis præcepto Deut. 25. 5. ſibi vindicante Jacob, natus eſt ax ao conjugio *Joſeph* filius Jacob ſecundam naturam, & Heli ſecundum legem.

Hoc Africani teſtimonium, cui ax Patribus fere omnibus authoritas accedit, tanto potius reputandum eſt, quanto aſſertores babet ex ipſa Jeſu Chriſti familia ſecun-

1 Gen. 49. 10. Iſai. 11. 1. Pſ. 131. 11. Rom. 1. 3. Hebr. 7. 14. 2 Vide Grot. ad Matth. 1. Chryſ. Epiphan. 3 Tob. 3. 8. 4 Aug. l. 23. contra Fauſt. c. 8. l. 2. de conſenſu c. 2. l. 83. Quæſt. q. 61. Epiphan. hæreſ. 78. Julian. Toler. contra Judæos l. 3. Hilar. in Matth. c. 1. Vide Baron. ad Annal. apparat. n. 30. 31. 32. Mald. ad Matth. 1. 16. 5 Hebr. 7. 13. 14. 6 Pſal. 109.

7 Ambroſ. in Luc. alii apud Aug. qq. N. T. q. 56 Vide Grot. in Matt. verſ. de genar. Chriſti.

8 Auguſt. l. 2. de conſenſu c. 2. 3. & l. 2. Quæſt. Evangel. q. 2.

9 African. ad Ariſtid. apud Euſeb. lib. 1. hiſtor. Eccleſ. cap. 7. Auguſt. Retract. lib. 2. cap. 12. Juſtin quæſt. 66. Hieronym. in Matth. 1. Eucher. quæſt. 3. in Matth. Beda in Luc. Damaſcen. lib. 4. cap. 15. de Fide, Theophyl. &c.

ſecuodum earnem vitos digniſſimos. Superſunt tameo aliqua, quæ negocium faciant: quanquam enim de geminis parentibus S. Joſephi inſtruamur; nihil tamen ex ea deducitur, quomodo juxta hane hypotheſim Jeſus filius Davidis ex Salomone ſtatoatur; ſilet etiam Joſephi eum Maria oeceſſitodinem. Repugnat tandem textui S. Lucæ, qui *Mathath*, & *Levi* conſtituit medios inter *Melchi*, & *Heli*; cum Africanus cæterique ejus ſententiam tuentes [1] parentem ipſi Heli proximum habeant *Melchi*, illum ſcilicet, quem oostra Exemplaria S. Lucæ avum ejuſdem viri ferunt. Nihil moror errata, quæ Africaoo ea io re vitio vertuotur; credulitatem, & incuriam viri; relatam ab ipſo traditiooem, & temporum diſerepantiam, quæ inter cognatos Jeſu Chriſti teſtimonium illi ferentes, & S. Joſephi incuoabula, treceotorum eireiter anoorum intercidit, nihil extenuo. Contrariam forte alteram non inæqualis vetuſtatis traditionem, quæ Heli parentem B. Virginis conſtitoit, in ſubſequentibus opponemus.

Primum illud, quod objieiunt, ſatis per anticipationem ſupra dilutum eſt; eum ſeilicet ex ipſo pariter Evangelio monſtravimus, Joſephum, & Mariam ad unam eandemque Tribum pertinuiſſe; & Jeſum Chriſtum, tanquam filium Mariæ & hæredem Joſephi, omnia ſibi vindicaſſe privilegia ae promiſſiones, Abrahamo, Davidi, & Salomoni factas. Ad illud autem, quod ſecundo oppoſitum eſt, pronior patet reſponſio, ſi dixerimus, Julium Africanum, cæteroſque, quibus ejus ſententia placuit, in Exemplaribus S. Lucæ nomina *Mathat*, & *Levi* inter Melchi & Heli non legiſſe. Ambo quidem hæc nomina irrepſiſſe io textum ex verſu 29. videntur [2]. S. Irenæus l. 3. eap. 33. nonniſi 72. generationes ſupputat a Jeſu Chriſto uſque ad Adamum; quod ſatis demonſtrat, gemina hæc nomina in ejus Codice expuncta eſſe, alioqui enim non 72. ſed 74. generationes ſupputaſſet. A quarto ſæculo duo hæc nomina *Mathat* & *Levi* in Codice S. Lucæ paruiſſe defendit Grotius. Utra tamen lectio præferenda ſit, judicium aliis relinquimus, ſatis habentes, utramque ſua authoritate fulciri; primam veterum Patrum, ſecundam omnium Exemplarium tam Manuſcriptorum quam impreſſorum fide; nullom eoim abſque illis nominibus D. Millius offendit.

Diſeutienda eſt modo hypotheſis, quæ S. Joſephi genealogiam in S. Matthæo, & Beatæ Virginis in S. Luea conſtituit. In hane ſententiam modo conceſſum eſt; tantoque ardore a pleriſque Recentiorum defenditor [3], ot ea tantom ratione, quæeumque adverſus Evangeliſtas objieiuntur, dilui poſſe eontendant. Hac ſemel conſtituta, demonſtratur a Davide genus ſuum ſecundum earnem Jeſus retuliſſe, juxta Scripturarum oracula; demonſtratur pariter Joſephus ad geminos parentes, Jacobum & Heli, filium pertinere, ad Jacob ſecundum earnem, ad Heli vero tamquam filiæ ejus Mariæ virum. Qua in re ſpectare licet utriuſque Evangeliſtæ ſeu potius S. Spiritos utrumque animantis ſapientiam, cujos inſtinctu S. Matthæus genealogiam Joſephi, S. Lucas B. Virginis retexuit; quo ſatis aperto documento intelligeremus, Joſepho adhuc excluſo, Jeſum ſemper e Davidis ſtirpe ſatum fuiſſe; itemque, vel uti Joſephi Mariæ ſponſi filium, promiſſionum divinitus Salomoni factarum hæredem reputandum.

Tria ſunt in hac ſententia oppoſita incommoda, quæ nullo negoeio tollerentur. 1. Textum S. Lucæ cap. 3. inſinuare, Joſephum ex Heli parente natum fuiſſe, quemadmodum Heli filios Levi, & Levi filios Mathat, & ſic de ſingulis ſtatuitur. 2. Deeſſe hole opinioni Veterum ſuffragium; nunqoam enim uſos legimus

A Veteres Patres ealumniis Paganorum & Hæreticorum refutandis. Porro ſi genuina ea ſuppeteret ratio, intricatum huoe nodum explicandi, adeo pronam ſimplicem & oaturalem tota ſimul igooraſſet antiquitas: 3. Promiſſiones venturi Meſſiæ Abrahamo primum factæ, deinde Tribui Juda oraculo Jacob aſſertæ Geneſ. 19. 10. ac tandem David confirmatæ in poſteritate Salomonis viri Deo dilecti [4] implendæ expectabantur. Maria vero genus ſuum non ex Salomone, ſed ex Nathano retuliſſet; adeoqoe & Jeſu juxta eam hypotheſim nullum fuiſſet hæreditarium jus in eas promiſſiones poſteritatis Salomonis factas.

Repooimus igitur ad hæc, Textui S. Lucæ c. 13. 23. plures ioterpretatiooes aptari potuiſſe; e. g. *Ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, Filius Heli,*
B (ex Maria nempe parente) *quamvis filius Joſephi putaretur* [5]. Poteſt etiam ita reddi, ut Joſeph filius Heli appelletur, oempe filiæ illius vir [6], juxta familiarem S. Scripturæ [7], nec ignotam exteris phraſim. Neque enim verba, quibus S. Lueas uſus eſt, naturalem ſemper filium parentemque deſignant; quemadmodum nec Adam ad Deum tamquam filium, nec Deus ad Adam tamquam Pater in eodem eapite ver. 38. pertinere deſignatur. Sive Joſeph ad Heli adoptione, ſive conjugali affioitate, vel ſaltem legis ſaoctione pertineat, ſalva ſunt omnia. Angeli Dei filii appellantor. Major natu inter filios viri, qoi relictam ex fratre ſine liberis defuncto uxorem duxit, defuncti filius cenſendus eſt [8]. Filii adoptivi & hæredes quicunqoe, eodem filii nomine donantur [9]. Patris ergo nomen oon ſemper
C genitorem deſignat. Si autem S. Lueas Mariæ proxime ex Heli genitæ nomine ſuppreſſo, nepotem Jeſum, & generum ipſius Joſephum adduxit; ejus ſilentii in cauſa fuit, quod ſeilicet de Maria ſatis ſuperque in ſuperioribus actum eſſet, & jam præmonitos habuiſſet Evangeliſta Lectores, conceptum ab illa ſine maritali commercio, editumqoe Jeſum filium Dei.

Quod aotem in Paganorum potiſſimum gratiam Opus ſuum ſcriberet idem Evangeliſta, natumque Jeſum ſioe Patris opera in Mundum annunciaſſet, rectus ſyſtematis ordo poſtulabat, ut Matris genealogiam retexeret. Aliod ſcribenti S. Matthæo ſediſſe conſiliom par erat: quippe qui Judæorum gratia hiſtoriam ſuam literis mandaret, apud quos moribus receptum non erat ut mulierum genealogiæ traderentur. Accedebat ad hæc, vi-
D rum illum in genealogiis gentis ſuæ, ac potiſſimum oniverſæ familiæ David inſtructiſſimum, ſatis haboiſſe, ſi certum Jeſu Chriſti in Regiam dignitatem jus, deducta Avorum non ſemper ſibi proxime ſuecedentium ſerie, demonſtraret. Quædam enim ſupplenda Lectoribus relinquit, uti eum tres Reges a Davide oſque ad captivitatem omittit, eodemque eonſilio a eaptivitate uſque ad S. Joſephum quindeeim ipſe generatiooes, cum S. Lucas enumeret viginti, receuſet. Hæc porro abſque dolo malo facta a ſanctiſſimo viro aperte ſatis apparent; referont enim Scriptorem potiſſima tantom & majoris momenti iouuentem, reliqua ſupplenda Lectoribus relinquentem. Nihil tale apud S. Lucam, cui nihil omittitur illaudatum, quo ſucceſſionem Davidici generis per geoerationes ad ſeoſom uſque demonſtret.
E At enim juxta S. Lucam nullo argumento demonſtratur, Jeſum naturali generationis ſerie e Salomone deſeendiſſe, quippe qui a Nathano Davidis filio deducatur. Reponimus, nuſpiam ſatis apertis Scripturæ verbis probari, Deum e genere Salomonis oriturum Meſſiam, præſigniaſſe: id tantum Davidis poſteritati bonom promiſtum eſt. Deus quidem Regnum Salomoni, ejuſque poſteris, cæteris fratri-

1 Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. loc. citat. Ambroſ. l. 3. in Luc. Nazianzen. Carm. de Chriſt. generat. S. Auguſtinus 77. generationes notat in S. Luca ſerm. 51. nov. Edit. c. 23. 2 Mill. Proleg. in N. T. Græc. proleg. 817.
3 Galat. Janſ. Genebr. Grot. Spanhem. Dubia Evangel. Gomar. Ligfoot. Hor. Hebr. Brug. in Matt. Voſſ. de genere Chriſti, Toynard. Harm. p. 3. & 13. 4 2. Reg. 12. 25. & 7. 12.
5 Ita explicant Gomar. Voſſ. Spanhem. Iren. Diodat. Ligfoot. Hor. Hebr.
6 Ita Brugenſ. Ligfoot. Harm. Piſc. 7 Vide Grot. ad Matth. 1. & ad Luc. 3.
8 Deut. 25. 6. *Suſcitabis ſemen fratris ſui & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit.*
9 Vide Aug. l. 2. de conſenſu c. 3. & ſer. 51. nov. edit. c. 18. & ſequen.

fratribus Davidis filiis excluſis, deſtinat; ſed factæ de Meſſia promiſſiones ad univerſam Davidis familiam pertinent. Eſt itaque JESUS, juxta S. Matthæum, certus aſſertuſque Joſephi hæres, Joſephi, inquam, genus ſuum e Salomonis referentis, cujus proinde regiæ dignitatis hereditatem univerſam ipſe Jeſus in ſe transfundebat. Ipſe pariter JESUS apud S. Lucam e Nathan & Davide per Mariam, & Heli deducitur, unde illi Davidicum genus aſſeritur. Salomon in univerſa Scriptura ceu typus, & imago Meſſiæ pingitur, quo Principe illuſtrior nemo, nemo in tota veteri Lege auguſtior: plura ſunt, quæ inter rerum geſtarum Salomonis, & JESU CHRISTI hiſtorias conſonant; neque inde tamen deducitur, Salomonem tamquam Meſſiæ parentem habendum fuiſſe.

Duæ tandem familiæ Nathani, & Salomonis, iterum ſe conjunxere in Salathiele, & Zorobabele, qui ambo in utraque Genealogia Evangeliſtarum reſpondent, id præſtiterunt, ut regius Davidis ſanguis, in duo veluti ramos diviſus, in uno tandem amnem coaleſceret; ſed iterum in ramos diviſus, hinc in *Heli* apud S. Lucam, illinc in *Jacob* apud S. Matthæum defluxit; ut proinde utterque genus ſuum a Davide, Salomone, & Nathano referret. Sunt enim unius ejuſdemque trunci duo veluti rami, idemque in venas utriuſque familiæ ſanguis transfunditur. Quacumque itaque ex parte reſpiciatur JESUS, ſemper Davidis eſt genus, ſibique uni decora omnia ejuſdem familiæ tam ex Joſephi, quam ex Mariæ parentis jura depoſcit.

Quamquam autem raro ſyſtema hoc poſtremum a Patribus proponitur, quibus ſcilicet ſucum fecit authoritas Julii Africani, teſtimonio neceſſariorum JESU CHRISTI ſecundum carnem ſuffulta; inſinuari tamen a S. Auguſtino l. 3. de conſenſu e. 2. n. 3. aliiſque nonnullis [1] intelligimus, quibus relatam a S. Luca genealogiam J. C. veluti Sacerdotis probatum eſt; non enim ad ſacerdotalem lineam, niſi Maria tantum, ſpectabat. Hujc plane ſententiæ privilegium ante omnes alias vetuſtatis aſſerendum eſt; cui ſi tractu ſæculorum aliquid detogatum fuit, id unice tribuendum, quod in Libris vetuſtiſſimis, Apocryphorum, nota ex interpolatione Hæreticorum ab Eccleſia inuſtis, traderetur. Verum demonſtrandum eſt nobis eam hypotheſim ſemper apud Græcos manſiſſe; neque Veterum auctoritate adeo deſtitutam eſſe, quantum aliorum opinione creditum eſt. Legitur in vetuſtiſſimo quodam libro Ebionitarum, ipſa Apoſtolorum ætate, vel paulo poſt ipſos digeſto [2], Mariam ex parentibus Joachim, & Anna prodiiſſe. Liber ille inſcriptus eſt nomine S. Jacobi Jeroſolymitani, fratris Domini, nempe conſobrini germani ex ſorore B. V. Hæc autem hujus Operis apud Veteres frequentiſſime laudati ſumma. Joachim vir erat, ſi quis alios, ditiſſimus in Iſraele, qui ſingulas ſolemnes feſtivitates magnificis in Templo ſacrificiis oblatis proſequebatur. Accidit ut paratum ſemel ſacrificium ſuum offerre Ruben prohiberet, cauſatus viro poſteritate in Iſraele orbato nullum eſſe in Sacrificiis offerendis jus, & poteſtatem. Joachim rubore ſuffuſus in deſerta ſe ſe recepit, ubi omnium alebat gregem, ibique ſpſidis 40. diebus ſubſiſtens, jejuniis, precibuſque vacavit. Anna pariter ejus uxor inſigni affecta injuria a procaci quadam famula, in hortum ſecedens, amaris lacrymis ſterilitatem ſuam deflevit. Lugenti adfuit continuo Angelus Dei, nuncians exauditas a Deo ejus preces, fieretque futurum, ut mater tandem efficeretur. Eadem & Joachimo per alium Angelum nunciata ſunt.

Joachim domum ſuam repetens, poſt evolutam novem menſium periodum Mariæ pater effectus. Poſt triennium puella in Templo præſentatur, ibique ad duodecimum uſque ætatis annum ſubſiſtens, parato ſemper ab Angelis cibo alebatur. Duodenis igitur puellæ nuptias deliberaturi Sacerdotes convenerunt, viſumque ut ex omnibus per univerſum Iſraelem uxore orbatis viris in unum coactis, ille ſibi puellæ cuſtodiam haberet, qui divino prodigio ſeligeretur. Convenerunt igitur omnes in Templum offerentes ſinguli virgam, quam manibus præferebant, ſummo Sacerdoti: ipſe vero omnes ſimul tenens, in Sanctum ad orationem ſe contulit. Dein loco Sancto egreſſus ſingulis virgam ſuam eamdem ipſam, quam acceperat, reſtituit. Sed Joſephi virga inſueto prodigio coruſcare viſa eſt; namque ex ejus ſummitate columba evolitans, capiti viri ſenioris inſedit, ſenuerat enim Joſephus, & liberos habebat. Quare ne Mariam in ſui cuſtodiam reciperet, pluribus rogabat.

Perſuaſus tandem puellam in domum deduxit, ipſe vero ad priſtina fabrilia exercitia in agrum ſe contulit. Eo abſente accidit, ut Maria e domo ſua egreſſa, ad hauriendas aquas veniret, cum ſubito vox ei nunti facta eſt: *Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu inter mulieres*. Ad inopinam vocem attonita domum promptè repetens, conſuetis exercitiis ſe dedit. Tum Angelus Domini ſpectandum ſe præbens, ita ſtupentem affatus eſt: *Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Dominum omnium: ecce concipies Sancto ejus verbo*. Secundum hæc contulit ſe Maria ad ſalutandam Eliſabeth; & cum ventris tumorem augeri intelligeret, ad propria remeavit.

Poſt ſex menſium abſentiam Joſephus domum repetens, prægnantem uxorem, hærens ad rem inopinam, conſpexit. Tum reprehendere ſe, quod minus caute uxorem ſuam cuſtodiſſet; reprehendere pariter & uxorem, quod maritalem fidem læſiſſet. Maria, Virginem eſſe ſe ſancte jurabat; quid autem ventris tumor indicaret, ignorare ſe profitebatur.

Narrat deinde author, quomodo Joſeph, & Maria potare aquas amaras, præſcriptam in Lege cautionem ad maritalem pudicitiam explorandam [3], a Summo Sacerdote juſſi ſunt; narrat pariter iter Joſephi, & filiorum ipſius una cum Maria Bethleem verſus; prodigia quæ in natalitiis CHRISTI acciderunt; tum & aliud prodigium Salome, fœminæ cujuſdam incredulæ, quæ Virginitatem Mariæ poſt ejus puerperium tentatura, continuo uri manum ſuam, & e reliquo corpore mox deciſuram ſenſit, ſed ſolo tactu pueri Jeſu in ulnas levati, ſanitati reſtituta fuit. Addit hiſtoriam Magorum, cædem Innocentium, fugam Eliſabeth cum puero Johanne Baptiſta, quos ambo hiſcens ſubito mons in ſinu ſuo exceptos celavit; tandem necati juſſu Herodis Zachariæ patris S. Johannis Baptiſtæ, necati, inquam, inter Templum, & Altare, quod filii ſui Joannis Baptiſtæ latebras quærenti Regi prodere recuſaſſet. Zachariæ Summo Sacerdoti Simeon vir grandævus, commiſſa ſortibus electione, ſubſtitutus eſt, qui deinde JESUM in Templo oblatum in ulnas excepit.

Lucubrationem hanc in omnibus defendendam minime ſuſcipimus. Numquam in Eccleſia inter Canonica Opera receptam ſatis conſtat; quin & amandatam inter apocrypha a Gelaſio [4] fatemur. Neque Patres iſtam laudantes, fidem illi in omnibus conciliare voluerunt. Verum quæ tamquam certa, & explorata ex illa Patres derivanda autumarunt, hæc etiam nobis tamquam Apoſtolica traditione certa retinenda eſſe videntur. Profecto apocryphorum Operum fabricatores aliquid tamquam certum & omnibus exploratum retinent; ecquis enim alioqui Lucubrationes illas recepiſſet? In eo pariter, de quo modo agimus, Opere certa quædam identidem ſpectantur, uti annunciatio B. Mariæ, Magorum adoratio, & Innocentium in Bethleem cædes. Quicumque Romanenſes fabulas procudunt, aliquid pariter ex genuinis hiſtoriis retinent; nomina & præcipue quædam rerum ab Heroibus ſuis geſtarum hiſtoriæ, veræ ſunt & aſſertæ; quin & recedere a genuino ſingulorum charactere nelato quidem ungue ſuſtinent. Profecto nihil cogebat, viros illos, qui Libellum hunc ſub ipſam Apoſtolorum ætatem procuderunt

1 Hilar. in Matth. 1. initio. Epiph. hæreſ. 78. 2 Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 20. S. Epiph. hæreſ. 51. c. 2. S. Hieron. de viris illuſt. Ebionitas cum exitu prioris ſæculi componunt. 3 Num. 5. 17. 18. &c.

4 Gelaſ. in Concil. Roman. *Evangelium nomine Jacobi, apocryphum. Liber de nativitate Salvatoris & obſtetricis, apocryphus.* Innoc. I. ep. 3. ad Exuperium c. 7.

bant, ut nomine parentum Mariæ, Joachim nempe, & Annæ fingerent, quo maxime tempore genuina ipſorum nomina in hominum memoria ſervari adhuc potuiſſent. Conſilium ipſi ſuum prodidiſſent, luculentum ſimulationis ſuæ argumentum illud exhibentes. Vix igitur perſuaderemur, ſive illos voluiſſe ea in re incautos decipere, ſive dolo malo genuina parentum Mariæ nomina ſuppreſſiſſe. Porro ex univerſa hac hiſtoria utriuſque tantum ejus nominis veritatem defendendam ſuſcipimus.

Guillelmus Poſtellus[1], qui Protevangelium ex Græco in Latinum omnium primus tranſtulit, teſtatur opus illud tamquam Canonicum in Eccleſiis Orientis in ipſis Fidelium cœtibus legi. Habendum autem credit tamquam caput & exordium Evangelii S. Marci. In ſubſcriptione ad calcem Operis ſcriptum a S. Jacobo Liber aſſeritur illis verbis: *Ego Jacobus ſcripſi hanc hiſtoriam Jeroſolymis: factoque tumultu ſubduxi me in locum deſertum, donec obiit Herodes, & tumultus Jeroſolymis ſedatus eſt. Inde celebro Deum, qui tantum mihi ſapientiæ dedit, quo ſcriberem hæc ad vos ſpirituales ac timentes Deum.*

Quæ a Poſtello de authoritate hujus Operis afferuntur, fidei eſſe ſubleſtæ nonnullis Eruditorum viſa ſunt. Verum legi apud Græcos Opus, & plurima illius apud Orientales probari, negaverit nemo. Quædam etiam ex illo retulerunt vetuſtiſſimi Eccleſiæ Patres; quædam pariter in ſuis operibus inſinuarunt. Meminit e. g. Tertullianus[2] ſanguinis Zachariæ, cujus in Templi pavimento maculæ diutius perſeverarunt: ex eodem Evangelio Origenes in Matth. perhibet, natos ex priori Joſephi conjugio filios, fratres deinde Domini appellatos. SS. Epiphanius hæreſ. 30. & Gregorius Nyſſenus Hom. de Nativ. Mariæ, tum & Author Operis Imperfecti in Matt. Euſtathius Antiochenus in Hexaemeron. Epiphanius Monachus Serm. de Virgine Deipara, Opus illud legerunt. Nicephorus l. 1. c. 7. lib. 2. cap. 3. epiſtolam quamdam Evodii, qui in cathedra Antiochena Apoſtolo Petro ſucceſſor datur eſt, laudat, in qua nonnulla leguntur ex Protevangelio deſumpta. Idem Author affert teſtimonium S. Hyppolyti, quo ad hiſtoriam Salomes obſtetricis ſpectatum eſt. Verum antiquitatis prærogativam huic hiſtoriæ invidarit nemo; quemadmodum & a Patribus frequentiſſime laudatam ſatis convenit. Videſis Voſſium in Tract. de Genealog. S. Virginis.

Extat etiam alter apocryphus Liber, inſcriptus *Evangelium Nativitatis Mariæ*, in quo ambo hæc nomina Joachim & Annæ leguntur. Operis illius meminit S. Epiphanius hæreſ. 26. num. 12. & 79 num. 5. S. Auguſtinus lib. 23 contra Fauſt. cap. 9. aliqua nonnulli. Utebantur illo Manichæi, quibus tanquam authenticus probabatur. Inde vero S. Johannes Damaſcenus genealogiam ſuam B. Virginis & cetera de Joſepho, Joachim, & Anna derivavit. Ea eadem erat Orientalium hac de re perſuaſio, ut Mahometes ipſa in Alcorano Surat 3. de Joachim patre Mariæ ſermonem habeat. Facile credimus, vetus hoc Evangelium Græce amplius non extare; quod vero Latinum ſupereſt, inter opera S. Hieronymi vulgatum eſt, adjectis geminis ſuppoſititiis literis Heliodori & Chromatii ad eundem S. Doctorem, quibus varti ſibi in Latinum Opus illud poſtulant; & ſuppoſititia S. Hieronymi, ad illos reſponſiora qua profitetur, verſionem illam ſuſcepiſſe, & Seleucum (Hæreticum ſecundi ſæculi non obſcurum) Authorem eſſe Operis Græci de Nativitate Mariæ, quod fabellis plurimis anilibuſque commentis ſcateret; ſe vero alterum ejuſdem tituli Evangelium Hebraicum Latinis literis tradere inſtituiſſe. Tribuit autem idem Opus S. Matthæo, & quamvis in canone non recenſeatur, nihil tamen ex illo detrimenti reſultare potuiſſe legentibus ſentit.

Poſtremum hoc Evangelium, quod a S. Hieronymo verſum credebatur, facile præ oculis habuerunt Vincentius Bellovacenſis Specul. hiſtor. Prolog. c. 9. & l. 7. cap. 64. & Fulbertus Carnotenſis ſermon. in Nativ. B. Mariæ, cum de nativitate B. Virginis hiſtoriolas narrarent. Tandem ex vetuſtiſſima accepta traditione, quam Scripta Patrum tum etiam vetuſtiſſimi quidam Libri, ſed fraude Hæreticorum corrupti ſervarunt, tenet Eccleſia Latina & Græca nomina Joachim & Annæ, eademque in Officiis ſuis Eccleſiaſticis veluti conſervavit. Ex ea traditione ad nos uſque pervenit de prodigioſa Nativitate B. V. hiſtoria. Ex ea pariter hiſtoria conciliandas modo ſuſcipimus inter ſe genealogias Jeſu Chriſti, apud S. Lucam & S. Matthæum deductas; demonſtrantes, S. Matthæum genus illius per Joſephum proſequentem e Davidis familia ſatum prodidiſſe; ſicut & S. Lucam idem pariter probaſſe, digeſta Mariæ genealogia, quæ ex eodem fonte, per diverſos tamen canales, profluxit.

Fatemur quidem, S. Lucam Joachimi nomen non expreſſiſſe, ſed tantum *Heli*. Verum ambo hæc nomina idem valent; ſunt enim apud Hebræos ſynonyma *Heli*, *Helias*, *Eliakim*, & *Joakim*. Filius Joſiæ Regis Juda *Joakim* paritur, & *Eliakim* 4. Reg. 23. 24. appellatur; & Summus Sacerdos ſub Manaſſe nuncupatur alt *Hil*, *Helcias*, & *Eliakim*, & *Joakim*[3]. Judæi quoque[4] Beatam Virginem filiam *Heli* appellant, ſicut & Jeſum filium Pantheris. Teſtimonium quoddam Haccados Doctoris Judæi laudat Galatinus, qui de Meſſia ab Antonino Conſule quodam Romano interrogatus, reſpondit, patrem matris Meſſiæ binominem futurum; quippe qui appellandus eſſet *Heli*, & *Joakim*. Sciunt quidem Judæorum Authores multa blaſphemo ore in Jeſum, & ſanctiſſimam parentem ipſius evomuiſſe; nihil tamen inde extenuatur argumentum pro vetuſtate hujus traditionis, quæ patrem Mariæ Heli ſive Joakim conſtituit.

Nec diſſimulanda cenſeo ea, quæ S. Auguſtinus ad Fauſtum Manichæum ſcribens, repoſuit[5] l. 23. c. 9. tradit enim, nomen Patris Mariæ nonniſi apocryphorum quorumdam Librorum fide conſtare; & S. Joannem Damaſcenum de Fide l. 4. c. 15. qui patrem B. Mariæ Joachimum agnoſcit; decedentem tamen ſine liberis Heli conſtituit. Fateor ego quidem, adductam ab ipſo genealogiam J. C. qua conciliare nititur Evangelium S. Matthæi cum altero S. Lucæ, cum noſtra hypotheſi non prorſus convenire. Verum cum ſeries ejus genealogica cum Evangelio ipſo, & S. Epiphanio hæreſ. 78. non ſatis congruat, fidei eſſe ſubleſtæ cenſenda eſt. Spectantur tamen in ea ſummæ quædam lineæ vetuſtiſſimæ cujuſdam traditionis ex Judæis ipſis Jeſu Chriſto adverſariis derivatæ, traditionis, inquam, quæ Jeſu Chriſto patrem tribuit *Pantherem*. Porro nomen illud in ipſo pariter Origene l. 1. contra Celſum p. 25. edit. Cantabr. legitur, ſicut & in Talmud Babylonico tract. Sanhedrin, ac tandem in Vita J. C. ſive *Toldot Jeſu*, Opere a Judæis vulgato. Sed hæc vocum & nominum diſcrepantia in re vetuſtiſſima non eſt, cur Lectorem moretur; neque eo tandem cogimur, ut quidquid in ea certiſſimum appareat, atque conſtantis receptæque traditionis ſuffragio probatur, abjici pariter debeat & reprobari.

Hæc genealogia J. C. a S. Damaſceno l. 4. c. 15. de fide deducta. *Levi* genus ſuum a Davide per Nathanum referens, filios genuit *Melchi*, & *Pantherem*; poſterior hic edidit *Barpantherem*, unde prodiit *Joachim* pater Mariæ.

Mathan filius David per Salomonem uxorem duxit, e qua genuit *Jacob* patrem Joſephi Mariæ conjugis. Mathan defuncto, *Melchi* frater Pantheris defuncti Mathani uxorem duxit, unde natus *Heli*; ut proinde Jacob, & Heli unam, eandemque matrem agnoſcerent; quanquam ex illis alter ad Melchi, alter vero ad Mathan pertineret. Deceſſit ſine liberis Heli, ſed ex Jacob, quemadmodum jam inſinuavimus, Joſephus natus eſt. Sed melius expanſa tabula hæc omnia patebunt.

DAVID

1 Guillel. Poſtell. Epiſt. Dedicat. ad Rempub. Venet. ante editionem Protevangelii Baſilææ 1552. per Oporin.
2 Tertull. Scorpiac. c. 8. Vide & Hieron. ad Matt. 23. 35.
3 Vide noſtram Diſſertationem in ſucceſſionem ſummorum Pontificum ad caput Judith.
4 Talm. Jeroſolym. fol. 77. Babyl. tract. Sanhedrin. fol. 67.
5 *Quod de generatione Mariæ Fauſtus poſuit, quod patrem habuerit ex Tribu Levi, Sacerdotem nomine Joachim, quia canonicum non eſt, non me conſtringit.*

DAVID.		A	DAVID.	
SALOMON	NATAN		SALOMON	NATHAN
MATHAN	LEVI		ELEAZAR	JANNE
	PANTHER, & MELCHI		MATHAN	LEVI, ſeu PANTHER
JACOB	BARPANTHER		JACOB	MELCHI, ſeu BARPANTHER
	HELI ſine liberis decedens.		JOSEPH	HELI, ſeu JOACHIM
	JOACHIM			
JOSEPH	MARIA			MARIA JESU Parens.
	JESUS			

Eadem genealogia juxta S. Epiphanium [1] *Græcis probata,*

SALOMON

JACOB, alio nomine PANTHER

JOSEPH, & CHEOPHAS ejus frater [2], pater Mariæ Cleophæ [3].

Ex priori conjuge nati ſunt illi ſex filii, JACOB, JOSE, SIMEON, JUDAS, MARIA, SALOME [4]. Duxit deinde idem Joſeph Mariam Virginem matrem Jeſus, filiam Joachim, & Annæ [5].

Hæc duo nomina *Pantheris*, & *Barpantheris* in genealogia J. C. neque laudarunt umquam Julius Africanus, cæterique Veteres, neque ſine prodita Evangelii fide, in quo nihil tale legitur, laudari potuerunt; niſi ſi forte illud reputaverimus, nimirum cognomina fuiſſe duorum virorum, Mathat, & Levi; quibus conſtitutis, omnia in priſtinas ſedes reſtituuntur.

B Johannes Gerſon Pariſienſis Univerſitatis Cancellarius Tom. 3. Operum, carmina quædam laudat in hanc ſententiam.

Anna tribus nupſit, Joachim, Cleophæ, Salomæque.
Ex quibus ipſa viris peperit tres Anna Marias.
Quas duxere Joſeph, Alphæus, Zebedæuſque.
Prima Jeſum, Jacob, Joſeph, cum Simone Judam
Altera dat Jacobum dat tertia, datque Johannem.

Verum genealogicum hoc ſyſtema nullo authoritatis teſtimonio fulcitur.

Syſtema D. Toynardi Harmon. pag. 155.

C

MATHAT.

JOACHIM	CLEOPHAS
MARIA	MARIA uxor Alphei.
JESUS	JACOBUS major

JACOBUS minor, JOSES, JUDAS, ſive THADÆUS.

DISSERTATIO
IN BONOS MALOSQUE ANGELOS.

ARTICULUS PRIMUS.

De Bonis Angelis.

PLenum de Angelis Tractatum dare, noſtri non eſt inſtituti; ſed ea tantum exponenda ſuſcipimus, quæ de illis ſive in Libris Sacris occurrunt, ſive quæ Hæbrei, & priores Eccleſiæ Patres philoſophati ſunt, eo ſcilicet conſilio, ut locis Sacræ Scripturæ, in quibus Angelorum mentio, lux aliquid affundatur. Qua de re differentibus nobis plura obiter nec minoris momenti ſe ſe offerent excutienda, quæ in noſtro Commentatio, utpote ab argumento aliena, ſive prætetita ſunt, ſive levius tantum diſcuſſa.

Nullum ante captivitatem Babylonicam Angelorum nomen auditum eſt inter Hebræos. Qui Manueli patri A Samſonis per viſum apparuit Angelus, ut nomen ſuum proderet rogatus, reſpondit: *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile* [6]? Angeli illi, qui videndos ſe præbuerunt Abrahamo, Loth, Moyſi, Joſue, cæteriſque Patriarchis *Angelos* tantum, nempe a Deo miſſos ſeſe appellabant. Ipſius interdum Dei nomen, tamquam legatione ab ipſo ejuſque nomine fungentes, ſibi uſurpant. Quare peculiaria Angelorum nomina e Chaldæa una cum Judæis ex ea regione remeantibus, in Judæam invecta ſunt; quemadmodum & a Thalmudiſtis pariter aſſertum eſt [7]. Tobias omnium primus occurrit, qui Angelum *Raphaelem* peculiari nomine expreſſerit [8]. Vivebat autem Tobias in urbe Ninive aliquandiu ante captivitatem Juda, ejuſque nomine inſcriptus Liber ab ipſo eodemque authore digeſtus, diſſentibus tamen nonnullis, vulgo creditur.

1 Epiph. Hæreſ. 78. Vide et Hippol. apud Niceph. l. 2. c. 3.

2 Hegeſipp. apud Euſeb. l. 3. c. 11. Epiphan. hæreſ. 78. Vide Hieronym. adverſ. Helvid. cap. 7.

3 Joan. 10. 25. Theophylactus in Matth. 13. 56. tradit, S. Joſephum, & Cleopham, ſive Clopam fratres fuiſſe; Cleopham vero ſine liberis deceſſiſſe, cujus uxorem viduam ducens Joſephus, quatuor filios, in Evangelio fratres Domini appellatos, genuiſſe; ſic ut & duas filias, nempe Salomem, et Mariam cognomento Cleophæ, quod ſcilicet ad illum juxta Legis ſanctionem pertineret.

4 Nicephot. lib. 2. cap. 11. ex S. Hippolyto geminas S. Joſephi filias appellat Eſther, et Thamar.

5 Epiphan. hæreſ. 78. et alii.

6 Judic. 13. 18. Vide etiam Gen. 32. 29 Ubi Angelus ſciſcitanti ea de re Jacob reſpondit. *Cur quæris nomen meum?*

7 Talmud Jeroſol. de principio anni.

8 Tob. 3. 25. et 12. 14.

Junior aliquanto Tobie Daniel Babylone degens, nomina *Michaelis* [1], & *Gabrielis* [2], promit. Author 4. Eſdræ c. 4. 36. & 5. 20 meminit *Urielis*, & *Jeremielis*. Sed ille multo eſt Eſdra recentior, & facile poſt JESUM CHRISTUM florebat. Nomina Angelorum frequentiſſima in Libro Enoch leguntur, quod tamen Opus remotiſſimæ antiquitatis commentum non eſt, & nos fuſius de illo in articulo de pravis Angelis. In Liturgiis Orientalibus eſt Angelus *Soriel*, ſunt & 4. animalia, & 24. Seniores, de quibus Apoc. 4. 4. 6. in eadem cum cæteris Sanctis Angelis claſſe.

Suum ſingulis Patriarchis inſtitutorem Angelum aſſignant Cabaliſtæ. Angelum *Razielem* Adamo, *Jophielem* Seto, *Zedekielem* Abrahamo, *Raphaelem* Iſaaco, *Pelielem* Jacobo, *Gabrielem* Joſepho, *Metatronem* Moyſi, *Malashielem* Heliæ, *Cerbielem* Davidi. Perſuaſum pariter habent, in toto Angelorum cœtu Septuaginta diſtingui, qui communicatu ſibi Dei nomine clarent, juxta illud Exod. 23. 21. *Et eſt nomen meum in illo*. Credunt autem, ſiquidem fieri poſſet, ut genuinum ſeptuaginta illorum Angelorum nomen ſcire daretur, futurum ut ejus invocatione omnia præſtarentur, virtute ſcilicet numinis Dei, quod Angelis illis inſidet. In hoc igitur inveſtigando ſtudia ſua omnia collocant Cabaliſtæ.

In Libris N. T. nullum Angelorum nomen novum occurrit, ſed duo tantum, *Gabrielis* nempe Luc. 1. 19. 26. & *Michaelis* Jud. verſ. 9. & Apoc. 12. 7. in Veteri Teſtamento nota, ſervantur. Legimus quidem apud S. Paulum Principatus, Poteſtates, Thronos, Dominationes; ſed hæc hierarchiæ Angelicæ gradus deſignant, quorum nempe alii aliis præſtant, & veluti dominantur. Angelorum peculiaria nomina in Cœlum raptum Apoſtolum didiciſſe S. Chryſoſtomus autumavit [3]; neque id autem proderet, in cauſa fuiſſe viro ſapientiſſimo, quod ſcilicet metueret, ne ſuperſtitio aliqua in eorum cultu gliſceret, neve inſitum homini in res novas ſtudium eo curioſas mentes deduceret, ut inutilibus inveſtigandis bonas horas perderent.

E nihilo creatos Angelos ignorat nemo; quo vero tempore, qua prodierint ratione, inter varias diverſorum ſententias incerti verſamur. Ea de re nihil apud Moyſem, niſi forte eum a Deo creatos Cœlos teſtatus eſt, ſub ejus nominis ambagibus creatos Angelos, Cœli ſingulares incolas deſignarit; quod non unus ex Patribus ſuſpicatus eſt [4]. Malunt alii, non Cœlorum, ſed lucis nomine e Moyſe Angelos ſignificari [5]. Alii, nec infrequentes autument, ante productum mundum Angelos prodiiſſe [6], cui ſententiæ favere viſus eſt Job 38. 7. *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ . . . cum me laudabant ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes Filii Dei?* In hanc ſententiam conceſſum eſt plerumque a Veteribus Græcis, ipſiſque pariter Latinis Patribus nonnullis, uti S. Ambroſio in Hexaemeronem hom. 1. c. 5. S. Hilario [7], S. Hieronymo in c. 1. Epiſt. ad Tit. Caſſiano collat. 8. c. 7. aliiſque.

Major tamen Patrum Latinorum pars cum Græcorum nonnullis tenet, Angelorum productionem ipſum Mundum non prævertiſſe [8]; quæ poſterior ſententia hodie obtinet. Autumant Hebræi [9], ſecunda Mundi die Angelos prodiiſſe, eoſque ſtatim ad conſilium ab ipſo Deo Creatore adhibitos, quod illis verbis innuitur Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Ad quintam diem revocant alii [10]; nec deſunt, qui ſingulis diebus creari Angelos, vel potius a flumine quodam, *Dinur* appellato, emergere defendant. In tantam denique audaciam e nonnullis ventum eſt, ut alterum ab altero vera quadam generatione prognatos, Gabrielem e. g. filium S. Michaelis conſtituentes, aſſeruerint. Saducæi Angelos omnes a medio tollebant; quorum errorem defendens R. Ben-Gerſon, tuetur Angelos, ſive Dæmones nuſquam umquam paruiſſe; & ſi forte in Sacra Scriptura teſtimonia de illis occurrant, hæc ad metaphoricum ſenſum detorquenda eſſe.

De tempore, quo Angeli producti ſunt, incertus fluctuat Auguſtinus. Aliquando enim docet, prima Mundi die prodiiſſe [11]; aliquando vero cum luce conſediſſe illos viſus eſt [12]; interdum ante res creatas omnes extitiſſe aſſerit [13]: ac tandem non ſemel, quam aliqua ſententiam in re obſcura ambiguus, quæſtionem hanc reliquit in medio [14]. Sanior Theologorum ætatis noſtræ pars, quæ Angelorum productionem cum mundi ipſius componit, laudat in eam rem illud Eccli. 18. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*; id eſt non ſingillatim, & in tempore, ex quo Deus ad condendas creaturas ſe contulit, ſed omnes pariter ab exordio temporis e nihilo produxit, tam viſibiles, quam inviſibiles, tam corpore, quam ſpiritu tantum conſtantes; ita enim ejus ſententiæ ſenſum promit Concilium Lateranenſe [15]: *Deus creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam*. Hujus apertiſſimi textus authoritate ſæpiſſime in Scholis ingeſta, nequaquam tamen factum eſt, quin plures, nec infimæ notæ, Theologi defenderent in ea Eccleſiaſtici ſententiæ nihil inſinuari aliud, quam quod ad unum Deum authorem viſibilia pertinerent, cui profecto dogmati nemo ſanæ mentis refragatur; de reliquo vero, de tempore creatæ Angelicæ naturæ quæſtionem adhuc in medio relinqui [16].

Spiritalis eſſe naturæ Angelos, ætate noſtra nemo refragatur. Non eadem tamen apud omnes æque Veteres recepta ſententia; cum inſtructos corpore Angelos multorum ferret opinio, favente Scriptura. Feciunt enim in hanc rem quæ de Angelis, ſenſibus inſtructis, luce quadam nitentibus, ignis, venti, aeris ſpeciem exhibentibus, in eadem Scriptura leguntur. Hominis ſpeciem præſeferebat Angelus ille, qui Abraham, ille qui Moyſi, qui Joſue, qui tandem aliis per viſum apparuere; nihil in illis non humanum, ſermo, inceſſus, cibi deguſtandi ratio, ac tandem pedum lotio, quid non? Ignem in medio rubi exhibuit Angelus a Moyſe in deſerto ſpectatus Exod. 3. 2. Mixtam ex pluribus formam aſſumpſerat Angelus, fores Paradiſi igneo gladio defendens Gen. 3. 24. Angelus qui monſtrandæ Iſraelitis viæ per deſertum cœlitus datus eſt, fulgidæ nubis ſpeciem nocte, opacæ vero diu referebat Exod. 14. 19. Militari habitu alter Joſue ſe ſe obtulit Joſue 5. 13. Cherubim thronum gloriæ Domini ſuſtinentes, ab Ezechiele 1. 5. 6. 7. pinguntur tamquam animalia, quæ in una eademque forma hominem, aquilam, bovem & leonem conjungerent. Eoſdem Cherubim, hominis ſimilitudine ſex alis inſtructos Iſajas 6. c. 2. exhibet. Radiantem ora, coruſcantem oculis, & corpore inſtar chryſolythi pellucidum alterum Daniel 10. 11. ſuſpexit. In equi forma, ſicut & fœminæ, Angelos ſpectavit Zacharias c. 5. 9. & 6. 2. &c. Quid non corporeum in his omnibus?

Priorum ſæculorum Patres fere omnes, inſtructos corpore Angelos autumarunt, corpore tamen maxime tenui, omnia pervadente, quod agilitate ſua aerem ipſum, & ven-

1 Dan. 10. 21. 2 Dan. 8. 16. & 9. 21. 3 Chryſoſtom. de incomprehenſib. Dei nat. homil. 4 p. 410. & hom. 5. p. 386. & 420. 4 Origen. homil. 1. in Geneſ. Beda, Strabus. 5 Vide Auguſt. lib. 1. de Geneſ. ad lit. c. 9. & l. 11. de Civit. c. 9. Petr. Lomb in 2. Diſt. 13. Ruper. l. 1. de Trinit. c. 10.

6 Origen. homil. 1. in Geneſ. & homil. 30. in Matth. Baſil. homil. 1. in Hexaemer. Nazian. orat. 38. & 42. & alii plures. 7 Hilar. in l. 12. de Trinit. & lib. contr. Auxent.

8 Vide, ſi lubet, Petav. Theolog. dogm. t. 3. lib. 1. c. 15. art. 6. 9 Maimonid. in Maimonid. in More Neboch. part. 1. c. 6. 10 Bereſchit Rabb. Sect. 8. 11 Auguſt. lib. 22. contra Fauſt. cap. 10. & lib. 2. de Geneſ. ad litt. c. 8. 12 Auguſt. lib. 11. de Civit. cap. 19. &c.

13 Auguſt. lib. 11. Confeſſ. c. 15. 14 Auguſt. lib. imperf. de Geneſ. ad lit. c. 3. et lib. 11. de Civit. c. 32.

15 Concil. Lateran. ſub Innocentio III. c. 1. Vide & Concil. Nicæn. II. act. 5. ann. 780.

16 Vide Petav. lib. 1. de Ang. cap. 15. num. 13.

ventum ſuperaret; nec tamen Spiritus nomen abjecerunt, quanquam alias, huic nomini ſignificationes aptarent. Spiritum igitur reputabant corpus illud, ultra quod cogitatione aſſequi quis poſſet, ſubtileſquemadmodum in corpore concipimus ſpiritus quoſdam, (animales appellamus) ex tenui quadam ſanguinis portione in cerebro inſtar ſpiritus elaborate, qua muſculi omnes nervique cientur. Illud etiam aſſerendum ſibi cenſuit S. Juſtinus Martyr Dialog. cum Tryphone, in Cœlo nimirum Angelos cibo nutriri, cibo, inquam, non eodem, quemadmodum nos, ſed altero cœleſti opificio parato, veluti manna, cui in Scriptura inditum nomen: *Panis Angelorum* Pſal. 77. Nec antiquitatis ſtudioſos fugit [1], Veterum illorum pleroſque id habuiſſe perſuaſum, ex Angelis nimirum carnali commercio cum filiabus hominum commixtis prodiiſſe Gigantes, viros illos non ſtatura tantum corporis, ſed & criminum immanitate notiſſimos.

Cujus opinionis fontes altius repetendæ ſunt; ita enim fuerat veteribus Hebræis perſuaſum, quemadmodum ex Libro apocrypho Henoch, ſive hiſtoria de ipſorum erga filias hominum deperdito amore, ſicut & de bello ab illis in Deum illato intelligimus. Serio pariter Joſephus Antiqu. l. 1. c. 4. aſſeruit, Angelos nefario amore hominum filias deperiiſſe, cujus commercii fructus filii nequiſſimi nati ſunt. Autumavit Philo, de Gigantibus, Angelos quidem Spiritu conſtare, ſed corpori pariter veluti animas conjungi, ſicut & poſt obitum ab ea commiſtione ſecretos, priſtinas aeris ſedes repetere. Manet eadem ſententia apud Rabbinos quamplures; & Jeſu Chriſti atque Apoſtolorum ætate corpore quodam aereo & ſubtili conſtitiſſe Angelos ne ambigebatur quidem. Jeſus Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam hærere ſuſpenſos Apoſtolos intelligens, ambigentes, num ſpiritum aliquem ſub Magiſtri ſpecie coram ſpectarent, *Videte & palpate* ait Luc. 24. 39. *quoniam Spiritus carnem & oſſa non habet*. Phantaſmate quodam illudi ſibi primo timuerunt Apoſtoli, cum ſuper Maris Tiberiadis undas gradientem eumdem Jeſum ſpectarunt Matth. 14. 26. & cum S. Petrus a carcere liberatus præ foribus ædium Apoſtolorum ſtans pulſaret, non ipſe reapſe Petrus, ſed ejus ſpiritus adeſſe primum creditus eſt Act. 12. 16.

Plus aliquid aſſerendum ſibi Rabbinorum aliqui [2] cenſuerunt, diſcretionem ſexus, mares nempe & fœminas inter Angelos ſtatuentes. Addunt, geminos Cherubim, quorum ſimulachra Moyſes ſuper Arcam Fœderis collocavit, alterum marem, alterum fœminam exhibuiſſe. Sexu diſcretos pariter aſſerunt duos Seraphim nunquam non clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, apud Iſaiam 6. 1. 2. His ſemel conſtitutis, in eam opinionem aliqui venerunt, ut Angelorum velut hominum ſpecies in dies generatione propagari crederent. Eadem ſententia, ſed naturæ ſpirituum magis congruens, traditur a S. Gregorio Nyſſeno [3], quippe qui credit Angelos quidem, ſed non maritali commercio propagari, quemadmodum & cum hominibus futurum fuiſſe reputat, ſiquidem priſtinam innocentiam retinuiſſent.

Verum ſi generatione augeri poteſt numerus Angelorum, num etiam interitu minuuntur? Utique ſane ex Hebræorum doctrina [4]. Arbitrantur illi, poſt primam Templi everſionem per Chaldæos de numero Angelorum plurimum deceſſiſſe; quod ipſis duplici Job & Danielis inter ſe collato teſtimonio aſſeritur. Job 25. 3. *Numquid eſt numerus militum ejus?* Daniel 7. 10. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & Antiquus dierum ſedit; thronus ejus flamma ignis. Fluvius igneus rapiduſque egrediebatur a facie ejus. Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant*

A *ei*, Angelorum ergo turba numero cenſebatur ſub Daniele, numerum autem vincebat ſub Jobo. Bella ratiocinatio! Doctores tamen Judæorum ſapientiores [5] in noſtram ſententiam concedentes, Angelos ſpiritu tantum conſtare, ab omni ſecretos materia defendunt; quæque in Scriptura alteram opinionem præferre teſtimonia videntur, hæc ſymbolica quadam ratione exponentes, alarum ænigmate deſignari dicunt Angelicæ naturæ ſubtilem tenuemque ſubſtantiam; hominis ſpecie eorum illam intelligendi vim: bos virtutem, aquila acumen, leo fortitudinem, ignis zelum, ventus agilitatem &c. exprimunt.

Patres illi, qui corpora Angelis affinxerunt, non ſubtilem tantum tenuemque corpori illi dotem atque agilitatem conceſſiſſe contenti, addiderunt pariter
B & animam ſpiritualem, & intelligendi facultate inſtructam, ut proinde corpore pariter & ſpiritu natura illa conſtaret [6]. Qua igitur ſubſtantiæ ſuæ portione intelligendi acumine præſtant, nonniſi ſpiritum referre apud Patres illos Angeli credentur; qua vero parte in loco aliquo continentur clauduntur que, moventur pariter, & ex uno ad alterum locum ſe transferunt, ea non niſi corpore & materie conſtat. Non infima pariter eorum pars docet [7], hominis ſpiritum corpori, aliter plane ab eo, quo conſtamus corpore, conjunctum eſſe; corpori, inquam, ſpiritali; & ab omnibus ſenſibilibus, quibus obſidemur, corporibus plane diverſo. *Qui ſine materiali ſubſtantia abſque ulla corporea adjectionis ſocietate intelligatur ſubſiſtere*, unus inter
C omnes eſt Deus, ait Origenes de principiis lib. 1. cap. 6.

Bonis maliſque Angelis corpus tribuit S. Auguſtinus, Epiſt. olim 115. nunc 14. item l. 3. de Geneſ. ad lit. c. 10. Dæmonibus præ bonis Angelis craſſius. *Antequam tranſgrederentur*, addit loc. cit. de Gen. ad lit. *cæleſtia corpora gerebant. Neque hoc mirum eſt, ſi converſa ſint ex pœna in aeream qualitatem, ut jam poſſint ab igne, id eſt, ab elemento naturæ ſuperioris aliquid pati*. Claudianus Mamertus de ſtat. anim. l. 3. S. Petrus Chryſologus ſerm. 52. Caſſianus Collat. 7. c. 13. Fulgentius de Trinit. Gennadius de Eccleſ. Dogm. c. 11. 12. Rupertus Abbas de Trinit. l. 1. c. 11. & 17. & l. 2. de Vict. Verbi c. 28. &c. tanquam certum aliquid abſolutumque ponunt, Deum
D ex omnibus unum ſpiritu ſolo conſtare, cætera ex corpore pariter, & anima compingi. Inter corpora Dæmones recenſent Cajetanus in Epheſ. 2. & Eugubinus de peren. Philoſ. l. 8. nec Grotio in Pſal. 103. 11. 5. probatur ea, qua in opinionem Ariſtotelis conceſſum eſt, facilitas; illum enim Philoſophum credit ſpirituum ab omni materia diſcretorum primum fabricatorem.

Quod autem hanc commendavit opinionem, illud potiſſimum reputandum eſt, nimirum, 1. Authoritas Scripturæ, Angelos ſub corporea quadam ſpecie plerumque exhibentis: 2. Hæc in ſpeciem plauſibilis ratiocinatio: *Quidquid ex uno in alterum locum transfertur, quidquid cietur, corpore conſtat*: ſunt igitur inter corporeas creaturas Angeli recenſendi. 3. tan-
E dem quidquid mutationi obnoxium eſt, quidquid variis ſubjicitur qualitatibus ab omni nunquam fieri potuit ut ſecernatur materia. Angelos vero variis mutationibus obnoxios fuiſſe, ex variis, quibus ſpectandos ſe præbent, formis ſatis colligimus; ignis pariter ſupplicio torquentur: quæ omnia corporis argumentum ſunt apertiſſimum.

Verum hiſce omnibus reponimus, Scripturam ideas ſubjicere noſtris conceptibus accommodas, cum Angelorum imagines corporeas exhibet. Idem pariter ab illa

1 Juſtin. Apol. 1. init. Athenag. Apolog. Clem. Alex. Strom. l. 3. Method. de Reſurr. apud Epiphan. hær. 64. Tertull. de veland. Virgin. Lact. l. 2. c. 14. Ambroſ. Apolog. David, c. 1. 2 Rab. Uaſel. Vide Manaſſe Ben-Iſrael Conciliat. in Exod. q. 30. pag. 142. 3 De Mundi Opific. Vide & Cæſar. Dial. 3. & Barcepha de Paradiſo.

4 Vide Excerpta Gemar. de opere currus apud Hottingerum, p. 71. 73. 5 Maimonid. fundament. Leg. c. 2. § 4. More Nebochim, par. 1. c. 47. R. Eliezer, Pirke, p. 6.

6 Vide Baſil. de Spir. S. c. 16. Idem, ſeu alius, in Iſai. 13. 7. Ephrem. Serm. de Natura Dei minime ſcrutanda. Alii apud Petav. de Ang. l. 1. c. 15. 7 Method. apud Phot. Cod. 234. Jo. Theſſalonic. in Oecumenica VII. Synodo lectus, act. 5. pag. 548. Tertull. de carne Chriſti, Hilar. in Matth. can. 5.

illa præſtiterit, cum Dei meminit; ecquis autem corpore conſtare Deum crediderit? Ita pariter cum Angelus ex uno in alterum locum transferri dicit, cum modo in Cœlo, modo in terris verſari animadvertit, variam tantum operandi rationem, qua præſentiæ ſuæ documenta variis in locis exhibent Angeli, deſignat; nec tamen propterea ita locum occupant, quemadmodum a corpore ſactum novimus. Quas autem ſubeunt Angeli mutationes, illa ſpirituali eorum naturæ nihil prorſus repugnant; & metaphorico quodam ſenſu explicandos eſſe ea in re Sacros Libros conſtat, ſiquidem eas in Angelis mutationes iiſdem phraſibus exprimant, quibus mutationes corporum deſignantur.

Plerique ex Patribus [1], & Theologi noſtræ ætatis univerſi naturam tantum ſpiritualem, & intelligendi facultate inſtructam Angelis vindicant. Eandem ſententiam non obſcure præfert Philo Judæus [2], docens, Angelos Spiritus eſſe felices, & a corpore ſecretos. Addit inſuper, aerem ſedem eſſe animarum pariter, & animalium; cum enim ſua ſingulis elementis animantia, aquæ ſcilicet & terræ, aſſignaverit Deus, cur aerem reliquerit vacuum, non ſatis intelligeretur. Ex his vero ſpiritibus, qui regionem tenent aeream, alii inſita quadam a natura propenſione in humana corpora ita feruntur, ut in unum coaleſcentes cum corpore, hominem conſtituant. Regionem alii multo ſuperiorem tenent, a corpore pariter, & a terra abhorrentes. Alii tandem relicto, quod prius animabant, corpore, ab ejus complexione in ſtirpe hominis avulſi, ad priſtinas raptim in aere ſedes convolant.

Alibi vero [3] de Geniis mortalia corpora tenentibus agens, hominibus in profluentem rapidioris amnis prolapſis comparat. Qui enim vitibus & natandi ſcientia inſtructi ſunt, præſentiſſimum mortis periculum facile evitant; cæteros gurgitis & torrentis æſtus abripit. Ita pariter & boni quidam Angeli ita humanis corporibus junguntur, ut ſemper mentem habeant ad ſuperiora & divina liberam; cum interim mali illi Genii corpora animantes, totam in vitiis demergant. Quare ſi Philonem docentem audias, Angeli, Dæmones & hominum animæ ſolo tantum nomine differunt, non natura, quanquam indole, & in muneribus gerendis differant; cum boni illi Angeli ita corpus teneant, ut corpori non devinciantur, miſerationum Domini veluti inſtrumenta, & inter Deum homineſque veluti mediatores ſeſe exhibeant; ultionis autem & juſtitiæ Domini miniſtri ſunt Dæmones. Hæc de Angelis Philo.

Joſephus vir Phariſæus [4] narrat, Eſſeniorum ſententia [5] animas ex aere in corpora illabi, ut in corpora veluti in carcere claudantur; quas a ſe relictas ſedes, ſtatim poſt ſoluta vincula corporis reperunt. Quod autem in corpora ſive illabantur, ſive prorumpant, in cauſa fuiſſe dicunt inſitam quandam in Angelis a natura in eadem corpora propenſionem. Dæmones homines quoſdam infeſtantes ex ejuſdem Authoris de Bell. l. 7. c. 25. ſententia, ipſiſſimæ ſunt animæ impiorum, quæ cum aereas ſedes non reperierint, miſera quædam occupant corpora, vel hoſtili animo aggrediuntur, omni conantes niſu ut pereant. Docet tandem [6] ex Phariſæorum ſententia animas immortalitate donari, ſicut & ex uno in aliud corpus tranſmigrare, ac tandem æternis cruciatibus animas impiorum addici, ut in corpora remeandi omnis illis facultas interdicatur.

Ex ejuſdem facile opinionis perſuaſione, ætate Jeſu Chriſti inter Judæos pervulgatæ, fieri potuiſſe credimus, ut Dæmoniaci, quos Jeſus convaleſcere jubebat, quererentur, ante tempus ſe ab illo torqueri Matth.

A 8. 30. Spiritus enim pravi, qui corporibus veluti animæ quædam inſidebant, atque poſſeſſo ſemel contubernio nunquam niſi in obitu ſe ſe expellendos credebant, vehementi percellebantur timore, ne forte inde pulſi ad Inferni tormenta depellerentur; niſi forte in alium tranſmigrare hominem daretur, in quo diutius ſubſiſtentes, magis magiſque Inferni a ſe ſupplicia removerent. Hinc facile legio illa [7], quæ hominem in regione Geraſenorum obſederat, Jeſum rogavit, ut fieret ſibi permiſſio inſiliendi in gregem porcorum, *ne imperaret illis, ut in abyſſum irent*. Luc 8. 31.

His omnibus ſatis evidenti argumento probatur, invaluiſſe apud Judæos opinionem de animarum ante formatum corpus præexiſtentia, ſicut & metempſychoſeos ſententiam late apud illos tunc, ſicut & hodie
B etiam, obtinuiſſe. Apparent ejus veſtigia qua in Apoſtolis ipſis, qua in Judæis ſynchronis: Diſcipuli enim viſo homine a nativitate cæco, rogarunt Jeſum, an criminum ſuorum, an parentum merito cæcus ille ultionem hanc in ſuum caput provocaſſet Joan. 9. n. Ecquod, rogo, crimen committere vir ille potuiſſet, antequam in mundum naſceretur, ut cæcitatem referret ex utero? Dictitabant alii, Eliam, ſive Jeremiam, vel alium e veteribus Prophetis in Jeſu Chriſto paruiſſe Matth. 16. 14. Tranſmigraſſe in illam animam Joannis Baptiſtæ fato jam functi, Herodes comminiſcebatur, Marc. 6. 16. Luc. 9. 9. Vide in hæc loca noſtram Comment.

Si autem ſpiritali conſtant natura Angeli, nulli pariter ſubjiciantur corruptioni ſive interitui neceſſe eſt: quin & ab omni eos immunes letho illi pariter
C pronunciarunt, qui corpore compactos rebantur. Neque ab alio unquam, quem noverim, niſi a Rabbinis quibuſdam, in tantam opinionis audaciam ventum eſt, ut naſci Angelos & interire aſſererent. Viſum eſt quidem veteribus nonnullis Patribus, poſſe illos letho ſubeſſe, nec immortalitate, niſi ſpeciali Dei privilegio, Dei, inquam, ſervantis, neve in nihilum redirent prohibentes, donari. *Omnia quæ facta ſunt*, ait S. Irenæus [8], *initium quidem ſuæ facturæ habent; perſeverant autem, quoadusque Deus & eſſe & perſeverare voluerit*.

Angelus natura ſua immortalitatem non refert, ſed voluntate Creatoris, ait S. Ambroſius de fide lib. 3. cap. 2. *Deus ſolus habet immortalitatem*, ait Apoſtolus 1. Timot. 6. 16., quod ipſe natura ſua nulli, ne mor-
D ti quidem, ſubjiciatur; cætera vero omnia nulla immortalitate, niſi ex accepto Dei privilegio donantur [9]. Sed numquid in præſentia ſub naturæ nomine æquivocationis aliquid latet? Si enim voluntate Dei Angelus immortalitatem refert, eſt igitur natura ſua immortalis, cum rerum omnium natura ipſiſſima Dei volentis diſpoſitio ſit [10]. Cum autem Angelum ipſe ſpiritalem prorſus condiderit, ex ea conſtare natura voluit, quæ corruptionis omnem cauſam arceret.

Proborum Angelorum munia illi, quæ donantur, gloriæ apud Deum ex æquo reſpondent. Autumarunt Veteres nonnulli, dari ex eorum cœtu Præſides dirigendis aſtrorum & cœlorum omnium curſibus. Defenſores pariter & Patronos Regnorum, Provinciarum, Rerumpublicarum, Urbium, quin & Familia-
E rum, quæ ſingulorum Angelorum tutelæ committantur. Fide etiam inſtruimur, Angelos ſingulos ſingulis nobis aſſignari. Nec deeſſe crediti ſunt peculiares Angeli Eccleſiis & Altaribus. Philoſophorum & veterum Judæorum, ſicut & poſt ipſos, Chriſtianorum dogma conſentit, Angelos veluti inter nos & Deum medios conſtitui, ut throno Dei preces noſtras ſiſtentes, congruas noſtris neceſſitatibus gratias & auxilia referant; legatione illos fungi ab Altiſſimo Deo

tum

1 Vide Tit. Boſt. lib. 1. contra Manich. in Biblioth. PP. Thaumaturg. homil. in Theophania, Nyſſen. contra Eunom. Nazianz. orat. 34 Euſeb. l. 4. de Demonſtr. c. 1. Chryſoſt paſſim, l. Theodoret. quæſ. 20. in Geneſ. & quæſ 48. Alii. Damaſcen. l. 2. de fide c. 3. & 12. Gregor. Mag. l. 4. Dialog. c. 29. alii plures.

2 De Cain & Abele pag. 131. Idem de Somniis. Vide & lib. de Gigant. pag. 285.

3 De Gigant. p. 285. Vide & de plantatione Noe p. 216. et de confuſ. ling. p. 346.

4 De vita ſua init.

5 De bell. Judaic. l. 2. c. 12. p. 787.

6 De bell. l. 2. c. 12. Vide et Antiquit. l. 18. c. 2.

7 Luc. 8. 30. Matt. 8, 30.

8 Iren. l. 2. c. 64. Vide Arnob. l. 2. Damaſc. l. 2. de fide c. 3. Sophron in Actis Synod. 6. Act 11. Cyrill. Alex. theſ. l. 20. Hil. in Pſ. 148. Alii.

9 Auth. QQ. ad Orthod. q. 61.

10 Aug. de Civ. l. 21. c. 8.

tum ut mortalibus juſſiones illius denuncient, tum ut **A** premia pœnaſque pro ejus ſententia diſtribuant. Fuſius modo de ſingulis.

Suos ſingulis rebus præſſe Angelos ſentientes Rabbini [1], *Azarielem* præficiunt aquis; *Cazardiam* orienti, ut ſcilicet orientem ſolem, & ſtato tempore occidentem curet; *N:Kid* pani, & alimentis. Singulis planetis, ſingulis anni menſibus, quin & horis dierum ſuus eſt Angelus. Neque id ſatis Maimonidi [2]; quippe qui ſphæras ipſas cœleſtes totidem eſſe Angelos intelligentia & voluntate munera ſua exercentes, autumavit. Hominum tutelæ, non unum ſed duos Angelos, probum ſcilicet pravumque aſſignantes Judæi, priorem illum opem nobis præſtare & conſilium, alterum inſidias moliri credunt. In hanc ſententiam a veteribus quibuſdam Patribus conceſſum eſt. **B**

Angeli nomen latius uſurpat Maimonides; eo enim appellat virtutem omnem Dei, ſupernaturalem quamcumque operationem, ac tandem naturales corporis, & animæ facultates. Idem pariter obtinuiſſe JESU CHRISTI ætate ex eo ſuſpicamur, quod boni pravique ſpiritus nomine corporis, & ſpiritus facultates bonas, vel ſecus appellarent. Ita Chriſtus verba ad Apoſtolus faciens Luc. 9. 55. ignoraſſe illos dicit, ad quem maxime ſpiritum pertinerent. De ſpiritu paupertatis Matth. 5. 3. infirmitatis Luc. 13. 11. impudicitiæ Matt. 10. 1. & 12. 43. ſervitutis Rom. 8. 15. adoptionis Rom. 8. 15. compunctionis Rom. 11. 8. fidei 2. Cor. 4. 13. lenitatis 2. Cor. 4. 21. Galat. 6. 1. erroris 1. Tim. 4. 1. gratiæ Heb. 10. 29. legimus; quibus loquendi formulis recepta illa perſuaſio de bonis maliſque Spiritibus, in ſingulos vitæ **C** actus, & in omnes corporis & animæ diſpoſitiones dominantibus, deſignatur.

Docent pariter doctores illi Judæi, quatuor eſſe Angelos numquam in terra viſos, quod ſibi obſequio throno æterni Numini adſiſtant. Michael omnium Princeps ſiniſtrum tenet; Gabriel dextrum; Uriel coram adſtat; poſt ipſum vero ſequitur Raphael. S. Johannes in Apocalypſi 8. 2. 3. ſeptem exhibet Angelos ſtantes coram Deo, totidem buccinas tenentes, quibus octavus alius adjungitur, fumans thuribulum tenens, cujus fumus Sanctorum orationes ænigmate quodam exhibet. Spondet Zacharias 3. 9. Jeſu filio Joſedechi ſeptem oculos ſive ſeptem Angelos, a quibus ope & conſilio juvaretur. E ſeptem Angelis ante Deum ſtantibus unum eſſe ſe Raphaelem juniori Tobiæ perhibet Tob. 12. 15. De Archan- **D** gelo Michaele legimus Dan. 10. 13. unum eſſe *de Principibus primis*. Porro numerus iſte ſeptem Angelorum ex eo expreſſus eſt, quod in Aula Regum Aſſyriæ, Chaldææ, & Perſidis ſeptem Principes viri cæteris omnibus præſtarent [3]. Inde etiam facile derivanda ſunt 4 nomina illa, Poteſtates, Throni, Dominationes [5], de quibus Apoſtolus in ſuis Epiſtolis.

Idem ſeptem Angelorum jugem Deo famulatum præſentia ſua exhibentium numerus manſit in Scriptis Patrum Eccleſiæ & Hebræorum. Appellantur in Teſtamento duodecim Patriarcharum: *Angeli faciti*; & in vita Moyſis: *Oculi Domini*. Noti ſunt S. Irenæo [6], S. Clementi Alexandrino, S. Cypriano adverſ. Jud. lib. 1. cap. 20. & Aretæ. Totidem choris Angelorum (non enim niſi in ſeptem choros Angelos diſtribuit) **E** præfeciſſe illos viſus eſt S. Hieronymus adverſus Jovinianum.

Angeli nomine potiſſimum proborum Spirituum munus ſatis exprimitur; ſonat enim Legatus, Miſſus; exacteque Hebræo *Malach* reſpondet. Apud S. Paulum Hebr. 1. 14. appellantur interdum *Adminiſtratorii Spiritus*. Leguntur autem a Deo miſſi ad prænuncianda inſignium quorumdam virorum natalia, uti Iſaac, Samſonis, Johannis Baptiſtæ, ac tandem JESU CHRISTI, Dei pariter, & hominis. Deſtinantur interdum tutandis protegendiſque viris Deo amicis, quemadmodum de Raphaele ad Tobiam miſſo conſtat; ad exercendam in viros impius ultionem, uti de Angelis in Sodomam miſſis, de Angelo exterminatore in cædem primorum natu Ægypti, & alio in cædem pariter exercitus Sennacherib irruentis legimus. Mittit tandem Deus Angelos ad annunciandas voluntates ſuas Prophetis, cœteriſque viris ſanctiſſimis, Abrahamo, Agar, Danieli, Zachariæ &c.

Vicibus autem Dei tamquam ejus legati fungentes, nomen ipſum Domini, *Elohim* [7], adoptant; adſciſcunt interdum, & nomen illud ſacrum ac incommunicabile *Jehovah* [8]: hæc tamen nonniſi cum Dei nomine loquuntur. Quæ autem ſpectabatur inter munera Angelorum, & Prophetarum ſimilitudo, in cauſa fuit, cur Prophetis interdum Angelorum Domini nomen tribueretur. Ita Judic. 2. 1. 2. veniſſe legimus Angelum Domini, nempe Summum Sacerdotem, vel Prophetam ad locum flentium (Heb. Bochim,) & populo denunciaſſe: *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua juravi Patribus veſtris. Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſrael, elevaverunt vocem ſuam, & fleverunt.* In eodem Libro 5. 23. *Angelus Domini, qui maledicit terræ Meroz*, ipſe eſt Barac, vel Summus Sacerdos, ſive Propheta aliquis [9]. In Malachia 2. 17. enim Angeli Domini exercituum Sacerdotes appellantur. Aggæus ita ſe ipſum deſignat: *Dixit Aggæus nuncius Domini* (Heb. *Angelus Domini*,) *de nunciis Domini* (Heb. de *Angelis Domini*.) Angelus, ſive a Deo miſſus, Nathan eſt apud Eupolemum in Euſebio. Malachias inter duodecim minores Prophetas poſtremus, quo nomine *Angelus Domini* deſignatur, ex ſententia doctiſſimorum Interpretum cum Eſdra Scriba doctiſſimo in Lege Domini confundendus eſt.

Quod in ampla æde columnæ, hoc ſunt Angeli in mundo, ſuſtentant nempe, & ornant, ait Philo in Excerpt. Damaſc. l. 1. qu. in Gen. Præſides ex illis dantur ſingulis Gentibus, & Regnis, juxta Scripturam. S. Michael velut Angelus populi Dei præſens agnoſcitur Daniel. 10. 21. *Michael Princeps veſter*: de Angelo Perſidis legimus Dan. 10. 13. & Macedoniæ Actuum 16. 9. ac tandem de Angelis plurium Gentium ſermo eſt apud Zachariam. Moyſes in Deuter. 32. 8. juxta Verſionem Septuaginta præfert: *Quando dividebat Altiſſimus gentes, & ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei* (Heb. *juxta numerum filiorum Iſrael*.) Sed Hebræi & plerique ex Patribus opinati ſunt [10], Deum Angelos creaſſe, ut iis veluti præſidibus Provinciarum, & Regnorum uteretur. Hanc autem Angelorum per ſingulas provincias diviſionem factam reputant potiſſimum in confuſione ad turrim Babelis, cum ſcilicet diſcretæ inter ſe Nationes ſingulis Angelis curandæ, atque deducendæ in deſtinata ſibi a Deo loca, atque docendæ peculiari ſingularum lingua aſſignatæ ſunt. Theodoretus in Dan. 10. perſuaſum habet, ſingulis quidem hominum Angelum defenſorem aſſignari, Gentibus vero ſingulis Archangelum.

Eſt etiam ſuus Angelus, juxta Scripturam, & Patres, qua Eccleſiis, qua cœtibus religioſis, qua locis, quibuſque ſacris. S. Johannes in Apocalypſi 2. 1. 8. 12. ſcribit ad Angelus ſeptem Eccleſiarum Aſiæ, i. e. ad Epiſcopos, & Angelos, qui una pariter cura Eccleſiis illis invigilarent: *Non ſolum Epiſcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, ſed etiam Angelos deſtinavit*, ait S. Ambroſius in Luc. lib. 2. [11]. Gemina habent Origenes, S Hilarius in Pſalm. 129. S. Baſilius in Iſai. p. 854. & in Epiſt. 191. S. Gregorius Nazianz. Orat. 31. & Orat. 32. ad calcem. S. Hieronymus in cap. 6. Mich. & in Matth. 18. & quantum ad lo-

ca

1 Vide Bartolocc. Biblior. Rabbin. to. 1. 2 More Neboch. p. 1. c. 72. pag. 2. c 5. 7.
3 Eſth. 1. 14. 4 1. Eſdræ 7. 14. et 4. Eſdræ 8. 12. 5 Vide Hieron. in Epheſ. 1. 21. et Grot. in Rom. 8. 38. 6 Apud Clem. Alex. Strom. lib. 6. 7 Geneſ. 32. 8. Exod. 3. 4. 6. &c.
8 Geneſ. 16. 10. 11. 12. 13. Exod. 3. 1. &c. 9 Vide Chald. Serar. et Comment. noſtr.
10 Origen. hom. 35. in Luc. hom. 16. in Gen. et hom. 8. in Exod. Euſeb. Demonſtr. lib. 4. Epiph. hæreſ. 51. Chryſoſtom. hom. 3. in Epiſt. ad Epheſ. Cyrill. in Julian. l. 4. Alii paſſim ex Latinis, ut Hilar. Hieron. alii.
11 Vide et Origen. in Luc hom. 13. et 23.

ra ſancta divinis myſteriis offerendis deſtinata, eſſe Angelis frequentari, quo tempore Jeſus Chriſtus immolatur, dubitaverit nemo, ait S. Ambroſius [1]. Angelum Orationis appellat Tertullianus Angelum illum, qui Eccleſiæ, ubi noſtræ Orationis thura ad Deum aſcendunt, præſes datus eſt. In obſequium facile ejuſdem Angeli jubet Apoſtolus, ne fœminæ non velatæ in Eccleſiam ingrediantur: *propter Angelos* 1. Cor. 11. 10. Quæ apud Joſephum de bello lib. 6. cap. 31. leguntur, auditas nimirum nocturnas paulo ante captam Urbem voces clamantium: *Exeamus hinc*; hæc loquam a S. Hieronymo de Angelis tutelaribus, Jeroſolymitanum Templum deſerentibus, intelliguntur [2]. Receptam pariter apud illos fuiſſe opinionem de Angelis in cuſtodiam Altarium Eccleſiæ deſtinatis, ex Veterum quorumdam ſcriptis apparet.

Neque protrahendum hic arbitror ſermonem de Angelis tutelaribus, ſingulis deducendis hominibus deſtinatis, qua de re juſta dedimus in Matth. 18. 10. Dogma illud fidei numquam in Eccleſia non manſit, quamquam minori ſucceſſu obtinuerit altera de Angelis tutelaribus ſingularum Gentium & Regnorum opinio. Sententiæ enim Deuteronomii, qua potiſſimum opinio illa fulciebatur, alter litteralis ſenſus ſubeſſe agnitus eſt, ex quo minor ejus defendendæ ardor ſerioribus fuit. Vide ſis ea de re Commentarium.

Angelorum numerus numquam non frequentiſſimus apparet. *Aſpiciebam*, ait Daniel 7. 9. *& Antiquus dierum ſedit . . . . fluvius igneus egrediebatur a facie ejus, millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei*. S. Joannes Apoc. 5. 11. perhibet, C Dei thronum confertiſſima (*millia millium, & millia millium*) turba veluti corona circumdari. Tandem Jeſus Chriſtus Matth. 26. 53. ſignificat, volenti ſibi Patrem cœleſtem plusquam duodecim legiones Angelorum, i. e. 72000. Angelorum exhibiturum. His omnibus ingens plane & numerum vincens turba ſatis exprimitur. Dei potentiam deſcribens Pſalmiſta Pſal. 146. 4. noſſe illum dicit numerum & ſingula ſtellarum nomina, tamquam Rex aliquis, qui milites ſuos omnes & Præfectos Aulæ ſingulos novit. Et Pſal. 67. 18. canit, currum Dei decem millium Angelorum exercitu ſtipari.

Hujus multitudinis Angelorum ad homines comparatæ ideam aliquam exhibituri Patres, parabolam illam in medium adducunt, de Paſtore nempe, qui relictis 99. ovibus, palantem unam quærit [3]. *Ovis una homo intelligendus eſt*, ait S. Hilarius in Matth. canon. 18. *& ſub homine uno univerſitas ſentienda eſt . . . . nonaginta novem non errantes, multitudo Angelorum Cœleſtium opinanda eſt*. In eamdem ſententiam loquuntur Ambroſius in *Luc. lib. 7. cap. 15.* S. Gregorius Nyſſenus contra Eunomium *cap. 11.* & S. Cyrillus Jeroſolymitanus *Catech. 15.*

Alii ea de re in hunc modum philoſophati ſunt [4]. Ex Urbis cujuſdam amplitudine de incolarum numero judicium formatur. Cum igitur terra ad Cœlum & aerem comparata punctum videatur, ita pariter de Angelis reputandum, ut proinde multitudine homines in immenſum vincant. Titus Boſtrenſis ad *Luc. 12.* in illa verba Jeſu Chriſti, *Nolite timere puſillus grex*, E ſcribit, homines univerſos, quotquot umquam fuerunt ac futuri ſunt, minimum referre gregem, ſi cum Angelis comparentur. Author Cœleſtis Hierarchiæ ſub S. Dionyſii Areopagitæ nomine delitescens, *cap. 14.* ſentit, Angelorum multitudinem numerum omnem vincere, nihilque habere in univerſa natura ſuperius. Æneas Gazenſis in Bibl. Patrum omnia, Cœlum nempe, & aerem Angelis & Dæmonibus frequentari dicit, quin etiam & mare & terram adeo Spiritibus illis ebullire, ut nihil vacuum, ne ſpatium quidem digiti vel ſpicæ eſpiendæ ab illis relinquatur. Addit, homines, etiamſi ad mille annos vitam pro-

A pagarent, minorem tamen liberorum animarum edituros fuiſſe, quam qui Angelorum & Dæmonum multitudinem referret. Vetus eſt oraculum apud Lactantium l. 1. c. 6. Angelos & Dæmones imminente e tergo ſuperni Numinis flagello maria & terras omnes decurriſſe.

Quo vero de numero Dæmonum ad Angelos collato in præſentia agamus, illud animadvertendum eſt, tertiam Angelorum partem a Deo rebellantem in Inferni tartara detruſam fuiſſe, quæ illorum opinio ex illo *Apoc.* 12. 4. derivata eſt, in quo tertiam ſtellarum Cœli partem in terram cauda ſua detraxiſſe draconem legimus. Cum igitur inſignes plures Authores [5] docuerint, homines prædeſtinatos rebellium Angelorum numerum ſuppleturos, recta inde B conſecutione infertur, hominum numerum Angelorum exceſſurum; certo enim conſtat, ne tertiam quidem hominum partem ſalutis compotem futuram. Dubitat etiam S. Auguſtinus Enchir. cap. 29. an hominum prædeſtinatorum numerus malorum Spirituum multitudinem vincat. Quare ejus S. Doctoris ſententia minor eſt, quam pro aliorum opinione Angelorum & Dæmonum numerus. S. Gregorius Magnus hom. 34. in Evang. Magiſter Sententiarum in 2. diſtin. 9. & Guillelmus Epiſcopus Pariſienſis in ſecunda part. de univer. c. 18. quibus ea ſedit opinio, prædeſtinatorum ad gloriam numerum Angelorum, qui in fide manſerunt, turbam adæquaturos, infinitæ Angelorum multiplicationi minus ſane favent. Sed in hoc argumenti genere & lingua & a cogitatione temperata, C quam metas excedere diſcurrendo, præſtat.

Scitum eſt tota Antiquitate, Angelos in plures diſtributos claſſes politico quodam inter ſe ordine ſubmitti: ſed hujus politiæ ratio ferme eſt in obſcuro. Totius militiæ cœleſtis Principem, & populi Iſraelitici in terra patronum & defenſorem, ac eumdem Archangelorum omnium primum, Michaelem conſtituunt Hebræi. De illo dictum arbitrantur in Exodo 23. 24. *Præcedet te Angelus meus*, (Hebr. *facies mea*) *& eſt nomen meum in illo*. Illum pariter ſpectatum credunt a Joſua, cum toto provolutus corpore Angelum adoravit Joſue 5. 13. Appellant autem plerumque nomine *Metatron*, quod ipſum creditur ac *metator* apud Latinos [a], quo ſcilicet deſignantur in exercitu Romano Præfecti, metandorum caſtrorum curatores. D Porro ſi. Michael exercitum Iſraelitarum ducebat per deſerta, loca caſtrorum deſignabat, & tempus, quo ſive ponenda, ſive movenda caſtra fuiſſent. Autumant inſuper, eumdem Angelum intermedium ſe pro hominibus coram Deo conſtituere, ut nemini, niſi per Michaelem, ad Deum acceſſus pateat. Donant inſuper titulo magni Scribæ, quod ſcilicet merita univerſi populi Iſraelitici in cenſus referat, eoque inſignitus munere, in Cœlo ſolus aſſidet, cæteris Angelis omnibus ſtantibus. Quæ ſane Angeli prærogativa plura venditandi jactabundis Hebræis occaſionem præbet. Synagogæ imitatione Chriſtiana pariter Eccleſia tamquam Principem ſuum, & Angelum, cui animas Judicio Dei ſiſtendi cura demandata eſt, S. Michaelem veneratur.

In decem claſſes, ſive ordines, Angelorum cœtum diſtribuentes Hebræi [7], ſua ſingulis nomina appingunt. 1. *Animalia ſancta* appellant, quo nomine Angeli per viſum ab Ezechiele ſpectati cenſebantur; 2. *Rota*, currum gloriæ Domini portantes; 3. *Leones Dei*, vel robur ſupernaturale; 4. *Chaſmalim*, quo Hebraico nomine *electrum* deſignatur; 5. *Seraphim* ſive ardentes, ignei; 6. *Angeli*, miſſi, Legati; 7. *Elohim*, Dii, Principes; 8. *Filii Deorum*; 9. *Cherubim*, ſive ex pluribus conſtantes formæ; 10. *Homines*, quod ſcilicet ſæpe hominis aſſumpta ſpecie videndos ſe præbeant, & ſub humano nomine plerumque in Scriptura deſignentur.

De

1 In Luc. *Ne dubites aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, quando Chriſtus immolatur.*
2 In Iſai. 66. & Epiſt. ad Paul. et Euſt. 3 Matth. 18. 12. Luc. 15. 4. 4 Cyrill. Jeroſol. loc. cit. Didymus cœcus apud Max. ad c. 14. Dion. de Cœleſti Hierarch. 5 Aug. Enchirid. c. 29. et l. 22. de Civit. c. 1. Anſel. l. 1 Cur Deus homo c. 18. Iſidor. de ſummo bono c. 11. Moſ. Barcephs de Paradiſo, par. 1. 6 Buxtor. Vide Baſnag. hiſt. Judæor. t. 4. l. 6. c. 9. ar. 9. 10. edit. Pariſ. 7 Maimon. Fundam. Leg. c. 2.

De numero, & ordine claſſium in Angelorum Hierarchia in varias Patribus Eccleſiæ ſententias abitum eſt. Autumarunt plerique [1], Apoſtolum, quibus in locis de Thronis, Poteſtatibus, Dominationibus, & Principatibus agit, nonnullas tantum ex pluribus Angelorum claſſes enumeraſſe, quas omnes Scripturæ eo generali nomine *militiæ cœleſtis* deſignaverit; id autem inſinuatum ab eodem Apoſtolo, cum ad Epheſ. 1. 21. ſcribit: *Deum eſſe ſupra omne nomen, quod nominatur, non ſolum in hoc ſæculo, ſed in futuro*. A primis illis Angelis uſque ad infimos homines infiniti creaturarum ratione utentium ſunt gradus, ait Origenes in Joan. p. 69. edit. Huet.

Alii ex Patribus [2], certos quoſdam ordines cœleſtium Spirituum agnoſcunt in locis Epiſtolæ ad Romanos, & ad Epheſios; ſed ordines illos ad novem determinatos nuſpiam legimus ante Authorem Librorum de Hierarchia, ſub S. Dionyſii Areopagitæ nomine latentem cap. 6. &c. & S. Gregorium Magnum Hom. 34. in Evang. quorum deinde authoritas numerum illum in Scholas Theologiæ invexit. Ante illam ætatem alii octo, alii ſeptem gradus diſtinguebant [3]; variat etiam ea in re S. Paulus, nec uniformem ubique numerum deſignat. In earumdem claſſium diſtributione pariter inter S. Gregorium Magnum, & authorem Hierarchiæ non convenit. S. Gregorio probatur ordo Epiſtolæ ad Coloſſenſes 1. 16. Authori vero Hierarchiæ Epiſtolæ ad Epheſ. 1. 21. Ita ergo totam illam de Angelis œconomiam idem author conſtituit. Totam Angelorum Rempublicam in tres Hierarchias partitus, ſingulis tres Angelorum claſſes aſſignat. Primam implent Seraphini, Cherubim, & Throni; ſecundam Dominationes, Virtutes, & Poteſtates; tertiam Principatus, Archangeli, & Angeli.

De ſingulis Angelorum muneribus, atque earumdem claſſium inſignibus fuſius agere, quippe quod ingenium noſtrum excedit, temperemus; id ſolum adnotaſſe contenti, omnes haſce Dominationes, Poteſtates, Principatus ad Regnorum, & Imperiorum hujus Mundi ſimilitudinem exprimi. Spectantur enim in terris, præter Summos Reges, Proreges, Principes, Præfecti, Magiſtratus, & ſecundarii plures Præfecti, quibus veluti ſummæ illius Poteſtatis depoſitum creditum eſt, atque adminiſtris pro ſuo ſingulis ordine utitur Imperator.

Cum Angelorum naturam Deus ſpiritalem, & intelligentia præditam inſtruxerit, ut illis adminiſtris uteretur, laudes ab ipſis ſuas exigeret, ad manifeſtandas voluntates ſuas hominibus mitteret, ita comparatos fuiſſe illos oportuit, ut quæcumque ſpiritu, & voluntate conciperent, manifeſtare cæteri poſſent, quod nos vulgari ſermone, loqui, appellamus. Neque enim, ait S. Chryſoſtomus in 1. Cor. 13. ita reputandum eſt, quaſi linguæ inſtructi articulatæ ſonum vocis illi edere valeant; ſed peculiari ſibi promendi intimos conceptus ſuos, valde ab humana diſcrepante, ratione inſtruuntur. Nec aliud voluit Apoſtolus illis verbis 1. Cor. 13. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*; aliud, inquam, non voluit, quam nihil ſe futurum, ſi charitate deſtitueretur, etſi quanta homo pollere poteſt eloquentia, vel quanta Angelus promendi [4] conceptus ſuos facilitate valeret.

Sed quæ Angelorum inter ſe colloquendi ratio? Quomodo in laudes illos Dei reſolutos Iſai. 6. 3 & Ezech. 3. 12 auſcultarunt? quomodo inter ſe colloquentes Danieli & Zachariæ auditi ſunt [5]? Autumarunt alii [6], A linguam Hebraicam, quæ brevioribus verbis plura quam cæteræ omnes, exprimit, uſibus etiam Angelorum & Beatorum in Cœlo manere. In ſcriptis Rabbinorum [7] legitur de Jochanam filio Zachai, qui noſſe ſe jactitabat ſermonem Angelorum & Dæmonum, quorum illos exorcizabat, hos adjurabat. Alarum inſtrumento loqui Angelos ex Rabbinis alius arbitrabatur, Ezechielis 1. 24. verbis perſuaſus: *Audiebam ſonum alarum*. Quid de alloquio Deorum in Cœlo alterius plane ab humana in terris ratione, Pagani comminiſcantur, ſatis conſtat [8]. Communi uſuros linguæ in Cœlo Beatos poſt Reſurrectionem ſentiunt e Scholæ Theologi. Alte improbatus eſt apud Veteres Theodorus Mopſueſtenus [9], qui Scripturæ phraſes illas, Deo & Angelis ſenſibile quoddam eloquii genus tribuentes, ad litteram uſurpabat.

B Sed hæc argumentum promovent, non excutiunt. Nemo ætate noſtra aſſerendum ſibi ſuſcipiet, Angelos Hebraice loqui, neque humanum aliquod verbum promere, dulces inter ſe miſcentes ſermones. Si conſueta hominum ad homines lingua uſos legimus eloquendo, id quidem illis ſingulare fuiſſe & prodigioſum conſtat. Philoponus aliique nonnulli Recentiores [10], in laudatis illis Apoſtoli verbis hyperbolicum aliquid ſuſpicati ſunt, loquutum illum autumantes, quaſi diceret, ſe linguæ etiam Angelica inſtructum, & quanta Angelus valeret, eloquentia pollentem, ſiquidem proprio Angelus inſtrueretur eloquio, nihil tamen ſine charitate aſſecuturum. Hæc porro explicatio maxime prona, & ad litteram, non argumento noſtro, ſed tantum Textui Apoſtoli exponendo deſervit.

C Docet Theodoretus in 1. Cor. 13. 1. Angelorum eloquium non ſenſibile, ſed intellectuale reponendum eſſe; eſt enim pori illius Spiritus & voluntatis operatio, qua intimos conceptus mutuo promere volunt. S. Gregorius Magnus Moral. lib. 2. cap. 5. ſcribit, Deum ad Angelos loqui, latentes ſibique intimos deregendo ſenſos, atque dulci quadam & forti ſuadela trahendo, ut quæ maxime voluerit, executioni ſtatim ab illis demandentur; Angelos autem viciſſim ad Deum loqui, cum in contemplationem majeſtatis ipſius admiratione rapiuntur. Addit tandem: *Animarum verba ipſa ſunt deſideria*. Philippus Presbyter, author Commentarii in Job, mutuas Angelorum voluntates loco ſermonis apud illos haberi autumat [11]; in quam pariter ſententiam S. Thomas [12] conceſſit; nullam enim ille eliam Angelici colloquii ratio- D nem concipit, quam quod *per voluntatem conceptus mentis Angelicæ ordinentur ad alterum*. Hæc ſane ad noſtras ideas ambigua ſunt, & obſcura; ſed argumenti ſublimitas evidentiam noſtram recuſat, evidentiam, inquam, quam in cæteris operationibus ab experientia pendentibus & intra nos factis, non fruſtra interdum requirimus.

Impenſus Angelis cultus vetuſtiſſimus eſt apud Judæos, cultus, inquam, quo tamquam Dei miniſtris, & inter illum ac homines intermediis honor impenditur, vota ad illos & preces dirigunt, atque mille grati in ipſos animi & venerationis argumenta exhibentur. Moyſes & Joſue in obſequii documentum, calceamenta ſua coram Angelo ſibi per viſum apparente detraxerunt; alter nempe in ſpectro rubi ardentis Exod. 3. 5. alter in E agro Jericho Joſ. 5. 13. 14. Abraham coram exceptis in ſuum tabernaculum Angelis proſtratus eſt Gen. 18. 2. & Daniel coram Angelo ſibi in ripa Tigridis occurrente Dan. 10. 5. 6. Monuit Iſraelitas Moyſes, ut plenum timoris obſequium exhiberent Angelo Domini, quo præeunte ducebantur Exod. 13. 20. Jacob non ſine lacrymis rogat Angelum, quocum luctatus fuerat, ne diſcedens bene-

1 Hieron. in Epheſ. 1. Chryſoſt. hom. 4. de incomprehenſib. Dei Natura & hom. 5. contra Anomæ, et hom. 3. ad Epheſ. Vide Orig. l. 1. de Princip. c. 5. et in Jo. edit. Huet. pag. 32. Theodoret. Oecumen. Theophylact. in Epiſt. ad Epheſ. 1.
2 Vide, ſi placet, PP. apud Petav. l. 2. de Angel. c. 1.
3 Hieron. l. 2. contr. Jovin. Baſil. c. 16. de Spir. S. Cæſar. Dial. 1. q. 44.
4 Theophyl. ibid.
5 Dan. 8. 13. 16. et 12. 6. Zach. 1. 9. 10. 11.
6 Vide Scipion. Sgambat. Archiv. V. T. l. 1. 2. 4.
7 Vide Ligfoot in 1. Cor. 13. 1.
8 Homer. Iliad. Plat. in Phædro. Dio Chryſoſt. Serm. Troicos, et Serm. Perioichetun. Et Maxim. Tyr. Diſſ. 26.
9 Vide Philipon. de Mundi Opific. c. 12. Nyſſen. l. 12. contra Eunom. pag. 349.
10 Philip. loc. cit. Eſt. Tir. Men. Sculetet. Piſc. alii,
11 In Job l. 2. c. 24. *Collocutionem Angelorum æſtimo mobilem quemdam voluntatem eiſſe conſenſum potius quam ſonora colloquia*
12 1. p. q. 107. a. 2. Ita & Albertus Magnus,

benedictione ſua ſe fraudaret [1]; in mortis autem lecto decumbens rogat Angelum qui ſibi præſidio fuerat, ut benedictione ſua natos ſibi ex filio nepotes Ephraim & Manaſſem [2] donet.

Ita de Angelis loquitur Philo [3], quaſi de conciliatoribus pacis inter Deum & hominem, qui hominum neceſſitates Deo exponentes, quas impetraverint ab ipſo gratias ad homines referant. Aures ſunt & oculi ſupremi illius Numinis, quibus inexploratum nihil, nihil inauditum: qui Dei ad homines juſſiones, ab hominibus vero ad Deum preces referant. Tyrones ſuos ſacramentis adjurabant Eſſenii, ut Angelorum nomina ſeduloeauteque apud ſe conſervarent [4]; unde facilis conjectura de impenſa ab illo hominum genere erga Angelos cultu. S. Paulus ad Coloſſenſes 2. 18. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.* His verbis ſuggillantur Judæorum Doctores, recens ad fidem converſis Fidelibus dogmata illa inſtillantes.

Verum Author Libri apocryphi prædicationis S. Petri, loquentem eumdem Apoſtolum inducit [5], Judæos cultum impendere Angelis & Archangelis, & menſes ſuperſtitioſe obſervare. Non cultum tantum Angelorum, ſed Cœli pariter, vitio Judæis vertebat Celſus [6]; cujus dicta Origenes in iis, quæ de cultu Cœlorum commentus eſt, refutans, nihil de adoratione Angelorum addit; quin & aſſerit, reipſa a Judæis cultos in Commentario ad Joannem pag. 212. edit. Huet. Ex Evangelio pariter Matth. 5. 34. conſtat, Cœli nomine ſacramento ſeſe obligaſſe; quod idem & Angelorum nomine ab ipſis præſtitum teſtatur S. Hieronymus in Matt. 5. & q. 15. ad Algaſiam. Vide & noſt. Comment. in Matt. 5. 34. & ad Coloſſ. 2. 18. Inſinuat etiam Philo aliquem erga Angelum cultum; poſtquam enim docuit, Angelos, Dæmones, & animas hominum ſolo inter ſe nomine & geſti muneris adminiſtratione differre, addit, doctrina illa maxime relevari homines ingenti ſuperſtitionis onere [7]. Quarumnam ſuperſtitionum, niſi apud indoctum vulgus regnantium?

Recentiores Judæi tuentur, nullum a ſe impendi Angelis cultum; & in precibus ſuis Angelorum mentionem admiſcentes, inter errantes homines amandant. Joſephus Albus anathema in ſuis catecheſibus adverſus illum pronunciat, qui Angelum ſive Dominationem aliquam cœleſtem rogaverit. Kimchi contendit, D nefas eſſe Angelos, vel eorum Principes, uti Gabrielem, & Michaelem, invocare. Inviti tamen reluctantesque productis argumentis evincuntur, cultum Angelis reapſe impendiſſe [8]. Litanias quaſdam vel ſupplicationes, quibus invocatio Angelorum expreſſa eſt, producit Bartoloccius Biblior. Rabin. tom. 1. & D. Simonius Præfat. in Leon. Moden. directam ab illis ad Angelum tutelarem precem quandam recitat, qua ſanctus ille & venerabilis Dei miniſter invocatur, ut conſervationem præbeat & tutamen [9]. Aliud teſtimonium in eam rem ex Scholiis Gedaliæ in Joſephum Album producit Griſendus apud Bartoloccium lib. 1.

Synagogæ erga Angelos Religionis hæres Eccleſia Chriſtiana; eorum cultum, ſicut & fidem de Angelorum exiſtentia eorumque impenſo hominibus præſidio, retinuit. Numquam ab eo receſſit dogmate, offerri nimirum ab illis Deo mortalium omnium preces; E cujus ſymbolum exhibens S. Johannes Apocalyp. 5. 8. Angelum inducit, ſumantem acerram coram Deo elevantem. Patres vero illi [10], qui contra religionis noſtræ adverſarios cultum & honorem erga SS. Martyres defenderunt, cultum pariter erga Angelos aſſerere, ſuarum partium eſſe autumarunt; qua in re iiſdem pariter exceptionibus & limitationibus utriA que uſi ſunt. Docuerunt igitur, quem Angelis & Martyribus impendebant honorem, ſupremo alteri, quem latriæ appellabant ſummo Deo debitum, multum conceſſiſſe; neque enim niſi inferiori & ſecundario cultu Angelos venerari ſe ſignificarunt. Angelus ille Apoc. 22. 8. 9. honorem ſibi impendere volentem Joannem Evangeliſtam probibuit, obteſtans: *Vide ne feceris; conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum &c. Deum adora.* Prohibuit autem, quod Apoſtolus Deum illum eſſe ratus, divinos ipſi honores impendere volebat. Concilium Laodicenum apud Theodoretum in Coloſſen. 2. 18. prohibens, ne Jeſu Chriſto hominum ad Deum intermedio omiſſo, ad Angelos dirigamur, eo ſenſu explicandum eſt, quaſi Angelorum interceſſionem potiori loco, quam Jeſu Chriſti haberi prohiB beat. Abſit autem ut tales errores adoptemus.

ARTICULUS II.

De malis Angelis.

MAlorum Angelorum ſive Dæmonum caterva ſub Reipublicæ cujuſdam ſpecie, cui Lucifer præeſt, in Scriptura plerumque exhibetur. *Ite in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo & Angelis ejus*, ait Jeſus Matth. 25. 41. Ipſe etiam Diabolus diſtinguitur titulo *Principis hujus mundi* Joan. 12. 31. *Principis tenebrarum* Epheſ. 6. 12. *Principis poteſtatis aeris* Epheſ. 2. 2. *Serpentis* Gen. 3. 1. 13. 14. Apoc. 12. 9. *Belial* 2. Cor. 6. 15. *Beelzebub* Matth. 10. 25. & 12. 24. Luc. 11. C 15. 18. 19. *Schammael* [11], *Behemoth* [12], *Satan* Job. 1. 6. 9. 17. & 2. 1. 2. 3. & 1. Par. 21. 1. Zach. 3. 1. 2. *Draconis* Apoc. 12. 3. *Angeli exterminatoris* Judith. 7. 15. & 1. Cor. 10. 10. Quibus omnibus nominibus indoles & ingenium ſæviſſimi hujus Dei & hominis adverſarii demonſtratur; *Diabolus* enim exprimit calumniatorem; *Satan* adverſarium; *Belial* effrænem, perduellem ſeu rebellum; *Schammael* exterminatorem; *Behemoth* nomen eſt belluæ alicujus immanis, ut elephantis, hippopotami, quod S. Gregorius Magnus allegorice de Diabolo exponit; *Beelzebub* nomen eſt Dei Accaronitarum, facile muſcam colentium, ut *Beelzebub* idem ſit ac Deus muſcarum. *Lucifer* matutinam ſtellam deſignat; quo nomine ideo Diabolus appellatus eſt, quod lapſum & ſuperbiam, Regis Babylonis ab Iſaia 14. 12. expreſſi, D Dæmonis caſum expreſſiſſe viderentur. Nomina *Serpentis*, & *Draconis* ingenium nequiſſimi illius ſpiritus ſatis per ſe exprimunt; quemadmodum & nomina impuri ſpiritus, Spiritus nequam, Angeli mortis, & calumniatoris fratrum. Unde titulus ille Principis poteſtatis aeris deſumptus ſit, infra demonſtrabimus.

Animadvertiſſe oportet, in Libris Veteris Teſtamenti Hebraice ſcriptis nullum exprimi peculiare nequiſſimorum Angelorum nomen; ſed tantum nominibus quibuſdam generalibus, Principes malorum Spirituum deſignantibus legi, Tobias 3. 8. qui Ninive ſcribebat poſt tranſlatas trans Euphratem decem Tribus, *Aſmodæi* meminit, qui priores illos Saræ filiæ Raguelis viros occidit. Ab eo tempore nihil de Angelorum pravorum nominibus legimus, uſque ad ætatem Jeſu Chriſti, qua nomen *Beelzebub* Principi Dæmonum collatum eſt in Evangelio. Ex quo tamen nulla deducenE da eſt conjectura de ignoratis ad eam uſque ætatem apud Judæos malorum ſpirituum nominibus; plura enim ex illis continet Liber apocryphus Enoch, ante Jeſu Chriſti ætatem, uti quidem apparet, deſcriptus.

Legitur in eo Libro filias hominum, numero jam auctas *Egregoros* ſeu Vigiles, ita enim a Chaldæis Angeli appellantur, deperiiſſe, ſeque mutuo, ut cum illis commiſcerentur adhortatos fuiſſe. Ducento-

rum

1 Oſee 12. 4. Gen. 32. 36. 2 Gen. 48. 16. 3 De Gigant. pag. 286. & de Plantat. Noe pag. 216. de Somniis, pag. 586. 4 De Bell. l. 2. c. 12. 5 Apud Clem. Alexan. Strom. l. 6. pag. 635. 636. &c. 6 Orig. cont. Celſ. l. 5. 7 Philo de Gigant. pag. 286.
8 Vide Baſnag. Continuat. Hiſt. Judai. l. 6. c. 10. 9 Griſend. apud Bartoloc. l. 1. pag. 206.
10 Cyrill. Alex. l. 6. cont. Julian pag. 203. Aug. l. 20. contra Fauſt. c. 21. & l. 1. contra Maxim.
11 Deeſt nomen in Scriptura, ſed in Rabbinis legitur.
12 Eo nomine cenſetur a S. Gregorio Diabolus. Behemoth, legitur Job. 40. 10.

Digitized by Google

rum numerum implebant, præeunte omnibus 1. *Semexia* [1], una cum aliis 19. nimirum 2. *Lazareuph*, 3. *Araciel*, 4. *Chobabiel*, 5. *Orammame*, 6. *Ramiel*, 7. *Sapſis*, 8. *Zaciel*, 9. *Balciel*, 10. *Azalzel*, 11. *Pharmarus*, 12. *Amariel*, 13. *Anagemas*, 14. *Thauſael*, 15. *Samiel*, 16. *Sarinas*, 17. *Eumiel*, 18. *Tyriel*, 19. *Sariel*.

Cum omnes jurato conveniſſent, facturos quidquid a Semexia Principe fieri viderent, illo præeunte, fœminas omnes, quotquot erant in terra, ſibi vindicantes, effrænem cum illis licentiam exercuerunt. Nefarii hujus connobii fructus nati ſunt Gigantes, monſtra illa hominum tota antiquitate notiſſima.

Azalzel, inter pravos Angelos decimus, homines docuit fabricare arma, conflare in nummos metalla, ac tandem mulierum ornamenta formare; demonſtravit pariter ferri & gemmarum uſum. *Semexias* Gigantes inſtruxit, quomodo robore ſuo uterentur, & paſſiones ſuas emoverent. Herbarum & venenorum vires oſtendit *Pharmarus*; nec ignaros voluit excantationum, laſciviarionum, tum & artium, quibus hæc omnia caſſa & irrita efficerentur. *Balcieli* accepto referunt Aſtronomia; *Chababieli* Aſtrologia; *Zacieli* divinatio per aeris inſpectionem; *Aracieli* ſigna terræ; *Sapſis* ſigna lunæ. Hæ Angelorum perduelliorum inventa, conjugibus ipſorum & filiis commiſſa; hinc pariter malorum in terram eluvio.

Boni Angeli, cœleſtis exercitus Principes, *Michael*, *Raphael*, *Gabriel*, *Uriel*, omnium earum rerum certiores facti, querelas ea de re ſuas ad ſupremum Numen deferentes, id effecerunt, ut opportunis juſſionibus ſævienti malo occurreretur. Urieli igitur commiſſum eſt, ut raptim ſe ad Noemum filium Lamechi conferens, moneret, ut aliquanto temporis ſpatio lateret; imminere enim in terram diluvium, quo omnia quæcumque in ejus ſuperficie eſſent, corrumperentur. Adjecit inſuper Deus, virum ſanctum moneret quidquid illi præſtandum eſſet, tum imminenti malo evertendo, cum etiam ut novæ ſtirpis pater efficeretur.

Raphaelem pariter Dominus mandatis oneravit, ut alligatum vinculis Azazelem in tenebras projiceret, aperiret deſertum *Dudael*, quo vinctum illum captaret, atque lapidum aſperorum ſtrue operiret, glomerantes etiam tenebras affunderet, indignos oculos clauderet, ac tandem extrema Judicii die igni victimam reſervaret. Denique, inquit, repara malum quod Vigiles illi in terram invexerunt, illo iniquitatis myſterio, quod ipſi uxoribus ſuis, & filii revelarunt. Tum Gabrieli Deus præcepit, ut contra Gigantes filios Vigilum movens, inter ſe mutuo committeret, quo ſcilicet in mutuas irruentes cædes, mutuo pariter ad unum delerentur. Michaeli præceptum datum eſt, alligandi Semexiam cæteroſque ejus partibus fautores. Poſtquam vero, adjecit, truculentam Gigantum filiorum ſuorum cædem oculati teſtes ſpectaverint, catenis onerati in deſertis detineantur ad extremum uſque Judicii diem, ſeptuaginta ſcilicet generationum intervallo. Eo enim temporis articulo in carcerem æternum perpetuo igne torridum detrudentur. Homines pariter in effrænem licentiam prolapſi, quique damnationem criminibus promeruerint, in tenebricoſos carceres una cum illis præcipites agentur.

Spectare licet in eo Libro dogma veterum quorumdam Judæorum de lapſu & tempore ſupplicii, pravos Angelos manentis. Juxta fidem hujus narrationis intelligimus, 1. Angelorum perduellium exitium nonniſi longa ante diluvium ætate contigiſſe, occaſione ſcilicet deperditi pravorum Angelorum in filias hominum amoris. Ex quo pariter recta conſequutione deducitur, 2. corpore compactos eſſe, nec generandi facultate deſtitutos, etiam ſi cum altero rerum genere commiſcerentur. 3. tandem ejus Operis Scriptor perſuaſum habet, pravos Angelos vinculis adſtrictos in deſerto ad Judicii uſque diem detineri; tunc autem in tartara una cum damnatis cæteris detrudendos.

Tot plane errores, quot verba; ſed vetuſtiſſimi plane errores, quorum ſuperſunt veſtigia tum in Scriptis Doctorum Judæorum, tum etiam veterum Patrum, qui Libro Enoch plus nimio detulerunt; quemadmodum de Epiſtola S. Judæ agentes demonſtrabimus. Conſtat plane, Dæmonem e ſtatu felicitatis & gratiæ jam excidiſſe, cum tentandam Evam ſuſciperet. Opinio illa, quæ corpore conſtare Angelos, amore fœminarum tangi, atque generandi facultate inſtructos eſſe conſtituit, vix ac ne vix quidem defenderetur. Tandem nullus reſtat ambigendi locus, poſt aperta Sacræ Scripturæ teſtimonia, & oracula Eccleſiæ, Dæmones Inferni jam ſupplicio addictos modo torqueri. Sed fuſius de ſingulis agendum.

Recepta Patrum [2], & Theologorum ſententia tenet, Angelos pariter omnes unam eamdemque naturam ab exordio retuliſſe, ut inter bonos pravoſque Angelos diſcretio non a Deo authore, qui creaturas omnes rectas conſtituit, repetenda ſit, ſed a nequitia & corruptione pravorum Angelorum, *qui non ſervaverunt ſuum principatum* [3], tumore cordis & detrectandi alterius imperii audacia, veluti gravi adacti pondere, e felicitate & gloria, qua ab ipſa ſua creatione donati ſunt, exciderunt. Vidimus in ſuperioribus ſententiam ea de re Philonis [4], autumantis, bonos Angelos, Dæmones, & animas hominum ſolo nomine differre; ſicut & Joſephi de bello lib. 7. cap. 25. cui perſuaſum erat, Dæmones corpora hominum infeſtantes ipſiſſimas eſſe impiorum animas, quæ prioris corporis contubernio deſtitutæ, alterum quæritarent, metu ne in abyſſum ſuppliciis æternis addictæ detruderentur.

De natura & origine Dæmonum non ſatis convenit inter Hebræos. Alii enim compactos corpore autumantes, ſexuum inter illos diſcrimen invehunt; & quæ diſcrepationem illam conſequitur, generandi facultatem illis liberaliter permittunt; ac tandem morti obnoxios pronunciant. Alii vero ſpiritales conditos fuiſſe ideo credunt [5], quod ſabbathi religio eo temporis articulo, quo creandos illos ſuſcepit, iniviſſet; quare temporis opportuni defectu a creando illis corpore deſtitiſſe. Referunt alii natos ex concubitu *Sammaelis* Principis Dæmonum cum Eva, antequam illa cum Adamo commiſceretur. Non deſunt qui Adami filios reputent; quamquam varias illis parentes varii conſtituunt, uti *Naamam* ſororem Tubalchaim [6], quam fœminam venuſtate inſignem, & modo etiam ſuperſtitem, commiſcuntur. Malunt alii *Lilith*, quam dicunt a thoro Adami recedentem, furtim ſe ab ejus conjugio ſubduxiſſe. Tres Angeli ad eam fœminam cum priori viro reconciliandam miſſi ſunt; ſed fruſtra illi, quamquam id tandem impetrarunt, ne infantes in iis locis offendens, ubi ſcripta illa trium Angelorum nomina legerentur, *Senoi*, *Sanſenoi*, & *Samangeloph*, interficeret. Secedentes igitur Angeli mulieri dira imprecarunt, cujus maledictionis tanta fuit vis, ut ſingulis diebus centum ex Dæmonibus ejus liberis interirent. Judæi novæ puerperæ conclave ab infeſta Lilith liberaturi, quippe quæ recens natis infantibus inſidietur, hæc in parietibus deſcribunt: *Adam, & Eva hic adſunt; & exulet Lilith*; in ſuperliminaribus vero tria illa nomina Angelorum ſcribunt *Senoy*, *Sanſenoi*, *& Samangeloph*.

Dæmonem illum, cujus fraude Eva ſeducta eſt, ipſum reputant *Sammaelem* Principem Dæmonum, qui Serpentem adequitans, ad fœminam ſeducendam ſe contulit; cumque eo commixta mulier Cainum filium genuit. His omnibus addunt alii [7], *Azam* & *Azaelem* e Cœlo ſceptro ferreo depulſos,

1 Seu potius Semievas. Rabbini appellant Semchaſai, & Azael duos Principes Dæmoniorum. Jonathan in Gen. 6. 4. Rabbi Salomon in Num. 13. 34. 2 Vide Auguſt. l. 12. de Civit. c. 1. Baſil. de Spiritu S. c. 16. Nazianz. orat. 38. Niſſen. orat. Catech. c. 6. Chryſ. homil. 22. in Geneſ. Theodoret. orat. 3. contra Græcos, alii plures. 3 Judæ verſ. 6. 4 Philo de Gigantibus p. 286. 5 Bereſchit Rab. ſect. 7. p. 9. col. 3. Menaſſ. Ben-Iſrael de creatione problem. 23. 6 Genes. 4. 22. 7 Rab. Elie. in Pirke c. 7.

in abyſſum deſcendiſſe, unde exeundi rationem una cum aere, quo obvoluti ſunt, invenerunt; eoque aeris amictu protecti per omnia diſcutiunt loca, & aereum ſibi aptant corpus, quo maritali copula commiſceantur. Ex iis connubiis ingens illa Proſelytorum turba producta eſt, quæ Iſraelitis ex Ægypto digredientibus admixta [1], ſeditionum, murmuris, & idololatriæ fomitem non ſemel in deſerto miniſtravit.

Chimeras, & fabellas ne præmoniti quidem Lectores ſatis intelligent; quibus neque fidem ſuam addixiſſe Hebræorum ſapientiores ultro agnoſcendi ſunt. Maimonides [2] non obſcure docet, Dæmones omni corpore, & materia ſecretos, ſubſtantias eſſe prorſus a corpore diſtinctas; quamquam ejus Scholiaſtes [3] receptum inter Judæos dogma eſſe profiteretur, corpore ex aere igneque Dęmones componi. Singuli illi Doctores in ſuas abeunt ſententias, quemadmodum & in Scholis receptum eſt. In eo tamen Doctores illi a noſtrorum Theologorum moribus diſcrepant, quod noſtri in rebus fidei certum aliquid fixumque, ſuprema quadam authoritate, vel Scriptura nempe, vel traditione, vel Eccleſia determinatum teneant; cum Rabbinis errantis phantaſiæ deliramenta ſectari integrum ſit; quæ ſemel data via ineptire illis, & vana pro ſetiis venditare permiſſum eſt.

Cæterum quę de origine Dęmonum ſparguntur commenta, non recens invecta ſunt, ſed ab ipſis prioribus Eccleſiæ ſæculis obtinuiſſe, ex Operibus vetuſtiſſimorum Patrum Eccleſiæ intelligimus. Horum pleſique adverſus Paganos diſceptantes, conſtituunt Dęmones aereii cujuſdam corporis amictu, ſed impuro, & ſordido, circumdatos, nidore ſacrificiorum paſci, carnium adipe, & ſanguine victimarum, quæ falſis Diis, ipſis nempe Dęmonibus, offerrentur. Creatum primo Mundum Deus Angelorum gubernationi commiſit, ait S. Juſtinus Martyr Apolog. 1. ſed hi conceſſa ſibi poteſtate abuſi, & juſſionibus Domini neglectis, puellarum amoribus impliciti ſunt, eoque nefario concubitu nati, quos Dęmones appellamus. Corruptæ fontis corruptiſſima fluenta criminibus, audacia, impudicitia, & licentia mundum univerſum inundarunt.

Athenagoras Apol. S. Clem. Alexandr. Strom. lib. 7. Origenes contr. Celſum l. 3. Julius Firmicus de errorib. prof. Relig. c. 14. Minutius Felix in Octav. S. Cyprianus de idolor. vanit. & Tertullianus [4] ſerio aſſeverarunt, Dęmones lingere cruorem victimarum, nidorem carnium immolatarum haurire, iiſdemque depaſci. Quod in illos ex Vatibus Paganorum derivatum eſſe conſtat, apud quos animæ e corpore ſecretæ ciborum illorum avidæ, & foſſas ſanguine oppletas obſidentes inducuntur [5]. Hæc omnia ſatis deſignant, Dęmones corpore uti, juxta firmatam in priori hujus Diſſertationis parte ſententiam, potiſſimam nempe Veterum partem autumaſſe, Angelos & Dęmones materia quadam vel corpore ſubtiliori aereo vel igneo inſtructos fuiſſe. Ex altiſſima id repetitum antiquitate in Græcos, ex Ægyptiis derivatum eſt.

Porro hi in ea ſunt perſuaſione, hominem ex tribus conſtare partibus, *intelligentia* nempe, cujus nihil non ſpirituale; *anima*, quæ genus eſt lucidi & ſubtilis corporis, intelligentiam veluti amictu obvolventis; *corpore* tandem craſſo, quo veluti vagina ſubtile illud lucidumque corpus protegatur. Craſſum hoc corpus eandem refert ſimilitudinem & lineamenta, quæ alterum illud ſubtile; ſubtile, inquam, illud, quod interdum poſt mortem videndum ſe præbet, cum interim craſſi reliquiæ vel cineres ſuper terram jaceant [6]. Manet autem intelligentia corpori ſuo luminoſo conjuncta; ſed abſumpto demum terreſtri corpore, illa pariter ſubtilis alterius vinculis ſe ſe expediens, Cœli alta repetit, manente ſubtili corpore, in Infernis nempe, vel in Campis Elyſiis, vel in loco ſuppliciorum, pro anteactæ vitæ merito. Hanc Theologiam legas non obſcure in Homero [7], Virgilio [8], & Lucretio [9].

Quo autem ad pravos Angelos regrediamur, duo ex illis genera Veteres quidam diſtinxerunt; alios nempe ipſa Dei manu formatos, alios priorum illorum filios, ex nefario enim Dęmonum connubio cum filiabus hominum ſecundi illi nati ſunt, quos Dęmones peculiari nomine appellamus. Quare juxta Lactantium [10] duo ſunt Dęmonum genera, cęleſtium nempe, & terreſtrium. Cœleſtes Angeli ſunt, qui Diaboli fraudibus ſeducti, puellarum amoribus impliciti ſunt. Ex his nati terreſtres; qui neque apud Inferos uti neque patres eorum, neque in Cęlo, unde patriam originem referebant, accepti in terra ſubſtiterunt. S. Auguſtinus autumaſſe videtur [11], Angelos rebelles ante commiſſum crimen corpora tetuliſſe cœleſtia & ſpiritalia; poſt lapſum vero aere obvolutos. *Si tranſgreſſores illi, nunquam tranſgrederentur, cęleſtia corpora gerebant, neque hoc mirum eſt, ſi converſi ſunt ex pęna in aeream qualitatem ut jam poſſint ab igne, id eſt ab elemento naturæ ſuperioris, aliquid pati.*

Eadem ſpectantur in Fauſto Rhegienſi in Epiſtola, quam Mamertus Claudianus refutavit. Græci recentiores in Concilio Florentino defendebant, Angelos perduelles ſpiritales quidem ante lapſum, in corpus & materiam poſt lapſum degeneraſſe; hinc eſſe ut inclinarent, & quieſcerent in corporibus, quemadmodum obſervare eſt in hominibus a Dęmone obſeſſis, & in legione Dæmonum, quæ concedi ſibi in ſedem gregem illum porcorum a JESU CHRISTO impetravit. Inde etiam, dicunt, ratio petenda eſt, cur flammis diſcrucientur; hanc enim ignis pœnam tolerant in corpore, quod animant. Hæc Græcorum recentiorum ad opinionem illam ſuam probandam rationum momenta ſunt. In cenſum erroris Origenis refert S. Hieronymus Ep. ad Avitum. *Quod Dæmones ob delicta aeriis corporibus ſunt veſtiti.* Quantacumque vero fuerit antiquorum ea in re conſenſio, quantam quantam præbuerit illi authoritatem creduli vulgi perſuaſio, certum tamen ratumque conſtituendum eſt, ſpiritalem eſſe, & a materia diſcretam Dęmonum ſubſtantiam.

In iis quæ ad defectionem Angelorum pertinent, tres potiſſimum ſententiæ diſtinguendæ ſunt. 1. Quæ ſuperbiæ & audaciæ in Deum Creatorem ſuum, invidię atque odii in homines merito ad inferna detruſos conſtituit. Altera ſententia tenet, Luciferum ſive Principem Dęmonum, qui Angelorum primas tenebat [12], ſuperbia quidem ſua excidiſſe, in ſuas deinde partes & crimen deductis Angelis, quos impuris puellarum amoribus implicuit. Tertia tandem opinatur, Angelorum lapſum ex amore illo impuro, atque effręni erga filias hominum licentia referendum.

Priorem illam ſententiam unice veram plerique ex Patribus defendunt; quorum alii id ſibi malum provocaſſe Dęmonem, concepta de hominibus invidia, tenent [13]: videns enim, inquiunt, Dęmon creatum a Deo hominem ad imaginem ſuam, & in terra velati Deum aliquem conſtitutum, livore tactus eſt. Deputant alii [14] immani Angelicæ illius mentis tumori

1 Exod. 12. 38 2 Maimonid. fundament. Legis c. 1. 3 Ad c. 4 Maimon. de fundamento Legis.

4 Tertull. Apolog. c. 22. *Renuntiant ſe immundos Spiritus eſſe, quod vel ex pabulis eorum ſanguine, & fumo, & putidis rogis pecudum . . . . intelligi debuerit.* 5 Homer. Odyſſ. L. 6 Idem Iliad. 23.

7 Vide Homer. loc. cit. 8 Virgil. Æneid. l. 4. *Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.* 9 Lucret. l. 1. . . . *Eſſe Acheruſia Templa, Quo neque permanent animę, neque corpora noſtra, Sed quędam ſimulacra modis pallentia miris.*

10 Lib 2. c. 14. *Eos Angelos ad tutelam humani generis a Deo miſſos Diabolus ex Angelis Dei ſuos fecit ſatellites, & miniſtros. Qui autem ſunt ex eis procreati, quia neque Angeli, neque homines fuerunt, ſed mediam quamdam naturam gerentes, non ſunt ad inferos recepti, ſicut nec in Cælum parentes eorum. Ita duo genera Dęmonum ſunt, unum Cæleſte, alterum Terrenum: hi ſunt immundi Spiritus, malorum, quę geruntur, auctores.* 11 Aug. de Gen. ad Lit. l. 3. c. 17. Vide & l. 15. de civ. c. 23. & l. 1. contr. Academic. c. 7. & l. 2. de Ordine c. 9. 12 Tertull. l. 5. contr. Marcion. c. 10 & 18. Lact. l. 2. c. 8. Cyrill. Jeroſol. Cath. 2. Greg. Mag. l. 4. Mor. c. 13. 13 Iren. l. 4. c. 78. Lact. l. 2. c. 8. Nyſſ. Cath. c. 6. Method. apud Epiph. hæreſ. 64. Cypr. apud Aug. l. 4. de Bapt. c. 8. Tert. l. de patien. c. 5. 14 Aug. l. 2 c. 13. 14. 15. de Gen. ad lit. & l. 12. de Civ. c. 6. Caſſ. coll. 8. c. 10. alii paſſim.

Digitized by Google

mori, & immedicæ, qua de præclaris dotibus ſuis A ſibi placebat, vanitati, quaſi ſcilicet non a Deo ſe illas tenuiſſe blandiretur. Alii tandem utramque ejus rei cauſam adoptant; nec plane ſolent duo hæc vitia alterum ab altero ſejungi. Superbia invidiam parit; ille de excellentia ſua ſibi placet, hæc aliorum gloriam & felicitatem non ſuſtinet.

Quid intercesserit temporis inter productionem Angelorum & lapſum, non ſatis convenit. Patres illi [1], quibus perſuaſum fuerat, Angelos mundi creationem præceſſiſſe, longiſſimum etiam temporis ſpatium, quo conceſſa ſibi gratia & gloria fruerentur, permiſerunt; videlicet ad mitus uſque poſt omnium rerum corporeatum, & ſenſibilium creationem, ac potiſſimum uſque ad conditum hominem, ex quo invidiæ neſa, & offendiculum. Qui vero una cum mundo ſenſibili creatum Dæmonem conſtituerunt [2], recta ſyſtematis ſui conſecutione intuliſſe coguntur, brevi temporis ſpatio B in primo gratiæ & innocentiæ ſtatu manſiſſe; cum enim Evam in Paradiſo vix formatam tentandem ſuſcepit, ex Angelo in Diabolum jam tranſierat.

Priores illi [3] arbitrantur, Deum certum quoddam pœnitendi ſpatium perduellibus hiſce Spiritibus conceſſiſſe; quod alterius ſententiæ aſſertores minime factum putant, rati [4], Angelos ſemel in malum converſos, ita mentem ſuam in pravo obfirmare, ut nullam reſipiſcendi ſpem reliquam facient. Quo autem altiori erant dignitatis ſtatu, quo majori irradiabantur luce, eo gravius & majoris criminis rei in abyſſum pervenere: a *homo vero idcirco veniam meruit, quia per corruptibile corpus aliquid, quo ſe ipſo minor eſſet, accepit*, ait S. Gregorius Magnus Moral lib. 9. cap. 28.

Quæ Dæmonum lapſum ad tempus commercii Angelorum cum filiabus hominum revocat, dicti ſui neminem, niſi Librum apocryphum Enoch, a quo non ſibi ſatiscavit antiquitas, habet aſſertorem. Quæ vero C illorum ſententia conſtituit, Principem Dæmonum tumidæ mentis faſtu excidiſſe, diu antequam cæteri Angeli fœminarum amoribus implicarentur, cæterorumque lapſus, Principem illum tenebrarum authorem fuiſſe, hæc, inquam, ſententia idem invecta eſt [5], ut Scripturæ illud conciliaretur, quo docemur, 1. Dæmonem homicidam eſſe ab initio Jo. 8. 44. tum & alterum Sapientiæ c. 24. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*; ac tandem quæ in eadem Scriptura leguntur de pellecta fraude Diaboli in crimen prima illa muliere. Volebant, inquam, hæc omnia cum Libri Enoch ineptiis componere, cujus tunc authoritati plu- D rimum deferebant, rati, S. Judam Apoſtolum ſcriptum illud in ſua Epiſtola tamquam canonicum laudaſſe.

Quamquam nullus eſt dubitandi locus, eumdem, data proportione, ordinem inter bonos, maloſque Aegelos ſervari, ejus tamen ratio, & gradus penitus ignorantur. Agnoſcit inter illos Apoſtolus Epheſ. 6. 12. Principatus, Poteſtates, & Virtutes, quemadmodum inter Angelos luminis. De Beelzebub Principe Dæmonum non ſemel in Evangelio ſermo occurrit [6]. In parabola Fortis armati docet Jesus Christus, Dæmonem domo ſua pulſum, aſſumptis ſeptem aliis ſpiritibus nequioribus ſe priores ſedes repetere [7]. Aliquid de priſtino ordine, quem ante defectionem ſuam in Cœlo ſervabant, retinere illos, Caſſianus collat. 8. cap. 15. arbitratur; vel ſaltem, E aie, eumdem ſervant inter ſe graduum ordinem, quem nequitia vel crimen, quo maxime præſtant, expoſtulat.

Sed hæc inferiorum ad ſuperiores ſubjectio ita reputanda eſt; ut ſubjectioni, quam per omnia debent Authori, & Creatori ſuo, nihil officiat. Principis enim tenebrarum juſſionibus, quibus inferre hominibus mala jubentur, tantum obtemperant, quantum Deo volente permittuntur. Jobum tentaturus Satan, vires in illum ſuas paulatim explicavit, Deo veluti per gradus ſævire permittente. Si Deus ultionem exercere ſuam in Urbem aliquam gentemque meditatur, *immiſſiones facit per Angelos malos* Pſalm. 77. 49. Mala a Satana conſilia ſuggeri, eaque utinam tandem mandari permittit. Ita e. g. inſpirari Davidi permiſit, ut cenſum populorum ſibi ſubjectorum indiceret [9]. Contemptos habet Rex Iſrael veros Domini Prophetas: offert ſe ſtatim Satanas dicens: *Spiritus ero mendax in ore omnium Prophetarum ejus* 3. Reg. 22. 22. Stantem Satanam coram Domino ſpe- B ctavit Zacharias 3. 1. e. quo Summum Sacerdotem Jeſum accuſaret, ejuſque urgeret damnationem, niſi ab Angelo impediretur jubente. *Increpet Dominus in te, Satan*.

Corporum ægritudines, mortem, & totam illam malorum cohortem, quæ miſeros homines comitatur, uti procellas, ſterilitatem, bella, Dæmoni authori tribuit Scriptura. Nec ſunt plura ejus miniſterio atque in homines invidia præſtari diffiteor. S. Petrus in 1. ep. 5. 8. Dæmonem exhibet tamquam leonem rugientem, & prædam numquam non aucupantem. Depingitur a S. Paulo Epheſ. 6. 16. velut hoſtis igneis telis armatus, quæ numquam non in corpora, & in animas hominum intorquet. Suos Dæmones mala conſilia ſuggerentes, non ſecus ac bonos Angelos ad re- C ctam propellentes, ſingulis hominibus Veterum plures [9] tribuerunt, quod in ipſos derivatum eſt ex Libro Hermæ vel Paſtoris [10], & ex altero Libro Apocrypho, quem facile credimus *Apocalypſim* Abraham, a S. Epiphanio hæreſ. 39. cap 5. laudato.

Idem pariter in Philoſophorum Scriptis [11], & maxime Stoicorum, ſpectatur: admittunt enim Stoici non Angelum bonum tantum ſingulorum hominum cuſtodiæ invigilantem, ſed malum etiam Angelum inſidias numquam non ſtruentem. Judæi etiam noſtræ ætatis duplicem Angelum, bonum nempe & malum, ſingulis hominum aſſignant [13]. Sed Eccleſia Chriſtiana unum tantum ab incunabulis ſalutis Angelum dari hominibus tenet, quamquam non diffitetur, malos Angelos numquam non capiendis incautis invigilare. O- D rigenes in ea fuit perſuaſione homil. 15. in Joſue, ſingulis vitiis ſuum præſidere Angelum, ſuum nempe avaritiæ, fornicationi, ſuperbiæ, &c. ut quo pluribus derineamur vitiis, plus etiam in noſtram perniciem pravorum Angelorum inducamus; & cum vitium aliquod reluctando vicerimus, victum etiam abſcedere Dæmonem vitio illi præſidentem, neque audere iterum ad pugnam redire; niſi forte ſegnitiem noſtram animadvertens, in novam victoriæ ſpem erigatur: ita vero prælium, aſſumptis ſecum ſeptem aliis Spiritibus ſe nequioribus, juxta phraſim Jesu Christi Luc. 11. 26. inſtaurat.

Veterum Patrum plerique docent, pravos Angelos perduellionis reos, e Cœlo pulſos in aere relegatos fuiſſe, ubi ad extremum uſque Judicii diem, quando ſcilicet E ad Inferna præcipites agendi ſint, detineantur. Athenagoras Legat. pro Chr. ad mentem illorum, qui inter pravos Angelos & Dæmones diſcrimen illud ſtatuunt, nimirum Dæmones ex rebellium Aegelorum cum filiabus

 homi-

1 Ita Græci plerique. Vide Petav. l. 1. c. 15. de Angel. & l. 3. cap. 3. art. 11.
2 Hugo de S. Victore in Sent. tr. 2. S. Th. 1. p. qu. 63. art. 6. & alii credunt, Dæmonem cecidiſſe ſub ipſum creationis articulum.
3 Nemeſ. l. de hominis opificio c. 1. Damaſc. lib. 2. cap. 4. Rupert. de Victoria Verbi l. 1. c. 3. & l. 3. de Glorific. Trinit. Caſſian. collat. 8. c. 10.
4 Goffrid. Vindocin. ſerm. 1. de Nativ. Dom. *Ut cujus gradus fuerat altior, ejus caſus fieret gravior.* Vide & Greg. Mag. Moral. l. 9. c. 18. *Idcirco peccans ſine venia damnatus eſt, quia magnus ſine comparatione fuerat creatus.*
5 Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 7. Coleſtum cum Apolog. David c. 1. & l. de Noe & Arca c. 4. Lactant. l. 2. c. 8. Method. apud Epiph. hæreſ. 64.
6 Matt. 12. 24. Luc. 11. 15. 18.
8 Luc. 11. 25. 26.
9 1. Par. 20. 1. *Conſurrexit Satan contra Iſrael, & concitavit David ut numeraret Iſrael.*
10 Orig. hom. 35. in Luc, & l. 1. de Princip. c. 11. Antioch. hom. 61. Nyſſen. de vita Moſis p. 194. Opus Imperf. In Matt. hom. 5.
11 Hermas Paſtor. l. 2. mandat. 7.
12 Orph. Hymn. ad muſas. Vide & Plutarch. in Bruto, & Servium ad Virg. Æneid. 6. Quiſque ſuos patimur manes.
13 Buxtorf. Synagog. c. 10. Baſnage Hiſtor. Jud. l. 6. c. 9. art. 14.

ho minnm commercio natot faiſſe ; Athenagoras, inquam, Angelos in aere collocat, Dæmones vero circa terram, quibus malis incentoribus omnes in malum propelluntur. Philo Judæus de Gigant. & lib. de confuſ. linguar. Tertull. Apolog. cap. 22. aliique nonnulli bonos malosque Angelos indiſcriminatim in aere conſtituunt: ſed Auguſtinus [1] maluit excidiſſe illos e ſubtiliori & puriori æthere in craſſum iſtum terræ proximum, qui lucido illi aeri ſerenoque comparatus, perindeac tenebræ habeatur; unde a S. Paulo jure meritoque dicti ſunt; *Principes tenebrarum* [2]. In hæc Apoſtoli verba ſcribens S. Hieronymus, docet: *Hæc autem omnium Doctorum opinio eſt, quod aer iſte, qui Cœlum & terram medium dividens, inane appellatur; plenus ſit contrariis fortitudinibus*.

Hic autem conſtituti Dæmones, imperium in homines ſuum exercent, aſſumpta interdum Angelorum lucis ſpecie, excitatis procellis, nulla tentandi fallendique homines occaſione non captata. Appellat etiam illos Apoſtolus ad Epheſ. 6. *Principes Poteſtatum aeris*: & S. Chryſoſtomus in Epheſ. 6. homil. 4. perſuaſum ſe habere dicit, nihil amiſiſſe de priori, quo a Deo donati ſunt, in aerem imperio. Cæteri tamen Patres [3], excidiſſe illos ab hac poteſtate malunt; quod autem aerem adhuc infeſtent, hoc unice tribuendum, quia eo loci torquentur [4], donec extrema Judicii die tandem detrudantur in Tartara. Defendunt alii [5], Dæmones pro majori ſuorum parte in inferno torqueri; quæ autem adhuc terram exercendis hominibus infeſtat, minorem eſſe illorum portionem.

Tandem S. Petrus Epiſt. 2. c. 2. v. 4. & S. Judas ver. 6. non obſcure docet, perduelles illos Angelos in inferno cruciari. *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, ait S. Petrus, *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum Principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit*, ait S. Judas. Sed hæc Apoſtolorum verba S. Auguſtinus in Pſal. 149. S. Gregorius Magnus Moral. l. 13. c. 17. Beda Venerabilis in 2. Petr. 2. Rupertus Abbas in Gen. 17. Petrus Abaelardus Introduct. ad Theolog. c. 17. de inferiori craſſoque aere exponunt, qui cum puriori æthere collatus, tamquam abyſſus & infernus aliquis locus haberi poteſt. De illorum tamen authoritate minime perſuaſum eſt Theologis, docentibus, malos illos Spiritus non ita in Inferno detineri, quin poſſint interdum ad nos remeare. Et S. Johannes Apoc. 20. Principem Dæmonum exhibet vinculis alligatum, & in abyſſum projectum, præciſa omni egrediendi ſpe per mille ſolidos annos. Sed quis figuras omnes Apocalypſis ita capoſuerit, ut certum aliquid de ſtatu Dæmonum doceat. Fateamur oportet, nihil habere nos ea in re niſi incertum, & conjecturis tantummodo, non argumentis, probatum.

Dæmones illi querentes de Jeſu, quaſi maturius, quam par erat, ad torquendos ipſos veniſſet [6], rogantesque ne in abyſſum præcipites agerentur [7], inſinuare videntur, requie illos aliqua in terra potiri, & tamquam ſummum malorum habere, ſi in tartara relegarentur. Et quidem Veterum Patrum ſane multi docent, damnatos illos quidem ad ignem æternum, ſed ſententiæ illius executionem ad uſque Judicii diem ſuſpendi. *Deſperata conditio eorum ex prædamnatione ſolatium capturæ fruendæ interim malignitatis de pœnæ mora*, ait, Tertullianus Apol. c. 27. S. Juſtinus Martyr Apol. utraque, Minutius Felix in Octavio, Lactantius Inſtit. lib. ult. c. 26. Tatianus Orat. contr. Gentes, Origenes hom. 8. in Exod. & lib. 1. de princip. c. 6. Nemeſius de natura hominum c. 1. Auguſtinus l. 13. de Civit. c. ult. Idem 21. c. 1 10. 13. alibi ſæpius, S. Hieronymus in Iſai. 25. aliique plures [8], gemina docent, & inſinuare viſus eſt ipſe in Evangelio Jeſus, hanc referens damnatorum in extrema Judicii die ſententiam: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus* Matth. 25. 41. paratur, inquit, Diabolo, non qui Diabolum jam torquet.

Non ita tamen reputandum eſt, quaſi nullo pœnarum ſenſu Dæmones in præſentia tangantur, & omnis illorum pœna ad uſque poſt Judicii diem reſervetur. *Alius eſt ignis, quo modo torquentur, alius quo poſt illum Judicii diem cruciabuntur*, ait S. Gregorius Magnus Moral. lib. 4. c. 10. Mœrore nunc & dolore pro ſententia jam probata atque damnatione ſua afficiuntur; ſed poſt diem Judicii, quem ignem modo abſentem gravem experiuntur, præſentem ſentient. *Diffinita quidem*, ait S. Bernardus ſerm. de tranſit. S. Malach. *ſed nondum promulgata ſententia eſt. Denique jam Diabolo ignis paratur, etſi nondum ille præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore ſinitur malignari*. Futuri ſupplicii certa expectatio ſua quaſi præſentia diſcruciat. In hanc ſententiam omnes ferme Veteres conceſſiſſe obſervat Maldonatus in *Matth.* 25. 41. & P. Petavius de Angelis *lib.* 3. *cap.* 4. *art.* 18.

Solus facile inter Veteres Beda Venerabilis docet in Jacob. 3. malos illos Spiritus, quocumque tandem in loco fuerint, ignibus cruciari. *Ubicumque vel in aere volitant, vel in terris, aut ſub terris vagantur, ſive detinentur, ſuarum ſecum ferunt ſemper tormenta flammarum, inſtar febricitantis*. Hæc tamen ſententia hodie in Scholis obtinet, quamquam doctiſſimi aliqui Theologi defendunt, contrariam opinionem, veterum Patrum conſenſu aſſertam, nullius erroris nota damnari poſſe, quippe quam neque Scripturæ authoritas, ulla, neque Concilii definitio damnet. Quod enim Concilio Florentino in Decreto Fidei declaratum eſt, animas ſcilicet impiorum ſtatim poſt mortem inferni ſuppliciis cruciari, nihil habet ad Dæmones. Et S. Thomas 1. par. qu. 64. a. 4. ad tertium, qui erroris damnat opinionem impiorum, animam ſtatim poſt mortem igne cruciari negantem, adverſus alteram de malis Spiritibus nihil gravius pronunciat.

Ad naturam ignis torquendis Dæmonibus in inferno deſtinati quod attinet, ignem reapſe elementarem reputavit S. Auguſtinus de Civit. lib. 21. cap. 9. S. Gregorius Magnus Dial. lib. 4. cap. 9. & Theologi de Schola; metaphoricum quemdam ignem, malæ ſcilicet conſcientiæ, ſynderesis, & deſperationis, docet Origenes [9], S. Ambroſius in Luc. lib. 7. cap. 14. Theophylactus in Marc. 9. aliique nonnulli. Mentem hac de re noſtram alibi explicavimus [10]. De illorum numero aliquid data occaſione diſſeruimus, cum de bonorum Angelorum multitudine ageremus.

De impenſo Dæmonibus cultu narrat alicubi Scriptura, Hebræos Chananæorum imitatione filios ſuos, non Deo, ſed Dæmonibus immolaſſe [11]. Et Pſalmiſta Pſalm. 95. 5. canit: *Omnes Dii gentium Dæmonia*. Oblata a Judæis Dæmonibus ſacrificia exprobrat Baruc. 4. 7. & in Levitico 17. 7. Moyſes cavet, ne Iſraelitæ immolent, ut olim ab ipſis præſtitum, victimas Dæmonibus velut Hebræus habet, *piloſis*, vel *hircis*. Sed animadvertiſſe juvat, Hebræam vocem, quam & Septuaginta, & Vulgata reddiderunt Dæmones, ad litteram exprimere tantum Idola, Deos flocci; nulloque argumento probatur, ſive Hebræos, ſive Chananæos umquam Dæmonibus cultum impendiſſe. Hirci ſive Piloſi, de quibus Moyſes, nonniſi Deos Mendeſiorum in Ægypto deſignant [12], quorum imitari cultum in deſerto tentarunt Hebræi, & re ipſa aureum vitulum conſecrare auſi ſunt.

Autumarunt Patres, nec immerito, Dæmones cultum ſibi in Idolis a Gentibus exegiſſe, Erant enim reapſe Dæmones, ſive qui Templa occupabant, ſive dabant oracula, ſive tandem ſuperſtitioſe illius Re-

1 Auguſt. l. 3. de Gen. ad lit. c. 10. Enchirid. c. 28. *In hujus aeris imam caliginem de ſuperna cœleſti habitatione dejecti*. Et in Pſalm. 149. 2 Epheſ. c. 12.
3 Theodoret. & Oecumen. in eundem locum. 4 Vide Rupert. in Geneſ. c. 17.
5 Euſeb. Præpar. l. 7. 6 Matth. 8. 19. 7 Luc. 8. 31.
8 Vide Petav. l. 3. de Evang. c. 4. art. 13. &c. 9 Origen. lib. 2. de Princip. cap. 11. Vide & Hieron. Ep. 59. ad Avit. & in Iſai. ad finem. 10 Comment. ad Eccli. cap. 19.
11 Deut. 32. 17. Pſalm. 105. 37. 12 Herod. l. 2. cap 46. Strab. Diodor. Ælian. alii.

Religionis Authores fautoreſque. Sed ſpectatum a Gentibus illis cultum infeſtiſſimi illius humani generis adverſarii, quem ſub Satanæ nomine agnoſcimus, quis credat? Conſtat plane, Gentiles nonniſi confuſam quamdam illius ideam habuiſſe, Deoſque illos infernes, quibus litabant ſacrificiis, quemadmodum & Deis Cœli mariſque, longe alios fuiſſe ab iis, quos Dæmones nos, illi malos Genios appellabant [1].

Vix tamen datur ambigendi locus, Perſas ſummis honoribus Dæmonem, quem ut malum principium agnoſcebant, non coluiſſe. Duos enim illi Deos, bonum nempe & malum, in natura ſtatuebant; illum *Horomaſum*, alterum *Arimanum* appellantes. Horomaſo ſacrificiis gratiarum actionis litabatur, avertendis, quæ ab illo imminebant, malis; ſacrificia pariter Arimano oblata; offerendi autem ritus erat ejuſmodi. Herbam Omanim tundebant in mortario, Deum interim Infernorum & tenebrarum invocantes, affundenteſque cruorem lupi, quem jugulaverant. Secundum hæc, totam illam confectionem deferebant in locum ſolaribus radiis impervium, quo projectam relinquebant.

Certum etiam conſtituunt, populos quoſdam Africanos hoſtiis & luminibus litaſſe Dæmoni, quo ſcilicet furorem ipſius, & malum, quod in homines minitatur, evitare darent. Eo uſque ignorantia, & ſuperſtitio devenit. S. Auguſtinus non ſemel repetit id, quod in Pſalm. 94. num. 6. diſertiſſime exprimit. *Omnes gentes ſub Dæmonibus erant; Dæmonibus Templa fabricata ſunt; Dæmonibus aræ conſtructæ; Dæmonibus Sacerdotes inſtituti; Dæmonibus oblata ſacrificia &c.* Docet alibi [2], Principum authoritate invectum inter homines Dæmonum cultum; & id conſtituiſſe Romanos ut boni Genii invitarentur, ſacrificiis vero litaretur malis. Quod ea plane religione ſanxerunt, qua olim erecta ab illis ſunt Templa febri, & pallori [3]. Non eſt igitur cur pervicaciter negemus, quin & eo ignorantiæ apud Paganos ventum fuerit, ut vel Dæmonibus divinos honores decernerent.

DISSERTATIO
IN TRES MARIAS.

Quam modo agitandam ſuſcipimus, quæſtio tres illas fœminas in Evangelio reſpicit, nimirum Mariam Magdalenam, Mariam ſororem Marthæ, & fœminam illam pœnitentem, quæ in ædibus Simonis Phariſæi CHRISTI pedes delinivit Luc. 7. 37. Diſcutiendum eſt autem, num tres iſtæ unam eamdemque, ſive tres reapſe fœminas inferant.

Atque in ipſo Diſſertationis hujus limine conſtituendum eſt, de quæſtionum illarum, quas interminatas Apoſtolus 1. Timoth. c. 4. appellat, numero habendam eſſe, de quibus poſt longam, prolixamque diſquiſitionem ſemper tamen veritas manebit in obſcuro. Profecto ſi rei veritas diſputatione attingi potuiſſet, jam tandem factum eſſet, ut in lucem ſolemque expoſita poſt tot ſapientiſſimorum hominum conatus pateret. Attingendæ hujus veritatis duæ plane eſſent viæ: prima Dei verbum, nempe ſacrorum Librorum Textus; ſecunda Eccleſiæ traditio, & Patrum conſenſus. Ambiguus eſt autem Evangelii Textus magis, quam ut certi aliquid ex illo definiatur. Eccleſiæ traditio variat; inter Patres enim non minus, ac inter noſtræ ætatis Criticos non convenit. Hanc ſententiarum varietatem, & diſcrepantiam videt Eccleſia, nihilque ex ea te timens incommodi, authoritate ſua refrænandam ingeniorum licentiam ſuarum eſſe partium non ducit. Integrum eſt igitur ut quicumque voluerit, iterum argumentum illud expoſtulante nemine, tractandum ſuſcipiat.

Sex autem de illo referuntur ſententiæ. Prior omnium tenet, Mariam Magdalenæ, Mariam ſororem Marthæ, & Pœnitentem illam fœminam, quæ JESU CHRISTI pedes in ædibus Simonis Leproſi Luc. 7. 37. unguento lavit, ac tandem quæ pretioſo unguento perfudit caput ejuſdem in Bethania, dum apud Lazarum diverſaretur Jo. 11. 2. & 12. 2. 3. unam eamdemque mulierem, varia erga JESUM munera præſtantem, haberi. Alii tres perſonas diſtinguunt; alii Mariam Magdalene cum ſorore Marthæ confundunt; alii fœminam peccatricem a Magdalene non diſtinguunt; ipſam denique alii reputant Mariam ſororem Marthæ cum fœmina illa crimini ſa. Addenda hiſce omnibus illorum opinio, qui inter tot varias ſententias veritatem in ambiguo poſitam ſatis aperte non diſtinguentes, hærent ſuſpenſi; inter quos recenſeri merito poſſunt S. Hieronymus [4], S. Ambroſius [5], S. Auguſtinus tractat. 49. in Joan. num. 3.

Singularum opinionum aſſertores eadem Scripturæ teſtimonia in ſuas quique partes trahunt; ex quibus oppoſitas plane conſecutiones deducunt. Laudat pariter pro ſe quiſque Patres, ſententiæ ſuæ faventes. Qui unam conſtituunt, aſſertores dant potiſſimum Sanctum Clementem Alexandrinum [6], Ammonium Harm. in 4. Evang. Sanctum Gregorium Magnum [7], Chrodobertum Epiſcopum Turonenſem ſeptimo ſæculo [8], Bedam ejuſdem ſæculi Scriptorem in Luc. 3. cap. 1. Druthmarum Monachum Corbejenſem in Matthæum noni ſæculi Scriptorem, S Odonem Abbatem Cluniacenſem ſerm. 2. de Maria Magd. Pſeudo-Anſelmum in Matthæum 26. Petrum Bleſenſem [9], S. Antoninum ſerm. in Fer. 6. Hebdomadis Paſſionis, Dionyſium Chartuſianum, Hugonem Cardinalem, ac tandem Latinos fere omnes poſt S. Gregorium Magnum.

Qui plures defendunt, aſſertores habent Authorem Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 3. cap. 6. diſtinguentem inter Mariam Magdalene, & Mariam ſororem Marthæ; quod idem præſtitum a Theophylo Antiocheno Comment. alleg. in 4. Evang. S. Irenæo l. 3. c. 14. S. Chryſoſtomo [10], S. Macario Hom. 12. Tito Boſtrenſi in Luc. 7. Theophylacto in Marc. 14. & in Luc. 7. Euthymio in Evangelia, Modeſto Patriarcha Jeroſolymita-

1 Plutarch. de Iſide, & Oſiride. Stanley tom. 2. p. 14. cap. 6.

2 De Civit. lib. 5. cap. 32.

3 Auguſtin. de Conſenſ. Evangel. lib. 1. cap. 18. *Qui & Agathons Dæmonas invitandos, & cacons Dæmonas placandos monent.*

4 Hieronym. in Matth. 26. & lib. 2. contra Iovin. cap. 16. Præfat. in Oſee, & Ep. 150.

5 Ambroſ. lib. de Virgin. Confer cum lib. 6. in Sanctum Lucam.

6 Clemens Alexandr. lib. 2. Pedag. cap. 8. Vide D. Trever. Diſſert. de Mariæ Magdal. lib. 2. art. 2. p. 214.

7 Gregor. Magn. homil. 25. in Evangel. & homil. 33. in 1 Reg. 9.

8 Chrodobert. apud Queſnel. in Not. ad Epiſt. S. Leonis.

9 Petrus Bleſenſ. lib. 3. Epiſt. 60. & Serm. de S. Maria Magdal.

10 Chryſoſtom. homil. 81. in Matth. 26. et homil. 61. in Iohann. Vide Origen. homil. 35. in Matth. et homil. 1. et 2. Cantic.

mitano apud Phot. Cod. 275. ec tandem a Græis Patribus fare omnibus. Ita ſaxto Ecclaſiæ ſæculo inſignis hæc controverſia Oriaotem, Occidentemqoe inter ſe committebat. Albertus Magnus, & S. Thomas neutram partam ſecuti, agnoſcunt, Occidantem univerſum S. Gregorii Magni partes ſectari. Eſt quidem enimadverſiooc dignum, Officium Miſſæ, & Breviarium Romani ritus in unam eamdemque fęminam Mariam Magdalaoc, fœminam eriminoſam, & Mariam ſororem Marthæ non sperte quidem, ſed obſcute, quantum capimus, conſtare.

In eo rerum ſtato Jacobus Faber Stapulenſia decimoſexto ſæculo inſurgens, demonſtrandum ſuſcepit, trie illa nomina tres deſignare diſtinctas fœminas, nihilquo populari illi opinioni tres in noam colligenti defcendum fuiſſa. Subſidiariam Fabro oparam præſtitit Jodocus Clictovaus [1]; tantaqua ejus diputationis novitate commotio facta eſt, ut tandem Facultas Tbaologica Pariſienſis Fabri theſim cenſura inuſſarit die 9. Novembris 1521. Adverſus Fabrum contrariam opinionem ſcripto libro defendit Johannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis en. 1519. cui etiam ſuffragatus eſt alio ſcripto Balthaſar Sorius, ejuſque Opus prodiit Cæſarauguſtæ a. 1521. Idam præſtitum a Laurentio Surio, Jacobo Epiſcopo Viennenſi, Marco Grandivallo, Baronio, Janſenio Gandavanſi, & Maldonato.

Nequaquam taman hic factum aſt, quin Eruditorum alii Fabri cauſam defandandam ſuſciperant. D. Lonvet e. 1636. Librum aa de re vulgavit, munitum approbatione D. Chatalain Syndici Facultatis Theologicæ Pariſianſis; demonſtrat aotam politicam hujus cenſuræ Sorbonicæ rationam, eſſaritque futnrum, ſiquidem iterum ſub Judica ceoſe poneretur, ut æquior pro Pehro proditet ſententia. Caſeubonus io Barun. Exercit. 14. Eſtius orat. 14. quæ eſt de Mar. Magd. Launoyus de Commeutitio Lazari & Magd. io Provinciam appulſu, Bulengerus Jeſuita Diarrib. 3. p. 15. & ejuſdem Sociatatis Turrianus in Conſanſ. l. 3. c. 6. Zegerus Franciſcanus aalebratiſſimus Intarpres in Joan. 12. Salmeron t. 9. tract. 49. eliique etiam Recentioras pro diſtinctione earumdam fœminarum adverſus alios unicam defendentes decertarunt.

R. P. Alexaoder Dominicanus in Hiſt. Eccl. ſæc. 1. diſſert. 17. P. Lamy Harm. in Evang. & Epiſt. Gallic. & Mauduit Oratorii Presbyter in Analy. Evan. to. e. Pariſiis a. 1695. Gallica, P. Pezron ſtrictioris obſervantiæ Ciſtarcianſis hiſt Evan. to. a p. 337. Pariſiis a. 1696. Gallice, unius muliaris partas tuantur. Sed D. Mauconduit editus a. 1685. Anquicrin Parochus Lagionenſia Diſſer. de Maria Magd. Pariſiis a. 1699. D. Tillemont Hiſt. Ecalaſ. t. 2. p. 30. & 512. Baillat Vitæ SS. Menſis Julii aa. Fabat Doctor Sorbonicus in ſuis animadvarſionibus ad P. Alaxandrum ſuppreſſis, pro pluribus decertant. P. Lamy poſt lectam a ſe Diſſertationem D. Anquat in contrariam ſantentiem duplici Epiſtola impraſſa 1699. ſuſtulit. Prodiit eodem tempore Libelloa Gallicus quidam enonymus inſcriptus: *Reflexions contra la Diſſertation ſur ſainte Magdaleine*; cui Ecclaſiaſticut quidam Diœceſis Ruthomagaoſis, facile idam D. Anquetiu, tres Epiſtolas publici juris factas oppoluit. Omnium poſtremus inſurgans D. Travar Parochus de Gomecourt vulgavit a. 1713. prolixam Diſſartationem ſuam, que Mariam Magdalena, Mariem ſororem Lazari, & fœminam criminoſam, unam ſingnlarem fęminam adverſus recantiores quoſdam Authores defandit. Ram ſibi proponit maxime contra D. Anquerin, Tillemonaium, & Baillet, Is eſt celeberrimæ hujus controverſiæ ſtatus.

Quam ſuſcapimus provinciam, eogit nos ot mentem hac da re noſtram prumamus; nihilque proprerce facturus nos propius arbitrantur, quam utriuſque ſcoA tentiæ rationes io mediom proferre; ut Lactorea noſtros, & nos atiam ad judicium aa de re ſuum noſtrumque pronunciandum, & quas maluerimus partes ſectandas comparemus.

ARTICULUS I.

Rationes pro unica Maria.

I. QUæ ſingularem efferit fœmioam ſententia, fere uoice obtinuit in Ecclefia Occidenrali jam inde e ſæculo ſeptimo, nempe poſt S. Gragorii Magni ætatem. Afferte autem mille ennorum ſpatio & omnium ſcriptorum Catholicorum authoritara firmata B poſſeſſio, adeo ratum efficit certumque jus, ut nonniſi ſolidis, apertiſque damouſtrationihus rajiceretur. Opinio ſane, quæ tot ſæcolorum ſpatio in Eccleſiaſticis Officiis valoit, in publicis ad populum concionibus conſtitute, quæque traditionis intar infidalas recaptæ portionem aliquam efficit, tamqnam ſancta & inviolabilis tenenda eſt, niſi adeo aparte textuum & rarionum documaura adverſus illam proferantur, ut aontra ſtare non poſſit. In ao autem rerum articulo conſtituti ſumus, ut ipſis farantibus adverſariis, quæ contra ipſam proferuotor documanta & Textus Scripturæ longiſſime abſint eb evidentia. Cujus ſi nihil aliud, certum apertiſſimumqoe argumentum aſt ea, quæ inter Critiaot de hoc argumaoro hodia uſque tagnat, ſantentiarum & opinionum diſſanſio. Contra aſſerta igitur Latinæ Eccleſiæ poſſeſſio- C nam, & ubfirmatam tot ſæculorum perſuaſionem, non eſt cur admittatur opinio, quæ tres fœminas adverſua unicam & ſingularam defendit.

II. Diſarte norant Evangeliſtæ, Mariam Magdaleoe emiſſe ſibi aromata, curando poſt ejus funos Magiſtro [2] a norat inſupar [3], Jaſum ſax ente Paſcha diebus, dum verba cum Maria ſorore Marthæ, & Lazari faceret, dixiſſe futurum, ut ab illa poſt obitum ſuum aromatibus condiaretnr; cujus dainda rai fama longe lateque per orbem prędicationibus diffunderetur. Una igitur eademque mulier habenda eſt Maria Magdalane, & Maria ſoror Lazari; in Magdalane atanim impleta ſunt ee, quæ de ſorore Lezari oraculum Jeſu Chriſti prædixarat.

Convenit inter Scriprores, de hoc argumanti genere D diſſerantas, Mariam Magdalene euraodi ſibi Jeſu Chriſti cadavar aromatibus negocium aſſumpſiſſa; ſicut & Mariam ſororam Marthæ, & Lazari pretioſo nardi ſpieati unguento recombentis Chriſti pedes parfudiſſa. De ſolo igitur ſanſu verborum Evangelii negocium ſupereſt. Habent anim, Jeſum Chriſtum obtrectantium io illam Mariæ profuſionam ora verbis illis obſtruxiſſa [4]; *Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud*; ſive uti Matth. 26. 12. *Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit*; & Marc. 14. 8. *Quod habuit hæc fecit; prævenit ungere corpus meum in ſepulturam.*

Quibus poſitis Scripturæ teſtimoniis, ita argumantum formatur: Jaſus Chriſtus de Maria, quæ ſibi pedes Bethaniæ in ædibus Simonis Leproſi parfudit, præveniri ab E illa ait ſupramum erga ſuum cadavar officium. Namine eutem ambigeote conſtat, muliarem illam, quæ condiendi cadavaris Jaſu Chriſti aromatibus curam ſuſcapit, Mariem Magdalana fuiſſe; una igitur aadamqua reputande, aa Maria Marthæ ſoror. Eadem ipſa muliar ungoento Magiſtrum perfundans, pium illud prævaerit officium, quod dainda poſt ejus obitum reapſe perficere egreſſa fuit. Prævaniſſe autem ungendum corpus ſuum in ſepulturam air Chriſtus, quod ſcilicet probe noſceret, volanti maxime mulieri condire corpus eromatibus occaſionem defuturam; cum e mortuis jam ſurrexiſſet.

Plau-

---

[1] Jodoc. Clictov. Epiſt. dedicatoria ad Fraucifc. Molin. præfixa Tractatui Iacobi Fabri Stapul. Idem Clictov. diſcept. 1. & 2. adverſ. Marcum Grandivallum Pariſ. ann. 1519.

[2] Marc. 16. 1. 2. [3] Matt. 26. 2. Marc. 14. 3. Ioan. 12. 8.

[4] Ioan. 12. 3.

Plauſibiliora hæc ſunt argumenta, quibus Mariæ ſingularitas defenditur.

Sed hiſce rationibus reſpondendum eſt, 1. Quæ a Maria ſorore Marthæ ſex ante obitum Jeſu Chriſti diebus præſtita ſunt, nihil habere neceſſariæ affinitatis cum pio Mariæ Magdalenæ erga cadaver J. C. officio. Illa caput perfudit recumbentis; hæc mortuum corpus curatura venerat: duo hæc a duabus pariter mulieribus præſtari commode poterant. 2. Tamquam certum, quod tamen nullis demonſtratur argumentis, conſtituitur, Jeſum Chriſtum pium ſibi officium præſtituram eſſe poſt obitum, vel ſaltem ſibi præſtare curaturam Mariam ſororem Marthæ, prædixiſſe. Poſſunt enim verba illa Evangelii ad alios plane ſenſus non incongrue detorqueri; *Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud* Jo. 12. 7. Utique ſervare non poterat unguentum illud, quod ſuper caput recumbentis jam effuderat. In hanc igitur ſententiam locutus eſt Chriſtus, quam explicat S. Matth. 26. 12. *Mittens hoc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit*; ideſt tantumdem præſtitit, juxta S. Marcum 14. 8. ac ſi prævenirer ungere corpus in ſepulturam. Præluſit nempe actione ſua, atque pio illo officio pio alteri ab altera muliere poſt obitum præſtando.

3. Non inde ſane recta conſecutione deduci poteſt, Mariam ſororem Marthæ curandi J. C. cadaver aromatibus negocium ſuſcepiſſe; non inde, inquam, deduci, poteſt, quod ſcilicet Jeſus Chriſtus de fœmina illa loſurus dixerit, præveniſſe nimirum illam unguento ſuo ungendum corpus in ſepulturam. Quod enim præverterat officium, quomodo poſt mortem præſtandum erat? Si vero Chriſtus illud innuit tantummodo, nimirum fruſtra mulierem pium idem officium proſecuturam poſt obitum ſuum, a quo proinde abſtinere debuiſſet: ſi, inquam, hæc innuebat Chriſtus, ſupervacaneam operam mulierem illam navaturam ſignificaſſet.

III. S. Joannes 11. 2. infirmam Lazari valetudinem narrans, addit Mariam ejus ſororem non aliam fuiſſe ab ea muliere, quæ recumbentis J. C. pedes unguento perfudit. Porro nunquam antehac Evangeliſta unctionem ullam a Maria factam ſignificaverat: ceteri vero Evangeliſtæ nullius alterius antea fecerant mentionem, quam quæ diu ante e fœmina criminoſa in domo Simonis Phariſæi facta narratur [1]. Pronum eſt igitus ut credamus, hanc ipſam fœminæ criminoſæ actionem, cujus per omnes Eccleſias fama celebrabatur, S. Joannem deſignaſſe. Quare Maria ſoror Marthæ cum fœmina criminoſa jure, meritoque confundenda eſt.

Reponunt hiſce adverſæ ſententiæ aſſertores [2], fieri utique potuiſſe, ut S. Joannes anticipatione quadam eam retulerit circumſtantiam, quo ſcilicet Mariam agnoſcendam Lectoribus proponeret, ejus rei geſtæ memoria, quæ per omnes Eccleſias & longe lateque celebraretur, cujus pariter in univerſo mundo laudes prædicatione innotuerant, juxta J. C. oraculum Matt. 26. 13 Jam enim ejus rei illuſtris erat memoria apud Fideles, quo tempore S. Joannes ad ſcribendum Evangelium ſe contulit. Eo conſilio Evangeliſtæ de vocatione Judæ ad Apoſtolatum verba facientes, notant, virum illum proditione ſua Magiſtrum neci tradidiſſe, quanquam nihil adhuc de proditione illa retuliſſent.

IV. Ceteri Evangeliſtarum textus refragari, potius quam favere ſingularitati hujus fœminæ videntur; quare ab illis laudandis adverſæ ſententiæ aſſertores abſtinent. Satis habent tantummodo demonſtraſſe, loca illa opinioni ſuæ non adverſari, vel commode adeo in propoſito ab ipſis ſyſtemate caponi, ut objectiones adverſæ omnes facile diluantur. Quod ut ſibi facilius obveniat, tum ex de omnibus proficiant hiſtoriæ circumſtantiis, novas excogitarunt hypotheſes, pro digerenda rerum, quæ in Evangelio narrantur, ſerie, noviſque interpretationibus textus, quibus maxime urgentur, prorſus eludendi.

E. g. P. Lamy, & P. Mauduit autumant, cœnam illam apud S. Lucam 7. 37. cujus occaſione mulier criminoſa rigatos lacrymis ſuis pedes Jeſu Chriſti crine capitis deterſit; cœnam, inquam, illam Bethaniæ inſtitutam fuiſſe, quo in loco factam conſtituunt alteram apud S. Matth. 26. 2. &c. S. Marcum 14. 1. &c. S. Joannem 12. 2. &c. cum ſcilicet Maria ſoror Lazari pretioſi unguenti vaſculo caput Magiſtri perfudit. Certum ponit P. Lamy, eam, quæ cum domo Marthæ & Mariæ ac Jeſu Chriſto interceſſit, animi conjunctionem, ut quoties Jeroſolymam iret, apud illas diverteret, jam inde ab exordio prædicationis Jeſu Chriſti cœpiſſe. Conſtituit pariter, cœnam illam, cujus occaſione Martha de Maria ſorore conqueſta eſt Luc. 10. &. paulo poſt Baptiſmum Jeſu Chriſti factam: præceſſiſſe autem alteram cœnam, qua Maria anteactę vitæ jam pœnitens, & ad meliorem frugem converſa, quamquam nondum externæ vitæ habitum penitus immutaſſet, ad Simonis Phariſæi ædes divertit, ibique pœnitudinis ſuæ & pietatis apertiſſima protulit documenta. Sed in hoc Authoris ſyſtemate totus tranſponendus eſt ordo S. Lucæ, cujus caput decimum ante caput ſeptimum transferretur, nequid dicerimus, quod cœna illa apud Simonem Phariſæum non Bethaniæ, ſed Naim inſtituta eſt, quemadmodum in inferioribus demonſtravimus.

P. Pezron hiſtor. Evang. tom. 2. altera ſingularis Mariæ aſſertor, in ipſo operis veſtibulo profitetur, rerum, quæ de Magdalena in Evangelio narrantur, hiſtoriam, ſi ſparſim, uti ſcriptis mandata eſt, legantur, non niſi confuſam ejus ideam ſuffecturam, ſi vero junctim tamquam in ordinatæ hiſtoriæ ſeriem digeſta exhibeatur, tunc prona erunt omnia & aperta. Quam invidioſam, rogo, adverſus ſuum ſyſtema confeſſionem? Quæ in Evangelio res geſtæ leguntur, nullam habent ad perſuadendum vim, niſi e ſuo revulſæ loco in arbitrariam digeſtę ſeriem reducantur: quid tunc alienum erit ab Evangelio, ſi ea tandem interpretandi ratio adhibeatur?

Fatetur ille, Mariam Magdalene e Galilęa repetendam, cujus deducit nomen ex vico quodam, *Magdalo* appellato: addit, Lazarum fratrem & Martham ſororem, ut ipſe quidem credit, hujus Magdalenæ, ad eamdem provinciam pertinere. Maria liberioris vitę licentiam ſecuta eſt; non tamen adeo, ut rupto pudoris fræno impudicitiæ ſe daret. Deus revocandę ad meliorem frugem mulieri, in poteſtatem ſeptem Dęmonum, quibus ad tempus infeſtaretur, illam permiſit. Inter hęc Jeſu Chriſti in Naim adventus, & fama reſtituti ad vitam adoleſcentuli longe lateque pervulgata, eandem mulierem ad ipſum in ędibus Simonis Phariſęi, domui ejuſdem mulieris familiaris, accivit. Nec mora; a gemino infami hoſte, crimine nempe & Dęmone liberam ſe experta eſt. Contigiſſe autem dicit hęc omnia circa menſem Januarii, vel Februarii, anni ab inita a Jeſu Chriſto prędicatione ſecundi.

Proxime ſequenti Aprili vel Majo, itinerum Jeſu Chriſti comes acceſſit. Aliquanto poſt Jeſus Chriſtus vicum adiit, cui forte Lazarus & Martha imperabant; ibi vero Martha de ſorore ſua Maria conqueſta eſt; de Maria, inquam, quę Magiſtri ſequelę penitus addicta, domeſtica illa muſtia parum curabat. Tunc Jeſus conſilium ſuum, deſerendi nempe Galilęam, prodens, fœminis in cauſa fuit, ut in Bethaniam, vicum non longe a Jeruſalem, tranſmigrarent. Cum igitur Lazarus & Martha e Galilęa receſſiſſent, idem pręſtandi authores fuerunt Simoni Leproſo, quem confundendum arbitratur cum Simonę Phariſęo urbis Naim incola. Omnes igitur ſedem tranſtulerunt in Bethaniam, eoſque ſępe conveniebat Jeſus, qui locum Lazari reſurrectione inclytum fecit. Nec alibi etiam, licet aliquandiu poſt, Maria ſoror Lazari caput Jeſu Chriſti recumbentis perfudit unguento, ſicut & idem pium officium erga defunctum ejuſdem Magiſtri corpus repetendum ſuſcepit. En plane ſyſtema feliciſſime conceptum, & perpetua rerum ſerie conſtans: at tamen verum? Ne ipſum quidem de ejus veritate ſatis perſuaderi Authorem crediderim; quippe qui non tanquam

1 Luc. 7. 37. 2 Author. quæſt. inter Opera Auguſt. l. 3. 94. p. 85. Eſti. Orat. 14. Tillemont. alii.

quam certum, ſed tamquam probabile illud ſe credidiſſe ſignificet.

Defendit P. Mauduit Analyſ. Evang. t. 11. p. 480. Mariam Magdalenæ, alio nomine Mariam ſororem Marthæ, in Bethania, vico non longe a Jeruſalem, originem duxiſſe, quam poſteriorem Urbem in ſpectaculum effrænis licentiæ ſuæ totam converterit. Cum vero, ait, ad meliorem frugem ſe recepiſſet, in Galilæam ſe contulit, ubi facile ditiſſimæ domus latifundia poſſidebat; ſiquidem ad eam pertinuiſſe oppidum *Magdalum* ſtatuatur. Hic Jeſu Chriſto comes accedens, Judæam una cum illo repetiit; verſantibuſque ſimul in Bethania, mulier ſemel & iterum unguento Jeſum perfudit; in domo nempe Simonis Leproſi vel Phariſæi; utrumque enim Simonem confundendum cenſeit. Primum hoc in Jeſum officium ad eam tandem reſtitutæ mulieris in meliorem frugem revocet; ſecundum ante ſex dies ab obitu Salvatoris conſignat. Hæc ille pro conciliandis Evangelii textibus, quibus geminæ mulieris, eodem Mariæ nomine notæ, characteres exhibentur.

P. Alexander ſuo ordine inſurgens in Hiſtor. N. T. t. 3. Diſſert. 17. p. 191. &c. autumat fieri potuiſſe, ut una eademque fœmina variis temporibus Naim & Bethaniæ ſedem haberet. Primo igitur ædem habere potuit in Naim, ſive quod in ea Urbe elocata eſſet, ſive quod viro alicui potenti adhæreret. Ibi effrænis licentiæ exhibuit argumenta. Potuit una pariter ædem ſuam habere paratam Bethaniæ, quo poſt ejuratum crimen veniens, una cum Lazaro & Martha commoraretur. Addit, criminoſam mulierem illam in Evangelio appellari, non quod crimen publice profiteretur; ſed ideo facile, quod procæ uteretur viro aliquo locupleti & potenti, cujus rei gratia invidiam apud univerſos cives ſubiret; vel forte ideo criminoſa appellaretur, quod muliebri cultu plus nimio laſciviret.

Quæ in Evangelio de poſſeſſa a Dæmone muliere narrantur, exponi ſive in ſenſu metaphorico, quo nempe Dæmonis nomine crimen deſignetur; ſive forte, ait, reapſe a Dæmone agebatur, non ſemper, ſed per temporum intervalla; quibus proinde tantum ſpatii daretur, quantum pro ſalute ſua ſerio cogitanda, atque de parando ſibi remedia tandem ſufficeret. Defendit tandem, duas illas unguenti perfuſiones, nempe in æde Simonis Phariſæi & Leproſi in domo unius ejuſdemque viri, ſed variis temporum & locorum diſcriminibus factas reputari. Tandem, ait, unam ſingularem mulierem pro variis rerum circumſtantiis nunc Criminoſam, nunc Mariam Lazari, nunc Mariam ſororem Marthæ & Lazari, modo denique Mariam tantummodo appellari potuiſſe.

Appoſite iſta quidem, ſi prius evidenti aliquo argumento demonſtraſſent, tria illa nomina Mariæ Magdalenæ, Mariæ ſororis Marthæ, & fœminæ criminoſæ a Dæmone liberatæ, ad unam eamdemque fœminam pertinere. Semel enim optimis argumentis veritate hiſtoriæ alicujus conſtitutæ, facile reſolvendis, quæ in contrarium ingeruntur, objectionibus, interpretationes omnes admittimus. Vel ipſis tunc hypotheſibus minus plauſibilibus faveret, quando enim veritate deſtituerentur, res tamen ipſa aliunde conſtaret. Nunc autem ſubducitur ædificio fundamentum. Demonſtranda quippe prius fuiſſet ſingularitas mulieris, adverſus tria illa fœminarum nomina; ac deinde detorquenda eſſent ingenia ad ſyſtemata fabricanda, quibus oppoſita omnia pronius & facilius refutarentur.

ARTICULUS II.

Mariam Magdalenæ & feminam criminoſam unam ſingularem feminam eſſe, a Maria ſorore Marthæ diſtinctam.

NOſtra hac opinio medium quoddam obtinet inter duas illas; quarum altera unam ſingularem fœminam, altera tres diſtinctas defendit. Hiſce autem argumentis probatur Mariam Magdalenam ipſam eſſe eamdemque fœminam criminoſam, quæ ad bonam frugem rediens, Jeſu Chriſti pedes in ædibus Simonis Phariſæi perfudit unguento. Utramque enim fœminam deſignantes characteres poſſunt commode uni eidemque convenire. Confunduntur pariter apud Patres ſane multos [f], quorum præpoſtero plane teſtimonio utuntur ſingularitatis aſſertores. Aliud porro eſt ſtatuiſſe, Mariam Magdalenæ cum altera confundi muliere criminoſa, quæ pedes Jeſu Chriſti in urbe Naim perfudit unguento; aliud de tribus illis, Magdalenæ nempe, fœmina criminoſa, & Mariæ Sorore Lazari unam eandemque fœminam conſtituiſſe. Lucas c. 7. 37. poſt narratam hiſtoriam fœminæ criminoſæ, quæ ad ſaniora conſilia regrediens Jeſum Chriſtum in domum Simonis Phariſæi convenit, ſimulque deſcripta verba ſolatii, & ſpei pleniſſima, quibus Jeſus mœſtam relevavit, nimirum: *Vade in pace*, addit tandem c. 8. v. 2. &c. Jeſum, per Urbes, & vicos Galilææ decurriſſe, itineris comitibus ſequentibus duodecim Apoſtolis, quibus acceſſerunt: *Mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a Spiritibus malignis, & Infirmitatibus: Et inter cæteras Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem Dæmonia exierant; & Joanna uxor Chuſæ, & Suſanna, & aliæ plures.*

D. Toynardus Harm. p. 22. art. 89. ad Marc. t. 3. & pag. 36. perſuaſum habet, convaluiſſe fœminas illas a Dæmone ante ſex menſes, ſimulque veroſimillimum reputat, eamdem hic fœminam inſinuari, quæ prius ante pedes Domini in ædibus Simonis Phariſæi provoluta deſcribitur; hic vero ante religioſas fœminas itinerum Jeſu Chriſti comites omnium prima conſtituitur.

Singularis fœminæ patroni miſere torquentur, cum de titulo mulieris criminoſæ Mariæ ſorori Lazari tribuendo res eſt. Porro eo nomine juxta Patrum & Interpretum receptam ſententiam, deſignatur fœmina proſtituta, quæque pudicitiæ omnes frænos abruperit. Alienum eſt autem ab ea mulieris indole, quidquid de rebus a Maria ſorore Marthæ geſtis memoriæ proditum legitur. Debuit plane religioni duci, quod ea invidia mulier Jeſu Chriſti amore flagrans in primis oneraretur, niſi forte ea promantur documenta, quæ rei veritatem extra controverſiam poſuerint.

Incommodum illud ſentiens P. Lamy, invidiam nominis *criminoſæ* minuendam ſuſcepit. Nititur enim demonſtrare, nomine illo deſignari fœminam, quæ exacto legis obſequio defuerit. Quouſque vero legi non parebat Maria? Id ſibi deprehendiſſe credit Author ille in nomine Magdalene, quod eidem fœminæ adjiciendum conſtituit. Magdalene enim, vel Hebraice *Meggadela* reddi poteſt fœmina cincinnata. Tota igitur nominis criminoſæ invidia eo tendebat, quod ſcilicet Maria ſoror Marthæ calamiſtrandis comis plus nimio laſciviendi gratia ſtuderet; hinc titulus criminoſæ fœminæ datus. Addit ex Rabbinorum doctrina vetitum eſſe die Sabbati comas calamiſtrare. Porro de ſoliditate hujus argumenti ad judicium ipſum ſuum Authorem provoco. Animadvertiſſe tamen juvat, ejuſdem Authoris confeſſione numquam fieri potuiſſe, ut Maria Magdalena eadem cum ſorore Lazari ſtatueretur, ſiquidem peccatricis fœminæ nomen proſtitutam mulierem deſignaret [g], erat enim crimen ſeveriſſimis legibus apud Iſraelitas interdictum Deut 23. 17. quin & capitale habitum fuiſſe Philo Judæus de Joſeph p. 533. teſtatur.

P. Alexander ſuſpicatur, fœminam illam, de qua in Evangelio, non palam quidem criminibus impudicitiæ ſuæ quæſtum feciſſe; ſed habuiſſe potius procum virum aliquem potentem, quocum etiam liberius conſueſceret. Si vero, ait, venale crimen ſuum habuiſſet, non inde tamen recte conſecutione inferretur, alienam fuiſſe mulierem a genere Iſraelitarum; quamquam enim ſevera Legis diſtrictione proſtitutionis crimen interdiceretur, nulla tamen certa decreta erat in tranſgreſſores pœna; nec niſi parum ea in re Domini juſſionibus delatum fuiſſe ſatis, & pluſquam ſatis intelligimus. Probe id noſcens futurum Legiſlator

f Beda Alcuin. Petr. Damian. Petr. Cell. Bernard. alii plures; quos vide ad finem hujus Diſſertationis.

g Vide P. Lamy Harm. l. 4. c. 36. Diſſ. Gallice p. 98.

tor cavit, ne proſtitutæ merces in Templum inſerratur Deut. 23. 18. mandaris inſuper uneram Sacerdotes, *ne ſcortum & ullo poſtribalum ducerent uxorem* Levit. 21. Duæ tandem fęminæ proſtitutæ coram Salomonis tribunal, alia contra aliam cauſam agebant 1. Reg. 3. 16.

Sed irritæ conjecturæ quo invidioſa illa nominis *criminoſæ* idea leniatur; numquam enim fiet, quin ea turpitudinis nota Mariam ſororem Marthæ inurare mana refugiat, ſive nimirum publica aliqua ſcortatio, voce illa deſignetur, ſive impudica quadam viro alicui potenti adhæſio. Repugnant enim iſta cum iis, quæ de Maria ſorore Marthæ in Evangelio referuntur. Quare duas inter ſe plane diſtinctas mulieres concipere oportet, cum in Scriptura nomen fœminæ criminoſæ & Mariæ ſororis Marthæ legimus. Alia notabimus in proxime ſubſequenti articulo, quibus inter duas baſce fœminas diſcrimen magis magiſque patebit; ibique pariter diluentur objectiones, quibus ſententia hæc noſtra impetitur. Apud Græcos peculiari Feſto colitur die 22. Martii ſancta illa mulier ad meliorem frugem converſa, tamquam diſtincta a Maria Magdalene, & Maria ſorore Marthæ.

Nec diſſimulanda impręſentia hujus ſententię incommoda, quæ lanienda utcumque ſuſcipiemus. Fœminæ illius criminoſæ ſemel tantum meminit Evangelium. Cum Jeſus Chriſtus defunctum filium Viduæ Naim ad vitam revocaſſet, in ædes Simonis Phariſæi ad cœnam invitatus venit Luc. 7. 11. 12. 13. 36. 37. &c. Accumbentibus illis domum ingreſſa eſt fœmina criminoſæ elogio in Urbe tota notiſſima, quæ ad pedes Jeſu Chriſti accidens, precioſo unguenti vaſculo pedes ipſos Magiſtri perfudit, eum lacrymis irrigatos coma capitis ſui detergebat. Siniſtri aliquid de Jeſu ſuſpicatus Phariſæus, reputans intra ſe, Chriſtum inanem prophetię ſpiritum venditaſſe; quippe qui, cujus fœminæ tactum ſuſtineret, ignoraſſet. Quæ animo verſabatur Phariſæus, probe intelligens Jeſus, parabolam duarum fœneratorum, quorum ille majori, alius minori ære alieno gravabatur, propoſuit. Utrique debitum remiſit fœnerans, quare interrogavit Jeſus Phariſæum, uter inſignis beneficii largitorem ſuum amaret magis? Reſpondenti Phariſæo illum facile, cui majus debitum remiſſum eſt; intulit inde Jeſus, ſe ab ea fœmina amari magis, quod pluribus criminibus rea, majus ab ipſo abſolutionis beneficium recepiſſet. Tunc mulierem in illa verba dimiſit[1] *Vade in pace*. Poſt hæc omnia, paucis verſibus infra continuat S. Lucas, Mariam Magdalenam aliaſque nonnullas fœminas Jeſu Chriſto prędicationis gratia per regionem diſcurrenti adhæſiſſe.

Ad probandam diſtinctionem Magdalenæ a fœmina criminoſa adducitur primo, Mariam Magdalene e malo ſeptem Dœmonum hoſpitio ante reſipiſcentiam ſuam liberatam fuiſſe. Alia erat igitur fœmina a muliere illa criminoſa ſceleribus ſuis tota Urbe notiſſima; vix enim in unam eamdemque perſonam convenire poſſunt duo illa, ut publicam exerceat ſcortationem, ſimulque a Dœmone agatur. 2. Maria Magdalene e *Magdalum*, unde nomen trahebat, originem retuliſſe creditur, quemadmodum in ſuperioribus demonſtratum eſt; criminoſa vero illa Urbem Naim licentiæ ſuæ theatrum nacta erat; aſt igitur altera ab altera muliere diſtinguenda. 3. Magdalene duobus ſaltem poſtremis Jeſu Chriſti annis itinerum illius comes acceſſit; eum interim criminoſam illam fœminam, nec ad meliora etiam conſilia reductam, potuiſſet ſine aliqua probri infamia ſibi Jeſus Chriſtus adſciſcere. 4. Tandem numquam fœmina illa Mariæ Magdalene nomine deſignata eſt; nec viciſſim Mariæ Magdalenæ criminoſæ titulus umquam tribuitur. Ex quo conjectura non levis ducitur, alteram eſſe ab altera ſedulo diſtinguendam.

Hiſce omnibus reponi poteſt. 1. Si ea quæ de Maria Magdalena a Dœmone vexata narrantur ad ſenſum allegoricum cum Patribus quibuſdam detorquenda eſſent, fieri utique poterat, ut una eademque fœmina & a Dœmone ageretur, & ſcortationem exerceret. Si vero a Dœmone reapſe poſſeſſam conſtitueremus, reputandum eſt, agi illam per intervalla a Dœmone, et proinda commodum nanciſceretur ſpatium licentiæ ſimul in publicis Urbis locis exercendæ. Facile etiam a Dœmone illa impudicitiæ agebatur, cujus ſæpe in Sacris Libris mentio[1]. Ita de Saule memoriæ proditum legimus, agitari illum a Dœmone conſueviſſe, ut nihil tamen impediretur, quin in expeditionem prodiret, & reliqua exerceret vitæ munia, quæ ab hominibus cæteris præſtantur. Idem facile & in Maria contigit.

2. Maria Magdalene potuit originem ſuam, & nomen e *Magdalum* retuliſſe, ſcortationem autem exercuiſſe in Urbe Naim, cum maxime duo hæc loca minime diſtarent. Sive autem Naim haberet libidinum ſuarum theatrum, ſive Magdalum, ſive Tiberiadem, ſive alium quemcumque locum, ſatis habemus, ſi mulieris criminoſæ cognomine in urbe Naim innoteſceret, quod ab Evangeliſta adnotatum eſt.

3. S. Lucas non prius refert Mariam Magdalenam Jeſu Chriſto comitem adhæſiſſe, quam poſt narratam de ejuratæ ab ipſa crimine hiſtoriam. Nihil autem prohibet, quin fœmina criminoſa, poſt factam criminis renunciationem, Magiſtro adhæſerit, et una eademque cum Magdalena haberetur. Potuit etiam ad meliorem & valetudinis, & innocentiæ ſtatum rediiſſe ante aliquod tempus, quam ædes Simonis Phariſæi adiret. Arbitratur quidem Phariſæus, fœminam illam in crimine manſiſſe; ſed numquid proinde manſiſſe reapſe ſemper, recta inde conſecutione inferretur? Ejus pœnitudinis fama non antea facile evulgata eſt, quam cum ad pedes Jeſu Chriſti palam accidit, tunc enim lacrymarum ſuarum merito a priſtinis eloi criminibus impetravit.

Invidiæ apud Phariſæos contrahendæ, ſiquidem Chriſtus in comitatu mulierem impudicitiæ fama notiſſimam adhibuiſſet, metus aliquid in rem præſentem valeret, ſi exploratum non eſſet, Jeſum Chriſtum in comitatu habere viros deploratæ famæ non refugiſſe. Ita Apoſtolorum ſuorum collegio Publicanum ſociavit Matth. 9. 9. Phariſæorum criminationes de ſociatis ſibi communi menſa Publicanis, & peccatoribus contempſit, atque in ludum vertit Matth. 9. 11. & 11. 19. Edixit Publicanos, & fœminas criminoſas præverſuras Phariſæos in Regni Cœlorum poſſeſſione Matth. 21. 31. Quæ tunc temporis obtinebat apud Judæos prædicationis gratia regionem diſcurrentes conſuetudo, ut itineris comites haberent fœminas aliquas religioſas, a quibus neceſſaria præſtarentur, ejus rei apud Judæos invidiam tollebat omnem. Ad hæc publica reſipiſcentiæ Magdalenæ exhibita documenta, provectior ejus fœminæ ætas, debuit enim aliquot ætatis annos egiſſe, procedens ejus valetudo, atque transmutatæ in melius vitæ exempla, omnis pariter ſuſpicionis timorem removebant, atque ſcandalo conſulebant, ſi forte inde aliquod ſucurriſſet, cum haberet Jeſus in comitatu fœminam impudicam ſpectaretur. Hujus tandem objectionis pondere multo quam nos magis urgentur, ſingularis fœminæ aſſertores.

4. Fateor quidem, Evangeliſtas numquam Mariæ Magdalenæ nomen fœminæ criminoſæ tribuiſſe, nec viciſſim Magdalenæ titulum criminoſæ; ſed animadvertiſſe pariter juvat, numquam criminoſam illam mulierem peculiari nomine deſignari, unde nulla deduci poteſt conjectura alio illam nomine, quam Mariæ Magdalenæ nuncupari. S. Lucas, ſive ad indulgendum mulieri illius decori, ſive alia quacumque perſuaſus ratione, noluit, ejus deſcribens hiſtoriam, genuinum ejus nomen ſcriptis mandare, contentus ſub generali fœminæ criminoſæ nomine, hæc omnia retuliſſe. Potuit autem conſilium illud ſuggeſſiſſe Evangeliſtæ, ſive ſcandalum, quo inſpecta muliere illa affectus eſt Phariſæus, vel invidioſum criminoſæ elogium, quo vir ille mulierem notavit; potuit, inquam, his omnibus S. Lucas perſuaderi, ut peculiare nomen ſupprimeret, eodemque tunc primum utendum cenſuit, cum de eadem muliere in comitatu Jeſu ſermo honorificus recurraret.

Cœ-

1 Oſee 4. *Spiritus fornicationis decepit eos*.

Cæterum ſententiam hanc noſtram, non veluti aſſertam, ſed tamquam probabiliorem tuendimus, illud etiam demonſtrantes, quæ contra illam formantur objectiones, congrua aliqua reſponſione dilui potuiſſe. Suum gradum probabilitatis tenet opinio, quæ tres Marias tamquam diſtinctas inter ſe feminas tuetur, quemadmodum demonſtrandum modo ſuſcipimus.

ARTICULUS III.

Mariam Magdalenam, Mariam Sororem Marthæ, & feminam criminoſam tres eſſe inter ſe diſtinctas mulieres.

ID potiſſimum ſententiæ huic ſuæ commodi acceſſiſſe illius patroni animadvertunt [2], qui cum negantem propugnent opinionem, nullum dicti ſui documentum proferre teneantur. Nullus in novo Teſtamento textus tres illas fœminas in unam eamdemque mulierem confundit; id latis pro ſententiæ hujus patronis, quo ſcilicet veluti proprio jure alios ad reſpondendum cogunt, cur in unam confundendæ ſint; nec debent ipſi viciſſim quærentibus aliis reſpondere, cur fuerint diſtinguendæ. Dicti ſui documenta exhibuiſſe ad eos ſpectat, qui indiſtinctas tuentur. Agitur enim de facto quodam hiſtorico, diſerte ſatis ab Evangeliſtis relato, quo tres perſonæ tribus inter ſe diſtinctis nominibus deſignantur; hæc enim fœmina criminoſæ nomine appellata eſt, altera Mariæ ſororis Marthæ, tertia tandem Mariæ Magdalenæ: ſingulæ diverſis rebus geſtis clarent. Quo igitur inter ſe confundendæ demonſtrentur, non præſumptione tantum agendum eſt, neque congruentiis, neque longe ab ea ætate remotis Authorum teſtimonia ſ petita, ex ipſa re documenta, nec ambigui textus promendi ſunt.

Ex ſuperioribus autem credimus exploratum, multo quidem argumenta, quæ in eam rem probandam afferuntur, a perſpicuitate abfuiſſe. Unicus tantum Evangelii textus producitur, ad demonſtrandum Mariæ Sororis Marthæ, & Mariæ Magdalenæ ſingularitatem, unus, inquam, textus, & ſi quis alius ambiguus, ad arbitrariam ſatis conjecturationem deductus. Pro aſſerenda vero inter Mariam ſororem Lazari, & fœminam criminoſam unitate, nullus expreſſus textus adducitur. Quantum ſibi faceſſant negotii ejuſdem ſententiæ aſſertores, & quas cogantur formare hypotheſes, in ſuperioribus demonſtratum eſt. Pro cæteris vero argumentis omnibus eo rediguntur, ut demonſtrent, ſingularis mulieris opinionem, Sacræ Scripturæ authoritati non repugnare, congruere autem maxime cum Eccleſiaſticis Officiis, ſolamque demum obtinuiſſe in Occidente, poſt S. Gregorium Papam, atque authoritate inſignium Doctorum, & Scripturæ Interpretum valuiſſe.

Nihil tamen ea bis ſatis impræſentia. Poſſeſſio, cui potiſſimum fidunt, numquam ſatis quieta & in tuto manſit, ſæpe enim turbata eſt, & multo etiam ſæpius e gradu ſuo excidiſſet, ſi minus in ſtudium Scripturæ præventioris, & plus aliquid meditationis collatum fuiſſet. Porro in quæſtione facti, in qua nullum imminet fidei detrimentum, neque temporis, neque authoritatis legitima aliqua præſcriptio admittitur. Integrum eſt omnibus cauſam pro libitu ad Judicem revocare, integrum in examen adducere monumentorum fidem, ex quibus prioris illius ſententiæ authoritas conſtitit; ſi forte monumenta illa ſubſiſtere adhuc, nemine diffitente, contingat. Manent autem, æternumque manebunt Evangelia, e quibus monumenta in rem præſentem promenda ſunt.

Multum equidem deferendum Officiorum Eccleſiaſticorum authoritati fatemur, a quibus nonniſi evidentiſſima aliqua ratione recedendum eſt; ſunt enim in ſacris Eccleſiaſticis cæremoniis atque ſolemnibus Fidelium precibus, Fidei evolutorum ſæculorum & traditionum noſtræ Religionis ſervata dogmata. Sed inter Officia tamen Eccleſiaſtica ſolerter diſtinguenda ſunt ea, quæ ipſum veluti myſterii fundamentum conſtituunt, & preces ſive cæremonias continent, quæ a remotiſſima petitæ antiquitate neque exordium ſuum, neque authorem noſcunt. Tenenda ſunt iſta quidem, eoque ſuſpicienda, et minimum quid de illis dubitare nefas habeatur. Potrio ſunt enim depoſiti Fidei, Eccleſiæ cuſtodiæ concrediti.

Quod autem ad cæremonias & preces recentiori ætate in Eccleſiaſtica Officia invectas pertinet, uti hiſtoriæ Sanctorum, vitæ Martyrum, illas tamquam veras aſſertaſque defendere numquam in ſe Eccleſia ſuſcepit. Quare non in examen revocari tantum earum veritatem pariter, ſed laude etiam dignos cenſet, qui rem illam aggrediuntur, & ſi forte ſecundo illorum labore aliquid deprehenſum ſit fictum & ambiguum, illa repudiare ſtatim & ſupprimere a ſe alienum non arbitratur. Nec deeſſent ad eam rem demonſtrandam exempla Eccleſiæ, Pariſienſis, Aurelianenſis, Viennenſis, & Ordo Cluniacenſis vetus Officium ſuum reformare aggreſſæ ſunt, quo tres Mariæ in unam confundebantur, earum diſtinctionem jamdiu neglectam reſtituentes. Eodem conſilio Clemens Papa VIII. tollendum juſſit ex Officio S. Mariæ Magdalenæ [a] vetus quoddam Canticum, quippe quod nimis aperte Mariam Magdalenem cum ſorore Lazari & fœmina criminoſa confunderet. Id tandem reputandum eſt, Eccleſiam ſingulari Officio noluiſſe tres in unam confundere, ſed trium memoriam una ſimul die celebrare.

Nunc autem ſingula hujus opinionis argumenta promenda ſunt. I. Maria ſoror Marthæ e Bethania vico, non longe e Jeruſalem, originem referebat, nec alibi locorum umquam in Evangelio exhibetur. Morabatur ibi cum Martha ſorore ſua, cum Jeſus, & facile primum, eo divertens, querentem audivit Martham, quippe quæ a Maria ſorore domeſticis in rebus præſtandis ſolitaria relinqueretur Luc. 10. 38. ibi pariter verſabatur, cum Jeſus ad revocandum ad vitam Lazarum venit Joan. 11. 2. 3. ac tandem in Bethania caput & pedes Jeſu Chriſti diſcumbentis ſex ante obitum ipſius diebus unguento perfudit Matth. 26. 6. 7. Marc 14. 3. Joan. 12. 1. 2. Maria Magdalena e Galilæa ducebat originem, quemadmodum non ſemel ab Evangeliſtis ſignificatum eſt [3]. Altera igitur ab altera Maria diligentiſſime diſtinguenda eſt.

II. Mariæ Magdalene cognomen e *Magdalo* Galilææ accerſunt magno numero Interpretes, unde nomen fœminæ inditum Maria e Magdalo, quemadmodum uſurpari ſolebat Jeſus e Nazareth, Simon e Giſcala, Judas e Gaulone &c. Cum vero eadem ſit facile mulier ac criminoſa illa fœmina, iden viri cognomen illi, quemadmodum cum aliis fœminis Jeſu Chriſti comitibus præſtitum eſt, nullum addebatur. Ita notæ ſunt in Evangelio Maria Cleophæ, Maria Salome, Joanna Chuſæ, & ſic de ſingulis. Pro viri nomine Patriæ ſubſtitutum eſt. Mentio autem occurrit Magdali tum in Libris V. T. cum in Joſepho, Talmudiſtis, Euſebio, S. Hieronymo, atque ipſo pariter Evangelio. Urbs *Magdalel* in Tribu Nephtali habetur Joſue 19. 38. ibique pariter cap. 12. 21. legitur *Maggedon*, alio nomine *Madiel*. De arce *Magdala* mentio apud Joſephum in Libro de vita ſua, ubi narrat Agrippam eidem Arci expugnandæ copias miſiſſe. *Maggedon*, ſive juxta Græca Exemplaria *Magdala* legas *Matth.* 15. *ult.* Eumdem locum videas apud Talmudiſtas [4] atque ſitum ferunt ſtans mare Tiberiadis [5].

Maria ſoror Lazari numquam alio titulo innoteſcit, quam Mariæ ſororis Marthæ, ſive Lazari. Quia ergo cum Maria Magdalena illam confundat?

III. Ni-

[2] Anquerin Diſſert. de S. Maria Magdalena p. 1. 2.

[a] Vide Gavant. Rubric. apud Eſtium orat. 14.

[3] Matth. 27. 56. 57. *Mulieres, quæ ſecutæ erant Jeſum a Galilæa . . . . . inter quas erat Maria Magdalena*, Marc. 15. 40. 41. Luc. 23. 49. 55.

[4] Talmud in Thaanith. fol. 20.

[5] Vide Ligfoot in Matth. Cellar. Geograph.

III. Nihil habent duarum mulierum characteres commune. Quæ mulier Mariæ Magdalenæ nomine ecco fertur, fœmina erat Galilæa, quæ acceptum a Jeſu Chriſto beneficium, pulſi nempe e corpore ſuo Dæmonis repenſura, largitori ſuo comes perpetua adhæſit, ne in cruce quidem & in tumulo clauſum deſerens. Maria ſoror Marthæ in Bethania patria ſua ſolitaria manebat adeo, ut neque domus ſuæ adminiſtrationem ſuſciperet, cum Jeſus eo primum diverteret, nec unquam inter comites Jeſu Chriſti memoratur, nunquam Præceptorem illum ſuum vidiſſe extra domum ſuam legitur.

IV. Maria Magdalene in comitatu erat Jeſu Chriſti poſtremo vitæ ipſius anno [1]; quippe quæ e Galilæa Jeroſolymam ad noviſſimum Paſcha ſe conferenti comes adhæſit. Erant autem tum temporis Maria & Martha una cum fratre ſuo in avitis Bethaniæ ædibus [2], namque abſente adhuc Jeſu Lazarus deceſſit; cum antea affectæ valetudinis ipſius nuncium ambæ ſorores miſiſſent ad Jeſum. Cum autem ad domum illatum reſtituendo in vitam fratri ſe contuliſſet, venientem ambæ exceperunt. Aliquandiu poſt, cum Jeſus in ſuo Jeroſolymam itinere ad abſolvendum ſalutis noſtræ opus in vicum Bethaniæ ad hoſpitium Lazari, Marthæ, & Mariæ divertiſſet, tria illa ſibi amiciſſima capita nactus eſt Joan. 12. 1. 2. Itaque altera eſt Maria ſoror Marthæ a Magdalena, quæ poſtrema mulier in comitatu erat Jeſu Chriſti, e Galilæa ſive e Transjordanis veniens; cum interim altera Maria una cum fratre ſuo eundem Chriſtum hoſpitio receperit.

V. Statim poſt prodigium reſtituti in vitam adoleſcentis Naim, Maria Magdalena comes Jeſu Chriſto acceſſit Luc. 7. & 8. 2. 3. &c. Inde Chriſtus Jeroſolymam concedens, hoſpitio receptus eſt apud Martham & Mariam Luc. 10. 38. Quam luculentum diſtinguendis duabus fœminis argumentum, hæc e Galilæa in Bethaniam una cum Jeſu venit, hæc venientes hoſpitio recipit!

VI. Magdalena ſeptem Dæmonibus reapſe agebatur juxta Evangeliſtas Luc. 7. 22. Marc. 16. 9. vel ſaltem in effrænis vitæ licentiam proruerat juxta Patres nonnullos [3]. Scortationibus & impudicæ vitæ criminibus totam ſe dederat, ſi fides Veteribus quam plurimis, qui cum fœmina criminoſa Jeſu Chriſti pedes in ædibus Simonis Phariſæi unguento perfundentem unam eamdemque arbitrantur. Nihil tale de Maria ſorore Marthæ affirmandum eſt, niſi id prius certum ſtatuatur, de quo maxime ambigitur, vitioſa illa argumentatione, qua principium petitur, invecta.

Singularis mulieris aſſertores, in ipſo cauſæ agendæ limine ponunt, Mariam Magdalene & Mariam ſororem Lazari unam eſſe ſingularem fœminam, quod ſibi certum jure quodam poſſeſſionis veteriſque neſcio cujus traditionis vindicant. Ita ſemel perſuaſi, ad exponendos Scripturæ textus ſe conferunt, ſatiſque ſe hac ratiocinatione pro cauſa obtinenda præſtitiſſe confidunt. Quam ſuſtinemus, opinio Eccleſiæ authoritate fulcitur, nihilque habet in ſacra Scriptura repugnans: tenenda eſt igitur, neque committendum, ut novis invectis rebus verum Eccleſiæ depoſitum corrumpatur. Hæc illi commentantur, cum potius ita reputaſſe deberent. Trium harum mulierum ſingularitas nunquam ſatis exprimitur in Scriptura, recentius in Eccleſiam invecta eſt, atque adverſarios habet plures qua veteres Patres, qua ſapientiſſimos Criticos; majori igitur indagine de illa diſquirendum, & ſi forte in ea quæſtione nunquam ſatis perſpecta poſſit haberi veritas, nec certa ſatis & aſſerta promenda eſt ſententia; quæ ſunt æquiora ſtatuamus, veteribuſque excoſſis e mente præjudiciis, debitam referamus veritati gloriam, ultro profeſſi, ſententiam illam quæ tres fœminas diſtinguit, potiorem habere apud Evangeliſtas cauſam fatentes, vel ſaltem a ſententia ea de re noſtra promenda abſtineamus, donec pro ſingularitate majora & evidentiora ferantur argumenta, quam quæ hucuſque producta ſunt.

Laudantur pro iſta ſententia Authores ſane multi, qui inter Mariam Magdalenam & Mariam ſororem Lazari diſtinguunt. Verum ſedulo diſtinguendum eſt inter Scriptores iſtos, alioſque qui tres Marias ſtatuunt. Author Conſtitutionum Apoſtolicarum *lib.* 3. *cap.* 26. S. Irenæus, Origenes, S. Macarius. S. Chryſoſtomus, Titus Boſtrenſis, Theophylactus, Euthymius, quos ſupra laudavimus, adverſus ſingularitatem trium mulierum aperiſſimum ferunt teſtimonium, ſed inter aſſertores trium fœminarum nunquam recenſendi ſunt. Diſtinguunt illi tantummodo, nec immerito, fœminam criminoſam, quæ pedes Jeſu Chriſti oblinivit apud S. Lucam *cap.* 7. a Maria ſorore Marthæ, ad quam perfuſio alia pertinet, tribus aliis Evangeliſtis memorata. Quare eorum Patrum teſtimonio perinde abuterentur, qui ſingularis mulieris aſſertores pro ſua ſententia illos adducerent, ac qui tres mulieres defendentes in ſuas partes pertraherent. Neque enim dictum ab illis ſtatuendum eſt, quod nunquam dixiſſe conveniuntur, neque apertæ quædam conſecutiones ex eorum ſilentio deducendæ ſunt.

Græcorum Patrum non rari autumarunt, diſtingui ſedulo oportere inter tres illas perfuſiones unguenti, alteram nempe, de qua S. Lucas 7. 37. aliam de qua S. Joannes 12. 1. 2. ac tertiam tandem S. Marco 14. 1. &c. & S. Matthæo 26. 1. 2. memoratam, ut tria illa facta ad tres diſtinctas mulieres pertineant. Confundendam alii cenſent, illam S. Lucæ cum altera apud S. Joannem. At ſententiæ iſtæ ambæ aſſertore ætate noſtra carent. Tertullianus de Pudic. *cap.* 11. confundit hiſtoriam fœminæ criminoſæ apud S. Lucam cum Maria ſorore Lazari, quæ *prævenit ungere pedes Jeſu in ſepulturam*. Hæc ille: *Peccatrici fœminæ contactum corporis permiſit lavanti lacrymis pedes ejus, & crinibus detergenti, & unguento ſepulturam ejus inauguranti*. Auguſtinum de Conſen. c. 79. confudiſſe quidem conſtat fœminam criminoſam cum Maria Lazari, an tamen Magdalenam ab illis diſtinxerit, non ſatis intelligimus. Quin & tract. 49. in Jo. ambiguus verſatur, num Maria ſoror Marthæ eadem ſtatuenda ſit cum muliere illa criminoſa, quæ lacrymis rigatos Jeſu Chriſti pedes coma capitis terſit.

Confundunt Mariam Magdalene cum fœmina criminoſa S. Bernardus Ser. 22. *in Cant.* Nicolaus Claravallenſis Serm. de Maria Magdal. inter opera D. Bernar. Godefridus Veſtenſis Abbas ſerm. 9. S. Petrus Damiani Epiſt. 22. ad Deſiderium, Petrus Abbas Cellenſis ſer. 5. de S. Mar. Mag. S. Thomas 1. par. q. 21. art. 4. ad 1. S. Bonaventura Compend. Theolog. de gratia ſanctificante l. 5. c. 19. Fœminam criminoſam unam eandemque cum Maria ſorore Lazari arbitrantur S. Petrus Chryſologus ſerm. 93. Euſebius Emiſſenus, ſeu alius homil. infer. 5. poſt Dominicam Paſſion. Paſchaſius, Radbertus in Matth. lib. 12. Alcuinus in illud Joan. *Jeſus ergo ante ſex dies*, Franco Abbas Vindocinenſis lib. de grat. Dei, Rupertus Abbas de Oper. Spirit. S. cap. 28. S. Norbertus ſerm. in hæc verba: *Beati qui audiunt verbum Dei*, Lyranus in Matth. aliique plures. Porro univerſi hi Scriptores ſingularitatis adverſarios ſe profitentur, ſed non eadem omnes ratione, & ſi ex eorum turba ſegregentur, quicumque tres diſtinctas mulieres defendunt, eorum ſane numerus major erit, quam pro reliqua multitudine.

Sed agendum in præſentia non ſuffragiorum multitudine, ſed momentorum pondere ac ratione, ejuſque, quam agitamus, litis ſententia, non aliunde, quam ex Evangelio petenda eſt. Eſt autem Evangeliſtarum textus æquior pro iis, qui duas vel tres defendunt in unam. Patres, quorum teſtimonia pro variis hiſce ſententiis afferuntur, quod extenuando petitur ex illis argumento plurimum valet, minus ipſi quoque ſecum conſtare minuſque exacte loqui deprehenduntur. Ad hæc, Opera, unde teſtimonia petuntur, non ideo ſcripta ſunt, ut argumentum illud diſcuterent; teſtimonia ſunt enim interdum nulla inter ſe colligatione innexa, & e concionibus ad populum vel aliis hujus generis lucubrationibus deducta, in quibus minus exacte loqui Authores conſtat, quam in operibus de argumento ſcriptis.

Quod

---

[1] Vide Matth. 27. 56. 57. Marc. 15. 40. 41. Luc. 23. 49. 55.

[2] Joan. 11. 1. 2. &c.

[3] Gregor. Mag. homil. 33 in Luc. 7. Beda, alii.

Quoad cenſuram Facultatis Pariſienſis, quam ſingularis mulieris patroni ingerunt poſt minus exactam cauſæ cognitionem pronunciatam illam defendimus. Jacobus Faber Stapulenſis rerum novarum quæ turbas eo tempore intra Regnum & extra ciebant, cupidus & fautor habebatur, S. Gregorii Papæ authoritatem elevabat, quare Facultas ſententiam tantum Fabri cenſura notavit, tanquam S. Pontificis authoritati adverſam, quam ſcilicet authoritatem & ſententiam Facultas arbitrabatur *Evangelio Chriſti & Eccleſiæ Catholicæ ritui conſentaneam*. Damnavit itaque Fabrum, ſed cauſam reliquit intactam. Ponit tanquam certum, quod maxime eſt in quæſtione, ac deinde Fabrum poſtulat, quod plures eſſe fœminas adverſus exploratam S. Gregorii ſententiam defendat. Plures poſt ea tempora Doctores Sorbonici ſcripſerunt pro aſſerenda trium mulierum diſtinctione, quam hodie apud viros doctos obtinere aſſerere non dubitamus.

DISSERTATIO

DE S. JOSEPH S. MARIÆ VIRGINIS CONJUGE.

Quæcumque de S. Joſephe attingit, pauca licet, Scriptura, adeo ad viri gloriam conſerunt; & quæ de illo agitantur quæſtiones, tanti videntur momenti, ut peculiari Diſſertatione de inſigni illo viro tractare operæ pretium duxerimus. S. Joſephus germen eſt Davidicæ radicis inſigne, Mariæ conjux, Virginitatis ejus cuſtos, Jeſu Chriſti parens, & altor. Ipſo S. Spiritus organo *Juſti* titulo decoratur. En Viri decora, en agitatas de illo quæſtiones. Quæ Viri genealogia? quod munus? an præter S. Virginem priorem alteram conjugem admiſerit? quomodo ad ejus conjugium pervenerit? cur dimittere illam cogitaverit? quo ſenſu *Juſtus* appelletur? quando obierit? & ubi fuerit ſepulturæ mandatus? Hæc modo nobis diſcutienda.

ARTICULUS I.

Joſeph genealogia.

Ad Tribum Juda, & familiam David pertinuiſſe S. Joſephum, tradente Scriptura ſat conſtat. S. Paulus ad Hebr. 7. 14. ſcribit, omnibus exploratum eſſe, Jeſum Chriſtum e familia Juda ſatum fuiſſe; & Angelus ad Joſephum, Matthæi 1. 20. *Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Idem tandem Evangeliſta ejus viri genealogiam deducit ab Abraham per Davidem Matth. 1.

Plures tam inter Recentiores, quam Veteres autumarunt, S. Lucam cap. 3. 23. &c. eandem pariter Joſephi genealogiam ab Adam uſque ad Heli inſtruxiſſe: ſed quo negotium faciunt in hac opinione, infra examinabimus. Diſcutiendum eſt prius, an Joſeph unicus eſſet heres in familia David, quod Eruditus quidam recentior [1] probatur; ſeu potius ille tantum arctiori quam cæteri omnes neceſſitudinis vinculo necteretur Virgini; quæ cum, juxta plurimorum Patrum ſententiam [2], unica eſſet patris ſui, & familiæ hæres, ex Legis præſcripto Num. 36. 6. 7. conjugi Joſepho fuerit deſtinanda.

Ad primam illam difficultatem quod attinet, duobus illa Textibus præpoſtere expoſitis innititur. Priori illo Angelus Joſephum appellat filium David Matth. 1. 20. ſecundo Gabriel hæc habet ad Mariam: *Dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum*. Hiſce duobus Textibus probatum creditur, Joſephum unicum fuiſſe, & ſingularem Davidicæ domus hæredem, ſimulque Jeſum Chriſtum in hanc hæreditatem illius ſucceſſiſſe. Statuunt proinde impletum in Jeſu Chriſto fidem oraculi Jacob Gen. 49. 10 *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt*.

Hujus ratiocinii vim me plane non aſſequi fateor. Joſeph filius eſt David; unicus ergo erat in domo ſua, & ſingularis familiæ heres. Tum & illud: *Jeſus Chriſtus regnabit in Domo Jacob, & ſedebit in ſede David patris ſui*; poſtremus eſt ergo familiæ illius hæres. Tantumdem profecto liceret inferre de Salomone, Roboamo, Joſia, cæteriſque Regibus Juda poſt Davidem. Nonne Jeſus Chriſtus palam manifeſtavit, Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo Joan. 18. 36. Nonne legimus, diu poſt ejus obitum Veſpaſianum Imperatorem ſolerter indagari juſſiſſe reliquias Domus Davidicæ, quibus exterminatis, defectionis, & reſtituendæ Monarchiæ anſam omnem Judæis adimeret [3]? Reſtabant ergo e Davide hæredes; nec Jeſus Chriſtus unquam ad temporale aliquod Regnum jus ſibi vindicavit.

Quod attinet ad opinionem præferentem, Joſephum arctiſſimo ſupra cæteros neceſſitudinis vinculo conjunctum fuiſſe cum Maria, unica in Domo ſua hærede, hæc non recens invecta, ſed antiquiſſimos habet aſſertores, S. Hilarium, S. Cyrillum Alexandrinum, Euſebium Cæſarienſem, S. Eucherium, Euthymium, Theophylactum, aliuſque plures: ſed rationes promandæ ſunt. Vetuſtiſſima Evangelia Nativitatis B. Mariæ, & Protevangelium S. Jacobi aperte notant, Mariam unicam fuiſſe matris ſuæ Annæ & Joachim; ſed eorum Operum authoritas, præterquam ejus opinionis Vetuſtatem, nihil ſane probat.

Nemo enim apud Veteres S. Virgini fratres adſignavit [4]; qui tamen ſorores tribuerint, plures ſunt profecto. Et quando fratribus omnibus & ſororibus caruiſſet, non ſtatim tamen inferretur, S. Joſephum ſive ad ejus familiam pertinuiſſe, ſive arctiſſimo præ omnibus neceſſitudinis vinculo cum illa conjunctum; nunquam enim in Lege interdictum puellis, ad quas hæreditas non pertineret, ut quem maxime vellent, conjugem ſeligerent. Hæredibus tantum, quæ germanis carent, ſive illæ plures fuiſſent, ſive una ſingularis puella, præceptum fuit, ut in Tribu ſua conjugem quærerent: *Nubant quibus volunt, tantum ut ſuæ Tribus hominibus* Num. 36. 6. Scriptores Veteres apocryphorum illorum Evangeliorum, quæ ſupra, nunquam ferunt S. Joſephum coactum fuiſſe lege propinquioris cognationis ducere ſibi in conjugem Mariam; quin & contrarium omnia docent. Nec ſane quidquam habent ea de re Patres, niſi forte unicus S. Epiphanius hær. 78. c. 7. Inferunt tamen plures, S. Virginem ad Tribum Juda & familiam David pertinuiſſe, quod ex illa ſatus eſſet S. Joſeph: inferunt autem eo ducti, ſed non vero principio, puellas ſcilicet lege coactas nubere viris e Tribu & familia ſua. Nihil enim tale de puellis generatim in lege, ſed tantum de hæredibus, uti ſupra innuimus.

Statuendum eſt plane, S. Matthæum in capite Evangelii ſui genealogiam S. Joſeph deduxiſſe; an vero eandem inſtruxerit S. Lucas, ex eo maxime ambigitur, quod ſeries genealogiæ apud geminos illos Evangeliſtas a Davide uſque ad Zorobabelem, & a Zorobabele uſque ad S. Joſephum Virum S. Mariæ, omnium in ea poſtremum, variat. In S. Matthæo pater Joſepho aſſignatur *Jacob*, in S. Luca *Heli*. An duo hæc nomina duos diſtinctos homines, an unicum & ſingularem deſignant? Reponunt duos eſſe viros

---

1 Harduin. Chronol. V. T. pag. 521. 2 Hilar. in Matt. 1. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 7. Cyrill. contra Julian. Eucher. q. 2. in Matth. Theophyl. Euthym. in Matth. 1. Vide Maldonat. in Matt. l. 18. Gror. Brug. alios.
3 Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 12. 4 Vide Hier. in Matt. 27. in Helvid. c. 7. Theodoret. in Epiſt. ad Galat. p. 268. Petr. Chryſol. ſerm. 48. Beda in Mar. 3. 18.

A viros, quos ambos diverſa ratione aſſignatos Joſepho parentes volunt; alter enim parens erat juxta Legem ſive adoptione, alter ſecundum carnem & naturalis [1]. Patrem juxta legem appellamus illum, cui ſine liberis decedenti frater ſuperſtes vel propinquior inter cognatos, vidua ejus conjuge ducta, liberos ſuſcitavit [2], defuncto illi aſſignatos. Sed cum iſta mera ſit hypotheſis, uter ex illis, Jacob ne, an Heli, pater eſſet naturalis vel adoptivus, non conſtat.

Verumtamen invaluit in Eccleſia vetuſtiſſima quædam traditio, a Julio Africano ſervata [3], quam teneri ſe profitetur a neceſſariis Jeſu Chriſti ſecundum carnem. Fert autem illa, *Mathannem* e Davide per Salomonem prognatum, & *Melchim* e Davide per Nathanum, eandem conjugem Eſcham alterum poſt alterum duxiſſe: ex qua fœmina Mathano natus eſt *Jacob*, & Mel- B chi genitus *Heli*. Porro Heli uxorem duxit, cujus nomen latet, liberis vacuus deceſſit. Quare juxta Legis præſcriptum Deut. 25. 5. Jacob viduam ejus conjugem duxit. E poſtremo iſto conjugio natus eſt Joſeph, ſimul & ſemel filius Jacob ſecundum naturam, & Heli ſecundum Legem.

Hæc difficultatis ſolutio eo magis in pretio habenda eſt, quo magis tamquam domeſticos habet aſſertores; deducta enim dicitur ab ipſa S. Joſeph familia, cujus ſane teſtimonio præ ceteris ſtandum eſſe arbitror. Sed illud habet incommodi, quod *Melchi* & *Heli* alterum poſt alterum jungit, veluti filium & patrem; cum inter duos illos, nempe inter Melchi & Heli, S. Lucas duos conſtituat, nempe Mathat & Levi. Legiſſe videtur Julius Africanus ceterique illum ſecuti, in ſuis C Exemplar hos nomina Melchi & Heli duobus illis intermediis expunctis. Et quidem S. Irenæus l. 3. c. 33. nonniſi 72. generationes ſupputat ab Adam uſque ad Jeſum Chriſtum; cum S. Lucas 74. juxta noſtra Exemplaria præferat. Poſitum ab Africano ſyſtema maxime invaluit apud Veteres [4], nec ſane infrequentes habet laudatores apud noſtrates.

Autumat S. Epiphanius hæreſ. 78. num. 7. Jacob cognomento *Pantherem*, patrem fuiſſe *S. Joſeph & Cleophæ*, S. Joſephum priorem conjugem e Tribu Juda duxiſſe, e qua ſex filios, quatuor nempe mares, & duas fœminas, retulerit. Natu maximum inter filios ſtatuit *Jacobum fratrem Domini*. Paulo aliter rem explicat S. Damaſcenus de Fide l. 4. c. 15. tenet enim, *Levi* per Nathanum e Davide prognatum, filios habuiſſe *Mel- D chi & Pantherem*; e Panthere natum *Bar-pantherem*; ex hoc vero *Joachimum*, patrem B. Virginis. Ex altero vero genealogiæ ſurculo *Mathan* e Davide per Salomone filium habuit *Jacob* patrem Joſeph, conjugem B. Mariæ. Nomen *Panthera* legitur pariter in Origene contra Celſum l. 1. pag. 25. edit. Cantabrig. in Thalmude Babylonico Tract. Sanhedrin. & in Actis Jeſu Chriſti, Judæorum opera vulgatis; habent enim hæc omnia Pantherem veluti parentem Jeſu Chriſti. Verum traditionibus iſtis ut antiquitatis multum, ita fidei parum eſt; procuſæ ſunt enim fabellæ a Judæis, unice ſtudentibus, ut invidiam Jeſu Chriſto & Chriſtianæ Religioni crearent.

Expeditiorem conciliandæ utriuſque Evangeliſtæ genealogiæ rationem inire ſe recentiores Interpretes au- E tumarunt [5], ſtatuentes, deductam a S. Matthæo genealogiam S. Joſephi, & a S. Luca alteram Virginis Mariæ. Juxta hoc ſyſtema, Jeſus Chriſtus e familia David natus eſt per utrumque parentem; uterque enim, licet per diverſos canales, ex eadem familia deducitur. Cum autem poſtremam hanc ſententiam peculiari Diſſertatione nos antea firmaverimus, nihil hic ulterius immorandum.

A Non defuerunt, qui crederent [6], S. Joſephum jura Sacerdotis & Regia in ſe non conciliaſſe; quippe qui ſurculus eſſet domus Davidicæ & Aaronicæ. Nihil tamen occurrit ſive in Evangelio, ſive in traditione, quod faveat huic opinioni; neceſſitudine quidem cum familia Sacerdotali juncta erat B. Virgo, cujus dicitur cognata S. Eliſabeth e filiabus Aaron: ſed numquid propterea ad eandem familiam Joſeph pertinebat? Reputarunt etiam Veteres nonnulli, Jeſum Chriſtum ſimul & ſemel Sacerdotem fuiſſe e genere Aaron, & Regem e ſtirpe David; ſed quando vera hæc ſint de Jeſu, numquid & de Joſepho idem reputandum? Erat juxta Scripturas Jeſus Chriſtus Rex pariter & Sacerdos, Sacerdos tamen juxta ordinem, non Aaronis, ſed Melchiſedech, & Rex alterius plane quam conſti- B tuti in orbe Regni.

ARTICULUS II.

Quodnam S. Joſeph munus exercebat?

VEtus, nec ambigua, traditio tenet, lignariam exercuiſſe S. Joſephum. Evangelium apocryphum S. Jacobi ædium ædificatorem fuiſſe docet [7]; addit pariter, quod cum ſemel ſacræ buccinæ ſonitu viri omnes conjuge viduati in Iſraele ad Templum, virgam quilibet ſuam ferentes, invitarentur, Joſephum aſcia relicta [8] procurriſſe cum ceteris. Legimus pariter in Evangelio apocrypho Infantiæ Salvatoris [9], Je- C ſum Chriſtum una cum S. Joſepho patre ſuo per Urbem diſcurriſſe, quo ad exercitium artis ſuæ appellabantur, nempe ad conficiendum arculas, cribros, januas; & cum forte in lignum aliquod incideret brevius ſive longius, quam oporteret, Jeſus Chriſtus ſolo tactu comparabat ad opus. Non authoritatem moror horum Operum, ſed vetuſtatem & veteris receptæ traditionis teſtimonium.

Refert S. Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Jeſum parenti ſuo præſto fuiſſe in conficiendis jugis & aratris. Cædendis arboribus, ædibus ædificandis, ſimilibus ceteris exercendis incubuiſſe perhibet S. Ambroſius [10]; ſed ibidem pariter aſſerit, inſtrumenta illum tractaſſe ferramentarii vel fabri ferrarii, quod e Teophylo Antiocheno vir Sanctus deduxit. Refert D Theodoretus, & Sozomenus [11] quæſiviſſe olim Libanium a viro quodam Chriſtiano, quid faceret Jeſus Chriſtus; cui alter reſpondit, feretrum Imperatori Juliano fabricare. Author Operis imperfecti in Matthæum cap. 1. 18. S. Thomas, recentiores fere omnes Interpretes fabrum lignarium illum conſtituunt: quæ ſane traditio eſt totius Orientis, unde deduxit Mahometus, Joſephum artem ſuam exercuiſſe in Templo Domini.

Cum tamen Græca vox *Tecton*, qua Evangeliſtæ profeſſionem S. Joſephi exprimunt, deſignet generatim hominem opificem, Veteres plures autumarunt, ferrariam exercuiſſe. S. Hilarius expreſſe in Matthæum 23. habet *Jeſus fabri erat filius, ferrum igne vincentis*. Hanc ſententiam non reprobaſſe S. Ambroſium, ſupra E obſervavimus; ſed ferrariæ lignariam jungit: *Pater Chriſti igne operatur, & Spiritus tamquam bonus animæ faber vitia noſtra circumdolat*. Beda Venerabilis in Marc. 6. ſub allegoriæ ambagibus ſcribit, Jeſum filium eſſe viri, qui per *ignem & ſpiritum* operatur; ipſum vero Jeſum baptizare *in Spiritu & igne*. Eandem allegoriam ſequitur S. Petrus Chryſologus Serm 48. to. 7. Biblioth. PP pag. 883. paraphraſi exponens verba illa Nazaræorum de Jeſu: *Hic eſt Jeſus filius fabri*. Recte illi qui-

1 Vide Ambroſ. in Luc. Quidam apud Auguſ. quæſ. in N. T. q. 56. Idem l. 2. q. Evang. q. 2. Idem de conſenſu Evangeliſt. l. 2. c. 2. 3. 2 Deut. 25. 5. 3 African. ad Ariſtid. apud Euſeb. l. 1. c. 7. Hiſtor. Eccleſ. 4 Euſeb. hiſt. Eccl. l. 1. c. 7. Ambroſ. l. 3. in Luc. Nazian. Carm. de Chriſti generat. 5 Galatin. Janſen. Genebr. Grot. Gomar. Ligfoot. Hor. Hebr. Beng. in Matth. Spanhem. Dub. Evangel. Voſſi. de Generat. Chriſt. Toynar. harm. Evang. pag. 3. 8. 13. 6 Serm. 3. in Annunciat. Virg. pag. 325. 326. Appendic. t. 5. Oper. S. Auguſt. nov. edit. idem qui ſermone 25. & in Nativit. Domini Appendic. Lovanienſ. pag. 659. 7 Protevang. Jacobi a. 8. 9. 8 Ibid. a. 9. 9 Evangelium Infantiæ a. 38. 10 In Luc. l. 3. 0. 2. p. 1314. Ex Theophyl. in Matth. 13. 11 Theodor. Hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 18. Sozomen. hiſtor. Eccleſ. l. 6. c. 2.

quidem, ait Chryſologus, quamquam ignorantes, quid dicerent; eſt enim fabricator filius illius Patris, qui mundum fabricavit *non malleo ſed præcepto, qui mundi maſſam formavit auctoritate, non carbone, qui lucem ſoli contulit non terreno igne, ſed ſuperno calore*. Idem præfert Textus Hebræus S. Matthæi a Tilio vulgatus. Hugo Cardinalis, qui aurificem virum facit, in cæmentarium pariter inclinat. Bollandiſtæ ſermonem quintum S. Auguſtini de Nativitate [1]; tandem Cornelius a Lapide laudat alterum locum S. Doctoris, ubi traditur, ædes illum fabricaſſe; ſed facile tamquam faber lignarius, non tamquam cæmentarius. Fateri enim oportet, vetuſtiſſimam & maxime receptam opinionem tenere, lignariam illum exercuiſſe; & quicumque fabrum ferrarium habuerunt, allegoriam potius ſecuti videntur, quam ſcilicet allegoriam facile ſuppeditat vaga illa & generalis vox *faber*.

ARTICULUS III.

An S. Joſeph Virginitatem ſervaverit.

Virginem fuiſſe virum toto vitæ tempore defendunt cum Veteribus nonnullis Recentiores plures interpretes. S. Hieronymus potiſſimus eſt ejus opinionis aſſertor, in Libro contra Helvidium c. 9. [2], ubi continentiam jugiter ſervaſſe illum aſſerit, quo Jeſus Virgo e Virgineo conjugio naſci poſſet. *Etiam ipſum Ioſeph Virginem fuiſſe per Mariam, ut ex Virginali conjugio Virgo filius naſceretur. Mariæ autem, quam putatur eſt habuiſſe, cuſtos fuit potius quam maritus*. Addit inſuper, nuſpiam legi illum in conjugio vixiſſe. Author Sermonis quinti in Nativitatem, in Appendice Operum S. Auguſtini per Doctores Lovanienſes, aſſerit parſes Virginitatis hujus in Joſepho privilegium. Longius etiam excurrit S. Petrus Damiani Opuſcul. 17. n. 3. *Eccleſiæ fides eſt, ut Virgo fuerit & is, qui ſimulatus eſt Pater*. Hæc hodie ſententia invaluit apud Fideles [3]; ſed ad fidem Eccleſiæ plane non pertingit, cum apud Veteres uno excepto Sancto Hieronymo, vix obtineat ſuffragatores. Obtinuit quin etiam vetuſtiſſima traditio, Joſephum conjuge viduatum, S. Virginem duxiſſe. Id non obſcure præferunt Evangelia illa apocrypha, de quibus ſupra [4]. In Protevangelio Joſephus ne ducat Mariam cauſatur: Senex ego & liberis non careo; illa viciſſim puella eſt; in fabulam Iſraelis illum ducens convertat. S. Epiphanius hæreſ. 51. n. 10. notat, egiſſe illum ætatem 80. circiter annorum, conjuge orbatum fuiſſe, & ſex liberorum patrem. S. Hippolytus Thebanus quatuor illi filios & geminas filias aſſignat [5]; filios nempe Jacobum, Simonem, Judam, & Joſem, filias Eſther, & Thamar. Ejus uxor *Salome* patrem habuit Aggæum, fratrem S. Zachariæ, S. Johannis Baptiſtæ parentis. Eadem refert Nicephorus l. 2. c. 3. et S. Hippolyto Portuenſi; ſed facile pro Portuenſi legendum Thebano, quod vitio forte Amanuenſium in textum irrepſit. Porro Jacobum Apoſtolum Fratrem Domini inter filios Joſephi ex priori conjugio natos, agnoſcit etiam S. Gregorius Turonenſis Hiſtor. Francor. l. 1. c. 21.

S. Epiphanius hæreſ. 28. c. 7. & 78. 7. tradit, S. Joſephum priorem quamdam conjugem e Tribu Juda duxiſſe, ex qua nati Jacobus, Joſe, Simon, & Judas, cum Maria, & Salome. Nihil diſcrepat S. Epiphanius a cæteris ſupra adductis, niſi in nomine duarum filiarum Joſephi. Euſebius agens de S. Jacobo Fratre Domini, inter filios Joſephi (ex alio plane conjugio natos) illum accenſet. S. Hilarius in Matthæum c. 2. n. 4. agnoſcit pariter, fratres Domini in Evangelio notos patrem habuiſſe Joſephum, ex priori conjugio natos: *Quaſi Mariæ filii fuiſſent, & non potius Joſeph ex priori conjugio ſuſcepti &c.* Satis communem eam opinionem eſſe fatetur Origenes in Matthæum, deductamque dicit ex Evangelio apocrypho Sancti Petri, ſive e Libro Jacobi, nec tamen illam refutat; tantumque abeſt, ut credat, Joſephum Virginem fuiſſe, ut probari etiam ſibi demonſtret, JESUM primum eſſe exemplar & ideam perfectæ virginitatis apud mares, quemadmodum Maria apud fœminas.

De Fratribus Domini ex Evangelio notis, declarat S. Ambroſius de Inſtit. Virg. c. 6. n. 43. pag. 260. *Potuerunt fratres eſſe ex Ioſeph, non ex Maria*. Addit: *Quod quidem ſi quis diligentius proſequatur, inveniet*. Ambroſiaſter, ideſt Hilarius Diaconus Eccleſiæ Romanæ, quarti ſæculi Scriptor, id totum explicat luculenter ad Epiſtolam ad Galatas 1. 19. Jacobum enim Epiſcopum Jeroſolymæ filium Joſepho aſſignat; ex quo fratrem Domini appellatum arbitratur. Laudantur in eamdem ſententiam S. Amphilochius hom. 4. pag. 46. S. Gregorius Nyſſenus hom. 2. in Reſurrect. pag. 410. 413 & S. Chryſoſtomus in Matthæum hom. 5. quamquam ipſe ambigue loquitur.

Refutat hanc ſententiam S. Hieronymus in Commentario in Epiſtolam ad Galatas, ſed non iis argumentis, quæ aſſenſum extorqueant: In ipſo limine ad Librum ſuum adverſus Helvidium remittit; tum addit fratris Domini elogium ſibi promeruiſſe S. Jacobum *propter egregios mores, & incomparabilem fidem, ſapientiamque non mediam*. S. Auguſtinus in Epiſtolam ad Galatas ſcribens ad c. 1. 19 relinquit in medio, num S. Jacobus parentem habuerit S. Joſephum, ſive demum ſanguinis aliam conjunctionem cum JESU CHRISTO haberet. Sed in opuſculo de Idiotiſmis S. Scripturæ, poſt Lucubrationem illam ſcripto, S. Jacobum filium Alphæo aſſignat.

Sed peremptoria adverſus hæc omnia de Jacobo, cui pater adſcribitur S. Joſeph, hæc unica ratio promitur; quod ſcilicet cum JESUS morti traderetur, vivebat adhuc Maria mater Jacobi, cujus nomen legitur inter religioſas illas fœminas, quæ præſentes ſpectaculo adfuerunt [6]. Quis autem ſibi perſuaſerit, ſive Joſephum duas ſimul & ſemel conjuges adſciviſſe, nimirum Mariam Jacobi; & alteram Mariam JESU parentem, ſive e geminis illis unam, i. e. Mariam Jacobi repudiaſſe, ut duceret Mariam matrem JESU, qua de re altum eſt in Scriptura, Hiſtoria, & Traditione ſilentium? Quod etiam multo erit abſurdius, ſi quis cum Patribus non infrequentibus ſtatuat, geminas illas fœminas ſorores fuiſſe [7]. Cavet enim Lex, ne talia inceſta connubia ineantur [8]. Judicium ergo de virginitate S. Joſeph ſuſpendendum eſt; & fateamur oportet, ambiguum eſſe maxime quidquid de adſcita ante B. Virginem priori aliqua conjuge, relatiſque ex illa infantibus traditum eſt.

ARTICULUS IV.

Quomodo S. Ioſeph connubium inierit cum Virgine.

Veteres illi & apocryphi Libri [9], de quibus ſupra, & Patres nonnulli, eorum fidem ſecuti docent, Sacerdotes Templi Jeroſolymitani volentes conjugem aliquem quærere Virgini Mariæ, ſeu potius Virginei illius pudoris teſtem, virum tanto munere dignum, omnes uxore viduatos e Tribu Juda acciverunt in Templo, injungentes inſuper, ut virgam quilibet ſuam deferret, exploraturi, cujuſnam viſ-

1 Bolland. 19. Martii. Non legitur ſermo iſte in nova editione S. Doctoris, ſicut nec in editione Lovanienſi, nihil tale lego, niſi forte in ſecundo ſermone ad articulum Epiphaniæ, ubi Author alludens ad nomen Artifex, illud exponit cæmentarium, architectum, fabrum lignarium.

2 Vide & in Matth. 13.

3 Vide Bollandiſtas ad 19. Martii.

4 Protevang. Jacob. n. 9. Vide & Evang. de Nativitate Mariæ n. 7.

5 Chronic. pag. 50. Edit. Fabric.

6 Marc. 16. 1. Luc. 24. 10 Matth. 27. 56. Jo. 19. 25.

7 Hieronym. in Matt. in Helvid. & Epiſt. 150. Theodoret. in Galat. Beda in Marc. Chryſol. ſerm. 48. Theophyl. in Matth.

8 Lev. 18. 18. *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus illa vivente.*

9 Evang. Nativit. B. V. Item Evang. B. Jacobi num. 9.

virga floreret, ejuſque virgæ S. Spiritus in columbæ A
forma inſideret; quo indicio Mariæ deſtinatus conjux
agnoſceretur. Cum igitur omnes conſenſiſſent, virga Joſephi
florem emiſit, & S. Spiritus e ſummitate virgæ
volitans, cepit ejus inſedit. Nec mora, & Virginis
conjux, & S. Puellæ cuſtos ſalutatus. Hanc traditionem
ſecuti vulgo Pictores, exhibent S. Joſephum florentem
virgam manu tenentem, cujus ſummitate inſidet
columba; ita, inquam, exhibent S. Virum ineuntem
cum Virgine coram Summo Sacerdotum connubium.
Genioa ferme traduns Euſtathius Antiochenus
in Hexaemeronem, Gregorius Nyſſenus Orat. in Nativ.
Chriſti, & Epiphanius hæreſ. 78. num. 8. Nihil enim
moramur in commentitiis hiſce fabellis variantia
quædam minoris momenti. Nihil pariter habet apud
nos authoritatis recepta apud Pictores conſuetudo, B
neſcio quo traditione fulta, exhibens Prophetam Agabum,
qui ductam ab altero Virginem dolens, virgam
ſuam frangit, tum & Carmelitarum cucullum, ut
ei deſperantes ſolent, induit.

ARTICULUS V.

Joſephus cum prægnantem Virginem intellexit, oppignoratam ne ſibi illam vel conjugem habebat?

Sine ambagibus quæſtionem hanc determinare videtur
Scriptura illis verbis Matthæi 1. 18. *Cum eſſet
deſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent,
inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto.
Joſeph autem vir ejus, cum eſſet Juſtus, & nollet eam* C
traducere, voluit occulte dimittere eam. S. Lucas pariter
de Joſepho habet c. 4. 2. *Cum Maria deſponſata ſibi.*
Cum autem Græcum Verbum, quod redditus *deſponſare*,
æque pariter uſurpetur de conjugali nexu,
Patres & Interpretes ea in re committuntur inter ſe;
alii unum pro conjugio, alii pro ſponſalibus tantum decertant.
Pſeudo Evangelium Nativitatis Mariæ habes,
Joſephum *nuptiarum jure de more in Templo celebrato*,
receptiſſe ſe in Bethleem patriam ſuam, rebus domeſticis
cæteriſque ad nuptiarum celebrationem neceſſariis
diſponendis; Mariam autem cum ſociis puellis in Galilæam
apud parentes ſuos diverſiſſe. Protevangelium
S. Jacobi legit tantum, Joſephum coactum minis Summi
Sacerdotis Mariam duxiſſe, cui dixit: *Maria, ego
te hodie recipio in Templo Domini, relinquam te vero in* D
domo (*uſquequo regrediar*.) *Quantum ad me, ego ad
meam profeſſionem regrediar, ædibus ſcilicet conſtruendis:
Deus ſuſpiciet te*. His omnibus ſatis intelligimus,
verum conjugium Scriptoribus illis perſuaderi: quamquam
non tale conjugium, quod copulam tamquam
neceſſariam conſecutionem exigeret; tenent enim &
Scriptores illi & Patres [1], S. Virginem Deo religione
Parentum conſecratam, caſtitatem ſuam Domino
voviſſe. Verumtamen votum hoc a Virgine nuncupatum
latuiſſe homines, & ipſum S. Joſephum credendum
eſt; Patres enim doctiſſimi monent, Deum Virgini
conjugem deſtinaſſe, ut honori ejus conſuleret, & puerperii
illius myſterium conjugii velamine celaretur. S.
Auguſtinus inſinuare videtur, Joſephum Mariam duxiſſe,
tamquam conjuge illa uſurum: *Neque enim* E
*cum ea vidiſſet divina fœcunditate donatam, ipſe aliam
quæſivit uxorem; cum utique nec iſtam quæſiſſet, ſi neceſſariam
conjugem non haberet: ſed vinculum fidei conjugalis
non ideo judicavit eſſe ſolvendum, quia ſpes commiſcendæ
carnis ablata eſt.*

Modo ut ad propoſitam quæſtionem regrediamur, an
ſcilicet Virgo conjugii, vel tantum ſponſalitio vinculo
alligata eſſet S. Joſepho, cum de myſterio Incarnationis
ab Angelo reſcivit, quæ opinio conjugium defendit,
nititur Scripturæ illis verbis Matth. 1. 19. *Joſeph autem
vir ejus &c.* Matth. 1. 20. & *Noli timere accipere Mariam
conjugem tuam.*

Affert etiam S. Ambroſius in Luc. l. 2. n. 5. p. 1283.
illud Evangelii de Joſepho, qui voluit Virginem temittere:
Qui volebas dimittere, ait, *ſuſtinuit accipiam*. Et
quidem nullum eſt niſi in conjugio divortium. Sed numquid
non & ſponſam infidelem integrum eſt Sponſo dimittere?
Docent Authores Judæi, oppignoratas puellas
perinde ac conjuges haberi, ut nonniſi per litteras
divortii repudientur [2]. Origenes & Author Operis
imperfecti in Matthæum [3], ſicut & Theophylactus,
aliique plures volunt, Textum Evangelii: *Cum eſſet deſponſata
&c.* conjugium reipſa deſignare.

Sed adverſa opinio & rationum momentis, & authoritate
multum ſuperat. Textus Græcus ad litteram ſonat
ſponſalia. Ad hæc, Angelus ad S. Joſephum ait a
Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam; non ergo antehac
acceperas. Pſeudo-Origenes hom. 1. & 3. in diverſa
loca Evangelii, qui exſcripſiſſe videtur S. Hilarium,
& ſubinde etiam S. Hieronymum, eorum opinionem
de conjugio ſeu potius de ſponſalibus S. Joſephi
cum Virgine adoptans, ſcribit, unde ortum JESU CHRISTI
Mariam ideo tantum conjugem Joſephi appellari,
ut myſterium Incarnationis Diabolo occultaretur, &
Mariæ Virginitas Judæis. S. Hilarius in Matt. 1. verum
conjugium inter illos nonniſi poſt natum Chriſtum agnoſcit:
*Ergo & conjugis nomen ſponſa ſuſcepit, & poſt
partum recognita tantum, Jeſus Mater oſtenditur*. Apertior
S. Hieronymus in Matthæum de S. Joſepho: *Pro
licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat*. Et ulitionem
poſt ait de S. Joſepho: *cum virum audit, ſuſpicio
tibi non ſubeat nuptiarum*. S. Epiphanius hæreſ. 78.
c. 7. 8 ſcite obſervat, Evangeliſtam numquam ſcripſiſſe
S. Joſepho, ſed tantum illam ſibi virum hunc ſanctum
deſpondiſſe, nec ductam illam, ut conjux haberetur,
ſed ut ſanctæ fœminæ vir ſanctus eſſet cuſtos.

Deſponſa licet tantum Joſepho, adhuc tamen cum
ſponſo Virgo morabatur; quod juxta S. Chryſoſtomum
in Matth. hom. 4. Authorem Operis imperfecti, & S.
Bernardum Hom. 2. n. 12. in Miſſus eſt. *Mos Judæorum
erat, ut a die deſponſationis ſuæ uſque ad tempus nuptiarum,
Sponſis Sponſæ traderentur cuſtodiendæ*. Sed conſuetudo
iſta vix Authorum Judæorum teſtimonio probaretur:
id tantum ſcimus, longum conſtitui ab illis
intervallum inter ſponſalia & nuptias; cujus rei documentum
exhibent Scriptura, Judæorum Libri [4], & hiſtoria
ipſa, de qua agimus; cum trium menſium ſpatio
Virgo oppignorata manſiſſet S. Ioſepho, antequam conjugium
celebraretur. Obtinet hodie pariter apud Judæos,
ut puellæ oppignoratæ maneant interdum ſex
menſium ſpatio, quin & anno ac ſæpe biennio, antequam
conjugium ineatur; quo temporis intervallo ſi forte
pudorem ſuum violaverit ſponſa, adulterii rea habetur,
uti Thamar exemplo intelligimus.

ARTICULUS VI.

Cur S. Ioſeph dimittere S. Virginem meditabatur?

Si Joſeph de pudore Sponſæ ſuæ ejuſque innocentia
optime perſuadebatur, ut Authoribus quam plurimis
viſum, cur prægnantem illam intelligens, dimittere
meditabatur? ſi reum credebat, cur, *juſtus cum eſſet*,
occulte dimittere illam meditabatur, & non potius
palam denunciavit, ne connivere crimini videretur?
An ignorabas, Deum non criminis tantum reos punire,
ſed & criminis conſcios [5]? Reponitur huic
objectioni, in Lege quidem permitti, ut fœmina adulterii
rea ſiſtatur judicio [6]; nihil tamen ea de re
præcipi. *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt, & impius*,
ait Sapiens Proverb. 18. 22. Non tamen ſuſtinuit
S. Joſeph, ut SS. Virginem quam puram norat,
incertus tamen quomodo, & forte vi oppreſſam

1 Vide Nyſſen. Orat. de Nativitate Domini pag. 779. Ambroſ. de Inſtit. Virg. c. 5. Epiphan. hæreſ. 78. c. 24. &c.
2 Vide Selden. Uxor. Hebraic. lib. 2. c. 1. & 8. 3 Orig. in Matth. Opus imperfect. in Matt. hom. 1.
4 Selden. Uxor. Hebraic. Leo Modena. Cærem. Judæor. part. 3. cap. 5. Baſnag. hiſt. Judæor. lib. 5. cap. 19.
num. 12. Vide & Grot. in Matth. 1. 18. 5 Rom. 1. 32. 6 Levit. 20. 10.

Digitized by Google

ſuſpicans [1], apud ſe retineret: forte etiam ambigere poterat, num antea concepiſſet, quam ſibi oppignoraretur. Profecto nihil aptius ſuccurriſſet illi, quam opportunum hoc dimittendi conſilium. Potuiſſet ille quidem rem totam a Maria quærere; ſed numquid rem plane miram affirmanti credidiſſet? S. Viri angorem intelligens Maria, potuiſſet rem totam ita exponere, ut illi perſuaderet; maluit tamen in ſilentio Deum opitulantem, & ambages Sponſi tollentem opperiri.

Tenent nonnulli, Joſephum myſterium Incarnationis probe noſſe, & profunda erga puritatem Virginis veneratione prohibitum fuiſſe, ne, ſe cum tanta Virgine jungeret, ſatiuſque duxiſſe, ut clam illam dimitteret. Docet S. Baſilius l. 1. hom. 25. Joſephum veritum, ne conjux haberetur mulieris cæterarum conditiones adeo tranſcendentis, clam omnibus illam deſerere meditatum fuiſſe. Repetat Author quidem, ſub Origenis nomine latens [2], Joſephum myſterium aliquod ineffabile in Maria intelligentem, indignum ſe reputaſſe, ut tantæ rei ſibi incognitæ particeps admitteretur; quare ſeceſſionem agitaſſe apud ſe, eadem fere ingeminantem, quæ S. Petrus Luc. 5. 8. *Recede a me Domine, quia homo peccator ſum*. Fuſius eamdem ſententiam proſequens S. Bernardus, ex Patribus tenere ſe illam profitetur: *Accipe in hoc non meam, ſed Patrum ſententiam. Videbat & horrebat divinæ præſentiæ certiſſimum geſtantem inſigne; & quia myſterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam* [3]. Gemina ferme promit S. Hieronymus in Matth. 1. *Joſeph ſciens Mariæ caſtitatem, & admirans quod evenerat, celat ſilentio, cujus myſterium neſciebat*. Vetus Evangelium S. Jacobi n. 13. 14. tradit, Joſephum poſt ſex circiter menſium a domo abſentiam, regreſſum tandem, cum fœtam Virginem intellexiſſet, mente turbatum fuiſſe, illud ſecum reputando: Quid faciam? quomodo me ſiſtam coram Domino, qui cum Virginitatem hanc e Templo Domini receperim, minus caute illam cuſtodii? Tunc ad Mariam converſus. O tu in Sancta Sanctorum innutrita, manu Angelorum paſta, quid feciſti? Plorans ad hæc mulier: Nullum ego admiſi crimen, nullum hominem vidi. Cur ergo, ait Joſeph, prægnantem video? Tum illa: Vivat Deus meus, unde hæc mihi contigerint, ignoro. Ad hæc verba obſtupeſcens Joſeph, reputabat intra ſe. Quid faciam? Si crimen ejus abſcondo, criminis ego adverſus Legem Dei damnor: ſi illam accuſo coram populo, ne juſtitiam lędam, innoxiam poſcens ad pœnam, metuo: Paria ferme e veteri hiſtoria accepiſſe ſe profitetur Author Operis imperfecti in Matth. hom. 5.

Sed nihil tale in Scriptura; ex qua pariter intelligere videmur, caviſſe Joſephum, ne ambages ſuas Sponſæ proderet, pudori ipſius, & mœrori conſultum. S. Auguſtinus Ep. olim 54. nunc 153. itade hac re philoſophatur. *Cum eam comperiſſet eſſe prægnantem, cui ſe noverat non eſſe commixtum; & ob hoc nihil aliud, quam adulteram eſſe credidiſſet, puniri tamen eam noluit, non approbator flagitii fuit. Nam hæc voluntas ejus etiam juſtitiæ deputatur*. Idem vir Sanctus alibi celebrat juſtitiam S. Joſeph, qui cum prægnantem Sponſam intelligeret, non poterat non adulterii ream ſuſpicari: *Reſtabat itaque certa adulterii ſuſpicio*, in quo tamen rerum articulo plurimum cavit, ne miſeram diffamaret: *Voluit enim prodeſſe peccanti, non punire peccantem* [4]. Gemina ferme habet S. Chryſoſtomus in Matthæum hom. 4.

ARTICULUS VII.

Quo ſenſu Joſeph appellabatur Juſtus?

JUſti elogium ita exponunt Patres [5], ut reddat hominem virtute excultum, probum, æquum, & viri perfecti dotibus omnibus ornatum: Hanc enim ideam ſubdit Scriptura hominis Juſti, ut referat hominem perfectum, & Deo gratum. Nec ſane ambigendum eſt, virtutes omnes morales ſummo loco fuiſſe apud S. Joſephum, virum a Deo tantæ rei miniſtrum electum, Incarnationis nempe conſortem, cui JESUS CHRISTUS educandus committeretur.

Strictius tamen alii nomen *Juſti* accipientes, de viro intelligunt æqua omnibus referentem, & malis puniendis, & virtuti præmio donandæ æque intento [6]. Intelligens Joſeph Sponſam ſuam concepiſſe, fidem illis ſponſalitiam ſervare nullatenus acquievit, juxta illud Proverb. 18. 22. *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt & impius*. Cepit ergo conſilium ream dimittendi; ſed occulte peccantem noluit Legis rigori ſubdere, & palam diffamare. Clam ergo dare libellum repudii, ſive alia quacumque ratione dimittere viſum eſt: omnia ad exactas juſtitiæ regulas. Prægnantem manifeſto tenebat Mariam, quod ſatis erat ſuperque ad ſuſpicionem adulterii concipiendam, ac ream dimittendam. Cum vero fieri potuiſſet, ut invita opprimeretur, morte dignam minime cenſuit; quare cavendum ſibi duxit, ne ream ſiſteret in judicio, Legis rigore puniendam.

Nomen tandem *Juſti* alii accipiunt veluti mitem, bonum, clementem, miſericordem, quod oppoſitum eſt rigori & ſeveritati juſtitiæ. In eum ſenſum non raro uſurpatur in Scriptura nomen *Juſti* & *juſtitiæ*; ac favent expoſitioni S. Chryſoſtomi in Matth. hom. 4. p. 39 40. S. Ambroſius in Pſal. 118. 52. & S. Auguſtinus Serm. 82. *Noli eſſe Juſtus multum*, ait Salomon Eccleſ. 7. 17. ideſt, juxta Doctores Hebræos, noli eſſe nimium clemens & alienæ miſeriæ compatiens, ut Saul in Agag Regem Amalecitarum. Et Iſajas, poſtquam Judæos hortatus eſt ad miſericordiam & eleemoſynas, intulit tandem c. 58. 8. *Tunc anteibit faciem tuam juſtitia tua, & gloria Domini colliget te*. Et Pſal. 111. 9. *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus* (ideſt miſeratio, eleemoſyna) *manet in ſæculum ſæculi*. Daniel 4. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime*; quo loco legit Chaldæum Originale: *Peccata tua juſtitia redime*. Non ergo laudat Scriptura in Joſepho ſegniorem quamdam indulgentiam, nec pernicioſam clementiam, quæ malum ita tolerat, ut abuſionem permittat. Mitis erat & juſtus, ſapiens, zelotes, nec tamen in ſeveritatem nimiam ſive in rigorem præpoſterum declinabat.

ARTICULUS VIII.

Quando obierit S. Joſeph, & ubi ſepultus?

SUpereſt tantum de viri obitu quæramus. Recepta perſuaſio tenet, antea vitam clauſiſſe, quam Jeſus prædicandum Evangelium ſuſciperet; nuſpiam enim poſthac legitur de illo in Evangelio, quaſi de viro vita jam functo. Ideo Judæi ſecum invicem muſſitabant: *Jeſus filius eſt fabri* Matt. 13. 55. ſive idem ipſe *faber eſt*, juxta S. Marcum 6. 3. nec dictum ab illis umquam legimus: Verſatur in medio noſtri ejus pater; ſed tantum: Verſantur mater, fratres, & ſorores Matt. 13. 56. Mater ejus pariter & Diſcipuli ad Canæ nuptias accita venerunt Jo. 2. 1. 3. numquid & S. Joſeph? Ex quo JESUS duodennis in Templo delituit, & ab utroque parente inventus eſt, nuſpiam alibi de illo. Subjungit Evangeliſta, JESUM parentibus ſuis obſequentem manſiſſe Luc. 2. 51. Tandem JESUS ſupremum ſpiritum agens, Matrem ſuam Evangeliſtæ Johanni commendat Jo. 19. 26. 27. Joſepho potius commiſſurus, ſi in vivis egiſſet, neque enim JESUS diſſidiis gaudet, ſed concordia & charitate [7].

Autumat S. Epiphanius hæreſ. 78. n. 10. obiiſſe illum 92. annorum ætate grandævum, paulo poſt inventum Jeſum in Templo, in Doctorum corona. Pſeudo Auguſtinus defendit, vitam illum egiſſe adhuc cum Jeſus

1 Vide Deut. 22. 24.
2 Origen. in Dionyſ. homil. 1.
3 Hom. 3. in Miſſus eſt.
4 Auguſt. ſerm. 82. de verb. Evangel. pag. 444. Nov. Edit.
5 Chryſoſtom. loc. cit. pag. 39. Author Oper. Imperf. in Matth. Maldonat.
6 Brugenſ. Piſc.
7 Ambroſ. in Luc. 23.

ſus in Cœlum aſcendit [1], in quam rem accommodat illud Geneſis 37. 7. 9. *Vidi quaſi ſolem, & lunam, & ſtellas undecim adorare me*; in ſenſu enim allegorico exponit Solem de S. Joſeph; Lunam de Virgine, & ſtellas undecim de Apoſtolis, ea occaſione Dominum Deum adorantibus. Sed talibus argumentis quæſtio facti plane non probatur. A

Obiit facile & ſepulturæ mandatus eſt S. Joſeph in Nazareth patria ſua, ubi ſedem fixit poſt reditum ex Ægypto [2], & ubi pariter ſubſiſtebat JESUS, eum munus prædicationis iniret. Nonniſi aliquandiu poſt Capharnaum contendit; quam Urbem aliqui patriam credunt S. Joſephi, ſicut & Nazareth Beatæ Virginis. Conſtat plane, Joſephum fat noſſe Capharnaitas; prædicante enim JESU veritatem corporis, quod daturum ſe pollicebatur Diſcipulis, muſſitabant inter ſe cives illi: *Nonne hic eſt Jeſus filius Joſeph, cujus novimus patrem & matrem?* Quidquid ſit, tempus mortis, & locus ſepulturæ æque latent. Poſterioribus ſeculis monſtratum eſſe Joſephi, uti ferebatur, ſepulchrum in valle Joſaphat, non procul a Jeruſalem; ſed nihil de illo apud Veteres. Nec ſane credimus eo obiturum veniſſe S. Joſephum, ubi numquam ſuperſtes moratus eſt. Incertum eſſe hunc ſepulturæ locum, ſatis probat ignoratio, qua de Reliquiis ejus verſamur; nullibi enim locorum ſacra ejus oſſa coluntur. Dies obitus ad 19. Martii notatur in Martyrologiis, ultra 800. annos vetuſtiſſimis, quem diem feſtum agit in ejus memoriam Eccleſia Latina; ſicut & vigeſimum Julii in eam rem aſſignant Cophtæ, & Orientales cæteri cum nonnullis Italiæ Eccleſiis. Videſis Bollandiſtas ad diem 19. Martii.

DISSERTATIO
DE SUDORE SANGUINIS
JESU CHRISTI
In Horto Olivarum ad Luc. 22. 43. 44.

MAlorum, quæ JESUS CHRISTUS toleravit, & Crucis ejus meditatio variorum varie animos afficit. Fideles ædificandis moribus exemplum retulerunt, aſſerendæ fidei ſuæ argumentum; Infideles vero anſam ſcandali, & infidelitatis. Uſque ad hunc diem Dominus odor eſt mortis viris perditiſſimis; odor eſt cæteris vitæ in ſalutem 2. Cor. 2. 16. numquam non JESUS cruci affixus ſcandalum fuit Judæis & pravis Chriſtianis; ſicut & virtus & robur Dei ſinceris fidelibus 1. Cor. 1. 18. *Verbum enim Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt; iis autem, qui ſalvi fiunt, Dei virtus eſt.* A

Angor JESU CHRISTI in horto olivarum, expreſſuſque e corpore ſudor ſanguineus, tamquam argumentum certiſſimum de veritate carnis illius, humanis infirmitatibus omnibus ſubjectæ, habitus eſt a nonnullis; unde pariter cauſam ſuam roborarunt adverſus illos, qui veritatem ejus Incarnationis negantes, nonniſi ſpecie mala pertuliſſe aſſerebant [3]. Alii vero ſuſpicati, ne Chriſtiani nominis oſores ea hiſtoria abuterentur, ut indigna JESU CHRISTO incommoda tribuerent, totum Textum ab Exemplaribus ſuis expunxerunt; quemadmodum hodie pariter in multis vetuſtis Græcis Exemplaribus [4], & olim etiam in multo pluribus Latinis deſiderabatur. *Nec ſane ignorandum nobis eſt*, ait S. Hilarius de Trinit. l. 10. cap. 41. *& in Græcis, & in Latinis Codicibus quamplurimis vel de adveniente Angelo, vel de ſudore Sanguinis nihil ſcriptum reperiri.* Addit nihil inde diſcriminis ſive in veritatem creari, ſive juvari errorem; quod ſcilicet incertum ſit, quæ vera lectio inter tot Exemplarium varietates reputetur: *Ambiguitatibus igitur horum hoc in Libris variis, aut deſit aut ſuperfluum ſit (incertum enim hoc nobis relinquetur de varietate librorum) &c.* B

S Hieronymus adverſus Pelagianos ſcribens Dial. contr. Pelag. l. 2. aſſerit in nonnullis Exemplaribus Græcis, & Latinis legi illud Luc. 22. 43. 44. *Apparuit illi Angelus de Cœlo confortans eum; & factus in agonia prolixius orabat; & factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram.* Infert ex his, Dominum noſtrum eo imbecillitatis venire voluiſſe, ut Angeli conſolatione indigeret; tum & ſudoris ſanguinei cauſam repetit ex orandi ardore', ac vehementia: *Tam vehementer orabat, ut guttæ ſanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in paſſionem fuſurus.* C

Tom. VII.

S. Hilarius loco citato hæc habet: *Sudorem vero nemo infirmitati audebit deputare, quia & contra naturam eſt ſudare ſanguinem; nec infirmitas eſt, quod poteſtas non ſecundum naturæ conſuetudinem geſſit.*

Beda Venerabilis verba ferme omnia S. Hilarii exſcribit in Luc. l. 6. c. 22. eatus, ſudorem JESU CHRISTI, prodigioſum omnino, evertere hæreſim illorum, qui phantaſma & ſpeciem tantum hominis in JESU CHRISTO agnoſcunt: nec ambigit, reipſa ſanguine ſudaſſe; cum ex irrigata ejus ſanguine terrea allegoriam deducat, demonſtrantem totum ab ipſo mundum merito paſſionis ſuæ ſalvandum fuiſſe.

Agnoſcit S. Epiphanius Ancorat. c. 31. locum hunc ex Evangelio S. Lucæ in Codicibus Græcis permultis eraſum fuiſſe pia fraude Catholicorum quorumdam, metu, ne quid forte ſiniſtri inde deducerentur, non intelligentes quid diſpendii in veritatem proveniret. Addit, S. Irenæum l. 3. c. 32. uſum eo loco in ſuo opere adverſus hæreſes ad probandam Incarnationis veritatem.

Utitur pariter eodem loco idem S. Epiphanius loc. cit. c. 37. ad ipſum idem dogma aſſerendum, demonſtrans, lacrymas & ſudorem res eſſe mere corporeas: ſimul autem oſtendit, infirmitati JESU CHRISTI nequaquam tribuendum, ſi Angeli alloquio confirmatus eſt; non enim Angelorum conſolatione ille indigebat, ad cujus adſpectum cœleſtia, terreſtria, & inferna genuflectuntur Philipp. 2. 10. Suſpicatur Grotius in Lucam 19. 41. hanc Exemplarium correctionem nonniſi Epiſcoporum authoritate inductam; veroſimilius tamen crederetur, ita cum illa contigiſſe, quomodo cum aliis permultis, ut Amanuenſium audacia, ſeu nimia Semiſophorum quorumdam religione putantium locum hunc Invidiam JESU CHRISTO creare expungeretur; vel ad oram Codicis Textus ille veluti caute legendus adnotatus, anſam dederit ſuppreſſionis in nonnullis exemplaribus.

Nihil tamen hoc valuit, quin Mſſ plerumque Græca & Latina, ac impreſſa omnia noſtræ ætatis ſarta recta maneret. Vidimus ſuperius apologiam pro illo S. Epiphanii, in cujus ſuffragium adducentis locum S.

1 Auguſt. 5. Append. pag. 27. ſerm. 1. de Sancto Joſeph.
2 Matth. 2. 23. 3 Vide Epiph. Anchorat. cap. 31. 32. 33. 4 Deeſt in Mſſ. Alex. Bodl. 4. 5. Cod. Leiceſtr. Copht. Pariſ. 6. Syri quidam, teſte Photio Epiſt. 138. Pluſimi Latini teſtibus Hieron. lib. 2. contr. Pelag. & Hilar. lib. 10. de Trinit. Plures Græci, teſte Epiph. Ancorat. c. 31. 32.

Irenæi. Eandem pariter ſententiam, quam Irenæus, refert etiam S. Hippolytus [2], S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, S. Chryſoſtomus in Matthæum hom. 84. Ammonius in Concordia, S. Auguſtinus in Libro de concordia Evangeliſtarum, & Patres alii poſt ipſos. Photius ad Theodorum amicum ſuum ſcribens, monet Epiſt. 138. ne umquam committat, ut quorumdam Syrorum authoritate permotus, locum hunc e Textu S. Lucæ veluti alienum expungentium, illum rejiciat. Porro Syris illis perſuaſerat metus, quod indecorum Jesu Christo videretur, ut eo dolore oppreſſus eſſet, quo ſanguineus ſudor exprimeretur. Syrorum nomine hic Armeni facile deſignantur, quos locum hunc, & hiſtoriam fœminæ adulteræ expunxiſſe ex Evangelio, accuſat Nicon, de peſſima Religione Armenorum.

Poſt relatas Patrum ſententias de varietate lectionum eo loci in Exemplaribus Græcis, & Latinis occurentium, modo Textus illius ſenſus eliciendus eſt, juxta varias Interpretum opiniones. Scribit ergo S. Lucas 22. 44. de Christo: *Factus in agonia prolixius orabat*, ſive juxta Textum, *Prolixius orabat* [a]. Sed Græcus ad litteram habet: *Rogabat inſtantius*, nempe majori ardore, affectu, & perſeverantia. Agonia Jesu Christi horror erat ad aſpectum mortis, & inſtantium tormentorum conceptus. Græcum *agonia* ſignificat ad litteram motum quemdam hominis ſtrenui, cui damnum aliquod imminet, nec tamen ad ejus aſpectum deſpondet animis, ſed horreſcit, & conturbatur; & quamquam horrori & cordis agitationi reſiſtit, hoc ipſo angor ejus augetur; agon enim Græce eſt pugna, diſcrimen. Hunc ipſum agonem & luctam ſponte, & cogente nemine, Jesus ſubierat.

Cenſet Ligfootus Hor. Hebr. in Lucam Angelum quidem non ante Christo apparuiſſe, quam poſt acrem Jesu Christi cum Dæmone luctam. Dæmon enim horrendum quoddam monſtrum præferens, videndum ſe obtulit, totamque in illum rabiem ac furorem exerciſſe. Venit tunc Angelus ad confirmandum illum, qui contra Dæmonem pugnabat: *In agonia*. Singularis hæc eſt viri ſententia rationibus deſtituta, cum apud quatuor Evangeliſtas altum ſit de viſo Dæmone ſilentium.

Proſequitur S. Lucas: *Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*. Plures in hæc verba quæſtiones. 1. Contendunt nonnulli [3], numquam ſatis aperte e Textu S. Lucæ demonſtrari, Jesum Christum ſanguine ſudaſſe, ſed tantum veluti guttis ſanguinis ſtillaſſe, ideſt ſudorem, uti cæteri quidem omnes, emiſiſſe, ſed multo craſſiorem & majori copia, ut in ejus corpore veluti globulos, guttis ſanguinis ſimillimos, formaret, quorum alii corpori adhærerent, alii ad terram uſque diffluerent. Obſervant, S. Juſtinum Martyrem in Dialogo nihil de ſanguine, ſed tantum de ſudore locutum. S. Hippolytus ſemel & iterum ad hunc locum S. Lucæ ſpectans, nonniſi ſudoris meminit. Theophylactus, & Euthymius obſervant, S. Lucam non ſcripſiſſe: *Factus eſt ſudor ejus ſanguinis*, ſed velut guttæ ſanguinis. Sed Textus S. Lucæ eam expoſitionem non patitur. Vox Græca *Thrombos* ſonat ſanguinem concretum. Ita pariter obtinet apud Græcos, ut *Thrombos* appellent concretum ſanguinem, & parvulum quemdam tumorem poſt eductum e vena ſanguinem aliquandiu apparentem, qui e ſanguine extra vaſa coagulato, & in globulos concreto circa cutem efficitur. Profecto nihil tale ſcimus de ſudore, qui non figitur. Sudor itaque Christo humor erat e ſanguine ſudore mixto; ſeu potius ſanguis pariter, & ſudor eodem temporis momento e corpore ſtillarunt; cum interim concretum ſtatim ſanguinem fluidior ſudoris humor veluti vehiculum ad terram uſque deduxit; ſeu potius ſudor ſanguineus tanta copia manabat, ut ad terram uſque deflueret, quod per humentem ſudore cutem facile devolvetur: vix autem terram contingens concreſcebat.

2. Reputant alii, ſudorem hunc merum eſſe ſanguinem, quam ſententiam tenuiſſe videtur S. Auguſtinus in Pſ. 91. 11. dum ſcribit: *Toto corpore ſanguis emanabat: ita Eccleſia ejus habet Martyres, per totum corpus ejus fuſus eſt ſanguis*. Ita pariter ſenſiſſe videtur Maldonatus in Matt. 26. 37. & Beda Venerabilis.

3. Cenſet Photius [4], verbis S. Lucæ tantum deſignari hyperbole quadam & exaggerata loquendi phraſi intimum doloris ſenſum, & ſupremam J. C. virium & animi deſtitutionem. Proverbiali illo formula utitur, quam nos pariter uſurpamus de homine, qui plurima toleravit: illum enim ſanguine & aqua ſudaſſe dicimus. Ita ergo Evangeliſta ut moreret immenſum illud pondus, quo Jesus in horto opprimebatur, vividis coloribus depingeret, ſcripſit ſudaſſe toto corpore, veluti guttis ſanguinis decurrentibus in terram: uno verbo ſudaſſe ſanguine & aqua: *Salſoſque per artus ſudor iit*.

4. Miraculo rem totam tribuiſſe S. Hilarium, ſupra jam obſervavimus; ex qua pariter argumentum ducere non de infirmitate Christi, uti Ariani, ſed de potentia divinitatis: *Nec infirmitas eſt, quod poteſtas non ſecundum naturæ conſuetudinem geſſit*.

5. Communis tandem opinio tenet, ſudorem illum ſanguinem naturalem quidem fuiſſe, ſed majori expreſſum vi & copia, quam ſoleat plerumque. Exempla quidem multa ſuppetunt de ſudore ſanguineo, ex inopinato quodam terrore ſeu diſcrimine ſine miraculo educto.

Quid poſſint in hominum corpora paſſiones, ex variis omnibus exploratis exemplis ſatis conſtare arbitror: intime enim adeo ſpiritus corpori nectitur, ut unius motum in alterum redundare neceſſe ſit. Ita anima paſſionibus commota, movetur & corpus; ſicut turbata corporis œconomia anima pariter angitur. Quid in hominibus pleriſque cauſet puſtularum, ſeu alterius cujuſque contagioſi morbi metus, frequentibus exemplis docemur. Tota ſanguinis maſſa agitata, turbato *oſcillationum* & ſecretionum curſu, contrahitur actutum morbus, & ea ſaluti affert incommoda, quæ raro evitantur. Quid vehemens aliquod gaudium? Nonne ejus vi oppreſſos plures legimus in hiſtoria? Porro nomine paſſionum deſignantur hic emotiones omnes, quas conſenſu quodam turbati ſanguinis & ſpirituum animalium anima patitur.

Porro ab hujus generis paſſionibus Jesus Christus immunis non fuit; ſunt enim, ait Damaſcenus de Fide l. 3. c. 20. *naturales*, & *innoxiæ*, nempe naturæ humanæ appendices, quibus gratiæ & ſcientiæ perfectio omnes cohærere utique poſſunt. Illud unice intereſſit inter Paſſiones Jesu Christi, & noſtras diſcrimen, juxta eumdem Patrem, quod Jesu Christi paſſiones voluntati ejus per omnia obſequerentur, noſtræ vero præveniant voluntatem; & juxta S. Auguſtinum de Civit. l. 4. *Hos motus certiſſimæ diſpenſationis gratia ita cum voluit ſuſcepit animo humano, ſicut cum voluit factus eſt homo*. Si autem paſſionibus hiſce reliquo vitæ tempore obnoxius fuit Christus, negaret utique nemo, totum illarum exercitum Virum invaſiſſe in horto Olivarum, ac omnium maxime mortis metum imminentem, ait enim: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Objectus eſt tunc oculis ejus totus probroſæ illius mortis terror.

Præſcientiæ divinæ artificio factum eſt, ut ejus mortis facies omnes Christo exhiberentur; certam intellexit, ſenſit ejus opprobria, & indigna omnia, quæ ſe manerent; nihil terribilium morſuum tunc Jesum fugiebat, miſer hominum ſtatus, criminis immanitas, ingrati animi vitium, ſævitia, & cæcitas Judæorum, imbecillitas S. Petri & Apoſtolorum: ea ſimul omnia Spiritus ejus agnoſcebat. Cum tandem vis tota Divinitatis veluti ſuſpenſa retineretur, perinde ſe haberet quaſi a Patre derelictus, ut in eas veluti querelas prorumperet: *Deus, Deus meus, quare me dereliqui-*

a Contra Noet. c. 18. edit. Fabric. Item ſerm. de Reſurrect. apud Athanaſ. Sinait. in Hodego p. 356.
2 Grot. Eraſm. Varabl.
3 Vide Grot. Hamm. Price. & Binæum de morte Christi lib. 2. pag. 130.
4 Ep. 138. ad Theodor. Vide etiam in hanc ſententiam Euthymium, & Theophylactum.

reliquiſti? Tantum ſe igitur mœrori conceſſit, tantoque dolore oppreſſus eſt, quantum humanitas vix ferperet.

Tot ſimul confertæ paſſiones curſus animalium ſpirituum interceperant, repreſſerunt ſanguinis motum, ac ſecretiones tandem omnes. Verum animis deinde confirmatus Jeſus ab Angelo, ac voluntati divinæ ſe totum ſubmittens, hominum inſuper charitate inflammatus, ad amplectendam mortem animo convolavit. Redditus tunc priſtinus ſpirituum curſus, recluſi cutis meatus, ſanguis una cum ſudore defluxit: quemadmodum ſolet ſubjectus in medio amnis alveo agger; tumeſcunt enim aquæ, ac tandem objice diſrupto, impetu majori in arva prorumpunt. Ita pariter in acceſſu ardentium febrium contingit, in erethiſmo ſolidorum omnium, areſcit enim cutis exſanguis; ſed febri reſoluta & violentis illis *contractionibus* remiſſis, effuſo quodam ſudore morbus effluit.

Spectamus hæc non infrequenter, ſi quando aliquis ſubito & inopinato quodam metus terrore opprimitur; palleſcit ore, nutat artubus, & contremiſcit; ſed poſt modicum vel longius aliquod temporis ſpatium pro metus granditate: tandem ſi terror ille perſeveret, vel maxime augeatur, cor palpitet, cutis humeſcit, & ſudor ſtillat; nec rari ſunt quibus ſanguis erumpit e naribus vel e ſecretioribus corporis partibus.

Horum porro ſymptomatum in cauſa eſt, quod cum primum inſilit metus, motum ſuum comprimunt ſpiritus animales, ex quo minus validæ & frequentes *contractiones* in corde reſultant; quare minus valide repulſus in arterias & in extremas quaſcumque corporis partes ſanguis, pallentem relinquit faciem, tremantes artus, & genua labentia. Cum autem nihil vel parum ſanguinis recipiunt arteriæ, ſanguis tamen vel proprio pondere, vel periſtaltico ipſarum motu in venas impellitur; ex quo factum, ut ſenſim deſtituantur ſanguine arteriæ, ac venæ magis magiſque redundantes majorem, quam ſoleant, ſanguinis copiam referant ad cor. Cum autem cor ſanguinem arteriis non ſuppeditaverit, ac novum ſubinde & novum recipiat a venis, ſanguine oppletur, quo proinde ventriculorum membranæ, fibræ & nervi, magis quam pro conſueto diſtenduntur, quare ad majorem etiam contractionem adigitur cor, ut redundantem a venis ſanguinem pellat. Cum autem elaſticum quodcumque corpus ea portione contrahatur, qua diſtenditur, qui cordis ea occaſione niſus fuerit, judicandum Lectoribus relinquimus.

Si enim integro corporis ſtatu vis contractionis ſeu vibrationis cordis tantum, ut nihil de arteriis dicamus, æquat in ſingulis pulſationibus pondus 300. librarum [1], quantum ea occaſione vis illa intendatur quis æſtimet? Redundantem igitur ſanguinem depulſurus, contrahetur maxime cor; eademque proportione vim ſuam elaſticam exerent nervi pariter & fibræ; quare auctis *oſcillationibus* motus & undulationes in arteriis reſultabant; quæ cum ipſæ pariter ſint in contractione, maximo profecto impetu ſanguinem ad extremitates capillares propellent, quin & ad ipſa cutis vaſa, nonniſi ad recipiendas ſeroſas ſanguinis partes diſpoſita: ſuccedit inde poſt pallorem palpitatio, & coacta quædam ac præceps tranſpiratio, unde & poſt ardorem ſudor.

Facile inde intelligimus, quomodo in vehementi quodam mœrore ſanguineus exprimatur ſudor; quam in rem animadvertendum eſt, 1. In humano corpore diſcurrere venas & arterias; arterias autem cum venis anaſtomoſi ita continuari [2], ut unus ſingularis ſed recurvus canalis vena pariter & arteria reddatur. Eſt autem arteriæ os extremum veluti extremus coni angulus [3], eo in loco deſinens, quo incipit extrema cuſpis venæ, quæ pariter in conum deſinit [4]; ut proinde arteria latum habens circa cor canalem, ſenſim decreſcat, & ſecundum ſuum alveum ramos ad dextram & ſiniſtram demittat, in quos ſcilicet ramos exoneret albentem ſanguinis partem, ſecretionum omnium, nutritionis ocularis, tranſpirationis, & ſudoris materiam.

2. Sudorem per cutis poros, nempe per orificia glandularum *cutanearum*, effluere; occultam vero tranſpirationem per anguſtiores alios corporis meatus.

3. In imbecilli cordis contractione cum primum opprimit metus, extrema pars nervorum, qui vaſis cutis junguntur, deficientibus animalibus ſpiritibus, laſſeſcere; ſpiritibus, inquam, quibus vis elaſtica ita detinetur, ut nervi rectius ſerviant. Cum autem tunc corporis etiam motus paulo evadat languidior, fit inde, ut meatus corporis magis pateant, eo facilius, quod juxta recentiores exactiſſimos Anatomiſtas [5] detecta ſit in ſingulis poris cutis pellicula quædam ſemicircularis, locum tenens valvulæ, quæ fibras nervorum amplectens, ſtringit & relaxat, pro data opportunitate; ex quibus proinde etiam pori cutis adſtringuntur relaxanturque.

Docet autem experientia, meatus illos ita laxari quandoque, ut non ſanguini tantum via pateat, ſed & ſabuli etiam granulis, ut in arthriticis [6]; quin & teſte Vanderlinden in Phiſiolog. c. 16. art. 13. ſect. 24. ita patuerunt quandoque, ut hordei granum exciperent.

Quibus ita conſtitutis, ſi ingens aliquis terror & probroſæ mortis horror, ſolaminis deſtitutio, ſanguinis & ſubtilium ſpirituum ad motum expeditorum maxima fluiditas ſimul jungantur, nullo profecto negotio naturalem cauſam ſanguinei hujus ſudoris aſſequemur.

Etenim, juxta conſtituta a nobis principia, cor ſubito oppreſſum terrore, motum habens languidiorem, cum ſanguine plus nimio gravaretur, ut incommodum onus repelleret, vim exerens ſuam, ſanguinem illum ſubtilem maxime & ſpiritibus antea repreſſis redundantem, propulſavit in vacuas arterias, dilatari faciles & reſtringi. Facile inde concipitur, quomodo validis hiſce & ingeminatis concuſſionibus, & in maxima arteriarum contractione ſanguis facile majori impetu uſque ad arterias capillares propelleretur. Cum autem ſanguinem reiteratis hiſce cordis & arteriarum contractionibus motum pariter ſuum progreſſivum, & periſtalticum augere neceſſe ſit, fiet inde, ut principia ejuſdem ſanguinis inter ſe confuſa & admixta fibras omnes diſſolvant, rubicundæ ejus partes attenuentur, atterantur, cum ſeroſis confundantur, in unum cum illis corpus coaleſcentes.

Regurgitans ergo in arteriis ſanguis, & vi cordis atque arteriarum validius impulſus, in arteriæ cuſpidem, quam capillarem arteriam vocamus, impingetur; ſed cum anguſtior ſit vaſis hujus hiatus, ac minor, quam ut maſſam regurgitantis ſanguinis capiat, nec ferat impetus urgentis vehementiam, laſſeſcere illud neceſſe eſt in extremitatibus capillaribus, ubi velut agger opponitur ſanguini e corde proſilienti, ex eo maxime, quod anguſtius contrahantur vaſa illa, quo magis e corde recedunt. Ite ergo per rectam lineam a corde ſanguis impulſus, premens ad latera ſyſtole arteriarum, nec extremitatibus capillaribus liberum meatum præbentibus, cum nec effugium habeat, nec requiem, urgentibus undique omnibus, quærit, ut evadat; quare inſinuatus ſe coactus, cum ſeroſitate per vaſa ad latera canalis ſui patentia dilabitur.

Cum autem, ut ſupra obſervavimus, arteria ſecundum canalem ſuum plures emittat ramos ad dextram & ſiniſtram, quibus apta tranſpirationi & ſudori materia ſecernitur, in eos ſe ramos inſinuans ſanguis, per diſpoſitam ſeroſitatis viam ducetur ad uſque glandulas cutaneas, quibus laſſeſcentibus, atque pluſquam par eſt, recluſis, deſtitutis pariter animalibus ſpiritibus, ſtillabit e poris illis ſudor quidam ſanguineus. Ita pariter ſpectamus, cum violenta ſubita tuſſi excreatur ſanguis; nec tamen inde ſtatim inferas, ex pulmonis vaſis diſruptis vitium illud induci, (raro enim tunc eo vitio affecta convaleſcerent) ſed violente quadam pal-

1 Borell. de motu animal. 2 Bellini de motu bilis p. 146. 3 Strom. Theorica nova pag. 51.
4 Strom. ibid. pag. 83. 5 Malpighus primarius Medicus Innocentii XII. & Verheyen in ſua Anatomia.
6 Anton. Benivenius de abditis morbor. cauſis cap. 4.

pulmonis contractione vaſorum diametra pluſquam par A eſt diſtenduntur, unde ſanguis coactus per veſiculas pulmonis inſinuatur. In inflammationibus ocularibus idem pariter recurrit; cum enim vaſa lymphatica, ſuper corneam diſcurrentia, ſanguine turgescent, oculus momento citius ſanguinis colore inficitur; emiſſo ſanguine ceſſat morbus, quia decreſcens ſanguis in vaſa ſua recipitur, iter ſuum proſecuturus. Nec aliter explicatur contingens ſæpe nutricibus ſymptomata, quarum ubera lacte deſtituta ſanguinem reddunt, (quamquam glandulæ illæ maxime a cutaneis diſcrepant, ſunt enim non glandulæ potius quam glandularum acervuli)[1].

Ex iſtis etiam principiis idea quædam formatur ſæviſſimi illius & recens obtinentis morbi Polonici, quem nos *Plicam Polonicam* appellamus, in quo crines omnes B capitis, & corporis pili ſanguine ſtillant. Porro luem hanc Joannes Scadleius Medicus omnium primus anno 1564. obſervavit, uti tradit Herculea Saxonia Medicus Patavinus in tract. de Plica p. 11. Patavii 1600. in 4. Criſpantur in eo comæ, tumeſcunt maxime crines, intricato invicem plexi nectuntur, ut Meduſeam ſpectatrea, ſive furiarum poeticam comam mille anguium plexu horrentem. Putro, ſi fides ſit Schenkio primo Libr. Obſerv. de capite, tumeſcunt ad digiti craſſitudinem interdum crines, & adeo augetur barba, ut ad ventrem uſque non raro deſcendat.

Quæ autem ſingularis hujus morbi eſt indoles, promovere morbum non tollere Medici eſt ſapientia; ſi quis enim radere crinem vel barbam auſus fuerit, ille pro valetudine diſcrimini erit ægroto. Teſtatur enim C Aloyſius Sinapius[2] vidiſſe ſe quoſdam intimo capitis dolore affectos, tum oculorum inflammatione, ac deinde cæcitate, quæ omnia funeſtæ erant appendices abſciſſorum crinium. Statim ac ergo aliquis gravi capitis dolore laborat, cum oculari morbo, colicis, & vagantibus quibuſdam articulorum doloribus, hiſce indiciis *plicam* agnoſcas; cujus ſingulare eſt pharmacum, ſi quis caput ægroti defricet mollium quarundam herbarum decoctione, ac maxime Acanthi ſativi, quo *plica* inducitur. Ex quo morbi vis tota explicatur, ceſſant ſtatim omnia, dolor, & morbus; ægri enim valetudinem reſtituendam ſibi ſumit natura. Si quis autem velit ſive comam pectere, crines ſeu compungere, ſive abſcindere, effluit ſtatim ater, denſus, & abundans ſanguis, ac æger acri quodam dolore itu torquetur, ut non raro mors ipſa ſuperveniat. D

Acri hujus morbi cauſa non ea quidem reputanda eſt, quæ olim credita, nempe Polonorum ſordes, ſive humi cubationes, alioqui enim viros locupletes morbus non tangeret; ſed deputanda potius algenti regionis illius aeri, quo facilis tranſpiratio præpeditur; compotationibus immodicis ſpiritus vini, meri Hungarici, cerviſiæ corruptarum aquarum; tum & uſui immodico ſalſarum & aromatibus conditarum carnium, unde proverbium: Polonos edere, & bibere ignem. Fuſius ſingularem hunc morbum expoſui; ſed ipſa rei novitas digreſſionis moram excuſat. Quicumque plura de illo veliat, adeant, præter geminos illos Scriptores ſupra laudatos, Joannem Agricolam[3], Rodericum Fonſecam[4], Joannem Collem[5], Janum Abrahamum a Gehema[6], Michaelem Geblerum[7], Joannem Thomam Minadoum[8], Theophraſtum Veridicum Scotum[9], Honophrium Bonblium[10], qui de hoc argumento ſcripſerunt.

Hanc reddimus proniorem, naturalem & phyſicam, ac maxime ſimplicem ſanguinei ſudoris explicationem. Cum autem exemplis magis quam ratiocinationibus A ab exemplis maxime pendentibus, perſuadeamur, exempla ejus rei plura proferemus in medium, quæ ex Hiſtoricis fide digniſſimis, quæ ex obſervationibus Veterum quorundam & recentiorum Medicorum.

Suppetunt magno numero exempla ſudoris varii coloris & naturæ.

Subcroceum tum & viridem ſpectaſſe tradit Avicennas l. 2. cap. de ſudore; & in alio Libro atramento ſimilem alium ſe vidiſſe aſſerit, cujus erat cauſa in melancoliam referenda[11]. Refert Olaus Borrichius oculatus teſtis[12], ſimilem alium ſudorem in fœmina phthiſi laborante, quæ ſudando convaluit. Alsharavius Arabs Lib. practic. ſect. 2. tr. 31. c. 19. meminit rubri & arenoſi ſudoris. In Germania Ephemeridibus legitur ſudor lacteus, oleoſus, virens, violaceus; nec mul- B tis ante annis DD. Gelly, & Geofridus, Medici Facultatis Pariſienſis, ſpectarunt ægrotum, qui poſt morbum puſtularem intra viginti dies interiit, ſudans cærulei coloris humore, quo eodem colore panniculi circa ægrotum infecti ſunt. Retenta diutius urina urinaceum ſudorem reddidit; ſicut & excrementorum odore infectus ſudor aliquando expreſſus eſt[13]. Apulejus in priori Apologia narrat, Craſſum poſt inſtructiſſimam cœnam lavantem, vino ſudaſſe. Vidit Franciſcus Zypæus[14] hominem quendam, poſt epotum Hiſpanum vinum, ſudantem humore, qui vinum colore & odore referebat: cum rhabarbarum guſtaſſet quidam croco ſudavit, uti legimus in Ephemeridibus Germaniæ a Chriſtiano Menzelio relatum. Hæc certa fide conſtantia ſatis probant adverſus Scaligerum fieri C potuiſſe, ut ſanguine ſudaretur; contendit enim Scaliger, Ariſtotelem nonniſi imperite locutum de ſudore ſanguineo, quem Scaliger ipſe nec poſſibilem cenſet, nec ſe legiſſe unquam ejus exempla profitetur[15].

Nec minori copia ſuccurrunt exempla ſanguinis, e partibus quibuſque corporis exſudantis. Erumpit interdum ex auribus, ex oculis, e gingivis. Matronam quandam vidiſſe ſe refert Bartholinus[16], cujus manus dextera & facies vix tactæ ſanguinis guttis rubebant. Quoties Georgius ille Caſtriotus[17], Rex Illyrici, cognomento *Scanderbegus*, i. e. Dominus Alexander, ad pugnam adverſus Turcas, quorum erat infeſtiſſimus adverſarius, procederet, ſanguine ſtillabat e labiis. Notus eſt etiam ſudor ſanguineus ſub axillis.

Henricus ab Heers[18] refert de Belga quodam, qui D ſemel ac Spadanis aquis potaretur, regrediens a fonte mane ſanguinem reddebat ſtillantem ex axillis. Paria refert Pecolandus[19] de viro 66. annis ſene, & intermedio digitorum pedum ſecto ſudorem emittente. Apud Antonium Benivenium de abditis morbor. cauſ. Baſileæ in 8. 1529. p. 00. legas de juvene 36. annorum ætatis, egerente ſingulis menſibus ſanguinem per cutis meatum, juxta regionem jecoris; quem cum inviſendus veniſſet Scriptor ille, nec cicatricem ſeu vulnus ullum offendens, de re ipſa primum dubitavit, ſed poſt alterum menſem iterum ad illum ſe conferens, vidit eo loci fluentem uſque ad libræ pondus ſanguinem, & quod mirum eſt, poſt ſanguinem locum obſervans, ſalva omnia invenit. Fernelius[20], Medicus primarius Henrici II. & Medicinæ itidem Facultatis Pariſienſis, e vaſis capillaribus cutis ad regionem jecoris fluentem ſanguinem obſervaſſe ſe affirmat. Tandem res eſt exploratiſſima, ſæpius etiam ſanguine ſudatum; quod ſive ex cauſis internis ſive externis repetendum eſt.

Externa hujus cauſa eſt anguis *Hæmorrhois*, i. e. ſanguine fluens nomine ex effectu indito. Ejus morſu vehemens primum dolor; tum intime inſinuante ſe veneno, fibræ omnes ſanguinis adeo diſſolvuntur, ut per ſudo-

1 Bergerus d. Natur. Hume p. 113. Pitcarn. differt. p. 29. Ruyſch. Theſaur. paſſim. 2 Abſurda vero, ſeu paradoxa medica in 8 Genevæ 1697. 3 De Helotide ſeu Plica Polonica. Baſileæ decad. 4. diſput. Joan. Genathii in 4. 1620. 4 Conſultationes medicæ ubi de Plica. Venetiis 1618. fol. 5 Methodus parandi jucunda, ubi de Plica. Venet. 1628. in 4. 6 De morbo Plica. Hagæ Comitis 1683. in 8. 7 De Plica decad. 3 Joan. Genath. Baſileæ 1620. in 4. 8 De corporis turpitudinib. Patav. 1600. fol. 9 Plicomaſtix. Dantiſci 1668. in 4. 10 De Plica, Uratislaviæ 1712. in 4. 11 In Cantic. 12 Act. Hafnienſia Bartholin. 1672. t. 1. pag. 255. 13 Appendix Ephemerid. Germanic. ann. 1688. 14 Fundam. Medica Phyſica, par. 2. cap. 3. art. 17. 15 In Scaligerianis. 16 De Cruce Hippocrat. 4. de ſudore ſang. 17 Marinus Barletius, de vita & morte Scanderbegi, cum epitome Georgii Berthol. Pontani a Breitenberg. 18 Obſervat. Medic. rarior. ſeu fons Spadanus. Lugd. Batav. in 12. 1685. obſ. 23. 19 Obſerv. Uratislaviæ, 1715. in 12. 20 Patholog. l. 6. c. 4. Pariſ. 1567. fol.

ſudorem toto corpore effluat [1]. De illo agit Nicander A in Opere de theriaca, & Lucanus in Pharſalia l. 9.

. . . . Sic omnia membra
Emiſere ſimul rutilum pro ſanguine virus.
Sanguis erant lacrymæ: quæcumque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant,
Et patula nares: ſudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis: totum eſt pro vulnere corpus.

Jacobus Grevinus Medicus Facultatis Pariſienſis in Tractatu de Venenis 1568. Antuerpiæ in 4. pag. 85. refert, ſerpentem hunc brevi eſſe corpore, e genere viperarum, colore ſubnigro, arctiſſimo collo, & duobus albentibus cornibus diſtinctum.

Legitur pariter apud Georgium Margravium hiſtor. Braſiliæ l. 6. anguis *Ibyara*, cujus morſu ſanguis e naribus, ex oculis, ex auribus, ex ore, ac tandem e B poris omnibus provocatur tanta copia, ut raro eo incommodo affectus convaleſcat.

P. Kircher Jeſuita in ſuo *Scrutinio Peſtis* refert, notos eſſe in regione Quito angues bicaudatos, quorum morſus ex omnibus corporis poris ſanguinem provocat. Sunt etiam ſudorificæ quædam plantæ, juxta Galenum Lib. Medicament. purgant. c. 4. quibus ſanguineus ſudor exprimitur; cujus generis credimus *Hæmaathem* P. Kircherii, quam Courtautus in ſua Apologia appellat *Hemagogam*, ſive herbam Galenicam, non diſſimilem Stachyo; creſcit autem in Pyrenæis, & cuti applicata exprimit ſanguineum ſudorem.

Petrus de Oſma in epiſtola data Peruviæ a. 1568. ad Monardum Medicum, ut refert Marcellus Donatus De Medic. Hiſt. mirabil. Mantuæ in 4. 1596. c. 2. noſſe C ſe dicit Indum, qui pervicaciſſimos morbos depellebat, ſuccum quemdam herbæ applicans, & defricans ad juncturas, tum vero partem incaleſcentem ſtragulis operiens: quo facto, aliquandiu poſt ſanguineus ſudor ex articulis omnibus provocabatur. Clymatis etiam mutatio inter externas cauſas referenda eſt; advenæ enim, cum Americam veniunt, ex hiatibus omnibus corporis ſanguinem reddunt, quod morbi genus in Martinica appellant morbum Siam [2]; ſudant etiam ſanguine e poris omnibus cutis.

Cauſæ internæ ſunt aer peſtilens; ſed potiſſimum animæ paſſiones. In lue ſudare interdum ſanguine viſi ſunt plures, quod perniciosiſſimum eſt morbi ſymptoma. Narrat Schenckius [3], a. 1554. in loe Miſeni fœminam eo morbo affectam triduo ſanguine ſudaſſe. Conradus D Lycoſthenes Prodigior. ac oſtentor. Chronic. fol. Baſileæ, 1557. pag. 670. obſervat a. 1552. fœminam lue infectam e poris capitis omnibus ſanguine ſtillaſſe.

Tandem paſſionum violentia factum eſt interdum, ut ſanguineus ſudor exprimeretur; ne quid enim moremur ſanguineos ſudores relatos ab Ariſtotele Hiſt. animal l. 3. c. 19. & l. 3. partium animal. c. 5. Galeno [4], Theophraſto Ereſio in ſuo tractatu de ſudoribus, & Rondeletio [5], Durius in Ephemeridibus Germanicis Obſerv. 179. narrat de juvene, qui in carcere clauſus tanto affectus eſt terrore, ut corpore deficiens, in pectore, manibus & brachiis ſanguineum redderet ſudorem. Refert etiam Roſinius Lentilius in iiſdem Ephemeridibus, puerum quemdam, una cum duobus fratribus ſuis ſuſpendio damnatis, ejuſdem criminis conſortem, cum E ſupplicium fratrum ſpectaret, ſanguine toto corpore ſudaſſe.

D. Fagon Medicus Facultatis Pariſienſis, in ſua Theſi 25. Januarii 1665. corollar. 5. *Ergo*, ſcribit, *ſudor ſanguinis a naturæ vi. Sed & ſenſibus facta fides eſt, conſecratam Virginem, impotiſſimis ſicariis ad eam corrumpendam advolantibus ſtupri horrore mundiſſimum ſanguinem e venis ſudoris ſpecie cum viſa profudiſſe.*

Virorum fide digniſſimorum relatione teneſe ſe ſcribit Collius Tract. de Sanguine Chriſti in 4. Mediolani 1617. a. 1583. virum quemdam carcere detentum Pariſiis ſanguine ſudaſſe. Scribit Maldonatus, hominem robuſtum, & integra ſanitate, cum primum audivit contra ſe mortis ſententiam, ſanguineum ſudorem toto corpore emiſiſſe. Quod pariter de viro morte damnato legimus in Vita Sixti V. [6] per noctem magna copia ſanguine ſudante. Obſervat autem D. Leti ejus Vitæ Scriptor, viros illos, qui propius rem totam examinandam ſuſceperunt, exiſtimaſſe, ſudorem illum nonniſi lacrymas eſſe, dolore & deſperatione e glandulis lacrymalibus expreſſas, & inflammatione rubeſcentes; quod illis ſuccurrebat, perſuaſis nonniſi divino miraculo fieri potuiſſe, ut ſanguis per tranſpirationem e vaſis ſuis eliceretur. Optime illi, ſi nonniſi lacrymæ viri hujus rubeſcerent; ſed non de lacrymis tantum agit hiſtoria. Miſcellanea Hiſtoriæ & Literaturæ P. D. Bonaventuræ Arragonii Carthuſienſis, vulgata ſub nomine Vignolii Marvillii [7], ferunt de muliere defuncta Pariſiis ex effuſo ſanguinis ſudore, ut ne gutta quidem ſanguinis poſt ejus obitum in vaſis ſupereſſet. Meminit Thuanus Hiſtor. l. 50. Præfecti *Mortis marini*, qui captus ab Auguſto filio ſpurio Principis Salutiarum, & morte intentata ni ipſe dederet Urbem, tanto mœrore affectus eſt, ut ſudarit ſanguine & aqua. Continere autem me non poſſum, quin in calce hujus Diſſertationis, ſingularis cujuſdam ſanguinei ſudoris hiſtoriam referam, quæ Genuæ contigit a. 1703. Narratur autem in epiſtola data 5. Decembris ejuſdem anni a D. Saporitio Medico ejuſdem Urbis; & inſeritur cum nonnullis animadverſionibus celeberrim. D. Valliſnieri, Medicinam Padoæ profitentis, in Ephemeridibus Germanicis a. 1712. centur. 1. obſervat. 20.

Puellæ 18. ann. ætatis, integra ad id uſque valetudine, poſt levia quædam incommoda, valido ſtomachi morbo arrepta eſt; tum ſanguinem excreavit violenta expreſſum tuſſi, non ſine laterum dolore & reſpirandi difficultate. Is morbi ſtatus quatriduo duravit. Excepit deinde ingens capitis dolor, & ſanguinis magna copia e naribus effuſio; nec tamen inde vi morbi remittente, ſanguinis alia emiſſio e brachiis & pedibus facta eſt. Supervenit *cardialgia*, & ſanguinis vomitus; tum ſanguinis e naribus emiſſio, dein iterum vomitus ſanguineus, nequidquam renitentibus pharmacis aſtringentibus & narcoticis a Medico adhibitis. Poſt aliquot dies ſanguis profluxit ex auribus, e ſummis digitis manuum & pedum, ſicut etiam ex umbilico & angulo oculi; poſt hæc ſudor e medio pectore, & interiori ac exteriori utriuſque manus parte, tum ex eo pedum loco, unde ſanguis educitur; ac triduo poſt e mento & naſi extremitatibus, quod 14. diebus duravit.

Teſtatur autem D. Saporitius tot ſanguinis erogationibus nequaquam factum eſſe, ut ægrotans puella multo languidior redderetur; patuiſſe autem in manu tantum ſiniſtra leve quoddam veluti morſus vulnus, cujus tamen ne veſtigium quidem deprehendebatur in pectore, ſive aliis in locis, unde ſanguis effluxerat; nihilque doloris in ea ſanguinis erogatione ſentiebat, niſi cum ex intima manus parte difflueret. Poſt decem dies, ſanguinem multo pallidiorem, quam ſoleret, animadvertit Medicus, & acrior in puella manus dolor; quo indicio egreſſio ſanguinis ex eo loco deſignata. Nec mora, effluxit veluti ſudor ſanguineus, diffluens tamquam ex alte inflicto vulnere, cujus tamen nullum veſtigium ſupererat in cute poſt emunctionem; momento poſt ſanguis e vicino poro diſſiluit, tum ex altero etiam poro; ac poſitus ad languentis ſinum panniculus ſanguine itidem infectus eſt. Hæc ocularum teſtem ſpectaſſe ſe tradit D. Saporitius; aliorum autem relatione tenuiſſe ſcribit, triduo poſt ſanguinem in formas crucis, ſpineæ coronæ, aliorumque myſteriorum Paſſionis Jeſu Chriſti proſiluiſſe; facile, ait, quod ſcena ſanguis caſu varias figuras, utcumque Paſſioni ſimiles, referret, unde ea credulis perſuaſio inducta.

Poſt

1 Diodor. l. 17. p. 560. 2 Ita vocatus morbus in ea regione, quod relatus credatur navi e Siam ſolventi.
3 Obſerv. 138. l. 6. Francof. fol. 1609. Georg. Agric. l. 2. de Peſte. 4 De utilit. reſpirat. Galeno attribut. *Contingit poros ex multo & fervido ſpiritu adeo dilatari, ut exeat ſanguis per eos, & fiat ſudor ſanguineus.*
5 Lib. de dignoſcend. morbis c. 2. *In Juvene ſtudioſo propter venarum raritatem oſculorum illarum laxitatem & ſanguinis tenuitatem.* 6 Per Gregor. Leti l. 6. p. 39. 7 Tom. 3. pag. 179.

Poſthac exempla neminem futurum arbitror, qui ſanguineum ſudorem naturaliter poſſibilem negans, rem totam in Chriſto divino prodigio deputet. Te- ſtor autem non invitus, hæc omnia debere me D. *Alliot de Mussey*, Medicinæ Doctori in facultate Pariſienſi, itemque medicinam profitenti; qui obſervationes ſuas mecum, qua eſt humanitate, communicavit, eo officiorum additamento ut muneris pretium magnopere ex eo augeatur, quod mihi ſua proferenda tribuerit.

DISSERTATIO

De obſidentibus, & poſſidentibus corpora Dæmonibus.

VEteres Chriſtianæ Religionis adverſarii, prodigiorum Jeſu Chriſti, Apoſtolorum, & primorum Chriſtianorum evidentia convicti, cum veritatem in dubium revocare nec auderent nec valerent, vim eludere tentarunt, contendentes, rem totam tribuendam magicæ cuidam operationi, ſive Dæmonum Principi, ſive arcanorum quorumdam verborum, vel naturalium rerum virtuti. Opponebant alii Jeſu Chriſti & Apoſtolorum prodigiis prodigia Numinum, Magorum, & Heroum apud Paganos. Pellere Dæmones in nomine Beelzebub Jeſum Chriſtum contendebant Judæi; Pagani vero collatas a Jeſu Chriſto ægrotis ſanitates conferebant cum vulgatis Æſculapii; ſicut & prodigia Apollonii Thyanæi pari habebant gradu cum prodigiis Apoſtolorum. Noſtra ætate ingenia, quæ ceteris ſuperiora ſe jactitant, Philoſophia utuntur, ut prodigiorum, de quibus Sacra Scriptura, vim totam eludant. Sunt enim arcana quædam naturæ, ſimplicium vires quædam occultæ, eſt mira quædam vis phantaſiæ, ſunt præpoſtere inducta inſantiæ & educationis præjudicia, ſunt certæ regulæ motuum, ſunt hyperbolicæ quædam loquendi formulæ in Scriptura, quibus omnibus totam vim prodigii viri illi deputant, contendentes omnia ad naturales regulas referri optime poſſe.

Nos hic ea tantum revocabimus in examen, quæ de Dæmoniacis feruntur. 1. An fieri poſſit, ut Dæmones corporibus inſideant. 2. An inſideant reipſa. Aſſerenda ducimus primo quæcumque in contrarium validiora opponi ſunt argumenta; dein congrua illa reſponſione diluemus, adverſam ſententiam firmantes, quæ argumenta ex Scriptura, quæ e ratione deducitur. Cum autem res nobis ſit cum Philoſophis, Patrum authoritatem morabimur, tunc tantum illam attuliſſe contenti, cum adductis a Patribus illis rationibus roborabitur.

ARTICULUS I.

Rationes negantes reipſa dari Dæmoniacos.

QUos vocamus Dæmones, naturæ ſunt mere ſpirituales, quibus nulla proxima in corpora actio reſpondet. Sunt ergo impoſſibiles Dæmoniaci. Nihil enim aliud eo nomine intelligimus, quam Dæmones proxime & naturaliter in hominum corpora agentes. Si quis autem reipſa poſſibiles concedat, ſaltem ad prodigium confugere neceſſe eſt; repugnant enim exploratis naturæ legibus. Nulla autem congrua ratio ſuccurrit, cur Deus hanc Dæmoni poteſtatem indulgeat; videretur enim alioqui uno agere conſilio cum iſto, qua gloriæ ſuæ, qua humani generis adverſario; ſcandalo propterea eſſet puſillis, plus nimio exaggerans de poteſtate Dæmonis, ideam; Dæmonis, inquam, interdum ludibrio habentis vim exorciſmorum, & quidquid in religione eſt maxime ſacrum: tandem nulla neceſſitate prodigiorum numerus multiplicaretur. Prodigium eſſet enim, quod homo a Dæmone poſſideretur, prodigium quod liberaretur ab infeſtiſſimo hoſpite; prodigium tandem, quod ab illo non perimeretur.

Tandem ſi quis ſtatuat, Dæmonem reipſa obſidere energumenum, agnoſcere neceſſe erit in uno eodemque homine duo agendi veluti principia, duos ſpiritus, qui ſive alter poſt alterum, ſive ambo ſimul ad agendum illum impellerent, nimirum Dæmonem & animam. Porro duo illa principia, indole inter ſe & voluntate contraria, mutuo committerentur, alterum ab altero diſſiparetur, nec corpus in medio hujus certaminis diutius ſubſiſteret. Quam non exerceret tyrannidem Dæmon, ſi corpus ſibi ſubigeret? Quid non diceret, quid non faceret? Quodnam corpori illi diſcrimen? An conceptæ hac de re ideæ aliquid ſimile reſpondet in hiſtoriis? Quid non aſſequeremur, pandente Dæmone? quid ſcientiæ homines lateret.

Occurrunt interdum pueri ſtatim a Baptiſmo, & homines morum ſanctitate eximii, qui tamen iniquiſſimo adverſario committuntur poſſidendi. A Deo rem hanc indignam permiſſam quis credat? Nonne ad alteram confugere interpretationem præſtaret, reputantes e. gr. vitio id morbi factum eſſe? Neque enim ultionis exigendæ gratia permiſſum id a Deo credi par eſt; ſunt enim moribus caſtiſſimi: nec experimenti de illis capiendi conſilio; ſunt enim ante uſum rationis infantes, qui experimentis illis nihil proficerent. An hæc omnia valuerint ad gloriam Dei promovendam? ut quid igitur non occurrant in omnibus locis & temporibus: cur integras per Orbem nationes intactas Dæmon relinquit?

Unde vero fit, ut plerumque eo affectas incommodo non offendas, niſi gentes & regiones maxime omnium ſuperſtitioſas, ſive ſpiritu & mente imbecilliores? Nunquam profecto ſpectes viros doctos, integra ſanitate, ab omni ſuperſtitionum præjudicio vacuos, in Dæmonis poteſtatem & poſſeſſionem veniſſe. Si quis examine tentet Dæmoniacos iſtos, ſpondeo futurum, ut omnes ad unum deprehendantur atro quodam melancholiæ humore teneri, vel ſaltem affici morbo aliquo cerebri, ſeu partium nobilium corporis, cujus morbi vi ſpiritus labaſcit.

Ea quidam perſuaſione tenentur, quaſi Dæmones citra Religionis diſpendium, citra Scripturæ contemptum negari pervicacius non poſſint. Sed apage terriculamenta puerorum. Maximum potius Religioni præſtatur obſequium, ſi a ſuperſtitionum & fictorum prodigiorum fæculentia repurgetur. Prodigiorum indiſcreta farrago in Religione vera & aſſerta labefactat, & audaciora facit procacia quædam ingenia, ut negent indiſcriminatim omnia. Eſt autem Dæmonis in corpora hominum poſſeſſio prodigium inter maxima: a legibus omnibus naturæ recedit Deus, ut corpus poſſidendum Dæmoni permittat. Quo ſemel poſito miraculo, alterum conſequi neceſſe eſt, ut ſcilicet vis omnis & poteſtas Dæmonis citra necem miſeri illius hominis cohibeatur: nec niſi tertio prodigio ſemel poſſidens corpus illud Dæmon expellitur.

Si quis vero ſtatuat, unum idemque corpus a pluribus ſimul Dæmonibus inſideri, ut de Maria, quam ſeptem Dæmones poſſediſſe legimus Luc. 8. 2. de viro Gadareno, quem legio inhabitabat Marc. 5. 9. Luc. 8. 30. nova inſuper & nova prodigia cumulabuntur. Si datis temporum intervallis, & veluti iteratis aggreſſionibus, ut in ſingulis lunationibus[1], vel in recurſu morborum torqueri Dæmoniacus conſtituatur, iterum ad nova

1 Matth. 17. 14

ad nova prodigia ; ex quo enim nova hæc ſupernatura- A lis aperitur via, nunquam per illam proceditur, niſi nova interim & nova inſternantur prodigia. Rationes phyſicæ omnes ad aggreſſiones illas per intervalla explicandas loco cedunt, ſi Diabolo tribuantur, ſucceduntque ſupernaturalia omnia: eſt enim ſupra naturam Dæmonis in hominum corpore obſeſſio.

Neque e re eſt noſtræ Religionis, et veritat ejuſmodi defendator. Nihil enim inde ſive de Numinis potentis demitur, ſive Jeſu Chriſti prodigiis derogatur. Semel enim ac reipſa dati energumeni negentur, non proinde continuo negatur, Deum pro arbitrio tollere, augere, refrænare vim Dæmonis valuiſſe. Id tantum contenditur, Deum ſcilicet adverſus conſtitutas ſibi leges ea indulgentia facturum; repugnaturum pariter commodis Religionis exaggeratis plus nimio prodigiis; B ac tandem fræna Dæmoni plus nimio laxaturum; ſicut etiam in veritatem aſſertorum prodigiorum creaturum invidiam, quod ſcilicet ab energumenis multa patrari ſupra vires naturæ, adeoque prodigia exiſtimarent. Quæ ſi vera ſint, quis demonſtrabit incredulis, prodigia SS. Petri & Pauli non in Dæmonem, ſed in Deum referri oportere? Hanc calumniam ſtruxiſſe Judæos adverſus prodigia Jeſu Chriſti, quæ Beelzebub tribuebant, legimus Jo. 8. 48.

Nec inficiamur plenam eſſe in Jeſu Chriſto poteſtatem, patrandis tot tantiſque prodigiis, quot ſatis eſſent ad aſſerendam divinitatis & miſſionis ſuæ veritatem. Quando ergo negamus oblatos illi Dæmoniacos, e Dæmone reipſa poſſeſſos, aſſerimus illi tamen virtutem Dæmones pellendi, ſi forte opus fuiſſet; efficimus factum ab illo prodigium eo morbo depulſo, quo C languentium illorum ſeu corpus ſeu mens vel tandem cor ita afficiebatur, ut in eam perſuaſionem venirent. Maximo eſt ſane prodigio, ſi dicto citius valetudo reſtituatur lunatico, ſurdo, muto, quæ omnia incommoda a Dæmone intus agente inducta cenſebantur. Potentiæ Divinæ ſummum eſſet decus, ſi tantum valere demonſtraretur, ut poſſet Mariam ad bonam frugem convertere, & ab ejus corde non ſeptem Dæmones reipſa obſidentes, ſed totidem capitalia crimina, ſeu totidem malas habitudines, quibus ferebatur in crimen, depellere; ſi gratiæ ſuæ virtute contractas ab illa longa aſſuetudine malas propenſiones corrigeret; vel ſaltem ſi ſanitatem reſtitueret e morbo, vel ſeptem morborum complexu; ita enim explicari D poteſt ſeptem illud Dæmonum contubernium.

Vetuſtiſſimum intus operantis Dæmonis exemplum in Scriptura Saul occurrit. Nullo autem negotio demonſtraretur, morbum Principis totum ab agente intus melancholico humore repeti. Morbus erat per intervalla inſiliens, & invaleſcens, cui pharmacum erat præſentiſſimum, ſi quis muſico aliquo inſtrumento ludens lætiore Principi inſpiraret. Canebat igitur cythara David, qua paulatim fixum illum humorem diſſipante factum eſt, ut depelli Dæmon crederetur. Hinc S. Chryſoſtomus [1], & poſt illum Interpretes plures [2], totum Regis morbum maniæ & melancholiæ tribuunt.

Nec majori molimine cetera omnia Energumenorum exempla, de quibus in N. T. explicantur. Hic enim occurrit atra & melancholicus humor; hic a- E duſtus ſanguis & incenſus; hic viſcerum ardor, noxiorum humorum congeries, quibus ſpirituum præcludentibus, epilepſiæ ſimillimus morbus inducitur. Vitiata interdum phantaſia perſuaderet aliquis, et teneri ſe a legione Dæmonum credet: quemadmodum errantis phantaſiæ ludibrio interdum factum eſt, ut transformari ſe homines in bruta, in Reges, in Deos ſibi videantur. Sæpe tandem ex morbo ſurditas, ſeu incommoda alia caſu vel natura inducta ſaneis erant, et credulus in ſuperſtitionem populus Dæmoniacum eſſe aliquod perſuaderetur.

Hiſce ergo, quicumque fuerint, Dæmonibus depellendis, ſatis habebatur vel e morbo valetudo, vel a phantaſiæ vitio ſanitas reddita. Duo hæc ſunt Energumenorum genera, quæ Jeſus Chriſtus in Evangelio ſanavit. Qui poſt alteram a transfiguratione diem Apoſtolis oblatus eſt Dæmoniacus, lunaticus Matth. 17. 15 epilepticus [3], & mutus Matt. 9 16. referente Scriptura, ab infantia ſæpius aggreſſorem Dæmonem experiebatur, quo agente adigebatur in terram, & in ignem, ſpumabat ore, clamabat, contorquebatur. Jeſus minatus eſt Dæmoni, & ſalva ſtatim omnia.

His omnibus exponendis certum illud, quod etiam in Evangelio ponitur, conſtituendum eſt; puerum nempe illum epilepſia ab infantia laboraſſe, pervicaci ſane remediis omnibus morbo, cujus portentoſa ſymptomata facile Dæmoni ab imperitis tribuuntur. E re magis viſum eſt, miſerum hunc hominem a morbi hu- B jus tyrannide liberare, quam affectam vulgi phantaſiam, errantem quidem, ſed errore nequaquam perniciofo, ſanare. Tantumdem affirmandum mihi ſermo de obſeſſionibus, quas ferunt, Dæmonis; nihil enim habendas cenſeo, quam latentes morbos Dæmoni tributos. Ita mulier curvitate jam inde a 18. annis laborans: *habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata* Luc. 13. 13.

Energumenorum aliud genus referebant homines vitiis impliciti, quorum merito ſive a Dæmone reipſa miſeri illi torquebantur, ſive conſcientia ejuſdem criminis torquendi illos munere fungebatur. Ex eo numero facile credimus mulieres, quas a contubernio mali ſpiritus liberatas, comites ſe liberatori ſuo dediſſe legimus Luc. 8 2. nec aliter cenſemus de illis, de qui- C bus in propoſita parabola locutus eſt Jeſus Luc. 11. 24. Matt. 12. 43. narrabant enim, immundum ſpiritum ex homine digredientem deſerta loca requiem quæſiturum peteraſſe; ſed ſpe ſua fruſtratum in priorem domum rediiſſe tandem, adhibitis ſecum ſeptem aliis Spiritibus ſe nequioribus, qui omnes venientes ſedem ibi ſuam conſtituerunt, ut fierent noviſſime hominis illius pejora prioribus.

Malus ille ſpiritus, a quo ſeptem priores viri Saræ, filiæ Raguelis, exſtincti ſunt [4], Dæmon erat, cui permiſſa tantum erat nocendi poteſtas in eos, qui ſe ſe totos voluptatibus addicerent, nihil ad Deum attendentes. Compertum eſt tandem, homines admiſſo mortali crimine mancipia fieri Dæmonis [5]; cujus tyrannidi ſubjecti in graviora ſemper, & graviora adi- D guntur crimina, niſi Deus ab infelici illa ſervitute per gratiam ſuam miſeros relevet. En certam & perniciosiſſimam Diaboli poſſeſſionem.

De ſpiritu fornicationis frequenter legas in Scripturis [6], ſicut etiam de ſpiritu mendacii 2. Reg. 22. 22. de ſpiritu torporis Iſai. 29. 10. de ſpiritu zelotypiæ Num. 5. 14. 30. & ſic de cæteris, quibus phraſibus deſignantur pravæ quædam habitudines, quibus in vitia illa vel rapimur, vel diſponimur. Nec ſtatim hæc omnia Dæmoni authori tribui neceſſe eſt. Docet S. Jacobus 1. 14. queri nos tantum oportere de regnante in nobis concupiſcentia, cujus imperio ita ferimur in vitia, ut illis volentes nos ſubmittamus. Non eſt proinde, cur ſtatim reputemus ſupernaturale aliquid ineſſe iis, qui teneri dicuntur a ſpiritu fornicationis, vel E ambitionis. Satis habet cor hominis propenſionis in vitia; validum ſatis eſt paſſionum imperium, ut nihil a nobis docamus alienum, abſque eo quod quidquam agere Diabolus credatur. Sive autem ipſe ſe Diabolus rebus illis immiſceat, ſive non, illud conſtituendum eſt, unum eſſe Deum, qui genus illud Dæmonum pellere valeat. Eccleſiæ quidem & Sanctorum preces id efficere poſſunt, ut Deum miſericordem in homines criminoſos flectant, qui reſipiſcendi gratiam concedat; ſed nihil ad ejuſmodi valent adjurationes. Morbi genus illud unicum exigit pharmacum, pœnitudinem, jejunium, eleemoſynam, preces.

Tertium Energumenorum genus conſtituunt hypocondriaci & mania laborantes, qui ſe agi a Dæmone

1 Hom. 1. de Davide & Saule.
2 Cajetan. Sanct. Cornel.
3 Luc. 9. 39.
4 Tob. 6. 14. 17.
5 2. Petr. 2. 19. Rom. 6. 16. Matth. 6. 24.
6 Oſee 4. 12. & 5. 4. *Spiritus fornicationis*.

phantaſiæ errore perſuadentur. Totus eſt eorum morbus affectæ phantaſiæ vitium, quæ poſſideri ſe a dæmone repetens, agit, loquitur, clamat, curſitat, agitatur, ac ſi reipſa ab uno vel pluribus dæmonibus ageretur. Morbi hujus tota cauſa vel e ſanguine, vel e cerebro, vel ex ſpiritibus, vel ſaltem ab hiſce omnibus ſimul repetenda; quod tamen nos examini Medicorum relinquimus. Ab hoc morbi genere valetudinem tentant illi non raro, nec infelici interdum eventu, ſive naturalibus, & refrigerantibus pharmacis adhibitis, ſive opportune ad rem & perſonam remediis adhibitis, ut ad mentem reddantur, & phantaſmatibus evaneſcentibus redditam ſibi credant ſanitatem. Hiſtoriolæ quædam non injucundæ ea de re narrantur: ſed maxime ſerium argumentum, quod exigit Religio, ſerio tractandum eſt; quod maxime credimus poſcere noſtrum in Libros ſacros obſequium, in quibus plures ejuſdem generis morbos deprehendiſſe nobis videmur, morbos, inquam, affectæ phantaſiæ, quæ ſe agi a Dæmone, falſo alioqui, credat. Hunc morbum, ſublato virtute & ſapientiæ Chriſti errore, idem Chriſtus depulit.

Legimus in Evangelio Matt. 8. 28. Marc. 5. 1. &c. Luc. 8. 26. &c. Jeſum Chriſtum cum transfretaſſet mare Tiberiadis, & veniſſet in regionem Geneſareth, duobus Dæmoniacis occurriſſe, quorum alter diu jam a pluribus Dæmonibus agebatur, nudus incedebat, in ſepulcris, in montibus excavatis verſabatur, violentus erat adeo, ut nec catenis nec funibus alligaretur. Procurrit ſtatim ad Jeſum ingenti ſublato clamore, quærens ab illo, ac ſi Dæmon ex ejus ore loqueretur, ne ex eo corpore ſe pelleret, vel ſaltem permitteret, ut ex eo digreſſus, in gregem porcorum huc forte per tranſitum euntem inſiliret. Interrogavit Jeſus hominem, tanquam, ſi verba faceret ad Dæmonem, quo appellaretur nomine; *Legio*, reſpondit, quod magno hic verſemur numero. Et Jeſus ſtatutum faceſſere inde præcepit, indulgens, ut in porcos per vicina arva pereuntes inſilirent. Nec mora; ſues ad duo numero magno procurrentes impetu, præcipites ſe dederunt in mare, & vir ille ſtatim convaluit.

Subeat forte mirari, cur hoc potiſſimum exemplum ſelegerimus in affectæ phantaſiæ argumentum; ſed nullum licet expreſſius habeatur in Scripturis, cujus ſingulares adnotentur circumſtantiæ, nullum quod magis faceat in ſpeciem Dæmonum poſſeſſioni; quid tamen nobis ſuſcipimus, et conſtitutis jam principiis rem totam exponamus, nihil Dæmonum poſſeſſioni faventes. Vir ille nullo corporis morbo tenebatur, integra quin etiam valetudine & robore adeo pollebat, ut fruſtra vinculis & catenis alligaretur, ac veſtes omnes diſcerperet. Nihil de commiſſis ab illo criminibus exprobrat Jeſus; & cum poſt obtentam valetudinem comitem ſe Jeſu Chriſto offerret, reſpondentem illum audivit, redderet ſe domum, & recepta a Deo beneficia palam omnibus edicerei; nec unquam legimus monitum illum, quemadmodum cum aliis in paribus rerum eventibus factum conſtat, caveret, ne deinceps peccaret.

En igitur quomodo rem illam totam exponimus. Calenti nimium ſanguine agitabatur vir ille, cujus phantaſiæ œconomia turbata legionem Dæmonum intus agentium exhibebat. Obiter etiam animadvertendum eſt, juxta recepta a Judæis principia, unum & eundem hominem pluſquam unius animæ ſedem eſſe potuiſſe, multiſque teneri ſpiritibus [1]. Hac ſemel inducta perſuaſione vir ille, tum calente nimium, atque redundante ſanguine agitatus, e ſociorum conſortio ſecedens, Urbium frequentiam ad agrum digreſſus fugiebat, ubi turbata ſpiritui, ſeu, uti rebatur, legioni Dæmonum intus agentium ſe totum permiſit.

Quid autem Jeſus ad reddendam ægroto ſanitatem? cavit nimirum ne concepto ſemel errori contrairet; quin potius credere ſe affirmanti in ſpeciem viſus eſt. Quærit igitur ab illo ægrotus, legionem Dæmonum fugaret, facta egredientibus permiſſione, ut gregem porcorum tenerent. Omnia facilis conceſſit Jeſus; ſed cum ad errorem depellendum ſatis hæc non haberentur, argumenta ejus rei exhibenda erant in grege illo porcorum, ut agi re ipſa a Dæmone videretur. Acti proinde in fugam ſues, præcipites ſe ſe dederunt in mare. Alto en argumento perſuaſus ægrotus, quem alioquin opinio non levis tenebat de Jeſu, quaſi vir eſſet prodigiorum inſignis patrator, valetudinem ſibi receptam perſenſit; ita ſe proinde geſſit in actibus, & in ſermone, quaſi a Dæmone agitante liberaretur.

Nec difficile credimus, Jeſum Chriſtum eodem temporis articulo ſanguinis fervorem compreſſiſſe, reddita ſimul cerebro, humoribus, cæteriſque omnibus œconomia. Prodigium ultro in his omnibus agnoſcimus, non quidem in depellendo Dæmone, quo agitaretur, ſed in reſtituta ad ſanitatem mente, in tranquillo poſitis humoribus, ac tandem in grege porcorum præcipites acto in lacum ad unam Jeſu Chriſti vocem.

Animadvertiſſe juvat, Dæmones, ſi reipſa ex homine pulſi in gregem porcorum permiſſi veniſſent, commodum illud ſibi contubernium ducentes, ne ſtatim præcipitarentur in abyſſum, dæmones, inquam, adeo ſibi a regreſſu in inferos metuentes, rebus ſuis male utique conſuluiſſe, ſi gregem porcorum ſtatim egiſſent in mare. Ut quid novas conceſſas ſibi ſedes non cautius ſervaſſent, id agentes, ut ſues illi per agros ſpatiarentur, & laniorum manus ſedulo evitarent? ne quid ad montes & deſerta loca illos non adegerunt, ubi tanquam acta a dæmone animalia ſibi relinquerentur, abſtinentibus ſe omnibus ab illis, quemadmodum rabioſa quæque animalia fugiunt omnes, atque libere paſcerent? Sed Jeſus voluit argumentum præbere aptiſſimum & ad ſenſum, quod phantaſiæ hypochondriaci ſeſe altius imprimeret, in eam induceret perſuaſionem, ut vacuum ſe ab ea legione crederet; cujus rei nunquam ſatis firmam perſuaſionem ille habuiſſet, quamdiu ſues viverent, dubitans, num legio illa priſtinas ſedes repeteret. Perpetuo erat valetudo reſtituenda, demerſis brutis illis in mari.

Ad conſtituta a nobis genera energumenorum exempla, omnia revocanda ſunt, de quibus in Scriptura & Hiſtoria Eccleſiaſtica. Hæc enim reperi commode poſſunt, ſive ex vitio quodam ex redundante humore, phantaſiæ e ſtatu dimotæ morbo, vel tandem acutiſſimis criminum conſcientiæ ſtimulis. Ita pariter data proportione valetudines omnes Energumenorum explicandæ ſunt.

At enim Jeſus Chriſtus, Apoſtoli, & Eccleſia verſantur in errore, vel ſaltem erroris nobis nec invitis cauſam præbent, id agentes, & ſcribentes, veluti ſi reipſa agi homines a dæmone perſuaderentur. Jeſus Chriſtus ſermonem habet ad dæmones, Energumenorum corpora poſſidentes; imperat illis, & ipſi viciſſim parent; argumenta exhibent præſentiæ ſuæ & potentiæ, violentis convulſionibus miſeros diſcerpentes, projicientes in terram, veluti mortuos relinquentes, ac tandem in gregem porcorum inſilientes, quos præcipites egunt in mare. An hæc phantaſiæ ludibria ſunt, & morbi ſymptomata? Offertur Jeſu homo ab agente intus dæmone loquendi & audiendi facultate privatus. Pulſus eſt dæmon, & continuo ſalva omnia. Quid minus ſucatum? Si depulſa prius ſurditate, tum nobis exactus dæmon obtruderetur, ſuſpicandi eſſet anſa, num dæmonis nomine ipſa tantum ſurditas deſignaretur. Sed diſerte admodum Scriptura pulſum ante dæmonem, ac inductam poſtea valetudinem expreſſit [2]. Nonne Eccleſia in precum a ſe inſtitutis formulis, & in adjurationibus, obſideri reipſa a dæmonibus corpora tenet apertiſſime? Ludit, & illuditur profecto, non erat, ſi Dæmoniaci vana ſunt ægriſorum commenta.

Hiſce omnibus reponitur, nec Jeſum Chriſtum, nec Apoſtolos, nec Eccleſiam refutandas ſuſcepiſſe vulgi opiniones omnes & præjudicia; nihil pariter moratos fuiſſe jam communi uſu phraſes, parum utique exactas, & veritati minus cohærentes. Notæ ſunt prævalere Judæorum ejus ætæ-

1 Vide Joſeph. de bello l. 2. p. 72°, & l. 7. c. 25. p. 981. & R. Iſaac, Lorienſ. de revolut. animar. 2 Luc. 11. 14. *Et erat ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum: & cum ejeciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.*

ætatis, tùm & Apoſtolorum de Regno Meſſiæ ideæ; ſicut & de futuro ſæculo, ac de aliis pluribus multæ. Jeſus Chriſtus ad finem uſque vitæ rudiores illos indoctoſque pertulit, Spiritui Sancto relinquens, ut præceptis & doctrinis inſtitueret, mentem aperiret, ac cetera omnia doceret, quæ ipſe quidem ſæpe, abſque eo quod illi aſſequerentur, expoſuerat.

Solebant Judæi pleraque, morbos omnes funeſtas eſſe criminum conſecutiones rati, Dæmoni auctori tribuere; quorum errorem deſtruere cenſuit Jeſus ſuperyacaneum; ne quid dicam de erroribus rerum philoſophicarum & naturalium; quos utique corrigendos nequaquam ſuſcepit. Cum horum omnium ſcientia nihil ad ſalutem conferret, ut docerentur a Jeſu Chriſto, nihil erat. Quot autem ferebantur errores de Angelis & Spiritibus per viſum apparentibus, de malorum ſpirituum poteſtate, de excantationibus, & Magia, quæ omnia Jeſus reliquit intacta? In rebus Anatomicis & Medicis nihil vel parum norant Hebræi, quemadmodum ex verbis illorum intelligimus. An igitur hoſce illorum errores adoptabimus, quod Scriptura, ut legentium captui ſeſe accommodet, in ſuis illos phraſibus inſinuet & veluti conſecret?

Cum itaque ita loquuntur Sacri Scriptores, veluti ſi ægroti illi, ad ſanitatem a Jeſu Chriſto reſtituti, poſſiderentur reipſa a Dæmone; ſi ponere tamquam certum videntur, Dæmonem miſerorum corporibus inſidere, qui proinde corpora loquendi & audiendi privet facultate, incurvet, manis cogit laborare, cruciet, torquet; hæc ad populi præjudicia accommodata ſunt. Quæ ſane præjudicia ſectari interdum coguntur, verba ad populum vel facientes, vel ſcribentes Philoſophi etiam, & Viri quique docti. Si quis Medicum arcerſat ad curandum hypochondriacum, an ille continuo præjudiciis ægroti ſe præbebit adverſarium, quietem ejus conturbans, ſuadens ponere mentis errorem, & falſa eſſe omnia, neque enim reipſe eſſe quod tamen ipſe de ſe firmiſſima mentis perſuaſione tenet, nempe glaciem, nivem, equum, cuniculum? Sapientis eſt Medici, ut primum ſtatum ſuum reddat humoribus; tum ſi forte artificium aliquod excogitaverit, ut errantem revocet, ſive ut phantaſiam ægroti corrigat, ſtatim adhibet, ea tamen cautione, ut dicta ſua omnia & facta ad circumſtantias & habitudines languentis accommodet. Ita plane Jeſus, bonitatis & ſapientiæ conſilio, non ſine magno patientiæ documento cum Judæis præſtitit.

Ad Eccleſiam quod attinet, inſtitutæ ab illa adjurationes non unius ſunt generis; ſunt enim quædam pro infantibus ad Baptiſmum oblatis, qui cum peccato Originali obnoxii teneantur, ita habentur ab Eccleſia, veluti ſi Dæmonis poteſtati ſubeſſent. Sunt etiam adjurationes ſalis & aquæ, antequam benedictionibus conſecrentur; quod ea perſuaſione præſtitum eſt, veluti ſi ab Infernis poteſtatibus, circumfuſum aerem infeſtantibus, imperium aliquod in alia etiam elementa & in fructus exerceretur; quem Eccleſiæ morem, utpote e traditionibus tot vetuſtate probatis repetitum, meritis laudibus proſequimur. Tandem adjurantur homines & loca, quæ a Dæmone infeſta reputantur; qua in re nihil antiquius ducit Eccleſia, quam ut Miniſtros ſuos ſumma circumſpectione uti illis admoneat.

Teneri illa quidem ea perſuaſione videtur, Dæmones interdum ita prævalere, ut homines quoſdam infeſtent, ſive ad exigendam latentium criminum ultionem, ſive exercendæ virtutis illorum, ſive manifeſtandorum operum Dei gratia. Ita loquitur, veluti ſi a Spiritibus teneri corpore, torqueri, ac inſideri eos numeret; Sed hæ loquendi phraſes numquid ceu e vulgari ſermone adoptatæ haberi non poſſent, quarum tamen expreſſam nimis & literalem ſignificationem nunquam urgeat Eccleſia? Luſtralis aquæ aſperſiones in loca etiam maxime ſacra, ſicut & in homines, docent utique ea perſuaſione teneri Eccleſiam, quaſi ſcilicet Dæmones circumfuſum undique aerem & loca etiam maxime ſancta infeſtent; ſed mos iſte & perſuaſio ineluctabile nihilominus rei argumentum non conficiunt. Religioſæ ſunt conſuetudines & religioſa quædam perſuA ſione deducta, quibus tamen nihil certi nec fide divinus exploratì ſubeſt. Ita, data proportione, de adjurationibus philoſophandum; illis uti neminem cogit Eccleſia; neminem etiam damnat, ſi utatur; dari reipſa Energumenos non negat, ſed reperire etiam poſſumus, nunquam Fideles ad eam perſuaſionem obligare, ſive negantes fidem illis ſuam adjicere nunquam condemnare; vel ſaltem raro incommodum illud dari cenſeat.

Si vero problematica res eſt, neque Eccleſiæ auctoritate ad illam credendam tanquam fidei dogma cogimur; præferenda eſt utique ſententia negans dari Energumenos; ea enim arctiores intra fines virtutem Dæmonis cogit, vulgaribus ſuperſtitionibus minus favet, ambigua omnia prodigia e religione ſummovet, B ut ſua fides veris probatiſque efferatur. Ad hæc, ſimplici & naturali expoſitione Textus plures Sacræ Scripturæ declarat, magnis alioqui difficultatibus implicitos, ac genuinam ſuppeditat rationem, quare in hac ſæculorum luce apud gentes minus credulas minor ſit Dæmoniacorum frequentia, quam in tenebricoſis alterius ætatis ſæculis, & apud rudes ac ſuperſtitioſas nationes.

Quas tandem adhibet Eccleſia loquendi phraſes in adjurationibus, ad ſimiles alias Scripturæ referri conſtat; quare ſicut Scripturæ locutiones commode exponi poſſe abſque admiſſa Energumenorum veritate demonſtravimus, ita pariter de Ritualibus Libris Eccleſiæ reputandum. Nunquam Chriſtus dilertis verbis Eccleſiæ ſuæ aſſertam quandam & perpetuam auctoritatem C conceſſit, ſeu vim patrandorum miraculorum, pellendorum nempe Dæmonum, vim, inquam, formulis hiſce alligatam. Sunt ergo adjurationes puræ putæque Eccleſiæ preces cum invocatione nominis Jeſu Chriſti, ad ſolatium ferendum ægrotantibus in corpore, & inducendam valetudinem menti illorum, qui poſſideri ſe a Dæmone autumant.

Quanquam recepta Judæorum perſuaſio favere Energumenorum veritati ſatis conſtat, ex eorum tamen Libris intelligimus, plures ex illis in ſpeciem rerum dari illos autumaſſe. Joſephus Antiq. l. 7. cap. 25. diſerte aſſerit, cruciari homines a ſceleſtorum animabus, quæ paratum ſibi ſuppliciorum locum petere recuſantes, mortale aliquod corpus occupant, angunt, diſcerpunt, nihil relinquentes intentatum, quo morD tem inducant. Volgo Judæi olim tenebant, pelli Dæmones magicis operationibus, ſimplicium quorumdam, & odoramentorum virtute, excantationibus, ac tandem invocatione nominis Dei, & ipſius pariter Beelzebub. Fumo jecoris exenterati piſcis pulſus Dæmon Aſmodæus legitur Tob. 6. 19. & 8. 2. 3.

Carmina quædam mulcendis morbis, & adjurationum adverſus Cacodæmonas, ut e mortalium corporibus foras egerentur, formulas ſcripſiſſe Salomonem narrat Joſephus Antiqu. l. 8. cap. 2. Addit pariter, Eleazarum quendam Judæum Energumenos quoſdam coram Veſpaſiano liberaſſe, ſubjecta naribus radice a Salomone indicata, quam annulo alligatam tenebat, adjecta pariter invocatione nominis ejuſdem Principis, & indicata ab illo precum, vel adjurationis E formula. His ſimul omnibus præſtitis, decidebat in terram ægrotus, & ſecedente Dæmone, nullo inde dolore torquebatur.

Jeſu Chriſti adverſarii calumniam in illum ſtruxere, veluti ſi in nomine Beelzebub Principis Dæmonum ſpiritus illos malos depelleret Matt. 12. 24. Luc. 11. 15. &c. Hæc objicientibus Phariſæis repoſuit ille Luc. 11. 19. &c. *Si ego in Beelzebub ejicio Dæmonia, Filii veſtri in quo ejiciunt?* Patet ergo inter Judæos notos fuiſſe Exorciſtas, Dæmones aliter ſane pellentes, quam ad invocationem nominis Beelzebub; ex quo facile infertur, alias inira potuiſſe tunc rationes, quam adhibita ope nominis Beelzebub, ut proinde nonniſi impudentiſſime de uſurpato eo nomine Jeſus accuſaretur.

Legimus Act. 19. 14. filios Scevæ, a Diſcipulis JeF ſu Chriſti utique alienos, id ſibi muneris ſuſcepiſſe, ut Energumenos exorciſmis adjuvarent. Sed cum invocatione nominis J. C. quem Paulus prædicabat;

Dæmoniacum quendam aggredarentur, exprobravit ille: *Jeſum novi, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis?* Tum in duos ex illis inſiliens, arripuit, & peſſime adeo excepit, ut vulnerati & ſeminudi fuga ſe ſubducere cogerentur. Ex his omnibus exemplis conſecutiones ſtatim deducam.

Rabbini, & maxime Maimonides, Scripturæ ſtilo aſſueti, ſolent non raro morbis certa Dæmonum nomina tribuere. Ita e. g. *Cordeum* [1], ſive *Cordiacum* appellant Dæmonem, qui muſto ebriis præſidet, vel juxta eorum expreſſionem, iis, *quos muſtum cogit renunciare cerebro*. Docet Maimonides, *Cordiacum* genus eſſe morbi epileptici, ex regurgitationibus vaſis cerebri, & turbata ſpirituum œconomia cauſati. Aſſignant alibi [2], nomen *Schibta* Dæmoni, qui infantes in nodo cervicis apprehendens, aridos reddit, & nervis contractos.

Expreſſerunt facile Hebræi veteres Græcorum Philoſophos, & Medicos, nomina interdum certorum Dæmonum tribuentes latentibus quibuſdam, & minus cognitis morbis, uti apoplexiæ. Quem morbum Placo Dæmonem appellavit, alii cum Galeno tribuerunt Lunæ 3. Epilepſiam Græci deſignarunt nomine *morbi ſacri* 4, quod ſcilicet inſuetum adeo & ignotum morbum nonniſi a Diis induci poſſe reputarent.

Juxta has hypotheſes Rabbinorum, & Philoſophorum, Energumenorum numerus magis quam pro communi opinione reſtringitur; rari enim ſunt qui vel errantis phantaſiæ ludibrio, vel morbi cujuſdam vitio, vel turbata humorum œconomia in eam perſuaſionem non veniant, rati hæc omnia, quorum latentes & cauſæ & remedia, ad Dæmonem referri oportere.

Si vero Spiritus homines infeſtantes ipſæ ſunt impiorum animæ, juxta opinionem Joſephi, fruſtra hæc omnia obſeſſionum exempla ad Dæmones referantur; neque cum veritate ſatis congruunt quæcumque ſupra animadverſa ſunt e phraſibus Scripturæ, & loquendi formulis Eccleſiæ ſolemnibus. Multo tamen veroſimilius crederetur, Joſephum ſuam tantum conjecturam ea de re obtrudiſſe; conſtat enim ex Novo Teſtamento Judæorum vulgarem tum opinionem multum Energumenis faviſſe. Sed quid ea de re philoſophabantur Hebræi? Tenebant, Dæmones corpora hominum ſubeuntes, morbos fere omnes tam exteriùs patentes quam intimos inducere; pelli vero poſſe excantationibus, & magicis aliis arcanis; uno verbo, integrum eſſe Beelzebub Dæmoniorum principi ut ſubjectos ſibi Spiritus pro arbitrio ad homines dimitteret avocaretque; ac tandem Beelzebub ipſum cogi vi magica poſſe.

Profecto ſi pellere Dæmones e corpore magicæ eſt operationis, audacter affirmo nullos dari re ipſa Dæmoniacos: 1. Quod nihil eſt niſi fucatum in Magia; 2. Quod ſi Dæmones corpora obſident, datum id malis illis Spiritibus a Deo cenſendum eſt, permittente Deo, ut ſingularis ille Dæmon ſingularem hunc hominem aggrediatur: quæ ſi vera ſint, nulla eſt in Energumenos Magorum authoritas, nulla Beelzebub; nihil eſt enim, cur imperet Dæmoni, cui Deus, ut hominem obſideat, permiſit; excantationes, herbarum vires, & Dæmones ſimul omnes nihil valebunt adverſus ſummi Dei imperium.

Certo nihilominus conſtat ex Hiſtoria, ſucceſſiſſe interdum Paganis, & Judæis ſeu potius Veneficis, ut Dæmones pellerent. Commenta ſunt ergo, & ludibria quæ de Energumenis feruntur; ſicuti magicæ artes omnes, quibus illi convaleſcunt, nihil habent ſolidiùs. Si numquam apud homines inita eſt ratio pellendi Dæmones corpora obſidentes, id profecto tribuendum eſt virtuti medicinæ, ſeu virorum ſapientum induſtriæ, qui phantaſiæ errorem corrigere noverant; hoc totum ejus rei prodigium. Utrumque Jeſus non ſine miraculo præſtitit; uno ejus imperantis verbo hæc omnia ſtatim facta ſunt abſque invocationibus, nulla carminum vi, nullo humani artificii invento, nullo ſtudio, labore nullo.

Iſtæ, quæcumque ſint, Dæmonum intus in corpus agentium infeſtationes, nulla veritatis ſuæ exhibent argumenta, ſive Energumenis ipſis, ſive nobis hæc omnia intuentibus. Indicia ſunt nobis maxime ambigua adeoque incerta; quæcumque enim obſervamus in Dæmoniacis, ipſa pariter non raro ſpectare licet in hypocondriacis, cruciantur enim, agitantur loquela carent, a Dæmone teneri ſe credunt & creduntur, curantur Exorciſmis, ſicut & vividis quandoque impreſſionibus, quibus ſenſus vel phantaſia afficiuntur, opportunis adhibitis medicaminibus, ætate, humorum criſi, fraude interdum ſolerti. Nihil eſt ergo ſatis aſſertum, quo de Energumenorum veritate perſuadeamur.

ARTICULUS II.

Rationes Energumenorum veritatem demonſtrantes.

Dari reipſa Energumenos, aſſerta eſt Scripturæ, Patrum, Judæorum, Paganorum, Veterum, & Recentiorum ſententia. Tantæ authoritati quis repugnet? Ipſe ſe Jeſus Chriſtus & Apoſtoli vel perſuaſos de ejus rei veritate demonſtrant, vel ita loquuntur, veluti ſi ne ambigarent quidem. Tantis teſtibus quid opponatur? Miſſionis ſuæ argumentum exhibens Jeſus Chriſtus gloriatur ſe Dæmones pellere Luc. 7. 20. 21. quam pariter virtutem Apoſtolis ſuis communicaturum ſe profitetur Marc. 16. 17. Utrique palam omnibus poteſtatem hanc ſuam exercent. Jeſus verba ad Dæmones facit, imperat, minatur, ſilentium indicit, jubet e corporibus faceſſere; & vere loco depuliſſe, indicio valetudinis reſtitutæ e morbis, quos mali illi hoſpites induxerant, ad ſenſum demonſtrat.

Ludibria hæc ſunt, ſi mentes quaſdam humanis ſuperiores attendas. Dæmones ibi nulli, nulli Dæmoniaci, Energumenorum reſtitutæ valetudines nullæ. Vitium erat cerebri, vel errantis phantaſiæ ſiniſtra perſuaſio, quæ fucum miſeris illis faciebat. Jeſus Chriſtus, & Apoſtoli, ſi philoſophantes viros illos audias, prudentes, volentes, libentesque populos errori ſuo permiſcerunt. Satis hæc, ut erratica iſta ingenia ad recta deducerentur.

Negant fieri unquam poſſe, ut ſpiritus ipſe per ſe agat in corpus; nulla eſt enim inter corpus & ſpiritum affinitas. Motui tantum, quieti, & figuræ apta materia; reliquis omnibus functionibus inepta eſt; nihil tale ſpiritus agere poteſt in materiam; quare agendi in materiam ſpiritui nulla eſt facultas. Non ergo valet Dæmon hominis corpus aliquod obſidere, non movere loco, non voces in illo formare.

Repono, Dæmonem numquam propria virtute, authoritate, & inſita a natura vi corpus obſidere; ſed divina id præſtat, conceſſa ſibi, facultate, quæ Dei voluntas ipſa rerum omnium naturæ cenſenda eſt. Sit hoc, eſto, ſingulare quoddam Dei volentis conſilium; ſit ſupra conſuetas naturæ leges, ſit prodigium. Poſt hæc omnia, miraculum illud, ſi quod eſt, nihil ſuperat ſubjectam noſtris aſſidue oculis unionem animæ cum corpore, & mutuam motuum ac ſenſuum inter utrumque affinitatem, quorum alteri altera occaſionem præbet, & veluti fomentum.

Fruſtra hic miracula miraculis cumulare ſine neceſſitate accuſaremur. Frivolum eſt enim hoc, cum de facto ipſo conſtat; nec ſatis eſt argumenti, etiam ſi de facto ipſo ambigeremus. Neque enim exploratum eſt nobis, quos Deus limites virtuti ſuæ præſcribere conſtituerit; ignotum quæ nobis argumenta præbere velit ſuæ in prodigia virtutis. Numquam exaggerare miracula abſque neceſſitate accuſaremur, quouſque nec nova, nec ficta, ſive incerta adducerentur in medium. Ipſa

[1] Vide Maim. & alios in Gitton c. 7. §. 1. [2] Aruch. in Schibta.
3 Galen. 2. parte Oper. tract. 8. p. 402. Vide Bekkerum l. 1. c. 27. Mundi excantati.
4 Hippocrat. l. de ſacro morbo.

Ipſie autem fatentibus adverſariis, quæ narrantur de Energumenis hiſtoriæ, nec recentia ſunt inventa, nec ficta, nec ambiguæ. Ipſorum eſt ergo ut demonſtrent, nullos dari Energumenos, antequam accuſationem ſuam de exaggeratis temere prodigiis ſtruant.

Quid? an multiplicantur nimium Dæmoniaci Jesu Christi ætate, ut de reddita illis ſanitate argumentum pro aſſerenda ejus divinitate ducatur? Potuiſſet ille anguſtiores præſcribere miraculis fines; nemo autem hucuſque illum accuſavit de exaggerata in immenſum abſque neceſſitate prodigiorum copia. Nec nos defendendum ſuſcipimus infeſtationes Dæmonum vel prodigio tribuendas eſſe omnes, vel reſtitutas Energumenis ſanitates continuo ad prodigium deputari. Valet enim Energumenus ab agente intus Dæmone per adjurationes, & inſtitutas Eccleſiæ preces ſine miraculo liberari. Teneri a Dæmone hominem niſi circumſtantiæ aliæ adjungantur, fieri utique poteſt ſine prodigio. Neque enim conceſſa a Numine malis Spiritibus facultas agendi in corpora, in ſenſus, in organa, quin & in ipſam hominis animam, prodigii loco a nobis habetur, cum nihil adverſetur conſuetis naturæ legibus; ſicut animæ cum corpore unio ac alterius cum altero conſenſio juxta naturam eſt maxime.

Cum ergo poſſideri vere a Dæmonibus corpora noſtra Scriptura apertiſſimis verbis, & ea perſuaſione tenerentur, vel ſaltem teneri ſe ſignificant verbis, & factis Jesus Christus, & Apoſtoli; cum neque factu id eſſe impoſſibile, nec naturæ legibus repugnans ſatis conſtet, pro earum veritate ſententia jure meritoque ferenda eſt. Huic autem judicio ſidem vindicat principium illud, quod ſcilicet ſi forte Textus clarus, & apertus Scripturæ aliquid ferat, neque contrarium ſuadeat ſive rei apertiſſima veritas, ſive repugnantia, quæ forte occurrant, ſive abſurdæ aliquæ adverſus Religionem, & veritates revelatas conſecutiones [1], niſi, inquam hæc omnia adverſentur, pro ſenſu maxime prono judicandum eſt. Nunc autem omnia recurrunt, nihil eſt repugnans, nihil abſurdum, impium nihil: veritas ergo literæ tenenda.

Opponant, rem eſſe hanc, de qua tractamus, explicatu difficilem; ſi enim obſideri homines a malis hiſce Spiritibus ſtatuantur, duo erunt agendi in uno eodemque homine principia, duæ velut animæ in uno corpore. Sed nihil eſt in hac re magis arduum, quam quod ſingulis momentis accidere ſpectamus in nobis, ex quo in contraria ſtudia variis, & inter ſe pugnantibus paſſionibus diſtrahimur, ſeu ante nos poſitis repugnantibus objectis afficimur. Homo a Dæmone occupatus, non ſemper a Dæmone agitur, & movetur. Datis temporum intervallis ſuperiora tenet in illo voluntas, Dæmoni reſiſtit, reluctatur. Quando ultra admitteremus, liberam agendi facultatem ſuſpendi, & veluti alligari in homine, cum obſidente Dæmone agitur, quod inde conſecutionis inferretur? Nonne per quietem noctis homines, & loquuntur, & agunt? nonne gradiuntur, veſtibus ornantur, nihil tamen inde ſentientes, ſopita prorſus cum ſpiritus libertate? Citra prodigium hæc tamen omnia, nec ullum ſequitur abſurdum. Tantundem, & de Energumenis philoſophetis: alto ſopore demerſa anima ceſſat ab agendo.

Si vero Deus diſpoſitionis ſuæ conſilio permittat interdum, ut pueri ſtatim a Baptiſmo, & caſtiſſimis moribus homines Dæmonem habeant contubernalem, valent hæc omnia ad opera Dei, ejuſque potentiam manifeſtandam, ut rectiſſime de illis uſurpari poſſit effatum Jesu Christi ad Apoſtolos interrogantes Joan. 9. 2. 3. *Rabbi, quis peccavit? hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* Quibus ille: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo*; ut ſcilicet Jesu Christi viſum illi reſtituentis gloria, tum & virtus, ac miſericordia Dei in illo clareſceret. Non eſt profecto noſtrum, ut limites Deo præſcribamus, neque de operibus illius quæramus rationem. Quando illi, qui malo aliquo afficiuntur, proficere inde non poſſent; ſatis eſt, ut de illis documentum aliis præſtetur.

Si ea nobis ſederet opinio, hiſtorias omnes tam ſacras quam prophanas, quæ de Energumenis feruntur, cum veritate conſtare, nos utique urgeret illud adverſariorum, ecqui in certis quibuſdam locis, & apud quoſdam ſuperſtitione vacuos homines nihil tale occurrat? Ecqui mente plerumque minus ſanis, & tenui imbecillique corporis habitudine, tum vitiatis corpore incommoda illa acciderint? Fatemur enim plurimum eſſe in rebus ejuſmodi inane, falſi plurimum; nec nos defendendam veritatem ſuſcipimus, niſi earum quæ ſuppeditat Scriptura. Satis habemus demonſtraſſe, dari quandoque ſincera ejus rei exempla, nec niſi præpoſtere omnia indiſcriminatim rejici; ac tandem, quæ referuntur in Evangelio, omnes præferre ſinceritatis characteres.

E re quidem Eccleſiæ eſt, ſi ab onere inanium ſuperſtitionum, & miraculorum ad arbitrium confictorum relevetur; ſed vera pariter prodigia pervicacius denegare, fidem abnuere hiſtoriis ab Authoribus Canonicis relatis, ſive in ſenſum minime pronum, & inauditum illos detorquere, numquam fieret ſine imbecillium offendiculo, numquam ſine Eccleſiæ diſcrimine, quæ detractis armis, & argumentis nuda exponeretur telis adverſariorum. Ecquid eſt aliud pyrrhoniſmum inducere, atque effrænem in ſententiis licentiam? Singuli pro arbitrio explicandum ſenſum Scripturæ ad ſua præjudicia ſuſcipient; & auguſtiſſima Religionis noſtræ myſteria novis hiſce excogitatis interpretationibus in claſſem rerum maxime communium & pedeſtrium redigentur.

Nec obiter tantum vel ambigue narratę ſunt in Evangelio Energumenorum hiſtorię, aut tamquam commune aliquid nullius momenti; ita enim de illis tractatur, quaſi de apertiſſimis miſſionis, & divinitatis Jesu Christi argumentis. Documentum illud exhibet Jesus, quo homines perſuadeantur, non alium expectandum ab illis prędictum ab Oraculis Liberatorem Luc. 7. 20. 21. ſpem facit Apoſtolis futurum, ut pellendorum Dæmonum ad invocationem nominis ſui virtute donentur Matt. 16. 17. Septuaginta illi Diſcipuli functi miſſionis ſuæ munere, læti inter ſe narrabant malos Spiritus imperio ſuo habuiſſe morigeros Luc. 10. 17. Utique profecto Religionis commodis ſervient, ſi facta hæc omnia ſummoveantur, & Energumenis ſive phantaſiæ ſeu corporis morbo aliquo affecti demonſtrentur.

At enim plus nimio Dæmonis potentia augeretur, nec ipſa patrandorum miraculorum deſtitueretur virtute; non enim niſi miraculo & quidem inſigni deputari poteſt, ſi Dęmon hominem caſtiſſimis ſæpe moribus, & ſigillo Jesu Christi obſignatum, ita in ſuam redigat poteſtatem, ut male illum excipiat, ad blaſphemias cogat quandoque, deſperationem ingerat, impotentem in homines, agendi & ratiocinandi privet facultate. His enim ſemel Dæmoni conceſſis, nonne in eam ſuſpicionem imbecilliores quædam mentes venire poſſent, Dæmonem ſcilicet ſecundum eſſe a Deo rerum omnium principium, & parem ferme cum illo obtinere in res creatas poteſtatem? Si quis etiam admittat, magicas illas operationes, excantationes, adjurationes in nomine Beelzebub, vel Salomonis in Dęmones valere plurimum, & id præſtare, quod interdum fruſtra adjurationibus Eccleſiæ tentatum eſt; quod, rogo, Fidelibus offendiculum? Nonne magis magiſque abſurda illa opinio firmabitur, Dæmonem virtute pollere plurimum, & ultionem exigere poſſe de hominibus terribilem, tormentis illos crudeliſſimis ſubmittentem?

Reponi hiſce omnibus poteſt. 1. Citra miraculum poſſideri homines a Dę mone, ſupra demonſtratum eſt. Poteſt Deus Dęmoni permittere, ut hominem obſideat; patere cogitur Dęmon, ſalvis naturæ legibus. 2. Augeatur licet in majus Dæmonis in Energumenos poteſtas, immenſo tamen ſemper a Deo diſtabit intervallo; Deo enim aſſenſum negante, adverſarius ille nihil

[1] Vide S. Auguſt. de Doctr. Chriſt. lib. 3. c. 10. 11. 12. & de Geneſ. ad lit. l. 9. c. 12. & l. 11. c. 1. n. 2.

nihil poterit; concedet etiam plurimum Jeſu CHRISTO, A qui Dæmones imperio ſuo habet morigeros, loco abire, ne reſiſtere quidem audentes, jubet; minus valebit quam Apoſtoli, & viri quique Sancti, quorum juſſa revereri cogitur; minus tandem quam Eccleſia, adjurationibus ſuis, precibus, ac cæremoniis in fugam illum agens, & igne gravioribus ſubjiciens pœnis.

Nec eſt quod magis miremur, ſi adjurationibus interdum reſiſtant, quam quod Apoſtolorum virtuti reſtiterit Diabolus in Dæmoniaco epileptico, & muto; reſiſtit autem, quod, juxta traditam e JESU CHRISTO doctrinam, genus illud nonniſi oratione & jejunio pellitur Marc. 9. 28. Plura vero ſuccurrunt, cur adjurationibus contumax fiat Diabolus. Deſideratur interdum ſive in Miniſtro, ſive in Energumeno fides; criminibus tandem Energumeni invaleſcit Diabolus, ut alias ejus B rei cauſas, in ſecreta Dei conſilia referendas, omittam. Nonne Religionis efficaciſſima remedia, Sacramenta videlicet, vacua efficit interdum prava recipientium habitudo? Si adjurationibus hiſce nulla umquam eſſet ab eventu fides, merito reclamarent adverſarii; cum tamen ſæpe non recidant incaſſum, quod illas urgeant nihil eſt. Si enim nulli eſſent Energumeni, fruſtra ſemper eſſent adjurationes; non enim valent quidquam naturalibus corporis vitiis depellendis, quorum in cenſu Energumenorum incommoda habent adverſarii.

Ut autem Dæmonum infeſtationes iſtæ validius oppugnentur, in tres illas claſſes diſtributas advertimus. Primam tenent pervicaci, & Medici occulto morbo laborantes. Secundam quibus vitiatæ phantaſia errori fucum facit. Tertiam, qui liberioris vitæ licentia per- C ſuaſi, tradi ſe in manus Dæmonum, quibus rapiantur ſive detineantur in vitiis, firmiſſime credunt. Tria hæc Energumenorum genera ſtatuuntur, ad quorum facile cenſum referri poſſe credunt, quæcumque de Energumenis ad ſanitatem reſtitutis feruntur, omni abjecto Dæmonum commento, ſed non omni amoto prodigio; cum maxime agitur de corporis ſeu phantaſiæ valetudine ad nutum, & incunctanter reſtituenda, quemadmodum e JESU CHRISTO factum novimus; qui pariter non ſine prodigio crimina remittebat, malas habitudines corrigebat, obducebat animæ vulnera ſupernaturali vitæ ſuæ pharmaco. Uno verbo, tota objectionis hujus vis in eo verſatur, ut, ſi fieri poſſit, quod Scripturæ verba a prodigio detorqueantur, hæc utique ratio interpretandi præferenda ſit. Damus & nos ultro, D hanc eſſe expoſitionem Scripturæ præferendam, ſi quidem omni amoto prodigio, & Dæmonum infeſtatione, maxime naturalis, & pronus verborum ſenſus elicitatur; defendimus autem viciſſim, nunquam fas prono ſenſu exponi Evangelii verba cum omnibus adjectis circumſtantiis, quin interpretatio illa rejiciatur. Ne unus quidem Textus non aperte exprimit, Dæmonem in homine quodam inſidentem, miſerum torquere; ubique JESUS malis hiſce Spiritibus imperat, parent illi, & ſalva ſunt omnia. Si ad tantam verborum lucem integrum eſt cuicumque, ſuſpicari, nihil hic ſive de malo Spiritu, ſive de Energumenis agi, ſed rem eſſe tantum de morbo, & tetro melancholiæ humore; liceret pariter aſſertiſſima etiam prodigia tuto in rerum naturalium cenſum redigere, uti transfretationem Ma- E ris Idumæi, Solis ſtationem ad nutum Joſue, Lazari reſurrectionem. Illud enim tunc reputandum eſſet, Scripturam ſcilicet aliter reddendam, quam litera præfert, ut præ eo quod transfretaſſe Hebræi credantur, alveum tantum illius in æſtu maris arentem ſubiiſſe intelligendi ſint; reputandum eſſet pariter non ſtetiſſe quidem reipſa ſolem, ſed id præſtitiſſe Deum, ut Joſue maturius rem totam abſolveret, antequam noctis tenebræ ſupervenirent; Lazarum non quatuor ab inde diebus interiiſſe, ſed credulis ſpectatoribus impoſuiſſe ſymptoma quoddam apoplexiæ, ſubito incidens languenti.

Reponent forte, Textus illos Scripturæ, & rei circumſtantias omnes eas interpretationes reſpuere. Dictum tenemus; ſed & infeſtationes illæ Dæmonum, de F quibus in Scriptura, veras ſe omnibus poſſis circumſtantiis ſatis demonſtrant; fruſtra ergo interpretationes aliæ excogitentur. Nullum ſuadet argumentum, ut valetudo Energumenis collata ab expulſione Dæmonum diſtinguatur. Duo ſunt hæc ſimul juncta, quibus unum efficitur prodigium; Diabolo enim expulſo, ſanitas æctutum reſtituitur.

Damus ultro, plures eſſe Dæmonum infeſtationes vel ambiguas vel falſas, quarum tota cauſa ex intimo quodam morbo repetitur. Verum ſi aucta in immenſum infeſtationes illa abuſione quadam nocent, nimium quam per eſt, eorum numerum extenuare tutum non eſſe arbitror. Non inveroſimiliter creditur, in Saulis morbo majores eſſe melancholiæ quam Diabolo partes tribuendas. Judæi, de natura morborum parum inſtructi, plura interdum Dæmoni vindicabant, e cauſis naturalibus repetenda: ita epilepticos, lunaticos, hypocondriacos perinde habebant ac Energumenos. Quid autem hæc perſuaſio Judæorum ad Energumenos Evangelii? Admittimus JESUM CHRISTUM vulgares phraſes uſurpaſſe interdum, neque enim ſermonis ſed cordis vitiis corrigendis venerat; nihil illi de falſis Judæorum perſuaſionibus quoad res in medio poſitas. Hæc pariter valent de Apoſtolis, & Evangeliſtis. Quid vero ſuadet in hoc rerum, de quo tractamus, genere omnes ſive ad decipiendos homines conſpiraſſe, ſive id caviſſe, ne errorem noſtrum tollerent, ut veritas in occulto poſita tandem detegeretur? Numquam eo confugiendum eſt, niſi ſummæ neceſſitatis anguſtiis ad extremum hoc redigamur.

Diſſimulantibus licet ingeniis hiſce vulgari ſuperioribus, intelligimus tamen, quid illis faceſſant negotii adjurationes Eccleſiæ, in quibus aperta ejus rei perſuaſio demonſtratur. Neque recens ea ſedes Eccleſiæ eidem ſingulari ſententia; una eſt populi Fidelis opinio, a primis accepta Eccleſiæ ſæculis. Provocant Eccleſiæ Patres adverſarios, ut Dæmoniacos coram Fideli conſtituant; non enim ſuſtinent Exorciſtarum præſentiam Dæmones, ipſis fatentibus Chriſtianorum obtrectatoribus. Tam alte mentibus omnium eo ſederat perſuaſio, ut vel Judæorum Exorciſtæ nomen JESU CHRISTI pellendis Dæmonibus uſurparent Marc. 9. 36. Act. 19. 14. Si quis dicas, perſuaderi utique poſſe Eccleſiam dari Energumenos, quamquam reipſa non dentur, vel ſuam hanc ſententiam numquam filiis ſuis tenendam proponere, ille certe alieno ducitur, quam Fideles quicumque ſpiritu; morigeri enim Eccleſiæ filii hanc ſibi proponi autumant neceſſitatem credendi, quod matrem Eccleſiam tenere noverunt.

Sunt fatemur & nos, adjurationes in Ritualibus Fidelium Libris, ſunt, inquam, phraſibus N.T. affines, ex quo magis magiſque ſententiæ noſtræ veritas confirmatur. Si commenta hæc omnia reputaret Eccleſia, alias agendi, & loquendi rationes uſurparet: falli autem illam in opinionibus ſuis, & ritibus quis dicat? Cum vero inſidentem manentemque in Eccleſia virtutem patrandorum in obſeſſis miraculorum admittere nobis vitio datur, res maxime dubia tamquam certe conſtituitur, Dæmones nempe non ſine prodigio expelli. Ita profecto agitur in præſenti, quemadmodum in aliis Eccleſiæ precibus, quas vacuas interdum, efficaces non raro experimur; vacuas, inquam, ex prava orantium habitudine, vel latentibus aliis, & Deo tantum cognitis cauſis. Poteſtatem Dæmones expellendi JESUS CHRISTUS conceſſit Eccleſiæ, ſed non uſque adeo aſſertam, ut effectu ſuo interdum non fruſtretur.

At enim nihil erat diſcriminis inter Energumenos, quibus ſaluti erant adjurationes vel Salomonis nomine conceptæ, vel incantationibus quibuſdam valentes, & eos quos JESUS CHRISTUS, & Apoſtoli valetudini reſtituerunt: ex quo ſane colligunt noſtræ ſententiæ oppugnatores, inanem eſſe gentis perſuaſionem, quæcumque de Energumenis feruntur; ſi quid enim ſubeſſet idea huic veri, nihil utique valuiſſent incantationes, cum obſeſſiones iſtæ Dæmonum, a Dei voluntate unice pendentes, nonniſi ab ejus ipſius voluntate tollerentur; ageret autem adverſus conſilium ſuum Deus, ſi magis obediret, atque veneficis, ſeu potius Dæmoni permitteret ea deſtruere, quæ ipſe præceperat. Sed evaneſcunt hæc omnia, ſi duo infeſtationum Diabolicarum

cum

rum genera, vera nempe & in ſpeciem tantum, diſtinguantur.

Magi illi, & Exorciſtæ, de quibus in præſenti, valuiſſent utique naturalibus quibuſdam pharmacis adhibitis, quibus accederent ſuperſtitioſi quidam ritus, creduli vulgi perſuaſione in Dæmones efficaces; valuiſſent, inquam ad ſanitatem revocare credulos illos Dæmoniacos, quibus fucum faciebat ſive corporis, ſive ſpiritus, ſive etiam phantaſiæ morbus. Valida hac adjurationum impreſſione revocari poterat ad ſanitatem ægrotus, alio errore priſtinum illum errorem de verſante intus in ſe Dæmone depellens. Cum vero res erat non cum ſpectro quodam, ſed cum Dæmone, fruſtra ſe Exorciſtæ illi omne moliri intelligebant, & frigidis quibuſdam cantationibus removere a ſe moliebantur infeliciter tentatæ rei invidiam. Succedebat interdum, ut audaciæ ſuæ pœnas dare cogerentur, quemadmodum de filiis Scevæ Sacerdotis Judæi legimus Act. 19. 14. Dæmonem etenim illi loco pellere, invocato Jesu, quem Paulus prædicabat, nomine ſatagentes, actutum a Dæmoniaco abrepti, parum abfuit quin ſuffocarentur. Suppoſititios etiam Dæmoniacos ſuos præſto habuiſſe Circulatores illos credimus, cum maxime artis ſuæ experimentum tradere vellent, ac credulis populis perſuadere, eſſe utique in ſua poteſtate, ut a Dæmone inductos morbos depellerent.

Ægre admittunt adverſarii, Dæmonem accepta a Deo facultate agere in ſpiritum, & voluntatem hominis; verum ſi hæc omnia ad nutum Dei agantur, plena ſunt omnia. Profecto male affectæ valetudines, humorum œconomia turbata, ebrietas, phantaſiæ error, & alia ſexcenta manus utique immittunt in omnes animæ noſtræ facultates, prohibent, ſuſpendunt: cur ergo tantumdem & Dæmones, id permittente Deo, non valeant? Quod paſſionum ſæpe violentia quotidie fieri intelligimus, ut agitent, angant, torqueant, (quanta eſt enim amoris, odii, & ambitionis impotentia!) id pariter & a Dæmone jure timeretur.

Poſtremum omnium, & validius forte adverſus Energumenorum veritatem argumentum inde repetitur, quod indicia ambigua ſunt maxime, tum Energumenis ipſis, tum illis, qui de Energumenis judicant, ſpectatis. Indicia ſunt, inquam, maxime ambigua; nullo enim argumento ſatis certo vera a falſis in hac re diſtinguerentur. Externa omnia ſigna, convulſiones, agitationes, clamores, & ſymptomata quæcumque, a Dæmone æque ac a morbo aliquo inducerentur. Occurrerunt etiam interdum ægroti, qui auditi olim ſermonis certa vocabula effutiunt, qui futurorum oracula caſu quodam pronunciarunt. Nihil ergo ex his ſatis certi ad Energumenos diſtinguendos.

Reponimus, plures utique Energumenorum characteres magis a perſpicuitate abeſſe, quam pro communi perſuaſione; nec nos veritatem alterius cujuſcumque de Energumenis hiſtoriæ defendendam aſſumimus, quam earum, de quibus in Sacra Scriptura, & in aſſertis aliis Hiſtoriis, quæ ſinceritatis ſuæ ea præferunt argumenta, quæ ne ſuſpicandi quidem de morbo, de phantaſiæ errore aliquo, de fraude & dolo anſam recta judicantibus præbeant. Nihil ad nos de receptis vulgo perſuaſionibus, de immodica Dæmonis poteſtate, de confictis ad libitum prodigiis, cæteriſque creduli vulgi opinionibus. Veritatem tantum defendimus Sacrorum Textuum, non obſcure præferentium, Jesum Christum, & Apoſtolos Energumenos curaſſe. Aſſerimus enim non in ſpeciem tantum illos a Dæmone infeſtatos, eo innixi principio, hæc incommodorum genera nihil habere repugnans Divinæ potentiæ, præſcriptis naturæ legibus, Dæmonum poteſtati; nec ſine religionis, & obſequii in ſacrum Textum diſcrimine fidem veritati illi denegari.

Si quis a nobis apertos quærat infeſtationis Dæmoniacæ non fucatæ characteres, reponimus plures dari probabiles tantum, certos etiam plures. Cum uno veluti impetu ſine præcedenti aliqua diſpoſitione homo e ſtatu ſuo dimovetur, ut in alium tranſeat longe diverſum, cum alio veluti ſpiritu animatur, angitur, diſcruciatur invitus; cum plura admittit ab inſita ſibi indole longe aliena, ſed ita admittit, ut ſingularia omnia videantur, & violenta, quæ numquam ab homine præſtari poſſe viderentur, uti cum in aera repente ſuſtollitur, cum res ſibi occultas refert; cum, inquam, hæc ſimul omnia in uno eodemque homine conveniant, ut virorum, quorum ſunt mentes a præjudiciis vacuæ, ſententia aliena eſſe hæc omnia cenſeantur a naturali corporis, & animæ hominis illius diſpoſitione, tunc ſincera omnia reputanda ſunt.

At cum hos ſimul omnes characteres fruſtra in Energumenis Evangelii quæras. Utique: ſed duo regerimur. 1. Non omnia Dæmoniacorum ejuſmodi incommoda narranda ſuſcepiſſe Sacros Hiſtoricos, nec raro obſervamus ab altero ſuppleri circumſtantias ab alio prætermiſſas. 2. Omnia ſimul hæc deceptionis pericula ſubmoveri a Scriptura, veritatem ejus infeſtationis aſſerente. Eo teſtimonio ſatis abunde ſuppletur quidquid alioqui ad veritatem demonſtrandam deſideratum eſſet.

Prophanorum Scriptorum, & Hebræorum phraſes, certa quædam morborum genera certis quibuſdam Spiritibus aſſerentes, ſatis probant communem gentium omnium perſuaſionem, Deum ſcilicet uti quandoque Diaboli miniſterio, malis illis inducendis, quibus interdum affligi mundum animadvertimus. Obſervat Jamblicus de Myſter. ſect. 2. n. 6. numquam Dæmones ſpectandos ſe, vel experimentum ſui hominibus præbere, niſi ad proſtranda corpora, infligendos morbos, & pondere quodam animas ad terrena inclinandas. Defendit Porphyrius de abſtin. pag. 198. malis hiſce Spiritibus accepto referenda eſſe omnia illa, quæ affligendis hominibus immittuntur, peſtem, ſterilitatem, terræ ſucceſſiones, ſiccitates &c. Minutius Felix in Octavio: *Impuri Spiritus vitam turbant, ſomnos inquietant, irrepunt etiam corporibus occulte, ut Spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra diſtorquent, & ad cultum ſui cogunt.* Meminit Plutarchus de defectu oraculor. fœminæ cujuſdam, quæ Apollinis ſacris præerat, a Dæmone peremptæ.

Quare etſi verum utique reputari poſſit, interdum humani hunc generis adverſarium, captata morborum & pravarum corporis atque humorum habitudinum opportunitate, in homines inſilire, ac dire torquere; numquam tamen talia audere renuente Deo cenſendus: nec raro ipſi pariter Auctori tribuendi ſunt morbi; ipſe corpora & humores, prava in corpore cauſeris præſentia ſua impreſſionibus, ad morbos excitat, & determinat. Solerter tamen duo iſta mala, Dæmonis nempe infeſtatio, & morbus, quamquam ab una, & eadem cauſa reperita, diſtinguenda ſunt. Qua igitur ſedet multis ſententia, obſeſſionem nempe Dæmonis aliud non eſſe, quam morbum, ſeu morbi appendicem, errantis phantaſiæ ludibrium, amoræ mentis, & melancholiæ turbatæ phantaſma; commentum eſt apertum, duo ſimul confundens, quorum alterum cum altero nullam habet neceſſariam affinitatem. Agi a Dæmone poſſunt homines integra etiam ſanitate, & mentis maxime compotes, cum Deus ad juſtitiæ & potentiæ ſuæ gloriam conferre id arbitratur,

COMMENTARIUM LITTERALE IN EVANGELIUM SANCTI LUCÆ.

CAPUT PRIMUM.

S. Lucæ Proœmium in Evangelium ſuum. Angelus Gabriel pollicetur filium Zachariæ. Sanctiſſimæ Virginis Annunciatio. Hæc inviſit S. Eliſabeth. Canticum Mariæ. S. Johannis Nativitas, & circumciſio. Zacharias recepta loquela canticum Domino canit.

1. QUoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis com-
pletæ ſunt, rerum: 2 Sicut tradiderunt nobis, quæ ab ioitio ipſi viderunt,
& miniſtri fuerunt ſermonis: 3 Viſum eſt & mihi, aſſecuro omnia a princi-
pio diligenter, ex ordine tibi ſeribere, optime Theophile, 4 Ut cognoſcas corum
verborum, de quibus eruditus es, veritatem. 5 Fuit in diebus Herodis regis Judææ,
ſacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, &
nomen ejus Eliſabeth. 6 Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes io omoibus
mandatis, & juſtificationibus Domioi ſine querela, 7 Et non erat illis filius, eo quod
eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis. 8 Factum eſt autem, cum
ſacerdotio ſungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum, 9 Secundum conſuetudinem ſa-
cerdotii, forte exiit, ut incenſum poneret, ingreſſus io templum Domini: 10 Et om-
nis multitudo populi erat orans foris hora incenſi. 11 Apparuit autem illi Angelus
Domioi, ſtans a dextris altaris iocenſi. 12 Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor
irruit ſuper eum. 13 Ait autem ad illum Angelus; Ne timeas, Zacharia, quoniam
exaudita eſt deprecatio tua: & uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium; & vocabis nomen
ejus Joannem. 14 Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gau-
debunt: 15 Erit enim magnus coram Domino: & vinum, & ſiceram non bibet, &
Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ: 16 Et multos filiorum Iſrael con-
vertet ad Dominum Deum ipſorum. 17 Et ipſe præcedet ante illum io ſpiritu, & vir-
tute Eliæ: ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum,
parare Domino plebem perfectam. 18 Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc
ſciam? ego enim ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus ſuis. 19 Et reſpondens
Angelus dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te,
& hæc tibi evangelizare. 20 Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, uſque in diem,
quo hæc fiant, pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore
ſuo. 21 Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur, quod tardaret ipſe in
templo. 22 Egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & cognoverunt, quod viſionem
vidiſſet in templo. Et ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus. 23 Et factum eſt,
ut impleti ſunt dies officii ejus, abiit in domum ſuam. 24 Poſt hos autem dies con-
cepit

cepit Eliſabeth uxor ejus, & occultabat ſe menſibus quinque, dicens: 25 Quia ſic fe-
cit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.
26 In menſe autem ſexto, miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui
nomen Nazareth, 27 Ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de do-
mo David, & nomen Virginis, Maria. 28 Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Ave,
gratia plena. Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. 29 Quæ cum audiſſet,
turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio. 30 Et ait Ange-
lus ei: Ne timeas, Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum: 31 Ecce concipies in
utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. 32 Hic erit magnus, & Filius
Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus: & regnabit
in domo Jacob in æternum, 33 Et regni ejus non erit finis. 34 Dixit autem Maria
ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? 35 Et reſpondens
Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit ti-
bi. Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. 36 Et ecce Eli-
ſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis ſextus eſt il-
li, quæ vocatur ſterilis: 37 Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. 38
Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et diſceſ-
ſit ab illa Angelus. 39 Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum fe-
ſtinatione, in civitatem Juda: 40 Et intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſa-
beth. 41 Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in
utero ejus: & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth: 42 Et exclamavit voce magna, &
dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. 43 Et unde hoc
mihi, ut veniat Mater Domiui mei ad me? 44 Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis
tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. 45 Et beata, quæ cre-
didiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi a Domino. 46 Et ait Ma-
ria: Magnificat anima mea Dominum. 47 Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſaluta-
ri meo. 48 Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me di-
cent omnes generationes. 49 Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum no-
men ejus. 50 Et miſericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. 51 Fe-
cit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. 52 Depoſuit poten-
tes de ſede, & exaltavit humiles. 53 Eſurientes implevit bonis: & divites dimiſit
inanes. 54 Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. 55 Sicut lo-
cutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula. 56 Manſit autem Ma-
ria cum illa quaſi menſibus tribus: & reverſa eſt in domum ſuam. 57 Eliſabeth au-
tem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. 58 Et audierunt vicini, & co-
gnati ejus, quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur
ei. 59 Et factum eſt in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum
nomine patris ſui Zachariam. 60 Et reſpondens mater ejus, dixit: Nequaquam, ſed
vocabitur Joannes. 61 Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tua, qui
vocetur hoc nomine. 62 Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. 63
Et poſtulans pugillarem ſcripſit, dicens: Joannes eſt nomen ejus. Et mirati ſunt uni-
verſi. 64 Apertum eſt autem illico os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens
Deum. 65 Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum: & ſuper omnia montana
Judææ divulgabantur omnia verba hæc: 66 Et poſuerunt omnes, qui audierant in
corde ſuo, dicentes: Quis, putas, puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum il-
lo. 67 Et Zacharias pater ejus repletus eſt Spiritu ſancto, & prophetavit dicens: 68
Benedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ: 69
Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui. 70 Sicut locutus eſt per os
Sanctorum, qui a ſæculo ſunt, prophetarum ejus: 71 Salutem ex inimicis noſtris, &
de manu omnium, qui oderunt nos. 72 Ad faciendam miſericordiam cum patribus
noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti. 73 Juſjurandum, quod juravit ad Abraham
patrem noſtrum, daturum ſe nobis; 74 Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtro-
rum liberati ſerviamus illi, 75 In ſanctitate, & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus
noſtris. 76 Et tu puer, propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Do-
mini parare vias ejus. 77 Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem pec-
catorum eorum: 78 Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitavit nos, o-

riens

ſiens ex alto. 79 Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent; ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. 80 Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu: & erat in deſertis uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.

℣. 1. QUONIAM QUIDEM MULTI CONATI SUNT.] A Chriſtianæ religionis initio plurimi fideles aggreſſi ſunt vitæ, & miraculorum Domini hiſtoriam conſcribere: qua in re quilibet pro ingenio, zelo, & captu ſuo ſe geſſit: verum in magna Scriptorum meſſe pauca fideliter & accurate inventa ſunt, ſeu quod aliorum nimia ſimplicitas, aliorum ingens credulitas, cauſa fuerint, ut ea quæ imperfecte dumtaxat noverant, enarrarent, ſeu quod Judæorum, atque hoſtium Chriſtianæ Religionis nequitia illorum ſcriptis plurimam labem offuderit, ſtatim ac in lucem prodierunt [1]. Hinc oborta eſt S. Lucæ cupiditas, quidlibet diligentius inquirendi, cognoſcendique ex iis, qui dominum viderant, & cum eo verſati fuerant, Apoſtolis videlicet, atque Diſcipulis, quos ille *miniſtros ſermonis*, & Evangelii præcones ap- B pellat; atque inde continentem, fidelem, authenticamque hiſtoriam elucubrandi.

Antiqui Patres meminerunt plurimorum librorum, atque Pſeudo-Evangeliorum, quæ primo Eccleſiæ ſæculo paſſim obrepſerant. Haud a fide abhorret, S. Lucam iſthic innuere velle opera illa, dicentem, complures adniſus eſſe acta Salvatoris ſcriptis mandare: quæ tamen ſententia ex Evangeliſtæ verbis neceſſario minime hauricnda eſt. Scriptores illos nequaquam redarguit; ait ſolum, opus eorum non ita ipſis e ſententia ceſſiſſe [2], eoſque non expleſſe conſilium, quod ſibi operis initio propoſuerant. De ſcriptis his nonnam ſatis prolixe verba fecimus in generali præfatione in Evangelia; fortaſſe quoque, quin eos, qui ante ſe ſcripſerant, vel negligentiæ, vel alterius defectus in- C ſimulet, innuere ſimpliciter ſtudet, ſe illorum exempla ſubſequutum fuiſſe, opus Evangelii conſcribendi ſuſcipiens [3]. Hæc per rebus vulgo in Eccleſia ſententia, ut S. Lucas Evangelio ſuo manum admoverit poſt Sanctos Matthæum, & Marcum, ex quibus nullus ferme dubitandi ſupereſt locus, quin hauſerit multa immo & nonnumquam pluribus in locis eadem exſcripſerit verba. Sin autem aliquid novi afferre, atque ſupplere iis, quæ apud alios deeſſet, noſter cogitavit Evangeliſta; hoc ad Evangeliſtas alios minime ſpectat: verum majori uſus eſt delectu, diligentia, & ordine, quam Scriptores cæteri, quorum opera vel aliquod ſpecimen dumtaxat erant, vel partes vitæ Salvatoris; cum alii de ejuſdem Nativitate, vel pueritia, alii vero de ipſius morte tantum conſcripſerint.

Origenes, & S. Ambroſius in hæc verba: *conati ſunt*, animadvertunt, opus hoc nequaquam effectum eſſe ingenii hominis, ſed gratiæ & Spiritus Dei: *ſine conatu ſunt donationes, & gratia Dei*. Evangeliſtæ adlaborarunt quidem, & ſcripſerunt; verum *ſine ullo molimine cœpta compleverunt*.

QUÆ IN NOBIS COMPLETÆ SUNT RERUM,] vel rerum, quæ in Chriſtiana religione ab ipſis uſque primordiis tranſactæ ſunt. Autographi verba [4] complures in ſenſus explicantur, qui tamen non abludunt ab eo, quem ſtatim attulimus; ſignificant enim, complere, exequi, accidere, vel perſuaderi [5]. Ea ſcripſimus, quæ nobis teſtatiſſima fuerunt, atque explorata. Nequaquam operam tranſmiſimus, ut alii nonnulli, incertis colligendis rumoribus, ambiguiſque narrationibus; ſed eos conſuluimus, qui præ cæteris nos admonere poterant de his, quæ contigerunt, utpote verbi Miniſtros atque teſtes vitæ Salvatoris.

℣. 2. QUI AB INITIO IPSI VIDERUNT, & MINISTRI FUERUNT SERMONIS.] Non deſunt [6] qui Græcum [7] ita vertant: *qui ab initio fuerunt miniſtri Verbi*, hoc eſt JESU CHRISTI. Deſignat Apoſtolos, Diſcipulos, ac ſervos JESU CHRISTI. Sed pleriſque credunt, idque majori cum veritatis ſpecie, S. Lucam verbis illis deſignare Apoſtolos, atque Diſcipulos JESU CHRISTI, Miniſtros, & Prædicatores ſermonis ejuſdem, qui illum ab initio fuerant ſubſecuti, & eumdem in terra viderant, atque cognoverant.

℣. 3. VISUM EST ET MIHI [8].] S. Lucas hoc in loco minime commendat Spiritus Sancti afflatum, cujus impulſu hæc ſcribebat: ſed loquitur eodem pacto, quo alius quilibet e grege Scriptor, qui humanas rationes affert, quibus ad ſcribendum compulſus fuerit; & qui ſuam fidem, diligentiam, & perfectam earum rerum, quas narrat, cognitionem maxime profitetur. Verum hæc fuit cauſa quod pro Ethnicis præſertim ſcribebat, quorum benevolentiam, ac fidem ſibi primum demereri debebat, antequam flagitaret, ut eas crederent veritates, quibus aſſueti non erant. Cæterum Sancti Spiritus afflatus, Scriptoris ſcientiam, probitatem, diligentiam, atque fidem non excludit: quo major eſt illius dignitas, & ea quæ ab ipſo referuntur magis divina ſunt atque ſuper naturæ ordinem poſita; eo majorem impendat, opus eſt, ſedulitatem, & curam; ut omnia intelligat, omnia cognoſcat. Cum ait: *viſum eſt mihi*, Spiritus Sancti operationem [9] non negat.

OPTIME THEOPHILE.] Quæritur, quinam fuerit hic Theophilus? Quidam [10] in dubium revocarunt, utrum hæc vera fuerit perſona; credentes, S. Lucam dicare Evangelium ſuum omnibus fidelibus, quos *Theophili* nomine, hoc eſt Amatoris Dei, deſignavit. Verum longe probabilius eſt [11], Theophilum quemdam fuiſſe Chriſtianum virum, genere, vel honore inſignem, cui S. Lucas non Evangelium ſolum, verum Acta etiam Apoſtolorum inſcribit [12]. Epithetum, quod illi confert, *optime Theophile*, oſtendit, illum virum fuiſſe non vulgaris dignitatis. Oecumenius in Act. conjectando D aſſerit, hunc provinciæ præſidem fuiſſe, eo quod additum *optimi* vulgo Præſidibus, vel Provinciarum Præfectis deferebatur [13]. Putant alii Theophilum hunc fuiſſe Antiochenum Epiſcopum: Sextus quidem Eccleſiæ Antiochenæ Antiſtes Theophilus dicebatur: Verum hic multo poſt S. Lucam floruit. Autumat Grotius, hunc fortaſſe fuiſſe Magiſtratum alicujus Urbis in Achaja, quem S. Lucas ſacro baptiſmate abluerit: at Ligfoot cenſet, hunc potius fuiſſe opulentum aliquem Antiochiæ Civem, S. Lucæ amicum, atque concivem, & ab eodem ad Chriſtianam religionem converſum. Meræ conjecturæ.

℣. 5. FUIT IN DIEBUS HERODIS.] Hic eſt Herodes Magnus, primus Herodes, qui Innocentes mactavit,

1 Origen. homil. 1. in Luc. Ambroſ. & Beda in Luc. Theophyl. hic. Vide & Auguſt. lib. 4. de conſenſu, c. 8. Eraſm. hic. 2 Vide Euſeb. lib. 3, cap. 18. Hiſtor. Eccleſiaſtic. Millii Prolegom. in nov. Teſtam. Græc. 3 Maldon. Grot. Sculter. Caſaubon.

4 Περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. 5 Origen. in Luc. homil. 8. Ambroſ. Theophyl. Euthym. Vide & Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 3. c. 18. Maldon Eraſm. Bez. Camer.

6 Budæus, Hamm. Capell. Vall. Vatab. Piſc. Gomar. & ex antiquis Origen. in Luc. homil. 1. Ambroſ. & Euthym. hic. Hieronym. Præfat. in Matth. 7 Ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου.

8 Quædam vetera Exemplaria legunt: Ἔδοξε κἀμοί, καὶ τῷ πνεύματι ἁγίῳ. *Viſum eſt mihi, & Spiritui ſancto*. Quod eſt deſumptum ex Actis 15. 25. 28. 9 Ambroſ. Beda, Maldon. Brug. Grot. alii.

10 Ita videntur Origen. homil. 1. & Ambroſ. in Luc. Epiphan. hæreſi 51. Beda hic. Ita Camer. Hamm.

11 Maldonat. Grot. Brug. Ligf. Eraſm. alii. 12 Act. 1. 1.

13 Act. 23. 26. 24. 3. 26. 25.

vit, & qui aliquot menſes poſt Jesu Christi nativitatem humanis deceſſit. S. Lucas nobis memorat eos, quibus aliqua pars fuit in ſublimi ſalutis humanæ opere; Zachariam, Eliſabeth, S. Johannem Baptiſtam; præſertim vero Sanctiſſimam Virginem Matrem Jesu. Hæ circumſtantiæ ſunt non modici momenti, quas cæteri Evangeliſtæ miſſas fecerunt. Fortaſſe ex eorum ſilentio arrepta occaſione complures fabuloſæ hiſtoriæ in vulgus emanaverant, quas S. Lucas voluit explodere, iſthic aſſerens ea, quæ certo cognoverat.

De vice Abia [1].] Aaronis familia Sacerdotii dignitate univerſa fuerat inſignita; at non omnes ſemper, eodemque tempore, Templo miniſtrabant; neque omnes eodem honoris gradu perfruebantur. Supremi Sacerdotii dignitas peculiari adhæſerat familiæ; aliique Sacerdotes in claſſes quatuor & viginti diſtributi erant. Diviſio hæc Davide regnante incœpit: antea enim nihil, quod ſciamus, conſtitutum erat, quoad minorum ſacrificulorum ordines, & officia; qui ad ſummi Sacerdotis nutum Tabernaculo miniſtraſſe videntur. Ad turbam omnem evitandam David conjectis ſortibus illos in quatuor, & viginti claſſes diſtribuit; in quibus Claſſis Abia octava erat [2]. Hæc autem deinceps ſemper viguit ratio in Templo, donec penitus a Romanis everſum fuit, quemadmodum Joſephus teſtatur explicite. Singulis Sabbathis mane, quidam Sacerdotum ac Levitarum numerus vices Templo inſerviendi ſubibat; cum interim alii jam ſuo perfuncti munere hora eadem decederent. Sub initium octidui conjectis ſortibus ſtatuebatur, quinam thus oblaturus eſſet; & ſic de muneribus aliis. Hebdomada illa Zachariæ contigit provincia in Sancto quotidie ſuper aureo altari thus Domino adolendi.

Uxor ejus de filiabus Aaron.] Sed mater illius erat plane ex tribu Juda, & ex progenie David; quippe conſobrina erat Sanctiſſimæ Virginis [3], quæ ex tribu Juda ducebat originem. Puellæ enim, quæ hæredes non erant, nubere poterant quibuſcumque vellent, etiam non contribulibus ſuis. Apud Hebræos non obtinuerat conſuetudo, ut in Genealogicis tabulis mulieres quoque recenſerentur. Verum cum S. Lucas inferius de Sancta Eliſabeth verba facturus ſit, haud erat abs re, ut nobis traderet, quænam, & cujus generis eſſet S. Johannis origo; neque ſane glorioſior eſſe poterat, & illuſtrior, quippe & ex Sacerdotali, & ex Regali ſimul ſanguine profecta.

℣. 6. Erant justi ambo.] Integerrimam atque juſtiſſimam ducebant vitam non coram hominibus tantum, verum etiam coram Deo [4]. *Juſti* nomen omnia in ſe continet pietatis, atque religionis officia.

℣. 7. Non erat illis filius.] Duplici de cauſa miraculoſa fuit S. Johannis nativitas: primum, quod Mater illius ſterilis erat; deinde vero, quod illa & Zacharias effœti erant ætate, atque liberis gignendis non ſatis pari. Hæ circumſtantiæ, & S. Johannis meritum, & Zachariæ, atque Eliſabeth felicitatem commendant. Sicut olim Iſaac Saræ filius, ita & Johannes fructus eſt benedictionis.

℣. 8. Cum Sacerdotio fungeretur.] Cum in Templum veniſſet, ut hebdomada illa, qua ipſius familia, & claſſis ſacerdotalis ℣. 5. Templo inſervire debebat, munere ſuo perfungeretur.

℣. 9. Sorte exiit, ut poneret incensum.] Statim ac Sacerdotes Templum erant ingreſſi, mittebant ſortes, ut omnes ſcirent, quo peculiariter munere ſingulis eſſet perfungendum. Contigit Zachariæ, ut ea hebdomada mane, & veſpere thus adoleret in aureo Domini altari Exod. 30. 7. 8. quod mane ante ortum Solis, veſpere poſt occaſum Joſepho teſte Antiq. l. 3. c. 9. offerebatur. Credunt nonnulli, ſortes conjectas fuiſſe, vel diebus ſingulis, vel quotieſcumque aliqua Sacerdotalis functio eſſet peragenda: puta, cum ſanguis victimæ fundendus eſſet, thus adolendum &c. Verum credimus, ſemel dumtaxat in hebdomada ſortes mitti conſueviſſe.

Veteres complures crediderunt, Zachariam ſummum Sacerdotem fuiſſe, rati unius dumtaxat Sacerdotis fuiſſe in Sanctum ingredi, ut ibi thus adoleret. Moyſes hoc munus Aaroni ſummo Pontifici tradidit Exod. 30. 7. & S. Paulus ad Hebr. 9. 3. ait, auream acerram in ſanctuario fuiſſe. Nec deſunt, qui putent, ſolemnis expiationis die uni dumtaxat ſummo Sacerdoti licuiſſe introire in Sancta Sanctorum [6]. Hanc vero conjecturam confirmant ex ingenti eorum frequentia, qui tunc aderant in templo, & ex eo quod dictum eſt, populum tunc orationi vacaſſe, petentem, uti ferunt, ut dignaretur Deus ſummum Sacerdotem diu incolumem præſtare, & cum ſollicitudine præſtolantem, ut ille de Sanctuario egrederetur; quoniam ſemper timebant de vita illius, donec verſaretur in eo ſancto loco, qui mortalibus erat inacceſſus [7]. S. Auguſtinus in Joan. Tract. 49. S. Johannes Chryſoſtomus [8], Beda, Theophylactus, Strabus, auctor Scholaſticæ hiſtoriæ, aliique recentiores nonnulli in hanc ivere ſententiam.

Verum hodierna luce ea nullos ferme jactat ſectatores. Zacharias nullibi in ſummorum ſacerdotum nomenclaturam invenitur. Munus, quo ille perfungitur, non petit, ut ſuprema ea dignitate fuerit condecoratus. Altare Thymiamatum, ubi thus adolebatur non erat in Sanctuario, ſed ſimpliciter in Sancto, quemadmodum & ſcriptura Exod. 30. 6. Joſephus l. 6. de Bello c. 6. aperte teſtantur: ita enim omnes templi partes ſunt diſtinguendæ. Præter triplex atrium, Gentilium, Iſraelis, atque Sacerdotum, quæ ingentes erant areæ ſub dio patentes, Templum proprie dictum, quod habebatur tamquam Omnipotentis domicilium, ex tribus præcipue partibus conſtabat, Veſtibulo, Sancto, & Sanctuario. Uni dumtaxat Summo Pontifici integrum erat ſemel in anno ingredi Sanctuarium: Sacerdotes vero, qui per hebdomadam inſerviebant, bis quotidie Sanctum ingrediebantur ad lampades accendendas, aptandaſque, atque ad Thymiama offerendum. Veſtibulum autem erat ante ſanctum; & illuc, ubicumque res poſceret, Sacerdotes ingredi poterant.

Sortes etiam conjectæ, quæ ſuper Zachariam reciderunt, thuris die illa offerendi, aliud quoque præbent argumentum, quo illum ſummum Sacerdotem minime fuiſſe probemus. Numquam mittebantur ſortes in his, quæ ad hunc reſervata erant, quandoquidem ſemper unus erat: & ſi quando plures ſummi Sacerdotis nomine inſigniti fuerunt, numquam tamen duo ſimul certarunt, ut munere ſuo fungerentur. Verum alter eligi poterat ſummus Pontifex, ut primo ſuppleret, cum vel effœta ſenectus, vel ſequior valetudo, aut aliquod aliud incommodum obeſſet, quominus ſuum munus expleret; tunc enim ſummi Sacerdotis nomen penes illum manebat, qui illud ſemel fuerat aſſecutus; quod ſæpius accidit noviſſimis Judæorum Reipublicæ temporibus, & quod ex eodem liquet Evangelio, ubi de Anna & Caipha Summis Sacerdotibus verba fiunt. Iſthic vero nihil ſimile occurrit. Zacharias non erat, neque fuerat umquam dignitate hac inſignitus. Neque ulla nos impellere poteſt ratio, ut hoc ſolemnis expiationis die accidiſſe credamus. Evangeliſta profecto circumſtantiam hanc non præteriiſſet, quemadmodum etiam Zachariæ ſummum Sacerdotium indigitaſſet. Non deſunt, qui putent, oſtendere ſe poſſe tempus miniſterii Sacerdotis hujus fuiſſe a die 21. ad 28.

1 Ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά. *Ex vice, miniſterio, Claſſe Abia*. Ἐφημερία, reſpondet Hebræo משמרת, & מחלקה
2 1. Par. 24. 10. Joſeph. Antiq. lib. 7. cap. 11. pag. 249.
3 Luc. 1. 36. 4 Ambroſ. Euthym. Mald. Grot. alii.
5 Mald. Vide Ligfoot, Capell. Brug.
6 Levit. 16. 17. 7 Vide Brug. in Matth.
8 Ambroſ. l. 1. in Luc. Ita Beda, Theophyl. Brug. Strab. in Lucam.

Digitized by Google

ad 28. Julii [1]: Græci [2] die 23. Septembris celebrant feſtivitatem Conceptionis S. Johannis Baptiſtæ, quæ in Veteribus compluribus Latinorum Martyrologiis, vel die eadem, vel poſtridie refertur [3]: pridie vero in Menologio [4]. Hoc certum eſt, hac de re nihil omnino certum adſerri. Dominus Toynard, Angelum Zachariæ apparuiſſe putat Sabbatho 31. Auguſti, 29. menſis Hebræi *Ab*, anni ab orbe condito 4000. Periodi Julianæ 4709.

℣. 10. OMNIS MULTITUDO POPULI.] Fidei maxime congruum videtur hoc accidiſſe quodam Sabbatho veſpere [5], eo quod illa die populus præ aliis diebus majori in numero affluxerat. Orabat ille in atrio Iſrael ante oſtium Sacerdotalis atrii, quod e conſpectu erat oſtii Sancti. Multitudo ſuas cum Zachariæ precibus conjungebat, eaſque coram Domino effundebat, cum ſimul Thymiamatis odor, & fumus ad illum aſſurgeret; ita enim loqui conſueverant [6]: *dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo*. Univerſus hic populus teſtis fuit miraculi, quod accidit Zachariæ. Angelum quidem, qui illi apparuit minime viderunt: at cognoverunt, illum diutius, quam conſueverat in Sancto permanere, eumque ſurdum, atque mutum eſſe intellexerunt, ubi de interiori Templo egrederetur.

℣. 11. APPARUIT ILLI ANGELUS DOMINI STANS A DEXTRIS ALTARIS INCENSI.] Hoc eſt aureum altare, ſuper quem afferebatur batillus, vel acerra, ubi Thymiamata adolebantur. Angelus, qui Zachariæ apparuit, fuit [7] Gabriel. Docent Judæi [8] eo præſertim tempore, quo Thymiamata offerebantur, Domini Sacerdotes cœleſtibus viſionibus dignos factos fuiſſe. Creditur autem Angelus perinde in aliis veteris Novique teſtamenti apparitionibus humana indutus forma Sacerdoti apparuiſſe.

℣. 12. ZACHARIAS TURBATUS EST.] Haud inauditum eſt, ac mirum, ut quis timore corripiatur, Angelum videns. Credebant Hebræi, hujuſmodi apparitiones ſemper fatales eſſe [9], atque certiſſimum eſſe ſignum, eos, quibus factæ fuerant, brevi morituros.

℣. 13. EXAUDITA EST DEPRECATIO TUA.] Quæ deprecatio? illa ſane, qua jampridem filii nativitatem propoſuerat [10], vel qua Meſſiæ adventum, ac populi ſui incolumitatem petierat; quam ſicuti Sacerdos Domini, a Deo præſertim enixius tenebatur expetere [11]. Cæterum jam omnem liberorum ſpem abjecerat; uxor quippe ſua ſterilis erat, & ſenectute ferme confecta, ipſe vero per ætatem filiis gignendis impar habebatur; unde profecta eſt ejuſdem ad Angeli verba incredulitas. Precum igitur illius argumentum erat Meſſiæ adventus, & Iſrael liberatio.

VOCABIS NOMEN EJUS JOHANNEM.] Johannes [12] ſignificat *acceptum Domino*, vel ſimpliciter, gratioſum, jucundum. Præcipit Angelus Zachariæ, ut naſciturum filium hoc nomine appellet. Non prædicit ſolum ea, quæ ventura ſunt; verum oſtendit etiam, hujus Filii nativitatem donum eſſe Dei, eumque benedictionis & ſanctitatis fructum futurum.

℣. 14. MULTI IN NATIVITATE GAUDEBUNT.] Nativitatis illius lætitia non ad te tantum, familiamque tuam pertinebit; verum ad omne mortalium genus ſe effundet. Naſcetur filius pro humani generis felicitate, eo quod illi Salvatoris, & Meſſiæ adventum nunciabit. Angeli prædictio ad litteram adimpleta eſt in ea lætitia, quam palam omnes teſtati ſunt, & quam ad hanc quoque diem non Chriſtiani ſolum, verum etiam Ethnici [13] in natalitia hujus ſancti feſtivitate teſtantur. Ignes accenduntur, atque diverſimode gaudium & hilaritas exhibetur. Olim quilibet ſe abluebat, & vetus auctor [14], qui Sancti Auguſtini nomine circumfertur, explicite huic interdicit conſuetudini, tamquam Ethnicæ ſuperſtitionis reliquiis; non ſecus, ac omitti etiam jubet inhoneſta cantica, quæ nocte Nativitatis Sancti Johannis concinebantur. S. Auguſtinus ipſe [15], acriter in hunc morem invehitur; & alius quidam auctor inter illius opera editus, prohibet etiam Choræas, atque ſaltationes [16]. Interdictum idem legitur etiam in vita S. Eligii Epiſcopi Novidunenſis a S. Oudeno ejuſdem amico, ſeptimo ſæculo conſcripta. Recentiores e viatoribus narrant, Turcas, atque omnes ferme Orientales ea die ingentes edere lætitias. De his plane populis intelligenda ea ſunt, quæ S. Bernardus, & Auctor ſermonum *ad fratres in eremo*, narrant de feſtivitatibus, quas Ethnici in honorem Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ celebrabant.

℣. 15. MAGNUS CORAM DOMINO.] Non in oculis hominum dumtaxat [17], verum etiam in oculis Dei magnus erit. Vel magnitudo illius prorſus divina erit, atque inaudita. Magnum eſſe coram Deo, in Hebræorum ſtylo multo magis ſignificat, quam ſimpliciter magnum eſſe; quemadmodum *fortis coram Domino* Gen. 10. 9. *impius coram Domino* Gen. 13. 13. fortitudinis & nequitiæ maximum gradum ſignificat.

VINUM, & SICERAM NON BIBAT.] Alibi dictum eſt [18], ex S. Johannis Chryſoſtomi, atque Theodoreti ſententia, ſiceram proprie ſignificare vinum ex palma expreſſum; quorum teſtimonio addi poteſt Theophilus Antiochenus in libro ſuo de allegoriis in S. Lucam. Potus hic communis erat in omni Oriente, & poſt vinum ex uvis expreſſum non ulla magis communis aderat potio, & quæ facilius ebrietatem poſſet inferre. S. Johannes igitur perpetuus Nazaræus futurus erat Num. 6. 3. ad imitationem Samſonis Judic. 13. 14. & Rechabitarum Jerem. 35. 8.

SPIRITU SANCTO REPLEBITUR.] Vim, impetumque S. Spiritus ſentiet, & ex utero matris prophetabit [19]. Prophetæ alii ad ſacrum prophetiæ munus minime acceſſebantur, niſi adultam jam ætatem fuiſſent aſſecuti. S. Johannes vero non ſolum ad munus hoc evocatur, atque ex Matris ſinu ad illud deſtinatur; quæ quidem non adeo inſignis eſſet prærogativa, eo quod Jeremias ſimul, & Iſajas hoc eodem honore inclaruerunt [20]; ſed ante ipſam nativitatem prophetico munere perfungetur. Naſcetur propheta, non fiet, ut alii.

Grotius hoc in ſenſu omnino ſingulari, intelligit procul a Patrum, atque Interpretum ſententia. Ex veteribus Philoſophis oſtendit, pueros, cum adhuc in matrum ſinu geſtantur, nequaquam haberi tamquam diſtinctum aliquid, & individuum, ſed tamquam pars Matris ejuſdem. Ita cum ait Angelus futurum, ut puer iſte ex ipſo Matris utero Dei Spiritu repleatur, hoc ſignificat ſolum, matrem illius Spiritu Sancto replendam, atque prophetaturam. Verum ad eruditorum judicium provoco. Ullo ne modo explicatio talis pro-

1 Caſaubon. in Baron. §. 25. 2 Bolland. t. 1. Mai. pag. 42.
3 Menæa, pag. 293. 298. 4 Juli de Uſuardo, pag. 37.
5 31. Auguſti juxta Toynardum. Hic erat primus miniſterii Zachariæ dies.
6 Pſalm. 140. 2. Apoc. 8. 3. 4. 7 Verſ. 19. & 26.
8 Vide Druſ. & Grot. hic. & Joſeph. Antiq. lib. 13. c. 18. 9 Geneſ. 16. 13. 32. 30. Exod. 20. 19. Judic. 6. 22. 23. 13. 22. Vide Euthym. Mald. alios. 10 Ambroſ. in Luc. c. 1. Mald.
11 Aug. lib. 2 Quæſt. Evang. qu. 1. Chryſoſt. homil. Nativ. S. Joan. Baptiſt. & de incomprehenſ. Dei nat. homil. 2. Ita & Beda, Theoph. Euth. Strab. Brug. Grot. 12 יוחנן Jochanan. Ἰωάννης.
13 Bernard. ſerm. de ſancto Joanne Baptiſta. Ita & Author. ſerm. 25. ad fratres in Eremo. Apud Aug. t. 6. p. 329.
14 Author ſerm. 277. Append. t. 5. p. 461. 15 Aug. tom. ſerm 196. p. 903. n. 4. *Natali Joannis de ſolemnitate ſuperſtitioſa pagana, Chriſtiani ad mare veniebant, & ibi ſe baptizabant.*
16 In Append. t. 6. p. 268. *Nullus in feſtivitate ſancti Joannis ſolſtitia, aut vallationes, aut ſaltationes, aut cantica diabolica exerceat.* 17 Ambroſ. lib. 1. in Luc. Origen. homil. 4. Beda, Theophyl. Euthym.
18 Vide ad Iſai. & Deut. 14. 26. 19 Origen. homil. 4. 7. & 8. in Luc. Ambroſ. l. 1. in Luc. Chryſoſt. homil. 37. in Joan. alii paſſim. 20 Jerem. 1. 5. 6. Iſai. 49. 1.

probari poteſt? De Eliſabeth ne, an de Johanne loquitur Angelus? Numquid ad Eliſabeth hæ omnes referuntur promiſſiones, quæ in gratiam pueri fiunt, qui licet nondum conceptus ſit, jam tamquam illuſtris vir aliquis exhibetur?

Videtur S. Auguſtinus [1] dubitaſſe, utrum S. Johannes in Matris ſinu fuerit ſanctificatus. Sed plerique veterum haud hæſitanter aſſeruerunt, JESUM CHRISTUM cognitum fuiſſe ab eodem, antequam naſceretur. Origenes in Luc. hom. 12. & S. Ambroſius in Luc. l. 1. unum, Zachariam Patrem illius in cantico ſuo ad eum per apoſtrophem orationem convertere, ſupponentem, ſe ab eodem intelligi. S. Gregorius Magnus in Job l. 2. c. 5. illum prophetiæ ſpiritu ante nativitatem repletum fuiſſe confirmat, ita ut quodam in ſenſu dici poſſit, ipſum renatum eſſe antequam naſceretur. Supponit Bernardus ep. 174. c. 4. S. hunc in originalis peccati labe fuiſſe conceptum, ſed ab eadem in Matris ſinu mundatum, non in hanc lucem prodiiſſe ſanctificatum. Adnotavimus jam pluribus in Eccleſiis olim celebrari conſuevisse feſtivitatem Conceptionis S. Johannis Baptiſtę, quę alia non erat, niſi ejuſdem in Matris utero ſanctificatio. Feſtivitatis ejuſdem omnia ferme antiqua Martyrologia, & plurima MSS. Calendaria meminerunt. Hæc ad hanc quoque diem in Eccleſia Græca ſervatur; & profecto Evangelii verbis non alius aptior tribui ſenſus poteſt, quam veræ ſanctificationis.

Utrum vero S. hic fruerit rationis uſum ex eo momento, quo Spiritum Sanctum accepit, atque exultationibus ſuis Salvatorem agnoverit, per omne illud tempus, quo in Sanctæ Eliſabeth ſinu delituit, atque in univerſa pueritia ſua, quemadmodum ſcriptores nonnulli contendunt; hac in re diſceptare non auſim. Fidei tamen propius videtur, rationis uſum, quo tunc temporis donatus fuit, fuiſſe potius tamquam perfunctorium luminis radium, qui eo tempore emicuit, ac poſtea ſemper emicare non perſtitit.

ŷ. 16. MULTOS FILIORUM ISRAEL CONVERTET.] Hoc ille præclara prædicationibus, exemplis, atque baptiſmate ſuo adimplevit. Mortales omnes ad illum confugiebant, & confitentes peccata ſua baptiſmate abluebantur. S. Johannes documenta ſua eorum neceſſitatibus aptabat, omnibus veram ſalutis viam oſtendebat. Sed præcipue *multos filiorum Iſrael convertit ad Dominum Deum ipſorum*, cum illis JESUM CHRISTUM oſtendit [2], atque huic publicum adeo & glorioſum teſtimonium perhibuit.

ŷ. 17. IN SPIRITU & VIRTUTE ELIÆ.] Incedet coram Deo, quemadmodum olim Patriarchæ, & prophetæ [3]: *ambula coram me & eſto perfectus*; & prophetiæ ſpiritu, lumine, ac zelo, uti Elias olim, replebitur; ut Domini hoſtibus adverſetur, ac ſe objiciat impiis Juda & Iſrael ſceleribus. Nemo neſcit, quomodo S. Johannes Herodi Regi obſtiterit; qua vi inceſtas ejuſdem nuptias improbaverit, qua libertate Phariſæorum hypocriſim perſtrinxerit. Numquam antea audacter adeo Elias ad Achab, atque Iſraelitas prævaricatores locutus fuerat.

Interpretum plerique [4] hoc aliter explicant: erit præcurſor Meſſiæ, Filii Dei; huic præparabit vias, quemadmodum Iſajas 42. 3. & Malachias 3. 1. ſpoponderunt: illum populis annunciabit: illis oſtendet, eoſque ad hunc deducet, idque *in ſpiritu & virtute Eliæ*; ejus zelo, ac vi armatus, ut improbos coerceat, & ſuperbis reſiſtat [5], tum exemplis, tum verbis pœnitentiam prædicans. Senſus hic naturalis maxime videtur; & Evangeliſtæ [6] in eum nos deducunt, nobis exhibentes S. Johannem Baptiſtam tamquam Meſſiæ præcurſorem, quem Prophetæ portenderunt. Ipſe etiam JESUS CHRISTUS ait Matth. 11. 14. Eliam jam venisse in Sancti Johannis perſona, non quod anima Eliæ in præcurſoris corpus migraverit, quemadmodum Hæretici [7] nonnulli aſſeruerunt; ſed quod S. Johannes & zelo, & merito, & virtute, & vitæ integritate, & munere, alter erat Elias. Patres quidam [8] crediderunt, S. Johannem Baptiſtam Eliæ comparari, qualis erit ante alterum filii Dei adventum, hoc eſt ante noviſſimum judicium.

UT CONVERTAT CORDA PATRUM IN FILIOS,] ut utroſque ſimul conciliet, ut Judæorum corda cum Patriarchis majoribus eorum, a quibus longe receſſerant, & a quorum pietate immane quantum! degeneraverant, rurſus conjungat [9]; vel eodem modo, quo Eliæ ſub Mundi finem Judæorum corda ad Chriſtianam religionem ſunt convertenda, atque Synagoga cum Eccleſia conjungenda; ita S. Johannes adlaborabit, ut Judæos ſimul, Ethnicoſque conjungat, & generatim omnes terrarum populos ad JESUM CHRISTUM perducat [10], qui futurus eſt finis, atque objectum cultus omnium mortalium. Aliter [11]: præcurſor cum in mundum veniſſet, omnem navavit operam, ut omnium animos, & corda ad Meſſiam, JESUM CHRISTUM, revocaret. Judæi tunc in plures ſectas Phariſæorum, Sadducæorum, Herodianorum, Eſſenorum ſeceſſerant, omnes Meſſiam opperiebantur; omnes Scripturis ſtudebant: ſed quilibet illas pro modulo ſuo explicabat. Oſtendit illis S. Johannes JESUM CHRISTUM, qui finis eſt legis, atque Prophetiarum; atque ita illos impellit, ut rurſus coaleſcant, atque hæc ſententiarum diſſidia penitus derelinquant.

ET INCREDULOS AD PRUDENTIAM JUSTORUM:] vel potius cum Græco [12] textu *ad ſententiam juſtorum*. Ut illis infundat ſenſus manſuetudinis, docilitatis, obedientiæ. Hoc in loco prudentia nequaquam ea virtus eſt, quæ futuris conſulit; ſed ſenſus, ſtudium, animi propenſio.

PARARE DOMINO PLEBEM PERFECTAM.] Non ideo dixerit tamen, S. Johannis Baptiſma ſanctificantem gratiam contuliſſe, atque a Sancto hoc præcurſore mortales ad perfectionem adductos fuiſſe. Satis liquet, non adeo magnam fuiſſe prædicationum ejus meſſem, & quamvis eos maxime adhortaretur, Judæos tamen in pertinacia ſua mordicus adhæſiſſe. Verum non illi vitio vertendum, quod hi pœnitentiam non egerint, & JESUM CHRISTUM minime cognoverint. Rectas illis indigitavit vias, & oſtendit illum, quem quærebant, quem præſtolabantur, ad quem anhelabant, & qui in medio eorum latebat.

ŷ. 18. UNDE HOC SCIAM?] Peccavit ne Zacharias, ſignum petens ab Angelo, qui ſibi filii nativitatem pollicebatur? Peccaſſe quidem plerique tenent [13], & potiſſima ratio, quam afferunt, ea eſt, quod incredulitatis ſuæ pœna ab Angelo mulctatus fuit: *ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem, quo hæc fiant; pro eo, quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo*. Attamen nihil ait, niſi, quod ſimili in occaſione Abraham, Gedeon, & Sanctiſſima Virgo dixerunt. Verum quidem eſt: at eadem non eadem mente dixit [14]. Sciſcitari potuiſſet Angelum, quomodo hoc eſſet complendum, quemadmodum Beatiſſima Virgo ex eodem quæſivit. Verum non licebat illi in dubium Angeli promiſſionem vocare. Sed igitur dubitationis, & incredulitatis pœnam tulit.

ŷ. 19. EGO SUM GABRIEL.] De Verborum meorum

1 Aug. ep. 187. n. 23. & ſequ. & ſerm. 293. nov. edit. t. 5. p. 1182. n. 11. 12.
2 Cyrill. de recta fide ad Reginas, Beda, Strab. Euthym. &c. Maldon.
3 Geneſ. 17. 1. Vide & Geneſ. 4. 9. 5. 21.
4 Ita Patres Origen. Ambroſ. Aug. Brug. Maldon. Grot. alii.
5 Beda, Theophyl. Mald. Brug. Origen. homil. 4. Ambroſ. in Luc. lib. 1.
6 Marc. 1. 2. 3. Matth. 3. 1. 2. & ſequ.
7 Apud Aug. quæſt. 18. in Num. Confer. Tertull. lib. de anima, c. 35.
8 Auguſt. tract. 4. in Joan. Euthym. hic.
9 Hieronym. in Malach. 4. 6. Aug. lib. 20. de civit. c. 29. Beda in Luc. Ita Vat. Bez.
10 Vide Euthym. hic. Ligfoot.
11 Mald. Grot.
12 Καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων.
13 Aug. homil. 290. nov. edit. pag. 1103. n. 4. Beda, Theophyl. Maldon. Grot. Brug.
14 Vide Auguſtin. loco citato.

rum veritate dubitare nefas eſt : non enim ſum Angelus tenebrarum, ſed Angelus Gabriel inter Principes Domini Miniſtros, qui faciem illius video, & coram illo adſto. Gabriel in Danielis Prophetiis c. 8. 16. & 9. 21. celebratur; prophetæ huic apparuerat, eique revelaverat tempus, & quo Septuaginta hebdomadæ, quas Jeremias 25. 11. prædixerat, erant adimplendæ, & quo Meſſias erat venturus. Scriptura [1] ut plurimum nobis exhibet Angelos, tamquam Miniſtros Domini, qui illi famulantur, & qui ad illius majeſtatem accedunt, quemadmodum apud Orientis Reges quidam erant Præfecti, qui Regem videbant, ac prope illum manebant, cum cæteris vel numquam, vel perraro hic honos accideret. Principes enim illi, ut majeſtatem ſuam incolumem ſervarent, numquam fere prodibant [2]. *Gabriel* ſignificat fortitudinem Dei, vel Deus eſt fortitudo mea.

℣. 20. ERIS TACENS.] Ex decurſu 3 liquet, Zachariam non mutum dumtaxat, verum etiam ſurdum fuiſſe; quandoquidem per nutus, & ſigna ex eo quærebant, quo nomine puer eſſet appellandus. Græcus proprie ſignificat [4], *eſſe mutum*, tacere: ſed notæ meliores Interpretes [5] credunt, illum pro ſurdo etiam uſurpari.

℣. 21. ERAT PLEBS EXPECTANS.] Hoc accidit, quemadmodum jam dictum eſt ℣. 10. Sabbatho veſpere, cum populus in Templum confluxiſſet ea hora, qua Thymiama offerebatur, quod & veſpere, & mane fieri conſueverat. In atrio Iſrael facile videbatur aditus Sancti per portam atrii Sacerdotalis, omneſque oculos intentos habebant, ut viderent Sacerdotem, qui per hebdomadam hoc munere fungebatur, cum in Sanctum ingrederetur, vel egrederetur. Hæc Thymiamatis in aurea menſa adolendi cæremonia brevis erat: Sacerdos enim acerram, vel aureum batillum geſtabat, eoque ſuper aram poſito in ignem conjiciebat thus, & mox recedebat.

℣. 23. UT IMPLETI SUNT DIES MINISTERII EJUS.] Apparitio contigit veſpere ejuſdem diei, quod hebdomada inceperat, cujus decurſu in Templo permanſit, atque munere ſuo perfunctus eſt; incommoda enim illius valetudo eum minime vetabat, & inſequenti Sabbatho mane, expleto ſervitutis ſuæ tempore, domum ſuam rediit.

℣. 24. OCCULTABAT SE MENSIBUS QUINQUE.] Præ pudore latebras quæritabat; licet enim illius prægnatio nihil in ſe haberet turpe, attamen effectæ ætatis habita ratione, ſecum nonnullam ferebat deformitatem [6], & ſi mulieri in ætatis flore probro vertitur, quod ſterilis ſit, nec liberos pariat; aliud opprobrii genus eſt, ut anus ætate provecta filios enitatur. Hoc enim quamdam præfert intemperantiæ ſpeciem, haud ita decoram. Lætabatur ergo Eliſabeth, ſe Dei benignitate matrem fieri intuita: verum non ſine quodam rubore, eo quod ea ætate facta eſſet mater. Patres nonnulli [7] hinc inferunt, jampridem Zachariam, atque Eliſabeth ex communi conſenſu continentiam ſervaſſe, perindeac illi pudor inceſſiſſet, quod alii intelligerent, ipſam adhuc conjugii uſum jure, poſtquam ſatis diu ſponte a viro ſuo receſſiſſet [8]. Latuit ergo *menſibus quinque*: hoc eſt toto eo tempore, quo ſe ventrem ferre potuit diſſimulare.

℣. 25. AUFERRE OPPROBRIUM MEUM INTER HOMINES.] Sterilitas maledicti, atque opprobrii loco habebatur in Iſrael. Hoc liquido conſtat ex Bibliis univerſis [9]; verum cauſa illius latet. Credunt alii, mulieres concupiviſſe prolem, eo quod cuperet quælibet fieri Meſſiæ Mater, qui in Iſrael erat naſciturus. Alii hanc reſpiciunt tamquam ſententiam prorſus carnalem rudis populi, qui magnam arbitrabatur felicitatem, frequenti filiorum corona lætari. Hi enim & ſenectuti opem laturi erant, & in vitæ laboribus auxilio futuri. Se in filiis ſuis quodammodo renaſci intuebantur, atque ex humanis decedebant ſuavi ſpe freti, futurum ut per poſterorum ſuorum ſucceſſionem diutius in hominum memoria verſarentur. Credunt alii, eos cenſuiſſe ſterilitatem realem eſſe a Deo maledictionem. Et profecto ſterilitatem minitatur Deus non raro, tamquam apertiſſimum ſuæ indignationis indicium. Verum apud ſapientes, & cordatos viros [10] conſtat, hanc illorum ſententiam omnino fallacem fuiſſe, & ſæpe Deum permiſiſſe, ut mulieres ſapientiſſimæ, quales fuere Sara, Rebecca, Rachel, Anna mater Samuelis, & Samſonis Mater, ſteriles eſſent. Ipſi etiam Sacri auctores hac in re nos monitos volunt, & docent, unum dumtaxat turpe ſterilitatis eſſe genus; videlicet, ſi virtutibus, meritiſque ſterilis ſis [11].

℣. 26. IN MENSE AUTEM SEXTO.] Gabriel Angelus miſſus fuit ad Mariam, quam Vir quidam e domo David, cui nomen Joſeph, conjugem duxerat, vel cum qua ſponſalia tantum contraxerat juxta Græcæ vocis vim [12]. S. Lucas omnes iſthic has animadvertit circumſtantias, quæ ad ſuum argumentum maxime conducunt, & quæ quanti faciendæ ſint, ex narrationis decurſu innoteſcet. S. Eliſabeth ſextum jam menſem numerabat, cum Angelus Gabriel Mariæ Divini Verbi Incarnationem nunciavit. S. Johannes ſextum dumtaxat a conceptione ſua menſem recenſebat, ubi in Matris utero Matrem Dei ſui adeſſe cognovit.

℣. 28. AVE GRATIA PLENA.] Angelus profitetur, Mariam *gratia plenam*, cœleſtibus favoribus eſſe cumulatam, atque in oculis Dei ſui gratiam adeptam, quemadmodum inſinuavit: invenisti enim gratiam apud Dominum. Spiritus Sanctus in illa inhabitans, cor illius omnibus bonis ſuis, omnibuſque benedictionibus ad cumulum uſque repleverat. Alii Sancti gratiam cum menſura recipiunt, at Maria eadem referta eſt, & cumulata [13], ac in ipſa quodammodo gratiæ plenitudo reſidet, quatenus eſt Templum Patris, Sponſa Spiritus Sancti, & Mater Filii Dei [14]. Ut hoc honore eum dignam efficeret Deus, qui longe omnium licet præſtantiſſimarum creaturarum meritum exſuperat, quodammodo ſeipſum exhauſit, illam bonis ſuis cumulaturus.

Græca vox ſignificare poteſt [15] acceptam, dilectam, quæ gratiam invenit, quæ gratiis, atque favoribus cumulata fuit, quo poſtremo in ſenſu unanimi conſenſione veteres iſtitic intellexerunt. Addit Angelus: *Dominus tecum*; hoc eſt te amat, te diligit, te ſanctificat, te ſua gratia cumulat. Vel ſimpliciter [16]: *ſit Dominus tecum*, quibus verbis, ut plurimum, ſalutem olim invicem ſibi dicebant, reddebantque; ita & Angelus Gedeoni Judic. 6. 12. & Booz meſſoribus ſuis ſalutem dicunt Ruth 2. 4.

BENEDICTA TU IN MULIERIBUS.] Vel ſuper omnes mulieres. Mulieribus omnibus & privilegiis, & felicitate, & benedictionum præſtas affluentia. Non deſunt, qui vertant [17]: *benedicta ſit ſuper omnes mulieres*: te Deus favoribus, atque benedictionibus ſuis cumulet. Hæc quædam erat apud Hebræos ſalutationis ſpecies, & mulieri, cujus virtus in heroico facto quoppiam eluxiſſet, dicebant: *benedicta es inter omnes mulie-*

---

1 Tob. 12. 15. Apoc. 1. 4. 3. 6.   2 Juſtin. lib. 1. *Apud Perſas perſona Regis ſub ſpecie majeſtatis occulitur*.
3 Verſ. 62. *Innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum*.   4 Ἐν σιωπῇ.
5 Theophylact. Euthym. Ambr. hic. Vide Maldon. Grot. Hamm. Brug. Ligfoot &c.
6 Origen. in Luc. homil. 6. Ambroſ. Beda, Theophylact. Euthym. Mald. Grot. Brug. alii.
7 Origen. & Ambroſ. hic.   8 Maldonat. Brug. Lud. de Dieu.
9 Geneſ. 30. 23. 1. Reg. 6. Iſai. 4. 1.   10 Geneſ. 20. 18. Oſee 14. 13. Exod. 23. 26. Deut. 7. 14.
11 Iſai. 55. 5. 6. Sap. 3. 13. 14.   12 Μεμνηστευμένην. Vatab. hic. Vide apud Matth. 1. 10.
13 Petr. Chryſolog. ſerm. 143. *Singulis gratia ſe eſt largita per partes: Mariæ vero ſe totam dedit gratiæ plenitudo*.   14 Ambroſ. in Luc. Auguſt. plurib. in locis. Beda homil. 3. de B. V. Chryſolog. ſerm. 142. Sophron. ſerm. de Aſſumpt. Rupert. lib. 6. in Cantic.   15 Κεχαριτωμένη.
16 Grot. Hammon. Capell. alii.   17 Grot. Capell. alii nonnulli.

maliaret: Ita Debora in cantico ſuo ſalutat Jahel uxo- A rem Heber, quæ Siſaram interfecerat Judic. 5. 24 Booz ſalutat Ruth, dicens illi: *benedicta tu a Domino*, Ruth 3. 10. David ſimiliter benedicit Abigail, quæ obſtitit, quominus ille ſanguinem in domo Nabal effunderet 1. Reg. 25. 33. Maria ergo benedicta eſt inter omnes mulieres, delet quodammodo generalem maculam, quæ propter Evæ facinus in univerſo ſexu penitus inſederat, atque inveteraverat. Hæc fuerat omnium malorum, atque maledictionum humano generi origo: quippe per ſcelus ſuum in terras, ſcelus & mortem invexerat. Maria vero illuc gratias affert, felicitatem, & vitam, Salvatorem, atque Meſſiam enixa. Hæc agnoſcit Jesum CHRISTUM omnis vitæ, & gratiæ auctorem per obedientiam, & fidem, quemadmodum Eva per inobedientiam, atque incredulitatem mortales omnes B perdiderat [1].

℣. 29. TURBATA EST.] Græcus [a]: *ſed videns hæc*, vel, *ſed videns* Angelum, *turbata eſt*. Virgo caſta, ac pudibunda ad ſolum viri adſpectum tremiſcit, & pavet, & præſertim quod ſola [3]. Angelus primum apparuit illi forma auguſtiori, atque ſuper humanam ſplendidiori. Hic fulgor, hæc Majeſtas Mariam perterruit. Sentit illa, hanc viſionem eſſe, vel cœleſtem apparitionem, ideoque terretur atque turbatur. Vidimus jam ℣. 12. Zachariam metu perculſum, atque perterritum, ubi ſimilis accidit eidem apparitio. Daniel viſo Angelo Gabriele defecit, & elanguit, Dan. 10. 8. Sanctæ Mulieres, quæ Angelos ad JESU CHRISTI ſepulchrum viderunt, poſt illius reſurrectionem perterritæ ſunt, Matth. 28. 5.

Veteres complures [4] crediderunt, Mariam turbatam C fuiſſe ob ſermonem, vel ſalutationem Angeli, cui ſententiæ Evangeliſtæ narratio non modice ſuffragatur: ℣. 29. *& turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*. Verebatur fortaſſe, ne ingentia hæc elogia, quibus decorabatur, dæmonis eſſent illuſiones [5], vel ne blandæ eſſent voculæ, atque illecebræ alicujus, qui caſtitati ſuæ necteret inſidias [6]. Nonnulli hæc verba, *cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*, hoc in ſenſu interpretantur; admirabatur illa, quod tanto honore ab Angelo afficeretur. Cum de ſe humillime ſentiret, intelligere non poterat, quomodo tantæ laudes ſibi tribuerentur [7], ideoque ſuſpicio quædam illi oborta eſt.

℣. 31. ECCE CONCIPIES, & PARIES.] Hæc eſt D cauſa earum laudum, quas tibi detuli. Eris Mater Filii Dei, Meſſiæ, Liberatoris Iſrael, Salvatoris Mundi, quæ res tantam tibi confert dignitatem, teque ad eum gloriæ apicem extollit, quo mortalium nemo contendet.

VOCABIS NOMEN EJUS JESUM.] In S. Matthæo c. 1. 21. Angelus S. Joſephum alloquens eadem illi dicit, Mariæ nempe filio nomen JESUS inditurum. In Scriptura modo pater, modo mater liberis nomen imponunt. In hac occaſione, aliiſque, in quibus Deus ipſe nomen infantis revelat, parentum neuter nomen ei imponit; Domini mandatis ſolummodo paret. Omnes norunt, JESUM ſignificare Salvatorem.

℣. 32. FILIUS ALTISSIMI VOCABITUR.] Vocabitur, & reipſa erit Filius Altiſſimi: Hebræi enim ſæpius *vocari* dicunt pro *eſſe*. Neque erit Dei Filius dum- E taxat per adoptionem, vel affectum, ut alii Juſti, ſed per naturam. Deus illi ab æterno dixit, Pſalm. 2. 7. *Filius meus es tu; ego hodie genui te*, quæ verba nemini nunquam dixit, neque perfectiſſimis Angelis, quemadmodum S. Paulus animadvertit Hebr. 1. 5.

DABIT EI DOMINUS.] Promiſſio hæc nequaquam A erat adimplenda, eo pacto, quo Judæi vulgo intelligebant; & fortaſſe ipſa etiam Sanctiſſima Virgo in Synagoga innutrita, ut alii, temporale Meſſiæ Regnum præſtolabatur; ideoque Angelus illius præjudiciis ſe ſe ſubmittit. Sed Regnum Dei non erat ex hoc mundo, quemadmodum ipſe etiam dixit Joan. 18. 36. vel ſi erat, non erat certe, quale eſt Regum imperium ſuper terram. Regnat ille in animos, & corda, exercet imperium ſuum in Eccleſia, cujus figura [8] dumtaxat fuit Regnum David; regnat ſuper Iſrael Dei, quemadmodum David ſuper Iſrael ſecundum carnem regnavit. Biblia univerſa Davidi Meſſiæ nativitatem pollicentur [9]; ideoque Angelus illum iſthic deſignat, veluti Davidici ſolii ſucceſſorem.

B REGNABIT IN DOMO JACOB IN ÆTERNUM.] Primum Dei conſilium hoc erat, ut Meſſias in univerſam domum Jacob regnaret. Venit ille, ut oves, quæ de domo Iſrael erraverunt, ſalvas faceret. Sed quoniam Iſraelitæ illum abjecerunt, & contempſerunt, eis terga vertit, & Eccleſiæ ſuæ januam Gentilibus aperuit, qui illuc catervatim confluxerunt. Subditi ſui dixerunt illi: nolumus, te in nos regnare; ſed ille eos eligens, qui ſibi fideles fuerant, ad alterius imperii ditionem ſibi comparandam proceſſit, qua parabola ipſe etiam JESUS CHRISTUS uſus eſt Luc. 19. 12. ut Judæorum reprobationem probaret.

℣. 34. QUOMODO FIET ISTUD?] Non ambigit Maria de veritate promiſſionum Angeli, quippe fides illius per os Eliſabeth ab eodem Spiritu Sancto cele- C bratur Luc. 1. 45. Verum Myſterii magnitudinem admiratur, & quærit, quomodonam id fieri poſſit; quandoquidem Virgo erat, & needum Viri ſui domum adducta; atque præterea ante conjugium ſuum, vel poſt illud ex S. Joſephi conſenſu, perpetuam voverat virginitatem; quemadmodum Patres, atque meliores Interpretes profitentur [10]. Et ſane quid hæc ſibi vellet reſponſio: *virum non cognoſco*, ſi vel nupta, vel deſponſata fuiſſet, ea mente, ut in conjugio, ut aliæ conjuges, viveret? cur eum ſtupore ſciſcitaretur, quomodo fieri poſſet mater, ſi nuptias iniiſſet eadem mente, qua cæteræ, liberos paritura. Credunt nonnulli [11], Mariam optime noviſſe, Meſſiam ex Virgine naſciturum, quemadmodum portenderat Iſaias, & ideo quærere, quomodo Virgo fieri poſſet Mater, integra virginitate. D Cum enim hic modus, quem Iſaias c. 7. 14. minime indigitaverat, illi negotium faceſſeret, Angelum interrogat, qua ratione hoc eſſet implendum. S. Epiphanius hær. 68. veluti vetuſtiſſimam narrat traditionem, a S. Joſeph Virginem in uxorem ductam fuiſſe, cum ipſe jam matura eſſet ſenectute, & illa adhuc adoleſcens. Joſeph jam aliam antea uxorem duxerat, ex qua complures liberos genuerat. Defuncta mox priori uxore octuagenarius, & ultra etiam fortaſſe, duxit SS. Virginem, ut eſſet potius teſtis, & cuſtos Virginitatis ejus, atque ſequeſter myſterii illius, quod in ipſa complebatur, quam ut illum uxoris haberet loco. Hoc ſi verum eſſet, nequaquam eſſet mirum, audire Mariam Angelo reſpondentem: *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Verum hæc traditio a S. Epiphanio allata, pluri- E ma non caret dubitatione. S. Gregorius Nyſſenus tract. de Chriſti Nativit. apocryphum opus citat, ubi parentes SS. Virginis, hujus virginitatem Domino voviſſe dicebantur, quod omnino a fide alienum eſt.

℣. 35. SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE.] Non ex uſu conjugii Mater fies, nullam virginitatis ja-

1 Vide Iren. lib. 3. cap. 33. Tertull. de carne Chriſti Auguſt. alios, Mald. hic.

2 Ἡ δὲ ἰδοῦσα ἐταράχθη. 3 Ambroſ. hic. *Quaſi viri ſpecie mota trepidavit*.

4 Origen. homil. 6. Chryſoſtom. homil. de nativ. S. Joan. Hieronym. ad Euſtoch. & Ambroſ. lib. 2. num. 9. in Luc. 5 Euthym. Bernard. ſerm. de nativ. B. M. Maldon. hic. alii.

6 Theophylact. hic. Hieronym. ad Euſtoch. Bernard. ſerm. in Apoc. 12. *Signum magnum &c.*

7 Brug. Grot. 8 Theophylact. Mald Grot. Brug. alii.

9 Pſalm. 2. 7. Pſalm. 131. 11. Iſai. 9. 6. 7. Dan. 7. 14. Ezech. 21. 27.

10 Gregor. Nyſſen. orat. in nativit. Chriſti. Auguſt. de ſancta Virginit. cap. 4. Beda hic. Bernard. ſerm. 4. in Miſſus eſt, & ſerm. in hæc verba Apoc. *Signum magnum &c.* Anſelm. lib. de excell. B. M. V. Rupert. lib. 3. in Cant. Maldonat. Brug. Grot. alii paſſim. 11 Vide Ambroſ. lib. 2. in Luc. num. 14. 15. Auguſtin. de Civ. lib. 16. c. Ligfoot hic.

ĉuram petieris, ſicet omnia hæc in te complebuntur. Spiritus Sanctus tecum Sponſi munere perſungetur: Virtus Altiſſimi te Matrem efficiet [1], ſine ullo pudoris detrimento. Tota quidem Trinitas ſimul Verbi Incarnationem cooperata eſt, ſed illam Scriptura Spiritui Sancto præſertim attribuit, qui idem eſt ac Virtus Altiſſimi; quoniam conſideretur tamquam vitæ fons, atque principium, omnia ſanctificans.

Veteres complures credidere, S. Spiritum hoc in loco eſſe Dei Filium, alteram SS. Trinitatis perſonam, quæ Sanctam Virginem erat obumbratura, atque carnem in ſinu illius aſſumptura. Liquido conſtat ex Bibliis [2], Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ſæpius Spiritus nomine deſignari, quemadmodum Theodoretus Atrepr. in principio, aliique plures animadvertunt. S. etiam Juſtinus Martyr. Apol. 2. perſpicue aſſerit, iſthic Filium, Verbum Carnem factum, Spiritus Sancti nomine deſignari, quod ipſum apertiſſime docet Tertullianus [3]: *ſicut Johanne dicente, Sermo Caro factus eſt, Spiritum quoque intelligimus in mentione Sermonis; ita & hic Sermonem quoque agnoſcimus in nomine Spiritus*. Hac eadem locutione Sancti Ambroſius [4], & Hilarius [5] ſæpius utuntur, eaque ſententia in recentioribus quoſdam ſectatores [6] invenit.

Dei etiam Virtutem, de qua iſthic loquitur Evangeliſta: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, idem S. Juſtinus loc. cit. explicat de Filio Dei, non ſecus ac S. Gregorius Nyſſenus in diem Nat. Chr. & Theophylactus in hunc locum, ſed communis ſententia hæc eſt, Dei Virtutem ſynonymum eſſe Spiritus Sancti tertiæ Perſonæ SS. Trinitatis, qui per Virtutem ſuam prorſus divinam SS. Virgini fœcunditatem eſt elargitus.

IDEOQUE & QUOD NASCETUR EX TE SANCTUM.] Ita verti poteſt [7]: *fructus ſanctus, qui concipitur in te*; vel, *fructus, qui ſancte in te conceptus eſt*: vel denique, *Filius Domino conſecratus*, utpote primogenitus, *cujus Mater futura es, vocabitur Filius Dei*. MSS. complures, atque Patres non pauci, non legunt has voculas *ex te*, hoc eſt ex ſubſtantia tua. *Sanctus* antonomaſtice, qui naſcetur ex te, divinum hoc germen, omnis ſanctitatis origo, vocabitur, & reipſa erit, quemadmodum & per eſſentiam, & ab æterno vere eſt *Filius Dei*, filius unicus coæternus, & conſubſtantialis Patri. Sunt, qui hoc ita explicant. Fructus, quem es editura, cum in te producatur virtute Altiſſimi, atque in te uno Divinitatem, atque Humanitatem conſociet, jure hoc in ſenſu appellabitur *Filius Dei* [8]; quin loquamur de æterna illius generatione ex Patris ſubſtantia propter quam ſublimiori adhuc modo eſt *natus Filius Dei*, illius Sapientia, & Verbum. Illum Evangeliſta *Sanctum* appellat, & quod in innocentia conceptum eſt, integro pudore, & Virginitate Matris, & quod eſt omnis Sanctitatis origo: hac in re omnino alius ab omnibus filiis hominum, qui corrupti, atque originali peccato fœdati naſcuntur. Si dixiſſet Evangeliſta ſolum, Sanctus hic Homo, Sancta Caro, Sanctior Puer, qui ex te naſcetur, non ſatis mentem ſuam expreſſiſſe, inquit S. Bernardus in Miſſus eſt hom. 4. ſed abſolute dicens *Sanctum: quod naſcetur ex te Sanctum*, perfecte indigitavit, Virginem parituram ſupereminentis Sanctitatis fructum, & propter ſanctificationem Spiritus Sancti, a quo efformabatur in illo, & propter Unionem Hypoſtaticam Verbi cum Humanitate.

℣. 36. HIC MENSIS SEXTUS EST.] Ex quo Eliſabeth, quæ ſterilis habebatur, fœta eſt. Ut certiſſimum afferam ejus veritatis, quam tibi annuncio, argumentum, atque oſtendam nihil eſſe, quod a Deo fieri non poſſit [9]; Eliſabeth conſobrina tua, quæ uti bene noſti, ſterilis eſt, & ad eam ætatem proceſſit, qua nullos ſe parituram liberos ſperare potuit, filium concepit, & ſextum jam menſem ventrem gerit.

℣. 38. ECCE ANCILLA DOMINI.] Hic Mariæ elucet fides, humilitas, obedientia: eam ſalutat Angelus gratia plenam, eique pollicetur futurum, ut Dei Mater fiat. Illa vero ſe ſe magis ſubmittit, dicens, *ecce Ancilla Domini* [10]. Illi incomprehenſibile annunciatur myſterium; & illa Spiritus ſui lumina demittit; præbet aſſenſum ſuum, humiliter paret, atque Dei mandato celeriter ſe ſe ſubmittit [11], Sancto corripitur ardore, & eum rogat, ut in ipſa ſuam expleat voluntatem [12]. Hoc eodem momento juxta pleroſque Patres, atque Interpretes [13], ineffabile Incarnationis myſterium adimpletum eſt. Et quamvis Corpus Filii ſeorſim coaluerit, atque paulatim in Matris Virginis utero creverit, novem menſium intervallo, attamen eodem momento, quo carnem aſſumpſit, Divinum Corpus animatum fuit, humanaque indutum forma, licet ea parvitate, quæ altiſſimis illius Conſiliis par erat. Non igitur per partes, vel intervalla perfecta eſt Incarnatio; ſed tota ſimul eodemque momento, & Verbi Divinitas repente hypoſtatice cum Animo, & Corpore JESU CHRISTI in Mariæ ſinu conjuncta eſt [14].

℣. 39. MARIA ABIIT IN MONTANA.] Creditur hæc eſſe Urbs Hebron [15], quæ Civitas erat Sacerdotalis [16], ſita in meridionali parte Judææ, in montibus ad decem circiter leucas a Jeroſolymis, ac octo & triginta, vel quadraginta procul a Nazareth: neque breve, & facile fuit SS. Virgini illud iter ſuſceptum. Verum zelo ſuo ſuccenſa, ardua quælibet ſuperavit; ut cum Eliſabeth conſobrina ſua gratularetur, eique poſtremis prægnationis ejuſdem menſibus operam ſuam, atque ſedulitatem collocaret. Non illuc profecta eſt, quod oborta ipſi fuiſſet dubitatio aliqua de iis, quæ ſibi ab Angelo revelata fuerant, neque ut exploraret habere ejus rei, quæ Eliſabeth acciderat, veritatem, quemadmodum Interpretes nonnulli crediderunt [17]. Verum maturavit iter, flagrans deſiderio opera Dei ſimul & admirandi, & prædicandi; *non quaſi incredula de Oraculo, neque quaſi incerta de nuntio, neque quaſi dubitans de exemplo; ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina præ gaudio*, inquit S. Ambroſius in Luc. l. 2. Crediderunt nonnulli [18], Zachariæ domum in Jeruſalem; alii [19] Machærunte, trans Jordanem; alii prope Emmaus fuiſſe.

℣. 40. SALUTAVIT ELISABETH.] Cubiculum prægnantis ingreſſa ſalutem dixit, atque gratulata eſt Dei beneficium, quo cumulata fuerat, adeo miraculoſe Mater effecta. Cum autem Zacharias tunc ſurdus eſſet, & mutus, eorum, quæ tunc tranſacta ſunt, particeps eſſe non potuit; ideoque illius iſthic Evangeliſta non meminit.

℣. 41. EXULTAVIT INFANS.] Quæritur, utrum hæc exultatio voluntaria fuerit, & naturalis in S. Johanne,

1 Maldonat. Brug. Grot. Ligfoot, Glaſſ. alii. Vide Theophylact. & Bernard. homil. 4. ſuper Miſſus eſt.
2 Joan. 4. 24. 1. Timoth. 3. 16. 1. Cor. 15. 45.
3 Tertull. adverſus Judæos. *De terra in Cælos eum recipit, unde & venerat ipſe ſpiritus ad Virginem*. Idem adverſ. Praxeam.
4 Ambroſ. ad Rom. 1. 4. & lib. 10. in Luc. num. 86. & lib. 7. in Luc. & alibi.
5 Hilar. in Matth. 2. num. 5. & in Matth. 12. num. 15. & 17. &c.
6 Cocci. Scol. in Luc. et ad Rom. 1. 4. et conſider. in principium Evang. Joan. &c.
7 Διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, &c. Textus accipitur pro concipere, generare, parere.
8 Vide Gregor. Magn. lib. 18. Moral. cap. 27. et Bedam hic.
9 Verſ. 37. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*: id eſt, omnis res.
10 Ambroſ. lib. 2. in Luc.
11 Iren. lib. 3. cap. 33. Damaſcen. lib. 3. cap. 2. de fide.
12 Ambroſ. Beda, Euthym.
13 Iren. lib. 3. cap. 33. et lib. 15. cap. 19. Tertull. de carne Chriſti. Damaſcen. lib. 3. cap. 2. Maldon. Grot. Brug.
14 Gregor. Magn. lib. 11. Regiſtri. Epiſt. 61. nunc. 67. Damaſc. lib. 3. de fide, cap. 2. Maldonat. hic.
15 Douſ. Scultæ. Brug. Grot. Ludov. de Dieu, Ligfoot, Tornard, alii plerique.
16 Joſue 21. 10. 11.
17 Vide Theophylact. hic, & Grot.
18 Ambroſ. Alb. Magn. Bonaventura.
19 Martyrologia quædam apud Florent.

hanne, an fuerit motus quidam profectus ex lætitia, qua Mater illius eo tempore affecta fuit; liquet enim pueros in matrum ſuarum utero affici iis omnibus, quæ matribus ſuis lætitiam, aut dolorem, ſpem afferunt, aut metum. Cum enim unum quid cum matribus duntaxat efficiant, eorum ſenſus, odia, lætitiæ, mœrores cum illis communes habent; atque inde in pueris erga res quaſdam oritur, vel ſtudium, vel horror. Non defuere [1], qui poſtremum hunc ſenſum fuerint amplexi; ſed Patrum, atque Interpretum plerique [2] putant, ea occaſione S. Johannem maturato rationis uſu gaviſum fuiſſe, & lumine Spiritus Sancti afflatum cognoviſſe, Salvatorem ſuum adeſſe, lætitiam ſuam teſtatum fuiſſe iis exultationibus, quæ affectus ejuſdem penitus miraculoſi erant effectus. Credunt nonnulli [3], Spiritum Sanctum in Eliſabeth animam nonniſi per S. Johannem ſe ſe effudiſſe, quaſi ea quadam ſuperabundantia, qua ille replebatur; & Mariam, atque Eliſabeth ex virtute fructus ſui utramque propheraſſe: *Duplici miraculo prophetant Matres Spiritu parvulorum*.

℣. 43. Unde hoc mihi?] Eliſabeth ſupremam Mariæ dignitatem perpendens, ſe indignam reputat, quæ tantam Virginem domi recipiat, quam profitetur eſſe Matrem Dei ſui ac Domini ſui, maturata hæreticorum errores evertit, qui Mariæ hanc Matris Dei dignitatem in dubium erant vocaturi.

℣. 44. Ut facta est vox salutationis tuæ] Ex ſubita hac exultatione intellexit Eliſabeth, adeſſe Matrem Salvatoris ſui, & puerum, quem ſinu gerebat, ſupremi hujus Domini adſpectu aliquando perfruiturum. Mens Eliſabeth eo momento illuminata fuit, & cor expanſum; ipſa vero prophetiæ dono repleta [4]: *exultavit infans; repleta eſt Mater*, S. Ambroſius inquit l. 2. in Luc. n. 23. *non prius Mater repleta, quam Filius: ſed cum filius eſſet repletus Spiritu ſancto, replevit & Matrem*.

℣. 45. Beata quæ credidisti.] Eliſabeth SS. Virginis fidem commendat, quæ verbis Angeli credidit, atque ita promeruit, ut in ſinu ſuo Dei Filius carnem eſſumeret. Hoc profecto prodigium eſt maximum, atque Myſterium, cui difficillime fides habenda videbatur, audire, Virginem Matrem futuram, quin virginitatis ſuæ jacturam pariatur. Non hæſit tamen Maria, ſtatim ac Dei verbis Gabriel illam allocutus eſt; credidit, nihil eſſe impoſſibile Deo, & miraculum hoc virtutem illius non excedere. Peccavit Eva per incredulitatem, diffidentiam, ſuperbiam, atque ſimul in ſe atque in terras mortem, omniaque mala pertraxit, & poſteritatem ſuam maledictionibus cumulavit; Maria vero conſtanti fide ſua, confidentia, humilitate, Mundi Salvatorem, atque humani generis calamitatum nobis tradidit reparatorem. *Beatior fuit percipiendo fidem CHRISTI*, ait S. Auguſtinus lib. de S. Virginit. c. 3. *quam concipiendo carnem CHRISTI*. Abſque fide numquam facta fuiſſet Jesu CHRISTI Mater, & nihil illi profuiſſet, Matrem illius eſſe ſecundum Carnem, niſi eodem tempore majori quadam felicitate illum in corde geſtaſſet, quem ferebat in ſinu. *Materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius CHRISTUM corde, quam carne geſtaſſet*. Greg. M. hom. 3. in Evang.

℣. 46. Magnificat anima mea Dominum.] Hoc primum eſt novi teſtamenti Canticum: Qui pietate culebant, atque ſupremo lumine afflabantur, apud Hebræos hujuſmodi in occaſionibus Domini laudes canticis de induſtria concinnatis celebrare conſueverant. Plura id genus in veteri teſtamento occurrunt; hoc tamen priſcis illis neque ſtyli majeſtate, neque ſenſuum ſublimitate, neque pietatis ſpiritu, qui undequaque iſthic effulget, minimum concedit. SS. Virgo hic Deo gratias agit, eo quod ſuam humilitatem re-

A ſpicere dignatus fuerit, atque ipſam Filii ſui Matrem elegerit. Nihil ſibi vertit eorum omnium, quæ maxime in ſe perfecit Dominus: verum gloriam univerſam Deo refert acceptam. Hoc pretioſiſſimum eſt altiſſimæ humilitatis ejuſdem, atque perfectiſſimæ gratitudinis documentum, non ſecus ac gratiarum actionis exemplar præſtantiſſimum.

℣. 47. In Deo salutari meo,] præſidio meo, fonti meæ ſalutis, atque felicitatis. Maria ſe ſe conſiderat tamquam in populi ſui turba commixtam; Deo gratias agit, qui tradidit Iſraeli Meſſiam ſuum, ac ſupremum liberatorem. In teterrima carceris caligine verſabamur; veniſti, ut nos liberares. In captivitatis ſqualore gemebamus: acceſſiſti, ut nos redimeres.

℣. 47. Respexit humilitatem ancillæ suæ.]
B Eduxit me de ea humilitate, in qua deliteſcebam, ut ſuper cæteras mulieres me attolleret, atque favoribus ſuis cumularet. Se ſe reputat veluti indignam iis favoribus, quos ſibi Deus large effuſeque donavit. Complures antiqui [5] *humilitatem* hanc de humilitatis virtute explicuerunt, perinde ac Maria diceret: Dominus rationem habuit humilitatis meæ, & quod de me ipſa humillime ſentirem, dignatus eſt, me ad hanc dignitatem evehere. Verum neſcio utrum Virgini adeo prudenti, atque humili conveniat, humilitatis ſuæ mentionem injicere. Non enim humilitas eſt, ſe humilem cenſere. Humilitas & ſeipſam & alios fallit. Sed verus hujus loci ſenſus a nobis primum propoſitus fuit: reſpexit Deus vilitatem meam, non dedignatus eſt oculos in me, licet adeo vilem, convertere [6].

C ℣. 49. Fecit mihi magna, qui potens est.] Si in me quid magnum atque ſublime invenitur, uni illi omnis gloria debetur; Ipſe magnificavit me, ipſi, quidquid ſum, debeo; ex me enim nihil ſum; ille auctor eſt miraculorum, quæ in me gentes omnes admirabuntur, & prædicabunt.

Et sanctum nomen ejus] vel ille, qui Sanctus eſt; vel cujus nomen eſt Deus Sanctus, coram quo Seraphim indeſinenter, concinunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, & quem Scriptura ſæpiſſime *Sanctum Iſrael* appellant.

℣. 50. Et misericordia ejus a progenie.] Noſtris quoque temporibus antiquæ ſuæ miſerationis prodigia inſtauravit, ejuſque præclarum ſpecimen timentibus ſe tradidit. Adimplevit promiſſiones, quas
D fecerat, olim, atque omnium ſæculorum decurſu Patriarchis atque Prophetis pollicitus, ſe ad nos miſſurum Filium ſuum. Vel potius in ſenſu magis generali: me favoribus cumulavit hic Deus Sanctus, Deus hic miſericors, qui in ſingulas ætates erga timentes ſe ſuam miſericordiam oſtendit.

℣. 51. Fecit potentiam in brachio suo.] Deus noſter eſt Deus potens, ultor, invictus qui ſuperbis reſiſtit, atque eos proſternit, qui nimium viribus ſuis confidunt. Univerſa humani generis hiſtoria diffluit exemplis, quibus ſatis, ſuperque probari poſſit id, quod a SS. Virgine dicitur; Deum ſuperbis quidem reſiſtere, humilibus vero ſuam gratiam conferre. Elegit quidquid maxime infirmum erat, humile, contemptibile in oculis Mundi, ut ſublimiora ſua
E exequeretur conſilia. Cujus rei præclarum in eadem Beatiſſima Virgine effulget exemplum: quod ipſa etiam plane hic innuit; ſed modeſtiæ ergo proferre non audet.

℣. 52. Deposuit potentes de sede.] Sequitur celebrare Domini ſapientiam, potentiam, atque juſtitiam: gaudet ille, eos deprimere, qui ſuperbia intumeſcunt, & illos attollere, qui in humilitate deliteſcunt. Pharaonem in Erythræo Mari proſtravit; Moyſem vero in omnium gentium oculis gloriæ luce circumdedit. Superbus Saul reprobatur, David in o-

1 Calvinus. 2 Chryſoſt. homil. de S. Joan. Bapt. Hieronym. lib. adverſ. Luciferian. Aug. Ep. 187. ad Dardan. Ambroſ. lib. 2. in Luc. Iren. lib. 3. cap. 18. Tertull. de Carne Chriſti, cap. 21. Cyrill. Jeroſ. cap. 3. Origen. homil. 7. in Luc. Bed. Grot. Maldon. alii. 3 Ambroſ. Beda loco citato. Ex origine homil. 7. in Luc. 4 Auguſt. Ep. olim 57. nunc 187. ad Dardan.
5 Origen. homil. 8. Beda hic. Bernard. ſerm. 5. & 42. in Cantic.
6 Ita Theophyl. Euthym. Maldon. Grot. Bev. Brug. alii.

Digitized by Google

cælis ſuis humilis ad Regni ſolium evehitur. Roboam, qui jactitabat, auricularem digitum ſuum craſſiorem eſſe toto Salomonis parentis ſui corpore, non minima Regni ſui parte fraudatur; ſeditioſi ſubditi illius profugum quemdam ſibi Regem conſtituunt. Holofernes mulieris manu caditur. Amanes cogitur Mardochæum in omne obſequium compoſitus excipere, eumque invisus maximis honoribus efficere; ipſe vero de Cruce ſuſpenditur, quam inimico paraverat. Nebuchodonoſor, qui ſe veluti Deum in terris arbitrabatur, jumento ſimilis factus eſt. Quid plura? Deus ſemper ex omni ſæculorum decurſu, atque apud nationes omnes ita agere conſuevit: quæ veritas Ethnicis quoque explorata eſt, & comperta. Adeo ratio hæc, qua Deus operatur, ubique gentium ſibi conſtat, atque eadem eſt.

℣. 53. ESURIENTES IMPLEVIT BONIS.] Anna Samuelis Mater poſt recenſita Dei mirabilia, eodem ferme pacto Dei magnitudinem celebrat 1. Reg. 2. 5. 6. 7. *repleti prius, pro panibus ſe locaverunt*, inquit illa, *& famelici ſaturati ſunt . . . Dominus mortificat, & vivificat: deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & ſublevat; Suſcitat de pulvere egenum: & de ſtercore elevat pauperem; ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat.* Non alium vero magis, quam Beatiſſimam Virginem ea in occaſione, in qua nunc reperitur, ea decebat aſſerere, quæ hoc in cantico protulit.

℣. 54. SUSCEPIT ISRAEL PUERUM SUUM.] Illum in ſuam clientelam accepit; vel juxta Græcæ vocis vim [1]; *illum ſuſtinuit*, cum jam caſurus eſſet, opem tulit, manum extendit, & ex lapſu relevavit. Iſrael in ſqualore captivitatis verſabatur, alienis, atque ſæviſſimis Regibus ſubditus. Herodes tunc imperitabat. Progenies David in caligine latebat cum reliquo populo permixta. Sed nunc Deus recordatus antiquarum miſerationum ſuarum venit, ut liberaret Iſrael de ſervitute, atque de opprobrio domum David educeret. Dominus Iſraeli Salvatorem nunc dare incipit, & familiæ David Regem. Vide Zachariæ canticum inferius ℣. ℣. 68. 69.

℣. 55. SICUT LOCUTUS EST.] Meſſias eſt finis Legis [2], atque prophetiarum omnium argumentum. SS. Patriarchæ, & Prophetæ omnibus votis adventum illius concupierunt. Hoc unum illi optabant, ille plus, vel minus explicite juxta divinæ Sapientiæ leges in omnibus tamen deſignabatur promiſſionibus, quas Spiritus Sanctus Patriarchis, atque Prophetis ſpoponderat, atque in iis omnibus, quæ in illorum perſona ceciderant, figurabatur. S. Virgo ſupernaturali lumine omnia ſimul intuetur, & veteres illas promiſſiones, & perfectum earumdem complementum, ac in re præ omnibus veteris teſtamenti prophetis majori lumine, majoribus privilegiis, majorique prædita felicitate.

℣. 56. MANSIT MARIA CUM ILLA.] Ut cum ea colloqueretur de graviſſimis myſteriis, quorum duæ illæ tantum cum Zacharia ex univerſo mortalium numero teſtes erant, atque ſequeſtres. Toto hoc tempore ibi illa permanſit, Patres inquiunt [3], ut Jeſus Chriſtus præcurſorem ſuum formaret, eumque ad præclara ea prœlia, quibus cum Dæmone conflicturus erat, præpararet. Ex plurimorum, eorumque optimorum Interpretum ſententia S. Virgo ab Eliſabeth non receſſit, niſi poſtquam hæc puerum enixa eſt [4]; & ſane quorſus deſereret conſobrinam ſuam eo tempore, quo hæc illius ope maxime indigeret? Grotius ait, ſi Maria illic commorari voluiſſet, donec Eliſabeth ſeſe fœtu exoneraſſet, illi expectandum ibidem fuiſſe, donec convaleſceret ex iis incommodis, qui naturales ſunt effectus puerperii, & quibus laborantes mulieres [5] immundæ a Lege declarantur; quo in caſu ultra tres menſes Mariæ illic commorandum fuiſſet. Alii [6] Ma-

A riæ pudori, atque intemeratæ Virginitati minus decorum fuiſſe putant prope puerperam permanere, eique famulari, omniaque amoris, & charitatis officia præbere. Demum ajunt; Evangeliſta S. Johannis Baptiſtæ nativitatem tunc tandem enarrante, cum Mariæ diſceſſum indigitavit, putandum eſſe, puerum illum natum fuiſſe dumtaxat, cum Maria jam diſceſſiſſet.

Verum fateantur, opus eſt, rationes has nullatenus invictas eſſe. Maria domum ſuam reverti potuit biduo, vel triduo poſt S. Johannem in lucem editum; nihil enim eam cogebat, ut ulterius ibi permaneret. Potuit illa ſine ulla Virginitatis ſuæ labe in Zachariæ domo, vel alia quapiam contigua permanere, dum Eliſabeth eniteretur; ac deinde conſobrinæ ſuæ ea officia præſtare, quæ antea. Demum Evangeliſta quidquid ad Ma-

B riam pertinet iter, deinceps narravit; mox ea relaturus, quæ ad S. Johannem ſpectant: ita enim omnes ferme hiſtorici conſueverunt, ne facti alicujus circumſtantias nimium ſeparent, dum religioſius chronologicum ordinem ſtudent conſectari.

℣. 58. CONGRATULABANTUR EI.] Acceſſerunt, ut cum Eliſabeth de felici Filii ſui nativitate gratularentur, quæ non poterat haberi non miraculoſe poſt ea, quæ Zachariæ contigerant [7]. Ita adimpletum eſt, quod illi prædixerat Angelus futurum, ut in nativitate pueri hujus plurimi lætarentur.

℣. 59. IN DIE OCTAVO VENERUNT CIRCUMCIDERE PUERUM.] Circumciſio ſemper die octava a nativitate fiebat [8], quo eadem die ſolemniter puero nomen imponebatur. Hac in re nihil præceperat lex: verum

C conſuetudo iſta ab omnibus in populo ſervabatur. Circumciſionis Miniſter aliquis erat e conſanguineis, vel amicis, vel alius ea in re maxime verſatus, qui domum vocabatur; non enim neceſſe erat, ut ad hanc circumciſionem, vel in templum, vel in Synagogam puer deferretur.

℣. 60. NEQUAQUAM: SED VOCABITUR JOHANNES.] Eliſabeth filii ſui nomen ex revelatione plane didicerat [9]: ſi enim ex Zacharia, vel ſcripto, vel aliter didiciſſet, S. Lucas id minime prætermiſiſſet; & Eliſabeth hanc explicuiſſet circumſtantiam, aſſerens, eamdem & Patris eſſe mentem, & hoc ab Angelo imperatum fuiſſe; neque neceſſum fuiſſet per nutus a Zacharia exquirere nomen, quo puer erat appellandus.

℣. 61. NEMO EST IN COGNATIONE TUA.] Quem-

D vis antiquitus minime obtinuiſſet conſuetudo, ut vulgo filiis vel Patris, vel alterius cujuſpiam ex cognatione puero nomen imponerent; ex hoc tamen loco, & ex præcedenti verſiculo innoteſcit, Zachariæ ævo morem hunc in Iſrael percrebuiſſe, ut, ni peculiaris quædam obſiſteret cauſa, ob quam aliter agendum eſſet, ex parentum conſanguineis, vel affinibus aliquis eligeretur, cujus nomen puero recens nato tribueretur; quemadmodum apud nos in Baptiſmate, vel Patrini, vel alicujus ex conſanguinitate nomen imponitur baptizato.

℣. 62. INNUEBANT PATRI EJUS.] Zacharias ergo & ſurdus erat, & mutus, ſicuti jam adnotavimus: non enim intelligebat, niſi per nutus, neque intelligi poterat, niſi tabulis pueri nomen inſcribens.

E ℣. 64. APERTUM EST ILLICO OS EJUS.] Statim ſe Zacharias tabulis Johannis nomen inſcripſit, & loqui cœpit, & audire. Veteres quidam crediderunt [10], cum ſtylum arripuiſſet ſcripturus, repente ſolutam fuiſſe linguam illius, & cœpiſſe loqui. Sed contrarium aſſerit Evangeliſta. Deus, qui Zachariam in exiguæ fidei pœnam percuſſerat, os illi minime aperuit, niſi poſtquam adimpletum eſt, quidquid a Gabriele fuerat prædictum. Tunc incœpit Dominum benedicere, canens:

1 Ἀντελάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ. 2 Rom. 10. 4. *Finis legis Chriſtus.*
3 Origen. hom. 9. & Ambroſ. in Luc. lib. 2. n. 29. 4 Maldon. Brug. Toynard. Hamm. Evangel. alii.
5 Levit. 12. & 15. 6 Vide Theophyl. Euthym. hic. Niceph. lib. 1. c. 8. hiſt. Græcus Author, apud D. Thom. 7 Sup. ℣. 14. 8 Geneſ. 17. 12.
9 Origen. homil. 9. Ambr. in Beda. Euthym. Theophyl. Mald. Grot. Brug. alii.
10 Auth. de Mirabil. ſacr. Script. lib. 3. c. 1. Juvencus.

Sed, proh mira fides! Tabulis cum ſcribere tentat,
Implicitam ſolvit per verba ſonantia vocem.

neat : *Benedictus Dominus Deus Iſrael* &c. ℣. 68.

℣. 65. ET FACTUS EST TIMOR.] Vel potius ſtupor, reverentia, admiratio. Viderunt illi cum religioſo timore, admiratione quadam permixto, miracula, quæ in nativitate filii Zachariæ ſummo eum fulgore contigerant.

℣. 66. MANUS DOMINI ERAT CUM ILLO.] Domini poteſtas enituerat, & in conceptione, & in nativitate Johannis Baptiſtæ, ita ut facilis conjectura eſſet, hunc ſummum virum futurum, ac Dominum in eo opus ſuum perfecturum. *Manus Domini* illius protectionem, potentiam, prophetiæ ſpiritum ſignificat.

℣. 67. PROPHETAVIT DICENS.] In Scripturæ ſtylo *prophetare* non ſemper idem eſt, ac futura portendere, neque ſupernaturali lumine afflari. Vox hæc nonnumquam & laudes Domini concinere [1], & Scripturas explicare, & motus propheticis ſimiles edere ſignificat. Hoc in loco minime dubium eſſe poteſt, quin ſignificet Spiritu Sancto repleri, & Sancto ejuſdem afflatu loqui. Deus, qui Zachariam percuſſerat, ut ejuſdem puniret incredulitatem, poſtquam illam humiliavit, gratiæ incrementum illi elargitur. Admiremur Dei clementiam, S. Ambroſius in Luc. hic inquit : non ſolum reddit ea, quæ ademerat, verum etiam accentes gratias, favoreſque inſperatos addit. Ejus etiam ſilentium, in quo novem menſes permanſit, quin loqueretur, quædam erat prophetiæ ſpecies, quoniam & Zachariæ erratum, & Domini juſtitiam, & prorſus miram pueri nativitatem nuntiabat.

℣. 68. BENEDICTUS DOMINUS &c.] Hoc alterum eſt novi Teſtamenti Canticum, cujus exordium de Sacrorum Scriptorum more ex Dei laudibus, atque benedictionibus deſumit Zacharias. Ubi ille vidit felicem filii ſui nativitatem, qui futurus erat præcurſor, & vox Redemptoris ; & ubi domi ſuæ Mariam excepit, quæ illum tertium jam menſem ſinu geſtabat, de Meſſiæ adventu, & proxima populi ſui liberatione non ambigit ultra.

℣. 69. ET ERREXIT CORNU SALUTIS NOBIS.] Et ſuſcitavit nobis potentem Salvatorem in domo David. Hoc ſalutis cornu eſt Meſſias, qui in manu potenti, & brachio extento venit, populum ſuum ſalvum facturus. Credere poterat Zacharias, ſicuti Iſraelitæ cæteri, Meſſiam futurum Principem Magnum, Victorem, Imperatorem potentem, a quo in familia David Regnum eſſet reſtituendum : & Spiritus Sanctus, quo afflabatur, dum Canticum iſtud elucubraretur, efficere poterat, ut Meſſiæ Regnum iiſdem vocibus indigitaret, quibus olim prophetæ veteres illud deſignaverant. Fallax idea, quam de Meſſia conceperant populi, & quæ in communi ſermone percrebuerat, minime ſimilis erat menti Spiritus Sancti, neque auctoris, qui eodem repletus ſcribebat. Illa ad rudes Judæos pertinebat, qui ex eo ſermone, quem minime intelligebant, ſibimetipſis illudendi occaſionem arripuerant : quæ ideæ, ac ſermo cum ſemel ex nimia conſuetudine radices jeciſſent, Spiritus Sanctus debuit quodammodo iiſdem ſeſe aptare, ut a populo intelligeretur. Hoc ferme accidit quemadmodum in fidicine, cui cythara exhibetur, non ſatis concordis. Si eam pulſaverit, neceſſario obſtrepet, & eadem chorda oberrabit ; ſed qui illius artem norunt, hoc illi vitio minime vertent, omnemque in cytharam culpam rejicient. Univerſa Biblia diffluunt his loquendi modis popularibus, non ſatis caſtigatis, atque diligentibus ; quibus Prophetæ, Apoſtoli, immo & JESUS CHRISTUS perſæpe uſi ſunt. Deus nobis deſcribitur, tamquam corporeus, animi ægritudinibus obnoxius, iratus. Syderibus mens, brutis ratio quodammodo tribuitur. JESUS CHRISTUS plures populares errores ſupponit : credebant Apoſtoli, Meſſiam futurum potentem Principem, eumque amicis ſuis collaturum dignitates, eos bonis, terreniſque honoribus

cumulaturum ; ille ergo Eccleſiæ ſuæ inſtitutionem illis exhibet ſub imagine novi Regni, convivii, nuptiarum, æternæ vitæ, reſurrectionis &c. atque Apoſtolus relinquit in quibuſdam erroneis cogitationibus, quarum errorem tunc penitus intellexerunt, cum JESUS reſurrexit, atque Spiritus Sanctus dilapſus eſt. Prophetarum plerique eodem ferme pacto fuerant locuti. Addit Deus ſub harum locutionum integumento aliquid reipſa majus ; hæc vis eſt veritatis, gratiæ, miraculorum, & Crucis Domini, quæ longe validiores fuerunt quam exercitus, atque terrenæ copiæ eſſe potuiſſent. Vide S. Paulum ad Corinthios 1. Cor. 2. ℣℣. 18. 19. 20.

℣. 72. MEMORARE TESTAMENTI SUI SANCTI,] quod cum Abraham percuſſit, dicens illi Gen. 22. 16. *benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ* ; videlicet in JESU CHRISTO : quemadmodum S. Paulus ad Galat. 3. 16. interpretatur. Ibidem pollicetur etiam victoriam de hoſtibus noſtris referendam : *poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum* : quod ipſum indigitat Zacharias ſequentibus ℣℣. *ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus illi in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris*. Judæi carnales, reales ſibi victorias, terrenaſque voluptates pollicebantur : ſed ſpirituales, qualis erat Zacharias, in Meſſiæ Regno lætiſſimam pacem, felicemque vitam præſtolabantur ; verum omnibus conditam voluptatibus, quibus in pietatis exercitatione, atque in ſancta, perfectæque vitæ innocentia animus perfruatur.

℣. 76. ET TU PUER PROPHETA ALTISSIMI VOCABERIS.] Alloquitur S. Johannem Baptiſtam filium ſuum recens natum, atque illius ſtatum, ac munus prædicit. Illum autem alloquitur tamquam rationis compotem ; ea enim ipſe juxta Auctores complures [2], Sanctus iſte Præcurſor ab ipſo Viſitationis SS. Virginis momento rationis uſum ſemper retinuit. Vel per apoſtrophem ad eum convertitur, quemadmodum poetæ ſæpe ſolent, qui tamen ſe intelligi putent ; ſed dumtaxat ut alii cognoſcant, quis aliquando puer illa futurus ſit. Ait autem, illum futurum *Altiſſimi prophetam*, ut olim prophetas veteres, prophetiæ munere repletum, & ſicuti illos, miſſum ad populos erudiendos, corripiendos, caſtigandoſque ; & illis Meſſiæ adventum annunciandum. Veruntamen JESUS CHRISTUS in S. Johanne nobis aliquid oſtendit, unde major ille ſit gloriæ acceſſio, & quod illum pluſquam prophetam conſtituit [3] ; videlicet quod cum cæteri Meſſiæ adventum tamquam futurum aliquid remotumque procul protenderent, S. Johannes illum jam præſentem & digito quodammodo oſtendit. Hic illius vias præparabat, ad illum diſcipulos mittebat, hunc populis oſtendebat, eiſque, ut hunc ſequerentur adhortabantur.

℣. 77. AD DANDAM SCIENTIAM SALUTIS,] ad populum prædicationibus ſuis juſtitiæ atque veritatis viam edocendum, eumque deducendum ad JESUM CHRISTUM, qui eſt via, veritas, & vita, qui eſt unicus Salvator, atque mediator inter Deum & homines [4] ; & ſolus, a quo peccatorum noſtrorum veniam ſperare valeamus : in remiſſionem peccatorum eorum. S. Johannis Baptiſmus quædam erat diſpoſitio ad baptiſmum Domini, qui ſolus vere peccatorum veniam conferebat [5]. In hoc S. Johannes & ſalutis ſcientiam, & peccatorum tradebat remiſſionem, quod ad JESUM CHRISTUM veræ ſcientiæ, atque ſalutis unicum fontem adducebat. Johannes quidem vox erat, JESUM annuncians ; JESUS vero Salvator erat, tantopere mortalium omnium votis concupitus.

℣. 78. PER VISCERA MISERICORDIÆ DEI NOSTRI.] JESUM CHRISTUM appellat ſolem *orientem ex alto* juxta Prophetarum locutionem, qui ſæpe hoc nomine illum indigitant [6] ; *ecce vir ; Oriens nomen ejus*. Hebræus [7] legit

1 1. Reg. 10. 5. 1. Par. 25. 1. 1. Cor. 14. 5.
2 Origen. homil. 10. in Luc. Ambroſ. Bede, Theophyl. Strab. alii hic.
3 Matth. 11. 9. Luc. 7. 26.
4 1. Timot. 2. 5. *Unus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Jeſus.*
5 Joan. 1. 23. 25. 26. Matth. 3. 6.
6 Zach. 3. 8. 6. 12. Jerem. 23. 5. *Germen juſtum.*
7 צמח Ἀνατολή. Alias : Germen, βλάστημα.

legit *germen* pro Sole oriente : conſtat tamen, locos, A
ubi nomen hoc invenitur, de Meſſia eſſe intelligendos. Verba illa, *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri*, referri poſſunt ad omnia, quæ præcedunt, vel dumtaxat ad peccatorum remiſſionem, de qua immediate ſtatim locutus eſt, vel denique ad orientem juſtitiæ ſolem, de quo hic verba facit : hæc omnia merus eſt paternæ in nos divinæ effectus miſericordiæ. *Viſcera miſericordiæ* ſignificant miſericordiam amantiſſimam, atque teneriſſimæ charitatis refertiſſimam, qualis eſt in Matre, cujus viſcera commoventur, ubi filii ſui vulnera intuetur, & illi triſte aliquid accidiſſe cognoſcit.

℣. 79. ILLUMINARE HIS, QUI IN TENEBRIS.] JESUS CHRISTUS verum eſt lumen, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum [1]. Ipſe humanam carnem aſſumpſit, ut mortales omnes ſalvos faceret, B
qui ante adventum illius tamquam calamitoſiſſima mancipia in in teterrimo carcere concluſi ſqualebant ; vel tamquam mortui in ſepulchro jacebant. Juſtitiæ Sol ſuper illos refulſit, ejuſque lux in omnem terram enituit. Johannes ipſe [2] *lucerna erat ardens & lucens* : verum omnem fulgoris ſui plenitudinem ab eo oriente Sole mutuabatur, de quo Zacharias hoc in loco verba facit.

AD DIRIGENDOS PEDES NOSTROS IN VIAM PACIS.] Ante JESU CHRISTI adventum in tenebrarum caligine atque mortis umbra ambulabamus ; greſſus noſtri ad mortem atque in præceps nos deducebant ſine cognitione, ſine metu, ſine amore veri Dei : Ex nobis metipſis nonniſi errare atque interire poteramus : Sed oriente Divino hoc ſole, tenebræ ſtatim evaneſcunt, in viis pacis incedimus ; ſi Iſrael perit, ideo C
perit, quia vult, *perditio tua Iſrael*. Impii *dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem* Joan. 3. 19. Via pacis in Scripturarum ſtylo, vel pacatam tranquillamque vitam ; vel vitam felicem atque proſperis rebus undequaque florentem ſignificat.

℣. 80. PUER AUTEM CRESCEBAT.] Quidam hunc proferunt locum, probaturi, S. Johannem ab ipſis uſque unguiculis ſemper ratione uſu fuiſſe gaviſum. Sed hoc ſimplicius intelligi poteſt : puer creſcebat ætate, corpus illius, & augebatur, & viribus invaleſcebat ; prout membra illius creſcebant [3]. Ratio ejuſdem paulatim ſe ſe evolvebat, atque Spiritus Sanctus magis magiſque in dies in illo emicabat. Creſcebat autem & rationis uſu, & ſapientia, & virtute, & lumine ; quod ipſum ferme, ſed in ſenſu longe elatiori dictum eſt de Salvatore JESU CHRISTO : *JESUS proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*, Luc. 2. 52.

ERAT IN DESERTIS.] Creditur [4] maturato in deſerta conceſſiſſe, ibique uſque ad trigeſimum ætatis annum permanſiſſe. S. Paulinus Car. 5. ait, præcurſorem hunc, cum aliquot traduxiſſet annos in domo Patris, ea ſapientia, & gravitate, quæ maxime decebant Spiritum Sanctum, qui in ipſo quieverat ; cumque ibidem ex Sacrorum librorum lectione Dei leges, atque veterum Patriarcharum vitam didiciſſet ; ubi per ætatem ipſi licuit, mundum hunc reliquiſſe, atque ſeceſſiſſe in deſertum, ut ibi ſolitariam auſteramque vitam pœnitentis more tranſigeret. S. Petrus Alexandrinus [5] veluti aliquid celeberrimum, atque vulgatiſſimum narrat ; cum Herodes quæſivit JESUM CHRISTUM ut illum occideret ; voluiſſe quoque necem inferre S. Johanni, cujus nativitatis fama adeo percrebuerat ; ſed Sanctam Eliſabeth Matrem illinc illum furtim in deſertum attuliſſe, ibique una cum illo permanſiſſe.

In ſpirituali prato Johannis Moſchi c. 1. legitur revelatio quædam, ubi dicitur S. Johannes delituiſſe in caverna quadam, cui nomen *Samſas*, vel *Sapſas* ad mille circiter paſſus trans Jordanem. Hoc tamen adeo incertum eſt, ac illud, quod in antiquis legitur Martyrologiis [6], Zachariam, ut plurimum, inhabitaſſe Machæronta, ubi Herodes magnus arcem ædificaverat, in quam S. Johannes vinculis onuſtus traditus fuit, ibique capite imminutus [7]. Docent Evangeliſtæ [8], quænam fuerit Johannis vita in deſerto. Sylveſtri melle atque locuſtis veſcebatur, iiſque vero tam modice, ut aſſeruerit JESUS CHRISTUS, ipſum neque bibiſſe, neque manducaſſe [9]. Neque veſtes hanc victus auſteritatem dedecebant ; rudi quippe capripilo, quod cilicium potius erat, quam veſtis, induebatur.

1 Joan. 1. 9. 2 Joan. 5. 35. 3 Theophylact. Mald. Brug. Grot. Eraſm.
4 Origen. homil. 11. in Luc. elii. 5 Petrus Alex. c. 13. p. 27. Vide & Hieronym. adverſ. Luciferian.
c. 3. p. 173. Chryſoſt. homil. 31. in Matth. 6 Florentin. p. 835.
7 Joſeph. lib. 18. Antiqu. c. 7. Vide Commentarium in S. Matth. 14. 3. . . . 10.
8 Matth. 3. 4. Marc. 1. 6. 9 Matth. 11. 18.

CAPUT II.

Jubet Auguſtus, Imperii totius cenſum haberi. Joſeph, & Maria Bethleem ſe conferunt ; JESU CHRISTI Nativitas, de qua Paſtores ab Angelis admonentur. Salvatoris Circumciſio. Mariæ purificatio. Prophetia Simeonis. Anna Propheteſſa. JESUS duodecimum agens annum in medio doctorum invenitur. Venit Nazareth, ibique parentibus ſuis ſubditus eſt.

1. FActum eſt autem in diebus illis, exiit edictum a Cæſare Auguſto, ut de-
ſcriberetur univerſus orbis. 2 Hæc deſcriptio prima facta eſt a præſide
Syriæ Cyrino : 3 Et ibant omnes, ut profiterentur ſinguli in ſuam civi-
tatem. 4 Aſcendit autem & Joſeph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam,
in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem : eo quod eſſet de domo, & familia
David. 5 Ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante. 6 Fa-
ctum eſt autem, cum eſſent ibi, impleti ſunt dies, ut pareret. 7 Et peperit
filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio :
quia non erat eis locus in diverſorio. 8 Et paſtores erant in regione eadem vi-
gilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. 9 Et ecce Angelus
Domi-

Domini ſtetit juxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore ma-
gno. 10 Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gau-
dium magnum, quod erit omni populo: 11 Quia natus eſt vobis hodie Salva-
tor, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David. 12 Et hoc vobis ſignum:
Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio. 13 Et ſubito fa-
cta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium:
14 Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. 15 Et
factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis Angeli in cœlum, paſtores loquebantur ad in-
vicem: Tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum
eſt, quod Dominus oſtendit nobis. 16 Et venerunt feſtinantes: & invenerunt
Mariam, & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio. 17 Videntes autem cogno-
verunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. 18 Et omnes, qui au-
dierunt, mirati ſunt: & de his, quæ dicta erant a paſtoribus ad ipſos. 19
Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. 20 Et re-
verſi ſunt paſtores glorificantes, & laudantes Deum, in omnibus, quæ audierant,
& viderant, ſicut dictum eſt ad illos. 21 Et poſtquam conſummati ſunt dies o-
cto, ut circumcideretur puer: vocatum eſt nomen ejus, Jeſus, quod vocatum
eſt ab Angelo, prius quam in utero conciperetur. 22 Et poſtquam impleti ſunt
dies purgationis ejus ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſi-
ſterent eum Domino, 23 Sicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſcu-
linum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur. 24 Et, ut darent hoſtiam
ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos co-
lumbarum. 25 Et ecce homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon, & homo
iſte juſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat
in eo. 26 Et reſponſum acceperat a Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem,
niſi prius videret Chriſtum Domini. 27 Et venit in ſpiritu in templum. Et cum
inducerent puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent ſecundum conſuetudinem le-
gis pro eo: 28 Et ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & di-
xit: 29 Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pa-
ce: 30 Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum: 31 Quod paraſti ante faciem
omnium populorum; 32 Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ
Iſrael. 33 Et erat pater ejus, & mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de
illo. 34 Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce po-
ſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael; & in ſignum,
cui contradicetur: 35 Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur
ex multis cordibus cogitationes. 36 Et erat Anna prophetiſſa, filia Phanuel, de
tribu Aſer; hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſe-
ptem a virginitate ſua. 37 Et hæc vidua uſque ad annos octogintaquatuor: quæ
non diſcedebat de templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte, ac die.
38 Et hæc, ipſa hora ſuperveniens, confitebatur Domino; & loquebatur de illo
omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael. 39 Et, ut perfecerunt omnia ſe-
cundum legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth. 40
Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientia: & gratia Dei erat in
illo. 41 Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jeruſalem, in die ſolemni
Paſchæ. 42 Et cum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Jeroſoly-
mam ſecundum conſuetudinem diei feſti, 43 Conſummatiſque diebus, cum redi-
rent, remanſit puer Jeſus in Jeruſalem, & non cognoverunt parentes ejus. 44
Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum
inter cognatos, & notos. 45 Et non invenientes, regreſſi ſunt in Jeruſalem, requi-
rentes eum. 46 Et factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in templo ſedentem in
medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. 47 Stupebant autem omnes,
qui eum audiebant, ſuper prudentia, & reſponſis ejus. 48 Et videntes admirati
ſunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus, &
ego dolentes quærebamus te. 49 Et ait ad illos: Quid eſt, quod me quærebatis:
neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? 50 Et ipſi
non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos. 51 Et deſcendit cum eis,
& ve-

& venit Nazareth : & erat ſubditus illis. Et mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo . . . 52 Et Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.

¶. 1. EXIIT EDICTUM A CÆSARE AUGUSTO.] Apud prophanos hiſtoricos non occurrit diſtincte mentio cenſûs illius, de quo iſthic S. Lucas verba facit. Verum hoc minime mirum eſſe fas eſt; unum enim dumtaxat hiſtoricum ſcimus, accuratè Auguſti deſcripſiſſe res geſtas, ex quibus etiam decem illi interierunt anni, ubi cenſus hic fuiſſet referendus [1]. Oportet tamen, & certum, & exploratum omnibus fuiſſe factum hoc; quandoquidem S. Juſtinus Apolog. 2. atque Tertullianus in Marcion. l. 4. c. 7. Ethnicos, atque Hæreticos ad ea remittit monumenta, quæ hac de re facta fuerant, & quæ ævo ſuo hactenus ſervabantur.

Non ſatis conſtat, quænam ratio Auguſtum coegerit, ut hunc cenſum haberet. Credunt alii [2], hoc ex mera curioſitate factum, quemadmodum olim David ſubditos ſuos diligentiſſime recenſeri voluit, ut Regni ſui vires cognoſceret [3]. Plerique [4] putant, Auguſtum voluiſſe ad unguem habere comperte ſubditorum ſuorum, & numerum & bona, & ſingulorum in provinciis officia, ut ſingulis vectigal imponeret pro viribus cujuſque, eaque ſententia pluribus Interpretum ſuffragiis probatur.

UNIVERSUS ORBIS.] Hoc eſt incolæ univerſæ terræ, qui tamen non ita preſſius intelligendi ſunt. Alii hoc explicant de Judæa tantum, cum vellet Auguſtus ſcire quantas, ſi opus ferret, Imperio copias ſuppeditare poſſet Herodes, qui ibi tunc temporis imperitabat, & qui Romanorum amicus erat, & ſocius. Hoc certè liquet, in Scripturis *univerſum orbem* pro Judæa tantum uſurpari [5]; qui ſi loci hujus ſenſus eſſet, mirum nequequam eſſet, quod neque Joſephus, neque Prophani hiſtorici de recenſione hac verba non fecerint. Sed plerique autumant [6], cenſum hunc generatim ad univerſum Romanum Imperium pertinuiſſe, quem verum eſſe hujus loci ſenſum opinor. Græci, Latinique Auctores ſæpius univerſum orbem dicere, ut quam latè patebat imperium illud, innuerent. Ex. gr. Ovidius: *totum circumſpicit orbem*. Et *orbem jam totum victor Romanus habebat*. Et Hegeſippus l. 2. cap. 9. *Orbis terrarum, qui Romano Imperio clauditur, & definitur, &c.*

¶. 2. HÆC DESCRIPTIO PRIMA FACTA EST A PRÆSIDE SYRIÆ CYRINO.] Græci MSS. in *Cyrini* nomine variant. Alii *Cyrtuium* legunt; Cyrinium alii; alii *Kyrynium*, verumtamen genuinum illius nomen, quemadmodum apud Latinos auctores invenitur, eſt *Quirinius*. Verum loci hujus difficultas in eo poſita eſt, ut cenſus hujus tempus conſtituatur; certum quippe eſt Quirinium Syriæ non præfuiſſe ſub Herodis Imperio, ideoque nec cum JESUS CHRISTUS in lucem editus eſt. Poſtremo Herodis Regni anno Syriæ præerat *Quintilius Varus*, quemadmodum ex Tacito liquet [7]. Tertullianus [8] credidit, cenſum hunc habitum fuiſſe a Sentio Saturnino; ſed Saturninus ab ea Provincia receſſerat ante poſtremum Herodis annum, atque ſucceſſorem habuerat *Quintilium Varum*, quemadmodum Joſephus Antiq. l. 16. c. 13. teſtatur. Quin-A tilio Varo ſucceſſit *Publius Sulpitius Quirinus*, vel *Quirinius*, de quo iſthic verba ſunt: hoc tamen biennio tantum poſt mortem Herodis accidit, & cum Archelaus Judææ Rex ab Auguſto [9] fuit relegatus.

Pater Petavius, & Grotius difficultates has conciliaturi cenſuerunt, Quirinium in Judæam, & Syriam extra ordinem miſſum fuiſſe, dum Provinciæ illi *Sentius Saturninus*, aut *Varus* præpoſitus eſſet, quæ tamen hypotheſis omnibus denudata eſt argumentis. Quorſum ſignanter, atque extra ordinem Roma mittendus erat Præſes aliquis, ut rem adeo facilem, qualis cenſus hic erat, procuraſſet? alii facilius, atque aptius ex hac evadunt difficultate, S. Lucæ locum ita vertentes [10]: *Hæc deſcriptio facta eſt, antequam Quirinius Syriæ præeſſet*. Quæ vertendi ratio omnes adi-B mit difficultates; & cui Græca locutio minime adverſatur. Ex. gr. [11] *hic erat quem dixi: qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt: quia prior me erat;* pro *erat ante me*. Et item [12]; *ſi mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit*: hoc eſt ante vos. Et Alexander Aphrodiſeus [13]: *tonitru prius auditur, quam fulgur videatur*, hoc eſt ante fulgur. Ita hoc in loco; *hæc deſcriptio facta eſt prius, quam Quirinius eſſet Syriæ Præſes*, videlicet ante regimen illius. Sententiam hanc ſciti Interpretes amplectuntur [14], eaque nobis magis veriſimilis videtur.

Credunt quidam [15], deſcriptionem hanc primam dici, non quod nulla ſimilis antea in Judæa facta fuerit, ſed quod nulla antea illam habita fuerat; ſed ea explicatio difficultatem non eximit, quæ in eo po-C ſita eſt, ut intelligamus, quomodo Quirinius, qui in Domini nativitate Syriæ Præſes non erat, cenſui huic præeſſe potuerit. Nec ulla afferri poſſe melior ſolutio videtur, quam ea, quam ſuperius attulimus, vertentes: *deſcriptio hæc facta fuit, antequam Syriæ Quirinius præeſſet.*

¶. 4. ASCENDIT JOSEPH DE CIVITATE NAZARETH] Privatus quilibet adeſſe debebat in Urbe ſua, & loco originis ſuæ, ut ibi & nomen ſuum, & uxoris ſuæ, & bona ſua profiteretur [16]. Quæritur, utrum & mulieres, & pueri tenerentur eum ſe ſe transferre in locum, ubi cenſus habebatur? haud ita procoldubio; aliter opus fuiſſet, ut Provincia univerſa, immo univerſus orbis ſe ſe moveret, atque ſæpius longa aggrederetur itinera, & ſæpe leviſſima de cauſa, ac citra ullam ne-D ceſſitatem. Cur igitur, Maria licet ventrem ferret, itineris incommodis ſe ſe offert, venitque Bethleem, ut profiteatur? ideo venit, plerique Interpretes inquiunt, quod familiæ ſuæ hæres erat, utpote unigenita; ideoque & progeniem ſuam, & familiam repræſentatura. At in hoc non una difficultas offenditur. Primo non ſatis conſtat, Mariam fuiſſe unigenitam; immo magis probabilis videtur oppoſita ſententia; 2. licet hæres fuiſſet, & unica hæres ubi nupſerat, vir illius profiteri debebat, uxoris nomine profeſſurus, cum præſertim illa proxime eſſet, ut ventris ſui fructum emitteret. Igitur fidei magis conſonum eſt, Mariam virum ſuum Joſeph in Bethleem fuiſſe ſubſecutam, quod ita Provi-den-

1 Caſaub. Exercit. in Baron. & Tillem. not. 2. ſuper J. C. 2 Svid. A. t. 1. p. 362. Vide Tacit. Ann. lib. 1. cap. 17. Grot. 3 2. Reg. 24. 2. 4 Caſſiodor. lib. 3. ep. 52. Ambroſ. in Luc. lib. 2. Vide & Euthym. Bed. Strab. Maldonat. alii plerique. 5 Joſue 2. 3. 1. Reg. 30. 16. Geneſ. 13. 9. Iſai. 13. 9. Matth. 27. 45. &c. 6 Vide Hammond. Ligfoot, &c.

7 Tacit. lib. 5. ſect. 9. *Poſt mortem Herodis, nihil expectato Cæſare, Simon quidam regium nomen invaſerat. Is a Quintilio Varo Syriam obtinente punitur.* 8 Tertull. contra Marcion. lib. 4. cap. 19. *Sed & cenſus conſtat actos ſub Auguſto tunc in Judæa per Sentium Saturninum.*

9 Joſeph. Antiq. lib. 17. cap. 13. 14. 10 [illegible]

11 Joan. 1. 15. 30. [illegible] 12 Joan. 15. 18. [illegible]

13 Alexand. Aphrodiſ. Problem. [illegible]

14 Hervaic. Perizon. Diſſert. ſingul. in hunc loc. Le Clerc. in Hammond. hic. Toynard. Harm. Evang. not. p. 143. Schmid. in Luc. 15 Vide Caſaub. Exercit. 1. §. 31. & Beza hic. Juſtin. Dialogo adverſ. Tryphon.

16 Supra Verſ. 3.

dentis conſtitutum erat, ut JESUS CHRISTUS in Bethleem naſceretur ad ea vaticinia adimplenda, quæ palam hoc ipſum portenderant [1].

Joſeph ergo ex Bethleem originem ſuam deduxerat, & ex familia David, non ſecus ac Maria conjux ſua ex eadem deſcenderat. Veruntamen haud a fide alienum videtur, neminem ex illorum conſanguineis ibi permanſiſſe; non enim neceſſitate adacti fuiſſent, ut cum puerperium prope urgeret, in ſtabulo diverſarentur. A Nazareth, quæ duabus leucis abeſt a Monte Thabor occaſum verſus, ad Bethleem uſque ſitam duabus leucis procul a Jeroſolyma ad meridiem, triginta leucæ intercedunt: ſi Maria prægnationis incommodis laboraſſet, quemadmodum alia quælibet mulier, citra periculum tantum iter ingredi minime potuiſſet; ſed quoniam ſine virginitatis detrimento conceperat, & ſine
B
dolore erat paritura: fructus, quem ventre gerebat, non oneri, ſed ſolatio illi erat, eamque efficiebat [2] expeditiorem. Nullo pacto probari poteſt, illam equo, aut jumento aliquo in itinere uſam fuiſſe. Pedibus plane non ſecus ac S. Joſeph viam illam emenſa eſt.

Ferunt [3], Sanctam Virginem, & JESUM CHRISTUM etiam in eo cenſu deſcriptos fuiſſe. In eo ſingulorum nomina, ætas, qualitates, bona cenſebantur; nam, ut ait Ulpianus [4], quibuſdam in locis ætas quædam tributo immunis eſt, veluti in Syria, ubi pueri ante quatuordecim, & puellæ ante duodecim annorum ætatem vectigal perſolvere non tenentur. Locus hic probat, S. quoque Virginem ex familia David fuiſſe: alioquin enim cur acceſſiſſet Bethleem, ut ibi profiteretur? Iſthic neceſſe profecto eſt, ut admirabilem
C
providentiæ ordinem in propheticis adimplendis humillime admiremur. Scriptum erat Mich. 5. 2. CHRISTUM in Bethleem naſciturum. Incarnationis myſterium in Nazareth adimpletum eſt, cum repente Ethnicus Imperator jubet cenſum fieri, quo tenetur Joſeph, & Maria in Bethleem proficiſci, & ibidem adeſſe eo ſignanter momento, quo JESUS in lucem erat proditurus. Hoc oſtendit egregie ſupremum Dei Imperium, & quomodo penes illum temporum omnium, atque eventuum dominium ſit.

℣. 7. PEPERIT FILIUM SUUM PRIMOGENITUM.] Hoc non innuit, illam poſt hunc alios peperiſſe filios, ſed ante hunc nullum genuiſſe. *Primogenitus* pro *unigenito* iſthic uſurpatur, & Evangeliſta de induſtria illum, Mariæ primogenitum vocat, ut oſtendat, hunc,
D
quatenus primogenitum, Domino conſecratum fuiſſe, ideoque ſecundum Legem Levit. 12. 6. uti reipſa evenit Luc. 2. 22. redimendum.

Credunt nonnulli, JESUM natum eſſe nocte eadem, qua Sancta Virgo in Bethleem pervenit, quod veritati conforme ſatis videtur: quoniam, cum eo perveniſſent, non invenerunt locum in *Carvanſeras*, vel publico diverſorio. Verum tenent alii [5], hoc poſt aliquot ab eorum adventu dies accidiſſe, quam poſtremam ſententiam innuere videtur Evangeliſta, ubi ait: *factum eſt cum eſſent ibi, impleti ſunt dies, ut pareret*. Et ratio, quæ illos coegerat, ut in diverſorii ſtabulum ſe ſe reciperent prima adventus ſui die, vigere adhuc poterat quinto, vel ſexto die poſt eorum adventum. Vetu-
E
ſtiſſima Eccleſiæ Latinæ traditio fert [6], Dominum noſtrum natum eſſe die 25. Decembris, atque nativitatis illius feſtivitas, die eadem in antiquiſſimo Bucherii
A
Calendario deprehenditur. S. Epiphanius hæreſ. 5. eam rejicit in ſextam Januarii diem, & S. Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. teſtatur, ævo ſuo ab aliis die decima nona, vel vigeſima Aprilis, ab aliis vero, die vigeſima Maii ſtatutam fuiſſe. Nos vero illam accidiſſe credimus 25. Decembris anno 4000. Mundi, 4709. Julianæ Periodi, anno ante Æram Vulgarem quarto.

PANNIS EUM INVOLVIT [7].] Joſephus, & Maria cum in Bethleem perveniſſent, dum omnes undequaque confluerent, ut cenſerentur, in diverſorio, quod prorſus occupatum erat ab iis, qui priores acceſſerant, locum minime invenerunt. Diverſorium hoc fuiſſe videtur aliquod *Carvanſeras*, videlicet domus publica, ubi gratis quilibet excipiebatur, ſed ubi tectum dumtaxat ſuppeditabatur, quemadmodum hodierna quo-
B
que die aſſolet in Oriente. Cum omnia cubicula impedita eſſent, coacti ſunt in ſtabulum prope diverſorium, & ubi hoſpitum jumenta ſervabantur, concedere. En ubi Dei Filius naſci dignatus eſt.

Græci Patres [8], ubi de loco nativitatis Domini verba faciunt, illum *antrum* ſemper appellant. S. Juſtinus in Dialog. & Euſebius Demonſtr. l. 7. c. 4. ajunt locum hunc non eſſe in eadem Civitate Bethleem, ſed in agro non procul ab urbe. Scriptores illi hoc præ cæteris melius didiciſſe poterant, quoniam ibi commorabantur, & Sancto Juſtino etiam Palæſtina fuerat natale ſolum. Sanctus Hieronymus vero [9], illud fuiſſe putat in extrema parte urbis Bethleem ad meridiem. Diverſorium ergo non procul a mœnibus urbis aderat, ut viatores, qui etiam concubia nocte illuc accederent,
C
haberent, ubi quieſcerent. Cum autem Bethleem in agro ſit, montibus, rupibuſque refertiſſimo, ſtabulum, ubi natus eſt JESUS, antrum quoddam erat in rupe exciſum, cum præſepio in rupe eadem cavato. Oſtenditur ligneum præſepe, quod illud eſſe fertur, ubi Salvator noſter veluti in cunabulis poſitus fuerat, ſed in lapideo eſſe poterat ligneum præſepe, quod deinceps Romam delatum fuit.

Apud quoſdam Eccleſiaſticos Auctores legimus [10], JESUM CHRISTUM in præſepio bovem inter, & aſinum fuiſſe depoſitum: quæ locutio ad litteram pictores noſtri intellexerunt, exhibentes JESUM CHRISTUM inter duo illa animalia, quæ illum agnoſcere, & adorare videntur, juxta illa Habacuc [11] verba: *Dominus apparuit in medio duorum animalium*; & illa Iſajæ c. 3. *cogno-*
D
vit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Verum nemo inter veteres Iſajæ, & Habacuc Interpretes hoc in ſenſu verba illa intellexit. Plerique auctores, qui pro hac ſententia afferuntur, vel recentiores ſunt, vel modicæ auctoritatis; Patres vero priſci, quorum auctoritas majus obtinere pondus deberet, in allegoricum ſenſum explicandi ſunt de Judæis converſis, & de Gentilibus, qui JESUM CHRISTUM agnovere Incarnatum, & Hominem factum, natum in ſtabulo, & poſitum in præſepio [12]. Verum nullos invenitur ſcriptor, qui hac de re apertius locutus fuerit ante Auctorem Libri Promiſſionum, qui ſub dimidium quinti ſæculi vivebat. Occurrit id etiam in poemate quoddam inter Lactantii opera cuſo [13], quod tamen il-
E
lius certe non eſt; & in ſermone, qui S. Johanni Chryſoſtomo attribuitur, ſed qui tanto Doctore penitus indignus eſt [14].

Evangeliſta addit adhuc rem notandam: hoc eſt, Vir-

1 Vide Brug. hic, & Binæ. lib. 1. de Chriſti natali cap. 5. art. 14. 2 Vide Fulgent. ſerm. de Laudib B. M. Bernard. ſerm. in hæc verba Apocal. 12. 1. *Signum magnum*, &c. Niceph. lib. 1. c. 12. Mald. hic.

3 Origen. in Luc. homil. 11. Juſtin. Apolog. 2. Tertull. lib. 4. contra Marcion. Chryſoſt. Brug. Grot.

4 Ulpian. in Digeſt. c. 3. de Cenſib. 5 Maldonat. hic. Toynard. Harm. p. 5. Thebet. 5. Decemb. 25. Feria 5. 6 Chryſoſt. t. 5. homil. 31. pag. 418. Auguſt. de Trinit. lib. 4. cap. 5.

7 Græca Exemplaria non conveniunt: quædam legunt: Ἐν τῇ φάτνῃ, *in præſepe*. Et alia: Ἐν φάτνῃ, *in quodam præſepe*. 8 Epiphan. hæreſ. 51. Nyſſen. de Chriſti Nativit. Theodoret. lib. 8. de Græcar. affect. curat. Origen. Athan. 9 Hieronym. ep. 24. ad Marcell. Vide Caſaubon. in Baron. & Grot. hic, & Scultet. exercit. Evang. lib. 1. cap. 51. 10 Hieronym. epiſt. 27. ad Euſtoch. Nazianz. orat. de Chriſti nativ. Nyſſen. de Chriſti generat. Paulin. ad Sever. epiſt. 11. Cyrill. Catech. 2. Prudent. Cath. 8. Kal. Jun. Damaſcen. Carm. de nativ. Chriſti apud Baron. an. 1. num. 3.

11 Habacuc. 3. 2. juxta Septuaginta Vulgata legit: *In medio annorum vivifica illud*.

12 Vide Tillemont. Not. in J. C. 13 Lactant. Carm. de Paſſione.

14 Chryſoſtom. homil. 33. pag. 277.

Virginem Sanctiſſimam ex ſemet puerum recens natum pannis involuiſſe, eumque in jumentorum præſepio poſuiſſe, quod ſane efficere minime potuiſſet, ſi, ut aliæ mulieres, ſummis cum doloribus, viſcerumque contorſionibus peperiſſet. Nulla indiguit obſtetrice [1], & nullum experta eſt maledictionis effectum, quæ in primam mulierem fuerat prolata: *in dolore paries* [2]. Momentum nativitatis filii ſui tanta pace, atque lætitia expectavit, quanta ſolicitudine, & anxietate reliquæ horam, atque partus ſui eventum præſtolantur. Quemadmodum vero ſine pudoris detrimento conceperat, ita ſine rubore, & ſine dolore enixa eſt.

Plurimi Patres [3] docent, eaque vulgatiſſima eſt Eccleſiæ ſententia, JESUM CHRISTUM ex Matris alvo egreſſum fuiſſe, quin virginitatis illius ſignum perfringeret; licet alii plures oppoſitum videantur aſſerere [4], cum docent, ea Moyſis verba Exod. 13. 2. *omne primogenitum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur*, proprie ad JESUM CHRISTUM referri, qui unus in nativitate ſua Matris uterum concluſum invenit, numquam antea ab ullo homine reſeratum. Verum auctoribus illis ea mens eſt, ut probent intemeratam Matris Dei Virginitatem, & adſtruant veritatem Carnis Domini, contra Hæreticos illam negantes. Solus CHRISTUS *clauſas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clauſæ jugiter permanſerunt. Hæc eſt porta orientalis, per quam ſolus Pontifex ingreditur, & egreditur, & nihilominus ſemper clauſa eſt*, S. Hieronymus inquit in Dialog. contra Pelag.

℣. 8. PASTORES ERANT IN REGIONE EADEM.] Ne mireris, audiens, ibi gentium paſtores in agris verſari, ibique noctem traducere ſub Decembris exitum. Teſtantur viatores [5], menſibus Decembri, & Januario in Ægypto armenta in pratis relinqui, quemadmodum noſtris hiſce in Regionibus Majo menſe conſuevit. Jacobus de Vitriaco l. 3. narrat, exercitum, qui ſub Crucis vexillo conſcriptus fuerat, cum ad Jordanem perveniſſet vigilia S. Martini, tranquille illic ſe ſe abluiſſe, & ibidem plurima læta paſcua inveniſſe. Et profecto opus erat, hyemem in Palæſtina non admodum ſævire, quandoquidem hordeacea meſſis ſub Martii dimidium peragebatur. Paſtores ii gregum ſuorum curam gerebant eo fere pacto, quo milites excubias ſervant, quod Evangeliſta per ea innuit verba [6]: *cuſtodientes vigilias noctis*. S. Hieronymus ait, Angelum Paſtoribus ſe ſe oſtendiſſe, prope *turrim Ader*, vel *turrim gregis*, non procul a Bethleem [7], ubi deinceps Templum ædificatum eſt, trium Paſtorum nuncupatum; tres quippe eos fuiſſe Paſtores putabant. Credidit Origenes hom. 12. in Luc. Paſtores hos fuiſſe Angelos Provinciarum, quibus populorum regimen conceditum erat. Illis hoc in loco nunciatur Salvator jam adveniſſe, ut ex ſemet totius terrarum orbis regimen iniat, eoſque hac ſolicitudine exoneret.

℣. 9. CLARITAS DEI.] Claritas ingens, inſueta.

℣. 10. EVANGELIZO VOBIS GAUDIUM MAGNUM.] Nihil majus, vel jucundius univerſo populo annunciare poterat, quam affirmans ℣. 11. *natum eſſe Salvatorem*, Meſſiam editum fuiſſe in Bethleem, in urbe David. Indigitavit plane illis Angelus locum, ubi natus erat, vel eos divino, & miraculoſo quopiam radio duce illuc perduxit. Verum hac in re nihil admirabilius, quam fides, devotio, pietas horum paſtorum; qui quin vel paupertas parentum Domini, vel loci humilitas, ubi natus erat, vel præſepii, in quo poſitus erat, ſqualor ipſis ſcandalum ingererent, illum tamen Deum ſuum agnoſcunt, eumque venerantur. *Et hoc vobis ſignum*, dixit eis Angelus: *invenietis Infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio*. Dignus videlicet, Salvatore Mundi, Meſſia, Liberatore Iſrael, apparatus!

℣. 13. FACTA EST CUM ANGELO MULTITUDO.] Angelorum Legio ſeſe addidit ſociam illi, qui feliciſſimam Salvatoris nativitatem Paſtoribus annunciabat, & ſimul omnes Canticum illud concinuerunt. ℣. 14. *Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; quibus rectum eſt cor, qui ſolicite Liberatoris ſui adventum præſtolantur, qui ad eum recipiendum parati ſunt, qui cordis ſui diſpoſitione ad illum pertinent, quos Deus ſua gratia prævenit, quos amavit, quos prædeſtinavit [8], quos per miſericordiæ ſuæ effectum ab æterno prænovit. Neque ideo dixeris, Jeſum Chriſtum attuliſſe pacem, illis dumtaxat, qui ſunt *bonæ voluntatis*; eam quippe omnibus obtulit, qui illam recipere voluerunt. Verum enim vero quampluriми erant Judæi corrupti, atque obdurati, qui ob improbum cordis habitum ſe ſe viduaturi erant ea felicitate, & pace, quam ipſe omnibus afferebat. Jeſus Chriſtus aliis quidem futurus erat ruina, aliis vero reſurrectio. Salus, & pax bonis, impiis excidium, Lucæ 2. 34.

Græcus [9] ita verti poteſt: *gloria ſit Deo in ſummo Cælorum vertice: pax regnet in terra, & homines amentur a Deo*; gratiam inveniant in oculis illius: hic illos in ſuo beneplacito reſpiciat [10]. Aliter, *pax inter homines regnet*; pax illa, *quæ eſt beneplaciti illius beneficium* [11]: aliter: *gloria ſit Deo in altiſſimis: Pax, proſperitas, beatitudo in terram deſcenderunt. Dominus benevolentiæ ſuæ monumentis omnia cumulavit*. Pretioſiſſimum amoris, reconciliationis, & bonæ voluntatis ſuæ erga illos pignus donavit. Miſit ad eos Filium Meſſiam ſuum, locupletiſſimum videlicet munus, quod naturæ humanæ Deus poſſet elargiri. Singulæ hæ explicationes ſuam laudem merentur, atque eruditiſſimos Interpretes jactant ſectatores. Græci textus typis editi lectionem, quæ habet: *hominibus bona voluntas*; Syrus, Cophtus, Arabs, Origenes, S. Johannes Chryſoſtomus, Euſebius, Theophylactus, aliique complures ſequuntur; lectio vero Vulgatæ, *bonæ voluntatis*, in veteri MS. Græco, & Latino Cantabrigienſi, in Gothica, apud SS. Irenæum, Cyrillum Hieroſolymitanum, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, alioſque plures invenitur. Aſſerere, quænam ſit primæva, & originalis S. Lucæ lectio, non adeo facile eſt; ſufficit tamen, in utraque optimum ſenſum deprehendi.

℣. 15. VIDEAMUS HOC VERBUM.] Nomen *Verbum* iſthic pro *re* uſurpatur; licet quidam Patres [12] de Verbo facto Carne interpretentur. Sed fidei conſonum minime videtur, in hoc ſenſu a Paſtoribus intellectum fuiſſe.

℣. 18. MIRATI SUNT, ET DE HIS.] Obſtupuerant audientes quidquid ab Angelis dictum fuerat Paſtoribus, & præſertim id, quod Paſtores ipſi viderant, & quod illi in ſtabulo Bethleemitico invenerant. Conjun-

ctio &

1 Vide Cyprian. ſeu alium, ſerm. de nativ. Chriſti. Nazianz. de Chriſto patiente, Nyſſ. ſerm. de Reſurrect. Chriſti. Fulgent. ſerm. de Laudibus. B. M. Hieronym. contra Helvid. Bern. ſerm. 4. In Vigil. nat. Domini. Apud Maldon. hic, Vide & Brug. & Ligfoot.

2 Geneſ. 3. 6.

3 Vide Patres ſupr. cit. & adde Ambroſ. ep. 81. Leon. Mag. ſerm. 1. & 2. de nativit. Gaudent. tract. in Evang. Nyſſen. orat. in occurſu Domini, & alios quam plurimos apud Natal. Alex in Luc. 2. 21.

4 Origen. homil. 14. in Luc. Tertull. lib. 1. de Carne Chriſti. Epiph. hæreſ. 78. Hieronym. contra Pelag. Euthym. & Theophyl. in Luc. 2. 23. &c. Vide Bynæ de natali Chriſti, l. 1. c. 3. n. 1. 2. 3. 4. 54.

5 Vide iter Petri Martyris.

6 Καὶ φυλάσσοντες φυλακὰς, &c. Vide Grot. Hamm. Mald. Ligfoot.

7 Hieronym. Epitaph. Paulæ. Vide Geneſ. 35. 21.

8 Vide Mald. hic, & Patres ab eo citatos. Origen. in Luc. homil. 13. Cyprian. de nativit. Domini. Hilar. l. 2. de Trinit. Aug. l. 2. de ſerm. Domini in monte, c. 10. Severian. apud Chryſ. ſerm. de Pace. Leo Mag. ſerm. 6. de nat. Cæſar. ſerm. 11 Greg. l. 18. moral. & hom. 8. in Evang. alii.

9 Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη. Ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.

10 Vide Pſalm. 105. 4. 5. *Memento noſtri in beneplacito populi tui*. Vide Eraſm. Mald. Brug. Bez.

11 Vide Eraſm. Grot. Brug. Vide & Bed. hic. Bern. ſerm. de S. Andrea, & alios.

12 Vide Grot. Vat. Eraſm. Caſtal. Ligf. alios.

13 Ambroſ. Bed in Luc. Bern. ſerm. 12. in Cant.

ctio & in Græco typis edito, in MSS. antiquiſque verſionibus non legitur. Neque S. Ambroſius eam legit; immo hoc in loco abundare etiam videtur.

℣. 19. MARIA CONSERVABAT OMNIA VERBA HÆC] Secum reputans, & cum voluptate perpendens veterum prophetiarum, & eorum, quæ ſibi ab Angelo fuerant promiſſa, complementum [1]. Non ignorabat Maria myſterium Incarnationis Filii Dei: verum quotidie recentia hanc in rem acquirebat lumina, majoremque practicam cognitionem ob ea miracula, quæ ſingulis diebus accidebant, & quæ fidem illius magis, magiſque confirmabant. Veteres quidam [2] credere videntur, Sanctiſſimam Virginem a Paſtoribus myſterium aliquod didiciſſe, quod antea ignoraret. Verba hæc in corde ſuo conſervabat, quin extrinſecus illa proferret. Nullibi major, vel prudentia, vel modeſtia enituit, quam in S. Joſeph, & Maria, in ſublimis hujus myſterii diſpenſatione. Sufficit illis cum admiratione illud mente, animoque revolvere, quin feſtinent aliis ipſum communicare, atque inde famæ auram captare, aut aliquam utilitatem elicere; ſed Providentiæ momenta præſtolantur.

℣. 21. POSTQUAM CONSUMMATI SUNT DIES OCTO.] In S. Joannis Baptiſtæ hiſtoria Luc. 1. 59. vidimus nuper, nomen puero recens nato imponi conſueviſſe die octava, qua etiam ille circumcidebatur. Dignatus eſt Jeſus acerbiſſimam hanc circumciſionis cæremoniam ſubire, licet illius minime indigeret. Seu enim illa conſideretur tamquam medicina, quæ originale peccatum remittit; nullam ipſe in ſua Incarnatione labem contraxerat: ſeu tamquam ſignum fœderis Domini cum Abraham [3]; Jeſus hac in re Æterni Patris ſui jura obtinebat, qui dignatus fuerat recipere Abraham amicum ſibi, poſterosque illius in populum ſuum. Per Incarnationem ſuam explebat, quod in veteri fœdere promiſſum fuerat; immo fœdus aliud longe perfectius ipſe erat percuſſurus. Sed cum vellet, quemadmodum de ſe ait [4], juſtitiam omnem complere, atque omni legi ſe ſe ſubmittere tamquam verus Abrahæ filius: ita ſemet recepit characterem illum, quo Judæi ab aliis nationibus diſtinguebantur: atque ita Judæorum circumciſionem ſanctificavit, præbuitque nobis exemplum perfectæ illius ſubmiſſionis, quæ Divinas leges [5] maxime decet.

Nomen JESUS quo Salvator in circumciſione appellatur, annunciatum fuerat antea ab Angelo Gabriele, & SS. Virgini, & S. Joſeph [6]. Hoc nomen in ſe continet eminenter omnia alia nomina, quibus in Scripturis Meſſias appellatur: puta, Emmanuel, Dominus nobiſcum, dilectus Deo, Pacificus, vel Princeps Pacis, Pater futuri ſæculi, Angelus fœderis, Unctus Domini, Juſtus, Oriens, Juſtitiæ Sol. Univerſa hæc epitheta in Nomine JESU, vel Salvatoris continentur. Jeſus ad unguem explevit, quidquid diverſa illa nomina pollicebantur, ipſe fuit ſalus, pax, felicitas, conſolatio eorum omnium, qui crediderunt in illum. Hoc eſt nomen illud, *quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine JESU omne genuflectatur, Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum*, Philipp. 2. 10.

℣. 22. POSTQUAM IMPLETI SUNT DIES PURGATIONIS EJUS [7].] Lex Moyſis Levit. 12. 2. præcipiebat, ut mulier, quæ uti aſſolet, enixa peperiſſet filium, quadraginta diebus permaneret in ſtatu impuritatis ſuæ, atque procul ab uſu, & communione ſacrorum abeſſet. Verum non æque cenſebatur immunda toto hoc dierum quadraginta intervallo. Septem primis diebus ſordes ſuas communicabat, ſi quid attigiſſet. Nemo prope illam vel bibere, vel manducare, vel ſedere, vel cubare poterat. Hoc tempore elapſo, ſi incommodum partus deſiiſſet, poterat domi ſuæ negotiis vacare, atque cum viro ſuo bibere, & comedere, ut antea, non autem ad templum accedere, neque veſci ea victima, quæ Domino oblata fuiſſet. Ubi vero quadrageſimus poſt pueri, octuageſimus poſt puellæ nativitatem exierat dies, Mater ad templum proficiſcebatur, ſacrificium ſuum oblatura, ac deinde expiata cenſebatur.

Si puer, quem in lucem ediderat, primogenitus erat, ab eadem templo offerendus erat, atque juxta legem aliam [8] redimendus, perſolutis quinque ſiclis [9], hoc eſt Gallicæ monetæ libris octo ſolidis duobus, & denario uno. Non refert S. Lucas, quomodo hæc facta fuerit redemptio quinque ſiclorum oblatione: Verum id minime ambigendum eſt, quandoquidem venerat JESUS CHRISTUS, ut omnem legem compleret, atque perficeret, illam exercens; licet eadem minime teneretur [10]. Quod ad S. Virginem ſpectat, Evangeliſta illam teſtatur pro purificatione ſua obtuliſſe *par turturum, aut duos pullos columbarum*; quæ ſane pauperiorum erat oblatio: et plurimum enim mulieres recens enixæ, & quæ ad templum accedebant expiandæ, offerre debebant agnum anniculum pro holocauſto, & pullum Columbæ, vel turturem pro peccato, Levit. 12. 7. 8.

Hinc inferunt, Magos non adeo locupletem auri copiam puero JESU obtuliſſe, quandoquidem parentes illius pares non fuerunt emendo agno pro Mariæ purificatione. Crediderunt nonnulli, Joſeph, & Mariam hæc munera Domino conſecraſſe [11], alii hæc illos pro Ægypti itinere ſervaſſe. Alii [12] vero argumentati ſunt, Reges tunc temporis nondum veniſſe; quæ omnes rationes ſane infirmæ ſunt. Magis non fuit ea mens, ut novum Regem locupletarent; & fortaſſe neque ipſi adeo opibus diffluebant; ſed voluerunt dumtaxat in honoris, atque obſequii argumentum hæc illi offerre, cum Deus non munerum copiam, ſed donantis animum ſpectet.

℣. 23. OMNE MASCULINUM ADAPERIENS VULVAM &c.] Vide ſupra ℣. 7.

℣. 25. ET ECCE HOMO ERAT IN JERUSALEM.] Sanctus Senex Simeon erat ex eorum Iſraelitarum numero, quibus Angeli pacem nuntiarunt [13], & qui *conſolationem Iſrael*, & Meſſiæ adventum opperiebantur. Repletus erat Spiritu Sancto, atque Prophetiæ munere ornatus. Supernaturale lumen, quo repletus erat, illi ſpoponderat, futurum ut non moreretur, niſi prius oculis ſuis Meſſiam, atque Salvatorem Iſrael conſpiceret. Hac fretus ſpe vivebat, & ſollicite promiſſionum harum effectum præſtolabatur. Dixerunt nonnulli [14], Simeonem fuiſſe filium, atque ſucceſſorem Hillel Patriarchæ Judæorum, celebris Rabbini, quem vixiſſe dicunt ante JESUM CHRISTUM: Nec non Simeonem ipſum Patrem fuiſſe, vel Magiſtrum Gamalielis alterius Rabbini inſignis, ad pedes cujus S. Paulus ſtuduerat Act. 22. 3. Invenitur quidem in Talmud [15] nomen Simeonis filii Hillel; ſed hunc noſtrum eſſe Sanctiſſimum Senem, nemo unus probaverit.

Putarunt alii [16], Simeonem Legis Sacerdotem fuiſſe, & Baronius, atque poſt illum Allatius, plurimos ex veteribus Chriſtianis Auctoribus protulerant, qui in eam ſententiam abierant. Græci vero recentiores veterum illorum ſententiam ſecuti ſunt, eamque ſequan-

1 Euthym. Theophyl. Beda hic. Vide Mald. & Joan. Geometr. in Catena. Ῥήματα, pro πράγματα. *Verba*, pro *Res*.
2 Ambroſ. Beda hic. 3 Rom. 4. 11. Juſtin. Mart. Dialog. Iren. lib. 4. c. 30. Tertull. contra Jud. Chryſoſt. homil. 37. & 39. in Geneſ. &c. 4 Matth. 3. 15. Vide & Galat. 4. 4. Heb. 10. 5.
5 Vide Mald. Brug. Orig. Bed. 6 Matth. 1. 21. Luc. 1. 31.
7 Origenes, & plures Græci legunt: Ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν. *Purgationis Judæorum*, vel *purgationis ab eorum lege præſcriptæ*. At alii legunt: *Purgationis Virginis*.
8 Exod. 13. 1. 2. 5. 34. 19. 20. 9 Num. 3. 47. & 18. 16.
10 Vide dicta in Exod. 13. 1. 2. 3. 11 Vide Maldon. ad Matth. 2. 11.
12 Grot. in Lucam hic. 13 Luc. 2. 13. 14 Vide Maldon. hic. Scolter. Ligfoot. Baron. an. 1. §. 40. Baſnage, hiſt. des Juifs, liv. 4. ch. 3 art. 7. 15 Juchaſim. fol. 66.
16 Baron. & alii quam plurimi apud Allat. Diſſert. de Simeonibus.

Digitized by Google

quuntur pictores, quemadmodum ea dignitas majorem tabulis ſuis pompam, atque lucem impertit. Sed Scripturæ, vetuſtiſſimi Patres, & notæ melioris Interpretes [1] eum nobis, tamquam ſimplicem laicum deſcribunt. Si JESUM CHRISTUM ulnis ſuis accipit, non Sacerdotali jure hoc efficit: verum ſancta lætitia correptus Salvatorem ſuum complectitur, ut apertius, atque ſolemnius amorem ſuum illi teſtetur.

℣. 29. NUNC DIMITTIS SERVUM TUUM.] Origenes, aliique complures hoc explicant, velut orationem eidem JESU CHRISTO, quem lacertis ſuis gerebat Simeon, nuncupatam. Alii preces has Deo Patri effuſas putant. Nihil ulterius eſt, quod me hac in vita valeat remorari, eo quod in Salvatoris mei perſona omnium votorum meorum ſummam expletam conſpexi. Vel: nunc Domine, ſi tibi lubet, ex hac vita me eripe: quandoquidem me incolumem præſtitiſti, ut ea felicitate perfruerer, qua nunc libentiſſime gaudeo [2]. Vetus quidem Auctor [3] credidit, Simeonem cæcum fuiſſe, atque dum inter brachia JESUM CHRISTUM reciperet, oculorum acie fuiſſe donatum.

℣. 31. QUOD PARASTI ANTE FACIEM OMNIUM POPULORUM.] Simeon divino lumine afflatus portendit converſionem gentium alienigenarum ad fidem illius, quem ſub pueri forma venerabatur. Magnitudo fidei ſuæ fecit, ut hæc, quæ longe adeo aberant, perinde ac adeſſent, intueretur. Fatetur, JESUM populorum omnium Salvatorem eſſe, Gentilium æque ac Judæorum, & lumen, quod omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat. Hæ Simeonis locutiones cum verbis illis Pſalmi 97. 2. 3. conferri poſſunt, *notum fecit Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam: recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſrael*. Et Iſaias: *ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ*.

℣. 33. ERANT PATER EJUS ET MATER MIRANTES.] Uterque bene norant myſterium: totum ergo admiratio in hoc minime verſabatur; ſed ſtupebant, intuiti rationem, qua Deus illud modo Joanni Baptiſtæ, modo Eliſabeth, modo Joſepho, Paſtoribus, Simeoni, Annæ manifeſtabat. Hæc veritatum, atque revelationum ſeries illos in admirationem rapiebat. Evangeliſta ſemper Joſephum Patrem JESU vocat, eo quod vir erat Mariæ, & nutritius JESU, atque in terris tamquam Pater illius habebatur.

℣. 34. ECCE POSITUS EST HIC IN RUINAM &c.] JESUS CHRISTUS natus eſt in ruinam atque interitum incredulorum, ac pertinacium, qui abjecerunt illum, & doctrinam illius contempſerunt; ille vero felicitas eſt, & reſurrectio fidelibus, qui illum ſecuti ſunt, & qui ex præceptis, & exemplis illius fructum ceperunt. Non ſecus ac Sol ſemper quidem lucet, licet illi, qui oculis laborent, lucem illius ferre non valeant; ita Salvator, teſte S. Chryſoſtomo in Catena hic, ſemper Salvator eſt, etiam ſi plurimæ mortalium myriades interire viderentur. Impiis Evangelium eſt odor mortis, bonis odor vitæ [4]; fidelibus eſt lapis angularis, vivens, fundamentalis, ſuper quo poſiti ſunt ad Eccleſiam ædificandam [5]; nefariis autem eſt petra ſcandali, in quam impingunt; eſt lapis ſuper eos decidens, eoſque confringens. Si Scribarum atque Phariſæorum plerique, omneſque Judæi increduli oculos lumini veritatis, quod ſibi a JESU CHRISTO offerebatur, obſtruxerunt; non ideo Salvator illorum interitus cauſa habendus eſt. Illis nullas ſtruxit inſidias, non impulit eos in incredulitatem, ſed illi ſponte ſe ſe in eam præcipites dederunt [6]: *perditio tua Iſrael*; & ipſi nequitia ſua inutilem effecerunt opem illam, quæ ſibi a Deo offerebatur. Quod deſtinatum erat, ut vitam illis conferret, idem mortem eiſdem intulit, quod eo perperam abuſi ſunt. Confer cap. 9. ℣. 39. S. Joannis: *in judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant*.

IN SIGNUM CUI CONTRADICETUR.] Apertius ſatis eſt, Evangelium, ut prophetiam hanc adimpletam cognoſcas. Ex quo JESUS CHRISTUS pœnitentiam prædicare cœpit, abuſus, & flagitia, quæ in Iſrael graſſabantur perſtringere; ex quo contra hypocriſim Phariſæorum, & nequitiam, quæ legum ſententiam depravabant, invectus eſt; omnes illi contradixerunt, eum oderunt, maledixerunt, calumniis adſperſerunt, perſecuti ſunt, & tamquam inſipientem, tenebrionem, magum, helluonem, Legis prævaricatorem, peccatorum, atque Publicanorum amicum exceperunt; eoque tandem illorum odium evaſit, ut & Cruci illum affigi curarent.

℣. 35. TUAM IPSIUS ANIMAM PERTRANSIBIT GLADIUS.] Ut horum verborum nexus magis eluceat, ea quæ modo attulimus, parentheſi quadam eſſent includenda; vel ita vertenda: poſitus erit in ſignum, cui contradicetur, donec tuam ipſius animam pertranſibit gladius; poſitus inquam erit in ſignum, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Non ſine graviſſimo dolore videre potuit Beatiſſima Virgo quidquid Salvator toto prædicationis ſuæ tempore a nefariis Judæis perpeſſus eſt: verum multo majori dolore affecta atque confoſſa fuit, ubi illum Cruci affixum, ibique animam efflantem conſpexit. Tunc vere dici poteſt, gladio animam illius transverberatam fuiſſe [7]. Veteres nonnulli [8] ſcripſerunt, SS. Virginem doloris vi ad Crucis pedes confoſſam ſpiritum emiſiſſe. Crediderunt alii, eam Martyrium paſſam fuiſſe [9]; quod cum nulli hiſtoriarum monumento probari poſſit, ſcitu nullam mereri fidem, docet S. Ambroſius in Luc. c. 3.

Veteres alii [10] rem magis adhuc a fide alienam attulere, aſſerentes, gladium illum, qui animam Mariæ pertranſivit, fuiſſe dubitationem, in quam cecidit, utrum JESUS vere Filius Dei eſſet, ubi illum de Cruce pendentem vidit; & quam perfecte tunc ſolum abjecit, cum ipſum reſurrexiſſe cognovit. Alii [11] pro hoc gladio intellexerunt ignem, quo omnes homines ſub mundi finem ſunt expiandi, & a quo neque SS. Virgo immunis erat futura: ſententiæ ab Origene excogitatæ, quas veteres nonnulli doctores amplexati ſunt; ſed quæ hodierna luce nullum habent ſectatorem. Hoc ipſum de illis dicendum [12], qui hoc explicant de Verbo Dei, ac myſterio, quod Mariæ fuit revelatum. S. Paulus Epheſ. 6. 17. comparat quidem Verbum Dei gladio ancipiti, quod ſententiæ huic originem ſuppeditavit. Simeon obiter iſthic portendit, Paſſionem Filii Dei, Matri ejuſdem annuncians dolorem, quo tunc erat afficienda [13]: nam S. Lucas impeditius duo iſthic aſſerit; primum, JESU CHRISTI animam doloris gladio eſſe transverberandam; alterum & Mariæ quoque animam gladio eodem eſſe conficiendam: Gladius hoc in loco metaphorico in ſenſu accipiendus eſt, quemadmodum in Pſalmo 56. 5. *lingua eorum gladius acutus*; & Pſal. 104. 18. ubi de Joſepho ſermo eſt: *ferrum pertranſiit animam ejus, donec veniret verbum ejus*.

UT REVELENTUR EX MULTIS CORDIBUS COGITATIONES.] Salvatoris paſſio, ac mors fuerunt lydius lapis, qui probavit, & eos, qui ex animo illum amarent, & eos, qui in ſpeciem dumtaxat illum ſequerentur. Circumſtantia hæc prodidit & Petri infirmitatem & Apoſtolorum metum, & Judæ nequitiam, & Judæorum furorem, & Pilati injuſtitiam, & Sacerdotum

---

1 Vide Maldon. hic, & Tillemontium Not. 6. in J. C.
2 Vide verſ. 26.
3 Celſus inter opera Cypriani, p. 564. 1.
4 2. Cor. 2. 14. 15.
5 1. Petr. 2. 4. & ſequ. Iſai. 8. 15.
6 Oſee 13. 9.
7 Theophyl. Bed. Euthym. Author. ſerm. 1. de Aſſumpt. ſub nomine Hieron. Mald.
8 Vide Maldon. hic.
9 Vide Epiphan. hæreſ. 78.
10 Vide Origen. homil. 17. in Luc. Author. quæſt. vet. & nov. Teſt. ſub nomine Aug. qu. 73. Chryſoſt. homil. de occurſu Domini; Cyrill. Alex. in Joan. lib. 12. Baſil. ep. 317. Theophyl. hic.
11 Origen. Vide & Hilar. in Pſal. 118. Vide 1. Cor. 3. 13.
12 Vide Ambroſ. hic. & lib. de Virginib. c. 3.
13 Aug. Ep. 149. nov. edit. §. 33. alias ep. 59.

Digitized by Google

tum, ac Phariſæorum cæcitatem. Ad hanc quoque dium Crux Salvatoris periculum facit, utrum veri ſunt Chriſtiani, an fictitii. Qui vere Chriſtianus eſt, non erubeſcit Crucem Dei ſui, illam amplectitur, illam diligit, illius pondus non ægre ſubit. At malus Chriſtianus erubeſcit, eam fugit, ac metuit [1]. Si perſeveraſſet Jeſus Chriſtus prædicare, patrare miracula, beneficiis populos cumulare; quamplurimi ob utilitatis ſpem, ſed labante fide, illi adhæſiſſent. Poſt mortem vero illius diſcipuli nec mortem, neque cruciatus veriti ſunt, & in graviſſimis perſecutionibus conſtantes fuerunt, atque imperterriti. Hic eſt fructus Crucis, & Paſſionis Jeſu.

℣. 36. Et erat Anna Prophetissa.] Vult Dei Filius omnes ætates, omnes conditiones, & ſexus, Sacerdotes in Zacharia, Virgines in Maria, pueros in Maria, pueros in Johanne, nuptas in Eliſabeth, Senes Dei ſpiritu repletos in Simeone, anus Prophetiſſas in Anna [2] nativitatis ſuæ præclarum teſtimonium perhibere.

℣. 37. Vidua usque ad annos octuaginta quatuor.] Omnes hæ circumſtantiæ notandæ ſunt: prophetiſſa, quæ ex ipſa adoleſcentiæ flore vidua alteri viro non nupſerat, & quæ in viduitate, atque pietatis exercitatione ad quartum ſupra octuageſimum annum vixerat. Iſraelitarum filiæ maturatæ nubebant: & non modica laus erat adoleſcentiori viduæ in Iſrael cœlibatum irreprehenſibilem ducere procul ab ea libidine, quæ in ejuſmodi mulieribus nimis vulgata eſt, & quam S. Paulus in illis acriter objurgat [3]. Videri poſſunt laudes, quas Booz confert Ruth [4], & eas, quibus in Scripturis Judith [5] celebratur, eo quod viduitatem ſuam in continentia, atque Dei timore traduxerint. Grotius in hunc locum oſtendit, quænam fuerit Eccleſiæ veteris mens, quoad alteras nuptias, & quonam in loco olim illæ haberentur.

Et non discedebat de Templo.] Hæc plane erat ex illis mulieribus, quæ vigilabant in Templo, & quæ ſucceſſerant illis, de quibus in Exodo 38. 8. ac primo Regum libro 2. 22. verba fiunt; quæ Domino inſerviebant iis in rebus, quæ ſibi a Sacerdotibus imperabantur. Anna erat ex Tribu Aſer: nullum enim diſcrimen erat inter Tribus his in officiis more ex voluntate, & pietate profectis.

℣. 38. Et hæc ipsa hora superveniens.] Cum Simeon ad Mariam loqueretur, eique prædiceret, quæ & puero, & Matri erant eventura, Anna quoque ex ſe Dominum laudare cœpit, & his omnibus, qui aderant, expectantibus Redemptionem Iſrael prædicere, eos tandem voti damnatos eſſe, & Salvatorem jam advenisse.

℣. 39. Et ut perfecerunt &c.] S. Lucas, utpote qui poſt ſanctum Matthæum ſuum conſcripſit Evangelium, plurima omiſit, quæ ab illo fuerant enarrata, ex. gr. omnem adorationis Magorum, & fugæ in Ægyptum hiſtoriam. Magorum hiſtoria contigit, antequam Maria Jeroſolymam veniret illic primogenitum ſuum Domino oblatura, & purificationis legem ſubitura: fuga vero in Ægyptum conſtituenda eſt ſtatim poſt iter Jeroſolymam ſuſceptum; ita ut reditus in Nazareth, de quo iſthic S. Lucas verba facit, illud, dumtaxat reſpiciat tempus, quod iter Ægypti ſubſecutum eſt.

Tom. VII.

℣. 40. Puer autem crescebat [5], et confortabatur [6].] Jeſus creſcebat ætate, convaleſcebat quoad corporis vires, & cum ætate Sapientia magis, magiſque ſemper in eo refulgebat. In tenella ætate omnes Sapientiæ, ſcientiæ, & gratiæ theſauros poſſidebat. Quatenus Deus nullam eorum acceſſionem admittere poterat; quatenus homo non poterat, vel ſapientia, vel perfectione, vel merito, vel ſcientia, vel gratia creſcere; eorum tamen poterat illuſtriora, ac plura in dies juxta regulas, quas ſibi præſcripſerat, juxta ſapientiæ, & Providentiæ ordinem, tradere monumenta. Veteres complures [7] dixerunt, illum ſapientia creviſſe, quatenus hominem, non quatenus Deum; verum ubi intellectum eſt, ſententiam hanc malos parituram effectus: atque inde inferri poſſe, Jeſum Chriſtum, quatenus hominem, non æque ſemper fuiſſe perfectum; veteres alii [8], atque Theologi, qui illis adhæſerunt, ſe ſe continuerunt in ea reſponſione, quam illi ipſi, a quibus propoſita erat prior ſententia, ſuppeditabant; videlicet Salvatorem, quemadmodum nuper dictum eſt, prout magis adoleſcebat, majora in dies ſapientiæ ſuæ dediſſe ſpecimina. Recentes quotidie practicas, non autem Theoreticas, vel infuſas cognitiones adipiſcebatur. S. Lucas hoc ipſum repetit ℣. 52. *Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.*

℣. 41. Per singulos annos in die Paschæ.] Præcipiebat lex omnibus hominibus Iſrael, ut in anno ter Paſchate, Pentecoſte, atque Tabernaculorum feſtivitate coram Domino accederent illuc, ubi Templum illius [9] aſſurgebat. Nulla lege mulieres ad id tenebantur; ſed neque lege ulla prohibebantur, & minime ambigi poteſt, quominus complures una cum viris illuc confluerent. Quæritur, cur S. Joſeph, & Beatiſſima Virgo, qui legis ſeduli erant obſervatores, Paſchatis feſtivitate illuc tantum acceſſerint, quemadmodum Evangeliſta teſtatur? Credunt quidam [10], eos, qui procul aberant a Jeruſalem, diſpenſatos fuiſſe, ne Pentecoſtes, atque Tabernaculorum ſolemniis, ſed ſolum Paſchate intereſſent [11], pro qua feſtivitate magis, quam pro aliis arcta erat obligatio. Verum fidei magis conſonum eſt, S. Lucam Paſchatis meminiſſe exempli loco, quin tamen alias feſtivitates excluderet, & eo fortaſſe, quod in hac Paſchatis feſtivitate id accidit, quod eſt enarraturus [12]; vel quod aliis feſtivitatibus ſolus, Paſchate vero una cum SS. Conjuge S. Joſeph Jeroſolymam proficiſcebatur [13].

℣. 42. Cum esset annorum duodecim.] Creditur [14] puer Jeſus in Templum ire incœpiſſe una cum parentibus ſuis, ſtatim ac per ætatem ambulare potuit; Evangeliſtam vero iſthic duodecim annorum ætatem memorare, ut aſſignet tempus facti illius, quod referendum eſt. Credunt [15] alii, hunc duodecim tandem annos natum tunc ſolum incœpiſſe iter illud ſuſcipere, & nunc primo ad Paſchatis feſtivitatem veniſſe Jeroſolymam. Apud Hebræos pueri nonniſi poſt duodecimum ætatis annum vocantur *filii præcepti*, neque ſtrictim legi obſervandæ tenentur [16].

Non cognoverunt parentes ejus.] Jeſus Chriſtus a nativitate, ac præſentatione ſua in Templum, uſque ad annum ætatis ſuæ duodecimum tacuit, atque in tenebris quodammodo delituit; quod ipſum ſervavit ab hac duodecim annorum ætate uſque ad tertium

Mm unum

1 Vide Bed. Theophyl. D. Thom. in Caten. Mald. Aug. Ep. 149. nov. edit. 2 Vide Ambroſ. in Luc. hic. 3 1. Timoth. 5. 11. *Adoleſcentiores autem viduas devita, cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt.* 4 Ruth 3. 10. *Benedicta es a Domino, filia, quia non es ſecuta juvenes, pauperes, ſive divites.*

5 Judith. 8. 4. 5. 6. 7. 8. *Erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* 6 Græcus addit: Πνεύματι *ſpiritu*, quod a nonnullis exemplaribus Græcis eraſum. Perſa, & Æthiops legunt: *Per Spiritum Sanctum.*

7 Athan. ſerm. 4. contra Arian. Epiphan. Anchorato Cyrill. lib. 10. Theſauri, c. 7. & lib. de fide ad Regin. Fulgent. lib. 1. ad Traſimund. Bed. Euthym. hic. Vide & Ambroſ. de Incarnat.

8 Origen. hom. 20. in Luc. Epiph. Anchorato. Nazianz. orat. de Laudib. Baſil. Theophyl. hic. Damaſc. lib. de duab. natur. alii. Vide Maldon. hic, & Nicol. Alex. ad verſ. 52. hujus capitis.

9 Exod. 23. 15. 16. 17. 34. 23. Deut. 16. 16. 10 Hugo, Lyran. 11 1. Reg. 1. 7.

12 Mald. Brug. 13 Brug. Grot. 14 Beda, Iuvenc. Mald. Vide & Grot.

15 Vide Ligfoot hic.

16 Abenezra ad Geneſ. 17. 14. Grot. hic.

annum ſupra trigeſimum [1], quo cœpit prædicare. Sapientiæ ſuæ radium emittere, quodammodo voluit ex ipſa pueritia; ut deinceps cum ſe ſe terris manifeſtare inciperet, minime crederetur, ſcientiam hanc ſtudio ſibi comparaſſe; quippe aſcenderat, quid jam noſſet ea in ætate, in qua nemo aſſerere poterat, illum vel a ſchola, vel privatim ſtudiis vacantem hæc didiciſſe. Origenes [2] innuere videtur, Jeſum Chriſtum ſe ſe inviſibilem præbuiſſe, ut SS. Virginis, atque S. Joſeph curam effugeret.

Verum quomodonam illi poſt abſolutum itineris diem ſenſerunt tandem, Jeſum Chriſtum abeſſe? Ea plane de cauſa, quod Judæi, qui ad feſtivitates Jeroſolymam proficiſcebantur, vel qui inde domum revertebantur, catervatim iter ſuſcipiebant; cumque vel concives vel contribules plurimas componerent euntium ſocietates, parentes Jeſu Chriſti cenſuerunt, hunc alium ſocietatem ſecutum fuiſſe, & veſpere dumtaxat cognoverunt in Nazarenorum caterva minime adeſſe. Credunt alii [3] hujuſmodi in itineribus homines ſeorſim a mulieribus ambulaſſe, cumque in hac Joſeph, in altera parte eſſet Maria, utrumque credidiſſe puerum Jeſum, qui ætatis prærogativa & cum hominibus, & cum mulieribus iter ſuſcipere poterat, in alterutra ſocietate fuiſſe; rato Joſeph, illum eſſe cum Maria, Maria vero, illum cum Joſepho eſſe, credente. Veſpere autem cum omnia hæc ſodalitia congregata ſunt ad comedendum, tunc in omni cœtu Jeſum non eſſe intellexerunt. Ajunt autem, Beiræ, quæ Civitas tribus cum dimidia leucis abeſt a Jeruſalem, cognitum fuiſſe, non adeſſe Jeſum.

℣. 46. POST TRIDUUM INVENERUNT EUM.] Die tertia, ex qua diſceſſerant, invenerunt illum in templo in cœtu ſapientum virorum Judaicæ nationis, inter diſcipulos ſedentem, lectiones eorum audientem, immo & illis quæſtiones proponentem. Perperam ergo a Pictoribus exhibetur præceptoris inſtar in ampliſſimo aulæ loco ſedens, & Doctores ipſos erudiens. Non ita vero hoc S. Gregorius Magnus, atque meliores Interpretes [4] intellexerunt: *In medio Doctorum ſedens, non docens, ſed interrogans invenitur.* S. Gregorius 3. par. paſtoral. cap. 26. inquit; *quo exemplo oſtenditur, ne infirmus docere quis audeat, ſi ille puer doceri interrogando voluit, qui per Divinitatis potentiam verbum ſcientiæ ipſis ſuis doctoribus miniſtrabat.*

Ferunt, in Hebræorum ſcholis diſcipulos ſtuduiſſe, & audiiſſe, alios quidem in ſubſelliis, alios autem humi in corona circum præceptorem ſedentes. Putant vero [5], hanc apud illos conſuetudinem ſub Rabbino Gamaliele dumtaxat incœpiſſe: cum antea diſcipuli ſtantes audirent. In Actis 22. 3. legimus, S. Paulum ad pedes Gamalielis didiciſſe: quod non abhorret ab his, quæ nuper dicta ſunt. Auctor Commentariorum S. Pauli, qui ſub Ambroſii nomine circumferuntur [6], perſpicue veterem Judæorum conſuetudinem memorat: *hæc traditio Synagogæ eſt, ut ſedentes diſputent Seniores dignitate in Cathedris, ſequentes in ſubſelliis, noviſſimo in pavimento ſuper mattas.* Cæterum Jeſus Chriſtus non erat ex grege ſimplicium diſcipulorum; ipſe etiam doctoribus quæſtiones proponebat, interrogantibus reſpondebat, eoſque in admirationem rapiebat ℣. 47.

℣. 48. ECCE PATER TUUS, ET EGO &c.] Mirum eſſe non decet, ſi intuemur Joſephum Jeſu Chriſti Patrem vocari, quandoquidem ille hunc loco Filii habebat, illum nutriebat, ejuſque apud mortales omnes Parentis illius loco habebatur. Hoc vero mirum eſt, Beatiſſimam Virginem, & S. Joſeph, qui ſatis norant Jeſum Chriſtum eſſe Dei Filium, atque Supremam Patris ſapientiam, dolore confici potuiſſe, eo quod abeſſet; atque turbari, quod illum minime viderent. Ignorare ne poterant, illum ſemper rectis viis inſiſtere, & conſilia amplecti prudentiæ refertiſſima, cumque nonniſi iis in locis eſſe poſſe, ubi Cœleſtis Pater illum efflagitabat? Reſpondet Origenes hom. 19. in Luc. illos minime veritos fuiſſe, Filium amiſſum, & errore viarum deceptum fuiſſe; at metum illis inceſſiſſe, ne puer parentes deſeruiſſet alio conceſſurus, vel etiam ne ad Cœlum aſcendiſſet, quando Patri placeret, illinc iterum deſcenſurus. Myſtici Auctores alias etiam afferunt rationes, propter quas & Jeſus aberat, & Maria curis angebatur [7]; ſed omnium ſimpliciſſima, atque aptiſſima ea eſt, quod S. Joſeph, atque Beata Virgo, quin diu conſulerent, quid fides ſua de Jeſu natura, ac potentia ſibi ſuggereret, naturali affectu abrepti fuerint, neque citra dolorem ſe ſe illius adſpectu viduatos intueri potuerint, incerti, quid illi accidiſſet, & qua de cauſa procul abeſſet.

℣. 49. NESCIEBATIS, QUIA IN HIS, QUÆ PATRIS MEI SUNT &c.] Alii [9] Græcum [10] ita vertunt; *neſciebatis me ſcire, ubi quærendus eram, eſſe domum Patris mei*; vel non decuiſſe me alibi, quam in Templo verſari? cur ergo alibi quærebatis me? cur ſolliciti eratis, ut me inveniretis? recta veniretis in Templum, ſatis erat. Poſtremus hic ſenſus cum ſequentibus melius cohærere videtur, atque Græcæ linguæ genio magis eſt conformis [11]. Prior tamen explicatio plures jactat auctores, & nihil non maxime probabile continet.

℣. 50. IPSI NON INTELLEXERUNT VERBUM.] Non ambigebant, quominus Jeſus Chriſtus Dei Filius eſſet, ac templum vere eſſet domus Patris illius. Sed non intellexerunt, quid ea ſibi vellent verba; *in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe*; vel: *oportet me eſſe in domo Patris mei*. Neſciebant, utrum illic ſemper permanſurus eſſet, & ſæpe illuc venturus; an miniſterium, atque prædicationem ſuam eſſet incœpturus. Quemadmodum maximas res præſtolabantur, quas ille in Mundo erat operaturus: nullibi deeſſe myſterium putabant, neque divinare poterant, quo tempore, quo modo, quibus circumſtantiis æterna conſilia eſſet adimpleturus. In Prophetiis plurima ſunt apertiſſima, quæ tamen nonniſi poſt factum cognita fuerunt; & Salvator plurima, & fecit, & dixit, dum viveret, quæ Apoſtoli, nonniſi poſt mortem, & reſurrectionem illius, intellexerunt.

℣. 51. VENIT NAZARETH, ET ERAT SUBDITUS ILLIS.] Hæc perfunctoria ſapientiæ manifeſtatio in medio Doctorum minime effecit, ut parentum ſuorum imperio minus ſubeſſet. Nondum venerat tempus glorificationis ſuæ. Volebat Deus, ut diu nobis præberet humilitatis, & modeſtiæ exemplum, a nobis in rebus omnibus imitandum; præſertim vero obedientiæ, & obſervantiæ, qua nos parentes noſtros colere opus eſt. Hæ ſunt Patrum animadverſiones in hunc locum [12]. S. Joſeph procul dubio inferior erat Jeſu; attamen Jeſus illi ſubditus eſt, eique obtemperat. Accidit ſæpe, Origenes ait, ut minor imperet illi, qui ſibi meritis ſuperior eſt: Non ideo tamen inferior eam præſtare non debet obedientiam, quæ decet illum, qui a Deo ſibi præpoſitus fuit, neque ideo illi, qui imperat, locus ſuperbiendi, atque imperioſe præcipiendi tribuitur. Meminerit, & quis ipſe ſit, & Jeſum olim S. Joſeph obtemperaſſe: non intumeſcet profecto ſuperbia eo, quod

1 Anno communis æræ 30. eſt triceſimus tertius nativitatis I. C.
2 Origen. homil. 19. in Luc. & Græcus Auth. apud D. Thom. hic.
3 Beda hic. Aelred. ſerm. in Dominica infra octav. Epiphan. 2. 1. Oper. S. Bern. Lyran. hic, & in 1. Regum 1. 19. 4 Beda, Mald. &c. 5 Vide Megillath. fol. 21. 1. . . . . apud Ligfoot. hic. Vide pariter M. Simon, Supplement aux ceremonies des Juifs, ch. 8. 6 Ambroſiaſter in 1. Cor. 1. 14. Grot. hic.
7 Vide Aelred ſerm. in octava Epiphan. t. 2. Oper. S. Bern. p. 578.
8 Origen. Theophyl. Euthym. hic. Epiphan. hæreſ. 50. Hugo hic. Fullet. Capell. Grot. Lud. de Dieu. Ham. Le Clerc. Vide Toynat. Harm. not. p. 144. 9 Ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με.
10 Vide Ioan. 19. 27. Ἔλαβεν αὐτὴν εἰς τὰ ἴδια. *In ejus domo.* Et Eſther 6. 12. *Aman feſtinavit ire in domum ſuam lugens.* Ἐπέστρεψεν εἰς τὰ ἴδια. Ioſeph. Antiqu. lib. 8. cap. 2. ait, Hiram poſuiſſe auream columnam in Templo Jovis. Ἐν τοῖς τοῦ Διὸς ἀνέθηκε. 11 Ambroſ. & Origen. Beda, Theophyl. Euthym. hic.

Digitized by Google

quod major eſt, ſed ſciet, ita ſibi meliorem eſſe ſubjectum, quomodo & Jeſus ſubjectus fuit Joſeph.

MATER EJUS CONSERVABAT OMNIA.] Hoc ipſum annotavit jam ſupra ℣. 19. Maria fovebat fidem, ac pietatem ſuam, ſollicite perpendens, ac ſecum animo reputans, quidquid Jeſus faceret, diceret, vel illi accideret. Non ſine quadam reverentia una cum admiratione conjuncta intuebatur complementum veterum

A prophetiarum, & earum, quæ ſibi ab Angelo Gabriele fuerant prænunciatæ. S. Lucas non ſemel hoc animadvertit eo plane, quod non exiguam harum circumſtantiarum partem, vel ex ipſa SS. Virgine didicerat [1], vel ex iis, quibus eaſdem illa narraverat.

℣. 52. PROFICIEBAT SAPIENTIA, ET ÆTATE.] Vide ſupra ℣. 40. Græcus verti poteſt [2], *adoleſcebat*, corporis magnitudine creſcebat.

1 Grot. hic. Toynard. Harm. in not. p. 244.

2 Προέκοπτε σοφίᾳ, καὶ ἡλικίᾳ. Vox ἡλικία accipitur pro proceritate: Luc. 19. 3. Zachæo loquens Ἡλικίᾳ μικρὸς ἦν. Et Matth. 6. 27. *Quis e vobis poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* Προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν.

CAPUT III.

S. Johannis miſſio. Baptizat, populum docet, JESU CHRISTO perhibet teſtimonium. Salvator a Johanne baptizatur. Cœlum panditur; Spiritus Sanctus in columbæ ſpeciem deſcendit. Pater JESU CHRISTO perhibet teſtimonium; Genealogia illius ab Adam uſque ad SS. Virginem.

1. ANno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ tetrarcha. 2 Sub Principibus ſacerdotum Anna, & Caipha: factum eſt verbum Domini ſuper Johannem, Zachariæ filium, in deſerto. 3 Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. 4 Sicut ſcriptum eſt in Libro ſermonum Iſaiæ prophetæ: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini: rectas facite ſemitas ejus: 5 Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas: 6 Et videbit omnis caro Salutare Dei: 7 Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant, ut baptizarentur ab ipſo: Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere a ventura ira? 8 Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham: Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. 9 Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 10 Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? 11 Reſpondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. 12 Venerunt autem & publicani, ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magiſter, quid faciemus? 13 At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quam quod conſtitutum eſt vobis, faciatis. 14 Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. 15 Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Johanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus: 16 Reſpondit Johannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni. 17 Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 18 Multa quidem & alia exhortans evangelizabat populo. 19 Herodes autem tetrarcha, cum corriperetur ab illo de Herodiade, uxore fratris ſui, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes, 20 Adjecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Johannem in carcere. 21 Factum eſt autem, cum baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum: 22 Et deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum: & vox de cœlo facta eſt: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. 23 Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Joſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, 24 Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joſeph, 25 Qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Heſli, qui fuit Nagge, 26 Qui fuit Mahath, qui

fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joſeph, qui fuit Juda, 27 Qui fuit Johanna,
qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, 28 Qui fuit
Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, 29
Qui fuit Jeſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Le-
vi, 30 Qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joſeph, qui fuit Jona, qui
fuit EliaKim, 31 Qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit
Nathan, qui fuit David, 32 Qui fuit Jeſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui
fuit Salomon, qui fuit Naaſſon, 33 Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit
Eſrom, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, 34 Qui fuit Jacob, qui fuit Iſaac, qui
fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, 35 Qui fuit Sarug, qui fuit
Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, 36 Qui fuit Cainan, qui
fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, 37 Qui fuit Ma-
tuſale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malael, qui fuit Cainan, 38
Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

℣. 1. ANNO AUTEM QUINTODECIMO IMPERII TIBERII CÆSARIS.] Græci complures MSS. particulam *autem* ex capitis hujus initio rejiciunt. Marcionitæ quoque illam rejiciunt una cum duobus capitibus præcedentibus, & hujus initium cum verſiculo 31. cap. 4. conjungunt. Decimus & quintus Tiberii annus, de quo iſthic verba facit Evangeliſta, numeratur ex eo tempore, quo ille ad Imperium evectus eſt, & poſt mortem Auguſti; & annus hic quintusdecimus reſpondet anno ab orbe condito 4032. Periodi Julianæ 4741. S. Johannis Baptiſtæ 32. Jeſu Chriſti 31. Æræ Vulgaris 29. A

Pontius Pilatus anno ſuperiori incœpit 14. Tiberii, trigeſimo JESU CHRISTI, atque annos decem præfuit Judææ uſque ad JESU CHRISTI annum quadrageſimum.

B *Herodes Tetrarcha Galilææ*, erat Herodes, qui Antipas dicebatur, Herodis Magni filius, atque Philippi frater, de quo ſumus locuturi. Nomen Tetrarchæ, quod illi tribuitur, ad litteram ſignificat Principem, qui quartam Regni partem obtinet. Verum hoc nomen ſæpius pro Rege aliquo uſurpatur, cujus non adeo late protendatur imperium, & qui cum Romanis fœdere conjunctus ſit. Galilææ Regnum & citra, & ultra Jordanem patebat; & ſub illius ditione majorem noviſſimorum vitæ ſuæ annorum partem JESUS traduxit.

Philippus Iturææ, & Trachonitidis Tetrarcha. Filius & ipſe erat magni Herodis, ejuſque ditio ultra Jordanem protendebatur ad Galilææ orientem; ita ut Syria Damaſci ad Boream, & Arabia deſerta ad Orientem clauderetur.

C *Lyſaniæ Abilinæ Tetrarcha*. Hic forte fuit filius, vel nepos alterius Lyſaniæ, de quo in hiſtoriis eſt ſermo, & qui Urbes Chalcidis, & Helìopolis, cum Iturææ montibus poſſederat [1]. Cum Marcus Antonius huic permiſiſſet titulum Regis Iturææ, poſt aliquod tempus illi necem intulit, ut Regni illius partem ad Cleopatram transferret [2]. Zenodorus deinceps Lyſaniæ ditionem obtinuit, non ſine imperato tributo; ſed hanc illi Auguſtus ademit, eamque ad Herodem Regem tranſtulit [3]: eaque pars fuit hæreditatis Philippi Tetrarchæ Iturææ, de quo nuper locuti ſumus. Verum oportet Lyſaniam filium, vel nepotem Lyſaniæ illius, qui ab Antonio occiſus fuerat, poſſediſſe etiam Abilinam, cum S. Johannes prædicare cœpit: quandoquidem S. Lucas illum memorat inter eos Principes, qui in Palæſtina, vel in finibus illius D imperitabant. Et ſane Joſeph loquens de illa regni parte, quæ Philippo tradita fuerat, ait, illi permiſſam *partem Regionis illius, quæ Zenodori Principatus appellabatur* [4], cujus pars altera a Lyſania obtinebatur. Ut re cenſeas S. Lucas de Regulo hoc verba facere, fortaſſe quod complurimi Judæi in illius ditione verſabantur.

Abilina vero plane ea eſt Provincia, cujus caput erat Abila. De hac Urbe loquutus eſt Ptolomeus l. 5. c. 15. eamque Abilam Lyſaniæ appellavit, atque inter Heliopolim, & Damaſcum conſtituit. Antonini, vel Æthici itinerarium, octo & triginta paſſuum millia Damaſcum inter, & Abilam ſtatuit, & viginti duo millia Abilam inter, & Heliopolim. Neque variant tabulæ Peutingerii [5]; nos vero ſtatuimus, Abilam Libanum inter, & Antilibanum ultra Jordanis origines, & cenſemus, hanc eamdem eſſe ac Hoba, vel Hobal, de qua in Geneſ. 14. 15. ſermo eſt, & quæ juxta Moyſem ad lævam, & Boream Damaſci poſita erat.

℣. 2. SUB PRINCIPIBUS SACERDOTUM ANNA, ET CAIPHA.] Neque ideo credas, duos ſimul fuiſſe Sum- B mos Sacerdotes in Judæa, qui actu munere ſuo perfungerentur: ſed Anna Summus Sacerdos factus a Quirinio Syriæ, & Judææ Præſide, poſtquam eam dignitatem undecim annos obtinuerat [6], de gradu dejectus, honoris tamen titulum non amiſit. Caiphas gener illius Summum Sacerdotium a Graro Judææ Præſide obtinuerat; cumque eam dignitatem octo, vel novem annos poſſediſſet, a Vitellio Judææ Præſide dejectus fuit. Itaque adhuc eo honore inſignitus erat, cum S. Johannes miſſionem ſuam incœpit, & in eadem aliquot annos deinde permanſit, poſt Domini mortem. Vide, ſi lubet, noſtram de Summorum Pontificum Hebræorum ſucceſſione Diſſertationem, libro Judith præpoſitam.

FACTUM EST VERBUM DOMINI SUPER JOHANNEM.] C S. Johannes ex ipſo Matris utero Spiritu Sancto fuerat repletus, qui illum in deſertum adduxerat, ubi ab adoleſcentia ſuam vitam traduxit. Expectat illo, ut ſibi Deus ſuam voluntatem aperiat, atque præcipiat, quid facto opus ſit, antequam docendi munus aggrediatur. Nemo Sanctum hoc miniſterium ſuſcipere debet, niſi a Deo vocatus fuerit, vel ſupernaturali vocatione, quemadmodum S. Johannes, vel vocatione communi, qua Paſtores in Eccleſia conſtituuntur. Verbum Domini, quod S. Johannes audiit, verbum eſt interius, afflatus Spiritus Sancti.

℣. 3. VENIT IN OMNEM REGIONEM JORDANIS.] Non ſatis liquet, ubinam S. Johannes priores triginta vitæ ſuæ annos tranſmiſerit, ex quo e paterna domo eductus fuit, ut in deſertum ſecederet: verum liquet, D ipſum tribus in locis ad Jordanem prædicaſſe, & baptizaſſe: primo prope Jerichuntem, citra, & ad occidentem Jordanis [7], ubi ab eodem Salvator baptiſmate ablutus fuiſſe perhibetur: 2. prope Bethaniam, vel Bethabaram ultra Jordanem [8], tertio prope Ennon non procul a Salim citra Jordanem Jo. 3. 23.

Vox

1 Dio lib. 49. pag. 44. 2 Ioſeph. Antiqu. lib. 15. cap. 4.
3 Ioſeph. Antiqu. lib. 15. cap. 13. Dio lib. 54. 4 Ioſeph. Antiqu. lib. 17. cap. 13. Βατανεί, σὺν Τραχωνῖτιδι, καὶ Αὐρανῖτις σὺν τινι μέρει οἴκου τοῦ Ζηνοδώρου λεγομένου Φιλίππῳ. 5 Vide Cellar. Geogr. Antiqu. lib. 3. c. 12. & Notas M. Tillemontii not. 14. in J. C. et Grotium in hunc locum.
6 Ioſeph. Antiqu. lib. 18. c. 1. 3. 7 Matth. 3. 5. 8 Ioan. 1. 28.

℣. 4. VOX CLAMANTIS IN DESERTO . . . . ℣. 5. OMNIS VALLIS IMPLEBITUR] *Iſajas* 40. 3. 4. reditum de Babylonis captivitate deſcribens, ait, Dominum viam planam, facilemque populo ſuo præparaturum, quam prophetiam ad JESU CHRISTI adventum tranſtulerant Evangeliſtæ; ut ille excipiatur, quemadmodum oportet, ſinguli in ſemet, atque moraliter facere debent ea, quæ propheta portendit in populi reditu facienda. Quilibet per pœnitentiam, atque humilitatem ſe ſubmittat opus eſt, vitam ſuam colliget, quod invium erat, iter narſquod aſperum, explanet; quod imminſum, adimpleat; & quod præruptum, exæquet. Satis, quid hæc in morali ſenſu ſibi velint, omnes intelligunt.

℣. 6. VIDEBIT OMNIS CARO SALUTARE DEI.] *Iſajas* Propheta, ex quo S. Lucas hæc haubt verba, legit c. 40. 5. *videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum eſt.* Non ſecus ac ea liberatio, quam populo ſuo procuravit Dominus, illum de captivitate Babylonis educens, cum admiratione ab omnibus cæterarum populis viſa fuit; ita gentes omnes teſtes erunt adventus Meſſiæ, qui verus eſt humani generis Liberator.

GENIMINA VIPERARUM.] Hæc omnia explicata ſunt in S. Matthæum 3. 7.

℣. 11. QUI HABET DUAS TUNICAS.] S. Lucas fuſius docet, quid a S. Johanne Baptiſta prædicaretur. Incœpit ille quidem, ipſis incutiens ſuturarum judiciorum Dei terrorem, eorumque ſcelera acerrime exprobrans. Mox oſtendit illis viam ſalutis, ſingulis tribuens ea monita, & præcepta, quæ ſingulorum neceſſitati, & conditioni apprime erant opportuna. Populis, quorum non adeo magna corruptio erat, præcipit, ut charitatis, & miſericordiæ opera exerceant. Militibus, & Publicanis, quorum conditio magis obnoxia eſt peccandi periculo, præcipit, ut a malo abſtineant [1], vel potius juxta S. Ambroſii animadverſionem [2], omnibus indiſcriminatim ſuadet, ut miſericordiam exerceant, quæ communis, & popularis eſt virtus: prohibet vero, ne Milites, & Publicani vim inferant: *omnes in communi admonentur, ut conferant non habenti. Miſericordiam enim plenitudo virtutum eſt* [3]. Quod vero de tunicis, & veſtibus ait, de reliquis etiam intelligendum eſt. Quilibet ex iis rebus, quas non neceſſarias habet, eroget eleemoſynam. Charitatis via tutiſſima eſt, quæ ad capianda peccata nobis e Scriptura proponatur [4].

℣. 13. NIHIL AMPLIUS, QUAM QUOD CONSTITUTUM EST.] Ne exigatis ultra, quod vobis præceptum eſt; ſed Græcum [5] ad litteram reddidit Vulgata. Verum Græca vox *Praſſo*, ſæpe etiam exigere ſignificat, & hoc in loco bellenuno ſenſum admittit. Quoniam terreni Principes vobis permittunt, ut vectigalia exerceatis; ſatis ſit vobis, ea quæ jubentur, accipere, neque exceſſeritis unquam. Sciebat ille, hujus viæ homines, plerumque ſuſtulari, atque variis modis vexare, cum impune hoc ſe facere poſſe arbitrentur. Non jubet, illos ab hoc vivendi genere recedere; illud enim in ſe minime noxium eſt, ſed noxius eſt abuſus nominis, atque auctoritatis regiæ, ad vim inferendam [6]. Non improbat ergo vectigalia, atque legitima tributa, quæ in populos a Principibus ſtatuuntur; ſupponens hæc intra juſtitiæ regulas, & dumtaxat in Reipublicæ utilitatem, atque neceſſitatem irrogata; verum neque notumdem exceſſum, neque abuſum probat [7].

℣. 14. NEMINEM CONCUTIATIS.] Veteres Chriſtiani quidem militiam omnino exprobrarunt [8], verum neque Biblia, nec antiqui Canones, nec Patres illam improbant, niſi forte injuſta ſit, vel quatenus occaſionem objicit ferme inevitabilem quamplurimorum ſcelerum patrandorum. S. Johannes Baptiſta non denegat militibus baptiſmum, non obſtruit illis januam

A pœnitentiæ, immo neque a militibus ea poſcit, quæ ex ſimplici populo flagitat. Sufficit illi, ſi a vi, cædibus, vulneribuſque abſtineant, & armis contra Reipublicæ dumtaxat hoſtes utantur, nullam fraudem, nequitiam, calumniam ingerant: demum, *ut ſtipendiis ſuis contenti ſint*, quæ ſibi a Principe perſolvuntur, quin ſubditos vexent, quin diripiant, furentur, atque innocentes concutiant.

Apoſtolicæ conſtitutiones l. 8. c. 32. non aliud petunt, quam quod S. Johannes ab iis militibus, qui baptiſmum depoſcunt; Thebææ Legionis milites Imperatori dicebant „ manus noſtræ aſſuetæ ſunt præliando
„ contra impios, atque hoſtes Reipublicæ, non au-
„ tem bonis hominibus Civibuſque affligendis. Arma
„ cepimus, ut nos tueremur, non ut illos opprime-
B „ remus. Semper pro juſtitia, pietate, atque inno-
„ centium ſalute pugnavimus. Huccine præmium
„ eſt periculorum, quæ ſubiimus? Deoique ma-
„ nus conſeruimus, ut fidem, quam tibi Sacra-
„ mento ſpopondimus, ſervaremus: quomodo ve-
„ ro credere poſſes, nos fideles fore, ſi eam quam
„ Deo noſtro debemus, fidem perfringeremus? Hic
ſi abeſſet caſus, videlicet, ſi deeſſet periculum in infidelitatem, & ſcelus decidendi, Chriſtiani militiæ nomen dabant, & in ea permanebant, ſi jam nomina dediſſent: *navigamus, & nos vobiſcum*, ajebat Tertullianus in Apolog. *militamus* &c. Caſtra, exercituſque veſtri Chriſtianis frequentes ſunt.

Milites, ad quos Johannes Baptiſta loquebatur, erant, vel ex Herodis Antipæ, vel ex Philippi copiis; vel C fortaſſe Judæi, qui in Romanis exercitibus ſtipendia merebant; quippe ibi quamplurimi aderant, qui exercitus eorum ſecuti fuerant, tamquam auxiliares copiæ, vel qui in eorum Legionibus locum acceperant. Eorum quoque plurimos ſecum Magnus Alexander habebat; & Reges Ægypti, ac Syriæ ſucceſſores ſui non raro iiſdem uſi ſunt in expeditionibus ſuis, atque ut urbes ſuas propugnarent [9]. Verum cum Judæi milites Sacramento ſe ſe adigerent, ut alienis Principibus inſervirent, hoc ſemper tacita, vel expreſſa conditione fiebat, ut ſibi integrum eſſet, patrias ſervare leges, neque cogerentur unquam vel die Sabbathi caſtra movere, vel contra fratres ſuos manus conſerere. Narrat Hecatæus, apud Joſephum contra Appion. cum Alexander Magnus aggreſſus fuiſſet opus inſtaurandi templum Beli, atque militibus ſuis præcepiſſet, ut ad hoc ædificium cæmenta compararent, Judæos, neque minis, neque ſuppliciis cogi unquam potuiſſe, ut adderent operam.

S. Johannes Baptiſta illis primum vetat, ne vim D alicui inferant, nec aliquem concutiant: *neminem concutiatis*, Græca vox [10] proprie ſignificat: neminem agitetis; neminem vi cogatis, neque minis, neque terroribus, neque verberibus utamini, ut ea, quæ vobis minime debentur, extorqueatis. 2. *neque calumniam faciatis*: cum nemine fraude utamini, vel *nemini calumniam ingeratis*, juxta vim Græci vocabuli [11]. Ne accuſetis innocentes apud Principes veſtros, vel ut vos met excuſetis, vel ut in illos violenta imperia extorqueatis. Apud Sacros auctores Græcum verbum *Sycophantein* nonnumquam in generico ſenſu pro contumelia aliquem afficere, injuriam inferre: nonnumquam vero in ſenſu proprio pro calumniari, decipere, injuſte nomen alicujus deferre invenitur. Tertio denique vult S. Johannes, milites contentos eſſe ſtipendiis ſuis. Græ-E ca locutio [12] non illud ſolum ſignificat ſtipendium, quod numerata pecunia militi perſolvitur, verum commeatus, annonam, victum, qui oppidanis imperatur, illis ſuppeditandos. *Annona ſua contentus ſit miles*, ajebat Aurelianus Imperator apud Vopiſcum, *non de lacrymis provincialium vivat.*

1 Theophylact. hic. 2 Ambroſ. in Luc. hic. 3 Gregor. homil. 20. Ambroſ. et Beda hic, aliis. 4 Tob. 4. 7. 11. & 12. 8. 9. & Dan. 4. 24. 5 Μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε. 6 Zeno Comicus apud Grot. Πάντες τελῶναι πάντες εἰσὶν ἅρπαγες. 7 Vide Grot. in hunc locum. 8 Vide Grot. de jure Bel. & Pac. lib. 1. cap. 2. num. 5. 6. 7. & ad hunc loc. 9 Vide Joſephum in pluribus locis, & 4. Macch. & Grotium hic. 10 Μηδένα διασείσητε. 11 Μηδὲ συκοφαντήσητε. 12 Καὶ ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν.

℣. 15. Existimante autem populo.] Judææ omnis, & univerſus Oriens tunc Meſſiam præſtolabatur. Omnia tempora, a Prophetis indigitata, adimpleta jam fuerant. Johannes Baptiſta pelam erat vir a Deo ſuſcitatus; innocens, puræ, atque auſteræ vitæ, illius doctrinæ, & prædicationes, & fulgor virtutis ejus fidem quodammodo adſtruebant, ipſum eſſe, qui expectabatur. Aliquis fortaſſe ex diſcipulis ejus, illi populi ſententiam aperuit, qui omnibus audientibus reſpondit ℣. 16. ſe omnino alium eſſe a Meſſia; verum quamprimum hunc apparitum gentibus proditurum, qui *Baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*, cum ipſe Johannes aqua tantum baptizaret, ut populos ita ad recipiendam per Meſſiam peccatorum remiſſionem diſponeret. Pro ℣℣. 16. & 17. videri poſſunt, quæ a nobis adnotata fuerunt in S. Matthæi caput 3. ℣. 11. & 12.

℣. 19. Herodes autem, cum corriperetur,] ob inceſtas Herodiadis nuptias, quam Philippo fratri ſuo uxorem abſtulerat, Johannem in carcerem conjecit. Hoc multo poſt accidit, quemadmodum ex aliis Evangeliſtis liquet [1]; verumtamen S. Lucas haud abſre cenſuit, hic omnia congerere, quæ ſibi de Johanne Baptiſta erant dicenda, antequam ad alia gradum faceret.

℣. 20. Jesu baptizato, & orante.] Alii Evangeliſtæ non meminerunt orationis, quam Jesus poſt ſuum baptiſmum effudit. Reliqua vero alibi explicata fuerunt [2].

℣. 23. Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta.] Cum baptiſmate ablutus fuit, inceperat jam tertium ſupra trigeſimum annum, quemadmodum probatiores credunt Chronologi. Non deſunt, qui Græcum vertant [3]: *annum trigeſimum inchoabat*: ſed hoc pugnat certis, atque Chronologicis argumentis, quæ de illius ætate ſuperſunt, & Interpretes complures ita intelligunt, Jesum trigeſimum circiter ætatis ſuæ annum egiſſe, cum miſſionem ſuam incœpit, atque miniſterium ſuum [4] exorſus eſt.

Ut putabatur Filius Joseph] Jesus a mortalibus habebatur tamquam Filius Joſeph, licet nullum in terris carnalem Patrem haberet. Heli, ut perhibetur, idem erat, ac Joachim Pater SS. Virginis, ſocer S. Joſeph, & Avus Jesu Christi. S. Lucas iſthic exornat Jesu Christi Genealogiam per Mariam Matrem illius, quemadmodum S. Matthæus nobis illam tradiderat per S. Joſeph, qui Pater illius ferebatur. Videri poteſt noſtra diſſertatio, ubi utrumque Evangeliſtam conciliare conamur. Hæ voces: *qui fuit Heli*, referri poſſunt, & ad Jesum & ad Joſephum. Joſeph dicitur Heli filius, quatenus gener illius; & Jesus, quatenus nepos illius. In Scripturis non ſecus apud Auctores prophanos filiorum nomen tribuitur generis, atque nepotibus etiam poſt multas generationes. Ita vulgo Jesus Christus Filius David appellatur, licet tot inter utrumque generationes interceſſerint.

℣. 29. Qui fuit Rhesa,] & Rheſa fuit Filius Zorobabel. Cum duæ familiæ, quæ ex David prodierant, per Nathan altera, altera per Salomonem, iterum in perſona Zorobabel coaluiſſent: rurſus poſt Zorobabel diviſæ ſunt in *Abiud* & *Rheſa*, utrumque filium illius. Abiud vero Auctor fuit illius familiæ, ex qua genitus fuit S. Joſeph; Rheſa vero illius, ex qua B. Virgo prodiit.

℣. 36. Cainam.] Pater Sale, & filius Arphaxad in Hebræo Geneſeos textu non invenitur. Creditur S. Lucas illum deſumpſiſſe ex Græco Septuaginta, ubi legitur in Geneſis cap. 11. ℣. 12. verum cum fidei conſonum ſit, vel abundare, vel in textum ab antiquis interpretibus inſertum fuiſſe; cenſeri poteſt hoc in loco neque authenticum eſſe, neque neceſſarium [5]; quæ eſt plurimorum probatiſſimorumque interpretum ſententia, quemadmodum in noſtris in Geneſim commentariis oſtendimus [6]. At ſi *Cainam* mendum eſt librarii & in Septuaginta, & in S. Luca, fatendum eſt ſane illud eſſe vetuſtiſſimum; nam & typis editi, & MSS. libri his in locis maxime ſibi conſtant [7]; e quibus unicus eſt Cantabrigienſis codex MS. ubi Cainam in S. Luca minime reperitur [8]. Credunt nonnulli S. Lucam pro Gentilibus præcipue ſcribentem, qui nonniſi Græcum Septuaginta textum conſulere poterant, ex indulgentia voluiſſe in textu ſuo Cainam inſerere, quod in textu eorum inveniebatur, ne forte illum expungens infirmos ſcandalizaret [9]. Hoc enim vel Septuaginta, vel Evangelio S. Lucæ fidem ademiſſet, ſi in Genealogicis tabulis diſcrimen aliquod inventum fuiſſet. Igitur ſi hac in re mendum, & negligentia obrepit, hæc ad Septuaginta dumtaxat, vel eorum librarios pertinet; neque eſt cur Judæi Evangeliſtæ huic ſuccenſeant, ſed antiquis interpretibus ſuis. Noſtra non intereſt probare, Cainam non eſſe expungendum, niſi quod illum in Evangelio ſuo S. Lucas inſeruit, qui neque caſtigare voluit, neque probare eos, qui ante ſe illum in Textum ſuum inſeruerant. Cæterum hoc liquet, S. Lucam ſemper ſectatum fuiſſe in citationibus ſuis Septuaginta, cum etiam maxime ab Hebraico textu recedunt. Vide *Act.* 7. 14.

℣. 38. Qui fuit Dei,] qui ſcilicet creatus fuit a Deo. Iſthic *creandi* verbum addidimus pro vocibus illis, *qui fuit Filius*: quæ in aliis reperiuntur; nam licet Adam filius fuerit Dei quodam in ſenſu [10], quandoquidem ab illo creatus fuit: attamen non eſt filius ejuſdem eodem pacto, quo cæteri, qui in Genealogia recenſentur. Deus homini tribuit eſſe, animam, & vitam: patres vero filiis ſuis corpus dumtaxat, vel ad ſummum, & vitam animalem impertiunt. Omnes a Deo animas noſtras, incrementum, atque incolumitatem accipimus.

1 Vide Joan. 3. 36. Matth. 4. 12. Marc. 1. 14. 2 Matth. 3. 16. Marc. 1. 10.
3 Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος. 4 Juſtin. Origen. Euthym. Vide Act. 1. 22. 10. 37.
5 Vide Uſſer. Diſſert. de Cainan. Spanh. dub. Ev. Grot. hic. Cornel. a Lapide, Bochart. Phaleg. l. 1. c. 13. alii.
6 Vide Commentarium in Geneſi 10. 24. 7 Editio Romana non legit *Cainan* 1. Par. 1. 17. quem tamen legunt Aldina, et Complutenſis, et MS. Alexandr. 8 Vide notas Millii in S. Luc. 3. 36. Hic autem MS. in plurimis locis lacunoſus eſt et correptus, ut animadvertit idem Millius hic, et ubi paſſim.
9 Ion. Ligfoot. alii nonnulli. 10 Vide Philon. et Joſeph apud Grot. hic, et Arat. in Act. 17. 28. Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

CAPUT IV.

JESUS ducitur in deſertum. Quadraginta dies jejunat. A Dæmone tentatur. Prædicat in Nazareth; inde abit Capharnaum, ubi liberat Energumenum, & curat Socrum Petri, Aliaque plurima edit miracula.

1. JEſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt a Jordane: & agebatur a Spiritu in deſertum. 2 Diebus quadraginta tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis: & conſummatis illis eſuriit. 3 Dixit autem illi diabo-

lus

tus : Si filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat. 4 Et reſpondit ad illum Jeſus:
Scriptum eſt : Quia non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo Dei. 5 Et du-
xit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in mo-
mento temporis. 6 Et ait illi : Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam il-
lorum : quia mihi tradita ſunt, & cui volo, do illa. 7 Tu ergo ſi adoraveris coram
me, erunt tua omnia. 8 Et reſpondens Jeſus, dixit illi : Scriptum eſt : Dominum
Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. 9 Et duxit illum in Jeruſalem, & ſtatuit e-
um ſuper pinnam templi, & dixit illi : Si filius Dei es, mitte te hinc deorſum. 10
Scriptum eſt enim, quod Angelis ſuis mandavit de te, ut conſervent te. 11 Et quia
in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 12 Et reſpondens
Jeſus, ait illi : Dictum eſt : Non tentabis Dominum Deum tuum. 13 Et conſumma-
ta omni tentatione, diabolus receſſit ab illo, uſque ad tempus. 14 Et regreſſus eſt
Jeſus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exiit per univerſam regionem de illo.
15 Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. 16 Et venit
Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit ſecundum conſuetudinem ſuam die ſabbati in
ſynagogam, & ſurrexit legere. 17 Et traditus eſt illi Liber Iſaiæ prophetæ. Et ut
revolvit librum, invenit locum, ubi ſcriptum erat : 18 Spiritus Domini ſuper me :
propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde,
19 Prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſio-
nem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. 20 Et cum pli-
cuiſſet librum, reddidit miniſtro, & ſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant in-
tendentes in eum. 21 Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodie impleta eſt hæc
ſcriptura in auribus veſtris. 22 Et omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in
verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, & dicebant : Nonne hic eſt filius
Joſeph. 23 Et ait illis : Utique dicetis mihi hanc ſimilitudinem : Medice, cura
teipſum : quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. 24 Ait
autem : Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua. 25 In
veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt
cœlum annis tribus, & menſibus ſex, cum facta eſſet fames magna in omni terra: 26
Et ad nullam illarum miſſus eſt Elias niſi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.
27 Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo propheta : & nemo eorum mundatus
eſt niſi Naaman Syrus. 28 Et repleti ſunt omnes in ſynagoga ira, hæc audientes.
29 Et ſurrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem : & duxerunt illum uſque ad
ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.
30 Ipſe autem tranſiens per medium illorum, ibat. 31 Et deſcendit in Caphar-
naum civitatem Galilææ, ibique docebat illos ſabbatis. 32 Et ſtupebant in do-
ctrina ejus, quia in poteſtate erat ſermo ipſius. 33 Et in ſynagoga erat homo ha-
bens dæmonium immundum, & exclamavit voce magna, 34 Dicens: Sine, quid no-
bis, & tibi, Jeſu Nazarene ? veniſti perdere nos ? ſcio te, quis ſis, Sanctus Dei.
35 Et increpavit illum Jeſum, dicens : Obmuteſce, & exi ab eo. Et cum proje-
ciſſet illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit. 36 Et fa-
ctus eſt pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem, dicentes : Quod eſt hoc
verbum, quia in poteſtate, & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt? 37
Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. 38 Surgens autem Jeſus de
ſynagoga, introivit in domum Simonis : Socrus autem Simonis tenebatur magnis fe-
bribus : & rogaverunt illum pro ea. 39 Et ſtans ſuper illam, imperavit febri: &
dimiſit illam. Et continuo ſurgens miniſtrabat illis. 40 Cum autem ſol occidiſ-
ſet, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum : At
ille ſingulis manus imponens, curabat eos. 41 Exibant autem dæmonia a multis,
clamantia, & dicentia : Quia tu es filius Dei : & increpans non ſinebat ea loqui,
quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. 42 Facta autem die egreſſus ibat in deſertum
locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt uſque ad ipſum ; & detinebant il-
lum ne diſcederet ab eis. 43 Quibus ille ait : Quia & aliis civitatibus oportet me
evangelizare regnum Dei : quia ideo miſſus ſum. 44 Et erat prædicans in ſynago-
gis Galilææ.

Digitized by Google

℣. 1. **J**ESUS AUTEM PLENUS SPIRITU SANCTO REGRESSUS EST A JORDANE.] At quorſum regreſſus ? fortaſſe Nazareth, juſtam viam illam ingreſſus eſt, ſed ſtatim [1] *a Spiritu* in deſertum adductus fuit. Creditur hic fuiſſe Spiritus Sanctus, & quod S. Matthæus addit, *ut tentaretur a Diabolo*, hanc ſententiam confirmat. Non deſunt tamen Interpretes, qui putant, illum a Dæmone eo deductum fuiſſe, a quo mox & Jeruſalymam, & ſuper montis cacumen adductus fuit permittente Filio Dei, ut omnem poteſtatem in ſe ille exerceret; at mox majori cum gloria, atque utilitate ſuperandus. Vide a nobis dicta in S. Matthæum 4. 1. Evangeliſta adnotat hoc in loco, JESUM *plenum fuiſſe Spiritu Sancto*, non quod antea eodem vacuus eſſet, ſed quod cum aperto Cœlo Spiritus Sanctus ſub ſenſibili forma ſuper illum delapſus eſt, majora cœpit tribuere, quam antea, præſentiæ divini hujus Spiritus indicia.

℣. 3. SI FILIUS DEI ES.] Non ambigebat Dæmon, quin JESUS eſſet Dei Filius eodem pacto, quo cæteri omnes Sancti, & juſti. Sciebat, animam illius integram eſſe, ſcelериſque puram: volebat igitur intelligere, utrum vere eſſet Dei Filius, Verbum Incarnatum, Sapientia eſſentialis; atque funditus cognoſcere cupiebat ſenſum eorum verborum, quæ palam audita fuerant ab omnibus in Salvatoris baptiſmate: *Tu es Filius meus dilectus: in te complacui mihi* Luc. 3. 22.

℣. 4. SED IN OMNI VERBO DEI.] Deus verbo ſuo cuicumque rei voluerit, me alendi virtutem poteſt impertiri. Aer, aqua, lapis omnia me nutrire poterunt, ubi præceperit Deus.

℣. 5. DUXIT ILLUM IN MONTEM.] Adduxitne illum ad radices montis, an per inane tranſtulit illum in cacumen? hoc non ſatis liquet [2]; ſed quocumque modo illud contigerit, nonniſi Domino permittente contigiſſe cenſendum eſt. Dæmon *oſtendit illi omnia Regna terræ in momento temporis*, ſeu illa eminus manu indigitans, eaque oratione deſcribens, ſeu ob oculos illius per phantaſticas imagines, magica, atque diabolica virtute illico effictas exhibens, ſeu tandem eas in illius imaginatione depingens. Cum ait, *omnia Regna terræ*, profecto non deeſt hyperbole: innuere vult præcipua Regna, præcipuas terrarum Civitates. Sinit Dei Filius, Dæmonem iſthic agere ſecundum omnem poteſtatis ſuæ vim, ut melius tandem ſuam infirmitatem cognoſcat, ubi ſe victum intueatur.

Dæmon ℣. 6. gloriatur, ſe omnium Regnorum terræ Dominum eſſe, ac penes ſe arbitrium eſſe, illa cuicumque velit, conferendi. Hæc digna quidem erat patre mendacii fraus. Nonnumquam permittit Deus effectu iræ ſuæ adverſus impios, ut dæmones de his rebus diſponant, quæ mundus admiratur, & habet in pretio; ideoque Jeſus Chriſtus illum *hujus mundi principem* vocat Joann. 14. 34. Verum nonniſi omnipotentis vel permiſſu, vel juſſu dæmon vel minimum quid, vel maximum conari poteſt, neque audet in porcorum gregem ingredi, Deo non permittente Matt. 5. 51.

℣. 8. SCRIPTUM EST: DOMINUM DEUM TUUM ADORABIS.] Græcus legit [3]: *vade a me Satana: ſcriptum eſt enim* &c. quod e S. Matthæo 5. 10. deſumptum eſt. Locus a Jeſu Chriſto allatus depromptus eſt ex Deuteronomio cap. 6. ℣. 13. cap. 10. ℣. 20. Sed Hebræus legit ſimpliciter [4], *& illi ſervies*, non autem, *& illi ſoli ſervies*. At S. Hieronymus ſecutus eſt Septuaginta [5], qui Vulgatæ ſimiles ſunt c. 6. ℣. 13.

SUPER PINNAM TEMPLI.] Plane ſuper Cancellos, quibus undique tectum, quod juxta regionis illius conſuetudinem planum erat, ſepiebatur. Vide ſanctum Matt. 4. 5.

℣. 12. NON TENTABIS.] Non prohibet, dæmonem tentare, ſed ait: non auſim ego tentare Dominum Deum meum, & citra extremam neceſſitatem ex eo miracula petere. Abſit, ut ſponte memet periculo objiciam, mox a Deo, ut me tueatur, petiturus.

℣. 13. RECESSIT AB ILLO USQUE AD TEMPUS.] Non auſus eſt, illum ultra laceſſere uſque ad Paſſionis illius tempus [6]: tunc Deus iterum illi tradidit facultatem, quemadmodum eadem innuit Scriptura Luc. 24. 53. Jeſus Chriſtus illis, qui venerant, ut in horto Olivarum ipſum caperent, ait: *hæc eſt hora veſtra, & poteſtas Principis tenebrarum*: & Joann. 14. 30. *Venit Princeps Mundi hujus* me tentaturus. *& in me non habet quidquam*.

℣. 14. REGRESSUS EST IN VIRTUTE SPIRITUS IN GALILÆAM.] Volueras illuc reverti, ſtatim ac Baptiſmate fuerat ablutus [7]; verum a Spiritu in deſertum adductus, cum ibi quadraginta dies permanſiſſet, deinde ſecutus eſt Spiritus ejuſdem motum, qui illum adveхit Nazareth, unde primum diſceſſerat, ut ad S. Johannem ſeſe conferret, ab eo baptizandus. Sed antequam perveniret Nazareth, quamplurima contigerunt, quæ a S. Luca prætermittuntur. Jeſus e deſerto egreſſus ad Johannem redit, qui præclarum illi teſtimonium perhibuit Joann. 1. 29. Inde Canam Galilææ ſe contulit, ubi primum miraculum operatus eſt Joan. 2. 8. mox Capharnaum, ubi longe plura patravit Luc. 4. 23. Adfuit deinde Jeroſolymæ Paſcha celebraturus Joann. 2. 13. permanſit etiam aliquando in Judæa, ubi baptizavit Joan. 3. 22. hoc eſt, ubi diſcipuli ipſius baptizabant: numquam enim ille baptiſmum dicitur contuliſſe Joan. 4. 2. Cum autem audiſſet, Johannem Baptiſtam ab Herode in vincula traditum, e re cenſuit ſeſe conferre in Nazareth, ubi ea contigerunt, quæ hoc in loco a S. Luca narrantur.

℣. 16. INTRAVIT IN SYNAGOGAM, ET SURREXIT LEGERE.] Triginta annos, quibus Jeſus Chriſtus permanſit in Nazareth, jugiter religionis operibus vacavit, & omnibus Sabbathis Synagogæ interfuit, ut ibi Legis lectiones audiret, atque Dominum laudaret. Verum hactenus illi ſatis videtur fuiſſe, auditorem ibi adeſſe, quin Sapientiam, & Spiritum, quo repletus erat, oſtenderet. Tunc incœpit docere ſolum, poſtquam baptizatus fuit, atque illud iter abſolvit, quod ℣. ſuperiori deſcripſimus. *Surrexit ergo legere*, ſeu ad id ille ſeſe obtulerit, ſeu *Angelus Synagogæ*, videlicet, qui huic præerat, eum rogaverit, ut legeret. Teſtimonium, quod illi Johannes perhibuerat; miraculum, quod in illius baptiſmate contigerat; illud ipſum, quod recens in Cana prope Nazareth, & quod mox Capharnai patraverat, magnam illi & nominis celebritatem, & perſonæ obſervantiam comparaverat.

Rogatus ergo fuit, ut legeret: cumque textum Hebraice recitaſſet, illum Syriace, aut vernaculo idiomate explicuit; hæc enim ab ipſius Eſdræ temporibus conſuetudo viguerat [8]. Ex Apoſtolorum Actis 13. 15. & 17. 2. liquet ſæpius honoris ergo advenas invitatos fuiſſe, ut in Synagoga legerent, & loquerentur. Stantes quidem legebant [9], ſed Doctores ſedentes interpretabantur Matt. 5. 1. Luc. 5. 3. In Actis iiſdem legimus, privatos, qui in Synagogis loqui vellent, ſtantes verba facere debuiſſe Act. 13. 16. & 1. Cor. 14. 30. Videtur autem Jeſus Chriſtus librum, ubi voluit, aperuiſſe, & legiſſe, quod offendit, & quod ipſi fortuito ob oculos cecidit. Docent enim Rabbini [10] in Prophetarum lectione hoc integrum cuiquam fuiſſe, ſecus vero in aliis Scripturæ libris, atque præſertim in lege Moyſis.

℣. 17. ET REVOLVIT LIBRUM [11].] Hoc eſt, aperuit: hoc enim erat volumen juxta vetuſtam conſuetudinem

1 Ita Matt. 6. 12. Καὶ εὐθὺς τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει εἰς τὴν ἔρημον.
2 Vide Diſſertationem Bocharti de Tranſlatione J. C. in pinnaculum Templi, ad calcem novæ ejus operum editionis. 3 Ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ, γέγραπται γὰρ, &c. In pluribus tamen Mſſ. hæc additio non legitur. 4 Deut. 6. 13. אלהיך תירא ואתו תעבד 5 Τὸν Θεόν σου φοβηθήσῃ, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.
6 Brug. Ligf. alii. 7 Supra verſ. 1.
8 2. Eſdr. 8. 1. 2. . . . 8 9 Act. 13. 15. 17. 2.
10 Rab. Alphes apud Ligfoot hic. 11 Καὶ πτύξας τὸ βιβλίον.

ridinem compoſitum ex membranis ſibimet ſecundum longitudinem conglutinatis, qualia ad hanc quoque diem in Synagogis ſuis adhibent Judæi. Id autem liquet etiam ex ℣. 20. ubi Jeſus plicuiſſe volumen, vel librum volviſſe [1] dicitur.

℣. 18. SPIRITUS DOMINI SUPER ME.] Non fortuito, ſed divinitus factum eſt, ut Salvator hunc locum offenderet, qui egregiè miſſionis illius initio mire conveniebat. Iſaias cap. 61. 1. de ſe tamquam Meſſiæ figura verba facit. Scit, ſe a Spiritu Dei miſſum, ut captivis Judæis proximam annunciaret libertatem, & certiorem faceret populum catena laborantem inopia, futurum ut a Deo quamprimum ex eo ſqualore educeretur. Babylonis captivitas erat imago ſtatus humani generis: reditus ab has captivitate, quem Cyrus permiſit, ut portendit Iſaias, exhibebat humani generis redemptionem a Jeſu Chriſto complendam. Quod propheta tantum annunciabat, Jeſus Chriſtus ipſe executus eſt.

Inquit Iſaias: *Spiritus Domini ſuper me; propter quod unxit me: Evangelizare pauperibus miſit me* &c. hoc eſt, hanc mihi provinciam mandavit. Ungere Regem, Prophetam, Sacerdotem, in Hebræorum ſermone idem erat, ac evehere illum ad dignitatis ſuæ poſſeſſionem, cumque in provinciæ ſuæ exercitatione ſtatuere. Licet Jeſus Chriſtus ſingulis vitæ ſuæ momentis Spiritus Sancti plenitudine gaviſus fuerit, videtur tamen Deus Pater apertiori modo innuere voluiſſe miſſionem, quam illi tribuebat, & Spiritus Sancti abundantiam, quo illum replebat, cum in baptiſmate illius, viſibili, & corporea forma Spiritum eumdem ſuper eum dimiſit [2].

Neque temere addit Propheta, ſe miſſum fuiſſe, ut *pauperibus evangelizaret*: hic enim eſt ex characteribus prædicationis Meſſiæ. Pauperis nomen in Scripturis nonnumquam humilem, afflictum, oppreſſum ſignificat; & eo verbo Babylonici captivi ab Iſaia deſignati videntur. Sed Providentia, quæ illius vaticinia regebat, hoc illi ingeſſit verbum, ut innueret, Meſſiam præſertim pro his veniſſe, qui & corde, & ſpiritu pauperes ſunt, qui ſuam ſentiunt paupertatem, atque egeſtatem, qui ad liberatorem ſuum omnibus votis anhelant; qui ſub peccatorum ſuorum pondere humiliantur, & qui illinc emergere feſtinant.

℣. 19. PRÆDICARE CAPTIVIS REMISSIONEM, CÆCIS VISUM.] Judæi Babylone captivi ſæpius in Scriptura exhibentur, tamquam homines in umbra mortis, atque ſepulchri horrore ſqualentes. Status hic externus eſt illius ſervitutis imago, qua humanum genus torquebatur, atque tenebrarum earum, in quibus jacebat, cum Jesus CHRISTUS in Mundum acceſſit. Acceſſit ille quidem, vel tamquam Liberator carcerem aperiens, & captivorum vincula diſrumpens, vel tamquam nitidus ſol poſt teterrimam noctem refulgens. Libertate eos donat, qui captivitatem ſuam, atque vinculorum pondus ſentiunt, lumenque ille reddit cæcis, qui & cæcitatem ſuam fatentur, & lucem deſiderant; eos enim, qui & captivitatem ſuam amant, & oculorum acie ſe pollere putant, in tenebris, vinculiſque relinquit. Quod in Vulgata legitur: *ſanare contritos corde*, in veteribus complutibus MSS. Græcis deſideratur.

PRÆDICARE ANNUM DOMINI ACCEPTUM.] Hic tandem aliquando effulget dies reconciliationis Domini cum populo ſuo, & annus ultionis ſuæ contra inimicos. Hic eſt dies ille, tandiu, & tantopere concupitus, quo Dominus miſertus malorum captivi populi ſui, & humiliationis ejuſdem coram ſe, dimittit illi veteres

A iniquitates, iramque ſuam contra Babylonios illius hoſtes convertit. Alluditur iſthic [4] ad annum jubilæi, qui clangentibus buccinis annunciabatur [5], & quo quilibet bona ſua iterum acquirebat, & ſervi rurſus libertate donabantur. JESU CHRISTI in Mundum adventus, omnibus hominibus optatiſſimus fuit annus jubilæi. Januam aperuit omnibus ſervis peccati; & libertate oblata nemo non gaviſus eſt, niſi qui noluit [6]: effudit ille ſanguinem, vitamque ſuam pro omnium mortalium redemptione [7], illis æternitatis aditum reſeravit, eiſque iterum jus ad immortalitatem, ac Cœli beatitudinem comparavit, de quo propter Protoparentis ſui ſcelus fuerant dejecti. Confer loco huic Iſaiam 49. 8. 2. *Cor.* 6.

B Annus idem, qui indulgentiæ, & reconciliationis annus eſt juſtis, impiis annus erit iræ, & ultionis. Venit *Jeſus in ruinam, & reſurrectionem multorum*. Judæi fideles, ac dociles, qui JESUM CHRISTUM receperunt, omnibus favoribus illius fuerunt cumulati; qui vero illum abjecerunt, & crucifixerunt, patriæ Templique ſui ruinis oppreſſi ſunt: quæ Romani expugnarunt, diripuerunt, ferro, flammiſque vaſtarunt. Veteres quidam, puta Valentiniani [8], ex hoc loco inferebant, Salvatorem uno dumtaxat anno prædicaſſe: *prædicare annum Domini acceptum*; ſed ex eodem Evangeliſta liquet, illum tres annos prædicaſſe.

℣. 20. OMNIUM IN SYNAGOGA OCULI ERANT INTENDENTES IN EUM;] ſeu quod antea illum in publico loquentem minime audierant, ſeu quod ex nullo præceptore illum didiciſſe cognoverant [9], ſeu

C propter miracula, & quæ in illius baptiſmate contigerant, & quod nuper in Cana Galilææ patraverat, ubi aquam in vinum immutaverat. JESUS, cum ſtans legiſſet, ſedit, incœpitque magiſtrali auctoritate, & gravitate verba facere: Doctoribus enim dumtaxat jus erat ſedendi in Synagoga, dum loquerentur, quemadmodum animadvertunt Interpretes, atque ex Apoſtolorum Actis [10] arguunt.

℣. 21. HODIE IMPLETA EST HÆC SCRIPTURA,] vel potius incipit adimpleri. Annuntio vobis redemptionem, libertatem, reconciliationem, veniam peccatorum veſtrorum: ego ipſe ſum Liberator, ſpes, ſalus, Meſſias veſter; de me loquitur Propheta [11] iis in verbis, quæ modo audiſtis, *in auribus veſtris*.

℣. 22. MIRABANTUR IN VERBIS GRATIÆ.] Fa-

D tebantur neminem umquam tanto lepore, tanta vi, tantaque eloquentia locutum fuiſſe; & neminem perſuadendi, movendi, placendique artem eam poſſediſſe, quam egregie JESUS CHRISTUS obtinebat. Hoc etiam alia in occaſione coacti ſunt illi, qui a Judæis miſſi fuerunt, ut illum comprehenderent [12]; ſed Nazareni admirantes eam gratiam, qua JESUS CHRISTUS loquebatur, minime animos ſuos compulerunt, ut crederent veritates, quas ille prædicabat; & Deo gloriam conferrent. Ortus illius humilitas, & Parentum ejuſdem paupertas illis ſcandalum ingeſſerant: dicebantque ſibi invicem: *nonne hic eſt Filius Joſeph?* Hic ſane eſt mundi character. JESUS Filius eſt ſimplicis fabri Nazareni, quomodo ergo Meſſias?

℣. 23. MEDICE CURA TEIPSUM.] Hoc eſt ada-

E gium in illos, qui aliis prodeſſe curant, ſibi vero, amicis, cognatiſque ſuis minime proſunt; qui alienis vacant negotiis, & propria negligunt; qui aliis ea, quibus ipſi maxime indigent, tribuunt documenta. Jeſus plura Capharnai ediderat miracula [13], quorum hiſtoriam neſcimus; utque paratus erat, ut plura forſaſſe in Nazareth patria ſua operaretur, ſi ibi nactus eſſet majorem occaſionem, minoremque in concivibus ſuis

[1] Καὶ πτύξας τὸ βιβλίον. [2] Iren. lib. 3. c. 10. Athanaſ. Orat. 2. contra Arianos, Rufin. Expoſit. Symbol. Auguſt. lib. 15. de Trinit. c. 26. & lib. 3. contra Maxim. cap. 16. Hieronym. in Iſai. 61.
[3] Joan. 9. 41. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum; nunc vero dicitis: Quia videmus; Peccatum veſtrum manet.* [4] Κηρύξαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν. [5] Levit. 25. 10. 25. & ſeq.
[6] Rom. 8. 21. Galat. 4. 31. 5. 13. Jacobi 1. 25. 2. 12. [7] Rom. 3. 6. . . . 9. 6. 10. 11. 13. 1. Cor. 4. 14. &c.
[8] Apud Iren. l. 2. c. 38. & Origen. hic. Ita & Clemens Rom.
[9] Joan. 7. 15. [10] Act. 13. 1. & 1. Cor. 14. 30. Vide Mald. Ligfoot. Grot. alios.
[11] Theophyl. Euthym. Mald. Grot. [12] Joan. 7. 46.
[13] Joan. 2. 12.

ſuis incredulitatem : verum iiſdem abſtinuit, ut eorum contemptum, atque improbam fidem puniret. *Dicetis mihi, medice, cura teipſum* ; & ego dicam vobis : *nemo propheta acceptus eſt in Patria ſua* : me, meamque doctrinam contemnitis ; ne miremini ergo, ſi aliis meos ſudores reſervo [1].

℣. 25. MULTÆ VIDUÆ ERANT &c.] Hiſtoria ſatis nota eſt, (vide 3. Regum c. 17. ℣. 9. 10. & ſeq.) Dei favores omnino gratuiti ſunt, gratia illius nemini debetur, alioquin non gratia [2]. Capharnai, & Canæ ea operatus ſum miracula, quæ apud vos facere operæ pretium non duco. Numquid Elias oleum atque farinam omnium viduarum Iſrael multiplicavit, cum graviſſima, regnante Achab, fames urgeret? Eliſæus ne omnes Syriæ leproſos Naamani tempore curavit? ita neque ego pro omnibus miracula operari teneor. Plures exhibete mihi Naamanos, fide, atque obedientia refertos ; tradite mihi viduas de Sarepta, quæ in humilitate, ac ſpe Domini vivant ; eos præbete mihi, qui miracula eadem mente, eademque fide depoſcant, atque Capharnaitæ ; & videbitis, me apud vos eadem, quæ apud illos, miracula operantem. Denique etiam ubique alibi miracula ederem, quin apud vos ne unum quidem operarer, juſta ne veſtra eſſet querela? nullam ne vobis injuriam facerem? aliquid ne vobis debeo?

℣. 25. ANNIS TRIBUS, ET MENSIBUS SEX.] S. Jacobus in epiſt. c. 5. 17. eundem annorum numerum recenſet, qui tamen non ſatis aperte in 3. Regum 17. 1. & 18. 1. indigitatur : ubi videmus ſolum *tertio anno* famis, vel potius *anno tertio*, ex quo Elias domum viduæ de Sarepta conceſſerat, a Domino juſſum fuiſſe ad Achab ſe ſe conferre, eique nuntiare, Dominum paratum eſſe, ut pluviam ſuper terram demitteret. Sed ante quam apud Sareptæ viduam ſecederet, aliquandiu jam ſecus torrentem Carith ultra Jordanem permanſerat [3] : quem ſi ibi ſex menſibus commoratum fuiſſe ſupponas, jam tres erunt anni cum dimidio, quos & S. Lucas, & Jacobi epiſtola memorant.

℣. 28. REPLETI SUNT IRA.] Nazareni facile intellexerunt, JESUM abſcedere velle, atque ad alios concedere, illis ſua beneficia collaturus, cumque ipſorum incredulitatem, atque nequitiam cum aliorum docilitate comparantem, toto Cœlo hos illis proponere ; ideoque in iram, atque indignationem exarſerunt. Ad hæc JESUS ſe parem ferebat antiquis prophetis Eliſæo, & Eliæ, atque Naamani exemplo ab Eliſæo curati, innuebat ſe paratum eſſe, ut & Gentilibus favores ſuos communicaret : quæ recens adhuc in illum iræ, atque indignationis [4] extitit cauſa.

℣. 30. PER MEDIUM ILLORUM IBAT.] Nazareni exprobrationibus, quibus a JESU CHRISTO corripiebantur, irritati, in illum ſuccenſi ſunt, cumque ſuper montis cacumen, quod urbi proximum erat adduxerunt, ut de jugi illius vertice illum præcipitem darent. Hujuſmodi ſupplicia, quæ ſtatim populi furor inferebat tolerata erant, cum Legis zelum prætexentes ſine ulla juſtitiæ ſpecie hominem aliquem extremo ſupplicio mactabant. Verum JESUS CHRISTUS, qui paſſus fuerat, ut ad montis verticem adduceretur, paſſus non fuit, ut illi improba conſilia ſua exequerentur. Tranquille per medium illorum tranſiit, quin illum comprehendere poſſent, ſeu ſe ſe oculis eorum inviſibilem præbuerit [5], ſeu illos cæcitate percuſſerit, ſeu dumtaxat eorum voluntatem mutaverit [6]. Hoc miraculo omnimodo oſtendit, illos injuria agere ; quandoquidem ita probabat, non adeſſe illis conquerendi cauſam, quod in eorum Civitate miracula nulla operaretur.

℣. 31. DESCENDIT IN CAPHARNAUM.] Galilææ urbem ſitam ad occiduum litus maris Tiberiadis, ubi reliquum vitæ ſuæ ſpatium ſuam ſedem conſtituit, & quo SS. etiam Virgo commoratura migravit. Creditur S. Joſeph jam ad plures abiiſſe, quoniam de eo verba non fiunt amplius, poſt ea, quæ JESU duodecim annos nato acciderunt. Marcionitæ [7] S. Lucæ Evangelium ex hoc loco incipiebant, cum initio capitis tertii ita ſubnectentes : *anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris JESUS deſcendit de Cœlo in Capharnaum Civitatem*.

℣. 32. IN POTESTATE ERAT SERMO IPSIUS.] Summa cum auctoritate, ac majeſtate loquebatur. Doctrinæ ſuæ addebatur vis miraculorum, quibus ea fulciebatur. Vide S. Matthæum 7. 29. *loquebatur tamquam poteſtatem habens*.

℣. 33. ERAT HOMO HABENS DOEMONIUM.] Hic idem eſt, de quo S. Marcus 1. 23.

℣. 38. SOCRUS SIMONIS.] Vide dicta in S. Matthæum 8. 14. & Marcum 1. 30.

℣. 40. CUM SOL OCCIDISSET ;] & requies Sabbathi deſiiſſet : feſtivitas enim initium, & finem ex veſpere ducebat. Omnes Cives, quibus domi erant ægroti, eos ad JESUM attulerunt ad oſtium domus S. Petri, ubi JESUS curavit illos.

℣. 41. QUIA SCIEBANT, IPSUM ESSE CHRISTUM.] Hoc non certa ſcientia tenebant, ſed ambigebant. Vide Marcum 1. 34. [8]. Græcus verti etiam poſſet [9] : *non ſinebat eos dicere, quod ſcirent, ipſum eſſe CHRISTUM*. Sed prior verſio præſtat.

℣. 42. FACTA DIE EGRESSUS EST IN DESERTUM,] quo populus univerſus illum ſubſecutus eſt, cumque retinere volebat, ne ab illis ſecederet. Quonam JESUS CHRISTUS conceſſerit, non ſatis liquet. S. Marcus 1. 35. ait, illum ſummo mane, & antequam dieſceret, egreſſum fuiſſe.

℣. 43. ET ALIIS CIVITATIBUS OPORTET ME EVANGELIZARE,] Non Capharnao tantum. Prius conſilium meum eſt Evangelii prædicatio ; ægrotorum autem curatio nihil aliud eſt, quam aliquod miſſionis meæ additamentum. Hæc meam confirmat doctrinam atque miſſionem probat ; eademque in id unum mihi utendum eſt.

1 Matth. 13. 58. *Non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem eorum*.
2 Rom. 11. 6. *Alioquin gratia jam non eſt gratia*.
3 3. Reg. 17. 3. 4. 5. Vide, ſi places, Brug. Grot. Ligf.
4 Vide Brug. Mald. Grot. Menoch. D. Thom. alios.
5 Mald. Grot. Brug. alii.
6 Ambroſ. Beda hic.
7 Tertull. contra Marcion. lib. 1. cap. 19. et lib. 4. c. 7.
8 Οὐκ εἴα τὰ δαιμόνια λαλεῖν, ὅτι ᾔδεισαν αὐτόν.
9 Luc. hic. Οὐκ εἴα αὐτὰ λαλεῖν, ὅτι ᾔδεισαν τὸν Χριστὸν αὐτὸν εἶναι.

CAPUT V.

JESUS in S. Petri navicula : Jubet retia mitti in mare. Miraculoſus S. Petri piſcatus. Leproſi, & Paralytici curatio. Vocatio Levi. JESUS cum peccatoribus manducat.

1. FActum eſt autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth. 2 Et vidit duas naves ſtantes

ſecus

ſecus ſtagnum : piſcatores autem deſcenderant , & lavabant retia . 3 Aſcendens au-
tem in unam navim , quæ erat Simonis , rogavit eum a terra reducere puſillum . Et
ſedens docebat de navicula turbas . 4 Ut ceſſavit autem loqui , dixit ad Simonem :
Duc in altum , & laxate retia veſtra in capturam . 5 Et reſpondens Simon , dixit il-
li : Præceptor , per totam noctem laborantes nihil cepimus : in verbo autem tuo la-
xabo rete . 6 Et cum hoc feciſſent , concluſerunt piſcium multitudinem copioſam ,
rumpebatur autem rete eorum . 7 Et annuerunt ſociis , qui erant in alia navi , ut
venirent , & adjuvarent eos . Et venerunt , & impleverunt ambas naviculas , ita ut
pene mergerentur . 8 Quod cum videret Simon Petrus , procidit ad genua Jeſu ,
dicens : Exi a me , quia homo peccator ſum , Domine . 9 Stupor enim circumde-
derat eum , & omnes , qui cum illo erant , in captura piſcium , quam ceperant : 10
Similiter autem Jacobum , & Joannem , filios Zebedæi , qui erant ſocii Simonis . Et
ait ad Simonem Jeſus : Noli timere : ex hoc jam homines eris capiens . 11 Et
ſubductis ad terram navibus , relictis omnibus ſecuti ſunt eum . 12 Et factum
eſt , cum eſſet in una civitatum , & ecce vir plenus lepra , & videns Jeſum , &
procidens in faciem , rogavit eum , dicens : Domine , ſi vis , potes me mundare .
13 Et extendens manum , tetigit eum , dicens : Volo : Mundare . Et confeſtim le-
pra diſceſſit ab illo . 14 Et ipſe præcepit illi , ut nemini diceret ; ſed , Vade ,
oſtende te ſacerdoti , & offer pro emundatione tua , ſicut præcepit Moyſes , in te-
ſtimonium illis . 15 Perambulabat autem magis ſermo de illo : & conveniebant tur-
bæ multæ , ut audirent , & curarentur ab infirmitatibus ſuis . 16 Ipſe autem ſe-
cedebat in deſertum , & orabat . 17 Et factum eſt in una dierum , & ipſe ſede-
bat docens . Et erant Phariſæi ſedentes , & legis doctores , qui venerant ex omni
caſtello Galilææ , & Judææ , & Jeruſalem : & virtus Domini erat ad ſanandum eos .
18 Et ecce viri portantes in lecto hominem , qui erat paralyticus , & quærebant
eum inferre , & ponere ante eum . 19 Et non invenientes , qua parte illum in-
ferrent præ turba , aſcenderunt ſupra tectum , & per tegulas ſummiſerunt eum cum
lecto in medium ante Jeſum . 20 Quorum fidem ut vidit , dixit : Homo , remit-
tuntur tibi peccata tua . 21 Et cœperunt cogitare Scribæ , & Phariſæi , dicen-
tes : Quis eſt hic , qui loquitur blaſphemias ? Quis poteſt dimittere peccata , niſi
ſolus Deus ? 22 Ut cognovit autem Jeſus cogitationes eorum , reſpondens , dixit
ad illos : Quid cogitatis in cordibus veſtris ? 23 Quid eſt facilius dicere : Di-
mittuntur tibi peccata ; an dicere ; Surge , & ambula ? 24 Ut autem ſciatis ,
quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata , (ait paralytico)
Tibi dico , ſurge , tolle lectum tuum , & vade in domum tuam . 25 Et confeſtim
conſurgens coram illis , tulit lectum , in quo jacebat , & abiit in domum ſuam ,
magnificans Deum . 26 Et ſtupor apprehendit omnes , & magnificabant Deum . Et
repleti ſunt timore , dicentes : Quia vidimus mirabilia hodie . 27 Et poſt hæc e-
xiit , & vidit publicanum nomine Levi , ſedentem ad Telonium , & ait illi : Seque-
re me . 28 Et relictis omnibus , ſurgens , ſecutus eſt eum . 29 Et fecit ei convi-
vium magnum Levi in domo ſua , & erat turba multa publicanorum , & aliorum , qui
cum illis erant diſcumbentes . 30 Et murmurabant Phariſæi , & Scribæ eorum , di-
centes ad diſcipulos ejus : Quare cum publicanis , & peccatoribus manducatis , & bi-
bitis ? 31 Et reſpondens Jeſus , dixit ad illos : Non egent , qui ſani ſunt , medico ,
ſed qui male habent . 32 Non veni vocare juſtos , ſed peccatores ad pœnitentiam .
33 At illi dixerunt ad eum : Quare diſcipuli Joannis jejunant frequenter , & obſecra-
tiones faciunt , ſimiliter & Phariſæorum ; tui autem edunt , & bibunt ? 34 Quibus
ipſe ait ; Numquid poteſtis filios ſponſi , dum cum illis eſt ſponſus , facere jejunare ?
35 Venient autem dies , cum ablatus fuerit ab illis ſponſus , tunc jejunabunt in illis
diebus . 36 Dicebant autem & ſimilitudinem ad illos : Quia nemo commiſſuram a no-
vo veſtimento immittit in veſtimentum vetus ; alioquin & novum rumpit , & veteri
non convenit commiſſura a novo . 37 Et nemo mittit vinum novum in utres veteres :
alioquin rumpet vinum novum utres , & ipſum effundetur , & utres peribunt . 38
Sed vinum novum in utres novos mittendum eſt , & utraque conſervantur . 39 Et
nemo bibens vetus , ſtatim vult novum , dicit enim : Vetus melius eſt .

CUM

℣. 1. CUM TURBA IRRUERENT IN EUM.] Ubi A JESUS Galilæam luſtraſſet, quemadmodum ſub præcedentis capitis finem S. Lucas oſtendit, & fuſius docuit S. Matthæus cap. 4. verſ. 23. 24. rediit ad lacum Genezareth, ſecus quem urbs erat Capharnaum. Ea fortaſſe, quæ iſthic leguntur, prope hanc urbem contigerunt, ubi Simon Petrus, ut plurimum, commorabatur [1]. Cum ergo in maris hujus littore verſaretur, atque urgeretur multitudine, quæ ad illum audiendum undequaque confluebat, et ipſum miracula operantem videret, phaſellum ingreſſus eſt S. Petri, quem paulo ante [2] ad ſui ſequelam evocaverat, ſed qui nondum penitus priorem artem abdicaverat; atque inde incœpit turbas erudire. Hiſtoria, quæ hoc in loco narratur, alia eſt ab illa, quæ legitur apud Sanctos Matthæum 4. 18., & Mar- B cum 1. 16. Variant circumſtantiæ; hæc poſtrema eſt S. Petri vocatio, altera illa prior fuerat, non enim vocationem proprie dictam cenſeo, quæ in S. Johanne refertur 1. 42. ubi S. Andreas fratrem ſuum Simonem ad Jeſum Chriſtum adducit.

℣. 5. PRÆCEPTOR, PER TOTAM NOCTEM LABORANTES &c.] Nox piſcationi aptiſſimum tempus eſt. Petrus, cum tota nocte nihil cepiſſet, recedere meditabatur, poſtquam retia abluiſſet: attamen Jeſu Chriſto loquente, fiducia repletur, rurſus jacit rete ſuum, atque abſolutiſſimam refert prædam. Jeſus Chriſtus illum hoc intelligere cupiebat, ſine ipſo nihil fieri poſſe. Deceſſus hiſtoriæ S. Petri ſatis oſtendet, illum hoc documento indiguiſſe, atque maximum illius morbum fuiſſe, nimiam in propriis viribus confidentiam. C

℣. 7. ANNUERUNT.] Fortaſſe, quod nimis abeſſent, ita ut commode audiri non poſſent, vel quod multitudinis rumor, quæ ad littus confluxerat, voces eorum ſuperabat: etenim & ℣. 4. videtur S. Petrus in altum duxiſſe, et retia mitteret: *duc in altum, & laxate retia veſtra*; altera vero navicula prope littus erat.

℣. 8. EXI A ME, DOMINE, QUIA HOMO PECCATOR SUM.] Petrus ſtupore ſimul, atque terrore correptus, dum miraculum hoc intueretur, ſe indignum cenſet, cui JESUS CHRISTUS accedat. Seſe projicit ad pedes illius, eique dicit: recede a me, Domine; non enim dignus ſum, ut in litore meo permaneas: *admirabatur bona divina, & quo plus merueras, hoc præſumebat minus*, S. Ambroſius inquit [3]; ita & Centurio dicebat D Matth. 8. 9. *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus*. Hac affecti humilitate, ad Deum in corporis ipſius Sacramento debemus accedere. Euthymius, & Grotius putant, piæ timore, & reſpectu Petrum dicere JESU CHRISTO, ut recedat, veritum, ne a Deo propter indignitatem percuteretur; quemadmodum Sareptæ vidua conquerebatur, quod vir Dei *ingreſſus eſſet ad illam, ut rememorarentur iniquitates ejus* 3. Reg. 17. 18. In Veteri Teſtamento vidimus, quantopere Angelorum apparitiones meruerentur. Poſt hoc prodigium non amplius dubitavit Petrus, utrum Jeſus aliquid ſuper hominem eſſet.

℣. 10. EX HOC JAM ERIS HOMINES CAPIENS.] Græcus notandum ſenſum affert [4]: non ait, S. Petrum aut venatu, aut piſcatu homines capturum, quemadmodum feræ, piſceſque capiuntur, ut occidantur, E & comedantur; ſignificat enim *ex hoc homines viventes capies*, non ſecus ac belli captivi fiunt, ut illis vita ſervetur; vel quemadmodum bruta, piſceſque capiuntur, ut in vivariis, vel ferreis clathris reſerventur. Eris hominum piſcator, ſed illos viventes ſervabis, educes eos de erroris, tenebrarum, ac mortis ſqualore, ut ad veritatem, lumen, ac vitam deducas.

℣. 11. RELICTIS OMNIBUS SECUTI SUNT EUM.] Haſtenus licet eos evocaſſet Jeſus ad ſui ſequelam; A tamen nondum penitus ab arte illa, quam profitebantur, receſſerant; neque Magiſtro ſuo indeſinenter adhæſerant: immo neque videntur illum ſecuti fuiſſe in priori miſſione, quam in Galilæam ſuſcepit, de qua ſub præcedentis capitis finem ſermo fuit. Nunc vero omnia reliquerunt, eumque ſectati ſunt, quin ultra ad piſcatum, familiamque ſuam reverterentur.

℣. 12. CUM ESSET IN UNA CIVITATUM.] Leproſus quidam ad illum acceſſit, petens, ut curaretur: Quænam hæc fuerit Civitas, non ſatis liquet. S. Matthæus 8. 1. explicite ait, paralytici curationem, quæ in hoc eodem capite verſ. 18. narratur, Capharnai accidiſſe: at S. Lucas innuere videtur, leproſum alia in Civitate fuiſſe curatum. Cum dicitur autem Capharnai fuiſſe, hoc intelligendum de agro, vel ſuburbiis B Capharnai: lepra enim infectis nefas erat in urbe, atque in hominum bene valentium conſuetudine verſari.

℣. 14. OSTENDE TE SACERDOTI.] Præceperat Moyſes Lev. 14. 2. ut leproſus, ubi mundatus fuiſſet, Sacerdoti ſe ſe offerret, cui extra Caſtra Sacerdos occurrebat, ac diligentius inquirebat, utrum vere mundatus eſſet. Tunc leproſus duas vivores, puraſque & ex quibus comedi poſſet, volucres offerebat, quarum altera ſuper fictile vas aqua plenum immolabatur; altera vero, quæ adhuc vivebat, in aquam ſanguine mixtam immergebatur, atque deinde avolare ſinebatur. Aqua eadem, & ſanguine leproſus ſeptie adſpergebatur, qui deinde urbem ingredi poterat, qui n tamen nonniſi poſt ſeptimum diem domum ſuam poſſet adire. Incipiebat ergo omnes corporis pilos abradere, C quod ipſum poſt ſeptem dies iterabat, totum corpus ſuum, ac veſtimenta aquis abluens. Denique Sacerdoti ad tabernaculi portam ſe ſe offerebat cum agnis duobus, & ove una, ac tribus farinæ menſuris, oleo commixtæ; atque inſuper una olei menſura ſeorſim. Hæc omnia Domino offerebantur; agnorum alter in ſacrificium pro peccato immolabatur; alter in holocauſtum adducebatur. Sacerdos vero cum victimæ ſanguine, & oleo quod oblatum fuerat, leproſo extremas partes dexteræ auriculæ, dexterique pollicis, ac dexteri pedis tangebat. Deinde vero hic in cæterorum hominum conſuetudine, ut olim, cenſebatur admiſſus.

Ita JESUS CHRISTUS leproſo a ſe mundato præcepit: primum, ut ſe offerret Sacerdoti, a quo mundatus, curatuſque renunciaretur: 2. ſacrificia, præſcri- D ptaſque oblationes afferret: tertio, ut hoc faceret *in teſtimonium illis* [5]; ut hoc pacto teſteris, & me legi penitus adhærere, & te omnino mundatum eſſe; ideoque ſentiant miraculi, quod operatus ſum, veritatem. Jeſus enim Phariſæorum, atque Sacerdotum calumnias in ſe aliquando excogitandas prænoſcebat.

℣. 19. ASCENDERUNT SUPER TECTUM, ET PER TEGULAS SUMMISERUNT.] Non ſemel jam docuimus, plana eſſe Palæſtinæ tecta. Tegulæ, de quibus hic ſermo, nequaquam ſunt tecta tegulis cooperta, qualia in noſtratibus ædibus ſiunt; ſed pavimentum eſt latericium domum cooperiens. Medius in hoc ſolario hiatus patet, qui oſtiolo tegitur, quod aperitur, ut in inferiorem aulam lux, & aer admittantur. Hac paralyticum demiſerunt, ſed debuerunt fortaſſe regulas, vel E lateres aliquot convellere, ut æger una cum lectulo demitteretur, quod S. Lucas innuit dicens: *per tegulas ſummiſerunt eum*. Vide S. Marcum 2. verſ. 4. 5.

℣. 20. REMITTUNTUR TIBI PECCATA TUA.] Supponere videtur, hanc ægritudinem peccati effectum fuiſſe. Conſule, ſi libet, Commentarium noſtrum in S. Matt. 9. 2. &c.

℣. 27. VIDIT PUBLICANUM NOMINE LEVI.] Vidimus, in præfatione in S. Matthæum, Interpretum quorumdam ſententiam, qui putant, Levi, & S. Matthæum, duos eſſe viros. Hanc convellere adniſi ſumus, atque nobis perſuaſum eſt, Matthæum eumdem eſſe

ac

1 Confer Matth. 9. 1. Marc. 2. 1. et Luc. 5. 8. . . . . 17.
2 Joan. 1. 40. 2. 2. Matth. 4. 18. Marc. 1. 16. 29. Luc. 4. 38.
3 Ambroſ. Euthym. alii.
4 Ἀπὸ τοῦ νῦν ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν. Vide Grot. Heinſ. Ludov. de Dieu, Brug.
5 Plures Codd. MSS legunt: *in teſtimonium vobis*, ἵνα ᾖ μαρτύριον τοῦτο ὑμῖν. Ita etiam legebat Marcion apud S. Epiphan. et Tertull.

ac Levi. Novum; & inauditum eo in regione non erat, ut aliquis duplici nomine appellaretur. Pleriqne præter Hebraicum habebant etiam Græcum nomen, vel Romanum, quo apud Græcos, ac Romanos præſertim agnoſcebantur.

ꝟ. 30. SCRIBÆ EORUM.] Doctores populi, qui adfuerunt in cœtu, cum Jeſus vocavit Levi, & domum illius ingreſſus eſt, ibi pranſurus.

QUARE CUM PUBLICANIS, & PECCATORIBUS MANDUCATIS?] Phariſæi, & illi ex Judæis, qui accuratius ſe Legi adhærere gloriabantur, majoremque munditiam jactitabant, nunquam convescebantur cum illis, qui invisum, turpemve aliquem artem profitebantur. Vide notata in S. Matthæum 9. 11. & Marcum 11. 16.

ꝟ. 34. NUMQUID POTESTIS FILIOS SPONSI &c.] B Græcus [1] ad litteram, *filios cubiculi*, vel *thalami*. Ferunt, adoleſcentes quoſdam comites addi ſponſo in nuptiarum celebritate, hunc ab illis in nuptiale cubiculum adduci, eoſque cubiculi ejuſdem portas cuſtodire conſueviſſe, ac mox introire, ut ſigna virginitatis recognoſcerent, de quibus in Deuteronomio ſermo eſt [2]. Hujuſmodi adoleſcentes nihil magis dedecebat, quam jejunium, præſertim vero tempore nuptiarum.

ꝟ. 35. TUNC JEJUNABUNT.] Apoſtoli poſt Salvatoris mortem, atque Reſurrectionem, plurimas ærumnas, perſecutiones, & mala pati debuerunt. Dum il- C le viveret, nullis eos obſtrinxit ſupererogationis jejuniis; ſatiſque illi fuit, ſi obſervarent ea, quæ omni populo erant communia. Poſt mortem etiam non ſatis liquet, diſcipulos plurimorum jejuniorum, atque auſteritatum vinculis fuiſſe irretitos. Sed vita eorum longe erat jeju- A nium, ac perennis privatio omnium commodorum [3]; & ex ipſis primis Eccleſiæ ſæculis, magne ſcimus in Eccleſia inſtituta fuiſſe jejunia, quæ deinceps quovis tempore perfectiores in Chriſtiana Religione viri exercuerunt.

ꝟ. 36. NEMO COMMISSURAM.] Hæc ſimilitudo, ac illa recentis vini in utres veteres infuſi, quam ſequenti verſiculo legimus, oſtendunt, Jeſu Chriſti Diſcipulos nondum ſatis fortes, atque conſtantes fuiſſe, ut omnem doctrinæ illius perfectionem ferrent, exercerentque. Illos inſtaurare debebat, & confirmare Spiritu Sancto, Pentecoſtes die, atque ita pares efficere, ut pro gloria ipſius quidlibet auderent, & conarentur. Videtur etiam ille oſtendere voluiſſe ſimul eſſe non poſſe legem veterem cum recenti: hæc recens eſt vi- B num, illa vetus.

ꝟ. 39. NEMO BIBENS VETUS STATIM VULT NOVUM.] Perſpicua eſt hæc parabola. Vinum vetus, generatim loquendo, melius eſt novo. Lenius eſt, jucundius, minus acre, minus fumoſum; neque adeo facile veteri novum poſthabueris. Guſtus recentis acrimonia læditur, ubi veteris ſuavitate conſueverit. His verbis innuere vult Jeſus, diſcipulos cum primum communi, & populari vitæ aſſuevillent, repente non poſſe tranſire ad auſteritates, & jejunia, quæ Phariſæi obſervabant, & quibus illi jampridem aſſueverant [4]. C Credunt alii [5], JESUM CHRISTUM Phariſæis innuere velle, quod ſuperſtitioſius Judaicis ritibus inhærentes repente minime poterent Novi Teſtamenti præcepta guſtare; ſed opus eſſe, ut ſenſim Judaicæ Religionis affectum exuerent, ut mox iis ſe pares præberent præceptis, quibus Diſcipulos ſuos imbuebat.

---

1 Μὴ δύνασθε τοὺς υἱοὺς τοῦ νυμφῶνος, ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μετ' αὐτῶν ἐστι ποιῆσαι νηστεύειν, Ita & Matt. 9. 15. Marc. 2. 19.
2 Vide Deut. 22. 17. Pollux apud Grot. in Matth. 9. 15.
3 Vide 2. Cor. 6. 5. Act. 13. 2. 3.
4 Ita Gro. Brug. hic. Theophilact. Euthym. Maldonat. ad Matt. 9. 16. & Chryſoſtom. hic in Catena.
5 Vide Tertull. lib. 3. & 4. contra Marcion.

C A P U T VI.

JESUS excuſat Diſcipulos ſuos colligentes ſpicas Sabbatho. Aridam manum curat. Apoſtolos eligit. Sermo illius ad radices montis habitus, in quo Legis novæ jacit fundamenta.

1. FActum eſt autem in ſabbatho ſecundo primo, cum tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli ejus ſpicas, & manducabant confricantes manibus. 2 Quidam autem Phariſæorum dicebant illis: Quid facitis, quod non licet in
ſabbathis? 3 Et reſpondens Jeſus ad eos, dixit: Nec hoc legiſtis, quod fecit
David, cum eſuriſſet ipſe, & qui cum illo erant: 4 Quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis ſumpſit, & manducavit, & dedit his, qui cum
ipſo erant: quos non licet manducare, niſi tantum ſacerdotibus? 5 Et dicebat
illis: Quia Dominus eſt Filius hominis, etiam ſabbathi. 6 Factum eſt autem &
in alio ſabbatho, ut intraret in ſynagogam, & doceret: Et erat ibi homo, &
manus ejus dextera erat arida. 7 Obſervabant autem Scribæ, & Phariſæi, ſi in
ſabbatho curaret: ut invenirent, unde accuſarent eum. 8 Ipſe vero ſciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & ſta in medium. Et ſurgens ſtetit. 9 Ait autem ad illos Jeſus: Interrogo vos, ſi licet ſabbathis benefacere, an male; animam ſalvam facere, an perdere? 10 Et circumſpectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt
manus ejus. 11 Ipſi autem repleti ſunt inſipientia, & colloquebantur ad invicem,
quidnam facerent Jeſu. 12 Factum eſt autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. 13 Et cum dies factus eſſet, vocavit
diſcipulos ſuos: & elegit duodecim ex ipſis (quos & Apoſtolos nominavit:) 14

 Simonem,

Simonem , quem cognominavit Petrum , & Andream fratrem ejus ; Jacobum , &
Johannem , Philippum , & Bartholomæum , 15 Matthæum , & Thomam , Jaco-
bum Alphæi , & Simonem , qui vocatur Zelotes , 16 & Judam Jacobi , & Ju-
dam Iſcariotem , qui fuit proditor . 17 Et deſcendens cum illis , ſtetit in loco
campeſtri , & turba diſcipulorum ejus , & multitudo copioſa plebis ab omni Ju-
dæa , & Jeruſalem , & maritima , & Tyri , & Sidonis , 18 Qui venerant , ut au-
dirent eum , & ſanarentur a languoribus ſuis . Et qui vexabantur a ſpiritibus im-
mundis , curabantur . 19 Et omnis turba quærebat eum tangere : quia virtus de
illo exibat , & ſanabat omnes . 20 Et ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos , di-
cebat : Beati pauperes , quia veſtrum eſt regnum Dei , 21 Beati , qui nunc eſuri-
tis , quia ſaturabimini . Beati , qui nunc fletis , quia ridebitis . 22 Beati eritis ,
cum vos oderint homines , & cum ſeparaverint vos , & exprobraverint , & ejece-
rint nomen veſtrum tamquam malum , propter Filium hominis . 23 Gaudete in il-
la die , & exultate : ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo : ſecundum hæc e-
nim faciebant Prophetis patres eorum , 24 Verumtamen væ vobis divitibus , quia
habetis conſolationem veſtram . 25 Væ vobis , qui ſaturati eſtis : quia eſurietis .
Væ vobis , qui ridetis nunc , quia lugebitis , & flebitis . 26 Væ cum benedi-
xerint vobis homines : ſecundum hæc enim faciebant pſeudoprophetis patres eorum .
27 Sed vobis dico , qui auditis : Diligite inimicos veſtros , benefacite his , qui
oderunt vos . 28 Benedicite maledicentibus vobis , & orate pro calumnianti-
bus vos . 29 Et qui te percutit in maxillam , præbe & alteram . Et ab eo , qui
aufert tibi veſtimentum , etiam tunicam noli prohibere . 30 Omni autem petenti
te , tribue : & qui aufert , quæ tua ſunt , ne repetas . 31 Et prout vultis , ut
faciant vobis homines , & vos facite illis ſimiliter . 32 Et ſi diligitis eos , qui
vos diligunt , quæ vobis eſt gratia ? nam & peccatores diligentes ſe diligunt . 33
Et ſi bene feceritis his , qui vobis benefaciunt , quæ vobis eſt gratia ? ſiquidem
& peccatores hoc faciunt . 34 Et ſi mutuum dederitis his , a quibus ſperatis re-
cipere ; quæ gratia eſt vobis ? nam , & peccatores peccatoribus fœnerantur , ut re-
cipiant æqualia . 35 Verumtamen , diligite inimicos veſtros : benefacite , & mu-
tuum date , nihil inde ſperantes , & erit merces veſtra multa , & eritis filii Altiſ-
ſimi , quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos , & malos . 36 Eſtote ergo miſeri-
cordes , ſicut & Pater veſter miſericors eſt . 37 Nolite judicare , & non judicabi-
mini : nolite condemnare , & non condemnabimini . Dimittite , & dimittemini . 38
Date , & dabitur vobis : menſuram bonam , & confertam , & coagitatam , & ſuper-
effluentem dabunt in ſinum veſtrum . Eadem quippe menſura , qua menſi fueritis ,
remetietur vobis . 39 Dicebat autem illis & ſimilitudinem . Numquid poteſt cœ-
cus cœcum ducere ? nonne ambo in foveam cadunt ? 40 Non eſt diſcipulus ſuper
magiſtrum : perfectus autem omnis erit , ſi ſit ſicut magiſter ejus . 41 Quid au-
tem vides feſtucam in oculo fratris tui , trabem autem , quæ in oculo tuo eſt , non
conſideras ? 42 Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater , ſine ejiciam feſtu-
cam de oculo tuo : ipſe in oculo tuo trabem non videns ? Hipocryta , ejice pri-
mum trabem de oculo tuo : & tunc perſpicies , ut educas feſtucam de oculo fra-
tris tui . 43 Non eſt enim arbor bona , quæ facit fructus malos : neque arbor
mala , faciens fructum bonum . 44 Unaquæque enim arbor de fructu ſuo cogno-
ſcitur . Neque enim de ſpinis colligunt ficus : neque de rubo vindemiant uvam . 45
Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum : & malus homo de ma-
lo theſauro profert malum . Ex abundantia enim cordis os loquitur . 46 Quid au-
tem vocatis me , Domine , Domine : & non facitis , quæ dico ? 47 Omnis , qui
venit ad me , & audit ſermones meos , & facit eos : oſtendam vobis , cui ſimilis
ſit : 48 Similis eſt homini ædificanti domum , qui fodit altum , & poſuit funda-
mentum ſuper petram , inundatione autem facta , illiſum eſt flumen domui illi , &
non potuit eam movere: fundata enim erat ſuper petram . 49 Qui autem audit , &
non facit : ſimilis eſt homini ædificanti domum ſuam ſuper terram ſine fundamen-
to : in quam illiſus eſt fluvius , & continuo cecidit , & facta eſt ruina domus il-
lius magna .

FACTUM

℣. 1. FACTUM EST IN SABBATHO SECUNDO-PRIMO.] *Sabbathum* hoc *ſecundo-primum* Interpretes exercuit, exercebitque. Crediderunt quidam [1], ſignificari ſecundum Azymorum diem; alii [2] poſtremum diem Azymorum, vel 21. Niſan, quæ ſolemnis erat dies ſecundum Legem Levit. 23. 7. non ſecus ac dies quintadecima menſis ejuſdem, quod erat Sabbathum primum; cum dies 21. eſſet ſecundum. Putarunt alii [3], hunc fuiſſe Pentecoſtes diem. Paſcha erat Sabbathum primum; Pentecoſtes ſecundum, & feſtivitas Tabernaculorum tertium. D. Le Moine ait, Judæis duo *magna* fuiſſe Sabbatha, primum initio anni Civilis menſe Tiſri, alterum initio anni Sancti menſe Niſan. Illud vocabatur *primum Sabbathum magnum*, hoc *ſecundum Sabbathum magnum*. A

Joſeph Scaliger [4] oſtendit, Sabbatha a Paſchate ad Pentecoſtes e ſecunda Azymorum die numerari conſueviſſe, itaut primum Sabbathum diceretur, *primum poſt ſecundum Azymorum diem*, vel *ſecundo-primum*, de quo hic agitur: ſequens appellaretur ſecundum poſt ſecundum Azymorum diem, hoc eſt *ſecundo-ſecundum*. Tertium deinde, *tertio-ſecundum*, vel *ſecundo-tertium*; quartum, *ſecundo-quartum*, & ſic de cæteris, uſque ad ſeptimum, quod ante Pentecoſtes diem accidebat, quæ feſtivitas quinquaginta dies poſt alteram hanc diem Azymorum celebrabatur. B

Dominus Toynard in Harm. p. 27. oſtendit ex Judæorum libris [5], Sabbathum ante Paſcha a Judæis vocatum fuiſſe *magnum Sabbathum*; eo quod hac die Hebræi ſumebant agnum [6], quem deſtinabant poſt quinque dies immolandum, videlicet 14. veſpere, & comedendum die 15. nocte Paſchatis, vel tranſitus Domini. Sabbathum, quod ſubſequebatur primum illud, vocabatur *ſecundo-primum*, vel ſecundum, quod ſequebatur primum; primum videlicet, quod poſt Sabbathum magnum accideret. Sententia hæc non abhorret a nuper allata Joſephi Scaligeri, licet alii fundamento innitatur. Ita Toynard reddit tandem ad Scaligeri ſententiam, atque rationes, quæ ſane omnium probatiſſima mihi videntur, & juxta illas omnia facillime explicantur. Hordeacea meſſis jam incœperat: Triticum jam maturuerat. Diſcipuli poterant ſpicas aliquot convellere, eaſque manibus terere, ut grana comederent. C

Cloppenburgius in Ep. ad Lod. Capell. credit, *Sabbathum primo-ſecundum* fuiſſe menſe Niſan; ſed tunc temporis hordeacea meſſis nondum ad maturitatem pervenerat, & primitiæ nondum Domino fuerant oblatæ. Scribæ, qui Apoſtolos corripiebant, eo quod Sabbathi religionem perfregiſſent, illos ſane etiam ſacrilegii nomine inſimulaſſent, eo quod meſſes, quæ nondum per oblationem homer Domino fuerant ſanctificatæ, attigiſſent, Levit. 23. 14. D

Tria apud Judæos magna Sabbatha deprehendit Grotius [7], primum illud, quod immediate feſtivitatem Paſchatis præcedebat, alterum Pentecoſtem, ac tertium ſolemnitatem Tabernaculorum. Sabbathum Paſchatis ſimpliciter primum, vel *primo-primum* dicebant; illud Pentecoſtes *ſecundo-primum*, vel ſecundum inter primos, & illud Tabernaculorum *tertium-primorum*. De poſtremo hoc verba facit Joſephus de Bello l. 2. c. 37. tamquam de Sabbatho in paucis ſolemni. Sed hoc Grotii conjecturam non probat. E

Ludovicus de Dieu putat, Sabbathum ſecundo primum illud eſſe, quod in Paſchatis octiduo occurrit. Primum Sabbathum eſt quintadecima dies Niſan; ſecundo primum eſt Sabbathum, quod in octava contingit, & Sabbathum tertium dies ſeptima, vel octava feſtivitatis. Liquet, *Sabbathi* nomine omnes Judæorum feſtos dies appellari. Dominus Petit var. Lect. 29. in hanc ſententiam, quam mordicus tenet, perducere conatur S. Epiphanium, qui ſatis obſcure hac in re loquitur, & qui innuere potius videtur, Sabbathum ſecundo primum fuiſſe poſtremum diem Paſchatis, vel primam ſupra vigeſimam menſis Niſan.

Recentior quidam Criticus autumat, Sabbathum ſecundo primum eſſe primum Sabbathum menſis Adar, qui eo anno intercalabatur, perinde ac diceretur, *Sabbathum primum ſecundi Adar*: ita enim appellabatur menſis hic intercalaris; alter quippe erat menſis nominis ejuſdem, qui primus Adar dicebatur. Verum quiſnam omnes attulerit conjecturas, quæ huc in locum excogitatæ fuerunt? Docet S. Hieronymus [8] per loci hujus occaſionem ſibi a S. Gregorio Nazianzeno argute quoddam dictum redditum fuiſſe, quod ſæpius repetitum fuit. Poſcenti enim Hieronymo, ut ſibi explicaretur, quid ſibi vellet hoc Sabbathum ſecundo primum: *docebo te*, inquit illi S. Gregorius, *ſuper hac re in Eccleſia, in qua mihi omni populo acclamante cogeris invitus ſcire, quod neſcis, aut certe, ſi ſolus tacueris, ſolus ab omnibus ſtultitiæ condemnaberis*.

℣. 2. QUID FACITIS, QUOD NON LICET SABBATHIS?] Minime licebat ſpicas convellere Sabbatho, ea quippe meſſis ſpecies erat; neque eas manibus terere, laboris enim erat genus. Vide a nobis dicta in S. Matth. c. 12. ℣. 1. &c.

℣. 4. INTRAVIT IN DOMUM DEI.] In Tabernaculum, quod tunc erat in Nobe; erat hoc quoddam veluti tentorium, ſuperius quidem pellibus, inferius vero pretioſis periſtromatis tectum, atque tabulis e lignis Sethim ſuffultum. Circum tentorium hoc magnus patebat ambitus, ipſe quoque velaminibus circumſeptus, quæ per intervalla diſpoſitis ſubinde columnis ſuſtinebantur.

PANES PROPOSITIONIS SUMPSIT.] Qualibet die Sabbathi offerebantur duodecim panes in aurea menſa, quæ poſita erat in Sancto [9], eodemque tempore auferebantur inde duodecim illi, qui ſuperiori Sabbatho fuerant oblati. Hi panes dicebantur *panes propoſitionis*, Hebraice *panes faciei*, eo quod coram Domino, & in menſa apponebantur. Sacri erant, ac a Sacerdotibus tantum comedendi [10], licet David a Summo Sacerdote illos dono acceperit, qui præcedenti Sabbatho ex aurea menſa ſublati fuerant: neque ille cum militibus ſuis neceſſitatis caſu urgente eoſdem comedere abnuerit 1. Reg. 21. 5.

℣. 5. DOMINUS EST FILIUS HOMINIS, ETIAM SABBATHI.] Diſpenſare poteſt, quoſcumque vult a Sabbathi obſervantia. Vide S. Matthæum 12. 18. Veteres quidam MSS. hæc addunt verba [11]: *In illa die, cum vidiſſet Jeſus hominem Sabbatho laborantem, dixit illi: amice, ſi ſcis, quod facis, beatus es: ſi neſcis, maledictus es, ac legem tranſgrederis*. Quæ verba a Marcionitis addita fuiſſe, Grotius ſuſpicatur: ſed Dominus Millius credere mavult illa ex Nazaræis, & Hebræorum Evangelio profecta, hominem, & illum, quocum locutus eſt Jeſus, adlaboraſſe, ut jumentum erueret, quod in ſcrobem ceciderat. Dixit ergo illi: ſi credis, licere tibi id facere, quod facis, merito facis; tu enim vera legis mens hujuſmodi facta non damnat: verum ſi id tibi nefas eſſe putas, & facis, maledictus

1 Iſidor. Peluſ. lib. 3. epiſt. 110. Euthym. apud D. Thom.
2 Epiphan. hæreſ. 51. num. 31. quem eſt ſlogurum. Oſiand. in not. ad Harmon. Evang. Vatabl. Piſc. Druſ. Bez.
3 Maldonat. Ita & Mercator. 4 Joſephus Scalig. lib. 6. de Emend. tempor. Caſaub. Exercit. 13. in Bar. Ligfoot in Luc. le Clerc. hic. 5 Arbah. Turim. cum. Orach. Chaim. p. 2. 295.
6 Exod. 12. 3. 7 Grot. hic. Ita & Hamm.
8 Hieronym. nov. edit. epiſt. 34. ad Nepotian. de vita Clericorum. *Docebo te, inquit, ſuper hac re in Eccleſia, in qua mihi omni populo acclamante, cogeris invitus ſcire, quod neſcis, aut certe ſi ſolus tacueris, ſolus ab omnibus ſtultitiæ condemnaberis*. 9 Exod. 25. 30. Levit. 24. 5.
10 Exod. 25. 30. 29. 33. Levit. 8. 31. 24. 0. 9. 11 Cantabr. G. L. Steph. & duo Codd. Mſſ. Junii, Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ θεασάμενός τινα ἐργαζόμενον τῷ Σαββάτῳ, εἶπεν αὐτῷ, ἄνθρωπε, εἰ μὲν οἶδας τί ποιεῖς, μακάριος εἶ. Εἰ δὲ μὴ οἶδας, ἐπικατάρατος καὶ παραβάτης εἶ τοῦ νόμου.

ctus es, & Sabbathi requiem infringis.

℣. 6. MANUS EJUS DEXTRA ERAT ARIDA.] Vide S. Matt. 12. 10.

℣. 9. SI LICET SABBATHIS BENEFACERE, AN MALE?] Vetant Judæi, ne die Sabbathi vulneri medeantur, ni æger alioquin mortis periculum ſubiturus ſit [1]. Hoc vero Salvator non malum putat, ſed licitum eſſe, & tamquam laude dignum commendat. Vide Matthæum 12. 10.

℣. 12. ERAT PERNOCTANS IN ORATIONE DEI.] Noctem tranſegit, ferventiſſimam orationem effundens. *Oratio Dei*, ſignificare poteſt orationem promiſſam, vividam, ardentem. Sunt [2], qui vertunt [3]: *tranſegit noctem in Synagoga Dei*; in loco orationis, qui Domino dicatus erat. Sed ex S. Marco [4] liquet, Jeſum Chriſtum traduxiſſe mare Genezareth, atque in deſertum montem conceſſiſſe.

℣. 13. QUOS ET APOSTOLOS NOMINAVIT.] Judæi *Apoſtolos*, vel Legatos dicebant eos, qui deſtinati erant, ut reciperent aurum, quod pro Templo erogabatur, vel quod Patriarchiæ tribuebatur. Vel denique eos, qui ad decumas exigendas [5], vel alia qualibet urgenti de cauſa mittebantur; veluti cum S. Paulus Damaſcum miſſus fuit, ut diſcipulos Jeſu Chriſti conquireret. Hujus viæ viri nequaquam ſine epiſtolis, quas *credentiales* vocant, iter ſuſcipiebant, ut oſtendere poſſent, ſe vere a Synagogæ Principibus miſſos fuiſſe [6]. Jeſu Chriſti Apoſtoli alterius generis Legati erant. Salvator Joan. 20. 21. profitetur, ſe illos mittere, quemadmodum ipſe a Patre ſuo miſſus fuerat; & Matt. 10. 14. ait, ſe recipi ab illis, qui receperint Apoſtolos ſuos, quibus confert poteſtatem remittendi, ac retinendi peccata, ligandi, atque ſolvendi [7], curandi morbos, prædicandi, in nomine ſuo baptizandi [8], ad peccatorum veniam obtinendam. Denique illos Vicarios ſuos, ſuarum voluntatum miniſtros, ſuæque auctoritatis ſequeſtres conſtituit, eiſque pollicetur, futurum, ut cum ipſe univerſum terrarum orbem judicaverit, pro tribunali ſedeant, duodecim tribus Iſrael judicaturi Matt. 19. 28.

℣. 15. JACOBUM ALPHÆI,] Qui *Minor* vocatur, primus Jeroſolymæ Epiſcopus, & auctor Canonicæ Epiſtolæ, quæ S. Jacobi nomine extat. Vide Matt. 10. 3.

SIMONEM, QUI VOCATUR ZELOTES.] S. Matthæus 10. 4. hunc *Chananæum* vocat: ſed *Kanani* Hebraice, & Chananæum, & Zelotem, ſignificare poteſt, & S. Lucas nos compellit, ut in poſteriorem hunc ſenſum nomen illud intelligamus.

℣. 17. DESCENDENS CUM ILLIS, STETIT IN LOCO CAMPESTRI.] Reor, hanc eamdem eſſe hiſtoriam, eumdemque ſermonem, quem in caput 5. S. Matthæi explicuimus; ideoque ſtrictius illum iſthic perſequemur. Deſcendit igitur Jeſus de Monte, ubi noctem traduxerat, cumque ad ejuſdem radices perveniſſet, ſedit in tumulo, unde facile a multitudine, qua ſtipatus erat, & videri poſſet, & audiri. Tunc illis doctrinam ſuam expoſuit, novæque legis jecit fundamenta.

℣. 19. VIRTUS DE ILLO EXIBAT.] Vide notata in S. Matthæum 9. 21. Vide etiam ſupra 5. 17. & infra 8. 46. Loquitur S. Lucas de virtute miraculorum patrandorum, quæ erat in Jeſu, veluti de ſubſtantia quadam, quæ ex corpore illius emanabat, & quemcumque attigiſſet, curabat. Omnia in Salvatore ſalus erant, & vita, illius veſtes, attactus, intuitus &c.

℣. 20. BEATI PAUPERES SPIRITU &c.] S. Matthæus octo recenſet beatitudines, S. Lucas vero quatuor dumtaxat. Matthæus quidem majorem in lucem Salvatoris mentem adduxit, Lucæ autem ſatis fuit, illius compendium, & ſuccum quodammodo afferre. S. Lucas ergo ex S. Matthæo explicandus eſt.

A ℣. 22. BEATI ERITIS, CUM SEPARAVERINT VOS.] Jeſus iſthic de injuſta excommunicatione verba facit. Alibi Apoſtolis ſuis prædicit, futurum ut a Judæis de Synagogis ejiciantur [9], ex eorum communione exterminentur, ex illorum cœtu abſcindantur, atque eorum perſonam, ac nomen ipſum illis odio futurum. Non ob hoc ſignanter illos beatos dicit: Non enim beatitudo eſt, anathemate percuti; at non exigua beatitudo eſt, a Synagoga ſeparari propter Jeſum Chriſtum, propter illius fidem, atque Evangelium. Si cenſuræ metuendæ ſunt, quemadmodum reipſa ſunt [10] omnibus timentibus Deum, atque uti par eſt, Eccleſiæ preces, atque communionem æſtimantibus; certe metuendæ non ſunt illæ, quas Jeſu Chriſti inimici, & Judæi illius perſecutores infligunt. Apoſtoli, quemadmodum
B Scriptura Act. 5. 41. teſtatur, *ibant gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.*

Excommunicationis apud Hebræos vetuſtas liquet ex iis verbis, quæ toties in Moyſe iterantur: *abſcindetur, vel exterminabitur de populo ſuo*, vel anathemati devovebitur. Poſterior hæc pœna, non ſecus ac ſuperiores, ut plurimum cum mortis ſupplicio erat conjuncta juxta antiquæ legis ſeveritatem. Supplicium, quo Deus animadvertit in Cain poſt patratum ab eo facinus, habetur tamquam vetuſtiſſimum excommunicationis exemplum. Infelix ille de hominum cœtu ejectus fuit, & coactus errare, & vagari ſuper terram: *vagus, & profugus eris ſuper terram* Geneſ. 4. 12. Docent Rabbini [11], Meroz, cujus liber Judicum 5. 23. meminit,
C hominem fuiſſe prope torrentem Ciſon incolentem, qui, cum noluiſſet opem ferre Iſraelitis adverſus Siſaram, quadringentarum tubarum clangore a Barac fuit excommunicatus.

Eſdras [12] ex Seniorum, atque nationis procerum conſilio excommunicationem minitatus eſt iis omnibus, qui ſtata die Jeroſolymæ non adfuiſſent. Nehemias [13] quoque ex communione, & cœtu abſcidit Sanabalat, aliosque, qui Domini leges perfregerant, alienigenas uxores ducendo, quas repudiare nolebant. Eſſenis [14] quoddam erat excommunicationis genus, quam in illos ex numero ſuo exercebant, qui in grave aliquod ſcelus proruerant, illos ex communione ſua ejiciendo; quique ejecti erant, ut plurimum, moriebantur: devincti enim his juramentis, quibus ſe ſe
D aſtrinxerant, antequam Eſſeniorum vivendi genus ingrederentur, non poterant amplius recipere eſcam ſibi ab aliis oblatam, ideoque fame enecti, pecudum instar gramina tondere debebant, donec inedia confecti contabeſcerent, eorumque putreſcentia membra diffluerent. Nonnumquam eorum cœtus miſeratione ductus illos recipere dignabatur, cum eos jam ad extremum redactos conſpiceret, ratus pœnam, quam paſſi fuerunt, parem fuiſſe ſceleris expiationem &c.

Grotius hic, poſt Rabbinos, tres excommunicationis gradus diſtinguit. Prior erat ſimplex ſeparatio appellata *Niddui*, quæ non prohibebat aditum in templum, ſed dumtaxat intercludebat aditum in interius atrium Iſraelitarum, atque tunc reus in Gentilium atrio ſubſiſtere tenebatur, Grotio teſte. Species altera erat
E excommunicatio major, quæ hominem ab Iſraelitarum ſocietate ſejungebat, & quæ efficiebat, ut ille tamquam Ethnicus haberetur. Tertium denique genus erat anathema, quod ſupplicio, de quo modo locuti ſumus, imprecationes, atque maledictiones addebat. In Eccleſia Chriſtiana inveniri facile poſſent exempla hujuſmodi excommunicationum; quippe initio illa complures Synagogæ ritus eſt imitata. Illi, de quibus loquitur S. Paulus 2. Theſſal. 3. 14. & quos ſeparari jubet, ſimiles ſunt illis Judæorum, qui minori ſimpliciter

1 Tanchuma, fol. 5. & 8. apud Druſ. 2 Druſ. Medus, Hamm.
3 Vide Marc. c. 7. 9. 13. 4 Ἦν διανυκτερεύων ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ.
5 Vide Hammond. hic. 6 Act. 9. 2. 7 Matth. 16. 19. Joan. 20. 23.
8 Matth. 18. 19. 20. 9 Joann. 19. 22. 10 Gregor. Magn. homil. 26. in Evangel. *Qui ſub manu paſtoris eſt, ligari timeat, vel injuſte.* 11 Gemar. Babil. ad Tit. Moed. Caton. c. 3. Jerchi.
12 1. Eſdr. 10. 8. והוא יבדל מקהל הגולה 13 2. Eſdr. 13. 28.
14 Joſeph. de Bello, lib. . cap. 12. p. 786.

eſſet excommunicatione erant ſejuncti. Pravi Chriſtiani, de quibus verba facit S. Johannes in 2. ep. 10. 11. & quibus negat ſalutem reddendam, neceſſitudinem ullam cum illis ineundam, eoſque domi excipiendos, fere ſunt, veluti qui a Judæis majori excommunicatione affecti habebantur. Denique anathematis quoque idem nobis adſtruit S. Paulus in illis, quos tradit Satanæ, ad audaciam eorum coercendam, 1. Cor. 5. 5. & Timoth. 1. 20. A

Primum quidem Judæi adverſus Jeſu Chriſti diſcipulos minori dumtaxat excommunicatione uſi ſunt. Decreverant, inquit S. Joannes Apoſtolus 9. 22. ut quicumque Jeſum Meſſiam eſſe profiteretur, e cœtu, vel Synagoga ejiceretur, quod obſiſtebat, ne complures in illum credentes palam ſe ſe Chriſti fideles eſſe enunciarent. Sed poſt Salvatoris Reſurrectionem, cum B fidelium quotidie numerus augeretur, & Apoſtoli Ethnicis etiam januam aperuiſſent, Judæorum odium in furorem exarſit, ita ut in Synagogis ſuis omnia mala in Chriſtianos cœperint imprecari. Extant adhuc in libris eorum, harum imprecationum formulæ, & S. Juſtinus Martyr in Dialogo ſuo contra Tryphonem, teſtis eſt, Synagogarum Præſides, ubi ſuas de more preces effuderint, contumelias, atque convicia in Jeſum Chriſtum, ejuſque ſectatores evomere: quod ipſum de Judæis ævi ſui teſtatur Hieronymus [1]. Adhuc quotidie Nazaræos maledicunt, atque anathemate percutiunt; Nazaræorum vero nomine Chriſtianos appellant. S. Epiphanius l. c. hæreſ. 29. ait, illos & mane, & meridie, & veſpere maledicere Nazaræos: ſed hoc nomine ille hæreticos quoſdam intelligit. En ſatis C adimpleta ea, quæ Jeſus Apoſtolis ſuis portendit. Ad hæc S. Juſtinus in Dial. cum Tryph. Euſebius in Iſai. 18. & S. Hieronymus in eumdem locum docent, Judæorum Senatum in univerſum terrarum orbem epiſtolas miſiſſe, ut Chriſtianorum nomen in ludibrium verterent, eiſque univerſam nationem ſuam infenſam efficerent.

NOMEN VESTRUM TAMQUAM MALUM.] Chriſtianum nomen horrebunt, deteſtabuntur, omnem movebunt lapidem, ut a ſe ſuſpicionem avertant, ſi qua oboriri poſſet, illos eſſe Chriſtianos. Ethnici ipſum etiam quodammodo Chriſtianorum nomen perſequebantur. Hic homo bonus eſt, atque honeſtus, ajebant illi: malum eſt eſſe Chriſtianum [2]. Aliis in caſibus torquentur noxii, ut ſcelerum confeſſio exprimeretur, D ſed in nos ſupplicia exercentur, ut Chriſtiani nomen abdicemus, ajebat Tertullianus: *nominis prælium eſt. Illud ſolum expectatur, quod odio publico neceſſarium eſt, confeſſio nominis, non examinatio criminis.* Nomen pro perſona etiam uſurpari poteſt; ejicietur nomen veſtrum; vos ipſi ejiciemini.

℣. 24. HABETIS CONSOLATIONEM VESTRAM.] Vitæ hujus bonis tamquam ſupremæ felicitati veſtræ adhæreſcitis, nulla præterea in altera vita bona vobis ſunt expectanda. Nequaquam juſtum eſt, ut nihil pro Deo conati, atque hoc in mundo bonis ſeſe ſeſe in æternitate quoque beatitudine perfruamini; cum interim juſti omnia, quæ poſſident, relinquant, atque voluntatem, vitamque ſuam Dei ſervituti devoveant.

℣. 25. QUIA ESURIETIS.] Vitam bene convivio E comparat. Qui hic ſaturabuntur, in altera vita eſurient. Qui iſthic opibus, commodiſque diffluunt, tamquam malus ille dives [3], dira fame, ac ſiti altera in vita torquebuntur. Hæc fames, & ſitis damnatorum dolorem, atque deſperationem ſignificat.

℣. 26. VÆ, CUM BENEDIXERINT VOBIS HOMINES.] Væ vobis, cum felici hujus mundi aura perfruemini, atque apud impios, & nefarios eritis gratioſi. Illis placere non poteſtis, niſi ipſis indulgere velitis iis in rebus, quæ minime licent [4]. *Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret: quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de Mundo, propterea odit vos Mundus*, ajebat Salvator diſcipulis ſuis Joan. 15. 19. Cum Phocion quadam die apud Athenienſes in concione locutus populi acclamantis plauſu exceptus fuiſſet, præter conſuetudinem, ex amicis ſuis percontatus eſt, numquid ſibi dicenti aliquid juſtitiæ, aut veritati minime conſonum obrepſiſſet. Populus eos diligit ſolum, qui ſibi blandiuntur; odit vero ſemper eos, qui ſibi obſiſtentes irritant.

℣. 27. DILIGITE INIMICOS VESTROS. Hac in re aliter loquitur S. Matthæus 5. 43. *audiſtis quia dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros &c.*

℣. 30. OMNI PETENTI TE TRIBUE.] Omnibus indigentibus ſine perſonarum acceptione pro viribus tuis eleemoſynam eroga. Quidam caſus occurrunt, ubi licet, immo & oportet diſcernere, quinam ſint, quibus benefacis; ex. g. inter competitores cum conſanguineus, & alienus; fidelis, atque infidelis; pauperior, & minus pauper, ille qui jam de more ſtipem poſtulat, & alius qui præ pudore egeſtatem ſuam aperire non audet, unum & idem petunt. Tunc prudentia opus eſt. Sed generatim nequaquam nimis religioſa diſcuſſione utaris oportet, ne pauperiores eligens, eleemoſynæ meritum amittas. Confer hunc ℣. cum 34. & liquebit hoc ſignificari: tribue, vel mutuare ſine perſonarum acceptione, ac ſine ſpe futurum, ut tibi paria referantur.

QUI AUFERT, QUÆ TUA SUNT, NE REPETAS.] Ne utaris erga proximum tuum nimia ſeveritate, ne iis inſiſtas viis, quæ charitati jacturam poſſint inferre; ſubi potius temporalium bonorum detrimentum, quam bonorum ſpiritualium, quæ toto cœlo præſtant omnibus fitæ hujus negotiis. Græcus ab Hammondio ita vertitur [5]: *ut fœnus expetas ab eo, cui mutuum dediſti.*

℣. 31. PRO UT VULTIS, UT FACIANT VOBIS HOMINES.] Si quæ nobis mala ingeruntur, par pari referri prohibet Deus; ſed præcipit, ut non ſolum bonum pro bono reddamus, verum etiam ut quæcumque nobis præſtari bona cuperemus, eadem alii pro viribus efficiamus. Hoc ſummum eſt Chriſtianæ charitatis præceptum [6], quod Ethnicus quidam Princeps non admirari non poterat, & quod voluiſſet in omnibus publicis locis inſculpi, ut omnes intelligerent, quo pacto inter ſe mutuo hominibus eſſet agendum. Vide Tobiam 4. 16. ubi eadem ſententia aliis expreſſa verbis occurrit: *quod ab alio oderis tibi fieri, vide, ne tu aliquando alteri facias.*

℣. 32. QUÆ VOBIS EST GRATIA.] Quam a Deo mercedem merebimini? num vobis meritu adſcribet Deus rem omnino naturalem, & quam Ethnici ipſi citra ullum religionis ſenſum efficiunt, ſi non aliis, neque ſublimioribus acti rationibus operamini?

℣. 34. ET SI MUTUUM DEDERITIS &c.] Mutuum date alienis, & pauperibus, ex quibus vobis met hoc ipſum officium numquam ſperare poſſitis. Putat Grotius, hoc præcipue quoddam mutui genus reſpicere, de quo Græci loquuntur [7]. Cum ex amicis aliquis deciderat in calamitatem, vel propter naufragium, vel incendium, vel aliquod ſimile, quo ad ſummam redigatur egeſtatem; cæteri viritim in capita juxta ſingulorum facultates quamdam auri vim mutuam illi deferebant, quin diem præciperent, quo æs alienum diſſolveret; quod tunc ſolum tenebatur præſtare, cum præ viribus poſſet. Verum enim vero S. Lucas hoc in loco ita loquitur, ut mutuum non ſine fœnore collatum innuere videatur [8]: *ſi fœneranti fueritis iis dumtaxat, a quibus vobis ſolvi faciendum putatis*, vel & ſortem veſtram, vel lucrum, vobis perſolutum iri ſperatis, quæ vobis erit gratia? Sequens ℣. qui huic reſpondet, efflagitare videtur, in hoc ſenſu explicandum eſſe; habet enim [9]: *mutuum date, nihil inde ſperantes*: iis etiam qui ſolvendo pares numquam futuri videntur. Innuit,

1 Hieronym. in Iſai. cap. 5. 53. & in Iſai. 49. p. 353. & in cap. 52. p. 387. & in cap. 65. p. 476.
2 Tertull. Apologet. c. 2. 3 Luc. 16. 19. & ſeq. Vide Grot. hic.
4 Brug. hic. 5 Ἀπὸ τοῦ αἴροντος τὰ σὰ, μὴ ἀπαίτει. 6 Vide Ambroſ. in Luc. l. 5. n. 74.
7 Ἐρανίζειν, ἐρανισμός. 8 Καὶ ἐὰν δανείζητε παρ' ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν, ποία ὑμῖν χάρις ἐστί.
9 35. Ἀγαθοποιεῖτε, καὶ δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες. Syrus legiſſe videtur: Μηδένα ἀπελπίζοντες.

autem neque manus neque viſcera obſtruenda eſſe erga pauperes, qui egeſtate premuntur; neque ſemper diligenter adeo pignora, prædeſque petendos eſſe, ubi mutuum dederis. Aliquid periclitari præſtat, ac ſortem, lucrumque in diſcrimen adducere, quam charitatis jacturam ſubire, atque fratrem ſine ope relinquere. Ego quidem hunc verum textus ſenſum opinor.

℣. 35. Mutuum date, nihil inde sperantes.] Mutuum date illis, quos etiam minime ſperaris ſolvendo pares futuros, quemadmodum præcedenti ℣. explicuimus. Verum in hac explicatione minime conſentiunt Interpretes. Alii vertunt: *mutuum date, quin ſperetis, per vobis officium præſtitum iri* [1]; alii [2]: *mutuum date, quin in deſperationem adducatis proximum veſtrum*: ne permittatis, illum animos deſpondere, atque omnem abjicere ſpem propter animi veſtri duritiam, nihil ſe relaturum. Alii [3]: *mutuum date, & metus in egeſtatem decidendi non obſtet, quominus benefaciatis*. Caveto, ne de miſericordia Dei deſperetis. Deo mutuum datis, ubi pauperi mutuum datis. Hæc omnia variant ob verbi Græci *apelpizein* æquivocum, quod ſignificat, deſperare, deficere confidentia, & aliquid ab aliquo ſperare. In poſteriorem hunc ſenſum accipimus, noſque in allata ſententia magis, magiſque confirmat decurſus verborum Jesu Christi dicentis: *& eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos, & malos. Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.*

℣. 37. Nolite judicare, et non judicabimini.] Ne feceritis aliis, quod ab aliis vobiſmet fieri non vultis; ne accuſetis, ne judicetis, ne condemnetis, ne illos in periculum vocetis; ipſi enim par pari referent. Vel, ne judicium feratis de proximo veſtro, ſi Deum in vos cupitis indulgentem [4]; miſericordes eſtote, ac parcite fratribus veſtris, ſi Deum vobis parcere deſideratis; eadem quippe menſura, qua aliis menſi fueritis, remetietur & vobis. Vide ℣. 38.

Dimittite, et dimittemini.] Parcite, & vobis parcetur; decedite jure veſtro, & vobis decedetur; ne omnia in apice juris atque preſſius, quæ ab aliis fiunt, accipiatis, ita enim & vobiſcum agetur. Vide Grotium hic.

℣. 38. Mensuram bonam &c.] dummodo vos etiam ſimiliter cum aliis egeritis. Si liberales eſtis, atque benefici, a Deo referetis mercedem liberalitatis veſtræ, ac beneficiis parem. Bonis cumulabit vos Deus, quemadmodum vos iiſdem proximum veſtrum cumulaveritis. Deus erga vos ſuam largitatem aptabit juxta normam eam, qua erga fratres veſtros uſi fueritis.

℣. 40. Perfectus omnis erit &c.] Non petitur, ut diſcipulus Magiſtro ſcientior ſit. Imitamini Patrem veſtrum Cœleſtem; nihil ultra ea vobis exquiritur. Eſtote, ut ille; juſtus, æquus, miſericors. Aliter, vobis nihilo eſt melior conditio, quam Magiſtro veſtro. Si homines me oderunt, & me perſequuntur, expectare minime vos decet, ut mitius vobiſcum agatur. Ita Salvator proverbium hoc uſurpavit in S. Matthæo 10. 25. & Johanne 13. 16. eumque ſenſum eruditi complures interpretes amplectuntur [5]. Parati eſtote, ut omnia faciatis atque patiamini, quæ me facientem, atque patientem intuebimini.

℣. 43. Non est arbor bona.] Arbor mala fieri bona poteſt, bonoſque fructus producere: homo noxium non ſemper nefaria patrat facinora; poteſt etiam, & bonum aliquid audere, ſe ſe convertens; & tunc etiam, cum minime licet aſſerere, eam bonam eſſe arborem, eo quod nondum malum habitum exuit; proferre poteſt fructus bonus ob ſenſus charitatis, quam Spiritus Sanctus in corde illius inſerere incipit. Gratia nondum dominatur in illo, ſed illum incipit commovere, atque ad juſtificationem diſponere.

Neque de spinis colligunt ficus.] Ficus ſemper eſt ficus, ſpina ſemper ſpina; ſed improbus homo fieri bonus poteſt, quin naturam mutet cordis & voluntatis; habitum poteſt mutare.

℣. 45. Ex abundantia cordis os loquitur.] Libentius de his verba facimus, quæ amamus, & quibus repleti quodammodo ſumus. Impius de bono, virtute, charitate minime loquetur, neque vir bonus de ſcelere, ac flagitiis. Ut de noſtris alienisque habitibus judicium feramus, ſatis eſt, ut noſtros alienoſque ſermones, verba, & facta inſpiciamus. Cordis noſtri ſtudium atque affectus, quæ in nos dominantur, influunt in ea omnia, quæ dicimus, & præſertim quæ facimus.

℣. 46. Quid vocatis me, Domine?] Quid vobis proderit meos eſſe diſcipulos, niſi mihi obtemperaveritis? Confer S. Matth. 7. ℣. 21. 22. *non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei &c.*

1 Aug. Grot. 2 *Syr.* Arab. Perſ. Lud. de Dieu, Tremel.
3 Hamm. Beza. 4 Rom. 2. 1. 2. 3.
5 Eraſm. ex Theophyl. Grot. ex Caſtalione. Vide & Irenæ, lib. 5. cap. 31. Lud. de Dieu. Græc. [illegible]

CAPUT VII.

Centurionis filius curatur, & filius viduæ Naim e morte ſuſcitatur. S. Johannes mittit diſcipulos ſuos ad JESUM. S. Johannis Baptiſtæ elogium. Judæi neque JESUM, neque Johannem probant. JESUS apud Phariſæum quemdam manducat. Mulier peccatrix lacrymis rigat pedes illius. Phariſæi ſcandalum. Peccatricis, quæ facta eſt pœnitens, apologia.

1. Cum autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intravit Capharna-
um. 2 Centurionis autem cujuſdam ſervus male habens erat moriturus:
qui illi erat pretioſus. 3 Et cum audiſſet de Jeſu, miſit ad eum ſenio-
res Judæorum, rogans eum, ut veniret, & ſalvaret ſervum ejus. 4 At illi cum
veniſſent ad Jeſum, rogabant eum ſolicite, dicentes ei: Quia dignus eſt, ut hoc
illi præſtes. 5 Diligit enim gentem noſtram: & ſynagogam ipſe ædificavit nobis.
6 Jeſus autem ibat cum illis. Et cum jam non longe eſſet a domo, miſit ad eum

Cen-

Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari: Non enim ſum dignus, ut ſub
tectum meum intres. 7 Propter quod & meipſum non ſum dignum arbitratus, ut
venirem ad te: ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus. 8 Nam & ego homo ſum
ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic: vade, & vadit: &
alii: veni, & venit; & ſervo meo, fac hoc, & facit. 9 Quo audito Jeſus mira-
tus eſt; & converſus ſequentibus turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Iſrael
tantam fidem inveni. 10 Et reverſi, qui miſſi fuerant, domum, invenerunt ſer-
vum, qui languerat, ſanum. 11 Et factum eſt: deinceps ibat in civitatem, quæ
vocatur Naim: & ibant cum eo diſcipuli ejus, & turba copioſa. 12 Cum autem
appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ;
& hæc vidua erat; & turba civitatis multa cum illa. 13 Quam cum vidiſſet Do-
minus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. 14 Et acceſſit, &
tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, ſteterunt.) Et ait: Adoleſcens, tibi
dico, ſurge. 15 Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum
matri ſuæ. 16 Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes;
Quia propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitavit plebem ſuam. 17
Et exiit hic ſermo in univerſam Judæam de eo, & in omnem circa regionem. 18
Et nuntiaverunt Joanni diſcipuli ejus de omnibus his. 19 Et convocavit duos de di-
ſcipulis ſuis Joannes, & miſit ad Jeſum, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium
expectamus? 20 Cum autem veniſſent ad eum viri, dixerunt: Joannes Baptiſta mi-
ſit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 21 (In ipſa
autem hora multos curavit a languoribus, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis mul-
tis donavit viſum) 22 Et reſpondens, dixit illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ
audiſtis, & vidiſtis: Quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi
audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur: 23 Et beatus eſt quicumque
non fuerit ſcandalizatus in me. 24 Et cum diſceſſiſſent nuntii Joannis, cœpit de Jo-
anne dicere ad turbas: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?
25 Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtimentis indutum? Ecce qui in ve-
ſte pretioſa ſunt, & deliciis, in domibus regum ſunt. 26 Sed quid exiſtis videre?
prophetam? Utique dico vobis & pluſquam Prophetam; 27 Hic eſt, de quo ſcri-
ptum eſt: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam an-
te te. 28 Dico enim vobis: Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptiſta ne-
mo eſt: qui autem minor eſt in regno Dei, major eſt illo. 29 Et omnis populus au-
diens, & publicani, juſtificaverunt Deum, baptizati baptiſmo Joannis. 30 Phariſæi
autem, & legiſperiti conſilium Dei ſpreverunt in ſemetipſos, non baptizati ab eo. 31
Ait autem Dominus: Cui ergo ſimiles dicam homines generationis hujus? & cui ſi-
miles ſunt. 32 Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & loquentibus ad invicem, &
dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis; lamentavimus, & non plora-
ſtis. 33 Venit enim Joannes Baptiſta, neque manducans panem, neque bibens vi-
num, & dicitis: Dæmonium habet. 34 Venit filius hominis manducans, & bibens,
& dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & pec-
catorum. 35 Et juſtificata eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis. 36 Rogabat autem
illum quidam de Phariſæis, ut manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi
diſcubuit. 37 Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod
accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: 38 Et ſtans retro ſecus
pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & o-
ſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. 39 Videns autem Phariſæus, qui vo-
caverat eum, ait intra ſe, dicens: Hic ſi eſſet propheta, ſciret utique, quæ, & qua-
lis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. 40 Et reſpondens Jeſus, dixit ad
illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter, dic. 41 Duo debi-
tores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinqua-
ginta. 42 Non habentibus illis, unde redderent, donavit utriſque. Quis ergo eum
plus diligit? 43 Reſpondens Simon dixit; Æſtimo quia is, cui plus donavit. At il-
le dixit ei; Recte judicaſti. 44 Et converſus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc
mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem la-
crymis rigavit pedes meos, & capillis ſuis terſit. 45 Oſculum mihi non dediſti: hæc
autem

autem ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos. 46 Oleo caput meum non unxiſti : hæc autem unguento unxit pedes meos. 47 Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. 48 Dixit autem ad illam : Remittuntur tibi peccata. 49 Et cœperunt, qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe : Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? 50 Dixit autem ad mulierem : Fides tua te ſalvam fecit : Vade in pace.

℣. 1. INTRAVIT CAPHARNAUM.] S. Matthæus A narrat leproſi curationem, quam Salvator operatus eſt, antequam urbem ingrederetur. Matth. 8. 1.

℣. 2. CENTURIONIS CUJUSDAM SERVUS, . . . QUI ILLI ERAT PRETIOSUS.] Hiſtoria hæc in S. Matthæo 8. 5. non ſine quodam diſcrimine refertur, quod in Evangeliſtam illum, & oſtendere, & conciliare adniſi ſumus. Centurio erat dux in Romano exercitu, qui centum militibus imperabat. Puer hic, qui illi carus erat, vel potius cujus vita illi erat cara, cujus anima pretioſa erat in oculis ejus, ut juxta Hebræorum ſtylum loquar [1], erat fortaſſe aliquis ex militibus ipſius. Hebræi ſæpius milites dicunt ducum ſuorum ſervos, & Centurio ipſe inferius JESUM CHRISTUM alloquens ait illi : ℣. 8. *ſum habens ſub me milites &* B *dico huic, vade, & vadit : & alii veni, & venit : & ſervo meo : fac hoc, & facit*. Militem cum ſervo confundit, & alterum pro altero uſurpat.

℣. 7. DIC VERBO ; ET SANABITUR PUER MEUS.] Voluntas tua adeo potens eſt, ut illum curare valeas. Neceſſe non eſt, ut itineris incommodum ſubeas, & meam domum venias, illum curaturus.

℣. 9. JESUS MIRATUS EST.] Nihil ſane admirabilius eſt alienigenæ hujus fide ; Propheta majori cum obſervantia, neque ſenſu adeo lumine, ac fide illuſtrato loqueretur. Non poterat JESUS humano more admirari, quoniam ipſa ſcientia eſt, atque ipſa ſapientia, ſed extrinſecus viſus eſt, tamquam homo admiratione captus, ut alii intelligerent, atque magnitudinem fidei Centurionis admirarentur. C

℣. 11. IN CIVITATEM, QUÆ VOCATUR NAIM.] Alii Evangeliſtæ verba non faciunt de miraculo, quod prope Naim accidit. Civitas illa ad radices montis Thabor, qua meridiem ſpectabat, duobus paſſuum millibus a monte eodem disjuncta, atque ſecus torrentem Ciſon poſita erat. S. Hieronymus [2] eam Galilææ, & Joſephus Antiq. l. 20. c. 5. Samariæ urbem fuiſſe dicunt, quandoquidem in utriuſque illius provinciæ finibus erat.

IBANT CUM EO DISCIPULI EJUS.] Græca quædam exemplaria legunt [3] : *ingens numerus*, numerus ſatis magnus *diſcipulorum ejus*, illum ſubſequebantur, una cum plurima populi multitudine. Ita JESUS, ut plurimum ambulabat. Miracula, quæ operabatur, & curationes, quas ab illo ſperabant, ingentem populi D multitudinem ad ipſum pertrahebant. Hoc divinitus diſpoſitum fuerat, ut plurimi eſſent hujus miraculi [4] teſtes.

℣. 12. ECCE DEFUNCTUS EFFEREBATUR.] Judæi extra Civitates mortuos ſuos tumulabant, vel humi, vel in ſpecubus quibuſdam, in rupe excisis : atque hæc ſepulchreta tamquam immundos locos habebant. Chriſtiani e contra ſpe reſurrectionis acti, atque exiſtimantes fore, ut eorum plurimi, quorum in cemeteriis corpora ſepulta ſunt, cœleſti beatitudine perfruantur, loca illa & obſervant, & colunt. Sepulchreta prope Eccleſias conſtituunt ; immo atque in Templis ipſis corpora tumulant ; quod inde ortum videtur, quia olim Eccleſiæ ædificabantur ſuper martyrum corporibus, at- A que populi prope illorum monumenta conveniebant [5] ;

℣. 13. MISERICORDIA MOTUS EST.] Jeſus intuitus viduam hanc mulierem dolore confectam, miſericordia ductus illam prævertit, & non rogatus ei filium reddit ; docens, quomodo conſulendum ſit pudori pauperum, neque expectandum, ut nos precibus defatigent, ut aliquam opem extorqueant. Status eorum ſatis loquitur.

℣. 14. ADOLESCENS TIBI DICO : SURGE.] JESUS tangit loculum, vel feretrum, quo puer hic ferebatur : omnes ſubſiſtunt : ille mortuum alloquitur ; ac ſtatim jubet, eum ſurgere. Hæc omnia ſupremam, abſolutamque innuebant auctoritatem, qua miracula operabatur [6]. Vetabat lex, ne quis ſe ſe pollueret, mortuum attrectans [7] ; non tamen attrectans mortuum B illum, cui attactus vitam eſſet redditurus. Factum hujuſmodi mortuum ipſum emundat, eumque de corruptionis ac ſordium ſtatu, ad quem mors illum redegerat, educit [8].

℣. 16. PROPHETA MAGNUS SURREXIT.] Cives Naim fatentur, JESUM CHRISTUM eſſe Meſſiam [9], & magnum illum Prophetam, quem Moyſes pollicitus fuerat Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus ; ipſum audies* ; atque Prophetam hunc iis deſignant vocibus, quibus Zacharias Pater Johannis Baptiſtæ Meſſiam indigitaverat : *Deus viſitavit plebem ſuam*. Luc. 1. 68.

℣. 19. CONVOCAVIT DUOS EX DISCIPULIS SUIS JOHANNES.] Hæc omnia fuſius perpendimus in Com- C mentariis in S. Matthæum cap. 11. ℣. 2. & ſeq. Non dubitatio, neque inanis curioſitas Johannem impellunt, ut ad JESUM CHRISTUM ſuos diſcipulos mittat ; verum gloriæ Salvatoris cupiditas, atque deſiderium, ut diſcipuli ſui illum agnoſcerent, eique adhærerent, hoc illi ſuaſit.

℣. 25. QUI IN VESTE PRETIOSA, & IN DELITIIS.] Intelligi hoc tantum poteſt [10], cum S. Matthæo [11], de veſtium tenuitate, ac pretio : vox, quæ delicias, voluptatem ſignificat, pro luxo etiam generatim uſurpatur.

℣. 26. ET PLUSQUAM PROPHETAM.] Prophetæ veteres figuratis, ænigmaticiſque verbis Meſſiæ adventum portenderant ; S. Johannes illius adventum annuntiat, illum præſentem digito oſtendit, illum perſpicue, ac palam prædicat. Hoc in ſenſu non erat Pro- D pheta, ut alii, quemadmodum alia in occaſione Judæis ipſe dixit Jo. 1. 21. verum erat *pluſquam Propheta*, quemadmodum hic Jeſus Chriſtus profitetur.

℣. 28. MAJOR INTER NATOS MULIERUM.] Vide S. Matthæum 11. 11. licet magnus ſit divinus Præcurſor, minor tamen eſt minimo Angelorum, vel Chriſtianorum ; eo quod ille ad Vetus Teſtamentum adhuc pertinet, cum Chriſtifideles univerſi ſpectent ad novum, cujus prærogativæ toto Cœlo priores illas ſuperant.

℣. 29. OMNIS POPULUS, ET PUBLICANI JUSTIFICAVERUNT DEUM.] Jeſus Chriſtus ex antiquorum ſententia [12], ſermonem hunc perſequitur, & ait, a ſimplici populo Deum juſtificatum fuiſſe, cum interim Phariſæi divinæ in ſeipſos miſericordiæ conſilia contempſerint. At quo-

1 Vide 1. Reg. 26. 21. Act. 20. 24. Prov. 2. 16. Pſalm. 115. 15. Iſai. 13. 12.
2 Euſeb. & Hieronym. in locis. 3 Ο'χ λος ἱκανὸς αὐτοῦ ἱκανοί.
4 Beda, Mald. 5 Grot. hic. 6 Brug. Mald.
7 Levit. 22. 4. Num. 5. 1. 2. 6. 9. &c. 8 Vide Grot. hic. 9 Heſych. Mald. Brug. alii.
10 Ο'ι ἐν ἱματιϲμῷ ἐνδόξῳ, καὶ τρυφῇ ὑπάρχοντες. Alii, Διάγοντες. 11 Matth. 11. Ο'ι τὰ μαλακὰ φορῦντες, &c. 12 Ambroſ. Beda, Euthym. D. Th. Mald. alii.

quomodonam primi illi Deum juſtificaverunt, alteri vero contempſerunt? Illi quidem Johannis baptiſma recipientes, hi vero illud renuentes. Omnes Johannem prædicantem audierunt; at non omnes fructum inde perceperunt; non aſſecuti ſunt divina conſilia, neque veritatem, & miſericordiam ea, qua par eſt, laude acceperunt. Populus ſimplex, peccatores, publicani pœnitentiam egerunt, & Johannis Baptiſtæ baptiſma ſubierunt. Phariſæi vero, atque Legis Doctores præcepta illius nihil fecerunt, & baptiſmum illius neglexerunt. *Juſtificare Deum*, non ſignificat *juſtum efficere Deum*, neque ſimpliciter juſtitiam illius profiteri, ſed illum laudibus celebrare, non ſpernere oblationes miſericordiæ illius, aſſequi conſilia juſtitiæ ejuſdam; & opponitur locutioni illi, quæ in ſequenti verſiculo occurrit: *conſilium Domini ſpernere*. Vide apud S. Matthæum 11. 19. quæ diximus de verbis illis: *& juſtificata eſt ſapientia a filiis ſuis*, quæ inveniuntur etiam in S. Luca inferius verſ. 35. Sapientes omnes, ac pii viri, & me & Johannem Baptiſtam probarunt; illius quidem baptiſma receperunt, meam veræ doctrinam amplexi ſunt. Hi vero e contra, quibus inanis eſt ſapientia, & qui pietate carent, veluti Phariſæi, eorumque ſimiles, Johannis baptiſmum abjecerunt, & inſurrexerunt in me. At in hoc etiam ſapientiam conſiliorum Domini oſtendatur, qui ſuperbis quidem reſiſtit, eos vero, qui humiles ſunt corde, ſuis cumulat gratiis.

Recentiorum Interpretum plerique [1] credunt, hæc verba: *omnis populus & publicani juſtificaverunt Deum*, eſſe Evangeliſtæ animadverſionem, dicentis, eos qui aderant, & qui audierant, quid Jeſus Chriſtus in S. Johannis laudem protulerat, laudaſſe Deum, eique gratias egiſſe, eo quod digni habiti fuiſſent baptiſmate illius, & audiſſent præcepta ejus; cum interim Phariſæi, & verba contempſerint, & baptiſmum neglexerint.

℣. 30. Consilium Dei spreverunt.] Abſoluta Dei conſilia, ejuſdemque decreta immutabilia ſunt; quis enim voluntati Dei reſiſtere poteſt, quemadmodum Apoſtolus inquit ad Rom. 10. 1. [2] Omnipotens infinitam poteſtatem ſuam ſuper corda, atque voluntates noſtras non ſecus ac ſuper cætera exercet; exercitium vero ſupremæ hujus poteſtatis, quin diruat, noſtramque imminuat libertatem, eam immo perficit, atque confirmat. Numquam enim niſi perſuadendo illam determinat; *qua non ſolum ſuadetur omne, quod bonum eſt, ſed etiam perſuadetur*, quemadmodum loquitur S. Auguſtinus [2]; atque ſemper relinquit hanc poteſtatem, & activam, liberamque flexibilitatem in partem oppoſitam, quæ neceſſaria eſt ad libertatis conſervationem. Cum igitur Phariſæi dicuntur ſpreviſſe Dei conſilium in ſemetipſos, hoc intelligendum non eſt perinde, ac per nequitiam ſuam inania effeciſſent abſoluta Domini decreta, vel omnipotenti illius voluntati reſtitiſſent. Quis enim eſt homo, qui Deo reſiſtere valeat? [3] Sed ſolum per incredulitatem, nequitiam, ac pertinaciam abjeciſſe Johannis præcepta, reſpuiſſe divinæ miſericordiæ oblationes, quæ illos ſalvos facere potuiſſent, ſi cor eorum minus nequam, minuſque obduratum fuiſſet. *Dei Conſilium* hoc in loco non eſt conſilium abſolutum, atque decretum Phariſæos ſalvandi. Sed *abſoluta voluntas*, ut illis veritas annuntietur, ut illis pœnitentia ſuadeatur, quod illis etiam invitis adimpletum eſt; atque *conditionalis voluntas*, eos convertendi, & ſalvandi, cui reſtiterunt, & quam pravo cordis habitu inutilem effecerunt.

℣. 31. Cui ergo similes &c.] Vide S. Matthæum cap. 11. verſ. 16.

℣. 35. Justificata est sapientia.] Vide S. Matthæum c. 11. ℣. 19. & ſupra ℣. 29.

℣. 36. Rogabat illum quidam de Pharisæis.] Qui Simon appellabatur [4]. Nobis perſuaſum eſt, peccatricem hanc mulierem, aliam omnino eſſe a Maria Lazari ſorore, & convivium hoc, cui intereſt Jeſus Chriſtus apud Simonem Phariſæum, non eſſe illud, cui Bethaniæ interfuit ſex dies antequam ultimum pateretur [5], ubi Maria Lazari ſoror ſuper illius pedes alabaſtrum unguenti nardi ſpicati effudit. Temporis, locique circumſtantiæ aliæ omnino ſunt: hoc celebratum fuit apud Phariſæum, qui Simon dicebatur; alterum vero domi Simonis leproſi, qui nuſquam Phariſæus dicitur, & qui nullum arripit ſcandalum ex ea urbanitate, quam Maria Lazari ſoror erga Jeſum exercuit. Iſthic Phariſæus ſcandalizatur, eo quod patitur Jeſus, ad ſe peccatricem mulierem accedere. Ibi Judas dolet, videns unguentum affuſum ad Jeſu Chriſti pedes fovendos. Iſthic peccatrix poſt tergum accedit, atque lacrymis madens ſuper Salvatoris pedes unguentum affudit, eoſque ſuis capillis detergit; apud Simonem leproſum Maria ſatis nota, & a Jeſu jampridem dilecta, & cujus frater Lazarus recens e morte ſuſcitatus una cum Domino menſæ accumbebat, in cœtum illum prodiit, gratitudinis, amoris, atque obſervantiæ notas profeſſurus, atque Jeſu illud præſtitum officium, quod ibi gentium minime inauditum erat; quapropter bis in Evangelio [6] vario in occaſione reperitur.

Convivium, cui Lazarus, & Maria ſoror interfuerunt, celebratum eſt Bethaniæ prope Ieroſolymam, ſex dies ante Jeſu Chriſti mortem: hoc vero, quod apud Phariſæum initum eſt, plane contigit in Naim, & aliquando poſt ſecundum Jeſu Chriſti Paſcha, duobus ferme annis, antequam moreretur. Denique nullo probari poteſt argumento, Mariam Lazari ſororem corporis quæſtum feciſſe: aliam prorſus illius nobis adſtruit ideam Evangelium, quod de illa ſemper cum laude verba facit. *Peccatricis* nomen hoc in loco, vel meretricem [7], vel Ethnicam mulierem [8] ſignificat, qui characteres Mariæ ſorori Lazari nullatenus poſſunt congruere. Verum nihil obeſt, quominus dicamus, hanc eſſe Mariam Magdalenam, quam ſequenti capite ℣. 2. fertur Jeſus a ſeptem Dæmonibus liberaſſe. Narrat Evangelium, illam maturato ſecutam fuiſſe Jeſum Chriſtum, atque ex Galilæa fuiſſe [9], quæ circumſtantiæ belle congruunt mulieri, de qua hic ſermo.

Sententiam, quam nuper propoſuimus, plerique Græcorum Patrum, & complures eruditi Scriptores ſequuntur, qui hac de re præſertim ſcripſerunt; licet non ſine quodam diſcrimine. Origenes in Cantic. hom. duas agnoſcit Marias; in Matt. vero 10. 12. utramque confundit; mox pro duabus tres eſſe putat, quam poſtremam ſententiam Euthymius in Matt. 26. atque Teophylactus in Marc. 14. ſequuntur. S. Auguſtinus [10], aliique plures recentiores Interpretes credunt, mulierem, de qua SS. Matthæus, Marcus, & Iohannes loquuntur, eamdem eſſe, & aliam ab ea, quam memorat S. Lucas. S. Iohannes Chryſoſtomus in Matt. hom. 80. e contra putat, S. Iohannem ſolum loqui de Lazari ſorore, tres vero Evangeliſtas reliquos de peccatrice verba facere. S. Hieronymus autem in Matt. 26. ab aliis adhuc diſſentit, quoniam tenet, SS. Matthæum, & Marcum eamdem referre hiſtoriam, omnino aliam ab ea, quæ a SS. Iohanne, & Luca narratur.

℣. 37. Alabastrum unguenti.] Quid eſſent hæc vaſcula ex alabaſtrita lapide confecta, in S. Matthæum 26. 7. fuſius diſcuſſum eſt.

℣. 38. Stans retro secus pedes Iesu.] Accumbebat menſæ Ieſus Chriſtus Orientalium more ſuper triclinari lectulo aliquantulum a terra elato, facie, atque capite ad convivas verſo, pedibus vero extrin-

ſecus

1 Lyran. & alii plerique. 2 Auguſt. de Grat. et lib. arbitr. lib. 1. cap. 10. num. 11.
3 Geneſ. 50. 19. Job. 9. 4. Pſalm. 75. 8. Sap. 11. 22. 4 Infra ℣. 40.
5 Joan. 12. 2. Marc. 14. 3. 8. Matth. 26. 6. & ſeq. 6 Joan. 12. 1. 2. & hic 37.
7 Ambroſ. Beda, Maldonat. Grot. hic. Gregor. Magn. homil. in Evangel. alii paſſim.
8 Hammond. hic. 9 Cap. 8. 1. & 3. Matth. 27. 55. Marc. 15. 40. 41.
10 Auguſt. de Conſenſu Evangel. lib. 2. Ita Dionyſ. Carthuſ. Janſen. Gandav. in Concord. Johann. Gerhard. in Concord. & alii.

ſecus protenſis [1]. Nudos habebat pedes, ſoleaſque dimiſerat, antequam recomberet juxta regionis illius conſuetudinem. Hæc ergo mulier acceſſit retro, unguentum ſuper illius pedes effudit, eos lacrymis rigavit, & capillis abſterſit. In conviviis ſolemnibus non rarus erat unguentorum uſus, quæ ſuper convivarum capita [2] effundebantur. Hic autem reverentiæ ergo ſuper Salvatoris pedes effunditur. Quibuſdam in occaſionibus Domini manus ſuas abſtergebant ſervorum capillis [3]: iſthic vero mulier ſuis Jesu Christi pedes detergit. Perraro convivarum pedes unguento liniebantur [4], eaque mollities erat, quam Philoſophi non probarunt. Hanc non requirebat Salvator; verum non cenſuit operæ pretium depellere mulieris recens converſæ pietatem.

℣. 39. Hic si esset Propheta.] Tria perperam Pharisæus hinc infert; Primum; ſi Jesus eſſet Propheta, ſciret, quænam hæc eſt mulier: perinde ac prophetæ omnia ſcirent, ac penitiores cordis, & conſcientiæ latebras ſpecularentur. Alterum, cum mulier hæc eſſet peccatrix, illum pati non debuiſſe, ut ab eadem attingeretur, perinde ac extrinſecus criminoſi attactus crimen communicaret animæ illius, qui innocens eſt, ſceleriſque puros. Tertio arguit, mulierem hanc, quam aliquot ante diebus, vel fortaſſe etiam aliquot horis ante peccatricem agnoverat, eo etiam temporis momento peccatricem eſſe, quaſi Deus cor illius commutare minime potuiſſet, atque illi ſinceram pœnitentiam, atque verum peccatorum odium immittere.

℣. 40. Respondens Jesus.] Ille occultas Pharisæi explorat cogitationes, eumque cogere vult, ut mulieris hujus, quam conviciis exceperat, & cujus turpem adeo exiſtimationem conceperat, cauſam tueatur. *Reſpondens* ſæpius apud Auctores Sacros ſignificat ſimpliciter loqui.

℣. 42. Quis ergo eum plus diligit?] Ille profecto, cui major pecuniæ vis remiſſa fuit. Hic magis devinctus erit, atque majorem ſibi habendam rationem illius exiſtimabit, a quo ſibi æs alienum dimiſſum fuit. Jesus hinc infert ℣. 48 *propter hoc dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus remittitur, minus diligit.* Videtur autem potius dicendum fuiſſe: *dico tibi, illam multum diligere, quia multum illi dimiſſum eſt; ſed ille, cui minus dimittitur, minus diligit.* Vel: *dico tibi, plurima peccata illi remiſſa fuiſſe; ideo illa multum amat, ſed ille cui minus remittitur, minus diligit.* Verſionem hanc vulgo ſequuntur Interpretes [5], & in Scripturis plurimi deprehenduntur loci, ubi particula *quoniam*, idem ſignificat, ac *ideo* [6]. Hoc omnes tollit difficultates, omneſque loci hujus commentitias conciliat oppoſitiones.

Grotius [7] legit: *uter illum magis amabit*, ille ne, cui multum dimittit, an ille, cui minus? Juxta hunc textum, Jesus Christus loqueretur de amore, & grati animi affectu peccatoris poſt veniam. Juxta Vulgatam vero loquitur de eo, qui veniam præcedit, & comitatur.

Credunt alii, Jesu Christi ſermonem duplicem complecti argumentationem, hoc pacto enucleandam. Qui veniam impetraturus eſt, pœnitentiam agat, & per amorem revertatur ad Deum. Maria multum amavit, & multa peccata illi remiſſa ſunt: nunc vero, ubi peccatorum ſuorum pondus abjecit, grati animi affectum tuetur, qui exæquat magnitudinem peccatorum, quibus liberata fuit. Qui e contra minora habent peccata, putantes ſe minus indigere pœnitentia, atque miſericordia Dei, minori dolore, atque amore afficiuntur; cumque veniam obtinuerit, minor eſt illorum gratitudo. Hoc autem quotidiana confirmatur experientia, eum qui in flagitiorum cœno alte demerſi vixerunt, tandem emergentes ſerio ad Deum revertuntur, & majori ſedulitate, ac zelo virtutis vias perſequuntur, quam alii, qui ſemper magis frugi fuerunt, minuſque noxii. Hi ſe Deo minus debere putant, eo quod a periculis fuerint præſervati; quam qui cum in ea proruerint, Dei auxiliante gratia, tandem illinc evaſerunt.

Grotius ita Jesum loquentem inducit. Simon dolet, quod me ab hac muliere tangi patiar; attamen ſi aliquem ad me accedere pati debeo, eos certe patiar, qui me magis diligunt, & reverentur. Mihi ſane credendi locus eſt, ex horum numero hanc eſſe mulierem; primum, quod mihi multa debet, quandoquidem illi ſua peccata dimiſi; deinde quod mihi amorem ſuum omnino teſtata eſt. Illa ſane me magis diligere oſtendit, quam a te diligar, qui me ad cœnam invitaſti.

Lucas Brugenſis hunc illi ſermonem tribuit: Si multa huic mulieri dimiſiſſem, ex ſententia tua, ipſa me multum amare deberet; verum cum illa magnum mihi amorem teſtata ſit, antequam ſciret, me illi veniam permiſiſſe, poſſum ne modo eamdem veniam illi negare?

Jesus confert hanc mulierem cum Phariſæo, atque oſtendit, eam ſibi majorem teſtatam fuiſſe amorem, atque obſervantiam, quam Simon ipſe, illum ad cœnam invitans. Hic amor eidem veniam ſcelerum plurimorum, quæ commiſerat [8] ante, promeruit, & amor idem æque & cauſa eſt, propter quam Deus illi parcit, & acceptæ veniæ remuneratio. Jesus Christus alterum tantum exprimit: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: verum & alterum infert, Phariſæo dicens: *cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Ergo ille, cui multum dimiſſum eſt, multum amare debet, ſed & ad veniam obtinendam inceptæ ſaltem amore opus eſt; qui, cum veniam recipit, poſtea perficitur. Hoc autem Salvator innuit, cum ait: *remittuntur tibi peccata*. Perficit quod jam in illa operari cœperat, vel quod jam fecerat, confirmat.

℣. 44. Aquam pedibus meis non dedisti.] Ea ſemper exhibebatur ab agris venientibus, qui cum nudis pedibus incederent, ſoleiſque ſandaliis ad eos a lapidibus ſaxiſque tuendos muniti, aqua egebant ad pulverem, ſudoremque abſtergendum. Id autem multis cum Scripturis [9], tum profanorum auctorum exemplis [10] liquet.

℣. 45. Osculum mihi non dedisti.] Quemadmodum fieri conſueverat, cum aliquis domi ſuæ excipiebatur, vel cum aliquis amicus obviam occurrebat.

℣. 46. Oleo caput meum non unxisti.] Super convivarum caput pretioſa effundebantur unguenta, uti vidimus verſ. 38. & Pſalm. 23. 5. *impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians &c.*

℣. 47. Dimittuntur ei peccata multa.] Meruit eſt veniam peccatorum ſuorum ingenti amore, quem mihi teſtata eſt: Tu vero, Simon, qui non putas multum peccaſſe, & qui non arbitraris, multum debere Deo, quod te a peccatis incolumem præſtiterit, minus amas, ac minorem foves gratitudinem ob veniam, quam impetraſti. Non ait illi hoc explicite; ſed hoc ille ſatis intelligere poteſt per ea verba, *cui minus dimittitur, minus diligit*. Verum eſt tamen, nos nequaquam minus debere Deo, cum nos a peccatis præſervat, quam cum peccata dimittit: *Gratiæ tuæ deputo, & quæ non commiſi mala*

1 Martial. lib. 3. Epigr. 72.

Omnia cum retro pueris obſonia tradas,
Cur non menſa tibi ponitur a pedibus.

2 Athen. lib. 15. c. 13. pag. 691. Vide Grot. hic.
3 Petron. Satyr. Trimalc.
4 Vide Athen. lib. 15. cap. 12. Ariſtophan. in Veſpis Q. Curt. lib. 8. cap. 9.
5 Hamm. hic. Med. lib. 4. ep. 17.
6 Vide Johan. x. 19. 14. 17. Marc. 9. 28. Geneſ. 22. 17. Pſalm. 16. 6. & Pſalm. 118. 1. Collat. cum 1 Cor. 4. 13. Jerem. 29. 16. Geneſ. 29. 32. Judic. 2. 24. Noldius vero recenſet ſignificationes particulæ Hebraicæ כי quæ reſpondet Græcæ Ὅτι, *Quia*.
7 Τίς οὖν αὐτῶν, εἰπὲ, πλεῖον αὐτὸν ἀγαπήσει.
8 Auguſt. ſerm. olim 23. de homil. 50. num. 99. cap. 6. Vide & Pſalm. 40. Vide Eſt. Janſ. Brug. Maldonat. Huré, Simon, l'Allemant, Natal. Alex. alii.
9 Gen. 18. 4. 19. 2. 24. 32. & Judic. 19. 21. 1. Timoth. 5. 10.
10 Athen. lib. 14.

mala, inquit S. Auguſtinus [1]. *Nullum eſt enim peccatum* [2], *quod facit homo, quod non poſſit facere, & alter homo, ſi deſit Rector, a quo factus eſt homo.* Verti poſſet, *remittuntur ei peccata multa, ideo dilexit multum.* Particula *quia*, ſæpius pro *ideo* [3] uſurpatur, uti ſupra dictum eſt.

℣. 49. QUIS EST HIC, QUI ETIAM PECCATA DIMITTIT?] Duplex his verbis ſenſus tribui poteſt, alter bonus, alter ſecus. Prior, ſi dixeris, eos qui aderant, & qui teſtes fuerant reſurrectionis filii Viduæ Naim, iſthic admirari plenitudinem poteſtatis JESU CHRISTI, qui etiam peccata remittit. Oportet ergo, hominem hunc non eſſe ſimplicem Prophetam, non enim ſolum mortuos reſuſcitat, ſed etiam peccata remittit [4]; deterior A vero ſenſus eſt, ſi dixeris: hic homo blaſphemus eſt, quis præter Deum peccata dimittere poteſt [5]? Vide eamdem criminationem ſuperius cap. 5. verſ. 21. *Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus.*

℣. 50. FIDES TUA TE SALVAM FECIT] Credidiſti, me tibi peccatorum veniam conferre poſſe [6], hac ſpe ſuffulta ad me veniſti, præterita ſcelera tua horruiſti, per ſinceram contritionem ad Deum reverſa es; fides tua, confidentia, amor tuus, veræ ſunt ſalutis tuæ cauſæ [7]. JESUS CHRISTUS iſthic hujus mulieris fidem opponit Phariſæorum, qui aderant, incredulitati; quemadmodum ℣. 42. & 43. & ſequentibus pœnitentis hujus amorem Simonis Phariſæi opponit tepiditati.

1 Auguſt. Confeſſ. lib. 2. cap. 7. *Omnia mihi dimiſſa eſſe fateor, & quæ mea ſponte feci mala, & quæ te duce non feci.* Et ſerm. 99. nov. edit. cap. 6. *Agnoſce gratiam ejus cui debes & in quod non feciſti.*
2 Auguſt. ibidem. 3 Vide Judic. 2. 24. Geneſ. 22. 17. 29 32. Pſalm. 121. 10. Jerem. 29. 6. in Hebr.
4 Grot. & alii quidam. Vide infra 8. 25. Matth. 8. 27. Marc. 4. 41.
5 Maldonat. Fiſc. alii plerique. 6 Titus Boſtr. in Catena Brug. Maldonat.
7 Grot. ex Tertull. & Clem. Alex.

CAPUT VIII.

Seminantis parabola, quinam ſint Mater & frater JESU CHRISTI. Tempeſtas in Mari Genezareth. JESUS dormit, & experrectus ventis imperat. Obſeſſus a Legionum Dæmone curatur. Hemoroiſſa tangens fimbriam veſtimenti JESU convaleſcit. Filia Jairi reſuſcitatur.

1. ET factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per civitates, & caſtella, prædicans, & evangelizans regnum Dei; & duodecim cum illo, 2 Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a ſpiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant, 3 Et Joanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei
de facultatibus ſuis. 4 Cum autem turba plurima convenirent, & de civitatibus
properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem: 5 Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen
ſuum: & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres
cœli comederunt illud. 6 Et aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit,
quia non habebat humorem. 7 Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ
ſuffocaverunt illud. 8 Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum
centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. 9 Interrogabant
autem eum diſcipuli ejus, quæ eſſet hæc parabola. 10 Quibus ipſe
dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: ut
videntes non videant, & audientes non intelligant. 11 Eſt autem hæc parabola:
Semen eſt verbum Dei. 12 Qui autem ſecus viam, hi ſunt, qui audiunt; deinde
venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant. 13
Nam qui ſupra petram, qui cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi
radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.
14 Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt, qui audierunt, & a ſolicitudinibus, &
divitiis, & voluptatibus vitæ, euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum. 15
Quod autem in bonam terram: hi ſunt, qui in corde bono, & optimo audientes
verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. 16 Nemo autem lucernam accendens
operit eam vaſe, aut ſubtus lectum ponit: ſed ſupra candelabrum ponit,
ut intrantes videant lumen. 17 Non eſt enim occultum, quod non manifeſtetur:
nec abſconditum, quod non cognoſcatur, & in palam veniat. 18 Videte ergo,
quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam
quod putat ſe habere, auferetur ab illo. 19 Venerunt autem ad illum mater, &
fratres ejus, & non poterant adire eum præ turba. 20 Et nuntiatum eſt illi: Mater
tua, & fratres tui ſtant foris, volentes te videre. 21 Qui reſpondens, dixit
ad eos: Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

22 Factum

22 Factum eſt autem in una dierum, & ipſe aſcendit in naviculam, & diſcipuli
ejus, & ait ad illos: Transfretemus trans ſtagnum. Et aſcenderunt. 23 Et navi-
gantibus illis, obdormivit, & deſcendit procella venti in ſtagnum, & compleban-
tur, & periclitabantur. 24 Accedentes autem ſuſcitaverunt eum, dicentes: Præ-
ceptor, perimus. At ille ſurgens, increpavit ventum, & tempeſtatem aquæ, &
ceſſavit, & facta eſt tranquillitas. 25 Dixit autem illis: Ubi eſt fides veſtra?
Qui timentes, mirati ſunt ad invicem, dicentes: Quis putas hic eſt, quia & ven-
tis, & mari imperat, & obediunt ei? 26 Et navigaverunt ad regionem Geraſeno-
rum, quæ eſt contra Galilæam. 27 Et cum egreſſus eſſet ad terram, occurrit il-
li vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & veſtimento non
induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis. 28 Is, ut vidit Jeſum,
procidit ante illum: & exclamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi eſt, Je-
ſu Fili Dei Altiſſimi? obſecro te, ne me torqueas. 29 Præcipiebat enim ſpiritui
immundo, ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vin-
ciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus, & ruptis vinculis agebatur a dæmonio
in deſerta. 30 Interrogavit autem illum Jeſus, dicens: Quod tibi nomen eſt? At
ille dixit: Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum. 31 Et rogabant il-
lum, ne imperaret illis, ut in abyſſum irent. 32 Erat autem ibi grex porcorum
multorum paſcentium in monte, & rogabant eum, ut permitteret eis in illos in-
gredi. Et permiſit illis. 33 Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intraverunt in
porcos: & impetu abiit grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt. 34 Quod
ut viderunt factum, qui paſcebant, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in
villas. 35 Exierunt autem videre, quod factum eſt, & venerunt ad Jeſum, & in-
venerunt hominem ſedentem, a quo dæmonia exierant, veſtitum, ac ſana mente,
ad pedes ejus, & timuerunt. 36 Nuntiaverunt autem illis, & qui viderant, quo-
modo ſanus factus eſſet a legione. 37 Et rogaverunt illum omnis multitudo regio-
nis Geraſenorum, ut diſcederet ab ipſis: quia magno timore tenebantur. Ipſe au-
tem aſcendens navim, reverſus eſt. 38 Et rogabat illum vir, a quo dæmonia e-
xierant, ut cum eo eſſet. Dimiſit autem eum Jeſus, dicens: 39 Redi in domum
tuam, & narra, quanta tibi fecit Deus. Et abiit per univerſam civitatem, prædi-
cans quanta illi feciſſet Jeſus. 40 Factum eſt autem, cum rediiſſet Jeſus, excepit
illum turba: erant enim omnes expectantes eum. 41 Et ecce venit vir, cui no-
men Jairus & ipſe princeps ſynagogæ erat: & cecidit ad pedes Jeſu, rogans eum,
ut intraret in domum ejus. 42 Quia unica filia erat ei fere annorum duodecim,
& hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, a turbis comprimebatur. 43 Et mu-
lier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogave-
rat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari: 44 Acceſſit retro, &
tetigit fimbriam veſtimenti ejus, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis ejus. 45 Et
ait Jeſus: Quis eſt, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, &
qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis:
Quis me tetigit? 46 Et dixit Jeſus: Tetigit me aliquis, nam ego novi, virtutem
de me exiiſſe. 47 Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & pro-
cidit ante pedes ejus: & ob quam cauſam tetigerit eum, indicavit coram omni
populo: & quemadmodum confeſtim ſanata ſit. 48 At ipſe dixit ei: Filia, fides
tua ſalvam te fecit: vade in pace. 49 Adhuc illo loquente, venit quidam ad
principem ſynagogæ, dicens ei: Quia mortua eſt filia tua, noli vexare illum. 50
Jeſus autem, audito hoc verbo, reſpondit patri puellæ: Noli timere, crede tan-
tum, & ſalva erit. 51 Et cum veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum quem-
quam niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem, & matrem puellæ. 52
Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non eſt
mortua puella, ſed dormit. 53 Et deridebant eum, ſcientes quod mortua eſſet.
54 Ipſe autem tenens manum ejus clamavit, dicens: puella, ſurge. 55 Et re-
verſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuo. Et juſſit illi dari manducare. 56
Et ſtupuerunt parentes ejus, quibus præcepit, ne alicui dicerent quod factum erat.

Digitized by Google

℣. 2. MARIA, QUÆ VOCATUR MAGDALENE.] Cum plurimis, iiſque eruditiſſimis Interpretibus, cenſemus Mariam Magdalenem eamdem eſſe, ac illam, de qua ſermo fuit capite ſuperiori, & quam pridem liberaverat JESUS e ſeptem, vel pluribus Dæmonibus, a quibus obſidebatur. Cum audiiſſet Magdalene, JESUM eſſe in Naim apud Simonem Phariſæum, feſtina illuc acceſſit, & quemadmodum vidimus, Salvatoris pedes inunxit. Poſtmodum illi ſemper adhæſit, neque licet de Cruce pendentem deſeruit, ſed in Calvario toto paſſionis illius tempore permanſit. Ob conſtantem perſeverantiam, atque amoris magnitudinem merita eſt, ut ſibi ante cæteros poſt Reſurrectionem Salvator ſe oſtenderet. Reor autem, *Magdalenæ nomen* illi factum ex *Urbe Magdala* in Galilæa, ubi facile originem duxerat. *Magdala* turrim ſignificat. Complures Interpretes credunt, urbem hanc ultra Jordanem fuiſſe, cujus rei nullum extat argumentum. Quod ex Talmud affert Ligfoot, mea quidem ſententia probat, *Magdala* fuiſſe citra mare Tiberiadis, ac citra Jordanem. Ibi dicitur [1], cum ſenex paſtor, dixiſſet ſe olim vidiſſe, Cives Magdala Sabbathi die domo ſua abſcedere, ac Tiberiadem traducentes uſque ad ſuburbia & pontem veniſſe, Rabbinum decreſſe, Sabbatho Cives Magdala hoc itineris egredi potuiſſe. Hæc ſuburbia, & pons erant, uti videntur, ex latere maris, atque Jordanis; ideoque Magdala citra utrumque aderat.

Joſephus lib. de Vita ſua loquitur de Magdala, ſed illius ſitum non affert. Magna celebris Galilææ Civitas vocabatur etiam *Magdala*, vel *Magdala* [2], & libenter crederem, inde Mariam Magdalenam nomen ſuum deſumpſiſſe. Civitas illa non procul aberat a Naim. Ligfoot Chron. 54. 28. credidit, Magdalenam hoc nomine appellatam fuiſſe, eo quod artem capillos comendi, muliebreſque mitras concinnandi profiteretur; Hebraice *Magadella*. Et profecto Talmudiſtæ meminerunt cognominis mulieris, quæ artem eamdem exercebat, atque Domini noſtri ævo degebat. Verum hæc etymologia nimis violenta videtur.

Septem Dæmones, a quibus liberata fuit Magdalena, ſignificant, ex nonnullorum ſententia [3], plurima peccata, quæ illi remiſſa fuerunt, & quorum habitus illa penitus exuit, ſed præſtat de pluribus dæmonibus explicare [4], a quibus reipſe poſſidebatur. Profecto a cæteris mulieribus, de quibus ſuperiori verſiculo ſermo fuit [5], quæ liberatæ fuerant e Spiritibus immundis, aliiſque morbis, quibus a Dæmonibus vexabantur, non diſtinguitur. Superius adnotatum eſt, pleraſque corporis ægritudines veluti diabolicæ nequitiæ ac divinæ ultionis haberi effectus conſueviſſe.

℣. 3. JOHANNA UXOR CHUZÆ, PROCURATORIS HERODIS.] Johanna fortaſſe erat vidua Chuzæ, vel ſaltem ex viri ſui conſenſu, uti aliæ nonnullæ, de quibus loquitur Evangelium, Dominum ſequebatur. Chuzas erat Procurator Domus Herodis, vel Regis hujus quæſtor, aut etiam præfectus tractus alicujus in ditione illius; Græcæ enim vocis ſignificatio latiſſime patet. Suſanna, aliæque mulieres, quæ JESUM ſequebantur, *miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. JESU CHRISTI atque Apoſtolorum illius [6] egeſtatibus conſulebant, ne prædicationis miniſterium aliis grave eſſet. Hæc vigebat apud Judæos conſuetudo, ut illi, qui prædicandi, erudiendique populos Provinciam aggrederentur, opem ſibi a piis mulieribus, quæ illos ſequebantur, oblatam minime reſpuerent; idque apud illos citra quamlibet ſcandali ſpeciem fiebat, & quin alieni minum videretur [7]. Apoſtoli poſt Salvatoris reſurrectionem ſimiliter egerunt, & S. Paulus [8] explicite ſe hac libertate uti nolle teſtatur, ne pravis ſermonibus, atque dicteriis tradat occaſionem.

℣. 5. EXIIT, QUI SEMINAT.] Parabolam hanc JESUS CHRISTUS propoſuit in phaſelo quodam ſedens, non ita procul e littore, ut facilius audiretur a turbis, quæ ſecus littus maris Genezareth confluxerant. Hoc autem in Commentariis in S. Matth. 13. 2. jam a nobis explicatum fuit.

℣. 10. UT VIDENTES NON VIDEANT.] Non quod mens illi eſſet inſidias ſtruendi, ac prohibendi, ne viderent; verum ait, illos propter incredulitatem ſuam oculos claudere, ne videant, & mereri, ut Deus ab illis ſuum lumen, & gratiam avertat, quam illi per ſummum nefas contempſerunt. Diſcipulorum vero humilis docilitas amplam nanciſcitur mercedem in revelatione myſterii Regni Cœleſtis, hoc eſt omnium ſecretorum, omniumque veritatum, quas annunciaturus in terras deſcendit; præſertim vero conſiliorum Dei, & rationis omni ſapientia refertiſſimæ, qua ille egit, & Eccleſiæ ipſius inſtitutionis.

℣. 14. SUFFOCANTUR, ET NON REFERUNT FRUCTUM.] Græcus [9]: *ſuffocantur, & non referunt fructum, qui matureſcat*: quæ non eſt abſoluta ſterilitas; ſed defectus prohibens, ne fructus perficiatur, & ad maturitatem perducat.

℣. 15. IN CORDE BONO ET OPTIMO, ... ET FRUCTUM AFFERUNT IN PATIENTIA.] Græcus [10]: recipientes verbum *in corde pulchro & bono, afferunt in patientia*; vel in conſtantia. *Cor pulchrum, & bonum*, Græcis eſt cor perfectum, cor bene diſpoſitum. *Afferre fructum in patientia*, ſignificat illos cum perſeverantia producere, quin deterreamur ingruentibus malis, & oppoſitionibus, quas patimur, ac mora, & cunctatione, quæ ferenda eſt.

℣. 17. NON EST ENIM OCCULTUM.] Quidquid hodie dico in parabolis, aliquando apertum erit. Mihi mens non eſt celandi ea, quæ dico; verum aliquando vos illa in vulgus prodaretis. Ideo apud turbas parabolis utor, quod nondum acceſſerit tempus, hæc perſpicue aperiendi. Vide SS. Matth. 5. 15. Marcum 4. 21.

℣. 19. VENERUNT AD ILLUM MATER ET FRATRES EJUS.] Hæc circumſtantia hoc in loco a reliquis Evangeliſtis minime affertur. Vide SS. Matth. 12. 46. & Marcum 3. 31. Hoc accidit mane ejuſdem diei, quo propoſuit eas parabolas, quarum nuper explicationem tradidimus.

℣. 22. IN UNA DIERUM ET IPSE ASCENDIT;] dixitque diſcipulis: *tranſfretemus trans ſtagnum*, hoc eſt, trans lacum, vel mare Tiberiadis. Hebræi enim maria appellabant, quæ a Græcis ſtagna, & lacus dicebantur. Hoc accidit ſub veſperam ejuſdem diei, quo de navicula ad populum fuerat loquutus. Inde domum reverſus eſt, et veſpere rurſus navim conſcendit, & una cum diſcipulis ſuis, ut ſequentium turbam effugeret, lacum traduxit. Vide Matthæum 8. 28. & Marcum 5. 1. & ſeq.

℣. 26. NAVIGAVERUNT AD REGIONEM GERASENORUM.] In S. Matthæum 8. 28. attulimus jam variantes lectiones exemplarium in hoc loco. Origenes Comment. in Joan. hac de re ita verba facit: *Illis, quibus ſerio in Scripturas elaborandum eſt, negligendæ non ſunt litterales animadverſiones, quæ ad propria nomina ſpectant: Græca enim Exemplaria ſæpe menda non vacant in rerum ſcribendarum ratione, quemadmodum ex Evangeliis ipſis ſatis liquet. Ibi legimus, exempli gratia, porcos, qui præcipites acti ſunt in mare, fuiſſe in regione Geraſenorum. At Geraſa urbs eſt Arabiæ, prope quam nec mare, nec lacus adeſt. Nullatenus fidei conſonum vi*-

1 Ligfoot, Chorograph. Galilæa. 2 Vide 2. Par. 35. 22. 4. Reg. 23. 29. Cum Herodot. lib. 2. c. 159.
3 Gregor. Magn. homil. 33. Ligfoot. Hor. Talm. Beda hic, & alii.
4 Grot. Mald. alii plerique. 5 Αἳ ἦσαν τεθεραπευμέναι ἀπὸ πνευμάτων πονηρῶν, καὶ ἀσθενειῶν.
6 Αἵτινες διηκόνουν αὐτῷ. Alii, αὐτοῖς) ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς.
7 Hieronym. ad Matth. 27. Beda, Strab. Mald. Grot. hic.
8 1. Cor. 9. 5. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini & Cephas?* 9 Συμπνίγονται, καὶ οὐ τελεσφοροῦσι.
10 Ἐν καρδίᾳ καλῇ, καὶ ἀγαθῇ, καρποφοροῦσι ἐν ὑπομονῇ.

detur, Evangeliſtas, qui probe adeo noverant Judææ geographiam, afferre voluiſſe rem aperte falſam, & facile repellendam. Verum enim in paucis Exemplaribus legatur adhuc regio Gadarenorum, operæ pretium eſt, & hoc nomen notare. Gadara Judææ urbs eſt, prope quam inſignes balneæ. Sed ibi neque rupes, neque præcipitia, aſperique loci, neque mare, neque lacus eſt. Supereſt ergo Gergeſa, quæ vetus eſt civitas ſecus Tiberiadis mare ſita, prope quam præruptæ ſunt rupes, quæ protruduntur in mare, ubi oſtenditur locus, unde porci ſeſe in aquam dedere præcipites.

℣. 27. OCCURRIT ILLI VIR QUIDAM.] S. Matthæus 8. 28. de duobus Energumenis loquitur, ſed SS. Marcus 5. 1. & Lucas illum ex duobus memorant, qui magis furebat, ejuſque tantum curationem deſcribunt. Neque enim credas oportet, Evangeliſtas ea omnia narrare prodigia, quæ JESUS CHRISTUS patravit. Illa dumtaxat eligunt, quæ conſiliis ſuis aptiora videntur, ſcilicet ut lectorum fidem confirment, atque illos ædificent. Græcus ait [1], *Energumenum hunc de urbe veniſſe*, quod adverſatur Sanctis Matthæo, & Marco, dicentibus, illum plerumque in ſepulchretis extra Civitatem permanere conſueviſſe. Sed licet hæc admitteremus verba, quæ in Latinis exemplaribus non inveniuntur, dici poſſet vir ille *ex urbe veniſſe*, non quod tunc ipſa inde acceſſiſſet, ſed quod ibi originem duxerat, ibi natus erat, ibique innutritus [2].

℣. 29. AGEBATUR A DÆMONIO IN DESERTO.] Spiritus nequam occaſionem nactus melancholici humoris, qui in hominis illius temperamento dominabatur, illum compellebat in deſerta, in ſepulchra, in montes, ubi ab aliis hominibus procul verſaretur. Dæmon hic Miſanthropos erat, & agreſtis.

℣. 31. NE IMPERARET ILLIS, UT IN ABYSSUM IRENT.] Nonnulli [3] hoc intelligunt, quaſi Dæmones petiiſſent, ne a JESU præcipites mitterentur in mare: ſed vulgo oraſſe creduntur [4], ne præcipites in Infernum darentur. Infernum apud Scripturas [5] abyſſi nomine appellatur, quoniam concipitur veluti lacus in imo terræ centro poſitus: vel tamquam altiſſima fovea, ubi Dæmones, atque damnati æternum relegati ſunt, inde numquam emerſuri. Licet Dæmones quocumque ſupplicium ſuum ferant, atque Dei ſui gratia viduati, eſſe non nequeant ubique ſemper maxime calamitoſi: quadam tamen voluptate afficiuntur, in homines nequitiam, invidiamque ſuam exercentes: atque tamquam ſummam reputant ſibi malorum cæteris fieri acceſſionem, ſicubi nocere non poſſint. Ceterum hiſtoriæ hujus explicatio petenda eſt ex S. Matt. cap. 8. 30. & ſeq.

℣. 41. ECCE VENIT VIR, CUI NOMEN JAIRUS.] Hic plane erat caput Synagogæ Capharnai. At S. Marcus 5. 22. innuere videtur, illum non fuiſſe unicum Synagogæ principem. *Venit*, ait ille, *ad* JESUM *quidam ex Archiſynagogis*. Plures hoc honore inſigniti erant fortaſſe, ſed Jairus inter cæteros eminebat.

℣. 44. FIMBRIAM VESTIMENTI.] Præceperat Moyſes, ut in inferiori palliorum parte Hebræi fimbrias deferrent [6]. Mulier, quæ inferiorem veſtis Domini limbum tetigit, ex S. Ambroſii ſententia, Martha erat [7]. Euſebius hiſt. Eccl. l. 7. c. 17. aſſerit, eam Ethnicam fuiſſe mulierem ex urbe Paneadis ad Jordanis originem, quæ in grati animi monumentum Salvatori noſtro ob hoc miraculum ſtatuam erexit, quam ſuis oculis Auctor ille ſe vidiſſe teſtatur: eamque Sozomenus l. 5. c. 21. hiſt. eccl. & Philoſtorgius hiſt. l. 7. c. 3. docent, uſque ad Imperatoris Juliani tempus ſubſtitiſſe. Johannes Malala & Codinus mulierem hanc Veronicam dicunt, ſed aliam ab altera illa, quam ferunt, depictam Salvatoris noſtri faciem retuliſſe, cum illi offerret ſudarium, quo abſtergeretur, cum ad Calvarium rapiebatur.

℣. 46. EGO NOVI VIRTUTEM DE ME EXIISSE.] Vide ſupra cap. 5. ℣. 17. & cap. 6. ℣. 19. *virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*.

℣. 54. IPSE AUTEM TENENS MANUM EJUS.] Græcus legit [8] *JESUS autem ejecta turba, & manum ejus tenens* &c. Hæc verba apud S. Ambroſium, & in Græcis quibuſdam MSS. non extant. Supponuntur autem inde expuncta fuiſſe, ad evitandam ſoloecismum illam, quam afferunt, appoſitionem, inter hunc & ℣. 51. ubi dicitur JESUS paſſus non fuiſſe, ut in puellæ cubiculum ingrederetur aliquis, præter parentes illius, ac tres diſcipulos ſuos. Sed quin aliquid expungamus, dici poſſunt hæc per anacephalæoſin dicta: Cum JESUS ſolus fuit in cubiculo cum iis, quos modo memoravimus, puellæ manum arripuit, eique, ut ſurgeret, imperavit.

℣. 55. ET REVERSUS EST SPIRITUS EJUS.] Hic igitur non virium defectus erat, ſed vera mors. Anima a corpore ſeceſſerat, inde egreſſa erat; illuc reverſa eſt. Nihil magis perſpicuum afferri poteſt, ut duæ hæ ſubſtantiæ diſtinguantur, atque animæ immortalitas oſtendatur. Vide ſimiles ferme locutiones Pſal. 77. & 39. *Spiritus vadens, & non rediens. Qui aufert Spiritum Principum* 3. 16. *Spiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet; & non cognoſcet amplius locum ſuum* 145. 4. *Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam* &c. Eccle. 12. 7. *revertatur pulvis in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

1 Ὑπήντησεν αὐτῷ ἀνήρ τις ἐκ τῆς πόλεως,
2 Grot. Eraſm. Brug. Camerar. alii,
3 Vatab. Eraſm.
4 Mald. Grot. Brug. Bez. Druſ. Hammond. alii.
5 Apoc. 9. 1. 2. 11. 7. 17. 8. 20. 1. 2. 3. Matth. 8. 29.
6 Num. 15. 38.
7 Ambroſ. de Salomone, c. 5.
8 Αὐτὸς δὲ ἐκβαλὼν ἔξω πάντας, καὶ κρατήσας, &c.

C A P U T IX.

Apoſtolorum miſſio. Quid Herodes de JESU CHRISTO ſenſerit. Quinque panum multiplicatio. S. Petrus fatetur, JESUM CHRISTUM eſſe Dei Filium. Transfiguratio. JESUS puerum Energumenum liberat. Quæſtio inter Apoſtolos de primatu oborta. Filii Zebedæi cupiunt ignem de Cælo elicere in Samariam. JESUS CHRISTUS non recipit quemdam, qui ſe ſe illi obtulit, ut eum ſequeretur: aliumque vocat, quin ne Patri ſuo quidem parentandi ei tempus relinquat.

1. CONvocatis autem duodecim Apoſtolis [1], dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent. 2 Et miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos. 3 Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas

tunicas

tunicas habeatis. 4 Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & inde
ne exeatis. 5 Et quicumque non receperint vos: exeuntes de civitate illa, etiam
pulverem pedum veſtrorum excutite in teſtimonium ſupra illos. 6 Egreſſi au-
tem circuibant per caſtella, evangelizantes, & curantes ubique. 7 Audivit au-
tem Herodes tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo, & hæſitabat, eo quod dicere-
tur 8 A quibuſdam: Quia Johannes ſurrexit a mortuis: a quibuſdam vero: Quia
Elias apparuit; ab aliis autem: Quia propheta unus de antiquis ſurrexit. 9 Et
ait Herodes; Johannem ego decollavi: Quis eſt autem iſte, de quo ego talia audio?
Et quærebat videre eum. 10 Et reverſi Apoſtoli, narraverunt illi, quæcumque
fecerunt: & aſſumptis illis ſeceſſit ſeorſum in locum deſertum, qui eſt Bethſaidæ.
11 Quod cum cognoviſſent turbæ, ſecutæ ſunt illum; & excepit eos, & loquebatur il-
lis de regno Dei, & eos, qui cura indigebant, ſanabat. 12 Dies autem cœpe-
rat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in
caſtella, villaſque, quæ circa ſunt, divertant, & inveniant eſcas: quia hic in lo-
co deſerto ſumus. 13 Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi di-
xerunt: Non ſunt nobis pluſquam quinque panes, & duo piſces: niſi forte nos
eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas. 14 Erant autem fere viri quinque
millia. Ait autem ad diſcipulos ſuos: Facite illos diſcumbere per convivia quinqua-
genos. 15 Et ita fecerunt. Et diſcumbere fecerunt omnes. 16 Acceptis autem
quinque panibus, & duobus piſcibus, reſpexit in cœlum, & benedixit illis, &
fregit, & diſtribuit diſcipulis ſuis, ut ponerent ante turbas. 17 Et manducave-
runt omnes, & ſaturati ſunt. Et ſublatum eſt, quod ſuperfuit illis, fragmento-
rum cophini duodecim. 18 Et factum eſt, cum ſolus eſſet orans, erant cum il-
lo & diſcipuli: & interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt eſſe turbæ? 19
At illi reſponderunt, & dixerunt: Johannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii ve-
ro, quia unus Propheta de prioribus ſurrexit. 20 Dixit autem illis: Vos autem
quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit: Chriſtum Dei. 21 At il-
le increpans illos, præcepit, ne cui dicerent hoc, 22 Dicens: Quia oportet fi-
lium hominis multa pati, & reprobari a ſenioribus, & principibus ſacerdotum, & Scri-
bis, & occidi, & tertia die reſurgere. 23 Dicebat autem ad omnes: Si quis vult poſt
me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. 24
Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam
ſuam propter me, ſalvam faciet illam. 25 Quid autem proficit homo, ſi lucretur uni-
verſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat? 26 Nam qui me e-
rubuerit, & meos ſermones: hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua,
& Patris, & ſanctorum Angelorum. 27 Dico autem vobis vere: ſunt aliqui hic ſtantes,
qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei. 28 Factum eſt autem poſt hæc
verba fere dies octo, & aſſumpſit Petrum, & Jacobum, & Johannem, & aſcendit in mon-
tem, ut oraret. 29 Et facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus ejus altera, & veſtitus ejus
albus, & refulgens. 30 Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes, &
Elias, 31 Viſi in majeſtate: & dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſa-
lem. 32 Petrus vero, & qui cum illo erat, gravati erant ſomno: Et evigilantes viderunt
majeſtatem ejus, duos viros, qui ſtabant cum illo. 33 Et factum eſt, cum diſcederent
ab illo, ait Petrus ad Jeſum: Præceptor, bonum eſt nos hic eſſe: & faciamus tria taber-
nacula, unum Tibi, & unum Moyſi, & unum Eliæ: neſciens quid diceret. 34 Hæc au-
tem illo loquente, facta eſt nubes, & obumbravit eos: & timuerunt intrantibus illis
in nubem. 35 Et vox facta eſt de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum
audite. 36 Et dum fieret vox, inventus eſt Jeſus ſolus. Et ipſi tacuerunt, & nemi-
ni dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ viderant. 37 Factum eſt autem
in ſequenti die, deſcendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa. 38 Et ecce
vir de turba exclamavit, dicens: Magiſter: obſecro te, reſpice in filium meum, quia
unicus eſt mihi: 39 Et ecce ſpiritus apprehendit eum, & ſubito clamat, & elidit,
& diſſipat eum cum ſpuma, & vix diſcedit dilanians eum: 40 Et rogavi diſcipulos
tuos, ut ejicerent illum, & non potuerunt. 41 Reſpondens autem Jeſus, dixit: O
generatio infidelis, & perverſa, uſquequo ero apud vos, & patiar vos? Adduc
huc filium tuum. 42 Et cum accederet, eliſit illum dœmonium, & diſſipavit.

43 Et increpavit Jeſus ſpiritum immundum, & ſanavit puerum, & reddidit illum
Patri ejus. 44 Stupebant autem omnes in magnitudine Dei, omnibuſque mirantibus
bus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad diſcipulos ſuos: Ponite vos in cordibus
veſtris ſermones iſtos: Filius enim hominis futurum eſt, ut tradatur in manus hominum.
45 At illi ignorabant verbum iſtud, & erat velatum ante eos, ut non
ſentirent illud; & timebant eum interrogare de hoc verbo. 46 Intravit autem cogitatio
gitatio in eos, quis eorum major eſſet. 47 At Jeſus videns cogitationes cordis
illorum, apprehendit puerum, & ſtatuit illum ſecus ſe, 48 Et ait illis: Qui-
cumque ſuſceperit puerum iſtum in nomine meo, me recipit: & quicumque me
receperit, recipit eum, qui me miſit. Nam qui minor eſt inter vos omnes, hic
major eſt. 49 Reſpondens autem Johannes, dixit: Præceptor, vidimus quemdam
in nomine tuo ejicientem dœmonia, & prohibuimus eum; quia non ſequitur nobiſcum.
biſcum. 50 Et ait ad illum Jeſus: Nolite prohibere: qui enim non eſt adver-
ſum vos, pro vobis eſt. 51 Factum eſt autem, dum complerentur dies aſſumptio-
nis ejus, & ipſe faciem ſuam firmavit, ut iret in Jeruſalem. 52 Et miſit nun-
tios ante conſpectum ſuum: & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut para-
rent illi. 53 Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jeruſalem.
54 Cum vidiſſent autem diſcipuli ejus Jacobus, & Johannes, dixerunt: Domine,
vis dicimus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos? 55 Et converſus
increpavit illos, dicens: Neſcitis, cujus ſpiritus eſtis: 56 Filius hominis non ve-
nit animas perdere, ſed ſalvare. Et abierunt in aliud caſtellum. 57 Factum eſt au-
tem, ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te, quocumque ie-
ris. 58 Dixit illi Jeſus: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius
autem hominis non habet, ubi caput reclinet. 59 Ait autem ad alterum: Seque-
re me: ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire, & ſepelire patrem
meum. 60 Dixitque ei Jeſus: Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem
vade, & annuntia regnum Dei. 61 Et ait alter: Sequar te, Domine, ſed permit-
te mihi primum renuntiare his, quæ domi ſunt. 62 Ait ad illum Jeſus: Nemo mit-
tens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.

℣. 1. DEDIT ILLIS VIRTUTEM SUPER OMNIA DÆMONIA.] Ita ut nemo illis reſiſtere poſſet: non enim æque facile erat omnes ejicere, quemadmodum ex hoc eodem capite innoteſcet in Energumeno, quem Apoſtoli curare minime potuerunt[1]; quoniam in illum preces, atque jejunium minime exercuerant, & fides eorum, neque ſatis fervens fuerat, nec ſatis exultans.

℣. 3. NEQUE VIRGAM .... NEQUE DUAS TUNICAS.] Videlicet neque mutatorias veſtes: vulgo enim una tantum tunica deferebatur; ſed cum iter ingrediendum erat, tunc & altera ſaltem afferebatur, qua poſſent mutari. Hæc omnia ſignificant: ite, quo mitto vos, quin nihil vobiſmet comparetis; omnino in mea providentia confidite.

℣. 4. IBI MANETE, ET INDE, NE EXEATIS.] B Quamdiu in ea urbe permanebitis, ibi ſedes veſtra ſit, neque egrediamini, ut de domo in domum migretis, ad meliores cœnas captandas, vel ut alibi commodius commorari poſſitis. Hoc enim injurium eſſet illis, qui vos domi ſuæ receperunt. Græcus legit[2] e *permanete ibi, & egredimini*. Sed plurima exemplaria[3] cum Vulgata legunt: *ibi manete, & inde ne exeatis*. S. Matthæus 10. 11. *ibi manete, donec exeatis*.

℣. 7. AUDIVIT HERODES TETRARCHA &c.] Admirabatur Herodes, quidquid de Jeſu dicebatur. Animis pendebat, quin certum conſilium caperet ex iis ſermonibus, quæ in populo de Jeſu ferebantur; aliis opinantibus, illum eſſe Eliam, aliis vero credentibus, eſſe Johannem Baptiſtam ex inferis ſuſcitatum: cui poſtremæ ſententiæ inclinare videbatur Herodes[4]; C verum fluctuabat adhuc, & incertus erat conſilii. Hine videntur Judæorum nonnulli, & Herodes ipſe quamdam metempſicoſeos ſpeciem credidiſſe. Phariſæi, Jo-

A ſepho teſte Antiqu. l. 18. cap. 2. animam immortalem eſſe putabant, & poſt corporis mortem docebant, in ſubterraneos locos illam concedere, ubi prout bene, vel male egerat, præmiis afficiebatur, vel pœnis; impiorum animæ æternum ibi permanebant torquendæ, quin umquam egrederentur: Animæ vero bonorum nonnumquam egrediebantur, atque in alia corpora reverſebantur.

Libro vero ſeptimo de Bello Jud. cap. 25. ait, dæmones, quibus Energumeni poſſidentur, atque torquentur, ita ut aliquando ad necem uſque affligantur, non aliud eſſe, quam impiorum manes, his corporibus potitas. Docebat Philo de Somn. animas ex corporibus exeuntes in aerem, unde venerant, reverti; & nonnumquam in terram etiam redire, ac regredi in corpus, cum quo nexum aliquem haberent, cum interim aliæ corpus ſuum reſpicerent, tamquam carcerem, vel ſepulchrum, ubi mala fuerant perpeſſæ. S. Juſtinus Martyr apolog. 2. pag. 65. ait, etiam dæmonis obſeſſiones per mortuorum manes fieri.

Veteres nonnulli Judæorum auctores, non ſecus ac recentiores Rabbini quidam, animarum docent metempſicoſim, & putant, hanc ex Prophetarum ſcriptis a Platone, Pythagora, aliiſque fuiſſe deprompsam. Chaldæus hunc ſenſum amplexus eſt in ea Iſajæ verba 22. 14. *ſi dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini*: quod explicat *de ſecunda morte*, quæ contingit cum anima, quæ bis corpus ſuum animavit, inde iterum ſecedit. Hoc ipſum invenitur in libro veteri, cui nomen Zohar. Credunt ad hæc, animam deſcendere poſſe in eum hominem, qui altera jam animatus eſt. Ex. gr. adoleſcens treſdecim, vel quatuordecim natus annos alteram poteſt animam recipere, quæ priorem perficiat, atque quodammodo reddat emplio-rem,

[1] Luc. 9. 28. Matt. 17. 15. 20. [2] Ἐκεῖ μένετε, καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε. [3] Perſ. Æthiop. Auguſt. Bede, Steph. 6 Velez. [4] Matth. 14. 2. *Hic eſt Johannes Baptiſta, ipſe ſurrexit a mortuis, &c.*

rem [1]: Nonnunquam anima ingreditur in corpus recens effictum, vel ad expianda ſcelera, quæ prius in vita commiſerat, vel ad recentem aliquam perfectionem, quæ ipſi deerat, comparandam, vel ad opem ferendam alteri animæ nimis imbecilli, ut peccatum vincat. Aliæ vero ſenſibus magis traditæ, ideo in corpora revertuntur, ut ſenſibilibus voluptatibus, quibus illectæ ſunt, perfruantur. Ajunt hujuſmodi revolutiones ter uſque, & quater fieri, & ad hanc metempſycoſim transferunt ea verba Job. 33. 29. *ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per ſingulos*. Credunt alii, Job hoc in loco loqui velle de animabus, quæ corpus animare poſſunt, & innuere, aliquas ter hoc efficere poſſe; ulterius vero non item. Huic ſententiæ ſi velimus inſiſtere, mirum non videbitur, Herodem crediſſe, quod S. Johannis Baptiſtæ anima cum ea Jeſu Chriſti in uno, eodemque corpore fuerit conjuncta, ad recentes, perfectioreſque operationes producendas.

Ex ipſis rerum primordiis, ex illorum ſententia, plures fuerunt animæ bonæ, vel malæ, quæ plures ſubierunt revolutiones. Moyſes Abel anima animabatur: in Ægyptium vero, qui a Moyſe interfectus fuit, migraſſe dicunt animam Cain. Poſterior hæc anima miſſa fuit in corpus Jethro Soceri Moyſis, ubi expiata fuit, atque effecta nitenti lumine micans. Ferunt, Rabbinum Salomonem Moyſis animam obtinuiſſe: & credunt, animas non ex hominis corpore dumtaxat in hominem migrare; verum etiam ex homine in brutum, immo & in res inanimas, veluti in fluvium, in fontem &c. Rabbini complures [2] crediderunt, Phinees, & Prophetam Eliam eodem Spiritu fuiſſe animatos, & animam Adam, David, & Meſſiæ eamdem eſſe. At nuſquam finem inveniremus, ſi omnes Rabbinorum nugas, atque commenta hac de re afferre vellemus.

S. Hieronymus in Matth. 14. animadvertit, complures abuſos fuiſſe locis his Evangelii, quos explicamus, ut metempſycoſim juxta Pythagoræorum doctrinam confirmarent. Cæterum Judæorum plerique veram cognoſcebant reſurrectionem, eam videlicet corporum, quæ animamus, & quæ aliquando iterum animanda ſunt iiſdem animabus, quibus nunc animantur. Quæ ſententia de fide eſt, & ab Eccleſia docetur, quæ illam ex veteris, novique Teſtamenti Bibliis deprompſit: cum altera reſurrectionis ſpecies, Phariſæorum videlicet, vel Pythagoræorum metempſycoſis, nullibi in Scripturis inveniatur, neque ullam habeat veriſimilitudinem. Fidei tamen conſonum videtur, errorem hunc apud Judæos Jeſu Chriſti ævo jam jam percrebuiſſe, quemadmodum ex Joſepho, & Philone innoteſcit; licet, quo tempore inceperit, non ita facile dictu ſit. Hæc ſententia Orientalibus ſemper maxime placuit, & ad hanc quoque diem ibi gentium vulgariſſima fertur. Non deſunt etiam, qui ejuſdem veſtigia in Eliæ hiſtoria ſe deprehendere arbitrentur, qui cum raptus fuiſſet ignito curru, ut conſtat, Hebræos videntes miracula, quæ ab Eliſæo patrabantur [3], Eliæ Spiritum ſuper Eliſæum quieviſſe dicebant.

℣. 10. SECESSIT IN LOCUM DESERTUM.] Civitas hæc erat trans Jordanem prope Jordanis oſtium, ubi in Tiberiadis lacum ingreditur. Deſertum Bethſaidæ in proximis agris protendebatur ultra lacum eumdem, meridiem verſus. Vide SS. Matthæum 14. 13. Marcum 6. 31. ubi dicitur, Jeſus mare illud traduxiſſe, in deſertum iſtud conceſſurus.

℣. 12. DIES AUTEM COEPERAT DECLINARE.] Sanctus Lucas hanc narrationem compendiaria refert via; videri poteſt S. Johannes 6. c. & ſeq. aliique duo Evangeliſtæ locis memoratis.

℣. 16. BENEDIXIT.] Deo gratias egit, eumque orravit, ut benedictionem ſuam effunderet ad hos panes multiplicandos.

℣. 18. ET FACTUM EST, CUM SOLUS ESSET ORANS.] Ex diſcipulis ſuis quæſivit, quid de ſe populus diceret. Hoc accidit pridem ante miraculum multiplicationis panum, & cum JESUS una cum diſcipulis ſuis non procul a Cæſarea Philippi verſaretur. Videri poſſunt dicta in S. Matthæum 16. 13.

℣. 23. DICEBAT AUTEM AD OMNES.... TOLLAT CRUCEM SUAM QUOTIDIE.] Plurimi veteres Manuſcripti [4] omittunt hanc vocem *quotidie*. Quidam etiam non legunt univerſam hanc periodum; *tollat crucem ſuam quotidie*. Verum omnia hæc verba leguntur in verſionibus Syriacis, Gothicis, Vulgata, atque Latinis exemplaribus. Jeſus Chriſtus oſtendit jugis mortificationis neceſſitatem, nec ſufficere anno uno, vel & altero, Crucem ferre, ſed hanc quotidie, indefinenter, & ad mortem uſque eſſe ferendam. Vita Chriſtiana perennis prælium eſt carnis cum ſpiritu, & ſpiritus colluctatio adverſus carnem. Qui præliari deſierit, jam victus eſt.

℣. 24. QUI VOLUERIT ANIMAM SUAM SALVAM FACERE.] Ille ſalvam facit animam ſuam, qui impendit illam, ut fidem, ac religionem ſuam tueatur: ille vero vitæ ſuæ jacturam facit, qui eamdem ſervat cum innocentiæ detrimento, abdicans Jeſum Chriſtum. Jactura, de qua hic agitur, non eſt dumtaxat vitæ corporis, ſed vitæ animæ, quæ toto Cœlo pretioſior eſt. Atqui ſi mors corporis habetur, tamquam malorum omnium graviſſimum, quid autem de animæ interitu erit exiſtimandum? ℣. 25. *quid enim proficit homo, ſi lucretur univerſum mundum, ſe autem ipſum perdat?*

℣. 27. DONEC VIDEANT REGNUM DEI.] Hoc vulgo intelligitur de transfiguratione, in qua Jeſus Chriſtus tribus ex diſcipulis ſuis gloriæ ſuæ ſpecimen tribuit.

℣. 28. FERE DIES OCTO.] Illi Evangeliſtæ [5] ſex dumtaxat memorant dies, ita S. Lucas addidit *fere*, ut innueret, ſe temporis non adeo ſignanter meminiſſe. Transfigurationis hiſtoria petenda eſt ex S. Matthæo c. 17. ℣. 1. c. & ſeq.

℣. 31. VISI IN MAJESTATE; ET DICEBANT EXCESSUM EJUS.] De Paſſione illius colloquebantur, quemadmodum a pleriſque Interpretum explicatur. S. Petrus [6] abitum vocat mortem; eaque loquendi ratio communis eſt in hoc ſenſu, non ſolum apud Patres, Auctoreſque Eccleſiaſticos, verum etiam apud prophanos auctores vulgariſſima [7]. Sunt [8], qui hoc intelligant de ultione a Salvatore in Jeroſolymam exercenda. *Exitus, exceſſus* ſignificare poſſunt, vel Jeſu Chriſti adventum in terras [9], vel ejuſdem ex terris diſceſſum ad Cœlos profecturi [10], vel adventum illius tamquam Dei ultoris contra Judæos inimicos ſuos, vel contra impios noviſſima judicii die. Egredi ſæpius in Scripturis, atque apud prophanos ſignificat, in aciem deſcendere, expeditionem aliquam ſuſcipere, bellum ingredi &c. ſed prior præſtat explicatio. Græca quædam vetera exemplaria legunt [11]: *loquebantur de gloria ejus*, quod de Cruce Euthymius interpretatur. Sed illud vetus plane fuit mendum librarii.

℣. 32. GRAVATI ERANT SOMNO.] Jeſus cum aſcendiſſet in Montem, ubi ſe ſe erat transfiguraturus, primum quidem orare cœpit, dumque oraret, repente lumine circumdatus fuit eo modo, quo vidimus ſuperiori verſiculo. Interim Petrus, Jacobus, & Johannes capti ſomno, obdormierunt; ſed mox experrecti viderunt Jeſum Chriſtum cum Elia, & Moyſe fulgidiſſima luce coruſcantem. Lucas Brugenſis ex hoc loco conjicit, Domini noſtri transfigurationem noctu accidiſſe, cui ſententiæ ℣. 37. maxime ſuffragatur.

℣. 34. FACTA EST NUBES, ET OBUMBRAVIT EOS.]

1 Vide Iſaac Lorienſ. de Revolut. Animar. & Manaſſ. Ben-Iſrael, de reſurrect. mortuorum.
2 Vide Grot. ad Matt. 14. 2. 3 4. Reg. 2. 15. *Requievit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſæum*.
4 Vide Mill. Var. Lect. hic. 5 Matth. 17. 1. Marc. 9. 1.
6 2. Petr. 1. 15. *Dabo operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum*. Μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον.
7 Vide Grotium, & Vallam hic. 8 Hamm. & le Clerc. hic.
9 Joann. 16. 28. *Exivi a Patre, & veni in mundum, &c.* 10 Joann. 13. 1. *Quia venit hora ejus, ut tranſeat de hoc mundo ad patrem*. 11 Ἔλεγον τὴν δόξαν αὐτοῦ. Vide Mill. Var. Lect. hic.

Apoſtolos ne, an Eliam, & Moyſem? Fidei magis A
conſonum eſt, ſub viſionis finem lucidam apparuiſſe nubem, quæ Jeſum, Eliam, & Moyſem involvit, atque tunc auditam fuiſſe de Cœlo vocem: *hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite*. Eodem vero tempore nubes evanuit, & abſtulit Moyſem, & Eliam, ita ut Jeſus Chriſtus in ſtatu communi ſolus cum tribus Apoſtolis ſuis remanſerit. Non deſunt eruditi Interpretes, qui credant, Apoſtolos etiam nube eadem fuiſſe obumbratos: neque textus adverſatur.

℣. 37. SEQUENTI DIE.] Jeſus noctem partim orans, partim cum Moyſe, & Elia collocutus in monte traduxerat; poſtridie mane cum Petro, Jacobo, & Johanne deſcendens rediit ad alios diſcipulos, qui illum cum turbis præſtolabantur.

℣. 38. MAGISTER RESPICE IN FILIUM MEUM.] B
Vide eamdem hiſtoriam apud S. Matt. 17. 14.

℣. 40. ROGAVI DISCIPULOS TUOS, UT EJICERENT.] S. Matthæus 17. 18. rationem adfert, cur non ejecerint. Cum enim diſcipuli ſeorſim Magiſtro ſuo dixiſſent: *quare nos non potuimus ejicere illum? dixit illis Jeſus: propter incredulitatem veſtram. Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem, ſicut granum Sinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illuc, & tranſibit; & nihil impoſſibile erit vobis. Hoc autem genus non ejicitur, niſi per orationem, & jejunium.*

℣. 44. FILIUS HOMINIS FUTURUM EST, UT TRADATUR.] Jeſus hoc dixit Apoſtolis ſuis, cum per Galilæam prædicantes irent, atque ex monte, ubi transfiguratus fuerat, Capharnaum reverterentur. Vide S. Matt. c. 17. ℣. ℣. 18. 19. 20. 21. C

℣. 45. ILLI IGNORABANT VERBUM ISTUD.] Sciebant, quid ſibi vellet tradi in manus inimicorum, atque interfici; verum minime aſſequebantur, quomodonam Jeſus Chriſtus, quem ſciebant eſſe Meſſiam, ac Filium Dei, & quem immortalem, atque æternum putabant, poſſet mortem ſubire, atque ulla ab hominibus affici contumelia. Hæc ſimul ipſis eſſe non poſſe videbantur, ſed ibi myſterium aliquod adeſſe putabant; quod minime intelligebant.

℣. 46. QUIS EORUM MAJOR ESSET.] Ea, quæ Jeſus Chriſtus nuper illis dixerat, cauſam præbuere, ut putarent, ipſum quamprimum manifeſtaturum eſſe gloriam ſuam, & antiquum Regnum Juda inſtauraturum, in quo ſinguli ſperabant, futurum, ut iis honoribus decorarentur, qui ab illo erant conferendi. Hoc vero a- D
gebatur, ut ſcirent, quinam eſſet præferendus. Hæc erat Apoſtolorum infirmitas, & fallax eorum præjudicium, quod de Meſſiæ Regno conceperant.

℣. 47. APPREHENDIT PUERUM.] Præterit S. Lucas plurimas circumſtantias, quæ ab aliis Evangeliſtis narrantur [1]. Apoſtolorum quæſtio accidit in via, & cum abeſſet Jeſus, qui ante illos cum S. Petro Capharnaum præceſſerat; quod vero iſthic narratur de puero, quem illis conſtituit Jeſus, tamquam humilitatis, quam in illis requirebat, exemplum: tunc accidit, cum omnes domum fuiſſent ingreſſi. Tunc diſcipuli, ut controverſia a Jeſu eodem dirimeretur, ex eo quæſierunt, quinam futurus eſſet major in Regno Cœlorum; & ipſe illis ea reddidit, quæ legimus hoc in loco; illum ſcilicet, qui cæteros humilitate, atque E
modeſtia præſtaret, eumdem etiam & gloria in Cœleſti Regno alios ſuperaturum.

℣. 49. VIDIMUS QUEMDAM IN NOMINE TUO.] Hoc probat ea, quæ diximus, Jeſum Chriſtum, & S. Petrum Capharnaum ante alios veniſſe, & paulo ante a reliquis diſcipulis diſceſſiſſe. Quæ circumſtantia iſthic ſolum, & in S. Marco 9. 38. invenitur.

℣. 51. CUM COMPLERENTUR DIES ASSUMPTIONIS EJUS.] Scilicet dies, qua ex hoc mundo diſceſſurus erat. Græcus ad litteram [2], *cum dies receptionis*, vel reditus Jeſu, *complerentur, arripuit iter, Jeruſalem profecturus*. Hoc tamen non innuit, quemadmodum Interpretes quidam crediderunt [3]; nunc noviſſime Jeroſolymam illum veniſſe, atque hoc poſtremum fuiſſe iter vitæ ſuæ, antequam crucifigeretur. Ex Evangeliſtarum narratione plures adhuc menſes ante Jeſu Chriſti obitum interceſſiſſe, & Salvator tunc pro Pentecoſtes feſtivitate illuc ſe ſe contuliſſe videntur. Verumtamen hic annus noviſſimus erat vitæ Jeſu Chriſti, & jam norat Judæorum animum, & quod non ita multo poſt ſibi erat eventurum. Quidam credunt [4], *reditum* vel receptionem, aut aſſumptionem illius, hoc in loco ſignificare mortem illius ſuper Crucem, ubi in ſublime elatus animam efflavit. Verum plerique [5] hoc de illius aſcenſione, atque reditu ad Patrem interpretantur. Quoad ea verba, *confirmavit iter ſuum*, nonnumquam in Scripturis pro pertinacia, atque obſtinatione in malum uſurpantur [6]: ſed intelligi quoque poſſunt de certa, atque ſtatuta voluntate, & inflexibili, conſtantique conſilio, ea, quæ decreta fuerunt [7], perficiendi. Jeſus ergo & oris habitu, & inceſſu, & ſermone teſtatus eſt, ſe, licet ſibi necem ſtruerent inimici, Jeroſolymam proficiſci velle.

℣. 52. MISIT NUNTIOS ANTE CONSPECTUM SUUM.] Credidit S. Hieronymus ep. ad Algaſ. qu. 5. JESUM CHRISTUM ante ſe veros Angelos præmiſiſſe, adventum ſuum nuntiaturos. Græca vox [8], ut plurimum Angelos ſignificat, ſed nonnumquam etiam ad legatos, ac nuntios indigitandos uſurpatur. Autumant plerique [9], Salvatorem miſiſſe Jacobum, & Johannem, qui ſuum in urbem adventum nuntiarent, ibique ad victum neceſſaria, ſedemque præpararent. Cum enim ſemper maxima populi ſtipatus frequentia pergeret, ubique prædicans, ægroſque curans, nihilque ſibi annonę deferret; neceſſarium erat, ut hac uteretur præcautione his in locis, quo acceſſurus erat, ibique adventum ſuum prænunciaret, ut locus inveniri poſſet, ubi diverſaretur, monitique populi ad illum accederent, audituri præcepta, & fructum ex illius præſentia facturi, ægros ſanandos ad eum afferentes. Cæterum unus Lucas ea retulit, quæ iſthic a verſ. 55. uſque ad capitis finem leguntur.

INTRAVERUNT IN CIVITATEM SAMARITANORUM.] Vel in quamdam Civitatem Samaritanorum: non enim liquet utrum Civitas hæc fuerit Samaria. Græcus habet [10], *in oppidulo Samaritanorum* [11]. Samaria quędam erat Provincia, quæ plurima oppida complectebatur.

℣. 53. ET NON RECEPERUNT EUM.] Alia quavis occaſione illum recepiſſent; nam licet Judæi, atque Samaritani ſe ſe mutuo perſequerentur odio, viciſſim tamen mutua ſibi humanitatis præſtabant officia, quemadmodum liquet ex Samaritani illius exemplo, qui curam cepit Judæi, qui in latronum manus ceciderat, & ſemianimis relictus fuerat Luc. 10. 33. & ex altero illo JESU CHRISTI, qui potum petiit ex muliere quadam in Sichem Joan. 4. 7. & qui in eamdem Civitatem ingreſſus ibi diebus aliquot docuit. Verum quoad religionem ſpectabat, nulla inter ipſos intercedebat ſocietas Joan. 4. 9. *non coutuntur Judæi Samaritanis*. Cum autem JESUS, & inceſſu, & aliis temporis illius circumſtantiis oſtenderet, ſe Jeroſolymam petere pro Pentecoſtes ſolemnitate, atque ab ipſo ita cultum, ac religionem Samaritanorum damnari, illum domi ſuæ recipere noluerunt, qui alioquin nimis aperte in eorum præjudicia invehebatur [12]. Veteres quidam [13] perinde locum hunc intellexerunt, ac Samaritani domi ſuæ Jeſum retinere minime potuiſſent, licet hoc maxime concupiiſ-

1 Matth. 17. 23. Marc. 9. 33. &c. 2 Ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε τοῦ πορεύεσθαι εἰς Ἱερουσαλήμ. 3 Beza, Grot. alii.
4 Heinſius. 5 Mald. Brug. Vat. Camer. Eraſm. alii. Vide Marc. 16. 19 Act. 1. 11. & 1. Timoth. 3. ult.
6 Prov. 7. 13. 21. 29. Jerem. 42. 15. Ezech.
7 Ezech. 4. 3. 14. 8. Jerem. 21. 10. 8 Καὶ ἀπέστειλεν ἀγγέλους πρὸ προσώπου αὐτοῦ.
9 Euthym. Mald. Grot. 10 Εἰς κώμην. Quidam. Εἰς πόλιν.
11 Vall. Eraſm. Vatab. Grot. Brug. Beza. 12 Euthym. Beda. Mald. alii plerique.
13 Vide Ambroſ. & Theophylact. hic, & Hieronym. ep. ad Algaſ. qu. 5.

cupiiſſent feſtinantem, ut Jeroſolymam aſſequeretur. A Sed hæc ſententia Evangelii ipſius textui adverſatur: quorſum enim Jacobus, & Johannes peteret, ut in oppidum hoc de Cœlo ignis deſcenderet, ſi Oppidani hoſpitaliter recipere, atque retinere JESUM deſideraſſent?

℣. 54. VIS DICIMUS, UT IGNIS DESCENDAT.] Ex hoc fortaſſe loco Jacobo, & Johanni appoſitum fuit nomen *filiorum tonitrui* [1]: eorum zelus pro JESU CHRISTI gloria nimium ſucc̄enſus [2], & ultor animus, qui in illis adhuc vigebat, eos impulit, ut hoc peterent, quod Eliæ exemplo [3], de Cœlo in milites Samaritani Regis ignem elicientis, ſibi licere videbantur. Græcus legit [4]: *ut fecit Elias*; quod videtur etiam in verſionibus Arabica, Perſica, Syriaca, Æthiopica, Gothica; credititque Grotius a Librariis expunctum, quoniam Marcionitis favere credebatur [5]. B

℣. 55. NESCITIS, CUJUS SPIRITUS ESTIS.] Vel ad quem ſpiritum vocati ſitis, vel ad quem ſpiritum pertineatis, vel quo ſpiritu animati ſitis, non diſtinguitis ultionis, rigoris, ſervitutis ſpiritum, qui Legis eſt, a ſpiritu clementiæ, manſuetudinis, miſericordiæ, qui eſt Evangelii [6]. Neſcitis, immodicum zelum hunc, atque ſeveritatem mihi nullatenus placere: nondum mentem, animumque meum eſtis aſſecuti. Recto zelo vos ſuccendi arbitramini, ſed ultionis, atque iræ zelus vos rapit. Nomen *Spiritus* ſæpius in Scriptura uſurpatur pro cordis habitu, affectu, ſenſu: ita dicitur ſpiritus timoris, potentiæ, infirmitatis, ægritudinis [7] &c.

℣. 56. NON VENIT ANIMAS PERDERE, SED SALVARE.] En quinam ſit ſpiritus meus, & quem deceret veſtrum eſſe: ſpiritus videlicet manſuetudinis, clementiæ, ſuavitatis, pacis. Veni, ut ad religionem meam homines non ferro, non igne, ſed perſuaſione, atque patientia evocarem. Hac in re vos me imitemini, oportet. C

℣. 57. SEQUAR TE &c.] Hoc in alia occaſione affertur a S. Mattheo 8. 19. & a fide minime alienum eſt, idipſum non ſemel prolatum fuiſſe. JESUS eorum, qui ſe ſe offerebant, ut illum ſequerentur, periculum faciebat, dicens, ſummam eſſe paupertatem ſuam, & illi, qui ipſum ſequi velit, omnia prorſus eſſe relinquenda.

A ℣. 60. SEQUAR TE, DOMINE: SED PERMITTE MIHI.] Hoc apud S. Mattheum invenitur 8. 21. ſed alia in circumſtantia. Statuere nemo poteſt, uter Evangeliſta temporum ordinem melius ſervarit. Videtur S. Lucas iſthic tria congerere exempla, quæ aliquam inter ſe rationem habere videntur, dumtaxat ob hanc ipſam rationem.

℣. 61. SEQUAR TE SED PERMITTE MIHI.] Hoc nonniſi apud S. Lucam invenitur. Hominis hujus reſponſio in Græco textu non unum poteſt ſenſum admittere [8]: *permitte mihi, ut vale dicam iis, qui ſunt domi meæ* [9], vel *permitte mihi, ut publice renuntiem ea omnia, quæ ſunt domi meæ* [10]; permitte, ut illa conſanguineis meis habenda tradam, ac propria dicam. Prior ſenſus magis conformis videtur ſtylo Novi Teſtamenti [11], quod ſæpius utitur Græco verbo, *vale dicere*, B quod iſthic occurrit, in ſenſu proprio, quod ad perſonas attinet; in ſenſu enim figurato rebus etiam inanimis *dici vale* poteſt [12]. Credit Grotius, hominem hunc, non ſecus ac eum, de quo verſ. 57. 58. ſermo eſt, ſecutus fuiſſe JESUM CHRISTUM, atque in albo ſeptuaginta duorum diſcipulorum numero fuiſſe relatus.

℣. 62. NEMO MITTENS MANUM AD ARATRUM &c.] Videtur Salvator iſthic alludere ad ea, quæ contigerunt, cum Eliſæus ab Elia vocatus fuit: ille enim aratrum agebat, cum ab Elia ad Propheticum munus fuit accerſitus [13]. Eliſæus ſtatim aratrum reliquit, atque, Elia permittente, domum cucurrit, ut parentibus ſuis vale diceret; duos ex bobus occidit, eoſque ſuccenſi aratri igne excoquit, ac deinceps Prophetæ adhæſit. C Jubet JESUS CHRISTUS, qui ipſum ſequi velint, nil præterea cogitare; ſi aratro hoic manum appoſuerint, non licet amplius caput retro vertant; ſi aratrum, atque ſæculi negotia reliquerint, nefas eſt ad illa iterum revertantur: *Mittere manum ad aratrum*, Græcorum proverbium eſt, quod facti alicujus initium deſignat. Non ſecus ac, qui aratrum regit, oculos minime circumferat opus eſt, ut rectos, æquales, & æque profundos ſulcos efficiat; ita quicumque meæ ſervituti adhærere vult, omnia illi profecto abdicanda ſunt, ut ſine ulla mentis, in alia negotia abeuntis, exceſſu, munere ſibi mandato diligentiſſime perfungatur [14].

---

1 Marc. 3. 17. 2 Tit. Boſtr. Beda, Hieronym. ad Algaſ. 4. 5. alii.
3 4. Reg. 1. 10. 11. 12. 4 Ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησε. 5 Vide Tertull. lib. 4. p. 540. contra Marcion.
6 Maldonat. Brug. Grot. Beza. 7 Vide Grotium, & Hamm. in hunc locum.
8 Πρῶτον δὲ ἐπίτρεψόν μοι ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου.
9 Cyrill. apud D. Thom. Beda, Eraſm. Bogenſ. Bez. Grot. Syr. Arab.
10 Auguſt. lib. 2. de Conſenſu cap. 23. *Renuntiare iis quæ domi ſunt*. Ita & Maldonat. & Eraſm. & Brug.
11 Marc. 6. 46. Καὶ ἀποταξάμενος αὐτοῖς. Act. 18. 21. Ἀπετάξατο αὐτοῖς. 2. Cor. 2. 13. Ἀλλὰ ἀποταξάμενος αὐτοῖς.
12 Luc. 14. 33. Ἀποτάσσεται πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ. 13 3. Reg. 19. 19. 20. 21.
14 Vide Philipp. 3. 13. *Quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea, quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor*. Maldonat. Grot. Brug.

CAPUT X.

Septuaginta duo diſcipuli mittuntur ad Evangelium prædicandum. Reditus illorum, & lætitia. Væ Civitatibus, quæ non convertuntur. Deus parvulis, atque ſimplicibus ſe ſe communicat. Quinam ſit proximus noſter? JESUS apud Martham, & Mariam. Hæc meliorem partem eligit.

1. POſt hæc autem deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos; & miſit illos bi-
nos ante faciem ſuam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus.
2 Et dicebat illis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo
dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. 3 Ite: ecce ego mitto vos ſi-
cut agnos inter lupos. 4 Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta,
& nemi-

& neminem per viam ſalutaveritis. 5 In quamcumque domum intraveritis, primum
dicite: Pax huic domui: 6 Et ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax ve-
ſtra; ſin autem, ad vos revertetur. 7 In eadem autem domo manete, edentes, & bi-
bentes, quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua. Nolite tranſire
de domo in domum. 8 Et in quamcumque civitatem intraveritis, & ſuſceperint vos,
manducate, quæ apponuntur vobis: 9 Et curate infirmos, qui in illa ſunt, & dicite
illis: Appropinquavit in vos regnum Dei. 10 In quamcumque autem civitatem in-
traveritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite: 11 Etiam pulve-
rem, qui adhæſit nobis de civitate veſtra, extergimus in vos: tamen hoc ſcitote, quia
appropinquavit regnum Dei. 12 Dico vobis, quia Sodomis in die illa remiſſius erit,
quam illi civitati. 13 Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Si-
done factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere ſeden-
tes pœniterent. 14 Verumtamen Tyro, & Sidoni remiſſius erit in judicio, quam vo-
bis. 15 Et tu Capharnaum uſque ad cœlum exaltata, uſque ad infernum demergeris.
16 Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit,
ſpernit eum, qui miſit me. 17 Reverſi ſunt domum ſeptuaginta duo cum gaudio, di-
centes: Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo. 18 Et ait illis:
Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. 19 Ecce dedi vobis poteſtatem
calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil
vobis nocebit. 20 Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjici-
untur: gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. 21 In ipſa hora
exultavit Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ,
quod abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Eti-
am Pater: quoniam ſic placuit ante te. 22 Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo.
Et nemo ſcit, quis ſit Filius, niſi Pater; & quis ſit Pater, niſi Filius, & cui
voluerit Filius revelare. 23 Et converſus ad diſcipulos ſuos, dixit: Beati oculi, qui vi-
dent, quæ vos videtis. 24 Dico enim vobis, quod multi prophetæ, & reges volue-
runt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audie-
runt. 25 Et ecce quidam Legiſperitus ſurrexit tentans illum, & dicens: Magiſter,
quid faciendo vitam æternam poſſidebo? 26 At ille dixit ad eum: In lege quid
ſcriptum eſt? quomodo legis? 27 Ille reſpondens dixit: Diliges Dominum Deum
tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex om-
ni mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum. 28 Dixitque illi: Recte reſpondiſti:
hoc fac, & vives. 29 Ille autem volens juſtificare ſeipſum, dixit ad Jeſum: Et
quis eſt meus proximus? 30 Suſpiciens autem Jeſus, dixit: Homo quidam deſcen-
debat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum:
& plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto. 31 Accidit autem, ut ſacerdos quidam
deſcenderet eadem via: & viſo illo præterivit. 32 Similiter & Levita, cum eſſet ſe-
cus locum, & videret eum, pertranſiit. 33 Samaritanus autem quidam iter faciens,
venit ſecus eum: & videns eum, miſericordia motus eſt. 34 Et appropians alliga-
vit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in jumentum ſuum,
duxit in ſtabulum, & curam ejus egit. 35 Et altera die protulit duos denarios, &
dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque ſupererogaveris, ego,
cum rediero, reddam tibi. 36 Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi,
qui incidit in latrones? 37 At ille dixit: Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait
illi Jeſus: Vade, & tu fac ſimiliter. 38 Factum eſt autem, dum irent, & ipſe in-
travit in quoddam caſtellum; & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in
domum ſuam. 39 Et huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes
Domini, audiebat verbum illius: 40 Martha autem ſatagebat circa frequens miniſte-
rium: quæ ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me
ſolam miniſtrare? dic ergo illi, ut me adjuvet. 41 Et reſpondens dixit illi Domi-
nus: Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima. 42 Porro unum eſt
neceſſarium. 43 Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

℣. 1. DESIGNAVIT DOMINUS & ALIOS SEPTUAGINTA DUOS.] Præter duodecim Apoſtolos, quos antea elegerat, elegit adhuc diſcipulos duos & ſeptuaginta, qui Evangelium nuntiarent. Sciebat ille, nimiam paucis meſſoribus eſſe meſſem [1]. Apoſtoli duodecim erant veluti duodecim Patriarchæ tribuum duodecim capita. Diſcipuli vero ſeptuaginta duo deſignabant ſeniores illos Spiritu Sancto repletos, quos elegerat Moyſes, ut ſibi in miniſterii ſui muneribus præſtarent opem [2]. In eo hominum numero, qui nationem univerſam erat exhibiturus, Judæi vel duodecim, vel duos & ſeptuaginta uſurpabant, ſingulos, vel ſenos in ſingulas tribus. Quemadmodum Epiſcopi duodecim Apoſtolorum ſucceſſores ſunt; Coepiſcopi, atque Sacerdotes in verbi miniſterium aſſumpti, exhibent diſcipulos duos & ſeptuaginta [3]. Plurima Exemplaria Græca, verſiones Syriaca, Cophta, Gothica, S. Irenæus, S. Ambroſius, S. Hieronymus, Tertullianus, aliique plures legunt, *ſeptuaginta* dumtaxat, pro *duobus & ſeptuaginta*. Sed Vetus MS. Græcus Cantabrigienſis, Perſica verſio, S. Auguſtinus, Auctores & Recognitionum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, aliique plures MSS. Græci Vulgatam ſequuntur, & legunt, duos & ſeptuaginta. Illi etiam ipſi, qui in textu ſuo ſeptuaginta tantummodo legunt, diſcipulos ſeptuaginta duos fuiſſe non inficiantur [4].

MISIT ILLOS BINOS ANTE FACIEM SUAM.] Hi erant veluti præcurſores, atque prænuntii, qui & adventum illius annunciabant, & illi ſpiritus & corda præparabant. Quæritur, quo tempore hæc facta fuerit miſſio? hoc accidit eodem in itinere, de quo ſermo fuit cap. 9. verſ. 51. & ſeq. cum adhuc verſaretur Jeſus in regione Samaritanorum, atque ſemper magis Jeroſolymam adventaret. Hi duo & ſeptuaginta miſſi fuerunt in varios Judææ locos, qua ille eo in itinere tranſiturus erat; quemadmodum alios antea miſerat in regionem Samariæ cap. 9. verſ. 52. 53. 54. Eos autem binos mittit in triginta ſex paria diviſos, ut mutuis auxiliis juvarentur, atque viciſſim alter alteri ferret opem [5]: ad hæc etiam, ut alternis actionum ſuarum teſtes eſſent, ne inimici, & qui Salvatori invidebant, obloquendi occaſionem nanciſcerentur. Haud abs re iſthic eſſe puto animadvertere ea, quæ in hoc decimo capite, & quinque ſubſequentibus leguntur, apud alios Evangeliſtas minime inveniri.

℣. 3. MITTO VOS SICUT AGNOS INTER LUPOS.] In ſecunda epiſtola, quæ S. Clementis nomine circumfertur, hæc tamquam JESU CHRISTI verba leguntur: *Eritis velut agni inter lupos, Petrus illi reſpondit: Quid autem, ſi lupi laceraverint agnos? cui Jeſus: Agnis poſt mortem lupi non ſunt metuendi. Vos vero timere minime decet eos, qui vobis inferunt mortem; & poſtea nihil ultra poſſunt efficere. Sed potius eum timete, qui poſt mortem veſtram & corpus, & animam in gehennam ignis mittere poteſt.* Auctor hic, quicumque ſit, plurima citat verba, tamquam JESU CHRISTI, quamquam hodie nullibi in Evangelio ſignatenus inveniantur. Fidei tamen propius eſt, illum memoria fretum locos citaſſe, quin verba ſequeretur.

℣. 4. NEMINEM PER VIAM SALUTAVERITIS.] Feſtinate, quin teratis tempus inanibus urbanitatis officiis erga obvium quemlibet. Hoc ſapit adagium. Idipſum Eliſæus dixit famulo ſuo Giezi, cum miſit illum cum baculo ſuo, ut ad vitam revocaret filium viduæ Sunamitidis [6]: *Si occurrerit tibi homo, ne ſalutes eum*: in id unum attende, ut quam citius imperata facias.

℣. 6. FILIUS PACIS.] Vir dignus, qui oblatam pacem recipiat [7], paratus vobis audiendis, atque recipien-

A dæ gratiæ, quam illi offertis. Pax pro quovis felicitatis, atque proſperitatis genere uſurpatur. *Filius pacis* eſt bonorum omnium digniſſimus, quemadmodum filius mortis [8], filius perditionis [9], ille eſt, qui mortem, extremaque ſupplicia meretur. Si ea in domu, in quam ingreſſi eritis, nemo erit pace veſtra dignus, *ad vos revertetur*, vos ipſi illius plenitudinem recipietis, neque ideo ullam jacturam patiemini. Efficiat Deus, ut votorum veſtrorum effectus in vos ipſos relabatur. Videri poteſt apud S. Matthæum 10. 7. explicatio verſ. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. JESUS CHRISTUS duobus & ſeptuaginta diſcipulis eadem præcepta tradit, quæ antea Apoſtolis miſſionis eorum initio tradiderat.

℣. 8. QUÆ APPONUNTUR VOBIS.] Vobis ſufficiant ea, quæ hoſpites in menſam apponent, quin aliquid
B ſuperfluum, & opipare conditum quæratis [10]; & citra omnem ſollicitudinem vivite. Eſcam invenietis apud illos, quibus adventum meum nunciabitis; nullam annonam vobis comparate, non argentum, non viaticum, vobiſcum afferte: Deo enim curæ erit victus veſter; *Dignus eſt operarius mercede ſua*. Credunt nonnulli, hæc verba: *manducate, quæ apponuntur vobis*, dicta fuiſſe, ut omnem auferrent ſcrupulum, quoad ciborum varietatem, juxta Legis ceremonias, ſed hoc nullatenus fidei conſonum videtur. Illos ad Judæos tantum mittit, quibus graviſſimum ingeſſiſſent ſcandalum, ſi citra quodlibet epularum diſcrimen, manducare viſi fuiſſent.

℣. 9. APPROPINQUAVIT IN VOS.] Regnum Dei ad vos acceſſit, vel potius ad vos pervenit. Hoc eſt
C tempus felix, quo Dominus in vobis regnum ſuum eſt reſtituturus. Meſſias apparuit, ipſo de inimicorum veſtrorum ſervitute vos eſt erepturus, ita enim Judæi carnales verba hæc intelligebant, quæ Jeſus Chriſtus, ut plurimum, ad indigitandum adventum ſuum, atque Evangelii prædicationem uſurpabat.

℣. 14. VÆ TIBI COROZAIM.] Corozaim erat ultra Iordanum, ſi fides eſt penes Adrichomium, & Bonfretium: at S. Hieronymus illam ſecundo lapide a Capharnao ſtatuit in Galilæa; quod nos cogit, ut circa Tiberiadis lacum eam fuiſſe dicamus.

SI IN TYRO, & SIDONE.] Duæ urbes hæ Ethnicorum erant. Videbat Jeſus, illas minus a veritate abhorrere, minus indociles, atque nefarias eſſe, quam urbes Judæorum.

D ℣. 15. ET TU CAPHARNAUM.] Capharnaum ſita erat ſecus occiduum Tiberiadis litus. Cum Jeſus Chriſtus a Nazareth diſceſſiſſet, illic plerumque commoratus Matt. 4. 13. neque alia aderat Civitas, ubi vel ſæpius prædicaſſet; vel plura operatus fuiſſet miracula. Hinc dixit Jeſus illam ad Cœlum uſque fuiſſe exaltatum, ſed minitatur futurum, ut propter incredulitatem ſuam in Infernum uſque præceps demergatur.

℣. 17. REVERSI SUNT AUTEM SEPTUAGINTA.] Diſcipuli redeunt ad Jeſum tunc plane cum Jeroſolymam acceſſit, ubi eam omnem regionem peragraſſent, quæ Samariam inter, atque Jeroſolymam interjacet. Evangeliſta nobis exhibet Jeſum Bethaniæ, ad portas Jeruſalem verſ. 38. capitis hujus, quin meminerit itineris alicujus, vel actionis inter illorum reditum, atque
E hujus adventum Bethaniam. Veteres nonnulli [11], ſe aliquam putant vanitatis ſpeciem deprehendere in diſcipulis, qui lætitiam teſtantur, eo quod ſibi Dæmones pareant. At alii [12] æquiores ſunt Judices; & profecto nihil occurrit, quo cogamur in pravum ſenſum, vel eorum gaudium, vel eorum verba detorquere. Hoc immo notandum eſt, ipſos fateri, in nomine tantum, ac virtute Jeſu Chriſti ſe miracula operari, cum Salvator ea propria auctoritate, atque ex ſeipſo operaretur. A-

junt

1 Matth. 9. 37. 2 Num. 11. 16. 24. 25.
3 Vide Grot. hic, & Maldonat. Ita Hieronym. ad Marcell. Beda in Luc. 15. Euſeb. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 1.
4 Vide Var. Lect. Mill. hic, & Maldonat. et Grot. et Seldun. lib. 2. de Synedr. 64. art. 8.
5 Origen. Theophylact. Maldonat. alii paſſim. 6 4. Reg. 4. 29.
7 Confer Matt. 10. 13. Grot. Brug. Vatab. alii. 8 2. Reg. 12. 5.
9 2. Theſſal. 2. 3. 10 Grot. Brug. Ludov. de Dieu.
11 Cyprian. de jejunio, & orat. Chriſti. Greg. lib. 23. Moral. cap. 7. Beda, Cyrill. apud D. Thom.
12 Theophylact. Maldonat. Grot.

Digitized by Google

ſunt ſe non ſolum morbos curare, ſed Dæmones quoque ſibi eſſe ſubjectos, quod majorem adhuc indigicat poteſtatem [1].

℣. 18. VIDEBAM SATANAM, SICUT FULGUR, DE COELO CADENTEM.] Quem nexum hæc verba cum ſuperioribus habent? Non deſunt [2], qui illa ita explicent: Dæmonis Regnum ad finem jam advenerit. Hic tenebrarum Princeps jamjam evertendus eſt; ex aere, ubi dominatur, æque præcipiti lapſu decidet, ac fulgur, qui nubem ſcindit, & evaneſcit. Hoc idem ferme eſt ac illud, quod ait Joan. 16. 11. *princeps hujus mundi jam judicatus eſt*; & Joan. 12. 31. *nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Cum vos mitterem, ut pauperibus Evangelium meum annunciaretis, videbam Satanam de ſolio cadentem; videbam, imperium illius jamjam everti. Noviſſimus conatus hujus tenebrarum imperii eſt mors Salvatoris, quemadmodum ipſe ait Luc. 22. 53. *hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*. Poſt reſurrectionem ſuam JESUS Draconem in abyſſo in annos mille clauſit, aditum cujus ipſe obſtruxit, ac proprio anulo obſignavit, Apocal. 12. 9. & 20. 2.

Putant alii [3] JESUM hic loqui de Luciferi lapſu ſub creationis initium. Salvator, ut diſcipulis ſuis humilitatis lectionem traderet in ea voluptate, qua affecti erant propter miracula, quæ fuerant operati; eos monet, ne ſuperbia ſe ſe efferri ſinant: ſuperbia enim de ſummo cælorum vertice Angelorum Principem præcipitem dedit. Vidi illum gloriæ luce undique fulgentem, & vidi illum fulguris inſtar in infernum labentem. Cavete, ne quid ſimile vobis contingat. Prior explicatio mihi ſimplicior videtur, & litteræ propior.

℣. 19. ECCE DEDI VOBIS POTESTATEM &c.] Græcus legit [4]: *do vobis poteſtatem*. Hanc illis confirmat, atque auget: verum addit: moneo vos, ne illam tamquam aliquid ſummi momenti habeatis, atque veſtræ exiſtimationis dignam: ſed vobis dicam, quid æſtimaturi ſitis, & qua in re gloriam veſtram collocaturi. In hac ſcilicet, ut in Cælis ſcripta ſint nomina veſtra. Patres complures [5] & recentiores quidam Interpretes ſerpentes, atque ſcorpiones hos in ſenſu ſpirituali interpretantur: pedibus obterecis dracones infernales, ſerpentes, & ſcorpiones qui animas petunt, & enecant; omnem inimici poteſtatem ſuperabitis &c.

Verum nihil officit, quominus litteralem ſenſum amplectamur, qui de veris ſerpentibus, atque ſcorpionibus intelligit [6]. Salvator ad Pſalmi 90. 13. locum alludit: *ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*. Vide S. Marcum 16. 18. ubi JESUS confert eamdem in ſerpentes ac virulentas beſtias poteſtatem. Quod immediate ſtatim addit: vobis confero poteſtatem *ſuper omnem virtutem inimici*: innuit, ſerpentum virus & noxias qualitates, quæ in quibuſdam animantibus deprehenduntur, effectus eſſe diabolicæ nequitiæ. Venenatæ beſtiæ ſunt arma, atque inſtrumenta, quibus Dæmon utitur ad mortem inferendam, tamquam princeps mortis, atque homicida ab initio; quemadmodum in ſcripturis vocatur [7]. Hebræi ſpiritibus nequam, & ægritudines & venena & alia id genus accepta referebant.

℣. 20. QUIA NOMINA VESTRA SCRIPTA SUNT IN COELIS;] in libro vitæ, in numero prædeſtinatorum, & amicorum Dei. Hæc eſſe debet lætitia veſtra, hoc gaudium. Patrare miracula, morbis, & Dæmonibus imperare, & impii etiam nonnumquam efficere poſſunt; *multi dicent mihi in illa die; Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus; & tunc confitebor illis: quia numquam novi vos*, Matth. 7. 22.

Quidam ex his verbis, *gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*, intulerunt, univerſos ſeptuaginta duos diſcipulos æternæ gloriæ fuiſſe prædeſtinatos, quam prærogativam neque Apoſtoli obtinuerant; quoniam ex eorum numero Judas optimo jure reprobatus cenſetur. Verum cum audax eſſet aſſerere, aliquem ex duobus & ſeptuaginta diſcipulis reprobatum fuiſſe, non minori temeritatis nota dignus ille mihi videretur, qui eos univerſos ad gloriam fuiſſe prædeſtinatos aſſereret [a]. Salvator igitur ait, diſcipulorum ſuorum felicitatem nequaquam eſſe collocandam in miraculorum fulgore, ſed in eo, quod vocati ab illo fuerint electi, & ſegregati a plurimorum numero, qui intereunt; & quod ſibi fidei, atque juſtificationis gratiam Deus fuerit elargitus; Ipſorum eſſe, tueri depoſitum gratiæ, atque bonorum operum exercitatione certam facere vocationem ſuam, & electionem. Qui vere prædeſtinati ſunt, numquam deleri poſſunt ex libro vitæ, quemadmodum ait S. Auguſtinus in Pſalm. 68. 23. ſed plures, ſe ibi ſcriptos eſſe putant, qui ſe inde expunctos invenient aliquando. Receperunt quidem juſtificantem gratiam per baptiſmum, bona aliquot opera operati ſunt in vita ſua, ſed propter ſcelera jacturam fecerunt gratiæ, neque ad finem uſque, uti inceperant, perſeveraverunt.

℣. 21. EXULTAVIT JESUS SPIRITU ET DIXIT . . . ET REVELASTI EA PARVULIS,] ſimplicibus, ignaris. Illis detexiſti veritates, quas ſapientibus, & prudentibus abſcondiſti; iis videlicet, qui in oculis ſuis *ſapientes* ſunt, ſuperbi, & prudentes ſecundum carnem, quæ prudentia oculis Dei ſtultitia eſt. Pauperibus cor præparaſti, eiſque tribuiſti humilitatem, atque docilitatem, quæ ad Evangelii veritates requirendas maxime requiruntur; & quibus alii præ ſuperbia, atque pertinacia ſua iiſdem ſe ſe indignos præbuerunt. Parvulis eam miraculorum operandorum virtutem contuliſti, quam potentibus, ſuperbiſque denegaſti. Non lætatur JESUS ob horum infelicitatem, ſed juſtitiam, ſapientiamque Dei laudibus celebrat in univerſa œconomia, qua & electus vocavit, & Chriſtianam Eccleſiam inſtituit. In hunc & tres, qui ſubſequuntur, verſiculus, adi Commentarium in S. Matthæum cap. 11. ℣. 25. 26. 27.

℣. 25. QUIDAM LEGIS PERITUS SURREXIT TENTANS EUM.] Moyſis lex nullibi explicite vitam æternam iis promittit, a quibus ad unguem fuerit obſervata, ſed terrena tantum bona, vitamq; præſentem [9] pollicetur. Hebræi tamen & alteram poſt hanc vitam præſtolabantur; quæ ſententia apertiſſime in libris, cum ante, tum poſt captivitatem ſcriptis, in Joſepho, & in Philone videtur. Eaque communis erat nationis univerſæ, ac duarum præcipuarum apud Hebræos ſectarum opinio, Phariſæorum videlicet, atque Eſſenorum; Sadducæi enim, qui aliter ſentiebant, tamquam non ſatis religioſi, atque potius velut Epicurei exiſtimabantur.

Hic *Legis peritus*, Græce *nomikos*, homo in quæſtionibus circa Legem verſatus; videns JESUM CHRISTUM aperte vitam æternam docentem, acceſſit, illum tentaturus, quærens ab eo; quid ſibi efficiendum eſſet, ut ſupremum hoc bonum aſſequeretur. Nam hæc, ſecum ille; ſi dixerit, leges atque cæremonias obſervandas eſſe, reddam: inutile eſt ergo, te Regnum Dei annunciare tamquam aliquid novum. Sin legem minime obſervandam, illum prævaricationis redarguam, & pſeudo-prophetam oſtendam. At novit JESUS ex adverſarii ipſius reſponſione id elicere, quod ipſum gravi ru-

1 Grot. Brug. Mald. 2 Gregor. Nazianz. orat. 4. de Theologia. Baſil. homil. quod Deus non ſit Author malorum. Elias Cretenſ. in Greg. Nazianz. Cyrill. apud D. Thom. Euthym. Theophyl. Mald. Brug. Grot. Ligf. 3 Cyprian. lib. de jejun. & tentation. Chriſti. Ambroſ. lib. de fuga ſæculi, c. 7. Chryſoſt. homil. 10. de pœnit. Hieronym. lib. 2. contra Jovinian. Greg. Mag. lib. 25. in Job. c. 7. Beda & Theophyl. hic. Bern. ſerm. 5. de dedicat. Eccleſ. Euthym. alii. 4 Δίδωμι.
5 Iren. lib. 5. c. 24. Cyprian. ad Nevat. Rufin. expoſit. Symbol. Baſil. in Pſal. 28. Procop. in Iſai. 49. Chryſoſt. homil. 17. in Geneſ. Beda, Theophyl. Euthym. Brug. &c.
6 Mald. Grot. Boch. &c. 7 Joan. 8. 44. 8 Vide Maldon. & Janſen. hic.
9 Levit. 18. 5. Ezech. 20. 11. 2. Eſdr. 9. 29.

ei rubore ſuffunderet ; oſtendens illi nihil in Legis A cognitione deficere, ſed quamplurimum in ejuſdem exercitatione : *hoc fac, & vives*.

℣. 29. Ille autem volens justificare seipsum.] Videlicet ſuſpicionem adimere, quæ de ſua mala fide oborta fuerat, eo quod Jeſum Chriſtum interrogaſſet [1]. Quandoquidem bene adeo reſponderat, perſpicuum erat, non ignorantiæ cauſa id quæſiturum acceſſiſſe. Ut autem oſtenderet ſibi non deeſſe ea ipſa difficultatem illi proponendam ; iterum petiit : *& quis eſt meus proximus?* qui ſunt illi, quos tamquam meipſum teneor amare?

℣. 30. Homo quidam descendebat a Jerusalem.] Complures Interpretes [2] credunt, Jeſum Chriſtum hoc in loco veram potius hiſtoriam, quam ſimplicem parabolam afferre. Via, quæ de Jeroſolyma B Jerichuntem ducebat, infamis erat propter furta, & cædes, quæ paſſim ibi perpetrabantur. Ibi erat vallis *Adommin* [3], vel interfectorum, propter cruorem, qui ibi effundebatur. Eo tendit hæc narratio, ut oſtendat, omnem hominem auxilio noſtro indigere, omnem proximum eſſe, neque fas eſſe, nos cuiquam opem denegare, ubi partes illi præſtandæ fuerimus [4] ; verbo legem, qua proximum tamquam nosmetipſos amare tenemur, genericam eſſe, atque ad omnes homines, & erga omnes homines late protendi. Cum hoc legis Doctore diſceptabat Jeſus, communia Judæorum ſupponens præjudicia, qui cenſebant, ſolos Hebræos, atque juſtos, proximi loco habendos ; neque hoc in numero habebant ethnicos, & impios [5], ac præſertim Samaritanos, quos odio, ut ita dicam pluſquam Vatiniano, C perſequebantur.

Jeſus ergo hominem hunc fateri cogit, Samaritanum, de quo ipſe loquitur, proximum eſſe Judæi ſaucii, ideoque principium ſuum mendoſum eſſe, & poſſe aliquem Iſraelitæ cujuſdam eſſe proximum, licet non Iſraelitam : & noviſſimum, atque remotiſſimum omnium hominum ea nobis præſtare poſſe Charitatis officia, ob quæ tamquam amicorum noſtrorum ſuaviſſimus, & jucundiſſimus videatur habendus [6]. Ad hæc oſtendit eadem Judæorum principia laborare, eo quod inde perſpicue ſequitur abſurdum, ubi admittantur : videlicet fratres noſtros, contribules, concives, contubernales, ipſoſque optimos viros eſſe poſſe non proximos ; quoniam in allato exemplo, & Sacerdos, & Levita prætergreſſi ſunt, quin ſaucium, deceptumque D Judæum aliqua ope levarent.

Patres [7] unanimi conſenſu hac in parabola myſticum ſenſum deprehenderunt. Judæus Jeroſolyma Jerichuntem proficiſcens, in via direptus, & ſemianimis relictus, eſt Adam protoparens noſter, qui per peccatum de innocentia dilapſus eſt, & jacturam ſubiit earum omnium gratiarum, quibus Deus illum creans eumdem cumulaverat. Ille ipſe ſibimet necem conſcivit, vetitum fructum manducans. Latrones, a quibus vulneribus confoditur, atque exuitur, ſunt Dæmones. Sacerdos, & Levita prætergreſſi, quin calamitoſo ferrent auxilium, exhibent Legem Moyſis, cum omnibus ſacrificiis, & cæremoniis ſuis, vulneribus noſtris curandis parem non eſſe. Samaritanus vero hac prædicus charitate, eſt Jeſus Chriſtus : diverſorium quo ſau- E cium defert, Eccleſia eſt ; oleum, & vinum Sacramenta. Vinum quidem Jeſu Chriſti ſanguinem, oleum vero ejuſdem miſericordiam deſignant : & illi, quibus ſaucius commendatur, ſunt Eccleſiæ paſtores.

℣. 31. Præteriit.] Græcus [8] illum retroceſſiſſe innuere poteſt, tamquam horrore correptum ad ſaucii illius calamitoſiſſimi adſpectum [9] : vel prætergreſſum eſſe, cum in oppoſitam partem contenderet, ab ea A quo ſaucius profecturus erat, hoc eſt Jerichunte Jeroſolymam verſus [10].

℣. 33. Samaritanus.] Animadvertimus jam, quod Judæi internecino odio Samaritanos oderant, eoſque tamquam excommunicatos, atque prophanos habebant, Ethnicis etiam infenſiores.

℣. 34. Infundens oleum, et vinum.] Oleum ad leniendum, vel ſedandum dolorem : vinum autem ad vulnus conſolidandum, cruoremque abſtergendum ; vel vinum, oleumque commiſcuit, quibus ſaucii vulnera foveret. Hæc ille ſecum deferebat juxta eorum locorum conſuetudinem in viaticum ſibi [11], namque ad hanc quoque diem in Oriente in diverſoriis tectum dumtaxat invenitur ; quilibet ſecum afferentes ea, quæ ad veſcendum, cubandumque requiruntur.

B In stabulum [12].] In diverſorium, in Carvanſeram, quo nomine hodie in oriente publica appellantur ædificia, ubi excipiuntur hoſpites, atque illis gratuito tectum tribuitur ; quorum alibi deſcriptionem retulimus. Hic verus eſt hoc loco *ſtabuli* ſenſus, qua in ſignificatione etiam in jure Romano invenitur.

℣. 35. Duos denarios.] Eoſdem tribuit ſtabulario pro ſumptibus, quos ſe abſente fieri contigiſſet ; ipſe enim ſaucii curam geſſit, donec ibi verſatus eſt. Denarii pretium non ſatis conſtat. Denarius Romanus vulgo æquabat Gallicæ monetæ ſolidos octo, & denarium. In Scripturis vero *denarius* nonnumquam pro ſiclo uſurpatur, cujus pretium Gallicæ monetæ erant ſolidi triginta, vel duo, & triginta. Si denarius hoc in ſenſu intelligatur, Samaritanus dicendus eſt, diverſorii præfecto ſcutatum reliquiſſe. S. Irenæus iſthic C legebat, *duo denaria regalia*.

℣. 37. Qui fecit misericordiam in illum.] Vide quæ diximus in ℣. 30. Jeſus iſthic Publicano oſtendit contra fallacia Rabbinorum principia, omnem hominem cujuslibet conditionis, alterius hominis, licet alienigenæ, proximum eſſe. Si dixiſſet Jeſus, Samaritanum in latronum manus decidiſſe, atque Sacerdotem, & Levitam prope illum prætergreſſos, quin ullo ipſum levarent auxilio, juriſperitus addidiſſet profecto, illos bene feciſſe, utque hujuſmodi virum proximum illorum non eſſe. Sed inſtituens Judæum & parabolæ, & miſerationis Samaritani argumentum ; eum fateri cogit naturæ vocem docentis omnem hominem ſimilem ſibi proximum eſſe : & Moyſis legem, quin ge- D nerale hoc jus evertat, illud etiam perficere, præcipientem, ut proximum tuum tamquam temetipſum diligat.

℣. 38. Intravit in quoddam castellum.] Hæc erat Bethania [13] ſecundo ab Jeruſalem lapide meridiem verſus [14]. S. Johannes cc. 18. hanc quindecim ſtadiis ab urbe, hoc eſt tribus paſſuum millibus, vel una leuca abeſſe teſtatur. Videtur Jeſus fuiſſe Jeroſolymæ, antequam Bethaniam veniret, atque fidei conſonum eſt, duos, & ſeptuaginta diſcipulos Jeroſolymam illum conveniſſe, ibique accidiſſe, quam modo vidimus, juriſperiti hiſtoriam. Cum nondum Pentecoſtes adeſſet, luſtravit Jeſus vicos omnes prope Jeroſalem, et ibi de more doceret. Nunc primum fortaſſe Bethaniam venit.

E Huic erat soror nomine Martha.] S. Lucas hic loquitur de Maria, tamquam de ea, de qua nihil antea dixerit, quod ſuperius a nobis in cap. 7. 37. dicta confirmat, hanc videlicet omnino aliam fuiſſe a Maria Magdalene peccatrice converſa. Cum Martha ſedulam navaret operam, prandium Jeſu, atque ſociis illius inſtruens, qui octuaginta quatuor ſaltem erant, quandoquidem ſecum habebat Jeſus, & Apoſtolos duodecim, & ſeptuaginta duos diſcipulos, Maria ad

pedes

1 Beda, Mald. Martianay, Brug. 2 Grot. Janſen. alii.
3 Hieronym. in Matth. 20. & epiſt. 27. 4 Aug. lib. 1. de Doctr. Chriſt. cap. 30.
5 Vide Matth. 5. 43. Aruch. & Martian. & Ligfoot hic. 6 Vide Mald. hic. Grot. ad verſ. 37.
7 Vide Origen. homil. 34. Greg. orat. 4. de Theolog. Ambroſ. hic, Hieronym. ad Fabiol. Greg. lib. 1. 30. Moral. cap. 21. Beda, Theophyl. hic. alii. 8 Ἀντιπαρῆλθε. 9 Theophyl. Brug.
10 Grotius hic. 11 Brugenſ. 12 Εἰς πανδοχεῖον.
13 Joan. 11. 18. 14 Hieron. in locis.

pedes illius celuti diſcipula ſedit : & tranquille ejus audit præcepta . Diſcipuli apud Hebreos , ut plurimum ad Magiſtrorum pedes ſedere conſueverant [1] , & in Rabbinorum ſtylo *fœdari pulvere pedum Doctorum* , ſignificat eos audire , atque eorum lectionibus frequenter adeſſe . Hæc verba : *quæ etiam ſedens* , innuunt , complures circum Jeſum ſediſſe , inter quos erat Maria . Salvator intentus Sacro miniſterio , quod fuerat aggreſſus , nullam prætermittit occaſionem populos docendi , eoſque ad veritatis cognitionem vocandi .

℣. 40. MARTHA SATAGEBAT CIRCA FREQUENS MINISTERIUM .] Græcus ad litteram [2] : *diſtracta erat* , cel ſollicita circa magnum hoc miniſterium propter ingentem eorum numerum , quibus prandium erat apparatura , vel propter ſollicitudinem inſerviendi Jeſu Chriſto , illi placere ſtudent . Zelus , atque amor illius majorem adhuc illi ingerebant ſollicitudinem , quam miniſterium , quod Jeſu Chriſto præſtabat .

NON EST TIBI CURÆ , QUOD SOROR MEA .] Ex Mariæ aviditate , qua Salvatoris præcepta bibulis auribus excipiebat , conjiciebat Martha futurum , ut non ita facile ab illius conſpectu divelleretur . Vult ergo , Jeſu ejuſdem auctoritatem interponere , ut & illa cogatur conſurgere , & laboranti opem ferre : putabat enim futurum , ut ſi Mariæ acceſſiſſet auxilium , & ipſa quoque aliquantiſper Jeſu præſentia , atque ſermonibus eſſet perfruitura . Loquitur ergo , ſancte , atque præclaræ invidiæ ſtimulis correpta : patiri ſaltem optaſſet eam felicitatem , & voluptatem , quam Maria una percipiebat : *felix domus , & beata ſemper congregatio eſt , ubi de Maria Martha conqueritur* , inquit S. Bernardus Serm. 3. de Aſſumpt. n. 2.

℣. 42. PORRO UNUM EST NECESSARIUM .] Veteres complures legunt ; *porro paucis opus eſt , aut etiam uno* . Martha , ne ſollicita ſis , ut nimiam , variumque epularum numerum inſtruas ; nobis paucis opus eſt , vel unum etiam obſonium ſufficiet [4] . Aliter unum duntaxat in vita neceſſarium eſt ; hoc eſt , audire , & exercere verbum Dei [5] : *quærere regnum Dei , & juſtitiam ejus* , quemadmodum alibi Salvator inquit Matth. 6. 33 Reliqua omnia , ubi cum hoc conferantur , nihil aliud ſunt , niſi additamentum . Salutis negotium unicum eſt Chriſtiani viri negotium .

MARIA OPTIMAM PARTEM ELEGIT .] Jeſus non damnat abſolute Marthæ ſollicitudinem , ſed Mariæ ſtudium , atque attentionem prefert . Charitatis extrinſeca officia , hoſpites recipere , pauperibus inſervire , maxima quidem laude digna ſunt ; ſed orationis , atque contemplationis exercitatio illis eſt præferenda . *Nec tamen Martha in bono miniſterio reprehenditur* , ait S. Ambroſius in Lucam hic ; *ſed Maria , quod meliorem partem elegerit , antefertur* . Non redarguit Jeſus officium Marthæ , nimiam illius curam perſtringit , & Mariæ requiem commendat . *Non ergo Damianus opus reprehendit , ſed munus diſtinxit* , ait S. Auguſtinus Serm. olim 27. de Verb. Dom. nunc 104. Cur autem alteri alteram præfert ? ideo quod per Mariæ munus facilius ad Marthæ miniſterium pervenitur , & alterum tranſibit , & auferetur ; alterum vero non item . *Ideo intelligitur optima* , ait Pater idem l. 2. quæſt. Evang. qu. 20. *quia & per hanc ad illam tenditur , & non auferetur : illa vero miniſterii , quamvis ſit bona , tamen auferetur* . Maria ſymbolum eſt vitæ contemplativæ , & Martha activæ . Græcus ſimpliciter legit [6] : *Maria bonam partem elegit* , quod ipſum apud veteres Patres invenitur [7] . Alii vero ; *meliorem partem* &c.

---

1 Act. 22. 3. Luc. 8. 35. 2 Περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν .

3 Caſſian. in Collat. 1. cap. 8. & Coll. 23. cap. 5. legit : *Porro paucis opus eſt , aut etiam uno* . Hieronym. ad Euſtoch. *Pauca autem neceſſaria ſunt , aut unum* . Baſil. non ſemel . Olympiodor. in Eccle. 2. Æthi. Copht. Ὀλίγων δέ ἐστι χρεία , ἢ ἑνός . Colb. 2. Arab. Ὀλίγων ἐστὶ χρεία . 4 Baſil. Monaſt. regul. fuſior. 4. 20. & Conſtit. cap. Tit. Boſtr. Cyrill. apud D. Thom. Theophyl. hic . Tolet. Tir. alii ex Aug. Brug. alii .

5 Beda , Euthym. Mald. Grot. Tir. alii ex Aug. Bern. aliis . 6 Μαρία τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο .

7 Vide Mald. hic .

CAPUT XI.

Orationis formula diſcipulis tradita . Perſeverantia orationis . Mutus dæmon ex corpore , quod obſidebat , ejectus . JESUS accuſatur , quod Dæmonem in Beelzebub nomine ejiciat . Hanc blaſphemiam refellit , Parabola fortis armati atrium ſuum cuſtodientis . Beata Mater Jeſu ; beati , qui verbum illius audiunt , & exercent , Signum Jonæ . Ninivitæ , & Regina Auſtri , Judæos noviſſima judicii die damnabunt . Oculus ſimplex , & nequam . Phariſæorum hypocriſis , qui abſconditis ſepulcbris comparantur , & Patrum ſuorum impœnitentiam imitantur .

1. ET factum eſt , cum eſſet in quodam loco orans , ut ceſſavit , dixit unus ex diſcipulis ejus ad eum : Domine , doce nos orare , ſicut docuit & Joannes diſcipulos ſuos , 2 Et ait illis : Cum oratis , dicite : Pater , ſanctificetur nomen tuum . Adveniat regnum tuum . 3. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie . 4 Et dimitte nobis peccata noſtra , ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis , Et ne nos inducas in tentationem . 5 Et ait ad illos : Quis veſtrum habebit amicum , & ibit ad illum media nocte , & dicet illi : Amice , commoda mihi tres panes , 6 Quoniam amicus meus venit de via ad me , & non habeo , quod ponam ante illum ; 7 Et ille de intus reſpondens dicat : Noli mihi moleſtus eſſe , jam oſtium clauſum eſt , & pueri mei mecum ſunt in cubili , non poſſum ſurgere , & dare tibi . 8 Et ſi ille perſeveraverit pulſans : dico vobis , & ſi non dabit illi ſurgens , eo quod amicus ejus ſit , propter improbitatem tamen ejus ſurget , & dabit illi quotquot habet neceſſarios ; 9 Et ego dico vobis : Petite .

Digitized by Google

rite, & dabitur vobis : quærite, & invenietis : pulſate, & aperietur vobis. 10
Omnis enim, qui petit, accipit : & qui quærit, invenit : & pulſanti aperietur.
11 Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi ? aut pi-
ſcem : numquid pro piſce ſerpentem dabit illi ? 12 Aut ſi petierit ovum : numquid
porriget illi ſcorpionem ? 13 Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare fi-
liis veſtris : quanto magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe ?
14 Et erat ejiciens dœmonium, & illud erat mutum. Et cum ejeciſſet dœmonium,
locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. 15 Quidam autem ex eis dixerunt : In
Beelzebub principe dęmoniorum eiicit dęmonia. 16 Et alii tentantes, ſignum de cęlo
quærebant ab eo. 17 Ipſe autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis : Omne re-
gnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. 18 Si autem
& Satanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus ? quia dicitis in Beel-
zebub me ejicere dœmonia. 19 Si autem ego in Beelzebub ejicio dœmonia : filii
veſtri in quo ejiciunt ? Ideo ipſi judices veſtri erunt. 20 Porro ſi in digito Dei eji-
cio dœmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. 21 Cum fortis armatus cuſtodit
atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet. 22 Si autem fortior eo ſuperveniens
vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtri-
buet. 23 Qui non eſt mecum, contra me eſt : & qui non colligit mecum, diſper-
git. 24 Cum immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa,
quærens requiem, & non inveniens dicit : revertar in domum meam, unde exivi.
25 Et cum venerit, invenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. 26 Tunc vadit,
& aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt
noviſſima hominis illius pejora prioribus. 27 Factum eſt autem, cum hæc diceret,
extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter, qui te porta-
vit, & ubera, quæ ſuxiſti. 28 At ille dixit : Quinimmò beati, qui audiunt ver-
bum Dei, & cuſtodiunt illud. 29 Turbis autem concurrentibus cœpit dicere : Ge-
neratio hæc, generatio nequam eſt : ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi
ſignum Jonæ prophetæ. 30 Nam ſicut fuit Jonas ſignum Ninivitis : ita erit & Filius
hominis generationi iſti. 31 Regina Auſtri ſurget in judicio cum viris generationis
hujus, & condemnabit illos : quia venit a finibus terræ audire ſapientiam Salo-
monis : & ecce pluſquam Salomon hic. 32 Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum
generatione hac, & condemnabunt illam : quia pœnitentiam egerunt ad prædicatio-
nem Jonæ, & ecce plus quam Jonas hic. 33 Nemo lucernam accendit, & in abſcon-
dito ponit, neque ſub modio : ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen
videant. 34 Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex,
totum corpus tuum lucidum erit : ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tene-
broſum erit : 35 Vide ergo, ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint. 36 Si
ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum,
erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te. 37 Et cum loquere-
tur, rogavit illum quidam Phariſæus, ut pranderet apud ſe. Et ingreſſus recu-
buit. 38 Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus
eſſet ante prandium. 39 Et ait Dominus ad illum : Nunc vos Phariſæi, quod
deforis eſt calicis, & catini, mundatis : quod autem intus eſt veſtrum, plenum
eſt rapina, & iniquitate. 40 Stulti, nonne qui fecit, quod deforis eſt, etiam
id, quod deintus eſt, fecit ? 41 Verumtamen, quod ſupereſt, date eleemoſy-
nam : & ecce omnia munda ſunt vobis. 42 Sed væ vobis Phariſæis, quia deci-
matis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis judicium, & charitatem
Dei : hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. 43 Væ vobis Phariſæis,
quia diligitis primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro. 44 Væ vo-
bis, quia eſtis ut monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes ſupra,
neſciunt. 45 Reſpondens autem quidam ex Legiſperitis, ait illi : Magiſter, hæc
dicens etiam contumeliam nobis facis. 46 At ille ait : Et vobis Legiſperitis væ :
quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt, & ipſi uno digito veſtro
non tangitis ſarcinas. 47 Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum : patres autem
veſtri occiderunt illos. 48 Profecto teſtificamini, quod conſentitis operibus patrum
veſtrorum : quoniam ipſi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum ſepulchra.

49 Propterea & ſapientia Dei dixit : Mittam ad illos Prophetas, & Apoſtolos, &
ex illis occident, & perſequentur. 50 Ut inquiratur ſanguis omnium Propheta-
rum, qui effuſus eſt a conſtitutione mundi a generatione iſta. 51 A ſanguine A-
bel uſque ad ſanguinem Zachariæ, qui periit inter altare, & ædem. Ita dico vo-
bis, requiretur ab hac generatione. 52 Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis cla-
vem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis. 53 Cum
autem hæc ad illos diceret, cœperunt Phariſæi, & Legiſperiti graviter inſiſtere, &
os ejus opprimere de multis. 54 Inſidiantes ei : & quærentes aliquid capere de
ore ejus, ut accuſarent eum.

℣. 1. CUM ESSET IN QUODAM LOCO ORANS, DIXIT UNUS EX DISCIPULIS.] Locus hic fortaſſe erat mons Olivarum. Diſcipulus vero ille nondum erat cum Jeſu Chriſto, cum Apoſtolos ſuos anno jam elapſo docuerat orationem formulam, quæ apud S. Matthæum 6. 9. legitur. Nihil magis neceſſarium, & nihil æque magis difficile, quam bene orare, neque poteſt aliquis meliora orandi præcepta tribuere, quam quæ tradidit Jeſus Chriſtus, qui in *Pater* omnia complexus eſt, quæ Chriſtianus a Deo eſt petiturus.

SICUT DOCUIT JOHANNES.] Non ſatis liquet, quænam hæc fuerit orationum forma, quam S. Johannes Baptiſta diſcipulis ſuis tradidit; verum fidei conforme eſt, eam præſertim hac in re verſatam fuiſſe, ut Meſſias tandem ſe ſe proderet; quod præcipuum erat B miſſionis, & prædicationis ipſius argumentum : & ut corde, ac mente ſe ſe ad illum excipiendum, uti par eſt, præpararent [1].

℣. 2. PATER SANCTIFICETUR NOMEN TUUM.] Minime mirum eſſe debet hac in occaſione Salvatorem non eadem repetiiſſe verba, quæ ſuperiori anno dixerat, cum docuit Apoſtolos ſuos, quomodo illis eſſet orandum : ſatis erat, ut illud ipſum re, ſi minus verbis, doceret. Græca, atque Latina exemplaria hoc in loco non ſibi conſtant. Ex. gr. ubi Vulgata legit ſimpliciter *Pater*, pleraque exemplaria Græca legunt : *Pater noſter, qui es in Cælis*; quod Origenes [2] etiam in textum ſuum inſerebat. Alia etiam cum typis edita, tum Mſſ. Græca exemplaria legunt; *fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra* : & ℣. 4. *ſed libera a malo*, vel *ab improbis*, quæ verba neque in Vulgata, neque in pluſibus optimis MSS. inveniuntur, neque ab Origene [3], C & a S. Auguſtino leguntur; quorum poſterior [4] animadvertit, Dominicam S. Lucæ orationem quinque tantum petitiones complecti, cum apud S. Matthæum ſeptem contineat. Pro Dominicæ orationis explicatione adi noſtrum in hunc Evangeliſtam Commentarium.

℣. 5. IBIT AD ILLUM MEDIA NOCTE] Tres panes ex eo mutuaturus. Parabola hæc in S. Luca dumtaxat invenitur. Cum Salvator diſcipulis ſuis precum tradidiſſet formulam, quam modo legimus; oſtendit illis generatim orationis virtutem, atque utilitatem. Jubet autem, ſemper eam perſeverantia, & citra faſtidium orari. Amicus quidam nocte convibia accedit D tempore maxime intempeſtivo, ex amico tres panes mutuos petiturus; tum Dominus, ejuſque filii, atque ſervi in utramque aurem jam ſtertunt. Primum ille repulſam fert : urget autem, atque tandem perſeverantia ſua id obtinet, quod alioquin minime obtinuiſſet. Deus urgeri vult, orari vult, cogi vult eum zelo, & perſeverantia.

COMMODA MIHI TRES PANES.] Si tres hi panes amico erant inſervituri, haud ita magnæ molis eſſe debebant. Ad hanc quoque diem ibi locorum panes ſunt exiles, tenues, atque minuti. Vel tres poſcit, unum pro hoſpite, alterum pro ſe, tertium vero ſubſidii gratia, ſi alterutri ſuus minime ſatis fuiſſet; vel unum pro hoſpite, alterum pro conjuge hoſpitis, tertium vero pro illorum famulo [5]. Credibile eſt, vulgo apud piſtores panes proſtare venales non conſuevisſe, & ſingulos domi ſuæ panes ſibi deplere debuiſſe; nam cur potius non ex piſtore numerata pecunia emiſſet, quod ex amico intempeſtivo tempore, ac ſummo cum illius incommodo mutuatur.

℣. 7. PUERI MEI MECUM SUNT IN CUBILI.] Pro pueris [6], a quibuſdam ſervi, atque domeſtici intelliguntur, qui ſæpius hoc nomine in Scripturis vocantur : ſed plerique [7] de filiis explicant, qui eodem in cubili, vel in cubiculo, vel tandem in domo eadem cubabant.

℣. 8. PROPTER IMPROBITATEM EJUS.] *Improbus*, *& improbitas* nonnumquam pro importuno, moroſo, incommodo uſurpantur [8]. Græcus habet [9], *propter impudentiam ejus*, atque petendi [10] pertinaciam. En quod exemplar orantes nos ſequi decet. Ut det Deus, præſtolatur momentum illud, quo petimus : *non utique nos tantum hortaretur, ut peteremus, niſi dare vellet*, inquit S. Auguſtinus [11]; *erubeſcat humana pigritia; plus vult ille dare, quam nos accipere*.

℣. 11. QUIS ENIM EX VOBIS.] Aliqua non deeſt ſimilitudo inter ſerpentem & anguillam. Hebræi piſces omnes inter reptilia recenſent. Nec deſunt ſcorpiones albi, & qui magnitudine, ac forma etiam non longe ab ovis differunt [12].

℣. 13. QUANTO MAGIS PATER VESTER] illis concedet Spiritum Sanctum, cum illius muneribus, luminibus, gratiis! Hujus præcipue indigebant Apoſtoli, atque Diſcipuli, apud quos loquebatur, ut miniſterii ſui munere perfungerentur. *Spiritus bonus* apud Sacros auctores ſignificare etiam generatim poteſt bonum cordis, ac mentis habitum; cor docile, humile, obediens. Apud S. Clementem Alexandrinum l. 1. Strom. hæc tamquam JESU CHRISTI legimus verba. *Petite a Deo magna, exigua vero, veluti corollarium, vobis ſuperaddentur*. Et Origenes l. 6. de Orat. §. 2. & 43. *petite Cæleſtia : terrena enim vobis non deerunt in additamentum*.

℣. 14. DAEMONIUM MUTUM,] vel potius, quod mutum efficiebat hominem, quem poſſidebat.

℣. 15. IN BEELZEBUB &c.] Judæi non ſemel hoc JESU CHRISTO exprobrarunt. Vide apud S. Matthæum 12. 24. hujus calumniæ confutationem, ubi Salvator iiſdem rationibus utitur, quas iſthic profert.

℣. 16. SIGNUM DE COELO.] Signum in aere, in Cœlo, vel in ſyderibus, in Sole, & Luna. JESUS CHRISTUS ea non operabatur prodigia, quæ ad oſtentationem facta viderentur, ſed poteſtas illius maxime enitebat in iis, quæ proximo eſſent utilia.

℣. 22. UNIVERSA ARMA EJUS.] Quidam Græcum intelligunt [13] de ſupellectili, & bonis, quæ ſunt in illius poteſtate, & cura. Sed præſtat hoc de armis intel-

1 Grot. Brug. 2 Origen. lib. de prece. 3 Origen ibidem. Vide Var. Lect. Mill. hic.
4 Aug. Enchirid. ad Laurent. cap. 116. 5 Bern. ſerm. in Rogationib.
6 Hamm. Le Clerc. 7 Tertull. l. 4. contra Marcion. Theoph. Mald. Grot. Brug. Sy.
8 Eccli. 13. 13. *Ne improbus ſis, ne impingaris*. Sueton. *Vir oris improbi*.
9 Διὰ γε τὴν ἀναίδειαν. 10 Eraſm. Vatabl. Grot. Piſc. alii. 11 Aug. ſerm. alias 29. nunc 105.
12 Vide Boch. l. 4. c. 29. p. 636. & 641. 13 Τὴν πανοπλίαν αὐτοῦ αἴρει. Beza, de Rebus.

intelligere. Quinam ſit hic *fortis armatus*, cuſtodiens atrium ſuum, jam apud S. Matthæum 12. 29. explicuimus. A

℣. 24. CUM IMMUNDUS SPIRITUS &c.] Per hanc parabolam innuere vult Salvator, Phariſæos, qui gravioribus quidem vacui erant ſceleribus, atque iis immunes flagitiis, quæ in hominum oculis fœda videntur; magis corruptos eſſe, & ſuperbia, & hypocriſi, quam ſi gravioribus peccatis eſſent infecti: ſaltem enim minime fiderent conditioni ſuæ, & ſeſe ad pœnitentiam agendam diſponerent. Hoc transferri etiam poteſt ad generalem Judæorum ſtatum, qui reipſa ab Idololatriæ ſordibus, & ab iis ſceleribus, ob quæ majores eorum toties increpiti fuerant, erant immunes; ſed ſexcentis ſuperſtitioſis ritibus, atque a vera legis mente remotiſſimis, turpiſſime ſe ſe mancipaverant. B Vide ſis, in S. Matthæum 12. 43 dicta.

℣. 27. EXTOLLENS VOCEM QUÆDAM MULIER &c.] Mulier hæc Salvatoris illecta ſermonibus, invidet felicitatem Matri, qui illum in hanc lucem edidit, & eo ſenſu, qui muliebri ſexui maxime naturalis eſt, innuit, ſe ipſam beatiſſimam fore, ſi par ſibi accidiſſet felicitas. Patres [1] fœminæ hujus verbis utuntur, ut probent, JESUM CHRISTUM verum habuiſſe corpus contra Marcionitas, aliosque Hæreticos id negantes.

℣. 28. QUINIMMO BEATI, QUI AUDIUNT VERBUM DEI.] Non negat, ſummam fuiſſe Matris ſuæ felicitatem, quod ipſum in lucem effuderit, ſuiſque eum aluerit uberibus: ſed ait, illos, qui digni ſunt habiti, qui verba ipſius audiant, atque exerceant, majori adhuc perfrui felicitate. C Licet Mater illius facta fuerit Mater Dei favore prorſus gratuito; hunc tamen fide ſua quodammodo promerita eſt, quemadmodum S. inquit Auguſtinus [2]: *Sed pia fide ſanctum germen in ſe fieri promerentem, quam eligeret, creavit; de qua crearetur, elegit.* Mater JESU ad gloriam Matris Dei pervenit per fidem, atque ſolertiam obediendi Deo, & illius verba audiendi. Ne deſperes igitur, te Matris meæ felicitatem aſſecuturam; eam quippe obtinere vales Dei ope per fidem tuam, & curam id naequendi, quod a me doceris. Qui ſunt Mater mea hoc in ſenſu, longe beatiores ſunt, quam eſſet Mater mea, ſi hiſce virtutibus minime prædita, corpori dumtaxat meo nativitatem eſſet impertita [1].

℣. 29. SIGNUM JONÆ PROPHETÆ.] Pro cœleſti, vel aereo portento illis dabo ſignum in terræ ſinu D longe admirabilius, quam ſignum Jonæ prophetæ, qui vivus prodiit ex ſinu piſcis, a quo fuerat deglutitus. Ita ipſe etiam vivus egrediar de ſinu ſepulchri, poſtquam ibi triduo delituero. Quoad ℣℣. 30. 31. 32. vide S. Matth. cap. 12. ℣. 40. 41. 42.

℣. 34. LUCERNA CORPORIS TUI EST OCULUS TUUS &c.] Verſiculus hic cum ſuperiori, ut ſubſequentibus duobus connectendus eſt, ut vera illius ſignificatio comprehendatur: Cum Miracula facio, atque doctrinam meam promulgo, neque ſurdis, neque cæcis id facio. Loquor, ut intelligar; & operor miracula, ut miſſionem meam teſtatiſſimam faciam. Non abſcondo lucernam ſub modio. Videat qui vult, lucerna mea detecta eſt. Si tibi boni ſunt oculi, eam nitentem videbis, ut eſt: ſin mali, & corrupti, tenebras E tantum conſpicies; miracula mea a te magica operationes, & doctrina mea, falſa doctrina reputabitur. Cave ergo, ne oculis tuis invidia, atque odium nubes offundant.

Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Corporeis oculis corporea vides objecta; Oculis vero animæ ſpiritualia intueris: & quemadmodum corpus omne in tenebrarum caligine verſatur, ubi ab oculis laborat; ita ubi odium, aut invidia, aliive affectus, nequam dominati fuerint animæ tuæ, ibi tenebræ ſunt, & confuſio. Pulcherrima quæque veluti monſtra videbuntur, & qui majori ſanctitate pollet, hunc tenebrionem aliquem eſſe putabit, ejuſque fulgidiſſima ſigna Beelzebub opera eſſe exiſtimabis. ℣. 35. *Vide ergo, ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint*, & id quod prodeſſe debet, ut bonum a malo ſecernas, non te in errorem inducat. ℣. 36. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit . . . . erit lucidum totum*: ſi oculus tuus integer erit, ac purus, omnia tibi erunt nitentia. Sin autem tenebroſus, omnia tenebræ videbuntur. De rebus omnibus judicium feres, prout cor tuum bonum erit, vel nequam, erga proximum tuum; non ſecus ac de rebus exterioribus judicas, prout bona eſt, vel mala oculorum tuorum valetudo.

℣. 36. SI ERGO CORPUS TUUM TOTUM LUCIDUM FUERIT &c.] *Corpus* hoc in loco non ſumitur pro ſimplici eorum artuum contextu, quem animamus; ſed B omnem hominem ſignificat, ex corpore & anima ſimul compoſitum [4]. Si oculus corporis tui, & animæ tuæ, bene erit affectus, & lucens, ſine macula, ſine labe, ſine affectu, *Totus lucidus erit*, intus æque ac extra nitens eris, atque de objectis ſenſibilibus, & actionibus proximi tui rectum judicium feres.

℣. 38. PHARISÆUS AUTEM COEPIT INTRA SE REPUTANS DICERE QUARE NON BAPTIZATUS ESSET?] videlicet quare ante prandium lotus non eſſet? nihil præceperat lex quoad has manuum ablutiones; quibus Phariſæi ante prandium uti conſueverant. JESUS CHRISTUS, & Apoſtoli manus abluebant, cum indigerent, quin aliud ſcrutarentur myſterium, & quin religioſius has nugas, atque ineptias ſectarentur. Verumtamen nunquam contemnebant illas, quas quibuſdam in caſibus C lex fieri jubebat, ut aliquis ſe ſe expiaret. Præterea vero minime frequenter abluebantur. Vide notata in S. Marcum 7. 4.

℣. 39. NUNC VOS PHARISÆI &c.] Hæc particula *nunc* innuit JESUM CHRISTUM in eorum oris habitu, vel etiam ſermonibus deprehendiſſe, illos ſcandalum ex facto ipſius arripuiſſe. Eorum igitur criminationi reſpondet: imperat Deus, ut homo ſe ſe ab omnibus intrinſecis ſordibus purum contineat; hæc legis eſt mens: *nunc* vos Phariſæi præceptum hoc adeo juſtum invertitis: ſumma diligentia, & cura externas ſordes eluitis; internas vero prorſus negligitis.

℣. 41. VERUMTAMEN QUOD SUPEREST, DATE ELEEMOSYNAM; ET ECCE OMNIA MUNDA SUNT VOBIS.] Expeditiſſimam ego vobis propono rationem, D qua interiorem, de qua loquor, munditiam acquirere valeatis, eleemoſynam nempe. Verum ſufficit ne eleemoſyna ad omne flagitiorum genus expiandum? ſatis ne eſt ſicario, adultero, alieni nominis obtrectatori, erogare eleemoſynam? haud ita ſane. Salvator eleemoſynam comparat ſolum cum extrinſecis ablutionibus, quibus Phariſæi utebantur, neque ablutionibus, neque communis aquæ balneis animæ veſtræ ſordes detergere poteſtis. Hoc unum charitas poteſt. Eleemoſyna aptior eſt, quam marium, fluviorumque fluctus omnes ad vos expiandos [5]. Aliter: ſi vere mundari voletis, facite fructus pœnitentiæ, abdicate bona male parta, quæ poſſidetis, atque peccata veſtra eleemoſynis redimite: id ſi feceritis, omnia in vobis tum intra, tum extra vos munda erunt [6].

S. Auguſtinus [7] aliique nonnulli poſt ipſum nomen *eleemoſynæ* pro omnibus charitatis, & miſericordiæ operibus iſthic intelligunt. At primum charitatis officium eſt, animæ ſuæ ſalutem procurare, juxta eam Eccli. 30 24. parabolam: *miſerere animæ ſuæ placens Deo.* Alterum autem veræ charitatis officium eſt, proximo ſuo quæcumque ad illum ſpectant, tribuere. JESU CHRISTI verba, ſi hoc in ſenſu intelligantur, puros ſane efficient eos, qui illa exercuerint: *date eleemoſynam; & ecce omnia munda ſunt vobis*, ſed vix crediderim, Salvatorem hoc in loco adeo latam ſignificationem nomini *miſericordiæ*, vel *eleemoſynæ* tribuere voluiſſe.

1 Tertull. lib. 4. contra Marc. Beda, Theophyl. hic. 2 Aug. de peccatorum meritis & remiſſione, c. 24. n. 38.
3 Vide Aug. lib. de Virginitate. Bedam hic. Mald. Grot. Brug. alios. 4 Vide Mald. Grot. Janſ.
5 Mald. hic, & Euthym. 6 Grot. hic Vide Baſil. regul. Breviorib. qu. 271. et Hamm. hic.
7 Aug. Enchirid. cap. 75. et ſerm. olim 30. de verbis Domini, nunc 106, c. 4. Beda, Strab. hic.

Beda & S. Bonaventura nomen eleemoſynæ iſthic in propria, vulgataque accipiunt ſignificatione, ſed contractans horum verborum ſenſum: ecce omnia munda ſunt vobis: eleemoſyna vos egregie diſponet, ut perfectam corporis, animæque puritatem obtineatis: quo in ſenſu intelligendi ſunt alii etiam Scripturarum loci; ex. g. cum Daniel Nabuchodonoſor inquit Dan. 4. 24. *peccata tua eleemoſynis redime*: & Tobias c. 4. 11. *eleemoſyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patitur, animam ire in tenebras*. Recentiores quidam Interpretes [1] Græcum [2] ita verti vellent: putatis, omnia vobis munda eſſe eleemoſynam erogantibus; & nihil ultra requiri, ut vosmet intrinſecus, atque extrinſecus expietis!

Ligfoot cenſet, monitum hoc a JESU CHRISTO minime proponi tamquam præceptum ab ipſo probatum, ſed tamquam fallax Phariſæorum documentum. Ironia eſt: nihil opus eſt vobis, ut cor veſtrum emendetis; dicitis enim: date eleemoſynam & omnia munda ſunt vobis: eleemoſyna liberat ab Inferno: hæc una præſtat magis, quam cætera omnia præcepta. Hi quidem ſenſus apud Rabbinos inveniuntur: ſed poſteriorum duarum explicationum neutram probaverim; quarum prior Græcæ linguæ analogiæ adverſatur, altera ſermonis decurſui repugnat. En tibi verſionem, quæ ad literam magis accedit, & magis ab interpretibus probatur: *cæterum date eleemoſynam, ex his quæ habetis*, vel ex his, quæ poteſtis [3]; & omnia vobis munda erunt. Hoc ad veniam peccatorum obtinendam, veramque corporis & animæ puritatem acquirendam magis præſtat, quam ſexcentæ ſimul ablutiones legales.

℣. 42. DECIMATIS MENTHAM . . . . . ET OMNE OLUS,] vel legumina domeſtica: campeſtrium enim decima non perſolvebatur. JESUS CHRISTUS hoc non damnat tamquam malum: ſed damnat affectationem hanc perſolvendi decimam earum rerum, quæ non jubentur, cum interim eſſentialia legis præcepta negligerent. Vide quæ diximus in S. Matthæum 23. 23.

℣. 44. ESTIS UT MONUMENTA, QUÆ NON APPARENT.] Matth. 23. 27. Salvator Phariſæos comparavit ſepulchris dealbatis, quæ extrinſecus ſpecioſa, & munda videntur; cum intrinſecus turpia ſint, tabo, oſſibuſque repleta. Iſthic vero eos comparat ſepulchris ſub terra abſconditis, a quibus nemo cavet, quoniam illa dignoſcere non poteſt; ſed quæ nihilo ſecius putidiſſima ſunt, & lue, atque tabe refertiſſima. Utraque hæc ſimilitudo ad eumdem ſcopum collimant, Phariſæos turpiſſimæ hypocriſis redarguunt, qui ſub extrinſeca pietatis ſpecie turpiſſima celant flagitia.

Ut JESU CHRISTI Phariſæos dealbatis ſepulchris comparantis mentem aſſequamur, non abs re eſt, adnotare, Hebræos ad evitandas ſordes, quas contrahebat, qui ad aliquod cadaver, aut ſepulchrum [4] accederet, conſueviſſe locum, ubi mortuus aliquis erat, extrinſeco quodam ſigno indigitare [5], quod eminus dignoſci poſſet; ne quis inconſulto accedens pollueretur. Iſraelita quilibet, ubi offendiſſet mortuum, aut ſepulchrum, cui nulla affixa eſſet nota, hanc illi affigere tenebatur; & Judices in Civitatibus ſtatis temporibus ſepulchra inviſebant, hac, illac diſperſa, ut reſtaurarentur, & apponeretur ſignum, quod illa diſtingueret. Signa autem hæc erant, vel lapis erectus, vel calx in eum locum effuſa. Phariſæi quidem erant ſepulchra lue, atque oſſibus cumulatiſſima, ſed minime notata, ita ut ad eos accederent alii, quin ſibi caverent.

℣. 46. QUI ONERATIS HOMINES.] Vide S. Matthæum 23. 4.

℣. 48. TESTIFICAMINI QUOD CONSENTITIS OPERIBUS PATRUM VESTRORUM.] Non quod ædificantes ſepulchra Prophetis reſtaurentur ſe probare, quod majores ipſorum fecerant eos perſequentes, atque necem inferentes; Videmus illos apud S. Matthæum 23. 29. aſſerentes futurum fuiſſe, ut ſi eorum ævo vixiſſent, nullam illis aliquam contumeliam inferrent. Sed perniciem nidis eorum, eorumque rabiem in ſe, ac furorem in eos, qui illorum turpitudinem detegerent, JESUS ſcrutabatur. Sciebant illi, quid in hoc eſſent auſuri; & ille arguit inde, ipſos ſatis aperte oſtendere, ſe filios eſſe, atque imitatores eorum, qui prophetas interemerunt. Ecce dicitis quidem, vos Patrum veſtrorum facta improbare, & obſervantiæ cauſa erga prophetas, quos illi occiderunt, vos ipſis ſepulchra ædificare; verum enim vero facta veſtra verbis minime reſpondent. Satis ſuperque oſtenditis, vos eorum eſſe filios, eoſque probare, ſepulchra illis ædificantes, qui ab ipſis cæſi fuerunt. Non deeſt amariſſima Ironia. Argumentationis hujus concluſio neceſſario non ſequitur, niſi quod JESUS CHRISTUS Phariſæorum cor penitus intuebatur, quemadmodum diximus, & noverat illos paratos eſſe, ut & ipſum perderent, & Apoſtolos ipſius ad mortem uſque perſequerentur [6].

℣. 49. SAPIENTIA DEI.] In S. Matthæo 23. 33. JESUS CHRISTUS de ſeipſo ait: *ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis*. Ex hujus loci collatione cum eo, quem explicamus, liquet, *ſapientiam Dei* eſſe eumdem Jeſum Chriſtum. Ipſe eſt eſſentialis ſapientia, & Verbum Patris.

℣. 51. A SANGUINE ABEL.] Videndus eſt S. Matthæus 23. 35.

℣. 52. TULISTIS CLAVEM SCIENTIÆ.] Vos ſoli in Iſrael Doctores eſſe velletis. Quicumque aut vobiſcum, aut ſub vobis non docet, certo ſciat, ſe a vobis exagitandum eſſe, atque damnandum. Putatis, neminem poſſe ſalvum fieri, niſi eam ſequatur viam, quam illi oſtenditis, neque ad vitam ingredi poſſe, niſi per januam, quam aperitis [7], & væ illi, qui docendi auctoritatem ſibi vendicat, quin a vobis facultatem obtinuerit, vobiſque ſuam ſcientiam ſubjecerit; at magis adhuc væ illi, qui pravam doctrinam veſtram aggreditur, atque detegit turpitudinem veſtram. Pereat, opus eſt, indignationis, furoriſque veſtri victima. Januam regni Cœleſtis præcluditis, atque inde clavem auferetis [8]; illuc nec vos ipſi ingredimini, neque aliis ingredi per vos licet. Nequiſſime S. Scripturæ interpretamini; earum ſenſum pravis traditionibus corrumpitis. Silentio obvolvitis, quod eſſet dicendum, & illud docetis, quod æterno eſſet ſilentio obruendum; has videlicet cæremonias, atque ſuperſtitioſas exercitationes, quas ex mera libidine Legi ſubrogaſtis. Hebræi Doctoribus ſuis in Doctoratus ſymbolum clavem, tabulaſque tradere conſueverant, qui nonnumquam cum his honoris inſignibus tumulabantur [9]; ad hanc vero conſuetudinem Salvator iſthic cenſetur alludere, Confer S. Matthæum cap. 13. verſ. 13. 14.

℣. 53. SUAVITER INSISTERE, & OS EJUS OPPRIMERE DE MULTIS.] Græcæ voces [10] Authographi plures poſſunt ſenſus admittere: ex. gr. *inceperunt illum acriter urgere, atque alias ſuper alias quæſtiones ingerere*, ut illum opprimerent. Vel inceperunt in illum iraſci; vel in ipſum graviſſime irritari, quærebant illi extorquere verba, ut occaſionem illum criminandi, vel illi vim inferendi nanciſcerentur. Aliter: violentas in illum *inſiſtebant, & qualibet in re illum interpellabant* [11].

---

1 Eraſm. Druſ. 2 Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην: 3 Grot. Vat. Hamm. Bez. Camerar. alii.
4 Num. 19. 16. 5 Vide Ezech. 39. 15. Rabb. apud Pocok. Miſcellan. 6 Vide Brug. Piſc. Hamm. hic. Grot. ad Matth. 23 29. 7 Mald. Vide Ambroſ. in Luc. Aug. lib. 2. quæſt. Evang. q. 3. et lib 2. contra adverſar. Leg. et Proph. c. 5. Bedam, Theophyl. alios. 8 Ἤρατε τὴν κλεῖδα, Grot. hic. 9 Vide Grot. Camerar. Ligfoot.
10 Ἤρξαντο δεινῶς ἐνέχειν, καὶ ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων. Quidam legunt: Δεινῶς ἐνέχειν, alii: Δεινῶς ἔχειν. Auctor Vulgatæ legiſſe videtur: Ἀποστομίζειν. Os opprimere; Ἀποστοματίζειν. Interrogare, excipere voces ejus memoriter, ut Magiſter a Diſcipulo. 11 Vide Eraſm. et Lud. de Dieu.

CAPUT

CAPUT XII.

Fermentum Phariſæorum. Blaſphemia in Spiritum Sanctum. Perſecutiones non metuendæ; Renuit JESUS inter duos fratres bona dividere. Dives, qui poſt ingentia congeſta bona moritur. Non decet curis angi pro iis, quæ in hac vita opus ſunt. Servus vigilans expectans Dominum ſuum. Venit JESUS, ignem allaturus in terram. Singulos admonet, ut ſibi caveant ab adverſario.

1. MUltis autem turbis circumſtantibus, ita ut ſe invicem conculcarent, cœpit dicere ad diſcipulos ſuos: Attendite a fermento Phariſæorum, quod
eſt hypocriſis. 2 Nihil autem opertum eſt, quod non reveletur: ne-
que abſconditum, quod non ſciatur. 3 Quoniam quæ in tenebris dixiſtis, in lu-
mine dicentur: & quod in aurem locuti eſtis in cubiculis, prædicabitur in tectis.
4 Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, &
poſt hæc non habent amplius, quid faciant. 5 Oſtendam autem vobis, quem ti-
meatis: timete eum, qui, poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehen-
nam: ita dico vobis, hunc timete. 6 Nonne quinque paſſeres væneunt dipon-
dio, & unus ex illis non eſt in oblivione coram Deo? 7 Sed & capilli capitis
veſtri omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus pluris eſtis vos.
8 Dico autem vobis: Omnis quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, &
Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. 9 Qui autem negaverit me
coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. 10 Et omnis, qui dicit verbum
in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum ſanctum blaſphema-
verit, non remittetur. 11 Cum autem inducent vos in ſynagogas, & ad magi-
ſtratus, & poteſtates, nolite ſoliciti eſſe qualiter, aut quid reſpondeatis, aut quid
dicatis. 12 Spiritus enim ſanctus docebit vos in ipſa hora, quid oporteat vos
dicere. 13 Ait autem ei quidam de turba, Magiſter, dic fratri meo, ut dividat
mecum hæreditatem. 14 At ille dixit illi: homo, quis me conſtituit judicem, aut
diviſorem ſuper vos? 15 Dixitque ad illos: Videte, & cavete ab omni avaritia:
quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt, ex his, quæ poſſidet. 16 Dixit
autem ſimilitudinem ad illos, dicens: Hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager
attulit: 17 Et cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo con-
gregem fructus meos? 18 Et dixit: Hoc faciam: Deſtruam horrea mea, & majo-
ra faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, 19 Et
dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requie-
ſce, comede, bibe, epulare. 20 Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte ani-
mam tuam repetunt a te: quæ autem paraſti, cujus erunt? 21 Sic eſt, qui ſibi
theſaurizat, & non eſt in Deum dives. 22 Dixitque ad diſcipulos ſuos: Ideo di-
co vobis: Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori, quid
induamini. 23 Animalia plus eſt quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum.
24 Conſiderate corvos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cella-
rium, neque horreum, & Deus paſcit illos. Quanto magis vos pluris eſtis illis? 25
Quis autem veſtrum cogitando poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?
26 Si ergo neque, quod minimum eſt, poteſtis, quid de cœteris ſoliciti eſtis?
27 Conſiderate lilia, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent: dico autem
vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicut unum ex iſtis. 28 Si au-
tem fœnum, quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic ve-
ſtit, quanto magis vos puſillæ fidei? 29 Et vos nolite quærere, quid manduce-
tis, aut quid bibatis: & nolite in ſublime tolli: 30 Hæc enim omnia gentes mun-
di quærunt. Pater autem veſter ſcit, quoniam his indigetis. 31 Verumtamen quæ-
rite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. 32
Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum. 33

Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, Facite vobis ſaceulos, qui non ve-
tetaleunt, theſaurum non deficientem in cœlis: quo fur non appropiat, neque ti-
nea corrumpit: 34 Ubi enim theſaurus veſter eſt, ibi, & cor veſtrum erit. 35
Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, 36 Et vos ſi-
miles hominibus, expectantibus dominum ſuum, quando revertatur a nuptiis, ut
cum venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. 37 Beati ſervi illi, quos cum
venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget ſe, &
faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. 38 Et ſi venerit in ſecunda
vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita invenerit; beati ſunt ſervi illi. 39
Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigila-
ret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. 40 Et vos eſtote parati: quia
qua hora non putatis, Filius hominis veniet. 41 Ait autem ei Petrus: Domine,
ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? 42 Dixit autem Dominus: Quis,
putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſupra familiam
ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram? 43 Beatus ille ſervus, quem,
cum venerit dominus, invenerit ita facientem, 44 Vere dico vobis, quoniam ſu-
pra omnia, quæ poſſidet, conſtituet illum. 45 Quod ſi dixerit ille ſervus in cor-
de ſuo: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere ſervos, & an-
cillas, & edere, & bibere, & inebriari: 46 Veniet dominus ſervi illius, in die,
qua non ſperat, & hora, qua neſcit, & dividet eum, partemque ejus cum infi-
delibus ponet. 47 Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem domini ſui, &
non præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis. 48
Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omnis autem
cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum,
plus petent ab eo. 49 Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi, ut ac-
cendatur? 50 Baptiſmo autem habeo baptizari; & quomodo coarctor uſque dum
perficiatur? 51 Putatis, quia pacem veni dare in terram? Non dico vobis, ſed
ſeparationem: 52 Erunt enim ex hoc quinque in domo una diviſi, tres in duos,
& duo in tres dividentur. 53 Pater in filium, & filius in patrem ſuum: mater
in filiam, & filia in matrem: ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam.
54 Dicebat autem & ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim
dicitis: Nimbus venit: & ita fit. 55 Et cum auſtrum flantem, dicitis: Quia æ-
ſtus erit: & fit. 56 Hypocritæ, faciem cœli, & terræ noſtis probare: hoc au-
tem tempus quomodo non probatis? 57 Quid autem & a vobis ipſi non judica-
tis, quod juſtum eſt? 58 Cum autem vadis cum adverſario tuo ad principem, in
via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, & judex tradat te
exactori, & exactor mittat te in carcerem. 59 Dico tibi, non exies inde, donec
etiam noviſſimum minutum reddas.

℣. 1. ATTENDITE A FERMENTO PHARISÆORUM.] Hoc jam alia in occaſione Salvator docuerat Matt. 16. 5. In hoc, atque præcedentibus capitibus complures occurrunt ſententiæ, quas alibi jam vidimus. Salvator enim nonnullas veritates, eo quod magni eſſent momenti, cenſuit iterandas. Phariſæi tantam in populo æſtimationem, atque auctoritatem erant adepti [a], ut omnino Evangelii progreſſus prohibere potuiſſent, niſi curaſſet Jeſus Chriſtus evertere exiſtimationem, quæ de illis percrebuerat, detegens noxia eorum præcepta, & mala, quæ in religionem invexerant. Monitos ergo vult Apoſtolos ſuos, ne eorum hypocriſi decipiantur, id vero in maxima inquit populi frequentia, ut & ipſi illos evitarent, & alios quoque ab illis arcerent. *Fermentum hypocriſis* ſignificare poteſt, vel ſimulatiſſimam eorum vivendi rationem, vel doctrinam, vel corruptos mores, vel ſuperbiam. Scriptura ſæpius utitur fermenti ſimilitudine [2], ut ſignificet pravæ doctrinæ, improbique exempli periculum: modicum fermentum totam maſſam corrumpit.

A ℣. 2. NIHIL OPERTUM.] Nequicquam admittuntur ſeſe abſcondere, ac aliam perſonam induere: eorum hypocriſis, & nequitia aliquando in omnium hominum oculis detegentur Quamprimum auferetur ſpatium, ut omnis eorum vita penitus introſpiciatur, & omnes horrebunt. Jeſus Chriſtus deinde prædicit Evangelii prædicationem, atque legalium cæremoniarum abrogationem; *quod in aurem locuti eſtis in cubiculis, prædicabitur in tectis*. Quæ vobis dixi de Phariſæorum ſuperbia, hypocriſi, & nequitia, & quod vos ipſi dicetis, ab omnibus mortalibus agnoſcetur. In Palæſtina de tectis prædicari poterat, quippe erant plana. Verſiculos 4. 5. 6. 7. 8. 9. jam explicuimus in S. Matt. 10. 26.

B ℣. 10. QUI IN SPIRITUM SANCTUM BLASPHEMAVERIT, NON REMITTETUR.] Conſulenda eſt Diſſertatio noſtra de peccato in Spiritum Sanctum. Adi etiam S. Matt. 12 31.

℣. ℣. 11. 12. NOLITE SOLLICITI ESSE &c.] Vide S. Matt. 12. 19.

℣. 13. DIC FRATRI MEO, & DIVIDAT MECUM HÆREDI-

a Joſeph. lib. 1. de Bello cap. 4.

2 Matth. 16. 5, 6. Galat. 5. 9. 1. Cor. 5, 6.

Digitized by Google

REDITATEM.] Hinc belle mondi hujus character dignoſcitur. Jeſus Chriſtus loquitur tantum de divitiarum contemptu, & confidentia, quæ in Dei largitate, atque Providentia collocanda eſt, cum repente illum interpellat quidam, ab eo petiturus, ut dirimat negotium mere temporale, & quod ad ipſum minime pertinebat; quoniam ad hoc miſſum non fuerat. Vir ille cæteris omnibus aurea obſtruit, & de ſua tantum re ſollicitus admittitur, Jeſum Chriſtum in ſuas partes allicere; dum hic vitæ hujus bonorum redarguit vanitatem [1]: *Petebas in terra dimidiam hæreditatem* [2], *in Cælo Dominus offerebat totam: plus Dominus dabat, quam ille poſtulabat.*

Non ſatis liquet, quænam in re poſita eſſet hæc inter duos fratres contentio, utrum alter bonorum omnium poſſeſſionem adjerit, ac nollet fratrem in hæreditatis ſocietatem admittere, an ſimpliciter utrue illi tribuere nollet, quidquid ad illum ſpectabat. Immo nec ſatis liquet, utrum fratres ambo Jeſum Chriſtum arbitrum mutuo conſenſu ſtatuerent; an alterutrer illum oraret, ut ſuam interponeret auctoritatem, imperaturus, vel ſaltem alteri fratri perſuaſurus, ut cum fratre in gratiam reverteretur. Succeſſionis ordo juxta Legem Moyſis Deut. 21. 17. requirebat, ut primogenitus duplicem ex aſſe Paterno partem referret, cæteri verò ejus, quod reliquum erat, æquas partes poſſiderent. Sed in bonis Matris nulla erat primogenito prærogativa, & ſinguli tantumdem ferebant [3].

Præter rationem, quam affert Jeſus Chriſtus verſ. 14. ne hoc munus ſubeat hæreditatis hujus dividendæ, dicens ſe ad hoc miſſum non fuiſſe, & æquum non eſſe, ut prædicationem, & ſpiritualium rerum curam relinquat, ut temporalibus vacet negotiis, aliam quoque afferre poterat, hoc eſt, ſe nolle rebus alienis irretiri, neque inimicis ſuis, vel judicibus ſuſpicionem ingerere, perinde ac eorum ſibi auctoritatem vindicaret, atque ad ea, quæ ad ipſum minime pertinebant, negotia, animum voluiſſet appellere. Si deinceps Epiſcopi e re cenſuerunt pleraque diœceſeos ſuæ negotia diſcutere, alteri paruerunt S. Pauli præcepto, non permittentia, ut Chriſtiani apud Ethnicos cauſas agant [4]: atque opus illud nonniſi ægre, atque ut majora vitarent mala, ſuſceperunt.

℣. 15. CAVETE AB OMNI AVARITIA, QUIA NON IN ABUNDANTIA CUJUSQUAM VITA EJUS EST.] Omnia mundi bona vitam vobis neque conferent, neque tuebuntur; niſi illam vobis contulerit, atque ſervaverit Deus. Ita inanes ſunt omnes ſollicitudines veſtræ; atque inviti revertamini, opus eſt, ad principium illud, quod conſtituit, omnem ſcilicet confidentiam in Dei Providentiam eſſe tranſmittendam.

Græcus ad litteram [5]: *cavete ab avaritia*, vel cupiditate divitiarum coacervandarum, ab opum amore; *non enim in bonorum, quæ poſſidentur, affluentia omnis vita conſiſtit*: fruſtra elaborant, qui opes undequaque colligere curant, quandoquidem illæ neque e vitæ hujus ærumnis, neque a morte tueri nos poſſunt. Omnes mundi hujus divitiæ numquam explebunt veſtram congregandarum opum aviditatem, & ne unum quidem momentum mortem veſtram differre poterunt [6]. Qui plura poſſidet, numquid plura comedit, atque jucundius vivit, quam illa, qui habet minora? Summa rei in eo poſita eſt, ut quilibet cor, atque vota ſua compeſcere norit [7].

℣. 20. DIXIT AUTEM ILLI DEUS.] Per ſomnium illi hæc dici juſſit; vel in imo cordis hæc illi dixit [8],

A vel potius, repente illum in alterum mundum tranſtulit, atque oſtendit, ſe in illum jam protuliſſe ſententiam, cum ille in id unum vacaret, ut ſe voluptatibus abderet [9]: *dixit*, ſignificat decretum hoc, hanc ſententiam, cujus complementum eſt mors.

ANIMAM TUAM REPETUNT A TE.] Deus tibi vitam adempturus eſt, vitæque tranſactæ rationem ex te petiturus. Dii nobis vitam dederunt, quemadmodum mutuo datur pecunia. Illis jus eſt, eam, ubi voluerint, repetendi, ajebat Ethnicus quidam [10]. Confer hunc S. Lucæ locum, cum Eccleſiaſtico c. 11. verſ. 18. 19.

℣. 21. ET NON EST IN DEUM DIVES.] Qui dives non eſt coram Deo, vel qui confidit in opibus ſuis, non in Deo; vel qui dives non eſt ſecundum Deum; qui non eſt dives virtutibus, ac meritis [11], qui non utitur
B opibus ſuis ſecundum Dei præcepta ac voluntatem, qui opes ſuas pauperibus non erogat [12]: *qui non eſt in Deum dives.*

℣. 22. NOLITE SOLLICITI ESSE.] Pro hoc, & ſequentibus verſ. uſque ad 32. Vide S. Matt. 6. ℣. 25. 34.

℣. 29. NOLITE IN SUBLIME TOLLI.] Spiritus veſter minime pendeat, atque inquietus ſit [13], veluti, qui vivunt ſine ſpe, atque in jugi metu verſantur, ne ſibi neceſſaria deficiant. Græcus non ſecus ac Vulgata ſignificare poſſunt [14]; ne minimum te extollas, veluti, qui inanes cogitationes fovent, & quibus numquam ea, quæ ſunt neceſſaria, ſufficiunt, qui continentibus animis curis anguntur, quoniam vota ſua numquam coercent, ſed ultra, quam decet, protendunt. Propheta ſenſus prorſus oppoſitos fovebat, cum hæc loqueretur
C Pſalm. 130. 1. 2. *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei; neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Alii [15] vertunt, ne vacas conſulendis ſyderibus, ut futura portendas, atque inde capias conſilia.

℣. 30. GENTES MUNDI.] Vel Gentiles ſæculi [16]; ita Hebræi [17] Ethnicos vocant, quibus nulla niſi in mundo ſpes eſt.

℣. 32. NOLITE TIMERE PUSILLUS GREX.] Deus, qui vobis Regnum ſuum pollicitus eſt, vitæ ne huic neceſſaria denegabit? pacate ergo vitam ducite, atque in largitate ejus confidite [18]. Alloquitur exiguum diſcipulorum ſuorum numerum. Pater Cœleſtis omnino gratuito vos ad fidem evocavit, vobis cœleſte Regnum deſtinavit, hac tamen conditione, ut in amore,
D ac timore ſuo perſeveretis, atque bonis operibus vocationem, electionemque veſtram confirmetis [19].

℣. 33. VENDITE QUÆ POSSIDETIS, & DATE ELEEMOSYNAM.] Non ſolum vobis ſuadeo, ut in Deo confidatis, & ab omni opum cupiditate abhorreatis; ſed auctor etiam ſum vobis, ut omnia bona veſtra penitus deſeratis, illa in eleemoſynas diſtribuentes, ut locupletiſſimum vobis in cœlum theſaurum comparetis. Illuc pauperum manu transferendæ ſunt opes veſtræ, ſi vere eas collocare deſideratis extra omnem aleam, atque diſcrimen, ne vel a furibus, vel aliis vitæ hujus ærumnis diripiantur.

℣. 35. SINT LUMBI VESTRI PRÆCINCTI, & LUCERNÆ ARDENTES IN MANIBUS VESTRIS [20].] Servorum inſtar Dominum ſuum redeuntem expectantium,
E ut ſtatim ac oſtium pulſaverit illi aperire poſſitis. Veteres [21] nobis exhibent ſervos, vel ſeminudos, vel ſuccinctos, ut diligentius, atque promptius famulentur. Hi ſervi Dominum ſuum præſtolantes accincti ſunt, atque parati, ut ad illum accurrant, eique ſerviant, ſtatim

---

1 Vide Ambroſ. in Luc. lib. 7. 2 Auguſt. ſerm. olim 196. nunc 107.
3 Vide Selden. de ſucceſſ. in bona c. 5. 6. 4 1. Cor. 6. 1. 2. 5. &c. Vide Grot. hic, in Luc. 12. 14.
5 Φυλάσσεσθε ἀπὸ τῆς πλεονεξίας. Οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ. Plures Mſſ. legunt cum Vulg. Ἀπὸ πάσης πλεονεξίας.
6 Vide Aug. ſerm. olim 196. nunc 107. et 28. de Diverſ. 7 Vide Horat. Satyr. lib. 1. Sat. 1.
8 Euthym. Baug. 9 Beda, Grot. 10 Cicero.
11 Euthym. Vide 1. Timoth. 6. 17. 18. 19. Bez. Grot. 12 Ambroſ. Beda.
13 Ita Pag. Grot. Tig. Bez. Arab. Caſtal. Hammond. Lud. de Dieu. 14 Μὴ μετεωρίζεσθε.
15 Vat. Eraſm. 16 Τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου. 17 1. Theſſal. 4. 12.
18 Maldonat. Grot. 19 2. Petri 1. 10. *Magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* 20 Græc. non habet in manibus veſtris. Nec plures e Latinis. Vide Mald. hic.
21 Vide 4. Reg. 14. 29. Luc. 17. 8. Vide Grotium, & Hamm. in hunc locum.

ſtatim ac aderit: lucerna vero manu tenent, quoniam Dominum a nuptiis, vel convivio noctu, ut mos erat, redeuntem opperiuntur [1]. Vox *Nuptiæ* in Helleniſtarum ſtylo ſæpius pro ſimplici convivio uſurpatur. Dominus, qui expectatur, eſt Deus ipſe, qui nos mortis tempore vocabit, atque vitæ noſtræ rationem expoſcet. Noſtrum quiſlibet ſervus illius eſt, atque vigilet oportet, jugiterque ſibimetipſi, atque vivendi rationi ſuæ intentus ſit, ne divinus hic Dominus vel ſemiſopitos, vel extinctis lucernis, vel inculti hujus cutis impeditos inveniat.

℣. 37. PRÆCINGET SE, & FACIET ILLOS DISCUMBERE, & TRANSIENS MINISTRABIT ILLIS.] Domino domum redeunti adeo jucunda erit ſervorum ſuorum vigilantia, & alacritas, ut ipſe illis menſæ accumbentibus miniſtrare velit, atque ſervi munus cum illis explere, ſe ſe præcingere, ultro citroque circum menſam meare, exploraturus, utrum alicui aliquid deſit. Peregrinum eſt, atque fortaſſe inauditum, id in hac vita contingere. Sed Jeſus Chriſtus explicite hoc affert exemplum, ut innuat apertius, patrisfamilias jucundiſſimam futuram domeſticorum ſuorum alacritatem, & diligentiam. Ita deſignat exceſſum gloriæ, & felicitatis, quam præparat Deus illis, qui ſibi fideliter famulantur [2].

Cæterum licet adeo mirum videatur, Dominum ſe ſe præcingere, atque ſervis ſuis miniſtrare, hoc tamen omnino exemplis non caret. In Saturnalibus Domini ſervis ſuis miniſtrabant [3], id vero non Romæ ſolum, & in Græcia, ſed Babylone etiam conſueverat, & ardebant, feſtos dies, qui *Sacæa* dicebantur, & de quibus Cteſias in Perſicis apud Athen. atque Dio Chryſoſtomus Orat. de Regno verba faciunt, eoſdem ferme fuiſſe ac apud Romanos Saturnalia. Videri poſſunt, quæ a nobis dicta ſunt in Jeremiam cap. 25. verſ. 26. & cap. 51. verſ. 41. de *Seſach*, qui *Sacæis* feſtivitatibus nomen tribuit.

℣. 38. ET SI VENERIT IN SECUNDA VIGILIA.] Liquet, Hebræos tunc temporis noctem in quatuor vigilias partiri conſueviſſe [4]. Veteres quidam MSS. pro ſecunda vigilia [5], legunt *vigiliam veſpertinam*.

℣. 39. VIGILARET, & NON SINERET PERFODI DOMUM SUAM.] Superioribus verſiculis de ſervorum vigilantia verba fecit, nunc de Patris familias loquitur cura. Illi Dominum ſuum vigilantes expectant, hic vero vigilat, metuens, ne fures ſubrepant. Hi fures ſunt animæ noſtræ inimici, qui domum invadunt, ac nobis ſopore captis illam miſere diripiunt. Domini adventum Scriptura etiam [6] furi comparat, cum minus exiſtimatur, ingruenti & mors tamquam fur nocturnus nos arripit.

℣. 41. AD NOS . . . . AN AD OMNES?] Quæſtioni huic Salvator iſthic directe non reſpondet: ſed apud S. Marcum 13. 37. explicite ait, ſe ad omnes homines loqui: *quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate.* Hic vero idipſum ſatis innuit ſequenti verſiculo, parabolam proponens, quæ præcipue ad præſules, & Eccleſiaſticos ſuperiores attinet.

℣. 42. QUIS PUTAS EST FIDELIS DISPENSATOR?] In magnis familiis, ubi plurimi ſunt ſervi, quidam illorum aliis præficitur, cujus præcipuum munus eſt, ut A illorum vivendi rationem exploratam habeat, eis victum in ſingulos dies, vel hebdomadas, vel menſes, juxta patris familias mentem, atque imperium diſtribuat [7]. Munus hoc plerumque gradus erat, ut deinceps ille bonorum omnium œconomus, atque curator fieret, ac tandem libertate donaretur. Ad hoc Jeſus Chriſtus alludit. Eccleſiæ antiſtites ſunt, tamquam hi fideles diſpenſatores ſuper fratres ſuos conſtituti, ut illis communem, & quotidianum victum ſuppeditent; videlicet, ut illos erudiant. Si ſumma officii fide munere ſuo fuerint perfuncti, felices erunt, & mortis tempore, cum Dominus accedit, familiam ſuam viſiturus, illos ſuper familiam univerſam conſtituet, atque in æternitate beata honore, & gloria cumulabit.

B ℣. 46. DIVIDET EUM, PARTEMQUE EJUS CUM INFIDELIBUS PONET.] *Dividere* ſæpius in Scripturis ſignificat vitam auferre; animam a corpore ſeparare [8], Dominis vitæ, neciſque jus erat in ſervos ſuos: extremo animadvertebant ſupplicio in ſervum infidelem, rebellem, inobedientem, fugitivum. At qui familiaritate abutebatur, conſervos ſuos vexans, atque apud illos per impotentiam ſuperbiens, merebatur procul dubio, ut in infidelium, atque inobedientium ſervorum numero haberetur.

℣. 47. ILLE AUTEM SERVUS, QUI COGNOVIT VOLUNTATEM DOMINI . . . . VAPULABIT MULTIS.] Sed qui eam minime noverit, vapulabit paucis. Omnis ergo homo Dei ſui voluntatem cognoſcere, & exequi tenetur, & quicumque illam executus non fuerit, pro ſceleris magnitudine plectetur; ita tamen, ut ille, cui Dei C voluntas perſpecta fuerit, majorem feret pœnam, quam ille, cui explorata non fuerat. Ita Salvator reſpondet quæſtioni a S. Petro ſuperius propoſitæ ℣. 41. [9] utrum ea, quæ dicebat, omnibus diceret? utique procul dubio; nam ſine perſonarum acceptione quilibet, juxta operum ſuorum meritum pœnas feret. Nullum aliud inter Judæum, & Ethnicum [10]; inter divitem, & pauperem; ſummum, & imum [11] diſcrimen erit, niſi quod ille, qui plura cognoverit, & nihilominus peccaverit, ſævius punietur, quam qui per ignorantiam deliquerit [12], dummodo tamen ignorantia illius neque affectata ſit, neque voluntaria: hujuſmodi enim ignorantia jam peccatum eſt [13], & dummodo non Deum, neque generalia juris naturalis principia ignoret; id genus enim inſcitia excuſari minime poteſt: *ignorantes Dominum nulla exceptio tuetur a pœna*, inquit Tertullianus de Pœnit.

D ℣. 49. IGNEM VENI MITTERE IN TERRAM.] Quinam eſt ignis iſte, quem Jeſus Chriſtus attulit in terras? quidam [14] de Spiritu Sancto, Evangelicaque doctrina, & Apoſtolorum prædicatione, quæ univerſum terrarum orbem luce, atque terrore replevit, intelligunt, quod ipſum innuebant igneæ flammæ, quæ ſuper Apoſtolos viſæ ſunt ea die, qua ſuper illos Spiritus S. deſcendit [15]: *numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus*, apud Jeremiam 23. 29. *& quaſi malleus conterens petram?* Alii [16] hoc explicant de charitatis igne, quem Dominus in terris accendit, & Apoſtoli in omnes terras tulerunt. Sed ea ſimpliciſſima eſt omnium ſententia, maximeque ad litteram accedit, quæ hoc de perſecutionis, & belli flamma interpretatur [17]. Ignis ſæpiſſime pro bello in Scripturis uſurpatur [18], & Salvator

apud

---

1 Luc 14. 8. Eſth. 9. 22.   2 Maldonat. hic, et Grot.
3 Athen. l. 4. c. 10. at Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 2. cap. 22. Lucian. ep. Saturnal. et in Chronſolone.
4 Matth. 14. 25.   5 Ἐν τῇ ἑσπερινῇ φυλακῇ. Vide Mill. hic. Ita legebant Marcion. teſte Epiph.
6 2. Petr. 3. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur.* Et 1. Theſſ. 5. 2. *Dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet.*
7 Vide Salvianum l. 3. ubi invehit in Dominos, qui ſervis ſuis certam ciborum menſuram dantes, eis non ſuppeditabant, unde ſufficienter nutrirentur: *Servis etiamſi ſtipendia uſitata præſtentur, conſuetudini hæc magis, quam ſufficientiæ ſatisfaciunt; & ita implent canonem, ut non impleant ſatietatem.* Theophraſtus ait, Dominus avaros curam ſuſcipere diſtribuendi cibaria ſervis ſuis. Charact.
8 1. Reg. 15. 33. 1 Par. 13. 16. 1. Reg. 21. 28. &c. Eraſm. Vet. Camer. Marian.
9 Vide Maldonat. hic.   10 Origen. lib. 2. epiſt. ad Rom.
11 Grot. hic.   12 2. Petr. 2. 21. *Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti.*   13 Grot. Brug.   14 Aug. lib. contr. Adimant. Manichæum cap. 13. Origen. apud Hieronym. lib. 2. contra Rufin. & in Matth. 3. Gregor. homil. 3. in Ezech. Ambroſ. hic. Bernard. ſerm. 1. de Purific. alii plures.   15 Act. 2. 3. 4.   16 Euthym. Theophylact.
17 Tertull. lib. 4. contra Marcion. Maldonat. Grot. Brug. alii.
18 Deut 32. 22 Pſalm. 17. 7. 16. 3. 65. 10. 96. 3. Iſai. 33. 11. & alii paſſim.

apud S. Matthæum 10. 34. teſtatus, ſe gladium attuliſſe, non pacem; hoc eſt futurum, ut doctrina Evangelica diſſidia, perſecutiones, ac ſexcenta mala illis pariat, qui eam tuebuntur, & amplectentur; verum per mala hæc cœlorum Regnum acquirunt; per eadem Jeſus Chriſtus Dæmonis imperium evertit, Idololatriam, ſuperſtitionem, errorem in omnibus terrarum plagis exterminat. Tanta immutatio citra rumorem, tumultum, ignem, bellum, fieri non poterat.

Et quid volo, nisi ut accendatur?] Hæc loquendi ratio ſignificat ardens Salvatoris deſiderium videndi, ut quamprimum Evangelium in omnibus terrarum plagis prædicetur, & Apoſtoli ſui cum mundo, carne, & dæmone colluctentur. Hoc ille bellum amat, & cupit: hic tumultus illi maxime placet, illum oblectat; quoniam in id tendit, ut illius imperium B conſtituat, hoſtes vero ejus penitus deleat: quemadmodum ſtrenuus Imperator flagrat deſiderio, ut prœlium committatur, ex quo certiſſimam ſibi victoriam pollicetur, & poſſeſſionem ditionis illius, quam hoſtes injuſte uſurpaverant. Græcus [1] differt a Vulgata: veni ignem mittere in terram; & quid volo? ſi jam accenſus eſt? quid mihi reliquum eſt, quod optem, ſi jam ignis exarſit [2]? ſed eruditiſſimi quidam Critici [3] credunt, Græcum textum belle in Vulgatæ ſenſu explicari: *quid volo, niſi ut citius accendatur?*

ỽ. 50. Baptismo habeo baptizari [4].] Quinam eſt ardor meus, æſtus, ſollicitudo mea, ut quamprimum baptiſmatis hujus complementum intuear? Loquitur de paſſione ſua, quæ non ſemel [5] Baptiſmatis nomine deſignatur, eo quod in doloribus, & crucia- C tibus ad ſummum uſque caput, ut ita dicam, erat immergendus. Cum autem tormenta, & perſecutiones Apoſtolorum, & Martyrum quædam ſit ſpecies complementi, & continuatio cruciatuum Jeſu Chriſti [6], teſtatus, ſe cupere non ſolum ut ſuæ paſſionis momentum, verum illud etiam prædicationis Evangelii, quam Apoſtolorum ſuorum cruciatus, & pœnæ ſubſequentur, citius accedant. *Coarctari* ſe dicit, non propter dolorem, ac metum, ſed propter deſiderium quamprimum videndi illud, quod votorum ſuorum ſumma eſt [7]: non ſecus ac mulier prægnans maximopere, non ſine tamen quodam metu partus ſui momentum concupiſcit [8].

ỽ. 51. Sed separationem.] Hoc idem eſt, ac illud, quod ait apud S. Matthæum 10. 34. *non veni pa-* D *cem mittere, ſed gladium. Separatio* iſthic bellum, diſſidium, mortem ſignificat. Hæc mala nuſquam fuerunt ex Jeſu Chriſti ſententia, quem Scriptura nobis exhibet tamquam Principem pacis, & qui patientiam, lenitatem, & charitatem diſcipulis ſuis etiam, atque etiam commendat. Sed prænoſcebat ille, quid eventurum eſſet, & notat ſcilicet exitus bellorum, & perſecutionum, quas fideles fuerant paſſuri. Tertullianus legebat [9] *Macharam* in exemplaribus ſuis pro *ſepa-* A *ratione*, & accuſabat Marcionem, eo quod noviſſimam hanc illi priori lectionem ſubrogaſſet. Verum Marcionis lectio genuina erat, eaque hodie in omnibus Græcis, Latiniſque exemplaribus invenitur.

ỽ. 54. Cum videritis nubem orientem &c.] Hoc illis alibi exprobravit dicens Matt. 16. 2. Ex cœli facie egregio noſtis judicium ferre, & prænoſcere, utrum tempus ſudum, an udum futurum ſit: verum tempora dignoſcere neſcitis; hoc eſt neſcitis tempora, in prophetis pro Meſſiæ adventu notata, jam adimpleta eſſe. In Palæſtina ex mediterraneo mari, quod occiduum erat, nubes, atque imbres aſſurgere conſueverant. Meridiani venti ex Arabia, & Ægypto perflantes, quæ regiones erant admodum calidæ, ſiccitatem inferebant, eamque regionem urebant. Boreales denique venti pruinas, nivemque illuc afferebant [10], quemadmodum ex univerſa Scriptura innoteſcit.

ỽ. 57. Quid autem et a vobis ipsis non judicatis?] Ex eo principio, quod nuper ſtatuit, duo inferet: noſtis ſerenum, pluviumque tempus prænoſcere; cur autem non noſtis ea, quæ accidunt ſub oculis veſtris; cur non intelligitis, Meſſiæ tempus jam adveniſſe, ejuſque characteres in me eſſe completos? Hoc primum eſt. Cur cum adeo experti ſitis in iis, quæ extra vos ſunt, non intelligitis, quid veſtra intererſit, neque cum adverſario ſuo in gratiam revertimini, antequam prodeatis in jus, atque ibi damnemini? Hoc alterum eſt. Græcus [11]: *cur non judicatis per vosmetipſos id, quod juſtum eſt?* Cur cauſas peroratis, agitiſque? cur vobis ipſis jus non dicitis, vel non dicitis C proximo veſtro?

ỽ. 58. Cum vadis cum adversario tuo ad principem.] Jeſus Chriſtus hoc in loco non vult conſilium præbere iis, qui lites agunt; hujuſmodi enim homines pleromque ſatis in cauſa ſua prudentes ſunt, atque illuminati. Verum illius conſilium eſt eos damnandi, qui hac in vita Deo ſatisfacere non curant, & pœnitentiam in mortis horam rejiciunt: cum repente juſta inexorabilis judicis ſeveritas illos opprimit, ſæpe tunc contemnentis inanem eorum pœnitentiam, qui dum viverent, ſua mandata, ac monita contempſerunt.

Græcus [12], ſi cum ỽ. 57. connectatur, ita verti poteſt: *cur ex vobis metipſis non judicatis id, quod juſtum eſt? & cum proditori eſtis coram Judice*, vel Principe, vel Magiſtratu *non perſolvitis adverſario veſtro uſuram,* D quam petit, *ut ex illius manu aufugiatis?* vel: cur non conceditis illi id, de quo agitur, quodcumque illud ſit? Si alienum æs contraxiſti, illud diſſolve, ſi mercedem poſcis, cur hanc illi non reddis? ſi ſortem ex aſſe diſſolvere non vales, offers illi quæſtum, ne te ulterius perſequatur: quem noviſſimum ſenſum Theophylactus, & Salmaſius ſequuntur. Ære alieno obſtrictus urgeri ſecundum leges non poterat, ut ſortem diſſolveret, donec æris alieni fœnus perſolveret. Hæc explicatio apta videtur.

---

1 *Καὶ τί θέλω; εἰ ἤδη ἀνήφθη*. Quidam Latini: *Quam volo, ut accendatur!* Ita Philaſtr. hæreſ. de labiis Iſaiæ carbone tactis. Hieronym. lib. 2. in Rufin. & Comment. in Zach. 9. & in Matth. 3. Origen. in Exod *Καὶ εἴθε ἤδη ἀνήφθη*. *Atque utinam accendatur!* 2 Pagn. Eraſm. Illyr. Mont. Caſtal. Beza, Ludov. de Dieu, Camer. 3 Vide Grot. & Hamm. hic. 4 Iren. apud Epiphan. 5 Marc. 10. 38. Confer Pſalm. 65. 12. 69. 2. 15. 16. 6 Coloſſ. 1. 24. 7 Vide Ambroſ. Bedam, Theophyl. Euthym. Mald. alios. 8 Grot. hic. 9 *Macharam quidem ſcriptum eſt, ſed Marcion emendat, ſeparationem, quaſi non & ſeparatio opus ſit Machæræ*: Tertull. contra Marcion. lib. 4. 10 Vide Job. 37. 9. 11 *Τί δὲ καὶ ἀφ' ἑαυτῶν οὐ κρίνετε τὸ δίκαιον.* 12 *Ὡς γὰρ ὑπάγεις μετὰ τοῦ ἀντιδίκου σου ἐπ' ἄρχοντα, ἐν τῇ ὁδῷ δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ.*

C A-

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Galilæi, quorum ſanguinem Pilatus cum eorum ſacrificiis commiſcet. Lapſus turris Siloe; Ficus ſterilis. Mulieris curvæ miraculoſa curatio. Regnum Cœlorum grano Sinapis, & fermento comparatur. Porta anguſta, Jeroſolyma perdens Prophetas.

1. ADerant autem quidam ipſo in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quo-
rum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum. 2 Et reſpondens di-
xit illis: Putatis, quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fue-
rint, quia talia paſſi ſunt? 3 Non, dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis,
omnes ſimiliter peribitis. 4 Sicut illi decem, & octo, ſupra quos cecidit turris
in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipſi debitores fuerint præter omnes ho-
mines habitantes in Jeruſalem? 5 Non, dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non ege-
ritis, omnes ſimiliter peribitis. 6 Dicebat autem & hanc ſimilitudinem; Arborem
fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, &
non invenit. 7 Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt, ex quo ve-
nio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: ſuccide ergo illam: ut quid
etiam terram occupat? 8 At ille reſpondens, dicit illi; Domine, dimitte illam &
hoc anno, uſque dum fodiam circa illam & mittam ſtercora: 9 Et ſiquidem fe-
cerit fructum: ſin autem, in futurum ſuccides eam. 10 Erat autem docens in ſy-
nagoga eorum ſabbatis. 11 Et ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis an-
nis decem, & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere. 12
Quam cum videret Jeſus, vocavit eam ad ſe, & ait illi; Mulier, dimiſſa es ab
infirmitate tua. 13 Et impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt, & glorifica-
bat Deum. 14 Reſpondens autem archiſynagogus, indignans quia ſabbato curaſſet
Jeſus, dicebat turbæ: Sex dies ſunt, in quibus oportet operari; in his ergo ve-
nite, & curamini, & non in die ſabbati. 15 Reſpondens autem ad illum Domi-
nus, dixit: Hypocritæ, unuſquiſque veſtrum ſabbato non ſolvit bovem ſuum, aut
aſinum a præſepio, & ducit adaquare? 16 Hanc autem filiam Abrahæ, quam al-
ligavit ſatanas; ecce decem, & octo annis non oportuit ſolvi a vinculo iſto die ſab-
bati? 17 Et cum hæc diceret, erubeſcebant omnes adverſarii ejus: & omnis populus
gaudebat in univerſis, quæ glorioſe fiebant ab eo. 18 Dicebat ergo; Cui ſimile
eſt regnum Dei, & cui ſimile æſtimabo illud? 19 Simile eſt grano ſinapis, quod
acceptum homo miſit in hortum ſuum, & crevit, & factum eſt in arborem magnam:
& volucres cœli requieverunt in ramis ejus. 20 Et iterum dixit; Cui ſimile æſtima-
bo regnum Dei? 21 Simile eſt fermento, quod acceptum mulier abſcondit in fa-
rinæ ſata tria, donec fermentaretur totum. 22 Et ibat per civitates, & caſtella,
docens, & iter faciens in Jeruſalem. 23 Ait autem illi quidam: Domine, ſi pau-
ci ſunt, qui ſalvantur? ipſe autem dixit ad illos; 24 Contendite intrare per an-
guſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. 25
Cum autem intraverit paterfamilias, & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare, & pul-
ſare oſtium, dicentes: Domine, aperi nobis: & reſpondens dicet vobis: Neſcio vos,
unde ſitis. 26 Tunc incipietis dicere; Manducavimus coram te, & bibimus, & in
plateis noſtris docuiſti. 27 Et dicet vobis: Neſcio vos, unde ſitis: diſcedite a
me omnes operarii iniquitatis. 28 Ibi erit fletus, & ſtridor dentium; cum videri-
tis Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem
expelli foras. 29 Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro,
& accumbent in regno Dei. 30 Et ecce ſunt noviſſimi, qui erunt primi, & ſunt
primi, qui erunt noviſſimi. 31 In ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorum, di-
centes illi: Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere. 32 Et ait illis;
Ite, & dicite vulpi illi: ecce ejicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras,
& tertia die conſummor. 33 Verumtamen oportet me hodie, & cras, & ſequenti
die ambulare: quia non capit prophetam perire extra Jeruſalem. 34 Jeruſalem, Je-

Digitized by Google

ruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti?
35 Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat, cum dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

℣. 1. NUNTIANTES ILLI DE GALILÆIS, QUORUM SANGUINEM PILATUS MISCUIT CUM SACRIFICIIS EORUM.] Hoc eſt, quos in Templo occidi juſſerat, dum ſua offerrent ſacrificia. Hiſtoriam hanc ſatis perſpicue non novimus, quoniam obiter dumtaxat iſthic attingitur. Verum fidei propius eſt, hos Galilæos fuiſſe diſcipulos Judæ Gaulonitæ, vel Galilæi, docentis, tributum non eſſe alienigenis perſolvendum [1]; Cum doctrinam hanc Jeroſolymæ, atque in Templo etiam forſitan ſererent, Pilatus illos ſacrificiis intentos juſſit interfici.

Crediderunt quidam [2], homines, qui Pilati juſſu cæſi fuerunt, fuiſſe Samaritanos. Narrat Joſephus Antiqu. l. 18. cum tenebrio quidam in vulgus edixiſſet, ſe ſcire locum in monte Garizin, ubi Moyſes olim ſacra tabernaculi vaſa effoderat, eumque pollicitus eſſet, ſe ſtata die hæc illic oſtenſurum; populum ex ſibi ſublimi paſſum catervatim confluxiſſe, ut factum hoc ſuis met oculis videret. Verum cum apud *Tirathabam* præſtolarentur ſocios ſuos, ut ſimul in montem aſcenderent; Pilatus, jugo illius equitato, ac peditatu occupato, Samaritanis vim intulit, qui Tirathabæ convenerant, plurimiſque eorum cæſis, alios fugavit, & quoſdam ex principibus cepit, quos capite damnavit. En ex horum auctorum ſententia quinam ſint Galilæi, quorum ſanguinem Pilatus cum eorum ſacrificiis commiſcuit. At quorſum eos Galilæos vocat S. Lucas, cum Samaritani ſint, quemadmodum Joſephus teſtatur? quomodo oſtenditur Pilatus eorum ſanguinem cum victimarum ab ipſis oblatarum cruore immiſcuiſſe? Huic, quid reſpondeant, non habent, ideoque putamus eorum ſententiam probari minime poſſe.

Suidas in Pilat. nihilo magis meretur fidem, cum ait, hoc accidiſſe, dum Pilatus adorſus ſacrum theſaurum, qui *Corban* appellabatur, impendere, ut aquam in urbem adduceret, juſſit, populum circa tribunal ſuum coactum percuti, ac diſſipari, ita ut complures interierint, neque pauciores vulnerati fuerint.

Verum probari minime poteſt, eos Galilæos fuiſſe: erant enim Judæi, vel Jeroſolymæ, vel ex aliis locis, iique non in Templo, neque inter ſacrificia, ſed in foro, & prope Tribunal Præſidis [3] cæſi fuerunt. Hoc autem certum eſt, id accidiſſe poſt Jeſu Chriſti mortem, & quinto circiter ſuper trigeſimum æræ vulgaris anno, quandoquidem Vitellius auditis Samaritanorum querelis miſit Pilatum Romam anno Chriſti ſexto ſupra trigeſimum.

℣. 2. QUOD HI PRÆ OMNIBUS GALILÆIS PECCATORES FUERINT.] Populus ſuopte ingenio proclivis eſt, ut quos miſeros, & calamitoſos videt, ſontes etiam, & noxios arbitretur. Judæis quoque alte hæc inſederat opinio, quemadmodum liquet, cum ex pluribus locis, tum peculiariter ex eo, quod Jeſu Chriſto dixerunt, ubi illum, qui cæcus natus fuerat, viderunt: *quis peccavit hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur* Joann. 9. 2. Sed præjudicium hoc Salvator evertit, dicens, Galilæos, de quibus ſermo fuit, nequaquam fuiſſe Galilæis nocentiores: oſtendens hoc pacto, Deum quodammodo nequioribus parcere nonnumquam, & in bonos ultionis ſuæ ſenſibiles effectus exercere; ut horum quidem probet patientiam, & meritum remuneretur; illis vero tribuat ſeveritatis exempla, quæ illos manet, ſi in flagitiorum ſuorum cœno perſiterint [4].

A In univerſa hac agendi ratione nihil injuſtum agere Deum dici poteſt: utitur abſoluto dominio ſuo in mortales, juſtos exercens, illis vera præparans bona, eoſdem percutiens. Ejus vero erga impios indulgentia, ut plurimum, divinæ eſt effectus miſericordiæ, eoſdem ad pœnitentiam præſtolantis: nonnumquam vero ingentis iræ Dei effectus eſt, illos in reprobum ſenſum derelinquentis, eiſque dicentis [5]: *quieſcam, nec iraſcar amplius*, quod maxime terribile eſt extremi illius furoris indicium.

℣. 3. OMNES SIMILITER PERIBITIS.] Videtur Jeſus Chriſtus illis ea mala portendere, quæ eo tempore, quo Jeruſalem a Romanis everteretur, in illos erant prolapſura; tunc enim plurimi Judæi impœnitentes, atque increduli ſub calamitoſiſſimæ patriæ ſuæ
B ruderibus conſepulti fuerunt [7]. Quidam [8] vocem hanc *ſimiliter* intellexerunt, perinde ac ejuſdem mortis genus innueret. Titus ſanguinem veſtrum cum ſacrificiorum veſtrorum cruore miſcebit, quemadmodum Pilatus horum Galilæorum ſanguinem cum victimarum eorumdem cruore commiſcuit. Narrat Joſephus de Bello l. 6. crudelitatem eam, quam exercuerunt in Templo ipſi Zelotes, & ſeditioſi die Azymorum ſub ſeditionis initium. Prior explicatio pluribus arridet. Patres hoc de obſtinatorum peccatorum æterna morte intelligunt.

℣. 4. SICUT ILLI DECEM ET OCTO.] Hæc hiſtoria, vel hoc factum apud alium Auctorem non legitur; & raro accidit, ut hiſtorici res hujuſmodi referant. Verum Salvator, qui nullam prætermittebat diſcipu-
C lorum erudiendorum occaſionem, & qui omnia ad Deum, atque æternitatem referebat, hoc utitur exemplo, probaturus, externa ſupplicia, quibus in homines animadvertit Deus, non ſemper certa eſſe indicia, illos, qui iiſdem afficiuntur, iis, qui immunes ſunt, eſſe nocentiores. Turris Siloe fortaſſe adnexa erat mœnibus Jeruſalem ea in parte, quæ fontem Siloe reſpiciebat ad pedes mœnium eorumdem, Orientem verſus emanantem.

QUI ET IPSI DEBITORES FUERINT.] *Debitor* iſthic pro peccatore uſurpatur; eaque Syriaca eſt, vel Hebraica loquendi ratio. Eodem in ſenſu in dominica oratione petimus [9], ut Deus *dimittat nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: & alibi judicium a Deo in peccatores exercendum ſub para-
D bola obæratorum [10].

℣. 6. ARBOREM FICI &c.] Ut in eorum mentem animumque altius pervadat ea veritas, quam nuperrime docuit, eos videlicet univerſos, niſi pœnitentiam egerint, perituros, atque urbis ſuæ ruina obrutum iri; alteram hanc illis proponit parabolam, quæ ad finem eumdem collimat. Sterilis ficus eſt Judæorum populus: pater familias, Deus, qui fatigatus expectando fructus numquam prodeuntes, minitatur fore, ut juſſu ſuo arbor ea convellatur. Prophetæ, piique viri illius cohibent manum, inhibentque decretum ea ſpe, forum ut ipſorum curis atque adhortationibus populus tandem reſipiſcat, & dignos pœnitentiæ fructus producat. JESUS CHRISTUS poſtremo hanc ſibi hujus arboris colendæ provinciam vendicat, atque æterni Patris
E ſui nomine ficum hanc ſuccidendam minitatur. Minas excepit effectus: poſt quadrageſimum ab illius morte, & Reſurrectione annum Jeroſolyma deleta fuit, Templum

1 Vide Grot. Brug. Theophyl. Euthym. 2 Beza, Maldon.
3 Joſeph. lib. 2. de Bello, cap. 8. p. 789. 4 Beda, Mald. Grot. 5 Ezech. 16. 42.
6 Brug. Mald. Grot. alii. 7 Cyrill. apud Thom. Euthym. Hugo, Lyr.
8 Joſeph. de Bello, lib. 6 cap. 4. in Lat. Ed. 11. In Græco p. 916. 9 Luc. 11. 4. Matt. 6. 12.
10 Matth. 18. 26. 29. 32. 33.

plum dirutum, & incenſum, Judæorum natio diſſipata, & fere deleta, ritus abrogati, Gentiles populi ad fidem evocati, & in ſterilis illius ficus locum in Eccleſia conſiti. Hæc univerſa hujus parabolæ œconomia [1] conferri poteſt cum ea, quæ dicta ſunt de ficu, quam JESUS CHRISTUS, cum foliis dumtaxat inanibus ornatam vidiſſet, maledictione percuſſit [2], & cum parabula vineæ, quam Agricolis nequam colendam tradiderat, Matth. 21. 33.

℣. 7. ANNI TRES SUNT.] Tres anni diuturnam Dei patientiam, ejuſque bonitatem, qua peccatorem invitat ad pœnitentiam, ſignificant. Duo annorum millia circiter abierant, ex quo Deus Judaicum populum præſtolabatur, ſi tempus hoc ex ipſa Abrahæ vocatione recenſeatur [3]: Vel anni mille, & quingenti [4], ſi numerentur ab exitu de Ægypto, ac Lege in Sinai rogata. Patres quidam [5] tres hoſce annos intelligunt de tribus ſtatibus, ſub quibus mortales vixerunt, videlicet ſub lege naturali ab ipſis mundi primordiis ad Moyſem uſque; ſub lege Moyſi tradita uſque ad Jeſum Chriſtum; & ſub lege Evangelica a Jeſu Chriſto uſque ad Mundi finem. Alii [6] hoc explicant de triplici regimine, cui Judæi ſubjecti fuerunt, quorum primum fuit ſub Judicibus a Juſue ad Saul; alterum ſub Regibus a Saul ad Babylonis captivitatem. Tertium ſub ſummis Sacerdotibus a captivitate ad ſæculum JESU CHRISTI. Alii [7] de tribus hominis ætatibus, pueritia, virili ætate, ac ſenectute: alii denique de tribus annis prædicationis JESU CHRISTI interpretantur. Verum poſtremæ explicationes iſtæ omnino arbitrariæ ſunt; tres anni ſimpliciter ſignificant, Deum illis omne tempus, omneſque idoneas rationes ſuppeditaſſe, ita ut inexcuſabiles eſſent.

UT QUID TERRAM OCCUPAT?] Græcus [8] ad litteram: *Cur terram inutilem reddit?* fruſtra alterius arboris locum tenet, quæ mihi fructus parere poſſet, Judæi, qui ſoli erant veritatum, ac veræ religionis ſequeſtres, non ſolum nullum producebant fructum; verum etiam cauſa erant, ut alii populi carerent cognitione veritatum ſalutis, atque a Regno Dei prohiberentur.

℣. 8. FODIAM ET MITTAM STERCORA [9].] Deus per ſervos, prophetaſque ſuos, & poſtremo per filium ſuum nihil intentatum reliquit, ut Judæos ad officium revocaret. Illos modo bonis omnibus cumulavit; eoſdem modo malis obruit; fecit ut erudirentur, ut minæ illis intentarentur, ut ſuaderentur, atque ſub oculis eorum plurima miracula operatus eſt. Nihil eorum indocilitatem, atque nequitiam valuit evincere; ſed omnia hæc adminicula, & auxilia per ſcelus ſuum inania effecerunt.

℣. 11. QUÆ HABEBAT SPIRITUM INFIRMITATIS [10].] Occurrunt in Scriptura [11] complures morbi, quorum Dæmon cauſa fuit, ſurditates, peſtes, cædes, Dæmonia obſeſſiones, homines muti effecti. Cum ægritudo ea, de qua hic ſermo, naturalis non eſſet, univerſa medicorum ars illam levare nulla poterant ex parte.

℣. 12. DIMISSA ES AB INFIRMITATE TUA.] Loquitur de infirmitate tamquam re animata, quæ nos invadit, vel deſerit, ubi voluerit; vel cum externa vis illam coegerit. Vel: Dæmon, qui tibi hunc peperit morbum, recedet a te; tu vero perfecte ſanaberis.

℣. 14. ARCHISYNAGOGUS.] In Synagoga plures erant Principes, vel Præſides, alii aliis ſubordinati [12]. Hic non audet directe JESUM alloqui, ſed populos rogat, ne ad illum die Sabbathi ægros curandos adducant. Satis diuturnum eſt hebdomadæ ſpatium, quin violandum ſit non neceſſariis curationibus Sabbathum; non prohibeo, quominus curationem veſtram quæratis; verum conſulite tempori. Verus hypocritæ character.

℣. 15. HYPOCRITÆ [13] UNUSQUISQUE VESTRUM &c.] Quis veſtrum non ſolvit Sabbatho bovem ſuum, ut illum & Sabbatho ad flumina potaturum adducat? ægre vero patiemini, die Sabbathi a me huic mulieri ſalutem reſtitutam? Judæi Doctores ajunt, cum vitæ vel hominis, vel bruti alicujus periculum imminet, Sabbathi obſervantiam diſpenſari. Archiſynagogus iſtæ mulieris hujus curvæ curationem non ita neceſſariam putabat, ut non eſſet differenda; verum in exemplo, quod attulit Salvator domeſticorum animalium, quæ ſolvuntur, atque in paſcua, & ad flumina Sabbatho aguntur; ullane adeſt abſoluta, atque indiſpenſabilis neceſſitas, ita ut Sabbatho fieri debeat? Nonne ante diem Sabbathi afferri poterat ad illa gramen, & licet ea animantia tota ea die, aliquot ſcilicet horis, præter morem potu & cibo abſtinuiſſent, num ideo interiiſſent? Sabbathi ergo obſervantia ea res erat, in qua potius moralis, quam extremæ neceſſitatis ratio habebatur, ut aliquis ſecum poſſet diſpenſare.

Verum ſi quis umquam caſus fuit, ubi diſpenſatio locum habere debuit, hic procuIdubio cenſendus eſt, in quo mulier decimum annum jam adeo curva permanſerat, ut cœlum ſuſpicere non poſſet; id autem, ſpiritus nequam operatione. Denique utrene inter ſerviles actiones recenſeri poteſt miraculoſa curatio, ſine conatu, ſine arte, ſine labore, verbo dumtaxat & ſimplici manuum impoſitione perfecta?

℣. 17. QUÆ GLORIOSE FIEBANT AB EO.] Hoc nomine Hebræi prodigia, & miracula vocant [14].

℣. 19. SIMILE EST GRANO SINAPIS.] Vide, quæ notata ſunt in S. Matth. 13. 31. Regnum Cœlorum iſthic Chriſtianam Eccleſiam, & Evangelii prædicationem ſignificat. Grani Sinapis & fermenti ℣. 21. parabolæ illius celerem propagationem, atque latiſſimam extenſionem indigitant.

℣. 21. IN FARINÆ SATA TRIA.] S. Ambroſius non legit *ſata tria*, & ait, hoc additum fuiſſe in S. Mattheo. Ea tamen verba hodie in omnibus exemplaribus leguntur.

℣. 22. IBAT PER CIVITATES.] Ea omnia, quæ poſt caput 9. ℣. 51. hactenus legimus, eo in itinere contigerunt, quo de Galilæa Jeruſalem profectus eſt JESUS CHRISTUS, quo pervenit die quarta Junii, ſexta Sivan, Pentecoſtes feſtivitatem celebraturus [15].

℣. 23. DOMINE SI PAUCI SUNT, QUI SALVANTUR? .... ℣. 24. CONTENDITE INTRARE PER ANGUSTAM PORTAM.] Aliquid ſimile jam vidimus apud S. Matthæum 7. 13. & 25. 14. Attamen ingens ſemper quæſtio fuit, utrum eorum, qui ſalvantur, numerus magnus eſſet; ſed in univerſo Evangelio JESUS CHRISTUS oſtendit, Electorum numerum exiguum eſſe, Cœli januam eſſe anguſtam, eamque a perpaucis inveniri; viam vero, quæ illuc ducit, arctam eſſe, ac difficilem, & non multos illac ad finem uſque contendere. Intelligi hoc etiam poteſt de ingreſſu Regni Cœleſtis, id eſt Eccleſiæ per fidem JESU CHRISTI. Anguſtum eſt oſtium, & non adeo facile, quod reperiatur. Pauciſſimi Judæi illuc ingredientur. *Ex ſexcentis hominum millibus, qui de Ægypto egreſſi ſunt, duo tantum in terram promiſſam ingreſſi ſunt: ita pauciſſimi Iſraelitæ Meſſiæ tempore ſalvi fient*, inquit Rabbinus Rabba.

℣. 24. MULTI QUÆRENT INTRARE, ET NON POTERUNT.] Non quod illis Deus ſalutis oſtium præcludat, neque hanc illis invideat felicitatem, illia de-

ne-

1 Vide Ambroſ. in Luc. Beda, Theophyl. Euthym. Aug. ſerm. olim 31. nunc 110. de verb. Domini. Petr. Chryſolog. ſerm. 10. 2 Matth. 21. 19. 3 Anno Mundi 2083. 4 Anno Mundi 2513.
5 Ambroſ. & Theophyl. hic. Gregor. Magn. homil. 31. in Evangel.
6 Euthym. 7 Theophylact. 8 Ἵνα τί καὶ τὴν γῆν καταργεῖ.
9 Cantabrig. Gr. Κόφινον κοπρίων. Lat. *Squalum ſtercoris*. Ambroſ. *Cophinum ſtercoris*.
10 Vide infra verſ. 16. *Hanc filiam Abrahæ quam alligavit ſathanas*.
11 Marc. 9. 19. Job. 2. Pſalm. 77. 49. Prov. 17. 11. 1. Cor. 10. 10. 4. Reg. 19. 35. &c.
12 Vide Matth. 9. 18. Marc. 5. 22. Act. 13. 15. 13 Complures MSS. Codd. Græci conſonant Vulgatæ legenti: *Hypocritæ* in plurali. At Græcus impreſſus legit, *Hypocrita* in ſingulari.
14 Ἐν τοῖς ἐνδόξοις. Vide Exod. 34. 10. נפלאות 70. Ἔνδοξα. 15 Toynard, Harmon. p. 70.

regnant, ubi petunt, quemadmodum oportat, neceſſaria adminicula, ut eo ingrediantur: Qui ſincere quærit, invenit: qui petit, recipit, & pulſanti aperitur [1]: ſed Deus ſæpius hoc tempore negat, quod alio ipſe obtulit, & nos contempſimus. Illa ſe abſcondit ſuperbis, incredulis, pertinacibus. Judæi ſemper Meſſiæ dies concupierunt, & ad hanc quoque diem illius adventum ſperant, atque æternitatis beatitudinem præſtolantur: attamen in media luce verſantur, & non vident; prope portam ſunt, & non ingrediuntur. Meſſias apparet, & quin illum recipiant, immo rejiciunt, & perſequuntur, & occidunt. Ita adimpletur quod ait Salvator, futurum ut complures quærant intrare, & non poterint; quod non quærunt, uti opus eſt.

℣. 26. MANDUCAVIMUS CORAM TE.] Tecum familiariter verſati ſumus. JESUS CHRISTUS cum quolibet hominum genere inter Judæos manducavit, ne dici poſſet aliquis ex Cœleſti Regno ab ipſo prohiberi. Ipſe palam prædicavit; omnibus ſuam doctrinam oſtendit. Judæorum reprobatio aperte magis innui non poteſt, quam iſthic a Salvatore oſtendatur.

℣. 29. VENIENT AB ORIENTE, ... ET RECUMBENT IN REGNO DEI.] Vocationem Gentilium ad Evangelium prædicit, qui Judæis excluſis in convivii aulam ingrediuntur. Vide S. Matth. 3. 9. & 8. 11, & 25. 31.

℣. 30. SUNT NOVISSIMI, QUI ERANT PRIMI.] Gentiles populi, qui ante alieni erant a Regno Dei, & quos reſpiciebat Deus tamquam rebelles filios, illi in gratiam revertentur, ac primi hæredes erunt; cum interim primogenitus, & qui hactenus dilectus fuerit, noviſſimus erit atque expers beatitudinis paternæ domus. Vide S. Matth. 19. 30.

℣. 31. IN IPSA DIE ACCESSERUNT QUIDAM PHARISÆORUM DICENTES ILLI &c.] Hoc accidit Jeruſolymæ, Pentecoſtes die, vel poſtridie ejus diei [2]. Ea, quæ ſequuntur ℣. 32. innuere videntur, Phariſæos, qui nuntiarunt Jesu Herodem ſtatuiſſe illi necem inferre, ab Herode miſſos fuiſſe. Verum magis veritati conſonum eſt, Phariſæos ſimulaſſe ea, quæ iſthic loquuntur JESU CHRISTO [3]; & ſane quorſum Herodes JESUM CHRISTUM e vivis exturbaret, quam poteſtatem habebat ille Jeruſolymæ, ubi hoc accidiſſe ſupponimus? liquet, illum in Galilæa regnaſſe & nihilominus JESUS illuc procedit eo ipſo tempore, quo ſibi nunciatur ab Herode inſidias ſtrui, & ſuadetur, ut Jeroſolyma excedat, atque in tutum ſe ſe recipiat. Ea hujus ſimulationis genuina cauſa fuiſſe videtur, quod Phariſæi gloriæ JESU invidentes, ac veriti, ne ulterius ipſis fidem ille abrogaret; ſub amicitiæ ſpecie ſuadent, ut aliò concedat, vel in deſertum ſe ſe recipiat, neque ulterius, vel Jeroſolymæ, vel in Galilæa verſetur. Verum neque eorum monita, neque ſimulata Herodis in ipſum odia, illum movent. Noverat enim momenta ab æterno Patre ſuo præſtituta. Tranquille Phariſæis reſpondet, ſibi aliquid aliud temporis ſupereſſe, quo vivat, & ægros curet; ſed præfinita die miniſterium ſuum morte ſe abſoluturum.

℣. 32. ITE, ET DICITE VULPI ILLI:] Verba hæc innuere videntur, quemadmodum ſuperius dictum eſt, Phariſæos ab Herode miſſos fuiſſe [4]. Illos mendacii non arguit Jesus, ſed facto oſtendit, ſe nullam vocibus eorum fidem habere. Non merebatur Herodes, ut illius cauſam peroraret, eumque tueretur: ſatis nota erat ejus ſævitia, ejuſque crimina. Illum ergo vulpem appellat, quæ vox in utramque, bonum, malumque ſenſum poteſt aſſumi: calliditas, & aſtus, Herodis characterem conſtituebant. Princeps hic Romanis adhærere videbatur, atque Imperatorem revereri, & venerari, ita ut parum a ſervili adſentatione differret. Attamen convictus fuit ex animo nequaquam fuiſſe, qualis extrinſecus videbatur [5], in Sejani conjurationem partem habuiſſe deprehenſus.

Plures [6] crediderunt, hæc verba, *dicite vulpi illi*, Phariſæos potius, quam Herodem reſpexiſſe; eumque verum eſſe ſenſum Græcus textus innuit [7]: perinde ac diceret; Audite vulpes, quæ me fallere quæritis; audite; ego hodie & cras miracula operor, ac tertia die morte conſumar. Sed prior explicatio multo melior eſt [8] *Cras*, & *tertia* die pro exiguo temporis ſpacio uſurpatur.

℣. 33. NON CAPIT [9] PROPHETAM PERIRE EXTRA JERUSALEM:] hoc eſt, fieri non poteſt, ut Propheta extra Jeruſalem pereat. Hoc tamen non ſignificat, omnes Prophetas ideo Jeroſolymæ periiſſe, nec ea de re aliquam legem fuiſſe; ſed ut Civitatis illius ſævitiam oſtenderet, Salvator ait, eam Prophetarum ſanguini effundendo ita aſſueviſſe, ut Propheta aliquis alibi perire poſſe minime videatur [10]. Jeruſalem una poteſt Prophetas perſequi, eorumque cruorem effundere; hoc ad illam ſpectat.

Eruditi quidam viri [11] credunt, JESUM CHRISTUM hoc dicere, quod Judæi Jeruſolymitano Sanhedrin reſervarunt cognitionem cauſarum, quæ ad veros, aut fictos Prophetas pertinerent; ideoque minime licebat, prophetam aliquam extra Jeruſalem morte damnari. Sed hæc explicatio infirmare mihi videtur Jesu Christi ſententiam, & ubi eamdem ſequaris, non amplius apparere hortorem eumdem contra Jeroſolymam Prophetarum carnificem.

℣. 34. QUOTIES VOLUI CONGREGARE FILIOS TUOS, ... ET NOLUISTI?] Verba hæc jam explicuimus in S. Matthæum 23. 37. Salvator iſthic oſtendere vult Judæorum pertinaciam eorumque jugem prædicationi, atque doctrinæ ſuæ oppoſitionem. Illi vocationi, & gratiæ illius ſemper reſtiterunt, Prophetas perſecuti ſunt, juſtos occiderunt, & contempſerunt eos, quos Dominus ad illos miſit, ut ipſos a flagitiis eorum revocarent.

℣. 35. DOMUS VESTRA DESERTA [12].] Templum deſertum: liquet enim, Hebræos ſæpe Domini templum domum vocare. Templum a Romanis everſum eſt, & ſacrificia antiquata ſunt, quadraginta annis poſt has minas Salvatoris.

NON VIDEBITIS ME, DONEC &c.] Hoc ipſum alia in occaſione dixit Jesus, biduo antequam moreretur, cum [13] Judæis, qui rebelles erant verbo ſuo, minas intentaret futurum, ut non amplius illum viderent ante ultionis diem, quo gloriæ ipſius fulgore coacti dicent: benedictus qui venit in nomine Domini. Prædicit converſionem Judæorum, qui ſub Mundi hujus finem vivent, atque ſimul cunctam aliorum confeſſionem, qui in incredulitate mortui ſunt, qui aliquando JESUM CHRISTUM verum eſſe Meſſiam confitebuntur. Hoc intelligi etiam poteſt de ultionis tempore, a JESU CHRISTO poſt quadrageſimum annum contra Jeruſalem Romanorum armis exercendæ.

1 Matth. 7. 7. 2 Die 5. Junii 7. Sivan. Toynard. p. 70. 3 Ita Euthym. Theophyl. Cyrill. Brug. Mald. alii. 4 Vide Grot. ad verſ. 31. Le Clerc, hic. 5 Vide Joſeph Antiqu. lib. 17. c. 7. & lib. 18 c. 9. p. 635. 6 Cyrill. apud D. Thom. Theophyl. Euthym. Brug. Tir. Boſtr. apud Hamm. 7 Εἴπατε τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ, non autem ἐκείνῳ, ut dicere potuiſſet, ſi de Herode loquutus fuiſſet. 8 Οὐκ ἐνδέχεται. *Fieri non poteſt*. Ita Eraſm. Grot. alii paſſim. 9 Ambroſ. ſerm. 2. & 11. in Pſalm. 117. Beda hic. Mald. Grot. alii paſſim. 10 Brug. Grot. Men. Mald. alii plerique. Confer, Matt. 23. 35. Luc. 11. 50. 51. 11 Druſ. Grot. Ligfoot, Ludov. de Dieu, Cnatchbull. Vide Sanhedr. fol. 2. 1. & 89. 1. 12 Complura Exemplaria Græca non legunt, *deſerta* ἔρημος; neque S. Cyprianus, nec quidam veteres Codd. MSS. Latini, nec Copbtus, nec Armenus. Vide Grot. Brug. Mill. Hoc ex S. Matthæo 23. 38. additum videtur. 13 Matth. 23. 39.

CAPUT XIV.

Hydropicus Sabbatho in Phariſæi cujuſdam domo curatus. Poſtrema in convivio ſedes eligenda. Pauperes potius, quam divites ad cœnam invitandi. Parabola de illis qui invitati ſeſe excuſant, ne convivio interſint. Rationes ſecum habendæ antequam ædificationi manus imponatur. Sal fatuum.

1. ET factum eſt, cum intraret Jeſus in domum cujuſdam Principis Phariſæorum
ſabbatho manducare panem, & ipſi obſervabant eum. 2 Et ecce homo qui-
dam hydropicus erat ante illum. 3 Et reſpondens Jeſus dixit ad Legiſperi-
tos, & Phariſæos, dicens: Si licet ſabbato curare? 4 At illi tacuerunt. Ipſe vero
apprehenſum ſanavit eum, ac dimiſit. 5 Et reſpondens ad illos dixit: Cujus ve-
ſtrum aſinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die ſabbati?
6 Et non poterant ad hæc reſpondere illi. 7 Dicebant autem & ad invitatos parabo-
lam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: 8 Cum invi-
tatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne forte honoratior te ſit invi-
tatus ab illo: 9 Et veniens is, qui te, & illum vocavit, dicat tibi: Da huic lo-
cum: & tunc incipias cum rubore noviſſimum locum tenere. 10 Sed cum vocatus
fueris, vade, recumbe in noviſſimo loco; ut, cum venerit, qui te invitavit, di-
cat tibi: Amice, aſcende ſuperius. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbenti-
bus; 11 Quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.
12 Dicebat autem & ei, qui ſe invitaverat: Cum facis prandium, aut cœnam, noli
vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne
forte te & ipſi reinvitent, & fiat tibi retributio. 13 Sed cum facis convivium, voca
pauperes, debiles, claudos, & cæcos; 14 Et beatus eris, quia non habent retribuere
tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum. 15 Hæc cum audiſſet quidam de
ſimul diſcumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. 16 At
ipſe dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. 17 Et miſit ſer-
vum ſuum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata ſunt omnia. 18
Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo
exire, & videre illam: rogo te, habe me excuſatum. 19 Et alter dixit: Juga
boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excuſatum. 20 Et alius
dixit: Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire. 21 Et reverſus ſervus nuntiavit
hæc domino ſuo. Tunc iratus paterfamilias, dixit ſervo ſuo: Exi cito in plateas, &
vicos civitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. 22
Et ait ſervus: Domine, factum eſt, ut imperaſti, & adhuc locus eſt. 23 Et ait
dominus ſervo: exi in vias, & ſepes: & compelle intrare, ut impleatur domus mea.
24 Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœ-
nam meam. 25 Ibant autem turbæ multæ cum eo; & converſus dixit ad illos; 26
Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios,
& fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipu-
lus. 27 Et, qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſ-
ſe diſcipulus. 28 Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius ſedens
computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habeat ad perficiendum; 29 Ne, poſt-
quam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant
illudere ei, 30 Dicentes; Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſum-
mare? 31 Aut quis rex iturus committere bellum adverſus alium regem, non ſe-
dens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti
millibus venit ad ſe? 32 Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens,
rogat ea, quæ pacis ſunt. 33 Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omni-
bus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. 34 Bonum eſt ſal. Si autem
ſal evanuerit, in quo condietur? 35 Neque in terram, neque in ſterquilinium uti-
le eſt, ſed foras mittetur. Qui habet aures audiendi audiat.

FACTUM

Digitized by Google

A ℣. 1. FACTUM EST CUM INTRARET JESUS.] Credimus, hoc accidiſſe Capharnai, poſtquam Jesus Jeroſolyma in Galilæam reverſus eſt. In omnibus regionis illius locis aderant Phariſæi, & ubique JESUM oderant. Hic *princeps Phariſæorum* fortaſſe erat, vel Magiſtratus aliquis, vel Archiſynagogus, vel Phariſæus, qui ſectam duceret, vel fortaſſe Phariſæus celebris, & qui apud ſuos vel propter ſcientiam, vel propter munus, vel operam præſtitam, multum auctoritatis obtineret.

MANDUCARE PANEM.] Hebraica locutio, quæ convivari ſignificat. Ita Judæi loquuntur, ut quodvis eſcæ genus ſignificent, quod fortaſſe ex frugali, & modeſta eorum vita profectum eſt.

℣. 3. SI LICET SABBATHO CURARE?] Sciebat Jeſus, ſe a convivis obſervari, eoſque occaſionem aucupari, illum accuſandi, atque vitæ ipſius rationem redarguendi. Hoc ex eis quærit, ut ſi reſponderent, licere curare Sabbatho; hydropicum hunc ſine controverſia curaret; ſin inficiarentur, oppoſitum probaret argumentis, quibus utitur verſ. 5. & quibus non ſemel ſimili occaſione uſus eſt. B

℣. 5. RESPONDENS DIXIT: CUJUS VESTRUM ASINUS, AUT BOS &c.] JESUS CHRISTUS non verbis Phariſæorum, quod non auſi fuerant alloqui; ſed eorum cogitationibus, atque pravæ voluntati reſpondet, quam perſpectam habebat. Græcus in plurimis bonæ notæ MSS. legit [1]: *quis videns filium ſuum, vel bovem decidens in puteum*, in foveam, in ciſternam: *putei* nomen enim generatim pro quovis locorum effoſſorum, ſerobium, fovearum, abyſſorum genere uſurpatur. Vide Grotium hic. C

℣. 7. INTENDENS QUOMODO PRIMOS ACCUBITUS ELIGERENT.] Non deeſt veritatis ſpecies, tunc temporis primos accubitus quæſitos non fuiſſe ea mente, eoque more, qui apud nos conſuevit. Phariſæi nimis ſuperbi erant, neque honeſtorum virorum contemptui, atque irriſionibus ſe ſe objicere voluiſſe cenſendi ſunt. Hic igitur fortaſſe ibi gentium mos obtinuerat, neque hæc turpis erat ambitio, cui ut medeatur Salvator, argumentum admodum efficax depromit, oſtendens, ipſos hoc agendo ſe in diſcrimen adducere, ut coram omnibus certe turpi rubore ſuffundantur, quod illi præ ceteris maxime verebantur. Eos etiam ſuadet, aliam afferens rationem eorum ambitioni maxime tempeſtivam; hoc eſt, negligentes inanes hos primos accubitus ſibi comparaturos, verum ac ſolidum honorem coram univerſis. Nihil his rationibus majorem obtinere vim poterat. Filius Dei oſtendit, quam ridicula, & inanis ſit Phariſæorum ambitio. Non ait illis, hanc modeſtiæ, ac veræ humilitati eſſe oppoſitam, quæ in eo poſita eſt, ut teipſum contemnas, alioſque tibi ſuperiores exiſtimes pro Dei amore, & ut tuam ſuperbiam, quæ illi maxime diſplicet, compeſcas. Phariſæi enim ex his documentis fructum percipere non poterant, quæ extra illorum captum erant: incipit ergo ab aliqua re minus perfecta. D

DICEBAT AD INVITATOS PARABOLAM.] Vel potius hoc monitum; nam ea, quæ ſequuntur, proprie loquendo parabolam minime continent. Sed Jeſus hoc proponit, quin directe illos adoriatur, hoc generatim ſolum, & tamquam ſuadens, perinde loqueretur de alio convivio ab eo, cui ille intererat. Credit Maldonatus, Salvatorem vere propoſuiſſe parabolam, cujus ſenſum demtaxat moralem, ejuſque compendium iſthic tradidit Evangeliſta. E

℣. 8. AD NUPTIAS.] Græca vox generatim omnium conviviorum genus ſignificat [2]. Syrus: *ad domum convivii*.

℣. 11. QUIA OMNIS, QUI SE EXALTAT &c.] Hæc eſt concluſio ſermonis Dominici. Generale hoc eſt præceptum æque verum in Deo, & in hominibus; vel potius, ſemper verum erga Deum, non ſemper erga homines. Deus vel in hac, vel in altera vita ſuperbos humiliat: ac homines ſæpe ſuperbiam & in ſeipſis, & in aliis patiuntur. A

℣. 12. CUM FACIS PRANDIUM, NOLI VOCARE AMICOS.] Non prohibet Jeſus Chriſtus, ad prandium cognatos, accolas, amicos invitari; hoc enim conſilium directe illius præceptis, & menti opponeretur, quæ charitatem, atque concordiam inſpirant: verum ſimpliciter ait, ubi aliquis ad prandium invitaret, vel alicui munus deferret, hoc potius cum his, qui indigent, & ex quibus nihil ſperare poſſumus, faciendum, quam illis, qui opibus diffluent, & qui nobis poſſunt gratificari. Et ſane, ſi liberales, & benefici erga eos fuerimus duntaxat, qui par pari rependere poſſunt [3], hoc negotiationis, aut venditionis genus potius eſſet, quam largitatis, & liberalitatis effectus: *Hoſpitalem remuneratorem eſſe, affectus avaritiæ eſt*, ait S. Ambroſius l. 7. n. 195. in S. Lucam. Videtur ad hunc S. Lucæ locum alludere S. Paulus in Actis 20. 35. ubi ait: *beatius eſt magis dare, quam accipere*. B

℣. 14. RETRIBUETUR TIBI IN RESURRECTIONE.] Judicii die dicet Deus: *mihi feciſtis, quod minimo ex meis feciſtis: accipite mercedem, quæ vobis ab æterno conſtituta eſt; eſurivi enim, & eſcam tribuiſtis mihi, &c.* Matth. 25. 34.

℣. 15. BEATUS, QUI MANDUCAT PANEM IN REGNO DEI.] Iſthic, quemadmodum & ex ſexcentis aliis locis liquet, quænam Judæis fuerit idea de Regno Dei, & Meſſiæ adventu. Ipſi deliciis, luxuque diffluentem vitam præſtolabantur. Dei Filius ſæpe ſe illorum præjudiciis accommodat, Regnum ſuum in Eccleſia convivio comparans, cujus rei ſequenti verſiculo exemplum intuemur. C

℣. 16. HOMO QUIDAM FECIT COENAM MAGNAM.] Hæc parabola eadem eſt, ac illa, quæ refertur a S. Matthæo 22. 2. & ſeq. Licet Jeſus Chriſtus eas vario tempore propoſuerit; illa enim, quæ apud S. Matthæum extat biduo antequam moreretur, allata fuit, hæc vero plures ante menſes propoſita: utriuſque tamen idem eſt ſcopus; ut oſtendatur œconomia Salvatoris Eccleſiam ſuam inſtituentis. Eccleſia hæc eſt Regnum Dei, vel convivium, ad quod primum quidem Judæorum proceres, Sacerdotes, Sapientes, Phariſæi invitantur, quos amici Patris familias deſignant, quibus abnuentibus pauperes, ægri, cæci, compelluntur, qui figura ſunt Publicanorum, peccatorum, hominum ex vulgi fæce, quales erant Apoſtolorum plerique, atque diſcipuli. Hinc factum eſt, ut Jeſus Chriſtus inter adventus ſui characteras, & hunc ſtatuat [4], quod Evangelium pauperibus annunciatur, & ægroti curantur; atque alibi [5] gratias agat Patri, quod Sapientibus, atque prudentibus ſua myſteria abſconderit, illa vero parvulis aperuerit. Denique, cum aula convivii nondum eſſet referta hujuſmodi Judæis ad fidem converſis; alieni etiam, qui verſabantur in triviis, invitantur, & compelluntur, quod Gentilium vocationem deſignat. Hæc eſt totius parabolæ ſententia [6]. D E

℣. 18. COEPERUNT OMNES SIMUL EXCUSARE.] Græca locutio [7] ſatis varie vertitur [8], verum omnes notæ melioris Interpretes ad hos quatuor ſenſus redeunt. Se ſe excuſarent *ex conſenſu* [9] omnes, quaſi una voce, & uno ore: vel *eodem tempore*, eodem momento ſtatim; vel *una tantum de cauſa*, vanos prætex-

1 Τίνος ὑμῶν υἱὸς ἢ βοῦς εἰς φρέαρ ἐμπεσεῖται. Ita plures MSS. apud Mill. Ita Theophylact. Tit. Boſtr. alii Canabr. Πρόβατον ἢ βοῦς. Latin. *Ovis, aut bovis*,

2 Vide ſupra cap. 12. 36.

3 Cicero de Offic. lib. 1. *In collocando beneficio hoc maxime Officii eſt, ut quiſque maxime opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari: quod contra fit a pleriſque: a quo enim plurimum ſperant, etiamſi ille his non eget, tamen ei potiſſimum inſerviunt*.

4 Luc. 7. 22.

5 Luc. 10. 21.

6 Vide Tertull. contra Marcion. lib. 4. cap. 31. & Auguſt. Quæſt. Evang. lib. 2. qu. 30.

7 Καὶ ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι πάντες.

8 Ita Grot. Druſ. Camerar. Piſcar. Ἀπὸ μιᾶς, ſupple βουλῆς, vel γνώμης, ſeu ψυχῆς.

9 Fuller. Miſcellan. Ἀπὸ μιᾶς φωνῆς.

ſtus afferendo [1]; vel denique *ad unum omnes* [2], a primo ad noviſſimum, quæ noviſſima explicatio mihi videtur aptiſſima.

℣. 21. PAUPERES, AC DEBILES.] Pauperes Civitatis, quibus cum neque opes ſint, neque bona valetudo, neque vires, ut laboribus victum quærant, ſtipem emendicare coguntur. Hujuſmodi homines deſignabant, quemadmodum dictum eſt, Judæorum plebem; vel flagitioſiſſimum, & maxime contemptibilem quemque ex populo.

℣. 23. EXI IN VIAS, & COMPELLE INTRARE.] Alienigenæ ipſi, Gentiles, infideles, Judæis renuentibus invitati ſunt, ut in Eccleſiam ingrederentur. Hæc verba: *compelle intrare*, ſignificant, vel ardens patris familiæ deſiderium; vel virtutem gratiæ, & veritatis Evangelicæ, vel vim ſuavem, quam Apoſtoli, atque Evangelici præcones populis erant illaturi, ut illos in Eccleſiam compellerent. Numquam hoc fieri conſuevit, ut juſſibus, ac minis aliquis convivio adeſſe cogeretur: at ſæpe permiſſum fuit, vel etiam commendatum, ut cogantur quodammodo hoſpites ingredi, atque nobiſcum conveſci, quemadmodum Loth compulit tres Angelos, ut domum ſuam diverterent [3]: *compulit illos oppido, ut diverterent ad eum*: & duo diſcipuli, qui in Emmaus proficiſcebantur, Jeſum ea interia ſuſcitatum coegerunt, ut ſecum cœnaret: *& coegerunt eum dicentes: mane nobiſcum*, Luc. 24. 29 Verbum invitare ſignificat etiam, vi trahere, compellere.

En, quomodo jubet Jeſus Chriſtus, infideles, atque Ethnicos invitari, ut in viam ſalutis ingrediantur. Ita S. Paulus 2. Tim. 3. 2. vult a Timotheo diſcipulo ſuo Evangelium prædicari: *prædica verbum; inſta opportune, importune; argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*: ſi permiſit nonnumquam Eccleſia, ut adverſus hæreticos, atque infideles vis adhiberetur, non illud permiſit, ut illorum errorem puniret, vel eos cogeret, ut quod minime credebant, profiterentur. Error, & præjudicium lacrymis potius, quam ſuppliciis digna ſunt. Veritas vi perſuaderi non poteſt, neque mens cogi, ut credat, quemadmodum corpus cogitur, ut laboret. Eccleſia numquam permiſit, ut vi uterentur, niſi forte cum vis fuit repellenda, & coercendi temerarii conatus, qui publicæ quieti erant obfuturi. Exempla, quæ in oppoſitum afferri poſſunt hac in re, legis locum obtinere non poſſunt, neque ea illis aliquid inferendum eſt. Rationes, quas attulit S. Auguſtinus, probaturus rationem, qua Africæ Eccleſia contra Donatiſtas operata eſt, habere locum non poſſunt, niſi contra hujus viæ homines, quales erant Heretici illi ſeditioſi, furentes, homicidæ, Imperatorum legibus rebelles. Fateor quidem, aliquando licere Eccleſiæ, Præſulibus, & Principibus Chriſtianis, uti ſeveritate, ac temporales pœnas exercere contra malos Chriſtianos, Schiſmaticos, Hæreticos. Non inficior, Eccleſiam hac in re imitari poſſe juſtam Patrum familias ſeveritatem, qui filios ſuos, ut ſtudiis vacent, compellunt, & eorum flagitia ſuppliciis illorum ſceleri idoneis perſequuntur. Poteſt Eccleſia, immo debet pluribus in locis fideles compellere, ut malum, crimen, & errorem [4] abdicent, ut illi æterna mala poſſint effugere. Hac in re Dei ipſius miſericordiam imitatur, cogentis quodammodo in deſerto ſuppliciorum vi Hebræos, ut in promiſſam terram ingrediantur, atque evertentis Saulum, diſcipulis Jeſu Chriſti cædem, atque exitium molientem. Bonus paſtor non ſolum errantem ovem quærere, verum eas, quæ in grege ſunt, compeſcere debet, & compellere, ne vagentur: virgis eas, quæ erraverunt, ad gregem iterum deducere debet, ſeu per nequitiam ſuam erraverint, ſive illectæ fuerint a lupis, ovina pelle contectis [5]: *An non pertinet ad diligentiam Paſtoralem etiam illas oves, quæ non violenter erepta, ſed blande, leniterque ſeductæ a grege aberraverant, & ab alienis cœperint poſſideri inventas ad ovile dominicum, ſi reſiſtere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus revocare?* Denique nonne omnis homo tenetur vetare, ſi quis per deprecationem, aut furorem ſe ſe in puteum præcipitem dare vellet?

Ad hæc, pars hujus parabolæ argumentum ad hæreticos minime ſpectat, ſed Ethnicos, adverſus quos ſcimus, Apoſtolos, Apoſtolicoſque viros non aliis uſos arma fuiſſe, quam prædicatione, miraculis, ratione, patientia. Quin eos in fidem cogerent, ne reſiſtebant quidem illis, dum perſequerentur Eccleſiam. Nonnumquam homines ad fidem adduxit Deus omnino miraculoſis, atque inauditis rationibus, veluti cum convertit S. Paulum, qui Damaſcum proficiſcebatur, cædem, atque ſupplicia anhelans contra Diſcipulos Domini; & ſemper poteſt ille corda, licet obdurata, gratiæ ſuæ virtute confringere: *ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates*, quemadmodum in precibus ſuis inquit Eccleſia. Tertullianus ea Ethnicis id unum petebat, ut audire vellent Evangelii veritates, & gloriabatur futurum, ut ſi audiſſent, ſe ſe iis dederent, eaſque credere cogerentur: *qui ſtuduerit intelligere, & cogetur credere*. Hæc eſt ſuaviſſima illa vis, de qua loquitur Jeſus Chriſtus. Vis inquam, quæ neque corda, neque fidei libertatem infringit.

℣. 26. SI QUIS VENIT AD ME, & NON ODIT PATREM.] *Odium*, ex Interpretum ſententia [6], pro minori amore, vel pro odii ſimulatione, & odio ſigni potius, quam effectus uſurpatur. Si parati non eſtis, ut cognatorum, amicorumque veſtrorum ſocietatem, & neceſſitudinem abdicetis propter amorem meum, digni non eſtis, qui in diſcipulorum meorum numero cenſeamini. Si parentes veſtri obicem poſuerint, ne mihi ſerviatis, vobis ſint tamquam alieni, atque inimici. Vide S. Matthæum cap. 10. 37. *qui amat Patrem, aut matrem plusquam me, non eſt me dignus*. Quod ad omnes Chriſti fideles dictum eſt, quemadmodum ex noſtri Evangeliſtæ textu liquet.

℣. 28. QUIS ENIM EX VOBIS VOLENS TURRIM ÆDIFICARE &c.] Hoc præcipue ad eos ſpectat, qui cupientes adhærere Jeſu, minime reputabant, quid hæc ſequela ab ipſis exigeret. Arbitrabantur futurum, ut quamprimum ille reſtitueret Regnum Juda, omnes diſcipulos ſuos felicitate, ac bonis cumularet, & ſtatim oris ſui omnes inimicos ſuos proſterneret, Jeſus Chriſtus ſciens perſecutiones, quas ipſe, ſuique Diſcipuli erant perlaturi, hac in re illos prævertit, & ait, non exiguum opus eſſe, ſerio fieri velle diſcipulum ejus, ideoque ipſis conſtantiam, atque fortitudinem eſſe comparandam. Aggredimini ædificare turrim, ædificium ſolidum, atque ſublime. Bellum indicite principi hujus mundi, principi tenebrarum, & adverſario omnis juſtitiæ, & veritatis; Videte, quid ferre valeant humeri veſtri, utrum conſilium hoc explere poſſitis, ac veremini, ne ubi inceperitis, ab incœpto deſiſtere debeatis. Videtur ergo præſertim id pertinere ad poſteros, atque diſcipulos, qui tunc actu Jeſum ſequebantur.

Verum facillime etiam hoc ad ſimplices fideles poteſt transferri [7]. Liquet, nemini aditum in religionem Chriſtianam eſſe interclusum, & in hac nihil eſſe ſupra hominum vires poſitum, ubi divinæ gratiæ auxilium acceſſerit. Jugum Jeſu Chriſti ſuave eſt, & onus illius [8] leve. Venit Salvator, ut ſalvum faceret, quod perierat, & quæreret, quod erraverat [9]. Ad ſe eos omnes vocat, qui gravi pondere ac ſarcinis obruti ſunt [10], attamen nemo Chriſtianus eſt, qui ſollicite ſecum reputare non debeat conditionis adeo ſanctæ officia, nemo, cui vigilandum maxima cum ſollicitudine non ſit, ut ſe

ſe

1 Ligfoot. Ἀπὸ μιᾶς [illegible]. 2 Ludov. de Dieu. 3 Gen. 19. 3.
4 Lege Auguſtin. Epiſt. olim 204. nunc 173. num. 2. 3. & ſequ. Item Epiſt. olim 50. nunc 185. n. 11. cap. 6. pag. 652. & ſequ. 5 Auguſt. Epiſt. 185. cap. 6 num. 23
6 Brug. Grot. alii. Vide Geneſ. 29. 31. 33. Deut. 21. 15. 17. Joan. 12. 25.
7 Vide Grot. & Maldonat. hic. 8 Matth. 11. 29. 30.
9 Matth. 18. 11. 10 Matth. 11. 28.

ſe a lapſu, & peccatis tueatur, quorum ſatis multæ in hac vita ſunt occaſiones; nemo tamen, cui ex Deo indeſinenter petendæ non ſint gratiæ, & lumina, quæ neceſſario requiruntur, ut in bono perſeveret, atque propellat hoſtem jugi bello nos laceſſentem.

TURRIM ÆDIFICARE.] S. Hieronymus[1] teſtatur, in Palæſtina complurimas eſſe domos fortes, rotundas, undique concluſas, atque in turrium ſpeciem ædificatas. Turres quoque vocabantur agreſtes domus, in vineis, vel agris poſitæ [2], unde profecta eſt illa Scripturæ loquendi ratio [3]: *a turre cuſtodum, uſque ad Civitatem munitam*. Et in 2. Paralipom. 27. 12. S. Hieronymus, ut pulchras, ſublimes, ſolidas, fortesque domos innueret, vertit *domos ad inſtar turrium*.

℣. 31. ITURUS COMMITTERE BELLUM ADVERSUS ALIUM REGEM.] Noſtrum quilibet Chriſtianam Religionem amplexus mundo, Sathanæ, & pompis ejus abrenunciat. Ex eo jam tempore tenebrarum principi perenne bellum indicit, atque ſeſe adigit, ut indeſinenter adverſus illum deprælietur. Arma illius ſunt fides, charitas, ſpes, & virtutum omnium exercitatio. Nulla cum hoc hoſte pax, nullæ eſſe poſſunt induciæ. Quod vero Salvator ait, illi, qui tanti hoſtis vi ferendo parem ſe minime agnoſcit, legatum mittendum eſſe, ut cum illo propoſitiones pacis ineat: *Legationem mittens, rogat ea, quæ pacis ſunt*: id preſſius ad literam intelligendum non eſt in Chriſtianæ vitæ exercitatione. In eo bello, quod mundo, ac dæmoni indiximus, aut vincendum eſt, aut moriendum. Qui pacem petit, jam ſe victum profitetur; qui pacis conditiones ſubit, jam ſe illius captivum, atque Dei hoſtem declarat. Ut illi ſumma vi reſiſtamus, hortatur Jeſus Chriſtus, ut ea omnia, quæ habemus, abdicemus [4]. ℣. 33. *qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Hæc quidem perfectio ex omnibus Chriſtianis minime exquiritur: at nonne quodammodo cum mundo, ac mundi principe, aliquas pacis conditiones init, qui inter illius vanitates verſatur, atque eas opes ſervat, quarum ſe Dominum, & diſpenſatorem appellat [5].

℣. 34. BONUM EST SAL: SI AUTEM SAL EVANUERIT, IN QUO SALIETUR?] Quomodo ſaliri poterit? hoc nos intelligimus de fimo, aut cineribus, aliiſve ſalibus, quibus agri ſtercorantur [6]. Ubi cinis ſal amiſit, utque nimis diu ueri, pluviæque objectus fuerit, antequam ſuper arva effundatur, ubi effuſus fuerit, ut terræ fœcunditatem impertiat, ad nihilum jam proficit, neque agros ſtercorare, neque aliud quippiam efficere poteſt. Hoc accidit Chriſtiano, ubi ſemel ſapientiæ, atque doctrinæ Evangelicæ guſtum amiſerit; ſi fidem dereliquerit, atque in ſcelera præceps ruerit: tranſit in Dæmonis poteſtatem, ſequior fit, quam ante; atque ferme impoſſibile eſt, ut iterum gratiam, fidem, atque integritatem acquirat. Hoc quidem abſolute impoſſibile non eſt; ſed [7] difficillimum. Qui olim, ubi relapſus fuerat, ad Eccleſiam revertebatur, ante fores ſtabat, atque ingredientibus ea repetebat verba: *conculcate ſal, quod [8] eſt infatuatum*.

---

1 Hieronym. ad Principiam. *Cum Auſtri ſit verbum* ἐνεχύρου, *Palaſtina, & uſque hodie domus ex omni parte concluſa, & in modum ædificata turrium*, πύργοι *appellantur*.
2 Matth. 21. 33. Iſai. 5. 2. 3 4. Reg. 17. 9.
4 Auguſt. lib. 2. quæſt. Evang. 31. 5 Matth. 4. 9. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*.
6 Vide dicta in Matth. 5. 13. & Hamm. & Clericum hic. 7 Hebr. 6. 4. *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti ..... & prolapſi ſunt, rurſum renovari ad pœnitentiam, &c.* Vide & 2. Petr. 2. 20. Matth. 12. 45. 8 Socrat. lib. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 13. de Ecebolio Rhetore Conſtantinopolit. qui vixit ſub Conſtantio, & ſub Juliano apoſtata.

CAPUT XV.

Murmur Phariſæorum in JESUM CHRISTUM peccatores recipientem. Parabola ovis errantis; drachmæ amiſſæ, filii prodigi. Gaudium in Cælo pro uno peccatore converſo.

1. ERant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, ut audirent illum.
2 Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores
recipit, & manducat cum illis. 3 Et ait ad illos parabolam iſtam dicens:
4 Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & ſi perdiderit unam ex
illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat,
donec inveniat eam? 5 Et cum invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens:
6 Et veniens domum convocat amicos, & vicinos, dicens illis: Congratulamini
mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat? 7 Dico vobis, quod ita gaudium
erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonagintanovem
juſtis, qui non indigent pœnitentia. 8 Aut quæ mulier habens drachmas decem,
ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & evertit domum, & quærit
diligenter, donec inveniat? 9 Et cum invenerit, convocat amicas, & vicinas,
dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. 10 Ita dico
vobis: gaudium erit coram angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.
11 Ait autem: Homo quidam habuit duos filios: 12 Et dixit adoleſcentior ex illis
patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Et diviſit illis
ſubſtantiam. 13 Et non poſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior
filius peregre profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam
ſuam, vivendo luxurioſe. 14 Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta

eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere. 15 Et abiit, & adhæſit u-
ni civium regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos. 16
Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant: & nemo
illi dabat. 17 In ſe autem reverſus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei
abundant panibus, ego autem hic fame pereo! 18 Surgam, & ibo ad patrem
meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cœlum, & coram te. 19 Jam non ſum
dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenariis tuis. 20 Et ſurgens
venit ad patrem ſuum. Cum autem adhuc longe eſſet, vidit illum pater ipſius, &
miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt
eum. 21 Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum
dignus vocari filius tuus. 22 Dixit autem pater ad ſervos ſuos: Cito proferte
ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamen-
ta in pedes ejus: 23 Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manduce-
mus, & epulemur: 24 Quia hic filius meus mortuus erat, & revixit; perierat,
& inventus eſt. Et cœperunt epulari. 25 Erat autem filius ejus ſenior in agro:
& cum veniret, & appropinquaret domui, audivit ſymphoniam, & chorum. 26
Et vocavit unum de ſervis, & interrogavit, quid hæc eſſent. 27 Iſque dixit il-
li: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum ſaginatum, qui ſalvum illum
recepit. 28 Indignatus eſt autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egreſſus,
cœpit rogare illum. 29 At ille reſpondens, dixit patri ſuo: Ecce tot annis ſer-
vio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi, & numquam dediſti mihi hœdum,
ut cum amicis meis epularer: 30 Sed poſtquam filius tuus hic, qui devoravit
ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum. 31 At
ipſe dixit illi: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt. 32 Epulari
autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit, pe-
rierat, & inventus eſt.

℣. 1. ERANT APPROPINQUANTES ET PUBLICANI.] Hanc ipſam Phariſæorum murmurationem, non ſemel jam [1] vidimus, eamque veluti injuſtam Jeſus ſemper contempſit. Si quid præcavendum erat in populo, ne peccatorum ſocietas, atque neceſſitudo inſtrueret, hoc ad illum minime ſpectabat, quoniam cum illis frequens ideo verſabatur, ut illos erudiret, & ad pœnitentiam revocaret. Verebantur ne Phariſæi, ut Publicanorum neceſſitudo Jeſum Chriſtum corrumperet? hoc minime quidem timebant. Eorum odium contra Publicanos, & peccatores non inde proficiſcebatur, quod horrerent ſcelus, & periculum, quod ex eorum vitæ neceſſitudine impendebat. Sed odium erat perſonale ex amore proprio profectum, qui tamquam proximos, & amicos eos ſolum habere cupiebat, qui veræ Moyſis legum obſervator haberetur. B Extra hoc fœdus Iſrael, omnes homines inimicorum loco cenſebant, perinde ac Deus numquam miſericordiæ ſuæ ſinum illis aperiat, qui per ſummum nefas illum ſemel deſeruerunt, atque mox ſincere ad eum revertuntur. Putabant Phariſæi, gravia quælibet ſcelera extra veniæ ſpem poſita eſſe [2].

℣. 4. QUI EX VOBIS HOMO, QUI HABEAT CENTUM OVES.] Videri poſſunt a nobis dicta in S. Matthæum 18. 12. ubi eadem occurrit parabola, aliquanto ante id tempus alia in occaſione propoſita: plures enim ſunt parabolæ, quibus non ſemel uſus eſt Jeſus CHRISTUS.

℣. 7. QUI NON INDIGENT POENITENTIA.] Non loquitur de dolore peccatorum, quæ quotidie accidunt, quibus ii etiam, qui ſanctiores ſunt, obnoxii C ſunt, & pro quibus omnibus vitæ ſuæ diebus coram Deo lacrymas effundunt; neque de pœnitentia, tamquam virtute, quæ in eo poſita eſt, ut noſmet abdicemus [3], A atque Salvatorem ſubſequentes Crucem noſtram feramus [4]. Omnes Chriſtiani, ii etiam, qui majore nitent ſanctitate, jugiter hanc virtutem exercere tenentur. Sed loquitur de graviorum ſcelerum pœnitentia, quæ lacrymarum baptiſmate abluenda ſunt, & pœnitentiæ operibus expianda. Loquitur de improborum reditu ad juſtitiæ viam, qui nonniſi per ſinceram cordis converſionem poteſt perfecte contingere. Maximam in Cœlo pro hujuſmodi converſione lætitiam futuram, Jeſus teſtatur: re enim vera, Angeli gaudent ſancta bonorum innocentia, & reditu impiorum; & dolent, ac *plorant*, juxta Hebræos, illorum errorem. Hæc popularis eſt loquendi ratio, ſed ſatis ſignificat.

℣. 8. SI PERDIDERIT DRACHMAM UNAM. . . . EVERRIT DOMUM.] Drachmæ pretium erant circiter B octo noſtratis monetæ ſolidi: Exigua ſane ſumma, ſed muliercula, quæ decem tantummodo drachmas habet, non parum amittit, ubi drachmæ unius jacturam ſubit. Denique qui Deum lædit, & ab eo per ſcelus recedit, minus adhuc Deo eſt, quam drachma una apud hominem locupletem. Tamen Deus ſe ſe comparare dignatur mulierculæ, lucernam accendenti, ac everrenti domum, ut exiguam hanc monetam ſcrutetur, atque vicinas, amicaſque ſuas convocanti, ut ſecum drachmam inventam gratulentur. Complura Latina exemplaria hoc loco mendo non carent, ubi legunt [5] *evertit*, pro everrit. Poſtrema hæc lectio genuina eſt, quemadmodum liquet, ubi cum Græco eam velis conferre [6]. Antiqua exemplaria quædam S. Gregorii ævo [7] legebant, *emundat*, quod ipſum S. Ambroſius [8] teſtatur. C Nihilominus Pater La Haye tenet, legendum eſſe *evertit*, non *everrit*.

℣. 11. HOMO QUIDAM HABUIT DUOS FILIOS.] Parabolæ hujus argumentum quærentes in diverſa abeunt

1 Vide Matth. 9. 10. 11. 12. 11. 19. Luc. 5. 30. 32. 7. 14. 19. 7. 2 Vide Grot. hic.
3 Luc. 14. 11. 4 Matth. 20. 38. 16. 22. Luc. 6. 23.
5 Ita legunt MSſ. plerique, & Edit. Sixti V. 1590. Hentten. Lovan. Ita habet Angl. & Saxon. Verſio ante an. 900. teſte Mareſchall. Vide Eraſm. hic, & Mill. 6 Σαροῖ τὴν οἰκίαν.
7 Gregor. homil. 34. in Evangel. 8 Ambroſ. Ep. 2. initio. Vide Zeger.

eunt Interpretes, alii credentes, duos hoſce filios innuere populum Judæum, & Gentilem; alii [1], juſtos, & peccatores. Utrque hic ſenſus facile, eademque cum probabilitate teneri poteſt: ego vero eam potius præferendam cenſerem ſententiam, quæ hoc de duobus populis interpretatur. Filius primogenitus ſemper paterna in domo innutritus, & qui patris dicto ſemper ſe audientem fuiſſe gloriatur, Judæorum populum deſignat; natu vero minor, qui a paterna domo receſſit, omniaque bona ſua in ganeis, ſcortiſque obliguriit, figura eſt populi gentilis: eaque ſententia a veteribus, & recentioribus paſſim probatur [2].

ỳ. 12. DA MIHI PORTIONEM, QUÆ ME CONTINGIT.] A fide non alienum videtur hanc apud Judæos viguiſſe conſuetudinem, ut filii, ubi ad plenæ pubertatis ætatem perveniſſent, a Patribus ſuis petere poſſent eam partem, quæ ſibi contingeret, ut eam in lucro ponerent, atque negotiarentur; ubi vero pater ex humanis decederet, pars illa, quam ſeorſim acceperant, in hæreditaria ſumma cenſebatur. Parabolæ vulgares ſupponunt conſuetudines, atque hauriuntur ex iis, quæ paſſim ea in regione fieri conſueverunt. Adnotat Grotius, hoc præſertim in Emporiis, atque oppidis, ubi ultro citroque merces facili negotiatione tranſigebantur, fieri conſueviſſe: atque hinc infert, hoc fuiſſe apud Phœnices Judæorum finitimos paſſim in more poſitum.

Ethnici, quorum figura erat hic filius prodigus, a Deo Patre ſuo liberum arbitrium, rationem, mentem, bonam valetudinem, naturales ſcientias, cæteraque bona mortalibus omnibus communia acceperunt: ſed illis abuſi ſunt, illaque abſumpſerunt. Peccatores, & impii, qui in baptiſmate fidei, atque juſtificationis donum acceperunt, quique vocationis ſuæ ſanctitatem ſceleribus coinquinatunt, aperte magis, atque explicite nepotis hujus inſaniam referunt. Quo Dei gratia, qua cumulati fuerunt, major eſt, eo ſcelus eorum gravius eſt, & iniquius: plus enim ab eo petuntur, cui plura data fuerunt.

ỳ. 13. IN REGIONEM LONGINQUAM.] Veluti Ægyptum: & ex decurſu liquet, conjecturam hanc fundamento non carere. In morali ſenſu hæc longinqua regio eſt oblivio Dei, atque flagitia [3].

ỳ. 14. FAMES VALIDA.] Egeſtas verbi Dei [4], luminum, gratiarum, Sacramentorum ipſius. Hæc eſt illius peccatoris conditio, quem Deus voluntati ipſius derelinquit.

ỳ. 15. UT PASCERET PORCOS.] Humillimum, atque turpiſſimum hominis negotium, Judæi præſertim, qui porcos horrebat. Ægyptii porcos alebant [5], verum ſubulcos adeo abominabantur, ut nemo cum illis verſari vellet, neque iiſdem aditus in templum pateret; ſues ſunt Dæmonum [6], vel turpium cupiditatum [7] ſymbola, quibus ſeſe mancipant impii.

ỳ. 16. CUPIEBAT IMPLERE VENTREM DE SILIQUIS.] Hoc miſerrimam indigitat egeſtatem: neque aliud myſterium ſcrutandum eſt. Hæ vel piſorum, vel fabarum ſiliquæ ſunt, quibus per hyperbolem avari veſci dicuntur, ut nummis parcant. Horatius l. 2. Epiſt. 1.

Vivit ſiliquis, & pane ſecundo.

Et Perſius Satyr. 3.

Invigilat ſiliquis, & grandi paſta polenta.

Et Juvenalis Satyr. 11 de Helluone, palam quidem veluti exquiſitas epulas ſiliquas laudante, ſed clam ſeſe eduliis conditiſſimis ingurgitante, ait:

Sed tandem ſiliquas occultus ganeo ...

Sed eruditi quidam Interpretes [8] id explicant de carubia, quæ fructus ſunt arboris in Ægypto eodem nomine appellatæ, cujus fructus ſiliquis involutus eſt, quæ comeduntur, & guſtui ſuaves ſunt. Ex illis quædam vini ſpecies eliciebatur, cujus non modicus erat in Ægypto, ac Syria uſus; retrimenta vero porcis tradebantur. Optabat ergo prodigus ſilias veſci, vel his ſiliquis integris, vel his retrimentis. Græci, Latinique naturæ Scrutatores [9] carubas has vocant *ceratia*, quo nomine S. Lucas utitur hoc in loco; ſed Plinius eas Vulgatæ nomine ſiliquas vocat. Garcias teſtatur, fructum hunc digiti unius longitudinem, & craſſitiem habere, ſuccum vero ſuaviſſimum; ſed non ita facile digeri poſſe. Bifariam aperitur piſorum inſtar; fructus autem amarus eſt, & ſiliquæ tantum comeditur. Fructum hunc Plinius l. 15. cap. 18. lignum vocat, fortaſſe propter ejus duritiem: *in ſiliquis, quod manditur, quid niſi lignum eſt?* Græca vox *ceratia* exigua ſignificat cornua, hæ quippe ſiliquæ curvæ ſunt, & cornuum ferme imaginem referunt; ideoque falcatæ a Plinio l. 5. cap. 14. appellantur. *Falcata digitorum hominis longitudo illis, & interim falcata pollicari latitudine.* Pater Harduinus putat, Græcam vocem *ceratia* ciſares ſignificare, quo in ſententia ſolus eſt.

ỳ. 17. QUANTI MERCENARII IN DOMO PATRIS MEI [10]?] Adoleſcens hic fame, & egeſtate victus ad ſe tandem redit. Hæc ſecum: ſi miſeram ſervire debeo ſervitutem, nonne præſtat, ut in paterna domo, quam in aliena, ſerviam? Saltem ibi abunde nutriar. Quot mortales in Mundi hujus captivitate, atque negotiorum turba gemunt, vinculis pravorum habituum onuſti, & invident eorum felicitati, qui Deo in pace, atque innocentia famulantur? Quot in ſæculi, ſceleriſque [11] viis fatigantur, & nequeunt tamen conſilium capere deſerendi ſtatum illum, quo adeo vexantur? quanto ſtat illis pretio improbitas ſua, & quantulo impendio ſancte, ac pie vitam traducere poſſent? *multo difficilius eſt facere iſta, quæ facitis*, Seneca inquit: *quid enim quiete otioſius eſt animi? quid ira laborioſius? quid crudelitate negotioſius? vacat pudicitia, libido occupatiſſima eſt: omnium denique virtutum tutela facilior eſt: vitia magno coluntur.*

ỳ. 18. PECCAVI IN COELUM, ET CORAM TE.] Dominum flagitiis meis laceſſivi, & tuo abuſus amore ſum, a te recedens, atque procul ab imperiis tuis flagirioſe libertate vitam traducere quærens. Ethnici, quorum adoleſcens hic erat figura, in Cœlum [12] Idololatria ſua peccerunt, ac flagitiis ſuis Cœleſtem Patrem irritarunt; non merentur amplius vocari filii Dei, neque coram illo prodire. Verumtamen Dei miſericordia tanta eſt, ut ſimul ac ad eum revertuntur, illos recipiat. Plura etiam præſtat, quam decoctoris hujus filii Pater: quippe eos per Evangelii ſui præcones de ſceleribus revocat, illos ſua gratia prævertit, eos ſalubri replet verecundia, ad eos advolat, illos amplectitur, cum illis redit in gratiam.

ỳ. 19. NON SUM DIGNUS VOCARI FILIUS TUUS.] Peccator, ac præſertim Idolorum cultor, non meretur Filius Dei nuncupari. Ipſe Patrem ſuum contumelia affecit, & quantum in ipſo fuit, illius in ſe delevit imaginem; ſemet quodammodo exhæredavit, Creatoris ſui hæreditatem, amicitiam, atque obedientiam abdicans. Non audet nepos hic petere, ut iterum a patre,

[1] Tertull. de pudicitia. Cyprian. de unctione, Theophylact. Euthym. Maldon.
[2] Vide Hieronym. Ep. 146. ad Damaſ. Auguſt. lib. 2. quæſt. Evang. qu. 33. Beda hic. Bern. ſerm. de diverſ. affection. animæ. [3] Beda, Theophyl. Euthym. hic. Hieron. ad Damaſ. Aug. qu. Evang. l. 2. c. 33. alii.
[4] Aug. loco citato. Beda, Theophyl. [5] Herodot. lib. 2. cap. 47.
[6] Ambroſ. Aug. Hieronym. alii. [7] Beda, Auctor. ſerm. de tempore Barbarico.
[8] Syr. Arab. חרובא Caruba. Salmaſ. in Solin. p. 326. Edit. Ultraj. Bochart. de animal. parte 1. lib. 2. cap. 56. Hamm. & Cleric. Theophyl. hic, & Grot. alii poſt eos plurim. Græc. Κεράτια. Theophraſt. Κερωνία. Plin. *Siliqua, & ceraunia.* [9] Vide Theophraſt. lib. 1. c. 18. Dioſcorid. lib. 1. Galen. lib. 7. & Plin. lib. 15. c. 8. lib. 15. c. 28. & alias. [10] Plures antiqui, puta S. Ambroſius, S. Petrus Chryſologus, Beda, S. Eucherius legunt cum Græco: *quot operarii conducti a Patre meo*: neque legunt *in domo*. Πόσοι μίσθιοι τοῦ πατρός μου:
[11] Sapientiæ 5. 7. *Ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus.*
[12] Aug. quæſt. Evang. lib. 2. c. 33. Theophyl. Euthym.

ate, tamquam filius accipiatur, præclare ſatis ſecum actum putans, ſi in ſervorum numero fuerit recepta: *fac me, ſicut unum de mercenariis tuis*. Hoc eſt verum pœnitentium exemplar. Hi audere non debent, ſtatim adeo ad ſacra accedere. Ingemiſcant, expendant ſcelerum ſuorum pondus, expectent, donec innocentiæ veſte ſurſum induantur, & tunc ſe ſe offerant, patris ſui oſculum accepturi. Neque diu præſtolabuntur, ſi vere egerint pœnitentiam, Pater ocyus accurret, eoſque præveniet ℣. 20. *cum autem adhuc longe eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum.* Veniam ille concedit, quodammodo antequam illam petere audeat. Nihil aptius invenire ſolatium poſſumus ea ratione, qua Salvator hanc parabolam propoſuit, ubi mirum in modum clementiæ, atque manſuetudinis ſenſus ad vivum exhibentur.

℣. 21. Non sum dignus.] Plures Græci, Latinique MSS. [1] addunt: *fac me tamquam unum ex tuis mercenariis*.

℣. 22. Cito proferte stolam primam.] Veſtem eam, qua induebatur, antequam a me diſcederet [2]; vel potius [3] *veſtem pretioſam*, pulcherrimam, & ornatiſſimam, quæ in veſtiario penu aſſervetur. Plurima ſemper habebant ſeorſim indumenta, quoniam minima ita eleganter aſſuebantur, ut corpori aptarentur, quemadmodum apud nos fit. *Stola* oblonga erat veſtis, hominibus, æque ac mulieribus in oriente communis, apud Romanos vero mulierum propria. Hæc in parabola ſtola prima, qua prodigus filius induitur, innocentiam ſignificat, quam peccator per pœnitentiam, & converſionem [4] rurſus acquirit. Servi illi hanc veſtem afferentes ſunt Prædicatores, Paſtores, Miniſtri Evangelii.

Et anulum.] Hoc commune nobilibus, divitibuſque viris erat ornamentum. Cum Joſephus Ægypti Regis imperio [5] e carcere eductus fuit, eodem pacto, quo filius hic prodigus ornatus fuit: ſordidæ illi veſtes ademptæ ſunt, ac pretioſæ allatæ, & in digito illius anulus poſitus. Nonnumquam anulus dignitatis eſt nota, & a Patrum ſententiis ſignificat Spiritus Sancti munera, quibus replet Deus eos, qui ad ſe per pœnitentiam revertuntur, & characterem imaginis Jeſu Chriſti, quam ille per gratiam ſuam in ipſis reſtituit.

Calceamenta in pedibus.] Adoleſcens hic ſine veſte ferme, & ſine calceis redierat; huic ergo afferuntur calceamenta, hoc eſt, ſandalia juxta regionis illius conſuetudinem. Hoc oſtendit viro, qui pœnitentiam agit, non amplius ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum [6] eſſe ambulandum.

℣. 23. Vitulum saginatum.] Alebantur vituli, & boves pro ſolemnibus ſacrificiis, atque conviviis. Horat. l. 1. ep. 33.

Paſcitur in veſtrum reditum votiva juvenca.

Et Varro [7] ait, boves de induſtria ad publica ſacrificia ſaginatos, *opimos* appellatos fuiſſe. Inutile eſt, in omnibus parabolæ partibus ſenſus morales inquirere. Hæc omnia ſignificant lætitiam, quam in Cœlo, & in Eccleſia parit peccatoris converſio.

℣. 24. Mortuus erat, et revixit.] Hebræi mortis nomine deſignant ſervitutem, ſqualorem, dolorem, exilium, & reſurrectionis nomine tranſitum ex infelicitatis ſtatu in oppoſitum. Novi Teſtamenti Auctores [8] ſæpius mortis nomine ſtatum peccati ſignificant, & reditum ad Deum reſurrectionem appellant. Gentilium ante converſionem conditio vere cum triſtiſſima morte erat comparanda.

℣. 25. Filius senior.] Adnotavimus jam, hunc Judæos deſignaſſe. Hic gloriatur ℣. 29 ſemper ſumma ſe officii fide Patri ſuo adhæſiſſe, atque dicto illius numquam non paruiſſe. Verum ita loquitur populus

A Judæus, qui inter ceteros terrarum populos ſe unum ſanctum, & juſtum exiſtimat, qui magno in numero cenſebat omnes obſervationes, & legales ritus ſuos, & qui Ethnicos contemnens non invidere non poterat, quod ſalutis janua illis pateret, & participes eſſent promiſſionum, quæ ad ſe unum pertinere putabat. Ea omnia, quæ ℣.℣. 28. 29. 30. dicuntur, mirum in modum Judæorum ingenium exprimunt; verſiculus vero 28. ubi filius in paternam domum ingredi renuit, id hoc melius adhuc oſtendit.

Audivit symphoniam, et chorum.] Veluti in feſtivitate aliqua, & publica lætitia. Orientalibus non idem erat mos in choreis, qui apud nos viget. In omnibus feſtivitatibus etiam, quæ ad religionem pertinebant, choreas ducebant, & prophetæ [9], & viri, qui

B præ ceteris auctoritate pollebant, quibuſdam in occaſionibus [10] ſaliebant, canebantque, non ſine tamen quadam modeſtia. Adſpectus Patrisfamilias, & hæc circumſtantia filii, qui de erroribus ſuis reſipuerat, non patiuntur, ut diſſolutum aliquid cogitetur.

℣. 28. Nolebat introire.] Renuunt Judæi ingredi in Eccleſiam, & Jeſum Chriſtum recipere, hanc prætexentes cauſam, quod Salvator cum peccatoribus verſetur, illos ad Deum evocaturus, atque perſequuntur Apoſtolos, quod apud Ethnicos prædicent, eos baptiſmate abluant, & in ſuam ſocietatem admittant.

Pater ergo eius coepit rogare illum.] Miſit ad illos Deus Unigenitum ſuum ſibi conſubſtantialem, ipſum quoque Deum; & cum eo mittit Apoſtolos, atque diſcipulos: verum illos audire nolunt, ob nimiam

C Patris ſui clementiam, & manſuetudinem iraſcuntur.

℣. 29. Numquam mandatum tuum præterivi.] Inanis Judæorum confidentia. Gentilibus tantum, quorum flagitia nota erant, & publica, ſe comparant; non attendunt patrum ſuorum ſcelera, idololatriam, & juges ferme defectiones. Verum eſt, cum Jeſus Chriſtus in Judæa apparuit, idolorum cultum ex Iſrael fuiſſe exterminatum, & nuſquam accuratius legem obſervatam fuiſſe. Salvator iſthic exhibere vult eorum in propriis meritis confidentiam, quæ non minimus fuit obex eorum ſaluti, ac ne ad Deum reverterentur. Vulnus ſuum non ſentiebant, ideoque neglexerunt, & expulerunt medicum, vulnus aperire, & medelam afferre cupientem: *ſi cæci eſſetis*, ait Jeſus Chriſtus ad Judæos Joan. 9. 41. *non haberetis peccatum*,

D *nunc vero dicitis; quia videmus: Peccatum veſtrum manet.*

Locus hic eo in ſenſu deſumptus, qui prior ſe ſe legentibus offert, Tertullianum, aliuſque plurimos impulit, ut crederent, primogenitum in hac parabola non Judæos, ſed juſtos viros Chriſtianæ, vel Judaicæ Religionis ſignificare; minime ratos, Judæos adeo perfrictæ frontis eſſe potuiſſe, ut, ſe Deo numquam non obtemperaſſe gloriarentur, quandoquidem eorum hiſtoria ipſorum prævaricationibus, atque ſceleribus maxime ſcatet. Verum diſtinguendum eſt, quod Judæi ſe feciſſe gloriantur ab eo, quod reipſa fecerant, atque ſecernendum, quod ſuperbe dicunt ab eo, quod reipſa eſt. Sin autem de juſtis hic ſermo; undenam proficiſcitur invidia, quam in fratris ſui converſione, redituque teſtantur?

E ℣. 31 Tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.] Ex quo frater tuus patrimonium ſuum miſere effudit, aliqua hæreditatis pars ad te ſpectat. Utpote primogenito tibi duplum ceſſurum eſt [11]: domus mea, omniaque bona mea, ubi humani aliquid mihi contigerit, tua ſunt. Poteſne invidere fratri tuo, cum in calamitoſo adeo ſtatu verſetur? gentilis populus numquid ſuam partem imminuet? numquid tibi primas occupabit? clementia mea eſſe ne tibi debet queſtus, & murmurationis occaſio? *an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum*. Matt. 20. 15.

C A-

1 Vide Var. Lect. Mill. hic.
2 Theophylact. Tir. Boſtr. Brug. Henſius, Chryſolog.
3 Grot. Brug. Mald. alii.
4 Ita Patres paſſim, & Interpp.
5 Gen. 41. 42.
6 Aug. Ambroſ. Hieron. Beda locis citatis.
7 Varro de re Ruſt. lib. 2. cap. 1. *Boves altiles ad ſacrificia publica ſaginati, dicuntur opimi.*
8 Epheſ. 11. 1. *Et vos cum eſſetis mortui*. Et Verſ. 5. *Cum eſſemus mortui peccatis convivificavit nos in Chriſto*. 1. Timoth. 5. 6. *Quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*. Vide & Epheſ. 4. 17. 18. 5. 8. 14 Coloſſ. 2. 13. Rom. 5. 6. 7. 8. &c.
9 1. Reg. 18. 6. 2. Reg. 6. 14. *David ſaltabat totis viribus*.
10 Philo de vita contemplativa de Therapeutis, p. 902.
11 Joan. 9. 41.

CAPUT XVI.

Parabola villici domini ſui bonis ad amicos ſibi comparandos utentis. Suademur amicos in Cœlo eleemoſynis conciliare. Matrimonium inſolubile. Dives nequam. Lazarus pauper. Alterius ſupplicium; requies alterius.

1. DIcebat autem & ad diſcipulos ſuos : Homo quidam erat dives , qui habe-
bat villicum : & hic diffamatus eſt apud illum , quaſi diſſipaſſet bona ip-
ſius . 2 Et vocavit illum , & ait illi : Quid hoc audio de te ? redde ra-
tionem villicationis tuæ : jam enim non poteris villicare . 3 Ait autem villicus in-
tra ſe : Quid faciam , quia dominus meus aufert a me villicationem ? fodere non
valeo , mendicare erubeſco . 4 Scio , quid faciam , ut cum amotus fuero a
villicatione , recipiant me in domos ſuas . 5 Convocatis itaque ſingulis debitori-
bus domini ſui , dicebat primo : Quantum debes domino meo ? 6 At ille dixit :
Centum cados olei . Dixitque illi : Accipe cautionem tuam , & ſede cito , ſcribe
quinquaginta . 7 Deinde alii dixit : Tu vero quantum debes ? Qui ait : Centum
coros tritici . Ait illi : Accipe litteras tuas , & ſcribe octoginta . 8 Et laudavit
Dominus villicum iniquitatis , quia prudenter feciſſet : quia filii hujus ſæculi pru-
dentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt . 9 Et ego vobis dico : facite vobis
amicos de mammona iniquitatis : ut , cum defeceritis , recipiant vos in æterna ta-
bernacula . 10 Qui fidelis eſt in minimo , & in majori fidelis eſt : & qui in mo-
dico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt . 11 Si ergo in iniquo mammona fideles
non fuiſtis : quod verum eſt, quis credet vobis ? 12. Et ſi in alieno fideles non fui-
ſtis ; quod veſtrum eſt, quis dabit vobis ? 13 Nemo ſervus poteſt duobus dominis ſer-
vire : aut enim unum odiet , & alterum diliget , aut uni adhærebit , & alterum con-
temnet : non poteſtis Deo ſervire & mammonæ . 14 Audiebant autem omnia hæc
Phariſæi, qui erant avari ; & deridebant illum . 15 Et ait illis : Vos eſtis, qui ju-
ſtificatis vos coram hominibus : Deus autem novit corda veſtra : quia quod homini-
bus altum eſt, abominatio eſt ante Deum . 16 Lex , & prophetæ , uſque ad Joan-
nem : ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit . 17 Facilius eſt
autem cœlum, & terram præterire , quam de Lege unum apicem cadere . 18 Om-
nis , qui dimittit uxorem ſuam , & alteram ducit , mœchatur : & qui dimiſſam a
viro ducit, mœchatur . 19 Homo quidam erat dives , qui induebatur purpura, &
byſſo : & epulabatur quotidie ſplendide . 20 Et erat quidam mendicus nomine La-
zarus, qui jacebat ad januam ejus , ulceribus plenus . 21 Cupiens ſaturari de mi-
cis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat : ſed & canes veniebant, &
lingebant ulcera ejus . 22 Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur
ab Angelis in ſinum Abrahæ : Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in infer-
no . 23 Elevans autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham a lon-
ge, & Lazarum in ſinu ejus : 24 Et ipſe clamans dixit : Pater Abraham, miſerere
mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret lin-
guam meam, quia crucior in hac flamma . 25 Et dixit illi Abraham : Fili, recorda-
re, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala ; nunc autem hic conſola-
tur, tu vero cruciaris . 26 Et in his omnibus, inter nos , & vos chaos magnum fir-
matum eſt : ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neq; inde huc tranſ-
meare . 27 Et ait : Rogo ergo te, pater , ut mittas eum in domum patris mei . 28
Habeo enim quinque fratres , ut teſtetur illis , ne & ipſi veniant in hunc locum
tormentorum . 29 Et ait illi Abraham : Habent Moyſen, & prophetas : audiant il-
los . 30 At ille dixit : Non , pater Abraham : ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos,
pœnitentiam agent . 31 Ait autem illis : Si Moyſen , & prophetas non audiunt : ne-
que ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent .

HOMO

℣. 1. HOMO QUIDAM ERAT DIVES.] Villicus hic [1] non erat ex iis ſervis, quos Romani in rura ſua mittebant, & quibus domuum ſuarum, ſervorum, aliarumque rerum, quæ ibi aderant, curam credebant [2]. ſed erat œconomus domus alicujus, qui omnia promebat, condebatque, & in quo Dominus omnino confidebat: quales erant Joſeph, primum quidem in domo Putiphar, mox vero in domo Pharaonis [3]; & Eliezer in Abrahæ domo [4]. Sed cum ut plurimum hujuſmodi præfecti, vel œconomi ex ſervorum numero aſſumerentur; hic liber erat, vel libertus, non amplius in Domini ſui mancipio conſtitutus, & qui ſponte, vel fortaſſe mercenarius illi famulabatur. Qui Domino ſuo obærati ſunt, ii ſunt villici, qui in agris prædiorum curam gerebant, illis ſimiles, de quibus ſermo in Canticis Canticorum cap. 8. 2. qui Salomonis vineam conduxerant ea conditione, ut in ſingulos annos mille ſiclorum ſummam perſolverent; & villicis aliis, de quibus loquitur S. Matthæus 21. 33. quibus Paterfamilias vineam locaverat, ut meſſis, & vindemiæ tempore illi fructum afferrent.

℣. 2. REDDE RATIONEM VILLICATIONIS TUÆ,] Audii, te bona mea diſſipaſſe, non poſſum ultra rerum mearum tibi curam committere. Homo quilibet eſt tamquam Dei villicus: quidquid habet, ab illo obtinuit, eique illius ſibi ratio reddenda eſt. Eo hæc tendit parabola, ut oſtendat, quomodo noſtrum cuilibet utendum ſit bonis, quæ ſibi a Deo credita fuerint, & qua prudentia nobis pro peccatorum noſtrorum redemptione ea ſint impendenda. Hæc parabola eſt quædam, veluti ſuperiorum continuatio, eaque eodem tempore propoſita fuit. Ibi oſtendit Dominus, qua cura peccatoris ſalutem, & converſionem perquirat; iſthic docet, quemadmodum peccator vocationi ſuæ ſatisfacere debeat, & gratiam, atque innocentiam tueri, & quo pacto, ubi illius jacturam fecerit, rurſus eamdem acquirere debeat.

Videntur hæc præcepta ad locupletes præcipue [5] ſpectare, qui ſunt tamquam villici, & œconomi bonorum, quæ illis credidit Deus, & quibus illos præclare uti vult, patribus ſuis opem ferendo. Verum præſtat hoc ad omnes Chriſti fideles generatim extendere; quandoquidem, qui pro facultatibus ſuis in Cœlo theſauros ibi congerere, atque eleemoſynis, & charitatis operibus ſua peccata nequeat redimere, eſt ſermo.

℣. 3. FODERE NON VALEO, MENDICARE ERUBESCO.] En quò miſeriarum in morali ſenſu redactus ſit ille, qui Dei ſui gratiam diſſipavit, & in egeſtatem, atque nuditatem peccati prolapſus eſt. Neque laborare, neque oſtiatim mendicare ſtipem ulterius valet. Verum numquam Deus ita nos derelinquit, ut omnem erga nos exuat amorem, & miſericordiam; neque ſemper paratus ſit nobis ſua ope levandis, ubi quantum in nobis eſt, pro virili adnitimur, ut ad eum revertamur [6]. Homo hic neque fodere poteſt, neque mendicare, ſed eleemoſynam erogare poteſt; poteſt pauperes allicere, ut pro ſe deprecentur.

℣. 5. QUANTUM DEBES DOMINO MEO?] Oeconomus hic, cum nondum abrogata ſibi eſſet poteſtas, poterat villicis, & iis, qui Domino ſuo alieno ære devincti, tenebantur, epiſtolas nomine illius tradere, quibus fateretur ſe vere ea recepiſſe, quæ non acceperat, ita ut obærati non modica alieni æris ſumma levati per infidelis hujus œconomi calliditatem, in grati animi ſignum illum domi ſuæ exciperent, atque calamitoſum ope aliqua recrearent. Cum divites eorum, quæ poſſident, eleemoſynas erogant, non aliud præſtant, quam hic procurator. Liberales ſunt de bonis Domini ſui; pauperibus tribuunt, quod pertinet ad Deum.

℣. 6. CENTUM CADOS OLEI.] *Cadus*, vel *bath*, quemadmodum in Græco habetur [7], vel *epha*, continebat menſuræ Pariſienſis pintas undetriginta cum dimidia, ac inſuper ſemiſextarium, pintæ octavam partem, & nonnihil amplius. *Cadus* hoc in loco idem ſignificat; ſed hebraica vox *cad* proprie amphoram, menſuram, ſitulam indigitat.

SEDE CITO.] Scriptores humi ſedebant. Ad hanc quoque diem apud Turcas in eo concilio, quod *Divanum* vocant, Scribæ, vel Notarii ita ſedent [8].

℣. 6. CENTUM COROS TRITICI.] Corus, vel chomer Hebræorum, capiebat bathos decem, ideoque 298. pintas cum dodrante, & nonnihil ultra menſuræ Pariſienſis.

℣. 8. LAUDAVIT DOMINUS VILLICUM INIQUITATIS.] Non laudat infidelis hujus Curatoris iniquitatem, Dominum ſuum fallentis, & eo invito de bonis illius diſponentis. Verum quod peccatum eſt, & iniquitas in œconomo habita ratione domini temporalis, prudentia, ac præclara eſt actio hominis erga Deum. Terrenus dominus bonorum ſuorum ita dominus eſt, ut ſine illius juſſu, atque facultate nemo bona ejus valeat diſtrahere; neutrum œconomus iſte obtinuerat. Verum enim vero Deus, qui minime veretur, bona ſua imminui, neque theſauros ſuos exhauriri, illis omnibus, qui bonis ejus fruuntur, ſeu temporalibus, ſeu ſpiritualibus, non ſolum nullis circumſcriptam limitibus facultatem, verum etiam generale tribuit mandatum, ut ea large, effuſeque diſtribuant. Immo illis, qui fideliter mandato paruerint, bona majora pollicetur, iis vero, qui ſecus, graviſſimas minas intentat. En quid corrigat, quod in parabola injuſtum videtur. Erga hominem hæc prudentia eſt: Paterfamilias hanc tantum laudat, factum non probat: erga Deum eleemoſyna non prudentia ſolum eſt, ſed & juſtitia [9].

FILII HUJUS SÆCULI PRUDENTIORES FILIIS LUCIS IN GENERATIONE SUA SUNT.] Villicus, qui Domini ſui bonis attulit detrimentum, & qui ex officio diſtrahitur, viam invenit, qua domini ſumptibus amicos ſibi conciliet, quin hic vel conqueri poſſit, vel ſua ſibi reſtitui depoſcat: *Et filius lucis*, Chriſti fidelis vir, cui fidei & religionis lumen affulget, ita prudens non erit, ut in eleemoſynis effundat bona ſibi a Deo commiſſa, ut in cœlo ſibi amicos, Patronos, ſtabilem, æternamque ſedem acquirat? *In generatione ſua*: hæc verba ſignificant in vita ſua, in hoc mundo, in hac generatione [10]. Sed complures, iique eruditi Interpretes [11], hoc de univerſa vitæ ratione intelligunt. *Generatio* apud Hebræos nonnumquam pro vita uſurpatur [12]. *Filii lucis* opponuntur *filiis ſæculi*, quemadmodum filii Dei, filiis Belial. Dæmon dicitur Princeps tenebrarum [13], vel Princeps ſæculi [14], & JESUS CHRISTUS mundi lumen vocatur. Joan. 1. 9. & 3. 19. & 8. 12.

℣. 9. FACITE VOBIS AMICOS DE MAMMONA INIQUITATIS.] Proculdubio minime ſuadet, ut injuſte opes comparemus, in eleemoſynam erogandas, neque ea, quæ male parta ſunt, ſtipem elargiendo eſſe abſumenda [15]. Hujuſmodi bona non ſunt poſſidentis illa, ſed ad eum pertinent, cui injuſte ablata fuerunt. Hæc reſtituenda ſunt, non pauperibus diſtribuenda; niſi legitimus earum Dominus omnino ignoretur; vel neque ille neque hæredes illius nequeant amplius hanc reſtitutionem accipere.

Jubet Deus, nobis amicos comparemus pauperibus tri-

1 Οἰκονόμος. 2 Varro de re Ruſt. lib. 2. Cato c. 5. & 142. Columel. lib. 1. c. 7. 8.
3 Geneſ. 39. 4. 41. 41. 44. 4 Geneſ. 24. 2.
5 Ita Ambroſ. in Luc. Chryſoſt. apud D. Thom. Aug. lib. 2. quæſt. Evang. qu. 34. Beda, Theophyl. Euthym. Mald. hic.
6 Concil. Trid. *Jubendo monet facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.*
7 Ἑκατὸν βάτους ἐλαίου. Plures MSS. Græci legunt: *Cados*, κάδους ἐλαίου. Syr. & Perſ. *Metretas*.
8 Della Valle, p. 122 9 Vide Euthym. Mald. Grot. alios paſſim, maxime Aug. lib. 2. qu. Evang. qu. 34. 10 Syr. Perſ. Arab. Brug. Origen. apud D. Thom. Cyprian. ad Jubaian.
11 Vide Grot. Vatab. alios. 12 Geneſ. 6. 8. 37. 2. תולדה Τόκος. 13 Epheſ. 6. Coloſſ. 1. 13.
14 Joan. 12. 31. 14. 30. 15 Vide Aug. ſerm. olim 35. nunc 113.

tribuentes *mammonam iniquitatis*, hoc eſt opes, & bona hujus mundi, quæ vere instrumenta ſunt iniquitatis, poſſidentibus illa [1]; eo quod illos in proximam occaſionem adducunt Deum lædendi, atque perraro citra affectum poſſidentur, & citra injuſtitiam acquiruntur; tunc præſertim, cum magna earum vis vel exiguo tempore coagregatur [2]. Æconomus, cujus prudentia pro exemplo proponitur, nequaquam imitandus eſt ea in infidelitate, qua contra Dominum utitur. Bona, de quibus diſponit, ſua non erant; atque illius habita ratione, erant opes iniquitatis. Sed ut cum merito eleemoſynas erogemus, atque Deo placeamus, opus eſt, ut de noſtro, & per jus, ac ſaa parto bono ſtipem tribuamus.

Complures Interpretes eruditi [3] credunt *mammonam iniquitatis* Hebraiſmum eſſe pro *mammona vanitatis*, opibus videlicet vanis, fluxis, perfunctoriis, peritoris, quæ opponuntur divitiis Cœli, æternis, veriſque theſauris, de quibus ſermo eſt, ℣. 11. *Si ergo iniquo mammona fideles non fuiſtis; quod verum eſt, quis credet vobis?* & hanc omnium explicationem maxime ſimplicem, ac litteræ adhærentem reor. Eadem Hebraica vox [4], quæ *iniquitatem*, ſignificat etiam *vanitatem*, nihilum, quod re nullum eſt. *Mammon*, vel *mammona*, Syriaca eſt vox, quæ ſignificat divitias; atque idipſum in lingua Punice, quæ Hebreicæ quidam erat veluti rivulus, ſignificaſſe teſtatur Auguſtinus [5]. Hebræi [6] pronunciant *Matmon*, quæ voc fluit ex origine *abſcondi eſſe*, ſignificante: Atque in eorum lingua *Matmon* adeo multa ſignificat, ac *Ozer* theſaurus: quæ vox non pro auro ſolum, argento, ac metallis humi defoſſis; verum etiam pro frumenti, vini, oleique congerie uſurpatur; quæ omnia nonnunquam in ſubterraneis locis [7] aſſervabantur, ut hoſtem fallerent.

UT CUM DEFECERITIS, RECIPIANT VOS IN ÆTERNA TABERNACULA,] ut ubi ultima paſſi [8] fueritis, in Cœlo, æternaque beatitudine vos recipiant, JESUS hic exhibet pauperes tamquam Cœli janitores, & quodammodo Cœli Dominos, aditum, quibus voluerint, aperientes. Infidelis, ſed prudens Æconomus domi ab illis recipitur, quibus ex alieno ære non modicum remiſit. Qui ex his bonis, quibus a Domino cumulati fuerunt, tribuent eleemoſynam, admittentur in Cœlum a pauperibus ipſis, quos bonorum ſuorum participes fecerint, vel ab Angelis Sanctis, ſi pauperes ibi non fuerint. Nam licet ſupponere videatur JESUS CHRISTUS, pauperes omnes juſtos eſſe, atque in Cœleſti Jeruſalem inhabitare, hoc tamen preſſius intelligendum non eſt. In omnibus parabolis ſemper adſunt quædam, quæ ad ornatum dumtaxat apponuntur, & quorum nulla ratio habenda eſt. Pauperes Cœli januam orationibus ſuis nobis aperiunt: Eleemoſynæ ipſæ nobis quodammodo janitorum officium præſtant, cum per eas præclare apud Deum mereamur [9]. Omnia hic ſermo myſticus eſt & figuratus.

℣. 10. QUI FIDELIS EST IN MINIMO.] Jeſus Chriſtus a terrenis ad ſpirituales divitias migrat. Ubi eos, qui aderant, docuit, quemadmodum terrenis, ac perituris opibus utendum ſit, ad Apoſtolos orationem convertit, eiſque præcepta tradit, quem in uſum traducendæ, & quomodo comparandæ ſint veræ, ſolidæque divitiæ. Non ſecus ac Paterfamilias in rebus minimis ſervorum ſuorum fidem experitur, antequam illis majora committat; neque adeo facile alicujus momenti negotia iis credit, quorum fidem in rebus minimis nequaquam ſatis habuit compertam: ita Deus cum ad fidem nos vocat, & Apoſtolatus miniſterium, aliave Eccleſiæ munera committit; impertit etiam eam opem, quæ par eſt, ut his muneribus perfungamur. Nobis præparat lumen, & gratiam, ut ſua in nobis expleat conſilia; & ſi fideles illi permanſerimus cum in parvis, tum in rebus magnis, ad finem uſque hoc in mundo, recentibus honorum gradibus nos remunerabitur, atque ab illius largitate præſtolari debemus, futurum ut tandem perſeverantiæ donum concedat, atque laborum noſtrorum in Cœlo cumulatiſſimam mercedem largiatur.

Videtur autem indirecte Phariſæorum avaritiam, atque ſævitiam perſtringere, eiſque implicite portendis futurum, ut de Eccleſia ejiciantur, eiſque minime concredatur cura Evangelici panis diſtribuendi. Æque erunt infideles in ſpiritualium bonorum diſtributione, in opum temporalium œconomia: ſcientiam hanc ſibimetipſis reſervabunt, eamque aliis invidebunt; Ethnicis vero præſertim, qui fortaſſe ex Tertulliani ſententia, pauperum nomine iſthic deſignantur [10].

℣. 11. SI IN INIQUO MAMMONA FIDELES NON FUISTIS.] Si vos Phariſæi in pravum uſum temporales divitias convertitis, ſperatis ne, ut vobis Deus ſpiritualia bona concedat? ſi avari fuiſtis opum fallacium, inanium, fluxarumque; quis vobis audebit committere veras opes, veritatum Cœleſtium cognitiones, Evangelicam doctrinam, Sacrorum adminiſtrationem, quæ bona ſunt toto cœlo terrenis hiſce rebus præſtantia [11]? S. Clemens Papa, in altera epiſtola ſua, hæc adfert verba tamquam JESU CHRISTI. *Dixit Dominus in Evangelio: ſi non ſervaſtis modicum, quis vobis tradet magnum? dico enim vobis, eum, qui in minimo fidelis eſt, in majori etiam futurum.* S. Irenæus l. 2. c. 64. eadem ferme ait: ajebat Dominus ad eos, qui erga ſe erant ingrati: *ſi non fuiſtis fideles in minimo, quod vobis commiſſum fuit, quis vobis majus committet.*

℣. 12. SI IN ALIENO FIDELES NON FUISTIS.] Terrenæ divitiæ bona ſunt a nobis aliena, quoniam Dei ſunt, qui earumdem nobis tradidit diſpenſationem [12]. Cum illas in eleemoſynis erogamus, de alieno liberales ſumus. Sed qui neque de alieno liberalis eſt, quomodo mereri poteſt, ut Deus illi credat bona, quæ ipſi ſunt propria? quam avarus erit in divitiarum ſuarum elargitione, ſi ea, quæ ad ipſum minime ſpectabant, in pravum uſum detorſit? nihil Judæis magis debitum fuiſſe videtur, quam Regnum Dei, Evangelii prædicatio, Cœleſtium veritatum cognitio. Attamen jure iiſdem viduantur, eo quod in legis obſervantia, ac præſertim in charitate, quæ omnium aliorum præceptorum anima eſſe debet, infidelitatem præ ſe tulerunt. Intellexerunt Phariſæi hæc ſibi dici, quemadmodum S. Lucas animadvertit, ℣. 14. *audiebant omnia hæc Phariſæi, qui erant avari, & deridebant illum.*

℣. 13. NEMO SERVUS POTEST DUOBUS DOMINIS SERVIRE.] Nemo & Deo, & divitiis parere poteſt. Vide, quæ adnotata ſunt in S. Matthæum 6. 24.

℣. 14. PHARISÆI, QUI ERANT AVARI.] Phariſæi, qui terrenas opes vere putabant eſſe bona, atque mercedem, quam Deus pollicitus eſt obſervantibus legem ſuam [13], JESU CHRISTI doctrinam in jocum traducebant; quoniam ille commendabat liberalitatem, at-

1 Vide Tertull. lib. 4. contra Marcion. & Ambroſ. lib. 7. n. 245.
2 Vide Prov. 28. 20. *Qui feſtinat ditari, non erit innocens.* Vide & ℣. 22. Hieron. ad Hedibiam, qu. 8. *Dives aut iniquus, aut iniqui hæres.* Aug. in Pſalm. 48. *Divitiæ mammona iniquitatis; quia aut de iniquitate acquiſitæ ſunt, aut quia ea ipſa iniquitas eſt, quod tu habeas, alter non habeat: tu abundas, & alter eget.* Vide Grot. Vat. Mald.
3 J. Capel. Lud. de Dieu, Heinſ. Natal. Alex. alii.
4 שקר *Mendacium*, vel *Falſitas*. Vide Exod. 23. 7. Deut. 19. 18. Jerem. 5. 31. Oſee 12. 7. און *Vanitas*, & *iniquitas*. Job. 15. 35. 18. Pſal. 6. 15. Prov. 6. 12. 18. 22. 8. 66. 3. Amos 5. 5. Zach. 10. 2.
5 Aug. lib. 2. cap. 21. de ſerm. Domini in monte.
6 כמטמון Job. 3. 21. Prov. 2. 4.
7 Jerem. 41. 8. יש לנו מטמונים בשדה
8 Theophyl. Euthym. Ὅταν ἐκλίπητε. Brug. *Cum ſublati fuerītis ex hac vita, & officio diſpenſandi.*
9 Vide Mald. Grot. Brug. Lud. de Dieu.
10 Tertull. de fuga in perſecutione.
11 Vide Brug. Lud. de Dieu, Grot. Vat.
12 Vide S. Paulin. de Gazophylacio, & Aſter. Amaſ. homil. in hunc loc.
13 Levit. 26. 3. 4. 5. & ſequ.

atque eleemoſynam, ſimulque teſtatus fuerat, quo in numero haberet paupertatem, cum in ſermonibus, vitaque ſua; tum in electione Apoſtolorum ſuorum, qui omnes pauperes erant, & conditionis minime ſublimis.

℣. 15. Vos estis, qui justificatis vos.] Vos met mortalium oculis componere noſtis, ut avitarum legum religioſi obſervatores videamini [1]; ſed ſcrutatur Deus penitiora cordis veſtri [2], eaque ambitione, philautia, hypocriſi, avaritia, invidia, odio, ac ultione cumulatiſſima intuetur. Hoc omnia opera veſtra bona corrumpit, & efficit, ut illa Deus abominetur. Si æque eſſetis religioſi, ac pii, uti videmini, juſtiores eſſetis, magis metueretis minas meas, majorique ſedulitate eos in vobis corrigeretis defectus, de quibus vos ipſe redarguo.

℣. 16. Lex et prophetæ usque ad Johannem.] Explicuimus jam hæc verba in S. Matthæum 11. 12. Jesus Christus hæc ait ad Phariſæos, qui ſermones ſuos deridebant. Non hodie ſolum veritati reſiſtitis. Lex atque prophetæ ad Johannem uſque viguerunt. At quomodonam a Patribus veſtris habiti fuerunt Prophetæ? quomodo legem Dei conculcarunt? venit Johannes Baptiſta Meſſiæ adventum vobis annunciaturus; quomodo illum excepiſtis? Quid de illo oblocuti non eſtis? ego ipſe veni in nomine Domini, Regnum Dei vobis prædicaturus, ea operor miracula, quæ nemo præter me [3]: quomodo vero in meipſum agitis? me perſequimini, mihi obtrectatis, doctrinam meam deridetis, ac præſto eſtis, ut in me graviſſima quælibet audeatis: *Regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit.*

Verum veſtra vos ne fallat opinio; ℣. 17. *facilius eſt cœlum & terram præterire, quam de lege unum apicem cadere*; quidquid de me ſcriptum eſt, adimplebitur, ego in meipſo explebo characteres omnes, qui pro Meſſiæ perſona memorantur. Quidquid prædixit Deus, exequetur; ubi vos advocaverit, ſi corda, aureſque veſtras obſtruxeritis, vos deſeret, aliumque ſibi populum eliget fideliorem. Minæ illius nequaquam minus certæ ſunt, quam ipſius promiſſiones. Veſtra reprobatio, & alienigenæ populi vocatio, non minus aperte in Scripturis innuuntur, quam Meſſiæ adventus, & electio, qua Deus genus Abraham elegit, ut eſſet populus ſibi.

℣. 18. Qui dimittit uxorem.] Vide S. Matthæum cap. 19. 3. & ſeq. [4], ubi apparet, Phariſæos Jesum conveniſſe, illum tentaturos ex eo quærentes, utrum quacumque ex cauſa fas eſſet uxorem relinquere, eamque repudiare. Ibi liquet etiam hoc accidiſſe, cum Jesus a Galilæa diſceſſiſſet, atque per Regionem trans Jordanem, Judæam verſus iter corripuiſſet [5].

℣. 19. Homo quidam erat dives &c.] Non ſatis conſtat, qua in occaſione Jesus diſcipulis ſuis hanc ſeu parabolam, ſeu hiſtoriam propoſuerit. Parabolam inquam vel hiſtoriam; non enim inter veteres, recentioreſque Interpretes hac de re ſatis conſtat. S. Irenæus l. 4. c. 4. S. Ambroſius l. 8. in Luc. n. 13. Tertullianus lib. de Anima c. 7. Euthymius, S. Gregorius Magnus hom. 40. in Evang. & Lucas Brugenſis hoc in loco putant, hanc vere hiſtoriam eſſe; quoniam affertur Lazari nomen, & circumſtantiæ magis quam in ſimplici parabola explicitæ ſunt. S. Chryſoſtomus hom. de Div. & Lazaro, S. Cyrillus Alexandrinus in Catena Græcorum PP. Theophylactus hic, & plerique recentiorum hanc ſimplicem eſſe parabolam arbitrantur. Lazari nomen, ajunt illi, nomen eſt fictitium, uti in tragœdiis, & in Caſuiſtarum, vel Juriſconſultorum deciſionibus, ubi nomen aliquando eorum, qui numquam extiterunt, ad nominum generalium confuſionem evitandam adſcribitur. Alii denique [6] media inſiſtunt via, ac tenent, neque ſimplicem eſſe parabolam, nec veram in omnibus circumſtantiis hiſtoriam, ſed aliquid ex utraque mixtum. Ego vero, eam optarem ſententiam, quæ hanc parabolam eſſe opinatur. Veteres quidam Græci, ac Latini MSS. [7] verſiculi hujus initio hæc legunt verba: *dixit quoque illis aliam parabolam: homo quidam &c.* neque video, quomodo Lazari nomen ſatis validum ſit argumentum, ut hanc vere hiſtoriam eſſe credamus.

Parabolæ totius argumentum ſatis eſt ſimplex. Ibi Salvator oſtendere cupit periculum divitiarum, paupertatis bona, uſum, in quem opes a divitibus convertendæ ſunt; ſi graviſſima cupiant mala evitare. Hæc rationem habet cum iis, quæ ſuperius dicta ſunt ℣ 9. 10. 11. 12.

Lazarus commune erat nomen apud Judæos Domini noſtri ævo, uti liquet ex fratre Marthæ, & Mariæ. Credimus, nomen hoc idem eſſe ac Hebraicum [8] *Eleazar*. Eleazar vero ſignificat *opem Dei*, quod non ſine conſilio fortaſſe allatum eſt: oſtendit quippe omnem pauperum confidentiam, atque ſubſidium in Domino inveniri.

Induebatur purpura, et bysso.] Nemo neſcit, quid eſſet purpura. Tyria omnium pulcherrima, atque præſtantiſſima ferebatur. Byſſus juxta pleroſque interpretes tenuiſſimi lini ſpecies eſt: nos vero cenſemus, byſſum vere eſſe quamdam ſerici ſpeciem ex piſce quodam e genere teſtaceorum, cui nomen *Pinna* [9], deſumptam.

Epulabatur quotidie splendide.] Græcos; *Oblectabatur* [10] *quotidie ſplendide*; vel lætabatur magnifice. Plerique hoc intelligunt de voluptatibus comeſſationum, luxus, ganeæ. Compotationes, ſævitia erga pauperem erant præcipua illius ſcelera. Non accuſatur, quod vim alicui attulerit, quod aliquid extorſerit, quod avarus, injuſtus fuerit [11].

℣. 21. Cupiens saturari de micis.] Exemplaria Græca [12] non legunt hæc verba, *& nemo illi dabat*, quæ neque in plurimis MSS. Latinis inveniuntur. Creduntur autem addita fuiſſe ex capite 15. 16. ubi de filio prodigo ſermo eſt, qui porcorum ſiliquis ſaturari cupiebat: *& nemo illi dabat*.

Canes lingebant ulcera ejus.] Bruta ipſa animantia aliqua ducebantur miſeratione erga calamitoſum hunc virum; ſed locuples brutis ſævior, malis ejuſdem non tangebatur. S. Auguſtinus [13] maledicos comparat, his canibus, Lazari ulcera lingentibus. Explentur enim, atque oblectantur, colligentes quidquid putidiſſimum, atque maxime infenſum eſt in eorum vita, cum quibus verſantur.

℣. 22. Ut portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ.] Vetus Judæorum traditio [14] hæc eſt, juſtorum animas ab Angelis in Paradiſum deduci. *Abrahæ ſinus* locus eſt, ubi Sanctorum, atque Patriarcharum animæ permanebant, liberatoris adventum opperientes, & illuc poſt mortem Jesus Christus deſcendit: *deſcendit ad Inferos*. Eruditi quidam [15] crediderunt, iſthic alludi ad veterem conſuetudinem, menſæ ſuper lectulos accumbendi, pedibus quidem extrinſecus projectis, capite vero fere quieſcente in illius ſinu, qui ſuperior adeſſet: quo pacto S. Johannes Evangeliſta ſuper Jesu Christi pectus menſæ accubuiſſe narratur, Joan. 13. 28. & 21. 20.

He-

1 Confer Luc. 11. 39. Matth. 23. 25. 2 Vide 1. Reg. 16. 7. *Homo videt ea quæ patent, Deus autem intuetur cor.* 3 Joan. 15. 24. 4 Vide & Marc. 10. 3. & ſequ.
5 Matth 19. 1. 2. 3. Marc. 10. 1. 2. 6 Maldon. hic. Salmaſ. & Serar. in J. Capell Grot. hic. Juſtin. ſeu alius qu. Orthodox. q. 60. 7 Cantabr. G. B. L. Steph Cod. Lat. vetuſt. in Bibl. Bodl. Vide Bez. & Mill. hic. 8 אלעזר - אל עזר *Eleazar*. 9 Vide noſtrum Commentarium in 2. Par. 15. 27.
10 Εὐφραινόμενος λαμπρῶς. 11 Chryſoſt. homil. 1. de divite, & Lazaro.
12 Vide Mill. hic, et Eraſm. 13 Auguſt 78. nov. edit.
14 Chald. Paraphr. ad Cant. 4. 12. et Rabbot. paraſ. ult. Deuteron. apud Grot. et J. Capell. hic.
15 Vide Mald. Grot. Camer. J. Capell. Le Clerc, Ligfoot, alii plures.

A Hebræi Paradiſum tamquam deliciarum locum ſibi finxerant, ubi Beati jugi convivio intereſſent. Abraham veluti nationis caput in ſuperiori menſæ lectulo accumbebat, & omnes ejus filii cum eo, & in ſinu illius, alii quidem propius, longius alii. Lazarus vero tamquam dilectus filius omnino prope credentium Patrem ſtatuitur [1], & in ſinu illius menſæ accumbit. Hoc ipſum alibi [2] innuit Jeſus CHRISTUS, cum ait, ex omnibus terrarum partibus alienigenas venturos, qui aſſidebunt, vel accumbent menſæ cum Abraham, Iſaac, & Jacob: & Rabbini [3], ut boni Iſraelitæ felicitatem indigitent, ajunt, illum altera in vita in Abrahæ ſinu requieſcere. Nemo non intelligit, hoc figuratum eſſe; neque intelligendum de Abraham veluti corpus habente, neque de ſenſibili, corporeoque convivio, neque de ſpatio, ubi lætentur animæ [4], B quemadmodum de Elyſiis campis Ethnici fabulabantur. Salvator ſe ſe ad multitudinis captum, atque præjudicia ſubmittit, iis in rebus, ubi error metuendus non eſt.

MORTUUS EST AUTEM ET DIVES.] Græce: *moritur, & ſepultus eſt. Cum autem eſſet in Infernis, extollens oculos* &c. Permittit Deus, ut pauper ante divitem humanis decedat. Miſertus eſt dolorum illius, eiſque finem imponere dignatus eſt. Dives quoque ultima paſſus eſt, quæ ingentia illius bona extra mortis diſcrimen illum collocare potuerint. Quid autem de illo factum? Sepultus eſt in Inferno, corpus ejus in ſepulchrum deſcendit. Hic noviſſimus fuit honor, quem in terris accepit; anima vero illius a Dæmonibus in Infernum abrepta fuit, exquiſitiſſimis ſuppliciis torquenda. C Ex hujus parabolæ decurſu liquet, Judæos, quos Jeſus Chriſtus alloquebatur, ſtatuiſſe Abrahæ ſinum, & Infernum, quo dives nequam abreptus fuit, in locis ſubterraneis, quæ mortalibus accedere nefas eſt; ſed inter ſe ita ſejunctis, ut ex uno in alterum aditus non pateret, cum inter utrumque chaos, vel abyſſus quædam intereſſet. Ethnici conceperant ſatis ſimilem ideam locorum, ubi mortuorum manes permanere putabant. Tartarum, & Elyſii campi uterque erant ſubter terram [5]; ſed inter ſe ita diſtincti, ut impii in beatorum ſedem commeare minime poſſent. Sadducæi apud Hebræos negabant præmia, & ſupplicia poſt hujus vitæ curriculum [6]: at Eſſenii [7] hac in re eadem ferme ac Græci Poetæ ſentiebant. Credebant Phariſæi [8], bonos, & malos operum ſuorum vel bonorum, D vel malorum mercedem, vel pœnam in ſubterraneis locis nanciſci.

℣. 23. ELEVANS OCULOS VIDIT ABRAHAM LONGE.] Hæc loquendi ratio *elevare oculos* nequaquam neceſſario ſignificat, epulonem in loco magis profundo fuiſſe poſitum ratione illius, ubi erat Abraham: ſed innuit dumtaxat, illum verſus eum locum oculos conjeciſſe. Hæc mera eſt Hebraica locutio. Infernus, ac ſinus Abrahæ uti ita dicam eadem erant in altitudine, ſed inter utrumque magnum intererat chaos.

℣. 24. MITTE LAZARUM, UT INTINGAT EXTREMUM DIGITI SUI &c.] Dives nequam non audet Lazarum precari, quem ſe jugiter contempſiſſe, atque neglexiſſe in vita ſua recordatur, & cogitur uti Abraham tamquam interceſſore, aquæ guttam ab eo petiturus, cui menſæ ſuæ micas negaverat. E Merito hæc aquæ gutta illi negatur, neque ex illa hoc licet ferme inutile ſolatium obtinere poteſt inter ſæviſſimos ignes, quibus abſumitur. Hæc flamma, hæc divitis lingua, hæc aqua ſunt in figurato ſenſu intelligendæ [9].

℣. 25. FILI RECORDARE, QUOD RECEPISTI BONA IN VITA TUA.] Ex pluribus Scripturarum locis videntur Hebræi credidiſſe, Deum ſingulis quamdam bonorum, malorumque menſuram in hac, vel altera vita conſtituiſſe: eos, qui voluptatibus hac in vita perfruuntur, alterius vitæ deliciis cariturus: e contra vero, qui malis hoc in mundo cruciantur, felicitate cœleſti perfruituros. Huic ſententiæ inniti videntur Jeſu Chriſti promiſſiones dicentis [10]: *beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum; Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur: Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum: Beati eſtis, cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cœlis.* Et alibi [11] inquit, hypocritas jejunantes, & alia pietatis opera efficientes, ut ſibi apud homines exiſtimationem concilient, cumulatiſſimam mercedem ſuam jam recepiſſe. Hunc ſenſum S. Chryſoſtomus hom. 4. de Lazaro, Maldonatus, & Grotius hunc in locum ſequuntur.

Alii [12] credunt, Epulonem recepiſſe mercedem, vel bona ſua [13] in hac vita: quoniam amore capiebatur eorum, quæ in terris magis amabilia ſunt, & illecebris ſenſuum voluptatibus, Deo permittente, iis gaviſus eſt rebus, quæ in hominum exiſtimatione dumtaxat bona ſunt: Lazarum vero in paupertate victitantem, procul a fallaci hac felicitate, ſed in veræ beatitudinis ſpe, in Cœlo conſortem illius eſſe lætitiæ, quæ votorum illius ſumma fuit: cum interim malus dives iis omnibus careat, quæ ardentiſſime deperiit. Lazari bona æterna ſunt; ea vero Epulonis fluxa, & perfunctoria. Bonum alterius, & alterius malum ſecuta ſunt naturam bonorum, quibus illi adhæſerunt.

Cæterum ex Philone liquet [14], non tantum Hebræos agnoviſſe animarum exiſtentiam, earumque poſt hujus vitæ curriculum beatitudinem, aut calamitatem: ſed etiam Sanctos, atque Patriarchas apud Deum pro poſteris ſuis interceſſiſſe, atque illis auxilium, cujus indigebant, obtinuiſſe.

℣. 26. IN HIS OMNIBUS INTER VOS, ET NOS CHAOS MAGNUM.] Nequicquam petis, ut Lazarus aliquod tibi ſolatium ferat. Locus, in quo verſaris, inacceſſus eſt illis, qui ut Lazarus in ſupremæ beatitudinis ſinu quieſcunt; non ſecus ac viciſſim ex loco, ubi torqueris, aditus patere nequit in eum, ubi ille perfruitur: *Chaos magnum*; vel cum Græco [15] ingens fovea, abyſſus; perinde ac Infernum, atque Paradiſum immenſa profunditas, atque impenetrabilis abyſſus ſepararet, vel fovea aquarum congerie repleta, vel fluvius, qui tranſvadari non poteſt. Hujuſmodi apud Poetas ſunt Cocytus, & Acheron, quibus a Tartaro Elyſii Campi ſejungebantur. Oſtendit Ligfoot [16], Hebræos credere gehennam, & Paradiſum proximos eſſe, & hinc illuc viciſſim proſpectum patere. Vidimus jam, ex Joſephi auctoritate, Eſſenis eamdem ferme de Inferno fuiſſe, ac Ethnicis Poetis ſententiam. Conſule, ſis, Grotium in hunc locum.

Cæterum Abyſſus hæc magna non eſt plane locus, aut diſtantia localis, & ſenſibilis. Credunt Patres [17], eam ſymbolicam eſſe, & innuere ſimpliciter ſummum illud diſcrimen, quod damnatos inter, & beatos intercedit, & immutabilem utrorumque conditionem in eo ſtatu, in quo Dei juſtitia eos collocavit.

℣. 27. ROGO TE, UT MITTAS EUM IN DOMUM PATRIS MEI.] Ut certiores faciat fratres meos eorum, quibus afficior, ſuppliciorum, ne & ipſi in hunc miſeri-

1 Rom. 4. 17. 18. 2 Matth. 8. 11. 3 Vide Juchaſim fol. 77. col. 4. et Talm. Jeroſol. apud Ligf. Chron. et Hor. Heb. et Grot. hic. 4 Vide Aug. l. 4. de anima ad Vincent. cap. 14. et Epiſt. 187. nov. Edit. ad Dardan. c. 164. ad Evodium. Vide et Nyſſen. diſput. de anima.
5 Virgil. Æneid. 6. Ita Sophocl. Plutarch. Diodor. alii apud Grot. hic.
6 Joſeph. de Bello, l. 2. c. 7. p. 788. 7 Joſeph. ibidem. 8 Joſeph. Antiq. l. 18. c. 2. p. 617.
9 Vide Aug. lib. 21. de civit. cap. 10. 10 Matth. 5. 3. 4. 5. et ſequ.
11 Matth. 6. 2. 5. 16. 12 Aug. lib. 2. quæſt. Evang. cap. 38. et ſerm. 41. nov. edit. Chryſoſt. hom. 1. de Lazaro. Gregor. homil. 40. in Evang. 13 Gr. Ἀπέλαβες σὺ τὰ ἀγαθά σου. *Recepiſti tu bona tua.*
14 Philo de execrationibus p. 937. 15 Χάσμα μέγα ἐστήρικται: *Hiatus ingens, vorago profundiſſima.*
16 Ligfoot hor. Talm. et Midrat robelet ſuq. 2. 17 Ambroſ. hic. Aug. l. 2. qu. Evang. c. 38. Chryſoſt. hom. de Lazaro. Beda, Theoph. Euthym. hic.

teterrimum tormentorum locum deſcendent. Si hæc vere eſſet hiſtoria, & non parabola, admiraremur ſane ſollicitudinem damnati hujus, ne fratres ſuum ſequantur exemplum, atque una cum ipſo in Infernum præcipites decidant. Crediderunt nonnulli [1], hunc non tantum charitatis, & miſerationis ſenſu, quam amoris proprii ratione divitem hanc precem moviſſe, ne & fratres eamdem ſubirent damnationem; quippe prævidebat, ſuorum ut illorum interitu ſua augeret ſupplicia; quoniam ipſe nefariis exemplis illos in vitia pellexerat. Verum in hujuſmodi parabolis hiſtorica veritas petenda non eſt. Jeſus Chriſtus hanc ſolam docere cupiebat veritatem, minime expectandum eſſe, ut ex mortuorum reditu ea diſcamus, quæ facienda ſunt, neque miraculoſe hæc nobis aperiri contendamus; ſed eadem petenda eſſe ex veritatum revelatione, quas & in Scripturis edocuit, & Eccleſiaſticæ traditioni commiſit. Hos magiſtros conſulamus, oportet. Vide Maldonatum hic.

℣. 29. HABENT MOYSEM ET PROPHETAS.] Deus nihil omiſit, quod in eorum gratiam efficere potuit. Si errant, ſi pereunt, ſibimet iraſcantur. Numquid mortui unius reditus ad vitam illos convertere poſſet, ſi Moyſis, atque Prophetarum præcepta tot miraculorum fulgore probata, illos minime tangunt? Non deſunt illis præceptores, bona illis voluntas deeſt. Moyſes & Prophetæ univerſum vetus teſtamentum indigitant [2]; ubi non ita difficile inveneris impios altera in vita juſta ſcelerum ſuorum pœna mulctari. Auctor Libri Job de Gigantibus ſub aquis gementibus verba facit c. 26. 5. *gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis.* Hebræus *Rephaim*, vel Gigantes, *degunt ſub aquis, non ſecus ac alii* triſtium eorum locorum *incolæ*. Salomon Proverb. 2. 18. ait, adulteræ mulieris ſemitas *ad gigantes adducere*, hoc eſt ad Infernum, ubi Rephaim torquentur. Et Proverb. 9. 18. *ignoravit quod ibi ſint gigantes, & in profundis Inferni convivæ ejus*. Iſaias 14. 9. 11. & 14. Babylonis Regem alloquens, & Ezechiel 31. 17. ad Tyrium, Ægyptiumque Reges orationem convertens, eis mortem, ac extrema minitantur mala, atque non ſine ſarcaſmo dicunt, ubi in Infernum cum aliis Gigantibus deſcenderint, ab illis, qui ibi ſunt, in omne obſequium compoſitis exceptum, atque ſummo cum honore habitum iri. Pſalmiſta Domino ait pſal. 77. 3. *numquid mortuis facies mirabilia, & rephaim conſurgent*; vel reſuſcitabunt, ut *laudent te*? Supervacaneum cenſeo proferre Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum libros; nemo enim unus ignorat, eorum teſtimoniis explicite impiorum in altera vita ſupplicia probari. Hæc ſufficiant illis, qui ambigunt utrum in libris ante captivitatem conſcriptis, hoc dogma aperte deſignatum videatur. Veritatis hujus argumenta in univerſa hiſtoria, cum apud prophetas, cum etiam in moralibus libris inveniuntur. Si juſti in altera vita mercedem, & impii pœnam non referunt, ubinam eſt Dei juſtitia, ubi illius minæ, & promiſſiones?

℣. 31. SI MOYSEM & PROPHETAS NON AUDIUNT, NEC SI QUIS EX MORTUIS &c.] Putant, ſi quis reſurgeret, atque narraret, quæ altero in mundo vidiſſet, atque perpeſſus fuiſſet, mortales magis efficiendos eſſe, quam veteribus miraculis, quæ narrantur, vel promiſſionibus, aut minis Prophetarum Jeſu Chriſti, aut Apoſtolorum, quæ in Scripturis leguntur. Verum hæc fallax eſt cogitatio, & inanis excuſatio. Invenient quidem impii, & increduli in hoc etiam inanes cauſas & exceptiones, ne illi, qui a mortuis revixerint, credant [3]. Dicent, mortuum hunc eſſe phantaſma; reſurrectionem ejus ſimulatam eſſe, eum loqui chimæras. Cum Jeſus Chriſtus Lazarum Marthæ, ac Mariæ fratrem reſuſcitavit, miraculum manifeſtum fuit, inſigne, publicum; nemo tamen ex Phariſæis converſus eſt, quinimmo euſque eorum furor evaſit, ut Lazarum reſuſcitatum a viventium numero exturbare molirentur, ut eum tollerent teſtem, qui ſuam incredulitatem redarguebat.

Quot vero alia eximia ob oculis eorum patrata fuerunt prodigia, quæ illi tenebrarum Principi, magiæque arti accepta retulerunt? Ipſe Jeſus Chriſtus ex mortuis reſurrexit, quod factum plurimi fide digniſſimi teſtes affirmabant. Quid vero perviciciſſimi loquuntur Judæi? Comminiſcuntur, corpus illius a diſcipulis furtim ablatum fuiſſe, eoſque nequiter populis os ſublimiſſe, dicentes, illum e mortuis reſurrexiſſe. Quotidie palam adverſus homicidas, fures, ac latrones ſupplicia exercentur: Numquid vero hæc ſcelera ideo ex Republica exterminantur? tanta eſt humani cordis corruptio, ut ubi ſemel ſeſe in aliquem affectum tradiderit, nihil ulterius illud tangere valeat. Si quid Judæos perſuadere, aut convertere potuiſſet, id ſane Jeſu Chriſti vita, doctrina, & miracula effeciſſent. Eum viderunt, audierunt, admirati ſunt; & nihilominus converſi non ſunt; immo contra eum perſecuti ſunt, illique calumnias & convitia ingeſſerunt, ac tandem Cruci affixum necarunt.

---

1 Gregor. homil. 40. Beda hic. Brug. alii.

2 Vide Matth. 6. 17. 7. 12. 11. 13. Joan. 1. 45.

3 Vide Chryſoſt. homil. 4. de Lazaro, Euthym. Bed. Mald. Grot. hic.

CAPUT XVII.

Puſillorum ſcandalum. Septies in die parcendum illi, qui pœnitentia ducitur. Servi ſumus inutiles. Leproſi decem a JESU CHRISTO mundati; decimus, qui Samaritanus erat, ei gratias agit. JESUS cum majeſtate veniet. Ubi erit corpus, ibi erunt & Aquilæ.

1. ET ait ad diſcipulos ſuos : Impoſſibile eſt, ut non veniant ſcandala ; væ au-
tem illi, per quem veniunt. 2 Utilius eſt illi, ſi lapis molaris impona-
tur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quam ut ſcandalizet unum
de puſillis iſtis. 3 Attendite vobis : Si peccaverit in te frater tuus, increpa il-
lum : & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. 4 Et ſi ſepties in die peccaverit in
te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me : dimitte illi.
5 Et dixerunt Apoſtoli Domino : Adauge nobis fidem. 6 Dixit autem Dominus :
Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare,

& eradi-

& tranſplantare in mare : & obediet vobis. 7 Quis autem veſtrum habens ſervum
arantem , aut paſcentem , qui regreſſo de agro dicat illi : Statim tranſi , recumbe:
8 Et non dicat ei : Para , quod cœnem , & præcinge te , & miniſtra mihi , donec
manducem , & bibam , & poſt hæc tu manducabis , & bibes? 9 Numquid gratiam
habet ſervo illi , quia fecit , quæ ei imperaverat ? 10 Non puto . Sic & vos ,
cum feceritis omnia , quæ præcepta ſunt vobis , dicite : Servi inutiles ſumus :
quod debuimus facere , fecimus . 11 Et factum eſt , dum iret in Jeruſalem , tranſ-
ibat per mediam Samariam , & Galilæam . 12 Et cum ingrederetur quoddam ca-
ſtellum , occurrerunt ei decem viri leproſi , qui ſteterunt a longe . 13 Et levave-
runt vocem , dicentes : Jeſu præceptor , miſerere noſtri . 14 Quos ut vidit , di-
xit : Ite , oſtendite vos ſacerdotibus . Et factum eſt , dum irent , mundati ſunt .
15 Unus autem ex illis , ut vidit , quia mundatus eſt , regreſſus eſt , cum magna
voce magnificans Deum , 16 Et cecidit in faciem ante pedes ejus , gratias agens:
& hic erat Samaritanus . 17 Reſpondens autem Jeſus , dixit : Nonne decem mun-
dati ſunt ? & novem ubi ſunt ? 18 Non eſt inventus , qui rediret , & daret glo-
riam Deo , niſi hic alienigena . 19 Et ait illi : Surge , & vade : quia fides tua
te ſalvum fecit . 20 Interrogatus autem a Phariſæis : Quando venit regnum Dei ?
reſpondens eis , dixit : Non venit regnum Dei cum obſervatione : 21 Neque di-
cent : Ecce hic , aut ecce illic . Ecce enim regnum Dei intra vos eſt . 22 Et ait
ad diſcipulos ſuos : Venient dies , quando deſideretis videre unum diem Filii ho-
minis , & non videbitis . 23 Et dicent vobis : Ecce hic , & ecce illic . Nolite
ire , neque ſectemini . 24 Nam , ſicut fulgur coruſcans de ſub cœlo in ea , quæ
ſub cœlo ſunt , fulget : ita erit filius hominis in die ſua . 25 Primum autem o-
portet illum multa pati , & reprobari a generatione hac . 26 Et ſicut factum eſt
in diebus Noe , ita erit & in diebus Filii hominis . 27 Edebant , & bibebant :
uxores ducebant & dabantur ad nuptias uſque in diem , qua intravit Noe in ar-
cam : & venit diluvium , & perdidit omnes . 28 Similiter ſicut factum eſt in
diebus Lot : Edebant , & bibebant : emebant , & vendebant : plantabant , & ædifi-
cabant . 29 Qua die autem exiit Lot a Sodomis , pluit ignem , & ſulphur de cœ-
lo , & omnes perdidit : 30 Secundum hæc erit , qua die Filius hominis revelabi-
tur . 31 In illa hora , qui fuerit in tecto , & vaſa ejus in domo , ne deſcendat
tollere illa : & qui in agro , ſimiliter non redeat retro . 32 Memores eſtote uxo-
ris Lot . 33 Quicumque quæſierit animam ſuam ſalvam facere , perdet illam : &
quicumque perdiderit illam , vivificabit eam . 34 Dico vobis : in illa nocte erunt
duo in lecto uno ; unus aſſumetur , & alter relinquetur : 35 Duæ erunt molentes
in unum ; una aſſumetur , & altera relinquetur : duo in agro ; unus aſſumetur , &
alter relinquetur . 36 Reſpondentes dicunt illi : Ubi , Domine ? 37 Qui dixit
illis : Ubicumque fuerit corpus , illuc congregabuntur & aquilæ .

℣. 1. IMPOSSIBILE EST, UT NON VENIANT SCANDALA.] Cum humanum genus adeo corruptum ſit, fieri nequit , ut ea non accidant facta, ea non excidant alicui verba, quæ fortiſſimum quemque commovere valeant; eos vero, qui in virtute, ac pietate infirmiores ſunt, penitus evertunt. *Scandalum* vocatur quidquid in via occulitur , ut aliquis in illud impingens labatur. Prohibet Moyſes Levit. 19. 14. *ne coram cæco offendiculum* ponatur . Jeſus Chriſtus iſthic intentat Væ illi , qui fraterni lapſus eſt cauſa . Vide S. Matthæum 18. verſ. 6. 7.

℣. 2. LAPIS MOLARIS.] Græcus [1] : *Molla aſinaria*, hoc eſt molla ingens , quæ ab aſinis circumagebatur , cum manuariæ ab ancillis in urbem agerentur . Credunt alii [2] , hanc inferiorem eſſe molam , ſuper qua triticum teritur . Quædam Græca exemplaria ſimpliciter [3] , cum Vulgata legunt , *lapidem molarem* . Vide S. Matthæum in loco ſuperius memorato.

UNUM DE PUSILLIS ISTIS.] Unus ex meis Diſcipulis , ex hoc parvulo grege , ex hiſce Neophytis , adhuc in fide , atque patientiæ exercitatione non ſatis roboratis .

℣. 3. SI PECCAVERIT IN TE FRATER TUUS.] Cum ſuperius tradiderit præcepta , docens , ne aliquem lædamus , neque infirmis lapſus occaſionem , vel verbis , vel factis , vel etiam omiſſionibus præbeamus : iſthic docet , quomodo cum fratribus noſtris nobis agendum ſit , ſi quando in nos deliquerint . Jubet eos corripi ; verum juxta ea præcepta , quæ a S. Matthæo referuntur [4] : primum quidem ſecreto , mox coram aliquot teſtibus , denique in faciem Eccleſiæ , vel cœtus : *Si pœnitentiam egerit , dimitte illi* ; ſi reſipuerit , vel ſponte , vel cauſa correptionis , conſiliiſque tuis , vel denique communium amicorum opera ; redi cum illo in gratiam ; eorum , quæ peccarit, ſunt, obliviſcere, atque ut ante, in amicorum , fratrumque loco illum recenſe . Hoc licet *ſepties in die* contingeret , hoc eſt , pluries tibi contumelioſus eſſet , & mox illum pœniteret , illi parce.

1 Græc. Μύλος ὀνικός. 2 Vatab. 3 Λίθος μυλικός. Vide Mill. Var. Lect.
4 Matth. 18. 15. & ſequ. Confer Levit. 19. 18. 19. Eccli. 19. 15. 16. 17.

patet. Addenda ſunt ea, quæ alibi ait Jeſus Chriſtus; ſi [1] frater in nos in dies ſeptuagies ſepties peccaret, toties illi eſſe parcendum.

ADAUGE NOBIS FIDEM.] Loquuntur de fide miraculorum, ea videlicet, ſolida, conſtantique fiducia, qua a Deo petimus, ut per prodigia, & actiones ſupernaturales ſuam poteſtatem oſtendat. Intelligi quoque poteſt de ea fide, quæ Theologica virtus eſt, qua conſtanter credimus ea, quæ Deus vel in Scripturis docuit, vel Eccleſiaſticæ traditioni commiſit. Utraque fides hæc merum Dei donum eſt; cum fides miraculorum, cujus Apoſtoli incrementum hoc in loco depoſcunt; tum articulorum religionis noſtræ, de quibus ita S. Auguſtinus l. 1. Retract. c. 23. verba facit. *Utrumque (credere, & velle) ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem; & utrumque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis.* Quæ ſequuntur, petunt, ut hic potius de miraculorum fide explicemus: ℣ 6. *Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, diceretis huic arbori moro* [2]*: eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis.*

℣. 7. QUIS VESTRUM HABENS SERVUM ARANTEM, AUT PASCENTEM [3], QUI REGRESSO &c.] Parabolæ hujus argumentum, & concluſio ea videtur eſſe, ut oſtendat, nos reipſa inutiles eſſe Dei ſervos. Supremus hic Dominus jure optimo ea nobis quælibet exigere poteſt officia, & quam maluerit, nobis irrogare provinciam; quin de labore noſtri humiliare, gravitate, aut diuturnitate conqueramur. Illius ſumus; ille Dominus eſt noſter, noſtrique temporis, noſtrorumque talentorum. Quidquid habemus, ab illo obtinuimus: illi jus eſt petendi, ut illud, prout voluerit, impendamus. Et væ nobis, ſi hoc in uſum conſiliis ejus oppoſitum inſumpſerimus. Verum ita Dominus eſt, ut nobis omnino libertatem noſtram relinquat. Si in nobis ſancta eiet deſideria, ſi ita ſanctas, atque meritorias actiones producit, ſi felices qualitates, ac ſupernaturalia inſerit dona; ille rationem ſedulam habet, cum præclare iiſdem utimur, & dona ſua remuneratur in nobis, ſua remunerans merita [4]. Senſus hic admodum ſimplex, & litteræ proximus videtur [5]; eumque veteres paſſim amplectuntur.

At quæritur, quamnam rationem hæc cum ſuperioribus habeant? Crediderunt plurimi, hoc nobis negotium faceſſere non debere, ut inquiramus nexum inter varias parabolas, vel præcepta, quæ ab Evangeliſtis afferuntur. Sacros illos Scriptores numquam id opus ſuſcepiſſe, ut methodicum, atque Chronologicum ordinem preſſius ſequerentur. Illos Spiritu Sancti afflatu abreptos ſæpius eodem in loco retuliſſe eos ſermones, quos aliis temporibus protulit Salvator; cum argumenti ſimilitudo ad id ipſos adigeret. Crediderunt alii [6], JESUM CHRISTUM ſuperioribus verſ. de fide locutum, hic Diſcipulos ſuos contra vanitatem, atque ſuperbiam præmunire, humilitatem illis etiam, atque etiam commendando. Putat Maldonatus, Salvatorem hanc propoſuiſſe parabolam, ubi Diſcipulis de primatu diſceptantibus pueri humilitatem propoſuit, dixitque futurum, ut numquam ipſius fierent diſcipuli, niſi æque ſimplices, humileſque fierent, ac pueri. Potuit eodem tempore illis ea dicere, quæ iſthic afferuntur; videlicet, ubi ea omnia fecerint, quæ a Deo jubentur, ſemper tamen inutiles ſervos fore. Cenſent alii [7], JESUM CHRISTUM pergere erudientem Apoſtolos ſuos, qui ab eo petierant, ut ſuam fidem augeret. Dicit illis ad miraculorum cujuslibet generis patrandorum munus obtinendum, non ſatis eſſe fidem communem, & communia opera, quæ præcipiuntur in Lege, ſed ulterius aliquid requiri: eleemoſynam videlicet erogandam, ſervandumque jejunium; quemadmodum Matth. 17. 20. ait: *hoc genus non ejicitur niſi per orationem, & jejunium.*

Profecto ſi propius parabolam ad examen vocare velimus, videtur Jeſus aliquid ſupererogationis iſthic exponere. Ait, Dominum nihil peculiariter ſervo ſuo debere imperata facienti: non ſecus ac Lucæ 6. 32. docet, ſi eos tantum dilexerimus, a quibus amamur, & illis benefecerimus, qui erga nos benefici ſunt, nullam nobis gratiam deberi; innuens, inimicos etiam diligendos eſſe, ac bonum pro malo iis, a quibus lædimur, eſſe rependendum. Ita hoc in loco, ubi exemplum proponit ſervi id efficientis tantum, quod efficere tenetur, atque hinc infert, nullam huic gratiam haberi; innuit, ſervum hunc mereri potuiſſe, ut aliqua ſibi gratia haberetur, ſi ulterius aliquid addidiſſet; veluti ii, de quibus ſuperius c. 12. 37. locutus eſt, qui Dominum a nuptiis redituram præſtolantes, ſtabant renes ſuccincti, atque accenſas lampades manu tenentes, ut illi aperirent, eumque exciperent, ſtatim ac oſtium pulſaſſet: quorum vigilantia, & cura hero ſuo ita perplacuit, ut illos menſæ accumbere juſſerit, eiſque ipſe miniſtraverit. Utriuſque hujus parabolæ oppoſitio ſatis patet: in altera ſervus ea tantum præſtat, quæ jubetur: in altera multo plura iis, quæ ex eo petuntur: hinc oritur diſcrimen, quod erga utrumque Dominus operatur. S. Paulus 1. Cor. 9. 16. in ſeipſo alterum adhuc apertius præbet argumentum, dicens: *Si evangelizavero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero. Si enim volens* alacriter, & cum zelo *hoc ago, mercedem habeo.* Hunc verum eſſe parabolæ ſenſum reor, & Salvatorem Diſcipulis ſuis iſthic innuere, ſe illos evocaſſe ad vitæ genus longe perfectius; atque ex illis expetere, ut non deſint honori vocationis ſuæ, & muneri miraculorum ſibi conceſſo; eo pacto vitæ ſuæ rationem inſtituentes, quæ & ſeipſis, & Evangelio, quam maxime digna ſit. Hæc reſponſio naturalis eſt petitioni, qua ut fides ſua augeretur, popoſcerant: *auge nobis fidem.* Hanc augere non abnuo: verum mementote dignitatis veſtræ, atque præſtantiæ vocationis veſtræ. Ne imitemini inertes ſervos, qui inviti miniſtrant, & qui ſe de Domino præclare meritos putant, ubi illius fecerint imperata. Hic Judæorum character eſt. Chriſtianorum vero, ut cum alacritate obtemperemus, atque euſque pietas noſtra procedat, ut conſilia, atque perfectionem Eccleſiaſticam exerceamus.

℣. 10. SERVI INUTILES SUMUS [8].] Epithetum *inutilis* additum ſervo, eum ſignificat, ex quo non percipit Dominus eam utilitatem, quam jure expetere debet. Ita apud S. Matthæum 25. 30. *Servus inutilis*, qui in quæſtum non poſuerat talentum ſibi concreditum, in tenebras exteriores projicitur. Hic vero inutilis in æquiori ſenſu intelligitur: at ſemper hic ſervus eſt, qui domino ſuo ea, qua par eſt, ſollicitudine, & alacritate præſto non adeſt; & qui minime feſtinat, ut illi perplaceat. Deus vero, licet illi ſemper ſervi ſimus inutiles, ſeu in ſimplici mandatorum obſervantia noſmet contineamus, ſeu ad conſiliorum Evangelicorum exercitationem attollamur; quandoquidem ille bonorum noſtrorum non indiget [9], & citra gratiæ ipſius opem nihil poſſumus vel conari, vel in bonis conatibus perſeverare: attamen dignatur ille noſtri rationem habere, ſi quid exiguum illi præſtiterimus; & munera ſua coronare, merita noſtra coronans.

℣. 11. CUM IRET IN JERUSALEM.] JESUS de Galilæa Jeroſolymam proficiſcebatur ad feſtum dedicationis diem, quæ hyeme celebrabatur [10]. Ut illuc ſe conferret, ipſi tranſeundum fuit *per mediam Samariam, & Galilæam,*

---

1 Matth. 18. 21. 22. 2 Gr. Τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ. huic moro. Nam *ſycaminus* non ſignificat ſycomorum, ut quidam putant. Vide Grot. Bez. 3 S. Ambroſ. Auguſtin. & Perſ. adduut, *oves*. Quidam veteres MSS. Codd. Latini addunt, *boves*. Vide variantes Millii.

4 Auguſt. lib. 9 Confeſſ. cap. 13. & ſerm. 113. nov. edit. cap. 8.

5 Vide Origen hom. 12. in Joſue. Cyprian. lib. 5. ep. 6. & lib. 3. ad Quir. cap. 51. Chryſoſtom. ſerm. de pœnitentia. Hieronym. ep. ad Creſiphon. contra Pelagianos. Theophylact. Beda Lyr. hic.

6 Auguſt. lib. 2. quæſt. Evang. qu. 39. Theophylact. Euthym. 7 Hamm. & Cleric. hic.

8 Ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν. 9 Pſalm. 15. 2. 10 Joan. 10. 22.

lilæam, hoc eſt; Capharnao fuiſſe egreſſos, tranverſo itinere eo peregravit oppida, quæ in Galilæa Samariam verſus eunti occurrebant; & mox eamdem luſtravit Samariæ regionem, ubique de more prædicans, ægros curans, ac erudiens. A

℣. 12. CUM INGREDERETUR QUODDAM CASTELLUM.] Leproſi cum non auderent urbes, & oppida adire, plerumque plures ſimul in ſeparatis domibus, in agris, & prope urbes commorabantur [1]. Hi ſeſe Jesu Christo obtulerunt, *cum ingrederetur*; videlicet cum pridem jam illaturus eſſet in vicum quemdam, fortaſſe non procul a regione Samaritanorum; quandoquidem ex Leproſis decem unus erat Samaritanus [2]. Moti ergo miraculorum illius fama ad eum acceſſerunt, morbum ſuum deprecaturi.

℣. 13. STETERUNT A LONGE.] Eo quod leproſi non audebant accedere ad eos, qui bona utebantur valetudine, ne illos polluerent [3], & *levarunt vocem*, ut eminus audirentur. Simul clamarunt, ut ſuavem Salvatoris clementiam vim inferrent. Jesum ſuum *magiſtrum*, vel *Rabbi* appellant, quoniam illum habebant veluti ſummum Doctorem, & Prophetam verbo, & opere mire pollentem. Græca vox [4], ſignificare quoque poteſt Dominum. B

℣. 14. ITE, OSTENDITE VOS SACERDOTIBUS.] Jeſus, ut plerimum, id præcipit, ubi leproſum aliquem mundat [5]; eos ad Sacerdotes remittit, primum, ut Sacerdotes intelligant veritatem curationum, quas operabatur, atque inde cogantur Deo gloriam reddere, & ipſum verum Meſſiam confiteri; ſecundo, ut leproſi frui poſſint curationis ſuæ fructu, iterum cum aliis hominibus in vitæ hujus civilis neceſſitudinem admitti; ubi a Sacerdotibus ea labe mundi declarati eſſent, atque iis omnibus ſatisfeciſſent, quæ ex iis a lege efflagitantur [6]. Plurimæ adhuc enim ſupererant cæremoniæ, antequam omnino mundi declararentur. C

DUM IRENT, MUNDATI SUNT.] Crediderunt verbo Jesu, iter corripuerunt, & fides ſua illis curationem promeruit [7]. Salvator illos mundavit, quin eos tangeret, quin verbum proferret, ſed voluntate, ac poteſtate dumtaxat. Hæc adeo miraculoſa, & repens curatio ſatis aperte cæremoniarum Legis inutilitatem probabat; quemadmodum aperte Samaritanus ille intellexit, qui ad Jeſum Chriſtum reverſus eſt [8].

℣. 15. UNUS EX ILLIS VIDENS.] Retro vertit iter, ut curatori ſuo gratias ageret. Hic Samaritanus erat, quemadmodum infra refertur; neque credebat, Templum Jeruſalem unicum eſſe locum, ubi ſe coli Dominus vellet: immo tenebat, illum in Garizim prope Sichem in Samaria eſſe adorandum. Attamen ſtatim ac illi præcepit Jeſus, ut Jeroſolymam profectus Sacerdotibus ſe oſtenderet, illuc haud hæſitanter profectus eſt. Verum cum ſe mundatum agnoviſſet, antequam iter abſolveret, cenſuit, Jeſum Chriſtum ſuper omnes Sacerdotes eſſe, & æquius exiſtimavit ad Jeſum reverti, quam vel in Garizim, vel Jeroſolymam pergere. Si Jeroſolymam veniſſet, Sacerdotum urbis illius teſtimonium nihil illi profuiſſet, ut in Patria ſua ceterorum hominum ſocietati admitteretur. Immo hic non modicus fuiſſet obex, ut minime reciperetur. Perquam prudenter ergo ille egit reverſus ad Medicum ſuum, atque ita illum & Legis Dominum, & Meſſiam verum oſtendit ſe profiteri. Hic Gentilis populi erat figura, ad Jeſum Chriſtum, non ad Jeruſalem accedentis. Cæterum ita manifeſta erat ejus curatio, ut Sacerdotum, qui id teſtarentur, fide nullatenus indigeret. Hic ritus tunc neceſſarius videbatur, cum aliqua poſſet eſſe dubitatio: hic vero nulla prorſus erat. D E

℣. 18. NON EST INVENTUS, QUI REDIRET.] Nonne reliqui leproſi Salvatori gratias, ob valetudinem acceptam minime egerunt, ſeu ingrati animi vitio, quemadmodum iſthic redargui videntur; ſeu quod religioſius eorum legi adhæſerint ante cætera cupientes omnino mundi declarari, vel tandem ob nimium ſuæ ſalutis amorem. Hunc tamen nimia feſtinatio laudem profecto non merebatur: debebantque ante cætera medico ſuo gratias agere. Hoc primum illorum intererat; mox vero poterant Sacerdotibus ſeſe offerre, ac tandem Deum iis ſacrificiis colere, quæ præcipiuntur in lege. Hunc illi ordinem obſervarent, opus erat. A

℣. 19. SURGE, & VADE.] Fidei conſonum eſt, hunc a Jeſu domum ſuam fuiſſe dimiſſum, quin ultra Jeroſolymam ſe ſe conferre cogeretur. Satis Domino fuit hujus hominis fides, qui illum Meſſiam agnovit, & Deo gloriam reddidit. Poſt hunc iter Jeroſolymitanum illi neceſſarium non erat [9]. B

℣. 20. INTERROGATUS A PHARISÆIS, QUANDO VENIT REGNUM DEI.] Phariſæi, aliique Judæorum ſolliciti Regnum Dei, vel Meſſiæ adventum praeſtolabantur: hæc quippe duo ſynonyma ſunt. Sciebant, prænotata tempora jam veniſſe, & Jeſum a plurimis tamquam verum Meſſiam jam haberi. Verum ea præjudicia, quibus mens illorum abundabat, obicem huic fidei ſtatuebant. Expectabant enim Meſſiam in terris potentem, Victorem, Monarcham, Vindicem injuriarum Iſrael, & qui eos in perfectam libertatem erat avocaturus, eoſque omnibus terrenis opibus, ac bonis cumulaturus: quorum ſimile nihil in Jeſu Chriſto intuebantur, quod magnifice, huic ſpei paria faceret. Non ſine quodam convicio [10], ex eo igitur quæſierunt, quandonam adforet Regnum Dei, de quo ſæpe adeo verba facere conſueverat, & cujus adventum per diſcipulos ſuos annunciabat. Quandonam videbimus Iſrael, nationem jugum excutientem? David ſolium reſtitutum? reliquias Iſrael in patrio ſolo iterum coaleſcentes, ut olim, cum David, atque Salomon imperarent? Putant, Phariſæos hoc ex Jeſu quæſiviſſe, cum eſſet in Templo die ſolemnis dedicationis [11]. C

NON VENIT REGNUM DEI CUM OBSERVATIONE.] Dei Regnum plures ſenſus admittit, quemadmodum Matt. 3. 2. oſtendimus: hic vero & Chriſtianæ Eccleſiæ inſtitutionem, & ultionem a Jesu Christo in Judæos incredulos exercendam ſignificat. Hic non erat ſenſus ille, quem Phariſæi animo reputabant, at Salvator ſecundum veritatem loquebatur, & ſatis perſpicue, ſi illum intelligere voluiſſent, Dei Regnum, Meſſiæ manifeſtatio, ultio, quam contra inimicos ſuos exercebit, antequam ſuum in terris imperium conſtituat; hæc omnia non fient umquam manifeſta, ſenſibili, inſigni ratione [12]. Sed adimplebuntur, quin ſentiantur. Plerique mortalium, tamquam factum omnino fortuitum, atque ex ſecundarum cauſarum nexu profectum, reſpicient illud, quod erit divinæ effectus Omnipotentiæ, & ſublimium conſiliorum ejus complementum. D

Non videbitis jam, Meſſiam exercituum ducem in hoſtium mentem terrorem incutere, eos trucidare, exterminare. Adventus illius non legati, non Angeli de Cœlo miſſi, non ea prodigia, quæ ab omnibus mortalibus cognoſcantur, vos admonebunt. Veſpaſianus, ac Titus Romanas ducentes Legiones delebant non externos, qui vos opprimunt, quemadmodum opinamini, ſed arma ſua in vos ipſos convertent, agros vaſtabunt, Jeroſolymam diruent, Templum veſtrum exſcindent. Omnia contra quam arbitramini eccident; ideoque minime mirum eſt, ſi ex his ſignis illum minime cognoſcitis. Cum infideles, atque rebelles Judæi deleti fuerint, tunc in omnes gentes dominabor; tunc E

1 Levit. 13. 46. Num. 5. 2. 4. Reg. 7. 3. 8. 2 Infra verſ. 16.
3 Vide Levit. 13. 46. 4 Ἐπιστάτα. 5 Matth. 8. 3. 4. Luc. 5. 13.
6 Levit. 14. 7 Maldonat. Grot. Brug. 8 Vide Tertull. lib. 4. cap. 35. contra Marcion.
9 Tertull. lib. 4. cap. 35. contra Marcion. *Memorem divinæ gratiæ Samaritem miratus, non mandat offerre munus ex lege; quia jam ſatis obtulerat gloriam Domino reddens . . . intellexerat unam ſe Deo oblationem, gratiarum ſcilicet actionem ad verum templum, & verum Pontificem ejus Chriſtum facere debere.*
10 Maldonat. Brug. Ita Cyril. apud D. Thom. Theophylact. Euthym.
11 Toinard. Harm. p. 78. Vide Joan. 10. 22. 23. 12 Vide Grot. Brug. alios.

Evangelium meum in omnes terrarum plagas prædicabiter.

℣. 21. NEQUE DICENT: ECCE HIC, AUT ECCE ILLIC.] Cum Princeps in ditione ſua verſatur, ſuumque Imperium, aliqua in Regione conſtituit, difficile non eſt, cognoſcere, ubi ſit. Sciunt omnes quænam illius Metropolis, ubi Regales ædes, ubi ejus aula ſit. Eum ſemper plurimi comitantur, qui ejus hærent lateri ob ea, vel quæ illi præſtant, officia, vel quæ ab eo munera ſperant. In Meſſiæ Regno aliud omnino continget; nulla Metropolis erit, nullæ regales ædes, exercitus nullus. JESUS CHRISTUS in terris plurimos annos obſcuram, ignotamque vitam traduxit; ubi vero prædicare cœpit, qui beata felicitate gaviſi ſunt, illum, qualis erat, cognoſcendi, dicere potuerunt; hic eſt, aut illic. Sed poſt Aſcenſionem cum Regnum illius præſertim inceptum, non ulterius in terris viſus eſt, nemo dicere potuit, ubi eſſet, & ubinam gentium ſuam aulam haberet. Regnavit enim in omnes terras, in omnes Mundi hujus locos, & populos.

REGNUM DEI INTRA VOS EST.] Regnum illius omnino ſpirituale eſt [1], in cor, atque animum dominatur. Ita evertit ſententiam, quam de temporali Meſſiæ Regno conceperant. Alii [2] hoc aliter explicant: Vos illud temporale Regnum Meſſiæ petitis, & ſperatis futurum, ut vobis illius adventus nuntietur, quemadmodum nuntiatur victoris ducis in Regionem aliquam advenientis propinquitas; Regnum a Prophetis promiſſum medium eſt inter vos. Meſſias venit; Regnum illius inceptum eſt, cujus apertiſſima ſunt argumenta ea, quæ operatur miracula; & ſi illum minime cognoſcitis ex iis characteribus, quos in me ipſo deprehenditis, alium præter me vos viſuros ſperare minime debetis. Ille quem præſtolamini, inter vos verſatur, vos alloquitur, & eum ignoratis: *medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis* Joan. 1. 26. *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt* Jo. 1. 5. Alii [3] hoc ita intelligunt, Regnum Dei eſt in manibus veſtris, in veſtra poteſtate, illud, ſi vultis, acquirere poteſtis. Non eſt cur locorum diſtantiam, alſius cognoſcendi difficultatem, caliginem, qua involutum eſt, cauſemini. Regnum hoc eſt in medio veſtri, quæ explicatio admodum probabilis ſit, ubi cum Deuteron. 30. 11. 12. confertur: *mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in Cælo ſitum . . . neque trans mare poſitum . . . . ſed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*. Et S. Paulus ad Romanos 10. 6. 7. *ne dixeris in corde tuo: quis aſcendet in Cælum ... aut quis deſcendet in abyſſum . . . . prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus*.

℣. 22. VENIENT DIES, QUANDO DESIDERETIS VIDERE UNUM DIEM FILII HOMINIS.] Ubi Phariſæis reſpondit, orationem ad diſcipulos ſuos, & omnes, a quibus audiebatur, convertit. Pergit, dicens, ſigna, atque præſagia inſtitutionis Regni Meſſiæ, hoc in mundo, neque diſtinguenda eſſe, neque cognoſcenda; illum venturum inopinato. Hoc in verſiculo innuit ipſum ab illis corporalem præſentiam ſuam amoturum, illos vero obnoxios futuros perſecutioni, & afflictioni; atque tunc optaturos unum ex diebus filii hominis, quin illum obtinere valeant: hoc eſt ſumma vi illos optaturos hunc videre, colloqui, conſulere, ſed hac felicitate minime perfruituros [4]: ideoque eo utentur tempore, quo cum ſecum Meſſias verſabatur: non enim hic ſemper inter eos eſt verſaturus.

Grotius aliter hoc intelligit, perinde ac Jeſus, cum Phariſæis loqui pergeret: Regnum Dei, Evangelii prædicatio, inter vos eſt, ibique quadraginta etiam poſt obitum meum annos permanebit. Sed illis elapſis ultionis tempus ingruet, Evangelii janua Gentilibus aperietur, Evangelii præcones de medio veſtrum egredientur, vos autem dolebitis hos dies ſine ullo fructu præteriiſſe paſſos fuiſſe. Hæc explicatio mala non eſſet, ſi Evangeliſta verſ. 22. non admoneret, hæc verba ad Diſcipulos dicta fuiſſe: dixit ad Diſcipulos ſuos; *venient dies, quando &c.*

℣. 23. DICENT VOBIS. ECCE HIC, & ECCE ILLIC.] Poſt mortem, atque reſurrectionem meam Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ conſurgent, qui dicent: ille hic eſt, vel illic; at illis fidem ne habeatis. Hæc omnia ex hiſtoriis adimpleta fuiſſe oſtendimus in Commentariis in S. Matthæum 24. 25. Salvator paucis diebus antequam moreretur, iterum Diſcipulis ſuis dixit ea omnia ferme, quæ iſthic leguntur.

℣. 24. NON SICUT FULGUR &c.] Hoc explicatur, vel de ſecundo Filii Dei ad extremum judicium adventu, vel de ultione, quam contra Jeruſolymam, atque univerſam Judæorum nationem poſt elapſos a morte ſua quadraginta annos exercuit: quæ poſterior ſententia magis ſimplex videtur. Videri poſſunt, quæ diximus in caput 24. S. Matth. Venit JESUS CHRISTUS ſicut fulgur, cum Judæi minimum opinabantur, Jeruſolyma nunquam antea magis floruerat, atque intra mœnia illius quamplurimi verſabantur Judæi, qui illuc ex omnibus terrarum plagis ad Paſchatis feſtivitatem celebrandam convenerant, quos illuc Dei manus congregaſſe videbatur, ut illis juſtæ ultionis ſuæ Romanorum armis, illos eodem tempore obſidentium, litaret.

℣. 25. PRIMUM OPORTET ILLUM MULTA PATI.] Antequam Filius hominis iterum veniat, atque ultionem ſuam in Judæos exerceat, antequam in Synagogæ ruderibus Eccleſiæ ſuæ jaciat fundamenta, ejectiſque ingratis Iſraelitis Regnum ſuum in Gentiles inſtituat, multa ab illis patiatur, oportet, contumeliis afficiatur, pendatur, crucifigatur, necetur: eaque vero intra breve temporis ſpatium, & ab eo populo, qui illum audit loquentem: *a Generatione hac*, vide verſ. 8. cap. 18.

℣. 26. SICUT FACTUM EST IN DIEBUS NOE.] Cum veniet in ira ſua Jeruſolymam deleturus, & Judæos perſecutores ſuos exterminaturus; illos omnino ſecuros inveniet, & in aliud quodpiam incumbentes, quam ad juſtitiam illius flectendam, ejuſque in ſe clementiam promerendam. Qui ſaterentur ſcelus, quod Deum, Salvatoremque ſuum crucifigentes patraverant, in id erant intenti, ut & diſcipulos illius perſequerentur, & Evangelii ejuſdem progreſſus prohiberent.

℣. 29. QUA DIE EXIIT LOTH A SODOMIS, PLUIT IGNEM, & SULPHUR.] Sodoma in ipſa ſceleris exercitatione, atque impœnitentia inopinato occupata fuit. Ita Judæi ab Romanorum exercitu intra Jeruſalem circumſepti fuerunt, ibique miſere in pertinacia, & odio contra Salvatorem, atque Meſſiam ſuum interierunt. *Pluvia ignis, & ſulphuris* ſignificare poteſt, vel accenſas exhalationes, quæ ex aere in bitumineum Sodomorum agrum dilapſæ ignem ſuccenderent; vel fulmen [5], quod cecidit in Sodomam, aliaſque Civitates, ex quo conceptus ignis illas, cum omnibus incolis earum, abſumpſit. Ex ædificiis flamma ſolo etiam ſe ſe communicavit, quod, cum bitumine ſcateret, ignem corripuit, & ipſum etiam abſumptum eſt, ita, ut cum non modice decreviſſet, Jordanis aquæ illic ſe ſe effuderunt, agrumque illum occuparunt, quemadmodum ad hanc quoque diem occupant.

℣. 31. QUI FUERIT IN TECTO.] Et in ſolario domus, quod erat pro tecto, per extrinſecas properet deſcendere ſcalas, quin domum ingrediatur, ibi veſtes, aliave ſumpturus. Feſtinanter citra moram fuga ſibi conſulat, periculum enim, neque majus eſſe poteſt, neque præſentius. Ubi bellum in Judæa exarſiſſe intelligetis, hoc unum vobis reliquum erit conſilium, ut citius alio fugiatis. Ita profecto fecerunt Chriſtiani, & Salvatoris prædictionibus, & aliis Apoſtolorum vati-

[1] Beda, Theophilact. Brug. Varab. [2] Euthym. hic. Beza. Grot. Piſcat. Camer. alii.
[3] Cyrill. apud D. Thom. Theophylact. Maldon. [4] Cyrill. apud D. Thom. Theophylact. Euthym. Brug. Bez. Maldonat. [5] Grot. & le Clerc. hic.

ticiniis [1], de impendenti admoniti calamitate. Fugerunt enim trans Iordanem in Herodis ditionem, Pellam, aliaſque finitimas in Civitates [2]. A

℣. 32. MEMORES ESTOTE UXORIS LOTH.] Ne imitemini illius cunctationem, inanemque curioſitatem, quæ quin celeriter aufugeret, remorata eſt, retroſpiciens, vel dolens ob ea, quæ relinquebat, vel fallaci ducta miſeratione ob tot civium interitum, vel intempeſtiva abrepta curioſitate. Flammis enim correpta fuit, atque in ſtatuam ſalis immutata, vel redacta in ſtatum ſaliti cadaveris, atque ſale conditi, quod diutius ſubſtitit, & cujus plura deinde ſæcula oſtenſum fuit monumentum [3]. Qui Salvatoris, atque Apoſtolorum monitis aurem præbere noluerunt, & imprudenter Ieroſolymæ permanſerunt, ibi cum cæteris interierunt; hoc tamen ſuppoſito non defuiſſe, qui hoc ceperint conſilii; quod ex hiſtoria non liquet. B

℣. 33. QUICUMQUE QUÆSIERIT ANIMAM SUAM SALVAM FACERE.] Qui inutili prudentia Ieroſolymam, atque in regionis illius arces, recipient rati ſeſe illic belli impetum, atque hoſtium vires evadere poſſe, ibi peribunt. Qui e contra Pellam, ultra Iordanem, & ea in loca aufugiet, quæ munita non ſunt, ibi tuto verſabuntur, atque extremam cladem evitabunt [4].

QUICUMQUE ILLAM PERDIDERIT, VIVIFICABIT EAM.] Hoc eſt, qui in munitas arces ſe ſe recipiet, atque patriam, & cognatos ſuos deſeret, ut ſe le, ut ita dicam, hoſtibus tradet, & ſubeat amittendæ vitæ periculum, in agros, & locos non munitos aufugiens, hic vitæ ſuæ conſulet, atque ex Patriæ interitu evadet. Hoc ad litteram accidit Iudæis, atque Chriſtianis, qui ſe ſe Romanis dediderunt, & qui ex Ieruſalem, tamquam navis ex naufragio, evaſerunt. C

℣. 34. ERUNT DUO IN LECTO UNO, UNUS ASSUMETUR,] Ait, adventum ſuum noctu eventurum; at illum interdiu futurum ſuperius dixit. Hæc locutionum varietas deſignat temporis incertitudinem, qua hæc erant complenda. Quod additur de duobus in eodem cubili cubantibus, quorum alter capietur, relinquetur alter; ſignificat ſecuritatem Iudæorum, ubi ſe undequaque hoſtibus circumſeptos invenient. Eorum calamitas repente adeo ingruet, ut vir conjugis ſuæ ſecum accumbentis ſaluti minime conſulet. Quilibet ſibi uni proſpiciet; metus talis erit, ut tempus defuturum ſit, ne quis amicorum, conſanguineorum, ſodaliumque conſulat incolumitati. Vide quæ diximus in S. Matthæum 24. 40.

℣. 35. DUO IN AGRO.] Hæc verba in pluribus Græcis exemplaribus cum MSS. tum typis editis non leguntur: atque ex S. Matthæi 24. deprompta exiſtimantur [5]. Extant nihilominus in pluribus Græcis MSS. apud S. Ambroſium, S. Auguſtinum, Bedam, & in Verſionibus, Syriaca, Perſica, Gothica, Arabica, & Vulgata.

℣. 36. DICUNT ILLI: UBI, DOMINE?] Ubi hi capientur, aut relinquentur? Cum Jeſus Apoſtolis ſuis ℣. ℣. ſuperioribus dixiſſet, duos futuros in lecto uno, duos in molendino, duos in agro uno, & eorum alterum captum iri, alterum relictum: illi hoc ex Magiſtro ſuo quærunt; non enim dixerat, ubi hæc eſſent eventura, in Judæa ne, an alibi: ſed illis ænigmatice reſpondit, eorumque minime ſatisfacit curioſitati.

℣. 37. UBICUMQUE FUERIT CORPUS [6] &c.] Ubicumque delitelcent Judæi noxii, a Romanis, aliiſque hoſtibus invenientur. Hoc non Jeroſolymæ ſolum accidet, verum etiam in omnibus Judææ, Galilææ, Phœniciæ, Philiſtiim, Ægypti Civitatibus. Ubicumque Domini ultio Judæos eſt perſecuta. In omnibus ferme locis, ubi aderant, internecione deleti ſunt. Vide Commentarium in S. Matthæum 24. 28. & Job 39. 30. unde hic locus deſumptus eſt, quo in eodem ſenſu Dominus utitur.

---

1 Vide Lactant. lib. 4. cap. 21. 2 Euſeb. lib. 3. cap. 5. hiſt. Eccleſ.
3 Sap. 10. 7. *Incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis.*
4 Vide Grot. le Clerc. 5 Vide Grot. Mill. 6 Ὅπου τὸ σῶμα. Alii Πτῶμα. *Cadaver*.

CAPUT XVIII.

Oratio conſtans. Iniquus Judex victus viduæ importunitate. Phariſæus, & Publicanus in Templo. Pueri ad JESUM CHRISTUM benedicendi afferuntur. Difficile eſt divites ſalvos fieri. Salvator mortem ſuam portendit, & cæco prope Jericuntem aciem oculorum reſtituit.

1. Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet ſemper orare, &
non deficere, 2 Dicens: Judex quidam erat in quadam civitate, qui
Deum non timebat, & hominem non reverebatur. 3 Vidua autem quæ-
dam erat in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adverſario
meo. 4 Et nolebat per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe: Etſi Deum
non timeo, nec hominem revereor: 5 Tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua,
vindicabo illam, ne in noviſſimo veniens ſugillet me. 6 Ait autem Dominus: Au-
dite, quid judex iniquitatis dicit: 7 Deus autem non faciet vindictam electorum
ſuorum clamantium ad ſe die, ac nocte, & patientiam habebit in illis? 8 Dico
vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, pu-
tas, inveniet fidem in terra? 9 Dixit autem & ad quoſdam, qui in ſe confide-
bant tamquam juſti, & aſpernabantur ceteros, parabolam iſtam: 10 Duo homines
aſcenderunt in templum, ut orarent: unus Phariſæus, & alter Publicanus. 11 Pha-
riſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ce-
teri hominum: raptores, injuſti, adulteri; velut etiam hic Publicanus. 12 Jeju-
no bis

no bis in ſabbatho: decimas do omnium, quæ poſſideo, 13 Et Publicanus a lon-
ge ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare: ſed percutiebat pectus ſuum, di-
cens: Deus, propitius eſto mihi peccatori. 14 Dico vobis, deſcendit hic juſti-
ficatus in domum ſuam ab illo: quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui
ſe humiliat, exaltabitur. 15 Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tan-
geret. Quod cum viderent diſcipuli, increpabant illos. 16 Jeſus autem convocans
illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos: talium eſt enim re-
gnum Dei. 17 Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei ſicut
puer, non intrabit in illud. 18 Et interrogavit eum quidam princeps, dicens:
Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo? 19 Dixit autem ei Jeſus:
Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi ſolus Deus. 20 Mandata Noſti: Non
occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falſum teſtimonium dices:
Honora patrem tuum, & matrem. 21 Qui ait: Hæc omnia cuſtodivi a juventu-
te mea. 22 Quo audito Jeſus ait ei: Adhuc unum tibi deeſt: omnia, quæcum-
que habes, vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni,
ſequere me. 23 His ille auditis, contriſtatus eſt, quia dives erat valde. 24 Vi-
dens autem Jeſus illum triſtem factum, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent,
in regnum Dei intrabunt! 25 Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire,
quam divitem intrare in Regnum Dei. 26 Et dixerunt qui audiebant: Et quis poteſt
ſalvus fieri? 27 Ait illis: Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud
Deum. 28 Ait autem Petrus: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te.
29 Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo eſt qui reliquit domum, aut paren-
tes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter Regnum Dei, 30 Et non re-
cipiat multo plura in hoc tempore, & in ſæculo venturo vitam æternam. 31 Aſ-
ſumpſit autem Jeſus duodecim, & ait illis. Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & con-
ſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio Hominis. 32 Tra-
detur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: 33 Et poſt-
quam flagellaverint, occident eum, & tertia die reſurget. 34 Et ipſi nihil ho-
rum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant,
quæ dicebantur. 35 Factum eſt autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus qui-
dam ſedebat ſecus viam, mendicans. 36 Et cum audiret turbam prætereuntem,
interrogabat, quid hoc eſſet. 37 Dixerunt autem ei, quod Jeſus Nazarenus tranſ-
iret. 38 Et clamavit, dicens: Jeſu Fili David, miſerere mei. 39 Et qui præi-
bant, increpabant eum, ut taceret. Ipſe vero multo magis clamabat: Fili David,
miſerere mei. 40 Stans autem Jeſus juſſit, illum adduci ad ſe. Et cum appropin-
quaſſet, interrogavit illum, 41 Dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Do-
mine, ut videam. 42 Et Jeſus dixit illi: Reſpice, fides tua te ſalvum fecit. 43
Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vi-
dit, dedit laudem Deo.

℣. 1. OPORTET SEMPER ORARE ET NON DEFICERE;] vel potius conſtanter orandum, cum perſeverantia, indeſinenter [1]. Hoc vero ea probat parabola, quam ſumus viſuri. Græcus [2] ſignificat potius, conſtanter orandum eſſe, quin tædio afficiamur, quin languore, negligentia capiamur, quin animos deſpondeamus; & licet Deus nos exaudire differat, homines vero malis, ærumniſque nos vexent, oportere; ut in pietatis exercitatione indeſinenter verſemur. Conſilium hoc ultro ſe ſe obtuliſſe videtur poſt ea, quæ dicta ſunt de perſecutionibus, quas fideles paſſuri ſunt, & malis, quibus Judæi ſunt obruendi; ita ut ipſi etiam Chriſtiani in periculum, atque diſcrimen adducantur, ne iiſdem malis opprimantur, niſi jugiter ſibi metipſis invigilent, atque a Deo opem continentibus, perennibuſque precibus optent.

℣. 2 JUDEX QUIDAM ERAT.] Hic Judex, qui neque Deum veretur, neque homines metuit, & qui tamen viduæ vincitur importunitate, a qua indeſinenter urgetur, nobis exhibet abſolutam Dei poteſtatem, ejuſque ſupremam auctoritatem. Sed in Deo judicis hujus defectus minime videntur, neque argumentandum eſt a pari; perinde ac Deus judici huic nequam ſimilis eſſet: immo a fortiori ita inferendum eſt: ſi homo, cui neque pietas eſt, neque timor, neque miſeratio, neque ulla hominum ratio, cedit tamen jugibus viduæ precibus; multo magis Deus, qui miſericors eſt erga homines, qui id unum quærit, ut illos ſuis muneribus cumulet, eos voti damnabit, atque ſuis benedictionibus replebit, ſi quin fatigentur, ardenter orare perſtiterint [3].

℣. 3. VIDUA ERAT IN CIVITATE.] Judex, cujus deſcriptionem nuper ſumus intuiti, haud ita facile pauperis mulierculæ precibus flectendus erat. Qui neque Dei, neque hominum cura tangitur, hic neque pre-

1 Confer Eccli. 18. 22. *Non impediaris orare ſemper.* 1. Theſſ. 5. 16. *Sine intermiſſione orate.*
2 Πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι, καὶ μὴ ἐκκακεῖν. Videtur Vulgata legiſſe: *καὶ μὴ ἐκκακεῖν. Et non deficere.* Vide Hamm. hic. 3 Vide Auguſt. Epiſt. olim 121. nunc 130.

precibus, nec queſtibus, neque ejulatibus mulieris ægenæ præbet aures. Hæc tamen viduæ inſtans, atque urgens, tandem votorum ſummam conſequitur. Nihil melius oſtendere poteſt orationis virtutem, quam oppoſitio quæ intereſt inter hunc Judicem, & Deum, quem rogamus. Deus eſt Pater noſter, nos Filii ipſius. Ille miſericors eſt, orari vult, atque pollicetur, ſe numquam auxilium ſuum negaturum illis, qui petierint. Quid ergo ab illo ſperare non poſſumus?

℣. 4. ET NOLEBAT PER MULTUM TEMPUS.] Deus non ſemper petitionibus noſtris ſubſcribit, ſtatim ac vellemus, & eo modo, quo cuperemus; *verum ſi non exaudimur ad voluntatem, exaudimur ad ſalutem*, S. Auguſtinus ait epiſt. 130. Salutari hæc mora Deus patientiam noſtram exercet; efficit, ut ardentius optemus, quod largiri conſtatur. Concedit nonnumquam iratus [1], quod miſericors negat. Semper ergo oremus, ſemper cupiamus, ſemper amemus. Hæc eſt jugis oratio, quam Dei Filius efflagitat [2]; *continuum deſiderium tuum, continua vox tua. Tacebis, ſi amare deſtiteris: frigus charitatis ſilentium cordis eſt.*

℣. 5. QUIA MOLESTA EST.] Græcus ad litteram [3] *ne tandem faciem meam pugnis fodat*: hoc nomine illius clamores, jugeſque preces appellat. Græca vox in figurato etiam ſenſu uſurpatur, & ſignificat caput infringere, alicui importunum eſſe, aliquem conviciis laceſſere. Æquus illi eſt Judex, ne ulterius revertatur, vel ne indeſinenter veniat [4], & fatiget me, atque importunitate ſua me enecet. Apoſtoli, ac primi fideles, non ſecus ac vidua hæc, expoſiti erant opprobriis, calumniis, perſecutionibus Judæorum, atque Gentilium; Dei Filius illos hortatur, ut indeſinenter orent, & clament, eiſque pollicetur, Deum non fore precibus eorum ſurdum, ſed eorum malis affectum iri.

℣. 7. DEUS AUTEM NON FACIET VINDICTAM?] Malus hic Judex mulierculæ precibus cedit; Deus vero inultos relinquet electos ſuos dies, noctesque clamantes? *Electi* ſunt fideles ſervi, diſcipuli Jeſu ad eum interdiu, noctuque clamantes de his malis, quibus torquentur. Fieri non poteſt, ut illis deſerat, quin illis aures præbeat, atque contra hoſtes eorum ulcīſcatur. Et ſane Dei ira contra Jeroſolymam exarſit eo modo, qui ſæculis omnibus exemplo futurus eſt.

PATIENTIAM HABEBIT IN ILLIS.] Numquid illorum malis, atque ærumnis non commovebitur [5]? *Patientia pauperum non peribit in finem*. Permittit, ut Electi ſui ad certum uſque ſignum patiantur; eorum virtutem, atque patientiam exercet: verum non patitur, ut adverſitatum pondere ſuperentur; vel eos infortunio eripit, vel temperat mala, illis gratiam tribuens, & vim parem magnitudini [6] tentationis, vel denique in hoſtes eorum omnem ſuæ indignationis virtutem depromit. Ita ille cum primis fidelibus egit: aliis quidem martyrii gloriam conceſſit, ac neceſſarias vires, ut ad mortem uſque perſecutoribus reſiſterent, aliis vero invictam, atque conſtantem in malis patientiam largitus eſt; eos autem omnes ultus eſt Jeroſolymam delens, atque pertinaces Judæos exterminans.

Græcus legit [7]: nonne ulciſcetur *Deus electos ſuos die, ac nocte clamantes ad ſe ille, qui patientiam habet erga illos*; hoc eſt ille, qui patientiæ ſuæ effectu cohibet iræ ſuæ fulmina, neque ejaculatur illa in hoſtes eorum, reditum, & converſionem eorum expectans? Si differt Deus amicorum ſuorum ultionem depoſcere, ad ſe dies, nocteſque clamantium, numquid fidei proximum eſt, futurum ut illorum ad finem uſque obliviſcatur? haud ita profecto; non ideo differt, quod

A ſervorum ſuorum fuit oblitus, ſed quod expectat, donec eorum inimici iniquitatibus ſuis cumulum addiderint.

Alii ita vertunt: nonne expoſcet Deus ultionem ex inimicis electorum ſuorum ad ſe die, ac nocte clamantium, atque eorum audiet clamores, quin permoveatur? Vel adeo lentus erit, & illos multos relinquet [8]? haud ita ſane ℣. 8. *dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum*: Deus non vindicabit Electos ſuos clamantes ad ſe die, ac nocte, & erga quos utitur patientia [9]? malis eorum afficitur, quemadmodum eadem ipſum laceſſerent. Quæ cum ita ſint, ulterius ne differet vindictam? ultio quadraginta annos dumtaxat poſt Jeſu Chriſti mortem dilata fuit.

℣. 8. VERUMTAMEN FILIUS HOMINIS VENIENS,
B PUTAS, INVENIET FIDEM IN TERRA?] Plures huic loco ſenſus affinguntur. Licet hæc omnia portenderim, licet hæc mala minitatus fuerim, putatis ne me inventurum fidem in terra, ubi ad ultionem meam in Judæos exercendam acceſſero? profecto perpauci tunc erant, qui in Jeſum crederent, atque converſi fuiſſent: pleroſque oppreſſit ultio, quam in illos exercuit. Aliter, ſi cum ſuperioribus hoc velimus connectere; cum Filius hominis venerit, putatis ne, ipſum in terra inventurum fidem parem fidei hujus viduæ, quæ conſtantia ſua Judicis ſævitiam ſuperavit? Vel ubi venerit, ut in Judæos animadvertat, numquid inveniet ea, quæ expetuntur? homines ne præparati erunt? In illos tanta ſeveritate deſæviet, ut ſomnium ſibi videre, atque audire videbuntur; neque credere poterunt, hæc
C fieri ſub oculis ſuis: *putas inveniet fidem in terra?* quis credere poterit?

Alii ita explicant: ſi Dei Filius patientia minime uteretur adverſus improbos, atque ſemper aures præberet ſervorum ſuorum ad ſe clamantium, atque talem ultionem petentium precibus, atque clamoribus; inveniretne fidem in terra, cum illuc veniſſet? in omnes impios fulmina ejacularetur, opus eſſet, atque ſtatim bonorum quoque numerus non parum imminueretur; quoniam illi fit acceſſio ex improbis illis, qui convertuntur. Impiorum converſionem expectat, conſulit juſtorum ſaluti, ac perfectioni, qui exercendi ſunt, & qui nonnumquam zelo, atque animi ſui motu ſe ſe abripi acrius ſinunt. Fides bonorum hujuſmodi in occaſionibus infirmatur, improborum vero extingui-
D tur: Si ergo in terram veniret, in quonam fidem reperiret? At vereor, ne pleræque explicationes hæ magis acutæ, quam ſolidæ videantur: afferam mox eam, quæ omnium mihi ſimpliciſſima videtur. Cum Pharisæi ex Jeſu Chriſto quæſiviſſent, quandonam Regnum Dei incepturum eſſet, illis reſpondit, hoc minime ex ratione venturum, quæ facile deprehendi poſſet; ſed repente, ac præter mortalium opinionem incœpturum. Hortatur ergo diſcipulos ſuos, ut jugiter vigilent, atque indeſinenter orent, & his verbis concludit: creditis ne, cum Filius hominis venerit, Regnumque ſuum inſtituerit, in Judæis fidem eſſe inventurum? Creditis ne, in eorum numero aliquos præſto futuros, qui illum excipiant, ac venerentur? Nimis alte in pertinacia, atque infidelitate ſua erunt de-
E merſi: Vix perpauci invenientur, qui in fide vivant, atque in precibus perſeverent. Reliqui omnes peribunt, eo quod in illis vigilantia, ac fides defecerit [10]. Hoc illud tempus eſt, de quo in S. Matthæo 24. exſcriptum eſt: *& quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Qui Sancti Matthæi locus eſſe poteſt pro S. Lucæ commentario. *Si fides deficit*,

1 Num. 11. 25. Oſee 13. 2. 2 Auguſt. in Pſalm. 37. num. 14.
3 Ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με. Vide Hamm. hic. 4 Εἰς τέλος æquivalet Hebræo לנצח *in finem, ſemper, æternum*. Vide Euthym. Ham. Druſ. Grot. Lud. de Dieu, alios.
5 Pſalm. 9. 19. 6 1. Cor. 10. 13. *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.*
7 Ὁ δὲ Θεὸς οὐ μὴ ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ τῶν βοώντων, πρὸς αὐτὸν ἡμέρας καὶ νυκτὸς, καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς. Vide Vatab. Brug. Pagn. alios. Plures Mſſ. Μακροθυμεῖ ἐπ' αὐτοῖς.
8 Vide Syr. Grot. Hamm. Camer. 9 Vide Syr. & Ludov. de Dieu.
10 Maldon. Brug. Menoch. Ita Auguſt. ſerm. olim 36. nunc 115. Beda hic.

pis, oratio perit, ait S. Auguſtinus ſerm. 115. *quis enim orat, quod non credit?* ergo ſi Jeſus Chriſtus fidem in terra non inveniet, neque orationem inveniet.

ꝟ. 9. Dixit ad quosdam [1], qui in se confidebant.] Phariſæos nempe, quemadmodum ſuperius vidimus, quibus Jeſus Chriſtus ſuperbiam exprobrat, propter quam eos contemnebant, qui ſuam vivendi rationem minime ſequebantur: Phariſæus gratias Deo agere videtur ejus boni, quod in ſe erat; hæc omnia corrumpit inanis, in integritate ſua, confidentia: *gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum* &c. Nonne ſatis erat dicere: gratias ago Domine, eo quod me immunem præſtitiſti ab iis ſceleribus, in quæ ſine gratiæ tuæ ope præceps ruiſſem? cur autem hæc addit verba: *quia non ſum ſicut cæteri hominum ..., velut etiam hic Publicanus?* Acceſſitne ad Templum, ut cauſam ageret adverſus proximum ſuum, an ut ſeipſum laudibus celebraret?

Crediderunt nonnulli [2], Jeſum Chriſtum in hac parabola Apoſtolos ſuos pergere edocentem, quomodo oporteat orare. Exemplo viduæ illius, quæ Judicem orabat, urgebatque, conſtantis jugiſque orationis exemplar illis oſtendit: iſthic vero illis offert exemplar orationis humilis, atque ſubmiſſæ in perſona Publicani, qui egerat pœnitentiam.

ꝟ. 10. Ascenderunt in Templum.] Quod erat in Monte Sion ibi orarent, velati in locum, ubi Dominus adorari volebat, & ubi ſpoponderat ſe populi ſui vota exauditurum [3].

ꝟ. 11. Pharisæus stans.] Quidam Græcum vertunt [4]: *ſtans ſolus*, & ſeorſim, ita orabat. Sed Vulgata Verſio præſtat. Aliis quoque adeſt difficultas pro hujus Phariſæi ſtatu: aliis contendentibus [5] verbum *ſtare* non ſignificare in pedes rectum ſe ſe continere, ſed tantum eſſe in Templo; quippe ſupponunt, Hebræos nonniſi humi proſtratos, vel in genua procumbentes, ut plurimum oraſſe, quem morem ex ipſis Chriſtiani acceperunt. In Actis Apoſtolorum [6] videmus, Apoſtolos, atque diſcipulos Jeſu Chriſti flexis genibus preces effundentes; neque aliter in Veteri Teſtamento Judæi orabant. Salomon utroque poplite in terram flexo [7], Daniel [8] ſimiliter, & etiam Michæas [9] ſuas preces fuderunt. En quid pro hac ſententia afferatur.

Verum oppoſita neque argumentis, neque eruditiſſimis propugnatoribus [10] caret; qui credunt, populum vulgo ſtantem oraſſe, & Scripturam alicubi referre aliquem in genua procubuiſſe, eo quod præter morem illud accideret. In templo nulla ſedes erat, nulla ſubſellia, & Regi, atque Summo Sacerdoti dumtaxat ibi ſedere licebat. Non abhorret ergo a fide, Phariſæum ſtantem in Templo oraſſe, quod non inconſulto iſthic Evangeliſta memoravit.

Deus gratias ago tibi, quia non sum sicuti cæteri hominum.] Homo iſte loquitur, quaſi ſe unum juſtum arbitraretur: ejus oratio non eſt vera gratiarum actio, ſed potius vanitatis pleniſſima oſtentatio; quin Deo acceptam referat gloriam, quod ipſum noxa immunem præſtiterit, ſemet commendat, ac cæteris præfert. Se ipſa virtutem obtinere putat, cum umbram illius aucuperur dumtaxat: ſuperbia tumeſcit; ac citra humilitatem nulla eſt virtus. Ad Templum oraturus accedit, *quid autem rogaverit Deum, quære in verbis ejus; nihil invenies. Aſcendit orare, noluit Deum rogare, ſed ſe laudare ...; inſuper & rogauti inſultare* [11].

Velut etiam hic Publicanus.] Nequaquam ſimilis ſum hominibus illis, qui populi ſanguine paſcuntur, qui commune in ſe odium conſerunt. Phariſæus duo iſthic ingentia committit mala. Primum eſt ſuperbia non ferenda, qua ſe præfert homini, cujus conſcientiam minime novit; alterum, quod de proximo ſuo temere, atque male judicat. Hic plane erat in ſuperiore atrii Iſraelitarum parte ex adverſo portæ Sacerdotalis atrii, videbatque Publicanum, multo inferius in oppoſita atrii parte, vel etiam in atrio gentilium, atque immundorum; quemadmodum Interpretes nonnulli arbitrantur [12] *ſtans a longe Publicanus*.

ꝟ. 12. Jejuno bis in Sabbatho.] Judæis quædam erant jejunia, ad quæ tenebantur, & quædam, quæ ex mera pietate ſervabant. Phariſæus non jactat illhic, ſe iis diebus jejunare, quæ vel a Lege, vel a majoribus præcepta fuere, qua in re nihil ſuper cæteros Iſraelitas gloriari poterat: ſed gloriatur binos in ſingulas hebdomadas ſupererogationis dies jejunare. Hi autem dies erant feria ſecunda, & quinta [13]; nam ajunt illi, Moyſem feria quinta montem Sinai aſcendiſſe, inde vero feria ſecunda deſcendiſſe. Chriſtiani quoque, ne Judæorum pietati cedere viderentur duo in hebdomada inſtituerunt jejunia, qua in re ne cum Judæis conſentire viderentur, ea feriis quartæ, & ſextæ affixerunt [14]: Feria quidem quarta in memoriam initi a Judæis conſilii, ut Jeſum comprehenderent; feria vero ſexta, ut Salvatoris paſſionem commemorarent.

Judæi ſemper jejunia celebraſſe dicti ſunt: Credebantur etiam ſingulis Sabbathis jejunaſſe, eaque die aliis pœnitentiæ operibus, veluti pedum nuditate, ſe ſe exercuiſſe. Jovenalis Satyr. 6.

Et rerum ubi feſta mero pede Sabbatha reges.

Et Auguſtus ad Tiberium ſcribens [15] inquit, nullum eſſe Judæum, qui æque religioſe Sabbathi jejunium ſervaverit, quam ipſe ea die, qua ad illum eam litteram dedit. Narrat Juſtinus [16], Moyſem cum populo ſuo ſeptem dierum jejunio per deſerta Arabiæ fatigatum die Sabbathi, qui ſeptimus eſt in hebdomada, perpetuo jejunio ſacraſſe. Quæ teſtimonia fidem fortaſſe facere poſſent, ſi ea horum Auctorum ſcripta dumtaxat Judæos cognoſceremus. Verum hoc certo liquet, non ſolum Sabbatho non jejunaſſe; verum etiam ea die jejunio interdictum fuiſſe.

Decimas do omnium, quæ possideo.] Tamen non perſolvebat decimas, vel prædiorum, vel bonorum aliorum, quæ decimæ lex minime ſubjecit; uti fruges dumtaxat, fructuſque terræ ſubjiciuntur; & cui neque legumina, quæ in hortis coluntur, obnoxia ſunt, ſed dumtaxat ea, quæ frugum, vel redditaum nomine continentur [17]; quemadmodum Rabbini conſentiunt. Verum non deſunt [18], qui dubitent, utrum minores fructus, atque hortenſia olera, fructus aquæ, ova, lac, caſeus, & fructus fructuum, vel lucrum quod ex diſtractis fructibus quæritur, decimæ obnoxium ſit. S. Matthæus quidem c. 23. 23. docet, Phariſæos, ut ab aliis Iſraelitis ſe ſe diſtinguerent, decimarum perſolvendarum ſedulitate affectaſſe decimam cymini, anethi, menthæ, aliorumque hortenſium leguminum erogare. Hic plane ex eorum numero fuit, qui, ut præ cæteris aliquid afferret, generatim eorum omnium, quæ poſſidebat, decimas erogabat, ideo-

1 Nonnulli vertunt: *dixit loquens de quibuſdam, qui pleni ſunt de confidentia in ſeipſis*. Vide infra 19. 9.
2 Auguſt. ſerm. olim 36. nunc 115. Beda, Mald. alii.
3 Reg. 8. 37. 38. 39. Matt. 21. 13.
4 Græc. Σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν ταῦτα προσηύχετο. Caut. Græc. Καθ' ἑαυτὸν.
5 Mald.
6 Act. 7. 60. 9. 40 20. 36. 21. 5.
7 3. Reg. 8. 54.
8 Dan. 6. 10.
9 Mich. 6. 6.
10 Brug. alii plures. Vide noſtrum Commentarium in S. Matthæum 6. 5.
11 Aug. ſerm. 115. n. 2. *Quid rogaverit Deum quære in verbis ejus, nihil invenies. Aſcendit orare, noluit Deum rogare, ſed ſe laudare ... inſuper & roganti inſultare.*
12 Hamm. Beza. Camerar.
13 Buxtorf. Synag. c. 2. ſic Epiphan. Theophylact. Grot. Druſ. Conſtit. Clement.
14 Clemens, Ignatius, Epiphan. Ambroſ. Aug. alii. Tertull. *Stationibus quartam, & ſextam Sabbathi dicimus*. Vide Grot. hic.
15 Sveton. in Auguſto cap. 76.
16 Juſtin. lib. 36. *Moyſes ſeptem dierum jejunio per deſerta Arabiæ cum populo ſuo fatigatus ...., ſeptimum diem more gentis ſabbathum appellatum, in omne ævum jejunio ſacravit.*
17 Exod. 22. 29. Levit. 27. 30. 31. Num. 18. 21.
18 Vide Grot. Brug. Mald.

ideoque inde ambitionis, atque jactantiæ arripuit anſam.

℣. 13. Publicanus a longe stans.] in extrema atrii Iſraelitici parte, longius ab Altari, & Sanctuario. Nulla lege prohibebantur Publicani ab aditu in Templum, niſi vel Ethnici eſſent, vel immundi [1]: ideoque eorum ſententia, qui hunc in Atrio Gentilium ſubſtitiſſe arbitrantur, laborare mihi videtur; nemo enim ambigit, quin Publicanus hic eſſet Judæus.

Nolebat nec oculos ad Coelum levare.] Omnes populi in precibus ſuis, atque calamitatibus natura ipſa edocti manus, oculoſque ad Cœlum attollunt, Dei auxilium imploraturi, cujus omnes vel magis perſpicuam, vel perturbatiorem habent ideam; prout magis minuſve a vera religione recedunt. Publicanus indignitatis, ſcelerumque ſuorum ſenſu affectus oculos in Cœlum non audet ſuſtollere, ſed illos humi fixos continet, tamquam indignus, qui lucem adſpiciat, ac Dei ſui, a ſe criminibus laceſſiti, ſolium intueatur. Ita orare conſuevit qui vere pœnitens eſt, & qui & ſcelerum magnitudinem, & Dei, quem veneratur, agnoſcit Majeſtatem? *Cum modeſtia, & humilitate adorantes magis commendamus Deo preces noſtras*, inquit Tertullianus lib. de Orat. c. 13. *ne ipſis quidem manibus ſublimius elatis, ſed temperate, ac probe elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto*. Hoc corporis habitu Publicanus orabat; eodem & Daniel ſuas preces fundebat: *neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis*, Dan. 9. 18.

Sed percutiebat pectus suum.] Hic alius quoque geſtus eſt eorum, qui pœnitentia, atque dolore afficiuntur; perinde punire vellent cor ſuum, quod tamquam malorum originem, quorum ſe noxios fatentur, conſiderent [2]. Hic vulgatus eſt in Eccleſia mos, uti erat olim in Synagoga: ut Peccatores pœnitentes in doloris ſignum pectus ſibi tundant. Ex quodam S. Auguſtini ſermone liquet [3], populum ſuum, ubi audiiſſet lectoris vocem, *confiteor* proferentis, gravibus ictibus pectus ſuum percuſſiſſe, ratum, illum de peccatorum confeſſione loquutum eſſe. Unde S. ille Doctor occaſionem arripuit illis explicandi varias hujus verbi *confiteor* ſignificationes, & alteram laudum, peccatorem alteram eſſe confeſſionem.

℣. 14. Amen dico vobis, descendit hic justificatus ab illo.] Hæc verba, *juſtificatus ab illo*, multifariam poſſunt intelligi; deſcendit ex Templo, *ab illo*; ſupple, *Templo*; vel deſcendit juſtificatus *ab illo*, ſupple *Deo*; vel *ab illo*, ſupple Phariſæo. Vel potius *ab illo*, ponitur quaſi diceretur *præ illo*; deſcendit juſtior Phariſæo. Vel ille quidem juſtus deſcendit, non autem Phariſæus: quoniam hic ſe magis noxium præbuit coram Deo per ſuperbiam: Publicanus vero veniam a Deo peccatorum obtinuit per humilitatem: quæ poſtrema mihi quidem genuina videtur explicatio; eamque complures ſequuntur Interpretes [4]. Tertullianus legit: *juſtificatior Phariſæo*, & S. Cyprianus: *juſtificatus magis, quam ille Phariſæus*; quem ſenſum ſecuti ſunt Syrus, & Arabs, & complura Græca, eaque meliora, Exemplaria [5]. Publicani humilitas magis accepta fuit, quam vana illa bonorum Phariſæi operum pompa.

℣. 15. Afferebant ad illum et infantes.] Non injuria judicabant Salvatoris benedictionem, utque actum illis gratiarum uberrimum fontem futurum. Emanabat quippe ex eo virtus, quæ ab iis omnibus, qui recto corde ad ipſum accederent, ſentiebatur, ex SS. Matthæi & Marci teſtimonio [6]. Græcus [7] hoc in lactentibus pueris proprie contigiſſe narrat.

℣. 16. Talium est enim Regnum Dei;] eorum videlicet, qui puerorum ſimplicitatem, candorem, docilitatem obtinent; quibus affectos dotibus nos Evangelium & recipere, & exercere opus eſt. Hic eſt verus Chriſti fidelium character.

℣. 18. Interrogavit eum quidam Princeps.] Non liquet, ubi hoc acciderit; verum ex Evangeliſtarum collatione, in via Bethaniam inter, oppidulum trans Jordanem poſitum, & Bethaniam prope Jeroſolymam, ubi paulo ante Lazarus obierat, accidiſſe videtur. Jesus illuc proficiſcebatur, ut eum ſuſcitaret, & mox noviſſimum Paſcha celebraret, quo tempore crucifixus fuit. Docet S. Matthæus 19. 20. hunc adoleſcentem fuiſſe, eumque opulentum, etiam ex decurſu innoteſcit. In reliquam hanc hiſtoriam conſulendum eſt Commentarium in S. Matthæum.

℣. 26. Et quis potest salvus fieri.] Si verum eſt, ſalutem locupletem eſſe adeo difficilem; quis æternam conſequi poterit felicitatem, quoniam mundus ex iis coaleſcit, qui vel divites ſunt, vel ut divites fiant, ſummopere contendunt? Jesus Christus reſpondit; *quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum*: poteſt Deus amorem paupertatis, & divitiarum contemptum in nos immittere, atque ita diſponere, ut quidquid habemus, hoc deſeramus, ut illum ſequamur, ſeu quod reipſa atque in perpetuum mundum relinquamus; ſeu cordis præparatione illum ſolummodo deſeramus. Hæc omnia Dei donum ſunt.

℣. 30. Et non recipiet multo plura in hoc tempore,] non autem in ſpecie, ſed in pretio, ac merito. Si terrena bona reliquerit, æterna recipiet, quæ toto Cœlo magis pretioſa ſunt: ſi conſanguineos, vel amicos deſeruerit, in ſervis Dei majorem inveniet opem, & amicitiam, quam ex conſanguineis ſuis ne ſperare quidem potuiſſet umquam. Vide S. Matthæum cap. 19. ℣. 29.

℣. 31. Ecce ascendimus Jerosolymam.] Nunc poſtremo Jesus illuc iturus eſt: erat autem [8] in Ephrem prope Judææ deſertum, ubi aliquantiſper cum diſcipulis ſuis poſt Lazari reſurrectionem permanſit; ac unde egreſſus eſt die vigeſimaquarta Martii, quarta Niſan, ut Jeroſolymam ad Paſcha celebrandum ſe ſe conferret [9]. Hoc in itinere diſcipulis dixit ea, quæ iſthic leguntur.

℣. 32. Flagellabitur.] Græcus [10]: *contumeliis afficietur*, indigne mulctabitur.

℣. 34. Nihil horum intellexerunt.] Satis quidem aſſecuti ſunt ſenſum verborum, quæ dixerat. Sed hæc eadem ſermonis perſpicuitas, quæ abhorrebat a conceptu ſuo de Meſſia, efficiebat, ut illum intelligere minime poſſent. Non intelligebant, quomodo Meſſias objici poſſet omnibus injuriis, & contumeliis, de quibus loquebatur; immo & morti, quam erat ſubiturus. Hoc illis ſcandalum ingerebat, ejuſque ſenſum aſſequi non poterant.

℣. 35. Cum appropinquaret Jericho.] Cœcus a Jesu Christo Jerichuntem ingrediente curatus alius eſt ab eo, vel duobus his, quos Sancti Matthæus 20. 29. & Marcus 10. 46. egredientem ex ea Civitate illum curaſſe teſtantur.

℣. 38. Jesu fili David.] Ita Judæi Meſſiam vocabant.

℣. 42. Fides tua te salvum fecit.] Salvator, ut plurimum, eorum, quos curat, ſanitatem acceptam refert illorum fidei, & erga Deum confidentiæ. Curationes per fidem obtinentur, & populorum fidem confirmant. Habita ratione diverſorum fidei, & cauſæ ſunt & effecta.

---

1 Ligfoot hic. 2 Mald. Grot. Brug. 3 Aug. Serm. olim 8. nunc ſerm. 67. *Mox ut hoc verbum ſonuit lectoris, ſecutus eſt etiam ſonus tunſionis pectoris veſtri; audito ſcilicet quod Dominus ait: Confiteor tibi pater, &c.* 4 Eraſm. Druſ. Var. Grot. Bez. Mald.
5 Κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ ἢ ἐκεῖνος. Plerique alii, ἢ γὰρ ἐκεῖνος. Alii quidam. Παρ' ἐκεῖνον. Orig. Μᾶλλον αὐτοῦ. Cant. Syr. Cypr. Μᾶλλον παρ' ἐκεῖνον Φαρισαῖον. 6 Matt. 19. 13 Marc. 10. 13.
7 Τὰ βρέφη. 8 Joan. 11. 54.
9 Toynard. Harmon. p. 83. 10 Ὑβρισθήσεται.

CAPUT

CAPUT XIX.

Zacheus recipit JESUM domi ſua. Prædictio malorum, quæ Judæis ſunt eventura. Triumphans ingreditur JESUS in Jeruſalem. Futurum hujus urbis excidium plorat. Ejicit vendentes de Templo.

1. ET ingreſſus perambulabat Jericho. 2 Et ecce vir nomine Zachæus: & hic
princeps erat publicanorum, & ipſe dives: 3 Et quærebat videre Jeſum,
quis eſſet: & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. 4 Et
præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, ut videret eum: quia inde erat tranſ-
iturus. 5 Et cum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Jeſus vidit illum; & dixit ad e-
um: Zachæe, feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere. 6
Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. 7 Et cum viderent omnes, mur-
murabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem diverti ſſet. 8 Stans autem Za-
chæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pau-
peribus: & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. 9 Ait Jeſus ad eum:
Quia hodie ſalus domui huic facta eſt; eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ. 10
Venit enim filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat. 11 Hæc il-
lis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eo quod eſſet prope Jeruſalem: & quia
exiſtimarent, quod confeſtim regnum Dei manifeſtaretur. 12 Dixit ergo: Homo
quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reverti. 13
Vocatis autem decem ſervis ſuis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Nego-
tiamini, dum venio. 14 Cives autem ejus oderant eum; & miſerunt legationem
poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos. 15 Et factum eſt, ut re-
diret accepto regno: & juſſit vocari ſervos, quibus dedit pecuniam, ut ſciret, quan-
tum quiſque negotiatus eſſet. 16 Venit autem primus, dicens: Domine mna tua de-
cem mnas acquiſivit. 17 Et ait illi: Euge, bone ſerve, qui in modico fuiſti fidelis,
eris poteſtatem habens ſuper decem civitates. 18 Et alter venit, dicens: Domine,
mna tua fecit quinque mnas. 19 Et huic ait: Et tu eſto ſuper quinque civitates.
20 Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repoſitam in ſuda-
rio: 21 Timui enim te, quia homo auſterus es: tollis, quod non poſuiſti, & me-
tis, quod non ſeminaſti. 22 Dicit ei: De ore tuo te judico, ſerve nequam: ſcie-
bas, quod ego homo auſterus ſum, tollens, quod non poſui, & metens quod non
ſeminavi: 23 Et quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, ut ego veniens cum
uſuris utique exegiſſem illam? 24 Et aſtantibus dixit: Auferte ab illo mnam, &
date illi, qui decem mnas habet. 25 Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas.
26 Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit; ab eo autem, qui
non habet, & quod habet, auferetur ab eo. 27 Verumtamen inimicos meos illos,
qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me. 28 Et his
dictis, præcedebat aſcendens Jeroſolymam. 29 Et factum eſt, cum appropinquaſſet
ad Bethphage, & Bethaniam, ad montem, qui vocatur Oliveti, miſit duos diſcipu-
los ſuos, 30 Dicens: Ite in caſtellum, quod contra eſt: in quod introeuntes, in-
venietis pullum aſinæ alligatum, cui nemo umquam hominum ſedit: ſolvite illum, &
adducite. 31 Et ſi quis vos interrogaverit. Quare ſolvitis? ſic dicetis ei: Quia
Dominus operam ejus deſiderat. 32 Abierunt autem, qui miſſi erant: & invenerunt,
ſicut dixit illis, ſtantem pullum. 33 Solventibus autem illis pullum, dixerunt domi-
ni ejus ad illos: Quid ſolvitis pullum? 34 At illi dixerunt: Quia Dominus eum ne-
ceſſarium habet. 35 Et duxerunt illum ad Jeſum, & jactantes veſtimenta ſua ſupra
pullum, impoſuerunt Jeſum. 36 Eunte autem illo, ſubſternebant veſtimenta ſua in
via. 37 Et cum appropinquaret jam ad deſcenſum montis Oliveti, cœperunt omnes
turbæ diſcipulorum gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus, quas vide-
rant, virtutibus. 38 Dicentes: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax
in cœlo, & gloria in excelſis. 39 Et quidam Phariſæorum de turbis, dixerunt ad
illum

illum : Magiſter , increpa diſcipulos tuos . 40 Quibus ipſe ait : Dico vobis , quia ſi
hi tacuerint , lapides clamabunt . 41 Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit
ſuper illam , dicens : 42 Quia ſi cognoviſſes & tu , & quidem in hac die tua , quæ
ad pacem tibi : nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis . 43 Quia venient dies in
te : & circumdabunt te inimici tui vallo , & circumdabunt te : & coanguſtabunt te un-
dique : 44 Et ad terram proſternent te , & filios tuos , qui in te ſunt , & non re-
linquent in te lapidem ſuper lapidem : eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.
45 Et ingreſſus in templum cœpit ejicere vendentes in illo , & ementes . 46 Di-
cens illis : Scriptum eſt , Quia domus mea domus orationis eſt , Vos autem feciſtis
illam ſpeluncam latronum . 47 Et erat docens quotidie in templo . Principes au-
tem ſacerdotum , & Scribæ , & Principes plebis quærebant illum perdere : 48 Et
non inveniebant quid facerent illi . Omnis enim populus ſuſpenſus erat , audiens illum.

℣. 2. ECCE VIR NOMINE ZACHÆUS .] JESUS de Ephrem Jeroſolymam profectus Jerichuntem pertranſiit , quo ſub veſperam cum perveniſſet , Publicanus quidam nomine Zachæus homo dives , & cui inceſſerat cupido videndi hominem , cujus fama celebris adeo ferebatur , arborem aſcendit , ut illum prætereuntem in turba , quæ eundem ſequebatur , conſideraret . *Zachæus* vel *Zachai* nomen eſt Judæis non ignotum [1] .

℣. 4. PRÆCURRENS ASCENDIT IN ARBOREM SYCOMORUM .] Sycomorus , quam in noſtratibus agris cognoſcimus, alia eſt a Judaica . Hæc arbos eſt ex fico , & moro quodammodo naturam trahens [2] ; unde illi factum nomen Sycomorus compoſitum , ex *Sycos* , quæ ficum ſignificat , & *moros* quæ morum . Fructum fert non in extrema ramorum parte, ſed trunco proximum , qui ſuavis eſt admodum , nullos intra habens acinos , nec matureſcens, niſi ferreis aculeis pungatur teſte Plinio . Arabs vertit *giummeis* , & Leo in Africæ deſcriptione l. 9. eodem nomine appellat , atque ut Plinius hanc arborem deſcribit .

℣. 5. HODIE IN DOMO TUA OPORTET ME MANERE .] Elegi domum tuam , ut ibi inhabitarem , ibique noctem tranſigerem . Scrutabatur JESUS cor Zachæi , & norat , eum , quem ipſe inſpiraverat, affectum [3]. Jam in corde illius ſedem habebat , antequam domum ejuſdem ingrederetur : *ſuſcipitur CHRISTUS in domum, qui jam habitabat in corde* , inquit S. Auguſtinus .

℣. 7. MURMURABANT , QUOD AD HOMINEM PECCATOREM DIVERTISSET .] Hoc nomine vulgo Publicani appellabantur , veluti ii , quorum vivendi ratio jugiter ferme peccato erat obnoxia , & qui in continenti peccati habitu verſabantur . Crediderunt complures e Patribus [4] , Zachæum Ethnicum fuiſſe ; & ea , quæ infra leguntur ℣. 9. *& ipſe filius ſit Abrahæ*, innuere videntur , antea filium Abrahæ , & Judæum minime fuiſſe . Verum infirma ſunt hæc argumenta , neque dubitari poteſt , quin Judæi ſæpe Publicanorum munus exercuerint . Levi , vel S. Matthæus , & Publicanus, de quo capite ſuperiori ℣. 10. 11. ſermo fuit , qui cum Phariſæo ad templum oraturus aſcendit, erant Judæi , & erant peccatores eodem in ſenſu , quo Zachæus . Hic factus eſt *Filius Abrahæ* non in Judaicæ religionis caſtra tranſgreſſus , ſed JESU CHRISTI fidem accipiens , atque imitans Abrahæ fidem , qui Pater erat fidelium , atque credentium [5] .

℣. 8. ECCE DIMIDIUM BONORUM MEORUM DO PAUPERIBUS .] Zachæus eo illectus honore , quo ipſum dignatur JESUS , celeriter de Sycomoro deſcendit , &

A ut populi murmur compeſceret , conquerentis , quod JESUS Publicani domum elegiſſet , quo diverteret, coram illo omnibus profeſſus eſt , ſe ſingulis redditurum quadruplum eorum , quæ male pepererat ; eorum vero , quæ ſibi reliqua fuerint , dimidium ſe pauperibus erogaturum . Nulla major reſtitutionis juſtitia poterat deſiderari . Præſto eſt , ut ea quæcumque male adeptus eſt , reſtituat iis , qui detrimentum paſſi ſunt ; immo non illa ſolum , ſed quadruplum eorum reddere paratus eſt : quod lex pauciſſimis dumtaxat in caſibus præcipiebat [6] . Cum vero complurimi vel abeſſe , vel jam e viventium numero abiiſſe poterant , quibus reſtituere hoc minime poſſet : ut illis etiam ſuppleret , ſe eorum , quæ remanſerint , dimidium pauperibus daturum pollicetur . Animadvertunt , Publicanos [7]
B qui convicti fuiſſent fraudis , legibus Romanis damnatos fuiſſe , ut fraudatæ rei quadruplum reſtituerent . Zachæus quin hominum expectet judicium , hanc ipſe ſibi mulctam infligit , graviorem etiam , quam , quæ a Judicibus ſibi fuiſſet impoſita , ſi non invitus ſe ſe obtuliſſet huic reſtitutioni faciendæ . Vide Grotium hic .

℣. 9. DIXIT JESUS AD EUM :] Verti poſſet e *dixit JESUS , loquens de eo* .

HODIE HUIC DOMUI SALUS A DEO FACTA EST.] Zachæus fidelis fit filius , & imitator Abrahæ , ideoque & domus illius fit domus benedictionis [8] . Nuper Zachæus fuerat peccator , prophanus, filius tenebrarum; repente juſtus eſt , fidelis , filius lucis , verus Iſraelita . Ægrotabat ? convaleſcit ; & cum JESU ſalus, gratia , juſtitia in domum illius ingrediuntur ; neque
C præſentiæ illius beneficium in uno dumtaxat Zachæo arctatur , ſed in univerſam illius ſe ſe effundit familiam . Filii , domeſtici , ſervi uno eodemque ſimul convertuntur . Non deſunt [9] , qui hæc verba , *huic domui* , de uno Zachæo putent intelligenda ; cum Pater familias pro familia univerſa ponatur . Sed prior ſenſus melior eſt .

Vidimus jam eorum ſententiam , qui crediderunt , Zachæum Ethnicum fuiſſe , quæ hodie perpaucos habet ſectatores [10] . Plerique Interpretum [11] majori cum veritatis ſpecie illum Judæum fuiſſe arbitrantur . S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 4. xis , hunc a nonnullis cum S. Matthia fuiſſe confuſum cenſentibus, illum ad Apoſtolatus honorem poſt Salvatoris obitum , ac Judæ ſcelus , evectum fuiſſe . Legimus etiam in
D Conſtitutionibus , aliiſque Scriptis , quæ S. Clementis nomine circumferuntur [12] , S. Petrum Zachæo contuliſſe Epiſcopatum Cæſarienſem in Paleſtina ; quæ opinio non obſtet , & per occaſionem adſeritur , ſed proli-

xius

1 1. Eſdr. 11, 9. 3. 10. 2 Plin. lib. 3. c. 7.
3 Aug. ſerm. olim 8. de verb. Apoſtoli nunc 174. c. 4. *Viſus eſt , & vidit : ſed niſi viſus eſſet , non videret quos enim prædeſtinavit , hos & vocavit . . . . ut videremus viſi ſumus ; ut diligeremus dilecti ſumus* .
4 Cyprian. lib. 2. ep. 3. & lib. de opere , & eleemoſ. Tertull. lib. 4. contra Marcion. Chryſoſt. homil. de Zachæo. Ambroſ. Bedæ hic. 5 Rom. 4. 3. 9. 16. Galat. 3. 6. 7.
6 Exod. 22. 1. *Si quis furatus fuerit bovem , aut ovem , ... quinque boves pro uno bove reſtituet , & quatuor oves pro una ove* . 7 L. hoc edicto in fine digeſt. de Publican. apud Quiſtorp. in Walæo .
8 Vide ſup. Luc. 18. 9 & 2. Reg. 3. 18. & Heb. 2. 7. 9 Brug. Grot. Theophyl.
10 Hammond. hic Vide & Mald. ad verſ. 7. 11 Mald. Grot. Eſt. Menoch. Tir. Caſtal. alii paſſim
12 Conſtitut. Clement. lib. 7. c. 46. Recognit. lib. 3. c. 65. 74. homil. 3. c. 63. 72.

xios narratur. Ruffinus etiam [1] in præfatione in Librum Recognitionum S. Clementis, quem ipſe latinum fecerat, hoc ipſum teſtatur. S. Petrus Chryſologus homil. de Zachæo explicite aſſerit, Zachæum Epiſcopum fuiſſe: verum nullum ſatis validum adferri poteſt argumentum, quo Cæſarænſi Eccleſiæ præfuiſſe probetur. Euſebius, qui ignorare non poterat, quod ad gloriam Eccleſiæ ſuæ ſcriptum fuerat, hoc nuſquam urit; neque deeſt veritatis ſpecies, quod Zachæus Publicanus cum altero Zachæo, qui altero Eccleſiæ ſæculo Cæſareæ Epiſcopus fuit, confundatur [2].

ỹ. 10. VENIT ENIM FILIUS HOMINIS QUÆRERE &c.] Zachæus ovis erat ex grege Iſrael, quæ deerraverat [3]: veni, ut illam conquirerem; hoc ille ait, ut factum ſuum probet, ac ſedet murmur eorum, qui conquerebantur, quod apud Publicanum divertiſſet.

ỹ. 11. EXISTIMARENT QUOD CONFESTIM REGNUM DEI MANIFESTARETUR.] Poſt ea, quæ ſibi a JESU CHRISTO dicta fuerant de Regno ipſius, morte, conſummatione, Reſurrectione, crediderunt futurum, ut ſtatim Dei Regnum ſe ſe manifeſtaret; atque hoc in tempore Salvator ab univerſa Judæorum natione tamquam Rex haberetur: non enim dimittere poterant ea præjudicia, quibus de perſona, ac temporali Meſſiæ Regno fuerant imbuti. Quid quod cum hac idea omnino non conſentiebat, ipſi nullo pacto aſſequi poterant, idque erat illis veluti incomprehenſibilis lingua, Luc. 18. 34.

ỹ. 12. HOMO QUIDAM NOBILIS.] Parabola, quam JESUS CHRISTUS hoc in loco proponit, duplicem habet partem, quarum prior continetur in verſiculis 12. 14. 15. 27. qui reſpiciunt rebelles Principis ſubditos, qui in longinquam regionem regnum accepturus diſcedit: Altera vero parabolæ pars, quam complectuntur ỹỹ. 13 15.... 26. reſpicit ſervos, quibus hic Princeps pecuniam crediderat in lucro ponendam. Quoad priorem partem, ne tibi animo fingas ſupremum Principem, qui parentibus ſuis præeſt, atque in remotiſſimam regionem concedat acie cum hoſtibus decertaturus, ac Regnum ſibi comparaturus. Non enim hic Parabolæ ſenſus eſt, quemadmodum liquido patet cuicumque attentius omnes circumſtantias conſideranti. Loquebatur ad Judæos JESUS CHRISTUS ſecundum ea, quæ apud illos, & ob illorum oculos accidebant. Principes eorum a Romanis pendebant, ab illis conſtituti erant, & ab Imperatoribus de ſolio deturbari poterant, atque in exilium ejici veluti privati, quod reipſa nonnullis eorum accidit, veluti Archelao, & Herodi Antipæ. Hi Romam concedere tenebantur, ut ibi ab Imperatoribus Regnum obtinerent [4], quo pacto magnus Herodes, Archelaus filius ejuſdem, Agrippa, aliique conſtituti fuerunt, atque Judææ Reges inaugurati. In iis quæ Archelao contigerunt, omnes ferme parabolæ hujus circumſtantiæ ad litteram adimpletæ videntur.

Archelaus erat *nobilis*, quandoquidem Magni Herodis filius: *Abiit in Regionem longinquam*, Romam videlicet, *accipere ſibi Regnum* ab Auguſto Imperatore, Judæi, qui *oderant* illum propter ejuſdem ſævitiam, ac durum Herodis Patris ejus dominatum, Romam profecti ſunt, ejuſque nomen apud Imperatorem [5] detulerunt ooo cædium, quibus in Templo, ac in urbe quamplurimi ablati fuerunt; atque in partes Herodis Antipæ fratris ejuſdem, qui etiam Paternum petebat Imperium, conceſſerunt, petentes, ut omnino Regnum ipſum everterent; atque in ſimplicem Romanorum provinciam redigerentur [6]. *Rediit accepto Regno*, & ultionem ſumpſit ex iis, qui Romam miſerant, dicentes: *nolumus hunc regnare ſuper nos*. Seu JESUS CHRISTUS ad Principis hujus factum alludere voluerit, ſeu generatim hanc parabolam propoſuerit, hoc certum eſt, maximam eum hac, & Archelai facto intercedere ſimilitudinem; quod accidit poſt mortem Herodis Magni ſex circiter, ac triginta annis, antequam JESUS CHRISTUS, eam quam legimus parabolam proponeret.

In hac autem Parabola homo nobilis eſt Dei Filius, qui venit in terras, atque inter Judæos verſatus eſt, ut Regnum ſibi debitum poſſideret: ſed a propriis ſubditis ejectus, qui non ſolum illum in Regem habere noluerunt, verum etiam contumeliis eumdem affecerunt, ita ut tandem eum Cruci affigerent; veniet aliquando furore armatus, atque in illos omnem vindictæ ſuæ ſeveritatem exercebit. Hoc reipſa contigit poſt quadrageſimum annum a Paſſione JESU CHRISTI.

ỹ. 13. VOCATIS DECEM SERVIS SUIS DEDIT EIS DECEM MNAS.] Hæc altera eſt pars parabolæ, quam Salvator propoſuit. Princeps antequam diſcederet ad Regnum ſibi comparandum iturus ſervis ſuis decem minas diſtribuit. Hebraica mina æquabat circiter ſexaginta ſiclos argenteos, vel ſeptem ac nonaginta libras, ſolidos ſex, ac decem Gallicæ monetæ denarios. Mina Græca æſtimabatur noſtratis monetæ libris quadraginta, ſolidis quatuordecim, ac decem denariis adeoque decem minæ eo tempore non ſpernendam ſummam conſtituebant. Principis mens erat, ut ſe abſente ſervi, vel negotiatione, vel induſtria quæſtum ex hac pecunia facerent, vel ſaltem apud Trapezitas [7] in lucro eam ponerent. Vide quid notatum eſt in S. Matthæum cap 25. 14. 15. ubi huic omnino ſimillima occurrit parabola.

JESU CHRISTI mens erat oſtendendi Judæis, quorum imago erant ſervi, quibus Princeps pecuniam committit, præmium, vel pœnam inventuros, prout ex eadem pecunia lucrum fecerint. Qui Evangelio crediderint, ac ſumma fide illius conſilia, & mandata exercuerint, recentibus gratiis, atque infinita gloria cumulabuntur. Qui vero in infidelitate, ac pertinacia ſua perſtiterint, qui Evangelii lumini oculos clauſerint, qui Domini ſui pecuniam in ſacculo ſignatam continuerint; hoc eſt Legis, atque Evangelii cognitionem abſconderint, quin eadem utantur, & aſſequantur conſilia a Deo de ipſis inita, non ſolum hujuſmodi cognitionibus, atque luminibus orbabuntur, verum a Domino ſuo vapulabunt, tamquam inutiles ſervi, atque Domino ſuo parum affecti. In parabola decem talentorum, quæ ſervis Pater familias diſtribuit [8], & quæ eadem eſt, ac iſta quoad ſenſum, & mentem JESU CHRISTI; ſervus, qui ex talento nullum ceperat lucrum, ejicitur de domo Domini ſui in tenebras exteriores, ubi eſt fletus, ac ſtridor dentium.

ỹ. 17. ESTO POTESTATEM HABENS SUPER DECEM CIVITATES.] Dei Filius ſemper ſe ſe ſubmittit ad captum, atque præjudicia ſervorum ſuorum ſub Regni imagine exhibens Eccleſiam ſuam. Apoſtoli, & Diſcipuli ſunt fideles ſervi, qui lucrum facere norunt ex talento ſibi tradito; hoc eſt, norunt fidem amplecti, ſequi JESUM CHRISTUM, & quælibet derelinquere, ut illi adhærerent. His decem urbium Imperium tradit, eiſdem dignitates præcipuas Imperii ſui diſtribuit; eoſque Eccleſiæ Principes, fidelium capita, nationum Judices, genus electum, & regale Sacerdotium conſtituit.

ỹ. 19. ERIS SUPER QUINQUE CIVITATES.] Non omnes JESU CHRISTI Diſcipuli, vel in terris, vel in Cœlo eumdem honoris gradum obtinuerunt, quod non æque uſi ſunt ea gratia, quæ a Deo fuerant cumulati [9]: alii quidem primum obtinent locum; iique Apoſtoli ſunt, alterum illi occupant, qui prophetiæ munus habuerunt, mox Doctores, deinde illi, quibus Deus morbos curandi virtutem conceſſit &c. Denique in Patrie

1 Ruffin. Præfat. Recognition. 2 Prædeſtinat. Sirmondi c. 31. 13. pag. 15. Vide Tillemontium Not. 25. in J. C. 3 Matth. 15. 24. *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt, domus Iſrael*. Vide & 18. 11. 12. 13.
4 Vide Cleric. ad Hammond & in Not. ad N. T. Gallic. 5 Joſeph Antiqu. lib. 17. c. 11. p. 601. 602.
6 Idem ibid. cap. 13. & 15. 7 In S. Clemente Alexandr. lib. 2. Strom. Origen. in S. Matth. & alibi, reperitur hæc ſententia J. C. adſcripta: *Eſtote boni Trapezitæ*. Γίνεσθε τραπεζῖται δόκιμοι.
8 Matth. 25. 30. 9 1. Cor. 12. 28. 29.

cris cœleſtis domi plures ſunt manſiones, ita plures gradus gloriæ Joan. 14. 2.

℣. 21. TIMUI ENIM TE, QUIA HOMO AUSTERUS ES [1].] *Auſterus* iſthic ſignificat hominem lucri avidum, durum, ſævum, avarum. Servus hic nequam, ut negligentiam ſuam cauſaretur, Domini ſui ſævitiam inſimulat: verum ſua in ipſum retorquetur excuſatio verſ. 22. 23. Si is ſum, quem me facis, cur pecuniam meam in lucro non ponis, ſaltem apud fœneratores, ut reverſus eam inde cum fœnore recipere poſſim? Vide hac de re dicta in Commentarium S. Matthæi cap. 25. verſ. 26. 27.

℣. 27. INTERFICITE CORAM ME.] Hoc adimpletum fuit a Romanis, divinæ adverſus Judæos incredulos, & pertinaces ultionis miniſtris.

℣. 28. PRÆCEDEBAT ASCENDENS JEROSOLYMAM.] Diſcipuli metuebant, ne quid Salvatori in hoc Jeroſolymæ itinere accideret; comperta illis erant Phariſæorum in ipſum odia [2], id unum quærentium, ut per occaſionem illi mortem inferrent. Citra ænigma illis prædixerat futurum, ut contumeliis coinquinaretur, virgis cæderetur, atque interficeretur Jeroſolymæ [3]. Hæc omnia Apoſtolis metum quemdam injecerant, atque voluiſſent JESU CHRISTO iter hoc diſſuadere; ſed norant, quid acciderat S. Petro [4], qui illum hinc deterrere conatus fuerat: eum ergo ſequebantur, ſed ægre, & inviti; ipſe vero, ut oſtenderet, ſe nihil vereri, ac ſponte ad mortem feſtinare, ante illos corripuit viam [5].

℣. 29. CUM APPROPINQUASSET AD BETHPHAGE, & BETHANIAM.] Jerichunte egreſſus Bethaniam venit, ubi a Lazaro, ejuſque ſororibus Martha, ac Maria exceptus fuit ſexta ante Paſchatis feſtivitatem die. Convivio interfuit apud Simonem Leproſum [6], ubi Maria ſuper illius pedes pretioſum unguentum effudit. Poſtridie feria ſecunda, quinta videlicet ante Paſſionem ſuam die, cum Bethania diſceſſiſſet, ubi acceſſit Bethphage, quod erat quoddam veluti ſuburbium Jeroſolymæ ad radices montis olivarum; miſit duos ex Diſcipulis ſuis, qui ad ſe adducerent aſinam, ejuſque pullum, cui inſidens ſolemni pompa Jeroſolymam erat ingreſſurus. Quoad univerſam hanc celebritatem conſule noſtrum Commentarium in S. Matthæum cap. 21. 1. & ſeq.

℣. 37. AD DESCENSUM MONTIS OLIVETI.] Bethphage erat in proclivi, vel in latere hujus montis, atque montem inter olivarum, atque Jeroſolymam, media tantum aderat vallis Joſaphat, atque torrente Cedron interluitur. Cum diſcipuli ad urbem acceſſerunt, ſancto correpti enthuſiaſmo clamare cœperunt, atque prædicare JESU CHRISTI laudes, qui tot miracula in ipſorum gratiam fuerat operatus. JESUS ſemper maxima populi multitudine ſtipatus incedebat, & quilibet ex ſe æſtimare poteſt, quemnam effectum pepererint harum turbarum acclamationes in deſcenſu montis olivarum, univerſa Jeroſolyma inſpectante.

℣. 38. PAX IN COELO, & GLORIA IN EXCELSIS.] Dominus, qui regnat in Cœlis, nobis pacem, & omnia bonorum genera elargiatur; æterna, atque immutabilis pax Deum inter ac homines vigeat. Omnipotens ſemper laudibus celebretur.

℣. 40. LAPIDES CLAMABUNT.] Adagialis loquendi ratio. Decrevit Deus die hac glorificare me, ut adimpleantur prophetiæ: nihil obeſſe poteſt, quo minus decreta illius perficiantur. Si timuerint homines, Dei juſſu lapides clamabunt.

℣. 41. VIDENS CIVITATEM, FLEVIT SUPER ILLAM.] Hæc circumſtantia a S. Luca narratur. Prævidens JESUS CHRISTUS futura Jeruſalem mala, miſeretur; eamque lacrymis proſequitur hac in circumſtantia, cum omnes in id unum videbantur incumbere, ut lætitiam ſuam teſtarentur, & cum voti compotes eſſe ſibi maxime videbantur. Lacrymæ ex illius oculis manantes bifariam duplici de cauſa teſtes earumdem commovere debebant: qui illinc debebant inferre primum quidem magnitudinem periculi, quod Jeroſolymæ impendebat; ſecundo illius certitudinem, & propinquitatem, & tandem amorem jugem, quem ille fovebat erga ingratam Civitatem, licet hæc jam jam eſſet ipſi necem illatura, atque ſceleribus ſuis cumulum additura.

S. Epiphanius in Anchor. c. 13. teſtatur, verbum *flevit* negotium faceſſiſſe quibuſdam orthodoxis, qui illud e ſuis exemplaribus expunxerant, rati, JESU CHRISTO indignum eſſe, lacrymas effundere; ſed vera Evangeliſtæ lectio in exemplaribus, quæ vulgo a fidelibus recipiebantur, & legebantur, aderat, & licentia eorum, qui illud verbum expunxerant, praviſſimi eſt exempli, nec umquam ab Eccleſia probandi. Græca, & Latina exemplaria cum typis edita, tum MSS. ac Verſiones Orientales unanimi conſenſu habent hæc verba, *flevit ſuper illam*. JESU CHRISTI lacrymæ nihil minuunt in ipſo majeſtate, atque ſapientia ipſius minime dignum: oleo illas fundebat. Salvator quidem humanorum minime expers erat affectuum, verum humanis defectibus omnibus carebat. Stoici in ſapientibus ſuis animi affectus convellere adniſi, ſimulacra potius, atque automata, quam veros Philoſophos efficere videbantur. Philoſophus ille eſt, qui affectibus ſuis moderatur; Stoicus vero illos conatur evertere, quod tamen illi numquam cedit e voto. Contendit alterum evincere, ſed alterius vi.

℣. 42. QUIA SI COGNOVISSES & TU.] Authographi textus locutio brevior eſt, & petit, ut aliquid ſuppleatur [7]: *Si enim tamen cognoviſſes, ſaltem hac die tua, quod pacem tibi afferre poteſt*: nemo unus non ſentit ſententiam hanc non ſatis eſſe evolutam, atque ita eſſe explicandam: Utinam cognoſceres in hac ſaltem die, quæ adhuc tibi conceſſa eſt &c. vel; o urbs calamitoſa, ſi hodie ſaltem intelligeres, quænam eſſe debet felicitas tua, neque uti reſpueres hoc tempore, ut pœnitentiam ageres, atque impendentia tibi mala præverteres. Heu cur oculos non aperis, ut quod tibi maxime intereſt, intuearis! at minime par es iis cognoſcendis, quæ te felicitate poterunt cumulare. Cæce in interitum ruis: *nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis*. Aliter: o ſi poſſes hac die ea cognoſcere mala, quæ ego prænoſco, tuas ſane meis lacrymis commiſceres! at neque vides excidium tuum, neque intelligis felicitatem tuam. Hæc abſcondita ſunt oculis tuis.

VENIENT DIES IN TE, & CIRCUMDABUNT TE INIMICI TUI VALLO.] Quod reipſa in noviſſima Jeroſolymæ obſidione contigit. Videns hinc Titus difficultatem exercitu ſuo univerſam undequaque urbem circumvallandi cum propter ſoli inæqualitatem, tum propter urbis magnitudinem, inde vero cognoſcens ſe minime poſſe aggeres contra mœnia ducere, atque vineas, & propugnacula extruere propter nemorum eo in loco infrequentiam; conſilium iniit, urbem univerſam muris claudendi, ſubinde interjectis intervallis propugnacula, atque ſtationes ædificans, ut Judæi viderent ſibi non amplius, vel fugam, vel externa patere ſubſidia; vel ſponte ad deditionem compellerentur, vel in urbe fame enecti interirent [a]. Aggreſſus igitur eſt murum ædificare ſtadiorum undequadraginta [b]; & exercitus tanta cura in id opus incubuit, ut triduo univerſum abſolverit: cui tria ac decem addidit propugna-

1 Ὅτι σκληρὸς εἶ ἄνθρωπος, Matth. 25. 24. Ὅτι σκληρὸς εἶ ἄνθρωπος. Vide Pric. ad Matth. 25. 24. & Claric. ad Hamm. hic. 2 Joan. 11. 47. ... 54.

3 Levit. 18. 31. ... 33. Matth. 20. 17. ... 19. Marc. 10. 32. 34. 4 Matth. 16. 23. *Vade poſt me, ſatana, ſcandalum es mihi*. 5 Ἐπορεύετο ἔμπροσθεν ἀναβαίνων εἰς Ἱεροσόλυμα. Marc. 10. 32. Ἦν προάγων αὐτοὺς Ἰησοῦς.

6 Joan. 12. 1. 2. 7 Ὅτι ἔγνως καὶ σὺ. Ὅτι poſitum eſt pro εἴθε, utinam. Camer. Grot. Mald. alii.

a Joſeph Antiqu. lib. 6. cap. 13. in Latino. 12. in Græc. p. 936.

b Stadia 39. efficiunt 4750. paſ. vel leucam, & 200. paſ. circiter.

Digitized by Google

gnacula in dena ſtadia, hoc eſt per mille ducentorum ac quinquaginta paſſuum intervalla.

℣. 44. EO QUOD NON COGNOVERIS TEMPUS VISITATIONIS TUÆ.] *Viſitatio* in Scripturis in utrumque ſenſum, bonum æque, ac malum accipitur; & ultionis, & furoris divini tempus indigitat, quo poſteriori in ſenſu hoc in loco eſt intelligenda. Jeroſolymam accedebat JESUS CHRISTUS, pacis, atque miſericordiæ refertiſſimus, præſto ut illam reciperet, ſi ad ipſum ſe convertere voluiſſet, atque manus victas dare Evangelio, & veritati, quæ ab eodem annunciabatur; verum in eodem ſcrutabatur invictam ferme pertinaciam; videbat prope eſſe, ut illa iniquitatum ſuarum cumulum adimpleret, noſcebatque in ipſa ſpiritum impœnitentiæ, & incredulitatis, qui obicem ſtatuebat amori, quo illam proſequebatur.

℣. 45. INGRESSUS IN TEMPLUM COEPIT EJICERE.] Vide S. Matt. cap. 21. 13. 14.

℣. 48. OMNIS ENIM POPULUS SUSPENSUS ERAT AUDIENS ILLUM.] Illectus ſermonibus illius, a quo ſermonis vi, atque ſuavitate tamquam vinctus tenebatur. Hæc locutio Authographi [1], *Suſpenſus erat audiens*, invenitur apud Græcos, Latinoſque auctores [a], ad innuendam populi turbam in admirationem abreptam, cum hominem eloquentem verba facientem audit; *pendetque iterum narrantis ab ore*, ait Virgilius. Numquam tanto lepore, tanta vi, & gratia aliquis locutus eſt, ac JESUS CHRISTUS: *Numquam ſic locutus eſt homo*, Joan. 7. 46.

1 Ἐξεκρέματο αὐτοῦ ἀκούων. a Lucian. Menippos: ὑπὸ τοῦ λόγου, καὶ ἐκ τοῦ ὤτος ἀπηρτημένος. Eunapius de Ædeſio, Ἐξηρτημένοι τοῦ λόγου, Senec. Controverſ. 9. 1. *Et vultu dicentis pendet omnium vultus.*

CAPUT XX.

JESUS in Templo. Sacerdotes quærunt ex eo, undenam ſit illius poteſtas; ipſe vero viciſſim ex illis quærit, unde nam Johannis Baptiſmæ. Agricolarum parabola. Tributum Cæſari perſolvendum. Saducæi confutati. David Meſſiam Dominum ſuum confitetur. A Phariſæis, eorumque ſuperbia cavendum.

1. ET factum eſt in una dierum, docente illo populum in templo, & evange-
lizante, convenerunt Principes ſacerdotum, & Scribæ cum ſenioribus,
2 Et ajunt dicentes ad illum: Dic nobis, in qua poteſtate hæc facis?
aut: Quis eſt, qui dedit tibi hanc poteſtatem? 3 Reſpondens autem Jeſus, di-
xit ad illos: interrogabo vos, & ego unum verbum. 4 Reſpondete mihi: Ba-
ptiſmus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus? 5 At illi cogitabant intra ſe,
dicentes: Quia ſi dixerimus, De cœlo: dicet, Quare ergo non credidiſtis illi?
6 Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs univerſa lapidabit nos: certi ſunt
enim, Joannem prophetam eſſe. 7 Et reſponderunt ſe neſcire unde eſſet. 8 Et
Jeſus ait illis: Neque ego dico vobis, in qua poteſtate hæc facio. 9 Cœpit
autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantavit vineam, & locavit eam
colonis: & ipſe peregre fuit multis temporibus. 10 Et in tempore miſit ad cul-
tores ſervum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæſum dimiſerunt eum ina-
nem. 11 Et addidit alterum ſervum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes,
& afficientes contumelia, dimiſerunt inanem. 12 Et addidit tertium mittere: qui
& illum vulnerantes ejecerunt. 13 Dixit autem dominus vineæ: Quid faciam?
mittam filium meum dilectum: forſitan, cum hunc viderint, verebuntur. 14
Quem cum vidiſſent coloni, cogitaverunt intra ſe, dicentes: Hic eſt hæres, oc-
cidamus illum, ut noſtra fiat hæreditas. 15 Et ejectum illum extra vineam, oc-
ciderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ? 16 Veniet, & perdet colonos
iſtos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Abſit. 17 Ille
autem aſpiciens eos, ait: Quid eſt ergo hoc, quod ſcriptum eſt: Lapi-
dem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? 18
Omnis, qui ceciderit ſuper illum lapidem, conquaſſabitur: ſuper quem au-
tem ceciderit, comminuet illum. 19 Et quærebant principes ſacerdotum, &
Scribæ, mittere in illum manus illa hora: & timuerunt populum; cognove-
runt enim, quod ad ipſos dixerit ſimilitudinem hanc. 20 Et obſervantes
miſerunt inſidiatores, qui ſe juſtos ſimularent, ut caperent eum in ſermone, ut
traderent illum principatui, & poteſtati præſidis. 21 Et interrogaverunt eum,
dicentes: Magiſter, ſcimus, quia recte dicis, & doces: & non accipis perſonam,
ſed viam Dei in veritate doces: 22 Licet nobis tributum dare Cæſari, an
non?

non? 23 Conſiderans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis?
24 Oſtendite mihi denarium. Cujus habet imaginem, & inſcriptionem? Reſponden-
tes dixerunt ei: Cæſaris. 25 Et ait illis: Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæ-
ſari; & quæ ſunt Dei, Deo. 26 Et non potuerunt verbum ejus reprehendere co-
ram plebe: & mirati in reſponſo ejus, tacuerunt. 27 Acceſſerunt autem quidam
Sadducæorum, qui negant eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum, 28 Di-
centes: Magiſter, Moyſes ſcripſit nobis: Si frater alicujus mortuus fuerit habens
uxorem, & hic ſine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, & ſuſcitet
ſemen fratri ſuo. 29 Septem ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, &
mortuus eſt ſine filiis. 30 Et ſequens accepit illam, & ipſe mortuus eſt ſine fi-
lio. 31 Et tertius accepit illam. Similiter & omnes ſeptem, & non reliquerunt
ſemen, & mortui ſunt. 32 Noviſſime omnium mortua eſt & mulier. 33 In re-
ſurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? ſiquidem ſeptem habuerunt eam uxorem.
34 Et ait illis Jeſus: Filii hujus ſæculi nubunt, & traduntur ad nuptias. 35 Il-
li vero, qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nu-
bent, neque ducent uxores; 36 Neque enim ultra mori poterunt: æquales enim
Angelis ſunt, & filii ſunt Dei, cum ſint filii reſurrectionis. 37 Quia vero reſur-
gant mortui, & Moyſes oſtendit ſecus rubum, ſicut dicit Dominum, Deum Abra-
ham, & Deum Iſaac, & Deum Jacob. 38 Deus autem non eſt mortuorum, ſed
vivorum; omnes enim vivunt ei. 39 Reſpondentes autem quidam Scribarum, di-
xerunt ei: Magiſter, bene dixiſti. 40 Et amplius non audebant eum quidquam
interrogare. 41 Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt, Chriſtum filium eſſe Da-
vid. 42 Et ipſe David dicit in libro Pſalmorum: Dixit Dominus Domino meo,
ſede a dextris meis, 43 Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuo-
rum? 44 David ergo Dominum illum vocat, & quomodo filius ejus eſt? 45
Audiente autem omni populo, dixit diſcipulis ſuis: 46 Attendite a Scribis,
qui volunt ambulare in ſtolis, & amant ſalutationes in foro, & primas cathedras
in ſynagogis, & primos diſcubitus in conviviis. 47 Qui devorant do-
mos viduarum, ſimulantes longam orationem. Hi accipient damnationem ma-
jorem.

℣. 2. DIC NOBIS, IN QUA POTESTATE HÆC FACIS?] S. Lucas nihil ait eorum, quæ feria tertia ante Domini Paſſionem acciderunt [1]. Quod hic narratur, contigit feria quarta, die duodecima Niſan, cum poſtremo Jeſus in Templum veniſſet: non enim ex Bibliis liquet, ipſum, vel quinta, vel ſexta feria, mortis ſuæ die, illuc ingreſſum. Phariſæi ergo, & Legis Doctores, qui occaſionem ſcrutabantur illum perdendi, acceſſerunt, quædam ex eo quæſituri, ſi forte in verbis ipſius eum capere poſſent. Primum ergo ex eo quærunt, quinam hanc illi contulerit facultatem loquendi palam, ac in Templo docendi? quanam auctoritate Doctoris munus ſibi arroget, atque cenſoria nota Sacerdotes, Phariſæos, & nationis Principes audeat perſtringere; Leges etiam, mores, avitaſque traditiones reformare? Si JESUS CHRISTUS miraculis ſuis, miſſionis ſuæ perſpicua minime dediſſet palam monumenta, jure quidem Phariſæi, atque nationis proceres id ex eo quærebant. Sed poſt ea, quæ univerſis inſpectantibus acciderant, non poterant amplius adverſari, quominus Dei Filius prædicaret.

℣. 4. BAPTISMUS JOHANNIS.] Adinventum ne erat mere humanum, an cæremonia divina, atque a Deo approbata? Jeſus Phariſæorum interrogationi directe non reſpondet; noverat quippe pravam interrogantium voluntatem. Eos itaque eludit, aliud ex illis quærendo, quod illis negotium maxime faceſſeret; & ex quo illis elabi minime poſſe videbantur ſilentio, quoniam Iſrael univerſus, ac plurimi etiam Phariſæi [2], Johannis Baptiſma ſuſceperant. Vide dicta in S. Matth. 21. 24.

℣. 6. PLEBS UNIVERSA LAPIDABIT NOS.] Hæc omnia in Templo coram univerſo populo peracta ſunt: Non ignorabant Phariſæi, quin S. Johannes apud Judæos omnes ſummam obtinuiſſet exiſtimationem, cui ne officerent, cavebant, ne populus ſtatim ipſos citra quamvis judicii formam lapidibus obrueret, quod illi *judicium zeli* appellant, ab univerſa natione probatum.

℣. 8. NEQUE EGO DICO VOBIS, IN QUA POTESTATE HÆC FACIO.] Quoniam in cordibus veſtris pravam intueor voluntatem, qua impulſi id ex me quæritis; neque veſtram curioſitatem explere, neque ſatis nequitiæ veſtræ facere volo. Et mihi jus eſt ex vobis id quærendi, ſi vobis jus eſt hac de re me interrogandi.

℣. 9. HOMO PLANTAVIT VINEAM.] SS. Matth. 21. 33. & Marcus 12. 1. parabolam hanc iiſdem ferme vocibus adferunt. Vide noſtrum in eos Evangeliſtas Commentarium.

℣. 15. EJECTUM ILLUM EXTRA VINEAM.] Noluerunt illum occidere in vinea, ne cædis redarguerentur. Eos quodammodo imitati ſunt Judæi, JESUM CHRISTUM Romanis tradentes, extra Jeroſolymam crucifigendum.

℣. 16. VENIET, & PERDET COLONOS.] Dominus Deus Iſrael videns Judæorum ſcelera ad cumulum jam evaſiſſe, venit, eos Romanorum armis deletutus; abſtulit illis vineam, templum, præſidium ſuum, agros, religionem, eaque ad alios tranſtulit. In Synagogæ infidelis, ac reprobatæ locum Ethnici ſucceſſerunt.

DIXERUNT ILLI: ABSIT.] Narrat S. Matthæus c. 21. 41. ex Phariſæis, ubi hanc parabolam audiviſſent, JESUM quæſiviſſe, quid vineæ Dominus de ſceleſtis his facturus eſſet agricolis? Qui reſponderunt: eos perdet, vineamque tradet aliis, qui tempore ſuo

1 Vide Matth. 21. 18. 19. 22. Marc. 11. 12. . . . , 15.

2 Matth. 7. 2.

ſructum illis perſolvant. Ex S. Luca videtur Salvator A hanc reſponſionem probaſſe, & plane vel corporis geſtu, vel oculorum obtutu oſtendiſſe, ſe de illis loqui; quam ob rem addiderunt ipſi: abſit, avertat Deus, ne ſævum adeo, atque injuſtum ſacinus imitemur.

℣. 17. QUID EST ERGO HOC, QUOD SCRIPTUM EST: LAPIDEM, QUEM REPROBAVERUNT ÆDIFICANTES &c.] Si tactum hoc adeo perhorreſcitis, cur non & horreſcitis id, quod vobis modo dicturus ſum, & quod reipſa idem eſt? ædificantes lapidem rejiciunt, & nihilominus ſecundum Scripturas [1], Lapis hic fiet in caput anguli. Hoc plane oſtendit contemptum, quo me excipitis, licet ſim Meſſias veſter, & crudelitatem a vobis in me quamprimum exercendam: non enim ſolum me non recipietis; verum etiam contumeliis, calumniis, opprobriis affectum me damnabitis, atque B Gentilibus turpiſſima morte enecandum tradetis. Attamen & de nequitia veſtra, & de morte triumphum referam. Vobis invitis reprobatus lapis fiet lapis angularis. Vide S. Matthæum 21. 42. & Theophylactum in hunc ipſum locum.

℣. 20. OBSERVANTES MISERUNT INSIDIATORES.] Cum illius perdendi occaſionem maxime aucuparentur, ad eum de induſtria quoſdam miſerunt. Græcus ad literam [2]: *Phariſæi obſervantes illum, miſerunt, qui illi ſtruerent inſidias*, proprie latrones, qui ſecus majores vias in ne noris alicujus latebris delitelcunt, ut in prætereuntes impetum faciant [3]. S. S. Matthæus 22. 15. & Marcus 12. 13. docent, homines ad JESUM decipiendum miſſos, Phariſæos, & Herodianos fuiſſe. Simulabant illi, ſe extra quemlibet dolum, ejuſque capiendi conſilium acceſſiſſe: *qui ſe juſtos ſimularent* [4]. C

UT TRADERENT ILLUM PRINCIPATUI, & POTESTATI PRÆSIDIS.] Græcus [5], *ut traderent illum poteſtati, atque auctoritati Præſidis*, Pilati, qui Romanorum nomine abſolutam ea in regione obtinebat auctoritatem, qui ſupremum ibi exercebat judicium, & penes quem vitæ, necisque jus erat, quod Judæis fuerat ademptum. Nonnulli pro priore voce, *Principatui*, intelligunt poteſtatem Sanhedrin; pro reliqua, *poteſtati Præſidis*, Pilati auctoritatem; ſed prior præſtat explicatio.

℣. 22. LICET NOBIS TRIBUTUM DARE CÆSARI?] Quæſtio hæc tunc maxime vigebat propter Judam Gaulonitem, vel Galilæum, ejuſque ſectatores, qui aſſerebant, a Judæis uni Deo tributum eſſe perſolvendum, ne- D que alienum Principem quempiam agnoſcendum. Si JESUS CHRISTUS, reſpondens, eorum ſententiæ viſus fuiſſet ſuffragari, ejuſdem nomen, tamquam e *Galilæorum*, vel *Herodianorum* ſecta apud Pilatum detuliſſent, (eo quippe nomine ſectatores Judæ [6] appellabantur:) exploratum autem erat odium, quo Pilatus eam ſectam perſequebatur ex eo, quod haud ita pridem contigerat in eorum Galilæorum perſona, quos ſacrificia ſua in Templo offerentes [7], ibidem juſſerat jugulari. Quoad reliquam hujus rei partem vide S. Matth. c. 22 verſ. 17. 18. 19. 20. S. Lucas tributum iſthic appellat [8], quod SS. Marcus, & Matthæus [9], cenſum dicunt. Sed Græca vox, qua utitur, proprie ſignificat reale tributum, & quod in agros imponitur, & quod viritim irrogatur. Ita in Syria, atque fortaſſe in Judæa E etiam, quemadmodum in S. Matthæum oſtendimus, tributum perſolvi conſueverat.

℣. 24. CUJUS HABET IMAGINEM?] Tenet JESUS, neque diſſentiunt Judæi [10], ſupremi Regionis Principis eſſe pecuniam ſua imagine ſignatam cudere. Ergo, ſi Romani jus hoc in Judæos exercebant; jus quoque obtinebant tributi exigendi, quod eſt jus Principis. Supremam eorum ab effectis probat auctoritatem; ſed Herodiani optaſſent, ut de hujus juris origine diſſereret; utrum illud in Judæam bene, vel male ſibi comparaſſent.

SADUCÆI.] Quid de hac quæſtione adnotatum fuerit, vide in S. Matt. 22. 24. Videtur Saducæis argumentum, quod JESU CHRISTO proponunt, nodo Gordiano inſolubilius fuiſſe, atque Phariſæos nonniſi ſumma difficultate ſe ſe inde extricaſſe.

℣. 33. IN RESURRECTIONE, CUJUS EORUM ERIT UXOR?] Judæi generatim Meſſiæ tempore omnimodam mundi totius inſtaurationem, & generalem Judæorum omnium reſurrectionem præſtolabantur. Poſt hanc reſurrectionem, & ſub Meſſiæ Regno quodlibet ſibi bonorum, & voluptatum genus pollicebantur, præ- B ſertim vero futurum, ut vir cum uxore ſua, uti olim, in hac vita in lætitia, & gaudio vitam traducerent. Saducæi non minimum robur argumentorum habebant in eos, qui in reſurrectionem eo in ſenſu credebant, quem diximus, has ex ipſorum principiis capientes, ſed utrique ſimul errabant. Phariſæi, aliique Judæi neque tempus, neque rationem, neque effectus reſurrectionis noverant. Saducæi vero ignorabant immortalitatem animæ, & corporum reſurrectionem, quam omnino negabant. Prima immortalis eſt; hoc probat JESUS CHRISTUS. Reſurrectio accidet, ac non Meſſiæ tempore, quemadmodum illi arbitrabantur. Denique in altera vita nullum erit conjugium, nullus carnalis corporum concubitus. Quod Jeſus Sadocæis oſtendit ipſius Scripturæ teſtimonio, cujus auctoritatem & ipſi agnoſcebant. C

℣. 34. FILII HUJUS SÆCULI.] Homines, qui hoc in mundo vivunt, uxores ducunt, atque utuntur conjugio juxta Creatoris inſtitutum, ad humanum genus propagandum: ſed altera in vita, ℣. 35. *qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis*, nullas ducent uxores, non enim ultra neceſſaria erit propagatio, & ſpeciei multiplicatio. Ipſe loquitur de mortuorum reſurrectione, quæ poſt mundi finem continget: ſed Judæi hanc, ubi Meſſias adveniſſet, præſtolabantur, primum cum altero illius adventum confundentes. Primo Salvatoris adventu metaphorica accidit reſurrectio in mutatione vitæ, ac fidei plurimorum, qui in Jeſum crediderunt: ſed realis corporum D reſurrectio, nonniſi poſt ſæculorum finem eſt adimplenda. Reſurrectio proprie eſt tranſitus hominum, qui reſuſcitantur, ab hoc ſæculo ad futurum.

℣. 36. CUM SINT FILII RESURRECTIONIS.] Non erunt amplius, ut nunc filii hominum morti obnoxii; neque opus erit, ut ſe ſe in filiorum generatione reproducant; erunt *filii reſurrectionis*, vivent altera in vita æternum, numquam morituri: ideoque erunt *filii Dei*, & immortales [11]. *Filii reſurrectionis* iſthic opponuntur filiis ſæculi, mortalibus [12]; & *filii Dei* filiis hominum, obnoxii ſexcentis malis, atque permutationibus, quæ obſunt, ne ſemper ſubſiſtant. Reſurrectio ſpecies eſt novæ generationis ad immortalitatem. S. Paulus Act. 13. 33. de Salvatoris explicat reſurrectione ea Pſalmi 2. 7. verba; *filius meus es tu, ego hodie genui te*. E

℣. 44. DOMINUM ILLUM VOCAT; QUOMODO FILIUS EJUS EST?] Teſtatur S. Matthæus 22. 46. hanc Jeſu Chriſti interrogationem Phariſæis adeo crucem fixiſſe, ut eum interrogare ulterius auſi non fuerint. Videntur illi de Meſſia confuſiſſimas dumtaxat ideas concepiſſe. Non putabant, illum futurum eſſe Deum, duaſ-

---

1 Pſal. 117. 22 Act. 4. 11. Rom. 9. 33. 2 Καὶ [illegible] 3 Helye Grot. Salmaſ. Pric.
4 [illegible] 5 Τῇ ἀρχῇ, καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ ἡγεμόνος. In S. Luc. 12. 11. Epheſ. 3. 10. Coloſſ. 2 10. 1. Cor. 15. 24 & 1. Tit. 3. 1. Ἀρχαὶ, & Ἐξουσίαι conjuncta ſunt tamquam ſynonyma. Vide Price. Camer Brug 6 Vide noſtram Diſſert. de Judæorum ſectis, artic. de Herodianis.
7 Luc. 13. 1. *Quorum ſanguinem Pilatus miſcuit ſacrificiis eorum.*
8 Ἐξεστιν [illegible] 9 Matth. 22. 17. Ἔξεστι [illegible] Καίσαρι, Ita Marc. 12. 14. Vide Grot. hic. 10 Vide, ſi placet, Ligf. Chronol. 77 58.
11 Vide Tertull. de reſurrect. carnis c. 62 Brug Var. alios paſſim. 12 Apoc. 20. 6. *Beatus, & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima; in his ſecunda mors non habet poteſtatem.*

duaſque naturas, divinam ſcilicet, & humanam in ſe A conſociatutum: divinam, qua Dominus eſt David; humanam, qua filios eſt ejuſdem. Neque miıum eſt, quod hæ veritates illis exploratæ non fuerint, cum Apoſtoli ipſi poſt ea, quæ toties hauſerant a Salvatore, non ſatis adhuc rectos ſenſus de Meſſia, & regno illius imbuerant. Tunc vero temporis nemo dubitabat, quin Pſalmus 109. ad Meſſiam pertineret.

℣. 46. ATTENDITE A SCRIBIS, QUI VOLUNT AMBULARE IN STOLIS.] Salvator hoc ipſum ferme exprobrat Phariſæis, cum ait Matth. 23. *dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias*. Utrique, Phariſæi videlicet, atque Legis Doctores eodem ſuperbiæ, ac vanitatis ſpiritu intumeſcebant, qui extrinſecus etiam in veſtes, omnemque vivendi rationem ſe ſe prodebat; Deridet hic Jeſus Chriſtus eorum ſyrmata, & affectationem in indumentis feſtivis: hæc in ſe nihil mali habent, ſed eorum abuſum, vanitatem, affectationem Jeſus Chriſtus perſtringit. Pro capite reliquo vide Lucam 11. 43. Matthæum 23. ℣. ℣. 5. 6. 7. 14. & Marcum 12. ℣. ℣. 38. 39. 40.

IN SYNAGOGIS.] Vel generatim in cœtibus, cum illis, qui reipublicæ cauſa ſimpliciter, cum illis, qui in Templo, vel Synagogis habentur. Phariſæi per ambitionem ubique primas obtinere geſtiebant, licet neque lex, neque privilegium hunc illis honorem deferrent, qui etiam ſi illis deferretur, hoc tamen eorum vanitatem, ſollicitudinem, affectationem non probaret.

CAPUT XXI.

Oblatio pauperis viduæ ditiorum oblationibus præfertur. Templi excidium, Apoſtolorum perſecutio, Judæorum in omnes terras diſperſio. Signa, quæ Judicium præcedent. Ficus parabola. In noviſſimæ diei expectatione vigilandum.

1. RESpiciens autem, vidit eos, qui mittebant munera ſua in gazophylacium,
divites. 2 Vidit autem & quamdam viduam pauperculam mittentem æ-
ra minuta duo, 3 Et dixit; Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper
pluſquam omnes miſit. 4 Nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera
Dei; hæc autem ex eo quod deeſt illi, omnem victum ſuum, quem habuit, mi-
ſit. 5 Et quibuſdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus, & donis or-
natum eſſet, dixit: 6 Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinque-
tur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. 7 Interrogaverunt autem illum, di-
centes: Præceptor, quando hæc erunt, & quod ſignum, cum fieri incipient? 8
Qui dixit: Videte, ne ſeducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes
quia ego ſum: & tempus appropinquavit: nolite ergo ire poſt eos. 9 Cum au-
tem audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, ſed
nondum ſtatim finis. 10 Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & re-
gnum adverſus regnum. 11 Et terræmotus magni erunt per loca, & peſtilentiæ,
& fames, terroreſque de cœlo, & ſigna magna erunt. 12 Sed ante hæc omnia
injicient vobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in ſynagogas, & cuſtodias,
trahentes ad reges, & præſides, propter nomen meum: 13 Continget autem vo-
bis in teſtimonium. 14 Ponite ergo in cordibus veſtris, non præmeditari, quem-
admodum reſpondeatis. 15 Ego enim dabo vobis os, & ſapientiam, cui non po-
terunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarii veſtri. 16 Trademini autem a
parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis: 17
Et eritis odio omnibus propter nomen meum: 18 Et capillus de capite veſtro non
peribit. 19 In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. 20 Cum autem vide-
ritis circumdari ab exercitu Jeruſalem, tunc ſcitote, quia appropinquavit deſola-
tio ejus. 21 Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes: & qui in medio ejus,
diſcedant: & qui in regionibus, non intrent in eam. 22 Quia dies ultionis ſunt,
ut impleantur omnia, quæ ſcripta ſunt. 23 Væ autem prægnantibus, & nutrien-
tibus in illis diebus, erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic.
24 Et cadent in ore gladii: & captivi ducentur in omnes Gentes, & Jeruſalem cal-
cabitur a Gentibus: donec impleantur tempora nationum. 25 Et erunt ſigna in
ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus ma-
ris, & fluctuum: 26 Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ
ſupervenient univerſo orbi: nam virtutes cœlorum movebuntur: 27 Et tunc vide-
bunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & majeſtate. 28 His
autem fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra: quoniam appropinquat re-
demptio veſtra. 29 Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores: 30
Cum producunt jam ex ſe fructum, ſcitis, quoniam prope eſt æſtas. 31 Ita & vos cum vi-
deritis

Digitized by Google

deritis hæc fieri, ſcitote, quoniam prope eſt regnum Dei. 32 Amen dico vobis, quia
non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. 33 Cœlum, & terra tranſibunt; ver-
ba autem mea non tranſibunt. 34 Attendite autem vobis, ne forte graventur corda ve-
ſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & ſuperveniat in vos repentina dies
illa: 35 Tamquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis
terræ. 36 Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta o-
mnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis. 37 Erat autem diebus docens
in templo: noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. 38 Et
omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

℣. 1. VIDIT EOS, QUI MITTEBANT MUNERA SUA IN GAZOPHYLACIUM.] Vide a nobis dicta in S. Marcum 12 ℣. 41. 42. Hoc accidit feria quarta ante Paſſionem Domini ſub veſperam, cum Jeſus de Templo egrederetur, ut ad Montem Olivarum ſe ſe reciperet. Prope Templi portam plurima erant Gazophylacia in arcularum formam, quo quilibet pro pietate ſua oblationes ſuas injiciebat [1]. Hac in re, quemadmodum in aliis pleriſque, major erat faſtus, & vanitas, quam ſolida pietas: hoc Salvator Apoſtolis ſuis oſtendit exemplo mulierculæ illius, quæ ibi duo injecit minuta [2], quaſi diceres obolos duos.

℣. 3. PLUSQUAM OMNES MISIT.] Qua de cauſa? quod ex iis, quæ ſibi erant neceſſaria, hæc obtulit, cum alii nonniſi ex iis, quæ ſibi ſuperflua ſunt, offerant. ℣. 4. *Omnes hi ex abundantia . . . hæc autem ex eo, quod deeſt illi* [3]. Non vult Deus vacuis manibus coram illo nos prodire [4]: verum muneribus noſtris non indiget: cor noſtrum, noſtramque pectis voluntatem, eamque integram, non ſecus ac muliercula hæc omnia offert, quæ habet: *nec de abundantia portio, ſed de modico totum datur*, inquit S. Cyprianus de Oper. & Eleemoſ. *omnem victum ſuum, quem habuit, miſit*, ait Lucas ℣. 4.

℣. 5. QUOD BONIS LAPIDIBUS, ET DONIS ORNATUM EST.] Docet Joſephus de Bello l. 6. in Jeroſolymitano Templo, quod Romani everterunt, quod ipſum Apoſtoli admirabantur, fuiſſe lapides quoſdam cubitorum quadraginta longitudinem habentes, & columnas in porticibus atria ambientibus in cubitorum viginti altitudinem ſurrexiſſe, ex uno tantum nitente, pretioſoque lapide elaboratas. Munera vero, & opes, quæ ibi aſſervabantur, immenſa quidem erant: Judæi enim ex omnibus terrarum plagis, quidquid pretioſiſſimum habebant, illuc mittebant. Rex Herodes [5] Templi ædificandi opus aggreſſus, nitidos, ſolidoſque lapides adhibuit, quinque, & viginti cubitorum longitudine, octo craſſitie, & duodecim latitudine præſtantes. Ante illum Templum undequaque barbarorum populorum ſpoliis exornatum erat, quæ ipſe inſtauravit, recens dedicavit, atque complura nova, quæ de Arabibus ceperat, vetuſtis adjunxit. Externi quoque Principes certatim magnifica illuc mittebant munera. Auguſtus Templum beneficiis ſuis cumulavit [6], ibique Herodes Magnus [7] collocavit vitem auream magnitudinis, & ponderis prorſus inauditi.

℣. 7. PRÆCEPTOR, QUANDO HÆC ERUNT?] In reliquum caput videri poteſt S. Matthæus 24. 3. Docet Evangeliſta, Apoſtolos hoc quæſiviſſe, cum jam urbe exceſſiſſent, & ad montem Olivarum ex adverſo Templi perveniſſent.

℣. 8. MULTI VENIENT IN NOMINE MEO DICENTES; QUIA EGO SUM.] Non dicent, ſe ad me ſpectare, & a me miſſos eſſe; non enim hoc ſignificant iſthic ea verba: *in nomine meo*: ſed Chriſti, & Meſſiæ nomen, quod mihi uni convenit, ſibi vendicabunt. Vide S. Matt. 24. ℣. 5. 24.

ET TEMPUS APPROPINQUABIT.] Re quidem vera duorum ſæculorum ſpatio plurimi recenſentur Pſeudo-Chriſti, ac tenebriones, qui ſe illum eſſe jactitabant, qui jampridem expectabatur [8]. Explicari etiam poteſt: *tempus appropinquavit*, perinde hæc eſſent Pſeudo Chriſtorum verba, qui dicent: ego ſum Chriſtus; ſalutis veſtræ tempus venit, tempora pro adventu meo prænotata adimpleta ſunt, quemadmodum S. Johannes Baptiſta, & Salvator ipſe initio prædicationis ſuæ dicebat [9]: *Appropinquavit regnum Cœlorum*: jam venit, illud vobis annuntio.

℣. 9. OPORTET PRIMUM HÆC FIERI; SED NONDUM STATIM FINIS.] Judæorum defectiones, atque turbæ in ſingulis ferme eorum Civitatibus ſigna erant prævia eorum malorum, quæ ipſis impendebat; ſed malorum eorumdem tantummodo initium.

℣. 10. SURGET GENS CONTRA GENTEM.] Phœnices, Philiſthini, Samaritani in Judæos inſurrexerunt, eoſque crudeliter in urbibus ſuis jugularunt, teſte Joſepho. Vide S. Matt. 24. 7.

℣. 11. TERRORES DE COELO, ET SIGNA MAGNA ERUNT.] Narrat Joſephus de Bell. l. 6. cap. 12. dediſſe Deum plurima oſtenta imminentis excidii Jeroſolymitani: totius anni intervallo in Cœlo viſum fuiſſe gladium huic urbi impendentem. Anno ante Judæorum defectionem, & Judææ turbas per Paſchatis feſtivitatem apparuit ignis circum altare, ac Templum, quo noctu tamquam pleno die illuſtratum fuit ad horæ dimidium. Die eadem Bos, qui ad ſacrificium rapiebatur, peperit agnum in Templo. Orientalis templi interioris porta, quæ maxima erat, maximique ponderis, concubia nocte, ſponte patuit. Paucis diebus poſt eamdem Paſchatis feſtivitatem viſi ſunt in aere currus quidam, atque exercitus ſemet invicem illidentes. Nocte Pentecoſtes Sacerdotes audierunt ſtrepitum ingentem, & quemdam veluti fremitum, ac paulo poſt repente vox erupit clamans, *egrediamur hinc*. His, credo, ſatis probantur ea, quæ a Salvatore hoc in loco dicuntur.

℣. 12. ANTE HÆC OMNIA.] Plerique Apoſtolorum jam martyrio coronati fuerant, atque interfecti, antequam Jeroſolyma everteretur.

℣. 14. NON PRÆMEDITARI.] Non vetat juſtam, legitimamque curam, atque attentionem. Verum damnat ſpiritus ſollicitudines, & anxietates, atque defectum confidentiæ in Deo.

℣. 19 IN PATIENTIA VESTRA POSSIDEBITIS ANIMAS VESTRAS.] At quomodonam per patientiam vita ſalvari poteſt inter perſecutiones, atque ſupplicia? Iſthic revocanda ſunt ea, quæ Matt. 10. 39. docuit Salvator: *qui invenit animam ſuam, perdet illam; & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Qui mihi famulatur, vitam ſuam ſervat, cum fortiter pro gloria nominis mei, ac veritatis honore illam effundit. Vivatis, oportet, multa patiendo, ac vitam veſtram

1 4. Reg. 12. 9. 2 Λεπτὰ δύο. Marc. 12. 42. Λεπτὰ δύο ὅ ἐστι κοδράντης.
3 Ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς, . . . ἡ δὲ ἐκ τοῦ ὑστερήματος αὐτῆς. 4 Exod. 23. 15.
5 Joſeph Antiq. l. 15. cap. 14. 6 Philo Legat. in Cajum, p. 1014.
7 Joſeph. Tacit. Strabo. Grot. hic. 8 Grot. Brug. alii.
9 Matth. 3. 2. 4. 17. 10. 7. &c.

veſtram pro mea gloria accedendo; mors veſtra erit victoria, & felicitas veſtra [1]: *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*: qui conſtans inter perſecutiones ad mortem uſque permanſerit [2], æternum vivet, ac infinita beatitudine perfruetur.

℣. 20 CUM VIDERITIS CIRCUMDARI AB EXERCITU JERUSALEM.] Græcus [3] legit numero multitudinis, *ab exercitibus*. Profecto Romanus exercitus trifariam diviſus fuit, ut ingentem eam Civitatem obſidione vallaret. Ad hæc Romanus exercitus conflatus erat ex Romanis legionibus, aliiſque compluribus auxiliarium militum copiis, quæ totidem quodammodo exercitus conſtituebant. Cum videritis ergo urbem obſeſſoribus circumſeptam: tunc ſcitote, urbis, Templique excidium imminere. Obſidio poſt Paſcha incœpit, & ſex circiter menſes in Auguſtum uſque protracta fuit.

℣. 21. QUI IN JUDÆA SUNT &c.] Hoc expleverunt primi Palæſtinæ Chriſtiani, trans Jordanem in montes Galaad, Pellam, ac in finitimas Civitates ſe ſe recipientes [4].

QUI IN REGIONIBUS NON INTRENT IN EAM.] Qui in Judæa, agriſque Jeroſolymæ finitimis verſantur, caveant, ne in hanc urbem ingrediantur; uti plerumque accidit, cum, ut militum vis evitetur, in munitam aliquam arcem conceditur. Qui illic clauſi fuerint, ibi interibunt: quod ſatis ſuperque probavit eventus. Jeroſolyma fuit plerorumque Judæorum ſepulchretum. Quidam Græcum [5] ita vertunt: *Qui ſunt in agris, non intrent illuc, non ingrediantur in civitatem*.

℣. 22. DEUS ULTIONIS.] Prædixerant Prophetæ [6], futurum ut Meſſias a Judæis rejiceretur, occideretur, ac Dominus illis ſuum Templum auferret, alium populum eligeret, ac Templum penitus exſcinderetur. Jeſus Chriſtus has minas [7] inſtauraverat: & Judæi ipſi ad unguem adimpletas fuiſſe teſtantur. Joſephus noviſſimum Romanorum bellum adverſus gentem ſuam fuſe adeo deſcripſit, ut nihil ea in re deſiderandum ſuperſit.

℣. 23. ERIT ENIM PRESSURA MAGNA ..... ET IRA.] Græcus [8]: *erit neceſſitas*, afflictio, calamitas *ſuper terram, & in populum*. Judæi iis malis obruentur, ex quibus numquam emergere poterunt; atque ira Dei in illos, quanta eſt, emicabit.

℣. 24. CAPTIVI DUCENTUR.] Joſephus l. 7. de Bel. cap. 16. auctor eſt, in noviſſimo Romanorum adverſus Judæos bello nonaginta ſeptem millia capta fuiſſe. Cum miles cædibus fatigatus eſſet, præcepit Titus, ut adoleſcentiores, qui ceteris & robore, & forma præſtarent, ad triumphi ornatum ſervarentur; alios vero, qui ſeptemdecim annorum ætatem excederent, in Ægyptum miſit, ut ibi in cuniculis operam collocarent. Alios etiam complures in provincias Titus diſtribuit, ut in theatris populo præberent ſpectacula, vel feris objicerentur, vel ſemet mutuo cum ſpectatorum voluptate interficerent. Qui ſeptemdecim annorum ætatem nondum attigerant, venumdati ſunt, atque veluti viliſſima mancipia plurimos in locos abducti. Captivorum Judæorum numerus Romæ, & in imperio tantus erat, ut Rutilius Numatianus Ethnicus Poeta, qui ſub annum 420 floruit, his verbis conqueratur.

Atque utinam numquam Judæa ſubacta fuiſſet
Pompeii bellis, imperioque Titi!
Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
Victoreſque ſuos natio victa premit.

CALCABITUR A GENTIBUS, DONEC IMPLEANTUR TEMPORA NATIONUM.] Jeroſolyma capta, & everſa a Romanis, ex ruderibus illius alia Civitas extructa

A fuit, ex nomine *Ælii Adriani* Imperatoris [9] *Ælia Capitolina* nuncupata, quæ nequaquam ſita erat eodem in loco, ac vetus Jeroſolyma, ſed paulo magis ad occaſum, & boream ſuper Calvarii montem, ubi Jeſus Chriſtus, & Cruci affixus fuerat, & poſitus in monumento. In hac Urbe Ælia incolebant Ethnici, & Chriſtiani nonnulli: Judæis enim interdictum fuit trecentis, vel etiam quadringentis annis [10], ne illuc pedem inferrent: quinimmo emebant numerata pecunia facultatem illam, eminus proſpiciendi, ac veteris ſuæ Patriæ interitum deplorandi. Ita Jeruſalem polluta fuit, conculcata, diruta, everſa uſque a fundamentis, *a gentibus donec impleantur tempora nationum*; videlicet uſque dum Religio Chriſtiana Ethnicæ prævaluit, quæ illi ſemper reſtiterat, eamque uſque ad magni

B Conſtantini tempora fuerat perſecuta. Hic enim Princeps perſecutionibus finem impoſuit, atque Eccleſiæ libertatem donavit [11]. Hæc epocha eſt temporis, quo adimpleta ſunt nationum tempora, atque Chriſtianæ religionis regnum incepit.

Sed deinde umquamne Jeroſolymam redierunt Judæi? non pollicetur iſthic Jeſus Chriſtus eos illuc redituros; ait dumtaxat, Jeroſolymam ad id uſque temporis ſub Ethnicorum poteſtate futuram. Certe liquet, Judæos Patriæ ſuæ numquam reſtitutos fuiſſe, ex quo ab Adriano Imperatore ejecti fuerunt: ſed cum magnus Conſtantinus, atque Helena Mater illius de Jeruſalem abſtulerunt idololatriæ monumenta, quibus polluebatur, atque Jeſu Chriſti ſepulchrum, & locus mortis ejuſdem illuſtria facta ſunt, atque glorioſa propter

C Principis, atque fidelium pietatem; Jeruſalem priſtini ſplendoris ſui aliquam partem recepit. Chriſtiani undequaque illuc ſe ſe contulerunt, atque eo in honore civitas habita fuit, quo præſtantiſſimæ terrarum orbis Civitates ob ea privilegia, quæ Epiſcopis, Civibuſque ſuis conceſſa fuerunt. Prophetiæ [12], quæ afferuntur ad probandum, aliquando Iſrael in Patriam ſuam reverſurum, explicandæ ſunt de populo Chriſtiano, qui in in Judæorum jura ſucceſſit, & qui heres eſt eorum, quæ antiquo illi populo fuerant promiſſa.

℣. 25. ERUNT SIGNA IN SOLE, ET LUNA.] Videri poſſunt ea, quæ adnotavimus in ℣. 11. de ſignis, & præſagiis excidii Jeroſolymitani. Prophetæ, ut plurimum Imperiorum interitum, & lapſum iiſdem ferme vocibus portendunt, quibus Salvator hic utitur.

D Orientales hujuſmodi in occaſionibus ita loqui conſueverant: Sol tenebris ſe ſe obduxit; Luna nubibus tecta fuit. Stellæ negarunt lucem ſuam; Cœlum, ac mare miſcentur, ut ita dicam, atque perturbantur. Hujuſmodi loquendi rationes preſſius ad litteram intelligendæ non ſunt; ſed graviſſimam dumtaxat indigitant calamitatem. Antiquis perſuaſum erat, nullas in Republica calamitates accidere, quin aliqua prius in Cœlo, vel in terra præſagia viderentur. Veteres omnes hiſtorici commentitiis hujuſmodi portentis diffluunt. Titus Livius, Suetonius, aliique fere omnes popularem hanc ſententiam ſecuti ſunt, atque huic præjudicio ſe ſe ſubmittere quodammodo videtur Salvator, & fortaſſe eadem de cauſa ſæpe Deus permiſit, ut reipſa viderentur in Cœlo ſigna, quæ futura

E mala portenderent: quemadmodum ea ex gr. Jeroſolymæ notata ſunt, antequam illi Antiochus Epiphanes ea inferret mala, quæ in 2. Macchabæorum 5. v. 3. leguntur. Alia quoque ibi viſa ſunt, antequam ea urbs a Romanis everteretur, quemadmodum ſuper Joſephi auctoritate probavimus [13].

IN TERRIS PRESSURA GENTIUM PRÆ CONFUSIONE.] Græcus [14]: *in terris erit preſſura gentium in inquietu-*

[1] Matth. 24. 13. [2] Vide Grot. Brug. Eſt. Tir. Menoch. [3] Ὑπὸ στρατοπέδων.
[4] Euſeb. hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 5. [5] Οἱ ἐν ταῖς χώραις. Vide Bez. Piſcat. Lud. de Dieu.
[6] Vide Iſai. 52. 54. & ſeqq. Zachar. 11. 12. 13. 14. Malach. 3. 4.
[7] Matt. 24. 2. Luc. 19. 24. & 21. [8] Ἔσται γὰρ ἀνάγκη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ.
[9] Dio Caſſ. in excerptis Xiphilini. Euſeb. lib. 4. hiſtor. Eccleſ. cap. 6.
[10] Tertull. contra Judæos, cap. 13. & Apolog. cap. 21. Cyprian. de Idolor. vanit. Hilar. in Pſalm. 58. Euſeb. in Pſalm. 58. Hieronym. in Sophon. 1. & alibi. [11] Euſeb. de vita Conſtant. l. 3. c. 26.
[12] Iſai. 65. 22. Jerem. 12. & 31. Ezech. 20. 37. 28. Oſee 3. Vide Grot. hic
[13] Joſeph. de bel. l. 7. c. 12. p. 960. [14] Συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ. Epiphan. Συνοχαί. Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 39. Anguſtiæ.

quitudine, vel in deſperatione, vel ambiguitate. Hæc gentium preſſura non aliud erit, quam afflictio, dolor, mœſtitia, qua afficientur, hoſtibus undequaque ſtipati, quin ex tot malis emergere poſſint. Hæc erat Judæis conditio Ieroſolymæ, hinc Romano exercitu obſeſſis, ita ut extra urbem exire minime liceret, inde a ſeditioſis vexatis, qui Templo potiti ſanda, atque infanda omnia contra Cives edebant. Evangeliſta de Judæis, tamquam pluribus nationibus verba facit: *preſſura gentium*; eo quod populus ille in plures Tribus diviſus erat, & Ieroſolyma obſidionis tempore repleta erat Judæis, qui ex pluribus regionibus illuc ad Paſchatis celebritatem confluxerant. Fortaſſe innuit etiam merum omnium Provinciarum, vel omnium Palæſtinæ locorum, qui Ieroſolymam tamquam nationis univerſæ propugnaculum putabant, quo ſuperato, de regione univerſa actum arbitrabantur.

SONITUS MARIS, ATQUE FLUCTUUM.] Græcus [1] habet: *mare edens ſonitum ſonorum, & procella* eminus audita; vel mare terribilem ſtrepitum edens, fluctus ſuos in ea littora illidens. Credit Euthymius, mare ſponte agitatum fuiſſe, quin vento, vel procella commoveretur. Cenſent alii, hoc innuere non ſolum maximam rerum perturbationem, ita ut Cœlum, mare, ac terra in priſtinum chaos redire viderentur [2]. Hæ Poeticæ ſunt loquendi rationes [3].

Quis Cœlum terris non miſceat, & mare Cœlo,
Si fur diſplicerat Verri, homicida Miloni?

℣. 26 ARESCENTIBUS HOMINIBUS PRÆ TIMORE.] Græcus ad litteram [4]: *hominibus præ pavore morientibus*: ſatis intelligitur, quid hoc ſibi velit: tanta erunt mala, ut ſolus timor, & ſolus eorum adſpectus præ formidine poterunt necem inferre.

VIRTUTES COELORUM MOVEBUNTUR.] Hoc explicatur vel de Angelis, atque Cœleſtibus virtutibus, quas tot calamitatum intuitus terrebit, atque turbabit; vel de ſyderibus, quæ ob terribilem hanc rerum perturbationem, quodammodo commovebuntur. Prophetæ vulgo ſimiliter loquuntur, ubi de Imperiorum lapſu, ac rerum publicarum interitu verba faciunt [5]: Cœli quamvis ſolidi, atque immobiles ex terribili hoc lapſu concutientur: ipſi quoque commovebuntur, atque ſtupebunt. Veteres aſtrorum ſerutatores [6] credebant, poſt certam annorum ſeriem Cœlos ſuper baſim ſuam commoveri, atque ſitum mutare. In prophetico, poeticoque ſtylo hoc in magnis Imperiorum mutationibus accidere dicitur.

℣. 27. TUNC VIDEBUNT FILIUM HOMINIS.] Judæi illum corporeis oculis nonniſi in extremo judicio intuebuntur: tunc, ut ait Scriptura [7], conſiderabunt eum, quem clavis confixerunt. Sed in Ieroſolymitano excidio, quicumque voluerint prædictiones ejuſdem cum eventu conferre, perſpicue intelligent, hunc fuiſſe diem adventus ſui, quem aperte adeo deſignat Evangelium. Nemo non videre poteſt, illud Dei ſupplicium fuiſſe [8].

℣. 28. HIS FIERI INCIPIENTIBUS.] Ad illud uſque tempus Judæorum perſecutioni, & crudelitati obnoxii eritis; ſed mala Judææ, & Ieroſolymæ vaſtitas ſunt veſtræ libertatis præſagia: attollite audacter caput, & eminus conſiderate incedulę, atque infidelis nationis hujus excidium. Tunc præſertim meum regnum incipiet Gentilium converſione, atque Eccleſiæ meæ in omnem terram propagatione. Tunc janua ſalutis omnibus patebit hominibus, atque in omnes gentes per fidem regnabo, quemadmodum per infinitam poteſtatem meam in eaſdem regno. Vide infra ℣. 31.

℣. 30. CUM PRODUCUNT JAM EX SE FRUCTUM.] Hoc de ficu intelligendum eſt, quæ non floret [9], ſed profert fructum ſuum cum germine. Græcus ſimpliciter legit [10]: *vide ficum*, & alias arbores, *cum germinare incipiunt*. Non loquitur de fructibus, neque de floribus, ſed generatim ubi incipit parere frondes, flores, vel fructus juxta arboris naturam. Cum ergo ea intuebimini præſagia, de quibus locutus ſum; ſcitote, Dei Regnum jam adeſſe. ℣. 31. Hoc non adeo longe abeſt, uti fortaſſe creditis ℣. 32. ex his ipſis, qui hodie vivunt, non morientur aliqui, antequam hæc omnia compleantur. Hæ non ſunt conditionales vel minæ, vel promiſſiones. ℣. 33. *Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.*

℣. 34. NE FORTE GRAVENTUR CORDA VESTRA IN CRAPULA.] Græcum verbum [11], quod vertitur *crapula*, ſignificat nauſeam, atque cruditatem, qua ille laborat, qui nimio ſe ſe mero polluerit: ebrietas vero ſtatum hominis, qui actu rationis uſum propter vinum amiſit. Salvator Diſcipulis ſuis vigilantiam, temperantiam, ſobrietatem commendat, ne ſomno, vel oblivione capiantur eorum, quæ illis portendit, & ne repente una cum Judæis in Patriæ ſuæ excidio involvantur. Nam ℣. 35. *tamquam laqueus ſuperveniet in homines, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ*. Nemo hæc mala evitabit, niſi qui vigilaverit, & cujus menti nullæ offuſæ fuerint nubes, & cujus cor terrenis curis vacuum fuerit, *curis hujus mundi*; atque concludit ℣. 36. *vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis*; prodire ad tribunal illius, & ſine metu expectare ſententiam, quam proferet: certi, illum vobis cauſam adjudicaturum, vos in libertatem, atque honorem evocaturum; eodem tempore, quo delebit inimicos veſtros, eoſque rediget in ſervitutem.

℣. 37. ERAT DIEBUS DOCENS IN TEMPLO.] Ita plurimum conſueverat toto ſuæ prædicationis triennio, cum Jeroſolymam accederet, diem in Templo, noctem vero in monte Olivarum traducens. Noviſſima hac vitæ ſuæ hebdomada ferias ſecundam, tertiam, & quartam tranſegit in Templo; veſpere autem Bethaniam, vel ad Montem Olivarum ſe ſe recipiebat. Docent Rabbini [12], divinam præſentiam tres annos in monte Olivarum fuiſſe jugiter prædicantem: *quærite Dominum, dum inveniri poteſt, invocate eum, dum prope eſt*, & habent traditionis loco, Meſſiam ſæpius ad Montem Olivarum iturum.

℣. 38. ET OMNIS POPULUS MANICABAT AD EUM.] Summo mane ad eum accedebant. Jeſus illuc mane pergebat, ut populos edoceret, licet difficilem in eorum corda, & mentes aditum inveniret propter illorum præjudicia, & quod Sacerdotes, atque Phariſæi in populo everrebant, quidquid Jeſus Chriſtus ædificaverat. *Manicare* verbum eſt non ſatis latinum; ſed ad unguem reſpondet Græco [13], ſignificanti, ſummo mane proficiſci. Invenitur in quodam Juvenalis interprete ad Satyr. 5. & in pluribus inferioris [14] Latinitatis Auctoribus: at numquam apud probatos latinæ linguæ auctores illum ſe inveniſſe S. Auguſtinus in Judic. qu. 46. teſtatur.

---

1 Ἠχούσης θαλάσσης, καὶ σάλου. Quædam MSS. legunt: Ἤχους ſonitus. Ut Vulg. Vide Mill.
2 Vide Iſai. 13. 9. 10. 13. 19.
3 Juvenal. Satyr. 2. v. 17. Vide Claric. ad Hamm.
4 Ἀποψυχόντων ἀνθρώπων.
5 Ezech. 32. 7. Joel. 3. 15. Iſai. 13. 9. 10.
6 Columel. de Re ruſt. lib. 1. c. 1. *Multos jam memorabiles auctores comperi perſuaſum habere longo ævi ſitu, qualitatem Cœli ſtatumque moveri, eorum conſultiſſimum Aſtrologiæ Profeſſorem Hypparchum prodidiſſe tempus fore, quo cardines mundi loco moverentur, &c.*
7 Zach. 12. 10.
8 Joseph. de bello, lib. 7. cap. 16. in Lat. pag. 967. & alibi ſæpius.
9 Plin. lib. 16. c. 25. Vide Arrian. Epictet. 1. 15.
10 Ὅταν προβάλωσιν ἤδη.
11 Μήποτε βαρυνθῶσιν αἱ καρδίαι ὑμῶν ἐν κραιπάλῃ, καὶ μέθῃ. Vide Grot. hic.
12 Rabb. Janna in Midras Thillim.
13 Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ὤρθριζε πρὸς αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ ἀκούειν αὐτοῦ.
14 Vide du Gange, Gloſſar. Voce, *manicare*.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Concilium Sacerdotum de interficiendo JESU. Judæ proditio. Mittit JESUS diſcipulos, Paſcha præparaturos. Noviſſima JESU CHRISTI cœna. Diſcipulorum de primatu contentio. S. Petri fides non defectura. JESUS in Horto. Ejus oratio, agonia, ſudor Sanguinis. Venit Judas cum militibus. Petrus Malcho auriculam abſcidit. JESUS ad Caipham adductus. S. Petri negatio. Contumeliæ, quibus afficitur JESUS CHRISTUS. S. Petri pœnitentia, & lacrymæ. Sacerdotum, magnique Concilii cœtus contra JESUM CHRISTUM; Qui ſe CHRISTUM eſſe confitetur, & morti adjudicatur.

1. A Ppropinquabat autem dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha: 2 Et
quærebant principes ſacerdotum, & Scribæ, quomodo Jeſum interficerent:
timebant vero plebem. 3 Intravit autem ſatanas in Judam, qui cogno-
minabatur Iſcariotes, unum de duodecim, 4 Et abiit, & locutus eſt cum princi-
pibus ſacerdotum, & magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis. 5 Et ga-
viſi ſunt, & pacti ſunt pecuniam illi dare. 6 Et ſpopondit. Et quærebat oppor-
tunitatem, ut traderet illum ſine turbis. 7 Venit autem dies Azymorum, in qua
neceſſe erat occidi paſcha. 8 Et miſit Petrum, & Joannem, dicens: Euntes pa-
rate nobis paſcha, ut manducemus. 9 At illi dixerunt: Ubi vis paremus? 10
Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo
quidam amphoram aquæ portans: ſequimini eum in domum, in quam intrat, 11
Et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magiſter: Ubi eſt diverſorium, ubi pa-
ſcha cum diſcipulis meis manducem? 12 Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum ma-
gnum ſtratum, & ibi parate. 13 Euntes autem, invenerunt, ſicut dixit illis, &
paraverunt paſcha. 14 Et cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli
cum eo. 15 Et ait illis: Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum,
antequam patiar. 16 Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, do-
nec impleatur in regno Dei. 17 Et accepto calice gratias egit, & dixit: Acci-
pite, & dividite inter vos: 18 Dico enim vobis, quod non bibam de generatio-
ne vitis, donec regnum Dei veniat. 19 Et accepto pane gratias egit, & fregit,
& dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite
in meam commemorationem. 20 Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens:
Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. 21
Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa. 22 Et quidem Filius
hominis, ſecundum quod definitum eſt, vadit: verumtamen væ homini illi, per
quem tradetur. 23 Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis, qui hoc
facturus eſſet. 24 Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur
eſſe major. 25 Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum: & qui pote-
ſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. 26 Vos autem non ſic: ſed qui ma-
jor eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. 27
Nam quis major eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit? Ego
autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. 28 Vos autem eſtis, qui per-
manſiſtis mecum in tentationibus meis. 29 Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit
mihi Pater meus regnum, 30 Ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno
meo: & ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſrael. 31 Ait autem
Dominus: Simon, Simon, ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum:
32 Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conver-
ſus confirma fratres tuos. 33 Qui dixit ei: Domine, tecum paratus ſum & in
carcerem, & in mortem ire. 34 At ille dixit: Dico tibi, Petre, non cantabit
hodie gallus, donec ter abneges noſſe me. Et dixit eis: 35 Quando miſi vos ſi-
ne ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? 36 At illi
dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc, qui habet ſacculum, tollat ſimiliter
& peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. 37 Dico

enim

enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me: Et
cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea, quæ ſunt de me, finem habent. 38 At il-
li dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis eſt. 39 Et e-
greſſus ibat ſecundum conſuetudinem in Montem olivarum. Secuti ſunt autem illum
& diſcipuli. 40 Et cum perveniſſet ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in
tentationem. 41 Et ipſe avulſus eſt ab eis, quantum jactus eſt lapidis: & poſitis
genibus orabat, 42 Dicens: Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum a me: Verum-
tamen non mea voluntas, ſed tua fiat. 43 Apparuit autem illi angelus de cœlo,
confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. 44 Et factus eſt ſudor e-
jus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. 45 Et cum ſurrexiſſet ab oratio-
ne, & veniſſet ad diſcipulos ſuos, invenit eos dormientes præ triſtitia. 46 Et ait
illis: Quid dormitis? ſurgite, orate, ne intretis in tentationem. 47 Adhuc eo lo-
quente, ecce turba; & qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos:
& appropinquavit Jeſu, ut oſcularetur eum. 48 Jeſus autem dixit illi: Juda, oſcu-
lo Filium hominis tradis? 49 Videntes autem hi, qui circa ipſum erant, quod fu-
turum erat, dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio? 50 Et percuſſit unus
ex illis ſervum principis ſacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram. 51 Re-
ſpondens autem Jeſus, ait: Sinite uſque huc. Et cum tetigiſſet auriculam ejus, ſa-
navit eum. 52 Dixit autem Jeſus ad eos, qui venerant ad ſe, principes ſacerdo-
tum, & magiſtratus templi, & ſeniores: Quaſi ad latronem exiſtis cum gladiis, &
fuſtibus? 53 Cum quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me:
ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. 54 Comprehendentes autem eum,
duxerunt ad domum principis ſacerdotum: Petrus vero ſequebatur a longe. 55 Ac-
cenſo autem igne in medio atrii, & circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eo-
rum. 56 Quem cum vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet in-
tuita, dixit: Et hic cum illo erat. 57 At ille negavit eum, dicens: Mulier, non
novi illum. 58 Et poſt puſillum alius videns eum dixit: Et tu de illis es. Petrus ve-
ro ait: O homo, non ſum. 59 Et intervallo facto quaſi horæ unius, alius quidam
affirmabat, dicens: Vere & hic cum illo erat: nam & Galilæus eſt. 60 Et ait Pe-
trus: Homo, neſcio, quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantavit gallus.
61 Et converſus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Domini,
ſicut dixerat: Quia prius quam gallus cantet, ter me negabis: 62 Et egreſſus foras
Petrus flevit amare. 63 Et viri, qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. 64
Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus: & interrogabant eum, dicentes:
Prophetiza, quis eſt, qui te percuſſit? 65 Et alia multa blaſphemantes dicebant
in eum. 66 Et ut factus eſt dies, convenerunt ſeniores plebis, & principes ſacerdo-
tum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, dicentes: Si tu es Chriſtus,
dic nobis. 67 Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: 68 Si autem &
interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. 69 Ex hoc autem erit
Filius hominis ſedens a dextris virtutis Dei. 70 Dixerunt autem omnes: Tu er-
go es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego ſum. 71 At illi dixerunt: Quid
adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audivimus de ore ejus.

℣. 1. APPROPINQUABAT DIES FESTUS AZYMORUM.] Hæc erat feria quarta veſpere, & Paſcha Sabbatho inſequenti erat celebrandum. Ita hoc biduo accidit ante Paſcha, quemadmodum explicite SS. Matthæus, & Marcus [1] teſtantur. Phariſæi, atque doctores legis jampridem in JESUM irritati, atque recens exacerbati ob eum ſermonem, quem die eadem in Templo contra illos habuerat; conſilium tandem ceperunt illum perdendi.

℣. 2. QUÆREBANT, QUOMODO JESUM INTERFICERENT.] Non quærebant, utrum interficerent; id enim apud illos jam conſtabat, ſed quomodo illum capere poſſent; *timebant vero plebem*. Ideoque cupiebant illum comprehendere, atque occidere ante Pa- A ſcha [2], & antequam omnes populi Jeroſolymam convenirent; a pleriſque enim tamquam Propheta habebatur. Operæ pretium eſt, animadvertere, JESUM petraro Jeruſolymam venire conſueviſſe, & ibidem parum permanſiſſe. Ter, vel quater præcipuis feſtivitatibus quotannis illuc ſe ſe conferebat, ſed ſtatim in Galilæam revertebatur, ubi præcipue commorari conſueverat. Sacerdotes ergo, & Phariſæi, illum nonniſi vel ante, vel in ea, vel poſt feſtivitatem comprehendere poterant. Non audebant autem in ipſa feſtivitate, quoniam populi tumultum verebantur: neque id ſe tuto facturos poſt feſtivitatem ſperabant; quoniam ſtatim cum reliquo populo ipſa etiam altera, vel tertia feſtivitatis die illinc diſcedere poterat. Illud ergo reliquum erat conſilium, ut ipſum ante feſtivita-
tem

1 Marc. 4. 1. *Erant autem Paſcha, & Azyma poſt biduum.* Matth. 26. 1. *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet.*
2 Matt. 26. 5. Marc. 14. 2.

tem comprehenderent, atque occiderent; videlicet antequam populi turba Jeroſolymam ſe ſe contuliſſet: quæ ſe contulit hora eadem, qua JESUS CHRISTUS a Pilato damnatus fuit, atque ad ſupplicium abreptus: quo tempore Judæi ipſi, qui illius incolumitati conſulere voluiſſent, nihil pro eo potuiſſent conari. Hinc illius inimici Pilatum maxime urgent, neque ei tempus relinquunt, rem ipſam intus, & in cute explorandi, ut ſtatim morti adjudicetur.

℣. 3. INTRAVIT AUTEM SATHANAS IN JUDAM.] Sathanas per gradus dumtaxat cor Judæ aggreſſus eſt. Primum quidem illum ſibi per avaritiam devinxit; mox in furtum impulit, ac tandem in proditionem teterrimam, ſæviſſimumque parricidium. Scriptura ait, Sathanam tunc ſolum in Judam ingreſſum fuiſſe, ubi hic penitus ſceleribus ſe ſe mancipavit; cor ejus occalluit, atque aures monitibus Salvatoris ſui monitis obſtruxit. Hæc loquendi ratio, *intravit Sathanas in Judam*, magis exprimit, quam quidquid afferre valeat commentatium. Cum Scriptura innuere vult, juſtum virum in gratia confirmari, ait, Spiritum Sanctum in illo habitare: e contra vero, ubi deſignat ſceleſtum, obduratum, filium Dæmonis, inquit, Sathanam in cor illius ingreſſum fuiſſe.

℣. 4. LOCUTUS EST CUM PRINCIPIBUS SACERDOTUM, ET MAGISTRATIBUS.] Græcus [1]: *convenit Principes Sacerdotum, & duces*; Templi fortaſſe duces, qui erant Levitæ, Levitis aliis ad Templi portas excubias peragentibus præpoſiti: ita enim præceperat David [2], atque deinceps religioſius ſemper fuerat obſervatum. Docent Rabbini [3], Sacerdotes triplici in loco excubaſſe, fortaſſe ad triplicem Sacerdotalis atrii portam; Levitas vero in uno, atque viginti locis. Quælibet cohors ſuum ducem habebat, & his ducibus imperabat quidam præerat, qui *dux montis Templi* appellabatur. Itaque Domus Dei erat veluti regale palatium, ubi Sacerdotes, ac Levitæ jugi vacabant, ſanctæque militiæ, pro illius magnitudine, cui ibi inſerviebant.

Hi Templi duces alii omnino erant ab illis, qui circumundique Sanctum hunc locum a Romanis fuerant diſpoſiti, præſertim vero in Turri *Antonia*, quæ erat veluti arx Civitatis, atque Templi eidem dominabatur [4]. Hi Romanorum duces ibi aderant, ut populum in officio continerent, & vel averterent, vel compeſcerent ſeditiones, atque tumultus, qui ſæpius in Templo contingebant, præſertim vero præcipuis feſtivitatibus propter nimiam convenarum affluentiam [5]. De his *Templi ducibus* ſermo eſt inferius ℣. 52. & in Actis cap. 4. ℣. 1. & c. 5. 24.

℣. 6. ET SPOPONDIT.] Græcus [6]: *ſe ſe obſtrinxit*, vel *conſenſit*, pactus eſt cum illis, & convenit inter eos de conditionibus.

SINE TURBIS.] Populo inſciente, vel [7] juxte complures eruditos Interpretes, ſine tumultu, ſine ſtrepitu. Græcus æque ſignificat, & ſine multitudine, & ſine rumore. Eum illum tradidit noctu, cum nullæ circum illum eſſent turbæ, atque Apoſtolis tantum ſtipatus eſſet.

℣. 7. VENIT AUTEM DIES AZYMORUM, IN QUA NECESSE ERAT OCCIDI PASCHA.] Alii Evangeliſtæ [8] legunt *primam Azymorum diem*, vel juxta Interpretes nonnullos, pridie Azymorum, hoc eſt feria quinta, Dominicæ mortis vigilia. Sub veſperam quintæ hujus feriæ incipiebat Paſchalis vigilia, ſecundo cujus veſpere, hoc eſt feria ſexta poſt meridiem, uti incipiebant panibus azymis, & Paſcha immolabant.

Ita hunc locum explicamus, de quo adi noſtram de Paſchate Diſſertationem.

℣. 8. EUNTES PARATE NOBIS PASCHA, UT MANDUCEMUS.] Comparate nobis domum; menſas inſtruite, lectulos triclinares parate; ædem ab omni fermento abſtergite, omniaque diſponite, ut ibi Paſcha manducare poſſimus. Intelligebant diſcipuli, futurum ut die craſtino, feria videlicet ſexta legale Paſcha ibi comederent. Sed aliud erat JESU CHRISTO Paſcha, quod comedendum illis præberet die illa, quæ erat feria quinta, corporis ſui videlicet, Sanguiniſque Sacramentum.

℣. 10. AMPHORAM AQUÆ PORTANS.] Putant [9] aquam hanc deſtinatam fuiſſe ad panes ſine fermento depſendos, qui craſtina die mane efficiendi erant, ut iiſdem veſpere diei ejuſdem agnum Paſchalem comedentes uterentur. Docent Rabbini [10], aquam hanc nocte tota ſervandam fuiſſe; ita ut ex quo hauſta fuerat, duodecim horarum intervallo conquieſceret: hauriebatur ergo inter diei decimæ tertiæ finem, atque initium quartædecimæ menſis Niſan.

℣. 11. DICIT TIBI MAGISTER: UBI EST DIVERSORIUM?] Putant, JESUM CHRISTUM ab hoc Patre familias cognitum fuiſſe. Judæi doctores aſſerunt, nullam inſumptam fuiſſe pecuniam, ut conducerentur ædes ad Paſcha celebrandum, quæ gratis cuique offerebantur.

℣. 12. COENACULUM MAGNUM STRATUM.] Græcus ad litteram [11]: *Ingens triclinium cum triclinaribus lectulis*. Ibi *paraverunt Paſcha*; videlicet omnia diſpoſuerunt, quæ ad Paſcha die craſtino celebrandum perquirebantur; ita enim illi intelligebant: ſed aliter omnino accidit, cum JESUS CHRISTUS eo ipſo tempore animam exſpiraverit, quo Paſcha erat celebrandum.

℣. 15. DESIDERIO DESIDERAVI HOC PASCHA.] Alios Evangeliſtas cum S. Luca conferentibus liquet, Salvatorem hæc verba protuliſſe ſub finem cœnæ, cum jamjam Corporis, Sanguiniſque ſui Sacramentum eſſet inſtituturus. SS. Matthæus & Marcus non adferunt hos verſiculos 15. 16. 17. 18. qui explicantur vel de cupiditate, qua flagrabat Salvator ineundi noviſſimam hanc cœnam cum illis, in qua auguſtiſſimum ſui Sacramentum erat inſtituturus [12], vel de deſiderio item, Sanguinemque ſuum pro univerſis hominibus effundendi; vel denique de voto ſuo poſtremi hujus Paſchatis celebrandi, ſi Dei voluntas tuliſſet [13]. Sed aderat jam momentum, quo conſummaturus erat Sacrificium ſuum morte; atque in Cruce immolandus erat Dominus eadem hora, qua Paſchalis victima immolabatur in Templo.

Euthymius ad Matth. 26. & Grotius hic, id explicant, perinde JESUM CHRISTUM hoc Paſcha noviſſimum ante alios Judæos celebraſſet, prænoſcens futurum, ut propter impendentem mortem cum illis corporaliter illud celebrare minime poſſet: quod non abhorret a ſyſtemate Grotii cenſentis, JESUM CHRISTUM die ante Paſchatis celebrationem prævertiſſe. Ebionitæ, teſte S. Epiphanio hæreſ. 30. c. 21. ita ℣. hunc legebant: *deſideravi ne manducare carnale hoc paſcha vobiſcum?* Quaſi hoc eſſet reſponſio ad ea, quæ ex ſe antea quæſito fuerant; *ubi vis paremus Paſcha?* reſpondet ille; *deſideravi ne manducare vobiſcum hoc Paſcha carnis*; carnis videlicet Agni Paſchalis? Ex eodem loco S. Epiphanii liquet, illos carnem horruiſſe, & crediſſe, JESUM, dum viveret, numquam carnem manducaſſe. Marcionitæ vero, Patre eodem teſte, locum hunc penitus expunxerunt.

℣. 16. EX HOC NON MANDUCABO ILLUD.] Quoniam eſt hoc Paſcha in Dei Regno complendum, & a

1 Συνελάλησε τοῖς ἀρχιερεῦσι, καὶ τοῖς στρατηγοῖς τὸ πῶς αὐτὸν παραδῷ αὐτοῖς.
2 2. Par. 8. 14. 3 Vide Middoth. & Ligfoot. Hor. Talmud.
4 Vide Act. 21. 31. 32. 22. 24. Matth. 26. 65.
5 Antiqu. lib. 20. 2. 4. & alias. 6 Καὶ ἐξωμολόγησε.
7 Ἄτερ ὄχλου. *Sine tumultu*. Eraſm. Vatab. Brug. Bez. Piſcat. Hemm. alii.
8 Matth. 26. 17. Τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων. Marc. 14. 12. Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων.
9 Toynard, Harmon. p. 147. 10 Peſachim. fol. 42. a. Gem. cum. Orach-Chaim. n. 455.
11 Ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον. 12 Vide Hilar. in Matth. Chryſoſt. homil. 82. 83. in Matth.
13 Toynard, Not. in Harmon. p. 150. col. 2.

Salvatore poſt Reſurrectionem ſuam cum diſcipulis manducandum? hoc procul dubio non eſt legale Paſcha, non enim poſt Reſurrectionem ſuam illud unquam manducavit; manducavit vero Paſcha Chriſtianum, hoc eſt Euchariſtiam; bibit, & comedit cum illis, non ſecus, ac ante utebatur. Verum Paſcha illius Paſſione & morte adimpletum eſt. Vetus ſacrificium non aliud erat, quam figura recentis; atque illud deſiit, ubi iſtud incœpit. Nam, ut Sancti Pauli verbis utar: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. 1. Cor. 5. 7.

Pro Regno Dei intelligi quoque poteſt cœleſtis beatitudo: non manducabo ulterius vobiſcum; hoc eſt noviſſimo Paſcha figurativum, quod ſimul manducabimus; ſed aliud in Spiritu in Cœlis comedemus [1]. Iſthic comedimus Paſcha, quod eſt Ægyptiæ liberationis monumentum; ibi ſpiritualiter Paſcha aliud comedemus, quod monumentum erit liberationis ex hac vita mortali. Poſtremus hic ſenſus ſcitus quidem eſt; verum ſupponit, JESUM CHRISTUM cum diſcipulis ſuis legale Paſcha celebraſſe; quod dubitatione non caret.

℣. 17. ACCEPTO CALICE GRATIAS EGIT.] Hic non eſt Calix Sanguinis ſui [2], qui palam infra ℣. 20. memoratur. Sed ſcyphus eſt, quem convivii Dominus benedicere conſueverat, & ex quo, ubi *libaſſet*, ceteris omnibus propinabat. Rabbini [3], ac recentiores Judæi ad hanc uſque diem eamdem ſervant conſuetudinem. Non in Paſchatis dumtaxat convivio, ſed in omnibus, quæ religionis ergo inſtituuntur, vinum in craterem effunditur; quem Pater familias, vel qui in cœtu cæteris præſtat, manu dextera ſumptum attollit, benedicit, cumque ex eo ſorbillavit, cæteris convivis in orbem tradit guſtandum. Hoc ea in occaſione præſtitit JESUS CHRISTUS. Id vero præcipue in initio ac fine prandii conſueverat: neque ſatis conſtat, utrum prior hic ſit illa calix, an alter. Sed fidei magis conſonum eſt, hunc eſſe priorem, qui cœnæ initio benedicebatur; nam S. Lucas explicite ait ℣. 20. JESUM poſt cœnam calicem accepiſſe [4]: *ſimiliter, & Calicem poſtquam cœnavit, dicens: hic eſt Calix novum teſtamentum in ſanguine meo*.

℣. 19. ET ACCEPTO PANE GRATIAS EGIT.] SS. Matthæus 26. 26. & Marcus 14. 22. aſſerunt, diſcipulos adhuc manducaſſe, cum JESUS CHRISTUS panem accepit, & Euchariſtiam inſtituit. Igitur ſub cœnæ finem, cum panem accepiſſet, Deo gratias egit, eumque fregit, atque diſtribuit Apoſtolis ſuis dicens, hoc eſſe corpus ſuum. Illum realiter, atque ſubſtantialiter in proprium, verumque Corpus commutavit, ita ut Apoſtoli non panem naturalem, ſed verum JESU CHRISTI Corpus comederint. Paſchali igitur cœnæ eſum ſui Corporis, Sanguiniſque ſubſtituit, quæ pro totius Mundi ſalute erant tradenda.

QUOD PRO VOBIS DATUR.] non ait, *quod pro vobis dabitur*, ſed *datur*; quoniam hoc erat jam verum ſacrificium, in quo ipſa aderat JESUS CHRISTUS, & quod maturato patri ſuo offerebat ante illud, quod craſtina die alia ratione de Cruce erat oblaturus. Sacrificium hoc ſimul erat, & figurativi Paſchatis conſummatio, & promiſſio vel pignus cruenti ſacrificii, a JESU CHRISTO poſtridie offerendi. Vel ita intelligi poſſunt hæc verba, *quod pro vobis datur*, quaſi innuerent, quod quamprimum pro vobis traderetur, quod jamjam pro vobis eſt immolandum: ſed idem ſemper eſt ſenſus; quoniam corpus immolandum, & ſanguis effundendus, re, atque ſubſtantialiter jam aderant ſub

A panis, vinique ſpeciebus. Non ſimplex Sanguinis JESU CHRISTI figura de Cruce effuſa fuit, neque ſola figura Corporis fuit Cruci confixa; ſed verum Corpus, veruſque Sanguis: atque ita uterque datur, & uterque vere adeſt in Euchariſtia.

HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM.] Ut inſtauretis memoriam ejus, quod hodie facio vobis, meum Corpus tribuens, & quod craſtina die facturus ſum, vitam, Sanguinemque meum pro omnibus effundens; ea facite quæ me hodie facientem videtis. Sumite panem, frangite illum, & dicite, hoc eſſe corpus meum, & vere ac realiter fiet Corpus meum, quale hodie eſt in manibus meis. Hanc panis & vini in Corpus Sanguinemque Dominicum mutationem Patres comparant cum aqua in nuptiis Cana in vinum immutata [5], & cibo, qui in corporibus noſtris in noſtram

B ſubſtantiam convertitur [6], & virga Moyſis in ſerpentem, & aquarum Nili in ſanguinem immutatarum [7], quæ reales, atque ſubſtantiales permutationes fuerunt.

℣. 20. SIMILITER ET CALICEM POSTQUAM COENAVIT.] Gratias egit, eumque bibendum Apoſtolis ſuis tradidit, dicens: hic eſt *Calix novi teſtamenti in meo Sanguine* [8], vel cum SS. Matthæo, & Marco: *hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti*, quod unum & idem eſt. Sanguis, quem ſub vini ſpeciebus JESUS CHRISTUS Apoſtolis ſuis tribuebat, idem erat ac ille, qui de Cruce effundendus erat: *qui pro vobis effundetur*; & qui erat ſignum novi teſtamenti, quemadmodum ſanguine victimarum ad radices montis Sinai jugulatarum teſtamentum vetus fuit obſignatum [9].

C Agni Paſchalis cruor, qui ad Altaris pedes effundebatur, non aliud erat, quam figura Sanguinis JESU CHRISTI de Cruce effundendi. Prior ille erat monumentum liberationis de Ægypto, alter hic peccatorum mortalium omnium pretium. Sanguis, quem de Cruce JESUS CHRISTUS effudit, vere Sanguis erat illius; ille vero, quem Apoſtolis bibendum diſtribuit, idem erat, ac ille, quem de Cruce ipſe erat effuſurus. Hic ideo verus erat Sanguis Salvatoris, non figurative ſolum, & virtualiter, ſed realiter, & ſubſtantialiter. Græcus ad litteram [10]: *hic Calix, qui eſt novum teſtamentum* (confirmatum) *in meo Sanguine*; (hic Calix inquam) *pro vobis effuſus eſt*.

Hebræis [11] ſub finem cœnæ Paſchalis mos erat benedicendi craterem vino repletum, eumque in orbem

D bibendum circumferendi. Ter nonnumquam, & quater poſt cœnam hoc ritu bibebant, ſingulique peculiarem benedictionem habebant. Pater familias orationem proferebat, atque craterem ad omnes convivas tranſmittebat. Ut conſuetudini huic ſe ſe aptaret Salvator, omnibus Apoſtolis Calicem Sanguinis ſui tradidit, poſtquam oravit, cœnavitque: *Poſtquam cœnavit*.

℣. 21. VERUMTAMEN ECCE MANUS.] Nunc tertio, & poſtremo prædicit futurum, ut ab uno ex diſcipulis ſuis prodatur. Primum tempus innuitur e S. Matthæo 26. 23. & Marco 14. 20. & alterum e S. Johanne 13. 18. In commentariis in S. Matthæi 26. 23. ad examen vocavimus, utrum Judas particeps fuerit Corporis & Sanguinis Domini.

℣. 22. SECUNDUM QUOD DEFINITUM EST, VADIT.]

E Uti in Scripturis legitur, & altiſſimis providentiæ decretis pro humani generis ſalute conſtitutum eſt. Actio Judæ JESUM CHRISTUM tradentis non erat in decretis Dei eadem ratione. Deus illam permittebat dumtaxat, quin directe ad id concurreret, quod in eadem nefarium erat, & quin illam probaret. Prævidebat nequiſſimam illius voluntatem; ſciebat quid futurum eſſet;

ſed

---

1 Origen. Euthym. Theophyl. Brug. Maldon. alii.

2 Hieronym. in Matth. 26. Grot. ibidem. Theophyl. & Beda in Luc 22. Brug. & Cajet. in Luc. 22. Eſtius in 1. Cor. 11. 25. 3 Vide Buxtorf. Synag. c. 13. Leo Mutinen. Cærem. Judæor. part. 3. cap. 3. Bynæus, de morte Chriſti, lib. 1. cap. 8. num. 16. 17.

4 Ita & Paulus 1. Cor. 11. 25. 5 Cyrill. Alex. Catecheſ. 4.

6 Damaſc. lib. 4. de fide, p. 269. nov. edit. 7 Ambroſ. de his qui myſter. initiantur, c. 9.

8 Ita Paul. 1. Cor. 11. 25. 9 Exod. 24. 5. 6. 7. 8 Hebr. 9. 20.

10 Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.

11 Vide Maimon. Hilcoth Chametz-Umatza, c. 8. §. 1. Bynæus, de morte Chriſti, lib. 1. cap. 8. art. 17.

ſed mali hujus neque cauſa fuit, neque auctor, nec A
que approbator [1].

℣. 24. Quis eorum videretur esse major?] Vix intelligi poteſt, quomodo Apoſtoli hoc tempore in vigilia mortis Magiſtri ſui, a quo toties ſibi tradita fuerant humilitatis præcepta, & exempla, alere potuerint ſenſus ſuperbiæ, & vanitatis euſque, ut certarent, quis eorum major eſſet & dignior? Maldonatus, & Grotius putarunt, id huc per anacephalæoſin adferri, cum minime fidei conſonum, ex eorum ſententia, videatur, Apoſtolos tunc temporis inania hæc ſecum mente foviſſe conſilia. S. Lucas ſolum hanc adfert circumſtantiam, eamque reor ſtatuendam eſſe, antequam Jesus Apoſtolorum pedes ablueret, ipſum vero, ut ſuperbiæ illorum mederetur, inanemque eorum ambitionem retunderet, eo uſque ſeſe dimiſiſſe, ut eo- B
rum pedes ablueret, eiſque dixiſſe ſequentia: quæ humilitatis lectio eſt prorſus accommoda præſenti quæſtioni, quæ inter illos erat oborta. Legenda eſt dumtaxat, ut quilibet perſuaſum habeat palam alludi ad ea, quæ paulo ante contigerant [2]. *Vos vocatis me, Magiſter, & Domine: & benedicitis, ſum etenim. Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus, & Magiſter: & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen Amen dico vobis, non eſt ſervus major Domino ſuo &c.* Quæ comparanda ſunt cum illis, quæ S. Lucas ait ℣℣. 25. 26. 27.

Reges Gentium dominantur eorum.] Videmus ſemper in Apoſtolis hoc invaluiſſe præjudicium, quod nullatenus exuere poterant: Meſſiam videlicet C
eſſe Monarcham potentem, magnificum, & liberalem, qui amicos, ſervoſque fideles ſuos bonis cumularet, in alios vero ſubditos ſuos imperium exercere deberet. Arbitrabantur, Jesum Christum, utpote Meſſiam, & Regem Iſrael ſtatim poſt reſurrectionem aditurum imperii ſui poſſeſſionem, Apoſtolos ſuos ad præcipuas imperii dignitates evecturum, alioſque populos ditioni ſuæ ſubjecturum, & inſignem relaturum ultionem de Scribis, & Phariſæis, qui illum ſemper fuerant perſecuti: ita enim Princeps naturaliter agere debuiſſet cum amicis, atque inimicis ſuis: ſed oſtendere vult Salvator, Imperium ſuum omnino differre.

Benefici vocantur,] liberalitatem jactant, & magnificentiam, atque amicis, ſerviſque ſuis munera ea tribuunt, quæ ipſorum gratum animum teſtan- D
tur. Principum plerique *liberalis* nomen adamarunt, atque illud ſollicite aucupati ſunt, immo adulantium aſſentatio hoc illis immerito ſæpe detulit. Complures Ægypti Reges, quorum facta omnino a liberalitate abhorrebant, *Evergetes*, hoc eſt liberales [3] appellati fuerunt. Si Jesus Christus erat Meſſias, qua de re Apoſtoli non ambigebant, nemo regias virtutes majori in gradu poſſidere debebat. Erga quos autem magis, quam erga Apoſtolos ſuos liberalitatem teſtari debebat? hac in re nulla erat dubitatio; ac ideo quærebant, quis eorum major futurus eſſet, & ad majorem dignitatis apicem evehendus.

℣. 26. Vos autem non sic.] Vobis ex me petendi non ſunt honores, ac terreæ dignitates; in Regno, & Eccleſia mea ubi primas obtinebitis, vos met E
cenſere non debetis tamquam terrenos Principes, & viros terrena dignitate fulgentes. Mea inter vos magnitudo eſt, ut tamquam minor quocumque veſtrum videar, vobis inſerviam, & humillima quælibet munera ſubeam. Hoc ipſum & vos faciatis oportet; numquam adeo magni eritis, quam cum præ omnibus humillimos vosmet præbueritis. Viſibile Chriſtianæ Eccleſiæ caput, maxime ſublimem, quæ in terris ſit, obtinens dignitatem, ſe ſervum ſervorum Dei nuncupat.

℣. 27. Ego in medio vestrum sum.] Hæc ille ait immediate, vel antequam Apoſtolorum pedes ab-
luerer, vel poſtquam illos abluit; ut acui additis etiam verbis, atque ſermoni exemplo adjecto, magis afficeretur mens, & animus Apoſtolorum, ut illum citra ænigma vel parabolam [4] loqui intelligerent.

℣. 28. Vos estis, qui permansistis mecum.] Pergit reſpondere quæſtioni, quam illi propoſuerant, quinam futurus eſſet major. Verum eſt, vos erga me majorem præ cæteris fidem, atque amorem fuiſſe teſtatos. Mihi conſtanter heſiſtis, cum etiam ſæviſſime Judæi me perſequerentur, ideoque vos remuneraturus ſum eo pacto, quod maxime magnitudinem meam decet. ℣. 29. *Ego diſpono vobis ſicut diſponit mihi Pater meus Regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo: & ſedeatis ſuper Thronos judicantes duodecim Tribus Iſrael.*

Hanc vobis mercedem diſpono, & ne apud vos ulla ſuboriatur invidia, omnes æquali honore inſigniti eritis. Mecum omnes regnabitis, menſæ meæ accumbetis, omnes judices eritis duodecim tribus Iſrael. Nulla exiſtat ergo inter vos contentio de præcipuis honoribus, & dignitatibus. Non deeſt mihi, unde ad ſatietatem vobis remunerer, itaut nemo alterius invideat felicitati. Hanc vobis hæreditatem tamquam teſtamento relinquo; hæc noviſſima eſt voluntas mea. Græcus enim textus quamdam ſignificat teſtatoris diſpoſitionem [5]. Ea tamen omnia, quæ dicta ſunt, minime obſtant, quominus inter Apoſtolos quædam adſit ſubordinatio, atque inter diverſa Eccleſiarum capita non adſint alii aliis ſuperiores: immo in Cœlis etiam, licet Beati omnes æterna fruantur felicitate, non omnes tamen eumdem obtinent gradum; neque Jeſus Chriſtus voluit ideo ex Eccleſia ſua ejicere ſubordinationem, qua paſtores minores majoribus ſubſunt, alioquin Eccleſia quidam eſſet cœtus ſine ordine, ſine forma, ſine decore.

℣. 30. Ut edatis, et bibatis &c.] Terræ hujus Reges menſæ ſuæ accumbere patiuntur filios tantum, fratres, conſanguineos, & maxime neceſſarios; Jeſus Chriſtus Apoſtolos ſuos habet loco fratrum, filiorum, & amicorum. Regnum Cœlorum ſæpius, veluti convivium exhibetur. S. Irenæus lib. 5. c. 33. ait, ſenes, qui S. Iohannem viderant, narraſſe, ſe illum audiviſſe dicentem, nonnumquam Salvatorem, de re-
„ gno Dei diſſerentem hæc dixiſſe. Tunc vites flore-
„ bunt, quælibet decem mille propagines habens, qua-
„ libet propagine decem mille ramos habente, quolibet
„ ramo decem mille germina, quolibet germine de-
„ cem mille racemos, quolibet racemo decem mille
„ grana, & quodlibet granum in torculari preſſum
„ reddat quinque, & viginti metretas vini. Cumque
„ Sanctorum aliquis ſumet unum ex his racemis, ra-
„ cemus alius clamabit, ego melior ſum illo; quem
„ recens me ſume. Eodem pacto quodlibet frumen-
„ ti granum decem mille ariſtas proferet, & ariſta
„ quælibet decem libras pollinis. Plantæ aliæ, arbo-
„ reſque pro ratione uberes erunt, & animantia quæ-
„ libet his fructibus veſcentur, manſueta erunt, paca-
„ ta, perfecteque homini ſubmiſſa. Papias libro 4.
„ hæc teſtabatur, addit S. Irenæus, quæ cum Judas
„ proditor credere non poſſet, ac diceret; quomo-
„ donam Dominus arbores hujuſmodi producere po-
„ terit? Jeſus illi reſpondit, qui illic erunt, id
„ credent.

Hæ parabolicæ Salvatoris locutiones, hoc tamen ſuppoſito, quod ipſe eas vere protulerit, locum dedere Millenariorum ſententiæ, qua veterum plurimi fœdati fuerunt. Verum in figurato, & metaphorico ſenſu intelligendæ ſunt: Apoſtoli, eorumque ſucceſſores in Eccleſia aſſident menſæ Domini ſui diſtinctius propter honorem Sacerdotii, quo inſigniti ſunt, & propter conſecrationem, comeſtionem, & Corporis, Sanguiniſque Dominici diſtributionem.

Ut sedeatis super thronos.] Ex eo tempore

1 Vide Grot. hic, & Patres ab eo citatos.
2 Joan. 13. 13. 14. & ſequ.
3 Vide Grot. Catak. Pricæus in hunc locum.
4 Vide Ambroſ. in Luc. lib. 10. n. 50. 51.
5 Κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν. Quidam MSS. Διατίθημι ὑμῖν διαθήκην. Vide Mald. Grot.

Apoſtolorum ſucceſſores in terris obtinent auctoritatem judicum erga fideles propter ligandi, atque ſolvendi poteſtatem, quam illi contulit Jeſus Chriſtus, & quam illius nomine exercent. In extremo autem Judicio ipſi Jeſu Chriſto aſſidebunt, atque damnabunt incredulos Judæos, & Chriſtianos, qui ſacri fœderis leges perfregerint, quibus per baptiſma ſe ſe devinxerunt. Confer S. Matt. 19. 28.

℣. 31. SIMON, ECCE SATHANAS EXPETIVIT VOS, UT CRIBRARET [1].] Ea, quæ vobis nuperrime dixi de mercede, ac remuneratione, quam vobis paro, nequaquam citra laborem obtinebitis. Non modico vobis ſtabit impendio hic gloriæ gradus. Simon, tu, qui primas in Eccleſia mea obtinere debes, ſcias, Sathanam a Deo facultatem petiiſſe cribrandi te, quemadmodum triticum cribratur: permiſitque illi Deus, ut te B tentaret, concuteret, agitaretque, & utinam te non diſſipet, non ſubvertat.

℣. 32. EGO AUTEM ROGAVI PRO TE, UT NON DEFICIAT FIDES TUA.] Concutieris quidem: non ita tamen ſuperaberis, ut fidei jacturam facias &c. Hoc notandum eſt, Dæmonem nihil in Apoſtolos poſſe, niſi ubi facultatem a Deo impetraverit; quemadmodum neque audet ſine Dei facultate [2] tentare Job, ejuſque bona, & filios perdere. Metaphora cribrandi triticum mirum in modum exprimit periculum, quod facit Deus ſervorum ſuorum, ut illos mundiores, & ſanctiores efficiat [3]. Amos cribrandi ſimilitudine uſus eſt, ut Judæorum afflictionem, & diſperſionem innueret: *concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael, ſicut concutitur triticum in cribro*. Amos 9. 9. C

Salvator Petrum alloquitur, tacite innuens, hunc eſſe Principem, & Caput Apoſtolorum; & in perſona illius ad cæteros loquitur Apoſtolos [4]; vel tandem ad illum unum verba facit, eo quod tentatio in illum præcipue caſura erat, & prævidebat Jeſus Chriſtus, ſe ab illo negandum. Quod Salvator addit, ſe pro eo rogaſſe, ne ejus fides deficeret; oſtendit, ex nonnullorum Patrum ſententia, fidem illius ea in occaſione penitus non defeciſſe, animumque illius participem non fuiſſe eorum, quæ lingua protulerunt: *loquutus eſt verbo, ut fundatior eſſet affectus*, inquit S. Ambroſius [5]. Tentatio illum paſtorem effecit, & Petrus tunc denique: *Eccleſiæ præponitur, poſtquam tentatus a diabolo eſt*. Vide, quæ in S. Matthæum cap. 26. ℣. 74. congeſſimus, ut oſtenderemus, S. Petrum vere quidem D peccaſſe; non ita tamen, ut fidei omnino jacturam ſubiret. Lapſa fuit fides illius, non tamen extincta: ejuſque radix ſemper in illo vixit, atque ſtatim vim recepit per pœnitentiam [6]: *Cum Deus oravit, ne illius fides deficeret*, inquit Auguſtinus [7], numquid aliud petiit, niſi quod Princeps Apoſtolorum liberrimo, fortiſſime, conſtanti, atque perſeveranti voluntate in fide ad finem uſque perſeveraret? S. Petri fides ea in occaſione, quodammodo eſt Eccleſiæ totius fides, inquit S. Leo Pontifex Serm. 2 neque deficere poteſt: *ſoliditas illius fidei, quæ in Apoſtolorum Principe eſt laudata, perpetua eſt*; huic immobili Petræ fundata eſt omnium fidelium fides, & ibi fundata fides nullo affici poteſt detrimento: *dignum namque arbitror ibi reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum*, E S. Bernardus ait de Sancta Sede loquens ep. 50. ad Innoc. II.

ET TU ALIQUANDO CONVERSUS CONFIRMA FRATRES TUOS.] Salvator tacite illius lapſum, atque pœnitentiam prædicit, quoniam imperat illi, ut ubi A converſus fuerit, fratres in fide confirmet [8]. Alii [9] hunc intelligunt alia ratione, quæ ad litteram magis videtur accedere, *converſus confirma*, hoc eſt, tu quoque mutuo confirma fratres tuos, pro illis roga, & illos confirma, quemadmodum ego oravi, ut te confirmarem in fide. Vel ſimpliciter: firmus ſis in fide, & cura, ut in ea tuos etiam fratres confirmes. Hæc Hebraica locutio eſt his ſimilis: *Deus tu converſus vivificabis nos*. Pſal. 84. 7. Et Pſal. 6. 5. *Convertere Domine, & eripe animam meam*. Et Pſal. 70. 20. *converſus vivificaſti me . . . & converſus conſolatus es me*; & tandem Pſal. 77. 41. *Et converſi ſunt, & tentaverunt Deum*.

℣. 33. TECUM PARATUS SUM.] Petrus corde tantum, atque præſenti optima voluntate ſua conſulta, hæc loquitur, nimium viribus ſuis fidens. Quod Jeſus B Chriſtus nuper illi dixerat, *confirma fratres tuos*, animos eidem addiderat; neque animum advertebat ad ea, quæ ſibi antea dicta fuerant: *Simon, Simon; Sathanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum*. Quæ illum cautiorem efficere debuiſſent. Ut autem nimiam hanc confidentiam auferat, prædicit illi Jeſus, futurum ut nocte eadem, qua eum alloquebatur, & ante Galli cantum ter ab ipſo negaretur.

℣. 35. QUANDO MISI VOS SINE SACCULO.] Sacculus ſignificare poteſt crumenam, pecuniam, peram ad viaticum deferendum: nam, quemadmodum ſæpius animadvertimus, qui iter ſuſcepturus erat, ſibi pro itinere annona erat comparanda. Addit autem, ſe illos miſiſſe *ſine calceamentis*, non quod illos miſiſſet, Evangelium nudis pedibus prædicaturos, nam in itinere C calcei adhibebantur: ſed quod illos dimiſit ſine commeatu, ſine veſtibus, & calceamentis duplicibus, quibus mutari poſſent. Vide commentarium in S. Matth. 10. 10. Paulo ante meum Evangelium annunciaturi diſceſſiſtis ſine ulla annona, ſine cibo, ſine pecunia, ſine veſtibus, ſine calceis, & nihil defuit vobis; tempus, & circumſtantiæ tunc vobis favebant; omnes certatim, ac libenter vos recipiebant, bonis cumulabant propter nomen meum, & ea miracula, quorum ſplendor prædicationis veſtræ jugis comes erat. Sed tempora immutata ſunt [10]; omnes deinceps infenſi vobis erunt propter nomen meum. Credent, ſe Deo gratificari, quicumque vos perſequentur; vobis omnia deerunt, ubicumque eritis contumeliis afficiendi; itaque hodie vivendi ratio immutanda eſt.

D ℣. 36. SED NUNC QUI HABET SACCULUM, TOLLAT SIMILITER ET PERAM.] Utrumque aſſumite, ſi habetis; ſin autem, alterutrum tantum comparate, quod vobis deeſt; & cavete, ne ſine ſacculo, & pera diſcedatis; quæ ſi habetis, ne illa domi relinquatis. Textum ita etiam interpungere poſſumus [11]: *ſed nunc, qui habet ſacculum, tollat: ſimiliter & peram*, quæ ſane melior eſt lectio. Qui crumenam habet, eam tollat, qui vero peram, tollat hanc. In itineribus veſtris annonam, & pecuniam deferte; moneo enim vos futurum, ut ea, quibus egueritis, minime inveniatis.

ET QUI NON HABET TUNICAM SUAM &c.] Si neque pecunia, neque annona vobis eſt, veſtem venumdate, & emite gladium [12], ut vi tollatis ea, quorum indigueritis, nemo enim vel ultro, vel gratis vobis E victum ſuppeditabit, omniaque vel emenda erunt vobis, vel vi rapienda. Alter: ſi reliqua omnia vobis eſſent, & gladius deeſſet; cavete, ne ſine gladio iter ſuſcipiatis: eodem quippe indigebitis, ut adverſus inimicos veſtros voſmet tueamini: veſtem potius ipſam

---

1 Ἐξῃτήσατο ὑμᾶς τοῦ σινιάσαι. Cypri. lib. 4. Epiſt. 4. *Poſtulavit vos ut vexaret vos*. Tertull. *Ut diſcerneret*. Ambroſ. *Ut cerneret*. 2 Job. 1. 12. 11. 6. Vide Tertull. de fuga in perſecut. & Bedam hic.
3 Ambroſ. in Pſal. 43. Tertull. de fuga in perſecut. Mald. 4 Leo Magn. ſerm. 2. in natali Apoſtol. Petri, & Pauli. 5 Ambroſ. in Pſal. 43. Vide & in Luc. l. 10. & Prudent. l. Cathem.
6 Theophylact. hic. Vide Natal. Alex. hic, & in Matth. 26.
7 Aug. de corrept. & gratia c. 8. 8 Ita Theophylact. Euthym. hic. Ambroſ. in Pſalm. 43. alii plures. 9 Beda, Mald. Grot. Janſen. 10 Vide Chryſoſtom. in hæc verba Rom. 16. 3. Theophyl. Euthym. Beda hic. Mald. Janſ. 11 Ἀλλὰ νῦν ὁ ἔχων βαλάντιον, ἀράτω ὁμοίως, καὶ πήραν. Plures Veteres Mſſ. Codd. Græci legunt futuro *tollet peram, emet gladium*; tamquam hæc eſſet prædictio eorum, quæ erant eventura. Hæc varietas conſpicitur ab ævo S. Baſilii. 12 Lud. de Dieu. Grot. Vat.

ſam vendite ; quam ſine gladio iter ingrediamini. Hic eſt litteræ ſenſus [1].

At ubinam eſt clementia, manſuetudo, patientia, ſuavitas a Jeſu Chriſto diſcipulis ſuis toties commendata? Oblitus eſt ne præceptorum, quæ antea tradiderat? cumque initio ex diſcipulis ſuis agnos fecerit, eos lupos efficere vult, eoſque militum, vel latronum inſtar armis præcingi? Univerſus hic ſermo jugis eſt allegoria [2]; innuit ſolum, futurum ut quamprimum fame, ſiti, egeſtate laboraturi ſint, immo & ad mortem abripiendi; iiſque in circumſtantiis permittit illis, ne eam ingrediantur viam, quæ ſibi prudentia ſuggeſſerit, ut ex his periculis, atque pœnis evadant; quin tamen antiquent ea præcepta nuper tradita, quibus illos docuerat, ut omnia cum patientia, & clementia ferrent, neque perſequentibus ſe reſiſterent. Portendit mala, quæ illis accident [3], eaque ſymbolice, ut altius animos eorum pervadant. Nulla umquam niſi ſpiritualia arma geſtarunt Apoſtoli; clypeum fidei [4], galeam ſpei [5], gladium Verbi Dei [6]. Non intellexerunt tunc Apoſtoli ænigma ſibi a Salvatore propoſitum, ut videbimus ỳ. 38.

ỳ. 37. DICO ENIM VOBIS &c.] Opus eſt, ne omnes prophetiæ, quæ ad me pertinent, ad litteram adimpleantur; ut ſcriptum eſt, Meſſiam cum iniquis eſſe deputandum; oportet ergo, ut hoc etiam adimpleatur in me. Verum quomodonam adimplebitur primum, quod Jeſus Chriſtus inter latrones Cruci confixus fuit; ſecundo quod accuſatus, damnatus, atque interfectus eſt tamquam Pſeudo-propheta, ſeductor, ſeditioſus. Tertio, quod Judæi poſt mortem illius ipſum, ipſiuſque diſcipulos tamquam humani generis hoſtes habere adniſi ſunt, quod illis omnium ferme mortalium odia conflavit. Hoc non abhorret ab eo, quod illis nuperrime dixit: vos quoque propter me, tamquam improbi habebimini; de me dicent, quod de ſeductoribus aſſolet; me populos fallere, & vos mecum conjuraſſe.

ỳ. 38. ECCE DUO GLADII HIC.] Apoſtoli, quemadmodum dictum eſt, Domini mentem aſſecuti non ſunt, ad litteram intellexerunt, quod ſibi dictum fuerat de annona, pecunia, & gladio a ſe in itineribus deferendis. Quidam ergo ex illis, duos illic adeſſe gladios, dixit; & iiſdem jam uti poſſe. Sed Jeſu Chriſti ſenſus alius erat. Attamen cum alia majoris momenti ſupereſſent dicenda, reſpondit ſimpliciter, *ſatis eſt*, differens in aliud tempus mentis ſuæ explicationem, vel ſinens tempus accedere, quo & facto, & circumſtantiis illos erat eruditurus.

SATIS EST.] Non agitur iſthic de armis comparandis [7]; non hæc mihi mens eſt. Plurimi [8] in ironico ſenſu id explicant: ſatis hi ſunt, ut noſmet ab omni inimicorum vi tueamur: hi quidem ſatis ſunt, ut illos omnes in fugam vertamus. Alii [9]: ſatis eſt de hoc verba feciſſe. Video vos id non ſatis intellexiſſe; ad alia tranſeamus. Quidam, duos hoſce gladios de temporali, atque ſpirituali Eccleſiæ poteſtate, intellexerunt: ſed hæc explicatio mere allegorica eſt, eamque poteſtatem minime probat.

ỳ. 39. EGRESSUS IBAT SECUNDUM CONSUETUDINEM.] Jeſus poſt cœnam, cum jam nox proceſſiſſet, egreſſus in Montem Olivarum ſe contulit, ubi ſuperioribus diebus noctem traduxerat [10]. Vide, quæ diximus in S. Matth. 26. 30.

ỳ 43. APPARUIT ILLI ANGELUS DE COELO CONFORTANS EUM.] S. Lucas ſolus hanc nobis circumſtantiam enarrat: de una tantum Jeſu Chriſti in horto oratione loquitur eo fortaſſe, quod in triplici oratione, Salvator idem dixit Matt. 26. 44. *eumdem ſermonem dicens*. Fidei conſonum eſt, Angelum ſub orationis finem dumtaxat illi apparuiſſe, atque acceſſiſſe, ut Æterni Patris nomine illi reſponderet, eumque eo in dolore, cui ſponte ſe ſe tradiderat, conſolaretur. Ea in occaſione quodammodo ſuſpenderat, & inhibuerat Jeſus Chriſtus divinitatis in ſe inhabitantis vim, ut omnem naturæ humanæ infirmitatem experiretur. Voluitque ab Angelo ſolatium excipere, cum per humilitatem ſe ſe Angelis inferiorem effeciſſet [11].

Plurima Græca, & Latina exemplaria Vetera S. S. Hilarii [12], & Hieronymi [13] ævo non legebant verſiculos 43. 44. atque ad hanc quoque diem non pauca extant Græca [14] MSS. ubi minime inveniuntur. S. Epiphanius in Anchor. §. 31. putat, hanc fuiſſe orthodoxorum quorumdam Chriſtianorum, ſed imprudentium, correctionem, quibus cum hæc infirmitas, quæ in Jeſu Chriſto apparuit, ſcandalum ingeſſiſſet, verſ. illos expunxerant de exemplaribus ſuis non ſecus, ac, ea capitis 19. verſ. 9. verba; *Videns Jeruſalem, flevit ſuper illam*, perinde ac hæ lacrymæ Jeſum Chriſtum dedecerent, Syri quidam [15], & Armeni Hæretici [16] delebant ſolum verſ. 44. rati, hunc ſanguinis ſudorem non bonum effectum innuere.

FACTUS IN AGONIA [17], PROLIXIUS ORABAT.] Græcus; *majori vi* [18], *perſeverantia orabat*. Galli in agonia eum eſſe dicimus, qui ad mortis extremum ſpatium pervenit, & qui exiguum adhuc vitæ reliquum decertat. Græce vero *agonia* ſignificat horrorem, doloremque, quo aliquis corripitur, ubi ingens aliquod periculum ſibi imminens videt. Hoc erat prælium animæ, omnem periculi magnitudinem conſpicientis, atque jam certæ conſilii ſed cum metu decertantis. Quidquid Jeſus in Paſſione ſua perlaturus erat, contumelias, flagella, proditionem, opprobria, Crucem, mortem, hæc inquam omnia ſe ſe oculis illius obtulerunt. Vidit ſcelera, & ingratitudinem hominum, vidit diſcipulorum ſuorum infirmitatem, & Judæorum ingrati animi vitium: hæc omnia mentem, animamque illius graviſſimo dolore affecerunt. Quidam terror illum pervaſit, ſed cum jam decreſſet, Patris juſtitiæ ſibi eſſe ſatisfaciendum, in hos omnes ſenſus decertavit. Hoc eſt ejus prælium, hæc agonia. Credit Ligfoot, Dæmonis apparitione, Salvatorem turbatum fuiſſe.

ỳ. 44. FACTUS EST SUDOR EJUS, SICUT GUTTÆ SANGUINIS.] Crediderunt complures [19], ſudorem illius, quoad naturam, communem fuiſſe, ſed copioſiorem, & omnino mirum propter effuſiſſimum imbrem. Rivi ſudoris quodammodo undequaque ex illius corpore emanabant, quibus maduit locus, ubi preces effundebat. Photius in Epiſtola 138. ad Theodorum, credit S. Lucæ verba adagium ſapere, quemadmodum illum, qui in graviſſimo diſcrimine verſatus eſt, ſanguinem, & aquam ſudaſſe dicimus. Evangeliſta, ut Salvatoris dolorem, atque mœrorem exprimeret, hac eſt loquendi uſus ratione, ſed copioſiſſimum dumtaxat ſudorem indigitat.

Verum hæc ſententia textui eidem adverſatur, aſſerenti ſudorem hunc fuiſſe *ſicut guttas Sanguinis*; ſanguinis colorem, ac ferme conſiſtentiam habentes. Græca [20], velut *glomos ſanguinis in terram uſque decurrentis*. Hic ſanguis cum ſudore mixtus in guttas ingentes diffluebat, atque prout in terram dilabebatur, coaleſcebat: nam Græca vox *thrombos* proprie ſignificat coagulati ſanguinis guttas [21]. Hoc certe conſtat, quibuſdam in morbis ſanguineum nonnumquam ſudorem

1 Vide Janſ. hic. Ambroſ. Bedam, Euthym. 2 Eraſm. Eſt.
3 Euthym. Maldonat. Brug. Caſt. Camerar. Piſcæus. Ita Baſil. regul. brev. qu. 231. Theophylact. hic.
4 Epheſ. 6. 16. 5 1. Theſſal. 5. 8 6 Hebr. 4. 12.
7 Vide Theophylact. Euthym. Maldonat. 8 Vide Theophylact. Priceum, Caſtal. alios.
9 Brug. Gerhard. Heinſ. 10 Luc. 21. 37. 38. 11 Hebr. 2. 7. 9.
12 Hilar. de Trinit. lib. 10. 13 Hieronym. lib. 2. contra Pelag.
14 Vide Var. Lect. Mill. hic. 15 Phot. Epiſt. 138. 16 Nicon. apud Coteler. not. in lib. 2. cap. 46 Conſt. Apoſt. 17 Γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ: 18 Ἐκτενέστερον προσηύχετο. 19 Theophyl. Euthym. Grot. Pric. Ham. 20 Ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες, &c.
21 Θρόμβος, αἷμα πεπηγός, apud Galen. Vide Grot. & Priceæ. hic.

manare, quemadmodum Bartholinus oſtendit [1]. Diodorus Siculus l. 17. ait, eſſe quoſdam ſerpentes, qui morſu graviſſimos dolores, atque ſanguinis quemdam ſudorem efficiunt. Ariſtoteles l. 3. Hiſt. Anim. hoc etiam quibuſdam contingere propter coloris defectum ac pravum humorum temperamentum teſtatur.

In Sixti V. vita [2] legimus, hominem quemdam morte damnatum, nocte maximum ſudorem ſanguinis emiſiſſe. Miſcellanea rerum ad hiſtoriam, & litterarum pertinentium de quadam Pariſienſi muliere loquuntur, quæ ex ſudore ſanguinis obiit, qui immodicus adeo fuit, ut poſt mortem illius, ne gutta quidem in venis, atque arteriis deprehenſa fuerit. Thuanus hiſt. l. 2. narrat, Præfectum Montis marini ab Auguſto Principis Salutiarum notho comprehenſum, cum hic illi mortem minitaretur, niſi arcis deditionem feciſſet, eo dolore agitatum fuiſſe, ut aquam, & ſanguinem ſudarit. Hoc ipſum narrat Maldonatus ad Matt. 23. de homine quodam, viribus, atque valetudine corporis ſatis præſtante, qui ubi audiit Judicum ſententiam, qua capite damnabatur, repente ſudore ſanguineo maduit. Hæc exempla ſatis oſtendunt, ſudorem hunc, licet perraro; non miraculoſe tamen accidiſſe; & illum graviſſimum dumtaxat dolorem, quo Salvator correptus fuit, indigitare. Adnotavimus jam, Græcos quoſdam, & Latinos, Syros, & Armenos, olim inani ſuperſtitione, & periculoſiſſimo exemplo ductos ℣. hunc de exemplaribus ſuis expunxiſſe.

℣. 45. DORMIENTES PRÆ TRISTITIA.] Quoddam eſt triſtitiæ genus, quod proſternit, obruit, ſoporem infert, ubi præſertim aliunde defatigatus ſis, atque diu vigilaveris. Aliud vero triſtitiæ genus eſt, quod ſomnum aufert, & ſanguinem calefacit; quæ varietas proficiſcitur ſolum ex perſonarum temperamento, ex gradu triſtitiæ, qua quis afficitur, ex ejuſdem cauſis, aliiſque animi affectibus, qui cum illa permiſcentur.

℣. 46. UT NON INTRETIS IN TENTATIONEM.] Ne eadem vincamini. Tentatio ſemper metuenda eſt, ac Deus orandus, ne eidem objiciamur: cum enim ea nobis infirmi ſimus, citra Dei opem illi reſiſtere minime poſſumus; & hoc ejus auxilium minime nobis deberet, licet Deus hoc non renuat illis, qui, uti oportet, ipſum depoſcunt. Prudentiæ intereſt ſemper tentationis periculum effugere.

℣. 49. SI PERCUTIMUS IN GLADIO.] Galilæi bellaces ferebantur [4], & Apoſtoli JESU CHRISTI omnes ex eadem regione electi erant. Non ita pridem [5] illis dixerat, ut qui gladium non haberet, & veſtem ipſam venderet, gladium empturus. S. Petrus ergo, cujus ingenium ubique ſemper ſe ſe prodit vividum, ac fervens, ex Salvatore quærit, utrum ſibi liceat, armis illum defendere, & reſponſione inexpectata, gladii ictus deſcendit ſuper auriculæ ſatellitis cujuſdam, qui Malchus appellabatur. Ex uno S. Joanne 18. 10. didicimus, S. Petrum auriculam abſcidiſſe, & ſervum Malchi nomine fuiſſe appellatum.

℣. 50. AMPUTAVIT AURICULAM EJUS DEXTERAM.] Græcus [6] innuit, eam omnino abſciſſam fuiſſe. JESUS CHRISTUS eamdem loco ſuo applicatam ſanavit. Credunt tamen complures, auriculæ in inferiori parte tantum ſectam minime fuiſſe, & illam in terram minime decidiſſe. Ait S. Auguſtinus in Fauſt. l. 22. c. 70. S. Petrum tunc contra juſtitiam peccaſſe, non permittentem, ut quis gladium educat, niſi ex ſupremæ poteſtatis auctoritate.

℣. 51. SINITE USQUE HUC.] Adhibet JESUS auctoritatem ſuam, ut Petrum cohibeat: Græcus [7] a Vulgata ad litteram exprimitur: Sta, Petre; quieſce [8]: vos autem, qui ad me capiendum acceſſiſtis, non vereamini: nemo vobis reſiſtet. Hoc unum peto, quandoquidem me unum capere vultis, ne his injurii ſitis, Joan. 18. 8.

℣. 52. MAGISTRATUS TEMPLI.] Vide ſupra verſ. 4. & Act. 4. 1.

℣. 53. HÆC EST HORA VESTRA, & POTESTAS TENEBRARUM.] Hoc eſt tempus a Deo Paſſioni meæ deſtinatum; tradendus ſum in manus veſtras, omnem rabiem veſtram in me explebitis. Dæmon *Princeps tenebrarum* [9] a Deo poteſtatem obtinuit, me ad mortem uſque perſequendi; hactenus poteſtas veſtra, & Dæmonis nequitia, Cœleſtis Patris voluntate cohibebantur, ſed nunc eſt hora veſtra, acceſſit tempus, quo finem ſacrificio meo imponam, & prorſus omnes prophetias adimpleam. *Tenebræ* pro Dæmone apud Auctores allegatas uſurpantur. Hebræi [10] ajunt, *tenebras*, quæ erant ſuper abyſſum in ipſis mundi primordiis [11], Diabolum deſignaſſe.

℣. 54. AD DOMUM PRINCIPIS SACERDOTUM.] Caiphæ, qui in iiſdem ædibus incolebat, ac Annas Socer ſuus, qui & ipſe Summus Pontifex fuerat.

PETRUS SEQUEBATUR A LONGE.] Patres quidam [12] crediderunt, Petrum minime fugam cum aliis Apoſtolis corripuiſſe, ubi Magiſtrum ſuum captum viderunt. Hoc certum eſt, ipſum, licet aliis ſe ſe primum fugæ dederit, inde ſtatim rediiſſe, eumque in atrium uſque Caiphæ ſequutum fuiſſe.

℣. 55. ACCENSO IGNE IN MEDIO ATRII.] Vere nocturno tempore frigus erat; & Rabbini teſtantur, nonnumquam Paſchatis die non defuiſſe. Ibi locorum noctes ſemper humentes ſunt propter ingentem roris copiam. Vide ex Matthæo 26. 69. quid de Petri negatione dictum ſit.

℣. 61. CONVERSUS DOMINUS RESPEXIT PETRUM.] Crediderunt quidam [13], Jeſum oculos mentis dumtaxat in illum conjeciſſe, ejuſque cor penetraſſe, ita ut ſcelus ſuum perhorreſceret. Sed ex Evangeliſtarum collatione [14] liquet, Jeſum de aula egreſſum, ubi interrogatus fuerat, & mortis reus declaratus, adductum fuiſſe in atrium a militibus, & ſervis cuſtoditum, inter quos S. Petrus ſe ſe immiſcuerat. Potuit ergo Jeſus oculorum aciem in Petrum conjeciſſe; & hic obtutus dumtaxat Magiſtri effecit, ut reſipiſceret, & in lacrymas ſolveretur.

℣. 63. ET VIRI, QUI TENEBANT EUM.] S. Matthæus 26. 67. & Marcus 14. 65. has contumelias, quibus Jeſus affectus fuit, enarrant, ſtatim ac Sacerdotum Concilium ſeceſſit, & ante S. Petri negationem. Hoc per anacephalæoſim iſthic refert S. Lucas, & innuit, ſacrilegum ludum hunc in diluculum uſque fuiſſe productum.

℣. 66. UT FACTUS EST DIES.] Teſtantur reliqui Evangeliſtæ [15], hoc accidiſſe ſummo mane, & Sacerdotes, & Judices nationis ſimul convenisse, ut juridice JESUM CHRISTUM interrogarent: nocturnum enim Concilium nullo jure habitum fuerat. Credunt complures, illum in aulam Sanhedrin, quæ erat in uno ex atriis Templi, adductum fuiſſe.

℣. 67. SI VOBIS DIXERO NON CREDETIS (℣. 68.) SI AUTEM & INTERROGAVERO &c.] Inutile eſt ergo loqui ad vos. Scio, vos conſilium iniiſſe, quomodocumque perdendi mei, itaque hæ omnes formulæ juris, quas ſimulatis, meræ ſunt affectationes. Si veritatem dixero vobis, cum jam mihi infeſtiſſimi necem paretis, eam

1 Thom. Bartholin. de cruce Hypomnem. 4. de ſudore ſanguinis. 2 Vita Sixti V. per Gregor. Let. Thuan. lib. 82. hiſt. 3 Melanges d' Hiſt. t. 3. pag. 179.
4 Joſeph. lib. 3. de Bello cap. 5. pag. 855. [illegible], &c.
5 Luc. 22. 36. 6 Matth. & Marc. & Luc. [illegible]. Joan. 18. 10. [illegible].
7 [illegible]. 8 Ita Grot. Priceus, Camer. alii plerique.
9 Epheſ. 6. 12. *Adverſus mundi rectores tenebrarum harum.* 10 Aruch. apud Ligf. Hor. Hebr.
11 Geneſ. 1. 2. 12 Chryſoſtom. in Matth. homil. 85.
13 Auguſt. de gratia Chriſti lib. 1. cap. 45. de conſenſu lib. 3. cap. 6. alii plures Brug. Tir.
14 Vide S. Matth. 26. 27. 28. Marc. 14. 65. 66. & Luc. 22. 26.
15 Matth. 27. [illegible]. Marc. 15. 1. [illegible].

eam aſpernabimini. Et ſi quid ex vobis quæſivero, ut meam innocentiam oſtendam, nihil reſpondebitis, neque me abire patiemini. Facite ergo, quod vobis lubet.

At Græcus alium in ſenſum verti poteſt [a]: *Si vobis dixero*, me eſſe CHRISTUM, *non credetis; et ſi gratiam popoſcero, non reſpondebitis, neque me liberum abire ſinetis*. Græca vox, quæ proprie interrogare ſignificat, ſæpius a S. Luca, & Johanne [b], pro *deprecari*, *efflagitare*, uſurpatur: ex. gr. Luc. 4. 38. *interrogarunt*, *ut curaret* Socrum S. Petri, hoc eſt illum oraverunt, &c. Et Luc. 5. 3. eos *interrogavit*, ut parum a terra ſecederent; hoc eſt petiit ab illis, & Luc. 7. 3. *& interrogabant* (precabantur,) ut ſervum curaturus accederet. Et Luc. 7. 36 Phariſæus illum *interrogabat*, ut ſecum ad cœnam veniret; & Luc. 8. 37 omnis populus Geraſenorum *interrogabat*, obteſtabatur, ut de finibus eorum recederet? & alibi Luc. 14. 18. *interroga te*, oro te: *habe me excuſatum*. Hoc denique afferi poteſt, S. Lucam fere ſemper uti Græco verbo *erotâ* in petendi ſignificatione: Et ea, quæ ſequuntur: *neque dimitteretis*, probant etiam, hanc veram eſſe hujus verbi hoc in loco ſignificationem; & JESUM CHRISTUM Judæorum proceribus innuere voluiſſe, ſupervacaneum illis eſſe reſpondere: decreverant enim, neque rationes, neque preces ejus audire.

℣. 69. EX HOC ERIT FILIUS HOMINIS &c.] Ego quoque viciſſim ſecundum omnem juſtitiæ meæ veritatem vos judicabo. In vos juſtiſſimam Patris mei ultionem exercebo. JESUS CHRISTUS præſertim innuere vult judicium, Romanorum manu contra Jeroſolymam exercendum. Vide S. S. Matth. 26. 64. Marc. 14. 62. & Matth. 16. 27 24. 31. 25. 31.

℣. 71. AUDIVIMUS EX ORE EJUS.] Auribus noſtris illius blaſphemiam audivimus: ille ore ſuo damnationem ſuam protulit, ipſe ſe Dei filium vocavit; nihil ultra quærendum eſt.

---

a Ἐὰν ὑμῖν εἴπω, οὐ μὴ πιστεύσητε. Ἐὰν δὲ καὶ ἐρωτήσω, οὐ μὴ ἀποκριθῆτέ μοι, ἢ ἀπολύσητε. Vide Heinſ.
b Vide ad Joan. 4. 51.

CAPUT XXIII.

JESUS coram Pilato, mox coram Herode; inde ad Pilatum remittitur. Barrabas JESU præfertur. Pilatus JESUM Judæis tradit. Ille ad Calvarium rapitur, atque inter duos latrones crucifigitur. Contumeliæ, quibus in Cruce affigitur. Bonus latro meretur, ut ſibi Paradiſum JESUS polliceatur. Solis eclypſis. Mors JESU, qui a Joſepho ab Arimathæa tumulatur.

1. ET ſurgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum. 2 Cœperunt
autem illum accuſare, dicentes: Hunc invenimus ſubvertentem gentem no-
ſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem, ſe Chriſtum regem
eſſe. 3 Pilatus autem interrogavit eum, dicens: Tu es Rex Judæorum? At ille re-
ſpondens ait: Tu dicis. 4 Ait autem Pilatus ad principes ſacerdotum, & turbas:
Nihil invenio cauſæ in hoc homine. 5 At illi invaleſcebant, dicentes: Commovet
populum, docens per univerſam Judæam, incipiens a Galilæa uſque huc. 6 Pilatus
autem audiens Galilæam, interrogavit, ſi homo Galilæus eſſet. 7 Et ut cognovit,
quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Jeroſolymis
erat illis diebus. 8 Herodes autem viſo Jeſu, gaviſus eſt valde, erat enim cupiens
ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & ſperabat ſignum ali-
quod videre ab eo fieri. 9 Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe ni-
hil reſpondebat. 10 Stabant autem principes ſacerdotum, & Scribæ conſtanter ac-
cuſantes eum. 11 Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indu-
tum veſte alba, & remiſit ad Pilatum. 12 Et facti ſunt amici Herodes, & Pilatus
in ipſa die: nam antea inimici erant ad invicem. 13 Pilatus autem convocatis prin-
cipibus ſacerdotum, & magiſtratibus, & plebe, 14 Dixit ad illos: Obtuliſtis mihi
hunc hominem, quaſi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans,
nullam cauſam invenio in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis, 15 Sed ne-
que Herodes: nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei.
16 Emendatum ergo illum dimittam. 17 Neceſſe autem habebat dimittere eis per
diem feſtum, unum. 18 Exclamavit autem ſimul univerſa turba dicens: Tolle hunc,
& dimitte nobis Barabbam. 19 Qui erat propter ſeditionem quamdam factam in ci-
vitate, & homicidium, miſſus in carcerem. 20 Iterum autem Pilatus locutus eſt ad
eos, volens dimittere Jeſum. 21 At illi ſucclamabant, dicentes: Crucifige, cru-
cifige eum. 22 Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iſte? nullam
cauſam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam. 23 At illi inſta-
bant vocibus magnis, poſtulantes ut crucifigeretur: & invaleſcebant voces eorum.

24 Et

24 Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. 25 Dimiſit autem illis eum, qui
propter homicidium, & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, quem petebant: Jeſum
vero tradidit voluntati eorum. 26 Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem
quemdam Cyrenenſem venientem de villa: & impoſuerunt illi crucem portare poſt Je-
ſum. 27 Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plange-
bant, & lamentabantur eum. 28 Converſus autem ad illas Jeſus, dixit: Filiæ Jeru-
ſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. 29
Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non
genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt. 30 Tunc incipient dicere montibus:
Cadite ſuper nos, & collibus: Operite nos. 31 Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt,
in arido quid fiet? 32 Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interfice-
rentur. 33 Et poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixe-
runt eum; & latrones, unum a dextris, & alterum a ſiniſtris. 34 Jeſus autem di-
cebat: Pater, dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciunt. Dividentes vero veſti-
menta ejus, miſerunt ſortes. 35 Et ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum
principes cum eis, dicentes. Alios ſalvos fecit, ſe ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus
Dei electus. 36 Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes
ei, 37 Et dicentes: Si tu es rex Judæorum, ſalvum te fac. 38 Erat autem
& ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic
eſt rex Judæorum. 39 Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blaſphe-
mabat eum dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos. 40 Re-
ſpondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in
eadem damnatione es? 41 Et nos quidem juſte, nam digna factis recipimus: hic
vero nihil mali geſſit. 42 Et dicebat ad Jeſum: Domine, memento mei, cum
veneris in regnum tuum. 43 Et dixit illi Jeſus: Amen dico tibi: Hodie me-
cum eris in paradiſo. 44 Erat autem fere hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in
univerſam terram uſque in horam nonam. 45 Et obſcuratus eſt ſol: & velum
templi ſciſſum eſt medium. 46 Et clamans voce magna Jeſus ait: Pater, in ma-
nus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens, expiravit. 47 Videns au-
tem Centurio, quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo ju-
ſtus erat. 48 Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud,
& videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur. 49 Stabant au-
tem omnes noti ejus a longe, & mulieres, quæ ſecutæ eum erant a Galilæa, hæc
videntes. 50 Et ecce vir nomine Joſeph, qui erat decurio, vir bonus, & ju-
ſtus: 51 Hic non conſenſerat conſilio, & actibus eorum, ab Arimathæa civita-
te Judææ, qui expectabat & ipſe regnum Dei. 52 Hic acceſſit ad Pilatum, & pe-
tiit corpus Jeſu: 53 Et depoſitum involvit ſindone, & poſuit eum in monumento
exciſo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. 54 Et dies erat paraſceves, &
ſabbatum illuceſcebat. 55 Subſecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de
Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus ejus. 56
Et revertentes paraverunt aromata, & unguenta: & ſabbato quidem ſiluerunt ſe-
cundum mandatum.

℣. 1. DUXERUNT ILLUM AD PILATUM.] Cum Judæis nullum eſſet amplius vitæ, neciſque jus [1]; damnatio, qua Jeſum Chriſtum morti adjudicaverant, inutilis erat, niſi illam Pilatus ſententia confirmaret. Eum igitur ad Præſidem rapiunt; hunc urgentes, ut illum morte damnet, ex Judicibus actores, accuſatoreſque innocentis effecti. Synhedrin ſimul totum acceſſit: *omnis multitudo eorum*, ne Pilatus abnueret illis, quod & velati juſſum, & veluti gratiam petebant.

A

℣. 2. HUNC INVENIMUS &c.] Judæi verba non faciunt de blaſphemiis, neque de voluntate Templi evertendi, neque de Legum Moyſis prævaricatione; hæc enim a Pilato quærenda non erant. Tria vero accuſationis capita: Primum, quod ſeductor eſſet; alterum, quod obſiſteret, ne Cæſari tributum perſolveretur; tertium, quod ſe Meſſiam, & Judæorum Regem ferret [2]. Non difficile fuit Præſidi, hæc omnia nugatoria eſſe intelligere, atque per invidiam illum accuſari. Jeſus ibi gentium ab omnibus habebatur tanquam vir pacis amantiſſimus, atque humillimus. Non ſemel ſententiam ſuam declaraverat, quo in loco habendi eſſent terræ hujus Principes. Homo pauper, & nullis terrenis opibus fretus, nullam poterat Romanis injicere affectati Regni ſuſpicionem. Nemo ſtatim ac repente fieri poteſt ſeductor, rebellis, ambitioſus, eouſque, ut & Rex haberi velit. Numquam antea his de rebus Jeſus fuerat accuſatus: omnes circumſtantiæ erant in oppoſitum. Pilatus ergo facile detexit inſidias, quæ ſibi ſtruebantur, & Judæorum Principes opera ipſius uti velle, ut ſuum odium explerent.

℣. 3. TU ES REX JUDÆORUM? TU DICIS.] Adden-

[1] Chryſoſt. in Joan. homil. 83. Theophyl. in Joan. 18. Eraſm. Caſaub. Bez. alii.
[2] Marcion addebat: Καὶ καταλύοντα τὸν νόμον, καὶ τοὺς Προφήτας. *Evertis legem & Prophetas*. Epiphan. hæreſ. 42.

dende, quæ apud S. Johannem leguntur [1] : *Regnum meum non eſt de hoc mundo ; ſi ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis : nunc autem Regnum meum non eſt hinc . . . . ad hoc veni in Mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati : omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem meam*. Poſt hanc reſponſionem Pilatus dicit Judæis verſ. 4. *nihil invenio cauſæ in hoc homine*. S. Lucas compendiaria via adtexit Paſſionis circumſtantias. A

℣. 5. COMMOVET POPULUM . . . . A GALILÆA USQUE HUC.] Videntes, adfectati Regni accuſationem non magnam apud Pilatum vim obtinere, ejuſque vanitatem ab illo fuiſſe deprehenſam, ad aliam probationem confugiunt. Hoc ſatis patebat, Jeſum Chriſtum, ubique magna populi comitante caterva ſtipatum docuiſſe, atque ex omnibus locis homines ad eum confluxiſſe, ut illius ſermones audirent, & ab eodem ægri curarentur. Judæi hæc omnia ab eo facta dicunt, quod turbas in populis fereret, atque novis rebus ſtuderet; licet hoc innoteſceret, nihil accidiſſe, quod hanc accuſationem poſſet adſtruere, immo Jeſum ſemper ſumma cum prudentia evitaſſe quidquid hac in re vel minimam Judæis ſuſpicionem potuerat ingerere. Jeſus Chriſtus veniebat de Galilæa, ubi commorabatur, atque de pago in pagum, de urbe in urbem migrabat docens, uſque dum Jeroſolymam perveniret. Hanc ille rationem ſemper ſecutus eſt his itineribus, quæ de Galilæa Jeroſolymam aggrediebatur toto miſſionis ſuæ tempore; huc vero quotannis ter, ſaltem tribus præcipuis anni feſtivitatibus, ſe conferebat. B

℣. 6. SI HOMO GALILÆUS ESSET.] Pilati provincia in Galilæam uſque minime protendebatur: Judææ tantum imperitabat. Herodes Antipas erat Rex, vel Tetrarcha Galilææ, ideoque Jeſus ſubditus erat illius. Pilati ergo intererat, illum ad Regem ipſius remittere juxta Romanas leges [2], præſertim vero quod rebellionis, atque affectati Regni inſimulabatur. Pilatus fortaſſe occaſionem hanc ſumma cum voluptate nactus arripuit, ut Judæorum odia ab ſe deflecteret ea in cauſa, quæ ſibi injuſtiſſima [3] videbatur, & ut Herodi gratificaretur, hoc illi teſtatus obſequium, quod nullo ſibi ſtabat impendio. Mittit ergo Jeſum ad Herodem, ut Princeps hic illum in Galilæam mitteret poſtea, ubi contra illum quæſtio haberetur. Non ambigimus, quin Herodes pro Paſchatis feſtivitate Jeroſolymam venerit, quippe Judæus erat, vel ſaltem Proſelytus. C

℣. 8. CUPIENS EX MULTO TEMPORE VIDERE EUM.] Jampridem audierat Herodes de Jeſu Chriſto verba fieri, nam miraculorum ejus fama late in omni Galilæa percrebuerat. Rex hic crediderat etiam, Jeſum Chriſtum eſſe Johannem Baptiſtam e morte ſuſcitatum [4]; cupiebatque ſuiſmet oculis cognoſcere, utrum hæc conjectura vera eſſet, & cum eo colloqui deſiderabat: *ſperabat enim, ſignum aliquod videre ab eo fieri*. Verum nulla Jeſus oſtentationis, vel utilitatis ergo miracula, quemadmodum joculatores præſtigia ſua, operabatur. Neque ea operari volebat, ut expleret vanam hominis curioſitatem, cujus hac in re mens erat, ut ſolatium aliquod haberet, vel ſaltem ut illum admiraretur. Vera miracula nonniſi cum extrema urget neceſſitas, vel cum maxima proximi utilitas, & Dei gloria eadem requirit, facienda ſunt. D

℣. 11. SPREVIT ILLUM HERODES CUM EXERCITU SUO.] Herodes cum militibus ſuis, vel juxta Græcæ vocis vim [5], cum *armis ſuis*, cum ſatellitibus, ducibus ſuis, illum contempſit tamquam ſenſu carentem, ac ſtipitem aliquem, qui coram ipſo neque os auderet aperire: nam Jeſus nihil reſpondit omnibus quæſtionibus illius, quemadmodum Evangeliſta ℣. 9. teſtatur. Hebraica vox [6], quæ ſignificat *bellum inferre*, unde fluit nomen *exercitus*, nonnunquam etiam Principi alicui famulari, illum comitari ſignificat; quemadmodum Reges ſatellitibus ſuis ſtipati incedunt. Dicuntur e. g. piæ mulieres *bellum facere*, vel vigilare ad portas tabernaculi [7]: illæ, veluti excubiæ in ædibus Regis Iſrael, ibi aderant, atque ſatellitium quoddam coram Altiſſimo [8] componebant. E

INDUTUM VESTE ALBA;] per deriſionem, fortaſſe ut illuderent illum, qui ſe Regem ferebat [9]: veſtium quippe candor apud Perſas, Ægyptios, aliiſque, Regum erat; vel ut irriderent velut Regni candidatum, quemadmodum Romæ, qui Magiſtratum petebant, candidati ſuffragatores ambibant [10]. Græcus ad litteram [11]: *veſte nitenti*, quod fulgorem potius quam colorem veſtium indigitat [12]. Syriaca verſio: *veſtem coloris purpurei*; eamque eruditi complures ſequuntur [13]. Alii pro veſte alba [14] pugnant, quemadmodum habetur in Vulgata. Herodes Jeſum Chriſtum ad Pilatum remittit tamquam hominem, cujus nullam rationem habendam eſſe cenſeret, & cujus affectati Regni fama nullam ſibi ſuſpicionem ingereret.

℣. 12. ANTEA INIMICI ERANT AD INVICEM.] Credunt, inimicitiæ cauſam, quæ inter illos intercedebat, inde ortam fuiſſe, quod Pilatus Galilæos quoſdam interfici juſſerat, dum Jeroſolymæ Sacris operarentur, & quod *Sanguinem*, uti ait S. Lucas 13. 1. *cum ſacrificiis eorum immiſcuiſſet*. Sed vix iſtud crediderim. Galilæi, de quibus S. Lucas loquitur, fortaſſe erant diſcipuli Judæ Gaulonitæ, cujus partes tueri, Herodis minime intererat. Si enim, qui Judam ſequebantur, in Evangelio Herodiani dicuntur, inde hoc nomine potius appellantur, quod originem ſortiti fuerint ex Galilæa, quæ Herodis erat imperium, quam quod vel illius perſonæ, vel dominationi adhærerent.

℣. 14. CORAM VOBIS.] Primum quidem illum interrogavit coram Magiſtratibus, qui eumdem ipſi obtulerant; verum cum eorum criminationes ineptæ eſſent, neque teſtes, neque rationes, neque facta contra eumdem adferrent, eorum omnium nulla ratio habita eſt. Mox vero eundem in Prætorio, & ſeorſim [15] interrogavit: illuc enim accuſatores ingredi auſi non erant, ne polluerentur, & ne Paſcha die eadem manducare [16] prohiberentur. Deinde illum iterum coram ipſis adduxit, atque profeſſus eſt, ſe in eo nullam invenire cauſam, propter quam illum damnaret. Judæi urgere non deſtiterunt; & Pilatus Jeſum interrogare pergebat; verum Salvator ne verbum quidem reſpondit. Silentium illius profecto cauſa non erat, propter quam damnaretur, præſertim vero cum accuſatores nihil diſtinctum, atque probatum afferrent. Ideo Pilatus ait, ſe illum coram ipſis interrogaſſe.

℣. 15. NIHIL DIGNUM MORTE.] Herodes illum minime noxium cenſuit, neque dignum morte, ſed tamquam inſipientem, ſenſuque carentem reputavit. Si reus eſſet, illum ſane mulctaſſet, vel ad me illum interficiendum miſiſſet. Sunt, qui Græcum ita vertunt [17]: *nihil factum ab eo eſt, quod mortem mereatur*: Sed prior ſenſus melior eſt.

℣. 16. EMENDATUM ILLUM,] & flagellis cæſum dimittam [18]. Hæc vulgatiſſima erat apud Judæos pœna, qua in illos animadvertebatur, qui licet ſceleſti, morte tamen plecti non merebantur. Judæi ſupplicium hoc longe aliter ab Romanis exercebant: apud hos vet-

1 Joan. 18. 35. 36. 37. 2 Vide Grot. Brug. Theophylact. hic.
3 Bynæ. Gerhard. Mill. 4 Luc. 9. 7. 8. 9 Marc. 6. 16. 5 Σὺν τοῖς ϛρατεύμασιν αὐτοῦ.
6 צבא Tzaba. Στρατεύμα, Exercitus. 7 Exod. 38. 8. & 1. Reg. 2. 22.
8 Vide Syr. Grot. Ham. alios. 9 Caſaub. in Baron. Exerc. 16.
10 Beza hic. Bynæ. lib. 3. c. 2. art. 14. de morte Chriſti. 11 Ἐσθῆτα λαμπράν.
12 Grot. Brug. Bez. alii plures. 13 Baron. ad an. 34. n. 39. Moutacut. orig. Eccl. t. 1. parte 2. p. 187. Steck. antiq. conviv. lib. 2. c. 26. 14 Pricæus hic. Caſaub. contra Baron. exercit. 16. Heinſ. exercit. hic. Lud. de Dieu, alii. 15 Joan. 18. 33. 34. 16 Joan. 18. 28.
17 Οὐδὲν ἄξιον θανάτου ἐστὶ πεπραγμένον αὐτῷ. Quaſi ὑπ' αὐτοῦ. Ita Eraſm. Illyr. Bez.
18 Vatab. Grot. Ham.

verberum numerus ex Judicum voluntate pendebat; apud Hebræos numerum undequadraginta excedere non licebat [1]. Non audet Pilatus Jeſum morti adjudicare, eo quod illum culpa vacare credit; attamen ne ſubeat invidiam populi, & Magiſtratuum, mortem ejuſdem petentium, media incedit via; illum flagellis cædi jubens. Verum ut in his occaſionibus aſſolet, neutri ſatisfacit. Neque Jeſum ſuppliciis eripit, neque juſtitiæ conſulit. Innocens pro uno duplici afficitur pœna; Flagellis primum cæditur; mox vero etiam Cruci affigitur.

℣. 17. NECESSE HABEBAT] juxta conſuetudinem, ut noxium aliquem vinctum ſolveret. Vide quæ adnotavimus in S. Matthæum 27. 15.

℣. 19. IN CIVITATE] in Jeroſalem, quæ per antonomaſiam Civitas appellatur [2].

℣. 24. ADJUDICAVIT;] protulit mortis ſententiam in Jeſum. Complures circumſtantiæ ſupplendæ ſunt huic S. Lucæ narrationi. Vide quatuor Evangeliſtarum Harmoniam, S. Matthæo præpoſitam.

℣. 26. SIMONEM QUEMDAM.] Vide S. Matthæum 27. 32. Popularis viget traditio, Domino noſtro ad Calvariam eunti mulierem quamdam, quæ Veronica, vel fortaſſe Berenices appellabatur, ſudariolum ſuum præbuiſſe, quo faciem abſtergeret. Jeſum vero ſe ſe eodem detergentem ibi oris ſui imaginem impreſſiſſe, & hunc Romæ ſervari, atque *Sanctam faciem*, vel *Veronicam* appellari [3]. Anno 1011. Romæ aderat Sacrum ſudarium, vel Veronica. Ex hac muliere, Sancta effecta eſt, atque ejus feſtivitas die quarta Februarii, aliiſque etiam diebus celebratur. Ajunt Manuſcriptam Sanctæ hujus mulieris hiſtoriam adeſſe, quæ aliquando in lucem prodibit, ubi illa Romæ diem ſuum obiiſſe narratur. Sed viri quidam, iique non minima præditi eruditione dubitant, utrum fuerit umquam mulier aliqua, quæ hoc nomine appellaretur. Credunt, *Veronica* idem eſſe, ac *vera Icon*, hoc eſt vera Imago propter vetus aliquod ſudarium, in quo veram Salvatoris noſtri imaginem impreſſam fuiſſe crediderant. Inde populus effecit Sanctam Veronicam, vel Berenicem, quas vulgares populorum opiniones tolerat prudenter Eccleſia: ſed ejus ſilentium approbationis loco haberi non poteſt.

℣. 27. MULTA TURBA MULIERUM &c.] Mos fortaſſe invaluerat, ut mulieres ſequerentur eos, qui ad ſupplicium rapiebantur, atque per miſerationem illos plorarent; non enim auſim aſſerere, illas virorum ſuorum iniquitatem improbare, qui Salvatorem morte damnari voluerunt. Hæc miſerationis dumtaxat, non autem pœnitentiæ lacrymæ ſunt [4].

℣. 28. NOLITE FLERE SUPER ME.] Si ſciretis mala, quæ imminent vobis, & quæ in Civitatem, viros, filios veſtros, atque vos metipſas ingruere debent; lacrymis parceretis, ut aliquando propria mala lugeretis. Mors mea totius humani generis felicitas eſt; funeſta vero veſtræ tantum nationi, idque ſolum per accidens, eo quod ita veſtra voluntas feret. Loquitur de futuro Jeroſolymæ a Romanis evertendæ excidio.

℣. 29. BEATÆ STERILES] & quæ non habent filios; hæ quippe hoc ſaltem dolore carebunt, quod filiorum filiarumque ſuarum miſerrimam cædem minime intuebuntur. Suæ dumtaxat vitæ jacturam ſubibunt, cum Matres toties quodammodo moriantur, quot e filiis ſuis ſe inſpectantibus ad cædem rapi intuentur. Jeroſolymitanæ obſidionis tempore non defuit Mater, quæ lactentis adhuc filii ſui carnes manducaverit [5].

℣. 30. INCIPIENT DICERE MONTIBUS] Hæc loquendi ratio ad Prophetarum ſtyli lucernam [6] concinnata videtur, ubi populi alicujus ineluctabilibus malis obruti inducunt deſperationem. Utinam montes præcipiti lapſu in nos met decideretis, & pro cippo oſſa noſtra contegeretis potius, quam in hoſtium noſtrorum manus redigeremur. Judæa montibus erat referta, & ubi ad arma conclamabatur, in montium juga, vel ſpecus timidi ſe ſe recipere conſueverant. Sed ubi in his etiam refugii locis ab hoſtibus inventi fuiſſent, hoc naturale quodammodo erat, ut peterent, montes ipſos ruere, & pro ſepulchro ſibi eſſe, quorum minima calamitas captivitas erat futura. Iſaias n. 19. ait, impios in *ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ* ſe ſe recepturos, ut fugiant a *facie formidinis Domini*, & Joſephus l. 7. de Bello c. 17. narrat, complures Judæos capta Jeruſalem in latrinis, atque ſepulchris delituiſſe ibi perituros potius, quam Romanis ſe ſe dederent.

℣. 31. SI IN VIRIDI LIGNO HÆC FACIUNT; IN ARIDO QUID FIET?] Si ego, qui juſtus, & innocens ſum, tot ſuppliciis, & contumeliis afficior, quæ erit improborum, impiorumque pœna? Si Deus tanta ſeveritate in proprium filium animadvertit, qui ſe pro nobis vadem præbuerat, omniumque hominum iniquitatem in ſe ſuſceperat, quid fiet de hominibus ipſis, qui miſericordiam atque theſaurus bonitatis ejus contempſerunt, eumque quodammodo coegerunt, ut ita in illos deſæviret? Mulieres illæ omnem vim verborum JESU CHRISTI minime tunc temporis intellexerunt: ſed facile aſſecutæ ſunt, illum ſe met innuere ligni viridis nomine, ligni vero aridi populum Jeroſolymitanum. Hoc apud Hebræos hodierna quoque die adagium eſt: ſi duo arida ligna cum uno viridi fuerint, viride ab aridis abſumi. Impii bonos homines opprimunt: Dominus apud Ezechielem n. 47. minitatur, ſe ſucciſurum *omne lignum viride, & omne lignum aridum*, bonum ſimul, & nequam. At in Jeroſolymitana obſidione aliter accidit; Dominus juſſit, Chriſtianos in tutum locum ſecedere, antequam ea Civitas obſidione vallaretur.

℣. 33. IN LOCUM CALVARIÆ [7].] Hic mons ad Borealem Jeroſolymæ occaſum aſſurgebat, Hebraice vel Syriace dictus *Golgotha*, cranium; ſeu propter crania damnatorum, qui ibi ſupremo affecti fuerant ſupplicio, & ibidem relicti, donec putreſcentes diffluerent; ſeu propter ejuſdem ſterilitatem, propter quam habebatur tamquam cranium nudum carne, atque capillis ſpoliatum. Non afferam hoc in loco, quod olim commenti ſunt, primum humani generis parentem ibidem fuiſſe contumulatum. Hac de re alibi ſermo fuit. Matth. 27. 33.

ET LATRONES, UNUM A DEXTERIS, & ALTERUM A SINISTRIS.] Tenent Rabbini, a populo ſuo numquam Cruci viventes adhuc homines figi conſueviſſe, neque eorum manus pedeſque clavis fuiſſe perforatos. Hoc fortaſſe apud illos antiquitus, & priuſquam Babylonem in captivitatem adducerentur, conſueverat: ſed deinceps hoc certe liquet, ipſos etiam, quemadmodum & alios populos, clavis viventes homines cruci affixiſſe [8]. Crux ut plurimum ſupplicium erat Latronum, ſervorum, atque improborum ex ima populi fæce. S. Hilarius in Matth. n. 33. bonum Latronem a dexteris ſtatuit, malum e JESU CHRISTI ſiniſtris. S. Auguſtinus [9] ſupponit, bonum Latronem ſatis prope JESUM CHRISTUM fuiſſe, quandoquidem ait, aquam & ſanguinem de Salvatoris latere emanantes, ubi confoſſum fuit, ad illum uſque exiliiſſe, illique Baptiſmatis loco fuiſſe. Docent Rabbini [10], olim duos ſimul noxios numquam eodem tempore ſupplicio affectos fuiſſe, niſi ejuſdem ſceleris eſſent conſortes.

JE-

1 Deut. 25. 3. 2. Cor. 11. 24. Vide Diſſertationem de ſuppliciis Deuteronomio præfixam.
2 Matth. 21. 10. 26. 18. 28. 11. Luc. 19. 41. & alibi paſſim.
3 Vide Bollandum 4. Febr. p. 449. Tillemont. Not. 33. in J. C.
4 Vide Leon. Magn. ſerm. 59.
5 Joſeph. de bello, lib. 7. c. 8. in Lat. pag. 954.
6 Oſee 10. 8. Apoc. 6. 16.
7 Ἀρχόμενοι κρανίου, vocato cranio. Quidam: Κρανίου, cranii. Vide Mill.
8 Vide noſtram Diſſertationem de ſuppliciis, Deuteronomio præfixam.
9 Auguſt. de anima, & ejus origine, lib. 2. c. 9. p. 343.
10 Sanhedrin. c. 14. Vide Schikard. in Reg. c. 4.

Jesum Christum ergo reputabant tamquam ſeditioſum hominum ducem, publicæ quietis perturbatorem.

ỷ. 34. Dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.] Ne tradas illos in cordis eorum nequitiam atque obdurationem: ne omnino ab hac gente receſſeris: locum tribue illius pœnitentiæ. Grave eſt ſcelus illius, atque inexcuſabile; & ſi apud eam illa operatus fuiſſem miracula, quæ nemo alius, excuſari fortaſſe poſſet: ſed poſt ea omnia, quæ viderunt, adhuc ne ignorare poſſunt, quis ego ſum? Verum eſt nihilominus quodam in ſenſu, illos neſcire quid faciunt; ſi enim me gloriæ Deum [1], verum Meſſiam, Dei Filium cognoſcerent, in me profecto manum inferre minime auderent. Sacerdotes, Phariſæi, Legis Doctores, qui tanto ardore Jesu Christi mortem ſunt perſecuti, populo longe erant nocentiores [2]: ignorantiæ excuſatio populi partem fortaſſe tueri poterat: illi vero noverant ſaltem Jesum Christum juſtum eſſe, atque iis criminibus vacuum, quæ in illum congeſſerant. Miracula ipſius ignorare non poterant; ac ſi ſe ſe colligere voluiſſent, poterant ne ignorare, ſe odio, invidia, & ita abreptos necem illius perquiſiviſſe? Jesus Christus hoc in loco Judæorum factum ſpectat, quatenus aliquid ad illud excuſandum afferri poteſt. Omnia, quæ in illo infeſta atque odio repleta ſunt, avertit, uti fieri conſuevit, cum in rei alicujus gratiam Judicis clementia imploratur.

Dividentes vestimenta ejus.] Poſtquam Cruci confixus fuit, milites, qui Judicis ſententiam expleverant, ſibi veſtes illius diviſerunt, quæ juxta Leges ad eoſdem ſpectabant. At hoc fuſius apud S. Johannem, Joan. 19. 22.

ỷ. 35. Si est Christus Dei electus.] Electi nomen Meſſiæ epithetum eſt: *ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi ſpiritum meum ſuper eum, judicium gentibus proferet*, Iſai. 42. 1. Ebionitæ [3] hoc nomine abutebantur, ut aſſererent, Jeſum Chriſtum ſimplicem fuiſſe hominem, uti cæteros, natum, atque conceptum, ſed mox a Deo electum, ut ad Meſſiæ munus eveheretur, & Spiritu Sancto adimpleretur.

ỷ. 37. Acetum offerentes ei.] Ut illuderent, quemadmodum S. Lucas innuere videtur: *illudebant ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei*. Hic communis erat militum Romanorum potus [4]. Cum illuc ad veſperam uſque permanſuri eſſent, ne quis de Cruce extrema ſupplicia affectos detruderet; cumque prævidcrent, ſibi eo in loco eſſe prandendum, ſecum eſculenta, atque poculenta attulerunt. Jeſus ſub meridiem in Cruce poſitus fuit. Veritati conſonum videtur, milites, cum prandercnt, veluti ludicrum aliquod, obtuliſſe Salvatori acetum, ut vires reficeret, atque prandii eorum particeps fieret. Potus hic omnino alius eſt, & a myrratho vino, quod illi oblatum fuit, antequam Cruci affigeretur [5], & ab aceto, quod illi obtulerunt, poſtquam clamavit, *ſitio* [6].

ỷ. 38. Hic est Rex Judæorum.] Damnatus eſt, eo quod haberi voluerit Rex Judæorum. S. Johannes 19. 19. ait, ſcriptum fuiſſe *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*.

ỷ. 39. Unus de Latronibus.] Evangeliſtæ SS. Matthæus 27. 44. & Marcus 15. 32. multitudinis numero inquiunt, latrones Jeſu Chriſto inſultaſſe; & Patres nonnulli [7] crediderunt ſtatim, ab utroque in Jeſum congeſta fuiſſe convicia; ſed mox bonum latronem intrinſecus Salvatoris gratia, extrinſecus vero intuitu patientiæ illius, & miraculorum, quæ in Paſſione A ejus [8] contigerunt, ſe ſe convertiſſe, atque ſocium ſuum redarguiſſe, quod in Jeſum blaſphemias evomeret. S. Leo ſerm. 51. nihilominus ait, illum ante miracula Salvatoris fuiſſe converſum: ſed altera ſententia magis veritati ſimilis videtur, quoniam præcipua miracula in Jesu Christi morte acciderunt, & Jeſus ante bonum latronem animam efflavit. Ita Origenes, ubi loquitur de prodigiis, quæ conferre aliquid poterant ad boni latronis converſionem, meminit dumtaxat Eclypſis, quæ ſub meridiem incœpit.

Patres alii [9] credunt, S. S. Matthæum, & Marcum, cum multitudinis numero dixerunt, latrones in Jeſum Chriſtum ingeſſiſſe blaſphemias, ea ſermonis figura uſos fuiſſe, qua de uno, tamquam de pluribus verba facimus. Pſeudo-Evangelium de pueritia Ieſu, B quod vetuſtiſſimum opus eſt, narrat, dum Salvator in Ægyptum fugeret, Sanctum Ioſeph, atque Beatiſſimam Virginem in quamdam latronum cecidiſſe manum, qui omnes ſopore capti erant præter duos, quorum alter Ioſepho, Mariæ, pueroque Jeſu necem inferre cupiens ab altero deterritus fuit, vel etiam aliqua re oblata delinitus, ut illum de ſententia dimoveret. Tunc Salvator futurum prædixit, ut aliquando duo hi latrones ſecum eodem tempore hinc inde Cruci affigerentur, atque eorum alter ſecum in Paradiſum aſcenderet; alter vero deſcenderet Inferni ſuppliciis æternum torquendus. Prior ille *Titus*, alter vero *Dumachus* appellabantur. In Pſeudo-Evangelio Nicodemi *Demas*, & *Geſtas* nuncupantur, ſed in falſa quadam hiſtoria Perſica de Jesu Christi vita, *Vicemus*, & C *Juſtinus* vocantur. Auctor florum, vel collectarum, quæ Bedæ tribuuntur, illos *Mathan*, & *Jocam* appellat: unde ſatis liquet, hæc omnia nullam fidem mereri.

ỷ. 41. Nihil mali gessit.] Græcus [10]: *nihil fecit indecorum*, malum, quod exprobrari mereatur, non ſolum nullam ſceleris labe fœdatus eſt, immo nihil umquam patravit, quod vel tantillum urbanitatis officiis adverſetur.

ỷ. 42. Memento mei, dum veneris in Regnum tuum.] Bonus latro Jesum Christum alloquitur tamquam verum Meſſiam, & Regem Iſrael. Minime ambigit, quin poſt mortem ille reſurrecturus ſit, atque Regni ſui poſſeſſionem aditurus. Non petit ille primas in Regno illius dignitates; præclare ſecum agi putans, ſi Dominus illius meminiſſe dignatus fuerit. D Patres complures [11], bonum latronem martyris nomine decorarunt, eo quod teſtimonium perhibuerit veritati, eo tempore, quo omnino derelicta videbatur. Proprius cruor illi ſaluberrimum præbuit Baptiſma, & mors, quam in fide, & charitate paſſus eſt, illi promeruit beatitudinis gratiam ſtatim poſt mortem, quemadmodum ſequenti verſiculo Salvator pollicetur, adeundæ.

ỷ. 43. Hodie mecum eris in Paradiso.] *Paradiſi* nomen juxta ethymon ſuum proprie hortum ſignificat muris circumſeptum; illudque ex Perſica lingua profectum Pollux teſtatur. Invenitur in libro Eccleſiaſtis 2. 5. a Salomone compoſito, & in ſecundo Eſdræ, vel Nehemiæ c. 11. 8. Apud Sacros Auctores ſæpius pro Beatorum ſede uſurpatur. Judæi Paradiſi ideam E animo ſibi finxerant, illi ferme ſimilem, qualem de *viridario Eden* conceperant, ubi Adam, & Eva poſt creationem ſuam collocati fuerant, & Elyſiis campis, de quibus prophani Auctores loquuntur [12]. Ad hanc quoque diem animabus eorum, qui ad plures abierunt, Hebræi precantur, ut in Eden viridario congregentur. Credebant autem [13], animas nonniſi per gradus ad ſupremam

1 1. Cor. 2. 8. *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

2 Act. 3. 17. *Et nunc fratres, ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri.*

3 Epiphanius hæreſ. 30. Vide Grot. hic.

4 Vide Æli. Spartian. in Peſcennino, & Capitolin. in Gordiano, & Trebell. Poll. in Claudio. Vide Ligfoot hic.

5 Matth. 27. 34. Marc. 15. 23.

6 Joan. 19. 28. 29. Matth. 27. 48. Marc. 15. 36.

7 Origen. in Matth. homil. 35. Hieronym. in Matt. & Ambroſ. in Luc. Chryſoſt. hic.

8 Hieronym. in Matth. Origen. loco citato.

9 Auguſt. lib. 3. cap. 15. de conſenſu. Ambroſ. in Luc. Hieronym. in Matth.

10 Οὐδὲν ἄτοπον ἔπραξε.

11 Hilar. de Trinit. lib 10. & in Pſalm. 65. Hieronym. ep. 13. emiſ. pag. 65 uguſt. lib. 1. cap. 9. de anima &c.

12 Vide Joſeph. de lib. 2. de Bello cap. 7. & nos ſup. ad cap. 16. 22.

A 13 Vide Grot. hic.

premiam hanc beatitudinem pervenire; aut vero, quæ nondum omnino ab omni labe mundatæ fuerant, aliquandiu vel in terris, vel alibi remorari, antequam ipſa in Paradiſum aditus reſeretur: ideo Salvator ait, latronem hodie ſecum in Paradiſo futurum. En quid Judæi JESU CHRISTI tempore credebant.

Boni ergo Latronis anima ea ipſa die cum JESU CHRISTO in Sanctorum felicitatem ingreſſa eſt [1], in ſinum Abrahæ, ubi Abraham, Iſaac, aliique Patriarchæ quieſcebant; vel etiam in Cœlum, quemadmodum Patres complures docent [2], ubi JESUS CHRISTUS per divinitatem ſuam ſemper aderat. S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 13. ait, illum cum Abraham, Moyſe, omnibuſque Prophetis cœlum ingreſſum eſſe; immo S. Chryſoſtomus tom. 5. hom. 32. aliique nonnulli credunt, Paradiſum illi patefactum fuiſſe, atque ante ceteros homines illuc ingreſſum fuiſſe. Illius exemplo S. Cyprianus epiſt. 73. utitur oſtenſurus, Martyrum ſanguinem verum eſſe Baptiſmum, qui Cœlorum aditum pandit.

Latina Eccleſia, & Græca, bonum Latronem colunt die 25. Martii, qui pluribus ſæculis creditus fuit Dominicæ Paſſionis dies. Nonnulli eum appellant Dimam, vel Diſmam, & afferunt fabulas nonnullas ex Pſeudo-Evangelio Nicodemi depromptas. Verum hæ nos minime morantur. Quæ diximus, ſatis puto pro Commentarii, quale inſtituimus, ratione.

Marcion, S. Epiphanio teſte in hær. Marcion. ℣. hunc ex S. Lucæ exemplaribus expunxerat, & Origenes in Joan. animadvertit, complures Catholicos illum ipſum præ ſimplicitate ex libris ſuis deleviſſe, ratus non deeſſe abſurdum, ſi diceretur Jeſus ea die cum bono latrone in Paradiſo fuiſſe, qua corpus illius in ſepulchro latebat, ipſe vero in Abrahæ ſinum, inde Patriarcharum animas educturus, deſcenderat. Credebant, verſ. hunc in S. Lucæ textum, Hæreticorum, vel alicujus Corruptoris textus Sacri opera inſertum fuiſſe. Heſychius Jeroſolymitanus ait, quoſdam in textu legiſſe coma, poſt hodie, ita: *amen dico tibi hodie, mecum eris in Paradiſo*. Verum hæc cura omnino nugatoria eſt, quoniam textus ſatis Catholice explicari poteſt, quin ad hoc confugiamus, ut aliquid vel expungamus, vel immutemus.

℣. 44. TENEBRÆ FACTÆ SUNT.] Circa horam ſextam, videlicet circa meridium, *in univerſam terram*, hoc eſt in omnem Judæam, *uſque in horam nonam*, tertiam videlicet pomeridianam. De facto hoc fuſius diſſeruimus in S. Matthæum 27. ℣. 45. Græca quædam exemplaria [3] legunt; *erat jam fere hora ſexta*. Origenes Tract. 35. in Matt. vel potius Ruffinus ejus Interpres ait, in quibuſdam exemplaribus hæc fuiſſe: *& tenebræ factæ ſunt in univerſam terram, cum Sol Eclypſim pateretur*, quod acceptum ille refert quibuſdam Eccleſiæ inimicis, qui in illam calumnias quærebant ingerere, oſtendentes, in Scripturæ textu aperte falſa inveniri.

℣. 45. VELUM TEMPLI SCISSUM EST.] Videri poſſunt, quæ diximus in S. Matthæum 27. 51. Hoc fortaſſe erat velum, quod ad Sancti portam obtentum erat, atque illud ab atrio Sacerdotum ſejungebat. Illud nonniſi poſt mortem Jeſu ſciſſum eſt. S. Lucas eventuum, & circumſtantiarum ordinem curioſius ſectatus non eſt.

℣. 46. CLAMANS VOCE MAGNA.] Hoc argumentum eſt roboris illius, & ipſum non propter doloris vehementiam, neque virium defectum animam efflare; ſed ex mera voluntate ſua Spiritum reddere.

IN MANUS TUAS COMMENDO.] Græcus [4]: *animam meam in manus tuas committam*, quæ vera lectio eſt Septuaginta in Pſalmo 30. verſ. 5. unde locus hic deſumptus eſt. Non deſunt tamen plurima MSS. exemplaria, quæ cum Vulgata præſenti tempore legant: *in manus tuas commendo*. JESUS CHRISTUS, animam ſuam Patri commendans, tamquam habens *poteſtatem ponendi eam, & iterum ſumendi eam*, Joan. 10. 18. ubi voluerit. Hæc oratio quædam erat futuræ Reſurrectionis prædictio [5].

℣. 47. GLORIFICAVIT DEUM.] Deo gloriam tribuit, confeſſus eſt, hanc Dei eſſe manum, & ea omnia, quæ viderat, divinitus accidiſſe. Intellexit, mortem hujuſmodi minime eſſe poſſe neſarii hominis ſupplicium. Deus cor illius commovit, & mentis oculos aperuit, ut cognoſceret, virum hunc, qui ſe Dei Filium dixerat, & qui ad mortem uſque in eadem confeſſione perſtiterat, vere Dei Filium eſſe: *vere Dei Filius erat iſte*, ait ille apud S. Matt. 27. 54.

℣. 49. STABANT NOTI EJUS A LONGE.] Unus ex omnibus Apoſtolis S. Johannes auſus erat huic intereſſe ſpectaculo; alii vero ex terrore, qui illis inceſſerat, nondum ſe ſe collegerant. Verebantur, ne ſi agnoſcerentur JESU CHRISTI Diſcipuli, & ipſi quoque quemadmodum Magiſter ſuus, comprehenderentur, & tamquam commentitii ſceleris ejuſdem conſortes plecterentur. Hi ergo, qui erant in Calvario, ſed procul aberant a Cruce, fortaſſe erant ex illis, qui Jeſum noverant, & quidam etiam ex Diſcipulis illius minus inſignes. Mulieribus non eadem erat, ac Apoſtolis metuendi ratio. Hæ omnes, quæ illum vulgo ſequebantur, ibi adfuerunt; & *mulieres, quæ ſecutæ eum erant a Galilæa*. Harum nomina apud SS. Matthæum 27. 56. & Marcum 15. 40. inveniuntur.

℣. 50. JOSEPH DECURIO.] Græcus [6]: *homo, qui erat Conſiliarius*, fortaſſe membrum magni Sanhedrin, vel cœtus Judicum Jeroſolymitanorum. *Decurionis* nomen ad litteram illum ſignificat, qui decem militibus præeſt, vel quemdam in municipalibus Romanorum Civitatibus Magiſtratum. Joſeph erat *ab Arimathæa*, quæ creditur vetus *Ramathaim Sophim* in montibus Ephraim, Samuelis Patria 1. Reg. 1. 1.

℣. 51. HIC NON CONSENSERAT.] Hoc illud confirmat, quod antea diximus, Joſephum plane fuiſſe unum ex membris Sanhedrin, a quo JESUS CHRISTUS Pilato traditus fuerat: In ea ſententia Joſephus non fuerat, ſed unus erat contra omnes.

℣. 53. IN QUO NONDUM QUISQUAM POSITUS FUERAT.] Ne diceretur non Jeſus, ſed aliquis alius reſurrexiſſe, vel non reſurrexiſſe ex propria virtute, ſed aliena, velut homo ille, qui in Eliſæi ſepulchrum conjectus [7], ex attactu oſſium Prophetæ illius revixerat. Vetus Cantabrigienſis MSS. [8] hic addit: *ubi poſitus fuit in monumento, devolutus eſt ad illius aditum lapis, quem vix homines viginti revolvere potuiſſent*. Alia Græca MSſ. exemplaria, & Cophta verſio ſimpliciter legunt, & revolvit in aditum monumenti lapidem ingentem.

℣. 54. DIES ERAT PARASCEVES, & SABBATHUM ILLUCESCEBAT.] Præparatio, vel *Paraſceve*, eſt feria ſexta apud Judæos; nam ea die omnia præparabantur, quæ pro die Sabbathi erant neceſſaria, quo Lege vetitum erat, ne eſculentum aliquid præpararetur [9]. Sabbathum incipiebat feria ſexta ſub veſperam, & hæc verba: *illuceſcebat Sabbathum*, ſignificant, Solem jam occidiſſe, & Sabbathi requiem inchoare. Ubi aſtrorum, lunæ, ſtellarumque fulgor emicare incipiebat, tunc requies ſervanda erat. In omnibus linguis de *Syderum ortu*, tamquam de ortu Solis verba ſunt. Rabbini ſæpe noctis initium *diem*, vel diluculum [10] vocant. Crediderunt [11] quidam, hanc loquendi rationem deſumptam fuiſſe ex conſuetudine candelam accendendi, cum Sabbathum inciperet, atque deſineret. Hoc illi appellabant *lumen ſeparationis*, eo quod prophanum a die

1 Auguſt. Epiſt. 187. nov. Edit. num. 5. 6. 7.
2 Auguſt. Ibidem num. 6. 7. Vide & Heſych. Jeroſolymit. de hoc loco.
3 Vide var. lect. Mill. hic. 4 [Greek illegible]. Plures MSſ. apud Mill. [Greek illegible]. 5 Brug. hic. 6 [Greek illegible]. 7 4. Reg. 13. 20.
8 [Greek illegible]. Alii quidam, [Greek illegible]. 9 Exod. 16. 5. 22. 10 Vide Ligfoot. Hor. Hebr. in Luc. hic.
11 Zeges. Lud. de Dieu, Clar. Vide & Ligfoot.

die ſacro ſeſtingeret: *Qui non habet, unde lucernam accendat Sabbatho, eſcam potius relinquat, atque beſtiolis emendidet oleum comparaturus, & lampadem illa die accenſurus*, inquit Maimonides. Illæ ea nocte, & die ſequenti quieverunt; *& Sabbatho quidem ſiluerunt*.
℣. 56. ET REVERTENTES PARAVERUNT AROMATA.] Quibus condirent Corpus Salvatoris, cui liniendo aromatibus tempus ibi minime adfuerat, quemadmodum A optaverant: liquet enim ex S. Johannis Evangelio c. 19. 38. Nicodemum centum circiter impendiſſe libras myrrhæ, & aloes, ut illud condiret. Quæ hic narrantur, eas reverſas a ſepulchro, aromata paraſſe, per prolepſim dicuntur. Poſtridie tantum veſpere illa compararunt, cum jam Sabbathum deſiiſſet. Vide S. Marcum cap. 16. verſ. 1. *Et cum tranſiiſſet Sabbathum emerunt aromata*.

CAPUT XXIV.


Mulieres pergunt ad ſepulchrum, ut JESU CHRISTI Corpus aromatibus liniant: ſed illum reſurrexiſſe ab Angelo admonentur. Petrus ad ſepulchrum accurrit. JESUS duobus diſcipulis euntibus in Emmaus apparet, qui in fractione panis illum agnoſcunt. Apparet etiam omnibus Apoſtolis ſimul, & una cum illis converſcitur. Iiſdem Spiritum Sanctum promittit, & tandem ad Cœlum aſcendit.

1, UNa autem ſabbathi valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ
paraverunt, aromata: 2 Et invenerunt lapidem revolutum a monumento.
3 Et ingreſſæ non invenerunt corpus Domini Jeſu. 4 Et factum eſt dum
mente conſternatæ eſſent de iſto, ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti.
5 Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas:
Quid quæritis viventem cum mortuis? 6 Non eſt hic, ſed ſurrexit: recordamini,
qualiter locutus eſt vobis, cum adhuc in Galilæa eſſet. 7 Dicens: Quia oportet
filius hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia reſurgere.
8 Et recordatæ ſunt verborum ejus. 9 Et regreſſæ a monumento nuntiaverunt
hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus. 10 Erat autem Maria Magdalene,
& Johanna, & Maria Jacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant
ad Apoſtolos hæc. 11 Et viſa ſunt ante illos, ſicut deliramentum, verba
iſta: & non crediderunt illis: 12 Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumentum: &
procumbens vidit linteamina ſola poſita, & abiit, ſecum mirans quod factum fuerat.
13 Et ecce duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum
ſexaginta ab Jeruſalem, nomine Emmaus. 14 Et ipſi loquebantur ad invicem
de his omnibus, quæ acciderant. 15 Et factum eſt, dum fabularentur, & ſecum
quærerent: & ipſe Jeſus appropinquans ibat cum illis: 16 Oculi autem illorum
tenebantur, ne eum agnoſcerent: 17 Et ait ad illos: Qui ſunt hi ſermones, quos
confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes? 18 Et reſpondens unus, cui nomen
Cleophas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Jeruſalem, & non cognoviſti,
quæ facta ſint in illa his diebus? 19 Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De
Jeſu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere, & ſermone, coram Deo,
& omni populo: 20 Et quomodo eum tradiderunt ſummi ſacerdotes, & principes
noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. 21 Nos autem ſperabamus, quia
ipſe eſſet redempturus Iſrael: & nunc ſuper hæc omnia tertia dies eſt hodie, quod
hæc facta ſunt. 22 Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante
lucem fuerunt ad monumentum, 23 Et, non invento corpore ejus, venerunt dicentes,
ſe etiam viſionem angelorum vidiſſe, qui dicunt eum vivere. 24 Et abierunt
quidam ex noſtris ad monumentum: & ita invenerunt ſicut mulieres dixerunt, ipſum
vero non invenerunt. 25 Et ipſe dixit ad eos: O ſtulti, & tardi corde ad credendum
in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ! 26 Nonne hæc oportuit pati Chriſtum,
& ita intrare in gloriam ſuam? 27 Et incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur
illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant. 28 Et appropinquaverunt
caſtello, quo ibant, & ipſe ſe finxit longius ire. 29 Et coegerunt illum, dicentes: Mane
nobiſcum, quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies. Et intravit cum
illis. 30 Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit,
ac fregit, & porrigebat illis. 31 Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt
eum: & ipſe evanuit ex oculis eorum. 32 Et dixerunt ad invicem: Nonne cor
noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?

33 Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Jeruſalem : & invenerunt congregatos
undecim : & eos , qui cum illis erant , 34 Dicentes : Quod ſurrexit Dominus ve-
re , & apparuit Simoni . 35 Et ipſi narrabant , quæ geſta erant in via : & quomo-
do cognoverunt eum in fractione panis . 36 Dum autem hæc loquuntur , ſtetit
Jeſus in medio eorum , & dicit eis : Pax vobis : ego ſum , nolite timere . 37
Conturbati vero, & conterriti , exiſtimabant, ſe ſpiritum videre . 38 Et dixit eis:
Quid turbati eſtis , & cogitationes aſcendunt in corda verba ? 39 Videte manus
meas & pedes, quia ipſe ſum: palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet,
ſicut me videtis habere. 40 Et eum hoc dixiſſet , oſtendit eis manus , & pedes.
41 Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gandio, dixit: Habetis hic ali-
quid, quod manducetur ? 42 At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi , & favum mel-
lis. 43 Et eum manducaſſet coram eis, ſumens reliquias, dedit eis. 44 Et dixit ad
eos : Hæc ſunt verba , quæ locutus ſum ad vos , cum adhuc eſſem vobiſcum , quo-
niam neceſſe eſt impleri omnia , quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi , & Prophetis , &
Pſalmis de me . 45 Tunc aperuit illis ſenſum , ut intelligerent Scriptuaas . 46 Et
dixit eis : Quoniam ſic ſcriptum eſt , & ſic oportebat Chriſtum pati , & reſurgere
a mortuis tertia die ; 47 Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam , & remiſſionem
peccatorum in omnes gentes , incipientibus ab Jeroſolyma . 48 Vos autem teſtes e-
ſtis horum . 49 Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos : vos autem ſedete in ci-
vitate , quoaduſque induamini virtute ex alto . 50 Eduxit autem eos foras in Betha-
niam : & elevatis manibus ſuis benedixit eis . 51 Et factum eſt , dum benediceret
illis , receſſit ab eis , & ferebatur in cœlum . 52 Er ipſi adorantes , regreſſi ſunt in
Jeruſalem cum gaudio magno ; 53 Et erant ſemper in templo , laudantes , & bene-
dicentes Deum . Amen ,

℣. 1. UNA SABBATHI .] Die Dominico, antequam illuceſceret [1] . Sanctæ Mulieres Jeroſolyma egrediuntur , ut ad montem Calvarium ſe ſe conferant , ubi erat Sepulchrum Joſephi ab Arimathæa , in quod Jeſus fuerat elatus : Illuc vero ſub ortum Solis pervenere [2] . Græcus ad verſ. finem addit [3] , illis alias præterea nonnullas fœminas comites acceſſiſſe . Armena verſio : *& aliæ feminæ cum illis* , quod ex verſ. 10. depromptum videtur , ubi Maria Magdalene , Iohanna , & Maria mater Iacobi , aliæque cum illis ad Apoſtolos veniſſe hæc nunciaturæ dicuntur . Et ſane mulieres illæ plures erant , licet S. Matth. 28. 1. memoret dumtaxat Mariam Magdalenam , alteramque cognominem , & Marcus 16. 1. tres Mariam Magdalenam , Mariam matrem Iacobi , & Salome . Hę tres quidam erant præcipuę , ſed aliæ etiam ſe ſe illis comites addiderant, ut eiſdem opem ferrent . S. Iohannes 20. 1. Mariæ tantum Magdalenę meminit .

A B C



℣. 4. ECCE DUO VIRI STETERUNT .] S. Marcus 16. 5. illas in monumentum F ingreſſas vidiſſe Angelum a dextris ſuis ſedentem , hoc eſt ad caput Sepulchri G. Hic ſolus Angelus loquutus eſt , quapropter Evangeliſta non meminit alterius , qui tacuit .

℣. 9. NUNTIAVERUNT HÆC OMNIA UNDECIM .] Apoſtolis , & aliis etiam Diſcipulis , qui cum illis ſimul erant in domo. S. Johannes 20. 1. ait, Mariam Magdalene cum aliis mulieribus Jeroſolymam veniſſe ; eumque Petrum , atque Johannem certiores feciſſent , qui ſtatim ad ſepulchrum cucurrerunt ; Mariam ſurſum præpropero gradu illuc iterum fuiſſe reverſam . Primus quidem illuc pervenit Johannes , ſed ingredi auſus non eſt : ſecundo S. Petrus advenit , & ingreſſus ſepulchrum F , ibi vidit lintea , quibus Salvatoris corpus fuerat involutum : Atinde ſimul Jeroſolymam redierunt . Interim Jeſus apparuit primum Magdalenæ [4] , mox aliis mulieribus [5] de ſepulchro redeuntibus , quæ deinde venerunt domum , ubi erant Apoſtoli , quemadmodum hoc in loco S. Lucas teſtatur , qui hanc hiſtoriam in compendium coegit .

℣. 11. NON CREDIDERUNT ILLIS .] Sibi perſuadere minime potuerunt , JESUM CHRISTUM ſurrexiſſe , licet hoc ille toties pollicitus eſſet . Nonniſi difficile credimus , quæ inaudita ſunt , licet ſummo animi ardore deſiderentur . Illud ipſum , quod videmus , nos videre non credimus , neque audire , id quod auribus noſtris audimus .

℣. 12. PETRUS SURGENS CUCURRIT .] Nunc ſecundo, niſi fortaſſe iſthic per anacephalæoſim , & extra locum referatur . S. Johannes 20. 3. loquitur de primo itinere , in quo & ipſe erat : iſthic vero Petrus ſolus carpit viam , vel ſaltem S. Lucas de illo tantum verba facit .

℣. 13. DUO EX ILLIS IBANT IPSA DIE IN CASTELLUM .] Die ipſo ſcilicet Dominico , quo Salvator reſurrexerat , & ſecundo Paſchatis die , duo ex Diſcipulis JESU CHRISTI , quorum alter Cleophas [6] appellabatur , alterius vero nomen nos latet , ibant in Caſtellum nomine Emmaus , quod a Jeruſalyma ſexaginta aberat ſtadiis , vel ſeptem circiter paſſuum millibus , quæ duas efficiunt leucas , & nonnihil præterea , tribus paſſuum millibus in ſingulas recenſitis , MSS.

1 Vide Joan. 20. 1. Πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης.
2 Marc. 16. Ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου.
3 Καὶ τινες σὺν αὐταῖς.
4 Marc. 16. 9.
5 Matth. 28. 9. 10.
6 Mox verſ. 18.

MSS. quidam [1] legunt ſtadia centum pro ſexaginta; ſed Joſephus de Bello l. 7. cap. 27. a communi Græco textu, & Vulgata non abhorret, ubi legimus ſexaginta ſtadiorum ſpatium interfuiſſe. Nomen *Emmaus* ſignificat aquæ calidæ balneæ. Sozomenus l. 5. cap. 21. hiſt. Eccl. ait, prope eam urbem eſſe fontem, cujus aquæ plurimis morbis curandis apprime ſunt utiles. Sed aquas illius calidas non eſſe. Hanc urbem octingentos militibus ſuis, quibus commeatum dederat, tradidit Veſpaſianus [2].

S. Hieronymus ep. 27. & in locis credidit, Cleophan, alterum ex duobus Diſcipulis Patriam habuiſſe Emmaus, & Salvatorem invitaſſe, ut apud ſe cœnaturus diverteret. Domus illius in Eccleſiam immutata fuit, quæ ævo Doctoris laudati, adhuc ſupererat. Credunt [3], Cleophan fratrem fuiſſe Sancti Joſephi, & Patrem Simeonis Epiſcopi Jeroſolymitani, ideoque Patruum Jeſu Christi, ſaltem juxta hominum opinionem, qui Jeſum Joſephi filium eſſe arbitrabantur. Alii [4] credunt, hunc virum fuiſſe Mariæ ſororis Beatiſſimæ Virginis, & Patrem S. Jacobi Minoris, & hac etiam ratione fuiſſe vere Salvatoris avunculum ſecundum carnem. Latina Eccleſia Sancti Cleophæ diem feſtum celebrat 25. Septembris: Græca vero 13 Octobris, eumque Apoſtolum vocat: Uſuardus, & Ado aiebant, illum a Judæis necatum martyrio coronatum fuiſſe.

Quoad Cleophæ ſocium, qui in Evangelio non memoratur, credunt quidam [5], hunc fuiſſe eumdem S. Lucam, qui hæc narrat. Sed S. Lucas ipſe Evangelii ſui initio nos admonet, ſe minime fuiſſe ex eorum numero, quibus ea beata ſors contigerit, Salvatorem videndi, atque audiendi, ſed ſe ea, quæ noverat, ex diſcipulorum illius traditione percepiſſe. Origenes [6] pluribus in locis, S. Baſilius, aliique nonnulli, hunc *Simonem* fuiſſe crediderunt; & Grotius, quæ inferius dicuntur ℣. 34. *Dominus ſurrexit, & apparuit Simoni*, putat, lectioni huic locum probuiſſe. Ligfoot cenſet, S. Petrum ipſum fuiſſe Cleophæ ſocium, & verba, quæ modo attulimus, eſſe aliorum Apoſtolorum, qui videntes Petrum celeriter adeo redeuntem, argumentati ſunt, certo Dominum reſurrexiſſe, & apparuiſſe Petro, alioquin non ita celeriter rediturо. S. Ambroſius [7] eum ſæpe vocat *Ammaon*, vel *Amaon*, & S. Epiphanius hæreſ. 23. c. 6. eum Nathanaelem fuiſſe arbitratur: at hoc certo aſſerere poſſumus, nihil certum hac in re adferri. Non ſatis liquet, utrum illi erant ex numero duorum & ſeptuaginta Diſcipulorum, vel ſimpliciter Jesu Christi Diſcipuli, non ſecus ac alii complures, qui illum quocumque ſequebantur; licet veterum plerique illos e numero duorum & ſeptuaginta diſcipulorum fuiſſe contendant.

℣. 16. Oculi eorum tenebantur.] Græcus [8]: oculi eorum retinebantur, cohibebantur, velut illi, qui manu obſtruuntur; ita ut illum neque ex oris habitu, neque ex inceſſu agnoſcerent. Immo neque ex vocis ſono illum dignoſcere potuerunt, ſeu quod Filius Dei illorum ſenſus quodammodo vinxerit [9], ut ſibi tempus eorum melius erudiendorum ſupereſſet, ſeu quod poſt illius reſurrectionem facies, oris habitus, oculi, ſtatura, vox, auguſtiora ita effecta fuerint [10], ut nonniſi majori cum attentione illud intuentes cognoſcere poſſent. Ad hæc diſcipulis mœrore confectis, atque aliud quodpiam animo revolventibus, ne ſuſpicio quidem oboriri poterat, illum eſſe Salvatorem. Credidiſſent potius alium quemlibet eſſe hominem, qui corporis illius lineamenta, atque imaginem imitaretur. Aliam quoque rationem adfert S. Marcus 16. 12. ipſum videlicet *in alia forma* illis apparuiſſe quod obfuit, ne ſtatim eumdem agnoſcerent. Fortaſſe viatoris habitum induerat [11], & aliter ac conſueverat, iter erat ingreſſus.

℣. 18. Tu solus peregrinus.] Tu unus hoſpes fuiſti Jeroſolymæ, qui ea præclapſis diebus acta, tranſactaque ſunt, ignores [12]? vel tu unus ex omnibus peregrinantes, qui Jeroſolymam ad Paſchatis feſtivitatem confluxerunt; tu unus inquam es, qui minime teneas, quid diebus iſtis acciderit. Hæc verſio ſpernenda non eſt. Qui te audiret, ex alio te mundo advectum arbitraretur. Jeroſolyma diſcedis, & ignorare potes, quæ ibi contigerunt? Hic ſenſus probatior eſt, ac pluribus Interpretum ſuffragiis confirmatus [13].

℣. 19. Potens in opere, & in sermone.] Jeſus Nazarenus, cujus tantus fuit in omni populo ſplendor propter doctrinæ præſtantiam, & miraculorum magnitudinem, Deo dilectus, & ab hominibus in pretio, & honore habitus, cui præclarum perhibebat Deus teſtimonium iis in miraculis, quæ per illum operabatur, & quem homines norant Spiritu Sancto eſſe repletum, ob ea inſignia facta, quæ in ipſo admirabantur. S. Stephanus in Actis 7. 22. eodem elogio Moyſem commendat: *potens in verbis, & in operibus ſuis*: & S. Lucas 2. 52. ait, puerum Jeſum ſapientia, ætate, & gratia coram Deo, & hominibus profeciſſe. Hæc loquendi ratio: *potens coram Deo, & hominibus*, emphaſi quadam non caret, & ſignificat, Salvatorem miræ fuiſſe pietatis, eloquentiæ, doctrinæ, atque poteſtatis. Dicitur Nembrod *fuiſſe robuſtus venator coram Domino*, Geneſ. 10. 9.

℣. 20. Et crucifixerunt eum.] Non propriis, ſed Romanorum manibus, quibus illum tradiderunt. Cleophas graviſſimis utitur verbis, factum illud, quod maxime horrebat, indigitaturus. Judæi, qui Salvatorem tradiderant, habendi ſunt tamquam ſupplicii ejuſdem miniſtri, cujus omne odium ſubierunt. Vide Act. cap. 2. 36. & cap. 4. 10. ubi ſimiliter, quod Jeſum Chriſtum cruci confixerint, exprobrantur.

℣. 21. Nos autem sperabamus.] Hi duo diſcipuli in errore cæterorum verſabantur, qui putabant, a Meſſia ſe liberatum iri de alienigenarum imperio, atque priſtinæ libertati iri reſtitutum. Crux, & Paſſio Jeſu Chriſti illis fuerat lapſus, & ſcandali occaſio. Dicebant, *nos ſperabamus*, perinde ac ſpes illorum prorſus [14] evanuiſſet. Inde vero illorum incredulitati acceſſio fiebat, quod Jeſus Chriſtus promiſerat, futurum ut tertia die reſurgeret, & mulieres quædam illum vere reſurrexiſſe teſtabantur: ſed expectabant reſurrectionem æque publicam, atque glorioſam, ut Paſſio, & mors illius contumelioſe fuerant, & omnibus cognitæ. *Et nunc ſuper hæc omnia tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt*: ſi voluiſſet ſuam poteſtatem oſtendere, id jam illi faciendum fuiſſet, jam reſurrexiſſet: ſed quoniam nondum reſurrexit, non eſt, cur aliquid ultra expectemus. Hæc eſt fallax duorum diſcipulorum argumentatio, perinde ac tertia jam abiiſſet dies, & hoc omni dubitatione careret, Jeſum jam non reſurrexiſſe. Non ita facile creditur, quod ardentibus votis concupiſcitur.

℣. 25. O stulti.] Eorum coarguit incredulitatem, eo quod ſe minime victos dederint certiſſimis argumentis, quibus ſe Meſſiam eſſe probaverat, eorumque inſimulat ſtupiditatem, qui minime viderint, ea omnia, quæ contigerant, a Prophetis prædicta fuiſſe. Prædixerat Jeſus, ſe die tertia reſurrecturum. Tertia hæc dies jam venerat. Mulieres teſtabantur, Angelos ſibi

1 Cyprian. & Cod. Veruſt. Bibl. Vien. apud Lambec. 2 Joſeph. lib. 7. cap. 27. de bello.
3 Euſeb lib. 3. cap. 11. & lib. 4. cap. 22 et Epiphan. hæreſ. 86 cap. 19.
4 Vide Boland. 9 April. pag. 811. & Tillemont. Not. in S. Jacobum Minorem p. 628.
5 Gregor. in Job. lib. 1. cap. 1. Theophylact. hic. Nicephor. lib 1. cap. 34. Doroth. alii.
6 Origen. in Jerem. homil. 15 in Joan. p. 7. et lib. contra Celſum Baſil. in Iſai. 6.
7 Ambroſ. Apolog. David. lib. 2. cap. 8. in Luc 12. in Symbol. cap. 29.
8 Οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκρατοῦντο. 9 Vide Auguſt. lib. 3. de conſenſu cap. 25. Hieronym. ſed Pammach. Maldonat. hic, & alios. 10 Auguſt. Epiſt. olim. 59. nunc 149. Beda, Theophylact. hic. Algar. contra Berengar. lib. 2. cap. 5. 12 Auguſt. ſerm. 144. nunc 232. Beda, Theophylact. hic.
11 Σὺ μόνος παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ οὐκ ἔγνως τὰ γενόμενα. 13 Vide Vat. Caſtal. Pricæ. Bez. Grot.
14 Theophylact. Maldonat. Grot.

apparuiſſe, atque Salvatoris reſurrectionem nunciaſſe. Apoſtoli quidam ad ſepulchrum ſe ſe contulerant, atque teſtati fuerant, rem ita ſe habere, quemadmodum a mulieribus narrabatur. Eſto quidem hæc omnia minime ſuffecerint, ut omnem prorſus dubitationem adimerent, eiſque omnino probarent, Jeſum jam reſurrexiſſe: hæc tamen ſatis erant, ſuperque, ut ſaltem judicium defferent, & labantem ſpem confirmarent.

℣. 26. Nonne hæc oportuit pati Christum?] Per hos cruciatus illi in gloriam ſuam erat ingrediendum. Non abſoluta, ſed conditionalis neceſſitas erat, Jeſum Chriſtum ea ferre, quæ pertulit, ut paternæ voluntati ſatisfaceret, & prophetias adimpleret. Si mortuus non fuiſſet, redempti non fuiſſemus, & niſi paſſus eſſet, illum Meſſiæ loco minime haberemus, ac quod præcipuus ferme ex characteribus illius ipſi deeſſet.

℣. 27. Incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis.] Oſtendebat illis ea omnia, quæ contigerant, in æternis Dei conſiliis ſtatuta fuiſſe, omniaque jam fuiſſe prædicta, atque in perſona, vita, morte, Cruce, Reſurrectione ſua adimpleta fuiſſe. Labores Jacob, ſacrificium Iſaac, Joſeph venumdatus, & in carcerem truſus, Moyſes in exilium ejectus, varia ſacrificiorum legis genera, hæc omnia Salvatoris Mortem, & Paſſionem indigitabant. Glorioſus reditus Jacob in terram promiſſam; Iſaac jamjam immolandi liberatio, Joſephi dignitas, Moyſis gloria, hæc omnia illius reſurrectionem preſignabant. Prophetæ varios ejuſdem ſtatus coloribus valuti quibuſdam pinxerunt; prædixerunt nativitatem, vitam, mortem, Reſurrectionem, quemadmodum Jeſus Chriſtus duobus hiſce diſcipulis oſtendit.

℣. 28. Finxit, se longius ire.] Hoc nequaquam malum eſt, neque hæc ſimulatio recte fidei, & æquitati adverſatur. Fruſtra veteres quidam [1] hoc abuſi ſunt loco, ut quibuſdam in circumſtantiis mendacium minime vetitum eſſe probarent. Ubi agatur de re ſimili, atque ſimilibus circumſtantiis, haud ægre, ſimulationem minime interdictam eſſe fatebimur [2]. Fingas verum ſine fallendi cupiditate, citra dolum, & fraudem, & ea in circumſtantia, in qua minime in alterutram partem certus conſilii videaris; & hanc ſimules partem accipere, quemadmodum jam decreſſes, licet reipſa nondum aliquid conſtituaris. Viator ſociorum ſuorum voluntatem exploraturus, ulterius ſe progredi velle ſimulet, ut remanere orentur: hoc mendacium non eſt, neque noxia ſimulatio; non ſecus ac nullum mendacium eſt in Ironia, parabolis, & hyperbola. Hæ loquendi, agendique rationes ſunt, quæ ab hominibus neque mendaces, neque doloſæ putantur [2]. Tunc plane nondum veſper erat, & Salvator reipſa longius proceſſiſſet, ſi diſcipuli eum minime invitaſſent, ut apud ipſos diverteret. Aliquot proferre greſſus voluit, ut periculum faceret cordis eorum: quemadmodum alia in occaſione ſuper maris Galilææ fluctus incedens, Apoſtolos, qui erant in Naviculā, præterire velle videbatur, niſi eum rogaſſent [3], ut in eamdem ingrederetur.

℣. 29. Quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies.] Non erat adeo ſerum tempus, ut ulterius via produci minime poſſet. Simulabat Jesus, ſe ulterius adhuc ire velle, & duo diſcipuli ubi Salvatorem in fractione panis agnoverunt, per temporis opportunitatem potuerunt Jeroſolymam reverti, quæ inde ultra duas leucas aberat, & quo pervenerunt, antequam cubitum irent Apoſtoli.

Antiqui crediderunt, Cleophæ domum in Emmaus fuiſſe, & S. Hieronymus Epitaph. Paulæ c. 3. ait, Salvatorem illam conſecraſſe, eamque præſentia ſua in templum convertiſſe, ibi SS. conficiens Euchariſtiam:
A *in fractione panis cognitus Dominus Cleophæ domum in Eccleſiam dedicavit.*

℣. 30. Dum recumberet, accepit panem et benedixit.] Veteres Patres [4], & complures Catholici Interpretes credunt, Salvatorem panem in Corpus ſuum conſecraſſe, & duobus diſcipulis Euchariſtiam tribuiſſe, qua in re illum agnoverunt. In Actis Apoſtolorum c. 42. *fractio panis* citra difficultatem de Euchariſtia explicatur, qua loquendi ratione utitur S. Lucas, ad Sacramentum hoc indigitandum. Sed quomodo nam duo iſti diſcipuli Jesum Christum agnoſcere potuerunt in Corporis ſui conſecratione, cum illi minime interfuerint noviſſimæ cœnæ, ubi Sacramentum hoc Jesus inſtituit tribus ante diebus, & qui fortaſſe id ab Apoſtolis non didicerunt, qui tunc aliis rebus vaca-
B hant? Putant quidam [5], hoc divinitus factum, & Cœleſtis hujus cibi virtutem repente oculis illorum ſeſe prodidiſſe, Salvatore Corpus ſuum iiſdem offerente. Alii credunt, hoc naturaliter factum, & illos jam percepiſſe, quod a Jesu in noviſſima cœna fuerat inſtitutum.

Alii Catholici Auctores [6], & pleriqua Proteſtantium credunt, Jesum Christum duobus hiſce diſcipulis non diſtribuiſſe Euchariſtiam, ſed ſimpliciter cœnæ interfuiſſe cum illis; ubi illum agnoverunt primum, eo quod Domini officio functus eſt, panem accipiens, benedicens, ac diſtribuens. Secundo peculiarem quandam benedicendi rationem habere poterat, ex qua illum agnoverunt diſcipuli. Tertio non liquet illum conſecraſſe calicem, neque ſuper panem ea protuliſſe verba,
C quæ in conſecratione neceſſario requiruntur: *hoc eſt Corpus meum.* Quarto certum non eſt, diſcipulos comediſſe panem ubi oblatum, ſed ſimul ac illum acceperunt, atque ille ab oculis eorum evanuit, conſurrexerunt, & Jeruſalem profecti ſunt. Quinto hæc verba; *accepit panem, benedixit, ac fregit, & porrigebat illis,* neceſſario non deſignant Euchariſtiam; quoniam iiſdem utuntur Evangeliſtæ ubi narrant, panes a Jesu populis, qui illum ſequebantur, diſtributos fuiſſe [7]. Patrum, qui afferuntur, auctoritas facile conciliari poteſt cum hac ſententia, dicendo, hanc cœnam, & panis fractionem fuiſſe figuram Euchariſtiæ.

℣. 31. Aperti sunt oculi eorum.] Mentis eorum oculi aperti ſunt [8]; ea animadverterunt, & animo reputarunt, ad quæ hactenus minime attenderant.
D Ita aperti ſunt oculi Adam, & Evæ poſt peccatum cum ſe nudos viderunt Gen. 3. 7., & Agar oculos aperuit, viditque puteum, quem antea non viderat. Gen. 21. 19. Hi duo diſcipuli propius conſideraverunt lineamenta oris Domini, omnemque habitum illius, & tunc illum agnoverunt [9], & velum, quod ante oculos eorum obtentum erat, evanuit.

Ipse evanuit ex oculis eorum.] Quidam [10] ſimpliciter hoc intelligunt, perinde ac Salvator momento quodam ſe ſe proripuiſſet, atque receſſiſſet, ita ut non videretur amplius: alii vero credunt, umbræ, vel fumi inſtar evanuiſſe. Cenſet Origenes [11], Salvatorem quadraginta illis diebus, qui a morte uſque ad Aſcenſionem ejuſdem affluxerunt, ſe ſe viſibilem, aut inviſibilem, quando, & quibus voluit præbuiſſe. Dubi-
E tandum minime eſt, quominus ille verum corpus ſuum habuerit: Sed quinam differet audacter de Beatorum Corporum facultatibus, vel quis Dei omnipotentiæ cancellos, atque limites audebit ſtatuere? in ejuſmodi quæſtionibus tutius, ac melius eſt ſilere, & curioſitatem coercere. Scimus, Jesum evanuiſſe; quomodo autem evanuerit, hoc minime ſcimus.

℣. 32. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur?] Stupor illis incedit, quod illum antea minime cognoverint, quandoquidem

lenſerat

1 Priſcillianiſtæ apud Aug. lib. contra Mendac. c. 13
2 Vide Grot. Mald. Menoch.
3 Marc. 6. 48. *Volebat eos præterire.*
4 Chryſoſt. ſeu alius homil. 9. de Var. in Matth. locis. Aug. l. 3. de Conſenſ. c. 25. Theophyl. Bed. Strab. Janſ. Mald. Brug. Men. Vide & Aug. ſerm. olim 87. de diverſ. nunc 234. & ſerm. olim 140. de temp. nunc 235.
5 Vide Mald. hic.
6 Lyran. Dionyſ. Carth. Janſ. Gand. Natal. Alex. alii.
7 Matt. 14 16. 15. 36 Marc. 6. Joan. 6. &c.
8 Chryſoſtom apud D. Thom.
9 Brug. Grot. alii.
10 Eraſm. Vat. alii.
11 Origen. contra Celſ. Vide Grot. hic.

ſenſerant illum vi, eaque energia prorſus ſupernaturali fuiſſe locutum. Nonne cæci eramus, qui illum minime agnoſcimus ex illius rationibus, & eloquentia prorſus divina, & qua mirum in modum animos noſtros perſuadebat, commovebatque?

℣. 33. INVENERUNT CONGREGATOS UNDECIM.] Ex S. Johanne 20. 24. didicimus, Thomam unum ex undecim tunc temporis minime adfuiſſe. Sed Evangeliſta numerum *undecim* memorat, ut innuat collegium Apoſtolorum, qui poſt Judæ proditionem, ac mortem ad undecim dumtaxat viros fuerat redactum. S. Paulus in epiſtola ad Corinthios de eadem loquens apparitione *duodecim Apoſtolos* nominat, (ſaltem hæc eſt Græci textus lectio) pro decem. Apoſtoli, & diſcipuli Dominicæ Reſurrectionis die ſimul congregati fuerant, ut colloquerentur de illis, quæ ſinguli vel audiverant, vel viderant, ad inſigne hoc factum ſpectantia. Duo diſcipuli non ita ſero Jeroſolymam pervenerunt; quippe illos adhuc ſimul congregatos inveniunt.

℣. 34. SURREXIT VERE, ET APPARUIT SIMONI.] Evangeliſtæ alibi non ſatis memorant hanc JESU CHRISTI S. Petro apparitionem, quæ aperte hoc in loco, & a S. Paulo in 1. ad Corinthios 15. 4. indigitatur. *Viſus eſt Cephæ & poſt hæc undecim*: eaque communis eſt Interpretum ſententia [1]. Adnotavimus jam Origenem videri, Simonem hunc pro Cleophæ ſocio intellexiſſe.

STETIT JESUS IN MEDIO EORUM.] Ingreſſus eſt clauſis januis [2] cubiculum teſte S. Johanne. Repente illic apparuit, quin ipſum adveniſſe aliquis intelligeret. Hoc accidit veſpera ejuſdem diei Reſurrectionis Dominicæ. *Ego ſum, nolite timere.* Hæc verba in Græco non exſtant, ſed in verſionibus Cophta, Syriaca, Perſica, Arabica, Ethyopica, Armenia, & apud SS. Ambroſium, & Auguſtinum leguntur.

℣. 36. EXISTIMABANT, SE SPIRITUM VIDERE.] Vel phantaſma aliquod ſeu bonum, ſeu malum ſpiritum, qui ad eos fallendos JESU CHRISTI ſpeciem induiſſet: Non enim dubitabant, quominus hujuſmodi ſpiritus aliquando appareret, quemadmodum ex univerſo novo Teſtamento innoteſcit. Quam opinionem, quin everteret Salvator, non ſemel viſus eſt confirmaſſe [3]; ita ut citra temeritatem [4] negari minime poſſit, nonnumquam Spirituum, Angelorum, Dæmonum, vel manium apparitiones accidiſſe. Quomodo vero hæ fiant apparitiones, non hujus eſt loci ad examen vocare. Illud vero Apoſtolis ſuſpicionem ingeſſit, hunc Spiritum eſſe, qui clauſis januis, quemadmodum S. Johannes teſtatur, ingreſſus eſt.

℣. 39. SPIRITUS CARNEM, ET OSSA NON HABET.] Salvator pedes, manuſque ſuas diſcipulis porrigit conſiderandas, atque attingendas, ut illis de ſui corporis veritate perſuadeat, neque hoc eſſe veluti ea phantaſmata, quæ apparent quidem, ſed nullam habent ſoliditatem.

Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno:

Phantaſma aer eſt, vel nebula, vel nonnumquam etiam ſimplex in adſtantium oculis faſcinatio; at Corpus hoc palpabile eſt, reale, atque illud ipſum, quod Cruci confixum fuit, ſervans adhuc vulnera, & cicatrices [5] in Paſſionis ſuæ monumentum. Non ait Evangeliſta, Apoſtolos protendiſſe digitos, ut illius vulnera, & cicatrices attingerent, quod & credi poteſt, & minime credi: ſed Jeſus Chriſtus ea illis obtulit attingenda, illiſque integrum erat tactu ſuo intelligere veritatem eorum, quæ ille dicebat: S. Hieronymus [6] cenſet, illos obſervantiæ cauſa non auſos fuiſſe, manus ad illius vulnera extendere, atque Jeſum, ut alio id probaret argumento, eſcam popoſciſſe, & coram illis manducaſſe. Ita corporis ſui realitatem, & loquendo probavit, & comedendo; & Apoſtoli hoc & oculis, & auribus, & tactu ſibi perſuadere potuerunt.

His Jeſu Chriſti verbis: *Spiritus carnem, & oſſa non habet*, objiciunt Angelos, ex. gr. qui Abrahæ apparuerunt, & qui juniorem Tobiam comitatus eſt, oſſa, & carnem habuiſſe; loquebantur, ambulabant, comedebant, tangebantur, audiebantur, videbantur. Dæmon, qui Jeſum Chriſtum tentavit, eumque ſuper montis cacumen, atque Templi pinnaculum tranſtulit; ille, quem Archangelus Raphael fumo jecinoris ex piſce ejecit, atque in Ægypto ſuperiori catenis vinxit, nonne & ipſi oſſa, & carnem habebant? Hi dæmones loquebantur, ambulabant, agebant, tamquam homines viventes. Denique ſi viſus, atque auditus Apoſtolorum poterant falli, tactus falli non poterat? num poſſumus hic ſenſus errori minus obnoxius eſt, quam illi duo? en quid in hunc locum afferant.

Quoad bonorum Angelorum apparitiones reſpondemus, poſſe illos quidem corpus induere, ideoque oſſa, & carnem habere: ſed corpus hoc illis alienum eſt, & JESU CHRISTI Corpus proprium: *viſi ſunt in carne vera, & ſolida, & ſi nuncupata*, ait Tertullianus. Quod vero ad malos Angelos ſpectat, hoc minime probari poteſt, illos in carne, & oſſibus apparuiſſe, neque ſe attingi paſſos fuiſſe ab illis, qui attenti eſſent, & quos nullum præjudicium occupaſſet. Quod aſſertur de Dæmone, qui JESUM CHRISTUM tentavit, & de eo, qui a Raphaele expulſus fuit, hoc minime probat, illis carnem & oſſa fuiſſe. Qui ergo Apoſtolis apparuit, non erat Angelus nequam, & ad ſummum bonus Angelus eſſe poterat. Bonus vero Angelus mentiri non poteſt; & qui apparuit, mentitus eſſet, niſi Jeſus fuiſſet.

Tertio argumento reſpondemus, etiam ſi tactus ipſe, uti viſus, & auditus falli poteſt; tres tamen hos ſenſus, ubi ſimul teſtantur pro aliqua re ſibi ſubjecta, videlicet de Corporis alicujus præſentia; illis citra ſollicitudinem fidem habendam eſſe, niſi aliæ dubitandi rationes ſuperſint; quarum iſthic nulla ſuppetit. Prædixerat JESUS CHRISTUS, ſe reſurrecturum; die illa non ſemel jam apparuerat: omnia miracula, quæ antea patraverat, totidem erant argumenta, quibus hujus veritas probabatur. Omnia ſimul ad Apoſtolorum fidem confirmandam confluebant, & nihil eorum dubitationi poterat ſuffragari.

Marcionitæ [7] ℣. hunc explicabant omnino aliter, quam alii Chriſtiani, atque inde probare nitebantur, JESUM CHRISTUM non reale, ſed phantaſticum Corpus habuiſſe. Ita illi vertebant: *videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis non habere*. In altero propoſitionis membro negationem, quæ in priori eſt, repetentes. Vel *videte quia Spiritus carnem, & oſſa non habet, qualem me eſſe videtis*; videlicet ſine carne, atque oſſibus. Sed hæc explicatio palam violenta eſt, atque textui Evangeliſtæ adverſatur. Martyr S. Ignatius in epiſtola ad Smyrnæos ita hunc locum legebat: *accipite, tangite me, & videte, me non eſſe Dæmonem ſine corpore; nam ſpiritus neque carnem habet, neque oſſa.* Quod ex Nazaræorum Evangelio deſumptum S. Hieronymus aſſerit.

℣. 41. ADHUC AUTEM ILLIS NON CREDENTIBUS.] Illi non credentes minime adverſabantur veritati compertæ, neque perperam diffidebant de his, quæ intuebantur; ſed optabant, ut res ita eſſet, ut ſibi videbatur. Ea, quæ ſummopere optamus, non ita celeriter credimus, ſi illa admodum ardua, ac difficilia cenſemus. Ita Jacob credere non poterat, quod ſibi de Filio ſuo Joſepho nunciabatur, ipſum adhuc vivere, & in Ægypto quodammodo imperare Gen. 45. 26. ita S. Petrus e carcere ab Angelo liberatus diu ambulavit, quin ſibi perſuaſum eſſet de eorum, quæ acciderant, veritate. Credebat, hoc ſomnium eſſe, donec evaneſcente Angelo ſe ſolum nactus eſt Act. 12. 9. ita Hebræi de Babylonis captivitate liberati libertatem hanc

1 Brug. Mald. Grot. alii paſſim. 2 Joan. 20. 19. 3 Vide Matt. 17. 4. 14. 26. Marc. 6. 49. Luc. 24. 39.
4 Aug. de cura pro mortuis, c. 10. 11. 16. 17. 5 Vide Leon. ſerm. 1. 2. de Aſcenſ. Domini. Aug. tract. 121. in Joan. & ſerm. olim 4. ex Pariſ. nunc 116. Euthym. Beda hic, & alii paſſim.
6 Hieronym. ep. adverſ. errores Joan. Jeroſol. 7 Tertull. lib. 4. contra Marcion. *Vult itaque ſic dictum, quaſi ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habentem, id eſt, non habentem oſſa, ſicut ſpiritus:*

quoddam velut ſomnium arbitrabantur [1]. Hic communis eſt calamitoſorum hominum defectus: non ita fidem habent iis omnibus, quæ ſibi propitia videntur; Seneca Thyeſt.

Proprium hoc miſeros ſequitur vitium,
Numquam rebus credere lætis &c.

℣. 43. Et cum manducaſſet coram eis, sumens reliquias dedit eis [2].] Salvator videns diſcipulorum ſuorum ſollicitudinem, recens illis ſuppeditat argumentum, quo ſua Reſurrectio, ſuique Corporis veritas probatur. Coram illis manducat, ſed eo modo, quo corpora glorioſa, & reſuſcitata [3]; non quod cibi indigeret, ſed ut ſuam poteſtatem, atque præſentiæ ſuæ realitatem oſtenderet [4]: *ad exhibendam fidei veritatem in corpore dignatus eſt cibum non neceſſitate, ſed poteſtate ſumere*, ait S. Auguſtinus. Admonuerat diſcipulos ſuos, in Reſurrectione beatos tamquam Dei Angelos futuros [5] corpora habentes, quaſi minime haberent. Non negarat illos manducare non poſſe, ſed innuere voluerat ſimpliciter, illos nulla eſca indigere. Legimus quidem, Angelos vere manducaſſe; ſed citra omnem neceſſitatem manducarunt: *non tamen neceſſitate, ſed poteſtate*: nam addit Pater ille [6], *aliter abſorbet terra aquam ſitiens; aliter ſolis radius candens: illa indigentia; iſte potentia. Futuræ Reſurrectionis corpus imperfectæ felicitatis erit, ſi cibos ſumere non poterit; imperfectæ felicitatis, ſi cibis eguerit.*

℣. 44. Et dixit ad eos: hæc sunt verba.] Verba hæc non ſtatim ſubnectenda ſunt iis, quæ nuper vidimus: hæc enim nonniſi multo poſt, & paulo ante Aſcenſionem ſuam protulit Dominus. Hæc eſt veluti concluſio eorum, quæ poſt Reſurrectionem acciderunt [7]: Videtis modo, ea omnia quæ in Lege atque Prophetis de me prædicta fuerunt, jam eſſe adimpleta: Reliquum eſt, ut vadam ad Patrem meum, vobiſque mittam Paraclitum, qui in cordibus, mentibuſque veſtris eam, quam ego incœpi, mutationem perficiat.

In Lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis.] Triplici claſſe hac omnes veteris teſtamenti libros complectitur. Quinque Moyſis libros *Legis* nomine; hiſtoricos, atque ſexdecim Prophetas nomine Prophetarum; ac denique Hagiographos, vel libros morales, & ſapientiales nomine *Pſalmorum*, qui meliorem partem eorum conſtituunt, & ubi Meſſias apertius indigitatur. Salvator noſter ſecutus videtur Sacrorum librorum diviſionem, quæ ævo ſuo conſueverat: Joſephus enim l. 1. contra Appion. teſtatur, Hebræis duos tantum, ac viginti libros eſſe ſacros, quorum priores quinque Moyſis ſunt. *A Moyſe ad Artaxerxem Prophetæ temporum ſuorum hiſtoriam ſcripſere; alii quatuor libri hymnos, & moralia præcepta complectuntur.*

S. Hieronymi ævo [8] aliter parum dividebantur. Viginti duo libri Sancti, qui numero duarum, ac viginti litterarum alphabeti reſpondent, triplici in Claſſe diſtinguebantur. Prior continebat *Legem*, vel quinque libros Moyſis, altera Prophetas, videlicet libros Joſue, Judicum, Ruth, Samuelis duos, Regum item duos; mox Iſaiam, Jeremiam, Ezechielem, & duodecim Prophetas minores. Tertia Claſſis Hagiographos complectebatur, quorum prior erat Job, deinde David, vel Pſalmi; Salomon, vel Proverbia, Eccleſiaſtes, & Cantica Canticorum; Daniel, Paralipomenon libri, Eſdras, Eſther. Judæi hodierna die variant, neque cum Joſepho, neque cum S. Hieronymo conſentiunt. Sacros libros in quatuor claſſes diſtribuunt. Prima *legem* continet, vel quinque Moyſis libros: altera primos Prophetas, qui ſunt Joſue, Judices, duo Samuelis libri, & Regum duo. Tertia *poſtremos* continet *Prophetas*, Jeremiam, Ezechielem, Iſaiam ac minores duodecim. Quarta denique claſſis complectitur Hagiographos, qui ſunt Ruth, Pſalmi, Job, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Threni, Daniel, Eſther, Eſdras, ac libri Paralipomenon.

℣. 45. Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.] Hactenus Apoſtoli nequaquam ſatis aſſecuti fuerant verum Scripturarum ſenſum, non ſolum quod parum illis ſtuduerant, verum etiam quod falſis repleti præjudiciis præcipuos earum articulos eo in ſenſu explicabant, qui longe a veritate abhorrebat. Exempli gratia, ſibi fingebant Meſſiæ Regnum tamquam Imperium temporale, ubi bonis omnibus eſſent perfruituri, & quovis voluptatum genere ſenſus ſuos expleturi. Honores, dignitates, ampliſſimaſque in hoc Regno Provincias ſibi met pollicebantur; ſed Jesus nunc illis aperit mentem, eiſque verum detegit Scripturarum ſenſum in hoc, atque aliis ſexcentis, quæ perperam illi intelligebant. Oſtendit, quidquid acciderat, ad unguem ſcripturis eſſe conforme, illas in ſe ipſo fuiſſe adimpletas, atque ut ad litteræ apicem complerentur, opus fuiſſe, ut Christus pateretur, Cruci affigeretur, atque die tertia a mortuis reſurgeret. Hoc proprie tempus eſt, quo ſciſſum eſt velum, quo hactenus Sacræ Scripturæ fuerunt involutæ: exinde levi negotio intellexerunt, Jesum Christum finem eſſe Legis, & Prophetarum; in ipſo Prophetias omnes, quæ in ſpeciem oppoſitæ videbantur, conciliari; in uno illo utrumque populum, Judæum ſcilicet, atque Gentilem conjungi, ab illo medianum murum everti, denique in ipſo omnia nullo negotio explicari, extra ipſum nihil intelligi poſſe.

℣. 47. Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam.] Oſtendit illis, quod completum erat, & quod ſupererat complendum, ut Prophetiæ penitus adimplerentur. Opus erat, ut in omnibus terrarum plagis non Judæis ſolum, verum etiam Gentilibus, incipiendo a Jeroſolyma, atque inde in omnem terrarum orbem pœnitentia prædicaretur; quæ in eo poſita eſt, ut peccata ſua confitearis, atque deteſteris, Deo per cordis converſionem atque fructus pœnitentiæ dignos ſatisfacias, credas in Jesum, Baptiſmate abluaris, & ad normam Evangelicæ Legis vitam componas. Hoc faciendum ſupererat, & hoc Jesus Christus Apoſtolis ſuis adimplendum relinquit. Nequaquam multæ operæ eſt, oſtendere Gentilium converſionem, pœnitentiam, fidem in Jesum Christum, & Eccleſiæ in omnibus gentibus inſtitutionem, nihilo minus aperte in Scripturis indigitari, quam Salvatoris nativitatem, Vitam, Mortem, & Reſurrectionem.

℣. 48. Vos autem testes estis horum,] quæ acciderunt, prædicationis meæ, Vitæ, Mortis, & Reſurrectionis. Ibitis in omnem terrarum orbem, veritates has teſtaturi: incipietis ab Jeruſalem, & Judæis; his vero abnuentibus in omnes terrarum plagas vomer effundetis, ibique teſtes mei eritis, atque Legati. Cum in proditoris Judæ locum Apoſtolus fuit eligendus, S. Petrus ait, cooptandum eſſe hominem ex iis, qui viderant, & audierant ea omnia, quæ Salvator fecerat, dixeratque poſt Baptiſmum ſuum, ac Reſurrectioni illius teſtimonium perhiberet. *Teſtem Reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis.* Act. 1. 22.

℣. 49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos.] Ut vos iis diſponam officiis, ad quæ vos eligo, atque vos confirmem in hoc munere prædicandi, atque teſtandæ veritatem, mittam ad vos a Patre meo S. Spiritum, qui vos illuminet, confirmet, erudiat. Divinus hic Spiritus promiſſus fuit a Patre in Prophetis: ex. g. Iſai. 44. 3. *effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam: effundam Spiritum meum*

---

1 Pſalm. 126. 1. *Facti ſumus lætantes*. Heb. כחלמים *Sicut ſomniantes*.
2 Hæc verba, *ſumens reliquias dedit eis*, non reperiuntur in Græco; ea tamen plures veteres legerunt. Vide Mill.
3 Auguſt. lib. 13. de Civit. c. 22. Euthym. Beda hic.
4 Auguſt. ſerm. olim. 147. de tempore, nunc 242. n. 12.
5 Matth. 22. 30.
6 Auguſt. Ep. olim 149. nunc 111. qu. 1.
7 Vide Grot. hic. Toynard, Harmon. alii.
8 Hieronym. Prolog. Galeat.

num ſuper ſemen tuum : & Ezech. 36. 26. *dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri : & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis*. Et Propheta Joel 2. 28. *effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem : & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt*. Salvator ſæpe Apoſtolis ſuis Paraclitum hunc Spiritum promiſerat Joan. 14. 16. *& ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere* : & Joan. 15. 26. *cum autem venerit Paraclitus . . . . ille teſtimonium perhibebit de me &c.*

VOS AUTEM SEDETE IN CIVITATE, DONEC INDUAMINI] hunc Spiritum Sanctum, qui vos vi, animo, ac virtute penitus ſupernaturali replebit. JESUS hoc dicebat Apoſtolis ſuis, eadem die, qua ad Cœlum aſcendit. Illi erant Jeroſolymæ, eiſque imperavit, ne ex ea Civitate diſcederent, niſi promiſſiones ſuas adimpletas viderent. Verum non diuturnum intercessit temporis ſpatium, ante hanc veritatem experti ſunt. Poſt decimum diem, die videlicet Pentecoſtes ſuper illos deſcendit Spiritus Sanctus. Huic verſiculo addenda ſunt ea, quæ in Actis Apoſtolorum c. 5. leguntur : *Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, non poſt multos hos dies. Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes : Domine, ſi in tempore hoc reſtitues Regnum Iſrael? Dixit autem eis : non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate : ſed accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*.

℣. 50. EDUXIT EOS FORAS, IN BETHANIAM.] Eduxit extra Jeruſalem, Bethaniam verſus, quæ vicus erat ad radices Montis Olivarum ad meridiem Jeruſalem quindecim ab urbe ſtadiis juxta S. Johannem 11. 18. vel duobus paſſuum millibus juxta S. Hieronymum in loc. Hebr. hoc eſt dimidia leuca, & aliquid ultra. Salvator Apoſtolos ſuos nequaquam adduxit uſque ad eum vicum ; ſed prope illum, in montem Olivarum, qui a Jeruſalem aberat tanto itineris ſpatio, quantum Sabbatho licebat abſolvere : *Sabbathi habens iter*, Act. 1. 12.

ELEVATIS MANIBUS BENEDIXIT EIS.] Extendit manus ſuas ad eos, quemadmodum in benedictionibus Judæi conſueverant : *extendens manus ad populum, benedixit ei*, inquit Scriptura de Aarone loquens, congregatum populum benedicente, Levit. 9. 22. Aliis vero in occaſionibus ubi benedictio uni dumtaxat deferebatur, manus imponebantur, quemadmodum liquet ex Iſaac exemplo benedicentis Jacob Gen. 27. 4. & Jacob benedicentis Ephraim, & Manaſſe Gen. 48. 14.

℣. 51. RECESSIT AB EIS, & FEREBATUR IN COELUM.] Coram illis, & ex propria virtute ſua. Senſim ſe ſe a terra extulit, & nubes tandem illum ab eorum oculis eripuit, Act. 1. 9. *videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Non evanuit repente ; illum ſatis diu abeuntem oculis proſecuti ſunt.

℣. 52. ADORANTES REGRESSI SUNT IN JERUSALEM.] Illum latriæ cultu tamquam Deum adoraverunt. Hactenus licet Divinitatem illius cognoviſſent, ſupremum tamen hunc illi honorem minime deferebant ; deferunt vero hunc illi abeunti. Familiaris vivendi ratio, qua cum illis hactenus verſari dignatus fuerat, videbatur ab illis non exigere, ſaltem extrinſecus, hoc officium [1]. Cognoverant JESUM CHRISTUM ſecundum carnem, ſed poſt glorioſam illius aſcenſionem non amplius ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum illum cognoſcunt : *& ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus*, 2. Cor. 5. 16.

A ℣. 53. ET ERANT SEMPER IN TEMPLO LAUDANTES &c.] JESUS CHRISTUS illis præceperat, ne Jeroſolymis egrederentur [2], antequam Spiritum Sanctum recepiſſent : mandatis ejus obtemperant, in eam concedunt Civitatem, ibique permanent, jugiter pietatis exercitationibus, precibus, atque Domini laudibus vacantes. *Erant ſemper in Templo* ; hoc eſt ibi majorem diei partem traducebant, & ibi permanebant diutius ; quemadmodum ferebat eorum pietas, cum interim nullo alio orſi orandi, Dominumque laudandi negotio diſtinerentur.

In Actis Apoſtolorum 1. 13. nonnihil occurrit, quod huic videtur oppoſitum. Ibi ſcriptum eſt eum Apoſtoli, atque diſcipuli de monte Olivarum redirent, ubi JESUM in Cœlum aſcendentem conſpexerant, *in*

B *cœnaculum aſcenderunt, ubi manebant Petrus & Joannes, Jacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus &c. Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in orationibus, cum mulieribus, & Maria Matre Jeſu &c.* Quomodo autem conciliari poteſt hoc cum iis, quæ hactenus vidimus, illos videlicet jugiter in Templo fuiſſe, cum in allato loco dicantur in privata domo perenni orationi vacaſſe?

Ad oppoſitionem hanc tollendam quidam putant, Apoſtolos, atque diſcipulos jugiter, vel in Templo, vel domi orationi vacaſſe : in Templo quidem, conſuetis precum horis, domi vero aliis temporibus, ne nimis eorum orandi aſſiduitas notanda videretur. Putant alii [3], Cœnaculum hoc ſuperius, ubi illi permanebant, in Templo fuiſſe, ubi liquet, plurima circum-

C undique fuiſſe conclavia, quo mulieres ipſæ ingredi poterant, uti liquet ex hiſtoria adoleſcentuli Regis Joas [4], qui aliquot annis una cum nutrice ſua fuit abſconditus. Inde vero huic ſententiæ robur accedere poteſt, quod de hoc cœnaculo egredientes Apoſtoli Pentecoſtes die, ingentem populi multitudinem in atrio Templi invenerant [5], cui ſalutis verbum prædicarunt. Cæterum maxime decebat, ut ſuper Apoſtolos in Domini Templo Spiritus Sanctus deſcenderet, ut Evangelii gratia atque figurarum conſummatio eo in loco accideret, quod centrum erat Judaicæ religionis.

Verum hæc ſententia, quæ eruditis quibuſdam Criticis maxime arriſit, difficultate non caret. Hoc fortaſſe fieri potuiſſe videbitur, virum aliquem aliquot dies in Templo, atque in cubiculo Sacerdotis cujuſ-

D dam, vel amici, vel conſanguinei, permanſiſſe : id vero fieri minime potuiſſe videtur, quod ingens virorum numerus, qui centum circiter ac viginti erant, iique advenæ, in Templo diebus decem permanſerint, quin inde fuerint exturbati. Sacerdotes enim ipſi, atque Levitæ una dumtaxat hebdomada ibi incolebant, atque Templi conclavia ita Sacerdotum erant propria, ut illic nemo alius permaneret ; & præſertim mulieres illuc minime accederent.

Attamen in Actis c. 15. legimus, Mariam Matrem JESU, aliaſque mulieres nonnullas cum Apoſtolis ibi fuiſſe. Adoleſcentuli Regis Joas exemplum omnino ſingulare eſt, ex quo nihil licet inferre. Ad hæc, cum Apoſtoli maxime eſſent in odio apud Sacerdotes, quoniam habebantur JESU CHRISTI diſcipuli ; fidei ne con-

E ſonum videtur, hos paſſuros fuiſſe, ut illi diutius tranquille in Templo commorarentur? Denique omiſiſſet ne S. Lucas inſignem adeo circumſtantiam, Apoſtolos nempe in Templum conceſſiſſe, ibique Spiritu Sancto donatos fuiſſe? S. Lucas, inquam, qui bis hoc in loco, & in Actis de re eadem ſatis prolixe verba fecit?

Veritati magis congruum videtur, habuiſſe Apoſtolos in urbe cœnaculum, ubi ſimul omnes commorabantur, ubi cum mane diei Pentecoſtes Spiritum Sanctum recepiſſent, ſimul omnes ad Templum ſtatim aſcenderunt, ubi cum variis linguis loquerentur, populus circumundique ad illos confluxit, quo tempore ea contigerunt, quæ ſecundo Actorum capite referuntur.

---

1 Vide Mald. Grot. Brug. 2 Luc. 24. 49. 3 Clopenburg. Collat. critic. num. 19. Ludov. de Dieu hic. 4 4. Reg. 11. 2. & 2. Par. 22. 11. 12. 5 Act. 2. 4. 5. 6.

tur. Quod S. Lucas iſthic de jugibus eorum precibus ait, intelligendum eſt de eo tempore, quod Spiritus Sancti deſcenſum ſubſecutum eſt. Iſtic nobis deſcribit primorum fidelium poſt Pentecoſten ſollicitudines.

Benedicentes Deum. Amen.] Hæc vox Amen A in fine complurium veterum S. Lucæ exemplarium non legitur [1]; neque abhorret a fide, illam in textum additam fuiſſe a fidelium pietate, qui hoc pacto preces ſuas, & Evangelii lectionem in Eccleſia [a] concludere conſueverant.

1 Non legitur *Amen*, in Cantabrig. Colb. 8. Copht. Arab. Armen. Latin. quibuſd.
a Vide 1. Cor. 14. 16. & Grot. hic.

FINIS COMMENTARII IN SANCTUM LUCAM.

P R Æ F A T I O
IN EVANGELIUM S. JOANNIS.

S. Joannes Evangeliſta e Bethſaida Galilææ oriundus, parentes habuit Zebedæum & Salome. Piſcatoriam exercebat, nec deſunt [1], quorum tamen fides incerta eſt, qui S. Joanni Baptiſtæ adhæſiſſe Diſcipulum, antequam a Chriſto vocaretur, autumarint. Ipſe cum fratre Jacobo Majori a Jeſu Chriſto cognomento appellati ſunt *Boanerges*, vel filii Tonitrui Marc. 3. 17. tum quod facile ardentiori eſſent zelo, cum etiam quod Jeſum ſemel rogarunt, ut ſibi deducendi e Cœlo ignis in Urbes quaſdam Samariæ, unde exeluſi fuerant, poteſtatem concederet [2]. Junior omnium acceſſiſſe creditur ad Apoſtolatum, cum ſcilicet ætatem ageret 25. vel 26. annorum circiter [3]. Cœlibem duxiſſe vitam, Patrum traditione receptum eſt [4]. Ejus quo in illum ſingulari amoris Jeſus tenebatur, non levia dedit ſpecimina, in eo maxime quod e ſupplicio pendens ejus tutelæ Virginem matrem reliquit Joann. 19. 26. 27. Unicus inter Apoſtolos divinum Præceptorem in paſſione pariter & morte deſerendum non ſuſtinuit. Ferunt, Evangelium annunciaſſe Parthis [5], atque majorem Aſiæ minoris Eccleſiarum partem fundaſſe pariter & rexiſſe [6]. Ephesi diutius manſit, quo pariter illum ſecutas dicunt, Virginem parentem cum Maria Magdalene. Rerum potito Domitiano Romam deductus ferventis olei dolium intactus ſubivit [7]. Exul deinde relegatus eſt in Inſulam Pathmos, ubi & Apocalypſim [8], & juxta aliquos Evangelium ſuum ſcripſit. Epheſum poſtliminio regreſſus, diem ibi clauſit extremam [9].

Affecta jam ætate Evangelium ſcripſiſſe ſatis convenit; de anno tamen & loco non conſtat. Sunt qui Epheſi poſt ſolutum exilium ſcriptum autumaverint [10]; ſunt qui maluerint in Inſula Pathmos [11]. Eſt autem Pathmus una ex Sporadibus in mari Ægæo. M. SS. Græca ſane multa ferunt, ſcriptum opus 32. annis poſt Aſcenſionem Chriſti [12], alia legunt poſt 30. alia poſt 31. Ejus epocham conſtituunt alii ſub Imperio Domitiani, quidam ſub Trajano. Ea in re non ſatis quidem inter noſtros Chronologos convenit; pleriqui tamen conſentiunt ad Evangelium ſcriptis mandandum ſe contuliſſe Apoſtolum poſt ſolutum exilium circa annum 98. J. C. Trajani primum, ab Aſcenſione 65. & ætatis S. Joannis 95.

In eum potiſſimum finem laborem hunc ſuſcepiſſe Apoſtolum tradunt Veteres [13], quo ſcilicet hæreſes ſuborientes Cerinthi, Ebioniſque Verbi Divinitatem negantes revinceret. Nec abs re credimus, voluiſſe pariter Apoſtolum Judæos incredulitatis arguere, ſicut & obſtruere ora Philoſophorum, qua Platonicorum, qua Stoicorum. Etenim illorum dogmata, & errores numquam non ſternit in Evangelio, ac potiſſimum in primo Operis illius capite, quo ſublimiſſimorum Eccleſiæ Catholicæ dogmatum ſummam complectitur.

Abhorreret animo licet a ſcribendo, rogantibus tamen atque inſtantibus Diſcipulis, tandem perſuaſus eſt, accedentibus maxime obſecrationibus Epiſcoporum, & Eccleſiarum, & quod caput eſt, intimo Sancti Spiritus illapſu, quo ad ſuſcipiendum impigre laborem urgebatur [14]. Nec tamen prius tantum opus aggreſſus eſt, quam poſt lecta, diſcuſſa, laudata, & probata trium præcedentium Evangeliſtarum ſcripta [15], Suſceptumque conſilium ſupplendi, quid ab illis prætermiſſum deprehenderat, ea potiſſimum quæ ad doctrinam Magiſtri, ac myſteria Incarnationis, & Divinitatis ipſius pertinerent. Norat enim alios

1 Chryſoſt. in Jo. hom. 17. Epiph. hær. 51. 2 Luc. 9. 54. 3 Hieron. in Jovin. l. 1. c. 14. & Epiſt. ro & Paulin. Epiſt. 196. 4 Epiphan. hæreſ. 58. Ambroſ. de Symb. c. 30. Chryſoſt. de Virgin. c. 82. Paulin. Ep. 4. 5 Vide Auguſt. quæſt. Evang. l. 2. c. 39. 6 Hieron. de Viris Illuſtr. c. 9. Tertull. contra Marcion. l. 4. c. 5. 7 Tertull. de Præſcript. Hieron. in Jovin. 1. c. 14. 8 Apocal. 1. 9. Hieron. in Matth. Tertull. Præſcript. 9 Euſeb. l. 3. Hiſtor. Eccleſ. c. 1. 10 Iren. l. 3. c. 1. & 11. Epiphan. hæreſ. 51. Victor. Peravienſ. in Apoc. Auth. quæſt. V. & N. T. qu. 72. Syr. Perſ. Copht. in fine Evang. Joan. & Theophyl. Prolog.
11 Athan. in Synopſ. Auth. Oper. Imperf. homil. 1. Hyppolit. MS. in Biblioth. Bodl. Doroth. Theoph. Euthych. MSS. plures apud Mill. not. in c. 21. poſt ver. 25. Suidas. 12 Ita MSS. pluref. ad calcem Evangel. Jo. Vide Mill. poſt cap. 21. Jo. Ita Theophylact. 13 Clemens Alexand. apud Euſeb. l. 2. c. 14. hiſt. Eccleſ. Hieron. de Vir. Illuſt. & Prolog. in Matth. 14 Epiphan. hæreſ. 51. c. 12.
15 Vide Euſeb l. 3. c. 4. hiſt. Eccleſ. Hieron. de Viris Illuſtr. Clemens. Alexand. apud Euſeb. l. 6. 3. c. 14. Hiſtor. Eccleſ. Epiphan. hæreſ. 51. Theodor. Mopſueſ. in Catena Gr. Anonym. in eadem Catena.

lios hiſtoriam potius dediſſe prodigiorum Jeſu Chriſti, quam ſecreta ejus arcana revelaſſe; eo facile conſilio, quod nondum capere fideles tantas res potuiſſe intelligerent.

Quidquid ſit, non prius ad ſcribendum ſe contulit Apoſtolus, quam poſt Divinam opem, jejuniis publiciſque inſtitutis precibus imploratam. Poſt altam Divinarum rerum contemplationem, in ipſo adhuc colloquii cum Domino calore, prima Evangelii ſui verba pronunciavit [1]. Nec deſunt, qui inter fulgura, & tonitrua emiſſa verba illa aſſeverent [2]; cujus rei aſſerendæ facile in cauſa fuiſſe poterant. Patrum quorumdam phraſes [3], qui ad nomina *Boanerges* ſeu filiorum tonitru, Joanni ejuſque fratri a Jeſu Chriſto tributa ſpectantes, nominis illius veritatem, tum maxime impletam fuiſſe dicunt, quando Evangelii ſui exordium effudit; quod perinde habendum eſt, quaſi ex alta quadam nube reboans tonitru, ſed fulgore quodam ſerenitatis plenum, cujus luminis beneficio S. Joanni ſecreta in ipſo Patris ſinu patuerint. Teſtatur S. Gregorius Turonenſis de Glor. MM. cap. 30. ætate ſua adhuc ſpectari in ipſo montis non longe ab Epheſo cacomine locum, ubi ſcriptum a S. Joanne Evangelium traditione receptum tenebatur. Locus erat ſubdio parietum ſepto clauſum, quem impluvium toto eo tempore manſiſſe ferunt, quo Apoſtolus ſcribendo Evangelio ſubſtitit, & tunc etiam eundem ipſum locum imbres revereri apud incolas ferebatur.

Autumarunt e Veteribus nonnulli [4], Cajo, olim diſcipulo S. Pauli Amanuenſe S. Johannem uſum; nec facile alter erat Cajus iſte ab illo, ad quem tertia S. Joannis Epiſtola data legitur. Tradunt alii [5] inſcriptum ab eodem Apoſtolo opus Papiæ Epiſcopo Jerapolitano, tamquam ſupplementum, & expoſitionem eorum, quæ viva voce ipſum diſcipulum ſuum docuerat. Inter tot incerta, illud tamen certo conſtat, ſtilum ejus Evangelii cum tribus Epiſtolis S. Joannis congruere; congruere, inquam, non in phraſibus tantum, & eodem ſpiritus S. Joannis charactere; ſed etiam in doctrina, ſententiis, & quod mirari ſubit, ipſæ utrinque voces occurrunt. Variat quidem Apocalypſis ſtilus, quod ſuo loco diſcutiemus.

S. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium l. 7. cap. 25. elegantiam, & purioris eloquii cultum quemdam in eodem Evangelio obſervat; cultum nimirum non in ſelectione tantum, & collocatione verborum, ſed etiam in ſyntaxi, & argumenti connexione. Nihil, ait, in eo Opere barbariem horret, ut collatum a Deo Sanctiſſimo Authori, non luminis tantum, & ſcientiæ, ſed etiam eloquii donum eſſe videatur.

In eo tamen quod ad eloquentiam & gratiam dicendi pertinet, exceſſiſſe in laudibus S. Dionyſium Alexandrinum Critici Recentiores autumant [6]. Non eſt quidem ſua laude Author fraudandus, ſi rerum granditas, & eloquii identidem majeſtas ſpectetur; ſed recidit etiam non raro in ſtilum humilem & pedeſtrem. Nonnulla interdum occurrunt ad genium linguæ Syriacæ ſeu Hebraicæ; repetitæ quandoque ſententiæ, & phraſes quædam delicatum Græcæ linguæ guſtum non ſapiunt. Porro humanioribus litteris rudem fuiſſe Evangeliſtam, nulloque excultum artificialis eloquii & rhetoricæ ſtudio, quod ſine ejus injuria dictum volo, conſtat inter omnes [7]. Is qualiſcumque fuerit defectus reparatur abundè ſcientiæ divinitus acquiſitæ lumine. Myſteriorum profunditate, rerum excellentia, ſoliditate conceptuum, atque doctrinæ utilitate. Eum virum ſelegit, ſibique comparavit Spiritus S. qui plane Spiritus Philoſophis omnibus, & Rhetoricis plurimum præſtat. Lumen eſt, quo mens illuſtratur, & ignis, quo corda flammeſcunt; ſine artis, & eloquentiæ ope inſtruit, revincit, perſuadet.

Pedeſtri licet, & ſimplici ſtilo ſcriptum Evangelium illud, Virorum inſignium, & ſapientiſſimorum elogia promeruit. Si Evangelia veluti primitiæ, & ſelecta Sacrarum Scripturarum portio cenſenda ſunt, ait Origenes [8], profecto S. Joannis Evangelium ipſa eſt Evangeliorum, & totius Novi Teſtamenti ſelectiſſima portio. Nemo ſane potuit profunditatem ejus ſcripti attingere, niſi qui ſuper ipſum Jeſu Chriſti pectus, velut Sanctus hic Evangeliſta quieſcat. Sigillum eſt, ait idem Pater, quo cæterorum Evangelia obſignantur, columna, quam fulciendæ regendæque Eccleſiæ ſuæ Deus conſtituit. Jure proinde meritoque apud Patres Evangeliſta Joannes aquilæ comparatus eſt [9], quippe qui ad Thronum uſque Dei volando perveniat. Tot claudit myſteria quot ſententias [10].

Platonicum quendam dicere ſolitum fuiſſe referunt, ea, quæ de Majeſtate Verbi in eodem Evangelio narrantur, aureis literis exaranda fuiſſe in ſuperliminaribus Templorum, quo ab omnibus legerentur [11]. Amelius, alter Platonicus ad tertium ſæculum pertinens, dicebat, S. Joannem barbarum licet, cum de Verbo ageret, hanc protuliſſe ſententiam, nimirum per Verbum ipſum, quod æternum fuiſſet, omnia extitiſſe; principium fuiſſe omnium rerum, Deum habendum, in eo vivere, & ſubſiſtere, quæcumque univerſum replebant omnia; carnem vero aſſumpſiſſe, nec tamen Divinam depoſuiſſe naturam; ad Deum poſtea receptum, apud quem priſtinas, antequam in terram veniſſet, ſedes obtinuerit [12]. Tandem plures alii Philoſophorum cœleſtem viri ſapientiam admirati ſunt, nec ſibi duxerunt probro, ſi ex eo Opere plura in ſua derivarent ſcripta, ex eo ſcilicet Opere, cujus Author vir nequam & barbarus ab iis habebatur, qui ſtudio ſaltem humanarum ſcientiarum nullo excolebatur.

Nihil eſt autem magis futile & chimericum, quam novum illud recentiorum quorumdam Scriptorum commentum, dictitantium, ex Platone ſive Philone Judæo ea didiciſſe Apoſtolum, quæ de Verbo in ſuo Evan-

1 Vide Hieron. Prolog. in Matth. Chryſoſ. homil. 67. tom. 6.
2 Vide Bar. ini. Anaal. cap. 99.
3 Paulin. Ep. 24. p. 213. Epiphan. hæreſ. 73. c. 7. Vide Aug. ſerm. 135. c. 8.
4 Athan. in Synopſ. Dorotheus, & Codex MS. Seld.
5 Anonym. in Cathe. Gr. Prolog.
6 Vide Grot. Prolog. in Joannem.
7 Theophylact. Proœm. in Jo. Grot. alii.
8 Origen. Præfat. in Joan. ex Edit. Gr. Latin. Huet. Vide & Iren. l. 3. c. 1. Epiphan. hær. 51. c. 2.
9 Vide Paulin. in Epiſt. 24. Auguſt. tract. 36. in Ioan. alii paſſim.
10 Ambroſ. de Sacram. l. 3. c. 2.
11 Auguſt. l. 10. de Civit. c. 29. ex Simplic. Mediolan. Epiſc.
12 Vide Euſeb. Præpar. l. 11. c. 19. Cyrillus Alex. in Julian. l. 8.

Evangelio ſcriberet. Potuit ille quidem ſeu viva voce per Diſcipulos ſuos ſive Philoſophos ipſos auſcultans, aliquid de Verbo ſive de Principio Platonis didiciſſe; eaque præ oculis in exordio Evangelii ſui habuiſſe non inviti ſuſpicaremus. Hæc tamen ille non docendi gratia, ſed refutandi expreſſit; cum maxime Verbum, de quo apud Joannem, aliud plane ſit a Verbo Platonico & Philonis [1]. Facile autem cuicumque hiſce ſtudiis delectatur, patebit, nullum referre Græcæ Philoſophiæ, & maxime Platonicæ ſaporem ea, quæ a S. Joanne ſcripta poſteritati tranſmiſſa ſunt.

Manſiſſe adhuc hujus Evangelii Autographa in Eccleſia Epheſina ſeptimo ſæculo, vel ſaltem quarto docet non ambiguus textus S. Petri Alexandrini in Chronico Alexandrino legendus [2]. Mature ſatis opus illud Hebraicis, vel potius Syriacis litteris Judæi tradiderunt; ſcriptumque Hebraicum Exemplar ſolerti cura in eorum Bibliotheca ſecreta Tiberiadis ad Mare Galilææ ſervatum S. Epiphanius hæreſ. 50. cap. 3. eſt author.

Ejus Evangelii authoritatem numquam in dubium revocavit Eccleſia. Quicumque vero ex Hæreticis illam elevarunt, *Alogorum* nomine, i. e. adverſariorum Verbi, traducit S. Epiphanius. Porro Hæretici illi inverecundo ſane commento ſcriptum imputabant Cerintho; quaſi ſcilicet legentibus non conſtet, numquam in toto Evangelio Cerinthi impietatem non revinci atque damnari. Adhæc, opus illud veteres Patres omnes ſub S. Joannis Apoſtoli nomine laudant. Quare numquam fieri potuiſſe conſtat, ut Cerinthi habeatur, qui frauda ſua Eccleſiæ impoſuerit univerſæ. Adde, ejuſdem Evangeliſtæ Autographum, uti quidem rebantur, Epheſi ſervatum fuiſſe tertio ſæculo exeunte, quemadmodum ſupra animadvertimus. Tandem ſi Cerintho Evangelium tribuatur, cur non & cœtera eodem S. Joannis nomine eodemque ſtilo deſcripta Opera, Epiſtolæ nempe, & Apocalypſis?

Suſpicionem alii in Evangelii illius veritatem moverunt, quod ſtilo plane a cœteris Evangeliſtis, non in narratione tantum hiſtoriæ, quod in re præſenti nihil eſſet, ſed in referendis etiam ſermonibus Jeſu Chriſti diverſo Author utatur. Quis porro credat, Jeſum adeo vario dicendi genere verba ſua exponi voluiſſe, apud S. Matthæum exempli gratia, & S. Joannem? Apud poſteriorem hunc Evangeliſtam prolixior eſt oratio, repetitis interdum ſententiis moroſa, & ratiocinationibus, quarum vix nulla apparet connexio, deſultoria:, eloquio utitur conciſo, ſententioſo, aperto & fere numquam non parabolico. Apud alios Evangeliſtas Jeſus frequentiſſime utitur eo exordio: *Amen dico vobis*; apud S. Joannem vero *Amen* ingeminatur: *Amen, Amen dico vobis*:

Sed hæc levia ſunt, & nullius ponderis. Solemne eſt ſacris Evangeliſtis, ut peculiarem ſinguli ſtilum in ſuis Operibus præferant; regionis & aviti ſermonis tenent indolem, & cum alterius dicta narranda ſuſcipiunt, ita plane hiſtoriam ſuam ducunt, ut citra veritatis diſpendium, Scriptoris ingenio ſtiloque ſerviant. Diurno id novimus experimento, tum in familiaribus colloquiis, cum in lectione Librorum. Eadem hiſtoria apud varios lecta, variat, quamquam utrimque ſit eademque veritas. Epiſtolæ Romani Senatus, & Spartarum, in Libris Macchabæorum relatæ, ingenium ſervant Hebræorum, alterum plane ab indole Græci Romanique eloquii. Conferat, ſi quis vult, Evangeliſtas inter ſe, non in hiſtoriis tantum, ſed etiam in concionibus, quas a Jeſu Chriſto factas narrant, & nihil ſimile inveniet in ſtylo, & in ordine atque uſu verborum. Adhæc S. Joannes Opus ſuum eo conſilio ſuſcepit, ut omiſſa a cœteris Evangeliſtis ſuppleret; quare ſuarum eſſe partium duxit, ut omiſſos a cœteris Jeſu Chriſti ſermones, & quemadmodum ab illo effuſi ſunt, referret. Accedit inſuper rerum, de quibus loquendum ſuſcipit, indoles, quæ ſane alium exigebat, a rebus per cœteros Evangeliſtas relatis, ſtilum. Sublimiſſima enim noſtræ veritatis myſteria revelat S. Ioannes; & quæ ab ipſo traduntur dogmata veritates ſunt, quas ſpeculativas tantum jure meritoque diceremus. Moralia potius dogmata, prodigia, & practicas quaſdam veritates affectant reliqui Evangeliſtæ. Naturam autem rerum ſtilus imitatur.

Poſtremum Evangelii hujus caput aliena manu adjectum autumavit Grotius in Joan. 20. 30. 31. nec alienum a vero cenſet, opus eſſe illud Eccleſiæ Epheſinæ, quæ palam omnibus fieri voluit, quanta præſtanda eſſet fides ſparſo inter Fideles rumori, oportere S. Ioannem nequaquam morte perimendum. Duo ſane verſus capitis 20. epilogus videri poſſent totius Evangelii: *Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in Libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei, & credentes vitam habeatis in nomine ejus*. Alii vero [4] duos tantum verſus cap. 21. aliena manu adjectos conſentiunt; talis enim inſtituitur in illis narratio, ut aliquem potius ex Diſcipulis S. Ioannis, quam ipſum Apoſtolum deceat. *Hic eſt Diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc; & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, Libros.*

Sed nos veteres, a Patribus noſtris poſitos, fines tranſgredi, piaculare ducimus [5]. Poſtremum hoc caput tamquam genuinum S. Ioannis Opus ſemper ſuſcepit Eccleſia; & nos etiam ſuſcipimus. Quantum quantum eſt hoc Evangelium, una cum omnibus, quibus conſtat, partibus, in canonem recepit Concilium Tridentinum; & nos etiam cum ipſo nihil non Canonicum agnoſcimus. Plauſibiles licet congerantur conjecturæ, numquam id impetrabunt, ut deſerendam ſuadeant aſſertam Patrum noſtrorum authoritate ſententiam, alioqui enim, ea ſemel data via, nihil inviolatum in Divinis Libris maneret, quos tamquam Spiritus S. Oracula, & tamquam Patris cœleſtis teſtamentum habemus.

Præter Evangelium ingenii ſui fœtus reliquit S. Ioannes tres Epiſtolas, & Apocalypſim, de quibus ſuo loco. Alia quædam Scripta Hæreticorum fraude tanto viro ſuppoſita ſunt, indigna plane, quæ ſua tanti nominis

1 Vide quæ contulimus in comment. ad cap. 1. Jo. 2 Vide Chronic. Alex. & MS. fragment. de Paſchate apud Petav. & Uſſer. 3 Epiphan. hæreſ. 51. Auguſt. hæreſ. 30.
4 Hammond. D. Le Clerc. 5 Deut. 19. 14. & 27. 17.

nominis gloria pareant, e. g. *Itinera S. Joannis* [1], quod facile Opus confundendum cum Actis ejuſdem Apoſtoli [2]. Laudatur ſub ejus nomine Liber *Obitus & Aſſumptionis B. Virginis* [3]. Servant adhuc Orientales Liturgias S. Ioannis Evangeliſtæ nomine inſcriptas. Sed Eccleſia ejus Authoris genuinum non agnoſcit, niſi Evangelium, Apocalypſim, & tres illas Epiſtolas, quas ſupra innuimus.

Obtinet non infrequenter apud veteres Patres [4] elogium Theologi, quod viro promeruit ſcriptum ab ipſo Evangelium, ac maxime primum ejus Operis caput. Polycrates Epiſcopus Epheſinus [5] teſtatur, alligatam fronti geſtaſſe laminam aurcam, veluti Sacerdotio Jeſu Chriſti fungentem, quod pariter honoris inſigne prætuliſſe priores Epiſcopi feruntur, quo major honor Sacerdotio novæ Legis conciliaretur, ad imitationem Summorum Sacerdotum apud Iudæos. Sed hujus rei certiora adhuc doctumenta expectantur.

1 Athanaſ. in Synopſ. 2 Epiphan. hæreſ. 47.
3 Sixt. Senen. lib. 2. Baron. Annal. an. 44. 4 Concil. Epheſin. Athanaſ. in Synopſ. Cyrill. Ieroſolym. Catech. 12. Ephrem paſſim, Nyſſen. Vita S. Theodoret. Aſter. Amaſ. homil. 8. alii.
5 Polycrat. apud Euſeb. lib. 5. cap. 24. Hieronym. de Viris Illuſtr.

D I S S E R T A T I O
IN OBITUM S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

DE obitu S. Joannis Evangeliſtæ tanquam de problemate aliquo propoſito ſemper diſceptatum eſt in Eccleſia, jam inde a primis exortæ Fidei ſæculis ad noſtram uſque ætatem. Qui utramque partem defenderent Authores in medium facile producerentur; neque id tantum inter Scriptores Græcæ Eccleſiæ, ſed etiam Latinæ ſpectatum eſt. Decimo quinto ſæculo Georgius Trapezuntinus Lucubratiunculam ſuam [1]. Pontifici nuncupavit, qua defendendam ſuſcepit ſententiam de exemptione S. Joannis a communi mortalium lege; ſuperſtitem adhuc, prodituram tandem dicebat, noviſſimis decedentis mundi temporibus, quo manum cum Antichriſto confereret. Porro ſcriptum illud nullo ſolido argomento & rara fulcitur authoritate; quare nullo negocio a Beſſarione refutatum eſt. Cardinalis Baronius in ſuis ad Martyrologium Romanum adnotationibus ejus Libri ſuppreſſo Authoris nomine frigide ſatis meminit.

Jacobus Faber Stapulenſis [2] decimo ſexto ineunte ſæculo ſententiam Georgii Trapezuntini defendendam ſuſcepit, aſſerens, melius facturum S. Hieronymum ſi adnotaſſet, S. Joannem e præſenti hac in alteram vitam migraſſe; quam mortem illum oppetiiſſe; neque enim de ejus obitu certi aliquid reſcitur; nunquam ejus ſepulchrum patuiſſe, quod vir ille ſanctus incolumis lætuſque, tanquam ſi ad immortalitatem iret, ſubiit. Factum itaque arbitratur, ut ſanitate valens e Mundo, quemadmodum olim Enoch & Elias, transferretur, ad conſtitutum Judicio tempus, vel alterius cujuſpiam rei gratia reſervandus.

Argumentum de obitu S. Joannis tractans Malvenda lib. 9. de Antichr. c. 11. & 12. obiiſſe quidem illum defendit, nec venturum in exitu ſæculorum, ut una ſimul cum Enoch & Elia manus conſerat cum Antichriſto. Vide Abdiam in Vit. S. Jo. c. 22. & 23. & Fabricii in eum locum adnotationes pag. 587. &c. & Addenda in eam pag. 984. &c. Negat Apoſtolum obiiſſe Ambroſius Catharinus.

Decimoſeptimo tandem ſæculo Florentinius [3] huic fulciendæ opinioni operam ſuam conferens, ſententiam illam ſolidiur & majori ſcientiæ niſu defendit. Obiiſſe ille quidem Apoſtolum fatetur; ſed ſtatim ad vitam reſtitutum autumat, quo ad exitum uſque ſæculorum perveniens, poſt annunciatam fidem iterum tandem occumbat. D. Tillemontius Florentinii argumenta ad trutinam revocata futilia eſſe & inania de-

A monſtravit [4]. Ætate SS. Auguſtini [5] & S. Gregorii Turonenſis [6] plures ea perſuaſione tenebantur, in tumulo adhuc ſuperſtitem Apoſtolum recondi, extrema Judicii die prodicurum. Varias haſce ſententias modo in examen revocamus, quaſcumque demum partes potiores reputabimus, ſecuturi.

His omnibus ſententiis unicum momentum petitur e textu Evangelico S. Joannis a c. 1. 2. & ſeq. Duodecim vel circiter a reſurrectione diebus Chriſtus Diſcipulis ſuis piſcationi in mari Galilææ vacantibus ſpectandum ſe præbuit. Cum illis uberem largitus eſſet piſcationem, inſtituit pariter & dapes, quas una cum illis in litore maris deguſtaret. Secundum hæc Petrum ſemel iterum & tertio interrogavit, num magis quam a cæteris omnibus amaretur ab illo? Affirmanti Apoſtolo,
B ita Ieſus: *Cum eſſes junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas; cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis*. Adjecit: *Sequere me*. Patuit illico Apoſtolus, interim vero, ait Evangeliſta, *converſus Petrus vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, & dixit: Domine hic autem quid? Dicit ei Jeſus. Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere* (Exemplaria Latina habent: *Sic eum volo manere &c. quid ad te? Tu me ſequere?*) *Exiit ergo ſermo iſte inter fratres, quia Diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jeſus, non moritur; ſed ſi eum volo manere donec veniam, quid ad te?* (ſive juxta Latina Exemplaria: *Sic eum volo manere, donec veniam; quid ad te?*) Inde data varie opinandi anſa, atque unicus hic diſputationis noſtræ cardo.

C Equidem, ut vera fateamur, verborum qui primo ſe ſe offert legentibus ſenſus, ille eſt, nimirum immunem a præſcripta mortalibus omnibus obeundi lege futurum Apoſtolum, ante adventum Filii Dei. Et id maxime inſinuatur illa Vulgatæ lectione: *ſic eum volo manere donec veniam*. In eundem pariter ſenſum convenit Græca lectio: *Si eum volo manere donec veniam; quid ad te?* Particula illa *ſi* indicativo appoſita, non dubitationem ingerit, ſed eſt affirmandi nota; quemadmodum Georgius Trapezuntinus pluribus exemplis demonſtrat, & ipſo etiam conſtat Grammaticorum teſtimonio. Ita familiari ſermone uſurpatur: Si ego te amo, numquid tibi obloquor? Si ego multum lectioni & ſtudio vacavi; ut quid me rudem indoctumque traducis. Si ego iſta ſcripſiſſem, nunquid me ſcripſiſſe ignorarem? Porro in allatis omnibus exemplis particula

1 Georg. Trapezunt. Opuſculo quod Joan. Evangel. non ſit mortuus. Baſileæ 1543. Ita & Pſeudo-Hyppolitus, & Dorothæus. 2 Fab. Stapul. Diſſert. de una e tribus Maria fol. 82.
3 Florent. Not. in Martyrolog. vetus Hieronymi p. 123 & ſequent. Ita Nicephor. l. 2. c. 35.
4 Tillemont. tom. 1. S. Joan. Evangel. art. 10. 11. & Not. 15. 16, 17. 18.
5 Auguſ. in Joan. tract. 125. 6 Gregor. Turon. de gloria Mart. l. c. 30.

ticula *ſi*, non ambigentis nota eſt, ſed affirmantis. Ea A pariter vis eſt ejuſdem particulæ in ſententia Evangelica; *Si eum volo manere donec veniam*; nimirum: Volo equidem ad adventum uſque meum ita manere. Ita pariter loquentis Chriſti verba interpretati ſunt Diſcipuli, & cæteri quicumque Fideles, apud quos rei fama pervenit: *Exiit ſermo inter Fratres, quod Diſcipulus ille non moritur*. Quod illis tunc viſum eſt, idem pariter & legentibus modo eadem verba accidit.

Quod enim a nonnullis reponitur, nimirum nihil aliud inſinuaſſe Chriſtum, quam velle ſe tandiu manere Apoſtolum, donec ad eum inviſendum per mortem veniret: periode ſane eſt, quaſi minus cohærenti ſermone locutus Ieſus Chriſtus ſtatuatur. Quæ tunc prærogativa Ioanni præ cæteris a Ieſu conferretur, ſi Chriſtus obeundum illi annunciaret, quando per mortem B ad eum inviſendum veniret? Nonne eo ſenſu homines tandiu in mundo perſeverant, donec inviſendos illos Dominus veniat?

Primus igitur pronus & literalis verborum ſenſus tenendus eſt, quæ plane ſi æquivocationis aliquid continerent, ipſe S. Ioannes expoſuiſſet; cum maxime adjecerit: *Et non dixit Jeſus, non moritur; ſed ſi eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Cur deceptos Fratres ejuſdem ſermonis occaſione, ratus nunquam interiturum Apoſtolum, Evangeliſta non monuit? Quamquam non immortalitatem illi, ſed longe diuturnam vitam promiſit. Quare cum Diſcipuli de immortalitate interpretabantur, quod a Chriſto de vitæ tantum diuturnitate dictum intelligi volebat, adjecit idem Evangeliſta; *Et non dixit Jeſus: Non moritur* &c. C

Ad hæc Jeſu Chriſti verba ita pariter uſurpabant Diſcipuli; quaſi ſcilicet nunquam Ioannes mortem eſſet oppeterus, cum Ieſus tantum ſignificaret: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere?* Congruit quidem verborum ſenſus, ſed verba non item. Quare S. Ioannes verba ſententiæ Ieſu Chriſti fratribus ſuis opponit, non ipſum verborum ſenſum. Re quidem, ait Georgius Trapezuntinus, ſenſum verborum Jeſu Chriſti aſſecuti fuerant Diſcipuli, ſed Apoſtolus Ioannes inſita Sanctis viris animi demiſſione & modeſtia ait, non dixiſſe Jeſum: *Non moritur, ſed ſi eum volo manere donec veniam, quid ad te?*

Huic etiam opinioni de exempto a communi mortis lege Apoſtolo favet alter textus in *Apo.* 10. 10. 11. ubi Angelum inducit offerentem Apoſtolo Joanni Librum, D ſimulque hiſce verbis, ait idem Apoſtolus, affatus eſt: *Accipe librum, & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum; ſed in ore tuo erit dulce tamquam mel. Et accepi Librum de manu Angeli, & devoravi illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce, & cum devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus, & dixit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.*

Obſervant autem, Apoſtolum poſt exilium in Inſula Pathmos, ubi Apocalypſim literis mandavit, nunquam ad gentes & Reges extraneos fidem annuntiaſſe. Imbecilli enim valetudine & affectæ ætatis vir longioribus itineribus præſtandis impar fuiſſet. Implendo igitur Apocalypſis oraculo deſtinatum eſt extremum mundi interiturí ſæculum, cum ſcilicet Evangeliſta annun- E ciando gentibus Evangelio, atque teſtimonio de Jeſu Chriſti adventu ferendo una cum Elia, & Enoch adverſus Antichriſtum prodibit.

Deſotorum quidem aliquid videretur in ea veluti expeditione, quam Dominus adverſus Antichriſtum ſuſcepturus eſt, ſi terribili illo adverſario, Enoch tantum, & Eliam oppoſiturus eſſet. Oppugnari enim par eſt hoſtem infenſum, & manu Prophetæ ante Legem, Prophetæ ſub lege, ac tandem tertii alicujus Prophetæ ſub Evangelio. Porro Enoch ad ætatem antediluvianam pertinens, cum prioribus illis Patriarchis converſatus eſt; Elias ſub Lege, eorumque poſtea Juda & Iſraelis Regibus paruit. S. Joannes cum ipſo Jeſu conſuetudinem habens, facta ab illo prodigia oculatus teſtis ſpectavit, in ejus requievit ſinu, fundavit Eccleſias, Evangelium ſcripſit, & Apocalypſim. Quanti eſſet momenti Apoſtoli ipſius teſtimonium, & præſentia, iniquiſſimis illis pro noſtra Religione temporibus!

Fidem ſuam obligavit Jeſus S. Joanni, daturum ipſi, ut de ſuomet calice participaret, eodemque, quo ipſe, balneo ablueretur [1]. Quibus verbis non obſcure Martyrium ipſius deſignabatur. Nihil autem de Martyrio ipſius legimus, quemadmodum violenta morte ſublatos ejus fratres S. Jacobum, S. Petrum cæteroſque Apoſtolos memoriæ proditum eſt. Quid? an divino Jeſu Chriſti oraculo fides defuit; ſive Martyrii honori impar S. Joannes habitus eſt? Non arbitror; ſed dilata eſt ejus victoriæ palma, donec in exitu mundi ipſe pariter pro veritatis teſtimonio, una cum Enoch & Elia interimatur. Hoc victoriæ ſuæ tempus oppteriens Apoſtolus in loco extra mundum amœno, & ſerena pace tranquillo tempus jocundiſſime fallit. Hæc Georgii Trapezuntini argumenta.

Tandem ſi occubuiſſet, S. Joannes, de genere ejuſdem mortis, de tempore, de ſacris ejus lypſanis, ac tandem de loco ejus ſepulchri non vagaremur incerti. Modo autem omnia æque latent. Superſtes itaque manet Apoſtolus. Narrant equidem illum decrepita jam ætate ſuperſtitem adhuc ſpirantemque tumulum ſubiiſſe [2], atque dimiſſis omnibus Diſcipulis ſuis evanuiſſe illico, in occultum, ubi quidem ferebatur, locum translatum. Quod ipſis demum ad locum regreſſis Diſcipulis, & vacuum ſepulchrum ſpectantibus evidentiſſime apparuit. In ipſo ſubeundi monumenti articulo mortem obiiſſe alii malunt, ſtatimque ad vitam rediiſſe [3]. Alii tandem defendunt viventem adhuc in ſepulchro clauſum, in eodem ibi ſtatu adhuc manere, ſpirantemque apertiſſimis indiciis deprehendi; namque poſt plura ab ejus obitu ſæcula genus quoddam terræ, ſive mannæ ex eodem ejus ſepulchro efflabatur, quæ piis Fidelium ſtudiis nunquam defuerit [4].

Iterat vulgatus S. Auguſtini & Gregorii Turonenſis ætate de S. Joanne rumor. Ejuſdem terræ aliquid octavo ſæculo vidit, ſuiſque irrigavit lacrymis S. Villibaldus, cum Epheſo pertranſiret [5]. Neque Epheſi tantum, ſed longe lateque per orbem manna illa vel terra ſpargebatur, non ſine prodigiorum fama in valetudine ægris procuranda. S. Ephrem Antiochenus Patriarcha a. 530. apud Photium Cod. 229. teſtatur, genus quoddam thuris ex ipſo Apoſtoli ſepulchro undique Fideles relatum veniſſe. Facile autem thus illud cum terra, de qua S. Auguſtinus, (*manna* appellat S. Gregorius Turonenſis) ſimilæ quandam ſpeciem referente, confundendum eſt. Ejus rei mentio occurrit in Libris Eccleſiaſticis Græcorum, in quibus ebulliiſſe mannam illam potiſſimum die 8. Maii traditur, in memoriam ſingularis Feſti S. Joannis, ea die celebrari. Ejuſdem mannæ fama nondum evanuerat S. Petri Damiani ætate [2].

Hiſce omnibus hiſtoriarum monumentis pondus aliquod accedit ex authoritate Veterum & Recentiorum, qui vel non obiiſſe adhuc, vel ſaltem poſt obitum in vitam rediiſſe teſtantur. S. Epiphanius hæreſ. 79. refert, Deum, ſive peculiari in Joannem amore, ſive ejuſdem Apoſtoli precibus motum, genus quoddam mortis inſuetum & ſupra præſcriptas mortalibus leges indulſiſſe, cujus obitus hiſtoriam legas in libris Actorum S. Joannis [6], vetuſtiſſimis illis quidem, ſed opera Leucii cujuſdam viri notiſſimi corruptis. Intercíderunt noſtra ætate Acta illa, etſi adhuc ſupereſſent, nihil aliud nobis afferrent commodi, quam ut ex eorum authoritate probaremus, jam inde a vetuſtiſſimis

---

1 Matth. 20. 22. 23. Marc. 10. 38. 39. 2 Ephrem. Theopolit. apud Phot. Cod. 229. p. 797. & 809. Vide Petr. Damian. ſerm. 64. de S. Joan. Evangel. 3 Vide Auguſt. Tract. 124. in Joan. & ita Græci hodierni pleique, & in primis Abdias in vita S. Ioann. ad fin.
4 Quidam apud Auguſt. in Ioan. Tract. 124. Vide & Gregor. Turon. l. 1. de gloria Martyr. c. 30.
5 Vide Vit. S. Villebaldi 2. parte ſæc. 3. Bened. n. 5. 6 Auguſt. in Ioan. hom. 124.

ſtiſſimis ſæculis repetendam eſſe traditionem, quæ exemptum a morte Apoſtolum tenet. Neque enim ejus Operis Scriptor tanti momenti rem affirmandam ſuſcepiſſet, niſi prius Fidelium omnium perſuaſione certe haberetur. Romanenſium fabularum Authores certo quodam hiſtoriæ fundamento poſito fabellas ſuperſtruunt. Acta illa probarunt ſecundo Eccleſiæ ſæculo Encratitæ, & Manichæi S. Auguſtini ætate [1].

S. Hilarii teſtimonium, ambiguum licet aliquanto, plus tamen favet parti, quæ exemptum e letho Apoſtolum defendit, quam averſæ opinioni [2]: *Loquatur Joannes*, ait ille, *ſic uſque ad adventum Domini manens, & ſub ſacramento Divinæ voluntatis relictus, & depurans, dum non uſque non mori dicitur, & manere*. Alibi vero comparans S. Joannem cum SS. Jacobo & Petro obſervat, duobus illis Apoſtolis Martyrii coronam ſpondet, S. Joannem reſervari ad Evangelii prædicationem [3]: *Joanne in prædicatione Evangelii firmando*. Autumaſſe ætate ſua quoſdam, Apoſtolum Joannem ſuperſtitem adhuc manere, tradit S. Ambroſius, neque perſuaſionem illam refutat [4]. In vetuſtis Editionibus ejuſdem Patris, ſicut pariter & in nova [5] S. Joannes pari cum Enoch & Elia gradu conſtitutus, proditurus dicitur ante poſtremam Judicii diem, ut cum Antichriſto congrediatur. Quamquam nomen S. Joannis ſcriptum nonniſi in Mſ. Regio & in Editionibus Pariſienſibus appareat; alibi enim ſive in Mſſ. ſive editis nomen tantum Enoch, & Eliæ legitur: Laudatur pariter in eam rem primus liber lucubrationis S. Ambroſii in obitu fratris ſui Satyri num. 4. ſtuſtre tamen: demonſtrat enim tantum Ieſum potuiſſe quidem, ſi maxime voluiſſet, immortalitatis privilegio S. Joannem donare. Et alibi diſerte teſtatur [6], in ſuſpicionem quidem ventum fuiſſe, num S. Joannes a letho ſervaretur immunis; nunquam tamen id credulis mentibus fuiſſe perſuaſum: *Joanni promiſſum æſtimatum, ſed non eſt creditum*.

Majoris in eam opinionem momenti eſt authoritas S. Ephrem Antiocheni apud Phot. Cod. 229. Authoris ſæculi ſexti, qui omnibus amotis ambagibus aſſerit, S. Joannem vitam ad exitum uſque mundi, quemadmodum de Elia & Enoch vulgatum eſt, producturum: eoque tandem temporis articulo interiturum, ut ſtatim in vitam revocetur. S. Gregorius Turonenſis de Glor. Martyr. lib. 1. cap. 30. autumat, S. Joannem ſpirantem adhuc monumentum ſubiiſſe, ubi ætate ſua adhuc recluderetur. S. Joannes Damaſcenus de Transfig. Domi. num. 7. agnoſcit, obtinere apud viros plures doctiſſimos eam opinionem, nimirum illo Evangelii: *Si ego volo manere, quid ad te?* inſinuari, nunquam Apoſtolum interiiſſe. Andreas Cæſarienſis in Cappadocia in Apocal. cap. 29. qui circa a. 500. florebat, & Aretas Epiſcopus pariter Cæſarienſis [7], qui circa a. 540. idem ſive tenent, ſive tanquam non improbabile ſignificant. Paria legas apud Pſeudo Hyppolitum, Pſeudo-Dorothæum, Metaphraſtem, Pſeudo Cæſarium fratrem S. Gregorii Nazianzeni, Nicephorum l. 2. c. 42. Strabum Authorem gloſſæ ordinariæ, Fulbertum Carnotenſem, Petrum Damiani: qui duo poſtremi Scriptores pietatis eſſe, & religionis autumarunt, ſi tamquam probabile aſſereretur, S. Joannem non ſecus ac Beatam Virginem Mariam ad vitam rediiſſe, ut mortali corpore indutus cœleſti beatitudine donaretur.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 34. eundem Apoſtolum appellat Præcurſorem J. C. quod vix alio ſenſu intelligeretur, quam qui ſupra e S. Ambroſio inſinuatus eſt, nimirum in exitu ſæculorum una cum Enoch & Elia Joannem proditurum. Ita mentem S. Doctoris exponit ejus Interpres Elias Cretenſis. S. Hieronymus in Jovin. l. 6. c. 24. privilegia virginitatis efferens, illud præ cæteris commendat, numquam ſcilicet illum interiiſſe, quam in rem laudat illud Jeſu Chriſti de S. Joanne; *Sic eum volo manere, quid ad te? Ex quo oſtenditur*, ait idem S. Doctor, *Virginitatem non mori, nec ſordes nuptiarum ablui cruore Martyrii; ſed manere cum Chriſto, & dormitationem ejus tranſitum eſſe, non Martyrium*. Gemina legas in Præfationibus vetuſtæ Bibliorum editionis præfixis Evangelio, & Apocalypſi, quas ſi negaveris S. Hieronymo Authori tribuendas; certe tamen vetuſtiſſimas, & non infimæ eſſe authoritatis concedes.

S. Thomas, Albertus Magnus, S. Vincentius Ferrerius, S. Thomas de Villanova, qui ſcriptis, qui in ſuis ad populum concionibus affirmarunt, S. Joannem poſt obitum in vitam rediiſſe. Laudantur in eam rem revelationes SS. Geltrudis, & Birgittæ. Hanc denique traditionis ſeriem claudunt Georgius Trapezuntius, & Faber Stapulenſis, qui ſuperſtitem adhuc manere Apoſtolum tenent, Florentinus, qui ad vitam reſtitutum defendit.

Eamdem opinionem adoptavit, & in ſuum officium tranſtulit Eccleſia Græca noviſſimæ hujus ætatis, nec mentem ea de re ſuam aperte adhuc explicavit Eccleſia Latina, quæ tamen in nonnullis Martyrologiis diem tranſitus S. Joannis deſignat nomine Aſſumptionis, quod Reſurrectionem quandam inſinuare videtur, & in Officio ejuſdem Feſti Apoſtolo vindicat verba illa J. C. *Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis*. In Lectionibus tandem, quas e S. Auguſtino deſcripſit, conſulto omittitur locus S. Doctoris, ubi de obitu S. Joannis [8]; quaſi ſcilicet eam opinionem traditioni ſuæ repugnantem agnoſcat. Hæc majoris momenti in medium producuntur pro aſſerenda, ſive diuturniore S. Joannis Evangeliſtæ vita, ſive reſurrectione.

Adverſæ huic opinio de obitu, atque ſepultura S. Joannis in Urbe Epheſi non minoribus fulcitur ſive argumentis, ſive authoritatibus. Textus Evangelii potiſſimum pro adverſa ſententia momentum, nihil probat, juxta ac ſcite S. Auguſtinus ſerm. 253. num. 4. novæ edit. obſervat. Ipſe enim Evangeliſta falſam Diſcipulorum interpretationem, nunquam ſcilicet interiturum Apoſtolum refutat, addens: *Et non dixit Jeſus: Non moritur, ſed ſic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Quæ ſane ratiocinatio multo erit firmior, ſi cum nonnullis Criticis ſemel ſtatuatur [9], poſtremum hoc caput adjectum Evangelio S. Joannis ab Eccleſia Epheſina poſt obitum ejuſdem Apoſtoli, quo ſcilicet ſparſo de immortalitate Joannis inter fideles rumori, & incommodis, quæ inde conſequerentur, omnibus occurreret. Alii vero Interpretes defendunt [10], verbis illis Jeſum Chriſtum illud inſinuaſſe; nimirum non prius interiturum Apoſtolum, quam et Divinam de interfectoribus Magiſtri ſui ultionem oculatus teſtis ſpectaret. In eum ſenſum alii [11] reddunt illud J. C. apud Matth. 16. 28. *Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis*. Eſt equidem in Novo Teſtamento familiare, ut adventus Filii Dei, & Regni ipſius nomine nihil aliud inſinuetur,

1 Vide Auguſt. de fide c. 4. & 32. & in Adverſ. leg. & Prophet. cap. 20.
2 Hilar. lib. 6. de Trinit. num. 39. 3 Hilar. lib. 10. de Trinit. num. 37.
4 Ambroſ. in Pſalm. 117. ſerm. 20. n. 12. & Luc. l. 7. n. 4. 5 Ambroſ. in Pſalm. 45. num. 10. *Nam & Beſtia illa Antichriſtus ex abyſſo aſcendit, ut adverſus Eliam atque Enoch, atque Joannem, qui propter teſtimonium Domini Jeſu terris ſunt redditi, prælietur*. 6 Ibid. l. 2. de fide Reſurr. n. 49.
7 Aretas Cæſarien. apud Floren. p. 124. 8 Aug. Serm. 253. nov. edit. n. 4. *Hanc opinionem, qua putabatur Joannes non moriturus, abſtulit Joannes ipſe conſequentibus verbis ſuis: & ne hoc credatur ait: Non hoc dixit Dominus; ſed dixit hoc* &c. Et Tract. 124. in Jo. n. 2. *Hanc opinionem Joannes ipſe abſtulit, non hoc dixiſſe Dominum aperta contradictione declarans* &c. Vide & Ephrem Antioch. ſupra cit. apud Phot. Cod. 229.
9 Vide Grot. ad Joan. 20. ult. 10 Theophylact. D. Thom. Toler. Riber. Vatab. Grot. Ligfoot.
11 Hamm. Iar. Cappell. Cler. in S. Matth. 16. 27. 28.

quam tempus ultionis in Jeruſalem exerendæ [1]. Ita c. gr. toto capite 24. S. Matthæus poſtremam Urbis Jeruſalem obſidionem, quæque Judæorum capiti inhæſura eſſent, mala deſcribit, ſub idea diei adventus, & Judicii ſui. Totus etiam Evangeliſtæ contextus eumdem ſenſum verbis illis J. C. de quibus modo agimus, ſubeſſe ſatis demonſtrat; poſtquam enim dixiſſet Matt. 16. 27. 28. *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus*, addit ſtatim: *Sunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno ſuo*. Et Matth. 26. 64. Marc. 14. 62. Sacerdotibus, & viris ampliſſimis e Synedrio Judæorum denunciat, nunquam illos ultra viſuros Filium hominis, niſi venientem in nubibus Cæli, & cum ad dexteram Patris ſedens ſpectandum ſe præbuiſſet; quod ab illo de everſione Jeruſalem, & diſperſione Judæorum dictum creditur.

Similacea illa manna, quæ e tumulo Apoſtoli ſexto adhuc & octavo ſæculo exſufflabatur: pulvis ille, de qua S. Auguſtinus & alii viri graves nonnulli, multum ſane contulerunt conciliandæ inter Fideles de immortalitate S. Joannis perſuaſioni. Valuit pariter ad eam rem apud indoctum vulgus ſubleſta Actuum S. Joannis [2], & librorum apocryphorum fides. Sed ipſa in ſe res ad trutinam revocanda. Acta illa, quæ olim ſerebantur, nullius erant in Eccleſia authoritatis, nihil illis vetuſtate, quam jactitabant, conferebatur. Quod enim Ebionitarum, vel Encratitarum fraude ſecundo Eccleſiæ ſæculo ſuppoſita tenerentur, latis erat, ne deploratæ eſſent apud Fideles authoritatis.

Eſto quidem demus, Authores hujus generis fabellarum genuinæ S. Joannis hiſtoriæ adſcititia quædam ornamenta, & fabellas intexuiſſe; quid inde? Nonne id lurta cum cæteris addi ab illis potuit, quod narrant de Apoſtolo ſponte in ſepulchrum ſe ſe inſerente? Fucum, & fabulas huic hiſtoriæ demamus, nihilque parebit aliud, quam quod Apoſtolus ætate ſenioque tantum confectus diem ita clauſit, ut ne deceſſiſſe quidem videretur; quare ſpirans adhue in ſepulchrum deſcendiſſe reputari potuerat.

Pulvis ille e ſepulchro ebulliens dum prodit; nimirum receptam vulgo perſuaſionem Apoſtoli illius, corpus adhuc in tumulo recondi, quare nec ad cælum rediiſſe, neque in occultum aliquem mortalibus locum una cum Enoch & Elia detinari credebatur. a. Corpus illud vivens adhuc & ingeſta ſuper terra adhuc ſpirare, quod fidem omnem ſuperat. Si poſt obitum ſex vel octo ſæculis adhuc ſpirabat, quid hodie de illo factum eſt? An poſt eam ætatem deceſſiſſe contigit? Quomodo vitam ſuam tot ſæculis producere valet homo ſub terra defoſſus, ſine cibo, luminis & aeris beneficio privatus? Si etſi eſt ſpirat auras, cur e cæco illo loco non educitur.

At enim quæſtio eſt facti: e tumulo genus quoddam terræ vel mannæ exſufflabatur, præſentiſſimum ægrotis pharmacum. Sit eſto, terra ſive pulvis ſupra tumulum Viri ſancti vel circum jacens, & reſtituendæ ſanitatis virtute polleat; nonne merito & fidei religioſiſſimorum Fidelium dari illud a Deo potuit; quemadmodum præſtitum ab ipſo ſcimus in eorum gratiam, ut pulverem e tumulo Apoſtolorum Petri & Pauli & aliorum Sanctorum deductum in morbis ſuis ſolatium quærerent & levamen? Quæ de pulvere illo veluti hominis reſpiratione e tumulo exſufflato feruntur, negocium quidem faceſſunt [3]. Sed loci ſitus & circumſtantiæ omnes ſedulo prius inſpiciendæ eſſent, quo certius daretur judicium, num prodigium aliquod ea in re ſtatueretur. Fac autem pro-

(A) digium agnoſcendum ſit. Nonne cum S. Auguſtino Tr. 124. in Joannem reputari poteſſet [4], Deum eo prodigio commendare voluiſſe pretioſam S. Apoſtoli mortem; niſi forte latentem aliam cauſam, cur id voluerit, Deus habuiſſe credatur?

Ad Veterum teſtimonium quod ſpectat, alias nos opponimus authoritates Patrum, qui vetuſtate illis præſtant, nempe S. Irenæi, Polycratis, S. Polycarpi, Origenis, Concilii Epheſini, Euſebii, Tertulliani, S. Auguſtini, S. Hieronymi, S. Epiphanii, S. Chryſoſtomi, S. Cyrilli Alexandrini, aliorumque plurium teſtantium, diem clauſiſſe Apoſtolum & in Urbe Epheſi ſepulturæ mandatum. S. Irenæus l. 2. c. 39. & apud Euſeb. l. 3. cap. 3. vixiſſe illum uſque ad Imperium Trajani perhibuit, ex quo certa ducitur conjectura, (B) Apoſtolum ſub Trajano juxta Irenæum occubuiſſe. Polycrates Epheſinus apud Euſebium l. 5. c. 24. hiſt. Eccleſ. & l. 3. c. 31. narrat, virum hunc ſanctum in ſuo apud Epheſum ſepulchro reſurrectionem generalem opperiri. Ejus obitum conſignat Euſebius ad tertium Trajani annum. S. Hieronymus de vir. Illuſtr. & l. 1. contra Jovin. teſtatur obiiſſe Apoſtolum 68. annis a Paſſione Jeſu Chriſti; obiiſſe autem 88. annis grandævum author eſt S. Epiphanius hæreſ. 51. Centum annis & ſeptem menſibus grandem natum diem clauſiſſe a. 104. Jeſu Chriſti habet Chronicon Alexandrinum. Ejus ſepulchrum viſebatur non procul ab Epheſo, ait S. Hieronymus de Vir. Illuſtr. qui ſimul obſervat, Epheſi pariter ſpectari ſepulchrum alterius Joannis, qui a nonnullis duæ poſteriores Apoſtoli Joannis Epiſtolæ tri- (C) buuntur.

Quibus S. Hieronymi teſtimoniis ſatis ſuperque refutari credo ea, quæ ex eodem S. Doctore in Libro adverſus Jovinianum contra hanc ſententiam producta ſunt; quidam enim ibi ingenii æſtro raptus panegyrico enthuſiaſmo ita effatur: *Ex quo oſtenditur virginitatem non mori! & dormitationem S. Joannis tranſitionem eſſe, non Martyrium*. Ejuſdem Apoſtoli obitum non obſcure agnoſcit S. Chryſoſtomus in Epiſt. ad Heb. hom. 26. a quo pariter de ſepulchro ejuſdem Apoſtoli, veluti de ſepulchro Apoſtolorum Petri & Pauli agitur. Opinionem quorumdam Apoſtolorum, qui diuturnam ad judicium uſque vitam Joannem producturum autumabant, rejicit S. Cyrillus Alexandrinus diverſis Homil. Tom. 5. Vidimus autem in ſuperioribus, quantum (D) ab eadem ſententia de immortalitate Apoſtoli abhorreret S. Auguſtinus, & quomodo adverſæ ſententiæ aſſertores ex ipſo Evangelii Texto refutet.

Tertullianus apertiſſimis verbis obiiſſe illum dicit lib. de Anim. cap. 50. eorum ſpem, qui manſurum illum ad ſecundum uſque adventum Domini ſibi blandiebantur, irritam excidiſſe teſtatus [5]. S. Ambroſius de fide reſurrect. hom. 49. fatetur, ſparſum quidem inter fratres rumorem de ejus immortalitate, ſed nunquam ſatis Fidelibus eam famam adprobatam: *Joanni promiſſum æſtimatum, ſed non eſt creditum*. Cæleſtinus Papa [6] ſcripta ad Patres Epheſinos Epiſtola hortatur, ut documenta ſectentur S. Joannis; *Cujus reliquias*, ait, *præſentes veneramini*. Ipſum pariter Epheſinum Concilium agnoſcit, S. Joannem tunc (E) Epheſi fuiſſe: quomodo, rogo, niſi in tumulo jacentem? Orientales, qui ad Concilium venerant, querebantur prohibitos ſe, ne tumulos Martyrum & maxime S. Joannis Evangeliſtæ inviſerent. Porro quæcumque ſunt Acta hujus Concilii, & Orationes Patrum, ibi relatæ, nulla præferunt popularis opinionis de immortalitate Apoſtoli veſtigia. Reputandum eſt igitur, nunquam ea de re impoſitum fuiſſe Epiſcopis, eamque opinionem, viris doctis & ingenii acumine præſtantibus nunquam adprobatam fuiſſe.

Diſſerta

---

1 Matth. 12. 31. et 10. 7. Luc. 17. 20. & 19. 21. 22. 25. etc. 2 Aug. tract. 124. in Io. n. 2.

3 Aug. tract. 124. n. 2. *Non defunctum, ſed defuncto ſimilem cubuiſſe, & cum mortuus putaretur, ſepultum fuiſſe dormientem, & donec Chriſtus veniat, ſic manere, ſuamque vitam ſcaturigine pulveris indicare; qui pulvis creditur, ut ab imo ad ſuperficiem tumuli aſcendat, flatu quieſcentis impelli.*

4 *Reſtat, ut ſi vere ibi ſit, quod ſparſit fama de terra, quæ ſubinde ablata ſuccreſcit, aut ideo fiat, ut eo modo commendetur pretioſa mors ejus, quoniam non eam commendavit Martyrium, aut propter aliquid aliud, quod nos latet.*

5 *Obiit & Joannes, quem in adventum Domini fuiſſe remanſurum falſa ſuerat ſpes.* 6 Vide Act. Conc. Epheſ. c. 4.

Diſerte teſtatur Origenes apud Euſeb. l. 3. c. 1. Apoſtolum Epheſi diem clauſiſſe. Laudatur teſtimonium S. Polycarpi [a], Diſcipuli S. Joannis, quo aſſeritur, obiiſſe virum ſanctum, non martyrio quidem, ſed poſt plurimos exantlatos labores & exilia. Ejus ſepulchrum Epheſi conſtituit S. Dionyſius Alexandrinus apud Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 7. c. 25. Gennadius S. Hippolytus in eodem cum Jeremia & Daniele cenſu Apoſtolum collocat, unam eandemque de omnibus ſententiam ferens: *Mortui eſtis cum Chriſto, ſed vivetis cum Chriſto* [2]. Addi illis omnibus poſſunt authoritates Theodori Heracleenſis, & Mopſueſteni, quorum fragmenta ſervantur in Catena Græca in S. Joannem, S. Gregorii Magni hom. 25. Leontii, Bedæ, Theophylacti, Euthymii, Ruperti Abbatis, Haimonis, & Interpretum fere omnium, tam veterum, quam recentiorum, qui in poſtremum illud caput S. Joannis ſcripſerunt.

En teſtium non infimæ authoritatis turbam, cui non ſine temeritatis nota fidem refragaremur. Nihil eſt ambiguum, nihil niſi aſſertum, nihil niſi ex genuinis Operibus deductum; teſtes ſunt temporis non ſuſpecti; quippe qui ſanam & venerabilem referant antiquitatem. Non ſententias damus, quæ alia meditantibus exciderint; non declamationibus exceptas: ſed argumenta hiſtorica, & ex facto ipſo petita. Alia plane eſt indoles earum, quæ pro adverſa ſententia relatæ ſunt; pleræque enim ex illis jure meritoque rejicerentur, ſive meritum ſpectes eorum, quibus laudantur; ſive verborum ambages, quibus obvolvuntur; ſive ſingularitatem, vel credulitatem eorum, qui illas effuderunt.

Locus ex Apocalypſi 10. 11. pro adverſa ſententia relatus, nimirum venturum in exitu ſæculorum Joannem, ut *prophetet Gentibus, populis, linguis, & Regibus multis*; locus, inquam, iſte, quamvis in favorem adverſariorum uſurpari viſus ſit a S. Gregorio Nazianzeno Orat. 34 S. Ambroſio, ſive altero quocumque, qui nomen Joannis nominibus Enoch, & Eliæ ejus Tractatui ſuper Pſalmorum 45.10. expreſſis, inſeruit; pronum eſt tamen ut intelligatur de Evangelio, & Apocalypſi ab eodem Apoſtolo ſcriptis, quibus ad noſtram ætatem, & futuris etiam temporibus fidem omnibus inculcare non deſiſtet. Tantum autem aberat ipſemet S. Joannes ab ea de ſe opinione; futurum nempe, ut inter Præcones Evangelii adverſus Antichriſtum, inter Teſtes, qui Fidem ſanguine ſuo obſignaturi, ipſe accenſeretur; tantum, inquam, ab ea de ſe perſuaſione aberat, ut duos tantum futuros teſtes prædicat [3], nimirum, quantum conjicitur, Enoch, & Eliam.

Promiſſio, qua Filius Dei fidem ſuam obſtrinxit [4]; propinaturum nempe viro calicem ſuum, tunc maxime ſunc impleta fuit juxta Patres, & Commentatores, cum ferventis olei caldarium ſubiit, atque exul in Inſulam Pathmos degere coactus eſt. Nonne juge martyrium tota vita produxiſſe credendus, qui Apoſtolicas ſollicitudines tales tantaſque toleravit? Futile eſt autem argumentum illud, quod ex ignoratis ejuſdem

A Apoſtoli reliquiis deducitur. Quot enim Sanctorum corpora neque e terra unquam effoſſa ſunt, neque, ubi maxime quieſcant, certi aliquid reſcitur? Memoriæ proditum eſt [5], in quadam Mediolani Eccleſia reliquias S. Joannis Fidelium religioni, & venerationi expoſitas fuiſſe, manus, uti quidem creditum, S. Ambroſii. Deductæ ex rerum convenientia futiles ſunt in hoc argumenti genere conjecturæ; poſſunt non diſſimiles etiam pro adverſa ſententia afferri.

Verum quod vitæ genus Apoſtolo tribuentur in tumulo, & aggeſta terra, ac pulvere oppreſſo? Cum ad exitum vita properaret, teſte S. Hieronymo in Epiſt. ad Galat. officium affecti viri pedes negabant; ne loquendi quidem ſuppetebant vires, ut ad Eccleſiam niſi inter Diſcipulorum brachia venire non potuiſſet; illud

B autem in eo infirmæ valetudinis ſtato repetebat identidem: *Filioli mi, diligite alterutrum*. An forte ab eo tempore vitam reproduxit, ſive dulcem adhuc experiri vitam potuiſſet vir, qui 90. annis natus ſenectutis pondus vix, ac ne vix quidem ſuſtinebat?

Pleroſque autem Scriptorum, quorum pro adverſa opinione teſtimonia afferuntur, non ita ſententiæ illorum, quantum pro opinione, ſi diligentius examinentur, faviſſe intelligemus. Nihil etiam ab illis, quod alicujus ſit momenti, aſſertum eſt. Ita Præfationes in veteribus Bibliis Latinis præfixæ Evangelio, & Apocalypſi, quarum altera S. Hieronymi, altera Gilberti nomen præfert, hæc tantum habent: *Deſcendens in defoſſum ſepulturæ ſuæ locum, facta oratione poſitus eſt ad Patres ſuos, tam liber a dolore mortis, quam a cor-*

C *ruptione carnis invenitur alienus*.

Smaragdus Abbas S. Michaelis noni ſæculi ſcriptor Catenæ ex Patribus in Epiſtolas, & Evangelia totius anni [6], eadem refert verba, tamquam ex Patrum monumentis deſcripta: *Sic in Patrum literis invenimus: Cum longo confectus ſenio &c.* Hæc vulgata octavo, & nono ſæculo opinio. Porro Scriptores illi non ea quidem perſuaſione tenebantur, Apoſtolum ad diuturniorem vitam ſervari; ſed tantum virginalis ipſius pudicitiæ merito a Deo datum illi autumabant, felici longaque ſenectute ita occumbere, ut ne ſe mori quidem ſentiret. Hujus traditionis ſeriem non interruptam ſpectavimus in Commentatoribus Græcis, & Latinis, qui poſt eam ætatem ſcripſerunt.

Statuendum eſt itaque, opinionem, quæ occubuiſ-

D ſe S. Joannem negat, vel poſt obitum rediiſſe in vitam affirmat, nullo ſolido inniti fundamento, & ab Authoribus fere omnibus, tam veteribus, quam recentioribus, paucis exceptis, tamquam popularem quidem, ſed minus veram opinionem habitam fuiſſe. Fruſtra autem in eam ſententiam traheretur Eccleſia Latina, cui numquam talia approbata ſunt. Græcos ultro adverſariis damus, quos poſt admiſſum ſchiſma altis adeo ignorantiæ, errorum, & ſuperſtitionis tenebris offuſos conſtat, ut ne linea quidem veteris ſcientiæ, & pietatis in illis agnoſcatur.

---

a Vide apud Florent. p. 124. 2 De Antichr. pag. 41. & 12. nov. edit. Fabric.
3 Apoc. 12. 3. *Dabo duobus teſtibus meis*. 4 Matth. 20. 22. 23. Marc. 5. 38. 39.
5 Bolland. 3. Maji p. 364. 6 Smaragd. Collection. in Evangel. et Epiſt. in Natali S. Joann. Evangel. fol. 81. Edit. Argentorat. Georg. Ulricher. A. 1536.

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN EVANGELIUM
SANCTI JOHANNIS.

CAPUT PRIMUM.

Verbi Æternitas, Divinitas, Incarnatio. Teſtimonium, quod illi a S. Johanne Baptiſta perhibetur. Andreas, & alter JESUM CHRISTUM ſequuntur, ad quem & fratrem ſuum Simonem adducit Andreas. JESUS Philippum accerſit, Philippus Nathanaelem adducit. Nathanaelis elogium.

1. IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.
2 Hoc erat in principio apud Denm. 3 Omnia per ipſum facta ſunt: &
ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, 4 In ipſo vita erat, & vita
erat lux hominum; 5 Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehen-
derunt. 6 Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes. 7 Hic venit in te-
ſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.
8 Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. 9 Erat lux ve-
ra, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 10 In mundo
erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. 11 In pro-
pria venit, & ſui eum non receperunt. 12 Quotquot autem receperunt eum, de-
dit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus; 13 Qui non
ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo
nati ſunt. 14 Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis & vidimus glo-
riam ejus, gloriam quaſi unigeniti a patre plenum gratiæ, & veritatis. 15 Joan-
nes teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui
poſt me venturus eſt, ante me factus eſt; quia prior me erat. 16 Et de pleni-
tudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. 17 Quia lex per Moy-
ſem data eſt, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. 18 Deum nemo vi-
dit umquam, unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarravit. 19 Et hoc
eſt teſtimonium Joannis, quando miſerunt Judæi ab Jeroſolymis Sacerdotes, & Le-
vitas ad eum, ut interrogarent eum; Tu quis es? 20 Et confeſſus eſt, & non
negavit: & confeſſus eſt: Quia non ſum ego Chriſtus. 21 Et interrogaverunt
eum; Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et re-
ſpondit; Non. 22 Dixerunt ergo ei: Quis es, ut reſponſum demus his, qui
miſerunt nos? quid dicis de teipſo? 23 Ait; Ego vox clamantis in deſerto: Di-
rigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias propheta. 24 Et qui miſſi fuerant, erant ex
Phariſæis. 25 Et interrogaverunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi
tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? 26 Reſpondit eis Joannes,
dicens:

dicens : Ego baptizo in aqua : medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis :
27 Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt ; cujus ego non
ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti. 28 Hæc in Bethania facta ſunt
trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. 29 Altera die vidit Joannes Jeſum
venientem ad ſe, & ait : Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. 30
Hic eſt, de quo dixi : Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt : quia prior me
erat. 31 Et ego neſciebam eum, ſed ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego
in aqua baptizans. 32 Et teſtimonium perhibuit Joannes, dicens : Quia vidi Spi-
ritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum. 33 Et ego
neſciebam eum : ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem
videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in
Spiritu ſancto. 34 Et ego vidi : & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.
35 Altera die iterum ſtabat Joannes, & ex diſcipulis ejus duo. 36 Et reſpiciens
Jeſum ambulantem, dicit : Ecce agnus Dei. 37 Et audierunt eum diſcipuli lo-
quentem, & ſecuti ſunt Jeſum. 38 Converſus autem Jeſus, & videns eos ſe-
quentes ſe, dicit eis : Quid quæritis ? Qui dixerunt ei : Rabbi, (quod dicitur in-
terpretatum Magiſter) ubi habitas ? 39 Dicit eis : Venite, & videte. Venerunt,
& viderunt, ubi maneret, & apud eum manſerunt die illo : hora autem erat qua-
ſi decima. 40 Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui au-
dierant a Joanne, & ſecuti fuerant eum. 41 Invenit hic primum fratrem ſuum Si-
monem, & dicit ei : Invenimus Meſſiam (quod eſt interpretatum Chriſtus) 42
Et adduxit eum ad Jeſum. Intuitus autem eum Jeſus, dixit : Tu es Simon filius
Jona : tu vocaberis Cephas : quod interpretatur Petrus. 43 In craſtinum voluit
exire in Galilæam, & invenit Philippum. Et dicit ei Jeſus : Sequere me. 44 E-
rat autem Philippus a Bethſaida, civitate Andreæ, & Petri. 45 Invenit Philip-
pus Nathanael, & dicit ei : Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, inveni-
mus Jeſum filium Joſeph a Nazareth. 46 Et dixit ei Nathanael : A Nazareth po-
teſt aliquid boni eſſe ? Dicit ei Philippus : Veni, & vide. 47 Vidit Jeſus Natha-
nael venientem ad ſe, & dicit de eo : Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt.
48 Dicit ei Nathanael : Unde me noſti ? Reſpondit Jeſus, & dixit ei : Priuſquam
te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te. 49 Reſpondit ei Nathanael,
& ait : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael. 50 Reſpondit Jeſus, & dixit
ei. Quia dixi tibi. Vidi te ſub ficu, credis : majus his videbis. 51 Et dicit ei:
Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes,
& deſcendentes ſupra Filium hominis.

℣. 1. IN PRINCIPIO ERAT VERBUM.] Verbum eſſentiale, & conſubſtantiale, Patris Sapientia, eidem æqualis, per quam omnia creata ſunt [1], *erat in principio*, ab æterno, & antequam terrarum orbem conditum vigebat. Neque vigebat ſimpliciter, tamquam eſſentiæ Entium creatorum, quæ ab æterno in Dei conceptu fuerant : hoc enim Verbum, hæc Sapientia ibi realiter, & actu ab æterno exiſtebat ; erat eadem in eſſentia cum Patre, ſed in perſona differebat.

S. Johannes Evangelium ſuum, uti Geneſim ſuam Moyſes, orditur : *in principio* ; verum cum hoc tamen diſcrimine, quod Moyſes temporum deſignat initium ; Evangeliſta [2] veram æternitatem, quæ eorum omnium, quæ ſunt aut viſibilia, aut inviſibilia, creationem præcedit : innuens, ante mundi primordia Verbum in Patre B ſubſtitiſſe, neque eſſe ex earum rerum numero, quorum initium, tempus, atque origo valeat definiri [3].

Salomon in Proverbiis cap. 8. 22. Auctor libri Sapientiæ, 7. 21. & Eccleſiaſtici, Sapientiæ elogium exornant ; quod ſatis congruit cum eo, quod iſthic a S. Johanne de Verbo Dei concinnatur : *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret . . . quando præparabat Cælos* A *aderam* : adjutrix in his omnibus, quæ creationis momento operatus eſt.

Auctor Sapientiæ de eadem magnificentius adhuc verba facit. Sapientia me de omnibus erudit : *eſt enim in illa Spiritus intelligentiæ Sanctus, unus, multiplex. . . quem nihil vetat benefaciens . . . . omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia, attingit autem ubique propter ſuam munditiam : Vapor eſt virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis Omnipotentis . . . . Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius. Et cum ſit una, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innovat, & per nationes in animas Sanctas ſe transfert, amicos Dei, & Prophetas conſtituit*. Deprehenduntur iſthic veſtigia quædam eorum, quæ S. Johannes ait ; Verbum Dei eſſe vitam, atque lucem, omnes homines illuminantem. Auctor addit ; Sapientia *attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* : ſolidæ gloriæ omniumque bonorum originem eſſe ; cap. 9. 1. Omnipotens Verbum Domini omnia creaſſe c. 16. 26. Iſraelitas in deſerto paviſſe c. 16. 12. illos a ſerpentum morſu curaſſe, & c. 18 15. Ægyptiorum primogenita interemiſſe.

Jeſus filius Sirach Eccli. 24. 5. *ego ex ore Altiſſimi prodivi primogenita ante omnem Creaturam : ego feci in Cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, & ſicut nebula texi omnem*

1 Pſalm. 32. 6. Eccli. 41. 28.

2 Joann. 17. 24. *Ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante mundi conſtitutionem.*

3 Aug. Chryſ. Theoph. Baſil. Ambroſ. Mald. Bing. Cornel. alii paſſim.

mutu terram . . . . ab initio , & ante ſæcula creata ſum , & uſque ad futurum ſæculum non deſinam . . . . ego mater pulchræ dilectionis , & timoris , & agnitionis , & ſanctæ ſpei ; in me omnis gratia vitæ omnis , & veritatis , in me omnis ſpes vitæ , & virtutis . Quod geminum eſt illis , quæ verſ. 4. dicuntur , *in ipſo vita erat , & vita erat lux hominum .*

Platonici [1] , ut rerum omnium Creatorem indigitarent , nonnumquam voce *Logos* utebantur , quod iſthic uſurpatur , & quod rationem , aut verbum ſignificat . Stoici quoque [2] eodem utebantur contra Epicuræos , aſſerentes , omnia *ſine ratione* , & fortuito accidere , cum Stoici , atque Platonici aſſererent , a ratione , *Logos* , vel Sapientia Divina conſtituta fuiſſe . Philo [3] , qui Platonem diligentius legerat , atque inde plurimque doctrinam ſuam hauſerat , iiſdem utitur vocibus , Sapientiam , quæ univerſorum creationi præfuit , indigitaturus . Sed Platonici , Stoici , & Philo ipſe per hanc vocem *Logos* , vel per hanc rationem , Divinam eſſentiam aliquam , divinitati inferiorem intelligebant . S. Johannes oſtendit hoc in loco , non ſolum Verbum eſſe æternum , & ab initio in Deo ipſo fuiſſe , & univerſo creationis operi præfuiſſe , verum etiam & Deum eſſe , & Patri æqualem .

Hæ fundamentales æternitatis , Omnipotentiæ , & Divinitatis Verbi , & Sapientiæ Patris veritates , quæ adumbratæ quodammodo fuerant a Salomone in Proverbiis , ab Auctore Sapientiæ , a Jeſu filio Sirach , & a Platonicis , occurrunt etiam apud *Onkelos* Chaldaicæ Paraphraſis Auctorem , qui ab Hebræis , tamquam ſuperno lumine afflatus Scriptor habetur . Ut plurimum ubi invenit nomen *Jehovah* , illud reddit *Memar Adonai* , Verbum Dei ; unde crediderunt nonnulli , ipſum Sanctiſſimam Trinitatem cognoviſſe . *Jehovah* , vel *Adonai* Patrem ſignificat , *Memar* Verbum , vel Filium , & *Schekina* , quod Dei præſentiam ſignificat , Spiritum Sanctum . Neque uno , vel altero ſeorſim in loco hanc adhibet diſtinctionem , ſed in plurimis locis invenitur [4] . Non affirmaverim tamen , vel illum , vel Judæos diſtincte Trinitatem agnoviſſe ; & qui Auctoribus illis ſtuduerunt , fatentur , illos numquam de ea diſtinctam ideam concepiſſe . Hujus myſterii revelatio Chriſtianæ religionis eſt prærogativa ; illud nobis JESUS CHRISTUS aperuit , ipſe nobis diſtincte Patris , Verbi , & Spiritus Sancti divinitatem oſtendit ; atque inter Sacros Auctores S. Johannes Evangeliſta de eadem magis perſpicue , atque explicite verba fecit ; neque inde Eccleſia quidem in Conciliis , & Patres in ſcriptis ſuis præſtantiſſimarum harum veritatum argumenta deſumpſerunt .

S. hic Evangeliſta [5] ſuum ſcripſit Evangelium , ut illud Cerinthi [6] , & Ebionis [7] hæreſibus opponeret , qui tunc Filii Divinitatem negantes , Eccleſiam miſis modis vexabant . Gnoſtici [8] , qui aliquanto poſt inſurrexerunt , aſſerebant , ex priori ſubſtantia , vel Ente primo prodiiſſe poſt aliquot ſæcula *Nous* , vel Intelligentiam ; ex Intelligentia Primogenitum , ex Primogenito *Logos* , aut Verbum . S. Johannes , ſi attentius inſpiciatur , in primis capitis hujus verſiculis evertit Judæorum errores , JESUM Meſſiam eſſe negantium ; Platonicorum , & Stoicorum , Verbum quidem , apud Deo inferius , credentium ; Epicuræorum , omnia fortuito accidiſſe putantium ; Cerinthiorum , & Ebionitarum Verbi divinitatem tollentium , Gnoſticorum alia aſſerentium principia ante ipſum jampridem extitiſſe ; ac tandem Arianorum , & Socinianorum , qui mox prodierunt , JESU CHRISTI Divinitatem , ejuſque cum Patre ſuo conſubſtantialitatem minime confitentium .

VERBUM ERAT APUD DEUM .] Hoc eſt *cum Deo* , vel *in Deo* ; nam *apud* [9] , ſæpius pro *in* uſurpatur . Per hæc verba , a Patre diſtinguitur Verbum , veluti perſona diverſa , eodemque tempore intrinſeca illius unio , atque perfecta poteſtatis cum Patre æqualitas ſignificatur . Evangeliſta eodem in ſenſu inferius ℣. 18. ait , Filium eſſe in ſinu Patris ſui : *Unigenitus , qui eſt in ſinu Patris .*

ET DEUS ERAT VERBUM .] Platonici , atque hæretici agnoſcebant quidem in Deo Verbum , ſed Verbum hoc Deum eſſe , negabant ; quorum errorum S. Johannes explodit . Verbum igitur Deus eſt de Deo , lumen ex lumine , Patri conſubſtantiale . Evangeliſta paucis hiſce verbis , *in principio erat Verbum , & Verbum erat apud Deum , & Deus erat Verbum* , tria nobis præſtantiſſima detexit myſteria , Verbi Æternitatem , Verbi Generationem , Verbi Divinitatem [10] .

℣. 2. HOC ERAT IN PRINCIPIO APUD DEUM .] Ne quis crederet , Verbum in Deo eſſe per accidens , & dumtaxat ex aliquo tempore : ita ut Pater genuerit quidem Verbum ante omnia creata , non autem ab æterno , quemadmodum comminiſcebantur Ariani ; urget Evangeliſta , & ait , Verbum eſſe in Deo ab initio ; paucis , ipſum eſſe Patri coæternum , non eſſe Deum a Patre diverſum , ſed dumtaxat aliam a Patre perſonam [11] . Photinus [12] primi , ſecundique verſiculi textum ita interpungebat : *in principio erat Verbum , & Verbum erat apud Deum , & Deus erat : Verbum hoc erat in principio apud Deum .*

℣. 3. OMNIA PER IPSUM FACTA SUNT .] Entium quorumcumque viſibilium , & inviſibilium creatio opus eſt totius Sanctiſſimæ Trinitatis : ſed Scriptura [13] illud , ut plurimum tribuit Verbo , quod Sapientia , Ratio , Intelligentia , quæ Filio propria ſunt , eo in opere præſertim effulgent . Et ſane Creaturæ quælibet nonne per Verbum , per *Fiat* Omnipotentis productæ ſunt ? *inter divinum Deum , & factam Creaturam , quid eſt , per quod factum eſt , niſi Verbum , per quod Deus dixit ; & factum eſt* [14] ? Hoc opponitur errori Epicuræorum , qui fortuito Entia omnia creata fuiſſe arbitrabantur ; & ſententiæ Cerinthi [15] , ea omnia accepta referentis virtuti prorſus remotæ , & ſeparatæ a priori principio , quod ſuper cætera omnia poſitum eſt : *non a primo Deo factum eſſe Mundum , ſed a virtute quadam valde ſeparata ab ea principalitate , quæ eſt ſuper univerſa .* Philo Judæus lib. de Monarch. de Creatione eodem pacto loquutus eſt , ac S. Johannes , licet non eamdem de Patris Verbo , ac S. Johannes , ideam habuerit . Hic credit Verbum vere Deum , & Patri conſubſtantialem . Philo ubiſive eum Deum vocat [16] , eique creationem attribuit , tamquam inſtrumento , quo uſus eſt Deus [17] .

ET SINE IPSO FACTUM EST NIHIL , QUOD FACTUM EST .] Bifariam hic verſiculus interpungitur , priorem rationem in textu adnotavimus : altera vero hunc cum ſequen-

1 Vide Platon. in Timæo , & Epinomide . Vide notas Gallicas Clerici in hunc locum , & ejus animadverſiones Latinas in 18. priores hujus capitis verſiculos.
2 Laert. lib. 7. Tertull. Apolog. cap. 21. Cleric. loco citato.
3 Vide Philon. de opificio Mundi p. 5. & lib. 2. de allegor. p. 71. Quis Rerum divinar. hæreſ. & lib. de ſomniis , & alibi ſæpius . Vide Cleric. Animadverſ. in cap. 1. Joan.
4 Vide Geneſ. 3. 9. 6. 6. & paſſim Grot. hic . יהוה Deus. מימר *Verbum* . שכינה *Præſentia* .
5 Vide Hieronym. lib. de Scriptorib. Eccleſ. et Proœm. in Matth. et Iren. lib. 3. cap. 11.
6 Vide Iren. lib. 1. c. 25. Tertull. de præſcript.
7 Epiph. hæreſ. 30. Iren. lib. 3. cap. 11.
8 Epiphan. hæreſ. 26. 27. S. Irenæus lib. 3. cap. 11. ait etiam , S. Joannem Gnoſticos reſpexiſſe , Evangelium ſuum ſcribentem : at Gnoſtici ſtricte accepti non emerſerunt niſi imperante Adriano , aliquamdiu poſt S. Joannis obitum .
9 Πρὸς τὸ Θεόν . Vide 1. Joan. 1. 2. infra 17. 5. Rom. 15. 30. 1. Cor. 12. 6. &c.
10 Vide Brug. Maldonat. Cornel. Grot. alios.
11 Vide Hilar. lib. 2. de Trinit. Brug. Maldonat. alios.
12 Vide Ambroſ. Hilar. Diuc. Auguſt. apud Mill. hic , & Prolog. 829.
13 Vide Pſalm. 32. 6. Prov. 8. 30. Eccli. 24. 5. 6. Sap. 9. 1. 2. Col. 1. 16. Heb. 2.
14 Auguſt. hic.
15 Vide apud Iren. lib. 1. cap. 25. et lib. 3. cap. 11.
16 Philo. l. de ſomniis p. 465.
17 Idem de Cherubim p. 100.

ſequenti verſiculo connectens ita legit; ſine ipſo factum eſt nihil. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*. Utraque lectio ab antiquis Patribus, atque cum Græcis, tum Latinis, cum typis editis, tum MSS. exemplaribus probatur, & utraque optimum adſtruit ſenſum. Prior magis naturalis [1] videtur, & illi hic ſenſus adſtruitur.

Non ſolum Deus eſt univerſorum Creator, & Verbum illius eſſentiam, atque formam Cœlo terriſque impertitus eſt; verum produxit etiam quælibet Entia peculiariter ab imis uſque ad ſumma. Nihil eorum, quæ exiſtunt, ſine illo productum eſt. S. Johannes hoc in loco funditus falſiſſimam Epicuræorum ſententiam ſubvertit, aſſerentium, in Mundo plurima eſſe perturbata, plurima moleſta, nocua, virulenta, inutilia, pernicioſa, ideoque fidei minime conſonum, a ſuprema Sapientia, atque omnipotenti manu fuiſſe profecta [2]. Philo [3] objectiones has adeo ſolidas credidit, ut cenſuerit fatendum eſſe, virulenta animalia a Providentia divinitus inſtituta non fuiſſe, ſed ſimplices eſſe ſuarum productionum effectus, non ſecus ac monſtra nequaquam ſunt effectus naturales, ſed entia ex ſecundarum cauſarum coaleſcentium, atque contra primam Creatoris mentem agentium, unione producta. Hoc ipſum dicitur de inſectis quibuſdam, quæ ex putri oriri dicuntur. Hæc veterum Philoſophorum erat ſententia. Sententia vero recentiorum, qui Entium quorumcumque inſtitutionem cauſis directis, atque cunctantibus tribuunt, multo magis cum ratione, & cum Scripturarum ſententia congruere videtur.

Qui textum ita legunt [4], *ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in ipſo erat*; ita intelligunt; quod factum, & creatum fuit per Verbum, erat in ipſo intellectuali quodam pacto, & in mente, atque æterna ratione illius quodammodo vivebat. Hæc omnia vivebant in mente Dei; quo in ſenſu Entia quælibet realia ſunt Æterna, quoniam Verbum indeſinenter illa cognovit, ac vidit in ſemetipſo, quemadmodum S. Auguſtinus, & plerique Theologorum intelligunt. Aliter vero id intelligit S. Cyrillus Alexandrinus: quidquid exiſtit, & quidquid creatum eſt, eſſentiam, vitam, exiſtentiam per Verbum obtinuit, & Verbum hoc tuetur, & animat entia quælibet eo in ſtatu, in quo verſantur.

℣. 4. IN IPSO VITA ERAT, ET VITA ERAT LUX HOMINUM.] In Verbo vita erat, & lux, quæ hominis oculorum, & mentis aciem acuunt, ut terrena ſimul, atque æterna videant, erant in ipſo a principio, & antequam aliquid crearetur [5], ſed poſt Verbi Incarnationem, & poſtquam præcipue JESUS CHRISTUS ſe ſe manifeſtavit, *vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Quibus verbis S. Johannes in 1. ep. 1. 2. ſeipſum explicat. Salvator in Evangelio 14. 6. aſſerit, ſe viam eſſe, veritatem, & vitam; ſe reſurrectionem eſſe, & vitam Joan. 11. 25. ſe mundi lumen Jo. 1. 8. & 8. 12. quod omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat Jo. 1. 9. quod ipſe eſt, ſemper etiam fuit; ab æterno eſt vita, & lux hominis; ſed hæc ſe ſe in tempore dumtaxat manifeſtavit [6]. Gloriabantur Philoſophi, ſe mentes illuminare, & beatitudinis, ac veritatis viam oſtendere. Evangeliſta illis probat hoc in loco, commentitiam hanc eorum lucem tenebras eſſe; lumen omne a Verbo emanare; in ipſo uno vitam eſſe, veramque felicitatem.

℣. 5. LUX IN TENEBRIS LUCET, ET TENEBRÆ EAM NON COMPREHENDERUNT.] S. Johannes de Verbo allegoricis vitæ, luciſque nominibus locutus, de hominibus iſthic figurato nomine verba facit, illos *tenebras* appellans [7]. Lumen, Verbum, Sapientia Æterna erat in ſinu Patris ab initio; ſe ſe prodidit in tempore, apparuit hominibus, qui tenebrarum caligine erant involuti, ſed tenebræ eum non comprehenderunt [8]: *dilexerunt magis tenebras, quam lucem* Jo. 3. 19. rebelles fuerunt Lumini, quod ipſis nuditatem ſuam oſtenderat; fregerunt ſpeculum, quod ipſorum detegerat turpitudinem, & ut ſimplicius dicam, perſecuti ſunt, atque occiderunt JESUM, qui erat eorum Vita, Salus, & Lumen. S. Johannes hæc ſcribebat poſt ſexaginta annos, ex quo JESUS obierat.

Mundus, homines flagitioſi, peccatum, in Scripturis ſæpe *tenebrarum* nomine indigitantur [9]. Dæmon vocatur *Princeps tenebrarum*, & auctoritas, qua impii abutuntur, *tenebrarum poteſtas*. S. Johannes inferius ℣. 10. ſeipſum explicat: *in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit*, & Zacharias apud S. Lucam 1. 79. ait, Salvatorem in mundum veniſſe *illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis*. S. Evangeliſta tenebrarum nomine omnes homines hic citra omnem exceptionem complectitur. Retundit hoc pacto incredulorum Judæorum audaciam, ſe lumine nequaquam indigere credentium, atque Ethnicorum Philoſophorum ſuperbiam, vulnus, atque cæcitatem ſuam confiteri abnuentium. Lux lucebat in Lege, & in Prophetis, Judæi vero illum non comprehenderunt; fulgebat illa undequaque in rebus creatis, eamque viderunt Philoſophi, quin eam illi tribuerent gloriam, quæ debebatur [10]. JESUS CHRISTUS vera Lux apparuit in mundo; ſed humilitas, & Crux illius utriſque ſcandalum [11] fuit; eamque recipere voluerunt: *non comprehenderunt*; vel potius cum Græco textu [12]: *non apprehenderunt*.

℣. 6. FUIT HOMO MISSUS A DEO, CUI NOMEN ERAT JOHANNES.] Hic incipit hiſtorica Evangeliſtæ narratio. Quæ præcedunt, quoddam ſunt veluti proœmium ad præparandas Lectorum mentes, ut facilius ea, quæ dicenda ſunt, aſſequantur. Johannes Baptiſta a Deo miſſus fuit in ſpiritu, & virtute Eliæ, ut JESU CHRISTO vias præpararet, ut Judæis pœnitentiam prædicaret, ut eos ad Dominum revocaret. Hic Sanctum hunc virum a Deo fuiſſe miſſum, ut illius auctoritatem commendet [13], atque ut teſtimonio ipſius illum omne tribuat pondus, quod neceſſarium eſt in legatione tanti momenti, & in qua tot illi adverſa occurrere debebant.

HIC VENIT IN TESTIMONIUM.] Venit Johannes Baptiſta, Verbi, Sapientiæ, Lucis Æternæ, Filii Dei adventum annunciaturus. Hæc lux erat alteri luci perhibens teſtimonium; Lux creata, Luci increatæ. Nemo melius Johanne Baptiſta hoc munere perfungi poterat. Irreprehenſibilis quippe teſtis erat, & ſanctitate ſua, & admirabili vitæ genere, & doctrinæ puritate, & nativitate, quam miraculoſus plurimorum ſignorum fulgor illuſtravit.

Filius Dei, qui *eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ*

---

1 Ita Græc. impreſſa. Χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. Ita Chryſoſtom. Theophyl. Euthym. Leontius Syr. Arab. Biblia Romæ correcta a Clem. VIII. 2 Vide Lucret. lib. 5. Cicero. Quæſt. Academic. q. 4. c. 38.

3 Vide Philon. de Provid. apud Euſeb. de Præparat. lib. 8. 14. et Cleric. hic.

4 Ita Clem. Alex. Pædag. l. 1. c. 9 Origen. lib. 3. in Joan. Theodot. in Epitom. Ambroſ. in Pſalm. 36. et alibi. Nyſſen. lib. 1. contra Eunom. Cyrill. Nazianz. Hilar. lib. 1. et 2. de Trinit. Auguſt. Victorin. Bibl. Sixti V. Ita et Eunomiani, et Macedoniani apud Chryſoſt. Vide Mill. Var. Lect. et Prologom. Tertullian. paſſim, et Theophylact. ad Autolyc. omittunt: *Quod factum eſt*. Alii ut Nyſſen. lib. contra Eunom. et Epiphan. Anchorat. n. 75. ſic legunt: *Quod factum eſt in ipſo. Vita erat, & vita lux hominum*. Quod merito improbat. Auguſt. l. 5. de Geneſi ad Litt. c. 14. Plures legunt: *Quod factum eſt ipſo vita eſt*. Ita Ambroſ. Orig. Aug. Hilar.

5 Auguſt. hic. alii fere quotquot ita legunt. 6 Vide Chryſoſtom. Theophylact. hic. Ammon. in Catena alios paſſim. 7 Clem. Alex. exhort. ad gentes. Maldonat. Grot. &c.

8 Auguſt. Euthym. Maldon. Grot. Brug. alii. 9 Vide Epheſ. 5. 8. 2. 6. 12. Coloſſ. 1. 13. 1. Petr. 2. 9. Luc. 11. 35. 22. 53. 10 Rom. 1. 21. 11 1. Cor. 1. 23.

12 Οὐ κατέλαβεν. 13 Vide Chryſoſtom. Theophylact. Brug. alii.

ria ejus Hebr. 1. 3. *& candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula Dei Majeſtatis, & imago bonitatis illius*, Sap. 7. 26. *qui inhabitat lucem inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt* 1. Tim. 6. 16. dignatus eſt, ſe ad nos uſque dimittere, atque infirmitati noſtræ accommodare, ſe cum noſtra natura conjungens, & noſtram carnem induens. Ut homines præpararentur ad credendum ſublime adeo myſterium, atque adeo ſuper caput hominis poſitum, minime requirebatur minus teſtimonium, quam S. Johannis Baptiſtæ, donec ipſe Jesus per doctrinam, atque miracula præcurſoris ſui teſtimonium confirmaret.

Ut omnes crederent per illum.] Scilicet ut per Johannis teſtimonium, & prædicationem crederent in Jesum Christum. In Græci Autographi verbis [1] non deeſt æquivocum: verti poteſt, *ut omnes crederent per illum*, per Lucem, per Jesum Christum; vel *ut omnes crederent per illum*, per Johannem Baptiſtam, qui poſterior ſenſus melior eſt, atque probatur.

℣. 8. Non erat ille Lux.] Johannes Baptiſta non erat lux, ſed Lucis præco. Tot in illo virtutes enituerunt, ut in pluribus Meſſias habitus fuerit: non erat lumen; cumque honor hic illi deferretur, ipſe illum abjecit: *& confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus* Jo. 1. 20. Johannes quidem erat lucerna ardens, & illuminans Jo. 5. 35. ſed lucebat ex eo ſplendore, quem aliunde mutuabatur; ipſe quoque uti cæteri illuſtratus erat hac luce, quæ omnes homines illuminat, Joan. 1. 9.

℣. 9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.] Jesus erat vera Lux Mundi, Lux increata, æterna, eſſentialis, & omnis Lucis origo: per illam omnes homines illuminantur, non ſecus ac Luna, atque Planetæ Solis luce irradiati refulgent [2]. Sancti ipſi, qui magis illuſtrari videntur, ideo lucent, quod ex primo hoc omnis claritatis fonte lucem mutuantur [3]. Quicumque ad hanc lucem accedit, illuminatur [4]; qui ſponte in tenebris permanent, qui non aperiunt oculos ſuos, ut hunc juſtitiæ Solem pro malis æque, ac pro bonis orientem intueantur [5]?

Reor ita eſſe vertendum, *erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem veniens in hunc Mundum*, nam Jesus, qui erat Lux vera omnem hominem illuminans, in hunc Mundum venerat. Quæ ſequuntur, huic verſioni ſuffragantur: *in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt &c.*

Græcus alium poteſt ſenſum admittere [6]: *Erat lux vera, quæ veniens in mundum illuminat omnem hominem*. Profecto Jesus Christus in mundum venit, fidei luce, non Judæos ſolum, verum etiam Ethnicos, barbaros, alienigenas, verbo, omnes homines illuminaturus: *Ego Lux in mundum veni: ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat* Juan. 12. 46. Falſo, atque injuſta Philoſophi ſcientiarum ſuarum honorem ſibimet tribuerunt: quidquid enim ſcientiæ, aut ſapientiæ, vel naturalis, vel acquiſitæ in ipſis erat; illud qualecumque fuit, a Deo acceperunt. Ipſe eſt Pater luminum, & fulgor æternus in omnibus cordibus lucens. Ex quo Jesus Christus in terris apparuit, ex illo mutuari debemus quamlibet cognitionem, quæ ad æternitatem conducat. Ipſe unus via eſt, veritas, & vita [7]: ſine illo non aliud ſumus, quam tenebræ, error, infirmitas, ubi de ſalutis noſtræ negotio agatur.

℣. 10. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est.] Verbum, vel Lux, vel Sapientia Patris (hæc enim omnia unum, & idem ſunt) ab initio erat in mundo, atque præſentiæ ſuæ in omnibus operibus ſuis monumenta reliquit [8]. Cœli, Sol, ſydera, tellus, omnia entia ſenſibilia illius præſentiam enarrant [9]: ſed mundus illum cognovit; vel ſi cognovit, minime glorificavit: *qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*.

Poſt Incarnationem ſuam viſibili modo in terris apparuit, ibique plurimorum miraculorum fulgore enituit, atque admirabilem doctrinam prædicavit. Sed homines illum aſpernati ſunt. Judæi, quorum multis ante ſæculis vota erant, ne aliquando Liberatorem ſuum obtinerent, illi terga verterunt, ubi apud ipſos apparuit; obſtruxerunt oculos, ne viderent tot ſigna, quæ miſſionis, atque divinitatis ſuæ illis certiſſima tradidit. Doctrina, quam illis prædicavit, ipſos eouſque irritavit, ut illum turpiſſima morte tollendum cenſuerint. Ethnici vero, qui jampridem in tenebrarum ſqualore gemebant, & qui operiri tantummodo videbantur ortum hujus Solis Juſtitiæ, ut ad illius lumen accurrerent, in illud rebellaſſe ſe oſtenderunt, ſtatim ac ipſis illuxit, atque perſecuti ſunt eos, a quibus ſibi ſalutis ſuæ, atque felicitatis Evangelium nuntiabatur [10]: *& mundus eum non cognovit*.

℣. 11. In propria venit [11], et sui eum non receperunt.] Hoc Judæos præſertim reſpicit [12]: venit Jesus Christus ad eos, tamquam in domum ſuam, hæreditatem ſuam, Regnum ſuum: ſed Judæi illum non receperunt. Loquitur de Judæis generatim, & de potiſſima nationis parte, quæ Jesu Christo minime adhæſit, immo illum ad mortem uſque perſecuta eſt. Explicari etiam poteſt de univerſis hominibus [13]. Mundus univerſus erat opus Verbi, Templum illius, & domus ipſius; non deerat ſperandi locus, quin ibi tamquam domi ſuæ reciperetur: attamen illuc acceſſit, illic apparuit, & ſervi illius eum abjecerunt. Sed ea decurſu innoteſcet, cum reſtrictione quadam intelligenda eſſe hæc verba, quæ generalia videntur. Non defuerunt quidem Judæi, & Gentiles, at perpauci, qui Dominum reciperent, ac fidem illius amplecterentur.

Salomon in Proverbiis nobis exhibet Sapientiam veluti Altiſſimi filiam ab æterno exiſtentem, & quodammodo opem ferentem Domino in mundi creatione occupato, atque delicias ſuas collocantem in hoc, ut inter filios hominum permaneat [14]. Jeſus filius Sirach [15], Auctor Eccleſiaſtici explicite magis adhuc ait, Sapientiam de ore Altiſſimi prodeuntem, ubi Creata qualibet, atque Regna mundi luſtravit, tandem ſubſtitiſſe in Iſrael, ibique ſuam ſedem conſtituiſſe. Baruch c. 3. 38. ait, Dominum omnia ſcientiæ, atque cognitionis Auctorem Iſraelitis omnia adinventa, & ſecreta ſua communicaſſe, ac tandem in terris viſum eſſe, & cum hominibus eſſe converſatum. Denique Auctor Sapientiæ [16], ubi magnificum Sapientiæ elogium contexuit, ait, illam animabus Juſtis ſe ſe communicare, atque Prophetas conſtituere. Teſtatur, ſe ab initio pulchritudine illius illectum fuiſſe, atque concupiiſſe illam ſibi Sponſam aſſumere, ac tandem illam a Deo ex toto corde petiiſſe, dicentem: *da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam .... ut mecum ſit, & mecum laboret &c.*

Omnes hæ loquendi rationes adeo communes, & antiquæ apud Hebræos jampridem illos diſponebant, ut intel-

1 Πιστεύσωσι δι' αὐτοῦ. 2 Origen. Ammon. Cyrill.
3 Vide Aug. hic, & lib. de peccat. meritis c. 25. & Enchirid. 4 Joan. 3. 19. 20 21. et 12. 35. 36.
5 Chryſoſtom. Cyrill. Theophylact. Euthym. 6 Ἦν τὸ φῶς ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Vide Grot. Cleric. Hamm. Vat. Brug. Vide Auguſt. lib. 1. de peccatorum merit. c. 25.
7 Joan. 14. 6. 8 Origen. homil. 2. in diverſ. Chryſoſtom. hom. 7. Auguſt. in Joan. Tract. 2. Cyrill. lib. 1. in Joan. Beda, Theophylact. Euthym. Rup. Maldonat. &c.
9 Rom. 1. 20. 21. 10 Maldonat. Grot. Tir. Cleric.
11 Εἰς τὰ ἴδια. In ſua. Ad ſuos. In domum propriam. Vide Joan. 18. 32. Act. 21. 6.
12 Cyrill. Chryſoſtom. Auguſt. Beda, Rupert. Theophylact. Euthym. Brug. Maldonat. alii.
13 Clem. Alex. lib. 7. Stromat. Iren. lib. 3. cap. 11. Maldonat. Grot. Bing. alii.
14 Prov. 8. 30 31. 15 Eccli. 24. 5. 6. 14. 15. & ſeq.
16 Sap. 7. 24 25. & ſeq. 8. 1. 2. 3. et ſequ. 9. 1. 3. 4.

intelligerent ſublimes has veritates, quæ a S. Johanne in hoc Evangelio deteguntur. Mens eorum prorſus præparata erat, ut videret in regione, ac ratione ſua procreatam Sapientiam, & Verbum Carnem factum, vivens, ac verſans inter homines, illos erudiens, illiſque divina ſua lumina communicans. Inutile eſt ad Platonicorum ſententias confugere, ut Evangeliſtæ verba explicemus, atque mentem illius aſſequamur. Divinus hic Scriptor in Patria ſua, atque in Sacris auctoribus inveniebat loquendi modos, traditiones, promiſſiones iis conformes, quæ ſibi de Perſona, atque Incarnatione Jesu Christi erant explorata. Nihil in S. Johanne occurrit, quod teſtari poſſit, ab illo, vel Platonem, vel Prophanos auctores lectos fuiſſe: quos etiamſi legiſſet, ibi profecto ea non inveniſſet, quæ in ſuo docet Evangelio.

℣. 12. Quotquot autem receperunt eum.] Judæi gloriabantur, ſe ſolos eſſe Dei Filios [1], ſolos promiſſionum ejus hæredes; alias nationes contemnebant, eaſque tamquam inviſum atque maledictum genus putabant. S. Johannes illis hic ait, Dei Filium in terras venientem conceſſiſſe jus adoptionis, & gratiam, qua ſi uterentur, fieri poſſent filii Dei [2], quicumque in illum crederent, illum Deum confiterentur, nulla excepta gente, conditione, ætate, ſexu, qualitate. Omnes homines ad Deum ſpectant, & quicumque Deo præſtat, quod illi debetur, meretur, ut a Deo tamquam filius habeatur [3]: non eſt perſonarum acceptator Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.

Quod ea, quæ ait, Filium Dei iis, qui credunt in nomen ſuum, *dediſſe poteſtatem Filios Dei fieri*, nomine *poteſtatis* intelligendum eſt jus, quo Filii Dei appellari poſſint [4]. Per fidem jam ſunt filii Dei; adoptionem filiorum aſſequuntur: ſed ut filii ſint Dei in ſenſu perfecto, unum dumtaxat illis deeſt, hoc eſt Charitas, qua fides animetur; cui adde bona opera, quæ illam concomitentur, & ſine quibus pervenire non poſſunt ad beatitudinem, quæ adoptionis, & filiationis finis eſt, & conſummatio [5]; *quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, illos & glorificavit*. Rom. 8. 30.

℣. 13. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis &c.] Adoptionis jus tribuit omnibus credentibus in ſe, nulla ſanguinis habita ratione; *non ex ſanguinibus*; ſive ex ſemine Abrahami ſint, ſive ſecus; circumciſi, vel Gentiles, omnes illi iidem ſunt. Adoptio hæc carnali amori minime innititur, quemadmodum homo quidam filium ſibi eligit propter corporis formam, & agendi venuſtatem; neque ea eſt conjunctio illi ſimilis, qua duo ſimul, alter alteri conjugii vinculis irretiti adhæreſcunt [6], *neque ex voluntate Carnis*. Non conſulit Deus, vel carnem, vel Sanguinem, vel hominum merita; in ſeipſo cauſam nactus eſt, qua impulſus nos filiorum ſuorum numero adſcripſit. Ex mera largitate hanc nobis gratiam conceſſit [7].

Hæc non eſt filiatio, hominum voluntati innixa; videlicet adoptio ſimilis illi, qua Jacob adoptavit Ephraim, & Manaſſe Gen. 48. 5. vel qua Moyſes a Pharaonis Filia fuit adoptatus Exod. 2. 10. Hujuſmodi favores omnino arbitrarii ſunt, & iis, qui illos recipiunt, ad ſummum hoc tribuunt jus, ut temporalem hæreditatem depoſcant. Qualitas filii Dei, quam per mortem ſuam nobis Jesus Christus promeruit, nobis jus contulit ad æternam felicitatem, atque nos extulit ad eum gloriæ apicem, qui toto Cœlo quidquid majori in pretio mundus habet, excedit. Dei voluntati innititur: *ſed ex Deo nati ſunt*. Ipſe unus ex miſericordia omnino gratuita nos appellat, nos eligit, nos juſtificat, nos gloria cumulat Rom. 8. 30. Per hanc adoptionem fidei lumine nos illuſtrat, baptiſmate regenerat, nobiſque Charitatem, atque æternam beatitudinem elargitur; quæ beneficia non a Carne, non a ſanguine, non ab hominibus umquam poſſumus obtinere.

Hic quoque ſenſus poteſt appingi: triplici via in fœdus Iſrael atque filiationem Abraham ingredimur. Prior eſt via *ſanguinis*, cum ex Patre, atque Matre Iſraelitis nativitatem haurimus; vel *ex voluntate carnis*, cum Hebræus alienigenam bello captam uxorem aſſumit; vel denique [8] cum Ethnicus religionem ſuam abdicans in Judæorum ſacra pertranſit, atque circumciſionem, & baptiſmum recipit: quæ vocari poteſt electio, vel *viri voluntas*. Sed in fœdus, de quo verba facimus, nulla ex tribus his viis nos deducit.

℣. 14. Et Verbum caro factum est.] Ut nobis cederet honos, & facultas, qua Dei filii fieri poſſemus; Verbum Divinum Caro factum eſt, factum eſt nobis ſimile, ut nos illi ſimiles fieremus [9]; noſtras infirmitates aſſumpſit; ſcelerum noſtrorum pondus ſubiit, ut nobis vim, valetudinem, atque innocentiam conferret; factum eſt Filius hominis, ut nos fieremus filii Dei. Caro ſæpius pro homine uſurpatur [10]; *Verbum caro factum eſt*, pro, verbum homo factum eſt.

Neque ideo credideris, divinitatem hominem vel Carnem factum, neque Carnem, aut hominem factum Deum. Hæc duarum naturarum conjunctio Ineffabilis in una tantum perſona contigit citra commixtionem, & confuſionem. Humanitas, atque divinitas jura ſua mutuo ſervarunt, quin eorum aliquid imminueretur; Ita ut Scriptura modo ſecundum humanitatem, modo ſecundum Divinitatem de Jesu Christo loquatur; modo illum perpendat veluti hominem Deum, atque in perſona Divina ſua, & ſub exteriori hominis ſpecie complectentem ſimul omnem Divinitatis plenitudinem: *in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Coloſſ. 2. 9. Divinitas non fuit in ipſo, animæ loco, quemadmodum Ariani nonnulli [11] crediderunt. Aſſumpſit enim omnem humanitatem, Carnem ſimul, & animam, quarum alterutra ſine altera hominem minime conſtituit: Jesus enim factus eſt homo. Evangeliſta hoc in loco confutat Simonianos, & Cerinthianos, Jesu Christi divinitatem negantes, & illum mere hominem fuiſſe tenentes. Oſtendit, illum fuiſſe ſimul & vere Deum, & vere hominem, atque in una tantum perſona utramque conjunxiſſe naturam.

Et habitavit in nobis.] Non ſomnium, neque viſionem aliquam vobis annuntio. Verbum Æternum, & conſubſtantiale Patri noſtram induit naturam, nos illud vidimus, nos illud audivimus, nos cum illo collocuti ſumus; inter nos illud verſatum eſt [12]. Hoc ipſum idem Evangeliſta in prima epiſtolarum ſuarum docet explicite: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ . . . annuntiamus vobis*. 1. Joan. 1. 1. 2.

Alii [13] ita intelligunt: Verbum caro factum eſt, *& habitavit in nobis*, in corpore materiali, quale noſtra ſunt, noſtramque induit naturam. Factum eſt ſimile nobis, mortale uti nos, ſed ſine peccato, & concupiſcentia [14]. Græcus ad litteram [15]: *tetendit*

ten-

1 Exod. 4. 22. Deut. 32. 6. Oſee 1. 10. &c.
2 Chryſoſt. homil. 9. Cyrill. lib. 1. c. 13. Beda. Theophyl. Euthym. Mald. Brug. Grot.
3 Act. 10. 34. Vide etiam Rom. 10. 11. 12. & Gal. 3. 28.
4 Vide Grot. hic. 5 Vide Mald. Men. Vide Auguſt. Bedam, Euthym. Theophyl.
6 Vide Auguſt. Theophyl. Brug. alios. 7 Vide Rom. 9. 15. 16. 13.
8 Deut. 21. 11. 9 Chryſoſt. homil. 10. Theophyl. hic.
10 Geneſ. 6. 12. Pſal. 64. 2. Iſai. 40. 5. 6. 49. 26. 66. &c. Vide Auguſt. Mald. Grot. Brug.
11 Athanaſ. Dialog. de Trinit. Aug. & Philaſtr. de hæreſ. Vide Mald. hic. 12 Aug. Tract. 2.
13 Hilar. lib. 10. de Trinit. Cyrill. Chryſoſt. Theophyl. Ambroſ. lib. de Incarnat. Dominic. Sacram. c. 6. n. 59. 14 Hebr. 4. 15. *Tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.*
15 Καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Vide Bez. Eraſm. Brug. Mald.

tentorium ſuum inter nos, vel permanſit apud nos, tamquam in tabernaculo, tamquam hoſpes, & parvo temporis intervallo. In Scripturis Corpus nonnunquam tentorium, vel tabernaculum appellatur [1]: *velox eſt depoſitio tabernaculi hujus*, ajebat S. Petrus, de morte ſua verba faciens; tabernaculum hoc brevi eſt evertendum.

VIDIMUS GLORIAM EJUS, GLORIAM QUASI UNIGENITI A PATRE.] Tot licet eſſent labores, & ærumnæ illius, ac in hujus ſtatus humilitate, atque caligine verſaretur, ad quem per Incarnationem ſeipſum redegerat; illum tamen gloriæ ſuæ luce circumdatum vidimus, ſed gloriæ, quæ omnino ſupernaturalis erat, atque divina, qualis unigenitum Patris maxime decebat. Non loquor de prodigiis, quæ nativitatem illius præceſſerunt, concomitata, & ſubſecuta ſunt: pleraque enim non adeo publica, atque nota fuerunt, & quorum nos Apoſtoli teſtes non fuimus; loquor autem de miraculis, quæ & in prædicatione ſua, & in glorioſa transfiguratione [2], & in baptiſmate, & in Reſurrectione demum, ac Aſcenſione illius contigerunt. Hæc minime ſunt obſcura, incerta, remota, ſed publica, atque nitentia; habueruntque ſpectatores viros complurimos fide digniſſimos: peracta ſunt in luce totius Judææ, & meipſum teſtem accerſere poſſum eorum, quæ maxime inaudita ſunt, & quæ extra fidem poſita videntur. Hæc omnia confirmat ſuperius dictum, Verbum ſcilicet, quod Carnem aſſumpſerat, fuiſſe Deum [3].

GLORIAM QUASI UNIGENITI.] Prophetæ quidem miracula operati ſunt, Moyſes, Samuel, Salomon, aliique complures coram Deo & hominibus gloria cumulati fuerunt: ſed gloria eorum non erat *quaſi Unigeniti a Patre* [4]; eorum miracula probabant ſolum ipſorum miſſionem, & ipſos viros eſſe Dei, atque Altiſſimi famulos, neque aliam ſibi gloriam illi quæſiverunt umquam. Sed JESUS CHRISTUS profeſſus eſt, ſe Patris Unigenitum, Deum de Deo, unum cum Patre, & Patri æqualem; neque probabat, hanc non eſſe rapinam [5] neque dignitatem, quæ ipſum minime deceret: *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*: complurima operatus eſt in terris miracula Deus, qui mendacium, ſuperbiam, ambitionem maxime horret; qui gloriæ ſuæ zelo ſuccenſus eſt [6], ita ut minime patiatur, creatum aliquid Dei dignitatem ſibi vendicare, favit JESU CHRISTO, qui hac ſe præditum qualitate profitebatur, eumque miraculis ſuis, atque inſigni ratione approbavit. Dedit vocem ſuam de ſummo Cœlo, atque Apoſtolis, & mortalibus omnibus, ut illum audirent, præcepit [7]. Explicite declaravit, hunc eſſe dilectum filium ſuum: *hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite*. Igitur JESUS CHRISTUS vere eſt Verbum Patris, lex, vita, veritas, verus Deus, tum ante, cum poſt Incarnationem ſuam. Hoc nullo modo labefactari poteſt.

Hæc locutio: *gloriam quaſi Unigeniti*, nequaquam intelligenda eſt, perinde ac non eſſet vere, ac realiter gloria, quæ debetur Unigenito, ſed gloria huic ſimilis. Particula *quaſi*, non ſimplicem innuit ſimilitudinem, ſed veritatem, atque certitudinem; quemadmodum omnes Interpretes animadvertunt [8]. Neque deſunt in omnibus Linguis hujuſmodi locutiones: dicimus ex. g. Principem aliquem loqui quaſi Regem; bonum virum quaſi hominem juſtum operari, & Prophetam quaſi verum Prophetam omnia prænoſcere.

A Nihil horum veritati officit, immo illam adauget, & quodammodo exaggerat collatione illius perſonæ, de qua loquimur, cum altera dignitatis ejuſdem. Quamquam fieri minime poſſit, ut plures ſint Dei filii, & Verbi Incarnati gloria comparari nequeat cum gloria alterius; attamen inſtituitur comparatio, ut illius major adſtruatur idea.

PLENUM GRATIÆ, ET VERITATIS [9].] Hoc referri poteſt ad ea: vidimus *illud plenum gratiæ*; vel ad ea, *Verbum Caro factum eſt plenum gratiæ &c.* quod nihil ſenſum immutat: *Dei Filius fuit plenus gratia*: Deo mire jucundus fuit, & fecit, ut nos in oculis illius gratiam inveniremus. *Plenus eſt veritatis*, eam prædicavit, & docuit. In illo promiſſiones Patris adimpletæ ſunt, in illo omnium prophetiarum veritas innotuit: B ipſe teſtis fidelis, & eſt verus Meſſias. *Lex per Moyſem data eſt*, quemadmodum Evangeliſta dicit ℣. 17. gratia & veritas per JESUM CHRISTUM *facta eſt*. In hoc autem Lex nova differt a veteri; Lex non efficiebat hominem Deo acceptum, per ſe gratiam non conferebat, & hominis perfectioni minime proderat [10]; erat ſervitutis, atque ſeveritatis refertiſſima, ſervos [11] reddebat, non filios, ad tempus tantum valitura. At JESUS CHRISTUS nobis gratiam & miſericordiam elargitur, nos Dei filios efficit. Lex promittebat mediatorem, & in figuris, atque umbris tantummodo poſita erat [12]: JESUS CHRISTUS nobis traditus eſt, atque in ipſo veritatem, atque rem obtinemus, & in C eodem promiſſionum complementum, figurarum finem [13], legis perfectionem intuemur. Jeſus eſt fons, unde gratia, & veritas emanant: *de plenitudine ejus omnes accepimus*. Samuel repletus fuit veritate [14]; Maria ſalutatur gratia plena Luc. 1. 28. Hoc eodem elogio S. Stephanus decoratur Act. 6. 8. Verum de nullo alio, niſi de Filio Dei dictum eſt, *plenum eſſe gratiæ & veritatis* Joan. 3. 34. nos de plenitudine ejus recipere; per ipſum factum eſſe gratiam, & veritatem, Ephes. 4. 7. Alii Sancti gratias in menſura obtinuerunt; eamque aliunde: JESUS CHRISTUS gratia repletus eſt; illam habet ex ſemetipſo; ipſe illius fons eſt, atque ut ita dicam, promus condus.

In Veteri Teſtamento *miſericordia, & veritas* [15], quæ æquivalent *gratiæ & veritati*, ſæpius occurrunt ad D innuendam Dei largitatem, qua nos prævertit, beneficia, quibus nos cumulat, & fidem, qua ſuas promiſſiones adimplet. *Fac mecum miſericordiam, & veritatem*, ſignificat: propitius me intuere, ne deneges mihi ſubſidium tuum, atque adimple promiſſionem eam, qua te mihi laturum opem recepiſti. *Ne avertas a me miſericordiam, & veritatem tuam*: ne percutias me in ira tua, ne revoces promiſſionem tuam, qua mihi opitulaturum ſpopondiſti, ubi ad te confugiſſem. Iſthic vero gratia, & veritas Dei miſericordiam ſignificant, qua nobiſcum eſt uſus, nobis ſuum filium tradens.

℣. 15. JOHANNES TESTIMONIUM PERHIBET DE IPSO.] Johannes miſſus ad pœnitentiam prædicandam, & vias Meſſiæ præparandas, incœpit huic prælatum E perhibens teſtimonium, & Judæis Regnum Cœlorum prope eſſe annuncians Matth. 3. 2. & dicens Joan. 1. 26. in medio eorum eum eſſe, quem tamdiu præſtolabantur; ſe non aliud eſſe, quam vocem, qua adventus illius nunciabatur [16]; eum, qui poſt ſe venturus erat, ſe majorem eſſe; ipſum ſponſum eſſe, ſe autem pronubum Joan. 3. 29. illum Dominum, ſe famulum; illum

---

1 2. Petr. 1. 14. Vide & 2. Cor. 5. 14. 2. Par. 1. 13.
2 Vide Matth. 17. 1. Luc. 9. 28. 2. Petr. 1. 17. 18.
3 Chryſoſt. Euthym. Grot. Mald.
4 Chryſoſt. Cyrill. Theophyl. Euthym.
5 Philipp. 2. 6.
6 Iſai. 42. 8.
7 Matth. 17. 5.
8 Auguſt. in Pſal. 125. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 18. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Maldon. Vall. Eraſm. Bez. Grot. Brug. Gloſſ. alii paſſim.
9 Græc. Πλήρης χάριτος, καὶ ἀληθείας, ſupple λόγος. Alii: Πλήρη χάριτος. Plenum in accuſativo ſectum e, *vidimus*. Vide S. Auguſt. Enchirid. lib. 1. c. 56. Hilar. l. 1. de Trinit. Fulg. non ſemel. Cantabrig. Syr. Æthiop.
10 Heb. 7. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex.*
11 Auguſt. Tract. 3. in Joan. n. 11. 14. 16. Vide 2. Cor. 3. 7. Galat. 4. 25.
12 1. Cor. 10. 6. 11. Vide Origen. & Theophyl. & Mald. & Grot. Ham.
13 Rom. 15. 8. Coloſſ. 2. 17. Heb. 10. 1.
14 1. Reg. 3. 20.
15 Vide Pſal. 24. 10. 35. 6. 39. 12. 137. 2. Oſee 2. 19. alibi;
16 Marc. 1. 3. Luc. 3. 4. Joan. 1. 23.

Digitized by Google

illum ante ſe factum, æternum eſſe, ſuper ſe poſitum; ſe vero ne dignum quidem, qui illius calceos deferat, Matth. 3. 2.

Hoc Jesu Christo teſtimonium perhibebat Johannes in deſerto; hoc ille dein ipſe (vel adeſſet, vel abeſſet) æque prædicabat. Primum quidem de eodem locutus eſt, tamquam poſt ſe venturo, ac ſeſe manifeſtaturo. Illum ex facie non noverat, neque antea ipſum viderat; ſed ubi vidit illum in populi turba venientem, ut baptizaretur: tunc vero Johannes ipſum agnovit, extulit vocem ſuam, cumque populo oſtendit: hic ille eſt ait, de quo locutus ſum vobis; *hic ante me factus eſt* [1], atque toto cœlo me ſuperior eſt. Hæc verba: *ante me factus eſt*, innuere poſſunt vel Æternitatem Verbi [2], quod ab initio erat apud Deum, vel auctoritatem, divinitatem, dignitatem Verbi, & Filii Dei, Meſſiæ, omnium populorum votis exoptati. Patres complures [3] poſtremum hunc ſenſum ſequuntur. S. Ambroſius: *prior me erat, Æternitatis eſt; ante me factus eſt, honoris*.

Quia prior me erat [4].] Hoc vel de temporis prioritate [5], vel de præſtantia dignitatis [6] explicatur. Exiſtebat ante me, erat in Patre ab Æterno, cum ego factus in tempore ſim. Vel mihi & dignitate, & auctoritate præſtabat: ille Deus erat, ego humilis homuncio; ille Dominus, ego ſervus; ille Liberator Iſrael, ego vox clamans, & illius adventum annuntians.

ỷ. 16. De plenitudine ejus omnes accepimus.] Veteres quidam [7] hæc verba Johanni Baptiſtæ tribuunt, veluti eorum, quæ ỷ. ſuperiori dicta ſunt, continuationem. Verum eadem a pleriſque [8] explicantur tamquam Evangeliſtæ verba: locutus de gratia, & veritate, qua repletum erat Verbum Caro factum, addit, de plenitudine illius nos accepiſſe, quidquid gratiæ lucis, & cognitionis in nobis eſt: Ipſum nobis tantumdem communicaſſe, quantum in re cenſuit *ſecundum menſuram donationis ſuæ*, Epheſ. 4. 7. Verum ipſum ſibi plenitudinem reſervaſſe [9], & Patrem omnia in illius poteſtatem poſuiſſe: ipſum eſſe *caput Corporis Eccleſiæ*, quemadmodum S. Paulus ad Coloſſ. 1. 18. ait: *qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens: quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare; & per eum reconciliare omnia in ipſum pacificans. Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, ad Coloſſ. 2. 9. Ille fidei, juſtificationis, adoptionis, gloriæ noſtræ auctor eſt: ille hæc omnia nobis ſuo ſanguine peperit, atque per gratiam ſuam opem tulit, ut vocationi ſuæ cooperaremur, illecebras ſuas ſequeremur, conſiliis ſuis obſecundaremus, dignos promiſſionibus nos præberemus, atque bonis operibus electionem noſtram confirmaremus [10]. Ipſe mortales omnes invitat, ut veniant ad ſe: fidei janua nationibus omnibus patet. *De plenitudine ejus omnes accepimus*.

S. Irenæus l. 3. c. 11. credit, Evangeliſtam hoc in loco voluiſſe convellere Cerinthianorum, & Nicolaitarum errorem, qui non ſecus ac Valentiniani deinceps, docebant, *pleroma*, vel plenitudinem omnia produxiſſe, immo & Christum eumdem, cum S. Spiritu [11]. Ad ridiculum hoc ſyſtema evertendum, S. Johannes hoc in loco ait, Jesum Christum eſſe ab Æterno, in Patris ſinu ſubſiſtere, & Deum eſſe æque ac Patrem: illum vero in tempore carnem induiſſe, & de illius *pleromate*, ſeu plenitudine nos accepiſſe, quidquid gratiæ, ac lucis in nos contulit Deus.

Et gratiam pro gratia.] Antequam Jesus Christus in terras deſcenderet, omnes homines naturali luce erant donati. Græci Philoſophiam habebant; Judæi Legem, atque Prophetas; quæ omnia mera erant Dei omnium honorum auctoris gratia. At poſtquam Verbum caro factum eſt, recentem inſtituit Deus gratiarum ſuarum diſtributionem, lumina fidei ſuæ nobis impertitus eſt, ſalutis, Evangelium omnibus hominibus annunciari voluit, omneſque terrarum populos ad fidem, & veritatis cognitionem invitavit. Ita ille *gratiam pro gratia* dedit: ſed altera gratia toto Cœlo major eſt, copioſior, atque præſtantior priore. Sequens verſiculus innuit, Evangeliſtam præcipue pro gratia priori Legem, pro altera Evangelium indigitare [12]. *Lex per Moyſem data eſt*, ait ille; *gratia, & veritas per JESUM CHRISTUM facta eſt*. Confer Rom. 1. 17. *Ex fide in fidem*. Judæi deducti ſunt *ex fide in fidem*, ex fide in Deum, & Moyſem, in Chriſtianam fidem, quam Jesus annunciavit.

Alii [13] ita intelligunt: Dei Filius Evangelii gratiam nobis conceſſit pro altera gratia; videlicet ut illum amemus, ei gratias agamus; pro tanto, atque adeo gratuito beneficio gratum ſaltem animum petit; hoc ille non ultra, a nobis exquirit. In hanc ſententiam ferme cedit Grotius, ubi vertit: omnes accepimus de plenitudine illius, & ex mera gratia, nos bonis ſuis largitate penitus gratuita cumulavit. Ligfoot: nobis hanc gratiam contulit, ut illam aliis communicaremus. *Gratiam pro Gratia*.

S. Auguſtinus [14], S. Bernardus Serm. 5. de Aſſumpt. Venerabilis Beda in hunc locum putant, ab Evangeliſta juſtificantem indigitari gratiam, quæ nos per fidem, & charitatem ſalvos facit, & gloriam, quæ inde in nos uberior emanat. Gratia, quæ nos juſtificat, prior eſt; gloria, qua Deus gratiam, atque donum ſuum coronat, eſt altera: *gratiam pro gratia*. Poſteriorem tamquam prioris remunerationem nobis concedit; *ſi enim fides gratia eſt, & vita æterna quaſi merces eſt fidei* S. Auguſtinus inquit, *vita æterna gratia eſt pro gratia*.

Maldonatus hic, & alii quidam poſt eum: inæquali ratione nobis ſuam gratiam diſtribuit, aliis hanc, aliis aliam, his magis, illis minus, *ſecundum menſuram donationis* Jesu Christi, 1. Cor. 7. 7. Alii [15]: *dedit nobis gratiam ſuper gratiam*; maximam omnium gratiarum copiam; nos refertiſſime bonis cumulavit; omnium generum beneficia largiſſime in nos effudit. Ex variis id genus explicationibus optio tibi relinquitur; mihi vero magis arridet ea ſententia, quæ de Evangelii gratia gratiæ legis oppoſita intelligit propter ea, quæ ſequuntur.

ỷ. 17. Lex per Moysem data est.] Ne jactitent ultra Judæi, Legem ſibi a Moyſe rogatam; poſt Jesu Christi adventum Leges cæremoniales ad nihilum proſunt. Lex Moyſis ſeveritas erat, & figura; religio Chriſtiana gratia eſt, & veritas [16]. Lex ab homine ſimplici nobis tradita fuit: gratia & veritas a fi-

1 Ἔμπροσθέν μου γέγονεν. 2 Quid, apud Chryſoſt. Epiph. Val. Vatab. Druſ.
3 Chryſoſt. hic. Aug. Tract. 3. in Joan. Ambroſ. lib. 3. de fide, cap. 5. Gregor. homil. 7. in Evang. Beda, Theophyl. Euthym. Rupert. Vide & Mald & Grot. & Ludov. de Dieu, &c.
4 Ὅτι πρῶτός μου ἦν. 5 Ita Perſ. Arab. Epiph. Aug. Tract. 3. Chryſoſt. homil. 12. Gregor. homil. 7. Beda. Theophyl. Euthym. Rupert. 6 Vide Mald. Pagn. Mont. Bez. Syr. Grot. Eraſm. alios plures.
7 Origen. Athanaſ. de Incarnat. Aug. hic. Theophyl. Rupert.
8 Mald. Ligfoot. Eraſm. alii paſſim. Vide Chryſoſt. homil. 13. & Cyrill. hic, &c.
9 Joan. 3. 34. *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad menſuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.* 10 2. Petr. 1. 10.
11 Vide Iren. lib. 1. c. 1. Tertull. adverſ. Valentin. c. 7. 8. 9. &c.
12 Ita Chryſoſt. Cyril. Leont. Theophyl. Euthym. Rupert. & Aug. in Pſal. 81.
13 Cleric. Animadverſ. in hunc loc. Vide & Grot. hic.
14 Aug. hic. & lib. de corrept. & gr. cap. 13. & lib. de gratia, & lib. arb. c. 8. &c.
15 Camer. Piſcat. Gatak. Dunæus, Muſcul. alii. Vide & Mald. & Brug.
16 Chryſoſt. Cyrill. Beda. Theophyl. &c. Heb. 10. 1.

a filio Dei allata [1]. Moyſes pollicebatur dumtaxat, quod a JESU CHRISTO adimpletum eſt. Hactenus Evangeliſta Salvatorem, Verbi, Lucis, Dei nominibus indigitavit: hic vero ex proprio nomine JESUM CHRISTUM vocat. Per hunc recipimus *gratiam*, vel miſericordiam prævenientem, & veritatem, vel effectus fidelitatis Dei, qua ſuas promiſſiones adimplet. Jeſus Chriſtus finis eſt & Prophetiarum & figurarum Veteris Teſtamenti.

℣. 18. DEUM NEMO VIDIT UMQUAM.] Judæi Legem ſuam jactitabant; S. Johannes illis apertiſſime oſtendit, hanc neque gratiam eſſe, neque veritatem; ſed figuram, atque ſeveritatem. Gloriabantur, Moyſem facie ad faciem vidiſſe Deum, & quoſdam afferebant locos, qui ſibi favere videbantur [2]: at S. Johannes probat, Deum a nullo homine umquam viſum, ideo neque a Moyſe; ſed Verbum Patris, JESUM CHRISTUM, Filium Dei hunc hominibus enarraſſe. Hæc quoque alia eſt prærogativa, quæ Salvatorem toto Cœlo ſuper Judæorum Legiſlatorem extollit.

Fruſtra ergo inquiunt Judæi: quid prodeſt JESU CHRISTI Evangelium? Nonne ſatis erat Lex Moyſis? *nos ſcimus, quia Moyſi loquutus eſt Deus; hunc autem (JESUM) neſcimus unde ſit*, Joan. 9. 29. Scimus, Legem a Moyſe nobis irrogatam, a Deo profectam eſſe; hoc ipſum de JESU CHRISTI Evangelio aſſerere non poſſumus. Evangeliſta reſpondit: JESUS CHRISTUS eſt Filius Dei, Verbum Patris, ex cujus plenitudine omnes homines, Prophetæ, omnes Sancti id hauſerunt, quod in ipſis enituit. Si Moyſes ſeveritatis, & figuræ Legem tradidit; Jeſus Legem tulit gratiæ, & veritatis: Si Moyſes cum Deo locutus eſt, locutus eſt per internuncium Verbi. Deus nonniſi per Filium ſe illi oſtendit: *Deum nemo vidit umquam: Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit* Moyſi, aliiſque Prophetis. Plerique Patres [3] tenent, Teſtamenti Veteris apparitiones per Filium Dei contigiſſe.

UNIGENITUS FILIUS, QUI EST IN SINU PATRIS.] Jeſus dicitur Unigenitus, Filius dilectus, ut quælibet adoptionis ſuſpicio amoveatur [4], & ut indigitetur amor ille, quo Pater dilectum Filium ſuum complectitur. Hic *eſt in ſinu Patris*, ad illius conſubſtantialitatem, perfectamque unionem indigitandam [5]. Filius hic *enarravit* Patrem: ipſe unus illum perfecte cognoſcit, & ipſe unus aſſicere poterat, ut eum cognoſceremus [6]: *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*, Hebr. 1. 1. Nemo præter Filium ſcrutabatur Patris myſteria, conſilia, voluntatem: nemo præter illum hæc nobis detegere poterat. Lex, & Prophetæ tamquam balbutientis voces erant, ubi cum JESU CHRISTI ſermonibus in Evangelio conferantur [7].

℣. 19. ET HOC EST TESTIMONIUM JOHANNIS.] Johannes Baptiſta ſuperius teſtimonium Jeſu Chriſti perhibuit. ℣. 15. *hic erat, quem dixi: qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quia prior me erat*. Hoc de Jeſu S. Johannes ajebat, ubi illum accedere vidit, ut baptizaretur. At hoc aliud teſtimonium eſt, quod eidem alibi perhibuit aliquanto poſt; cum Sacerdotes & Levitæ quoſdam ex numero ſuo ad illum miſiſſent, quæſituros, utrum eſſet CHRISTUS. Legatio hæc accidit paulo poſt JESU CHRISTI baptiſma. S. Johannes tunc receſſerat a Jordanis deſerto prope Jerichuntem; ubi Salvator fuerat baptizatus & ſe receperat Bethaniam trans Jordanem, cum hi Legati ad eum pervenerunt. Vide ℣℣. 25 28. Maxime intererat, commendare teſtimonium, quod S. Johannes Baptiſta Salvatori perhibuerat, quod Sanctus iſte Præcurſor maximam apud omnes fere Judæos exiſtimationem obtinuerat, neque teſtimonium illius ullam Sacerdotibus ingerere poterat ſuſpicionem, eo quod erat ex Sacerdotali progenie. Credunt, magnum Sanhedrin ad illum hos Legatos miſiſſe [8]; illius quippe intererat de iis cognoſcere, quæ ad Prophetas, eorumque miſſionem ſpectabant. Ajunt, cum *Bar-cokeba* appareret, ad eum quoque ſimiliter Legatos miſſos fuiſſe, ut ex eo, quis nam eſſet, quærerent.

TU QUIS ES?] Es ne CHRISTUS? es ne Propheta? es ne Meſſiæ Præcurſor? mirabilis S. Johannis vita, miracula, quæ in illius effulſerant nativitate, prædicatoris munus, quo fungebatur, adventus Regni Dei, quem nuntiabat, nomen vocis clamantis in deſerto, quo ſeipſum vocabat; hæc omnia apud complures fidem adſtruebant, hunc eſſe Meſſiam [9]. Jeſus nondum prodierat, nullos adhuc diſcipulos habebat, nullum miraculum patraverat. Exierant jam tempora pro Meſſiæ adventu præfinita: Omnis populus Liberatorem præſtolabatur: Johannes ſummam in populo exiſtimationem, atque celebritatem obtinebat; minime abhorrebat, quominus acciperetur pro eo, quem expectabant [10]: *tu quis es?* es ne Meſſias?

℣. 20. ET CONFESSUS EST, ET NON NEGAVIT &c.] Conſtans veritati teſtimonium perhibuit; *confeſſus eſt*, vel *profeſſus eſt*, ſe Chriſtum non eſſe. *Non negavit*, quod ipſe erat, confeſſus eſt, ſe famulum dumtaxat illius eſſe, de quo ſermo erat. In confeſſione ſua minime titubavit: quin hæreret, ſemper ſe Meſſiam non eſſe, reſpondit. Hæc omnia indigitant Præcurſoris humilitatem, & maximum inde teſtimonio illius robur accedit. Cum neque eorum, qui ipſum alloquebantur, dignitate, neque Sanhedrin, qui ad ipſum Legatos miſerat, vel Chriſti nomine, quod ſibi deferebatur, ne tantillum quidem alliceretur; perſtitit affirmare, ſe aliud non eſſe, quam *vocem clamantis in deſerto: parate viam Domini*.

℣. 21. ELIAS ES TU?] Judæi ſciebant, Eliam extra hunc mundum [11] abreptum fuiſſe, & venturum, *ante quam veniat dies Domini magnus, & horribilis*, juxta Malachiæ 4. 5. prophetiam; *ut convertat cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum*. Vita, quam in deſerto S. Joannes tranſigebat, non longe aberat ab ea, quam Elias duxerat. Illius veſtes, auſteritas, zelus mirum in modum Eliæ magni characteres adumbrabant. Ad hæc S. Joannes aperte Regnum Dei, vel imminere, vel jam adveniſſe affirmabat, Matth. 3. 2. quod Sacerdotibus ſuſpicionem ingeſſit, S. Johannem fortaſſe Eliam eſſe, in terras reverſum; vel ſaltem in illius corpus animam Eliæ commigraſſe. Phariſæi enim, ex quorum numero erant hi legati [12], credebant, piorum animas nonnumquam in alia corpora tranſire [13], & peculiariter aſſerebant, animam Phinees, Eliæ, & David ſubinde varios viros animaſſe.

S. Johannes reſpondet, ſe Eliam non eſſe; attamen Jeſus Chriſtus alibi S. hunc virum Eliam eſſe teſtatur. Nam cum Apoſtoli dixiſſent, oportere, ut antequam Regnum Dei adveniret, Elias rurſus accederet; illis reſ-

1 Vide Auguſt. Tract. 3. in Joan. & Hebr. 7. 19. 8. 6. 9. 15.

2 Num. 12. 8. *Ore enim ad os loquor ei; & palam, & non per ænigmata, & figuras Deum videt*. Vide etiam Geneſ. 32. 30. Iſai. 6. 1. Ezech. 1. 1. 10. 1. Dan. 7. 9.

3 Iren. lib. 4. contra hæreſ. cap. 26. Juſtin. Dialog. cum Tryphone. Tertull. contra Judæos. Baſil. lib. 2. et 4. contra Eunomium. Hilar. lib. 4. et 5. de Trinit. Theodoret. qu. 5. in Exod. Aug. l. 2. de Trinit. c. 13. et ſerm. 6. et ſerm. 7. de ſcriptur. vet. et nov. Teſt. etc.

4 Hilar. lib. 6 de Trinit.

5 Chryſoſt. homil. 14. Cyrill. hic. Auguſt. Tract. in Joan. Beda, Theophyl. Euthym.

6 Chryſoſt. homil. 14. Victorin. lib. 1. adverſus Arium. Beda hic.

7 Vide Iren. lib. 4. c. 17. et Grot. hic. et Bernard. ſerm. 1. in Cantic.

8 Grot. Brug. Ligfoot. Hamm.

9 Luc. 3. 15. 16.

10 Vide Origen. Chryſoſt. homil. 15. Theophyl. Euthym. Ammonium, alios.

11 4. Reg. 2. 11.

12 Infra ℣. 24. *Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis*.

13 Vide Joſeph de bello, l. 2. c. 8. p. 788. et l. 18. Antiq. c. 2.

reſpondit [1] : *Elias quidem jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo, quæcumque voluerunt.* Igitur S. Johannes in Spiritu, zelo, ac meritis erat Elias : Eliæ munere perfungebatur, Eliæ perſonam exhibebat ; reipſa vero non erat Elias, qui in perſona alterum Filii Dei adventum præcedet ; cum hic rurſus ſub Mundi finem apparebit, viventes æque, & mortuos judicaturus.

PROPHETA ES TU ?] Vel potius : tune es ille *Propheta* [2], quem expectamus ? magnus ille Propheta ? Propheta antonomaſtice, quem nobis Moyſes ſpopondit [3] ? reſpondit : *non*. Non ſum Meſſias, immo neque ſimplex Propheta, aliis, qui Meſſiæ adventum prænuntiarunt, ſimilis : ſed ſum *plusquam Propheta* [4], quoniam indigito, annuncio, oſtendo Meſſiam, qui jam venit, atque vobiſcum verſatur.

℣. 22. QUID ERGO, UT RESPONSUM DEMUS ?] Ex illo aliquid poſitivum conantur elicere. Si neque Meſſias, neque Elias, neque Propheta es, dic ergo, quo jure id facis, quod facis ? cur prædicas, doces, baptizas, & palam ais, Regnum Cœlorum adveniſſe ? Quinam eſt tuus character ? quæ tua miſſio ? ſi enim neque miſſio, neque character alius eſt tibi, es ſycophanta. Sin autem alterutrum tibi non deeſt ; dic ergo, quis te miſit, & quæ eſt qualitas tua ?

℣. 23. EGO VOX CLAMANTIS IN DESERTO.] S. Johannes profecto de ſe modeſtius loqui non poterat. Ego ſum vox illa, de qua Iſajas propheta cap. 40. 3. loquitur, quæ perſonat in deſerto clamans : *parate viam Domini*, populum ſuum de Babylonia captivitate reducentis. Reditus ille de captivitate, quemadmodum ſupius adnotatum eſt, imago erat redemptionis humani generis. Dominus populum ſuum reducens, Jeſu Chriſti figuram referebat, qui caput eſt, & Auctor Eccleſiæ Chriſtianæ ab ipſius peccati, ac Dæmonis ſervitute liberatæ. S. Johannes debebat Meſſiæ parare vias, & corda, atque animos ad illum accipiendum diſponere. Hos autem præclare diſponit, & eximio teſtimonio, quod illi perhibet, & pœnitentia, quam prædicat, & baptiſmate, quod tradit.

℣. 24. ERANT EX PHARISÆIS.] Erant ex progenie Sacerdotali, & Levitica [5] : ſed ſimul etiam erant ex Phariſæorum ſchola, quæ maxime potens erat, atque ampla inter reliquas, in quas Judæi tunc temporis dividebantur. Eorum vero complures in Sanhedrin erant lecti.

℣. 25. QUARE ERGO BAPTIZAS, SI TU NON ES CHRISTUS ?] Hæc plane Phariſæorum erat traditio : ſolemniter baptizandi jus ad populum ad pœnitentiam diſponendum, ad Chriſtum dumtaxat, vel Eliam, vel Prophetam aliquem pertinere [6]. Prophetæ [7] futurum prædixerant, ut Meſſiæ tempore omnia penitus inſtaurarentur, atque expiarentur. S. Johannis baptiſma neque in Lege, neque in traditionibus præſcriptum erat, atque hinc Sacerdotes arguebant, hoc ergo eſſe baptiſma inſtitutum, ut Meſſiæ advenienti via pararetur.

℣. 26. EGO BAPTIZO IN AQUA : MEDIUS AUTEM VESTRUM STETIT, QUEM VOS NESCITIS.] Hunc vos quærere deberetis : hic eſt magnus ille propheta, & Meſſias, quem præſtolamini. Ego quidem in aqua baptizo, ut populum ad peccatorum ſuorum remiſſionem recipiendam diſponam ; ille vero in Spiritu Sancto, & igne baptizat [8]. Hujus baptiſmum ego ipſe quærere debeo : *ego a te debeo baptizari*, Matt. 3. 14. S. Johannes minime hæc omnia dixit eodem tempore Legatis Sanhedrin ; ſed hæc antea coram omni populo dixerat. Jeſus tunc non aderat : ſed Præcurſor ſatis illum alias deſignaverat, atque poſtridie etiam illi perhibuit teſtimonium [9]. Horum igitur Legatorum intererat ſcire, quinam hic ille eſſet, de quo ipſe loqueretur, & ſi urgere voluiſſent, ut illum cognoſcerent, quemadmodum res ipſa ferebat, præcurſor quidem de hoc illos minime celaſſet. Jam tum forte in Johannem Baptiſtam invidia quædam illis fuerat oborta, & acceſſerunt etiam potius, ut huic ſtruerent inſidias, quam ut propriæ curioſitati facerent ſatis : non enim videntur tanta cupiditate flagraſſe, ut Meſſiam ſincere cognoſcerent.

℣. 27. POST ME VENTURUS EST.] Vide ſupra ℣. 15. Johannes Baptiſta inſtaurat teſtimonium illud, quod Jeſu Chriſto jam perhibuerat ; ſupremam Divini hujus liberatoris dignitatem, atque divinitatem profitetur.

℣. 28. HÆC IN BETHANIA FACTA SUNT.] Græca in hunc locum exemplaria ſibi non conſtant. Alia legunt *Bethaniam*, & alia *Bethabaram* ; atque in diverſa abeunt Interpretes, utra ex lectio præferenda ſit, inquirentes. Plurique MSS. *Bethaniam* legere videntur, eamque vulgatiorem ævo ſuo lectionem fuiſſe, atque in omnibus ferme exemplaribus extitiſſe fatetur Origenes. Extat adhuc in plurimis, iiſque optimis Græcis exemplaribus cuſis Novi Teſtamenti [10]. Syriaca, Arabica, Perſica, Cophta, Heracleon, Euthymius legunt *Bethaniam*.

Attamen Origenes in Joan. S. Chryſoſtomus hic, Theophylactus, Suidas, qui hanc lectionum varietatem adnotarunt, *Bethabaram* legendum eſſe cenſuerunt, immo Origenes explicite ait, ſe data opera eo locorum profectum, ut accuratius perdiſceret Geographiam regionis illius, in qua Salvator, Apoſtoli, atque Prophetæ incoluerant, didiciſſe, Bethaniam vicum fuiſſe quindecim ſtadiis procul a Jeroſolyma, quo ſæpius Salvator apud Lazarum, ſororeſque illius, Martham, atque Mariam diverſabatur. Hunc autem locum a Jordane abeſſe ultra ſtadia centum, & octuaginta [11] : neque ullum adeſſe cognominem ſecus eum fluvium ; ſed oſtendi rudera oppidi cujuſdam, cui nomen *Bethara*, ubi Johannes baptizaſſe perhibetur.

En quid in hunc locum afferat Origenes. Verum niſi in textum illius mendum obrepſit, ubi legit *Betharam*, vereor ne pro *Bethabara* alium acceperit locum, qui *Bethara*, vel *Betharan* dicebatur, cujus meminit liber Numerorum 32. 36. & Joſue 13. 27. ubi deinceps *Liviadis* urbs fuit ædificata. *Betharan* duobus, vel tribus a Jordane leucis aberat, & longe alia erat a *Bethabara*, ſi fides eſt penes Euſebium, & S. Hieronymum in locis, qui Bethaniæ ultra Jordanem non meminerunt : ſed ſtatuunt *Bethabaram*, velut locum illum, ubi S. Johannes baptizabat, & ubi ævo adhuc eorum complures fideles pietatis ergo Sacramento Baptiſmatis ablui cupiebant. Locus hic tres circiter, vel quatuor leucas procul a Betharan ad Boream ejuſdem ſecus Jordanem eſſe debebat.

Qui Vulgatæ lectionem tuentur [12], & legunt Bethaniam, fatentur, nullam cognominem agnoſci Civitatem ultra Jordanem. Verum quot loci in Veteri, non ſecus ac in recenti Geographia ignoti ſunt. Ad hæc Bethaniæ nomen fluere poteſt ex Hebraica, vel Syriaca voce *Beth aniah* [13], quæ ſignificat domum phaſelli, fortaſſe quod illic aderat cymba, vel navicula, qua Jordanes traduceretur. Hebraica vox *Bethabara* [14] ſignificat etiam domum tranſitus. Denique deſumi poteſt *Bethania*, perinde ac legeretur *Bethanæa*, vel *Bathanæa*, quæ vetus eſt regio Baſan, cujus nomen nonnumquam uſurpatur pro ingenti regionis tractu ultra Jordanem [15]. Verum enim fatendum eſt, Bethabaram,

1 Matth. 17. 10. 11. 12. Marc. 9. 10. 11. 2 Ὁ Προφήτης εἶ σύ ; Vide Origen. hic. t. 8. & Chryſoſt. homil. 14. Cyrill. alii. 3 Vide Deuter. 18. 15.
4 Matth. 11. 9. Vide Auguſt. Tract. 4. Gregor. homil. 7. Rupert. Mald. hic.
5 Supra verſ. 19. 6 Vide Euthym. & Grot. Mald. hic. 7 Ezech. 36. 25. 28. 47. 1. 2. Zach. 13. 1. 2. 14. 8. Joel. 2. 28. 29. 8 Luc. 3. 16. 9 Infra verſ. 29.
10 Vecheli edit. & 2. priores Rob. Steph. 11 Septem circiter leucas ternis paſſuum millibus in ſingulas leucas computatis : atque tantum revera diſtat Jeroſolyma a Jordane.
12 Vide Bonavent. & Gloſſ. ordinar. Zeger. Tolet. 13 Hebr. בית אניה *Domus navigii*. Syr. בית עניא *Domus navis*. 14 בית עברה *Domus tranſitus*. 15 Vide Bukentop. Lux de luce, lib. 2. p. 276. & Interpp. hic.

cem, quæ in pleriſque editionibus legitur, meliorem lectionem videri. Grotius æſtimat, illac Iſraelitas tranſmiſiſſe Iordanem, atque inde loco factum nomen, domus tranſitus. Ligfoot ſtatuit Bethabaram prope Scythopolim, ubi etiam Iordanes traducebatur.

℣. 29. ALTERA DIE [1].] Poſtridie ejus diei, qua reverſi ſunt Ieroſolymitani Legati, Ieſus venit in deſertum, ubi quadraginta dies, totidemque noctes in jejunio traduxerat, atque convenit Iohannem Baptiſtam, ut aliquot eligeret diſcipulos, atque ad miſſionem ſuam incipiendam ſe ſe præpararet.

ECCE AGNUS DEI &c.] Hæc inaudita eſt loquendi ratio. Tu es Agnus Dei: tu es, qui tollis peccata mundi. His verbis innuebat Iohannes Ieſu Chriſti mortem, atque expiationem omnium ſcelerum mundi ab illo procurandam [2]. Prophetæ Meſſiam deſignaverant ſub nomine Agni manſuetudine refertiſſimi, qui & tonderi, & jugulari patitur, quin conqueratur [3]. *Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Novi Teſtamenti auctores [4] ſæpius Ieſum Agnum appellant, qui pro hominum ſalute vitam effudit. Agni nomen nonnumquam eſt nomen blandum, quo filius indigitatur [5].

Hæc denominatio non ſolum erat alluſio ad Prophetarum locos, ubi Salvator agni nomine deſignatur; verum etiam memoria ejus, quod in Templo fiebat [6], ubi quotidie mane, & veſpere gentis totius nomine Agnus offerebatur, cujus capiti homines ad id deſtinati manus ſuas imponebant, ut ſupremum Domini imperium confiterentur, atque in victimarum caput [7] totius populi peccatum transferrent. Innuebat ergo Johannes, Jeſum Chriſtum eſſe verum Agnum populi totius nomine ſacrificandum. Non deſunt, qui putent, hoc dictum fuiſſe mane eo tempore, quo in Templo ſacrificii perpetui agnus offerebatur: alterum vero geminum huic teſtimonium, prolatum fuiſſe ſub veſperam decima hora diei, cum prope eſſet, ut perpetuum ſacrificium veſpertinum immolaretur [8].

QUI TOLLIT PECCATUM MUNDI.] Græcus [9] verti poteſt; *qui in ſemet aſſumit peccatum mundi*; ipſe hoc ſubiit onus, ut non pro Judæorum dumtaxat peccatis, verum etiam pro mundi totius flagitiis Patri ſatisfaceret. *Peccatum* ſignificantius videtur, quam *peccata*; melius enim oſtendit diſcrimen illud, quod eſt inter ſacrificium Ieſu Chriſti, atque victimarum, quæ immolabantur in Templo [10].

℣. 31. ET EGO NESCIEBAM EUM.] S. Johannes Baptiſta numquam Jeſum viderat, neque illum ex facie noverat, cum prædicare, & baptizare incœpit, atque illius coram omni populo texuit encomium. Teſtimonium illius eo majorem auctoritatem habebat, quo ex majori integritate proficiſcebatur [11]: non enim innitebatur carni, & ſanguini, non ſtudio, & neceſſitudini, neque cognitioni experimentali, qua Jeſu Chriſti qualitates, ac meritum illius agnoviſſet. Sublimis idea, quam de illo conceperat, a Cœlo emanaverat, eamque ex revelatione imbuerat: Poterat quidem Jeſus Chriſtus & Johanni ea dicere, quæ S. Petro: *caro, & ſanguis non revelavit tibi; ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt*, Matth. 16. 17.

℣. 32. VIDI SPIRITUM SANCTUM.] Hic mihi illum tradidit cognoſcendum, quemadmodum inferius ait, ℣. 33. *ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi*

A *dixit: ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Et profecto cum Jeſus Chriſtus baptizatus fuit, Cœlum apertum eſt, & viſus eſt Spiritus Sanctus, in columbæ ſpecie ſuper illum dilabi [12]. At quomodo dicit Iohannes Ieſum ſibi antea cognitum non fuiſſe, & mox ex hac nota dumtaxat agnitum; quandoquidem ſtatim ac primum Salvator ad illum acceſſit baptizandus, dixerat illi Matth. 3. 14. *ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Cœlum, nonniſi baptizato Ieſu, ſciſſum eſt, & columba deſcendit. Illum ergo ante hoc miraculum noverat. Reſpondere poſſumus, illum, cujus juſſu Iohannes baptizabat, ejdem mentis oculos aperuiſſe momento eodem, quo ſe ſe illi obtulit Salvator [13]; atque ut id certius intelli-

B geret, oſtendiſſe deinde ea etiam ſigna, quæ jam innuimus. Subſequens probatio præcedentem minime evertit. Interius lumen, quo fuerat repletus, minime excludebat exteriorem certitudinem, quam tunc hauſit ex miraculis, quæ ob oculos illius refulſerunt [14].

VIDI SPIRITUM DESCENDENTEM QUASI COLUMBAM . . . ET MANSIT SUPER EUM.] Dubitarunt nonnulli, utrum Spiritus Sanctus ſub columbæ ſpecie apparuerit: & putant, illum ſimpliciter eadem pernicitate, qua columba devolat, deſcendiſſe; quæ ſententia textui Evangeliſtarum palam adverſatur. Addit S. Johannes, Spiritum Sanctum ſuper Jeſum Chriſtum permanſiſſe, ibique ſatis diu ſenſibili ratione quieviſſe. Ibi ſemper quoad effectus cum omni ſua plenitudine permanſit, neque credas, Spiritum ab eo umquam

C procul fuiſſe, vel tunc dumtaxat in illum ſuperveniſſe, perinde quaſi ab illo prius abfuiſſet. Spiritus Sanctus eadem eſt eſſentia cum Patre, & Filio; tres hæ perſonæ inſeparabiles ſunt, indiviſibiles, conſubſtantiales; verum populo præbendum erat ſenſibile argumentum præſentiæ Spiritus Sancti in Salvatoris perſona, neque ad id innuendum aliis vocibus uti poterat Evangeliſta.

℣. 34. TESTIMONIUM PERHIBUI, QUIA HIC EST FILIUS DEI.] Teſtimonium hoc eodem tempore perhibuit, quo Salvator baptiſmate abluebatur, licet Sancti Evangeliſtæ Matthæus, Marcus, & Lucas id explicite non afferunt [15]. Alii [16] hoc ita intelligunt: illum vidi, & hodie teſtimonium perhibeo, Jeſum eſſe Filium Dei.

D ℣. 35. ALTERA DIE ITERUM STABAT JOHANNES.] Duobus ſcilicet diebus, poſtquam Legati Sanhedrin, de quibus ſermo fuit [17], diſceſſerunt. Opinatur Capellus, plures interceſſiſſe dies inter primum teſtimonium, quod Ieſu Chriſto perhibuit Johannes ℣. 29. & hoc. Sed alii [18] tenent, hæc die eadem accidiſſe: unde Evangeliſta inquit: *altera die iterum*: quaſi innuere vellet, hanc diem eamdem fuiſſe; ſed horam diei alium. Adnotavimus jam ex nonnullorum ſententia, prius illud teſtimonium mane, alterum hoc veſpere fuiſſe perhibitum. Maximi intererat, non ſemel iterare, Ieſum Chriſtum eſſe *Agnum Dei* [19]; quoniam Mors, & Paſſio illius ſcandalum quidem Judæis, Ethnicis vero ſtultitia erat futura. Nihil magis perſpicue in Scripturis præſignatum erat hac morte, nihil tamen in illis

E minus intelligebatur.

℣. 37. DUO DISCIPULI SECUTI SUNT JESUM.] Illum ſecuti ſunt, non ut ſemper adhærerent illi ſed ut eum viderent, cum eo colloquerentur, eumque cognoſcerent. Ex duobus hiſce diſcipulis prior erat S. Andreas, quemadmodum ℣. 41. refertur. Quis vero fuerit

1 Τῇ ἐπαύριον.   2 Brug. Hamm. Toynard. Harm. pag. 15.
3 Iſai. 53. 7. Vide et Jerem. 11. 19.   4 Act. 8. 32. 1. Petr. 1. 19. Apocal. 5. 7. 8. 12. 6. 12. & paſſim.   5 Clem. Alex. Pædagog.   6 Vide Ligfoot. Hor. Talm. & Harmon. Ita et Toynard. Harm. Brug. Piſcat. Ita Patres plerique. Vide Muld.   7 Vide Levit. 1. 4. 3. 2. 4. 4. et 16. ut. 22.
8 Vide Ligfoot, et Toynard. Harmon. p. 15.   9 Ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. Eraſm. Ludovic. de Dieu, etc.   10 Theophylact. Euthym. Mald.
11 Mald. Brug. Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. hic. Origen. in Catena Græca.
12 Luc. 3. 22 Matth. 3. 16.   13 Chryſoſtom. homil. 16. in Joann.
14 Vide Brug. Caſtal.   15 Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. Mald.
16 Brug. Beza.   17 Verſ. 19. 20. . . . . 28. Vide Ammonium, Mald.   18 Vide Vatabl. hic, et Toynard. Harm.   19 Vide Hammon. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. ad verſ. 36.

fuerit alter, nos fallit. Alii S. Bartholomæum fuiſſe putant [2]; alii [3] eumdem S. Johannem Evangeliſtam: ſed hunc Jacobum Zebedæi filium fuiſſe putat Sanctus Epiphanius.

℣. 38. Rabbi, ubi habitas?] Duo tantum ex Johannis diſcipulis Jeſum Chriſtum ſecuti ſunt. Alii non aperuerunt eos ſuum Cœleſti lumini, vel potius Cœleſtis Pater non locutus eſt ad eos potenti, & efficaci voce, quæ illos ad eum ſequendum impelleret. Perperam reſponderunt exſpectationi Iohannis Baptiſtæ, qui hoc pacto ad eos locutus fuerat, ut illos ad Salvatoris ſequelam adigeret. Jeſus dixit illis, quid quæritis? ut ad ſe illos pertraheret, atque animos iiſdem faceret, ut ſecum colloquerentur. Quærunt igitur ab eo, ubi habitet, ut commodius cum eodem verſari poſſint. Hoc accidit Bethabaræ, ubi Jeſus Chriſtus fortaſſe apud aliquem Civem commorabatur: ibi enim neque propriam domum, neque diſcipulos habebat, ſed penitus ignorabatur. Neque Salvatori ſufficit illis, domum ſuam indigitare. Opitulatur etiam bonæ eorum voluntati; eos invitat, ut ſecum veniant; ac dicit eis: *venite, & videte.*

℣. 39. Manserunt apud eum die illo.] Reliquo diei illius ſpatio. Nam *hora erat quaſi decima*: hoc eſt quarta circiter pomeridiana; idque menſe Martio ſub Æquinoctium accidiſſe arbitramur.

℣. 41. Andreas invenit fratrem suum Simonem.] Cum veſpere a Jeſu Chriſto diſceſſiſſet, ſtatim ſe contulit ad Simonem fratrem ſuum, qui redemptionem Iſrael præſtolabatur, & qui fortaſſe ipſe etiam erat Iohannis Baptiſtæ diſcipulus. Græcus Textus [3] innuit, utrumque diſcipulum, quos ſua conſuetudine dignatus fuerat Ieſus Chriſtus, ſtatim ad Petrum inquirendum diſceſſiſſe. Verum Andreæ contigit, ut prior illum inveniret [4]. Statim ergo nunciavit illi, *invenimus Meſſiam*, hoc eſt Ieſum. etiam atque etiam teſtatus, illum, cui Iohannes Baptiſta teſtimonium perhibuerat, & quem veluti Meſſiam indigitaverat, vere Meſſiam eſſe, atque ex illius ſermonibus ſe deprehendiſſe, illum reipſa talem eſſe, qualem Magiſter deſcripſerat [5]: *invenimus Meſſiam*.

℣. 42. Adduxit eum ad Iesum.] Veſpere eodem; cupiditas enim, qua Petrus flagrabat videndi illum, qui ſibi a fratre nunciatus fuerat, nullam pertulit moram. Ieſus cum oculos in Petrum conjeciſſet, antequam aliquis loqueretur, eum ex nomine appellavit, & dixit illi: *tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Ita repente recentibus diſcipulis ſuis ſuam divinitatem probavit, oſtenditque, omnia ſibi perfecte comperta eſſe, & explorata [6]; atque poſt hæc levi negotio illos in fide confirmavit, ut crederent, Ieſum Chriſtum eſſe Meſſiam. Ad hæc Simoni dixit, futurum ut deinceps *Petrus*, vel rupes appellaretur, prædicens fidei illius firmitatem, conſtantiam, & vim, qua nomen Domini erat confeſſurus. Hæc nominis immutatio ſignum eſt auctoritatis Ieſu Chriſti, qui vult Petrum in Servorum ſuorum albo deſcribere, veluti Dominus, qui ſervum emit, eique nomen, quod mavult, imponit.

Ceph, vel *Cepha* Chaldaica vox eſt [7] Petram, lapidemve ſignificans. *Bar-Jona* [8] hoc eſt, *filius Jona*, vel *filius columbæ*, vel cum aliis *Bar-Johanna*, filius Iohannis, vel filius dilectus a Deo. Complutum Græca, & Latina exemplaria poſteriorem hanc legendi rationem ſequuntur [9], & inferius c. 21. 15. ter conſequenter legitur: *Simon Iohannis diligis me plus his?* Simon filius Iohannis &c. quod probat nomen patris S. Petri fuiſſe *Iohannem*, vel *Iohanna* Syriace.

℣. 43. In crastinum voluit exire in Galilæam.] Poſtridie ejus diei, quo locutus fuerat cum Andrea, & Petro, in Galilæam voluit reverti, unde tribus ab hinc menſibus exierat, a Iohanne baptizandus. Cum ſe in Judæa prodidiſſet, quatenus Providentiæ leges efflagitabant, in Galilæam redire voluit, ibi miſſionem ſuam incœpturus.

Invenit Philippum.] Hic fuit quartus Diſcipulus a Jeſu Bethabaræ adſcitus, videlicet Andreas, & ſocius illius, cujus nomen ab Evangeliſta minime adfertur, Petrus, & Philippus. Prioribus illis tribus nequaquam explicite præceperat, ut ipſum ſequerentur; verum illi ab eo non receſſerunt, ſatis Jesu Christi mentem aſſecuti. Illi ergo cum Jeſu in Galilæam profecti ſunt, ibique cum eo ſimul nuptiis Canæ interfuerunt, Jo. 2. 2. Fidei conſonum eſt, Philippum antea audiviſſe concives ſuos, Petrum, atque Andream de Ieſu loquentes; atque adfuiſſe, cum Johannes Baptiſta illi præclarum perhibuit teſtimonium; quandoquidem via a Salvatore acceſſitus omnia reliquit, & haud hæſitanter illum ſubſequitur.

℣. 44. Erat Philippus a Bethsaida.] Urbe Galilææ ultra Jordanem prope hujus fluminis oſtium in mare Tiberiadis; ea qua eadem Civitate erant etiam Petrus, & Andreas. Tres hi Diſcipuli fortaſſe Johanni Baptiſtæ adhæſerant, vel ſaltem cum illo erant Bethabaræ, cum ad ſequelam ſuam illos Jeſus evocavit. Hi mox Capharnaum ſedem ſuam contulerunt, ubi Jesus Christus commorabatur [10], ea quo illi adhæſerunt, numquam ab eodem diſceſſuri. Petrus ibi & domum habebat, & Socrum ſuam, Matt. 8. 14.

℣. 45. Invenit Philippus Nathanael.] Invenit illum, poſtquam ipſe a Jeſu fuerat acceſſitus, & die eadem, qua in Galilæam erant diſceſſuri. Philippus dixit illi: *quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ invenimus* Jesum *filium Joſeph a Nazareth*. Diſcipuli ſumma adlaborarunt ſollicitudine, ut omnibus neceſſariis ſuis noſcendum traderent eum, quem tandiu præſtolabantur. Philippus ſe inveniſſe ait eum, *quem ſcripſit Moyſes in Lege, & Prophetæ*; hoc eſt Meſſiam, in Lege, atque Prophetis promiſſum. Hæc Philippi verba innuunt, Nathanaelem virum fuiſſe in Scripturarum ſtudio verſatum [11]: quarum ſenſum intus perſcrutabatur, & promiſſiones opperiebatur. Crediderunt nonnulli, Nathanaelem eumdem eſſe, ac S. Bartholomæum, eo quod Evangeliſtæ hunc plerumque cum S. Philippo conjungunt [12]. Hanc ſententiam alibi diſcuſſimus, in S. Matth. 10. 2.

Jesum Filium Joseph a Nazareth.] Philippus loquitur juxta popularem ſententiam [13]: nondum per tempus didiciſſe poterat veram Jesu Christi originem, ejuſque nativitatis myſterium. Illum eſſe putabat hominem dumtaxat; eaque erat plerorumque tunc temporis Iudæorum idea. Neſciebat, Jeſum Dei eſſe Filium de Virgine natum; Ioſephum illius nutritium eſſe tantummodo; & natale illius ſolum eſſe Bethleem. Hæ veritates nondum erant compertæ: opus enim erat, ut plurimorum miraculorum ſerie populorum animi ad Jeſu divinitatem, & Mariæ virginitatem credendam diſponerentur.

℣. 46. A Nazareth potest aliquid esse bonum?] Nathanael non meminerat, Prophetas fuiſſe pollicitos futurum, ut Meſſias e Nazareth egrederetur [14]. Credebant illum naſciturum in Bethleem [15], Jero-

1 Toynard. Harmon. 2 Theophyl. Euthym. Quid. apud Theodor. Mopſ. in Catena, et Chryſoſt. Epiphan. hær. 51. Cyrill. in Catena. Hamm. hic.
3 Εὑρίσκει οὗτος πρῶτος. 4 Vide Grot. Brug. Mald. 5 Vide Chryſoſt. Theophyl. Grot.
6 Mald. Brug. ex Chryſoſtom. Cyrill. Auguſt. Beda, Theophylact. Euthym.
7 Job. 30. 6. כֵּפִים Petræ. Ita et Jerem. 4. 29. 8 בר יונה val בר יוחנה
9 Ὁ υἱὸς Ἰωάννου. Ita Steph. H. Colb. 8. Copht. Æthiop. Nonnus. Aug. Folg. Hieron. ad Ruſtic.
10 Marc. 1. 21. 29. Matth. 17. 24. et ſequ. 11 Ita Aug. tract. 7. Cyrill. Chryſoſt. Theoph. Euthym. Rupert. Mald. Grot. Lighf. 12 Matth. 10. 3. Marc. 3. 18. Luc. 6. 14.
13 Chryſoſt. Theophyl. Euthym. 14 Chryſoſt. Cyrill. Theoph. Euth. etc.
15 Matth. 2. 6 Joan. 7. 41. 42.

Ieroſolymæ appariturum, atque in Iudæa ſe ſe proditurum. Prophetiæ hoc explicite aſſerebant. Doctores Legis ex Scripturis [1] ſe inferre poſſe arbitrabantur, prophetam neminem ex Galilæa venturum: *ſcrutare, quia propheta a Galilæa non ſurgit*. Nonniſi poſt Salvatoris mortem intellectum eſt, prophetias inter ſe, quam maxime conſentire, & ad unguem in JESU CHRISTO adimpleri. Qui eas ſingillatim dumtaxat reſpiciebant, quaſdam veluti oppoſitiones ibidem nanciſcebantur. Philippus Nathanaeli reſpondet: *veni & vide* ex temetipſo; ita certior fies veritatis illius, quam tibi annuncio.

℣. 47. VIDIT JESUS NATHANAEL.] Ratio hoc probandi iis rationibus, quæ ex diſcuſſione biblicorum textuum proficiſcuntur, nimis longa erat, neque adeo facile erat paucis oſtendere prophetias in JESU CHRISTI perſona adimpletas, qui vix ſe ſe inceperat manifeſtare: Jeſus ergo compendiaria inſiſtit via, ut Nathanaeli perſuadeat, oſtendens ſe penitiora cordium ſcrutari, & abdita quælibet ſibi maxime eſſe explorata. Nihil ultra requirebatur, ut hæc veritas Nathanaeli perſuaderetur, qui ſtatim reſpondit: *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael*.

ECCE VERE ISRAELITA,] Elogium, quo Jeſus Nathanaelem celebrat, oſtendit, penitiora cordis illius ipſi patuiſſe, & illius characterem compertum fuiſſe, antequam perſonam videret. *Ecce vere Iſraelita*, verus filius Jacob, quem Scriptura hoc elogio commendat [2]: *Jacob vir ſimplex*, rectus, ſincerus, ſine ſimulatione, ſine dolo. Oſtenderat Nathanael ſinceritatem, atque ſimplicitatem ſuam, ubi primum Philippo ait: *a Nazareth poteſt aliquid eſſe boni?* ex loco adeo humili, obſcuro, ignotoque [3]?

℣. 48. UNDE ME NOSTI?] Jeſus ſatis elata voce locutus fuerat, ut a Nathanaele intelligi poſſet. Hic ſtupens, quod non antea cum eo collocutus adeo totus, & in cute ab eodem cognoſceretur, cum ſciſcitatur: *unde me noſti?* cui Jeſus: *priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te*: aderam in ſpiritu, cum Philippus te nactus ſub ficu, Meſſiæ adventum tibi nuntiavit, cui tu reſpondiſti: fierine poteſt, ut aliquid boni e Nazareth egrediatur? En unde ego te novi [4].

Aliter: vidi te, cum te ſolum, atque remotis arbitris ſub ficu eſſe putabas; ibique Dominum precabaris, ut tibi manifeſtaret, qui mittendus erat. Non A immerito putant, Nathanaelem ſub ficu alicui bono operi vacaſſe, quod maxime ſecretum arbitrabatur: verum quænam bona eſſet hæc actio, ignoratur.

℣. 49. TU ES FILIUS DEI.] Hæc fidei eſt perfectiſſima confeſſio, licet nunc primum Nathanael Dominum videat. Dicendus ſane eſt Deus in cor illius præſtantiſſimas inſeruiſſe animi virtutes, & lumen gratiæ, quo percitus erat, efficax, atque copioſum fuiſſe, ut ille primo impetu id diceret, quod nonniſi poſt multum tempus S. Petrus confeſſus eſt, Matt. 16. 16. *Tu es Filius Dei*: Meſſias Rex Iſrael. S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius ambigunt, utrum Nathanael crediderit JESUM CHRISTUM verum Filium Dei æternum, atque Patri conſubſtantialem; & cenſent, tamquam filium adoptivum dumtaxat ab eo creditum fuiſſe. B Meſſiæ divinitas nondum ſatis erat explicita: attamen S. Auguſtinus, S. Cyrillus, Ammonius credunt, confeſſionem illius perfectam fuiſſe, atque ex eo ipſo tempore JESU CHRISTI divinitatem ab eo cognitam fuiſſe.

℣. 50. MAJUS HIS VIDEBIS.] Videtur per hæc Jeſus illum ad Apoſtolatum evocare: ſi te inceſſit admiratio, eo quod me detegere vides ea, quæ ſecretiſſima arbitrabaris, longe plura, atque majora deinceps videbis. Tantum ſequere me: Hoc leve eſt præludium eorum, quæ tibi oſtendam.

℣. 51. VIDEBITIS COELUM APERTUM &c.] Videbitis, ut olim Jacob, Gen. 28. 12. Cœlos apertos, & Angelos aſcendentes, & deſcendentes, rationem Domino reddituros eorum, quæ in terris fiunt. Videbitis filio hominis miniſtrantes Angelos, qui de terra ad Cœlos C aſcendent, de Cœlis in terras deſcendent, ut voluntatem ejus exequentur. Hoc ad literam adimpletum eſt in Salvatoris Agonia, Luc. 22. 43. Reſurrectione Matth. 28. 2. Aſcenſione Act. 1. 10. ubi apparuerunt Angeli, ut illius magnitudinem annunciarent, eamque hominibus ſignificarent. Alii antea viſi fuerant in Annunciatione Luc. 1. 28. & JESU CHRISTI Nativitate Luc. 2. 9. & poſtquam jejunavit in deſerto Matt. 4. 11. cum Angeli ſe ſe illi obtulerunt, eſcam miniſtraturi. Miracula, tum quæ jam perfecta fuerant, tum futura, erant veluti fundamentum fidei Apoſtolorum. Complures [6] hoc intelligunt de altero JESU CHRISTI adventu. Confer Matth. cap. 13. verſ. 35. 41. cap. 16. verſ. 27. c. 24. verſ. 31. c. 25. &c.

---

1 Joan. 7. 52. 2 Geneſ. 25. 27. תם איש Ἄπλαστος. *Simplex*.
3 Brug. Maldonat. Ligfoot. 4 Chryſoſtom. Theophylact. Grot.
5 Auguſt. ſerm. olim 40. de verbis Domini, nunc 122. Cyrill. Euthym. Maldonat. Brug. Ligfoot.
6 Maldonat. Toynard.

CAPUT II.

Nuptiæ Canæ in Galilæa. Primum JESU CHRISTI miraculum, aqua in vinum immutata. JESUS Jeroſolymam concedit, ibi Paſcha celebraturus. Ejicit vendentes de Templo. In Poteſtatis ſuæ ſignum tradit, ſuæ Reſurrectionis miraculum. Judæis ſe minime credit.

1. ET die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat Mater ejus ibi.
2 Vocatus eſt autem & Jeſus, & diſcipuli ejus ad nuptias. 3 Et de-
ficiente vino, dicit Mater Jeſu ad eum: Vinum non habent. 4 Et di-
cit ei Jeſus: Quid mihi, & tibi eſt, mulier? nondum venit hora mea. 5 Di-
cit mater ejus miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite. 6 Erant autem ibi
lapideæ hydriæ ſex, poſitæ ſecundum purificationem Judæorum, capientes ſingulæ
metretas binas, vel ternas. 7 Dicit eis Jeſus: Implete hydrias aqua. Et im-
pleverunt eas uſque ad ſummum. 8 Et dicit eis Jeſus: Haurite nunc, & ferte
architriclino. Et tulerunt. 9 Ut autem guſtavit architriclinus aquam vinum fa-
ctam,

ctam, & non ſciebat, unde eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam:
vocat ſponſum architriclinus. 10 Et dicit ei: Omnis homo primum bonum vi-
num ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt: Tu autem ſer-
vaſti bonum vinum uſque adhuc. 11 Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana
Galilææ: & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus. 12
Poſt hoc deſcendit Capharnaum ipſe, & mater ejus, & fratres ejus, & diſcipu-
li ejus: & ibi manſerunt non multis diebus. 13 Et prope erat Paſcha Judæo-
rum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam: 14 Et invenit in templo vendentes boves,
oves, & columbas, & nummularios ſedentes. 15 Et cum feciſſet quaſi flagel-
lum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves, & nummu-
lariorum effudit æs, & menſas ſubvertit. 16 Et his, qui columbas vendebant,
dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiatio-
nis. 17 Recordati ſunt vero diſcipuli ejus, quia ſcriptum eſt: Zelus domus
tuæ comedit me. 18 Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Quod ſignum
oſtendis nobis, quia hæc facis? 19 Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Solvite
templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. 20 Dixerunt ergo Judæi:
Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus ex-
citabis illud? 21 Ille autem dicebat de templo corporis ſui. 22 Cum ergo re-
ſurrexiſſet a mortuis, recordati ſunt diſcipuli ejus, quia hoc dicebat, & credi-
derunt ſcripturæ, & ſermoni, quem dixit Jeſus. 23 Cum autem eſſet Jeroſoly-
mis in paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna
ejus, quæ faciebat. 24 Ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis, eo quod
ipſe noſſet omnes. 25 Et quia opus ei non erat, ut quis teſtimonium perhibe-
ret de homine: ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.

℣. 1. DIE TERTIA NUPTIÆ FACTÆ SUNT IN CANA.] Tertia die, ex qua Jeſus Bethabara diſceſſit [1], pervenit Canam Galilææ. Inter utrumque oppidum triginta circiter itineris intererant leucæ. Statuimus enim Bethabaram ad dimidiam diſtantiam maris mortui ad mare Tiberiadis; & Canam Thabor inter & Diocæſaræam æquo ferme intervallo. Cana erat in Tribu Zabulon ad Boream, & tribus circiter aberat leucis a Thabor.

ERAT MATER JESU IBI.] His nuptiis intererat illa, & fortaſſe aliquis ex cognatione ſua uxorem ducebat. Videtur, illa jam tunc vidua fuiſſe [2]; namque in reliqua JESU CHRISTI hiſtoria de S. Ioſeph ne verbum quidem fit. Crediderunt [3] quidam, has nuptias in Alphæi domo, vel Cleophæ factas, qui uxorem dederat filio ſuo *Simoni Chananæo*, vel *Zeloti* [4]. *Chananæi* nomen fluere poteſt ex urbis nomine Cana. Alii [5] cenſuerunt, hunc eſſe S. Bartholomæum, qui alio nomine Nathanael dicitur. Sed plerique [6] putant, hunc S. Ioannem Evangeliſtam fuiſſe. Incertus Auctor, qui eam adornavit præfationem, quæ legitur præpoſita Commentariis S. Auguſtini in S. Ioannem, ait, a Salvatore S. hunc Evangeliſtam a nuptiis ad Apoſtolatum evocatum fuiſſe: *iſte eſt Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempeſtate vocavit*. Sed addit, S. hunc Apoſtolum Virginem permanſiſſe, illi a JESU CHRISTO moriente Virginem Matrem Virgini commendatam fuiſſe: *cui Matrem Virginem Virgini commendavit*: unde colligi poteſt, S. Ioannem ab uxore receſſiſſe ante conjugii conſumma-

A tionem. Hoc certe conſtat, omnem penitus antiquitatem veneratam fuiſſe S. Ioannis Virginitatem [7], & S. Auguſtinus [8], licet id minime audeat aſſerere, quoniam in Scripturis non memoratur, eam tamen probabilem ſententiam eſſe arbitratur.

℣. 2. VOCATUS EST JESUS, & DISCIPULI EJUS.] Cum Mater Jeſu nuptiis intereſſet, cauſa fuit, propter quam filius quoque cum quatuor, vel quinque Diſcipulis, quos Bethabaræ apud Ioannem Baptiſtam collegerat, iiſdem invitaretur. Hæc vero perſonarum, quæ minime expectabantur, acceſſio, cauſa fortaſſe fuit, ut vinum deficeret: quod locum præbuit SS. Virgini dicendi filio ſuo, vinum deeſſe. Neque dubitavit illa, quominus in cœna nuptorum gratiam miraculum aliquod operaretur, ne illi ob vini defectum
B pudore ſuffunderentur.

Quæritur, cur JESUS CHRISTUS una cum Matre, atque Apoſtolis ſuis his nuptiis interfuerit? Videtur quippe ſuris, atque auſtera vita, a qua nec tranſgreſſum quidem, ut ajunt, unquam diſceſſerat, minime convenire cum lætitia, atque hilaritate, quæ ut plurimum in hujuſmodi ſolemnitatibus inveniuntur. Patrum plerique [9] putant, hoc factum, ut præſentia illius conjugium probaretur: alii [10] eum per humilitatem dignatum fuiſſe nuptiis cum pauperibus intereſſe, ubi nihil erat magnificum, nihil opipare conditum; quemadmodum alibi peccatorum, atque Publicanorum convivio interfuit, ut illos Deo lucraretur. Veri etiam ſimile eſt, cum ibi complurimi ex conſanguineis illius, atque ii omnes Diſcipuli, quos hactenus collegerat, adeſſent, voluiſſe coram illis primum mira-

1 Ita Epiphan. hæreſ. 51. Thom. Lyr. Brug. Men. Bez. Tolet. Janſ. Cornel.
2 Epiphan. hæreſ. 78. Maldonat. Grot. Ligfoot. 3 Nicephor. lib. 8. hiſt. cap. 30. Baronius. Vide & Ligfoot. Harmon. 4 Matth. 10. 4. Marc. 3. 8.
5 Rupert. in Joan. lib. Oſor. ſerm. de ſancto Joanne. Ligfoot. Harmon. pag. 169.
6 Beda. Smaragd. Abb. S. Michaelis ad Moſam, Collect. in Evang. & epiſtol. in feſto S. Joan. Evang. fol. 10. Lyran. Carthuſ. hic. D. Thom. 2. 2. qu. 185. art. 4. Soto in 4. Diſt. qu. 27. qu. 1. ad 4. alii. Ita & Præfationes vulgo præfixæ Evangelio, & Apocalypſi Johannis.
7 Epiphan. hæreſ. 58. Ambroſ. de Symbolo cap. 30. de Inſtit. Virg. cap. 72. Chryſoſt. de Virg. c. 82. Paulin. Epiſt. 4. Hieronym. in Iſai. contra Jovin. l. 1. cap. 14. 8 Aug. in Joan. Tract. 124. n. 7. & l. de Virgin. c. 49.
9 Ammon. in Catena. Auguſt. olim. ſerm. 41. nunc 121. et Tract. 9. in Joan. Cyrill. Euthym. hic. Theodoret. de Divin. Decret. alii. 10 Chryſoſt. hic homil. 20. Theophylact. alii.

culum ſuum operari, ut & eorum, a quibus Meſſiæ loco habebatur, fidem confirmarat, & ab iis cognoſceretur, qui in ipſum nondum crediderant.

℣. 3. DEFICIENTE VINO.] Non expectavit SS. Virgo, donec vinum omnino deeſſet; verum cum ſenſiſſet, illud jam deficere [1], Filium admonuit, ut egeſtati conſuleret. Salvatoris poteſtatem minime ignorabat, eique nihil difficile eſſe cognoverat. Fortaſſe etiam alias in ſecretis familiæ ſuæ latebris, verbo ſuo parentem egeſtatibus ſuppleverat, & panem, aut vinum multiplicaverat [2]. Ad hæc, Sancta Virgo arbitrari potuit, jam adveniſſe horam, qua manifeſtaretur Filius ſuus, quandoquidem aliquot jam Diſcipulos adſciverat. Denique cum illius præſentia, atque recentium horum hoſpitum adventus, qui minime expectabantur, defectum hunc peperiſſent [3]; credidit, non deeſſe occaſionem, & jure ſe ab eo hoc miraculum petere. Id ſatis oſtendit, has nuptias fuiſſe pauperum hominum, quibus non tantæ eſſent opes, & facultates.

Veteres quidam [4] hoc in loco parum caute locuti ſunt de SS. Virginis virtute, dicentes, illam quodam vanitatis, atque ambitionis motu actam ex filio miraculum petiiſſe, ut ipſa quoque aliquam gloriam nanciſceretur. JESUM vero, ut matris ambitionem hanc inhiberet, illi duriuſcule reſpondiſſe: *quid mihi & tibi eſt mulier?* hæ ſententiæ apud antiquos adnotandæ ſunt, ut excuſentur, atque ad aliorum Patrum regulam revocentur [5], qui hanc Mariæ actionem illius tribuunt charitati, atque erga recentes ſponſos miſerationi.

℣. 4. QUID MIHI, & TIBI EST MULIER?] Quocumque modo hæc verba flectantur, ſemper tamen durum aliquid in ipſis occurrit. Adhibentur autem, ut plurimum, ubi indigitare velis, tibi minime placere alios tuis ſeſe immiſcere negotiis [6]. Deinde hæc vox *mulier* pro *mater*, aliquam adhuc ſeveritatem oſtendit. Hæretici complures his verbis abuſi ſunt: alii, ut aſſererent, SS. Virginem non fuiſſe JESU CHRISTI Matrem [7]; & hunc vere carnem minime ſumpſiſſe; alii, ut eamdem Virginem minime ſanctam fuiſſe dicerent [8]: ſed Patres mitiori in ſenſu [9], hæc verba explicuerunt, dicentes, Salvatorem hoc innuere voluiſſe: numquid noſtra intereſt mater, ſi ſponſis vinum deeſt? Hoc mihi negotium debet facaſſere? Veteres alii [10] putarunt, Salvatorem per hæc verba oſtendere voluiſſe SS. Virgini, illam prævertere non debere momenta a Cœleſti Patre ſtatuta, atque in illius petitione intempeſtivum aliquid ſe ſe offendere crediderant.

Denique autumant plerique [11], Salvatorem iſthic locutum, non tamquam hominem, & Mariæ Filium, ſed tamquam Deum. Quatenus Deus SS. Virgini ait: Quid mihi, & tibi eſt? tuum non eſt, mihi præſcribere tempus, miracula operandi; ego novi momentum illud, quo poteſtas mea eniteſcere debet: ita hoc melioris notæ Interpretes [12] explicant. Putant nonnulli [13], cum Beatiſſima Virgo interpellaſſet JESUM CHRISTUM ad convivas loquentem, & vitæ verbum docentem, correptam fuiſſe, tamquam prohiberet bonum opus, ac longe magis neceſſarium, quam quod in ſponſi gratiam ipſa petebat.

NONDUM VENIT HORA MEA.] Veteres complures [14] hoc de Paſſionis tempore intelligunt. Tempus Paſſionis meæ nondum venit, tunc habebo te tamquam Matrem meam, atque tui curam geram [15]. At hodie ubi agitur, ut miraculum patretur, in Divinitatis meæ ſpecimen, te tamquam Matrem meam non reſpicio. Tua non intereſt, mihi præcipere, quod veluti Deus facere debeo. Hæc verba: *venit hora mea*, hora mea acceſſit, hora mea nondum venit &c. ſæpius in Evangelio Paſſionis tempus deſignant [16]: hic tamen aliud ſignificant. Quærebatur ex eo, ut miraculum operaretur, & ſuam gloriam, atque poteſtatem manifeſtaret: Ait ille, hoc tempus nondum veniſſe [17], atque id ſe præclare facturum, ubi tempus acceſſerit. Expectabat, Patres inquiunt [18], ut vinum omnino deeſſet, ne crederetur dumtaxat illud auxiſſe, vel ſimpliciter aquam cum vino immiſcuiſſe. Volebat, ut miraculum, quod primum operabatur, omni procul dubitatione careret, ejuſque tot eſſent teſtes, quot erant in nuptiis convivæ.

℣. 5. QUODCUMQUE DIXERIT VOBIS, FACITE.] Intellexit B. Virgo, vel ex ſigno aliquo, vel ex vocis ſono, vel ex nutu oculorum Salvatoris, illum decreviſſe id explere, quod ipſa petierat [19]: opperiri tamen momentum ad id efficiendum opportunum. Miniſtrantibus ergo ait, ut omnia efficerent, quæ ille juberet; neque ulterius urgere perſtitit, certa futurum, ut pauperum eorum egeſtati conſuleret. S. Gregorius Nyſſenus [20] ita legit verſ. 4. *quid mihi, & tibi eſt mulier?* numquid ſum adhuc tibi ſubjectus, *nondum ne venit hora mea?* nonne eam attigi ætatem, qua facta mea, meamque vivendi rationem inire poſſim, atque illud conſiliis capere, quod in rem aptius crediderim? ex his verbis intellexit Maria, illum paratum quidem eſſe, ut miraculum patraret; at nolle credi, ſe miraculum illud aliqua humana ductum ratione operari.

℣. 6. ERANT IBI HYDRIÆ SEX POSITÆ.] Omnes hæ circumſtantiæ adeo diligenter allatæ miraculi magnitudinem adaugent; non enim parvulam vini copiam immutavit JESUS; potuiſſet etiam cum ſervis aliquis eſſe conſenſus, ut obraderentur lagunculæ quædam, quæ antea celatæ fuiſſent: immo neque vinum producere voluit in vaſibus ad liquorem hunc continendum deſtinatis; dixiſſet enim fortaſſe quidam, fæces, odorem, ac ſpiritum vini, quod ibi antea fuerat, communicare potuiſſe colorem aliquem, & odorem aquæ ſuperinjectæ. Operatus eſt hoc miraculum in ſex hydriis magnis, ſingulis, binas, vel ternas metretas capientibus.

Metreta menſura erat apud Athenienſes communis, continens vini libras nonaginta. Sed cum libra Attica noſtrati minor ſit, nonaginta Atticæ Gallicas noſtrates reddunt circiter ſexaginta. Itaque tres metretæ efficiunt centum, & octoginta pondo, & metretæ duo centum ac viginti. Si ſupponas, ex ſex illis urnis tres continuiſſe metretas tres, ac reliquas dumtaxat duas; hæ ſimul erunt pondo nongentæ vini libræ. Agricola refert, metretam libras centum capere. Alii vero quinque tantum, & viginti. Dominus Pelletier Rothomagenſis aſſerit, metretam camdem eſſe, ac *bath*, vel

1 Vide Maldonat. hic, Grot. Ligfoot. 2 Ita Quid. apud Maldonat. Cleric.
3 Rupert. hic, et Maldonat. 4 Chryſoſtom. Theophylact. Euthym.
5 Cyrill. Rupert. hic. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 18. Bernard. ſerm. 1. in hæc verba.
6 Judic. 11. 12. 2. Reg. 19. 22. et 4. Reg. 9. 18. 19. Matth. 8. 29. et 27. 19.
7 Montaniſtæ, Manichæi, Valentiniani apud Origen. in Catena G. Auguſt. hic, Tract. 8. in Joan.
8 Vide Gaudent. Tract. 9. Hieronym. in Comment. 9 Juſtin. ſeu alius quæſt. 136. ad Orthodox. et ita fere Epiph. hæreſ. 79 Euthym. alii quidam. 10 Chryſoſt. Euthym. Theophylact. Ammonius.
11 Origen. in Caten. Auguſt. hic, & Tract. 119. et lib. de fide, et ſymbolo cap. 4. et lib. de fide ad Catech. cap. 5. Regiſt. lib. 8. cap. 42. alii plures. 12 Mald. Brug. Varab. Ligfoot. Tir. Men. alii.
13 Mariana, Notæ in novum Teſtamentum. Vide quoque Grotium.
14 Origen. et Auguſt. hic. Theophil. Antiochen. lib. 4. Allegor. Gaudent. Tract. 9. de Lection. Evang. Beda, Euthym. Iren. lib. 3. cap. 18. &c. 15 Joan. 19. 26. 27.
16 Matth. 26. 45. Marc. 14. 35. Joan. 7. 30. 8. 20. 13. 1. 17 Ammon. et Apollinar. in Caten. Gr. Chryſoſt. Theophylact. Euthym. Juvencus hic. 18 Auguſt. Chryſoſt. Theophylact. Euthym. Grot. Brug. Maldonat. alii. 19 Chryſoſtom. Cyrill. Theophylact. Euthym. Maldonat. alii.
20 Nyſſen. homil. in illa verba. 1. Cor. 15. 28. *Tunc & ipſe filius &c.*

vel epha [1] Hebræorum, quæ menſura cava eſt, triginta circiter liquoris pintas continens. Plautus [2] navis unius onus trecentas facit metretes. Ita Salvator abunde vinum convivis ſuppeditavit in omne tempus nuptiarum, quæ ſeptem diebus peragebantur.

Urnæ hæ erant lapideæ, videlicet ex ſpecie quadam lapidis alabaſtritis, vel ophitis, qui effodiebatur, atque torno facile elaborabatur, ita ut vaſa ad liquores capiendos commode fierent; de quo vaſorum genere [3] locutus eſt Plinius. Homerus quoque Odyſſ. N. licet multo antiquior eorumdem meminit, & adhuc oſtenduntur quædam in theſauris quarumdam Eccleſiarum, eæque ex his eſſe cenſentur, quibus in nuptiis Canæ uſi ſunt. Hydria illa, quæ in Abbatia Portus Regii Pariſiis conſpicitur, maxime inſignis eſt. Pater Lancellotus, qui quamdam concinnavit Diſſertationem de urna hac, editam in Chronologia ejuſdem in magna Vitræi Biblia ait, eam capere duas, & quinquaginte circiter pintas, hoc eſt duas fere metretas, quas ſex, & quinquaginte pintas paulo minus ait continere. Vas hoc lapideum eſt, vel ex albenti marmore lævigatum, & adeo ſolido confectum, ut duo valentes homines vix illud movere poſſint, licet vacuum. Os illius ſatis latum eſt, ut inde liquor hauriri poſſit. Ego ipſe in illius latere deprehendi litteram Hebraicam *Caph*, quæ prima eſt vocis *Cad* hydriam, vel urnam ſignificantis; vel *Beth*, quæ prior eſt litteræ in voce Bath, quæ eadem eſt menſuræ ac Epha.

Hydriæ iſtæ illic aderant, ut Judæorum purificationibus inſervirent, ſeu ut ſuppeditaretur aqua iis, qui ſe ſe expiare vellent, pedibus, manibuſque abluendis; ſeu ut pocula, cultri, aliaque menſæ ſupellex eluerentur. S. Marcus 7. 4. ait, Judæos non comedere, ubi domum veniunt, niſi prius manus abluerint, a cubito ad ſummos digitos: illiſque plura eſſe genera purificationum, quibus pocula, lectulos atriclinares, alia quoque id genus emundant. In hunc uſum appoſitæ erant hydriæ, quæ ſex erant, atque adeo ingentes, propter magnam convivarum frequentiam.

℣. 7. IMPLETE HYDRIAS AQUA.] Potuiſſet quidem in vacuis hydriis vinum creare: ſed maluit aquam adhiberi, ut omnes intelligerent, nihil adeſſe vini, ne ſuſpicio incederet doli alicujus, & ne famuli accuſarentur, quod ſecreto & ex conſenſu Ieſu Chriſti hydrias illas vino repleſſent; quamobrem noluit ipſe eaſdem ſuis manibus tangere, ſed ab aliis juſſit repleri, qui irreprehenſibiles eſſent tanti miraculi teſtes [4] futuri.

℣. 8. HAURITE NUNC.] Hæc tranſmutatio facta eſt eodem temporis momento, quo hydriæ repletæ fuerunt, & Ieſus præcepit, ut ad majorem rei certitudinem ſtatim vinum hauriretur. *Architriclinus* proprie ſignificat illum, qui convivii curam gerit, quæ alicui ex amicis ſponſi concredebatur [5]. Omnia ille procurabat, omnibus invigilabat, ſervis mandata præbebat, atque ubi tempeſtivum cenſebat in menſam afferri, vel inde efferri jubebat [6]. Architriclini officium bis verbis a Jeſu filio Sirach Eccli. 32. 1. deſcribitur: *Rectorem te poſuerunt; noli extolli: eſto in illis quaſi unus ex ipſis. Curam illorum habe, & ſic conſide, & omni cura tua explicita, recumbe, ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem conſequaris corrogationis.* Architriclini erat libare, ac diſtribuere vinum, atque præſcribere cyathorum numerum a ſingulis convivis hauriendorum [7]. Ad hunc Salvator mittit vinum guſtandum, qui præ cæteris magis de ejuſdem qualitate judicare poterat; Sobrius quippe erat, neque vino captus; & alioquin hoc illius erat officium. S. Chryſoſtomus, Severus Antiochenus, atque Theophylactus credunt, vinum hoc fuiſſe præſtantiſſimum, ita ut numquam ſimile quis biberit. Patres paſſim utuntur hoc immutationis exemplo, ad eam confirmandam, quæ de vino in Jeſu Chriſti ſanguinem in Euchariſtia peragitur.

℣. 9. NON SCIEBAT, UNDE ESSET.] Nam quemadmodum dictum eſt, illius intererat ultro citroque meare, ut omnia ſuo juſſu diſponeret. Ignorabat, quid a Ieſu Chriſto imperatum fuiſſet, & quid a ſervis peractum. Illius abſentia, atque ignorantia adhuc miraculi veritatem commendant, atque teſtantur [8].

VOCAT SPONSUM ARCHITRICLINUS.] Seorſim illum adducit, quæſiturus ab eo, cur nam ad illud uſque tempus differri juſſiſſet vinum adeo exquiſitum; vel ſimpliciter ad illum accedit, eique ait, in omnibus conviviis, primum quidem generoſius vinum apponi, deinde vero deterius, cum convivæ mero ferveſcentes de illius pretio amplius judicare non poſſunt: *& cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt.* Tunc enim Horatius ſerm. l. 2. Sat. 8. ait:

Fervida ſubtile exſurdant vina palatum.

Hoc in loco, quemadmodum ſexcentis aliis, *inebriari*, nequaquam ſignificat turpi, atque flagitioſo modo ſe ſe mero ingurgitare; ſed innuit ſolum generoſius potare, copioſius bibere. Non ſecus ac ſaturari, ſignificat eatenus manducare, quatenus opus habes: ita *inebriari* bibere, donec egeas mero. Ex. gr. dicuntur fratres Joſeph [9] ſe ſe inebriaſſe cum illo, hoc eſt bibiſſe, quantum ſitis ſua exquirere poterat. Et Aggæus 1. 6. ad Judæos loquens: *comediſtis, & non eſtis ſaturati; bibiſtis, & non eſtis inebriati.* Hoccine ingens eſt malum, non inebriari? attamen teſtatur Deus, ſe hoc pacto Judæos mulctaſſe. Eo in loco, quem explicamus, moralis etiam ſuppetit ratio prohibens, ne verbum illud ad litteræ apicem intelligamus. Etenim Beatiſſima Virgo efflagitaſſet ne Filium, ut vinum præberet illis, qui jam ebrii eſſent? & Jeſus Chriſtus miraculum hoc efficere voluiſſet, ut illi magis, magiſque in ebrietatem laberentur? hoc ſane idem fuiſſet, ac venenum illis præbere, quo ſibi mortem conſciſcerent.

℣. 11. HOC FECIT INITIUM SIGNORUM JESUS.] Veteres nonnulli [10] tenent, ante hoc miraculum a Jeſu nullum fuiſſe patratum; atque Evangeliſtam iſthic innuere, hoc primum eſſe & eorum, quæ fecit in Cana Galilææ, & eorum, quæ ubilibet operatus eſt. Cenſet econtra Maldonatus, Salvatorem alia plurima inter domeſticos parietes ante patraſſe, quæ Matri Sanctiſſimæ tantum, atque Beato Joſeph, dum viveret, erant comperta; atque inde obortam Sanctæ Virgini confidentiam, ab eo hac in occaſione miraculum petendi; quæ ſententia minime adverſatur Evangeliſtæ, hoc referenti dumtaxat miraculum, quod primum operatus eſt Jeſus, ut gloriam ſuam manifeſtaret, atque divinitatem ſuam diſcipulis oſtenderet. Veteres legebant librum quemdam de Jeſu Chriſti pueritia, qui prorſus miraculis refertus erat; ſed opus illud jampridem inter apocrypha amandatum fuit.

CREDIDERUNT IN EUM DISCIPULI EJUS.] Diſcipuli Jeſu Chriſti in illum crediderant, ex quo eumdem viderant, & audierant; atque fidei ſuæ argumentum vel illud fuit, quod eumdem fuerant ſecuti; Miraculum

1 Vide ad 1 caput Geneſis noſtras tabulas de ponderibus, et menſuris veterum Hebræorum. Grotius, Ludovicus de Dieu, Ligfoot putant, metretam eſſe *bath*, vel *Epha*. Capellus metretam ait, capere 120. vel 125. liquoris libras.
2 Plaut. prolog. *Mercatoris navim metretas quæ trecentas tolleret paraſſe.*
3 Plin. lib. 36. c. 22. *Eſt ophitis lapis quo vaſa, & etiam cados faciunt. In ſiphno lapis eſt qui cavatur, tornaturque in vaſa coquendis cibis utilia, vel ad eſculentorum uſus.*
4 Chryſoſt. Theophyl. Euthym. 5 Mald. Brug. Eraſm. Grot.
6 Gaudentius Brixian. Tract. 9. *Nuptiæ apud Judæos cum fierent, quantum ex traditione comperimus, dabatur de Sacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legitime gubernaret, curamque pudoris ageret conjugalis, ſimul & conviviorum apparatum, miniſtros atque ordinem diſpenſaret; & his pro officio architriclinus, hoc eſt triclinii propoſitus diceretur.* 7 Vide ad Eſt. 1. c. 8 Chryſoſt. Mald.
9 Gen. 43. ult. 10 Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Vide & Author. hiſt. Scholaſt.

ſum vino, de quo modo locuti ſumus, & cujus illi teſtes fuerunt, illos magis magiſque in ſide confirmavit [a].

℣. 12. Post hoc descendit Capharnaum.] Civitas hæc poſita eſt in occiduo maris Tiberiadis littore, ubi Jeſus Christus plurima patravit miracula, Luc. 4. 23. & quo aliquanto poſt, relicta Nazareth, ſuam ſedem tranſtulit, Matt. 4. 13. A Cana ad Capharnaum non ultra, quam quinque, vel ſex ad ſummum intererant leucæ. Credit Origenes [2], neque a veri ſpecie recedit, Jeſum Capharnaum veniſſe ſextu dumtaxat die poſt miraculum, de quo ſermo fuit, videlicet poſt peractam nuptiarum ſolemnitatem, quæ ſeptem diebus peragebatur.

℣. 13. Prope erat Pascha Judæorum.] Paucos dumtaxat dies Capharnai permanſit, ſed tertia, vel quarta die, ex quo illuc acceſſerat, ſe contulit Jeroſolymam. Hoc eſt primum Paſcha, quod poſt baptiſmum ſuum Jeſus celebravit: tertium agebat ille ætatis ſuæ annum ſupra trigeſimum, qui trigeſimus erat Æræ Vulgaris.

℣. 14. Invenit in Templo vendentes &c.] Hoc accidit mane vigiliæ Paſchatis. Mercatores hi vendebant hoſtias pro ſacrificiis, atque in exterioribus atriis ſubſiſtere conſueverant. Non exiguum Sacerdotibus ex hujuſmodi negotiationibus lucrum cedebat, atque ob turpem quæſtus aviditatem, Sanctum locum pollui patiebantur. Nunc primum uſus eſt Ieſus Christus hac ſeveritate in eos, qui mercibus ſuis tranſigendis templum coinquinabant; quod ipſum præſtitit iterum quibuſdam diebus ante Paſſionem ſuam, quemadmodum apud alios Evangeliſtas ſumus intuiti [3]. Zacharias 14. 21. jampridem portendebat, futurum ut Meſſiæ tempore nulli amplius eſſent in domo Dei mercatores: *Non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illa*.

Nummularios.] Hi ex pecuniarum permutatione ad commodum eorum, qui ex remotiſſimis regionibus in Templum accedebant, lucrum quærere conſueverant. Eorum quippe aurum, argentumque numerata permutabant pecunia, variiſque formis cuſa, ut illi oblationes ſuas perſolvere poſſent [4].

℣. 15. Cum fecisset quasi flagellum de funiculis.] Arripuit funes, quos primum invenit, iiſque tamquam flagello uti cœpit, ut boves, atque arietes, qui in templo venibant, abigeret. Non baculo, neque virgis uſus eſt, hujuſmodi enim res in Templum inferre minime licebat, inquiunt Rabbini.

Nummulariorum æs.] Græcus [5]; *eorum menſam*. Trapezitarum pecuniam.

℣. 18. Quod signum ostendis?] Senatus, atque Sacerdotes hanc negotiationem patiebantur. Quam Dei natum, vel Prophetæ illius intererat prohibere, atque interdicere. At nemo tamquam propheta agnoſcitur, niſi miracula operetur, vel certiſſima portendat, quæ effectu probantur. Ieſus nullum miraculum fuerat operatus coram illis, quos alloquebatur: videbantur ergo non injuria ex eo petere, quonam jure hoc auderet.

℣. 19. Solvite Templum hoc.] Hoc ſimul & miraculum eſt, & prædictio. Prædicit Ieſus Christus reſurrectionem ſuam, omnium videlicet miraculorum ipſius maximum: verum adeo obſcure illam prædicit, ut qui loquentem audiebant, minime intelligerent, Templi nomine Corpus ſuum intelligebat, eoſque jubebat facere, quod mox erant facturi. *Solvite Templum hoc*: meum corpus occidite. Scio, vos mihi necem illaturos; verum reviviſcam, atque reſtituam Templum hoc a vobis everſum. Ille fortaſſe geſtu aliquo ſeipſum indigitavit, cum hoc diceret, ut ſe de corpore ſuo verba facere oſtenderet. Non merebantur Iudæi, ut magis perſpicue ad illos loqueretur. Si rectum illis fuiſſet cor, facile intellexiſſent facti ejuſdem juſtitiam, quam ſatis probabant ea verba, quæ adverſus mercatores protulerat; *nolite facere domum Patris mei Domum negotiationis*. Neque illud obſcurum erat miraculum, quod unus dumtaxat homo, inermis, ſine auctoritate, ſine nomine, adeo facili negotio eos mercatores expulerit, invitis Sacerdotibus, ac populo invito: immo audet S. Hieronymus [6] aſſerere, factum hoc mirabilius fuiſſe præ cæteris, quæ Salvator umquam ediderit.

Ait, Corpus ſuum eſſe Templum. Profecto Divinitas ibi vere, ac realiter, intrinſecu, atque hypoſtatice permanebat: *in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, quemadmodum ait S. Paulus ad Coloſſ. 2. 9. cum in Sanctis ſpiritualiter tantum, atque per gratiam inhabitet [7], quos tamen Apoſtolus Templum Dei eſſe dicit 1. Cor. 3. 16. *Templum Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos*: & 1. Cor. 6. 19. *an neſcitis, quoniam membra veſtra Templum ſunt Spiritus Sancti?*

Ieſus Iudæis inquit: *ſolvite Templum hoc*, pro, *illud ſolvetis*, juxta communem Scripturarum loquendi rationem [8], ubi imperativus modus pro futuro temporis uſurpatur. Denique hic illis tradit, quemadmodum aliis quibuſdam in locis [9], futuræ Reſurrectionis ſuæ ſignum; quoniam eorum incredulitatem, atque cordis nequitiam exploratam habebat: neque digni erant, quibus alia miracula præberentur. Attamen deinceps tot, tantaque operatus eſt, ut omnem illis prorſus excuſationis anſam abſtulerit: *ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum*, Ioan. 15. 24. Ex hoc Sancti Iohannis loco, quem Iudæi perperam intellexerunt, Ieſum Christum Paſſionis tempore criminandi cauſam [10] arripuerunt, quod videlicet minitatus eſſet, ſe templum Dei deleturum, ac illud triduo reædificaturum.

℣. 20. Quadraginta, et sex annis ædificatum est.] Hi ſex anni, & quadraginta crucem interpretibus figunt; Templum enim, de quo Iudæi loquuntur, eſſe non poteſt Templum Salomonis, quod multo pridem a Nabuchodonoſor fuerat everſum, & quod ſeptem annis a Salomone conſtat ædificatum, 3. Reg. 6. 38. Neque illud eſt, quod poſt reditum de captivitate Zorobabel ædificavit; hoc enim ab Herode inſtauratum, atque reædificatum ex ipſis, ut ita dicam, fundamentis fuerat. Cæterum illius ſubſtructioni novem, ac decem, vel ad ſummum viginti inſumpti fuerant anni, recenſito etiam eo tempore, quod interceſſit ab interdicto ædificii illius maturandi, quod Cyro imperante emanavit [11], uſque ad Regnum Darii filii Hyſtaſpis, qui ut Templum perficeretur, permiſit, 1. Eſdr. & Agg. 1. 4.

Hoc igitur omnino fuerit templum recens ab Herode ædificatum, quod opus inchoatum fuit annis ſex, & quadraginta ante primum Salvatoris noſtri Paſcha [12]: Herodes in eo opere novem annos cum dimidio inſumpſit [13]; verum deinceps nova ſemper opera illi addita ſunt, atque complures ornatus ad illud uſque tempus, quo Salvatori dicebant Judæi: *quadraginta, & ſex annis ædificatum eſt Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Templi ædificatione peracta populus videns duodeviginti artificum millia, quæ hactenus huic operi inſudaverant, otiari, Agrippam impulit, Ioſepho teſte Antiq. l. 20. c. 8. ut Orientalis atrii ſtructuram

---

a Origen. in Caten. Theophylact. & Juvencus, Maldon. alii hic.
2 Origen. in Catena Gr. Vide & Toynard. Harmon.
3 Matt. 21. 12. Marc. 11. 15. Luc. 19. 45.
4 Eraſm. Brug. Ligfoot. Vaſes.
5 Τὸ κέρμα, a κείρω, in fruſta inſidere.
6 Hieronym. in Matth. 21. 12. Vide & Grot. hic, & Origen.
7 Vide Hilar. de Trinit. lib. 8. Ambroſ. in Pſal. 47. Cyrill. lib. de recta fide ad Regin. & alios.
8 Geneſ. 20. 7. 42. 18. Deuter. 32. 50. Iſai. 54. 1. 8. 10. Joann. 13. 27. &c.
9 Matth. 12. 39. & Luc. 11. 29.
10 Matth. 26. 61. & 27. 40. Marc. 14. 58.
11 1. Eſdr. 4. 21.
12 Vide Uſſer. ad ann. Mundi 3987.
13 Joseph. Antiquit. lib. 15. cap. 14.

ctoram aggrederetur, quæ ipſa maximo ſteterit ſumptu, A
atque diuturnum laborem abſumpſit.

℣. 22. Cum ergo resurrexisset &c.] Diſcipuli non intellexerant, quid Jeſus Chriſtus dixiſſet: crediderant, non ſecus ac Judæi, ipſum de materiali Domini Templo locutum. Sed poſtquam ille reſurrexit, *crediderunt Scripturæ*, quæ de illius morte, atque reſurrectione loquebatur, & plane verbum Domini adimpletum viderunt in everſione, atque inſtauratione Templi, videlicet in Corporis ipſius morte, atque Reſurrectione.

℣. 23. Multi crediderunt in eum.] Salvator dies aliquot Jeroſolymis permanſit intra octiduum Paſchatis, ibique plurima miracula operatus eſt [1], quæ illi maximam diſcipulorum frequentiam compararunt; inter cæteros vero Nicodemum, de quo capite ſequenti B verba fient. Quæ ille hac in ſolemnitate patraverit miracula, neſcimus; verum oportet, & ſatis magna, & magno numero fuiſſe, ut multitudini perſuaderent, quæ ad credendum nullatenus erat diſpoſita. Veteres quidam [2] putarunt, illos ſincere Salvatori minime credidiſſe: propterea quod ſequenti ℣. dicitur Jeſus illis ſe ſe non credidiſſe: quod mox ſumus explicaturi.

℣. 24. Jesus autem non credebat semetipsum eis.] Patres unanimi conſenſu [3] credunt, hoc verbum *eis*, referri ad illos ipſos; de quibus ſuperiori verſiculo ſermo fuit: Jeſus ſe non credebat; eo quod illos intus, & in cute noverat: *eo quod ipſe noſſet omnes*. Sciebat eorum infirmitatem, inconſtantiam, levitatem: ſciebat, primo quovis tempore ſe ab illis derelinquendum; humilitatem, Paſſionem, Crucem, ac doctrinam ſuam illis ſcandali occaſionem futuram. S. Auguſtinus [4], aliique nonnulli primas hoſce credentes Catechumenis comparant, qui credunt in Jeſum, nomen illius confitentur, Cruce illius ſe ſignant: ſed Jeſus non credit ſeipſum illis, non credit illis myſteriorum ſuorum cognitionem: illis religionis ſuæ arcana non detegit. Alii vero [5] hoc explicant de Judæis aliis, non illis, qui in Jeſum crediderunt. His Salvator ſe non credabat, ſed illis ſolum, qui credebant in ipſum. Prior ſenſus melior eſt.

℣. 25. Opus ei non erat, ut quis testimonium &c.] S. Johannes in id incumbens, ut ſemper Jeſu Chriſti probet divinitatem, oſtendit, illum penitiores humani cordis latebas perſcrutari, quod Dei unius proprium eſt [6].

1 Hic verſ. 23. & Ioan. 8. 2. 4. 45. 2 Chryſoſt. Theophyl. Euthym.
3 Origen. Chryſoſtom. Cyrill. Auguſt. Beda, Theophylact. Rupert.
4 Aug. Cyrill. Beda hic. 5 Quid apud Mald. 6 3. Reg. 8. 39. & 1. Par. 28. 9. & 2. Paral. 6. 30. & Iob. 42. 2. Eccli. 42. 19. Pſal. 32. 15. Iſai. 19. 25. Vide Aug. Cyrill. Chriſ. hic.

C A P U T III.

Nicodemus convenit JESUM CHRISTUM, a quo eruditur. Contentio de baptiſmate oborta inter diſcipulos S. Johannis, & JESU CHRISTI. S. Johannes JESU minor. Ille pronubus eſt dumtaxat, ac Spiritum accepit in menſura.

1. ERat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. 2
Hic venit ad Jeſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus, quia a Deo veniſti
magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus
cum eo. 3 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei. 4 Dicit ad eum Nicodemus:
Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? numquid poteſt in ventrem matris
ſuæ iterato introire, & renaſci? 5 Reſpondit Jeſus: Amen, amen dico tibi: niſi
quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.
6 Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.
7 Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos naſci denuo. 8 Spiritus, ubi vult,
ſpirat: & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quo vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu. 9 Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri? 10 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc
ignoras? 11 Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. 12 Si terrena dixi vobis,
& non creditis: quomodo, ſi dixero vobis cœleſtia, credetis? 13 Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cælo. 14
Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis: 15 Ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.
16 Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis,
qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. 17 Non enim miſit
Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per
ipſum. 18 Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. 19 Hoc eſt autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera. 20 Omnis enim, qui male agit, odit lucem,
& non

& noo venit ad lucem , ut non arguaotur opera ejus : 21 Qui autem facit verita-
tem , venit ad lucem , ut manifeſtentur opera ejus , quia in Deo ſunt facta . 22
Poſt hæc venit Jeſus , & diſcipuli ejus , in terram Judæam ; & illuc demorabatur
cum eis , & baptizabat . 23 Erat autem & Johannes baptizans in Ænnon , juxta
Salim : quia aquæ multæ erant illic , & veniebant , & baptizabantur . 24 Nondum
enim miſſus fuerat Johannes in carcerem . 25 Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis
Joannis eum Judæis de purificatione . 26 Et veoerunt ad Johannem , & dixerunt
ei : Rabbi , qui erat trans Jordaoem , cui tu teſtimooium perhibuiſti , ecce hic ba-
ptizat , & omoes veniunt ad eum . 27 Reſpondit Johannes , & dixit : Noo poteſt
homo accipere quidquam , niſi fuerit ei datum de cœlo . 28 Ipſi vos mihi teſti-
monium perhibetis , quod dixerim : Non ſum ego Chriſtus , ſed quia miſſus ſum
ante illum . 29 Qui habet ſponſam , ſponſus eſt ; amicus autem ſponſi , qui ſtat ,
& audit eum , gaudio gaudet propter vocem ſponſi . Hoc ergo gaudium meum im-
pletum eſt . 30 Illum oportet creſcere , me autem minui . 31 Qui deſurſum ve-
nit , ſuper omnes eſt . Qui eſt de terra , de terra eſt , & de terra loquitur . Qui de
cœlo venit , ſuper omnes eſt . 32 Et quod vidit , & audivit , hoc teſtatur , & te-
ſtimonium ejus nemo accipit . 33 Qui accepit ejus teſtimonium , ſignavit , quia
Deus verax eſt . 34 Quem enim miſit Deus , verba Dei loquitur ; non enim ad
menſuram dat Deus ſpiritum . 35 Pater diligit filium : & omnia dedit io manu e-
jus . 36 Qui credit in Filium , habet vitam æternam : qui autem incredulus eſt Fi-
lio , non videbit vitam , ſed ira Dei manet ſuper eum .

℣. 1. ERAT HOMO EX PHARISÆIS NICODEMUS NOMINE .] Hoc accidit Jeroſolymæ intra octiduum primi Paſchatis , quod Jesus Christus , ex quo prædicare cœpit , ibi celebravit . Nicodemus Senator erat illius Civitatis , & plane magni Sanhedrio membrum [1]. Ajunt [2] , illum Gamalielis fuiſſe nepotem , qui in Apoſtolorum Actis c. 13. 3. memoratur , tamquam S. Pauli inſtitutor ; & qui cum poſt Salvatoris Reſurrectionem baptiſmate ablutus a S. S. Petro , & Johanne in Chriſtianæ Religionis caſtra transfugiſſet , a Judæis in exilium ejectus fuit . A

℣. 2. VENIT AD JESUM NOCTE 1] fortaſſe propter metum Judæorum , qui jam oderant Jesum , licet vix inter illos apparere incœpiſſet , ſeu propter ea , quæ fecerat , de templo mercatores ejiciens , ſeu quod neque ex eorum numero , neque ex eorum ſchola erat , neque miſſus ab illis . B Circa invidiam minime intueri poterant illum tanto fulgore , tantaque celebritate tot miraculis operantem ; alioquin ſatis erat Jesum cum illis non conſentire , ut ab illis tamquam inimicus haberetur . *Qui non eſt mecum, contra me eſt*. Credunt nonnulli , Nicodemum nocte acceſſiſſe , ne aliquid deperiret de Senatoris dignitate , & auctoritate Legisperiti . Turpe quodammodo videbatur hominibus , ſi quis ſe profiteretur ſimplicis alicujus viri diſcipulum , qui in humania , atque prophanis litteris penitus rudis , atque hoſpes haberetur .

SCIMUS , QUIA A DEO VENISTI .] At undenam hoc ille norat ? ex miraculis , quæ Salvator ediderat Paſchatis feſtivitate : *nemo enim poteſt hæc ſigna facere , quæ tu facis , niſi fuerit Deus cum eo* . C Sed miracula nonne ſigna ſunt , quæ aliquando fallere poſſunt , quemadmodum Moyſes ipſe docet [3] ? A fide alienum non eſt , Nicodemum conſideraſſe etiam Salvatoris doctrinam , & vitam , antequam ex illius miraculis hoc inferret . Sana erat doctrinæ illius ratio , vita vero integerrima , atque innocens , & miracula miſſionis ejuſdem præclarum teſtimonium perhibebant . Nihil ultra requirebatur , ut prudenter id , quod cœpit conſilii , caperet , ac ſe Jesu Christi diſcipulum profiteretur .

℣. 3. NISI QUIS RENATUS FUERIT DENUO .] Græcus [4] ſignificare poteſt , *niſi denuo natus fuerit* , vel *niſi ex alto natus fuerit* , ſed prior verſio probatior eſt . Ea hac Jesu Christi reſponſione videtur Nicodemus petiiſſe , quomodonam ad Regnum Dei pervenire poſſet ; hoc eſt aſſequi vel æternam beatitudinem vel diſcipulorum Meſſiæ felicitatem , regnumque illius . *Regnum* enim *Dei* apud novi Teſtamenti Auctores [5] , immo & apud Rabbinos [6] pro adventu Meſſiæ uſurpatur : quo regnante Judæi proſperitatem mere temporalem , omniaque ſibi bona pollicebantur . Nicodemus , credens Jesum Christum eſſe Meſſiam , ad illum acceſſit , reſtaturus maximam , qua flagrabat cupiditatem , bonam illius ſibi gratiam promerendi , doctrinam illius percipiendi , ac tandem in partem veniendi Regni illius , quod omnino proximum credebatur .

Jesus Christus illi reſpondet , neminem Regni ſui participem fore , *niſi ſuperne renatus fuerit* ; hoc eſt , niſi recentem atque prorſus cœleſtem vitam incœperit ita diverſam ab animali vita terrenis rebus dedita , quemadmodum Angeli vita , qui humanam carnem indueret , ab ea diſtaret , quam carnales homines ducunt . Hebræi in Religione ſua quamdam habebant ſpeciem regenerationis . Ubi Ethnicus Judæorum ſacris initiari vellet , Baptiſma atque Circumciſio illis conferebantur . Hic baptiſmus [7] erat tamquam nova nativitas , per quam Ethnicus Idololatriam , errores , vereresque habitus abdicabat , atque novus homo fiebat ; & ſi ſervus erat , libertate donabatur . Immo docent Rabbini , illum per hanc celebritatem novam etiam animam recepiſſe , neque habuiſſe amplius conſanguineorum loco , eos , quibus antea ſanguinis vinculis adhærebat ; ſed conditionem , ſtatum , ac religionem ſimul immutaſſe . Non deerant Ethnicis quoque [8] ritus quidam , per quos homo quamdam regenerationis , novæque vitæ ſpeciem recipiebat per publicam , ſolemnemque expiationem .

℣. 4. QUOMODO POTEST HOMO NASCI ?] Non intellexit Nicodemus , quid per hanc regenerationem Jesus innueret ; & fortaſſe majus credidit ineſſe myſterium , quam pro re ; fieri enim minime poteſt , il-
lum

1 Grot. Clerir. alii. 2 Photius Cod 171. 3 Deut. 18. 20. 21. 22. & 13. 1. 2. 3.
4 Ἐὰν μή γεννηθῇ ἄνωθεν. 5 Vide noſtrum Commentarium in S. Matthæum 3. 2.
6 Vide Ligfoot hic. Chald Paraph. ad Iſai. 40. 9. 53. 11. Maimon. in Melachim. per. 11. & in Terbuba. per. 9.
7 Vide Selden. de jure nat. & Gent. lib. 2. c. 2. 3. Ligfoor , & alios hic.
8 Vide Grot. hic antiqua inſcriptio . *Taurobolio , criobolioque in æternum renatus* .

lum ignoraſſe, quid eſſet proſelytorum regeneratio in A populo ſuo frequens uſitata. Hinc Salvator inferius illi ait ℣. 10. *Tu es magiſter in Iſrael & hæc ignoras?*

℣. 5. Ex aqua, & Spiritu Sancto [1].] Ex aqua renaſci, eſt in aquis immergi, & Jesu Christi baptiſmate ablui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Renaſci ex Spiritu Sancto, eſt juſtificantem gratiam recipere, inundare Spiritu Sancto [2], eodem repleri, ac pervadi quemadmodum Apoſtoli illum Pentecoſtes die receperunt. Qui in Eccleſia Chriſtiana baptizantur, in aqua, & Spiritu Sancto baptizantur. Hoc unum quidem duntaxat baptiſma eſt; ſed duplicem effectum parit; primum, quod nos e peccatis emundat; alterum, quod replet Spiritu Sancto. Hoc ipſum alibi exprimit Jesus Christus dicens Matth. 3. 11. *ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* B Sine hoc baptiſmate nemo introire poteſt in *Regnum Dei*, primum quidem in Jesu Christi Eccleſiam, mox vero in cœleſtem beatitudinem. Hæc eſt ea regeneratio, de qua locutus eſt ℣. 3. In hac regeneratione juxta antiquorum ſententiam [3] aqua ceu Mater eſt, & Spiritus Sanctus ceu Pater.

℣. 6. Quod natum est ex carne, caro est [4].] Per communem nativitatem carnales naſcimur, & peccatores. Homo producit tantum hominem mortalem, infirmum, peccatorem, ſimilem ſibi. Sed per ſpiritualem nativitatem, homo Spiritus fit; abſtergitur, emondatur, ſanctificatur: *quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt.* Veteres nonnulli addebant [5]: *quia Deus Spiritus eſt.* Verum hæc additio nullatenus eſt neceſſaria, atque in noſtris exemplaribus non invenitur. C Qui in baptiſmate Spiritum Sanctum, atque juſtificantem gratiam accepit, non eſt amplius caro, ſed ſpiritus; non amplius carnalis eſt, ſed ſpiritualis: recentem omnino vitam vivit: peccatum atque carnis opera [6] omnino relinquit.

℣. 8. Spiritus ubi vult spirat [7].] Ut loci hujus ſenſum aſſequamur, oſtendendus eſt nexus ille, quo cum ſuperioribus, atque ſubſequentibus cohæret. Dixerat Salvator Nicodemo, oportere, hominem iterum renaſci, ut Regnum Dei conſequeretur. Sed Nicodemus, cum non intellexiſſet, quid hæc ſibi vellet regeneratio; hanc illi Jesus explicuit, dicens, eam poſitam eſſe in baptiſmate, & aquæ, & Spiritus. Non erat operoſum intelligere, quid ſignificaret aquæ baptiſma: ſed baptiſma Spiritus obſcurius erat. Hoc D igitur Salvator urget. Non ſecus ac, ait ille, quædam eſt nativitas carnalis, ita & quædam ſpiritualis eſt: carnem quidem parit caro, & Spiritus Spiritum: Et quemadmodum ventus, vel *Spiritus* (hoc enim in loco idem ſignificant) *ubi vult, ſpirat*, modo huc, modo illuc, hodie ſuavis, cras vehementior, atque illius vides effectus, rumorem audis, & percipis motum, quem parit, quin intelligas vel cauſas illum producentes, vel vias, quas ille ſequitur; ita Spiritus Sanctus in humanis cordibus agit, illa ciet, animat, purificat, fovet, ubi vult, & quando vult, vehementiſſima quadam actione, ſed non ſatis explorata. Effectus quidem illius manifeſti ſunt, ſed cauſa corporeis oculis æque latet, ac illa, quæ ventos, turbines, procellaſque producit.

Igitur ſi ventus cauſa eſt admodum efficax, licet ſub ſenſibus noſtris ejuſdem cauſæ non accidat; ita licet non videamus Spiritum Sanctum corda noſtra purificantem, atque inflammantem, non inde inferendum eſt, ipſum minime agere in eadem. Ex effectu judicium faciendum eſt: confer hominem quemdam ad Deum converſum, Deique Spiritu repletum cum alio, qui adhuc in peccatorum ſuorum cœno alte obrutus eſt, & qui præſentiæ illius effectus, & vim nondum percepit; tunc intueberis ſane, quodnam inter utrumque diſcrimen intercedat, atque percipies veritatem eorum, quæ tibi de Spiritus baptiſmate tradidi.

Patres plerique [8] *Spiritus* nomine hoc loco Spiritum Sanctum intelligunt. Spirat ubi vult, ciet, animat, emundat, fovet, quem vult. Duriſſima corda conſtringit, frigidiſſima calefacit, aridiſſima vivifico ſuo irrigat rore, & ubi vult, obduratiſſima etiam flectit: verum ſæpius etiam recedit ab illis, qui ei ſuum obſtruunt afflatibus ſuis; contemnit, qui luminibus ſuis oculos claudunt; derelinquit, qui motibus ſuis nolunt cooperari, qui gratiæ ſuæ infideles ſunt, neque ſua bonitate flectuntur. Sententia hæc, quæ tot Patrum auctoritate fulcitur, nonniſi ſummo in pretio habenda eſt.

Verum opinionem, quæ hæc de vento interpretatur, ſequuti ſunt S. Johannes Chryſoſtomus, S. Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Auctor quæſtionum in Vetus, ac Novum Teſtamentum [9] inter S. Auguſtini opera editarum, & recentiores interpretes plerique [10]: eumque ſenſum cum ſequentibus nexus exquirit. Spiritus Sanctus cum ſeipſo comparari non poteſt; at poteſt comparari actio venti cum actione Spiritus Sancti, quoad ſubtilem, & incomprehenſibilem rationem, qua agit uterque, alter quidem in corpora, alter in corda. *Spiritus ubi vult, ſpirat, & vocem ejus audis, ſed neſcis, unde veniat, aut quo vadat; ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu*; vel potius, idipſum accidit in Spiritus Sancti operatione in animam eorum, qui per illum renaſcuntur. Effectus maxime patet, licet agens lateat.

℣. 10. Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?] Credidit S. Auguſtinus, Salvatorem reſponſionem hanc tradidiſſe, quæ duriuſcula videtur, ut Nicodemum humiliorem efficeret, atque aptiorem, ut in diſcipulorum ſuorum album referretur, atque ablueretur Spiritu Sancti baptiſmate, de quo ad illum loquebatur. Credunt alii [11], fortaſſe majori cum veritatis ſpecie, Jesum admirari illius ſimplicitatem, vel ſaltem loqui tamquam admiratione captum. Et ſane legisperitus, Magiſter in Iſrael, Magiſtratus, Membrum Sanhedrin ignorare ne poterat, baptiſma eſſe quamdam regenerationis ſpeciem, & Spiritum Sanctum, ubi in cor aliquod illapſus fuerit, ibi eam permutationem efficere, quæ hominem omnino alium ab eo, qui erat, conſtituit? Vide quod de Saule ſcriptum eſt 1. Reg. 10. 6. *inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Vide etiam, quæ diximus de regeneratione proſelytorum in ℣. 3. & quæ ait Ezechiel Propheta 36. 25. de aqua, qua iniquitates Juda abluendæ ſunt, & de recenti corde, quod illi Deus eſt redditurus.

Quod

1 Author. homil. Clement. ſic legit: Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ ἀναγεννηθῆτε ὕδατι ζῶντι εἰς ὄνομα πατρὸς, υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

2 Vide Cyrill. Jeroſol. Catech. 3. Nyſſen. lib. de Baptiſm. Nazianz. orat. in S. Baptiſm. Cyrill. Theophyl. hic. 3 Chryſoſt. in Joan. 25. Euthym. hic. & Ammon. & Theodor. Mopſ. in Caten. Gr.

4 Tertull. lib. de carne Chriſti, c. 18. Ambroſ. lib. 3. c. 11. de Spiritu S. Cod. Evang. Vetuſtiſſ. in Bibl. Bodl. addunt: *Quia de carne natum eſt.*

5 Hilar. lib. 7. de Trinit. Ambroſ. l. 3. cap. 11. de Spiritu Sancto. Vide & Ivon. Carnot. Ep. 1.

6 Confer. Rom. 7. 14. 1. Cor. 2. 15. Galat. 6. 1.

7 Optat. Milevit. *Deus Spiritus eſt, & ubi vult ſpirat.*

8 Origen. Ammonius, Apollinaris in Caten. Gr. Nazianz. de Spirit. S. c. 11. Aug. in Joan. Tract. 12. & lib. 2. quæſt. ad ſimpl. qu. 1. Author. de mirabil. ſacr. ſcript. lib. 1. c. 34. Greg. Magn. lib. 17. in Job. c. 16. & lib. 6. in Regum, c. 16. Bernard. ſerm. 74. in Canticum. Ambroſ. lib. 3. de Spirit. S. c. 11. Didym.

9 Author. Quæſt. in vet. & nov. Teſt. qu. 59.

10 Bez. Piſcat. Grot. Ligfoot. Chemnit. Martiana. Natal. Alex. Jac. a Lapide, alii.

11 Chryſoſt. Euthym. Theophyl.

℣. 11. Quod ſcimus, loquimur, . . . & teſtimonium noſtrum non accipitis.] Videtur Salvator quodammodo Nicodemo incredulitatem exprobrare; nihil dico, quod perfectiſſime non norim; ſimpliciter mihi fidem habere potes, quin explicationes, atque rationes expoſcas. Sed habes me veluti ſimplicem Doctorem; ac temet ſubmittere renuis iis, quæ dico, niſi rationibus meis vincaris [1]. Hic morbus eſt Sapientum, atque Doctorum hujus mundi virorum; in omnibus ratiocinari cupiunt, & nullum fidei, atque auctoritati reliquum locum faciunt, cui humana mens & lumen, & rationem ſuam in obſequium ſubmittere debent.

℣. 12. Si terrena dixi vobis] facilia, communia, & veluti ex trivio depromta, quomodonam habebitis fidem, ubi cœleſtia, atque longe ſublimiora docuero? Ea, quæ tibi de Spirituali regeneratione propoſui, prima ſunt, ut ita dicam, religionis a me inſtituendæ elementa. Longe majora ſuppetunt mihi myſteria tibi aperienda; verum cor tuum aperiam oportet, ac mentem illuminem, ut ea facilius aſſequaris. Miracula, quæ operor, præcepta, quæ doceo, te extra quamlibet dubitationis aleam certiorem efficere debent, me non eſſe tenebrionem aliquem, aut ſycophantam. Deinceps certiſſima in dies Divinitatis meæ tibi tradam documenta. Nullum igitur periculum ſubis ea credens, quæ aſſero: te fallere nullo modo poſſum. *Terrena* vocat ea, quæ de aquæ, & Spiritus Sancti baptiſmate prædixerat [2], ac præcipue comparationem, qua uſus erat, communis corporum generationis cum ſpirituali regeneratione; & alteram illam ſpiritus, ubi vult, ſpirantis [3], cum motu, quem in cordibus noſtris S. Spiritus imprimit.

℣. 13. Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit.] Hæc eſt probatio eorum, quæ dixerat ℣. 11. *quod ſcimus, loquimur; & quod vidimus, teſtamur.* Si cœleſtes veritates, atque abdita annuntio myſteria, ne credas, me temere loqui. Scio, quid loquar. Hæc enim hauſi ex omnis veritatis fonte, ex ſinu Dei ipſius; de Cœlo deſcendi; ſum Verbum, & Sapientia Patris, illius Unigenitus. Ne dixeris ergo, ea, quæ annuntio, adeo eſſe ſublimia, ut ad Cœlum uſque aſcendendum ſit ad illius explicationem percipiendam, vel oportere, ut de Cœlo Angelus deſcendat, qui eorum verum ſenſum adſtruat. Nemo præter me ad Cœlum aſcendit: unde præter me deſcendit nemo. Ex me uno omnium dubitationum lumen petendum eſt.

Hoc in loco alludebat JESUS illis Deuteronomii 30. 10. verbis: *mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in Cœlo ſitum, ut poſſis dicere: quis noſtrum valet ad Cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus?* atque alteri illi Proverbiorum 30. 3. loco: *non didici Sapientiam, & non novi ſcientiam Sanctorum. Quis aſcendit in Cœlum, atque deſcendit?* His enim locis alludebat, ut diceret, Sapientiam cœleſtia eſſe donum, atque ad Deum uſque aſcendendum, ut illa ex ipſo fonte hauriatur. JESUS CHRISTUS Nicodemo ait, Sapientiam ad homines deſcendiſſe; veritatis, atque ſalutarium cognitionum Auctorem humanam induiſſe carnem, atque inter homines verſari; denique ſeipſum de Cœlo eſſe delapſum ut homines omnem doceret veritatem, itaut nullam excuſationem illis reliquam faceret.

Ait, *neminem aſcendiſſe in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, Filius hominis, qui eſt in Cœlo:* non quod JESUS CHRISTUS ante Incarnationem ſuam de terra in Cœlum aſcenderit. S. Johannes enim ſuperius 1. 1. ait, ipſum

A ab initio fuiſſe in Deo, ibique ſemper fuiſſe: ſed innuit, nullum veterum Patriarcharum, Legiſlatorum, Prophetarum ad Cœlum aſcendiſſe, ut ibi diſceret veritates, atque detegeret myſteria, populo annuntianda: ſe unum de Cœlo veniſſe, ſibique comperta eſſe, atque explorata omnia Patris decreta, omniaque illius Sapientiæ arcana: ſe unum illuc aſcendere, quandoquidem per Divinitatem ibi ſemper aderat, atque erat omnis lucis origo.

℣. 14. Sicut Moyſes exaltavit Serpentem.] Loquitur de genere mortis ſuæ. Ipſe in Crucem attollendus erat, ut omnes homines vitam, atque ſalutem reciperent, non ſecus ac ad ænei Serpentis adſpectum, qui in deſerto a ſerpentibus demorſi fuerant, convaleſcebant [4]. Pergit, Nicodemo proponens cœleſtia myſteria, atque

B præcipua doctrinæ Chriſtianæ capita: ſed hæc illi, tanquam Legisperito, & doctori, ſublimi quadam, impeditiorique ratione proponit. Seipſum comparat æneo ſerpenti, quem Moyſes in deſerto exaltavit. Ait, ſe pro omnium mortalium ſalute veniſſe. ℣. 15. *ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

℣. 15. Ut omnis, qui credit in eum, non pereat.] Non ſecus ac quicumque a Serpentibus demorſi fuerant, ubi oculos convertiſſent in æneam Serpentis imaginem, in ſublimi arbore poſitam, curabantur; ita quicumque oculorum aciem convertent in Filium hominis de Cruce pendentem, qui in illum credent, & in illo omnem ſpem, atque fiduciam conſtituent; non peribunt, ſed vitam æternam habebunt; dummodo tamen hæc fides viva ſit, atque conſtans, eamque charitas animet, & bona opera foveant, ſine quibus

C fides mortua eſt [5], & ſaluti prorſus inutilis [6].

℣. 16. Sic enim Deus dilexit Mundum.] Hoc reconditum eſt myſterium, quod Salvator aperit Nicodemo. Superius de regeneratione filiorum Dei, de auctoritate Filii hominis, qui de Cœlo ad veritatem docendam deſcendit, deque morte ſua, cujus figura fuit æneus ſerpens a Moyſe in deſerto exaltatus, verba fecit; nunc de Incarnatione ſua, & eximia Cœleſtis Patris charitate verba facit, qui eo uſque mortales dilexit, ut ad nos ſalvos faciendos Unigenitum ſuum tradere dignatus fuerit. Hæc majora ſunt Chriſtianæ Religionis myſteria. De fide ſequentibus verſ. loquitur, atque ita hunc Neophytum erudit in priori colloquio, quod noctu habuit cum illo.

Amor, quem Deus hominibus teſtatus eſt, ad eos

D mittens Filium ſuum, tantus eſt, tam gratuitus, atque tam late patet, ut humana mens illum aſſequi minime valeat. Nos eouſque dilexit, ut nobis traderet quidquid pretioſiſſimum habebat; Unigenitum ſuum, ſibi æqualem, adoptionis gratiam, per quam fieri poſſumus filii ipſius; reconciliationem, per quam ex inimicis amici ejuſdem evadimus; æternam denique remunerationem, atque Regnum Cœlorum. Nihil hoc amore magis gratuitum. Odio dumtaxat digni eramus, utpote filii iræ, filii peccati [7]; illum nullo amore proſequebamur, ipſe nos prior amavit, ac nos ſua miſericordia prævenit [8]. Amor illius nequaquam ad Judæos, ſapientes, atque juſtos circumſcriptus eſt, ſed ad omnes homines patet. Venit JESUS CHRISTUS, ut ſalvos faceret peccatores [9], & eos quæreret, qui

E ipſum non opperiebantur [10]. Si priores curas impendit, ut ovibus, quæ de domo Iſrael erraverant, conſuleret [11], alienas tamen in umbra mortis ſedentes minime neglexit: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*, 1. Joan. 2. 2.

℣. 17. Non enim miſit Deus Filium ſuum:] Pri-

1 Vide Chryſoſt. Cyrill. Theophyl. Euthym.
2 Vide Origen. Ammon. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Auguſt. Beda.
3 Mald. Grot. 4 Num. 21. 9. 5 Jacobi 2. 20. 26. *Fides ſine operibus mortua eſt.*
6 1. Cor. 13. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil ſum.* 7 Epheſ. 2. 3. *Eramus aliquando filii iræ.* Vide Rom. 3. 2. 9. & Epheſ. 2. 13.
8 1. Joan. 4. 10. 19. *Ipſe prior dilexit nos.*
9 1. Timoth. 1. 15. *Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere.*
10 Rom. 10. 20. 11 Matth. 15. 24.

Primum illius conſilium, ac mens fuerat, omnes homines ſalvos faciendi [1]. Si quis perit, propter cauſam ſuam perit. *Non vult Deus peccatoris mortem, ſed vivam*, Ezech. 18. 33. Dei Filius omnipotens eſt, atque beneficus medicus; venit ut morbos noſtros curaret; *quantum in medico eſt*, ait S. Auguſtinus in hunc loc. *ſanare venit ægrotum: ipſe ſe interimit, qui præcepta medici obſervare non vult*. Ipſe vult eſſe Salvator tuus, at ſi, ſalutem, quam offert, recipere abnuis, fiet Judex tuus: tu teipſum condemnabis: *Salvari non vis ex ipſo; ex te ipſo condemnaberis*. Prior JESU CHRISTI adventus fuit in miſericordia, alter erit in ſeveritate.

℣. 18. QUI CREDIT IN EUM, NON JUDICATUR.] Hoc eſt, non damnatur. Neque enim credas, Chriſtifideles ante Supremi Judicis Tribunal non apparituros, quandoquidem docet Scriptura 2. Cor. 5. 10. *omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*: Sed *judicare* hoc in loco *damnare* ſignificat [2]. Qui credit in JESUM CHRISTUM, dummodo ea fide credat, quæ cum charitate conjuncta ſit, non damnabitur; *ſed qui non credit, jam judicatus eſt*, & damnatus ea hoc ipſo, quod non credit; nam *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, Hebr. 11. 6.

S. S. Hilarius in Pſal. 1. & Ambroſius in Pſalm. 1. verbum *judicare* in propria accipiunt ſignificatione. Qui credit, judicio immunis erit; qui non credit, in judicium non admittetur. Judicium pro illis tantum eſt, qui neque perfectam habent fidem, neque infidelium incredulitatem, ſed qui *dilexerunt magis tenebras, quam lucem*. S. Ambroſius ſimiliter credit, illos tantum ex Chriſtianis eſſe judicandos, qui non vixerint caſte, integreque juxta Religionis ſuæ puritatem. Sed hujuſmodi ſententiæ apud Theologos auctoritatem non obtinent.

℣. 19. HOC EST AUTEM JUDICIUM.] Eorum omnium, qui in nomine Filii Dei non credunt: *quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*. Hoc efficit certiſſimam eorum damnationem, & crimen inexcuſabile [3]. Jeſus Chriſtus venit in mundum tamquam lux ardens. Divina doctrina illius, ſancta ejus vivendi ratio, miracula late fulgentia, ſine dubitandum illi teſtimonium perhibebant. Attamen Judæi tenebras luci prætulerunt: fallacibus traditionibus, atque præjudiciis ſuis aſſueti obſtruxerunt oculos huic Soli, qui ante eos emicabat. Maluerunt Dæmoni accepta referre Salvatoris miracula, & virus adſpergere factis illius ſanctiſſimis, atque integerrimis, quam illum Dei Filium, atque Meſſiam confiteri.

ERANT ENIM EORUM MALA OPERA.] Hoc illos prohibuit, ne luci ſeſe offerrent; timebant enim, ne deformitas ſua, atque turpitudo detegeretur [4]. Pharisæi in Jeſum Chriſtum exarſerunt, Sacerdotes irreconciliabile in ipſum foverunt odium; quoniam doctrinæ eorumdem errores, ac vitæ ipſorum flagitia detexit. Qui in Jeſum crediderunt, atque huic lumini acceſſerunt, peccatis quidem immunes non erant; verumtamen ea confeſſi ſunt, atque per humilitatem veniam obtinuerunt. Hæc illorum fuit ſalus, atque felicitas [5].

℣. 21. QUI FACIT VERITATEM, VENIT AD LUCEM.] Longe aliter ab impio, qui odit lucem, & qui ad illam non audet accedere, ne defectus ſui cognoſcantur. Cor illius hypocriſi, nequitia, & mendacio maxime ſcatet, in deliciis habet tenebras, quibus ſua ſcelera proteguntur. *Sed qui facit veritatem*, qui in æquitate, juſtitia, & ſinceritate vitam traducit, qui ea facit, quæ vere juſta ſunt, & cum laude conjuncta, audacter accedit ad lumen; ſatis enim novit cogitationum ſuarum rectitudinem; & ſi quid in corde ſuo deliteſcit, quod juſtitiæ oppoſitum ſit, hoc minime amat, nec diligit. Si perfectus non eſt, ex animo fieri deſiderat: amor juſtitiæ, & veritatis in eo dominatur. In Scripturis [6] veritatis nomen fidelitatem, ſinceritatem, rectitudinem, juſtitiam plerumque ſignificat. S. Jacobus c. 1. 23. graphice illos deſcribit, qui lucem oderunt, ubi ait: *Si quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo. Conſideravit enim ſe & abiit, & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit*. Timore captus turpitudinis ſuæ, neque auſus eſt diu illam reſpicere, neque eam tollere conatus.

QUIA IN DEO SUNT FACTA.] Juſtus audacter ſeſe offert lumini, quoniam opera ſua facta ſunt ſecundum Deum, ſecundum Legem, ſecundum illius voluntatem [7], vel quod opera ſua facta ſunt per ſpiritum Dei, afflatum ejus, & gratiam [8]: *Deus eſt, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*, Philip. 2. 13.

℣. 22. POST HÆC VENIT JESUS.] Jeſus hactenus cum Nicodemo collocutus, mox Jeroſolyma egreſſus eſt, & quin in Galilæam revertetur, unde venerat, ſubſtitit in Judæa, atque ad Jordanem ſe contulit, ubi baptizare cœpit cum Diſcipulis ſuis. Locum ubi ille baptizaret, Evangeliſta ſignanter non adfert: verum non abhorret a fide, hoc accidiſſe prope Jerichuntem, ubi S. Johannes ab initio munere ſuo fuerat perfunctus. Jeruſalem erat in Judæa, & Jeſus nondum ex ea Provincia egreſſus erat. Igitur ubi dicitur Jeſus de Jeroſalem in Judæam veniſſe, ne credas, illuc aliunde acceſſiſſe, ſed ex Metropoli in alium Provinciæ tractum receſſit.

Ibi ille baptizabat, non per ſe, ut Johannes Baptiſta, ſed per manus diſcipulorum ſuorum [9]. At quorſum ille Judæam elegit, ubi ſuum baptiſma conferret? Ea fortaſſe de cauſa, ut S. Johannis Baptiſmum perficeret ibidem, ubi primum ab eo fuerat collatus, & ne populi, qui Johannis baptiſma receperant, ut ſe ſe præpararent ad peccatorum ſuorum remiſſionem a Jeſu Chriſto obtinendam, eo ipſo illum per Apoſtolorum Salvatoris miniſterium reciperent [10]. Demum maxime decebat, ut Jeſus Chriſtus eodem in loco baptizare inciperet, ubi præclarum adeo, & eximium ipſi Præcurſor teſtimonium perhibuerat, Matth. 3. 11.

Cum Patrum, atque Theologorum pleriſque ſupponimus [11], baptiſma, quod Jeſus Chriſtus per Apoſtolorum manus conferebat, verum eſſe baptiſmi Sacramentum, quo Chriſtiani, ac Dei filii efficimur, atque peccatorum noſtrorum veniam impetramus, longe aliud a Johannis Baptiſtæ baptiſmate, quod erat ſimplex diſpoſitio ad gratiam, ac veniam recipiendam. Scio, veteres nonnullos [12] contrarium ſenſiſſe, & docuiſſe, baptiſma JESU CHRISTI, nonniſi poſt ejuſdem Reſurrectionem, & Spiritus Sancti deſcenſum, reipſa peccatorum veniam contuliſſe: verum hæc ſententia nullos ferme ſectatores habet. S. S. Auguſtinus [13], & Ambroſius in Luc. 18. credunt, ipſos etiam Apoſtolos a JESU CHRISTO baptizatos fuiſſe, antequam aliis baptiſmum conferre inciperet. Hoc ipſum S. Hilarius in Matth. 19. ait, licet obſcurius.

1 Auguſt. hic. Beda, Theophylact. 2 Ita Chryſoſt. Euth. Theophyl. Mald. Vide & Aug. hic.
3 Chryſoſt. Cyrill. Theophylact. Euthym. Maldonat. Vatab. Brug. Zeget. alii.
4 Infra verſ. 20. *Qui male agit, odit lucem*. 5 Aug. Beda hic. Vide Grot. hic & in verſ. 20. & Chryſoſt. in cap. 4. ad Epheſ. verſ. 11. 19. 6 Vide Geneſ. 24. 49. Joſue 24. 14. Iſai. 38. 19. & 39. 8. 26. 10. 4. Reg. 20. 3. Pſalm. 24. 5. 7 Ἐν Θεῷ ἐστιν εἰργασμένα. Ponitur ἐν pro κατὰ. Grot. Pagn. Brug. Bez. Euthym. Maldonat. alii. 8 Ita Eraſm. Vatab. Ludov. de Dieu, alii.
9 Joan. 4. 2. *Quamquam Jeſus non baptizaret, ſed Diſcipuli ejus*
10 Vide Maldonat. hic. 11 Vide Auguſtin. Cyrill. alios, Maldonat. D. Thom. Bonav. Sotu Richard. Cajet. Scotum, &c. 12 Vide Ammon. in Caten. Gr. Leo Magn. Epiſt. 4. ad Epiſcopos Sicil. Tertull. lib. de Baptiſmo cap. 11. Chryſoſtom. hom. 28. & Rupert. hic.
13 Auguſt. Epiſt. olim. 108. nunc. 265. Euthym.

℣. 23. Erat autem & Johannes baptizans in Ennon.] Ennon, Euſebio, atque S. Hieronymo teſtibus, octo paſſuum millibus aberat a Scythopoli meridiem verſus. Salim, vel Salem longius adhuc aberat. Ennon in veteris Teſtamenti libris nuſquam invenitur, quod nomen ſi ita ſcribatur *Ain-non* [1], *formoſum fontem* ſignificat. Credit Lightfoot, hoc potius fuiſſe nomen tractus alicujus, quam vel urbis, vel pagi; neque a veri ſpecie abhorret, hunc Galilææ, & Regni Herodis locum fuiſſe, quoniam ibi Johannes Baptiſta comprehenſus fuit, & in carcerem conjectus; quod ſane in Judæa facere non fuiſſet auſus, ubi Romanorum nomine Pilatus imperitabat.

Salim, vel *Salem*, e S. Hieronymi ſententia, urbs eſt, ubi olim Melchiſedech [2] regnaverat; & aſſerit, ævo ſuo adhuc extitiſſe Regis hujus ædium rudera, quod non admodum probabile videtur. Urbs ubi Melchiſedech imperitavit, potius eſt ipſa Ieruſalem, quemadmodum Joſephus, & complures cum eo crediderunt.

℣. 24. Nondum enim missus fuerat in carcerem.] Cum S. Iohannes Evangelium ſuum ſcriberet, ex aliorum Evangeliſtarum narratione, omnibus compertum erat, S. Johannem Baptiſtam ab Herode in vincula fuiſſe conjectum; cum autem nemo ex Evangeliſtis eas attuliſſet circumſtantias, quæ iſthic afferuntur, lectorem ſuum occupat, eumque monet, id accidiſſe, antequam Johannes in carcerem truderetur: quod omnem hac in re lectoris adimit curam.

℣. 25. Facta est quæstio ex discipulis Iohannis.] Judæi, qui Iesu Christi baptiſma [3] receperant, cum ab Apoſtolis, & Iesu Christo didiciſſent diſcrimen illud, quod inter hoc, & Iohannis Baptiſtæ baptiſmum intererat, contemnere quodammodo inceperunt poſtremum iſtud, quod erat ſimplex quædam diſpoſitio ad peccatorum remiſſionem obtinendam. Iohannis diſcipuli ardentius Magiſtri ſui partis tuentes meritum illius commendare, & Iesu Christi baptiſma deterere cœperunt: quæ contentio cum magis, magiſque exarſiſſet, Iohannem Baptiſtam minime fefellit. Sed humilis Præcurſor, quin diſcipulorum ſuorum probaret affectum, Iesum Christum, ejuſque baptiſma ſummis laudibus proſecutus eſt.

Evangeliſta, baptiſmum hoc in loco purificationem appellat: *facta eſt quæſtio de purificatione* [4]; nam reipſa proprius baptiſmatis effectus eſt, puritatem afferre, & fidei conſonum eſt, omnem hanc quæſtionem in baptiſmatis virtute verſatam fuiſſe; diſcipulis Iohannis ægre ferentibus, quod alii Iudæi, qui Iesu Christi baptiſmo fuerant initiati, aſſererent, Præcurſoris baptiſmum, neque peccata remittere, neque animæ ſordes eluere. Hæc purificatio quæſtionis eorum erat argumentum.

S. Iohannes Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & complures Græci MSS. [5] legunt: *oborta eſt quæſtio inter Johannis diſcipulos, & Judæum*, non autem *Judæos*. Verum latet, quinam hic fuerit Iudæus. Et fieri potuit, ut quæſtio primum quidem ab uno tantum Iudæo exorta, qui Iesu Christi baptiſmate fuerat ablutus, ad alios ſe ſe extenderit, atque plurimi deinde ea de re fuerint ſitati.

℣. 26. Venerunt ad Iohannem.] Ut illum Iudicem ſtatuerent diſceptationis ſuæ, vel ſaltem, ut illum impellerent ad Baptiſmatis ſui cauſam ſuſcipiendam adverſus eos, qui illud Iesu Christi baptiſmo inferius putabant. *Rabbi*, inquiunt illi, *qui erat tecum trans Jordanem* Bethabaræ [6], *cui tu teſtimonium perhibuiſti* dicens, illum eſſe Agnum Dei, mundi peccata auferentem, & quem ſupra te eſſe dixiſti, & ſuper quem Spiritum Sanctum deſcendentem vidiſti; *ecce hic baptizat* in Iudæa [7], *& omnes veniunt ad eum*. Baptiſma tuum jam derelinquitur, & nemo amplius venit ad te. *Omnes* pro plurimis ponuntur. Singulæ voces in hoc diſcipulorum Iohannis Baptiſtæ ſermone eorum ſatis oſtendunt invidiam. Ieſum ingrati animi vitio inſimulare videntur, qui cum illi præclarum adeo Iohannes teſtimonium perhibuiſſet, nunc ſuper illum ſe ſe extolleret, ejuſque baptiſmati fidem detraheret.

℣. 27. Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de Coelo.] Iohannes Baptiſta ſapientia ſua uſus diſcipulos ſuos non acriter exprobrat, ne magis, magiſque illos exacerbet, eoſque & a ſe, & a Ieſu Chriſto avertat. Prudenter illos ad Salvatorem adducit [8] recenti eo teſtimonio, quod illi perhibet: *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de Cœlo*. Deus unus honorum omnium eſt Auctor. Noſtrum quilibet gratiarum, & beneficiorum ſuam menſuram accepit, quibus uti debet juxta illius mentem, a quo eadem obtinuit. Cavete, invideatis gloriæ, qua Ieſus divinitus fuit cumulatus: vos enim illum exprobraretis, qui ujuſdem eſt auctor. Iubet Deus, illum ſuper me attolli; pareamus erga mandatis illius [9]. S. Auguſtinus, & Latini [10] hoc paſſim de Johanne Baptiſta cenſent intelligendum: quidquid habeo, id a manu Dei obtineo. Ieſus baptizat, & ego quoque baptizo: ſed magnum intereſt inter utrumque diſcrimen: ille propria auctoritate baptizat; ego autem aliena: ille Dominus eſt, ego ſervus: ille Deus, ego homo: ego ad homines ad pœnitentiam præparandos baptizo; ille ad veniam peccatorum conferendam: ego in aqua tantum, ille in aqua ſimul, & ſpiritu.

℣. 28. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis.] Quod illum ſuperiorem mihi, Meſſiam, Salvatorem meum, Dei Agnum cognoverim; cur ergo non adhæreſcitis illi? cur vultis me illius gloriæ invidere? ego veni, ut illum annuntiarem, eique teſtimonium perhiberem [11].

℣. 29. Qui habet sponsam, sponsus est.] Ieſus eſt ſponſus, ego ſponſi amicus. Hoc magnum eſt illud diſcrimen, quod inter utrumque intercedit. Licet hic mihi deferatur honos, quod nuptiis intereſſe poſſim, non ideo tamen pro me illæ fiunt; omnis honor, atque utilitas ſponſo cedunt. Non ſemel adnotavimus jam [12], novum Teſtamentum, Salvatoris Incarnationem, Eccleſiæ ipſius inſtitutionem in Scripturis ſub nuptiarum ſimilitudine crebro exhiberi. Sponſus eſt Ieſus Chriſtus, ſponſa Eccleſia, S. Iohannes Baptiſta paronymphus, qui nuptiis intereſt, & ſponſi mandata faceſſit. Ille *ſtat & audiet eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi*, atque lætatur, hujus faciens imperata. Hunc verum eſſe reor horum verborum ſenſum: gaudet propter vocem ſponſi. Nam quod auctores quidam contendunt [13], Evangeliſtam alludere ad ea, quæ fiebant, cum pronubus ad fores thalami audiebat, & lætabatur, ubi auribus ſuis vox accideret ſponſi; hoc mihi quidem nimis violentum, ac parum naturale videtur.

℣. 30. Illum oportet crescere; me autem minui.] Incœpi prædicare, & baptizare ante illum, gloria mea, atque nominis celebritas inſignes fuerunt in Iſrael; ſed ex quo ille apparere cœpit, mihi recedendum eſt, vacuum ipſi locum relicturo. Emicabam ego tamquam ſydus matutinum; lux mea ſolis ortum prænuntiabat, ſed quo magis ille procedit, atque aſſurgit, eo magis evaneſcere debeo, atque tenebris operi-

---

1 עין-נעם *Ain-naim*.
2 Hieronym. ad Evagrium, Ep. 126.
3 Sup. verſ. 22. *Venit Ieſus, & Diſcipuli ejus in terram Iudæam, & demorabatur cum eis, & baptizabat.*
4 Ita Auguſt. Chryſoſtom. Cyrill. Beda, Theophylact. Euthym. Maldonat. Grot. Brug. alii.
5 Ita Steph. omn. exceptis ū, Alex. Bod. Sex. Laud. tres. Seld. duo, alii plures Syr. Perſ. Euſeb. Nonn. &c.
6 Joan. 1. 28. &c.
7 Cap. 3. 22.
8 Chryſoſt.
9 Chryſoſtom. Euthym. Theophylact.
10 Beda, Rupert. Strab. Vide & Cyrill. Maldonat. alios.
11 Ita Auguſt. Beda, Theophylact. Euthym. alii.
12 Vide Matth. 9. 14. Marc. 2. 19. 20. Luc. 5. 34. 35. &c.
13 Selden. Uxor. Hebr. Hamm. hic.

periri [1]. Hactenus complures me eſſe Meſſiam credi-derunt, Ieſum vero unum ex Prophetis: nunc vero ille agnoſcendus eſt pro Meſſia, qualis reipſa eſt; ego vero Præcurſor illius, ac ſervus habendus [2]. Iohannes Moyſis legem exhibebat; Ieſus Chriſtus Legis Evangelicæ, novique fœderis Auctor erat: prior illa aliquot in rebus abroganda erat, in aliis autem aliquot perficienda, ejuſque locum altera erat occupatura [3].

℣. 31. QUI DE SURSUM VENIT, SUPER OMNES EST.] Ieſus, qui de Cœlo deſcendit, eſt ſuper omnes homines, omnes juſtos, omneſque Prophetas [4]: ego vero, qui homo ſum, ut reliqui, & qui originem meam ex terra hauſi, toto Cœlo ſum illi inferior [5]. Si me a terra extollo, & verba mea divinum aliquid, ac cœleſte in ſe continent; hoc eſt gratiæ illius beneficium. Ex me nonniſi humanitus, & quæ terrena tantum ſapiant, loqui valeo [6].

℣. 32. QUOD VIDIT, ET AUDIVIT, HOC TESTATUR.] Quod IESUS CHRISTUS in Cœlo vidit, atque in Patris ſinu cognovit, hoc ille hominibus annunciat; quemadmodum ipſe undecimo hujus capitis verſiculo teſtatur; *quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis*; & Ioan. 15. 15. *omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis*. Et c. 7. 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me*. Conqueritur S. Iohannes de diſcipulorum ſuorum indocilitate, atque incredulitate, qui quin IESUM CHRISTUM ſequerentur, invidia in illum flagrabant, & populum in eumdem ſuſcitare adnitebantur: *& teſtimonium ejus nemo accipit*.

℣. 33. QUI ACCEPIT EJUS TESTIMONIUM, SIGNAVIT, QUIA DEUS VERAX EST.] IESU CHRISTI teſtimonium recipere, doctrinam illius ſequi, in diſcipulorum ejus numerum concedere, hoc eſt, Deo ipſi teſtimonium perhibere, quemadmodum illum rejicere, & contemnere, idem eſt quodammodo ac Deum mendacem arbitrari [7]; *qui non credit Filio, mendacem facit eum*. Deus enim illum miſit, eique doctrinam, ſuamque auctoritatem tradidit; non autem velut Magiſter, qui diſcipulum ſuum erudit, vel Rex, qui Legatum ſuum mittit. IESUS CHRISTUS utpote Deus æqualis eſt Patri, eamdemque cum illo habet naturam: ſed quatenus homo omnia accepit a Patre; illi paret, eique obnoxius eſt. Prophetæ a Deo miſſi erant, & Spiritu illius afflati; qui autem eos recipiebat, honorem ei deferebat, a quo mittebantur: ſed JESUS CHRISTUS toto Cœlo Prophetas excedit; ejus miſſio, & doctrina omnino ſupernaturales ſunt, atque divinæ. Qui illum recipit, *ſignat* [8], Deum eſſe veracem. Annulo quodammodo, ac ſigillo ſuo hoc verum eſſe teſtatur.

℣. 34. QUEM MISIT DEUS, VERBA DEI LOQUITUR.] Jeſus adhuc ab aliis Prophetis differt, quod hi nonnumquam hominum more loquebantur: Neque enim jugiter afflabantur. At Dei Filius nonniſi divina loquitur lingua. Hujus rei rationem inferius ſtatim adjicit.

NON ENIM AD MENSURAM DAT DEUS SPIRITUM.] Prophetæ, & ipſe etiam Joannes Baptiſta Spiritum Sanctum in menſura acceperunt [9]; ſed citra menſuram Jeſus Chriſtus: ex cujus plenitudine omnes accepimus [10]. Hic Prophetis Spiritum impertit, hic illis os aperit, hic in corda eorum lumen infert. Ille ex natura ſua Sanctum habet Spiritum; ille hunc habet ex ſe; hunc minime recipit; hunc non imperrat, hunc non poſcit; hoc numquam caret; totus ſemper eſt in Spiritu Sancto, quemadmodum ſemper in illo eſt Spiritus Sanctus. Vide notata in priorem S. Petri Epiſtolam cap. 1. ℣. 11. ubi Jeſu Chriſti Spiritus dicitur animaſſe, atque erudiiſſe Prophetas.

℣. 35. PATER DILIGIT FILIUM, ET OMNIA DEDIT IN MANU EJUS.] Pergit probare infinitam Jeſu Chriſti præ cæteris Prophetis auctoritatem. Pater omnes ſervos, atque fideles ſuos diligit; non ita tamen, ut amat Unigenitum ſuum, coæternum, & ſibi conſubſtantialem. Magnum ille ſtatuit diſcrimen inter ſervos, adoptivos filios, & Unigenitum ſuum ab æterno genitum [11], in cujus manu omnia conſtituit. Aliis nihil niſi per dilectum hunc Filium concedit. Jeſus omnia poſſidet, quatenus Dominus, & Deus: homines vero nihil poſſident, niſi quod per Filium Deus illis conceſſit.

℣. 36. QUI CREDIT IN FILIUM, HABET VITAM ÆTERNAM.] S. Joannes Baptiſta ſermonem ſuum his verbis concludit, ex quibus diſcipuli intelligere debebant neceſſitatem credendi in Jeſum Chriſtum. In illum ſperare debetis, ergo illi adhæreſcite. Homo fluxa dumtaxat vobis poteſt dona conferre. Ubi in meorum diſcipulorum numero vos recepi, hoc unum vobis ſpopondi, futurum ut vobis Cœli viam indigitarem, atque ad peccatorum veniam recipiendam diſponerem; ſed Ieſus Chriſtus peccatorum remiſſionem, æternamque vitam vobis largietur. Ipſe promiſſionum eſt finis, & objectum fidei & veſtræ, & meæ. Væ illi, qui in eum minime crediderit: *non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*. Illum damnatio, æternaque manent ſupplicia.

Numquid autem omnes, qui in illum credent, vitam æternam habebunt? utique, ſi ex firma fide, quam charitas foveat, & bona opera ſubſequantur, crediderit; ſi ſceleribus ſuis non abdicaverit illum, quem verbis confitetur [12]; ſi vita illius fidem non negaverit; ſi non ore tantum crediderit, & amaverit, ſed bonis operibus fidem, & charitatem fuerit proſecutus: *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua; ſed opere, & veritate*, 1. Ioan. 18.

---

1 Chryſoſt. Theophylact. Euthym. Maldonat. Grot. Brug. 2 Greg. Magn. homil. 20. in Evang. 3 Auguſt. lib. 83. quæſt. qu. 58. & Serm. olim 16. de Sanctis, nunc 198. Vide Hieronym. ad Galat. 4. 4 Auguſt. Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. 5 Chryſoſt. Theophylact. Euthym. 6 Aug. Beda, Mald. Grot. Brug. 7 1. Joan. 5. 10. 8 Ἐσφράγισεν ὅτι ὁ Θεὸς ἀληθής ἐστι. Perſic. & Syr. *Quod Deus verax eſt*. 9 1. Cor. 12. 7. 13. 9. Epheſ. 4. 7. Vide Chryſoſt. Aug. Cyrill. Amm. Theophyl. &c. 10 Joan. 1. 16. 11 Vide Aug. hic. Mald. 12 Tit. 1. 16.

C A P U T IV.

JESUS recedit a Judæa, & in Galilæam revertitur. Sedet prope puteum. Cum muliere Samaritana colloquitur. Huic ſe Meſſiam eſſe declarat. Sichem ingreditur, ac plures Samaritanos convertit. Nobilis cujuſdam viri filium curat.

1. UT ergo cognovit Jeſus, quia audierunt Phariſæi, quod Jeſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quam Joannes, 2 (Quamquam Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus) 3 Reliquit Judæam, & abiit iterum in Ga-

lilæam.

lilæam. 4 Oportebat autem eum tranſire per Samariam. 5 Venit ergo in civita-
tem Samariæ, quæ dicitur Sichar: juxta prædium, quod dedit Jacob Joſeph filio
ſuo. 6 Erat autem ibi fons Jacob. Jeſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſu-
pra fontem. Hora erat quaſi ſexta. 7 Venit mulier de Samaria haurire aquam.
Dicit ei Jeſus: Da mihi bibere. 8 (Diſcipuli enim ejus abierant in civitatem,
ut cibos emerent). 9 Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Judæus
cum ſis, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coutuntur
Judæi Samaritanis. 10 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Si ſcires donum Dei, & quis
eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi
aquam vivam. 11 Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias, habes, &
puteus altus eſt: unde ergo habes aquam vivam? 12 Numquid tu major es pa-
tre noſtro Jacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filii ejus, &
pecora ejus? 13 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac,
ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æter-
num: 14 Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam
æternam. 15 Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam: ut non ſitiam,
neque veniam huc haurire. 16 Dicit ei Jeſus: Vade, voca virum tuum, & ve-
ni huc. 17 Reſpondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Jeſus: Be-
ne dixiſti, quia non habeo virum: 18 Quinque enim viros habuiſti: & nunc
quem habes, non eſt tuus vir: hoc vere dixiſti. 19 Dicit ei mulier: Domine,
video quia Propheta es tu. 20 Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos
dicitis, quia Jeroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet. 21 Dicit ei Jeſus: Mu-
lier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jero-
ſolymis adorabitis Patrem. 22 Vos adoratis, quod neſcitis: nos adoramus, quod
ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt. 23 Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri
adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit,
qui adorent eum. 24 Spiritus eſt Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, &
veritate oportet adorare. 25 Dicit ei mulier: Scio, quia Meſſias venit: (qui
dicitur Chriſtus) cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. 26 Dicit ei Je-
ſus: Ego ſum, qui loquor tecum. 27 Et continuo venerunt diſcipuli ejus, &
mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut
quid loqueris cum ea? 28 Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in civi-
tatem, & dicit illis hominibus. 29 Venite, & videte hominem, qui dixit mihi
omnia quæcumque feci: numquid ipſe eſt Chriſtus? 30 Exierunt ergo de civita-
te, & veniebant ad eum. 31 Interea rogabant eum diſcipuli, dicentes: Rabbi,
manduca. 32 Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos ne-
ſcitis. 33 Dicebant ergo diſcipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei man-
ducare? 34 Dicit eis Jeſus: Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui mi-
ſit me, ut perficiam opus ejus. 35 Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor men-
ſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos veſtros, & videte re-
giones, quia albæ ſunt jam ad meſſem. 36 Et qui metit, mercedem accipit, &
congregat fructum in vitam æternam; ut, & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui
metit. 37 In hoc enim eſt verbum verum: quia alius eſt, qui ſeminat, & alius
eſt, qui metit. 38 Ego miſi vos metere, quod vos non laboraſtis: alii labo-
raverunt, & vos in labores eorum introiſtis. 39 Ex civitate autem illa multi cre-
diderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris, teſtimonium perhiben-
tis: Quia dixit mihi omnia, quæcumque feci. 40 Cum veniſſent ergo ad illum
Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et manſit ibi duos dies. 41 Et
multo plures crediderunt in eum propter ſermonem ejus. 42 Et mulieri dicebant:
Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus,
quia hic eſt vere Salvator mundi. 43 Poſt duos autem dies exiit inde: & abiit
in Galilæam. 44 Ipſe enim Jeſus teſtimonium perhibuit, quia Propheta in ſua pa-
tria honorem non habet. 45 Cum ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Ga-
lilæi, cum omnia vidiſſent, quæ fecerat Jeruſolymis in die feſto: & ipſi enim ve-
nerant ad diem feſtum. 46 Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam
vinum. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. 47 Hic
cum

cum audiſſet, quia Jeſus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat
eum, ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus: incipiebat enim mori. 48 Dixit er-
go Jeſus ad eum: Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis. 49 Dicit ad
eum regulus: Domine, deſcende, priuſquam moriatur filius meus. 50 Dicit ei
Jeſus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Jeſus, &
ibat. 51 Jam autem eo deſcendente, ſervi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicen-
tes, quia filius ejus viveret. 52 Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius
habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora ſeptima reliquit eum febris. 53 Co-
gnovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jeſus: Filius tuus vivit:
& credidit ipſe, & domus ejus tota. 54 Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Je-
ſus, cum veniſſet a Judæa in Galilæam.

℣. 1. UT COGNOVIT IESUS, QUIA AUDIERUNT PHARISÆI] ad ſe plures, quam ad Ioannem convenire diſcipulos, a Iudæa receſſit, & in Galilæam reverſus eſt. Ille baptizabat, vel potius diſcipuli illius baptizabant in Iudæa, quemadmodum ſuperius cap. 3. 22. dictum eſt: cum Ioannes Baptiſta in Ennon prope Salem [1] in Herodis ditione baptizaret. Rex iſte ira ſuccenſus, eo quod Ioannes inceſtas ipſius cum Herodiade nuptias exprobraret [2], illum comprehendi juſſit, atque in oppido Macherunte in carcerem trudi [3]. Ieſus, cum pravam in ſe Phariſæorum voluntatem perſpexiſſet, veritus eſt, ne occaſionem arriperent efficiendi, ut a Pilato comprehenderetur, cauſam prætexentes, illum magnum diſcipulorum colligere numerum, atque ingentem populi vim ad ipſum undequaque confluere baptizandam; non ſecus ac Herodes eamdem cauſam prætexens [4], Ioannem Baptiſtam in carcerem conjecerat. Satis fuit Ieſu Chriſto in Galilæa prædicare, magnam confluentis populi frequentiam evitare, & celare quoad poterat miraculoſas curationes, quas operabatur, ne in ſe inimicos irritaret, neque Herodi ſuſpicionem ingereret.

℣. 2. QUAMQUAM PETRUS NON BAPTIZARET, SED DISCIPULI EJUS.] Perpaucos dumtaxat ille baptiſmate abluebat, curam hanc diſcipulis ſuis relinquens, in nomine illius, & ex ipſius auctoritate baptizantibus. Ipſe vero operam tranſmittebat, ut populum erudiret, eumque diſponebat, ut ad Baptiſma recipiendum dignius accederent [5]. Ita S. Paulus prædicando, & erudiendo occupatus aliis, quibus magis vacabat, baptizandi munus relinquebat, 1. Cor. 1. 17.

℣. 3. ABIIT ITERUM IN GALILÆAM.] Complura Exemplaria hoc verbum omittunt [6] *iterum*; ſed retinendum eſt; redierat enim Ieſus in Galilæam ante Paſchatis feſtum, cum Bethabara diſceſſiſſet [7]. S. Ioannes Evangeliſta, nunc de allato itinere verba facit.

℣. 4. OPORTEBAT TRANSIRE PER SAMARIAM.] Ex finibus Iericho, ubi illum baptizare ſupponimus [8], recta in Galilæam tendere non poterat, quin per Samaritanorum agros tranſiret. Hæc, Ioſepho teſte, brevior eſt via, & inde per Samariam tres dumtaxat itineris dies ſunt uſque in Galilæam [9].

℣. 5. VENIT IN CIVITATEM GALILÆÆ, QUÆ DICITUR SICHAR.] Sichar eadem eſſe creditur ac Sichem, de qua ſæpius in Veteris Teſtamenti libris occurrit ſermo. S. Hieronymus [10] credit, hoc in loco *Sichar* Librarii mendum eſſe pro Sichem; Euſebius tamen in Locis diſtinguere videtur Sichar a Sichem, vel *Naploſa*; nam ſtatuit Sichar prope poſtremam hanc Civitatem. Verum communis ſententia eſt, Sichem, Si-

A char, & *Neapolim*, vel Napiloſam, unam tantummodo eſſe Civitatem. Erat hæc inter montes Garizim, & Hebal [11], & ad dexteram illius Garizim aſſurgebat; Hebal vero ad ſiniſtram, Ioſepho teſte. Adeo vero erat monti Garizim proxima, ut Ioatham Gedeonis [12] filius de montis hujus vertice locutus fuerit ad Sichimitas, vel intra, vel ad portam urbis ſuæ congregatos.

Supponunt vulgo, Sichem prope fuiſſe, & ut ita dicam, in foribus Samariæ; diſcipulos Jeſu intra hanc Metropolim Regionis illius ingreſſos fuiſſe ad commeatus quoſdam comparandos: mulierem, quæ ad aquam hauriendam acceſſit, ex eadem urbe fuiſſe, & Salvatorem incolarum precibus fatigatum urbem eamdem ingreſſum fuiſſe. Verum conjiciamus, ſatis eſt, oculos in Tabulam Geographicam, ut nobis oppoſitum perſua-

B deatur. Apoſtoli ingreſſi erant Civitatem Sichem, quæ erat in Samariæ Provincia: mulier vero, quacum Salvator collocutus eſt, natione Samaritana erat, & in Sichem commorabatur. Et Sichimitæ ipſi Jeſum Chriſtum invitarunt, ut ſuam Civitatem ingrederetur, quæ tribus, vel quatuor aberat leucis a Samaria Provinciæ Metropoli. Hoc adnotandum cenſui, ut hiſtoriam hanc facilius aſſequeremur.

JUXTA PRÆDIUM, QUOD DEDIT JACOB.] Jacob morti proximus ex ſortem dedit filio ſuo agrum, quem ipſe in Sichem fuerat adeptus: *do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo*, Gen. 48. 22. Credunt nonnulli, ipſum loqui de ea regione, quam filiorum ſuorum Simeonis, & Levi armis ſuperaverat, Gen. 34. 25. Fatentur qui-

C dem S. Patriarcham illorum inhumanitatem nuſpiam probaſſe, Gen. 34. 30. Verumtamen cenſent, terram hanc tamquam legitimo belli jure partam habuiſſe; licet dolo uſi fuerint ejuſdem filii. Antea emerat ille hujus agri partem ex filio Hemor Patris Sichem [13], eoque in agro Joſephi cineres contumulati fuerunt, poſtquam Joſue duce [14], Iſraelitæ Chananitide potiti ſunt.

Tenent alii, Jacobum eam ſemper peroſum ſævitiam, quam duo filii ſui Simeon, & Levi adverſus Sichimitas exercuerant [15], ſemper veluti injuſte captum cenſuiſſe agrum illum, eamque Civitatem, ideoque non potuiſſe eam conferre Joſeph filio ſuo, veluti legitimam partam hæreditatem: ideoque locum hunc de agro il-

D lo eſſe intelligendum, quem argento Patriarcha ille ex filio Hemor [16] ſibi comparaverat; quam ſententiam in noſtris in Geneſim commentariis, quos adire potes, ſecuti ſumus.

℣. 6. FONS JACOB.] Vel potius puteus Jacob. Hebræi quippe *fontes* omnes aquarum ſcaturigines vocant, eas etiam, quæ in imis puteis emanant, ad diſtinctionem ciſter-

1 Joan. 3. 23. 2 Luc. 3. 19. Matth. 14. 3. 4. Marc. 6. 17.
3 Joſeph. lib. 18. Antiqu. cap. 7. 4 Joſeph. loco citato. 5 D. Thom. Lyran. Mald. Brug. Vide Auguſtin. Tract. 15. 6 Var. Lect. Mill. 7 Joan. 1. 43.
8 Joann. 3. 22. 9 Joſeph. Antiq. lib. 20. c. 5. & in vita ſua, pag. 1019.
10 Hieronym. Epitaph. Paulæ, c. 14. *Tranſivit Sichem, non ut plerique errantes legunt, Sichar, quæ nunc Neapolis appellatur.* Et qu. in Geneſ. cap. 48. 22. *Hebraice Sichem dicitur, ut Ioannes quoque Evangeliſta teſtatur, licet vitioſe ut Sichar legatur, error inolevit.* 11 Joſeph. Antiqu. l. 4. c. 8. Benjamin. p. 38. Procop. de ædific. c. 7. 12 Judic. 9. 7. 13 Geneſ. 33. 19. Act. 7. 16.
14 Joſue 24. 32. 15 Geneſ. 34. 30. & 49. 5. 6. 16 Gen. 33. 19.

ciſternarum, aliarumque aquarum ex imbribus coeuntium, vel fluminum. A

Sedebat sic supra fontem [2].] Sedebat veluti homo fatigatus, & laſſus [3]: vel ſedebat *ſic*, fortuito, negligenter, *incurioſe*, *& ut ſe locus dabat* [4], ſine ſede, humi, vel ſuper ſimplicem lapidem.

Hora quasi sexta.] Sub meridiem; hæc erat hora prandii, & diſcipuli in urbem erant ingreſſi, ut eſculentum aliquod compararent. Jeſus vere fatigatus erat, atque ſitiebat.

℣. 7. Venit mulier de Samaria.] Non autem *de urbe Samariæ* [4]: quemadmodum jam adnotatum eſt. Samaritana erat, & origine, & Religione, ſed nata erat, atque incolebat in Sichem, urbe in Provincia Samariæ.

℣. 8. Discipuli abierant in Civitatem.] Licet Samaritanos inter, & Judæos nulla intercederet B conſuetudo; attamen ubi urgeret neceſſitas, hoſpitio viciſſim ſemet excipiebant, & pro argento annonam neceſſariam tribuebant. Hujus rei exemplum jam vidimus apud S. Lucam 9. 52. Oportet, Salvatorem tunc paucos habuiſſe diſcipulos, quoniam ſolus ad puteum remanſit: ſi enim decem, vel duodecim ſecum habuiſſet itineris ſocios, aliquis ſaltem cum illo ſubſtitiſſet, neque neceſſe erat, ut omnes Sichem ingrederentur [5].

℣. 9. Quomodo Judæus cum sis] A me potum expetis? mulier hæc Jeſum Chriſtum vel ex veſtium ratione, vel ex pronunciandi accentu [6], Judæum eſſe cognovit. At cur nam illa admiratur, quod Judæus potum ex ipſa depoſcat? Quomodo ait [7], nullam inter Judæos, & Samaritanos intercedere conſuetudinem? *Non contuntur Judæi Samaritanis*; quandoquidem Jeſus Chriſtus diſcipulos ſuos in Sichem miſerat a C Samaritanis inhabitatam, ut ibi obſonium compararent? non una ratione reſpondetur. Primo potuiſſe quidem Judæos a Samaritanis eſcam emere [8], non autem gratis accipere; emptio enim emptores minime devincit, cum e contra donum initium ſit, quo amicitiæ, atque ſenſim religionis vinculis conjungimur.

Secundo Judæis perſuaſum erat, omnia vaſa, quibus utebantur Samaritani, polluta eſſe [9]; ideoque hæc mulier non ait, ſe vel nolle, vel minime poſſe Jeſu Chriſto potum præbere in hydria, quam deferebat: verum miratur, quare ille, qui Judæus erat, non renueret ex hydria bibere, quam pollutam arbitrabatur. D Poterant Samaritani cum Judæis converſari, & compotare, inquiunt S. Chryſoſtomus, Theophylactus, atque Theodorus Mopſueſtienſis; verum Judæi hoc ſibi cum Samaritanis minime licere putabant [10].

At noſtri Critici [11], qui curioſius Samaritanorum mores, ac ritus ſcrutati ſunt, tenent, Samaritanos magis a Judæis abhorruiſſe, quam Judæos a Samaritanis, & ſtatim ac Samaritanus quidam Judæum videbat, clamaſſe: *ne me tangas*; veritum, ne ejus attactu pollueretur. Quomodo ergo a me aquam petere audes? Nonne ſcis, quanto ſint in horrore apud Samaritanos Judæi? Vel quænam eſt veſtra hæc ſuperſtitio, qua cum alienis conſuetudinem habere non vultis, cum interim ſingulis ferme momentis neceſſitas vos cogat, ut pro vitæ veſtræ neceſſitatibus ad eos confugiatis [12]? E

℣. 10. Si scires donum Dei.] Et bonum, quo frueris hoc temporis momento, non expectaſſes, donec a te aquam expeterem; tu ipſa eam mihi obtuliſſes, ac viciſſim aliam ea me petiiſſes aquam, aquam vivam, in æternam uſque vitam ſalientem. Jeſus Chriſtus animarum ſaluti ſemper intentus, & flagrans cupiditate perfungendi munere miſſionis ſuæ, quaſcumque arripit occaſiones, ut ad Deum elevet eos, quibuſcum loquitur; & crebro parabolarum argumentum ex his rebus deſumit, quæ primæ ſe ſe offerant in ſermone. Hæc mulier huic uni vacat, ut hauriat aquam; Jeſus ad aliam eam vocat aquam, quæ eſt ſalutis doctrina, juſtificationis gratia, cordis converſio, Meſſiæ cognitio.

S. Auguſtinus, quique illum ſecuti ſunt [13], nomine *doni Dei* intelligunt Spiritum Sanctum, qui alibi etiam viventis aquæ nomine deſignatur: *qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*, Joan. 7. 38. Sed Græci Patres [14] hoc generatim de quovis donorum Dei genere intelligunt, & peculiariter de felicitate videndi Meſſiam, qua illa perfruebatur.

Forsitan petisses.] *Forſitan*, hoc in loco non dubitationem, neque incertitudinem ſignificat; ſed ut alibi paſſim [15] pro *plane* uſurpatur. Aqua viva duos ſenſus admittit, naturalem alterum, alterum figuratum; Naturalis ſenſus ſignificat aquam e fonte emanantem, aquam inexhauſtam: in figurato vero, vel doctrinam, vel Jeſu Chriſti gratiam, vel Dei Spiritum ſignificat.

℣. 11. Domine, neque in quo haurias, habes.] Hæc mulier non aſſequitur ſtatim Jeſu Chriſti mentem; opinatur eum loqui de aqua, quam ipſe de imo puteo hauriet, & illi bibendam porriget. Quærit ergo ex eo, utrum aliquam hauriendi aquam artem obtineat, cum neque hydriam habeat, qua illa hauriat, neque ſcalas, per quas in putei imum, qui erat C præaltus, deſcendat.

℣. 12. Numquid tu major es?] Numquid patre noſtro Jacob potentior es, ut alium puteum effodias; vel ſcientior, ut alium nobis fontem aperias; vel ſanctior, ut a Deo, quod ille non potuit, obtineas? Patriarcha ille, ejuſque Filii, atque armenta ex hac aqua biberunt; ex eadem Cives omnes bibunt; numquid tu vel illis melior es, vel omnibus nobis? ubi nam vel magis ſalubrem, vel magis copioſam, aquam inveneris [16]?

Mulier hæc Jacob Samaritanorum patrem appellat, quamvis preſſius loquendo, Samaritani ex Iſrael progenie non eſſent, ſed populorum colluvies, quam ex diverſis regionibus Salmanaſar [17] tranſtulit in Provinciam Samariæ in locum Iſraelitarum, quos inde ejectos ultra D Euphratem traduxerat. Verum cum leones, & feræ graviſſimis afficerent detrimentis collectivum hunc populum, rati ſunt, Deum, quem regionis indigenæ venerabantur, Deum Iſrael, cultui ſuo non acquieſcere, atque juxta peculiares leges velle ſibi thura adoleri. Petierant ergo ab Aſſaradon ſucceſſore Salmanaſar [18] Sacerdotes Dei Iſrael, a quibus cultus illius, ritus, atque cæremonias edocerentur. Sacerdotes ergo ad illos miſſi fuerunt ex eorum numero, qui ibi fuerant, antequam decem tribus trans Euphratem tranſmitterentur, qui quin verum, merumque Domini cultum illis oſtenderent, eum illis tradiderunt, qui ante captivitatem ibi locum obtinuerat. Itaque non abdicato Idolorum cultu impurum quamdam adorationem Deo Iſrael præbere inceperunt. Lapſa deinde temporum nonnulli pravi Judæi ſe ſe comites addiderunt illis [19], & E poſteris Sacerdotum, qui ad eos ex regione trans Euphratem poſita miſſi fuerant: quod locum illis tribuit, ut originis ſuæ obſcurum genus abſconderent, atque ex veteribus Patriarchis genus deduxiſſe, quemadmodum hoc in loco mulier Samaritana, gloriarentur: immo, Joſepho teſte [20], cum proſpere Judæis res accidere, tunc commentitiam hanc ex Patriarchis deductam

1 Ἐκαθέζετο τὸ ὡς ἔτυχεν ἐπὶ τῆς πηγῆς. 2 Eraſm. Brug. Ligfoot.
3 Chryſoſt. Eraſm. Grot. Toynard. Theophylact. 4 Γυνὴ ἐκ τῆς Σαμαρείας. Vide Grot. hic.
5 Brug. Grot. 6 Ammon. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Mald. Brug.
7 Theodor. Mopſ. Chryſoſt. Theophyl. 8 Talmud. Grot. Mald. Druſ. Ligfoot.
9 Aug. Tract. 15. 10 Chryſoſt. Theophyl. hic. Theod. Mopſ. in Catena.
11 Druſ. Grot. Epiph. hæreſi Samarit. 12 Mald. Ligf. Hor. Hebr.
13 Aug. Beda, Rupert. Stapl. hic. & alii Latini paſſim. 14 Chryſ. Cyrill. Theoph. Euthym. Ammon.
15 Geneſ. 31. 42. Exod. 14. 11. Pſalm 123. 4. 138. 11. Joann. 5. 46. 8. 19.
16 Vide Chryſ. Theoph. Euthym. 17 4. Reg. 17. 24. 18 4. Reg. 17. 25. 26. & 1. Eſdr. 4. 2.
19 2. Eſdr. 6. 18. 20 Antiq. l. 9. ad finem, & l. 12. c. 7.

ductam originem jactitabant ; dum vero illi adverſa premerentur fortuna, aſſerebant, ſe non ex Hebræis, ſed ex Phœnicibus ortum duxiſſe.

℣. 13. OMNIS, QUI BIBIT EX AQUA HAC.] Ieſus Chriſtus apertius Samaritanam inſtruit, eique oſtendit, quænam ſit illius aquæ natura, de qua ipſe loquitur. Non eſt hæc materialis aqua, & quæ ſitim ad tempus tantummodo extinguat, ſed aqua divina, & ſpiritualis, quæ ſitim ita ſedat, ut non ultra vexare poſſit. Hoc magis adhuc explicite ſeq. ℣. docet.

℣. 14. FIAT IN EO FONS AQUÆ SALIENTIS IN VITAM ÆTERNAM.] Ergo non ſitient umquam: nam quomodo aqua illis deficere poteſt, cum in ipſis fons ſit aqua in Cœlum uſque ſalientis? Hæc aqua non in unum dumtaxat diem, vel annum ſitim lenit, verum in omnem vitæ noſtræ curriculum, atque mox in Cœlo in omnem etiam æternitatem extinguit [1]. Hæc aqua eſt Evangelii doctrina, gratia ſanctificans, Sancti Spiritus dona. At nonne oppoſitum docet experientia, hanc aquam ſpiritualem nequaquam in æternum ſitim extinguere? nonne plures videntur aqua hac multos annos enutriti, qui tandem illius guſtum amittunt, atque ad mundi hujus voluptatum lutulentas aquas cum aviditate feruntur? Verum quidem eſt ; ſed per ſcelus ſuum ipſi divinum hunc fontem derelinquunt, hoc Dei donum negligunt, hanc ſalutarem aquam evomunt, & ut magis perſpicue loquamur, Deum derelinquunt, & Deus illis terga vertit [2].

Salvator ait, aquam hanc eſſe fontem in Cœlum uſque ſalientem. Aquæ fontium ad fontis ſui uſque altitudinem ſaliunt : hæc vero e Cœlo emanant ad Cœlum uſque, ac æternam vitam aſſurgit [3] : *qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*. In illa naneiſcetur, quidquid ad ſanctificationem ſuam requiritur. Evangelii doctrina, ubi plane intelligatur, & plane exerceatur, ſufficit ad ſalutem. Spiritus Sancti gratia inexhauſtus eſt luminum fons, atque benedictionum : nemo niſi per ſcelus ſuum illam amittit. Deus illam ſemper humilibus, atque fidelibus animabus adauget. *Habenti dabitur, & abundabit*. Cum dicitur, qui ex ea biberit, numquam futurum ut ſitiat, idem eſt, ac ſi diceretur ope, hujus gratiæ, niſi deerit perſeverantiæ munus, ipſum certiſſime ſalutem aſſecuturum : futurum ut poſſideat, & guſtet ſalutarem hanc aquam : ita ut numquam illius tædiu capiatur, & quo magis eam biberit, magis illam optet, juxta ea Eccleſiaſtici verba cap. 24. 29. *qui bibent me, adhuc ſitient* : quæ ſitis eſt non egeſtatis, vel defectus, ſed guſtus, & voluptatis. Ille Deum perfecte cognoſcet, & amabit : videbit, guſtabit, amabit, exercebit veritates ſalutis uno fervore, qui ſemper recens erit, & numquam tepeſcet.

℣. 15. DOMINE, DA MIHI HANC AQUAM.] Ne cogar ultra ad puteum accedere ad aquam hauriendam. Hæc mulier nondum intelligit, quid ſibi velit Ieſus Chriſtus, vel ſi intelligit, illum irridet [4]. Credit Origenes, illam aſſecutam fuiſſe mentem Ieſu, atque ratione prorſus ſpirituali hæc addidiſſe : *da mihi hanc aquam*, detege mihi abſcondita myſteria tua ; ſed eorum mihi facilitatem adſtrue, ne fatigari cogar, illa in Scripturis conquirens. At ſenſus hic nimis acutus videtur.

℣. 16. VOCA VIRUM TUUM.] Cur juſſit, eam vocare virum ſuum? numquid eo quod minime decebat, ſe remotis arbitris cum muliere miſcere verba ; an quod nollet illi tantum fidei, atque Evangelicæ doctrinæ bonum conferre, viro illius abſente, ac inſcio [5]? an potius [6] hoc de induſtria dixit, ut deinde occaſionem arriperet detegendi, quod illa maxime abditum exiſtimabat, atque ut illa tandem oculos aperiret, ac ſe ipſam, & virtutem illius, qui ſecum colloquebatur, cognoſceret?

BENE DIXISTI, QUIA NON HABEO VIRUM :] re enim vera nullum habes legitimum virum. Credunt Interpretes quidam [7], mulierem illam mentitam fuiſſe de induſtria, ut JESUM CHRISTUM tentaret, & ſcrutaretur, utrum eſſet Propheta. Dixit, ſe virum non habere, ut videret, utrum ſibi crederet JESUS. Putant alii [8], non deeſſe hoc in loco Salvatoris ironiam. Profecto bene dicis, te nullum habere virum, quaſi neſcirem, te quinque habuiſſe viros [9], & nunc quoque te cum eo verſari, & conſueſcere, qui vir tuus minime eſt. Seu illa in meretricio quæſtu, ac libidine vixerit [10], ſeu priores viros per divortium abdicaverit, ſeu ab illis repudiata fuerit, (hoc enim non ſatis liquet :) hoc liquet, ſaltem illum, cum quo tamquam viro illa dies, noctesque traducebat, virum illius non fuiſſe. ℣. 18. *Nunc quem habes, non eſt tuus vir*. Patres vulgo credunt [11], quinque priores viros, quos hæc mulier habuerat, conjuges illius fuiſſe legitimos, at e contra adulteros fuiſſe S. Chryſoſtomus in Pſal. 23. & Maldonatus hic arbitrantur.

℣. 18. QUINQUE ENIM VIROS HABUISTI :] Heracleon legebat ; *ſex viros*, teſte Origene in Johannem pag. 207. S. Hieronymus Ep. 11. nov. edit. innuere videtur, illam duobus, & viginti viris nupſiſſe : *quid diutius tali muliere, nempe quod Dominus Samaritanæ : viginti duos habuiſti maritos, & ille, a quo ſepelieris, non eſt tuus*.

℣. 19. VIDEO, QUIA PROPHETA ES TU.] Facile conſitetur, ea omnia, quæ ſibi a Salvatore dicta fuerant, vera eſſe. Nam Prophetam agnoſcit, atque eodem tempore libidinis ſuæ pertæſa cogitat ex meretricio quæſtu diſcedere, atque agere pœnitentiam. Prior gradus ad pœnitentiam eſt ſceleris ſui confeſſio, atque ejuſdem homilis verecundia [12].

℣. 20. PATRES NOSTRI IN MONTE HOC ADORAVERUNT,] in monte ſcilicet Garizim, ad cujus radices ſita erat Sichar, & quem illa manu indigitabat ; vos autem Judæi dicitis, Jeruſolymæ, in Domini Templo illum eſſe colendum, & hunc elegiſſe montem Sion, ubi ſuum nomen [13] ſtatueret. Hoc erat præcipuum difficultatis caput, quod Samaritanos, ac Judæos diſtinebat. Samaritana ita ſenſim incipit cognoſcere, quodnam ſibi ineundum conſilium ſit, & cui religioni ſibi vacandum. Putabant Samaritani, quin tamen ullo pacto probare poſſent, Patriarchas olim ſuos Religionis actus in monte Garizim exercuiſſe [14], cujus rei nuſpiam meminit Scriptura.

Verum eſt, in Pentatheuco Samaritanis characteribus ſcripto nonnullos inveniri locos, qui eorum ſententiis favent. Sed ipſi cenſentur illos proprio marte inſeruiſſe, & ſane in Hebræorum Pentatheuco non inveniuntur. Legunt autem, in monte Garizim aram fuiſſe poſitam, ubi ſcripta fuerunt Legis Verba [15] : ſed Hebraicus textus Judæorum, hoc in monte Hebal factum teſtatur. Contendunt illi, in monte Garizim Abraham adoraſſe, & mactare voluiſſe filium ſuum ; ibidem Jacob de Meſopotamia redeuntem aram extruxiſſe [16] ; ibi Joſue Templum ædificaſſe ; ac multo poſt Sanaballat, de quo in Eſdræ libris [17] eſt ſermo, aliud extruxiſſe Templum, ut hoc opponeret Jeroſolymitano. Videri poſſunt Chronica Samaritanorum.

℣. 21. VENIT HORA, QUANDO NEQUE IN MONTE HOC.] Prædicit JESUS CHRISTUS Legis cæremonias antiquandas : ait, tempus jam adveniſſe, quo hoc per-

1 Vide Auguſt. Tract. 15. in Joann. 2 Mald. hic. Cornel. a Lapide.
3 Grot. Brug. 4 Mald. Ligfoot. 5 Chryſ. Theophyl. Euthym. Maldon. Grot.
6 Brug. Maldon. 7 Vide Mald. Euthym. 8 Heraclon ab Origene in S. Joann. citatus legebat *ſex viros pro quinque*. 9 Eraſm. Cnatchbull. 10 Ligfoot. Grot. Mald.
11 Auguſt. Nonn. Euthym. Beda, Rupert. alii hic. Hilar. lib. 2. de Trinit.
12 Vide Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. Maldon. Grot. 13 Deut. 12. 5 4.
14 Vide Chryſoſtom. homil. 31. Aug. Beda, Theophylact. Euthym. hic. Rupert. l. 4.
15 Deut. 27. 4. 16 Geneſ. 33. 20. 17 2. Eſdr. 2. 10. . . . . 19. 4. 1. 7. 6. 1.

perficiendum eſt; videlicet veniſſe Meſſiam [1], veteri A legem ſubrogaturum, atque Evangelii veritatem figuris Legis Moſaycæ ſubſtituturum. Hoc nonniſi poſt aliquot annos erat perficiendum; ſed jam erat inceptum. Jesus Christus hæc reſpondens, neque Judæis, neque Samaritanis cauſam adjudicat; utroſque ad alium cultum, ac recentem Religionem evocat, Judaica, & Samaritana longe perfectiorem. At ſequenti ℣. pro Judæis ſe ſtare oſtendit, dicens, hactenus in eorum natione veram Religionem fuiſſe.

℣. 22. Vos adoratis, quod nescitis.] Si Samaritani Domini noſtri ævo in iiſdem erroribus verſabantur, ac majores ipſorum; verum eſt ſane, illos adoraſſe, quod minime noverant: nam duo ſibi finxerant, quæ veræ Dei ideæ penitus opponebantur. Primum, Deum Iſrael unius tantum regionis Deum eſſe [2]: alterum, Dei veri cultum ſimul cum cultu idolorum conſociari poſſe [3]. B S. Thomas, & Lyranus in hunc locum ajunt, illos credidiſſe Deum corporeum; cujus criminis nullum ſatis validum extat argumentum. Samaritani Eſdræ, atque Nehemiæ ævo e ſollicite efflagitabant, ut in Templi opere, ac labore admitterentur, veluti unum duntaxat cum Judæis colentes Deum. Pentateuchum, quem illi ſemper authenticum habuerunt, de uno tantum Deo loquitur, verbis maxime elatis, atque ſublimibus.

S. Epiphanius [5] inquit, illos neque agnoviſſe, neque admiſiſſe Spiritum Sanctum: eis quoque vitio vertit, quod Spirituum exiſtentiam, & corporum Reſurrectionem inficientur; tandem eos Chriſtianæ religionis hæreticos dicit, atque cum Saducæis confundit. C Verum hoc minime reſpicit, vel Samaritanos temporis illius, de quo hic agitur, neque illos, qui deinde vixerunt, quorum poſtremos Scaliger adverſus has criminationes tutatus eſt, ex eorum ſcriptis oſtendens, illos reſurrectionem tamquam fundamentale dogma credidiſſe. Idem S. Epiphanius illos accuſat, quod adoraverint Teraphim, quæ Rachel ex Labani Patris ſui abſtulerat domo; quæ eadem criminatio invenitur in Talmud [6], ubi dicitur Rabbinus Iſmael dixiſſe, ab illis in Gariaim idola adorari, quæ ibi Jacob ingeſta humo contumulaverat [7]. Rabbini quidam tenent, illos ſupremo cultu auream columbam fuiſſe veneratos; verum nullas afferunt facti hujus probationes.

Hoc certum eſt, illos Antiochi Epiphanis ævo [8] in Templo ſuo Jovis Olympii Idolum accepiſſe; & Joſephus deſcribit epiſtolam, quam illi ad eum Regem dederunt, qua teſtabantur, ſe Jovi Templum ſuum dicaſſe, quod hactenus peculiaris cujuſpiam Numinis nomini dicatum non fuerat. D Hircanus Samariam cepit, atque Templum Garizim evertit [9]: ſed hoc deinceps inſtauratum fuiſſe ſatis innoteſcit. Herodes Magnus Samariæ magnificum Idolis Templum ædificavit [10]. Samaritani ad Garizim ire perrexerunt; ſed cum præcepiſſet Caligula, ut ſimulacrum ſuum æque in Templo Garizim, ac in Jeroſolymitano conſtitueretur, non legimus uſpiam Samaritanos reluctatos fuiſſe; immo dicuntur etiam recepiſſe ſtatuam Claudii, quem Nero in Deorum albo deſcripſerat.

Extat aureum Numiſma ſub Nerone Samariæ cuſum [11], ubi Aſtarthe Dea Syriæ exhibetur, manu caput Oſiridis tenens, cum hac Epigraphe: *Samaria excudit hoc numiſma in honorem Deorum Auguſtorum, & Magnorum*. Hi Dii non alii ſunt, quam Imperatores Caligula, & Claudius, quos memoravimus. Aliud quoque invenitur numiſma [12], ſed recentius, cuſum in Sichem ad radices montis Garizim, ubi Templum cum pluribus gradibus exhibetur. Hoc Templum eſt Jovis, quod poſt Judæam everſam ibi in monte Garizim dedicatum eſt. Hæc ſatis probant, Samaritanos Idolorum cultui adhæſiſſe, atque leves prorſus & vagos in ſua religione fuiſſe.

Verum hæc omnia contigerunt poſt tempus illud, quo Jesus Christus cum Samaritana collocutus eſt, neque aliquid probant, quod Religioni eorum temporum vel faveat, vel obſit. Fidei profeſſio, quam tranſacto ſæculo ad Scaligerum miſerant [13], nihil continet, quod oſtendat, ipſos non diſtincta divinitatem cognoſcere, atque cum Domini cultu cultum Idolorum commiſcere. Itaque ne quid incertum afferamus, neque illis errores temere adſcribamus, dicere mallem, Salvatorem iſthic eos dumtaxat exprobraſſe, quod partem tantummodo Scripturarum reciperent, atque in Garizim adorarent, cum in Templo Jeroſolymitano adorare deberent. Pentateuchus, qui unicus eſt Scripturæ liber, quem illi recipiunt, non ſatis amplam veræ religionis ideam illis adſtruebat. Oportebat quippe, ut adderent & hiſtoriam, & libros morales, & Prophetias: & quamquam Patrem in Garizim venerabantur, atque præſtolabantur Meſſiam; neutrum tamen perfecte agnoſcebant, neque Deum adorabant, ubi adorandus erat: ideoque cultus eorum nonniſi tamquam vana ſuperſtitio lumine, & gratia deſtituta, haberi poterat. Si in recta eſſes via, ſcires, Deum per Prophetas, non ſecus ac per Moyſem, locutum eſſe; atque illum elegiſſe montem Sion, & non Garizim, ut ibi a cultoribus ſuis adoraretur [14].

Græci [15] Photinæ nomine Samaritanam mulierem, de qua hoc in capite ſermo eſt, venerantur; cujus filii ab ipſis fuiſſe putantur Joſephus, & Victor: ſorores vero Photo, Photides, Paraſceves, & Cyriaca. Adduntur his Anatolius & Dux Sebaſtianus, qui erant, inquiunt illi, ex ejus familia, & qui a Samaritana, vel a S. Petro converſi baptiſmum receperunt, atque martyrii coronam decimo tertio Kalendas Aprilis promeruerunt. Eorum nomina inveniuntur etiam in Romano Martyrologio [16]; & in eorum Actis legitur, Samaritanam mulierem Carthaginis urbem convertiſſe. Victor quoque filius ejus non modice in Hiſpania profecit. Verum adverſus hæc Acta, atque hanc Samaritanæ hiſtoriam nihil notius afferri poteſt, quam ſi aſſeramus, eam omnino dubiam eſſe, atque continere circumſtantias a fide longe abhorrentes.

Quia salus ex Judæis est.] Inde proditurus eſt Meſſias [17], Evangelii prædicatio, veritatis cognitio, quæ inde in omnes gentes emanabit. Judæis traditæ promiſſiones fuerunt; apud illos religio vera inquirenda eſt. Vult in eorum Templo Dominus coli; in eorum Scripturis Christus deſcribitur, & annunciatur. *De Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Jeruſalem*, Iſai. 2. 3.

℣. 23. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores &c.] Samaritanorum cultus fallax erat, Judæorum vero carnalis. Poſt Salvatoris Reſurrectionem, atque Evangelii prædicationem recens futurus erat in terris cultus in Spiritu poſitus, & veritate; & Religio in Spiritu, atque amore fundata procul ab omni hypocriſi, atque mendacio remota. Chri-

1 Ammon. Cyrill. Mald. 2 4. Reg. 17. 26. *Gentes quas tranſtuliſti, ignorant legitima Dei terræ, & immiſit in eos Dominus leones, &c.* 3 4. Reg. 17. 41. *Fuerunt gentes iſtæ timentes quidem Dominum, ſed nihilominus, & idolis ſuis ſervientes . . . . uſque in præſentem diem.*
4 1. Eſdr. 4. 2. 5 Epiphan. hæreſ. 9. Vide & Greg. Mag. l. 1. Moral. in Job. c. 6. lib. 2. cap. 19. Philaſtr. de hæreſ. 6 Hieroſol. Abodah. Zar. fol. 444.
7 Vide Baſnage, Hiſt. des Juifs, liv. 1. ch. 4. art. 14. 8 Joſeph Antiq. lib. 12. c. 7.
9 Joſeph de Bello, lib. 1. c. 2. 10 Joſeph lib. 1. c. 16. de Bello Jud.
11 Vide Noris Epoch. Syromaced. Spanhem. Diſſ. 5. 12 Noris Epoch. Syromaced. Spanhem. de Præſtant. Numiſm. Diſſ. 9. 13 Vide Baſnage, hiſt. des Juifs, liv. 1. ch. 4. art. 25.
14 Vide Mald. Grot. 15 Bolland. 20. Mart. Menolog. Græc. ad 20. Mart. apud Caniſ. Lect. antiq. t. 2. 16 Martyrolog. Rom. cum not. Baron. ad 20. Mart.
17 Origen. hic. Tertull. l. 4. contra Marcion. Chryſoſt. Ammon. Cyrill. Rupert. Theophyl. Euthym. Maldonat. alii.

Chriſtiana Religio non omnem prorſus ejicit cæremoniam, & cultum ſenſibilem, atque exteriorem; alioquin enim proprie religio vocari non poſſet: quippe in religione ritus, atque extrinſeca requiruntur [1]. *In nullum nomen religionis ſeu verum ſeu falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur*, inquit S. Auguſtinus. Verumtamen hæc ſigna, iique ritus minime ſunt de SS. noſtræ Religionis eſſentia; ſed ad ſpiritum referuntur, atque in ſpiritu, & veritate ſunt exercendi; iiſque comiter addatur opus eſt fides, pietas, charitas, quibus illi animentur.

Judæi, & Samaritani putabant, Deum ſolemniter coli minime poſſe; illi quidem extra Jeruſalem, hi vero alibi uſpiam, quam in Garizim. Utroruṁque Religio loco adnexa erat; JESU CHRISTI religio in ſpiritu, in quovis loco, a quavis gente exercetur. Judæi figurativis operibus, ſacrificiis, piaculis Deum venerabantur, quorum effectus in eo erat poſitus, ut corpora ſanctificarentur [2]; *omnia in figura contingebant illis*: in Chriſtiana vero Religione figurarum poſſidemus veritatem; atque realitatem rerum earum, quarum nonniſi typum jactare poſſunt Judæi. Ita nos Deum colimus *in Spiritu, & veritate*. Cultus noſter neque loco cuipiam adhæreſcit, neque figuris involutus eſt; 1. Cor. 10. 11.

Recentiores complures [3] *In ſpiritu & veritate* intelligunt de cultu vere ſpirituali; vel de cultu ſpirituali, & ſincero, cui comes adſit juſtitia, integritas, & veritas, & qui Deo, atque CHRISTO ejus exhibetur recto ſpiritu, manibuſque puris, per opera veræ, ſolidæ, ſinceræ, atque interioris pietatis.

℣. 25. SCIO, QUIA MESSIAS VENIT,] videlicet ſcio Meſſiam venturum. Adnotandum eſt, Samaritanos etiam, non ſecus ac Judæos Meſſiam fuiſſe præſtolatos, atque ſperaſſe futurum, ut ab ipſo omnia edocerentur. Minime ergo ambigebant, quo minus a Moyſe in Pentateucho ille promiſſus fuiſſet [4]; & futurum arbitrabantur, ut cum ille prodiret, Judæi, atque Samaritani rurſus coaleſcerent, & ſchiſma, quod tamdiu viguerat, tandem finem nanciſceretur; eoque dijudicante conſtitueretur non ſolum locus, verum etiam ratio, & ubi, & quo pacto Pater Cœleſtis eſſet colendus. In omni Oriente percrebuerat certiſſima fides, Meſſiam quamprimum apparīturum: omneſque in liberatoris hujus expectationem animi erant erecti; quam omnium eorum populorum generalem fuiſſe opinionem [5], Ethnici auctores teſtantur. Ad hanc Samaritana iſthic alludit. Græcus textus ad litteram [6]: *ſcio Meſſiam venire*, adventare; eum quamprimum expectamus.

Poſt Aggæum, atque Zachariam Prophetas, ſicubi inſignis aliqua oborta fuiſſet difficultas, illius ſolutionem Judæi in Meſſiæ, vel aliquorum Prophetarum adventum rejiciebant [7]: hodie vero illam in adventum Eliæ reſervant [8]. Critici nonnulli Samaritanos accuſant, quod invenerint diſcrimen inter Meſſiam glorioſum, & Meſſiam patientem: hunc quidem ex Ephraim tribu, illum vero ex tribu Juda [9] naſciturum. Verum minime fas eſt, hanc fabulam Samaritanis acceptam referre, qui hoc inficiantur, ſed illa ſane ex Hebræorum ſchola profecta eſt.

℣. 26. EGO SUM, QUI LOQUOR TECUM.] Numquam JESUS tanta perſpicuitate fuerat locutus. Juſtam hanc tribuit remunerationem mulieris hujus ſinceritati [10], atque ſimplicitati; quæ per docilitatem ſuam eam meretur gratiam, qua per ambitionem, ac malos cordis habitus Judæi ſe ſe indignos præbuerant.

℣. 27. MIRABANTUR, QUIA CUM MULIERE LOQUEBATUR.] Quod ille minime conſueverat, præſertim vero remotis arbitris, & cum alienigena, ignota, Samaritana. Patrum pleriique [11] putant, diſcipulos Salvatoris humilitatem fuiſſe admiratos, qui cum ſimplici muliere verba facere non dedignabatur. Illos vero ſumma obſervantia erga Divinum Magiſtrum ſuum prohibuit, ne ex eo ſciſcitarentur, de quo fuiſſet loquutus, & cur ſe ſe demiſiſſet euſque, ut cum Samaritana muliere ſermonem haberet.

℣. 29. QUI DIXIT MIHI OMNIA.] Ille mihi detexit, quidquid occultiſſimum eſſe arbitrabar, & quod humanitus illi exploratum eſſe non poterat. Hunc profecto Prophetam eſſe, opus eſt, at *numquid ipſe eſt Chriſtus?* loquitur adhuc dubitans, licet explicite ſe CHRISTUM eſſe Salvator fuerat profeſſus. Ita fortaſſe loquitur mulier, ut ſenſim concivium ſuorum animos adducat ad fidem, & ne illis ſuboriatur in ipſam invidia, & in illum etiam, quem illis annunciabat [12], ſi proprium dumtaxat teſtimonium attuliſſet. Eos ergo leniter cogit, ut & ipſi accedant, atque ſuiſmet oculis illum videntes hoc credant.

℣. 31. INTEREA ROGABANT EUM DISCIPULI.] Græcus ad litteram [13]: *interrogabant eum diſcipuli*. Verum enim vero in S. Lucam [14] animadvertimus, Evangeliſtas, atque Hebræos generatim ſæpius illa confudiſſe verba, quæ interrogare, petere, orare ſignificant. Hoc vero in loco intelligendum eſt, in orandi ſignificatione. Diſcipuli, qui norant JESUM labore fatigatum, & fame ferme confectum eſſe, eum orabant, ut vires eſca recrearet. S. Johannes [15] non ita raro interrogandi verbo eo utitur in ſenſu, quem attulimus.

℣. 32. EGO CIBUM HABEO MANDUCARE.] Nullam intercidere patitur JESUS CHRISTUS occaſionem, qua diſcipulos ſuos erudiat: omnia in eorum documentum convertit, eiſque oſtendit, quinam eſſe debeat eorum zelus ad proximi ſalutem procurandam. Hæc eſca veſtra, hic potus eſt. Vos hoc cæteris quibuſcumque rebus præferatis, oportet.

℣. 33. NUMQUID ALIQUIS ATTULIT EI MANDUCARE?] dum abeſſemus, quemadmodum olim Deus Danieli in Leonum fovea clauſo prandium miſit [16], vel quemadmodum corvorum miniſterio [17] Eliam pavit, & ipſe JESUS Angelorum manibus eſcam ſibi juſſit afferri [18].

℣. 34. MEUS CIBUS EST.] En quid me tenet; quæ fames, quæ ſitis mea ſit. Hoc quoque præclarum eſt Apoſtolis documentum.

℣. 35. ADHUC QUATUOR MENSES SUNT, & MESSIS VENIT.] In Palæſtina meſſis nonniſi poſt Paſcha peragebatur, quod, quemadmodum nemo neſcit, die decima quarta Niſan celebrabatur, quæ dies menſi Martio congruit [19], & nonnumquam etiam in Aprilem extenditur. Primum quidem hordeacea meſſis, mox triticea fiebat, & utraque ante Pentecoſtem perficie-

1 Aug. lib. 19. contra Fauſt. c. 4. 2 Origen. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Cyrill. hic. Hilar. lib. 2. de Trinit. Procop. in Iſai. 28. Mald. Brug. Men. alii. 3 Vide Grot. Piſcat. Brug. Vat. Heinſ.

4 Origen. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Vide Geneſ. 49. 10. Deut. 18. 15.

5 Sveton. in Veſpaſ. c. 4. Tacit. lib. 5. hiſt. c. 14. Virgil. Eclog. 4. initio. Vide & Joſeph. l. 7. de Bello, cap. 12. p. 961. 6 Οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται. 7 1. Macc. 4. 46. & 14. 41.

8 Vide Grot. hic 9 Vide noſtram Diſſertationem de Characteribus Meſſiæ juxta Hebræos.

10 Origen. Chryſoſt. Ammon. Theophyl. Euthym. Rupert. Mald. Grot.

11 Origen. Ammon. Leont. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Cyrill. hic & Aug. Beda.

12 Aug. hic. *Pedetentim egit, ne illi quaſi iraſcerentur, & indignarentur, & perſequerentur. Venite, & videte hominem, &c.* 13 Ἠρώτων αὐτὸν οἱ μαθηταί. 14 Vide ad Luc. 22. 28.

15 Vide Joan. 4. 40. 47. 8. 7. 12. 14. 16. 16. 23. 20. 17. 9. 15. 20. 19. 31. 38. & 1. Joan. 5. 16 & 2. Joan. verſ. 5. 16 Leontius hic. 17 3. Reg. 17. 4. 18 Origen. hic.

19 Vide noſtrum Commentarium in Exod. 9. 31. 32. ubi dictum eſt aliquot interpretum auctoritate frumenti meſſem nonniſi poſt Pentecoſtem inceptam, Hic error in alia editione corrigendus. Vide pariter Exod. 23. 16. & 34. 22.

ſiciebatur : nam ipſa Pentecoſtes die in Templum omnium jam peractarum meſſium primitiæ deferebantur. Quatuor ergo menſes, de quibus Salvator hic loquitur, deſumendi ſunt ex menſe *Sebath*, qui anni Sacri erat undecimus, & qui hoc anno inceperat, juxta Domini Toynardi ſententiam [1], die 13. Januarii. Inde uſque ad triticeam meſſem, quæ uno circiter poſt Paſcha menſe incipiebat, quatuor reipſa menſes intercedunt. Anno eodem Paſcha contigit die 15. Niſan & 28. Martii. Pentecoſtes vero 17. Maii. Igitur die 13. Januarii [2], vel ſub initium menſis *Sebath* S. Johannes Baptiſta in carcerem conjectus fuit, & Salvator in Galilæam conceſſit. Maximi intereſt, Epocham hanc conſtituere.

Levate oculos vestros, & videte.] Repente ex temporali ad ſpiritualem meſſem gradum facit. Quatuor adhuc menſes triticeam meſſem intercedunt; ſed vos ad aliam advoco meſſem, quæ jam maturuit, & jam jam eſt demetenda. Videlicet ad hominum meſſem, qui erudiendi, & ad Deum ſunt revocandi. Levate oculos, mentis videlicet oculos [a]; & undequaque circumſpicite. Univerſus terrarum orbis adventus mei prædicationem expectat. Judæi, Samaritani, Ethnici quoque ad vos audiendos parati ſunt [3]: *meſſis quidem multa*, alibi ait, *operarii autem pauci*. Johannes Baptiſta in carcerem detruſus eſt: Judæi Doctores Agricolæ ſunt nequam, & pares potius perdendæ meſſi, quam colligendæ. *Rogate ergo* Patrem Cœleſtem, *Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam*. Ego autem vos ipſos mitto. Ite, metite, prædicate, docete. Credunt nonnulli [4], Salvatorem hæc dixiſſe, cum videret Samaritanos ex urbe catervatim ad ſe audiendum videndumque euntes. Hæc egregia meſſis eſt, vos ejus meſſores.

℣. 36. Qui metit, mercedem accipit.] Ad ſpecioſam hanc, uberemque meſſem vos invito; vos non illam ſeviſtis [5]; hoc opus eſt Patriarcharum, Prophetarum, Sanctorumque Veteris Teſtamenti virorum. Ipſi agrum coluerunt, eumque ſudoribus ſuis irrigarunt, honorem, & voluptatem meſſis peragendæ reliquerunt. Perficite eorum gaudium; eorum vota adimplete corda, atque ſpiritus in unam fidem, unamque Eccleſiam conjungite, *ut qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit*. Ipſi mercedem ſuam jam retulerunt, & vos eam referetis: utrique pro liberali domino laborem impenditis, qui præclarum ſudoribus veſtris præmium retribuet. Ille una vobiſcum elaborat, atque meſſi benedictionem impertit: *ego plantavi, Apollo rigavit, Dominus autem incrementum dedit: itaque neque, qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat, Deus*, 1. Cor. 3. 6.

℣. 37. Alius qui seminat, alius qui metit.] Hoc adagium eſt ex eo, quod in terris ſæpius accidit, ſumptum, ubi aliquis ex alieno labore fructum capit [6]: hic opes colligit, ille iiſdem fruitur. Hoc in loco res parum differt. Prophetæ, ſanctique viri, qui ſeminarunt, non ſecus ac illi, qui metunt, unum & idem quærunt. Pro eodem Domino laborant, & earumdem remunerationum participes ſunt: nulla inter ipſos obrepit invidia, ſimultas nulla. Sed Apoſtolorum felicitas major, licet labor meſſorum vel par ſit, vel major nonnumquam, labore eorum, qui laverunt, atque ararunt, minus tamen conqueruntur. Semper jucundius eſt metere, quam plantare.

℣. 38. Misi vos metere, quæ non laborastis.] Patriarchæ, atque Prophetæ agrum Domini coluerunt, vos ad illum metendum acceſſiſtis [7]. Illi Meſſiæ adventum, atque permutationem, quæ ſub Regno illius erat eventura, nuntiarunt: vos Domino cooperari debetis, ut ſublime hoc illius conſilium Evangelii ſcilicet prædicandi, atque Eccleſiæ inſtituendæ, adimpleatur.

℣. 39. Multi crediderunt in eum.] Statim in illum crediderunt, eo quod mulier illa teſtata fuerat, ab eo ſibi detecta fuiſſe ea omnia, quæ ſecretiſſima arbitrabatur [8]; ſed cum deinde Jesum Christum conveniſſent, eumque in Civitatem ingredi compuliſſent, longe plures in eum crediderunt, & illi ipſi, qui primum crediderant, ſed quorum fides adhuc labaſcens erat, in fide ſua confirmati ſunt, & dicebant verſ. 42. *quia jam non propter tuam loquelam credimus ipſi enim audivimus, & ſcimus*.

℣. 41. Crediderunt propter sermonem ejus.] S. Chryſoſtomus, atque Theophylactus putant, Salvatorem nullum in Sichem operatum fuiſſe miraculum, ſed tantum illos edocuiſſe. At quod Samaritanæ mulieri dixerat, ſecretiſſima quælibet vitæ ipſius in apricum proferens, ſatis magnum prodigium.

℣. 42. Hic est vere Salvator Mundi.] Vere Meſſias eſt, a quo non Samaritani ſolum, & Judæi, verum mortales omnes ſunt redimendi. Talis erat Samaritanorum fides; ſeu hæc eorum fuiſſet ſententia, antequam ad eos Jeſus loqueretur, ſeu quod ipſe ex Scripturis, atque ſermonibus ſuis oſtenderit, ſe vere eſſe Mundi Salvatorem. Jacob in Geneſi prædixerat, *Silo* futurum gentium expectationem, atque felicitatem: *ipſe erit expectatio gentium*, Gen. 49. 10. Patres [9] in his Samaritanis majorem animadvertunt fuiſſe docilitatem, quam in Judæis, ut myſterium adventus Jesu Christi comprehenderent. Judæi enim numquam, uti oportet, intellexerunt, Jesum Christum futurum eſſe gentilium omnium Salvatorem.

℣. 43. Post duos dies.] De Sichem egreſſus eſt, atque Galilæam verſus iter ſuum proſecutus, magis gaudens populi hujus docilitate, quam fide Judæorum, a quibus tunc diſceſſerat [10], vel Galilæorum, quibus antequam Jeroſolymam proficiſceretur [11], prædicaverat. Hinc dixit ille, quod affertur ℣. 44. *quia Propheta in ſua patria honorem non habet*. Hoc ipſum inquit etiam paucis poſt diebus, cum ingreſſus Nazareth, ubi commorari conſueverat, animadvertit, ſe a concivibus ſuis non ſine contemptu, & negligenter audiri, eo quod illi noſſent humilitatem, & paupertatem eorum, a quibus fuerat innutritus [12]. Fortaſſe etiam S. Johannes hoc refert per prolepſim, idque referendum eſt ad iter illud, quod Salvator in Nazareth ſuſcepit, & quod Johannes omiſit, quia a S. Luca fuerat enarratum; hoc enim mente Evangelium conſcripſit, ut ſuppleret, ſi quæ ab aliis vel dicta non fuerant, vel non ſatis aperte explicata.

℣. 45. Cum venisset in Galilæam, receperunt eum Galilæi.] In Galilæam reverſus recta Nazareth pervenit, ubi educatus fuerat. Cumque in Synagoga prædicaſſet, primum quidem cum admiratione exceptus fuit; mox vero concives ſui animum ad originis ejuſdem humilitatem advertentes, viciſſim ex ſemet ultro citroque quærebant, numquid hic eſſet filius Joſeph. Tunc dixit illis Jeſus, Prophetam neminem in Patria ſua cum honore haberi; Eliam elegiſſe dumtaxat viduam Sareptæ, apud quam diverſaretur, licet aliæ quamplurimæ eſſent in Iſrael viduæ. Nazareni his ſermonibus ſuccenſi, Jeſum de urbe ejecerunt, illum de monte præcipitem daturi [13]; ſed ille egreſſus de Nazareth ſedem ſuam Capharnai conſtituit [14]. Tunc variis in Galilææ locis prædicare cœpit, ubi populi libenter eum receperunt, cum propter præcepta

cum

1 Harm. pag. 17. in obſervationibus. 2 Vide Cyrill. Auguſt. Rupert. alios.
3 Matth. 9. 37. 38. 4 Leontius, Theophylact. Brug. Ligfoot. Piſc.
5 Mox verſ. 38. 6 Levit. 26. 16. *Fruſtra ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus devorabitur*. Et Mich. 6. 15. *Tu ſeminabis, & non metes*. Oſee 7. 9. *Comederunt alieni robur ejus*. Ita & Græci, Ἄλλοι μὲν σπείρουσιν, ἄλλοι δ' ἀμήσουσι. Sic: *Aliis leporem excitaſti*. Et. *Sic vos non vobis, &c.*
7 Origen. Auguſt. Ammon. Leont. Beda, Rupert. Euthym. Theophylact. Maldonat. Brug. Grot. alii.
8 Vide Auguſt. Rupert. Grot. 9 Chryſoſtom. Cyrill. Theophylact.
10 Joan. 3. 22. 11 Joan. 2. 10. 11. 12. 12 Luc. 4. 24.
13 Luc. 4. 16. 17. & ſeq. 14 Matth. 4. 13.

cum propter miracula, quæ ubique operabatur, ac præſertim propterea, quæ ab eodem Paſchatis feſtivitate facta viderant [1], cui ſimul interfuerant cum illo verſ. 46.

℣. 46. VENIT IN CANA .... & ERAT QUIDAM REGULUS.] Hæc Civitas erat ſecus viam, quæ a Nazareth ducit Capharnaum, & ad Mare Tiberiadis. Ita Jeſus prætereundo illoc acceſſit, ubi cum permaneret, venit ad illum Præfectus quidam ex aula Regis; nam Græca vox [2] *Baſiliſos*, quam auctor Vulgatæ vertit *Regulum*; id proprie ſignificat. Præfectus iſte ſubditus erat Herodi Antipæ Tetrarchæ Galilææ, qui ea in regione Regis nomine decorabatur. S. Hieronymus putat [3], Præfectum hunc, *Palatinum* vocari poſſe: verum quodnam illius eſſet munus, quod nomen, quæ dignitas, latet: non enim niſi divinando quidam commenti ſunt, hunc eſſe Curatorem domus, vel a ſecretis, vel familiarem Principis, & quidam putant, hunc eſſe Chuza, de quo loquitur S. Lucas 8. 3. vel *Manahem*, cujus Apoſtolorum Acta 13. 1. meminerunt. Præfectus hic vulgo Capharnai morabatur, ibique filius ſuus ægrotabat. Cum ergo auribus illius rumor accidiſſet, Jeſum eſſe in Cana, illuc Capharnao ſtatim acceſſit, petiturus ſalutem filii ſui: ejus quippe nominis celebritas late jam ibi locorum percrebuerat.

℣. 48. NISI SIGNA, & PRODIGIA VIDERITIS.] Jeſus non exprobrat hunc hominem, quod fide penitus careat, ſed quod eam non habeat fidem, quæ ſufficiat. Si enim fide plane deſtitutus fuiſſet, Capharnao illuc minime conceſſiſſet, filii morbum deprecaturus: ſin autem tantum fidei habuiſſet, quantum ſatis, ſuffeciſſet illi, filium Salvatori commendare, quin urgeret, ut hinc domum ſuam pergeret, perinde ac aliter filio ſalutem reſtituere minime poſſet [4]. Jeſus ergo & illi, & turbis, quibus ſtipatus erat, ait, ipſos nonniſi miraculorum vi coactos credere; quoniam noverat pravum cordis eorum habitum, quo minime recipiebant veritates, quæ ibi prædicabantur, niſi viderent prodigia, quæ ſuam cierent attentionem, & quibus victi ſe ſe dederent. In illis non intuebatur eum veritatis amorem, eamque cordis, mentiſque ſubmiſſionem, quam ex Diſcipulis, & auditoribus ſuis exigit, & quam in Samaritanis Sichem invenerat.

℣. 49. DESCENDE, PRIUSQUAM MORIATUR.] Non credebat, illum licet abſentem ſalutem afferre poſſe filio; quemadmodum cum Patribus quibuſdam jam adnotavimus. Hic cum Naaman Syro conferri poteſt, qui ita exarſit, eo quod Eliſæus ſecum non loqueretur, neque tactu ſuo lepram ejus curaret 4. Reg. 5. 11.

℣. 50. VADE, FILIUS TUUS VIVIT.] Curatus eſt, atque eodem temporis momento licet abſens filio bonam valetudinem reddidit: *Credidit homo ſermoni ... & ibat*. Credidit verbo JESU CHRISTI, atque domum ſuam reverſus eſt, dubitans tamen [5] nonnihil, non de Salvatoris verbo, ſed de modo, tempore, & circumſtantiis, quibus filius erat curatus. Hoc enim deprehenditur ex ipſis interrogationibus, quibus a ſervis ſibi occurrentibus petiit, quomodo filius convaluiſſet. Credunt tamen nonnulli [6], curioſitatem, quam prætetulit, ſciſcitatus a ſervis ſuis, qua hora filius melius habuiſſet, potius probare zelum illius, ut ſeipſum erudiret, atque in fide confirmaret, quam ullum in eo fidei defectum.

℣. 51. EO DESCENDENTE.] De Cana Capharnaum, quo revertebatur, occurrerunt illi ſervi nunciantes, filium jam convaluiſſe.

℣. 52. HORA SEPTIMA.] Una poſt meridiem hora.

℣. 54. HOC SECUNDUM SIGNUM.] Quod fecit Jeſus, ex quo de Judæa in Galilæam reverſus eſt. Primum acciderat in eodem oppido Cana Galilææ in priori itinere, quo JESUS CHRISTUS poſt baptiſmum ſuum illuc acceſſit [7]: hoc vero alterum eſt, quod ibidem acciderit. Non narrat Johannes ea miracula, quæ Capharnai ediderat Jeſus priori in itinere [8], neque illa, quæ Jeroſolymæ deinde fecerat, cum ibi eſſet ad Paſchatis feſtivitatem celebrandam [9].

1 Joan. 2. 13. 14. 2 Τὸν βασιλικὸν, Vulg. Regulus, Forte legebat *Βασιλικός*, quod revera regulum ſignificat. Hæc autem lectio in nonnullis etiam MSS, occurrit.
3 Hieronym. in Iſai. 65. initio. Vide Origen. t. 18. in Joan.
4 Ita Auguſt. Beda, Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. Grot. Brug. Maldonat.
5 Chryſoſt. Grot. 6 Ammon. Cyrill. Brug. 7 Joan. 2. 11.
8 Joan. 2. 12. Luc. 4. 23. 9 Joan. 2. 23.

CAPUT V.

Paralyticus ad Bethſaidæ piſcinam curatus. Murmur Judæorum, eo quod curatus æger ille Sabbatho auferret grabatum ſuum. JESUS illius cauſam agit. Deus, atque S. Johannes Baptiſta Salvatori teſtimonium perhibent. Judæorum ambitio, & obduratio.

1. POſt hæc erat dies feſtus Judæorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam: 2 Eſt
autem Jeroſolymis Probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraice Bethſaida,
quinque porticus habens. 3 In his jacebat multitudo magna languentium,
cœcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. 4 Angelus autem
Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & movebatur aqua. Et qui
prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat a quacumque detinebatur
infirmitate, 5 Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens
in infirmitate ſua. 6 Hunc cum vidiſſet Jeſus jacentem, & cognoviſſet, quia
jam multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri? 7 Reſpondit ei languidus:
Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in
piſcinam: dum venio enim ego, alius ante me deſcendit. 8 Dicit ei Jeſus: Surge,
tolle grabatum tuum, & ambula. 9 Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille:
& ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Erat autem ſabbatum in die illo. 10

Dice-

Dicebant ergo Judæi illi, qui ſanatus fuerat: Sabbatum eſt, non licet tibi tollere
grabatum tuum. 11 Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle
grabatum tuum, & ambula. 12 Interrogaverunt ergo eum: Quis eſt ille homo,
qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? 13 Is autem, qui ſanus fue-
rat effectus, neſciebat, quis eſſet. Jeſus enim declinavit a turba conſtituta in lo-
co. 14 Poſtea invenit eum Jeſus in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es:
jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. 15 Abiit ille homo, &
nuntiavit Judæis, quia Jeſus eſſet, qui fecit eum ſanum. 16 Propterea perſeque-
bantur Judæi Jeſum, quia hæc faciebat in ſabbato. 17 Jeſus autem reſpondit
eis: Pater meus uſque modo operatur, & ego operor. 18 Propterea ergo ma-
gis quærebant eum Judæi interficere: quia non ſolum ſolvebat ſabbatum, ſed &
patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Reſpondit itaque Jeſus, &
dixit eis: 19 Amen, amen dico vobis: Non poteſt Filius a ſe facere quid-
quam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc &
Filius ſimiliter facit. 20 Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ
ipſe facit: & majora his demonſtrabit ei opera, ut vos miremini. 21 Sicut enim
Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat: ſic & Filius, quos vult, vivificat. 22 Ne-
que enim Pater judicat quemquam: ſed omne judicium dedit Filio, 23 Ut om-
nes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium,
non honorificat Patrem, qui miſit illum. 24 Amen, amen dico vobis, quia qui
verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in ju-
dicium non venit, ſed tranſit a morte in vitam. 25 Amen, amen dico vobis,
quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui
audierint, vivent. 26 Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit &
Filio habere vitam in ſemetipſo. 27 Et poteſtatem dedit ei judicium facere, quia
Filius hominis eſt. 28 Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui
in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei. 29 Et procedent, qui bona fece-
runt in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii.
30 Non poſſum ego a meipſo facere quidquam. Sicut audio, judico: & judicium
meum juſtum eſt: quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui
miſit me. 31 Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non
eſt verum. 32 Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me: & ſcio, quia verum
eſt teſtimonium, quod perhibet de me. 33 Vos miſiſtis ad Joannem: & teſtimonium
perhibuit veritati. 34 Ego autem non ab homine teſtimonium accipio: ſed hæc
dico, ut vos ſalvi ſitis. 35 Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem vo-
luiſtis ad horam exultare in luce ejus. 36 Ego autem habeo teſtimonium majus
Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea; ipſa opera, quæ
ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me. 37 Et qui miſit
me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me: neque ſpeciem ejus vidiſtis. 38
Et verbum ejus non habetis in vobis manens: quia quem miſit ille, huic vos non
creditis. 39 Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam ha-
bere; & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me: 40 Et non vultis venire
ad me, ut vitam habeatis. 41 Claritatem ab hominibus non accipio. 42 Sed
cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. 43 Ego veni in nomi-
ne Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum acci-
pietis. 44 Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, &
gloriam, quæ a ſolo Deo eſt, non quæritis? 45 Nolite putare, quia ego accu-
ſaturus ſim vos apud Patrem: eſt, qui accuſat vos, Moyſes, in quo vos ſpera-
tis. 46 Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille
ſcripſit. 47 Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?

§. I. POST HÆC ERAT DIES FESTUS JUDÆORUM.] Quinam erat hic feſtus Judæorum? Veteres quidam [1], hunc Pentecoſtes fuiſſe diem crediderunt: ſed alii [2], Paſcha fuiſſe tenent,

1 Chryſoſt. Cyrill. Theophyl. Euthym. Camer. alii quid.
2 Iren. lib. 2. c. 39. Brug. Grot. Ligfoot. Toynard. Harmon. alii plures.

nent, quæ ſententia mihi probatior videtur. Græci complures, iique optimi MSS. [1], articulum adferunt, quo deſignatur magna feſtivitas, & præcipua, feſtivitas antonomaſtica, quæ apud Judæos erat Paſcha. Qui etiamſi deeſſet articulus, nihil tamen contra Paſcha inferri poſſet: quoniam hæc feſtivitas nunquam in Græco Joſephi, & Evangeliſtarum, ſimplici *feſtivitatis* nomine, nullo addito articulo, memoratur. Temporum ordo belle cum noſtra congruit ſententia; & ſi feſtus hic dies non eſt Paſcha, non alia inveniri poteſt feſtivitas, cui hujus circumſtantiæ ad unguem conveniant. Arbitrantur quidam [2], hanc eſſe *feſtivitatem ſortium*, quæ celebrabatur die decima quinta menſis Adar: verum nulla adfertur ratio, qua hæc conjectura probetur.

℣. 2. Est autem Ierosolymis probatica piscina.] Græca quædam exemplaria legunt [3]: *erat*; & ſane S. Johannes Evangelium ſuum elucubrabatur aliquot annis poſt Ieroſolymitanum excidium, & eo tempore, quo Piſcina illa non amplius in hac aderat Civitate. Locus tamen, ubi olim fuerat Jeruſalem, Jeruſalem adhuc appellabatur. Piſcina vero ſemper deinceps oſtenſa fuit, neque una cum urbe fuit deleta, ſed ædificia tantum illa, quibus undique ambiebatur, ſolo æquata ſunt. De hac Piſcina loquitur S. Hieronymus, eamque Viator Beniamin, & Brocardus viderunt, ejuſque etiam noſtri Viatores meminerunt. Hæc poſita erat ad orientem urbis prope vallem Joſaphat, ac portam gregis, eratque referta aquis fontis Siloe, cujus origo non procul abeſt.

Probatica Piscina [4].] Ex Græco fluit, & ſignificat *Piſcina* ovium, quo nomine [5] appellatam putant, eo quod ibi arietes, agni, vel oves in ſacrificium offerendi, abluerentur. Alii tamen [6] autumant, ibi detegi ſolum conſueviſſe exta animantium, quæ in Templo fuerant immolata.

Non deſunt, qui Græcum textum ita legant [7]: *ſed erat in Jeruſalem* ad portam *ovium*, vel gregis, *Piſcina, quæ dicebatur Bethſeda*. Non ſemel occurrit in Bibliis ſermo de hac gregis porta [8], quæ fertur nomen ſuum hauſiſſe ex victimis, quæ in Templum adducebantur; ſed pleraque Latina Exemplaria, Arabica Verſio, Æthiopica, S. Johannes Chryſoſtomus, Theodorus Mopſueſtienſis, Ammonius, Theophylactus, S. Hieronymus, Beda, Vulgatæ conformes ſunt, cujus lectio optimum ſenſum adſtruit. Attamen duriuſculum hoc videtur, quod Piſcina hæc duplici nomine iſthic appelletur, Græco altero, hoc eſt *Probatica*, quod ovium ſignificat; altero Hebraico, *Bethſeda*, quod ſignificat domum miſericordiæ. Hæc fortaſſe eadem eſt, ac illa, quæ in Nehemia, *Siloe Piſcina* vocatur [9]. Putat Ligfoot, hanc Piſcinam, vel hoc Lavacrum deſtinatum fuiſſe, non ad victimas abluendas vel ante, vel poſt ſacrificium; ſed ad illos, qui ſordibus, vel immunditia quadam infecti fuiſſent, eluendos.

Hæc Piſcina *Bethſaida* juxta Latina Exemplaria, & *Bethſeda* ſecundum Græca, vocabatur [10], ſed utra lectio præſtet, non ſatis conſtat. *Bethſaida* ſignificat domum piſcatus, fortaſſe, quod ibi piſces aliquot erant; vel potius, quod erat veluti vivarium. Græci quidam MSS. [11], Cophtus, Æthiops, Theophylactus, Tertullianus, S. Euſebius hanc legendi rationem ſequuntur, quæ in Vulgata reperitur. Sed plerique legendum putant *Bethſeda* [12], quæ vox ſignificat *domum miſericordiæ*, propter pauperes, & ægrotos, qui ſemper prope hanc piſcinam verſabantur, aquæ motum præſtolantes, ut ſe ſe in illas projicerent, ibi ſalutem recepturi.

Hæc Piſcina quinque habebat porticus; hoc eſt circa eam eamdem erat ædificium quinque porticibus ſuffultum; ideo extructum, ut ibi ægroti inhabitarent, & pro commodo eorum, qui illuc accedebant, vel ut ſe abluerent, vel ut aliud quidpiam iis aquis detergerent.

℣. 3. In his jacebat multitudo magna languentium.] Omnia hæc morborum genera divinitus curabantur, ubi Angelus Domini ad aquas movendas acceſſiſſet. Qui prior in aquam deſiliebat poſt Angeli motum; hic certo certius inde incolumis evadebat; quam ob rem ingens illic aderat ægrotorum numerus, felix momentum illud expectantium, ut in Piſcinam proſilirent.

℣. 4. Angelus descendebat secundum tempus.] Non ſatis liquet, quo tempore Angelus deſcenderet, utrum præcipuis tribus anni feſtivitatibus, an tantummodo vel Pentecoſtes die [13], vel Paſchate [14], vel alio quopiam die feſto, vel tandem tempore incerto, & quod Deus unus noſſet [15]. Hinc vero alterius quæſtionis pendet ſolutio; videlicet, utrum ægroti ſemper ſub Piſcinæ porticibus permanerent, an illuc afferrentur iis diebus, quibus aqua ab Angelo movenda ſperabatur. Ea ratio, qua paralyticus Salvatori ℣. 7. reſpondet, innuit, mea quidem ſententia, ægrotos ſemper ibi permanſiſſe, donec ſalutem obtinuiſſent. *Domine*, ait ille, *hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam: dum venio enim, alius ante me deſcendit*. Si certa fuiſſet hora, & dies, qua Angelus deſcenſurus eſſet, hic paralyticus, qui habebat auxiliatores, a quibus ad piſcinam geſtabatur, quandoquidem illuc ex ſemet obrepere non poterat, habuiſſet etiam procul dubio, qui ipſum in aquas projeciſſent, neque ibi octo, atque triginta annos perſtitiſſet, quin in aquas deſcendere poſſet; quoniam iis non præſtabat opibus, ut prope ſe hominem aleret, a quo ubi aqua turbata fuiſſet, antequam alius in illam deſcenderet, illuc projiceretur.

Angelus etiam ad aquam Piſcinæ turbandam deſcendens exercet Interpretes. Quæritur, utrum bonus eſſet Angelus, an nequam; utrum ſenſibili modo, & ſub corporea forma deſcenderet. Crediderunt nonnulli [16], hunc ſimplicem fuiſſe hominem, qui aquam turbabat, qua jugulatæ victimæ, earumque exta abluta fuerant; ipſum vero Angelum Domini appellatum, eo quod mittebatur e Templo, & propter effectum, qui ſubſequebatur, & qui miraculoſus exiſtimabatur. Hunc tamen effectum mere naturalem fuiſſe tenet Hammondius; & ſanguinem, & adipem, qui in aqua ſubſedarant, calefactos, atque commotos potuiſſe gignere in humoribus illius, qui tunc in Piſcinam deſcendebat, eum motum, qui ſalutem illi poſſet conferre. Verum ad eruditiſſimos Phyſicos, & Medicos, qui miraculorum nomen maxime oderunt, provocamus; utrum cæcus, claudus, & paralyticus duodequadragenarius (non enim temere has circumſtantias attulit Evangeliſta) poſſint repente curari, ubi ſe ſe immerſerint in illud lavacrum, ubi quorumdam animantium jugulatorum corpora, atque exta fuerint abluta. At hoc ipſum, quod ſupponitur, victimarum exta ibi abluta fuiſſe, negatur ab Judæis auctoribus, qui illa in Templo dumtaxat ablui conſueviſſe teſtantur [17].

Aliis [18] ſuſpicio oborta eſt, quod iſthic dicitur de Angelo aquas turbante, popularem eſſe Hebræorum loquen-

1 Ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων. Alii: Ἦν ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων. Ita Laud. 2. Med. Uſſer. t. 2. Gal. & ſex Codd. Regii a Toynard. viſi p. 146.
2 Vide Petav. lib. 12. de doctr. tempor. cap. 17.
3 Ἔστι δὲ ἐν Ἱεροσολύμοις. Alii: Ἦν δὲ ἐν Ἱεροσολ. Ita Verhel. Perſ. Arab.
4 Ambroſ. legit: *Natatoria*.
5 Vide Hieronym. Brocbard. Brug. Grot. Druſ. alios.
6 Vide Hammond. hic. Ammon. Theodor. Mopſ. Theophylact. Euthym.
7 Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα. Ita legunt Alex. Cantab. Latini MSſ. non pauci. Vide Mill. Grot. Piſc. Ligfoot, alios.
8 2. Eſdr. 3. 1. 31. 32. 38.
9 2. Eſdr. 3. 15.
10 Ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδά.
11 Βηθσαϊδά. Barb. 1. Valez. apud Mill.
12 Ita Græci paſſim, Syr. Hieronym. Euſeb. in locis Hebr.
13 Ita Cyrill. hic. Vide & Ammon. & Ambroſ. lib. de iis, qui myſteriis initiantur.
14 Cyrill. Heinſ. alii.
15 Ita Euthym. Maldonat. Chryſoſt. Brug.
16 Hammond. ex Theophylacto.
17 Vide Ligfoot.
18 Vide Maldonat. hic.

loquendi rationem, qui Angeli nomen Dei virtuti tribuere conſueverant [1]. Juxta hanc hypotheſim dicendum eſſet, Angelum Domini, quo aqua commovebatur, non aliud fuiſſe, quam inviſibilem Dei virtutem, qua hic gignebatur effectus, & quæ divinitus aquis hanc imprimebat qualitatem, quæ morbis omnibus mederetur.

Crediderunt quidam, hunc fuiſſe Archangelum Raphaelem, qui dicitur Dei Medicina, & qui præcipue ad ægrotantium curas deſtinatus eſt. Cenſet Maldonatus, illum nequaquam ſub ſenſibili forma deſcendiſſe [2]. Profecto Evangelium non ait, Angelum unquam viſum fuiſſe; ſed aquam fuiſſe tantummodo turbatam, & qui prior in eam deſcendiſſet, inde incolumem evaſiſſe. At ſi Angelus non apparebat, quomodo ſciri poterant, aquam ab Angelo turbatam eſſe? Reſpondet, illos hoc ſcire potuiſſe per traditionem, vel etiam per peculiarem aliquam revelationem.

Ceterum mirabilis hujus piſcinæ nullum apud Joſephum, Philonem, atque Judæos auctores extat veſtigium. Videtur illa non adeo antiqua fuiſſe, vel nonniſi raro Angelus deſcendiſſe, unde ortum eſt, ut illi laudibus minime celebraverint miracula, quæ ibi accidebant. Notandum [3], verſiculum hunc minime legi in Veteri MS. Græco, & Latino Cantabrigienſi, neque in duobus Regiæ Bibliothecæ Cophticis Exemplaribus, neque in MS. Græco Colbertino; & in quibuſdam aliis Exemplaribus, non in textu, ſed in ora inveniri: in aliis vero MSS. iſthic legi [4]: *nam quibuſdam temporibus Angelus Domini ſe ſe abluebat in Piſcina, & aquam turbabat.*

Beda [5], & poſt hunc Genebrardus [6], & Serrarius [7] crediderunt, vel ſaltem tamquam veterem traditionem retulerunt, Probaticam Piſcinam eſſe locum eumdem, ubi olim Jeremias, paulo antequam Templum a Nabuchodonoſor everteretur, ſacrum ignem abſcondit; & unde poſt captivitatem eductus fuit, cum ibi Sacerdotes pro igne lutulentam aquam inveniſſent [8]. Brocardus [9] putat, Piſcinam hanc a Salomone conſtructam fuiſſe, & Nathinæos, vel Templi ſervos, ibi victimas abluiſſe, quas Sacerdotibus mox offerebant in ara mactandas. Idem Genebrardus [10], quem ſuperius protulimus, veterem citat MS. ubi legebat, hujus fontis aquam productam fuiſſe ex terræ motu, qui accidit die Conceptionis JESU CHRISTI, atque virtutem aquæ, & aquam ipſam ad diem Paſſionis ejus uſque ſubſtitiſſe. Verum hæc omnia inter fabellas enumeranda cenſemus, quas & ignorantia excogitavit, & probavit ſuperſtitio.

QUI PRIOR DESCENDISSET, SALVUS FIEBAT.] Hic ergo neque naturalis erat, neque permanens aquæ hujus effectus. Animadvertunt Patres, Piſcinam hanc fuiſſe baptiſmatis a JESU CHRISTO inſtituti figuram [11], in quo omnes animarum noſtrarum ægritudines, omnia videlicet peccata, cum originale tum actualia curantur. Nam concupiſcentia, quæ eſt pœna peccati, nobis ad mortem uſque remanet, ut meriti, atque exercitationis probeat argumentum.

℣. 5. TRIGINTA & OCTO ANNOS HABENS IN INFIRMITATE.] Quænam vero hæc fuerit infirmitas, Evangeliſta non adſerit. Quidam putarunt, eum cæcum fuiſſe [12], ſed pleriique [13] exiſtimant, fuiſſe paralyticum, quam ob rem cum ſe ſe movere non poſſet, alius hoc prior ſe, vel propria vi, vel ope aliena in aquas diſſiluiſſe. Hic octo, atque triginta annorum numerus notandus eſt, ut noſcat miraculi magnitudo.

℣. 6. VIS SANUS FIERI?] JESUS CHRISTUS hac interrogatione niteretur excitare in illo fidem, ſpem, ſalutis deſiderium, ejuſque attentionem, ut calamitoſiſſimum ſtatum ſuum ſerius perpendat. Ita Evangelii præcones peccatorum pertinacium corda excitare debent: *vis ſanus fieri?* cognoſce te ægrotum eſſe, & ægritudinem tuam non eſſe citra medicinam: in id ſerio incumbe, & medici opem implores. Salvator ſæpe has afflatu ſuo in penitiori corde nobis iterat voces.

℣. 8. TOLLE GRABATUM TUUM, & AMBULA.] JESUS ad morbos loquens, Domini ac Dei loquitur auctoritate. Ex ægroto hoc fidem non expetit, quoniam hic illum non noverat, neque ipſum prædicantem audierat [14]. Verum ſatis illi oſtendit, quis eſſet tanta imperans auctoritate, ut ſtratum ſuum ipſo die Sabbathi auferret. Duo ita innuebat, ſe potentiorem eſſe Angelo, a quo ſubinde Piſcinæ aqua turbabatur, & qui unius dumtaxat ægroti curandi virtutem illi tribuebat; quandoquidem ipſe dumtaxat ſalutem reſtituebat, & vim, qua & ſeipſum ſuſtinere poſſet, & grabatum ſuum tollere, & ambulare. Alterum, ſe Dominum eſſe Sabbathi, & ſibi jus eſſe diſpenſandi cæremonialium legum obſervantiam, imo etiam eaſdem penitus antiquandi.

Animadvertunt [15], Salvatorem poſt patrata miracula illis quaſdam conſuevisſe adnectere circumſtantias, quæ eorum veritatem maxime teſtarentur. Ubi quinque panes multiplicaſſet, juſſit reliquias colligi, quæ majori in copia fuerunt, quam panes ipſi, quos multiplicaverat. Cum aquam in vinum ad nuptias Canæ immutaſſet, præcepit, ut vinum illud Architriclino guſtandum afferretur. Cum leproſos mundaſſet, illos ad Sacerdotes miſit, ſalutem ſuam teſtaturos. Iſthic autem non ſufficit illi curare paralyticum; præcipit etiam, ut ſurgat, ambulet, grabatum tollat.

℣. 9. ERAT AUTEM SABBATHUM.] Nemo neſcit, lege [16] quodlibet ſervile opus die Sabbathi interdictum fuiſſe. Quies ſumma cum ſeveritate ea die ſervanda erat, & ſignanter non licebat ſarcinam aliquam deferre [17]. D. Toynard [18] credit, hoc accidiſſe undecima die Niſan, quæ erat dies Sabbathi ante Paſchatis feſtivitatem, quæ celebrata eſt feria quarta die 14. Niſan, 28. Martii.

At quorſum JESUS homini huic præcipiebat, ut ea die ſtratum ſuum auferret? Nonne ſatis fuiſſet ei dicere, ut jam curatus domum ſuam reverteretur? Reſpondent Interpretes 1. illum hoc pacto oſtendere voluiſſe, ſe Dominum eſſe etiam Sabbathi [19]: *Dominus eſt Filius hominis etiam Sabbathi*: 2. factum hoc minime oppoſitum fuiſſe menti legis, licet litteræ ejuſdem adverſari videretur [20]. Sabbathum inſtitutum erat in honorem Dei: hoc actio publicum erat potentiæ, & bonitatis illius monumentum: 3. intererat Sapientiæ Salvatoris efficere, ut Divinitatis ſuæ argumenta, & miracula a compluribus cognoſcerentur [21]; præſertim vero Jeroſolymæ, quæ regionis illius caput erat, & centrum Judaicæ Religionis: neque curationis hujus prodigium inſignius fieri poterat, quam per hanc Sabbathi circumſtantiam, atque hanc lectuli a paralytico curato ablati tranſlationem.

℣. 11. QUI ME SANUM FECIT.] Æger hic a JESU curatus belle quidem argumentatur. Qui me curavit, certe

1 Maimon. More Nebochim. 2 Vide & Grot. Ligfoot. Brug.
3 Vide Mill. hic, & Proleg. 433. 4 Ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν ἐλούετο ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ. Ita Alex. Med. Æthiop. Cypr. Vide Mill. & Grot.
5 Beda in 1. Eſdr. 2. 6 Genebr. in Chronolog.
7 Serar. in 2. Macc. 1. qu. 14. apud Cornel. a Lapide hic. 8 Vide 2. Macch. 1. 19. 20.
9 Brochard. Deſcript. Terræ ſanctæ. 10 Genebr. Chronolog. lib. 1. p. 174. Pariſ. 1600.
11 Ita Chryſoſt. Theophylact. Euthym. hic. Tertull. lib. de Baptiſmo. Ambroſ. lib. 1. de Spirit. S. cap. 7. & lib. 1. de his qui Myſter. initiant. c. 4. & lib. 2. de Sacram. cap. 2. 12 Chryſoſt. Euthym.
13 Leont. Ambroſ. lib. 2. de Sacram. cap. 2. alii. 14 Maldonat. Grot.
15 Chryſoſt. Cyrill. Leont. Theophylact. Euthym. Maldon. Grot. 16 Exod. 20. 8.
17 Jerem. 17. 21. *Nolite portare pondera in die Sabbathi, nec inferatis per portas Jeruſalem*. Vide & 2. Eſdr. 13. 15. 18 Harmon. Evang. 19 Matth. 12. 8.
20 Beda hic; Auguſt. Tract. 17. *Non operis imperium fuit, ſed operatio ſanitatis.* 21 Rupert.

certe ſanctus eſt air, vel Propheta, vel ipſe Meſſiar; non enim illum ſatis aperte cognoverat. Ergo ſi quid malieſſet ambulare, & grabatum auferre, hoc illum proculdubio non fefelliſſet; neque hoc a me fieri juſſiſſet: Nihil ergo mali eſt [1]. *Non acciperem juſſionem, a quo acceperam ſanitatem?* ait S. Auguſtinus.

℣. 13. JESUS DECLINAVIT A TURBA.] Statim ac miraculum illud operatur eſt, receſſit, neque amplius ibi apparuit. Græca Authographi vox [2] hoc proprie ſignificat: *ſed Jeſus aufugit, ubi vidit, eo in loco tumultum ſuboriri* [3]. Cum audiſſet Jeſus populum confluentem, atque turbas miſcentem, eo quod homo iſte grabatum ſuum geſtaret, clanculum ex multitudine populi ſeceſſit, & aufugit. Vel: aufugit Jeſus, quod eo in loco *magna populi turba collecta fuerat*. Potuit facile fugam capeſſere, quia agnoſceretur propter affluentiam populi [4], qui illuc convenerat, vel ad miraculi famam, vel ad rumorem eorum, qui eum hominem exprobrabant, quod Sabbatho ſtratum ſuum deferret. Vel denique receſſit, *quia ibi magna erat populi multitudo*, cupiens, plauſus, atque laudes populi evitare.

℣. 14. INVENIT EUM JESUS IN TEMPLO.] Primum Jeſu Chriſti ægrotum hunc curantis conſilium erat, publica Divinitatis, atque potentiæ ſuæ documenta præbere; alterum vero, ægroto eidem animæ ſalutem impertire, poſtquam illius corpus curaſſet. Donec agnitus non fuit tamquam hujus auctor miraculi, nihil inferri potuit, quod Meſſiam illum eſſe probaret; & donec æger ille neſciebat, a quo curatus fuiſſet, nullam ex corporis ſalute ad ſalutem animæ percipiebat utilitatem. Jeſus ergo iſthic ait, ſe illi ſalutem corporis reddidiſſe, atque ſimul duo illum docet. Primum, ægritudinem illius peccatorum ejuſdem cauſam fuiſſe [5], alterum, futurum ut niſi a peccatis abhorruerit, aliquid pejus ipſi contingat: *Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*: quæ verba palam Divinitatem Jeſu probabant, quoniam oſtendebant, illum & præterita ſcire, & futura prænoſcere [6].

℣. 15. ABIIT HOMO, ET NUNCIAVIT JUDÆIS.] Credidit, ad hoc ſe teneri in grati animi ſignum propter beneficium, quo recens fuerat cumulatus. Ubicumque prædicavit, Jeſum eſſe Omnipotentem medicum, a quo curatus fuerat: minime expavit hoc illis repetere, ſibi ab eodem imperatum fuiſſe, ut grabatum tolleret, & licet ſciret, quinam ob eam rem excitus fuiſſet rumor, voluit tamen teſtimonium veritati perhibere [7].

℣. 16. PROPTEREA PERSEQUEBANTUR.] Jeſum, eo quod Sabbatho curaret ægros, ægriſque eorum imperaret, ut ſuum ſtratum auferrent. Hoc illius crimen eſt; vel potius hic unus ille color, quem invidia, atque indignatio prætexere potuerant, ut fuco quodam perſecutiones ſuas, pravamque voluntatem contegerent. Græca exemplaria [8] addunt, eos quæſiviſſe, Jeſu necem inferre.

℣. 17. JESUS RESPONDIT EIS.] Cum a Judæis exprobraretur, perinde Sabbathi requiem violaret, illis hoc reſpondet argumentum, quod ipſum Deum eſſe probat; ideoque ipſi facultatem, & jus ſuppetere a Sabbathi obſervantia diſpenſandi: Pater meus, & ego, inquit ille, indeſinenter univerſorum regimini, atque incolumitati adlaboramus, neque nobis negotium faceſſit dies Sabbathi, quominus adlaboremus [9]: obſervantia Sabbathi ad nos minime ſpectat. Mihi ergo facultas eſt præcipiendi huic, qui ad Patris mei, meamque gloriam adlaborat, & ſuper quem meam, Patriſque mei poteſtatem exerceo, ut auferat grabatum ſuum, licet hoc Lege Sabbathi ſit interdictum.

Si ea una dumtaxat ratio vos ad requiem Sabbathi obſervandam impellit, ut eam ſanctificetis diem, qua Deus ipſe poſt univerſorum creationem quievit, hæc ratio neque me, neque Patrem meum prohibere poteſt, quominus Sabbatho, quemadmodum alia quapiam die, operemur. Poteſtas Dei infinita eſt, a nullo pendet. Semper operatur, ubi vult, quemadmodum vult, quin aliquis illi leges irrogare poſſit, vel eum cogere, ut quieſcat, vel operetur [10]. Cum autem ego ſim Verbum, & Sapientia illius, neque ille agere poſſit ſine me, quemadmodum neque ego ſine illo, Sabbathi lex neque me, neque illum urgere poteſt [11].

℣. 18. PATREM SUUM DICEBAT DEUM, ÆQUALEM SE &c.] Judæi ſatis intellexerunt, quo Jeſu Chriſti argumentum tenderet, videlicet probare, Deum eſſe Patrem ſuum, ſe Deo eſſe æqualem, verum Meſſiam, & Mundi totius Salvatorem [12]. Animum ergo appulerunt, ut illum e viventium numero exturbarent, non ſolum quatenus Sabbathi prævaricatorem: (id enim ſcelus per ſe morte jam erat luendum,) ſed multo magis propter commentitiam blaſphemiam, quia ſe Deum, & Deo æqualem facebat, Levit. 24. 11.

℣. 19. NON POTEST FILIUS A SE FACERE QUIDQUAM.] Perſequitur Jeſus Chriſtus ſermonem ſuum ℣. 18. interciſum, qui verſiculus intra parentheſim legendus eſt. Ego ſemper cum Patre meo operor. Quemadmodum nihil umquam ſine illo efficere poſſum, ita neque ille, aliquid ſine me. Id facio, quod illum facientem video. Conſilia, actiones, virtus noſtra prorſus eadem ſunt [13]: *nihil a ſe facit Filius, quia per unitatem operationis, nec Filius ſine Patre facit, nec ſine Filio Pater.*

NON POTEST FILIUS A SE FACERE QUIDQUAM.] Ex hoc loco Arriani inferebant, Filium Patri eſſe inferiorem, ſed trifariam illis reſpondemus. 1. Cum Dei Filius ſit Verbum, & Sapientia, per quam Deus omnia creavit [14], Patrem nihil facere ſine illo; & quidquid Pater fecit, a Filio viſum id facientem, & utrumque ſimul feciſſe; ideoque Patre inferiorem non eſſe [15]. 2. Filium non ſolum nihil facere, verum etiam ne poſſe quidem aliquid facere, niſi quod Patrem facientem videt. Sed fieri nequaquam poteſt, ut Pater malum uſpiam operetur, neque in aliquam decidat imperfectionem. Igitur Filius eſt Deus; ſi enim Deus non eſt, poteſt facere, quod non poteſt Pater, neque infallibilis eſt, neque impeccabilis, neque a defectibus immunis, neque Omnipotens [16]. 3. denique ita oſtendit, quamquam inter Patrem, & ipſum unio, & æqualitas naturæ, & poteſtatis inveniatur, non eſſe tamen eamdem Perſonam, nam Filius videt Patrem agentem, neque facit, niſi quod illum facientem videat [19]. Hinc facile inferri poteſt, ſi Filius prævaricator eſt Sabbathi, id de Patre etiam dicendum.

℣. 20. PATER DILIGIT FILIUM.] Pater nihil efficit, inſcio Filio, neque Filius inſcio Patre. Salvator iſthic humanitus loquitur, quaſi Patris eſſet diſcipulus, atque imitator. Illum tamquam Magiſtrum audit, eumdem tamquam exemplar inſpicit; nihil agit, niſi quod ab illo agi cognoſcit. Pater vero tamquam amantiſſi-

1 Chryſoſt. Auguſt. Maldonat. Grot. Brug.
2 Ὁ γὰρ Ἰησοῦς ἐξένευσεν, ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ. Chryſoſt. Ἐξένευσε.
3 Ὄχλος ponitur ſæpe pro tumultu. Vide Luc. 22. 6. Act. 24. 18. Marc. 12. 12. & Vatab. Eraſm. Bez. Brug. Ham. in S. Luc. 22. 6.
4 Eraſm. Caſtal. Lud. de Dieu, Grot. hic.
5 Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Maldonat. Grot.
6 Vide Iren. lib. 5. cap. 15. Chryſoſtom. Cyrill. Theophylact. Euthym. hic. Auguſt. lib. de fide & operib. cap. 20.
7 Grot. Brug.
8 Auguſt. Chryſoſt. Theophylact. Euthym. Cyrill. Mald. Grot. Brug. Ligfoot. alii.
9 Καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι. Ita & Syr. & Arab. ſed non legunt Steph. β. γ. Cantabr. Cyrill. Non. Armen. Copht. alii quidam.
10 Ita Patres, & Interpp. paſſim.
11 Theodor. Mopſ. Leont. Mald.
12 Vide Aug. & Cyrill. hic.
13 Vide Ambr. lib. 2. de fide, cap. & Cyrill. lib. 12. Theſauri. Mald. Grot.
14 Num. 15. 32.
15 Ambroſ. in Pſalm. 43.
16 Joann. 1. 3. & Prov. 8. 30.
17 Epiph. de hæreſi Arianor. Cæſari. Dialog. 3.
18 Vide Nazianz. orat. 4. Cyrill. hic. Auguſt. lib. 22. de civit. cap. 25. 26. &c.
19 Vide Maldon. & Cornel. a Lapide hic.

tiſſimus Præceptor nihil Filium celat. At ne opinaretur quis, illum Patri eſſe inferiorem, atque in operibus ſuis ab illo pendere, addit, ſe facta magis adhuc mirabilis operaturum, quam quod nuper fecit, curans Paralyticum, qui octavum jam ſupra trigeſimum annum æger erat. Filius ad Patris imitationem mortuos ſuſcitabit, & obduratiſſimos etiam peccatores convertet. Eodem tempore, quo Patris ſui magnitudinem celebrat, belle tuetur æqualitatis, ac parentiæ gradum, quem habet cum illo. Si Pater Magiſter eſt, atque exemplar Filii ſui, quatenus hominis: Filius quatenus Deus, Patri perfecte eſt æqualis [1].

ỳ. 21. SICUT PATER SUSCITAT MORTUOS.] Hic etiam ſatis oſtenditur potentiæ æqualitas. Pater ſuſcitavit mortuos per prophetas Eliam, & Eliſæum; Filius etiam propria virtute per ſeipſum, & per Apoſtolos ſuos mortuos ſuſcitabit. Si hoc poteſt; multo magis a Sabbathi obſervantia diſpenſare poteſt. Adfert mortuorum reſurrectionem, tamquam exemplum miraculorum, quæ ipſe patraturus erat, & quæ erant futura multo majora, quam ea, quæ haſtenus fecerat; nondum enim mortuum aliquem ad vitam revocaverat [2]. Addit etiam, ſe vivificare, *quos vult*, ad abſolutam poteſtatem ſuam, & a nullo pendentem, indigitandam [3].

ỳ. 22. NEQUE ENIM PATER JUDICAT QUEMQUAM [4].] Pater ſolus non judicat; Filio communicavit poteſtatem ſecum judicandi. Hoc ſuperius dicta confirmat ỳ. ỳ. 17. 19. Patrem ſcilicet non agere ſine Filio, neque ſine Patre Filium. Eorum poteſtas æqualis eſt, eorum actiones communes. Dei Filius ab æterna generatione ſua ante omnia ſecula [5], hanc cum Patre judicandi poteſtatem accepit. Putant nonnulli [6], Dei Filium recepiſſe poteſtatem judicandi, quatenus Deum-Hominem, cum poſt Reſurrectionem ſuam a Patre judex conſtitutus fuit [7]. Credit Grotius, intelligi quoque poſſe in primo quodam ſenſu de ultione, quam Dei Filius exercere debet in Jeroſolymam, & quæ erit figura judicii alterius, quod ad Mundi finem in omnes homines exercebit. Jeſus Chriſtus plerumque duo hæc ſimul commiſcet, ubi de ultionis ſuæ exercitatione verba facit [9].

ỳ. 23. UT OMNES HONORIFICENT FILIUM.] Judæi non ſatis diſtincte Meſſiæ Divinitatem cognoverant; hunc enim præſtolabantur, tamquam præſtantiſſimum Principem, atque potentem Imperatorem: verum minime arbitrabantur, huic adhibendos eſſe honores divinos, eumque habendum tamquam omnipotentem Judicem vivorum, & mortuorum. Vult Jeſus, eos ex hoc errore edocere: docet, Hominis Filium, Chriſtum, Verbum, Meſſiam, poteſtate, & auctoritate Patri eſſe æqualem; idem operari, quod Pater, atque cum Patre ſimul omnes homines judicare: ideoque eumdem cultum, eoſdemque honores mereri, quibus colitur Pater. Et ſane eos meretur, eo quod *Filius hominis eſt*; quemadmodum ỳ. 27. dicitur, videlicet quod *cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine JESU omne genu flectatur, Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum*, Philip. 2. 6. &c.

QUI NON HONORIFICAT FILIUM.] Parum eſſet Filium colere, eo quod a Patre miſſus eſt; atque in hoc conſtituere honorem illi exhibendum: eadem de cauſa Apoſtoli, iique omnes, qui veniunt in nomine Domini, ſunt a nobis colendi: ſed Filio præbendus eſt honor æqualis illi, qui præbetur Patri; quoniam Pater, & Filius æqualem habent poteſtatem, eſſentiam vero æqualem [8].

ỳ. 24. QUI VERBUM MEUM AUDIT.] Qui audit verbum Filii Dei, & credit in illum, audit ſimul mandata Patris, & credit in Patrem. Utrumque vitam æternam confert. Nemo in Filium credere poteſt, quin credat in Patrem, a quo Filius miſſus eſt, neque æternæ vitæ particeps fiet umquam, qui in utrumque non crediderit. Per hanc fidem *tranſit a morte in vitam*; nam ſi quis non credit, in ſtatu mortis eſt; hoc certum eſt, eum, qui credit, & qui ab infidelitate ad fidem tranſit, a morte ad vitam tranſire [e].

ỳ. 25. MORTUI AUDIENT VOCEM FILII DEI.] Eos, qui de infidelitate emergunt, ut fidem amplectantur, ſuperius illi comparavit, qui de morte tranſeunt ad vitam; hic autem ab eadem allegoria non recedit [10]. Venit hora, cum *mortui*, qui in infidelitatis tenebris ſqualent, *vivent*, & venient ad fidem. Ac quomodonam venient? audientes vocem Filii Dei; ſe in illius ſectatores, diſcipuloſque præbentes. Mortui hoc in loco vel Judæos, vel Ethnicos, vel utroſque ſimul deſignant. Eorum nemo, niſi per fidem in Jeſum Chriſtum ad vitam poteſt pervenire.

Alii [11] hoc explicant de ſeſi mortuorum reſurrectione, quos Salvator adhuc vivens ab inferis revocavit. Confirmat ſuperius dictum ỳ. 21. quemadmodum Pater reſuſcitat mortuos, ita & Filium, quibus vult, vitam impertiri. Cenſet Maldonatus, hoc ad noviſſimam reſurrectionem pertinere, quæ ſub Mundi finem contingere debet. Verum quomodonam hoc in ſenſu poteſt aſſerere: *venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent?* Prior explicatio mihi ad litteram magis accedere, & cum ſuperioribus melius cohærere videtur.

ỳ. 26. SICUT PATER HABET VITAM IN SEMETIPSO.] Homines per effectum bonitatis Dei vita fruuntur, ſed nonniſi ad tempus eadem fruuntur. Hoc ſtatum eſt bonum, ac pertranſitorium. Dei Filius vitam habet, eamque habet & in ſemetipſo, & per ſemetipſum, non in tempore, neque ad certum tempus; ſed ab æterno, atque in æternum, non ſecus ac Pater Æternus [12]. Quemadmodum Pater eſt vitæ origo, vita eſſentialis, ita & Filius hanc ille, cui vult, elargitur. Nemo venit, niſi per illum, ſive de corporis, vel de animæ vita intelligatur, per ſanctificationem, Fidem, vel denique Reſurrectionem. *Jeſus Chriſtus eſt via, veritas, & vita*, Joan. 14. 6.

ỳ. 27. POTESTATEM JUDICIUM FACERE.] S. Chryſoſtomus, & Theophylactus textum aliter interpungunt; *& dedit illi poteſtatem judicium facere. Nolite mirari, quia Filius Hominis eſt*. Immo S. Joannes Chryſoſtomus improbat etiam rationem eam, qua vulgo hunc legimus textum, exiſtimans, hoc eſſe Pauli Samoſateni adinventum. Verum egregie explicatur in ſenſu Catholico, dicendo, Jeſum Chriſtum quatenus hominem a Patre recepiſſe judicandi facultatem; nam quatenus Judex manifeſte apparere debet inſidens Tribunali, coram quo ad noviſſimum judicium omnes homines ſunt congregandi [13]. S. Auguſtinus putat, illum apparitur, velut hominem, & velut Judicem omnibus hominibus; electis vero dumtaxat, tamquam Deum: *In judicio forma ſervi, & bonis, & malis oſtendetur; forma Dei ſolis bonis ſervabitur*. Quatenus

1 Vide Cæzar. Dialog. 3. Sever. Antioch. Mald. hic, 2 Aug. Beda, Brug. alii.
3 Chryſoſt. Theoph. Euthym. Mald. Grot. 4 [illegible] . Cypr. ad Quirin. l. 3. c. 33. & Tertull. contra Prax. cap. 21. O'ude, quidquam. 5 Ambr. l. 2. de fide, c. 4. Menoch. Gloſſ.
6 Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 13. Beda hic. Maldon. Grot. Brug.
7 Pſal. 2. 6. Pſal. 71. 1. 44. 7. 8. Act. 17. 31. & 1. Petr. 4. 5. 8 Euthym. Mald. Grot. Brug.
9 Vide Va . Grot. Brug. alios. 10 Ammon. Aug. Beda, Ligfoot. hic.
11 Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. Cyrill. Leont. Grot. 12 Vide Auguſt. in Joann. Tract. 19. & lib. 15. de Trin. c. cap. 26. Ambroſ. l. 4. de fide, c. 5. & lib. 5. c. 2. et alios apud Mald.
13 Vide ad verſ. 22. Bedam, Mald. alios. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 13. et homil. 22. inter 50. et ſerm. 127. n. 10. et 214. n. 9. nov. edit. Ita et Mald. Brug. hic.

nus Deus, Filius habet ex ſeipſo poteſtatem judicandi; ſed quatenus Filius hominis eam accepit a Patre, nam quatenus homo omnia obtinuit ab illo. *Judicium facere*, hoc in loco ſignificat ultionem exercere, regnare. Dei Filius, quatenus Homo, conſtitutus eſt Rex univerſorum. Exercere debet adverſus Judæos incredulos terribilem vindictam, quam illis toties intentat in Evangelio.

℣. 28. NOLITE MIRARI HOC.] Ne miremini, quia dico vobis, Filium Hominis a Patre accepiſſe poteſtatem exercendi ultionem ſuam in Judæos rebelles, atque incredulos; dicam enim aliquid majus; ipſum conſtitutum eſſe omnium hominum Judicem in noviſſimo, atque univerſali judicio: *venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei*: qui eos poteſtate ſua reſuſcitabit, & mittet Angelos **B** ſuos, qui illos coram ſe cogant in judicium [1]: tunc ℣. 29. *procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii.* Omnes quidem homines reſurgent, & ad tribunal meum prodibunt: ſed bonos a malis, agnos ab hircis ſegregabo [2]. Bonos quidem ad dexteram meam ſtatuam, eoſque in Cælis collocabo; impios ad ſiniſtram, atque mittam eos in ignem æternum, Dæmoni, & Angelis illius præparatum [3]. Quilibet judicabitur, vel juſtificabitur, vel damnabitur, prout bene geſſerit, vel ſecus.

℣. 30. NON POSSUM A MEIPSO FACERE QUIDQUAM.] Ne quis crederet, Patrem, ac ſe judicare ſeorſim, vel Filii judicium poſſe a Patris judicio diſſentire, ait, ſe ſine Patre ſuo nihil facere; & judicare juxta ea, quæ ab illo diſcit: judicium ſuum ſemper juſtum eſſe at- **C** que rectum; verbo, ſe judicare non velut hominem, ſed velut Deum, non auctoritate humana, ſed poteſtate Divina [4].

QUIA NON QUÆRO VOLUNTATEM MEAM.] Inde judicii ſui æquitatem, & rectitudinem probat, quod nonniſi ſecundum Æterni Patris voluntatem, & lumina judicat. At hæc voluntas falli non poteſt, hæc lumina errare non valent; judicium ergo Filii juſtiſſimum eſt. Judices in terris, vel avaritia, vel amore, vel ambitione, vel odio corrumpuntur nonnumquam; nonnumquam ob luminis, & cognitionis defectum falluntur. Nihil ſimile in eo eſt, qui Deus eſt, & Dei lumina, & voluntatem tantummodo ſequitur [5].

℣. 31. SI EGO TESTIMONIUM PERHIBEO DE MEIPSO.] Si ſolus eſſem, & meo ut ita dicam marte **D** loquerer; ſi mecum non eſſet Pater meus, recuſare poſſetis teſtimonium meum; unus dumtaxat teſtis, præſertim vero in cauſa propria, ſemper recuſari poteſt: ſed teſtimonium meum, Patris mei teſtimonio comprobatur. Quoniam Pater meus, & ego unum ſumus, & illius teſtimonium meum eſt; atque ſi loquor, ſecundum illius lumina loquor; ſi ago, ſecundum ejuſdem voluntatem ago: non poteſtis objicere teſtimonium meum, quin non mihi ſolum, verum etiam illi, qui miſit me, injuriam inferatis. Ex eodem principio oritur quod alibi ait [6]: licet ipſe de ſe teſtimonium perhibeat, tamen verum eſſe teſtimonium ſuum.

℣. 32. ALIUS EST, QUI TESTIMONIUM PERHIBET DE ME:] Pater videlicet meus [7], qui teſtimonium meum ſuo confirmat, qui loquitur in me, per me, & **E** cum me. Vel, alius hic teſtis eſt S. Johannes Baptiſta [8], quem conſuluiſtis, & qui vobis reſpondit, me eſſe Meſſiam, quem expectatis ℣. 33. *vos miſiſtis ad Johannem: & teſtimonium perhibuit veritati.*

EGO NON AB HOMINE TESTIMONIUM ACCIPIO.] **A** Non quæro vel Johannis, vel alterius cujuſpiam hominis teſtimonium [9]: ſuppetit enim mihi teſtimonium Patris, quod toto Cælo majoris eſt ponderis. Hoc unum ſufficit, ut mihi omnem fidem conciliet, ac mihi eam conferat auctoritatem, quæ mihi eſt opus. Si ergo de Johanne locutus ſum, *hæc dico, ut vos ſalvi ſitis.* Non in meam, ſed in veſtram utilitatem illius protuli teſtimonium, ut diſcatis, quinam ſim, neque vosmet morti meæ ſontes præbeatis, me non recipientes. Confer primam S. Johannis epiſtolam cap. 5. ℣℣. 6. 7. 8. 9. 10.

℣. 35. ILLE ERAT LUCERNA ARDENS, & LUCENS.] Quarto ab hinc menſe S. Johannes Baptiſta in carcerem fuerat conjectus [10]. Lucerna hæc tamquam caligine obſcurata erat, & ſub modio poſita: quamprimum penitus per mortem extinguenda. Jeſus Præcurſoris ſui encomium iſthic contexit, ut teſtimonio illius majorem compararet fidem. Ne putetis, Johannem Baptiſtam hominem eſſe e trivio, neque dicatis, vos eodem in numero habere teſtimonium illius, ac meum: vir iſte lucerna erat ardens, & lucens [11]: vos ipſi hoc eſtis confeſſi, quia *voluiſtis ad horam exultare in luce ejus.* Atque utinam magis perſeveraſſetis ea in exiſtimatione, quam virtus illius ſtatim in vobis metipſis excitavit [12]. Illum admirati eſtis, illum cum zelo ſecuti eſtis: id vero ad modicum temporis intervallum. Libertas, qua ille detexit, atque exprobravit flagitia veſtra, vos ſtatim avertit. *Voluiſtis ad horam exultare in luce ejus*: mox illi terga vertiſtis, atque dæmoniacum eſſe dixiſtis [13]. Phariſæi etiam veſtri intra ſe illum contempſerunt [14]: denique vos ipſi illum indigne excepiſtis, & ea omnia, quæ vobis placuerunt, mala eidem intuliſtis [15].

℣. 36. EGO HABEO TESTIMONIUM MAJUS JOHANNE.] Licet magni ponderis ſit tanti judicium viri, qualis eſt Johannes Baptiſta, qui erat lucerna Iſrael, gratiæ miraculum, Eliæ ſpiritu repletus, Propheta, & pluſquam Propheta; quoniam non futurum Meſſiæ adventum, ſed præſentiam ejuſdem nunciabat: attamen non hunc unum habeo teſtem; habeo etiam teſtimonium Patris mei, qui veſter eſt Deus [16], certiſſimum, atque validiſſimum teſtimonium. Quorſum autem probo, Patris teſtimonium pro me eſſe? hoc probo ex operibus, & miraculis meis, quæ certam faciunt miſſionem meam, atque teſtimonium perhibent poteſtatis & ſuæ, & meæ, quoniam minime ſeorſim agimus, alter ab altero. Si virum octo, ac triginta annos perculſum curare potui, hoc meam poteſtatem ſatis probat; ſi illud feci in nomine Dei, & ut Deo, ac veritati gloriam tribuerem, ſi habeo Patris, ac Johannis Baptiſtæ teſtimonium; ergo non ſum Pſeudo-Propheta aliquis, vel Sycophanta. Cur ergo non creditis, me jure potuiſſe Sabbathi obſervantiam diſpenſare? Nonne & Prophetæ ipſi hoc poſſunt quibuſdam in caſibus, ex veſtrorum Doctorum ſententia [17]?

℣. 37. QUI MISIT ME, PATER, IPSE TESTIMONIUM PERHIBET DE ME,] non ſolum per Scripturas Moyſis, atque Prophetarum [18], verum etiam voce de Cælo delapſa mei baptiſmatis die [19], vel denique prodigiis, quæ quotidie operor in nomine illius [20]: hoc meum jus eſt: hæc mei juris indicia.

NEQUE VOCEM EJUS UMQUAM AUDISTIS.] Cum dico, Deum mihi teſtimonium perhibuiſſe, ne credatis, illum in terris ſub ſenſibili ſpecie apparuiſſe, neque vocem illius cum hominibus verſantis auditam fuiſſe. Ne diceretis ergo: non vidimus, neque audivimus

1 Theſſal. 4. 15. et Matth. 13. 48. 49. et 24. 31. 2 Matt. 25. 33.
3 Matth. 25. 41. 4 Vide Aug. Mald. alios. 5 Maldon. Grot.
6 Joan. 8. 13. 14. *Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum. Reſpondit Jeſus; Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum.* 7 Cyrill. Beda, Rupert.
8 Chryſoſtom. Leont. Theophylact. Euthym. Maldon. Brug. Grot.
9 Chryſoſtom. Leont. Rupert. Euthym. Grot. Vateb. Brug. 10 Joan. 4. 35.
11 Judæi lucernæ nomine appellabant celeberrimos eorum doctores. 12 Leont. Chryſoſt. Cyrill. Theoph. Euthym. Mald. Grot. Brug. Lud. de Dieu, alii. 13 Matt. 11. 18. Luc. 7. 33.
14 Luc. 7. 30. 15 Matth. 17. 12. 16 Chryſ. Euthym. Cyrill. Theoph. alii.
17 Vide Grot. ad verſ. 11. hujus cap. 18 Cyrill. Beda, Euthym. Theoph.
19 Matth. 3. 17. Chryſoſtom. Rupert. 20 Maldon. Grot.

hunc, quem eſſeris teſtem. Patet corporeis oculis videri non poteſt; vox illius externis auribus non poteſt audiri.

Sin dixeritis, ipſum olim Patribus veſtris Abrahæ, Jacob, & Moyſi apparuiſſe, & majores veſtros vocem illius in Sinai audiviſſe; audacter reſpondebo, quod Patriarchis apparuit, non fuiſſe veram Dei figuram; & vocem, quam Patres veſtri audiverunt, vocem illius non fuiſſe [1]. Figura illa erat corporalis, quam ex Angelis quidam induerat, & vox, quam ille in aere, vel in auribus Hebræorum fingebat. Non inficior, teſtimonium, quod tunc perhibuit, verum fuiſſe; ſed quod perhibuit mihi in Lege, & in Prophetis, in apparitionibus, & in promiſſionibus, quas Patriarchis effecit; quod mihi per Johannem Baptiſtam perhibuit, neque ceſſet perhibere, per ea miracula, quæ facio: æquaquam minus certa ſunt, nec vere minus. Univerſæ illæ apparitiones, atque viſiones me reſpiciebant; hæc omnia mihi præclarum perhibent teſtimonium.

℣. 38. VERBUM EJUS NON HABETIS IN VOBIS MANENS.] Nequicquam gloriamini in S. Libris Dei Verbum habere [2]; ſi hoc vere poſſideretis, ſi illius ſenſum aſſequimini, crederetis in illum, quem Pater miſit, in me crederetis, quoniam in omni Veteri Teſtamento annunciatus ſum; in cujus Divinis Scripturis deprehendere vos oportet Patris de me teſtimonium.

℣. 39. SCRUTAMINI SCRIPTURAS.] Ne dubitetis, quominus Sacra Biblia, quæ vobis præ manibus verſantur, id contineant, quod vobis credendum, atque faciendum eſt; quæ ſi ſecuti fueritis, æternam vitam invenietis. Nihil de eorum auctoritate imminutum volo. Ea diligentius perſolvite, ibique invenietis teſtimonium illud, quod mihi perhibet Deus [3]: ille ibi me prædicit, me deſcribit, me annuntiat: verum non ſufficit, eorum ſuperficiem dumtaxat intueri; ſed illa intus ſcrutemini opus eſt: *ſcrutamini Scripturas.*

Legunt nonnulli [4] textum in indicativo modo: *vos ſcrutamini Scripturas, quia putatis in ipſis vitam æternam habere*; ſed eas non aſſequimini: hic vobis ſignatus eſt liber, ejuſque clavem minime habetis; quam ſi haberetis, utique me cognoſceretis; quoniam ſingulis paginis de me perhibetur teſtimonium. Judæi Domini noſtri ævo in id vacabant ſolum, ut in Scripturis allegorias inveſtigarent, quemadmodum ex Philone innoteſcit.

℣. 40. NON VULTIS VENIRE AD ME.] Scripturarum perſpicuitati, atque teſtimonio Spiritus Sancti de me in Scripturis loquenti reſiſtitis. Ad me venire non vultis, & ſponte aditum ad vitam vobis metipſis obſtruitis. Fruſtra ſperatis, vitam vos inventuros, atque in ritum veſtrorum exercitatione beatitudinem reperturos. Hi ad tempus quidem profuerunt: ſed hodierna die longe aliud a vobis expetit Deus.

℣. 41. CLARITATEM AB HOMINIBUS NON ACCIPIO.] Mihi negotium minime faceſſit hominum æſtimatio, neque mihi opus eſt veſtra confeſſione, ut vel auctoritatem meam confirmem, vel mihi comparem gloriam. Neque utilitatis ſpe, neque ambitione ductus loquor; ob id loquor dumtaxat, ut veſtræ conſulam felicitati, atque ſaluti [5].

℣. 42. SED COGNOVI VOS.] Ne dixeritis, vos inde deterreri, ne me recipiatis; quod me Deo æqualem fero, & amorem, atque ſummam obſervantiam, qua illum proſequimini, minime pati, ut Dei nomen alteri deferatis: immo gloriæ ipſius zelo impelli, ut pro virili mihi adverſemini; novi enim penitiores cordis veſtri latebras; compertæ mihi ſunt, atque ex- plorata veſtræ cogitationes. Non Dei amore, non gloriæ illius zelo acti eſtis [6]; ſed invidiæ vos ſpiritus urit; ignorantia vos cogit. Legitis Scripturas: verum ſenſum earum non aſſequimini: ſi enim illum aſſequeremini, Meſſiam eſſe debere Deum, & Filium Dei; hominem, & Filium David, intelligeretis.

℣. 43. EGO VENI IN NOMINE PATRIS MEI.] Ea eorum, quæ nuper vobis de abſtinentis veſtræ defectu dixi, inde palam probantur, quod veritati, quam prædico, reſiſtitis, non recipitis teſtimonium, quod Pater in Scripturis per Prophetas, & per opera mea mihi perhibet: *ſi alius venerit in nomine ſuo*, qui habeat teſtimonium vel Scripturarum, vel miraculorum, vel aliud veræ miſſionis indicium, *illum accipietis*; dummodo ſtudiis veſtris aſſentiri voluerit, atque per fas & nefas veſtram ſibi æſtimationem utcumque comparare ſtuduerit [7]. Judæi ſæpe oſtenderunt hujus exprobrationis, qua a JESU CHRISTO corripiuntur, veritatem: eum ſecuti ſunt, receperunt, tutati ſunt tot pſeudo-prophetas, atque tenebriones [8]; dum interim perſequerentur, lapidibus impeterent, interficerent veros Prophetas, qui in eorum flagitia invehebantur.

Veterum plerique [9] hoc explicuerunt veluti vaticinium de Antichriſti adventu, qui a Judæis ſummo zelo, ac mira ſollicitudine accipiendus eſt. Veniet ille in nomine ſuo, nullum ex veris Meſſiæ characteribus habens; & plurimi tamen illi adhærebunt.

℣. 44. QUOMODO POTESTIS CREDERE] cum hominum gloriam tantummodo, non autem gloriam Dei requiratis? Maximus obex, qui ſapientes viros, atque Judæorum Sacerdotes deterruerit, ne ſe Evangelio ſubmitterent, fuit eorum vanitas, eorumque philautia [10]. Humanarum laudum avidi, inanis exiſtimationis, quam ſibimet ipſorum imbuerant, ebrii, pati non potuerunt, ut JESUS CHRISTUS nullam erga ipſos teſtaretur obſervantiam, eorum vivendi rationem non approbaret, immo vero flagitia tegeret, eorumque turpitudinem aperiret. Hoc primum effecit, ut in illum aliqua ſuboriretur invidia; mox vero in odium, apertamque perſecutionem erumperent; cumque eorum indignatio ad cumulum uſque exciſſet, eouſque proceſſerunt, ut turpiſſima morte illum tollerent, minime paſſi, quod ille qui ſe ſe in oculis populi humillimos erat, ſuperbiæ ipſorum idolum everteret. Si nam tantum quæſiviſſent *gloriam, quæ a ſolo Deo eſt*, gloriam ſolidam, quæ poſita eſt in humilitate, atque in ſuimet ipſius contemptu, in mentium noſtrarum ſubmiſſione, revelationi, Legi, atque voluntati Dei, Evangelium quidem recipere potuiſſent, atque felicitatem filiorum Dei promereri.

℣. 45. NOLITE PUTARE, QUIA EGO ACCUSATURUS SUM VOS.] Non ego, ſed Moyſes vos accuſabit infidelitatis, atque incredulitatis; quoniam non vultis credere in me, quem ille prænuntiavit. Fruſtra omnem fiduciam veſtram in Moyſe collocatis, atque ſperatis futurum, ut per legum ipſius obſervantiam, ſaluti veſtræ conſulatis; ille primus autem Cœleſti Patri veſtrum accuſator exiſtet. Leges ipſæ quodammodo clamabunt, atque in vos inſurgent.

℣. 46. SI ENIM CREDERETIS MOYSI.] Ille mihi teſtimonium perhibuit in Libris ſuis, ubi refert ex. gr. verba Jacob, Judæ filio ſuo dicentis Gen. 49. 10. *non auferetur ſceptrum de Juda & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Et Deut. 18 15. *prophetam de gente tua, & fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum*

1 Chryſ. Leont. Theoph. Euthym. Rupert.
2 Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Mald. Brug. Grot.
3 Aug. Chryſoſt. Theophyl. alii plerique.
4 Cyrill. hic. Beza, Camer. Ligfoot. Piſcat, Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς.
5 Chryſoſt. Cyrill. Leont. Theophyl. Maldon. Grot. Var. Lud. de Dieu. Ligf. alii.
6 Chryſoſt. Leont. Theophyl. Euthym. Mald.
7 Mald. Brug. Grot.
8 Joſeph. Antiq. lib. 18. c. 14. Act. 36. 37. Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 4. c. 6.
9 Iren. lib. 5. c. 25. Ambroſ. in Pſ. 43. Ruſin. expoſit. ſymb. Theodor. Mopſ. & Apollin. in Catena Gr. Chryſoſt. Leont. Theophyl. Euthym. Beda hic.
10 Leont. Cyrill. Theoph. Mald.

Ipſum audies. Moyſes ipſe ſexcentis ſymbolis, figuriſque Meſſiam deſcripſit, quæ omnes occurrunt in Patriarcharum hiſtoriis, & in legibus cæremonialibus, quæ pertinent ad ſacrificia. Hæc omnia exhibebant Salvatoris vitam, Paſſionem, Mortem, atque Reſurrectionem. Ad hæc tradidit etiam ſigna quædam, ex quibus veri a falſis Prophetis dignoſcerentur [1], quibus ſi nunc uti velletis, quamprimum agnoſceretis, me ex eorum numero non eſſe, quibus fidendum non eſt.

℣. 47. SI ILLIUS LITTERIS NON CREDITIS.] Non quod auctoritas mea minor ſit, quam Moyſis auctoritas; ſed quod vobis eſt minus explorata. Si ex animo, & per effectivam fidem Moyſi crederetis, in me etiam fidem haberetis. Judæi procul dubio Moyſi credebant, & illi fortaſſe nimis adhærebant; verum JESUS CHRISTUS hoc illis non exprobrat: ſed de eo conqueritur, quod ſenſum Legis nequaquam ita acciperent, uti opus erat, atque ex verbis ſuis ea non inferrent, quæ erant inferenda, ut Meſſiam ex iis characteribus, qui ipſis fuerant delineati, cognoſcerent.

1 Grot. hic. Deut. 13. 1. . . . . 5.

CAPUT VI.

Miraculum multiplicationis quinque panum. Secedit JESUS, ne Rex fiat. Ambulat ſuper mare ad Apoſtolos ſuos. Judæi petunt miraculum mannæ ſimile. JESUS CHRISTUS præbiturus eſt Corpus, & Sanguinem ſuum nobis in eſcam, & potum. Diſcipuli quidam ab eo recedunt. Duodecim vero Apoſtoli fideles illi adhærent, excepto Juda.

1. POſt hæc abiit Jeſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis: 2 Et ſeque-
batur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his,
qui infirmabantur. 3 Subiit ergo in montem Jeſus: & ibi ſedebat cum
diſcipulis ſuis. 4 Erat autem proximum Paſcha, dies feſtus Judæorum. 5 Cum
ſublevaſſet ergo oculos Jeſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum,
dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? 6 Hoc autem dice-
bat tentans eum: ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus. 7 Reſpondit ei Philip-
pus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum
quid accipiat. 8 Dicit ei unus ex Diſcipulis ejus, Andreas, frater Simonis Pe-
tri: 9 Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos piſces:
ſed hæc quid ſunt inter tantos? 10 Dixit ergo Jeſus: Facite homines diſcumbe-
re. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri, numero quaſi quin-
que millia. 11 Accepit ergo Jeſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit di-
ſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant. 12 Ut autem impleti ſunt,
dixit diſcipulis ſuis: Colligite, quæ ſuperaverunt, fragmenta, ne pereant. 13
Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque pa-
nibus ordeaceis, quæ ſuperfuerunt his, qui manducaverant. 14 Illi ergo homines
cum vidiſſent, quod Jeſus fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt vere propheta,
qui venturus eſt in mundum. 15 Jeſus ergo cum cognoviſſet, quia venturi eſſent,
ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. 16
Ut autem ſero factum eſt, deſcenderunt diſcipuli ejus ad mare. 17 Et cum aſcen-
diſſent navim, venerunt trans mare in Capharnaum, & tenebræ jam factæ erant: &
non venerat ad eos Jeſus. 18 Mare autem, vento magno flante, exſurgebat. 19
Cum remigaſſent ergo quaſi ſtadia viginti quinque, aut triginta, vident Jeſum am-
bulantem ſupra mare, & proximum navi fieri, & timuerunt. 20 Ille autem dicit
eis: Ego ſum, nolite timere. 21 Voluerunt ergo accipere eum in navim, & ſta-
tim navis fuit ad terram, in quam ibant. 22 Altera die turba, quæ ſtabat trans
mare, vidit, quia navicula alia non erat ibi niſi una, & quia non introiſſet cum
diſcipulis ſuis Jeſus in navim, ſed ſoli diſcipuli ejus abiiſſent: 23 Aliæ vero ſu-
pervenerunt naves a Tiberiade, juxta locum, ubi manducaverant panem, gratias a-
gentes Domino. 24 Cum ergo vidiſſet turba, quia Jeſus non eſſet ibi, neque di-
ſcipuli ejus, aſcenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum quærentes Jeſum.
25 Et cum inveniſſent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc veniſti?
26 Reſpondit eis Jeſus, & dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia
vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. 27 Operamini

non

non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis
dabit vobis. Hunc enim Pater ſignavit Deus. 28 Dixerunt ergo ad eum: Quid
faciemus, ut operemur opera Dei? 29 Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Hoc eſt o-
pus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille. 30 Dixerunt ergo ei: Quod ergo
tu facis ſignum, ut videamus, & credamus tibi? quid operaris? 31 Patres noſtri
manducaverunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis man-
ducare. 32 Dixit ergo eis Jeſus: Amen, amen dico vobis: Non Moyſes dedit
vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. 33 Pa-
nis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. 34 Dixerunt er-
go ad eum; Domine, ſemper da nobis panem hunc. 35 Dixit autem ei Jeſus: E-
go ſum panis vitæ; qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet
umquam. 36 Sed dixi vobis, quia & vidiſti me, & non creditis. 37 Omne,
quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras:
38 Quia deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus,
qui miſit me. 39 Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, Patris: ut omne, quod
dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die. 40 Hæc
eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me: ut omnis, qui videt Filium, & cre-
dit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. 41
Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis vivus, qui de cœ-
lo deſcendi, 42 Et dicebant ei; Nonne hic eſt Jeſus filius Joſeph, cujus nos no-
vimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo deſcendi? 43
Reſpondit ergo Jeſus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem: 44 Nemo po-
teſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: & ego reſuſcitabo eum
in noviſſimo die. 45 Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.
Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. 46 Non quia Patrem vi-
dit quiſquam, niſi is, qui eſt a Deo, hic vidit Patrem. 47 Amen, amen dico
vobis; Qui credit in me, habet vitam æternam. 48 Ego ſum panis vitæ. 49 Patres
veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. 50 Hic eſt panis de cœ-
lo deſcendens: ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur. 51 Ego ſum pa-
nis vivus, qui de cœlo deſcendi. 52 Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet
in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. 53 Liti-
gabant ergo Judæi ad invicem, dicentes; Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam
dare ad manducandum? 54 Dixit ergo eis Jeſus: Amen, amen dico vobis: Ni-
ſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis
vitam in vobis. 55 Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, ha-
bet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. 56 Caro enim mea
vere eſt cibus, & ſanguis meus, vere eſt potus. 57 Qui manducat meam car-
nem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. 58 Sicut miſit me
vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet
propter me. 59 Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Non ſicut manducave-
runt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem vivet in æ-
ternum. 60 Hæc dicit in ſynagoga docens, in Capharnaum. 61 Multi ergo
audientes ex diſcipuli ejus, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum
audire? 62 Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum, qui murmurarent de hoc diſci-
puli ejus, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat? 63 Si ergo videritis Filium homi-
nis aſcendentem ubi erat prius? 64 Spiritus eſt, qui vivificat; caro non pro-
deſt quidquam; verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt. 65
Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jeſus, qui eſ-
ſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum. 66 Et dicebat: Propterea dixi
vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum a Patre meo. 67 Ex
hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retro: & jam non cum illo ambulabant. 68 Dixit
ergo Jeſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? 69 Reſpondit ergo ei Simon
Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. 70 Et nos credimus, &
cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei. 71 Reſpondit ei Jeſus: Nonne ego vos duo-
decim elegi: & ex vobis unus diabolus eſt? 72 Dicebat autem Judam Simonis Iſca-
riotem; hic enim erat traditurus eum, cum eſſet unus ex duodecim.

Post

℣. 1. **P**OST HÆC ABIIT JESUS TRANS MARE GALILÆÆ.] Cum S. Johannes Evangeliſta in eo potiſſimum operam ſuam impenderit, ut ea ſuppleret, quæ cæteri Evangeliſtæ non memoraſſent, repente proſilit ad alterum Paſcha, quod poſt miſſionis ſuæ initium JESUS Jeruſolymæ celebravit, ad miraculum ſcilicet multiplicationis quinque panum, quod poſt annum tantummodo contigit [1]. Hoc quidem miraculum a quatuor Evangeliſtis refertur [2]: ſed S. Johannes hic plures adfert, eaſque inſignes circumſtantias quæ alibi non leguntur. Mare Galilææ, Genezareth, atque Tyberiadis, idem eſt, ac illud, quod in veteris Teſtamenti libris mare Cinereth appellatur. JESUS paucis ante Paſcha diebus hoc mare tranſiit, quemadmodum S. Johannes hoc in loco teſtatur ℣. 4.

℣. 2. QUIA VIDEBANT SIGNA.] S. Johannes hæc miracula non retulit, ſed in aliis Evangeliſtis videntur, & non exiguam Evangelii eorumdem occupant partem; nam præcipue in hoc opus ſuum tranſmiſerunt, ut narrarent id, quod Salvator altero hoc miniſterii ſui anno fuerat operatus.

℣. 3. SUBIIT IN MONTEM.] Deſerti Bethſaidæ, in ditione Philippi Tetrarchæ Galilææ. JESUS illuc conceſſerat, ut importunas evitaret turbas, quæ illi ne ſpiritus quidem ducendi & veſcendi liberum ſpatium relinquebant, Marc. 6. 31.

℣. 4. ERAT PROXIMUM PASCHA.] Hoc accidit decem circiter, vel duodecim diebus ante tertium Paſcha, quod JESUS poſt prædicationis initium, atque baptiſma ſuum celebravit.

℣. 5. CUM SUBLEVASSET OCULOS] aliquanto poſtquam de monte deſcendit: miraculum enim ſub veſperam accidit, & noctem in monte illum tenor tranſegiſſe. Et ſane certum eſt, turbas tanto in numero ad illum confluere non potuiſſe, niſi ſatis diuturno temporis intervallo; quandoquidem terreſtri itinere illuc acceſſerunt, cum ipſe lacum phaſelo tranſmiſiſſet, Marc. 6. 33.

℣. 6. TENTANS EUM] ad fidem illius explorendam, & inſpiciendum, quomodo in virtute profeciſſet. Ut videret, quid reſponderet ille, atque ut miraculi magnitudo magis innoteſceret: ſi enim S. Philippum minime interrogaſſet, varias hujus miraculi circumſtantias ignoraremus. Alii docent Evangeliſtæ [3], JESUM CHRISTUM ægrotos illos curaſſe, qui illic aderant, atque incœpiſſe docere turbas; cumque adveſperaſceret, ab Apoſtolis monitum fuiſſe, turbas dimittendas eſſe; cum enim ſero eſſet, nihil eo in deſerto inveniri poterat, quo tanta populi multitudo aleretur. Apoſtolis itaque imperavit JESUS, ut ipſi populo eſcam tribuerent; qui cum ſe id minime poſſe excuſarent, Andreas, aliique cum eo dixerunt, ſibi non alium eſſe commeatum, quam panes quinque, & piſces duos.

℣. 7. DUCENTORUM DENARIORUM.] Si pro denariis ſicli intelligendi ſunt, trecenti illi æquabunt circiter monetæ Gallicæ libras trecentas, & quatuor ſupra viginti: ſin autem pro denario Romanam intelligimus monetam, octo circiter ſolidorum, hæc fere noſtratis monetæ ſumma erit librarum octoginta.

℣. 8. DICIT EI UNUS.] Adnotavimus jam, cæteros Evangeliſtas omnibus in communi Apoſtolis hanc reſponſionem tribuere [4].

℣. 9. EST PUER UNUS.] Hi piſces erant Apoſtolorum; vel ſaltem hos erant empturi [5] ex hoc puero, illos habente. Ex his panibus hordeaceis, & exiguo hoc piſciculorum numero ſatis innoteſcit, quam pauperus eſſet JESU CHRISTI, ac diſcipulorum ejus victus. Græcus hujus loci legit [6]: *duo ſtrenula*: ſed vox Authographi, vel generatim de qualibet ciborum, vel embammatum ſpecie, quæ ſimul cum pane manducantur, vel peculiariter de piſce intelligitur [7].

℣. 10. ERAT AUTEM FOENUM MULTUM IN LOCO.] Locus hic deſertus erat, ibique erat plurimum graminis, ubi quilibet commode diſcumbere poterat. Adde proximum fuiſſe Paſcha, & cum hordea jam jam matureſcerent, gramen ibi gentium ad majorem altitudinem excreverat.

℣. 11. CUM GRATIAS EGISSET, DISTRIBUIT.] Deo gratias agit antequam panes multiplicet, nam quemadmodum dixit Joan. 11. 41. certum eſt, ſe ſemper a Patre exaudiri, neque repulſam unquam ferre eorum, quæ petierit. Hunc panem, hoſque piſces diſcipulis ſuis diſtribuit, populo ſedenti dividendos. Hoc a tribus reliquis Evangeliſtis narratur [8], & hic quoque apud Græca quædam exemplaria legitur [9]:

℣. 12. COLLIGITE QUÆ SUPERAVERUNT FRAGMENTA.] Apparet iſthic, quemadmodum alibi ſæpe in Evangelio, Domini diligentia, ut Apoſtolos ſuos de miraculorum, quæ operabatur, veritate perſuaderet; & apparet Evangeliſtarum cura, omnes has circumſtantias aſſerentium.

℣. 14. HIC EST VERE PROPHETA, QUI VENTURUS EST.] Alludunt ad Deuteronomii 18. 15. *Prophetam de gente tua, & fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies*, eique obtemperabis. Apoſtoli non ſemel [10] hunc eumdem locum ad JESU CHRISTI perſonam, atque miſſionem tranſtulerunt. Sed quorſum, cum Salvator tot alia operatus fuiſſet miracula, Judæi tunc illum Regem conſtituere velle, atque Meſſiam cognoſcere incœperunt, cum illis eſcam præbuit? Ea plane eſt cauſa, quod cum omnino carnales eſſent, & expectarent Meſſiam, qui illos favoribus, boniſque temporalibus cumulaturus erat, præſertim vero in voluptatibus, quibus libido, atque guſtus explentur, crediderunt, miraculum nuper editum exiguum aliquod eſſe pignus bonorum illorum, quibus erant replendi, & quæ ſibi expectanda erant ab eo Propheta, cui tanta erat largitas, & tanta poteſtas [11] futura.

℣. 15. JESUS CUM COGNOVISSET.] Hoc ille cognovit, vel ex quibuſdam ſignis externis, vel ex vocibus, quæ illis exciderant, vel potius virtute ſua, qua penitiores cordis latebras ſcrutatur [12]. Decreverunt ergo inter ſe illum ſibi Regem inaugurare, atque Herodis, & Romanorum jugum excutere. Cum præſtolarentur, Meſſiam in omnem Iſrael regnaturum, eumque perfectæ libertati reſtituturum, crediderunt, Ieſum Chriſtum non aliud expetere, quam voluntatis ſuæ apertum indicium, ut traditum imperium ſuſciperet, atque magna quælibet exequeretur, regionem illam, cæteraſque ſuæ adjiciens ditioni. Hæc erat totius populi idea: quibus præjudiciis Apoſtoli etiam imbuti fuerunt, uſque dum Spiritus Sanctus deſcendit: quo tempore intelligere cœperunt, Ieſu Chriſti regnum de hoc mundo non eſſe, Joan. 18. 36.

FUGIT ITERUM IN MONTEM IPSE SOLUS.] Iterum ſeceſſit in montem, quo primum cum diſcipulis ſuis conceſſerat [13]; ſed antea coegit Apoſtolos ſuos, ut navi-

1 Vide Harmon. Toynard. p. 55. 56.
2 Matt. 14. 13. & ſequ. Marc. 6. 32. & Luc. 9. 10. 11. 12. &c.
3 Matth. 14. 14. 15. 16. Marc. 6. 34. 35. 36. Luc. 9. 11. 12. 13. & ſequ.
4 Matth. 14. 17. Marc. 6. 38. Luc. 9. 13.
5 Grot. Brug.
6 Καὶ δύο ὀψάρια. Alii Evangel. Δύο ἰχθύας.
7 Vide Grot. hic. & Boch. de animal. part. 1. lib. 2. cap. 6. Ubi citat Hippocrat. Polyb. Plato. Athen. Plut. Diodor. Thucid. alios. Nonn. hic. Ἰχθύας ἐναλίους.
8 Matth. 14. 19. Marc. 6. 40. Luc. 9. 16.
9 Ita impreſſi. Vulgo. Διέδωκε τοῖς μαθηταῖς οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις. Deeſt in plurib. Mſſ. Gr. et in Cantab. Arm. Got. Copht. Syr. Perſ. Arab. Æth. Nonn. Aug. aliis. Vide Zeger. Eraſm. Grot.
10 Act. 3. 22. 7. 37.
11 Vide Chryſoſt. Theophyl. Euthym.
12 Leon. Mald. Grot. Brug.
13 Supra ℣. 3.

naviculam conſcenderent, & mare traducerent [1]. Ita ſolus permanſit in deſerto Bethſaidæ, atque turbas dimiſit, Matt. 14. 23. quibus imperaverat, ut recederent, & dixerat, ſe ulterius ibi locorum non permanſurum. Conſilium eum Regem inaugurandi nondum maturatum erat: cupiebat ſpſem populos, cras eidem voluntatem ſuam aperire.

Verum quorſus illum evitavit Jeſus honorem, qui ſibi deferebatur? Videtur hæc opportuna futura fuiſſe ratio, qua Judæos converteret, ſi ſe eorum regem inaugurari paſſus fuiſſet, eorum honores non dedignatus. Verum hoc inimicorum perſecutiones inhibuiſſet fortaſſe, ſed obſtitiſſet, ne Dei conſilia adimplerentur, qui mundum Meſſiæ morte ſalvum facere, & per illius patientiam, atque labores Eccleſiam cupiebat inſtituere. Ad hæc, exemplum ille præbere optabat modeſtiæ, atque docere, quo in pretio a nobis habendæ ſint terrenæ dignitates. Denique quidquid evitare cupiebat, quod vel minimam præbere poſſet ſpeciem, ne a Principibus a Deo conſtitutis deficere videretur.

℣. 17. In Capharnaum.] S. Marcus 6. 45. ait, Jeſum Chriſtum Apoſtolis præcepiſſe, ut mare traducerent, eumque Bethſaidæ præſtolarentur; & S. Joannes hic ait, Apoſtolos, cum navim aſcendiſſent, Capharnaum verſus tendiſſe; atque in hiſtoriæ decurſu eos videmus non ad Capharnai, neque Bethſaidæ littus, ſed [2] *in terram Genezareth* appellentes. Ut hæc omnia conciliemus animadvertendum dumtaxat eſt cum Evangeliſtis, nocte eadem vehementem perflaſſe ventum, Apoſtolis adverſum, & borealem. Quin ergo Bethſaidam ſe conferrent, quæ in extrema boreali maris Genezareth parte ſita erat, mane prope in oppoſita maris parte ſe ſe adeſſe cognoverunt, Tyberiadem verſus, & ad Capharnai meridiem. Salvator juſſerat illos Bethſaidam proficiſci; ſed cum venti vi repellerentur, adniſi ſunt, ut ſaltem Capharnaum concederent, quo nec appellere potuerunt, ſed longius inde meridiem verſus.

℣. 19. Cum remigaſſent quaſi ſtadia viginti quinque.] Quatuor, & viginti ſtadia unam efficiunt leucam, vel tria paſſuum millia. Cum ergo ad leucam circiter, vel & dimidiam in mare proceſſiſſent, Jeſum ad ſe venientem, & ſuper aquas ambulantem viderunt. Mare Tyberiadis, ſi Joſepho l. 3. de Bell. c. 25. fides ſit, quadraginta habet latitudinis ſtadia, vel paſſuum quinque millia; longitudinis vero ſtadia centum, & quadraginta, vel duodeviginti circiter millia paſſuum. Plinius l. 5. cap. 15. huic mari latitudinem ſex millium, longitudinem ſexdecim tribuit. Apoſtoli igitur non procul a littore eſſe debuiſſent, cum Jeſus Chriſtus illis apparuit, ſi Bethſaidæ mane ob una in alteram horam dumtaxat fuiſſent emenſi. Verum cum longius venti impetus eos tranſtuliſſet, non modicum itineris illis remetiendum erat, antequam ad littus appellerent.

℣. 21. Voluerunt eum accipere.] Non narrat S. Joannes, quid tunc Petro acciderit [3], & ipſi quoque, ex Jeſu Chriſti mandato ſuper aquas ambulanti. Verum quemadmodum dictum eſt, hic Evangeliſta ea dumtaxat attingit, quæ alii, qui ante ipſum ſcripſerant, vel prætermiſerant, vel non ſatis circumſtantiis ſuis exornata attulerant. S. S. Matthæus, & Marcus addunt, Salvatorem vere naviculam ingreſſum fuiſſe [4], ac ſtatim ventum quieviſſe.

Et statim navis fuit ad terram.] Juxta tabulam Geographicam una adhuc, & dimidia intereſſe debebat leuca uſque ad littus, quo appulerunt, ſi magis trajectum a littore deſerti Bethſaidæ uſque ad leucam ultra Capharnaum meridiem verſus ad calculos revocemus. Itaque hoc quoque in loco quædam miraculi ſpecies eſt advertenda, velociſſima nempe celeritas, qua ad littus pervenerunt.

℣. 22. Turba, quæ stabat trans mare.] Populus ille, quem Dominus ſaturaverat, & qui in Bethſaidæ deſerto permanſerat eo conſilio, ne a Jeſu amplius recederet, ſed illum ſibi Regem conſtitueret, ubi poſtridie intellexit, illum ibidem amplius non eſſe, divinare non poterat, quomodo nam abiiſſet ſciens, *quod non introiſſet cum diſcipulis ſuis in navim, ſed ſoli diſcipuli ejus abiiſſent*; neque aliæ ad illud littus naves fuiſſent. Dum hac ſollicitudine urgerentur, ex Tyberiade navicula quædam acceſſit ℣. 23. unde intellexerunt, Jeſum ſummo mane in alteram lacus oram perveniſſe, parum ultra Tyberiadem boream verſus, quod illos coegit, ut mare traducerent illum aſſecuturi.

℣. 24. Ascenderunt in naviculam.] In eas videlicet, quæ Tyberiade illuc appulerant, & mare traduxerunt. Primum quidem Capharnaum acceſſerunt, rati, illuc Salvatorem veniſſe. Neque a fidei ſpecie abhorret, quoſdam eorum lacus oram per Bethſaidam circuiſſe, atque terreſtri itinere Capharnaum veniſſe; non enim fidei congruum eſt, quinque, vel ſex virorum millia in lintribus illis omnes mare traduxiſſe.

℣. 26. Quæritis me, non quia vidiſtis signa &c.] Jeſus Chriſtus non reſpondet populi interrogationi: *Rabbi, quando huc veniſti?* Etenim in corde eorum ſcrutabatur viles, nec ſatis integras cogitationes, in verbis vero quamdam adulationis, & laudis ſpeciem, quam probare non poterat [4]. Ideo jejunius illis reſpondit: non quæritis me velut hi, quibus perſuaſum eſſet de divinitate mea, ac Meſſiæ dignitate, ob ea miracula, quorum teſtes fuiſtis: ſed utilitas, ac ſpes, quæ vobis inceſſit, futurum ut e me nutriamini, vos impellunt, ut me quæratis; non fides veſtra, neque veritatis amor hoc vobis ſuadet [5], *propter carnem me quæritis, non propter ſpiritum*, ait Auguſtinus.

℣. 27. Operamini non cibum, qui perit.] Non panem, atque terrenam eſcam; ſed animæ cibum ea me quæratis, oportet. Quinam vero hic eſt cibus animæ? Verbum Dei, Fides, Charitas, idem Chriſtus Jeſus ex S. Auguſtini ſententia [7]: credite in me, me imitemini, divino hoc cibo, quem vobis appono [8], veſcamini. Salvator de ſeipſo alibi ait, ſuum cibum eſſe, ut faciat voluntatem Patris ſui [9]. Hæc omnium etiam fidelium eſca eſſe debet, quæ animæ vitam impertit, ac nos ad æternitatem adducit, cum eſca ſenſibilis corpus alat tantummodo, neque moriendi neceſſitatem avertat.

Hunc enim Pater signavit.] Jeſus Chriſtus eſt imago Patris [10], ſplendor gloriæ, figura ſubſtantiæ ejus [11], character majeſtatis ipſius, ejuſque Verbum, & Sapientia, & in ipſo omnis plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat [12]. Impreſſit igitur in illo ſignum, & characterem ſuum ab ipſa æterna generatione. Jeſus Chriſtus in Incarnatione etiam ſignatus fuit; diſtinctus & ab hominibus ſeparatus: humanam carnem aſſumpſit, ſed ratione ab aliis hominibus longe alia. Hi ſunt peccatores, & homines; ille impeccabilis, & Deus [13]: *ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cœlis factus* [14]: denique Pater in illo ſuæ potentiæ ſignum impreſſit, eumque filium ſuum, ac Deum ſibi æqualem declaravit, non ſolum publico teſtimonio, quod voce e Cœlo dilapſa in ipſius baptiſmate palam perhibuit [15]; verum etiam in miraculis, quæ operatus eſt, & quæ palam divinitatem, ac dignitatem Filii Dei [16] oſtenderunt.

℣. 29. Hoc est opus Dei.] Intellexerunt Judæi nomine eſcæ non pereuntis, ſed in æternum permanentis, Salvatorem bona opera intellexiſſe. Quærunt igitur ex eo, quænam ſint hæc opera bona, quæ ab ipſo expe-

1 Matt. 14. 22. Marc. 6. 46. 2 Matt. 14. 34. Marc. 6. 53.
3 Matt. 14. 28. 4 Marc. 6. 51. Matt. 14. 32. 5 Chryſ. Leont. Theoph. Euthym.
6 Vide Aug. Bedam, Mald. 7 Aug. hic. Beda, 8 Vide mox verſ. 29. Auguſt. Tract. 25. *Crede, & manducaſti.* 9 Joan. 4. 34. 10 2. Cor. 4. 4. *Gloria Chriſti, qui eſt imago Dei.*
11 Hebr. 1. 3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus.*
12 Coloſſ. 2. 9. 13 Aug. hic. Beda. Vide & Hilar. lib. 8. de Trinit. & Cyrill. hic.
14 Hebr. 7. 26. 15 Matt. 3. 17. 16 Chryſoſt. homil. 43. Theophyl. Euthym.

expetuntur, & quinam hic panis, quem ſibi debeant lucrari. Quibus reſpondet Jeſus, cibum hunc eſſe fidem: vos me ſollicite quæritis, ut corporum eſcam habeatis, & ne frontis veſtræ ſudoribus victum vobiſmet comparare teneamini. Hoc non quærebam, cum in Bethſaidæ deſerto vos alui: cupiebam enim vobis perſuadere, me eſſe Dei Filium pro totius mundi ſalute a Patre miſſum. Mihi conſilium erat, voſmet mihi vinciendi non turpis utilitatis ſpe, quæ vos impelleret, ſed ſinceræ converſionis veſtræ cupiditate, qua flagrabam. Cupiebam, in me crederetis, ideoque eas veritates, quas vos docui, exerceretis.

℣. 30. QUOD ERGO TU FACIS SIGNUM?] Hæc Jeſu Chriſti reſponſio rudem eum populum perculit, qui irritatus fuit hac exprobratione, quod minime crederet, & illum quæreret ſolum, ut citra laborandi neceſſitatem vitam traduceret. Quærunt ergo audacter ex illo, quid umquam ipſe fecerit, ut eorum in ſe fidem, atque confidentiam mereretur: quaſi miraculum quinque panum multiplicatorum non ſatis perſpicuum fuiſſet, neque ſatis validum argumentum, ut eos cogeret, ut ipſum pro Dei Filio cognoſcere tenerentur. Quod ſi ſatis non erat, quot alia ibi gentium miracula fuerat operatus?

℣. 31. PATRES NOSTRI MANDUCAVERUNT MANNA.] Nihil adhuc feciſti, quod æquet miraculum illud, quod in Patrum noſtrorum gratiam in deſerto Moyſes olim operatus eſt. Saturaſti quidem quinque hominum millia panibus quinque, & piſciculis duobus: verum quid hoc, ubi conferatur cum miraculo Moyſis in deſerto, qui quadraginta annos ultra myriadem virorum aluit manna, qui erat panis Cœleſtis, & eſca prorſus divina? fac ergo aliquid ſimile: & credemus in te, quemadmodum in Moyſem credidimus [1].

℣. 32. NON MOYSES DEDIT VOBIS PANEM DE COELO.] Jeſus Chriſtus hoc in loco Judæos confutat, aſſerens, primo non Moyſem, ſed Deum majoribus eorum mannam dediſſe. 2. Patrem illis actu præbere panem, manna ipſo toto Cœlo præſtantiorem. 3. Jeſum Chriſtum ipſum hunc eſſe panem, hunc cibum, de quo loquitur. Non immoratur priorem probaturus propoſitionem, quæ per ſe ſatis patebat. Moyſes numquam ex propria virtute miracula ſe operari putavit; ſed eorum gloriam Deo ſemper acceptam retulit. Ille hujus mandata fideliter dumtaxat ſequebatur, & numquam auſus eſt ſibi vendicare auctoritatem Filii Dei, neque ſe æternum, & Patri æqualem dicere: quæ blaſphemiæ ſunt, quas mortis pœna damnandas eſſe judicavit. Unus Jeſus Chriſtus hoc nomen aſſumpſit, atque illud aſſumens ſuo uſus eſt jure: idque ſibi convenire plurimis probavit miraculis; & idem Deus inſigni pacto, atque explicite approbavit.

Ut oſtendat autem, ſe verum eſſe panem Cœleſtem, duo probat: primum doctrinam ſuam verum eſſe animæ cibum, & fidem unicam eſſe viam, qua ad Deum perveniatur. Deinde ſe realiter, ac vere daturum Corpus, & Sanguinem ſuum in cibum, ac potum credentibus in ſe. Poſtrema hæc propoſitio adeo erat inaudita, ut minime mirum ſit, ſi, qui illam audiverint, ſe eadem perculſos oſtenderint. Verum Salvator, qui infinita Sapientia ſua noverat, & quando, & quomodo veritas eſſet diſpenſanda, atque diſtribuenda, ſatis hunc eſſe cenſuit diſcipulis ſuis, qui doctrinæ ſuæ admiratione capti erant, dicere ea, quæ a ſe proferebantur, ſpiritum eſſe, & vitam: in noviſſima vitæ ſuæ momenta differens occaſionem perfectius hoc illis myſterium explicandi.

PATER MEUS DAT VOBIS PANEM DE COELO VERUM.] Manna nonniſi improprie, atque figurate erat panis de Cœlo. Ex aeris regione roris inſtar decidebat in terras. Aer vero in Scripturis ſæpe Cœlum vocatur, atque inde manna dicitur panis de Cœlo, atque cibus Angelorum [2]. Sed Jeſus Chriſtus eſt verus panis de Cœlo, quoniam reipſa de Cœlo deſcendit, ut humanam carnem aſſumeret. Ad hæc manna non erat aliud, quam figura veritatis, atque doctrinæ Evangelicæ, quæ eſt verus animæ cibus, panis verus de Cœlo deſcendens [3]. Verum igitur eſt, a Patre nobis traditum eſſe verum panem de Cœlo, cum nobis ille tradidit Jeſum Chriſtum, vitæ, & veritatis auctorem.

℣. 34. SEMPER DA NOBIS PANEM HUNC.] Hunc panem vitæ, panem cœleſtem, & ſupernaturalem, qui toto Cœlo mannæ virtutem ſuperat. Hunc da nobis non ſemel, neque bis; non uno, vel & altero die [4], ſed ſemper. Credunt Patres, diſcipulos illos Jeſu Chriſti mentem aſſecutos non fuiſſe [5], qui hoc de materiali pane intelligebant, cujus tamen natura longe excellentior eſſet, quam manna, & qui illis vitam, atque ſalutem ſemper eſſet conſervaturus: panem numquam defecturum, *panem, qui nos reficiat, neque deficiat*, inquit S. Auguſtinus.

℣. 35. EGO SUM PANIS VITÆ.] Manna panis erat materialis, & periturus; eſca, quæ non conferebat vitam comedentibus ſe, neque ab illis mortem prohibebat; ſed Jeſus Chriſtus eſt panis vivificans, ſalutem tribuens, illam conſervans, immortalitatem elargiens, atque ad æternam felicitatem deducens. Ipſe panis eſt vitæ, atque vivificans per gratiam, veritatem, ac fidem, ipſe in Sacramento quoque Corporis, & Sanguinis ſui ſub panis, ac vini ſpeciebus nobis eſt cibus. Qui Jeſum Chriſtum per fidem bibit, atque manducat: neque fame laborabit, neque ſiti: in cœlo vero omnino ſatiabitur; *ſignificatur æterna ſatietas*, inquit S. Auguſtinus, *ubi nulla eſt egeſtas*.

℣. 36. VIDISTIS ME, ET NON CREDITIS.] A me hunc vitæ panem petitis, qui ſaturitatem numquam defecturam tribuit; dixi jam vobis, me eſſe hunc panem: *dixi vobis, quia vidiſtis me* &c. panis hic ob oculos veſtros verſatur, & ex eo non comeditis. Ego ſum hic panis: qui credit in me, ex illo manducat, et me videtis, & in me non creditis; *vidiſtis me, & non credidiſtis*; meæ menſæ accumbitis, & non comeditis: *ante vos habetis, & non manducatis*, ait S. Auguſtinus.

℣. 37. OMNE, QUOD DAT MIHI PATER, AD ME VENIET.] Hæc ea ratio eſt, quæ obſtat, ne credatis, & ne hoc pane vitæ ſaturemini; quod nempe non eſtis ex eorum numero, quos tradidit mihi Pater [6]: ſi enim ex illo eſſetis, ad me veniretis, & ego vos reciperem; nam *omne, quod dat mihi Pater . . . non ejiciam foras*. Vos non eſtis ſubditi regno meo, neque oves ex ovili meo. Neque dicatis futurum, ut ſi Pater vos ad ſe pertraxiſſet, atque dignatus fuiſſet voſmet mihi tradere, crederetis, atque guſtaretis cœleſtem panem, de quo loquor vobis. Ne ullam afferatis excuſationem, ſi non creditis, & niſi fidei donum recepiſtis; Patri meo ſinceriſſima voluntas eſt, vos omnes ſalvos faciendi [7]. Vobis plurimas contulit gratias, quas contempſiſtis; ipſe vocavit vos, vos autem illi terga vertiſtis: *vocavi, & renuiſtis*, Prov. 1. 24. Quoties in rectam virtutis viam per prophetas, & ſervos ſuos revocare vos voluit [8], *& noluiſtis*? Poſſet ille quidem omnipotentem impendere virtutem ſuam, ut rebelles voluntates veſtras ſubmitteret [9], atque lapidea corda veſtra in carnea converteret [10]: ſed ingrati animi veſtri vitium, veſtra infidelitas, atque pertinacia hæccine beneficia merentur? Non ergo eſtis ex ovili meo, quoniam Pater meus non tradidit vos mihi; ſed traditi mihi non eſtis propter obduratum, atque impœnitens cor veſtrum, *perditio tua Iſrael*, Oſee 13. 9.

℣. 38. QUIA DESCENDI DE COELO, NON UT FACIAM VOLUNTATEM MEAM &c.] Si Pater meus vos advocaſſet, & vos mihi tradidiſſet, ego vos minime abji-

1 Vide Chryſoſt. Leont. Theoph. Euthym. 2 Chryſoſt. Leont. Theoph. Euthym.
3 Aug. Cyrill. Beda, Rupert. 4 Mald. Grot. 5 Chryſ. Aug. Cyrill. Theoph. Euthym. Brug. Maldon. 6 Ita Chryſoſt. Leont. Cyrill. Theophylact. Euthym.
7 1. Timoth. 2. 4. *Vult omnes homines ſalvos fieri.* 8 Luc. 13. 34. Matt. 23. 37.
9 Secreta Dominicæ 4. poſt Pentecoſt. *Ad te noſtras etiam rebelles, compelle propitius voluntates.*
10 Ezech. 11. 19.

abjiceretem; veni etenim in terram, ut voluntatem illius adimplerem [1]. Neque voluntas mea illius voluntati adverſatur: imo e contra illi ſemper ſimilis eſt, & divina voluntas mea eadem eſſentialiter eſt, ac voluntas illius; neque facere, neque velle poſſum, niſi quæ ipſe facit, & vult [3]. Verum eſt, voluntatem meam, quatenus hominis, non eamdem eſſe, ac Patris voluntatem, ſed illa huic ſemper ſubmiſſa eſt, nec umquam aliud volo, quam quod ipſe vult. Et ſane fides nos docet, in JESU CHRISTI Perſona duas fuiſſe voluntates, alteram divinam, humanam alteram, & utriuſque diſcrimen palam indigitavit ea in oratione, quam effudit in horto Matth. 26. 39. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Attamen humana voluntas divinæ numquam obſtata eſt, & Salvator numquam adverſatus cœleſti Patris imperio.

℣. 39. HÆC EST AUTEM VOLUNTAS.] Hinc videri poſſet, Pater Jeſu Chriſto prædeſtinatos ſolum tradidiſſe, reprobos vero, qui ſunt in Eccleſia, a Patre huic datos minime fuiſſe: ſed hos obrepſiſſe, atque ſine vocatione, & contra Patris voluntatem in convivii aulam ingreſſos, ideoque a Jeſu Chriſto ad Reſurrectionem minime adducendos. Cæterum autem omni caret dubitatione, JESU CHRISTI Eccleſiam ex Electis, & reprobis ſimul eſſe compoſitam; in area Patris familias & bonum eſſe triticum, & ſequius [4]; & in Apoſtolorum Collegio duodecim Sanctis viris, Judam unum fuiſſe immixtum, & Deum non ſemper donum perſeverantiæ illis conferre, quos vocationis munere dignatus eſt [5]. Quid igitur inferendum? Dicendum eſt, neminem ex illis, quos Pater tradidit Filio, & qui prædeſtinati ſunt, periturum: & omnes eos, qui fidei donum receperunt, & qui actu in Eccleſia verſantur, licet non ſint ex eorum numero, qui ad gloriam prædeſtinati ſunt, ſua dumtaxat culpa perituros. Deus illos per Baptiſma juſtificavit; ipſe prior illos non derelinquet; in bono, ſi voluerint, perſeveraſſent, *in eo, quod audierat, & tenuerat, perſeverare, ſi vellet*, ait S. Auguſtinus de Corrept. & grat. c. 7.

℣. 40. UT OMNIS, QUI VIDET FILIUM, & CREDIT IN EUM.] Dei voluntas eſt, ut omnes illi, quos prædeſtinavit, & quibus ex mera miſericordia ſtravit certas vias, quibus ad beatitudinem illos perduceret, certe ſalvi fiant, atque Cœleſtem gloriam aſſequantur. Verum non inde ſequitur, eos, quos evocavit ad fidem, & quibus contulit juſtificationis gratiam in baptiſmate, omnes in bono perſeveraturos, & ad ſalutem eſſe perventuros. Non omnes ſunt ex eorum numero, quos Pater filio ſuo tradidit. Sunt modo in ovili ipſius [6], membra corporis ejus, & propagines viti adhuc hærentes [7]; ſed tempus oſtendet, illos eſſe lupos ovina pelle contectos [8], eſſe membra mortua, inutiles, atque infœcundas propagines, quæ tandem aliquando ex palmite abſcindentur.

℣. 41. MURMURABANT JUDÆI.] Non ſignaæbat eo, quod ille dixerat, ſe eſſe panem vitæ, & doctrinam ſuam cibum eſſe cœleſtem; ſed quod dicebat, ſe de Cœlo deſcendiſſe, atque ſe Moyſe majorem ferebat. Hoc effecit, ut illi animum adverterent ad humilitatem parentum illius, atque obſcuram nativitatis originem. ℣. 42. *nonne hic eſt Jeſus filius Joſeph, cujus nos novimus Patrem, & Matrem? quomodo ergo dicit hic: quia de Cœlo deſcendi?*

℣. 43. NEMO POTEST VENIRE AD ME, NISI PATER .... TRAXERIT EUM.] Murmurabant Judæi, quod JESUS CHRISTUS dicebat, ſe panem eſſe de Cœlo delapſum. At hic illos murmurare vetat, eo quod nemo venit ad ipſum, niſi Pater Cœleſtis attraxerit illum. Ut varioris hujus robur percipiamus, ea repetenda ſunt, quæ ſuperioribus dixit verſiculis: vidiſtis me, & non creditis, quod non eſtis ex eorum numero, quos tradidit mihi Pater. Non miror, quod in me obmurmuretis, & ſermones mei vobis ſint ſcandali occaſio: *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſerit me, traxerit eum*; cum autem vos nequaquam ſitis ex numero eorum, quos ille attraxit, neque ex illis eſtis, qui credunt in me, & guſtant hunc panem vitæ, de quo locutus ſum vobis.

At quænam ſunt vincula, quibus utitur Pater, ut aliquem ad ſe trahat? abſit, ne dicamus cum nonnullis, poſt Adæ peccatum hominem liberi arbitrii ſui jacturam feciſſe; nullam niſi in malum eſſe libertatem; cum bonum agit, ſuperiori ſe ad id vi trahi, qua cogatur, quin voluntas in id ex propria electione, atque libero ſtudio feratur. Si homini neque libertas eſt, neque optio relinquitur; ille mereri non poteſt: & ſi proclive ſtudium in malum invictum eſt, & cum neceſſitate conjunctum, vitio verti peccatum non poteſt. Pater nos trahit, quin tamen vim inferat, quin cogat, quin adigat; nobis ſecretam voluptatem, atque ſuaviſſimum erga virtutem amorem inſpirat [9], quo fortiter ſimul, & ſuaviter trahit; ſed vi ſemper reſiſtere poſſumus [10]. Voluptas hæc, hæc illecebra, hic amor nos trahunt: *crede, & venis, ama, & traheris*, ait S. Auguſtinus ſerm. 2. de Verb. Apoſt. *Ne arbitreris iſtam aſperam, moleſtamque violentiam; dulcis eſt, ſuavis eſt, ipſa ſuavitas te trahit.* Oſtende ovi gramen, & trahis illam; oſtende puero nuces, & illum trahis: quomodo vero eos trahis, niſi per voluptatem?

Trahi igitur, atque potenter trahi poſſumus, licet citra violentiam, & quin cogamur. At quorſum Judæi non caperet ſuot ſuaviſſimam hanc vim, quam Pater tot aliis intulit? Reſponderi poteſt, 1. Patrem Dominum eſſe favorum ſuorum, eoſque, quibus vult impertiri, & illos nemini debere: 2. Judæos per incredulitatem, atque pertinaciam ſe iiſdem indignos præbuiſſe. Quot illum miracula operantem conſpexerant, quoties illum prædicantem audierant? quot virtutis exempla illum viderant exercentem; attamen non ſolum nihil ex eo profecerant, verum inde ſcandalum arripuerant, atque occaſionem nacti fuerant, illum criminandi. Ambitione tumidi, invidia, & avaritia laborantes, inanibus præjudiciis, atque ſuperſtitionibus dediti, ubi Salvator acceſſit, illis humilitatem, obedientiam, paupertatem annuntiaturus, ubi ſuperſtitionem, & inanes doctorum traditiones convellere voluit, & legem ad perfectionem, & puritatem ſuam revocare, ſeſe illi indociles præbuerunt, corda ſua lumini, & gratiæ illius obſtruxerunt, itaut in illis omnia oppoſita invenerit æternis ſuæ miſericordiæ conſiliis.

Verbo, juxta S. Auguſtini doctrinam [11], credere non poterant, quia credere nolebant. Potuiſſet Deus vi gratiæ ſuæ voluntatem eorum præparare, & duritiam cordis eorum confringere [12]: at jure ne hoc illi ſubſidium ſperare poterant? Hoc ne illis debebat Deus? quot favores, quot lumina illis conceſſerat, quibus non ſolum uſi non fuerant, verum etiam nefarie abuſi, & ſeipſos, & in eum, qui erat auctor illorum? nonne ſatis ſuperque fecerat Deus, niſi ut eos omnino converteret, ſaltem ut omnem illius excuſationem adimeret? Lux tandiu ob oculos eorum reſulſit, & dilexerunt magis tenebras, quam lucem. Toties vocem illius audiverant, ſed ad eum accedere recuſaverunt: *vocavi, & renuiſtis*, Prov. 1. 24.

℣. 45. EST SCRIPTUM IN PROPHETIS: ERUNT OMNES DOCIBILES DEI.] Ita probat ea, quæ ſuperius dixit [13], ad ſe neminem venire poſſe, niſi a Cœleſti Patre

1 Aug. Cyrill. 2 Vide Chryſ. Leont. Theoph. Euthym. Ammon.
3 Vide Cyrill. hic. Greg. Naz. orat. 4. de Theolog. Ath. lib. de commun. eſſent. Patr. & Fil. & Spir. Sanct. Mald. alios. 4 Aug. de corrept. & grat. c. 9. et l. 18. de Civit. c. 48. et alibi ſæpius.
5 Concil. Trid. c. 6. can. 22. 6 Joan. 10. 15. 2. 4. 4. 7 Joan. 15. 2. 3. 4.
8 Matth. 7. 15. 9 Vide Auguſt. tract. 26. in Joan.
10 Auguſt. de Corrept. & Grat. cap. 1. & alibi ſæpius D. Thom. lib. qu. 110. art. 2.
11 Auguſt. tract. 53. in Joan. num. 8. Vide Joan. 12. 39. 12 Joan. 3. 19.
13 Cyrill. Theophylact. Euthym.

Patre tractus fuerit. Scriptum eſt in Iſaja 54. 13. *ponam omnes filios tuos doctos a Domino*. Deus eorum inſtitutor erit, atque Magiſter: illis cor, & mentem aperit, ut veritates ſalutis, & credant, & exequantur. Jeremias hoc ipſum fere ait c. 31. 33. *dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum: & non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: cognoſce Dominum*; & Ezechiel c. 11. 19. *dabo eis cor unum, & ſpiritum novum tribuam in viſceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum*. Igitur ſi in verba mea non creditis, Pater nondum abſtulit vobis hoc cor lapideum, atque hoc pondus mentis, quod eſt in vobis. Cur autem non abſtulit? ne arguatis juſtitiam, & miſericordiam illius: hanc ille vobis gratiam non debet. Quot ille vobis favores contulit, quos tamen per ſummam cordis veſtri obdurationem contempſiſtis [1]?

℣. 46. NON QUIA PATREM VIDIT QUISQUAM.] Cum ajo, omnem hominem, qui credit, a Patre meo edoctum eſſe, & neminem credere poſſe, niſi ipſe illum traxerit, atque per Spiritum ſuum erudierit; ne credatis, Patrem meum vobiſcum ſenſibili ratione loqui debere, vel humanam formam induere, ut vos erudiat. Mortalis nemo illum vidit umquam [2], non Moyſes [3], non Prophetæ, non Patriarchæ illum corporeis oculis intuiti ſunt. Ego unus illum vidi. Cum ego natus ſim ex Deo, atque de Cœlo dilapſus, perfecte cognoſco Patrem, eumque in omni gloriæ ſuæ fulgore conſpexi. Ego totius Sapientiæ, atque potentiæ ſuæ ſequeſter ſum, immo ego ipſe ſum ejus Sapientia, Filius, Verbum, & Virtus. Ita ſi Patrem audire vultis, audite me, quandoquidem ejuſdem cum illo ſubſtantiæ ſum: *quomodo audire poterimus a Patre? a meipſo audite*. Ejicite ergo inania præjudicia veſtra, audite veritates, quas in cordibus veſtris per os meum vobis Pater enarrat [4].

℣. 47. QUI CREDIT IN ME, HABET VITAM ÆTERNAM.] Repetit ſuperius dicta ℣. 40. *omnis, qui videt filium, & credit in eum, habet vitam æternam*: hic a Patre meo trahitur, illius audit documenta, pane vitæ innutritur, mihi a Patre meo traditur; illum ergo non perdam, eum noviſſimo die reſuſcitabo, ille vitam æternam habebit. Quæ omnes relatiæ ſunt veritates, atque inter ſe vinculo quodam connexæ, quas Salvator velut eamdem tundens incudem aliis, aliiſque modis in hoc ſermone protulit, ut magis magiſque audientium animis infigerentur.

℣. 49. PATRES VESTRI MANDUCAVERUNT MANNA IN DESERTO.] Cum JESUS CHRISTUS verbis dixiſſet, ſe panem eſſe vivificantem, de Cœlo delapſum, hucuſque expoſuit, quomodo ipſe ſit animarum eſca per fidem, & charitatem, qua illas animat, & per veritatem, qua illas innutrit. Reliquum adhuc eſt, ut tertiam explicet rationem, qua nos paſcit, quæ reliquas duas complectitur, & quæ longe perfectior, atque ſublimior eſt iis omnibus, quæ hactenus dicta ſunt; videlicet realem Corporis, Sanguiniſque ſui manducationem in Sacramento amoris ſui, quod ſub panis, & vini ſpeciebus nobis in Eccleſia reliquit.

Quantumvis magnum ſit mannæ miraculum, quam Patres veſtri in deſerto comederunt, illud tamen nihil eſt, ſi conferatur cum eo, quod illis præſto, qui credunt in me. Manna a morte non liberabat eos, qui ex eadem comederent; ſed qui guſtaverint panem, quem illis offero, æternum vivent. Manna Corpus tantummodo alebat; panis meus animam nutrit, atque immortalitatem impertit. Hic panis, quem ego tribuo, eſt veritas, & fides, eſt proprium meum Corpus, & Sanguis. Si creditis in me, & fides veſtra charitate animata eſt, & in bonorum operum exercitatione verſatur; ſi meam Carnem, meumque Sanguinem in Euchariſtiæ myſterio recipitis, eo modo, quo par eſt, atque conſtantem fidem exercetis, æternum vivetis: alioquin Corpus meum, meuſque Sanguis vobis fient lethiferum cibus; panis, quem offero, qui vobis vitam confecit, certiſſimam mortem infliget [5]: *ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*. Verum ſi ſancte acceſſeritis, atque attuleritis fidem, charitatem, innocentiam cordis, puritatem, non ſolum animæ vitam, augmentum cœleſtis gratiæ, vim contra inviſibiles hoſtes invenietis; verum etiam quoddam immortalitatis principium, atque pro corpore veſtro germen reſurrectionis. Hoc ita Patres intellexerunt, & explicuerunt [6].

℣. 51. PANIS, QUEM EGO DABO, CARO MEA EST PRO MUNDI VITA [7].] Non amplius vel Verbum ſuum, vel fidem, vel Evangelii prædicationem, ſed propriam Carnem, & Carnem, quam pro ſalute mundi traditurus eſt, Cœleſtem panem appellat. Non figurate hanc ille tradidit ergo, non figurate hanc illam promittit; eam realiter, atque ſubſtantialiter tribuit, ſed panis, vinique ſpeciebus involutam. Neque boni ſolum illam recipiunt, licet ſoli ejuſdem effectus conſequantur; mali etiam eam guſtant, ſed in damnationem ſuam, æternamque calamitatem [8]: *qui manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit*: qui ergo cum fructu divini hujus myſterii particeps eſſe cupit, ſtat membrum IESU CHRISTI, atque Spiritu illius repleatur [9]: *fiant Corpus CHRISTI, ſi volunt vivere de Spiritu CHRISTI*. Vivant ex charitate, Deo, atque fratribus ſuis amoris vinculis adhæreant: *O Sacramentum pietatis, o ſignum unitatis, o vinculum charitatis! qui vult vivere, habet, ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur*.

℣. 52. QUOMODO POTEST HIC NOBIS CARNEM SUAM DARE AD MANDUCANDUM?] Numquid ſeipſum in fruſta comminuet, atque ſingulis Corporis ſui cruentam particulam tradet. Quis noſtrum poterit humanam carnem comedere? & licet eam comedere poſſemus, quomodo illam multiplicabit, ut ſingulis aliquam partem diſtribuat? Quomodo vero Corpore ita diviſo, atque diſcerpto, adhuc ſubſiſtet? Hæ difficultates primum obortæ ſunt Judæis, qui IESU CHRISTI ſermonem audierunt [10].

Sed quin inquirerent, quo pacto Dei Filius id eſſet præſtiturus, quod pollicebatur, nonne ſimpliciter ipſis fides erat habenda Verbo ejus, quin ratiocinarentur, vel murmurarent? ignorabant ne ſupremam Dei poteſtatem? Deerant illis exempla nuperrime ob oculos illorum edita in quinque panum multiplicatorum miraculo? nonne ſatis eſſe debebat, IESUM CHRISTUM adeo explicite polliceri, ſe illos Carne ſua nutriturum? Hoc tantum quærebatur, utrum hoc vellet, & de reali manducatione intelligeret: omnis in hoc poſita erat difficultas [11]. Verum ſi de figurativo dumtaxat cibo, ac mere ſpirituali loqui voluiſſet, verbo dumtaxat omnes eorum dubitationes diſſipaſſet, omneſque illorum murmurationes cohibuiſſet. Verum e contra, quæ ſuperius dixit confirmat; & illud ipſum verbis magis adhuc ſignificantibus exprimit.

℣. 53. NISI MANDUCAVERITIS CARNEM FILII HOMINIS.] Quin priorem propoſitionem, quæ Judæos perculerat, leniat, urget, eamque novis argumentis con-

1 Leontius, Chryſoſt. Ammon. Vide & Auguſt. hic.
2 Supra cap. 5. verſ. 37. *Neque ſpeciem ejus vidiſtis, neque vocem ejus audiſtis*.
3 Leon. Cyrill. Theodor. Heracl.
4 Didim. in Caten. Gr.
5 1. Cor. 11. 30. Auguſt. tract. 26. in Joan. num. 11. *Quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur*.
6 Vide Ignat. ad Epheſ. Iren. lib. 4. cap. 34. & lib. 5. cap. 2. Cyrill. lib. 4. in Joan. 14. Tertull. de Reſurrect. carnis. Nyſſen. orat. Cath. cap. 38. Apollinar. in Caten. Gr.
7 Gr. Ἡ σάρξ μου ἐστὶν ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. Hæc verba, ἣν ἐγὼ δώσω, in pluribus MSS non leguntur.
8 1. Cor. 11. 29.
9 Auguſt. Tract. 26. in Joan. Vide et Chryſoſt. hom. 45. in Joan.
10 Vide Auguſt. hic. Cyprian. ſerm. de cœna Domini. Cyrill. Jeroſol. Catech. Myſtag. 4.
11 Vide Chryſoſt. Leont. Theophylact. Cyrill. lib. 4. in Joan.

confirmat. Non ſatis eſt, ſi dixero, me vobis carnem meam in cibum eſſe traditurum; hoc etiam addo futurum, ut non vivatis, niſi eam manducaveritis. Itaque hoc non eſt mere conſilium, ſed præceptum, quo omnes diſcipuli mei, carne mea, meoque ſanguine veſci jubentur. Ita me cum illis conjungo: *hæc accepta, atque hauſta id efficiunt, ut nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit*, inquit S. Hilarius [1]: *Eſt ergo in nobis per Carnem, & ſumus in eo, dum ſecum hoc, quod nos ſumus, in Deo eſt*. Concilia, & Patres [2], qui ſoli ſunt veri Scripturarum Interpretes, hos locos ſemper de Euchariſtia explicuerunt, eoſque humiliter ſequimur, quin iis, a quibus aliter intelliguntur, refellendis immoremur. Error illorum magis miſeratione dignus eſt, quam invectiva, & probro.

℣. 56. Caro mea vere est Cibus.] Præter Carnem meam, quilibet cibus, neque vitam in æternum tuetur, neque prohibet mortem. Cum enim corporis eſca nequaquam ſit naturæ immortalis, atque ſpiritualis; minime prodeſſe poſſet vitæ, atque felicitati partis illius, quæ in nobis præſtantior eſt, animæ videlicet: ideoque alia opus eſt eſca: corpore ſcilicet Salvatoris in Euchariſtiæ Sacramento: *Ut cibo, & potu id appetant homines, ut neque eſuriant, nec ſitiant*, ait S. Auguſtinus [3], *hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus, & potus, qui eos, a quibus ſumitur, immortales, & incorruptibiles facit*.

℣. 57. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo [4].] Ex omnibus modis, quibus res aliquæ coaleſcunt, nullam magis intrinſecam ea novimus, quam quæ per alimoniam fit, ubi ea, quæ comeduntur, in comedentis ſubſtantiam immutantur. Hæc unio exemplar eſt illius, qua Jesus Christus, ut anima noſtra in Corporis, Sanguiniſque ſui Sacramento conjunguntur [5]. In illo permanemus, & ipſe in nobis per fidem, & charitatem. *Crede & manducaſti*, ait S. Auguſtinus Tract. 25. in Joan. Verum non ſatis eſt; quodammodo una Caro, & unus Sanguis evadimus cum eo, *concorporei, & conſanguinei Chriſti*, quemadmodum loquitur S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 4. & naturam prorſus divinam acquirimus [6]: *ut efficiamur divinæ conſortes naturæ*, inquit S. Petrus Apoſtolus. Eodem pacto, quo liqueſcentis ceræ fruſtum, ait S. Clemens Alexandrinus l. 4. c. 34. cum alio ceræ fruſtulo commiſcetur, atque unum dumtaxat cum illo fit; ita per Sacramenti hujus communionem unum efficimur cum Jesu Christo, nos in illo ſumus, & ille in nobis. S. Hilarius [7], Jesu Christi unionem, quæ nobiſcum fit in Carnis illius eſu, Sanguiniſque potu, comparat illi, quam ipſe cum Patre habet, & hypoſtaticæ alteri, qua divina, atque humana natura in una dumtaxat perſona coaleſcunt.

Verum hæ locutiones, & aliæ id genus Sanctorum Patrum [8] nequaquam preſſius ad litteram ſunt intelligendæ. Hoc certo certius eſt, donec Sacramentales ſpecies in ſtomacho noſtro ſunt, Jesum Christum in nobis eſſe ſubſtantialiter, & hoc in ſenſu quodammodo unum cum eo Corpus, & idem Sanguis ſumus; ſed ubi ſpecies naturam immutarunt, atque per digeſtionem in chilum, vel ſanguinem ſe ſe effuderunt, in nobis reſidet ſolum virtus Corporis Jesu Christi: ille nos animat, nos vivificat, in noſtram carnem effundit ſemen vitæ, & immortalitatis, ac certa reſurrectionis, vitæque futuræ ſpe nos cumulat.

℣. 58. Sicut misit me vivens Pater.] Comparatio a Jesu Christo inſtituta ita poteſt explanari: non ſecus ac Pater meus, qui me miſit, vivens eſt, ita & ego vivens ſum; & quemadmodum ego vivens ſum, ita & vivet, qui meam carnem manducabit [9]. Vita mea eadem eſt, ac vita Patris mei, ego in illo, & ipſe in me vivit. Qui manducat Carnem meam, & bibit meum Sanguinem, ſimiliter vivet in me, & ego vivam in eo: Spiritus idem, qui me animat, & illum animabit. Ipſe non dabit mihi vitam, ſed hanc ipſe illi elargiar. Ipſe non mutabit me in ſe, ſed ipſe illum in me mutabo. Fideles agnoſcunt Corpus Jesu Christi, ſi ipſi ſunt ex Corpore Jesu Christi.

At quomodo fieri poſſunt Jesu Christi Corpus? ita ſane, ſi ex Spiritu Jesu Christi vixerint [10]: *norunt fideles Corpus CHRISTI, ſi Corpus CHRISTI non negligant eſſe. Fiant Corpus CHRISTI, ſi volunt vivere de Spiritu CHRISTI: de Spiritu CHRISTI non vivit, niſi Corpus CHRISTI*. Sin autem membra ſunt Corporis Christi, cum illo arctis vinculis conjuncti permaneant: *non ſit putre membrum, quod reſecari mereatur; non ſit diſtortum, de quo erubeſcatur; ſit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum, hæreat corpori, vivat Deo de Deo*.

Propter Patrem, & propter me [11].] Hoc in loco ſignificant, *Per Patrem, & per me*, juxta plurimorum Patrum, ac noræ melioris Interpretum ſententiam [12]. Non deſunt ſimiles loquendi rationes in accuratiſſimis Græcis auctoribus, non ſecus ac in Evangeliſtis. Græca præpoſitio διὰ, ſæpius pro *per* uſurpatur [13].

℣. 60. Hæc dixit in Synagoga.] Cum hæc res maximi eſſet momenti, atque de non poſtremo Chriſtianæ Religionis myſterio ageretur, Jesus Christus de eodem verba facere voluit in Capharnai Synagoga, magno populi in cœtu; ne quis hac in re ignorantiæ excuſationem prætexere poſſet, atque doctrinæ ſuæ obtrectatores aliquando ſecreto, quo myſterium hoc Apoſtolis ſuis revelaverat, abuterentur. Euchariſtiam quidem ſecreto, atque in Apoſtolorum ſuorum dumtaxat conventu inſtituit: ſed eam promiſit, annuntiavit, promulgavit in maxima populi concione, atque in iis circumſtantiis, quæ eſſent aptiſſimæ ad eos, qui poſt illum erant venturi, perſuadendos. Incredulitas, & obmurmuratio eorum, qui illum audiebant, quin hujus myſterii fidem imminuant, eam imo magis magiſque confirmant.

℣. 61. Durus est hic sermo.] Non Capharnaitæ ſolum, & alii, quos ille pridie ſaturaverat, & qui ibi per occaſionem adfuerunt, ex Salvatoris ſermone ſcandalum arripuerunt; complures etiam ex Diſcipulis ejuſdem, his verbis perculſi ſunt. Durus erat hic ſermo, ſed illis dumtaxat, quorum cor indocile erat, & incredulum: *Durus eſt*, inquit S. Auguſtinus [14], *ſed incredulis. Ipſi erant duri*, idem in Pſal. 98. ait, *non ſermo*. Si Jesus Christus non aliud innuere voluiſſet præter quam quod doctrina ſua erat Caro ſua, & Sanguis ſuus; & oportere, ut Diſcipuli, & ſectatores ſui ipſius doctrina ſe repleant, quemadmodum ſenſi-

1 Hilar. lib. 8. de Trinit. n. 14.   2 Vide apud Maldonat. hic.
3 Auguſt. Beda, Leont. Apollinar. Theophylact.
4 Vetus MSS. G. L. Cantabrigienſis, octavus Henrici Stephani, Victorinus Africanus poſt hæc verba: *in me manet, & ego in illo*, addunt: *Sicut Pater meus eſt in me, ita ego ſum in Patre meo: ſi non receperitis corpus Filii hominis, ſicut panem vitæ, & ſi non bibitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis; qui manducat ejus carnem, & bibit ejus Sanguinem, habet vitam æternam*.
5 Vide Chryſoſt. hom. 45. in Joan.   6 2. Petr. 1. 4.
7 Hilar. lib. 8. de Trinit. *Si vere carnem Corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & vere homo, qui ex Maria natus fuit, Chriſtus eſt, noſque vere ſub myſterio carnem Corporis ſui ſumimus, & per hoc unum erimus: quia Pater in eo eſt, & ille in nobis, &c.*   8 Vide Iren. lib. 4. cap. 34. Cyrill. Alex. lib. 4. in Joan. c. 14. & l. 10. c. 13. & l. 15. et Nyſſ. in Eccle. hom. 8, Damaſc. de fide lib. 4. cap. 14. Amm. Theophylact. Euthym. hic. Chryſoſt. hom. 60.
9 Ita Chryſoſt. Theophylact. Leont. Euthym.   10 Auguſt. homil. 26. in Joan.
11 Διὰ τὸν πατέρα . . . . δι' ἐμέ.   12 Vide Grot. Ludov. de Dieu, Bez. alios paſſim.
13 Joan. 4. 41. 42. *Propter ſermonem ejus*, id eſt, *per ſermonem*. Marc. 2. 4. & 12. *Propter hoc erratis*, id eſt, *per hoc*. Vide & Heſiod. Thucid. Demoſth. apud Grot. & Ludov. de Dieu hic.
14 Auguſt. ferm. 2. de verb. Apoſt. Beda. Rupert.

ſenſibili obſonio reficimur: nemo ſane inde ſcandalum cepiſſet. Hoc ipſum paulo ſuperius dixerat, & in eodem ſermone, quin aliquis admiraretur: ſed ex quo loqui cœpit de reali manducatione Corporis, Sanguiniſque ſui, & quin eorum murmurationibus deterreretur, eumdem ſermonem majori vi iteravit, intelligerent illi, nequaquam agi de manducatione figurativa, & ſpirituali: cumque ignorarent, quo pacto Jeſus promiſſionem ſuam eſſet adimpleturus, ab eo ſcandalizati receſſerunt. Diſcipuli, qui murmurarunt, non erant ex duodecim Apoſtolis, quemadmodum ex verſ. 68. innoteſcit.

℣. 62. SCIENS JESUS APUD SEMETIPSUM.] Secreto dumtaxat murmurabant [1], eorumque murmurationem nonniſi divina cognitione Jeſus intellexit. Hinc intelligere debebant, eum, qui ſecum loquebatur, Deum eſſe [2], & nihil illi eſſe arduum, neque ipſum fallere poſſe, quemadmodum nec falli poterat.

℣. 63. SI ERGO VIDERITIS FILIUM HOMINIS ASCENDENTEM.] Si quod vobis dixi de Carne, & Sanguine meo, ſi vitam invenire vultis, a vobis comedenda, vobis ſcandalum infert. Et ſi hoc vobis fieri non poſſe, atque ultra fidem poſitum videtur; quomodo vero credetis id, quod eventurum eſt, ubi ad Cœlum aſcendero? quid, ſi dixero me reſurrecturum, atque in Cœlum ad dexteram Patris mei aſcenſurum [3]? Vel ſtupor vobis inceſſit audientibus, me vobis Carnem, Sanguinemque meum in eſcam, & potum præbiturum; ne credatis me illum vobis manducandum traditurum, quemadmodum animantium caro comeditur; Corpus meum in Cœlos aſcendet, ibique poſt reſurrectionem meam impaſſibile, & glorioſum permanebit. Ego meipſum vobis eo pacto tradam, quod neque ſenſum, neque rationem turbabit [4]: meipſum ſub panis, ac vini ſpeciebus manducabitis. Ero ibi realiter, atque ſubſtantialiter; ſed fidei dumtaxat oculis ibi conſpiciar.

℣. 64. SPIRITUS EST, QUI VIVIFICAT; CARO NON PRODEST QUIDQUAM.] Cum vobis vitam polliceor, ſi carnem meam comederitis, ne credideritis, hoc rudi craſſaque ratione eſſe intelligendum; quaſi membra mea divellenda eſſent, vel cædenda, quemadmodum obſonium in lanio [5], ut vobis tribuerentur; neque vobis a me Sanguinem in cratere eſſe offerendum, quemadmodum Barbari quidam populi in fœderibus iciendis conſueverunt. Hæc ratio verba mea explicandi procul a mea mente recedit: *caro non prodeſt quidquam*. In Scripturis [6] *Caro* ſæpius uſurpatur pro carnali ratione, qua aliquid intelligitur. Si mentem meam aſſequi vultis, & vitam, quam polliceor, recipere, attollite corda veſtra ad ſenſum magis ſpiritualem: *ſpiritus eſt, qui vivificat*, atque tunc invenietis, ea quæ dixi vobis, ſpiritum, & vitam eſſe: *verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt* [7]: *quid eſt ſpiritus, & vita ſunt?* ait Auguſtinus, *ſpiritaliter intelligenda ſunt. Intellexiſti ſpiritaliter? ſpiritus, & vita ſunt. Intellexiſti carnaliter? etiam ſic illa ſpiritus, & vita ſunt; ſed tibi non ſunt*. Hæc explicatio magis ſimplex, atque litteræ propior videtur.

Patres quidam [8] ita explicant: *ſpiritus eſt, qui vivificat; caro non prodeſt quidquam*. JESU CHRISTI caro ſola, ejus humanitas ſine divinitate, neque vos ſanctificare poſſet, neque vobis vitam tribuere: ſed divinitas cum humanitate conjuncta ſalutem, æternamque vitam impertit. Alii [9] ita explicant: Caro ſola ſine ſpiritu nihil prodeſt. Fruſtra JESU CHRISTI Corpus ſenſibili, & corporea ratione recipietur, niſi in ſpiritu, & per fidem recipiatur. Non ſimplex Carnis meæ manducatio vos ſanctos efficiet, verum comes adſit oportet, fides, & charitas.

℣. 65. SUNT QUIDAM EX VOBIS, QUI NON CREDUNT.] Hoc ad Judam pertinet, atque eos ex diſcipulis, qui receſſerunt, dicentes: *durus eſt hic ſermo*. Non crediderunt, JESUM CHRISTUM ſibi Carnem ſuam manducandam tribuere poſſe, neque Carnis illius eſu vitam poſſe acquiri. JESUS CHRISTUS hoc in loco penitiora cordis eorum aperiens, quæ nemini explorata eſſe poterant, ſatis divinitatem [10], atque infinitam ſapientiam ſuam confirmabat. *Sciebat ab initio*, hoc eſt poſt initium vocationis illorum, ſciebat eorum indocilitatem, animumque ipſorum non ſatis ad ea, quæ dicebat, credenda diſpoſitum. Hoc ille norat, antequam murmuratione ſui animi ſenſus patefeciſſent [11], vel cum aliis [12], hoc ab æterno ſciebat. Noverat eos qui ſui erant, & qui ſibi vere fideles erant.

℣. 66. PROPTEREA DIXI VOBIS, QUIA NEMO POTEST VENIRE AD ME.] Veritas hæc inde probatur, quod non omnes creditis: ſi omnes a Patre meo electi eſſetis, atque illius gratia attracti, firmam atque conſtantem fidem haberetis. At quorſum a Patre meo attracti non eſtis? Hoc magnum eſt divinæ gratiæ myſterium, inquit S. Auguſtinus, nemo venit ad Deum, qui lumine illius non illuſtretur, & gratia illius non attrahatur. Sed cur hic trahitur, ille non item? *Quare illum trahat, & illum non trahat*, ait S. Auguſtinus, *noli velle judicare, ſi non vis errare .... nondum traheris; ora, ut traharis* [13].

Græci Patres omnem Judaicæ incredulitatis culpam, & quod Pater illos minime traxerit, in pravam illorum voluntatem, atque pertinaciam rejiciunt. Non poterant ad JESUM CHRISTUM veniſſe, quia neque Patris vocationi, neque Filii præceptis reſpondere volebant. S. ipſe Auguſtinus Tract. 53. in Joan. n. 6. fatetur, illos in Deum credere non potuiſſe, quia nolebant. *Quare autem non poterant credere?* (*Johan.* 12. 39.) *Si a me quæratur, cito reſpondeo, quia nolebant. Malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænunciavit.... Et induravit cor eorum: etiam hoc eorum voluntatem meruiſſe reſpondeo. Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus deſerendo, & non adjuvando; quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt*.

℣. 67. ABIERUNT RETRO,] neque ultra cum illo iverunt. Ab illius ſocietate [14], & fide diſceſſerunt, quam hactenus profeſſi fuerant, JESUM CHRISTUM Meſſiam eſſe credentes [15]. S. Auguſtinus, & Rupertus Abbas credere videntur, eorum fidem ſimulatam fuiſſe, & perſtitiſſe diabolum ſequi, ad quem pertinebant.

℣. 68. NUMQUID ET VOS VULTIS ABIRE?] Non ignorabat eorum in fide conſtantiam: ſed illis oſtendere cupiebat, ſe eorum ope nequaquam indigere, ut exequeretur opus illud, quod ſibi a Patre fuerat impoſitum [16], atque illis integrum eſſe, pravum aliorum diſcipulorum exemplum ſequi, neque ſe velle illos invitos retinere. Sed animat ſimul eorum fidem, ardoremque excitat, & quodammodo retinet, dicens, *numquid & vos vultis abire?* eſtis ne ex numero eorum quos Pater meus non attraxit, & quos mihi non tradidit? eſtis ne ex pravis illis diſcipulis, quorum titubans fides,

1 Auguſt. Beda, Maldonat.
2 Chryſoſt. Theophylact. Euthym. Cyrill. hic. Theodor. Heracl. in Caten. Gr.
3 Maldonat. Brug. alii. 4 Auguſt. Beda, Rupert. 5 Auguſt. tract. 27. *Carnem quippe ſic intellexerunt quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur*.
6 Joan. 8. 15. *Vos ſecundum carnem judicatis*. Rom. 8. 11. *Non ſecundum carnem ambulabant*. Et verſ. 6. *Prudentia carnis mors eſt*. Et verſ. 7. *Sapientia carnis inimica eſt Deo*. Et paſſim.
7 Auguſt. Tract. 27. in Joan. Vide Tertull. Maldon. Brug. Vat. 8 Auguſt. hic. Cyrill. Leont. Rupert.
9 Auguſt. ſerm. 2. de verbis Apoſt. Gaudent. tract. 2. in Exod. Paſchaſ. Radb. lib. de Corpore, & Sang. Chriſti. 10 Cyrill. Leont. Theophyl. 11 Chryſoſt. Leont. Euthym. Mald.
12 Auguſt. Beda, Rupert. Theophyl. 13 Auguſt. Tract. 26. in Joan.
14 Cyrill. Grot. Vat. 15 Chriſoſt. Leont. Theophyl. Euthym. Theod. Heracl.
16 Chryſoſt. Leont. Theophyl. Euthym. Theod. Heracl.

ubi primum venti aura afflavit, naufragium paſſa eſt? Hoc ſane retinere eſt, non dimittere. A

Ita ajebat Joſue c. 24. 15. Iſraelitis, qui ſimul convenerant ad fœdus cum Domino inſtaurandum; *eligite hodie, quod placet, cui ſervire potiſſimum debeatis, utrum diis, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terram habitatis? ego autem & domus mea ſerviemus Domino. Reſponditque populus, & ait: abſit a nobis, ut relinquamus Dominum, & ſerviamus Diis alienis . . . . dixitque Joſue ad populum: non poteritis ſervire Domino; Deus enim Sanctus, & fortis, æmulator eſt, nec ignoſcet ſceleribus veſtris, atque peccatis . . . . dixitque populus ad Joſue: nequaquam ita, ut loqueris, erit, ſed Domino ſerviemus.* Ita JESUS CHRISTUS hoc in loco ſibi vehementius duodecim Apoſtolos devincit, ſimulans, B ſe illis recedendi facultatem permittere.

℣. 69. DOMINE AD QUEM IBIMUS?] S. Petrus de more zelo ſuccenſus pro aliis verba facit, atque aliorum omnium nomine ſe illi ad finem uſque adhæſurum pollicetur [1]: *Domine ad quem ibimus?* ubi inveniemus Dominum æque bonum, patronum æque potentem, fontem omnium bonorum æque copioſum? ſi permittis, nos a te recedere, nobis alterum teipſum trade, inquit S. Auguſtinus hic: *repellis nos a te; da nobis alterum te. Si a te recedimus, ad quem ibimus?* S. Petrus addit; *verba vitæ æternæ habes.* Alludit ad ea, quæ Salvator paulo ſuperius ℣. 64. dixerat: *verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt.* Verba C mea omnino ſpiritualiter intelligenda ſunt, ſi in illis vitam invenire cupis; quæ ſi intellexeris, & ſi exercueris, uti opus eſt, erunt tibi fons vitæ, atque æternæ felicitatis.

℣. 70. ET NOS CREDIDIMUS, & COGNOVIMUS.] S. Petrus hac confeſſione omnem JESU CHRISTI doctrinam confirmat: *Tu es CHRISTUS filius Dei.* Tu ergo verus es inexhauſtus fons vitæ, virtutis, atque Sapientiæ: potes ergo exequi, quodcumque tibi placuerit; nihil tibi difficile, & arduum; noſque alere potes, ut dixiſti, tua carne, & ſanguine eo modo, quo tibi maxime placebit. Haud equidem Sapientiæ tuæ ſcrutor arcana; ſed illam veneror, & confiteor. Humili, ac ſimplici fide præſtolor, donec promiſſiones tuæ adimpleantur. *Credidimus* conſtanti fide, *& cognovimus* longa docti experientia, qua toties Sapientiam, atque Potentiam tuam prorſus Divinam admirati ſumus [2], te non eſſe ſimplicem hominem, neque Prophetam ſimplicem, ſed verum Meſſiam Filium Dei.

℣. 71. UNUS EX VOBIS DIABOLUS EST.] Petre omnium fratrum tuorum nomine loqueris, perinde ac omnes eoſdem, ac tu, ſenſus foverent, atque omnes pater meus efficaci vi pertraxiſſet. Vos duodecim elegi ex numero aliorum diſcipulorum; & unus tamen ex duodecim eſt Dæmon, impius, infidelis, proditor. Ne ergo nimis confidas præſenti cordis diſpoſitioni, in qua verſaris, neque nimium te extollas ſupra illos, qui receſſerant. Qui ſtat, cadere poteſt [3]; & anuncio vobis futurum, ut unus ex duodecim fiat Dæmon, & pejor illis, qui a meo ſodalitio dilapſi ſunt [4]. Loquebatur de Juda, quem jam avaritiæ Dæmon invaſerat; ſed cujus ſcelus nonniſi aliquanto poſt evaſit ad cumulum.

1 Vide Auguſt. Chryſoſt. Theophyl. alios.
2 1. Joan. 1. 1. *Quod audivimus, quod vidimus, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ.* 3 1. Cor. 10. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Et Rom. 11. 20. *Tu fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time.* 4 Vide Cyrill. hic.

CAPUT VII.

JESUS ſecreto Jeroſolymam ad Tabernaculorum feſtivitatem concedit. Non omnes conſanguinei illius in ipſum credunt. Judæi de illo varie ſentiunt. Illius ad populum ſermo, Satellites mittuntur ad eum comprehendendum; Qui referunt, neminem umquam ut illum fuiſſe locutum. Nicodemus illius cauſam tuetur. Phariſæi eum Galilæum appellant.

1. POſt hæc autem ambulabat Jeſus in Galilæam, non enim volebat in Judæam
ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. 2 Erat autem in proxi-
mo dies feſtus Judæorum, Scenopegia. 3 Dixerunt autem ad eum fratres
ejus: Tranſi hinc, & vade in Judæam, ut & diſcipuli tui videant opera tua, quæ
facis. 4 Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipſe in palam eſſe: ſi
hæc facis, manifeſta te ipſum mundo. 5 Neque enim fratres ejus credebant in
eum. 6 Dicit ergo eis Jeſus: Tempus meum nondum advenit; tempus autem ve-
ſtrum ſemper eſt paratum. 7 Non poteſt mundus odiſſe vos: me autem odit:
quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala ſunt. 8 Vos aſcen-
dite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum: quia
meum tempus nondum impletum eſt. 9 Hæc cum dixiſſet, ipſe manſit in Galilæa.
10 Ut autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum non
manifeſte, ſed quaſi in occulto. 11 Judæi ergo quærebant eum in die feſto, &
dicebant: Ubi eſt ille? 12 Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam e-
nim dicebant: Quia bonus eſt. Alii autem dicebant; Non, ſed ſeducit turbas.
13 Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Judæorum. 14 Jam au-
tem die feſto mediante, aſcendit Jeſus in templum, & docebat. 15 Et miraban-

tur

Digitized by Google

tur Judæi, dicentes : Quomodo hic litteras ſcit, cum non didiecrit ? 16 Reſpon-
dit eis Jeſus, & dixit : Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me. 17
Si quis voluerit volunratem ejus facere ; cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit,
an ego a meipſo loquar. 18 Qui a ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit :
qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in illo
non eſt. 19 Nonne Moyſes dedit vobis legem : & nemo ex vobis facit legem ?
20 Quid me quæritis interficere ? Reſpondit turba, & dixit : Dæmonium habes :
quis te quærit interficere ? 21 Reſpondit Jeſus, & dixit eis : Unum opus feci,
& omnes miramini. 22 Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem (non quia
ex Moyſe eſt, ſed ex patribus) & in ſabbato circumciditis hominem. 23 Si cir-
cumciſionem accipit homo in ſabbato, ut non ſolvatur lex Moyſi : mihi indigna-
mini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato ? 24 Nolite judicare ſecundum
faciem, ſed juſtum judicium judicate. 25 Dicebant ergo quidam ex Jeroſolymis :
Non ne hic eſt, quem quærunt interficere ? 26 Et ecce palam loquitur, & nihil
ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes, quia hic eſt Chriſtus ? 27 Sed
hunc ſcimus, unde ſit : Chriſtus autem cum venerit, nemo ſcit, unde ſit. 28
Clamabat ergo Jeſus in templo docens, & dicens : Et me ſcitis, & unde ſim,
ſcitis : & a me ipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis.
29 Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit. 30 Quærebant ergo eum
apprehendere : & nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.
31 De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant : Chriſtus cum venerit,
numquid plura ſigna faciet, quam quæ hic facit ? 32 Audierunt Phariſæi turbam
murmurantem de illo hæc : & miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, ut appre-
henderent eum. 33 Dixit ergo eis Jeſus : Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum :
& vado ad eum, qui me miſit. 34 Quæretis me, & non invenietis : & ubi ego
ſum, vos non poteſtis venire. 35 Dixerunt ergo Judæi ad ſemetipſos : Quo hic
iturus eſt, quia non inveniemus eum ? numquid in diſperſionem Gentium iturus eſt,
& docturus Gentes ? 36 Quis eſt hic ſermo, quem dixit : Quæretis me, & non
invenietis : & ubi ſum ego, vos non poteſtis venire ? 37 In noviſſimo autem die
magno feſtivitatis ſtabat Jeſus, & clamabat, dicens : Si quis ſitit, veniat ad me,
& bibat. 38 Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus
fluent aquæ vivæ. 39 Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant creden-
tes in eum : nondum enim erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorifica-
tus. 40 Ex illa ergo turba, cum audiſſent hos ſermones ejus, dicebant : Hic eſt
vere propheta. 41 Alii dicebant : Hic eſt Chriſtus : Quidam autem dicebant :
Numquid a Galilæa venit Chriſtus ? 42 Nonne Scriptura dicit : Quia ex ſemine
David, & de Bethlehem caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus ? 43 Diſſenſio
itaque facta eſt in turba propter eum. 44 Quidam autem ex ipſis volebant appre-
hendere eum : ſed nemo miſit ſuper eum manus. 45 Venerunt ergo miniſtri ad
Pontifiees, & Phariſæos. Et dixerunt eis illi : Quare non adduxiſtis illum ? 46
Reſponderunt miniſtri : Numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo. 47 Re-
ſponderunt ergo eis Phariſæi ? Numquid & vos ſeducti eſtis ? 48 Numquid ex
Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis ? 49 Sed turba hæc, quæ
non novit legem, maledicti ſunt. 50 Dixit Nicodemus ad eos, ille, qui venit ad
eum nocte, qui unus erat ex ipſis : 51 Numquid lex noſtra judicat hominem, ni-
ſi prius audierit ab ipſo, & cognoverit, quid faciat ? 52 Reſponderunt, & di-
xerunt ei : Numquid & tu Galilæus es ? Scrutare Scripturas, & vide, quia a Ga-
lilæa propheta non ſurgit. 53 Et reverſi ſunt unuſquiſque in domum ſuam.

℣. 1. POST HÆC AMBULABAT JESUS IN GALILÆAM.] Poſt eum ſermonem, quem ſuperiori capite vidimus, & quem habuit JESUS CHRISTUS in Synagoga Capharnai, de urbe illa egreſſus iterum Galilæam luſtrare cœpit ; nam illam quater, vel quinquies antea peragraverat, quemadmodum ex aliis liquet Evangeliſtis. Tunc in Galilæa ſolum prædicare voluit, non auſus in Judæa hoc peragere, propter odium Phariſæorum, qui illi A necem inferre ſtudebant [t]. Complura exciderunt inter ea, quæ ſuperiori capite, & illa quæ præſenti referent. JESUS quinque panes multiplicavit, cum Paſchatis feſtivitas non procul abeſſet. Poſtridie quam miraculum illud operatus eſt, ad turbas Capharnai in Synagoga loquebatur, & repente Evangeliſta nos transfert ad Tabernaculorum feſtivitatem, quæ nonniſi ſexto poſt Paſcha menſe peragebatur. Plurima ergo ſupplenda ſunt, quemadmodum liquet quatuor Evange-

 Bbb 3

t Joan. 5. 18. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere.*

liorum Harmoniam conſulentibus.

Pro his verbis [1], *non enim volebat in Judæam ambulare*, Veteres quidam [2] legebant: *non enim valebat in Judæa ambulare*; ſeu non poſſet, ſeu illi integrum non eſſet. Non audebat illic libere prædicare, quod in Galilæa præſtabat; nam Judæi, illi videlicet, qui in Judæa proprie dicta, veluti a Galilæa ſeparata habitabant, vitæ illius ſtruebant inſidias, cauſam prætexentes, quod Sabbathum violaſſet, paralytico a ſe curato præcipiens, ut ea die grabatum ſuum tolleret; & quod eo in ſermone, quem anno elapſo Jeroſolymæ habuerat, ſe Deo æqualem fuerat profeſſus; & Deum Patrem ſuum eſſe aſſeruerat [3].

℣. 2. SCENOPEGIA.] Hæc feſtivitas celebrabatur die decima quinta menſis Tiſri, qui noſtris Octobri, atque Septembri reſpondebat. Hic erat ſeptimus anni Sancti menſis, & primus anni Civilis. Ex Domini Thoynardi ſententia dies decima quinta Tiſri illius anni fuit nona Octobris. Feſtivitas, quæ Græco nomine *Scenopegia* appellatur, Latino vero feſtivitas Tabernaculorum, nomen ſuum deſumebat a Tabernaculis ex virentibus ramis contextis, quæ in atrio Templi, in compitis, in quadriviis, in privatis hortis ſternebantur, ubi octiduo permanebant Hebræi in memoriam itineris Patrum ſuorum in deſerto, ubi quadraginta annos ſub pellibus vixerant. Erat hæc ex tribus ſolemnibus feſtivitatibus una, quibus mares omnes Jeroſolymam ſe ſe conferre tenebantur [4].

℣. 3. FRATRES EJUS.] Fratres JESU, de quibus hic ſermo, aliqui ſunt ex illius conſanguineis ſecundum carnem, qui ex aliorum ſententia erant filii Sancti Joſeph (nam veteres [5] crediderunt, Mariæ virum plurimos ex priori conjuge filios genuiſſe, antequam SS. Virginem duceret;) vel ut aliis placet, erant filii ſororum Mariæ Matris JESU, quam ſententiam vulgo plerique ſequuntur. Origenes hunc in locum credit, hos fuiſſe Jacobum, Johannem, & Simonem, qui cum certe JESU Apoſtoli fuerint; de illis hoc nullo pacto credi poteſt. Ex iis, quæ deinceps Evangeliſta narrat [6], certum eſt, quoſdam ex cognatis JESU ſecundum carnem in illum minime credidiſſe: ſed illi, quos nominavimus, fidem illius fuerant amplexi, & erant etiam ex præcipuorum diſcipulorum ejus numero. Primi illi ergo JESUM urgent, ut Jeroſolymam ad Feſtum Tabernaculorum diem ſe conferat, ut diſcipuli, quos duobus annis ac ſex menſibus ante id tempus, Feſtivitate Paſchatis, ibi collegerat [7], teſtes eſſent miraculorum, quæ ubique operabatur, atque ee in fide ſua confirmarentur. Præclaram quidem cauſam prætexebant; ſed in eorum mente hoc primum verſabatur, ut aliquam ſibi gloriam quærerent ex illa, quam JESUS erat adepturus. Immo hac in re ſuam potius, quam JESU utilitatem quærebant [8].

℣. 4. NEMO QUIPPE IN OCCULTO QUID FECIT, & QUÆRIT IPSE IN PALAM ESSE.] Græcus textus ad litteram hæc habet [9]: *nemo agit in occulto, & ſe liberum eſſe quærit*. Qui audacter loquitur, atque populi famam, & exiſtimationem aucupatur, qui ſe audiri vult, ac digito oſtendi, atque eum oris habitum, & auctoritatem induere, quæ Magiſtrum & Doctorem virum decet; hic ſane inter latebras minime verſatur [10]. Parum eſt in Galilæa, in agris, & in pagis miracula operari, apud populum rudem, & credulum: Cur non potius Jeruſalem pergis, quæ Provinciæ centrum eſt, Sapientum, atque Doctorum ſedes, & ubi pro feſtivitatis die univerſa natio congregatur? ibi præclaram adipiſceris famam, ibique ſummam tibi exiſtimationem comparabis. Ibi ex Sacerdotum, atque Sanhedrin auctoritate miſſionem tuam recipere debes.

℣. 5. NON ENIM FRATRES EJUS CREDEBANT IN EUM.] Crediderunt Veteres quidam [11], hos JESU CHRISTI fratres fuiſſe ex numero Apoſtolorum, non adhuc ſatis in fide confirmatos. Adnotavimus jam in ℣. 3. hos alios fuiſſe Salvatoris conſanguineos, qui in ipſum minime credebant. Sed cur non credebant? Hac fortaſſe de cauſa, quod cognati illius erant [12], & quod nihil non humile, & carnale de illo ſentiebant.

℣. 6. TEMPUS MEUM NONDUM ADVENIT.] JESU CHRISTI tempus erat tempus Paſſionis ſuæ [13], per quam ad infinitam gloriam erat evehendus [14]. Tempus meum nondum advenit. Evehendus ſum ad Patris gloriam; & ad cœlorum omnium verticem attollendus: ſed illuc nonniſi per cruciatus, & Crucem mihi via patet. At neutrius tempus adhuc acceſſit. JESU CHRISTI conſanguinei, qui illum hortabantur ut Jeroſolymam pergeret, id alio in ſenſu intellexerunt. Crediderunt, JESUM CHRISTUM ſimpliciter innuere velle, nondum tempus eſſe, ut ipſe ad feſtivitatem pergeret [15]; ipſi vero irent. Sed loci hujus cum aliis plurimis collatio, ubi Salvator de Paſſione ſua verba faciens inquit, *horam* ſuam jam veniſſe, vel imminere, vel nondum acceſſiſſe [16], ideam adſtruit, hoc in loco id ipſum temporis nomine indigitari; *tempus meum nondum advenit*. Conſanguinei vero ſui, qui nihil verebantur, irent, ſi vellent, & quando vellent; tempus eorum ſemper eſſe paratum, vel tempus quodlibet illis eſſe opportunum.

℣. 7. ME AUTEM ODIT, QUIA TESTIMONIUM PERHIBEO.] Mundi juſtitiam, ambitionem, ſuperbiam, crimina, mea vivendi ratione meiſque ſermonibus damno; fieri non poteſt, ut ille me diligat, & ullam mei exiſtimationem concipiat; at cum vos eoſdem ac ille ſenſus foveatis, atque cum illo vobis eadem res ſit, fieri non poteſt, ut vos oderit [17]: *ſi de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret*: ajebat JESUS ad Apoſtolos ſuos Joan. 15. 19.

℣. 8. EGO NON ASCENDO AD DIEM FESTUM ISTUM.] Porphyrius [18] JESUM mendacii hoc in loco inſimulabat, quia dixit, *non aſcendo ad diem feſtum iſtum*, licet & aſcendere ad illum cuperet, & reipſa paucis poſt diebus illuc aſcenderit. Ad hanc difficultatem tollendam Interpretes quidam dixere [19], JESUM CHRISTUM ad eam feſtivitatem minime iturum fuiſſe prima die, quæ cæteris majori ſolemnitate præſtabat, & profecto nonniſi ſub octidui dimidium illuc acceſſit [20]; *jam die feſto mediante*. Alii vero dicunt [21], illum Jeroſolymam profecturum quidem, ſed non ea mente, qua conſanguinei ſui cupiebant; videlicet, ut ſe manifeſtaret, atque ſibi gloriam adipiſceretur. Illuc alia prorſus mente conceſſit; ſcilicet, ut Legi ſatisfaceret, & populum erudiret.

Alii

1 Οὐ γὰρ ἤθελεν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ περιπατεῖν.
2 Cyrill. Οὐ γὰρ εἶχεν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ. Chryſ. Euthym. Οὐ γὰρ εἶχεν ἐξουσίαν. Eraſmus. Grot. & Druſ. credunt, olim in Vulgata lectum, *valebat*, quod mutatum ſit, *volebat*. S. Auguſt. & Beda legiſſe videntur *valebat*, licet impreſſi habeant *volebat*.
3 Joan. 5. 18.
4 Exod. 23. 16. Levit. 23. 34. Deut. 17. 13. 31. 10.
5 Epiphan. hæreſ. 29. Leont. Cyrill. Euthym.
6 ℣. 5. *Nec enim fratres ejus credebant in eum.*
7 Joan. 2. 23. *Cum eſſet Jeroſolymis in Paſcha, in die feſto, multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus quæ faciebat.*
8 Auguſt. Tract. 28. in Joan.
9 Οὐδεὶς γάρ ἐν κρυπτῷ τι ποιεῖ, καὶ ζητεῖ αὐτὸς ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι.
10 Vide Hamm. hic, & Grot.
11 Chryſoſt. Cyrill. Theophyl. Euthym.
12 Chryſoſt. Auguſt. Theophyl. Mald.
13 Chryſoſt. Leont. Theophyl. Euthym. Mald.
14 Auguſt. Beda, Rupert.
15 Apollinar. in Cat. Gr.
16 Joan. 7. 30. *Nondum venerat hora ejus*. 8. 20. *Necdum venerat hora ejus*. 13. 1. *Sciens Jeſus, quia venit hora ejus.*
17 Chryſoſt. Auguſt. Cyrill. Leont. Theoph. Euthym. Beda, Rupert.
18 Apud Hieron. lib. 2. contra Pelag.
19 Eucher. Chryſoſt. Cyrill. Aug. Ammon. Maldon. Tir.
20 Infra verſ. 14.
21 Vide Rupert. Mald. Ligfoot.

Alii [1] aliam hujus loci lectionem a Vulgata ſecuti ſunt. *Ego nondum aſcendo ad diem feſtum hunc; tempus meum nondum acceſſit.* Vel: *non ſtatim ad hanc feſtivitatem pergo.* Sed ſi hæc vetus fuiſſet hujus loci lectio ævo Porphyrii; num infenſiſſimus iſte noſtræ Religionis hoſtis Salvatorem mendacii hoc in loco inſimulare auſus fuiſſet? Complures veteres Mſſ. Græci, & Latini omnes, Sancti Auguſtinus, & Cyrillus, Syriaca verſio, & Perſica, omnino Vulgatæ ſimiles ſunt, & non abhorret a fide, lectionem Græci textus, quem hodie typis editum habemus, a Librariis fuiſſe profectam, qui conſulere voluerunt veritati verborum Jesu, cui textum Vulgatæ officere arbitrabantur.

℣. 10. Non manifeste, sed quasi in occulto.] Diſceſſit aliquot diebus poſt Fratres ſuos, & ſine rumore aliquo Jeroſolymam venit, paucis ſtipatus ſociis, quin in via doceret, miracula faceret, adventum ſuum nunciaret. Fortaſſe etiam aliam a conſueta viam corripuit, atque per iter, quod ex regionibus trans Jordanem Jeroſolymam ducit, illuc acceſſit.

℣. 11. Judæi quærebant eum in die festo.] *Judæorum* nomine non ii intelligendi ſunt, qui erant ex ea Provincia, quæ proprie Judæa appellabatur, atque a Galilæa diſtincta; neque omnes, qui Jeroſolymam incolebant; ſed ſolum Principes, Senatores, Scribæ, Phariſæi [2]: hi quærebant Jesum Christum in turba advenarum, qui illuc ad ſolemnitatem convenerant. Sed cur illum quærebant? ut illi ſtruerent inſidias, eum comprehenderent, atque interficerent [3]. Hoc ex ſequentibus innoteſcet; ubi ℣. 13. 20. videbimus etiam, populum minime conſenſiſſe cum nationis ſuæ Principibus in eo conſilio, quod de Jesu Christi morte ceperant.

℣. 12. Quidam dicebant, quia bonus est.] Principes Judæorum minime diſſentiebant, ſed omnes idem de Jesu Christo judicium ferebant: populi vero de eo juxta cognitionem, & affectum ſuum loquebantur. Qui melius illum cognoverunt, dicebant, eum virum eſſe bonum, atque Prophetam. Qui vero juxta Sacerdotum, atque Phariſæorum præjudicium illum æſtimabant, dicebant eſſe nebulonem, & Sycophantam: ſed cum hoc diſcrimine, quod qui illi obtrectabant, liberrime obloquebantur; qui vero e contra illum laudibus dignum cenſebant, ſecreto dumtaxat, atque tacite loquebantur [4]. ℣. 13. *nemo autem palam loquebatur de illo* bene *propter metum Judæorum*. Hoc quotidie accidit cum viris bonis, quorum vita abdita eſt in Deo. Mortales enim facilius, atque liberius in pravam partem loquuntur, quam in bonam, quemadmodum S. Auguſtinus animadvertit [5].

℣. 14. Jam festo mediante, ascendit Jesus in templum.] Jesus Jeroſalem venit aliquot diebus poſt feſtivitatis initium, quæ per octiduum celebrabatur. Adventus illius omnes fefellit: ſed ubi nimia inimicorum ſuorum ira ſubſedit [6]; ad templum acceſſit, atque ibi ea libertate, ut antea, loqui cœpit; oſtendens hoc pacto, ſe poſſe pravam illorum voluntatem, & nequitiam, quibusdam veluti cancellis coarcere [7]. Credunt nonnulli [8], Jesum Christum Jeruſalymam acceſſiſſe prima ipſa die ſolemnitatis, ſed noluiſſe prodire, niſi ſub dimidium feſtivitatis ejuſdem. Sed Evangeliſtæ narratio innuere potius mihi videtur, illum tertia, vel quarta die Jeroſolymam acceſſiſſe.

℣. 15. Mirabantur, dicentes: Quomodo hic litteras scit?] Mirabantur ſcientiam ſacrarum Scripturarum in Jesu Christo, & quomodo egregie illis uteretur ad veritates, quas docebat, probandas. *Litteræ* hoc in loco nihil aliud ſignificant, quam Sanctas Scripturas; in illis quippe univerſa Judæorum ſtudia verſabantur. Qui vero Sapientiores ferebantur, illis addebant ſtudium traditionum, quæ apud illos erat veluti ſpecies quædam Juris Canonici. Senſus Allegorici tunc maxime perquirebantur, erantque in deliciis, quemadmodum liquet ex Philone, Joſepho, & Libris novi Teſtamenti. Jesus in omni id genus eruditione maxime excellebat: nemo majori cum dignitate, ac venuſtate locutus eſt; atque felicius allegorias, & parabolas applicuit nemo. Cum enim nemo ſcripturarum ſenſum melius ſcrutatus fuerit, ita nemo illas magis proprie protulit, neque melius earum complementum oſtendit.

Eo autem major inceſſerat Judæis admiratio, quod ille nunquam in Scholis verſatus fuerat, nullam amplexatus ſectam, & a nullo præceptore privatim fuerat edoctus. Loquebatur vero ea auctoritate, qua [9] neque Rabbini ipſi, qui majori præſtabant celebritate, uti conſueverant; qui ſervili modo cortici litteræ, atque traditionibus Magiſtrorum ſuorum adhærentes, veluti in tenebris ambulabant, Majorum ſuorum manibus incumbentes. Adnotandum vero, hos Judæos, videlicet nationis proceres in Jesu Christo hanc ſcientiam admirari ſolum, eo quod illam minime didiceret [10]. In id unum attendebant; neque potius animum appellebant, ut ex verbis illius fructum perciperent, atque veritatem, quam ille aperiebat, cum utilitate intelligerent.

℣. 16. Mea doctrina non est mea,] ſed eſt Patris mei: Jesus Christus quatenus homo dicere poterat doctrinam ſuam, quam promulgabat quatenus Deus, non eſſe Doctrinam ſuam [11]; ita legatus, qui Regis nomine loquitur, dicere poteſt: verba mea non ſunt mea, ſed ejus, qui miſit me: ille per os meum ad vos loquitur. Ita ajebant Prophetæ: *hæc dicit Dominus*: audite mandata illius per os meum. Judæi doctrinam Jesu Christi admirabantur, ſcientes, illum in ſcholis non didiciſſe; hic vero ait illis, ſe inviſibili præceptore edoceri; hunc vero præceptorem eſſe Patrem ſuum; vel potius divinitatem in ſeipſo reſidentem, atque humanitati ſuæ hypoſtatice cohærentem, qui verus eſt fons luminis ob oculos eorum emicantis.

℣. 17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere.] Vultis ne periculum facere eorum, quæ dico, & intelligere, utrum ex me loquar, an in me loquatur Deus? facite voluntatem Dei, fideles eſtote mandatis illius, Deum amate & proximum veſtrum diligite: exuite omnia præjudicia veſtra, atque odium in me, & quamprimum intelligetis, doctrinam meam prorſus eſſe cœleſtem, atque divinam [12]: & qui perſecutores, atque inimici mei eſtis, repente fietis diſcipuli, & cultores mei. Et ſane maximus obex, quo prohibebantur Scribæ, & Phariſæi, ne cognoſcerent, Salvatoris verba eſſe verba vitæ, erat potiſſimum morum corruptio, affectuum perturbatio, atque infidelitas, qua Dei legibus obtemperabant.

Credit S. Auguſtinus [13], Dei Filium expoſcere ex Scribis, & Phariſæis, ut in ſe credant & hanc eſſe voluntatem Dei, ad quam exercendam illos hortatur. Si cognoſcere vultis, doctrinam meam non eſſe meam, ſed Patris mei, illam credite, atque ſtatim me illius verbum, Sapientiam, & Filium eſſe intelligetis, *noli quærere intelligere, ut credas; ſed crede, ut intelligas: quoniam ſi non credideritis, non intelligetis*. Ne expe-

1 Ita plurimi Codd. Gr. impreſſi. Ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην. Alii, οὐκ ἀναβαίνω νῦν. Alii, οὐκ ἀναβαίνω ἄρτι. ita Chryſoſt. 2 Leont. Theophyl. Maldon. Grot.
3 Chryſoſt. Cyrill. Theophyl. Euth. 4 Auguſt. Beda, Mald. alii.
5 Aug. hic. *De omnibus ſervis ejus hoc dicitur modo. Quicumque eminet in aliqua gratia, ſpiritualive profectu, alii dicunt, quia bonus eſt: alii, Non; ſed ſeducit turbas. Unde hoc? Quia vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* 6 Ammon. Chryſoſt. Leont. Theophyl. Euthym.
7 Auguſt. Bede. 8 Maldon. Ligfoot. alii quidam.
9 Matt. 7. 29. *Erat docens eos tamquam poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.*
10 Chryſoſt. Theoph. Euthym. 11 Aug. lib. 1 de Trinit. c. 11. 12. Ambr. lib. 2. de fide, c. 4. alii
12 Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Rupert. Mald. Brug. Tir. 13 Aug. Beda hic.

expectetis credere, ubi illum intellexeritis, ſed credite; & mox illa vobis erit comperta. Prior explicatio ſimplicior eſt, & litteræ magis adhæret.

℣. 18. QUI A SEMETIPSO LOQUITUR, GLORIAM PROPRIAM QUÆRIT.] Hæc alia eſt ratio experiendi, utrum doctrina mea vera ſit, & utrum quatenus ſimplex homo loquar; ratio videlicet, quæ me loquentem impellit, & finis, quem mihi loquens propono [1], ſi ego quæro gloriam meam, ſi loquor, ut mihi famam aucuper, ut expleam ambitionem meam, ut terrenum aliquod lucrum feram, expellite me, tamquam nebulonem, & Pſeudo-Prophetam: ſin autem Dei gloriam quæro, ſi in id unum incumbo, ut ad illum veros adoratores compellam, ſi omnes hortor, ut illi inſerviant, obtemperent, eamque diligant, quin mihi ulla cedat utilitas; ſi doctrina mea ſimilis eſt doctrinæ ſervorum Dei, & ſi mihi propono Legis perfectionem, mandatorumque illius complementum; facere non poteſtis, quin me pro vero Propheta accipiatis. Quod ſi cæteras etiam rationes, quibus miſſionem, atque potentiam meam vobis probavi huic addideritis, citra ſcelus me non poteſtis pro vero Meſſia, Filioque Dei confiteri.

INJUSTITIA IN ILLO NON EST.] Injuſtitia hoc in loco pro fraude, atque mendacio uſurpatur [2]. Ille verax eſt, & ſincerus ſine aſtu, & ſine dolo.

℣. 19. NONNE MOYSES DEDIT VOBIS LEGEM?] Scrutabatur JESUS CHRISTUS penitiores latebras cordis Phariſæorum, aliorumque inimicorum ſuorum in populo, ferentium, ipſum eſſe Seductorem. Hanc vero cauſam prætexebant, quod ſcilicet ſumma fide Sabbathi legem minime obſervaret. Si a Deo miſſus fuiſſet, ajebant illi, legem non perfringeret [3]: at eam perfregit, imperans paralytico, ut Sabbatho lectulum ſuum tolleret [4]: ergo non poteſt eſſe vir miſſus a Deo. Cum autem eloquentia, ſcientia, fictiſque miraculis ſuis ad populos fallendos abutatur; Religionis intereſt, illum de medio tollere, primum tamquam Sabbathi violatorem [5], mox veluti Pſeudo-Prophetam, & Seductorem [6]. Hoc eſt Phariſæorum argumentatio.

Ad pravam hanc argumentationem explodendam Salvator ait: ſi ego ſum mortis reus, quod diem Sabbathi violem, ægrotum curans, eumque jubens tollere grabatum ſuum, vos omnes me nocentiores eſtis, quoniam Sabbatho puerum circumciditis, quæ vel majorem exigit motum, & minorem adfert utilitatem, quam quod Sabbatho ſum operatus. Sin autem vos culpa vacare exiſtimatis, ea die puerum circumcidentes, cur me damnatis, eo quod hominem octo, atque triginta annis gravi modo laborantem curaverim. Nonne hoc eſt habere pondus, & pondus, menſuram, & menſuram? Si erga vos indulgentiores eſtis, quorſum non ita etiam erga proximum veſtrum [7]?

℣. 20. RESPONDIT TURBA, & DIXIT: DÆMONIUM HABES.] Populus, qui Sacerdotibus, atque Phariſæis minime conſentiebat, & qui JESU CHRISTO libenter aures præbebat, ignorabat, Salvatori inſidias ſtrui, ut de viventium numero exturbaretur [8]: ideoque neſciebat, quo illa ſpectarent verba: *quid me quæritis interficere?* Ruſtice ergo reſpondet: *Dæmonium habes: quis te quærit interficere?* nemo unus id cogitat. De aliis judicabant ex propriis cogitationibus [9]; verum ſatis id intellexerunt Sacerdotes & Phariſæi.

Veterum plerique [10] crediderunt, eoſdem Sacerdotes, & Phariſæos, qui JESUM CHRISTUM perdere cupiebant, ubi viderunt nefariam voluntatem ſuam illi exploratam, dixiſſe, *Dæmonium habes; quis te quærit interficere?* ſed prior explicatio litteræ magis hærere videtur. *Dæmonium habere* non ſemper a Dæmone obſeſſum eſſe, ſed etiam dementiam quamdam, atque phreneſim ſignificat. Populus Dæmoni acceptas referebat omnes mentis perturbationes; & Impii hoc nomine antiquos prophetas proſecuti ſunt, eoſque tamquam fatuos & hypocondriacos habuerunt.

℣. 21. UNUM OPUS FECI, ET OMNES MIRAMINI.] Loquitur de paralytici curatione, quæ duodeviginti ante id tempus menſes acciderat die Sabbathi [11]. *Admiratio*, de qua loquitur, non eſt ſimplex admiratio, neque innocens ſtupor: ſed tumultus, motus, murmur: vos tunc excitati eratis, & æque in me ira ſuccenſi, ac ſi grave aliquod ſcelus commiſiſſem [12].

℣. 22. PROPTEREA [13] MOYSES DEDIT VOBIS CIRCUMCISIONEM.] Moyſes & circumciſionis, & Sabbathi legem irrogavit: attamen vobis religioni minime vertitis, ſi Sabbathi Legem non obſervatis, ut Legi circumciſionis pareatis. Non deſunt ergo caſus quidam, ubi Moyſis leges exceptiones aliquas & explicationes admittant: hoc eſt, ubi duo ſimul præcepta concurrant, & utraque ſimul obſervari non poſſint, vel cum ob majus aliquod bonum lex ceremonialis negligitur, ut lex aliqua moralis obſervetur. At in eo quod feci, cum charitas legis cum lege Sabbathi confligeret, & Dei mandatum Moyſis præcepto adverſaretur, neque ego poſſem alterum obſervare, quin alterum perfringerem: credidi, illud, quod majus erat, majoriſque momenti, minori eſſe præferendum, & antiquius mihi eſſe debere cenſui, ut homini valetudinem, & Deo gloriam miraculo acquirerem, potius quam ſervili modo requiem Sabbathi, quæ lex eſt tantummodo ceremonialis, obſervarem. Vide ℣. 21.

NON QUIA EX MOYSE EST, SED EX PATRIBUS.] Hoc interpoſita parentheſi legendum eſt. Cum ajo, Moyſem vobis circumciſionis legem irrogaſſe, minime loquor juxta accuratæ veritatis ideam. Circumciſio eſt ceremonia a Patriarchis profecta, a Moyſe vero ſimpliciter in lege confirmata: attamen vetuſtam hanc conſuetudinem nonnumquam Sabbathi ipſius obſervationi præfertis, quæ certo certius lex eſt a Deo Moyſi tradita: cur ergo mihi religioni verterem Sabbathi requiem, ut intemerandam charitatis legem minime obſervarem, qua jubemur opem ferre proximis, cum gravis eorum urget neceſſitas, atque præcipit, ut ſancto zelo atque ſollicitudine illis opitulemur, quanta eſt illorum egeſtas? Homo ille, quem curavi, octo atque triginta annos paralyſi laborabat, quin aliquis illi præſtitiſſet officium, cujus maxime indigebat. Mihi ergo crimini vertitis, quod in ejuſmodi circumſtantia charitatem exercere maluerim, quam ad unguem meam obſervare ceremoniam, quæ reipſa Moyſis lex habenda non eſt.

℣. 23. SI CIRCUMCISIONEM ACCIPIT HOMO IN SABBATHO, UT NON SOLVATUR LEX MOYSI:] hoc eſt, quin ſolvatur lex Moyſi: cur non licebit mihi Sabbatho hominem curare? Circumciſio die Sabbathi deferebatur tunc cum ea erat octava poſt pueri alicujus nativitatem dies. Tunc ut legi obtemperarent, qua jubebantur pueri octava die, ex qua nati erant, circumcidi, ipſo die Sabbathi circumcidebantur, *ut non ſolvatur lex Moyſis*. Hoc exemplum mirum in modum argumento accommodatum eſt: Cum enim JESU CHRISTO dicere potuiſſent: cur non differs, vel prævertis curationem? reſpondere potuiſſet, cur non & vos ipſi hoc ipſum in circumciſione peragitis? Num conſue-
tudo

1 Chryſoſt. Leont. Theophyl. Euthym. Grot. Brug. Mald. 2 Rupert. Grot. Mald. Brug. alii.
3 Joan. 9. 16. *Non eſt hic homo a Deo, qui ſabbathum non cuſtodit.*
4 Joan. 5. 9. 10. 5 Num. 15. 35. 6 Deut. 13. 1. . . . 9.
7 Vide Chryſoſt. Cyrill. Theophyl. Euthym. Leont. Theod. Mopſ. Rupert. Mald. Grot. Brug.
8 Joan. 5. 18. 9 Leont. Maldon. Brug. Grot.
10 Chryſoſt. Theophyl. Cyrill. Euthym. Auguſt. Rupert. 11 Joan. 5. 9.
12 Ita Auguſt. Chryſoſt. Cyrill. Leont. Theoph. Euthym. Grot. Mald.
13 Theophylactus addit propterea, in fine verſ. præcedenti ſic: Ἓν ἔργον ἐποίησα, καὶ πάντες θαυμάζετε διὰ τοῦτο. Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν, quod vero ſimillimum videtur, atque approbat Beza, Caſaubon. Maldonat. Hammond. & quidam alii.

tudo mere ceremonialis majora habere debet privilegia, quam charitatis officium. Circumciſio, quæ preſſius loquendo lex Moyſis non eſt, efficere poteſt, ne teneamini Sabbathum obſervare, quæ Dei lex eſt?

TOTUM HOMINEM SANUM FECI.] Circumciſio ab homine carnis particulam abſcindebat, quam Hebræi veluti opprobrium, & labem exiſtimabant [1]: huic opponit JESUS paralytici curationem omnibus membris perculſi. Licet per circumciſionem auferre turpem labem, quæ Iſraelitas cum gentibus commiſcet; ergo multo magis fas eſſe debet, hominem curare, totis artubus ægrotantem. Alii ita vertunt [2]; totum hominem curavi: huic paralytico, & corporis & animæ ſalutem reddidi. Vide ſupra cap. 5. ℣℣. 14. 15. ubi Salvator hunc hominem hortatur, ne peccet amplius, ne deterius aliquid illi contingat.

℣. 24. NOLITE JUDICARE SECUNDUM FACIEM.] Scrutemini verum Legis mentem; de actionum bonitate, vel nequitia judicium ferte, ſuperiori quodam intuitu, non autem humilibus, ſervilibus, atque litteralibus cogitationibus. Intelligite legem, quæ Sabbathi requiem præcipit ſubjectam eſſe legi charitatis. Aliter; nullam perſonarum acceptionem in judiciis veſtris admittite [3]; citra odium, gratiam, animi perturbationem, judicate. Omnem erga me iram exuite, ſed uni dumtaxat veritati, atque juſtitiæ ſtudete. Me magis vobis ipſis, quam mihi indulgeatis; vel ita mihi indulgete, ut alios vobis indulgere vultis [4]; certos enim ſum, vos non improbaturos factum meum, ſed meritis laudibus illud celebraturos.

℣. 26. NUMQUID VERE COGNOVERUNT PRINCIPES, QUIA HIC EST CHRISTUS?] Græcus [5]; vere ne cognoverunt, eum vere eſſe CHRISTUM? Turbæ, quæ JESUM CHRISTUM audiebant, ex triplici perſonarum ſpecie conſtabant. Primo ex Senatoribus, Sacerdotibus, & Phariſæis infenſiſſimis JESU CHRISTI inimicis: Secundo ex Jeroſolymitanis Civibus, quibus explorati erant horum Principum virorum in JESUM animi; & tertio denique Judæorum, qui aliunde ad feſtivitatem convenerant, qui bibulis auribus illum audiebant, & quibus comperta non erant prava Senatorum, Sacerdotum, & Phariſæorum conſilia. Salvator in hoc ſermone fere ſuos inimicos alloquitur. Judæi advenæ ii ſunt, qui admirantes, quod JESUS CHRISTUS dixerat ℣. 20. quid me quæritis interficere? crediderunt illum de ſane mentis uſu dejectum, eique reſponderunt: dæmonium habes, quis te quærit interficere? Denique Jeroſolymitani Cives, videntes illum tranquille audiri, quin comprehenderetur, & quin illi vis inferretur, crediderunt fortaſſe, Principes populi tandem aliquando agnoviſſe, JESUM eſſe Meſſiam.

℣. 27. SED HUNC SCIMUS, UNDE SIT.] Hoc inter ſe plebs ajebat: fidei minime conſonum eſt, hominem hunc eſſe Meſſiam; ſcimus enim, cujas ille ſit; neſcimus vero, cujas Meſſias futurus ſit. Hujus populi argumentatio Sacris Scripturis innititur, quæ de duplici nativitate, vel de duplici Meſſiæ generatione loquuntur: altera quidem æterna, & hominibus ignota [6]; altera temporali, ad certum tempus conſtituta, & cum certa Civitate, certaque familia connexa. Hæc duo ſimul in plebis animo confuſionem quamdam gignebant, quum qui magis ſimplices erant, ſeparatim ſatis non norant [7]. Igitur hic populus loquitur de ineffabili, atque æterna Verbi generatione, cum dicit, numquam exploratum iri, unde Meſſias venerit, ubi incœperit apparere. Sed ℣. 42. alii de temA porali nativitate loquebantur, dicentes; nonne Scriptura dicit, qui ex Semine David, & de Bethleem Caſtello ubi erat David, venit CHRISTUS? Hæc minime ſibi adverſantur: ſed oſtendunt, varias Prophetarum de Meſſia locutiones, in populi mente ſatis confuſas ideas peperiſſe.

℣. 28. ET ME SCITIS; & UNDE SIM SCITIS.] Turbæ de Salvatore locutæ dixerunt, ſed hunc ſcimus unde ſit; CHRISTUS autem cum venerit, nemo ſcit, unde ſit. JESUS illis reſpondet: utique, me noſtis, & noſtis, cujas ſim; ſcitis, quinam ſim ſecundum humanam naturam; origo mea, meique Parentes vos non fallunt; ſed ex parte dumtaxat me cognoſcitis; aliam enim habeo originem, quæ vos latet, a meipſo non veni; egreſſus ſum de æterni Patris mei ſinu, qui miſit B me; ille eſt teſtis verax, qui ſatis vobis oſtendit, quinam ſim, iis in miraculis, quæ ob oculos veſtros operatus eſt. Attamen neſcitis, & illum, & me. Creditis quidem me cognoſcere, atque ad unguem exploratam habere originem meam; ego autem dico vobis, quod me imperfectiſſime tantum cognoſcitis; neque qui ſim ſcitis, neque unde ſim [8].

Græci Patres [9] hoc aliter intelligunt: ſcitis qui ſim, non ſolum ſecundum humanam naturam; ſcitis etiam, me eſſe Meſſiam, & Filium Dei, quamquam per turpiſſimam nequitiam, atque invidiam id ſcire diſſimulatis. Fallere vos minime poteſt teſtimonium, quod mihi Johannes Baptiſta perhibuit: neque ignorare potestis ea miracula, quæ me operantem vidiſtis; quæ tanta ſunt, ut nonniſi Dei Filius illa operari potuerit. C Veſtra ignorantia, vel potius diſſimulatio veſtra, omnino inexcuſabiles ſunt.

Recentiores quidam Interpretes [10] hoc tamquam ironice dictum explicant, vel quaſi adeſſet interrogatio, negationem comprehendens. Profecto videlicet vos me noſtis, & ſcitis unde ſim: at quomodo me cognoſcere poteſtis, quandoquidem generatio mea ineffabilis, & incomprehenſibilis eſt, & Pater, qui miſit me, vobis ignotus eſt? Hæc profecto præclara indicia ſunt, me a vobis perfecte cognoſci. Sed primam ex tribus allatis explicationibus præferendam cenſerem.

℣. 29. EGO SCIO EUM, QUIA AB IPSO SUM [11].] Latina quædam exemplaria ad hujus verſiculi calcem hæc addunt, quæ e S. Johannis cap. 8. ℣. 55. deſumpta ſunt. Et ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis D vobis, mendax. Genitus ſum ex Patre, quatenus Deus; ab illo miſſus ſum quatenus homo [12]: ab ipſo, inquit, ſum; quia Filius de Patre: & quidquid eſt Filius, de illo eſt, cujus eſt Filius ... quod autem videtis me in carne, ipſe me miſit, ait S. Auguſtinus: ubi audis: ipſe me miſit, noli intelligere naturæ diſſimilitudinem; ſed generantis auctoritatem.

℣. 30. NEMO MISIT IN ILLUM MANUM.] Non ſacerdotes, & Phariſæi illi infeſtiſſimi, neque populus ſermonum illius libertate irritatus [13], eum comprehenderunt; nam JESUS CHRISTUS divina poteſtate ſua nefariam illorum voluntatem coercuit, atque vim cohibuit; nondum enim venerat hora, in Patris ſui decretis pro Paſſione ſua præſignita [14].

℣. 31. DE TURBA MULTI CREDIDERUNT IN EUM.] E Dicentes: quando Meſſias, venerit, majora, quam quæ hic operatur, patrare miracula non poterit. Adnotavimus jam in ℣. 26. turbas, ad quas JESUS loquebatur ex triplici perſonarum genere fuiſſe conflatas. Primo ex Principibus Judæorum, ſecundo ex Civibus Jeruſalem, tertio ex advenis, qui undequaque ad feſtum diem

1 Joſue 5. 9. Hodie abſtuli opprobrium Ægypti a vobis. Geneſ. 34. 14.
2 Auguſt. Beda, hic. 3 Deut. 1. 17. 16. 19. Clopenburg. Cartwrig. in Synop.
4 Chryſoſt. Cyrill. Leont. Theophyl. Euthym. Auguſt. Beda, Mald. Grot.
5 Exemplaria Græca impreſſa ita legunt: Μή ποτε ἀληθῶς ἔγνωσαν οἱ ἄρχοντες, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ Χριστός. At ſecundum ἀληθῶς deficit in plurimis MSS. 6 Vide Iſai. 53. 8. Generationem ejus quis enarrabit? Mich. 5. 2. Egreſſus ejus a diebus æternitatis. 7 Aug. Leont. Theoph. Brug.
8 Ita fere Aug. Beda, Rupert. 9 Chryſoſt. Leont. Apollinar. Theoph. Euthym. Mald.
10 Brug. Grot. Beza, Camer. Gloſſ. 11 Ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι. Quia ab ipſo ſum. Steph. Tanaq. Faber. Caſaub. legunt εἶμι. Ab ipſo eo, vel, procedo; ſed tamquam Poeticum, & Apoſtolis incognitum rejicit Grot.
12 Aug. Beda, Euthym. Mald. 13 Leont. Cyrill. Theoph. Euthym.
14 Ita Patres, & Interpp. paſſim.

diem confluxerant. Fidei conſonum eſt, de his noviſſimis loqui Evangeliſtam [1]. Crediderunt in JESUM CHRISTUM, & propter inſignia illius miracula, eum Meſſiam eſſe confeſſi ſunt. Hæc enim divinitatis illius magis apertum, atque ad populi capitum accommodatum erat argumentum.

℣. 32. PHARISÆI MINISTROS, UT APPREHENDERENT EUM.] Sacerdotes, & Phariſæos metus alicujus ſeditionis, quæ in populo oriretur, deterruit, ne Jeſum Chriſtum comprehenderent. Verum illorum patientia ad extremum evaſit, ubi turbas audierunt, dicentes, virum hunc eſſe Meſſiam, quoniam ea operabatur miracula, quæ nemo alius; vel fecerat umquam, vel facere poterat. Quænam vero hæc fuerint miracula, non tradit Evangeliſta; tum alibi docet, Jeſum Chriſtum longe plura patraſſe, quam ea, quæ in Evan- B geliis leguntur [2]. Veriti ſunt Sacerdotes, & Phariſæi, ne tandem populus univerſus Jeſu Chriſto adhæreret, atque ipſi etiam a multitudine relinquerentur [3].

℣. 33. ADHUC MODICUM TEMPUS VOBISCUM SUM.] Cum divino lumine noviſſet Jeſus, Principes Sacerdotum, & Phariſæorum ſecreto miſiſſe ſatellites, qui illum comprehenderent, perrexit citra metum ad populum loqui, eique ſignificare, ſe non comprehendendum, niſi ubi voluiſſet; inimicorum ſuorum nefariam voluntatem, conatus, & inſidias, ſibi eſſe exploratas; verumtamen illos nullam in ſe poteſtatem habituros, niſi ubi hanc illis ipſe tradere voluiſſet. *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum*, dixit illis. Diutius vivere non debeo; revertor ad Patrem meum, qui miſit me; ſed ante tempus nihil in me efficere poteritis. Injuria C me perſequimini, & e veſtro cœtu expellitis; adſpectus meus in vobis excitat invidiam. Sed erit tempus, quo ℣. 34. *quæretis me, & non invenietis: & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire*. Jeſus Chriſtus intra ſex menſes ab ea die, qua loquebatur, erat interimendus [4].

℣. 34. QUÆRETIS ME, ET NON INVENIETIS.] Poſt mortem, & Reſurrectionem meam quæretis me, ut perſequamini, atque perdatis: deprometis odium, atque ultionem veſtram in Apoſtolos meos; ſed mihi vim inferre non poteritis; neque vobis licebit, illuc, ubi ero, venire. Ero in Cœlis, quo conatus veſtri accedere minime poſſunt [5]. Vel potius: tempus erit, cum tanta in vos ingruent mala, ut cupietis, ſed nimis ſero, & fruſtra, apud vos aliquem mei ſimilem Prophetam inſurgere, qui vobis conſilio, & auxilio opitu- D letur. Tunc qui credunt in me, deſiderabunt diem præſentiæ meæ, tamquam ſolatium graviſſimorum malorum, quibus obruentur. Hoc ipſum eſt, ac illud, quod alibi dixit [6]: *venient dies, quando deſideretis videre unum diem Filii Hominis, & non videbitis*. Et hoc ipſum etiam Apoſtolis ſuis ait cap. 13. ℣. 13. quod maximum addit pondus explicationi, quæ in æquiorem ſenſum intelligenda putat hæc verba: *quæretis me*: deſiderabitis me videre, & audire. Denique credi poteſt, Judæos etiam incredulos, atque obduratos videntes Patriæ ſuæ excidium, Templique ſui vaſtitatem facere non potuiſſe, quin confiterentur, illud juſtum eſſe ſcelerum ſuorum ſupplicium, præſertim vero injuſtæ perſecutionis, qua Jeſum Chriſtum, ejuſque Apoſtolos ad cædem arripuerant [7]. E

℣. 35. QUO HIC ITURUS EST [8].] Ibitne, Idolorum cultoribus prædicaturus? Judæi minime credebant, A gentiles populos dignos eſſe, qui Domini verbum audirent. Illos horrebant, tamquam populos a Deo maledictos, atque derelictos; neque impelli poterant, ut crederent verum Domini prophetam poſſe immundis illis nationibus, atque in reprobum ſenſum traditis prædicare. Inauditum erat in Iſrael, aliquem ex veteribus prophetis ad alios, præter quam ad Judæos miſſum fuiſſe.

Nonnulli [9] credunt [10]: *ibit ne in diſperſionem Græcorum, & docebit Græcos?* Hoc eſt, ibit ne ad Judæos inter gentes, inter Græcos diſperſos. Hebræi enim omnes terrarum populos triplici in diſcrimine habebant, Judæos, Græcos, & Barbaros. Græcorum, vel gentium diſperſionem, Judæos appellabant in Græcorum, vel Barbarorum populorum provinciis diſperſos [11]. B Diſperſio trans Euphratem erat Barbarorum, cis vero Græcorum, eaque latius patebat in univerſo imperio, quod Magnus Alexander inſtituerat in Græcia, Syria, Ægypto, Aſia minori, in quibus omnibus plagis quamplurimi erant Judæi. Homo iſte iturus ne eſt Alexandriam, an Antiochiam, an in aliam aliquam Græcorum Civitatem, ibi Judæis, quos invenerit, prædicaturus? nobis minitatur, ſe e manibus noſtris elapſurum, atque in aliam provinciam receſſurum? numquid ait, nos ipſum illic minime reperturos? hic ſenſus mihi magis litteralis videtur. *Ibitne ad docendos Græcos*, vel Judæos, Helleniſtas? Judæi, qui Jeroſolymæ, & in Judæa commorabantur, ſe præſtare putabant exteris, qui in Ethnicorum provinciis erant diſperſi: hi enim aberant a Templo, & in jugi fere neceſſitate ſor- C des aliquas ex Gentilium conſuetudine contrahendi verſabantur.

℣. 37. IN NOVISSIMO DIE MAGNO FESTIVITATIS.] In præcipuis Judæorum feſtivitatibus, quæ per octiduum celebrabantur, primus, & noviſſimus dies magis erant ſolemnes [12], & plerumque diebus illis peculiares quædam cæremoniæ, atque ſacrificia non uſitata erant connexa [13]. In Tabernaculorum feſtivitate, quo tempore hæc omnia acciderunt, mos obtinuerat, ut magna pompa ad Templum vaſa duo deferrentur concrepantibus muſicorum inſtrumentis; alterum quidem aqua, vino alterum repleta; aqua vero erat ex fonte Siloe, & ex eadem quolibet feſtivitatis illius die in matutino ſacrificio libatio fiebat ad pedes altaris holocauſtorum [14]. Interpretes quidam [15] credunt, Salvato- D rem ad morem hunc alluſiſſe, cum elata voce in Templo clamabat: *ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat; qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Erit tamquam argentea amphora aquis Siloe referta, quæ ad Templum adfertur, & ex cujus ventre aqua viva egreditur. Prophetæ ſæpius Meſſiæ doctrinam aquæ ſalutari, & fontis Siloe compararunt [16]: & ipſe Jeſus Chriſtus Samaritanæ dixit, ſe hominibus aquam vivam præbere, quæ bibentibus fons [17] erit aquæ in æternam vitam ſalientis. Ex hac aqua bibere, & in Deum credere, iſthic unum, & idem ſunt.

℣. 38. QUI CREDIT IN ME, SICUT DICIT SCRIPTURA, FLUMINA DE VENTRE EJUS FLUENT.] Verſiculi hujus explicationem partim jam dedimus in articulo ſuperiori. Hic vero quæritur, ad quid referan- E tur ea verba: *ſicut dicit Scriptura*. Complures [18] illa cum præcedentibus connectunt: *qui credit in me, ſicut dicit Scriptura*. Hoc eſt, qui perfecte, uti par eſt, &

quem-

1 Ita Rupert. Maldon. 2 Joann. 21. 25. *Sunt autem & alia multa quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe.* 3 Joann. 11. 48. *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum*. Vide Aug. Amm. Leont. Theoph. Euthym. Bedam, Rupert.

4 Euthym. Brug. Piſc. Toynard. 5 Theod. Heracl. Vide & Rupert. & Mald. Brug. Grot.

6 Luc. 17. 22. 7 Ita Chryſ. Theophyl. Leont. Euthym.

8 Ita Chryſoſt. Cyrill. Leont. Theophyl. Euthym. Auguſt. Beda, Rupert. Vatab. Brug. Maldon.

9 Bez. Piſc. Druſ. Lud. de Dieu, Ligfoot. Horæ. Talm. Grot. Hammon.

10 Εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι, καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας.

11 Jacob. 1. 1. 1. Petr. 1. 1. 12 Levit. 23. 36. *Dies octavus erit celeberrimus atque ſanctiſſimus*.

13 Miſchna tit. Sucha, c. 4. & 9. 14 Bartenora in c. 4. Miſch. tit. cit.

15 Hamm. Grot. Ligfoot. Toynard. not. p. 147. Scheringham. not. in Joann. 2.

16 Iſai. 55. 1. *Omnes ſitientes venite ad aquas*. Et Iſ. 12. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris*, &c. 17 Joann. 4. 10. 13. 18 Chryſoſtom. Leont. Theophylact. Euthym. Heinſ. Luc. Capell. Hor. Talm.

quemadmodum Scriptura præcipit, in me credit. Sed A plerique ea referunt ad ſubſequentia: qui credit in me, erit veluti fons aquæ vivæ; velut fluvius abundans; quemadmodum dicit Scriptura. Loquitur vero de S. Spiritu, quo replendi erant, qui crederent in ipſum: quemadmodum idem monet Evangeliſta. Quærendi ergo ſunt in Scripturis loci, ubi Spiritus Sancti in Apoſtolos, & fideles effuſio aquæ vivæ, vel fluvii vehementis nomine indigitantur.

Iſaias locum habet, ex quo ea verba deſumpta videntur: *effundam enim aquas ſuper ſitientem, et fluenta ſuper aridam: effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, et benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam*, Iſai. 44. 3. Ezechiel 36. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, et dabo vobis cor novum, et Spiritum novum ponam in medio ve-* B *ſtri*. Et Iſaias iterum 58. 10. *Dominus implebit ſplendoribus animam tuam .... et eris quaſi hortus irriguus, et ſicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ*. Et Joel 2. 28. *effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, et prophetabunt filii veſtri, et filiæ veſtræ; ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, et juvenes veſtri viſiones videbunt* &c. Ad univerſos hos locos Salvator alludit, quin aliquem peculiariter afferret, quemadmodum crebro accidere ſolet, ubi Scripturæ generatim afferuntur.

Diximus jam, fidem eſſe eam, quam aquæ vivæ potum appellat; at quomodonam qui credit, fons eſt, unde aquæ vivæ flumina emanant? Quænam ſunt hæc flumina? putant quidem [1], hanc eſſe Evangelii prædicationem, quæ ſeſe in omnem terrarum orbem effundit: alii [2] charitatem, quæ per effectus ſuos in omnes homines diffunditur. Alii [3] explicant de Spiritus Sancti lætitia, qua replentur eorum corda, qui illum receperunt. Non deſunt tandem, qui hoc nomine omnia Spiritus Sancti dona intelligant [4]; & hic ſenſus certior videtur, ac melius cum ſermonis decurſu cohæret.

℣. 39. NONDUM ENIM ERAT SPIRITUS DATUS [5], QUIA JESUS NONDUM ERAT GLORIFICATUS.] Totus hic verſiculus parentheſi intercludendus eſt. Johannes Evangeliſta diu poſt S. Spiritus in Apoſtolos Pentecoſtes die deſcenſionem animadvertit, tunc temporis, cum Jeſus Chriſtus hæc diceret, nondum ab illo S. Spiritum miſſum fuiſſe, quia nondum reſurrexerat [6], glorificatus fuerat, & ad Cœlum aſcenderat, vel etiam ex S. Chryſoſtomi ſententia, quia nondum Cruci fue- D rat confixus [7]. Cum credentibus in ſe flumina aquæ vivæ pollicebatur, figuratis, allegoricisque verbis promittebat Spiritum Sanctum, qui ſuper illos die Pentecoſtes deſcendit, & qui quodammodo illos mundavit donis gratiæ ſuæ, atque omnium munerum ipſius largitas per illos in omnes ſeſe effudit populos, fluminis inſtar, quod intumeſcens, alveoque egreſſum, aquis omnia ſubmergit.

℣. 40. HIC EST VERE PROPHETA.] Græcus [8] innuit, hunc eſſe illum Prophetam, prophetam antonomaſtice, a Moyſe Deuter. 18. 15. promiſſum: *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus*. Prophetæ hujus nomine complures Meſſiam præſtolabantur, alii vero prophetam ſimplicem: ſed majorem illis, qui poſt Moyſem fluerant: atque inde Evangeliſta ait, alios dixiſſe, Jeſum vere eſſe Meſſiam; ℣. 41. *Alii dicebant: Hic eſt Chriſtus*.

℣. 41. NUMQUID A GALILÆA VENIT CHRISTUS?] Hæc illis, qui Jeſum Chriſtum Meſſiam eſſe credebant, difficultas objiciebatur, eaque tanti roboris videbatur, ut explanari minime poſſet. Aperte ſane portendebant Prophetæ, futurum, ut Meſſias de tribu Juda, & pro- A genie David exiſteret, hunc vero in Bethlehem naſciturum. Verum ſi Judæi diligentius rem omnem, uti par erat, perſequi voluiſſent: inveniſſent ſane Jeſum Chriſtum hac etiam in re, ut in reliquis, adimpleſſe quidquid vaticinati fuerant prophetæ. Inexcuſabiles erant igitur, quod diligentius ſcrutari nollent, quod ad Jeſu Chriſti nativitatem, atque originem pertinebat.

℣. 44. QUIDAM VOLEBANT APPREHENDERE.] Ea quænam erat varietas ſententiarum apud Judæos de Jeſu Chriſti perſona. Alii quidem veluti tenebrionem aliquem habebant, velut prophetam alii: hi Meſſiam eſſe cenſebant, illi perniciosum hominem, & ex Republica exterminandum.

℣. 46. NUMQUAM SIC LOCUTUS EST HOMO.] Nemo umquam tanto lepore, tanta vi, tanta majeſtate, B & eloquentia locutus eſt. Nemo umquam locutus ita, ut animos noſtros facile perſuaderet, atque perſuaderet. Hi ergo ſatellites, qui a Sacerdotibus, & Phariſæis miſſi fuerant, Dominorum ſuorum invidiæ non erant conſortes: eorumque ſimplicitatem, atque docilitatem dono fidei remuneratus eſt Deus. Agnoverunt, Jeſum eſſe natura ſupra humanam poſitum, dicentes, ſimplicem hominem loqui non poſſe, quemadmodum ille diſertiſſime loquebatur [9]: *non enim quiſquam ſic loquitur homo; ille autem ſic locutus eſt, quia Deus erat, & homo*, inquit S. Auguſtinus.

℣. 47. NUMQUID ET VOS SEDUCTI ESTIS?] Non ſecus ac populus? Meruitis in Sycophantæ illius partes concedere, vel ignaram, rudemque turbam ſequi, quam nobis habere fidem? ℣. 48. *Numquid ex Princi-* C *pibus aliquis credit in eum, aut ex Phariſæis*, Legis Doctoribus? *ſed turba hæc, quæ non novit legem*, ne ſibi ſermonum illius illecebris ſubſerviri paſſa eſt. Prava argumentatio: Legiſperiti in Jeſum Chriſtum non crediderant; ergo Meſſias non erat. Ut hoc pacto recte inferri poſſet, dicendum eſſet: Doctores in lege maturato, ſedulo, extra animi perturbationem, ablatiſque omnibus præjudiciis, vim rationem, miracula, ac doctrinam Jeſu Chriſti ad trutinam revocantes comprobare non potuerunt, quod & in vivendi ratione nequitiam, & in præceptis errorem, & in miraculis præſtigium deprehendiſſent. At quiſnam auderet ſimilem de Jeſu Chriſto proponere argumentationem, quin in ſe vellet mortalium hominum ſibilos, & cachinnos convertere?

℣. 49. TURBA HÆC, QUÆ NON NOVIT LEGEM, MALEDICTI SUNT.] Cur maledicti? quia neſciunt, & non exercent legem [10], juxta ea Moyſis verba [11]: *maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis hujus, nec eos opere perficit*. Doctores Judæi [12] innuere videntur, plebeculam Deo inſenſam eſſe, neque reſurrectione, vitaque æterna dignam, niſi Doctor aliquis illius curam gerat, eamque Domino commendet, ut temporalium officiorum, quæ ipſa illi præſtat, rationem habere dignetur.

℣. 50. DIXIT NICODEMUS.] Idem ille, qui noctu Jeſum convenit [13], dixitque illi: ℣. 51. *numquid lex noſtra judicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo?* Lex Moyſis non ait explicite, neminem indicta cauſa eſſe damnandum: verum ubique hoc juris naturalis eſſe E ſupponit. Nicodemus nihil minus expetere poterat ea in re, quæ tanti erat momenti, ubi diſceptabatur, utrum Jeſus Chriſtus ejiciendus eſſet, an pro Meſſia recipiendus.

℣. 52. NUMQUID ET TU GALILÆUS ES?] Et eſſe ex Jeſu Galilæi? Quomodo audes cauſam tueri hominis, qui ſe Deo æqualem facere audet, Filium illius appellare, ſe Chriſtum eſſe gloriari, licet Galilæus ſit: ideoque a tribu Juda, & a familia David alienus? Quæſi vit

1 Greg. lib. 18. in Iob. c. 22. & homil. 10. in Ezech. Rupert. & Ammon. hic, &c.
2 Auguſt. Beda, hic. 3 Ammon hic, & Baſil. in Pſalm. 45.
4 Origen. homil. 50. in Num. Chryſoſt. Leont. Euthym. hic. Mald. Brug. Vat. Ligfoot. Grot. alii.
5 Gr. Οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι, &c Quædam adduut, δεδομένον. Plures omittunt ἅγιον. Ita Arm. Copht. Syr. Origen. Cyrill. &c.
6 Origen. in Matt. tom. 12. & in Ioan. Greg. homil. 26. in Evang. & Aug. hic, tract. 32.
7 Chryſoſtom. homil. 50. in Ioann. 8 Οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ Προφήτης.
9 Aug. Beda. 10 Rupert. Brug. Grot. Mald. 11 Deut. 27. 26.
12 Vide Druſ. Grot. hic. Pococ. not. in Maimon. portam Moſ. 13 Ioan. 3. 1. 2.

ſi vir natus in in Bethlehem, & de Tribu Juda, atque familia David egreſſus, in Galilęa permanere non poſſet.

A Galilæa propheta non surgit.] Græcus [1] *a Galilæa Propheta ille* antonomaſtice *non ſurgit*. Non Meſſias, neque alius quipiam Propheta ibi gentium naſci poteſt. Quorſum autem? quia inde nondum Propheta aliquis extiterat. Fallax, atque inſolens concluſio. Fallax quidem; liquet enim, Nahum Galilæum fuiſſe ex nativitate, licet ex Tribu Simeonis originem duxiſſet. Jonas erat e *Getopher* in Tribu Zabulon [2]; neque deſunt, qui Malachiam ex Tribu eadem, & orbe *Sapha* fuiſſe arbitrentur. Inſolens autem concluſio, quia minime neceſſario infertur, nullum prophetam ex ea urbe proditurum, ex qua nullus adhuc prodierit [3]. Et licet fateremur ea omnia, quæ Phariſæi volunt: non inde tamen conſequeretur, Jeſum Meſſiam non eſſe: liquido enim patet, ipſum neque ex nativitate, neque ex origine fuiſſe Galilæum.

℣. 53. Reverſi sunt.] Hic verſiculus in pluribus exemplaribus deeſt, non ſecus ac primi duodecim ſubſequentis capitis verſiculi.

1 Ὅτι ὁ Προφήτης ἐκ τῆς Γαλιλαίας οὐκ ἐγήγερται.
2 4. Reg. 14. 25. Joſue 19. 13.
3 Grot. Brug. Mald.

CAPUT VIII.

Mulier adultera ante JESUM CHRISTUM ſtatuitur. Phariſæorum pertinacia. Judæi Dæmonis filii JESU CHRISTO necem inferre volunt. Abraham deſideravit videre illius adventum in terras; vidit, & gaviſus eſt. JESUS CHRISTUS erat ante Abraham. Judæi eum lapidibus volunt obruere.

1. Jeſus autem perrexit in Montem Oliveti: 2 Et diluculo iterum venit in
templum, & omnis populus venit ad eum, & ſedens docebat eos. 3
Adducunt autem Scribæ, & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam:
& ſtatuerunt eam in medio, 4 Et dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier modo de-
prehenſa eſt in adulterio. 5 In lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi la-
pidare. Tu ergo quid dicis? 6 Hoc autem dicebant tentantes eum, ut poſſent
accuſare eum. Jeſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra. 7
Cum ergo perſeverarent interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis: Qui ſine pec-
cato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat. 8 Et iterum ſe inclinans, ſcri-
bebat in terra. 9 Audientes autem hæc, unus poſt unum exibant, incipientes a
ſenioribus: & remanſit ſolus Jeſus, & mulier in medio ſtans. 10 Erigens autem
ſe Jeſus dixit ei: Mulier, ubi ſunt, qui te accuſabant? nemo te condemnavit?
11 Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Jeſus: Nec ego te condemnabo:
Vade, & jam amplius noli peccare. 12 Iterum ergo locutus eſt eis Jeſus, di-
cens: Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed ha-
bebit lumen vitæ. 13 Dixerunt ergo ei Phariſæi: Tu de te ipſo teſtimonium
perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum. 14 Reſpondit Jeſus, & dixit eis:
Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum: quia
ſcio, unde veni, & quo vado: vos autem neſcitis, unde venio, aut quo vado.
15 Vos ſecundum carnem judicatis: ego non judico quemquam: 16 Et ſi judi-
co ego, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum: ſed ego, & qui miſit
me, Pater. 17 Et in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimo-
nium verum eſt. 18 Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de meipſo: & teſtimo-
nium perhibet de me, qui miſit me, Pater. 19 Dicebant ergo ei: Ubi eſt Pa-
ter tuus? Reſpondit Jeſus. Neque me ſcitis, neque Patrem meum: ſi me ſcire-
tis, forſitan & Patrem meum ſciretis. 20 Hæc verba locutus eſt Jeſus in gazo-
phylacio, docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat ho-
ra ejus. 21 Dixit ergo iterum eis Jeſus: quæretis me, & in peccato veſtro
moriemini. Quo ego vado, vos non poteſtis venire. 22 Dicebant ergo Judæi:
Numquid interficiet ſemetipſum, quia dixit: Quo ego vado, vos non poteſtis ve-
nire? 23 Et dicebat eis: Vos de deorſum eſtis; ego de ſupernis ſum. Vos de
mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo. 24 Dixi ergo vobis, quia mo-
riemini in peccatis veſtris: ſi enim non credideritis, quia ego ſum, moriemini
in peccato veſtro. 25 Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jeſus: Princi-
pium, qui & loquor vobis. 26 Multa habeo de vobis loqui, & judicare: ſed

qui

qui me miſit, verax eſt : & ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. 27
Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum. 28 Dixit ergo eis Jeſus :
Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum, & a meipſo
ſacio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor : 29 Et qui me miſit, me-
cum eſt, & non reliquit me ſolum : quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſem-
per. 30 Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. 31 Dicebat ergo Jeſus
ad eos, qui crediderunt ei, Judæos : Si vos manſeritis in ſermone meo, vere
diſcipuli mei eritis. 32 Et cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. 33
Reſponderunt ei : Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus umquam : quomo-
do tu dicis : Liberi eritis ? 34 Reſpondit eis Jeſus : Amen, amen dico vobis :
quia omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. 35 Servus autem non ma-
net in æternum : filius autem manet in æternum. 36 Si ergo vos filius liberave-
rit, vere liberi eritis. 37 Scio, quia filii Abrahæ eſtis : ſed quæritis me inter-
ficere, quia ſermo meus non capit in vobis. 38 Ego, quod vidi apud Patrem
meum, loquor : & vos, quæ vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis. 39 Reſpon-
derunt, & dixerunt ei : Pater noſter Abraham eſt. Dicit ei Jeſus : Si filii Abra-
hæ eſtis, opera Abrahæ facite. 40 Nunc autem quæritis me interficere, homi-
nem, qui veritatem vobis locutus ſum, quam audivi a Deo ; hoc Abraham non
fecit. 41 Vos facitis opera patris veſtri. Dixerunt itaque ei : Nos ex fornica-
tione non ſumus nati, unum patrem habemus Deum. 42 Dixit ergo eis Jeſus :
Si Deus pater veſter eſſet : diligeretis utique me, ego enim ex Deo proceſſi, &
veni : neque enim a me ipſo veni, ſed ille me miſit. 43 Quare loquelam meam
non cognoſcitis ? Quia non poteſtis audire ſermonem meum. 44 Vos ex patre
diabolo eſtis ; & deſideria patris veſtri vultis facere : ille homicida erat ab ini-
tio, & in veritate non ſtetit : quia non eſt veritas in eo : cum loquitur menda-
cium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus. 45 Ego autem ſi
veritatem dico, non creditis mihi. 46 Quis ex vobis arguet me de peccato ? Si
veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ? 47 Qui ex Deo eſt, verba Dei
audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. 48 Reſponderunt er-
go Judæi, & dixerunt ei : Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, &
dæmonium habes ? 49 Reſpondit Jeſus : Ego dæmonium non habeo : ſed honori-
fico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. 50 Ego autem non quæro gloriam
meam : eſt qui quærat, & judicet. 51 Amen, amen dico vobis : ſi quis ſermo-
nem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum. 52 Dixerunt ergo Judæi :
Nunc cognovimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ,
& tu dicis : Si quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum.
53 Numquid tu major es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt ? & Prophetæ
mortui ſunt. Quem te ipſum facis ? 54 Reſpondit Jeſus : Si ego glorifico meipſum,
gloria mea nihil eſt : eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia
Deus veſter eſt, 55 Et non cognoviſtis eum, ego autem novi eum : Et ſi dixero
quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem ejus
ſervo. 56 Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum : vidit, & ga-
viſus eſt. 57 Dixerunt ergo Judæi ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, &
Abraham vidiſti ? 58 Dixit eis Jeſus : Amen, amen dico vobis, antequam Abra-
ham fieret, ego ſum. 59 Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum : Jeſus autem
abſcondit ſe, & exivit de templo.

℣. 1. JESUS AUTEM PERREXIT IN MONTEM OLIVETI.] Poſtrema die feſtivitatis Tabernaculorum [1], ubi Salvator diutius in Templo locutus fuiſſet, ſub veſperam extra urbem in montem Olivarum conceſſit, ubi eum Apoſtolis ſuis noctem traducere conſueverat ; fortaſſe, ne periculum eſſet, ut a Phariſæis ſibi infenſiſſimis inimicis comprehenderetur. Verſiculus hic, & undecim, qui ſubſequuntur, in pluribus Græcis, Latiniſque exemplaribus S. Hieronymi ævo non legebatur [2] ; imo neque A plerique Veteres Græci Patres eoſdem legerunt : & ex omnibus Interpretibus, qui in Catena Græca afferuntur, tres, & viginti numero, nemo illos explicuit, neque de iiſdem vel Origenes, vel S. Chryſoſtomus, vel Nonnus, vel alii, verba fecerunt. Aſſerit Maldonatus, in omnibus Græcis exemplaribus, quæ ipſe conſuluit, nullum ſe inveniſſe, quod hanc legerit hiſtoriam præter unam, quod Leontii Commentarios amplectebatur : & ipſe etiam Leontius in Commentariis ſuis de illis ne verbum quidem facit, & Græcus tex-

1 Joan. 7. 37. 2 Hieron. lib. 2. contra Pelag. c. 6. *In Evangelio ſecundum Ioannem in multis, Græcis, & Latinis codicibus non invenitur de adultera muliere, &c.*

tus illi additus obelis, vel aſteriſcis ſignatus eſt; ut narratio hæc minime authentica eſſe indigitetur. Dominus Millius plures alios reſulit MSS. Codices, ubi illi deſiderantur, eoſque Armeni ex Bibliis ſuis prorſus expunxerunt, & Syrus in Polyglottis Pariſienſibus, & Londinenſibus non legit, non ſecus ac vetus Gothica Ulphilæ Verſio.

In quibuſdam etiam veteribus Græcis MSS. leguntur; verum non hoc in loco; ſed apud quoſdam in fine capitis 21. S. Lucæ [1]; apud alios in fine Evangelii S. Johannis [2] afferuntur: in compluribus vero exemplaribus a textu peculiaribus notis diſtinguuntur, in aliis vero in ora ſcribuntur, vel minoribus characteribus exprimuntur [3]. Euthymius, qui vivebat adhuc ſub initium ſæculi duodecimi, hos ℣. ℣. explicat in Commentariis ſuis: verum teſtatur, illos in melioribus MSS. deeſſe, vel obelo notatos eſſe, quod ſidem adſtruit, ait ille, eos huc obrepſiſſe, & adjectos fuiſſe. S. Johannes Chryſoſtomus in ſexageſima in S. Johannem homilia in Latino quidem loquitur de muliere adultera, ſed in Græco ne meminit quidem; ac refert ſolum ea, quę Phariſęi e Salvatore quęſierant: utrum liceat viro quacumque ex cauſa uxori ſuæ dare libellum repudii. Vide S. Matthęum 19. 3.

Narrat Euſebius hiſt. Eccl. c. 39. Papiam S. Johannis Evangeliſtę diſcipulum ex ore Apoſtolorum pluſima collegiſſe verba, plurimoſque ſermones, qui in S. Evangeliis non inveniebantur: inter cæteros *hiſtoriam hujus mulieris, quæ coram Jeſu pluribus ſceleribus accuſata fuit. Hæc hiſtoria*, addit Euſebius, *in Evangelium etiam ſecundum Hebræos invenitur*. Narratio hæc quoſdam ſcitos Scriptores in dubium vocavit, utrum hiſtoria, quam legimus, a S. Johanne fuerit conſcripta, vel potius a Papia proficiſcatur, qui exigui erat ingenii vir [4]; an ex Evangelio ſecundum Hebręos, quod, uti liquet, complura certa parum, & apocrypha complectebatur. Lectionum varietas, quę in duodecim primis capitis hujus ℣. ℣. occurrit longe frequentior, quam in aliis locis textus Evangelici, illos non ſatis authenticos eſſe confirmat [5]. Adde his Eccleſiarum Græcarum, atque Orientalium conſenſum, illos pleriſque in MSS. ſuis non legentium [6]. Hæc ferme ſunt validiſſima argumenta ad hiſtorię hujus authoritatem infirmandam.

Verum his omnibus reſpondere poſſumus exemplaria, exemplaribus opponentes; Græca Græcis, Latina, & Orientalia Latinis, & Orientalibus. Ex ſeptendecim MSS. quos Theodorus Beza habebat, unum dumtaxat hiſtoriam hanc minime legebat: atque in manibus illius verſabatur Cantabrigienſis ille celebris, vetuſque MSS. ubi olim legebatur. Omnia exemplaria, quibus Robertus Stephanus uſus eſt, quæ numero ſexdecim ſunt; omnia Typis edita, & manu exarata complura; pleraque eorum, quæ in D. Millii manibus verſata ſunt, hanc ſimiliter legunt, neque unum quidem latinum profertur exemplar ubi deſideretur. Quoad vero Syriacos, Arabicos, Cophtoſque libros plures ii ſunt, qui hanc legunt hiſtoriam, quam ubi non extet.

Græci Patres, qui Commentariis ſuis S. Johannem illuſtrarunt, hanc fortaſſe hiſtoriam prætermiſerunt; vel propter illius perſpicuitatem, quæ explicatione non indigebat, vel quod in exemplaribus ſuis non legebatur. Tatianus, qui ſub annum 160. JESU CHRISTI vivebat, & ſexageſimum circiter poſt S. Johannem; atque Ammonius, qui ſub JESU CHRISTI annum a30 poſt Evangeliſtæ mortem circiter 120. degebat; hiſtoriam hanc Canonicam habendam eſſe cenſuerunt, eamque in Harmonia Evangelica, quam ipſi concinnarunt, inſeruerunt, atque inde Euſebius eam mutuatus eſt, ut in tabulas, canoneſve ſuos transferret. S. Hieronymus l. 2. contra Pelag. palam eam genuinam eſſe profitetur; quandoquidem eadem utitur contra Pelagianos. S. Auguſtinus non ſemel in operibus ſuis [7] eamdem profert: & Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum [8], qui vetuſtiſſimus eſt, eamdem citat hiſtoriam. Synopſis, quæ S. Athanaſio tribuitur, non ſecus ac S. Ambroſius [9], aliique Latini Patres, quibus ſe ſe obtulit occaſio de eadem verba faciendi, de ipſa loquuntur. Denique Tridentinum Concilium [10] declarans Canonicum eſſe, quidquid in Exemplaribus Vulgatæ invenitur, & hunc locum non ſecus ac reliqua in Canone cenſuit admittendum: & pleriqve etiam eruditiſſimi Critici, licet Proteſtantes [11], eam authenticam eſſe fatentur.

At undenam profectum eſt, ut tot veteres MSS. Græci vero præſertim, hanc hiſtoriam minime adferrent? Credit S. Auguſtinus [12], Chriſtianos quoſdam, quibus non ſatis conſpicuum erat ingenium, vel etiam mens erat prava, illam de exemplaribus ſuis expunxiſſe, quoniam videbatur mulieribus impunitatis ſpe peccandi anſam præbere. Crediderunt alii eam ex Evangelio ſecundum Hebræos in S. Johannis Evangelium migraſſe, vel etiam a Papia primum in ora exemplaris ſui S. Johannis fuiſſe appoſitam, unde mox in textum obrepſit. Quibus conjecturis locum præbuit Euſebius iis verbis, quæ ſuperius attulimus: ſed utrum eo in loco Euſebius locutus fuerit de muliere adultera ambigitur. At ſimpliciter, Papiam narraſſe *hiſtoriam mulieris ejuſdem, quæ plurimorum ſcelerum nomine coram Domino fuerat accuſata; quæ in Evangelio etiam ſecundum Hebræos legebatur*. Non loquitur ille de muliere, quæ ſimpliciter adulterii accuſata fuerit. Cæterum vero nullum ſuppetit nobis argumentum, hiſtoriam hanc in Evangelio ſecundum Hebræos fuiſſe conſcriptam.

Grotius, qui non credit illam primitus in S. Johannis exemplari fuiſſe, cenſet, Apoſtolis ſatis fuiſſe eam vivæ vocis oraculo inter Diſcipulos ſuos publicare, & noluiſſe in Scriptis ſuis ejuſdem meminiſſe, ne accuſarentur, quaſi vellent Judiciorum, Legumque auctoritatem imminuere, quæ publica flagitia ſeveriſſimis ſuppliciis conſtringenda eſſe præcipiunt. Millius [13] contra tenet, cum Auctorem Evangelii ſecundum Hebræos hanc eamdem hiſtoriam narraſſet ex illorum fide, qui illam ab Apoſtolis didicerant, cumque ad eam ornandam, ut aſſolet, varias addidiſſet circumſtantias; S. Johannem, qui hoc ſecundum Hebręos Evangelium minime noverat, ſed qui perfecte noverat hanc hiſtoriam, quippe qui teſtis fuerat ejuſdem, hanc juxta exactæ veritatis normam in proprio Evangelio narraſſe. Mox vero cum ſemidocti quidam credidiſſent narrationem hanc in S. Johannem obrepſiſſe, atque ex Hebræorum Evangelio fuiſſe depromptam, illam tamquam opus ambiguum obelo notaſſe, & alios quoſdam audaciores ipſam penitus expunxiſſe, ac ita ſenſim ex pleriſque Græcis exemplaribus evaneſſe. Cumque inciperent homines illam habere, tamquam opus apocryphum, omnea pro libidine quædam ibi immutarent, eamque minori cum obſervantia, atque diligentia, quam reliquum Evange-

[1] Ita Cod. Leiceſtr. apud Mill. & Pariſ. 6. apud Kuſter. [2] Codd. Reg. 1879. & 1883.
[3] Euthym. hic. [4] Euſeb. lib. 3. cap. ult.
[5] Vide Sixt. Sen. lib. 6. Grot. Bez. Hammond. Joan. Cleric. Cajetan.
[6] Vide Selden. Uxor. Hebr. lib. 3. cap. 31. [7] Auguſt. hic, Tract. 33. & lib. 2. de adult. conjug. c. 6. & 7. & lib. de vera, & falſa pœnit. cap. 13. et Ep. olim 54. nunc 153. et lib. de conſenſ. Evang. cap. 10. & alibi.
[8] Conſtit. Apoſtol. lib. 2. c. 24. [9] Ambroſ. lib. 3. de Spir. S. cap. 2. & lib. 7. Ep. 58. et lib. 9. Ep. 76.
[10] Concil. Tridnt. ſeſſ. 4. de Script. Canon. [11] Calvin. Gomar. Selden. Uxor. Hebr. lib. 3. cap. 11. Mill. aut. in hunc loc. alii. [12] Auguſt. lib. 2. de conjug. adult. cap. 7. *Ut nonnulli modicæ fidei, vel potius inimici veræ fidei, credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus ſuis, illud quod de adulteræ indulgentia Dominus fecit, auferrent de codicibus ſuis: quaſi permiſſionem peccandi tribuerit, qui dixit: jam deinceps noli peccare.* [13] Mill. Prolog. 25. 452. 453. et 892.

vangelium coluerunt; unde profectus eſt ingens ille numerus variarum lectionum, quæ hoc in loco deprehenditur.

℣. 3. ADDUCUNT EI MULIEREM IN ADULTERIO DEPREHENSAM.] Nonnulli [1] aſſeruerunt, mulierem hanc Suſannam fuiſſe vocatam, eamque uxorem fuiſſe copularia cujuſdam ſenis, cui nomen Manaſſe; ipſam vero deinde in Hiſpania diem ſuum ſanctiſſime obiiſſe, quo S. Jacobum fuerat ſubſecuta. Fabulæ.

℣. 5. IN LEGE MOYSES MANDAVIT NOBIS HUJUSMODI LAPIDARE.] Verum non eſt, Moyſem quodvis adulterii genus lapidibus damnaſſe. Generatim quidem adulterium cum in viro, tum in muliere morte puniebatur [2]; at quo mortis genere [3] uterque jugulabantur, inquiunt Rabbini [3]. Hoc vulgatum eſt mortis genus, cum ſupplicii ſpecies minime adfertur. Si eſſet deſponſata, & non nupta mulier, quæ ſponte honoris ſui jacturam eſſet paſſa, lapidibus obruebatur [4]; ſi Sacerdotis erat filia, vivens adhuc comburebatur [5]; quæ tamen non ita accurata ſemper obſervabantur. Ezechiel 16. 38. ævo ſuo adulteras nonnumquam lapidibus obrui conſueviſſe innuit; & ſenes duos illos, qui Suſannæ vim inferre conati fuerant, lapidibus cæſos fuiſſe, opinio eſt [6]; talionis pœna quippe affecti fuerunt. Conſentiunt Rabbini quibuſdam in caſibus, adulteras lapidibus peti conſueviſſe [7].

Seldenus Uxor. Hebr. l. 3. c. 11. & Fagius ad Deut. 22. 23. credunt, mulierem, de qua hic ſermo, ex earum numero fuiſſe, quæ in Deuteronomio 22. 22. his verbis deſignantur: *Si puellam virginem deſponderit vir, & invenerit eam aliquis in Civitate, & concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam Civitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamavit, cum eſſet in Civitate; vir, quia humiliavit uxorem proximi ſui.* Lapidum pœna in Lege expreſſa, qua utuntur hujus mulieris accuſatores, ſatis hanc ſententiam ſuffragatur, & indulgentia Salvatoris erga illam, facis innuit, eam invitam quodammodo ſtuprum paſſam fuiſſe, quamvis omnino innocens non eſſet; quoniam ait illi, *vade, & jam amplius noli peccare.*

℣. 6. UT POSSENT ACCUSARE EUM.] Quæritur, qua de cauſa Judæi ad JESUM CHRISTUM adduxerint mulierem hanc in adulterio deprehenſam? Reſpondent [8] Hebræos, cum tunc temporis jus vitæ necisque amiſiſſent, conſilium iniiſſe Jeſum Chriſtum in invidiam apud Pilatum, & Romanos abripiendi, ſi mulierem hanc lapidibus obruendam dixiſſet (adulteræ enim morte Romanis legibus minime damnabantur,) vel illi populi odium conflandi, ſi contrarium dixiſſet; vel Phariſæis, aliiſque ſapientibus, qui traditionibus hærebant, infenſum reddendi, ſi tantum illam lapidibus eſſe impetendam cenſuiſſet; traditio enim jubebat, mulierem antea admoneri, ut in illam juxta Legum ſeveritatem deinceps actio daretur. Patres [9] credunt, illos Jeſu alias ſtruere inſidias voluiſſe: explorare cupiebant, utrum aliquid contra Moyſis legem proferret; at inde occaſionem acciperent in ipſum lapidibus ſæviendi, tamquam in rebellionem aliquem, Legiſque everſorem, Deut. 13. 1.... 9.

DIGITO SCRIBEBAT IN TERRA.] Quaſi eorum criminationibus aures non præberet, atque ad alia animum adverteret [10]. Græci quidam [11] MSS. addunt: *digito ſcribebat in terra, ſimulans*, vel [12] *diſſimulans*: ſimulans, ſe non audire ea, quæ dicebantur, ait Grotius. Credunt alii [13], ipſum ſimulaſſe quaſdam lineas ſimpliciter ducere ad terendum videlicet tempus. S. Ambroſius l. 7. ep. 58. credere videtur, illum aliquam ſententiam ſcripſiſſe, quæ accuſatores ipſius pudore ſuffunderet, quaſi illa ex Jeremia 22. 29. deprompta, *terra terra: ſcribe virum iſtum ſterilem &c.* Vel illa [14], apud S. Matthæum 7. 3. *quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* S. Hieronymus [15] putat, in pulvere ſcripſiſſe omnia eorum, atque aliis omnium mortalium peccata. Beda, & S. Thomas in hunc locum credunt, ſcripſiſſe illud ipſum, quod ore protulit, ubi ſurrexit; *qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Grotius non dubitat, quominus ipſe aliquid ſcripſerit, & memorabilem aliquam ſententiam delineaverit: at quænam illa fuerit, dicere non audet. Ego vero in Scripturis nullam video, quæ præſenti circumſtantiæ melius conveniat, quam hæc ex Pſalmis 49. 16. ſumpta: *peccatori dixit Deus: quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu vero odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum. Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem meam ponebas.*

℣. 7. QUI SINE PECCATO EST VESTRUM, PRIMUS IN ILLAM LAPIDEM MITTAT.] Docent Hebræi, cum vir aliquis, aut mulier juridice adulterii convicti erant, in tumulum quemdam elatum ad duplicem hominis altitudinem adduci conſueviſſe, atque inde manibus poſt terga revinctos, atque ſeminudos a teſtibus gravi impetu propulſos, & in præceps datos fuiſſe. Si ex lapſu moriebantur, ultra in illos non ſæviebatur; ſin autem, teſtes iidem in ipſos immanem devolvebant lapidem, quo penitus necarentur. Quod ſi nondum ſufficeret, qui aderant, arreptis lapidibus, illos obruebant. Hoc erat lapidationis ſupplicium ex Rabbinorum doctrina; ſed Moyſes nihil ſimile ait, ubicumque de hoc verba facit ſupplicio [16]; atque quandocumque narratur hæc pœna in aliquem expleta [17], videmus, ſontes extra orbem adduci, ac teſtes incipere primum in illos lapidem conjicere, deinde vero omnes, qui adſunt, certatim in illos lapidum ictibus irruere.

Cum vero damnatio minime erat juridica, cumque populus, quin judicii formulas ſequeretur, noxium *judicio zeli*, ita enim illud vocabant, ad cædem rapiebant; non ſemper ſupplicio afficiendus extra Civitatem deducebatur, ſed ubi aderat, lapidibus obruebatur. Ita Amanus Jeroſolymæ lapidibus petitus fuit [18]; Zacharias inter Templum, & Altare [19]; & Judæi ipſi lapides arripuerunt, ut in Templo eumdem JESUM CHRISTUM opprimerent [20]. Fidei conſonum videtur, eos, qui ad JESUM CHRISTUM mulierem hanc in adulterio deprehenſam adduxerunt, noluiſſe in illam omnes juſtitiæ formulas obſervare; neque eamdem ad Pilatum adducere, a quo juxta Romanorum leges, extremo ſupplicio minime fuiſſet affecta. Eam ſtatim occidiſſent ex privilegio *Judicii zeli*, quo diſpenſabantur, ne ad Judices confugerent, quo ipſo cum S. Stephano uſi ſunt. Sed cupiditas JESU CHRISTO dolus nectendi in cauſa fuit, ut aliquamdiſper differrent voluntatem ſuam in hanc mulierem, quam Sapientia, & clementia Salvatoris, & a morte liberarunt, & ex peccati tenebris eduxerunt.

JESUS CHRISTUS, ut eorum furorem in illam ſedaret, pravamque ipſorum in ſeipſum voluntatem deleniret, dixit illis: *qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Quandoquidem præcepit Moyſes, ut lapidibus adulteros obruatis, non obſto; at cavete, ne vos ipſos damnetis, proximum veſtrum damnan-

1 Vide Julian. Presb. 3. Anaal. Hiſpan. Heb. apud Nieremberg. de orig. ſacr. Scrip. lib. 2. cap. 1.
2 Levit. 20. 16. Deut. 22. 22. 3 Miſna tit. Sanhedrin cap. 10.
4 Deut. 22. 23. 5 Levit. 21. 9. 6 Dan. 13. 62.
7 Vide Kimchium Grot. hic. 8 Vide Grot. Brug Ligfoot. Piſc. alii.
9 Auguſt. hic, Beda, Rupert. Euthym. Ambroſ. lib. 7. Ep. 58. et lib. 9. Ep. 76. nunc Ep. 25. 26.
10 Euthym. Beda, Maldonat. Brug. Beza, Piſc. 11 Ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν προσποιούμενος. Ita MSſ. quatuor.
12 Ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν μὴ προσποιούμενος. Ita Codd. MSſ. fere 20. apud Mill. hic in Euthym.
13 Maldonat. Brug. Zeget. 14 Ambroſ. lib. 9. Epiſt. 76.
15 Hieronym. lib. 2. contra Pelag. Ita fere Haimo, et Raban. et Mſ. Gr. N. T a Vangeſyl. laudatos, Comment. ad Sorum. p. 33. Τῷ δευτέρῳ ἔγραψεν ἑκάστου αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας.
16 Deut. 13. 10. 17. 7. 21. 21. 22. 21. 24. &c. 17 Num. 15. 35. Deut. 22. 24. Joſue 7. 25. Act. 7. 57.
18 Joſeph. de Bello lib. 4. cap. 8. p. 882. in Lat. 19 Matth. 23. 35. et 2. Par. 24. 21.
20 Joan. 8. 59.

minantes [1]. Setio in vos ipſos cogitationes veſtras convertite, atque perpendite, utrum velletis in vos expleri actionem illam, quam in alium perſequimini. Non ait Salvator, opus eſſe, ut teſtes omnino culpa vacent, alioquin adimpleri minime poſſet lex, qua teſtes primi in noxios manum inferre jubentur. Sed vult ſaltem, illos ejuſdem criminis labe imbutos non eſſe [2]. Qua fronte illud ſcelus perſequemini, quo vos ipſi eſtis inquinati? *Non mediocre conſtat, ſed ne objurgator ferendus eſt is*, ait Cicero in Ver. Orat. 5. *qui quod in alio reprehendit, in eo ipſo reprehenditur*.

℣. 8. ITERUM SCRIBEBAT.] Velut antea, ſive ut oſtenderet, ſe hoc negotio immiſceri nolle, ſive ut eorum iniquitatem exprobraret, moralem quamdam in pulverem ſententiam deſcribens; vel denique ſcribens eorum peccata in pulvere; quemadmodum quidam MSS. [4] legunt, atque S. Hieronymus crediſſe videtur [5]: *ſcribebat in terra, eorum videlicet, qui accuſabant, & omnium peccata mortalium*.

℣. 9. AUDIENTES AUTEM, UNUS POST UNUM EXIBANT.] Græcus in editis addit [6]: *receſſerunt ſtimulis conſcientiæ ſuæ commoti*; ſed hæc verba in compluribus Exemplaribus non leguntur. Credi poteſt, illos veritos fuiſſe, ne Jeſus ipſorum turpitudinem retegeret, atque oſtenderet, illos hac muliere, quam accuſabant, eſſe nocentiores. Non ſemel enim experti fuerant, ipſi cogitationum ſecreta, & cordis ſenſus compertos eſſe, atque exploratos.

REMANSIT SOLUS JESUS, & MULIER IN MEDIO STANS.] Vel Diſcipulorum, vel Plateæ, vel Populi, qui convenerat: cum enim dicitur Jesus remanſiſſe ſolus, hoc intelligendum non eſt de abſoluta, & omnimoda ſolitudine, ſed de Phariſæis illis, qui venerant, ut illi ſtruerent inſidias, & hanc mulierem accuſarent [7].

℣. 11. NEC EGO TE CONDEMNABO.] Non excuſat JESUS CHRISTUS hujus mulieris ſcelus; illud immo exprobrat, eique præcipit, ne iterum peccet [8]: ſed quemadmodum non venerat, ut judicaret, atque juridice ſententiam de alienis ſceleribus proferret, & hujuſmodi rerum cognitio muneris ſui non erat [9]; illam remittit, & ait, ſe nolle illam condemnare. Fieri etiam poteſt, quemadmodum ſuperius adnotavimus, ut circumſtantiæ peccati gravitatem, atque magnitudinem ejus imminuerint. Jeſus, qui illas noverat, atque ſcrutabatur cor hujus peccatricis, illarum rationem habendam cenſuit in his, quæ in ipſas, & in accuſatores illius eſt operatus.

℣. 12. ITERUM LOCUTUS EST EI JESUS.] Dum turbas edocere incœpiſſet, interpellatus fuit a Phariſæis, qui ad eum adulteram mulierem adduxerunt, Vide ſupra verſ. 1. 2. Poſtquam ergo illi pudore ſuffuſi receſſerunt, & mulierem dimiſit, rurſus populum alloqui incœpit.

EGO SUM LUX MUNDI.] Illuminans omnes homines [10]. Extra me omnia ſunt tenebræ, *qui ſequitur me, non ambulat in tenebris* ignorantiæ, & peccati; *ſed habebit lumen vitæ*, habebit ſcilicet fidem, quæ illi erit lampadis loco, ad pedes illius dirigendos, eumque a morte tuendum. Miſſio mea nequaquam coarctata eſt tantummodo ad Judæos; veni, ut lumen omnibus gentibus adferrem [11]. Meſſias lucis nomine in Iſaja 60. 1. deſignatur: *ſurge illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum*; & 49. 6. *ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum Terræ*; & 9. 2. *populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis*. Salvator ſæpe lumini comparatur.

℣. 13. TU DE TEIPSO TESTIMONIUM PERHIBES.] Reliqui adhuc erant in cœtu, Phariſæorum quidam, explorantes quidquid diceret JESUS CHRISTUS, cui obtrectare incipiunt ob teſtimonium, quod de ſeipſo perhibebat, dicens: *ego ſum lux mundi*. Si vis tibi fidem haberi, ea, quæ adſeris, proba. Tibi aſſerenti, fidem haberi non tenemur. Sapiens, & modeſtus homo numquam ſe ipſum laudibus exornabit; ſed ab aliis laudari expectabit. Turpis eſt ambitio ſe ipſum laudare; & nemo ſui ſatis umquam juſtus eſt æſtimator. Nobiſmet ſæpe blandimur; quoniam noſmet nimis amamus. Argumentum hoc haud ſpernendum videbatur. Quod addunt: *teſtimonium tuum non eſt verum*, quoniam tu tibimetipſi teſtimonium perhibes, preſſius ſumptum, verum non eſt. Homo ſe ipſum magis cognoſcere debet, quam ab alio cognoſci poſſit; & ſatis ſincerus eſſe poteſt, ut quidquid boni, vel mali in ipſo eſt, hoc proferat.

℣. 14. ET SI EGO TESTIMONIUM PERHIBEO DE MEIPSO.] Cur autem teſtimonium meum verum eſt? *quia ſcio, unde veni, & quo vado*. Si homo eſſem ignotus, qui vobis citra quamlibet rationem aſſererem, me eſſe lucem mundi; & eum, qui illam ſequitur in tenebris non ambulare; & a Deo miſſum eſſe ad omnes populos erudiendos, & caſtigandos, jure quidem me rejiceretis, & diceretis teſtimonium ab me de meipſo profectum, nullius eſſe ponderis. Sed *ſcio, unde veni, & quo vado*: poſſum miſſionem meam probare. Non veni tamquam Pſeudo-Propheta aliquis dicens: *audite, quæ dicit Dominus: licet Dominus locutus non fuerit* [12]. Ego veni a Patre meo, & ad Patrem redeo. Quidquid hactenus feci, mea vita probat. Si majora capere poſſetis, ſublimiora vobis dicerem; *ſed neſcitis unde venio, aut quo vado* [13]. Si vobis dixero, me eſſe Deum de Deo, Lumen de Lumine, Sapientiam, & Verbum Patris, qui, cum venerim in terras, ut mundum ſalvum facerem, rurſus in Cœlum redire debeo, ibi æternum regnaturus, quid hæc ſibi velint verba, nequaquam intelligetis. Hæc enim nimis ſupra captum veſtrum aſſurgunt.

℣. 15. VOS SECUNDUM CARNEM JUDICATIS.] Credere non poteſtis, me ſuperioris eſſe conditionis, quam videor. Fallax idea, quam concepiſtis de Meſſia, a quo eſtis liberandi, efficit, ut temporalis meæ nativitatis humilitas, atque vitæ meæ latebræ vobis ſcandali occaſionem præbeant [14]. Si dixero, me Deum eſſe, & Dei Filium, blaſphemias a me evomi putabitis; ſecundum carnem dumtaxat, ſecundum ſpeciem [15], atque præjudicia veſtra judicium fertis.

EGO NON JUDICO QUEMQUAM.] In me injuſtum, atque præceps judicium profertis: in meipſo nonniſi hominis figuram, immo & hominis ex humillima fæce ſecundum mundi exiſtimationem videtis; atque infertis, me illum non eſſe, quem vos liberaturum præſtolamini. Ego vero præceps, atque audax judicium veſtrum, temere judicans non imitor [16]: vos cauſa ſatis cognita, atque perſpecta condemno. Non exerceo in vos eam, quam poſſem, judicii ſeveritatem. Hoc indulgentiæ, & miſericordiæ tempus eſt; ſeveritatis vero tempus aderit aliquando [17].

℣. 16. ET SI JUDICO, JUDICIUM MEUM VERUM EST.] Si judicarem ſine cognitione, teſtimonio, auctoritate, charactere, judicium meum recuſare poſſetis:

1 Rom. 2. 1. *In quo enim alium judicas, teipſum condemnas*. 2 Deuter. 17. 7. *Manus teſtium prima interficiat eum*. 3 Maldonat. Grot. Brug. Le Clerc. Menoch. alii.
4 Ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας. Ita legunt Cod. Colleg. olim Emmanuelis. Uſſer. 2. Bodl. 7. Cod Evang. penes nobilem Hungar. teſte Vagenſeil. ad lib. Sota p. 75. apud Mill. hic.
5 Hieronym. lib. 2. cap. 6. contra Pelag. 6 Καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι. Vide Mill. hic.
7 Maldonat. Grot. Brug. alii. 8 Auguſt. hic. *Ergo, & Dominus damnavit, ſed peccatum, non hominem*. 9 Joan. 3. 17. *Non miſit Deus filium ſuum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*. Vide et Luc. 12. 14. *Quis me conſtituit judicem, aut diviſorem ſuper vos?*
10 Joan. 1. 4. 5. 9. 11 Ammon. Chryſoſt. Theodor. Mopſ. Leont. Theophylact.
12 Ezech. 22. 28. 13 Hæc verba non leguntur in pluribus antiquis MSſ.
14 Auguſt. Ammon. Theophylact. Leont. Euthym. 15 Vide ſup. Joan. 7. 24. et Grot. Brug. hic.
16 Auguſt. Beda, Rupert. Brug. 17 Vide Chryſoſt. Auguſtin. Leont. Theophyl. Euthym. Mald.

tis: ſed nihil deeſt, quod judicium meum authenticum A efficere poſſit; habeo Patris mei teſtimonium, cujus lumen falli non poteſt, nec æquitas corrumpi: Ipſo naturalis eſt omnium mortalium Judex; nemo ex illius poteſtate elabi poteſt. Igitur cum a Patre meo inſeparabilis ſim; judicium meum omnes habet eas qualitates, quæ, ut authenticum habeatur, requiruntur; attamen vos neque judico, neque damno; quia non veni ut mundum judicarem, ſed ut illum ſalvum facerem, Joan. 7. 24.

℣. 17. IN LEGE VESTRA SCRIPTUM EST, QUIA DUORUM HOMINUM TESTIMONIUM VERUM EST.] Vel eſt admittendum [1]. Si permittit Lex, ut quælibet cauſæ, ubi etiam de capite agatur, ex duorum hominum teſtimonio tranſigantur; licet quamplurimi teſtes ſæpius per nequitiam, vel errorem injuſtitiam defen- B derint [2]; quanto magis Pater, & Ego, qui unus tantum Deus ſumus, poſſumus teſtimonium perhibere adverſus vos, vos judicare, atque damnare, ſi itæ tempus veniſſet?

℣. 18. EGO SUM, QUI TESTIMONIUM PERHIBEO.] At non unus ſum, qui de meipſo teſtimonium perhibeam; ſed Pater etiam teſtimonio ſuo, quidquid dico, confirmat. Hæ duæ ſunt Perſonæ ſatis diſtinctæ, mihi velut homini [3] teſtimonium perhibentes.

℣. 19. UBI EST PATER TUUS?] Crediderunt nonnulli, Phariſæos hoc a JESU CHRISTO contumeliæ ergo quæſiviſſe, veluti innuentes ipſum natum ex adulterio [4]; ſed credibilius videtur, ipſos intellexiſſe, quid ille dicere vellet. Intellexerunt alibi, ipſum credi velle, ſe Dei Patris eſſe Filium, licet C id non ſatis aperte docuiſſet [5]: verum ex ore illius aliquid extorquere cupiebant, propter quod apud populum, tamquam blaſphemus traduci poſſet, atque inde occaſionem arriperent, illum lapidibus obruendi, vel ſaltem ab eo turbas removendi, quæ ſermonum illius ſuavitate, atque vi erant illectæ [6].

NEQUE ME SCITIS, NEQUE PATREM MEUM.] Si Patrem meum cognoſceretis, ſciretis, illum eſſe in Cœlo, inviſibilem, & nullo mortali oculo conſpiciendum: & ſi me cognoſceretis veluti Deum, & Dei Filium; id profecto ex me non quæreretis. Incipite ergo meipſum cognoſcere, antequam ex me quæratis, quinam ſit Pater meus [7]: *qui videt me, videt & Patrem meum* [8]: & *ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis*; quandoquidem unius dumtaxat ſumus eſſentiæ. D

℣. 20. GAZOPHYLACIO.] Ligfoot ait, in mulierum atrio decem, & tria fuiſſe gazophylacia ad oblationes excipiendas. In hoc atrium adducta fuerat mulier in adulterio deprehenſa: Gazophylacia autem erant prope portam. Vide, quæ diximus in Sanctum Matteum 12. 41. Aderat penes hoc atrium porticus, ubi JESUS CHRISTUS nonnumquam ſedebat, ut Populum edoceret.

℣. 21. DIXIT EIS ITERUM JESUS: EGO VADO, ET QUÆRETIS ME.] Hoc ipſum pridie illis dixerat [9]: *adhuc modicum tempus vobiſcum ſum: & vado ad eum, qui me miſit. Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire*. Iſthic vero præterea minitatur, ſe præterміſſurum, ut in peccatis moriantur: *in peccato veſtro moriemini*: in infidelitate, ac E pertinacia veſtra interibitis. Videri poſſunt dicta in S. Matthæum cap. 7. verſ. 33. 34.

℣. 23. VOS DE DEORSUM ESTIS.] Cum vobis dico, me illuc ire, quo ſequi minime poteſtis; hoc craſſa, ut ajunt, minerva intelligitis; perinde ac ſignificarem futurum, ut ex veſtra me perſequentium manu ereptus mihi mortem conſciſcam. ℣. 22. Hoc probat, vos omnino terreſtres eſſe, atque omnia carnali ratione intelligere. Ego vero de re prorſus alia loquor, atque aliter intelligo [10]. Tunc moriar, cum venerit hora mea, & ad Cœlum aſcendam, unde & deſcendi; tunc fruſtra quæretis me, ſeu me perſecuturi, ſeu clementiam meam obſecraturi: ſed ad me uique pervenire non poteritis, neque ullum mihi negotium faceſſere, & aures obſtruam precibus veſtris, quemadmodum voci, atque invitationi meæ veſtras obſtruxiſtis. Vobis terga vertam, quemadmodum vos mihi vertiſtis: *in peccato veſtro moriemini*.

℣. 25. TU QUIS ES? DIXIT EIS JESUS: PRINCIPIUM, QUI & LOQUOR VOBIS [11].] Phariſæi ira ſuccenſi ob eam licentiam, qua JESUS CHRISTUS loquebatur, & minas, quas illis intentabat, ex eo per indignationem quærunt: *tu quis es*, ut nobiſcum ita loquaris, & dicas, nos in peccato noſtro morituros? Reſpondet Jeſus, ſe eſſe, *Principium*, auctorem, Creatorem omnium rerum [12], *per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil* [13]: ſe illum eſſe, qui in Apocalypſi principium, & finis, *Alpha*, & *Omega*, primus, & noviſſimus appellatur [14].

Senſus hic ſcitus quidem eſt, atque imprimis orthodoxus, ſed Græci textus conſtructio [15] illum non patitur; nam Græcus eſt in accuſandi caſu, atque nonnulli meliores Interpretes hoc intelligunt, quaſi eſſet adverbium: quis es tu? *ego primum ſum id, quod vobis dico*, vel quod vobis dixi ab initio ſermonis mei [16]: ℣. 12. *Ego ſum Lux Mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*; vel denique id, quod ſemper dixi vobis, & quod non deſtiti dicere ab initio, me eſſe Dei filium, Verbum illius, & Meſſiam &c. [17]

Intelligi quoque ita poteſt: *tu quis es?* audire *primum, quid dicam vobis*; ne importune iſthic aliquid quæratis, ad vos ipſos dumtaxat transferte ea, quæ vobis dicturus ſum: ℣. 26. *multa habeo de vobis loqui, & judicare*. Ludovicus de Dieu: num hodie ad vos loqui incipio? ita ne ex me quæritis quinam ſim, quaſi me minime cognoſceretis? Hoc ſuperioribus ita connectere vellem: ℣. 24. *ſi non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro*. ℣. 25. *dicebant ergo ei; tu quis es*, ut hoc pacto nobiſcum loquaris? *dixit eis Jeſus; repeto id, quod ab initio locutus ſum*: moriemini in peccato veſtro. ℣. 26. *multa habeo de vobis loqui, & judicare; ſcio, minas meas a vobis contemni: ſed qui miſit me, verax eſt: & ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo*. Itaque ne exiſtimetis, me temere aliquid effutire: quæ dico, effectum ſuum nanciſcentur, & citius quam exiſtimetis.

℣. 26. MULTA HABEO DE VOBIS LOQUI, & JUDICARE.] Poſſem iſthic exaggerare iniquitates, flagitia, ſuperbiam, ambitionem, hypocryſim, falſas traditiones veſtras; dicere poſſem, quo jure portendo, vos in peccato veſtro morituros; ſcio enim, vos ob pertinaciam veſtram ſermonum meorum rationem non habituros: *ſed qui me miſit, verax eſt, & ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo*.

℣. 28. CUM EXALTAVERITIS FILIUM HOMINIS.]

1 Deut. 17. 6. *In ore duorum, aut trium teſtium peribit, qui interficietur*. Deut. 19. 15. *In ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum*. 2 Contra Naboth, 3. Reg. 21. 13. contra Suſannam, Dan. 13. 34. contra S. Stephanum, Act. 6. 11. contra Jeſum Chriſtum ipſum, Matth. 26. 60. 61.

3 Vide Maldonat. & P. P. hic. 4 Cyrill. in Caten. Græc. Leont. hic.

5 Joan. 5. 18. 6 Vide Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. Rupert. Maldonat.

7 Vide Auguſt. Bedam, Maldon. Brug. 8 Joan. 14. 9. 9 Joan. 7. 33. 34.

10 Chryſoſt. Leont. Ammon. Theodor. Mopſ. & alii Græci, Auguſt. Beda.

11 S. Auguſtinus legit: *Principium quia & loquor vobis*. S. Ambr. l. 1. Hexaem. c. 4. & de fide lib. lib. 3. cap. 7. *Principium quod & loquor vobis*. S. Greg. lib. 2. hom. 2. in Ezech. *Ego principium, propter quod & loquor vobis*.

12 Ambr. lib. 3. de fide c. 4. & l. 5. cap. 5. & lib. 1. Hexaem. cap. 2. & 4. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 13. lib. 11. confeſſ. cap. 8. et alibi. Fulgent. lib. 2. de fide. Bernard. lib. 5. de conſid. Rupert. hic. alibi.

13 Joan. 1. 3. 14 Apoc. 1. 17. 2. 8. 22. 13. 15 Τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν.

16 Syr. Maldonat. Gagn. Grot. Sa, alii. 17 Vide Nonn. Vat. Ham. Bez. Piſc.

Eumque Cruci affixeritis [1], tunc cognoſceris, quinam ſim. Miracula, quæ accident in morte mea, vobis probabunt, me vere eſſe Dei Filium [2]. Profecto narrat Evangelium, pleroſque eorum, qui teſtes fuerunt illorum, quæ tunc acciderunt [3], *peremeientes pectora ſua* reverſos fuiſſe Jeruſalem; & Centurionem audientem, quod Jeſus expirans clamaret, dixiſſe: *vere hic homo Filius Dei erat* [4]. Poſtquam vero delapſus eſt Spiritus Sanctus, plurima Judæorum millia prædicantibus Apoſtolis converſa ſunt [5]; denique numerus miraculorum a JESU CHRISTO patrandorum tantus fuit, ut qui magis erant obdurati, illum ſerio animadvertere minime potuerint, quin ipſum aliquid ultra ſimplicem hominem eſſe cunfiterentur.

Sed ut verſiculum hunc ſuperioribus connectamus, ſecundum explicationem a nobis traditam, ita eſt intelligendus: prædico, vos in pertinacia, atque peccato veſtro morituros; & certo ſcitote, me neque fruſtra, neque temere has vobis minas intentare. Illud enim tantummodo dico, quod didici a Patre meo: cumque me in Crucem extuleritis, & per hoc ſcelus iniquitatibus veſtris cumulum addideritis: *tunc cognoſcetis, quia ego ſum, & a me ipſo facio nihil; ſicut docuit me Pater, ego loquor*. Ira Patris mei terribili modo in vos detonabit; atque tunc intelligetis, non ita minas meas eſſe contemnendas, ſed earum veritatem atque certitudinem experti intelligetis.

℣. 29. QUI ME MISIT MECUM EST.] Intelligetis, me numquam a Patre meo derelinqui, & me eſſe cum illo ejuſdem eſſentiæ [6], & nihil a me vobis dictum, niſi quod ab illo didicerim. Loquitur de ſeipſo ſecundum humanam naturam [7]; nam quatenus Deus nihil diſcit a Patre.

QUIA EGO, QUÆ PLACITA SUNT EI, FACIO SEMPER.] Tunc intelligetis, me nihil facere, & nihil dicere, niſi quod placet Patri meo. Numquam ago ſine illo; numquam loquor, niſi per Spiritum illius. Semper loquitur veluti homo. Hoc præcedentibus etiam connecti poteſt in hoc ſenſu: Pater meus ſemper *mecum eſt, & non reliquit me ſolum; ideoque ego, quæ placita ſunt, ei facio ſemper*. Pro *quia* vertimus *ideoque*, quam vocis illius pluribus in locis ſignificationem eſſe, innoteſcit [8].

℣. 30. MULTI CREDIDERUNT IN EUM.] Hic ſermo, qui Phariſæis ſcandalum ingeſſit, eoſque confirmavit in ſuſcepto conſilio illum quomodocumque perdendi, omnino alium peperit effectum in corde aliorum Judæorum, qui illum vere Meſſiam, & Dei Filium eſſe crediderunt.

℣. 31. DICEBAT AD EOS, QUI CREDIDERUNT EI.] Orationem ſuam convertit ad eos, qui in ſe crediderant. Fortaſſe Phariſæi receſſerunt, atque apud illum ii tantum remanſerant, qui ſermonibus illius convicti fuerant. Videbimus ex decurſu, fidem eorum non ſatis ſtabilem fuiſſe, vel ſaltem in hoc credentium numero complures fuiſſe, qui nondum ſincere fuerant converſi. Vide verſ. 44. 48. 52. 59.

SI MANSERITIS IN SERMONE MEO.] Si in fide perſeveraveritis [9], atque ea, quæ præcipio, expleveritis; mei vere diſcipuli eritis. Non ſatis eſt, credere; ſed factis explenda ſunt, quæ præcipio. Neque ſatis eſt ad tempus credere; ad finem uſque in fide perſeverandum eſt. Ea, quæ ſequuntur, oſtendunt, complures ex eo cœtu hoc monito indiguiſſe.

℣. 32. COGNOSCETIS VERITATEM, ET VERITAS LIBERABIT VOS.] Perſtolamini Meſſiam, qui alienum a vobis jugum excutiat: jamdiu liberatorem hunc expoſtatis: venit tandem dies liberationis veſtræ; Credite, amplectimini veritatem; fides, & veritas vos in perfectam libertatem vindicabunt. Verumtamen ne vobiſmet fingatis animo libertatem mere temporalem, & quæ in eo conſiſtat, ut vos a Romanorum jugo, atque alienigenarum impotentia liberet. Libertas, quam vobis annuncio, eſt animæ ab omni peccati vinculo expeditæ libertas: nam ℣. 34. *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*: at quænam hæc eſt veritas, quæ vos eſt in libertatem vendicatura. Ego ipſe ſum [10]; verbum meum, fides veſtra, ſi iis, quæ dico vobis, credideritis.

℣. 33. SEMEN ABRAHÆ SUMUS.] Irridenda Judæorum jactantia! glorjantur, ſe nemini umquam ſerviiſſe, ſe numquam in captivitatem adductos fuiſſe, cum univerſa eorum hiſtoria ſit monumentis eorum ſervitutis in Ægypto, & Chaldæa, ſub Perſis; Macedonibus, atque Romanis [11] referta: *dum Aſſyrios penes, Medoſque, & Perſas oriens fuit* (Judæi) *deſpectiſſima pars ſervientium*. Verum alius quoque ſenſus ſermoni eorum tribui poteſt, ſi captivitatem, & ſervitutem in ſtatu permanenti, & veluti inſitam qualitatem intelligamus, quæ hominis conditionem immutat, & quæ indelebilis quodammodo character eſt, quo efficitur indignus honorum, prærogativarum, privilegiorum, quæ liberis dumtaxat hominibus conveniunt. Hoc in ſenſu aſſerere poterant Judæi, ſe numquam captivos fuiſſe. Eorum natio erat libera, ac Deum unum tamquam Dominum habebat, quod tamen minime tollebat ſubmiſſionem illorum, erga Reges, & Principes alienigenas; & id fortaſſe iſthic innuere videntur [12] *quomodo tu dicis, liberi eritis*? Numquid ſervi ſumus, penes quos arbitrium non ſit bonorum, & filiorum noſtrorum, ac noſtrum ipſorum?

℣. 34. QUI FACIT PECCATUM, SERVUS EST PECCATI.] Hæc eſt captivitas, de qua loquebar, & libertas, in quam vos manumittere cupiebam: *iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*, ait Salomon Prov. 5. 22. Hoc ſatis conſtat: qui ab aliquo victus eſt, ille hujus ſervus eſt, inquit S. Petrus Apoſtolus in 2. ep. 2. 19. qui vero peccatum patravit, nonne a concupiſcentia, & peccato ſuo victus fuit? quænam hac major captivitas? Servus etiam petere poteſt, ut ex unius in alterius dominium tranſeat; ſperare poteſt futurum, ut vel Domini, vel ſua mors captivitati finem imponat; fuga ſibi conſulere poteſt [13]; at ſervus peccati nullam habet viam, qua ſe vindicet in libertatem: hoc unum illi reliquum eſt, ut ſe ſe convertat, ad Deum confugiat, fidem, ac veritatem amplectatur: *veritas liberabit vos*.

℣. 35. SERVUS NON MANET IN DOMO IN ÆTERNUM.] Eſſentiale diſcrimen inter ſervum, & filium Patrisfamilias illud eſt; quod ſervus Domini ſui familiæ non ita adhæret, ut inde egredi minime poſſit. Venumdari poteſt, permutari, ejici, vel dono dari. Sed filius ſemper obtinet jus in domo, ac bonis Patris ſui [14]; neque inde expelli poteſt, niſi exhæredetur; neque exhæredari, niſi graviſſima urgeat neceſſitas. In morali vero ſervus peccati non ſemper permanet in Patris domo. Judæus incredulus, & infidelis excludi poteſt e Patriarcharum fœdere, & e domo Domini expelli; cum interim Ethnicus fidelis, & obediens in filiorum numerum recipietur, atque in domo domini adoptabitur. Ne gloriemini ergo, quaſi libertatis veſtræ jacturam facere minime poſſetis: Si in peccato permanſeritis, neque habueritis fidem, tamquam ſervi torquebimini. Hæc eſt prædictio reprobationis Judæorum, & vocationis Gentilium.

Hoc

1 Confer Joan. 2. 14. 12. 32. 34. 2 Ammon. Chryſoſt. Leont. Cyrill. Theophylact. Euthym. Auguſt. Beda, Rupert. &c. 3 Luc. 23. 48. 4 Marc. 15. 39. 5 Act. 2. 41. 4. 4.

6 Ammon. Chryſoſt. Leont. Theophylact. Euthym. alii. 7 Euthym. Rupert. Maldonat.

8 Vide Maldonat. Rupert. Joan. 14. 17. Marc. 9, 28. Luc. 7. 42. Geneſ. 22. 17. Pſalm. 16. 6. & 115. 1. Jerem. 29. 16. Judic. 2. 24. 9 Auguſt. Beda, Rupert. Chryſoſt. Theophylact. Euthym.

10 Ita PP. Græci. 11 Tacit. lib. 5. hiſt. Vide & Chryſoſt. Leont. Theophylact. Euthym. Auguſtin. Beda, Rupert. Brug. Maldonat. hic. 12 Grot. Heinſ.

13 Vide Auguſt. hic, tract. 41. & ſerm. 134. olim 48. de verbis Domini.

14 Confer Geneſ. 21. 10. *Ejice ancillam hanc, & filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac*. Et Galat. 4. 30. & Grot. hic.

Hoc ad Chriſti fideles etiam transferri poteſt. Qui gratiæ donum, et filiorum Dei libertatem amittit, ut Dæmonis, & peccati ſervituti ſe mancipet, ſperare minime debet, ſe æternum in Cœlo, quæ domus eſt filiorum Dei, permanſurum. Sanctum illud domicilium pro illis duntaxat eſt, qui vere fideles ſunt, atque Patris Cœleſtis Filii [2].

Si vos filius liberaverit.] Verſiculus iſte illi reſpondet, ubi dixit: *veritas liberabit vos* [3]: filius, veritas illius, & Verbum, fides, quam in illum habebitis, unica erit, & vera via, quæ vos afferet in libertatem, de qua loquor: juſtitiam videlicet, charitatem, innocentiam.

℣. 38. Filii Abrahæ estis: sed quæritis me interficere.] Hæc verba naturaliter ad eos dirigi minime poſſunt, qui in Jeſum Chriſtum credebant ℣. 30. ſed ad alios Judæos, qui illis erant immixti. Dicitis, vos eſſe filios Abrahæ, neque inficior: inde vero arguitis, vos ſervos non eſſe. Si ſermo eſt de reali ſervitute erga temporalem dominum, non obſto: verum affirmo, vos profecto eſſe peccati ſervos; quoniam neque Filium, neque fidem, neque veritatem habetis, & *ſermo meus non capit in vobis*. Illum neſcitis, & contemnitis, & in id unum incumbitis, ut ſine juſtitia, ſine cauſa, ex mera invidia, atque iniquiſſimo odio mihi necem inferatis. Hoc nonne eſt ſervos eſſe peccati?

℣. 38. Quod vidi, apud Patrem meum loquor.] Non loquor temere; ſcio certe vera eſſe, quæ loquor: penitiores animarum veſtrarum latebras perſpicio; pravum cordis veſtri erga me affectum intelligo. Nihil dico, quod in ſinu Patris mei non viderim ego; qui ſum æterna veritas, & Deus unus cum illo.

Vos, quæ vidiſtis [3], apud patrem veſtrum facitis.] Conſilium, quod me perdendi iniſtis, nequaquam a bono ſpiritu in vos profectum eſt. Non charitate, non fide, non veritate in id acti eſtis; hoc eſt conſilium, quod a Patre veſtro, a Dæmone, a Spiritu tenebrarum, ab auctore peccati [4], cujus ſervi facti eſtis, emanat: ℣. 44. *Vos a patre Diabolo eſtis*.

℣. 39. Si filii Abrahæ eſtis: opera Abrahæ facite.] Non vult ſtatim palam aſſerere illos injuria gloriari, quod ſint Abrahæ filii; quoniam a Sancti illius Patriarchæ virtute, atque fide erant degeneres. Sed quod urgebant originem ſuam celebrantes, & Patrem Abraham jactitantes, Salvator ait illis: ergo ſi Abrahæ filii eſtis, cur non fidem, obedientiam, juſtitiam optimi parentis imitamini? ℣. 40. Quæritis me interficere, me inquam, qui veritatem vos docui. Ita ne Abraham operatus eſt?

℣. 41. Vos facitis opera patris veſtri.] Alium certe, non Abraham, Patrem habetis, qui vobis hanc vivendi rationem injecit. Pater hic non alius eſt, niſi Dæmon, quemadmodum ſuperius dictum eſt, & Jeſus Chriſtus explicite refert ℣. 44.

Nos ex fornicatione non sumus.] Sumus veri Abrahæ filii a juſtitia, & religione illius nequaquam degeneres; ut aliæ gentes, idola non veneramur [5]. Sin autem Patris nomen in morali, atque ſpirituali ſenſu intelligis: non alium habemus Patrem, quam Deum, qui in Scripturis ſuis declarat, Jacob eſſe primogenitum ſuum [6], & nos electum populum ſuum [7]. Illum Patrem noſtrum, Regem noſtrum [8], noſtrumque Deum appellamus.

℣. 42. Si Deus Pater veſter eſſet.] Salvator probat, Judæos minime eſſe Dei filios, hac etiam argumentatione: ſi eſſetis Dei Filii, amaretis & illum, & quidquid ad illum ſpectat, & quidquid ab illo venit, aut illius charactere præditum eſt: amaretis igitur me, qui a Deo exivi, qui ſum Verbum illius, veritas, & Filius ejus, Deus ut ille, ejuſdem naturæ ac ille, qui ab illo per æternam generationem meam [9] prodivi, atque ratione magis ſenſibili per temporalem generationem [10].

℣. 43. Quare loquelam meam non cognoſcitis?] Si eſſetis filii Dei, loquelam ipſius intelligeretis, vobiſque perplaceret audientibus, de illo, ac nomine ipſius verba fieri. Sermones mei nonne plane divini ſermones ſunt? num tamquam aliquis e Vulgo locutus ſum? Aliane lingua ad vos prophetæ loquebantur? Verbis num eorum eadem aderat plurium, majorumque miraculorum fulgor, major vires, & pondus, quam inſunt meis? Attamen in voce mea Dei vocem minime cognoſcitis: *Non poteſtis audire ſermonem meum*, illi obſiſtitis, illi obtrectatis: ipſe vos irritat, vos laceſſit, illum non vultis audire [11]; *unde audire non poterant, niſi quia corrigi credendo nolebant*?

℣. 44. Vos ex patre Diabolo eſtis; et deſideria patris veſtri vultis facere.] Mihi mortem inferendo. Quemadmodum ille ab initio mendax eſt, & homicida primam mulierem fallens, eique, viroque illius, omnibuſque poſteris mortis vulnus [12] infligens; ita vos abominamini veritatem, atque mihi necem infligere quæritis. Hi certiſſimi ſunt characteres, Dæmonem eſſe mendacii Patrem [13], auctorem mortis [14], Patrem veſtrum; Hoc eſt prototypum veſtrum, cujus characterem geritis, cujus Spiritum, atque afflatus ſequimini [15]. Manichæi ex hoc loco inferebant, duo eſſe rerum principia, bonum alterum, alterum malum: illum Deum, hunc dæmonem.

In veritate non ſtetit.] Quemadmodum Dæmon eſt mendax, & mendacio ſuo primam fefellit mulierem [16], ita vos eſtis veritatis, quam prædico, inimici; eam pati nequitis, illam perſequimini. Alii [17] ita explicant: Dæmon in æquitate, juſtitia, veritate, innocentia creatus, in ea non perſeveravit; ſuperbia intumuit, atque Altiſſimo ſimilis fieri voluit; ideoque de beatitudine & gloriæ poſſeſſione dejectus fuit [18]. *Angelos, qui non ſervaverunt ſuum Principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in Judicium Magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit*. Sed prior explicatio literæ propior eſt.

Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus.] Hic eſt Dæmonis character: in veritate non permanere, mendacium & proferre, & ea aliis extorquere; eſſe mendacem & mendacii parentem. Cum homines mentiuntur, Dæmonis ſuaſu mentiuntur: ſed cum Dæmon mentitur, ſuopte ingenio mentitur; *ex propriis loquitur*; non alium habet Magiſtrum, quam ſe; per illum in terras mendacium venit, ipſe hoc intulit in mundum [19], & ſi quid unquam vere dicit, vel con-

---

1 Brug. Menoch. Tolet. 2 Supra verſ. 31. 3 Plura optimæ notæ MSS. legunt: A *audiſtis* pro *a vidiſtis*. Vide Mill. 4 Aug. Beda, Rupert. Leont. Theoph. Euthym.

5 In Scriptura fornicationis nomen ſæpe pro idololatria ponitur.

6 Exod. 4. 22. *Filius meus primogenitus Iſrael*. 7 Exod. 19. 5. Deut. 4. 20. 7. 6. 10. 15. 14. 2. Pſal. 134. 4. &c. 8 Jerem. 3. 4. *Pater meus, dux virginitatis meæ*. 9 Ammon. Leont. Aug. Beda.

10 Origen. Theophylact. Euthym. Rupert. Maldon. 11 Auguſt. hic, tract. 42. Ita & Chryſoſtom. homil. 53. 12 Origen. Aug. Beda, Rupert. Euthym. alii.

13 3. Reg. 22. 22. *Ero ſpiritus mendax in ore Prophetarum*, &c. 14 Sap. 2. 24. *Invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius*.

15 Aug. hic. *Unde Judæi filii Diaboli ? imitando, non naſcendo*. Ita Beda, Leont. Ammon. alii paſſim. Ambroſ. lib. 4. in Luc. *Judæi patre Diabolo, non utique carnis ſucceſſione, ſed criminis*. Vide Sap. 2. 25.

16 Geneſ. 3. 4. 5. *Nequaquam moriemini: ſed eritis ſicut Dii*. Vide Iren. lib. 5. cap. 21. Ammon. Leont. Theophylact. Chryſoſtom. 17 Aug. l. 11. de civit. c. 13. Leo, ſerm. 10. de Quadrag. & ep. 63. cap. 6. Euthym. 18 Judæ Ep. verſ. 6. 19 Origen. Aug. Chryſ. Ammon. Theodor. Mopſ. Beda, Theoph. Euthym. Rupert. Recentiores paſſim.

coactus, & invitus dicit, ſive ut fallat. Semper mendax eſt, & mendacii Pater; veritatem atque juſtitiam abominatur.

S. Epiphanius hæreſ. 38. quod ſuperius c. 6. 71. Judas Diabolus dicitur: *unus ex vobis diabolus eſt*, de eodem Juda Salvatorem hic verba facere exiſtimavit. Dicit, Judæos illius eſſe filios: *vos ex Patre diabolo eſtis*; quoniam incredulitatem, & ſcelus Judæ Patris ſui imitari maluerunt, quam adhærere JESU CHRISTO, qui illis veritatem prædicabat, eamque ipſis tot prodigiis confirmabat. Judas erat *homicida*, & proditor, *& in veritate non ſtetit*; Magiſtrum ſuum dereliquit & avaritiæ ſe mancipavit.

Cajanitæ, & Archontici apud eumdem S. Epiphanium hæreſ. 38. & 40. textum ita legebant ℣. 44. *Filii eſtis Patris veſtri Dæmonis, quoniam mendax eſt, & Pater illius eſt mendax. Ipſe erat homicida, & in veritate non ſtetit. Cum loquitur, mendacium ſuapte natura profert; quoniam Pater ſuus mendax eſt*. Neque aliter legit Caſſianus. En autem quid ex hoc loco inferebant Cajanitæ. Ajebant, Judæorum Patrem eſſe diabolum, & Patrem hujus alium eſſe Dæmonem, & ipſum ex alio Dæmone genitum; ita ut Pater illius, qui legem Moyſi tribuit, & ipſe eſſet malus Dæmon. Archontici vero tenebant, Cain ex Dæmone, & Eva natum eſſe; & illum eſſe *homicidam ab initio*, de quo hic eſt ſermo; Judæos ex progenie Cain prodiiſſe; Dæmonem Patrem Cain, & Hebraicæ nationis Auctorem natum eſſe ex Sabaoth Deo Judæorum. Hæ nugæ ſunt, ſeria confutatione minime dignæ. Certum eſt, veteres Patres complures in Græco legiſſe [1]: *mendax eſt æque ac Pater ſuus*. Quod in id deducit, ut dicatur Dæmon a malo principio, alteroque Dæmone fuiſſe productus.

Grotius ſupponens, Diabolum, a quo Eva tentata fuit, non fuiſſe Principem Dæmonum, ſed aliquem Angelum Sathanæ illi ſimilem, a quo S. Paulus vexabatur [2], ait, malum hunc Angelum *mendacem eſſe æque ac Patrem ſuum caput*, principemque ſuum, Luciferum. Patris nomen in Scripturis ſæpe principem, Dominumque ſignificat. Sathanas Dæmones alios in defectionem, & ſcelus pertraxit, ideoque vocatur Matt. 9. 34. *Princeps Dæmonum*, Ephe. 2. 2. *Princeps aëris poteſtatis*, Joan. 12. 31. *Princeps hujus mundi*. Mendax eſt, & homicida ab initio; illius quippe juſſu, atque inſtrumento tentator primam ſeduxit mulierem, eique intulit mortem. Hac in re non aliud requiritur, niſi validum aliquod argumentum, quo Eva nequaquam a Principe Dæmonum ſed ab alio ſpiritu tentata fuiſſe probetur.

℣. 45. EGO AUTEM SI VERITATEM DICO,] Creditis Patri mendacii, qui in me vos irritat, & non creditis mihi, qui dico vobis veritatem. Facile Judæi poterant, ſi voluiſſent, diligentius, & citra quodlibet præjudicium res intus perpendere; facile inquam poterant agnoſcere, a JESU CHRISTO veritatem ſibi dici, & invidia, odio, & mali ſpiritus ſuaſu ſe rapi, ut illi ſtruerent inſidias, eumque ad interitum non quærerent.

℣. 46. QUIS EX VOBIS ARGUET ME DE PECCATO?] Si veritatem dicens, nullam apud vos mereor fidem, numquid mea vivendi ratio, veritatibus, quas annuntio, fidem abrogat; an verbis meis mea vita minime reſpondet? Vos tamen id mihi objicere non poteſtis; quis enim ex vobis alicujus peccati nomine me poteſt arguere? Vos in id incumbentes, ut omnia veſtigia mea exploretis, num aliquid vidiſtis, quamobrem ſim corripiendus? ergo *ſi veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

℣. 47. QUI EX DEO EST, VERBA DEI AUDIT.] Hoc idem eſt ac ſuperius dictum ℣℣. 42. 43. *Si Deus Pater veſter eſſet, diligeretis utique me: ego enim ex Deo proceſſi . . . quare loquelam meam non cognoſcitis? & quare non poteſtis audire ſermonem meum? vos ex Patre diabolo eſtis*. Si eſſetis filii, & ſervi Dei, audiretis verbum, quod nomine illius loquor. Ideo vero illud non auditis, quod ex Deo non eſtis; hunc non amatis, neque vobis placent, quæ ad ipſum pertinent; Mens veſtra offuſis tenebris cæca; cor veſtrum amaritudine, & odio refertum, neque videre, neque audire poteſt, quam annuntio, veritatem [3].

℣. 48. NONNE BENE DICIMUS NOS, QUIA SAMARITANUS ES?] Nuſpiam ex S. Johannis Evangelio, vel aliunde conſtat, JESUM CHRISTUM præter hanc unam occaſionem a Judæis Samaritanum fuiſſe appellatum. Cum ergo fateantur, ſe hanc illi injuriam intuliſſe, credendum eſt, hac vere illum affectum fuiſſe; ſed tantum ſecreto, non vero coram, & palam [4], quamobrem illius non meminerunt Evangeliſtæ. Aliquem *Samaritanum*, vel Chutæum appellare, idem erat ac illum prophanum, Schiſmaticum, Hæreticum, infenſiſſimum Hebraicæ nationis hoſtem vocare. In Talmud *Chutæorum* nomine prophani, atque impii vocantur eadem ferme ratione, ac in Prophetis Chananæus, & Hethæus impium ſignificant [5]. *Semen Chanaam, & non Juda*, Et Ezech. 16. 3. *Pater tuus Ammorrhæus, & mater tua Cethea*: & Iſai. 1. 10. *audite verbum Domini, Principes Sodomorum, percipite legem Dei noſtri populus Gomorrhæ*.

Ideo vero illum Samaritanum appellabant, quod erga populum illum tantum odii, quantum Judæi conſueverant, minime profitebatur, quod nonnumquam in eorum urbibus diverſabatur, quod aliquot dies in Sichem permanſerat, quod illis verbum Dei prædicabat, neque ſalutis viam illis intercludebat, dummodo converterentur; fortaſſe etiam quod non teſtabatur tantam quam voluiſſent erga ſuas cæremonias, & traditiones obſervantiam. Illum etiam Dæmoniacum appellant, quam injuriam pridie jam illi offuderant capite 7. 20. Innuere volebant, ipſum neſcire, quid diceret, furere & inſanire.

℣. 49. EGO DÆMONIUM NON HABEO.] Priori injuriæ, *Samaritanus es tu*, minime reſpondet, quoniam inepta, ac inutilis erat, & quod nemo jure ambigere poterat, utrum, & nativitate, & Religione [6] eſſet Judæus: Alteri vero, *Dæmonium habet*, divina prorſus ſuavitate, & clementia reſpondet. *Ego Dæmonium non habeo*, inquit ille; ſermones mei non ſunt hominis furentis, & inſanientis.

Si quid eſt quod vobis inauditum videatur, ſi recentes veritates annuncio, glorifico Patrem meum, neque pernicioſi ſilentii latebris ejus veritates abſcondo. Patris mei gloriam veſtræ voluptati, & quieti meæ præfero, & non ſine vitæ meæ periculo, credito mihi munere fungor.

℣. 50. EGO NON QUÆRO GLORIAM MEAM,] in iis omnibus, & quæ dico, & quæ facio: non vanitate, non ambitione, non utilitate ad agendum impellor: illud unum me agit conſilium, ut conſulam gloriæ illius, qui miſit me, & ſaluti eorum, ad quos miſſus ſum. Gloriam meam requiret Pater eo modo, quem maxime aptum exiſtimaverit. Aliter: cum criminationem veſtram refello, dicens, me Dæmonium non habere, neque gloriam, neque ultionem meam quæro [7]: illius dumtaxat, a quo miſſus ſum, honorem tueor. Quod attinet ad me, illi gloriæ meæ curam relinquo; noverit ille & mihi gloriam comparare, & injuſtitiam à vobis mihi illatam ulciſci.

℣. 51. SI QUIS SERMONEM MEUM SERVAVERIT, MORTEM NON VIDEBIT IN ÆTERNUM.] Me accenſatis tamquam dæmoniacum, quod eam vobis doctrinam

---

1 Vide Heſych. quæſt. apud Cotelec. Monum. Eccleſ. Græc. p. 15. Ὡς καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. Ita legerunt Cyrill. Alex. Antiochus, Ambroſ. Svid. Auth. Diſp. cum Manete. Ignat. Interpol. ad Philadelph. Ὡς καὶ πατὴρ αὐτοῦ Διάβολος.
2 2. Cor. 12. 7.
3 Mald. Grot.
4 Origen. Ammon. Chryſoſt. Theophyl. Rupert.
5 Dan. 13. 56.
6 Vide Aug. Bedam, Rupert. Chryſoſt. Theophyl. alios. Grot. Brug. Mald.
7 Chryſoſt. Euthym. Leont. Theophyl. Mald. Grot. Brug. Men.

nam trado, cui minime conſueviſtis: ſed nihil præter veritatem dico, honorem Patri meo defero, illius mandata faceſſo, & verba, quæ loquor, verba ſunt vitæ [1]: *verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt*. Moyſes diuturnam vitam pollicetur illi, qui leges a ſe traditas obſervarent [2]; illis bona, ac temporales felicitates promittit: ego vero vitam, ac felicitatem æternam promitto. Credite verbis meis, illa obſervate, & animæ morte, quæ altera mors eſt [3], non moriemini.

℣. 52. ABRAHAM MORTUUS EST:] & dicis, illum, qui verba tua ſervaverit, non moriturum? Numquid major es Abraham, & Prophetis, qui & ipſi ad plures abierunt? ſummi hi viri nonne præcepta Domini obſervarunt? mors tamen illis minime pepercit. Num majora nobis irrogabis præcepta, quam quæ Deus ipſe propoſuit? Numquid Deo major es? Numquid diſcipuli tui hoc non moriendi privilegio fruentur, quo ſanctiſſimus quiſque, atque fideliſſimus Domini ſervus caruit? Omnis hæc argumentatio, quod falſo innititur principio, laborat: ſupponunt enim, JESUM CHRISTUM de temporali vita verba facere, cum ille de animæ vita, atque æternitate loquatur.

℣. 54. SI EGO GLORIFICO MEIPSUM.] Si quæ dico, ex meipſo dico, & glorior ex propria virtute, atque ſeorſim a Patre hoc vobis promitto; ſi aucupor apud vos exiſtimationem, ut Pſeudo-Prophetæ atque tenebriones, qui cum nihil præſtent, omnia pollicentur? Hæc ſi vera ſunt, mihi ne credatis, & ſermones meos contemnite. Nemini in propria cauſa fides eſt [4]. *Eſt Pater meus, qui glorificat me*, ipſe in me ſuam poteſtatem oſtendit, iis prodigiis, quæ vobis annuntio. Neque dicatis, Patrem hunc vobis ignotum eſſe, & me ænigmatice loqui: hic Pater ille eſt, quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt. Si illum cognoſceretis, & me etiam cognoſceretis [5], atque in perſona mea omnes filii, atque Meſſiæ ipſius characteres deprehenderetis.

℣. 55. SI DIXERO, QUIA NON SCIO EUM.] Vos neque Deum veſtrum, neque illum, qui ab eo miſſus eſt, cognoſcitis. Ego vero Deum Patrem meum cognoſco, & ſi dicerem, illum a me non cognoſci, æque mendax eſſem, ac vos, qui a vobis illum cognoſci dicitis [6]. Si illum vere cognoſceretis, mandata illius ſervaretis; ego vero illum cognoſco, & ſumma fide, quod ille præcipit, exſequor. JESUS CHRISTUS hic loquitur, quatenus homo.

℣. 56. ABRAHAM PATER VESTER EXULTAVIT, UT VIDERET DIEM MEUM.] Quo in mundum venirem [7], quo carnem induerem, quo naſcerer, ac manifeſtarer in Iſrael, vel etiam quo morerer [8]; ſollicite expectavit tempus, quo mundus omnis liberaretur; *vidit, & gaviſus eſt*: illum vidit in ſpiritu, hunc Deus illi revelavit, & Filii ſui Iſaac nativitate, & dilecti ejuſdem miraculoſa liberatione, cum in pyra jam jam eſſet immolandus, in his figuris invenit, quid ipſum certiorem faceret, futurum, ut veteres promiſſiones adimplerentur [9]. Fidei ardor illi, tamquam præſentem exhibuit eventum, qui longe aberat. Credunt nonnulli [10], hunc Patriarcham, & alios, qui in lymbo detinebantur, ibi exploratam habuiſſe Meſſiæ incarnationem, atque adventum, quam effuſiſſimo gaudio divulgarunt; & læti ſunt. Jeſus duo iſthic probat: primum, ſe majorem eſſe Abraham contra id, quod dixerant Judæi ℣. 53. alterum, Judæos non eſſe veros Abrahæ filios, eo quod negligant, & contemnant eum, quem ſuus Pater Abraham tanta cupiditate deſideravit, & cujus adventus nuntium tanta cum hilaritate percepit.

℣. 57. QUINQUAGINTA ANNOS NONDUM HABES.] Quidam [11] legerunt quadraginta; ſed lectio *quinquaginta* unice vera eſt, eamque antiqui omnes ſecuti ſunt præter S. Johannem Chryſoſtomum, Auctorem Dialogi de Trinitate inter opera S. Athanaſii, & pauciſſima Græca Exemplaria, quæ ab Euthymio memorantur. Jeſus Chriſtus tunc quintum, & trigeſimum ætatis annum nondum attigerat; deerant quippe menſes duo, vel agebat octavum circiter menſem ultra annum quartum, & trigeſimum. Hoc accidit die 17. Octobris anni ipſius quinti, & triceſimi, qui deſiit die 25. Decembris. Ita duo deerant menſes, & dies octo, ut triginta quinque illius anni complerentur.

Hac in re ſequimur eruditiſſimorum Chronologorum recenſionem, qui ſupponunt, Salvatorem obiiſſe, cum medium ageret annum ſextum ſupra triceſimum; anno videlicet Æræ vulgaris tertio, atque trigeſimo, in qua illius nativitas tribus annis ſerius, quam debuit, refertur. Noſtra non intereſt hoc in loco fuſius rei hujus veritatem ſectari: illi conſuli poſſunt, qui hac de re explicite pertractarunt: nobiſque ſatis erit oſtendere, antiquos Patres non ſatis de Salvatoris ætate conſentire. Ea ſententia, quæ illi tres ac triginta annos cum dimidio vitæ tribuit, in Eccleſia Chriſtiana nonniſi poſt ſextum ſæculum recepta fuit [12], & licet deinceps hoc ſyſtema plures habuerit aſſeclas, ſæpe tamen ab eodem complures receſſerunt; & Eccleſia nullam hac in re legem conſtituit, ſed hoc integrum eruditorum, atque Chronologorum examini, & diſceptationibus reliquit. S. Irenæus [13] ait, Salvatorem quadrageſimum vitæ annum exceſſiſſe, cum ad Judæos loquebatur, qui illi dixerunt; *quinquaginta annos nondum habes &c. hoc dicitur ei, qui quadraginta annos exceſſit, quinquaginta autem nondum attigit, non tamen multum a quinquaginta abſiſtit*.

S. Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. ait, JESUM CHRISTUM triginta dumtaxat annos vixiſſe, & uno tantum anno prædicaſſe. Tertullianus contra Judæos c. 8. illum trigeſimum circiter ætatis annum egiſſe dicit, cum humanis deceſſit: *paſſus eſt CHRISTUS, annos habens quaſi triginta, cum pateretur*: quod retulit S. Hieronymus ſcribens in caput nonum Danielis. Origenes tract. 35. in Matth. inquit, Judæ triginta Siclorum ſummam appenſam fuiſſe, quæ æquaret numerum annorum, quibus Salvator in terris vixerat; eumque uno dumtaxat anno prædicaſſe putat [14] non ſecus ac S. Clemens Alexandrinus. Julius Africanus, Origenis coævus [15], & qui inter Chriſtianos Chronologiæ ſtudio operam dare cœpit, JESU CHRISTI mortem refert in annum Tiberii decimum quintum, Salvatoris vero circiter trigeſimum. Hippolytus Portuenſis Epiſcopus hoc ipſum opinabatur, quemadmodum ex ſupputatione Cycli illius innoteſcit [16]. Auctor veterum Chronicorum

1 Joan. 6. 47. 48. 49. 50. 64. 2 Exod. 20. 16. Deut. 5. 16. 22. 7.
3 Apocalypſ. 2. 1. Auguſt. Mald. Grot.
4 Joan. 5. 31. *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum.*
5 Joan. 8. 19. *Si me ſciretis, forſitan, & Patrem meum ſciretis.*
6 Chryſoſt. Leont. Theoph. Ammon. 7 Iren. lib. 4. c. 11. 12. Origen. homil. 10. in Geneſ. Cyrill. in Caten. Gr. Hilar. lib. 5. de Trinit. Bernard. ſerm 6. in Vigil. Natal. Domini. Mald. alii.
8 Chryſoſt. Ammon. Leont. Theophyl. Euth. 9 Ita Patres Græci modo citati. Grot.
10 Mald. Janſ. Cornel. a Lapide, alii. 11 Chryſoſt. orat. contra omnes hæreſes & Author Dialogi 2. de Trinit. inter opera Athan. & Barber. Cod. 1. Quidam Codd. Gr. apud Euthym.
12 Beda, lib. de ratione temporum, c. 45. *Habet, ni fallor, Eccleſiæ fides, Dominum in carne paulo plus quam 33. annos, uſque ad ſua tempora paſſionis vixiſſe.*
13 Iren. lib. 2. contra hæreſ. c. 39. *A quadrageſimo aut quinquageſimo anno declinat jam in ætatem ſeniorem, quam habens docebat* (Chriſtus) *ſicut Evangelium, & omnes ſeniores teſtantur, &c.*
14 Origen. lib. 4. Περὶ ἀρχῶν, & initio tract. 35. in Matth.
15 Jul. African. apud Hieron. in Dan. 9.
16 Vide Lancelot. in Bibliis Mag. Anton. Vitrè, c. 31. p. 48.

eorum ſub Severo conſcriptorum , & in Caniſio Antiq. Lect. t. 2. editorum , triginta dumtaxat intercesſiſſe annos putant, Nativitatem inter, & obitum Jesu Christi ; quod ipſum & Lactantius l. 4. inſtit. c. 1. ſentiebat . Euſebius Cæſarienſis illum uno dumtaxat anno ſupra triceſimum , & aliquot menſes , vel ad ſummum duos annos , ac triginta vixiſſe putat . Philaſter vero Brixienſis Epiſcopus unum & triginta , S. Epiphanius hæreſ. 51. n. 28. duos ſuper triginta atque inſuper dies quatuor & ſeptuaginta ; Apollinaris Laodicenſis [1] annos duos & triginta .

S. Chryſoſtomus, atque Euthymius hic, qui in illius ætatem certe conſtituant, credunt, illum ab anno quadrageſimo, ubi paſſus eſt, non procul abfuiſſe ; Sulpitius vero l. 2. hiſt. eum ſecundum ſupra trigeſimum ætatis annum egiſſe dicit , & vetus auctor hymni ; *Luſtris ſex , qui jam peractis* , quem quidam S. Ambroſio , & alii Sedulio tribuunt , illum trigeſimum exegiſſe annum teſtatur . S. S. Hieronymus ep. 22. & Auguſtinus lib. 18. de Civ. cap. ult. qui Salvatoris mortem in duorum Geminorum Conſulatum, ad Tertulliani imitationem , & in quintum decimum Tiberii annum rejiciunt , triginta circiter vitæ annos illi tribuunt ; Paulus Oroſius unum , & triginta , vel ad ſummum triginta duos ; S. Proſper , vel Auctor libri de *Prædictionibus* , Victorius Aquitanus , & Idatius triginta . Caſſiodorus tres , & triginta ; Jornandes , Iſidorus Hiſpalenſis , Regino Abbas Prumienſis , Lambertus Schafnaburgenſis duos & triginta ; Chronica Alexandrina tres , & triginta annos , ac menſes tres ; S. Maximus Martyr annos triginta tres , & dies octoginta novem . S. Bernardus [2] duobus in locis illi annos triginta aſſignat , & duobus item in aliis tres , ac triginta . Petrus Lombardus l. 4. Diſt. 44. c. 1. & Petrus Comeſtor annos duos , & triginta, & menſes tres Conſuli poſſunt animadverſiones additæ Chronologiæ quæ ad calcem magnorum Bibliorum Latinorum [3] Vitriacenſium edita eſt . Hinc ſequitur , annum mortis Jeſu Chriſti, & vitæ illius diuturnitatem numquam in Eccleſia certe conſtitutam fuiſſe .

Verum ſi Salvator quintum dumtaxat , & trigeſimum habebat annum , cum ad Judæos loqueretur , quomodo dixerunt, nondum illum habere annos quinquaginta ? a quinque , & triginta ad quinquaginta maximum intereſt intervallum . Reſpondent, Salvatoris labores , auſterumque vivendi genus , ſenectutem illi maturaſſe , ita ut ex oris habitu ætate provectior , quam re eſſet , haberetur [4] : vel majorem illi tribuunt ætatem , ut tutius arguant , atque validius in illum , Abraham eum videre non potuiſſe [5] . Nam ſi centum , vel quinquaginta annos natus non potuerat illum videre , multo minus annos natus quinque & triginta .

ANTEQUAM FIERET ABRAHAM , EGO SUM .] Sum ab æterno. Extiti ante omnia ſecula . In me conſideratis dumtaxat hominem ; qui loquitur , & qui non ita pridem ob oculos veſtros verſatur . Sed præter hanc hominis naturam , quam cognoſcere creditis , altera in me eſt divina , atque æterna . Hæ duæ ſimul in mea perſona ſubſiſtunt . Illas Abraham diſtinxit . Me tamquam Deum coluit , tamquam Salvatorem ſuum concupivit . Me vidit in æternitate mea , & me in mundum venturum prædixit .

℣. 59. TULERUNT LAPIDES ,] juxta Legem , qua blaſphemi lapidibus obruuntur [6] . Jesus , qui ſe æqualem Deo ferebat, ab ipſis blaſphemare credebatur .

JESUS AUTEM ABSCONDIT SE .] Parumper receſſit , atque ſe eorum oculis inviſibilem præbuit [7] : deinde pacate de Templo egreſſus eſt ; quomodo enim in Templo ſe abſcondere potuiſſet , in ſecretum ignotumque locum aliquem ſe ſe recipiendo , cum undique ſeptus eſſet inimicis ? at ubi nam Judæi lapides invenerunt ? Credunt nonnulli [8] , eo in loco tunc ædificatum fuiſſe , ideoque maximam non defuiſſe lapidum vim . Alii vero tenent , non defuiſſe lapides in eodem Templi atrio . Alii denique illos ad lapides inveniendos atrio exceſſiſſe , ac interim Salvatorem fuga ſibi conſuluiſſe , arbitrantur .

Græcus textus [9] legit : *exiit de Templo per illos tranſiens , & ita receſſit* , quod illi favet ſententiæ , quæ hic admittit miraculum , quale contigit , cum Civibus Nazareth Salvatorem de montis jugo præcipitem dare admitentibus [10] , ille ſe inviſibilem præbuit , & per eos tranſiit , quin illum poſſent comprehendere . Putant alii , ipſum exceſſiſſe per mediam diſcipulorum ſuorum turbam ; & populi in ſe credentis , atque hujus multitudinis , qua ſepiebatur , favore ex inimicorum manu evaſiſſe . Sed hæc verba , *tranſiens per illos ita receſſit* ; neque in Vulgata , neque a SS. Chryſoſtomo , Cyrillo , Auguſtino , neque a plurimis MSS. leguntur ; nec deſunt eruditi viri [11] , qui illa iſthuc aliunde irrepſiſſe arbitrentur .

---

1 Apollinar. Laodic. apud Hieron. in Dan. 9.
2 Bern. ſerm. 1. de circumciſ. & ſerm. 2. in hæc verba , *non eſt Regnum Dei* , &c. ſtat pro 30. an. Et ſerm. 2. de Pentecoſt. & in feria 4. Maj. Hebdom. pro 33. an.
3 Cap. 33. p. 17. & ſequ.
4 Vide Hugon. Eraſm. Mald.
5 Grm. Brug.
6 Levit. 24. 16. *Qui blaſphemaverit nomen Domini , morte moriatur . Lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi* .
7 Theodor. Heracl. Ita Leont. Theophyl. Euthym. Mald.
8 Ligfoot Horæ. Talm. ad Joan. 9. 6.
9 Ἰησοῦς δὲ ἐκρύβη, καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν. Καὶ παρῆγεν οὕτω.
10 Luc. 4. 30.
11 Vide Eraſm. Grot. hic. Mill. Proleg. 750.

CAPUT IX.

Cœcum a nativitate JESUS illuminat . Phariſæorum murmur ; cæcum illum ejiciunt . JESUS CHRISTUS hunc erudit , qui in ipſum credit , & Salvatorem adorat .

1. ET præteriens Jeſus vidit hominem cœcum a nativitate : 2 Et interrogave-
runt eum diſcipuli ejus : Rabbi , quis peccavit , hic , aut parentes ejus ,
ut cœcus naſceretur ? 3 Reſpondit Jeſus : Neque hic peccavit , neque pa-
rentes ejus : ſed ut manifeſtentur opera Domini in illo . 4 Me oportet operari o-
pera ejus , qui miſit me , donec dies eſt : venit nox , quando nemo poteſt ope-
rari . 5 Quamdiu ſum in mundo , lux ſum mundi . 6 Hæc cum dixiſſet , expuit
in terram , & fecit lutum ex ſputo , & linivit lutum ſuper oculos ejus . 7 Et di-
xit ei : Vade , lava in natatoria Siloe , (quod interpretatur Miſſus .) Abiit ergo ,
& la-

& lavit, & venit videns. 8 Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia men-
dicus erat, dicebant: Nonne hic eſt, qui ſedebat, & mendicabat? Alii dicebant:
Quia hic eſt. 9 Alii autem: Nequaquam, ſed ſimilis eſt ei. Ille vero dicebat:
Quia ego ſum. 10 Dicebant ergo ei: Quomodo aperti ſunt tibi oculi? 11 Reſ-
pondit: Ille homo, qui dicitur Jeſus, lutum fecit: & unxit oculos meos, & di-
xit mihi: Vade ad natatoria Siloe, & lava. Et abii, lavi, & video. 12 Et di-
xerunt ei: Ubi eſt ille? Ait: Neſcio. 13 Adducunt eum ad Phariſæos, qui cœ-
cus fuerat, 14 Erat autem ſabbathum, quando lutum fecit Jeſus, & aperuit ocu-
los ejus. 15 Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi, quomodo vidiſſet. Ille au-
tem dixit eis: Lutum mihi poſuit ſuper oculos, & lavi, & video. 16 Dicebant
ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo a Deo, qui ſabbathum non cuſto-
dit. Alii autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Et
ſchiſma erat inter eos. 17 Dicunt ergo cœco iterum: Tu quid dicis de illo, qui
aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta eſt. 18 Non crediderunt
ergo Judæi de illo, quia cœcus fuiſſet, & vidiſſet, donec vocaverunt parentes e-
jus, qui viderat: 19 Et interrogaverunt eos, dicentes: Hic eſt filius veſter, quem
vos dicitis, quia cœcus natus eſt. Quomodo ergo nunc videt? 20 Reſponderunt
ei parentes ejus, & dixerunt: Scimus, quia hic eſt filius noſter, & quia cœcus
natus eſt. 21 Quomodo autem nunc videat, neſcimus; aut quis ejus aperuit ocu-
los, nos neſcimus; ipſum interrogate, ætatem habet, ipſe de ſe loquatur. 22
Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos: jam enim conſpiraverant Ju-
dæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret. 23 Pro-
pterea parentes ejus dixerunt: Quia ætatem habet, ipſum interrogate. 24 Voca-
verunt ergo rurſum hominem, qui fuerat cœcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo:
nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt. 25 Dixit ergo eis ille: Si peccator eſt,
neſcio; unum ſcio, quia cœcus cum eſſem, modo video. 26 Dixerunt ergo illi:
Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? 27 Reſpondit eis: Dixi vobis jam,
& audiſtis: quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri? 28
Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis; nos autem Moyſi di-
ſcipuli ſumus. 29 Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus; hunc autem neſci-
mus, unde ſit. 30 Reſpondit ille homo, & dixit eis; In hoc enim mirabile eſt,
quia vos neſcitis, unde ſit, & aperuit meos oculos. 31 Scimus autem, quia pec-
catores Deus non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc
exaudit. 32 A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cœci nati. 33
Niſi eſſet hic a Deo, non poterat facere quidquam. 34 Reſponderunt, & dixe-
runt ei. In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras. 35
Audivit Jeſus, quia ejecerunt eum foras: & cum inveniſſet eum, dixit ei: Tu cre-
dis in Filium Dei? 36 Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt, Domine, ut credam in
eum. 37 Et dixit ei Jeſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. 38
At ille ait: Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. 39 Et dixit Jeſus: In
judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, & qui vident cœ-
ci fiat: 40 Et audierunt quidam ex Phariſæis, qui cum ipſo erant, & dixerunt
ei: Numquid & nos cœci ſumus? 41 Dixit eis Jeſus: Si cœci eſſetis, non habe-
retis peccatum: nunc vero dicitis: Quia videmus. Peccatum veſtrum manet.

℣. 1. PRÆTERIENS JESUS VIDIT HOMINEM CÆCUM A NATIVITATE.] Jeſus de Templo egreſſus plane in montem Olivarum perrexit, ibi de more noctem tradocturus. Craſtina die, quæ erat Sabbathum [1], in urbem venit, cumque per viam quamdam incederet, invenit cœcum a nativitate in angulo ſedentem, atque a prætereuntibus ſtipem efflagitantem, infra ℣. 8.

℣. 2. RABBI, QUIS PECCAVIT; HIC, AUT PARENTES EJUS?] Hæc interrogatio locum fortaſſe aliquibus præbuit credendi, Apoſtolos in eorum ſententia verſatos fuiſſe, qui animarum præexiſtentiam, vel metempſy- A coſim crediderunt. Fieri minime poteſt, ut homo iſte a Deo miſere adeo ſine juſtis cauſis perculſus fuerit. Atqui ſupplicium hoc mereri non potuit, peccatis poſt nativitatem commiſſis, quod hanc ſecum infirmitatem in mundum attulit; oportet ergo, illum ſe hac pœna dignum præbuiſſe ſcelere aliquo ante nativitatem patrato; vel ſaltem Dominum, qui parentum peccata in filiis ad tertiam uſque, & quartam generationem punit [2], in hunc tranſtuliſſe pœnam peccati parentum ipſius. Hæc eſt, inquiunt illi, Apoſtolorum argumentatio: & ſane patet, illos ſupponere, hominem, antequam naſceretur, peccatum aliquod operari potuiſſe, cujus

1 Infra Verſ. 14. 2 Exod. 20. 5.

cujus pœnam patitur in vita.

Hoc ipſum non ſemel docet Philo [1], aerem videlicet animarum eſſe refertiſſimum, quarum duæ ſpecies ſunt: aliæ quidem deſcendentes in corpora; aliæ vero a corporibus omnino abhorrentes. Quæ corporibus conjunguntur, aliæ quidem ſublimibus egregiæ Philoſophiæ ideis repletæ indeſinenter poſt corporum mortem occupantur; atque vitam prorſus cœleſtem ducunt. Aliæ vero carnis pondere graves ſapientiæ ſtudium negligunt, atque affectuum, fortunæque placito ſeſe tradunt. Hanc ſæpius tundit eandem; atque ſententiam, quam ex Platone didicit, confirmat. Joſephus de Bello l. 2. c. 12. teſtis eſt, Phariſæos hoc ipſum ferme credidiſſe, dicentes, animas immortales eſſe, atque æternum vigere: ea maxime tenui aeris regione in corpora deſcendere, veluti in carceres, quibus tamquam agglutinatæ adhærent naturali quodam ſtudio, & amore, cui minime reſiſtunt illectæ. Et Antiqu. l. 18. cap. 2. ait, eorumdem Phariſæorum eſſe ſententiam, impiorum animas a corporibus ſecretas in æternis carceribus ſuis contineri, ubi torquentur, & unde numquam egrediuntur. Animas vero bonorum facile in terras reverti ad alia corpora animanda, poſt eorum, quæ antea animaverant, interitum.

Rabbini etiam quamdam credunt ſpeciem metempſycoſeos, atque hæc ſententia in omni ferme Oriente jampridem percrebuit. Origenes apocryphum Hebræorum librum profert, ubi Jacob ita loquitur [2]: *ego ſum Angelus Dei, & unus ex præcipuis Spiritibus. Homines me Jacob appellant; ſed verum nomen meum illud eſt, quo Dominus appellavit me, Iſrael.* Non pauci ex Hebræis Doctoribus crediderunt, animas Adam, Abrahæ, & Phinees ſubinde complures nationis ſuæ inſignes viros animaſſe. Non ergo mirum eſt, Apoſtolos argumentatos fuiſſe, quemadmodum iſthic videntur, de cæci hujus infirmitate, & crediſſe illum vel ſuo ante nativitatem patrato, vel aliquo Patrum ſuorum crimine hac infirmitate affectum fuiſſe [3].

Rabbinis quoque perſuaſum eſt parentum peccata, ac præcipue impudicitiam filiis paſſim eſſe funeſtam, & horum morbos plerumque effectus eſſe criminum Parentum ſuorum. Ob hanc præcipue metum, ne filii propter parentum mala laborent, inſtitutæ videntur Leges Moyſis, quæ propoſita mortis pœna vetant, ne vir ad uxorem ſuam accedat, menſtruis incommodis laborantem [4]. Apoſtoli in hujuſmodi præjudiciis innutriti erant, & rerum experientia ſæpius docuerat, non inanes hos terrores extitiſſe.

℣. 3. NEQUE HIC PECCAVIT, NEQUE PARENTES EJUS.] Non negat Jeſus Chriſtus, cæci hujus parentes peccaſſe; at eorum peccatum filio infirmitatis cauſam fuiſſe negat [5]. Neque inficiatur, originale hujus hominis peccatum ſatis eſſe cauſæ ad Dei factum probandum, qui permiſerat, ut ille cæcus naſceretur: non enim quærebant, quænam generalis eſſet hujus mali cauſa, ſed ejuſdem particularem rationem perſcrutabantur.

Attollit Salvator Apoſtolorum ſuorum mentem, atque animum ad ſuperiorem cauſam, videlicet Dei providentiam, atque Sapientiam, propriam in hominum oculis gloriam procurare cupientis, per hujus cæci a E nativitate curationem; neque dicens, directe voluiſſe Deum hujus hominis infirmitatem, eo conſilio, ut ſuæ gloriæ conſuleret; ſed permiſit ſolum, ut homo iſte cæcus naſceretur, atque deinde hac uſus eſt occaſione, ut ſua poteſtas, atque miſericordia effulgeret [6]. *Ut*

A hoc in loco non eſt cauſalis particula, ſed innuit dumtaxat eventum, qui ſubſecutus eſt [7].

℣. 4. ME OPORTET OPERARI OPERA EJUS, QUI MISIT ME, DONEC DIES EST.] Nempe, donec in hac vita, & in hoc mundo verſor [8]; nam poſt mortem, Reſurrectionem meam, nullum amplius erit miraculorum efficiendorum tempus, neque præbendi hominibus ſpecimen meæ divinitatis, atque miſſionis. Cum dies illa eſſet Sabbathi dies, & cæcus ille ne cogitaret quidem, ab eo oculorum aciem expetere, hoc proœmio Salvator Apoſtolorum ſuorum animos præparat [9]. Oportet me feſtinanter opus meum perficere, artificis inſtar, cui jam imminet nox. Sex dumtaxat vitæ menſes Jeſu Chriſto ſupererant. Opus illius erat prædicatio, & miraculoſæ actiones, quæ prædicationi comites B adeſſe debebant. Licet hæc ſit Sabbathi dies, atque intelligam futurum, ut inimici ſcandali occaſionem iſthic arripiant, maturare debeo hujus hominis ſalutem, licet ab illo minime petatur. Scio enim, non modicam gloriæ Dei acceſſionem fore, atque opus meum hinc non exigue profecturum.

℣. 5. QUAMDIU SUM IN MUNDO.] Arrepta diei, & noctis, de quibus locutus fuit ſuperiori verſiculo, occaſione, ſe mundi lumen appellat. Ego ſum velut Sol, omnem Mundum illuminans. Meum eſt, quocumque lumen afferre, & nullam occaſionem prætermittere hominum illuſtrandorum. Ad hoc enim Pater me miſit. Homo iſte in tenebris ſqualet; ego vero illi oculorum aciem, ut lucem videat, reſtituam.

℣. 6. HÆC CUM DIXISSET, EXPUIT IN TERRAM.] C Salvator de more miraculis ſuis ſtudet omnes certitudinis gradus comparare, quos poteſt, ut non ii ſolum, qui præſentes aderant, ſed qui deinceps futuri erant, illa in dubium revocare minime poſſent. Quo magis circumſtantiæ eorum perpenduntur, eo magis evidens illorum certitudo. Hic cæcus erat, & cæcus a nativitate, ideoque nullo ſanandus pharmaco. Jeſus ſponte illi oculorum aciem reddere vult; expuit in terram, parum luti conficit, hoc cæci oculos inungit, quod illum cæcum efficere debuiſſet, ſi cæcus antea minime fuiſſet. Mox ipſum mittit ad fontem Siloe, ad oculos abſtergendos, qui eo pergit, ac inde videns revertitur.

℣. 7. VADE, ET LAVA IN NATATORIA SILOE.] Fons Siloe erat ad radices mœnium Jeruſalem, quæ orientem ſpectabant. Ejus vero aquæ in immane receptaculum congregabantur ad urbis commodum. Ad D hanc aquarum congeriem Jeſus cæcum mittit. *Siloe* miſſum ſignificat, vel fontem ex ſcaturigine ſua cum impetu emanantem [10]. Jeſus Chriſtus ab æterno Patre in mundum miſſus erat, ut omnes homines, quorum cæcus hic a nativitate erat figura, illuminaret [11]. Natatoria, vel piſcina Siloe erat ſymbolum baptiſmatis, quo ſanctificamur, & Chriſtiani efficimur [12]. Turcæ ad hanc diem in pretio habent fontem Siloe, atque illius aquas oculorum morbis apprime utiles eſſe arbitrantur.

℣. 8. VICINI, ET QUI VIDERANT EUM PRIUS.] Miraculum neque ſecreto peractum fuit, neque a paucis cognitum, neque leviter creditum. Qui cæcum hunc noverant, in diverſas abierunt ſententias; non E utrum ille videret, nam hoc ſatis patebat; ſed utrum ille eſſet, qui ibi ab omnibus cognoſcebatur, namque in loco quodam ſedens palam eleemoſynam efflagitabat. Græcus typis editus, & plerique MSS. ſimpliciter legunt [13]: *vicini, & qui viderant eum prius, quia cæcus erat, dicebant* &c. Sed Verſiones Vulgata, Syriaca,

1 Philo de Plantatione Noe, p. 216. & de Gigantib. p. 285. & de Confuſione Ling. p. 331. & lib. quis rerum divin. hæreſ. p. 519. & lib. de ſomniis, p. 586. & 592.

2 Oratio Joſeph. apud Origen. tom. 5. in Joann. p. 77. 3 Vide Druſ. Grot. Ligfoot. Vide Cyrill. Alex. in Caten. Gr. 4 Levit. 20. 18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipſaque aperuerit fontem ſanguinis ſui, interficientur ambo de medio populi ſui.* Vide & Ezech. 18. 6.

5 Chryſoſt. Theophyl. Euthym. 6 Cyrill. in Caten. Theoph. Mald. alii.

7 Mald. Grot. Bing. 8 Theodor. Heracl. & Theodor. Mopſ. Aug. Beda hic. Cyrill. in Caten. Græc. Mald. alii. 9 Theodor. Mopſueſt. 10 Hieron. in Iſai. 8. *Non jugibus aquis, ſed incertis diei horis ebullit*, &c. Vide & Epiph. 11 Iren. lib. 4. c. 9. Chryſ. hic.

12 Beda, Rupert. Mald. alii. 13 Θεωροῦντες αὐτὸν τὸ πρότερον ὅτι τυφλὸς ἦν, ἔλεγον, &c. Alii ; τυφλὸς καὶ προσαίτης ἦν.

riaca, Cophta, Armenia, Gothica, Arabica, Æthyopica, & complures optimi MSS. Græci, & pleraque Græci, ac Latini Patres legunt; *quia mendicus erat* &c.

℣. 18. ILLE HOMO, QUI DICITUR Jesus.] Hic cæcus non antea viderat Jeſum, ſed intellexerat ea, quæ facta fuerant, ubi curaretur. Non ſatis adhuc animæ illius oculis lumen redditum fuerat; quoniam nondum Jeſum Chriſtum agnoverat, niſi quatenus virum bonum, atque prophetam ℣. 17.

℣. 12. UBI EST ILLE?] Illam comprehendere cupiebant, atque curam Sanhedrin ſtatuere, ut tamquam Sabbathicæ legis prævaricator damnaretur.

℣. 14. ERAT SABBATHUM, QUANDO LUTUM FECIT.] Docent Rabbini, jejuni hominis ſalivam oculorum morbis prodeſſe, neque ad hooc finem licere, eadem Sabbatho oculos oblinire [1]. Verum non deeſt omnis veritatis ſpecies, hoc adinventum ab illis fuiſſe, ut in invidiam adducerent Salvatoris factum, tamquam Sabbathi quieti contrarium. Lutum ex ſaliva facere quædam eſt ſpecies depſendi; ideoque actio, Sabbatho ſecundum Judæorum ſententiam oppoſita.

℣. 16. NON EST HIC HOMO A DEO, QUI SABBATHUM NON CUSTODIT.] Argumentum hoc præclarum videtur. Qui aperte legem Dei violet, non poteſt ſpiritu illius eſſe repletus, neque miſſus ab illo. Verum tria huic objectioni reſponderi poſſunt. 1. Jeſus Chriſtus, quatenus Deus, poterat non obſervare Sabbathum: quæ lex pro hominibus erat, non pro illo. 2. Poterat etiam, quatenus homo, Sabbathum violare cum gloria Dei, vel animæ ſalus, vel proximi bona valetudo quæreretur; quemadmodum ipſe Jeſus Chriſtus alio in loco probavit [2]. 3. denique falſum erat, Salvatorem Sabbathum violaſſe; nihil enim ſervile aggreſſus fuerat. Phariſæi tamen fallaci hoc inſiſtentes principio tamquam certiſſimo facto argumentantur.

ALII DICEBANT: QUOMODO POTEST HOMO PECCATOR &c.] Quidam ex Phariſæis, atque Sacerdotibus, qui fideles erant, & Jeſo Chriſto adhæſerant, veluti Nicodemus, hæc loquebantur. Eorum vero argumentatio laborare videtur: ſupponunt enim, miracula, vel ſaltem inſignia miracula, & qualia Jeſus Chriſtus operabatur, a peccatoribus patrari minime poſſe: liquido enim conſtat, ſceleſtos etiam nonnumquam æque magna operari miracula, ac illa, quæ viri boni operantur. Pharaonis Magi omnia fere Moyſis miracula imitati ſunt [3]; & hic Legislator ait, Pſeudo-Prophetas etiam nonnumquam prodigia operari poſſe, atque ventura prædicere [4]; Sed fieri non poteſt, ut Deus multorum miraculorum ſerie probet ſycophantam aliquem, Pſeudo-Prophetam, nebulonem: fieri non poteſt, ut permittat, eos, qui ex corde veritatem quærant, ad finem uſque a ſeductoribus falli, qui religionem corrumpunt, alioſque in errorem impellere quærunt. Denique fieri non poteſt, ut impius vivat, quomodo vixit Jeſus Chriſtus, doceat, quomodo ille docuit, & ea operetur miracula, quæ ille auctoritate, ac verbo ſuo operatus eſt ſine jactantia, ſine vanitate, ſine difficultate: quo in ſenſu verum eſt, talia prodigia a peccatore patrari non poſſe.

℣. 17. TU QUID DICIS DE ILLO?] Homini huic inſidias ſtruunt, ut inde occaſionem in ipſum irruendi nanciſcantur: at ipſe, quin animis pendeat, profitetur, Jeſum Chriſtum eſſe Prophetam, virum bonum, hominem a Deo miſſum; Hebræi enim Prophetarum nomine eos omnes appellabant, quoſcumque Deus præter ordinem favoribus ſuis dignabatur [5], & apud ipſos ea jam invaluerat doctrina, Prophetam

A poſſe a Lege Sabbathi diſpenſare [6].

℣. 21. ÆTATEM HABET.] Parem, ut in judicio audiatur, atque de ſua vivendi ratione teſtimonium perhibeat. Hæc ætas apud Hebræos erat annorum trium, ac decem [7].

℣. 22. UT EXTRA SYNAGOGAM FIERET.] Credunt hoc intelligendum de excommunicatione minori, quæ *nidui*, vel ſeparatio vocabatur [8], & in eo poſita ſimpliciter erat, ut aliquis a cœtu ſejungeretur. De variis excommunicationum ſpeciebus apud Judæos locuti ſumus in Diſſertatione de Hebræorum ſuppliciis, Deuteronomio præpoſita, & in Commentariis in S. Matthæum cap. 18. ℣. 28.

℣. 24. DA GLORIAM DEO.] Loquendi ratio, qua Judices utebantur ad juſjurandum exigendum [9], vel ut hortarentur eum, ad quem loquebantur, ad veritatem dicendam; perinde ac coram Deo loqueretur. Phariſæi huic homini metum injicere cupiunt, ut aliquid ex ipſo contra Jeſum Chriſtum eliciant. *Scimus, quia hic homo peccator eſt*; hoc ipſum fateri.

℣. 25. SI PECCATOR EST, NESCIO.] Cum vobis jurgari nolo: quandoquidem dicitis vobis compertum, ipſum eſſe peccatorem; ad examen non revoco rationes eas, quibus acti id arbitramini: verum id unum certiſſime ſcio, me ab illo curatum fuiſſe. Neque puto, inde probari poſſe, ipſum ſceleſtum eſſe hominem. Hoc verbum *neſcio* minime intelligendum eſt, perinde ac dubitaret, utrum Jeſus Chriſtus eſſet vir bonus [10]; id enim ſatis aperte confeſſus fuerat ℣. 17. cumque Prophetam eſſe dixerat, atque conſtanter hoc affirmare perſiſtit, ita ut dubium nemini eſſe debeat, ipſum de ſententia dejectum fuiſſe.

℣. 27. NUMQUID ET VOS VULTIS &c.] Hæc ſpecies eſt exprobrationis, qua Phariſæos redarguit, quod per fas, & nefas quolibet pretio invenire aliquid mali in vita Jeſu Chriſti conentur. Hæc veſtra curioſitas, & ſollicitudo, qua intelligere cupitis, quid in curatione mea acciderit; inde ne proficiſcuntur, quod optetis illius diſcipulos fieri, qualis ego ſum [11]?

℣. 29. NOS SCIMUS, QUIA MOYSI LOCUTUS EST DEUS: NUNC AUTEM NESCIMUS, UNDE SIT.] Vel potius neſcimus, unde veniat, neque a quo miſſus ſit; utrum ſit vir a Deo ſuſcitatus, an ſeductor: Satis enim, ſuperque noverant, illum a Galilæa veniſſe, ubi diu prædicaverat. Avertat Deus, ut Moyſem deſeramus, cujus certa eſt miſſio, ut ignoto homini adhæreamus: quaſi nullo haberent in diſcrimine tot præclara teſtimonia, & S. Johannis Baptiſtæ, & miraculorum Jeſu, ejuſque cœleſtis doctrinæ [12]. At ubi affectus aliquis animis noſtris potitus fuerit, nulla amplius æquitas ſperanda eſt, nulla ratio.

℣. 30. IN HOC MIRABILE EST.] Fierine poteſt, ut illi, quorum eſt veros a falſis prophetas dignoſcere, & qui ſe ſcire jactant, quid a bono, vel malo ſpiritu proficiſcatur, certum conſilium capere non valeant in re, quæ facilis adeo videtur? Homo irreprehenſibilis vitæ, integerrimæ, divinæque doctrinæ in me miraculum inſigne operatur, cujus teſtis eſt Civitas univerſa, & quod vos ipſi in dubium revocare minime poteſtis, & ambigitis adhuc, utrum a Deo miſſus ſit?

E ℣. 31. SCIMUS, QUIA PECCATORES DEUS NON AUDIT.] Homo hic loquitur juxta populi ſententiam, & veluti diſcipulus non ſatis adhuc eruditus [13]. Scriptura ſæpius loquitur eo pacto, quod huic ſententiæ ſuffragari videtur: *iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus*, ait Pſalmiſta pſal. 65. 18. *& cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos a vobis*, ait Dominus apud Iſaiam 1. 15. *& cum multiplicaveritis oratio-*

1 Maimon. apud Ligfoot Hor. Talm. 2 Matt. 12. 3. *Sacerdotes in Templo Sabbathum violant*. Et v. 11. *Si ceciderit ovis Sabbathis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? Quanto magis melior eſt homo ove?* Vide & Luc. 13. 14. 15. & Joan. 7. 22. *Sabbatho circumciditis hominem*, &c.
3 Exod. 7. 8. 9. 4 Deut. 13. 1. & ſequ. 5 Cyrill. Lucas. Mald.
6 Grot. hic, et alias. 7 Selden. de Synhedr. et Grot. hic.
8 Diuſ. Grot. le Clerc. Caprll. 9 Joſue 7. 19. 1. Reg. 6. 5. Luc. 17. 18.
10 Chryſ. Leont. Theophyl. Euthym. Mald. Brug. Grot. 11 Theodor. Leont. Mald.
12 Vide Chryſoſt. Theophyl. Euthym. 13 Aug. lib. 3. de Bapt. *Hæc adhuc inunctus loquitur: nam & peccatores Deus exaudit; alioqui fruſtra publicanus diceret; Deus propitius eſto mihi peccatori.*

orationem, non exaudiam, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt; & Iſai. 59. 2. *aggravata eſt auris ejus, ut non audiat: ſed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum.*

Aſſeri etiam pro certo poteſt, peccatorem, donec in peccati amore, atque juſtitiæ, & veritatis odio permanſerit [1], donec charitatis ſenſum non percipit, neque ullo Spiritus Sancti afflatu movetur, a quo ſaltem excitari incipiat, ita ut non terrore correptus, neque naturali proprii amoris motu ad Dominum clamet, a Deo non exaudiri; non enim audit Deus preces, quas Spiritus ſuus in corde non effinxit, & quarum particeps non eſt [2]: quo in ſenſu verum eſt, ut ait cœcus iſte, a Salvatore peccatores non exaudiri. Addi etiam poteſt, licet a Domino peccator exaudiretur, numquam tamen eo uſque iri exauditum, ut miracula operetur, atque inauditis favoribus cumuletur, & ſanctitas ſua ſignis adeo ſingularibus, atque perſpicuis hominibus oſtendatur [3].

Si quando permittit Deus, ut impii, ſeductores, Pſeudo-Prophetæ miracula operentur, eoſque ita exaudire videtur; illos audit in ira ſua, eiſque concedit iratus, quod miſericors renuiſſet [4]. *Metuendum, ne, quod poſſes non dare propitius, concedat iratus*, ait S. Auguſtinus in Joann. Tract. 63. n. 1. Et Dæmones etiam nonnumquam exaudit; quomodo olim Sathanæ permiſit, ut tentaret Job [5]; & dæmonibus, ut in porcos ingrederentur [6]. Non ideo tamen horum ſpirituum nequam preces illi acceptæ fuerunt; non ſecus ac preces Hebræorum murmurantium, quibus carnem tribuit, quam popoſcerant [7]; neque ideo probat Iſraelitarum conſilium, quos paritur Regem ſibi, quemadmodum deſiderabant [8], eligere; ut docet, S. Auguſtinus inquit [9], dolendum nobis non eſſe, ſi quid minime ſecundum vota noſtra concedit, neque nimis lætandum, ubi ea concedit, quæ ab ipſo petenda non eſſent, ſi quid vere noſtra intereſſet, cognoſceremus. *Non habeatis pro magno, exaudiri ad voluntatem*, inquit [10] Doctor idem: *habete pro magno exaudiri ad utilitatem.* Igitur cœcus non ait, illum exaudiri a Deo, qui exauditur in ira Dei: *peccatores non audit*: ſed de iis precibus intelligit, quas in miſericordia ſua exaudit Deus, & quarum effectum ad gloriam quidem ſuam, noſtram vero ſanctificationem concedit: *exaudiri ad utilitatem, non ad voluntatem.*

Cœcus a nativitate duo alia iſthic ſupponit, quæ nullatenus vera ſunt: primum, Jeſum Chriſtum eſſe ſimplicem virum bonum, aut prophetam; alterum, ipſum non ex propria virtute miracula operari, ſed vi precum ſuarum, quas vel clam, vel palam effundebat, ut a Deo gratiam patrandorum miraculorum obtineret. Salvatoris divinitatem, abſolutam infinitamque potentiam, tunc tandem agnoſcit, ubi eum eo collocutus eſt ℣. ℣. 35. 36. 37. 38.

Donatiſtæ [11] hoc loco cœci nati abutebantur, ut aſſererent, Sacramenta ab impiis collata gratiam minime conferre, & nulla eſſe. Argumentabantur vero, huic fallaci doctrinæ inſiſtentes, Sacramentorum effectum ex conferentis virtute, & merito pendere; cum Eccleſia doceat, JESUM CHRISTUM Auctorem, atque Inſtitutorem Sacramentorum, & ſe quoque eorumdem miniſtrum inviſibilem; & ipſum, non Sacerdotem Sacramentis virtutem, atque efficaciam impartiri. Si Sacerdos orat, orat nomine Eccleſiæ, ſi baptizat, baptizat in nomine JESU CHRISTI, & Eccleſiæ. Orationes illius tamquam privati alicujus malæ eſſe poſſunt, ſed Eccleſiæ orationes, cujus ille miniſter eſt, ſemper exaudiuntur.

℣. 32. A SÆCULO NON EST AUDITUM.] Non Moyſes, non Prophetæ aliquid umquam ſimile fecerunt [12]; quomodo ergo, qui oculorum aciem mihi contulit, Propheta non eſt? Fieri non poteſt, ut Deus impio faveat, eique poteſtatem conferat, quam numquam præcipuis ſervis ſuis conceſſit? Hæc valida quidem eſt argumentatio, atque ſatis popularis: verum preſſius conſiderata, non magni momenti videtur. Magnitudo, & multitudo miraculorum non ſemper illa operantis meritum oſtendunt: inde enim inferri poſſet, quibuſdam ex JESU CHRISTO Diſcipulis majus fuiſſe meritum, quam Magiſtro, quod plura operati fuerint miracula.

℣. 34. IN PECCATIS NATUS EST TOTUS.] Ubi viderunt, hominem hunc, neque minis, neque illecebris in ſuas partes pertrahi poſſe, illum de cœtu ejecerunt, atque excommunicarunt [13], *ejecerunt eum foras.* Exprobrarunt illi priſtinam infirmitatem, quaſi ſignum & torpis, & criminoſæ ipſius nativitatis. Supponunt, ipſum natum eſſe nonnum, & cœcitatem illius ſignum eſſe alicujus occulti peccati, quod ante nativitatem patraverit [14]: ſed hic idem eſt error, quemadmodum jam animadvertimus, in quo Apoſtolos eſſe verſatos, crediderunt quidam, antequam hac de re a JESU CHRISTO edocerentur. Vide ſupra ℣. 2. & 3.

℣. 35. AUDIVIT JESUS.] Hoc jam ſciebat divina, atque infinita ſcientia; ſed agere voluit, quaſi hoc humano more intelligeret. Nuntiarunt illi, quomodo homo ille habitus fuerat.

TU CREDIS IN FILIUM DEI?] Non dixit ſtatim, *credis in me?* per gradus, & ſeorſim illum ad fidem deducere ſtudet. Homo hic credebat, JESUM CHRISTUM eſſe Prophetam; at Salvator iſthic illi divinitatem ſuam, & Meſſiæ dignitatem oſtendit: *credis in Filium Dei?*

℣. 36. QUIS ES, DOMINE?] Credunt nonnulli [15], cœcum natum non dubitaſſe, quin JESUS CHRISTUS eſſet Dei filius; at neſciebat, utrum ille, qui ſecum loquebatur, eſſet JESUS CHRISTUS; numquam enim illum viderat. Sed fidei conſonum eſt [16], illum noviſſe, quod loquebatur ad Jeſum a Nazareth, quem tunc nonniſi Prophetam habebat. Quærit igitur ex eo, ubi eſt Filius Dei? Quinam hic eſt, ut illum adorem?

℣. 37. VIDISTI EUM.] Ego ipſe ſum: poteſtatis ejus effectus expertus es, ipſe tibi oculorum aciem reddidit: *vidiſti eum.*

℣. 38. CREDO DOMINE.] Confiteor, te eſſe Meſſiam, & Dei filium, atque ſimul adoro, & eo cultu veneror, qui Deo uni debetur [17]. Hactenus credidit, hunc Sanctum eſſe virum, atque Prophetam: ſed eum tunc ſolum adorat, cum Dei Filium eſſe audit: *vis videre, qualem credat? & procidens adoravit eum*, ait S. Auguſtinus in hunc locum.

℣. 39. IN JUDICIUM EGO IN HUNC MUNDUM VENI.] At quodnam eſt hoc judicium? ut qui non vident, videant, & qui vident, cœci fiant. En ad quid in mundum venerim. Ethnici, qui ſunt in tenebris, lumen recipient; Judæi, qui ſunt in lumine, decident in tenebras. Sacerdotes, Phariſæi, atque Legis Doctores, qui Legem tenent, cœci erunt, & ſimpliciſſimus quilibet e populo, cui cor rectum eſt, atque anima non adeo depravata, fidei, ac veritatis lumine illuſtrabuntur.

Judicium hoc in loco ſignificat & damnationem, cui JESUS CHRISTUS adduxit Judæos ſuperbos, atque pertinaces [18], & gratiam, quam conceſſit Gentilibus, qui

erant

1 Janſ. Tit. Nat. Alex. hic. 2 Rom. 8. 26. *Quid oremus ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Vide Aug. in Pſal. 108. ſerm. 14. n. 2.

3 Leont. Theoph. Euthym. Mald. Brug. Menoch. Eſt. Janſen. alii.

4 Vide Matth. 7. 22. Oſee 13. 11. Deut. 13. 1. 2. et ſeq. 6 Job 1.12. 2. 6.

6 Luc. 8. 32. 7 Num. 11. 59. 8 1. Reg. 8. 22.

9 Auguſt. Epiſt. 130. num. 26. nov. edit. 10 Auguſt. ſerm. 354. num. 7. p. 1378.

11 Vide Auguſt. hic, et lib. contra duas Epiſt. Parmen. cap. 8. et lib. de Baptiſmo contra Donatiſt. cap. 20. et lib. 1. Retract. cap. 1. 12 Theodori duo, Cyrill. Leont. Grot. Maldonat.

13 Leontius, Brug. Ligfoot. 14 Theodor. Heracl. et Theodor. Mopſ. Cyril. Leont. Maldonat.

15 Theophylact. Leont. 16 Theodor. Heracl. et Theod. Mopſ. et Maldonat. Grot.

17 Maldonat. Brug. Grot. 18 Chryſoſt. Cyrill. Leont. Theophylact. Auguſt.

erant in Eccleſiam tranſituri, vel manifeſtationem conſiliorum Dei erga homines; quorum alii in infidelitate permanent, alii per ſecretum, atque impenetrabile divinæ Juſtitiæ, atque Sapientiæ judicium fidei lumen recipient [1]. Ita ſanctus ſenex Simeon dicebat, Jesum Christum in terras veniſſe pro interitu, & reſurrectione plurimorum [2]; & Jeremias [3] mittitur ad deſtruendum, & ædificandum, ad evellendum, & plantandum, & Iſaias [4], Judæos excæcare, atque obdurare jubetur. Neque Prophetæ, neque Salvator, quatenus homo, aliquid ſimile per ſeipſos, atque directe fecerunt. Voluit Spiritus Sanctus oſtendere ſimpliciter per hæc verba, quid eſſet eventurum, non autem illius nobis cauſam oſtendere [5]; quæ in humani cordis nequitia, atque altitudine judiciorum Dei tantummodo quærenda eſt, Rom. 11. 13.

℣. 41. Si coæci essetis, non haberetis peccatum.] Si ita humiles eſſetis, ut inſcitiam, atque infirmitatem veſtram agnoſceretis, ejuſque medicinam ſerio perquireretis, quamprimum peccato immunes eſſetis, facile cæcitatis veſtræ, quæ malum, & peccatum veſtrum eſt, curationem inveniretis. Verum cum ſuperbia tumidi ſitis, in cæcitate, atque ſcelere veſtro permanebitis [6]. Cæcitatem appellat peccatum eorum: re enim vera, cum voluntarium eſſet, maxime flagitioſum erat, atque inexcuſabile.

1 Vide Cyrill. hic, & Cornel. a Lapide. 2 Luc. 2. 34. 3 Jerem. 1. 10.
4 Iſai. 6. 10. 5 Theodor. Heracl. & Mopſ. Theodoret. in Cat. Cyrill. Euthym. Mald.
6 Auguſt. Beda hic. Eucher. quæſt. in Joan. alii. Brug. Orot. Maldonat.

CAPUT X.

Bonus Paſtor. Illius characteres. Illius oves, & ovile. JESUS CHRISTUS unum tantum ovile conſtituet. Ad Templum accedit Dedicationis die. Urgent Judæi, ut fateatur, utrum ſit Meſſias. Hoc ſatis probant ejus miracula. In eum lapides conjicere conantur. Ille vero ſe tuetur operibus, quæ in Judæorum gratiam operatus eſt.

1. AMen, amen dico vobis: qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed
aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro. 2 Qui autem intrat per oſtium,
paſtor eſt ovium. 3 Huic oſtiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt,
& proprias oves vocat nominatim, & educit eas. 4 Et cum proprias oves emi-
ſerit, ante eas vadit: & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus. 5 Alie-
num autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo; quia non noverunt vocem alieno-
rum. 6 Hoc proverbium dixit eis Jeſus. Illi autem non cognoverunt, quid lo-
queretur eis. 7 Dixit ergo eis iterum Jeſus: Amen, amen dico vobis, quia ego
ſum oſtium ovium. 8 Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones, & non
audierunt eos oves. 9 Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur: &
ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet. 10 Fur non venit, niſi ut furetur,
& mactet, & perdat. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. 11
Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. 12
Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum
venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & diſpergit oves: 13
Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovi-
bus. 14 Ego ſum paſtor bonus: & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.
15 Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem: & animam meam pono pro o-
vibus meis. 16 Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: & illas opor-
tet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor.
17 Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam
eam. 18 Nemo tollit eam a me: ſed ego pono eam a meipſo, & poteſtatem ha-
beo ponendi eam: & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: Hoc mandatum ac-
cepi a Patre meo. 19 Diſſenſio iterum facta eſt inter Judæos propter ſermones
hos. 20 Dicebant autem multi ex ipſis: Dæmonium habet, & inſanit: quid eum
auditis? 21 Alii dicebant: Hæc verba non ſunt dæmonium habentis: numquid
dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire. 22 Facta ſunt autem Encænia in Jero-
ſolymis, & hyems erat: 23 Et ambulabat Jeſus in templo, in porticu Salomonis.
24 Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: Quouſque animam noſtram
tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam. 25 Reſpondit eis Jeſus: Loquor vo-
bis & non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimo-
nium perhibent de me: 26 Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.

27 Oves meæ vocem meam audiunt : & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: 28
Et ego vitam æternam do eis : & non peribunt in æternum, & non rapiet eas
quiſquam de manu mea. 29 Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus eſt :
& nemo poteſt rapere de manu Patris mei. 30 Ego & Pater unum ſumus. 31
Suſtulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. 32 Reſpondit eis Jeſus : Mul-
ta bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapida-
tis? 33 Reſponderunt ei Judæi : De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſ-
phemia : & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum. 34 Reſpondit eis Jeſus:
Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra : quia ego dixi, dii eſtis? 35 Illos dixit deos,
ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura: 36 Quem Pater ſan-
ctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis : Quia blaſphemas : quia dixi : Filius
Dei ſum? 37 Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. 38 Si autem
facio : & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & creda-
tis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre. 39 Quærebant ergo eum apprehen-
dere : & exivit de manibus eorum. 40 Et abiit iterum trans Jordanem, in eum
locum, ubi erat Joannes baptizans primum : & manſit illic. 41 Et multi vene-
runt ad eum, & dicebant : Quia Joannes quidem ſignum fecit nullum. 42 Om-
nia autem, quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt
in eum.

℣. 1. QUI NON INTRAT PER OSTIUM.] Ut rite ſermonem hunc aſſequaris, ſupponas opus eſt, illum a Salvatore prolatum fuiſſe Jeroſolymæ, ibidem, ubi cæcum jam curatum invenit. Cum Jeſus ſe illi manifeſtaſſet, eidem dixit, ſe eſſe lumen Mundi : ſed ſimul addidit, lumen hoc aliis cæcitatem, aliis lucem allaturum. Phariſæi, qui aderant, ubi dictum putarunt, quod illis de mentis cæcitate dixerat. Ideo illi exarſerunt in iram, eiſque Jeſus Chriſtus dixit, ſi adeo humiles eſſent, ut cæcitatem ſuam confiterentur, ipſos facile mentis aciem impetraturos. Pergit hoc in loco, & ſub Paſtoris, gregiſque parabola oſtendit, ſe Eccleſiam ſuam ex Gentilibus, & Judæis eſſe compoſiturum; ex utriſque vero illos tantum admiſſurum, qui ſuam vocem audierint. Idipſum ille repetebat, verum alia utebatur figura ab ea, quam capite ſuperiori inſtituerat verſ. 39. *veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant*. Judæi increduli, atque audaces, qui meam doctrinam flocci faciunt, oves ſunt, Paſtoris vocem non audientes : illi ſunt, qui ſe videre rati, vere cæci ſunt : illi vero, qui cum cæci ſint, videntes fiunt, Ethnici ſunt, qui convertentur, & Judæi, qui credent.

Lumen mundi, bonus Paſtor, oſtium in ſepta adducens, eſt JESUS CHRISTUS. Falſi Paſtores, cæci voluntarii, homicidæ, latrones ſunt, Pſeudo-CHRISTI, Pſeudo-Prophetæ, pravi Sacerdotes, Scribæ, & Phariſæi, JESU CHRISTI inimici. Unicum ovile ex duobus gregibus in unum collectis eſt Eccleſia Chriſtiana ex Gentilibus, qui fidem acceperunt, & Judæis converſis coaleſcens. Hic eſt parabolæ ſenſus, & nexus, quem cum ſuperioribus habet : revertamur ergo ad textum Evangeliſtæ.

Qui non intrat per oſtium in ovile ovium [1], vel in ſepta aridis ſentibus, valliſque circumdata, in quibus toto anni tempore in Palæſtina oves noctem tranſigunt, & qui *aſcendit aliunde*, qui vallum ſupergreditur, ut ingrediatur ; non æqua mente ingreditur; venit ſolum, ut occidat, ut diripiat, ut furetur. Hic fur eſt, & homicida. Hic eſt character omnium Pſeudo-Prophetarum [2], & omnium Pſeudo-Chriſtorum ; præſertim vero Phariſæorum, ad quos Jeſus Chriſtus loquebatur, & qui haberi cupiebant ſoli doctores, & populi capita ; per invidiam ac furorem iis adverſantes qui cumque ſibi minime adhærerent, neque eſſent conſiliorum ſuorum participes.

Me perſequimini, perinde ac alienus eſſem, atque opus aggrederer gregis agendi, paſcendique, qui ad me minime pertinet. Vos eſtis mali Paſtores, & mercenarii [3] : ego verus ſum Paſtor, a Deo miſſus ad oves, quæ de domo Iſrael erraverant, perquirendas [4]. Non ingreſſi eſtis in ovile per oſtium, per Dei vocationem, per ſpiritum illius : per ambitionem, & jactantiam obrepſiſtis, ubique per errorem, atque ſuperbiam perſiſtitis, & quin palearis ſanis præceptis gregem, illum prava doctrina, perniicioſis exemplis, & propoſitionibus enecatis.

℣. 2. QUI INTRAT PER OSTIUM, PASTOR EST OVIUM.] Paſtor ovilis eſt Dominus. Illuc ingreditur, ubi vult ; non ſtudet ſepta ſuperſilire, non ſe abdit ; quia nonniſi ut gregem videat, ejuſque curam habeat, ingreditur. Sed latro aut ſeram infringit, aut vallum ſupergreditur. Ovilis oſtium, ex compluribus Veterum Patrum ſententia [5], eſt Sancta Scriptura. Ipſa eſt veluti clavis, aditum præbens in corda, cum Paſtores Sanctorum librorum auctoritate probant doctrinam, quam ſuis ovibus annunciant. Sed aptius videtur, hoc de divina vocatione intelligi [6] : *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem Sacerdotii*, atque Paſtoralium munerum in Eccleſia, *ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*, Hebr. 5. 4.

JESUS CHRISTUS ipſe inferius ait, ſe eſſe ovilis oſtium [7], & plurimi Patres [8] putarunt, id ira hoc in loco eſſe intelligendum. At quomodonam & oſtium ſimul, & Paſtor eſſe poteſt ? Utrumque eſſe poteſt diverſa ratione erga Eccleſiam Chriſtianam, Hoc nobis minime negotium faceſſit : illud vero faceſſit, quomodo eſſe poſſet oſtium ovilis in Lege veteri, & habita ratione Phariſæorum, ad quos loquebatur. Quomodo Phariſæi, & Doctores Legis raptores erant, & homicidæ, quod per illum non ingrediebantur ? Duo reſponderi poſſunt ; primum, Legis Doctores, & eos, qui ſe Judaici populi Paſtores ferebant, mittendos fuiſſe a JESU CHRISTO quatenus Deo ; ipſe enim omnes miſit Prophetas : ſecundo quatenus Meſſias : erat verum ovilis oſtium ; & ex quo in mundum venerat, atque doctrina, miraculiſque ſuam miſſionem probaverat, ſe Judaicæ reli-

1 Εἰς τὴν αὐλήν. Homer. Odyſſ. O. Πρόδομος ὁ ἔξω, [illegible]
2 Hieron. lib. 2. contra Pelag. 3 Chryſoſt. Theophylact. Euthym. Cyrill. Maldonat. Brug.
4 Matth. 15. 24. 5 Chryſoſt. Theophylact. Euthym. Leont.
6 Maldonat. Brug. Grot. alii. 7 Verſ. 7. *Ego ſum oſtium : per me ſi quis introierit, ſalvabitur &c.*
8 Cyrill. Auguſt. hic. Gregor. Magn. homil. 15. in Ezech. Beda, Rupert.

A religionis caput profeſſus fuerat, ad ipſum omnis docendi, explicandi, diſpenſandi, miniſtros Legis inſtituendi, atque ejiciendi ſpectabat auctoritas. Nemini jus erat docendi, niſi per illum, ex illius auctoritate, & per miſſionem illius. Pharisæi non ſolum ab illo miſſi non erant, ſed illi ubicumque adverſabantur: per oſtium ergo non ingrediebantur, ideoque nonniſi latrones, & raptores erant habendi.

℣. 3. HUIC OSTIARIUS APERIT.] Operæ pretium eſt animadvertere, ovilia vel in agris fuiſſe, vel in atrio domus. In illa præcipue cogebantur greges interdiu, vel cum propter longinquitatem, domum reverti non poterant. In hæc vero nocte æſtate claudebantur. Poſtrema hæc ovilia in angulo quodam cohortis [1] extruebantur; & janitor clavem illorum, non ſecus ac clavet domus aſſervabat. Statim ac aderat Paſtor, ut ingrederetur, oſtiarius, quin diffideret, januam illi aperiebat, ſinebatque, illum oves ſuas inviſere, illis blandiri, eas nominatim appellare, & inviſere. Hoc illius erat munus. Oſtiarius hic eſt ipſe Deus, Paſtoribus ſuis miſſionem tribuens [2].

B PROPRIAS OVES VOCAT NOMINATIM.] Hoc innuit Paſtoris cum ovibus ſuis familiaritatem: ſingulis nomina imponit, ſingulæ ex nomine vocatæ accedunt, & ſciunt quænam ſingillatim ab ipſo vocentur. Dominici gregis oves omnes homines ſunt. Venit JESUS CHRISTUS, ut eos ſimul omnes ad fidem [3], ſalutemque vocaret, ſine ullo Judæi, vel Gentilis diſcrimine. Verum peculiare ejus ovile, & grex electos ſuos Judæi, ibi oves habet dociles, & dicto obedientes; iique ſunt Judæi fideles, qui JESU CHRISTI Paſtoris ſui voces intelligunt. C Aliæ quidem ſunt oves indociles, atque inobedientes, Judæi videlicet, mali Phariſæi, eorumque ſimiles.

Præter diſtinctum hoc, electumque ovile alterum habet longe latius, ſed non adeo jucundum, Ethnicos videlicet [4]: inter hos Salvator quoſdam habet electos, qui in ipſum credituri ſunt; quidam vero ſunt reprobi, in infidelitate ſua permanſuri. Ex Judæis converſis, & Gentilibus ad fidem evocatis, inſtituet Eccleſiam ſuam, cui præſertim ea omnia conveniunt, quæ hoc in loco de grege, ovibuſque ſuis dicit [5]. Hoc enim in capite diligentius diſtinguenda ſunt tempora, & characteres, quæ Jeſus Chriſtus in parabolis ſuis non ſemper diſtinguit. Nonnumquam loquitur ille de Eccleſia ſua, qualis erat futura, non qualis erat: ſæpius Judaicæ Eccleſiæ tribuit, quod Chriſtianæ tantummodo convenit; D prius enim illa erat veluti ſtirps cui Eccleſia Chriſtiana erat inſerenda.

℣. 4. ANTE EAS VADIT.] In Scripturis nonnumquam dicuntur Paſtores, ſequi oves ſuas [6], & nonnumquam illas præcedere, ut hoc in loco, & Pſalmo 79. ℣. 2. *qui regis Iſrael intende, qui deducis velut ovem Joſeph*: & Pſal. 22. 2. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocavit*: & Pſalm. 76. 20. *deduxiſti ſicut oves populum tuum, in manu Moyſi, & Aaron*. Hæ omnes loquendi rationes innuere videntur, Paſtorem ante gregem ſuum incedere conſuevisse. Jeſus Chriſtus, ejuſque Apoſtoli ſunt forma, & exemplum gregis ſibi commiſſi [7].

E SCIUNT VOCEM EJUS.] Illius clamores, illoſque intelligunt, illi parent, illum verentur. Hoc tamen in morali magis, quam in phyſico ſenſu verum eſt. Veri fideles quaslibet res novas perhorrent, atque aderunt omnem doctrinam, ex legitimis Paſtoribus non profectam, quorum præceptis ſe ſe dociles præbent, & mandatis parentes.

A ℣. 7. EGO SUM OSTIUM OVIUM.] Per me oves in ovile ingrediuntur; per me ingreditur Paſtor ad gregis regimen: *Dicant ergo Pagani*, S. Auguſtinus ait [8]; *bene vivimus. Si per oſtium non intrant, quid prodeſt eis, unde gloriantur? Ad hoc enim debet unicuique prodeſſe bene vivere, ut detur illi ſemper vivere; nam cui non datur ſemper vivere, quid prodeſt bene vivere? Quia nec bene vivere dicendi ſunt, qui finem bene vivendi, vel cæcitate neſciunt, vel inflatione contemnunt*. Paſtor, qui aliunde quam per oſtium ingreditur, falſus eſt Paſtor, & lupus rapax. Si Dei Filius introitum illius non comitatur, quomodo muneris ſui officia poterit adimplere? unde lumina, & gratias ad gregem erudiendum, agendum, caſtigandum, conſolandum neceſſarias recipere poterit? Vide dicta in verſ. 2.

B ℣. 8. OMNES QUOTQUOT VENERUNT, FURES SUNT.] Græca legit [9]: *omnes quotquot venerunt ante me &c.* ſed hæc verba *ante me* in plurimis Græcis exemplaribus, Syriaca verſione, Perſica, Gothica, & plurimis Patribus deſiderantur [10]. Critici quidam opinantur, in ipſis Eccleſiæ primordiis illa expuncta fuiſſe, quod iiſdem perperam abuterentur Manichæi, qui teſte Theophylacto inde Prophetas Veteris Teſtamenti a Deo nequaquam miſſos fuiſſe inferebant. Verum Salvator alibi, neque ita raro, præclarum perhibet Prophetis teſtimonium; id vero hoc unum innuit, eos omnes, qui ante ſe Meſſiæ nomen, & dignitatem vendicare cupierant [11], veluti Theudas, & Judas Gaulonites, de quo in Actis ſermo eſt [12], latrones fuiſſe, atque homicidas; & eos, qui ante ipſum venerant, quin ab ipſo miſſi fuiſſent, & C quin extraordinariis miraculis miſſionem ſuam probaſſent, veluti Pſeudo-Prophetæ [13], Phariſaicarum traditionum, & Sectarum, quæ tunc apud Judæos dominabantur, auctores, veros Paſtores non eſſe.

℣. 9. INGREDIETUR, & EGREDIETUR, & PASCUA INVENIET.] Ingredi, & egredi in Hebræorum ſtylo [14], omnes humanæ vitæ actiones, & libertatem agendi, vel non agendi, diſcedendi, vel non diſcedendi ſignificant. Bonus Paſtor gregem ſuum adducet in paſcua, & reducet. Deus illius curam geret, in ipſum ſuas benedictiones effundet, optimas inveniet paſtiones, grex increſcet; ille vero lumine, & gratiis cumulabitur. Hoc tamen apertius innoteſcit ex antitheſi mali Paſtoris, oves ſuas negligentis, illas deglubere, atque enecare cupientis, atque pro lætis paſcuis virulentum D gramen, læthiferumque potum illis tribuentis. Si gregem in agros deducit, in præcipites agit locos, ſteriles, inſalubres.

℣. 10. FUR NON VENIT, NISI UT FURETUR.] Qui Eccleſiaſticas dignitates per ambitionem, atque ſuperbiam, & lucri cupiditatem aucupantur, ſuæ dumtaxat conſulunt aviditati, & voluptati, atque veniunt, *ut furentur, mactent, & perdant*. Eorum vita ſimplicibus eſt laqueus, & ſcandali occaſio; doctrina illorum eſt cibus mortis; ſcelera ipſorum in ſe, & ſæpius etiam in gregem ſuum Dei iram detorquent: *Væ Paſtoribus Iſrael*, dicit Dominus Ezech. 34. 2. *qui paſcebant ſemetipſos; nonne greges a Paſtoribus paſcuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis*. Deſcri- E ptiones malorum Paſtorum, quæ & ab Ezechiele, & a Salvatore hoc in loco adornantur, mirum in modum exhibent Phariſæorum, Doctorum Legis, impiorumque tunc temporis Sacerdotum ingenium, atque flagitia. Superbia, ambitio, avaritia, hypocriſis, ſuperſtitio illorum characterem conficiunt.

1 Vide Homer. Odyſſ. O. & Columell. lib. 7. cap. 3. et Varron. cap. 2.
2 Theodor. Heracl. Rupert. Maldonat. alii. 3 1. Timoth. 2. 4. *Deus omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 4 Mox verſ. 16. *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili.*
5 Maldonat. Cornel. a Lapide, alii pleriqoe. 6 2. Reg. 7. 8. Pſalm. 77. 71.
7 1. Petr. 5. 3. *Facti forma gregis.* 8 Auguſt. hic, tract. 45. num. 1. 2.
9 Πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον. 10 Vide Mill. Var. Lect. hic.
11 Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Cyrill. Theodor. Heracl. & Mopſueſt. Maldon. alii.
12 Act. 5. 36. 37. 13 Auguſt. lib. 16. contra Fauſt. cap. 2. & lib. 2. contra adverſar. Legis, & Prophetar. Hieronym. lib. 2. contra Pelag. Beda hic.
14 Deut. 28. 6. 1. Reg. 29. 6. & 3. Reg. 3. 25. 2. Par. 1. 10. Pſalm. 120. 8.

Ut vitam habeant.] Affluenter meas oves paſco, in optima paſcua deduco, ſingulari cura eorum conſulo incolumitati, illis invigilo, laborum ipſorum miſereor, & medeor vulneribus: lupos vero, & carnivoras feras ab illis longius arceo. Atque ut a figurato ad realem ſenſum migremus, Salvator fidelibus ſuis doctrinam integram, atque vitæ ſuæ exemplar proponit; illos ſua cumulat gratia in hoc mundo, in altero vero æternam illis vitam pollicetur [1]: *ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Vide ſupra verſ. 10. Hoc longe differt a Pſeudo-Paſtoribus, qui veniunt, ut jugulent, deglubant, perdant.

℣. 11. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.] Se objicit periculis, ut gregem ſuum ſervet, temporum incommoda patitur, frigore, æſtus, imbres, ne oves ſuas luporum deſerat aviditati. Cujus rei præclarum Jacob præbet exemplum: *nec captum a beſtia oſtendi tibi . . . . die, noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis* [2]: & David Sauli dicebat [3]: *paſcebat ſervus tuus Patris ſui gregem, & veniebat leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant adverſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam.*

Hoc eſt veri Paſtoris exemplar. At nonne majora adhuc his pro ovibus præſtitit Jeſus Chriſtus, vitam ſuam, requiem, ſanguinem ſuum impendit, ſe ſe inimicis ſuis in prædam tradidit, obtulit ſe veluti victimam Patri de Cruce, ut oves, quas lupus, aut Dæmon abſtulerat, redimeret. Poſt mortem vero ſuam non ceſſat Eccleſiam tueri, gregem ſuum paſcere, conſolari, confirmare, ſeu intrinſecis luminibus, & gratiis, ſeu Spiritus ſui in corda fidelium effuſione, ſeu denique in Eccleſia ſua Paſtores, zelo, charitate, ac Spiritu ſuo repletos excitans; cujuſmodi fuerunt Apoſtoli, plurimique Epiſcopi, morum ſanctitate, & amore erga Eccleſiam celeberrimi, & alii etiam complurimi, ſecundarii ordinis Paſtores, qui peculiares Eccleſias, & direxerunt, & dirigunt.

℣. 12. Mercenarius autem, & qui non est Pastor &c.] Locutus eſt ſupra de furibus, qui per ſepta in ovile ſupergrediuntur, & qui oves perdere, & jugulare deſiderant. Hic vero aliud genus deſcribit, mercenarios videlicet, & conductitios Paſtores, qui gregem paſcunt, ut lucrum ferant, & ad quos non pertinet de ovibus. Vident lupum venientem, & quin illi adverſentur, eumque voce & manu ejiciant, ipſi fugam corripiunt, gregemque raptoris vi derelinquunt. Allegoriæ hujus in morali ſenſu explicatio facillima eſt [4].

℣. 14. Cognosco oves meas.] Non loquitur iſthic de Theoretica cognitione, quæ invenitur nonnumquam in mercenario Paſtore, & in ovibus male paſtis; ſed intelligit amoris, atque benevolentiæ cognitionem. Jeſus Christus oves ſuas, & cognoſcit, & amat; cognoſcit infirmitatem earum, miſeretur, ſcrutatur penitiora cordis earum, illiſque ſancta deſideria, ſanctoſque affectus immittit. Oves autem viciſſim illum cognoſcunt, amant, quærunt, cum voluptate, & fructu audiunt. Sequenti verſiculo addit, ſe illas cognoſcere; quomodo & Patrem cognoſcit, & a Patre cognoſcitur, *ſicut novit me Pater, & ego cognoſco Patrem*, quod perfectiſſimam, & amoris, reverentiæ, obedientiæ refertiſſimam cognitionem, & charitatem, deſignat [5]. Hoc loco abuti noſtri eſt, ut inferatur fidelium, & Jesu Christi cum Patre inæqualitas. Salvator non aliud ſignificat, quam mutuam, perfectamque cognitionem, qualem admittere poteſt natura duorum ſubjectorum; infinite perfectam inter Jesum Christum, & Patrem, multo minus perfectam habita ratione fidelium [6].

℣. 16. Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili.] Oves hæ ſunt Gentiles populi, qui non erant ex Judæorum grege, ad quos Jesus loquebatur. Eas autem adducere debebat, non in Judæorum ovile; nam ex ipſis Hebræis ſegregaturus erat fideles ſuos; ſed in Eccleſiam ſuam, ubi Judæi ſimul, & Ethnici ad fidem evocati coaleſcere debebant, ut unum duntaxat ovile ſub Paſtore uno conficerent: *& fiet, unum ovile & unus Paſtor*. Vide Rom. 10. 12. Epheſ. 11. 14. *Ipſe fecit utraque unum, medium parietem maceriæ ſolvens.*

℣. 17. Propterea me diligit Pater.] Inter cæteras rationes, propter quas me diligit Pater, hæc non minima eſt, ſcilicet quod vitam pro ovibus meis impendo. Salvator hic loquitur, quatenus homo [7]. Ait, *ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam*, hoc eſt ipſum mori, quia mori vult, mori ut reſurgat, & ad mortem minime [8] cogi. Vitam meam pono propter amorem erga Patrem meum; eam pono, quia volo. Non morior in æternum; ſed iterum ſumam animam meam, ubi voluero; *pono animam meam, ut iterum ſumam eam*. Particula ut, non ſignificat cauſam, vel mortis finem, ſed conſequens illius [9].

℣. 18. Nemo tollit eam a me.] Eam libere trado, mihi jus eſt illam ponendi, & iterum ſumendi, *Hoc mandatum accepi a Patre meo*; in hac re exequor Patris mei voluntatem, ſeu moriar, ſeu reſurgam, illius voluntati ſatisfacio. Iſthic etiam loquitur, quatenus homo; nam quatenus Deus, nihil ipſi a Patre imperatur.

℣. 19. Dissensio iterum facta est,] ſimilis illi, quæ ſuperius refertur cap. 9. ℣. 16.

℣. 22. Facta sunt Encænia.] Hoc eſt feſtum Dedicationis Templi, vel potius purificationis, atque inſtaurationis ejuſdem in memoriam eorum, quæ ſub Juda Macchabæo contigerunt; cum Templum Antiochi Epiphanis juſſu pollutum [10] Judas expiavit, ibique iterum ſacrificia offerri voluit, quæ triennio offerri deſierant [11]. Hæc expiatio tunc primum facta eſt, ac ſemper deinceps commemorata die 25. Hebraici menſis Caſleu, qui Decembri reſpondet. Ita inter ea, quæ ſuperioribus narrantur ℣℣. & quæ iſthic leguntur, alia plurima contigerunt in bimeſtri intervallo [12]. Quid Salvator egerit eo in itinere, quod ex Galilæa Jeroſolymam verſus ſuſcepit, ut ad hanc ſolemnitatem accederet, a S. Luca [13] enarratur.

Et hyems erat,] dies decima octava decembris, vel vigeſima quinta Caſleu, Græcus verti poteſt [14], *tempus pluvium erat*; quod refert Evangeliſta, ut intelligamus, cur Jesus ſub portico Salomonis conſtiterit, cum in atriis detectis, atque imbri expoſitis permanere non poſſet [15].

℣. 23. In porticu Salomonis.] Ita vocata, vel quod extructa erat juxta exemplar earum, quas olim in Templo Salomon ædificaverat; vel ob ornatum aliquem, qui ibi videbatur. Quidam eam ad meridiem fuiſſe dicunt [16], alii ad orientem [17]; quæ poſterior opi-

---

1 Auguſt. Beda, Chryſoſtom. Theodor. uterque Theophyl. Euthym. 2 Geneſ. 31. 40.
3 1. Reg. 17. 34. Vide & Amos 3. 12. & Iſai. 31. 4. Homer. Iliad. Σ. verſ. 161.
4 Gregor. homil. 14. in Evangel. *Non paſtor ſed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, ſed ad mercedes temporales paſcit. Mercenarius quippe eſt, qui locum quidem paſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit.* 5 Cyrill. in Catena Gr. Mald. Gaur. Brug.
6 Vide Chryſoſt. Theophyl. Leont. Euthym. Mald. Brug. Eſt. alios.
7 Vide Euthym. & alios Gr. Mald. Vat. Brug. 8 Aug. hic. *Ego animam meam pono, Non glorientur Judæi: Sævire potuerunt, poteſtatem habere non potuerunt*, &c. 9 Theodor. Mopſ. Euthym. Mald. Grot.
10 1. Macc. 4. 59. 2. Macc. 10. 6. 7. 8. Joſeph. Antiq. l. 12. c. 11. Ita Rupert. Mald. Vat. Brug. alii.
11 Vide noſtrum Commentarium in 1. Macc. 4. 52. 12 A 17. Octobris, ad 18. Decembris ejuſdem anni, 31. J. C. juxta Toynardum. 13 Luc. 17. 11. . . . 37. & 18. 1. . . . 14.
14 Καὶ χειμὼν ἦν. 15 Cyrill. hic. Vide & Ligf. Grot. & le Clerc.
16 Mald. Menoc. 17 Grot. Ligf.

opinio probabilior videtur. Nam Templi porta, quæ *Formoſa* dicebatur, teſte Joſepho de Bello l. 6. c. 12. erat ad Orientem Templi, & prope Porticum Salomonis, quemadmodum ex Actis cap. 3. ℣℣. 2. 11. colligitur. In Templo Zorobabel, & in eo, quod ab Herode rurſus ædificatum fuit, ſemper vetus Salomonis veſtigium ſervatum eſt: quamplurima tamen immutata ſunt.

℣. 24. QUOUSQUE ANIMAM NOSTRAM TOLLIS?] Noviſſime cum Jeſus CHRISTUS Jeroſolymæ fuerat, Tabernaculorum feſtivitate, varia fuit Judæorum de illo ſententia [1]. Alii quidem miraculorum vi coacti, ipſum Meſſiam eſſe, tenebant; alii per invidiam, & odium illum inſanum eſſe, atque ſeductorem affirmabant. Poſt duos menſes autem in die feſto Dedicationis ad ipſum catervatim accedunt, & dicunt, *quouſque animam noſtram tollis? Si tu es CHRISTUS, dic nobis palam.* At nonne hoc ſatis aperte jam fuerat profeſſus? nonne perſpicuis verbis S. Johannes Baptiſta hoc fuerat teſtatus? nonne miracula, & doctrina illius hac de re illos poterant perſuadere? id unum quærebant, non ut veritatem intelligerent, ſed ut Salvatori calumniam ingererent, atque inſidias ſtruerent [2]. Voluiſſent quidem, ut ipſe ore ſuo ſe Judæorum Regem appellaret, ut majeſtatis reum ad Romanos illius nomen deferrent. Nullas protulit voces, aut nomina, quæ illos irritare poſſent, ne inimicis occaſionem tribueret dicendi, ſe jure damnatum fuiſſe: nolebat odium, & nequitiæ arma ſuppeditare.

Quouſque animam noſtram tollis? Hoc deſignat animam ancipitem, inquietam, & quam deſiderium, vel aliquid dicendi, vel expectatum bonum poſſidendi angit, & vexat [3]. Vel: *tu auſers animam noſtram* [4]? Hebraica locutio, quæ ſignificat, ſe ſe abſcondere, ſenſus ſuos ſimulare, aliosve in ambiguo tenere. Ex. g. [5] *Jacob abſtulit cor Labani*: abiit Labano inſcio: & [6] *Abſalom auferebat corda virorum Iſrael*; eos in partes ſuas pertrahere conabatur, ut quin ſcirent, ſenſim a Patre ejus deficerent. Omnino aliud ab eo, quod ſimulabat, ipſius erat conſilium: ſecreta via, quod optabat, aſſequi ſtudebat.

℣. 25. LOQUOR VOBIS, & NON CREDITIS.] Nonne vobis dixi, me eſſe mundi lumen, Dei Filium, bonum Paſtorem; me veniſſe ut vos ſalvos facerem, ut vitam tribuerem, ut in libertatem vos aſſererem, ut redimerem; mihi eſſe moriendum, atque reſurgendum, & vitæ mortiſque meæ mihi jus eſſe? Nonne animadvertitis, mihi exploratas eſſe cogitationum veſtrarum latebras? nonne omnipotentem miraculorum perſgendorum in me vim eſtis admirati? *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me?* Nonne ſatis perſpicue dixi vobis, Patrem meum Deum eſſe, me cum illo unum eſſe, & æqualem illius poteſtatem habere? Si attenti eſſetis, atque parati, numquid aliud mihi apud vos erat dicendum?

℣. 26. SED VOS NON CREDITIS, QUIA NON ESTIS EX OVIBUS MEIS [7];] non eſtis ex grege, quem mihi dedit Pater, non oves dociles, atque fideles, quas in ovili meo congregaturus ſum, & ex quibus Eccleſiam meam ſum conſtituturus. Reſiſtitis gratiæ, quam vobis offero; clauditis oculos lumini, quod ob oculos veſtros accendo.

℣. 28. VITAM ÆTERNAM DO EIS.] Hoc idem eſt, ac ſuperius dictum ℣. 12. *Veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Hæc abundantia vitam ſignificat, quæ nullum inveniet finem. Poſſunt quidem Paſtores oves ſuas adverſus lupos tueri, eaſque ab aliquibus morbis curare: ſed nullus Paſtor efficere poteſt, ut oves æternum vivant. Unus JESUS CHRISTUS hanc habet prærogativam; oves gregis ſui non *peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu ſua*, niſi ipſæ per culpam ſuam ex ovili egrediantur per hæreſim, vel per ſchiſma, vel ſibimet ſponte per ſcelus mortem conſciſcant, & ex Paſtoris ſui manu dilabantur, ut ſe ſe lupo, hoc eſt Dæmoni, tradant [8]. Vide ſupra cap. 3. 16.

Verſiculi 26. 27. & 28. explicari etiam poſſunt juxta S. Auguſtini mentem, dicentis [9] Judæos non credidiſſe in JESUM CHRISTUM, & non audiiſſe vocem illius, quod non erant ex numero ovium ejus, & prædeſtinatorum. E contra vero illos, qui ſunt de ovibus illius, eum audiviſſe, in illum credidiſſe, atque æternam vitam obtinuiſſe, quin eam aliquis ipſis eripere poſſit. Cum enim Deus ex mera miſericordia illos ad gloriam prædeſtinaverit, illis eas gratias præparavit, quarum adminiculo citra aliquam dubitationem ad ſalutem pervenient: & quamquam in ſcelus ruere poſſint, & juſtificationis gratiam amittere, ipſi tamen a Deo in finem uſque minime erunt derelinquendi. Juxta hanc prædeſtinationem addit ille, *quam multæ oves foris, & quam multi lupi intus; & quam multæ oves intus, & quam multi lupi foris?* ille hodie lupus eſt, qui ovis morietur; hic hodie ovis eſt, qui morietur lupus, qui ſcilicet in impœnitentia, atque odio Dei interibit. *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei.* Rom. 11. 33.

℣. 29. QUOD DEDIT MIHI, MAJUS OMNIBUS EST.] Eccleſia, quam mihi Pater dedit, & quæ ex ovibus meis compoſita eſt, munerum omnium maximum eſt, pretioſiſſimum, atque locupletiſſimum. Nihil mihi præſtare poterat ipſo dignius, vel mihi jucundius. Donum hoc maximo apud me eſt in pretio, & ex eo nihil admittam. Patres [10] paſſim hoc intelligunt de natura, ac poteſtate divina, quam Pater Filio per æternam tradidit generationem. Hæc natura, & poteſtas rebus omnibus præſtant. Inter creata nihil eſt illi comparandum.

Græci [11] hoc in loco aliter legunt: *Pater meus qui illas dedit mihi* (oves meas) *major eſt omnibus rebus*, ſuper omnia poſitus eſt. Nemo illas ex illius vel meis manibus eripere poteſt, quoniam Pater meus, qui illas mihi dono dedit, potentior eſt, quam omnes inferorum portæ, omniſque hominum nequitia.

℣. 30. EGO & PATER UNUM SUMUS.] Una nobis eſt eſſentia, una eademque natura [12], una poteſtas, & virtus æqualis. Ipſe Eccleſiæ, oviumque mearum Patronus eſt, quod meum eſt, eſt & ſuum. Quemadmodum nemo illi eripere poteſt, quod ipſe ſervare vult, ita nemo mihi oves meas poteſt [13] auferre.

℣. 31. SUSTULERUNT LAPIDES JUDÆI, UT LAPIDARENT EUM,] tamquam blaſphematorem [14], & ſe unum cum Deo eſſe jactitantem. Lapides quidem arripuerunt, ſed hos in illum minime projecerunt; eos quippe ſequenti ſermone compeſcuit.

℣. 32. MULTA BONA OPERA OSTENDI VOBIS.] Ægrotos veſtros curavi, liberavi Energumenos, populorum turbas nutrivi, ſumma patientia vos docui, hæccine ergo eſt præclara tot beneficiorum remuneratio? *Oſtendere bona* non ſignificat ſimpliciter *videndum bonum præbere*, ſed bonum reipſa procurare: eaque Hebraica locutio eſt huic ſimilis: *quis oſtendit nobis bona?* Pſal. 4. 6. *oſtende nobis miſericordiam tuam* Pſal. 84. 8. *oſtendiſti populo tuo dura.* Pſal. 59. 5. *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes?* Pſal. 70. 20.

NON

1 Supra c. 9. 16. & hic verſ. 19. 20. 21.
2 Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Leont. Mald. Brug. Grot.
3 Vide Deut. 24. 15. Pſal. 24. 1. 85. 4. Jerem. 22. 27.
4 Vide Lud. de Dieu.
5 Geneſ. 31. 20. 26. ויגנב יעקב את לב לבן
6 2. Reg. 15. 16.
7 Græcus addit: Οὐκ ἐστε ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν, καθὼς εἶπον ὑμῖν. At hæc poſtrema in maximo MSſ. numero non leguntur.
8 Origen. t. 19. in Joan. alii.
9 Vide Auguſt. tract. 48. & 49. et Bedam hic.
10 Tertull. Ambr. Aug. Hilar. Beda.
11 Ὁ Πατήρ μου, ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστί. Ita et Syr. Arab. et PP. Græci. Sed Aug. Hilar. Copht. Velez. Cyrill. et Vulg. *Quod dedit mihi majus*, etc. Ὃ δέδωκέ μοι μεῖζον, etc.
12 Ita Patres, et Interpretes Catholici omnes contra Arianos.
13 Hilar. Leont. Theophyl.
14 Levit. 24. 14. 16.

℣. 34. NON NE SCRIPTUM EST IN LEGE VESTRA.] Locus hic ex Pſalmo 81. 6. deſumptus eſt, quem Salvator ex *Lege* depromptum ait; *Legis* enim nomine univerſa veteris Teſtamenti biblia intelliguntur [1]. Locus vero allatus ſpectat ad Judices, & Principes, ad populum Domini regendum, & judicandum conſtitutos. Pſalmi Auctor eos monet, ut juſte judicent, quippe qui Domini Tribunal occupant, atque in medio ſui Dominum habent: *Deus ſtetit in Synagoga Deorum* (vel Principum:) *in medio autem Deos dijudicat*; vel potius *in medio Deorum* (vel Principum,) *judicat*: Cumque aliqua illis tribuerit monita, juxta quæ ipſis erat judicandum, ſequitur: *Ego dixi; Dii eſtis, & filii excelſi omnes: vos autem ſicut homines moriemini &c.* ergo ne ſuperbia cor veſtrum intumeſcat, neque potentia veſtra abutamini.

℣. 35. SI ILLOS, AD QUOS SERMO DEI FACTUS EST.] Si Prophetæ Dii vocantur, quod ad illos locutus eſt Deus, nonne potiori jure Verbum Deus eſt? *Si ergo vos Deos facit ſermo Dei, quomodo non eſt Deus verbum Dei*, inquit S. Auguſtinus? vel potius, ſi quis conſtituti ſunt judices a Domino, & quibus ille auctoritatis partem communicavit &c. Vel ſimpliciter ii, de quibus hoc in loco verba facit: *ad quos ſermo Dei factus eſt*, idem eſt ac; *de quibus ſermo Dei factus eſt*; quemadmodum in epiſtola ad Hebræos 4. 13. *ad quem nobis ſermo*; pro: *de quo nobis ſermo*. Si Judices, de quibus Pſalmiſta loquitur, Dii vocantur, quo potiori jure ego qui ſum vere Deus, citra blaſphemiam me Deum, ac Filium Dei poſſum appellare [2]?

ET NON POTEST SOLVI SCRIPTURA.] Quod hoc in loco dictum eſt, adeo apertum eſt, ut in dubium vocari minime poſſit. Ipſe Spiritus Sanctus eos homines Deos appellat: ergo ſimul eſſe poſſunt qualitas Dei, & qualitas hominis, qualitas Deorum, & Filiorum Dei. Hoc autem unum intercedit diſcrimen, quod Deus ad eos, de quibus loquitur Pſalmus, ſua dirigit mandata, ſuum verbum; mihi, *quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas; quia dixi Filius Dei ſum?* ℣. 36.

Unum ergo dumtaxat probandum eſt, videlicet JESUM a Patre ſanctificatum fuiſſe, & miſſum in mundum, atque deſtinatum, juſſu illius ad ſalutis viam hominibus annuntiandam; verbum enim *ſanctificare* ſæpius non aliud ſignificat, quam deſtinare, ad Sanctum aliquod opus præparare, ad certum munus conſecrare [3]. Verum negari minime poteſt, JESUM CHRISTUM a Deo miſſum fuiſſe, ſpiritu illius eſſe repletum, & ejus poteſtate imbutum: hoc vero longe perfectius, quam propheta aliquis veteris Teſtamenti. Prodigia, quæ prædicationem illius ſubſecuta ſunt, auctoritas, qua miracula ſua eſt operatus, hoc apertiſſime probant [4]: injuſtiſſima ergo eſt exprobratio, qua tamquam blaſphemus corripitur, quod ſe Deum, ac Dei Filium appellat. Licet ſimplex eſſet Propheta, Judex Iſrael, Princeps populi ſui juxta Scripturarum vim, hæc illi dignitas tenui minime poſſet; majori ergo jure illam vendicat ſibi, cum ſit Filius Patri coæternus, & conſubſtantialis.

℣. 37. SI NON FACIO OPERA PATRIS MEI.] Mendax, atque blaſphemus habear, niſi facio opera, quæ decent Dei Filium, Meſſiam, Hominem Deum; ſin autem illa facio, quod inficiari minime poteſtis ℣. 38. credite, *quia Pater in me eſt, & ego in Patre*: me unum eſſe cum Patre meo, atque utrique eamdem eſſe poteſtatem, eamdemque naturam. Hæc univerſa eſt Salvatoris argumentatio. Illi, quorum opera eadem ſunt, unum ſunt, & idem: ut opera, & Patris mei, & mea, ſunt eadem: ergo Pater, & ego unum, & idem ſumus. Non ergo blaſphemias evomo, dicens, Patrem, & me unum eſſe. Ut autem probet, opera ſua eſſe opera Patris ſui, provocat ad opera ipſa omnes, quos habere poſſunt, divinitatis characteres obtinentia.

℣. 39. QUÆREBANT EUM APPREHENDERE.] Salvatoris inimici his argumentis victi non fuerunt, ſed eum comprehendere conati ſunt; idque effeciſſent, niſi ille abiiſſet eo modo, qui minime exploratus eſt, quippe ab Evangeliſta non enarratur.

℣. 40. ABIIT TRANS JORDANEM.] Bethabaram, vel Bethaniam ultra Jordanem, ubi Johannes Baptiſta baptizaverat, & quo Salvator poſt quadragenarium jejunium eumdem convenerat. Joan. 1. 28.

℣. 41. MULTI VENERUNT AD EUM.] Phariſæorum nequitia obeſſe minime poterat, quin plurimi eorum, qui illum audierant, in ipſum crederent, eumque trans Jordanem convenirent, quo ſeceſſerat, effectus furoris inimicorum ſuorum evitaturus; nondum enim venerat hora ipſius. Argumentatio populi hujus notatu digna eſt, eaque innititur Johannis Baptiſtæ teſtimonio, & JESU CHRISTI miraculis, quæ duæ ſunt rationes ſimplices, ſenſibiles, populares; ſed ſatis validæ, & efficaces. Phariſæi, atque Legis Doctores adeo rite argumentari non noverant.

---

1 Joan. 12. 34. *Nos audivimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum.* Ex Pſalm. 109. 4. 116. 2. Iſai. 40. 6. et Joan. 15. 25. *Ut impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt; quia odio habuerunt me gratis.* Ex Pſal. 24. 19.

2 Maldon. Brug. Cornel. Natal. Alex. hic.

3 Jerem. 1. 6. Eccli. 49. 7. Galat. 1. 15. etc.

4 Vide verſiculos 37. 38.

CAPUT XI.

Ægrotat Lazarus, & moritur. A JESU CHRISTO reſuſcitatur. Principes Sacerdotum, & Phariſæorum conſilium ineunt, JESUM CHRISTUM perdendi: Hic in Ephrem ſe recipit, Judæi illum quærunt, ut capiant.

1. ERat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de caſtello Mariæ, & Mar-
thæ ſororis ejus. 2 (Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, &
extersit pedes ejus capillis ſuis: cujus frater Lazarus infirmabatur.) 3 Mi-
ſerunt ergo ſorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. 4
Audiens autem Jeſus dixit eis: infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei,
ut glorificetur Filius Dei per eam, 5 Diligebat autem Jeſus Martham, & ſororem
ejus Mariam, & Lazarum, 6 Ut ergo audivit, quia infirmabatur, tunc quidem
manſit in eodem loco duobus diebus. 7 Deinde poſt hæc dixit diſcipulis ſuis: Ea-

mus

mus in Judæam iterum. 8 Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi la-
pidare, & iterum vadis illuc? 9 Reſpondit Jeſus: Nonne duodecim ſunt horæ diei?
Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt: 10 Si au-
tem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo. 11 Hæc ait, & poſt
hæc dixit eis: Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado, ut a ſomno excitem eum.
12 Dixerunt ergo diſcipuli ejus: Domine, ſi dormit, ſalvus erit. 13 Dixerat autem
Jeſus de morte ejus: illi autem putaverunt, quia de dormitione ſomni diceret. 14
Tunc ergo Jeſus dixit eis manifeſte: Lazarus mortuus eſt: 15 Et gaudeo propter vos,
ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. 16 Dixit ergo Thomas,
qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo. 17
Venit itaque Jeſus: & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. 18
(Erat autem Bethania juxta Jeroſolymam quaſi ſtadiis quindecim) 19 Multi autem ex
Judæis venerant ad Martham, & Mariam, ut conſolarentur eas de fratre ſuo. 20
Martha ergo ut audivit, quia Jeſus venit, occurrit illi: Maria autem domi ſedebat.
21 Dixit ergo Martha ad Jeſum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mor-
tuus: 22 Sed & nunc ſcio, quia quæcumque popoſceris a Deo, dabit tibi Deus.
23 Dicit illi Jeſus: Reſurget frater tuus. 24 Dicit ei Martha: Scio, quia reſurget
in reſurrectione in noviſſimo die. 25 Dixit ei Jeſus: Ego ſum reſurrectio, & vita:
qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet: 26 Et omnis, qui vivit, & cre-
dit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? 27 Ait illi: Utique, Domine,
ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti. 28
Et cum hæc dixiſſet, abiit, & vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magi-
ſter adeſt, & vocat te. 29 Illa, ut audivit, ſurgit cito, & venit ad eum: 30
Nondum enim venerat Jeſus in caſtello: ſed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei
Martha. 31 Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cum
vidiſſent Mariam, quia cito ſurrexit, & exiit, ſecuti ſunt eam dicentes: Quia vadit
ad monumentum, ut ploret ibi. 32 Maria ergo, cum veniſſet, ubi erat Jeſus, vi-
dens eum, cecidit ad pedes ejus, & dicit ei: Domine, ſi fuiſſes hic, non eſſet mor-
tuus frater meus. 33 Jeſus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant
cum ea, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum. 34 Et dixit: Ubi po-
ſuiſtis eum? Dicunt ei. Domine, veni, & vide. 35 Et lacrymatus eſt Jeſus. 36
Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum. 37 Quidam autem ex ipſis dixe-
runt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur?
38 Jeſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo venit ad monumentum, erat autem ſpelun-
ca: & lapis ſuperpoſitus erat ei. 39 Ait Jeſus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha,
ſoror ejus, qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus eſt enim. 40
Dicit ei Jeſus: Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei? 41
Tulerunt ergo lapidem: Jeſus autem elevatis ſurſum oculis, dixit: Pater, gratias ago
tibi, quoniam audiſti me. 42 Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ſed pro-
pter populum, qui circumſtat, dixi: ut credant, quia tu me miſiſti. 43 Hæc cum
dixiſſet, voce magna clamavit: Lazare, veni foras. 44 Et ſtatim prodiit, qui fue-
rat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erit ligata. Di-
xit eis Jeſus: Solvite eum, & ſinite abire. 45 Multi ergo ex Judæis, qui venerant
ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum. 46
Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis, quæ fecit Ieſus. 47
Collegerunt ergo Pontifices, & Phariſæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia
hic homo multa ſigna facit? 48 Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: &
venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem. 49 Unus autem ex ipſis
Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam.
50 Nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non
tota gens pereat. 51 Hoc autem a ſemetipſo non dixit: ſed cum eſſet Pontifex anni
illius, prophetavit, quod Jeſus moriturus erat pro gente. 52 Et non tantum pro
gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum. 53 Ab illo ergo
die cogitaverunt, ut interficerent eum. 54 Jeſus ergo jam non in palam ambulabat
apud Judæos, ſed abiit in regionem juxta deſertum, in civitatem, quæ dicitur E-
phrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis. 55 Proximum autem erat Paſcha Ju-

dæo-

dæorum : & aſcenderunt multi Ieroſolymam de regione ante Paſcha, ut ſanctificarent ſeipſos. 56 Quærebant ergo Ieſum : & colloquebantur ad invicem, in templo ſtantes : Quid putatis, quia non venit ad diem feſtum? Dederant autem Pontifices, & Phariſæi mandatum, ut ſi quis cognoverit, ubi ſit, indicet, ut apprehendant eum.

℣. 1. ERAT QUIDAM LANGUENS LAZARUS.] Lazarus erat e Bethania, frater Mariæ, & Marthæ, quæ duæ ſorores in Evangelica hiſtoria celebres ſunt propter ſuam fidem, & quod JESUS CHRISTUS earum domum ſæpe ſua præſentia dignatus eſt. S. Johannes, qui id refert tantum, quod ab aliis Evangeliſtis omiſſum eſt, non narrat, unde nam oborta fuerit inter JESUM CHRISTUM & Lazari domum neceſſitudo : ſed in narratione ſupponit, eum in domo notiſſimum fuiſſe, atque peculiari benevolentia univerſam illam familiam fuiſſe proſecutum. Hoc mirum eſt ſane, hiſtoriam adeo inſignem ab aliis Evangeliſtis eſſe prætermiſſam. Credit Grotius, illos e re non cenſuiſſe, dum Lazarus viveret, hunc in vulgus edere, ne Judæorum in eumdem cierent odia, & perſecutiones. Immo inferius etiam in S. Johanne legimus, cogitaſſe Judæos de morte Lazaro inferenda. Jo. 12. 10.

JESUS CHRISTUS Jeruſalyma diſceſſerat die 26. Caſleu 19. Decembris poſtridie Dedicationis Templi. Bethaniam, alio nomine Bethabaram profectus eſt, ubi aliquandiu permanſit, ipſe quidem prædicans, diſcipuli vero ipſius baptizantes. Ægrotare cœpit Lazarus, ſub dimidium Januarii inſequentis : cujus morbi certior factus JESUS, Bethabara non diſceſſit, niſi poſt Lazari mortem, quam die decima octava menſis ejuſdem contigiſſe putamus.

Bethaniæ, ubi tunc erat JESUS, & pro qua exemplaria quædam legunt *Bethabaram*, erat trans Jordanem ; ſed *Bethania*, ubi Lazarus obiit, erat citra eumdem fluvium, & ad meridiem Jeroſolymæ ſecundo circiter lapide ab ea Civitate ; neque aliud erat Bethania, niſi C aliquod veluti ſuburbium Jeruſalem. Perperam quidam crediderunt, Lazarum, Martham, & Mariam Bethaniæ imperitaſſe, & Mariam Magdalenam e Magdalo fuiſſe. Quaſi tunc temporis, atque illis locorum, ut hodie apud nos, non defuiſſent nobiles quidam viri, qui Oppidis, aut pagis quibuſdam dominarentur. Lazarus, Martha, & Maria nihilo magis Bethaniæ, quam Petrus, & Andreas Bethſaidæ imperitabant. S. Johannes Bethſaidam vocat [1] urbem Petri, & Andreæ, quemadmodum hoc in loco Bethaniam dicit *Caſtellum Mariæ, & Marthæ* ; eo quod ea erat eorumque habitatio.

℣. 2. MARIA ERAT, QUÆ UNXIT.] Hoc per prolepſim affertur [2]. Cœna, in qua Maria unguentum ſuper JESUM effudit, ſexta dumtaxat ante Salvatoris D obitum die contigit, cum Bethaniæ cœnaret apud Lazarum, quem e mortuis ſuſcitaverat [3]. Evangeliſta Mariam deſignat ex facto, quod inſigne erat in Eccleſia tunc temporis, cum ille ſcribebat.

℣. 3. ECCE QUEM AMAS, INFIRMATUR.] Nihil his precibus ſimplicius, nihil modeſtius. Non ajunt : veni, & cura, vel morbo præcipe ex hoc ipſo loco ubi es, ut ille convaleſcat. Sufficit illis, nuntiare : *ecce quem amas, infirmatur*. Satis eſt, te id noſſe ; eum amans illum eum derelinquere minime poteris : *ſufficit, ut noveris ; non enim amas, & deſeris*, ait S. Auguſtinus hic. Vel juxta nonnullorum Patrum Græcorum explicationem [4] : quomodo fieri poteſt, ut permiſeris, amicum tuum tanto morbo laborare? Evangeliſta ſumma diligentia narrat omnes hujus miraculi circumſtantias : primo quod ab aliis evangeliſtis non afferatur ; ſecundo quod maximi erat momenti ad

A religionem, cum res ipſa per ſe notiſſima fuiſſet ; quippe quæ in portis, ut ita dicam, Jeroſolymæ acciderat. Miraculum in dubium revocari non poterat, quia triduo jam cadaver in ſepulchro fœtebat. Reſurrectio illius non erat phantaſtica : viderant enim illum poſt reſurrectionem æque, ac ante mortem bibentem, & manducantem. Judæi ipſi licet inviti, hoc ipſum apertiſſime teſtabantur [5], cogitantes, ut *Lazarum interficerent*.

℣. 4. INFIRMITAS HÆC NON EST AD MORTEM.] Ex hoc morbo Lazarus obiit ; ſed non ſicut cæteri hominum obiit, ut non reſurgeret. JESUS illum reſuſcitavit, ut Dei gloriam procuraret [6], eumque ſibi finem propoſuit, illius mortem permittens [7] : *ipſa mors non erat ad mortem, ſed potius ad miraculum ; quo* B *facto crederent homines in CHRISTUM, & vitarent veram mortem*, ait S. Auguſtinus.

℣. 6. TUNC MANSIT IN EODEM LOCO,] Bethabaræ, quia viam ingrederetur, ut Lazarum viſeret. Paſſus eſt, illum ſe abſente mori, Bethaniam vero acceſſit quatriduo, poſtquam ille fuerat elatus, ut inſignius eſſet miraculum [8].

℣. 8. NUNC QUÆREBANT TE JUDÆI LAPIDARE.] Unius dumtaxat menſis intervallum elapſum eſt, ex quo Judæi in Templo Dedicationis die [9] JESUM lapidibus petere voluerunt.

℣. 9 NONNE DUODECIM SUNT HORÆ DIEI?] Hebræi non ſecus ac aliorum populorum plerique tunc temporis diem in duodecim dividebant horas, inter ſe quidem æquales, inæquales vero habita ratione anni C temporum, prout dies vel longiores erant, vel breviores. Hoc eſt argumentum, quod JESUS CHRISTUS paucis involvit : *nonne duodecim ſunt horæ diei?* alludit ad viatorem, cui tota die ambulandum eſt ; dies vitam, nox mortem ſignificat. Hac loquendi ratione ſuperius uſus eſt : *Me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt : venit nox, quando nemo poteſt operari*, Joan. 9. 4. Iſthic reſpondit iis, quæ Apoſtoli dixerant, Phariſæos eum quærere, ut illi necem inferant ; & non ita pridem Judæos in illum lapides ejaculari voluiſſe. *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* Ego iter corripere, & opus Patris mei perficere toto vitæ meæ curriculo debeo. Sed poſtrema hora nondum advenit. Judæi licet omnem exerant nequitiam & odium ſuum, ne non quidem quadrante illam prævertent. D Opus eſt, ut diei horæ elabantur. Deinde vero illorum in me poteſtas incipiet : *hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum* Luc. 22. 53. quæ ſimplicior eſt, atque probatior explicatio [10].

SI QUIS AMBULAVERIT IN DIE, NON OFFENDIT.] Vitæ meæ non timeo, donec dies eſt ; atque hora a Patre meo conſtituta nondum acceſſit. Vobis etiam nihil metuendum eſt, donec vobiſcum ſum. Nox aderit : cumque tempus morti meæ præſtitutum advenerit, tunc in inimicorum meorum manus tradar, & vos ipſi tentationi, & ſcandalo eritis obnoxii. ℣. 10. *Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo*. Videntur autem Apoſtoli nonnihil utilitati ſuæ conſuluiſſe, ubi JESUM CHRISTUM avertere conabantur, ne in Judæam proficiſceretur : metuebant quip- E pe, ne odium, quod Judæi in Magiſtrum ſuum conceperant, in ſe etiam erumperet. Vide ℣. 16.

℣. 11. LAZARUS DORMIT.] Hebræi [11], immo, & pro-

1 Joan. 1. 44. 2 Auguſt. ſeu alius Author. qu. 94. t. 3. p. 85. Eſt. orat. 14. Caſaub. exercit. 14. alii. 3 Joan. 12. 1. 4 Cyrill. Leont. Theophyl.
5 Joan. 12. 10. 6 Cyrill. Theodor. Mopſ. Chryſ. Theoph. Euthym. alii paſſim.
7 Aug. Beda, Rupert. 8 Chryſoſt. alii paſſim. 9 Joan. 10. 31.
10 Rupert. Mald. Tolet. Alex. Tirin. Grot. alii. 11 Vide Jerem. 51. 39. *Ut ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum*. Eccli. 46. 23. *Poſt hoc dormivit Samuel*, etc.

prophani [1] ſæpius *dormiendi* verbo utuntur ad mortem ſignificandam, & evigilare dicunt, a mortuis ſuſcitari. Ita conſueverant Ethnici, ut evitarent triſtium, atque male ominatarum vocum pronunciationem. Hebræi autem plane hoc verbo innuere volebant, ſe credere animæ immortalitatem, & reſurrectionem futuram. Salvator iſthic [2] hac uſus eſt loquendi ratione, fortaſſe, ut eam indigitaret facilitatem, qua Lazarum in vitam erat revocaturus.

℣. 12. Si dormit, salvus erit.] Optimum ſignum eſt, ubi ægrotus ſomnum incipit excipere, præſertim vero in acutis morbis [3]: eaque adagialis erat apud Judæos loquendi ratio: *ſi dormit, ſalvus erit* [4]. Inutile eſt, ſe ſe huic periculo objicere. Cur in Judæam migrare vis, ut ægrotantem e ſomno ſuſcites? ipſe quidem ex ſemet evigilabit. Apoſtoli id unum quærunt, ut Jesu Christo hoc iter diſſuadeant. Ipſum autem de communi ſomno dumtaxat loqui, putabant. ℣. 13.

℣. 14. Lazarus mortuus est. ℣. 15. Et gaudeo propter vos.] Citra omnem dubitationem vobis Lazarum mortuum eſſe affirmo, & de hoc ſomno loquebar vobis. Si illic adfuiſſem, eum ex morbo relevare debuiſſem [5], mihique inſignis defuiſſet occaſio, vobis inſpectantibus Dei gloriam manifeſtandi, & vos ipſos in fide confirmandi. Hoc jam non minimum erat miraculum, noſſe Lazarum eſſe mortuum [6], cujus ægritudo dumtaxat nunciata fuerat. Sed longe majus prodigium erat mortuum ſuſcitare, quam ægrotum curare, & adhuc multo majus, mortuum in ſepulchro triduo jam ſqualentem, quam eum, qui paulo ante obiiſſet, ad vitam revocare.

℣. 16. Thomas, qui dicitur Didymus.] Didymus Græce ſignificat Gemellum, non ſecus ac Thomas Hebraice [7]. Tunc temporis in Palæſtina complures duplici nomine appellabantur, Græco altero, altero Syriaco, quod utraque lingua ibi eſſet communis.

Ut moriamur cum eo,] cum Lazaro; non enim idem eſt ac in certam ſe in mortem obiicere ab Judæis inferendam, eo concedere poſt illa, quæ contigerunt, cum ſciamus, quo animo erga nos ſint affecti [8]? Apoſtoli ſe fanda infandaque omnia paſſuros eſſe metuebant, ſi Phariſæi Jesum Christum capere potuiſſent, atque in ipſum ſuum odium explere. Cum in horto olivarum Salvator captus fuit, non ſine quadam miraculi ſpecie Apoſtoli fuga elapſi ſunt [9]. Plerique [10] ea verba cum eo ad Jesum Christum referunt: eamus, ut cum Jesu Christo moriamur, quod a ſuperius propoſita ſententia non abhorret: ſed prior, & ſimplicior videtur, & aptior. Eamus, ut moriamur, non ſecus ac Lazarus, vel magiſtrum noſtrum ad mortem uſque, cui ſe obiicit, ſequamur. Verum fortitudo ne an timor, hæc ex Divo Thoma elicit verba? hac in re abeunt in diverſa Interpretes, atque inter utrumque ſeorſum cuique optio relinquitur.

℣. 17. Invenit eum quatuor dies.] Bethabara diſceſſit die eadem, vel poſtridie mortis Lazari, Bethaniam vero pervenit triduo poſt mortem ejuſdem [11]. Quartus jam erat dies, ex quo Lazarus vita exceſſerat, atque in ſepulchro poſitus fuerat. Ibi enim poſitus fuit die eadem, qua mortuus eſt, neque aromatibus cadaver conditum fuerat, quemadmodum ex ſequentibus liquet [12]. Jesus Christus Bethabaræ biduo permanſit, ex quo ipſum ægrotaſſe nuntiatum fuit [13]: ſed ſtatim poſt illius mortem diſceſſit.

℣. 19. Multi ex Judæis.] Ieroſolyma acceſſerant, ut conſolarentur Martham, atque Mariam [14] ob fratris interitum. Cum Bethania prope Ieruſalem eſſet, cognati, & neceſſarii earum mulierum ad illas venere juxta gentis conſuetudinem, ut ſolatium aliquod mæſtis afferrent, & una cum ipſis fratris obitum deplorarent.

℣. 20. Martha, ut audivit.] Creditur e duabus ſororibus Martha major natu fuiſſe. Hæc ipſa rebus domeſticis invigilat, Maria permanet cum conſanguineis, & amicis, qui erant in domo. Fortaſſe etiam non noverat ſtatim Salvatoris adventum, ad quem tandem venit, ubi a Martha ſorore admonita fuit ℣. 28.

℣. 21. Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.] Maria hoc ipſum illi dicit inferius ℣. 32. unde judicare licet, duas has ſorores credidiſſe, Jeſum Chriſtum potuiſſe Lazarum ægrotantem curare, ſi adfuiſſet; ſed dubitaſſe, an ab eo, vel abſente curari potuiſſet, vel jam mortuus a præſente reſuſcitari [15].

℣. 22. Sed et nunc scio.] Jeſum Chriſtum alloquitur tamquam Prophetam aliquem, miraculorum dono inſignitum, & qui precibus ſuis mortuorum etiam reſurrectionem poſſet obtinere [16]. Non audet directe tantum favorem expetere; ait ſolum, hoc ipſum poſſe. Adhuc tempus eſſet, ſi velles; ſcio enim, Deum tibi nihil negaturum.

℣. 23. Resurget frater tuus.] Cur non ait: *illum reſuſcitabo*? modeſte de more reſpondet, ut Marthæ fidem confirmet, & in ea deſiderium fratris adaugeat. Et ſane Dei Filius per gradus illam deducit, ut tandem confiteatur: *tu es Chriſtus filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti* ℣. 27.

℣. 24. Resurget in resurrectione.] Doctrina hæc generatim vulgata erat, & probata apud Hebræos, eaque palam in Veteris Teſtamenti libris videtur, præſertim vero in iis, qui poſt captivitatem conſcripti ſunt, puta libris Macchabæorum [17], Sapientiæ [18], & eo, qui Joſepho tribuitur, cui titulus: de rationis imperio [19]. Vide noſtrum Commentarium in ℣. 5. primi Pſalmi, & in 2. Macch. 12. 43.

℣. 25. Ego sum Resurrectio, et vita.] Dicis, fratrem tuum noviſſima die reſurrecturum; ſed per quem ipſe reſurget, niſi per me, qui vita ſum, & reſurrectio [20]? Cur ergo non poſſem ipſum hodie reſuſcitare, quemadmodum tunc illum reſuſcitabo? Jeſus Chriſtus Marthæ ſpem adauget, fidem accendit [21], illam erudit, eique oſtendit, ſe non eſſe ſimpliciter hominem mortalem, cui virtus non eſt ſibimet, vitam conferendi, & ſalvandi, & multo minus eam aliis ex propria virtute ſervandi, atque reddendi. Ego ſum vitæ eſſentialis, auctor reſurrectionis, Dominus vitæ, & mortis, poſſum ex memetipſo, quatenus Deus, Lazarum reſuſcitare, atque, quand voluero, vitam ſervare.

Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit.] Mortuis etiam vitam conferre poſſum, dummodo non deſit fides. Itaque crede, & mereri poteris, ut fratrem tuum revocem ad vitam, quam licet ipſe per ſe petere non poſſit, tu pro illo potes impetrare. Ad hæc majus aliquid facio: vitam confero animabus eorum, qui credunt in me. Licet aliquis per peccatum Deo mortuus fuerit, in Idolorum cultu, atque infidelitate verſetur, ſi hanc illi conceſſerit gratiam Deus, ut credat in

1 Homer. Σιδήρεον ὕπνον. Virgil. *Ferreus ſomnus*. Horat. *perpetuus ſopor*.
2 Theodor. Mopſ. Auguſt. Beda.
3 Auguſt. Brug. Grot. alii.
4 Miſnajot. apud Grot. hic.
5 Theodor. uterque Euthym. Rupert. Mald. Grot.
6 Aug. Chryſ. Beda, alii.
7 Gen. 25. 24. תומים Gemini. 38. תאומים Idem. Δίδυμοι, δίδυμα.
8 Grot. & alii nonnulli.
9 Joann. 18. 8. 9. Matth. 26. 56.
10 Ita antiqui PP. Mald. Brug. Grot. Menoch. alii.
11 Mſ. Alex. Cantabrig. Syr. Æthiop. Colbert. hic textui addunt, *Bethaniæ*.
12 Mox verſ. 39. *Jam fœtet, quatriduanus eſt enim.*
13 Joan. 11. 6. *Tunc quidem manſit duobus diebus.*
14 Πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν, καὶ Μαρίαν.
15 Vide Chryſoſt. Theophylact. Euthym. Cyrill. Rupert. Maldon. alios.
16 Maldon. Grot. Brug.
17 2. Macchab. 7. 9. 14. 23. 36. 12. 43. 14. 46.
18 Sap. 5. 1. 2. 17. 8. 6. 7.
19 Vide Joſeph. de Macchabæis, ſeu de Imperio Rationis.
20 Aug. hic: *Per quem tunc reſurget, poteſt & modo, quia ego ſum reſurrectio.*
21 Chryſoſt. Theoph. Mald. Grot. Brug.

dat in me, & eas veritates exerceat, quas illum doceo, & in hac fide, atque exercitatione perſeveret; vitam vivet gratiæ in hoc mundo, & æternam vitam vivet in altero.

Ex vita, & reſurrectione corporis, cui uni Martha vacabat, occaſionem arripit Salvator, alteram illi vitam aperiendi, quæ eſt vita fidei a charitate animatæ, & Reſurrectionis ad gloriam, quæ præmium eſt bonæ vitæ, fideique per bona opera agentis. Significat Marthæ, illam Dei ope non hanc ſolum pro fratre conſequi poſſe gratiam: verum poſſe etiam illam ſibimet, ſed alio in ſenſu mereri. Poſſum quidem Lazaro vitam conferre, & tu ſupernaturalis luminis, & fidei gratia auxiliante tibimet comparare potes, & reſurrectionem ad gloriam, & immortalitatem [1].

℣. 26. QUI VIVIT, ET CREDIT IN ME [2].] Qui mortui ſunt, hos reſuſcito, & iis, qui vivunt, confero immortalitatem: & Lazarum mortuum reſuſcitare volo, & te viventem immortalem efficere. Unum dumtaxat poſco, ut credas in me. Fidelium mors, ſi proprie loqui velis, mors non eſt; moriuntur enim, ut reſurgant, atque æternam vitam poſſideant [3].

CREDIS HOC? ℣. 27. UTIQUE DOMINE &c.] Ubi Martham diſpoſuit, ut ab illa velut Deus, & Dei Filius agnoſceretur, quærit ex ea, utrum hoc ipſi perſuaſum ſit: *credis hoc?* nam ſi credere potes, quemadmodum oportet, nihil fidei tuæ arduum erit [4]. *Utique, Domine*, credo, vel potius *credidi* juxta textum [5], te eſſe Chriſtum Dei Filium. Hoc jam antea credideram: ſed nunc conſtantius, quam antea credo. Hæc Marthæ confeſſio cum illa S. Petri, quam Jeſus Chriſtus ſummis laudibus celebravit [6], conferri poteſt. S. Petri confeſſio primas illi inter Apoſtolos obtinuit; confeſſio vero Marthæ Lazari reſurrectionem conſecuta eſt.

℣. 28. VOCAVIT MARIAM.] Hanc ſecreto appellavit, *ſilentio*; fortaſſe ne Judæorum, qui aderant [7], invidiam excitaret, vel ne illos tamquam ad ſpectaculum ad id, quod Jeſus facturus erat, convocaret [8]. Salvator ipſe monitam voluerat Mariam, quemadmodum ex ſequentibus liquet: *Magiſter adeſt, & vocat te.* Hoc enim nomine ea in familia Jeſus Chriſtus appellabatur: *Magiſter adeſt*.

℣. 30. NONDUM VENERAT IN CASTELLUM.] Extra vicum illum ſubſtiterat, non procul a Lazari monumento; Judæi enim ſepulchreta non plerumque extra Civitates, & oppida extruebant, & ut plurimum illa in montium rupibus exſcindebant.

℣. 31. VADIT AD MONUMENTUM, UT PLORET.] Mos erat, ut nonnumquam ad ſepulchrum iretur, ad mortuos ibi plorandos. Qui venerant, utramque ſororem conſolaturi, facere per urbanitatem minime potuerunt, quin cum illas monumentum verſus euntes vidiſſent, eaſdem ſubſequerentur.

℣. 33. INFREMUIT SPIRITU, ET TURBAVIT SEIPSUM.] Quidam [9] hoc intelligunt, quaſi Jeſus Chriſtus naturalem impetum reprimere voluiſſet, quem in ipſo & miſeratio, & dolor gignebant, atque ſibimet vim intuliſſet, ne ea in occaſione lacrymis, & ejulatibus nimis dolorem ſuum teſtaretur. Spiritus, vel Divinitas continuit humanæ naturæ motus, *& ſenſus* [10]. Sed apertius hoc explicatur ſimpliciter de voluntaria perturbatione, quam Jeſus Chriſtus in ſeipſo ſenſit, vel excitavit [11], infremuit vivido intrinſecoque dolore; *infremuit Spiritu*, velut qui interioſecus mœrore conficitur, & cujus cor præ dolore coarctatur. *Turbavit ſe-*

A *ipſum*, mœrore adeo affectus eſt, doloit eouſque, ut lacrymis non parceret: ℣. 35. *Et lacrymatus eſt Jeſus*.

℣. 35. LACHRYMATUS EST JESUS.] Ploravit; viſus eſt triſtis, atque turbatus, quærens, ubi mortui cadaver fuerat contumulatum: *ubi poſuiſtis eum?* Hæc autem omnia humana ratione, ut ſe vere hominem eſſe probaret [12]. Præ dolore, & miſeratione lacrymas non compeſcit, afficitur dolore eodem, quo illi, qui eum comitantur [13], & quo præcipue utraque mortui ſoror contabeſcit. Veteres quidam nonniſi ægre, atque gravate in Evangelio ferebant, Jeſum Chriſtum lacrymatum fuiſſe; & S. Epiphanius in Anchor. c. 31. teſtis eſt, ævo ſuo complura S. Lucæ exemplaria [14] non legiſſe, Jeſum lacrymatum fuiſſe, ubi urbem Jeroſolymam conſpexit, quoniam lacrymas Salvatore tanto indignas

B cenſebant; ideoque Verbum illud ex Evangelio ſuo abradendum exiſtimarunt.

℣. 37. NON POTERAT HIC, QUI APERUIT OCULOS CÆCI NATI?] Judæi propter invidiam has Jeſu Chriſti lacrymas, tamquam infirmitatis ejuſdem argumentum reſpiciunt. Si tantopere hunc diligebat, cur illum non curavit? Et ſi illum curare potuiſſet, nonne hoc ipſe feciſſet; quandoquidem tantum mœroris ob illius mortem præfert [15]. Nam nobis igitur, inquiunt, obtrudatur cæci nati miraculum, cui glorientur, ipſum oculorum aciem reddidiſſe. Si primum illud miraculum potuiſſet perficere; ne ille præſus non fuiſſet, ut ſibi amicus a morte abriperetur.

℣. 38. ERAT AUTEM SPELUNCA.] Judæis mos erat monumenta in rupibus excindere, atque eorum adi-

C tum caſo lapide, atque ad latitudinem oſtii concinnatum obſtruere. Mortuus vero ſtatuebatur in ſpecu, vel theca, vel tumulo, qui illius magnitudinem exæquabat. De tumulis hujuſmodi verba fecimus in Diſſertatione, quam de Hebræorum funeribus inſcriptam Eccleſiaſtico præpoſuimus.

℣. 39. TOLLITE LAPIDEM.] Vult, eos omnes, qui aderant, ac eos præſertim, qui lapidem abſtulerant, teſtes eſſe, cadaver illud non ſolum vita carere, verum etiam fœtere, ne quis diceret, Lazarum lethargo abreptum, mortuum creditum fuiſſe; vel ne aliquam causa prætexeretur, ad miraculi hujus magnitudinem infirmandam [16].

℣. 40. NONNE DIXI TIBI; QUONIAM SI CREDIDE-

D RIS &c.] Non dixerat illi Jeſus Chriſtus hæc eadem verba, ſed æquipollentia: ℣. 25. *Ego ſum reſurrectio, & vita. Qui crediderit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet.* Hoc in loco *videre gloriam Dei*, idem eſt ac videre, Lazarum e mortuis ſuſcitari [17]. Oſtendere debet Deus filii ſui gloriam per hoc miraculum inter ea omnia, qua Salvator umquam fecit, celeberrimum.

℣. 41. PATER, GRATIAS AGO TIBI, QUONIAM AUDISTI ME.] Oculos ad Cœlum ſuſtollit, & Patrem ſuum alloquitur, ne accuſari poſſit; quaſi ſortilegio aliquo uſus fuiſſet, vel Dæmonis nomen inſeruiſſet, ut hoc miraculum operaretur. Ei gratias agit, quod ipſum audierit, antequam rogatus fuerit [18]; ut oſtendat, ſe non eſſe veluti alios Sanctos, & Prophetas,

E qui precibus utantur, oportet, ut miraculoſum aliquid eonentur; ſed ſe hoc ex propria virtute perficere. Loquitur perinde ac miraculum contigiſſet; ſciebat enim, Patris voluntatem non abhorrere: atque ita probat ſuæ voluntatis, atque poteſtatis cum voluntate, atque poteſtate Dei Patris ſimilitudinem.

℣. 42. PROPTER POPULUM, QUI CIRCUMSTAT.] Dei Filius ſemper adoritur veritate, ne a populo Patre ſuo

---

1 Leont. Theophyl. Mald. Brug. 2 Ignat. ad Trall. Πᾶς ζῶν, ὁ καὶ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐ μὴ ἀποθάνῃ εἰς τὸν αἰῶνα. 3 Chryſoſt. Cyrill. Leont. Theophyl. Euthym.
4 Marc. 9. 23. *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* 5 Πεπίστευκα, credidi, Grot. Maldon. Brug. ex Aug. & Beda. 6 Matt. 16. 16. 7 Theod. Mopſ. Cyrill. Leont. Mald.
8 Grotius. 9 Chryſoſt. Theoph. Euthym. Leont. Cyrill. in Caten. Gr.
10 Cyrill. Leont. Theophylact. 11 Auguſt. & Beda hic, Gregor. Magn. l. 3. Moral. c. 11. Bern. ſer. de S. Andrea. 12 Bern. *Fuerunt lacrymæ illæ teſtes profecto naturæ, non indices diffidentiæ.*
13 Theodor. Heracl. Auguſt. Maldon. Grot. Brug. 14 Luc. 19. 41.
15 Theodor. Mopſ. Chryſ. Theoph. Euthym. Brug. 16 Theodor. Heracl. Chryſ. Leont. Theoph. Euthym. Ambroſ. l. 1. Hexaem. c. 7. & orat. de fide reſurrect. Brug. Mald.
17 Theodor. Heracl. Euthym. Mald. 18 Chryſ. Leont. Theoph. Euth. Mald. Brug. alii.

ſua credatur inferior. Si Patrem rogat, & ſi tamquam homo loquitur, & veluti dignitate inferior, in oratione ſua quædam committeret, quæ illius æqualitatem oſtendunt; vel poſt orationem ſuam aliquid præſtat, quod divinitatem, atque omnipotentiam ſuam confirmet. Iſthic autem, ubi gratias Deo egit, quod voti damnatus fuerit, ne quis crederet, Patrem ab ipſo antea oratum fuiſſe, atque non ſemper eumdem a ſe fuiſſe exoratum: *ego autem ſciebam*, inquit, *quia ſemper me audis;* [1] *ſed propter populum, qui circumſtant, dixi: ut credant, quia tu me miſiſti*, me eſſe filium tuum, & perfectam inter utrumque poteſtatis, atque voluntatis eſſe æqualitatem.

℣. 43. MAGNA VOCE CLAMAVIT [1].] Attollit vocem ſuam, ut probet id, quod alibi dixerat [2]: *nunc eſt, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent*. Jubet, Lazarum e ſepulchro exire, tamquam vitæ, ac mortis Dominus, oſtendens, ſe illum ex propria virtute ab Inferis revocare [2]. Origenes [3], & Theophylactus in hunc locum Judæorum, atque Ethnicorum opinionem confutant, credentium, animam prope corpus in ſepulchro permanere; & ajunt, Jeſum Chriſtum voce magna clamaſſe, ut eas ineptias confunderet.

℣. 44. STATIM PRODIIT, QUI FUERAT MORTUUS.] Sepulchri os plane ad eumdem erat libellum, ac locus, ubi Lazarus poſitus fuerat. Monumentum illius non erat, ut alia quædam, puteorum more defoſſa, in quæ per ſuperiorem hiatum cadavera demittebantur. Si enim hujuſmodi fuiſſet, inde ſolus emergere, licet vinculis ſolutus Lazarus non potuiſſet. In eo igitur poſita difficultas eſt, ut agnoſcamus, quomodo exire potuit, cum pedes, manuſque vinctas haberet ſudariis, atque vittis involutas, quemadmodum infans crepundiis alligatur. Ita ibi gentium cadavera tumulabantur, quemadmodum ex hoc ipſo loco innoteſcit [4]. Patres, atque Interpretes [5] alterum iſthic admittunt miraculum, quod homo, qui pedes vinctos haberet, atque inter ſe quodammodo conglutinatos, manuſque lateribus ſuis hærentes, & lineis vittis preſſius circumligatas, & cujus caput, atque oculi linteo erant involuti, potuerit tamen ambulare, atque ex ſemet ad ſepulchri oſtium accedere.

Hæc Judæi, qui aderant, conſpicientes non potuerunt facere, quin Domini poteſtatem agnoſcerent. Viderunt, Lazarum quatriduo jam vita functum tabeſcere jam, atque fœtere incipientem, ipſi divellunt lapidem ſepulchri os obſtruentem; Lazarus inde egreditur funereis vinctus linteis, illis ſpectantibus ſolvitur; immo ipſi illum ſolvunt; loquitur, videt, & Jeſum Chriſtum adorat. Nihil ſupereſt, quo incredula Judæorum pertinacia confugiat. Patres [6] confeſſi ſunt, Lazari reſurrectionem exemplar eſſe, figuram, argumentum, pignus reſurrectionis futuræ, & generalis: *Oſtendit tibi Dominus, quemadmodum reſurgas. Non enim unum Lazarum, ſed fidem omnium ſuſcitavit*.

SOLVITE EUM.] Alloquitur Apoſtolos ſuos, Judæos, qui aderant [7]. Credit Origenes, illum fortaſſe ad Angelos locutum fuiſſe, eiſque imperaſſe, ut Lazarum ſolverent. Hæc actio ſymbolum erat illius, quod peccatori pœnitenti, atque converſo accidit. Ille peccatum deteſtatur, confitetur, de ſepulchro ſuo egreditur; ſed adhuc vinctus; Apoſtolorum vero, & eorum, quibus Jeſus hoc facultatis confert, intereſt eum ſolvere, eique perfectam libertatem conferre [8]: Non ſolvunt eum, cum adhuc mortuus eſt, inquit S. Gregorius; hoc enim effeciſſet, ut fœtor illius nimium perciperetur; expectant, donec revixerit. Ita & Paſtores agere debent cum illis, quibus ſcelerum ſuorum abſolutionem impertiunt; expectent, donec ſigna quædam viderint, ex quibus a Deo per gratiam illos reſuſcitatos cognoverint [9]; *illos dumtaxat debemus per Paſtoralem auctoritatem ſolvere, quos auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare*.

℣. 46. QUIDAM EX IPSIS ABIERUNT AD PHARISÆOS.] Miraculi magnitudo, atque evidentia, & ea, quæ Salvator præcaverat, ut factum hoc extra quamcumque dubitationem poneret, obeſſe non potuerunt, quominus quidam Judæi obduratiſſimi, vel adhuc dubitarent [10], vel ſaltem magiæ, vel alteri cuipiam nefariæ cauſæ [11] hoc acceptum referrent. Abeunt ergo, ut id nuntient Phariſæis, infenſiſſimis Jeſu Chriſti inimicis, ut ipſi ſibi conſulant, obicem ſtatuentes innumeris converſionibus, quæ in ſingulos dies magis magiſque accidebant.

℣. 47. QUID FACIMUS, QUIA HIC HOMO MULTA SIGNA FACIT?] Quid conſilii capiendum eſt? quid diutius diſceptandum? tollamus de medio oportet virum hunc, hunc tenebrionem, qui fallacium miraculorum ſuorum præſtigiis populos in errorem inducit. En quo cæcitas adducat eos viros, qui cæteris Judæis ſapientiæ, atque virtutis laude maxime celebrabantur. Multa ſigna facit: & ex hoc non inferunt; ergo in ipſum credamus, oportet: ſed e contra arguunt: debemus hunc hominem perdere, qui nobis fidem abrogat, & in nos inſurgit [12].

℣. 48. OMNES CREDENT IN EUM; ET VENIENT ROMANI.] Si eum patimur, ab omni populo tamquam Meſſias, & Rex Judæorum habebitur; & Romani, qui non aliam pati poſſunt dominationem, quam ſuam in nos, tamquam in rebelles inferent arma; & urbem noſtram, templum, atque gentem evertent. Ita inanì publicæ utilitatis prætextu viri ſanguinum iram ſuam contegunt contra Jeſum Chriſtum, & illius perdendi ineunt conſilium [13]. *Tollent locum noſtrum*; hoc intelligitur, vel de urbe, & natione [14], vel de Templo, qui locus erat confidentiæ, & gloriæ ſuæ [15].

Judæorum invidia non ſinit, ut ipſi argumentationis ſuæ defectum, atque conſiliorum ſuorum iniquitatem intelligant. Si Jeſus Chriſtus tanta operabatur miracula, quid illis metuendum erat, quod mortales omnes in ipſum crederent? Si huic poteſtas erat mortuos reſuſcitandi, ægros curandi, corda mutandi, quid ipſis a Romanis erat cavendum ſub eo Principe, cujus tanta eſſet auctoritas, atque potentia? Si mundus univerſus ſe ſe convertere debebat, atque in illum credere, quid in hunc Romani facere potuiſſent? Num ipſi tantum ſe ſe non converterent? Denique ſi Jeſus Chriſtus verus eſt Meſſias, & ſi ſatis multa operabatur miracula, ut mortalibus omnibus hoc perſuaderet, cur non erat excipiendus ipſo, etiam ſi opus fuiſſet, vitæ, civitatis, Templi, totiuſque gentis impendio? numquid dubitabant, utrum Meſſias unicus foret ipſorum liberator, & ſpes?

℣. 49. CAIPHAS CUM ESSET PONTIFEX ANNI ILLIUS.] Summi Sacerdotes juxta primam Legis inſtitutionem, donec viverent, dignitate ſua frui debebant; atque ea dignitas de Patre in Filium deinceps in Au-

1 Joann. 5. 25. Vide Chryſoſt. Theoph. Euth. Cyrill. hic. Ambr. de fide reſurrect.
2 Chryſoſtom. Theophylact. Cyrill. hic. Θεατρικῶς καὶ ἀκτιδικῶς τὸ πάθημα.
3 Vide Origen. hic, & lib. 7. contra Celſum.
4 Δεδεμένος τοὺς πόδας, καὶ τὰς χεῖρας χωρίσει. Vide Grotium hic.
5 Theodor. Heracl. & alter Theod. Mopſ. Chryſoſt. Theophyl. hic, Mald. Men. Brug. Ligf. alii paſſim.
6 Iren. lib. 5. cap. 13. Tertull. de reſurrect. carnis. Cyrill. Jeroſolym. Cath. 14. Cyrill. Alex. in Caten. Gr. Ambroſ. lib. de fide reſurrect. Vide & Tolet. Maldon. alios. 7 Ita Græci paſſim.
8 Aug. hic: *Quid eſt ſolvite, & ſinite abire? Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in Cœlo*. Ita Beda, Rupert. alii.
9 Greg. Magn. homil. 26. in Evang. Vide & lib. 22. Moral. cap. 9.
10 Orig. Theod. Mopſ. Theophyl. Rupert. 11 Vide Euthym. Grot.
12 Aug. hic: *Nec tamen dicebant: credamus, plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerent, ut perderent, quam quomodo ſibi conſulerent, ne perirent.* 13 Cyrill. Chryſ. Theodor. Mopſ. Theoph. Euth.
14 Chryſ. Theoph. 15 Mald. Brug. Menoch.

in Aaronis domo migrare debebat. Sed jam pridem hic ordo fuerat immutatus; cum Romani, atque Herodes auctoritatem ſibi vendicaſſent pro libidine, alios quidem de ſummo gradu deturbandi, alios ad illum evehendi, quin aliud obſervarent, niſi quod eſſent ex progenie Sacerdotali. Caiphas ergo eo anno ſummi Pontificatus apicem obtinebat. In Judæorum hiſtoria hic Joſeph appellatur, & illi Caiphæ agnomen ſuperadditur [1]. Hic annos octo, vel novem ſupremi ſacrificuli gradum tenuit, ex quo a Vitellio Judææ præſide dejectus fuit.

℣. 50. EXPEDIT VOBIS, UT UNUS MORIATUR HOMO PRO POPULO.] Caiphæ hoc dicenti ea mens erat, quod Jeſum perdere præſtabat, quam propter illum Romanorum iram, atque ultionem ſubire. Melius eſt, unum hominem mactare, quam populum univerſum. Cum de Republica agitur, hoc ſane juſtum eſt; verum duo reſponderi poſſunt: primum, religionem minime permittere, ut mali aliquid fiat, ex quo boni aliquid ſit conſecuturum [2]: alterum, certum non eſſe, Jeſum Chriſtum ab omni populo Regem haberi velle, neque populum ad defectionem contra Romanos velle ſuſcitare; neque tandem Romanos propter illum, templum, urbem religionem, & Judæorum gentem eſſe everſuros [3]. Hæc a Caipha erant conſideranda. Oportebat primum intelligeret principii veritatem, antequam ex eodem ſuas illationes eliceret.

℣. 51. HOC AUTEM A SEMETIPSO NON DIXIT.] Deus Caiphæ linguam ita moderatus eſt, ut præter mentem JESU CHRISTI mortem prophetaret. Quin animum adverteret [4], dixit, quid de Salvatoris morte erat futurum, videlicet utiliſſimam fore univerſo populo mortem illius, quippe ad cæteros ſalvos faciendos eam erat ſubiturus. Hoc reipſa contigit, neque pro Judæorum duntaxat, verum etiam pro omnium hominum ſalute mortuus eſt [5]. Non ſine divinæ Providentiæ effectu, Sacerdos ita locutus eſt, ipſe enim verus Propheta non erat: eoque temporis momento Prophetiæ donum, non perſonæ merito, ſed ejuſdem Sacerdotali dignitati conceſſit Deus [6]. Hoc exemplum oſtendit, ſupernaturalia Prophetiæ, & miraculorum dona non ſemper digniſſimo cuique adhærere.

Caiphas proprio locutus eſt marte, quatenus injuſtam JESU CHRISTI mortem ſuaſit. Divino autem ſpiritu locutus eſt, quatenus vaticinatus eſt mortem Salvatoris, & bonum, quod inde in omnes gentes erat emanaturum. Lingua illius id protulit, quod non intelligebat ipſe; eodem ferme pacto, quo Aſina Balaam, quin intelligeret, ad ſeſſorem ſuum locuta eſt, eique ſtupiditatem exprobravit. Ita Platone ipſo teſte [7], ſæpius Arioli, & illi, quos ſupernaturalis enthuſiaſmus invadit, plurima faciunt, & dicunt, quæ neſciunt, & ignorant, & nonnumquam auguria vera efficiuntur ex verbo, quod temere excidit. S. Chryſoſtomus putat, prophetiæ Spiritum ſemper apud Judæos permanſiſſe, donec moriente JESU Templi velum ſciſſum eſt [8].

℣. 52. ET NON TANTUM PRO GENTE.] Sed & pro Gentilibus in varias terrarum plagas diſperſis, qui per fidem futuri jam erant Filii Dei, quales jam erant per prædeſtinationem, & in Omnipotentia Decretis. De his Dei filiis in omnes terras diſperſis alibi Salvator ajebat: *alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Paſtor*, Joan. 10. 16.

℣. 53. AB ILLO DIE COGITAVERUNT.] In hoc cœtu mortem illius decreverant; Nulla amplius habita quæſtio fuit, ut hoc ſtatueretur; ſed ut quæreretur, quomodo captum conſilium maturari jam poſſet [9]. Græca vox innuere videtur, id ex communi conſenſu fuiſſe decretum.

℣. 54. NON IN PALAM AMBULABAT.] Græcus ad litteram [10]: *Non ambulabat amplius libere inter Judæos.* Non circuibat amplius, ut antea, urbes, & pagos, prædicans, docens, & ægrotos curans, neque in regionis illius luce verſabatur. Receſſit in *Ephrem*, vel *Ephraim* oppidulum, aut pagum quemdam *juxta deſertum*, non procul a Bethel; quoniam Scriptura [11], & Joſephus [12], Bethel, & Ephrem tamquam duo finitima loca conjungunt. Credunt plurimi, hanc eamdem eſſe, ac Ephron, de qua ſermo eſt in Libris Macchabæorum [13], & 2. Paral. 13. 19. Joſue cap. 15. 9. eam Tribui Juda attribuit; & Euſebius atque S. Hieronymus Ephrem, vel Ephraim ad vigeſimum lapidem, vel ſeptem circiter leucas procul a Jeruſalem ad Boream conſtituerunt. JESUS CHRISTUS ibi duobus circiter menſibus permanſit a die 24. Januarii ad diem 24. Martii.

℣. 55. PROXIMUM ERAT PASCHA.] Hoc eſt noviſſimum Paſcha, quod Dominus noſter in terris celebravit, & quo pro noſtra ſalute mortem ſubiit. Cum ergo immineret Paſcha, complurimi ex finibus Ephron, aut Ephrem Jeroſolymam, ſeptem, vel octo ante feſtivitatem diebus venerunt, ut ſe ſe expiarent, atque ad Paſcha diſponerent. In 2. Paral. 30. 18. ſcriptum eſt, quoſdam Paſcha celebraſſe, quin antea ſeipſos expiaſſent, & Ezechiam Regem pro illis oraſſe, quod eorum culpa error erat ignorantiæ. Hi ergo culpam hanc ſtudent evitare.

℣. 56. QUÆREBANT ERGO JESUM.] Cives Ephrem, qui noverant illum ſecum Jeroſolymam verſus profectum eſſe, in Templo [14] eum quærebant admirantes, quod ſecum eodem tempore Jeroſolymam non perveniſſet. Alioquin cur admirarentur, ipſum non veniſſe, & cur illum in Templo quærerent, ſcientes nondum tempus eſſe illuc veniendi. Neſciebant, ipſum in via ſubſtitiſſe, & Jerichunte, atque in finibus ejus remanſiſſe.

Quidam Græcum vertunt [15], quid vobis videtur? Numquid veniet ad feſtivitatem? inter ſe mutuo quærebant, utrum, quid de ipſo factum eſſet cognoſcerent, & utrum ad feſtivitatem ille acceſſurus eſſet, ſciens, ſe ad necem a Phariſæis conquiri. Hac in re alia erat aliorum ſententia; aliis affirmantibus, ſciebant enim hunc morem eſſe illius, eumque diligentiſſimum eſſe Legis obſervatorem: aliis negantibus, quippe minime arbitrabantur, ipſum ſubire velle tantum diſcriminis, ut in inimicorum manus incideret.

---

1 Joſeph. Antiqu. lib. 18. 3. 2 Rom. 3. 8. 3 Vide Grot. Brug.
4 Theodor. uterque Heracl. & Mopſ. Leont. Cyrill. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 15. *Aliud dicere volebat, aliud ſignificabat.* 5 Infra Verſ. 52.
6 Chryſoſtom. Cyrill. Theophylact. Euthym. Leont. Theodor. uterque, Auguſt. Beda, alii. Origen. tom. 31. in Joan. dubitat, an Caiphas ſpiritu divino prophetizaverit.
7 Plato in Menone pag. 99. 8 Vide Auguſt. Chryſoſtom. Euthym.
9 Cyrill. Alexandr. hic. 10 Οὐκ ἔτι παῤῥησίᾳ περιεπάτει. 11 2. Par. 13. 19. *Ephron*. At Maſſoretæ legunt *Ephraim*. 12 Joſeph. lib. 9. cap. 33. de Bello. in Lat. lib. 5, cap. 8. pag. 896.
13 1. Macchab. 5. 46. & 2. Macchab. 12. 27. 14 Vide Toynard. Harmon. p. 84.
15 Τί δοκεῖ ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ εἰς τὴν ἑορτήν. Vide Maldonat. Brug. Beza, Piſc. cum interrogatione legunt: *An non veniet?*

CAPUT

CAPUT XII.

Convivium Bethaniæ, cui intereſt JESUS CHRISTUS, & ubi ſuper pedes illius Maria pretioſum unguentum effundit. Judæ obmurmuratio. Judæi Lazari mortem meditantur. JESUS triumphans Jeroſolymam ingreditur. Ethnici cum ipſo colloqui volunt. Judicium de mundo faciendum. Cum JESUS crucifixus fuerit, omnia trahet ad ſeipſum.

1. JEſus ergo ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mor-
tuus, quem ſuſcitavit Jeſus. 2 Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha
miniſtrabat, Lazarus vero unus erat ex diſcumbentibus cum eo. 3 Maria
ergo accepit libram unguenti nardi piſtici, pretioſi, & unxit pedes Jeſu, & ex-
terſit pedes ejus capillis ſuis: & domus impleta eſt ex odore unguenti. 4 Dixit
ergo unus ex diſcipulis ejus, Judas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: 5 Quare
hoc unguentum non væniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? 6 Dixit au-
tem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos
habens, ea, quæ mittebantur, portabat. 7 Dixit ergo Jeſus: Sinite illam, ut in
diem ſepulturæ meæ ſervet illud. 8 Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum: me
autem non ſemper habetis. 9 Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic
eſt: & venerunt, non propter Jeſum tantum, ſed ut Lazarum viderent, quem ſu-
ſcitavit a mortuis. 10 Cogitaverunt autem principes ſacerdotum, ut & Lazarum
interficerent: 11 Quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in
Jeſum. 12 In craſtinum autem, turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cum
audiſſent, quia venit Jeſus Jeroſolymam: 13 Acceperunt ramos palmarum, & pro-
ceſſerunt obviam ei, & clamabant: Hoſanna, benedictus, qui venit in nomine Do-
mini, Rex Iſrael. 14 Et invenit Jeſus aſellum, & ſedit ſuper eum, ſicut ſcri-
ptum eſt: 15 Noli timere, filia Sion: ecce rex tuus venit ſedens ſuper pullum
aſinæ. 16 Hæc cognoverunt diſcipuli ejus primum: ſed quando glorificatus eſt Je-
ſus, tunc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerunt ei. 17
Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit
de monumento, & ſuſcitavit eum a mortuis. 18 Propterea, & obviam venit ei
turba: quia audierunt, eum feciſſe hoc ſignum. 19 Phariſæi ergo dixerunt ad ſe-
metipſos: Videtis, quia nihil proficimus? ecce mundus totus poſt eum abiit. 20
Erant autem quidam Gentiles, ex his, qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto.
21 Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat a Bethſaida Galilææ, & rogabant
eum, dicentes: Domine, volumus Jeſum videre. 22 Venit Philippus, & dicit
Andreæ: Andreas rurſum, & Philippus dixerunt Jeſu. 23 Jeſus autem reſpondit
eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. 24 Amen, amen dico
vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; 25 Ipſum ſolum
manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam ſuam,
perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit
eam. 26 Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter
meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. 27 Nunc
anima mea turbata eſt. Et quid dicam? Pater, ſalvifica me ex hac hora. Sed pro-
pterea veni in horam hanc. 28 Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de
cœlo: Et clarificavi, & iterum clarificabo. 29 Turba ergo, quæ ſtabat, & au-
dierat, dicebat, tonitruum eſſe factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus eſt.
30 Reſpondit Jeſus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos.
31 Nunc judicium eſt mundi: nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. 32 Et
ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum. 33 (Hoc autem dice-
bat, ſignificans qua morte eſſet moriturus.) 34 Reſpondit ei turba: Nos audivi-
mus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet e-
xaltari Filium hominis? Quis eſt iſte Filius hominis? 35 Dixit ergo eis Jeſus.

Adhuc modicum lumen in vobis eſt . Ambulate dum lucem habetis ; ut non vos
tenebræ comprehendant ; & qui ambulat in tenebris, neſcit, quo vadat . 36 Dum
lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis ſitis. Hæc locutus eſt Jeſus: & abiit,
& abſcondit ſe ab eis . 37 Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis , non cre-
debant in eum : 38 Ut ſermo Iſajæ prophetæ impleretur , quem dixit : Domine ,
quis credidit auditui noſtro ? & brachium Domini cui revelatum eſt? 39 Propte-
rea non poterant credere , quia iterum dixit Iſajas ; 40 Excæcavit oculos eorum,
& induravit cor eorum : ut non videant oculis , & non intelligant corde , & con-
vertantur , & ſanem eos . 41 Hæc dixit Iſajas , quando vidit gloriam ejus , & lo-
cutus eſt de eo. 42 Verumtamen , & ex principibus multi crediderunt in eum :
ſed propter Phariſæos non confitebantur , ut e ſynagoga non ejicerentur . 43 Dile-
xerunt enim gloriam hominum magis , quam gloriam Dei . 44 Jeſus autem clama-
vit , & dixit : Qui credit in me , non credit in me , ſed in eum , qui miſit me .
45 Et qui videt me, videt eum, qui miſit me. 46 Ego lux in mundum veni : ut
omnis , qui credit in me , in tenebris non maneat . 47 Et ſi quis audierit verba
mea , & non cuſtodierit ; ego non judico eum , non enim veni , ut judicem mun-
dum , ſed ut ſalvificem mundum . 48 Qui ſpernit me, & non accipit verba mea:
habet , qui judicet eum : ſermo , quem locutus ſum , ille judicabit eum in noviſſi-
mo die . 49 Quia ego ex me ipſo non ſum locutus , ſed qui miſit me Pater, ip-
ſe mihi mandatum dedit , quid dicam , & quid loquar . 50 Et ſcio, quia manda-
tum ejus vita æterna eſt , Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.

℣. 1. ANTE SEX DIES PASCHÆ VENIT BETHANIAM .] Illuc rediit, cum duo jam elapſi fuiſſent menſes a Lazari reſurrectione. Altera hac vice pervenit illuc die Dominica 9. Niſan 29. Martii , anno ætatis ſuæ ſexto ſupra trigeſimum, die ſexta ante Paſchatis feſtivitatem, quæ anno illo incepit die Veneris ſub veſperam, eodem temporis momento, quo JESUS CHRISTUS in Cruce animam efflavit . Venit ergo cum diſcipulis ſuis apud Lazarum , & ſorores ejus , ubi convivio exceptus eſt , cui interfuit Lazarus , qui duobus antea menſibus a mortuis fuerat ſuſcitatus.

℣. 3. MARIA ACCEPIT LIBRAM UNGUENTI.] Maria ſoror Lazari omnino alia a peccatrice , de qua loquitur S. Lucas 7. 37. *accepit libram unguenti nardi piſtici* , vel *ſpicati* , quemadmodum S. Marcus 14. 3. legit . Hæc cœna eadem eſt , ac illa , quæ a Sanctis Matthæo , & Marco narratur ; ubi Salvator apud Simonem Leproſum epulatus eſt [1]. In alios Evangeliſtas locuti ſumus de conſuetudine pedum convivis inungendorum , vel capitis eorum unguentis pretioſis obliniendi.

℣. 4. DIXIT ERGO JUDAS .] Judas quidem primus murmuravit ; eumque alii Apoſtoli imitati ſunt ; verum mente prorſus alia [2].

. TRECENTIS DENARIIS .] Denarius Romanus noſtratis monetæ decem ſolidis æſtimabatur . Trecenti denarii ſunt libræ centum , & quinquaginta .

℣. 6. NON QUIA DE EGENIS PERTINEBAT AD EUM.] Non dicebat hæc ille , charitate erga egenos adactus ; quorum egeſtas illi minime negotium faceſſebat ; cæterum illius minimi intererat eleemoſynas in pauperes erogare , quæ ſi eroganda erant , vel Salvator ipſe illas diſtribuebat , vel diſtribui jubebat . Verum cum ille nummorum ſacculum deferret , & JESUS CHRISTUS illi curam crediſſet ſumptuum faciendorum , & recipiendarum oblationum , ſi quæ pro Apoſtolorum egeſtatibus fierent , Judas clanculum furabatur, & quidquid poterat , reponebat, meditatus , ſe aliquando ab Apoſtolorum cœtu non ſine quæſitis opibus receſſurum; vel prævertere cupiens , quidquid non ſatis proſperum evenire poſſet , ſi Magiſter comprehenſus fuiſſet , & interfectus ; quemadmodum ad id jam omnia diſpoſita videbantur .

℣. 7. SINITE , UT IN DIEM SEPULTURÆ MEÆ SERVET ILLUD .] Græcus [3] ; *ſine illam : ſervavit unguentum hoc in diem ſepulturæ meæ* : ſed complura Græca exemplaria , & Codices Cophtus , atque Æthiops , & Nonnus Vulgatæ [4] ſimiles ſunt : *ſine illam , ut in diem ſepulturæ meæ ſerves illud* ; hoc eſt : Juda, ſine eam facere , quod facit , ut liqueat , ipſam mihi hoc unguentum ſervaſſe , ut hodie maturato, paucis ante mortem meam diebus, Corpus meum condiret . JESUS CHRISTUS imminentem obitum ſuum prædicit , atque ut indigitet , ſe in illum omnes ſuas cogitationes tranſtuliſſe, haberi vult Mariæ actionem , tamquam ſi corpus ſuum jam vita functum unguentis foveretur . Illa mihi in hanc occaſionem hoc unguentum ſervabat . Hic noviſſimus eſt ſumptus, quem in mei gratiam effecerit : hoc eſt proximæ mortis meæ præſagium . Mecum agit tamquam cum illo , qui jam jam in ſepulchrum efferendus eſt ; me jam unguentis condire cœpit .

℣. 8. PAUPERES SEMPER HABETIS .] Numquam eleemoſynæ erogandæ vobis deerit occaſio , at non ſemper aderit vobis occaſio, hæc mihi corporalia officia præſtandi . Quamprimum ex hoc mundo egrediar . Ne defleas ergo, Juda, modicum ſumptum , quem in mei gratiam fecit Maria . Alludit ad ea Moyſis verba Deut. 15. 11. *non deerunt pauperes in terra habitationis veſtræ* .

℣. 9. TURBA MULTA EX JUDÆIS .] Cum S. Johannes eſſet Galilæus , ſæpius Judæos ſimpliciter Joroſolymitanos cives appellat . Homines illi Bethaniam curioſitatis ergo venerunt [5], non ſolum quod audierunt , Jeſum , qui ſumma cum impatientia ad Paſchatis feſtivitatem expectabatur [6], ibi adeſſe : ſed ut Lazarum reſuſcitatum viderent , quippe hujus miraculi fama late ea in regione percrebuerat .

℣. 10. UT & LAZARUM INTERFICERENT .] Donec enim inter vivos ille verſaretur , futurus erat certiſſimum monumentum , atque validiſſimus præco divinæ JESU CHRISTI potentiæ ; & illius aſpectus quamplurimos invitabat ad JESUM CHRISTUM videndum , audiendumque : *O ſtulta cogitatio , & cæca ſævitia ! Dominus Chriſtus , qui ſuſcitare potuit mortuum , non poſſet occi-*

1 Matth. 26. 6. Marc. 14. 3. Vide Toynard. Grot. Brug. Menoch.
2 Matth. 26. 7. Marc. 14. 4. 3 Ἄφες αὐτήν. Εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό.
4 Ἄφες αὐτήν, ἵνα εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τηρήσῃ αὐτό.
5 *Eos adduxit curioſitas non charitas*, ait S. Auguſtinus. 6 Supr. 11. 56.

vendiſſem? quando Lazaro inſerebatis necem, numquid auferebatis Domino poteſtatem [2]?

℣. 11. Multi abibant ex Judæis.] Et glorificabant Deum, atque veritatem; & credebant in Jesum Christum, Sacerdotum, atque Phariſæorum injuſta adeo Salvatorem perſequentium nequitiam abominati.

℣. 12. In crastinum.] Die lunæ, decima Niſan, quinta ante Salvatoris Paſſionem. Hiſtoriam hanc aliquantulum latius apud alios Evangeliſtas ſumus intuiti [a]: Judæorum advenarum, qui Jeruſalymam aliquot diebus ante Paſcha ad ſeſe majori cum pietate ad eam ſolemnitatem præparandos convenerant, turbæ, cum intellexiſſent, Jeſum Chriſtum Bethania, ubi ea nocte cubaverat, Jeroſolymam accedere, ad illum undique confluxerunt. Hi plane iidem ſunt, qui biduo ante ſollicite adeo percontabantur, utrum ille ad feſtivitatem veniret [3]: omnibus enim Sacerdotum, atque Phariſæorum adverſus illum iniquitas comperta erat, atque explorata.

℣. 15. Noli timere, &c.] Prophetæ textus ita legit [4]: *exulta ſatis filia Sion; jubila filia Jeruſalem, ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator; ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.*

Sed quando glorificatus est,] Et aſcendit in Cœlum, recordati ſunt harum prophetiarum, eaſque ad illum tranſtulerunt. Plurimæ aliæ ſuperſunt prophetiæ, quarum nemo umquam cogitaſſet, in Meſſia complementum perquirendum eſſe, niſi per ſapientiam ſuam Salvator in minimis vitæ ſuæ circumſtantiis earum veritatem oſtendiſſet.

℣. 19. Videtis, quia nihil proficimus.] In jocum traducuntur interdicta noſtra, atque minæ excommunicationis noſtræ [5]. Non præbentur amplius aures nobis, quidquid contra hunc virum dicamus. Omnes abeunt poſt illum, miraculorum ipſius illecti fulgore. Tempus eſt, ut ſine mora maturetur, quidquid in concilio noſtro ſtatutum fuit, de morte illi inferenda, Joan. 11. 53.

℣. 20. Erant autem quidam Gentiles.] Qui venerant, ut feſtivitatis die Deo ſuas oblationes, & ſacrificia offerrent. Verbum *adorare* continet omnes publicos actus Religionis. Hi Gentiles vere Ethnici [6] erant, qui Jeroſolymam venerant, vel curioſitate, vel fama magnitudinis, & majeſtatis Templi, vel Jesu Christi miraculis, vel denique aliqua religionis cauſa impulſi, ut ibi Deum Judæorum adorarent. In Ethnica enim religione, ubi Deorum pluralitas admittebatur, nemini interdictum erat, alterius populi alienos venerari Deos, dummodo patrii minime relinquerentur. Inde profectum eſt, ut Hebræi toties conſociare voluerint cultum Deorum Chananitidis cum Domini cultu, & Romani adoptarint ſuperſtitiones, & cultus Deorum omnium, quos populis ab ſe victis in honore habebantur [7].

Complures Ethnici, quin Idolorum cultum abdicarent, poteſtatem Dei Hebræorum confitebantur, cujus rei aperta in Scripturis præbent exempla Cyrus [8], & Nabuchodonoſor [9]. Joſephus de Bello l. 2. c. 30. & Philo Legat. ad Cajum, deſcribunt munera, quæ Imperatores, Ethnicique Principes nonnumquam ad Domini Templum miſerunt, & ſacrificia, quæ ibidem eorum ſumptibus fiebant. Legimus, Magnum Alexandrum [10] in Domini Templo ſacrificia obtuliſſe, quod ipſum & Pompejus præſtitit [11], Marcus Agrippa donec Jeroſolymæ permanſit, quotidie in Templum aſcendit, atque victimas obtulit [12]; & Auguſtus præceperat, ut quotidie ſibi ſui ſumptibus ſacrificia ibi offerrentur [13]. Gentiles in atrium illis deſtinatum, & quod inde atrium Gentilium dicebatur [14], ingredi poterant; emebantque victimas, quæ in Templo mactabantur. Illi, de quibus hic ſermo, ſanctum hunc locum venerabantur, ibique adorabant Deum, qui ibi colebatur; at neſciebant Deum hunc ſolum ac ſine conſorte adorandum. Quæ Salvator S. Philippo reſpondit, per horum hominum occaſionem, oſtendit, eos Gentiles nondum ſatis æquam Domini cognitionem habuiſſe ℣. 23. *venit hora, ut clarificetur Filius hominis.*

Complures Recentiores Interpretes [15] cenſent, hos Gentiles fuiſſe Proſelytos, hoc eſt Ethnicos ad Judaicam Religionem converſos, non tamen eos, qui proſelyti *juſtitiæ* vocabantur: hi quippe circumciſionem recipiebant, atque ſe ſe omnibus Legis officiis ſubmittebant: ſed *proſelyti domicilii*, qui dominum agnoſcebant, & in Judæorum terris vivebant, atque illarum civilibus Legibus, eorumque Reipublicæ ſe ſe ſubjiciebant, quin tamen circumciſionem admitterent, vel aliis cæremonialibus legibus ſe ſe addicerent. Putat S. Johannes Chryſoſtomus, hos Ethnicos fuiſſe, qui Jeroſolymam venerant, ut inter proſelytos adſcriberentur. Non deſunt tandem [16], qui credunt, hos vere Judæos fuiſſe, ſed Græcos ex nativitate, & qui ex Judæis in provincias Orientis diſperſis originem duxerunt. Judæi Paleſtinæ, *Græcorum* nomine, & *Hellenum* (quo hoc in loco utitur S. Johannes) vel Ethnicos, vel Hebræos alienigenas intelligebant. Nos vero illos Helleniſtas appellamus, qui Græce lingua utebantur, cum qui in Judæa viverent, vel Hebraice, vel Syriace loquerentur. At pro priori ſententia nos ſtare ſuperius jam ſumus profeſſi.

℣. 21. Accesserunt ad Philippum.] Conjiciunt [17], hos Gentiles, vel Phœnices, vel Syros fuiſſe, vel incolas Decapoleos prope lacum Genezareth, & Bethſaidam; quod inferunt ex eo, quod Philippum adeunt, qui ex poſtrema hac erat Civitate, & qui fortaſſe ab illis cognoſcebatur; & quod illis eſt cupiditas Jesum Christum videndi, cujus fama eam in regionem latius fuerat pervagata. Jeroſolymæ propinquitas, & feſtivitatis magnificentia, non ſecus ac pietas, & religio illos fortaſſe illuc impulerant.

℣. 23. Venit hora, ut clarificetur Filius Hominis.] Et Evangelium ipſius omnibus populis prædicetur. Venit hora, qua in ovile meum congregaturus ſum oves non ſolum populi Iſrael, verum etiam aliarum gentium, ut inde unum dumtaxat gregem efficiam [18]. Murus, qui utrumque populum ſeparat, diruendus eſt [19]; & nomen Domini, quod hactenos in Judæa ſolum cognitum, & adoratum fuit, omnibus gentibus prædicabitur, & Filius Hominis glorificabitur, atque pro unico humani generis liberatore apud omnes univerſi populos habebitur. Hactenus dixi vobis Evangelium Idolatris nationibus ne annunciaretis [20]; *in viam gentium ne abieritis*: nunc vero dicam [21]: *euntes docete omnes gentes: prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Hoc autem Jeſus Chriſtus dixit poſtquam glorificatus fuit, & a mortuis reſurrexit.

℣. 24. Nisi granum frumenti.] Jesus Christus ſe frumenti grano comparat; & mortem ſuam eidem grano ſato, quod humi jam computruit; reſurrectio-

a August. hic. Ita & Theodor. Mopſ. Cyrill. alii. 2 Matth. 21. 1. Marc. 11. 1. Luc. 19. 29. & ſeq.
3 Supra cap. 11. 56. 4 Zach. 9. 9.
5 Joan. 9. 22. 12. 42. 6 Ita Theodor. Mopſ. Cyrill. Leont. Theophylact. Maldonat. Brug. Menoch. Ligfoot. Selden. Salmaſ. Grot. 7 Leo Magn. ſerm. 1. in natali SS. Petri, & Pauli. *Magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem.* 8 2. Eſdr. 1. 1. 2.
9 Dan. 2. 4. 10 Antiqu. lib. 11. cap. 8. 11 Idem lib. 1. de Bello c. 5. p. 720. D. E.
12 Philo Legat. ad Cajum p. 1033. Vide & Joſeph. de Bello lib. 2. cap. 31. in Gr. 27. in Lat. p. 810.
13 Joſeph de Bello lib. 2. c. 30. 31. in Gr. 31. in Lat. Philo Legat. ad Cajum p. 1036.
14 Joſeph Antiqu. lib. 15. cap. 14. & de Bello lib. 6. cap. 14. in Lat. 6. in Græco.
15 Beza, Piſcat. Hammond. 16 Druſ. Calv. Le Clerc.
18 Grot. Ligfoot, Hor. Talm. Vide & Cyrill. hic. 17 Joan. 10. 16.
19 Epheſ. 2. 14. 20 Matth. 10. 5. 21 Matth. 28. 19. Marc. 16. 15.

rectionem ſuam eidem, quod exurgit, atque fructum ſuum profert. Si non moriar, reſurgere non potero, neque glorificari: ſin autem glorificatus non fuero, omnes populos in Eccleſiam meam non congregabo. Hic fructus eſt mortis, atque reſurrectionis meæ.

℣. 25. QUI AMAT ANIMAM SUAM, PERDET EAM.] Hæc adagii quædam eſt ſpecies, quod de ſeipſo interpretatur; hæc eſt occaſio, in qua generoſe vita ipſa effundenda eſt. Vitam meam profundens, illam adipiſcar, quandoquidem die tertia reſurgam. Hac in re diſcipuli me debent imitari. Mortem contemnent, ſi veram vitam cupiunt acquirere; illos mecum in Cœlis collocabo, & aliquando illos reſuſcitabo, quemadmodum meipſum debeo reſuſcitare. ℣. 26. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Salvator alibi jam hæc eadem præcepta propoſuerat [1]; ſed in ſenſu ab hoc longe diverſo. In Evangelio non deſunt plures ſententiæ, quas variis ſubinde occaſionibus uſurpavit [2].

℣. 27. NUNC ANIMA MEA TURBATA EST.] Cum vix de morte ſua cogitaſſet, de qua tamquam de grano frumenti in terra putreſcente locutus fuerat, turbatur, atq; terretur [3]. Sed hæc turbatio, hic terror mere voluntarii ſunt, atque potius ad nos confirmandos concepti, quam ad ullam ipſius infirmitatem innuendam: *Nos in ſe tranſtulit, nos in ſe ſuſcepit: caput noſtrum membrorum ſuorum ſuſcepit affectum.* Apoſtoli dicere potuiſſent; facile quidem mortem, atque pericula contemnere potes, & nos ad vitæ noſtræ contemptus, atque cruciatus hortari: quippe dominus es affectuum tuorum, & nihil te vel turbare poteſt, vel deterrere. Nobis vero longe aliter accidit. Illis ergo nunc oſtendit, ſe mortem metuere, tamquam hominem quempiam; ſed ut Patris imperata faciat, invitum, ac mœrentem animum ſuum ſuperare [4].

ET QUID DICAM.] Eo in dolore, quo conficior, quid dicam, quid faciam, vel quo me vertam? Pater ab hoc fatali momento libera me: *tranſeat a me calix iſte* [5]: ne permittas, me tradi in mortem. At quid loquor? numquid tempus recedendi eſt, cum hucuſque proceſſerit? *Sed propterea veni in hanc horam*: in Mundum veni, ut paterer, & morerer. Utique Pater mi ad ea omnia, quæ tibi placita fuerint, præſto ſum. ℣. 28. *Pater clarifica nomen tuum* [6]; *fiat voluntas tua* [7]: quoniam mors mea tibi in gloriam ceſſura eſt, eidem me met libens ſubjicio, illam ex animo complector.

℣. 28. VENIT ERGO VOX.] In te æterna mea conſilia adimplevi; te miſi in mundum, ut mundi peccata expiares, atque læſæ juſtitiæ meæ faceres ſatis: Perficiam opus meum; Sanguinem tuum de Cruce effundes. Mea agitur gloria, ut ſacrificium tuum adimpleatur [8]: ſed gloriam meam quærens, & tuam quæro. Vita tua, ac tua mors meipſam glorificant; ſed viciſſim ego te glorificavi eo miraculorum fulgore, qui ſemper miſſioni tuæ comes adhæſit; & pergam glorificare te in morte tua, inauditis prodigiis; & Reſurrectio tua gloriæ tuæ cumulus erit [9].

Alii [10] hoc ita explicant: *clarificavi te* in æternitate, ubi ſemper fuiſti in forma Dei, & in Patris ſinu, & *clarificabo te* poſt Reſurrectionem, & Aſcenſionem tuam, cum ſuper Cœlos elatus ſedebis ad dexteram Patris eadem indutus gloria, quam ante omnia ſæcula obtinueras. Prior explicatio magis litteralis videtur propter ea, quæ præcedunt: at quid dicam? *Pater clarifica nomen tuum*; quod æquivalet his verbis: *fiat voluntas tua* [11]. Patres in explicationibus ſuis locum hunc conſiderarunt tamquam alteri illi geminum ex cap. 17. ℣. 5. ubi Dei Filius Patri ſuo dicit: *& nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam Mundus eſſet apud te.*

℣. 29. DICEBAT, TONITRUUM ESSE FACTUM.] Audiverant ingentem fragorem, atque vocem articulatam quodammodo inter tonitru prorumpentem: verum non ſatis diſtincte intellexerunt, quid illa diceret; vel ſaltem ſibimet perſuadere non poterant, eam vocem eſſe ad ſe veluti documentum miſſam. Credere maluerunt, ſe illuſos fuiſſe, atque non aliud audiviſſe, quam vocem tonitrui, vel vocem Angeli. Generatim, Hebræi omnia ferme miraculoſe facta, omniaque proſpera Angelis tribuebant; ea vero, quæ ſupernaturalia videbantur, quæque erant funeſta, & nocua, Dæmoni referebant accepta. In Apocalypſi 1. 15. vox Filii Dei loquentis S. Johanni eſſe dicitur, tamquam ſtrepitus aquarum multarum; & c. 6. 1. vox Cherubim tamquam obſtrepens tonitru; atque item cap. 10. 3. Angeli vox rugitui Leonis, atque ſeptem tonitruum fragori comparatur. In Scriptura tonitru dicitur vox Domini. Cum Dominus per Angeli vocem loquitur, ea vox eſt tonitru, par in fortiſſima quælibet corda terrori incutiendo.

℣. 30. NON PROPTER ME HÆC VOX VENIT.] Sed ut vos in fide confirmaret, vobiſque perſuaderet, me eſſe vere Filium Dei: ego enim, & qui ſum, ſcio, & unde ſim, ſcio, & numquam dubitavi, quominus Pater me clarificet, atque deinde me eſſet glorificaturus. At operæ pretium eſt vos omnes id ſcire [12]: præſertim vero Gentiles, qui aderant, & qui Philippum adierant, ut Jeſus ſibi cognoſcendus ab eo traderetur.

℣. 31. NUNC JUDICIUM EST MUNDI.] Tempus mortis, & Reſurrectionis meæ, & Regni mei prope eſt: quamprimum Mundi hujus judicium, & damnatio videbitur. Videbunt increduli, & perſecutores mei Domini ultionem in capita ſua deſævientem [13]. Loquitur plane de Jeroſolymæ excidio, & malis, quæ illud concomitata, & ſubſecuta ſunt. Hoc ſæpe adeo apud alios Evangeliſtas, Filii Dei Regnum, ejuſque in mundum adventus ad judicandum, vocatur [14]. JESUS CHRISTUS Gentiles præcipue alloquitur, qui ipſum videre cupierant: eos monet, Regnum ſuum quamprimum incœpturum ex vindicta, quam adverſus incredulos Judæos exercebit, reprobans Synagogam, & ex mundo Principem tenebrarum ejiciens: *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*: idololatria quidem antiquata, Ethnicis vero ad fidem evocatis. Hoc eſt excidium imperii Dæmonis. Salvator nihil afferere poterat, quod maxime his alienigenis conduceret; qui aditum in Domini fœdus ſibi intercluſum eſſe videbant [15].

℣. 32. SI EXALTATUS FUERO A TERRA.] Poſt mortem meam nullum erit amplius diſcrimen inter Ethnicos, & Gentiles; ad me traham omnes gentes [16]. Hoc etiam ad Gentiles præcipue dictum eſt. Græcus pro *omnia* legit *omnes homines* [17]; ſed complures MSS. Græci, Gothicus, Cophtus, S. Irenæus S. Hieronymus, S. Leo, Ruffinus, Sanctique Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius Magnus, Gaudentius, & generatim Latini omnes Vulgatæ ſimiles ſunt legenti, JESUM CHRISTUM in Cruce elatum omnia ad ſe pertracturum: Nam quemadmodum inquit Apoſtolus ad Rom. 11. 32. *concluſit Deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur*: hoc eſt quemadmodum nihil invenit-

1 Vide Matth. 10. 39. 16. 25. Marc. 8. 35. Luc. 9. 24. 17. 33.
2 Chryſoſtom. Theodor. Mopſ. Leont. Theophylact. 3 Auguſt. & Beda hic.
4 Chryſoſtom. Grot. Brug. alii. 5 Matth. 26. 39.
6 Quædam Exemplaria legunt: *Pater, glorifica nomen meum.* Alia: *glorifica filium tuum.* Vide notas Millii.
7 Ita Chryſoſtom. Auguſt. Euthym. alii. Confer Matth. 26. 38. 39.
8 Vide Brug. Ligfoot, Tir. Vide quoque S. Chryſoſtomum. 9 Ita Græci PP. Chryſoſtom. Theodor. Mopſ. Leont. Theophyl. Euthym. 10 Victorin. adverſ. Arium. Auguſt. Beda, Rupert. hic.
11 Confer Joan. 13. 31. 32. 17. 4. & 10. 12 Theodor. Mopſ. Chryſoſtom. Cyrill. Leont. Euthym. Theophylact. Brug. Grot. 13 Chryſoſtom. Leont. Theophylact. Euthym.
14 Matth. 16. 28. Luc. 17. 20. 19. 11. 12. 21. 31. Matth. 24. 25. 15 Brug. Grot. Ligfoot.
16 Chryſoſtom. Leont. Theophylact. 17 Πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν, Græci quidam, πάντα ἑλκύσω.

invenit niſi incredulitatem, vel infidelitatem cum apud Judæos, tum apud Ethnicos, ex mera miſericordiæ ſuæ effectu utroſque ſalvos facere voluit. Et ſimiliter ad Coloſſenſes 1. 20. JESUS CHRISTUS *omnia expiavit per Sanguinem Crucis ſuæ*; omnes homines Deo Patri ſuo reconciliavit. Cum ait: *omnia traham ad meipſum*, non innuit vim a ſe in voluntates noſtras exercendam; ſed dumtaxat virtutem Verbi ſui, ſuavitatem illecebrarum gratiæ ſuæ ſignificat. Omnes homines fortiter, ſed ſimul etiam ſuaviter, ad ſe trahet, quin aliquem cogat: *fortiter, ſuaviterque diſponens omnia*, Sap. 8. 1. Trahet nos, licet in oppoſitum Dæmonis nequitia adnitatur [1]; & attrahet nos cum erit in Crucem ſublatus. De Cruce nobis promeruit fidei donum, & alias gratias, quibus nos cumulavit, utique nos Deo Patri ſuo reconciliavit.

℣. 34. NOS AUDIVIMUS EX LEGE, QUIA CHRISTUS MANET IN ÆTERNUM.] Judæi, qui aderant, facile intellexerunt, Dei Filium per hæc verba: *ſi exaltatus fuero a terra*, mortem ſuam innuere, vel abitum ex hoc mundo; non enim fortaſſe ſtatim diſtinctius intellexerunt, quo pacto eſſet exaltandus; verum inde argumentati, ipſum non diu in terris permanſurum. Ajunt igitur, ſe *ex lege*, hoc eſt ex Sanctis Scripturis, quæ nonnumquam [2] ſub communis Legis nomine memorantur, didiciſſe, CHRISTUM immortalem eſſe, atque æternum regnaturum. Prophetiæ, quæ de Divinitate, magnitudine, immortalitate, æternitate Meſſiæ loquebantur, magis afficiebant Judæorum animos, quam quæ illius humilitatem, humanitatem, Paſſionem, & Mortem vaticinabantur. Ad hanc quoque diem in caligine verſantur; hæc quippe adeo inter ſe contraria illis ſimul eſſe poſſe minime videntur. Et profecto duplicis tantum naturæ divinæ ſcilicet, atque humanæ in JESU CHRISTI perſona conjunctio, eas omnes aufert oppoſitiones, quæ in Prophetis eſſe videntur, quod Judæi non ſatis, ut opus erat, aſſequebantur.

Quoad Meſſiæ æternitatem: *CHRISTUS manet in æternum*. Hæc ſatis explicite memorantur in Prophetiis, quæ ad litteram reſpiciunt Regna David, & Salomonis tamquam JESU CHRISTI figuras [3]. Iſaias 9. 7. *parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis . . . . vocabitur nomen ejus admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi . . . . Super ſolium David, & ſuper Regnum ejus ſedebit: ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & juſtitia amodo, & uſque in ſempiternum.* Ezechiel 37. 25. *habitabunt ſuper terram, quam dedi ſervo meo Jacob, in qua habitaverunt Patres veſtri, & habitabunt ſuper eam ipſi, & filii eorum, & filii filiorum eorum, uſque in ſempiternum: & David ſervus meus Princeps eorum in perpetuum.* Daniel 7. 14. *Poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur: & Regnum ejus, quod non corrumpetur.* Non deſunt complures loquendi rationes huic ſimiles in Scripturis, quibus ſuffulti aſſerunt Judæi, Meſſiam æternum futurum. Verum illis nequaquam diſſimulandæ ſunt aliæ, quæ illius nativitatem, difficilem vitam, humilitatem, & tandem mortem portendunt.

℣. 35. ADHUC MODICUM LUMEN IN VOBIS EST [4].] JESUS CHRISTUS, ut objectioni huic reſpondeat, ſe comparat lumini ad modicum temporis intervallum evaneſcenti, ut deinde majori cum ſplendore refulgeat. Eos hortatur, ut lumen ſequantur, donec apud illos lucet; & credant in ſeipſum, qui eſt lux illos illuminans: atque minitatur, ſe ab illis hanc claritatem, quam contemnunt, ablaturum. CHRISTUS manet in æternum, verum eſt; at non in æternum viſibilis erit, neque in æternum inter homines verſabitur. Ubi ille receſſerit, verſabimini inter denſiſſimas tenebras, in impœnitentia, obduratione a Deo derelicti [5]. *Venient dies, quando deſideretis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis*, Luc. 17. 22. *tunc quæretis me, & non invenietis*, Joan. 7. 34. cœli vindicta irruet in vos, *auferetur a vobis Regnum Dei*, Matth. 21. 43. & vobis ejectis Gentiles populi ad fidem evocabuntur: idque intra breve temporis ſpatium: *adhuc modicum*. JESUS CHRISTUS hoc ait die decima Niſan, quinque, antequam moreretur dies [6]. Confer huic verſiculo cap. 9. ℣. 5. & caput 13. ℣. 9.

℣. 36. ABIIT, & ABSCONDIT SE AB EIS.] Diutius cum illis permanere noluit, ne ab illis comprehenderetur: hora enim ſua nondum venerat. Non exceſſit tamen e Templo, ſed ibi parumper permanſit; & fidei conſonum videtur, ipſum ea verba, quæ a ℣. 44. uſque ad 50. legimus, recedentem protuliſſe. Verſiculi 37. 38. & qui ſequuntur uſque ad 44. quadam veluti parentheſi ſunt concludendi. Inde Bethaniam ſeceſſit, ibi noctem tracturus quemadmodum a SS. Matthæo 21. 17. & Marco 11. 11. edocemur.

℣. 37. CUM TANTA SIGNA FECISSET.] Reddit Evangeliſta rationem, quamobrem Judæi JESUM CHRISTUM oderant; & hic recedere atque ſe ab ſcondere coactus fuit, ne in manus eorum delaberetur. Ira, atque invidia eos ita excæcaverant, atque obduraverant, ut omnia Salvatoris miracula illos commovere minime potuerint.

℣. 38. UT SERMO ISAJÆ PROPHETÆ IMPLERETUR.] *Ut* non ſignificat hoc in loco finem, quem ſibi ſtatuerant Phariſæi non credentes, neque illum, qui ob Prophetæ animum verſabatur, Judæorum incredulitatem prædicentis: hæc particula ſimpliciter deſignat, quod prædictum fuerat, atque in Judæorum incredulorum [7] perſona adimpletum. In ipſis ad unguem adimpleta ſunt ea, quæ olim ab Iſaia fuerunt prædicta: *Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini, cui revelatum eſt?* Pro Domini brachio intellige Domini potentiam, vim, miracula. Viderunt ipſi corporeis oculis brachium Domini, & JESU CHRISTI miracula; ſed oculis fidei, interiori obtutu, quem conſenſus, & fides ſubſequitur, ea non viderunt. *Brachium Dei* ex Patrum ſententia [8] ſignificare etiam poteſt Filium Dei, qui eſt fortitudo, & Virtus Patris.

℣. 39. PROPTEREA NON POTERANT CREDERE.] Iſaiæ Prophetia neque cauſa erat, neque ratio incredulitatis eorum, ſed ſimplex prædictio, quæ nullam ipſis neceſſitatem imponebat [8]. Licet Iſaias hoc prædixiſſet, poterant tamen credere: hujuſmodi enim Prophetiæ ſemper tacitam conditionem involvunt, quæ in homine non tollit poteſtatem, vel faciendi, vel non faciendi, quæ ſi certæ ſunt, atque illas effectus ſubſequitur, inde oritur, quod Deus recte novit, atque exploratum habet, pravum habitum voluntatis futuræ in illis, de quibus Prophetæ loquuntur, ac videt ille eorum pertinaciam omnino liberam, atque voluntariam. *Quare non poterant credere? ſi a me quæratur, cito reſpondeo*, ait S. Auguſtinus Tract. 53. in Joan. *quia nolebant; malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit.* Non vult Deus mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat; *quod illi non poterant credere, culpa eſt voluntatis humanæ.*

℣. 40. EXCÆCAVIT OCULOS EORUM, & INDURAVIT COR EORUM.] Eorum cæcitatem, atque indurationem prædixit, eaſque juſto juſtitiæ ſuæ judicio permiſit. Excæcavit eos, non inſerens illis nequitiam: ſed negans illis gratias, quibus ſe indignos præbuerant, .

---

1 Chryſoſtom. Theodor. Heracl. Theophylact. Euthym. 2 Joan. 10. 34. Ita Cyrill. Leont. Theophylact. Euthym. 3 2. Reg. 7. 16. *Fidelis erit domus tua, & regnum tuum in æternum ante faciem meam.* Pſalm. 88. 30. *Ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies Cœli.* Vide pariter Pſalm. 109. 4.
4 Græcus addit vocem χρόνος, *tempus*; quæ neque in Vulgata, neque in aliquibus antiquis MSS. extat.
5 Maldonat. Grot. Beng. alii. 6 Ita Græci PP. Chryſoſtom. Theodor. Mopſ. Cyrill. Leont. Theophylact. Euthym. Ita & recentiores plerique omnes. 7 Heſych. in Caten. Gr. Aug. Beda, Rupert. alii.
8 Vide Theodor. Heracl. Chryſoſt. Leont. Theophyl. Euthym. Mald. Grot. Tir. Eſt. alios.

rant, eo quod eaſdem contempſerant, atque illis fuerunt abuſi [1]. *Etiam hoc eorum voluntatem meruiſſe reſpondeo*, inquit S. Auguſtinus Tract. 53. in Joan. n. 9. *ſic enim excæcat, ſic obdurat Deus deſerendo, & non adjuvando. Quod occulto judicio facere poteſt, injuſto non poteſt*. Vera cauſa obdurationis, atque cæcitatis Judæorum ea illorum ſuperbia profecta eſt, quemadmodum Pater idem oſtendit ibid. n. 9. 10. 11. Superbi, atque ignavi ſeipſos juſtos oſtendere cupiebant, Deum ipſum injuſtitiæ inſimulando; operum ſuorum merito tantum innitebantur, & non intelligebant, ſe Mediatore maxime indigere. Cæci, atque ſtupidi impegerunt in lapidem offenſionis, & ceciderunt; pudore ſuffuſi ſunt, ſed lapſus, & pudor plurimorum cauſa fuerunt, ut ad Deum redirent, & converterentur; tandem enim egeſtatem, atque infirmitatem ſuam agnoverunt.

Ut non videant oculis, & intelligant corde, & non convertantur,] ideoque a me ſanandi ſint; Vel potius, *itaut non videant amplius oculis ſuis &c.* Si ſenſum, quem verbis Vulgata offert, ſequaris, videretur Deus metuere peccatoris converſionem, quæ blaſphemia eſſet non probanda. Scriptura ſimpliciter innuit, quod eventurum eſt. Græcus [2] nullam legit negationem ante *intelligant*; non ſecus ac vetera quædam Latina Biblia MS. [3], & S. Auguſtinus; ſed orationis decurſus petit, ut ſuppleatur.

℣. 41. Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam ejus.] Gloriam Dei, eſſentiam Patris, Filii, & Spiritus Sancti ex plurimorum Patrum ſententia [4]; vel ex aliorum [5], quando vidit in Spiritu gloriam Filii Dei; & Spiritus Sanctus oſtendit illi, quæ Meſſiæ tempore erant eventura [6]. Credunt alii [7], Iſaiam vidiſſe gloriam Dei eodem in ſenſu, quo Abraham vidit diem Jeſu Chriſti, & lætatus eſt; *exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt*, Joann. 8. 56. Iſaias cap. 6. 1. docet, anno mortis Oziæ, ſe vidiſſe Dominum in gloria ſua, throno ſuo inſidentem, atque Cherubim circumdatum; eaque in occaſione recepit ille miſſionem ſuam, & Seraphim ardenti carbone ex ara deſumpto labia illius expiavit. Tunc Dominus dixit illi; *vade, & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere: excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava*, &c. Liquet, Evangeliſtam ad hunc Iſaiæ locum alludere, neque aliam Domini gloriam quærendam eſt præter illam, quam ea in occaſione conſpexit.

℣. 42. Ex principibus multi crediderunt in eum.] Licet in oppoſitum Phariſæorum, atque Sacerdotum adniteretur invidia, non defuerant tamen quidam, iique præſtantiſſimi Ieroſolymitani Cives, qui in Dominum crediderunt. Sed Senatus conſultum, quo ſtatutum erat, ut anathemate [8] ferirentur, & de cœtu ejicerentur, qui in Ieſum Chriſtum crederent, obſtabat, ne palam id profiterentur. Adhuc eorum fides erat infirma, non quærebant unice gloriam Dei [9], & nondum exuerant omnem metum judicii hominum, eorumque contemptus formidinem ℣. 43. *dilexerunt enim gloriam hominum, magis quam gloriam Dei*.

℣. 43. Qui credit in me, non credit in me.] A Ieſus Chriſtus recedens hæc ait, quæ connectenda ſunt cum ℣. 36. ubi ait: *dum lumen habetis, credite in lucem*. Cæterum ne credatis, me a vobis petere, ut in me credatis, quatenus ſimplicem hominem, aut prophetam; qui credit me, in Deum credit; nam Pater meus, & ego unum ſumus, una, eademque ſubſtantia, unus, & idem Deus. Hæc præcipue ad illos ajebat, qui credebant quidem in ſe, ſed propter metum non audebant ſe diſcipulos illius profiteri [10]. Quid veremini? credere in me idem eſt, ac credere in Deum; qui videt me, videt & Patrem meum. Num vos pudet, illum Deum veſtrum agnoſcere; cur ergo pudet, me Deum veſtrum profiteri?

℣. 46. Ego lux in mundum veni.] Senſus idem eſt, ac ſupra ℣. 36. Vide etiam S. Ioannem cap. 1. 5. B Ante Salvatoris adventum omnia tenebris erant repleta [11]: illius vero luce oriente omnes tenebræ evanuerunt: evanuerunt illis ſolum, qui hujus ſolis juſtitiæ radiis oculos ſuos non clauſerunt.

℣. 47. Si quis audierit verba mea, et non custodierit.] Græcus [12]: *ſi quis audierit verba mea, & non crediderit*. Sed pleraque orientales verſiones, & complures Mſſ. Vulgatæ ſimiles ſunt: *& non cuſtodierit*. Ait, ſe neque judicare, neque damnare hunc hominem, ut innuat, hominem hunc a ſeipſo damnari; Dei Verbum illius judicem fore [13]; illum jam eſſe damnatum [14]. Ego in propria cauſa Iudex eſſe nolo; ſed veſtrum ſcelus, & infidelitas veſtra impunis non erit; Pater meus pœnas expoſcet [15], & injuriam mihi illatam ulciſcetur. Moyſes ipſe vos judicabit [16].

C ℣. 48 Sermo, quem locutus sum, ipse judicabit.] Noviſſimo judicii die damnabimini, eo quod mihi non credideritis: *ſi non veniſſem, & ad eos locutus non fuiſſem, peccatum non haberent*. Haberent enim aliquam excuſationem: ſed Verbum meum eſt eorum damnatio [17]. Aliter, juxta verba mea judicabimini. Præcepta, quæ ex ore meo audiviſtis, vos probabunt, vel reprobabunt, prout illa credideritis, vel exercueritis, aut neglexeritis, atque perfregeritis. Denique ex S. Auguſtini hic ſententia, *ſermo* idem eſt Ieſus Chriſtus, qui eſt Verbum Patris, & qui futurus eſt Iudex in noviſſimo die. Ego meipſum prædicavi, ego meipſum annunciavi, ego ille ſum, in quem vobis credendum eſt: *ſeipſum manifeſtavit judicaturum in noviſſimo die; ſeipſum quippe locutus eſt, ſeipſum annunciavit*, D *ſeipſum januam poſuit*.

℣. 49 Ex meipso non sum locutus.] Jeſus Chriſtus hic loquitur, quatenus homo; in hoc ſenſu Verbum meum non eſt verbum meum, ſed Verbum Patris mei; & quatenus Verbum Patris mei eſt Verbum meum: nam quoad eſſentiam divinam unus ſum cum illo. Verbum meum, vel potius verbum Patris mei; nihil enim de meipſo loquor, erit in noviſſimo die [17], vos judicabit.

℣. 50. Scio, quia mandatum ejus vita æterna est.] Et quicumque Verbum illius ſervaverit, quod idem eſt ac meum ℣. 49. habebit vitam æternam, & beatitudine perfruetur. E contra vero, qui in illud non crediderit, neque illud exercuerit, judicabitur, æterniſque ſuppliciis addicetur. Hæc dicens Ieſus, de templo, ac urbe egreſſus Bethaniam receſſit.

---

1 Aug. Ep. 194. nov. edit. n. 13. *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiem*.
2 Ἵνα μὴ ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ νοήσωσι τῇ καρδίᾳ, καὶ ἐπιστραφῶσι, &c. Vulg. Æthiop. Cantab. Velez addunt, *non*, καὶ μὴ νοήσωσι. 3 Vide nov. edit. S. Aug. t. 3. parte 2. p. 648.
4 Theodor. Heracl. Cyrill. Ambr. l. 3. de Spir. S. c. 23. Hieron. in Iſai. c. 6. Athanaſ. Hilar. apud Maldon. hic. 5 Auguſt. Beda, Rupert. Leont. Theophylact. Euthym.
6 Act. 28. 25. 7 Joann. 9. 22. 8 Vide ſupra cap. 5. 44. *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam quæ ab invicem eſt quæritis, & gloriam quæ a ſolo Deo eſt, non quæritis?*
9 Theodor. Mopſ. Chryſoſt. Aug. Rupert. 10 Aug. hic. Mald. alii.
11 Ἐάν τίς μου ἀκούσῃ τῶν ῥημάτων, καὶ μὴ πιστεύσῃ. Sed Mſſ. plures φυλάξῃ. Ita & Armen. Syr. Copht. Perſ. Arab. Æth. Nonn. &c. 12 Infra verſ. 48. 13 Joan. 3. 18. *Qui non credit, jam judicatus eſt*.
14 Joan. 8. 50. *Eſt qui quærat, & judicet*. 15 Joann. 5. 45.
16 Rupert. hic. Grot. 17 Theodor. utterque Leont. Mald.

C A-

CAPUT XIII.

Noviſſima JESU CHRISTI cœna cum Apoſtolis ſuis, quibus pedes abluit, S. Johanni detegit, a quonam prodendus ſit. Novum charitatis præceptum. Prædicit S. Petro futurum, ut ante noviſſimum galli cantum ter ab ipſo negetur.

1. ANte diem feſtum Paſchæ, ſciens Jeſus, quia venit hora ejus, ut tranſeat
ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in
finem dilexit eos. 2 Et cœna facta, cum diabolus jam miſiſſet in cor,
ut traderet eum Judas Simonis Iſcariotæ: 3 Sciens, quia omnia dedit ei Pater in
manus, & quia a Deo exivit, & ad Deum vadit: 4 Surgit a cœna, & ponit
veſtimenta ſua: & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe: 5 Deinde mittit aquam
in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat
præcinctus. 6 Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu
mihi lavas pedes? 7 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis
modo, ſcies autem poſtea. 8 Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æter-
num. Reſpondit ei Jeſus: Si non lavero te, non habebis partem mecum. 9 Di-
cit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput.
10 Dicit ei Jeſus: Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mun-
dus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes. 11 Sciebat enim quiſnam eſſet,
qui traderet eum; propterea dixit: Non eſtis mundi omnes. 12 Poſtquam ergo
lavit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua, cum recubuiſſet iterum, dixit eis:
Scitis, quid fecerim vobis? 13 Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & bene
dicitis; ſum etenim. 14 Si ergo lavi pedes veſtros, Dominus, & Magiſter; &
vos debetis alter alterius lavare pedes. 15 Exemplum enim dedi vobis, ut que-
madmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. 16 Amen, amen dico vobis: Non
eſt ſervus major domino ſuo, neque Apoſtolus major eſt eo, qui miſit illum. 17
Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. 18 Non de omnibus vobis dico; ego
ſcio, quos elegerim: ſed ut impleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem,
levabit contra me calcaneum ſuum. 19 Amodo dico vobis, priuſquam fiat: ut
cum factum fuerit, credatis, quia ego ſum. 20 Amen, amen dico vobis: Qui
accipit, ſi quem miſero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum, qui me
miſit. 21 Cum hæc dixiſſet Jeſus, turbatus eſt ſpiritu: & proteſtatus eſt, &
dixit: Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me. 22 Aſpiciebant
ergo ad invicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret. 23 Erat ergo recumbens
unus ex diſcipulis ejus in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus. 24 Innuit ergo huic
Simon Petrus, & dixit ei; Quis eſt, de quo dicit? 25 Itaque cum recubuiſſet
ille ſupra pectus Jeſu, dicit ei: Domine, quis eſt? 26 Reſpondit Jeſus: Ille eſt,
cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxiſſet panem, dedit Judæ Simo-
nis Iſcariotæ. 27 Et poſt buccellam, introivit in eum ſatanas. Et dixit ei Jeſus:
Quod facis, fac citius. 28 Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium, ad quid di-
xerit ei. 29 Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixiſſet
ei Jeſus: Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum: aut egenis, ut aliquid
daret. 30 Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox.
31 Cum ergo exiſſet, dixit Jeſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis: & Deus
clarificatus eſt in eo. 32 Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum
in ſemetipſo: & continuo clarificabit eum. 33 Filioli, adhoc modicum vobiſcum
ſum. Quæretis me: & ſicut dixi Judæis: Quo ego vado, vos non poteſtis veni-
re: & vobis dico modo. 34 Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem,
ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. 35 In hoc cognoſcent omnes, quia
diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. 36 Dicit ei Simon Pe-
trus: Domine, quo vadis? Reſpondit Jeſus: Quo ego vado, non potes me mo-
do ſequi: ſequeris autem poſtea. 37 Dicit ei Petrus: Quare non poſſum te

ſequi modo? animam meam pro te ponam. 38 Reſpondit ei Jeſus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges,

℣. 1. ANTE DIEM FESTUM PASCHÆ.] S. Jo- A hannes Evangeliſta, quippe cujus conſilium erat id tantum ſupplendi, quæ alii Evangeliſtæ omiſerant, nihil ait de his omnibus, quæ feriis tertia, quarta, & quinta ante Paſſionem Jeſu acciderunt. Sed repente a veſpere feriæ ſecundæ ad feriam quintam poſt cœnam tranſilit. Ait autem, ante feſtum Paſchatis diem, Jeſum, cum ſemper maxima fuiſſet complexus benevolentia diſcipulos ſuos voluiſſe ad finem uſque efficaciſſima amoris ſui illis præbere monumenta [1]. Animadvertenda hoc in loco ſunt ea verba: *ante diem feſtum Paſchæ*: nam ſi Salvator ea die veſpere Paſchalem cœnam celebraſſet, quemadmodum vulgo plerique ſupponunt, certe Paſchatis feſtivitas tribus ſaltem, vel quatuor horis antea incœpiſſet, & id contigiſſet ſexta tandem, vel ſeptima B hora veſpertina; & Evangeliſta dicere non potuiſſet, Jeſum Chriſtum Apoſtolis ſuis abluiſſe pedes ante Paſchatis feſtivitatem, & ante cœnam Paſchalem; hæc quippe apertiſſima eſſet appoſitio.

℣. 2. ET CŒNA FACTA.] S. Johannes non loquitur de Euchariſtica inſtitutione, quam reliqui Evangeliſtæ accuratius, & fuſius retulerunt; ſed refert id ſolum, quod eam ſubſecutum eſt. Poſtquam ergo Salvator Corpus, Sanguinemque ſuum in Euchariſtiæ Sacramento diſcipulis tradidit, S. Lucas 22. 24. teſtis eſt, obortam inter Apoſtolos fuiſſe quæſtionem, quinam eorum eſſet major. Hæc autem quæſtio inde orta erat, quod Salvator ſe abire dixerat Luc. 22. 22. & paulo ante Matt. 26. 29. teſtatus fuerat, calicem, quem tunc cum illis bibebat, poſtremum eſſe, quem in C hac vita biberet. Arrepta plane ex ea quæſtione occaſio fuit, ut id faceret, quod viſuri ſumus, & quod illis erat humilitatis eo magis præclarum documentum, quod non verbo ſolum, ſed & exemplo eamdem docebat.

Sedulo igitur diſtinguendus eſt cœnæ finis, de quo S. Lucas 22. 25. verba facit, poſt quem Jeſus Chriſtus calicem accepit, eumque diſcipulis tradidit, ab hoc, ubi Apoſtolis ſuis pedes abluit; & a tertio, poſtquam hymno gratiarum dicto urbe egreſſus eſt, Matt. 26. 30. Hæc una, eademque cœna eſt; ſed bis interpolata, & cui tandem finis de more impoſuit oratio. Euchariſtia inſtituta eſt, Apoſtolis menſæ accumbentibus, & adhuc manducantibus, quemadmodum explicite SS. Matthæus 26. 26. & Marcus 14. 22. teſtantur. Cum D igitur S. Lucas 22. 20. ait, inſtitutam eſſe poſt cœnam, intelligi debet de fine cœnæ: nam poſtquam Jeſus Chriſtus Apoſtolorum ſuorum pedes abluit, menſæ iterum accubuit, Joann. 13. 12. iteremque manducatum eſt; quandoquidem Salvator panis buccellam juſculo imbutam tradidit Judæ, qui ſtatim, ubi illum comedit, egreſſus eſt.

Patres, & Interpretes [2], vulgo docent, Judam participem fuiſſe Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti; oportet igitur pedes ablutos fuiſſe poſt Euchariſtiæ inſtitutionem, quod pluſimorum Interpretum ſententiæ adverſatur, exiſtimantium, eam cæremoniam medium quoddam fuiſſe, ut ad Sacramentum recipiendum Apoſtoli diſponerentur; cum nos exiſtimemus, eam fuiſſe veluti medicinam diſcipulorum ſuperbiæ, & do- E cumentum, quo diſcerent, qua in re poſita eſſet vera cœleſtis Regni magnitudo. Præcepta a Salvatore illis pari occaſione tradita, ad finem eumdem colliment, & univerſam hanc explicationem confirmant.

CUM DIABOLUS MISISSET IN COR.] Judas conſilium ſuum inierat ſex diebus ante, arrepta occaſione ex eo, quod apud Simonem leproſum acciderat; ubi Maria Lazari ſoror Salvatoris pedes inunxit [3]. Convenerat ille Sacerdotes Jeſu Chriſti inimicos, & ſpoponderat, ſe ipſis illum traditurum pretio argenteorum triginta; & ex eo tempore non aliud meditabatur, quam nefarii conſilii ſui adimplendi occaſionem.

℣. 3. SCIENS, QUIA OMNIA DEDIT EI PATER.] Videns Salvator prope eſſe, ut inceptum curriculum perficeret, & Apoſtolos ſuos deſereret, credidit, a ſe illis relinquendum eſſe humilitatis exemplum; ut facto inſigni mentem eorum mederetur, qui inanem de Regni illius magnitudine, atque dignitatibus ideam conceperant. In omnibus occaſionibus eorum ſemper enituerat cupiditas, ſuper cæteros ſe extollendi, cujus ambitionis effectus in Eccleſiæ inſtitutione erant magnopere pertimeſcendi, quippe poſt Magiſtri ſui mortem inter ſe diſſenſiſſent, atque certe inter illos oborta fuiſſet pernicioſa diſcordia. Prœno igitur opus erat ad pernicioſum hunc animi morem coercendum; atque erat exemplo inſigni confirmandum id, quod toties ipſe dixerat; veram ſcilicet magnitudinem in perfecta humilitate conſiſtere.

℣. 4. SURGIT A CŒNA.] Servorum munus ſubiit, qui nudi dominis ſuis menſæ accumbentibus ſerviebant, & illis pedes abluebant. Linteo ſe ſe præcinxit, ne omnino nudus videretur [4], atque ut decentius eam actionem abſolveret. Credibile eſt [5], ipſum non exuiſſe tunicam ſuam, quæ carni immediate adhærebat, eamque in tergum rejectam vinxiſſe; quoniam alioquin C ad pedes uſque defluebat.

℣. 5. MITTIT AQUAM IN PELVIM.] Hoc humillimorum ſervorum officium erat. Abigail electa, ut Davidi nuberet, illis, a quibus ad nuptias petita fuit, reſpondit, ſe humillimam eſſe domini ſui ancillam, atque præclare ſecum agi exiſtimaturam, ſi potuiſſet pedes abluere ſervorum illius, 1. Reg. 25. 41. Veteres quidam [6] credunt, Salvatorem primum Judæ, mox reliquis diſcipulis abluiſſe pedes. Ut illi quidem immitteret ſenſum manſuetudinis, & pœnitentiæ, nobis vero oſtenderet, quomodo cum inimicis noſtris nobis agendum ſit. Alii [7] putant, illum a S. Petro exorſum fuiſſe, eaque vulgatior eſt apud Latinos ſententia, cui minime adverſatur Evangeliſtæ narratio, Confer Matt. D 3. 14. *Ego debeo a te baptizari, & tu venis ad me?*

℣. 6. VENIT ERGO AD SIMONEM PETRUM.] Neſciebat Petrus, quid Jeſus facturus eſſet, ubi eum vidit, veſtibus ſe exuere, & aquam in pelvim immittere. Petrus, aliique Apoſtoli triclinaribus lectulis diſcumbentes remanſerant pedibus nudis de more. Nihil illis magis novum videri poterat, quam hoc Salvatoris factum hoc tempore; quis enim audiit umquam, convivarum pedes poſt cœnam ablui conſueviſſe? Pedes nonnumquam abluebantur, cum convivæ de agris accederent, & menſæ accumberent [8]; ſed ante cœnam.

℣. 7. QUOD EGO FACIO, TU NESCIS MODO.] Sine me facere, dicam deinde tibi cauſas, quamobrem id egerim. Si noſſes, quid me cogit, ut eouſque meipſum dimittam, ut pedes tuos abluam, mihi ſane E non adverſareris. Hoc eſt exemplum, quod vobis trado, & quod vos viciſſim vobiſcum cupio imitari, Vide ℣. 14.

℣. 8. SI NON LAVERO TE, NON HABEBIS PARTEM MECUM.] Non eris ex amicis meis [9], neque ex numero di-

1 Chryſoſtom. Leont. Theophylact. Euthym. Maldon. alii paſſim.
2 Vide noſtrum Commentarium in S. Matth. 26. 21.
3 Vide Luc. 22. 3. Matth. 26. 14. 15. 16. Marc. 14. 10. 11
4 Origen. hic. Piſc. Ludov. de Dieu, Le Clerc.
5 Mald. Brug. Grot. alii.
6 Origen. tom. 12. in Joann. Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. Leont.
7 Aug. Rupert. Beda, Maldon. Brug. Grot. S. Ambroſius lib. 3. c. 1. n. 4. de Sacrament. putat, S. Petrum poſtremum fuiſſe, cui J. C. pedes abluere voluerit.
8 Luc. 7. 44.
9 Mald. Vat. Grot. Vide Deut. 14. 27. 28. 2. 3. Reg. 12. 16.

ro diſcipulorum meorum ; neque particeps hæreditatis, gloriæ, & Regni mei. Verum æquumne erat, ut ſumma S. Petri erga Dominum ſuum obſervantia, qua nolebat pedes ſuos manibus illius abſtergi, hanc pœnam ferret? Merebatur immo potius præmia, quam minas ; vel extrinſecæ hujus ablutionis privatio, tantum erat crimen, ut ideo Jeſus Chriſtus reipſa deberet S. Petrum ex numero amicorum ſuorum expungere, atque de Regni ſui hæreditate dejicere? haud ita ſane. Sed, vel hæc eſt ſimplex comminatio, quæ tamen actionis hujus neceſſitatem oſtendit, vel eſt pœna inobedientiæ S. Petri ; vel denique Salvator intelligit aliam ablutionem, animæ videlicet ; & cujus exterior ablutio non aliud erat, quam ſymbolum, & figura. Conſueverat Jesus Christus e ſenſibili ad ſpiritualem ſenſum gradum facere in omnibus ferme ſermonibus ſuis, & ex iis omnibus, quæ ſe ſe offerrent, occaſionem arripere, ut diſcipulos ſuos edoceret, atque ad Deum attolleret. Loquitur ille de pane, aqua, fermento, divitiis, fratre, matre? ſtatim litteralem ſenſum horum rerum detorquet, ut de pane, aqua, fermento penitus ſupernaturali loquatur.

Non vult S. Petrus, pedes ſibi a Domino ablui ; at illi duo reddit Jesus Christus ; primum, ſibi non deeſſe id faciendi cauſas, quas deinde aperiet, videlicet ut diſcipulis humilitatis exemplum præbeat : cæterum, hanc ablutionem ſymbolum eſſe, vel Baptiſmatis, animam ab omnibus peccati ſordibus emundantis, vel innocentiæ, in qua vivendum eſt, ut participes ſimus Regni Dei, vel pœnitentiæ [1], quæ communia, & quotidiana abluat peccata. Vide ℣. 10. *qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet*. Vel denique, quod etiam probabilius videtur : ſi non emundo vos a ſordibus ambitionis, atque vanitatis, quibus eſtis coinquinati, ſi vos non efficio ita humiles, quomodo hodie in oculis veſtris videor, ita ut vosmet tamquam aliorum etiam ſervos conſideretis, non habebitis partem mecum.

Veteres quidam de pedum ablutione perinde locuti ſunt, ac ſi eumdem ferme, quem baptiſma obtineret, effectum. Teſtatur S. Ambroſius lib. de Myſt. c. 6. ævo ſuo pedes ablui conſuevisse illis, qui recens baptizati erant, cum de ſacro balneo egrederentur ; & arbitrari videtur, quemadmodum baptiſmate actualia peccata delentur, pedum ablutionem, quæ deinde fiebat, peccatum originale, vel ſaltem concupiſcentiam auferre ; *ideo planta abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur ; noſtra enim propria per baptiſmum relaxantur*. S. Auguſtinus Doctoris ejuſdem locum profert [3], ubi hoc ipſum ait alio in opere, quod amplius non extat. Denique idipſum repetit S. Ambroſius in Pſalmum 48. ℣. 6. n. 8. *Alia eſt iniquitas noſtra ; alia calcanei noſtri . . . . unde Dominus diſcipulis pedes lavit, ut lavaret venena ſerpentis*. Verum addit, hac pedum ablutione concupiſcentiam potius, vel ingenium illud, quo proclives in ſcelera rapimur, quam peccatum ipſum emundari. *Unde vere iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quam reatum aliquem noſtri eſſe delicti*.

Auctor tertii Sacramentorum libri, qui ejuſdem Patris nomine circumfertur [4], teſtatur, ævo ſuo Mediolani recens baptizatis ſtatim poſt baptiſmum pedes ablui conſueviſſe ; quam nonnulli putabant ſimplicem eſſe devotionis, & charitatis cæremoniam ; ipſe vero arbitratur, abditum eidem myſterium, atque ſanctificationem ineſſe : *audi quia myſterium eſt, & ſanctificatio : niſi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum*. Addit etiam, baptiſmo quidem omnia hominis peccata deleri ; ſed pedum ablutionem novam conferre gratiam, qua Dæmonis inſidiis reſiſtimus : *In Baptiſmate omnis culpa diluitur . . . . ſed quia Adam ſupplantatus a diabolo eſt . . . . ideo lavat pedes, ut in ea parte, in qua inſidiatus eſt ſerpens, majus ſubſidium ſanctificationis accedat*.

Hæc autem conſuetudo nequaquam Mediolanenſi Eccleſiæ peculiaris erat, alibi etiam in Italia, Gallia, Hiſpania, & Africa eam ſcimus obtinuiſſe [5]. Exercebatur autem præcipue feria quinta majoris hebdomadæ ; nec defuerunt Auctores, qui actionem hanc Sacramentum dicerent, atque venialia peccata remittendi virtutem præberent [6]. Vetus Scriptor additus in appendice tomi 5. S. Auguſtini Serm. 145. n. 1. ait, illum, qui hoſpitibus pedes abluit, ſpiritu fidei, & humilitatis, non minorum tantum peccatorum, verum etiam mortalium ſcelerum veniam obtinere, quæ ſententia omnis ſane procedit. Qui huic cæremoniæ Sacramenti nomen impertiunt, hoc in generico intelligunt ſenſu, pro ſancta cæremonia ad gratiam augendam appoſita. Origenes tom. 32. in Joan. non hoc in pretio eam habebat conſuetudinem, docens ridiculum eſſe illius neceſſitatem probare Jesu Christi verbis, quæ ad litteram intelligenda non ſunt ; & addit, ævo ſuo apud quoſdam e vulgo, atque ex indoctis, idque raro illius viguiſſe conſuetudinem.

Nemo ambigit, pedum ablutionem, ubi cum fide, & humilitate adhibeatur, venialia peccata delere poſſe, non ſecus ac alia opera miſericordiæ, ubi eodem ſpiritu exerceantur [7]. S. Ambroſii ſententia de virtute ablutionis pedum, quæ in Mediolanenſi Eccleſia fieri conſueverat, ſingularis eſt, neque ab Eccleſia probata. Ipſe etiam de eadem caute, & modeſte [8] loquitur. Syri feſtum ablutionis pedum celebrant, feria quinta majoris hebdomadæ. Græci eadem die id efficiunt, quod ſacram *Nipteron* vel ſacram ablutionem appellant, eaque adhuc in Eccleſia Latina uſurpatur. Concilium Eliberitanum vetuſtiſſimum [9] videns hujus cæremoniæ abuſum, ac nimiam confidentiam, quæ in eadem conſtituebatur, illam in Hiſpania antiquavit. In hujuſmodi rebus, quæ ad diſciplinam dumtaxat pertinent, citra levitatis, atque inconſtantiæ notam Eccleſia variare poteſt.

℣. 10. Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.] Alludit ad Judæorum conſuetudinem, qui ſæpius ſe ſe abluebant, ut a legalibus ſordibus expiarentur. Qui balneo expiatus eſt, non oportet, ut iterum abluatur ; ſufficit, ut pedes abluat ad abſtergendum pulverem, quem ambulans fortaſſe contraxit : deinde vero menſæ accumbere poteſt, Templum ingredi, atque alia quævis vitæ civilis officia obire, imo etiam Sacrorum participem fieri. Iis omnibus ſatisfecit, quæ ab eo exigit lex. Knatchbullus credit, Græcum verti poſſe [10] : *qui lotus eſt, non indiget, ut ne pedes quidem ipſi abluantur, ſed eſt mundus totus*. At communis verſio præſtat, & quamplurimi MSS. ita legunt, ut auctoris hujus conjecturam omnimodo evertant.

Verum ſub hac figura corporum ablutionis, Salvator aliquid aliud intelligit. Qui fidem habet, & charitatem, & qui a mortali ſorde mundus eſt, qua anima Deo inviſa fit, hic non indiget, niſi ut pedes abluat, hoc eſt, ut affectibus moderetur, concupiſcentiæ motus coerceat, reſiſtat ſecretæ ſuperbiæ, ambitio-

1 Ita Cyrill. Alex. Baſil. Proem. lib. de morib. Brug.

2 Cyprian. ſeu alius, tract. de Cœna Domini. Pacian. Epiſt. 1. contra Novat. Gregor. Magn. lib. 9. Epiſt. 39. Auguſt. hic. Bern. ſer. in Cœna Domini.

3 Aug. lib. 4. contra duas Epiſt. Pelag. c. 11. ex deperditis Ambroſ. Comment. in Iſai.

4 Ambroſ. ſeu alius Author. lib. de Sacrament. lib. 3. c. 1.

5 Vide Notas nov. edit. S. Ambroſ. t. 2. lib. 3. de Sacrament. c. 1. p. 362.

6 Bernard. ſerm. in Cœna Domini, n. 1. 2. 3. Ernald. Bonævel. Abb. ſerm. de ablut. pedum.

7 Vide Auguſt. ſerm. 9. nov. edit. n. 11.

8 Ambroſ. lib. 3. c. 1. de Sacram.

9 Concil. Eliberit. c. 48.

10 Ὁ λελουμένος οὐ χρείαν ἔχει ἢ τοὺς πόδας νίψασθαι, Plures MSS. Εἰ μὴ τοὺς πόδας.

rioni, philautiæ, invidiæ. Hæ ſordes ſunt, quibus Apoſtoli non ſatis erant mundi [1]; Judas vero iiſdem turpiſſime erat a vertice ad pedes coinquinatus: quippe infidelitas, pertinacia, avaritia, ſacrilegium, proditio, illum eratam Deo maxime infenſum reddiderant. Non ſatis erat tunc illi, ut pedes ablueret; totum corpus illius erat abluendum: quod Salvator innuere vult per ea verba, quæ addit: *vos mundi eſtis; ſed non omnes: ſciebat enim*, ait Evangeliſta, *quiſnam eſſet, qui traderet eum*.

Veteres complures [2] crediderunt, JESUM CHRISTUM intellexiſſe de baptiſmate, quod Apoſtoli receperant, & quod iterari non poterat. Abluti eſtis baptiſmate meo, expiati eſtis ab omnibus ſordibus; vobis non ſupereſt, niſi pedum ablutio, hoc eſt pœnitentia ad ea ſcelera expianda, quæ fortaſſe poſt regenerationem veſtram patraſtis. Sed prior ſenſus magis eſt litteralis; nam Judas a JESU CHRISTO baptiſmum receperat, non ſecus ac alii Apoſtoli. S. Ambroſius iſthic legit [3]: *qui lotus eſt totus, non habet neceſſe, ut manus lavet*: quod dictum eſt, ait ille, contra Phariſæorum ſuperſtitionem, ſæpius ſuas manus abluentium.

℣. 12. POSTQUAM LAVIT PEDES EORUM,] iterum menſæ recubuit; nam Apoſtoli nondum diſceſſerant a menſa, quemadmodum adnotatum eſt; remanſerant enim ſinguli in loco ſuo, ubi erant antea. JESUS ergo, ubi iterum veſtibus ſuis ſe induiſſet, atque in triclinari lectulo iterum diſcubuiſſet, incœpit illi rationem explicare, qua ſe ſe ſubmiſerat eouſque, ut eorum pedes ablueret; quod jam animadvertimus accidiſſe per occaſionem quæſtionis, quæ de primato inter illos fuerat oborta. Illis igitur ait; *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & bene dicitis, ſum etenim*. Nemo veſtrum mihi in dubium revocat primatum, primum locum, imperandi honorem; attamen vobis nuper ablui pedes, ut docerem, opus eſſe, ut viciſſim voſmet alios aliis ſubmittatis, atque mutuo voſmet prævertatis officiis, & rebus in omnibus quidquid abjectiſſimum, & humillimum eſt, requiratis. Hoc vobis documentum tradere cupiebam, antequam a vobis recederem, & aſcenderem ad Patrem meum. Nulla igitur apud vos iterum oboriatur de veſtra dignitate quæſtio; vos ipſos demittite eouſque, ut alii aliis pedes abluatis. Ita enim primas in Regno meo dignitates merebimini.

℣. 16. NON EST SERVUS &c.] Vos me non eſtis majores; igitur ſi ego ablui pedes veſtros, ipſi etiam ſubmittere voſmet poteſtis, ut fratribus veſtris ſimilia præbeatis officia. JESUS CHRISTUS majorem adſtruit humilitati nobilitatem; ipſe primus illius præbens exempla. Chriſtiani gloria hæc eſt, ut æque humilis ſit, ac Magiſter ſuus.

℣. 18. NON DE OMNIBUS VOBIS DICO.] Non ceſſat Judam perſtringere iis verbis, quæ cor proditoris illius pervadere deberent, eumque impellere, ut vel ſaniora amplecteretur conſilia, vel opus ſuum maturaret per impatientiam, atque tot exprobrationum pudorem. Sciebat JESUS, horam ſuam acceſſiſſe; nec parcebat amplius inimicis ſuis, ſed illos quodammodo provocabat. *Ego ſcio quos elegerim*: ſcrutor penitiora cordis veſtri. Cum elegi vos, perfecte vos novi, atque quidquid eventurum erat, prævidi. Ne credatis, me deceptum fuiſſe in electione mea, neque mihi hodie periculum illud imminere, quod minime prænoverim.

A Hæc omnia ab initio ſciebam [4]; ſed ut adimpleatur Scriptura; *qui manducat meum panem, levabit contra me calcaneum ſuum*, recalcitrabit, & me calce feriet [5]; quod verbum ut adimpleretur, opus fuit, ut nefarius unus homo eſſet in numero diſcipulorum meorum. Neque illum nefarium elegi, neque illum elegi, ut nefarius fieret; ſed illum futurum prævidi [6]. Evangeliſta, vel potius Salvator, in Judam transfert, quod David dixerat de filio ſuo Abſalon [7], qui apertiſſima fuit hujus proditoris imago.

℣. 19. AMODO DICO VOBIS.] Ne credatis, me in electione mea deceptum fuiſſe, hoc dico vobis; ſed ut agnoſcatis, me eſſe Deum ſecreta cordium atque penitiores cogitationes ſcrutantem [8]. Aliter: de his omnibus vos admonui, antequam acciderent,
B ne vobis ſcandalum oboriretur, ubi accidiſſent. Denique hoc vobis dico, ut ſciatis, me illum eſſe, de quo David locutus eſt, ubi allata protulit verba [9].

℣. 20. QUI ACCIPIT, SI QUEM MISERO, ME ACCIPIT.] Reor, id cum ℣. 16. eſſe conjungendum: *non eſt ſervus major Domino ſuo, neque Apoſtolus major eſt eo, qui miſit illum*. ℣. 20. *qui accipit, ſi quem miſero, me accipit*. Si ego, qui ſum magiſter veſter, eouſque me ſubmitto, ut abluam pedes veſtros, vobis erubeſcendum non eſt, humillima quæque ſubeuntibus officia, atque fratribus veſtris ea præſtantibus, quæ abjectiſſima cenſentur. Neque vereamini futurum, ut hæc, quam vobis commendo, humilitas vobis apud homines contemptum conflet. Quo magis eritis humiles, eo verius eritis majores; nam qui-
C cumque vos recipit, me recipit, & quicumque vos contemnit, me contemnit; & qui me recipit, vel contemnit, recipit vel contemnit Patrem meum. Eodem igitur tempore, quo vobis humilitatem commendo, vos quodammodo in Dei locum conſtituo. Pater cœleſtis ſibimet factum ducet, quidquid pro vobis, vel contra vos fiet. Verſiculi 18. & 19. iſthic quadam veluti parentheſi claudendi ſunt propter Judam.

℣. 21. TURBATUS EST.] Viſus eſt commotus, velut, qui præſentem videt inimicum, & cui præſens imminet periculum. Turbatur JESUS ad mortis ſuæ interitum, & Judæ adſpectum. Hæc perturbatio voluntaria eſt, non ſecus ac illa, quam in ſeipſo, & ad ſepulchrum Lazari accedens [10], & deinde in horto
D olivarum [11] excivit.

℣. 23. RECUMBENS IN SINU JESU.] S. Johannes Evangeliſta menſæ accumbebat ſtatim infra JESUM, habebatque caput eo in loco, ubi erat ſinus Salvatoris; ita ut dum retro caput verteret, in JESU CHRISTI ſinum illud recideret: quod facile intellexeris, ubi conceperis mente eam rationem, qua Judæi tunc menſæ accumbebant. S. Petrus in altero fortaſſe erat latere, & e conſpectu JESU CHRISTI, atque in alio lectulo ab eo, in quo S. Johannes recumbebat. Innuit ergo huic Petrus, ut ſubmiſſa voce ex Salvatore quæreret, quinam illum eſſet proditurus? Nemo hoc facilius petere poterat, quam diſcipulus ille, quem JESUS enixius diligebat. Ergo ille inclinavit ſe in ſinum JESU, & ex eo ſecreto ſciſcitatus eſt, a quo eſſet tra-
E dendus [12].

℣. 26. RESPONDIT: ILLE EST, CUI EGO INTINCTUM PANEM PORREXERO.] Hoc illi JESUS adeo ſubmiſſa voce reſpondit, ut nemo illum audire potuerit. Veteres quidam crediderunt, hoc panis fruſtulum, quod JESUS CHRISTUS juſculo in-

1 Auguſt. hic. *Ipſi humani affectus, ſine quibus in hac mortalitate non vivitur, quaſi pedes ſunt: ubi ex humanis rebus afficimur, & ſic afficimur, ut ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus*. Vide & Bern. ſerm. in Cœna Domini, &c.

2 Cyprian. Pacian. Ambroſ. Aug. Bern. Gregor. Rupert.

3 Ambroſ. in Luc. lib. 8. n. 7.

4 Euthym. Mald. Brug. Grot. alii.

5 Grot. Brug.

6 Vide Mald. Euthym. Mald. alios.

7 Pſal. 40. 10.

8 Brugenſ.

9 Cyrill. Theophyl. Euthym. Auguſt. Beda, Rupert. Mald. Grot.

10 Joan. 11. 33.

11 Matth. 26. 37. 38.

12 Origen. hic. Cyrill. Alex. in cap. 6. Joan. Anaſtaſ. Sinaita orat. de Sinaxi. Nonn. hic. alii, quos vide ad Matth. 26. 23.

Intinxit [1], nondum enim ablatæ fuerant epulæ, & quod obtulit Judæ, fuiſſe Corpus illius, de quo antea dixerat : *accipite, & manducate, hoc eſt Corpus meum*. Verum S. Auguſtinus [2], aliique plures majori cum veritatis ſpecie aſſeruerunt, hunc merum fuiſſe panem ; & proditorem communionem recepiſſe e manu Divini præceptoris ſui, antequam panem, de quo hic ſermo, reciperet. Adi, ſi lubet, Commentarium noſtrum in S. Matthæum cap. 26. 27. Nonnus Paraphraſ. hic, aliique nonnulli poſt eum credunt, Salvatorem vino imbuiſſe panem, quem obtulit Judæ, atque inde obortam fuiſſe conſuetudinem, ut antiquitus nonnumquam communio exhiberetur ſub ſpecie panis intincti in vini conſecrati ſpeciebus [3] ; quem morem improbavit Papa Julius [4], qui de ea re ad Ægypti Epiſcopos ſcripſit ; quod tamen non obfuit, quominus ille ritus communis eſſet deinceps in Græcia.

℣. 27. Post buccellam.] Avaritiæ, atque odii Dæmon illum jam poſſidebat. Inierat jam conſilium ſuum cum Sacerdotibus [5] ; ſed ubi ſe detectum agnovit, ſe ſe magis in incepto confirmavit, & Dæmon magis, magiſque illum poſſedit : *intravit, ut ſibi jam traditum plenius poſſideret, in quem prius intraverat, ut deciperet*, ait S. Auguſtinus.

Quod facis, fac citius.] Non ſuadet, ut nefarium hoc exequatur conſilium ; non illum hortatur, ſed oſtendit, ſibi omnia eſſe explorata, & ſe nihil vereri : *vox hæc non jubentis eſt, ſed ſinentis, nec trepidi, ſed parati* ; inquit S. Leo ſerm. de Paſſ. Exprobrat illi perfidiam dicens: *quod facis, fac citius*. Hæc eſt indignantis conceſſio: perge, quandoquidem hoc conſilium initum eſt, celeriter illud exple. Hoc te dignum facinus Credit Origenes in Joan. hic, verba hæc intelligi poſſe tamquam Dæmoni dicta qui a Salvatore quodammodo provocatur: quam ſententiam S. Cyrillus l. 9. in Joan. c. 17. aliique nonnulli ex Græcia ſecuti ſunt.

℣. 28. Hoc nemo scivit discumbentium :] niſi forte S. Johannes [6], cui Salvator in auriculam dixerat, ſe a Juda eſſe prodendum. Sed poterat non ſatis diſtincte intellexiſſe, quid per hæc verba ſibi vellet Jesus [7], quibus varii ſenſus poſſunt appingi.

℣. 29. Eme ea, quæ opus sunt nobis.] Apoſtoli, qui crediderunt, a Jesu hæc Judæ dici, ſatis ſciebant, Paſchatis die Jeroſolymæ palam nihil eſſe venale. Hoc igitur non accidit nocte Paſchatis, feſtivitas enim jam incœpiſſet veſpera præcedenti, juxta communem hypotheſim aſſerentem, Jesum Christum Paſchalem, Legalemque Cœnam cum diſcipulis ſuis ea nocte, antequam moreretur, celebraſſe. Oppoſitum immo liquet ex univerſo S. Johannis textu, Paſcha videlicet incœpiſſe tunc ſolum, cum Salvator exſpiravit animam, atque cœptum fuiſſe immolare agnos paſchales in Templo eo tempore, quo ille de Cruce emiſit Spiritum. Fidei igitur conſonum eſt, crediddiſſe Apoſtolos, Judam profecturum eſſe ad Paſchalem agnum emendum, & alia, quæ neceſſaria erant, ut veſpere, ac die Paſchatis manducarent.

℣. 30. Cum accepisset buccellam, exivit.] Credunt quidam [8], Judam manibus ſuis accepiſſe Corpus Salvatoris ; ſed illud non comediſſe, & ſervatum abſtuliſſe, ut Sacerdotibus oſtenderet, eiſque diceret, Jesum docere, panem hunc eſſe Corpus ſuum. Sanguinem vero invitus bibit, ait Theophylactus ; neque enim celare illum potuit, quemadmodum ſpecies panis abſcondeiat.

Hæc ſententia plane fabuloſis ſcatet circumſtantiis, eamque nemo ſequitur, quem ſciam, qui inter Interpretes ætate meliores recenſeatur. Ea vero opinio, quæ cenſet, Judam de triclinio egreſſum, antequam Jeſus Corporis, Sanguiniſque ſui Sacramentum inſtitueret, & quæ ideo tenet, proditorem hunc hujus myſterii participem non fuiſſe, apud antiques paſſim obtinuit ; eamque plurimi, iique eruditi Theologi noviſſimi ſæculi utriuſque Communionis ſequuntur : puta Tuſſianus, Salmeron, Barradius, Viringius, Cheblitius, Volphangus Muſculus, Zanchius, Henſius, Altingus, Beza, Socinus, aliique plures [9]. Attamen oppoſita ſententia ferme generatim probatur in Eccleſiis Græcis, atque Latinis ; immo etiam in Communionibus, quæ ſe ſe jactant Reformatas ; eaque cum Evangeliſtarum [10] narratione melius nobis cohærere videtur.

Erat autem nox.] Græca quædam exemplaria legunt [11] : *erat autem nox, cum exiit*. Alia : *erat autem nox. Cum ergo exiiſſet &c.* quod Vulgatæ, Æthiopicæ Verſioni, Origeni, Nonno conforme eſt. Evangeliſta hanc noctis circumſtantiam memoravit, ut oſtenderet, Judam ſecreto, ac de multa nocte Sacerdotes conveniſſe conſilium ſuum expleturum, ut Jesum eo tempore comprehendere poſſet, quo nulla ſtipatus erat populi turba, uti ſolebat [12] : *ut traderet illum ſine turbis*.

℣. 31. Nunc clarificatus est Filius hominis.] Hoc eſt momentum, quo ego clarificaturus ſum Patrem paſſione mea. Imminet tempus meæ etiam glorificationis, quoniam poſt mortem meam ſubſequetur Reſurrectio, atque ſuper omnes cœlos Aſcenſio. Feſtinat Judas, ut proditionem ſuam maturet. Hæc eſt hora Principis tenebrarum. Quemadmodum Athleta victoriæ certus lætatur, ubi prælii tempus acceſſerit ; ita Jesus Christus paſſionis, & mortis ſuæ tempus conſiderat, tamquam tempus ſuæ gloriæ, atque triumphi [13].

℣. 32. Si Deus clarificatus est in eo.] Deus Pater me gloria mea cumulabit, & conferet mihi nomen ſuper omne nomen ; evehet me ſuper quodcumque in cœlo eſt, in terra, ac in inferno, ita ut creatura quælibet genu coram me flectat in præmium humilitatis meæ, & gloriæ, quam illi contuli morte mea, ac ſumma officii fide, qua ad noviſſimum uſque momentum mandata illius adimplevi.

℣. 33. Filioli, adhuc modicum.] Imminet finis vitæ meæ, abiit Judas, proditionem ſuam expleturus ; aliquot dumtaxat horæ adhuc ſuperſunt, quibus vobiſcum vivam. Quamprimum diſpergemini, atque a me ſeparabimini. Ego iter ſuſcepturus ſum, quod vos modo ingredi non poteſtis. *Quæretis me* ; aliquot diebus mœrore, & ſqualore conficiemini propter diſceſſum meum, ſed ubi reſurrexero, invenietis me, atque iterum vobis apparebo. Dico vobis, quemadmodum dixi & Judæis, aliis in occaſionibus [14], vos venire non poſſe, quo ego vado ; cum magno hoc tamen diſcrimine, quod Judæi quærent me, & in peccatis morientur [15] ; vos vero aliquando me ſequemini, atque in Cœlum, quo ego feſtino, aſcendetis. Vos vitam meam pro me effundetis, quemadmodum ego meam pro vobis effuſurus ſum [16] : & ſicut Pater glorificaturus eſt me, ita e-

1 Grot. hic. Capell. M. Aur. de Dominis, Bynæus, alii. Vide & Origen. hic. & Ambr. Ferrar.
2 Auguſt. in Joan. tract. 62. Jul. Pap. Decret. diſt. 2. de conſecrat. c. 7. Hildeb. Cenoman. Ep. 64. Petr. Lombard. ſent. 4. diſt. 9. 3 Vide Heinſ. Ariſtarch. ſacr. lib. 2. c. 12. Vide & Petr. Arcud. de Concord. lib. 3. cap. 56. Allat. Diſſert. 1. de lib. Græc. 4 Julius Papa, in decreto, diſt. 2. de conſecrat. c. 7.
5 Joan. 13. 2. Luc. 22. 3. 6 Hammon. Bynæ. Piſcat.
7 Chryſoſt. Theophyl. Grot. alii. 8 Vide Origen. hic. & Theophyl.
9 Vide Selden. lib. 1. de Synedr. c. 8. & Bynæum de morte Chriſti, lib. 1. c. 5. n. 33.
10 Vide noſtram harmoniam quatuor Evangeliorum, & Commentarium in S. Matth. c. 27. ℣. 23.
11 Ἦν δὲ νὺξ ὅτε ἐξῆλθε. Alii : Ἦν δὲ νύξ. Ὅτε οὖν ἐξῆλθε.
12 Luc. 22. 6. Vide Grot. hic.
13 Vide Origen. t. 32. Chryſoſt. Cyrill. Theod. Heracl. & Mopſ. Theophyl. Leont. Euthym. Auguſt. Rupert. alios. 14 Joan. 7. 34. 35. 8. 21. 15 Joan. 8. 21. 24.
16 Vide Aug. Bedam, Chryſoſt. Leont. Theophyl. Euthym.

go vos glorificabo; & quam quiſque meritus fuerit, cumulatiſſimam gloriæ menſuram conferam.

℣. 34. MANDATUM NOVUM.] Mandatum diligendi proximum ſuum, Apoſtolis novum non erat; illud quippe ex Lege Moyſis didicerant: *diliges amicum tuum ſicut teipſum* Levit. 19. 18. At JESUS CHRISTUS novum appellat charitatis præceptum; jubet enim proximum a nobis ita amari, uti ab illo amati fuimus. At JESUS non ſolum nos amavit, tamquam ſeipſum, ſed magis etiam, quam ſeipſum: quandoquidem pro nobis ſuam vitam effudit, & ſervi formam ſuſcepit, atque ſubiit pondus omnium iniquitatum noſtrarum. Hac de cauſa mandatum illius ex Patrum ſententia novum eſt [1]. Credunt alii [2], novum appellari, quoniam eximium eſt. Inſtauro mutuæ charitatis præceptum, tamquam præceptum novum, neceſſarium, eximium. Ita in Hebræorum ſtylo canticum novum dicitur, terra nova, Cœli novi, vinum novum, cor novum ad innuendam earum rerum præ aliis, quæ præceſſerunt, præſtantiam. Dicit Dominus, ſe nova facturum ſuper terram; hoc eſt, ſe univerſam illius faciem immutaturum, atq; in ſtatum priori perfectiorem omnia revocaturum.

Alii denique [3] ita intelligunt: *mandatum novum do vobis*: inſtauro charitatis præceptum, quod olim a Moyſe traditum fuerat; ſed quod hodie in hominum memoria penitus obſolevit. Scribæ, & Phariſæi illius ſenſum vitiarunt, atque uſum everterunt. Ego vero etiam, atque etiam commendo, ut quemadmodum illud vobiſcum exercui, ita vos ipſum mutuo exerceatis: *Sicut dilexi vos*. Hujus charitatis vos hæredes ſcribo; hæc eſt noviſſima voluntas Patris, qui jam moriturus, ut familiam ſuam, ipſoſque etiam inimicos ſuos ſalvos faciat, has poſtremas tabulas ſignat.

℣. 35. IN HOC COGNOSCENT OMNES.] Ex mutua, atque fraterna charitate, tamquam Diſcipuli mei cognoſcemini. Hic eſt meæ Religionis character. Non ſcientia, non prophetia, non eloquentia, non miraculorum munus, Chriſtianum hominem conſtituunt [4]; ſed charitas. Plurimi poſtremo Judicii die, dicent. Domine, nonne prophetavimus, nonne in nomine tuo prodigia operati ſumus? & ego illis reſpondebo: non novi vos [5]. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam; factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero Prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*, ajebat Paulus Apoſtolus 1. Cor. 13. 1.

Eo perfectius, & verius ſumus Salvatoris Diſcipuli, quo propius illius charitatem imitamur: *Ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*. Inde priſci Chriſtiani agnoſcebantur, quod mutuo ſe ſe diligerent [6]. Omnibus unum cor erat, & anima una; eorum temporalia bona erant communia [7], privatim quidem pauperes, in communi vero omnes æque divites. Videte, ajebant Ethnici, quo modo ſe ſe mutua diligant charitate; quomodo vitam ſuam alii pro aliis rependere non renuant [8]. Ideo tot in Chriſtianam Religionem ingerebantur calumniæ; hæc enim reciproca dilectio ſuſpicione apud Gentiles minime vacabat; quod ipſi illam non noverant: *Sed hujuſmodi dilectionis operatio nobis notam inurit apud quoſdam. Vide, inquiunt, ut ſe diligunt; Ipſi enim* (Gentiles) *invicem oderunt; & ut pro alterutro mori parati ſunt*.

℣. 36. DOMINE, QUO VADIS?] Modo dixiſti, non venire nos poſſe illuc, quo vadis; ℣. 33. numquid licet nobis ex te quærere, quo vadis, & cur te ſequi minime poſſimus? Si ad mortem, ad vincula, ad carceres, ad ſupplicium feſtinas, cur non & ipſi illuc veniamus? Opinabatur fortaſſe S. Petrus illud a Salvatorem dictum, ut Diſcipulorum zelum tentaret, atque ut noſſet, utrum æque fortes eſſent, ut illum ſequerentur. Inde ergo loquendi occaſionem arripit, atque ſe numquam ab eo receſſurum profitetur. Sed JESUS CHRISTUS ait illi: *quo ego vado, non potes me modo ſequi: ſequeris autem poſtea*. Nondum ſatis conſtantiæ, ac fidei tibi eſt, ut pro me vitam effundas: non deerit tempus, quo fortior fies, & ſanguine tuo præclarum mihi teſtimonium perhibebis [9].

℣. 37. ANIMAM MEAM PRO TE PONAM.] Paratus ſum, ut omnia fanda, infendaque patiar pro gloria tua, teque ad mortem uſque ſequar. S. Petrus ſuum dumtaxat zelum, ſuumque ingenium ſequebatur, viribus ſuis non ſatis adhuc conſultis. Teneræ quidem, ſed non ſatis adhuc forti amore JESUM CHRISTUM proſequebatur [10].

℣. 38. NON CANTABIT GALLUS.] Intelligendum hoc eſt de poſtremo galli cantu: nam S. Petrus JESUM CHRISTUM negare cœpit ante galli cantum, & ter jam illum negaverat, antequam gallus tertio cantaret. Nemo neſcit, gallum pluries noctu canere, poſtremum vero ſub diluculum cantum emittere.

1 Chryſoſtom. Cyrill. Theodor. uterque, Leont. Theophylact. Euthym. Rupert.
2 Maldonat. Gherard. alii. 3 Janſ. Menoch.
4 Vide Chryſoſt. Theophylact. Euthym. 5 Matth. 7. 22. 23. Vide Chryſoſtom. hic. homil. 71. Aug. tract. 65. Gregor. in Job. 30. lib. 20. cap. 7. & homil. 6. in Ezech. lib. 2. num. ult. 6 Act. 4. 32.
7 Act. 2. 44. *Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia*.
8 Tertull. Apologetic. 9 Theodor. Mopſ. Cyrill. Auguſt. Beda, Rupert. Maldonat. Brug. Grot. alii.
10 Vide Bern. ſerm. 4. in Cantic. n. 4. 5.

CAPUT XIV.

JESUS Apoſtolos ſuos conſolatur. Ait, ſe viam eſſe, Veritatem, & Vitam. Illos majora quam ſe, miracula operaturos; ſe ad eos Spiritum Sanctum miſſurum, ſe illis pacem ſuam elargiri; ſuum diſceſſum illis utilem fore.

1. NOn turbetur cor veſtrum. Creditis in Deum, & in me credite. 2 In
domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Si quo minus dixiſſem vobis:
Quia vado parare vobis locum. 3 Et ſi abiero, & præparavero vobis
locum: iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & vos
ſitis. 4 Et quo ego vado, ſcitis, & viam ſcitis. 5 Dicit ei Thomas: Do-
mine, neſcimus, quo vadis: & quomodo poſſumus viam ſcire? 6 Dicit ei Je-
ſus:

ſus : Ego ſum via, & veritas, & vita : nemo venit ad Patrem, niſi per me.
7 Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis : & amodo cogno-
ſcetis eum, & vidiſtis eum. 8 Dicit ei Philippus : Domine, oſtende nobis Pa-
trem, & ſufficit nobis. 9 Dicit ei Jeſus : Tanto tempore vobiſcum ſum : &
non cognoviſtis me ? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu di-
cis : Oſtende nobis Patrem ? 10 Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in
me eſt ? Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipſo non loquor. Pater autem in
me manens, ipſe facit opera. 11 Non creditis, quia ego in Patre, & Pater
in me eſt ? 12 Alioquin propter opera ipſa credite. Amen, amen dico vobis,
qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum fa-
ciet : quia ego ad Patrem vado. 13 Et quodcumque petieritis Patrem in nomi-
ne meo; hoc faciam : ut glorificetur Pater in Filio. 14 Si quid petieritis me
in nomine meo, hoc faciam. 15 Si diligitis me, mandata mea ſervate. 16
Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in
æternum, 17 Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non
videt eum, nec ſcit eum : vos autem cognoſcetis eum ; quia apud vos manebit,
& in vobis erit. 18 Non relinquam vos orphanos : veniam ad vos. 19 Ad-
huc modicum : & mundus me jam non videt. Vos autem videtis me : quia ego
vivo, & vos vivetis. 20 In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre
meo, & vos in me, & ego in vobis. 21 Qui habet mandata mea, & ſervat
ea, ille eſt, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo : &
ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. 22 Dicit ei Judas, non ille Iſca-
riotes : Domine, quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non
mundo ? 23 Reſpondit Jeſus, & dixit ei : Si quis diligit me, ſermonem meum
ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud
eum faciemus. 24 Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat. Et ſermo-
nem, quem audiſtis, non eſt meus : ſed ejus, qui miſit me, Patris. 25 Hæc
locutus ſum vobis apud vos manens. 26 Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem
mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia,
quæcumque dixero vobis. 27 Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis :
non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque
formidet. 28 Audiſtis, quia ego dixi vobis ; Vado, & venio ad vos. Si dili-
geretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem : quia Pater major me eſt.
29 Et nunc dixi vobis prius, quam fiat : ut cum factum fuerit, credatis. 30
Jam non multa loquar vobiſcum ; venit enim princeps mundi hujus, & in me non
habet quidquam. 31 Sed ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut
mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Surgite, eamus hinc.

℣. 1. NON TURBETUR COR VESTRUM.] Ubi S. Petri interrogationi reſpondit, iterum omnes Apoſtolos alloquitur, eoſque ad omnem metum, doloremque abjiciendam hortatur, ſi ab illis recederet [1]. Complura Græca, & Latina [2] Exemplaria, caput hoc ex his verbis incipiunt : *Dixit* JESUS *Diſcipulis ſuis* : *non turbetur cor veſtrum* : quod gloſſema aliquod fortaſſe eſt, ut innuat id, quod nuper diximus ; hæc videlicet jam non uni Petro, ſed Apoſtolis omnibus in communi dici. A

Græci Patres [3] credunt, Salvatorem hoc in loco confirmare Apoſtolos ſuos terrore correptos, quod Petro ille prædixerat futurum, ut ter ab eo negaretur. Si qui majori zelo, ac majori fortitudine e nobis præditus eſt, eum negaturus eſt, quid de nobis fiet ? Salvator interiorem eorum turbam videns, hortatur, ne metuant : B *creditis in Deum, & in me credite* ; ſpem habete in verbis meis, & mementote, quod dixi vobis, me non amiſſurum aliquem ex illis, quos mihi meus Pater tradiderit [4]. Si fidem habetis promiſſionibus Dei, quod illum fallere non poſſe arbitramini, mihi etiam fidem habere poteſtis ; cumque ſuadeo, ne quid vereamini, credere debetis, nihil eſſe vobis metuendum. Sermo meus nequaquam minus certus eſt, quam ſermo Patris mei, quoniam & ipſe, ut ille, Deus ſum [5].

℣. 2. IN DOMO PATRIS MEI MANSIONES MULTÆ SUNT.] Cum vobis dixi, me illuc ire, quo vos mecum venire non poteſtis, me velle vobis aditum in Regnum Patris mei prohibere ne putetis, aut vos in æternum meo aſpectu, meaque ſocietate privare ; perinde ac in domo Patris mei una dumtaxat ſedes eſſet, qua a me ſemel occupata, vobis in terra permanendum eſſet, ſolis atque inimicorum meorum furori, & nequitiæ derelictis. Omnino res aliter ſe habet. Domus Patris mei non unum dumtaxat habet cubiculum ; eſt enim palatium immenſum, ubi quamplurimi ibi inhabitare poſſunt. Locus mihi deſtinatus nonniſi a me occupandus eſt : verum & alii ſunt loci, pro meis amicis parati. Ego ſemper præcedo, omnia diſpoſiturus, ac manſiones vobis præparaturus : Quamprimum reviſam vos [6].

1 Auguſt. Beda, Maldonat. Grot. Brug. Menoch. alii. 2 Ita Græc. Steph. Cantabr. Veleſ. Ald. Bab. Colin. Sax. Ita & Auguſt. Beda, Gloſ. Ord. D. Thom. Lyran.
3 Chryſoſt. Euthym. Leont. Theophylact. Theodor. uterque Heracl. & Mopſ.
4 Joan. 6. 39. 3. 15. 16. 10. 28. 5 Auguſt. Brug. Maldon. alii.
6 Vide Maldonat. Brug. Grot. Eſt. Menoch. & Ambroſ. in Pſalm. 38. num. 27.

Hoc explicandi ratio popularis quidem eſt: at meminerit, opus eſt, quam rudes eſſent tunc temporis Diſcipuli. S. Ambroſius ſeptem, vel octo Cœlos eſſe putat, ubi Beati fruuntur; & per quos tranſeunt, ſuperius evehendi. Non ſolum plures in domo Patris mei manſiones ſunt. Varii etiam ſunt gloriæ gradus pro meritorum varietate [1]. Beati omnes videbunt Deum, fruentur Deo, permanentem, atque æternam felicitatem conſequentur; ſed non omnes ſimiliter. Prædeſtinati omnes in hora mortis æternitatis denarium conſequentur [2]; ſed non omnes eumdem felicitatis gradum obtinebunt; *eſt quidem denarius æqualis, id eſt vita æterna, quod ad æternitatem pertinet, ſed ſunt diverſæ meritorum dignitates*, inquit S. Auguſtinus hic.

Si quominus, dixissem vobis: quia [3] vado, &c.] Si nihil vobis in Regno Patris mei ſperandum eſſet, & ipſe vos in æternum deſererem, vos admonuiſſem neque hactenus inani futuræ felicitatis ſpe vos feſelliſſem [4]: ſed res ita ſe habet, quemadmodum aſſero: vobis ſunt conſtitutæ manſiones veſtræ in domo Patris mei; abeo igitur, eas vobis præparaturus. Opus eſt, ut per mortem meam vobis aditum Cœli recludam, atque vobis cœleſtis gloriæ perfruitionem promerear. Nemo illuc ante me ingredietur. Vide Heb. c. 11. ℣. 39. 40.

Juxta aliam lectionem verti poteſt [5]: ſin autem, *vobis dixiſſem: vado, ut vobis locum præparem*. Si in domo Patris mei manſiones multæ non eſſent, & illuc certam ſedem non haberetis, dixiſſem vobis: vado, ut certam faciam illic ſedem veſtram, & mox veniam, vos ſuſcepturus; verſ. 3. atque ad cœleſtis gloriæ poſſeſſionem adducturus. Verumtamen nihil tale dixi vobis; multæ enim ſunt manſiones in Cœlo, & ſubſellia veſtra jam ſunt præſtituta [6].

℣. 3. Et si abiero .... iterum venio.] Hujus verſiculi explicatio a ſuperiori verſiculo pendet. Cum a vobis receſſero ad temporis intervallum, quantum opus eſt, ut vobis ſedem diſponam, revertar, & vos mecum in gloriam adducam. Hoc duplicem poteſt ſenſum admittere: morte mea vobis, atque omnibus Sanctis, qui hactenus vita exceſſerunt, Cœlum aperiam; poſt Reſurrectionem vero meam ad vos revertar, vobiſque certum tribuam futuræ beatitudinis pignus, Vos per Sancti Spiritus effuſionem in gratia mea, atque fide confirmabo. Vel: cum veneris hora, qua unuſquiſque veſtrum humanis decedet, vos ipſe ſuſcipiam, atque in Regnum Patris mei introducam.

℣. 4. Quo ego vado, scitis.] Jesus aliquem adhuc in Apoſtolis metum deprehendens, dixit illis: Noſtis jam, me ad Patrem pergere, & illuc nonniſi per mortem me feſtinare intelligitis. Satis ſuperque dixi, ut id intelligeretis [7]. Videtur Jesus, Apoſtolis aditum præbere aliqua de re, ſi vellent, ipſum interrogandi.

℣. 5. Domine, nescimus, quo vadis.] Amor, quo Apoſtoli divinum Magiſtrum ſuum proſequebantur, & metus, qui illis inceſſerat, ne ab eo relinquerentur, oberant, ne perſpicue, quid ille diceret, aſſequerentur. Libenter non credimus, quod contingere non optamus. Thomas ergo Jesu Christo ait, neque ſe, neque alios Apoſtolos ſcire, quo ille concedat; immo, & minus adhuc ſcire, qua via illuc pergat. De aliis ex ſeipſo judicium fert. Nonniſi confuſius intelligebant hoc Jesu Christi iter, hunc reditum, varias has in Regno Patris ejuſdem manſiones. Aliquam forſaſſe animo ſibi fingebant remotiſſimam regionem, vel A ſuperbum, ſed materiale palatium [8]: & cum Jesus Christus dixit illis, *& quo ego vado, ſcitis, & viam ſcitis*; hoc innuit: proculdubio hoc ſcitis, vel ſcire debetis.

℣. 6. Ego sum Via, Veritas, & Vita.] Ego via ſum, quæ ad Patrem adducit; ego veritas ſum, quæ docet, quomodo Pater cognoſcendus eſt; ego vita ſum eos omnes animans, qui illum quærunt, & diligunt. Vel brevius, & clarius; *Ego ſum Via, Veritas, & Vita*: Ego ſum vera via, quæ ducit ad vitam [9]: ita, Thoma, ſi noſti me, noſti etiam, & quo vado, & viam, qua illuc vado. Vado ad Vitam, ad Deum, ad Patrem meum. Pater & ego unum ſumus: Ita qui noſcit me, noſcit & terminum vitæ meæ. Nonniſi per me, via patet ad Deum, & Vitam; ideoque qui noſcit me, no- B ſcit etiam viam, qua ego vado ad Patrem. Verbo; per meipſum vado ad Patrem meum mihi æqualem. Hoc totum eſt hujus reſponſionis myſterium.

℣. 7. Si cognovissetis me, & Patrem meum &c.] Vel ſi uti opus eſt, me cognoſceretis, cognoſceretis etiam Patrem meum; quoniam Pater, & ego unius tantum ſumus ſubſtantiæ. Cum ergo ſollicite ex me quæratis, quo ego vadam, & quinam ſit hic Pater, de quo loquor vobis; hoc argumento eſt, me nonniſi imperfecte a vobis cognoſci [10]. Cæterum quamprimum Patrem meum *cognoſcetis, & jam vidiſtis eum*. Illum jam fidei lumine vidiſtis, me videntes, vel me cognoſcentes tamquam Deum; & mox illum perfectius cognoſcetis, cum melius divinitatem meam cognoveritis, atque Spiritum Sanctum acceperitis [11]. Apoſtoli, C Sancto Johanne Chryſoſtomo teſte, Deum cognoſcebant, non autem illius Paternitatem: cumque quatenus Patrem tunc ſolum cognoverunt, cum ſuper illos Spiritus Sanctus dilapſus eſt.

℣. 8. Domine, ostende nobis Patrem.] Philippus univerſam quæſtionem ad id redigis, ut Patrem videas. Felices quidem ſumus, quod te noverimus, atque adoraverimus. Scimus, te unicam eſſe viam, quæ adducit ad Patrem: ſed perfectiſſima eſſet felicitas noſtra, ſi Patrem videre poſſemus. Ita ſollicite Moyſes a Domino petiit, ut ſe illum videndum præberet [12]. Moyſes, & Philippus hac in re in eodem errore verſabantur, rati, Patrem corporeis oculis poſſe videri. Philippus quidem excuſari poterat; quoniam corporeo Jesum Christum videbat. Credidit, Patrem eumdem D eſſe, ac Jesum Christum, & eodem pacto, ac illum videri poſſe arbitratus eſt.

℣. 9. Philippe [13], qui videt me.] Qui videt me quatenus Deum, & qui cognoſcit me ſecundum divinitatem, videt etiam, & cognoſcit Patrem meum, quoniam nobis una, eademque eſſentia eſt, una, eademque virtus. Palam iſthic duplicem diſtinguit naturam, divinam, atque humanam in una perſona conjunctas [14]. Me cognoſcitis ſecundum naturam humanam, non autem ſecundum divinam: *tanto tempore vobiſcum, & non cognoviſtis me?* Nondum intelligitis, me eſſe in Patre meo, & Patrem in me, & in illo, & in me unam eamdemque eſſe naturam? ℣. 10. *non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?*

℣. 10. Verba, quæ ego loquor vobis.] Ne E credatis, verba, & opera mea ex me uno proficiſci. Pater meus mecum & loquitur ſemper, & agit. Præter humanitatem, quam videtis, & in cortice tantum intelligitis, in me quoque eſt natura divina, quæ eadem eſt in Patre meo, & in me, & quæ mecum ſimul loqui-

1 Gregor. Magn. lib. 4. Moral. cap. 31. & lib. 33. cap. 24. & lib. 4. Dialog. cap. 24. Cyrill. Leont. Tertull. in Scorpiaco, &c. 2 Matth. 20. 10. 3 Particula *quia*, ὅτι, non extat in Græco; eſt tamen in Syriaco, in Arab. Nonum, & aliquibus MSS. Græcis. 4 Toles. Grot.
5 Εἰ δὲ μή, εἶπον ἂν ὑμῖν, πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν.
6 Ita Auguſt. Beda, Rupert. Latini fere omnes, & Græci plerique, ut Cyrill. Leont. Theophylact. Euthym. Theodor. Mopſ. 7 Brug. Grot. Menoch. Tir.
8 Euthym. Brug. Maldonat. 9 Maldonat. Grot. Brug. Ligfoot. Gerard. Hamm. Clericus, alii plures.
10 Maldonat. Brug. Tir. Grot. alii. 11 Auguſt. Rupert. alii.
12 Exod. 33. 18. 13 Plerique Veteres addunt *Philippe*, iis, quæ præcedunt ; *Et non cognoviſtis me, Philippe?* 14 Ita Patres, & Interpp. hic paſſim.

loquitur, & agit. Aliter; & verba, & opera mea vobis perſuadere debent, me eſſe in Patre, & Patrem eſſe in me [1]: doctrina, & miraeula mea probant divinitatem meam. Si ſimplex homo eſſem, & ipſo Deo habeni vellem, numquid ita agerem, ita loquerer? Numquid tot miracolorum fulgore facinus meum probaret Deus, & talis eſſet doctrina mea? Si quod in me videtis, vobis divinitatem meam non perſuadet, ſaltem vobis eam miracula perſuadeant. ℣. 11. *Alioquin propter opera ipſa credite.*

℣. 12. QUI CREDIT IN ME, OPERA, QUÆ EGO FACIO, & IPSE FACIET.] Hoc aliud eſt meæ divinitatis argomantum, miracola videlicet, quæ, qui credent in me, operabuntur. Poteſt quidem præſtigiator aliquis falſis prodigiis populi os ſublinire, vel etiam vera quædam prodigia operari poteſt; ſed potaſtatem ſuam alteri communicare non poteſt. Ego vero ea mea virture miracula operor, illa jugiter, ac ſemper ſumma cum auctoritate perficio: iis vero, qui in me credunt, poteſtatem confero, ut æque magna, æque multa, immo & majora, & plura perficiant. Id autem facio, ut oſtendam, me eſſe Deum. Ergo vere Deus ſum: fieri quippe non poteſt, ut Deus ſeductorem, & gloriæ ſuæ inimicum ſua auctoritate confirmet, quemmodum meipſum, & meis, & diſcipulorum meorum miracula confirmat.

At ubinam ſunt hæc miracula Apoſtolorum miraculis JESU CHRISTI majora, ab illis poſt hujus Aſcenſionem perasta? Reſpondent Patres, Apoſtolos majora quidem fuiſſe operatos, ea. g. illud, quod ſola S. Petri umbra quodvis morborum genus curaret [2]; ſecundo, quod ille non ſolum reſuſcitavit homines, ſed & occidit verbo; veluti, cum ante pedes ejus Ananias, & Saphira animam efflarunt [3]. Sanctus Paulus æquali poteſtate Elymam excæcavit [4]. Ad hæc, JESUS CHRISTUS in Judæa ſolum miracula operatus eſt; Apoſtoli vero in omnibus terrarum plagis. JESUS CHRISTUS patria dumtaxat lingua locutus eſt; Apoſtoli vero quovis linguarum genere: JESUS CHRISTUS tribus dumtaxat prædicationis ſuæ annis miracula operatus eſt: Apoſtoli vero toto eo tempore, quo ſacrum Apoſtolatus ſui miniſterium exercuerunt. Non loquor autem de aliis miraculis, quæ in Eccleſia poſt Apoſtolorum ævum effluxerunt, nam monumenta, quæ ea nobis memoriæ reliquerunt, minoris ſane ſunt auctoritatis, quam Sacra Biblia, ex quibus ea, quæ attulimus, deprompta ſunt. Hæc omnia invite probant JESU CHRISTI omnipotentiam, atque divinitatem: nam ſi res juſta judicii trutina perpendatur, miracula Apoſtolorum, & Diſcipulorum ſunt ipſius JESU CHRISTI miracula; quippe quæ ejus nomine, virtuteque perfecta.

Salvator rationem affert omnium miraculorum, quæ a Diſcipulis ſuis fient: ℣. 13. *quia ego vado ad Patrem, & quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Hactenus cum eſſem in terris, ea operatus ſum miracula, quæ neceſſaria duxi, ut doctrinæ meæ auctoritatis fierat acceſſio, atque ut populis miſſionem meam probarem. Cum his omnibus accederet verbum, atque præſentia mea, & veritates, quas annunciabam, accommodatæ eſſent ad captum eorum, quos alloquebar; e ra non doci, majorem prodigiorum numerum operari. Sed ad *Patrem vado*, cumque vos in terra permaneatis, Gentilium quidem furori, Judæorum vero nequitiæ objecti, utriſque eas veritates annunciaturi, quibus quomodocumque adverſabuntur; ut vos illos revincere valeatis, vobis, & argumentoſam vim [5]; & miraculorum robur conferam, quibus illi adverſari non valebunt [6]; omnemque eam vobis opem ſuppeditabo, qua egueritis: *& quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio*, & nomen illius a Filio, & a vobis, qui illius aſtis Apoſtoli, omnibus populis annuncietur.

℣. 15. SI DILIGITIS ME.] Quin dolore conficimini ob reditum meum ad Patrem, & diſceſſum a vobis; ſi vere me diligitis, amorem veſtrum teſtari debetis, ſummaa fide mandata mea obſervantes. Jam mihi præbere poteſtis amoris veſtri monumenta. Non doloris notas, neque amoris exteriora ſigna a vobis quæro [7].

℣. 16. ET EGO ROGABO PATREM, & ALIUM PARACLITUM &c.] Si in amore meo, præceptorumque meorum obedientia perſeveraveritis, Patrem meum orabo, ut pro me alium vobis conſolatorem tribuat, qui vos edoceat, conſoletur, enutrat; quemadmodum ego vobiſcum fui. *Paracliti* nomen ex Græco deſumptum eſt, & ſignificat advocatum, tutorem, conſolatorem, mediatorem. S. Johannes ait, JESUM CHRISTUM noſtrum eſſe Paraclitum, noſtrum apud Patrem advocatum [8]. Poſt aſcenſionem miſit ille ad Apoſtolos Spiritum Sanctum, qui eſt illorum Patronus, Conſolator, Lumen, robur inter vitæ hujus perſecutiones, atque pericula [9]: nequa illum Apoſtolis tantum, dum vivarent, tribuit; verum eumdem Eccleſiæ ſuæ, & omnibus fidelibus ad finem uſque ſæculorum conceſſit: *ut maneat vobiſcum in æternum.* Ipſe in cordibus noſtris clamat gemitibus inenarrabilibus, Rom. 8. 26. Ipſe nos docet omnem veritatem, Matth. 10. 19. ipſe præeſt omnibus conciliis, quæ in Eccleſia legitime in nomine Domini inſtituuntur [10].

℣. 17. QUEM MUNDUS NON POTEST ACCIPERE.] Spiritus veritatis eſt Spiritus Sanctus, qui nos docet omnem veritatem, quemadmodum alibi, ait JESUS CHRISTUS [11]. Hic Spiritibus nequam, ſpiritui erroris, atque mendacii opponitur, qui per os Pſeudo-prophetarum [12], atque tenebrionum loquebatur. Non poteſt Mundus Spiritum veritatis recipere; quoniam nimis amat mendacium, errorem, infidelitatem, ſcelus. Mundus hic ſignificat carnales homines, qui cæleſtis Sapientiæ guſtum non habent, qui veritatem, & juſtitiam oderunt, qui terreſtram ſapientiam, atque prudentiam carnis, amant atq; æſtimant tantummodo. Amor ſpiritus hujus Mundi excludit Spiritum Dei. Nemo hunc recipere poteſt, qui illo plenus ſit. *Spiritus veritatis* ſignificare etiam poteſt Spiritum ſtabilem, permanentem, qui ſemper cum Apoſtolis permanet [13], oppoſitum ſpiritui levi, & perfunctorio, qui ultro, citroque it, reditque, quin umquam quieſcat. Hebræi ſæpe nomine *veritatis* in hoc ſenſu utuntur [14]. S. Johannes Chryſoſtomus hoc intelligit de Spiritu Evangelii, umbris, atque figuris Legis oppoſito.

℣. 18. NON RELINQUAM VOS ORPHANOS.] Diſcipuli apud Hebræos Magiſtros ſuos Patris nomine appellabant; & JESUS CHRISTUS Diſcipulos ſuos filios vocat [15]: *filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum.* Cum ab illis recedit, illi orphani quodammodo fiunt; ſed illis pollicetur futurum, ut ab illis diſcedens non relinquat eos orphanos, quoniam non morietur in perpetuum: Reſurgam, & veniam ad vos [16]. Vel non relinquam vos ſolos, atque ope deſtitutos; mittam ad vos Spiritum Sanctum, qui vobis erit, & Conſolator, & Pater

1 Cyrill. Leont. Theodor. Mopſ. Maldonat. 2 Act. 5. 15.
3 Act. 5. 5. 9. 10. 4 Act. 13. 2. 5 Matth. 10. 19.
6 Vide Theodor. Mopſ. Cyrill. Leont. Maldonat. 7 Chryſoſtom. Maldonat. Grot.
8 1. Joan. 2. 1. Παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον. *Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum.* 9 Vide Rom. 8. 26. 27. 34. & Matth. 10. 19. 2. Luc. 12. 11. 12. Joan. 16. 8.
10 Matth. 18. 20. Act. 15. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.*
11 Matth. 10. 20. & Joan. 16. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*
12 3. Reg. 22. 22. *Ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Ezech. 13. 6. 8. 9. Zach. 10. 2 &c. Iſai. 30. 10. Epheſ. 4. 14. 2. Timoth. 4. 1. 13 Chryſoſt. Maldonat. Gerhard.
14 Vide Iſai. 61. 8. *Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis*, & 39. 8. *Fiat pax, & veritas in diebus meis.* 15 Joan. 13. 33. Vide Auguſt. Bed. Chryſoſt. Theophylact. Euthym.
16 Ita Theodor. uterque Heracl. & Mopſ. Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. Menoch. Grot.

ter [1]. Denique cum aliis [2]: veniam ad vos in altero adventu meo, ſub Mundi finem. Sed malim hoc intelligere de Salvatoris Reſurrectione: breve eſt hoc temporis intervallum: ſub Mundi finem adventus longe abeſt, quo etiam non pro Apoſtolis tantum, ſed pro omnibus hominibus veniet.

℣. 19. ADHUC MODICUM.] Aliquot dumtaxat vitæ horæ mihi ſuperſunt; brevi ex mundi hujus oculis evaneſcam. Corpus meum in ſepulchrum efferetur, & homines me non amplius videbunt. Poſt Reſurrectionem vero vos iterum me videbitis; *quia ego vivo, & vos vivetis*. Reſurgens vos incolumes inveniam, ac bene valentes. Ne veremini, a me vos cogi, ut mecum moriamini; atque paſſionem meam, de qua forte vobis locutus ſum, vobis etiam mecum eſſe præparatam [3]. Vivam vita omnino recenti; vos autem naturali vita vivetis.

℣. 20. IN ILLA DIE VOS COGNOSCETIS, &c.] Poſt Reſurrectionem meam [4] cognoſcetis, me eſſe in Patre meo, æque Deum, ac ipſum, æque omnipotentem, ejuſdem cum illo ſubſtantiæ; & me eſſe in vobis per gratiam, atque opem, quam vobis confero, quemadmodum vos eſtis in me per fidem, & per eam, quam mihi præſtatis, obedientiam [5]. Tunc intelligetis, vos a me non eſſe derelictos, & me numquam a vobis receſſiſſe. Sed quemadmodum vos eſtis membra mea, ita me caput veſtrum eſſe, vos a me foveri, animari, confirmari, intelligetis.

℣. 21. QUI HABET MANDATA MEA.] Hoc ipſum ferme dixit ℣. 15. per fidelem præceptorum meorum obſervationem, non autem per lacrymas vos amorem veſtrum mihi teſtabimini [6]. Mementote, quid dixerim vobis: præceptis meis veſtram vitam aptate, & certi ſitis, diſceſſum meum nullum vobis detrimentum allaturum. Ille ex vobis, qui me dilexerit, *diligetur a Patre meo; & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*: illi poſt Reſurrectionem meam apparebo [7]. Non cenſuit JESUS CHRISTUS operæ pretium, Judæis infidelibus, Phariſæis, & Sacerdotibus, qui ipſum perſecuti fuerant, atque occiderunt, apparere. Hanc illi gratiam non merebantur; immo has apparitiones, præſtigia eſſe dixiſſent. Diſcipulis ſolum ſe ſe oſtendit, & illis, qui per fidem, & charitatem ſe ſe hac felicitate dignos probuerant.

℣. 22. DICIT ILLI JUDAS.] Judas, alio nomine Thadæus, non ſatis aſſecutus fuerat, quid innueret Jeſus Chriſtus, amicis quidem ſe manifeſtaturum dicens, non autem mundo. Ergo ne imperium tuum late in omnem terram non patebit, neque gentes omnes te cognoſcent; & tandem Juda, & Iſrael a Regno tuo prohibebuntur? Numquid ad exiguum amicorum numerum coarctabis fructum tui in Mundum adventus [8]?

℣. 23. PATER MEUS DILIGET EUM, ET AD EUM VENIEMUS.] S. Judas quæſieret, cur Jeſus Chriſtus ſe ſe amicis dumtaxat, & illis, qui fideles mandatis ipſius fuerint, eſſet manifeſtaturus, Salvator reſpondet, & ea, quæ dixerat, confirmat, explicite aſſerens, ſe cum Patre ſuo venturum in animam illius, qui ipſum amaverit, ſeque & Patrem una ibi permanſuros, eamque favoribus, & gratiis cumulaturos [9], Verbo; ſe nonniſi poſt Reſurrectionem manifeſtatum iri, idque illis tantum, in quibus per gratiam permanebit, & viſionis ſuæ privilegium illis tantum conceſſum iri, qui fideles permanſerint. Cæterum ſe venturum ad eos, neque umquam ab eiſdem receſſurum; *ad*

A *eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Neque ſolus veniet, ſed una cum Patre ſuo, ut quam concupierunt, voluptatem percipiant, Patrem videndi, atque cognoſcendi. Pater meus, & ego in vobis permanebimus; vos cognoſcetis utrumque, & utrumque æque, & ſine ulla diviſione poſſidebitis.

℣. 24. SERMONEM, QUEM AUDISTIS, NON EST MEUS.] Non eſt mei unius [10], ſed etiam Patris mei [11]: non enim loquor, neque ago, niſi cum illo, in illo, ut ille, & per illum. Jeſus Chriſtus ubicumque de ſeipſo loquitur, ſemper oſtendit, ſe ejuſdem eſſe naturæ cum Patre, atque ſuam divinitatem commendat.

℣. 26 PARACLITUS AUTEM SPIRITUS SANCTUS.] Si in iis, quæ hactenus vobis dixi, aliqua adhuc ſupereſt difficultas, Spiritus Sanctus, *Paraclitus*, Patronus, vel Conſolator omnem vobis auferet dubitationem, & vos de omnibus rebus erudiet. Ne diſpliceat ergo vobis me deſerere, perinde ac impoſterum non haberetis, quem in rebus dubiis conſuleretis. In Spiritus Sancti perſona, quam Pater meus ad vos mittet, ſemper Conſiliarium, atque Magiſtrum habebitis.

B

METTET PATER IN NOMINE MEO.] Habita mea ratione, actus precibus meis [12], pro me, et exequetur, & ea, quæ ego incœpi, perficiat [13]. Non mittet illum ſine me, neque ſeorſim a me, ſed per me [14], & in nomine meo illum mittet.

SUGGERET VOBIS OMNIA.] Sæpius Scriptura [15] teſtatur, Apoſtolos non intellexiſſe, Prophetias adimpleri eo temporis momento, quo ea adimplebantur. Nec ſatis animadvertebant, quæ eſſet ratio inter Salvatoris facta, & Veteris Teſtamenti figuras. Sed ubi dilapſus eſt Spiritus Sanctus, aperti ſunt eorum oculi, & corda, & Scripturas ad circumſtantias vitæ dominicæ tranſtulerunt.

C

℣. 27. PACEM RELINQUO VOBIS.] Ita Jeſus Chriſtus Apoſtolis ſuis valedicit [16]: illis quodvis bonorum, atque benedictionum genus optat. Hebræi enim pacis nomine omnia intelligunt bona, atque vulgo ita ſalutem & dicere, & reddere ſolent, ſeu recens acceſſerint, ſeu diſceſſuri ſint: *pax tecum*. Jeſus Chriſtus Apoſtolis ſuis ait, ſe non optare illis pacem eo modo, quo Mundus optare conſuevit. Mundus non ſemper ex animo, & ſincere illam cupit; atque tunc etiam cum ſincere hoc agit, non poteſt ille pacem eamdem, quam optat procurare, neque prohibere quominus

D

illa turbetur. At Salvator eam dat, procurat, ſervat, confirmat, illius auctor eſt, cauſa, inſtitutor.

℣. 28. VADO, ET VENIO AD VOS.] Vado ad Patrem per mortem meam, & ad vos redeo per Reſurrectionem meam, ideoque ne vos angat diſceſſus meus. *Si diligeretis me*, uti opus eſt, atque ſolide ac tenere, *gauderetis utique, quia vado ad Patrem* [17]. Amicus dolere non debet ob amici ſui felicitatem, & gloriam; licet hæc felicitas, & gloria illum ſibi ad tempus ſint ablaturæ. Vera amicitia propriæ voluptati amici utilitatem cenſet præferendam.

QUIA PATER MAJOR ME EST.] Ariani olim Epinicion concinebant ob hanc Jeſu Chriſti confeſſionem, qua Patrem ſuum ſe majorem appellat. Jeſus Chriſtus igitur, arguebant, non eſt Deus: nam Deus nullum ſe

E

majorem habet, & fieri non poteſt, ut plures ſint Dii. Sed ubi duplicem in Jeſu Chriſti perſona naturam diſtinxeris, difficultas omnis evaneſcit, Jeſus Chriſtus ſecundum humanitatem minor eſt Patre, ſed Patri æqualis ſecundum Divinitatem [18]. Reſpondent alii [19],

Jeſum

---

1 Cyrill. Rupert. 2 Auguſt. Beda, Leont. Maldon.
3 Grot. Brug. 4 Chryſoſtom. Theod. Mopſ. Theophyl. Euthym. Brug. Vat. Menoch.
5 Grot. Brug. Tirin. alii. 6 Chryſoſtom. Theophylact. Euthym.
7 Chryſoſtom. Theodor. Mopſ. Cyrill. Theophylact. Euthym. Grot. Brug. alii.
8 Theodor. Heracl. Leont. Grot. Brug. Menoch. Gerh. alii.
9 Auguſt. Cyrill. Beda, Theodor. uterque, Chryſoſtom. Leont. Theoph. Euthym.
10 Theod. Mopſ. Mald. Brug. alii. 11 Confer Joan. 7. 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me*. 12 Brug. Menoc. Tir. Grot. 13 Theoph. Euth. Mald. Brug. Tir.
14 Cyrill. Alex. hic. 15 Joan. 2. 22. & 12. 16. 20. 9. Matt. 26. 54. Marc. 14. 48. Luc. 24. 27.
16 Mald. Grot. Brug. Menoch. alii. 17 Græcus impreſſus habet: Ἐχάρητε ἂν ὅτι εἶπον πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα. At hæc verba: *ego dixi vobis*, non leguntur in Vulgata, neque in Syro, Arab. Æthiop. Perſ. Copht. Goth. Orig. S. Chryſ. Nonn. pluribuſque Mſſ. 18 Baſil. Aug. Eucherius, alii.
19 Chryſoſtom. Leont. Theophylact. Euthym.

Jeſum Chriſtum Patri inferiorem eſſe juxta fallacem Mundi, immo & Apoſtolorum ipſorum ſententiam, qui opinabantur, hunc eſſe tantummodo inſignem prophetam, Virum, virtute, meritiſque præſtantem. Denique Arianis dicere poſſumus, Patris qualitatem juxta noſtram intelligendi rationem aliquid amplius, ac majus habere, quam Filii, quo in ſenſu Pater Jeſu Chriſto major eſt, non autem realiter [1]. Hæc denominatio, licet realiſſima, nihil tamen efficit naturæ rei: etenim Jeſus Chriſtus paſſim declaravit, ſe Patri eſſe æqualem, ſe eſſe in Patre, ſe unum eſſe cum Patre.

A Lætandum igitur erat Apoſtolis, quod Filius ad Patrem reverteretur ea de cauſa, quod Pater *major eſt Filio*, quatenus homine, & quod hic reditus Filii ad Patrem eſt initium gloriæ, & magnitudinis filii, uti dictum eſt, quatenus hominis. Hunc ſeorſum integer, ſolidusque amor Apoſtolis immittere debebat, ſi vere Magiſtrum ſuum dilexiſſent.

℣. 29. ET NUNC DICO VOBIS, PRIUSQUAM FIAT.] Jampridem vos monui de meo ad Deum Patrem meum reditu, ut hæc ſeparatio, & iſte diſceſſus minori vos afficiant dolore, *ut cum factum fuerit, credatis*. Vereor enim, ne paſſio, ac mors mea vobis ſcandalum inferant; ideoque hac de re vos monitos volui.

℣. 30. VENIT ENIM PRINCEPS MUNDI HUJUS; ET IN ME NON HABET QUIDQUAM.] Hoc eſt; ſed *in me non habet quidquam*; vel, *licet in me non habeat quidquam* [2]. Princeps Mundi eſt Dæmon [3]. Hic nihil habet in Jeſu Chriſto; quoniam Salvator nulla umquam, vel minima peccati labe pollutus fuit [4]. Sed quemadmodum dignatus eſt Jeſus Chriſtus iniquitatum noſtrarum pondus ſubire, utque pro nobis Patri ſuo [5] ſatisfacere, ſponte ſe ſe tradidit principi tenebrarum [6], Dæmoniſque miniſtris; ℣. 31. *ut cognoſcat Mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*, dixit ab initio: Pater, fiat voluntas tua. Lex tua ſcripta eſt in corde meo, Pſal. 39. 8.

Plurima Græca Exemplaria, & Latini [7] quidem Patres legunt; *& in me non inveniet quidquam*, nullam habebit poteſtatem, in me, in animam meam; neque enim inficiari poſſumus, Dæmonem aliquam in

B Jeſu Chriſti corpus exercuiſſe poteſtatem, ſed eam tantum habuit, quam Jeſus ipſe illi permittere voluit. Hic ipſe horam conſtituit, atque modum, & diuturnitatem poteſtatis ejuſdem. Non paſſus eſt, niſi quod voluit, & quantum voluit, ut Patris ſui voluntati, & juſtitiæ faceret ſatis ℣. 31.

℣. 31. SURGITE, EAMUS HINC.] Ita Jeſus Chriſtus e menſa aſſurgit, ubi ſermonem hunc abſolvit: mox actis Deo gratiis, atque communi hymno recitato [8], omnes de domo, & de urbe exierunt, atque in Hortum Olivarum profecti ſunt.

1 Athanaſ. Hilar. Epiphan. Nazianz. Cyrill. alii apud Maldon. hic.
2 Vide Mald. Brug. alios.
3 Joan. 12. 31. 16. 11. Epheſ. 6. 12.
4 1. Petr. 2. 22. Joann. 8. 46. Vide Auguſt. Chryſoſtom. Beda, Theophylact.
5 2. Corinth. 5. 21. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*.
6 Luc. 22. 53.
7 Καὶ ἐν ἐμοὶ οὐχ εὑρήσει οὐδέν. Ita Syr. Goth. Armen. Nyſſen. Athanaſ. Baſil. alii. Ambroſ. lib. de fuga ſæculi, cap. 4. & Gregor. Magn. homil. 39. in Evang.
8 Matth. 26. 30. Marc. 14. 26.

CAPUT XV.

JESUS CHRISTUS eſt vitis, & Diſcipuli palmites. Ipſe Apoſtolos ſuos elegit, ut bonos fructus proferrent: Eos contra mundi perſecutiones communit: Judæi in peccatis ſuis inexcuſabiles.

1. EGo ſum vitis vera: & Pater meus agricola eſt. 2 Omnem palmitem in
me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, pur-
gabit eum, ut fructum plus afferat. 3 Jam vos mundi eſtis propter ſer-
monem, quem locutus ſum vobis. 4 Manete in me: & ego in vobis. Sicut pal-
mes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, ni-
ſi in me manſeritis. 5 Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego
in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere. 6 Si quis
in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, &
in ignem mittent, & ardet. 7 Si manſeritis in me, & verba mea in vobis man-
ſerint: quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. 8 In hoc clarificatus eſt
Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli. 9 Sicut
dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. 10 Si præcepta
mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta
ſervavi, & maneo in ejus dilectione. 11 Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium
meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur. 12 Hoc eſt præceptum meum,
ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. 13 Majorem hac dilectionem nemo habet,
ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. 14 Vos amici mei eſtis, ſi feceri-
tis, quæ ego præcipio vobis. 15 Jam non dicam vos ſervos: quia ſervus ne-
ſcit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque
audivi a Patre meo, nota feci vobis. 16 Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi
vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis: & fructus veſter maneat, ut
quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. 17 Hæc mando vo-
bis, ut

bis, ut diligatis invicem. 18 Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vo-
bis odio habuit. 19 Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, dilige-
ret: quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea o-
dit vos mundus. 20 Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt
ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermo-
nem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt. 21 Sed hæc omnia facient vobis
propter nomen meum; quia neſciunt eum, qui miſit me. 22 Si non veniſſem,
& locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non ha-
bent de peccato ſuo. 23 Qui me odit, & Patrem meum odit. 24 Si opera non
feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & vi-
derunt, & oderunt & me, & Patrem meum. 25 Sed ut adimpleatur ſermo, qui
in lege eorum ſcriptus eſt; Quia odio habuerunt me gratis. 26 Cum autem
venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, ſpiritum veritatis, qui a Pa-
tre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me: 27 Et vos teſtimonium perhi-
bebitis, quia ab initio mecum eſtis.

℣. 1. EGO SUM VITIS VERA, ET PATER MEUS AGRICOLA EST.] Jeſus hoc ait in via, cum de domo, ubi cœnaverat, in hortum Olivarum ſe conferret. Media jam fere nox agebatur, & Luna ferme orbem ſuum expleverat; quandoquidem dies erat Lunæ decima quarta. Pater meus belle comparari poteſt cum Agricola; ego vero cum vite, & vos cum vitis hujus palmitibus. *Vitis vera*, vitis ingenua [1], vitis optima. Sæpius Eccleſia viti [2] confertur, cujus fideles palmites ſunt, & JESUS CHRISTUS truncus.

℣. 2. OMNEM PALMITEM IN ME NON FERENTEM FRUCTUM, TOLLET EUM.] Qui, velut Judas, fructum non afferunt, vel fructus malos offerunt, exſcindentur. Judæi increduli, illi ex diſcipulis meis, qui me derelinquent, & quibus mea Paſſio, & Crux ſcandalo erunt, ex hoc numero & ipſi ſunt. Generatim mali Chriſtiani, qui viti per fidem adhærent, ſed quibus deſunt bona opera, qui ſecundum Jeſu Chriſti mentem non vivunt, neque charitate illius animantur, exſcindentur, atque in æternum ignem [3] projicientur, inutiles ſunt palmites, folia tantum pro optato fructu ferentes.

ET OMNEM, QUI FERT FRUCTUM, PURGABIT EUM.] Emundabit, quidquid erit inutile, ut majores fructus ferat, more agricolarum, qui omnes ſuperfluos ſecant palmites, ut, qui fructus ferunt, melius nutriantur, atque copioſiorem ſuccum recipiant. At quomodonam Pater ſpiritualem vitem emundat? ærumnis videlicet, afflictionibus, tentationibus [4]. Illis aufert, quidquid ſpiritualem fidelium progreſſum remorari poſſet: illos inſtruit, illuminat, gratiis cumulat. Vide Ezech. 15. ℣. ℣. 1. 2. 3. & ſeq. aliquid huic ſimile; ubi Dominus comparat populum ſuum viti inutili, atque in ignem dumtaxat projiciendæ.

℣. 3. JAM VOS MUNDI ESTIS.] Vos autem neque inutiles eſtis palmites, neque ex illis, qui ſunt emundandi. Ex quo vos elegi, nuſquam defui, quominus auferrem, quidquid in vobis eſſe poterat ſupervacaneum, & impurum. Unus ille ex vobis, qui abſcindendus erat, proditor Judas, filius perditionis, jam a vobis receſſit; neque amplius in veſtrum numerum recenſetur.

℣. 4. MANETE IN ME, ET EGO IN VOBIS.] Mihi tamquam trunco adhæreſcite, & ego vobis adhæreſcam, tamquam truncus palmiti. In vos per gratiam, atque A doctrinam meam influam; vos autem ex me quælibet ad ſanctificationem veſtram neceſſaria ſubſidia recipietis. Habete fidem, & charitatem. Per hanc vos in me permanebitis, in vobis ego [5].

SICUT PALMES NON POTEST FERRE FRUCTUM A SEMETIPSO.] Si a trunco reciſus fuerit; ſic *nec vos, niſi in me manſeritis*. Ego quidem ſine vobis eſſe poſſum; at vos ſine me eſſe non poteſtis. *Præciſo palmite poteſt de viva radice alius pullulare; qui autem præciſus eſt, ſine radice non poteſt vivere*, ait S. Auguſtinus [6]; ita ſi truncus palmiti adhæreat, & palmes trunco: omnis palmiti cedit utilitas; *utrumque prodeſt, non ipſi, ſed illis*.

℣. 5. SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE [7].] Non ait; ſine me nihil, niſi difficulter, facere poteſtis: ſed B abſolute ſine me nihil [8]; nullum opus efficere poteſtis, quod æternitatem mereatur, ſine actuali, atque perenni gratiæ meæ ope, quæ vos prævertat, atque vobiſcum in omnibus bonis operibus cooperetur: *ſive ergo parum, ſive multum, ſine illius gratia præveniente, adjuvante, cooperante fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt*, ait S. Auguſtinus. Ita *in omnibus actibus, cauſiſque, cogitationibus, motibus adjutor, & protector orandus ſit Deus*, inquit Cæleſtinus Papa I. [9], *nullumque tempus interveniat, quo ejus non egeamus auxilio*. Verum avertat Deus, nos ita omnia gratiæ conferre, ut aliquid humanæ libertati auferamus. Patet, hominem ſine gratia nihil facere poſſe: verum patet etiam, hominem nullum agere bonum, quod gratiæ ſuæ illecebris non fecerit Deus, ut ille faciat. *Multa Deus facit in* C *homine bona, quæ non facit homo; nulla vero facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo*, ait S. Auguſtinus.

℣. 6. SI QUIS IN ME NON MANSERIT, MITTETUR FORAS [10].] Deſtituetur gratia mea, atque promiſſionibus, & fœderis mei privilegiis privabitur: abſcindetur ex corpore Eccleſiæ per excommunicationem, per Schiſma, vel per Hæreſim: & tandem in ignem Inferni projicietur. Neque ideo dixerit, eos omnes, qui Jeſu Chriſto per gratiam, & per charitatem minime adhærent, ab eodem in perpetuum per fidem eſſe ſejunctos, & ſemper per Schiſma, vel Hæreſim ab eodem eſſe ſeparandos. Plures ſunt ſeparationis gradus, atque abſciſſionis: ſed omnis abſciſſio in igne Inferni finem invenit: niſi quis per pœnitentiam iterum particeps fiat vitæ gratiæ, cujus jacturam fecerat, per mor- D tale peccatum a Jeſu Chriſto recedens. Confer Matth. c. 13. ℣. 41. 42.

In

1 Auguſt, Beda, Rupert. Grot. alii. 2 Pſalm. 79. 9. Iſai. 5. 1. & Deut. 32. &c.
3 Euthym. Leont. Maldonat. Grot. 4 Chryſoſtom. Cyrill. Theophylact. Euthym. Pacian. Epiſt. 3. contra Novatian. Gregor. Magn. Regiſt. lib. 7. cap. 32. Grot. alii.
5 Cyrill. Leont. Maldonat. 6 Auguſt. in Joan. hic, et Concil. Arauſic. 1. Can. 24. Vide et Chryſoſt. homil. 75. 7 Χωρὶς ἐμοῦ. *Extra me, ſeparatim a me, ſine me.*
8 Concil. African. An. 418. Can. 6. *De fructibus mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius poteſtis facere; ſed: Sine me, nihil poteſtis facere.* 9 Celeſt. I. Epiſt. ad Galliarum Epiſcopos.
10 Græc. Ἐβλήθη ἔξω .... καὶ ἐξηράνθη. Præteritum pro futuro poſitum eſt.

℣. 8. IN HOC CLARIFICATUS EST PATER MEUS [1].] A
Agricolæ gloria eſt, conſpicere vitem lætam, fructibuſque prægravem: Dei vero Patris mei gloria eſt, vos intueri, fide, charitate, boniſque operibus repletos, utque eum utilitate alienæ converſioni vacantes. Ita enim homines bona opera veſtra, & fructus prædicationum veſtrarum in populis perpendentes, Patri cœleſti tamquam omnium bonorum auctori deferent gloriam [2].

℣. 9. SICUT DILEXIT ME PATER, ET EGO DILEXI VOS.] Operamini bonum per fidem charitate ſuccenſam. Opera veſtra bona, & charitas veſtra ſimul probant, & amorem, quo Deus vos proſequitur, & quo vos illum, & me proſequimini. Me non amaretis, niſi ille prius amaſſet vos [3]. Aliter: ego ſemper ſummopere dilexi vos, quemadmodum dilectus fui a Patre meo. Pergite, amate me, & conſtantes eſtote in a- B
more, quo ſemper me eſtis proſecuti [4]. Hi duo ſenſus a Patribus, eruditiſque Interpretibus probantur.

℣. 10. SI PRÆCEPTA NON SERVAVERITIS.] Hoc ſignum eſt, ex quo cognoſcam, utrum me diligatis, ſi videlicet mea præcepta ſervaveritis. Quemadmodum hoc pacto oſtendi Patri meo, illum vere a me amari, ita & vos me a vobis amari oſtendetis [5]. Aliter; ſi voltis, ut pergam amare vos, quemadmodum hactenus feci; ita ſervate mandata mea, ut ego ſumma fide Patris mei mandata ſervavi [6].

℣. 11. UT GAUDIUM MEUM IN VOBIS SIT.] Vos hortor, ut conſtantes in amore, atque præceptis meis perſiſtatis, ut integra ſit lætitia mea [7]. Nihil vel vobis utilius, vel mihi gratius accidere poteſt; quam ut amori meo adhæreatis. Aliter: facite, ut *gaudium* C
meum in vobis ſit; ut ego ſim gaudium veſtrum, & vos ob me unum lætemini [8]: ſed prior ſenſus eſt melior.

℣. 12. HOC EST PRÆCEPTUM MEUM, UT DILIGATIS INVICEM.] Hic Pater eſt, qui filiis ſuis ultimum valedicit. Nihil habeo, quod vobis commendem, niſi hoc unum, ut inter vos pacem ſervetis, & voſmet mutuo amore complectamini, quemadmodum vos amavi. In S. hujus Evangeliſtæ, qui nobis hæc Salvatoris verba reliquit, illa alte inſederant, quandoquidem cum extrema ſenectute confectus, hinc inde ſuffultus inter eis ad Eccleſiam geſtaretur, in omnibus populi conventibus nihil aliud ajebat, niſi: Filioli diligite alterutrum; cumque diſcipuli quaſi pertæſi, hoc ſemper ſibi iterari, dixiſſent; cur Præceptor idipſum ſemper nos docet; hanc Johanne dignam protulit ſententiam [9]: D
quia præceptum Domini eſt; & ſi ſolum fiat, ſufficit.

At quorſum Salvator charitatis præceptum, ſuum præceptum appellat, perinde ac non aliis præcepta tradidiſſet? Non ita pridem cum adhuc domi menſæ accumberet, præceptum hoc novum appellavit [10]; quaſi nondum tradidiſſet illud diſcipulis ſuis: hic vero loquitur, quaſi non aliud antea illis mandatum irrogaſſet; *ibi tamquam non fuerit ante tale mandatum: hic tamquam non ſit aliud ejus mandatum* [11]. Hujus autem rei eam eſſe cauſam ait S. Gregorius Magnus hom. 27. in Evang. quod omnia mandata ad charitatem tamquam ad centrum referuntur, & quidquid Salvator præcepit, ita a Dei, & proximi amore pendet, ut arboris rami ab radice: *quidquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur; ut enim multi rami ex una radice prodeunt; ſic multæ vir-* E
tutes ex una charitate generantur. Charitas, quæ nobis in Evangelio præcipitur longe perfectior, atque præſtantior eſt, quam quæ in Lege Moyſis imperatur: ibi enim majori vi præcipitur, atque ad illam longe ſublimiores rationes, majoreſque remunerationes, quam in lege ſervitutis proponuntur [12].

℣. 13. MAJOREM HAC DILECTIONEM NEMO HABET [13], UT ANIMAM &c.] Hoc pro vobis facturus ſum, ut vos etiam viciſſim pro me vitam veſtram poſſitis impendere. Nullum majus, vel ſolidius amoris mei ſpecimen hoc vobis præbere poſſum: & ſi ex vobis peto, ut mutuo voſmet diligatis, & meipſum ametis, quemadmodum vos dilexi, nihil non æquiſſimum peto, & cujus ipſe prior exemplum non præbuerim en facto, quod inter perfectæ charitatis opera longe eſt præſtantiſſimum. Hæc erit norma veſtra. Quoſdam hiſtoria jactat amicos, qui pro amicis vitam effuderunt & ſane homo nihil in hoc genere majus præſtare poteſt: nemo enim aliquid majori habet in pretio, quam vitam ſuam.

℣. 14. VOS AMICI MEI ESTIS.] Si vitam meam effundo, vobis charitatem meam teſtaturus, poteſtis quidem in grati animi ſignum præceptis meis fideles adhærere. Multo minus ex vobis peto, quam quod tribuo. Ex veſtra fidelitate, atque præceptorum meorum obſervantia, utrum vere mei amici ſitis, æſtimabo.

℣. 15. JAM NON DICAM VOS SERVOS.] Non ultra vobiſcum, tamquam Dominus veſter [14], ſed tamquam amicus cum amicis agam. Hactenus ſæpe obſcure, & figurate vobiſcum locutus ſum [15]; & quamquam vos a turba diſtinxerim peculiaribus explicationibus, quas vobis tradidi [16]; mei tamen ſermones aliquid adhuc obſcurum in ſe continent, quod non ita facile poteſt evolvi. Poſthac alia ratione vobiſcum loquar, ſine involucro, & citra ænigma, velut amicus amico: quidquid maximum erit vobis, aperiam. Et ſane poſt Reſurrectionem Jeſus Chriſtus nullis amplius cum Apoſtolis ſuis uſus eſt ſimilitudinibus, vel parabolis; donavit illis Spiritum intellectus, ut Sanctas Scripturas explicarent [17]; & miſit ad eos Spiritum Sanctum, qui omnem illos edocuit veritatem [18]; quique ipſis detexit ſenſum eorum omnium, quæ olim caligine quadam fuerant involuta. Verbo: licet hactenus cum illis tamquam cum amicis egerit, eiſque aperuerit, quidquid a ſuo Patre didicerat, poſt Reſurrectionem ſuam majora adhuc benevolentiæ, atque familiaritatis ſuæ illis tradidit argumenta.

Cum ait: vos autem dixi amicos: *quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*, non ſine quadam coarctatione eſt intelligendus; Apoſtoli enim non fuerant hactenus pares omnibus iis mente aſſequendis, quæ ſibi dicenda erant [19]; immo & poſt Domini Reſurrectionem comprehendere non potuerunt tanta, quanta erant ea, quæ ille ex Patre ſuo per infinitam, & incomprehenſibilem ſcientiam didicerat. Verum dixit illis, quidquid eos ſcire oportebat, quidquid cum fructu capere poterant, quidquid eorum ſaluti, & muneri conducebat [20].

℣. 16. NON VOS ME ELEGISTIS.] Hæc recens eſt amoris, & gratitudinis ratio [21]: vos elegi de mundo, quin aliquid ſimile mereremini; vos Evangelico miniſterio deſtinavi, vos Eccleſiæ meæ Principes conſtitui, ut euntes ad Evangelium in omnes terrarum plagas

prædi-

1 Græc. Καὶ γενήσεσθε ἐμοὶ μαθηταί. At plura Exemplaria legunt ſicuti Vulgata. Καὶ γένησθε, &c.
2 Vide Matth. 5. 16. *Ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in Cœlis eſt*. Vide Auguſt. hic. 3 Auguſt. Beda, Cyrill. Maldonat. Brug. Menoch.
4 Chryſoſt. Leont. Theophyl. Auguſt. Beda, Rupert. Grot. Maldon.
5 Chryſoſt. Leont. Theoph. Rupert. Grot. 6 Cyrill, Aug. Beda, alii ex Recentiorib.
7 Vide Aug. Bedam, Rupert. Brug. Menoc. Tir. Mald. 8 Cyrill. Leont.
9 Hieronym. lib. 3. c. 6. Comment. Epiſt. ad Galat. 10 Joan. 13. 34.
11 Aug. hic. 12 Vide Grot. & Tolet. 13 Plura Exemplaria Latina legunt: *Quam ut animam ſuam*, &c. quod mendoſum eſt. 14 Joan. 13. 13. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine.*
15 Infra 16. 25. *Hæc in proverbiis locutus ſum vobis.* 16 Matt. 13. 10. 2. 13. Luc. 8. 10.
17 Luc. 24. 45. 18 Joann. 14. 17. 13. 26. 16. 13.
19 Joann. 16. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modo.*
20 Theodor. Mopſ. Chryſoſtom. Theophyl. Euthym. Maldon. Grot. Menoch.
21 Chryſoſt. Theoph. Euthym. Rupert.

prædicandum, *& fructum afferatis, & fructus veſter maneat*. S. Auguſtinus, ejuſque diſcipuli [1], hoc explicant de prædeſtinatione ad gloriam, ad quam mere, & prorſus gratuito decreto Deus Apoſtolos ſuos prædeſtinaverat. Illos elegit, antequam illi ne cogitaſſent quidem, ne dicam, meriti fuiſſent. Illis ab æterno gratias præparavit, quarum ope certiſſime ad ſalutem pervenirent. Sed prior explicatio magis eſt litteralis.

℣. 18. SI MUNDUS VOS ODIT &c.] Hoc rectum eſt pro Apoſtolis conſolationis argumentum. Ne injuſtum mundi odium vos deterreat: meipſum ante vos odio habuit, & ideo me odio habuit, quod illius præcepta, & conſuetudines improbavi. Si eſſetis e mondo, & illi inſerviretis, vos diligeret mundus, at avertat Deus, vos illum diligere, atque tali Domino inſervire. Sunt, qui textum ita vertunt [2]; *ſi mundus vos odit, ſcitote, ipſum odiſſe etiam me, ut vobis præſtantiorem*.

℣. 20. MEMENTOTE SERMONIS MEI.] Quem dixi vobis ſupra cap. 13. ℣. 16. *non eſt ſervus major Domino ſuo*; & ſi mundus vos odit, ſi vos perſequitur, ſi vobis inſidias ſtruit, me quoque ab illo ſimiliter habitum fuiſſe.

SI SERMONEM MEUM SERVAVERUNT.] Vel potius, ſi me audire noluerunt, neque præcepta mea ſervare; ne expectetis, illis majorem erga vos obſervantiam futuram [3]. Græcus [4] alium ſenſum poteſt admittere: *Si exploraverunt verba mea, & veſtra quoque explorabunt*; illa obſervabunt, ad examen vocabunt, ut in pravum ſenſum detorqueant; quemadmodum me in ſermone meo capere ſtuduerunt. *Phariſæi conſilium inierunt, ut caperent Jeſum in ſermone*, Matt. 22. 15. Apta quidem hæc videtur explicatio: ſed fatendum eſt, haud ſua difficultate carere, quoniam nuſpiam in novo teſtamento verbo *terein* hoc in ſenſu invenitur, licet *paraterein*, quod inde fluit, nonnumquam in explorandi ſignificatione uſurpetur [5].

℣. 21. PROPTER NOMEN MEUM. In odium nominis, atque perſonæ meæ, quod mei eritis Diſcipuli, & Apoſtoli. Satis erit, me confiteamini, ut in vos perſecutiones deſæviant.

NESCIUNT EUM, QUI MISIT ME.] Si Patrem meum, qui Deus eſt, cognoſcerent, me non contemnerent, quia in me omnes Meſſiæ, Filii Dei, & Divinitatis, quæ eſt in me, characteres viderent.

℣. 22. SI NON VENISSEM, ET LOCUTUS EIS FUISSEM.] Inexcuſabiles non eſſent in incredulitate ſua, quemadmodum ſunt. Si Jeſu Chriſti doctrina vulgaris fuiſſet, & miracula ejus communia, atque illis ſimilia, quæ Prophetæ fuerant operati, ſe ſe excuſare potuiſſent Judæi, quod in illum non credidiſſent [6], dicentes, Meſſiam omnibus Prophetis præſtare debere, & propter doctrinæ ſublimitatem, & propter miraculorum magnitudinem, & propter virtutem omnipotentem; ſed cum tradiderit Deus certiſſima miſſionis, & Divinitatis illius argumenta, Judæi in pervicacia ſua ſunt inexcuſabiles. Illi, ad quos Jeſus Chriſtus non venit, & ad quos neque per ſeipſum, neque per Apoſtolos ſuos locutus eſt, infideles videlicet, qui prædicationem illius non cognoverunt; hi quidem in incredulitate ſua ſunt excuſabiles, non tamen in aliis peccatis ſuis [7]: *Habent excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt..... poſſunt habere excuſationem, ſed non ideo poſſunt effugere damnationem; quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*.

QUI ME ODIT, ET PATREM MEUM ODIT.] Quia ego, & Pater meus unus Deus ſumus. Non ſe excuſent igitur Judæi, quod me odio habuerunt, prætexentes zelum ſuum erga Patris mei Legem, quam a me perfractam contendunt. Si vere Patrem meum diligerent, me quoque diligerent, me vero oderunt, quod Patrem meum non amant [8].

℣. 24. SI OPERA NON FECISSEM IN EIS] Peccatum, quod habent, non haberent. Hæc eadem eſt argumentatio, quam ſuperius propoſuit ℣. 22. Quæritur, quomodo verum ſit, Salvatorem ea miracula feciſſe, quæ nemo alius fecit? liquet enim, Eliam, & Eliſæum mortuos reſuſcitaſſe, ægros curaſſe, ignem de Cœlo eliciuſſe; neque legimus, Jeſum Chriſtum inſignia adeo patraſſe umquam miracula, ac illa, quæ vel fecit Moyſes in Ægypto in tranſitu maris Rubri, in Petra Oreb, & Cades, vel quæ Joſue in Jordanis tranſitu, aut prope Jerichuntem ea die, qua prope Gabaon pugnatum eſt, & qua ſolem, lunamque in illorum curſu continuit., vel quod Ezechiæ tempore accidit, Sole emenſum iter remetiente. Nihil in Jeſu Chriſti vita videtur, ubi major virtus appareat, quam in illis miraculis, quæ e nobis ſunt recenſita.

Reſpondemus primo, Salvatoris miracula longe plura eſſe, quam quæ Sanctus aliquis Veteris Teſtamenti operatus eſt, ne Moyſe quidem excepto, præſertim vero ubi conferre velis exiguum annorum numerum, quo ille prædicavit, atque gloriam Patris ſui miraculis oſtendit, cum diuturna Moyſis ex. g. vita. Jeſus Chriſtus quatuor annos, nec integros, prædicavit, & Moyſes annos quadraginta populum rexit. 2. Ad hæc, ſi Salvatoris miracula non admodum inſignia fuerunt, omnia tamen in ægrotorum ſalute, & populorum felicitate verſata ſunt: qui characteres ſecundum prophetas [9], Jeſu Chriſti miracula debebant diſtinguere; miracula vero Veterum prophetarum ſæpius uſurpata fuerunt, ut Domini ultio adverſus impios exerceretur. 3. modus facilitatis, atque auctoritatis plenus, quo Salvator miracula ſua operabatur, ſatis ſuperque, hæc ſuperiora fuiſſe, demonſtrat. 4. illa a veteribus etiam diſtinguebantur, quod hæc ipſe operatus eſt, ut divinitatem, ac miſſionem ſuam liberator Iſrael confirmaret; illa vero prophetæ fecerant, tamquam miniſtri Domini, & voces, quæ Meſſiam prænunciabant. Quinto, potuerunt quidem veteres miracula operari, ſed ex auctoritate propria hanc eamdem poteſtatem aliis tranſmittere non potuerunt. JESUS CHRISTUS vero Apoſtolis ſuis poteſtatem contulit, ut miracula, & plura, & majora ſuis operarentur, cujus poteſtatis Judæis ſpecimen tribuit ea in miſſione, qua Diſcipulos ſuos in omnes locos, quo ipſe venturus erat, præmiſit [10]. Non loquor autem de Reſurrectionis ſuæ miraculo, quod ipſe prædixerat, & quod miraculorum omnium, quæ umquam extiterint, longe maximum eſt; quoniam nondum acciderat, neque ad Judæorum incredulitatem evincendam afferri poterat. 6. S. Auguſtinus affert miraculum multiplicationis quinque panum, quibus quinque hominum millia, & alterum ſeptem panum, quibus quatuor hominum millia ſaturavit. Adferunt etiam miraculum cæci a nativitate curati, aquæ in vinum converſæ, reſurrectionis Lazari, & quod fecit ſuper aquas ambulans, & S. Petro ſimiliter ambulandi tribuens poteſtatem. Hæc ſane ſunt miracula, quæ nemo alius fecit.

℣. 25. SED UT IMPLEATUR SERMO, QUI IN LEGE EORUM SCRIPTUS EST,] hoc eſt generatim in Scriptura [11]: nam hic locus deſumptus eſt ex Pſalmo 34. 19. & 58. 5. *odio habuerunt me gratis*. Particula *ut* non ſignificat cauſam, ſed eventum, non ſecus ac alibi paſſim. Prædictio eorum odii, incredulitatis, nequitiæ nullam ipſis imponebat neceſſitatem. Hæ nefariæ actiones omnino in illis liberæ ac voluntariæ fuerunt.

CUM

1 Aug. hic & l. de Prædeſt. SS. c. 17. & alibi Proſper. l. contra Collatorem. Beda hic, & Latini paſſim.
2 [illegible]. Vide Brug. Eraſm. Camer. Gerhard. Vide & Theodor. Mopſ.
3 Mald. Grot. Brug. Menoch. Piſc. Gerh.
4 Ferus, Gataker, Colomiez, Cnatchbull.
5 Vide Luc. 14. 1. 20. 20. [illegible] accipitur pro obſervare in quibuſdam 70. locis, veluti Geneſ. 3. 15. Eccl. 11. 4. Pſal. 55. 7. 70. 11. &c. Et in S. Marc. 3. 2. *Et ipſi obſervabant eum*. [illegible].
6 Aug. Beda hic. Bernard. Ep. 77.
7 Aug. Tract. 89. in Joan.
8 Theodor. Mopſ. Theoph. Chryſoſt.
9 Iſai. 34. 3. 35. 5. &c.
10 Vide S. Auguſt. & Bedam, Maldon. Grot. in hunc locum.
11 Joan. 9. 3. 15. 18.

℣. 26. Cum venerit Paraclitus . . . . . illE testimonium perhibebit de me.] Paraclitus, Advocatus, Patronus, Conſolator, Spiritus Sanctus, Spiritus veritatis, unum & idem ſignificant: hoc eſt tertiam SS. Trinitatis perſonam, quam Jesus Christus ad Apoſtolos ſuos miſit, ut illos erudiret, conſolaretur, confirmaret; quemadmodum ipſe etiam a Patre miſſus fuerat ad totius humani generis doctrinam, atque ſolatium. Ait autem, hunc Spiritum veritatis a Patre procedere, quæ loquendi ratio in Eccleſia uſurpata fuit ad innuendam æternam, atque ſubſtantialem Spiritus Sancti a Patre, & Filio procedentis emanationem.

At quorſum non ait: *qui a Patre, & me*; ſed ſolum *qui a Patre procedit*? Liquet enim, in Eccleſia diutius quæſtiones habitas fuiſſe de proceſſione Spiritus Sancti, utrum a Filio æque, ac Patre procederet [1]. Reſpondemus, Dei Filium, cum adhuc cum Apoſtolis ſuis verſaretur, modeſte de ſe locutum fuiſſe [2], atque, ut ſe eorum captui accommodaret, ſemet repræſentaſſe quatenus in terra, Patrem vero in Cœlis, unde Spiritus Sanctus erat deſcenſurus. Eorum ideas perturbaſſet, ſi hoc in loco illis dixiſſet, Spiritum Sanctum a ſe, & a Patre procedere: hanc vero veritatem ſatis probaverat iis omnibus, quæ dixerat, ad Divinitatem ſuam confirmandam, & aſſerens, ſe illis miſſurum Spiritum Sanctum, innuebat Spiritum Sanctum erga ſe & Patrem ſuum id eſſe habita proportione quod ipſemet Filius erga Patrem; hoc eſt, illum ab utroque ita ineffabili modo emanare, ut intelligi minime poſſit, niſi ab illis, quos idem ſpiritus ſuo lumine illuſtraſſet. Vide etiam ℣. 14. capitis ſubſequentis.

Tenent nonnulli [3], hoc in loco verbum procedere non ſignificare æternam Spiritus Sancti proceſſionem, ſed dumtaxat illius miſſionem in terras. Vertunt enim [4]: *Spiritus Sanctus, qui egreditur*, qui venit a Patre, miſſus a Filio: ſed ratio, qua Filius loquitur, temporis circumſtantia, diſcrimen illud, quod ſtatuit inter Patrem, ex quo Spiritus Sanctus procedit, & Filium mittentem, quia loquamur de uſu, & traditione Eccleſiæ, quæ ſemper locum hunc de æterna, atque ſubſtantiali Spiritus Sancti proceſſione intellexit, nos cogunt, ut iſthunc hunc ſenſum amplectamur.

Hæc autem eſt Salvatoris argumentatio. Judæorum incredulitas plurimis de cauſis inexcuſabilis eſt. Non credunt doctrinæ meæ, licet ſanctiſſima, & diviniſſima ſit; non credunt Patri meo, qui miſit me, poſt ea miracula, quæ in nomine illius operatus ſum, ad miſſionem meam confirmandam: nihil igitur reſtat adhuc ad omnem excuſationem illis auferendam, niſi ut mittam illis Spiritum Sanctum, qui *teſtimonium perhibebit de me*, eoſque injuſtitiæ, infidelitatis, & peccati redarguet [5]. Quomodo vero mihi adverſus Judæos teſtimonium perhibebit? hoc ille egregie præſtabit per vos ipſos, per os veſtrum, per miracula, quæ operabimini. Linguis loquemini, quas ignoratis; intelligetis myſteria, quæ ab hominibus edoceri minime potueritis, ea cognoſcetis, quæ humana mens per ſe intelligere non valet. ℣. 27. Ergo ipſi *teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis*: per vos cognoſcar, quis ego ſum: vos promulgabitis peculiaria miracula transfigurationis meæ, quæ vobis dumtaxat cognita ſunt: vos denique annuntiabitis promiſſiones meas, eaſque adimpleras oſtendetis per ſenſibiles effectus præſentiæ Spiritus Sancti, & in vobis, & in his omnibus, qui veſtræ prædicationi crediderint.

1 Vide Theophyl. Euthym. hic. Ita ſentiunt, & Græci recentiores.
2 Maldonat. hic. Grot. Gerhard. Brug. Vide & Auguſtin.
3 Bez. le Clerc, alii quidam.
4 Παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται.
5 Joan. 16. 8. 9. 10.

CAPUT XVI.

Apoſtoli excommunicabuntur, atque perſecutionibus vexabuntur. Illos JESUS CHRISTUS confirmat, eiſque poſt diſceſſum ſuum Spiritum Sanctum pollicetur: Spiritus Sanctus Mundum redarguit de peccato, juſtitia, & judicio. Docebit Apoſtolos omnem veritatem. Pater Apoſtolis concedet quodcumque in Filii nomine petierint.

1. HÆc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. 2 Abſque ſynagogis facient vos: ſed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. 3 Et hæc facient vobis, quia non noverunt
Patrem, neque me. 4 Sed hæc locutus ſum vobis: ut, cum venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis. 5 Hæc autem vobis ab initio non dixi,
quia vobiſcum eram. Et nunc vado ad eum, qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? 6 Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit
cor veſtrum. 7 Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam:
ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum
ad vos. 8 Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de
judicio. 9 De peccato quidem, quia non crediderunt in me: 10 De juſtitia vero, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me. 11 De judicio autem, quia
princeps hujus mundi jam judicatus eſt. 12 Adhuc multa habeo vobis dicere:
ſed non poteſtis portare modo. 13 Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a ſemetipſo: ſed quæcumque audiet,

diet, loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis. 14 Ille me clarificabit :
quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. 15 Omnia, quæcumque habet Pa-
ter, mea ſunt. Propterea dixi : quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. 16
Modicum, & jam non videbitis me ; & iterum modicum, & videbitis me : quia
vado ad Patrem. 17 Dixerunt ergo ex diſcipulis ejus ad invicem : Quid eſt hoc,
quod dicit nobis : Modicum, & non videbitis me : & iterum modicum, & vide-
bitis me, & quia vado ad Patrem ? 18 Dicebant ergo : Quid eſt hoc, quod di-
cit, Modicum ? neſcimus, quid loquitur. 19 Cognovit autem Jeſus, quia vole-
bant eum interrogare, & dixit eis : De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modi-
cum, & non videbitis me ; & iterum modicum, & videbitis me. 20 Amen, a-
men dico vobis ; quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos
autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. 21 Mulier, cum
parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus : cum autem pepererit puerum, jam
non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. 22 Et
vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit
cor veſtrum ; & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis. 23 Et in illo die me non
rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine
meo, dabit vobis. 24 Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo : Peti-
te, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum. 25 Hæc in proverbiis locutus
ſum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palam de
Patre annuntiabo vobis. 26 In illo die in nomine meo petetis : & non dico vo-
bis, quia ego rogabo Patrem de vobis : 27 Ipſe enim Pater amat vos, quia vos
me amaſtis, & credidiſtis, quia ego a Deo exivi. 28 Exivi a Patre, & veni in
mundum : iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. 29 Dicunt ei diſcipuli
ejus : Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. 30 Nunc ſcimus,
quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi, ut quis te interroget : in hoc credimus,
quia a Deo exiſti. 31 Reſpondit eis Jeſus : Modo creditis ? 32 Ecce venit ho-
ra, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis:
& non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt. 33 Hæc locutus ſum vobis, ut
in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vi-
ci mundum.

℣. 1. HÆC LOCUTUS SUM VOBIS, UT NON SCANDALIZEMINI.] Hæc omnia vobis ventura prædixi [1], ut cum aliquid vobis acciderit, non ſcandalizemini ; hoc eſt non decidatis, velut qui in lapidem, vel lignum in via obvium illidit. Mature ſic vos præmoneo, ut parati ſitis, quæcumque acciderint vobis [2]. Aliter : vobis pollicitus ſum Spiritum Sanctum Conſolatorem, ac defenſorem [3], ut cum mundus vos perſequetur, vobis non deſit ſolatium, quo adverſus externam vim confirmemini.

℣. 2. ABSQUE SYNAGOGIS FACIENT VOS.] Ejicient vos de Synagogis, & cœtibus ſuis ; vos excommunicabunt [4]. JESUS CHRISTUS non oſtendit Apoſtolis ſuis hoc tamquam grave malum ; eos quippe Luc. 6. 22. beatos futuros diceret, ubi inimici illos in nomine ipſius perſecuti fuerint, & de Synagogis ejecerint. Hoc innuit ſolum infeſtiſſimum Judæorum in illos odium, non ſecus ac id, quod ſequitur ; *ſed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur, obſequium ſe præſtare Deo* ; vel cum Græco textu [5] : putet, ſe Deo ſacrificium offerre, atque ſupremo cultu illum venerari.

℣. 3. HÆC FACIENT VOBIS, QUIA NON NOVERUNT PATREM.] Non cognoſcunt, quinam ego ſim, Filius videlicet Dei, Meſſias ; neque cognoſcunt Patrem meum, quatenus miſit me, neque illius erga me voluntatem aſſequuntur. Eam tamen cognoſcere debebant poſt ea, quæ dixi, atque feci apud illos. Per ipſos ſtetit ut me Deum cognoſcerent, & cognoſcerent Patrem meum tamquam illum, a quo miſſus fui.

℣. 4. SED HÆC LOCUTUS SUM VOBIS.] Vobis prædixi, quæ ab Judæis vobis eſſent eventura, ut ubi acciderint, recordemini, neque vobis metus ingruat. Prænovi quidquid mali vobis eſſet eventurum, mihique curæ erit, validam vobis opem immittere, ut in laboribus veſtris ſolatio ſim. Conſolator Spiritus ſuper vos deſcendet, ubi ad Patrem meum rediero. ℣. 7.

℣. 5. HÆC AB INITIO NON DIXI.] Non feſtinavi, ut vobis futuras perſecutiones, quibus exagitandi eſtis, vobis annuntiarem ; licet neque prorſus illas vos ipſos celaverim [6], ſed numquam antea perſpicue adeo locutus ſum, ac hodie ; namque cum una vobiſcum verſarer, vos confirmare poteram contra præſentes ærumnas, vel vos ex illis mea poteſtate eripere, vel etiam illas prævertere, atque etiam avertere, cum ingruerent [7]. Quoad mala futura, quibus poſt mortem meam leceſſuri eritis, decreveram maturato vos admonere [8], non ut illa evitaretis, ſed ut vosmet illis pareretis. Et ne ad hoc nuncium animos deſpondeatis, vobis polliceor Spiritum fortitudinis, & conſolationis, qui omnia mala, quibuſcumque obnoxii eritis, vobis efficiet ſuavia [9].

NEMO EX VOBIS INTERROGAT ME.] Mœroſe coo-

1 Vide ſupra cap. 13. 17. 18. 19. 20. 21. 23. 24. & 15. 33. 36. 14. 1. 2.
2 Theodor. Mopſ. & Heracl. Cyrill. Leont. Theophylact. Grot. Brug.
3 Aug. Beda, Euthym.
4 Vide 9. 22. 12. 42. Mald. Vat. Grot. Gerhard. Ligf.
5 Δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ.
6 Matth. 10. 17. 16. 19. 24. 9. Luc. 12. 11. Vide Grot. Brug. hic.
7 Joann. 17. 12. *Cum eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo.*
8 Chryſoſt. Theodor. utrque Heracl. & Mopſ. Cyrill. Leont. Theoph. Euthym.
9 Aug. Beda, Rupert.

conſtricti eſtis, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Iter meum æternam abſentiam ducitis, & me relinquitis, tamquam non ultra me reviſuri, cum iter meum ad modicum tempus ſit, mihi quidem felix, atque præclarum, vobis autem utiliſſimum. Hoc ſi vobis perſuaſum eſſet, ex me peteretis, quandiu abfuturus ſim, quid in hoc itinere facturus, quam viam ſecuturus, quemadmodum amicus ex amico diſcedente quærere conſuevit [1]. Sed mœror, animuſque veſter præ dolore, & ægra contabeſcunt.

Cum incœpi vobis verba facere de itinere a me ſuſcipiendo, aliquam teſtati eſtis ſollicitudinem, ut ſciretis, quo me conferrem [2]. Sed cum non ſatis perſpicue reſponderim, nec omnino menti veſtræ ſatis fecerim, ſed oſtenderim vobis, hoc iter non aliud eſſe, quam mortem meam; triſtitia vos ipſos corripuit, neque ultra ex me de meo diſceſſu percontamini [3].

℣. 7. EXPEDIT VOBIS, UT EGO VADAM.] Reſpondere potuiſſent: nobiſcum permane, neque alium conſolatorem optamus. Sed alibi [4] illis abſolutam mortis ſuæ pro humana ſalute neceſſitatem oſtendit. Eam hoc in loco non repetit, & ſatis eſſe putat aſſerere, niſi ipſe abierit, Spiritum Sanctum ad eos non venturum. At ſine Spiritu Sancto omnia miniſterii veſtri officia obire minime poteritis, neque veritates, quas obſcura vos adhuc, cognoſcere, neque inimicis veſtris adverſari, neque perſecutiones, quæ in vos inſurgent, ſuperare. Abeam ergo oportet; hæc eſt voluntas, atque decretum Patris mei, qui ita omnia conſtituit; meum adventum, prædicationem, mortem, reſurrectionem, reditum ad Patrem, & Spiritus Sancti deſcenſum. Hic ordo eſt cum infinita ſapientia conjunctus, quem turbari nefas eſt [5]. Oportet, ut mors, & ſanguis meus vos ſanctificent, atque ad divinum hunc Spiritum recipiendum diſponant [6].

℣. 8. CUM VENERIT ILLE, ARGUET MUNDUM DE PECCATO, & DE JUSTITIA, & DE JUDICIO.] Spiritus Sanctus eſt tanquam orator, qui Jesu CHRISTI cauſam perorabit, atque diſcipulos ejus tuebitur. Mundus, & Dæmon duo ſunt Salvatoris noſtri adverſarii. *Paracletus* accuſat, & redarguit mundum, vel Judæos; nam de illis præcipue ſub mundi nomine hic ſermo eſt [7]: redarguit autem illos de peccato, & injuſtitia; & efficit, ut mundi Princeps, & dæmon damnetur, immo & in judicio damnetur, utpote qui Omnipotentis jura uſurpaverit, atque ut illius injuſtus dominatus ruat, atque evertatur: *princeps Mundi hujus ejicietur foras*. Denique paſſim idololatriam, & Crucis virtute, & Apoſtolorum prædicatione proſternit.

Accuſabit & redarguet Mundum, *de peccato, quia non crediderunt in JESUM CHRISTUM* [8]; hæc accuſatio in Judæos incredulos ſolum decidere poteſt [9]: eorum ſcelus hoc eſt, quod non crediderint in JESUM CHRISTUM poſt ea omnia miracula, quæ coram illis operatus eſt, poſt tot vaticinia, quæ in perſona illius adimpleta ſunt, poſt tot prodigia, quæ in illius morte, Reſurrectione, & poſt Reſurrectionem acciderunt. Redarguuntur vero præcipue per ſenſibiles affectus præſentiæ Spiritus Sancti in Apoſtolis, per donum, & miraculorum, & linguarum, & ſcientiæ prorſus ſupernaturalis, quam non Apoſtolis ſolum, verum etiam primis fidelibus communicavit. His adminiculis Paraclitus Spiritus Conſolator, atque Patronus utetur, at urgeat *Mundum de peccato*, hoc eſt de incredulitate, quæ cæterorum peccatorum centrum eſt, & origo.

Spiritus Sanctus accuſabit etiam mundum *de juſtitia, quia*, ait JESUS CHRISTUS, *vado ad Patrem, & jam non videbitis me*. Mundus Salvatori calumnias ingeſſit, illum tamquam improbum, Sycophantam, Magum, Dæmoniacum, Legis everſorem, damnavit. Dixit Dei Filius, ſe nolle ſuam cauſam agere, neque veniſſe, ut mundum judicaret [10]. Ad Cœlum igitur aſcendit, & juſtificationem atque injuriarum ſuarum ultionem reliquit Spiritui Sancto, qui patronus illius eſſe debet ejuſque cauſam ſuſcepturus eſt. Hic eum quidem coram mortalibus omnibus probabit [11], atque oſtendet, ipſum eſſe juſtitiam, veritatem, eſſentialem ſanctitatem, auctorem omnis juſtitiæ [12]. At quomodo hoc oſtendet? Apoſtolorum prædicatione, & prodigiis, quæ illam ſemper ſubſequentur. Sola expoſitio doctrinæ, vitæ, miraculorum Salvatoris, complementum veterum Prophetiarum in perſona illius, Apoſtolorum miracula apud Ethnicos tantum pondera habebant, at Judæos in invidiam apud illos adducerent, eo quod ejeciſſent Prophetam palam a Deo miſſum, & liberatorem, in quo omnes Divinitatis characteres effulgebant.

Dici quoque poteſt Spiritus Sanctus redarguiſſe mundum *de juſtitia*, quod Judæis, Ethnicisque ſimul oſtendit, extra JESUM CHRISTUM nullam eſſe juſtitiam. Judæi quidem hanc ſe invenire credebant in cæremonialium legum exercitatione: Ethnici vero illam conſtituebant in Ethicæ philoſophiæ præceptis, juxta quæ non ſecus, & rationis lumen vitam ſuam conformare adnitebantur. Sed oſtendit Spiritus Sanctus, omnes Ethnicæ Philoſophiæ conatus, omneſque Judæorum cæremonias ad perfectionem minime prodeſſe [13]. Apoſtoli Divino Spiritu illuſtrati, atque animati has veritates apertiſſime oſtenderunt, atque mortales omnes docuerunt, unum JESUM CHRISTUM veram eſſe juſtitiam, ipſum unum efficere poſſe nos Deo gratos, & fidem in ipſo omnis juſtitiæ originem eſſe [14].

Denique Spiritus Sanctus mundum *de judicio* redarguet, illum damnabit tamquam graviſſimorum ſcelerum maximo coinquinatum, quod eſt idololatria. Illos redarguet, quod humillimis atque maxime indignis rebus creaturis divinos honores detulerit. At quomodo illos redarguet? Dæmonis imperium diruens, atque Evangelii prædicatione Idolorum cultum evertens, quemadmodum jam dictum eſt.

Ut autem Salvatoris argumentationem teneamus, hoc cum ſuperioribus connectendum eſt. Maturato vos præmoneo de malis omnibus, quæ paſſuri eſtis, & perſecutionibus, quæ in vos excitabuntur, ut vos mature illis præparetis, atque hæc non incautos vos opprimant. Non autem citius admonui vos; nam vobiſcum eram, vos in laboribus veſtris protegebam, & conſolabar: ſed cum jam jam a vobis receſſurus ſim, vos certiores facere volo, atque polliceri pro me vobis daturum eſſe Spiritum Sanctum, Patronum, & Conſolatorem, qui vos in afflictionibus confirmet, & contra inimicos, atque perſecutores veſtros defendat. Ac ne credatis, illum in id unum venturum, ut vos ipſos tueatur; veniet etiam, ut cauſam meam probet, mundum, ac Judæos præſertim de incredulitate, injuſtitia, & idolorum cultu redarguat; de incredulitate quidem, quod licet tot miracula illis affulgerent,

1 Brug. Menoch. Tir. alii. 2 Joan. 13. 36. *Domine, quo vadis?* 14. 5. *Domine, neſcimus quo vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire?* 3 Vide Theodor. Heracl. & Mopſ. Leont. Theophyl.
4 Matth. 20. 16. 18. 22. 17. 21. Marc. 9. 30. 10. 33. Luc. 9. 44. 18. 32.
5 Euthym. Mald. Eſt. Brug. Grot. alii. 6 Vide Theodor. Mopſ. Leont. Theoph.
7 Vide Joan. 7. 7. 15. 18. 19. 18. 2. Vide Cyrill. Aug. Mald. Piſc. Tir. alios.
8 Græcus: *quia non credunt in me*. Ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ. At plura exemplaria legunt, ſicuti Vulgata.
9 Auguſtin. Beda, Chryſoſt. Theophyl. Euthym. alii plerique.
10 Joan. 3. 17. 8. 15. 50. 12. 47. 11 Vide cap. 15. 26.
12 Chryſoſt. Leont. Theophyl. Euthym. Brug. Menoch. Ligfoot. Hamm. alii.
13 Hebr. 7. 19 *Nihil ad perfectum adduxit Lex*. 14 Rom. 3. 22. *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum*. Vide Aug. Bedam, Rupert. Cyrill. Theodor. utrumque Heracl. & Mopſ. &c.

in me credere noluerunt : de injuſtitia vero, vel contempta juſtitia, quod me repulerunt, & calumniati ſunt, & quod tempus meæ juſtificationis acceſſit : denique de judicio, quod Dæmon Princeps hujus mundi jam damnatus eſt, Regnumque illius jam jam eſt evertendum.

Critici quidam [1] obſervant, apud Judæos tria fuiſſe Judiciorum genera, quibus Salvator hoc in loco videtur alludere. Primum erat *de peccato* [2], cum reus aliquid contra Deum commiſerat, putà in caſu Pſeudoprophetiæ, ſeductionis populorum, atque cæteris id genus ad religionem ſpectantibus, cum gravia eſſent, & pernicioſa. Alterum erat de *juſtitia* [3], cum amice ſuſcipiebatur cauſa hominis boni injuſte accuſati, quin contentioſæ juſtitiæ ritus ſervarentur. Tertium erat *de judicio* [4] ex. gr. in peculiaribus cauſis, furti, talionis, & id genus aliis. At fateor quidem, me non ſatis videre, quam rationem iſthæc tria judiciorum genera, quorum fundamentum nullibi in Scripturis, & Hebræorum politia deprehendere mihi contigit, habere poſſint cum iis, quæ hoc in loco Salvator inquit. Nonne ita ſimpliciter intelligi poſſet : Spiritus Sanctus mundum redarguet *de peccato* patrato, *de injuſtitia* contempta, *de judicio* neglecto? vel : redarguet mundum de peccato, eo quod Jesu Christi juſtitiam, atque judicium contempſerit.

℣. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere.] Nonne ſuperius c. 15. 15. illis dixerat, ſe ipſis detexiſſe ea omnia, quæ a Patre ſuo didicerat? Verum quidem eſt ; ſed horum verborum ſenſus coarctandus eſt atque juxta verba hujus verſiculi explicandus. Dixit Apoſtolis ſuis, ea omnia, quæ didicerat a Patre ſuo, & quæ illos ſcire, intererat, & quæ illi intelligere poterant : ſed plurima adhuc erant, quæ nondum fuerant [5] aſſecuti. Domini reſurrectio erat expectanda, quæ Prophetiarum ſigillum auferret, atque magnum evolveret myſterium, quod Judæi numquam intelligere potuerant, videlicet divinitatis, atque humanitatis conjunctionem in Jesu Christi perſona ; temporale, æternumque Regnum illius ; ſtatum humilitatis, & gloriæ ; poteſtatis, atque infirmitatis ; victimæ pro peccatis Mundi, & hominis ſine peccato. Per illius Reſurrectionem atque aſcenſionem omnes evaneſcunt difficultates, quæ in Scripturis remorari videbantur.

Expectandus erat Spiritus Sancti adventus, qui hanc omnem caliginem diſſiparet, & ea, quæ in ſpeciem erant oppoſita, conciliaret. Hæc ſunt ea, quæ Apoſtoli nondum intelligere poterant : *ſed non poteſtis portare modo*. Cum autem venerit *Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* : vos aptos efficiet ad majora myſteria perdiſcenda ; nihil amplius vobis erit occultum ; ſignum omne abrumpet, vobiſque aperiet abditos Prophetiarum ſenſus, quæ pertinent ad me. ℣. 13. *Docebit vos omnem veritatem* : vel quemadmodum Græci legunt [6], & Latini quidam ; *deducet vos in omnem veritatem* : vel *in omni veritate*. Introducet vos ad omnium veritatum acquiſitionem ; vel efficiet, ut in omni veritate ambuletis.

℣. 13. Non enim loquetur a semetipso.] Ne ex iis, quæ nuper dixerat, videlicet Spiritum Sanctum eos omnem veritatem edocturum, occaſionem arriperent credendi, Spiritum Sanctum majorem eſſe Filio, vel aliud eſſe Principium luminis, & cognitionis a Patre, atque a Filio diverſum ; Salvator addit, conſolatorem hunc Spiritum nihil a ſemetipſo dicturum, ipſum ex eadem origine ac ille hauſerat hauſturum [7] ; verbo, quod ille dicet, una cum illo dictum iri & a Patre, & a Filio, qui tres ſimul non erunt tria principia ; ſed unum dumtaxat principium, quod illis loqueretur.

Quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.] Spiritu Prophetiæ replebimini. Spiritus Sanctus non ſolum vobis explicabit ea, quæ obſcure vobis dixi [8] ; deteget etiam myſteria, quibus intelligendis modo pares non eſtis [9]. Verum etiam erudiet vos de iis omnibus, quæ ventura ſunt ; vobis conferet omnia ſcientiæ plenitudinem, quæ neceſſaria erit, ut miniſterii veſtri munera expleatis.

℣. 14. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.] Spiritus Sanctus a Filio æque ac Patre procedit juxta Eccleſiæ doctrinam. Hoc in ſenſu a Filio accipit, quidquid habet, & quidquid eſt [10]. Alii [11] hoc ita explicant : Spiritus Sanctus me glorificabit miraculis, quæ per Apoſtolos meos operabitur ; mortalibus oſtendet, me verum eſſe Dei Filium, verumque Meſſiam, Divinitatem meam probabit, quam ego ipſe probare non potui, cum in Mundo verſarer propter carnis infirmitatem, qua circumdatus eram, & propter humillimum ſtatum, ad quem memet ipſe redegeram. *De meo accipiet*, mea auctoritate ſuffultus erit, tamquam legatus, interpres, & Miniſter voluntatum mearum [12]. Epiſtolas quæ fidem faciant a me quodammodo habebit, eaſque oſtendet iis in miraculis, quæ operabitur. Ille noverit quæcumque vobis dixi, & myſteria omnia, quæ vos doceri volo.

℣. 15. Quæcumque habet Pater, mea sunt.] Quemadmodum de meipſo loquens vobis dixi, nihil a me dixi, quod a Patre meo non didicerim [13] ; ita Spiritus Sanctus nihil dicet, quod e me, & a Patre meo non perceperit : quidquid enim eſt Patris mei, meum eſt ; neque ille poteſt ab altero aliquid recipere, quin & recipiat ab altero. Hic non ſecus, ac ſuperior verſiculus intelligi poteſt vel de proceſſione Spiritus Sancti a Patre ſimul, & Filio procedentis, vel de miſſione Spiritus Sancti, qui ab utroque ſimul miſſus eſt ; vel de ſcientia divina, quam a Patre & Filio ſimul recipit, quippe qui cum utroque unus eſt Deus, & una eſſentia.

℣. 16. Modicum, & jam non videbitis me.] Intra breve temporis ſpatium a vobis ſum ſeparandus, & tradendus inimicis meis, ut ab illis interficiar : ſed intra paucos dies reſurgam, ac vos iterum reviſam [14]. Aliter : intra modicum temporis ſpatium me non videbitis amplius, quia vado ad Patrem per aſcenſionem meam ; atque deinde poſt modicum tempus me in altero adventu meo videbitis, ubi rurſus venero, viventes æque, & mortuos judicaturus [15]. Omnis ſæculorum omnium diuturnitas a Jesu Christi aſcenſione ad noviſſimum uſque judicium coram Deo momentum tantummodo videtur : quoniam *mille anni ante oculos tuos, tamquam dies heſterna, quæ præteriit*, Pſal. 89. 4. Apoſtolus tempus omne, quod præteriit, momentum appellat, ac tempus breviſſimum [16]. Sed prior ſenſus aptior eſt.

℣. 20. Amen dico vobis.] Apoſtoli dolore confecti minime aſſequebantur, quid ſibi vellet Jesus Christus, de hoc modico tempore loquens, quo elapſo eos iterum erat reviſurus ; atque illis hoc gordiano nodo difficilius ænigma videbatur. Videns autem eorum mœrorem, Salvator ait, mundum quidem gaviſurum, illos vero ſqualore, & ſcanio laboraturos. Sed quamprimum ipſorum quidem triſtitiam in gaudium, mundi vero gaudium in deſperationem eſſe immutanda. Inimici mei Judæi triumphum concinent, ubi

1 Grot. Hammond. 2 חטאת *Peccatum*. 3 צדקה *Juſtitia*. 4 משפט *Judicium*.
5 Auguſt. Beda, Rupert. Chryſoſt. Theodor. uterque, Cyrill. Theoph. Euthym. alii.
6 Gr. Ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. Quid. Codd. apud Aug. *Deducet vos in omni veritate*. Quid. Græci : Ὁδηγήσει ἐν τῇ ἀληθείᾳ πάσῃ. 7 Joan. 7. 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me*. 14. 10. *Verba, quæ ego loquor vobis, a meipſo non loquor*. Vide Cyrill. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. alios.
8 Joan. 14. 26. 9 Supra verſ. 12. 10 Ita pleri que. Vide Patres apud Mald. hic. In fine Art. Brug. Tolet 11 Theodor. Heracl. & Mopſ. Cyrill. Leont. Theoph. Euthym. alii.
12 Grot. Mald. 13 Joan. 7. 16. 14. 10. &c. 14 Ita Græc. Chryſoſt. Theodor. uterque, Cyrill. Theoph. Euthym. Aug. Mald. Tolet. Brug. Men. Grot. alii paſſim. 15 Aug. Beda, Mald.
16 1. Cor. 7. 29. *Tempus breve eſt*. 2. Cor. 4. 17. *Momentaneum, & leve tribulationis noſtræ*.

ubi me comprehenderint, atque damnatum de Cruce ſuſpenſum viderint, ſed non diu gaudebunt [1]. Reſurgam, iterum videbo vos; vos autem gaudio ſolido, & quod nemo rapiet e vobis, cumulabimini. Hoc ſolatio vobis erit inter labores veſtros, quippe illud æterno innititur fundamento; ſpei videlicet veſtræ reſurrectionis, atque certitudini veſtræ gloriæ immortalis.

Cum ergo ego, me intra modicum tempus vos non viſurum ampliur, & poſt modicum iterum vos viſurum, minime turbentur corda veſtra, neque hæc verba vobis dolorem inferant. Verum eſt; abſentiam meam vobis dolori futuram: ſed mœror veſter diuturnus non erit: Poſt triduum iterum videbo vos, & cor veſtrum cumulabitur gaudio, quod numquam turbari poterit.

℣. 21. MULIER CUM PARIT, TRISTITIAM HABET.] Jam jam incidimus in tempus dolorum, cruciatuum, & mortis. Hoc eſt tempus parturiendi: ſed quamprimum emergam: Reſurrectio mea me gloria, vos autem lætitia cumulabit [2].

℣. 22. GAUDIUM VESTRUM NEMO TOLLET A VOBIS.] Reſurrectionis meæ gaudium numquam turbabitur; quoniam immortalitatis ſtatum ingredior, atque per hoc vobis reſurrectionis, atque immortalitatis veſtræ pignora tribuo. Quemadmodum vos participes fuiſtis laborum, contumeliarum, dolorumque meorum, vos etiam participes efficiam gloriæ meæ, Reſurrectionis, immortalitatis. Hæ cauſæ ſunt, atque fundamenta lætitiæ veſtræ, æternum permanſuræ [3].

℣. 23. IN ILLO DIE, ME NON ROGABITIS QUIDQUAM. [4]] Tunc ænigma illud *modicum* vobis explanatum erit. Tunc intelligetis, quid innuere velim per hoc modicum doloris tempus, & per modicum illud tempus, quo elapſo me videbitis, quod ipſum nunc vobis crucem figit. Illius explanationem in vobiſmetipſis videbitis, quin illam ex aliis petere debeatis. Spiritus Sanctus omne vobis deteget myſterium [5]. Alii [6], eam vocem *rogabitis me*, in orandi, petendique ſenſu explicant, & Græcus etiam hunc ſenſum admittere poteſt. Poſt Reſurrectionem meam, nihil ultra ex me quæretis; nulla vobis erit neceſſitas, preces mihi effundendi: quippe Pater meus vos voti damnabit. Statim ac ex eo aliquid in meo nomine petieritis: *Amen, Amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Poſtquam in Cœlum aſcendero, non erit vobis cauſa, cur cum dolore me præſentem deſideretis. Hinc Spiritus Sanctus vos erudiet, conſolabitur, tuebitur; inde Pater meus exaudiet vos, & quidquid ex eo petieritis, tribuet. Utraque explicatio probabilis eſt, ſed prior ſimplicitate præſtare videtur.

℣. 24. USQUE MODO NON PETISTIS QUIDQUAM IN NOMINE MEO.] Hactenus ex me petiſtis, quando eguiſtis, ſed cum ego relinquam vos, & ad Patrem revertar, moneo vos volo, ut impoſterum ex eo petatis in nomine meo: ille enim exaudiet vos, atque votis veſtris ſubſcribet. Aliter: hactenus vobis ſatis fuit Patrem meum per illius clementiam, atque miſericordiam rogare, & obteſtari; numquam vero ex illo petiſtis aliquid in nomine meo [7]: me nondum agnoviſtis, tamquam mediatorem inter Deum, & hominem [8]: nunc vero ad Patrem meum rediens hoc munus incipiam exercere. Poteſtis illi vota nuncupare in nomine meo per interceſſionem meam, tamquam Diſcipuli, & amici mei, & ille exaudiet vos, *ut gaudium veſtrum ſit plenum*, & nulla umquam re poſſit turbari. Et profecto quid vobis merendum eſt, ſi Pater vos protegit, & audit? quid lætitiam veſtram turbare poterit, ſi certi eſtis vos impetraturos, quidquid in nomine meo petieritis [9].

℣. 25. HÆC IN PROVERBIIS LOCUTUS SUM VOBIS.] Hebræi *proverbia*, vel parabolas vocant quemlibet figuratum, vel ænigmaticum ſermonem, eoque in ſenſu Salvator ait, ſe in ſermonibus ſuis ad Apoſtolos per parabolam fuiſſe locutum; ibidem enim plurima obſcura, atque ænigmatica, ſaltem eorum habita ratione, immiſcuerat, atque vix citra parabolas ad eos loquebatur. Hactenus, ait illis, vobis obſcure, atque per figuras locutus ſum: deinceps vero poſt reſurrectionem meam [10], plane vobis loquar de Patre meo, atque perſpicue, & citra figuras me ex illo prodiiſſe oſtendam [11].

℣. 26. IN ILLO DIE IN NOMINE MEO PETETIS.] Poſt Aſcenſionem meam Patrem in nomine meo petetis, & quidquid petieritis, largietur vobis. Inutile eſt, me vobis aſſerere, Patrem meum pro vobis a me exoratum iri; intelligitis enim vos a me numquam eſſe derelinquendos, atque res veſtras mihi omnino cordi futuras. Verum licet operam meam minime impenderem, ut ea, quæ petitis, obtineatis; ſatis eſſet, me a vobis amari, & vos in me credere, ut Patrem impellere poſſitis ad omnium precum veſtrarum effectum elargiendum [12].

℣. 29. NUNC PALAM LOQUERIS.] Sine parabolis, figuris, ænigmatibus. Hoc ſpectat præcipue ad ea noviſſima verba: ℣. 28. *exivi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*. *Exivi a Patre* per æternam generationem meam, & *veni in mundum* per temporalem nativitatem meam: *iterum relinquo mundum* per mortem meam, & *vado ad Patrem* per Aſcenſionem meam. Hæc quatuor verba omnem redemptionis humanæ œconomiam, noſtræque fidei compendium amplectuntur. Hoc minime erat ambiguum, & aditum aperiebat ad ea intelligenda, quæ hactenus dicta fuerant, præſertim verſ. 16. quæ illis negotium faceſſebant: *modicum, & jam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me*.

℣. 30. NUNC SCIMUS, QUIA SCIS OMNIA.] Atque, ut detegas quidquid in hominum corde latet, te minime indigere, ut quæſtiones tibi proponantur. Eas quippe ſcrutaris, eaſque tuis explicationibus prævertis. Apoſtoli nuper hoc fuerant experti, cum illum interrogaturos Salvator occupaverat ℣. 19. atque inde hinc inferunt, ipſum vere a Deo prodiiſſe: *in hoc credimus, quia a Deo exiſti*. In ea fide, in qua eramus, te ſcilicet eſſe verum Meſſiam, Dei Filium, & vere Deum, ſecretiores cogitationum noſtrarum latebras perſcrutantem, magis, magiſque confirmamur.

℣. 31. MODO CREDITIS?] Dicitis, vos in me credere; ſed non ſatis adhuc vobis explorata ſunt penitiora cordis veſtri. Quamprimum non deerit vobis occaſio teſtandi erga me amorem, fidemque veſtram, & intelligetis, vos eos non eſſe, quales eſſe opinamini [13]. ℣. 32. *Ecce venit hora, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis*. Numquid hæc ſigna ſunt, vos vere credere, me eſſe Dei Filium? *Modo creditis?* Aliter, citra interrogationem legendo: *nunc in me creditis*, vel potius creditis, vos ſatis eſſe in fide confirmatos; nunc cum omnia tranquilla ſint, ac nullum imminere putatis periculum: at brevi vos ipſi intelligetis, quænam verbis veſtris habenda

1 Ita Græci omnes. Chryſoſtom. Theodor. uterque, Cyrill. Leont. Theophylact. Euthym. Ita et Auguſt. Beda, Rupert. Gior. Brug. alii. 2 Ita Patres Græci, et Latini, et Interpp. plerique.
3 Ita Chryſoſtom. Cyrill. Theodor. Heracl. et Mopſ. Theophylact. alii.
4 Ἐμὲ οὐκ ἐρωτήσετε οὐδέν: *De nihilo me interrogabitis*, vel, *nihil de me petetis*. Nam ἐρωτᾶν in S. Luc. et S. Johanne ponitur pro petere, vel quærere. 5 Ita Patres, et Interpp. paſſim.
6 Chryſoſtom. Theodor. Mopſ. et Heracl. et Theophylact. 7 Cyrill. Rupert. Euthym. Brug. Menoch. Maldonat. 8 Rom. 8. 34. *Qui etiam interpellat pro nobis*. 1. Timoth. 2. 5. *Mediator Dei, & hominum*.
9 Cyrill. Euthym. Maldonat. Brug. 10 Chryſoſtom. Theophylact. Euthym. Vide Act. 1. 3. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei*. 11 Auguſt. Beda, Theodor. Heracl. Maldonat.
12 Cyrill. Leont. Maldonat. Tolet. Brug. Menoch. Janſ. Capell. alii.
13 Ita Patres Græci, Chryſoſt. Cyrill. Leont. Theodor. Heracl. & Mopſ. Theophylact. Euthym.

benda ſit fides [1]. Tempus veniet, quo me derelicturi eſtis, & quilibet, quemadmodum cuipiam copia fuerit, aufugieris.

Et non sum solus.] Si vos fugæ veſtræ præmoneo, non ideo vobis indigeo, neque vereor, quominus ſolus relinquar: habeo enim Patrem a me numquam recedentem, quemadmodum ego ab eodem numquam recedo. Quoad meam divinitatem ſemper unus ſum cum Deo.

℣. 33. Ut in me pacem habeatis.] Ea, quæ vobis dico, me ſcilicet a vobis derelictum iri, mœrorem, atque deſperationem vobis non ingerant. Prædixi vobis ea, quæ ventura ſunt, ut illa mihi eſſe comperta ſciatis, & id minime obeſſe, quominus pro certo vobis aſſeram, me ad vos reverſurum, vos conſolaturum, vos gaudio cumulaturum, & ad vos Spiritum Sanctum miſſurum. Vos relinquo, verum ſenſu A gratiæ, & amicitiæ. Fuga veſtra, atque perfunctoria veſtra infirmitas, obicem non ſtatuent, quominus vos priſtina charitate complectar; pacem meam vobis tribuam, atque ultimum vale, amoris, & benevolentiæ ſenſu, vobis dicam. Hoc ſolum curæ ſit vobis, ut fructum feratis ex conſilio meo, atque deinceps ſemper mihi ſumma fide hæreatis [2].

Aliter. Non dixi hæc vobis, ut vos exprobrarem, ſed ut exhortarer ad fidem habendam, atque confidentiam in ope mea collocandam [3]: *In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum.* Status meæ Paſſionis, ignominiæ, atque humilitatis, in quo videbor, cum ad ſupplicia rapiar, animum veſtrum non frangat: infirmitas mea erit mihi victoria, ignominia erit mihi gloria; victoria vero, quam Mundus, Dæmon, & inimici mei de me referre videbuntur, illis quidem cadet in interitum, mihi vero in triumphum.

1 Maldonat. Grot. Ludov. de Dieu. 2 Theodor. Mopſ. Leont.
3 Vide Maldonat. Grot. Brug. Menoch. Tulet.

CAPUT XVII.

JESU CHRISTI oratio, antequam ad Olivarum hortum perveniat: petit a Patre glorificari, ut & Pater ſuus glorificetur. Poſtulat, ut & ſui glorificentur, ut unum ſint inter ſe, & unum ſint cum ſeipſo in gloria, & a Patre ſuo diligantur.

1. HÆc locutus eſt Jeſus: & ſublevatis oculis in cœlum, dixit: Pater, ve-
nit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te: 2 Sicut de-
diſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne, quod dediſti ei, det eis vi-
tam æternam. 3 Hæc eſt autem vita æterna: Ut cognoſcant te ſolum Deum ve-
rum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. 4 Ego te clarificavi ſuper terram; opus
conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam: 5 Et nunc clarifica me tu Pater
apud temetipſum, claritate, quam habui, prius quam mundus eſſet, apud te. 6
Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo; tui erant, &
mihi eos dediſti; & ſermonem tuum ſervaverunt. 7 Nunc cognoverunt, quia o-
mnia, quæ dediſti mihi, abs te ſunt: 8 Quia verba, quæ dediſti mihi, dedi
eis, & ipſi acceperunt, & cognoverunt vere, quia a te exivi, & crediderunt, quia
tu me miſiſti. 9 Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos
dediſti mihi; quia tui ſunt: 10 Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt: &
clarificatus ſum in eis. 11 Et jam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt,
& ego ad te venio. Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi:
ut ſint unum, ſicut & nos. 12 Cum eſſem cum eis, ego ſervabam eos in no-
mine tuo: quos dediſti mihi, cuſtodivi; & nemo ex eis periit, niſi filius perdi-
tionis; ut Scriptura impleatur. 13 Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in
mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis. 14 Ego dedi eis ſer-
monem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut &
ego non ſum de mundo. 15 Non rogo, ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves
eos a malo. 16 De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo. 17
Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt. 18 Sicut tu me miſiſti in
mundum, & ego miſi eos in mundum. 19 Et pro eis ego ſanctifico meipſum: ut
ſint & ipſi ſanctificati in veritate. 20 Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro
eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: 21 Ut omnes unum ſint, ſicut tu
Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint: ut credat mundus, quia
tu me miſiſti. 22 Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis; ut ſint unum, ſi-
cut & nos unum ſumus. 23 Ego in eis, & tu in me; ut ſint conſummati in unum:
& cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. 24
Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum: ut videant cla-

ritatem meam, quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.
25 Pater juſte, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi, & hi cognoverunt, quia tu me miſiſti.
26 Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

℣. 1. HÆC LOCUTUS EST JESUS.] Credit Grotius, JESUM orationem hanc protuliſſe, eum eſſet e conſpectu Templi, trans torrentem Cedron proficiſcens. Alii [1] putant, hoc dicta in eo triclinio, ubi cœnaverat poſt illa ſequentis capitis verba: ℣. 1. *Hæc cum dixiſſet Jeſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron.* Rupertus Abbas credit, hanc eamdem eſſe orationem, quam habuit in Monte Olivarum, & quæ ab aliis Evangeliſtis compendiariò refertur. Nobis vero perſuaſum eſt, hæc ipſum dixiſſe in via, & antequam traducto Cedronis torrente in hortum ingrederetur.

VENIT HORA, CLARIFICA FILIUM TUUM.] Salvator in oratione, quam viſuri ſumus, & per quam concludit ſermones, quos habuit ad Diſcipulos ſuos, tres partes diſtinguit. *Primum* a Patre petit, ut glorificetur, videlicet, ut ab hominibus agnoſcatur Deus, verus Meſſias, humani generis liberator. In altera parte flagitat, ut Apoſtoli, qui ſibi ab initio fideles fuerant, gratiis cumulentur. Denique vero petit, ut dignetur illuſtrare, & ſanctificare eos omnes, qui deinceps in ipſum erant credituri, verſ. 20. 21. & ſeq.

PATER CLARIFICA FILIUM TUUM.] Omnium terrarum populi, eam gloriam, eumque honorem illi deferant, qui ipſi debetur, eumque cognoſcant, qualis revera eſt, ut *Filius tuus clarificet te*, omnium populorum converſione, qui te colent, & adorabunt. Tot ille efficiet veros numinis adoratores [2], quot fideles habebit diſcipulos. S. Chryſoſtomus, JESU CHRISTI glorificationem de illius Paſſione; & S. Auguſtinus de ejuſdem Reſurrectione interpretantur. Confer Johan. cap. 12. ℣. 23. 28. cap. 13. ℣. 32.

℣. 2. SICUT DEDISTI EI POTESTATEM OMNIS CARNIS.] Pater in hæreditatem Filio tribuit, omnes terrarum gentes, nulla excepta [3]; & Filius pro omnibus mortuus eſt, ſine ullo, vel Judæi, vel alienigenæ diſcrimine [4]. Quorum in ipſo eſt, vult, omnes homines ſalvos fieri [5]; attamen non omnes homines ſalvi fiunt, atque ii tantum ſalvi dici poſſunt, quos peculiari modo Pater tradidit Filio, quos ille ad ſe attraxit [6], & quibus vocationis, electionis, juſtificationis, & perſeverantiæ donum tribuit [7]. Sed hi omnes, qui ſalvi non fiunt, ex culpa ſua pereunt; nihil enim intentatum reliquit JESUS CHRISTUS, ut illis omnem excuſationem auferret.

℣. 3. HÆC EST AUTEM VITA ÆTERNA.] Primus homini gradus ad æternam vitam obtinendam eſt, Deum ex fidei lumine cognoſcere. Petit ergo JESUS CHRISTUS a Patre ſuo, ut æternam vitam largiatur iis omnibus, qui ab eo ſibi traditi fuerunt, eique det fidem ad ſuam, Filiique divinitatem cognoſcendum: *Ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti* JESUM CHRISTUM. Qualitas *veri Dei* non ad Patrem ſolum pertinet, quemadmodum Ariani contendebant, verum etiam ad Filium, quemadmodum Patres oſtendunt [8]; vel nomen illud *veri Dei* ad Idolorum [9] excluſionem uſurpatur. Credent omnes terrarum populi, te unum eſſe Deum verum cum JESU CHRISTO Filio ſuo, & præter te nullum eſſe Deum, atque Idolum nihil eſſe. Cum dicitur vita æterna in Dei cognitione conſiſtere, non intelligitur theoretica, atque ſterilis cognitio, ſed practica cum charitate, boniſque operibus conjuncta, ſine quibus fides mortua eſt, atque infœcunda [10].

℣. 4. EGO TE GLORIFICAVI SUPER TERRAM.] Ego mandata tua adimplevi [11]; omnem, quam potui, per obedientiam, atque prædicationem tibi gloriam procuravi: *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam*; opus, quod tibi in univerſa terra gloriam erat comparaturum: quandoquidem per fidem omnium populorum in omnibus terrarum partibus in ſpiritu, & veritate cognoſceris, amaberis, atque adoraberis. JESUS CHRISTUS loquitur, quaſi in hac vita non eſſet amplius, atque jam ingens noſtræ Redemptionis opus abſolviſſet: inſignis enim hujus operis finis jam jam impendebat. In hoc loquitur velut homo [12].

℣. 5. ET NUNC CLARIFICA ME.] Quoniam omni vitæ meæ tempore in id incubui, ut te glorificarem, tuaſque, Pater, voluntates exequerer, audi me quæſo hoc tempore, & humanitati meæ eam gloriam tribue, quam in te habui ab initio, & ab æterno per meam divinitatem [13]. Divinitatis gloria effundatur in humanitatem meam per Reſurrectionem, Aſcenſionem, & ſedem, quam ſuper omnia creata ad dexteram tuam ſum occupaturus [14]. Id ita Patres intellexerunt. Clarifica me in te, in Cœlo, quemadmodum te inter homines in terris clarificavi.

℣. 6. MANIFESTAVI NOMEN TUUM HOMINIBUS.] Illos per vocationem, atque electionem eorum a Mundo ſejungens. Omnes homines JESU CHRISTO dati fuerunt [15], quatenus omnes ſanguinis ſui pretio redemit. Chriſtiani vero illi traditi fuerunt per vocationem ad fidem, per ſeparationem ab infidelibus [16], & per baptiſmatis gratiam. Sancti etiam, & prædeſtinati illi conceſſi fuerunt per eorum a reprobis ſeparationem, eorumque ad gloriam prædeſtinationem: denique Apoſtoli illi dati fuerunt per ipſorum electionem ad Apoſtolatum, atque præcipuas Eccleſiæ dignitates. De Apoſtolis vero præcipue locus hic eſt intelligendus, quemadmodum ex ſequentibus patet [17]: *Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt.*

℣. 7. NUNC COGNOVERUNT.] Illis oſtendi, me nihil docere, niſi quod ex te fluit; eamque ſæpius illis veritatem iteravi, ut ipſi te glorificent: ℣. 8. *Verba, quæ dediſti mihi, dedi eis: & ipſi acceperunt, & cognoverunt vere, quia a te exivi, & crediderunt, quia tu me miſiſti*: Rara fidelitas, & cujus paucos apud Judæos imitatores inveni; quorum plerique ſpreverunt veritates, quas illis prædicavi; & noluerunt me, tanquam Meſſiam tuum, tuumque Filium agnoſcere. Hic etiam loquitur Jeſus ſecundum humanitatem.

℣. 9. EGO PRO EIS ROGO; NON PRO MUNDO.] Quod petii, Pater, pro illis petii, non pro Mundo, non pro Judæis incredulis, neque pro Ethnicis, qui aliquando in me ſunt credituri. Pro illis deinde ℣. 20. precabor: nunc vero de Apoſtolis tantum loquor [18], qui merentur primas curas meas, *quia tui ſunt*, &

1 Cleric ad Hammond. hic. 2 Joan. 4. 23.
3 Pſalm. 2. 8. Vide Chryſoſtom. Heracl. hic. 4 2. Cor. 5. 14. Rom. 5. 7.
5 1. Timoth. 2. 4. Vide Auguſt. ſerm. 88. num. 13. & 355. num. 1. nov. edit. & in Joan. tract. 12.
6 Joan. 6. 44. 7 Rom. 8. 30. 8 Hilar. lib. 9. de Trinit. Ambroſ. lib. 5. de fide, Aug. Beda hic.
9 Ita Græci plerique, Cyrill. Chryſoſt. Leont. Theodor. Mopſ. Theophylact. Euthym. alii.
10 Jacob. 2. 20. 26. 11 Confer Joan. 13. 31. 32. & præcipue 12. 32. ubi, *Clarifica nomen tuum*, ſignificat: *fiat voluntas tua.* 12 Auguſt. Beda, Chryſoſtom. Cyrill. alii.
13 Vide Auguſt. in hunc locum, et Chryſoſtom. hic, et Hilar. in Pſalm. 2. et de Trinit. lib. 9. et 10.
14 Philipp. 2. 6. 9. *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*
15 Pſalm. 2. 8. 16 Ita Auguſt. Beda, Theodor. Heracl. Chryſoſtom. Theophylact. Euthym.
17 Brug. Tolet. alii. 18 Vide Brug. Cornel. a Lapide, Le Clerc.

quia illos *dediſti mihi*. Plerique hæc verba in abſoluto ſenſu interpretantur: *pro eis rogo, & non pro mundo*: non quod voluerit Salvator mortis, & orationis ſuæ meritum ad ſolos electos coarctare; ſcimus enim, illum pro omnibus mortuum eſſe, & pro omnibus petiiſſe, ſed meritum ſanguinis, & orationis illius non efficaci ratione illis applicatur, quos non attraxit Pater, & qui ad finem uſque in fide, atque boni exercitatione minime perſeveraverunt. In hoc ſenſu, neque rogat pro reprobis, qui numquam crediderunt, neque pro illis, quibus, poſtquam crediderunt, defecit fides, & qui finalis perſeverantiæ donum minime receperunt. Reprobi, pro quibus non offert Patri Filius efficax hoc votum, poſſunt ad aliquod tempus viti adhærere, quaſi virentes palmites, ſed tandem abſcindentur [1], tamquam mortui, & inutiles.

℣. 10. QUIA TUI SUNT . . . & CLARIFICATUS SUM IN EIS.] Merentur, ut apud te pro illis preces meas interponam, primum, quod tui ſunt, & mei; quoniam omnia inter me, ac te ſunt communia. Secundo vero, quod *clarificatus ſum in eis*, meas, tuaſque voluntates adimplentibus. Alibi jam animadvertimus, *clarificare Deum* apud S. Johannem ſignificare, mandatis divinis obedientiam præſtare. Vide ſupra cap. 13. ℣. 28. & hic ℣. 4.

℣. 11. ET JAM NON SUM IN MUNDO.] Loquitur perinde ac ſi e humanis deceſſiſſet, quoniam brevi ab Apoſtolis ſuis erat divellendus. Hæc nova eſt ratio, quæ me cogit, ut te, Pater, pro illis orem; quia videlicet de Mundo egredior, & illos expoſitos relinquo inimicorum & meorum, & ſuorum, odio, & nequitiæ: *Serva eos . . . . ut ſint unum, ſicut & nos*. Ne permittas in illis diſſidium obrepere, neque eorum charitatem imminui. Illorum concordis numquam noſtra perfectionem aſſequi poteſt. Verum ad hoc exemplum illa componatur, atque propius quam fieri poteſt, eam imitetur. Illorum unanimis conſenſus major ſit, quam qui in hominibus excogitari poteſt: illis unum ſit cor, una mens, una voluntas [2]. *Ipſi in natura ſint unum, ſicut & nos in noſtra unum ſumus*.

℣. 12. CUM ESSEM CUM EIS, EGO SERVABAM EOS.] Antehac cum eſſem in Mundo una cum illis, eoſque ſervarem, nihil pro illis a te petii; ego illorum curam gerebam, eos tuebar, illis patrocinabar. Cum vero nunc illos relinquam, eos tibi commendo. Urget tempus, quo illorum fides graviſſimæ objicitur tentationi. Hoc illis prædixi [3], ſed omne illius periculum non intelligunt. Pater Sancte, illos unanimi, & pene conflato conſenſu concordes ſerva, neve ſinas, ab hoſte, diſpergi, & diſſipari. Salvator loquitur quatenus homo, cum ait, ego ſervabam eos in nomine tuo [4]; nam quatenus Deus, ipſe una cum Patre nomine ſuo, ſuaque auctoritate illos ſervabat.

QUOS DEDISTI MIHI, CUSTODIVI, & NEMO EX IIS PERIIT, NISI FILIUS PERDITIONIS.] Judas videlicet proditor, qui ſponte per nequitiam ſuam periit, quod abuſus eſt ope, quam haurire poterat ex mea præſentia, præceptis, atque miraculis, ut in fide, & charitate confirmaretur, quemadmodum cæteri Apoſtoli fecerunt. Scis, illum ad perditionem, æternumque excidium reprobatum fuiſſe; at reprobatus erat, eo quod ſeipſum ſervare noluit [5]. Poſt etiam patratum facinus converti poterat, quemadmodum S. Au-

A guſtinus [6], & S. Leo [7] animadvertunt. Hic eſt filius perditionis, quod meritus fuit, ut propter avaritiam, perfidiam, pertinaciam, atque deſperationem damnaretur.

Complures Græci MSS. [8], atque verſiones legunt: *donec cum illis eram in Mundo, illos ſervabam in nomine tuo, in quo dediſti illos mihi. Servavi illos, & nemo ex illis periit &c.* Dei nomen ſæpius pro Deo ipſo uſurpatur. Servavi illos in nomine tuo, ope tua, per ipſum te, quemadmodum tu illos mihi in nomine tuo, & per nomen tuum, per electionem, per clementiam tuam prorſus gratuitam, illos mihi dediſti.

UT IMPLEATUR SCRIPTURA.] Ut, non innuit hoc in loco Dei voluntatem, propter quam Judas periit, ſed indigitat, quod calamitoſo huic homini accidit

B juxta, non propter Scripturas [9]. Judæ proditio apertiſſime deſignata fuerat in nefario Achitophel conſilio, & in Abſalonis defectione [10]. S. Petrus Act. 1. 20. ad illum transfert ea verba, quæ in Pſalmis habentur 108. 8. & ſeq.

℣. 13. UT HABEANT GAUDIUM MEUM IMPLETUM.] Perge illos tueri, me abſente, ne dolore, & afflictione obruantur; ſed e contra in ope tua inveniant lætitiam, atque ſolatium, quod me præſente, atque cum illis vivente, ex me percipiebant [11].

℣. 14. EGO DEDI EIS SERMONEM TUUM.] Illis tuas voluntates aperui, tua explicui præcepta: hæc ipſi acceperunt, his credunt, ideoque in illos mortalium odium conflatum eſt, quod in meipſum redundavit. Hinc

C ipſorum fidelitas, inde impiorum inimicitia illis ſuam gratiam promerentur; pro te enim perſecutionibus ſe objecerunt. Si de mundo eſſent, eos mundus amaret [12]. Aliter: *ego dedi eis ſermonem tuum*, illis tradidi provinciam annunciandi Evangelium [13], illis aperui tuæ voluntatis arcanum, atque teſtamenti myſterium, quod illis perſecutiones, & mortalium odia conflavit.

℣. 15. NON ROGO, UT TOLLAS EOS DE MUNDO.] Neque ut omnino ærumnis, & cruciatibus immunes ſint; illud rogo, ne iiſdem ipſos ſuperari permittas [14]: vel non rogo, ut de iniquorum medio eruantur, ſed ne animus deſpondeant, ne in infidelitatem, atque mundi corruptionem pertrahantur, ac denique, ne a Dæmone omnium malorum auctore vincantur [15], ut ſerves eos a malo.

℣. 17. SANCTIFICA EOS IN VERITATE.] Veritate

D nihil ſanctius, nihil fortius. Illa invicta eſt, & omnipotens. Si illos ſanctificaveris, & confirmaveris veritate ac verbo tuo; nihil illis arduum erit, nullum eos periculum deterrebit. Patres [16] per veritatem hoc in loco Spiritum Sanctum intelligunt. Sanctifica eos, reples ſpiritu veritatis, tuo ſpiritu, qui eos luminibus, gratiis, & conſolatione eſt cumulaturus. Alii [17] id explicant alia ratione, quæ litteræ magis hærere videtur, *Sanctifica eos*, diſpone illos ad verbum tuum prædicandum, & annunciandas veritates tuas. In Hebræorum ſtylo ſanctificare ſæpius pro præparare, aptum reddere, ad religionis actionem aliquam diſponere, uſurpatur: cui explicationi verſiculi 18. 19. maxime favent. Alii ſimplicius [18]: *ſanctifica eos in veritate*, ut vere ſancti ſint, & puri per Evangelii veritatem, per

E Verbi tui certitudinem, per voluntatum ſuarum exercitationem, per Spiritus Sancti infuſionem.

℣. 18. SICUT TU ME MISISTI IN MUNDUM.] Si-

cut

1 Joan. 15. 6. 2 Vide Auguſt. hic. Ambroſ. lib. 4. de Fide. Hilar. l. 8. de Trinit. Epiphan. alii.
3 Joan. 16. 4. 5. 4 Cyrill. Maldonat. alii. Vide Auguſt. hic.
5 Auguſt. ſerm. 125. num. 5. 6 Auguſt. in Pſalm. 146. num. 20. et ſerm. 352. num. 8. Vide & in Pſalm. 108. 7 Leo Magn. ſerm. 1. 3. 5. de Paſſione Domini.
8 Ἐτήρουν αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου, ᾧ δέδωκάς μοι. Ἐφύλαξα, καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν &c. Ita legunt Steph. omnes Codd. alii plurimi apud Mill. hic. Copht. Perſ. Arab. Syr. Aeth. Cyrill. Theophylact. Euthym. ut liquet ex eorum Comment. impreſſi, ὃ δέδωκάς μοι ἐφύλαξα. 9 Auguſt. lib. de unitate Eccl. cap. 9. num. 25. *Quis enim dubitaverit, quod Judas Chriſtum, ſi voluiſſet, non utique tradidiſſet; ſed ideo fuit de iſto certa prædictio; quia & Deus etiam futuras prævidet voluntates.* 10 2. Reg. 15. 16. 17.
11 Cyrill. Maldonat. Brug. Grot. Menoch. 12 Joan. 15. 18. 19.
13 Theodor. Mopſ. Leont. Rupert. 14 Auguſt. Beda, Rupert. Cyrill. Maldonat. alii.
15 Leont. Brug. Menoch. Maldonat. Gr. Ἐκ τοῦ πονηροῦ. 16 Ita Chryſoſt. Cyrill. Theodor. uterque Heracl. et Mopſ. Leont. alii Græci, ita Auguſt. Beda, Rupert. 17 Brug. Menoch.
18 Maldonat. alii quidam.

æut me gratia, & veritate replεſti, mittens in Mundum [1]; hoc ipſum fac cum Apoſtolis meis, quos ad tuam veritatem, utque Evangelium prædicandum mitto. *Sanctifica eos in veritate*, quemadmodum meipſum ſanctificaſti. Hæc vera ad Evangelicum munus eſt præparatio, ſi ſolide in veritate tua ſtabiliantur. Moſaicæ Legis Sacerdotes ſacrificiis, & aquæ puræ ablutionibus expiantur: Ego vero meipſum proprio ſanguine expiaturus ſum [2]; *per proprium ſanguinem intraivit in Sancta*, ut Apoſtolis ſuis aliud ſanctitatis genus promereretur: *ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate*. Hanc docui; illius amorem, utque æſtimationem in illos infudi: hæc jam in eorum corda pervaſit. Ita quæcumque concedere poſſunt prædicaturi, non alia præter hanc in illis ſanctificatio requiritur: ℣. 19. *Pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate*. Pro illis tuam tutum opem, atque auxilium depoſco.

℣. 20. NON PRO EIS ROGO TANTUM.] Hæc tertia eſt pars Dominicæ orationis: Ubi preces effudit JESUS pro Apoſtolis, iſthic orat pro illis omnibus, qui per omnem ſæculorum ſeriem ſunt in ipſum credituri [3]. Quid vero pro illis petit? bonorum omnium maximum, videlicet, concordiam, pacem, charitatem. ℣. 21. *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te*. Hæc Salvatoris oratio prorſus exaudita fuit pro primis fidelibus [4], quorum cor unum erat, & anima una; & adimpletur adhuc in Catholica Eccleſia, ubi Fideles in ſententiarum conformitate penitus coaleſcunt iis in rebus, quæ in Eccleſia ſtatuuntur; denique inter fideles hæc animorum conjunctio magis, magiſque videtur, prout alii aliis ſanctiores ſunt, & perfectiores. Jeſus Chriſtus proponit unionem, quæ ſibi eſt cum Patre ſuo, tamquam exemplar illius, quam Chriſtiani inter ſe debent habere: hoc eſt maxime intimam, perfectiſſimam, & maximam, ſupra quam aliquis ſibi fingere poſſit. Ita & Matt. 5. 48. commendat, ut perfecti ſimus, quemadmodum, & Pater Cœleſtis perfectus eſt.

℣. 21. UT CREDAT MUNDUS, QUIA TU ME MISISTI.] Ut qui nondum credunt, videntes perfectam diſcipulorum, plurimorumque fidelium inter ſe unionem, conſtatumque conſenſum, ad fidem amplectendam [5], atque miſſioni, & divinitati meæ teſtimonium perhibendum, alliciantur. Unio ſemper verus character fuit Eccleſiæ: & ſi permittit nonnumquam Deus, ut gliſcant diſſidia, & ſchiſmata, ideo permittit, ut lolium a tritico ſecernat, atque ex ſanorum membrorum conjunctio tabeſcentium, utque putridorum abſciſſione perfectior fiat. Pax ſolidius confirmatur, ubi pacis inimici ejiciuntur [6].

℣. 22. EGO CLARITATEM, QUAM DEDISTI MIHI, DEDI EIS.] Illis poteſtatem miraculorum patrandorum, quam mihi dediſti, communicavi, ut per gloriam tuam, & fidei argumentum in mundo eadem, & adhuc majora miracula operentur, quam fecerim ego [7]; idque *ut ſint unum* per charitatem, *ſicut & nos unum ſumus*. Sed huic explicationi, licet quamplurimos ſectatores jactitet, non ita facile acquieverim, quia ſupponit, Salvatorem de Apoſtolis hic verba facere; cum Dominus loquatur de iis omnibus, qui ad finem uſque ſæculorum in ipſum credituri ſunt, quemadmodum ait E verſ. 20. 21.

Ita ergo intelligere malim: illis omnibus, qui in me credituri ſunt, gloriam, quam mihi contuliſti, A communicavi: hoc eſt, glorioſam dignitatem Filii Dei, eamque illis communicavi, ut cum ſint omnes Filii adoptivi Patris [8], inter ſe concordiam foveant, tamquam filii in eadem familia, vinculis charitatis, utque neceſſitudinis adſtricti; quemadmodum tu & ego inter nos ſumus conjuncti. Alii [9] hoc intelligunt de unione fidelium cum Jeſu Chriſto per Euchariſtiæ Sacramentum, ubi unum ſunt cum illo, cujus carnem manducant, & ſanguinem bibunt. Sed explicatio, quæ hanc unionem, & gloriam in dignitate filiorum Patris per adoptionem conſtituit, aptior videtur.

℣. 23. EGO IN EIS, ET TU IN ME.] Illis in exemplar ipſorum unionis exhibeo illam, quæ te inter & me intercedit, ut illorum concordia perfectiſſima ſit, atque ſanctiſſima. En iis indiciis cognoſcet *mundus, quia tu me miſiſti*: In hac unanimi fidelium voluntate veræ B pietatis, veræque religionis character deprehendetur. Patebeotur, me eſſe Meſſiam, & humani generis liberatorem. Intelligent, quod *dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti*. Dicent; hic eſt populus electus [10], ſanctum genus, regale Sacerdotium, natio dilecta. Admirabuntur populi præclaram illorum concordiam, ejuſque auctorem ſummis laudibus celebrabunt, Act. 5. 13.

℣. 24. PATER, QUOS DEDISTI MIHI.] Poſtquam pro meis fidelibus petii, quidquid illis hoc in mundo magis neceſſarium eſt, te rogo Pater, ut illis in Cœlo æternam gloriam, atque felicitatem elargiaris. Non petit Jeſus Chriſtus proculdubio pro illis eumdem gloriæ gradum, quo ille perfruitur; ſed petit, ut in Cœlo ſint, quemadmodum & ipſe eſt. Salvator hic C loquitur quatenus homo: ſeipſum conſiderat, veluti Patris ſui dexteræ aſſidentem, ubi poſt ſuam Aſcenſionem aſſedit. Alibi jam diſcipulis ſuis tantum boni pollicitus fuerat [11]; *qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit*. In Cœlo videbunt *claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi*. Ibi ea perfruentur gloria, quam illis præparaviſti, & quam ego illis per ſanguinem meum promerui. *Videre, contemplari*, hoc in loco frui, & poſſidere ſignificant.

PATER JUSTE, MUNDUS TE NON COGNOVIT.] Gloriam, quam pro meis ex te peto, non eſt pro mundo, qui illa per incredulitatem, atque infidelitatem ſuam indignum ſe præbuit. Ille te cognoſcere noluit, veritates tuas audire reſpuit, mandatis tuis obtempe- D rare abnuit. Ego vero, Pater juſte, te cognovi, tibi parui; & tu ea gloria, quæ omnem gloriam exſuperat, me cumulaſti. Spero etiam futurum, ut remuneteris eos, qui me tamquam Filium tuum, utque Meſſiam receperunt, juxta magnitudinem eorum fidei, atque ſedulitatis, qua præceptis tuis obtemperaverunt [12].

℣. 26. ET NOTUM FECI EIS NOMEN TUUM.] Dei nomen eſt ipſe Deus. Jeſus Chriſtus Dei Patris ſui nomen Judæis cognoſcendum tradidit, quamdiu illis in terra prædicavit. Immo & paratus erat, ut illud iiſdem etiam poſt Reſurrectionem ſuam per os Apoſtolorum ſuorum [13] notum faceret; ſed perpauci fuerunt, qui crediderunt in illum. Pro illis Salvator hic orat. Petit, ut dilectio, qua Pater ipſum dilexit, in ipſis ſit. Pater ama illos, quemadmodum me amaſti [14], ut illis per fidem, & charitatem coaleſcentibus, *& ego in ipſis* per gratiam ſim. Ita Jeſus Chriſtus orationem, quam pro ſua Eccleſia effuderat, concludit.

---

1 Joan. 1. 14. 2 Hebr. 9. 12. 14. Vide Maldon. Brug. Tolet.
3 Theodor. Mopſ. & Heracl. Leont. Euthym. Grot. &c. 4 Act. 4. 32.
5 Chryſ. Theoph. Euthym. Mald. Brug. Grot. Tolet. alii. 6 Chryſ. Theoph. Euthym.
7 Joann. 14. 12. 8 Joann. 1. 12. 2. Petr. 1. 4. Rom. 8. 16. 17. Vide Eſt. Tirin.
9 Tolet. Brug. Menoch. alii. 10 1. Petr. 2. 9. 11 Luc. 22. 41. & Joan. 12. 26.
12 Chryſoſt. Theodor. Mopſ. Theoph. Euthym. Mald. 13 Leont. Mald. Grot.
14 Aug. Cyrill. Bed. Mald. Brug. alii.

C A-

CAPUT XVIII.

JESUS a Judæorum ſatellitibus comprehenſus, quos verbo proſternit. Malchus a Petro percuſſus. Fuga Apoſtolorum. JESUS apud Caipham. A Sancto Petro negatur. Prima quæſtio de JESU habita, Pilato traditur; quo illum Judicio liberare quærente, Judæi Barabbam depoſcunt.

1. HÆc cum dixiſſet Jeſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans Torrentem
Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipſe, & diſcipuli ejus. 2
Sciebat autem, & Judas, qui tradebat eum, locum: quia freqoenter Je-
ſus coovenerat illuc cum diſcipulis ſuis. 3 Judas ergo cum accepiſſet cohortem,
& a Pontificibus, & Phariſæis mioiſtros, venit illuc cum lanterois, & facibus, &
armis. 4 Jeſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, &
dixit eis: Quem quæritis? 5 Reſponderunt ei: Jeſum Nazarenum. Dicit eis Je-
ſus: Ego ſum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum cum ipſis. 6 Ut ergo
dixit eis: Ego ſum; abieruot retrorſum, & ceciderunt io terram. 7 Iterum er-
go interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jeſum Nazarenum. 8
Reſpondit Jeſus: Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abi-
re. 9 Ut impleretur ſermo, quem dixit: Quia quos dediſti mihi, noo perdidi
ex eis quemquam. 10 Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum; & per-
cuſſit pontificis ſervum, & abſcidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen
ſervo Malchus. 11 Dixit ergo Jeſus Petro: Mitte gladium tuum in vagioam. Ca-
licem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? 12 Cohors ergo, & tribu-
nus, & miniſtri Judæorum comprehenderuot Jeſum, & ligaverunt eum. 13 Et ad-
duxerunt eum ad Annam primum, erat enim ſocer Caiphæ, qui erant pontifex an-
ni illius. 14 Erat autem Caiphas, qui conſilium dederat Judæis: Quia expedit,
unum hominem mori pro populo. 15 Sequebatur autem Jeſum Simon Petrus, &
alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus pontifici, & introivit cum Jeſu
in atrium pootificis. 16 Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exivit ergo diſci-
pulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum. 17
Dicit ergo Petro ancilla oſtiaria: Numquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius?
Dicit ille: Non ſum. 18 Stabant autem ſervi, & miniſtri ad prunas, quia fri-
gus erat, & calefaciebant ſe: erat autem cum eis & Petrus ſtans, & calefaciens
ſe. 19 Pontifex ergo interrogavit Jeſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina ejus.
20 Reſpoodit ei Jeſus: Ego palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in ſy-
nagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt: & in occulto locutus ſum
nihil. 21 Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus ſim
ipſis: ecce hi ſciunt, quæ dixerim ego. 22 Hæc autem cum dixiſſet, unus aſſi-
ſtens miniſtrorum dedit alapam Jeſu, dicens: Sic reſpondes pontifici? 23 Reſpon-
dit Jeſus: Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, quid
me cædis? 24 Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. 25 Erat
autem Simon Petrus ſtans, & calefaciens ſe. Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex
diſcipulis ejus es? Negavit ille, & dixit: Non ſum. 26 Dicit ei unus ex ſervis
pontificis, cognatus ejus, cujus abſcidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi io hor-
to cum illo? 27 Iterum ergo negavit Petrus, & ſtatim gallus cantavit. 28 Ad-
ducuot ergo Jeſum a Caipha io prætorium. Erat autem maoe: & ipſi oon introie-
runt in prætorium, ut non contaminareotur, ſed ut manducarent Paſcha. 29 E-
xivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accuſationem affertis adverſus ho-
minem hunc? 30 Reſponderunt, & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non
tibi tradidiſſemus eum. 31 Dixit ergo ei Pilatus: Accipite eum vos, & ſecun-
dum legem veſtram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet inter-
ficere quemquam. 32 Ut ſermo Jeſu impleretur, quem dixit, ſignificans, qua
morte eſſet moriturus. 33 Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, & voca-

vit

vit Jeſum, & dixit ei: Tu es rex Judæorum? 34 Reſpondit Jeſus: a temetipſo
hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? 35 Reſpondit Pilatus: Numquid ego Ju-
dæus ſum? Gens tua, & pontifices tradiderunt te mihi: quid feciſti? 36 Reſpon-
dit Jeſus: regnum meum non eſt de hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet regnum
meum, miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum
meum non eſt hinc. 37 Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Reſpondit Je-
ſus: Tu dicis, quia rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mun-
dum, ut teſtimonium perhibeam veritati: omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem
meam. 38 Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? Et cum hoc dixiſſet, iterum exi-
vit ad Judæos, & dixit eis: Ego nullam invenio in eo cauſam. 39 Eſt autem
conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergo dimittam vobis
regem Judæorum? 40 Clamaverunt ergo rurſum omnes, dicentes: Non hunc, ſed
Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

℣. 1. HÆC CUM DIXISSET JESUS] Torrentem Cedron traduxit. Orationem, quam ſuperiori capite vidimus, Jeſus Chriſtus recitavit in via, cum ad hortum Olivarum proficiſceretur, qui in cognomine monte ad Jeroſolymæ orientem parebat. Montem hunc ab urbe, ac Templo ſatis anguſtæ vallis dividebat, per quam torrens Cedron præterfluebat [1]. Jeſus ergo ſtatim ac ſuam orationem abſolvit, torrentem illum tranſmiſit, & ſtatim ad Olivarum hortum pervenit. Torrens Cedron exiguus ſane rivulus eſt, neque ultra ſex, vel ſeptem pedes in latitudinem patet; aquas vero non juges vehit, ſed [2] tunc ſolum defluit, cum maxime decidunt imbres, non ſecus ac alii torrentes ibi locorum. Nomen illius in veteri teſtamento invenitur [3], & videtur de induſtria S. Joannes nomen torrentis hujus attuliſſe, ut in lectoris ſui mentem id revocaret, quod accidit Davidi, cum ejectus fuit Jeruſolyma a filio ſuo Abſalone, & coactus pedibus tranſvadare torrentem Cedron una cum illis, qui fugientem Regem ſubſequebantur [4]; quæ erat expreſſiſſima figura illius, quod eventurum erat Jeſu Chriſto, quem unus ex diſcipulis ſuis erat traditurus.

Criticos viros in diverſa diſtinet hic torrens Cedron. Credunt alii [5], hoc illi nomen inditum a cedris, quæ, inquiunt illi, ſecus ejus ripas conſitæ erant: cui ſententiæ ſuffragari videtur Græci textus [6] ſyntaxis; & docent Rabbini quidam, non deeſſe quemdam Cedri ſpeciem, *Cedros* Hebraice appellatam. Sed alii [7], iique majori in numero tenent, nomen Cedron eſſe mere Hebraicum, & ſignificare non *cedros*, ſed *obſcuritatem* [8]; ſive nomen hoc torrenti inditum fuerit propter illius altitudinem, ſive propter aquarum nigredinem. Non ſatis conſtet, Cedros [9] hoc nomine antiquitus Hebraice fuiſſe appellatas, atque magis adhuc ambiguum eſt, utrum torrentis ejuſdem ripæ cedris conſitæ fuerint. Non Sacra hiſtoria, non prophana hac de re, vel unum quidem afferunt verbum. Græci MSS. non ſibi conſtant, alii legentes *torrentem Cedrorum*, alii *torrentem Cedron*, quo in ſenſu S. Hieronymus intellexit, quem ſequimur, cum minime probabile ducamus, ævo David, Aſæ, & Joſiæ Cedros Jeroſolymæ nomine *Cedrorum* fuiſſe appellatas. Hæ quippe arbores in Scripturis ſemper *Araſim* vocantur, atque in ipſa Regum hiſtoria jam torrentem Cedron invenimus. Si verum eſſet, *Cedron* tunc cedrum ſignificaſſe, dicendus fuiſſet torrens *Cedronim*, non *Cedron*.

UBI ERAT HORTUS.] SS. Matthæus 26. 36. & Marcus 14. 32. ajunt, illum veniſſe in prædium, cui nomen *Gethſemani*. Ibi hortus aderat, quo ſæpius recedebat, cum Jeroſolymam veniret. Maximis ſolemnitatibus, quo tempore ex omnibus regionis illius locis, immo etiam ex finitimis provinciis omnes Jeroſolymam confluebant, non ita facile omnes in urbe cubare poterant, ſed propter optimam aeris temperiem, nox utique ſub dio in agris, atque prope civitatem tranſigebatur. Nomen *Gethſemani* Hebraice [10] ſignificat vallem pinguem, aut vallem oleaginam, vel propter olivas, quæ ibi plurimæ erant, vel propter ſoli ubertatem. Hortus Olivarum, quo Salvator ſe recepit, prædii hujus pars erat ad pedes montis Olivarum.

℣. 2. SCIEBAT AUTEM, ET JUDAS LOCUM.] Judas, qui noverat, Jeſum non conſueviſſe in civitate cubare [11], minime dubitavit, quin de more in hunc hortum ſe ſe conferret, noctem in precibus traducturus. Noctibus aliis nonnumquam Bethaniam ſecedebat [12] dormitum; verum hoc uno accidit, niſi cum non cœnaverat. At hac nocte, cum in urbe cœnaſſet, Judas argumentatus eſt, illum non longius iturum, quam in hortum, quo ut plurimum concedebat. Sacerdotes ergo, & Phariſæos admonuit, qui cum militibus ſtipatum ad Jeſum comprehendendum miſerunt.

℣. 3. CUM ACCEPISSET COHORTEM, & A PONTIFICIBUS, ET PHARISÆIS MINISTROS &c.] Duplicem hanc militum catervam, diſtinguamus oportet. Prior erat Romanorum militum [13]; altera vero ſervorum Templi, vel lictorum, qui Sanhedrin mandata exequebantur. Qui Romanorum nomine ei præerat provinciæ, Sacerdotibus, & Magiſtratibus tradere conſueverat cohortem militum, quæ pacem ſervare poſſent, atque omnes populi ſeditiones compeſcere, quæ cum hujuſmodi occaſiones adeſſent, frequentiſſime edebant [14]. Magiſtratus ergo, hujus cohortis partem una cum miniſtrorum manu, quam Sacerdotes, & Phariſæi mittebant, conjunxerunt, ut illa hoſte præſidio eſſet, atque auxilio. Hi Miniſtri erant juſtitiæ [15], puta lictores, aut viatores, qui ſuberant Imperio Sanhedrin, vel Ducis Templi, cujus munus erat, eos, qui aliquam in populo turbam peperiſſent, comprehendere [16].

VENIT ILLUC CUM LATERNIS, FACIBUS, ET ARMIS.]

1 Joſeph de Bello lib. 5. cap. 8. in Græco, ſeu lib. 6. cap. 3. in Latino.
2 Dombden. c. 27. pag. 233. 234. 3 2. Reg. 15. 23. 3. Reg. 15. 13. 4. Reg. 23. 5.
4 Vide 2. Reg. 15. 23. & ſeq. 5 Vide Grot. Eraſm.
6 Græc. impreſſ. Πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν Κέδρων. Sed Cant. & Valeſ. Coph. Τοῦ Κέδρων.
7 Stunica contra Eraſm. Bez. Druſ. Caſtal. Zeger. Camerar. Caſaub. Piſc. Schmid. Bynæus, alii.
8 קדרון *Kidron*. 9 ארזים *Cedri*. 10 גית שמנים *Vallis olei*, ſeu *olear um*.
11 Luc. 21. 37. 38. 12 Matth. 21. 17. Marc. 11. 11. 19.
13 Λαβὼν τὴν σπεῖραν. Confer. Matth. 27. 27. Τότε οἱ στρατιῶται τοῦ ἡγεμόνος . . . συνήγαγον ἐπ' αὐτὸν ὅλην τὴν σπεῖραν. Aug. tract. 112. in Joan. Ite Brug. Tir. Grot. hic. Vide & Matth. 26. 47.
14 Joſeph. Antiqu. lib. 20. cap. 4. & lib. 6. cap. 15. de Bello.
15 Ὑπηρέτας. Vide S. Matth. 5. 25. Joan. 7. 32. Act. 5. 21. 22. 16 Act. 5. 22. 26. Vide Bynæ de morte Chriſti lib. 2. cap. 3. num. 5. 2.

ARMIS.] Licet nox non illuſtris eſſet, quandoquidem lunæ menſis Niſan erat decima quarta; faces tamen extulerunt, ut illum conquirere poſſent in ſpecubus, vel in prædii domo, ſi illuc ſe ſe recipere voluiſſet. Veniunt ergo cum laternis, ut ignem celent, ne longius detegerentur: faces vero extinctas plane deferebant, quas tamen, ubi tempus eſſet, accenderent. Arma vero geſtabant, ut vim inferrent, ac cæderent, ſi Jeſus, & Apoſtoli illius ipſorum impetum propulſare voluiſſent.

℣. 5. JESUM NAZARENUM.] Hoc illi dixerunt, poſtquam ad Jeſum Judas acceſſit, eique oſculum tradidit ſignum, de quo cum militibus convenerat, ut illi, quem capturi eſſent, intelligerent [1]. Oportet ergo, hos homines quadam cæcitatis [2] ſpecie fuiſſe perculſos; nam poſt tot ſigna, cum manu faces, laternaſque geſtarent, & Cœlum minime obſcurum eſſet, non potuerunt tamen agnoſcere Jeſum, ſe ſe illis offerentem.

℣. 6. ABIERUNT RETRORSUM, ET CECIDERUNT IN TERRAM.] Salvator ea in occaſione infinitam ſuam poteſtatem voluit oſtendere [3]; & ſi capi noluiſſet, facile ſe illos diſſipaturum, omneſque illorum conatus everſurum fuiſſe. Verbum ipſius tamquam fulminis ictus fuit, illos evertentis. Adimplevit autem illam Danielis prophetiam, dicentis, a Deo impium ſtatu oris ſui diſſipari, Dan. 10. 9. Job. 4. 9.

℣. 8. SINITE HOS ABIRE.] Sua utitur auctoritate, atque ipſis imperat inimicis. Me ipſum vobis tradere non renuo, ſed meos diſcipulos abire ſinite [4]. Ego ſum Paſtor bonus, pono vitam meam pro ovibus meis [5], ac neminem ex illis, quos dedit mihi Pater, amittere volo: *hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo*, Joann. 6. 39. Non patiar teſtium, & Apoſtolorum, quos mihi tradidit, numerum imminui. Non deſunt, qui credant, Jeſum Chriſtum iſthic verba facere de morte animæ diſcipulorum ſuorum [6]: non perdam illos, non permittam, ut objiciantur tentationi ſemet perdendi, me abnegantes. Alii vero de morte corporis explicant [7]: non tradam illos Judæis, qui illis una mecum vitam auferant: eos ſervare volo, ut æterni Patris conſilio, Evangeliique mei prædicationi inſerviant. Plerique [7] utrumque conjungunt, & credunt, Salvatorem illos & ex animæ, & ex corporis morte, ejuſque periculo eripere voluiſſe: ſed illius verba ſuadent potius, hoc de corporali vita eſſe intelligendum, cui cupiebat conſulere.

℣. 10. ABSCIDIT AURICULAM.] Servo cuidam Summi Sacerdotis. Jeſus paulo antequam de ea domo, ubi cœnaverat, egrederetur, Apoſtolis ſuis dixerat [8], ſi cui gladius non eſſet, pallium venderet, ut inde enſem ſibi compararet. Cum vero illi reſponderent, duos ibi eſſe gladios, Jeſus Chriſtus ſatis eſſe ait. Hæc plane Salvatoris reſponſio illos impulit, ut ea arma diſtringerent, atque ſe ſe ad percutiendum diſponerent, ubi præceptorem ſuum comprehendi viderent. Petrus aliis in iram pronior e vagina gladium eduxit, & ſervum Caiphæ Summi Sacerdotis percuſſit. Narrat S. Lucas, e Salvatore Apoſtolos petiiſſe [9], utrum gladio uterentur: at S. Petrus, reſponſione minime expectata, vulnus intulit, & Malchi auriculam abſcidit. Reliqui Evangeliſtæ, neque ſervi percuſſi, neque Sancti Petri percutientis nomen retulerunt; fortaſſe prudentiæ ergo, quoniam tunc temporis ſcribebant, quo duo illi homines adhuc inter vivos verſabantur. Sed S. Johanni poſt S. Petri, & Malchi obitum ſcribenti nulla hujus rei ratio erat habenda. *Malchi* nomen Syriacum eſt, vel Hebraicum, & *Regem* ſignificat. Hoc nomen in Syria commune erat, quemadmodum liquet ex Holſtenio in vita Porphyrii [10].

℣. 11. NON BIBAM ILLUM.] Non vis, ut patiar ea, quæ me pati vult Pater? Calicis nomen frequens hoc in ſenſu in utriuſque Teſtamenti bibliis invenitur [11], eademque loquendi ratione nonnumquam utuntur etiam Prophani [12]. Ego efficiam, ut ille ex eodem poculo, quo ego bibi, bibat. Ego illum ita excipiam, quemadmodum ab illo exceptus fui. Hoc vero ex eorum temporum conſuetudine depromptum eſt, ubi Rex convivii cogebat convivas tot haurire pocula, quot ipſe vellet. Vel ex Judæorum more, qui in ſolemnibus, ac religioſis conviviis ad convivas omnes pateram circumferebant, ex qua paterfamilias biberat, & nunquam nemo libare non poterat.

℣. 12. COHORS, ET TRIBUNUS [13].] Ceperunt Jeſum, eumque vinculis onerarunt, cum ille ſe comprehendi paſſus fuiſſet. Illis ſatis omnipotentiam ſuam probaverat; primo, eos omnes uno dumtaxat verbo proſternens; mox Malcho auriculam reſtituens; ut illis oſtenderet ſe non comprehendi, niſi quod hæc erat hora ſua, & ſua voluntas. *Cohors* erat quingentorum, vel ſexcentorum militum, Tribunus vero vel erat dux Legionis totius, quæ ex ſex millibus, & ſexcentis hominibus compoſita erat, vel ſimpliciter unius tantum cohortis. Verum minime probabile eſt, ad Jeſum Chriſtum capiendum tot milites adductos fuiſſe. Parva enim dumtaxat manus miſſa fuit, & Tribunus huic præerat.

℣. 13. AD ANNAM PRIMUM.] Qui erat ſocer Caiphæ, & Dominus domus illius, ubi gener ipſius permanebat [14], & ubi habitum fuit Sacerdotum, atque Seniorum adverſus Jeſum Conſilium. Anna tamquam dominus domus illius ad ſe captivum adduci juſſit. Patet, maximam viri hujus fuiſſe in populo auctoritatem, quod diu ſummus Pontifex fuerat, & quod præ ceteris eminebat propter honorem, quo nemo umquam ex natione, vel familia ſua inſignitus fuerat. Habuit enim quinque filios, qui omnes deinceps ſummi Sacerdotii dignitate per functi ſunt [15]; habebatque actu generum ſuum, eamdem dignitatem obtinentem. Tunc fortaſſe erat præpoſitus Sanhedrin, & ideo imperare poterat, ut ad ſe captivus adduceretur. Quomodocumque ſit, ubi nonnulla ex Jeſu Chriſto quæſiviſſet de illius doctrina, atque diſcipulis, illum miſit ad Caipham, quo complures convenerant Sacerdotes, læti, atque itineris eorum, qui ad Jeſum capiendum miſſi fuerant, eventum præſtolantes.

Credunt nonnulli [16], Judam, alioſque ad Annam primum adduxiſſe Jeſum; ab eo enim Judæ promiſſi fuerant triginta argentei, de quibus tamquam proditionis pretio eum illo convenerat: proditorem vero, ubi pecuniam accepiſſet, minime ulterius perſecutum fuiſſe Jeſum Chriſtum: quæ circumſtantia parum certa eſt, ac parum veriſimilis.

ERAT PONTIFEX ANNI ILLIUS.] Vidimus ſupra c. 11. 49. eo tempore Summum Sacerdotium non ut olim cum vita permanſiſſe; Prætores enim, qui eam Provinciam tenebant, ſummos Sacerdotes pro libidine vel evehebant, vel detrudebant.

℣. 14. ERAT AUTEM CAIPHAS, QUI DEDERAT CONSILIUM JUDÆIS.] Operæ eſſe pretium, ut unus homo pro populo moreretur, ſupra cap. 11. ℣. 49 50. Hac de cauſa ille expungi debebat ex Judicum numero, cum de Jeſu Chriſti vita ageretur, attamen judicio præeſt, & audet in illum mortis ſententiam proferre. Non ait explicite Evangeliſta, Jeſum Chriſtum ab Anna ad Caipham adductum fuiſſe, sed plerique Interpretum credunt, ſtatim ac Salvator coram illo apparuit, Annam

1 Matt. 26. 48. 49. Marc. 14. 44. 45. 2 Chryſoſt. hom. 84. Brug. Grot. Eyn.
3 Ita Patres, Interpp paſſim. 4 Chryſoſtom. Theophylact.
5 Joann. 10. 11. 6 S. Chryſoſtomus aſſerere videtur, id Filium Dei intellexiſſe de morte animæ; Evangeliſtam vero de morte corporis. 7 Rupert. Brug. Toler. alii. 8 Luc. 22. 36.
9 Luc. 22. 49. 10 Vide Holſten. vita Porphyr. Grot. hic, & Cleric. ad Hamm.
11 Vide Pſalm. 10. 6. 74. 9. Iſai. 51. 17. Jerem. 25. 15. 16. 17. Ezech. 23. 31. 32. Matth. 20. 22. 26. 39. Apoc. 14. 10. 16. 19. 18. 6. 12 Ariſtoph. Equit. Plaut. Caſ. Act. 5. Scen. 2. *Ut ſenex hoc eodem poculo, quo ego bibi biberet.* 13 *Hæc σπεῖρα, καὶ ὁ Χιλίαρχος, Cohors, & Chiliarchus*, ſeu dux millium.
14 Caſaub. Toynard. Vide Aug. & Grot. 15 Joſeph. Antiq. lib. 20. c. 8.
16 Cyrill. Alex. Cornel. a Lapide hic, Tolet. Eraſm.

nam impetaſſe, ut ad Caipham adduceretur, ubi acciderunt ea, quæ ſequentibus verſiculis leguntur. Non defuerunt etiam [1], qui crederent, nonnihil textui hoc in loco deeſſe, & ſupplerent ea verba, quæ iſthic apud S. Cyrillum leguntur [2]: *miſerunt ergo illum vinctum ad Caipham Summum Sacerdotem*. Sed alii aſſerunt [3], hanc additionem neceſſariam non eſſe, neque S. Cyrilli textum ſatis auctoritatis aſſerre, ut contra cæterorum textuum, omniumque verſionum conſenſum recipiatur. Cæterum minime abſurdum eſt aſſerere, ab Anna Jeſum interrogatum fuiſſe de doctrina, & diſcipulis ſuis, antequam ad Caipham adduceretur.

℣. 15. Alius Discipulus.] S. Hieronymus in Epitaph. Marcellæ, S. Johannes Chryſoſtomus hom. 83. atque poſt hos Theophylactus, aliique nonnulli [4], diſcipulum hunc S. Johannem fuiſſe, crediderunt: nec aliter ſenſerunt recentiores quidam Interpretes [5], hoc præſertim innixi argumento, quod unus S. Johannes hanc adfert circumſtantiam, & quod ſæpius de ſeipſo in tertia perſona loquatur; & denique quod textus Græcus habeat [6]: *Hic alius diſcipulus*, tamquam innuere vellet S. Johannem, qui fere ſemper alibi una cum S. Petro invenitur. Putat S. Hieronymus, hunc Summo Sacerdoti cognitum fuiſſe propter familiæ nobilitatem; Nonnus vero propter artem piſcatoriam, & alii apud Lyranum, propter illius in ſcientia Legis præſtantiam. Inanes conjecturæ.

Optimorum Interpretum plerique [7] ſentiunt, Græcum textum, uti in Vulgata, vertendum eſſe, *alius diſcipulus*, non autem, *hic alius diſcipulus*, & cum S. Johannes de ſe loquitur, ut plurimum ſe ex eo deſignat, addito *illum, quem diligebat Jeſus*, qua locutione iſthic non utitur. Suſpicatur Grotius, hunc illum eſſe hominem, apud quem aliquot horis ante Salvator cœnaverat. At S. Auguſtinus Tract. 113. ait, nihil temere pronuntiandum ea in re, de qua nihil adſerit Scriptura, qua ſententia in hujuſmodi quæſtionibus nihil aptius poteſt inveniri.

℣. 16. Dixit ostiaria.] Hæc oſtiaria a Cæſario qu. 177. *Ballila* appellatur. Satis ex antiquitate patet olim conſueviſſe mulieres, præſertim vero anus, oſtiis præponi. Septuaginta, oſtiariam Isboſeth ancillam fuiſſe, dicunt [8]. Eas Ariſtophanes in Veſpis *SoKis* appellat, & de illis Homerus etiam Odyſſ. Ψ. atque Euripides Troad. v. 197. verba faciunt; apud quorum poſtremum Hecuba calamitatem ſuam deplorat, quod cum Throno Regina inſederit, ſub vitæ finem janitrix, vel nutrix facta fuerit. Et Plautus Curcul. Act. 1. Scen. 1.

Anus hic ſolet cubitare cuſtos janitrix.

℣. 17. Numquid et tu.] Hoc per prolepſim dicitur: accidit vero aliquandiu poſt quam Petrus ingreſſus eſt, qui cum ad ignem acceſſiſſet, ab iis, qui aderant, agnitus fuit.

℣. 18. Ad prunas.] Græcus [9] ad litteram, *fecerant ignem cum carbonibus*. S. Marcus 14. 54. legit, *calefaciebant ſe ad lucem*, hoc eſt, ignem lucentem; quod explicite S. Lucas 22. 55. teſtatur. Hæc autem in atrio acciderunt, ubi ſatellites miniſtri Sanhedrin, atque privati Sacerdotum ſervi ſe ſe calefaciebant. Hujuſmodi homines ſatis aperte in textu [10] deſignantur, & de Romanis militibus nullus amplius eſt ſermo: illi enim plane dimiſſi fuerunt, poſtquam Jeſum Annæ tradiderunt.

Quia frigus erat.] Quorſum autem, quandoquidem eo tempore agebatur in Palæſtina meſſis hordeacea, & triticum jam mateſcebat? Bidulphus, qui eam regionem luſtravit, narrat, ſe Paſchatis feſtivitate non majus expertum fuiſſe frigus, quam æſtate media in Anglia. Sed viator hic expertus etiam eſt, ibi locorum tantum deſævire poſſe frigus tunc temporis, præſertim vero ſub noctis finem, ut igne opus ſit, quo caleſiant propter roris copiam, quæ maxima ibi decidit, & quæ graviſſimum aeri frigus communicat. Ligfoot etiam [11] oſtendit ex Rabbinorum fide, Paſchatis tempore ibi nonnumquam, & pruinam, & nivem minime deeſſe.

℣. 19. De discipulis, et de doctrina ejus.] Docent Rabbini generatim, nullum juris actum noctu eſſe exercendum. Cauſæ pecuniariæ interdiu pertractantur, & noctu judicari poſſunt. Sed criminalia judicia nonniſi die, & incipienda ſunt, & perficienda. Si ſententia reus liberatur, eadem die proferri poteſt; ſin damnatur, nonniſi poſtridie profertur, ita ut hujuſmodi judicia, neque pridie Sabbathi, neque pridie alicujus diei feſti poſſint exerceri. Hæc ſunt judiciorum regulæ ex Talmud depromptæ [12]. Attamen Jeſus Chriſtus ad Summum Sacerdotem adducitur, juridice interrogatur, & damnatur nocte; immo & nocte feſtivitatis Paſchalis juxta pleroſque Interpretes, vel ſaltem vigiliæ hujus diei feſti, & magni ſabbathi. Hinc patet, quomodo jura hæc in cauſa fuerint ſervata.

Veteres nonnulli [13] crediderunt, hoc apud Annam factum fuiſſe, quæ ſententia minime recedit a textu S. Johannis, licet plerique Interpretes putent, id accidiſſe apud Caipham, qui illhic ex ſola ſua Summi Sacerdotii dignitate indigitatur, quæ tamen dignitas non minus ad Annam, quam ad Caipham ſpectabat. Habita ergo fuit ex Jeſu quæſtio de illius *diſcipulis, & doctrina*, quo jure diſcipulos congregaret, ſeorſim ſectam inſtitueret, mores reformare auderet, ac recentem ſereret doctrinam. Hujuſmodi quæſtio erat Summi Sacerdotis, quem penes jus erat, de doctrina, & rebus ad religionem ſpectantibus cognoſcere, & judicare.

℣. 20. Palam locutus sum mundo.] Omnibus Judæis; Ethnicis enim minime prædicabat: ſed palam locutus fuerat in Synagogis, in Templo, in compitis, & plateis, in urbibus, oppidis, & agris; occaſionem accipiens ex his omnibus, quæ ſe ſe offerebant, ut Dei Regnum annuntiaret. Verum ſi quid in doctrina ſua malum fuiſſet, tot in illum teſtes inſurrexiſſent, quot erant in ea regione Judæi. At nemo hactenus potuerat doctrinam ejus arguere, licet ſemper Phariſæi, atque Legis doctores illum obſiderent, atque undequaque inſidias illi ſtruerent. Quoad diſcipulos vero nulla oboriri poterat ſuſpicio, quoniam pacate ſemper vivebant, ac ſine tumultu, & quin in Republica, vel minimum ſeditionis, diſſidii, turbæ indicium præberent; ipſi etiam, quemadmodum Magiſter ſuus, prædicaverant omnibus benefacientes. Longe diſſimiles a Principibus Sectarum, & Pſeudo prophetis, qui vel rerum novarum ſtudia ferebant, vel ſequiorem doctrinam prædicabant, & populos congregabant, ut illis ne ſublinirent.

℣. 21. Interroga eos, qui audierunt.] Si mihi teſtimonium perhibuero, vos me non audietis: Teſtes adſerte, & loquantur; illi vel accuſent me, vel tueantur; pro me, vel contra me teſtentur. Sequere communes juſtitiæ regulas, primum audi teſtimonia [14]: non enim tibi deerunt, quandoquidem ſemper in populo docui. Nihil hac reſponſione melius Salvatoris integritatem, atque confidentiam oſtendit.

℣. 22. Unus ministrorum [15].] Qui aderant, vel potius *miniſtrorum Juſtitiæ*, lictor, apparitor, impegit alapam

1 Beza, Eraſm. Schmid. hic. Nanſius ad Nunni Paraphr. in Joan. 18. 23.
2 Ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν ὁ Ἄννας δεδεμένον, πρὸς Καϊάφαν ἀρχιερέα. 3 Brug. Grot. Cocc. Lud. de Dieu. Vide ſi lubet Byxæum, l. 2. c. 4. n. 8. 9. 4 Nonnus, & Lyr. & alii quidam.
5 Eraſm. Schmid. Piſcat. Menoch. 6 Καὶ ὁ ἄλλος μαθητής.
7 Grot. Brug. Tir. alii. 8 2. Reg. 4. 5. 9 Ἀνθρακιὰν πεποιηκότες, ὅτι ψῦχος ἦν.
10 Οἱ δοῦλοι, καὶ οἱ ὑπηρέται. 11 Ligf. Hor. Hebr. in Joan. 18. 18.
12 Talmud. Cod. Sanhedr. cap. 4. §. 1. דיני נפשות דנין ביום וגומרין ביום . . . . דיני נפשות גומרין בו ביום לזכות. וביום שלאחריו לחובה
13 Nonn. hic, & Ammon. in Harmon. Theophylact. Toynard. Harmon.
14 Grot. Ligfoot. 15 Εἷς τῶν ὑπηρετῶν.

alapam Jeſu, inſignite cupidos cum zelum ſuum contra illum, cum ſuam erga Summum Sacerdotem obſervantiam. Seldenus de jure Nat. & Gent. l. 4. cap. 5. & Marshamus Can. Ægypt. contendunt, apparitorem hunc nihil contra populi ſui Leges patraſſe, permittentes cuilibet Iſraelitarum illico perſequi quamlibet injuriam Deo, Templo, nationi, vel Summo Sacerdoti illatam, idque par Legem zeli.

℣. 23. Si male locutus sum.] Scio ſcriptum eſſe [1], non obloqueris de Principe populi tui; & novi, quam debeo ſummo Dei viventis Sacerdoti obſervantiam; ſed oſtende, me huic obſervantiæ defuiſſe, vel aliquid male locutum eſſe. Non offert Jeſus & alteram genam, quemadmodum faciendum illi videretur, juxta ea, quæ præcepit Apoſtolis ſuis Matt. 5. 39. *ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*: at hoc illa in cordis præparatione explevit, inquit S. Auguſtinus, quia carnificibus non alteram dumtaxat colaphis mulam, ſed totum corpus ſuum Cruci prubuit affigendum: *non ſolum alteram maxillam iterum percuſſuro, ſed totum corpus figendum præparavit in ligno*. Si tunc ille tacuiſſet, ſilentium illius habitum fuiſſet, tamquam ſceleris non patrati confeſſio. At honoris & ſui, & Patris ſui intererat, ut ſua innocentia ſemper effulgeret. Reus licet nequam in Judicum manu eſt tamquam in aſylo adverſus omnem alienam vim tutiſſimus.

℣. 24. Et misit eum Annas.] Hoc eſt, *miſerat*, uti plerique Interpretes vertunt, licet Græcus ad literam legat [2]: *miſit Annas illum ad Caipham*; vel cum aliis exemplaribus; *ſed Annas miſit illum*, vel *miſit ergo Annas*; & nonnulli [3], quemadmodum jam dictum eſt, crediderunt, Jeſum Chriſtum primum ſubiiſſe quæſtionem in Annæ domo habitam, & mox ad Caipham miſſum fuiſſe: ſed omnes fere Interpretes conſenſerunt, apud Caipham ea contigiſſe, quæ ſuperioribus leguntur verſiculis; hunc vero iſthic per anacephalæoſim apponi, vel parentheſi eſſe claudendum. Alii vero in oppoſitam ire juvat ſententiam, quippe quæ textui magis conformis videtur.

℣. 25. Negavit.] Hic verus eſt locus primæ, vel alterius negationis S. Petri; id enim, quod adfertur ℣. 17. per prolepſim dictum eſt. Vide quatuor Evangeliorum Harmoniam.

℣. 27. Gallus cantavit.] Noviſſime; nam jam antea ecinerat, quemadmodum liquet ex S. Marco 14. 68. Poſtremus hic cantus ab univerſis quatuor Evangeliſtis [4] adfertur, tamquam Dominicæ prædictionis complementum, Matt. 26. 34.

℣. 28. Adducunt Jesum a Caipha in Prætorium.] Ubi Pilatus commorabatur. Domus hæc Romanorum more *prætorium* appellabatur; illi quippe hoc nomine vocabant domum eorum, qui Provinciis præerant [5]. S. Johannes ea omnia prætermiſit, quæ apud Caipham evenerunt, criminationes, & ementita teſtimonia contra Jeſum Chriſtum allata, Caiphæ ſententiam, contumelias, quibus Salvator in atrio Summi Sacerdotis affectus fuit, magnum conſilium, Sanhedrin mane habitum, in quo Salvator iterum mortis dignus judicatus fuit. Hæc autem omiſit Evangeliſta, quippe quæ ſatis aperte narrata fuerant ab illis, qui ante ipſum ſcripſerant. Jeſus ergo ad Pilatum adductus fuit a Senatu univerſo [6], hoc eſt, ab eo, quem illi *Sanhedrin* vocant, qui cœtus eſt Judicum apud Hebræos frequentiſſimus, & præſtantiſſimus. Potuerant quidem

A hi Judices Jeſum morte dignum cenſere; at non poterant efficere, ut ille extremo ſupplicio afficeretur, ideoque ad Pilatum illis confugiendum fuit.

Erat autem mane.] Mane convenerant [7], ut Jeſum damnarent. Illorum Concilium non diu perſtitit; Salvator quippe palam confeſſus fuerat, ſe Dei Filium eſſe: neque illi aliquid ulterius quærebant. Statim ergo ad Pilatum illum adduxerunt, ut illius damnationem extorquerent.

Ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.] Judæi Ethnicos habebant, tamquam pollutos homines, & qui ſordes ſuas communicare poſſent rebus omnibus, quas attrectaſſent. Jude increverat apud Judæos conſuetudo ſe ſe expiandi, ubi ex plateis, vel aliis locis, ubi Ethnicum, vel pollu-

B tum hominem attingere [8] potuiſſent. Judæorum Doctores jam Aſmonæorum tempore, vel etiam multo pridem judicaverant, generatim loquendo, Ethnicum quemlibet, ſeu virum, ſeu mulierem habendum eſſe tamquam mulierem menſtruis ſordibus laborantem, vel tamquam virum jugi gonorrhæa diffluentem [9]. Sanatores, & Sacerdotes prætorium ingredi noluerunt, ne quem Ethnicum, militem, ſervum, lictorem, apparitorem, aliumve attingerent, unde ſordem aliquam contraherent, qua ad veſperam uſque in ipſis permanente [10], agnum Paſchalem, qui poſt meridiem a jus diei, ſecunda, vel tertia pomeridiana hora immolandus erat, & ad veſperam comedendus, manducare prohiberentur.

Huic objiciunt explicationi, Paſcha, de quo hic a-

C gitur, non eſſe Agni Paſchalis, ſed alius victimæ, quæ ipſo Paſchatis die immolabatur. Si Evangeliſta de Agno Paſchali verba facere vellet, inutile fuiſſet aſſerere, Judæos non auſos eſſe prætorium ingredi, ne pollucrentur, & ut Paſcha poſſent manducare; agnus enim Paſchalis veſpera tantum comedebatur, & ſordes, quas ea die contrahere potuiſſent, veſpere lavacro abſtergi poterant [11]; ita ut nihil eos prohiberet, quominus cum aliis Judæis Paſcha comederent. Hoc autem ſatis perſpicue Maimonides docet, cum ait [12], eos, qui decima quarta die Niſan polluti fuiſſent ex immundi reptilis attactu (quæ eadem eſſet immunditia, ac ſi Ethnicum attigiſſet) ſub veſperam abluti, at prout illa Paſcha immolari, quod poſt Solis occaſum manducent.

Oportet ergo de alia quapiam victima ſermonem hic

D eſſe, quam die eadem comedere non potuiſſent, ſi polluti fuiſſent. Verum Scriptura *Paſchatis* nomine quaſdam hoſtias appellat, quæ vel pridie Paſchatis, vel ipſa die, vel intra octiduum immolabantur; ergo de his victimis plane hic ſermo eſt [13]. Has hoſtias Judæi [14] *chagigah* appellant, quæ & pridie [15], & die ipſo Paſchatis [16] mactabantur, hoc eſt 14. & 15. Niſan. Moyſes ſane explicite ait: *Immolabis Phaſe Domino Deo tuo ideſt, de ovibus, & de bobus*. Sed pollutis minime licebat de his ſacrificiis comedere; ergo de his forte Judæi comedere volebant, atque pro his ſe ab omni ſorde immunes ſervabant.

Verum tria in oppoſitum afferri poſſunt. Primum, hæc ſacrificia minime puriora fuiſſe, quam illud Agni Paſchalis; ideoque qui Ethnicum attigiſſet, veſpere eodem ſe ſe expiare potuiſſe; neque prohibitum fuiſſe,

E quominus ex illis comederet. Alterum: minime neceſſum fuiſſe ex his ſacrificiis manducare, quæ *Chagigah* vocantur; hæc quippe mere pietatis erant, & ex ſolum, qui vellet, immolabat. Poſtremo, victimas, quas Moyſes in Deuteronomio ſd. a. appellat Paſcha, & Phaſe

1 Exod. 22. 28. in Græc. Act. 23. 5. Oὐκ ἐρεῖς κακῶς, &c.
2 Ἀπέστειλεν αὐτὸν ὁ Ἄννας. Alii; Ἀπέστειλεν οὖν αὐτόν. Alii; Ἀπέστειλεν δὲ αὐτόν. Vide Mill. hic.
3 Theoph. hic, & alii ex antiquis. Vide & Toynard. hic. Harm. p. 117. Vide ſupra ad verſ. 19.
4 Matt. 26. 74. Marc. 14. 72. Luc. 22. 60. 5 Circa in Verrem, Act. 5. Vide Perizon. Diſſert. de Prætorio. 6 Matt. 27. 1. 2. Marc. 15. 1. 2. Luc. 22. 65. 67. 23. 1. 2.
7 Matt. 27. 1. Πρωΐας δὲ γενομένης. Marc. 15. 1. Καὶ εὐθέως ἐπὶ τὸ πρωΐ. 8 Marc. 7. 3.
9 Vide Seldeo. de Jure Nat. & Gent. lib. 2. cap. 5. Maimonid כוכבים תמיד בין ראי בין לא ראי החכמים גזרו על כל הגוים חוזרים ודבקות שיהיו
10 Levit. 15. 10. 11. 19. 20. 11 Levit. 15. 10. 11. & 19. 20.
12 Maimon. de Paſcha, cap. 6. ſect. 1. 13 Vide Baron. Annal. ad ann. cap. 34. Tolet. hic. Boch. de animal. parte 1. lib. 2. cap. 2. 14 חגיגה *Chagigah*. 15 Vide Bochart. loco cit.
16 Ligfoot. Hor. Hebr. in hunc loc.

& Phaſe, quæque eædem eſſe videntur, ac illæ, de A quibus in Numeris 18. 19. loquitur & quæ omnibus diebus intra Paſchatis octiduum immolabantur, holocauſta fuiſſe, quibus mundis æque, & immundis veſci nutas erat. Itaque nihil ex hoc loco inferri poteſt. Non nego autem, ea in feſtivitate pacificas etiam hoſtias immolatas fuiſſe; omnes quippe fatentur ſingulis licuiſſe, quod vellent, & quot vellent illa offerre: ſed pro illis nec dies, nec tempus, neque numerus erant conſtituta. Hoc ex cujuſque devotione, & cordis pietate proficiſcebatur, & minime fidei conſonum eſt, Judæos, qui ſumma ope, & vi, JESUM CHRISTUM perſequebantur, ſe ſic continere voluiſſe, ne Prætorium ingrederentur, ut ea die ne illis ſacrificiis comederent, quibus æque alia quolibet die ipſis veſci, vel etiam omnino non veſci potuiſſent. B

Nullus igitur dubito, quominus S. Johannes iſthic de Paſchali victima proprie dicta loquatur, quæ in Templo, die eadem, ac tempore eodem, quo JESUS CHRISTUS in Cruce efflavit animam, fuit immolata: & per hæc verba, *ut manducarent Paſcha*, intelligere immolationem, oblationem, comeſtionem Agni, quæ nonniſi a mundis fieri poterat. Cæterum cum plurimi eſſent in eo cœtu Sacerdotes, illis potior, quam cæteris, aderat cauſa, ne Prætorium ingrederentur, quod illa die ſolemni pompa in Templo munere ſuo erant perfuncturi. Ita locus hic palam noſtræ favet ſententiæ quoad noviſſimum Paſcha, quod minime credimus a Domino mortis ſuæ anno fuiſſe celebratum.

℣. 29. EXIVIT PILATUS AD EOS FORAS.] Quandoquidem illi Prætorium ingredi minime poterant, dignatus eſt Pilatus ad illos egredi, cum illis allocuturus. C Voluerant Romani, ut Hebræis integrum eſſet libere propriis legibus uti, ſuæque religioni vacare: cavebantque, ne illos contra legum ſuarum ſancita agere impellerent.

℣. 30. SI NON ESSET HIC MALEFACTOR [1]] minime illum tibi tradidiſſemus. Volunt, Pilatum eſſe *executorem ſententiæ, non arbitrum cauſæ*, inquit S. Leo Serm. 8. in Paſſione.

℣. 31. ACCIPITE EUM VOS.] Quidam [2] hoc tamquam ironice dictum intelligunt: quandoquidem aperte adeo noxius eſt, ut vobis contumelioſus quodammodo videar ex vobis quærens, quo nomine illum accuſetis, accipite illum vos, judicate, damnate, interficite. Sed magis communis ſententia eſt [3], hoc D in Judæorum gratiam a Pilato dici, qui ratus, agi de re ad leges eorum ſpectante, ad illos judicium deferre cupiebat. Non dicit illis explicite, judicate, damnate, interficite: ſed Judæi ita intellexerunt, quandoquidem reſponderunt: *nobis non licet interficere quemquam*; ſed quid illi verebantur, ſi hanc illis Pilatus facultatem permittebat? nolebant plane tantum invidiæ pondus ob hanc mortem apud populum ſubire, neque in ſe damnationis, & mortis dominicæ exprobrationem convertere.

Quæritur hoc in loco, quo in ſenſu verum ſit, Judæos tunc vitæ, neciſque jus amiſiſſe. Interpretum plerique [4] Rabbinorum teſtimonio, & confeſſioni E inſiſtentes [5] credunt, annis quadraginta, antequam Jeroſolyma a Romanis exſcinderetur, hoc Judæis jus ademptum fuiſſe, anno videlicet eodem, quo Dominus noſter paſſus eſt. Jeroſolyma enim poſt annos quadraginta a morte illius everſa eſt. Scaliger tamen in A emend. in Euſeb. n. 2086. hanc Hebræorum doctrinam explodit, ac aſſerit, id accidiſſe, anno uno & ſexagintaante excidium Templi, cum Archelao Judææ Rege Viennam relegato Judæa in Provinciam redacta fuit; eamque Scaligeri ſententiam quamplures eruditi viri ſequuntur [6].

Et ſane inde ſuſpicio oboritur contra Rabbinorum ſententiam, quod ſi ex iis quæratur cauſa defectus facultatis, qua tunc necis capite damnare prohibebantur, ridiculam afferunt rationem [7]: quod videlicet, cum in dies augeretur cladium numerus propter latronum, atque prædonum licentiam, cumque Sanhedrin non tantum haberet auctoritatis, ut ea mala reprimere poſſet; quippe prohibebatur Præſidum auctoritate, B qui ſæpius ex illius manu ſontes evellebant, decrevit locum relinquere, ubi cogebatur in Templo, atque alibi ſedem ſtatuere, ne ultra videre cogeretur leges violatas, atque ſcelus impune.

Inde Seldenus aliique nonnulli [8] arguerunt, Judæis minime ademptum fuiſſe jus vitæ, & necis: ſed ſimpliciter eodem, ut olim, uſos non fuiſſe ob allatas rationes. At quorſum igitur ajunt illi: *nobis non licet interficere quemquam?* quod videlicet non exercebant amplius hanc poteſtatem libere, neque eadem cum auctoritate, eodemque eventu, ac olim; tum propter Præſidum poteſtatem, tum propter licentiam, atque frequentiam iniquorum. Hæc ajunt auctores illi, rati, Rabbinos vera narrare.

Alii Judæorum reſponſionem ita coarctant [9]: *nobis* C *non licet interficere quemquam* crucis ſupplicio; putant enim, ſed perperam [10], hoc genus mortis a Judæis alienum fuiſſe. Vel [11]: *nobis non licet interficere quemquam* hac die, die videlicet Paſchatis; vulgo enim ſupponunt, hæc hujus ſolemnitatis die accidiſſe; & patet, feſtis diebus juxta Judæorum leges nefas fuiſſe aliquem extremo afficere ſupplicio [12]. Denique Bynæus ſimpliciter erudit, illos non potuiſſe JESUM CHRISTUM occidere, quod Majeſtatis læſæ reus eſſet, quod ſcelus Romano Magiſtratui erat reſervatum.

Judæis vero tunc vitæ, neciſque fuiſſe jus ſatis probari poſſe putant S. Stephani exemplo, qui a Judæis extra portas Jeroſalem cæſus fuit [13]. Salvator ipſe bis periculum ſubiit, ut in Templo lapidibus obrueretur [14]. S. Paulus ad Cæſarem provocare te- D netur, ut ex Judæorum inimicorum ſuorum manu elabatur [15]. Judæorum Senatus decrevit, Apoſtolos morte eſſe mulctandos; & plane conſultum ſuum explevit, niſi Gamaliel adverſatus fuiſſet, Act. 5. 33. Liquet etiam, S. Paulum, aliosque Apoſtolos in Synagogis virgis cæſos fuiſſe [16].

Nos vero cum eruditiſſimis Viris [17] credimus, hæc exempla non ſatis probare. Significant enim quemdam popularem motum, vel judicium zeli, ut auctorum Judæorum nomine illud appellem; cum indicta cauſa populus ſtatim legis violatorem occidebat: quo in caſu, & leges, & conſuetudo hanc violentam necis inferendæ rationem ſerebant. Vel potius, ea ſimplicia ſunt conſilia hominis perdendi, illum accuſando, E atque illius apud legitimos judices damnationem perſequendo. Vel denique hæc ſupplicia ſunt, quæ flagella, & virgas non excedunt; & quæ Romani in Synagogis exerceri patiebantur adverſus eos, qui con-

 tra

1 Εἰ μὴ ἦν οὗτος κακοποιός. 2 Scalig. Brug. Ligfoot.
3 Vide Toler. Brug. ex Euthym. & alios. 4 Ligfoot. Druſ. Scal. hic. Caſaub. in Baron. exercit. 16. Buxtorf. Lex Talmud. p. 514. 515. Conſtant. Lemper. in Rempub. Bertram.
5 Talmud. Jeroſol. lib. Sanhedr. c. 7. Talm. Babyl. Sanhedr. fol. 41. Abodah Sara fol. 8. Maimon. in Sanhedr. c. 14. &c. 6 Druſ. & Beza hic. Huet. Origenian. p. 30.
7 Vide Selden. de Synedriis, lib. 2. c. 15. n. 10. 11. Ligfoot. Hor. Hebr. in Matt. 26. 3.
8 Selden. loco citato. Cartrig. Melleſic. Hebr. lib. 2. c. 6. Ligfoot. Hor. Heb. in Matt. 26. 3. Lami Concord. Evang. Apparat. Chronol. p. 11. cap. 3. 9 Edmund. Merill. Not. Philolg. ad Paſſionem Chriſti. Viſembarb & Muſcul. hic. Ita & Theophyl. 10 Vide noſtram Diſſertationem de ſuppliciis Hebræorum.
11 Vide Auguſt. hic. & Cyrill. Chryſoſt. homil. 82. Gloſſ. ordin. hic. Cloppenbur. Ep. ad Lud. de Dieu, p. 97.
12 Ita Maimon. & alii. 13 Act. 7. 1. . . . 58.
14 Joan. 8. 59. 10. 31. 15 Act. 25. 8. 10.
16 Matt. 10. 17. 23. 34. 2. Cor. 11. 24. Vide Bynæum de morte Chriſti, lib. 3. c. 1. n. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.
17 Grot. de jure belli, & pacis, lib. 2. c. 20. §. 9. & in Act. 7. 57. Beza hic, alii.

erant Legem peccaverent [1]. Quoad epocham e Rabbinis allatam annotem quadraginta ante excidium Templi, illam mendoſam cenſemus, non ſecus ac illius cauſam, quam proferunt. Vera cauſa, quod necis ac vitæ jus illis ademptum fuerat, inde proculdubio profecta eſt, quod cum Romani Judæam Provinciam feciſſent, Præſides ad Tribunal ſuum omnia capitis judicia pertrahebant, iis de cauſis quas quilibet facile conjectando intelligere poteſt. Joſephus Antiq. l. 20. c. 7. 8. ait, ab Anano cæſum fuiſſe Jacobum fratrem, vel conſanguineum JESU CHRISTI, aliuſque nonnullos; ſed Ananus ad id opus elegit tempus illud, quo in Judæa nemo Romanorum Præſes aderat: hoc enim illud fuit intervallum, quod inter Feſti mortem, & Albini adventum utriuſque Præſidum Provinciæ elapſum eſt. Ad hæc narrat Joſephus, hoc Anani factum delatum fuiſſe ad Præſidem, & Regem Agrippam; quoniam erat contra Regionis illius Leges, & conſuetudinem.

℣. 32. UT SERMO JESU IMPLERETUR.] *Ut* ſimpliciter uſurpatur pro *ita ut*: neque cauſam ſed eventum ſignificat [2]. Permiſit Deus, ut Judæi vitæ, neciſque jus amitterent; at ſecundum leges Romanas, quæ perduellionis reos ſupplicio Crucis necabant, JESUS CHRISTUS juxta ſuam prædictionem Cruci affigeretur [3]. *Et ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum*: & Matth. 20. 18. *tradent eum ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum*.

℣. 33. INTROIVIT ERGO ITERUM IN PRÆTORIUM.] Hæc vox *iterum* non ſignificat, Pilatum ſemel jam in Prætorium ſuum ingreſſum fuiſſe; ſed ſolum illuc rediiſſe, inde ſemel egreſſum, ut ad Judæos loqueretur. Syrus, & Græci quidam MSS. hanc particulam omittunt, tamquam abundantem.

TU ES REX JUDÆORUM?] S. Johannes non dixit, JESUM accuſatum fuiſſe, quod ſe ferret Regem Judæorum: at S. Lucas 23. 2. narrat explicite, illum ad Pilatum adductum accuſatum fuiſſe, tamquam rebellem, qui prohibebat, ne tributum Cæſari perſolveretur, & qui ſe CHRISTUM, & Regem Judæorum ferebat. Propter hanc criminationem ergo Pilatus ex JESU quærit, utrum vere ſit Rex Judæorum.

℣. 34. A TEMETIPSO HOC DICIS?] An alii hoc de me tibi dixerunt? hæccine ſimplex eſt ſuſpicio, aut ſimplex curioſitas, qua impulſus id ex me quæris; an eſt inimicorum meorum accuſatio? Non quærit hoc JESUS CHRISTUS, perinde ac ſi ignoraret; at decreverat inde teſtimonium veritati perhibere, & hinc inutiles quæſtiones ex mera etiam curioſitate profectas negligere. Vult ergo Pilatum in eam pertrahere reſponſionem, quam infra tradit.

℣. 35. NUMQUID EGO JUDÆUS SUM?] Pilatus ſibi illatam putat injuriam ex hac JESU CHRISTI locutione: numquid ego Judæus ſum, ut ſciam, utrum nationis tuæ te Regem jactites? quid ego ſciam, utrum ex avitis regibus originem ducas? verbo: numquid ſcio, quo in ſenſu te Judæorum Regem eſſe profitearis? Numquid ego Judæus ſum? Sacerdotes tui te affectati Regni inſimulant. Quid feciſti? quod ſcelus tuum? quid locum præbuit Sacerdotibus, & Principibus nationis tuæ, ut te hoc de ſcelere accuſarent?

℣. 36. REGNUM MEUM NON EST DE HOC MUNDO.] Fateor quidem, Rex ſum, & Regnum effecto: et non ideo læſæ majeſtatis reus ſum peragendus. Regnum meum non eſt ex eo genere, ex quo hujus mundi Regna. Nulla Cæſari, nulla tibi, nulla nationis meæ Principibus ſuſpicio oboriatur. Meæ ditio, mei ſubditi, imperium meum ſunt in Cœlo; & ſi quid auctoritatis in terra exerceo, in ſpiritus, & corda exerceo. Si Regnum meum eſſet de hoc mundo, militibus meis ſtipatus decertaſſem, ut Regnum meum tuerer, ipſumque ex illis, a quibus occupatur, eriperem. Verum ne ſis hac de re ſollicitus: Romanis Imperium ablaturus non ſum. Prophetæ de Meſſia, tamquam de Magno Monarcha locuti fuerant, atque ita Judæi illum præſtolabantur, & ſperabant, ut ille thronum David reſtitueret: atque ad litteram intelligebant, quod de ſpirituali Regno intelligendum eſt. Conſanguinei JESU CHRISTI ſecundum carnem Domitiano regnante, cum ex illis quæſitum eſſet, quomodo Regnum Judæorum ad ſe ſpectare dicerent, reſponderunt [4] Regnum hoc non eſſe de hoc Mundo, neque terrenum, ſed cœleſte, & Angelicum.

℣. 37. TU DICIS, QUIA REX EGO SUM.] Utique Rex ſum; hac in re verum dicis, ſed Rex ſum eo in ſenſu, quem tibi dixi. Natus ſum Rex, & in hunc Mundum veni, ut regnarem; hoc veritati debeo teſtimonium, & quicumque amat veritatem, fatetur, me nihil niſi certum aſſerere. Regnavi ab æterno in ſinu Patris mei, & in Mundum veni, ut imperium prorſus ſpirituale exercerem. Diſcipuli, & amatores veritatis [5] ſubditi ſunt in Regno meo. *Omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem meam*.

℣. 38. QUID EST VERITAS?] Et quin JESU CHRISTI reſponſionem expectet Pilatus, egreditur. Non ergo propter veritatis amorem, Præſes id quærit ex JESU CHRISTO. Credunt plerique, id per irriſionem, & contemptum quæſiviſſe [6], quaſi diceret, quænam igitur eſt veritas? num aliquid eſt, quod inter homines inveniatur? Et ſane tunc temporis plurimæ erant de veritate apud Græcos, & Romanos ſententiæ: & plerique Philoſophorum eam tamquam a nobis procul remotam, atque ferme ſupra noſtrum captum poſitam arbitrabantur. Vel fortaſſe, ratus eſt, JESU CHRISTI Regnum ejuſdem eſſe naturæ, ac illud Sapientis apud Stoicos [7]. Regnum videlicet fictitium, atque chimæricum. Docebant enim, Sapientem ſuum ſolum eſſe felicem, ſolum Regem, ſolum doctum virum [8]; atque inde Pilatus minime urget, quippe e cauſa, de qua agebatur, aliena ipſi videtur.

NULLAM CAUSAM.] Hæc JESU CHRISTI maxime explicita, atque abſoluta eſt innocentiæ declaratio. Non invenio, affectati Regni crimen, quod huic viro ingeritis, verum eſſe: hoc perperam allatum eſt. Verbo, hoc ad vos minime ſpectat, & certus ſum, Imperatorem ab hujuſmodi competitoribus ſibi nihil vereri.

℣. 39. EST AUTEM CONSUETUDO VOBIS.] Alibi jam de hac conſuetudine, ejuſque origine apud S. Matthæum *cap.* 27. 15. verba fecimus. S. Lucas 23. 17. docet, Præſidi vinctum aliquem liberandum fuiſſe. Syrus, Arabs, & quidam Interpretes [9] credunt, ſingulos ſingulis ex tribus præcipuis feſtivitatibus Paſchatis, Pentecoſtes, atque Tabernaculorum liberari conſueviſſe [10], & putant, hoc præcipue in memoriam libe-

1 Grot. ad Joan. 18. 31.
2 Paul. lib. 5. Sentent. tit. 22. Vide Theoph. hic.
3 Joan. 12. 32. 3. 14. 7. 21.
4 Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. c. 10.
5 Chryſoſt. hic.
6 Beza, Schmid. Coccei. Camerar. Bynæus. Brug. Tirin.
7 Vide Grot. hic.
8 Hor. lib. 1. Satyr. 3.

Si dives qui ſapiens eſt,
Et ſutor bonus, & ſolus formoſus, & eſt Rex.
. . . .
Rumperis, & latras, magnorum maxime Regum.

Idem lib. 1. Ep. 1.

Ad ſummum ſapiens uno minor eſt Jove, dives
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

9 Beda, Schmid. Coccei. ad Matt. 27. 15. Caſaub. adverſ. Baron. exercit. 16.
10 Ita Interpp. plerique. Grot. ad Matth. 27. 15. Capell. Ep. ad Clopenb. Clopenbur. Ep. ad Lud. de Dieu. Joan. Gerard. Harmon. Evang. Ligfoot. Hor. Heb. in Joan. alii.

liberationis de Ægypto fuiſſe factam, qui mos valido adeo conſtitutus fuerat, ut quodammodo vim Legis obtinuerit. Unde profecta eſt ea S. Lucæ 23. 17. locutio, quam animadvertimus: *neceſſe autem habebat dimittere eis, per diem feſtum, unum.*

Quæritur, utrum conſuetudo illa e Judæis profecta fuerit, an a Romanis invecta? Grotius, quem eruditi nonnulli ſequuntur, ab Romanis ortam putat: oſtendit, Legem Moyſis inclementem fuiſſe [1], neque vel Regi vel Senatui, vel univerſo populo parcendi auctoritatem tribuere. Rex Sedecias apud Jeremiam fatetur, ſe contra Senatus ſententiam nihil poſſe. Conſueverant Romani vinctos in libertatem dimittere eo die, qua ſupplicationes publicæ indicebantur. Imperatores in mandatis ſuis ad Præſides miſſis exprimebant eas gratias, quas illi concedere poſſent; Præſides quippe e ſemetipſis nullam poterant exercere. Ut igitur Judæis gratificarentur, illis permittere voluerunt, ut Paſchatis die, quæ maxima apud illos ſolemnitas celebratur, vincti alicujus vitam, atque libertatem impetrarent. Hoc certe liquet, nullum hujus conſuetudinis veſtigium, vel in Scripturis, vel in Judæorum hiſtoria videri, neque ſcio, utrum apud Rabbinos etiam occurrat. Verum non ideo hoc minus certum eſt, cum illud quatuor Evangeliſtæ ſatis aperte teſtentur.

Tenent alii [2], libertatem hanc e Judæis originem duxiſſe, quam illis Romani ſervarunt, ubi in horum ditionem tranſierunt. Idem S. Johannis textus in hanc ſententiam nos impellit. *Eſt autem vobis conſuetudo, ut unum dimittam vobis in Paſcha.* Non ſatis intelligitur,

A que unquam ratio Romanos impellere potuiſſet, ut Judæis hanc gratiam concederent, quæ neque Romæ, neque aliis in Provinciis concedi conſueverat. Nam, quod Grotius ait de ſontibus in libertatem vindicatis, publicarum ſupplicationum diebus, id omnino erat fortuitum, neque certo alicui diei adhærebat. Ad hæc, qua de cauſa gratia hæc Paſchati adhæſit, niſi propter Judæos? Quod Grotius ait, Legem nemini permiſiſſe jus e legibus pœnarum diſpenſandi, quodam in ſenſu verum eſt; ſiquidem nullus adeſt textus, qui de hac diſpenſatione loquatur: ſed nullus etiam adeſt, qui reum gratia aliqua vetet liberari. Sedeciæ Regis exemplum non aliud probat, quam Regis illius infirmitatem, & immodicam Senatus eo regnante auctoritatem. Si nihil in hiſtoria ſimile unquam invenitur; id
B factum, quod ea res tanti momenti viſa non fuit, ut in publicis monumentis deſcriberetur; & ſi non ſe ſe obtuliſſet occaſio ejuſdem rei in Salvatoris noſtri Paſſione; de eadem Evangeliſtæ verba minime feciſſent.

℣. 40. ERAT AUTEM BARABBAS LATRO.] S. Marcus 15. 7. teſtatur, hunc in carceribus fuiſſe una cum ſociis ſceleris ſui, eo quod per ſeditionem cædem perpetraverat. Barabbas *Patris Filium* ſignificat, nomen in Rabbinorum ſcriptis commune. Hic ergo non ſolum latro erat, ſed etiam ſeditioſus, & homicida, qui tamen JESU CHRISTO prælatus fuit. Grotius putat, *Latronem* hoc in loco eumdem ſignificare, ac *Sicarium*, homicidam, & ſane tunc temporis Judæa latronibus diffluebat, qui totidem Sicarii erant [3], rebelles, homicidæ. Hoc Evangeliſtas conciliat.

---

1 Heb. 10. 28. 2 Tit. Boſtr. in Luc. 23. tom. 2. Bibl. Græc. PP. Ita & alii non pauci. Vide Binæ. de Chriſti Paſſ. lib. 3. c. 3. art. 4. 3 Vide Joſeph. lib. 2. de Bello, c. 2. ac. 23.

CAPUT XIX.

JESUS CHRISTUS flagellis cæditur, ſpinis coronatur, Judæis oſtenditur, a Pilato damnatur. Crucem bajulat. Inter latrones crucifigitur. Matrem ſuam S. Johanni commendat. Moritur. Crura latronibus duobus, non autem JESU franguntur. Ex latere illius emanat ſanguis, & aqua. Joſeph ab Arimathæa petit corpus illius, quod aromatibus conditum, tumulat.

1. TUnc ergo apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit. 2 Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus, & veſte purpurea circumdederunt eum. 3 Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Ju-
dæorum: & dabant ei alapas. 4 Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis:
Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoſcatis, quia nullam invenio in eo cauſam:
5 (Exivit ergo Jeſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum) Et
dicit eis: Ecce homo. 6 Cum ergo vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos,
& crucifigite; ego enim non invenio in eo cauſam. 7 Reſponderunt ei Judæi:
Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.
8 Cum ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit. 9 Et ingreſſus eſt
prætorium iterum, & dixit ad Jeſum: Unde es tu? Jeſus autem reſponſum non
dedit ei. 10 Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? neſcis, quia poteſtatem
habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? 11 Reſpondit Jeſus: Non
haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea,
qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. 12 Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus
Cæſaris: omnis enim, qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. 13 Pilatus autem
cum audiſſet hos ſermones, adduxit foras Jeſum, & ſedit pro tribunali, in loco,

qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraice autem Gabbatha. 14 Erat autem Paraſceve Pa-
ſchæ, hora quaſi ſexta, & dicit Judæis : Ecce rex veſter. 15 Illi autem clama-
bant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Regem veſtrum crucifigam ?
Reſponderunt Pontifices : Non habemus regem niſi Cæſarem. 16 Tunc ergo tra-
didit eis illum, ut crucifigeretur. Suſceperunt autem Jeſum, & eduxerunt. 17
Et bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraice au-
tem Golgotha : 18 Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc, & hinc,
medium autem Jeſum. 19 Scripſit autem & titulum Pilatus : & poſuit ſuper cru-
cem. Erat autem ſcriptum : Jeſus Nazarenus Rex Judæorum. 20 Hunc ergo titu-
lum multi Judæorum legerunt ; quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus eſt
Jeſus, Et erat ſcriptum Hebraice, Græce, & Latine. 21 Dicebant ergo Pilato
Pontifices Judæorum : Noli ſcribere, Rex Judæorum : ſed quia ipſe dixit : Rex
ſum Judæorum. 22 Reſpondit Pilatus : Quod ſcripſi, ſcripſi. 23 Milites ergo
cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, (& fecerunt quatuor partes :
unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper con-
texta per totum. 24 Dixerunt ergo ad invicem : Non ſcindamus eam, ſed ſortia-
mur de illa, cujus ſit, Ut Scriptura impleretur, dicens : Partiti ſunt veſtimenta
mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortem. Et militea quidem hæc fecerunt.
25 Stabant autem juxta crucem Jeſu, Mater ejus, & ſoror matris ejus, Maria
Cleophæ, & Maria Magdalene. 26 Cum vidiſſet ergo Jeſus Matrem, & diſcipu-
lum ſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ : Mulier, ecce filius tuus. 27 De-
inde dicit diſcipulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in
ſua. 28 Poſtea ſciens Jeſus quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur
Scriptura, dixit ; Sitio. 29 Vas ergo erat poſitum, aceto plenum. Illi autem ſpon-
giam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. 30 Cum ergo
accepiſſet Jeſus acetum, dixit : Conſummatum eſt, Et inclinato capite tradidit ſpi-
ritum. 31 Judæi ergo (quoniam paraſceve erat) ut non remanerent in cruce
corpora ſabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut
frangerentur eorum crura, & tollerentur. 32 Venerunt ergo milites : & primi
quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. 33 Ad Jeſum
autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura :
34 Sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis, & a-
qua. 35 Et qui vidit, teſtimonium perhibuit : & verum eſt teſtimonium ejus.
Et ille ſcit, quia vera dicit ; ut & vos credatis. 36 Facta ſunt enim hæc, ut
Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo. 37 Et iterum alia ſcriptura
dicit : Videbunt, in quem transfixerunt. 38 Poſt hæc autem rogavit Pilatum Jo-
ſeph ab Arimathæa, (eo quod eſſet diſcipulus Jeſu, occultus autem propter me-
tum Judæorum) ut tolleret corpus Jeſu. Et permiſit Pilatus. Venit ergo, & tulit
corpus Jeſu. 39 Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Jeſum nocte primum,
ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum. 40 Acceperunt ergo cor-
pus Jeſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepeli-
re. 41 Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus : & in horto monumentum
novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. 42 Ibi ergo propter Paraſceven
Judæorum, quia juxta erat monumentum, poſuerunt Jeſum.

℣. 1. PILATUS JESUM FLAGELLAVIT.] Il- lum Romanorum more, hoc eſt crudeliter flagris cædi juſſit : Hebræi enim undequadraginta verberum numerum non excedebant, juxta Legem, quæ cavet, ne quis uſque ad membrorum dilaniationem flagellis cædatur [1]. Juſſit autem, eum cædi, vel ut Judæorum iram leniret, vel ut eum fateri cogeret ea crimina, de quibus accuſabatur. Beda in Marc. 15. credidit, Pilatum propriis A manu loris JESUM cecidiſſe, Evangelii litteræ mordicus nimium adhærens : *flagellavit*, hoc eſt, flagellari juſſit. Creditur autem columnæ alligatus fuiſſe juxta Romanorum conſuetudinem [2]. Apud Aſceticos quoſdam libros legimus numerum verberum ; ſed hæ revelationes in Eccleſia fidem minime obtinuerunt. Præſtat autem ſequi Scripturæ ſilentium.

Crediderunt nonnulli [1], Pilatum, cum decreſſet JESUM Judæis tradere crucifigendum, primum eum virgis

1 Deuter. 25. 3. *Ne fœde laceratus ante oculos tuos frater tuus abeat.*

2 Prudent. in Diptych. 41. *Vinctus in his Dominus ſtetit ædibus, atque columnæ. Adnexus tergum dedit, ut ſervile flagellis.*

3 Hieronym. in Matth. 27. *Sciendum eſt, Romanis eum legibus miniſtraſſe, quibus ſancitum eſt, ut qui crucifigitur, prius flagellis verberetur.* Ita Vatabl. Druſ. hic, Binæus de morte Chriſti lib. 3. c. 4. n. 1.

virgis cædi juſſiſſe juxta Romanorum, immo & Græ- A corum conſuetudinem, qui hoc prævio ſupplicio eos aſficiebant, qui erant crucifigendi. Judicii hujus formula hæc erat: hunc hominem ſumito, veſtibus exuito, caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito, verberato, vel intra pomærium, vel extra. Sed magis probabile eſt, flagellatum fuiſſe, ut aliquo modo Judæorum odium expleretur, quemadmodum idem Pilatus apud S. Lucam teſtatur [1]. *Ecce nihil dignum morte actum eſt ei; emendatum ergo illum dimittam*. Præterea ex S. Johannis narratione perſpicue patet, non modicum intercedſiſſe tempus inter JESUM flagellis dilaniatum, atque eumdem damnatum. Verum eſt, SS. Matthæum, & Marcum de flagellorum ſupplicio, ſtatim ante damnationem loqui [2], ſed veluti de præterita actione, & per anacephalæoſin loquuntur. B

℣. 2. MILITES PLECTENTES CORONAM DE SPINIS.] Milites, ubi ſævitiam ſuam in Corpus JESU inhumaniſſime exercuerunt, illum flagellis cædentes, ex columna, cui fuerat alligatus, ſolverunt. Cumque ſcirent, illum affectati Regni crimine accuſatum fuiſſe, expectantes, donec rediret Pilatus, qui hanc rem penetrahere quærebat, numque invitus damnare illum cogebatur; ſolatium capere voluerunt, Salvatori illudentes, atque Regnum illius in ludibrium vertentes, ac ſpinea corona, & pallio purpureo illum induerunt. Diſtinguendus eſt diligenter impius hic militum ludus ab eo, quem in illum exercuerunt non multo poſt, cum Pilatus eum illis tradidit crucifigendum. Vide S. Matth. 26. 27. & Marc. 15. 16.

Interpretes operam ludunt, quærentes, cujus generis eſſent Spinæ, ex quibus Salvatoris corona compacta C fuit; aliis cenſentibus, illam ex nigra ſpina, aliis ex ſpina alba; his ex pruno, illis ex junco marino ſpinis horrenti fuiſſe conſtructam. Thomas Bartholinus hypomn. 5. de corona Chriſti ſpinea hac de re diſſertationem quamdam concinnavit, quam vide, ſi lubet curioſitatem explere: cæterum hac in re nihil certum alicubi invenerit.

℣. 5. ECCE HOMO.] Ad illos educit JESUM eo in ſtatu, quo per ludibrium a militibus adornatus fuerat, & dixit: *ecce homo*, qui veſtra ſententia, Regnum affectat, & Romanis regionis hujus imperium ſe ademptutum minitatur: Ecce homo, quem ad me adduxiſtis, tamquam Cæſaris hoſtem, & perniciosum hominem, turbas, atque ſeditiones ferentem. *Ecce ho-* D *mo* ſane terribilis; tandem aliquando certi eſtote: nihil ab illo metuite.

℣. 6. ACCIPITE EUM VOS, & CRUCIFIGITE.] Si creditis, vobis licere perdere innocentem: ego profecto nihil in illo invenio, quod hanc condemnationem mereatur. Vos illum damnate; ego enim hoc crimen ſubire nolo.

℣. 7. NOS LEGEM HABEMUS.] Judæis non erat amplius jus vitæ, & mortis, quemadmodum ſupra dixerunt [3]: verum illud ſervaverant, quo ſe juxta leges ſuas regere poſſent, atque a Præſidibus expetere, ut in ſontes animadverterent juxta leges nationis ſuæ. At lege Moyſis blaſphemi morte plectebantur, Levit. 24. 14.

℣. 8. MAGIS TIMUIT.] Donec JESUS CHRISTUS E accuſatus fuit dumtaxat, quod populum ad rerum novarum ſtudia excitaret, atque Regnum appeteret, credidit, ſe poſſe illum ex Judæorum manibus eripere; hujuſmodi enim criminationes ad regimen ſuum, & Provinciæ quietem ſpectabat, quæ ab eo pendebant, & in quibus prout cupiebat, vel gratificari, vel ſeveritate uti poterat. Hic vero res prorſus aliena illi objicitur; videlicet articulus Legum regionis illius,

quas ipſe non noverat, & in quibus periculoſæ plenum erat aleæ, Senatui obſiſtere, atque plebem irritatam magis accendere. Omnia illi a Judæis erant metuenda; defectio, vis, apud Cæſarem querelæ. Tunc detexit facile, illorum furorem nonniſi innocentis hujus interitu lenitum iri, & eos decreſſe, ut pro morte ejus extrema quælibet conarentur.

Fortaſſe etiam veritus eſt, ne Deo, vel Filio Dei, qui in terris apparuerat, non ſecus ac tot alii, qui ab Ethnicis adorabantur, mortem inferret [4]. Ita in Actis Apoſtolorum [5] Lycaones cum vidiſſent miracula, quæ Paulus, & Barnabas operabantur, venerunt, ut illis offerrent ſacrificia, dicentes, illos, cum Dii eſſent, dignatos fuiſſe humanam ſpeciem apud ipſos induere: Barnabam quidem Jovem, Paulum vero Mercurium appellantes. Similiter Nabuchodonoſor etiam B tres videns in fornace adoleſcentulos, atque inter eos quartum auguſtiori forma nitentem [6], credidit, ſe in perſona illius aliquem ex Filiis Deorum conſpicere.

℣. 9. UNDE ES TU?] quinam Pater tuus, quæ tua progenies, tua origo? num ex Deorum ſemine, vel hominum, vel Semideorum? vel es ex progenie regali; atque ex antiquis terræ hujus Regibus originem ducis? verum, quemadmodum Pilatus par non erat intelligendæ reſponſioni, quam tradere JESUS potuiſſet; hac de re Salvator tacuit. Ethnicus non ita facile intelligere poterat divinam ejus filiationem [7]. Præterea videbat JESUS hujus hominis injuſtitiam, ac illum ſenſim flecti, ut innocentem Judæorum furori derelinqueret: ſciebatque, reſponſionem ſuam, atque C explicationem inutiles futuras.

℣. 11. NON HABERES POTESTATEM ADVERSUS ME ULLAM,] niſi permiſiſſet Deus, ut traderer in manus tuas, itaque neque ob tuam poteſtatem glorieris, neque credas, me minis perterreri poſſe. In tuis, & Judæorum manibus ſum ob id unum, quod volo, & quod hæc eſt cæleſtis Patris voluntas. Abutens auctoritate tua innocentem damnant, vel illius juſtitiam non defendens, contra impiorum nequitiam graviſſimum ſcelus operaris: ſed longe gravius ſcelus eſt Judæorum, qui me tibi tradiderunt [8]; & gravius adhuc proditoris illius, qui me tradidit Judæis. Tu mihi judex es: illi accuſatores mei: ſed utrique habetis ſuper vos inviſibilem Judicem in judiciis ſuis maxime formidabilem. Ignorantia tua quodammodo te ex- D cuſat, illorum autem rabies nullatenus veniam merentur.

℣. 12. QUÆREBAT DIMITTERE EUM.] Pilatus ſæpe quærit viam, qua JESUM de Judæorum manibus eripiat. Evangeliſtæ quinquies [9] referunt illius hanc in rem conatus: verum non adeo viribus præſtitit, ut ad finem uſque injuſtitiæ adverſaretur. Ubi audiit, ſe Cæſaris amicum non futurum, ſi hunc impune abire pateretur, quoniam ſeditioſus erat, ac Regnum appetebat: nihil amplius reſtitit, veritus, ne ipſe etiam proditionis nomine accuſaretur, quod reipublicæ rebellibus ſuffragaretur. Norat Tiberii animum ſuſpicaciſſimum, & præ mortalibus omnibus maxime infidum. Sciebat, eo regnante Majeſtatis crimen maxime valere; quoſdam leviſſimas ob cauſas illius criminis E accuſari, atque ſeveriſſimis ſuppliciis conſtringi [10].

℣. 13. SEDIT PRO TRIBUNALI IN LOCO &c.] *Lithoſtrotos* Græca vox eſt, quæ *lapideum pavimentum* proprie ex pretioſo marmore confectum, atque mira arte diſpoſitum ſignificat. Pavimentum opere vermiculatum [11]. *Gabbatha* vero Syriace (nam hanc linguam novi teſtamenti Auctores Hebraicam vocant) altitudinem ſignificat, eo fortaſſe, quod locus, quo Pilatus adduci juſſit Tribunal ſuum, extra domum elatum

1 Luc. 23. 16. & 22. Vide Hammond. ad Luc. 23. 16. Grot. hic.
2 Matth. 27. 26. Τὸν δὲ Ἰησοῦν φραγγελλώσας παρέδωκεν ἵνα σταυρωθῇ. Ita Marc. 15. 15.
3 Sup. 18. 31. 4 Grot. Brug. Bynæus. 5 Act. 14. 11. 12.
6 Dan. 3. 24. 25. 7 Grot. Brug. 8 Grot. Brug. alii.
9 Luc. 23. 4. 15. 20. 22. Joan. 19. 4. 12. 10 Grot. Brug. Vide Tacit. Annal. lib. 1. cap. 72. 73. 74. Sveton. in Tiber. cap. 58. Senec. de Benef. lib. 3. c. 26. 11 Plin. lib. 36. c. 25. *Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec Lithoſtrota expulere eum . . . . Idem: Lithoſtrota cœptavere ſub Sylla: parvulis arte cruſtis.*

erat, atque pavimentatum. Ibidem autem Tribunal erigi voluit in Judæorum gratiam ob religionem eorum, qui in aulam ejus ingredi nolebant, ne contaminarentur; & ſedit pro Tribunali, ut juridice mortis ſententiam contra JESUM CHRISTUM [1] proferret; Judices enim non aliter judicabant, præſertim cum de alicujus capite, atque re maximi momenti ageretur.

Critici quidam, puta Caſaubonus in Suet. Jul. Cæſ. c. 46. Seldenus de Synedr. l. 2. c. 13. §. 4. Ligfoot Hor. Hebr. conjecerunt, locum hunc pavimentatum, cui nomen *Lithoſtroton*, non alium fuiſſe, quam aulam, ubi Sanhedrin cogebatur in Templo Jeruſalem. Cumque Judæi in Palatio Prætorium ingredi noluiſſent, Præſidem ſeſe contuliſſe in eam aulam, quæ a Judæis auctoribus, aula cæſis lapidibus ſtrata vocatur [2]. Rabbini quidam [3] reipſa docent, Synedros in aulam hanc rediiſſe, ut contra JESUM mortis ſententiam proferrent; ſed auctores iidem animadvertunt, aulam eamdem Sanhedrin elliptica forma extructam fuiſſe, ita ut illius dimidium in Templo eſſet, & dimidium extra Templum, qua in parte putant, Pilatum tribunal ſuum collocaſſe.

Sed re intus perſpecta hæc ſententia ne minimam quidem veritatis ſpeciem habere videtur. Eruditi hi viri nimium Rabbinicis eruditionibus credunt, & nimis Judaicæ fidei adhæreſcunt. Quæ enim veritatis eſt ſpecies, Pilatum, qui Ethnicus erat, eam in aulam conceſſiſſe, ibi ſententiam ſuam prolaturum? S. Johannis textus nonne ſit explicite, JESUM extra Prætorium adductum fuiſſe, & ibi Pilatum pro tribunali ſediſſe; ſed in locum atrii ſui, qui Hebraice *Gabbatha* appellabatur? Si hoc accidiſſet in aula Sanhedrin, nonne a S. Johanne vocata fuiſſet *Laſchet-Hagazith*, quemadmodum illam Rabbini vocant? ubinam apud Judæos auctores hæc aula Gabbatha nuncupatur? Hujuſmodi circumſtantia, iter videlicet Pilati ex ædibus ſuis in Templum, atque JESU CHRISTI in eum locum translatio, ut ibi damnaretur, ab Evangeliſtis ſane minime fuiſſet neglecta, qui alioquin ſumma cura minimas Paſſionis ejuſdem circumſtantias collegerunt.

℣. 14. ERAT AUTEM PARASCEVE PASCHÆ.] *Paraſceve*, Græce *præparationem* ſignificat. Hoc nomine feria ſexta appellabatur; eo quippe die omnia ad victum neceſſaria in Sabbathum præparabantur; quo die Lege eſculentum aliquid condire prohibebatur [4]. Ut plurimum dies ſimpliciter præparatio vocatur, vel præparatio Sabbathi; ſed iſthic dicitur *paraſceve Paſcha*, quod eo anno Paſchatis vigilia in feriam ſextam incidit [5]. Qui tenent, Dominum noſtrum damnatum, & crucifixum fuiſſe eadem Paſchatis die, credunt, hæc verba *Paraſceve Paſcha*, ſignificare feriam ſextam, quæ erat Paſchatis dies, vel quæ intra Paſchatis octiduum contingebat: violenta quidem explicatio, & quæ probari minime poteſt, niſi eo præjudicio, quod paſſim percrebuit, JESUM CHRISTUM cum reliquis Judæis legale Paſcha manducaſſe pridie mortis ſuæ, quæ ſententia hodierna die acriter impugnatur, & non ſatis firme defenditur.

HORA ERAT QUASI SEXTA.] Hoc eſt fere meridies. Antiqua Græca quædam exemplaria legunt horam tertiam, quemadmodum in S. Marci textu legimus [6], contendunt etiam autographum S. Johannis textum manu illius deſcriptum, & ad quartum uſque ſæculum Epheſi aſſervatum eamdem horam legiſſe. Quæ ſi vera eſſent, hoc labore ſolvi aſſequus, utrumque ſimul Evangeliſtam conciliandi. Hac in re noſtras jam conjecturas propoſuimus in Commentariis in S. Matthæum c. 27. 45. aliam vero iſthic afferam, quæ Criticis quibuſdam perplacuit [7]. Oſtendunt, Romanos antiquitus dies ſuos ex media nocte incœpiſſe [8], S. Johannes fortaſſe hanc diei recenſendi rationem ſecutus eſt, dicens, JESUM CHRISTUM hora ſexta fuiſſe damnatum: S. Marcus vero a Judæorum more non recedens, dies ſuos ex ortu ſolis incipientium, hæc hora tertia contigiſſe teſtatur. Sed hæc hypotheſis duplici de cauſa probari non poteſt; primum, quod Romani Evangeliſtarum ævo conſuetudinem hanc minime ſequebantur; & quod Evangeliſtæ ſemper ſecundum Judæorum recenſionem horas numerare conſueverunt: deinde quod licet horum Auctorum hypotheſis admittatur, Sanctorum Marci, & Johannis horæ minime conveniunt. Sexta S. Johannis hora eſſet ſexta matutina Gallica, & S. Marci tertia item Gallica matutina eſſet nona.

ECCE REX VESTER.] Ironice fortaſſe dictum: hic homo eſt, quem formidatis tamquam pernicioſum hoſtem Imperii; hic eſt fictitius Judæorum Rex, cui vitam ſervare minime poſſum, quin me Cæſaris inimicum profitear [9]. Criminationes Judæorum in jocum traducere adnititur eo ſemper conſilio, ut JESUM CHRISTUM liberet.

℣. 15. NON HABEMUS REGEM, NISI CÆSAREM.] Verba male ominata, & quæ ira ſuggerit populo, alioquin non alium Regem, quam Dominum ſe habere glorianti, & numquam ſe ſerviiſſe jactanti [10]: *Nemini ſervivimus umquam*.

℣. 16. TRADIDIT ILLUM, UT CRUCIFIGERETUR [11].] Hoc accidit, poſtquam manus ſuas abluiſſet, ut hoc ſymbolico facto oſtenderet, ſe mortis Domini culpa vacare. Videri poteſt S. Matthæus 27. 24. S. Johannes hanc circumſtantiam omittit, non ſecus ac alia opprobria & contumelias, quas Salvator ex militibus paſſus eſt, poſtquam eum illis tradidit Pilatus, ſupplicio afficiendum. Vide Matthæum cap. 27. ℣. 26. 27. Marcum c. 15. verſ. 10. 17. & ſeq.

℣. 17. EXIVIT BAJULANS SIBI CRUCEM.] S. Johannes non narrat, quid acciderit in via, cum Jeſus pondere fatigatus, deficientibus viribus, Crucem ferre amplius non poſſet, Milites illum cruce exonerarunt, eamque Simoni Cyrenæo impoſuerunt, vel cum illo, vel pro illo deferendam. Vide Matth. 27. 32. Marc. 15. 21. Calvarius Mons eſt ad occaſum Jeruſalem. *Golgotha*, Syriace cranium ſignificat. Alibi jam adnotavimus, apud Romanos ut plurimum, milites extremi ſupplicii miniſtros fuiſſe. Scimus etiam, apud Judæos nonniſi extra pomœrium ſontes interfici conſueviſſe. Denique Romanorum mos erat, ut qui morte damnabantur, ſupplicii ſui ſecum inſtrumenta deferrent, quorum omnium iſthic exemplum intuemur [12].

℣. 18. IBI CRUCIFIXERUNT EUM.] Baſilidas Hæreſiarca Alexandria oriundus, qui ſub initium ſecundi ſæculi vivebat, & qui gloriabatur, ſe Diſcipulum fuiſſe Glauciæ Interpretis Apoſtoli S. Petri aſſerebat, JESUM minime crucifixum fuiſſe; ſed Simonem Cyrenæum, qui illi Crucem ferenti fuerat opitulatus. Cumque Jeſu formam ſuam huic Simoni dediſſet, Simonis vero ſpeciem induiſſet, Simonem pro JESU a Romanis captum, & crucifixum fuiſſe [13], JESUM vero, qui ibi aderat, irriſiſſe, & hujus tormentum, & illo-

cum

1 Grot. hic. Meryll. Not. in Philol. in Paſſion. Chriſti num. 20. in Joan. Bynæ de Paſſ. lib. 3. cap. 4. num. 50.
2 [illegible]. 3 Texiphta Gem. Babyl. tit. Sanhedr. cap. 4. fol. 36.
4 Exod. 16. 5. 23. 5 Apud Rabbinos quodlibet ſolemnius feſtum habet ſuam vigiliam, ſeu paraſceven. Vide Bynæum de morte Chriſti lib. 3. cap. 4. art. 55. 6 Marc. 15. 25.
7 Cleric. ad Hammond. hic, Ludov. de Dieu ad Marc. 15. 25.
8 Aul. Gell. noct. Attic. lib. 3. cap. 2. Cenſor. de die natali cap. 23.
9 Theophylact. hic. Tolet. Brug. Camerar. 10 Joan. 8. 33. Vide Grot. hic.
11 Exemplaria Græca variant in hoc loco: quidam habent: *Tradidit eis illum, ut crucifigeretur; illi ergo ſuſceperunt Jeſum, & adduxerunt*; alia addunt: *in Prætorio*: alia, *illum adduxerunt, ut crucifigerent*. Ἤγαγον αὐτὸν εἰς τὸ πραιτώριον. Alii, ἤγαγον αὐτὸν εἰς τὸ Πραιτώριον. Verum hæ additiones non ſunt, niſi gloſſæ.
12 Id omne longius diſcutit Bynæus de Chriſti Paſſione lib. 3. cap. 5. art. 3. 4. 5. & ſeq.
13 Iren. lib. 1. contra hæreſ. cap. 23. Tertull. de Præſcript. cap. 46. Epiphan. hæreſ. 24.

ſum errorem ; & deinde ad Cœlum aſcendiſſe. Teſtatur S. Epiphanius ævo ſuo Baſilidianos non defuiſſe, Mahumettes in Alcorano hoc ipſum ferme docet [1], & Mahumettani minime credunt, JESUM CHRISTUM vere Cruci fuiſſe confixum ; ſed, illius dumtaxat imaginem felici trunco appenſam fuiſſe. Sed hic unus S. Johannis locus ſufficit, ad opinionem hanc evertendam.

CUM EO ALIOS DUOS.] Socios. Evangeliſtæ docent, hos Latrones fuiſſe [2], ejuſdem vitæ homines ac Barrabbam, ſeditioſos, ſicarios, qui furabantur, & occidebant, quidquid in eorum manus decideret. Jeſus in medio eorum crucifixus fuit, tamquam illis nocentior, juxta mentem eorum, qui ſententiam ſuot cæcutis vel fortaſſe, ut commentitiæ illius ambitioni alluderent, propter quam Regnum appetierat ; medius enim locus apud Romanos in honore habebatur.

℣. 19. SCRIPSIT & TITULUM.] Quem de Romanorum, & Græcorum more Crucis ſuperiori parti confixit. Ita enim illi cum ſontibus conſueverunt : efficiebant enim, ut ipſi damnationis ſuæ titulum geſtarent, vel hunc affigebant eorum patibulo, vel per præconem præeuntem elata voce prædicari jubebant [3]. Cum autem Pilatus JESUM CHRISTUM invitus ægre & graviter damnaſſet ; oſtendit animum ſuum contra Judæos ea in epigraphe, quam Cruci morientis affixit. Intellexit quidem, Judæos indignaturos, & iniquo laturos animo, quod JESUS Judæorum Rex appellaretur : ſed de induſtria id egit, eorumque ires irriſit. Voluiſſent Judæi, inſcribi : *Jeſus, qui ſe Judæorum Regem dixit*, vel *Jeſus commentitius Rex Judæorum*. ℣. 22. ſed nihil immutare voluit, eiſque reſpondit, *quod ſcripſi, ſcripſi*. ℣. 22. Volo, ut quod ſcripſi, minime deleatur. Vetant Leges, ne ſententia, ubi prolata fuerit, mutetur [4] ; & hæc inſcriptio erat veluti ſententia in JESUM prolata [5]. Id tamen minime oberat, quominus aliquid, ſi voluiſſet, in verbis poſſet immutare [6], Philo Pilatum deſcribit, tamquam hominem firmum, conſtantem, inflexibilem, atque in ſententiis ſuis fervidum [7].

℣. 23. ACCEPERUNT VESTIMENTA EJUS, ET FECERUNT QUATUOR PARTES.] Crucifici ſpolia illis cedebant, qui Cruci affixerant. Salvator & pallium habebat, & tunicam. Pallium quidem quadrifariam ſciderunt, ut ſingulis quadrans contingeret. Illud enim erat quidam quadratus pannus, & ſatis oblongus, cujus partes non inutiles eſſe poterant. Tunica vero, cum eſſet inconſutilis, atque textoris opera elaborata, eam ſcindere noluerunt, quippe illius partes minime prodeſſe potuiſſent : ideoque ſortes miſerunt, quinam eam poſſideret. Ita Salvator nudus omnino de Cruce pependit [8] ; quæ ſententia magis probabilis eſt ; licet oppoſita ſuos habeat patronos, quemadmodum in S. Matthæum vidimus.

ERAT TUNICA INCONSUTILIS.] Ideoque illam ſcindere noluerunt. Ratio, qua hæc tunica erat contexta, Interpretibus crucem fixit : credentibus nonnullis [9], fieri non poſſe, ut opera textoris, una cum manicis tunica elaboretur, Salmaſius putat, acu quidem illam aſſutam fuiſſe, ſed neque uncinulos, neque globulos habuiſſe, quibus ſuper humeros adnecteretur : quo pacto elaboratæ erant quædam tunicæ, quibus Veteres utebantur, & quas fiſſas appellabant. Gerhardus Johannes Voſſius in Harm. Evang. l. 2. c. 8. §. 2. Salmaſii ſententiam adoptavit. Alii tamen [10] crediderunt, illam tanta arte aſſutam fuiſſe, ut ubi aſſuta eſſet, minime cognoſceretur. S. Johannes Chryſoſtomus in Joan. hom. 85. Theophylactus hic, Theophanes hom. in Paſſ. Dom. credunt, illam compoſitam fuiſſe ex partibus duabus ſimul conjunctis, non ſutura aliqua, ſed textura, qualis acu laboratur. Hæ duæ partes diſſolutæ iterum conjungebantur, ut unum tantum efficeretur, eademque videretur textura. Theophylactus de more S. Johannis Chryſoſtomi verba exſcribit : addit ſolum, loco ſuturæ contextos fuiſſe, & ut ita dicam agglutinatos pannos duos, ita ut conjunctio minime pareret. Hoc ipſum Salmaſius intelligit in notis ſuis in Achillem Tatium.

Credunt alii [11], illam acu fuiſſe contextam, quemadmodum pilei noſtrates lanei, duplici majori acu contexti, & laborati. Euthymius hic, & S. Iſidorus Peluſiota l. 1. ep. 84. hoc ipſum intellexiſſe videntur, qui poſterior ait, in Galilæa pauperes ævo ſuo adhuc uti conſueviſſe tunicæ quadam, quæ e ſuperiori parte ad inferiorem omnino erat contexta.

Sed Braunius de Veſt. Sacerd. Hebr. l. 1. c. 16. aliique nonnulli tenent, JESU CHRISTI tunicam neque aſſutam, neque commiſſam, neque acu elaboratam, ſed textoria arte contextam fuiſſe. Oſtendit, veteribus hanc artem non defuiſſe, veſtes cujuslibet magnitudinis, & formæ hoc pacto texendi. Alii quidem a ſuperiori parte texi incipiebant, ex quarum numero ea tunica erat, de qua agitur, deſuper contexta per totum, eaſque Veteres *tunicas rectas* vocabant. Plinius l. 8. c. 48. ait, Cajam Cæciliam Tarquinii Priſci Regis conjugem omnium primam tunicas rectas elaboraſſe, ita vocatas, eo quod a ſtantibus texerentur : *Caja Cæcilia prima texuit rectam tunicam*. S. Iſidorus Orig. l. 19. c. 22. *recta veſtis, quam ſurſum verſus ſtantes texunt*. Talis erat Summi Sacerdotis tunica, cujus Moyſes, Joſephus, & Philo deſcriptionem reliquerunt [12] aſſata non erat, totum corpus obtegebat, cum in ſuperiori parte hiatus pateret, quo caput traduceretur. Moyſes ait explicite, hoc *opus* fuiſſe *textoris*.

Braunius, qui hac de re diligentiſſime ſcripſit, teſtatur, conſuetudinem harum tunicarum texendarum adhuc in quibuſdam orientis locis aſſervari, & profert quorumdam Batavorum nomina amicorum ſuorum, qui hujuſmodi tunicas poſſidebant ; immo & ſe ipſum unam curioſitatis ergo ſibi comparaſſe teſtatur. Ad hæc de induſtria textrinum ſumptibus ſuis conſtrui juſſit, quo hujuſmodi tunicæ cum manicis, & omnino ſimiles illi, qua Salvator noſter indutus creditur, contexuit.

Vetus eſt traditio, Sanctam Virginem manibus ſuis Salvatoris noſtri tunicam texuiſſe. Hoc certum eſt, antiquitus mulieres conſueviſſe, & ſibi, & viris ſuis, & filiis lineos, laneoſque pannos contexere, cujus rei vidimus jam præclarum exemplum in forti Muliere Salomonis Prov. 31. 13. Magnus Alexander veſtes deferebat, a matre, & ſororibus ſuis [13] elaboratas ; Auguſtus [14], & Carolus Magnus [15] ipſi quoque tunicas ab uxoribus, & filiabus ſuis contextas deferebant. Anna Samuelis Mater manu ſua filii tunicam elaboravit [16] ; & conqueritur S. Johannes Chryſoſtomus [17] de mulierum ævi ſui mollitie, quæ ad viros artem texendi traduxerat. Traditio eſt popularis, & nulli innixa fundamento, Domini noſtri tunicam eſſe eamdem, quam a S. Vir-

1 Alcorano, Azoare 2. 2 Matth. 27. 38. Marc. 15. 27. 3 Vide Bynæ. de Paſſione lib. 3. c. 6. n. 16. 17. 18.
4 Digeſt. lib. 42. tit. 1. de re judicata lib. 45. Acta, & ibid. lib. 55. Judea.
5 Apul. Florid. lib. 1. *Proconſulis Tabella ſententia eſt, quæ ſemel lecta, neque augeri littera una, neque minui poteſt ; ſed utcumque recitata, ita provinciæ inſtrumento refertur.*
6 Merill. Not. in Paſſ. Chriſti num. 29. in Joan. Bynæ. lib. 3. cap. 6. art. 21. Niquet. hiſt. tituli S. Crucis, lib. 1. cap. 22. alii. 7 Philo Legat. ad Cajum.
8 Ambroſ. lib. 10. in Luc. Heſych. homil. de S. Andrea. Auguſt. de Civit. Dei lib. 16. cap. 2. & contra Fauſt. lib. 12. c. 23. Bonav. Medit. de vita Chriſti. Salmaſ. de Cruce. Ger. Joan. Voſſ. Harm. Evang. Brug. hic. Caſaub. Byn. alii.
9 Salmaſ. in Vopiſc. vit. Aureliani cap. 46. Caſaub. exercit. in Baron. 16. num. 117.
10 Merua in not. ad Joſ. 53. pag. 153. 154. 11 Caſaub. contra Baron. exerc. 16. Ferrar. de re veſti p. 2. lib. 3. cap. 5. Grot. hic. Heinſ. Ariſt. 5. 12 Vide Exod. 39. 27. Joſeph. Antiqu. lib. 3. cap. 8. Philo ſerm. 2. de Monarchia. 13 Quint. Curt. lib. 5.
14 Suet. cap. 73. 15 Eginhard. vita Caroli Magni.
16 1. Reg. 2. 18. 17 Chryſoſt. homil. 34. in prior. ad Corinth.

a S. Virgine adhuc infans acceperat, & quæ cum illo creverat, quin umquam tereretur, non ſecus ac Hebræorum in deſerto veſtimenta.

℣. 25. MARIA CLEOPHÆ.] Omnes ferme Veteres conſentiunt, Cleopham Patrem fuiſſe Mariæ Cleophæ. S. Epiphanius hæreſ. 78. cujus ſententia apud Græcos maximi momenti habetur, ait, Joſephum SS. Virginis conjugem, & Cleopham fratres fuiſſe. Cleophas autem habuit Mariam, quæ hic indicatur quaſi ejus filia. Theophylactus in Matth. 13. 56. hac de re aliam adfert traditionem. Ait, cum Cleophas, S. Joſephi frater, ſine liberis obiiſſet, Joſephum viduam illius ſibi uxorem duxiſſe, ex qua quatuor genuit filios, qui in Evangelio fratres Domini appellantur, & filias duas, quarum altera Salome, altera Maria Cleophæ vocantur: cujus vere erat filia ſecundum Legem, licet filia eſſet Joſephi ſecundum naturam. Credunt alii, Cleopham fuiſſe virum Mariæ ſororis SS. Virginis, & Patrem S. Jacobi Minoris, quam reor ſententiam eſſe præ cæteris magis veritati conformem. Vide Commentarium in S. Lucam 33. 13. D. Toynardus in Notis in Harm. p. 155. credit, Joachim SS. Virginis Patrem, & Cleopham, fuiſſe fratres, utrumque filios Mathat. Joachim quidem Pater fuit SS. Virginis, & Cleophas Mariæ uxoris Alphæi [1]. Hæc de re nonniſi conjecturæ afferuntur.

℣. 26. MULIER, ECCE FILIUS TUUS.] JESUS illam mulierem ſimpliciter dicit, non quod illius amore minime tangeretur, imo vero obſervantiæ ergo, atque benevolentiæ [2]. Hebraice mulier idem ſignificat, ac apud Gallos *Madame*; & illi recens doloris argumentum præbere nolebat, Matrem appellans [3]:

. . . . Matrem ſine nomine matris,
Ne Materna pium cruciares viſcera nomen.

Plerique Interpretum argumentati ſunt, S. Joſephum inter viros non fuiſſe amplius, quod Jeſus iſthic Matrem dilecto commendat diſcipulo; eaque ſententia generatim hodierna die apud omnes percrebuit. Attamen S. Ambroſius in c. 23. Lucæ & Auctor ſermonum de Paſſione Domini, qui ſub S. Cypriani nomine circumferuntur, Sanctum hunc eo tempore adhuc vixiſſe opinantur.

℣. 27. ET EX ILLA HORA ACCEPIT EAM DISCIPULUS IN SUA.] Scilicet domo [4]. S. Johannes illam tamquam Matrem ſuam habuit, ejus curam geſſit, & domi ſuæ excepit, donec in Palæſtina permanſit; immo & illam ſecum duxiſſe dicitur Epheſum, ubi humanis deceſſit, ex Patrum Concilii Epheſini ſententia [5]. Tenent alii, ipſum Jeroſolymæ fuiſſe tumulatum [6]: at non hic hujus quæſtionis eſt locus; ſatis eſt innuere, communem eſſe apud Auctores ſententiam, illam omne reliquum vitæ ſuæ ſpatium cum S. Johanne Evangeliſta permanſiſſe, licet S. Epiphanius oppoſitum crediderit [7].

℣. 28. UT IMPLERETUR SCRIPTURA, DIXIT: SITIO.] Salvator probare voluit, ſe eſſe Meſſiam, non ſolum generales, verum particulares etiam prophetias adimplendo. Non eos ſolum explevit textus, qui explicite, atque directe ad Meſſiam ſpectabant, ſed illos quoque, qui ad litteram, & ſecundum hiſtoriam reſpiciebant aliquem Veteris Teſtamenti Sanctum Virum, & Meſſiam, veluti generale omnium prædictionum objectum. Satis multa ille præbere poterat ſuæ divinitatis argumenta, & ſe Meſſiam eſſe probare. Auctor Pſalmi 68. 29. dixerat futurum, ut inimici ſui in furore ipſum felle, atque aceto potarent: & JESUS CHRISTUS prænoſcens, ſibi acetum oblatum iri, dixit *Sitio*. Et ſtatim oblata illi fuit ſpongia aceto madens, baculi cujuſdam ex hyſſoppo confecti extremæ parti alligata, quo ſitis illius levaretur. Labor, dolor, virium defectus, diei calor, ſanguinis effuſio, naturales erant ſitis cauſæ. Patientia, qua ſuos perpeſſus eſt cruciatus, ſatis oſtendit, illum non petiiſſe potum, ſitis impatientia correptum. Verum illum impulit deſiderium adimplendi omnes prophetias, ac oſtendendi, ſe in corpore ſuo pati, quidquid pati poterat.

℣. 29. VAS ERGO ERAT POSITUM ACETO PLENUM.] Hoc acetum fortaſſe potus erat militum, qui Salvatorem crucifixerant, eumque ſervabant, ne forte de Cruce divelleretur. Conſtat communem militum Romanorum potum acetum fuiſſe [8]; neque dubio locus eſt, quin illi ſecum eſculenta, & poculenta attulerint, quippe qui ſciebant, ſe illic integrum diem traducturos. Videri poteſt Commentarium noſtrum in S. Matth. 27. 48.

HYSSOPPO CIRCUMPONENTES.] S. Matthæus 27. 48. explicite refert, ſpongiam hanc baculo cuidam, vel plantæ alicujus calamo fuiſſe impoſitam; S. Johannes vero, plantam hanc hyſſoppum fuiſſe teſtatur [9], quæ in Judæa ad non modicam creviſſe videtur altitudinem; & ſi judicium ferre velis ex his, quæ hiſtoria teſtatum reliquit, de quorumdam leguminum, & arbuſtorum regionis illius magnitudine, haud ita mirum videbitur, quod hyſſoppi planta calamum quorumdam pedum altitudinem præſtantem produxerit. Auctores Arabes ajunt, in Patria ſua hyſſoppum montanam ad arbuſti magnitudinem creſcere. Eam certe Scriptura inter arbores recenſet, ubi ait [10], Salomonem de omni arborum genere ſcripſiſſe a cedro ad hyſſoppum. Hebræi ſeptem hyſſoppi ſpecies agnoſcebant, inter quas una erat, quæ colligebatur ad ignem alendum [11]; & quæ uti poterant, ut tabernaculorum feſtivitate virentia tabernacula obtegerentur [12]. Kimchi *origanum* memorat inter ſpecies hyſſoppi; *origanum* vero ibi gentium nonnumquam ad ſatis magni arbuſti altitudinem creſcit. Ex eodem liquet Evangelio, ſinapem ad arboris altitudinem [13] attolli, quod exemplis ex Joſepho, & Rabbinis deſumptis confirmatur. Videri poteſt Commentarium noſtrum in S. Matth. 13. 31.

Neque animo tibi finxeris, crucifixos admodum ſupra ſolum attolli conſueviſſe [14]; plerumque duos tantum, vel tres pedes a terra attollebantur, ita ut cum ſeſquipedalis longitudinis calamo aliquis brachium attollens facile crucifixorum labia poſſet attingere. Perperam ergo Critici nonnulli, S. Johannis textum caſtigare voluerunt, & pro *hyſſopos* legere *hyſſos*, haſtam, ut Camerarius [15]; vel *Oiſypos* lanam, quæ ovibus decidit, & qua utebantur ad vulnera lenienda, uti Heinſius [16], vel *Hyſſon* lanceam, telum miſſile: eum eodem; vel denique dicere cum Bocharto [17], Gherardo Johanne Voſſio [18], Ludovico de Dieu [19], aliiſque nonnullis; hyſſoppum cum ſpongia ad extremam baculi partem alligatam fuiſſe, ſeu hyſſoppo ſpongia eadem alligata, & involuta fuerit, ſeu hyſſoppi faſciculus cum ſpongia poſitus fortaſſe ad patientis ſolatium. Hæ caſtigationes, cum nullius MS. auctoritate probentur, atque inventæ fuerint dumtaxat ad eam tollendam difficultatem, quæ minime extat, admirandæ non ſunt

1 Filia Cleophæ. Ita Arab. Grot. Ludov. de Dieu. 2 Coccei. hic. Buxtorf. Lexic. In בית
3 Joan. Bapt. Mantuan. 4 Ἔλαβεν αὐτὴν ὁ μαθητὴς εἰς τὰ ἴδια. Syr. Caſtal. apud ſe. Bez. Piſc. *In domum ſuam*. Ita Grot. Fullei. alii. Nonnus: Εἰς δόμον ἠγάγετο.
5 Concil. Epheſ. Ἔνθα ἡ Θεοτόκος παρθένος ἡ ἁγία Μαρία. 6 Baron. anno 48. Vide Notam 14. Tillemont. in S. Virginem. 7 Epiphan. hæreſ. 78. Οὐκέτι παρέμεινεν παρ' αὐτῷ.
8 Vide Meriſſ. Not. Philol. in Paſſione Chriſti. Viſſembach. Not. Nomic. Philol. in Paſſion. Chriſti. Binæum de Paſſ. Chriſti lib. 3. cap. 8. num. 7. 8. 9 Ita Origen. in Matt. Salmaſ. de Cruce p. 311. 321. &c. Idem de Homonym. Hyles Iatricæ cap. 19. Grot. ad Matth. 27. 48. Bocrovic. Ep. ad Thom. Bertho. Joan. Gerhard. Harm. Evang. cap. 17. Bynæ. de Paſſion. Chriſti part. 3. cap. 8. art. 17. 10 3. Reg. 4. 33.
11 Parah. Halac. 7. 12 Succah. fol. 13. 1. 13 Marc. 4. 32. Matth. 13. 31.
14 Vide Lipſ. de Cruce. 15 Camer. hic. Ὑσσὸς, *Pilum*. Ita Sylburg. Not. in Nonnum. Boiſius Collat. Veter. Interp. cum Beza hic. Ferrar. Ep. 88. alii. 16 Heinſ. Ariſt. p. 951.
17 Boch. de animal. ſacr. part. 1. lib. 2. cap. 50. 18 Harm. Evang. lib. 5. 8.
19 Ludov. de Dieu. in Joan. 29. Vide Tolet. Menoch. Tir.

ſunt; & ſic illis poſſunt belle Evangeliſtæ conciliari A
eorumque textus explicari.

℣. 30. CUM ACCEPISSET ACETUM.] Ex eo guſtaſſet, atque bibiſſet, dixit: *Conſummatum eſt*: adimplevi quidquid mihi præcepit Pater [1], illius juſtitiæ ſatisfeci, explevi quidquid a Prophetis prædictum fuit, & quidquid mei muneris erat. Apud alios Evangeliſtas videri poſſunt quædam circumſtantiæ mortis Salvatoris, quas S. Johannes prætermiſit, ne repeteret, quod alii jam fuſius enarraverant.

℣. 31. UT NON REMANERENT IN CRUCE CORPORA SABBATHO.] Præceperat Moyſes Deut. 21. 23. ut mortuorum corpora de patibulo ante noctem refigerentur, ſed alia erat Romanorum conſuetudo, qui ſinebant crucifixos vitam, quoad poſſent, producere, & poſt mortem, niſi cum opportunum cenſuiſſent, tunc tandem B
ne refigebant. Calamitoſi quidam non unum duntaxat diem [2], ibi vitam trahebant, & ſæpius ſatis diu poſt mortem ibidem relinquebantur. Judæi e contra homines cruci non affigebant, niſi poſtquam illos jugulaverant, vel lapidibus obruerant, neque ultra diem ibi eos relinquebant. Donec corpus tumulatum non eſſet, non poterant pro defuncto precari, neque illius meminiſſe in publicis precibus, neque nomen ejus in mortuorum nomenclaturam referre.

Ea in occaſione videntur Judæi paſſuri fuiſſe, ut Romani conſuetudinem ſuam erga crucifixos ſequerentur, neque adlaboraturi, ut de Cruce divellerentur, niſi occurriſſet Paſcha, & Sabbathum poſtridie ejus diei. Rogarunt ergo Pilatum, ne permitteret, tantæ feſtivitatis gaudium, & celebritatem funebri crucifixorum ſpectaculo turbari. Ro- C
mani ipſi hanc eamdem rationem habebant pro Imperatorum feſtis diebus, ut de Cruce corpora refigerentur, eorumque conſanguineis tumulanda traderentur. Philo [3] Flaccum accuſat non ſolum, quod hanc erga Cæſarem obſervantiam præ ſe non tulerit, verum etiam Judæos Alexandrinos illis diebus ad ſupplicium miſerit, qui rationem habuerit publicæ ſolemnitatis, atque lætitiæ.

ERAT ENIM MAGNUS DIES ILLE SABBATHI.] Propter Paſchatis feſtivitatem, quæ eo anno die eodem contigit. Vide noſtram de Paſchatis feſtivitate Diſſertationem.

UT FRANGERENTUR EORUM CRURA.] Ut celerius animam emitterent, atque de Cruce divelli poſſent; D
namque damnati fuerant, ut in Cruce morerentur. Supplicium crurum frangendorum diſtinctum erat a Crucis ſupplicio; ſæpius ita ſervi, aliique homines ex populi fæce eo ſupplicio afficiebantur [4]: ſed cum maturanda erat crucifixi mors, illius crura frangere conſueverant Romani [5]: *neceſſarium carnifices non putaverunt oſſa ejus ſuffringere, ſicut eorum mos ferebat*, inquit Lactantius.

℣. 34. UNUS MILITUM LANCEA LATUS EJUS APERUIT [6].] Non fregerunt crura Jeſu, quia jam mortuus erat: ſed quidam e militibus perfodit latus ejus lancea, ut illum conficeret, ſi nondum deceſſiſſet, vel ut videret, utrum fortaſſe viribus defeciſſet [7]. Plurima de hoc facto venditata ſunt. Miles, qui Dominicum latus tranſverberavit, ut plurimum, equo E
inſidens exhibetur, & ingenti armatus lancea. Hic *Longinus* dicitur, fortaſſe quod Græce *Lonche*, lanceam ſignificat, ex qua fictum nomen Longini, vel Lonchini. Ajunt, illum videntem prodigia, quæ in Salvatoris morte contigerant, ſe ſe convertiſſe, & hunc eſſe, qui Dominum confeſſus eſt, dicens: *vere Filius Dei erat iſte*, Matt. 27. 54. Dicitur autem, ubi Chriſtianæ fidei initiatus fuit, in Cappadociam seceſſiſſe, ubi Jeſu Chriſti fidem prædicavit, & Martyrii coronam adeptus eſt. Græcis, atque Latinis non deeſt S. Longinus, & illi varia de hujus vita, & morte narrant. Sed eruditi [8] fatentur, illorum acta nullam mereri fidem, & Eccleſiæ fortaſſe cultu publico decorare voluit S. Longini nomine Centurionem, qui Dominum confeſſus eſt; verum non ideo ea probavit, quæ auctores quidam de Sancti hujus hiſtoria, & morte ſcripſerunt.

Miles, quicumque ille ſit, qui Salvatoris noſtri latus tranſfodit, ex peditibus erat. Lancea illius erat telum, vel pilum, Romanorum peditum proprium. Singulis enim in cohortibus non deerant quidam milites, lanceis armati. Tranſverberavit autem Salvatoris latus, ut videret, utrum viveret adhuc, an mortuus eſſet. Non ſatis conſtat, utrum dexterum, an lævum latus tranſfixum fuerit; neque inter ſe pictores conſentiunt. Sin autem hominum colligantur ſuffragia, major pars pro dextero latere pugnabit [9]: ſed qui ſtant pro ſiniſtro, rationem afferunt, quod cor, & pericardium ad ſiniſtram magis, quam ad dexteram inclinet, & quandoquidem ex Domini vulnere ſanguis ſimul, & aqua emanavit, fidei conſonum eſſe, lancea cor tranſfixum fuiſſe æque ac pericardium. Sed hæc ratio non ſatis probat: cor enim proculdubio medium eſt in pectore, atque undequaque pericardio tamquam ſacculo involvitur. Nihil hac de re ſatis certum afferri poteſt. Sindones Viſontii, & Auguſtæ Taurinorum [10] deſignant lateris hiatum ex dextera parte, & S. Franciſcus [11] Domini noſtri ſtigmata pedibus, manibus, dextroque latere accepit. Prudentius [12] non ſemel ait, lanceam Jeſu Chriſti pectus ex una in alteram partem tranſverberaſſe, atque ita latus utrumque apertum fuiſſe.

Trajectus per utrumque latus, laticem, atque cruorem Chriſtus agit.

Credidit, aquam ex uno, ſanguinem ex altero emanaſſe.

Hinc cruoris fluxit unda, lympha parte ex altera.

Celebris pictor, cui nomen Lucas Cranachius, cujus crucifixus videtur Auguſtæ Vindelicorum nullum, vel in dextero, vel in lævo latere vulnus pinxit; cumque ex eo ratio quæreretur, oſtendite mihi, reſpondit, utrum latus fuerit apertum [13]. Thomas Bartholinus, qui explicite ſcripſit de vulnere lateris Domini noſtri, ait, varias eſſe Doctorum virorum ſententias, utrum aqua, & ſanguis ſeorſim emanaverint, an ſimul commixta ex lateris hiatu defluxerint [14]. Communior ſententia ea eſt, ſanguinem de corde, aquam vero de pericardio [15] partem illam involvente, atque ſemper quamdam aquæ vim continente, & quæ ſemper copioſior poſt mortem ſit, quam in vita, emanaſſe. Bartholinus Gaſparis Patris ſui opinionem tuetur, aquam illam de thorace accerſentis.

Quomodocumque, & undecumque duo illi emanarint liquores; ℣. 35. *qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus*; ita ut minime ambigi poſſit, quominus Jeſus vere mortuus fuerit. Credunt complures [16], aquam illam minime naturalem fuiſſe, ſed miraculoſam, ideoque S. Johannem explicite teſtatum reliquiſſe hoc ſe viſum, & ſe ejus rei teſtem eſſe.

1 Joan. 17. 4. *Opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam.* 2 Vide Lipſium de Cruce l. 2.
3 Philo in Flacc. p. 776. 777. 4 Lipſ. lib. 2. de Cruce, c. 14.
5 Lactant. lib. 4. cap. 26. & alii apud Grotium hic. 6 *Aperuit*. Græc. Ἔνυξε. *Percuſſit*. S. Chryſoſtomus, & alii, Ἤνοιξε. *Aperuit*, uti Vulgata. 7 Cyrill. Brug. Eraſm. Grot.
8 Vide Tillemont. tom. 1. Domini noſtri ar. 21. & not. 38. in J. C. & Bollandum 15. Martii, & Baronium ibi. 9 Bynæ. lib. 3. cap. 8. art. 36. de Paſſione Chriſti.
10 Chiflet. de linteis ſepulchral. Chriſti, c. 31. 11 Bonaventura in vita S. Franciſci.
12 Prudent. de Paſſione Chriſti, & Peri-Steph. hym. 6. & Cathemerin. hymn. 9. Vide & Author. ſub nomine Cypr. de Paſſione Domini. *De latere tuo, o Chriſte, diviſis limitibus aqua, & ſanguis emanans.*
13 Eraſm. Schmid. ad Joann. 19. 34. 14 Thom. Barthol. de latere Chriſti aperto, c. 14.
15 Grot. Ham. Tirin. Piſc. alii. 16 Ambroſ. in Luc. 23. Euth. Theoph. Brug. Ligf. Cornel. a Lapide.

ſe. Aquæ, & Sanguinis myſterium varie explicatur. A Quidam [1] in ſanguine Euchariſtiam, & in aqua baptiſmum inveniunt: alii baptiſmum aquæ, & ſanguinis, vel martyrium, alii fœdus antiquum, & novum. Inde ſane Eccleſia conſuetudinem deprompſit in ſacrorum myſteriorum celebratione, aquam cum vino miſcendi.

℣. 36. OS NON COMMINUETIS EX EO.] Hoc dictum fuerat de Agno Paſchali [2], cujus nullum os confringendum erat, ut medulla educeretur; fortaſſe ad innuendam celeritatem, qua Agnus ille comedebatur a ſtantibus, & jam jam erant diſceſſuri. Dei Filium in Cruce exhibebat Agnus Paſchalis; & Salvator ſuum in Cruce ſacrificium perfecit hora eadem, qua Sacerdotes ea die in Templo Agnum Paſchalem immolabant [3]. Grotius, & Spencerus [4] credunt, Evan- B geliſtam ſpectaſſe ad locum illum Pſalmi 33. 20. *Dominus cuſtodit oſſa eorum, unum ex iis non conteretur.*

℣. 37. VIDEBUNT, IN QUEM TRANSFIXERUNT.] Textus Zachariæ [5], quem protulit Evangeliſta in Hebræo ad litteram legit; *Jacient oculos in me, quem clavis confixerunt*: at Septuaginta legunt [6]: conjicient oculos in me, quoniam mihi inſultarunt.

℣. 38. JOSEPH AB ARIMATHÆA.] Videri poteſt S. Matthæus cap. 27. ℣. 58. Joſeph ab Arimathæa Jeſum habebat tamquam magnum aliquem Prophetam dumtaxat; neque fortaſſe ſperabat illum tertia die reſurrecturum [7]. Fides ejus erat adhuc imperfecta, & S. Chryſoſtomus putat, illum fortaſſe unum fuiſſe ex ſeptuaginta diſcipulis.

℣. 39. NICODEMUS.] Hunc novimus ex iis, quæ C ſuperius capite tertio narrantur. Qui nocte venit ad Jeſum Chriſtum Paſchatis feſtivitate, & profeſſus eſt illum, tot, tantaque miracula patrare minime poſſe, niſi Deus eſſet cum eo.

FERENS MIXTURAM MYRRHÆ, ET ALOES.] Qua corpus Jeſu conditur. Divinum hoc Corpus delibutum fuit, & large hujuſmodi aromatibus inunctum; quibus etiam imbuta fuerunt lintea, quibus involutum fuit; quam ob rem tanta aromatum copia centum videlicet myrrhæ, & aloes libræ allata fuit. Hæc duo aromata amariſſima ſunt, ideoque aptiſſima, ut corpora ſervent, ne putreſcant. Aloes, de quo hic ſermo, liquor eſt diffluens ex arbore aromatica, eodem ferme pacto, quo myrrha, & longe differt ab aloe, quo medici utuntur ex quadam planta deſumpto.

ET LIGAVERUNT ILLUD LINTEIS.] Conferentibus omnes locos, ubi ſermo eſt de linteis, quibus involutum eſt Salvatoris Corpus, videtur, fuiſſe primum ſyndonem [8]: *involvit illud in Syndone munda*, & præterea vittas quaſdam [9], quibus corpora involvere conſueverant, quod liquet etiam ex hiſtoria Lazari [10] reſuſcitati: & denique ſudarium [11], vel linteum peculiare, quo Salvatoris caput involutum fuit, & de quo ſermo eſt ℣. ℣. 6. 7. capitis ſequentis. Hujus ℣. textus verba facit de vittis, quibus alligatum fuit corpus Jeſu eo modo, quo Judæi mortuos ſuos tumulabant.

℣. 41. ERAT IN HORTO MONUMENTUM NOVUM.] In petra exciſum, *in quo nondum quiſquam poſitus fuerat*, ne crederetur alius, non Jeſus Chriſtus reſurrexiſſe, vel ille alterius virtute e ſepulchro egreſſus fuiſſe.

℣. 42. IBI ERGO PROPTER PARASCEVEN.] Hoc innuit, illos optaſſe quidem corpus Divinum in ſepulchro magis magnifico tumulare, vel etiam aliud poſt feſtivitatem de induſtria extruere, vel ſaltem illud hoc alibi fuiſſe collocaturos, ſi per tempus ipſis licuiſſet [12]. Credit S. Chryſoſtomus, permiſiſſe Deum, ut monumentum eſſet prope civitatem, ut reſurrectionis miraculum melius a mortalibus, atque præcipue ab Apoſtolis cognoſceretur.

---

1 Ambroſ. in Luc. 23. Auguſt. tract. 120. in Joann. Chryſoſtom. alii paſſim.
2 Exod. 12. 46
3 Vide Patres citatos in Diſſertatione de Paſchate.
4 Spencer. de Legib. Hebr. Ritual. l. 1. 2. c. 4. ſect. 2.
5 Zach. 12. 10. והביטו אלי את אשר דקרו
6 70. Ibidem, Ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ᾽ ὧν κατωρχήσαντο.
7 Chryſoſt. hic.
8 Matth. 27. 59.
9 Joann. hic, Ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις.
10 Joan. 11. 44. Δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις.
11 Joann. 20. 6. 7. Θεωρεῖ τὰ ὀθόνια κείμενα, καὶ τὸ σουδάριον ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ.
12 Euthym. Cornel. a Lapide.

CAPUT XX.

Magdalena venit ad ſepulchrum. Monet Apoſtolos, Salvatoris Corpus ibi non adeſſe. JESUS illi apparet; apparet etiam Apoſtolis, quibus dat Spiritum Sanctum, & Thomam de incredulitate coarguit. Plurima ejus miracula.


1. UNa autem ſabbathi, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ
eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum a monumento. 2
Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum,
quem amabat Jeſus, & dicit illis; Tulerunt Dominum de monumento, & neſci-
mus, ubi poſuerunt eum. 3 Exiit ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & vene-
runt ad monumentum. 4 Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præ-
cucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. 5 Et cum ſe inclinaſſet,
vidit poſita linteamina, non tamen introivit. 6 Venit ergo Simon Petrus ſequens
eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina poſita, 7 Et ſudarium,
quod fuerat ſuper caput ejus, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim in-
volutum in unum locum. 8 Tunc ergo introivit & ille diſcipulus, qui venerat
primus ad monumentum; & vidit, & credidit; 9 Nondum enim ſciebant Scri-
pturam, quia oportebat eum a mortuis reſurgere. 10 Abierunt ergo iterum di-
ſcipuli ad ſemetipſos. 11 Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans.
Dum ergo fleret, inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum. 12 Et vidit duos
angelos in albis, ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fue-

ſtat corpus Jeſu. 23 Dicunt ei illi : Mulier, quid ploras? Dicit eis : Quia tule-
runt Dominum meum ; & neſcio ubi poſuerunt eum. 14 Hæc cum dixiſſet, con-
verſa eſt retrorſum, & vidit Jeſum ſtantem ; & non ſciebat, quia Jeſus eſt. 15
Dicit ei Jeſus : Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans quia hortula-
nus eſſet, dicit ei : Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum ;
& ego eum tollam. 16 Dicit ei Jeſus : Maria. Converſa illa, dicit ei : Rabbo-
ni (quod dicitur Magiſter.) 17 Dicit ei Jeſus : Noli me tangere, nondum enim
aſcendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos, & dic eis : Aſcendo ad
Patrem meum, & Patrem veſtrum : Deum meum, & Deum veſtrum. 18 Venit
Maria Magdalene annuntians diſcipulis : Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.
19 Cum ergo ſero eſſet die illo, una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi
erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum : venit Jeſus, & ſtetit in me-
dio, & dixit eis : Pax vobis. 20 Et cum hoc dixiſſet, oſtendit ei manus, &
latus. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli, viſo Domino. 21 Dixit ergo eis iterum : Pax
vobis. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. 22 Hæc cum dixiſſet, inſuffla-
vit, & dixit eis : Accipite Spiritum ſanctum : 23 Quorum remiſeritis peccata,
remittuntur eis : & quorum retinueritis, retenta ſunt. 24 Thomas autem unus
ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jeſus. 25
Dixerunt ergo ei alii diſcipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Niſi vi-
dero in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus,
non credam. 26 Et poſt dies octo, iterum erant diſcipuli ejus intus, & Tho-
mas cum eis. Venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit : Pax vobis.
27 Deinde dicit Thomæ : Inſer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer
manum tuam, & mitte in latus meum : & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. 28
Reſpondit Thomas, & dixit ei : Dominus meus, & Deus meus. 29 Dixit ei Je-
ſus : Quia vidiſti me Thoma, credidiſti : beati, qui non viderunt, & credide-
runt. 30 Multa quidem, & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuo-
rum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. 31 Hæc autem ſcripta ſunt, ut cre-
datis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei ; & ut credentes, vitam habeatis in
nomine ejus.

℣. 1. UNA SABBATHI MARIA MAGDALENE.] A Die Dominico mane, qui erat poſtridie Paſchatis, & poſt Sabbathum ; Sanctæ mulieres, quæ Jeſum in itineribus ejus fuerant ſubſecutæ, ſummo mane [1] venerunt ad ſepulchrum, cum nondum dies illuceſceret [2]. Cum autem Dominus propterea tumulatus fuiſſet, illæ aromata comparaverant [3], ut rurſus, & melius illius corpus condirent, quam nudius tertius Nicodemus, & Joſephus ab Arimathæa fecerant. S. Johannes iſthic memorat ſolam Mariam Magdalenam, quod fuſius narraturus erat, quid illa fecerit. Sed alii Evangeliſtæ verba faciunt de tribus mulieribus, quæ ſimul ad ſepulchrum profectæ ſunt [4], videlicet Maria Magdalene, Maria Mater Jacobi, & Salome.

VIDIT LAPIDEM SUBLATUM.] Quo monumenti aditus obruebatur, & qui Senatorum, atque Sacerdotum annulo [5] ſignatus fuerat. Hoc primum ingentem Sanctis mulieribus curam ingeſſerat : non enim ſciebant, quomodo lapidem eumdem poſſent dimovere [6] ; ſed longe major earum fuit ſollicitudo, ubi Salvatoris corpus amplius non invenerunt.

℣. 2. VENIT AD SIMONEM PETRUM.] Non venit ad illum, niſi ubi vidit Angelos, qui ſibi nuntiarunt, Jeſum reſurrexiſſe [7]. Certiores hac de re fecit illa Petrum, & Johannem, & alios Apoſtolos [8] ; ſed duo illi ſolum ad monumentum cucurrerunt, ubi hoc ſibi nuntiatum fuit.



TULERUNT DOMINUM.] Non loquitur de viſione, vel apparitione Angelorum ; adeo enim feſtinare cupit, ut primoribus ſolum labiis tantum nuntium illis afferat. Credere non poterat, illum reſurrexiſſe, quia hoc nimis ardenter optabat : & mavult illum ablatum nunciare.

℣. 5. NON TAMEN INTROIVIT.] S. Johannes prior ad ſepulchrum pervenit, ſed illuc ingredi auſus non eſt, ſeu propter metum, ſeu propter erga S. Petrum obſervantiam. Satis illi fuit caput ſolum inſerere, ſe ſe in tumuli oſtiolum ſubmittendo ; vidit que humi linteа, vacuumque ſepulchrum, quod ipſum ingentem illi terrorem intulit. Oſtium monumenti exiguum erat, atque humile.

℣. 7. LINTEAMINA POSITA, ET SUDARIUM.] Græ-

1 Luc. 24. 1. Ὄρθρου βαθέος. 2 Joan. hic. Σκοτίας ἔτι οὔσης. 3 Marc. 16. Luc. 24. 1.
4 Marc. 16. 2. Matth. 28. 1. 5 Matt. 27. 66. 6 Marc. 16. 2. 3. 4.
7 Luc. 24. 4. 8 Marc. 28. 8.

Græcus [1] potius ſignificat vittas, quibus cadaver involutum fuit, & linteum, quo caput ejus fuit conteſtum. Hoc ſatis oſtendebat, Salvatoris Corpus non fuiſſe ablatum: qui enim illud abſtuliſſent, hanc ſibi curam minime ſumpſiſſent, ut illum evolverent, ibique illius lintea, atque ſudarium relinquerent.

℣. 8. ET VIDIT, ET CREDIDIT.] Vidit, ea omnia, quæ Maria dixerat, vera eſſe, & credidit, quod illa dixerat, Corpus ibi non adeſſe amplius; at Ieſum reſurrexiſſe, nondum credidit. *Nondum enim* (℣. 9) *ſciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis reſurgere.* Salvator de Reſurrectione ſua crebro ſermonem habuerat, ſæpe dixerat, ſe reſurrecturum, ſed quid ille diceret, aſſecuti non fuerant. Scriptura palam Domini reſurrectionem præſignat per ea Pſalmi 15. 9. 10. verba; *non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ.* Jonæ hiſtoria Dominicæ Reſurrectionis ſymbolum erat.

℣. 10. ABIERUNT ERGO AD SEMETIPSOS.] Petrus, & Johannes, cum vacuum vidiſſent monumentum, atque ignorarent, quid de corpore Jeſu factum fuiſſet, Jeroſolymam reverſi ſunt eam in domum, ubi hoſpitio erant excepti; nemo enim Apoſtolorum ibi ſuum habebat domicilium. Sed Maria illis perſeverantior in horto permanſit, atque ſollicita ſe ledemiſit, ut caput immitteret in ſpecum, ubi monumentum erat, & cujus oſtium, quemadmodum jam adnotatum eſt, erat humillimum. Ibi autem vidit Angelos duos ſedentes, alterum ad caput, & alterum ad pedes monumenti. Oculos conjicias, ſatis eſt, in ſepulchri ichnographiam, ut hæc omnia intelligas.

℣. 13. TULERUNT DOMINUM MEUM.] Credebat adhuc, illum ablatum fuiſſe, vel alio translatum, licet Angeli, & ſibi, & aliis mulieribus illum reſurrexiſſe nuntiaſſent [2], antequam illa Jeruſolymam feſtinaſſet ad Apoſtolos monendos, Salvatoris corpus non amplius adeſſe. Animadvertimus in ℣. 42. cap. præcedentis, Salvatoris corpus videri illuc poſitum fuiſſe, donec alibi majori cum magnificentia tumularetur. Lintea, vittæ, ſudariola, quæ eo in loco videbat, poterant adhuc eam hac in mente confirmare, ut crederet, quoſdam diſcipulos noctu veniſſe, ut corpus illud alio transferrent.

℣. 14. NON SCIEBAT, QUIA IESUS EST.] Senſit, aliquem eſſe poſt ſe, atque converſa, cum hominem vidiſſet, quin illum accuratius perpenderet, rata eſt, eum eſſe agricolam, cui commiſſa erat cura horti, in quo erat ſepulchrum. Huic ergo dixit illa ℣. 15. *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Si non vis illum in hoc ſepulchro permanere, atque alibi collocaſti, dic mihi, ubinam eſt, ut vel auferam, vel ab aliis auferri jubeam, ne tanti hujus viri corpus inimicorum contumeliis pateat. Credit S. Chryſoſtomus hom. 85. Mariam, cum in Angelis pavorem aliquem deprehendiſſet, ſe ſe convertiſſe, ut videret, quænam eſſet illius cauſa: cumque vidiſſet Jeſum Chriſtum, ex eo petiiſſe, utrum ille corpus abſtuliſſet. Mox ad Angelos iterum ſe convertit, ut ex illis pavoris ipſorum cauſam exquireret.

℣. 16. DICIT MARIA.] Et ſtatim illum agnovit ex E vocis ſono, vel etiam illum attentius conſpiciens intellexit, eum eſſe Jeſum Chriſtum. Hunc illa ſalutat, vocans *Rabboni*, magiſter mi, uti olim eum appellare conſueverat, atque ſimul ad illius pedes provoluta illos amplexata eſt.

℣. 17. NOLI ME TANGERE; NONDUM ENIM ASCENDI AD PATREM.] Nondum te derelinquo; ne feſtines me attingere; id enim faciendi tempus tibi non deerit: tecum aliquantiſper ante aſcenſionem meam permanebo, i tantum, & nuntia Apoſtolis meis; tu autem me rurſus videbis; ita recentiorum plerique [3]

A hunc explicant locum. Alii [4] credunt, Magdalenam crediſſe, Jeſum Chriſtum, ut Lazarum, eſſe reſuſcitatum, ut deinceps in terris viveret, quemadmodum vixerat antea. Hanc illi aufert Jeſus cogitationem, eique dicit; ne me tangas amplius, velut hominem mortalem; nondum aſcendi ad Patrem meum: ſed quamprimum ad illum aſcendam. Ibi me adorabis, illuc vota, amoremque tuum attollere debes.

Ne me reſpicias, ut olim, neque mortalium more tuam mihi amplius teſteris benevolentiam. Per fidem, atque ſupernaturales ſenſus me debes complecti [5]: iſthic ad breve temporis intervallum adhuc ſum, ut credentium fidem confirmem; ubi vero ad Patrem meum aſcendero, per fidem, & charitatem me complecteris. Hoc in ſenſu ea verba intellexiſſe videtur S.

B Leo Serm. 2. de Aſcenſ. *noli me tangere*, ait ille, *nolo, ut ad me corporaliter venias, nec me ſenſu carnis agnoſcas: ad ſublimiora te differo. Cum ad Patrem aſcendero, tunc me perfectius, veriuſque palpabis apprehenſura, quod tangis, & creditura, quæ non cernis.*

VADE AD FRATRES MEOS.] Hoc nomine appellat Apoſtolos, ut illos conſoletur, eoſque confirmet: *aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum: meum natura; veſtrum gratia*, inquit S. Auguſtinus. Aſcendo ad Patrem meum, ut illis dixi, & inde mittam Paraclitum, qui vos deducet, erudiet, & me abſente confirmabit. Hæc prima eſt Jeſu Chriſti poſt Reſurrectionem ſuam apparitio, Marc. 16. 9.

℣. 18. VIDI DOMINUM.] S. Marcus 16. 11. ait, Apoſtolos mœrore confectos credere non potuiſſe, ve-

C ra eſſe, quæ a Maria nuntiabantur, & putaſſe, hoc ex perturbata illius imaginatione profectum.

℣. 19. CUM SERO ESSET.] Eadem die Reſurrectionis Dominicæ apparuit omnibus diſcipulis ſuis ſimul illuc, ubi erant, ingreſſus, quin januas aperiret, & quin illum aliquis ingredientem intelligeret [6]. Philoſophorum non eſt diſſerere de eo modo, quo ingreſſus eſt: illi enim de natura, atque naturalibus corporum in communi ſtatu operibus judicant. Salvatoris vero Corpus glorioſum erat ſubtilitate, atque ſpiritualitate donatum. Januæ, & corpora melius compacta illi aditum prohibere non poterant, neque obeſſe, quominus ea ipſe pervaderet. In rebus hujuſmodi neque phyſicæ rationes petendæ ſunt, neque exempla in natura quærenda, & una ea ratio, quæ poteſt ferri, Crea-

D toris eſt Omnipotentia: *hic ſi ratio quæritur, non erit mirabile; ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur non poſſe intelligere. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia Creatoris*, ait S. Auguſtinus ep. 137. ad Voluſian. cap. 2. n. 8. nov. edit.

Crediderunt Interpretes quidam [7], Salvatorem ingreſſum fuiſſe, quin aliquis illi januas aperiret, quoniam has ſibimetipſi aperuit, vel quod domum ingreſſus eſt, cum jam eſſet ſero, & cum januæ eſſent clauſæ. Ita illa explicant verba: *cum fores eſſent clauſæ* eo tempore, quo nemo amplius expectabatur, & omnes jam domum ſe ſe receperant. Sed primo Evangeliſta jam ante animadvertit, Jeſum ſero veniſſe, *cum ſero eſſet*, ideoque inutile erat iterum hoc repetere. 2. Si Jeſus

E Chriſtus ipſe januam aperuiſſet, non dixiſſet Apoſtolis, illum *januis clauſis* ingreſſum fuiſſe: diceret enim oppoſitum illius, quod intelligi vellet. 3. Textus verba ab omnibus Patribus, atque Interpretibus ita intellecta ſunt: ingreſſus eſt, quin januæ aperirentur: hic ergo naturalis eſt hujus loci ſenſus. Numquam alia quæſita fuiſſet explicatio, niſi Catholicorum objectiones crucem fixiſſent, docentium, realem corporis Jeſu Chriſti in Euchariſtia præſentiam adeſſe, atque probantium hoc exemplo corporum penetrationem haud eſſe impoſſibilem. Hæc quidem probatio fortaſſe non multi ponderis eſt: verum uſurpata fuit, atque adverſarii,

ut illam

1 Θεωρεῖ τὰ ὀθόνια κείμενα, καὶ τὸ σουδάριον ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς.
2 Luc. 24. 4.
3 Ita Vatab. Sa, Tirin. Cornel. a Lapide, Beza, alii.
4 Tolet. Brug. Eſt.
5 Vide Grot. hic, & Juſtin. Quæſt. ad Orthodox. qu. 48.
6 Ita Patres Græci, & Latini paſſim, & Interpretes. Vide Maldon. hic, &c.
7 Calvin. Gomar. Heinſ. Le Clerc.

ut illam eluderent, confugerunt ad violentas explicationes; quas nuper attulimus. 4. denique Evangeliſta avertit eorum ſententiam, qui hæc verba, *cum fores eſſent clauſæ*, putant idem ſignificare, ac illa, *cum ſero eſſet*, & omnes receſſiſſent. Admonet enim, januas clauſas fuiſſe *propter metum Judæorum*.

Evangeliſta non narrat apparitionem Salvatoris, qua ſe ſe prodidit aliis mulieribus de ſepulchro redeuntibus [1], & illam, qua ſocium ſe ſe adjunxit duobus diſcipulis, in Emmaus euntibus [2], quæ omnes hac ipſa prima reſurrectionis die contigerunt.

℣. 20. OSTENDIT EIS MANUS, & LATUS.] Servavit ergo poſt Reſurrectionem manuum ſuarum, laterisque ſtigmata, ut Corporis, & Reſurrectionis ſuæ veritatem probaret [3]. Phantaſma neque carnem habet, neque oſſa: aliud quodvis Corpus iiſdem in locis cicatrices non habuiſſet. Negat Clericus in Notis in hunc locum ℣. 25. Salvatorem in pedibus ſtigmata habuiſſe, uti in manibus, ac latere; nam ait ille, clavis pedes illius confixi non fuerant: ſed illum palam refellit explicitus S. Lucæ textus [4], aſſerens, illum, & manus, & pedes oſtendiſſe. Hoc etiam univerſæ antiquitati Chriſtianæ adverſatur, quæ numquam in dubium revocavit, utrum Salvatoris pedes clavis fuerint confoſſi. Dubitatur ſolum, utrum uno tantum clavo uterque pes, an ſinguli ſingulis fuerint confixi: qua de re Veteres, & Recentiores diſſentiunt.

℣. 21. SICUT MISIT ME PATER, & EGO MITTO VOS.] Adimplevi Patris mei conſilia; finem impoſui miſſioni meæ: nunc veſtra intereſt, Evangelium in univerſis terrarum plagis prædicare, & iis facere ſatis, quæ ex veſtro zelo, atque fide exquirit Deus. Mitto vos, quemadmodum Pater meus me miſit, cum eadem poteſtate morbos curandi, populos redimendi, peccata remittendi, miracula operandi. Vos mitto eumdem in finem, eodemque conſilio; ſcilicet, ut omnes populi ad fidem, & veritatis cognitionem evocentur. Vobis meam auctoritatem, atque poteſtatem communico; vos meos Vicarios, atque legatos conſtituo [5].

℣. 22. INSUFFLAVIT, & DIXIT: ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM.] Quidam Patres [6] ex hoc loco inferunt, Spiritum Sanctum ejuſdem eſſe ſubſtantiæ, ac Filium, & ab eo æque, ac a Patre procedere. Alii dicunt [7], quemadmodum in ipſis rerum primordiis Deus Adæ vitam infudit, in faciem ejus perflans, *inſpirat in faciem ejus ſpiraculum vitæ* Gen. 2. 7. ita Salvatorem noſtrum in Apoſtolos ſuos inſufflantem illis Spiritus, & gratiæ vitam dediſſe, vitam ſupernaturalem, ac prorſus divinam. Alii denique [8] credunt, flatum hunc ſymbolum eſſe, & pignus Spiritus Sancti, quem ipſo Pentecoſtes die erant recepturi. Patres denique unanimi conſenſo credunt, JESUM CHRISTUM illis contuliſſe poteſtatem remittendi peccata.

At hæccine ſimplex eſt figura, & promiſſio Spiritus Sancti illis tribuendi? Non ita ſane. JESUS CHRISTUS illis aliquid impertiebatur, & ſimul aliud pollicebatur. Elargiebatur illis poteſtatem remittendi peccata ℣. 23. & alias gratias, quarum plenitudinem Pentecoſtes die [9] receperunt. Liquet enim ex Apoſtolo 1. Cor. 12. 4. multa eſſe Spiritus Sancti dona, & ab omnibus hominibus non æque perfecte, nec æque abundanter recipi. S. Auguſtinus, & S. Chryſoſtomus in cap. 7. 39. aperte docent hac in occaſione, Apoſtolos realiter, & vere Spiritum Sanctum recepiſſe. Hoc illi in hunc quoque locum iterant; & S. Ambroſius in S. Lucam lib. 10. num. 180. hoc ipſum ait.

℣. 23. QUORUM REMISERITIS PECCATA REMITTUNTUR EIS.] Patres, Concilia, & omnes Catholici Interpretes hoc intelligunt de reali poteſtate Apoſtolis, atque in eorum perſona omnibus illorum ſucceſſoribus permiſſa, peccata Sacramento pœnitentiæ dimittendi, vel remittendi, vel retinendi juxta prudentiæ & Chriſtianæ charitatis præcepta [10]. Remittite peccata illis, qui veniam petierint, & qui affecti fuerint pœnitentia, ut ad Deum per ſinceram converſionem, fidem, & ſcelerum dolorem revertantur. Retinete vero illis, qui veſtram poteſtatem contemnunt, vel qui ſcelerum ſuorum abſolutionem non petunt, ut opus eſt, & in quibus nullum veræ pœnitentiæ argumentum animadvertitis. Hoc geminum eſt illi, quod Salvator Matth. 18. 18. ait, *quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo.*

Proteſtantes quidam Interpretes [11] credunt, hoc intelligi poſſe de poteſtate morbos curandi, & noxios corporalibus pœnis puniendi, illos ex Eccleſiæ communione per excommunicationem abſcindendi, vel in illam per reconciliationem recipiendi. Non inficior, Salvatorem hanc ipſis poteſtatem Apoſtolis conferre, quos illam exercuiſſe ſcimus, & qua adhuc utitur Eccleſia in peccatorum excommunicatione, & reconciliatione: fateor etiam, Salvatorem nonnumquam morbos curaſſe dicentem [12]: *remittuntur tibi peccata tua*: Sed loci hujus ſenſus ad id unum coarctari minime poteſt, quin Salvatoris verbis vis inferatur. Corporum ægritudines curans, morbos animæ curabat: utrumque ſæpe, ſed non ſemper fecerunt Apoſtoli. Alterutrius poteſtatis exercitatio alteram minime excludit. Morbi in Scripturis tamquam peccati pœna exhibentur: ſed nullum ſuppetit exemplum, ubi poteſtas morbi curandi per illa peccata remittendi exprimatur.

℣. 24. THOMAS NON ERAT CUM EIS.] S. Chryſoſtomus [13], & qui eum ſequi conſueverunt, credunt Apoſtolos, cum fugam arripuiſſent, ubi JESUS in horto comprehenſus fuit, ſenſim ſe ſe congregaſſe, prout terrorem, qui illos inceſſerat, abjecerunt; ſed die dominico ſub veſperam, biduo poſt Salvatoris mortem Thomam nondum rediiſſe. Alii [14] putant, Thomam paulo ante ab aliis Apoſtolis receſſiſſe, ubi audiit narrationem duorum diſcipulorum, qui ex Emmaus redierant, & quid ſibi acciderat, nunciaverant. Thomas Apoſtolorum credulitatis pertæſus, atque ſermones omnes, & mulierum, & duorum diſcipulorum fabulas eſſe putans, ab illis ſeceſſit, alio concedens. Non ita facile divinari poteſt, cur abfuerit; ſed vel forte, vel data opera abeſſet, ille aberat. Hoc tamen minime prohibuit, quominus reciperet Spiritum Sanctum, quem JESUS CHRISTUS Apoſtolis ſuis elargitus eſt, non ſecus ac S. Paulus, qui nonniſi aliquanto poſt converſus eſt, & quemadmodum Moyſis ævo Eldad & Medad Spiritum Sanctum receperunt, licet a cœtu abeſſent [15]. Gratia, quam Dei Filius Apoſtolis conferebat, non ita eorum, qui aderant, perſonæ adhærebat, ut ſuper abſentes ſe ſe non effunderet [16].

℣. 25. DIXERUNT EI ALII DISCIPULI.] Non ſatis liquet, quo die Thomas in Apoſtolorum cœtum redierit, at ſimulac rediit, nuntiata ſunt illi ea, quæ contigerant; qui reſpondit: *niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manus meas in latus ejus, non credam.* Timebat, oculos falli poſſe: hujus rei veritatem tactu voluit experiri. Oculi faſcinari queunt. Credimus nonnumquam id videre, quod non videmus: at perraro fallimur, aliquid attingentes, atque attrectantes.

1 Matth. 28. 9. 2 Luc. 24. 13. & ſeq. 3 Vide Auguſt. Epiſt. 102. qu. 1. n. 7. Cyrill. Leont. alii.
4 Luc. 24. 39. 40. 5 Vide Chryſoſt. Cyrill. Theophyl. Rupert. alios.
6 Augu. tract. 121. in Joan. Cyrill. Beda, Leont. Vide & Aug. tract. 99. n. 7.
7 Cyrill. Leont. Euthym. Baſil. lib. de Spiritu S. p. 16. Ambroſ. in Pſ. 118. ſerm. 10.
8 Menoc. Cornel. Grot. Hamm. 9 Menoch. Brug. Toler. alii.
10 Vide Concil. Trid. ſeſſ. 14. can. 3. & Patres apud Bellarm. lib. 3. de Pœnitent. c. 2. Cornel. Menoc. Brug. alii. Vide Cyprian. Ep. 73. Grot. hic. 11 Vide Grot. Ligfoot. Le Clerc.
12 Matt. 9. 2. Luc. 5. 20. 13 Chryſoſ. Theoph. Euthym. Brug. Ligf.
14 Auguſt. Beda, Lyr. D. Thom. Cajet. Tolet. Riber. Cornel. 15 Num. 11. 26. 27.
16 Cyrill. hic, Mald. Brug. Ligf. alii.

Non credebat adhuc S. Thomas Jesu Christi divinitatem; ſibi perſuadere non poterat, illum propria virtute reſurrexiſſe. Nimium illius proceſſit incredulitas, & a peccato excuſari non poteſt. In facto illius, & pertinaciæ, & ſuperbia deprehenditur. Cæterum illius incredulitas Eccleſiæ non inutilis fuit. Hujuſmodi ingenii vir minime paratus erat, ut aliquid leviter crederet [1]: *plus nobis Thomæ incredulitas ad fidem, quam fides diſcipulorum profuit*, inquit S. Gregorius Magnus, *quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſita in fide ſolidatur*.

℣. 26. POST DIES OCTO,] Cum diſcipuli adhuc eſſent Jeroſolymæ [2], & januæ clauſæ eſſent, quemadmodum octava die elapſa, fortaſſe propter metum Judæorum, JESUS iterum venit, ac ſe ſe obtulit medium inter eos. Primum vero Thomam allocutus eſt, ut illi oſtenderet, nihil ſibi eſſe abſconditum, & ſe omnia explorata habere, quæ ille, ſe abſente, dixerat. Juſſit ergo, ipſum digitos inferre in manuum foramine, & lateris hiatum, atque ita omnem incredulitatem abjicere.

Quæritur, utrum vere Thomas Salvatoris vulnera attigerit? Dubitarunt quidam [3]; Euthymius negavit; ſed Patres, ac plerique interpretes affirmant [4]; cumque in vulneribus Salvatoris fidei ſuæ firmitatem inveniſſet, illius lumen, atque plenitudinem præ ſe tulit clamans; *Dominus meus, & Deus meus*. Hactenus crediderat, Salvatorem apparere poſſe, quemadmodum aliquando mortuorum animæ apparebant, ait Origenes l. 2. contra Celſum; ſed ſibi perſuadere non poterat, illum vere, ac realiter cum palpabili, atque tractabili corpore reſurrexiſſe. S. Ignatius Martyr ep. ad Smyrn. ait, Dominum, cum Apoſtolis ſuis apparuiſſet, dixiſſe Petro, aliiſque, ut ipſum attingerent, & addidiſſe; *videte, quod minime ſim Spiritus incorporeus*: ſed utrum prima, an altera hoc in apparitione acciderit, non adfert.

℣. 28. DOMINUS MEUS, & DEUS MEUS.] Nunc te Dominum, & Deum meum eſſe confiteor, atque tamquam Deum meum te veneror, & colo. Nunc primum Dei nomen explicite JESU CHRISTO in Evangelio tribuitur. Supra dictum eſt, Verbum eſſe Deum, & Verbum factum eſſe Carnem, unde perſpicue infertur, JESUM CHRISTUM eſſe Deum, quandoquidem ipſum eſt Verbum, Caro factum. Sed tandem hæc apertiſſima eſt confeſſio, quæ occurrat in Evangelio. Quintum Concilium Oecumenicum Conſtantinopoli habitum anathemate percuſſit Theodorum Mopſueſtienſem, aſſerentem, hæc S. Thomæ verba eſſe Apoſtoli exclamationem, qui ob miraculi magnitudinem ſtupore captus non ad JESUM CHRISTUM, ſed ad Deum Patrem illius verba converterit, ut illi hanc gloriam deferat: heu Domine Deus meus, quodnam miraculum? quam admirabilis eſt potentia tua!

℣. 29. QUIA VIDISTI ME THOMAS [5], CREDIDISTI.] Beati, qui crediderunt, quin viderent; vel potius Beati qui credent, quin viderint; Beati qui in me credent, quin vel me viderint, vel attigerint. JESUS CHRISTUS tacite exprobrat Thomæ illius pertinaciam, & commendat humilem; ſed illuſtratam eorum docilitatem, qui deinceps Apoſtolis prædicantibus, atque miracula operantibus, in ipſum erant credituri. Non colit Deum, qui leviter, atque temere credit; ſed diſplicet Deo, qui ſe ſe minime dedit validæ auctoritati, lumini ſufficienti, & teſtimonio probabili. S. Thomæ fides in eo laudanda eſt, quod ſuper ea, quæ videbat, attollitur. Videt Corpus, attrectat hominem reſuſcitatum, atque inde infert; hic eſt Dominus meus, & Deus meus: unum videbat, & aliud credebat; *Tangebat hominem, & Deum confitebatur*, ait S. Gregorius Magnus [6].

℣. 30. MULTA QUIDEM & ALIA SIGNA.] Plurima, dum viveret, omni ſpectante populo, & coram diſcipulis ſuis, alia miracula operatus eſt; ſed etiam poſt Reſurrectionem ſuam coram diſcipulis tantum plurima effecit. Satis duxi, inquit Evangeliſta, ſi vobis quædam enarrarem; ex. g. cum Mariæ apparuit, & januis clauſis in cænaculum ingreſſus eſt, ubi erant Apoſtoli. Hæc quippe ſatis puto, ut vobis perſuaſum ſit, JESUM eſſe CHRISTUM Filium Dei, & ut æternam vitam mereamini, ſi per fidem vivam, atque cum charitate conjunctam, illum credideritis, *ut vitam habeatis in nomine ejus*: vos quæ ſubjicientes fidei, voſmet diſcipulos illius profitentes, omnem ſpem veſtram in ope ejus, in nominis illius virtute, in illo ipſo conſtituentes; quoniam ille unus eſt, per quem homines vitæ hujus ſalutem ſperare queant: *non eſt in aliquo alio ſalus: neque enim aliud nomen eſt ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*, Act. 4. 11. 12.

Grotius putat, poſtremos duos hoſce verſiculos eſſe totius Evangelii S. Johannis concluſionem; noviſſimum vero caput eſſe opus Eccleſiæ Aſiaticæ, quod ad Evangelii calcem addidit, ut oſtenderet, quid locum præbuerit in Eccleſia rumori, qui de S. Johannis immortalitate percrebuerat. Verum ſufficit, ſententiam hanc omni prorſus deſtitutam eſſe ratione, atque univerſæ antiquitati Chriſtianæ oppoſitam, a qua caput illud habitum fuit, tamquam pars Evangelii; ut minime liceat, hanc conjecturam admittere.

---

1 Greg. Magn. homil. 26. in Evang. Vide & Aug. ſerm. olim. 161. in Evang. nunc . . . Bern. homil. 2. in Miſſus eſt.
2 Hieron. in Matt. 28. 16. Rupertus, & Ribera in hunc locum hanc apparitionem in Galilæa factam putant.
3 Gloſſa ordinaria. Vide & Auguſt. & Beda hic.
4 Aug. hic, & ſerm. 158. Tertull. adverſ. Praxeam. Bern. 5. in Cant. Gregor. Magn. Cyrill. Theophyl. Beda, alii. 5 Vox hæc, *Thoma*, deficit in plurimis MSS. Græcis.
6 Greg. Magn. homil. 26. in Evang. Vide Aug. tract. 121. in Joan. Hilar. lib. de Trinit.

CAPUT XXI.

Miraculoſus Apoſtolorum piſcatus, JESUS cum Apoſtolis ſuis manducat. Quærit ex S. Petro, utrum ab illo ametur, eumque jubet oves ſuas paſcere, & ipſum ſequi, Illi martyrium ſuum prædicit. Petrus ſciſcitatur, quid dilecto diſcipulo eveniet, Plurima a JESU facta quæ ſcripta non ſunt.

1. POſtea manifeſtavit ſe iterum Jeſus diſcipulis ad mare Tiberiadis, Manifeſtavit autem ſic: 2 Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Dydimus, & Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex di-

ex diſcipulis ejus duo. 3 Dicit eis Simon Petrus : Vado piſcari. Dicunt ei : Ve-
nimus & nos tecum. Et exierunt, & aſcenderunt in navim : & illa nocte nihil
prendiderunt. 4 Mane autem facto ſtetit Jeſus in littore : non tamen cognove-
runt diſcipuli, quia Jeſus eſt. 5 Dixit ergo eis Jeſus : Pueri, numquid pul-
mentarium habetis ? Reſponderunt ei : Non. 6 Dicit eis : Mittite in dexteram
navigii rete, & invenietis. Miſerunt ergo : & jam non valebant illud trahere præ
multitudine piſcium. 7 Dixit ergo diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus, Petro :
Dominus eſt. Simon Petrus cum audiſſet, quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe
(erat enim nudus) & miſit ſe in mare. 8 Alii autem diſcipuli navigio vene-
runt, (non enim longe erant a terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete
piſcium. 9 Ut ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & pi-
ſcem ſuperpoſitum, & panem. 10 Dicit eis Jeſus : Afferte de piſcibus, quos pren-
didiſtis nunc. 11 Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum ma-
gnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum
rete. 12 Dicit eis Jeſus : Venite, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium
interrogare eum : Tu quis es ? ſcientes, quia Dominus eſt. 13 Et venit Jeſus,
& accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter. 14 Hoc jam tertio manife-
ſtatus eſt Jeſus diſcipulis ſuis, cum reſurrexiſſet a mortuis. 15 Cum ergo pran-
diſſent, dicit Simoni Petro Jeſus : Simon Joannis, diligis me plus his ? Dicit ei:
Etiam, Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei : Paſce agnos meos. 16 Di-
cit ei iterum : Simon Joannis, diligis me ? Ait illi : Etiam Domine, tu ſcis,
quia amo te. Dicit ei : Paſce agnos meos. 17 Dicit ei tertio : Simon Joannis,
amas me ? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me ? & dixit ei :
Domine, tu omnia noſti : tu ſcis, quia amo te. Dicit ei : Paſce oves meas.
18 Amen, amen dico tibi : cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas, ubi
volebas : cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & du-
cet, quo tu non vis. 19 Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificatu-
rus eſt Deum. Et cum hoc dixiſſet, dicit ei : Sequere me. 20 Converſus Pe-
trus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, qui & recubuit
in cœna ſuper pectus ejus, & dixit : Domine, quis eſt qui tradet te ? 21
Hunc ergo cum vidiſſet Petrus, dixit Jeſu : Domine, hic autem quid ? 22 Di-
cit ei Jeſus : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te ? tu me ſequere.
23 Exiit ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non
dixit ei Jeſus : Non moritur, ſed : Sic eum volo manere, donec veniam, quid
ad te ? 24 Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit
hæc : & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium ejus. 25 Sunt autem & alia mul-
ta, quæ fecit Jeſus : quæ ſi ſcribantur per ſingula ; nec ipſum arbitror mundum
capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.

℣. 1. MANIFESTAVIT SE ITERUM [1] JESUS.] Poſtquam Salvator non ſemel mulieribus ſanctis, atque Apoſtolis & Jeroſolymis, & ad ſepulchrum apparuiſſet, juſſit, eos in Galilæam reverti, promittens, ſe iterum illis ea in regione appariturum. Et ſane die quadam, cum Petrus, Thomas, Nathanael, Jacobus, & Johannes, aliique duo diſcipuli piſcatum iviſſent in mare Galilææ, ſe ſe illis in littore oſtendit, quemadmodum iſthic docemur. Hæc ſeptima eſt Jeſu reſuſcitati apparitio. Quidquid hoc in capite legitur apud unum S. Johannem Evangeliſtam invenitur ; alii vero hæc prætererunt.

℣. 2. ERANT SIMUL SIMON PETRUS, & THOMAS.] Simul eadem in domo incolebant. Cum ſanctarum Mulierum largitas, quæ illos adhuc innutriverat ; & Salvatoris præſentia, quæ illorum egeſtatibus omnia ſuppeditaverat, illis poſt JESU CHRISTI obitum defuiſſet ; coacti ſunt in id mentem appellere, ut victum ſibi compararent. S. Petrus igitur, ne cui gravis eſſet, conſilium iniit iterum ad piſcatum redeundi, cujus exercitationem reliquerat, ut JESUM CHRISTUM ſequeretur. Non prohibuerat Salvator, ne piſcaretur : ars enim Piſcatoris innocens eſt. Igitur cum, quod faceret melius, minime ſuppeteret ; neque ſciret, cui rei Dominus Apoſtolos vacare vellet, eo temporis intervallo, quo adhuc cum illis in terris verſabatur [2], Diſcipulis, qui ſecum erant, propoſuit piſcatum. Hi autem ſeptem erant numero.

NATHANAEL.] Plurimi crediderunt, hunc eumdem eſſe, ac S. Bartholomæum. Vide ſupra c. 1. 45. & ſeq.

℣. 3. ILLA NOCTE NIHIL PRENDIDERUNT.] Permiſit Deus, ut eo tempore, quod aptiſſimum eſt piſcatui, nihil caperent, ut eos doceret, omnes hominum conatus inutiles eſſe, niſi Deus opem ferat. Cupiebat JESUS CHRISTUS illis melius ſuam poteſtatem oſtendere, atque efficere, ut multo major illis videretur piſcatio, quam deinde fecerunt.

℣. 4. STETIT JESUS IN LITTORE.] Fortaſſe, quod illi nimis aberant a littore, vel quod nondum ſatis clarum erat mane ; Jeſus enim ab illis ita cognoſcebatur, ut alioquin minime quærendum eſſet, quis eſſet ℣. 12.

℣. 5. PUERI, NUMQUID PULMENTARIUM HABETIS ?] Loquitur perinde ac homo eſſet, qui piſcem e-

1 Πάλιν, iterum, non legitur in pluribus MSS.

2 Vide Greg. homil. 24. Auguſt. hic, alios.

mere vellet. Veritatis ſpecies non deeſt, JESU CHRISTI reſuſcitati vocem, atque oris habitum auguſtiores fuiſſe, nam Diſcipuli, qui illum audire potuerunt, neque ex oris habitu, neque ex voce illum cognoverunt. *Pulmentarium* pro quavis epularum ſpecie uſurpatur. Græcum etiam ita late patet vocabulum [1].

℣. 6. MITTITE IN DEXTERAM NAVIGII RETE.] Ignoto viro indulgere voluerunt, ut oſtenderent ſe cupere eidem ſatisfacere: neque fruſtra illius dicto paruerunt; quoniam copioſiſſimam, & miraculoſiſſimam piſcationem fecerunt, quæ innuebat ingentem eorum numerum, qui per Apoſtolorum prædicationem in JESUM CHRISTUM erant credituri.

℣. 7. DIXIT PETRO: DOMINUS EST.] Ex eo miraculo, quod fecerat, illum JESUM CHRISTUM eſſe cognoverunt. Hoc eorum oculos aperuit, eoſque coegit, ut illum attentius reſpicerent [2]. Integritas, innocentia, & fervor Petri, ipſum præ cæteris maxime perſpicuum fecerunt [3].

PETRUS TUNICA SUCCINXIT SE; ERAT ENIM NUDUS.] Erat omnino nudus ex nonnullorum ſententia [4] cum ſimpliciter renes ſuccinctus eſſet latiori zona, qua obtegeret, quidquid verecundia jubet celari. Femoralia igitur induit, ut decentius coram Salvatore prodiret. Alii [5] credunt, illum fuiſſe nudum, hoc eſt male veſtitum, piſcatoris inſtar, dum in artis ſuæ exercitatione verſatur. Tunicam habebat dumtaxat, vel induſium, & femoralia. Ubi vero Dominum vidit, pallium ſumpſit [6], quo ſe ſe involvit: *præcinxit ſe*, atque ſe in aquas conjecit, ut ad Salvatorem perveniret, antequam navicula ad littus appelleret. Ambigitur, utrum natando illuc acceſſerit [7], an ſuper aquas ambulaverit [8]: non enim longe aberat a littore. Si retium pondus piſcium refertiſſimarum lintris iter minime retardaſſet, nihil temporis prævertiſſet, ſe ſe in aquas conjiciens, ſed nimium pondus cauſa erat, ut lentius navicula incederet.

℣. 8. TRAHENTES RETE.] Non inſumpſerunt tempus retibus in navicula exonerandis; quippe impatientia Domini videndi eos coegit, ut rete ipſum, uti erat, refertiſſimum ad littus uſque pertraherent.

℣. 9. VIDERUNT PRUNAS POSITAS.] Unde nam iſthuc prunæ illæ acceſſerunt? Numquid hæc nova creatio eſt [9]; an Angeli eas illuc attulerunt; an Salvator illas inviſibili ratione per potentiam ſuam illuc adduxit [10], vel denique eas ex aere, aliave materia finxerat, quemadmodum fecit, panes multiplicans, ut multa hominum millia enutriret [11]? Hac de re nihil certum afferri poteſt, quod a ſacro textu nihil adferatur. Hoc certum eſt, non deeſſe hoc in loco miraculum, quocumque modo fuerit productum.

℣. 11. ASCENDIT SIMON PETRUS.] Petrus, qui in littore erat cum JESU CHRISTO, videns ſocios ſuos laborare, ut rete ex aquis educerent, propter ingens pondus, atque piſcium reluctantium vim in aquas deſcendit [12], atque illis ſe ſe conjunxit, opem laturus, ut rete extra aquas educeretur: illud enim ad littus uſque pertraxerant. *Aſcendit* hoc in loco ſignificat, ivit.

℣. 12. VENITE, PRANDETE [13].] Adhuc mane erat ℣. 4. & prandii hora nondum acceſſerat; ſed illis, qui tota nocte laboraverant, jam prandii erat hora. Cæterum ex Homero apud Grot. liquet, Veteres ipſo diluculo nonnumquam prandium præparaſſe, & id ſæpius adhuc in agris uſuvenit pro agricolis; qui procul a domo laboraturi ſunt, vel qui noctis partem in laboribus impenderunt.

NEMO AUDEBAT DISCUMBENTIUM,] vel humi ſedentium, & cum illo manducantium [14] *interrogare eum, tu quis es?* Obſervantia erga perſonam illius multo auguſtiorem, & fulgidiorem, quam ante Reſurrectionem ipſius [15], illos deterruit. Cæterum neque auſi fuiſſent petere ab illo, utrum ipſe eſſet; hæc enim injuria illi fuiſſet, quandoquidem nulla dubitandi aderat cauſa.

℣. 14. HOC JAM TERTIO MANIFESTATUS EST JESUS DISCIPULIS SUIS.] Cum ſimul plures eſſent; nam ſi omnes apparitiones enumerare velis, hæc jam ſeptima eſt; primo, apparuerat Mariæ Magdalenæ [16]: ſecundo, mulieribus de ſepulchro redeuntibus; tertio, duobus diſcipulis in Emmaus euntibus [17]: quarto, uni Petro [18]: quinto, omnibus ſimul diſcipulis noctu clauſis januis, cum Thomas abeſſet [19]: ſexto, poſt octo dies iiſdem, & ibidem, ſed cum adeſſet Thomas [20]: ſeptimo denique ſecus mare Galilææ, quemadmodum hic narratur.

℣. 15. SIMON JOHANNIS DILIGIS ME PLUS HIS?] Petrus ter Magiſtrum ſuum negaverat, & Jeſus Chriſtus, ut illi occaſionem præberet per triplicem confeſſionem, triplicem negationem reparandi, ter ex eo deinceps petit; *Simon Iohannis diligis me plus his: Tertio confitetur per amorem, qui ter negaverat per timorem*, inquit S. Auguſtinus [21]. Dei Filius ex gregis ſui Paſtoribus non petit ſimplicem amorem, ſed perfectam, ac triplicem exigit charitatem. Omnem proprium amorem exuere debent, omnem ambitionem, omnis privatæ utilitatis cogitationem. Deus unus, & grex ipſorum, vel potius grex Dei, eorum eſſe debent deliciæ, eorum amor [22]. Pro *Simon Iohannis*, complures Græci MSS. legunt *Filius Iona*, & hic, & in S. Matthæo 16. 17.

TU SCIS, DOMINE, QUIA AMO TE.] Petrus poſt lapſum humilior, atque modeſtior factus [23] non audet dicere, a ſe Salvatorem ſuum diligi magis, quam a fratribus ſuis diligeretur. Sufficit illi aſſerere; utique Domine amo te. Meminerat, quanto illi ſteterat impendio prior ambitio, cum nimis propriis viribus fretus dixerat, ſe vitam pro Magiſtro ſuo effuſurum; & quamvis cæteri omnes illum negarent, a ſe tamen illum negaturum non iri, Matth. 26. 33.

PASCE AGNOS MEOS.] Conſtituit Petrum caput Eccleſiæ, & gregis ſui, eique primatum confirmat, quem olim ipſi tradiderat, dicens, Matt. 16. 18. *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*. Jeſus Chriſtus ſuperius cap. 10. 1. ſe ſe bono Paſtori comparaverat; atque ſemet tradiderat, veluti perfectiſſimum exemplar illis omnibus, qui Eccleſiæ ſuæ erant præfuturi [24]: Paſcite, *qui in vobis eſt, gregem Dei*, dicebat S. Petrus multo poſt hoc tempus; *providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo; & cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.*

Agni,

1 Gr. Προσφάγιον, *Opſonium*. 2 Beug. Grot. alii. 3 Hieronym. adverſ. errores Joan. Jeroſol. ad Pammach. *Virginitas virginale corpus agnoſcit.* Vide Cyrill. Chryſoſtom.
4 Vide Lud. de Dieu hic. 5 Grot. Fuller. Cornel. alii.
6 Τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο. Septuaginta aliquando verterunt Hebr. מעיל, *pallium*, per ἐπενδύτης.
7 Chryſoſtom. Leont. Theophylact. Tolet. 8 Beda, Maldon.
9 Ita Chryſoſt. hic. Beug. Menoch. Grot. Hammon. 10 Cyrill. in hunc locum, Le Clerc.
11 Leont. Theophylact. Euthym. Tolet. Mald. 12 Brug. Menoch.
13 Ἀριστήσατε. 14 Οὐδεὶς δὲ ἐτόλμα τῶν μαθητῶν. *Nemo ex ejus diſcipulis*. Alii: Τῶν ἀνακειμένων. *Diſcumbentium*, uti Vulgata, Janſen. Sal. Tolet. vellent iſthic legi, *diſcentium*, pro *diſcumbentium*.
15 Grot. Beug. 16 Joann. 20. 15. 16. Marc. 16. 9. 17 Matt. 28. 9.
18 Luc. 24. 13. & ſeq. 19 Luc. 24. 34. 20 Joan. 20. 19. Luc. 24. 37.
21 Joann. 20. 26. 22 Cyrill. hic. Aug. hic. ſerm. 355. Leont. Theoph. Beda, alii.
23 Vide Aug. hic. tract. 123. & ſerm. 355. 24 Aug. ſer. 147. olim 24. de Sanctis,
25 1. Petr. 5. 2. 3. 4.

Agni, & oves Salvatoris ſunt fideles illi omnes, qui ejus Eccleſiam componunt, ſine ullo diſcrimine Ethnici, vel Judæi. Nullum myſterium eſt, nullum diſcrimen inter agnos, & oves quærendum: iſthic unum dumtaxat ſignificant. S. Petro conceditur totius Eccleſiæ, ac gregis totius cura, tamquam Capiti, & Principi Apoſtolorum. Ille non ſolum ovium eſt Paſtor, ſed Paſtor Paſtorum.[1]: *habeat illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos: tibi univerſi crediti ſunt: uni unus; neque modo ovium, ſed Paſtorum, tu unus omnium Paſtor.*

℣. 17. CONTRISTATUS EST PETRUS.] Veritus eſt, inquit S. Chryſoſtomus[2], ne Salvator in corde ſuo aliquid ſcrutaretur, quod ipſe minime videbat. Tunc ita parum ſibimetipſi fidebat, ut olim viribus ſuis fretus fuerat. Metuebat, ne aliquid ſibi contingeret ſimile illi, quod Paſſionis tempore acciderat, cumque ipſe pluries dilectionem teſtatus fuiſſet, verebatur, ne Salvator prædiceret futurum, ut ille, ubi ſe ſe obtuliſſet occaſio, neque ſatis amoris, neque zeli ſatis erga Dominum præſeferret[3].

℣. 18. CUM ESSES JUNIOR.] Teipſum ſuccingebas, quaſi iret ſuſcepturus, ſed poſt aliquot annos cum provectiore erit ætate, *extendes manus tuas, & alius te cinget*, tamquam infirmum ſenem, qui eum brachiis ſuis nequeat amplius uti, ſe cingi permittit, atque deduci. Hoc autem innuebat genus mortis, *qua clarificaturus eſſet Deum*: hoc eſt martyrium, quod poſt quatuor circiter, & triginta ab hinc annos erat ſubiturus. S. Petrus in carcerem conjectus fuit, atque ad ſupplicium raptus, quemadmodum illi Salvator prædixerat. Extendit brachia ſua, ut vinculis necteretur, atque mox crucifigeretur; nam de Cruce ſpiritum efflavit, quemadmodum veteres teſtatum reliquerunt[4].

℣. 19. QUA MORTE CLARIFICATURUS ESSET DEUM.] Martyrium exhibetur, non tamquam ſupplicium, ſed tamquam ratio, qua & Deo gloriam tribuimus, & nobiſmet immortalem felicitatem comparamus. Nulla potior homini ratio eſt, qua Deum clarificet, præter martyrium, quo ille Deo vitam ſuam tradit, videlicet, quod chariſſimum habet. Non aliud magis præclarum teſtimonium veritati, & divinitati perhiberi poteſt, quam quod proprio ſanguine ſignatur. S. Petrus adeo ſibi gloriæ vertit pro Dei ſui bonore pati, ut carnifices oraverit, ut capite in terram demiſſo crucifigeretur[5]: non ratus ſe dignum ea morte, quam Magiſter ſuus pertulerat[6]. Jeſus Chriſtus illi dicit: *& ducet, quo tu non vis*; quod minime innuere vult, illum ægre, atque graviter martyrium ſubiiſſe: integrum enim illi erat, vel fidem renunciare, vel fugam corripere, & mortem effugere; eam tamen forti animo ſuſtinuit, licet non ſine mœrore, atque dolore; homo enim erat, neque mortem amabat, ſed Deum magis, quam vitam diligebat[7].

SEQUERE ME.] Eodem tempore Salvator viam corripuit, & S. Petrus illum ſecutus eſt: quo facto innuebat futurum, ut Petrus illum ad Crucis ſupplicium ſequeretur[8].

℣. 20. VIDIT ILLUM DISCIPULUM.] Cum Petrus cenſiſſet, ſe S. Johannem ſequi, ex Domino ſciſcitatus eſt: *Domine, hic autem quid?* ſatis intellexit ea, quæ ſibi a Jeſu dicta fuerant, eſſe futuræ mortis ſuæ prædictionem. Verum ſcire cupiebat, utrum idem finis & dilectum maneret diſcipulum, qui tamquam ſibi dicta intellexiſſe viſus fuerat ea Salvatoris verba: *tu me*

Tom. VII.

A *ſequere*. Numquid & hic in vincula conjicietur, teque ſequetur ad Crucem?

℣. 22. SIC EUM VOLO MANERE, DONEC VENIAM, QUID AD TE?] Hic locus duplici de cauſa inſignis eſt. Primum, quod occaſionem tribuit credendi S. Johannem minime moriturum, quæ ſententia olim, & ſatis diu plurimos habuit aſſeclas, & Patronos: & quam in peculiari Diſſertatione ad examen vocabimus; Deinde vero propter variantes lectiones, quæ in Græcis, Latiniſque exemplaribus leguntur. Græca quidem ſibi conſtant, & generatim legunt[9]: *ſi eum volo manere, donec veniam, quid ad te?*

Sed Latini diſſentiunt Auctores. Alii quidem aſſerunt, *ſic* poſitum eſſe pro *ſi eum*. *Sic* Librarii mendum eſſe dicitur. Verſiones ad lucem Authographorum
B ſunt caſtigandæ: at Græcus, aliique legunt, *ſi*; ita ergo & in Latino textu legendum. Dici nequit, *ſic* deſumptum fuiſſe ex aliquo texto[10]: nullum enim adeſt vel editum, vel manuſcriptum exemplar, quod huic ſuffragetur lectioni, & diſcrimen vocum *houtos*, *ſic*, & *ean*, *ſi*, nimis eſt, ut minime alterutram pro altera poſitam fuiſſe credamus. Compluta Vetera Latina MSS. legunt[11], *ſi eum volo manere*. Denique Cardinalis Beſſarion hanc legendi rationem probavit in libro quodam, quod Summo Pontifici dicavit, ejuſque ſententiam complures eruditi viri ſecuti ſunt; puta Janſenius Gandaven. Coningſtein Magdalius, Toletus, Maldonatus, Cajetanus, Eſtius, Pater Martianæus in recenti S. Hieronymi editione, qui omnes putant legendum, *ſi eum volo manere* &c.

C Qui vero eam tenent lectionem: *ſic eum volo manere*: pugnant freti omnium Patrum auctoritate, & omnium ferme exemplarium Latinorum fide[12], & ipſa Vulgata Concilio Tridentino confirmata. Gregorius Trapezuntinus librum hac de re data opera ſcripſit, eumque Pontifici dicatum voluit, ubi hanc lectionem confirmat: *ſic eum volo manere*, eaque ab Eccleſia Latina univerſa probatur, atque optimum ſenſum adſtruit.

Non deſunt alii, qui neque Græcorum: *ſi eum volo manere*; neque Latinorum: *ſic eum volo manere*, ſed hanc lectionem ſequantur: *ſi ſic eum volo manere*. Zegerus, Lindanus, Lucas Brugenſis præcipui ſunt hujus ſententiæ propugnatores. Zegerus hanc legendi lectionem deprehendit apud S. Hieronymum lib. primo contra Jovinianum; & in veteri quodam Correctorio
D Latino, & in antiquo MS. Bibliothecæ Cuſani. Biblia MS. Caroli Calvi in Regia Bibliotheca legit ℣. 22. *ſic eum volo manere* &c. & ℣. 23. *ſi eum* &c. Alius quidam MS. liber notatus 3769. legit ℣. 22. *ſic eum*; & ℣. 23. *ſi eum*. Victorius Marianus in Veteri Græco MS. quem ad Tridentinum Concilium Epiſcopus Claramontius attulit, anno 1546. legebat[13]: *ſi eum volo manere*. Johannes Gangæus eamdem profert lectionem Græci Commentarii MSS. in S. Johannem. MS. quatuor continens Evangelia aureis characteribus exaratus in Abbatis *Hamviller*, qui octingentorum ſaltem annorum ætatem tulit, legit: *ſic eum volo manere*. Alius quoque, & ipſe vetus MS. in Abbatia Moſomi ſimiliter legit, non ſecus ac vetuſtiſſima Biblia Cathedralis Eccleſiæ Divoduri. Hæ ſunt præcipuæ rationes, quæ
E afferuntur, ad probandas ſingulas ex his tribus ſententiis. Ea tamen, quæ tuetur lectionem: *ſi eum volo manere*, nobis magis arridet.

Quoad litteralem horum verborum ſenſum, quemadmodum dictum eſt, aliqui argumentati ſunt, Johannem

Iii 3

1 Bernard. lib. 3. de Conſider. ad Eugen.
2 Chryſ. Leont. Theoph. Euthym.
3 Vide Mald. Brug. Grot. alios paſſim.
4 Lactant. de morte perſecut. Chryſoſt. in princip. Apoſtol. Clem. Alex. l. 7. Strom. Prudent. Περὶ στεφ. lib. 12. alii. Euſeb. l. 3. c. 1. hiſt. Eccl. ex Origene.
5 Euſeb. Opuſc. 4. a Sirmond. edit. Pariſ. 1643. Prudent. Aſter. Chryſ. Aug. ſer. olim 28. nunc 285. Append.
6 Theodoret. orat. de charit. Maxim. ſer. 1. de Natal. Apoſt. Ambroſ. in Pſalm. 118.
7 Vide Aug. ſerm. 299. in Natal. Apoſtol. antea inedito.
8 Ita Chryſoſt. Cyrill. Tolet. Mald. alii.
9 Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σέ. Et hic verſ. 23.
10 Perinde ac Vulgatæ Auctor legiſſet: Οὕτως αὐτὸν θέλω μένειν, &c. quod nullo MS. confirmatur.
11 Vide Eſt. hic, & notam in hunc loc. nov. edit. Hieronym.
12 Aug. hic, & aliis in locis, Ambroſ. lib. 7. in Luc. n. 4. in Pſalm. 45. n. 21. & in 118. ſerm. 20. num. 22. Bernard. ſerm. de Innocentib. Beda, Rupert. Albert. Thom. Lyran. Vide la Haye hic. At S. Ambroſius lib. 1. in obitu Satyr. num. 4. lit. *Eum volo ſic manere*.
13 Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ὅτ' ἔρχομαι &c.

hannem Evangeliſtam non moriturum ; quorum ſententiam alibi perpendemus. Crediderunt alii, Salvatorem ſimpliciter innuere voluiſſe, Apoſtolum hunc in terris permanſurum uſque ad Jeruſalymitanum excidium, quod ſæpe in Scripturis ſub imagine adventus [1] Jeſu Chriſti exhibetur. Ad ſententiam hanc probandam dicunt, Jeſum Chriſtum ad hoc ipſum ſpectaſſe, ubi dicebat Matt. 16. 28. *ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non videbunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno ſuo*. Profecto S. Petrus obiit anno 67. Jeſu Chriſti quarto ſupra trigeſimum poſt mortem Salvatoris ; & ſeutneireitar antequam Jeruſalem everteretur. Sed S. Johannes non obiit, niſi ſub Jeſu Chriſti annum 90. [2] trigeſimum circiter poſt illius ajvitatis interitum.

S. Auguſtinus, aliique nonnulli [3] hoc ſimpliciter intellexerunt ; volo, illum hic permanere, donec veniam, eum naturali morte ablaturus ; quid ad te ? tu vero me ſequere, quippe tu etiam in cruce, ut ego, morieris. Hæc te portio manet : quod ad ipſum ſpectat, tibi negotium minime faceſſat. Scimus, S. Johannem minime violenta morte abreptum fuiſſe : verumtamen & ipſe Domini calicem hauſit, quemadmodum illi Jeſus Chriſtus prædixerat [4] : *poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum ?* Quandoquidem a Domitiano in inſulam Pathmos relegatus fuit, atque demiſſus in ferventis olei lebetem, unde incolumis magis, quam antea, evaſit [5].

℣. 23. EXIIT SERMO INTER FRATRES.] Verba, quæ Salvator dixerat S. Petro, effecerant, ut plurimi inferrent, S. Johannem non moriturum, vel ſaltem nonniſi ſub mundi finem moriturum ; & effæta quodammodo ætas, ad quam S. ille Apoſtolus pervenerat, dum Evangelium ſuum ſcriberet, ſententiam hanc confirmabat. Attamen neque ipſe hoc ſibi pollicebatur ; in Cœlo dumtaxat immortalitatem ſperabat, & quotidie momentum illud præſtolabatur, quo a Domino inviſeretur. Ut autem auferrat ex hominibus hanc, quæ percrebuerat, fabulam, ſe videlicet non moriturum, rem narrat, quemadmodum acciderat ; & ſuam addit animadverſionem, & *non dixit ei Jeſus : non moritur : ſic eum volo manere, donec veniam, quid ad te ?*

℣. 24. HIC EST DISCIPULUS ILLE.] S. Johannes de ſeipſo humilitatis ergo in tertia loquitur perſona. Perhibet teſtimonium eorum, quæ hactenus enarravit, cum ſit unus ſuperſtes ex omnibus Apoſtolis, ut homines edoceat, quid tunc actum fuerit, & quid locum præbuerit fallaci de ſua immortalitate rumori. Adjicit, teſtimonium ſuum verum eſſe ; fretus ſuæ æquitati, & ſinceritati, quibus vitæ innocentia, & ſanctitas accedebant ; minime veretur, quod ulla mendacii ſuſpicio oboriatur.

Eruditi nonnulli credunt, totum hoc caput [6], vel ſaltem poſtremos duos verſiculos [7] eſſe opus Eccleſiæ Epheſi, veritati S. Evangelii, & Evangeliſtæ ſanctitati teſtimonium perhibentis. Sed licet non ſatis videam periculum, quod impendere poſſet, ubi hæc ſententia admitteretur, quandoquidem haud ægre fatemur, ex. gr. noviſſimum Deuteronomii caput non eſſe Moyſis : attamen non ita facile a communi ſententia auſim recedere, ubi perſpicua non cogat neceſſitas, quæ hoc in loco mihi ſane minime videtur. Hæc omnia de ſeipſo dicere potuit S. Johannes, quin vel humilitati officeret, vel veritati ; eam enim ætatem attigerat, id auctoritatis conſecutus erat, & eam ſanctitatem probaverat, quæ illi permittebat aliquid, quod in alio minime probaretur. Numquid ſcandalum alicui oboritur, audienti S. Paulum ſeipſum laudibus celebrantem, & narrantem gratias, quibus a Deo fuit cumulatus, & dicentem II. Cor. 13. 5. *an experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Chriſtus ?* & I. Cor. 7. 40. *puto autem, quod & ego ſpiritum Dei habeam*.

℣. 25. NEC IPSUM ARBITROR MUNDUM CAPERE POSSE.] Non deeſt hyperbole. Si vellem ea omnia narrare, quæ mirabilia Salvator operatus eſt, ea copia, quam argumenti dignitas poſcit, tot volumina deſcriberentur, ut Mundus illis repleretur. Quidam [8] ita intelligunt ; ſi ſcriberentur ea omnia, quæ Jeſus Chriſtus fecit, & docuit, reor, Mundum univerſum illa capere non poſſe, neque eorum profunditatem ſuo intellectu comprehendere. Alii [9] ; univerſus Mundus illa non crederet. Miracula, quæ fecit, adeo magna ſunt, atque adeo ſupra humanum captum aſcendunt, ut homines ea tamquam extra fidem poſita ejicerent, ſi omnia illis enarrarentur. Sed prior explicatio magis naturalis eſt, & magis Græco textui conformis [10]. Sacri, & Prophani Auctores hujuſmodi hyperbolicis locutionibus diffluunt.

AMEN, legitur in hujus capitis fine in Græcis exemplaribus typis editis : ſed non extat in verſionibus Vulgata, Coptica, Syriaca, Perſica, Arabica, Armena, & in vetuſtiſſimis Græcis Manuſcriptis [11] deſideratur.

---

1 Matt. 16. 28. 24. 29. 30. 34. 2 Ita Theoph. D. Thom. Ribera, Var. Grot. Ligf. alii.
3 Auguſt. Beda, Rupert. Thom. Maldon. Heinſ. 4 Matth. 20. 22.
5 Tertull. Præſcript. cap. 36. Hieronym. lib. 1. contra Jovinian. cap. 14.
6 Grot. ſup. 20. ult. 7 Hamm. Le Clerc. 8 Auguſt. Beda, Rupert. D. Thom. Lyran. Vide Origen. Philocaliæ, Iſidor. Peluſ. l. 2. Ep. 99. 9 Hieron. in Matth. 21. Nicephor. lib. 1. cap. 24. Hiſtor. Eccleſ. Ribera, Heinſ. 10 Οὐδ' αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία.
11 Alexand. Cantabrig. Colb. 8.

FINIS COMMENTARII IN SANCTUM JOANNEM.

PRÆ-

PRÆFATIO IN ACTA APOSTOLORUM.

POſt ſupremam manum Evangelio, hiſtoriæ nempe rerum geſtarum Jeſu Chriſti ejuſque Parentis, qua familiariſſime uſus eſt, impoſitam, id ſibi propoſuit S. Lucas, ut in Actis Apoſtolorum Evangelium ſcriberet S. Spiritus, juxta Oecumenii phraſim in Acta p. 20. vel Reſurrectionis J. C. juxta Chryſoſtomum in Acta hom. 1. ſive tandem rerum geſtarum a primis illis Apoſtolis, & naſcentis Eccleſiæ hiſtoriam. Nec ſane poſt deſcriptam vitam, & doctrinam J. C. dignius aliud argumentum tractandum ab illo fuerat, nullum utilius, nullum majoris ad Eccleſiam momenti, ſive exempla ſpectes ad dirigendos mores, ſive inſtitutiones ad doctrinam formandam [1]. Impleta exhibet plura Filii Dei oracula, ut de illapſu S. Spiritus, atque de immutatis ingenio, atque indole Apoſtolorum ejuſdem S. Spiritu operatione; ſpecimen præbet Chriſtianæ illius perfectionis, cujus ideam omnem implet priorum Fidelium vita pariter & diſciplina; parent inſuper inſignia virtutum exempla, quæ ſub Apoſtolis data ſunt; parent prodigia S. Spiritus in redigendis ad Fidem gentibus; & ſuper omnia prodigia prodigium illud conſtitutæ nempe Eccleſiæ Chriſtianæ, & Regni Dei, illius, inquam, Regni, cujus in Scripturis promiſſiones frequentiſſimæ ſpectantur.

Inſcriptum eſt a S. Luca Opus: *Acta Apoſtolorum*, quo ait S. Chryſoſtomus tom: 5. hom. 12. doceremur, non tam prodigia in eo quærere, quam morum exempla, & documenta virtutum. Cum, ait S. Hieronymus Epiſtola 103. nonniſi nudam, & ſimplicem Eccleſiæ naſcentis hiſtoriam referendam ſuſcipere viſus eſt ſapiens ille Medicus, Evangelio ſuo univerſo Orbi celebratiſſimus, reipſa tamen promit totidem remedia curandæ infirmæ animarum noſtrarum valetudini præſentiſſima, quot verba profert formandis moribus utiliſſima.

Id autem habuiſſe potiſſimum conſilii creditur, ut confictis aliorum fraude Apoſtolorum Actibus, veram hanc, & genuinam rerum ab Apoſtolis Petro, & Paulo geſtarum hiſtoriam opponeret. In eam vero contulit quidquid maxime neceſſarium duxit ad credentium fidem, cujus rei merito tantam ſibi gratiam apud Eccleſiam univerſam comparavit, ut ejus ſolum opere admiſſo, cætera rejicerentur [2]. Verum ſi fide operis ſui Sanctus Lucas cæteris omnibus de eo argumento Libris ante ſe ſcriptis fidem detraxit, nequidquam tamen factum eſt, quin poſt ipſum alia producerentur. Nota ſunt poſterioribus ſæculis Acta a Manichæis cæteriſque Hæreticis ſuppoſita, de quibus nobis fuſius infra agendum eſt. Sed eorum tenebras Sanctiſſimus Scriptor luce operis ſui ita diſſipavit, ut nihil ſive ante ipſum, ſive poſt ipſum ſcriptis mandatum de eo argumento admitteretur. Suſpicatur Sanctius in Acta Proleg. n. 13. Judæos Apoſtoli Pauli famæ invidiam creaturos, plures in vulgus adverſus illum calumnias ſparſiſſe, quibus confutandis revincendiſque S. Lucas opus illud veluti apologiam oppoſuit.

Quærit S. Chryſoſtomus in Acta hom. 1. cur S. Lucas utrumque opus eidem Theophylo inſcribens, non in eumdem pariter Librum contulerit Acta ſimul, & Evangelium; ſed in duo diſpeſcere maluiſſe. Reſpondet idem ab eo præſtitum, 1. majoris claritatis gratia; 2. in commodum Lectorum; 3. ut rerum, de quibus agebat, naturæ ſerviret; diſcrimen enim poſcunt. Primo autem ſcriptum ab ipſo Evangelium, deinde Acta [3]; ſed quo potiſſimum tempore ad utrumque ſe ſe contulerit, incertum. Traditum eſt apud veteres, digeſtum ab ipſo Evangelium in Achaja; idemque opus ſpectari ab Apoſtolo 2. Corinth. 8. 18. *Miſimus cum Tito fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*. Sed his admiſſis fateamur oportet, diu ante ſcriptum Actuum Librum prodiiſſe Evangelium; Epiſtola enim ad Corinthios data eſt an. Jeſu Chriſti 57. cum ſcribendis Actibus non antea operam dare potuerit, quam poſt exactum Romæ una cum Apoſtolo Paulo biennium, nempe poſt an. 62. vel 63. Jeſu Chriſti. Nec abs re ſuſpicaremur, ſcriptum hunc Librum Romæ, quo tempore in captivitate detento Apoſtolo, S. Lucas uſque ad reſtitutam ejus libertatem adhæſit.

Græcis literis exaratum fuiſſe ambigit nemo; cultior eſt autem, & elegantior, quam cæterorum omnium N. T. [4]. Laudantur in eo plerumque teſtimonia Scripturæ juxta Verſionem Septuaginta; quod facile Scriptor Hebraicum ignoraret [5]; cum etiam S. Paulus verba frequentiſſime Gentibus faciens, mallet Sacros Libros juxta vulgatum, & omnium manibus pronum Textum laudare, quam ex Hebræo longe pluribus ignoto. S. Epiphanius hæreſ. 30. cap. 36. author eſt, e Græco in Hebræum, ſive Chaldæum, vel Syriacum, quo tamquam vernaculo Palæſtini Judæi utebantur, tranſlatum fuiſſe. Idem opus Hebraice verterant Ebionitæ; ſed pluribus memoriæ Apoſtolorum plane injurioſis Infectum, corruptumque. Tradit S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis Presbyterum quendam Aſiæ genuinis Apoſtolorum Actis adjeciſſe itinera SS. Pauli, Theclæ, ſicut & commentitiam quamdam baptizati Leonis (belluæ nempe) hiſtoriam. Ejus impoſturæ reum tenuit eumdem Presbyterum S. Joannes Evangeliſta, ait Tertullianus, coegitque fateri, amore Pauli hæc illum commenta procudiſſe.

Canonica huic Libro authoritas numquam defuit in Eccleſia. Canonicum tamen negarunt Heretici Mar-

---

1 Chryſoſt. in Acta hom. 1. 2 Auguſt. de Conſenſ. Evangeliſt. l. 4. c. 2.
3 Act. 1. 1. *Primum quidem ſermonem feci de omnibus, o Theophyle, quæ cœpit Jeſus facere, & docere.*
4 Hieronym. in Iſai. 6. 5 Hieronym. tradit. Hebr. in Gen. 46.

Marcionitæ (Tertull. contr. Marcion. lib. 5. cap. 1. 2.) cum Manichæis. (Auguſt. de utilit. creden. c. 3.) genuinum opus rejicientes Nicolaitæ, & Gnoſtici apocrypha alia ſcripta ſubſtituerunt (Philaſtr. hær. 87.) Id autem ab illis Hæreticis præſtitum [1], quod luculente nimis in eo opere illapſus S. Spiritus juxta Oraculum Jeſu Chriſti paucis poſt Aſcenſionem diebus manifeſtaretur; quod incommodum Manichæis accidebat, jactitantibus illud de S. Spiritu oraculum in Manete hæreſis authore implendum. S. Auguſtinus ita de hoc Libro pronunciat [2]: *Actus Apoſtolorum Liber eſt de Canone Scripturarum: ipſe Liber incipit legi a Dominico Paſchæ, ſicut ſe conſuetudo habet Eccleſiæ.*

Queritur S. Chryſoſtomus de neglecta plus nimio ætate ſua Libri Actuum lectione, ut pluribus ne nomine quidem opus noſceretur. Ipſe vero pluribus illius ſcripti meritum effert, Eccleſiæ perinde ac Evangelium utile eſſe profeſſus. Eraſmus [3] in ſua editione N. T. meditabatur Evangelium S. Lucæ Actis jungere, ne unius ejuſdemque Authoris uni eidemque nuncupata viro opera disjungerentur; ab eo tamen conſilio abſterritus eſt, metu, ne gravius ferretur variatus Evangeliorum ordo. Quamquam ut vera fateamur, Acta ipſa Evangelii portio non infima cenſeri poſſunt. Si enim Evangelium ſementem terræ jactam præfert; natum germen & matura jam meſſis exhibetur in Actis.

Inter Opera N. T. non idem ſemper locus Actus Apoſtolorum manſit. Medium tenent inter quatuor Evangelia & Apocalypſim in pluribus vetuſtis Mſſ. quorum unum ſervatur in Abbatia Medii Monaſterii; nec alium plerumque obtinuiſſe inſinuant S. Auguſtinus, Caſſiodorus, & Theodulphus Aurelianenſis. Sed alia quædam Exemplaria conſtituunt poſt Epiſtolas S. Pauli, & ante ſeptem Canonicas; uti ſpectare etiam licet in vetuſtis nonnullis Editionibus. In veteri Mſ. S Germani Pratenſis, ſicut & in Bibliis S. Mariæ Muſſiponti hic ordo ſervatus eſt; Evangelia, Acta, ſeptem Epiſtolæ Canonicæ, Epiſtolæ S. Pauli; quod & recurrit in Mſs. Syriacis, & in verſione Moſcha, ſeu Ruthenica. Porro Acta ſeptem Canonicis continuari tradit S. Philaſtrius. Interdum poſt Apocalypſim rejecta ſunt. Ea tandem in re maxime varians, qua Mſs. qua veteres Editiones [4].

Variantia plurima, nec levioris momenti in eodem Libro deprehenduntur; quæ facile gloſſæ ſunt ab Amanuenſibus adjectæ, ſeu majoris claritatis gratia in ora appoſite addendæ, in Textum irrepentes. Quæ majoris momenti videbantur, in additionibus ad Commentarium adnotare viſum eſt. Legitur in Synopſi, S. Athanaſii nomine inſcripta, S. Petrum Apoſtolum Librum Actuum dictaſſe, ſicut Apoſtolum Paulum Evangelium S. Lucæ: utrumque incertum. Neque enim aliquid de Evangelio S. Lucæ, Apoſtoli Pauli dictantis ore excepto conſtat; Actibus vero dirigendis aliquid vel minimum contuliſſe S. Petrum, vix ac ne vix quidem credimus. Ejus Apoſtoli mentio occurrit in primis tantum Operis capitibus; dein a capite 13. totum referendis S. Pauli geſtis impenditur; nec ſane a latere ejuſdem Apoſtoli receſſiſſe amplius S. Lucas creditur, ex quo Troade in Phrygia illi comes, non itinerum tantum, ſed laborum omnium & malorum acceſſit. Quare nonniſi oculis explorata in eo libro refert. De S. Luca tanquam de viro ampliſſimo agit Apoſtolus 2. Cor. 8. 18. 19. *Miſimus etiam cum Tito fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias. Non ſolum autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ in hanc gratiam, quæ miniſtratur a nobis ad Domini gloriam* (nempe colligendis Fidelium eleemoſynis). Suſpicantur etiam plures inter veteres, *Luciam* illum, de quo ad Rom. 16. 21. ubi ſibi neceſſitate conjunctum eum virum teſtatur Apoſtolus, ipſum eſſe S. Lucam Actuum Apoſtolorum ſcriptorem.

Utriuſque itineris Pauli Apoſtoli Romam ſocius acceſſit S. Lucas, eumque ſolum inter veteres Diſcipulos, quibuſcum ad Urbem venerat, lateri ſuo adſiſtentem habebat idem Apoſtolus, quo tempore ſecundam ad Timotheum Epiſtolam dabat; nempe paulo ante Martyrii ſui conſummationem [5], ut proinde ad extremum uſque vitæ fidum hunc comitem expertus ſit. Mirari ſubit, cur hiſtoriam Martyrii ejuſdem Apoſtoli ſcriptis mandare neglexerit, cum nemo melius poſſet; quippe qui oculatus ejus obitus teſtis fuerat, & diu poſt eam ætatem vitam produxit. Sunt qui autumaverint [6], conſilium agitaſſe illum novam ſcribendi hiſtoriam ab adventu Pauli Romam, uſque ad ejus obitum; quod ne executioni mandaret, in cauſa fuiſſe potuerunt itinera, & cæteræ Apoſtolicæ ſollicitudines, præferendas illas ſcriptioni arbitratus. Apoſtoli & hominis Apoſtolici eſt, rara ſcribere, plura moliri [7]. Porro Martyrium S. Pauli ſatis aliunde innoteſcit; nec ſane aliter reputari par erat de re tanti momenti in celeberrimæ Urbis Romæ, adeoque univerſi orbis theatro ſub ipſis Fidelium omnium oculis geſta; ſed itinera & cætera vitæ ejuſdem Apoſtoli facta poterant facile e mentibus hominum excidere, quod ſane dolendum fuiſſet Eccleſiæ, niſi illorum memoriam ſcriptis perennare idem Apoſtolus S. Lucas inſtituiſſet.

Continet idem opus hiſtoriam Eccleſiæ ab Aſcenſione Domini ad uſque libertati reſtitutum S. Paulum, biennio poſt quam Urbem Romam veniſſet. Intervallum eſt autem 30. annorum, quot ſcilicet ab an. 34. uſque ad 64. Jeſu Chriſti, ſive a 20. Tiberii uſque ad 9. Neronis excurrerunt.

Pauca modo de falſis *Actis Apoſtolorum*. Ebionitarum fraude genuinum S. Lucæ opus corruptum eſt, pluribus ingeſtis memoriæ SS. Jacobi, Petri, & Pauli maxime injurioſis. Legebantur ibi, juxta ac S. Epiphanius hæreſ. 30 §. 16. obſervat, *Aſcenſus*, ſive *Scala S. Jacobi*, quibus nempe referebatur viſio quædam ejuſdem Apoſtoli de everſione Jeroſolymæ, & Templi.

Acta S. Petri pluribus nominibus innoteſcunt, veluti *Periodi Petri*, qui liber ſupereſt. *Recognitiones Clementis*, *Prædicatio*, ſive *doctrina S. Petri*. Legitur etiam Opus inſcriptum: *Apocalypſis S. Petri*, ſive *judicium S. Petri*. De ſingulis hiſce operibus pauca. *Itinerarium S. Petri*, nomine *Recognitionum S. Clementis* notum, pluribus modo, quam olim prioribus ſæculis, fabellis infeatum eſt, quippe quod e Schola Ebionitarum prodierit. Photius Bibl. Cod. 124. autumavit, ficta illa Apoſtolorum Acta, ſive

1 Aug. Epiſt. olim 253. nunc 237. n. 2. & lib. de utilit. creden. n. 7. 2 De Prædeſt. SS. c. 2. n. 4.
3 In Acta Præfat. 4 Vide Fabric. not. in Fragm. Apoſtol. apocryph. pag. 750.
5 2. Timot. 4. 11. *Lucas eſt mecum ſolus*, 6 Vide Fromond. ad Acta c. ult. pag. 709.
7 Vide Chryſoſt. hom. 1. in Acta pag. 3.

ſive *Itinerarium Apoſtolorum*, inter quæ primas tenebant Recognitiones S. Petri, fabricata fuiſſe, vel ſaltem plurima fabularum acceſſione locupletata a Charino magni nominis Ebionita. Veroſimilius tamen credimus, opus illud primo ab aliquo ejuſdem Apoſtoli Diſcipulo abſque dolo malo deſcriptum fuiſſe, quod deinde nacti Ebionitæ corruperint; eaque illorum acceſſione factum ſit, ut inter Apocrypha rejiceretur. Meminit S. Auguſtinus lib. contr. Adimant. cap. 17. operis cujuſdam Actorum S. Petri, in uſum Manichæorum, in quo duæ potiſſimum hiſtoriæ legebantur; altera nempe de filia S. Petri, ejuſdem Apoſtoli precibus paralyſi correpta; alia vero de filia cujuſdam hortulani, precibus ejuſdem Apoſtoli ſubita nece oppreſſa.

Prædicatio S. Petri legitur apud S. Clementem Alexandrinum, Origenem, Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 3. S. Hieronymum in Catal. v. *Petrus*. Opus erat Diſcipuli alicujus, Magiſtri ſui ſtudioſiſſimi. Duo ex eodem Libro poſteritati tranſmiſſa ſunt, illud nempe de Chriſto, qui digredienti ex Urbe Apoſtolo Petro occurrens, dixit: *Vado Romam iterum crucifigi* [1]; quibus verbis vaticinium imminentis obitus ſui inſinuari Apoſtolus intellexit. Et aliud dictum Apoſtoli Petri ad uxorem ſuam, quæ ad martyrium rapiebatur: *Memento Domini* [2].

Apocalypſis S. Petri, paulo poſt obitum ejuſdem Apoſtoli facile ſcripta, refert oracula illius de excidio Jeruſalem, atque de futuro Eccleſiæ ſtatu; oracula, inquam, ſi quæ alia, obſcura & ænigmatica. Longum ejus fragmentum ſervatur apud Lactantium Divin. Inſtit. lib. 4. cap. 21. in quo revelatio quædam Jeſu Chriſti ad Apoſtolos Petrum & Paulum, & ab illis ad Romanos pro concione expoſita; revelatio, inquam, futuri adverſus Judæos belli, & malorum, quæ miſeræ inde genti imminerent. Teſtatur Sozomenus lib. 7. cap. 19. ætate ſua adhuc legi Apocalypſim S. Petri in nonnullis Palæſtinæ Eccleſiis, die Paraſceves ſolemni.

Judicium S. Petri, de quo S. Hieronymus & Rufinus, deſcribit terribile illud, quod Judæos manebat a Deo, judicium. Opus eſt, facile cum Apocalypſi confundendum.

Acta S. Pauli, non diu poſt ejuſdem Apoſtoli obitum prodierunt, quaſi in ſupplementum eorum, quæ S. Lucas in ſuo opere omiſerat. Continent autem geſta & miracula ejuſdem Apoſtoli poſtremo ejus vitæ quinquennio, geſta nempe ab anno ſecundo adventus ipſius Romam, ubi Liber Actuum S. Lucæ deſinit. Duplo prolixior erat Liber, quam Acta Apoſtolorum Canonica [3]. Euſebius Hiſt. Eccle. lib. 3. cap. 25. cui ignotum non erat, de illo tanquam apocrypho & ſuppoſititio agit. Fragmentum ex illo laudat Origenes lib. 1. cap. 2. Periarchon: *Quia hic eſt verbum animal vivens*; quæ facile ſententia ex prava interpretatione illius ad Heb. 4. 12. derivata eſt: *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax*.

Acta S. Joannis Evangeliſtæ, in S. Epiphanio hæreſ. 47. & S. Auguſtino [4] nota, commentum fuerant Gnoſtici cujuſdam, eademque facile Pſeudo-Abdias in ſuo opere inſeruit [5]. Hiſtoriolæ plures ſupra fidem, & ridendæ quædam fabellæ ibidem leguntur: rejicit vero ſcriptor nuptias, & uſum imaginum ac ſimulacrorum. Videſis Photium Cod. 114. in excerptis Actuum, quæ Lucius quidam ſive procudit, ſive corrupit. Sunt autem Acta illa idem facile opus, ac Itinerarium S. Joannis apud Pſeudo-Athanaſium in Synopſi, dignum quo Encratitæ, Manichæi, & Priſcillianiſtæ uterentur.

Acta S. Andreæ Manichæis probata, nuptias averſabantur, quemadmodum apud S. Auguſtinum duobus ex eo libro prolatis teſtimoniis intelligimus [6]. Adverſarius Legis, & prophetarum ab eodem S. Doctore refutatus l. 1. c. 20. non ſemel ſententias ex eodem opere laudaverat.

Acta S. Thomæ, Hæreticis illis juxta ac S. Auguſtinus teſtatur [7], erant in pretio. Sub tanti nominis obtentu ſuppoſitum fuiſſe Evangelium jam animadvertimus. Quædam in ſuum opus ex illis tranſtulerat Pſeudo-Abdias; teſtatus inſuper, referri in eodem Libro iter S. Thomæ ad Indias, quæque in ea regione mala, & labores toleraverit. Fabellam hominis, in quem dira imprecatus fuerat S. Thomas; quod ab ipſo alapa percuſſus eſſet, ex eodem Libro refert S. Auguſtinus.

Acta S. Philippi, una cum Evangelio ſub ejuſdem Apoſtoli nomine, ingerebant Gnoſtici [8]. Ejus Operis ſecundam partem, hiſtoriam Martyrii S. Andreæ complectentem, vidiſſe ſe in Bibliotheca quadam Anglica D. Millius [9] teſtatur.

Apocalypſis S. Pauli, ab Encratitis, tanquam promus condus myſteriorum ſuorum, fabricatum Opus. Tituli illius myſterium derivabant ex illo 2. Cor. 12. 4. *Scio hominem raptum uſque ad tertium Cœlum, & vidit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. De illo tanquam fabulis infecto opere, & nullam in Eccleſia auctoritatem obtinente, agit S. Auguſtinus in Joan. tract. 98. num. 8. Equidem ſi Paulus ſupra hominis captum revelata ſibi myſteria prodit, quid tantum ſibi vindicant Hæretici, ut poſſint ea myſteria diſſerere.

---

1 Origen. in Jo. pag. 298. 2 Clem. Alex. Strom. l. 7. pag. 736.
3 Legitur in veteri Mſ. laudato a D. Cotelerio in Adnotationibus ad S. Barnabam, hæc Acta continere 4560. verſus; cum Acta Canonica in eodem Mſ. nonniſi 2500. contineant.
4 De Fide cap. 4. & 40. & in Adverſar. Leg. & Prophet. lib. 1. cap. 20.
5 Abdias lib. 5. Hiſtor. 6 De Fide contra Manich. cap. 38.
7 Contr. Adimant. cap. 17. & con. Fauſt. l. 22. 8 Leont. de Sectis.
9 Inter Codd. Barroccian. apud Millium Proleg. in N. T. G.

T A-

TABULA CHRONOLOGICA

IN ACTA APOSTOLORUM.

A.M. 4037. Æræ Vulg. 33. Tiberii 20 J.C. 34. Aſcenſio Jeſu Chriſti, feria quinta 14. Maii: Pentecoſtes, & Spiritus S. illapſus, die Dominica 24. Maii.

Electio ſeptem Diaconorum.

Martyrium S. Stephani.

Prima Eccleſiæ perſecutio poſt obitum S. Stephani. Fideles longe lateque diſperguntur.

Sanctus Philippus Diaconus, Samariæ fidem annunciat.

Eo veniunt SS. Petrus, & Johannes, recens ad fidem converſis Spiritum S. collaturi. Simon Magus pecuniam illis offert.

34. S. Paulus in itinere Damaſceno ad fidem convertitur. In Arabiam ſecedit.

S. Petrus Lyddæ Æneam valetudini reſtituit; Tabitham in Joppe ad vitam revocat; Cornelium Centurionem baptizat.

37. *Tiberio defuncto, Caligula ſuccedit.*

S. Paulus Damaſco ſe ſe ſubducens, Jeroſolymam primum, deinde Tharſum venit.

41. *Cajus moritur, Claudius regnat.*

43. S. Paulus Tharſo relicta, Antiochiam concedit, ubi Diſcipulis tum primum data Chriſtianorum appellatio.

44. SS. Paulus, & Barnabas Antiochia digredientes, Jeroſolymam veniunt.

Herodis Agrippæ juſſu, S. Jacobus Major interficitur; S. Petrus carceri traditur unde ab Angelo liberatur.

Herodes Agrippa Judææ Rex moritur. Judæa in poteſtatem Romanorum veniens, in Provinciam redacitur.

SS. Paulus, & Barnabas initiantur Antiochiæ in Apoſtolos Gentium.

S. Paulus in Cypro Evangelium annunciat, atque Sergio Paulo perſuadet.

A.J.C. 45. S. Paulus Pamphiliam, Piſidiam, & Lycaoniam excurrit.

45. Ex Aſia Antiochiam redit.

51. Concilium Apoſtolorum Jeroſolymis, ubi jugo legis relevandos Fideles ex Idololatris ad Sacra Chriſtianorum traductos, decernitur.

S. Petrus Antiochiam veniens, a S. Paulo corripitur.

SS. Paulus, & Barnabas occaſione Johannis Marci mutuo ſecedunt.

A.J.C. 51. S. Barnabas in Cyprum una cum Johanne Marco contendit.

S. Paulus una cum Sila Aſiam minorem petit. Timotheum, circumciſione prius initiatum itineris comitem aſſumit.

S. Paulus in Macedoniam proficiſcitur. Philippis Evangelium annunciat, ubi una cum Sila flagris cæditur.

Tendit idem Theſſalonicam, Berœam, & Athenas, ubi S. Dionyſium ad fidem traducit.

Corinthum veniens, moram ibi 18. menſibus trahit.

Priorem Epiſtolam ſuam ad Theſſalonicenſes, 53. & paulo poſt ſecundam pariter ad ipſos ſcribit.

Coram Gallione Proconſule Achajæ ſiſtitur.

Corinthum deſerens, Epheſum, deinde Jeroſolymam, ac tandem Antiochiam concedit. 54. Poſt peragratam Galatiam, & Phrygiam, Epheſo in exitu anni reſtituitur, ubi triennio manet, annis nempe 54. 55. 56. Quo temporis intervallo, Apollo Epheſum, ac deinde Corinthum proficiſcitur.

Claudius Imperator vita defungitur. Nero imperat.

Seditio in S. Paulum Epheſi movetur. 55.

Epiſtolam mittit ad Galatas, a Judæis in ſeditiones commotos.

Timotheum in Macedoniam, & Corinthum mittit. Prior S. Pauli ad Corinthios Epiſtola. 56.

Demetrius Epheſi turbas concitat in Apoſtolum. 57.

Epheſum deſerens venit Troadem, inde in Macedoniam proficiſcitur.

Altera Epiſtola ad Corinthios per Titum miſſa.

S. Paulus Corinthum, & Achajam petit, ubi tres poſtremos hujus anni menſes agit.

Epiſtola ad Romanos Corinthi data. 58.

Græciam deſerens, Jeroſolymam contendit; inde Philippos proficiſcens, feſtum ibi Paſchæ celebrat. Tum Troade, & Mileto pertranſiens, Jeroſolymam occaſione Feſti Pentecoſtes ſe confert.

A Judæis in Templo detinetur; e quorum manibus ſubductum Lyſias Tribunus apud ſe tenet, ac biduo poſt ad Felicem Judææ Præſidem Cæſaream mittit. Biduo ibi in carcere detinetur. Act. 24. 27.

Feſtus in Judææ Præfectura Felici ſubrogatur. 60.

S. Paulus manibus Judæorum tradendum ſe a Præſide intelligens, Neronem appellat.

Navim conſcendens Cæſareæ, Myram Lyciæ appellit. Naufragium patitur ad Inſulam Melitam Octobri exeunte.

Romam pervenit menſe Februarii, ubi uſque ad an. 63. biennio nempe, ſubſiſtit. A. J. C. 61.

Oneſimum ad fidem convertit, & ad Philemonem ſcribit.

Epiſtolæ ad Philippenſes, & Coloſſenſes.

Epiſtola ad Hebræos.

Prima ad Timotheum. 64.

Secunda ad Timotheum. 65.

Epiſtola ad Epheſios.

SS Petrus & Paulus Romæ martyrium conſummant, anno duodecimo Neronis, Jesu Christi 66. A. J. C. 63.

DISSER-

DISSERTATIO
DE EPIGRAPHE ARÆ ATHENIENSIS,
IGNOTO DEO Actuum 17. 22.

A Thenarum Urbem ingreſſus Apoſtolus, totamque Idololatriæ ſuperſtitionibus implicitam nactus, a lacrymis vix ſe continuit. Nulla non die ad Synagogas Judæorum, ſive ad publicum Urbis forum ſe conferens, qua diſputationibus, qua argumentis Judæos, & Philoſophos revincebat. Doctrinæ novitate commoti Philoſophi illi, viro denunciarunt, ut coram Areopago ſe ſiſtens, doctrinæ ſuæ veritatem viris illis doctiſſimis approbaret. In medio igitur ampliſſimi cœtus ita peroravit Apoſtolus: *Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. Præteriens enim videns ſimulacra veſtra, inveni & Aram, in qua ſcriptum erat: Ignoto Deo, Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.*

Quod ignotum hoc Numen; quid Ara; quis Inſcriptionis ſenſus; qua occaſione, & quonam Authore appoſita, diſquiritur. S. Hieronymus in Epiſt. ad Tit. c. 1. quem ducem ſequuntur plures ex Interpretibus [1], ſuſpicatur, totam Aræ hujus inſcriptionem in hanc ſententiam conceptam fuiſſe; *DIIS ASIÆ, ET EUROPÆ, ET AFRICÆ. DIIS IGNOTIS, ET PEREGRINIS.* Maluiſſe autem Apoſtolum plurale in ſingulare transferre, quo populis illis monſtraret, coli ab eis Numen quoddam incognitum.

Malunt alii, deſignari vetuſtiſſimum quoddam Altare Athenis dedicatum authore Epimenide, Philoſopho, occaſione peſtis, tota Urbe graſſantis. Conſultum enim ea de re Oraculum declaraverat, ad cohibendam luem expiari oportere atque luſtrari Urbem [2]. Accitus ea de cauſa e Creta Epimenides clari nominis Philoſophus vel Magus, qui 600. circiter annis ante Chriſtum florebat, actutum Athenas ſe conferens, oves albas, nigraſque aliquas in ſuperiorem Urbis partem, ubi ſitus eſt Areopagus, deduxit. Hic ſolutas dimiſit, mandatis onerans certos quoſdam viros, ut errantes, palanteſque ſequerentur; & cum ſponte ſua quieſcerent, immolarent Deo loci viciniori, ſive Deo, cui maxime oportet. Hic executioni mandatis, ſtatim lues ceſſavit. Factum inde, ait Diogenes Laertius, ut noſtra etiam ætate, (nempe diu jam ſecundo Eccleſiæ ſeculo incœpto) in agro viciſque Atticæ erecta quædam Altaria occurrant, in memoriam hujus expiationis, Dei nullius nomine inſcripta. Putant itaque, Altaribus hiſce nullam peculiarem inſcriptionem apponi conſueviſſe; vel ſi quam forte addebant, hæc tantum Deum quemcumque præferebat, qui ejus morbi Author extiterit, ſive Deum, qualiſcumque ille eſſet, cui ea expiatione litaretur. Huc igitur ſpectaſſe Apoſtolus creditur [3].

Aram ignoti Dei deprehendiſſe ſibi aliqui blandiuntur [4] in Pauſania, Philoſtrato, & Luciano. Namque Pauſanias, & Philoſtratus authores ſunt, coli Athenis Aras inſcriptas: *Diis ignotis* [5]; i. e. ait Grotius, plura erant hujus generis Altaria, quorum ſingulis addi poterat ſingularis epigraphe; *Ignoto Deo*. Et Lucianus, ſive quis alius Author Dialogi Philopatris, jurat per *Deum ignotum Athenarum*. Addit inſuper: *Cum Athenas veniſſemus, Deum ignotum nacti, & culto, & gratiarum actionibus porrectis in Cœlum manibus venerati ſumus.*

Non abs re ſuſpicaremur, *Deum ignotum*, de quo S. Paulus, eumdem eſſe, qui apud Scriptores iſtos legitur. Scripturæ textum reddunt Syriacus, & Arabicus; *Deo occulto*; Deo nempe, cujus nomen latet. Ad Aras a Dionyſio Laertio memoratas, quod ſpectat, cum nullam præferrent epigraphem, uti ab eodem Scriptore traditum eſt, aliæ plane eſſe debuerant, ac Altaria illa ab Apoſtolo laudata. Si vero aliam habebant, quam quæ ab eodem Apoſtolo traditur, *Ignoto Deo*, cur ad Deum ab Apoſtolo inſinuatum Aræ illæ referantur, nihil eſt. Ad hæc, Epimenidis Altaria in agro, & in locis, ubi palantes oves quieverant, erecta credenda ſunt; cum Aram, de qua modo, urbs ipſa Athenarum intra ſuum ambitum contineret. Aræ illæ dicatæ, juxta S. Hieronymum in Epiſt. ad Tit. c. 1u. *Diis Aſiæ, Europæ, & Africæ, Diis Ignotis, & Peregrinis*, inſcriptionem habebant plane aliam, quam quæ ab Apoſtolo refertur; ut proinde Altaria illa deſignare voluiſſe Paulum vix noſſe potuiſſent Areopagitæ. Paulo aliter hanc inſcriptionem reddunt Oecumenius, & Theophylactus: *Diis Aſiæ, Europæ, & Africæ, Deo Ignoto, & Peregrino*, in ſingulari; quod magis ad Apoſtoli ſenſum accedit. Sed pronior eſt inſcriptio a S. Hieronymo tradita. Volebant ea religione Athenienſes ſuppleri iis, quæ forte imprudentes in cultu ſingulorum Numinum omiſiſſent. Quare Divinos ſimul honores rependebant Numinibus, per univerſas terrarum orbis regiones cultis, omnibus in unam Altaris, & dedicationis religionem collatis. Quæ ſi ita fuiſſent, quomodo Apoſtolus verba ad Areopagitas faciens, veniſſe ſe nuncium jactare poterat illius Dei, cui uſque adhuc divinos honores inſcii rependiſſent? Non de uno agebatur Deo, ſed de Numinibus, per univerſum omnibus.

Quid, rogo, Numen iſtud ignotum, cui Athenienſes Aras dedicaverant? Numquid divini honores rependentur ignoto? Nonne myſterium aliquod in eo ſilentio, vel ignorantia Numinis latet? Suſpicantur quidam ex Interpretibus [6], ſub ejus inſcriptionis ambagibus latere Deum Cœli univerſi authorem. Non obſcure id Apoſtolus ad Athenienſes verbis inſinuat. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic Cœli, & Terræ cum ſit Dominus, non in manufactis Templis habitat.* Moris erat apud Judæos, nullo peculiari nomine Deum ſuum deſignare; cum interim Pagani, & nomine, & origine, ſexuum diſcretione, Imperio & nominibus diſtinguerent. Deum Hebræorum, *Dei Cœli* nomine deſignabant alienigenæ [7], Dei ineffabilis, inviſibilis [8], altiſſimi, æterni. Judæi pariter nomen ineffabile *Jehova*, ſive pronunciare abſtinebant, vel non ſine magna reverentiæ ſignificatione auguſtiſſimum illud nomen effabantur. Samaritani, quibus idem erat ac Judæis Deus, Antiocho Epiphani declararunt [9], erectum a Patribus ſuis in monte Garizim Templum ignoto, & ſine nomine Deo, cui ad eam uſque ætatem thura, & divinos honores impendiſſent; eſſe ſe tamen paratos exinde, ut juſſionibus illius obtemperarent, Græcum Jovem in eodem Templo dedicare. Deum Judæorum incertum appellat Lucanus Pharſal. lib. 2.

> . . . . *Et dedita Sacris*
> *Incerti Judæa Dei.*

Non abs re igitur ſuſpicatemur, Athenienſes populos,

---

1 Eraſm. Ludov. de Dieu. 2 Diog. Laert. l. 1. in Epimenide,
3 Grot. Voſſ. Beza hic. Brodæ Miſcell. l. 2. c. 2. Caſaub. ad Laert, Seldan, de Synod. l. 3. c. 15. Hammond. alii.
4 Vide Grot. 5 Pauſan. Attic. Philoſtr. lib. 6. cap. 2.
6 Vide Sanct. Cornel. Lorin. Menoch. Baron. 7 Jon. 1. 9. Dan. 2. 18. & Judith. 5. 9.
8 Dio Caſſ. Arreton, cai aeidou. 9 Joſeph. Antiquit. lib. 12. cap. 7. pag. 410.

ſoli, ſi quos alios, ſuperſtitioſiſſimos, qui hoſpitium in Urbe ſua, ut eorum phraſi utamur [1], nemini Deorum negandum ſibi arbitrabantur; id pariter intendiſſe, et Hebræorum Numini ſuum aſſignarent locum, Hebræorum, inquam, Numini, quod gentem omnibus imbutam doctrinis, atque curioſa omnia ſectantem latuiſſe via credimus.

S. Chryſoſtomus in Acta autumavit, Deum illum Athenienſium incognitum, ipſiſſimum fuiſſe Jeſum Chriſtum. Athenienſes enim, qua tenebantur ſuperſtitione, poſt collectum ſere ex omnibus mundi Numinibus collegium, veriti, ne ſedulitatem, atque diligentiam ſuam aliquod fugiſſet, cui cultus, & honores pro merito impenderentur, huic, ſi forte aliquod fuiſſet, Numini Aram excitarunt, hac adjecta epigraphe: *Ignoto Deo*. S. Paulus, quem novi Numinis cultum in Urbem invehere tentantem, reum violatarum legum accuſabant, ab ea ſe accuſatione defendit, oſtendens nihil ſe novi annunciare, quippe qui Deum prædicaret, cui ignorantes antea proſternebantur; Deum nempe Creatorem Cœli, & terræ, ex quo ſalus in omnes homines proveniſſet. Huc ſane Paulus collimabat: numquid vero eadem ſentiebant Athenienſes?

Hiſtoria Scholaſtica, ſubleſtæ fidei, & apocryphis inſertum opus, narrat S. Dionyſium Areopagitam aliquot ante converſionem ſuam annis, cum litteris vacaret in Ægypto, ſpectaſſe præter conſuetas naturæ legea eclypſim ſolis, & lunæ, quæ in obitu Jesu Christi contigit, atque id apud ſe reputaſſe, nimirum ignotum aliquem Deum dura tolerare; quare Athenas reſtitutum, ut ignoto illi Numini ſuus maneret cultus, in Urbis foro Aram hanc excitaverat, de qua Apoſtolus Paulus verba deinde in Areopago fecerit. Hæc, invita licet Minerva ab Authore tradita, approbatore, & quidem frequenti non carent [2].

Nec magis moramur duas, vel tres alias fabellas à Theophylacto, & Oecumenio relatas. Cum Athenienſes bellum aliquod ſuſcepiſſent, ingenti prælio victi, animis deſponderant, cum ſubito quodam ſpectro monentur, ſiniſtræ hujus fortunæ in cauſa fuiſſe, quod nullo ipſum honore apud illos coleretur; & cum nullum eſſet Numen, quod ſuis ludis in Urbe Athenarum careret, ipſe unus tantum negligeretur. Evanuit illico ſpectrum, ne nomine quidem ſuo indicato. Hæc Athenienſibus erigendi Templum ignoto Deo ratio ſuccurrit.

Aliter rem narrat Oecumenius. Violento quodam morbi genere correpti Athenienſes, morbido quodam calore adeo torrebantur, ut ne tenue quidem aliquem corporis amictum paterentur [3]. Fruſtra Deos, quoſcumque urbs Athenarum colebat, ſupplicationibus fatigabant. Cum vero omnia intelligerent, ſuſpicati in tantum ſe veniſſe malorum ex indignatione Numinis cujuſdam, quod ſe neglectum ægre ferret, Aram ignoto Deo excitarunt. Ejus altaris epocham alii conſtituunt tempore belli Perſarum in Græcos. Ea occaſione Athenienſes ſuppetias rogaturi, Philippum ad Lacedæmonios miſerunt. Eunti obviam factus Deus Pan in monte Parthenio, atque acerbe de Athenienſibus expoſtulavit, quod ſolus inter Numina ab illis negligeretur; ſcirent autem, ſe ſiquidem debito apud illos honore non fraudaretur, ope illos ſua juvaturum. Poſt devictos Perſas, Ara huic Numini excitata eſt, cui inſcriptionem hanc ſubjiciendam duxerunt: *Ignoto Deo*; metu ſcilicet, ne alterius Dei, cujus imprudentes cultum neglexiſſent, indignationem poſthac ſubire cogerentur. Sed fabellis hiſce fides ab aliis non magis, quam ab iiſdem ipſis Authoribus, detrahitur; nullum enim illis in antiquitate, nec in genuina aliqua hiſtoria fundamentum.

Veram erigendæ hujus Aræ ignoto Deo cauſam docuit facile S. Chryſoſtomus. Athenienſes, qui cæteros omnes ſuperſtitione vincebant, ne quem Deum neglectum a ſe umquam arguerentur, ignotis etiam, & incertis divinos honores ferebant. Neque id genti ſingulare. Incertis Numinibus Aræ Romæ pariter dedicabantur. *Invenio plane ignotis Deis Aras proſtitutas, ſed Attica Idololatria eſt; item incertis Diis, ſed Romana ſuperſtitio eſt*, ait Tertullianus contra Marcion. cap. 9. Strabo pariter aſſeverat lib. 3. pag. 156. Celtas anonymum quoddam, vel ſibi incogniti nominis Deum coluiſſe. In Theologia Paganorum docetur, loca quædam, nemora, & arva ab incognitis Diis habitari.

Quis Deus, incertum eſt: habitat Deus.

Ovidius poſt narratam mundi creati hiſtoriam, de Deo ejus authore, tamquam de ignoto quodam Numine, agit Metamor. lib. 1.

Sic ubi diſpoſitam quiſquis fuit ille Deorum,
Congeriem ſecuit.

Macrobius Saturn. lib. 3. cap. 9. obſervat, tutelaria Urbium Numina plerumque in occulto manere, ne in obſidionibus invocarentur. Genuinum Urbis Romæ, & Genii illius nomen hodie uſque latet. Quare cum obſeſſæ Urbis Numina invocarentur, hæc erat precandi formula: *Si Deus, ſi Dea eſt, cui Populus Civitaſque Carthaginienſis in tutela &c.* Cum terræ aliquis motus contigiſſet, ſolebant veteres Romani ferias aliquas indicere [4], litando Numini hujus prodigii authori. *Sed Dei nomen, ita, uti ſolet, cui ſervari ferias oporteret, ſtatuere, & edicere quieſcebant; ne alium pro alio nominando falſa religione populum alligarent; tum quia & qua vi, & per quem Deorum terra tremeret, incertum eſſet.*

Sed his ita conſtitutis, ſi Athenienſium Deus Nomen erat extraneum, incertum, ambiguum, incognitum, cui Populus ille cultum redderet impium, & ſuperſtitioſum, qui edicere potuiſſet Apoſtolus, ipſum eſſe Cœli, terræque authorem Deum, vel æternum ejus Filium mundi Servatorem? Si Deum Hebræorum Athenienſes norant, cur non aperta religione Aram illi dedicarunt, ſed inſcribere maluerunt: *Ignoto Deo*? Quomodo tandem noſſe potuerunt Jesu Christi divinitatem, quam ſoli tunc noverant ejus Diſcipuli, negabant vero Judæi? inviſa erat tunc temporis Judæorum religio apud Paganos; nec ſane conciliandæ illorum Numinis apud Athenienſes reverentiæ plurimum conferebant ea, quæ de ipſo Hebræorum Deo, atque ratione ejus colendi in Templo Jeroſolymitano ferebantur. Sparſerant enim in vulgus, coli ab ea gente aſinum, vel ſuem, vel caput aſini, aut hominis, ſeu nubes, & Cœlum [5].

Nil præter nubes & Cœli Numen adorant.

Hiſce omnibus reponendum eſt, numquam reapſe Apoſtolum voluiſſe, Deum Cœli, ſive ejus Filium æternum, qui pro mundi ſalute hominis exuvias induiſſet, ab Athenienſibus divinis honoribus cultum demonſtrare, ſed illud reputaſſe tantum, ut vagum incertumque eorum cultum determinaret; Deum annuncians, quem ſibi ad id uſque temporis ignoraſſent, dignum alloqui, quem unice venerarentur. Deum colitis ignotum, & dignum, in quod obſequia omnia veſtra, & honores transferatis. Cætera omnia, quæ ſub generali hac epigraphe Deorum ignotorum, cujuſcumque ſint nominis, gentis, & regionis, colenda vobis proponitis, neque Dei ſibi nomen jure meritoque vindicare poſſunt, & multum illi ſingulari veroque Deo concedunt, cui honor, & obſequia hominum, tamquam debitum aliquod vectigal, pendenda ſunt.

S. Auguſtinus contr. Creſc. lib. 1. cap. 29. ne ambigit quidem Athenienſes ſub obtentu ignoti Numinis verum Deum coluiſſe; ponit inſuper tamquam certum, ideam aliquam vagam, & confuſam veri Numinis gentis illius mentibus inſediſſe; quare eorum cultum comparat cultui, quem Schiſmatici extra Eccleſiam Deo rependunt. Volebat igitur Apoſtolus, ut eumdem Deum

1 Vide Act. 17. 22. Joſeph. lib. 2. contr. Appion. Sophocles, alii apud Grot. in Act. 17. 22.
2 Vide Sanct. Hugonem, Salmeronem. 3 Fromondus conjicit eamdem eſſe luem, de qua Thucidides hiſt. lib. 2. 4 Gell. l. 2. c. 28. 5 Juven. Sat. 14.

Deum; *quem præter Eccleſiam ignorantes, atque ſuperſtitioſe colebant, in Eccleſia ſapienter, & ſalubriter colerent.* Sed hæc Auguſtini comparatio inter cultum Athenienſium, & Schiſmaticorum in eo tantum verſari credenda eſt, quod utriuſque gentis cultus nulla uſſet utilitas. Schiſmatici enim profecto Dei, quem colunt, abſolutam habent ideam: cum interim Athenienſes, & verum Deum penitus ignorarent, & reſurre illi divinos honores ne cogitarent quidem. Metu A tantum adducti, ne forte aliquem Deum negligerent, Aram ignoto Deo excitarunt, ut cogitarent quidem Deum Hebræorum, cujus facile nomen necdum audierant. Apoſtolus vero familiari ſibi ſermonis figura, ex occaſione ignoti, & incerti Dei, loquendi anſam ſuſcepit, & enunciandi Deum, quem ipſi ignorarent, in quem porro præſtire aliis omnibus obſequia tranſferenda eſſent.

DISSERTATIO

De Baptiſmo Jeſu Chriſti nomine collato.

Baptiſmi conferendi formulam ſatis aperte Apoſtolis ſuis JESUS CHRISTUS tradiderat illis Matth. 28. relatis verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Hujus Textus evidentia perſuaſi Chriſtiani omnes Interpretes olim, & nunc etiam, ſemper Baptiſmum in ea verba adminiſtrarunt, atque adminiſtrandum docuerunt. Quamvis enim in cæteris hujus Sacramenti ritibus, & ceremoniis nonnihil apud diverſas nationes varietur; nomen SS. Triadis ab omnibus religioſiſſime ſervatum eſt. Apud Græcos, & Orientales omnes, exceptis Cophtis, in hæc verba Sacramentum adminiſtrabatur: *Baptizetur talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Cophtæ ita uſurpant: *Ego te baptizo in nomine Patris, amen. Ego te baptizo in nomine Filii, amen. Ego te baptizo in nomine S. Spiritus, amen.* Ritus Jacobiticus Severi Antiocheni habet: *Baptizetur talis in nomine Patris, amen. Filii, amen.* B *S. Spiritus amen.* In alio Rituali legitur: *Ego baptizo talem agnum gregis Jeſu Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ad vitam æternam.* Hæ ſolemnes apud Orientales formulæ [1].

In Eccleſia Latina ubique ſervatum eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In vetuſtis quibuſdam Ritualibus legitur [2]: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut habeas vitam æternam.* In aliis: *Baptizo te credentem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ut habeas vitam æternam in ſæcula ſæculorum.* In aliis: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. unam habentium ſubſtantiam, ut habeas vitam æternam, & partem cum Sanctis.*

Prætereo formulas ſuperſtitioſas, ſeu vitiatas, re- C jectas ab Eccleſia, de quibus nonnihil infra aſſeremus. Solum hic animadvertendum in Baptiſmo nomine JESU CHRISTI tantum collato, cujus occaſione duo in examen revocanda ſunt. 1. An Sacramenti illius formula umquam obtinuerit. 2. An legitime authoritate permiſſa ſit olim, & nunc etiam ſaltem ad Sacramentum valeat.

S. Lucas in Actis non infrequenter meminit Baptiſmi in nomine JESU CHRISTI: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum* Act. 2. 38. Et 8. 12. *in nomine Jeſu Chriſti baptizantur viri, ac mulieres* 8. 16. *Nondum enim in quemquam illorum venerat,* (ſcilicet Spiritus Sanctus) *ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu.* Tandem S. Petrus baptizavit Cornelium: *Et* D *juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti* Act. 10. 48. Et 19. 5. *His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu.* Factum hoc non ſemel, non per tranſcurſum, non data forte occaſione, non ambiguis æquivocantibuſque res prodita vocibus. Nec luculentius umquam nec apertius promeretur quid præſtitum ſit a Fidelibus, inſtitutione edoctis, & Baptiſmo initiatis ab ipſis Apoſtolis, vel ſub eorum oculis; aperte enim aſſeritur, Baptiſmo illos in nomine Domini Jeſu initiatos fuiſſe.

Plures ex Patribus, nec rara Concilia, in ea quidem fuerunt perſuaſione, collatum ab Apoſtolis Baptiſma in nomine JESU CHRISTI, nullo cæterarum Triadis Perſonarum nomine expreſſo. S. Hilarius [3] clare edicit, neque prævaricatione accuſandos Apoſtolos, neque damnandas tamquam ſibi ipſis contrarias Scripturas, ſi ſemel prodant, Apoſtolos juſſos fuiſſe Baptiſmate initiare fideles in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ipſos vero Apoſtolos Sacramentum ipſum in nomine JESU CHRISTI conferre ſatius duxiſſe. Agnoſcit ergo S. Doctor repugnantiæ ſpeciem aliquam inter Evangelium, & Acta, in eo ſcilicet, quod Chriſtus aliter conferendum juſſerit, aliter vero Apoſtoli reapſe Baptiſma contulerint; quam tamen Apoſtolorum, ſi ita loqui fas eſt, tranſgreſſionem nequaquam damnandam, neque tamquam ſibi minus conſtantes rejiciendas eſſe Scripturas defendit.

Vetus Auctor, qui Baptiſmi reiterationem adverſus S. Cypriani negat, fuſius demonſtrandum ſuſcipit [4], eos, qui extra Eccleſiam Baptiſmate in nomine JESU CHRISTI collato tincti ſunt, nequaquam iterato Sacramento, ſed impoſitione tantum manuum, quo Spiritum S. recipiant, in Eccleſiam admitti oportere; arbitratur enim, Baptiſma illud conferendo Spiritui S. impar habendum. Demonſtrat tandem, illud JESU CHRISTI in Evangelio: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* nihil repugnare iis, quæ de Baptiſmo in nomine JESU CHRISTI collato narrantur. Quamquam enim, ait, Eccleſiæ moribus receptum eſt, ut Sacramentum illud SS. Triadis præferebat; invocatio tamen nominis JESU CHRISTI non inutilis habenda eſt, quod ſanctiſſimum illud nomen tanta pollet virtute miraculorum, ut nec Infidelium ore prolatum vacuum ſit prodigiis. Inſinuare videtur Scriptor ille apud quoſdam Hæreticos, Sacramentum Baptiſmi in nomine tantum JESU CHRISTI conceptum fuiſſe, quo ſemel initiatos recipiendos ſtatuit in Eccleſiam, una tantum ſuppleta manuum impo-

1 Renaudot. tom. 4. Perpetuit. Fidei lib. 2. cap. 5.

u Martene de Antiquis Eccle. Ritib. p. 166.

3 De Synodis num. 85. *Ne poſtremo Apoſtoli reperiantur in criminis, qui baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti juſſi, tantum in nomine Jeſu baptizarunt.*

4 Tom. 1. Concil. pag. 770. *Poſt illum, qui foris quidem, ſed in nomine J. C. Dominicum acceperunt Baptiſma . . . . an iteratum Baptiſma bis neceſſarium eſſet, ac ſi numquam baptizati in nomine Jeſu Chriſti forent.* Et pag. 773. *Niſi quoque in illo ſuperiore tractatu circa eos, qui tantummodo in nomine Chriſti Jeſu baptizati fuerint, etiam ſine Spiritu Sancto poſſe ſalvos fieri.* Et pag. 775. *Nec aſtimes huic tractatui contrarium eſſe quod dixit Dominus: Ite, docete gentes; tingite eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Quia cum hoc verum, & rectum & omnibus modis in Eccleſia obſervandum ſit, & obſervari quoque ſolitum ſit, tamen conſiderare oportet, quod invocatio nominis Jeſu non debet a nobis futilis videri.*

paſtione ad Spiritum S. quo extra Eccleſiam nemo donatur, conferendum.

Obſervat S. Ambroſius de Spir. S. lib. 1. cap. 3. n. 41. 42. eos, qui Baptiſmo tantum Johannis Baptiſtæ initiati fuerant, novo iterum baptiſmate tingendos, Apoſtolos edixiſſe, quippe qui Spiritum S. ne nomine quidem norant. Baptizatos autem illos dicit in nomine Jesu Christi, quod non ſecundus erat baptiſmus poſt alium Johannis Baptiſtæ collatus, ſed primus omnino; neque enim baptiſmus Johannis verum erat baptiſma. *Baptizati ſunt itaque*, ait, *in nomine Jeſu Chriſti, nec iteratum eſt in his Baptiſma, ſed novatum. Unum enim Baptiſma.* Addit inſuper. *Plenum eſt autem* (Baptiſmatis Sacramentum) *ſi Patrem, et Filium, Spiritumque Sanctum fatearis. Si unum neges, totum ſubrues. Et quemadmodum ſi unum ſermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum S. . . . plenum eſt fidei ſacramentum.* Conſtat igitur, juxta mentem S. Doctoris, Baptiſma, ſive in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, ſive unius tantum Perſonæ concipiatur.

Hac S. Ambroſii authoritate utitur Nicolaus I. in reſponſione ad Conſult. Bulgar. cap. 4. in Collect. Concil. ad A. 858. demonſtrans, eos qui Baptiſmate initiati ſunt extra Eccleſiam, ſive in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, ſive Jesu Christi tantum, cum ad Eccleſiam venerint, novo collato Baptiſmate recipiendos non eſſe: *Hi profecto ſi in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti, ſicut in Actis Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt*, (*unum quippe idemque eſt, ut ſanctus exponit Ambroſius*,) *conſtat eos non eſſe denuo baptizandos.* Quæ Pontificis verba duo probant, 1. In eum ſenſum exponendam eſſe authoritatem S. Ambroſii alioqui ambiguam; 2. Pontificia ſanctione certum eſt, Baptiſmum in nomine Jesu Christi collatum ratum aſſertumque habendum.

Eamdem ſententiam in eo confirmare viſus eſt S. Ambroſius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. num. 44. quod aſſerto ſemel Baptiſmo in nomine tantum Jesu Christi collato, recta inde conſecutione deducit, ratum etiam haberi oportere Baptiſmum in nomine S. Spiritus, ac tandem perinde judicandum de Sacramento in nomine alterius cujuſque in Trinitate Perſonæ; *Quia*, ait, *qui unum dixeris, Trinitatem ſignaveris.* Laudat in eam rem illud Act. 1. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu S. &c.*

Beda Venerabilis in Act. poſt laudatam S. Ambroſii authoritatem, hunc illi ſenſum vindicat; certumque conſtituit, Baptiſmum in ſolo Jesu Christi nomine collatum nihil habere vitii; qua in re ſubſcribere ſe ſententiæ S. Ambroſii teſtatur.

In eamdem ſententiam non obſcure deſcendit Concilium Forojulienſe a. 791. Poſtquam enim ſibi Patres illius Concilii oppoſuiſſent: *Cur Magiſter in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; et Diſcipuli in nomine tantum Jeſu præcipiunt baptizari? Numquid aliud veritas per ſemetipſam docuit, et aliud Diſcipuli Veritatis; vel aliam formam doctrinæ Eccleſiæ tradiderunt?* Reſpondent deinde: *Abſit hoc. Sacramentum Sanctæ Trinitatis, quam Magiſter, et Dominus tribus enumeratis Perſonis in uno tamen nomine voluit demonſtrare; hoc ejuſdem veritatis Diſcipuli in una de Trinitate perſona, i.e. Filii, totamſanctamque Trinitatem eſſentialiter, Sancto ſibi revelante Spiritu, intelligere meruerunt.*

Conſultus [1] S. Bernardus, num retinendus eſſet Baptiſmus a Laico quodam miniſtratus *in nomine Dei, & veræ et Sanctæ Crucis*; reſpondet ratum quidem haberi, eadem, quam ſupra ex S. Ambroſio deduximus, ratione; ſub Dei nempe invocati nomine totam ab eo homine comprehenſam Trinitatem; ſicut & ſub appellatione Sanctæ, & veræ Crucis totum revelari meritum Paſſionis Jesu Christi. *Legimus*, addit, *in Actibus Apoſtolorum non modo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. verum, & in nomine Domini Jeſu Chriſti aliquos baptizatos.* Quid apertius pro iſta ſententia?

Concilium Nimacenſe a. 1284. ratum pronunciat Baptiſmum in hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Jeſu Chriſti.* Gemina edicit in ſuis Conſtitutionibus Synodalibus Elias Epiſcopus Uticenſis. Favet huic ſententiæ Hugo de S. Victore de Sacram. lib. 2. cap. 13. S. Bernardo coævus; favet Magiſter Sententiarum [2]. Petrus Pictavienſis lib. 5. Sentent. qui quingentis ab hinc annis ſcribebat, quærit an formula illa, *Ego te baptizo in nomine Jeſu Chriſti*, rata tenenda ſit. Affirmat ille quidem; quamquam enim, ait, legitima, & conſueta miniſtrandi Sacramenti formula illa habeatur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ſatis tamen ſuperque tres illæ Perſonæ in uno eodemque Jesu Christi nomine continentur. Patet nempe, qui unctionem donat, Filius qui recipit, & Spiritus Sanctus, per quem unctio producitur.

Alexander Alenſis part. 4. qu. 13. ad 8. S. Thomæ Magiſter, atque ipſe demum S. Thom. 3. part. qu. 66. art. 6. miniſtratum ab Apoſtolis Baptiſma in nomine ſolius J. C. negare quidem non audent; quamquam factum id quidem defendunt diſpenſatione quadam, in prærogativam nominis J. C. illis temporum circumſtantiis neceſſariam. Johannes de Raguſio Ordinis Prædicatorum in ſua Oratione de Communione ſub utraque ſpecie in Concilio Baſileenſi obſervat, præſcribi quidem a Magiſtro Diſcipulis ſuis miniſtrandi Baptiſmatis formulam in ea verba: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ſed veterem iſtam ab Apoſtolis omiſſa, ait: alia invecta eſt, cœpto miniſtrari Baptiſmate ab Apoſtolis paulo poſt Pentecoſtem ſub una nominis Jesu Christi invocatione. Cajetanus Cardinalis [3], & miniſtratum ab Apoſtolis Baptiſmum in nomine ſingularis e Trinitate Perſonæ, & ratum habendum eſſe, ſi nunc pariter conferretur, defendit. Hæc quidem ſententia expuncta eſt in ſecunda Operum illius editione Romæ adornata; ſed in priori diſerte legebatur: ſicut non obſcuris verbis adſtruitur in Operibus Adriani VI. Pontificis, Romæ, eo rerum potiente, cuſis an. 1522. Factum id pariter concedunt Scholaſtici non in frequenti numero, nempe Baptiſmum quidem olim ſub una nominis Jesu Christi invocatione miniſtratum fuiſſe.

Defendunt vero alii, nunquam niſi ſub expreſſa trium SS. Trinitatis Perſonarum invocatione Baptiſmum ab Apoſtolis miniſtratum. Fruſtra vero pro adverſa ſententia laudari dicunt verba illa Actuum 2. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*; ſicut & alia ſupra a nobis relata. Nihil enim illis inſinuatum volunt, niſi Baptiſmum in nomine Jeſu Chriſti inſtitutum, ejus nomine annunciatum, ac tandem ejus authoritate aſſertum fuiſſe; vel, ſi mavis, initiari jubentur Baptiſmate Fideles, poſt invocatum nomen Jeſu Chriſti, i. e. poſt confeſſionem ejuſdem nominis; quod perinde eſt, ac ſi profiteri juberentur Jeſum Chriſtum Deum eſſe: qua prævia confeſſione, deinde Baptiſmate ablueerentur [4].

Ita reddunt verba Sacræ Scripturæ recentiores plerique Interpretes [5]; namque Baptiſmate initiare in nomine Jeſu Chriſti uſurpatum eſt per oppoſitionem ad Baptiſmum Joannis Baptiſtæ, ſive Phariſæorum. Fateamur tamen oportet, Theophylactum, Dionyſium Carthuſianum, Hugonem Cardinalem verba illa, *in nomine Jeſu Chriſti*, ad litteram interpretari. Ita vero mentem ſuam explicat Dionyſius Carthuſianus. Docuerit licet, inquit ille, Jeſus Chriſtus Apoſtolos Baptiſmum in hæc verba miniſtrandum: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: viſum eſt tamen Apoſtolis, cæteriſque ſub ipſis Eccleſiæ crepundiis Diſcipulis, non ſine Spiritus Sancti inſtinctu, aliam baptizandi formulam habere ſolemnem, in hæc verba conceptam: *Ego te baptizo in nomine Jeſu Chriſti*; quod ab illis ea præſtitum eſt ratione, ut venera-

cio

---

1 Epiſt. 403. nov. edit. ad Henric. Aurelian.
2 In 4. Sent. diſt. 3. cap. Sed quid &c.
3 Part. 3. qu. 66. ad 6. Vide, ſi lubet, & Thom. de Argentina l. 4. diſt. 3. a. 2.
4 Vide Hardin. de Bapt. in nomine Chriſti.
5 Vide Sanct. ad Act. 2. 38. & ad c. 19. 5. & Cornel. ibid. Fromond. Tirin. Var. Grot. alii.

tio & honor ſanctiſſimo nomini apud Gentes magis magiſque conciliaretur. Qua in re detrahebatur priſtinæ Baptiſmi formulæ; tota enim Trinitas ſub una Jeſu Chriſti invocatione cenſebatur. Paria ferme habet Theophylactus in Acta 2. 38. Hæc, ait, Apoſtoli Petri verba alteri ex Evangelio authoritati non repugnant. Apoſtolus injungit: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*; & Chriſtus: *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Eccleſia enim nullam in Trinitate diviſionem agnoſcit; quare miniſtratum ſub invocatione nominis Jeſu Chriſti Sacramentum, ſub ipſa pariter Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione cenſendum eſt; neque enim inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum diviſum eſt quidquam, & diſcretum in parter.

Ex hucuſque deductis recta conſecutione ſtatuitur, s. Actuum, Textum, quo miniſtratum in nomine Jeſu Chriſti Sacramentum habemus, non ita neceſſario explicandum eſſe, quaſi ſub invocatione nominis Jeſu Chriſti tantum olim conſtiterit Baptiſmus. Illud enim quod in Scriptura legimus, *In nomine Jeſu Chriſti*, commode exponi poteſt de Baptiſmo a Jeſu Chriſto inſtituto, ejus præcepto miniſtrando, ac juxta formulam ab illo præſcriptam, nempe ſub Patris, Filii, & Spiritus Sancti invocatione. 2. Patres, Concilia, Theologi de Schola, & Interpretes ſupra a nobis laudati, in ea fuiſſe quidem ſententia videntur, collatum reapſe in primitiva Eccleſia Sacramentum in nomine Jeſu Chriſti tantum; cum autem in re ſimus facti, cujus nullum afferunt documentum, niſi textus cujuſdam obſcuri, & ambigui authoritatem; cum, inquam, de facto quodam agendum ſit, vix alioqui perſuadendo, (quis enim credat Diſcipulos aliter præſtitiſſe in re tanti momenti, quam quod Jeſus Chriſtus ſuis ipſe verbis docuerat?) inde facile concipimus falli potuiſſe Patres, tum in facto ipſo aſſerendo, tum in deducendis, eo ſemel poſito, conſecutionibus.

Porro exploratum eſt, ipſo diſerte aſſerente S. Matthæo, Jeſum Chriſtum mandatis onerasse Apoſtolos ſuos, ut quaſcumque initiandas ſuſciperent Gentes, illas ſub invocatione Patris, Filii, & Spiritus Sancti tingerent [1]. Perſuaſum id moribuſque receptum, omnibus pariter ſæculis, & apud omnes æque Eccleſias. Certum id ſtatuunt, ſummoque conſenſu docent Patres, Concilia, Interpretes Scripturæ, Theologi de Schola, quin & ipſi adverſæ ſententiæ aſſertores, qui collatum olim Baptiſma in nomine Jeſu Chriſti defendunt; id enim ſibi defendendum non ſuſcipiunt, niſi ſemel conſtituto, tres illas Trinitatis Perſonas ſub una Jeſu Chriſti invocatione cenſeri. Verum, juxta Patrum, & Conciliorum doctrinam, non ſatis eſt tacite & quodam veluti compendio Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis innuiſſe: luculenta, & expreſſa illarum confeſſio requirenda eſt. Quare Baptiſmus, ſi forte unquam ſub una Jeſu Chriſti invocatione miniſtratus eſt, inanis fuit, & a Sacramenti dignitate excidit; quod pariter ſtatuendum eſſet de Baptiſmo in eum ritum, ſi forte ab aliquo noſtra hac ætate conferretur; niſi Divina aliqua diſpenſatione, & peculiari Dei revelantis monito alicui conceſſum eſſet, ut a præſcripta Sacramenti formula ſingulari aliqua de cauſa recederet. Quod enim tunc Sacramento rite adminiſtrando deeſſet, ſuprema id authoritate repararetur; ac proinde in communem regulam recideretur, cum maxime ab illa receſſum eſſet. Quod autem in præſenti quæſtionis ſtatu id certum ponatur, nimirum Apoſtolos ſpeciali hujus revelationis inſtinctu præſcriptam hanc a Jeſu Chriſto formulam immutaſſe, id tanquam nullo aſſertum argumento vix ac ne vix quidem conceditur.

Quod adverſæ opinioni perſuadendæ plurimum contulerit, illud in cauſa fuiſſe reputemus, nimirum hujus opinionis aſſertorem ſe præbuiſſe S. Ambroſium, cujus authoritate dictum ſuum confirmat Nicolaus I. in Epiſt. ad Bulgaros, Beda, S. Bernardus, Concilia Forojulienſe, & Nimacenſe, aliique plures Theologi de Schola. An vero S. Ambroſius id aſſeruerit, quod illis perſuaſum eſt, nimirum Baptiſmum ſub Jeſu Chriſti invocatione tantum miniſtratum fuiſſe, id maxime ambiguum & incertum; quare, ſi aliam fuiſſe S. Doctoris mentem demonſtraverimus, quod opinio iſta afferatur, nihil erit. His autem perſuademur, nunquam S. Doctorem in hanc ſententiam conceſſiſſe.

I. Docet non ſemel, Baptiſmi meritum nullum eſſe, niſi ſub expreſſa Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, & aperta ejuſdem Trinitatis confeſſione miniſtretur [2]. Fide equidem Jeſu Chriſti inſtructus eſt Catechumenus, cujus ſe nomine in fronte obſignat; ſed veniam criminum nullam obtinebit, niſi Baptiſmo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti initietur. Docet alibi, Sacramenta *iniquorum*, id eſt Hæreticorum, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non tinguos, nec abluere, nec languorem ſanare, ſed inquinare plurimum initiatos; quod cum Patrum doctrina [3], docentium Hæreticos illos ad Eccleſiam redeuntes novo tingendos eſſe Baptiſmate, congruit.

II. S. Ambroſius in Opere laudato ducem ſecutus eſt, juxta familiarem ſibi morem, S. Baſilium [4] in ſuo Libro de Spiritu Sancto. Porro S. Baſilius trium Perſonarum SS. Trinitatis invocationem neceſſariam eſſe tenuit, aſſeruitque; fuſius enim demonſtrat, oportere Sancti Spiritus Perſonam exprimi, quo Divinæ Chriſti juſſioni fiat ſatis, edicentis miniſtrari Baptiſmum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Addit, nemini mirum videri debuiſſe, ſi Apoſtolus de Baptiſmo agens non raro omiſſa Patris, & Spiritus Sancti mentione, ſolius Filii meminerit; ut in illo Galat. 3. 27. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, & Rom. 6. 3. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus*. Namque, ait ille de Spir. S. c. 12. ſub una nominis Jeſu Chriſti invocatione totius pariter SS. Trinitatis Fidem profitemur; inſinuatur enim Pater qui unxit, Filius qui unctus eſt, & Spiritus Sanctus, qui unctio ipſa cenſendus eſt. Hæc S. Doctor ex S. Irenæo adoptaverat [5]: *In nomine Chriſti comprehenditur, & ipſe qui unxit, & ipſe qui unctus eſt, & ipſa unctio, in qua unctus eſt*.

Obſervat deinde S. Baſilius ibid. in aliis Scripturæ locis unius tantum Spiritus Sancti mentionem occurrere; ut in illo 1. Cor. 12. 13. *Omnes nos in unum corpus baptizati ſumus in uno Spiritu*. Et Chriſtus in Act. 1. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*. Non eſt autem ita reputandum, ait S. Doctor, Baptiſmum ſub una Sancti Spiritus invocatione præcipi; ratum eſt enim habendum, quod traditione recipimus. Qui nos ſanguine ſuo redemit, id nobis conceſſit, ut Sacramento renovationis excipiendo pares eſſemus, quo nempe Sacramento mira, & ſalutaria præſtantur; ita tamen, ut neque adimendum illi quicquam fuerit, nec addendum, abſque eo quod ab æterna vita excidetur. Quare ſi Sanctum Spiritum a Patre Filioque ſejungere pernicioſum eſt baptizanti, & baptizato inutile, nemo id ſibi licitum præſumet, ut tres invicem diſſociet.

III. Sed in examen revocemus locum S. Ambroſii, in quo totius controverſiæ cardo. Obſervat ille, tinctos Baptiſmo S. Joannis Sacramentum Baptiſmi nullum recepiſſe; neque enim ſub invocatione nominis Jeſu Chriſti, nec in fide pariter Sancti Spiritus initiati fuiſſent. Novi ſunt igitur, ait ille, Baptiſmate abluti in nomine Jeſu Chriſti, quanquam iterato Sa-

1 Matth. 28. 19.

2 Ambroſ. de Myſter. c. 4. n. 20. *Niſi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire*. Vide, & in Luc. l. 8. n. 67. & Author. Lib. de Sacram. l. 2. c. 5. & 7.

3 Aug. paſſim in Donatiſt. Optat. Milevit. Facund. Hermian. Alii, Arelat. Concil. c. 8.

4 Baſil. de Spir. S. c. 10. 11. 12. & lib. 5. cont. Eunom. c. 3.

5 Iren. l. 3. c. 20. ſeu cap. 18. nov. edit. Pariſ.

cramentum non receperunt ; primus quippe Baptiſmus perinde habebatur, ac ſi nullus fuiſſet, unum enim tantum, & ſingulare recipit Eccleſia. Ubi autem Baptiſmus perfectus non eſt, perinde habetur, ac ſi nullus eſſet. *Plenum autem eſt*, ait, *Sacramentum, ſi Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum fatearis*. Non hic agitur de invocatione trium Perſonarum a Miniſtro Baptiſmi facta, ſed de profeſſione Fidei, quam Baptiſmate initiandus præmittit. Addit deinde S. Doctor, eum, qui unam Trinitatis Perſonam negaverit, univerſum Trinitatis Myſterium evertere ; & viciſſim qui verbis ſuis unam tantum exprimit, non negat tamen Patris, Filii, & Spiritus Sancti veritatem, plenum, & perfectum recipere Baptiſmi Sacramentum : *Ita*, ſubdit, *quamvis Patrem, & Filium, & Spiritum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti minuas poteſtatem, vacuum eſt omne myſterium*.

Sermonem hic eſſe S. Doctori non de Miniſtro Sacramentum conferente, ſed de ſuſceptore ejuſdem Sacramenti, ſicut non de verbis a baptizante pronunciandis, ſed de fide baptizati, apertiſſime conſtat. Propoſitae itaque ex illa S. Doctoris authoritate inferendum ſibi aliqui ſuſceperunt, Baptiſmum ſub invocatione tantum unius e Trinitate olim valuiſſe, & nunc etiam, ſi forte miniſtraretur, ratum aſſerrumque reputandum eſſe ; quod ſcilicet uterque, miniſter nempe & ſuſceptor, ſub unius Perſonæ nomine totius SS. Trinitatis eſſentiam profiterentur.

Ambigua ſunt, quæ ex Authore Operis adverſus reiterantes Baptiſmum laudantur. Adſtruit ille quidem luculenter, Sacramentum miniſtrari oportere, juxta inviolabilem Eccleſiæ diſciplinam, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Sed non ita apertis verbis demonſtrat, an extra Eccleſiam Hæretici in nomine Jeſu Chriſti baptizarent. Profecto ſi in ea fuit perſuaſione, Sacramentum ita collatum ratum habert debuiſſe & affectum, falli nos Scriptorem illum ultro profitebimur.

S. Hilarius id tantum obſervat, nimirum aliquid eſſe repugnans inter verba Jeſu Chriſti : *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & illud Actuum : *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*. Quæ poſtrema verba, ſi ad litteram attendantur, inſinuare fatetur, Apoſtolos aliter miniſtraſſe Sacramentum, quam quod Jeſus Chriſtus præſcripſerat. Nunquam tamen prodit S. Doctor ea ſe teneri perſuaſione ; neque, aut crederet aliam inſtitui poſſe rationem, quam quæ indicatur, repugnantibus hiſce Textibus conciliandis.

Cum tandem neque textus Actuum Apoſtolorum apertiſſime prodat, miniſtratum ab Apoſtolis Baptiſmum ſub expreſſa tantummodo Jeſu Chriſti invocatione ; cum S. Ambroſii authoritati alius fuerit, quam qui a pluribus credebatur, ſenſus ; cum Scripturum & Conciliorum opinio, quæ valere dicit Baptiſmum ſub unius tantum Perſonæ SS. Trinitatis invocatione, errore quodam facti innitatur, & præpoſtere accepta S. Ambroſii authoritate, illud jure meritoque nobis eſt ſtatuendum cum S. Joanne Damaſceno de Fide Orthod. l. 4. c. 10. *In nomine Chriſti baptizari nihil aliud indicat, quam in eum credendo ſalutifera aqua tingi. Fieri autem non poteſt, ut in Chriſtum credamus, niſi Patris, & Filii & Spiritus Sancti confeſſione imbuti atque inſtituti fuerimus*. Inde etiam conſequitur, Baptiſmum in nomine Jeſu Chriſti nec fidem trium Perſonarum SS. Trinitatis, quia nec expreſſam trium illarum per miniſtrum Sacramenti invocationem excludere. Baptiſmus itaque in nomine tantum Jeſu Chriſti collatus non illegitimus tantum, ſed nullus, inutilis ſtatuendus eſt ; quemadmodum ex conſenſu Doctiſſimorum omnium, qui de hoc argumento ſcripſerunt, apertiſſime conſtat [1].

DISSERTATIO
IN ELECTIONEM PER SORTES.

SOrtium uſum approbare videtur illud Salomonis Proverb. 16. 33. *Sortes mittuntur in ſinum ; ſed a Domino temperantur*. Cum itaque certum inde voluntatis Dominicæ indicium capiendum eſſe reputaretur, datum ſibi omnes arbitrabantur, ut quoties nulla alia diſcernendæ veritatis ratio ſuccurreret, ad ſortes confugerent. Ita Domini juſſu ſortium arbitrio commiſſa eſt electio primi Regis Iſraelitarum 1. Reg. 10. 20. Quamquam Joſue Dei Spiritu afficeretur, quamquam Jacob Gen. 49. & poſt ipſum Moyſes Deut. 33. non obſcura deſignaſſent certum ſingulis Iſraelis Tribubus deſignandum locum ; per ſortes tamen totius regionis in Tribus diviſio facta eſt, ut litibus & ſeditionibus anſa omnis tolleretur [2]. Cum David redigendum ordinem Familiarum Sacerdotalium, & munerum a ſingulis in Templo præſtandorum ſuſcepiſſet, ne quid invidiæ, & murmuris in tanto rerum molimine naſceretur, quem ſingulæ inter ſe locum tenerent, per ſortes determinatum eſt 1. Par. 24. 5. 7. 31. Idem ſervatum in dirigendis claſſibus Levitarum, Muſicorum, & Janitorum 1. Par. 25. 8. 9. Cum tandem hebdomada ineunte claſſes Sacerdotum, & Levitarum juxta conſtitutum familiarum ordinem ad Templum miniſtraturæ venirent, ſortito aligabatur quicumque in Altari aureo thymiama adoleret ; qui tandem cætera Templi officia præſtaret 1. Par. 26. 13. 14. Zachariæ Patri S. Joannis Baptiſtæ ſortito contigit, ut adoleret incenſum coram Domino, cui muneri in Sancto vacanti Angelus Domini obviam factus eſt Luc. 1. 9.

Pro hac itaque ſolemni Synagogæ & Sacerdotii legalis diſciplina, creduntur Apoſtoli in electione S. Matthiæ ſortes adhibuiſſe Act. 1. 26. *Ne Apoſtoli electio a mandato diſcrepare Legis veteris videretur*, ait S. Ambroſius in Luc. 1. num. 23. & alii poſt ipſum. In poſtrema Urbis obſidione Zelotæ, authore Joſepho de Bello l. 4. c. 5. Summi Sacerdotii dignitatem Phanniæ cuidam, cui ſortito accidit, contulerunt ; quem conſtituendi per ſortes Pontifices morem vetuſtiſſimum in gente ſua fuiſſe venditabant. Sed falli illos conſtat ; nullum enim extat exemplum Sacerdotum Hebræorum, quorum electio a ſortibus peteretur. Aaron expreſſa Dei voluntate ſelectus eſt, ut Sacerdotio fungeretur ; cui pariter dignitas divino prodigio in ſeditione Core aſſerta eſt Num. 17. 8. Poſt ipſum, Summum Sacerdotium nunquam aliunde petitum, quam ex familia ejuſdem Aaronis ; ſervatumque id non interrupta ſucceſſione ex patre in filium, uſque ad Antiochum Epiphanem [3] ; tranſlatumque deinde in familiam Aſmonæorum, tamdiu apud illos manſit, quamdiu eo ab Herode Magno, ordine ſucceſſionis immutato, arbitrarium & pro Regis voluntate datum receptumque Sacerdotium non efficeretur. Poſt Herodem uſque ad

Urbis

1 Bellarm. de Sacram. Bapt. l. 1. c. 3. Eſt. in 4. Sent. diſt. 3. §. 5. Nat. Alex. ſæc. 3. Diſſert. 13. Not. 6. in nov. Edit. Ambroſ. l. 1. de Spiritu Sancto, c. 4. Harduin. de Bapt. in nomine Chriſt. Martenne de antiq. Eccl. Ritib. Mabillon. Not. in Ep. Bern. 403. novæ edit.

2 Prov. 18. 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque judicat*.

3 Joſeph. Antiq. l. 20. c. 2. pag. 700.

Urbis & Templi everſionem per Romanos, conferendi Sacerdotii authoritas penes Romanorum Præfectos, ſive gentis Principes fuit. Unus inter poſtremos hoſce Pontifices Phannias a Zeloti ſortito electus eſt.

Non eſt itaque reputandum, in electione S. Matthiæ Apoſtolos exemplum ſibi præſtituiſſe Sacerdotum Hebræorum, quorum electio a ſortibus penderet; niſi forte ſecutos illos dixerimus Templi morem, ubi ſortito munera diſtribuebantur. Beda Venerabilis in Acta cap. 1. autumat veram, qua deducerentur Apoſtoli, rationem illam reputari; nimirum deſtitutos illos adhuc Sancti Spiritus plenitudine, datum ſibi reputaſſe, ut Legem ad litteram ſequerentur [1]. Porro ille perſuaſione S. Ambroſii tenebatur, autumantis Sacerdotes Templi Jeroſalem ſortito electos; quod cum veritate non ita penitus congruere ſatis, demonſtravimus. Si vero innuere volebat ille, Apoſtolos nondum Spiritus S. illuſtratione perfuſos, ſatis ſibi non eſſe luminis reputaſſe, ut dignum aliquem virum diſcernerent, qui in Apoſtolum eligeretur, quemadmodum S. Chryſoſtomus in Acta hom. 3. pag. 31. philoſophabatur, id ſane perſuaſibilius ab illo diceretur. Tanti quidem res erat momenti, ut nemo ſatis ſibi prudens videri potuiſſet; quare conſultius duxerunt, ſi totam Deo reſervarent eligendi digniſſimi viri rationem.

Pſeudo-Dionyſius Areopagita in Opere de Eccleſiaſt. Hierarch. c. 5. ſortium nomen ſingulari plane ſenſu uſurpat; habet enim perſuaſum, S. Matthiam divino quodam dato ſigno indicatum fuiſſe Apoſtolis, eum nimirum eſſe virum, qui e Deo in cœtum Apoſtolorum referretur. Quod maxime fuerit ſignum illud, non indicat Scriptor; ſed ejus ſilentium ſupplentes Interpretes, alii radium quemdam caput ipſius ſubito ferientem ſuſpicantur [2]; alii ſubito quodam fulgore ſcriptum ejus nomen emicuiſſe [3]; alii columbam capiti ipſius inſidentem; alii virgam ſtatim floreſcentem, quemadmodum & cum Aarone olim præſtitum Num. 17. ac tandem alii prophetico ſpiritu afflatum illico virum evaduor.

Sed qua, rogo, neceſſitate hanc ſortium ſignificationem adoptemus? Nihil frequentius apud Hebræos, quam ut ſortibus vel religioſiſſimi quique inter eos uterentur. Crimen Acham ſortibus exploravit Joſue Joſ. 7. 16. 17. Jonatham paternæ legis tranſgreſſorem, quippe qui mellis parum contra Regis edictum degustaverat, ipſe ejus Pater Saul ſortibus deprehenſum reum tenuit 1. Reg. 14. 42. Qui in eodem cum Jona navigio ferebantur nautæ, veram cauſam ſubito ingruentis procellæ per ſortes ſcrutati ſunt Jon. 1. 7. Nihil majoris momenti apud Perſas & Chaldæos agebatur, quin prius ſortes conſultæ fuiſſent, quemadmodum exemplo Aman Eſth. 3. 7. & Nabuchodonoſoris Ezech. 21. 21. novimus. Huic retinendæ conſuetudini non parum contulit ſecundos a Deo ſortibus conceſſus eventus. Quare Deum illis præſidere ne ambigebatur quidem Prov. 16. 33. ejuſque exploranda voluntas ſi ratio alioqui nulla ſuccurreret, expeditior hæc via habita eſt. Non eſt igitur cur vehementer miremur, ſi Apoſtoli pariter electionem hanc ſuam ſortibus permiſerunt; more illis patrio præeunte, cui taviſſa leges videbantur, nec parum tribuerant auctoritatis Sanctorum virorum exempla atque Dei ipſius approbatio.

Gagnæus eliique [4], qui in ea fuerunt perſuaſione, Apoſtolos ſecretis datis ſuffragiis S. Matthiam in ſuum cœtum adlegiſſe, quæ ipſorum ſuffragia S. Lucas ſortium nomine deſignaverit, illi ſane pronam hujus vocis notionem evertunt; ecquis enim unquam electionem ſuffragiis factam ita deſcriberet, ut diceret

jactas inter duos aliquos viros ſortes, in favorem alterius ceciſſe.

Aſſerenda eſt igitur genuina vocis hujus ſignificatio. Apoſtoli duos ex omnibus viros ampliſſimos conſtituerunt in medio, quorum ſcripta in duabus ſchedis ſive lapillis nomina in vas aliquod, ſive in vaſis ſinum, ſive in pileum conjecerunt; extractuſque deinde alteruter in Apoſtolum electus eſt. Vel, ſi mavis, in unum aliquod vas conjecta ſunt duorum virorum nomina, quibus reſpondebant in urna alia geminæ ſchedæ, quarum alterutra inſcriptam ferebat hanc vocem *Apoſtolus*. Extractus igitur e priori urna Matthias, cui ex altera reſpondit ſcheda Apoſtoli nomine inſcripta; quod a toto cœtu ſatis ſuperque reputatum eſt, ut Matthias in Apoſtolum renunciaretur. Hæc nobis indita de electione per ſortes idea, vel ſaltem id obtinere in ſortibus conſtat: quanquam alias eligendi per ſortes rationes neque ignoramus, neque ſemel conſtituta S. Matthiæ electione per ſortes, contentioſum funem trahere maluerimus, ſi quis forte alias ſervatas rationes in electione ejuſdem Apoſtoli defenderis.

An electio iſta per ſortes diutius ſervata ſit in Eccleſia, an legitima haberetur, & qua proſtereretur ratione diſquiritur. Extra controverſiam poſitum eſt, electionem per ſortes nunquam communi uſu ab Eccleſia probatam fuiſſe, neque id ſibi licitum, vel neceſſario præſtandum Apoſtolorum exemplo Fideles reputaſſe. Ipſi pariter Apoſtoli aliam ſervarunt in electione Diaconorum rationem Act. 6. 4. 6. Ab univerſo cœtu viri præſtantiſſimi electi ſunt, prout quiſque Spiritu Sancto afflatus reputabatur. Eadem cautione in Epiſcopum Jeroſolymitanum renunciatus eſt S. Jacobus [5]; eadem primi quique ſingularium Urbium vel Provinciarum Epiſcopi. Electionem per ſortes adhibuiſſe Apoſtolos in deligendis Epiſcopis ſive aliis Eccleſiæ Miniſtris, nuſpiam poſt Pentecoſtem legimus. S. Paulus non ſemel ſcribit [6]: *Nos ſorte vocati ſumus*, ad Fidem nempe & gratiam Evangelii: quibus tamen verbis nihil aliud ſignificavit, quam gratuito prorſus largientis Dei beneficio ad fidem ſe vocatum fuiſſe [7].

Cæterum ſive Apoſtolorum ætate, ſive prioribus Eccleſiæ ſæculis pro merito ſingulorum, arbitrio populi & Epiſcoporum, factas electiones nunquam non legimus. Populus una & Clerus certum virtutis ejus, qui ab Epiſcopis proponebatur teſtimonium ferebant; atque ipſi demum Epiſcopi, liberis omnibus, quos maxime probaſſent, eligebant, initiabantque. Tunc autem veluti de ipſius judicio facta electio cenſebatur: *Poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum*, ait S. Cyprianus lib. 1. Ep. 3. Apoſtoli cæterique Domini Diſcipuli, poſt obitum S. Jacobi Epiſcopi Jeruſolymitani, pro eligendo ſucceſſore coeuntes, Simeonem filium Claophæ aſſumpſerunt [8]. Narciſſus Epiſcopus Jeroſolymitanus relictam Urbis illius cathedram permiſit Dio, quem illi ſucceſſorem Epiſcopi cæteri ſtatuerunt [9]. Rediit dein poſt Narciſſus, atque jure poſtliminii in ſuam Eccleſiam reſtitutus eſt; donec 116. annorum ætate grandævus, quod muneribus Epiſcopalibus præſtandis impar eſſet, Coadjutorem ſibi ab Epiſcopis datum admiſit Alexandrum, Epiſcopum antea in Cappadocia. Uno verbo, nulla uſpiam ſive vetus, ſive nova Eccleſia Epiſcopos conſueto more per ſortes datos agnoſcit.

Cum de Paſtore aliquo Eccleſiæ, & Miniſtro Jeſu Chriſti eligendo res eſt, nemo ſibi cautionis attuliſſe ſatis præſumit: & quamvis alioqui una ſit omnium perſuaſio, nihil in hoc mundo, niſi ſummo Dei conſilio, ac diſpoſitione agi, ſortes pariter aliqua Dei gu-

1 *Donec veritas compleretur, figuram licuit exerceri. Inde eſt, quod Matthias, qui ante Pentecoſtem ordinatur, ſorte quæritur.* 2 Natal. Alex. to. 1. Hiſtor. Eccleſ. c. 2.
3 Sanct. in Acta 1. 26. num. 61.
4 Salmer. Sanct. 5 Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 1. & l. 3. c. 4.
6 Epheſ. 1. 11. Coloſſ. 1. 12. &c. 7 Auguſt. in Pſ. 30. n. 13.
8 Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. l. 3. c. 11. 9 Ibid. lib. 6. c. 11.

bernantis providentia regi; arbitrantur tamen, illis indiſcriminatim, & nulla cogente neceſſitate uti, perinde eſſe, ac ſi Deus tentaretur; atque ea ſemel data via, ſuperſtitiones plures criminoſas in mundum invehi. Experientia inſuper edocti ſunt, Deum audaciam, atque præſumptionem eorum, qui talibus immiſcentur, ulturum, permittere non raro, ut ſortium diſpoſitio aliter quam pro eorum opinione agat. Quare hiſce omnibus tollendis abuſibus, Eccleſia abolendum omnem ſortium uſum præcepit. Cum, ait Honorius III. Papa, certiores facti fuerimus, deſtituta Paſtore Eccleſia veſtra, vos quemdam per ſortes elegiſſe, qui veſtro nomine tres alios elegerit, ut tandem ipſos tres veſtra authoritate quartum alium in Epiſcopum ſtatuiſſe, poſt diligentem hujus rei diſcuſſionem nos reprehendendam ideo ſtatuimus, quod ſortium interventu electio illa facta ſit [1]. Ratum nihilominus haberi volumus noſtra authoritate, quod a vobis perperam factum eſt; ſed *ſortis uſum in electionibus perpetua prohibitione damnamus*.

Ea Pontificis ſanctione neutiquam tamen factum eſſe credimus, ut in ſingularibus quibuſdam eventibus ſortium uſus reprobaretur. In Concilio Barcinonenſi A. 599. can. 3. ſtatutum eſt, ut ſi quando contigerit, populi, & Cleri ſuffragia in duos aliquos conſenſiſſe, quos pariter Metropolitanis, & Coepiſcopis præſentatint; ipſi poſt jejunium, & preces ad explorandam Domini voluntatem, ſortes jaciant, eumque in Epiſcopum approbent, *Quem ſors, præeunte Epiſcoporum jejunio, Chriſto Domino terminante monſtraverit*.

Narrat Sulpicius Severus in vita S. Martini l. 1. c. 7. populos una cum Epiſcopis ad eligendum Turonenſem Epiſcopum conveniſſe; & cum maxima electorum pars in S. Martinum non inclinaret tantum, ſed ingenti rapperetur deſiderio, minor tamen portio cum paucis Epiſcopis reſiſtebat. Confertum interim populum pertempere minus valente Lectore, eorum, qui forte aderant, quiſpiam ea Pſalterio caſu aperto legit: *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem, ut deſtruas inimicum, & defenſorem.* Defenſoris nomen auſcultans Populus, quippe quod cum Epiſcopi electioni S. Martini reſiſtentis nomini conſonaret, obſtupeſcere primum, tum ratus non ſine Dei voluntate id accidiſſe, ingenti undique elato clamore, in electionem S. Martini ita conſenſit, ut contraria omnis factio diſſiparetur.

In ſingularibus nonnullis eventibus uſus ſortium in Eccleſiis Orientalibus non reſpuebatur, quanquam ea ſervaretur cautione, nimirum poſt cæteras omnes tentatas vias, & cum de eligendis diſſidium fuiſſet. Hæc diſciplina Neſtorianorum in electione Catholici, ſive Patriarchæ [2]. Trium illorum nomina, in quos major eligentium portio conſentiebat, ſchedis quibuſdam ſive calculis inſcribebantur, quibus omnibus quartum aliud adjungebant, quod erat Jeſu Chriſti Summi Paſtoris. Aræ hæc omnia imponebantur, & poſt celebratam in eadem Ara Liturgiam, poſcendæ a Domino divinæ voluntatis ſignificationi, nomina in vas aliquod conjecta a puero quodam nondum corruptis pro ætate moribus extrahebantur. Cujus nomen omnium primum efferebatur, ille ſtatim proclamantibus populis in Catholicum ſalutatus. Si primum obveniſſet nomen Jeſu Chriſti, certum ex eo argumentum capiebatur, Deum trium illorum electionem reprobaſſe; quare ad nova ſuffragia revocabatur electio.

Mos iſte in electionibus contentioſis obtinebat pariter Alexandriæ apud Cophtos, ſive Jacobitas. Appellabatur ea electio *ſors Sanctuarii*, cujus is erat ritus [3]. Centum Monachorum nomina adlegebantur, e quibus ſelecta prius quinquaginta, dein 25. & minus etiam uſque ad tria. Trium igitur nomina totidem ſchedis committebantur, quibus adjungebant alteram inſcripta Jeſu Chriſti nomine. Poſt Liturgiam in eodem Altari celebratam, in quo Candidatorum nomina poſita erant, ex urna, puero quodam doli experte ſortes ducente, eadem illa nomina extrahebantur. Qui primus obveniſſet, in Præſulem ſtatim renunciatus. Si vero Jeſu Chriſti omnium primum nomen extrahi contingeret, infecta omnia, & ea integro repetenda. Si forte ante nominum extractionem unus e tribus acclamaretur, toto pariter in illum coetu aſſentiente, ſtatim ejus electio facta cenſebatur.

En vetuſta ſatis, & communia inſignium Eccleſiarum Orientis exempla, quas de tranſgreſſis Catholicis præſcriptis legibus tam agere via aliquis inſtimeret. S. Auguſtinus pariter ſortium uſum ſingularibus in eventibus probat [4], cum ſcilicet in perſecutionibus diſſident Sacerdotes, cui in Urbe ad ſolatium Fidelium remanendum ſit, cui recedendum, commodiori tempore utili Eccleſiæ operi navandæ. Cum enim illis temporis anguſtiis difficile ſit judicium illius, qui zelo, charitate, atque amore martyrii cæteris omnibus præſtet; melius Deus in omnibus ambagibus illis, quam homines, judicat. *Res quidem*, addit Auguſtinus, *fiet minus uſitata, ſi fiat iſta ſortitio; ſed ſi facta fuerit, quis eam reprehendere audebit?*

Idem data proportione de electionibus repetendum eſt, ad ſortis judicium numquam recurrendum, niſi quando nulla alia voluntatis divinæ explorandæ ratio ſuppetit. *Quandoquidem*, ait S. Auguſtinus in Pſalm. 30. Enarrat. 3. n. 13. p. 160. *ſors non aliquid mali eſt, ſed res eſt in dubitatione humana, divinam indicans voluntatem*. Profecto ſi malum aliquid ſortes repotandæ eſſent, numquam id commiſiſſent Apoſtoli, ut S. Matthiam ſortito eligerent. Tunc autem *electi ſunt duo judicio humano, electus eſt de duobus unus judicio Divino*. Nec tamen exemplo Apoſtolorum excuſantur ii, qui gravi nulla cogente neceſſitate ſortes admovent; ſive qui ſegnitie quadam explorandi, atque ſecernendi digniorem, ad judicium divinum per ſortes explorandum omnem electionem deferunt. Scitum eſt enim illud S. Hieronymi in Jonæ c. 1. p. 1406. nov. Edit. *Cum privilegia ſingulorum non poſſint legem facere communem*.

Solemne erat apud Chriſtianos quoſdam in Africa, ut in rebus etiam communibus Librum Evangeliorum per ſortes conſulerent, ſiniſtrum, vel proſperum inde omen capturi, prout eaſu ſe in legenda offerebat ſententia, qua favor aliquis, vel ſecus ſponderetur. S. Auguſtinus Ep. 55. nov. edit. num. 37. ſuperſtitionem hanc ſuffragio approbandam ſuo nunquam cenſuit, quanquam minus criminoſam judicaret altera, Magos nempe, & Dæmones conſulendi. De hac pariter ratione conſulendi ſacros Libros ſermo eſt apud S. Gregorium Turonenſem Hiſt. lib. 5. feruntque id pariter in moribus poſitum habuiſſe S. Franciſcum Aſſiſienſem, ut in rebus agendis conſilium ex aperto caſu Libro Scripturæ quæreret [5]. Obtinebat pariter, ut poſt electionem novi alicujus Epiſcopi, ex aperto Libro Evangeliorum omen futuræ illius adminiſtrationis caperetur.

Id pariter in electionibus ſervatum, exemplo S. Aniani Epiſcopi Aurelianenſis docemur. Cum deceſſor illius vir ſanctiſſimus intelligeret, populum pro electione ſucceſſoris in diverſa abire ſtudia, quæſivit ab illis, num vellent ad judicium Dei omnia deferre, cujus voluntate ſtatim eligendum Anianum noſcerent. Indictum illico trium dierum jejunium; quo abſoluto, coactoque populo, ſchedæ ſuper Aram impoſitæ ſunt, ſtatimque accitus loqui adhuc neſcius pro ætate infantulus, via manum ad apprehendendam ex altari ſchedam extenderat, cum ſubito ſoluto linguæ vinculo Anianum Epiſcopum clara voce pronunciavit; quibus dictis, iterum ad priſtinam rediit imbecillitatem. Quo vero nullus eſſet ambigendi locus, aperto Pſalterio occurrit ſententia illa: *Beatus, quem elegiſti*; tum ex Libro Evangeliorum: *Et ſuper hanc petram fundabo Eccleſiam*. Ita communi aſſenſu renunciatus in Aurelianenſem Epiſcopum Anianus. Sed pietati dandum eſt, quod

1 Decretal. Honorii III. lib. 5. Decret. t. 21. de Sortileg. c. Eccleſia.
2 Renaudot Fidei perpetuitas. to. 4. c. 7. pag. 56.
3 Idem tom. 4. l. 1. c. 9. pag. 76.
4 Aug. Epiſt. 180.
5 Bonavent. Vita S. Franciſc. c. 11.

quod negatur conſuetudini ; nunquam enim communi lege talia admiſſa unquam ſcimus ; quæ pariter ſapientiſſimi Eccleſiæ Paſtores improbanda cenſuerunt, atque cultioribus ſæculis abrogata ſunt.

Profecto in electionibus magis, quam in cæteris aliis omnibus reprobandæ fuerant, quod ſcilicet de re maximi momenti ageretur ; Deus enim nunquam adfuturum ſe promiſit electioni, quæ per ſortes fieret, ac proinde ea eligendi ratio nunquam ſervaretur citra tentationem ipſius Dei, atque diſcrimen erroris, in quem electores ultro impingere voluiſſent. Si forte in ſingularibus quibuſdam eventibus id accidiſſet, ut ſuffragia electorum, & meritum inter duos aliquos ambigerent, nec alia coeundi inter partes ſuppeteret ratio, tuto quidem tunc ad Apoſtolorum exemplum confugeretur, ſortibus admiſſis ; prius tamen Dei munus imploranda jejuniis, & precibus, quorum merito purgaretur, quidquid illegitimum, pravumque in ea eligendi ratione ſubreperet. Illud inſuper a Deo precibus impetrandum eſſet, ut apertam adeo voluntatis ſuæ daret ſignificationem, quo lites omnes, & pax inter electores componeretur. Hæc veterum, recentiorumque Interpretum in hunc Scripturæ locum doctrina [1].

Quo igitur Diſſertationi huic noſtræ modum imponamus, ſtatuendum eſt, nullum electionis Summorum Sacerdotum apud Hebræos exemplum propoſuiſſe ſibi Apoſtolos in electione S. Matthiæ, quippe quorum electio aliter quam per ſortes agebatur. Præter tamen poterant eorum conſilio ſortes, quarum judicio munera inter Sacerdotes in Templo diſtribuebantur. Cum autem nullo adhuc ſuperne affulgente divini Spiritus lumine illuſtrarentur Apoſtoli ; ideo poſtquam prudentiæ ſuæ partes expleverant omnes, inter ſelectos duos e toto cœtu viros præſtantiſſimos ſortes miſerunt, ut electio in unum aliquem ex illis caderet. Reputandum eſt tandem, ſortium uſum, quamvis rite ea occaſione ab Apoſtolis, & rite pariter in ſingularibus quibuſdam eventibus ab Eccleſiis nonnullis adhibitæ ſint, & in paribus rerum articulis modo etiam conſulto admitterentur ; generatim tamen in electionibus, quibus Eccleſiæ Præſules ſtatuuntur, objici prorſus, & tanquam pernicioſas interdici par eſt.

DISSERTATIO

DE SIMONE MAGO.

Mirari utique ſubit, cur tanti nominis vir, Simon Magus, ſectæ numero hominum florentiſſimæ author, hominibus ad cultum uſque venerabilis, quem ſtatuæ honore, & divinitate Imperator ipſe ; ac Senatus in tanta ſæculorum luce dignum habuerant, virum, inquam, tantum, qui inter plurimas gentes geſtorum ſuorum gloria claruerat, variis ſcriptis operibus illuſtrem, qui ſe veluti Numen univerſum ipſum moderatorem obtruſerat, virum, ut iterum dicam, talem, tantumque Paganos Scriptores, quorum ſcripta ſuperſunt, vel latuiſſe, vel ſi non latuit, contemptui habitum fuiſſe, ut ne mentionis quidem dignus in eorum operibus duceretur [1].

Prophanorum tamen Scriptorum defectum abunde ſupplet Chriſtianorum, ſive numerus, ſive exacta in referendis ejus geſtis, dogmatibus, præſtigiis, & mortis genere diligentia. Poſt authorem Actuum Apoſtolorum, qui ſubdolam ejus ad Fidem converſionem deſcribit, S. Juſtinus Martyr, S. Irenæus, Tertullianus, Euſebius, S. Epiphanius, cæterique de hæreſibus ſcribentes, fuſe admodum proſequuntur ſive dogmata, ſive geſtorum ab illo facta potiſſima. Alterum poſt alterum afferemus in medium, lucem affundentes iis, quæ ſive obſcure, ſive ambigue dicta reperirentur.

Poſt conſummatum a S. Stephano omnium primo martyrium, moram in Eccleſiam perſecutionem evitaturi Diſcipuli Jeſu Chriſti, Jeroſolyma ſecedentes, in varia regionis loca diſperſi ſunt, Evangelium annunciaturi, qua Judæis, qua Samaritanis ; non enim ad Paganos adhuc ſalus pervenerat. S. Philippus e ſeptem Diaconis unus venit tunc Samariam [3], ubi plures ad Chriſtiana ſacra convertit ; inter quos manus victas dare fidei viſus eſt Simon ille, de quo modo differendum ſuſcepimus [4]. Incola erat [5] Urbis Gitthæ, ſive Gitton in Samaria ; *Samaritanus* enim dictus eſt [2] : nec dubitari utique poteſt in Samaria tunc egiſſe, cum S. Philippus in eam regionem veniret. Viri quidem docti contendunt [7], Simonem hunc Magum alium non eſſe a Simone illo Mago Cyprio, de quo Joſephus habet, Felicem Judææ Præſidem decere in conjugem Druſillam meditantem, Simonem quemdam Cyprium magiam profitentem ad fœminam miſiſſe, ut deſerere virum ſuum Azizum ſuaderet [8]. Porro viri iſti eruditi pro *Githa* legendum cenſent *Gittiam*, nempe Citthe Urbe Cypri oriundus. Deſunt huic conjecturæ argumenta ; nec Joſephus Simonem hunc Cittha oriundum unquam prodit. Patrem noſtri hujus Simonis quidam appellant Antonium, matrem Rachelem. Jactitabat autem inſignis ille ſeductor æternum eſſe ſe, tranſmeaſſe vero per canalem Rachelis, ut ad homines veniret.

Cum ergo Philippus & inſtitutione, & Baptiſmate Chriſtianis ſacris imbuiſſet Samaritanos, qui victas manus dederant ad fidem [9], munere ſuo functus, quod Spiritum Sanctum initiatis conferre nequaquam valeret, ad Apoſtolos Jeroſolymæ verſantes ſelectos homines miſit ; invitaturus, ut ad conſummandum opus venirent. Contulerunt ſe illico in Samariam Petrus, & Joannes ; oblatiſque pro Neophitis precibus, impetrarunt illis Spiritum Sanctum ; cujus præſentiæ argumentum luculentiſſimum exhibebat collatum illis linguarum, & chariſmatum privilegium.

Tunc Simon, qui in ſpeciem tantum, juxta Patrum opinionem [10], nomen ſuum dederat inter Fideles, quique prodigia a S. Philippo patrata Magiæ, non Deo tribuebat ; Diacono tandem ſanctiſſimo totum ſe dedit in clientelam [11], nihil omittens ſive de piorum operum exercitio, ſive de jejunio, & oratione [12] ; corde tamen ſemper ad priora ſtudia, & magiam converſo, id unice intendebat, ut magis, magiſque nominis ſui gloriam augeret [13]. Sperabat vir ille impius aſſecuturum ſe tandem a Philippo inſignium illorum miraculorum patrandorum artem ; ſed viſis Spiritus Sancti do-

1 Vide Bedam hic, D. Thom. ad Hebr. 8. Section. 2. Fromond. a Lapide hic, Natal. Alexand. tom. 1. Hiſt. Eccleſ. Diſſertat. 6. ſæculi 1. 2 Diſcutiemus infra quæ habet Dio, & Svetonius de viro, qui volatum coram Nerone tentavit ; quod vulgo de Simone dictum creditur.
3 Act. 8. 1. 5. &c. 4 Act. 8. 13. *Tunc Simon, & ipſe credidit.*
5 Conſtit. Apoſt. lib. 6. cap. 7. Recognit. lib. 2. cap. 12. Juſtin. M. Epiphan. alii.
6 Ita Authores ſupra cit. Abdias in Petro, alii. 7 Baſnag. Ex. p. 102. 105. D. Le Moine.
8 Antiq. l. 20. c. 5. pag. 693. 9 Vide Abdiam in Petro Recognit. Clem. l. 2.
10 Irenæ. lib. 1. cap. 20. Auguſt. Hom. 6. in Joann. Epiphan. hæreſ. Simon.
11 Act. 8. 13. *Cum baptizatus eſſet, adhærebat Philippo.* 12 Conſtit. Apoſt. l. 6. c. 7.
13 Chryſoſt. in Act. hom. 18. Aug. in Joan. hom. 6.

Sl dona, quæ manuum Apoſtolicarum impoſitione conferebantur, ille pecunia tentare virus aggreſſus eſt, in aures ſubmurmurans [1] : *Date mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum : Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto, cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Reſpondens Simon dixit : Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat ſuper me horum, quæ dixiſtis.* Hæc tantum Scriptura de Simone Mago.

Fatemur tamen, Apoſtolum identidem in epiſtolis ſuis declamare adverſus Pſeudo-Apoſtolos, inter quos potiſſimo haberi loco Simonis Magi Diſcipulos in loco maxime 2. ad Timoth. 3. 13. viri docti ſuſpicantur : *Mali homines, & ſeductores proficient in pejus, errantes, & in errorem mittentes.* Tum & in illo verſ. 8. *Reſiſtunt veritati homines corrupti mente, reprobi circa fidem, quemadmodum Jannes, et Mambres reſtiterunt Moyſi. Sed ultra non proficient; inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut et illorum fuit.* De illo pariter (Simone Mago) interpretantur illud 2. Theſſal. 2. 8. 9. *Revelabitur ille iniquus, quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui, et deſtruet illuſtratione adventus ſui eum. Cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, et ſignis, et prodigiis mendacibus, et in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent. Ideo mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacium.*

De illo pariter, ejuſque Diſcipulis dictum reputari illud 2. Timoth. 3. 1. 2. &c. *Scito, quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa : erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſcelesti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita.*

S. Judas in ſua Epiſtola ver. 4. eoſdem pariter Hæreticos, cæteroſque priorum ſæculorum ſuggillat: *Subintroierunt quidam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium) impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum Dominatorem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes.* Nec niſi Simonianos præ oculis haberi creditur S. Jacobus, proborum operum ad ſalutem neceſſitatem defendens [2] ; in nullo enim ſibi ſperandum Hæretici illi docebant, præter quam in gratia Simonis ; in bonis vero operibus nihil [3], quod ſcilicet geſta a nobis omnia in medio poſita eſſe crederent, & inter prava, & improba diſcrimen ab Angelis conſtitutum eſſe eo conſilio, ut ſibi homines ſubderent. Hac ſuperſtitione relevati quicumque in Simonem, & Helenam ſperabant, libera fruebantur agendi pro arbitrio facultate. Contraria hiſce ſtatuens S. Jacobus, docet, ſine probis operibus fidem prorſus frigeſcere : nec Abrahamum juſtitiam per ſolam fidem ſine bonorum operum exercitio obtinuiſſe ; uno verbo adipiſci homines juſtitiam per bona opera, non per fidem tantum.

Atris profecto coloribus Simonem, cæteroſque ejus ætatis hæreticos depingit S. Petrus in ſecunda Epiſtola cap. 2. 1. &c. *Fuerunt vero Pſeudo-Prophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem. Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur ; & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus judicium jam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.*

Scitum eſt, quanta licentia debaccharentur Simon, ejuſque Sectatores. Impius enim ille comitem ſibi adſciſcens Helenam ſuam, nihil ad crimina ſibi faciebat

A reliquum [4]. Hanc fœminam appellabat intelligentiam primam, & rerum omnium parentem [5]. Magiſtri ſcelera non exprimebant tantum, ſed ſuperabant etiam Diſcipuli ; ipſi enim in ſuis Libris ultro fatebantur, eos, qui exponi ſibi primum myſteria Simoniani dogmatis audirent ad infanda ſcelera obſtupuiſſe [6]. Nec diutina hæreſim illam, & crimina impunita reliquiſſe Deum, infra oſtendemus ; demonſtrantes ideo, ſceleſtos illos extuliſſe, ut gravius ruerent.

Proſequitur Apoſtolus Petrus in hæc verba : *Percipientes mercedem injuſtitiæ, voluptatem, exiſtimantes diei delicias : coinquinationes, & maculæ, deliciis affluentes, in conviviis ſuis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti. Pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis*
B *filii ; derelinquentes rectam viam, erraverunt, ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit. .... Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſervatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore converſantur.*

Quadrant hæc omnia in Simonem, virum omnium, quotquot unquam fuerint, corruptiſſimum, & ad exceſſum avarum, impium, ſacrilegum, in crapulam effrenem ; qui pariter affirmabat, Helenam ſuam proſtitutis eſſe moribus fœminam emptam a ſe Tyri [7] ; ipſam vero eſſe Helenam belli Trojani olim incendium affirmabat ; inſuper fœminam hanc primam eſſe intelligentiam, per quam creare Angelos Summus Pater
C decreviſſet ; ſed hoc ejus conſilium ſubodoratam Helenam, ad inferiorem regionem delapſam Angelos genuiſſe, quibus Patris ſui nullam indidiſſet cognitionem. Ex his Spiritibus addebat creatum deinde mundum, & homines : ſed cum Angeli illi originem ſuam a fœmina illa revelari metuerent, ipſam eandem intelligentiam apud ſe veluti captivam, & indigna plurima ferentem retinuiſſe, reditum omnem ad Patrem præcludentes ; immiſiſſe tandem illam in varia mulierum corpora, inter quæ locum habet Helena Menelai uxor ; ac tandem poſt varias rerum viciſſitudines in muliere illa, quam ſecum ducebat, conſtitiſſe. Hæc deliramentorum ejus Hæretici portio : modo de impiis ejus dogmatibus aliqua.

Meſſiam ſe jactitabat, e Cœlo ad libertatem Helenæ
D reſtituendam dilapſum ; cum veniret autem, varia percurrentem loca, dominantia in illis intelligentiæ formam induiſſe, metu ne alioqui agnitus detineretur. Denique terram aſſecutus, dicebat : hominis ſpeciem tantum, non rem adoptavi ; atque a Judæis in crucem actus, hac ſupplicii ſpecie viros ſimplices feſelli. Gloriabatur pariter, veniſſe ſe tanquam Patrem Samaritanis, tanquam Filium Judæis, & tanquam Spiritum Sanctum Gentibus. E Simonis Libris hæc profert S. Hieronymus : *Ego ſum ſermo Dei, ego ſum ſpecioſus, ego Paracletus, ego via Dei.*

Nec alium forte, quam Simonem, ejuſque ſectatores ſpectant illa Apoſtoli ad Coloſſ. 2. 8. &c. *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa*
E *mundi, & non ſecundum Chriſtum .... Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum. Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.* Simonianos eo loco ſuggillaſſe Apoſtolum credunt Eſtius, & Petavius [8].

Vix fieri poſſe perſuaderemur, Hæreticos illos cultum aliquem Angelis impendiſſe, a quibus dira perpeſſa Helena eorum mater, nonniſi arte quadam, & dolo, ut illi quidem narrabant, ab eorum ſe manibus ſubduxiſſet. S. Epiphanius hæreſ. 21. cap. 4. luculenter aſſerit, perinde habitos ab Hæreticis illis Angelos,

valuti

1 Act. 18. 8. 19. 2 Jacob. 2. 14. &c. 3 Iren. l. 1. c. 20.
4 Juſtin. Apolog. 2. Iren. lib. 1. cap. 20. 5 Iren. lib. 1. cap. 20. 6 Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 2. cap. 13. 7 Epiphan. hæreſ. 21. Iren. lib. 1. cap. 20. 8 Eſt. in Coloſſ. 2. Petav. in Epiphan. hæreſ. 21.

veluti acerrimos Dei hoſtes, & ſiniſtras Poteſtates extra Pleroma conſtitutas. Docebant autem, ab Angelis mundum creatum, Prophetas inſpiratos, iiſdemque authoribus obtruſum Vetus Teſtamentum univerſum, cujus unus Liber ab uno ſingulari Angelo, alter ab altero ſcriptus eſſet. Hiſce ſemel perſuaſi docebant, minas omnes, & oracula Prophetarum contemnendas, Legi non tantum non parendum, ſed & ejus obſervationem in diſcrimen mortis, & damnationis inducere.

Alieno licet ab Angelis animo Simoniani, cultum tamen Angelis ſuperſtitioſum impendebant [1], fruſtra ſalutem ſperari poſſe aſſerentes, niſi nefandis ſacrificiis Patri per intermedias Poteſtates, & Principatus ſingulorum Cœlorum, oblatis. Coli ergo Angelos jubebat Simon, non auxilii ab illis obtinendi gratia, ſed ut æquiores redderentur, neque hominum in hac vita conſiliis adverſarentur, neve poſt mortem malum illis aliquod molirentur. Eo facile ſpectat illud Apoſtoli; *In humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.*

Sed in hoc Pauli Textu quædam occurrunt ſuſpicandi argumenta, non alio, quam ad Simonianos ſpectaſſe Apoſtolum. Illi enim, quos ſuggillat, imponere nitebantur Coloſſenſibus *ſecundum traditionem hominum in cibo, aut in potu, aut in parte diei Feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum*; quibus non obſcure ſignificantur vel Judæi, vel Samaritani [2]. Tametsi enim ſermo Moſaicas Leges a Simone, impietatis illas accuſante, dictitante veniſſe ſe, illis abolendis, earumque dicto obſequentibus damnationem, & mortem denuncianie. Reponi tamen poteſt, Apoſtolum in eo Textu rem habere non cum Simonianis tantum, qui cultum Angelis ſuperſtitioſum impendebant, ſed cum cæteris pariter Hæreticis, legalem diſciplinam cum Evangelii obſervatione invehere adnitentibus.

Eſtius, aliique nonnulli cenent, Epiſtolam ad Epheſios reſpicere potiſſimum Simonem Magum, ejuſque Diſcipulos, ex Judæis pleruinque, & Samaritanis collectos, licentiam quo verbis, quo factis commendantes, abſurdam inſuper jactitantes ſcientiam, ſub ignoti ſermonis ſpecie viris indoctis, & rudibus imponere nitentes [3]. Nec immerito etiam arbitratur idem pariter, eumdem ſibi finem conſtituiſſe Apoſtolum in literis ad Titum, & Timotheum; quæ ſi propius diſpiciantur, utique ſtatim intelligemus, Apoſtolum refutandos ſuſcepiſſe Hæreticum illum, ejuſque ſectatores, quorum infandos mores, & crimina teterrimis coloribus depingit.

Narrat S. Juſtinus, obiviſſe Simonem varias gentium Provincias, erroris ſui dogmata ſpargentem, imponentemque falſis præſtigiis ſuis viris e vulgo rudioribus, ſeque veluti Chriſtum obtrudentem [4]. Varios ipſe per ſe Libros ſcripſerat [5]; alterum addiderunt ejus Diſcipuli inſcriptum: *Prædicatio S. Pauli* [6]. Conſtitutiones, & Timotheus Presbyter [7] Conſtantinopolitanus in libello de his, qui ad Eccleſiam accedunt, referunt, Simonem, & Cleobium perniciosa quædam ſcripta ad Fidelium deceptionem Jeſu Chriſti, & Apoſtolorum nomine ſuppoſuiſſe; meminit etiam Præfatio Canonum Arabicorum Concilii Nicæni, Evangelii cujuſdam a Simonianis fabricati, quod in quatuor partes, ſeu tomos, ſingulis mundi cardinibus inſcriptos, dividebant. Author operis de Divinis nominibus [8] plura adverſus fidem ſcripſiſſe Simonem, aſſerit ſub titulo *Antirrheticha*, ſive Contradictoria. Sed opportuno ſane conſilio opera oblivione digna ita ſuppreſſit antiquitas, ut neque reliquorum unum ſuperſit.

Cum Tyri verſaretur Simon, proſtitutis moribus fœminam ſibi comparavit Helenam, quam & Selenam, nempe Lunam, appellatam novimus. Hanc, ut ſupra adnotatum eſt, intelligentiam primam nuncupabat, quæ poſt creatos Angelos, variiſque rerum viciſſitudines in corpus illud fœmineum veniſſet. Corruptiſſima erat fœmina, cum qua nullo ſe commercio miſceri ſimulabat, re tamen ipſa clam omnibus ita agebat cum illa, quomodo effrænis viri licentia ferebat [9]. Cum ipſa arcana cordis ſui, & ſcelera communicabat, fidiſſima pariter illa promovendæ hæreſis adjutrice utus.

Appellabat interdum *Helenam*, vel *Selenam*, ideſt, *Lunam*, ſeu *Minervam*; interdum etiam *Barbelo*, nempe filiam Baal, tandem *Prunicam* ſive *Pornicam*, ac ſi diceretur *impudica*, *corrupta*. E radice Græca vocem illam derivari notat S. Epiphanius [10], a radice, inquam, deſignante puellam vitiatam. Heſychius reddit *Prunicum* pro bajulo. P. Petavius datam a S. Epiphanio expoſitionem non ſatis probat: nec ſane congruum videretur, Simonem plenum invidiæ nomen indidiſſe mulieri, quam in aliis conſecraverat elatis nominibus. Nec eſt, cur ſuſpicemur corruptum eſſe S. Epiphanii Textum, cum ſæpius eandem interpretationem repetat, neque ſemel notet verbum illud, unde vocis etymologiam deducit.

Cum cæterorum fere omnium nominum, quorum eſt mentio in ſyſtemate Simonianorum, Gnoſticorum, vis repetatur ex Hebræo, vel Syriaco ſermone, fieri utique potuiſſet, vocem illam *Prunicos* ex Hebræo *Para*, germinare, fructificare, florere, & *Nacah*, purum eſſe, & innocentem, vel *Nacoth*, thymiama derivari. Quidquid ſit, jactitabant Gnoſtici per *Prunicam* colligere ſe vim corporum maris, & fœminæ; vis autem illa phraſi Gnoſticorum deſignabat fluxum illum humoris, quem aperto nomine exprimere vetat pudor.

Jubebat Simon ſtatuas ſibi dedicari ſub Jovis figura, Helenæ vero ſub Minervæ; nec Dei figuram tantum, ſed & cultum ſibi, ac uxori utriuſque Numinis adſciſcebat. Appellabat Helenam ſuam modo rerum omnium matrem, modo S. Spiritum: hanc eſſe dicebat palantem ovem, ad quam reducendam a Cœlo veniſſe ſe [11]; hanc a Cœlo in Cœlum dilapſam in terram deſcendiſſe, & hominum figuram induiſſe. Se vero addebat nihil minus eſſe, quam cujus exhiberet figuram, nempe hominis [12]; ſe Meſſiam jactabat, cujus nominis obtentu plures ſibi adſciverat Diſcipulos, quos Chriſtianorum appellatione honeſtabat; tandem in execrationibus ſuis Chriſti nomen ingeminans, incautis, & prodigiorum ſuorum præſtigiis ſeductis pluribus perludebat.

Nolebat autem Jeſu Chriſti in ſe perſonam agnoſci, ſicut nec Jeſum Chriſtum haberi tanquam Dei Filium [13], quod ſcilicet odio illum proſequeretur, conatus inſuper variis ejus prodigiis falſa præſtigia ſua ita opponere, ut parem cum illo ſibi nominis famam apud homines conciliaret. Magni quidem fuiſſet negocii, Jeſum Chriſtum virum moribus ſanctiſſimis, & datæ cœlitus doctrinæ Magiſtrum cum Simone corruptiſſimo viro, & vecordi confundere; ſed magni pariter fuerat negocii inter genuina illius miracula, & præſtigia Simonis diſtinguere. Fateor tamen non ſatis aſſequi me, cur Simon doceret, ſe non niſi in ſpeciem toleraſſe crucis ſupplicium, ſi perſonam Chriſti induere recuſabat. Sed fruſtra conſtans aliquid in ſyſtemate adeo male compacto quæras.

Vir ille impius, referente S. Irenæo [14], delapſum ſe cœlitus jactabat, non in ſalutem tantum Helenæ ſuæ, palantis illius oviculæ, ſed ad reſtituendam univerſi œconomiam, Angelorum principatum affectantium ambitione turbatam: veniſſe pariter in ſalutem hominum, quibus ſummum fuerat malorum, quod ſe (ideſt

1 Tertull. Præſcript. c. 33. Epiph. hær. 21. c. 4. Theodoret. Hæretic. fabul. l. 5. c. 9.
2 Tillem. not. 4. in Simonem Magum. 3 Eſtius Præfat. in Ep. ad Eph.
4 Apolog. 1. p. 29. Theodoret. de hæreſ. lib. 1. cap. 1. 5 Hieron. in Matth. 24.
6 Cyprian. de Baptiſmo. 7 Lib. 6. c. 8. 8 Dionyſ. divin. nom. c. 6.
9 Epiph. hæreſ. nr. n. 2. 10 Hæreſ. 25. l. 2. pag. 73. 11 Iren. l. 1. c. 20.
12 Epiph. loc. citat. 13 Origen. contra Celſum l. 5. 14 Iren. l. 1. c. 20. Aug. de hæreſ. Epiph. hæreſ. 21. cap. 4.

ſe (id eſt Simonem) non cognoſcerent, ac Angelorum jugum ſuſtinerent: Angelorum, inquam, diſcrimen inter bona, & prava opera eo conſilio invehentium, ut homines in depreſſione, & ſervitute tenerent.

Nihil corporibus ſperandum manere ſive de ſalute, ſive de reſurrectione dicebat, ſed animæ eſſe omnia; nihil fidendum hominibus in probis operibus, cum ſola ſpes libertatis a ſervitute, & jugo per Angelos inducto, in ipſo ſe, & Helena ſua reſtaret. Magiſtri doctrinæ plus nimio inhæſerunt Diſcipoli, invidiam in Chriſtianum nomen nefandiſſimis criminibus ſuis æternam creantes [1].

Habebat ſub manu liberationem Prophetarum ab Inferis [2]; tranſgreſſoque volatu aere medium ſe in ignem ita conſtituiſſe dicebat, ut in unum cum illo corpus, illæſus tamen, coaleſceret. Statuas anima donaſſe ſe & motu, lapides tranſmutaſſe in panem, ſiſtere ſe videndum, & inviſibilem pariter, cui maxime vellet, penetrare montes, & petras nullo ſibi obice reſiſtente, dare ſe præcipitem e montibus, nihil ſiniſtri metuentem, extricare ſe vinculis, quibus forte teneretur, novas ſubito arbores exhibere, metamorphoſim ſibi inducere, & mutare oris faciem, ut a nemine agnoſceretur. Narrabat, miſſum ſe olim a Rachele matre ſua ad colligendam meſſem, falci præcepiſſe, ut ſe ſe in illam immitteret; quæ ita mandata compleſſet, ut opus quantum decem meſſores egiſſet. Ferebatur de illo, propoſuiſſe olim Neronem, ut clam obtruncari ſe præciperet, pollicitum intra triduum ſe iterum rediturum ad vitam. Rem preſtitit Nero; verum Magus ille ſubſtitutum in locum ſuum arietem obtruncandum obtulit [3]; poſt triduum ſpectandum ſe prebens, Simon, ſpeciem quaſi iterum ad vitam rediiſſet, exhibuit. Author Conſtitutionum Apoſtolicarum l. 2. c. 8. ſicut ex Recognitionum l. 1. 2. 3. ac Pſeudo-Abdias in Petro, docent, Simonem Cæſareæ in Palæſtina verſantem diſceptaſſe cum S. Petro, receptaſſe ſe deinde Tripolim in Phœniciam, ac tandem Romam, quo S. Petrus eumtem proſecutus eſt. Rerum geſtarum ab impoſtore illo Romæ, & diſceptationum cum S. Petro coram Nerone hiſtoriam legas apud Pſeudo-Abdiam, & alios, ſeu non diſſimilis furfuris Hiſtoricos, ſi per otium licet.

Major eſt habenda fides teſtimonio veterum Patrum [4], agentium de primo Simonis itinere Romam ſub Claudio, quo rerum potiente Romani ſtatuam inſigni illi impoſtori erexerunt cum epigraphe: *Simoni Deo Sancto*. Sua adhuc ætate, & oculatum teſtem ſpectaſſe ſe illam tradit S. Juſtinus, aſſerens pariter non defuiſſe inter Samaritanos, ceteroſque ejus Diſcipulos, qui inter Numina primum illi locum aſſererent [5]. Idem confirmat S. Clemens Alexandrinus ſtrom. l. 2. Idem S. Irenæus contra hæres l. 1. c. 20. De ſtatua Simonis agunt pariter S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſ. 6. Tertullianus Apologet. c. 13. Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 14. & Theodoret. hæretic. fabul. l. 1. Publica auctoritate erecta, aſſerit S. Auguſtinus de hæreſ. 1. in loco inter duos pontes Tiberis, vel in inſula ejus amnis conſtitutam deſignat S. Juſtinus. En hiſtoriam apertis adeo documentis aſſertam, ut convelli numquam poſſe videatur. Traditur enim a multis coævis ferme, & magni nominis Scriptoribus, quorum aliqui teſtes fuerunt oculati, rem ſua ætate pro certa habitam aſſerentes. Si forte S. Juſtinus, qui omnium primus ſimulachri illius meminit, levitatis, & ignorantiæ ſuſpicionem quamdam præbere potuiſſet, ſi arbiter, & per conjecturas rem attigiſſet, colorari utique poſſet, ut aliquis daretur adverſus ejus rei veritatem ambigendi locus; nullus tamen reipſa datur, cum aſſerentem habeat virum ampliſſimum, judicio ingenioque gravem, Paganam Religionem callentem, Ro-

A mæ, dum ſcriberet, ſedem habentem, annentem primas in Eccleſiis, ac tandem rem illam inſerentem in ſupplici libello coram Imperatore, & Senatu exhibendo; rem, inquam illam, quæ niſi veritati cohæreret, impoſtoris, & nugatoris in Scriptorem invidiam, apud viliſſimos etiam creaſſet. Quibus tunc non exponeretur odiis jam, & contemptui habita Eccleſia? An neglexiſſent Pagani putidum illud mendacium oggerere? Quieta fuerunt omnia: nulla ergo data eſt movendi cauſa.

E re ſua pariter cenſuiſſent Chriſtiani, ut locum hunc Apologiæ vel ſupprimerent, vel utcumque excuſarent; ſiquidem S. Juſtinus craſſo profecto errore pro *Semoni Deo Sanco*, quam epigraphem ſimulacro inſcriptam tenent aliqui, legiſſet *Simoni Deo Sancto*. Quid erroneam hanc lectionem ſervarunt S. Irenæus, Tertullianus, Euſebius, S. Auguſtinus, viri nempe omnium in Eccleſia ætate ſinguli ſua ſapientiſſimi? An

B Tertullianus, an Auguſtinus, quis eſſet *Semo Sancus*, vel ignorabant, vel ignorare poterant, ſi de illo quæſiviſſent? vel ſaltem ſoli inter homines Chriſtiani non viderunt, an ſcilicet erectum Romæ ſimulacrum Semoni? vel Simoni diceretur? *Sanci*, vel *Sancti*, Numinis Sabinorum, meminit S. Auguſtinus in Opere de Civitate Dei l. 18. c. 19. nihil de Theologia Paganorum latebat Tertullianum; uterque tamen S. Juſtini lectionem ſervat: quin & Auguſtinus erectam pariter Helenæ Simonis conjugi ſtatuam teſtatur. Ex ære conflatum Simonis illud ſimulacrum aſſerit, nec utique a S. Juſtino edoctus, Theodoretus, vir tantæ doctrinæ,

C & ſapientiæ [6].

Nec ſane inficiamur, multum eſſe affinitatis inter illud: *Semoni Deo Sanco*, & aliud *Simoni Deo Sancto*. Quæ tamen in Inſcriptione Romæ recens inventa leguntur, toto plane cœlo aberrant ab iis, quæ Juſtinus oculatus ſpectavit. 1. Viſum a Juſtino ſimulacrum publico & Imperatoris, & Senatus decreto dedicatum fuiſſe, perhibet ille in Apologia 2. [7] cum viciſſim Semonis privato cujuſdam conſilio erectum fuerit. 2. In Romano *Sanci* legitur *Semoni Deo Sanco Fidio*, quæ ſane univerſum S. Juſtini ſyſtema evertunt; norat enim ille *Deum Fidium* vetuſtiſſimum fuiſſe Romanorum fidei in Sacramentis præſtandæ Numen tutelare. 3. Unicum tantum Simoni erectum Romæ ſimulacrum videtur, cum *Semoni Sanco* tam multa

D olim conſecrata cenſenda ſint, ut duo hodie uſque ſuperſint. Fidem S. Juſtino adſtruunt, ultra Veteres omnes ſupra a nobis laudatos, poſteriorum ſæculorum omnes uſque ad Baronium; & poſt illum, ac ultra illum [8], in eamdem ſententiam conceſſerant Guillelmus Spenſerus Adnot. in Orig. cont. Celſ. l. 1. pag. 44. Hammondus Differt. 1. de Epiſcop. jure, D. Tillemontius 10 S. Juſt. not. 6. P. Halloixius in Juſtin. Grotius Oper. l. 3. pag. 488. D. Fleury, & alii ſexcenti.

His tamen omnibus nequaquam abſterriti viri plures doctiſſimi, relatæ a S. Juſtino hiſtoriæ fidem addicere noluerunt. Viſam quidem a S. Juſtino Romæ inſcriptionem non admodum ab ea, quam recitat, diſcrepantem ita agnoſcunt, ut reipſa tamen aliquanto diverſam fuiſſe teneant: ſpectaſſe pariter aliud quam

E Simonem Magum, virum quidem apud ſectæ ſuæ homines, tum & apud Samaritanos divinis honoribus parem, ſed numquam in Romanorum Numina vel receptum, vel recipiendum, cum ea res eſſet, quæ multo rerum apparatu, tum & Senatus peculiari decreto indigeret [9]. Profecto tanti moliminis rem non ſiluiſſent ejus ætatis Scriptores; nec ſi apud vulgum indoctum rudemque aliquid obtinuiſſet præſtigiis ſuis Simon, numquam tamen adeo apud viros ampliſſimos conſcriptoſque Patres in tanta temporum luce invaluiſſet.

Sed

1 Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 2. cap. 13. 2 Tertull. de Anima c. 57.
3 Pſeudo-Marcellus in Actis Petri, & Pauli. 4 Juſtin. Apolog. 2. p. 69. & nr.
5 Idem dialog. cum Tryph. p. 349. Florebat Juſtinus circa ann. 150.
6 Hæretic. fabul. lib. 1. cap. 1. 7 *Sub Claudio Cæſare Simon Magus Senatum populumque Romanum in ſummam admiratione ſtupefecit, ut haberetur pro Deo, & receptus in Deorum numerum honoraretur dicata ſibi ſtatua.*
8 Ad ann. 44. n. 55. 9 Tertull. Apologet. cap. 5.

Sed quid humani vitiis illic ſæpiantiſſimis accidit, in decernendis ſcilicet divinis honoribus viris nonnullis mortalibus; id tamen illis non error, ſed metus, aſſentatio, & mala cupiditas extorſit. His omnibus nihil valebat Simon, vir obſcurus, nec generis, nec Patria, nec nominis celebritate, ſed præſtigiis, quæ non parvi ſane habebant Romani, ſed & Magos legum, & pœnarum rigore inſectabantur.

Quis umquam in animum induxerit, Imperatorem, & Senatum divinis honoribus cultum voluiſſe hominem, cujus & genus, & patriam, & res geſtas, quin & vitæ incommoda omnia noſſent? Conſecraſſe quidem Romanos fatcor Cajum, & Domitianum; ſed metu extorta illorum Divinitas nullos habuit cultores ſatis ſinceros. Simonis apotheoſim nihil tale promoviſſet. Divinis honoribus, quin & mactatione victimarum colere Paulum, & Barnabam præſto erant Lyſtrenſes; ſed incautis perſuaſit opinio, quod ſub virorum illorum obtentu delapſa cœlitus Numina apparuiſſent; ex quo enim meros puroſque homines agnoverunt lapidibus perimere illos aggreſſi ſunt [1].

Tandem neque ſuperſtitem, neque poſt mortem conſecratum a Romanis Simonem par eſt, ut credamus. Dum viveret, numquam dogmatum ſuorum fidem Impoſtor ille Romanis perſuaſit, vel ſaltem perſuaſiſſe nemo umquam ex Patribus etiam hiſtoriæ illi faventibus, aſſeruit. Quomodo autem Numen ſibi propoſuiſſent, cujus dogmata non probabant? Poſt obitum, una cum ejus lapſu coram Nerone, & Romanis, viri etiam fama concidit; ut proinde in cœtum Deorum etiam a Claudio relatus, poſt erectam æternam illam ſuo nomini invidiam ab honore prorſus excidiſſet. Interim S. Juſtinus ceterique Patres velut certum conſtituunt, poſt elapſum a Claudio, & Nerone ſæculum nihil tamen de viri illius cultu deceſſiſſe.

Omnium] ejus rei vetuſtiſſimus teſtis eſt S. Juſtinus Martyr, a quo ceteris poſtea impoſitum; niſi forte quidam rem illam aliorum relatione acceptam aſſeruerint. Vir autem Sanctus, quod citra invidiam ſeniori æ, & ſanctitatis illius dictum volo, credula nimis facilitate fidem addicebat ſuam pluribus noſtra demum ætate, ne quid gravius, dicam ſuſpectis. Narrat ſpectaſſe ſe Alexandriæ cellulas, Septuaginta Interpretibus Scripturarum Verſioni laborantibus addictas; qua de re plura etiam addit fidei ſuſpectæ [2]. Judæos accuſat de viciatis Sacris Libris, expuncta in odium Crucis Chriſti e ſententia illa Pſalmi 95. 10. *Dominus regnavit a ligno*, voce *a ligno* [3]. Non erat ergo ab illo alienum, ut epigraphem *Simoni Sanco* per errorem legeret *Simoni Sancto*, Sabinorum Numine in Magum transformato. Anno 1574. effoſſum eſt Romæ in Inſula Tiberina, quem potiſſimum locum deſignavit S. Juſtinus, marmor ita inſcriptum,

SEMONI SANCO,
DEO FIDIO.
SACRUM.
SEX. POMPEIUS. SP. F.
COL. MUSSIANUS,
DECUR.
BIDENTALIS.
DONUM DEDIT.

In monte Quirinali poſita altera non diſſimilis legebatur, En integram [4],

SANCTO SANCO.
SEMONI DEO FIDIO.
SACRUM DECURIA,
SACERDOTUM.
BIDENTALIUM.
RECIPERATIS.
VECTIGALIBUS.

Tandem Reati in Italia, veteri Sabinorum regione, ubi potiſſimus hujus Numinis cultus, hanc Inſcriptionem poſitam legerunt viri docti [5].

SANCO. FIDIO. SEMO. PATRI.

De decuma. Victor. Tibei. Lucius. Mumius. Donum.
Moribus. Antiqueis. Pro. Uſure. Hoc. Dare. Semper.
Viſum. Animo. Suo. Perfecit. Tua. Ope. Rogans. Te.
Cogendei. Diſſolvendei. Tu. Ut. Facilia. Faxſeis.
Perficieiſque. Decumam. Ut. Faciat. Verae. Rationis.
Proque. Hoc. Atque. Alieis. Doneis. Des. Digna. Merenti.

Appellabatur indiſcriminatim Numen illud *Semo*, *Sancus*, *Sanctor*, vel *Fidius*, ut Ovidius in illo Faſt. l. 6. verſ. 213.

Quærebant nonas Sancto', Fidione referrem,
An tibi Semo, Pater,

Veteres autem generatim nomine *Semonum* (quaſi ſemihominum) deſignabant inferioris ordinis Numina. Ita *Semo* dictus eſt Mercurius [6], Hercules [7], Vertumnus, & Priapus [8], nec alius ab Hercule videtur *Semo* ille in Quirinali cultus. Ovid. l. 6. Faſt.

Hunc igitur (Semonem) *veteres donarunt æde Sabini,*
Inque Quirinali conſtituere jugo.

Sed nequid talibus immoremur, ſatis eſt nobis demonſtraſſe, cultum olim Romæ Semonem Sancum cujus & ſtatua cum epigraphe eo loco poſita ſpectabatur, ubi olim S. Juſtinus Simonis Magi ſimulacrum, & epigraphem in eadem fere verba conceptam viderat; ex quo plane intelligimus, decipi facile potuiſſe hominem alienigenam, parum Latinis literis inſtructum, eaque opinione Simonis, quem norat olim præſtigiis ſuis impoſuiſſe Romanis, occupatum. Hanc ſententiam acriter propugnant frequentes Theologi, & Critici magni nominis utriuſque communionis, uti D. Valeſius in notis ad lib. 2. & 3. hiſt. Euſeb. Salmaſius in Spartianum P. Pagi Critic. in Baron. an. 42. num. 6. Ciaconius Opuſc. præfix. expoſit. colum. Trajan. P. Mabillon t. 1. Muſ. Ital. p. 87. Anton. Vandale de Oracul. Reineſius Diſſert. de Sybillin. Ittigius Diſſert. de Hæreſiarch. Salomon Deylingius Obſervat. sacr. tom. 1. cap. 36. Johannes Albertus Fabricius not. in Pſeudo-Abdiam pag. 419. de Apocryph. N. T. Author Diſſertationis impreſſæ in relatione Reip. Liter. an. 1685. menſe Auguſti pag. 844. aliique plures, quorum rationes dubiam ſaltem reddunt fidem illorum, quæ de inſcriptione Simonis Magi a S. Juſtino feruntur.

Cum vir ille impius Romam ſub Claudio veniſſet [9], ſibique plures adſciviſſet Diſcipulos [10], S. Petrus, qui gravis inſtabat viam præſtigiis ejus diſſipandis, brevi totam ejus famam ſubvertit. Interiiſſe illum circa hæc tempora, & inſinuare videtur Euſebius, & tenet poſt Metaphraſtem D. Valeſius [11]; quamquam accepta magis opinio obitum illum conſignat ſub Nerone circa annum JESU CHRISTI 65. quod ſuffragio ſuo confirmant Sulpicius Severus, S. Auguſtinus, Arno-

1 Act. 14. 6. 11. 13. 2 Exhort. ad Gent. 3 In Dialog. cum Tryph.
4 Apud Gruter. lib. 1. pag. 96. ex Fulvio Urſino.
5 Apud Gruter. tom. 1. pag. 96. num. 7. ex Apiano, & Fulvio, aliiſque.
6 Auſon. cap. 19. 7 Ovid. Faſt. lib. 6. 8 Fulgent. de vocibus Antiquis.
9 Circa ann. 41. Jeſu Chriſti. 10 Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap. 13.
11 Not. in lib. 2. cap. 15. pag. 33.

Arnobius, Philaſtrius, s. Ambroſius, s. Maximus Taurinenſis, Theodoretus, s. Cyrillus Jeroſolymitanus, s. Iſidorus Peluſiota, Baronius, cæteriqve ferè omnes Hiſtorici. Mirari ſubit, cur nihil habeat Euſebius de lapſu Simonis, Cœlum petentis volatu, tantæ ſcilicet rei, & memoria poſterorum digniſſimæ. Silent etiam vetuſtiſſimi ex Patribus, rerum Simonis non incurioſi indagatores, uti s. Juſtinus, s. Irenæus, Origenes, Tertullianus.

Reliqui Patres jam laudati conveniunt, Simonem Romæ verſantem ſub Nerone per aera volantem, ſpecie quidem quaſi ad Cœlum aſcenderet, cum precum Apoſtolorum Petri, & Pauli [1] vim non ſuſtineret, corruiſſe præcipitem, & ex lapſu vitæ repagulis diſruptis interiiſſe. Hæc ſatis conſtanter apud illos omnes Scriptores; ſed qua ratione aera petierit Simon, qua vita exceſſerit, non ſatis convenit inter illos.

Hegeſippus, & Pſeudo-Abdias e ſumma Capitolii arce aeri ſe commiſiſſe ſcribunt. Volanti acclamabant Romani, nihil tale a JESU CHRISTO tentatum unquam. Vim ſuam adverſus impium, ut exereret Jeſus, precibus impetravit Apoſtolus s. Petrus, ſimulque malis ſpiritibus, quibus vehentibus ferebatur in aera, præcepit, recederent actutum. Nec mora; ſubducentibus ſe Dæmonibus, corruit Simon, implicatus, quas ſibi aptaverat, alis, & ex lapſu mox interiit.

Pſeudo-Marcellus in Actis s. Petri refert, Simonem erigi ſibi turrim poſtulaſſe in Campo Martio; qua illum poſtea lauru coronatum conſcenſa universo ſpectante populo ad Cœlum ſcandere tentaſſe; ſed & corruiſſe ſtatim ac S. Petrus oravit. Valafridus Strabo ſeu Author Carminis s. Petri [2], ejus currit memioit. Igneo curru, velut Elias olim, elevatum in Cœlum habet Arnobius l. 2. pag. 50. ſed ad nominis JESU CHRISTI per s. Petrum invocationem diſſipatis præſtigiis, dilapſiſque Dæmonibus vectoribus proprio pondere in terram adactum, cruribus e lapſu confractis, aliorum manibus tranſlatum fuiſſe Brundam, ubi dolorem vulneris, & probrum non ferens, ex ædibus ſe ſe præcipitem agit. Narrant ex Patribus multi [3], geminos Dæmones Magi incantationibus coactos ad officium præſtandum veniſſe; receſſiſſe vero ſtatim ac precibus SS. Petri, & Pauli ſe ſe impares ſenſerunt. His ſubductis, ſtatim in terram Magus. Locum ejus lapſus deſignant *viam ſacram* Acta Græca D. Cotelerii.

Sunt qui credant *Brundam*, quo relatus poſt lapſum Simon, ipſiſſimum eſſe Brunduſium ad extremas Italiæ oras Græciam verſus; veluti ſi inſignis ille Præſtigiator illatam nomini ſuo notam tegere affectans, ex Italia in Orientem fugam tentaſſet. Tanen vero alii, Brundam nomen eſſe certi loci in Urbe, nec ſane diſſident Veteres, uno omnes conſenſu aſſerentes [4], obiiſſe illum Romæ, & in Urbis medio uti notat s. Epiphanius; ac nemo ullus ſatis aperte docet, locum ejus obitus fuiſſe ſive Brunduſium, ſive alium quemcumque extra Urbem. Variantia cætera minoris momenti libens prætereo, uti s. Petrum ad certamen illud Simonem provocaſſe; quod inſinuare videtur Theodoretus Hæretic. fabul. l. 1. c. 1. contra fidem Libri Con-

A ſtitutionum l. 6. c. 9. non obſcure aſſerentem; a Simone Apoſtolum invitatum.

Certamen illud fuſe proſequitur Author Conſtitutionum Apoſtolicarum loc. cit. referens, Simonem Romæ verſantem, & plures ſeducentem, venire olim pleno jam meridie ad theatrum, auctoremque fuiſſe populo, ut ad ſpectaculum, petiturum enim ſe aeris ſublimia jactitabat, Petrum acciret. Cum veniſſet igitur Apoſtolus, volatum aggreſſus eſt Magus: acclamarunt veluti ad Numen ſpectatores; ſed verſus in preces Apoſtolus, porrectiſque in Cœlum manibus, & oculis ad Simonem converſis in hæc verba ivit um petiit; Ego ſum vir Dei, & venerabilis J. C. Apoſtolus, non ſicut tu, ſeductor; quare ejus nomine Infernis Poteſtatibus in aere te ſuſtinentibus edico, ut recedentes
B actutum ruinæ te, æternoque expoſitum opprobrio permittant. Nec mora, corruit magno impetu Magus, confractis lapſu cruribus, & pedum extremis. Acclamare ad hoc populus, unicum eſſe, quem Petrus annunciabat, Deum. Plures exinde Simonem deſeruere, ſed alii nonnulli pervicacius adhuc illi inhæſerunt.

Referunt ad hanc Hiſtoriam, illud, quod legitur apud Dionem Chryſoſtomum Orat. 21. Neronem ſcilicet in aula ſua detinuiſſe virum, qui volatu ſe aera petiturum jactitabat. Sicut & illud Svetonii l. 6. n. 12. vitum ſcilicet quemdam in publicis ludis coram Nerone volatum tentaſſe, ſed ad prima tentamina corruiſſe præcipitem, reſiliente miſeri illius cruore uſque ad ſpectacula Principis tantorium. Sicut hujus hiſtoriæ
C veritatem negare nihil noſtra intereſt, ita nihil certi ſuppetit, cur de Simone ab utroque illo Scriptore agi credamus. Ita vero de hiſtoria illa loquuntur, & Eccleſiaſtici Scriptores, ut tota res geſta cenſeatur a Simone, univerſo populo ſpectante, & in Urbis foro, non in theatro, & coram Principe; neque meditato ante conſilio, ſed magicis viribus ſuis ſat fretus Simon, conſilium illud ſtatim inivit, ſtatimque Apoſtolum provocavit ad certamen. Narrat quidem Philaſtrius, Magum coram Nerone in aera ſublatum, ſed de Nerone nemo ante illum quicquam.

Jejunium obſervari ſolitum Romæ ſingulis recurrentibus Sabbatis, Romanorum nonnullos retuliſſe ſcribit S. Auguſtinus, ad inſtitutum eadem die a S. Petro jejunium, ut divinam ſibi opem impetraret in certami-
D ne die proxime ſuccedenti cum Simone ineundo; quæ mos ut ſervaretur deinceps fecit certaminis illius feliciſſimus exitus. Concludit tandem Auguſtinus: *Eſt quidem & hæc opinio plurimorum; quamvis eam perhibeant eſſe falſam plerique Romani.*

Si quis magis exacte allatas in medium optaret Veterum diſcrepantes ſententias, ad hiſtoriam certaminis S. Petri cum Simone, quod attinet, illius certe votum explebit D. Coteletius in annotationibus ad ſextum librum Conſtitutionum Apoſtolicarum pag. 268. 269. ubi rem totam excutit; ac tandem concludit in hiſtoria tam dubia, & parum aſſertis circumſtantiis pleniſſima, tutius eſſe judicium ſuſpendere, nihil certi ſive pro ejus veritate, ſive contra illam definiendo; quod ſapientiſſimum eſſe in re præſenti cenſemus.

---

1 In Conſtitutionibus Apoſtolicis nonniſi Petrus orans inducitur lib. 6. cap. 9.
2 Apud Caniſ. tom. 6. Lection. antiqu. pag. 659.
3 Vide Arnob. loc. cit. Cyrill. Jeroſolymitan. Catech. 6. Ambroſ. Hexaem. lib. 4. cap. 8. Sulpit. Sever. lib. 2. Hiſt. Eccleſ. Iſidor. Peluſiot. lib. 1. Epiſt. 13. Theodoret. Hæret. fabul. lib. 1. cap. 1.
4 Philaſt. de hæreſ. cap. 29. Auguſt. de hæreſ. 1. Epiph. hæreſ. 21.

DISSERTATIO
DE ACTIS PILATI
Ad Tiberium Imperatorem miſſis in cauſa mortis JESU CHRISTI.

TAntus fuit in ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ exordiis Apocryphorum, & pravorum Librorum obtrudendorum pruritus, atque licentia, ut monſtri loco haberi non poſſit, ſi tot occurrant viri ſuſpicioſi, plurimum caventes, ne aliquod omnino eorum admittant Eccleſiæ authoritate non receptum, quamquam alioqui ætate illa ſatis vulgatum. Nec ſane, unis exceptis Canonicis Scripturis, plures occurrent, ſive non interpolati, ſive non ad libitum confiċti. Quot falſa Evangelia, Acta Apoſtolorum, Apocalypſes, Oracula Prophetarum, Martyrum, & Sanctorum geſta in ipſo Eccleſiæ naſcentis exordio ſuppoſititia? Manus etiam injectæ ab Hæreticis in Evangelia, & genuinas Apoſtolorum Epiſtolas, fœde illas detruncando, addendo, viciando. Quid laboris impenſum ſit in reſtituendis integritati ſuæ interpolatiſſimis S. Ignatii Epiſtolis, ſat omnibus notum. Quot Martyrum Acta corruptores iſti non perdiderunt? Tot in Eccleſiaſticam eruditionem mala invexit præpoſterus zelus, nimis cauta ſimplicitas, opinionis alicujus ſingularis urgendæ amor, et tandem in erroribus aſſerendis pervicacia.

Acta a Pilato ad Tiberium miſſa in cauſa necis Jesu CHRISTI, ejuſque reſurrectionis, viros noſtræ ætatis doctiſſimos in utramque partem exercent. Sanior illorum pars miſſa cenſet reipſa; an vero Acta illa ipſiſſima cenſenda ſint, quæ Patres laudant, an integra ad nos uſque pervenerint, ſeu potius longa ſæculorum oblivione vel interierint, vel ex fluxu temporis fæcis plurimum contraxerint, res eſt inter Doctos illos agitata.

Provinciarum Romanarum Præſidibus ſolemne fuiſſe majoris momenti omnia ad Principem referre, docet abunde Plinius ad Trajanum ſcribentis, quid ipſe cum Chriſtianis in Aſia egerit, exemplum [t]. Morem illum, certiores nempe Imperatores faciendi, ſi quid novi in provincia accidiſſet, ne quid illos lateret, a vetuſtiſſimis receptum in Imperio temporibus, obſervat Euſebius Hiſt. Eccl. l. 2. c. 2. Idem vel agnoſcit, vel inſinuat Tertullianus referens, Tiberium de rebus in Palæſtina actis certiorem factum, de Jeſu in cenſum Deorum cooptando ad Senatum retuliſſe; non annuiſſe tamen Patres, qui ſibi conſecrandi Numina jus totum arrogantes gravius ferebant propoſitum ab Imperatore Numen aſſerere [u].

S. Juſtinus Martyr in Apologia pro Chriſtianis ſecunda hæc excerpſit ex Actis a Pilato ad Tiberium miſſis: *Et cum in Crucem egiſſent eum, aleam ſuper veſtium ejus injecerunt, & inter ſe partiti ſunt illam, qui crucifigendi ſupplicium peregerunt.* Tum ad Paganos addit: *Atque hæc ita geſta eſſe, cognoſcere ex Actis, quæ ſub Pilato ſunt conſcripta, poteſtis.* Et infra: *Quod inſuper Chriſtum curaturum fuiſſe morbos omnes, & defunctos excitaturum prædictum ſit, verba vaticinii audite . . . . . Et quod iſta fecerit, ex iis, qui ſub Pontio Pilato conſcripti ſunt commentariis cognoſcere poteſtis.* Fuſius profecto digeſta erant Acta illa, quantum ex duobus hiſce textibus intelligimus.

De Actis a Pilato ad Tiberium miſſis ſermo incidit pariter in Hiſtoria Martyrii S. Ignatii Antiocheni. Legitur enim in illis, datas fuiſſe ad Trajanum litteras, quibus fieret certior, Ignatium Theophorum homines docuiſſe, ut divinis honoribus colerent Jesum CHRISTUM, ſupplicio crucis damnatum a Pilato, *ut ejus Acta docent.* Sed tota hæc periodus non legitur in Actis ſinceris, & ſelectis Mſſ. D. Theodorici Ruinart, & adſcititiam eſſe tenent viri noſtra ætate doctiſſimi.

Quid ferrent Acta illa, habet non obſcure Tertullianus Apologet. cap. 21. Tradebant igitur, Jeſum infeſtantes corpore Dæmones pellere, valetudinem reſtituere, cæcis, leproſis, paralyticis, vitam defunctis, elementa, & tempeſtates coercere Imperio, ſuper inſtructas aquas gradi, argumentis exhibere luculentiſſimis Filium eſſe ſe Dei, & rerum omnium auctorem. Ad Doctrinæ illius fulgorem perſtrictos Judæorum optimates, graviſque favorem in illum populi ferentes, renuentem reluctantemque velut coegiſſe Pilatum, ut virum in Crucem ad ſuas ipſorum preces ageret; quod ſupplicii genus ipſum ſibi Jeſum, & veteres de illo Prophetas prædixiſſe. Actum in Cruce magis magiſque potentiam ſuam exercuiſſe, quod ſcilicet non expectato carnificis miniſterio ſpiritum ſuum poſuiſſet, quando ſibi maxime viſum fuerat. Eodem inſtanti ſolem in medio diei curſu nigraſſe; cum Judæos depoſitum e ſupplicio condidiſſe in ſepulcro, commiſſis ad ejus cuſtodiam militibus, ne forte Diſcipuli præceptoris ſui cadaver ſuffurantibus, prolato ab ipſo Jeſu de reſurrectione ſua intra triduum oraculo fidem mendacio adſtruerent. Verum tertia ab obitu die ſubito tremore, concuſſa terra, ſublatum fuiſſe lapidem ab oſtio ſepulchri, milites inopinato terrore in fugam actos, &, Diſcipulis omnibus licet abſentibus, nihil tamen niſi mortui inſtitas in ſepulchro apparuiſſe; ſparſiſſe in vulgus rumorem Judæos optimates, ſuſtuliſſe Diſcipulos Jeſu CHRISTI cadaver; ſed illum poſt actos plures dies in Galilæa Palæſtinæ regione; docentem Diſcipulos ſuos, quid alios ipſi docerent, tandem relictis iiſdem Diſcipulis mandatis de prædicatione per univerſum mundum obeunda, nube vehente in Cœlum elatum evaniſſe.

Concludit tandem Tertullianus: *Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tum Tiberio nuntiavit.* Addit inſuper: *Sed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii; aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares.* Ex hoc Tertulliani Textu intelligimus, Epiſtolam Pilati ad Tiberium veluti ſummam complecti Evangelii, ſcribente ad Imperatorem Pilato, quidquid de rebus geſtis Jeſu Chriſti ab exordio ejus prædicationis ad Aſcenſionem uſque reſciverat. Conſecutiones ex hoc noſtras infra deducemus, illud tantum in præſenti animadvertiſſe contenti, nihil eſſe quod miremur, ſi Tertullianus de Pilato aſſeverat, *pro ſua* illum *conſcientia Chriſtianum* fuiſſe; nemo enim Chriſtianus melius rebus Jeſu Chriſti ſcribendo, nemo exactius conſuluiſſet. Et Tiberius de his omnibus certior factus, ſtatim de referendo inter Deos Jeſu Chriſto, quem ſane Numinum Paganorum multo præſtantiorem noverat, e Pilati teſtimonio retuliſſe.

Tandem Euſebius Cæſarienſis, qui Tertulliani Apologeticum utique legerat, Epiſtolæ Pilati ad Tiberium bis meminit. Narrat enim in Chronico ſub Coſſ. anni J. C. 36. Pilatum certiorem per litteras feciſſe Tiberium de Jeſu Chriſto ejuſque doctrina; et Tiberium viciſſim de recipienda fide Chriſtiana egiſſe in Senatu; ſed Patres renuiſſe. Addit in ſua verſione ejuſdem Chronici Hieronymus: *Verum cum ex conſulto Patrum Chriſtianos eliminari Urbe placuiſſet, Tiberius per edictum accuſatoribus Chriſtianorum comminatus eſt mortem.*

Idem Euſebius hiſtor. Eccleſ. l. 2. c. 2. hæc habet:

[t] Plin. lib. 10. Epiſt. 102. Tertull. Apologet. cap. 2.

[u] Apologet. cap. 5. Euſeb. lib. 2. cap. 2.

Interea cum per omnem jam locum de reſurrectione & mirabilibus Domini Jeſu Chriſti, & de Aſcenſione ejus ad Cœlum ſolix fama loqueretur, ut per omnium aures huius rumoris volveretur opinio; quoniam antiqui moris erat apud Romanos, ut Provinciarum Judices, ſi quid forte novi in his, quas regebant, Provinciis accidiſſet, vel Principi vel Senatui nunciarent, ne ne ex his, quæ gerebantur, ignorare aliquid viderentur; de reſurrectione a mortuis Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ jam in omnem locum fuerat pervulgata, Pilatus Tiberio Principi refert. Sed & de cæteris mirabilibus ejus ut poſt mortem eum reſurrexiſſet, a quamplurimis jam Deus eſſe crederetur. Tiberius quæ compererat, retulit ad Senatum; Senatus autem ſprevisse dicitur. Tamen fertur Tiberium tum eam, quam prius animo combiberat, opinionem firme tenuiſſe, tum nihil abſurdi contra Chriſti doctrinam ac cogitatione quidem molitum eſſe. Laudat poſt hæc e Tertulliani Apologetico locum ſupra a nobis adductum.

S. Epiphanius hæreſ. 50. num. 1. agens de *Quartodecimanis*, contendentibus, diem Paſchæ celebrari oportere ipſa die, qua JESUS CHRISTUS anno obitus ſui celebravit, (tunc erat dies 14. Lunæ) in quamcumque tandem diem Lunæ incidiſſet[1]; S. Epiphanius, inquam, aſſerit: Hæreticos illos, opinionis ſuæ potiſſimum fundamentum habuiſſe Acta Pilati, diem obitus JESU CHRISTI conſignantia 8. Kal. Aprilis, id eſt 25. Martii: itaque Paſcha eadem die celebrabant, nihil ad Lunam attendentes. Frequentabant illi potiſſimum Cappadociam, eodemque omnes die Paſcha celebrabant.

Verum, addit S. Epiphanius, Actorum ejuſmodi Exemplaria variant; legimus enim in nonnullis 15. Kal. Aprilis pro 8. ſcimus autem certo, ait, JESUM CHRISTUM obiiſſe 13. Kal. Aprilis[1]; licet non deſint, qui craſſo plane errore revocent ad 10. Kal. Aprilis[2].

Nihil aliud diſcriminis obſervat S. Epiphanius in Actis illis, niſi in adſcriptione diei Paſchalis; quod argomento eſt apertiſſimo in reliquis omnibus & Epiphanii, & Quartodecimanorum Exemplaria congruiſſe, & pro aſſertis haberi.

Author homiliæ ſeptimæ de Paſchate inter Opera S. Chryſoſtomi tom. 5. edit. Savil. ſcriptæ ann. 672. habet pariter: *Neque ignoravimus tempus, quo Servator noſter, paſſus eſt: nam Commentarii ſub Pilato compoſiti tempus Paſchatis definiunt. Conſtat itaque ex his, quod 8. Kal. Aprilis* (id eſt 25. Martii) *paſſus fuit Servator.* Eadem temporis adſcriptio legitur in calce Evangelii Nicodemi, quod aliqui ipſiſſima Pilati Acta cenſuerunt, de quo Evangelio infra.

Epiſtola Pilati ad Tiberium in Martyrologio Florentinii data eſt 4. Nonas Aprilis, id eſt 2. ejuſdem menſis. Quæ in Hegeſippo legitur, vulgata a Biato Senenſi, nullam habet temporis adſcriptionem; ſicut nec altera in Apocryphis N. T. D. Fabricii. Cum autem exactiſſimæ aſtronomicæ ſupputationes Chriſti obitum conſignent ad diem 3. Aprilis anni 33. Æræ Vulg. ſequitur inde, neque Acta Pilati apud S. Epiphanium, neque cætera alia nobis cognita genuina reputari.

Paulus Oroſius Diſcipulus S. Auguſtini l. 7. c. 4. hæc habet: *Poſtquam paſſus eſt Dominus JESUS CHRISTUS, atque a mortuis reſurrexit, & Diſcipulos ſuos ad prædicandum dimiſit, Pilatus Præſes Palæſtinæ provinciæ ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de paſſione, & reſurrectione Chriſti, conſequentibuſque virtutibus, quæ vel per ipſum palam factæ fuerant, vel per Diſcipulos ipſius in nomine ejus fiebant, & de eo, quod certatim creſcente plurimorum fide, Deus crederetur. Tiberius cum ſuffragio magni favoris retulit ad Senatum, ut Chriſtus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non ſibi prius ſecundum morem delatum eſſet, ut de ſuſcipiendo cultu prius ipſe decerneret, conſecrationem*

A *Chriſti recuſavit: edictoque conſtituit, exterminandos eſſe ab Urbe Chriſtianos: præcipue cum & Seianus Præfectus Tiberii ſuſcipiendæ Religioni obſtinatiſſime contradiceret.*

Integrum hoc fragmentum exſcribere viſum eſt, ut ejus opinionis contractæ inter eundum fæces demonſtrarentur, prout a ſuo fonte magis magiſque longius deducitur. Nonnulla enim relatæ a Tertulliano hiſtoriæ, unde ſuam derivavit Oroſius, addere illi ſuccurrit, ut illud de Sejano, & alia. Quæ vero de Senatus edicto, quo exſilium ab Urbe Roma Chriſtianis decernebatur, hæc ex verſione Latina Chronici Euſebiani per S. Hieronymum deducta ſatis conſtat.

S. Gregorius Turonenſis hiſt. Francor. l. 1. c. 20. pag. 18. Edit. Ruinat. *Apprehenſus autem & Joſeph, qui*
B (Dominum) *aromatibus conditum in ſuo monumento recondidit, in cellulam includitur, & ab ipſis Sacerdotum Principibus cuſtoditur, majorem in eum habentes ſævitiam, ut geſta Pilati ad Tiberium Imperatorem miſſa referunt, quam in ipſum Dominum, ut, cum ille a militibus, hic ab ipſis Sacerdotibus cuſtodiretur; ſed reſurgente Domino, cuſtodibus viſione Angelica territis, cum non inveniretur in tumulo, noctu parietes de cellula, in qua Joſeph tenebatur, ſuſpenduntur in ſublimi; ipſe vero de cuſtodia abſolvitur Angelo liberante, parietibus reſtitutis in locum ſuum. Cumque Pontifices cuſtodibus exprobrarent, & ſanctum corpus ab iiſdem inſtanter requirerent, dixerunt eis milites: Reddite vos Joſeph, & nos reddimus Chriſtum.*

Omnia hæc ſimul leguntur hodie in Pſeudo-Evange-
C lio Nicodemi, ex quo (niſi ex apocrypho alio malueris) deſumpſit facile S. Gregorius, quæ jam ex illo recitavimus. Scriptum profecto illud nihil minus refert, quam miſſæ ad Tiberium Epiſtolæ ſimilitudinem; eſt enim prolixum ſane opus impolito ac pedeſtri tum & barbaro latino ſermone ſcriptum, in quo puerilia multa & levia, ac, quod caput eſt, non niſi ſerius notum. Sunt qui procuſum ab ipſo eodem S. Gregorio ſuſpicentur, illis ejus verbis ducti[3]: *Pilatus autem geſta ad Tiberium Cæſarem mittit, & ei tam de virtutibus Chriſti, quam de Paſſione, & Reſurrectione ejus inſinuat. Quæ geſta apud nos hodie retinentur ſcripta.* Sed numquid his verbis Author Operis Gregorius probatur? Altum eſt de illo apud Veteres ſilentium, prodiitque primum impreſſum in Orthodoxographis
D Baſileæ an. 1555. D. Fabricius, qui ſolerter omnium de hoc ſcripto agentium teſtimonia collegit[4], neminem profert vetuſtiorem Authore Synaxarii Græcorum, qui relatione tantum aliorum audita refert; inter Latinos omnium primum aſſerit Grynæum in Præfatione ad Orthodoxographos.

Pſeudo-Hegeſippus, Scriptor quarti vel quinti ſæculi[5], omnium primus Pilati ad Tiberium Epiſtolam quandam recitavit. Habet igitur Scriptor ille:
„ Quamvis Pilatus manus laverit, nequaquam tamen
„ minus extitit reus, qui gloriam Dominicæ agno-
„ ſcens Reſurrectionis, prædicare invitus ſtuduit,
„ ſed credere perfidus contempſit; ſicut teſtatur
„ ejuſdem Epiſtola, Cæſari eo hunc modum directa,
„ Pontius Pilatus Claudio ſalutem. Nuper accidit,
E „ & quod ipſe probavi, Judæos per invidiam ſe ſuoſ-
„ que poſteros crudeli condemnatione puniſſe. Deni-
„ que cum promiſſum haberent Patres eorum, quod
„ illis Deus eorum mitteret de Cœlo ſanctum ſuum,
„ qui eorum Rex merito diceretur, & hunc ſe pro-
„ miſit per Virginem miſſurum ad terras: Iſtum
„ itaque me Præſide in Judæa Deus Hebræorum cum
„ miſiſſet, & vidiſſent eum cæcos illuminaſſe, lepro-
„ ſos mundaſſe, paralyticos curaſſe, Dæmones ab
„ hominibus fugaſſe, mortuos etiam ſuſcitaſſe, im-
„ peraſſe ventis, ambulaſſe ſiccis pedibus ſuper undas
„ maris, & multa alia feciſſe; cum omnis populus
„ Judæorum eum Filium Dei eſſe diceret, invidiam
„ contra eum paſſi ſunt Principes Judæorum, & te-
„ nue-

1 Id eſt 20. Martii. 2 Id eſt 23. Martii. 3 Hiſt. Franc. l. 1. c. 23. Vide, ſi lubet, D. Ruinart. Præfat. in Gregor. Turon. num. 76. 4 Apocryph. N. T. pag. 223. &c.
5 De Excid. Urbis Jeroſol. Anacephalæoſis ex 5. Biblioth. PP. pag. 1341.

,, ſuerunt eum, mihique tradiderunt, & alia pro ,, aliis mihi de eo mentientes dixerunt, aſſerentes, ,, iſtum Magiſtrum eſſe & contra Legem eorum agere. ,, Ego autem credidi ita eſſe, & flagellatum tradidi ,, arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, & ,, ſepulto cuſtodes adhibuerunt. Ille autem, militi- ,, bus meis cuſtodientibus, tertio die reſurrexit: in ,, tantum autem exarſit nequitia Judæorum, ut da- ,, rent pecuniam cuſtodibus, & dicerent: Dicite, ,, quia Diſcipuli ejus corpus ipſius rapuerunt. Sed ,, cum accepiſſent pecuniam, quod factum fuerat, ta- ,, cere non potuerunt. Nam & illum reſurrexiſſe te- ,, ſtati ſunt, ſe vidiſſe, & ſe a Judæis pecuniam ac- ,, cepiſſe. Hactenus Epiſtola apud Hegeſippum. Si- xtus Senenſis, qui eandem in nonnullis levioris mo- menti variatam recitat, addit, hanc periodum tan- quam ex eadem Epiſtola, cum Hegeſippus tanquam ſuis verbis illam ferat, nec *vale* in fine ejuſdem Epi- ſtolæ apponat: *Hæc ideo ingeſſi, ne quis aliter mentia- tur, & æſtimes credendum mendaciis Judæorum.*

En alteram melioris notæ, & magis ad guſtum an- tiquitatis a Florentinio vulgatam [r]. ,, Pilatus Tibe- ,, rio Cæſari ſalutem: De JESU CHRISTO, quem ti- ,, bi plane poſtremis meis declaraveram, nutu tan- ,, dem populi acerbum, me quaſi invito & ſubticen- ,, te, ſupplicium ſumptum eſt. Virum hercle ita pium ,, ac ſyncerum nulla unquam ætas habuit, nec habitu- ,, ra eſt. Sed mirus extitit ipſius populi conatus, om- ,, niumque Scribarum & Seniorum conſenſus, ſuis ,, Prophetis, & more noſtro Sybillis præmonentibus, ,, hunc veritatis legatum crucifigere; ſignis enim ,, ſuper naturam apparentibus, dum penderet, & or- ,, bi univerſo Philoſophorum judicio lapſum minanti- ,, bus. Vigent illius Diſcipuli opere & vitæ continen- ,, tia Magiſtrum non mentientes; imo in ejus nomine ,, beneficentiſſimi. Niſi ego ſeditionem populi prope ,, æſtuantem pertimuiſſem, fortaſſe adhuc nobilis ille ,, vir viveret. Etſi tuæ magis dignitatis fide compul- ,, ſus, quam voluntate mea adductus, pro viribus ,, non reſtiterim, ſanguinem juſtum totius accuſatio- ,, nis immunem, verum hominum malignitate inique ,, in eorum famem, ut Scripturæ interpretantur, e- ,, xitum pati, & venundari. Vale. Quarto Nonas ,, Aprilis.

Hæc Epiſtola ſuppoſititia multis argumentis demon- ſtratur. 1. Datas antea a Pilato ad Tiberium alias de Chriſto litteras conſtituit; quod quidem nuſpiam le- gimus apud Veteres; non ſiluiſſent autem, ſi in Actis quæ laudant, aliquid ejuſmodi legiſſent. 2. Ita de Je- ſu (Jeſum Chriſtum appellat) agit, ut nihil præcla- rius a Chriſtiano quopiam Scriptore deſideraretur. 3. Scribas & Seniores in Chriſti necem animatos habet; ſilet autem Sacerdotes, quos tamen ſcimus mortis il- lius authores præcipuos. 4. Prædictum Sibyllino ora- culo Chriſti ſupplicium commiſcetur; neque enim Sibyllarum carmina ea de re in medium allata fuere, niſi diu poſt Pilatum, & poſt obtruſa ſcripta quædam Sibyllina, omnium confeſſione, ſpuria. 5. Frigida prorſus cauſatione factum ſuum de ſupplicio in Jeſum decreto excuſat Pilatus, damnaſſe ſcilicet ſe virum popularis ſeditionis metu; tum etiam quod Judæorum Scripturæ ferrent, unum hominem pro totius gentis ſalute interiturum. Regiæ quidem dignitatis affecta- tæ, tum & ſeditionis in populo, atque in Cæſarem reum illum agebant Judæi; quæ ſi veritati cohæſiſ- ſent, morte utique damnandus fuiſſet: ſed cum ca- lumnioſa eſſent omnia, quid ea illo fuiſſet timendum? Ad hæc Judæi ad mortem illum poſcebant ſecundum Legis ſanctionem: *Secundum legem debet mori*; ſta- timque rationem ſubdunt: *Quia Filium Dei ſe fecit* Jo. 19. 7. Quæ tamen accuſatio non multum valuiſſe apud Judicem videtur.

Hiſtoriam Jeſu Chriſti miſſam, uti quidem ſcribi- tur, a Pilato ad Tiberium, & in Jeroſolymitano tabu-

A lario ſub Theodoro inventam recitant Bollandiſtæ ad 4. Februarii; ſed omnium confeſſione apocryphum eſt commentum. Laudat etiam D. Cotelerius Græcam quandam relationem Pilati ad Tiberium de rebus an- te & poſt obitum J. C. [s] ſed viri illius docti judicio fu- tilem adeo ut legere pigeret.

D. Fabricius alteram e Colbertino Codice num. 2493. vulgavit in Addend. Apocryph. num. 1. cujus hæc ſumma: *Relatio Pilati Præfecti de Jeſu Chriſto Do- mino noſtro, miſſa ad Tiberium Imperatorem verſantem Romæ. Potentiſſimo, Auguſtiſſimo & invicto Imperatori Tiberio, Pilatus Præfectus Orientis. Cogor hiſce litteris tibi, potentiſſime Imperator, ſignificare, metu licet ple- nus ac terrore, quod nuperi temporis impoſtus tulerit, & jam colligo inde, quid deinceps poſtea futurum ſit.* Poſtea B ad rem accedens narrat, Herodem, Archelaum, Philippum, Annam, & Caipham cum Judæis cæteris in manus ſuas tradidiſſe Jeſum, quem plurimorum criminum reum agebant; ſed de nullo prorſus convi- ctum, quin potius complurium miraculorum, quæ ip- ſe enumerat, inſignem patratorem. Meminit inter cætera Lazari e mortuis ſuſcitati, Hemorrhoiſſæ tactu fimbriæ Jeſu Chriſti ad valetudinem reſtitutæ. Profi- tetur deinde, coactum ſe hominem cruce perimendum Judæis permiſiſſe, quamvis nullius criminis reum co- gnoſceret. In ejus obitu mira plurima; dehiſcente terra e mortuis ſurrexiſſe Abrahamum, Iſaac, Jacob, duodecim Patriarchas, Moyſem, & Joannem, qui ſpectandos ſe multis præbuiſſent. Prima hebdomadæ die (Dominica) in ipſo noctis ſilentio aerem ingenti C fragore inſonuiſſe. Cœlum ſeptuplo clariori lumine nituiſſe, & terris noctis hora micuiſſe Solem; viſos pariter magno numero Angelos clamantes: *Jeſus Cru- cifixus reſurrexit.* Lumen illud noctem univerſam illu- ſtraſſe; patuiſſe terram ad imos uſque abyſſos, mor- tuos rediiſſe ad vitam, & Angelos viro occurriſſe. Ju- dæorum plurimos terræ hiatum illum abſorbuiſſe; Sy- nagogas Jeroſolymæ everſas, actos in fugam milites ad cuſtodiam ſepulchri Jeſu Chriſti conſtitutos, quibus objectos ſubito Angelos terrorem incuſſiſſe. *Hæc ſunt,* addit, *quæ præſenti tempore geſta comperi, & ad Poteſta- tem tuam refero quæcumque cum Jeſu Judæi egerunt, Numini tuo, Domine miſi.* Addit demum Author, hanc Epiſtolam miſſam ad Urbem tantam in Pilatum conflaſſe invidiam, ut Tiberius acturum, miſſis apparitoribus, D adduci Virum catenis vinctum juſſerit.

Fruſtra hic characteres omnes ſuppoſitionis hujus e- piſtolæ excuteremus; patent enim per ſe. Exaggerat præpoſtere quidem Author miracula Jeſu Chriſti, cir- cumſtantiis pluribus in Evangelio incognitis adjectis. Notis & aſſertis nova plurima addit. Tandem ſtilum inepte inflat, conatus majeſtatem addere rebus, quæ majeſtate ſua plurimum Authoris phraſes ſuperant. Ad Imperatorem inuſitato per eam ætatem more loquitur, compellans illum elogio *majeſtatis, divinitatis, altiſ- ſimi, potentiſſimi, auguſtiſſimi, & invincibilis*: ſe tan- dem præpoſtero titulo *Præfecti Orientis* jactitat.

Reliquum eſt tandem, ut de Actis Pilati Pagano- rum fraude procuſis agamus. Maximinus Imperator, teſte Euſebio Hiſtor. Eccleſ. l. 9. c. 5. vulgari curavit E quarto Eccleſiæ ſæculo Acta quædam Jeſu Chriſti, ſub Pilati noti nomine ſcripta. Impia in illis & blaſphema adverſus Jeſum Chriſtum plurima; e quibus in Chri- ſtianos odium haurirent in Schola pueri, ſeque ipſos in dato a Magiſtro penſo exercerent. Hæc per univer- ſas late Imperii Provincias legi in Scholis & vulgari, qua in Urbibus, qua in agris juſſit Imperator [1]; ut nihil tunc frequentius occurreret, quam cantantes re- citanteſque Chriſtianorum & Jeſu Chriſti opprobria. Sed in Opere indigniſſimo procudendo tam parum ſtu- dii tegendo mendacio adhibitum eſt, ut data conſi- gnaretur Epiſtola ſub quarto Conſulatu ejuſdem Prin- cipis [4], nempe anno Imperii ſeptimo; quod aperiſſi- mum prodebat mendacium: teſte enim Joſepho An-

r Florentin. Martyrol. Vet. pag. 813.
s Coteler. ex Cod. Regio 2431.
4 Idem l. 1. c. 9. p. 27.
1 Euſeb. hiſt. Eccl. l. 9. c. 7. p. 352.

tiquit. l. 58. n. 3. miſſos in Palæſtinam cum poteſtate Pilatus nonniſi anno 12. Tiberii venit.

Ut totam hanc Diſſertationem concludamus, ſtatuendum arbitramur, fieri utique potuiſſe, ut Pilatus pro more caeterorum Provinciæ Præſidum de rebus omnibus ad obitum & reſurrectionem Jeſu Chriſti ſpectantibus Imperatorem faceret certiorem; quod vetuſtiſſimis & graviſſimis Authoribus, S. Juſtino Martyre, Tertulliano, Euſebio Cæſarienſi aſſerentibus, non inviti credimus.

2. Certum etiam ſtatuimus, ex omnibus e nobis ſupra laudatis ea de re Scriptoribus neminem, niſi S. Juſtinum, Tertullianum, & facile Euſebium comperte ſcripſiſſe: cæteri omnes nonniſi priores illos vel exſcripſerunt, vel redegerunt in compendium. Facile, inquam, & Euſebius Cæſarienſis; ille enim nonniſi ex Tertulliani teſtimonio rem narrat; & animadverſione quidem dignum eſt, Euſebium Acta illa Pilati nuſquam referre, quamquam ſummi ad hiſtoriam illam momenti; nec alioqui ejuſmodi ſcripta incuriosus prætereat. Ex quo ſuſpicandi anſa datur, ſive nulla tunc Acta extitiſſe, ſive eorum, quæ per eam ætatem ferebantur, Euſebii judicio genuina nulla fuiſſe.

3. Conſtat pariter, ex Actis Pilati, noſtra ætate ſervatis, ne unum quidem ſupereſſe non apocryphum. Quæ refert Hegeſippus, Pſeudo Marcellus, Martinus Polonus chronic. l. 4. p. 118. Yvo Carnotenſis in excerpt. chronol. Sixtus Senenſis, aliique Recentiores plures, in re ſingula, & in ſuppoſitionis nota conveniunt. Quartadecimanorum apud S. Epiphanium ſuſpicioſa ſunt plurimum, ſin minus in alio, certe in temporum deſcriptione; quæ in re exemplaria ſibi non conſtabant. Cum autem S. Epiphanius alia non recitaverit, certum & magis aſſertum de illis ferre judicium non licet. Acta Florentini ſupra rejecimus. Nihil moramur Pſeudo Evangelium Nicodemi, Relationes Bollandiſtarum, D. Cotelerii, & D. Fabricii.

4. Si quæ Acta aliquo in pretio haberentur, hoc facile privilegium afferendum eſſet Actis, quorum fragmentum ſervat Tertullianus. Sed plura in illis occurrunt, quæ ſuſpicionem ſive de ſinceritate ſua movent, vel ſaltem an originalia fuerint relinquunt incertum. Ubique ſtili Tertulliani character, in phraſibus illis duris, aſperis, & Africanis ingeritur. *Cum ille verbo Dæmonia de hominibus excuteret, cæcos reluminaret... Paralyticos reſtringeret ... elementa ipſa famularet comprimens procellas, & freta ingrediens ... Parum hoc, ſi non & Prophetia petre etiam. Tamen ſuffixus, multa mortis illius propria oſtendit inſignia ... Nihilominus tamen primores, quorum lacrymas & ſerius divulgare; & populum vectigalem, & popularem ſibi ad fidem revocare &c.* Viri in lectione hujus Scriptoris vel parum exercitati, ſtatim Tertullianiſmum intelligens. Præterea additamenta illa, a Tertulliano in ſua relatione appoſita, quæ ſane Pilato non conveniunt, ut illud: *Oſtendens ſe ſe Verbum Dei, id eſt legon, illud primordiale primogenitum virtute & ratione comitatum, & ſpiritu inſtructum, eundem, qui verbo omnia & faceret, & feciſſet.*

Acta illa Tertulliani revocent geſta omnia, & potiſſima Jeſu Chriſti prodigia; quod vix commiſſum a Pilato credimus, ut ejus viri laudes proſequeretur, quem infami ſupplicio damnaverat. Licet autem fuſius omnia deſcribant, nuſpiam tamen occurrit quod in Actis Pilati S. Juſtinus legeras, nimirum in veſtes J. C. ſortes miſſas fuiſſe. Ad hæc, Acta illa Tertulliani nonniſi poſt Aſcenſionem vel etiam poſt Pentecoſtem miſſa leguntur; vix autem perſuadentur, vel tandiu diſtuliſſe Pilatum, ut Imperatorem de omnibus faceret certiorem, vel hominem Paganum tam exacta ſcire omnia potuiſſe.

5. Non inviti credimus, Epiſtolam a Pilato ad Principem miſſam, mature ſatis vitiatam fuiſſe, & primos illos viros, cum quibus genuina Epiſtola ab Imperatoris domeſticis communicata fuit, nonnulla adjeciſſe in gratiam Chriſtianæ Religionis; quibus interpolationibus deinde animadverſis, invidia inſcriptum illud crearetur, factumque ſucceſſu temporis, ut neglectum penitus interiret; quare Euſebius nullam Epiſtolam ſatis aſſertam, & genuinam poſteritatis memoria ſat dignam noviſſe videtur. Poſt eam ætatem contigiſſe facile potuit, ut vir aliquis ſimile ſcripti genus procudendum ſuſciperet, opponendum forte ſuppoſititiis illis Actis Pilati, Maximini juſſu vulgatis.

Si quis velit Authores in hoc argumentum ſcribentes conſulere, adeat Baronium, D. Tillemontium Not. in S. Petrum 19. pag. 516. cæteroſque Eccleſiaſticos Hiſtoricos, D. Baſnagium in ſuis Exercitationibus in Baronium, Antonium Vandale in ſingulari Diſſertatione de hoc argumento in calce Tractatus de Oraculis, Editionis ſecundæ, quod mihi ſcriptum, magno forum adjumento, videre non contigit; D. Tanaquillum Fabrum *l. 2. Ep.* 10. Caſaubonum *Exercit. in Baron.* 16. n. 154. Ouvenum *l. 3. Theolog.* n. 4. Iſaacium Voſſium de *Oraculis Sibyllinis* c. 11. Le Muine *Varia Sacra* pag. 146. D. Fabricium *Not. in Acta Pilati* pag. 214. &c. & 972. *Cod. Apocryph. N. T.*

COMMEN-

COMMENTARIUM LITTERALE IN ACTA APOSTOLORUM.

CAPUT PRIMUM.

Sancti Lucæ proœmium in Acta. JESU CHRISTI Aſcenſio. Reditus Apoſtolorum in Jeruſalem. Sancti Matthiæ in Judæ locum electio.

1. PRimum quidem ſermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jeſus
facere, & docere, 2 Uſque in diem, qua præcipiens Apoſtolis per Spi-
ritum ſanctum, quos elegit, aſſumptus eſt: 3 Quibus & præbuit ſeipſum
vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens
eis, & loquens de regno Dei. 4 Et conveſcens, præcepit eis ab Jeroſolymis ne
diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis (inquit) per os
meum: 5 Quia Joannes quidem baptizavir aqua, vos autem baptizabimini Spiri-
tu ſancto non poſt multos hos dies. 6 Igitur qui convenerant, interrogabant eum
dicentes: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael. 7 Dixit autem eis:
Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate:
8 Sed accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi te-
ſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ. 9
Et cum hæc dixiſſet, videntibus illis, elevatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab o-
culis eorum. 10 Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri aſti-
terunt juxta illos in veſtibus albis, 11 Qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis
aſpicientes in cœlum? hic Jeſus, qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet,
quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. 12 Tunc reverſi ſunt Jeroſolymam,
a monte, qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem, ſabbati habens iter. 13
Et cum introiſſent in cœnaculum, aſcenderunt, ubi manebant Petrus, & Joannes,
Jacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Jaco-
bus Alphæi, & Simon Zelotes, & Judas Jacobi. 14 Hi omnes erant perſeveran-
tes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jeſu, & fratribus e-
jus. 15 In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit (erat autem tur-
ba hominum ſimul, fere centum viginti.) 16 Viri fratres, oportet impleri Scri-
pturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eo-
rum, qui comprehenderunt Jeſum: 17 Qui connumeratus erat in vobis, & ſor-
titus eſt ſortem miniſterii hujus. 18 Et hic quidem poſſedit agrum de mercede
iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius: & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus. 19
Et notum factum eſt omnibus habitantibus Jeruſalem, ita ut appellaretur ager ille,
lingua eorum, Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis. 20 Scriptum eſt enim in li-
bro Pſalmorum: Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit, qui inhabitet in ea:

& epiſcopatum ejus accipiat alter. 21 Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum
ſunt congregati in omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos Dominus Je-
ſus, 22 Incipiens a baptiſmate Joannis uſque in diem, qua aſſumptus eſt a no-
bis, teſtem reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis. 23 Et ſtatuerunt
duos, Joſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Juſtus, & Matthiam.
24 Et orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem
elegeris ex his duobus unum, 25 Accipere locum miniſterii hujus, & apoſtola-
tus, de quo prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum. 26 Et dederunt
ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim
Apoſtolis.

℣. 1. PRIMUM QUIDEM.] Librum, vel opus meum, quod eſt Evangelium meum, inſtitui, narrans ea, quæ Jeſus Chriſtus fecit, & docuit. S. Lucas plurimas attulit de pueritia, & vita Jeſu Chriſti circumſtantias, quas Evangeliſtæ alii ne attigerunt quidem, & docuit nos, non de iis ſolum, quæ Salvator fecerat, verum de iis etiam, quæ docuerat. Duo hæc verba *facere*, & *docere* totum Evangelii compendium amplectuntur. Hic vero nobis tradit *Acta Apoſtolorum*, hoc eſt, hiſtoriam eorum itineris, atque prædicationis. In operis hujus exordio loquitur de omnibus Apoſtolis generatim, & de iis, quæ Jeroſolymæ acciderunt, antequam alii alio concederent. Præſertim vero adnititur primum S. Petri facta deſcribere; ſed cum mox de S. Paulo narrationem habere inſtituerit, de uno illo ferme verba facere proſequitur poſt caput 12.

Liber hic Theophylo inſcribitur, quod plures [1] nomen commune, & appellativum eſſe arbitrati ſunt. *Theophylus* ſignificat *amicum Dei*, vel eum, *qui amat Deum*; perinde ac S. Lucas univerſum opus ſuum omnibus Fidelibus, qui fide, & charitate repleti ſunt, dedicare voluiſſet. Sed Vulgatior, & probarior ſententia [2] Theophylum hunc illuſtrem eſſe putat & nativitate, & munere virum, cui S. Lucas Evangelium ſuum, atque Apoſtolorum Acta dicavit. Epithetum *optimi* [3], Græce *Cratiſte*, quod illi tribuit initio Evangelii, ſatis oſtendit, ſpectatiſſimum illum in populo virum fuiſſe. Credunt alii eum fuiſſe Antiochenum, & S. Lucæ concivem, qui cum Luca, vel Paulo prædicante ad fidem converſus fuiſſet, ex Evangeliſta petiit, ut hiſtoriam ſibi contexeret eorum omnium, quæ de Jeſu Chriſti, atque Apoſtolorum vita didicerat. Grotius illum ex Achaja fuiſſe arbitratur: ferunt enim, eo in loco S. Lucam duo hæc, quæ ſuperſunt opera, fuiſſe elucubratum. Sanctius in Acta hic credere mavult, hunc eſſe Theophylum Antiochiæ commorantem, de quo ſermo eſt in Recognitionibus Clement. l. 10. c. ult. qui cum a S. Petro ad fidem fuiſſet evocatus, domum ſuam tradidit in Eccleſiam conſecrandam, atque putat, ibi S. Petrum Antiochenam Cathedram ſuam conſtituiſſe. Oecumenius putat, Theophylum fuiſſe Urbis Præfectum, vel Provinciæ, cujus erat, Præſidem.

℣. 2. USQUE IN DIEM, QUA PRÆCIPIENS APOSTOLIS PER SPIRITUM SANCTUM, QUOS ELEGIT, ASSUMPTUS EST.] Ab initio uſque in diem, qua in Cœlum aſcendit, cum per Spiritum ſanctum erudiiſſet Apoſtolos, quos elegerat. Vel ab initio uſque in diem, qua in Cœlum evectus eſt; poſtquam mandata ſua tradidiſſet Apoſtolis, quos elegerat per Spiritum ſanctum [4]. Poſterior hæc verſio Græco [5] eſt magis conformis. Denique verti poteſt: aſcendit in Cœlum, *poſtquam dediſſet mandata ſua ad Spiritum Sanctum ſpectantia*, hoc eſt, poſtquam illis præcepiſſet, ut Spiritum ſanctum præſtolarentur [6], quem ad eos erat miſſurus; *ad eos, quos ipſe ſibi Apoſtolos elegerat*. Omnes hæ verſiones merito ſuo non carent. Dei Filius Apoſtolos per Spiritum ſanctum edocuit; illos per Spiritum ſanctum elegit, illis Spiritum ſanctum promiſit, illis, ut Spiritum Sanctum præſtolarentur, præcepit. Denique ad Cœlum aſcendit, cum juſſiſſet, illos Evangelium in omnem terram prædicare [7], & populos baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quod illi poſt Spiritus Sancti deſcenſum erant adimpleturi.

℣. 3. QUIBUS ET PRÆBUIT SEIPSUM VIVUM.] Hæc eſt anacephalæoſis eorum, quæ in Evangelio ſuo dixerat de variis Jeſu Chriſti poſt ſuam Reſurrectionem apparitionibus. Quadraginta diebus cum illis permanſit, per intervalla ſubinde ſe ſe illis oſtendens, eoſque erudiens, quid facto opus eſſet ad Eccleſiam inſtituendam: *loquens de Regno Dei*. Tunc illis oſtendit fallaces ideas, quas cum reliquis Judæorum, & ipſi conceperant de temporali Meſſiæ Regno; Regnum Dei omnino eſſe ſpirituale, & Jeſum Chriſtum in terris nonniſi in Eccleſiam ſuam, & in fidelium ſuorum corda per fidem, & charitatem regnaturum. Cæterum ſe illis in Cœlo præparaturum æternum Regnum, gloriam, atque beatitudinem toto Cœlo meliorem iis omnibus, quæ vel magnifica, vel jucunda Mundus poteſt offerre.

℣. 4. ET CONVESCENS PRÆCEPIT EIS, AB JEROSOLYMIS NE DISCEDERENT.] Sed ibi Spiritum Sanctum opperirentur. Græci quidam Mſſ. legunt [8]: *vivens*, vel *converſans* cum illis. Sed prior lectio præferenda eſt. Salvator cum ſæpius Apoſtolis ſuis apparuiſſet, cum illis manducavit, & bibit; ſed die eadem, qua ad Cœlum aſcendit, ſe ſe illis menſæ accumbentibus, cui & ipſe accubuit [9], oſtendit, eiſque præcepit, quod iſthic refertur; ſcilicet, ut irent Evangelium prædicaturi in univerſas terras, ſed antea Jeroſolymæ Spiritus Sancti adventum præſtolarentur. Vide 9. cap. hujus ℣.

PROMISSIONEM PATRIS.] Æternus Pater vobis Spiritum Sanctum per os meum pollicitus eſt, Joann. 14. 16. *rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*. Et Joan. 14. 26. *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*. Et Dominus apud Ezechielem 38. 25. *dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis*.

QUIA JOHANNES QUIDEM BAPTIZAVIT AQUA; VOS AUTEM BAPTIZABIMINI SPIRITU SANCTO [10].] S. Johannes Baptiſta auctor eſt baptiſmatis per aquam, quod recipientes ad pœnitentiam, & per pœnitentiam ad peccatorum veniam diſponebat. Jeſus Chriſtus Auctor

eſt

1 Origen. Ambroſ. in cap. 1. Evangel. Lucæ. Epiphan. hæreſ. 51.
2 Chryſ. Theophyl. Oecum. Euthym. hic. Toler. in Luc. 1. Bug. Eraſm. Cornel. alii.
3 Luc. 1. 3. Κράτιστε Θεόφιλε. 4 Ita Syr. Arab. Æthiop. Aug. alii plures.
5 Ἄχρι ἧς ἡμέρας ἐντειλάμενος τοῖς Ἀποστόλοις διὰ πνεύματος ἁγίου, οὓς ἐξελέξατο, ἀνελήφθη.
6 Vatabl. a Lapide. 7 Marc. 16. 15. 16. 8 Καὶ συναλιζόμενος παρήγγειλεν αὐτοῖς. Alii, συναυλιζόμενος. Ita Mſſ. plures apud Mill. hic. Auguſt. *Converſatus*, alii *converſans*. Alii *congregans*. Eraſm. Arias, Calv. 9 Marc. 16. 14. Act. 11. 41. & Luc. 24. 44.
10 Quid. Codd. Latini apud Auguſtin. *Incipietis baptizari*. Vide Auguſt. lib. 1. cap. 4. contra Felic. Manich. & Ep. olim 108. nunc 265. num. 3.

eſt Baptiſmatis Spiritus Sancti, quod recipientes ſanctificat. Johannes vos, non ſecus ac reliquos, qui ſe illi obtulerunt, baptizavit; ſed aliud habeo Baptiſma vobis conferendum, videlicet baptiſma per Spiritum Sanctum. Conſolator hic Spiritus, tamquam ignis, & luminis fluvius in vos deſcendet; & quodammodo vos inundabit; in hoc torrente, in his aquis rutilantibus, in hoc igne vivificante quodammodo ſubmergemini. Hæc explicatio, quam Patres plurimi amplectuntur [1], ſupponit, Apoſtolos nondum recepiſſe Jeſu Chriſti Baptiſma ante Pentecoſtem, & hoc Sacramentum tandem inſtitutum fuiſſe poſt Salvatoris Reſurrectionem, cum ille Apoſtolos ſuos juſſit in omnes terras proficiſci ad Evangelium prædicandum, & populos in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti [2] baptizandos.

Sed Vulgatior ſententia, quæ hodie in Eccleſia viget [3], hæc eſt; Apoſtolos, vel Jeſu Chriſti, vel confratrum ſuorum manu, in Jordane baptizatos fuiſſe [4], cum Salvator juſſit, illos incipere Sacramentum hoc adminiſtrare; & longe plurimi ad illum confluxerunt, quam qui ad Johannem Baptiſtam ſe ſe conferrent [5]. In ipſo ſuæ miſſionis initio Nicodemo [6] Sacramenti hujus neceſſitatem nunciaverat, illi dicens; nemini aditum in Dei Regnum patere, niſi per ſpiritualem regenerationem, Baptiſmum videlicet. Apoſtoli procul dubio non aliud contulerunt baptiſma, quam Jesu Christi; at fidei ne conſonum videtur, Apoſtolos aliis Baptiſmum conferentes Sacramentum hoc neglexiſſe, ut & ipſi eodem abluerentur? credine poteſt, Jesum Christum illis Corporis, Sanguiniſque ſui Sacramentum præbuiſſe, niſi antea ſacris Baptiſmi aquis fuiſſent abluti? Cum ergo Salvator ait, illos Spiritu ſancto baptizandos, innuit effuſionem, copiam, inundationem hujus Spiritus ſancti, qui tunc illos replevit, eiſque tribuit argumentum, & perfectionem gratiæ, virtutis, luminis, quo jam fuerant repleti.

℣. 6. Igitur qui convenerant.] Illi, quibus Salvator apparuerat, cum ſimul eodem Aſcenſionis die comederent [7], vel potius omnis diſcipulorum caterva, quos Dominus congregat, ut ſimul teſtes eſſent ſuæ Aſcenſionis; & qui erant numero centum, & viginti; infra ℣. 15. Hi ergo diſcipuli audacter ea eo percontati ſunt, utrum jam adeſſet dies, quo viderent reſtitutum Regnum Iſrael; nam uſque ad Pentecoſtem Apoſtoli ſemper cogitaverant futurum, ut Salvator temporale in terris imperium inſtitueret [8]; cumque ille ex mortuis reſurrexit, non dubitarunt, quominus expectationis hujus, quæ apud Judæos generalis erat, complementum, quam citius conſpicerent.

℣. 7. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta [9].] Jesus Apoſtolorum quæſtioni nequaquam directe reſpondet. A Spiritu Sancto, quem poſt decem dies erant recepturi, edocendi erant, omniſque eorum dubitatio auferenda. Sufficit ergo illi inanem coercere curioſitatem, & docere, non deeſſe res quaſdam, quarum cognitionem Pater Cœleſtis ſibi ſervatam velit; ipſum vero operæ pretium non judicare, hominibus illa aperire.

Rabbini inter ea, quæ in Dei ſecretis abſcondita ſunt, referunt tempus, quo Regnum Domus David erit reſtituendum. Hoc liquet, accidere debuiſſe Meſſiæ tempore, quod ſcimus etiam accidiſſe in Eccleſiæ inſtitutione, quæ Regnum eſt Pacis, veritatis, juſtitiæ, fidei, & charitatis. Jesus Christus eſt verus

A David, quem promiſerunt Prophetæ [10].

℣. 8. Sed accipietis virtutem &c.] Interrogationi veſtræ minime reſpondeo; ea quippe id quærit, quod Pater Cœleſtis mortalibus compertum eſſe non vult. Ideam concepiſtis Regni Iſrael prorſus oppoſitam illi, quod Deus facturus eſt. Tempus, & ratio, qua Regnum hoc reſtituetur, ſunt extra captum veſtrum. Ad vos mittam Spiritum Sanctum, qui mentem aperiet, atque ea vobis oſtendet, quæ hac in re Pater Cœleſtis vobis aperire dignabitur. Tempus Regni Filii Dei jam pervenit. Apoſtoli ipſi miniſtri eſſe debent hujus inſtitutionis per Evangelii prædicationem; ſed hoc myſterium eſt, quod Dei Filius tunc illis detegere a re non cenſuit, dicens ſolum, illos accepturos Spiritus Sancti virtutem, qui robore, zelo,

B ac lumine illos cumulabit ad ea explenda, quæ ex ipſis Pater petierit.

In Jerusalem, & in omni Judæa.] His verbis innuit vocationem Ethnicorum, & Samaritanorum ad Evangelium. Ita Salvator apud S. Matthæum 28. 18. Apoſtolos mittit, non ad Judæos ſolum, verum etiam ad omnes gentes: *euntes docete omnes gentes*; attamen ſemper a Judæis, & ovibus, quæ de Regno Iſrael erraverant, inceperunt. In Veteri ſcripto, quod S. Petro acceptum referebatur [11], Salvator Apoſtolis ſuis dixerat; *ſi quis Iſraelitarum agere volet pœnitentiam, & credere in Deum in nomine meo; ſunt illi peccata remittentur; & poſt annos duodecim in mundum ibitis, ne nemo dicere poſſit: ego non audivi.* Euſebius hæc e S. Clemente verba refert, periode ac Salvatoris

C mandatum ad Apoſtolos continerent, ne Jeroſolyma egrederentur, niſi cum duodecim ab illius Aſcenſione anni fuiſſent elapſi. Dici nequit hoc ab illis ſedulo obſervatum fuiſſe, quemadmodum neque aſſerere licet, illos ante annum duodecimum a Judæa, & Jeruſalem diſceſſiſſe.

℣. 9. Cum hæc dixisset, videntibus illis elevatus sit.] S. Lucas in Evangelio ſuo c. 24. 51. ait, Salvatorem cum diſcipulos collegiſſet, & ad eos locutus fuiſſet, illos extra Jeruſalem adduxiſſe Bethaniam verſus ad montem Olivarum, ubi elatis manibus illis benedixit, & benedicens in Cœlum aſcendit, eoque ex oculis eorum evanuit. Ad Cœlum autem non Angelorum miniſterio aſſumptus, ſed propria virtute aſcendit; atque illuc aſcendit ſenſibili ratione, & ſuc-

D ceſſivo motu, qui permiſit Apoſtolis, ut illum abeuntem oculis ſequerentur; donec nitenti nube exceptum illum amplius videre non potuerunt. Non evanuit ergo repente, ut olim aliquibus in occaſionibus, & quemadmodum Angeli ſæpe in ſuis apparitionibus fecerant.

Ea ratio, qua S. Lucas hic loquitur, innuit, Salvatorem ad Cœlum immediate aſcendiſſe poſt ultimam Cœnam, cui cum Apoſtolis ſuis interfuit; cum enim ℣. 4. dixerit: *converſatus*, noviſſima illi tribuit mandata; mox concludit ℣. 9. *cum hæc dixiſſet, videntibus illis elevatus eſt &c.* Profecto vetus eſt Eccleſiæ traditio, Salvatorem ad Cœlum feria quinta ſub meridiem aſcendiſſe; eamque ex S. Auguſtino S. Proſper ſent. 203. adfert. Euſebius in vita Conſtant. l. 3. c. 43.

E hoc ipſum innuit, ubi ait, Jesum Christum ſecreta diſcipulis ſuis communicaſſe myſteria in ſpecu montis Olivarum, indigitans fortaſſe ultimam cœnam, quam cum illis poſt Reſurrectionem inſtituit, & noviſſima, quæ dixit verba. Attamen ſi conferre velimus ea, quæ S. Lucas ait in Evangelio, viderentur potius illi ſimul

---

1 Vide Tertull. de Baptiſmo, cap. 11. 12. Chryſoſt. Theoph. Euthym. in Joan. Hieron. contra Luciferian.

2 Matt. 28. 18. 19. Marc. 16. 14. 15. 16.

3 Aug. Ep. olim 108. nunc 265. & alibi ſæpius. Greg. lib. 9. Regiſt. Ep. 31. Beda, hic. D. Th. 3. par. q. 66. art. 2.

4 Nullam aliam mulierem Dominus noſter baptizaſſe traditur, niſi S. Virginem; neque alium virum, præter S. Petrum: S. Petrum vero baptizaſſe Andream, Jacobum, & Joannem; & hi reliquos Apoſtolos.

5 Joan. 3. 22. & 4. 1. 2. 6 Joan. 3. 5. 7 Vide Marc. 16. 14. & ſup. Act.

8 Matt. 20. 21. Luc. 24. 21. & paſſim. 9 Gr. Χρόνους ἢ καιρούς. *Tempora, & momenta*, vel *tempora, & articulos*, ſeu *tempora, & opportunitates*, vel ſimpliciter, *tempora certe conſtituta*.

10 Iſai. 9. 7. 38. 5. 55. 3. Jerem. 23. 5. 30. 9. 33. 15. Ezech. 34. 23. 37. 24. Oſee 3. 5. Zach. 12. 8.

11 Vide Clem. Alex. lib. 6. Strom. p. 636. & Euſeb. lib. 5. c. 18. Hiſt. Eccleſ.

A ſimul Jeroſolymæ comediſſe, & a Jesu Christo extra Civitatem adducti fuiſſe, ut illis inſpectantibus ad Cœlum aſcenderet.

Interpretes quidam [a] crediderunt, hanc nubem, quæ Salvatorem obvolvit, fulgentem fuiſſe lucem ex Jesu Christi corpore emicantem, eamque in aereo viam quamdam veluti fulgidiſſimam reliquiſſe ſemitam, quæ diu ab Apoſtolis deinde conſpecta fuit. Credit Toſtatus Paradox. 5. c. 9. & 34. hanc quamdam fuiſſe Throni ſpeciem, ubi ille ſedit, vel quoddam indumenti genus, quo circumdatus fuit, ubi in aerem aſcendit. Hic enim Auctor ſupponit, Jesum Christum poſt Reſurrectionem ſuam nullis fuiſſe veſtibus indutum; ſed tectum ſimpliciter fulgenti lumine, quod glorioſum Corpus illius involvebat; ideoque nudum, atque ſimpliciter hac nube, de qua ſermo fuit, B circumdatum in Cœlum aſcendiſſe.

Sed plerique Interpretes [a] credunt, illum poſt Paſſionem ſuam, ut aurea, veſtibus indutum apparuiſſe, & ſimiliter ad Cœlum aſcendiſſe, neque indumenta ſua reliquiſſe, niſi cum lucidam nubem ingreſſus eſt. Non deſunt, qui candidam, vel qui purpuream veſtem eidem tribuant; ſed cuinam hujuſmodi res exploratæ ſunt?

℣. 10. Duo viri in vestibus albis.] Duo Angeli ſub humana ſpecie, & candentibus induti veſtibus in Monte apparuerunt, & eo in loco ubi Salvator in Cœlum aſcenderat. Angeli plerumque candidis, nitidiſque veſtibus apparent ornati.

Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Coelum.] Veniet noviſſimo die eodem in C Corpore, eademque cum Majeſtate, viventes ſimul, & mortuos judicaturus. Hoc non ſemel in Evangelio promiſerat [3] etiam dum loqueretur de ultione a ſe in Jeroſolymæ urbem exercenda. Veteres complures [4] crediderant, Dei Filium in Monte Olivarum apparituturum ad mortales omnes judicandos; atque omnes populos ad judicium congregandos eſſe ad Montis ejuſdem radices in valle Joſaphat. Chaldæus etiam in Cantica ait Iſraelitas in Monte Olivarum reſuſcitandos.

℣. 12. A monte Oliveti.] In S. Lucæ Evangelio c. 24. 50. aperte dicitur Salvator deduxiſſe Bethaniam diſcipulos ſuos, atque illinc ad Cœlum aſcendiſſe; *eduxit eos foras in Bethaniam, & receſſit ab eis.* Creditur autem illos primum Bethaniam adduxiſſe, ut Lazaro, Marthæ, ac Mariæ ultimum vale diceret, D eoſque ſecum Aſcenſionis ſuæ teſtes haberet; cumque ad Montem Olivarum aſcendiſſet, ad cujus radices, vel in cujus proclivi erat Bethania, illis benedixiſſe, atque ſpectantibus ipſis in Cœlum ſublatum fuiſſe [5]. Neceſſario hæc ſunt admittenda, ut S. Lucas cum S. Johanne concilientur. S. Lucas ait, illos rediiſſe de Monte Olivarum, qui Jeroſolymis non longius aberat, quam tantum itineris, quantum Sabbatho ingredi fas eſt; hoc eſt ſeptem, vel ad ſummum octo ſtadia, vel mille paſſuum; & S. Johannes aperte docet, Bethaniam quindecim ſtadiis, vel duobus circiter paſſuum millibus Jeroſolymis abeſſe [6]. Joſephus Hiſtoricus Antiq. l. 20. c. 6. ait, Montem hunc ab ea Civitate quinque ſtadiis remotum eſſe, vel ſexcentis, & viginti quinque paſſibus. Denique locus, ubi Salvator noſter in Cœ- E lum aſcendit, indigitatur in cacumine Montis Olivarum, qui Jeroſolymæ propior erat, quam Bethania. Igitur Jesus Christus ubi ad Cœlum aſcendere voluit, & Jeroſolymæ acceſſit, & a Bethania receſſit.

Euſebius in vita Conſtant. l. 3. c. 41. rem tamquam A teſtatiſſimam narrat, Salvatorem de ſummo Montis Olivarum vertice ad Cœlum aſcendiſſe. Sulpitius Severus l. 2. c. 48. hiſt. Eccl. & S. Paulinus Epiſt. 11. non ſecus ac Auctor de Nominibus Locorum, quorum mentio fit in Actis [7], aſſerunt, pedum Jesu Christi veſtigia impreſſa fuiſſe eo in loco, unde ad Cœlum aſcendit, & teſtis eſt S. Auguſtinus in Joan. hom. 47. ævo illius complurimos eo confluxiſſe, ut ſacra veſtigia, ubi ille ad Cœlum aſcenderat, venerarentur. Hoc ipſum de ævo quoque ſuo, octavo ſcilicet ſæculo, Beda teſtatur. Conſtantino imperante Helena Auguſta Mater illius Eccleſiam ædificari juſſit eodem in loco, unde Salvator ad Cœlum fuerat ſublatus. Sed Euſebius loco cit. c. 43. narrat numquam pavimento ſterni potuiſſe eum locum, ubi ſacra illa veſtigia erant impreſſa, rejiciente ſolo marmor, quod cæmentarii arte illic inſe- B rebatur. Auctor de nominibus Locorum in Actis, de quo jam verba fecimus, ait, neque fornicem concludi potuiſſe, neque Templum ibidem tegi, itaut deinceps ſemper detectum apparuerit, & licet quocumque deferretur terra, & pulvis Sancti illius Loci, ubi Salvatoris pedes ſteterant, & ubi ſua veſtigia reliquerat, ait, eorum formam numquam excidiſſe, & locum ſemper in ſtatu eodem manſiſſe [8].

Quadrageſima poſt Reſurrectionem die Salvator ad Cœlum aſcendit. Credidit S. Chryſoſtomus in Acta hom. 3. illum Sabbatho in Cœlum rediiſſe, at Eccleſiæ traditio, & praxis eam feſtivitatem feria quinta conſtituit, idque jampridem; namque Apoſtolicæ Conſtitutiones l. 5. c. 19. ut ea die celebretur, præci- C piunt. S. Auguſtinus plurimis in locis de eadem loquitur tamquam feſtivitate, quæ generatim in Eccleſia quadrageſima poſt Reſurrectionem Dominicam die ſervabatur.

Sabbathi habens iter.] Judæi ſibi licere minime putant Sabbatho longum iter ſuſcipere, quare Dominus verba faciens de noviſſimo Jeroſolymæ excidio, diſcipulis ſuis ait Matth. 24. 20. *orate ut non fiat fuga veſtra in hyeme vel Sabbatho.* Judæi iter, quod ea die perfici poſſit, putarunt eſſe duo cubitorum millia, cum Joſue hoc intervallum obſervari voluit inter arcam, & populum, cum Jordanes fuit traducendus [9]. At duo hæc cubitorum millia, ſi ſerius ad calculos referantur, & in ſingulos cubitos quatuor, & viginti digiti cenſeantur, efficiant Pariſienſis menſuræ quingen- D tas ſexaginta novem exapedas, pedem unum, uncias octo $\frac{48}{87}$ vel juxta Judæorum recenſionem paſſus mille.

S. Hieronymi ævo illi hoc ſpatium eſſe dicebant duum mille pedum [10]. Syrus iſthic ſeptem adfert ſtadia pro via, quæ Sabbatho ſuſcipi poteſt; Æthiops vero *hominis curſum*. Septem ſtadia non explent unum milliare, quæ communis eſt menſura ab Rabbinis conſtituta [11]; ad milliare vero explendum octo ſtadia requiruntur. Credunt nonnulli, Hebraica ſtadia eſſe majora, quam ſtadia Græcorum, centum & viginti quinque paſſus continentia. Sed hæc ſententia non ſatis probatur.

Evangeliſta fortaſſe non preſſius, ſed circiter innuere voluit iter, quod Sabbatho liceret abſolvi. Vulgo quidem iter illud erat paſſuum mille: ſed non ita di- E ligenter iſtud obſervari poterat, ut vel amplius aliquid vel minus itineris ſuſciperetur. Mons Olivarum, Joſepho teſte, quinque ſtadiis, vel juxta eumdem Auctorem alio in libro [12], ſtadiis ſex Jeroſolymis aberat. Hoc vero intervallum ille a Montis radicibus ad Urbis mœnia metiebatur, & S. Lucas illud menſus eſt a Montis

---

1 Cajet. hic. Medina 3. part. qu. 58. art. 4. 2 Vide Cornel. a Lapide hic. 3 Matth. 24. 30. 26. 64. Marc. 13. 26. 1. Theſſ. 4. 18. &c. 4 Vide S. Hieronymum in Joel. 3. 2. Chald. in Joel. 3. 2. & alios, & Grotium in hunc locum. S. Hilarius in S. Matth. 24. 32. id Jeroſolymæ, vel in Calvario futurum. 5 Vide Sanct. & Cornel. hic. 6 Joan. 11. 18.

7 Author. Locor. in Actis, t. 3. Oper. Antiqu. edit. Oper. S. Hieronym.

8 Vide Hieron. ſeu alium Author. Locorum in Actis. 9 Joſue 3. 4. *Sit inter vos & arcam ſpatium cubitorum duum millium.* 10 Hieron. ad Algaſiam. *Rabbini, inquiunt, Akiba, & Simeon, & Hillel magiſtri noſtri tradiderunt nobis, ut bis mille pedes ambulemus in Sabbatho.*

11 Ita Rabb. Baal Aruch, ita & Origen. Suid. Oecumen. Beda, Lyr. Toler. Salmer. Ribera, alii. Vide Sanct. hic. 12 Joſeph. Antiq. lib. 20. c. 6. ſed Chryſoſt. & Theophyl. hic. legunt: Ἑπτὰ, *ſeptem*, pro πέντε, *quinque*; & Joſeph. lib. 6. de Bello, cap. 6. ſeu lib. 5. c. 2. *ſex ſtadia.*

tis ejuſdem, ubi Jeſus ad Cœlum aſcendit vertice ad Urbem uſque, atque ita omnia facili ratione conciliantur.

Interpretes complures [1] crediderant, hoc iter non ita ad mille paſſus fuiſſe coarctatum, ut ulterius paulumper progredi minime liceret. Lyranus, & Dionyſius Carthuſianus credunt, ad dimidium leucæ iter poſſe protendi; Toſtatus ad duo paſſuum millia; millia quidem eunti, ac totidem redeunti: Cajetanus denique ad duodecim ſtadia, paſſus videlicet quadringentos. Hoc tandem certum eſt, communem Sabbathici itineris menſuram fuiſſe paſſuum mille, vel circiter, & nos vulgo in ſingulas leucas tria paſſuum millia recenſemus. Sic iter, quod Sabbatho abſolvi poterat, triens erat leucæ. Sanctius animadvertit, S. Epiphanium hæreſ. 80. ſtatuere locum precum Sichemitarum, qui Samaritani erant, ac diligentiſſimi Sabbathicæ quietis obſervatores, altero circiter a Sichem lapide. At ad ea delubra extra Civitates ſita Sabbatho ire poterant, quemadmodum Philo in vita Moſis l. 3. teſtatur: ad poterant ergo Sabbatho progredi duo paſſuum millia eundo, ac totidem redeundo.

Cum S. Paulus Philippis [2] eſſet in Macedonia, de ea civitate egreſſus eſt Sabbatho, & profectus eſt ad orationis locum, qui ſecus flumen poſitus erat. Origenes l. 4. c. 2. Periarchon duo ulnarum millia Sabbathico itineri concedit. Rabbini docent [3], Moyſis ævo licuiſſe Sabbatho duodecim paſſuum millia abſolvi, at deinceps a Sapientibus duo cubitorum millia pro ejus diei itinere conſtituta fuiſſe. Licet in Civitate, quantacumque ſit, quantam voluerint circuire; at non licet ex eadem egredientes ultra duo cubitorum millia, paſſus videlicet mille, procedere. Ajunt etiam ſi quis in agris eſſet, & ea in loco, cujus diſtantia non ſatis eſſet comperta, licere Sabbatho ad duo communium, vel mediocrium paſſuum millia iter extendere.

℣. 13. ASCENDERUNT IN COENACULUM.] Ajunt [4] in ſuperiori domus parte Cœnacula fuiſſe, tamquam domeſtica cujuſlibet domus ſacella, ubi congregabantur, ut legem perlegerent, atque de rebus ad religionem ſpectantibus ſermonem haberent. Cœnaculum illud, quo convenerunt Apoſtoli, eſt tamquam Eccleſiæ Chriſtianæ incunabula, quæ mox in univerſum terrarum orbem tanto fulgore, & celeritate ſe effudit. Ita conſuevit Omnipotens ſublimia exequi conſilia. Infirmis utitur inſtrumentis, & quæ per ſe paria non ſunt, at inde felix conſequatur eventus; ne ſibi vendicent gloriam homines, ſed illam Deo referant acceptam.

Quærunt, cujuſnam eſſet ea domus, quo Apoſtoli, & Diſcipuli convenerunt. Credunt alii [5] S. Johannis Evangeliſtæ fuiſſe; alii [6] Simonis Leproſi, vel Joſephi ab Arimathæa [7], vel Nicodemi, vel Mariæ Matris Johannis, qui Marcus [8] appellabatur; quæ noviſſima ſententia probatior eſt, licet ſatis incerta. Hoc ſolum liquet, S. Petrum de carcere ereptum ſe contuliſſe in domum Matris Johannis Marci, ubi reliqui Apoſtoli erant congregati Act. 12. 11.

Domus, ubi Apoſtoli expectaverant, atque Spiritum S. receperant, deinde in Eccleſiam immutata fuit, quæ compluribus ſæculis ſubſtitit. S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 16. illam ſublimem Eccleſiam, vel Eccleſiam Apoſtolorum appellat. In Monte Sion [9] erat poſita, & illic S. Stephanus ſacris initiatus fuiſſe dicebatur [10]. Ibi quarto ſæculo aderat columna, cui ferebant, JESUM CHRISTUM, dum flagellis cæderetur, alligatum fuiſſe [11]. Credit S. Epiphanius [12], eam domum evaſiſſe excidio Jeroſolymæ a Romanis everſæ; at vero ſimilius eſt, eam noviſſima obſidione dirutam, mox in antiquis fundamentis e ruderibus excitatam fuiſſe.

UBI ERANT CONGREGATI, PETRUS &c.] Petrus ſemper prior memoratur, quippe qui a JESU CHRISTO deſignatus fuerat viſibile caput Eccleſiæ ſuæ [13]. Ille inferius loqui incipit, atque proponit, ut in locum Judæ proditoris duodecimus cooptetur Apoſtolus [14].

℣. 14. ERANT PERSEVERANTES UNANIMITER [15].] Oratio, unio, perſeverantia. Eæ ſunt diſpoſitiones, quibus Apoſtoli Spiritui Sancto recipiendo ſeſe pares tribuunt. Mulieres, quæ cum Apoſtolis erant, & quæ teſtes fuerant Dominicæ Aſcenſionis, ſunt primum quidem SS. Virgo, & deinde aliæ Sanctæ Mulieres, quæ ſemper JESUM CHRISTUM in itineribus fuerant ſubſecutæ, & fortaſſe etiam Maria, & Martha, quæ prope Jeruſalem habitabant.

Quod iſthic aſſeritur, innuit, Apoſtolos, Sanctaſque Mulieres ſimul clauſas in domo permanſiſſe, quin egrederentur: *erant perſeverantes unanimiter in oratione*; veriti fortaſſe [16] perſecutionem Judæorum, qui contra JESU CHRISTI Diſcipulos erant ſucceuſi. Attamen S. Lucas in Evangelio cap. 24. 52. ait, illos, cum poſt Aſcenſionem Jeroſolymam rediiſſent, jugiter in Templo fuiſſe Deum laudantes, & benedicentes [17]. Varietatem hanc conciliare adniſi ſumus in Commentariis in S. Lucam; & reor, Evangeliſtam allato in loco deſcribere voluiſſe exercitia primorum fidelium, qui recens fide fuerant initiati eo tempore, quod Spiritus Sancti deſcenſum ſubſecutum eſt.

℣. 15. IN DIEBUS ILLIS EXURGENS PETRUS.] Eo temporis intervallo, quod inter Domini Aſcenſionem, & Pentecoſtem effluxit. Petrus tamquam Apoſtolici Collegii caput ad id animum appulit, ut in proditoris Judæ locum ſucceſſor eligeretur: recordatus verbi, quod ſibi Salvator dixerat, lapſum eidem portendens [18]: *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos*.

ERAT AUTEM TURBA HOMINUM FERE CENTUM VIGINTI.] Græcus legit [19]: *Erant autem, & viginti ſimiliter nomina*. Et quædam Latina Exemplaria ſimiliter legunt [20]: *Turba nominum*, pro *turba hominum*. quæ loquendi ratio in Græco textu infrequens non eſt [21]. Pauca nomina vel plura nomina pro pluribus, vel paucis hominibus dicuntur. In Scripturis Dei nomen paſſim pro Deo uſurpatur. Credere in nomen, prædicare in nomine, baptizare in nomine JESU CHRISTI, ſignificat, in illum credere, Evangelium illius prædicare, ejuſque baptiſmate baptizare.

Numerus hominum centum, & viginti erat plane virorum ſolum, non & mulierum, quæ vulgo in recenſionibus minime afferebantur. Erant autem undecim Apoſtoli, & Diſcipuli duo & ſeptuaginta, ac præterea alii quidam, qui jampridem JESUM CHRISTUM ſequi, & diligere incœperant. Ea autem in domo illi tantum verſabantur fortaſſe, qui advenæ erant; qui enim domicilium Jeroſolymæ habebant, domi ſuæ permanerent, ibique in familia ſua eadem, ac Apoſtoli

in

[1] Salmeron. Arias Montan. Vatab. hic. Maldonat. in Matth. 21. [2] Act. 16. 12. 13.
[3] Vide Seldenum de jure Nat. & Gen. lib. 3. cap. 9. ubi totam hanc rem fuſe diſcutit.
[4] Vide Vitring. lib. 1. parte 2. cap. 6. [5] Nicephor. lib. 1. hiſt. cap. 28.
[6] Theophylact. in Matth. 26. [7] Euthym. in Matth. 26.
[8] Ita Baron. Cornel. a Lapide hic. Alexander in vita S. Barnabæ apud Sur. 11. Jun.
[9] Hieronym. Epiſt. 27. [10] Luci. de Sancto Stephano cap. 5.
[11] Hieronym. Epiſt. 27. [12] Epiphan. de Ponder. & Menſur. cap. 14.
[13] Chryſoſtom. Oecumen. Theophylact. Grot. Cornel. a Lapide, alii paſſim. [14] Infra verſ. 15. 16.
[15] Vetus Mſ. Gr. L. Cantabrigenſ. legit. Τῶν γυναιξὶ καὶ τέκνοις. *Cum ſuis uxoribus, & liberis.*
[16] Auguſt. ſerm. olim 267. [17] Vide Theophylact. & Janſen. &c. in Luc. Fromond. in Acta.
[18] Luc. 22. 32. Vide S. Chryſoſtomum, Oecumen. & alii.
[19] Ἦν δὲ ὄχλος ὀνομάτων ἐπὶ τὸ αὐτό, &c. [20] Vide Brug. hic. [21] Apoc. 3. 4. *Habes pauca nomina in Sardis*. Et. 11. 13. *Occiſa ſunt in terra motu nomina hominum ſeptem millia*. Num. 1. 2. 18. &c. Æſchin. Τὸ Θεσσαλῶν ὄνομα. Ovid Amor. lib. 2. El. 1. *Heroum claræ valent nomina*. Stat. Theb. lib. 6. *Fidiſſima Phœbi nomina*. Caſtalio vertit, *Turba capitum*, &c.

in Cœnaculo exercitia peragere poterant.

℣. 16. Qui fuit dux [1].] Ille in horto Olivarum ſatellites ad Jeſum capiendum deduxit, & hunc oſculo deſignavit, ut ab illis caperetur.

℣. 17. Sortitus eſt ſortem miniſterii hujus.] Hoc eſt, vocatus fuit ad Apoſtolatus miniſterium. Vulgata quidam ad litteram authographum reddidit [2]; at non inde diceris, Apoſtolatum gratiam fortuito collatam fuiſſe: ſed ſortis nomen pro eo uſurpatur, quod ex mera Domini largitate contingit [3]. Apoſtoli non ex propriis meritis, neque ex priorum officiorum remuneratione, ſed ex mera Domini miſericordia ad Apoſtolatum vocati fuerant. Generatim ſors deſignare poteſt, quidquid alicui accidit, quomodocumque accidat, quemadmodum vulgo dicimus, ſorte ſua eſſe contentum, de alicujus ſorte conqueri, ſorti alicujus invidere &c.

℣. 18. Poſſedit agrum de mercede iniquitatis.] Judas minime hunc agrum emit, ſed illi emendo pretium erogavit. Cum enim vidiſſet Magiſtrum ſuum morte damnari, retulit argenteos triginta, quos in proditionis pretium acceperat, quibus deinde in alienigenarum ſepulturam ager fuit comparatus [4]. Sæpe id facere dicimur, quod ex noſtra actione proficiſcitur; licet eventus non ſemper in mente noſtra primum verſetur. Ita dicimus; ille mortem ſibi quæſivit, hanc ſibi calamitatem comparavit; caro emit pretio pœnitentiam &c.

Et ſuſpenſus crepuit medius.] In hunc textum plurima affertur ſententiarum varietas, quas in S. Matthæum 27. 5. ad trutinam revocavimus. Ea vero probatior videtur; Proditorem hunc cum deſperationis actus ſe ſe laqueo ſuſpendiſſet, in ſterquilinium fuiſſe projectum juxta eam conſuetudinem, de qua verba facit Joſephus l. 3. cap. 25. de Bello, & quæ percrebuerat, ut inſepulti abjicerentur, qui ſibimet necem conſciverant; Judam vero eo in ſtatu computruiſſe, vel a canibus diſcerptum fuiſſe, vel medium crepuiſſe, atque viſcera illius in terram effuſa jacuiſſe [5].

℣. 19. Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis.] Vel hæreditas ſanguinis. Hæc vox *Hakel Dama* Syriaca eſt [6], non Hebraica. In Judæa Hebraicus ſermo purus putus non vigebat amplius. Docet S. Matthæus, agrum figuli [7] emptum fuiſſe, ut publicum fieret alienigenis ſepulchretum. Antiquitus apud Hebræos quælibet familia ſepulchrum habebat, univerſæ cognationi commune. Quilibet pro ſepulchro ſuo locum eligebat in agro, monte, vel horto.

Attamen in 4. Regum 23. legimus, Joſiam ſuccendiſſe Idolum Deæ Nemorum, ejuſque cineres in plebeculæ ſepulchreis conjeciſſe: *projecit ſupra ſepulchra vulgi*. Hic locus erat ſecus torrentem Cedron, & in valle Hennon, vel Tophet. Eadem in valle ad meridiem Jeruſalem emptus eſt ager pro ſepulchro alienigenarum, fortaſſe prope vetus populi cœmeterium. Videtur Sanctius credere, hunc vocatum fuiſſe *agrum figuli*, quod prope eſſet *portam fictilem*, de qua ſermo eſt in Jeremia 19. 2. vel quod ibi projiciebantur teſtæ vaſorum fractorum in urbe. Vocatus vero fuit ager Sanguinis, quod emptus fuerat pretio Sanguinis Jesu Christi, quem Judas vendiderat, atque prodiderat, E Matth. 23. 5.

℣. 20. Fiat commoratio eorum deſerta.] Hæc maledictio eſt contra Domini inimicos prolata. Minitabatur Jesus Christus futurum, ut Judæorum domus deſerta permaneret: *ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*; loquebatur autem de Templo, quod vaſtandum erat, & diruendum. S. Petrus locum eundem transfert ad Judam, qui deſperatione ad ſuſpen- A dium adactus in Apoſtolorum collegio ſedem vacuam reliquerat, ab alio replendam.

Et Epiſcopatum ejus accipiat alter.] Apoſtolatus ſublime munus eſt, quod multum vigilantiæ, atque attentionis efflagitat. Hoc ille deſignat nomine *Epiſcopatus*, quod fluit ex Græca voce *Epiſcopi* [8], quæ eamdem habet ſignificationem, ac vox Hebraica *Pekeudah*, quæ ſignificat curam, & vigilantiam Imperatoris in exercitum, Principis in populum, Paſtoris in gregem ſuum, & generatim cujuſque, cui aliquod magni momenti Provincia demandata eſt. Operæ pretium eſt animadvertere, S. Petrum iſthic plurimos locos Scripturarum congerere, & ex iiſdem unam quodammodo auctoritatum catenam conficere. Sacri Authores ſæpius in Novo Teſtamento ſimiliter facere conſueve- B runt. Hæc citandi ratio vehementior eſt, ac majorem vim obtinet. Biblia univerſa unius Auctoris opus eſt opus, Spiritus Sancti.

℣. 21. In omni tempore cum intravit, et exivit inter nos Dominus Jesus.] Hebræi per hæc verba *intrare, & exire* omnes vitæ actiones intelligunt: *non poſſum ultra egredi, & ingredi*, ajebat Moyſes Deuter. 31. 2. loquens ad Iſraelitas: non poſſum amplius vos regere, & vobis præeſſe. Et Salomon 2. Par. 1. 10. *da mihi ſapientiam, & intelligentiam, ut ingrediar, & egrediar coram populo tuo*, ut illi præſim, eumque regam, tamquam ejuſdem Rex, & Paſtor.

℣. 22. Incipiens a Baptiſmate Johannis.] Inde incœpit Jesu Christi miniſterium, & miſſionis ejuſdem exercitatio. Apoſtolus debet eſſe teſtis vitæ C Jesu Christi, & præſertim Reſurrectionis ejuſdem: *teſtem Reſurrectionis ejus fieri nobiſcum*. Debet ille refertus eſſe præceptis doctrinæ illius, miraculorum ejuſdem intuitu confirmatus, & paratus rationi reddendæ eorum omnium, quæ ex ipſo peti poſſent, de Magiſtri ſui perſona, vita, doctrina; paratus etiam ſanguini, & vitæ effundendæ, ut veritates, quas prædicat, tueatur. Iſthic de Reſurrectione tantum loquitur: *teſtem Reſurrectionis*, quippe hoc miraculum cætera quodammodo complectebatur, & præ cæteris magis erat difficile, quod crederetur. Hoc Salvator ſignaverat vitam, & prædicationem ſuam, eratque omnium prophetiarum complementum.

℣. 23. Statuerunt [9] duos, Joſeph, et Matthiam.] S. Petrus ſimul cum aliis Apoſtolis ex nu- D mero centum, & viginti diſcipulorum, qui erant in cœtu, duos elegit homines, qui præ cæteris aptiſſimi viſi ſunt, qui Judæ locum replerent, & mox ne quid proprio marte conſtituerent, Deum precati ſunt, ut ille oſtenderet conjectis ſortibus, uter illi magis eſſet acceptus. Hanc per ſortes conjectas electionem, in peculiari Diſſertatione fuſius perſequemur.

Ii vero, qui electi fuerunt, prior quidem fuit *Joſeph*, qui *Barſabas* appellabatur, & *Juſtus*, alter vero Matthias, ſuper quem ſors cecidit.

Joſeph Barſabas in Evangelio minime cognoſcitur, licet innoteſcat ex loco, quem explicamus, illum ab initio Jesu Chriſto adhæſiſſe, poſtquam Salvator Johannis baptiſmate fuerat ablutus. Ita a fide minime alienum eſt, una cum aliis ipſum nuptiis Canæ interfuiſ- E ſe, eumque eſſe ex numero Septuaginta diſcipulorum, quemadmodum Veteres crediderunt [10]. Oportet autem, hunc, & S. Matthiam præ cæteris inter Septuaginta diſcipulos magis enituiſſe, ut ab Apoſtolis ad Judæ locum replendum eligerentur. Papias rem narrat de vita Barſabæ [11], ſcilicet illum, cum venenum potaſſet, a Jesu Chriſto ex morte ereptum fuiſſe. Chronica Alexandrina putant, Joſephum Barſabam eumdem eſſe, ac S. Juſtum, qui tertius fuit Jeroſolymitanus Epiſcopus

1 Ὁδηγὸς. *Dux viæ.* 2 Ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης.
3 Vide Epheſ. c. 1. & Coloſſ. 1. 12. & Cornel. a Lapide hic. 4 Matt. 27. 6. 7. 8.
5 Vide Gronovii Diſſertationem de Judæ proditoris nece. 6 Syr. חקל דמא Heb. חלק הדם *Poſſeſſio, pretio, ager ſanguinis.* 7 Matth. 27. 7. 8 Pſalm. 108. 8. Καὶ τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λάβοι ἕτερος.
9 Auguſtin. lib. 1. de Actis cum Felice Manich. cap. 4. *Et ſtatuit.*
10 Euſeb. lib. 1. cap. 12. hiſtor. Eccleſ. Clem. Alex. Epiph. de Chriſto, c. 4. Bede Retract. in Acta.
11 Papias apud Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 39.

piſcopus ſub annum ſaluris 107. Verum minime fidei viderur congruum, hunc Salvatoris diſcipulum eo uſque viram produxiſſe. Vetus Græco-Latinus MS. Cantabrigienſis, atque Æthiops legunt *Barnabam* pro Barſaba, & aliunde liquet, Barnabam S. Pauli ſocium, Joſe etiam, vel Joſeph [1] fuiſſe appellatum, quod conjecturam poſſet adſtruere, de eodem iſthic a S. Luca verba fieri. Sed ea, quæ de Barnaba inferius Lucas ait cap. 4. ℣. 36. oſtendunt, ipſum de eodem non antea verba feciſſe; de ipſo enim ſermonem inſtituit, quaſi illius antea non meminiſſet. Crediderunt complures, Joſeph Barſabam unum fuiſſe ex fratribus, hoc eſt, conſanguineis Domini [2], & Pſeudo-Dorotheus illum Eleutheropolitanum conſtituit Epiſcopum. S. *Juſti* nomen ſimplex agnomen eſt, & nihil, vel pro illius juſtitia, vel contra eamdem affirmat.

Matthias quoque fuit ex primis Salvatoris diſcipulis, atque inter ſeptuaginta inſignem locum obtinebat. De illo hæc ſententia adfertur [3]: *pugnandum carni ſuq inſerviendum eſt, atque prorſus ſubigenda, eidem negando, quidquid incompoſita ipſius efflagitant deſideria. E contra vero anima munienda eſt, atque confirmanda per fidem, & cognitionem.* S. Clemens Alexandrinus l. 2. Strom. aliud etiam de S. Matthiæ traditionibus citat, quod fortaſſe apocryphum erat opus, ubi legebatur: *admiramini præſentia*. Illi Pſeudo Evangelium falſo tributum fuit. S. hujus vita ex Hebraico ſermone ab duodecimi ſæculi Auctore tranſlata ait, S. Matthiam ex illuſtri fuiſſe progenie in tribu Juda, & in orbe Bethlehem, atque poſt Pentecoſtem, Palæſtinam illi contigiſſe: Ananum juniorem, cum S. Jacobum minorem Jeroſolymæ occidiſſet, imperaſſe, ut & S. Matthias com-

A prehenderetur, eumque damnaſſe, lapidibus eadem in Urbe obruendum, quod cum ſtatim adimpletum eſſet, mox illi caput abſciſſum fuit. Sed hæc vita apud eruditos viros non omnem fidem invenit [4]. Græci recentiores illum in Colchide prædicaſſe putant. S. Clemens Alexandrinus l. 4. Strom. credit, nonnullos putaſſe, S. Matthiam eumdem eſſe, ac Zachæum: ſed tempus converſionis Zachæi cum illo S. Matthiæ minime convenit. Hic enim ab initio Jeſum Chriſtum ſecutus eſt; Zachæus vero nonniſi decem, vel duodecim diebus ante Jeſu Chriſti Paſſionem converſus eſt.

℣. 25. UT ABIRET IN LOCUM SUUM.] Judas erat Filius perditionis, quemadmodum illum Jeſus Chriſtus appellat [5]. Locus perditionis [6] infernus eſt; calamitoſus hic in locum ſuum ergo abiit, in infernum B per ſcelus ſe ſe præcipitem dedit; miſſus fuit in æternæ infelicitatis locum, qui multo melior ipſum decebat, quam quem hactenus inter Apoſtolos obtinuerat [7]. Quidam [8] hoc aliter intelligunt, id ad S. Matthiam referentes: *ut abiret in locum ſuum, ſcilicet Apoſtolatum ſibi debitum*, ut poſſeſſionem adiret ejus muneris, de quo Judas deciderat, atque proditoris illius locum occuparet. Recipit quidem Græcus hunc ſenſum [9], ſed prior explicatio aptior videtur.

℣. 26. CECIDIT SORS SUPER MATTHIAM.] Plurimæ ſunt rationes ſortium conjiciendarum; quam vero in S. Matthiæ electione ſecuti fuerint, non ſatis liquet. Hoc liquet, illum per ſortes, non per hominum ſuffragia electum fuiſſe; eaque electio habita fuit tamquam certiſſima divinæ voluntatis declaratio, *& C annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.*

1 Act. 4. 36. 2 Lyr. Cornel. ex Matt. 27. 56. 3 Clem. Alex. Strom. l. 3. p. 436.
4 Vide Boll. 24. Febr. Combefis Auctuar. Tillemont. tom. 1. Vit. S. Matth.
5 Joann. 17. 12. *Nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.*
6 Apocal. 9. 11. *Regem Angelum abyſſi, cui nomen Hebraice Abaddon.*
7 Grot. Men. Cornel. Sanct. Piſc. Pric. alii paſſim. 8 Oecum. Theophylact. Iſidor. Clarius, Cnatbull. Hammon. 9 Ἀνάδειξον ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα ὃν ἐξελέξω, λαβεῖν τὸν κλῆρον, τῆς διακονίας ταύτης καὶ ἀποστολῆς, ἐξ ἧς παρέβη Ἰούδας, πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. Cod. Alex. Τὸν δίκαιον.

CAPUT II.

Deſcenſus Spiritus Sancti in Apoſtolos Pentecoſtes die. Variis linguis loquuntur, Accuſantur tamquam vini potores. Sanctus Petrus populis pœnitentiam prædicat, & JESU CHRISTI Reſurrectionem annuncias. Tria millia convertuntur.

1. ET cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco:
2 Et factus eſt repente de cœlo ſonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes. 3 Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: 4 Et
repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. 5 Erant autem in Jeruſalem habitantes Judæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt. 6 Facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque lingua ſua illos
loquentes. 7 Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt. 8 Et quomodo nos audivimus unuſquiſque
linguam noſtram, in qua nati ſumus? 9 Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, 10 Phrygiam,
& Pamphyliam, Ægyptum, & partes Lydiæ, quæ eſt circa Cyrenen, & advenæ
Romani, 11 Judæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes; audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei. 12 Stupebant autem omnes, & mirabantur
ad invicem dicentes: Quidnam vult hoc eſſe? 13 Alii autem irridentes dicebant:
Quia muſto pleni ſunt iſti. 14 Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem ſuam,

ſuam, & locutus eſt eis: Viri Judæi, & qui habitatis Jeruſalem univerſi: hoc vo-
bis notum ſit, & auribus percipite verba mea. 15 Non enim ſicut vos æſtima-
tis, hi ebrii ſunt, cum ſit hora diei tertia. 16 Sed hoc eſt, quod dictum eſt
per prophetam Joel. 17 Et erit in noviſſimis diebus (dicit Dominus) effundam
de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ:
& juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. 18 Et
quidem ſuper ſervos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spi-
ritu meo, & prophetabunt: 19 Et dabo prodigia in cœlo ſurſum, & ſigna in
terra deorſum, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi. 20 Sol convertetur in
tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manife-
ſtus. 21 Et erit: omnis quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. 22
Viri Iſraelitæ, audite verba hæc: Jeſum Nazarenum, virum approbatum a Deo in
vobis, virtutibus, & prodigiis, & ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio ve-
ſtri, ſicut & vos ſcitis: 23 Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum,
per manus iniquorum affligentes interemiſtis: 24 Quem Deus ſuſcitavit, ſolu-
tis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. 25 David
enim dicit in eum: Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam a dex-
tris eſt mihi, ne commovear: 26 Propter hoc lætatum eſt cor meum: & exul-
tavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. 27 Quoniam non derelin-
ques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. 28 No-
tas mihi feciſti vias vitæ: & replebis me jucunditate cum facie tua. 29 Viri fra-
tres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus eſt,
& ſepultus, & ſepulchrum ejus eſt apud nos uſque in hodiernum diem. 30 Pro-
pheta igitur cum eſſet, & ſciret, quia jurejurando juraſſet illi Deus de fructu lum-
bi ejus ſedere ſuper ſedem ejus: 31 Providens locutus eſt de reſurrectione Chriſti,
quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. 32 Hunc
Jeſum reſuſcitavit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus. 33 Dextera igitur Dei e-
xaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos
videtis, & auditis. 34 Non enim David aſcendit in cœlum: dixit autem ipſe:
Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, 35 Donec ponam inimicos tuos,
ſcabellum pedum tuorum. 36 Certiſſime ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia &
Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis. 37
His autem auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos
Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres? 38 Petrus vero ad illos: Pœnitentiam (in-
quit) agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſ-
ſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. 39 Vobis enim
eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus, qui longe ſunt, quoſcumque advocaverit
Dominus Deus noſter. 40 Aliis etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhorta-
batur eos, dicens: Salvamini a generatione iſta prava. 41 Qui ergo receperunt
ſermonem ejus, baptizati ſunt: & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria mil-
lia. 42 Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione
fractionis panis, & orationibus. 43 Fiebat autem omni animæ timor: multa quo-
que prodigia, & ſigna per Apoſtolos in Jeruſalem fiebant, & metus erat magnus
in univerſis. 44 Omnes etiam qui credebant, erant pariter, et habebant omnia
communia. 45 Poſſeſſiones, et ſubſtantias vendebant, et dividebant illa omni-
bus, prout cuique opus erat. 46 Quotidie quoque perdurantes unanimiter in tem-
plo, et frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione, et ſim-
plicitate cordis, 47 Collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem.
Dominus autem augebat, qui ſalvi fierent quotidie in idipſum.

℣. 1. CUM COMPLERENTUR DIES PENTECO-STES.) Pentecoſtes quinquaginta diebus poſt Paſcha celebrabatur [1]. A poſtera die 15 Niſan, quæ erat altera Paſchatis dies, quinquaginta dies enumerabantur ad feſtum Pentecoſtes inſtitutum in legis memoriam, quæ die illa in Sinai fuerat tradita [2]. Ideoque Judæi hanc *legis feſtivitatem* appellabant [3]. Salvator Mundi ſalutem die Paſchatis operatus, voluit legem ſuam, atque Spiritum Sanctum die Pentecoſtes tribuere. Quemadmo-

1 Levit. 23. 15. *Numerabitis ab altero die Sabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum ſeptem Hebdomadas plenas, uſque ad alteram diem expletionis Hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies.*

2 Exod. 19. 11.

3 שמחת תורה

admodum Judaici populi ex Ægyptia ſervitute liberatio ſymbolum erat humanæ per Jeſu Chriſti mortem liberationis; ita etiam tonitru, quod auditum fuit, & lux, quæ in monte Sinai refulſit, ubi Deus legem ſuam tradidit Iſrael, ſymbolum erat luminis, charitatis, gratiæ, quam Dei Filius Pentecoſtes die quinquageſima poſt Paſſionem ſuam in animum, & cor ſuorum Apoſtolorum effudit. Non veniebat ille, ut veterem legem everteret, at ſolum, ut illam perficeret: non igitur opus fuit, ut recentem legem irrogaret; ſed ſatis exiſtimavit, ſi reformaret abuſus, quos Doctores Judæi Moſaicæ legis interpretationi, atque obſervantiæ immiſcuerant. Cæterum mittit ad Apoſtolos ſuos Spiritum ſanctum, qui illis verum legis ſenſum aperiat, iiſque ardentiſſimum ad illam exercendam zelum infundat.

Dies Pentecoſtes non ſignificant ſeptem dies illos, quibus hæc ſolemnitas celebrabatur, non ſecus ac Paſcha; ſed dies quinquaginta, qui a Paſchate ad eum feſtum diem effluxerunt. Qui putant, Judaicum Paſcha anno Dominicæ mortis Sabbatho accidiſſe, juxta hypotheſim ſuam diem Pentecoſtes Sabbatho conſtituant, opus eſt. Verum cum Eccleſia omnibus ſæculis ſine ulla mutatione hanc feſtivitatem die Dominico celebraverit, abeunt in diverſa, mutationis hujus rationem exploraturi.

Crediderunt quidam [1], eo anno quinquaginta a Paſchate ad Pentecoſtem dies numerari incœpiſſe, non ab altera *Paſchatis* die incluſive, ſed a tertia propter Sabbathi occurſum, quod, inquiunt illi, contigit altera feſtivitatis die, quo, cum dies eſſet quietis, peragi minime potuit recentium hordei ſpicarum oblatio. Oportuit igitur in tertiam diem feſtivitatis hanc cæremoniam differri, atque inde quinquaginta Pentecoſtes dies enumerari. At certum eſt, Sabbathum neque meſſem, neque recentium ſpicarum oblationem, juxta Rabbinorum, atque meliorum Interpretum ſententiam unquam prohibuiſſe. Cum igitur hoc fundamentum careat ſoliditate, reliquum ædificium ex ſemet corruat, neceſſe eſt.

Voluerunt alii [2], Pentecoſtem, de qua iſthic S. Lucas verba facit, vel quinquageſimam poſt Paſcha diem, recenſeri non ex altera Judaici Paſchatis die, ſed ex ipſa die Paſchatis Chriſtiani, hoc eſt, ex die Reſurrectionis Domini, qui, quemadmodum liquet, die Dominica reſurrexit. Verum hæc ſententia nullam habet veritatis ſpeciem. Feſtivitates Paſchatis, & Pentecoſtes apud Chriſtianos tunc inſtitutæ eſſe non poterant, & S. Lucas confuſius locutus fuiſſet, ſi pro Judaico Paſchate, & Pentecoſte, de iiſdem Chriſtianis feſtivitatibus fuiſſet locutus.

Ex his autem evadimus difficultatibus juxta hypotheſim noſtram, quam in Evangeliis ſecuti ſumus, dicentes, Jeſum Chriſtum eo anno minime celebraſſe Judaicum Paſcha, quod minime contigit die Veneris, qua ille mortuus eſt, ſed poſtridie, Sabbatho; ita dies Chriſtiani Paſchatis, & Dominicæ Reſurrectionis, quæ accidit die Dominica, erat altera dies Azymorum decima ſexta Lunæ Martii, ex qua die quinquaginta Pentecoſtes dies enumerabantur. Pentecoſtes eo anno erat dies Dominica ſexta Sivan, & 24. Maii [3].

ERANT OMNES PARITER IN EODEM LOCO.] Vel cum Græco [4]; *erant omnes unanimiter* &c. Centum, & viginti Diſcipuli, de quibus ſermo fuit capite ſuperiori [5]; & præter illos Sanctiſſima Virgo, & Sanctæ mulieres, quarum eodem in capite mentio fit ℣. 14. omnes Spiritum ſanctum receperunt [6] juxta menſuram

A gratiarum, & luminum, quibus indigebant, & miniſterium, ad quod Deus illos deſtinaverat. Mulieres quidem Evangelicæ prædicationi proculdubio deſtinatæ non erant, eiſque linguarum munus neceſſarium non erat; ſed uti Apoſtoli, & ipſæ teſtimonium veritati perhibere debebant, & illæ ipſæ primæ Apoſtolis fidem fecerant Dominicæ Reſurrectionis. Credunt nonnulli [7], duodecim tantum Apoſtolos Spiritum ſanctum recepiſſe; hic enim ſcriptum eſt ℣. 7. eos omnes, qui variis linguis loquebantur, Galilæos fuiſſe. Sed cum potior diſcipulorum numerus ex illa eſſet provincia, non ſecus ac Apoſtoli, hæc ratio non viget. Ad hæc etiamſi Apoſtoli tantum ea in occaſione linguis omnibus locuti fuiſſent, non inde ſequeretur, diſcipulos eodem Spiritus ſancti dono minime donatos fuiſſe. B Non poterant omnibus linguis omnes ſimul loqui; hoc enim maxima fuiſſet confuſionis, Babelicæ illi perſimilis. Ubi ad populum loquendum fuit, unus S. Petrus locutus eſt.

℣. 2. FACTUS EST REPENTE DE COELO SONUS.] Fortaſſe quoddam veluti tonitru, una cum vehementi turbine, & vento, qui primum quidem terrorem ſacrum, mox vero ſanctam obſervantiam in omnem cœtum immiſit, omneſque diſpoſuit, ut humiliter hoc Cœli donum reciperent. Non deſunt, qui putent [8], fragorem hunc in omni Jeroſolymitana urbe auditum fuiſſe, atque circum eam domum quamplurimos confluxiſſe, ut intelligerent cauſam ejuſdem. Sextus verſiculus huic favet opinioni; dicit enim, ad fragorem illum quamplurimos conveniſſe, ad quos S. Petrus C eam habuit concionem, quam ℣. ℣. 14. 17. & ſequ. legimus. Fragor hic, & ventus erant ſymbola Præſentiæ Divinitatis; non ſecus ac olim in Sinai tonitrua, fulgura, nubes tenebricoſa, & mons fumigans Dei Majeſtatem indigitabant. Eo autem domus univerſa repleta fuit, ut innueretur, *Spiritum ſanctum*, qui tunc palam ſuper Apoſtolos deſcendit, univerſam Jeſu Chriſti Eccleſiam eſſe repleturum. Creditur autem Spiritus Sanctus deſcendiſſe tertia hora diei [9] hoc eſt nona matutina Gallica.

℣. 3. APPARUERUNT ILLIS DISPERTITÆ LINGUÆ TAMQUAM IGNIS.] *Linguæ* dicuntur, quæcumque in acumen deſinunt. *Lingua terræ* [10] ſignificat ſcopulum in mare protendentem; *Lingua maris* [11], ſinum in terram ſe ſe inſerentem; *lingua ignis* [12], flammam in D linguæ formam acuminatam; *lingua auri* [13] laminam ex eo metallo confectam. Hebræi gladii cuſpidem *flammam* vocant [14] propter ejus figuram. Ita hoc in loco, linguæ ignis non aliud ſunt, quam ſcintillæ, vel potius flammæ, quæ ſeſe ſuper omnes, qui ea erant in domo, effuderunt.

Neque ignis ille materialis erat, atque elementaris, ſed fulgor igni ſimilis, & ſymbolum lucis, atque ardoris, quem Spiritus Sanctus Apoſtolis intrinſecus communicabat. Hoc innuebat etiam donum linguarum illis communicandum; & videtur Deus alludere quodammodo voluiſſe ad confuſionem linguarum, quæ accidit Babylone, & quam ſubſecuta eſt populorum in omnes terrarum partes diſperſio. Ita Apoſtoli poſt Spiritus ſancti adventum omni linguarum genere loqui E cœperunt; & apud omnes gentes Evangelium conceſſerunt prædicaturi. Eorum vero prædicatio in id intendit, non ut divideret, sed ut omnes populos Jeſu Chriſti Eccleſia conjungeret. Lex ignea, quam Dominus manu tenet, & quam Hebræis communicavit [15], eadem eſt, ac illa, quæ hodie ad perfectionem vocatur per Infuſionem Spiritus Sancti, qui omnes illius figu-

1 Baron. an. 34. Sa. hic. Bellarm. Vide Fromond. 2 Auguſt. in Pſalm. 90. & in Pſalm. 150. & lib. 18. de Civit. cap. 54. Beda in Acta, Cajet. Vatabl. Ligfoot.
3 Toynard. Harm. p. 140. 4 Ὁμοθυμαδὸν. 5 Supr. Act. 1. 15.
6 Chryſoſt. Œcum. hic. Auguſt. tract. 2. in Ep. Joann. Interpp. plerique.
7 Bartholom. Petr. & alii nonnulli. 8 Cornel. Menoch. Fromund. Vide verſ. 6.
9 Infra verſ. 15. 10 Joſue 15. 2. Vide Cæſar. lib. 3. de bello Gallico.
11 Joſue 15. 5. 18. 10. Iſai. 11. 5. 12 Iſai. 5. 24. לשון אש
13 Joſue 7. 21. 24. לשון זהב Vulgat. *Regulam auream*. 14 Judic. 3. 22. & 1. Reg. 17. 7. Job. 39. 23. Nahum. 3. 3. 15 Deuter. 33. 2. *In dextera ejus ignea Lex*.

ras adimplet, omneſque veros detegit ſenſus.

SEDITQUE [1] SUPRA SINGULOS.] Credunt nonnulli, donum linguarum in Apoſtolis non ſubſtitiſſe, niſi quoad linguæ ſuper eorum capita permanſerunt, eas vero linguas bifidas, trifidaſque fuiſſe juxta numerum Idiomatum, quorum cognitionem Apoſtolis communicabant. Si enim ſemper linguarum munere Apoſtoli gaviſi fuiſſent, inquit Salmaſius, cur S. Petrus interprete indiguiſſet, qualem S. Marcum illi adfuiſſe univerſa teſtatur antiquitas? Verum facile reſponderi poteſt, quemlibet Apoſtolorum potuiſſe habere quidem, ſed non generatim, vel non ſemper munus omnium linguarum [2], quemadmodum Prophetæ non ſemper habebant, neque pro omnibus rebus donum Prophetiæ. Ita nihil obſtabat, quominus Apoſtoli pro quibuſdam linguis ſuos haberent Interpretes; ſed hæc difficultas fuſius in ſequenti verſiculo ad examen vocabitur.

COEPERUNT LOQUI VARIIS LINGUIS.] S. Johannes Chryſoſtomus [3] credere videtur, illos fuiſſe locutos eorum dumtaxat populorum linguis, ad quos aliquando eſſent prædicaturi, & ad quos hoc veluti ſigno deſtinabantur. Ambigit S. Gregorius Nazianzenus [4], utrum Apoſtoli reipſa pluribus linguis locuti fuerint, an miraculum in hoc eſſet poſitum, quod patria ſolum loquentes lingua, ſinguli tamen tamquam ſuam loquentes intelligerent, quod eumdem gignebat effectum, ac ſi omni linguarum genere fuiſſet locuti, cum hoc tamen diſcrimine, quod ita faciliore ratione intelligi potuiſſent, ubi ipſis fuiſſet loquendum in cœtu ex plurimis populis, varias linguas habentibus, compoſito. Sed huic ſententiæ textus minime ſuffragatur; & S. Auguſtinus, cui plerique adhærent Interpretes [5], credidit, illos habuiſſe quidem omnium linguarum donum, licet non illud fortaſſe, vel ſemper haberent, vel non omnium linguarum ſimul, vel non pro rebus omnibus, quemadmodum ſupra dictum eſt.

Donum linguarum a Jeſu Chriſto apud S. Marcum [6] promiſſum, & in Apoſtolis Pentecoſtes die adimpletum ſatis diu ſubſtitit in Eccleſia: adeo erat in illis primordiis commune, ut Apoſtolus non modicam Epiſtolæ ſuæ ad Corinthios partem [7] in id impendat, ut doceat, quomodo miraculoſo hoc munere ſit utendum, & coerceat abuſus, qui per illius occaſionem in Eccleſiam gliſcere incipiebant. De eodem etiam verba facit in Epiſtola ad Romanos 12. 3. & S. Irenæus explicite aſſerit, ſupernaturalia miraculorum dona ævo adhuc ſuo ſubſtitiſſe [8], præſertim vero donum linguarum paſſim adhuc viguiſſe [9]: *perfectos dicit* Apoſtolus, *eos, qui perceperunt Spiritum Dei, & omnibus linguis loquuntur: quemadmodum & multos audivimus fratres in Eccleſia Prophetica habentes chariſmata, & per Spiritum univerſis linguis loquentes*. S. Juſtinus Martyr [10] teſtatur quoque, ſe vivente non defuiſſe quoſdam ſexus utriuſque homines, qui ſupernaturalia Spiritus Sancti munera poſſiderent. Auctor, qui Apoſtolicas conſtitutiones collegit, hoc ipſum fere ait l. 8. c. 1. quod etiam Tertullianus in Scorpiaco, & S. Hilarius in Pſal. 64. verſ. 12. illud vero inſigne eſt, & quod vix credas; Euſebius Cæſarienſis in Pſalmum 46. ait, extraordinaria hæc dona ævo ſuo adhuc in Eccleſia fuiſſe communia.

Verum quidem eſt, illos de linguarum dono explicite verba non facere, niſi S. Irenæus, qui anno ſalutis obiit 202. vel 203. ſed verba faciunt de dono miraculorum, & Prophetiæ, atque ut verbo me expediam, de omnibus exterioribus gratiis, quas Spiritus Sanctus initio illis communicabat, a quibus recipiebatur. S. Auguſtinus ſupponit, hæc prodigia non viguiſſe amplius; eaque jampridem ceſſaſſe. S. Johannes Chryſoſtomus in 1. Theſſal. 5. 6. teſtatur, Deo permittente, ut ceſſarent, cum Evangelium in univerſo terrarum orbe jam fuerat prædicatum, & JESUS CHRISTUS cœpit jam omni linguarum genere annunciari. Quemadmodum omnes linguæ, quibus Apoſtoli Pentecoſtes die locuti ſunt, omnium nationum converſionem indigitabant [11], ita omnes nationes, quæ hodie in una, eademque fide, eademque confeſſione coaluerunt, linguarum donum in Eccleſia quodammodo perennarunt: *modo in Eccleſia ipſa unitas, tamquam unus loquitur omnium gentium linguis*, inquit S. Auguſtinus [12].

℣. 5. ERANT AUTEM IN JERUSALEM HABITANTES.] Feſtivitas Pentecoſtes, quæ tunc celebrabatur, Jeroſolymam adduxerat ex omnibus terrarum locis complurimos Judæos. Hæc una erat ex præcipuis tribus ſolemnitatibus, quibus viri omnes ſe ſe coram Domino offerre tenebantur [13]. Græci, atque Latini textus [14] innuere videntur, hos omnium nationum Judæos Jeroſolymæ inhabitaſſe; neque abhorret a fide, plurimos revera ex aliis regionibus illuc ſedem ſuam tranſtuliſſe. Sed videtur S. Lucas hac circumſtantia innuere voluiſſe potius frequentiam advenarum, qui ad hanc feſtivitatem Jeroſolymam undique venerant; in quam ſententiam ea etiam, quæ ſequuntur, nos cogunt.

Hi Judæi religioſi [15], pii erant viri ex univerſis nationibus, qui ab omnibus orientis, immo, & occidentis partibus, quemadmodum infra patebit, ad eam ſolemnitatem confluxerant. Judæorum nomine [16] hoc in loco intelligi etiam poſſunt proſelyti ad Judaicam religionem converſi, qui pietatis ergo Jeroſolymam venerant. Vide verſ. 10. & 11. Narrat Joſephus contra Appion. l. 2. Judæos in omnibus terrarum locis nomen deſumpſiſſe ex eo loco, ubi habitare conſueverant. Alexandrini dicebantur, qui Alexandriæ, Antiocheni, qui Antiochiæ ſuam ſedem, ſuaſque fortunas habebant, & ſic de aliis.

℣. 6. FACTA AUTEM HAC VOCE.] Ubi fragor hic ſe ſe effudit; vel potius [17], ubi magnus hic ſonitus auditus fuit ea in domo, vide verſ. 2. *convenit multitudo* virorum, qui omnes perterriti fuerant, atque in admirationem rapti illos audientes, ſinguli lingua ſua. Vel potius [18], *concitati fuerunt*; non ſine tumultu, & confuſius convenerunt, quemadmodum in ejuſmodi occaſionibus accidere ſolet, atque admirati illos audierunt loquentes exoticas linguas, omnino a Galilææ, & Judææ, ubi Apoſtoli, & Diſcipuli nati erant, ſermone diverſas. Quilibet diſcipulorum loqui cœpit lingua hominis illius, quem forte obvium habebat; quippe Græce cum Græco, Perſice cum Perſa, Ægyptie cum Ægyptio, & ſic de reliquis, loquebantur.

℣. 9. PARTHI.] Tunc temporis Parthorum ingens erat celebritas, & fama; eoque nomine intelligebantur omnes fere populi trans Euphratem, atque Tigrim poſiti. In omnibus illis Orientis regionibus plurimi aderant Iſraelitæ, illuc diverſis temporibus a Theglathphalaſar, Salmanaſar, & Nabuchodonoſor adducti. Sed Parthorum nomen iſthic ad Parthos proprie dictos coarctandum videtur, qui ſiti erant inter Carmaniam ad

1 Cantabr. Καὶ ἐκάθισαν. *Et ſederunt*. Ita Syr. Arab. Copht. Æth. Cyrill. 2 Vide Chryſoſtom. tom. 5. orat. 40. 3 Loco ſupra citato.

4 Nazianz. orat. 44. pag. 715. 716. 5 Auguſtin. in Pſalm. 17. expoſit. 2. & in ſerm. olim 188. nunc Appendicis 183. & alibi ſæpius Theodoret. in 1. Cor. 14. 2. 6 Marc. 16. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur; in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis*.

7 1. Cor. 4. 7. 12. 10. 28. 30. 14. 2. 8 Iren. l. 2. cap. 32. & 57. & apud Euſeb. hiſt. lib. 5. cap. 7.

9 Iren. lib. 5. cap. 6. p. 299. 10 Juſtin. Dialog. cum Triph. p. 315. & Apolog. 1.

11 Auguſtin. ſerm. olim 9. de verbis Apoſtoli, nunc ſerm. 175. num. 3. *loquebatur tunc unus homo omnibus linguis, quia locutura erat unitas Eccleſiæ in omnibus linguis*. 12 Auguſtin. ſerm. olim 19. de verbis Domini, nunc 87. de verbis Evangel. Matth. num. 9 Item ſerm. alias 187. nunc 271.

13 Exod. 23. 14. Deut. 16. 6. 14 Κατοικοῦντες, *habitantes*. Hæc vox æquivalet Hebræo גור *Peregrinari, commorari*. 15 Ἄνδρες εὐλαβεῖς. 16 Vide Ludov. de Dieu.

17 Γενομένης δὲ τῆς φωνῆς ταύτης. 18 Καὶ συνεχύθη. *Et confuſa eſt*. Non habet mente. Syr. Arab. Ludovicus de Dieu. *Commoti ſunt*.

ad meridiem, & Hircaniam ad Septentrionem.

Medi, & Elamitæ.] Non longe inter ſe abſunt trans Tigrim; Medi ad Boream Elamitarum incolunt. Non auſim tamen conſtituere horum populorum fines, qui admodum varii fuerunt, & de quibus latius verba fecimus in Commentariis Geneſeos cap. 10. Omnes hi populi trans Tigrim incolentes peculiari ſermone loquebantur, qui inter ſe differebant, tamquam Dialecti ab una matre lingua, & ab eadem origine fluentes. In eo vero poſitum erat miraculum, ut eos omnes linguas repente, atque indiſcriminatim, & intelligerent, & loquerentur.

Judæam, & Cappadociam.] Judæam ſcilicet, quatenus a Galilæa diverſam. S. Auguſtinus [1] legit: *Armeniam, & Cappadociam*; Judæa quippe non ſatis apte illhic memorata videtur. Cum de Judæis ſeq. verſ. verba fiant: *Judæi quoque, & Proſelyti*. Neque neceſſum erat, ut Deus miraculum faceret ad hoc, ut Judæi Jeroſolymitani Galilæos loquentes intelligerent. Parvum quoddam diſcrimen inter accentus aderat, ſed lingua eadem erat omnino.

Pontum, & Aſiam.] Pontus Provinciæ eſt ad Euxinum poſita, ſita inter illud mare, & Cappadociam. Aſia vero proprie dicta quatenus peculiaris Provincia, Eolidem, Joniam, Cariam, Phrygiamque complectitur.

℣. 10. Phrygiam, & Pamphyliam.] Utraque hæc eſt Aſiæ minoris Provincia; ſed inter ſe longe ſepoſitæ. Græce loquebantur in omnibus illis Provinciis, ſed cujuſque lingua ſatis erat diverſa, neque citra ſtudium facile intelligi poterat. Et non minimum erat miraculum, Apoſtolos, qui antea ſortaſſe Græcam linguam penitus ignorabant, repente intelligi potuiſſe ab omnibus earum Provinciarum incolis, qui plerumque mutuo inter ſe ſe loquentes minime intelligebant.

Partes Lybiæ.] In illis Provinciis plurimi erant Judæi ab Ægyptiis Regibus tranſlati [2], lingua eorum vel Græca erat apud nobiles viros, vel Ægyptia vetus in populo, vel etiam Hebraica corrupta pro Judæis. Hic enim populus libenter ſuos mores, ſuumque ſermonem ſemper ſervare adamavit.

Advenæ Romani [3].] Judæi, qui Romæ incolebant, qui ea in Provincia, vel non procul forte aberant, & pietatis cauſa ad feſtivitatem celebrandam Jeroſolymam venerant. Judæi *Romanos* vocabant illos ex gente ſua, qui Romæ incolebant, quemadmodum, qui Antiochiæ, *Antiochenos*, & qui Alexandriæ, *Alexandrinos* [4].

℣. 11. Judæi quoque, & Proſelyti.] Hoc ſuperioribus eſt adnectendum. Qui Romæ venerant, cum Judæi ex origine, tum proſelyti, vel Romani Judaicis ſacris initiati. Judæorum nomen magnum erat Romæ, Liberti plurimi, atque alii adhæſerant illis, atque in eorum ſacra tranſiverant [5]. Hujuſmodi homines Latine loquebantur.

Cretes, & Arabes.] Cretenſes Græce loquebantur, ſed a communi ſermone longe aliter, quemadmodum liquet ex quibuſdam vocibus, quæ apud veteres nonnullos extant adhuc. Plurimi Judæi erant in Creta. Arabes vero peculiarem linguam habent, quæ tunc quidem parum agnoſcebatur, ſed quæ deinde celebris facta fuit poſt Mahumetanorum victorias. Hæc autem eſt tamquam Hebraicæ linguæ ramus.

℣. 13. Muſto pleni ſunt.] Recenti vino, vel dulci vino [6] madidi; nam illud vindemiæ tempus non erat, ideoque nec vini recentis. Sed norant Veteres vinum quoddam conficere, cujus dulcedo per annum ſervabatur, & quod mane ante quodlibet cibi genus bibere in deliciis erat. Horatius:

. . . . *Quoniam vacuis committere venis*
Nil niſi dulce decet, leni præcordia mulſo
Prolueris melius.

Hoc autem non *muſtum*, ſed *defrutum* appellabatur. Erat enim *muſtum* coctum, & ad quamdam menſuram redactum; vel liquor ex uva quadam dulciſſima, & ad ſolem exſiccata expreſſum, cui mel, & aqua immiſcebantur, vel denique erat, quod dulcedinem ſuam ſervabat, quippe curabant, ne ebulliret. Vide Plinium lib. 14. c. 9.

℣. 14. Stans Petrus cum undecim.] Tamquam eorum Princeps, & caput. Illi omnes, qui Spiritum Sanctum acceperant, & qui erant numero circiter centum, & viginti, prodierunt: ſed duodecim Apoſtoli ſe ſeprimi obtulerunt, tamquam ſocietatis illius capite, rationem reddituri de eo, quod contigerat, illis omnibus, qui circumundique domum illam convenerant. S. Petrus voce locutus fuit, & fortaſſe regionis illius lingua, quæ Syriace erat, vel Hebraica corrupta. Hoc vero tunc accidit poſtquam cæteri variis linguis cum illis, quos quiſque obvios invenerat, fuerant locuti.

℣. 15. Cum ſit hora diei tertia.] Judæi ſub meridiem, ut plurimum, prandebant, ſed prandium illud leve erat, & quaſi jejunii refectiuncula: veſpera autem copioſius cœnabant. Joſephus in lib. de vita ſua ait, Sabbatho, feſtiſque diebus prandii horam eſſe meridiem. In Daniele 13. 7. omnes meridie ad prandium receduut. Patriarcha Joſeph Geneſ. 43. 16. prandium inſtituit fratribus ſuis in meridie. Hora tertia juxta eorum temporum recenſionem, alia non erat, quam nona matutina Gallica: eaque non levis fuiſſet intemperantiæ nota, præſertim vero tanta in feſtivitate, qualis erat Pentecoſtes, ſi quis immodice ea hora cibis, atque mero ſe ſe ingurgitaſſet. Totum mane precibus, atque religionis operibus impendebatur.

℣. 17. Erit in noviſſimis diebus.] Hebræus Joelis Prophetæ, qui illhic adfertur, textus legit [7]: *poſt hæc effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem.* Ante hac paucis duntaxat hominibus me communicabam, cum paucis Prophetis loquebar: impoſterum vero Spiritum meum large ſuper omnes gentes effundam in populo meo, paſſim Prophetæ, atque Propheſſides videbuntur. Joel eo in loco verba faciebat de tempore, quod captivitatem, & ultionem, quem exercuit Dominus adverſus hoſtes populi ſui [8], erat ſubſecuturum. At univerſo eo tempore, quod a captivitate ad Jesum Christum uſque defluxit, nullus eſt locus, ubi ſtatui poſſit litterale hujus Prophetiæ complementum; quandoquidem nunquam in Iſrael Spiritus Prophetiæ fuit infrequentior, quam illo tempore. Neceſſario igitur complementum illud referendum eſt in hoc tempus, de quo illhic loquitur S. Petrus, & quo Spiritus Sanctus copioſius, quam antea non viris ſolum, verum, & mulieribus etiam ſeſe effudit; & illius afflatus minime perfunctorius fuit, neque pro illis tantum; ſed ab illis quidem non receſſit, & ſe communicavit etiam pleriſque eorum, qui crediderunt in Jesum Christum, & Jesu Christi baptiſmate abluti ſunt. Illius reliquiæ tertio etiam ſæculo ſupererant, quemadmodum Euſebius in Pſalm. 44. 4. & S. Hilarius in Pſalm. 46. 12. teſtantur explicite, atque exteriora præſentiæ Spiritus Sancti ſigna, dona miraculorum, linguarum, & Prophetiæ non ceſſarunt, niſi ubi Eccleſiæ ſatis ſuos fines protendit, & confirmata eſt, ita ut illorum ope non amplius indigeret.

Viſiones videbunt, & ſomnia ſomniabunt.] Videlicet prophetice Deus illis myſteria, futuroſque eventus aperiet per viſiones, extaſes, apparitiones, vel ſomnia. Apud Hebræos non ſecus ac apud alios populos varia erant Prophetiarum genera, de quibus vide Præfationem noſtram in Prophetas.

℣. 18. Et ſuper ſervos meos.] Hebræus ſimplici-

[1] Auguſt. adverſ. Felicem Manich. 5. in editis ante nov. edit. in qua reſtitutum eſt, *Judæam, & Cappadociam* ex Mſſ. [2] Hecatæus apud Joſeph. contra Appion. lib. 2.
[3] Auguſt. lib. 1. contra Felic. Manich. *Et qui advenerunt, Romani.* Καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι.
[4] Vide Phil. ad Cajum. Joſeph lib. 2. cont. Appion. Act. 11. 20. 20. 18. 24. [5] Tibull. Ovid. Philo. Vide Grot.
[6] *Muſto pleni ſunt.* Γλεύκους μεμεστωμένοι. [7] Joel. 2. 28. והיה אחרי כן. Καὶ ἔσται μετὰ ταῦτα. Vulg. *Et erit poſt hæc.* [8] Vide noſtrum Commentarium in Joel 2. 28.

ter legit: effundam Spiritum meum [1] *super servos, & super ancillas*, super servos sexus utriusque. Dicunt Hebræi, Spiritum Sanctum ut plurimum super pauperes minime requievisse. Isthic vero plane videbitur communis hujus dogmatis exceptio. Servi ipsi, & ancillæ spiritu meo replebuntur. Nulla hominum conditio meæ erit expers liberalitatis. A

℣. 19. SANGUINEM, & IGNEM, & VAPOREM FUMI.] Vel cum Hebræo [2], *& columnam fumi*. Quæritur, quo tempore hæc acciderint prodigia. Plerique ea [3] in tempus illud rejiciunt, quod præcessurum est postremum judicium. Juxta illa vers. 20. verba, *antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus*. Alii [4] explicant ista de prodigiis, quæ in morte Domini contigerunt. Tunc visus est Sol caligine obductus, terra tremuit, monumenta aperta sunt &c. At B ego malim hoc intelligere de iis, quæ novissimam Jerosolymæ obsidionem præcedent, & de prodigiis præcursoribus excidii urbis, Templi, & Judæorum. Docet Josephus de Bello l. 7. cap. 12. tunc in aere, in Templo, & Urbe plurima visa fuisse prodigia. In hujusmodi vaticiniis non semper expetendum est litterale complementum singularum partium, & vocum, ex quibus illa componuntur. Eorum populorum sale ingenium est, ut semper magnum aliquid patheticum, & hyperbolicum in minis, laudibus, & invectivis exquirant.

℣. 20. SOL CONVERTETUR IN TENEBRAS, & LUNA IN SANGUINEM.] Duo illa sydera caligine, & eclypsi obducta erunt. Ubi Luna Eclypsim patitur, tamquam sanguine rubens videtur, Apocal. 6. 12. Hæ loquendi rationes non aliud innuunt, quam gravissi- C mum mœrorem, quo hostes Domini conficientur. In desperatione sua videbitur illis Sol, & Luna laborare, & astra consuetam viam minime sequi, atque universus naturæ ordo usquequaque immutari.

ANTEQUAM VENIAT DIES DOMINI.] Dies hic est ultionis. JESUS CHRISTUS in Evangelio [5] sæpius nobis Jerosolymitanum excidium, & Judæorum vastationem exhibuit sub imagine magnæ diei adventus sui. Sed plerique illi characteres, quibus diem illam designavit, universali etiam judicio conveniunt. Hebræus Joelis [6]: *dies magnus, & terribilis Domini*.

℣. 21. QUICUMQUE INVOCAVERIT NOMEN DOMINI.] Si hæc propositio in priori sensu, quem mens exhibet, intelligatur, nonnisi cum his restrictionibus intelligi poterit. Quicumque nomen Domini invoca- D verit in fide, spe, & charitate, atque Sanctam, & divinæ legi conformem vitam vixerit, hic salvus erit: alioquin minime proderit invocare nomen Domini, & dicere [7]: *Domine, Domine; nonne in nomine tuo miracula operati fuimus*. Reddet enim: *nescio vos*. JESUS CHRISTUS explicite nos monet, Matth. 7. 21. non omnes, qui dicunt, Domine, Domine, in Regnum Cœlorum esse ingressuros.

Sed Græca, atque Hebraica locutio [8] innuere potius videntur: quicumque ferent nomen populi mei, vel filiorum Domini, ex his malis effugient. Calamitates, de quibus locutus sum, non pertinent ad amicos meos fideles, populum meum, ad eos, qui ex nomine meo appellantur, & qui spectant ad me: illos quidem inde eripere novero; sed illæ inimicos tantum meos, E & populi mei persecutores manent.

℣. 22. JESUM NAZARENUM VIRUM APPROBATUM A DEO IN VOBIS.] Græcus [9]: virum, qui cum fulgore apud vos apparuit, virum, quem Deus suscitavit, atque iis illustravit prodigiis, quæ inter vos est operatus. Vetus Cantabrigiensis MS. [10] legebat olim, non secus ac Vulgata, & Patres antiqui: *approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit* Jesus Christus tot in vobis prodigia operatus est in nomine Domini, ut nulla rationabilis dubitatio esse posset, quominus a Deo missus fuerit. Quamplurimis miraculose factis suam missionem probavit. S. Petrus hoc in loco de Jesu Christo loquitur, tamquam de Propheta, atque optimo viro palam a Deo misso, & approbato. Statim illis ejus divinitas prædicenda non erat, ne iisdem scandalum ingereretur. Nondum enim pares erant sublimi adeo veritati excipiendæ.

℣. 23. HUNC DEFINITO CONSILIO.] Vos præter mentem vestram executi estis Dei consilia, atque decreta de JESU CHRISTO. Decreverat Deus, Mundum per illius mortem redimere; ille in impiorum manus tradendus erat. Væ vobis, vos fuistis decreti hujus ministri. Domini decretum ne minimum quidem vestrum crimen imminuit. Non ille vos impulit in scelus, sed ex mera libertate, & voluntate vestra illud patrastis; ipse vero hoc permisit, ut major gloriæ sibi fieret accessio. Salvatoris igitur mors minime fortuitu accidit, & quia antea, vel præviderator, vel e Dei consilio proficisceretur, aut mere ab illo permitteretur, & non prohiberetur. Illa decreta, atque constituta fuit in arcanis æternæ præscientiæ decre- C tis [11]. Non ille per necessitatem vi vestræ cessit, neque per impotentiam se vobis tradidit, sed ut Patris sui obtemperaret imperio.

Non desunt, qui Græcum ita vertant [12]: *eum excepistis illum tamquam munus e vobis Dei decreto, atque præscientia oblatum, illum impiorum manibus crucifixistis*. Deus per misericordiam suam illum vobis dederat, ut summam vobis afferret felicitatem, sed illum Romanorum manibus occidistis, quibus illum tradideratis. Sed Græcus communius eo in sensu intelligitur, quem primum expressimus [13]: *vobis traditus fuit explicita divinæ voluntatis consilio, vel divinæ præscientiæ decreto*.

℣. 24. QUEM DEUS SUSCITAVIT SOLUTIS DOLORIBUS INFERNI [14].] Deus illum resuscitavit, cohibens D dolores Inferni, vel eum liberans a doloribus Inferni, aut sepulchri. Neque dixeris, ideo Jesum Christum in Inferno fuisse eo in statu, quo ibi damnati torquentur, quemadmodum Calvinus arguere ausus est [15]: verum neque ibi fuisse dixeris non sine quadam mœroris, atque doloris specie propter animæ suæ a corpore sejunctionem, quemadmodum alii nonnulli [16] crediderunt. S. Augustinus Ep. olim 99. opinatur, dolores Inferni hoc in loco significare non pœnas, quas ibi JESUS CHRISTUS passus est, sed illas, a quibus fuit præservatus, quemadmodum fera ex venatorum plagis liberatur, cum illæ franguntur, antequam ipsa iisdem capiatur. Descendit ad inferos; sed neque pœnas, neque dolores Inferni expertus est. Alibi vero [17] hoc explicat non de doloribus, quos JESUS CHRISTUS passus fuerit, & ex quibus fuerit liberatus, sed de E illis, e quibus SS. Patriarcharum animas liberavit: etenim

1 וגם על העבדים 70. Καί γε ἐπὶ τοὺς δούλους μου, καὶ ἐπὶ τὰς δούλας.
2 תמרות עשן 70. Ἀτμίδα καπνοῦ. 3 Ita Interpp. plerique hic, & in Amos c. 8. 29.
4 Hieronym. Carthus. Theophylact. Cameras. Ligfoot, alii.
5 Matth. 24. 30. 34. 37. &c. Marc. 13. 26. 14. 62. Luc. 17. 21. 27.
6 לפני בוא יום יהוה הגדול והנורא 70. Τὴν ἡμέραν Κυρίου τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ.
7 Matth. 7. 22. 8 והיה כל אשר יקרא בשם יהוה ימלט 70. Πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου, σωθήσεται. Vide Act. 9. 14. 21. & 14. & Hamm. ad 1. Cor. 1. 2.
9 Ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς. *Virum conspicuum, declaratum, exhibitum, spectabilem, &c.*
10 Cantab. *Δεδοκιμασμένον*. Sed hoc casu posuerunt. Ἀποδεδειγμένον. Syr. S. Iren. Ambros. Aug. Vulg. *Approbatum*. Tertull. *Destinatum*. 11 Vide Act. 4. 27. 28.
12 Τοῦτον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες, διὰ χειρῶν ἀνόμων προσπήξαντες ἀνείλετε.
13 Vide Grot. Price. hic. 14 Ὃν ὁ Θεὸς ἀνέστησε, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου. Plures: ᾨδῖνας ᾅδου. Vide Mill. 15 Calvin. contra quem vide Bellarm. lib. 4. de Christi anima.
16 Cajet. hic, & 3. part. qu. 54. art. 4. 17 August. lib. 12. de Genesi ad litter. cap. 33. & Epist. supra citata.

utenim quemadmodum Beda animadvertit [1], licet animæ illæ tunc pace, atque æternæ felicitatis, quam præſtolabantur, ſpe fruerentur: attamen minime carebant dolore quodam, qui comes ſemper accedit privationi boni illius, quod ſummis votis concupiſcimus.

Græci legunt [2]: *Deus illum ſuſcitavit, liberans eum a doloribus mortis*, pro *doloribus Inferni*. S. Chryſoſtomus, & Oecumenius hoc intelligunt, perinde ac mors, quodammodo JESU CHRISTO facta, partus dolores experta fuerit ex eo momento, quo Salvator expiravit, uſque ad illius reſurrectionem, quo tempore veluti enixa partum ſuum, doloribus fuerit liberata. Verum hic ſenſus non ſatis naturalis videtur. S. Petrus ad Pſalmi 17. 5. alludit: *dolores mortis circumdederunt me: dolores Inferni circumdederunt me* &c. At ibi Hebræus legit: *funes mortis circumdederunt me: rudentes ſepulchri involverunt me*. Syrus ℣. quem explicamus, ita vertit: *ſolvit funes inferni*. Hi funes Inferni, ſepulchri, & mortis non aliud ſunt, quam vincula, ac vitta, quibus olim mortui in ſepulchris ſuis vinciebantur [3]. Salvator in Reſurrectione ſua ſolutus fuit, atque ex omnibus mortis vinculis expeditus. Deus illa fregit, atque ex illis eum liberavit. Vide Reſurrectionis hiſtoriam [4]. S. Johannes explicite has vittas ab aliis linteis, quibus involvebatur, diſtinguit, immo earumdem meminit etiam in Lazari reſurrectione Joan. cap. 11. 44.

℣. 25. A DEXTRIS EST MIHI, NE COMMOVEAR.] ut me fulciat, defendat, propugnet. Allegoria eſt, ex re militari deſumpta, ubi milites conferti viciſſim alter alterum protegit, atque tuetur.

℣. 26. CARO MEA REQUIESCET IN SPE.] Cum ſpe præſtolabor momentum illud, pro mea Reſurrectione præſignatum. Juſti omnes moriuntur, atque in tumulis ſuis requieſcunt, recentis vitæ ſpe ſuffulti; ſed non omnes ſciunt, quemadmodum JESUS CHRISTUS ſuæ Reſurrectionis momentum. Hebræus legit [5]: *caro mea habitabit in confidentia*. Nihil me terrent mortis timores. Corpus meum etiam poſt vitam hanc tuto requieſcet: in ipſo etiam ſepulchro ſperabo.

℣. 27. NON DERELINQUES ANIMAM MEAM IN INFERNO.] Non permittes, ut anima mea in Infernum deſcendens, inde SS. Patriarcharum animas erutura, ibi in æternum permaneat, neque Corpus meum, quod cippo clauditur, ibi contabeſcat. Sed *anima* iſthic pro cadavere, & perſona [6]; *infernus* autem pro ſepulchro poteſt intelligi. Non permittes, ut in æternum in ſepulchro maneam, neque ibi corpus meum computreſcat. Certiſſimo ſcio, me a te eſſe ſuſcitandum.

℣. 28. NOTAS MIHI FECISTI VIAS VITÆ.] Reteſtem mihi viam aperuiſti, ut ex propria virtute per Reſurrectionem de morte ad vitam tranſirem; tu vero me lætitia in Cœlis cumulabis, ubi cum corpore ſimul, & anima ſedebo a dextris tuis; ibique faciem ad faciem corporeis etiam oculis, te contemplabor. Hoc reſpicit Salvatoris humanitatem.

℣. 29. SEPULCHRUM EJUS EST APUD NOS.] David Jeroſolymis ſepultus fuit [7], illius ſepulchrum oſtendebatur adhuc S. Petri ævo; & viatores de Regum ſepulchris loquuntur; quæ Jeroſolymæ oſtenduntur adhuc, tamquam artis, atque humanæ induſtriæ miracula. Alibi [8] hac de re, & de opibus, quæ in S. hujus Regis ſepulchro abditæ fuiſſe dicebantur, verba jam fecimus. Cum Chaldæi Jeroſolymam cepiſſent, ipſa Regum ſepulchra [9] fœdarunt, eorumque oſſa ſoli, atque imbribus objecerunt. Sed fortaſſe Deus S. Regis David ſepulchrum intactum eſſe voluit, & Chaldæi hujus Principis oſſibus pepercerunt. Fidei quoque conſonum videtur, David non fuiſſe ex eorum numero, qui moriente Domino reſurrexerunt [10]; vel ſaltem iterum ſtatim mortuus eſt. S. Hieronymi ævo [11] hoc Davidis monumentum paſſim inviſebatur, tamquam unus ex locis, qui Jeroſolymæ hominum pietatem allicerent.

℣. 30. DE FRUCTU LUMBI EJUS SEDERE SUPER SEDEM EJUS.] Judæi hunc ſucceſſorem David toties in Prophetis promiſſum [12] ſemper præſtolabantur; nemo ex Regis illius ſucceſſoribus expleverat Prophetarum ideas, & populi expectationem. Noviſſimi etiam Prophetæ [13], qui poſt Davidicæ domus interitum vixerunt, non ſecus ac alii, eum pronuntiaverant; cumque poſt captivitatem familia David thronum minime occupaſſet amplius; exiſtimarunt, Prophetias omnes veteres, tum recentiores denique in Meſſiæ perſona, cujus tempora non longe abeſſe debebant, eſſe adimplendas. Haud heſitanter iſthic profert S. Petrus, JESUM CHRISTUM eſſe hoc germen, hunc Filium David, qui in throno illius ſeſſurus erat; atque in ipſo promiſſiones omnes adimpleri, & omnes Prophetias probari. Cum autem Scriptura univerſa in id unum conſpiret, ut eum eſſe regnaturum aſſerat, inde arguit, illum fuiſſe reſuſcitandum. Neceſſaria erat illatio: nam licet JESU CHRISTI Regnum nequaquam proprie ſit Regnum temporale, non poterat tamen in Eccleſiam ſuam regnare, & nos in fide, & charitate confirmare, qua in re ipſius in corda noſtra Regnum conſiſtit, niſi reſurrexiſſet. Ejus Reſurrectio ſigillum erat omnis prædicationis, & omnium miraculorum ſuorum conſummatio.

℣. 32. CUJUS NOS TESTES SUMUS.] Nequaquam vobis annuntio Regnum futurum, & ænigmatum caligine involutum; de re præſenti loquor, cujus nos ipſi teſtes ſumus. Nequaquam ea loquimur, quæ ex aliis audiverimus; ea tantum dicimus, quæ ſcimus, & quæ ipſi vidimus. Certiſſime novimus, JESUM CHRISTUM reſurrexiſſe, & poſt illius Reſurrectionem cum illo bibimus, & manducavimus: & prodigium illud, cujus modo vos teſtes fuiſtis, & quod vos huc ſimul coegit, effectus eſt promiſſionum, & Omnipotentis virtutis ipſius. Nos minime fallit futurum, ut noſtrum teſtimonium apud JESU CHRISTI inimicos nobis conflet invidiam, perſecutionem, carceres, mortem: verum nihil oberit, quominus teſtimonium veritati perhibeamus.

℣. 33. DEXTERA DEI EXALTATUS.] JESUS CHRISTUS per Aſcenſionem ſuam ſuper creaturas quaslibet ſublatus fuit, & adiit poſſeſſionem ejus gloriæ, quæ quamcumque gloriam excedit, itaut quidquid in Cœlo, quidquid in Inferno, quidquid in terra eſt, coram illo in genua procumbere teneatur [14]. S. Petrus per hæc verba, *dextera Dei exaltatus*, ad ea alludit ex Pſalmo 117. *dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit; non moriar, ſed vivam &c.* Dei Filius dixerat Joan. 14. 16. a ſe oratum iri Patrem ſuum, ut ad Apoſtolos alium Paraclitum, Conſolatorem, Patronum demitterat. S. Petrus in concione ait, JESUM CHRISTUM, cum a Patre promiſſionum ſuarum effectum, quibus illis ſe Spiritum Sanctum miſſurum fuerat pollicitus, obtinuiſſet, eum hodie in Apoſtolos effudiſſe, & hunc Spiritus Sancti deſcenſum eum peperiſſe fragorem, ac turbinem, qui illos terruerat: atque apertiſſimum præſentiæ illius argumentum donum eſſe linguarum, quibus illi omnes homines loquebantur, quas numquam antea didicerunt.

1 Beda, Retractat. in Acta. Vide & Carthuſ. & Fromond.
2 Vide ſup.
3 Marianæus Not. in Nov. Teſtam.
4 Joan. 20. 5. 7.
5 אף בשרי ישכן לבטח
6 נפש *Anima*, pro *perſona*. Ezech. 41. 15. Amos 6. 8. pro *cadavere*. Levit. 19. 28. 21. 1. 11. Num. 5. 2. 9. 10. Vide & Pſal. 88. 49.
7 3. Reg. 11. 10. *Dormivit David cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate David*.
8 Vide noſtrum Commentarium in 3. Reg. 2. 10. Vide pariter 4. Macchab. c. 20. & Comment. item Joſeph. l. 7. u. ult.
9 Jerem. 8. 1. 2. Baruc. 2. 24.
10 Matth. 27. 53.
11 Hieronym. Ep. 17. ad Marcellam.
12 Pſalm. 88. 30. 131. 11. Iſai. 9. 7. 38. 5. Jerem. 27. 25. & alibi paſſim.
13 Zach. 3. 8. 6. 12. 9. 9. 12. 7. 8. 23. 1. Agg. 2. 7. 8. Malac. 3. 1. 2. 3.
14 Philipp. 2. 10.

℣. 34. NON ENIM DAVID ASCENDIT [1] ideoque ille non eſt, de quo ſcriptum eſt: *Dextera Domini exaltavit me; dextera Domini fecit me; non moriar, ſed vivam &c.* Sed Jasus CHRISTUS non ſolum reſurrexit, verum etiam ad Cœlum aſcendit, & ſedit ad dexteram Patris; non enim de alio intelligi poſſunt ea, quæ David cecinit: *dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* David hoc in propria perſona non inquit; igitur explicandum eſt de JESU CHRISTO, quem nos ad Cœlum aſcendentem vidimus, poſtquam Reſurrectionis ejus teſtes fuimus, S. Petrus Salvatoris probat Aſcenſionem ex duobus Pſalmorum locis; primum [1], *dextera Domini fecit virtutem; dextera Domini exaltavit me*, ad quem ſuperiori verſiculo alludit; deinde vero Pſal. 109. 1. *dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis*; ejuſdem Aſcenſionem inferens ex ſeda, quam ad Patris ſui dexteram Salvator obtinuit. JESUS CHRISTUS ex eodem loco contra Phariſæos jam ſuam divinitatem probaverat, Matth. 22. 45.

℣. 36. QUIA ET DOMINUM EUM, & CHRISTUM FECIT.] Probata Reſurrectione, Aſcenſione, & ſeda JESU CHRISTI ad dexteram Patris, probatoque Spiritus Sancti deſcenſu, quem Prophetæ, & ipſe JESUS CHRISTUS promiſerant. S. Petrus infert, JESUM CHRISTUM eſſe Meſſiam, & a Patre conſtitutum non ſolum *Dominum*, & CHRISTUM, hoc eſt Domieem non judaicæ nationis ſolum, verum etiam totius orbis terrarum, & ſupremum liberatorem tamdiu expectatum, a Prophetis promiſſum, unctum per Divinitatem humanitati hypoſtatice conjunctam, & per Spiritus Sancti ſuperabundantiam [2], qua ipſe erat repletus.

℣. 37. COMPUNCTI SUNT,] atque pœnitentia ducti propter ſcelus, quod patraverant, JESUM CHRISTUM cruci affigentes, & quod tamquam extra veniæ ſpem poſitum fuiſſe putabant. Quid umquam facere poterimus, ut turpe adeo facinus expiemus? S. Petrus duo quærit ex ipſis ℣. 38. Primum, ut pœnitentiam agant, alterum ut baptiſma in JESU CHRISTI nomen recipiant; quo pollicetur illos peccati ſui veniam, & Spiritus Sancti donum impetraturos. Inferius ℣. 16. c. 8. ad examen vocabimus, utrum baptiſma ſimpliciter in JESU CHRISTI nomine collatum ſufficeret; hoc eſt utrum minime neceſſaria ſit explicita trium SS. Trinitatis perſonarum invocatio.

Hic vero dumtaxat dicemus, Baptiſmum in JESU CHRISTI nomine non aliud ſonare, quam Baptiſmum a JESU CHRISTO inſtitutum, qui opponitur Baptiſmo S. Johannis Baptiſtæ, conſtitutum JESU CHRISTI auctoritate, collatum a diſcipulis ejus, & in nomine illius, per quem noſtrum ſinguli chriſtiani facti ſumus, & per JESU CHRISTI merita peccatorum veniam obtinemus, & in ejus Eccleſiam ingredimur. Alibi Salvator ait, Patrem miſſurum Spiritum Sanctum *in nomine illius* Jo. 14. diſcipulus Patrem oraturos *in nomine illius* Joan. 16. & JESU CHRISTI Apoſtoli jubentur loqui tantum *in nomine illius* Act. 4. In omnibus hujuſmodi locutionibus JESU CHRISTI nomen non aliud innuit, quam illius perſonam, auctoritatem, merita, Evangelium; loqui, prædicare, baptizare ex illius juſſu, juxta ejuſdem doctrinam, atque præcepta.

S. Petrus palam JESU CHRISTI baptiſmo tribuit peccatorum remiſſionem; ſed efflagitat, ut hunc baptiſmum pœnitentia, dolor, & cordis converſio præcedant. Hæ quidam animi diſpoſitiones minime conferunt baptiſmati vim, atque robur peccata remittendi, ſed tales ſunt, ut ſine illis Sacramentum haudquaquam operaretur. Cor male affectum, & quod ſcelerum ſuorum dolore non rauciru, q ud g atiæ vi non commovetur, neque incipit Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere, quod fide non illuſtratur, Dei timore non percellitur, neque ſpe excitatur, in Sacramento Baptiſmatis neutiquam juſtificationis gratiam recipiet [3]; hi enim obices ſunt, qui ejuſdem effectus avertunt.

℣. 38. ET ACCIPIETIS DONUM SPIRITUS SANCTI,] juſtificantem gratiam, quæ per ſalutare regenerationis lavacrum in noſtra effunditur corda [4]. Intelligitur etiam [5] de extrinſecis Spiritus Sancti muneribus linguarum, miraculorum, Prophetiæ, quæ recens baptizati ſtatim poſt acceptum baptiſmum recipiebant; ubi illis manus imponebantur, atque confirmatio tribuebatur, quæ plerumque primum illud Sacramentum ſubſequebatur. Sed hæc Spiritus Sancti dona Confirmationis potius, quam Baptiſmatis effectus ſunt, quemadmodum ex Scripturis innoteſcit [6].

℣. 39. VOBIS ENIM EST REPROMISSIO.] Promiſſiones ſalutis a Meſſia afferendæ generatim ad omnes homines ſpectant; primum quidem ad Judæos, mox ad Gentiles; primum ad domeſticos, mox ad alienos; Illi omnes, quos Dominus vocabit, harum promiſſionum participes erunt, dummodo viva, atque illuſtrata fide credere velint, Leges illius ſequi, in amore, ac fide ipſius perſeverare. Nihil ſæpius & nihil in Scripturis apertius indigitatur, quam Gentilium vocatio, & divinæ vocationis, prævenientis gratiæ, fidei, charitatis, bonorumque operum neceſſitas.

Nonnulli [7] hoc nomine, *qui longe ſunt*, Judæos intelligunt, poſt plures generationes convertendos. Alii [8] hoc explicant de illis, qui per habitum cordis, & animæ procul ſunt a fide, converſione, & ſalute in umbris mortis immerſi. Ethnicos præcipue hoc nomine Scriptura deſignat. Ignorare non poterat S. Petrus, Gentiles ad fidem eſſe vocandos; eorum vocatio ſatis explicite in Prophetis, & in Evangelio indigitatur; ſed ex hiſtoria Converſionis Cornelii [9] videtur ille non ſatis diſtincte noviſſe, vel tempus, vel rationem, qua ea converſio erat peragenda.

℣. 40. SALVAMINI A GENERATIONE ISTA PRAVA.] Voſmet ſejungite de medio Judæorum incredulorum, & pertinacium, qui irrident donum Dei, atque noſtra hæc verba error
mentis eſſe ducunt, atque ſermones hominum ebrioſorum.

℣. 41. BAPTIZATI SUNT.] Per manus Apoſtolorum in nomine SS. Trinitatis. Hoc tamen minime factum reor prima die Pentecoſtes. Judæi quippe nimis religioſe diei illius requiem ſervabant; cæterum jam dies admodum proceſſerat, quodque reliquum erat, inſumendum fuit in aliis pietatis operibus, quæ feſtivitatis illius propria habebantur. Sequentibus igitur diebus baptizari potuerunt, cum jam ſatis eruditi fuiſſent, ita ut quantum temporis circumſtantia permitteret, ſatis de converſionis illorum ſinceritate conſtaret, Theologi tamen Scholaſtici [10], ut plurimum putant, eos omnes die eadem fuiſſe baptizatos; cumque trium mille virorum hominum numerus haud ita modicus ſit, putant, illos per aſperſionem ſimpliciter fuiſſe baptizatos; hoc eſt, ramo ex arbore quapiam, vel ſimili aliquo inſtrumento, aquam effuſam fuiſſe ſuper plurimos ſimul collectos, ita ut quilibet ſaltem ſecundum aliquam, notabilemque corporis partem cenſeri poſſet ablutus.

Verum dicere poſſumus, *baptiſmatis* nomine Hebræos omnino aliud intellexiſſe, quam hanc aſperſionis rationem, quæ numquam tali in caſu apud Judæos in uſu fuiſſe videtur. *Baptizare* apud illos totum corpus in aquam immergere ſignificat; & ſi Pictores exhibent S. Johannem Baptiſtam ſuper Salvatoris caput, vel manu, vel teſta quadam aquam effundentem, hac ipſa in re, quemadmodum aliis in pluribus ſatis ſuam inſcitiam

1 Pſalt. 117. 16. 2 Act. 10. 38. *Quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute*, &c. Vide & Luc, 4. 18. & Act. 4. 27. 3 Vide Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 6.
4 Tit. 3. 6. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti.*
5 Act. 10. 45. Marc. 16. 17. Hum. Fromond. Sanct. 6 Act. 8. 15. 16. 17. & 19. 5. 6.
7 Beza hic. 8 Fromond. a Lapide. Menoch. Grot. Lud. de Dieu, aliis paſſim.
9 Act. 10. 28. & ſequ.
10 D. Thom. 3. part. quæſt. 66. art. 7. & alii poſt eum plurimi.

tiam oſtendant. Cum Moyſes de aſperſione loqui vult, minime utitur verbo abluendi, madefaciendi, vel immergendi; hoc enim *baptizare* ſignificat; ſed aliis utitur vocibus, quæ irrigandi, vel aquam leviter effundendi actionem ſignificant: *ſpargens vero levi*,

Univerſa Orientis Eccleſia [1] ad hanc quoque diem baptizat per triplicem immerſionem, quæ diſciplina explicite in Apoſtolorum Canonibus memoratur, qui apud illos maximam obtinent auctoritatem: eaque in omnibus ipſorum officiis baptiſmalibus, & ab omnibus Theologis, & Canoniſtis Melchitis, Neſtorianis, & Jacobitis eſt inſtituta. Græci Latinis vitio vertunt, neque mediocri, quod non ſolum in eorum baptiſmata nulla immerſio fiat, verum etiam quod trina minime fiat; & antiquitus in Eccleſia Latina non aliud vulgo baptiſma conferebatur, quam per immerſionem, quæ conſuetudo diutius quidem perſeveravit, quemadmodum ex Veteribus Ritualibus innoteſcit. Quibus ſimplex ſufficiebat aſperſio [2], illi minime approbabantur, neque Sacris ordinibus initiabantur. Verbo, baptiſma illud in Eccleſia ſimpliciter auferabatur. Attamen nemo umquam tam audax fuit, ut nullum eſſe affirmaret baptiſmum per infuſionem collatum. Græci ipſi, & Orientales, licet oppoſita apud illos vigeat conſuetudo, Sacramentum eo modo collatum validum eſſe minime inficiantur [3].

Ut ergo ad ea revertamur, de quibus hic ſermo, veriſimile admodum videtur, tria hæc hominum millia toto corpore in aquam immerſa fuiſſe, atque id *baptizandi* verbo ſignificari, Hebræi, Chaldæi, Syri, Græci, & Orientales omnes arbitrantur. Paucis quidem horis plurimi baptizari poſſunt, cum plures huic muneri vacant, neque aliud requiratur, niſi ut in aquam ſemel, vel ter immergantur, qui jam in aquis ad collum uſque immerſi ſunt, & qui ordinatim ſe ſe offerunt ſub manu baptizantis, atque baptiſmatis formulam proferentis. Ea in occaſione fortaſſe ad Jordanem, vel aliud quodpiam aquæ ingens receptaculum profecti ſunt, ut hanc cæremoniam curarent. S. Lucas illhic compendiarie adſuit, quæ deinde intra plures dies contigerunt. Converſio quidem trium mille virorum repente contigit; reliqua vero deinde abſoluta ſunt.

℣. 42. ERANT PERSEVERANTES IN DOCTRINA, & COMMUNICATIONE FRACTIONIS PANIS.] Jugiter, atque conſtanter ad Apoſtolos accedebant, illos audituri, ut ab iiſdem Evangelii veritates edocerentur. Sanctæ huic doctrinæ fortiter adhærebant, neque ærumnæ, & Judæorum odia illos deterrebant, denique ſimul cogebantur, ut ſimul panem Euchariſticum, Corpus, & Sanguinem Salvatoris comederent; ita enim plerique ea intelligunt verba [4]: *in communicatione fractionis panis*. Syrus vertit, *in fractione Euchariſtiæ*, & S. Paulus 1. ad Corint. 10. 16. *panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?* In Eccleſia viget adhuc *Communionis* nomen, ut peculiariter participatio Dominici Corporis, Sanguiniſque deſignetur.

Non deſunt tamen interpretes [5], qui hoc de communis eſcæ communione cenſeant intelligendum. Primi fideles ſimul vivebant, & in communi manducabant. Græcus [6]: perſeverabant *in communicatione, & fractione panis*; quod alii quidem intelligunt de bonorum, epularumque vulgarium communione, vel de communione cibi, quem Euchariſtia ſubſequebatur [7]; hoc autem deinceps *agape*, vel convivium charitatis appellatum fuit.

℣. 43. FIEBAT OMNI ANIMÆ TIMOR.] Hæc prodigia, quæ in Jeſu Chriſti Aſcenſione, & Spiritus Sancti deſcenſu, & poſt illum ſubſecuta ſunt, & quæ cognita fuerunt ab univerſa natione Jeroſolymæ congregata, Apoſtolorum conſtans affirmatio, Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe prædicantium, miracula, quæ ad factum hoc probandum, fiebant; ingens eorum numerus, qui illum ab inferis reſuſcitatum ſe vidiſſe teſtabantur, & qui mira cum audacia id aſſerebant, quin vel minæ, vel contumeliæ eos deterrerent; hæc inquam, omnia ſimul collecta Judæis, qui auctores fuerant mortis Jeſu Chriſti terrorem injiciebant, efficiebantque, ut conſcientiæ ſtimulis, tamquam furiarum ardentibus tædis agitarentur. At quare his ſtimulis, atque ſalutaribus terroribus acti ſe nequaquam converterunt? Quare adhuc in incredulitate, atque in pertinaciſſima obduratione ſua perſtiterunt? hoc procul dubio eorum accidit culpa: vel oblatas a Deo gratias contempſerunt, vel ſe indignos præbuerunt, qui tantum gratiæ reciperent, quantum ad eorum duritiem, & nequitiam ſuperandam requirebatur.

℣. 44. ERANT PARITER, ET HABEBANT OMNIA COMMUNIA.] Corde, & affectu conjuncti, liberaliter ultro, citroque ſibimet temporalia bona communicabant, ita ut quidquid erat unius, hoc eſſet omnium [8]. Talis erat Eſſenorum vita, de quibus Joſephus de Bello l. 2. cap. 12. loquitur, & Chriſtianorum primis illis ſæculis Tertulliano teſte in Apolog. Quælibet inter illos, demptis uxoribus, erant communia. Apoſtoli vero erant totum bonorum veluti promicondi, & fideles venditis illis omnibus, quæ hæreditatis jure aſſequebantur, pretium ad pedes illorum afferebant [9], ab illis pro ſingulorum neceſſitate diſtribuendum. Per hæc verba, *erant pariter*, minime intelligi poteſt, illos ſimul inhabitaſſe; quippe nimius eorum numerus id non patiebatur: ſed congregabantur, vel in Templo ſimul oraturi [10], vel in eodem loco, quoad fieri poterat, ut Domini verbum audirent, & divinorum myſteriorum participes fierent [11].

℣. 45. POSSESSIONES VENDEBANT.] Apoſtoli hæc diſtribuebant, nullo habito vel luxus, vel mollitiei, vel invidiæ diſcrimine. Omnia juxta charitatis præcepta, & ſingulorum indigentiam tribuebantur. Apoſtoli ſe putabant tamquam ingentis familiæ Patres, cujus fideles, & filii erant, & viſcera. Omnes ea eodem fonte ea, quibus indigebant accipere tenebantur. Annona communis, domicilia communia, bona communia. Frigidum illud verbum, meum, ac tuum, ex Sancta illa communitate procul exulaverat.

℣. 46. IN TEMPLO.] Licet Salvatoris morte cæremoniæ, & ſacrificia eſſent antiquata, & novum fœdus teſtamento veteri ſucceſſiſſet, attamen non erat e conſiliis Dei, ut fideles ſtatim a Judæis ſejungerentur, atque legis ritus relinquerent, quos ſervabant, quatenus Eccleſiæ utilitas exigebat, non vero amplius tamquam Judæi [12]. Evitabant illi, ne infirmis ſcandalum ingererent, eoſque ab Evangelica doctrina averterent: ſed illos ſenſim diſponebant, ut ad cultum puriorem, atque magis ſpiritualem attollerent.

FRANGENTES CIRCA DOMOS PANEM.] Hæc loquendi ratio *panem frangere*, deſumpta eſt ex panis natura, quo ea in regione utebantur, qui exilis erat, tenuis, & aridus, ac manu frangebatur, quin ultro ſecaretur. Iſthic S. Lucas innuere vult frugalem cœnam, & victum charitatis, quo primi fideles in domibus ſuis ſimul, ubi de Templo redierant, veſcebantur [13].

℣. 47. HABENTES GRATIAM AD OMNEM PLEBEM.] Diligebantur in populo propter vitæ integritatem, & puritatem, atque ingentes, quas erogabant eleemoſynas, cum modeſte, frugi, & ſimpliciter viverent, quin inertia ſua alicui graves eſſent. Hammondius textum

1 Renaudot, tom. 5. Perpetuité de la Foi, liv. 2. chap. 4. pag. 109.
2 Vide Cornel. Pap. apud Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 43. & Ferrand. Diacon. Epiſt. ad S. Fulgent. Cypr. ad Magnum, Ep. 76. Vide Martene de antiqu. Ritib. lib. 1. cap. 1. art. 14 n. 7. 8. 9. 10.
3 Vide Renaudot. loco cit. pag. 110.
4 Cornel. Fromond. Sanct. Mont. Gaga. Ligſ. Med. Piſcat. in Synopſ. alii.
5 Vide Chryſoſtom. Oecumen. Bez. Grot.
6 Καὶ τῇ κοινωνίᾳ, καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. Plures MSS. Κοινωνίᾳ τῇ κλάσει; Omiſſo Καί.
7 Grotius hic.
8 Chryſoſt. Sanct. alii.
9 Act. 2. 45. & 4. 35.
10 Infra verſ. 46.
11 Vide Cornel. Menoch. Vide & Chryſ. hic.
12 Chryſoſtom. in Acta, homil. 7.
13 Vide Chryſ. & Oecumen. hic, & ad verſ. 42.

tum ita vertit [1] *exercebant charitatem*, liberalitatem *erga omnem populum*. Sed hæc verſio palam textui vim infert.

DOMINUS AUTEM AUGEBAT &c.] Dominus gratia ſua quotidie fidelium numerum augebat, ac divina miſericordia opitulante, quotidie recentes converſiones conſpiciebantur. Ex incredulorum atque obduratorum numero eos ſejungebat, qui prædeſtinati erant ad vi- A tam, illis tribuens fidem, ſpem, charitatem, & neceſſaria adminicula, ut in bono perſeverarent, & ad ſalutem pervenirent.

IDIPSUM.] Quod in hujus capitis fine in Latino textu invenitur, aptius rejicitur in ſequentis capitis initium, Græcum textum vertendo [2]: *eo tempore*, vel *eodem tempore*.

1 Ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαόν, &c. 2 Ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν τῷ ἱερῷ, &c. Cantab. Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ταύταις, &c.

CAPUT III.

S.S. Petrus, & Johannes ad Templum profecti claudum ſanant. Sermo S. Petri ad populum, quem ad pœnitentiam, & fidem in JESUM CHRISTUM hortatur.

1. PETRUS autem, & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis no-
nam. 2 Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris ſuæ, bajula-
batur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa,
ut peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum. 3 Is cum vidiſſet Petrum,
& Joannem incipientes introire in templum, rogabat, ut eleemoſynam acciperet.
4 Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Reſpice in nos. 5 At ille in-
tendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. 6 Petrus autem dixit: Ar-
gentum, & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine
Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. 7 Et apprehenſa manu ejus dextera, al-
levavit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ: 8 Et exiliens
ſtetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, &
laudans Deum. 9 Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.
10 Cognoſcebant autem illum, quod ipſe erat, qui ad eleemoſynam ſedebat ad
Speciosam portam templi: & impleti ſunt ſtupore, & extaſi, in eo, quod conti-
gerat illi. 11 Cum teneret autem Petrum, & Joannem, cucurrit omnis populus
ad eos, ad porticum, quæ appellatur Salomonis, ſtupentes. 12 Videns autem Pe-
trus, reſpondit ad populum: Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid
intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? 13 Deus
Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus patrum noſtrorum, glorificavit fi-
lium ſuum Jeſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, ju-
dicante illo dimitti. 14 Vos autem ſanctum, & juſtum negaſtis, & petiſtis virum
homicidam donari vobis. 15 Auctorem vero vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſci-
tavit a mortuis, cujus nos teſtes ſumus. 16 Et in fide nominis ejus, hunc
quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmavit nomen ejus: & fides, quæ per eum eſt,
dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum. 17 Et nunc, fra-
tres, ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri. 18 Deus au-
tem, quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum, pati Chriſtum ſuum, ſic im-
plevit. 19 Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra: 20
Ut cum venerint tempora refrigerii a conſpectu Domini, & miſerit eum, qui præ-
dicatus eſt vobis, Jeſum Chriſtum, 21 Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere
uſque in tempora reſtitutionis omnium, quæ locutus eſt Deus per os Sanctorum
ſuorum a ſæculo prophetarum. 22 Moyſes quidem dixit: quoniam Prophetam ſu-
ſcitabit vobis Dominus Deus veſter de fratribus veſtris, tamquam me, ipſum au-
dietis juxta omnia, quæcumque locutus fuerit vobis. 23 Erit autem: omnis ani-
ma, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. 24 Et omnes
Prophetæ a Samuel, & deinceps qui locuti ſunt, annuntiaverunt dies iſtos. 25
Vos eſtis filii prophetarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros,
dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. 26 Vo-
bis primum Deus ſuſcitans Filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis: ut con-
vertat ſe unuſquiſque a nequitia ſua.

PETRUS

Digitized by Google

℣. 1. PETRUS AUTEM, ET JOHANNES ASCENDEBANT IN TEMPLUM AD HORAM ORATIONIS NONAM.] Quæ tertia eſt circiter pomeridiana. Non ſatis liquet, qua die miraculum iſtud acciderit. S. Lucas ait [1], hoc accidiſſe *tempore eodem*, & fortaſſe die eadem, qua ea, quæ ſuperius narrantur; quod probatur ex magna populi affluentia, qui repente circum SS. Petrum, & Johannem convenit, & numero quinque millium virorum, qui S. Petro prædicante ad fidem converſi ſunt. Judæis tres erant orationis horæ; mane, meridies, & veſpera, juxta illa Pſalmi 54. 18. verba; *veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo* &c. Credunt Rabbini, Abraham matutinam, Iſaac meridianam, & Jacob veſpertinam orationem inſtituiſſe. Maimonides tradit, Eſdram poſt reditum de captivitate duodeviginti precum formulas a ſingulis quotidie recitandas elucubratum fuiſſe, atque tunc inſtitutum fuiſſe, ut ſemel nocte, bis interdiu oraretur, hoc eſt toties, quoties Deo ſacrificium perenne offerretur; quod, quemadmodum liquet, veſpere, & mane immolabatur. Duabus his orationis horis oratio Tertiæ deinceps addita fuit, quæ ferme congruit cum nona matutina juxta Gallorum recenſionem. Sed hæc oratio recitari poterat ab hora nona gallica ad meridiem; a Tertia ad Sextam, & oratio nonæ recitari poterat poſt tertiam pomeridianam uſque ad Solis occaſum [2]. Jejunii diebus quartam addebant orationem, & quatuor hæ precum horæ diſtinctæ apud Neemiam repetiuntur [3].

Tres conſuetæ orationis horæ explicite a Daniele 6. 10. memorantur, qui cum eſſet Babylone, *contra Jeruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat*. Alibi veſpertini ſacrificii horam memorat [4], veluti tempus, quo orare conſueverat; ideoque mos hic vetuſtus quidem erat apud Judæos; ſed ridiculum ſane eſt, ejus originem altius ab Abraham, Iſaac, & Jacob repetere. Petrus ergo, & Johannes aſcenderant in Templum ad orationem veſpertinam hora nona, tertia pomeridiana. Hunc autem morem ter ſingulis diebus Dominum exorandi, Chriſtiana Eccleſia minime immutavit [5], & licet hoc non præceperit, tamen obſervavit, & adhuc religioſe obſervat, filioſque ſuos ad orationem mane, meridie, & veſpere invitat.

℣. 2. CLAUDUS EX UTERO.] Ex ſequentibus patet, pedum uſum illi ademptum fuiſſe, neque vel minimum quidem ambulare potuiſſe, quoniam quotidie ad Templi januam geſtabatur, ut ibi in Templum introeuntibus ſtipem emendicaret. Græca vox [6] & claudum ſignificat, & diſtorta habentem crura. S. Lucas has adfert circumſtantias, ut magis miraculi magnitudo innoteſcat.

AD PORTAM, QUÆ DICITUR SPECIOSA.] Interpretum plerique putant [7], hanc portam, quæ ſpecioſa appellabatur, fuiſſe ad Orientem atrii Iſraelitici, & eam eſſe, de qua Joſephus lib. 6. de Bello cap. 6. loquitur, quæ ære Corinthiaco tecta erat, atque majori habebatur in pretio, quam novem reliquæ, licet aureis, argenteiſque laminis eſſent obductæ. Sed ex Joſepho videtur porta hæc Corinthiaco ære tecta, extra Templum aperiri debuiſſe, atque per illam aditum patuiſſe in atrium mulierum; eam, quæ in ſuperiori parte E erat, atque e conſpectu primæ hujus portæ orientem verſus, & per quam in atrium virorum patebat aditus, majorem eſſe, & locupletior priori illa; quandoquidem quinquaginta in latitudinem cubitos aſſurgebat, habebatque poſtes cubitorum quadraginta aureis, argenteiſque laminis ſolidis, magnificiſque exornatur [8]. Attamen cum Joſephi textus non ſatis perſpi-

A cuus ſit, nollem a Vulgata ſententia recedere, quæ ſpecioſam hanc portam eam eſſe putat, quæ ære obducta erat.

Claudus hic ad Templi portam adducebatur ſimpliciter, ut ſtipem quæritaret. Populi illuc confluentis multitudo, & circumſtantia aditus in hunc ſanctum locum, quo concedebatur, effectus divinæ miſericordiæ impetraturi, pauperibus eleemoſynam efflagitantibus maxime ſuffragabantur. Putant quidam [9], pauperibus, & claudis aditum in Templum præcluſum fuiſſe, & apud Judæos adagium fuiſſe paucis ipſa confirmatum: *cæcus, & claudus non intrabunt in Templum*, quod in 2. Regum 5. 8. habetur. Verum ſi ita res ſe habet; quomodonam in Templum acceſſerunt cœci illi, & claudi, quos ibi teſte S. Matthæo [10] Jeſus Chriſtus

B ſanavit? Quanam lege prohibentur egeni, ne domum Domini ingrediantur? Regum locus alio in ſenſu multo melius ad litteram explicatur, quemadmodum in commentario oſtendimus.

℣. 4. INTUENS IN EUM PETRUS.] Interiori motu Spiritus Sancti ſe ſe impulſum ſenſit, ut illi valetudinem redderet. Eum igitur juſſit in ſe reſpicere, attentum eſſe, atque perpendere, quidquid ſequeretur.

℣. 6. QUOD HABEO, HOC TIBI DO.] Mihi poteſtas eſt morbos curandi in nomine JESU CHRISTI; hac ſiuere, ambula in nomine JESU CHRISTI, qui potiſſima eſt tuæ curationis cauſa, quippe per illius virtutem, atque auctoritatem tibi valetudinem reddo. Ei gratias age, atque illi omnem gloriam acceptam refer;

C nos enim miniſtri illius ſumus, & in nomine ejuſdem operamur. S. Petrus non orat, antequam ægrotum curet: morbo præcipit cum auctoritate; ſed imperium in nomine JESU CHRISTI prolatum, illud ipſum erat ſpecies orationis, & Spiritus Sanctus, quo animabatur, in illo gemitibus ineffabilibus precabatur, Rom. 8. 26.

℣. 7. CONSOLIDATÆ SUNT BASES, & PLANTÆ.] Græcus [11]; *plantæ, ac tali ejus*, vel articuli pedum. Pedes habebat diſtortos, ac tibiæ os cum oſſibus pedis non belle cohærebant: repente vero oſſa ſibimet cohæſerunt, & pes fuit conſolidatus.

℣. 11. CUM TENERET PETRUM, ET JOHANNEM.] Lætitiæ, atque grati animi affectu correptus utrumque Apoſtolum, vel manu, vel veſtibus arripuit, atque

D elata voce clamare cœpit, hos eſſe medicos ſuos, qui ipſum in Jeſu Chriſti nomine curaverant; hoc enim ſupponi debet, licet a S. Luca explicite non memoretur. Porta, de qua ſermo fuit, erat in porticu, quæ Salomonis dicebatur; ſtatim undique confluxerunt homines in eamdem porticum ad Petrum, atque Johannem, cumque ea eſſet orationis hora, brevi quinque, vel ſex hominum millia apud illos congregata ſunt.

IN PORTICU SALOMONIS.] Crediderunt nonnulli [12], porticum hanc ex illis fuiſſe, quæ a Salomone fuerant ædificatæ, quæ forte excidium evaſerat, cum Chaldæi templum ferro, flammaque exſciderant, & cum illud Magnus Herodes demolitus fuit, ut alterum longe magnificentius extrueret. Credunt etiam, hanc porti-

E cum in Gentilium atrium ſpectaſſe, quod inferunt ex ingenti hominum numero, qui ſtatim ibi collectus fuit. Ex Joſepho certe liquet [13], atrii Orientalis a Salomone ædificati fundamenta in ſecundo Templo ſubſtitiſſe, & Orientalem hanc porticum extrinſecus patuiſſe. Hæc plane fundamenta Salvatoris ævo videbantur adhuc, atque inde porticus illa Salomonis fuit appellata.

℣. 12. QUASI NOSTRA VIRTUTE, AUT POTESTATE.]

1 Ἐπὶ τὸ αὐτό. 2 Vide Maimon. Kimchi, Capell. Grot. Druſ. hic.
3 2 Eſdr. 9. 3. 4 Dan. 9. 21. 5 Clem. Alex. Conſtit. l. 7. c. 24. Tertull. de jejuniis.
6 Χωλὸς ἐκ τῆς κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ. 7 Baron. Vatab. Menoch. Grot. Corn. Sanct. alii paſſim.
8 Joſeph. l. 6. de Bello c. 6. 9 Vide Sanct. hic.
10 Matth. 21. 14. *Acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in Templo, & ſanavit eos.*
11 Αἱ βάσεις, καὶ τὰ σφυρά. 12 Oecumen. Sanct. Menoch. Cornel. a Lapide.
13 Joſeph. Antiqu. lib. 20. cap. 8. p. 899. & lib. 15. cap. 14. p. 544.

TE.] Plura Græca exemplaria legunt [1]: *quaſi noſtra poteſtate, aut noſtra pietate feciſſemus, ut claudus hic ambularet*. Modeſte ad Deum, & Jeſum Chriſtum hujus prodigii gloriam remittit.

℣. 13. GLORIFICAVIT FILIUM SUUM [2].] glorificavit illum miraculis, & quæ ille fecit, & quæ nos fecimus, & quæ in nomine illius facere poſſumus. Quemadmodum Jeſus Chriſtus cœleſtem Patrem per mortem, & miracula ſua glorificavit, ita Pater glorificavit Filium per Reſurrectionem illius, & miracula Apoſtolorum ejus. In eo ſermone, quem S. Petrus incœpturus eſt, idem ferme argumentum deprehenditur, ac in illo, quem habuit ad populum circum eam domum, qua Spiritus Sanctus deſcenderat, congregatum. Dei poteſtatem commendat, & Jeſu Chriſti qualitates oſtendit. Detegit Judæis patrati ſceleris in Jeſu Chriſti cæde magnitudinem, eoſque ad pœnitentiam hortatur. Hic etiam, non ſecus ac in priori illo ſermone, ejus nitet prudentia, qua Judæos corripit, quin exaſperet, & diſcretio, qua eas detegit veritates, quæ juxta illorum captum maxime accommodantur.

NEGASTIS ANTE FACIEM PILATI.] Injuſte illum damnaſtis in Concilio veſtro; illum crucifigendum Pilato tradidiſtis, cui ipſum liberare cupienti adverſati eſtis, & ex vobis petenti, utrum ita Regem veſtrum relinquere velletis, illum abdicaſtis, atque non alium præter Cæſarem vobis eſſe Regem dixiſtis.

℣. 14. PETISTIS VIRUM HOMICIDAM.] Vehemens hæc eſt locutio, atque magna gravitate, & vi oſtendit Judaicæ nequitiæ magnitudinem. Barabbam latronem, ſeditioſum, ſicarium prætuliſtis Jeſu omnium hominum integerrimo, & vitæ auctori. Græcus ad litteram [3] *occidiſtis caput vitæ*, illum, qui nos in viam vitæ deducit, vel qui in nobis vitæ aditum reſerat. Profeſſus eſt JESUS CHRISTUS Joan. 14. 6. ſe eſſe viam, veritatem, ſe vitam mundo conferre Joan. 6. 33. eam quippe illi contulit per ſuam Reſurrectionem, & Cœlum, hactenus Juſtis etiam clauſum, aperuit. Prædixerat Iſaias 9. 6. futurum, ut Meſſias eſſet *Pater futuri ſæculi*, vel Auctor novæ vitæ in æternitate.

℣. 15. QUEM DEUS SUSCITAVIT.] S. Petri, aliorumque Apoſtolorum teſtimonium hujuſmodi in occaſione omnem, qui experiri poſſet, effectum obtinere debebat. Poſt tantum miraculum, quod in JESU CHRISTI nomine operati fuerant, dicunt ſe certiſſime ſcire, JESUM CHRISTUM reſurrexiſſe; ſe Reſurrectionis illius teſtes eſſe, atque paratos eſſe, ut ſanguinis ipſius effuſione illam teſtentur. Hujuſmodi argumentis non ita facile reſiſtere poſſumus.

℣. 16. IN FIDE NOMINIS EJUS.] In confidentia poteſtatis ejus, nos illud prodigium, cujus vos modo teſtes fuiſtis, ſumus operati. Non ex noſtris meritis, neque ex noſtra virtute claudum illum curavimus; ſed noſtro miniſterio uſus illum curavit JESUS CHRISTUS.

℣. 17. SCIO QUIA PER IGNORANTIAM FECISTIS.] S. Petrus, ne auditores ſuos exaſperet, atque in deſperationem conjiciat, lenit exprobrationes, quibus illos damnaverat, dicens Dei Filium, Meſſiam, Auctorem vitæ, ac Regem ſuum ab illis ideo fuiſſe crucifixum, quod talem eſſe ipſi ignorabant. Ita illos diſponit, ut ad Deum, atque pœnitentiam peragendam revertantur, oſtendens, eorum ſcelus non omnino extra veniæ ſpem eſſe poſitum; quandoquidem cum inſcitia conjunctum eſt, quæ quodammodo etiam præter voluntatem accideret. Judæi quidem ignorabant, JESUM CHRISTUM eſſe Meſſiam, & Regem Iſrael: et Sacerdotes minus excuſabiles erant: hoc tamen vere dici poteſt, quod ſi illum agnoviſſent, numquam Regem gloriæ crucifixiſſent. Illorum odium illos excæcabat, ne illius miracula intuerentur; & JESU CHRISTI in ſpeciem humilitas illis ſcandalum ingerebat. Cum autem ille nullo in diſcrimine ipſorum traditiones haberet [4] atque ratio, quæ Legis præcepta obſervabat, & quæ obſervanda eſſe docebat, omnino eſſet alia a communi Judæorum more, atque ſententia; eorum animi in illum irritati ſunt, ita ut extrema quæque in ipſum tandem audere veriti minime fuerint.

℣. 18. PER OS OMNIUM PROPHETARUM.] Iſthic admiramur S. Petri conſtantiam, atque confidentiam, qui contra communem Judæorum ſententiam [4] audacter tenet opus fuiſſe, ut Meſſias mortem ſubiret, & hanc veritatem in Prophetis omnibus præſignatam. Sed ea vox *omnium*, & cum exceptione pro majori numero explicari poteſt, & in ſenſu rigoroſo, & metaphyſico pro omnibus nemine excepto. Arduum eſſet oſtendere, omnes generatim Prophetas explicite de JESU CHRISTI morte fuiſſe locutos: at certum eſt, neminem fuiſſe, qui illam implicite ſaltem vel factis, vel dictis, vel quopiam ſymbolo, vel directe, vel indirecte [5], omnes enim in Prophetis erant Prophetice, non præſignaverit.

℣. 19. POENITEMINI.] Nunc ergo ſcelus veſtrum agnoſcite; doloremque ex eo ſatis dignum concipite, convertimini ad Deum ſeria pœnitentia, ſinceraque cordis confeſſione, ſine qua nulla vobis eſt ſalus ſperanda, ut deleantur peccata veſtra. Non loquitur de baptiſmate accipiendo, quia Sacerdotes, & Miniſtri Templi integrum illi minime reliquerant, ut ſermonem ſuum perficeret.

℣. 20. CUM VENERINT TEMPORA REFRIGERII.] Tempus refrigerii idem eſt, ac illud, quod ſeq. ℣. appellatur tempus *reſtitutionis omnium*. Illud vero plerique [6] de Reſurrectionis, & noviſſimi Judicii tempore intelligunt, quo Deus ſervis ſuis requiem, felicitatem, refrigerium, & laborum remunerationem concedet. Tunc ille omnia reſtituet, & gentes omnes illius majeſtatem, atque poteſtatem venerabuntur. Salvator in Evangelio Matth. 17. 11 adventum hujus noviſſimi diei præſignat, dicens: *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia*.

Sed utrumque intelligi poteſt de tempore ultionis Domini contra Judæos, cum Romani Urbem, et Templum, juxta JESU CHRISTI prædictionem everterunt [7]. Tunc juſti, fideles, JESU CHRISTI diſcipuli in quiete, & refrigerio fuerunt [8]. Perſecutiones, quas Judæi contra naſcentem Eccleſiam exercere numquam deſtiterant, exhibitæ fuerunt, & omnia in pace, & tranquillitate quoad illos reſtituta ſunt. S. Petrus non loquitur hoc in loco de perſecutionibus, quas ab Gentilibus paſſura erat Eccleſia, quia ad Judæos tantum loquebatur, & de Gentilibus tunc non agebatur.

ET MISERIT EUM &c.] Salvator ſub ſæculorum finem venturus eſt, viventes æque, & mortuos judicaturus. Sed terribilis hujus Judicii, & ſeveritatis, quam tunc adverſus improbos exercebit, nobis imaginem præbuit in illa, quam contra Judæos exercuit; ubi Romani illis bellum intulerunt, Urbem ceperunt, Templum ferro, ac flamma everterunt, omnemque eorum nationem diſſiparunt. Sæpius in Evangelio [9], JESUS CHRISTUS de noviſſima illa Judæorum calamitate, tamquam de noviſſimi adventus ſui die verba facit.

℣. 21. QUEM OPORTET QUIDEM COELUM SUSCIPERE.] Oportet, æquum eſt, ut JESUS CHRISTUS poſtquam aliquot annos in terris verſatus eſt, in Cœlo permaneat, neque ultra in mundo videatur, uſque ad poſtremam diem, quo iſthic rurſus apparebit, viventes æque & mortuos judicaturus. Sed antea veniet in ſeveritate, & majeſtate ſua, ut in Jeroſolymam animadvertat. Tunc quidem manifeſte in corpore ſuo non apparebit: ſed ſatis oſtendet præſentiam ſuam coram ſuppliciorum ſeveritate, qua in illos detonabit, qui illum, & in perſona, & in membris ejus fuerint perſecuti.

1 Ὡς ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ Alii, ἐξουσίᾳ. Ita Syr. Velez. Latini aliquot: *Noſtra virtute, aut pietate*. Zeger.
2 Τὸν παῖδα αὐτοῦ. Piſcat. *Servum ejus*, Ut Iſai. 53. 11. Alii omnes melius: *Filium*. Vide Grot. hic.
3 Ἀρχηγὸν ζωῆς. *Ducem vitæ*. 4 Joan. 12. 34. *Nos audivimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum*.
5 Carthuſ. Sanct. Vide Chryſoſt. hic. 6 Vide Sanct. Cornel. Fromond. Heinſ. Vatab. Ludov. de Dieu, alios ex Chryſoſt. 7 Matth. 24. 8 Oecumen. Sanct. Grot. Hamm. Le Clerc, a Lapide, alii. 9 Matth. 24. 14. 30. & ſeq. 16. 27. 28. Luc. 9. 26. 17. 20. 21. 6. & ſeq.

enti. Vocat autem hæc *tempora reſtitutionis hominum*, nam ultio, quam in Judæos ibi Dominus exercebit, reparabit injuriam Domino illatam, & ordinem reſtituet antea violatum, eo quod ſanda, infandaque omnia in fideles ſuos illi auſi fuerant. Eccleſiæ hactenus tot perſecutionibus concuſſæ pacem reſtituet: atque reſtitutio magis adhuc noviſſimi Judicii die emicabit. Tunc juſtitia, pax, veritas reſtituentur, & regnabunt non ad tempus, neque in una tantum regione, neque in uno tantum populo, ſed in omni mundo, atque omni æternitate. Cœlum novum erit, & terra nova [1], & omnis caro genua flectet coram JESU CHRISTO, eumque ad dexteram Patris ſui ſedere fatebitur [2].

PER OS SANCTORUM SUORUM A SÆCULO.] Omnes Prophetæ a primo ad noviſſimum unum commune objectum, Meſſiam videlicet ſibi conſtituerunt, illius adventum, vitam, mortem, Reſurrectionem, Regnum, Eccleſiam. Enoch ſeptimus poſt Adam de Mundi fine, atque JESU CHRISTI, tamquam Judicis viventium, & mortuorum adventu [3] prophetavit, cujus Prophetiæ fragmentum in S. Judæ epiſtola videri poteſt.

ŷ. 22. MOYSES.] Locus hic deſumptus eſt ex Deuteron. 18. 15. eumque S. Petrus in compendium coegit, illum vero integrum iſthic afferemus: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies. Ut petiſti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata eſt, atque dixiſti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia ſunt locuti. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.* Non promittit ſolum populo Deus, ſe illi Moyſis ſucceſſorem traditurum; de hac re tunc minime agebatur, adhuc enim quadraginta circiter annos Moyſes & vixit, & ſuo populo præfuit: ſed alium Legiſlatorem pollicetur, per quem Dominus loquetur, qui populum erudiat, & cui parere populum jubet. Judæi Domini noſtri ævo locum hunc de Meſſia intelligebant, quemadmodum innoteſcit ex novi Teſtamenti Auctoribus, qui ad illum hunc eumdem ſæpe transferunt [4].

ŷ. 23. EXTERMINABITUR DE PLEBE,] interficietur. Moyſes in allato Deuteronomii loco ſimpliciter legit; *ego ultor exiſtam*. Explicari autem poteſt, & de ultione, quam contra Ieroſolymitanos Iudæos exercuit Dominus poſt annos quadraginta a Salvatoris morte, vel de ultione, quam de Infidelibus, impiis, & incredulis poſtremi judicii die ſeveriſſime capiet.

ŷ. 24. A SAMUEL, & DEINCEPS.] Hoc non ſignificat, Samuelem hæc prædixiſſe ſaltem explicite; nullam enim illius habemus reliquam Prophetiam ſeorſum ab Regum hiſtoriis, ſed quod accidit ſub Saule, & ſub Heli Summo Sacerdote, cui, ubi fœderis arcam in Philiſthinorum manus lapſam vidit [5], a Samuele Dei nomine dictum fuit, Sacerdotium de familia ipſius exiturum, atque migraturum in aliam [6]; hæc omnia, non ſecus, ac Saulis reprobatio, & Davidis in illius locum electio [7], figuræ erant eorum, quæ JESU CHRISTI ævo erant eventura. Prophetæ, qui poſt Samuelem venerunt, ſinguli pro modulo ſuo Meſſiæ adventum, mortem, & glorificationem [8], uti jam adnotavimus, præſignarunt.

ŷ. 25. VOS ESTIS FILII PROPHETARUM.] Profitemini vos eorum eſſe diſcipulos [9], illorum audire oracula, eorum prædictionibus credere. Secundum carnem originem etiam duxiſtis a Patriarchis, qui veri erant Prophetæ [10]: debetis ergo cum obſervantia excipere, atque audire ea, quæ vobis prædixerunt. Omnes Meſſiæ characteres in JESU deprehenduntur, omnes Prophetiæ in perſona illius adimpletæ videntur. Apertis oculis iſtis eſt, ut eorum veritatem intelligatis. Ergo inexcuſabiles eſtis, ſi illum in Regem veſtrum reſpuitis.

ET TESTAMENTI.] Hæredes eorum, quæ promiſſa fuerunt Abrahæ. Vos eſtis poſteri Abrahæ, cum quo fœdus a Domino percuſſum eſt, & cui dictum eſt Gen. 12. 3. *in te benedicentur omnes cognationes terræ*: in vobis ergo omnes gentes benedictæ ſunt; per vos hodie cœleſtem benedictionem recipiunt, per JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, qui illis annuntiatur, in quem credunt, & per quem ſalvæ fiunt. Verum ſi alieni benedicuntur in vobis, vos ipſi benedictione Dei carebitis? Ita quoque poteſt intelligi, atque hic ſenſus ad litteram magis videtur accedere. Vos eſtis hæredes fœderis, & promiſſionis, quam Deus fecit Abrahæ, dicens: te tot benedictionibus cumulabo, ut populi univerſi ſibimet vicibus dicant; *utinam tibi* Cœlum faveat, quemadmodum ſemini Abrahæ! Veſtrum eſt per ſcelus inutiles non efficere gratias, cum Domini promiſſionibus conjunctas, & a majorum veſtrorum virtute non eſſe degeneres.

ŷ. 26. VOBIS PRIMUM DEUS SUSCITANS FILIUM SUUM.] Quoniam vos eſtis filii Prophetarum, & fœderis, atque Patribus veſtris promiſſus fuit Domini adventus; ideo etiam vobis primum Dei Filius apparuit, in medio veſtri Salvator ſurrexit, ad vos primum ſalutis verbum factum eſt. Venit Jeſus Chriſtus, ut vos ſuis benedictionibus, atque beneficiis cumularet: *benedicentem vobis*. Benedicere hoc in loco [11], pro beneficiis cumulare uſurpatur. Præſtolatur vero, ut bonitatis ſuæ ſeria converſione reſpondeatis: *Ut convertat ſe unuſquiſque a nequitia ſua*; alioquin inutilem efficietis illius erga vos benevolentiam [12]. Aliud quoque ſenſus Græco tribui poteſt [13]: *Pater ad vos miſit Filium ſuum, qui benediceret vobis, vos converteret*, & vos de peccatorum veſtrorum cœno educeret [14].

---

1 2. Petr. 3. 13. 2 Philipp. 2. 11. 3 Judæ verſ. 14. 15.
4 Vide infra 7. 37. Luc. 7. 16. Joan. 6. 14. 7. 40. 5 1. Reg. 4. 10. 11.
6 1. Reg. 3. 14. 7 1. Reg. 15. 14. 8 1. Petr. 1. 10. Vide & Joan. 1. 45. Luc. 24. 27. 44.
9 4. Reg. 2. 3. 5. 7. 15. 4. 38. 5. 22. 6. 1. 10 Pſalm. 104. 15.
11 Ita Cornel. Menoch. Tir. Grot. alii paſſim. 12 Vide Chryſoſtom. Oecumen. Eraſm. Vat. Mont.
13 Ἐν τῷ ἀποστρέφειν ἕκαστον ἀπὸ τῶν πονηριῶν ὑμῶν. 14 Gagnei. Eraſm. Cornel. Men. alii.

CAPUT IV.

Apoſtoli in carcerem truduntur. Quinque hominum millia ex S. Petri prædicatione ſuperiori capite enarrata convertuntur. Judæorum concilium vetat, ne Apoſtoli prædicent JESUM CHRISTUM, qui tamen prædicare perſiſtunt. Diſcipuli nihil proprium poſſident. Barnabas agrum ſuum vendit et pretium adfert ad pedes Apoſtolorum.

1. LOquentibus autem illis ad populum [1], ſupervenerunt ſacerdotes, & magiſtratus templi, & Sadducæi, 2 Dolentes quod docerent populum, & an-

nuncia-

nunciarent in Jeſu reſurrectionem ex mortuis : 3 Et injecerunt in eos ma-
nus , & poſuerunt eos in cuſtodiam in craſtinum : erat enim jam veſpera . 4 Mul-
ti autem eorum , qui audierant verbum , crediderunt : & factus eſt numerus viro-
rum quinque millia . 5 Factum eſt autem in craſtinum , ut congregarentur princi-
pes eorum , & ſeniores , & Scribæ in Jeruſalem : 6 Et Annas princeps ſacerdo-
rum , & Caiphas , & Joannes , & Alexander , & quotquot erant de genere ſacer-
dotali . 7 Et ſtatuentes eos in medio , interrogabant : In qua virtute , aut in quo
nomine feciſtis hoc vos ? 8 Tunc repletus Spiritu ſancto Petrus , dixit ad eos :
Principes populi , & ſeniores audite : 9 Si nos hodie dijudicamur in benefacto
hominis infirmi , in quo iſte ſalvus factus eſt , 10 Notum ſit omnibus vobis , &
omni plebi Iſrael : quia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Nazareni , quem vos
crucifixiſtis , quem Deus ſuſcitavit a mortuis , in hoc iſte aſtat coram vobis ſa-
nus . 11 Hic eſt lapis , qui reprobatus eſt a vobis ædificantibus , qui factus eſt
in caput anguli : 12 Et non eſt in alio aliquo ſalus . Nec enim aliud nomen eſt
ſub cœlo datum hominibus , in quo oporteat nos ſalvos fieri . 13 Videntes au-
tem Petri conſtantiam , & Joannis , comperto quod homines eſſent ſine litteris , &
idiotæ , admirabantur , & cognoſcebant eos , quoniam cum Jeſu fuerant : 14 Ho-
minem quoque videntes ſtatim cum eis , qui curatus fuerat , nihil poterant con-
tradicere . 15 Juſſerunt autem eos foras extra concilium ſecedere : & conferebant
ad invicem , 16 Dicentes : Quid faciemus hominibus iſtis ? quoniam quidem no-
tum ſignum factum eſt per eos omnibus habitantibus Jeruſalem : manifeſtum eſt ,
& non poſſumus negare . 17 Sed ne amplius divulgetur in populum , commine-
mur eis , ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum . 18 Et vocantes eos ,
denuntiaverunt , ne omnino loquerentur , neque docerent in nomine Jeſu . 19 Pe-
trus vero , & Joannes reſpondentes , dixerunt ad eos : Si juſtum eſt in conſpectu
Dei , vos potius audire quam Deum , judicate . 20 Non enim poſſumus , quæ vi-
dimus , & audivimus , non loqui . 21 At illi comminantes dimiſerunt eos : non
invenientes quomodo punirent eos , propter populum , quia omnes clarificabant id ,
quod factum fuerat in eo , quod acciderat . 22 Annorum enim erat amplius qua-
draginta homo , in quo factum fuerat ſignum iſtud ſanitatis . 23 Dimiſſi autem ve-
nerunt ad ſuos : & annuntiaverunt eis , quanta ad eos principes ſacerdotum , & ſe-
niores dixiſſent . 24 Qui cum audiſſent , unanimiter levaverunt vocem ad Deum ,
& dixerunt : Domine , tu es , qui feciſti cœlum , & terram , mare , & omnia , quæ
in eis ſunt : 25 Qui Spiritu ſancto per os patris noſtri David pueri tui , dixiſti :
Quare fremuerunt Gentes , & populi meditati ſunt inania ? 26 Aſtiterunt reges ter-
ræ , & principes convenerunt in unum , adverſus Dominum , & adverſus Chriſtum
ejus ? 27 Convenerunt enim vere in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum
Jeſum , quem unxiſti , Herodes , & Pontius Pilatus , cum Gentibus , & populis Iſ-
rael , 28 Facere , quæ manus tua , & conſilium tuum decreverunt fieri . 29 Et
nunc , Domine , reſpice in minas eorum , & da ſervis tuis cum omni fiducia loqui
verbum tuum , 30 In eo quod manum tuam extendas ad ſanitates , & ſigna , &
prodigia fieri per nomen ſancti filii tui Jeſu . 31 Et cum oraſſent , motus eſt lo-
cus , in quo erant congregati : & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto , & loqueban-
tur verbum Dei cum fiducia . 32 Multitudinis autem credentium erat cor unum ,
& anima una : nec quiſquam eorum , quæ poſſidebat , aliquid ſuum eſſe dicebat ,
ſed erant illis omnia communia . 33 Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimo-
nium reſurrectionis Jeſu Chriſti Domini noſtri : & gratia magna erat in omnibus il-
lis . 34 Neque enim quiſquam egens erat inter illos . Quotquot enim poſſeſſores
agrorum , aut domorum erant , vendentes afferebant pretia eorum , quæ vendebant ,
35 Et ponebant ante pedes Apoſtolorum . Dividebatur autem ſingulis , prout cuique
opus erat . 36 Joſeph autem , qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis (quod
eſt interpretatum Filius conſolationis) Levites , Cyprius genere , 37 Cum habe-
ret agrum , vendidit eum , & attulit pretium , & poſuit ante pedes Apoſtolorum .

SUPER-

℣. 1. SUPERVENERUNT SACERDOTES.] Cum hæc omnia fierent in Templo, neque fieri poſſent ſine quadam tumultus ſpecie, præſertim vero ea hora, eaque in circumſtantia Sacerdotes, Præfectus ſtationariorum, & Saducæi accurrerunt, ut cœtum illum diſſiparent. Sacerdotes quidem illuc per invidiam abrepti fuerant; Saducæi vero, quia ſermo erat de JESU CHRISTI Reſurrectione, qua poſita omnia dogmata illorum labebantur, quippe mortuorum Reſurrectionem negabant; denique Magiſtratus Templi, ut præverterent quamlibet turbam, quam jure quidem ea in occaſione vereri poterant.

Quæritur, quinam eſſent hi *Magiſtratus Templi?* Credunt alii [1], Sacerdotes fuiſſe, vel Levitas, qui aliis Levitis præerant, ad Templi januas excubias peragentibus. Duo aderant duces, vel cuſtodum capita, inquiunt Rabbini; alter, qui diurnis, alter qui nocturnis præeſſet excubiis. Alii vero [2] putant, hos *Templi Magiſtratus* fuiſſe Romanos duces, quibus Romani milites parebant, poſiti in Templo, ut quaslibet vel averterent, vel compeſcerent, ſeditiones, ac turbas, quæ nimis frequenter accidebant in populo æque ad ſeditionem parato, uti erat Judaicus, præſertim vero præcipuis feſtivitatum diebus, quibus maxima erat convenarum frequentia.

Videmus in Evangelio duo hæc genera Magiſtratuum Templi: Judas enim convenit *Principes Sacerdotum, & Magiſtratus* [3], ut illis JESUM traderet. Illi proculdubio erant Judæi. JESUS in Olivarum horto comprehenſus dixit Luc. 22. 52. *ad Principes Sacerdotum, & Magiſtratus Templi, & Seniores: quaſi ad latronem exiſtis &c.* Hi vero fortaſſe erant Duces Romanarum copiarum, miſſi ad JESUM comprehendendum, quemadmodum ex S. Johanne innoteſcit [4], qui optime Romanam cohortem diſtinguit a ſervis Sacerdotum, & Phariſæorum, qui ea in occaſione illum comitati ſunt.

Libentius vero crederem, Duces Templi hoc in loco eſſe Cohortis Romanæ Præfectos [5], qui accurrerunt, ut diſſiparent populi turbam, qui circum Apoſtolos convenerat, & qui ſubinde ſemper increſcebat eorum concurſu, qui in Templum aſcendebant, & quem curioſitas videndi claudum recens curatum, eo in loco retinebat. Hi Romani milites ad id unum ibi erant poſiti. Duces autem vel Levitarum Præfecti, qui Templi erant janitores, hoc unum curabant, ne per januas ſibi creditas Ethnicus aliquis, vel immundus ingrederetur.

℣. 2. RESURRECTIONEM EX MORTUIS.] Saducæi ſoli hanc negabant: ſed eorum numerus, atque exiſtimatio tunc temporis maxime increverant, quod Caiphas Summus Pontifex non ſecus ac plurimi nationis Principes eidem ſectæ nomina dederant [6].

℣. 3. POSUERUNT EOS IN CUSTODIAM.] Ea die non potuerunt congregare Sanhedrin; nimis enim ſero erat; ſed duos Apoſtolos Petrum & Johannem in carcerem conjecerunt, fortaſſe in Templo eodem, & ſub Romanorum militum, vel Levitarum Templi janitorum cuſtodia. Illuc etiam claudus curatus conjectus fuit, ut ſimul omnes die craſtina ante Judices conſtituerentur. ℣. 10.

℣. 4. FACTUS EST NUMERUS VIRORUM, QUINQUE MILLIA.] Græcus [7]: *circiter quinque millia.* Sacri Auctores ſæpius addunt has particulas circiter, ferme, præter propter, non quod ambigant, vel quod humanitus dumtaxat ea, quæ dicunt, cognoſcant: ſed hæc communis eſt loquendi ratio, quæ innuit, Spiritum Sanctum operæ pretium non cenſuiſſe ſignanter hominum numerum afferre, quod fortaſſe res tantam non expeteret diligentiam. Numerus hic quinque mille hominum, qui ſecunda S. Petri prædicatione converſi ſunt, ſatis probat affluentiam gratiæ, & vim veritatis in ore

Tom. VII.

A Apoſtolorum. Adnotant Fromondus, Cornelius, & Menochius, Sacrum Auctorem explicite dicere *quinque virorum millia*, ex quo colligitur, ipſum hoc in numero minime complecti mulieres, & pueros, qui & ipſi non ita modicum numerum conſtituerant. Ita paucisſimis diebus, & uno fortaſſe Eccleſia octo hominum millibus & ultra aucta fuit [8].

℣. 5. PRINCIPES, & SENIORES, & SCRIBÆ,] poſtridie convenerunt, ut Apoſtolorum cauſam cognoſcerent; hoc eſt Sanhedrin univerſum congregatum eſt. Concilium illud compoſitum erat ex *Principibus populi*, tum ex Sacerdotali ordine, tum ex reliquo populo, qui poſteriores proprie *Seniores* vocabantur, & demum ex *Scribis*, vel Legis Doctoribus. Fama, quæ percrebuerat de claudi curatione, atque tot viro-

B rum converſione, & exiſtimatio, quam inde Apoſtoli erant adepti, ſatis Judæis probavit, ipſorum quam maxime intereſſe, Religionis naſcentis progreſſum inhibere, ne verus Religio penitus deſereretur. Si enim JESUS pro Meſſia agnoſcebatur; Evangelio omnes Legis cæremoniæ, atque Aaronis Sacerdotium erat abrogandum.

℣. 6. ANNAS PRINCEPS SACERDOTUM.] Hic actu ſupremi Sacerdotii munere inſignitus non erat, ſed eam dignitatem diu obtinuerat, atque ejuſdem titulo, quoad vixit, decoratus fuit. Hic inſignis eſt ille Annas vel Ananus, de quo verba facit Joſephus Antiq. l. 20. c. 8. qui cum annos undecim Pontificatum obtinuiſſet, vidit deinde quinque ex filiis ſuis poſt ſe ſuprema illa dignitate fulgentes, quod nondum alicui Sum-

C mo Pontifici contigerat. *Caiphas* vero, qui actu Summus erat Sacerdos, & qui ſex ante id tempus hebdomadis JESUM CHRISTUM extremo ſupplicio damnaverat, gener erat Anani, Joan. 18. 13.

Johannes, de quo hic ſermo fortaſſe filius eſt Anani, cujus meminit Joſephus de Bello l. 2. c. 25. & qui præfuit Acrabatenæ, & Provinciæ Gophniticæ. Illius nomen inter Summos Sacerdotes Anani ſucceſſores nullibi invenio, niſi hic idem eſt, ac Jonathas, qui Caiphæ ſucceſſit [9].

Alexander fortaſſe Alexander Lyſimachus, Pater Tiberii Alexandri [10]. Poſtremus hic Judæorum religionem reliquit, & poſt Fadum Judææ præfuit: Sed Alexander Lyſimachus, de quo hic ſermonem eſſe arbitramur, Judæos omnes ævi ſui opibus ſuperavit,

D maximis muneribus Templum decoravit, atque Regi Agrippæ amiciſſimus fuit. Hic vulgo vocatur Alexandrinarum Salinarum exactor.

℣. 7. INTERROGABANT, IN QUA VIRTUTE, AUT IN QUO NOMINE.] Numquid propria virtute, atque auctoritate claudum hunc curaſtis, an aliena auctoritate & nomine? Scire cupiebant, utrum hoc verum eſſet miraculum, an aliquod Magiæ ſecretum, vel Dæmonum aliquorum invocatio, aut aliarum vis incantationum. Harum rerum cognitio ad illos pertinebat: ipſorum erat Pſeudo-Prophetarum, Seductorum, Magorumque conatus inhibere. Sed illis facile erat cognoſcere, nihil tale in Apoſtolis inveniri. Simplex eorum narratio, quæ in claudi curatione contigerant, ſatis erat, ut omnem hanc illis ſuſpicionem

E auferret. Veteres Prophetæ in nomine Domini veniebant; ægros propria auctoritate curabant: vos autem in cujus nomine, & cujus auctoritate hæc miracula operamini?

℣. 8. REPLETUS SPIRITU SANCTO PETRUS,] longe alius ab eo, qualem ſe præbuerat in atrio Caiphæ, cum ad mulierculæ vocem Magiſtrum, & dominum ſuum negaverat. Ibi adimpleta videtur JESU CHRISTI promiſſio: *ad Præſides & Reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & gentibus: cum autem tradent*

Nnn vos,

1 Hebræi. Druſ. Fromond. Arias, Salmeron. Cornel. hic. Sigon. lib. 7. de Rep. Heb. c. 13.
2 Sanct. Ligfoot. Vide Act. 21.
3 Luc. 22. 4. Συνελάλησε τοῖς ἀρχιερεῦσι, καὶ τοῖς στρατηγοῖς, τὸ πῶς αὐτοῖς παραδῷ αὐτόν.
4 Joan. 18. 3. *Cum accepiſſet Cohortem, & a Pontificibus, & a Phariſæis miniſtros.*
5 Vide Joſeph. Antiqu. lib. 20. c. 4.
6 Act. 5. 17.
7 Ὡσεὶ χιλιάδες πέντε.
8 Vide Hieron. in cap. 40. Iſai. Auguſt. tract. 59. in Joan. Chryſoſt. hic.
9 Vide noſtram Diſſertationem de Succeſſione Summorum Pontificum Judæorum, libro Judith præfixam.
10 Joſeph. Antiq. lib. 20. c. 3. p. 690. & lib. 19. c. 4. p. 673. & lib. 18. c. 8. p. 630.

vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquemini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, Matth. 10. 18.

℣. 10. In nomine Domini Jesu Christi,] quem crucifixiſtis, homo iſte curatus eſt. Claudus curatus ibi aderat; factum ſatis manifeſtum erat: hoc unum quærebatur, in cujus nomine, & cujus auctoritate miraculum illud factum fuiſſet. S. Petrus ergo edicit, illud in nomine, ac virtute Jesu Christi factum, & addit, hunc eumdem eſſe Jesum Christum, quem Sacerdotes, & Seniores, ad quos loquebatur, per Romanorum manus crucifixerant, & qui a mortuis reſurrexerat. Mirabilis profecto eſt hujus Apoſtoli eo in cœtu confidentia; minime veretur eam veritatem aſſerere, quæ illos laceſſat, ſed in ſermonis decurſo illam moderatur, ut Seniores eoſdem ad pœnitentiam, & ſalutem invitet: *nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

℣. 11. Iste est lapis, qui reprobatus est,] cum perſecuti eſtis Jesum Christum euſque, ut Cruci affigeretis, ſed irridens Deus nequitiam veſtram permiſit, ut lapis hic in ædificii angulo ſtatueretur, ut Dei Filius reſurgeret, utque fieret recepta Eccleſiæ caput, ac novi populi Pater. Sacerdotes, & Seniores appellat *ædificantes*, quod in Synagoga inſtituti erant pro conſtructione, atque ſartis tectis ædificii ſpiritualis procurandis, ut populos erudirent, & a ſcandalis, nefariiſque doctrinis præſervarent.

Lapis, qui reprobatus eſt ab ædificantibus, factus eſt in caput anguli, ſententia eſt, ex Pſalmo 117. 22. deprompta, cui in Evangelio Matth. 21. 42. Salvator alludit. Hoc fortaſſe adagium quoddam erat apud Judæos, quo innuebatur hominis alicujus dignitas, qui a ſuis fuerat contemptus. Lapis poſitus in caput anguli eſt ille, qui in ſuperiori parte, atque in ædificii angulo utrumque parietem connectente ponitur. In Palæſtina, ubi domus minime tegebantur, quemadmodum noſtrates conſueverunt, ſed ſimpliciter in æquo ſolaria deſinebant, lapis angularis in ſuperiori vertice poſitus magnus eſſe debebat, ſpecioſus, ſolidus, cæſus, atque talis, ut utrumque parietem connectere poſſet, atque ædificio pondus, vim, atque decorem tribuere.

℣. 12. Non est in alio aliquo salus.] Unus Jesus Christus verus eſt Salvator, & humani generis liberator, unus Deum inter, & hominem [1] mediator. Per unum illum ſalvi, & facti ſunt, & fient quotquot facti ſunt, & fient a mundi ipſius initio ad finem uſque. Per Divini hujus mediatoris fidem Patriarchæ [2], atque Prophetæ Veteris Teſtamenti æternam felicitatem ſunt aſſecuti. Per illum hi omnes, qui in Eccleſia Chriſtiana ad ſalutem perveniunt, ſalvi fiunt, & ſanctificantur. *Nec enim aliud nomen eſt*, alia perſona, *ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Nomen ſæpius, quemadmodum alibi dictum eſt, pro perſona uſurpatur [3]; attamen Jesu Christi interceſſio illam amicorum Dei minime excludit, ſed hanc ipſa complectitur: per Jesum Christum Angelis, & Sanctis aditus patet ad patrem. Jesus Christus omnibus orationibus noſtris, & illis omnibus, quæ pro nobis effunduntur, meritum tribuit, quæ minime valent, niſi quatenus cum Salvatoris precibus conjunctæ ſunt.

℣. 13. Videntes Petri constantiam] vel loquendi licentiam [4], quemadmodum Græcus legit, eo magis admirati ſunt, quod noverant, hominem eſſe illiteratum, atque ex vulgo, & qui fuerat Jesu Christi diſcipulus. Hæc omnia eorum admirationem augebant: quo modo homines ſine litteris ita prudenter, atque tanta cum licentia loqui poſſunt, atque in rem utiliter adeo Scripturas proferre? quomodo Jesu Christi diſcipuli, quem ſciunt Crucifixum fuiſſe, licet tot miracula, atque populi favor illum tueri debuiſſent, prodire audent, ac ſe illius diſcipulos, ejuſque doctrinæ præcones confiteri; non ſimilem, vel etiam deteriorem exitum metuentes?

℣. 16. Quid faciemus hominibus istis?] Hic horum Sacerdotum, atque Seniorum improbum ſeſe prodit ingenium. Victi evidentia facti, quod inficiari non poterant, & claudi curati præſentia, cum veritati ſe dedere deberent, conſilium ineunt, quomodo illis neſarium bellum indicere poſſint, eiſque os obſtruere, qui eam prædicabant. Ita etiam ſecum quærebant, quomodo Jesum Christum comprehenderent, quod in ſingulos dies majora, & plura miracula operaretur: *quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Joan. 11. 47. niſi principiis obſiſtimus, omnes hunc hominem ſequentur, ac tandem nos derelicti erimus, vel coacti, ut ipſi etiam cum aliis eum ſequamur.

℣. 17. Ne ultra loquantur in nomine hoc.] Jesu videlicet, vel potius ne ultra de Jesu verba faciant, ne doctrinam illius prædicent, ne celebrent Reſurrectionem illius. *Comminemur eis.* Græcus magis ſignificat [5]: *cum minis minitemur eis*, ſeveriſſimas minas illis intentemus.

℣. 19. Si justum est in conspectu Dei.] Humana prudentia, atque propriæ utilitatis ratio exigerent, ut veſtra imperata faceremus; ſed coram Deo, atque juxta veritatem, & juſtitiam nobis facere non licet. Numquid æquum eſt contra Dei voluntatem, atque mandata hominibus obtemperare? Deo jubente nos loqui, fas non eſt, nos tacere. Hoc principium omni caret dubitatione, atque illud Ethnici ipſi confitentur [6]: hoc autem agebatur ſolum, ut probarent, ſe a Deo juſſos loqui. At Jesus Christus hoc illis præceperat, & Spiritus Sanctus, quo erant afflati, non ſinebat illos ambigere, quominus hæc eſſet voluntas Dei. Simili in occaſione nemo tacere poſſet, quin ſe reum ſtatueret cujuſdam veluti proditionis contra veritatem. Non deſunt caſus quidam, in quibus tacere idem eſt, ac prævaricari.

Deus nos conſtituit, ut teſtes eſſemus ipſius; ipſe non permiſit, ut illi teſtimonium minime perhiberemus. Juſtitiam lædit, qui innocenti teſtimonium renuit; multo magis ergo, qui Deo a nobis illud expetenti teſtimonium perhibere non vult. Ita (℣. 20.) *non poſſumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui.* Deus ex nobis rationem repetit veritatum, quas nobis credidit, & cujus nos teſtes ſumus, atque ſequeſtres. Eas in nobis metipſis retinere non poſſumus, quin injurii ſimus, & Deo, a quo illas accepimus, & hominibus, quibus illas debemus: *nam ſi evangelizavero, non eſt mihi gloria* S. Paulus ajebat 1. Cor. 9. 16. *neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero.*

℣. 23. Adsunt.] Fratres videlicet ſuos, & alios Apoſtolos, qui ſimul congregati, atque precibus vacantes præſtolabantur primæ hujus perſecutionis eventum: non enim ignorabant, illos in vincula datos fuiſſe; cæterum vero minime latebat Sacerdotum, atque Seniorum populi invidia contra illos, qui ſe Jesu Christi diſcipulos profitebantur.

℣. 25. Qui Spiritu Sancto per os David.] In Græco typis edito [7], non leguntur ea verba *Spiritu Sancto*, quæ tamen extant in plurimis optimis MSS. in Syriaca Verſione, & Arabica, in S. Irenæo, S. Ambroſio, Lucifero Calaritano, non ſecus, ac in Vulgata. Spiritus Sanctus verus eſt, ac primus harum Prophetiarum Auctor; ipſe perſpicue, & Gentilium, & Judæorum in Eccleſiam perſecutiones prædixit in altero Pſalmo: *quare fremuerunt gentes*, Ethnici *& populi* Judæi, *meditati ſunt inania?*

℣. 26. Principes convenerunt.] Principes Judæorum capita Sanhedrin, Summi Judæorum Sacerdotes ſimul convenerunt, ut Deo obſiſterent, Christum illius tollerent, & eos, qui in illum credent, Reſurrectio-

[1] 1. Timot. 2. 5. Hebr. 8. 6. 9. 15. &c. [2] Vide Aug. ſerm. 224. nov. edit. n. 4. 5. & in Pſal. 18. enar. 2. n. 1. & lib. de peccato origin. contra Pelag. & Celeſt. c. 24. & 26. & ſeq. & alibi paſſim. Ita et alii PP.
[3] Act. 1. 15. [4] Τὴν τοῦ Πέτρου παῤῥησίαν.
[5] Ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα. [6] Vide Grot. hic, & de jure belli, & pacis, lib. 2. c. 26. art. 3.
[7] Græc. Ὁ διὰ στόματος Δαβὶδ τοῦ παιδός σου. Alii: Ὁ διὰ πνεύματος ἁγίου. Alii: Ὁ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, &c.

rectionem, & Evangelium ejuſdem annontiant, perſequerentur Herodes, & Pilatus, Sanhedrin univerſum, & maxima populi pars primum contra JESUM CHRISTUM inſorrexerunt, cumque ad mortem uſque ſunt perſecuti. Perſiſtunt, in nos omnem nequitiam, atque odium ſuum depromere: ſed omnes illorum conatus in id evaſerunt, ut divina conſilia adimplerent, & ℣. 28. *facerent, quæ manus tua & conſilium tuum decreverunt fieri*. Hæc omnia eorum improbitatem minime excuſant: ſed oſtendunt infinitæ tuæ Sapientiæ poteſtatem, quæ ex malo ipſo bonum educere novit, & cui nihil obicem ſtatuere poteſt. Prævidiſti, & permiſiſti; ſed neque approbaſti, neque præcepiſti odium, & pravam voluntatem inimicorum Filii tui. Conſtituiſti quidem in æternis decretis tuis, te illis Filium tuum traditurum; at non præcepiſti, ut illi injuſti eſſent, at- B que violenti.

℣. 30. IN EO, QUOD MANUM TUAM.] Da mihi Spiritum fortitudinis ad minas eorum contemnendas, & nobis concede donum curationis ægritudinum, ut hoc pacto inimicos nominis tui confundamus, atque pergamus perfecta confidentia, atque libertate veritates tuas annunciantes. Hic verus eſt miraculorum fructus; fideles in fide confirmare, infideles convertere, & veritatis præconibus auctoritatem conciliare. Hæc loquendi ratio, *manum tuam extendens*, ſignificat actum auctoritatis, atque poteſtatis inauditæ: *in manu extenta, & brachio excelſo*.

℣. 31. MOTUS EST LOCUS.] Hic terræ motus ſignum eſt, Deum adeſſe, preces exaudiri [1], Spiritum Sanctum accedere, qui in cordibus eorum zeli, atque C fervoris vim inſtauravit, atque recentem gratiam, ac lumina infudit: nam licet Apoſtoli actualibus ſimul, & habitualibus gratiis cumulati fuiſſent die Pentecoſtes, recentibus tamen indigebant auxiliis, quæ illos regerent; & jugiter illuminarent, ne proprio pondere in cogitationes, & deſideria concupiſcentiæ detraherentur. Spiritus Sancti gratia ignis eſt, quem in cordibus noſtris accendere, atque fovere debemus indeſinenter, recentes gratias expetentes, iiſque ſumma fide cooperantes, & cordis noſtri curæ invigilantes [2].

℣. 32. MULTITUDINIS CREDENTIUM ERAT COR UNUM [3].] Perfecta in illis erat cordis, voluntatis, & ſententiarum conformitas; in una fide, charitate, eodemque deſiderio conjuncti erant, ut pro JESU CHRI- D STO vitam effunderent, cumque pro virili imitarentur. Hic eſt effectus orationis, quam Salvator ad Patrem effuderat, *ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipſi in nobis unum ſint*, Joan. 17. 21. Et Joan. 13. 35. *in hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*.

NEC QUISQUAM ALIQUID SUUM ESSE DICEBAT.] Meum, ac tuum, frigidum illud, ac fatale verbum, quod in mundo tot mala, tot bella parit, inquit S. Chryſoſtomus [4], ab illis procul exulabat. Se ipſos omnes tamquam in eadem domo filios conſiderabant; omnia inter illos erant communia. Pater Cœleſtis magnus erat Pater familias, qui habebatur tamquam omnium bonorum promus condus, quæ diſcipuli ſimul in medium conferebant. Ita apud illos neque pauperes E erant, nec locupletes. Vivebant ſine cura, ſine ambitione, ſine invidia, ſine murmuratione. Gratiæ, & charitatis abundantia, eorum opes erant, & eorum voluptas. Illud vero magis admirationem meretur, A quod ſponte ſe ſe omnibus bonis exuebant, & cuique integrum erat ſuas ſervare ſubſtantias, eaſque juxta regulas a religione præſcriptas impendere [5]. At perpauci libertate hac utebantur; Cum enim omnium bonorum ſuorum jura cederent, nihil ipſis erat metuendum, non perſecutiones, non bonorum jactura, non paupertatis incommoda, qui ut plurimum ſcopuli ſunt, in quos optimæ etiam vocationes nonnumquam illiſæ franguntur.

℣. 33. VIRTUTE MAGNA REDDEBANT APOSTOLI &c.] Magna vi, libertate, confidentia, magniſque miraculis [6], quæ maxime in corda & mentes eorum, a quibus audiebantur, teſtimonium perhibebant Apoſtoli veritati Dominicæ Reſurrectionis.

GRATIA MAGNA.] Dominus in illos copioſas effu- B derat gratias, quæ enitebant in iis miraculis, quæ illi operabantur. Effulgebat in eorum perſonis, actibus, & verbis gratia. Græcus verti etiam poteſt [7]: ab omnibus mortalibus diligebantur, apud omnes generatim ſummo erant in pretio, & amore [8].

℣. 34. QUOTQUOT ENIM &c.] Quicumque bona ſua cupiebat vendere, nemo enim cogebatur: ſed pauci ex iis, qui recens ad fidem convertebantur, ab hac regula ſe ſe eximebant, quam perfectiorum virorum exempla cæteris aſtruebant faciliorem. Prædiorum ergo venditorum pretium afferebant *ante pedes Apoſtolorum*, ut innuerent, ſe illis facultatem ipſum diſtribuendi conferre, tamquam patribus familiæ JESU CHRISTI, atque credentium; & voluntatum illius adminiſtris.

C ℣. 36. JOSEPH, QUI COGNOMINATUS EST BARNABAS.] Hoc ille nomine fortaſſe appellatus fuit, ut diſtingueretur ab alio Joſeph, qui *Barſabas*, & *juſtus* appellabatur. Hæ voces *Barnabas*, & *Barſabas*, Syriacæ ſunt. Græcus pro *Joſeph*, legit *Joſes*, & quædam exemplaria pro *Barnaba* legunt *Barſabam* [9]: Unde nonnulli ſuſpicati ſunt, Barnabam S. Pauli amicitia inſignem, & de quo ſæpius hac in hiſtoria ſermo erit, eumdem eſſe ac Barſabam, qui una cum Matthia electi fuerunt, ut ſuper eos Apoſtolatus ſortes conjicerentur.

Barnabas quidem erat ex tribu Levi, licet ejus familia ſedem fortunarum ſuarum in Inſula Cypro conſtituiſſet, ubi complures Judæi verſabantur, quemadmodum liquet ex Dione, eorum in eadem Inſula ſeditiones D ennarrante [10]. Veteres complures [11] crediderunt, illum fuiſſe ex numero Septuaginta Diſcipulorum Domini [12], atque huic maturato adhæſiſſe. Græci in Officio ſuo [13] primum illi inter ſeptuaginta hos diſcipulos deferunt locum. Ille omnia repente abdicavit, & Patriam, & bona, & ſeipſum, juxta Apoſtolorum exemplum, & poſt Aſcenſionem vendidit agrum, quem in Inſula Cypro juxta nonnullos, vel prope Jeroſolymam juxta alios [14] habebat, & cujus pretium attulit ad pedes Apoſtolorum. Ajunt, hunc S. Pauli condiſcipulum fuiſſe, eoſque ſimul ſub Gamaliele ſtuduiſſe. Ille certe Apoſtolo huic ſemper adhæſit, donec ab eo receſſit per Johannis Marci occaſionem, quemadmodum infra videbimus. Act. cap. 15. ℣℣. 36. 39. [15].

E Quoad alios Paleſtinæ fideles, inde videntur hæreditates ſuas vendidiſſe, quod ex revelatione didicerant, Judæam quamprimum hoſtibus eſſe tradendam, ſe vero fugam arripere coactum iri, ut perſecutiones tum concivium ſuorum, tum externorum etiam effugerent [16].

---

1 Chryſoſt. & alii hic. 2 Vide Chryſoſt. hic. Aug. paſſim, Fromond. Cornel. alios.
3 Quædam exemplaria Græca addunt: *Inter eos nullum aderat diſcrimen*, vel nulla diviſio. Cantabrig. G. L. Καὶ οὐκ ἦν ἐν αὐτοῖς διάκρισις. Laud. 3. Καὶ οὐκ ἦν χωρισμὸς ἐν αὐτοῖς τις. Beda Retract. in Acta. *Et non erat in illis ſeparatio ulla*. Ait ita legiſſe Exemplaria Græca. Citat S. Cyprianum lib. 3. ad Quirin. qui legit: *Nec fuit inter illos diſcrimen ullum*. 4 Chryſoſt. homil. de S. Philogon. t. 1. p. 395. 5 Infra Act. 5. 4.
6 Μεγάλῃ δυνάμει. Vide Luc. 5. 17. Rom. 15. 19. Vat. Pric. Cornel. Menoch. Fromond.
7 Χάρις μεγάλη ἦν ἐπὶ πάντας αὐτούς. 8 Vide Grot. Sanct. Cornel. Menoch. 9 Vide Var. Lect. Mill. hic.
10 Dion. lib. 68. 69. 11 Clem. Alex. Strom. lib. 2. p. 410. Euſeb. hiſt. Eccl. lib. 1. c. 12. lib. 2. c. 1. Epiphan. hæreſ. 20. c. 4. 12 Marc. 19. 27. 13 Menolog. Græc. p. 118. 14 Surius 11. Jun. p. 170.
15 Surius ibidem. Vide Not. 5. Tillemontii in S. Barnabam.
16 D. Thom. ad Galat. 2. Lect. 2. Fromond. hic. Ligfoot. Grot. ad verſ. 32.

CAPUT V.

Ananias, & Saphira ob mendacium ſubita morte percutiuntur. Apoſtolorum miracula, qui ab Judæis in carcerem truduntur, & ab Angelo liberantur. S. Petro ad Judices ſermo, quos diſſuadet Gamaliel, ne Apoſtolos enecent. Illi tamen flagris caduntur, ſed lætantur eo, quod pro JESU CHRISTO fuerint perpeſſi.

1. VIr autem quidam, nomine Ananias, cum Saphira uxore ſua vendidit a-
grum, 2 Et fraudavit de pretio agri, conſcia uxore ſua: & afferens
partem quandam, ad pedes Apoſtolorum poſuit. 3 Dixit autem Pe-
trus: Anania, cur tentavit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & frau-
dare de pretio agri? 4 Nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tua e-
rat poteſtate? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus homini-
bus, ſed Deo. 5 Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expiravit. Et
factus eſt timor magnus ſuper omnes, qui audierunt. 6 Surgentes autem juvenes
amoverunt eum, & efferentes ſepelierunt. 7 Factum eſt autem quaſi horarum trium
ſpatium, & uxor ipſius, neſciens quod factum fuerat, introivit. 8 Dixit autem
ei Petrus: Dic mihi, mulier, ſi tanti agrum vendidiſti? At illa dixit: Etiam tanti,
9 Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini?
Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum, ad oſtium, & efferent te. 10
Confeſtim cecidit ante pedes ejus, & expiravit. Intrantes autem juvenes, invene-
runt illam mortuam, & extulerunt, & ſepelierunt ad virum ſuum. 11 Et factus
eſt timor magnus in univerſa eccleſia, & in omnes, qui audierunt hæc. 12 Per
manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe. Et erant una-
nimiter omnes in porticu Salomonis. 13 Ceterorum autem nemo audebat ſe conjunge-
re illis; ſed magnificabat eos populus. 14 Magis autem augebatur credentium in
Domino multitudo virorum, ac mulierum, 15 Ita ut in plateas ejicerent infirmos,
& ponerent in lectulis, ac grabatis, ut, veniente Petro, ſaltem umbra illius obum-
braret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. 16 Concurrebat autem
& multitudo vicinarum civitatum Jeruſalem, afferentes ægros, & vexatos a ſpiritibus im-
mundis, qui curabantur omnes. 17 Exurgens autem princeps ſacerdotum, & omnes,
qui cum illo erant (quæ eſt hæreſis Sadducæorum) repleti ſunt zelo: 18 Et injece-
runt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia publica. 19 Angelus autem
Domini per noctem aperiens januas carceris, & educens eos, dixit: 20 Ite, & ſtan-
tes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. 21 Qui cum audiſſent, intra-
verunt diluculo in templum, & docebant. Adveniens autem princeps ſacerdotum, & qui
cum eo erant, convocaverunt concilium, & omnes ſeniores filiorum Iſrael; & miſe-
runt ad carcerem, ut adducerentur. 22 Dum autem veniſſent miniſtri, & aperto car-
cere non inveniſſent illos, reverſi nuntiaverunt, 23 Dicentes: Carcerem quidem inve-
nimus clauſum cum omni diligentia, & cuſtodes ſtantes ante januas: aperientem au-
tem neminem intus invenimus. 24 Ut autem audierunt hos ſermones magiſtratus
templi, & principes ſacerdotum, ambigebant de illis, quidnam fieret. 25 Adve-
niens autem quidam nuntiavit eis: Quia ecce viri, quos poſuiſtis in carcerem, ſunt
in templo ſtantes, & docentes populum. 26 Tunc abiit magiſtratus cum miniſtris, &
adduxit illos ſine vi; timebant enim populum ne lapidarentur. 27 Et cum addu-
xiſſent illos, ſtatuerunt in concilio. Et interrogavit eos princeps ſacerdotum, 28
Dicens: Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto; & ecce re-
pleſtis Jeruſalem doctrina veſtra; & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis
iſtius. 29 Reſpondens autem Petrus, & Apoſtoli, dixerunt: Obedire oportet Deo
magis, quam hominibus. 30 Deus patrum noſtrorum ſuſcitavit Jeſum, quem vos
interemiſtis, ſuſpendentes in ligno. 31 Hunc principem, & ſalvatorem Deus
exaltavit dextera ſua, ad dandam pœnitentiam Iſraeli, & remiſſionem peccatorum.

Et nos

32 Et nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus
omnibus obedientibus ſibi. 33 Hæc cum audiſſent, diſſecabantur, & cogitabant
interficere illos. 34 Surgens autem quidam in concilio Phariſæus, nomine Gama-
liel, legis doctor honorabilis univerſæ plebi, juſſit foras ad breve homines fieri.
35 Dixitque ad illos: Viri Iſraelitæ, attendite vobis ſuper hominibus iſtis, quid
acturi ſitis. 36 Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens ſe eſſe aliquem, cui
conſenſit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occiſus eſt; & omnes,
qui credebant ei, diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum. 37 Poſt hunc extitit Ju-
das Galilæus in diebus profeſſionis, & avertit populum poſt ſe, & ipſe periit;
& omnes quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt. 38 Et nunc itaque dico vo-
bis, diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos; quoniam ſi eſt ex hominibus
conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur: 39 Si vero ex Deo eſt, non poteritis
diſſolvere illud, ne forte, & Deo repugnare inveniamini. Conſenſerunt autem il-
li. 40 Et convocantes Apoſtolos, cæſis denunciaverunt, ne omnino loquerentur
in nomine Jeſu, & dimiſerunt eos. 41 Et illi quidem ibant gaudentes a conſpe-
ctu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. 42
Omni autem die non ceſſabant, in templo, & circa domos docentes, & evangeli-
zantes Chriſtum Jeſum.

A ℣. 1. ANANIAS CUM SAPHIRA UXORE SUA VENDIDIT AGRUM.] Sed futuras veritus egeſtates, Apoſtolis inſciis pretii partem ſibi reſervavit. Opponit S. Lucas hoc Ananiæ, & Saphiræ exemplum exemplo S. Barnabæ, de quo nuper locutus fuerat. Credunt autem [1], conſilium hoc, quo fideles prædia ſua vendebant, eorumque pretium ad Apoſtolos afferebant, implicite ſaltem continuiſſe votum, nihil ſibimet reſervandi, ſed omnia in commune Fidelium conferendi; atque Ananiæ, & Saphiræ ſcelus in hujus voti infractione ſtetiſſe, qua de re illi a Patribus ſacrilegi, & rei ſacræ fures vocantur.

℣. 3. CUR TENTAVIT SATANAS COR TUUM?] Vel, cur adhæſiſti tentationi Satanæ ſuadentis, ut Spiritui Sancto mentireris, & me de veritate celares; B me, quem Spiritu ſancto afflatum eſſe minime ignoras. Græcus [2]: *Cur Satanas tibi replevit cor tuum*; cur paſſus es Satanam in cor tuum ingredi; cur temere illi tradidiſti; poteſt quidem tentator ille nos urgere, ut aſſentiamur, ſed cogere minime poteſt: tentare poteſt, ſed invitos non poteſt in errorem inducere [3]. Quidam [4] vertunt: *cur obduravit Satanas cor tuum?* Cur tibi temerariam peccandi audaciam immiſit? ita ille in cor Judæ ingreſſus eſt [5], atque eodem potitus eſt, ut ſine metu, & citra conſcientiæ ſtimulos in turpe facinus rueret.

Mentiri Spiritui Sancto hoc in loco ſignificat, velle fallere Apoſtolos Spiritu ſancto repletos [6], vel periculum facere velle, utrum vere Spiritu Sancto repleti ſint, atque ita agere, quaſi ambigeretur, utrum vere C Spiritu Sancto ſint afflati [7], vel ſimulare ſe, Spiritu Sancto duce [8] regi, atque pietatis, & virtutis amore duci; licet non aliud ſequaris, quam cor tuum, tuum ingenium, ambitionem, vanitatem, vel denique iis deeſſe, quæ Deo, ac Spiritui Sancto promiſſa fuerunt [9]. Votum violaſti, quo ſpoponderas te omnia bona tua communi Eccleſiæ, fratrumque utilitati dedicaturum.

A ℣. 4. NONNE MANENS TIBI MANEBAT?] Poteras vel hæreditatem non vendere, vel, ubi vendideras omnem tibi reſervare pecuniam, vel mediam tantum vovere; nemo enim te coegit, ut venderes, vel ut totum prædii tui pretium afferres: at cur auſus es nos decipere, & Deum ipſum, ſi fieri poſſet, fallere, veritatem celans, & dimidium pretii duntaxat afferens? Qui non vendebant agros ſuos, domi ſuæ privatim vivebant, neque participes erant communium diſtributionum, & bonorum communitatis. Ananias, & Saphira per ambitionem perfectiores imitari voluerunt [10], ſed illos avaritia ſedaxit; *bene obtulerunt, ſed male diviſerunt* [11].

NON ES MENTITUS HOMINIBUS, SED DEO.] Deus a te læſus fuit, eumque fallere quodammodo auſus B es, ea retinens, quæ illi ſpoponderas: Fallere hominem, eſt violare leges charitatis, veritatis, & rectæ fidei. Falli Deus minime poteſt; at eum velle fallere, omnium graviſſima eſt dementia. Qui Deum fallere quærit, ſeipſum ſeducit, verumtamen Deo infert contumeliam, quam poteſt, maximam, quod ſimul illius ſapientiam, ſcientiam, potentiam, veritatem, juſtitiam, eſſentiam offendit.

℣. 5. CECIDIT, ET EXSPIRAVIT.] Ananias hac S. Petri exprobratione quaſi fulminis ictu perculſus ſtatim ad pedes illius animam efflavit. Origenes [12] hoc acceptum refert terrori, & pudori, qui ſimul illum inceſſerunt. Narrat Plinius l. 7. cap. 53. Diodorum Dialecticum repente animam effudiſſe, quod reſpondere e veſtigio non potuiſſet ineptæ quæſtioni, ſibi a quo- C dam, qui Stilbon appellabatur, propoſitæ. Credunt alii [13], Deum intrinſecus lethali vulnere illum percuſſiſſe, ubi eum Petrus allocutus eſt; nec deſunt, qui cenſeant, Deum Angeli uſum fuiſſe miniſterio, ut illum interimeret [14]. Porphyrius Chriſtianæ Religionis infenſiſſimus hoſtis [15] ſævitiæ redarguebat S. Petrum, quod ex Deo Ananiæ mortem petierat. Sed hæc eſt Porphyrii calumnia, neque uſpiam legimus, mortem Ananiæ a S. Petro fuiſſe expetitam; & San-

1 Hieronym. Epiſt. 8. Baſil. ſerm. 1. de inſtit. Monach. Chryſoſt. hic. Oecumen. Cyprian. lib. 3. ad Quirin. Aug. ſerm. olim 10. de diverſ. nunc 148. n. 2. Greg. lib. 1. Regiſtri Ep. 31. nunc 34. Ita & Sanct. Grot. Corn. Tir. alii paſſim. 2 Διατί ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς τὴν καρδίαν σε. Alii: Διατί ἐπείρασεν. Ita Velez. Vulgat. Athanaſ. Beda, ſed Epiphan. & Auguſt. utroque modo.

3 Vide Bedam, From. Eſt. alios. 4 Vide Syr. Grot. Hamm. Med. Lud. de Dieu.

5 Luc. 22. 3. Joann. 13. 27. 6 Vide Grot. Piſcat.

7 Vide infra verſ. 9. *Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini?*

8 Eraſm. Vatab. Cajet. 9 Cornel. Menoch. Med. Ham. Fromond. Sanct.

10 Baſil. ſerm. 1. de inſtitut. Monach. 11 Vide Geneſ. 4. 7. juxta 70.

12 Origen. in Matth. p. 383. 2. edit. Huet. Sanct. hic. 13 Cornel. Menoch.

14 Carthuſ. Salmeron. Vide Aſtet. hom. 8. 15 Hieron. ad Hedib. qu. 1.

ctus Gregorius Magnus [1], vi vocis S. Petri hanc mortem attribuit.

Patres, atque Interpretes de Ananiæ ſalute diſcrepantes abeunt in diverſa, credentibus aliis, illum in ſcelere, atque impœnitentia ſua obiiſſe, aliis aſſerentibus corporis morte, qua perculſus fuit, ſcelus illius hoc in mundo fuiſſe expiatum. Non deſunt etiam, qui mortem illius pœnitentiæ, ac doloris ejus vi cenſeant referendam. Origenes [2], & S. Auguſtinus [3] ex veteribus æquiores ſe Ananiæ, & Saphiræ præbent: *credendum eſt autem, quod poſt hanc vitam ſit pepercerit Deus; magna eſt enim ejus miſericordia . . . correpti ſunt mortis flagello, ne ſupplicio punientur æterno*; quam ſententiam S. Hieronymus ad Demetriadem, Petrus Damiani lib. de contempt. ſæculi cap. 3. & recentiores quidam [4] amplexati ſunt, eaque magis conformis videtur ideæ, qua de infinita Dei miſericordia ſumus imbuti.

At S. Johannes Chryſoſtomus hic, S. Baſilius [5], aliique nonnulli oppoſitæ favent ſententiæ. Nulla in Anania, & Saphira doloris erat, & pœnitentiæ nota. Eorum ſcelus ingens erat; erat quippe ſacrilegium, furtum, voti violatio. Nullum intercedit temporis ſpatium ſcelus inter, & ſupplicium, inter Petri redargutionem, & utriuſque illius calamitoſi mortem. Conſuevit Deus, in tradendis legibus, inſtituendiſque Religionibus ipſo initio ſeveriſſime eos punire, qui ſua, ſuorumque ſervorum præcepta violant. Satis liquet, qua pœna affecerit Deus inobedientiam & Adæ, & aurei vituli cultorum, & illius, qui primus Sabbathi legem violavit, & primi Regis Hebræorum, & Sacerdotum, qui primi profano, & communi igni thus adoleverunt. Hujuſmodi in occaſionibus punit Deus peccatum, ut pravos illius præveniat effectus. Crimina, quæ primum accidunt, ſemper maximi ſunt habenda momenti, quod in aliorum exemplum tranſeant [6].

℣. 6. Juvenes amoverunt eum.] Et tumularunt extra civitatem, ubi vulgo aderant monumenta. Maturabant autem mortuos efferre propter regionis calorem: verebantur quippe, ne corpora contabeſcerent, & domos, atque urbes lue inficerent. Græcus verti poteſt [7]: *involverunt illum linteis, vel vittis* [8], *atque abſtulerunt, ut illum tumularent.*

℣. 9. Tentare Spiritum Domini.] Exploraturus utrum vere Deus iſta norit, vel potius, utrum nos veritatem compertam habeamus eorum, quæ dicitis; vel utrum vere Divino Spiritu afflati ſimus. Primum quidem procuIdubio in mente eorum minime verſabatur, ut hoc periculum facerent; agebant tamen, perinde ac talis eſſet mens eorum.

Ecce pedes eorum.] Hoc ille per revelationem intellexit, quemadmodum intellexerat, quæ de Ananiæ, & Saphiræ venditione contigerant. Vide ſimillimam prorſus prophetiam in quarto Regum libro cap. 6. ℣. 32. Cum Achab ſatellitem miſiſſet, qui Eliſæum obtruncaret, Eliſæus juſſit, domus ſuæ portam claudi; nam, addidit ille, audio pedes Domini illius, illum ſequentis, ut mandatorum effectum inhibeat.

℣. 12. Erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.] Cur autem hac in porticu? quod major erat, atque remotior ab atrio Sacerdotum. Superius cap. 3. 11. adnotavimus poſt Joſephum illam atrium Gentilium reſpexiſſe, hoc eſt, ingentem illam planitiem, quæ Templum undique circuibat, & quo omnes promiſcue Judæi, Gentiles, mundi, immundi ingredi poterant. Cum ampla eſſet illa area, illuc Apoſtoli pergebant, populum allocuturi, quod in Templo facere auſi non fuiſſent propter Sacerdotes, qui illos interpellaſſent, eique ſilentium indixiſſent. Sed Porticus Salomonis, atque atrium Gentilium tamquam extra Templum poſita cenſebantur.

℣. 13. Cœterorum nemo audebat &c.] Judæorum natio tunc plures in ſectas erat diviſa, quarum ſingulæ peculiares quibuſdam in rebus ſententias fovebant. Apoſtoli vero nullam ex illis adoptaverant. Et nemo ex aliis ſectis Apoſtolis ſe ſe conjungere audebat: non Phariſæi, non Sadducæi, non Diſcipuli Judæ Galilæi, quos eoſdem, ac Herodianos eſſe arbitramur. Fulgor virtutis, & miraculorum, & virtus Spiritus Sancti per illorum os loquentis, adverſariis omnibus caliginem obducebant; nemo illos laceſſere, neque cum illis verbo decertare audebat. Populus eos laudibus cumulabat, neque cæteris aures amplius præbebat. Hoc vero Sacerdotes, atque Magiſtratus ægerrime ferebant, cum veteres eſſent Jeſu Chriſti inimici. Deficientibus autem rationibus in Apoſtolos vi, & impotentia abutuntur.

℣. 15. Ita ut in plateas.] Hoc ſimul oſtendit, & magnam populi fidem, & præſtantiam doni miraculorum, quo Deus Principem Apoſtolorum ſuorum decoraverat. Ita adimpletum eſt verbum illud Jeſu Chriſti Joann. 14. 12. *qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet*; ſaltem quoad rationem faciendi [9]; nullibi enim legimus, a Salvatore ægrotos tanta cum facilitate, atque pompa curatos fuiſſe. Veteres quidam [10] uni Petro conceſſam fuiſſe putant facultatem umbra corporis ſui ægros curandi: ſed S. S. Auguſtinus in Joann. hom. 44. & Cyrillus Alexandrinus in Julianum l. 6. hoc omnibus Apoſtolis tribuunt. S. Auguſtinus in Pſalm. 130. 1. aſſerit etiam, ad S. Petri umbram mortuum reſurrexiſſe; & S. Ambroſius ep. 54. cum his miraculis, quæ S. Petri umbra operata eſt, illud confert, quod fiebat linteis quibuſdam, quæ S. S. Martyrum reliquias attigerant. Vetus Auctor, qui S. Auguſtini nomine circumfertur [11], S. Petri exemplo utitur, Sanctarum Reliquiarum virtutem probaturus: *ſi inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis habere potuit in ſe vim ſalutis; quanto plus de corpore membrorum attrahere ſalubritatis facit impreſſa membris vincula Paſſionis?*

℣. 17. Principes Sacerdotum . . . quæ est hæreſis Sadducæorum.] Superius jam ℣. 13. animadvertimus, neminem Phariſæorum, vel Sadducæorum [12] auſos fuiſſe ſe ſe cum Apoſtolis conjungere, & populum ſermonibus eorum illectum, aliis aures amplius non præbuiſſe. Repente igitur Caiphas Summus Sacerdos, & alii, qui ab illo pendebant, & qui erant in ſecta Sadducæorum, impatientia abrepti miſerunt, qui Apoſtolos comprehenderent, eoſque in carcerem truderent. Docet Joſephus Antiqu. l. 18. cap. 2. pleroſque ex Principibus nationis ſuæ Sadducæorum ſectæ adhæſiſſe, quæ ab Epicuræorum ſchola non longe abhorrebat. Secta hæc eo magis in Apoſtolos exarſerat, quod hi palam Jeſum Chriſtum a mortuis reſurrexiſſe docebant, atque poſt mortem homines æterna vel præmia, vel ſupplicia manere prædicabant, quod Sadducæiſmum funditus evertebat.

Interpretes quidam Græcum eo modo vertunt, qui Summum Sacerdotem ex hac Sadducæorum ſchola extrahit

1 Gregor. Mag. lib. 5. Regiſtri, Ep. 24. & l. 2. Dialog. c. 30. Ita & Chryſoſt. & Author de mirabilib. Sacr. Script. ſub nomine Aug. lib. 3. c. ult. 2 Origen. in Matt. edit. Huet. p. 385.
3 Aug. ſerm. olim 10. de diverſ. nunc 148. & in Parmen. l. 3. c. 1. Vide & S. Bened. Reg. c. 57.
4 Sanct. Salmeron. Dionyſ. Carth. Cornel. a Lapide. 5 Baſil. ſerm. 1. de juſtit. Monach. & orat. de humilit. & orat. de jejunio. Beda hic. 6 Vide Auguſt. lib. 3. contra Parmen. Caſſian. Collat. 6. cap. 1. Iſidor. Peluſ. lib. 1. Ep. 181. &c. 7 Συνέστειλαν αὐτὸν, καὶ ἐξενέγκαντες ἔθαψαν.
8 Syr. Arab. Grot. Caſaub. Lud. de Dieu, Fuller, &c. credunt συνέστειλαν, idem eſſe ac περιεστείλαν
9 Auguſt. in Joann. homil. 44. Chryſoſtom. hic. Aster. homil. 8. alii.
10 Arator. lib. 1. cap. 12. Aster. homil. 8. pag. 136. 11 In appendice tom. ſerm. 203. n. 4. 5. olim 29. de Sanctis. 12 Grot. Menoch.

trahit [1]: *Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant, & hæreſis Saducæorum*; ſed addita particula *&* nullius exemplaris fide probatur; eaque ſi admittatur ex libidine, Sacer Textus quoquoverſum poterit contorqueri. Legatur, uti jacet, & perſpicue videbitur ſenſus ille, quem primum propoſuimus.

REPLETI SUNT ZELO.] Ira, invidia; nam Græca vox ζῆλος, non ſecus ac Latina zelus in utramque partem accipitur. Summus Sacerdos, & qui cum eo erant, vel falſo ſectæ ſuæ zelo ſe actos ſenſerunt, vel invidia progreſſuum religionis Jeſu Chriſti, vel ira, quod Apoſtoli ſuam authoritatem, & minas aſpernabantur, atque ipſis invitis præ Templi foribus Jeſum Chriſtum prædicabant, quem Sacerdotes, & Magiſtratus per invidiam crucifigendum curaverant.

ỳ. 19. ANGELUS DOMINI.] Aperuit carceris fores, & mox illas clauſit, quin ullum ſtrepitum ederet, & quin cuſtodes percipere poſſent. Poſtridie enim mane, ubi Satellites acceſſerunt, ut Apoſtolos coram Senatu ſtatuerent, valvæ quidem clauſæ erant, & carceris cuſtodes illos egreſſus eſſe neſciebant. ỳ.ỳ. 22. 23. Interpretes quidam [2] tenent, carceris januam minime vere apertam fuiſſe; ſed Apoſtolos Angelorum miniſterio adjutos per januam penetraſſe, quin ne ipſi quidem intelligerent, ita ut crediderint, portas apertas fuiſſe, licet reipſa non eſſent. At inutile erat iſthic miracula multiplicare. Neque modicum miraculum eſt, Apoſtolos e carcere per januam egreſſos fuiſſe, quæ craſtina die clauſa inventa eſt, quin aliquis homo hujus rei particeps fuerit.

ỳ. 20. OMNIA VERBA VITÆ HUJUS.] Vel omnia verba hæc vitalis doctrinæ; vel omnia, quæ ad hanc vivendi rationem ſpectant: *Verba* pro rebus ſæpe uſurpantur. Res vitæ hujus, hoc eſt, univerſa novi teſtamenti œconomia, omnia novæ hujus religionis mandata; hæc omnia Chriſtianæ religionis recentia præcepta: *hujus inſtituti rationem* [3].

ỳ. 21. CONVOCAVERUNT CONCILIUM.] Summo mane in Templum venerunt, ut Apoſtolorum cauſam cognoſcerent, quos adhuc in carcere verſari exiſtimabant. Coegerunt Sanhedrin univerſum, cum res tanti momenti eſſet inquirenda.

ỳ. 23. CUSTODES STANTES.] Vigilantes. Angelus vel ſoporem illis injecerat, vel tranſitoria excitate illos perculerat, donec Apoſtoli de carcere egrederentur.

ỳ. 24. AMBIGEBANT.] Neſcientes, utrum Apoſtoli Magiæ vi, an vero miraculo, an corruptis cuſtodibus, an fractis carcerum januis fugam arripuiſſent [4].

ỳ. 26. SINE VI.] Illis perſuaſum fuit, ut ultro coram Sanhedrin accederent. Lictores non auſi ſunt vim inferre, ut illos traherent in judicium, veriti, ne a populo lapidibus obruerentur.

ỳ. 28. IN NOMINE ISTO.] Non dignantur dicere; in nomine Jeſu Chriſti per contemptum. Nonne prohibuimus, ne ulterius loqueremini de nomine, & perſona hominis hujus, & ne doctrinam illius doceretis? Attamen pergitis adhuc Reſurrectionem illius prædicantes, atque palam nobis crimini vertentes, quod injuſte illum morte damnandum curavimus. *Vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius*, perſuadere admitimini, nos mortis illius reos eſſe. Hæc quidem non levis illis erat injuria, aſſerere, Jeſum Chriſtum licet innocentem ab illis interfectum fuiſſe, eoſque in ſe convertiſſe effuſi Sanguinis pœnam poſt ea, quæ Pilato dixerunt, Matth. 27. 25. *ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*.

ỳ. 31. HUNC PRINCIPEM, & SALVATOREM.] Loquitur S. Petrus de JESU CHRISTO, tamquam homine ſimplici, quem Deus a morte reſuſcitaſſet; quippe Sacerdotes, & Seniores, ad quos loquebatur, minime poterant, illum, tamquam Deum cognoſcere. Aſſerit autem illum eſſe Meſſiam, & Salvatorem Iſrael injuſta morte affectum mox reſurrexiſſe. Hoc unum tunc temporis agebatur.

AD DANDAM POENITENTIAM.] Ita lenit exprobrationem, qua illos increpuerat, quod perſecuti fuiſſent mortem JESU CHRISTI, licet innocentis. Malum medicina non caret. Si ad pœnitentiam confugeritis, ſceleris veſtri veniam recipere poteſtis.

ỳ. 32. SUMUS TESTES HORUM VERBORUM.] Vel harum rerum. Duo hæc ſunt irreprehenſibilia veritatis, quam affirmamus, teſtimonia. Primum, quod nihil dicimus, quod certiſſime non ſciamus, & quod vitæ ipſius periculo probare parati non ſimus: alterum, quod S. Spiritus præſentia palam ſe ſe oſtendit in nobiſmetipſis, & in illis, qui credunt in JESUM CHRISTUM, in munere linguarum, & ſcientiæ, quam nobis contulit, & in miraculis, quæ jugiter per nos operatur.

ỳ. 33. DISSECABANTUR.] Græcus ad litteram [5], *ſecabantur*, bifariam quodammodo cædebantur: quod lentum eſt, & graviſſimum ſupplicii genus.

ỳ. 34. PHARISÆUS, NOMINE GAMALIEL.] Qui probitatis, & ſcientiæ laude excellebat, & qui Præceptor fuerat S. Pauli [6], immo etiam SS. Barnabæ, atque Stephani; ſi penes veteres quoſdam eſt fides [7]: Auctores Judæi verba faciunt de quodam Gamaliele Domini noſtri tempore percelebri, qui poſt illum etiam floruit, & æræ communis anno 52. obiit, poſt decem circiter annos a Templi excidio. Ille filius erat Simonis, & nepos inſignis viri, qui Hillel dicebatur. Hic Simeon ex nonnullorum ſententia, ille fuit, qui in ulnis ſuis Dominum noſtrum accepit Templo oblatum [8], Gamaliel vero alterum genuit Simeonem, alterius Gamalielis Patrem, quem Pater Pezron [9] credit, primum fuiſſe Judæorum Patriarcham. Magnus Gamaliel, de quo hic ſermo, exercuiſſe dicitur auctoritatem Naſi, vel Principis Judæorum annos duos ſupra triginta, cumque Rabbini docent præ modeſtia in linteis, non in ſericis de more contumulari voluiſſe, quod non modico dolore illius familiam affecit. Loquitur Joſephus in lib. de vita ſua, de Simeone quodam Gamalielis filio, Jeroſolyma oriundo, ex illuſtri genere, & ex Phariſæorum ſecta, qui maximam in populo nominis celebritatem obtinuerat. Hæc illa eſt notitia, quam de Gamaliele ex Judæorum libris eruere poſſumus.

Hoc tamen prorſus non convenit cum iis, quæ de eodem apud Chriſtianos Auctores leguntur, ubi docemur [10], Gamalielem jam Chriſtianum fuiſſe, cum in cœtu Seniorum eo pacto locutus eſt, quo iſthic legimus; & Apoſtolos illi ſuaſiſſe, ut in Sanhedrin permaneret, quin palam religionem ſuam teſtaretur; ut eo in loco poſitus magis naſcenti Eccleſiæ poſſet opitulari. Et profecto ea in occaſione Senatorum mentes prudenter adeo attrectavit, ut Apoſtolos de graviſſimo periculo eruerit. Credit S. Johannes Chryſoſtomus in Acta hom. 19. hunc ante S. Paulum fuiſſe converſum. Hiſtoria revelationis Reliquiarum S. Stephani [11], aſſerit, Gamalielem S. illius viri martyrio commotum Chriſtianis animos feciſſe, ut noctu illius corpus auferrent, eiſque currum ſuum commodaſſe, & ſumptus ſuppeditaſſe, qui erant neceſſarii, ut illi parentaretur, atque juſſiſſe ſanctum Corpus in monumentum novum, quod ſibi, atque familiæ ſuæ deſtinaverat in Caphar-Gamala, vel agro Gamalielis, ſex vel ſeptem leucis procul a Jeruſalem, inferri. Hæc hiſtoria ſupponit, illum nondum fuiſſe Chriſtianum; ſed hoc charitatis facto concupiiſſe participem fieri fidei S. Stephani, cujus noverat ſanctitatem. Creditur Nicodemus, de quo

1 Ὁ ἀρχιερεὺς καὶ πάντες οἱ σὺν αὐτῷ, ἡ οὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδουκαίων, Perinde ac legeretur, Οἱ σὺν αὐτῷ, καὶ ἡ αἵρεσις, &c. Vide Sanct. hic.
2 Beda, Arator, Carthuſ. Eſt. Rupert. Gagn. alii.
3 Vide Menoch. Grot. Hamm. Fromond. alii.
4 Vide Cornel. Menoch.
5 Διεπρίοντο. *Serra ſecabantur.*
6 Act. 22. 3.
7 Alexand. apud *Sur.* 1. Jun.
8 Luc. 2.
9 Pezron, defenſe de l' Antiquitè des Tems. cap. 1. §. 2.
10 Recognit. lib. cap. 65. & 66. Vide Bedam in Acta.
11 Lucian. de revel. S. Steph. cap. 5.

de quo ſermo in Evangeliis [1], nepos fuiſſe, vel patruelis Gamalielis [2]. Hic per manus Diſcipulorum JESU CHRISTI baptizatus fuiſſe dicitur, & alii quidem contendunt, SS. Petri, & Johannis manibus baptiſmate ablutum fuiſſe. Gamaliel duos genuit filios, quorum, qui Abibas vocabatur, baptizatus fuit, atque credidit in JESUM CHRISTUM: alter vero, cui nomen Sedemias, vel Selchonias in Judaica Religione permanſit [3].

℣. 36. EXTITIT THEODAS, DICENS SE ESSE ALIQUEM.] Aliquid magnum [4] jactitans, ſe magnum eſſe Prophetam, atque inſignia operari prodigia, licet præſtigiator eſſet, atque Pſeudo-Propheta. Meminit Joſephus Antiq. l. 20. c. 2. Theudæ, vel Theudæ cujuſdam, qui Fado Judææ Præſide, & Claudio imperante populo perſuaſit, ut ſequerentur ſe, pollicitus ſe illis per aquas Jordanis ſiccum tranſitum conſtraturum, quemadmodum olim fecerat Joſue. Cuſpius ergo Fadus in eos milites immiſit, qui iiſdem diſſipatis Theudam ceperunt, abſciſſumque illius caput in triomphum Jeroſolymam attulerunt. Credunt nonnulli, hunc eſſe Theudam illum, de quo hic ſermo: at quomodonam hoc eſſe poteſt, quoniam Theudas, de quo Joſephus verba facit, ſub Fado Præſide apparuit, & Judas Gaulonites, de quo infra verba fiunt, & quem Gamaliel poſt Theudam prodiiſſe teſtatur, diu ante Auguſti Imperium [5], & ſub Quirinio Syriæ Præſide vivebat, quemadmodum ipſe S. Lucas enarrat hoc in loco verſ. 37. denique quomodo Gamaliel Tiberio imperante aſſerere poterat ea, quæ ſub Imperio Claudii poſt plures annos acciderunt?

Reſpondeor, Gamalielem deceptum fuiſſe in aſſignando tempore eo, quo Theudas vivebat. Qui ut diceret, poſt Theudam inſurrexiſſe Judam Gaulonitem, dicere debebat Judam ante illum apparuiſſe. Ajunt præterea, Joſephum hiſtoricum Theudæ hujus ætatem non ſatis noviſſe [6]; Auctores quidam haud ægre ferentur Sacris Auctoribus, nonnumquam memoria deficiente, errata quædam accidere, ſed ad hanc ſolutionem numquam confugerim. Præſtat aſſerere, Theudam, de quo S. Lucas loquitur, alium fuiſſe ab eo, de quo Joſephus verba facit; & hunc, de quo hic ſermo, cum quadringenti tantum homines illum ſequerentur, ab Judæorum hiſtorico neglectum fuiſſe, tamquam non ſatis dignum, qui memoraretur: eaque eſt plerorumque Interpretum explicatio [7].

℣. 37. POST HUNC [8] JUDAS GALILÆUS.] Hæc eadem eſt deſcriptio, de qua S. Lucas in Evangelio jam verba fecit [9], & quæ peracta eſt a Provinciæ Præſide Quirinio, poſtremo Auguſti anno, poſt Herodis mortem decimo, & eum Archelaus in exilium conjectus fuit. Hæc recenſio longe alia eſt ab illa, propter quam S. Joſeph, & SS. Virgo Bethleem ſe ſe conferre debuerunt, ubi Salvator noſter natus eſt. S. Lucas in Evangelio primum hunc cenſum, cujus tempore JESUS CHRISTUS in lucem prodiit, ab altero diſtinguit; quo tempore accidit Judæ Galilæi defectio, de quo Gamaliel hic verba facit. Judas erat e Gamala Urbe Galilææ trans Jordanem in Gaulonitide [10]. Aſſerebat ille tributum, vel vectigal a Romanis conſtitutum, & a Quirinio impoſitum, apertiſſimam eſſe ſervitutis notam, atque omnium, qui boni eſſent Iſraelitæ, intereſſe de vita ipſa dimicare, ut libertatem ſuam tuerentur. Hi ſermones populorum animos ita commoverunt, ut eli in alios etiam diſtinxerint; unde in Judæa tantæ diſſidii ignis exarſit, ut nonniſi Jeroſolymitano excidio, atque Templi interitu, quemadmodum ipſe Joſephus teſtatur, extinctus fuerit.

Gamaliel hic ait: *Judas avertit populum poſt ſe, & ipſe periit, & omnes quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt.* Quod oppoſitum his videtur, quæ nuper attulimus ex Joſepho, & iis, quæ alibi diximus, loquentes de ſecta Herodianorum, quos ſucceſſores Judæ Gaulonitæ fuiſſe arbitramur. Ea ſecta tunc plane vigebat, & Judæ partes nondum deletæ fuerant. Illa ſeditionis ignem accendit, & Romanorum arma in Judæam pertraxit. Videtur ergo Gamaliel de rebus judicans ad ea, quæ tunc ſpecies videbatur, quo tempore Judæ Galilæi ſecta cum ſecta Phariſæorum quodammodo permixta erant, quorum illi omnia dogmata ſequebantur [11]; cum illos ſatis pacatos, Pilato Præſide, videret, minime reputaſſe, illum ignem cineribus eſſe coopertum, & intra aliquot annos graviſſimum in Judæa eſſe pariturum incendium, cum populi aliorum Præſidum injuriis irritati, atque ſeditioſis hujuſmodi hominum ſermonibus ſuccenſi, palam a Romanis defecerunt, & in illos arma ceperunt.

℣. 39. SI EX DEO EST, NON POTESTIS DISSOLVERE ILLUD.] Abſoluta Dei voluntas, nulla omnium hominum nequitia, nullis conatibus prohiberi poteſt; etenim *voluntati ejus quis reſiſtit?* Rom. 9. 19. ergo ſi decrevit illorum cauſam tueri, & religionem, quam illi prædicant, conſtituere, operam ſane ludimus, illis adverſantes; nobis enim invitis Deus illam inſtituet. Sin e contra humanum eſt auſum, quod Deus minime tueatur, quamprimum ea ſe diſſipabitur, quin nos curis angamur. Ita ferme eodem in ſenſu Joas Gedeonis pater petentibus, ut ſibi illius filius traderetur comburendus, quod lucum, aramque Baal ſucciſiſſet, reſpondit: *numquid ultores eſtis Baal, ut pugnetis pro eo? Qui adverſarius eſt ejus moriatur, antequam lux craſtina veniat: ſi Deus eſt, vindicet ſe de eo, qui ſuffodit aram ejus*, Iudic. 6. 29.

Verum hoc Ioas, & Gamalielis principia in praviſſimum uſum poſſent detorqueri. Inde enim ſequeretur, neque Magiſtratibus, neque Principibus animadvertendum eſſe in impios, & ſacrilegos; non hæreſes, non rerum novarum ſtudia, non abuſus, non alios impiorum in religionem conatus eſſe coercendos, quod ianæ omnibus flagitiis, atque ſceleribus in Eccleſia, immo etiam in Republica aditum aperiret. At Interpretes quidam [12] illis, qui ita in hunc ſenſum hujuſmodi reſponſione abuti vellent, reddunt: primo argumentum a S. Luca allatum, Gamalielis eſſe dumtaxat, non S. Spiritus, & in Scripturis, quidem allatum eſſe, non autem inſpiratum.

Secundo: Gamalielem nequaquam abſolute dicere, Apoſtolorum prædicationi obſiſtendum non eſſe; ſed ſimpliciter eo in ſtatu, in quo tunc aderant ſub externo dominatu, ſine jure vitæ, & necis, illorum minime intereſſe, hac re tangi, ſed illius coram Romano Præſidi integram eſſe relinquendam, cujus erat improbos, & qui rebus novis ſtuderent, coercere. Providentiæ vero maxime intereſſe, ne vera religio intereat, ac proinde adverſarios recenti huic ſuſcitatoram, qui ipſam, antequam ſatis fundamenta jecerit, evertant.

Tertio denique Apoſtoli hactenus nihil egreſſi fue-

1 Joan. 3. 1. &c. 2 Phot. Cod. 171.
3 Vide Lucian. de Invent. S. Steph. Append. tom. 10. nov. edit. S. Auguſt. & Tillemont. tom. 2. pag. 28. & Baſnage hiſt. de Juifs, tom 2. lib. 3. cap. 1. vel juxta editionem Pariſienſem tom. 2. l. 4. cap. 3. art. 11. & ſeq.
4 Λέγων εἶναί τινα ἑαυτόν. Alii plures: Τινα ἑαυτὸν μέγαν. Ita Syr. Arab. Æth. Origen. et editiones 2. priores R. Steph. et alii M. Vide Mill. ex Act. 8. 9. 5 Joſeph. Antiq. l. 18. c. 1. 6 Vide Baron. & Fromond. hic.
7 Sanct. Cornel. Menoch. Tirin. Druſ. Grot. Scalig. Camer. Ligf. Hamm. alii paſſim.
8 Nonnulli vertunt Græcum, Μετὰ τοῦτον, per, *Præter eum*, Præter Theudam extitit etiam Judas &c. Alii adducunt μετὰ τοῦτο, hic quæ præcedunt, redacti *ad nihilum poſt eum*, poſt Theudam. 39. *Poſt hunc extitit Judas Galilæus in diebus profeſſionis &c.* Id omne inventum, ut S. Lucas cum Joſepho conciliaretur; ut Evangeliſta diceret, Theudam, de quo loquitur, ante Judam Gaulonitem vixiſſe: ac proinde longe alium eſſe a Theuda, de quo Joſephus.
9 Luc. 2. 1. Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο. Id eſt, *facta eſt priuſquam illa fieret, quæ facta eſt Quirinio Præſide Syriæ.*
10 Joſeph. Antiq. lib. 18. cap. 1. & 2. 11 Joſeph. Antiqu. lib. 18. cap. 2. ad finem.
12 Vide Eſtium hic, & Fromon. et Cornel. a Lapide.

ſentant contra Leges, & nationis conſuetudinem. Vita eorum irreprehenſibilis erat, doctrina ſana, expertiſſima operabantur miracula, omnis populus illos admirabatur, eorum zelum, conſenſum, ſuavitatem, charitatem intuens. Ex quibus omnibus nihil ſuſpicionem ingerere poterat, quod prava illi foverent conſilia. Prædicant Meſſiæ adventum, & Jesu Christi reſurrectionem: oſtendunt, in illo veteres Prophetias eſſe adimplendas. Hoc factum eſt diligentiſſime ad examen vocandum. In tanti momenti cauſa præceps judicium ferendum non eſt; tempus omnem aperiet veritatem. Miracula, quorum fulgur eorum prædicationem ſubſequitur, eſſe poſſunt opera tenebrarum: at non permittet umquam Deus, ut diutius hac de re in errore verſemur. Quamprimum illorum ſe ſe aperiet aſtus, & dolus, ſi minime deeſt. Hoc in ſenſu intelligenda eſt Gamalielis argumentatio, ut præveniamus quidquid inde perperam in ſequiorem ſenſum poſſet inferri.

ỿ. 40. Cæsis denunciaverunt.] Judæis illud unum reliquum erat jus flagris cædendi in ſtatibus ſuis eos, qui a legibus, vel moribus ſuis aberrarent. Prædixerat jam Salvator futurum, ut Diſcipuli ſui propter nomen ſuum hac pœna afficerentur [1], & S. Paulus ter ſe hoc ſupplicium expertum fuiſſe teſtatur 2.

A Cor. 11. 24. unde quadraginta verberibus afficiebatur ſeu juxta Moyſis Legem, quæ ne in hoc ſupplicio ulterius ſæviretur, vetabat, Deut. 25. 3.

ỿ. 41. Ibant gaudentes &c.] Hæc Apoſtolorum inter verbera, atque contumelias lætitia maximum quidem eſt miraculum, quod in novo teſtamento legatur [2]. In veteri autem nemo apparet ex iis, qui propter veritatem, atque juſtitiam exagitati fuerunt, qui inde gaudium perceperit, quemadmodum S. Johannes Chryſoſtomus animadvertit. Hoc privilegium erat Jesu Christi Diſcipulis reſervatum, & favor Dei amicis dumtaxat præparatus: *vobis datum eſt pro Christo non ſolum, ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini*, Philip. 1. 29.

ỿ. 42. In Templo, & circa domos.] Publice B & privatim in domibus fidelium, vel in Templo, & in propria ipſorum domo. In Templum quidem concedebant prædicaturi, domi vero ſuæ illos erudiebant, qui illuc eos audiendi deſiderio conveniebant. Sunt [3], qui ita intelligunt: *in Templo, & in Synagogis*, quæ erant veluti ſcholæ, ubi populus ad legem audiendam congregabatur. Harum plurimæ erant tunc temporis Jeroſolymæ; atque quadringentæ, & ſexaginta fuiſſe dicuntur.

1 Matth. 10. 17. 23. 44. 2 Chryſoſtom. in Acta homil. 14.
3 Cloppenburg. in Collat. critic.

CAPUT VI.

Murmur Judæorum Græcorum, quod viduæ ſuæ contemnerentur. Septem Diaconorum electio Adverſus S. Stephanum contentio, qui ad Judices accuſatur, & apparet, tamquam Angeli faciem habens.

1. IN diebus autem illis, creſcente numero Diſcipulorum, factum eſt murmur
Græcorum adverſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. 2 Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. 3 Conſiderate ergo, fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. 4 Nos
vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus. 5 Et placuit ſermo coram
omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide, & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam,
& Nicolaum advenam Antiochenum. 6 Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum; & orantes impoſuerunt eis manus. 7 Et verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Jeruſalem valde; multa etiam turba ſacerdotum obediebat fidei. 8 Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine, faciebat
prodigia, & ſigna magna in populo. 9 Surrexerunt autem quidam de ſynagoga,
quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui
erant a Cilicia, & Aſia, diſputantes cum Stephano: 10 Et non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur. 11 Tunc ſummiſerunt viros, qui
dicerent, ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & in Deum.
12 Commoverunt itaque plebem, & ſeniores, & ſcribas; & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium. 13 Et ſtatuerunt falſos teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba adverſus locum ſanctum, & legem. 14
Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jeſus Nazarenus hic, deſtruet locum
iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes. 15 Et intuentes eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli.

FACTUM

℣. 1. FACTUM EST MURMUR GRÆCORUM ADVERSUS HEBRÆOS.] Externis quidem perſecutionibus, atque ærumnis ſemper magis convaluit Eccleſia, internis vero diſſidiis prope fuit, ut infirmaretur, atque labaſcaret. Magna eorum multitudo, qui convenerunt, ut in communi perfectiorem vitam ducerent, effecit, ut invidia aliqua ſuboriretur Græcos inter, & Hebræos, recens ad Chriſtianam religionem vocatos; hoc eſt inter Judæos, qui Hebraice loquebantur, & eos, qui Græca tantum; inter Ægyptios ex. g. vel eos, qui in Græciæ inſulis, vel in Aſia minori degebant, qui Græcam dumtaxat linguam noverant, & Judæos Paleſtinæ, Galilææ, Syriæ, & regionis trans Euphratem, qui Chaldaice, vel Syriace loquebantur, quæ dialecti tunc Hebraica lingua dicebantur. *Græci*, ex quorumdam ſententia [1], iſthic deſignant Ethnicos, primum quidem ad Judaicam, mox vero ad Chriſtianam religionem converſos; Hebræi vero eos, qui Hebræi erant, ſeu Judæi ab origine. Certum eſt, tunc plures fuiſſe proſelytos, vel Ethnicos in Eccleſia converſos, quoniam Nicolaus unus ex ſeptem Diaconis proſelytus erat Antiochenus [2]. Sed prior ſententia probatior eſt, eamque complures ſequuntur [3]. Jeroſolymæ etiam plurimi ab origine erant Judæi, qui Hebraicam linguam non noverant, & ferunt, in Civitate peculiarem fuiſſe Synagogam pro illis, qui Græca dumtaxat loquerentur. In Provinciis, ubi Græca lingua communis erat, perpauci Judæorum Hebraicam intelligebant, & Scripturas paſſim a Verſione Septuaginta legebant. Certum eſt, nondum Gentiles in Eccleſiam admiſſos fuiſſe, qui ſæpe quidem Græcorum nomine appellantur [4], ſed hoc in loco, in hoc ſenſu intelligi minime poſſunt.

EO QUOD DESPICERENTUR IN MINISTERIO.] Apoſtoli, ne pluribus rebus vacare tenerentur, curam diſtributionis victus, aliorumque ad vitam pertinentium crediderant quibuſdam ex numero Judæorum, qui converſi fuerant, & plane diſcipulorum, qui Salvatorem adhuc viventem fuerunt ſecuti. Hæc quidem electio ſapientior eſſe non poterat; attamen cum poſt S. Petri prædicationem plurimi Judæi externi ex iis provinciis, ubi Græca dumtaxat loquebantur, vel ex iis, qui rerum ſuarum ſedem Jeroſolymam tranſtulerunt, converſi fuiſſent, atque omnia bona ſua cum aliis in commune attuliſſent, horum viduæ conqueſtæ ſunt, quod in potius, ac eleemosynarum diſtributione negligerentur; atque inter illas, aliaſque viduas, quæ Hebraice loquebantur, non parum diſcriminis haberi [5]. Græci quidem murmurarunt, eaque res ad Apoſtolorum aures pervaſit. *Deſpicere* hoc in loco opponitur verbo *honorandi*, quod in Scripturæ ſtylo ſæpius benefacere, & res ad vitam neceſſarias ſuppeditare ſignificat [6].

Non deſunt [7], qui ita intelligant: *quod viduæ eorum in muneribus quotidianis deſpicerentur*, quod viliſſima quævis, atque laborioſiſſima officia illis committerentur; vel quod raries adhiberentur, vel quod in officiorum diſtributione negligerentur, vel quod Hebræorum viduis poſthaberentur. Viduarum inſtitutio pauperibus, atque peregrinis inſervientium in Eccleſia vetuſtiſſima habetur. Vide 1. Timoth. cap. 5. ℣℣. 12. 13. 14. 15. *Miniſterium* paſſim pro victus diſtributione & menſæ ſervitio uſurpatur [8]. Vide ſeq. ℣.

℣. 2. NON EST ÆQUUM.] Primum, atque potiſſimum Apoſtoli, & Epiſcopi negotium eſt, Dei Verbum prædicare. Miniſteria ad victum ſpectantia, videlicet rerum temporalium cura, ipſa etiam cura vel

A eleemosynæ erogandæ, vel invigilandi juſtæ Eccleſiaſticorum bonorum diſtributioni, priori illi nonniſi additamenta ſunt. S. Paulus nonniſi raro per ſe baptizabat; dicebat enim ille 1. Cor. 1. 17. Dominus non me ad baptizandum miſit, ſed ad prædicandum: & eruditi complures Interpretes [9] credunt, iſthic agi non ſolum de communi menſæ miniſterio, atque corporalis victus diſtributione, verum etiam de SS. Euchariſtiæ ſacramento. Licet ſacrum, atque divinum prorſus illud eſſet miniſterium; Apoſtoli tamen prædicandi curam huic prætulerunt. Non crediderunt ſe aliis prædicandi officium committere poſſe, quod Spiritus Sanctus illis crediderat. Cetera illi omnia tranſigunt eorum virorum miniſterio, qui exploratæ ſanctitatis erant, & fidei.

B ℣. 3. CONSIDERATE ERGO FRATRES.] Eligite ex vobis ſeptem viros compertæ probitatis, qui hoc miniſterium credamus, ut curam eorum gerant, quæ ad victum pertinent, & qui ſingulorum neceſſitatibus conſulant, ne poſſit aliquis conqueri, & murmurare. Potuiſſent Apoſtoli propria auctoritate miniſtros eligere, qui fratribus inſervirent, ſed malunt electionem hanc omni cœtui integram relinquere, ut omnes contenti eſſent, & nemo illis vitio vertere poſſet hujus electionis effectus, ſi non ita ceſſiſſet, prout expetebatur. Poſcunt ergo 1. ut hi miniſtri exploratæ ſint probitatis: *probi teſtimonii*, & omnes illorum virtuti, ac merito teſtimonium perhibeant. 2. ut repleti ſint Spiritu ſancto: *plenos Spiritu ſancto*, atque intrinſecis, & extrinſecis gratiis, ut digne, atque fideliter ſuum

C expleant miniſterium. 3. *plenos ſapientia*: maxima enim prudentia, & non vulgari mente opus eſt, ut fideliter, atque integra temporalia bona, quæ ad communitatem aliquam ſpectant, diſtribuantur, quin alicui injurius habearis. 4. denique, Apoſtoli ſeptenarium numerum præſcribunt plane, quod numerus ille ſufficiebat muneri, ad quod illos deſtinabat. Septenarius hic numerus in Scripturis ſacer eſt. Memorantur ſeptem ſpiritus coram Domino inſervientes [10]. In præcipuis Eccleſiis ſeptem Diaconorum numerus aſſervatus eſt [11]. Romæ ſeptem erant Diaconi ævo S. Cornelii Pontificis [12], immo etiam, dum S. Laurentius martyrio coronatus eſt [13]. Totidem erant etiam Cæſarauguſtæ tempore S. Vincentii [14]; & Concilium Neocæſareenſe c. 14. præcipit, ut in maximis etiam

D Civitatibus numerus ille minime excedat.

℣. 4. ORATIONI, ET MINISTERIO VERBI.] In cœtibus Eccleſiaſticis precibus Apoſtoli præerant, ibi ſacrificium offerebant, quod publicarum precum nomine continetur; privatim vero orationi vacabant, atque operam tranſmittebant, ut populos erudirent, atque prædicarent. Numquam duo hæc ſejungebant, quæ ſeparari minime debent, orationem, & prædicationem: eaque omnia non obſtabant, quominus ſeptem Diaconis invigilarent, vel miniſtris illis, qui conſtituti fuerant, ut ad victum neceſſaria compararent, atque fidelium egeſtatibus providerent.

℣. 5. ELEGERUNT STEPHANUM.] En duobus vocabulis eximium S. Stephani elogium. *Virum plenum fide, & Spiritu ſancto*: plenus erat fide conſtanti, vivida,

E quam animabat charitas illuſtrata, & cui comites hærebant zelus, & bona opera. Cumulatus erat muneribus Spiritus ſancti, dono ſcientiæ, miraculorum, aliorumque bonorum, quæ tunc Spiritus ſanctus large effundebat. Crediderunt plurimi, S. Stephanum S. Pauli conſanguineum fuiſſe, & ipſum quoque ad pedes

1 Salmaſ. Camer. Bez. Zegar.
2 Infra verſ. 5. 3 Vatab. Eraſm. Dionſ. Grot. Tirin. Cornel. Sanct. Ligf. Lud. de Dieu. Fromond. aliis paſſim. 4 Ita paſſim apud D. Paul. Rom. 1. 16. 11. 9. 10. 10. 12. Galat. 3. 28. Act. 18. 4.
5 Eſt. Menoch. Fromon. Cornel. Sanct. Grot. Ligfoot.
6 1. Timoth. 5. 3. *Viduas honora*. Et verſ. 17. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt*. Et Exod. 20. 12. *Honora patrem tuum, & matrem*. 7 Vide Chryſoſtom. Bedam, Rabau. Eraſm. Cornel. a Lapide, alios. 8 Vide Geneſ. 40. 13. Luc. 10. 40 Act. 11. 29. Luc. 4. 39. 8. 3. Joann. 12. 2. Rom. 15. 25. Hebr. 6. 10. 9 Vide Corn. a Lapide. Menoch. Sanct. & ita PP. plerique. Vide infra verſ. 3.
10 Apoc. 1. 3. Tob. 12. 15. 11 Vide Cornel. a Lapide hic, & Bedam ad verſ. 6.
12 Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 6. c. 43. 13 Prudent. de Coron. Mart. Hymn. 2.
14 Idem Hymn. 5.

dea Gentilis creditum fuiſſe, atque ex numero feiſſe duorum, & ſeptuaginta diſcipulorum [1]. Verum eſſerere cum S. Auguſtino [2] præſtat, non ſatis liquere, utrum ille, & ſex alii Diaconi ab initio fuerint Diſcipuli Jeſu Chriſti, an poſt Pentecoſtem fuerint converſi. S. Stephanus a ſancti Doctoris illius ſententia primus inter Diaconos appellatur, non ſecus ac S. Petrus primus inter Apoſtolos [3]. Veteres [4] nonnumquam illum *Archidiaconum*, vel Diaconorum caput appellant, ejuſque ſcientiam, eloquentiam [5], & conſtantiam laudibus efferunt. Martyrii vero illius hiſtoriam inferius videbimus.

PHILIPPUM.] Hoc nomen, non ſecus ac alia ſeptem Diaconorum prorſus Græca ſunt, & inde conjecturæ patet, eos omnes ex Græcorum numero electos fuiſſe, & ex iis, quorum viduæ erant conqueſtæ, quaſi in miniſterio, atque victus diſtributione deſpicerentur. S. Philippus Evangeliſta, ſive Diaconus, longe differt a S. Philippo Apoſtolo. Ille Cæſareæ natus in Palæſtina, teſte S. Iſidoro Peluſiota lib. 2. ep. 449. quatuor filias habuit prophetides, de quibus erit ſermo cap. 21. v. 9. libri hujus. S. Stephano mortuo conceſſit ille Samariam, Evangelium ibi prædicaturus [6], ubi plurima fecit miracula, atque inſignem converſionis fructum retulit, ibique Jeſu Chriſti baptiſma adminiſtravit, ſed cum Diaconus eſſet tantummodo illis manuum impoſitione, quod Apoſtolorum munus erat, Spiritum ſanctum non tribuit. Hoc vero diligentius infra ad examen vocabitur cap. 8.

PROCHORUM.] Non ſatis hunc novimus. Græci [7] credunt, hunc primum fuiſſe Epiſcopum Nicomediæ, & Ado [8] teſtatur, eum martyrio effectum fuiſſe Antiochiæ die nona Auguſti, poſtquam miraculis inclaruiſſet. Prochori nomine quædam S. Johannis Evangeliſtæ circumfertur hiſtoria; ſed recentior eſt, & fabulis referta narratiunculis, quæ prorſus indignæ tanto viro ſunt, de quo verba facimus.

NICANOREM.] Græci [9] dicunt, S. Nicanorem una cum aliis duobus millibus igne abſumptum fuiſſe, Judæorum ſævitia, die eadem, qua S. Stephanus martyrium perpeſſus eſt: verum hoc factum omnino apocryphum eſt. Ado loco cit. mortem illius ſtatuit die decima Januarii in Cypro Inſula, ubi ſuam fidem, atque virtutem probaverat. Ita Græci, atque Latini, quod plerosque primorum ſæculorum S. viros longe diſſentiunt.

TIMONEM.] Qui in exemplaribus nonnullis *Timotheus* appellatur [10]. Ex Græcorum ſententia primus fuit Epiſcopus Boſtræ in Arabia, & martyrium paſſus eſt, impiorum juſſu igne ſuccenſus. Latini dicunt, hunc quidem aliquandiu Beroeæ prædicaſſe, cumque Corinthum advenisset, a Judæis, atque Gentilibus in ignem fuiſſe conjectum, unde cum divinitus incolumis evaſiſſet, deinde Cruci affixus fuit, in qua animam efflavit decimo tertio Kalendas Maii. Pſeudo Dorotheus nunc illum cum Græcis Epiſcopum Boſtræ fuiſſe ait, nunc Tyri, & Sidonis Antiſtitem, & alia plurima narrat palam apocrypha.

PARMENAS.] Nihilo notior eſt ſuperioribus. Græci illum dicunt animam efflaſſe ſub oculis Apoſtolorum. Ado illum Philippis in Macedonia martyrio affectum fuiſſe narrat, decimo Kalendas Februarii, & Romanum martyrologium illum ſub Trajano obiiſſe teſtatur.

NICOLAUM ADVENAM ANTIOCHENUM.] Hic erat ergo Ethnicus ex origine. Sed in Judæorum ſacra tranſierat, ac demum Chriſtianæ Religioni nomen dederat, ubi & zelo, & fide, & probitate excelluerat; quandoquidem electus fuit, ut in ſeptem Diaconorum numero cenſeretur. S. Epiphanius [11], aliique nonnulli ſcripſerunt, illum fuiſſe ex ſeptuaginta diſcipulorum numero: ſed hoc non ita facile crediderim; quippe & proſelytus erat, & Antiochenus. Jeſus Chriſtus enim in Apoſtolos, atque diſcipulos, Judæos tantum elegit. Nicolaus in Eccleſiaſtica hiſtoria celeberrimus eſt: attamen ex locis quibuſdam, qui in illius honorem non ſatis cedunt. Veteres omnes teſtantur [12], illum formoſiſſimam habuiſſe conjugem, a qua diſceſſit, juxta S. Epiphanium, fidelium virorum exemplo, qui hoc majoris eſſe perfectionis putabant; Verum cum in ſuſcepto conſilio permanere non poſſet, quaſdam prætexere cauſas adniſus eſt, ut ſuam incontinentiam, atque inconſtantiam obtegeret. Uxorem ergo iterum duxit, ac deinde in graviſſima quæque mala decidit, atque initium præbuit ſectis Nicolaitarum, Gnoſticorum, aliiſque plurimis turpiſſimis, quæ nomen Chriſtianum illis primordiis dedecorarunt. Hæc autem plerique Veterum narrant.

At S. Clemens Alexandr. l. 3. Strom. rem longe aliter narrat. Cum Apoſtoli illum corripuiſſent, quod propter uxoris pulchritudinem zelotypia nimis flagraret, hanc ille in cœtum adduxit, & profeſſus eſt, ſe permittere, ut quicumque eam vellet, ſibi uxorem duceret. Verbum hoc quod imprudenti exciderat, exceptum fuit, atque eodem abuſi ſunt deinceps contra mentem proferentis: ipſe enim ſatis pudicus erat, & S. Clemens Alexandrinus teſtatur, ſe audiſſe illum numquam alterius mulieris, quam uxoris ſuæ conſortio gaviſum fuiſſe, & filios, filiaſque illius, qui diu vixerunt, perfectam ſemper continentiam ſervaſſe. Hoc tamen minime obſtitit, quominus Nicolaitarum nomine illi fuerint appellati, qui nomine illius, quodlibet impudicitiæ genus ſibi licere voluerunt. Alterum quoque illius verbum adfertur, quod in pravum ſenſum detorquebatur. Ajebat ille carne ſua abutendum eſſe, innuens voluptatis motus eſſe coercendos, animi affectus inhibendos, atque carnis impetus caſtigandos. Verum hoc intellectum eſt, perinde ac turpiſſima quælibet flagitia permitteret. De Nicolaitis fuſius recurret ſermo in Apocalypſim c. 2. v. 6.

V. 6. IMPOSUERUNT EIS MANUS.] Precibus, atque manuum impoſitione illos ad ſacræ menſæ miniſterium ordinarunt. Ita enim ſemper erga Diaconos conſuevit Eccleſia. Hæc illis cæremonia Spiritum Sanctum conferebat, & gratiam digne munere ſuo perfungendi. Patres complures explicite docuerunt, primos ſeptem Diaconos adhibitos fuiſſe, ut Apoſtolis in ſacro miniſterio opem ferrent. S. Juſtinus Martyr Apolog. 2. ait, illos afferre conſueviſſe Euchariſtiam illis, qui die Dominico Eccleſiæ intereſſe non poterant. S. Polycarpus Diaconos [13] vocat ſervos non hominum, ſed Dei, & JESU CHRISTI: & S. Ignatius Martyr ep. ad Trall. ait, debere Diaconos Deo acceptos ſe ſe præbere, eſſe, tamquam Dei myſteriorum miniſtros; nam, addit ille, non ſunt ſervi, qui potum, atque eſcam apponant, ſed miniſtri ſunt Eccleſiæ Dei, & JESU CHRISTI Vicarii. Hujuſmodi locutiones apud pleroſque ſubſequentium ſæculorum Patres occurrunt. Haud diſſimulabo tamen S. Chryſoſtomum [14], Oecumenium, S. Hieronymum, Bedam, Marianam, Cajetanum, alioſque nonnullos credidiſſe, ſeptem Diaconos ad id unum conſtitutos fuiſſe, ut menſæ miniſterio inſervirent; ideoque longe alios fuiſſe ab illis, qui nunc altari inſerviunt, & qui in Eccleſiaſticæ Hierarchiæ poſt Sacerdotes præſtantiſſimum occupant locum. At oppoſita ſententia generatim ferme in Eccleſia admittitur, atque Patrum, atque Interpretum conſenſu probatur.

Primis illis temporibus poſt corporalem refectionem, & charitatis epulas, quas ſimul in cœtibus ſuis fideles ſumebant, Sanctam Euchariſtiam, ut plurimum,

1 Epiphan. de Chriſto, c. 4. 2 Aug. ſerm. 316. olim 94. de diverſis.
3 Iren. lib. 3. 12. Aug. ſerm. 316. n. 1. nov. Edit. 4 Lucian. de Invent. S. Steph. cap. 8. 9.
5 Hieronym. in Iſai. 46. verſ. 12. 6 Act. 8, 6. 9.
7 Menæ p. 281. 8 Ado, Tract. de Feſtivit. Apoſtolor. Addit. ad Martyrol. Baron.
9 Menæ. pag. 282, 283. 10 Codd. Veter. aliqui teſte Zegero.
11 Epiphan. de Chriſto, cap. 4. & Chronic. Alex. p. 532. 12 Epiphan. hæreſ. 25. & alii plures apud Cotelet. Not. pag. 267. 13 Polycarp. Epiſt. ad Philipp. 14 Chryſoſtom. Oecum. Hieron. Ep. 85. Beda, Mari, Cajet. hic. Vide, ſi lubet, Sanct. Cornel. hic, & Concil. in Trullo.

mum, recipiebant juxta Jesu Christi exemplum, qui poſt cœnam Sacramentum iſtud inſtituit. Hæc diſciplina ſatis explicite a S. Paulo expreſſa invenitur [1]; at Diaconi, quibus prioria menſæ cura fuerat, & qui corruptibiles accumbentibus diſtribuerant epulas, illis etiam diſtribuebant panem vitæ, quem ipſi de Epiſcopi manu recipiebant. Ita ſimul erant, & Sacræ menſæ, & menſæ communis miniſtri. Deinceps vero inſtituti fuerunt viri, qui Diaconi appellarentur, & Subdiaconi appellari ſunt: & in Eccleſiis Gentilium, qui ad Christi fidem converſi ſunt, ubi non conſueverat eadem, quæ Jeroſolymis, bonorum omnium communio, præcipuum illorum munus erat, Epiſcopo in Sancti Sacrificii oblationibus, ſacræque menſæ inſervire.

℣. 7. MULTA TURBA SACERDOTUM OBEDIEBAT FIDEI.] Poſt noviſſimam Apoſtolorum prædicationem, & poſt ea omnia miracula, quæ operati ſunt, plures Evangelio ſeſe ſubmiſerunt, atque Apoſtolis obtemperarunt. *Obeditio fidei* iſthic uſurpatur, velut oppoſitum *obedire legi* [2]. Exemplaria quædam, pro *magna turba Sacerdotum*, legunt [3]: *magna turba Judæorum*. Sed Sacerdotum, atque miniſtrorum Templi numerus tantus erat Jeroſolymæ, ut hæc locutio *magna turba*, facile hunc ſenſum pati poſſit.

℣. 8. PLENUS GRATIA, & FORTITUDINE.] Plenus gratia, Deo, & hominibus jucundus, Spiritus Sancti donis repletus; vel etiam venuſto, & decoro oris habitu, quo amorem, atque obſervantiam ſibi conciliabat. *Plenus fortitudine*, zelo, conſtantia, cujus non multo poſt præclarum ſpecimen præbuit. Græca plurimis in exemplaribus [4] legit: *plenus fide, & poteſtate*. *Plenus fide*, elogium eſt ſuperius illi collatum ℣. 5. *& poteſtate*; potens erat verbis, & operibus. In populo plurimas miraculoſas curationes efficiebat, non ſecus, ac alii complures Jesu Christi Diſcipuli. *Faciebat prodigia, & ſigna magna in populo*.

℣. 9. DE SYNAGOGA, QUÆ APPELLATUR LIBERTINORUM.] Interpretes quidam [5] crediderunt, pro *libertinorum* legendum eſſe *Lybiſtinorum*. Primo, quod *libertinon* Græca vox non eſt; ſecundo, quod *Cyrenai*, & *Alexandrini*, qui immediate ſequuntur, Lybiis finitimi ſunt, qui juxta hanc hypotheſim *Lybiſtinorum* nomine deſignarentur. 3. quod non intelligitur, quid ſibi velit hæc *Synagoga Libertinorum*, cum *Synagoga Lybiorum* fortaſſe Jeroſolymis aderat, quemadmodum ibi erant Synagogæ Alexandrinorum, & Cyrenæorum. Sed hæc conjectura, quæ adeo ſpecioſa videtur, nullius MSS. aut Vulgatæ fide probatur.

Crediderunt alii, hos fuiſſe Judæos ex eorum numero, quos Pompejus, & Soſius captivos de Palæſtina adduxerant, qui cum a Dominis ſuis in libertatem vindicati fuiſſent, Romæ ſedem ſuam ſtatuerunt; ubi plures fuerunt Tiberio imperante [6], qui prætexens ſe velle alienigenas omnes ſuperſtitiones Roma, & ex Italia ejicere, eorum quatuor millia in Sardiniam relegavit, aliis de finibus Italiæ excedere juſſis. Hi Libertini ita ejecti plane in Judæam ſe ſe receperunt, ubi fortaſſe Jeroſolymæ Synagogam habebant eo tempore, de quo verba facimus.

Philo de Legat. ad Cajum teſtatur, ſub Auguſto plurimos fuiſſe Judæorum Libertinorum ultra Tyberim, ubi princeps iſte eiſdem illam ſedem aſſignaverat: addit etiam, illos de Judæa in Italiam adductos fuiſſe; atque a dominis ſuis manumiſſos, quia eorum religioni vim inferretur. Non deerant Romæ loci orationum, quemadmodum Philo ibidem enarrat, & poſtquam Jeroſolymam reverſi ſunt, ibi etiam Synagogam ſuam habuerunt. Animadvertimus jam ex Rabbinorum fide, ex in urbe quadringentas, & octoginta Synagogas fuiſſe præter Templum.

En quid magis probabile hac in re aſſeratur. Sed eruditus quidam vir [7] noſtra nuſtar hiſce minime acquieſcit, ac tenet, Jeroſolymæ duas tantum fuiſſe Synagogas, alteram Judæorum, alteram Libertinorum. Aſſerit etiam Judæorum nomine proprie, ac preſſius eos tantum eſſe intelligendos, qui in Judæa, vel Palæſtina incolebant, Libertinos vero eſſe alios Hebræos, qui ad Regionis ejuſdem, vel boream, vel meridiem habitabant; *Cilices*, & *Aſianos* ad Boream; *Cyrenenſes*, & *Alexandrinos* ad meridiem: S. Lucam voluiſſe Libertinos dumtaxat ſignificare omnibus his verbis: *Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant a Cilicia, & Aſia*. Derivat autem nomen *Libertini* ex Hebraica voce [8] *Leiber*, & *Toui*, qui eſt ad latus utrumque. Hi enim populi, de quibus locuti fuimus, erant ad utrumque latus Judææ ad dexteram ſimul, & ſiniſtram, ad Boream, & ad meridiem. Tenet etiam, Synagogam *Aſſidæorum*, de qua ſermo eſt in libris Macchabæorum [9], eamdem eſſe ac Synagogam *Libertinorum*. Hæc omnia longe diſtant a communi Interpretum ſententia. At his de rebus judicium eſto penes eruditos Lectores.

ET CYRENENSIUM.] Plurimi erant Judæi in Cyrenaica Provincia. Vide ſupra Act. 2. 10. Habebant autem Synagogam, vel collegium ſuum Jeroſolymis [10], non ſecus, ac Judæi *Alexandrini*, & illi, qui erant ex *Cilicia*, & *Aſia minori*. Veritati conſonum videtur, in Urbe Jeruſalem eumdem circiter viguiſſe morem, ac Pariſiis ex. gr. ubi plurima ſunt collegia pro diverſis Civitatibus, & Provinciis, cum ex Regno, tum extra Regnum. Ita Jeroſolymæ plures erant Synagogæ tamquam totidem Scholæ, quo Judæi mittebantur ex omnibus terrarum regionibus, ubi ſedem habebant, ut ſtudiis operam darent. Atqui plurimi erant Alexandriæ in Aſia minori, & in Cilicia. Ex hac poſteriore erat S. Paulus: & non abhorret a fide, illum ſtuduiſſe in quadam ex his ſcholis, vel Synagogis, quæ Provinciæ ſuæ erat aſſecta. Non deſunt etiam, qui putent, ipſum fuiſſe ex eorum numero, qui contra S. Stephanum altercabantur.

℣. 10. NON POTERANT RESISTERE [11].] Sapientiæ, & ſcientiæ prorſus divinæ, qua repletus erat, & virtuti Spiritus Sancti, qui per os illius loquebatur: *Non enim vos eſtis, qui loquimini*, Salvator ait, Matth. 10. 20. *ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Illis oſtendebat invictis argumentis, Jesum Christum eſſe Meſſiam, atque in illos Prophetias omnes completi. Græca quædam exemplaria ad hujus verſiculi finem hæc addunt verba [12]: *quod illos liberrime corripiebat; ita ut veritati reſiſtere non poſſent*.

℣. 11. TUNC SUMMISERUNT VIROS.] Contentio hæc aliquot fortaſſe diebus permanſit, & Judæi illi zelotes, videntes ſe reſpondere non poſſe rationibus S. Stephani, in eam ſententiam venere, ut adniterentur Stephanum tamquam blaſphemum accuſari, quod tutiſſimam aperiebat illis, atque breviſſimam viam, ut eum perderent. Cauſa juxta Judicii regulas inſtituta, nimis diuturna fuiſſet, & Romanorum auctoritas,

qui

1 Vide 1. Corinth. 11. 18. & ſequ. & Act. 20. 7. . . . . . 11. Vide Auguſt. Ep. 118. Baron. an. 34. Pearſon. an. Pauli, p. 53. 54.

2 Galat. 5. 23. Rom. 1. 5.

3 Gr. Πολύς τε ὄχλος τῶν ἱερέων ὑπήκουον τῇ πίστει. Syr. Barb. 1. Τῶν Ἰουδαίων. Arab. omittit ἱερέων. Alii legunt ἐκ Τῶν ἱερέων.

4 Gr. Πλήρης πίστεως, καὶ δυνάμεως: Alii plures: Πλήρης χάριτος, καὶ δυνάμεως.

5 Vide Cornel. Druſ. Mill. hic.

6 Tacit. Annal. lib. 2. *Actum & de ſacris Ægyptiis Judaicisque pellendis, factumque patrum conſultum, ut quatuor millia Libertini generis . . . . in inſulam Sardiniam veherentur . . . . ceteri cederent Italia*. Vide & Joſeph. Antiqu. lib. 18. cap. 5. et Sveton. lib. 3. cap. 36.

7 Harduin Diſſert. ſur ce paſſage. Journal de Trevoux, ann. 1701.

8 לצבר Leiber, *ad Latus*. Et תוי pro שני *Duo*, vel *ſecundus*.

9 1. Macc. 2. 42. 7. 13. & 2. Macch. 14. 6.

10 Chryſoſt. in Acta homil. 15. & alii.

11 Gr. Ἀντιστῆναι τῇ σοφίᾳ, καὶ τῷ πνεύματι ᾧ ἐλάλει. Alii quid. Ο' ἐλάλει.

12 Διὰ τὸ ἐλέγχεσθαι αὐτοὺς ὑπ' αὐτοῦ, μετὰ πάσης παῤῥησίας, μὴ δυνάμενοι οὖν ἀντοφθαλμεῖν τῇ ἀληθείᾳ. Vide Mill. hic.

qui uni habebant jus vitæ, ac mortis, illorum impetum, ac vim retardabat. Expeditiſſima igitur, qua illum de medio tollerent via erat, blaſphemiæ eumdem accuſare, atque e veſtigio in illum lapidibus irruere, quod ipſi *Judicium zeli* vocabant.

VERBA BLASPHEMIÆ.] Obloquentem de Moyſe; dicentem, legem, atque cæremonias illius antiquatas eſſe, ab illo Hebræis non ferendum jugum impoſitum, & aſſerentem, JESUM CHRISTUM Dei Filium eſſe, ac verum Meſſiam. Hæc enim omnia apud Judæos blaſphemiæ loco habebantur.

ỳ. ỳ. 13. 14. FALSOS TESTES.] Hi teſtes fortaſſe reipſa nihil niſi verum dicebant [1], aſſerentes, Jeſum Nazarenum dixiſſe, Templum evertendum eſſe, & Legis cæremonias prorſus abrogandas: at falſi teſtes erant affirmantes, JESUM CHRISTUM per ſe Templum illud eſſe everſurum. Dixerat enim ille loquens de corpore A ſuo, Templum hoc ſi everteretur, a ſe intra dies tres reſtituendum [2]; ſed non loquebatur de Templo Jeruſalem. Prædixerat quoque Urbis excidium, atque Sancti loci prophanationem [3]: verum non dixerat, ſe cauſam futurum excidii ejuſdem. Quod ſpectat ad Leges Moyſis, adeo abeſt, illum dixiſſe, eas a ſe penitus eſſe immutandas, & antiquandas, ut immo profeſſus fuerit, ſe ad illas perficiendas, atque adimplendas veniſſe, Matth. 5. 17.

ỳ. 15. FACIEM EJUS, TAMQUAM FACIEM ANGELI.] Apparuit decorus aſpectu majeſtate plenus, terribilis tanquam vultus Angeli. Lumen, & gratia qua anima illius repleta erat in faciem, & oculos emicabant, non ſecus ac olim Moyſis facies radiis circumdata viſa fuit propter illius cum Deo conſuetudinem, Exod. 34. 29.

1 Vide Chryſoſt. hic homil. 15. & Auguſt. homil. 315. nov. edit.
2 Joan. 2. 19. 3 Matth. 24. 2. & ſeq.

CAPUT VII.

Sermo S. Stephani ad Sanhedrin, qui oſtendit, ſe neque contra Moyſem, neque contra Templum locutum fuiſſe; ſed Judæos ſemper Deo, atque Prophetis fuiſſe adverſatos. Lapidibus obruitur. Saulus veſtes lapidantium cuſtodit. S. Stephanus pro his orat, a quibus lapidibus petitur.

1. DIxit autem princeps ſacerdotum: Si hæc ita ſe habent? 2 Qui ait: Vi-
ri fratres, & patres, audite: Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ,
cum eſſet in Meſopotamia, priuſquam moraretur in Charan, 3 Et dixit
ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam mon-
ſtravero tibi. 4 Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan. Et
inde, poſtquam mortuus eſt pater ejus, tranſtulit illum in terram iſtam, in qua
nunc vos habitatis. 5 Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis;
ſed repromiſit dare illi eam in poſſeſſionem, & ſemini ejus poſt ipſum, cum non
haberet filium. 6 Locutus eſt autem ei Deus: Quia erit ſemen ejus accola in ter-
ra aliena, & ſervituti eos ſubjicient, & male tractabunt eos annis quadringentis;
7 Et gentem, cui ſervierint, judicabo ego, dixit Dominus, & poſt hæc exibunt,
& ſervient mihi in loco iſto. 8 Et dedit illi teſtamentum circumciſionis: & ſic
genuit Iſaac, & circumcidit eum die octavo; & Iſaac, Jacob; & Jacob, duodecim
Patriarchas. 9 Et Patriarchæ æmulantes, Joſeph vendiderunt in Ægyptum, & e-
rat Deus cum eo: 10 Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus, & dedit
ei gratiam, & ſapientiam in conſpectu Pharaonis regis Ægypti, & conſtituit eum
præpoſitum ſuper Ægyptum, & ſuper omnem domum ſuam. 11 Venit autem fa-
mes in univerſam Ægyptum, & Chanaan, & tribulatio magna; & non inveniebant
cibos patres noſtri. 12 Dum audiſſet autem Jacob eſſe frumentum in Ægypto, mi-
ſit patres noſtros primum; 13 Et in ſecundo cognitus eſt Joſeph a fratribus ſuis,
& manifeſtatum eſt Pharaoni genus ejus. 14 Mittens autem Joſeph accerſivit Ja-
cob patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam in animabus ſeptuagintaquinque.
15 Et deſcendit Jacob in Aegyptum, & defunctus eſt ipſe, & patres noſtri. 16
Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pre-
tio argenti a filiis Hemor filii Sichem: 17 Cum autem appropinquaret tempus
promiſſionis, quam confeſſus erat Deus Abrahæ, crevit populus, & multiplicatus
eſt in Aegypto. 18 Quoaduſque ſurrexit alius rex in Aegypto, qui non ſcie-
bat Joſeph. 19 Hic circumveniens genus noſtrum, afflixit patres noſtros, ut ex-
ponerent infantes ſuos, ne vivificarentur. 20 Eodem tempore natus eſt Moyſes,
& fuit gratus Deo, qui nutritus eſt tribus menſibus in domo patris ſui. 21 Ex-

poſito autem illo, ſuſtulit eum filia Pharaonis, & nutrivit eum ſibi in filium. 22
Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Aegyptiorum, & erat potens in verbis, &
in operibus ſuis. 23 Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, aſcen-
dit in cor ejus, ut viſitaret fratres ſuos filios Iſrael. 24 Et cum vidiſſet quemdam in-
juriam patientem, vindicavit illum: & fecit ultionem ei, qui injuriam ſuſtinebat, per-
cuſſo Aegyptio. 25 Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum
ipſius daret ſalutem illis; at illi non intellexerunt. 26 Sequenti vero die apparuit il-
lis litigantibus; & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres eſtis, ut quid no-
cetis alterutrum? 27 Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens:
Quis te conſtituit principem, & judicem ſuper nos? 28 Numquid interficere me tu
vis, quemadmodum interfeciſti heri Aegyptium? 29 Fugit autem Moyſes in verbo
iſto; & factus eſt advena in terra Madian, ubi generavit filios duos. 30 Et expletis
annis quadraginta, apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.
31 Moyſes autem videns, admiratus eſt viſum, & accedente illo, ut conſideraret, fa-
cta eſt ad eum vox Domini, dicens: 32 Ego ſum Deus patrum tuorum, Deus Abra-
ham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Tremefactus autem Moyſes, non audebat conſidera-
re. 33 Dixit autem illi Dominus: Solve calceamentum pedum tuorum: locus enim,
in quo ſtas, terra ſancta eſt. 34 Videns vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ae-
gypto, & gemitum eorum audivi, & deſcendi liberare eos. Et nunc veni, & mittam te
in Aegyptum. 35 Hunc Moyſen, quem negaverunt, dicentes: Quis te conſtituit
principem, & judicem? hunc Deus principem, & redemptorem miſit cum manu Ange-
li, qui apparuit illi in rubo. 36 Hic eduxit illos faciens prodigia, & ſigna in terra
Aegypti, & in rubro mari, & in deſerto annis quadraginta. 37 Hic eſt Moyſes, qui
dixit filiis Iſrael: Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris, tamquam me,
ipſum audietis. 38 Hic eſt, qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loque-
batur ei in monte Sina, & cum patribus noſtris: qui accepit verba vitæ dare nobis,
39 Cui noluerunt obedire patres noſtri: ſed repulerunt, & averſi ſunt cordibus ſuis in
Aegyptum, 40 Dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui præcedant nos: Moyſes enim
hic, qui eduxit nos de terra Aegypti, neſcimus, quid factum ſit ei. 41 Et vitulum
fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulachro, & lætabantur in operibus
manuum ſuarum. 42 Convertit autem Deus, & tradidit eos ſervire militiæ cœli, ſicut
ſcriptum eſt in Libro Prophetarum: Numquid victimas, & hoſtias obtuliſtis mihi annis qua-
draginta in deſerto, domus Iſrael? 43 Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſidus Dei
veſtri Rempham, figuras, quas feciſtis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylo-
nem. 44 Tabernaculum teſtimonii fuit cum patribus noſtris in deſerto, ſicut diſpo-
ſuit illis Deus, loquens ad Moyſen, ut faceret illud ſecundum formam, quam viderat,
45 Quod & induxerunt, ſuſcipientes patres noſtri cum Jeſu in poſſeſſionem Gentium,
quas expulit Deus a facie patrum noſtrorum, uſque in diebus David, 46 Qui invenit
gratiam ante Deum, & petiit, ut inveniret tabernaculum Deo Jacob. 47 Salomon au-
tem ædificavit illi domum. 48 Sed non Excelſus in manufactis habitat, ſicut Prophe-
ta dicit: 49 Cœlum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedum meorum. Quam
domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ eſt? 50
Nonne manus mea fecit hæc omnia? 51 Dura cervice, & incircumciſis cordibus, &
auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos. 52 Quem
Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant
de adventu Juſti, cujus vos nunc proditores, & homicidæ fuiſtis. 53 Qui accepiſtis
legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis. 54 Audientes autem hæc, diſſe-
cabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum. 55 Cum autem eſſet plenus
Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem a dextris Dei,
Et ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem a dextris Dei. 56 Excla-
mantes autem voce magna continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.
57 Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant: & teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua, ſe-
cus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus. 58 Et lapidabant Stephanum invocantem,
& dicentem: Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum. 59 Poſitis autem genibus, clamavit
voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixiſſet, obdor-
mivit in Domino. Saulus autem erat conſentiens neci ejus.

Dixit

℣. 1. DIXIT AUTEM PRINCEPS SACERDOTUM.] S. Stephano coram Sanhedrin adducto Summus Sacerdos Caiphas testes audiit, qui illum eadem ferme testati ſunt, ac ea, quæ in JESUM CHRISTUM falſi testes ingeſſerant, & quæ cauſam præbuerant injuſtæ illius damnationi; ſcilicet JESUM eſſe Meſſiam, & Dei Filium, Moyſis Legem ab illo antiquandam, & Templum Domini evertendum. Cum Caiphas ex S. Stephano quæſiviſſet, quid illis criminibus reſponderet: S. Levita eo pacto, quod viſuri ſumus, reſpondit. Univerſus illius ſermo eo id tendit, ut oſtendat ſe blaſphemiæ reum non eſſe; ſe nihil contra Moyſem, Legem, ac Templum dixiſſe, immo accuſatores ſuos, alioſque Judæos reos eſſe eorum ſcelerum, quæ in ipſo redarguebantur; illos ab initio contempſiſſe, atque aſpernatos fuiſſe Moyſem, & ſemper illius Leges violaſſe: oſtendit blaſphemiam non eſſe, dicere, Templum everſum iri; quoniam natio Hebraica ſine Templo fuerat ad David uſque; & quod non indiget Deus Templis manufactis, neque habitat in domibus, hominum arte ædificatis; JESUM CHRISTUM denique eſſe Prophetam illum a Moyſe promiſſum, a Judæis vero damnatum, & crucifixum. Ita S. Stephanus cauſam ſuam peroravit. Omnes orationis partes, ſed non omnes directe ad eumdem ſcopum collimant; quædam enim non aliud ſunt, quam orationis ornamenta, vel partium earumdem connexiones.

℣. 2. DEUS GLORIÆ APPARUIT ABRAHÆ.] Deus unus eſt Deus gloriæ, Rex gloriæ [1], origo veræ, & ſolidæ gloriæ. In ipſo, & per ipſum ad ſupremam felicitatem, & ad perfectam beatitudinem unice tendere poſſumus. S. Stephanus hic ait, Deum Abrahæ apparuiſſe in Meſopotamia, quod in Geneſi non enarratur [2]; ſed Sanctus hic vir in univerſa oratione ſua nos docet alia plura, quæ alibi in textu Sacro non legimus, & quæ ille nonniſi ex traditione, vel peculiari revelatione poterat didiciſſe.

CUM ESSET IN MESOPOTAMIA.] Moyſes ait, Urbem, ex qua egreſſus eſt Abraham cum Thare Patre ſuo, fuiſſe in Chaldæa; ſed Chaldæa in Meſopotamiam protendebatur; hac igitur in re S. Stephanus Moyſi non adverſatur. Ammianus Marcellinus ſtatuit urbem Ur in Meſopotamia, inter Civitatem Niſiben, & Tigrim. *Charan* inſignis eſt *Charres* ſita, ubi Chaboras in Euphratem defluit; atque illac Euphratem traducebant, qui de Meſopotamia in Syriam, & Palæſtinam contendebant. *Charres* deinde Craſſi clade fuit nobilitata. Lucanus de Bello civili:

Aſſyrias Latio maculavit ſanguine Charras.

℣. 3. EXI DE TERRA TUA.] Hoc jam animadvertimus in Moyſe non legi. Dominus eadem iteravit verba ad Abraham, cum illum de Charres educere voluit, poſt mortem Thare Gen. 12. 1. Vide Commentarium noſtrum in Geneſim c. 6. ℣. 26. & 12. ℣. 1. & 15. ℣. 7.

℣. 4. POSTQUAM MORTUUS EST PATER EJUS, TRANSTULIT ILLUM.] Thare Pater Abraham egreſſus erat de Ur cum familia ſua, atque viam erat ingreſſus, ut cum Abraham in terram Chanaam proficiſceretur. Cum autem aliquandiu in Charras Meſopotamiæ ſubſtitiſſet, ibi quintum ſupra ducenteſimum annum agens occubuit [3]. Abraham vero filius ejus iterum per viſionem a Deo juſſus egredi de Haran, inde exiit quintum, & ſeptuageſimum ætatis annum agens [4]. Non deſunt quædem difficultates in hujuſmodi Chronologia, at ubi ſupponas, Abraham natum fuiſſe anno 130. Thare, & natu minorem fuiſſe duobus fratribus ſuis Nacor, & Haran, quælibet oppoſitio evaneſcit.

℣. 5. NON DEDIT ILLI HÆREDITATEM IN EA, NEC PASSUM PEDIS [5].] Neque locum, ubi pedem poneret, vel neque pedem longitudinis, neque menſuram pedis unius. Ea in regione tamquam hoſpes vixit, quin aliquid poſſideret. Si autem ibi ſpeluncam poſſedit, ut ibi Saram tumularet, ſuam pro illa pecuniam perſolvit [6]. Deus, qui illi promiſerat futurum, ut ea regione potiretur, nonniſi multo poſt in poſterorum illius gratiam ſuas promiſſiones explevit: & Abraham, qui nullos adhuc liberos genuerat, & qui non ſperabat amplius, ſe per ætatem alios geniturum, Domini tamen promiſſionibus credere non deſtitit.

B ℣. 6. ACCOLA IN TERRA ALIENA ANNIS QUADRINGENTIS.] Hi anni quadringenti deſumpti ſunt ex capite 15. 13. Geneſeos, ubi Moyſes illos explicita memorat. Hi autem complectuntur tempus, quod effluxit, ex quo Abraham terram Chanaam ingreſſus eſt, uſque ad exitum Iſraelitarum de Ægypto. Omnes ſimul ſunt anni quadringenti, atque triginta [7]: ſed S. Stephanus rotundum numerum uſurpavit, & annos triginta neglexit. Hi anni quadringenti, atque triginta deſumuntur, ex quo Abraham de urbe Haran egreſſus eſt uſque ad illud tempus, quo Hebræi de Ægypto exceſſerunt. Iſraelitæ quidem in Ægypto ducentis, & quindecim annis tantummodo permanſerunt. Si cupis Epocham, unde hi quadringenti peregrinationis anni incipiunt, illam ſtatuere potes quatuor annis ante nativitatem Iſaac, unde uſque ad exitum de Ægypto vere quadringenti anni effluxerunt.

C ℣. 7. JUDICABO EGO.] Juſtitiam exercebo: ultionem expoſcam ex ea gente, quæ in ſervitutem poſteros ſuos aſſeruerit, Ægyptios ſeveriſſima puniam. Deus profecto illos decem inſignibus Ægypti plagis percuſſit; præſertim vero morte primogenitorum, ac tandem illos in rubro mari ſubmerſit.

℣. 8. DEDIT ILLI TESTAMENTUM CIRCUMCISIONIS.] Vel potius dedit illi circumciſionem, tamquam ſignum, vel notam fœderis, quod cum eo percutiebat: *circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos*, Gen. cap. 17. 11.

ET SIC GENUIT [8].] Propter hoc fœdus Deum inter, atque Abraham percuſſum, puer Iſaac octava poſt nativitatem die fuit circumciſus, ut oſtenderetur verum eſſe filium Abrahæ, & heredem eorum, quæ Deus illi de poſteris illius pollicitus fuerat.

D ℣. 10. DEDIT EI GRATIAM, & SAPIENTIAM.] Cum Joſephi ſapientia, vel ſcientia ſua penitus ſupernaturali, atque mira ſomniorum explicandorum arte Ægyptii Regis amorem ſibi comparaſſet: hic Princeps in eo confidit, eumque Regiæ domus curatorem conſtituit, atque univerſæ ſuæ ditioni præfecit.

℣. 14. IN ANIMABUS QUINQUAGINTA QUINQUE.] Septuaginta ſimiliter legunt ſeptuaginta quinque; ſeptuaginta viris hos addentes, *Machir, Galaad, Sutalam, Taam, & Edom*, qui leguntur ℣. 20. cap. 46. Geneſeos, licet in Hebræo non legantur. Adi, ſi lubet, noſtrum in Geneſim Commentarium cap. 46. a 26. S. Stephanus loquens apud Helleniſtas Alexandriæ, Cyrenaicæ, Ciliciæ, & Aſiæ minoris, cum & ipſe eſſet Helleniſta, minime mirum eſt, ſi Scripturam citat ex Septuaginta verſione, licet coram Sanhedrin ipſe loquatur. Ea quippe verſio Jeroſolymæ communis erat, eamque communiter Judæi recipiebant.

E ℣. 15. TRANSLATI SUNT IN SICHEM.] Videtur iſthic Librarii mendum [9] non deeſſe, & pro *Abraham* legendum eſſe *Jacob*, vel omnino delendum nomen Abraham, & ſupplendum nomen Jacob, quod ſuperiori verſ. expreſſum eſt. Et ſane legimus Gen. 33. 19. Jacob de Meſopotamia reverſum emiſſe ex filiis Hemor Patris Sichem agri partem, ubi ſua tabernacula conſtituerat; quam Hebræus ait, ab eo emptam fuiſſe centum *Keſitha*, quos *argenteos* centum alii, alii vero centum agnos fuiſſe putant. Eo in agro erat monumen-

---

1 Pſalm. 23. 7. 2 Gen. 11. 31. Moyſes tantum ait, Thare ex Ur Chaldæorum cum ſuis liberis egreſſum, ut in terram Chanaam veniret. 3 Gen. 11. 32. 4 Gen. 12. 4.
5 Cicero Philippic. *Quid erat in terris ubi in tuo pedem poneres?* Et: *Veſtigium ubi imprimam non habeo.*
6 Gen. 23. 17. 7 Exod. 12. 40. Galat. 3. 16. 17.
8 Gr. Καὶ οὕτως ἐγέννησε τὸν Ἰσαάκ. Alii plures: Καὶ αὐτὸς. *Et ipſe genuit*. Vide Mill.
9 Maſ. in Joſue. Jacob. Capell. Bochart. de animal. ſacr. p. 2. lib. 2. cap. 43. Piſc. Cleric. hic.

numentum, ubi Joſue Patriarchæ Joſeph oſſa [1], fortaſſe cum oſſibus aliorum Patriarcharum Filiorum Jacob tumulaverat: nam Abraham [2], & Jacob [3] in ſpelunca Mambre tumulati fuerant, quam Abraham emerat ex filiis Heth [4], ut ibi Saram efferret, quingentorum ſiclorum argenti pretio. Hæ duæ emptiones adeo explicite ſuis circumſtantiis exornatæ afferuntur, ut fieri minime poſſit, illas confundi. Crediderunt [5] S. Stephanum memoriæ lapſu hoc in loco alterum pro altero nomen uſurpaſſe: ſed mallem mendum hoc librariis vitio vertere, quam in Sancti hujus Diaconi memoriam rejicere, qui quemadmodum S. Lucas explicite aſſerit, Spiritu Sancto repletus erat, cum ea in cœtu loqueretur, Act. 7. 55. & 6. 10.

Volunt alii [6], nomen *Abraham* iſthic poſitum eſſe pro poſteris Abraham; pro Jacob filio illius, quæ ſolutio non abhorret a ſuperiori quoad rem ipſam: quoniam fatetur hic agi de agro Hemor, quem Jacob emit: ſed nomen *Abraham* iſthic pro filio Abrahæ poſitum mihi præter ordinem huc obrepere videtur, ac prorſus præter Sacrorum Auctorum conſuetudinem; præſertim vero in oratione ſoluta, atque in ſimplici narratione, qualis hæc eſt. Sunt, qui Græcum [7] ita vertunt: *Jacob in Ægyptum deſcendit, ibi mortuus eſt, & Patres noſtri, qui tranſlati fuerunt in Sichem, & qui a Filiis Hemor Patris Sichem tumulati fuerunt in Sepulchro, quod Abraham argento comparaverat.* Moyſes non loquitur de agro hoc ab Abraham empto, ſed S. Stephanus fortaſſe hanc circumſtantiam ex revelatione, vel traditione didicerat; unde etiam acceperat, duodecim Patriarchas in Sichem tumulatos fuiſſe, cujus traditionis meminit S. Hieronymus in Epitaph. ad Paul. & quæ legitur etiam in Talmud; licet Joſephus Antiqu. l. 2. c. 4. explicite illos in Hebron ſepultos fuiſſe teſtetur: quod probat ætate illius, hoc non ſatis certum fuiſſe. Ex his omnibus ſolutionibus prior mihi ſimplicior, atque aptior videtur.

℣. 17. TEMPUS PROMISSIONIS.] Deus promiſerat Abrahæ futurum, ut poſteri ipſius poſt quadringentos annos Chananitidis poſſeſſionem adirent. Ut autem ad promiſſionis harum complementum perveniant, permittit, ut Abrahæ progenies mirum in modum in Ægypto multiplicetur; & cum *Rex alius* [8] in eam regionem dominaretur, qui cum non cognoſceret, quanta Ægyptus univerſa deberet poſteris Abrahæ, hos perſequi cœpit, atque iniit conſilium, ut illos paulatim extingueret.

℣. 19. UT EXPONERENT INFANTES SUOS.] Obſtetricibus præcepit, ut quidquid ex Hebræorum mulieribus maſculini ſexus naſceretur [9], ipſæ interficerent: at cum obſtetrices Deum vererentur, neque vellent innocentes illos perdere; imperavit Pharao, ut Hebræi filios omnes maſculini ſexus, qui naſcerentur, aquis ſubmergerent. Videtur S. Stephanus aſſerere, Judæos ab hoc Principe coactos fuiſſe, ut ipſi per ſe filios exponerent: verum hoc explicare debemus dicentes, vi edicti ſui illos in eam neceſſitatem coegiſſe, ut miſere filios ſuos aquis objicerent. Cum enim neque alere illos poſſent, neque abdere, malebant illos objicere primo advenienti, ut ſaltem illis vitam ſervarent.

℣. 20. NATUS EST MOYSES, & FUIT GRATUS DEO.] Moyſes ortus eſt, cum Pharaonis perſecutio in Hebræos deſævire inciperet. Aaron frater illius tertio ante id tempus anno in lucem editus fuerat, innutritus, atque inſtitutus citra quamlibet oppoſitionem. Græcus hoc in loco ait [10], *Moyſem pulchrum fuiſſe Deo*, hoc eſt ſpeciei prorſus ſingularis, & quodammodo divinæ fuiſſe. Hebræi divinum nomen tribuunt rebus, quarum magnitudinem, pulchritudinem, præſtantiam amplificant: *Civitas magna Dei* Jonas 3. 3. Civitas ingens, atque in mirum modum ampla; prælium violentum, *lucta Dei*, Gen. 30. 8. *cedri Dei* Pſal. 79. 11. cedri mirum in modum proceræ. Permiſit Deus, ut infans Moyſes inſignis adeo pulchritudinis eſſet, ut Regis Filiam alliceret, quæ illum de aquis eduxit, & tamquam Filium ſuum ali curavit. Hanc Regis Filiam Joſephus *Thermuthim* appellat.

℣. 22. OMNIS SAPIENTIA ÆGYPTIORUM.] Veteres Ægyptii maxime ſcientiæ, & ſapientiæ laude florebant [11], quoniam apud Veteres duæ illæ voces mutuo ſæpius altera pro altera uſurpatur. Philo de vita Moſis inquit, Moyſem Arithmeticam didiciſſe, Geometriam, Rythmicam, vel deſinentis orationis ſcientiam, litteras Aſſyrias, atque Aſtronomiam. S. Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. illum Arithmetica, Geometria, Rythmica, Harmonica, Medica, Muſica, & Hieroglyphorum ſcientia imbutum fuiſſe dicit, & Philonem affert aſſerentem, illum ex præceptoribus Græcis ſcientias, quæ tunc in Græcia maxime celebrabantur, ex Chaldæis vero aſtrorum ſcientiam didiciſſe. Vide noſtrum Commentarium in Exodum 2. 10.

POTENS IN VERBIS, & IN OPERIBUS.] Qui verbo facile perſuadebat, atque argumentationum vi pollebat; Cæterum enim [12] liquet, illum non expeditæ, ſed gravioris, tardioriſque linguæ fuiſſe. Verum in oratione ſua vim habebat, energiam, majeſtatem; quarum rerum præclarum ſpecimen in libris, qui ab eo conſcripti ſuperſunt, ſatis apparet. Ille quidem extra omnem imitationis ſpem aſſurgit, ſeu narret, ſeu leges ſcribat, ſeu Cantica elucubretur, ſeu conciones habeat; in quolibet ſermonis genere excellens; ſimplex, perſpicuus, ſublimis, vehemens, laconicus, Aſiaticus, ex lege ſecundum ſermonis, atque circumſtantiarum naturam. Erat etiam *potens in operibus*; vivendi quippe ratio illius ſapiens erat, virtutibus exornata, frugi, atque prudens; tum in iis, quæ ad pacem, tum quæ ad bellum ſpectant. Scitus enim dux fuiſſe dicitur, antequam Hebræis præficeretur.

℣. 23. QUADRAGINTA ANNORUM TEMPUS.] Hæc ætas in Moyſis libris non legitur; ſed hæc erat Judæorum traditio, quæ ad hanc quoque diem in eorum libris deprehenditur [13]. Moyſes ipſe docuerat, ſe ex origine Hebræum fuiſſe, cujus rei memoriam illi nomen proprium indeſinenter ciebat. Cum ergo annos quadraginta in aula vixiſſet, maluit inter ærumnas, atque in humilitate vitam trahere in medio populi ſui, quam locupletem, atque mollem in Regis aula vitam vivere [14]. Noluit amplius haberi filius filiæ Pharaonis; fides quippe illi oſtendit alios honores, & alia bona longe magis præſtantia: *fide negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.*

℣. 24. VINDICAVIT PERCUSSO ÆGYPTIO.] Illum occidit, atque arena ingeſta occuluit, quemadmodum ipſe Exod. 2. 12. teſtatur. Urbs Taneos, ubi erat Regis aula, longe aberat a terra Geſſem, ubi verſabantur Hebræi. Moyſes inter fratres ſuos non ſatis cognitus erat; ſaltem non habebatur ab ipſis tamquam ille, a quo de ſervitute erant liberandi, quemadmodum inferius innuitur ℣. 25. Videtur autem S. Stephanus indigitare velle Moyſem ex tunc jam a Deo vocatum fuiſſe, ut fratres ſuos tueretur, eoſque de Ægyptiorum educeret captivitate; ſed cum Hebræi miſſionem illius minime cognoviſſent, coactus fuit quadraginta annos illinc abeſſe, quibus elapſis præcepit illi Deus, ut rurſus ad fratres ſuos revertèretur, eoſque ſervitute liberaret.

Huic inſiſtentes principio facile excuſare poſſumus mor-

1 Joſue 24. 32. 2 Geneſ. 25. 9. 3 Geneſ. 50. 13.
4 Geneſ. 23. 5 Beda, Rab. Can. lib. 3. de locis cap. ult. Vide Grot. hic ad verſ. 5.
6 Sanct. Cornel. Druſ. Gloſſ. Boch. Vide Synopſ. 7 Ludov. de Dieu, Cuatebul.
8 Vulgat. *Alius Rex*, Græc. Βασιλεὺς ἕτερος. Heb. מלך Exod. 1. 8.
9 Exod. 1. 16. 10 Ἦν ἀστεῖος τῷ Θεῷ.
11 Apulei. Metamorph. 11. *Priſcaque doctrina pollentes Ægyptii*. Et lib. 1. *Ægyptios eruditos, & Judæos ſuperſtitioſos*. 12 Exod. 4. 10. 6. 12. 13 Midrach, Rabba, Bereſchit. et Tanchum ad Exod. 11.
14 Hebr. 11. 25.

mortem ab illo ea in occaſione illatam. A Deo conſtitutus erat vindex nationis ſuæ, per fas, & nefas oppreſſæ. S. Auguſtinus, qui illum antea damnaverat, contra Fauſtum l. 22. c. 70. ſcribens, neque ſupponens ullam hominis occidendi legitimam auctoritatem Moyſi fuiſſe; deinde illum a juſtitia minime receſſiſſe teſtatur in 2. quæſtione in Exodum; ubi ſupponit, ea in occaſione Moyſem peculiari inſpiratione afflatum fuiſſe. Proteſtantes quidam [1] ſcripſerunt, neque Moyſem, neque Hebræum, qui laceſſitus fuerat, cum minime ex Ægyptiis judicibus impetrare potuerint jus ſibi fieri, neque citare nefas, quippe palam ipſorum natio perſecutionibus urgebatur, potuiſſe per ſe ipſos ultionem depoſcere. Cum Tyrannis ad extremum evaſit, neque ullus juſtitiæ aditus ultra patet, cumque ſocietatis fundamenta prorſus jam corruerunt, ad jus naturale redeundum eſt, cujus vi cuilibet jus eſt ſeipſum, & amicos ſuos contra alienam impotentiam tuendi, quin fruſtra Legum, Judicumque minime audientium expectent auxilium.

Hæc omnia ſupponunt, perſecutionem, de qua ſermo fuit ỳ. 19. vel tunc viguiſſe, quod vix credo: ſi enim quadraginta annos a Moyſis nativitate ad illud uſque tempus ſæviebat, quomodo nam Iſraelitæ ad eum numerum evaſiſſent, quo illi poſt quadraginta annos de Ægypto egreſſi ſunt? Itaque ut Moyſem tueamur, teor vel cum S. Auguſtino dicendum eſſe, illum a Deo miſſum fuiſſe, ut fratres ſuos vindicaret, atque peculiari Spiritus Sancti afflatu percitum id feciſſe: vel cum Theologorum pleriſque aſſerendum, potuiſſe illum quidem fratrem ſuum tueri, atque interficere, illi necem inferentem; cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. Vide Commentarium noſtrum in Exodum cap. 2. ỳ. 12.

ỳ. 25. EXISTIMABAT INTELLIGERE FRATRES,] quod a Deo deſtinatus fuerat eorum liberator; & quod tempus liberationis jam immineret. Id autem, non niſi ex poſtremo hoc facto, cognoſcere poterant. Quadringenti ſervitutis anni, quos Deus Abrahæ portenderat, jam erant elapſi [2]: ſed Moyſes nullum adhuc illis miſſionis ſuæ monumentum præbuerat. Narrat Joſephus Antiq. l. 2. c. 9. Ægyptiis quamdam oraculi ſpeciem fuiſſe, quod illis Hebræi pueri nativitatem portendebat, qui plurima Ægyptiis mala erat illaturus, Hebræorum vero populum inſigni gloria cumulaturus. Propter hujuſmodi vaticinium, Regem edictum propoſuiſſe, quo mares omnes, qui ex Iſraelitis naſcerentur, morti addicebantur, & Deum revelaſſe Amram Patri Moyſis, filium ſuum illum eſſe, cujus nativitatem Ægyptii tantopere metuebant. S. Stephanus fortaſſe veteri huic Hebræorum traditioni hoc in loco alludebat.

ỳ. 27. QUIS TE CONSTITUIT PRINCIPEM?] Hac in re, S. Stephanus de Moyſe loquens ſummam in eum exiſtimationem, atque obſervantiam præſefert; atque ita diluit crimen, quod ſibi ingeſſerant, quaſi in ſanctum illum Legiſlatorem contumelioſa verba evomuiſſet. At ſimul argumentum in adverſarios intorquet, & oſtendit, veteres Hebræos indigne ſemper ab initio ad finem uſque inſignem hunc virum habuiſſe.

ỳ. 28. QUEMADMODUM INTERFECISTI ÆGYPTIUM.] Moyſes in Exodo 2. 14. ait, ſibi hoc verbum maximam admirationem injeciſſe, quippe credebat id, quod pridie egerat, nemini eſſe compertum; atque illius, quem contra Ægyptium tutatus fuerat, maxime intereſſe, ne factum illud in vulgus emanaret; neque tantum dementiæ illi fore, ut de eo loqui vellet.

ỳ. 29. IN TERRA MADIAN.] Sita ſecus Orientalem Rubri Maris oram [3], & longe alia a terra Madian ad Aſphaltitis lacus Orientem ſita [4]. Hanc incolabant poſteri Madian Filii Abrahæ ex Cethura; illam vero Cuſchitæ poſteri Cham, & Chus; quamobrem Aaron, & Maria Sephoram Moyſis conjugem *Chuſitem* dicunt Num. 12. 1. videlicet ex progenie Chus, fortaſſe etiam Madian *Chus* appellatur, eo quod immixtus erat Cuſchim ſecus mare Erithræum. Habachuc etiam c. 3. 7. Chus cum Madian memorat, non procul a Monte Sinai.

ỳ. 30. APPARUIT ILLI ANGELUS.] Hoc accidit, cum Moyſes octoginta annos natus eſſet, quadrageſimo videlicet poſt fugam illius anno. In Exodo 3. 2. ait, Dominum ſibi de rubo fuiſſe locutum; quamobrem Veteres Patres complures [5] dixerunt, hunc Angelum, qui Dominus appellatur, non alium fuiſſe, quam JESUM CHRISTUM, qui a Prophetis [6], *magni conſilii Angelus* vocatur. At S. Auguſtinus l. 3. de Trinit. c. 11. & plerique eorum, qui poſt illum venerunt, crediderunt, hunc ſimplicem fuiſſe Angelum de rubo locutum; non enim ex Moyſis narratione liquet, ipſum ſenſibilem aliquam figuram vidiſſe; ſed rubum dumtaxat flagrantem, ex quo vox emanavit, quæ ad ipſum locuta eſt, eique ſua tradidit mandata.

ỳ. 33. SOLVE CALCEAMENTUM.] Hæc ratio eſt, qua Orientales obſervantiam ſuam teſtantur, nudatis pedibus aliquem in locum prodeuntes. Mahumetani Meſchitas ſuas ſine calceis ingrediuntur. Hebræi Sacerdotes nudatis pedibus Templo miniſtrabant. Angelus, qui apparuit Joſue eadem dixit, ac Moyſi Angelus iſte: *ſolve calceamentum tuum de pedibus tuis*, Joſue 5. 15.

ỳ. 35. HUNC MOYSEM, QUEM NEGAVERUNT.] Hic idem eſt ille Moyſes, cui dixerant: *quis te conſtituit Principem, & Judicem ſuper nos?* quem Deus ſuſcitavit, ut Hebræos de Ægypti ſervitute liberaret. Ita JESUM CHRISTUM coram Pilato negaſtis, neque illum cognoſcere voluiſtis, tamquam Meſſiam, & Regem veſtrum, qui tamen conſtitutus eſt Mundi Salvator, & Judex vivorum, atque mortuorum: & ſicut Patres veſtri, ubi Moyſem ejeciſſent, tandem illum legiſlatorem ſuum eſſe, ſuumque caput agnoverunt. Ita vos nulla deterrere debet verecundia, quominus ad JESU CHRISTI clementiam confugiatis, poſtquam illum contumeliis, probris, & morte affeceritis.

CUM MANU ANGELI.] Creditur hic eſſe Archangelus S. Michael, qui fuit caput atque protector Judaicæ nationis, & qui illam vexit ſub nubis forma, donec per deſerta loca iter habuit. Moyſes illum ſemper *Dominum* vocat, quod Angelus iſte Dei Majeſtatem repræſentabat, & nomine illius loquebatur. Moyſes Hebræos de Ægypto eduxit [7], *cum manu Angeli*, in manu, vel per manum Angeli, illius ope, & conſilio, juxta ejuſdem mandata, atque illo duce. Ope illius Moyſes tot miracula patravit; per illum leges, & ipſe recepit, & Hebræis irrogavit.

ỳ. 37. PROPHETAM SUSCITABIT VOBIS.] Hic Propheta eſt Meſſias [8], cujus vobis adventum annuntio in JESU CHRISTI perſona. A Moyſe ad hæc uſque tempora, unum poteſtis ne Prophetam oſtendere, in quo, quemadmodum in JESU CHRISTO, omnes veri Meſſiæ characteres effulgeant? Ergo ne tamquam blaſphemus in Moyſem habear, cum illum prædicem, quem Moyſes tot ab hinc ſeculis prædicaverat.

ỳ. 38. HIC EST, QUI FUIT IN ECCLESIA:] Fateor æque ac vos, Moyſem magnum eſſe nationis veſtræ Legiſlatorem, illum diebus quadraginta in montem permanſiſſe, loquentem cum Angelo, qui Dominum referebat, ejuſque nomen induebat. Fateor, illum ab hoc Angelo recepiſſe legem, quam adeo perperam obſervaſtis; hanc *legem ignis* [9], hanc *legem vitæ* [10]. *Legem* quidem *ignis*, quam prævaricatores abſumit; *legem* vero *vitæ*, quod illam fideliter obſervantibus vitam, & quod-

[1] Vide Clericum in hunc locum, & Grot. de jure belli et pacis l. 2. c. 1. Act. 7. 8. 9. 10.
[2] Gen. 15. 13.
[3] Joſeph. Antiqu. lib. 2. c. 11. Euſeb. et Hieronym. in locis Hebr.
[4] Vide eoſdem Euſeb. et Hieron. in locis.
[5] Chryſoſt. hic. Theodoret. qu. 5. in Exod. Juſtin. contra Tryphonem. Tertull. lib. 2. contra Marcion. Hilar. lib. 4. et 12. de Trinit. etc.
[6] Iſai. 9. 7. ex 70 Interpp.
[7] Ἐν χειρὶ Ἀγγέλου.
[8] Vide Deut. 18. 15. et Act. 3. 22.
[9] Deut. 33. 2.
[10] Hic. *Accepit verba vitæ*. Vide et Deut. 32. 47.

& quodlibet felicitatis genus impertit. S. Stephanus ſæpius in hoc ſermone iterat, legem Angelorum miniſterio traditam fuiſſe, & Moyſem cum Angelis fuiſſe locutum, ut retunderet Judæorum ſuperbiam, impotenter Legem ſuam ſuper JESU CHRISTI doctrinam evehentium, atque dicentium Joan. 19. 28 *nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autem neſcimus, unde ſit*. Auctor Epiſtolæ ad Hebræos c. 1. 2. &c. valde inſiſtit, oſtendens, JESUM CHRISTUM Moyſi præſtare in eo, quod Deus vetus teſtamentum nonniſi Angelorum miniſterio tradidit, cum nobis recentem legem per Filium ſuum toto Cœlo Angelis ipſis ſuperiorem irrogaverit.

℣. 39. AVERSI SUNT] maxime intererat, ut S. Stephani cauſa probaretur, oſtendere, Judæos ab initio ſemper rebelles fuiſſe, & Deo, & Legiſlatori ſuo. Inde inferebatur, non zelo Legis Moſaycæ honorem tuendi; ſed odio, invidia, atque ira, impulſos, in JESU CHRISTI diſcipulos inſurrexiſſe.

℣. 40. FAC NOBIS DEOS,] figures Deorum commentitias, quales habent Ægyptii, quæ in exercitu noſtro ſuper currus, vel in ferculis ſuper hominum humeros gerantur; quemadmodum fieri conſueverat in Ægyptiorum feſtorum pompa, & ſupplicationibus [1]. Hæc Ægypti numina hominum erant ſimulacra habentia caput canis, felis, accipitris, lupi, arietis, leonis, vel alterius cujuſpiam animantis, quemadmodum adhuc in veteribus Ægyptiorum monumentis licet conſpicere.

℣. 41. VITULUM FECERUNT;] hoc eſt ſimulacrum cum capite vitulino. Ita ab Ægyptiis ſæpius exhibebatur Deus Apis, quod præcipuum erat apud ipſos numen, eaque priſcorum Patrum complurimorum ſententia eſt [2]. Putant alii, ab illis aureum vitulum conflatum fuiſſe; & hac ratione numen idem repræſentaſſe. Vide Commentarium noſtrum in Exodum 32. 4.

℣. 42. SERVIRE MILITIÆ COELI.] Non impulit Deus illos directe in cultum Idolorum, praviſſimam hanc illis mentem injiciens: ſed permiſit, ut illi eidem ſe manciparent, tradens eoſdem corruptioni cordis, neque illis eam gratiam concedens, qui ſe penitus indignos præbuerant. Igitur venerati ſunt *militiam Cœli*, hoc eſt Solem, Lunam, & Stellas, quæ motus ſui lege, atque ordine, quem inter ſeipſas ſervant majeſtatem, atque pulchritudinem exercitus frequentiſſimi in aciem diſpoſiti imitantur. Ambigi minime poteſt, quin Moyſis ipſius tempore, & cum Hebræi in deſerto iter facerent, licet ſumma eſſet legiſlatoris cura, & ſeveritas, idola tamen furtim venerati, qui Solem, Lunam, ac Stellas colebant; quemadmodum S. Stephanus explicite ſeq. ℣. teſtatur, ubi Veteres profert Prophetas, qui hac de re Judæos increpuerunt. Sed Idolorum cultui deinceps ſe ſe magis manciparunt, & univerſa illorum hiſtoria, ut ita dicam non aliud eſt, quam Idololatriæ ipſorum narratio, qua ferme ſemper aſtra, Solem, Lunam, & Stellas adorabant.

IN LIBRO PROPHETARUM: NUMQUID VICTIMAS &c.] quemadmodum *ſcriptum eſt in libro* duodecim Minorum *Prophetarum*, in Amos videlicet ℣. 26. *numquid victimas, & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto?* non Amos, neque S. Stephanus, qui illum profert, abſolute negans, ab Hebræis Domino in deſerto aliqua oblata fuiſſe ſacrificia: hoc enim adeo certum eſt ex Moyſe, ut in dubium revocari minime poſſit: ſed neque ea, quotquot debebant, neque eo pectu, quo Deus efflagitabat, illis ſacrificia obtulerunt. Denique non illi uni obtulerant; cultum, cor, & ſacrificia ſua diviſerunt, quod Deus maxime abominatur. Univerſo itineris ſui per deſertum tempore vixerant, quin fideliter Deo obtemperarent; quemadmodum Moyſes ipſe teſtatur Deut. 12. 8. Ubi ingreſſi fueritis in terram, in quam Dominus vos adducturus eſt, *non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie ſinguli, quod ſibi rectum videtur*. Inconſtans ille ſtatus, ubi jugiter ferme agitabantur, cum in ſingulos prope dies caſtra & movenda, & metanda eſſent, illis non permittebat, ut uniformem rationem ſequerentur in exteriori cultu, quo Deum venerabantur: hoc tamen illos minime excuſabat, quod impie idola venerarentur. Adi, ſi lubet, Diſſertationem noſtram de Iſraelitarum in deſerto Idololatria, duodecim minoribus Prophetis præpoſitam.

℣. 43. SUSCEPISTIS TABERNACULUM MOLOCH, & SYDUS DEI VESTRI REMPHAM [3].] Deus hic *Rempham* omnibus Interpretibus crucem figit; latet enim, quid ſignificet. Pleriſque illum explicant de Saturni ſtella. At conſule, ſi vis, quæ a nobis dicta in nuper memorata Diſſertatione, & ea etiam, quæ hac de re a Spencero ſcripta fuerant. Textus Hebraicus Amos minime loquitur de Rempham [4]: *geſtaſtis tabernacula Regis veſtri* (vel Moloch Dei veſtri) *& Stylobata ſimulacrorum veſtrorum* (imaginum, figurarumque veſtrarum) *aſtrum Deorum veſtrorum, quos vobiſmet ædificaſtis*. Ad hunc textum omnes reverti debuerant. Septuaginta, quorum verſionem S. Stephanus ſecutus eſt, falli potuerunt in modo legendi nomen *Chevan*, atque pro illo *Rempham* ſubſtituentes: vel fortaſſe librarii Septuaginta textum corruperunt eo lectione, quæ fruſtra fatigat Interpretes, & quæ fortaſſe & Hebræo, & eorumdem Septuaginta autographo eſt oppoſita. S. Hieronymus in verſione ſua, quam Tridentinum Concilium probavit: *portaſtis Tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem Idolorum veſtrorum ſydus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis*.

TRANS BABYLONEM.] Hebræus in Amos, & quædam Græca Exemplaria hoc in loco legunt: *trans Damaſcum*.

℣. 44. TABERNACULUM TESTIMONII SECUNDUM FORMAM.] Tabernaculum teſtimonii eſt tentorium illud, ubi depoſita fuit Arca fœderis, vel capſula, quæ leges Dei digito ſcriptas complectebatur. Dominus illius exemplar in monte oſtendit, dixitque illi Exod. 25. ult. *fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*. S. Stephanus hoc in loco innuit Tabernaculi initium, quemadmodum verſu ſequenti Templi oſtendet originem, ut inde inferat, veram religionem eſſe poſſe ſine utroque; quoniam Patriarchæ, antequam Tabernaculum erigeretur, & Hebræi a Moyſe ad Salomonem uſque vixerunt, antequam Templum ædificaretur, ideoque nullam eſſe blaſphemiam aſſerere, Templum Jeroſolymitanum everſum iri, & veram Religionem, videlicet Jeſu Chriſti, ſine Templo permanſuram.

℣. 46. PETIIT, UT INVENIRET.] Videri poſſunt Regum libri [5]. Propoſuerat David, ut Templum Domino ædificaret, qua in re cum conſuluiſſet Nathan, ille haud hæſitanter reſpondit, eam rem Domino jucundam futuram. Attamen Dominus illi deinde ſignificavit, non Davidi, ſed filio ejus Salomoni ædificii illius gloriam reſervari. Et ſane hic opus illud ea, qua omnes narrant, magnificentia diligentiſſime abſolvit.

℣. 48. NON EXCELSUS IN MANUFACTIS HABITET.] Hoc Salomon ipſe fatetur ea in oratione, quam Deo effudit in Templi ſui dedicatione, 3. Reg. 8. 27. *ergo ne putandum eſt, quod vere Deus habitet ſuper terram? Si enim Cœlum, & Cœli Cœlorum te capere non poſſunt: quanto magis domus hæc, quam ædificavi?* & S. Paulus Act. 17. 24. *non in manufactis Templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo*. Igitur non in Dei gratiam, ſed pro nobis ipſis Templum extruimus; ille vero ex mera miſericordia, & clementia ſua

1 Herodot. lib. 2. c. 63. Vide & Clem. Alex. Stromat. lib. 6. Vide Iſai. 46. 7. Baruc. 6. 3. 25.
2 Lactant. lib. 4. c. 10. Tertull. advers. Judæos, c. 1. Iren. in Oſee 4. Auguſt. in Pſalm. 41. Ambroſ. Ep. ad Remul. Optat. Milevit. lib. 3.
3 Græc. Ῥεμφάν. Alii: Ῥεφάν. Ῥομφάμ. Ῥεμφάν. Ῥομφάμ. Ῥαφάν. Ῥεφάν. Ῥεφᾶ. Ῥεφφάν.
4 Amos 5. 26. ונשאתם את סכות מלככם ואת כיון צלמיכם כוכב אלהיכם אשר עשיתם לכם
5 2. Reg. 7. 2. 3. & ſequent. Vide & Pſal. 131. 1. 2. 3.

ſua nobis permittere dignatur, ut illi ædificemus, ut ſcilicet nobis faciliorem aperiat viam eum colendi, illi vota noſtra nuncupandi, atque preces effundendi iis in locis, quæ ipſi peculiariter ſacri ſunt, & ubi apertius præſentiæ ſuæ tribuit indicia.

℣. 49. QUAM DOMUM ÆDIFICABITIS MIHI?] ſi opus eſſet, ut domum meæ magnitudini, atque immenſitati parem ædificareris? Cœlum, terramque meo numine repleo, Cœlum mihi Thronus eſt, & terra ſcabellum pedum meorum. Admiramini ergo indulgentiam meam, qua memet egeſtatibus veſtris ſubjicio euſque, ut mihi materialem domum ædificari permittam. Hæc omnia collimant ad S. Stephani mentem, oſtendere conantia, Templum non eſſe in æternum manſurum, illudque minime neceſſario perquiri, ut vere Deus adoretur.

℣. 51. DURA CERVICE.] S. Stephanus Spiritu Sancto repletus, atque zelo flagrans iſthic in accuſatores ſuos invehitur, & videns ſermonibus ſuis illos non aſfici, acriter in eorum nequitiam, atque pertinaciam inſurgit. Hoc ſermone ſatis oſtendit, quantopere & ille mortem contemnat, & ſibi diſpliceat Judæos ea in pertinacia occalluiſſe intuenti. Cor illius ſumma flagrabat charitate, cum interim os illius ira, atque amaritudine exundare videretur [1]. Eos appellat *incircumciſos corde, & auribus*, locutione apud Hebræos paſſim uſitata, qui dicunt præputium cordis [2], & aurium ad innuendam eorum immunditiam, aut nequitiam. Habere corda, atque aures incircumciſas, ſignificat nolle audire, intelligere, amare, exequi ea, quæ proponuntur, utilia conſilia,

VOS SEMPER SPIRITUI SANCTO RESISTITIS.] Certum eſt, hominem ſemper reſiſtere poſſe gratiæ interiori, atque inſpirationi Spiritus ſancti, quemadmodum Concilium Tridentinum [3] definivit, immo etiam nonniſi frequenter illi reſiſtit, quemadmodum noſtrum ſinguli quotidiano edocemur experimento. Hoc tamen non adverſatur dicto S. Auguſtini [4], quod nempe gratia, quam in corda noſtra effundit Deus, minime rejicitur ab aliquo corde duro; quoniam ad duritiam cordis infringendam tribuitur; *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*. Sed hanc aufert duritiem, quin obſit libertati, immo liberum arbitrium perficit, non evertit; in mentem quidem vivam, fulgidamque lucem, in cor vero ſuavitatem fortem, æque ac jucundam effundit, validis trahit illecebris ad objectum, quod offert tamquam pulchrius, & melius illis, quibus animus primum adhæſerat.

Sed hoc in loco [5] videtur S. Stephanus innuere potius velle reſiſtentiam Prophetarum oraculis, lumini divinarum legum, Prophetarum minis, adhortationibus, promiſſionibus, miraculis, extrinſecis beneficiis, quæ illi a Deo acceperunt per ſervos ejus ad ſe miſſos; quàm realem intrinſecis Spiritus ſancti gratiis oppoſitionem. Non negamus, Judæos ſæpe contempſiſſe, repuliſſe, neglexiſſe interiores has gratias, eiſque per nequitiam ſuam reſtitiſſe; ſed hoc in loco ſimplicius præſtat intelligere de oppoſitione ad exteriores gratias, de quibus ſermo fuit.

℣. 52. DE ADVENTU JUSTI.] Meſſiæ, qui in Prophetis *juſti*, vel *juſtitiæ* nomine deſignatur. *Nubes pluant juſtum*, Iſai. 45. 8. *Propeeſt juſtus meus*, Iſai. 51. 5. *in ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus*

A *multos*, Iſai. 53. 11. *egrediatur ſplendor juſtus ejus . . . & videbunt gentes juſtum tuum* &c. Iſai. 62. 1. Judæi facti ſunt Jeſu Chriſti proditores, & carnifices, Judæ proditionem probantes, eumque in hoc ſcelus contra Dominum ſuum impellentes, atque juſtum hunc Romanis crucifigendum tradentes.

℣. 53. QUI ACCEPISTIS LEGEM IN DISPOSITIONE ANGELORUM.] Superius jam ℣. 38. inquit, Moyſem de manu Angeli in Domini nomine loquentis in Monte Sinai legem accepiſſe, quod conforme fit doctrinæ S. Pauli [6]: *ordinata per Angelos in manu mediatoris*. Nemo non novit, quam crebro Judæi infideles prævaricati fuerint, neque nos ad hoc oſtendendum immorari oportet. Græcus legit [7]: *Legem accepiſtis per diſpoſitiones Angelorum*, vel *per Angelorum mandata*.

B Patres complures [8] pro his Angelis intelligunt Moyſem, Aaronem, & Joſue. Occumenius ita explicat: legem accepiſtis, ut fieretis velut Angeli, ſi illas fideliter obſervaretis. Sed ſenſus, quem antea propoſuimus mea quidem ſententia præſtat.

℣. 55. INTENDENS IN COELUM VIDIT GLORIAM DEI.] S. Stephanus erat in Sanhedrin, quæ fortaſſe erat aula laquearibus tecta; at potuit in Cœlum oculos conjicere, ſe ſe ad feneſtras convertens, & illac corporeis quodammodo oculis divinum intueri ſplendorem, qui menti ipſius cœleſtem gloriam exhibuit, qua glorioſum Jeſu Chriſti corpus effulgebat. Ille unus hanc gloriam conſpexit [9]; at illam diſtincte adeo vidit, & mens illius eadem ita repleta fuit, ut in medio cœtu, atque inimicis ſeptus exclamaret: *ecce video*

C *Cœlos apertos, & Filium Hominis ſtantem a dextris Dei*: licet prænoſceret, hanc vocem ſuam blaſphemiæ loco habendam eſſe, & ſatis futuram, ut ipſe lapidibus obrueretur. Sed lætitia, quæ illum invaſit, integrum eidem minime reliquit, ut compos eſſet conſilii, atque taceret. Quidam etiam [10] ex veteribus crediderunt, S. Stephanum vidiſſe Divinam Eſſentiam, atque Sanctiſſimam Trinitatem: alii vero putant, illum mentis dumtaxat oculis Cœlos apertos, & Jeſum ſtantem ad dexteram Patris vidiſſe: alii denique tenent, hæc ab eo corporeis quidem oculis viſa fuiſſe, ſed non ſine quadam ſupernaturali ſenſuum elevatione, & quadam ad Empyreum Cœlum translatione: quæ ſententia tandem cum illa cohæret, quæ ipſum mentis oculis objecta illa vidiſſe contendit.

D ℣. 56. CONTINUERUNT AURES SUAS.] Aures ſibi obſtruunt, ne polluantur, falſo creditam S. Stephani blaſphemiam audientes, aſſerentis, ſe videre Jeſum ad Dei dexteram ſtantem. Et ſane, ſi Jeſus Chriſtus nihil fuiſſet præter hominem ſimplicem, vel Prophetam, inſignis fuiſſet blaſphemia, affirmare illum a dextris Dei, vel ſedere, vel ſtare. Locus ille unico dumtaxat Dei Filio, Meſſiæ, ac ipſi Deo convenit. S. Stephanus inquit, ſe videre Jeſum Chriſtum ſtantem tamquam paratum, ut ſe & tueatur, & recipiat. Salvator de ſeipſo loquens ait, ſe ad dexteram Patris ſeſſurum, ut & innuat poteſtatem, majeſtatem, requiem, qua gaudet tamquam homo in cœlis cum Patre; preſſius enim loquendo Patris Cœleſtis nulla eſt dextera, vel læva.

E IMPETUM FECERUNT UNANIMITER IN EUM.] Antequam Sanhedrin in illum ſententiam proferret, illumque extra urbem pertraxerunt lapidibus obruendum. Hæc actio prorſus irregularis eſt; eumque Judæorum reſpublica floraret, hoc fieri licebat tunc ſolum, cum aliquis populum in Idololatriam impellere conaretur,

juxta

1 Auguſtin. ſerm. 316. & 317. & Chryſoſtom. homil. 18.

2 Jerem. 4. 4. *Auferte præputia cordium veſtrorum*. Idem cap. 6. *Ecce incircumciſa aures eorum; audire non poſſunt*:

3 Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti . . . . neque poſſe diſſentire, ſi velit, veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereque paſſivo ſe habere, anathema ſit*.

4 Auguſtin. de Prædeſtin. SS. cap. 8. Vide Fromond. hic, & Barth. Petrum.

5 Fromond. Eſt. Grot. Sanct. alii.

6 Galat. 3. 19. Vide & Hebr. 2. 2. *Si enim qui per Angelos dictus eſt, ſermo factus eſt firmus*, &c.

7 Ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς Ἀγγέλων.

8 Chryſoſtom. Ambroſiaſter. Euthym. Theophylact. D. Thom. in Galat. 3. 19.

9 Auguſt. ſerm. 319. nov. edit.

10 Nyſſen. orat. S. Stephan. & Author ſub nomine Auguſtin. ſerm. olim 96. de diverſ. nunc 216. Append.

juxta Deuteronomii 13. 6. præceptum. Hanc hominis ſine judicii forma occandi rationem *judicium zeli* appellabant, quod ſatis frequens factum eſt, atque ad alios etiam caſus ſe le extendit, poſtquam Judæa provincia facta eſt, & Judæis ademptum jus vitæ, & mortis. Phinees ejoſdem exemplum præbuerat adverſus libidinem Beelphegor Num. 25. Matthathias Macchabæorom Pater eodem jure, propria manu, Judæum Idolis ſacrificare volentem occidit 1. Macchab. . . . Ultra quadraginta homines ſe ſe devoverunt[1], & juraruut, ſe nihil eſculenti, vel poculenti ſumpturos, niſi primum S. Paulum de viventium numero exturbaſſent[1]. Zelotæ, atque Latrones, de quibus toties Joſephus loquitur, hac eadem lege, quæ non ferenda erat abuſa, & cujus effectus Judæorum nationi adeo funeſti fuerunt, cædes ſuas probabant.

EJICIENTES EUM.] Quod leges non permittebant, ut homo intra pomærium occideretur. Blaſphemi vulgo lapidibus petebantur[2], qui blaſphemiam audierant, ſuper rei caput manus imponebant[3], & profitebantur illius ſanguinem, & mortem in ipſum eſſe relapſurum, quoniam nomen Domini blaſphemaverat. Poſtmodum vero teſtes iidem primum contorquebant lapidem, quos præſens populus deinde ſubſequebatur[4]. S. Stephanus ergo paſſus eſt extra Septentrionalem portam ea ex parte, qua in regionem Cedar via patet; quemadmodum loquitur Lucianus Presbyter, ubi narrat, quomodo S. Stephani corpus fuerit adinventum. Cedar erat Regio Arabum Cedareniorum ad Jeroſolymæ orientem trans montes Galaaditidis: ita borealis porta, orientalis quoque eſſe debebat, habita ratione regionis illius, & vallis, quam torrens Cedron interluebat, ubi Sanctus hic Martyr lapidibus obrutus fuit.

℣. 57. TESTES DEPOSUERUNT VESTIMENTA SUA SECUS PEDES ADOLESCENTIS &c.] Nemo ambigit, quominus adoleſcens hic fuerit S. Paulus, qui aliquanto poſt converſus fuit. Hi teſtes exuerant veſtes ſuas; hoc eſt pallium, ac ſuperius indumentum, ut liberiores eſſent, atque ferocius lapidibus in S. Stephanum irruerent, nam ferunt teſtes in reos conjicere conſueviſſe lapides, quos craſſiores, majoreſque contorquere poſſent. S. Paulus iſthic *adoleſcens* vocatur, licet tunc trigeſimum circiter ageret ætatis annum, vel etiam illum, quemadmodum exiſtimatur, excederet. Servabat autem veſtimenta eorum, qui in S. Stephanum lapides jaciebant, immo & ipſe illum quodammodo lapidabat per eorum omnium manus, quorom veſtimenta ſervabat[5].

℣. 58. DOMINE JESU SUSCIPE SPIRITUM MEUM.] His verbis ſatis oſtendit, ſe habere Jeſum tamquam Deum ſuum, quandoquidem illi animam ſuam commendat. Imitatur ille Divinum Magiſtrum ſuum, qui & ipſe moriens animam Deo Patri ſuo commendaverat, Luc. 23. 46.

℣. 59. POSITIS GENIBUS.] Patres[6] animadvertunt, ipſum, donec pro ſeipſo oravit, ſtantem oraſſe: petebat enim aliquid facile, & quodammodo martyrio ſuo debitum; ſed cum venia pro perſequentibus fuit impetranda, in genua procubuit, vocem extulit, atque enixius preces effudit, quod res, quam poſcebat, longe erat difficilior. Non petit, ut eorum peccatum abeat impune[7], ſed ut illi hoc in ſeipſis per pœnitentiam perſequantur. Ita explevit ille Jeſu Chriſti præceptum, quo Matth. 5. 44. imperavit, ut a diſcipulis ſuis, & ipſi etiam inimici diligerentur. S. Paulus ex præcipuis fuit eximiæ hujus orationis S. Stephani fructibus[8]: *Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet*. Critici quidam[9] pro his verbis, *ne ſtatuas illis hoc peccatum*, Græcum ita vertunt[10]: *ne penderes illis hoc peccatum*, ne ſeverius hoc peccatum punias, illius magnitudinem in ſtatera appendens; erga illos utere indulgentia, atque miſericordia.

OBDORMIVIT IN DOMINO.] Obiit juſtorum morte, ut in cœlum æterna felicitate perfruiturus aſcenderet. Mors ipſa in Scripturis ſæpe ſomno comparatur, quod Hebræi animæ credebant immortalitatem, atque Reſurrectionem præſtolabantur. Sed *obdormire in Domino* nonniſi de Juſtis, atque piis viris dicitur.

SAULUS ERAT CONSENTIENS.] Omnino Saulus aberat a ſuavitate Gamalielis præceptoris ſui. Peccabat Saulus nimio zeli exceſſu. Non ſolum non improbabat factum hoc adeo violentum, atque illegitimum inimicorum S. Stephani; immo illum maxime probabat, ex eo voluptatem percipiebat, illud laudibus celebrabat[11]; immo pro virili & opem ferebat. Hæc omnia explicite a S. Luca referuntur, ut inde magis effulgeat magnitudo miraculi, quod in S. Pauli[12] converſione contigit; & ut melius ingenium illius aſſequamur. Græci poſtrema hæc verba in ſequentis capitis initium referunt; ſed Syrus, Æthiops, & MS. Alexandrinus Vulgatæ ſimiles ſunt.

1 Act. 23. 13. 14. 2 Levit. 24. 14. 3. Reg. 21. 13.
3 Levit. ibidem. 4 Deut. 17. 6. 7. *Manus teſtium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur*. Vide & 13. 9. 5 Chryſoſtom. in Act hom. 18. Aug. ſerm. 315. & 382. nov. edit.
6 Auguſt. ſerm. 315. 319. & 386. Nyſſen de S. Stephan. Beda hic, alii.
7 Aſter. orat. 12. 8 Auguſt. ſerm. 382. cap. 4. 1383.
9 Grot. Heinſ. 10 Μὴ στήσῃς αὐτοῖς, &c. 11 Συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει.
12 Chryſoſtom. hic.

CAPUT VIII.

Fidelium perſecutio, eorumque diſperſio. Apoſtoli Jeroſolymæ permanent. Philippus complures Samariæ baptizat. Apoſtoli illuc accedunt, Spiritum Sanctum collaturi. Simon Magus pretio comparare ſtudet poteſtatem Spiritus Sancti conferendi. Philippus mittitur ad Eunuchum Reginæ Candacis, quem ubi baptizavit, ab Angelo Azotum transfertur.

1. FActa eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Jeroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Judææ, & Samariæ, præter Apoſtolos. 2 Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. 3 Saulus autem devaſtabat Eccleſiam per domos intrans

trans, & trahens viros, ac mulieres, tradebat in cuſtodiam. 4 Igitur, qui diſ-
perſi erant, pertranſibant, evangelizantes verbum Dei. 5 Philippus autem de-
ſcendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum, 6 Intendebant autem
turbæ his, quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes ſigna,
quæ faciebat, 7 Multi enim eorum, qui habebant ſpiritus immundos, claman-
tes voce magna exibant. 8 Multi autem paralytici, & claudi curati ſunt. 9
Factum eſt ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam, nomine
Simon, qui ante fuerat in civitate magus, ſeducens gentem Samariæ, dicens ſe
eſſe aliquem magnum; 10 Cui auſcultabant omnes a minimo uſque ad maximum,
dicentes: Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna, 11 Attendebant autem eum,
propter quod multo tempore magiis ſui dementaſſet eos. 12 Cum vero credi-
diſſent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jeſu Chriſti baptizabantur
viri, ac mulieres. 13 Tunc Simon & ipſe credidit: & cum baptizatus eſſet, ad-
hærebat Philippo. Videns etiam ſigna, & virtutes maximas fieri, ſtupens admira-
batur, 14 Cum audiſſent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quod recepiſſet Sa-
maria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Johannem. 15 Qui cum veniſ-
ſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum. 16 Nondum enim in
quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu.
17 Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. 18
Cum vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spi-
ritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, 19 Dicens; Date & mihi hanc poteſtatem,
ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum. Petrus autem dixit
ad eum: 20 Pecunia tua tecum ſit in perditionem; quoniam donum Dei exiſti-
maſti pecunia poſſideri. 21 Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto, cor
enim tuum non eſt rectum coram Deo, 22 Pœnitentiam itaque age ab hac ne-
quitia tua; & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. 23
In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe, 24 Reſpon-
dens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat
ſuper me horum, quæ dixiſtis, 25 Et illi quidem teſtificati, & locuti verbum
Domini, redibant Jeroſolymam, & multis regionibus Samaritanorum evangeliza-
bant. 26 Angelus autem Domini locutus eſt ad Philippum, dicens: Surge, &
vade contra meridianum, ad viam, quæ deſcendit ab Jeruſalem in Gazam; hæc
eſt deſerta. 27 Et ſurgens abiit, Et ecce vir Æthiops, eunuchus, potens Can-
dacis reginæ Æthiopum, qui erat ſuper omnes gazas ejus, venerat adorare in Je-
ruſalem. 28 Et revertebatur ſedens ſuper currum ſuum: legenſque Iſaiam pro-
phetam. 29 Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adjunge te ad currum
iſtum. 30 Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Iſaiam Prophetam,
& dixit: Putaſne intelligis, quæ legis? 31 Qui ait: Et quomodo poſſum, ſi
non aliquis oſtenderit mihi? Rogavitque Philippum, ut aſcenderet, & ſederet ſe-
cum, 32 Locus autem Scripturæ, quam legebat erat hic: Tamquam ovis ad
occiſionem ductus eſt: & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non ape-
ruit os ſuum: 33 In humilitate judicium ejus ſublatum eſt. Generationem ejus
quis enarrabit; quoniam tolletur de terra vita ejus? 34 Reſpondens autem eu-
nuchus Philippo, dixit: Obſecro te, de quo Propheta dicit hoc? de ſe, an de
alio aliquo? 35 Aperiens autem Philippus os ſuum, & incipiens a Scriptura
iſta, evangelizavit illi Jeſum. 36 Et dum irent per viam, venerunt ad quam-
dam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? 37 Di-
xit autem Philippus; Si credis ex toto corde, licet. Et reſpondens ait: Credo,
Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum, 38 Et juſſit ſtare currum: & deſcenderunt u-
terque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum. 39 Cum autem
aſcendiſſent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum
Eunuchus, Ibat autem per viam ſuam gaudens. 40 Philippus autem inventus
eſt in Azoto, & pertranſiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret
Cæſaream.

FACTA

¶. 1. FACTA EST PERSECUTIO MAGNA.] S. Stephani mors Judæorum pravum animum magis exacerbavit, qui conſilium inierant, nominis Chriſtiani penitus abolendi, omneſque JESU CHRISTI Diſcipulos diſſipandi. Ea in occaſione fidelium plerique e Urbe egreſſi ſunt, de conſilio Apoſtolorum, vel ſaltem illis non abnuentibus, qui & ipſi in Civitate permanſerunt, conſtanti animo inimicorum ſuorum furori objecti. At Deus illos ſervavit incolumes, atque permiſit, ut in inimicorum manus deciderent. Diſcipuli vero hac illac in varias provincias abierunt, eoſque & in Phœniciam, & Cyprum, & Antiochiam diſceſſiſſe, S. Lucas inferius c. 11. 19. teſtatur. Alii etiam Damaſcum [1]; alii in Samariam conceſſerunt [2].

Putant quidam [3] illos e diſperſione Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bythiniæ, ad quos S. Petrus priorem Epiſtulam ſcripſit, fuiſſe ex eorum primorum Fidelium numero, qui Jeroſolyma aufugerant. Baronius credit, S. Paulum Galatis peculiariter innuere voluiſſe, illos teſtes fuiſſe Crucifixionis JESU CHRISTI, ideoque illos fuiſſe ex primis fidelibus, qui Jeruſolymam venerant, cum ait ad Galat. 3. 1. vos, *ante quorum oculos Jeſus Chriſtus præſcriptus eſt in vobis Crucifixus*: ſed hæc conjectura, quæ explicitis Scripturarum teſtimoniis minime innititur, haud ita leviter eſt admittenda.

Pſeudo Dorotheus aſſert, eadem die, qua S. Stephanus obiit Jeroſolymæ, cæſa fuiſſe duo Chriſtianorum millia, una cum Nicanore, qui e ſeptem primis Diaconis erat. Hoc certe conſtat, illius perſecutionis tempore plures fideles cæſos fuiſſe, quemadmodum S. Paulus [4] ipſe teſtatur; *quod & feci Jeroſolymis, & multos Sanctorum ego in carceribus incluſi, a Principibus Sacerdotum poteſtate accepta, & cum occiderentur, detuli ſententiam*. Sed hæc perſecutio atque fidelium diſperſio in id evaſerunt, ut fidei lumen in omnem terram effunderetur. Providentia uſa eſt odio, & nequitia Judæorum in illos ipſos fideles, qui zelo fidei pleno primum omnibus ſuis bonis ſe exuerant, ut pretium in commune ad pedes Apoſtolorum afferrent, haud ægre, & gravate eam urbem reliquerunt, quæ veritati inimica erat, & quæ Sanctorum ſanguine madebat, ut alio Evangelium prædicaturi concederent: Sancti hi profugi erant, tamquam totidem faces, quæ igne Spiritus Sancti ſuccenſæ, ubique ignem illum accendebant, quo ipſæ flagrabant [5].

¶. 2. CURAVERUNT STEPHANUM VIRI TIMORATI.] En quid hac de re legatur in hiſtoria Inventionis S. Stephani, quæ opus eſt vetus, atque a doctis viris pro authentico habitum [6]. Gamaliel ad Lucianum his verbis loquitur: *Stephanus lapidatus eſt a Judæis, & Principibus Sacerdotum in Jeruſalem pro Chriſti fide, foris portam, quæ eſt ad Aquilonem, quæ ducit ad Cedar: ubi die ac nocte jacuit projectus, ut ſepulturæ non darent, ſecundum mandatum impiorum principum, ut a feris conſummaretur corpus ejus. Ex Dei autem voluntate non tetigit eum unum ex his, non fera, non avis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Chriſti miniſtro, & feſtinans habere mercedem, & partem cum Sancto viro in fide, miſi per noctem quantos noveram religioſos, & in Chriſto Jeſu credentes, habitantes in Jeruſalem in medio Judæorum, & hortatus ſum eos, & neceſſaria ſubſtantia miniſtravi, ac perſuaſi illis ire occulte, ut portarent corpus ejus meo vehiculo in villam meam, hoc eſt in Caphar-gamala (quod interpretatur*
A *villa Gamalielis,) viginti millia a civitate habens, & ibi feci illi planctum fieri diebus quadraginta*; (Veteres editiones legunt 70. Beda 45. at MSS. 40. tantum dies [6].) *& præcepi eum in meo monumento poni in orientali theca, & præcepi eis, quæcumque neceſſaria erant, pro ejus planctu de meo dari.*

Græcus [7] hujus loci aliter vertitur. Quidam [8] legunt: *ſolemnes fecerunt*, vel collegerunt corpus Stephani, quemadmodum colliguntur manipuli, antequam in aream deferendi. Alii [9]; illud vittis linteiſque Judæorum more involverunt, eique extrema perſolverunt officia. Græca vox hæc omnia ſignificat. Antiquitus in Eccleſia [10] aderant miniſtri, ad hoc unum, mortuos ſepeliendi, eiſque juſta perſolvendi, officium deſtinati; iique vocabantur *operarii*, vel *labo-*
B *rantes*. Cæterum luctus, qui pro S. Stephano habitus fuit, nequaquam illi ſimilis fuit, qui pro aliis mortuis fieri conſuevit, quorum triſtis incertuſque ſtatus ploratur, vel pro quibus oratur Dominus, ut illos in ſanctam requiem dignetur accipere. Mors illius plane pretioſa erat in oculis Domini; atque S. Martyri injurius fuiſſet, qui pro eo oraſſet, inquit S. Auguſtinus [11]. Hoc ergo ſimplex fuit honoris officium, quod ibi gentium perſolvi conſueverat iis, qui animam efflaverant, cum quadam dignitate fulgerent. Plorabantur, ſolemni pompa eorum funera curabantur, non ſine encomio; ſed minus plorabantur mortui, quam viventes, qui ſummorum eorum virorum ope, atque præſentia carebant.

¶. 3. SAULUS DEVASTABAT ECCLESIAM] Et eos fide-
C les perſequebatur, qui Jeroſolymæ permanſerant, illos vi de domo ipſorum detrahens, atque in carcerem trudens. Hæc autem omnia faciebat juſſu, & auctoritate Summorum Principum, quemadmodum ipſe S. Paulus infra teſtatur cap. 26. verſ. 10. Hic vero minime fuſius Sauli conditionem perſequimur: nemo neſcit, hunc eumdem eſſe, qui deinceps adeo celebris fuit ſub nomine S. Pauli, & cujus hiſtoriam in ſequentibus capitibus perlegemus. Sanhedrin non obtinebat amplius jus vitæ, ac mortis, ſed poterat ſolum comprehendere, & in vincula conjicere eos, qui patrias leges violarent. S. Paulus docet, ex illis nonnullos cæſos fuiſſe [12]; ſed hoc accidit cum tumultuario populi motu, atque *judicio zeli*; vel Romani Præſidis impetu, propter Judæorum criminationes, & perſecutiones.
D ¶. 5. PHILIPPUS AUTEM.] S. Lucas, ubi ea narravit, quæ Jeroſolymæ acciderant, ea nobis deſcribit, quæ Diſcipuli in varias Provincias diſperſi profecerunt. Philippus unus ex ſeptem Diaconis, & Collega [13] S. Stephani inferius cap. 21. 8. *Philippus Evangeliſta* vocatus, Jeroſolyma cum aliis ad Judæorum furorem evitandum, egreſſus Samariam verſus conceſſit, ubi Evangelium cœpit annuntiare, minime ratus, ſe hac in re contra JESU CHRISTI mentem operari; quoniam ille etiam in Urbe Sichar prædicaverat, ibique Samaritanorum plurimos converterat. Verum eſt, S. Lucam Act. 11. 19. docere, eos, qui diſperſi fuerunt, ubique prædicaſſe, verum Judæis tantummodo; *nemini loquentes verbum, niſi ſolis Judæis*. Sed cum Samaritani, & ipſi non ſecus, ac Judæi Meſſiam præ-
E ſtolarentur, circumciſionem reciperent, Sacras Scripturas legerent, atque Abrahæ, & Jacob poſteros ſe ſe vocarent; quemadmodum apud illos reipſa plurimi veteres aderant Iſraelitæ; jure tamquam fœderis ejuſdem participes cenſebantur [14]. Et S. Philippus minime credidit, ſe agere contra Domini mentem il-
lis

1 Act. 9. 2. 2 Act. 8. 5. 3 Baron. ad an. 35 Sanct. hic.
4 Act. 26 10. 5 Auguſtin. ſerm, 116. nov. edit. pag. 574. & ſerm. 316. cap. 4. Vide Chryſoſtom. hom. 18. in Acta, & Hieronym. in Matth. 10. 6 Lucian. Epiſt. de revel. corporis S. Stephan. ad calcem c. 7. nov. Edit. S. Auguſtin. 7 Συνεκόμισαν δὲ τὸν Στέφανον ἄνδρες εὐλαβεῖς. Antiqu. Ital. *Compertaverunt*. Ita Cantabrigenſ. 8 Heinſ. Hammon. Pagn. Mont. Beza, Piſc. alii.
9 Ludov. de Dieu. Vide & Sa. hic, & Lexicograph. 10 Pſeudo-Ignat. Epiſt. ad Antioch. Κοπιῶντες. Vide Epiphan. Comprend. Doctr. ad finem. Sanct. hic.
11 Auguſtin. ſerm. 17. de verbis Apoſtoli; nunc 159 num. 1. *Injuria eſt enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus adjuvari.* 12 Act. 26. 10.
13 Act. 6. 5. Tertull. de Bapt. cap. 18. & Conſt. Apoſtol. lib. 6. c. 7. illum appellant Philippum Apoſtolum.
14 Vide Juſtin. Apolog. 2. pag. 88. Chryſoſtom. homil 24. in Acta. Sanct. Fromon. hic, alii.

lis JESUM CHRISTUM enuntiens. Apoſtoli Ethnicos A tantum excludebant, quibus Evangelii janua nondum aperta fuerat.

℣. 9. 10. VIR AUTEM QUIDAM NOMINE SIMON.] Qui Magicam artem exercuerat, & qui Samariæ populum ita in errorem induxerat, ut omnes illum ſequerentur, & de illo dicerent, quod magna eſſet Domini virtus. Hic Simon, teſte S. Epiphanio hæreſ. 21. erat ex oppido Gitton in regione Samariæ. Falſis miraculis, & magicis operibus tantam fidem apud Samariæ populos ſibi conciliaverat, ut *Dei virtus magna* ab illis crederetur; hoc eſt Pater ſuper omnia elevatus, juxta S. Irenæum, alioſque auctores [1], vel Meſſias ex aliorum ſententia [2]. S. Hieronymus ait, illum gloriatum fuiſſe his verbis: *ego ſum Sermo Dei, ego ſum Speciosus* [3], *ego Paraclitus, ego Omnipotens, ego Omnia Dei*. Dicebat ille, ſe Moyſi Legem dediſſe in monte Sinai in Patris Perſona; ſub B Tiberio imperatore, ſub Filii forma apparuiſſe; deinde in Apoſtolos in formam ignearum linguarum quaſi Spiritum Sanctum deſcendiſſe; CHRISTUM verum umquam ſeipſo apparuiſſe, neque paſſum fuiſſe, & omnia illa in ſpeciem dumtaxat tranſacta fuiſſe. Hoc legitur in veteribus S. Auguſtini editionibus [4] non autem in MSS. illius, & in editione recentiori. S. Auguſtinus, ait, ſolum illum pro Meſſia ſe venditaſſe, & ſe Jovem eſſe æſtimaſſe. Mulierem vero, quam alebat, Helenam nomine, eſſe Minervam; vel primam Intelligentiam, aut Spiritum Sanctum. Plurimos alios præterea docebat errores, quos afferre noſtri non eſt inſtituti [5]; ſed errores hos tunc denique docere cœpit, cum jam Chriſtianam religionem C abdicaſſet, quemadmodum viſuri ſumus.

℣. 12. IN NOMINE JESU CHRISTI BAPTIZABANTUR.] Baptiſmo videlicet inſtituto a JESU CHRISTO, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Græcus legit [6]: *cum Philippus illis annuntiaſſet Regnum Dei, & nomen JESU CHRISTI, viri, ac mulieres baptizati fuerunt*. In veteri lege homines tantum circumciſionem accipiebant, quæ ſignum erat Dominici fœderis, cum progenie Abraham percuſſi. In nova autem jubet JESUS CHRISTUS, viros ſimul, atque mulieres baptizari, quippe baptiſmus fons eſt juſtificationis atque remiſſionis peccatorum. Nullus ſexus, nulla conditio Regno Dei prohibetur; nemo peccatis immunis eſt, & nemo aſſerere poteſt, ſe Salvatoris gratia non indigere [7]. *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*. D

℣. 13. SIMON, & IPSE CREDIDIT.] Patres plurimi [8] docent, illum vere non crediſſe, ſed fidem ſimulaſſe. Hypocrita erat, qui reſiſtere non valens vi miraculorum Philippi, ſimulavit ſe credere in JESUM CHRISTUM, atque Evangelico huic præconi adhærere, ratus, ſe per temporis opportunitatem intelligere aliquando poſſe, quomodo ille prodigia operaretur, quæ ipſe magicæ arti accepta referebat. Philippum ſimpliciter eſſe putabat magum aliquem, ſed ſeipſo potentiorem [9], & decreverat ab illo recedere, ſtatim ac ex eo, quod optabat, didiciſſet.

Putant alii [10], illum vere crediſſe; ſed fide ſimpliciter intellectuali, cujus cor, & voluntas nequaquam participes erant, veluti qui facti evidentia victos negare non audet, ſed invitus ſe ſe dedit evidentiæ, & nihilominus quærit eam fidem abjicere, quæ ipſi gravis eſt, vel ob dubitationes, quas ac induſtria ingerit, vel ob improbam ab explorate veritate detectionem. Ita [11], *Dæmones credunt, & contremiſcunt*; & mali Chriſtiani credunt in JESUM CHRISTUM, quin tamen illum diligant. Simon ſuperbiæ tumidus erat, inquit S. Auguſtinus [12], cupiebat, ſe poſſe Apoſtolorum prodigia imitari, ſed non amabat juſtitiam, & veritatem, quam illi prædicabant. In Eccleſiam ingreſſus eſt, & baptiſmum deſideravit, non ut gratiam, & juſtificationem, ſed ut donum miraculorum conſequeretur [13]: *Deſideravit iſtam, non gratiam, ſed potentiam; non unde liberaretur, ſed unde extolleretur*.

℣. 14. MISERUNT AD EOS PETRUM, & JOHANNEM.] Ut illis manuum impoſitione Spiritum Sanctum conferrent; quod S. Philippus, qui Diaconus erat dumtaxat, perficere minime potuit, cum hoc privilegium Apoſtolis tantum, ejuſque ſucceſſoribus conceſſum fuiſſet [14]. Cæterum, cum dicitur hoc in loco S. Petrus ab aliis Apoſtolis miſſus fuiſſe, hoc minime intelligendum eſt, quaſi Petrus illis paruerit, atque ipſi in illum ſupremam tamquam inferiorem ſuam auctoritatem exercuerint. Scimus, S. Petrum in Eccleſia tamquam Apoſtolici collegii caput habitum fuiſſe. Semper Apoſtolis omnibus præponitur, pro illis loquitur, verbo, ſemper agit tamquam Caput, & Princeps Apoſtolorum. Hic autem mittitur, uti aſſolet, in aliquam Civitatem, vel Communitatem, quo legatur ille, qui Princeps eſt & caput ad rem ampliſſimam graviſſimamque agendam, atque tranſigendam [15]. Ita Eccleſia Antiochena mittit S. Paulum, & Barnabam Jeroſolymam, ut de rebus maximi momenti alios conſulerent Apoſtolos [16]; & Judæi Jeroſolymitani Romam miſerunt Summum Sacerdotem Iſmaelem, atque nationis Principes, qui coram Nerone Agrippam, & Feſtum accuſarent [17].

℣. 15. ORAVERUNT PRO IPSIS.] Apoſtoli SS. Petrus, & Johannes orationibus ſe ſe diſponunt ad Confirmationis Sacramentum conferendum. Deum deprecantur, ut hominibus his, qui recens ad fidem converſi fuerant, Spiritum Sanctum ſuum concedere dignetur. Minime ambigendum eſt, quominus ea in occaſione illi Neophyti preces ſuas cum Apoſtolorum oratione conjunxerint: hoc enim ipſorum maxime intererat atque ad illos præſertim pertinebat. Supernaturalis virtus Sacramenti minime excludit eorum diſpoſitiones, a quibus confertur, atque eorum, a quibus recipitur. Effectus quidem illius ex horum diſpoſitionibus tamquam ex cauſa non pendet; ſed ſi illæ deſint, ſæpius etiam præcipuus Sacramenti effectus deſideratur.

Spiritus Sanctus, quem collaturi ſunt Apoſtoli Neophytis Samaritanis manuum impoſitione, non eſt Spiritus gratiæ juſtitiæ, & Sanctitatis, quem in baptiſmo receperant, ſed Spiritus fortitudinis, ad confitendum audacter, & libere nomen JESU CHRISTI, & ſunt gratiæ ſupernaturales, & miraculoſæ, quas tunc Deus paſſim illis communicabat, qui per Baptiſmum, & Confirmationem in Eccleſiam ingrediebantur [18]. Hæ autem gratiæ erant donum linguarum, curationum, miraculorum, Prophetiæ; ſæpius etiam Deus illis ali-

[1] Iren. lib. 1. cap. 20. Ita & Juſtin. Apolog. & Tertull. ſeu quiſquis Auctor Addit. ad lib. præſcription. Grot. hic, Fromond. [2] Epiphan. Hieronym. Auguſt. de hæreſ. cap. 1. Theodoret. hæretic. Cornel. a Lap. Capell. Ludov. de Dieu. [3] Per alluſionem ad Pſalmi 44. 3. locum, qui tunc vulgo de Meſſia intelligebatur: *Speciosus forma præ filiis hominum, &c.*
[4] Vide nov. Edit. de hæreſib. c. 9. id ſumptum eſt. S. Irenæo lib. 1. cap. 20.
[5] Vide Tillemont. etc. de Simone Mago t. 2. p. 37. [6] Εὐαγγελιζομένῳ τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐβαπτίζοντο ἄνδρες τε, καὶ γυναῖκες.
[7] Rom. 3. 24. [8] Iren. adverſ. hæreſ. lib. 1. cap. 20. Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 1. Beda hic. Vide Auguſt. tract. 6. in Joan. Hieron. in Ezech. 16. Ambroſ. lib. 2. pœnit. cap. 4. Cyrill. Jeroſolym. Catech. 3. Ita & alii plures. [9] Chryſoſtom. homil. 18. in Acta.
[10] Grot. Bez. Fromond. alii. [11] Jacob. 2. 19. [12] Auguſt. in Pſalm. 130. num. 5. *Volebat Simon ambulare in mirabilibus ſuper ſe. Et ideo eum plus delectabat potentia Apoſtolorum, quam juſtitia Chriſtianorum.* [13] Auguſtin. in Pſalm. 30. num. 14.
[14] Chryſoſtom. homil. 18. Epiphan. hæreſ. 21. Iſidor. Peluſ. lib. 1. pag. 450.
[15] Vide Baron. Bellarm. Sanct. Fromond. alios. [16] Act. 15. 2.
[17] Joſeph. Antiqu. lib. 20. c. 7. [18] Chryſoſt. homil. in Acta. Aug. in Pſal. 130. verſ. 2. Grot. alii.

aliquod ex his donis conferebat, quod in Baptiſmo quiſque efflagitaret.

℣. 16. BAPTIZATI TANTUM ERANT IN NOMINE DOMINI JESU.] Diſſentiunt Scholæ quoad hujus loci, aliorumque ſententiam, ubi dicitur Baptiſma in JESU CHRISTI nomine fuiſſe collatum, aſſerentibus aliis, illud in JESU CHRISTI nomine dumtaxat collatum, citra explicitam trium Perſonarum SS. Trinitatis mentionem validum fuiſſe; credentibus aliis, ad Sacramenti eſſentiam pertinere, ut tres Perſonæ memorentur, alioquin nullum eſſe Baptiſma; quæ cum res fuſius diſcutienda videatur, de eadem peculiari in Diſſertatione ſermonem habebimus.

℣. 17. TUNC IMPONEBANT MANUS SUPER ILLOS, & ACCIPIEBANT SPIRITUM SANCTUM.] Manuum impoſitio ſymbolica eſt cæremonia, quæ ab Eccleſia duabus præſertim in occaſionibus uſurpatur: primum cum per Apoſtolos, vel Epiſcopos ſucceſſores eorumdem Sacramentum Confirmationis impertit; alterum cum confert Ordinis Sacramentum. Priori illo, Epiſcopus Baptizatis confert gratiam, & ſpiritum fortitudinis, & Chriſtianæ religionis conſummationem; quemadmodum Patres [1] loquuntur: Altero vero eis tribuit poteſtatem ſolemniter in Eccleſia his muneribus perfungendi, quæ ordinis eorum propria ſunt non ſine intrinſeca gratia, quæ, ut id cum fructu, ac merito faciant, requiritur. Hic agitur ſolum de Confirmatione his Neophytis tradita, ad illos in fide, & gratia confirmandos, eiſque comparanda ſupernaturalia Spiritus Sancti dona, de quibus ſupra locuti ſumus.

Quærunt in hunc locum Interpretes, utrum Apoſtoli ſimplici manuum impoſitione una cum oratione, & Sacramenti hujus formola confirmarent, an & Chriſma adderent, vel Unctionem, quemadmodum hodie in Eccleſia conſuevit. S. Lucas iſthic manuum impoſitionis meminit tantum, & nuſpiam in Scripturis liquet, ab initio confirmationem per Chriſmatis Sacri unctionem fuiſſe collatam. Vetuſtiſſimi Latini Patres de manuum impoſitione, & oratione, quæ addebatur, tantummodo verba faciunt, immo neque in vetuſtiſſimis Ritualibus unctionis ulla fit mentio; ita ut primis illis Eccleſiæ Latinæ ſæculis videantur Epiſcopi manuum dumtaxat impoſitione hoc Sacramentum contuliſſe.

Verum fatendum quoque eſt, in Orientali Eccleſia a remotiſſimo uſque tempore Epiſcopos, & Sacerdotes per Chriſma dumtaxat confirmaſſe, quæ conſuetudo apud illos in hanc quoque diem viget. In Eccleſia etiam Latina Sacerdotes, quibus nonnumquam permiſſum fuit, Confirmationis Sacramentum conferre, Sancta unctione utebantur, atque deinde Epiſcopi, qui ordinarii ſunt Sacramenti hujus miniſtri, ſemper, & manuum impoſitione, & Chriſmate ſimul illud contulerunt; quem morem generatim hodie Latina ſectatur Eccleſia. Cum autem iſthic Theologicum opus minime exaremus, hac de re fuſius verba facienda non reor; & libens lectorem ad eos remitto, qui his de rebus explicite conſcripſerunt.

℣. 18. CUM VIDISSET SIMON] eos, qui hanc manuum impoſitionem recipiebant, in alios homines omnino immutari, ita ut docti eſſent, prophetarent, miracula operarentur, diverſis linguis loquerentur juxta donum peculiare, quod ſinguli acceperant; non ſolum horum donorum particeps eſſe cupiit, quod difficile non erat, ſi ille ſincerus fuiſſet, ac vera fides illius extitiſſet; ſed optavit poteſtatem, aliis eadem communicandi per manuum impoſitionem. Duplici autem de cauſa hoc ille requirebat; prior erat ſuperbia, atque cupiditas inter ſuos enitendi; atque eam tuendi nominis celebritatem, quam jampridem præſtigiis, magniſque operibus ſuis ſibi comparaverat, atque Philip-

A po ſe ſe ſuperiorem præſtandi, qui poteſtate eadem præditus non erat. Altera vero cauſa erat avaritia: ſperabat enim, ſi hoc privilegium conferendi Spiritum Sanctum, atque aliis miraculorum dona communicandi conſequeretur, uberrima ſibi opum ſeges ſterneretur, atque inde & exiſtimationis, & utilitatis maxima fieret acceſſio [2]. Opinabatur ille, quemadmodum jam dictum eſt, hanc Apoſtolorum poteſtatem non eſſe aliud, quam magiæ, & diabolicæ poteſtatis effectum, ſed ea, qua ipſe utebatur, præſtantioris [3].

℣. 20. PECUNIA TUA TECUM SIT IN PERDITIONEM.] Abſit, ut illam concupiſcam, eamque recipiam. Abi in malam crucem cum pecunia tua. Hæc imprecatio quidem eſt, ſed quæ implicitam eam conditionem amplectitur, niſi converteris, atque non

B reſipiſcis; vel hoc ſpecies eſt prædictionis [4] eorum, quæ illi erant eventura, niſi hujus peccati pœnitentiam egiſſet.

DONUM DEI EXISTIMASTI PECUNIA POSSIDERI.] Hoc primum caput erat hæreſis Simonis, & Simoniacorum: Dei donum, donum Spiritus Sancti, ſupernaturales gratias, quas Deus permittit illis dumtaxat, quibus ex mera, & gratuita liberalitate dignatur munera, & dignitates Eccleſiaſticas, Sacramenta, generatim vero Sancta quælibet, tamquam vilia quædam exiſtimant argenti pretio comparanda, atque auro emenda, vendenda, alienanda. Mercatura hæc peccatum eſt contra Spiritum Sanctum, quod ſacram illius perſonam, ejuſque munera contemnit, & afficit contumelia [5]. Simon iſthic Apoſtolorum tentator

C eſt [6], illos in prævaricationem pertrahere ſtudet, pretium offerens pro ea re, cui pretium nullum conſtituendum eſt, & cujus illi nequaquam Domini ſunt, ſed dumtaxat diſpenſatores, atque ſequeſtres.

℣. 21. NON EST TIBI PARS IN SERMONE ISTO [7],] in re videlicet iſta; ſermo enim pro re uſurpatur. Particeps non eris interioris gratiæ, quæ per Spiritum Sanctum communicatur, neque exteriorum munium, quæ fideles per manuum noſtrarum impoſitionem recipiunt, neque tandem poteſtatis, quam obtinemus, Spiritum Sanctum credentibus & baptizatis conferendi. Hæc beneficia ſunt mere gratuita, quæ nullo modo conſecuturus es.

℣. 22. POENITENTIAM AGE.] S. Petrus huic peccatori non obſtruit omnino januam miſericordiæ; ſed

D illi oſtendit veniæ obtinendæ difficultatem, dicens; ſi forte remittatur tibi. Sciebat ille, quo pacto JESUS CHRISTUS locutus fuiſſet de peccato contra Spiritum Sanctum, quod neque in hac, neque in altera vita remittitur [8]. Simonis etenim vere peccatum erat contra Spiritum Sanctum, quoniam opera miraculoſa, & ſupernaturalia, quæ ab Apoſtolis fieri videbat, Magiæ referebat accepta, & quod pretio propoſito emere cupiebat facultatem, & ſimilia operandi, & poteſtatem conferendi, ut alii eadem operarentur; perinde ac ea ab hominum induſtria, vel dæmonis potentia proficiſcerentur.

℣. 23. IN FELLE AMARITUDINIS, & OBLIGATIONE INIQUITATIS.] Alludit S. Petrus ad illud Deuteronomii 29. 18. ne forte ſit inter vos, cujus cor averſum

E ſit hodie a Domino Deo noſtro, ut vadat, & ſerviat diis illarum gentium, & ſit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem. Tu es mala radix, quæ virulentos dumtaxat ſuccos, & fructus lethali amaritudine refertiſſimos affert; ſimilis es plantis venenatis, quæ nullo pacto ad ſuavitatem flecti poſſunt, & quarum ſucci nonniſi perniciem illis afferunt, qui iiſdem utuntur. In obligatione iniquitatis video te eſſe. Peccati mancipium es [9], venundatus, ut malum faceres [10], mancipatus omni flagitiorum generi, & quodammodo incur-

---

1 Cyprian. Ep. ad Jubaian. *Signaculum Dominicum, qui Chriſtiani conſummantur*. Cornel. apud Fabian. apud Euſeb. lib. 6. c. 43. &c. 2 Vide Auguſt. in Pſal. 30. & 130.
3 Chryſoſt. homil. 18. in Acta. 4 Beda, Gloſſ. Carthuſ.
5 Vide Aug. Comment. Inchoata in Epiſt. ad Rom. 6 Clement. Conſtit. lib. 5. c. 7. & Oecum. hic.
7 Conſtit. Apoſt. lib. 6. c. 7. Οὐκ ἔστι σοι μερὶς ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ, οὐδὲ κλῆρος ἐν τῇ πίστει ταύτῃ. Ita fere Syr. & Ambroſ. 8 Matth. 12. 31. 9 Rom. 8. 8. 16. 17. 19. 20. Iſai. 58. 6.
10 Rom. 7. 14. *Venundatus ſub peccato*. 3. Reg. 21. 20. *Eo quod venundatus ſis, ut faceres malum &c.*

incorrigibilis. Avarus es, hypocrita, ſuperbus &c.

℣. 24. Precamini vos pro me.] Simon, quin illud amplecteretur conſilii, quod eidem S. Petrus tribuerat, ſcilicet, ut ſerio ſceleris ſui pœnitentiam ageret, ſimulat, ſe pœnitentia duci; eumque rogat, ut pro ipſo intercedere velit, ut in ſe Deus pœnitentiæ ſpiritum immittat; ea tamen de cauſa, ne mala, quæ Apoſtolus fuerat minitatus, in ipſum deciderent [1]: Verum Pſeudopœnitentium exemplar, qui nullo peccatum odio perſecuti, pœnam dumtaxat illius effectum verentur. Ita Pharao, quin flecteretur, atque cor ſuum converteret, ex Moyſe petebat, ut eas auferret plagas, quibus Ægyptus afficiebatur. At ſimul ac plagæ illæ quieverant, non recordabatur amplius vel initi conſilii, vel promiſſionum ſuarum. Cantabrigienſis MS. & alter Roberti Stephani, & Tertullianus legunt [2], Simonem plurimum lacrymarum imbrem effudiſſe, atque fervida vota nuncupaſſe.

Simon, quin ex S. Petri monitis proficeret, magis occalluit: impenſius quam antea Magiæ operam dedit [3], & pro virili adniſus eſt, ne Evangelium progrederetur. Samaria diſceſſit, variaſque terras luſtravit, quærens locos, ubi nondum Jesu Christi nomen cognitum erat, ut mentes hominum occuparet [4].

Cum Tyri eſſet in Phœnicia [5], publicum ſcortum emit, cui nomen Helene, vel Selene, eamque flagitioſiſſimam mulierem ſecum ducebat, quocumque proficiſcebatur, cum eadem fanda, infandaque omnia libidinoſiſſime patrans. Hanc autem ajebat eſſe, inſignem Helenam illam, olim Menelai conjugem: eamdem etiam nonnumquam dicebat Minervam. Hanc primam vocabat Intelligentiam, & rerum omnium Matrem, & nonnumquam illam Spiritum Sanctum nuncupabat. Ipſe vero magna Dei virtus, & Meſſias haberi volebat, atque Ethnici illius diſcipulos Chriſtianorum nomine complectebantur, quæ res tantam apud Gentiles huic nomini conflavit invidiam.

Cum varias luſtraſſet Provincias, atque præſtigiis ſuis magnam vim hominum ſeduxiſſet, orientem reliquit, & Claudio imperante Romam acceſſit. Docent Patres [6], illum a Senatu ſummo cum honore tamquam numen aliquod habitum fuiſſe, eique poſitum ſimulachrum, quo Dei, & Sancti nomine decorabatur. Hac in re tamen non deſunt difficultates quædam, quas Critici ad trutinam revocarunt, & quæ noſtri non ſunt argumenti. Conatus ille tandem in aera vacuum coram Cæſare, atque Senatu volare, SS. Petri, & Pauli virtute præceps ruit, & ex lapſu eo vulnere affectus eſt, quo paulo poſt interiit.

℣. 25. Testificati, & locuti verbum Dei.] Et verbis, & miraculis teſtimonium perhibuerunt prædicationi S. Philippi. Confirmarunt, quod ille aſſerebat, & confuderunt impium Simonem, qui Evangelium ſubvertere conabatur.

℣. 26. Vade contra meridianum [7].] Philippo, cum adhuc Samariæ eſſet, apparuit Angelus, a quo juſſus eſt in meridionalem Judeæ partem Ebron verſus concedere, ſecus viam, quæ Jeroſolyma ducit Gazam, quæ deſerta vocabatur; tunc enim temporis aderat Gaza vetus, tunc deſerta, & altera mari propior, frequentior, atque florentiſſima. Prior erat in colle quodam poſita, viginti ſtadiis procul a mari, ex Arriani l. 2. de Exped. Alex. ſententia, vel ſeptem dumtaxat ſtadiis, ſi penes Strabonem eſt fides [8]. Hanc Magnus Alexander everterat; eaque non ibidem, ſed inferius paulo rurſus ædificata fuerat teſte S. Hieronymo, aſſerente, Gazæ veteris ruinas ævo ſuo adhuc extitiſſe. De altera igitur illa intelligenda ſunt, quæ Polybius in Excerpt. Valeſii p. 86. ait, Antiochum Urbem Gazam everriſſe, & quæ in 1. Macchab. 11. 61. & 13. 43. & apud Joſephum Antiq. l. 13. c. 21. leguntur, qui loquuntur tamquam de Civitate forti, florentique diu poſt Alexandrum, & ante illud tempus, de quo verba facimus. Jeroſolyma in Ægyptum, & ex Ægypto Jeroſolymam hoc etiam tempore euntes, per meridionalem partem Juda, ubi Gaza erat, iter inſtituunt. S. Johannes Chryſoſtomus Oecumenius, aliique nonnulli *deſertæ* nomen, non ad Urbem Gazam ſed ad viam, quæ illac ducebat referunt. Sed altera ſententia melior videtur. Galland apud Relandum Palæſt. t. 3. credit, deſertam hanc ſignificare Urbem, quæ munita non erat, ſed patebat, atque nullo præſidio firmabatur: quæ ſi vera ſunt, cur Macchabæi, & Alexander Janneus eam nonnumquam ceperunt?

℣. 27. Vir Æthiops Eunuchus,] vel ſimpliciter vir Æthiops ex præcipuis Candacis Reginæ miniſtris; quippe Eunuchi nomen ſæpius non aliud ſignificat, quam miniſtrum in Aula Regis alicujus: Sed Græca phraſis potius verum ſignificat Eunuchum ex præcipuis regni, vel aulæ Reginæ Candacis [9]. Æthiopes, de quibus hic ſermo, incolunt inſulam, vel pene inſulam Meroe, ultra Ægyptum, atque ad meridiem illius. Tunc temporis ibi gentium mulieres dominabantur, & plures novimus Reginas, quæ Candacis nomine appellabantur. Plinius, aliique nonnulli [10] aſſerere videntur, hoc earum nomen conſuetum fuiſſe, unde crediderunt quidam, Candacis nomen genericum eſſe, quod ſupremam auctoritatem ſignificabat. Alii quidam [11] per errorem Eunuchum ipſum Candacis nomine appellarunt.

Venerunt adorare in Jerusalem.] Hic Eunochus fortaſſe erat proſelytus, & Dominum noverat; quandoquidem ex adeo remotis regionibus venerat Jeroſolymam, Dominum adoraturus; & Iſaiam Prophetam legebat, quod Gentili viro minime convenit. In Ægypto, atque Æthiopia plures erant Judæi, neque mirum eſt, quod ibi fuerint etiam proſelyti, qui Dominum venerarentur, & Hebræorum leges ſervarent. Euſebius, SS. Baſilius, & Thomas, aliique nonnulli illum Ethnicum fuiſſe crediderunt, cumque primum eſſe, qui ex Gentilibus fuerit converſus [12]. Autumat Grotius, illum Jeroſolymam ad diem Feſtum Pentecoſtes veniſſe; ſupponens, S. Stephanum lapidibus obrutum, & fideles fuiſſe diſperſos paucis diebus ante hanc feſtivitatem: quod non ſatis fidei conſonum videtur. Nam ſeptem Diaconi electi non fuerunt, niſi aliquanto poſt, & cum advenæ Judæi, & Helleniſtæ conqueſti ſunt, quod viduæ ipſorum in menſæ miniſterio negligerentur. Baronius S. Chryſoſtomum teſtem vocat, aſſerentem, ad Paſchatis feſtum Eunuchum illum acceſſiſſe: ſed Pater ille explicite ait, tunc nullam fuiſſe feſtivitatem, & immo inde occaſionem arripit, Eunuchi fidem atque pietatem laudibus celebrandi [13].

℣. 29. Dixit autem Spiritus.] Hic Spiritus non alius eſt, quam Angelus, a quo juſſus fuerat iter Gazam verſus arripere [14]. Non deſunt tamen Interpretes complures [15], qui putent, hunc eſſe Spiritum Sanctum, Spiritum Propheticum, quo interius admonitus eſt, ut ad eum virum accederet.

1 Vide Tertull. de anima, cap. 34. & Chryſoſt. homil. 18. in Acta.
2 Cant. & Steph. B. *Καὶ πολλὰ κλαίων οὐ διελίμπανεν*. Tertull. de anima.
3 Vide Iren. lib. 1. c. 20. 4 Theodoret. hiſt. lib. 1. c. 1. 5 Iren. & Theodoret. loco citat. Tertull. de anima, c. 34. 6 Juſtin. Apolog. 2. Iren. lib. 1. c. 20. Tertull. de anima. Euſeb. Theodor. Auguſt. alii. Vide Tillemont. t. 2. tit. de Simone Mago & Not. 1.
7 Gr. *Κατὰ μεσημβρίαν*. Arab. Æth. in Lud. de Dieu: *Tempore meridiei*.
8 Strabo, lib. 16. Vide Hieron. in locis. 9 Ἀνὴρ Αἰθίοψ Εὐνοῦχος δυνάστης Κανδάκης, &c.
10 Strabo, lib. 17. Plin. lib. 6. c. 29. *Ædificia oppidi* (Meroes) *pauca; regnare fœminam Candacem; quod nomen multis jam annis ad Reginas tranſiit*. 11 Menolog. Baſilil. Nazianz. orat. in S. Baptiſma. Anaſtaſ. Sinaita, lib. 6. Euthym. in Pſal. 63. 12 Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 2. c. 1. D. Thom. in Joan. c. 12. Bed. Hug. Cajet. Lorin. Sanct. alii. 13 Chryſoſt. homil. 19. 14 Supra verſ. 26. Ita Chryſoſt. Hieronym. Sanct. Lorin. Cornel. Tirin. Fromond. 15 Beda, Men. Piſc. Hamm. alii.

℣. 30. Legentem Iſajam.] Hic Eunuchus elata voce legebat, & Græce fortaſſe: ea quippe lingua in Ægypto, atque finitimis Provinciis ſatis erat communis, & verſio Septuaginta in omnibus fere terris legebatur. Verba, quæ iſthic afferuntur, ex illorum verſione deprompta ſunt.

℣. 31. Quomodo poſſum.] Hic nequaquam erat in eorum ſententia, qui putabant Scripturam per ſe ſatis eſſe perſpicuam, ac nullo duce opus eſſe, ut ad illius agnitionem [1] perveniatur, neque ſuperiori auctoritate, ut ſenſus illius ſtatuatur.

℣. 32. Tamquam ovis ad occiſionem.] Hic locus Iſaiæ eſt cap. 53. ℣. 7. juxta Septuaginta verſionem. Hebræus vero ita legit [2]: *ductus eſt ad lanium tamquam agnus, & fuit velut ovis coram tondente ſe obmuteſcens. Non aperuit os ſuum, ſublatus eſt de carcere, & judicio. Vitam illius* vel generationem, *quis enarrabit, quoniam vita illius evulſa eſt de terra viventium.* Hic locus perſpicue de Jesu Christo explicatur, qui morti ſeſe tradidit, quia vim propulſaret, vel conquereretur. Quod dictum eſt, *ſublatus fuit*, vel eductus de *judicio, & de carcere*, intelligi ita poteſt; oneratus fuit catenis, & militibus cuſtodiendus traditus; mox vero damnatus, atque ad mortem abreptus. Vel liberatus fuit de carcere ſepulchri, & de Crucis morte per Reſurrectionem ſuam. *Generationem ejus, quis enarrabit?* explicari poteſt vel de illius æterna generatione, vel de nativitate ex Virgine Matre, vel de Reſurrectione, quæ quædam eſt nativitatis ſpecies prorſus miraculoſa. Denique verti poteſt: quis nativitatem, vitam, & mortem ejus enarrabit? quis de illo loquetur, quoniam obiit, tamquam reus; & eorum, qui extremo ſupplicio affecti ſunt, memoriam homines perhorreſcunt. Quomodocumque hoc intelligas, certe liquet, hoc optime de Jesu Christo poſſe explicari. Vide noſtrum Commentarium in Iſaiam.

℣. 33. In humilitate judicium ejus ſublatum eſt.] Poſt humiliationem, cui ſponte ſe ſe in Paſſione ſubmiſit, liberatus eſt de morte, atque ſepulchro, & Chirographum damnationis ipſius glorioſa Reſurrectione ejuſdem deletum eſt. Hic ſenſus textui Septuaginta tribui poteſt. Hebræi vero ſenſum ſuperiori ℣. vidimus.

℣. 35. Evangelizavit illi Jesum.] Oſtendit illi in Jesu Christi perſona non hanc ſolum, ſed omnes alias etiam Prophetias adimpletas. Oportet ergo, Philippum cum Eunucho diutius eſſe collocutum. Æthiops hic Scripturas norat, vel ſecum habebat ſaltem libros Prophetarum, ex quibus Philippus eos aligebat locos, qui conſilio ſuo conducebant.

℣. 36. Venerunt ad quamdam aquam.] S. Hieronymus [3], atque poſt illum Ado in Martyrologio ſuo, Recentioreſque complures [4] credunt, hunc fontem eſſe vigeſimo circiter lapide ab Jeruſalem, hoc eſt ſeptem circiter leucis in Hebron prope *Bethſur*, vel *Bethſur*. Hic fons ex radice montis emanat, ac ſtatim fere ſubter terram iterum labitur. Ea, quæ ſequuntur ℣. 36. in ſuſpicionem vocare poſſent hanc traditionem.

℣. 37. Si credideris ex toto corde, licet.] Philippus tantam in hoc Eunucho nanciſcitur docilitatem, tantum fervorem, fidem tantam, ut minime arbitretur, diutiori opus eſſe experimento, ut illi Baptiſma conferatur. Illum proculdubio erudierat de neceſſitate, atque virtute Baptiſmatis, & diſpoſitionibus quæ ad illum digne recipiendum maxime requiruntur. S. Lucas hiſtoriam hanc per compendium narrat, neque integrum eſt ambigere, quominus ea in occaſione id acciderit, quod Scriptura teſtatur, & docet traditio, hujuſmodi in occaſionibus faciendum eſſe: quemadmodum inquit S. Auguſtinus [5]. Hic ℣. 37. deeſt in pleriſque Græcis MSS. immo & in Latinis quibuſdam deſideratur. In aliis vero cum quadam legitur varietate, quod conjecturam adſtruit huc aliunde migraſſe, puta ex Epiſtola ad Romanos cap. 10. ℣. 9.

℣. 38. Deſcenderunt uterque in aquam,] & Philippus ibi Eunuchum immerſit: tunc enim non alia baptizandi ratio agnoſcebatur. Haud ita facile cæremonia hoc abſolvi potuiſſet in fonte Bethſur, de quo S. Hieronymus verba facit; ſed a Jeruſalem Gazam uſque complures occurrunt torrentes, ſi penes viatores eſt fides, atque in eorum aliquo fortaſſe Eunuchus a S. Philippo fuit baptizatus.

℣. 39. Spiritus Domini rapuit Philippum,] vel Angelus illum arripuit, ac per aerem abſtulit [6], ut olim accidit Abacuch [7], qui capillis apprehenſus ex Judæa Babylonem uſque traductus fuit. Vel Spiritus Divinus, quo Philippus animabatur, atque tranſferebatur, illi tantam activitatem immiſit, ut repente evanuerit, & paulo poſt Azoti fuerit eodem ferme pacto, ac Elias, qui pedibus procedebat currum Achab, & ante illum in Jezrael pervenit [7]. Filii prophetarum, poſtquam Elias igneo curru abductus fuit, neſcientes, quid de illo factum eſſet, miſerunt viros quinquaginta, illum quæſituros, *ne forte tulerit eum Spiritus domini, & projecerit eum in unum montium, aut unam vallium* 4. Reg. 2. 16. Cum Abdias vir Deum metuens, Eliam inveniſſet, hic illi dixit. *Vade & dic Domino tuo: adeſt Elias*, cui Abdias: *cum receſſero a te, Spiritus Domini aſportabit te in locum, quem ignoro*; & Rex me interficiet [8]. Ita juxta pleroſque Interpretes Salvator noſter & in deſertum, & ſupra Templi pinnaculum, atque montis verticem adductus fuit.

Quædam Græca exemplaria [9], & Latini Patres quidam [10] hoc in loco legunt: *irruit Spiritus Sanctus in Eunuchum, & Angelus Domini abſtulit Philippum*; quod moneret, hunc Eunuchum gratia penitus extraordinaria citra manuum impoſitionem recepiſſe Spiritum Sanctum, quemadmodum accidit Cornelio, atque domeſticis illius, etiam antequam baptizaretur [11]; Deus donorum ſuorum dominus eſt, & poteſt, ubi opus eſſe cenſet, communes leges negligere.

Eunuchus, cujus converſionem & Baptiſma legimus, gentis ſuæ factus eſt Apoſtolus, & Doctor [12]. Miſſus fuit a S. Spiritu, & S. Philippo Diacono, a quo ſacro baptiſmate ablutus fuit [13], ut concivibus ſuis doctrinam, quam didicerat, prædicaret. Ad hanc quoque diem gloriantur Abyſſini, ſe ab eo Chriſtianam fidem didiciſſe, & ferunt, in baptiſmatis ſolemnitate ab illis legi hiſtoriam Eunuchi, quam modo legimus. A Græcis inter Sanctos adſcribitur. Quidam ajunt, illum in Arabia Felici, & inſula Taprobane prædicaſſe, quod ambiguum ſane eſt.

℣. 40. Inventus eſt in Azoto.] Celebri Philiſthinorum Urbe ſecus Mediterraneum, novem, aut decem leucas procul a Gaza, Boream verſus. Inde S. Philippus varias in partes prædicaturus conceſſit, ac tandem venit *Cæſaream* Palæſtinæ, triginta circiter leucas

1 Grot. hic. *Non putabat tam perſpicuam ubique eſſe Scripturam, & expoſitam omnibus habere ſenſum, ut nunc faciunt non ſellularii tantum, ſed & fœminæ, qui recte ins facerent, ſi duce ſibi opus eſſe agnoſcerent.* Vide & Calvin. hic. 2 Iſai. 53. 7. כשה לטבח יובל וכרחל לפני גזזיה נאלמה ולא יפתח פיו ׃ מעצר וממשפט לקח ודורו מי ישוחח כי נגזר מארץ חיים

3 Hieron. in locis Heb. 4 Pearſon. Grot. Fuller. Fromond. alii.

5 Auguſt. de fide, & operib. c. 9. *Intelligi volunt impleta omnia, quæ licet taceantur in ſcripturis brevitatis gratia, tamen ſerie traditionis ſcimus implenda.* 6 Chryſoſt. homil. 19. Ambr. in Symbol. c. 32. in Iſai. 63. & Hieron contra Lucifer. Sanct. Lorin. Cornel. Grot. Fromond. 7 Dan. ult. 35.

8 3. Reg 18. 46. 9 3. Reg. 18. 11. 12. 10 Πνεῦμα ἅγιον ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν Εὐνοῦχον, ἄγγελος δὲ Κυρίου ἥρπασε τὸν Φίλιππον. Ita Cod. Alex. Vechel. Genev. alii, apud Mill.

11 Hieron. Dialog. Orthodox. & Luciferiani, c. 3, 4. Aug. ſerm. 266. p. 1086. 9. Raban. in Gloſſ. ord. traductum ex Act. 10. 44 vel 11. 15. Vide Eraſm. Bez. Mill. 12 Act. 10. 44.

13 Hieronym. in Iſai. 53. & Epiſt. 103. Euſeb. lib. 2. c. 1. Iren. lib. 3. c. 12.

14 Cyrill. Catecheſ. 17.

ens procul ab Azoto. Cæſarea, ut videtur, locus eſt ubi [1] Philippus [2] morabatur. Cum enim S. Paulus illuc poſt aliquot annos acceſſiſſet, apud illum cum ſociis ſuis aliquot commoratus eſt [3]. Hæc etiam ſedes erat quatuor filiarum ejus, quæ prophetiæ munere præſtabant [3]. S. Hieronymi tempore Cæſareæ in Paleſtina oſtendebatur Philippi domus, & cubicula quatour Filiarum ejus; quæ S. Paula inviſere voluit devotionis cauſa [4].

A

1 Iſidor. Peluſ. lib. 1. Ep. 449. 2 Act. 21. 8.
3 Act. 21. 9. 4 Hieron. Ep. 27.

C A P U T IX.

S. Pauli converſio & Baptiſmus. Damaſci prædicat. Cogitur per murum fugam arripere, Jeroſolymam a Barnaba adducitur. Tarſum recedit. Petrus Paralyticum curat, & mulierem reſuſcitat.

1. SAulus autem adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini, acceſ-
ſit ad Principem ſacerdotum. 2 Et petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad
ſynagogas; ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos
perduceret in Jeruſalem. 3 Et cum iter faceret, contigit, ut appropinquaret Da-
maſco; & ſubito circumfulſit eum lux de cœlo. 4 Et cadens in terram audivit
vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris? 5 Qui dixit: Quis
es, Domine? Et ille: Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi con-
tra ſtimulum calcitrare. 6 Et tremens, ac ſtupens dixit: Domine, quid me vis
facere? 7 Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur
tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, ſta-
bant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. 8 Surrexit
autem Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum
trahentes, introduxerunt Damaſcum. 9 Et erat ibi tribus diebus non videns, &
non manducavit, neque bibit. 10 Erat autem quidam diſcipulus Damaſci, nomi-
ne Ananias; & dixit ad illum in viſu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego,
Domine. 11 Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur Re-
ctus; & quære in domo Judæ Saulum nomine Tarſenſem; ecce enim orat. 12
(Et vidit virum, Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem ſibi manus, ut vi-
ſum recipiat.) 13 Reſpondit autem Ananias: Domine, audivi a multis de viro
hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Jeruſalem; 14 Et hic habet poteſtatem
a principibus ſacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum. 15 Dixit
autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet
nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael. 16 Ego enim oſtendam
illi, quanta oporteat eum pro Nomine meo pati. 17 Et abiit Ananias, & introi-
vit in domum: & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus miſit me Je-
ſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu ſan-
cto. 18 Et confeſtim ceciderunt ab oculis ejus tamquam ſquamæ, & viſum rece-
pit: & ſurgens baptizatus eſt. 19 Et cum accepiſſet cibum, conſortatus eſt.
Fuit autem cum diſcipulis, qui erant Damaſci, per dies aliquot. 20 Et conti-
nuo in ſynagogis prædicabat Jeſum, quoniam hic eſt Filius Dei. 21 Stupebant
autem omnes, qui audiebant, & dicebant: Nonne hic eſt, qui expugnabat in Je-
ruſalem eos, qui invocabant nomen iſtud: & huc ad hoc venit, ut vinctos illos
duceret ad principes ſacerdotum? 22 Saulus autem multo magis convaleſcebat,
& confundebat Judæos, qui habitabant Damaſci, affirmans quoniam hic eſt Chri-
ſtus. 23 Cum autem implerentur dies multi, conſilium fecerunt in unum Judæi,
ut eum interficerent. 24 Notæ autem factæ ſunt Saulo inſidiæ eorum. Cuſtodie-
bant autem & portas die, ac nocte, ut eum interficerent. 25 Accipientes autem
eum diſcipuli nocte, per murum dimiſerunt eum, ſubmittentes in ſporta. 26
Cum autem veniſſet in Jeruſalem, tentabat ſe jungere diſcipulis, & omnes time-
bant eum, non credentes, quod eſſet diſcipulus. 27 Barnabas autem apprehen-
ſum illum duxit ad Apoſtolos: & narravit illis, quomodo in via vidiſſet Dominum,

& quia locutus eſt ei, & quomodo in Damaſco fiducialiter egerit in nomine Jeſu. 28 Et erat cum illis intrans, & exiens in Jeruſalem, & fiducialiter agens in nomine Domini. 29 Loquebatur quoque Gentibus, & diſputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum. 30 Quod cum cognoviſſent fratres, deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tarſum. 31 Eccleſia quidem per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam, habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione ſancti Spiritus replebatur. 32 Factum eſt autem, ut Petrus dum pertranſiret univerſos, deveniret ad ſanctos, qui habitabant Lyddæ. 33 Invenit autem ibi hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus. 34 Et ait illi Petrus: Ænea, ſanat te Dominus Jeſus Chriſtus: Surge, & ſterne tibi. Et continuo ſurrexit. 35 Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ, & Saronæ: qui converſi ſunt ad Dominum. 36 In Joppe autem fuit quædam diſcipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemoſynis, quas faciebat. 37 Factum eſt autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum laviſſent, poſuerunt eam in cœnaculo. 38 Cum autem prope eſſet Lydda ad Joppen, diſcipuli audientes, quia Petrus eſſet in ea, miſerunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire uſque ad nos. 39 Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum adveniſſet, duxerunt illum in cœnaculum: & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas. 40 Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit, & converſus ad corpus dixit: Tabitha, ſurge. At illa aperuit oculos ſuos; & viſo Petro, reſedit. 41 Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocaſſet ſanctos, & viduas, aſſignavit eam vivam. 42 Notum autem factum eſt per univerſam Joppen; & crediderunt multi in Domino. 43 Factum eſt autem, ut dies multos moraretur in Joppe, apud Simonem quemdam coriarium.

℣. 1. SAULUS ADHUC SPIRANS MINARUM.] Quidquid hactenus in Eccleſiam conatus fuerat Saulus, odium ipſius adverſus Chriſtianos explere minime potuerat. Cum ubique Chriſtianos, qui erant Jeroſolymæ, perquiſiviſſet, & perſecutus fuiſſet [1], inde egreſſus eſt ſanguinem, & cædem anhelans, adhuc minis, atque furore repletus. Falſus erga leges patrias zelus illum agebat [2]; hoc accidit aliquanto poſt S. Stephani mortem, & anno uno poſt Salvatoris obitum. Crediderunt quidam [3], S. Pauli converſionem ſeptem annis accidiſſe poſt Jeſu Chriſti paſſionem; ſed hoc ſpatium nimis diuturnum eſt, neque totum hoc tempus requiritur, ut ea, quæ in Actis referuntur, adimpleantur.

ACCESSIT AD PRINCIPEM SACERDOTUM.] Caipham, aliosque principes Sanhedrin [4], atque ab illis facile obtinuit litteras, quas credentiales appellant, ut ſibi traderentur, quicumque accuſarentur, tamquam Chriſtiani, quos Jeroſolymam caperet, a Sanhedrin judicandos. Hinc liquet, Jeroſolymitanum conſilium poteſtatem habuiſſe in alias Synagogas, etiam extra Judæam poſitas, & licet Judæis non eſſet amplius alicubi jus vitæ, & mortis; attamen magnum Sanhedrin adhuc obtinuiſſe libertatem in vincula conjiciendi eos, qui nationis leges violaſſent, & qui accuſarentur, tamquam violatores Religionis, ritusque ſacrorum. Hoc autem & judicare poterat, & damnare, atque Romano Præſidi tradere morte puniendos, ſi morte digni cenſerentur; ſin autem Conſilium illud eos in carcerem trudebat, flagris cædebat, & citra mortem, aliis pœnis afficiebat. Rex Damaſci Judæis integrum relinquebat, ut legibus ſuis ſe regerent, atque magno Sanhedrin obtemperarent. B C

HUJUS VIÆ VIROS [5].] Hæc Hebraica eſt locutio; via pro vitæ ratione, atque ſecta uſurpatur. Vide infra Act. 19. ℣. 9. cap. 22. ℣. 4. cap. 24. ℣. 2. Chriſtiana etiam Religio *via Dei* vocatur, Act. 18. 26. Luc. A 20. 21. Hebr. cap. 9. ℣. 8. cap. 10. ℣. 20. Jacobi 5. 20. Et 2. Petri 2. 15. &c.

℣. 3. UT APPROPINQUARET DAMASCO.] Æthiops addit, hæc accidiſſe ſub meridiem, quod deſumptum eſt ex cap. 26. 13. Viatores Terræ Sanctæ ajunt, oſtendi locum, ubi S. Paulus everſus fuit tribus leucis procul a Damaſco meridiem verſus; & S. Auguſtinus ſerm. 278. cap. 21. innuit, ævo ſuo Templum fuiſſe eo in loco, ubi Apoſtolus fuerat converſus. Ex univerſa hac hiſtoria, quæ ter uſque in Actis enarratur [6], non liquet, S. Paulum, ſociosque illius equis inſidentes viam eam ſuſcepiſſe, quomodo illos exhibere pictoribus noſtris perplacuit. Lumen, quod S. Paulum involvit, ſymbolum erat divinæ præſentiæ; & a veri ſpecie non abhorret, luminis hujus ſplendorem cauſam fuiſſe, ut aliquot dies videre non poſſet. Scimus enim, lucem nimium vehementem ſæpius hunc gignere effectum. Verum eſt, cum Ananias oculos illius tetigit, quaſdam veluti ſquamas ex oculis ejus cecidiſſe [7]; at illæ fieri potuerunt eo temporis ſpatio, quod inter apparitionem, & diem, quo fuit curatus, effluxit. S. Pauli comites ex eo fulgore nihil mali perpeſſi ſunt; quod oſtendit, vel ob Apoſtoli hujus oculos lumen vehementius enituiſſe, vel illius cæcitatem non naturalem, ſed miraculoſam fuiſſe.

Quæritur, utrum eo temporis momento, quo cecidit, & vocem audiit ſibi loquentem, viderit etiam Jeſum Chriſtum, qui ipſi apparuit. SS. Chryſoſtomus in Acta hom. 20. & Aſterius, Orat. 12. credunt, neminem ab illo viſum fuiſſe; ſed eum percepiſſe tantum effectus præſentiæ Salvatoris eo modo, quo Moyſes Angeli vocem audiit in rubo ardenti, quin tamen vel faciem illius, vel aliquam corpoream formam videret. Alii [8] tenent, illum reipſa vidiſſe Jeſum Chriſtum, quod etiam certius videtur. Ananias explicite ait infra ℣. 17. *Saule frater, Dominus miſit me Jeſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas*, & S. Barnabas,

1 Act. 8. 3 2 Vide Galat. 1. 13. Act. 26. 11.
3 Glycas, 3. parte. Annal. ex Hyppolyt. Theb. Item Nicephor. lib. 2. cap. 3. ex Evodio.
4 Infra cap. 22. 5. 26. 12. 5 Τῆς ὁδοῦ ὄντας. 6 Hic cap. 22. & cap. 26.
7 Act. 9. 18. 8 Hilar. de Trinitate, lib. 3. Auguſt. ſerm. 279. & alii plures.

nabas, cum adduxiſſet S. Paulum ad Apoſtolos, illis narravit, quo pacto Dominus huic in via apparuerit: & cap. 22. 14. Ananias dicit illi: *Deus Patrum noſtrorum præordinavit te, ut cognoſceres voluntatem ejus, & videres Iuſtum*, videlicet Jeſum Chriſtum, *& audires vocem ex ore ejus*.

℣. 4. SAULE, SAULE, QUID ME PERSEQUERIS?] Cur perſequeris diſcipulos, fratres, amicos meos; Deus ſibi factum putat, quidquid boni, vel mali ſuis infertur [1].

℣. 5. QUIS ES?] Salvator ergo illi apparuit medius in ea luce, qua circumſeptus erat; verum cum S. Paulus ignoraret, utrum Angelus eſſet, an alius aliquis, ab eo ſciſcitatur, quis ſit.

DURUM EST TIBI CONTRA STIMULUM CALCITRARE.] Plurimi MSS. [2] hæc verba, & ſequentem verſiculum omittunt, ita legentes: *ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris, ſed ſurge, & ingredere Civitatem*. Quod ultra hic legitur, huc acceſſit ex capite 22. 10. & c. 26. 14. Hæ autem voces: *durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*, intelliguntur de bobus, jugo, vel aratro ſuppoſitis, & qui ſtimulis perfodiuntur: quo magis recalcitrant, eo majus vulnus recipiunt, quod ſtimulus corium eorum magis pervadit. S. Paulus Dei conſilio opponitur, cupiens Eccleſiam evertere, quam Jeſus Chriſtus inſtituere volebat; ſed contra ſtimulum recalcitrabat. Inanem tamen operam perdebat, quo magis perſequebatur Eccleſiam, hæc magis convaleſcebat: quo magis contra Omnipotentis manum obſiſtere conabatur, eo magis divinis illius conſiliis inſerviebat. Hoc vulgatum eſt apud prophanos adagium: *nam quæ inſcitia eſt adverſum ſtimulum calces*, inquit Terentius in Phorm. Act. 1. ſcen. 2. eoque Euripides in Bacchis, Æſchylus in Agamem. Pind. Pyth. Ode 2. uſi ſunt. Moyſes etiam ad illud alludit Deut. 32. 15. *incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit*.

℣. 6. QUID ME VIS FACERE?] S. Paulus terrore perculſus, atque humi afflictus ex lupo repente fit agnus: eumque gratia ex perſecutore in Apoſtolum convertit [3]. In vulgaribus converſionibus gratia quidem per metum opus ſuum primum informat, mox per inceptum amorem inſtituit, ac denique per charitatem perfectam abſolvit. Deus primum tribuit gratias, quæ cor illuſtrant, commovent, flectunt, quæ omnia per gradum fiunt: hæc vero repente de S. Pauli corde præclarum refert triumphum, in Spiritum illius lumen penitus divinum, in animam vero potentem infundit illecebram, qua ille in hominem penitus alium immutatur. Hoc maximum eſt gratiæ miraculum, atque apertiſſimum potentiæ divinæ, quod in Scripturis extet, monumentum [4]. *Medicus Magnus ad regionem veniens languidorum, unde medicina ejus diffamaretur*, S. Auguſtinus ait [5], *talem ſibi curandum elegit, de quo multum deſperabatur*.

℣. 7. IBI DICETUR TIBI.] Jeſus Chriſtus nequaquam per ſe, neque Angeli alicujus miniſterio ipſum erudit, quod facile perficere potuiſſet, ſed illum ad Ananiam mittit, ut miniſtros, & Sacerdotes ſuos hoc honore afficiat, atque S. Paulum doceat eam humilitatem, quam ipſe ex illis petit, quos ſacro deſtinat miniſterio [6].

AUDIENTES QUIDEM VOCEM, NEMINEM AUTEM VIDENTES.] Capite 22. ℣. 9. legimus: *qui mecum erant, lucem quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum*: quæ duplici ratione conciliari poſſunt. Primum [7], illos quidem audiiſſe

A vocem S. Pauli, Jeſu Chriſto reſpondentis, at JESU CHRISTI loquentis vocem minime audiiſſe. 2. [8] audiiſſe quamdam ſpeciem tonitru, vocem, fragoremque magnum, ſed confuſe dumtaxat: *audientes quidem vocem*, quemadmodum hic dicitur, at nullum explicite verbum audiiſſe; *vocem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum*; quemadmodum ſcriptum eſt c. 22. Ita apud S. Johannem 12. 28. videmus, ubi audita fuit de cœlo vox clamans, *& clarificavi, & iterum clarificabo*, plurimos dixiſſe, illum tonitru obſtrepuiſſe, alios, Angelum locutum fuiſſe; & fortaſſe nemo ſatis diſtincte illam audiit. S. Chryſoſtomus hom. 19 credidit, ſocios S. Pauli nequaquam converſos fuiſſe. Teſtimonium, quod illi miraculi hujus perhibuerunt, pro certiſſimo eo magis habendum erat.

B ℣. 9. ERAT IBI TRIBUS DIEBUS.] Interpretes complures [9] docent, infra hoc triduum S. Paulum ad tertium uſque Cœlum fuiſſe ſublatum, ubi audiit arcana verba, quæ non licet homini loqui; quemadmodum ipſe teſtatur 2. Cor. 12. 2. Alii [10] putant, illum hoc tempore didiciſſe Evangelium, quod quamprimum poſt converſionem ſuam erat prædicaturus, & quod ipſe aperte aſſerit ad Galat. 1. 12. ſe non ex humano ore, ſed ex ore Dei, atque ex revelatione didiciſſe: *neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*. S. Chryſoſtomus in Acta homil. 19. & S. Auguſtinus ſerm. 169. putant, toto eo tempore precibus vacaſſe, a Deo petentem veniam pro peccatis præteritis, atque ad gratiam illius majori ſenſu, atque ardore recipiendam ſe ſe diſponentem. Scri-
C ptura hic non loquitur, niſi de oratione ipſius: *ecce enim orat* ℣. 11.

℣. 10. DISCIPULUS NOMINE ANANIAS.] Credunt quidam [11], Ananiam fuiſſe ex numero duorum, & ſeptuaginta Salvatoris noſtri diſcipulorum, eumque Damaſcenum Epiſcopum electum fuiſſe; & addunt, illum tandem martyrio affectum fuiſſe: immo Græci feſtivitatem illius Kalendis Octobris concelebrant. Affirmant etiam, domum ejus in Eccleſiam, quæ ad hanc quoque diem extat, fuiſſe immutatam, quam licet Turcæ illam in Meſchitam converterint, & illi ipſi tamen ſummo habent in honore. Credunt alii [12], Ananiam Judæum eſſe ad fidem converſum; & S. Paulus ipſe hoc illi præbet teſtimonium [13]: fuiſſe videlicet virum Sanctum, frugi, irreprehenſibilem, &
D cujus probitatis ingens erat apud Judæos exiſtimatio. S. Auguſtinus quæſt. 1. l. 2. c. 40. putat, illum Sacerdotem fuiſſe, quandoquidem ait, S. Paulum ad illum miſſum fuiſſe, ut de manu ejus reciperet Sacramentum, cujus diſpenſationem Dei Filius Sacerdotibus Eccleſiæ ſuæ commendavit. Oecumenius [14] credit, illum Diaconum fuiſſe; liber vero conſtitutionum S. Clementis nomine inſcriptus, & Bellarminus ipſum laicum ſimplicem fuiſſe teſtantur.

℣. 11. IN DOMO JUDÆ.] Non ſatis novimus hunc Judam. Hic fortaſſe Judæus erat a S. Paulo cognitus, & vetus hoſpes ejuſdem. Hujus quoque domum in Eccleſiam converſam fuiſſe dicunt, & credunt nonnulli, hanc pro S. Ananiæ domo deſumptam fuiſſe, eo quod illuc S. hujus viri Corpus allatum fuit [15].

E ℣. 12. ET VIDIT VIRUM, ANANIAM NOMINE.] Plerique [16] hæc verba parentheſi claudunt. S. Lucas hic narrat S. Pauli viſionem eo in tempore, quo Dominus ad Ananiam loquebatur. Alii [17] tamen putant, hanc eſſe Dominici ſermonis continuationem, qua Ananiæ Dominus narrat, quid Saulo accidat eodem tem-

1 Matth. 25. 40. Auguſt. in Pſalm. 30 *Caput pro membris clamabat, & membra in ſe transfigurabat*.
2 Ita MSſ. Stephani omnes, Alex. Laud. 2. 3. Alii plures apud Mill. Copht. Syr. Chryſ.
3 Aug. ſerm. 278. nov. edit. num. 1. & 295. n. 6. 4 Vide Aug. qu. ad Simplician. & ſerm. 168. nov. edit. &c. 5 Aug. ſerm. 299. nov. edit. p. 1214. num. 6.
6 Vide Auguſt. quæſt. Evangel. lib. 2. c. 40. & Prolog. lib. Doctr. Chriſtianæ.
7 Theophylact. Varabl. Zeger. Sanct. Fromond. alii plures.
8 Eucher. in Acta, pag. 370. Grot. Capell. Cameſ. Piſcat. Ligfoot. Hammon.
9 Thom. Beda, Carthuſ. Lyran. 10 Cornel. Tirin. Sanct. Beda, Hugo, Hiſt. Scholaſt.
11 Baron. ann. 33. Ita Græci Recentiores. Vide Bolland. 25. Januarii.
12 Vide Fromond. in Acta, hic. 13 Act. 22. 22. 14 Ita & Cornel. & Tirin.
15 Bolland. 25. Januarii, p. 615. 16 Cornel. Fromond. Men.
17 Bernard. Syr. Grot. Piſc. alii.

temporis momento, quo Dominus ad illum loquebatur. Plurima exemplaria [1] legunt: *vidit in viſione*.

℣. 14. A PRINCIPIBUS SACERDOTUM.] A Summo Sacerdote ℣. 1. & ab aliis præcipuis capitibus Sanhedrin, quorum plerique erant ex ordine Sacerdotali. His autem litteris Saulo poteſtas conferebatur, comprehendendi, & Jeroſolymam adducendi eos omnes, qui nomen Jeſu Chriſti invocabant, & qui eum Dei Filium, & Meſſiam confitebantur. Plinius de Chriſtianis loquens ſub Trajano, ait, illos *ſtatuto die ante lucem convenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo dicere ſecum invicem*.

℣. 15. VAS ELECTIONIS EST MIHI ISTE [2].] Hoc eſt inſtrumentum, quod elige, ut nomen meum gentibus prædicet. Hebraica locutio, ubi innuere volunt aliquid, quod magno habetur in pretio, & quod ex rebus plurimis electum eſt. Hoc nomen vas in latiſſimo ſenſu explicatur pro quovis genere inſtrumentorum bellicorum, muſicorum, agreſtium &c. *Vas electionis* opponitur vaſi reprobato, contempto, neglecto, vaſibus iræ, ignominiæ, iniquitatis, de quibus nonnumquam in Scripturis eſt ſermo.

Cum ait Salvator, S. Paulum eſſe vas electionis, ut portet nomen ſuum *coram gentibus*, Judæos minime excludit. Scimus enim, ipſum promiſcue nomen Dei prædicaſſe, & Gentilibus, & Hebræis; ſæpius in horum Synagogas ingreſſum eſſe, & donec Judæos invenit, ad eos ſemper prædicaſſe, antequam ad Gentiles converteretur, quemadmodum ipſe profitetur Act. 13. 46 *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes; ſic enim præcepit nobis Dominus . . . . at illi excuſſo pulvere pedum in eos, venerunt Iconium*. Sed eo tempore, quo Dominus ad Ananiam loquebatur, nondum ſatis aperte voluntatem ſuam declaraverat de Gentilium vocatione, nondum aliquem peculiariter diſcipulum deſignaverat, qui Ethnicis Evangelium annuntiaret; & hactenus Apoſtoli Judæis tantum, vel proſelytis prædicaverant. Sed poſtquam hoc declaravit Deus, Paulus indiſcriminatim prædicavit illis omnibus, qui veritatem audire voluerunt. Deus vero in labores illius copioſam adeo benedictionem effudit, ut ubique ſe Gentilium Apoſtolum vocet [3], & explicite dicat [4], ſibi a Deo creditam fuiſſe Evangelii apud Ethnicos prædicationem, quemadmodum Petro Provincia tradita fuerat, ut Judæis prædicaret.

℣. 16. OSTENDAM ILLI, QUANTA OPORTEAT EUM PRO NOMINE MEO PATI,] quatenus diſcipulum meum pro gloria, & Eccleſia mea. Hæc hæreditas eſt diſcipulorum, atque amicorum Jeſu Chriſti, multa pro nomine illius pati. Pati quidem non eſt prædeſtinationis nota, verum præclara nota eſt æternæ felicitatis, pati pro nomine Jeſu Chriſti, pati pro juſtitia, & pati in pace, ac lætitia: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*, Matth. 5. 10. Poſuerat Deus in S. Paulo magnam animam, magnum ingenium, rationabilem conſtantiam, ardentiſſimum zelum, atque ad omnia peragenda animum paratum. His ille præclaris Dei muneribus, primum quidem in auctorem, Deumque ſuum fuerat abuſus; ſed qui illum ab æterno prædeſtinaverat, ut eſſet ſolidiſſima Eccleſiæ ſuæ columna, præclaris illis dotibus uti ſcivit: & hanc ex ſuis erroribus utilitatem S. Paulus percepit, ut eorum ſemper memoriam aleret, ac inde humilitatem perdiſceret, atque errantium miſereri cognoſceret.

℣. 17 IMPONENS EI MANUS.] Ananias per revelationem plane didicerat, quidquid S. Paulo acciderat [5]; nam S. Lucas ſæpius brevitati ſtudens varias circumſtantias minoris momenti miſſas facit. Manuum hæc impoſitio non eſt illa, quæ adhibetur in ordinatione Sacerdotum, & Diaconorum, nec illa, qua poſt baptiſmum fideles confirmantur in fide, & in gratia, & qua illis Spiritus ſanctus tribuitur. Hæc Ananiæ ſuper Saulum manuum impoſitio ideo inſtituitur, ut huic oculorum acies reſtituatur. Salvator noſter, ejuſque Apoſtoli ſæpius eadem uſi ſunt, ut ægrotis valetudinem redderent [6]. Si Saulus propter hanc manuum impoſitionem Spiritum ſanctum recipit, factum hoc miraculoſum erat, atque omnino extraordinarium, neque ex eo aliquid licet inferre. Aliquid ſimile ſuperius c. 8. 39. ſumus intuiti in Æthiopis Eunuchi perſona, qui ſine impoſitione manuum Apoſtoli alicujus Spiritum ſanctum accepit; & videbimus etiam infra cap. 10. 44. in Cornelio Centurione, qui ante ipſum etiam baptiſma, non ſecus ac S. Paulus, Spiritum ſanctum obtinuit. Inde non aliud inferri poteſt, niſi quod Deus eſt donorum ſuorum Dominus, atque ubi vult, poteſt legibus ſuis exceptionem apponere. Interpretes quidam [7] putant, hic eſſe ordinem præpoſterum, & S. Paulum nonniſi poſt baptiſma Spiritu ſancto repletum fuiſſe: at oppoſita ſententia probatior eſt.

℣. 18. TAMQUAM SQUAMÆ.] Quæ circum oculos illius increverant, & vetabant, ne ille lucem conſpiceret. Poſtquam cæcutiit erat Saulus, nimium ingenti victus luminis vi, quæ illi oculorum aciem abſtulerat, hæ ſquamæ ſucceſſerant: eaque cæcitas erat exteriori tantum ex cauſa profecta, quæ in eſſentialibus viſus organis nullum peperit vitium.

SURGENS, ET BAPTIZATUS EST.] Ananias illum baptizavit, vel in domo Judæ in aliquo videlicet domeſtico balneo, vel in fluvio Damaſci, qui trifariam ſectus urbem circumluebat, atque interluebat. Oſtenditur ad hanc quoque diem Damaſci fons ille, ubi S. Paulus baptizatus fuit [8]; ſed hujuſmodi traditiones nullam fidem merentur. Theologi quidam putant, S. Paulum nonniſi in baptiſmate juſtificantem gratiam recepiſſe. Alii tenent [9], antea jam contritionis, & charitatis vi fuiſſe juſtificatum. Non ambigimus, quominus potuerit illi Deus adeo perfectam charitatem ciere, qua ipſe juſtificationem mereretur [10]: ſed non ita facile eſt aſſerere, quemnam ad gradum hanc ille Paulo contulerit. Spiritus ſanctus, quem ante baptiſmum accepit, valde probat, ipſum tunc jam fuiſſe juſtificatum.

℣. 19. FUIT DIES ALIQUOT.] Non liquet, quamdiu ibi permanſerit: ſed ille præclare hoc tempore uſus eſt, ut Jeſum Chriſtum in Synagogis prædicaret mira vi, atque libertate, quemadmodum ſeq. ℣. ℣. legimus. Ipſe in Epiſtola ad Galatas c. 7. ait, ſe, ubi aliquamdiu Damaſci prædicaſſet, in Arabiam fuiſſe profectum; hoc eſt, in eam Arabiæ deſertæ partem, quæ Syriæ conterminna eſt, & quæ non procul abeſt a Damaſco. Hæc Civitas tunc ſuberat Aretæ cuidam ex Regibus Arabiæ. Quid autem in Arabia S. Paulus fecerit, non liquet; cumque de eo S. Lucas minime loquatur, ex ejuſdem ſilentio infertur, paucis diebus ibi perſtitiſſe, atque non ingentem fructum ibi retuliſſe. SS. Auguſtinus, & Chryſoſtomus in Ep. ad Galat. credunt, illum ibi Evangelium prædicaſſe, atque attuliſſe fidem eos in locos, ubi nondum agnoſcebatur, ſed alii [11] putant, illuc conceſſiſſe, ut in ſolitudinem ad tempus recederet, atque prædicationi ſe ſe præpararet. Ex Arabia Damaſcum rediit [12], ubi in triennio permanſit, quod ex converſionis initio cenſendum eſt, juxta communem Interpretum ſententiam.

℣. 23. CUM IMPLERENTUR DIES MULTI.] Triennio poſt illius converſionem ægre ferentes Judæi progreſſus

1 Καὶ εἶδεν ἐν ὁράματι. Ita Græc. impreſſi, ſed omittunt ἐν ὁράματι. Alexandr. Velez. Copht. Vulg. Æthiop.
2 Σκεῦος ἐκλογῆς. 3 1. Timoth. 2. 11. *Poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus Doctor Gentium in fide*. Et Rom. 11. 13. *Quandiu ego ſum Gentium Apoſtolus*. 4 Galat. 2. 7. *Creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis*. 5 Vide ſupra verſ. 10. 11. 12.
6 Matth. 9. 18. Marc. 5. 23. c. 6. 7. 32 8. 23. 25. Luc. 4. 40. 13. 13.
7 Vide Cornel. Sanctium, & Ligfoot. Tillemont. Not. in Sanctum Paulum.
8 Fromond. hic. 9 Fromond. Cornel. 10 Vide Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.
11 Uſſer. Pearſon. Ann. Pauli, &c. 12 Galat. 1. 7.

greſſus S. Pauli, & ingentem Judæorum, Ethnicorumque numeram, quos illi in JESU CHRISTI nomen convertebat, aidem necem inferre decreverunt. Miniſtros ergo Aretæ Regis corruperunt, inter quem, & Herodem Tetrarcham Romanorum opibus adjutum cum bellum arderet, ille Damaſci Urbem ſumma diligentia clauſam tenebat, ne illuc explorator aliquis ingrederetur, vel ne aliqais traosfuga egrederetur. Non abhorret a veritatis ſpecie, Judæos ad S. Paulum perdendum hoc injiſſe conſilii, ut illum accuſarent, quaſi Romanis ſtaderet. Ea quippe in circumſtantia leviſſimam quodlibat crimen, ac minima ſuſpicio ea de re afferre potuiſſent, ut vite ipſius in diſcrimen adducerentur.

℣. 25. ACCIPIENTES EUM DISCIPULI, NOCTE PER MURUM DEMISERUNT EUM.] Ea feneſtra, quæ in agros ſpectabat, in ſporta [1]. Illum invitum comprehenderant, eumque coegerunt, ut per murum elaberetur [2]. Ipſum enim neque Judæorum odium, neque mortis periculum deterrebant; quoniam Damaſco egreſſus recta Jeroſolymam conceſſit [3], paratus ferendo quid quid infenſiſſimi inimici voluiſſent. Accuſari minime poteſt, quod aa in occaſione defuerit illi in Deum confidentia [4]; quippe temeritas fuiſſet, atque Deum tentaſſet, ſi fuga evitara valens periculum, ultro illi ſeſſe objeciſſet, ea in Urbe perſiſtens. Christiana ſapientia, & vera charitas, quæ jubent nonnumquam, ut noſmet periculis ſtrenue objiciamus, nonnumquam atiam id prohibent [5]. Ipſe etiam JESUS CHRISTUS aliquando delituit, ut inimicorum furorem eluderat, Joan. 8. 59. & 12. 36. Satis alibi S. Paulus [6] ſuam conſtantiam, atqua fortitudinem probavit, ita ut nulla iſthic oboriri debeat illius infirmitatis ſuſpicio.

℣. 26. CUM VENISSET JEROSOLYMAM [7].] Ut ibi S. Petrum videret, eumque cognoſceret [8], cujus nomen illi maxime cognitum erat, & quem jure aaiſtimabat eſſe ſolidiſſimam Chriſtianæ Eccleſiæ columnam, atque Principem Apoſtolorum [9]. Diſcipuli JESU CHRISTI illum evitabant, atque ſe ſe illi credere nolebant, veriti, ne vellet illos accuſare coram Sanhadrin, quemadmodum aliquot annis ante complures accuſaverat. Hinc autem videntur primi fideles poſt primam illam perſecutionem, quæ in morte S. Stephani debacchata eſt, delituiſſe, & illis tantum ſe ſe credidiſſe, quos optime noverant. Oportet autem, tunc Sancti Pauli converſionem non ſatis Jeroſolymæ vulgatam fuiſſe; quandoquidem a pleriſque Diſcipulorum ignorabatur. Hinc crediderunt nonnulli [10], S. hunc Apoſtolum in Arabia diutius fuiſſe, & prope Damaſcum, quam vulgo creditur. Nam Jeroſolyma Damaſcum uſque ſeptuaginta quinque non altra intercedunt leucæ, ac inter utramque Civitatem maximum erat commercium. At alii [11] animadverterunt, commercium hoc tunc incertiſſimum foiſſe bello inter Aretam Arabiæ Regem, & Herodem Tetrarcham vigante, quod triennio perſtitit.

℣. 27. BARNABAS AUTEM.] Adduxit illum ad Apoſtolos, eumque illis tradidit cognoſcendum. Barnabas velut S. Pauli neceſſarius [12] fuiſſe dicitur, ajuſque ad pedes Gamalielis condiſcipulus. S. Chryſoſtomus hom. 21. in Acta conjicit, illum, cum non ita pridem Antiochiæ fuiſſet, atque didiciſſet converſionem, & vivendi genus S. Pauli, ipſum voluiſſe hunc ad SS. Apoſtolos Petrum, & Jacobum minorem adducere; non enim præter hos alium tunc temporis vidit S. Paulus [13] Apoſtolum.

NARRAVIT ILLIS.] Quid contigiſſet S. Paulo, Damaſcum eunti. Modeſtiæ Apoſtoli hujus vim quodammodo fecit; quippe ille per ſe non enarraſſet, quod tantæ illi gloriæ cedebat [14].

℣. 28. ERAT CUM ILLIS INTRANS, & EXIENS.] Vivens videlicet cum illis: patet enim, hoc loquendi genus ſæpe omnem vitæ rationem, omniaque illius munera indigitare. Ibi quindecim tantum diebus permanſit [15], & nihil novi didicit; cum enim a JESU CHRISTO eodem eruditus fuiſſet, præceptis humanis minime indigebat.

FIDUCIALITER AGENS IN NOMINE DOMINI.] Divina fretus ope, atque in Domini ſui nomine, & auxilio confidens, audacter, & libere loquebatur, atque Evangelium, & JESU CHRISTI Reſurrectionem annunciabat. Vel ſimpliciter; libere loquebatur, & annunciabat nomen Domini.

℣. 29. LOQUEBANTUR QUOQUE GENTIBUS.] Neque textus Græcus typis editus, neque MSS. hoc in loco legunt, S. Paulum gentibus prædicaſſe, quod ipſum neque in Orientalibus Verſionibus, dummodo Æthiopicam excipias, neque in compluribus antiquis Latinis exemplaribus legitur [16]: quod in dubium vocare poteſt, utrum a Librario aliquo id additum fuerit, vel ſit aliquod gloſſema adjectum ad ea explicanda, quæ immediate ſtatim ſubſequuntur; Paulum videlicet cum Græcis diſputaſſe, nam Græcorum nomine Judæis oppoſito Gentiles, ut plurimum intelliguntur. Hic tamen Græcorum, vel *Helleniſtarum* nomen [17] creditur ſignificare Judæos advenas, qui Græce dumtaxat loquebantur [18], & qui Helleniſtæ dicuntur, ut a Judæis Palæſtinæ diſtinguantur. Vide ſupra cap. 6. 1. S. Paulus perfecte hos noverat advenas, ex quorum numero olim fuerat. Vide Act. 6. 9.

QUÆREBANT OCCIDERE EUM.] Vel proditorie, vel judicio zeli, quemadmodum olim S. Stephanum interfecerunt, vel denique illum ad Sanhedrin adducere ab eo damnandum. Sed Jeroſolymitanorum fratrum auxilio de illorum manibus ereptus fuit, quemadmodum Damaſci liberatus fuerat a fidelibus illius Civitatis de eorum manu, qui hominem perdere feſtinabant.

℣. 30. DEDUXERUNT EUM CÆSAREAM.] Quidam hoc intelligunt de Cæſarea Palæſtinæ, quæ antea *Stratonis turris* appellabatur, & quæ maritima eſt Civitas, quinque, & viginti circiter leucas procul ab Jeruſalem. Inde vel terreſtri itinere, vel mari Tharſum in Ciliciam Patriam ſuam migrare potuit. Si Cæſareæ navim conſcendit, quemadmodum S. Johannes Chryſoſtomus hom. 21. arbitratur, Tharſum uſque mari profectus non eſt: quoniam in Epiſtola ad Galatas 1. 21. ait, ſe Jeroſolyma in Syriam, atque in Ciliciam fuiſſe profectum. At Syria eſt inter Ciliciam, & Cæſareæ civitatem. Tenent alii [19], e fratribus adductum fuiſſe Cæſaream uſque Philippi, quæ civitas ſita erat in extrema boreali Palæſtinæ parte verſus Jordanis origines: inde vero Syriam pertranſiiſſe, ac tandem Tharſum in Ciliciam perveniſſe. Hoc brevius erat illius iter, ut inquiunt. At ego reor in novi Teſtamenti libris, Cæſareæ urbem ſine addito ſemper ſignificare Cæſaream Palæſtinæ, numquam vero Cæſaream Philippi; quæ tum apud

---

1 2. Cor. 11. 32. 2 Vide Chryſoſtom. hic, homil. 20.
3 Vide Galat. 1. 18. Act. 9. 26. 4 Aug. lib. 22. cap. 36. contra Fauſt.
5 Greg. lib. 31. Moral. cap. 14. Athan. de fuga in perſecut. 6 Rom. 8. 35. 36. Act. 20. 23. 21. 13.
7 Græcus impreſſus. Παραγενόμενος δὲ ὁ Σαῦλος εἰς Ἱερουσαλὴμ. At Sauli nomen non legitur in Vulg. Syr. Copht., Æthiop. MS. Alex. & pluribus aliis. Nonnulli legunt *Paulum* pro *Saulo*. Ita Laud. 3. Mont. Lin. apud Mill. Et Beda teſtatur, hoc nomen in ſuo Exemplari Græco fuiſſe.
8 Galat. 1. 16. 9 Vide Hieronym. et Chryſoſtom. in cap. 1. ad Galat.
10 Fromond. hic, Capell. 11 Baron. Uſſer. Ligfoot, Tillamont.
12 Vide vit. Barnab. 11. Jun. apud Surium. Ita Cornel. Menoch. Grot. alii.
13 Galat. 1. 18. 14 Chryſoſt. hic. homil. 21. 15 Galat. 1. 17. 18.
16 Vide Bedam, Eſtium. Fromond. 17 Ἐλάλει δὲ καὶ συνεζήτει πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς.
18 Fromond. Grot. Camer. Cornel. Ludov. de Dieu, alii.
19 Fromond. Ludov. de Dieu.

apud Prophanos, cum apud Sacros Auctores ſemper, A
Philippi nomina invenitur. Non credit Origenes in Matt. S. Paulum Tharſi prædicaſſe; nemo enim Propheta umquam in honore eſt in Patria ſua; ad oppoſitum, idque majori cum ſimilitudine S. Johannes Chryſoſtomus in Acta hom. 21. tenet.

℣. 31. ECCLESIA QUIDEM [1] PER TOTAM JUDÆAM, & GALILÆAM, & SAMARIAM.] videlicet per totam tellurem Sanctam, vel Palæſtinam, quæ trans Jordanem in Judæam, Samariam, & Galilæam dividebatur. Judæa eſt terræ illius pars meridionalis, *Samaria* media eſt ſecundum longitudinem inter Judæam, & meridiam, & *Galilæam* ad Boream. Poſtrema vero hæc Provincia ultra Jordanem etiam extendebatur. Perſecutio in S. Stephani morte excitata non diu ſævit: permittente Deo, Eccleſiam ſtatim primum agitari, ut B
fideles alio concedere cogerentur. Denique illis pax reddita fuit, ut facilius Evangelium propagaretur. Hoc igitur nequaquam intelligendum eſt de eo tempore, quod ſubſecutum eſt S. Pauli exitum de Jeruſalem. Sacer hiſtoricus hoc adfert per anacephalæoſim.

ÆDIFICABATUR.] Statuebatur, augebatur, convaleſcebat. *Ædificare* ſæpius ſignificat familiam aliquam augeri, & multiplicari, Geneſ. 16. 2. & 30. 3. Exod. 1. 21.

℣. 32. PETRUS DUM PERTRANSIRET UNIVERSOS.] S. Petrus, qui dum perſecutio ſæviebat, ſemper Jeroſolymis permanſerat, inde egreſſus eſt, ſtatim ac pax Eccleſiæ reddita fuit. Omnem regionem peragravit, ut Eccleſias viſeret, tamquam Imperator, ſuas copias recenſens, ut videat, utrum omnia bene ſe habeant [2]. Lyddam venit civitatem, quæ decem leucas C
abeſt a Jeruſalem, Boream verſus, & quæ deinceps Dioſpolis nomine celeberrima fuit. Illic inviſit *Sanctos*, hoc eſt fideles Chriſtianos, qui Sancti vocabantur propter ſanctitatem, quam profitebantur, & vitæ puritatem, quam ſequebantur. Judæi hoc ipſo nomine [3] nuncupabantur, ut eorum erga Gentiles incircumciſos, & prophanos oppoſitio innueretur.

℣. 33. HOMINEM NOMINE ÆNEAM.] Cum vulgo in Palæſtina Græce ſimul, & Hebraice, vel Syriace loquerentur, ita ſinguli duplex habebant nomen; Græcum alterum, alterum Hebræum. S. Petrus Hebraice dicebatur *Cepha*, & Græce *Petros*. S. Paulus Hebraice *Saulus*, Græce *Paulos* dicebatur. *Tabitha*, Græce *Dorcas*, Hebraice *Tabitha* appellabatur. D
Æneas vero, de quo hic ſermo, fortaſſe dicebatur *Hanaias*, vel Hillel Hebraice, Græce Æneas. Hic Judæus erat, qui Lyddæ incolebat, & qui octo jam annos paralyſi laborabat. Creditur adhuc in Judæorum religione fuiſſe, cum a S. Petro curatus fuit [4]; cujus rei tamen nullum ſatis validum video argumentum. Non ait S. Lucas, illum, ſed Cives Urbis illius poſt ejuſdem curationem in JESUM CHRISTUM credidiſſe.

℣. 34. SURGE, STERNE TIBI.] Quidam [5] hoc de triclinari lectulo intelligunt: ſurge, & præpara locum tuum, ut menſæ accumbas. Sed plerique hoc ſimpliciter intelligunt: ſurge, & ſterne lectulum tuum, ut probes, te perfecte convaluiſſe. Antehac opus erat, ut alii te attollerent, & lectulum tuum concinnarent: nunc vero aliena opera ulterius non indiges. Quibuſdam in occaſionibus juſſit Dominus noſter paralyticos ſuos auferre lectulos, eo quod illos extra ipſorum domos curabat, Marc. 2. 9. Joan. 5. 8. E

℣. 35. QUI HABITABANT LYDDÆ, & SARONÆ.] Lydda, quemadmodum dictum eſt, alio nomine erat Urbs Dioſpolis, quæ Hebraice *Lud*, vel *Lod* appellabatur. Hæc ante captivitatem non ſatis cognoſcebatur: ſed ſæpius deinceps in Paralipomenis, & Eſdra memoratur. Sarona provincia erat, quæ ſecus Mediterraneum ad Boream Dioſpolis Cæſaream verſus protendebatur. Euſebius in locis ait, illam a Cæſarea Joppem uſque patuiſſe. Tres alios novimus agros, qui Saron vocantur [6]; ultra Jordanem in Bathanea, alterum in Valle Jezrael, ac tertium ab Ecdippa Ptolemaidam uſque. Geographi quidam [7] commenti ſunt Urbem quamdam *Saronam*, ſed Veteres nullam cognominem noverunt Civitatem; & S. Lucæ textus [8] hoc in loco oſtendit non de Urbe agi, ſed Provincia. Exemplaria complura legunt *Aſſaron*, vel *Haſſaron*.

Rabbini loquuntur de vino *Aſſaron*, vel Saron, quod adeo generoſum erat, ut bes aquæ trienti meri eſſet addendum: & Canticorum Sponſa cap. 2. 1. roſam, vel lilium Saron laudibus celebrat. Innuit ergo S. Lucas, non ſolum Cives Lyddæ, ſed eos omnes, qui agrum Saron a Lydda Cæſaream uſque incolebant, cum hujus miraculi teſtes fuiſſent, ad Dominum ſe converti ſſe.

℣. 36. TABITHA .... DORCAS.] *Tabitha* [9] Syriace, *Dorcas* Græce [10] capream ſilveſtrem ſignificant: poſterius vero nomen ex ea radice fluit, quæ oculorum acie præſtare ſignificat. Animadvertimus jam in ℣. 33. tunc temporis vulgo ea in regione duplici nomine quemque vocatum fuiſſe, quod linguæ Græca, & Syriaca ibi communes. Hebræi Veteres in delitiis habebant mulieribus animantium nomina tribuere: *Rachel* ovis, *Egla* vitula, *Tabitha* dama.

℣. 37. QUAM DUM LAVISSENT [11].] Mos abluendi mortuos occurrit apud Græcos, Romanos, Hebræos, alioſque populos complures. Hoc conſuevit adhuc in cœnobiis; idque olim non ſine quibuſdam cæremoniis peragebatur. S. Chryſoſtomus hom. 84. in Joan. ait, Salvatoris noſtri corpus ablutum fuiſſe, antequam aromatibus condiretur, atque in tumulum efferretur. Apud Homerum Patrocli, & apud Virgilium Miſeni corpora abluuntur. Virg. Æneid. 4.

.... *corpuſque lavant frigentis, & ungunt.*

Tertullianus in Apolog. c. 42. teſtatur, Chriſtianos poſtremum hoc officium mortuis perſolviſſe; hoc enim pacto oſtendebant, quantam obſervantiam debebant imagini Dei, quæ in Creatura illius impreſſa eſt, & characteri JESU CHRISTI, quo homines illi, cum viverent, inſigniti fuerunt. Denique hoc ſignum erat conſtantia ſpei, qua futuram Reſurrectionem credebant.

℣. 38. CUM PROPE ESSET LYDDA AD JOPPEM.] Aberat enim quatuor circiter leucis. Lydda quidem erat ad Orientem Joppe; Joppa vero in ora Mediterranei. Tabitha in Joppe humanis deceſſerat: S. Petrus vero erat Lyddæ; quo duo viri miſſi fuerunt, ut illum orarent, ne illuc accedere dedignaretur. Complura Græca exemplaria omittunt duos viros, & legunt ſolum; *miſerunt ad eum rogantes &c.*

℣. 39. TUNICAS, & VESTES [12].] Tunicas, & pallia, vel ſuperiores veſtes; nam mulieres non ſecus, ac homines vulgo duplex hoc veſtimenti genus deferebant. Viduæ illæ ſpe refertiſſimæ crediderunt, S. Petrum, qui Lyddæ Æneam curaverat, poſſe in Joppe Tabitham reſuſcitare; & minime dubitavit S. Petrus, quominus tot eleemoſynæ, ac opera bona cum pauperum lachrymis conjuncta a Deo mereri poſſent inſignius miraculum, quam quod Lyddæ [13] nuper fuerat operatus. Tabitha ac omnes viduæ, non ſecus ac qui miſerunt rogatum S. Petrum, ut veniret, Chriſtianam Religionem profitebantur.

℣. 40. EJECTIS OMNIBUS.] S. Petrus, qui ſola corporis umbra olim tot ægrotos curaverat [14], nunc in genua procumbit, humiliter, ac enixius orat, omnes ejicit, ut mente ad Deum magis collecta precetur. Hæc omnia probant ad Summorum Sanctorum nutum ſemper præſto non eſſe prodigiorum operandorum munus. Debent nonnumquam illud petere, ut melius ſuam

1 Græc. Ἐκκλησίαι. Eccleſiæ. 2 Chryſoſt. homil. 21. in Acta. 3 Dan. 7. 18. 21. 22. 25. 27. 8. 24. 12. 7. 1. Macc 1. 49. 7. 17. &c. 4 Chryſoſtom. Fromond. Grot. alii. 5 Hammond.
6 Vide noſtram Diſſertationem in Geographiam Terræ Sanctæ, Joſue præfixam.
7 Adrichom. Bonfrer. Lubin. 8 Καὶ τὸν Σάρωνα.
9 Syr. טביתא Hebr. צבי Tzbi. 10 Δορκάς, ὁ δὲ ρ[illegible]
11 Quædam Exemplaria Latina legebant: *Cum laviſſent unguentis*. Raban. Gloſſ. ordin.
12 Χιτῶνας, καὶ ἱμάτια. 13 Cyprian. de Eleemoſ. 14 Act. 5. 15.

ſuam infirmitatem intelligant, atque precibus, & humilitate ſuam fidem, & charitatem accendant. Ipſe etiam Jeſus nonnumquam Patrem oravit, antequam miracula operaretur.

A ℣. 43. APUD SIMONEM CORIARIUM.] Qui habitabat extra Civitatem ſecus mare [1]: nam coriarii in urbe habitare non poterant, propter graviſſimum odorem ex coriis curandis emanantem.

1 Act. 10. 6.

CAPUT X.

Cornelius mittit ad quærendum S. Petrum. S. Petrus videt deſcendentem linteum omni immundorum animantium genere repletum. Deus ait illi, ſe ea ſanctificaſſe. Hinc intelligit S. Petrus, Gentiles in Eccleſiam eſſe admittendos. Annuntiat ergo JESUM CHRISTUM Cornelio, eumque baptizat; cum jam Spiritus ſanctus deſcendiſſet in illum, & comites illius.

1. VIr autem quidam erat in Cæſarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis,
quæ dicitur Italica, 2 Religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſua,
faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper. 3 Is vi-
dit in viſu manifeſte, quaſi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad ſe, &
dicentem ſibi, Corneli. 4 At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quis
es, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ, aſcenderunt in
memoriam in conſpectu Dei. 5 Et nunc mitte viros in Joppen, & accerſi Simo-
nem quemdam, qui cognominatur Petrus. 6 Hic hoſpitatur apud Simonem quem-
dam coriarium, cujus eſt domus juxta mare: hic dicet tibi, quid te oporteat fa-
cere. 7 Et cum diſceſſiſſet Angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domeſti-
cos ſuos, & militem metuentem Dominum, ex his, qui illi parebant. 8 Quibus
cum narraſſet omnia, miſit illos in Joppen. 9 Poſtera autem die iter illis facien-
tibus, & appropinquantibus civitati, aſcendit Petrus in ſuperiora, ut oraret circa
horam ſextam. 10 Et cum eſuriret, voluit guſtare. Parantibus autem illis, ceci-
dit ſuper eum mentis exceſſus: 11 Et vidit cœlum apertum, & deſcendens vas
quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram. 12
In quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli. 13 Et fa-
cta eſt vox ad eum: Surge, Petre, occide, & manduca. 14 Ait autem Petrus:
Abſit, Domine, quia numquam manducavi omne commune, & immundum. 15
Et vox iterum ſecundo ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.
16 Hoc autem factum eſt per ter: & ſtatim receptum eſt vas in cœlum. 17 Et
dum intra ſe hæſitaret Petrus, quidnam eſſet viſio, quam vidiſſet; ecce viri, qui
miſſi erant a Cornelio, inquirentes domum Simonis, aſtiterunt ad januam. 18 Et
cum vocaſſent, interrogabant, ſi Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet
hoſpitium. 19 Petro autem cogitante de viſione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres
quærunt te. 20 Surge itaque, deſcende, & vade cum eis, nihil dubitans; quia
ego miſi illos. 21 Deſcendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego ſum, quem
quæritis: quæ cauſa eſt, propter quam veniſtis? 22 Qui dixerunt: Cornelius
Centurio, vir juſtus, & timens Deum, & teſtimonium habens ab univerſa gente
Judæorum, reſponſum accepit ab Angelo ſancto, accerſire te in domum ſuam, &
audire verba abs te. 23 Introducens ergo eos, recepit hoſpitio. Sequenti autem
die ſurgens profectus eſt cum illis: & quidam ex fratribus ex Joppe comitati ſunt
eum. 24 Altera autem die introivit Cæſaream, Cornelius vero expectabat illos,
convocatis cognatis ſuis, & neceſſariis amicis. 25 Et factum eſt, cum introiſſet
Petrus, obvius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes ejus, adoravit. 26 Pe-
trus vero elevavit eum, dicens: Surge, & ego ipſe homo ſum. 27 Et loquens
cum illo intravit, & invenit multos, qui convenerant: 28 Dixitque ad illos:
Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Judæo, conjungi, aut accedere ad alieni-
genam: ſed mihi oſtendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere homi-
nem. 29 Propter quod ſine dubitatione veni accerſitus. Interrogo ergo, quam ob
cauſam accerſiſtis me? 30 Et Cornelius ait: A nudiuſquarta die uſque ad hanc

horam

horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir ſtetit ante me in veſte can-
dida, & ait: 31 Corneli, exaudita eſt oratio tua, & eleemoſynæ tuæ commemo-
ratæ ſunt in conſpectu Dei. 32 Mitte ergo in Joppen, & acceſſi Simonem, qui
cognominatur Petrus: hic hoſpitatur in domo Simonis coriarii juxta mare. 33
Confeſtim ergo miſi ad te: & tu benefeciſti veniendo. Nunc ergo omnes nos in
conſpectu tuo adſumus, audire omnia, quæcumque tibi præcepta ſunt a Domino.
34 Aperiens autem Petrus os ſuum, dixit: In veritate comperi, quia non eſt
perſonarum acceptor Deus: 35 Sed in omni gente, qui timet eum, & operatur
juſtitiam, acceptus eſt illi. 36 Verbum miſit Deus filiis Iſrael, annuntians pacem
per Jeſum Chriſtum (hic eſt omnium Dominus.) 37 Vos ſcitis, quod factum
eſt verbum per univerſam Judæam: incipiens enim a Galilæa, poſt baptiſmum,
quod prædicavit Joannes, 38 Jeſum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spi-
ritu ſancto, & virtute, qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos a
diabolo, quoniam Deus erat cum illo. 39 Et nos teſtes ſumus omnium, quæ fe-
cit in regione Judæorum, & Jeruſalem, quem occiderunt ſuſpendentes in ligno.
40 Hunc Deus ſuſcitavit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri, 41 Non om-
ni populo, ſed teſtibus præordinatis a Deo: nobis, qui manducavimus, & bibi-
mus cum illo, poſtquam reſurrexit a mortuis. 42 Et præcepit nobis prædicare
populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt a Deo judex vivorum, &
mortuorum. 43 Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem pecca-
torum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. 44 Adhuc loquente
Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum.
45 Et obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in
nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. 46 Audiebant enim illos loquentes lin-
guis, & magnificantes Deum. 47 Tunc reſpondit Petrus: Numquid aquam quis
prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt, ſicut
& nos? 48 Et juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti. Tunc rogave-
runt eum, ut maneret apud eos aliquot diebus.

℣. 1. VIR ERAT IN CÆSAREA NOMINE CORNELIUS.] Cornelius erat Romanus, vel ſaltem Latinus nativitate, atque Ethnicus Religione, neque Judæus erat, neque circumciſus, ſed *proſelytus portæ*; hoc eſt, qui cum Deum cognoviſſet ex Judæorum conſuetudine, quam cum illis Cæſareæ habuerat, & ex ſacrorum librorum lectione, abdicavit, ſed ſine ulla ſolemnitate, atque pompa ſuperſtitioſum Idolorum cultum, atque Domino ſervire cœpit bonis operibus, & ſincero interiorique cultu; quin tamen ſe ſe addiceret alicui ex peculiaribus legis cæremoniis. Judæi [1] inquiunt, hujuſmodi homines ſemper pro Ethnicis habitos fuiſſe, itaut Judæus aliquis cum illis nullam inire neceſſitudinem poſſet. Sed poſtrema hæc regula minime ſervabatur, ex quo Romani Judæam in Provinciam redegerant, atque Judæis ſupremam auctoritatem in ipſorum regionibus abſtulerent. Ferebant Judæi id genus proſelytos; atque libere cum illis verſabantur, non diffidentes, illos futuri ſæculi participes fore. Proſelyti portæ ſeptem dumtaxat obſervare tenebantur præcepta, filiis Noe tradita, de quibus alibi ſermo fuit [2]. Hujuſmodi erant Nahaman in aula Syriæ 4. Reg. 5. 1. Eunuchus Reginæ Candacis Æthiopicæ Act. 8. 27. Græci timentes Deum, de quibus in Actis c. 13. 16. 43. & 17. 4. ſermo eſt, atque talis denique Cornelius Centurio, de quo hic verba facimus.

CENTURIO COHORTIS, QUÆ DICITUR ITALICA.] Cohors apud Romanos composita erat ex peditibus quingentis; decem vero cohortes in una legione militabant. Nomen *Italica* erat Legionis apud Hiſtoriæ Romanæ auctores, atque in inſcriptionibus [3] celeberrima. Hujuſmodi nomina, ut plerimum minime tribuebantur ſimplicibus cohortibus; ſed hæ ex Legionis ſuæ nomine appellabantur. Ita aptius dici potuiſſet *Cornelius Centurio cohortis unius ex legione Italica*; Dein, ut plurimum Centuriones uni præerant cohorti. Græca vox, quibus S. Lucas [4] utitur, proprie legionem ſignificat: ſed novi Teſtamenti Auctores eamdem pro ſimplici cohorte uſurpant [5].

℣. 2. RELIGIOSUS AC TIMENS DEUM CUM OMNI DOMO SUA.] Religione obſervabat legem naturalem, ac præcipua capita legum moralium, quibus parebant Judæi. Deum metuebat, & idololatriam abdicaverat; quia tamen publice Chriſtianam Religionem profiteretur. In domo ſua non erant domeſtici, qui Deum non timerent, & qui ab Ethnicæ Religionis ſuperſtitionibus non eſſent expediti. Videbimus infra verſ. 7. ſecum illum habuiſſe aliquos ex militibus ſuis, ſimul cum Deo pietatem colentes.

℣. 3. VIDIT IN VISU MANIFESTE &c.] Hora nona eſt tertia circiter pomeridiana, eaque ille corporeis oculis, cum maxime vigilaret [6], vidit *Angelum ei*, qui ſibi apparuit, & ſecum locutus eſt, quemadmodum homo aliquis cum altero homine loquitur; hæc enim neque per ſomnium tranſacta ſunt, neque nocte, nec per extaſim; cum ſenſus alienati eſſent. Facile agnovit, hunc Angelum eſſe ex fulgore, quo micabat, ex ratione, qua ſe ſe illi obtulit, & ex verbis, quæ protulit. Hora nona, vel tertia poſt meridiem orationi erat deſtinata, quemadmodum alibi vidimus [7]; & Cornelius fortaſſe in cubiculum ſuum ſe receperat oraturus. Græcus [8] verſiculo 30. explicite ait, Cornelium adhuc jejunum fuiſſe hora nona, cum illi apparuit An-

1 Vide ſi placet, Selden. de jure Nat. & Gent. lib. 2. cap. 1. pag. 157. 158.
2 Gen. 9. 12. 3 Orutar. p. 414. Tacit. hiſt. lib. 2. & alibi. Grot. hic.
4 Ἑκατοντάρχης ἐκ σπείρης τῆς καλουμένης Ἰταλικῆς. 5 Matth. 27. Marc. 15. 16. Joan. 18. 3. 12.
6 Fromond. Cornel. alii. 7 Act. 3. 1.
8 Verſ. 30. Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην νηστεύων.

Angelus, & SS. Auguſtinus, & Proſper inter bona A
Cornelii opera jejunia recenſent.

Celebris hic quæſtio inſtituitur, utrum ante Angeli viſionem, & S. Petri adventum, Cornelius jam eſſet juſtificatus, an Angelus illi apparuerit, ut per baptiſma, quo ille a S. Petro abluendus erat, juſtificationem procuraret. Tres ſunt hac in re ſententiæ. Prior cenſet, illum juſtificantem gratiam ante Angeli apparitionem recepiſſe; altera vero hac illum donatum, cum Spiritus Sanctus ſuper eum, & ſocios ejus dilapſus eſt. Tertia denique illum non omnino juſtificatum fuiſſe, niſi poſt acceptum baptiſma. Harum prima nobis certior videtur.

Certum eſt, Cornelium ante Angeli apparitionem ſupernaturalem habuiſſe fidem in unum Deum, quem precabatur, & omnia bona opera, quæ iſthic memo- B
rantur, agere aſſueverat [1]: nam citra fidem nullum ea his efficere potuiſſet, ita ut Deo jucunda eſſet [2]: *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Habebat etiam, ex S. Thomæ ſententia [3], fidem ſaltem implicitam in ſupremum Liberatorem, & Meſſiam, atque implicito ſaltem flagrabat deſiderio Baptiſmum accipiendi. Hæc omnia continebantur in certa deliberatione, quam inierat, credendi, quidquid ſibi revelatum fuiſſet, & adimplendi quidquid Dei nomine ſibi fuiſſet imperatum. At hæc fides, hæc certa ſententia, cui bona opera, quæ Cornelius operabatur, accedunt, ſufficiunt, ut illi juſtificationis gratiam promererentur.

S. Auguſtinus non ſemel [4] docet, Cornelium eleemoſynis, bonis operibus, ac fide quodammodo fuiſſe mundatum, nihilque reliquum ei fuiſſe, niſi ut Eccleſiæ per C
Baptiſma adhæreret. Sed alibi ait [5], licet preces illius exauditæ fuerint, atque Deo acceptæ fuerint illius eleemoſynæ, & ipſe Spiritum Sanctum acceperit, hæc tamen illi minime ad ſalutem profutura fuiſſe, ſi baptiſmi Sacramentum recipere contempſiſſet: *ſi etiam Spiritu Sancto jam accepto baptizari noluiſſet, contempti tanti Sacramenti reus fieret*. Magna fides illius erat, magna gratia: at nondum ſatis erant, ut huic, æternam beatitudinem mererentur, niſi Eccleſiæ per Baptiſmum adhæſiſſet. Denique alibi etiam hæc ait [6]: *ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſalvus, non ad eum ædificandum mitteretur Architectus Apoſtolus Petrus*.

Ita licet Cornelius jam juſtus eſſet in oculis Dei, ad juſtitiæ ipſius conſummationem opus erat, ut explicita fide crederet in JESUM CHRISTUM, atque baptiſmum D
reciperet, ut Eccleſiæ incorporaretur. Si autem JESUM CHRISTUM, & Evangelii veritates agnoſcens, in illum non credidiſſet, neque Baptiſmum recepiſſet, ſua fides in Deum, atque præcedentia bona opera, ne minimum quidem illi profuiſſent. At ſi mortuus fuiſſet antequam videret S. Petrum, & antequam de JESU CHRISTO ſermonem haberi audiret, quis dicere auderet, cum fide, bonis operibus, & pietate ſua illum fuiſſe periturum? Sententiam, quam propoſuimus, plerique Patres, atque Interpretes tenent [7].

℣. 4. ASCENDERUNT IN MEMORIAM IN CONSPECTU DEI [8].] Preces tuæ, atque eleemoſynæ aſcenderunt uſque ad conſpectum Dei, & ille recordatus eſt. Hæc loquendi ratio in Veteris Teſtamenti libris, vulgo Thymiama, thus, & victimarum, quæ ſuper ara Domini cremabantur, odorem deſignat. Hoc fiebat *in memoriam*, ut Dominus reminiſceretur precantis, atque victimam, vel oblationem ſuam offerentis [9]. In Apocalypſi 5. 8. & 8. 3. Angelus Sanctorum orationem, tamquam thuris odorem, offert: ita eleemoſynæ, atque bona Cornelii opera ad Deum uſque aſcendebant.

℣. 5. MITTE VIROS IN JOPPEM.] Hoc innuit, ſummam orationis Cornelii eam fuiſſe, ut ſibi Deus diſtinctius ſignificaret, quid ex ipſo peteret [10]. Exaudita fuit ejus oratio. Prima illius fides, quæ & ipſa donum Dei eſt, aucta fuit, & perfecta ex fide in JESUM CHRISTUM, quem S. Petrus illi annunciavit. Et bona ipſius opera præcedentia illi promeruerunt gratiam Baptiſmi, atque perfectam juſtitiam, quam JESUM CHRISTUM induens accepit.

℣. 6. CUJUS EST DOMUS JUXTA MARE.] Et extra civitatem. Hic enim Coriarius erat [11], *hic dicet tibi, quid te oporteat facere* [12]. Angelus mittit Cornelium ad S. Petrum. JESUS CHRISTUS Saulum mittit ad Ananiam, Act. 9. 11. Angelus adducit Philippum ad Eunuchum Æthiopem Act. 8. 26. Vult Deus, ut hominibus voluntates ſuas per homines innoteſcant, ne nimis miracula multiplicentur, atque ut homines ſimul charitatis, atque obedientiæ vinculis vinciantur. Denique, quod quæ ab hominibus percipimus, minus illuſioni obnoxia eſſe videantur, quam quæ accipimus ab Angelis. Poteſt quidem diabolus in Angeli lucis formam ſe ſe convertere, at non poteſt impius adeo facile latere, atque alienam perſonam induere.

℣. 7. MILITEM METUENTEM DOMINUM EX HIS, QUI ILLI PAREBANT.] Vel potius cum Græco textu [13], *ex his, qui ibi famulabantur*, qui ſemper cum eo erant, eumque ſequebantur. Centuriones ſemper quoſdam e militibus ſuis ſecum habebant, quorum famulitio utebantur. Cornelius, qui vir erat bonus, eum tamquam ſibi ſimilem elegerat.

℣. 8. POSTERA DIE ILLIS APPROPINQUANTIBUS CIVITATI.] Sub ſextam diei horam, hoc eſt ſub meridiem. A Joppe Cæſaream uſque duodecim circiter, vel quindecim interſunt leucæ. Nuntii illi Cæſarea diſcedere non potuerunt, niſi ſub decimam diei horam, duabus circiter horis ante Solis occaſum. Itaque, ut poſtridie Joppem aſſequantur ſub meridiem, oportet, illos noctis partem in itinere impendiſſe.

℣. 9. ASCENDIT PETRUS IN SUPERIORA.] In ſolarium domus [14], quod erat in ſuperiori parte ejuſdem, & quod juxta regionis illius conſuetudinem erat pro tecto [15]. Hic aptiſſimus erat locus, ubi in ſilentio, & pace orationi vacaretur. Judith [16], & Sara filia Raguelis [17], & Daniel [18] in ſuperiora cœnacula ſecedebant, Deo preces ſuas oblaturi.

℣. 10. VOLUIT GUSTARE.] Hæc vox ſæpius pro *manducare* uſurpatur, ſed hoc in loco prandium deſignare videtur, quod apud Veteres frugaliſſimum erat; ſemel enim proprie manducabant, idque veſpere. Prandium non aliud proprie erat, quam refectiuncula. Plato

1 Concil. Arauſican. Can. ult. Auguſt. de prædeſtin. SS. cap. 7.
2 Hebr. 11. 6. 3 D. Thom. 2. 2. qu. 10. art. 3. ad 3. & 3. parte qu. 66. art. 4. ad 2.
4 Auguſt. ſerm. 149. nov. edit. num. 7. olim ſerm. 24. de diverſ. *Hujus eleemoſynæ acceptæ mundaverunt eum ad quemdam modum, reſtabat, ut tamquam cibus mundus incorporaretur Eccleſiæ*. Idem lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 8. 5 Auguſt. lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 21. Vide & lib. 1. quæſt. 2. ad Simplician. *In quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum Regnum Cœlorum; ſicut in Catechumenis, ſicut in ipſo Cornelio, antequam ſacramentorum participatione incorporaretur Eccleſiæ*.
6 Auguſt. de Prædeſtin. cap. 1. 7 Gregor. Magn. homil. 9. et 19. in Ezech. Beda, hic. Magiſter in 3. Diſt. 25. Albert. Bonav. Thom. ibidem. Vide Dionyſ. Cornel. & Fromond. hic ad verſ. 2.
8 Ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.
9 Levit. 2. 2. 9. 16. [illegible] Et 6. 15. [illegible]
10 Gregor. homil. 9. in Ezech. Fromond. hic. 11 Vide cap. 9. verſ. 43.
12 Hæc verba deſunt in pluribus MSS. Græcis. Vide Millium. Sumpta videntur ex Act. 11. 32. et 22. 10.
13 Τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ. Genev. & Vat. *Qui apparebant ei*. Grotius credit
14 Ἐπὶ τὸ δῶμα. 15 Hieronym. Epiſt. 135. ad Suniam, et Fretell. *In Palæſtina, & Ægypto, ubi ſcripti ſunt divini Libri, vel interpretati ſunt, non habent in tectis culmina, ſed domata, quæ Romæ vel ſolaria, vel Meniana vocant*. 16 Judith. 8. 5.
17 Tob. 3. 10. 18 Dan. 6. 10.

Plato cum in Italiam appuliſſet, mirabatur, videns duplicem ſingulis diebus cibi comeſtionem [1]. Magnus Alexander ajebat, leve prandium, optimum eſſe cœnæ condimentum. In Evangelio JESUS CHRISTUS ut plurimum ſemel in die comediſſe legitur, idque veſpere. Nemo niſi ad veſpertinam cœnam invitatur. Verum quidam aſt in Scripturis, quædam meridiana prandia inveniri, eaque opipara inſtructa, velut illud, quo Joſephus fratres ſuos excepit, cum ſe ſe illis aperuit in Ægypto [2]; ſed ne in caſibus nullam reor cœnam fuiſſe. Plinius ait, Patruum ſuum interdiu aliquid comediſſe, ſed parum, veterum more, veſpere autem laute cœnaſſe. Martialis nonam horam, tertiam videlicet pomeridianam, tamquam verum cœnæ tempus deſignat:

Imperat extructos frangere nona thoros.

Servius in Æneid. 4. perſpicuis verbis ait, veteres ignoraſſe prandia, tamquam juſtam comeſtionem. Caſſiodorus [3], S. Iſidorus Origin. l. 2. c. 20. & plerique recentiores [4], hoc ipſum teſtantur. Veteres Orientis cœnobitæ ſemel tantum in die comedebant, atque illud erat diſcrimen inter jejunii dies, & reliquos, quod cum jejunabant, tribus horis poſt meridiem, vel etiam ſerius, aliis vero diebus meridie comedebant. S. Benedictus [5] permittit, ut bis quotidie manducetur, dum non jejunatur; ſed illis etiam diebus vera comeſtio erat in meridie; veſpere enim permittit edentem dumtaxat unius libræ panis, quod ex prandio abſcinditur, atque in cœnam cum aliquot leguminibus reſervatur. Vini menſura eadem ratione, ac panis dividebatur. Jejunii vero diebus unicam tantum patitur fieri comeſtionem, quæ communibus in jejuniis, vel in iis, quæ in Regula præſcribuntur, ſub tertiam horam poſt meridiem, quadrageſima vero ſub veſperam ſumitur. At ut ad S. Petrum revertamur, aliquid meridie guſtare cupiebat, ſed non eam comeſtionem ſumere, quam prandium vocamus.

CECIDIT SUPER EUM MENTIS EXCESSUS.] Græcus [6] ἔκστασις. Extra ſe rapi ſenſit, & ſine aliquo ſenſuum uſu ſpiritu raptus fuit. Vigilabat Petrus, apertoſque habebat oculos; ſed ea, quæ circum ipſum aderant, illum minime afficiebant. Ita Prophetæ ſæpius extra ſe rapiebantur, & S. Paulus ad tertium uſque Cœlum raptus fuit [7], ubi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

℣. 11. DESCENDENS VAS QUODDAM.] Vidit ingentem veluti mappam de Cœlo in terram coram ſe, quatuor ex angulis demiſſam. Hæc mappa omni immundorum animantium, juxta Hebræorum ideam [8], erat repleta; hoc eſt iis animantibus, quibus per legem uti minime fas eſt; quadrupedibus non ruminantibus, piſcibus, qui non ſunt e genere teſtaceorum, avibus carnivoris, aliiſque nonnullis, quæ in Levitico c. 11. memorantur.

℣. 12. SERPENTIA TERRÆ.] Reptilia, quorum nomine Hebræi piſces [9], aliaque animalia, quæ neque quadrupedes ſunt, neque aves, complectebantur.

℣. 13. OCCIDE, & MANDUCA.] Ex his animantibus, ſine diſcrimine; munda ſint, vel immunda. Immunda animalia, Gentiles deſignabant, corruptos populos, quibuſcum Hebræi nullam conſuetudinem, vel in iis, quæ ad religionem, vel quæ ad civilem vitam pertinent, qualia ſunt commorari, bibere, comedere, ultro, citroque merces diſtrahere, inire volebant. Illi, Maimonide teſte [10], ne permittebant quidem, ut regionem ſuam pertranſirent; ſed quemadmodum jam dictum eſt ſupra ℣. 1. hæc illi minime obſervabant extra Palæſtinam, ubi ſe tamquam exules reputabant; immo & in Palæſtina eadem imperfecte ſolum obſervare poterant, quod ditionis ſuæ non erat, & Romani ſupremam ibi auctoritatem exercebant. Attamen pro virili ab Ethnicorum conſuetudine abhorrebant, cum illis minime converſabantur, eorum epulis non utebantur, & religioſius tuebantur quidquid de mundorum, immundorumque animalium diſcrimine Moyſes præceperat. Jubet ergo Deus, Petrum promiſcue illa animantia occidere, & manducare, ut ſignificet, impoſterum nullo in diſcrimine habendos eſſe Judæos, & Ethnicos; & his etiam Evangelium eſſe annunciandum, eoſque etiam ad Dei fidem revocandos. S. Barnabas in Epiſt. 1. S. Clemens Alexandrinus l. 2. & 5. Strom. Origenes contra Celſum, Rabbini ipſi fatentur, Ethnicos in lege Moyſi per immunda animalia indigitari.

℣. 14. NUMQUAM MANDUCAVI OMNE COMMUNE [11].] Hebræi *commune* [12] vocabant, quod erat in communi nationum uſu, ſed quod Judæis erat interdictum. Lepus, & ſus communes erant epulæ, atque Romanis uſitatæ: hæ autem ab Hebræis immundæ habebantur.

℣. 15. QUOD DEUS PURIFICAVIT.] ne immundum dixeris; Græce [13], ne *pollueris*. Hebræi ſæpius ea fieri dicunt, quæ ſimpliciter declarantur: ita ſanctificare, purificare, ſontem efficere, juſtificare, immundum reddere, ſignificant declarare ſanctum, purum, ſontem, innocentem, immundum. JESUS CHRISTUS morte ſua medium murum everterat, quo Judæi ab Ethnicis ſejungebantur [14]: omnes oves in ovile ſuum redegerat, ut unus tantum eſſet grex ſub uno paſtore [15]. Omnes homines generatim per ſanguinem ſuum Patri [16] conciliaverat, atque ita omnes mundi facti ſunt. Saltem ut omnibus jus erat ad meritum Sanguinis Filii Dei, ita & jus erat ad Evangelicas veritates, & Sacramenta, per quæ meritorum Salvatoris participes fieri poſſumus.

℣. 16. PER TER.] Cum Deus innuere vult ſomnium aliquod a ſe immiſſum eſſe, atque illud aliquid ſignificare, ut plurimum non ſemel ipſum exhibet. Daniel [17] pluries ſub variis ſpeciebus vidit quatuor imperiorum exitum. Pharao primum ſub ſeptem ſpicarum imagine, mox vero ſub ſeptem boum forma ea vidit, quæ Ægypto erant eventura; eique Regi edixit Joſephus, alteram hanc viſionem prioris eſſe ejus fuiſſe confirmationem [18]: *quod autem vidiſti ſecundo ad eamdem rem pertinens, ſomnium firmitatis indicium eſt*. Vidit Nabuchodonoſor ingentem ſtatuam, & proceram arborem, utramque imperii ſui fatum ſignificantem [19]. Ita Deus iſthic S. Petro ter oſtendit linteum de Cœlo coram illo demiſſum, ut hæc viſio menti illius penitus inhæreret, neque ab eodem tamquam ſimplex [20] imaginatio haberetur. Illius vero myſterium Deus non a veſtigio revelavit, ſed Petrus hoc facile intelligere potuit ex eventu, qui mox in Cornelii Centurionis perſona ſe ſe illi obtulit.

DIXIT

1 Tull. quæſt. Tuſcul. lib. 5.
2 Gen. 43. 16. 25.
3 Caſſiodor. in Pſalm. 14. *Antiquis mos erat ſemel cibum ſumere.*
4 Vide Guid. Panciroll. Rerum mirabil. parte 1. tit. 51.
5 S. Bened. Reg. cap. 39. 40. 41.
6 Ἐγένετο ἐπ᾽ αὐτὸν ἔκστασις.
7 2. Cor. 12. 2.
8 Vide ejus verſ. 14. Juſtin. quæſt. 89. ad Orthodox. Sanct. Fromund. alii.
9 Vide Geneſ. 1. 20. Pſalm. 103. 25. Levit. 11. 10. כל שרץ המים Græcus hujus verſ. legit tantum τὰ ἑρπετὰ *reptilia*, & non, *reptilia terræ*.
10 Maimon. Halac Aboda Zara cap. 10. & Hala Melakim cap. 8.
11 Κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον.
12 Marc. 7. 2. Κοιναῖς χερσί. *Communibus manibus*, id eſt *pollutis*. Rom. 14. 14. Οὐδὲν κοινὸν δι᾽ ἑαυτοῦ. *Nihil per ſe commune*. Hebr. 10. 29. Κοινὸν ἡγησάμενος ἐν ᾧ ἡγιάσθη, Matth. 15. 11. Κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. *Communicat, ſeu impurum reddit hominem*. Vide & 15. 18. 20. Marc. 7. 15. 18. 20. 23. Act. 11. 8. 9. 21. 28. Apocal. 21. 27.
13 Ὃ ὁ Θεὸς ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνου.
14 Epheſ. 2. 14.
15 Joan. 10. 16.
16 2. Cor. 5. 18. 19.
17 Dan. 7. 8. 10. 11.
18 Geneſ. 41. 1. 2. & ſeq. 32.
19 Dan. 2. & 4.
20 Cyrill. lib. 7. in Levit. Grot. Cornel.

℣. 19. DIXIT SPIRITUS EI.] Spiritus Sanctus interiori voce [1] S. Petrum admonuit, ut deſcenderet: in foribus enim erant homines, a quibus quærebatur: eique aperuit fortaſſe etiam, ab hominibus iiſdem ipſi ſuppeditatum iri occaſionem intelligendi, quid ex ipſo per viſionem nuperrime immiſſam peteret Deus. Credunt nonnulli [2], Spiritum S. Petro loquentem, Angelum eſſe, & eumdem fortaſſe, qui jam Cornelio apparuerat, qui cum illius cuſtos eſſet, præſertim adlaborabat, ut illi ſalutem acquireret.

℣. 21. ECCE EGO SUM.] S. Petrus a nullo domeſticorum ſuorum admonitus deſcendit, quærentes ſe prævertit, & ſe illum eſſe ait, qui ab illis quæritur. Hæ revelationes, quæ opportune adeo & Cornelio, & S. Petro diverſis adeo in locis contigerunt, utrumque confirmarunt in ea mente, a Deo videlicet hoc negotium curari, ac nullam eſſe illuſionem in iis, quæ ſibi fuerant detecta. Hos ſervos etiam Cornelii, & Chriſtianos ex Judaica Religione converſos confirmabat, quibus ſuſpicio fortaſſe ſuboriri potuiſſet, Petrum inter atque Cornelium conſenſum aliquem intercedere. Omnes hæ præcautiones in primis erant neceſſariæ, ne Judæi laceſſerentur, quorum erga Ethnicos invidia ad cumulum creverat. S. Petrus non hanc ſibi in populo vendicare poterat auctoritatem, ut aggredi auderet rem prorſus novam, in fœdus recipiens Ethnicum, quin ab eo vel circumciſionem, vel cæremonialium legum obſervantiam exigeret [3].

℣. 22. CORNELIUS CENTURIO VIR JUSTUS] bonus videlicet, ac metuens Deum, & qui talis ab omnibus Cæſareæ Judæis habebatur, ſimillimus alteri illi Centurioni, qui erat Capharnai, de quo ſermo eſt in Evangelio Luc. 7. 5. Vir hujuſmodi profecto non procul aberat a Regno Dei, ſed S. Petrus his omnibus indigebat teſtimoniis, ut ſe ſe illius precibus dederet. Adducunt hi nuntii, Cornelium ab Angelo in viſione didiciſſe, ſibi percipienda eſſe a S. Petro ea, quæ ad ſalutem certam faciendam ſibi eſſent curanda.

℣. 23. RECEPIT HOSPITIO]] non invito Simone Coriario, apud quem permanebat, & poſtridie cum illis diſceſſit, Cæſaream profecturus [4]. Homines illi poſt meridiem pervenerant; ſed cum ejus diei, noctiſque ſuperioris itinere fatigati eſſent, illos in reliquum diem retinuit. Craſtina vero die ſimul diſceſſerunt, & poſtridie Cæſaream pervenerunt; namque Joppem inter, & Cæſaream quindecim circiter intererant leucæ.

℣. 24. QUIDAM EX FRATRIBUS.] Hi erant Judæi ad Chriſtianam Religionem converſi, ſex numero, & permiſit Deus, ut S. Petrum ſubſequerentur, teſtes futuri miraculorum, quæ in Gentilium gratiam contigerunt, & rationis illius, qua Deus ad fidem Ethnicos vocaret [5].

℣. 25. PROCIDENS AD PEDES EJUS, ADORAVIT.] Illum fortaſſe tamquam Angelum [6], vel hominem prorſus divinum accepit; nam Angelus, qui illi apparuerat [7], eidem ſuaſerat, ut mitteret ad eum quærendum, ex quo ipſi percipienda erant ea, quæ ex ipſo Dominus exigebat. Ad pedes illius provolutus eum adorat, non latriæ cultu, qui uni Deo debetur, verum *Dulia*, qua Angelos, & Sanctos veneramur. Vetus Græco Latinus Cantabrigienſis MS. ita legit: *Petro Cæſaream accedente quidam ex Cornelii ſervis præceſſit, Domino Petri adventum nuntiaturus. Statim Cornelius conſurgens illi obvius occurrit, atque procidens ad pedes ejus, adoravit eum.*

℣. 26. HOMO SUM.] Cum S. Petrus ſenſit, a Cornelio ſe aliquid ultra hominem haberi, illum attollit, & honores ſibi delatus reſpuit. Ita Angelus Danielem, qui ad pedes ſuos procubuerat, ſuſtulit Dan. 8. 18. & alter ille Angelus S. Johanni in Apocalypſi 19. 10. ait: *vide, ne feceris: conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium JESU: Deum adora.* Et Apocal. 22. 8. 9. *vide ne feceris, conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum; & eorum, qui ſervant verba Prophetiæ libri hujus: Deum adora.* Cum Lyſtrii Paulo, atque Barnabæ honores divinos deferre vellent [8], hi in mediam turbam ſe ſe conjecerunt, atque diſcerpentes veſtimenta ſua, dixerunt: *viri quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis, homines annuntiantes vobis, ab his vanis converti ad Deum vivum.* Si conſuetudo in Eccleſia cæremonias quaſdam probavit in obſervantiæ argumentum erga Præſules, quæ adorationis aliquid retinere videntur: hæ notæ exteriores ad Deum referuntur, cujus in terris locus ab Epiſcopis occupatur. Hac mente, & nos Præſulibus honorem deferre, & illos a nobis excipere, æquum eſt: & perperam, ac temere Critici, ac cenſores quidam hos uſus damnant, in quibus nihil mali eſt.

℣. 28. ABOMINATUM SIT VIRO JUDÆO CONJUNGI.] Aliquid jam hac de re attigimus in ℣℣. 1. & 13. Docent Rabbini, Judæo minime licere ullam cum Ethnico habere conſuetudinem, illi vendere, ab illo emere, cum eo conveſci, & compotare, illi agrum, vel domum locare. Verbo, Judæi Ethnicos homines reſpiciebant, tamquam pollutos, & qui ſordes ſuas iis omnibus communicabant, qui illos attigiſſent. Eos autem ſine diſcrimine eodem habebant in numero, ac illos viros, vel mulieres ex Judæis, qui, quod aliquo naturali, habituali, vel fortuito laborarent incommodo, polluti eſſe, atque aliis ſordes ſuas communicare cenſebantur [9]. Ideo Judæi ad fidem converſi non ſine quadam animi exacerbatione ex S. Petro quærunt: *quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Act. 11. 3. inde etiam Judæi vigilia Paſchatis Prætorium ingredi noluerunt [10], ne polluerentur, & ut poſſent manducare Paſcha. Admiratur Samaritana mulier JESUM CHRISTUM, qui Judæus erat, ex ipſa, quæ Samaritana, potum expetere [11]. S. Marcus [12] aſſerit, Judæos numquam ex nundinis, vel foro domum reverti, quin ſe abluerent, atque expiarent, ut mundi fierent, ſi gentilem aliquem forte attigiſſent.

Inde tandem oriuntur Ethnicorum in Judæos criminationes [13]: dicebant quippe, hanc humani generis nationem eſſe inimicam, inſociabilem, & cum qua nulla iniri poterat conſuetudo. Joſephus l. 2. contra Appion. ut populum ſuum adverſus hæc probra tueatur, fatetur vetuiſſe Moyſem, ne Judæi alienigenas in Religionis ſuæ partem admitterent; non vero illis denegare ea, quæ & humanitas, & Religio nemini reſpuunt; uſum ignis, aquæ, & ciborum, immo viam oſtendere & mortuos contumulare. Hæc omnia minime evertunt ea, quæ dicta ſunt. Non prohibuerat hæc Moyſes; ſed hæc illis Hebraicarum ſcholarum Doctores interdicta voluerant; ſique noviſſimis temporibus, neque in Patria, neque alibi adeo diligentius hæc inſtituta ſervabant, hæc erat cauſa, quod non ſatis integrum erat illis, ut in omnibus, Doctorum ſuorum traditionem ſequerentur. Maxime ergo requirebatur miraculum, & peculiaris revelatio, ut Judæis converſis omnis hac in re ſcrupulus adimeretur, atque ad auctoritatis acceſſio fieret S. Petro, ut præter ſcandalum Gentilibus ſe ſe communicaret, & cum illis converſaretur.

MIHI OSTENDIT DEUS NEMINEM COMMUNEM,] S. Petrus Spiritus Sancti lumine intelligit, viſionem a

1 Chryſoſt. Ambroſ. lib. 2. de Spiritu S. Gregor. lib. 28. Moral. cap. 2. Grot. Cornel. alii.
2 Dionyſ. Gloſſa ord. Sanct. Fromond. 3 Vide Chryſoſt. in Acta, homil. 22. 4 Act. 11. 12.
5 Sanct. Fromond. alii. 6 Grot. From. Lyr. Men. Cornel. Le Clerc. 7 Act. 10. 30.
8 Act. 14. 2. 3. 9 Maimon. Halac Iſſuribia, c. 4. Miſna tit. Nidda, c. 4. *Sapientes decreverunt omnimodos Gentiles, tam maſculos, quam fœminas, pro iis qui perpetuo ſanguinis profluvio laborant habendos, quoties de munditia, & immunditia quæſtio ſit.* Vide Selden. de jure nat. & gent. l. 2. c. 5.
10 Joan. 18. 28. 11 Joan. 4. 9. 12 Marc. 7. 3.
13 Juſtin. l. 36. Tacit. l. 5. Molon. apud Joſeph. contra Appion. l. 2.

quam habuerat, lintei, omnium immundorum animantium genere pleni, innuere, quoad exteriorem mundi- A
tiem, nullum ulterius habendum eſſe, Judæum inter atque Ethnicum, diſcrimen illud, quod ex mere nationis, atque cæremoniarum diverſitate proficiſceretur. Utitur auctoritate ſua, Regni Cœlorum portam aperiens; & in Eccleſiam Ethnicos ſimul cum Judæis introducens. Ita & verbo, & exemplo declarat, neminem hominem a Deo haberi tamquam impurum, & pollutum, quoad Evangelii prædicationem, Baptiſmum, & Chriſtianæ Religionis profeſſionem ſuſcipiendam, atque ingrediendam.

℣. 30. A NUDIUS QUARTA DIE,] Græcus [1] legit, *quatuor jam effluxerunt dies ad hanc uſque horam, quo tempore eram jejunans, & orans in domo mea hora nona*. Adnotandum eſt, hoc verbum *jejunandi*, non legi B
in quibuſdam Græcis MSS. neque in Vulgata Verſione, neque Æthiopica, verum adeſſe in editis, & pleriſque MSS. Legitur etiam in textu S. Chryſoſtomi hom. 23. in Acta; ſed ille de jejunio in Commentariis non loquitur. SS. Epiphanius hæreſ. 28. c. 3. Auguſtinus in Pſal. 96. 1. par. & Proſper Ep. ad Rufin. inter bona Cornelii opera, & jejunium recenſent. S. Petrus Cæſaream pervenit ſub eamdem ferme horam, qua Cornelio nudius quartus Angelus apparuerat; hoc eſt, illuc acceſſit hora tertia pomeridiana.

IN VESTE CANDIDA.] Ita Angeli vulgo apparebant [2]. Candor hic erat potius nitor quidam, qualis eſt nivis, aut lucis, quam albedo realis indumentorum.

℣. 33. IN CONSPECTU TUO ADSUMUS.] Hoc lo- C
quendi ratio ſignificat: ſumus in manu tua, a te pendemus, præcipe nobis quodcumque volueris [3]. Græcus legit *in conſpectu Dei adſumus*. Præſto ſumus, ut quidquid Dei nomine præceperis, exequamur. At Vulgatæ lectio invenitur etiam in Syriaca, Æthiopica Veteri MS. Cantabrigienſi, & illa Marchionis de Velez. At re intus perſpecta, ſenſus non variat.

℣. 34. NON EST PERSONARUM ACCEPTOR DEUS.] Experientia didici, quod jam theoretice noveram, Deum nullam perſonarum acceptionem admittere, atque gratias ſuas diſtribuentem, minime vel Judæos Gentilibus, vel Gentiles Judæis præferre. Fidei atque Regni Cæleſtis januam aperit cuicumque, qui a Patre prædeſtinatus fuerit, ut illuc ingrediatur. Præparat dona gratiæ ſuæ, veritatis, fidei, atque ſalutis omni- D
bus hominibus. *In omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi*.

Deus non eſt injuſtus perſonarum acceptor, neque in prima, neque in ſecundæ gratiæ diſtributione. Prima gratia nemini debetur, cum omnes homines æque debitores ſint juſtitiæ Dei, & omnes æque in Adam peccaverint, *in quo omnes peccaverunt*; ita Deus eorum habita ratione contra diſtributivam juſtitiam peccare non poteſt, neque perſonarum acceptionem admittere [4], quoniam nulla proprie dari poteſt perſonarum acceptio, ubi nulla eſt injuſtitia, ex S. Auguſtini ſententia [5], & nulla eſt injuſtitia, cum ex duobus debitoribus, qui æque ſolvendo non ſunt, alteri quidem æs conflatum dimittitur; alter cogitur ad diſſolven- E
dum. Neque ulla eſt perſonarum acceptio in ſecundæ gratiæ diſtributione, quæ nemini debetur, neque in diſtributione gloriæ, quoniam Deus illam non perſonæ, ſed bonis operibus, atque ſervorum ſuorum fidei elargitur. Non reſpicit, utrum antea Judæi fuerint, an Gentiles, divites, an pauperes; ſed reſpicit eorum dumtaxat meritum, & bonum, quo illos replevit.

℣. 35. SED IN OMNI GENTE.] Hoc minime ſignificat, hominem ex propriis viribus, & ſine gratiæ ſubſidio poſſe Deo ſe acceptum præbere, filiali timore, atque bonorum operum [6] conſuetudine: ſed Deus Judæum ab Ethnico non diſtinguit, cum illos gratia ſua prævertere, eoſque amore ſuo dignos efficere dignatur iis optimis diſpoſitionibus, quas in illos inſerit. Non nativitatis vel perſonæ dignitas amorem Dei promeretur. Judæus, quatenus Judæus, nihil amplius eſt apud illum, quam Ethnicus; neque prior ille majus ad gratiam jus habet, quam hic poſterior. Deus, cum in Regno ſuo ſedes diſtribuit, quemadmodum ipſe profitetur, pietatis dumtaxat, fidei, & charitatis ſingulorum habet rationem. Videri poteſt in ℣. 3. quæſtio, utrum ante Baptiſmum, vel poſt eumdem Cor- B
nelius fuerit juſtificatus. *Timere Deum* hoc in loco omnem Dei cultum ſignificat, *& operari juſtitiam* pro miſericordiæ operibus uſurpatur. Hoc idem eſt Cornelii elogium, quod ſuperius vidimus ℣. 2. Licet Ethnicus, erat tamen religioſus, *ac timens Deum, & faciens eleemoſynas multas*; juſtitia ſæpe pro eleemoſyna ponitur [7].

℣. 36. VERBUM MISIT DEUS.] S. Petrus incipit annuntiare JESUM CHRISTUM Cornelio, & primum illum prædicat, quatenus Deum: *hic eſt omnium Dominus*, licet cum apud Judæos loqueretur, illum quatenus Meſſiam, & Liberatorem Iſrael dumtaxat annun-
ciaverit. Credidit plane, Cornelii fidem, vel majorem eſſe, vel magis illuſtratam; vel denique Ethnico huic majorem, quam Judæis hoc in articulo futuram docilitatem. Ait autem, JESUM CHRISTUM Dei nomine ho- C
minibus pacem annuntiaſſe; vel Deum annuntiaſſe pacem hominibus per JESUM CHRISTUM; hoc eſt Salvatorem in Mundum veniſſe, ut homines Patri reconciliaret, atque os illis pacem atque omnium benedictionum genus promereretur. Ita in Nativitate JESU CHRISTI Angeli Deo quidem gloriam, hominibus vero pacem nuntiarunt, Luc. 2. 14. & S. Paulus Epheſ. 2. 14. ait, JESUM CHRISTUM noſtram eſſe pacem, & nos per fidem juſtificatos, mediante illo, habere pacem cum Deo [8]. Denique JESUS CHRISTUS diſcipulis ſuis inquit, ſe illis pacem conferre; ſed pacem toto Cœlo diverſam ab ea, quam Mundus præbere conſuevit, Joan. 14. 27.

Quidam vertunt; *miſit Deus Verbum ſuum ad filios Iſ-*
D *rael annuntians illis pacem*. Sed plerique non recedunt a ſenſu, quem antea propoſuimus. Græci textus Syntaxis impeditior eſt, ut plures poteſt ſenſus admittere. Ex. g. [9]: *ſcis Verbum, quod miſit Dominus ad Filios Iſrael annuncians pacem*, quam per JESUM CHRISTUM, *qui Dominus eſt omnium* poſſunt obtinere ℣. 37. *ſcis inquam, quid acciderit in univerſa Judæa* &c. Aliter; *quoad verbum Dei, quod ſignificavit Dominus filiis Iſrael, illis pacem annuntians per JESUM CHRISTUM, qui eſt Dominus omnium; ſcis quid contigerit in Judæa &c.*

℣. 37. QUOD FACTUM EST VERBUM PER UNIVERSAM JUDÆAM.] *Verbum* pro re iſthic uſurpatur. Intelligi quoque poteſt de verbo, quod prædicavit JESUS CHRISTUS in univerſa Judæa, incipiens a Galilæa, poſtquam Johannis Baptiſmate ablutus fuit. Hoc nomine
E tunc ferebat. JESU CHRISTI, ejuſque miraculorum memoria ea in regione omnino recens erat. Inde S. Petrus Cornelium erudire incipit de iis, quæ acciderunt JESU, qui in tota Provincia prædicavit, & qui ubique potentiæ, & miſericordiæ ſuæ effectus effudit. Hic ille JESUS eſt, quem tibi annuntio, & qui tibi eam, quam cupis, ſalutem eſt largiturus.

INCI-

1 Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας, ἤμην νηστεύων, καὶ τὴν ἐννάτην ὥραν προσευχόμενος.
2 Vide Act. 1. 10. Joan. 20. 12.
3 Confer Geneſ. 13. 9. *Univerſa terra coram te eſt*. 20. 15. *Terra coram vobis eſt*. 24. 51. *En Rebecca coram te eſt*, &c.
4 D. Thom. 2. part. 2. qu. 63. art. 1.
5 Aug. l. 2. contra duas Epiſt. Pelag. c. 7. *Nec acceptio perſonarum dicenda eſt, quando iniquitas nulla eſt.... Nec ulla eſt acceptio perſonarum in duobus debitoribus æqualiter reis, ſi alteri dimittitur, alter exigitur, quod pariter ab utroque debetur*. Vide, ſi placet, Fromond. hic.
6 Vide Bartholom. Petri, & Fromond. hic.
7 Pſal. 111. 6. Vide & 70. in Deut. 6. 25. 1. Reg. 12. 7. Pſal. 23. 6. 35. 2. 10. 16. Prov. 10. 2. 11. 4. &c.
8 Rom. 5. 1. *Juſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*.
9 Τὸν λόγον ὃν ἀπέστειλε τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, εὐαγγελιζόμενος εἰρήνην διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ· οὗτός ἐστι πάντων Κύριος. 37. Ὑμεῖς οἴδατε τὸ γενόμενον ῥῆμα, &c.

INCIPIENS A GALILÆA.] JESUS CHRISTUS cum A receptiſſet S. Johannis bapteſma, ſtatim in deſertum ſeceſſit, ubi dies quadraginta permanſit. Inde rediit ad Johannem Baptiſtam, tunc Bethaniæ, vel Bethabaræ baptizantem, ubi aliquot collegit diſcipulos, Andream, Bartholomæum, Petrum, & Philippum. Deinde interfuit nuptiis Canæ in Galilæa, ubi primum miraculum operatus eſt; mox vero abiit Capharnaum, eadem in regione ſecus mare Galilææ ſitam, ubi alia plurima prodigia patravit. Ita cœpit JESUS CHRISTUS prædicare, atque ſe ſe manifeſtare.

℣. 38. QUOMODO UNXIT EUM DEUS.] JESUS CHRISTUS ſecundum humanitatem ſuam unctus fuit virtute Spiritus Sancti, atque gratiarum illius plenitudine, cum in anima ſua recepiſſet non omnes ſolum interiores gratias, quæ illum poterant perfectum, atque B Deo acceptum reddere; verum etiam omnia exteriora dona, quæ illum inter homines extollere poſſent; atque maxime cum Verbi divinitas hypoſtatice naturæ humanæ ſeſe conjunxiſſet, hanc evexit ad eam dignitatem, quæ toto cœlo hominum conditionem excederet; ita ut JESUS vere Deus eſſet, Dei Filius, Meſſias, Salvator, atque humani generis redemptor: Spiritus Sancti unctio, de qua hic S. Petrus verba facit, indigitat præcipue dignitatem Meſſiæ, vel Regis cœli, ac terræ, quam Filio Pater communicavit. Vide Iſaiam 61. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me*: & Luc. c. 4. ℣. 18. ubi JESUS CHRISTUS ad ſeipſum transfert hæc Iſaiæ verba. Mortales omnes tunc Meſſiam præſtolabantur. Cornelius, cum veram noſſet Religionem, ignorare non poterat, hunc eſſe unicum ſa- C lutis auctorem, & unicam ſpem Iſraël. S. Petrus illi dicit, JESUM CHRISTUM eſſe Unctum Domini, idque probat per ea miracula, quæ paſſim in omni Judæa eſt operatus: *pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos a Diabolo, quoniam Deus erat cum illo*. Hæc res publica erat, neque illam Cornelius poterat ignorare.

℣. 40. DEUS SUSCITAVIT EUM A MORTUIS.] S. Petrus mirum in modum ſe ſe accommodat ad eorum captum, apud quos loquitur. Cum agit apud Judæos, Jeſum Chriſtum Meſſiam eſſe probat, & Scripturarum teſtimonio, & Prophetiarum complemento. Hic vero, cum apud Ethnicum verba faciat, illi Salvatoris miracula, ejuſque Reſurrectionem proponit. Hoc ſatis eſt, ut probetur Jeſus Chriſtus e Deo miſſus, ad humanum genus ſalvum faciendum, atque ut oſtendatur ex illo D veritas, atque ſalutis vis eſſe petenda. Angelus, qui Cornelio apparuerat, & qui eidem teſtatus fuerat futurum, ut Petrus eum doceret, quidquid ipſi faciendum eſſet, novum S. Petri verbis pondus addebat; ita ut S. Apoſtolus non graviori labore indigeret, ut ſuſus Jeſu Chriſti miſſionem probaret. Statim eſſentialia ſcripſit facta. Deus unxit Jeſum Chriſtum Spiritus ſui plenitudine; plurima operatus eſt miracula, illum reſuſcitavit ex mortuis; hæc manifeſta ſunt, & nos horum rerum teſtimonium perhibere poſſumus, quippe ea vidimus, atque certiſſime ſcimus.

℣. 41. NON OMNI POPULO, SED TESTIBUS PRÆORDINATIS A DEO.] Miracula, quæ Jeſus Chriſtus peregit, facta ſunt univerſo populo inſpectante; at illius Reſurrectio cognita fuit aliquibus dumtaxat te- E ſtibus, qui ſeris eſſent, ac confirmarent eorum fidem, quorum anima recta eſt, & docile ingenium. Licet illius Reſurrectio æque manifeſta, atque publica fuiſſet, ac ipſius Paſſio, & miracula; hoccine obfuiſſet, ne Phariſæi dicerent, hanc magiæ effectum eſſe, quemadmodum de illius miraculis dixerant? Hæretici vero nonne pariter commenti fuiſſent, Reſurrectionem hanc ſimulatam, atque phantaſticam fuiſſe, quemadmodum non defuere, qui hoc de ejuſdem morte, atque paſſione aſſerere non dubitaverint? Omnis religio reſpective ſuam habet perſpicuitatem, & ſuam caliginem. Fideles animæ, & quæ ſe ſe in obſequium fidei ſubjiciunt, ibi facile inveniunt ea, quibus perſuadeantur argumenta: impii vero tantam caliginem ibi inveniunt, ut pereant, atque in infidelitate, ac pertinacia ſua [1] miſere perſeverent.

QUI MANDUCAVIMUS, ET BIBIMUS CUM ILLO.] Hoc argumentum eſt, illum vere reſurrexiſſe, neque ſimplex phantaſma a nobis viſum fuiſſe; quod ſimul cum illo bibimus, & manducavimus. Hoc unum argumentum ſine dubitatione minime caret; Angeli enim, qui apparuerunt Abrahæ, & qui comes acceſſit Tobiæ juniori, biberunt, & comederunt, vel ſaltem bibere, & comedere viſi ſunt. Jeſus Chriſtus, quia reſurgeret, hoc ipſum facere potuiſſet; & reſuſcitatum Corpus illius non potu, non eſca indigebat. Nihil ergo inde vel ad probandam, vel ad refellendam Reſurrectionem illius poteſt inferri ex eo, quod cum diſcipulis ſuis bibit, & manducavit. Attamen Jeſus Chriſtus apud S. Lucam c. 4. 41. cibum petit, & vere coram Apoſtolis veſcitur, ad ſuam illis Reſurrectionem probandam. Dicendum igitur eſt, manducare, & bibere pro tota vivendi ratione hoc in loco uſurpari. Poſt Reſurrectionem ejus illum vidimus, cum illo ſumus locuti, ille nobis reſpondit interrogantibus, nos ipſo interrogavit; illum nos attigimus, ille nobis inſpectantibus bibit, & comedit; denique nobis ea omnia tribuit indicia, ex quibus cognoſcere poſſemus, ipſum reipſa reſurrexiſſe; ita ut ſi factum hoc certum non eſt, nihil certum in terris eſſe poſſit; & dicendus ſit Jeſus Chriſtus oblectatus fuiſſe nobis os ſublinire, atque ſenſibus noſtris illudere, quod citra blaſphemiam, ne cogitare quidem mens poteſt.

℣. 42. IPSE EST, QUI CONSTITUTUS EST.] Hæc Filii Dei auctoritas ſæpius in Scripturis [2] memoratur, ipſe etiam Jeſus Chriſtus ſæpe nos admonuit, ſe omnes [3], cum bonos, tum malos, cum *vivos*, tum *mortuos*, hoc eſt, electos, & reprobos [4], vel potius *vivos*, qui adhuc vivent, cum ſecundo Salvator adveniet, & mortuos, qui ab ipſis mundi primordiis uſque vixerint, judicaturum. Hanc autem poteſtatem habet tamquam Filius Hominis, hoc eſt propter humanitatem ſuam, hypoſtatice divinitati conjunctam. Denique cum dicitur judicaturus *vivos*, hoc non ſignificat eos homines, qui tunc vivent, viventes adhuc ad Tribunal illius prodituros, ſed eos omnes, qui ſub Mundi finem adhuc vivent, morituros, ut ſtatim ad judicium prodeant coram Filio Dei [5].

℣. 43. HUIC OMNES PROPHETÆ TESTIMONIUM PERHIBENT.] Quod quicumque in illum credit fide viva, quam charitas animet, & quæ in bonis operibus exerceatur, recipiet *per nomen ejus* peccatorum ſuorum remiſſionem; hoc eſt per merita, per fidem in nomen illius, per illum ipſum; profitendo doctrinam ejus, & juxta præcepta illius, vitæ ſuæ rationem inſtituendo. Omnes Veteris Teſtamenti Prophetæ Jeſum Chriſtum cognoverunt, & prædixerunt, nos per illum peccatorum noſtrorum veniam recepturos: hoc alii apertius, alii obſcurius, alii verbis, alii factis, vel ſymbolis, atque figuris: Vide ſupra Act. 3. 18. *Deus, quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Chriſtum*, & Luc. c. 4. 27. &c.

℣. 44. CECIDIT SPIRITUS SANCTUS.] In eos omnes, qui S. Petrum audiebant, in domeſticos, & amicos Cornelii, qui domum illius convenerant, S. Petrum audituri. Spiritus ſanctus ſuper illos ſenſibili ratione deſcendit fortaſſe ſub flammarum ſpecie eodem pacto, quo Pentecoſtes die ſuper Apoſtolos deſcenderat. Omnes hi, qui aderant, variis linguis [6] loqui cœperunt, Deum glorificantes: quod mirum in modum ſtupore affecit Judæos converſos, qui cum S. Petro de Joppe

1 Marc. 4. 12. *Ut videntes videant, & non videant; & audientes audiant, & non intelligant: ne quando convertantur, &c.* 2 Matth. 25. 31. Joann. 5. 27. 28. Act. 1. 11. 2. Timoth. 4. 1. 8. 1. Petri 4. 5. &c.
3 Joan. 5. 27. *Filio dedit poteſtatem judicium facere, quia Filius hominis eſt.*
4 Chryſoſtom. homil. 2. de Symbolo, Auguſtin. Enchirid. cap. 55. 5 Vide Cornel. & Fromond. hic;
6 Mox verſ. 46.

Joppe Cæſaream venerant. Spiritus ſanctus, qui abſolutus eſt gratiarum ſuarum Dominus, ea in occaſione per ſe ipſum communicare ſe voluit, antequam fieret per Apoſtolos [1] manuum impoſitio. Judæi ad fidem converſi adeo cunctabant Gentilibus Evangelii gratiam communicare, niſi iiſdem ſimul & Legis jugum imponeretur; ut ſuperari minime poſſent, niſi ſplendore tanti miraculi, quod ea in occaſione operatus eſt Deus [2]. S. Petrus ad id jam erat diſpoſitus per omnia ea, quæ Salvator de futura Gentilium vocatione portenderat, præſertim vero per eam viſionem, quam apud Simonem Coriarium habuerat; ſed multo magis in ſententia confirmatus fuit, ubi vidit Spiritum ſanctum prævertiſſe, & preces, & Baptiſmum, & manuum impoſitionem. Hæc nimis aperta erat divinæ voluntatis declaratio, neque illi poterat ullo pacto reluctari.

Quia et in nationes.] Minime obſtupuiſſet, ſi Spiritus ſanctus deſcendiſſet in Gentiles, primum quidem Judæorum, mox Chriſtianorum ſacris initiatos. Inde vero illis ſtupor inceſſit, quod Gentiles, qui neque circumciſionem acceperant, neque Moyſis religionem amplexi fuerant, Spiritu ſancto replerentur, & interiori juſtificante gratia, & exterius Spiritus ſancti munerum infuſione.

℣. 47. Numquid aquam &c.] S. Petrus ſuam quodammodo ſibi vitio vertit cunctationem, & refellit Judæorum circumciſorum ſententiam, qui dubitabant adhuc, utrum homines, qui jam Spiritum ſanctum acceperant, eſſent baptizandi. Numquid expectamus, ut apertiora voluntatis ſuæ Deus nobis præbeat indicia. Quid ſumus, ut illis Baptiſmum denegemus, quibus jam Deus Spiritum ſanctum dedit, atque effectum conſummationis Baptiſmi elargitus eſt?

℣. 48. Juſſit eos baptizari [3].] Statuit baptizandos eſſe, & illis, qui ſecum de Joppe venerant, præcepit, ut illos baptizarent. Fortaſſe ipſe etiam aliquem manu propria baptizavit, atque ea in re adjutus fuit a diſcipulis, qui ſecum venerant, & qui plane vel Sacerdotes erant, vel Diaconi. En Chriſtianæ Eccleſiæ initium ex Gentilibus ad fidem Jesu Christi evocatis compoſitæ.

Antequam hanc materiam relinquamus, operæ pretium reor, referre ad trutinam ea, quæ de S. Cornelio afferuntur. Uſuardus, & Latini illum Cæſareæ Epiſcopum fuiſſe dicunt, ejuſque diem feſtum quarto nonas Februarii celebrant. Græci recentiores eum Epiſcopum fuiſſe quidem dicunt; ſed vel *Ilii*, vel *Scepſis*, quæ non longe abeſt. Alii eum Martyrem putant, ejuſque officium peragunt die 13. Septembris. Illius tamen acta non ajunt, ipſum violentam pertuliſſe mortem; ſed tantum in carcerem conjectum fuiſſe, atque in pace animam efflaſſe. Conſtitutiones Apoſtolicæ l. 7. cap. 46. meminerunt cujuſdam Cornelii Cæſarienſis Epiſcopi poſt Zachæum; at non ajunt, hunc eſſe S. Cornelium a S. Petro converſum, quod etiam ſi illæ teſtatum reliquiſſent, earum auctoritas minime ſufficeret, ut hoc citra examen eſſet credendum. Silentium Euſebii Eccleſiæ ejuſdem Epiſcopi, & cujus intererat Eccleſiæ ſuæ dignitatem commendare, ea omnia apud nos in dubium vocant, quæ de Cæſarienſi Cornelii Epiſcopatu feruntur. Cornelii domus immutata fuit in Eccleſiam, quam S. Paula devotionis ergo inviſit anno Domini 385.

Quæritur, utrum S. Cornelius primus ſit ex Gentilibus, qui in Chriſtianorum caſtra tranſiverint. Putat S. Auguſtinus ſerm. 99. cap. 12. non defuiſſe Gentiles ad fidem ante Cornelium converſos, atque tempore converſionis illius in Eccleſia hanc jam viguiſſe quæſtionem, utrum Gentiles baptiſmate eſſent abluendi, quin circumciſionis ſigniculo notarentur. Patres complures, neque pauci Recentiores Interpretes [4] tenent, Reginæ Candacis Eunuchum Ethnicum fuiſſe, atque illum primum fuiſſe, qui ex Gentilibus in Chriſtianam religionem fuerit admiſſus. Credunt alii ab ipſo etiam Salvatore non unum Ethnicum fuiſſe converſum ex. g. Centurionem Capharnai, cujus puerum curavit [5], & Regis miniſtrum, de quo loquitur S. Johannes 4. 46. & Zachæus, qui Jerichunte converſus fuit. Tertullianus l. 4. cap. 37. contra Marcion. S. Johannes Chryſoſtomus hom. de Zachæo, & Beda in Luc. cum aliis quibuſdam credunt, illum Gentilem fuiſſe. Legimus in Vulgata cap. 9. 29. S. Paulum, cum Jeroſolymam veniſſet, quadriennio poſt converſionem ſuam ad Gentiles fuiſſe locutum, atque contra Græcos, vel Helleniſtas diſputaſſe. Atqui S. Pauli converſio accidit, antequam S. Petrus Cæſareæ iter ſuſciperet, atque Cornelio Baptiſmum conferret.

Sed ea ſententia, quæ aſſerit, Cornelium primitias fuiſſe eorum, qui ex Ethnica ſuperſtitione ad Chriſti fidem tranſfugerunt, longe probatior eſt, ac plures jactitat ſectatores. Origenes in Num. hom. 11. hoc explicite aſſerit, & ipſe S. Auguſtinus in Pſalmum 96. n. 13. fatetur, ante Cornelium nullum fuiſſe Gentilem, qui baptiſmate ablutus fuerit, & in Jeſum Chriſtum crediderit; ea ratio, qua hiſtoria converſionis, atque Baptiſmi illius in Actis refertur, ſatis certo probat, neminem ante illum vel Spiritum ſanctum, vel baptiſmum accepiſſe. Vetuerat Matth. 10. 5. Jeſus Chriſtus Apoſtolis, ne in *viam gentium* abirent: Qui poſt S. Stephani martyrium diſperſi fuerant, prædicaverant, *nemini loquentes verbum, niſi ſolis Judæis*, Act. 11. 19. Cum S. Petrus, & qui erant ſecum, viderunt Spiritum ſanctum ſuper Cornelium, ſocioſque illius dilapſum, obſtupuerunt, quærentes, utrum *& in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſſet*, Act. 10. 45. Denique S. Petrus Jeroſolymam reverſus audiit fratres dicentes, Act. 11. 3. *quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* hæc omnia, mea quidem ſententia, ſatis probant, Evangelii januam nonniſi poſt Cornelii converſionem apertam fuiſſe. Quoad locos ex nono Actorum capite depromptos, illi quidem in nullo Græco Exemplari leguntur.

1 Vide Auguſt. ſerm. 266. num. 7.

2 Vide Chryſoſtom. homil. 24. in Acta. Auguſt. ſerm. 66. Grot. hic.

3 Exemplaria Græca impreſſa legunt ſimpliciter: *Juſſit eos baptizari in nomine Domini*: Προσέταξέ τε αὐτοὺς βαπτισθῆναι ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου. Alii: Ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ita Vulgat. Æth. Syr. Copht. Chryſoſtom. Alexand. alii plures.

4 Euſeb. lib. 2. cap. 1. Hiſtor. Eccleſ. Nicephor. lib. 2. cap. 6. Beda in Acta. Div. Thom. in cap. 12. Joan. lect. 14. Gloſſ. ordinar. Hugo, Cajet. Salmer. Maldonat. in Act. 8. Tolet. Maldonat. in Joann. 12. Janſen. Concord. cap. 5. Sanct. in Acta Tract. 2. de prædicat. S. Jacobi in Hiſpania, cap. 5.

5 Luc. 7. 1. . . . . . 9.

C A.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Judæorum ad fidem converſorum cum S. Petro contentio, eo quod Ethnicos recepiſſet. Plurimi Antiochiæ convertuntur. Illuc Barnabas mittitur, qui ſecum ducit Saulum. Diſcipuli ibi Chriſtiani appellantur. Fames a Chriſtianis Prophetis prædicata. Eleemoſyna ad Judæi fideles miſſa.

1. AUdierunt autem Apoſtoli, & fratres, qui erant in Judæa: quoniam &
Gentes receperunt verbum Dei. 2 Cum autem aſcendiſſet Petrus Jero-
ſolymam, diſceptabant adverſus illum, qui erant ex circumciſione. 3
Dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum il-
lis? 4 Incipiens autem Petrus, exponebat illis ordinem, dicens: 5 Ego eram
in civitate Joppe orans, & vidi in exceſſu mentis viſionem, & deſcendens vas
quoddam velut linteum magnum quatuor initiis ſubmitti de cœlo, & venit uſque
ad me. 6 In quod intuens conſiderabam, & vidi quadrupedia terræ, & be-
ſtias, & reptilia, & volatilia cœli. 7 Audivi autem, & vocem dicentem mi-
hi: Surge, Petre, occide, & manduca. 8 Dixi autem: Nequaquam, Domi-
ne: quia commune, aut immundum numquam introivit in os meum. 9 Reſpon-
dit autem vox ſecundo de cœlo: Quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris.
10 Hoc autem factum eſt per ter: & recepta ſunt omnia rurſum in cœlum. 11
Et ecce viri tres confeſtim aſtiterunt in domo, in qua eram, miſſi a Cæſarea ad
me. 12 Dixit autem Spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæſitans. Venerunt
autem mecum & ſex fratres iſti, & ingreſſi ſumus in domum viri. 13 Narravit
autem nobis, quomodo vidiſſet Angelum in domo ſua, ſtantem, & dicentem ſi-
bi: Mitte in Joppen, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus. 14 Qui lo-
quetur tibi verba, in quibus ſalvus eris tu, & univerſa domus tua. 15 Cum
autem cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, ſicut & in nos in ini-
tio. 16 Recordatus ſum autem verbi Domini, ſicut dicebat: Johannes quidem
baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto: 17 Si ergo eamdem
gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jeſum Chri-
ſtum: ego quis eram, qui poſſem prohibere Deum? 18 His auditis, tacuerunt:
& glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad
vitam. 19 Et illi quidem, qui diſperſi fuerunt a tribulatione, quæ facta fuerat
ſub Stephano, perambulaverunt uſque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam,
nemini loquentes verbum, niſi ſolis Judæis. 20 Erant autem quidam ex eis viri
Cyprii, & Cyrenæi, qui cum introiſſent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos,
annuntiantes Dominum Jeſum. 21 Et erat manus Domini cum eis: multuſque nu-
merus credentium converſus eſt ad Dominum. 22 Pervenit autem ſermo ad aures
Eccleſiæ, quæ erat Jeroſolymis ſuper iſtis: & miſerunt Barnabam uſque ad Antio-
chiam. 23 Qui cum perveniſſet, & vidiſſet gratiam Dei, gaviſus eſt: & horta-
batur omnes in propoſito cordis permanere in Domino: 24 Qui erat vir bonus,
& plenus Spiritu ſancto, & fide. Et appoſita eſt multa turba Domino. 25 Pro-
fectus eſt autem Barnabas Tarſum, ut quæreret Saulum: quem cum inveniſſet, per-
duxit Antiochiam. 26 Et annum totum converſati ſunt ibi in Eccleſia: & docue-
runt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ diſcipuli, Chri-
ſtiani. 27 In his autem diebus ſupervenerunt ab Jeroſolymis prophetæ Antio-
chiam. 28 Et ſurgens unus ex eis nomine Agabus, ſignificabat per ſpiritum fa-
mem magnam futuram in univerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio. 29
Diſcipuli autem, prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere
habitantibus in Judæa fratribus. 30 Quod & fecerunt, mittentes ad ſeniores per
manus Barnabæ, & Sauli.

℣. 1. FRATRES, QUI ERANT IN JUDÆA.] Judæa iſthic opponitur Cæſareæ, quæ licet Civitas eſſet in Palæſtina, habebatur tamen tamquam urbs Græca, quod ibi Ethnici, & Græci, vel Syri, ut plurimum incolebant. Apoſtolis, & fratribus, qui Jeroſolymæ permanebant, indignum viſum eſt, quod S. Petrus cum Gentilibus rem habuiſſet, atque illis Evangelii, & Baptiſmi gratiam communicaſſet; quin primum eos cogeret, ut circumciſionem acciperent, atque legis cæremoniis ſe ſe ſubjicerent. Non ſatis liquet, quinam eſſent Apoſtoli, qui tunc Jeroſolymæ fuerunt. S. Chryſoſtomus hom. 24. in Acta, & Gregorius l. 9. ep. 39. credunt etiam, Apoſtolorum neminem participem fuiſſe obmurmurationis in S. Petrum obortæ: & S. Epiphanius hæreſ. 28. cap. 2. credit, Cerinthum, qui deinde fuit hæreſiarcha, turbarum earum auctorem. Obſervantia, quam Apoſtolorum Principi debebat, illum deterrere non potuit: & nimius, quo erga Legis cæremonias zelus flagrabat, illum eouſque corripuit, ut Petrum auderet coarguere. Potuiſſet quidem auctoritate ſua Apoſtolus illi ſilentium indicere, ac reſpondere, ovium non intereſſe Paſtori ſuo exprobrare [1]; ſed maluit factum ſuum probare, ea narrans, quæ contigerant, atque teſtes proferens ſex fratres é Joppe, qui primum quidem illum Cæſaream, mox inde Jeroſolymam fuerant ſubſecuti, Act. 11. 12.

Vetus Cantabrigienſis Græco-Latinus MS. legit; *pervenit ad aures Apoſtolorum, atque fratrum, qui erant in Judæa, gentes quoque recepiſſe verbum Dei. Nam Petrus, cum jampridem Jeroſolymam reverti ordinaretur, atque fratres ſimul collegiſſet, illos confirmavit, atque prolixam ad eos habuit orationem. Pergebat autem docens per loca, quo pertranſibat, atque omnibus annuntiabat gratiam, quam Dominus* Gentilibus contulerat. *At fratres, qui e Judaica Religione fuerant converſi, cum illa diſcrepabant dicentes, quare &c.*

℣. 3. QUARE INTROISTI &c.] Non quærunt ex eo, cur Evangelium annunciaverit, & Baptiſmum Ethnicis contulerit [2]; hoc enim Jeſu Chriſto injuſſum fuiſſet, qui adeo explicite imperaverat, ut Apoſtoli in omnes terras abirent, Evangelium prædicaturi [3]: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Hoc unum illi exprobrant, quod cum illis verſatus fuerit, atque comederit; quod a ſapientibus vetitum fuerat, quemadmodum ſuperius dictum eſt [4]. In his omnibus ſatis ſe ſe prodit Judæorum ingenium; & quam mordicus traditionibus ſuis illi adhærerent.

℣. 4. INCIPIENS AUTEM PETRUS.] Non vult dominari Petrus in fratrum ſuorum fidem [5], neque uti ea auctoritate, quam ſibi primatus conferebat. Illud adimplet, quod in priori epiſtola docet [6], paratos eſſe oportere ad rationem fidei, ac ſpei noſtræ reddendam. Primi fideles nondum intellexerant inutilitatem cæremoniarum ad ſalutem, eaſque Jeſu Chriſti lege eſſe antiquatas. Veritati huic ferendæ nondum pares erant, & Apoſtoli hac in re illis pepercerunt. Prudentia eſt, nonnumquam ad tempus veritates reticere, quarum cognitio omnino neceſſaria non eſt. Salvator ipſe non ſemper perſpicue de ſua divinitate, matriſque ſuæ Virginitate locutus eſt.

℣. 5. ERAM IN CIVITATE JOPPE.] Repetit hiſtoriam, quam ſuperiori capite vidimus, unde explicatio petenda.

℣. 11. TRES VIRI.] S. Epiphanius duos tantum legit, uti etiam MS. Cantabrigienſis ℣. 17. cap. ſuperioris.

℣. 12. SEX FRATRES.] Qui de Joppe Cæſaream, & Cæſarea Jeroſolymam me ſunt ſubſecuti. Illi teſtes ſunt prodigiorum, quibus Deus meum factum probavit.

℣. 14. IN QUIBUS SALVUS ERIS.] Poſt Jeſu Chriſti adventum non alia patet ſalutis via, niſi fides in nomen illius, atque præceptis ejuſdem obedientia [7]. Petrus explicite juſſus non fuerat, Cornelium baptizare, quin illum cogeret, ut circumciſionem acciperet: neque Cornelio dictum fuerat, illum ſine hac conditione in Chriſtianam religionem eſſe admittendum: ſed cum Petro præcipiebatur, ut quodvis animantium genus ſine ullo diſcrimine, mundum, vel immundum occideret, & manducaret, hoc implicite monebat, nullam rationem eſſe habendam vel circumciſionis, vel obſervantiæ aliarum cæremoniarum Legis; quippe ea circumciſionis defectu Gentiles immundi habebantur. Ad hæc, cum Spiritus ſanctus in Cornelium, & ſocios dilapſus eſſet, antequam illis proponeretur, ut Judaicam Religionem ſuſciperent, & ſtatim ac illis Jeſu Chriſti nomen annuntiatum fuit, hoc ſatis aperte ſignificabat fidem in Jeſum Chriſtum cum baptiſmate, & charitate bonis operibus conjuncta ad ſalutem ſufficere. Ita S. Petrus ex illis nihil exigit ultra.

℣. 16. JOHANNES QUIDEM BAPTIZAVIT AQUA.] Hoc Salvator noſter Apoſtolis prædixerat, paulo antequam in Cœlum aſcenderet [8]. S. Petrus hanc promiſſionem applicat illis, quæ Cornelio acciderant. Ut quis Judaica religione initiaretur, neceſſe erat, illum baptiſma recipere, circumcidi, atque ſolemniter polliceri, ſe Legem obſervaturum: atque tres hæ cæremoniæ erant neceſſariæ, ut *proſelytus juſtitiæ* fieret [9]. Spiritus ſanctus in Cornelium deſcendens tribus illis cæremoniis ſupplevit. Baptiſma quidem erat toto Cœlo perfectius, & efficacius, quam quod in aqua ab hominibus conferebatur. Spiritus ſanctus in animis impreſſit characterem longe nobiliorem, atque magis divinum, quam eſſe queat character circumciſionis; id vero, quod in Baptiſmate nos acturos pollicemur, longe ſuperat promiſſiones, quas proſelyti efficiunt, ubi Judaicam religionem profitentur.

℣. 17. EGO QUIS ERAM.] Ut Dei voluntati me opponerem? Licebatne mihi baptiſmum illis negare, quibus Spiritus ſanctus ſeipſum effuſe donaverat, præveniens quodammodo effectum Baptiſmatis, & manuum impoſitionis?

℣. 18. ERGO ET GENTIBUS POENITENTIAM DEDIT DEUS.] Pœnitentia pro venia peccatorum iſthic uſurpatur, cauſa pro effectu. Judæi converſi ſtupent, quod Deus Gentilibus eam concedat gratiam, quam Hebræis, & electæ nationi reſervatam arbitrabantur. Non ideo Gentiles populos prohibere cupiebant omnino, ne ſalutis participes fierent; ſed nonniſi per circumciſionem, atque obedientiam Legi Moyſis illos admitti volebant. At ea in occaſione Cornelius, ſociique ſui ex Ethnica ſuperſtitione in Chriſtianam Religionem ſine ulla ex his conditionibus tranſierant. Deus illis contulerat baptiſmum, dolorem, & remiſſionem peccatorum, quin tamen eos cogerent, ut legis jugum ſubirent. Hanc viam hactenus ignoraverant Judæi.

℣. 19. ET ILLI, QUI DISPERSI FUERANT.] Propter perſecutionem, quæ in morte S. Stephani oborta fuerat, alius in locos ſe ſe effuderunt, & ubique, ſed Judæis tantum, Jeſum Chriſtum prædicarunt. Ignorabant videlicet, Jeſum Chriſtum, Gentiles quoque ad fidem evocari velle, eiſque Evangelii januam aperiri. S. Lucas ergo innuere vult eam cauſam, propter quam Jeroſolymitani fratres in S. Petrum exarſerant, quod ad Gentiles fidei lumen attulerat. Ante illum nemo alius hoc agere fuerat auſus. *Nemini loquentes verbum niſi ſolis Judæis*; licet longius ſe ſe effudiſſent in *Phœniciam* uſque, prope Tyrum, & Sidonem,

---

1 Gregor. l. 9. Ep. 39. Chryſoſt. homil. 24. 2 Chryſoſt. Cornel. Fromond. 3 Matth. 28. 19. 4 Supra cap. 10. verſ. 1. 15. 28. 5 2. Corint. 1. 23. *Non quia dominamur fidei veſtræ.* 6 1. Petri 3. 15. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem reddere de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.* 7 Act. 4. 12. *Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* 8 Act. 1. 5. 9 Gemar. Babyl. ad tit. Jamiboth. ſ. 4. & tit. Kevitoth. c. 2. Maim. Halac Iſſuribia. Vide Selden. de jure nat. & gent. l. 2. c. 2.

donem, & in *Inſulam Cyprum* plurimis de cauſis celeberrimam, & ubi complures erant Judæi; & denique *Antiochiam* urbem tunc temporis orientis totius maximam, atque pulcherrimam.

℣. 20. CYPRII, & CYRENENSES.] Ex ortu, licet Judæi eſſent origine, & Religione, Antiochiam uſque proceſſerent, ibique Evangelium prædicarunt. *Cyrenenſes* ſunt Judæi orti in Cyrenaica Ægypto finitima, ubi plurimi aderant Judæi. Hi erant ex primis fidelibus a S. Petro converſis, & qui cum aliis in S. Stephani morte fuerant diſperſi. Hoc tamen nonniſi quinto, vel ſexto poſt S. illius martyris obitum contigit anno.

LOQUEBANTUR AD GRÆCOS.] Hoc eſt ad *Helleniſtas* [1], ad Judæos Antiochenos, qui Græce prorſus loquebantur. *Helleniſtæ* vero dicuntur, ut diſtinguantur e Judæis Paläſtinis, qui vulgo potius Hebraice, vel Syriace loquebantur. Hæc complurium Interpretum eſt explicatio [2]. Sed pleriſque credunt [3] hic agi de Græcis Gentilibus, quibus fideles Cyprii, & Cyrenenſes, JESUM CHRISTUM annunciarunt, ſub idem fere tempus, quo S. Petrus locutus eſt cum Cornelio, eumque baptizavit. Re quidem vera ſermonis decurſus in hanc nos ſententiam compellit. Cum retuliſſet S. Lucas, quæ Cæſareæ acciderant in Cornelii perſona, iſthic factum narret, quod ab illo parum abludit, converſionem videlicet plurimorum Gentilium Antiochiæ. Nuncium, quod Jeroſolymam pervenit, paulo poſtquam nunciatum fuerat Cornelii baptiſma, fideles in ſententia confirmavit, Deum velle in Eccleſiam ſuam Gentiles etiam admitti, idque maximum addidit pondus iis omnibus, quæ hac de re S. Petrus fuerat locutus. *Græcorum* nomen nonnunquam ſignificat Judæos, qui Græce loquebantur, & qui extra Palæſtinam vivebant; uti ſuperius c. 6. ℣. 1. & ſæpius etiam pro Gentilibus, atque ab Hebræorum religione alienis uſurpatur. Ita hoc in loco, atque aliis pluribus intelligendum eſt, & ita paſſim in Epiſtolis ſuis S. Paulus intelligit [4].

℣. 21. ET ERAT MANUS, &c.] Iis in miraculis, quæ operabantur, & in ea benedictione, quam ſuper eorum labores large effundebat, gratia ſua corda populorum præveniens, eorumque mentes illuminans. Dei manus, ut plurimum, miraculoſam, atque extraordinariam Dei poteſtatem ſignificat.

℣. 22. MISERUNT BARNABAM.] De Barnaba ſupra jam ſermo fuit cap. 4. ℣. 36. Hic electus fuit, ut Antiochiam concederet, confirmaturus, quod feliciter adeo Cyprii, & Cyrenenſes Diſcipuli incœperant. Duplici de cauſa hoc illi munus demandatum fuit; primum, quod linguam Græcam, quæ Cypri, unde originem duxerat, non ſecus ac Antiochiæ maxime vigebat, ipſe callebat; iterum, quod cenſuerunt gratiorem futurum Diſcipulis, qui ea in Urbe prædicaverant, & qui ex eadem, ac ipſe patria, Cypro erant. Ceterum inſignis erat illius zelus, prudentiæ, atque doctrina, quæ res illum huic Provinciæ maxime appoſitum conſtituebant.

℣. 23. CUM VIDISSET GRATIAM DEI.] Effectus videlicet gratiæ divinæ in fide, charitate, conſenſu fidelium, in extraordinariis Spiritus Sancti donis, quibus illi erant repleti, atque in fidei eorum integritate: hoc tanta illum affecit voluptate, quam novum erat ſpectaculum videre Gentiles ex Ethnica ad Chriſtianam Religionem immediate converſos.

HORTABATUR IN PROPOSITO CORDIS &c.] Græcus [5] ad litteram; eos *hortabatur, ut Domino adhærerent in propoſito cordis*: ut in illius ſervitute, & charitate perſeverarent. Nihil invenit eorum fidei, atque præceptis, quibus imbuti fuerant, addendum; ſed eos ſimpliciter ad perſeverantiam eſt adhortatus.

℣. 24. APPOSITA EST MULTA TURBA DOMINO.] Complures adhuc ille convertit, ac novam auxit Eccleſiam prædicatione ſua, & miraculis, quæ Antiochiæ operatus eſt: *quia erat vir bonus, & plenus Spiritu Sancto, & fide.*

℣. 25. PROFECTUS EST TARSUM, UT QUÆRERET SAULUM.] Eumque ſecum adduceret Antiochiam. Jampridem noverat S. Paulum, immo ipſe illum Apoſtolis Jeroſolymæ obtulerat [6]: dicuntur etiam, ſimul uterque ſub Gamaliele didiciſſe. S. Paulus aliquanto ante Tarſum receſſerat, ubi audiiſſet necem ſibi a Judæis Jeroſolymitanis parari [6]; ibique permanſit, donec S. Barnabas illum convenit, ſecum Antiochiam reducturus. Vetus Cantabrigienſis MS. ita legit ℣. ℣. 25. 26. *Cum audiiſſet Barnabas Saulum Tarſi eſſe, illuc profectus eſt ad eum quærendum; inventumque hortatus eſt, ut ſecum veniret Antiochiam. Ibi autem ſimul anno integro permanſerunt congregati cum Eccleſia, quæ ibi aderat, ibique magnam hominum vim erudierunt, & primis Antiochiæ Diſcipulis Chriſtianorum nomen indiderunt.* Mari Antiochia a Tarſo in Cilicia non adeo longe aberat.

℣. 26. UT COGNOMINARENTUR PRIMUM ANTIOCHIÆ DISCIPULI CHRISTIANI.] Paulus ne, & Barnabas, an ipſi diſcipuli, vel Ethnici potius primis fidelibus *Chriſtianorum* nomen impoſuerunt? hoc Scriptura non adfert. Vetus MS. quem in ſuperiori verſiculo attulimus, & plurimi Patres [7] crediderunt, ab ipſis Apoſtolis hoc inditum fuiſſe primis fidelibus nomen, ut diſtinguerentur a Judæorum ſectis, quæ tunc celebres erant, Phariſæis, Sadducæis, Eſſenis, diſcipulis Judæ Galilæi. Putant alii [8], Ethnicos, quemadmodum Philoſophorum ſectis auctorum earumdem nomina tribuebantur, aliique dicebantur Platonici, Pythagoræi, Epicuræi &c. ita JESU CHRISTI Diſcipulis Chriſtianorum nomen tribuiſſe.

Ante hoc tempus ſimpliciter vocabantur *Fratres, Sancti, Diſcipuli*, vel *Credentes*, vel *Fideles*, quæ nomina multo poſt etiam in Apoſtolorum, virorumque Apoſtolicorum ſcriptis inveniuntur. S. Petrus in Epiſtola prima [9], *Chriſtianorum* nomen uſurpat, & creditur illa Epiſtola ab eo conſcripta fuiſſe non multo poſt ea, quæ Antiochiæ contigerant. Nullibi, quod ſciam S. Paulus in epiſtolis Chriſtianorum nomen adhibuit. Sed hoc nomen brevi vulgatum fuit, quoniam junior Agrippa S. Paulo poſt ſexdecim ab hinc annos dicebat [10]: *in modico ſuades me Chriſtianum fieri.* Et Claudio imperante Roma ejecti fuerunt Judæi propter turbas, quas jugiter ſerebant per occaſionem hominis cujuſdam, cui nomen *Chreſtus*, teſte Suetonio in Claudio: *Judæos impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expulit.* Ita illi, JESUM CHRISTUM appellabant, veram ignorantes cauſam, propter quam CHRISTUS appellaretur, & rati ex ea ratione, qua Chriſtiani vitam traducebant, eorum Auctorem, & caput, hominem ſuaviſſimum fuiſſe, & clementiſſimum, ideoque *Chreſtos* Græce vocatum; hoc eſt mitem, ſuavem: *Chriſtus non proprium nomen eſt, ſed nuncupatio poteſtatis, & Regni: ſic enim Judæi Reges ſuos appellabant*, inquit Lactantius de vera Sap. l. 4. c. 7. *Sed eum immutata littera Chreſtum ſolent dicere. Chriſtianus*, Tertullianus in Apolog. ait, *quantum interpretatio eſt, de unctione deducitur. Sed & cum perperam Chreſtianus pronunciatur a vobis (nam nec nominis certa eſt notitia penes vos) de ſuavitate, vel benignitate compoſitum eſt.*

Chriſtianæ Religionis hoſtes, & infideles, atque obdurati Judæi JESU CHRISTI diſcipulos *Galilæos* vocabant,

1 Ἕλληνας πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς. Mſ. Alex. Syr. Arab. Æthiop. Vide ad Græcos; Πρὸς τοὺς Ἕλληνας.
2 Ligfoot. Piſc. Hamm. Verab. Eſtim. Fromond.
3 Lyran. Auguſt. Cajet. Sanct. Cornel. Menoch. Tir. Bez. Druſ. Grot. Capell. Le Clerc. alii.
4 Vide Act. 14. 1. 18. 4. 19. 10. 20. 21. Rom. 1. 16. 2. 9. 3. 9. 10. 12. 1. Cor. 2. 24. &c. Galat. 3. 28.
5 Παρεκάλει πάντας τῇ προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ Κυρίῳ.
6 Act. 9. 29. 30.
7 Vide Gregor. Nyſſen. de profeſſ. Chriſt. cap. 3. pag. 295. Athanaſ. Apolog. adverſ. Arianos.
8 Hiſtor. Scolaſtice. Vide & Fromond.
9 1. Petr. 4. 16. *Si autem, ut Chriſtianus, &c.*
10 Act. 26. 28.

bant, eo quod Salvator in Galilæa apparuerat, atque educatus fuerat. *Nazaræos* quoque illos dicebant, quod JESUS CHRISTUS majorem vitæ ſuæ partem traduxerat in Nazareth, & quod ille adhuc vivens JESUS Nazarenus vocabatur. Sed hæc nomina, uti illud etiam *Christianorum* probri loco habebantur; quippe, qui illis utebantur, per odium, atque contemptum hoc facere conſueverant.

℣. 27. IN HIS DIEBUS SUPERVENERUNT AB JEROSOLYMIS PROPHETÆ.] Quemadmodum Synagoga antiquitas habuit Prophetas ſuos, ita & Eccleſia Chriſtiana ſuos habuit ab initio. Propheticum donum tunc temporis adeo erat commune, ut perpauce eſſent Eccleſiæ, ubi non aliquis reperiretur hoc Spiritu afflatus [1]. Tunc præcipue adimpleta eſt promiſſio Joelis 2. 28. dicentis, Propheticum Spiritum ſuper univerſam carnem eſſe effundendum. Inferius cap. 21. Actorum videbimus quatuor filias S. Philippi Diaconi, omnes prophetico munere donatas. Ipſa etiam S. Johannis Apocalypſis prorſus Prophetica eſt. Teſtatur S. Lucas infra c. 13. 1. non defuiſſe Antiochiæ Doctores, atque Prophetas, quos inter Simonem Nigrum, Lucium Cyrenæum, Manahen, Saulumque recenſet. Omnes Novi Teſtamenti Scriptores totidem ſunt Prophetæ. Et pauca exceſſerunt ſecula, quibus Deus ſuum Prophetiæ Spiritum ſaltem per intervalla non communicaverit hominibus quibuſdam ſanctitatis merito præſtantiſſimis.

℣. 28. AGABUS SIGNIFICABAT PER SPIRITUM.] Propheta Agabus non ſatis cognoſcitur. Pictores quidam in tabulis, ubi SS. Virginis nuptias referunt, illum exhibent præ livore baculum ſuum frangentem, quod ſibi prælatus fuerit S. Joſeph, futurus Mariæ Sponſus.

Dicunt Græci, illum fuiſſe unum ex Septuaginta diſcipulis, atque Antiochiæ martyrii palmam obtinuiſſe. Illius feſtivitatem octavo Idus Martii celebrant, Latini vero noni ſæculi, eam nonis Februarii celebrarunt. Infra c. 21. 10. legimus eumdem Agabum, cum S. Paulum convaniſſet Cæſareæ, ei prodiaiſſe futurum, ut Gentilibus traderetur. Fames, quam iſthic vaticinatur, accidit Claudio imperante, quarto Regni illius anno, quarto vero ſupra quadrageſimum æræ Vulgaris. Prophani hiſtorici de hac fame locuti ſunt, & Suetonius in Claudio c. 18. ita refert: Claudius *a turba conviciis, ac ſimul fragminibus panis ita infeſtatus eſt, ut ægre non niſi poſtico evadere in Palatium valuerit*. Hæc famet *in univerſo orbe terrarum* ſævit, teſte S. Luca; hoc eſt in toto Romanorum Imperio; ſed non æque ubique. Judæam præſertim afflixit.

℣. 29. DISCIPULI AUTEM PROUT QUIS HABEBAT.] Cum fidelibus Antiochenis nuntium acciderat ſummæ egeſtatis, qua laborabant Chriſtiani, qui Jeroſolymæ permanſerant; eo quod plerique omnibus ſe bonis exuerant, ut illa in commune afferrent ad pedes Apoſtolorum, dignum caritate ſua conſilium inierunt; ſcilicet, ut mitterent eleemoſynas in Judæam egentioribus diſtribuendas. Harum eleemoſynarum cura Paulo, & Barnabæ tradita fuit. Narrat Joſephus Antiq. l. 20. c. 2. Helenam Adiabenorum Reginam, cum videret Jeroſolymam ſumma caritate laborantem, ac plurimos fame intereuntes, miſiſſe, qui Alexandriæ frumentum, & in Inſula Cypro caricas emerent, quæ omnia juſſu illius Jeroſolymæ vulgo diſtributa non exiguo hominum numero vitam ſervarunt. Izates Filius ejus miſit eadem de cauſa ingentem auri vim ad Jeroſolymæ Magiſtratus in pauperes erogandam.

℣. 30 MITTENTES AD SENIORES.] Nunc primum in Novi Teſtamenti libris mentio fit *Seniorum*, vel Presbyterorum. Horum dignitas, atque auctoritas Interpretes diſtinet: quorum alii [2] credunt, eos fuiſſe Apoſtolos: alii aſſerunt Apoſtolos tunc temporis in univerſum terrarum orbem diſceſſiſſe dempto fortaſſe S. Jacobo Minori Epiſcopo Jeroſolymitano. Inde vero ſententia hæc confirmatur, quod S. Paulus de hoc itinere non loquitur in Epiſtola ſua ad Galatas; licet hoc ab illo faciendum fuiſſe videbatur, ſi aliquem Apoſtolorum vidiſſet. Alii igitur [3] credunt, Seniores hos fuiſſe Diaconos, quibus eleemoſynarum diſtributio fuerat concredita. Nec deſunt, qui putent fuiſſe Sacerdotes Apoſtolis ſubordinatos, & qui his abſentibus fidelium curam gererent.

Fidei maxime conſonum eſt, Chriſtianam Eccleſiam primitus inſtitutam fuiſſe juxta Synagogæ exemplar in iis pleriſque, quæ ad exterius ejuſdem regimen ſpectant. At apud Judæos tunc temporis in ſingulis Synagogis aderant ii, qui illud exhibebant, quod nos Eccleſiam dicimus. Primum quidem Archiſynagogus, qui reſpondet Epiſcopo, & circum illum levorſum, atque dextrorſum aſſeſſores nonnulli, quos illi *Seniores* vocabant. Poſt Seniores, vel Preſbyteros aderant *diſcipuli Sapientum*, qui Legi ſtudebant. Denique populus ſeorſim ſedebat, quemadmodum in Eccleſiarum noſtrarum latiori intervallo populus adſtat [4].

Cum Moyſes, Jetro ſuadente [5], populi Iſrael regendi curam cum aliis viris dividere voluit, ſub ſe conſtituit *ſeptuaginta ſeniores Iſrael*, qui omnes Prophetiæ ſpiritu repleti fuerunt. Adhæc quoſdam etiam populi Principes, & Centuriones, & quinquagenarios, & decuriones elegit, quibus Reipublicæ, & belli cura demandaretur [6]. Denique non deerant Sacerdotes, & Judices, alii aliis ſubjecti [7] cum in agreſtibus oppidis, tum in Metropoli. Summus Sacerdos omnibus præerat Sacerdotibus in plures gradus diſtinctis, quorum alii aliis pro dignitatis ordine parebant. Hæc fuit vetus Hebræorum Moyſis ævo Reſpublica.

Crediderunt complures in Eccleſia Chriſtiana primitus nonniſi Apoſtolos, atque Diaconos fuiſſe. Apoſtolorum ſucceſſores fuerunt Epiſcopi, qui ſæpius *Preſbyterorum* nomine dumtaxat vocantur. S. Paulus jubet, Titum conſtituere *Preſbyteros* in qualibet Cretæ Inſulæ Civitate [8], quod de Epiſcopis Interpretes intellexerunt [9]. Apoſtolus idem Timotheo in mentem revocat Epiſcopatus gratiam, quam per impoſitionem manuum Preſbyterorum, vel Senatus Eccleſiaſtici, nempe Epiſcoporum [10] accepit. S. Petrus [11] verbo facit de Eccleſiarum Epiſcopis a Judæa remotarum, eoſque Preſbyteros vocat. S. Ignatius Martyr, in epiſtola ad Philadelphios Apoſtolos vocat Senatum *Eccleſiæ* [12], vel Eccleſiæ Preſbyteros. Sanctus Clemens Papa ep. 1. ad Corinth. ait, Epiſcopos in univerſum terrarum orbem ad Evangelium prædicandum diſperſos conſtituiſſe Epiſcopos, & Diaconos, ut illis præeſſent, qui ſe ſe convarrere, & fidem amplecti debebant. S. Epiphanius hæreſ. 75. refert Eccleſiæ initio propter ſubditorum inopiam non potuiſſe Apoſtolis in ſingulis Eccleſiis Preſbyteros conſtitui eo modo, quo nos hodie intelligimus; ſed ſatis illis fuiſſe, ut unum Epiſcopum, atque Diaconum in ſingulis ſtatuerent. Re quidem vero, cum S. Paulus loquitur de Miniſtris in qualiber Eccleſia [13] conſtituendis, Epiſcoporum tantum meminit, & diaconorum.

Fatendum nihilominus eſt in iiſdem Apoſtolorum ſcriptis quoſdam adeſſe locos, qui intelligi non poſſe videntur niſi de Preſbyteris, qui infra Apoſtolos quidem, & ſupra

1 Vide 1. Cor. 11. 10.
2 Œcumen. hic.
3 Cornel. Menoch. Fromond.
4 Simon, Supplement aux ceremonies des Juifs, ch. 6.
5 Num. 11. 16.
6 Exod. 18. 25. 26.
7 Deut. 17. 8. 9.
8 Tit. 1. 5. Πρεσβυτέρους κατὰ [illegible]
9 Vide Scholiaſt. & Theodoret. Argum. in eaud. Epiſtolam. & Theophyl. ibid.
10 1. Timot. 4. 14. Vide Theodoret. & Chryſoſt. Theophyl. & Œcumen. in eund. locum.
11 1. Petr. 5. 15. Πρεσβυτέρους [illegible]
12 Πρεσβυτέριον Ἐκκλησίας.
13 1. Timot. 3. 2. 8. & 1. Tit. 1. 9. 11.

ſupra Diaconos poſiti erant. e.g. S. Paulus Timotheum A ſuadet in 1. Timoth. 10. 1. ne acriter Presbyterum coarguat, & ne admittat aliquam criminationem contra Presbyterum quempiam, quod innuere videtur Timothei tamquam Epiſcopi ſuper alterius ordinis Sacerdotes auctoritatem. Infra etiam illi inquit Apoſtolus 1. Timoth. 5. 17. *qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt*. S. Jacobus in ep. 5. 14. jubet, ubi Chriſtianus aliquis ægrotaverit, Eccleſiæ Presbyteros accerſat, qui pro illo precabuntur, eumque in nomine Domini inungent. Scimus, unum tantum in ſingulis Eccleſiis Sacerdotem fuiſſe; ideoque Seniores iſti, vel Presbyteri erant alterius ordinis Sacerdotes. Denique hoc dubitandum non eſt, quod S. Ignatii Martyris, S. Polycarpi, S. Irenæi, & Papiæ ævo, nomen Presbyterorum non Epiſcopis ſolum, ſed infe- B rioribus etiam Sacerdotibus fuerit attributum. SS. Petrus, & Johannes aliquibus in locis *Presbyteri* [1], vel Seniores vocantur, & S. Polycarpus *Presbyter*, vel Senior *Apoſtolicus* appellatur [2]. Sed a fide minime abhorret his in locis præſertim vero, qui ad S. Johannem, & Polycarpum pertinent, non ætatis eorum minus, quam dignitatis, rationem haberi.

Ut autem ad eum revertamur, de quo agitur, locum, dicere poſſumus S. S. Paulum, & Barnabam Jeroſolymam fuiſſe miſſos, ut in Presbyterorum, vel Principum Eccleſiæ illius virorum manibus, eis numerarent eleemoſynas, quas afferebant, quin ſignanter aſſeramus, Presbyteros, vel Seniores hos Apoſtolos fuiſſe, Epiſcopos, Sacerdotes, vel Diaconos. Si illic aderant Apoſtoli vel Epiſcopi, minime C ambigimus, quominus illis hujuſmodi eleemoſynæ concreditæ fuerint. Primus ſupra quadrageſimum Canon Apoſtolorum jubet, omnia Eccleſiæ bona in Epiſcoporum manu, & mancipio eſſe, ab illis per Sacerdotes, & Diaconos indigentibus diſtribuenda.

Credi minime poteſt ab Apoſtolis Eccleſiam adeo frequentem, & florentem, qualis erat Jeroſolymitana, fuiſſe relictam ſine Epiſcopis, vel Sacerdotibus, a quibus, ipſis abſentibus, regeretur. In primo Jeroſolymitano Concilio [3] animadvertimus, non Apoſtolos ſolum, verum etiam *Presbyteros*, vel Seniores Spiritus Sancti nomine decernere, atque univerſæ Eccleſiæ ſcribere. Et aliquot annis poſt S. Paulus Jeroſolymam iterum rediit, ut S. Jacobum Minorem Jeroſolymitanum Epiſcopum, atque Eccleſiæ ejuſdem Seniores conſuleret, Act. 21. 18.

Scio, nonnullos [4] *Seniorum*, vel Presbyterorum nomine intelligere Epiſcopos Eccleſiarum prope Jeroſolymam, qui ad negotia magni momenti tranſigenda congregabantur. At veriſimilius videtur, hoc nomine intelligendum eſſe univerſum Eccleſiæ Senatum, conflatum ex præcipuis membris illius, atque Miniſtris, Apoſtolis, Epiſcopis, Sacerdotibus, & Diaconis. Quemadmodum Apoſtoli Epiſcopos ordinarunt, a quibus ſibi in Eccleſiarum regimen ſuccederetur, credendum quoque eſt, illos Sacerdotes ordinaſſe ad exemplum Jesu Christi, qui Apoſtolis ſeptuaginta, & duos Diſcipulos ſubjecit. Verum hi Presbyteri, ut plurimum, Epiſcopali ordinatione inſigniti fuerunt, ut præeſſent Eccleſiis, quarum fundamenta in ſingulos dies conjiciebantur. Nonniſi in magnis Eccleſiis fuerunt Presbyteri ab Epiſcopis diſtincti: cum enim ibi Epiſcopus per ſe univerſo munere ſuo perfungi minime poſſet, Senatum, ac Presbyteros ſuos habebat, qui ſibi opitularentur. Cum vero dicunt in Eccleſia primitiva Epiſcopos tantum, & Diaconos fuiſſe, reor, hoc de minoribus tantum Eccleſiis eſſe intelligendum; in majoribus vero Civitatibus omnitempore ſemper fuiſſe, & Epiſcopos, & Presbyteros, & Miniſtros cenſeo.

---

1 1. Petr. 5. 1. & Joan. initio 2. & 3. Epiſt.

2 Irenæ. Ep. ad Plotin.

3 Act. 15. 2. *Statuerunt ut aſcenderent Paulus, & Barnabas ad Apoſtolos, & Presbyteros in Jeruſalem ſuper hac quæſtione*. Vide & verſ. 5. 6. 7. 23. 16. 4.

4 Vide Hamm. in Acta hic.

CAPUT XII.

S. Jacobus Herodis juſſu obtruncatur. S. Petrus in vincula conjicitur, at inde ab Angelo liberatur. Herodes concionem habet ad populum, a quo honores divinos ſibi adhiberi paſſus, ab Angelo percutitur, atque a verminibus corroſus, ex humanis decedit.

1. EOdem autem tempore miſit Herodes rex manus, ut affligeret quoſdam de
Eccleſia. 2 Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. 3 Videns
autem quia placeret Judæis, appoſuit, ut apprehenderet & Petrum.
Erant autem dies Azymorum. 4 Quem cum apprehendiſſet, miſit in carcerem,
tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum, volens poſt Paſcha pro-
ducere eum populo. 5 Et Petrus quidem ſervabatur in carcere. Oratio autem
fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. 6 Cum autem produ-
cturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos mili-
tes, vinctus catenis duabus: & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. 7
Et ecce Angelus Domini aſtitit; & lumen refulſit in habitaculo: percuſſoque la-
tere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de
manibus ejus. 8 Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te
caligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi: Circumda tibi veſtimentum tuum, & ſe-
quere me. 9 Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat quia verum eſt, quod
fiebat per Angelum; exiſtimabat autem ſe viſum videre. 10 Tranſeuntes autem

primam

primam, & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad
civitatem: quæ ultro aperta eſt eis. Et exeuntes proceſſerunt vicum unum: &
continuo diſceſſit Angelus ab eo. 11 Et Petrus ad ſe reverſus, dixit: Nunc
ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis,
& de omni expectatione plebis Judæorum. 12 Conſideranſque venit ad domum
Mariæ matris Joannis, qui cognominatus eſt Marcus, ubi erant multi congrega-
ti, & orantes. 13 Pulſante autem eo oſtium januæ, proceſſit puella ad audien-
dum, nomine Rhode. 14 Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non ape-
ruit januam, ſed intro currens nuntiavit ſtare Petrum ante januam. 15 At illi
dixerunt ad eam: Inſanis. Illa autem affirmabat ſic ſe habere. Illi autem dice-
bant: Angelus ejus eſt. 16 Petrus autem perſeverabat pulſans. Cum autem
aperuiſſent, viderunt eum, & obſtupuerunt. 17 Annuens autem eis manu, ut
tacerent, narravit, quomodo Dominus eduxiſſet eum de carcere, dixitque: Nun-
tiate Jacobo, & fratribus hæc. Et egreſſus abiit in alium locum. 18 Facta au-
tem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum eſſet de Petro.
19 Herodes autem cum requiſiſſet eum, & non inveniſſet, inquiſitione facta de
cuſtodibus, juſſit eos duci: deſcendenſque a Judæa in Cæſaream, ibi commora-
tus eſt. 20 Erat autem iratus Tyriis, & Sidoniis. At illi unanimes venerunt
ad eum, & perſuaſo Blaſto, qui erat ſuper cubiculum regis, poſtulabant pacem,
eo quod alerentur regiones eorum ab illo. 21 Statuto autem die, Herodes ve-
ſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. 22 Populus
autem acclamabat; Dei voces, & non hominis. 23 Confeſtim autem percuſſit
eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus a
vermibus expiravit. 24 Verbum autem Domini creſcebat, & multiplicabatur.
25 Barnabas autem, & Saulus reverſi ſunt ab Jeroſolymis expleto miniſterio,
aſſumpto Joanne, qui cognominatus eſt Marcus.

℣. 1. EODEM TEMPORE MISIT HERODES.] Hoc A accidit eodem anno, Jeſu Chriſti 44. Imperii Claudii 4. quo S. S. Paulus, & Barnabas Antiochia Jeroſolymam attulerunt eleemoſynas, quibus opem ferrent fidelibus ea in annonæ charitate, qua univerſum Romanorum laborabat Imperium. *Herodes*, de quo hic ſermo, Agrippæ nomine melius cognoſcitur. Hic princeps filius erat Ariſtobuli, & Nepos Herodis Magni, habuitque fratres Herodem, qui mox Rex fuit Chalcidis, & Ariſtobulum 1 ſorores vero Herodiadem adeo celebrem ob S. Johannis Baptiſtæ mortem, & ſororem aliam, quæ Berenice creditur appellata. Agrippa Romæ educatus fuit apud Druſum Tiberii filium: mox vero adhæſit Cajo, qui cum Imperii ſolium attigiſſet, illi tradidit Tetrarchiam, quam Philippus patruus illius ob- B tinuerat. Septem regnavit annos; & poſtremo Regni ſui anno Eccleſiæ bellum indixit: at non permiſit Deus, ut exequeretur, quod ut Judæorum gratiam aucuparetur, mirum in modum Chriſtianæ religioni invidentium, contra Sanctos decreverat.

MISIT MANUS, UT AFFLIGERET QUOSDAM DE ECCLESIA.] *Mittere manum* ſignificat, omnem poteſtatem ſuam impendere, vel etiam ſine juſtitiæ forma manum injicere. Hoc ille conatus eſt, ut omnia præcipua Eccleſiæ capita interficeret. Primum quidem aggreſſus eſt S. S. Petrum, & Jacobum fratrem Johannis tamquam geminas Eccleſiæ columnas, ratus, futurum ut eorum lapſus ſecum Chriſtianam Religionem in interitum traheret. Narrat Joſephus Antiqu. l. 19. cap. 4. principem hunc magno pro Moyſis Lege zelo fuiſſe C ſuccenſum, & S. Lucas admonet, illum hæc auſum, ut Judæorum gratiam ſibi promereretur.

℣. 2. OCCIDIT JACOBUM FRATREM JOHANNIS GLADIO.] Claudius Imperator ad Imperium evectus ea, quæ ſibi impenderat, officia Agrippa, præclare eſt remuneratus, illi Judæam ſubjiciens, & Samariam [1], quod huic locum præbuit, Eccleſiam perſequendi, atque abſoluta auctoritate eos necandi, qui ſibi a Judæis tamquam Moſaicæ Legis inimici offerebantur. Ante illum Jeroſolymæ, & Judææ Præſides Romani præfuerant, qui Judæorum impotentiam coercebant. S. Jacobus frater Johannis, qui major nuncupatur, erat filius Zebedæi, & frater S. Johannis Evangeliſtæ. Creduntur Bethſaidæ in lucem editi: antequam ad Apoſtolatum evocarentur, piſcationi vacabant. Hi ſemper a Jeſu Chriſto in honore habiti fuerunt, atque tonitrui filii appellati.

Baſilii Menologium [2] refert, S. Jacobum Cæſareæ martyrio fuiſſe affectum: ſed veritati magis conſonum videtur, hoc accidiſſe in Jeruſalem, ubi Agrip- B pa feſtivitatem Paſchatis celebravit. S. Clemens Alexandrinus [3] ex veteri fidelium traditione refert illum, a quo S. Jacobus fuerat comprehenſus, & ad Judices raptus, vel etiam obtruncatus, admiratum conſtantiam, qua hic Jeſum Chriſtum confitebatur, permotum fuiſſe, & declaraſſe, ſe etiam Chriſtianum eſſe, ita ut & ipſe ſtatim capite fuerit damnatus. Cum autem ad ſupplicium una cum S. Jacobo raperetur, ab Apoſtolo veniam petiit. Apoſtolus paromper hæſit, & ſtatim in illius amplexum ruit, eique dixit, pax tecum. Hæſerat autem primum fortaſſe, quod homo ille baptizatus non erat: at oſtendit illi Deus martyrii ſanguinem, aquæ Baptiſmo large, effuſoque ſupplere. Hoc accidit anno undecimo poſt Salvatoris noſtri obitum, & paulo antequam Paſcha celebraretur, quem- C admodum ex ſequentibus innoteſcit. S. Jacobus igitur primus eſt, qui ex Apoſtolorum collegio martyrium fuerit perpeſſus; atque ita adimpletum eſt, quod illi dixerat Jeſus Chriſtus 4, futurum, ut aliquando biberet calicem, quem & ipſe erat bibiturus.

Tenent Hiſpani, S. Jacobum Majorem Evangelii

lucem

1 Joſeph Antiq. lib. 19. c. 4. 2 Florentin. Not. in Martyrolog. p. 122.
3 Clem. Alex. apud Euſeb. lib. 2. c. 9. hiſt. Eccl. Vide Notam 3. Tillemontii in S. Jacobum Minorem, 4 Matth. 20, 23.

lucem in cartas ſuas attuliſſe. Bartholomæus Laurentius, & Pater Franciſcus a Jeſu Carmelita, ac Pater Gaſpar Sanctius Jeſuita [1], aliique ſcripſerunt, hanc regionis ſuæ traditionem probaturi. Baronius, Pater Alexander, & Dominus de Tillemont eam oppugnarunt [2], pro qua afferuntur, Pſeudo-Iſidorus *in tractatu de vita, & morte Sanctorum*, qui ſub Juliani Toletani ſub finem ſeptimi ſæculi viventis nomine circumfertur; collectiones Bedæ, quæ opus ſunt, hoc Patre non ſatis dignum; Epiſtolæ Caliſti II. qui duodecimo vivebat ſæculo, Breviarium Toletanum, & Scriptum quoddam Archiepiſcopo Turpino ſuppoſitum. Sed hæc omnia teſtimonia nimis infirma ſunt, nimiſque recentia ad factum tanti momenti probandum; præterquamquod maxime ambigue ſunt, neque deeſt mendacii ſuſpicio. Græci minime cognoverunt commentitium hoc S. Iacobi iter in Hiſpaniam. S. Sophronius in verſione ſua, quam adornavit libri S. Hieronymi de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 5. ait, illum prædicaſſe duodecim Iudæorum tribubus in diſperſione. Hiſpani quoque negarunt miſſionem S. Iacobi in Hiſpaniam. Rodrigus eruditiſſimus Toletanus Archiepiſcopus in Concilio Lateranenſi habito anno 1215. aſſeruit contra Compoſtellæ Archiepiſcopum, nullum eſſe argumentum, quo probari poſſit, S. Iacobum in Hiſpaniam veniſſe.

℣. 3. VIDENS, QUIA PLACERET IUDÆIS, APPOSUIT &c.] Agrippa hanc fortaſſe prætexuit cauſam horum Apoſtolorum morti, quod rerum novarum quoad Religionem eſſent ſtudioſi, & diſcipulos ſuos a legis obſervantia averterent; et ea veriſſima fuit ratio, ut placeret Iudæis, atque gratiam iniret apud recentes ſubditos ſuos, quos, uti dictum eſt, Claudius Imperator illi ſubjecerat.

ERANT AUTEM DIES AZYMORUM.] S. Petrus, & Apoſtoli, qui non longe aberant Ieroſolymæ, illuc ſe conferebant ad Paſchatis feſtivitatem celebrandam, quoniam adhuc Legis cæremonias obſervabant. Eo anno S. Jacobus Major, & S. Petrus Ieroſolymæ adfuerant; & Judæi, qui jampridem occaſionem illos perdendi quærebant, hanc ſibi elabi paſſi non ſunt. S. Iacobus quidem comprehenſus fuit, atque extremo affectus ſupplicio paucis diebus ante Paſcha. S. Petrus vero captus fortaſſe fuit pridie illius feſtivitatis, hoc eſt die 14. Niſan veſpere, ex quo azymis uti incipiebant, quibus ad diem uſque 21. menſis ejuſdem utebantur. Hujus feſtivitatis occurſus cauſa fuit, ut nefaria Agrippæ voluntas differretur, quemadmodum ſeq. ℣. videbimus.

℣. 4. TRADENS QUATUOR QUATERNIONIBUS MILITUM.] Tradidit illum cuſtodiendum ſexdecim militibus, qui quaterni per vices illi invigilabant; quorum bini ſemper prope eumdem, bini vero ad carceris oſtium permanebant. Vide ℣. 6. Præterea duabus catenis vinctus erat, ita ut fieri nequaquam poſſe videretur, ut inde effugeret. Non deſunt etiam, qui credant, duos ex cuſtodibus eadem catena [3] vinctos fuiſſe, qua captivum, quemadmodum vulgo apud Romanos conſueverat [4]. Crediderunt quidam [5], *Quaternionum* nomen eſſe dignitatis in Romanorum militia: ſed Græcæ voces [6] hanc ſententiam explodunt, quæ alioquin aliquam probabilitatis ſpeciem præſeferre videretur.

VOLENS POST PASCHA PRODUCERE EUM POPULO [7].] Vel tamquam ſpectaculum Judæis gratiſſimum, coram populo adducere, vel illum populo inſpectante necare. Agrippa ſummo flagrabat deſiderio, ſpectacula exhibendi [8]; ita ut exprobretur, quod uno in ſpectaculo mille, & quadringentos gladiatores morti objecerit: Meditabatur ergo poſt diem Paſchatis aliquod præbere ſolatium, atque in theatro S. Petrum objicere.

At quorſum expectet, donec Paſcha elabatur? ideo fortaſſe, quod feſtivitatis illius diebus minime licebat violentam mortem alicui inferre: ſed poſt dies feſtos rejiciebantur noxiorum ſupplicia. Illis, qui aſſerunt, Salvatorem noſtrum Paſchatis die fuiſſe crucifixum, hoc exemplum crucem figit, & varias quærunt vias, ut hinc explicent Herodis cunctationem, & Iudæos excuſent, qui JESU CHRISTI mortem ipſa die præcipuæ feſtivitatis ſuæ perſecuti ſunt [9]. Verum quin tot ambages quæramus, fatendum eſt ſolum, JESUM CHRISTUM non Paſchate, ſed pridie Paſchatis fuiſſe crucifixum, & feſtivitatis illius propinquitatem cauſam fuiſſe, cur Iudæi mortem illius properarent, & enixe quærerent, ut ſtatim adimpleretur, ne feſtivitatis tempore aliquid ſuboriretur, quod prohiberet, ne prava ſua in illum conſilia exequerentur.

℣. 5. ORATIO AUTEM FIEBAT SINE INTERMISSIONE.] Univerſa Ieroſolymæ Eccleſia indeſinenter Dominum precabatur, ut S. Petrum de carcere liberaret. Toto Paſchatis octiduo preces effuſæ fuerunt. Græca vox [10] ſignificare poteſt jugem orationem, & orationem ferventem, enixam.

℣. 6. CUM AUTEM PRODUCTURUS ESSET HERODES.] Poſt octavum Paſchatis diem, cum Herodes decreſſet ſpectaculum præbere populo, atque S. Petrum in arenam producere occidendum ea morte, qua populus maluiſſet, quemadmodum in id genus factis accidere conſueverat &c.

ERAT PETRUS DORMIENS INTER DUOS MILITES.] Qui catena eadem, ac ipſe vincti erant, ne poſſet effugere [11]. Quatuor ex his militibus ternis horis vigilabant, quibus alii quaterni milites in ſimile temporis intervallum ſuccedebant. *Vinctus catenis duabus* ſingulis in ſingulas manus, & quarum cuique ſinguli cuſtodes erant colligati. Non videntur autem catenis pedes illius vincti fuiſſe. Vide ℣. 14. Hæ omnes præcautiones profuerunt ſolum, ut miraculi magnitudo magis elucerct, quemadmodum hoc in loco S. Chryſoſtomus in Acta hom. 26. animadvertit. S. Petrus licet tot illi mala imminerent, tranquille tamen dormit, quaſi nullum ipſi impenderet periculum, quod omnem in Domino ſpem collocaverat.

℣. 7. ANGELUS DOMINI ASTITIT.] Fortaſſe Angelus cuſtos S. Petri prope illum apparuit fulgenti luce circumdatus, quæ in omnem carcerem ſeſe effudit; atque Petrum percuſſit, velut illum excitaturus e ſomno, eique dixit; ſurge. Eodem temporis momento catenæ, quibus manus illius vinciebantur, ex ſemet deciderunt, quin milites audirent, tum quod in utramque aurem ſtertebant, tum quod non ita prope S. Petrum ſtringebant, ut ille conſurgere poſſet, quin eoſdem tangeret: catenæ quippe, quibus captivi cum militibus cuſtodibus vinciebantur, oblongæ erant [12]. Cæterum fidei maxime conſonum videtur, Petrum curaſſe, ne rumore aliquo dormientes exciteret.

Catenæ, quibus S. Petrus Agrippæ juſſu vinctus fuit, & quibus ab Angelo fuit liberatus, maximo ſemper in honore habitæ fuerunt in Eccleſia. Latini S. Petri in vincula feſtivitatem Kalendis Auguſti concelebrant. S. Auguſtinus ſerm. 205. Append. num. 5. ait, harum catenarum ferrum pretioſius eſſe auro omnium JESU CHRISTI Eccleſiarum. S. Chryſoſtomus homil. 8. in Epheſ. tanto illas in pretio habendas cenſebat, ut libenter longum iter fuiſſet ingreſſus, eaſdem viſurus. Sexto ſæculo credebatur alteram earum Romæ adeſ-

1 Vide Sanct. ad Calcem Comment. in Acta. 2 Vide Baron. Not. in Martyrolog. Rom. Natal. Alex. t. 1. p. 522. hiſt. Eccleſ. Tillemont. Not. 6. in S. Jacobum Majorem.
3 Chryſoſtom. homil. 9. in Matth. 11. Sanctius hic. Menoch. Ligfoot.
4 Infra Act. 28. 16. Senec. Epiſt. 5. & lib. de tranquillitate vitæ, initio.
5 Beda, Cajetan. Lyran. alii. 6 Τετραρσι τετραδίοις. 7 Βουλόμενος μετὰ τὸ Πάσχα ἀναγαγεῖν αὐτὸν τῷ λαῷ. 8 Joſeph. Antiquit. lib. 19. cap. 4. 9 Vide Sanctium in hunc locum verſ. 5. n. 9. 10. & ſeq. 10 Προσευχὴ δὲ ἦν ἐκτενὴς. 11 Vide Chryſoſt. in Matth. 11. homil. 9. initio. Fromond. hic. Lypſ. excurſu 1. ad lib. 3. Taciti. 12 Aug. in Pſalm. 128. *Ligantur duo, & mittuntur ad judicem, latro & colligatus: ille ſceleratus, iſte innocens: una catena ligantur, & longe ſunt a ſe ſi.*

adeſſe [1], & quinto jam ſæculo ibidem Templum aderat S. Petri in vincula [2]. Conſueverat mitti ſcobs ex catenis S.S. Petri, & Pauli modo in crucibus, modo in aureis clavibus clauſa: & ſæpius Deus illius adminiculo magna miracula operabatur. Ipſe Summus Pontifex catenas ſacras limabat, ut ſcobem & ipſe haberet. Juſtinianus Imperator ex Summo Pontifice Hormiſda nonnihil ex catenis S. Petri petierat, ſi fieri poſſet [3]. S. Gregorius Magnus [4] ex eadem ſcobe miſit ad Regem Childebertum, atque illi ſcripſit miracula, quæ Deus per ſanctas illas reliquias operabatur.

Græci [5] quoque decimo ſeptimo Kalendas Februarii colunt unam ex catenis, quibus S. Petrus Jeroſolymæ ab Agrippa vinctus fuit. Hæc ſervabatur Conſtantinopoli in ſacello S. Petri intra S. Sophiæ Eccleſiam ædificato, atque ea die ſolemni pompa populo oſtendebatur, ad eam colendam confluenti. In Romano Breviario legimus, Eudoxiam Imperatricem Theodoſii junioris conjugem, quæ Jeroſolymam profecta eſt anno 439. utramque inde retuliſſe catenam S. Petri, quarum alteram in quodam Byzantino Templo collocavit, alteram miſit ad Eudoxiam filiam ſuam, quæ nupſerat Valentiniano III. & cujus juſſu in monte Exquilino Romæ Templum ædificatum fuit, ut ibi catena illa collocaretur. Ajunt præterea, catenam Byzantio allatam, ubi poſita fuit prope illam, quæ jampridem Romę ſervabatur, & qua S. Petrus olim Romę Nerone imperante vinctus fuerat, cum eadem ita coaluiſſe, ut utraque ſimul unam tantum catenam confecerit. Hujus tamen circumſtantię, qui valida ſcrutari vellet argumenta, non modice laboraturus videretur. Vide Tillemontium not. 46. in S. Petrum.

℣. 8. PRÆCINGERE, ET CALCEATE.] S. Petrus exuerat pallium ſuum, zonam, & calceos, ut dormiret. Angelus ergo primum jubet illum zona tunicam ſibi præcingere, pedes calceis induere, & mox pallium auferre: *circumda tibi veſtimentum tuum* [6]. Hæc erant Hebræorum veſtimenta, quemadmodum alibi oſtendimus. Illi nulla femoralia, aut tibialia geſtabant.

℣. 9. NESCIEBAT, QUIA VERUM EST.] Hoc eſt adeo ſingulare, ut ſibi ſomniare videretur; ita Jacob, ubi audiit Joſephum filium ſuum vivere, impelli non poterat, ut id crederet; ſed ſomnium hoc ille arbitrabatur [7]: *quaſi de ſomno evigilans, tamen non credebat ei*. Iſraelitę captivitate Babylonica defuncti liberationem ſuam ſomnium, aut illuſionem jucundam eſſe putabant [8].

℣. 10. TRANSEUNTES PRIMAM, ET SECUNDAM CUSTODIAM.] Carcer ergo extra civitatem erat, vel ſaltem in uno ſepto murorum Civitatis; cum enim Jeruſalem variis ſubinde temporibus in majorem ſemper amplitudinem excreviſſet, porta ferrea erat fortaſſe in muro ſepti interioris, atque ita carcer eſſe poterat in Urbe, licet extra ferream portam. Hæc hypotheſis omnem aufert etiam difficultatem duplicis vigilum ſtationis, per quas tranſiit Petrus, antequam ad ferream januam perveniret. Prima quidem militum ſtatio eſſe poterat ad carceris oſtium, altera vero ad portam ferream, *quæ ducit in Civitatem*. Quidquid enim ultra illam patebat, tamquam aliquod E ſuburbium habebatur.

℣. 11. PETRUS AD SE REVERSUS.] Hactenus fuerat tamquam in extaſim raptus exiſtimans ea omnia, quæ fiebant, ſomnium eſſe; ſed ſtatim ac Angelus evanuit ex oculis illius, non dubitavit amplius, quominus reipſa liberatus fuiſſet; tunc intellexit, ſe eſſe in A medio Jeruſalem, atque extra manus inimicorum ſuorum.

℣. 12. VENIT AD DOMUM MARIÆ.] Matris Johannis, qui cognominatus eſt Marcus. Hic Johannes longe alius eſt a S. Johanne Apoſtolo, & a S. Marco Evangeliſta; Johannes Marcus conſobrinus erat Sancti Barnabæ: atque de illo inferius ſermo erit, ubi loquemur de itineribus, quæ cum S. S. Paulo, & Barnaba, quibus adhæſerat, ſuſcepit. Domus Mariæ Matris Johannis Marci conſuetum erat Apoſtolorum hoſpitium, cum erant Jeroſolymæ [10]. Illuc poſt Salvatoris Aſcenſionem ſe ſe receperant, ubi & Apoſtolus elegerunt, & Spiritum ſanctum acceperunt. Non deſunt etiam, qui credant, hac in domo conſueviſſe Dominum inhabitare, cum eſſet Jeroſolymæ [11]. Ea B certe in celebrem Eccleſiam deinde converſa fuit, eratque in monte Sion apud Auctores quinti, ſextique ſæculi inſignis [12].

℣. 13. PULSANTE EO OSTIUM JANUÆ.] Græcus [13]: *Cum pulſaſſet portam portæ*, vel veſtibulum januæ. Credunt quidam, illum pulſaſſe ad oſtium modicæ areæ, quæ ante domum patebat [14]. Intelligi etiam ſimpliciter poteſt de janua, & iis omnibus, e quibus illa componitur, & a quibus ſuſtinetur.

PROCESSIT PUELLA AD AUDIENDUM.] Puella, vel potius ancilla, cui nomen [15] Rhoda, vel Roſa acceſſit exploratura, quinam pulſaſſet. Græcus [16]: *venit, ut ſecreto audiret, quis eſſet*. Syrus, Arabs, & Ludovicus de Dieu: *acceſſit, ut illi reſponderet*, ut peteret, quis eſſet. Et ſane ipſa locuta eſt, & S. Petrus C quoque locutus; quoniam illum ex vocis ſono cognovit. Timor, quo fideles erant perculſi, & aperta perſecutio, quæ in præcipuos Eccleſiæ principes ſæviebat, cauſa erat, ut omnia metuerentur. Timebant, ne proderentur, & ne Rex Agrippa, vel Judæorum Principes ſatellites miſiſſent, qui eos omnes noctu comprehenderent, cum ea in domo eſſent congregati.

℣. 15. ANGELUS EJUS EST.] Credebant Hebræi, ſingulis ſingulos eſſe cuſtodes Angelos, quibus protegantur, atque regantur. Salvator noſter in Evangelio Matth. 18. 10. hanc Judæorum ſententiam confirmat, quam & Eccleſia adoptavit. Congregati fideles crediderunt, Cuſtodem S. Petri Angelum oſtium pulſaſſe, atque illius oris habitum induiſſe, ut nomine illius aliquid nunciaret. Interpretes quidam [17] volunt, Au- D thographum textum ſignificare: *Nuntius eſt miſſus a Petro*. At ſi vere hic fuiſſet homo a S. Petro miſſus, cur nunciaſſet Ancilla, ſe Apoſtoli hujus vocem audiiſſe? Nonne illum cognoverat? Ad hæc Gręca loquendi ratio [18] minime ſignificat proprie: *hic nuntius eſt ab illo miſſus*; ſed *eſt Angelus ejus*, vel *Nuntius ejus*, quaſi in carcere S. Petrus habuiſſet ſervum aliquem, vel aliquem nuntium conductitium.

℣. 17. ANNUENS EIS MANU.] Lætitia, quæ illos invaſerat, eoſdem præcipiebat, ut certatim teſtarentur variis indiciis gaudium ſuum, quod vetabat, ne audiri S. Petrus poſſet. Annuit ergo illis manu, eiſque ſilentium indixit: *voce, manuque murmura compeſcit*. Manum attollit, eamque movens [19] ſilentium imperavit. Narravit illis, quæ acciderant, eoſque juſſit, eorum participem fieri S. Jacobum Minorem Jeroſolymitanum Epiſcopum, qui alibi verſabatur, & fortaſſe propter metum Judæorum latebat. Et ſtatim S. Petrus ipſe etiam alio conceſſit, ne Deum tentaſſet, & ne citra neceſſitatem in recens diſcrimen adduceretur. Potuit autem in aliqua domo Jeroſolymæ delitſcere, vel egredi urbe, & in alias Provincias conſedere [e]

1 Arator. l. 1. p. 690. 2 Florentin. Not. in Martyrol. p. 713.
3 Tom. 4. Concil. p. 1515. D. 4 Gregor. lib. 5. Ep. e. Vide & lib. 3. Ep. 30. & lib. 6. Ep. 23. & lib. Ep. 49. 5 Ughell. t. 6. p. 1189. Bolland. 16. Januar. Menæa.
6 Περίβαλε τὸ ἱμάτιόν σου. 7 Geneſ. 45. 25. 8 Pſalm. 125. 1. *Facti ſumus ſicut conſolati*. Heb. *Sicut ſomniantes*. 9 Coloſſ. 4. 10. 10 Vide Cornel. & Fromond. hic.
11 Alexand. Menoch. apud Sur. 11. Jun. 12 Vide Alexand. loc. cit. Hieron. Ep. 27.
13 Τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος. 14 Matth. 26. 7. Luc. 12. 20. Act. 10. 17. ubi πυλὼν ponitur pro veſtibulo: at paſſim etiam ſumitur pro *janua*. Vide Act. 14. 13. & Apoc. 21. 12. 15. 21. 25.
15 Ὀνόματι Ῥόδη. 16 Προσῆλθε ὑπακοῦσαι. 17 Beza, Hamm. Ligf. Camero.
18 Ὁ Ἄγγελος αὐτοῦ ἐστι, non autem: Ἄγγελος ἀπ' αὐτοῦ. 19 Κατασείσας δὲ αὐτοῖς τῇ χειρὶ σιγᾷν.

cedere : ſed ſignanter, qoo ille eooccſſeric, eſſirmare non euſim, & qui illum Cæſarcam, Antiochiam, in Aſiam Minorem, vel alio profectum dicunt, ne illi quidem, quod affirmant, probant [1]. Pape Agepitus eit, eb illo varius conſtitures fuiſſe Eccleſiis, etque plures in oriente Epiſcopos præpoſitos [2]. Liquet, non ſemel illum Romam veniſſe: ſed audae eſſec itinerum ejuſdem tempus ſignanter aſſerre, quartum neque in Scriptetis, neque aped eliquem ſatis probacem Auctorem aliquid ſetis certem inveniri putcit.

℣. 19. HERODES JUSSIT EOS DUCI [3].] Herodes, cum nequicquam ſanctum Petrum perquiri juſſiſſet, cuſtodes illius ad ſupplicium rapi voluit. Illos vero dumtaxat, qui eſtu eigilare debebant, cum ſanctus Petrus liberates feit, eetremo ſupplicio effecit. S. Petrus Aleeandrinus legebas [4] ; *juſſit eos jugulari*.

DESCENDENS A JUDÆA IN CÆSAREAM.] Superiuſc. 11. 1. ednotavimus, S. Lucam Cæſarcam a Judea diſtioguere, perinde ac ea Civitas alibi, quàm in Judea ſita eſſet. Porrò in diſtributione locurum Palæſtinæ Cæſarea minime edcrat in ea terre perte, quæ proprie Judæa dicebatur ; verum in Paleſtina, quæ ſecus Mediterraneum mare pottendebatur ; esque vetur erat regio Philiſthinorum. Agrippa poſt celebratum feſtum diem Paſchatis, ſtatim Cæſarcam ſe contulit, ibique aliquandiu permanſit: *ibi commoratus eſt*. At quandiu ibi permanſit? hec in te veriant Interpretum ſententiæ: aliis credentibus [5], duos ibi integros ennos ſecundo ed quartum Claudii permanſiſſe ; aliis onum dumtaxat annum, alii menſem onum ibi ſubſtitiſſe eſſirmantibus. Euſebius hiſt. Eccleſ. l. 2. cap. 10. neatas, illum ſtatim obiiſſe poſt ce, quæ Jeroſolymis contra Apoſtolos cuſus fuciat. S. Lucas ſane illum non diu ibi poſt vixiſſe innuit, quoniam poſt adventum ejuſdem ſtatim narrat mortem illius Si ſuppoſueris, ibi unum circiter menſem manſiſſe, mea quidem ſententia omnia facile inter ſe conciliari poſſe videntur. Scimus ce Joſepho, Agrippam ſeptem dumtaxat ennos regnaſſe [6], ideoque non neceſſiſſe quartum ſupra quadrageſimum JESU CHRISTI annum, Claudii vero Imperatoris quartum.

℣. 20. ERAT AUTEM IRATUS TYRIIS &c.] Non ſatis liquet, quam ob rem Agrippa Tyriis, & Sidoniis iratus eſſet. Joſephus, qui hoc narrat Agrippæ iter Cæſarcem, hujus rei non meminit. Tyrii ergo, & Sydonii ed Agrippam venerunt, petitum pacem. Nullum indictum fueras bellum, & pax ſolum innuit, eos ed Regem veniſſe, ut ſuas excuſationes afferrent eorum, quæ illi fortaſſe diſplicuiſſent, & precerentur, ut gratiam ſuam ſibi concedere dignaretur. Pacis nomen in Scripturis reconciliationem, & emicitiam ſignificat. Ut eutem Regis illius animum flecterent, & aures illis prebere dignaretur, muneribus quæſtorem illius, cui nomen Blaſto, occuparunt.

EO QUOD ALERENTUR CIVITATES EORUM AB ILLO.] Scilicet ex agris ditionis illius, en Judæa, Samaria, & Galilæa. Tyri, & Sidonis agri mari cuertebantur. Omnia earum civitatum bona in negotiatione poſita erent. Salomonis ævo [7], annonam ee Judæe petebant, atque inde v[illegible] ; oleumque ſibi comparabant: ipſi enim terræ [illegible] colendæ minime vacabant. Tunc temporis ſæviebat adhuc fames, de qua ſupecius cap. 11. 28. locuti ſumus : nam ſcriptuc hiſtorici, illam plores annos graſſetam fuiſſe [8].

℣. 21. STATUTO DIE.] Agrippa Cæſareæ magnificos in Claudii honorem ludos [9] eehibuit. Nobiles quilibet eitieorum locurum ad ſpectacula convenerunt, utque inter cæteros acceſſerunt Tyrii, & Sidonii, qui venerant, ut Regem ſibi delinirent, enter irritatum. Agrippa diem conſtituit, qua in Theatro eos adloqueretur ; & elter hic erat ludorum dies. Ille ergo ea die mane ſummo acceſſit, ubi ſuo inſedit ſolio regali chlamyde ergento contexte, & miro opere elaborate indutus. Sol oriens radiis veſtem eamdem ita feriebat, ut inde vivide admodum lue emicaret in, quam illis, qui oculorum aciem vertercut, eam proſpicere minime poterant, quin reverentia qeadam incederet.

℣. 22. POPULUS AUTEM.] Joſephus Antiq. l. 19. cap. 7. ais, ab edulatoribus Dei nomine decoratum fuiſſe, atque eos impie illi vota nuncupaſſe, ut ſibi propitius eſſet ; & ſi hactenus eumdem tamqeem hominem habuiſſet, eum ſibi deinceps futurem eelut Deum ſupra mortalium naturam toto cœlo poſitum : quas cum Princeps impudentiſſimas eſſentationes minime coercuiſſet, vidit ille repente noctuam ſuper caput ſuum fune dimiſſam ; atque recordatus eſt eorum, quæ Romæ ſibi olim fuerant nunciate, futurem, ut ubi avem illam videret, quinque tantum illæ vitæ dies ſupereſſent. Et ſene eodem tempore ingens cordis dolur illum aggreſſus eſt non ſine viſcerum vehementiſſimis contorſionibus, ite ut cum ſe ſe continere minime poſſet, ed aſſentatores converſus, illis dixerit en ille, cui Dei nomen detuliſtis, invitus de hac vita divellitur. Neceſſitas quam mihi mortis ſubcundæ impendentem eidet, veſtrorum ſermonum mendecia ſatis probant. Ac divino obtemperandum eſt voluntatis. His dictis in regias ædes tranſlatus fuit doloribus confectus, quem cum populus vidiſſet in vitæ periculum roceri, in Platea, quæ ante edes illius patebat, procubuit, atque a Deo in pulvere, & in ſacco jacens petiit, ut ſibi Regem ſuum ſervaret incolumem. Agrippa ad hoc ſpectaculum lachrymas cohibere non potuit : ſed illius ſententia in cœlo jam fuerat prolata, & poſt quinque dies acerrimis vexatus doloribus infelicem efflavit animam.

S. Lucas eit, *quod Angelus Domini percuſſit eum eo, quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus a vermibus expiravit*. Innuit ille, Agrippæ morbum vulnus fuiſſe divinæ manus, et qui viſcerum dolor protectos fuiſſe ex vermibus, qui in univerſum illius corpus ſe ſe effuderant, illudq; adhuc vivens penitus conſumpſerant, quem circumſtantiam Joſephus omittit. Hiſtoricus hic narrat, Herodem Magnum Agrippæ avum ſimili ferme morbo confectum interiiſſe [10]. Credunt quidam Interpretes [11], Agrippam pedicolari morbo feriſſe abſumptum, ſed Scriptura aperte docet illum viventem adhuc vermibus corroſum fuiſſe [12], quod morbi genus medicis ignotum non eſt.

℣. 25. ASSUMPTO JOHANNE.] SS. Paulus, & Barnabas Jeruſolymæ fuerant fortaſſe ed eamdem Paſchalis feſtivitatem celebrendam, qua S. Petrus in carcerem conjectus fuit, & inde ab Angelo liberatus. Illic eutem permanſerunt uſque poſt Agrippæ mortem, ut commiſſum ſibi munus eleemoſynarum diſtribuendarum abſolverent. Deinde Antiochiam reverſi ſunt, ſecum educentes Johannem Marcum Mariæ filium, apud quem Apoſtoli paſſim Jeroſolymæ congregabantur. S. Hieron. de Vit. Illuſt. c. 6. ait, hunc Johannem Marcum diſcipulum fuiſſe S. Barnabæ, atque hic ille eſſe putatur, de quo S. Paulus verba facit in Epiſtula ſua ad Coloſſenſes 4. 10. & quem S. Barnabæ conſobrinum fuiſſe teſtatur. Hic ſubſecutus eſt SS. Paulum, & Barnabam, primum quidem Antiochiam, mox vero in Inſulam Cyprum, eiſque in omnibus itineribus famulabatur, ſed ubi pervenerunt in Pergem Pamphyliæ, videns illos majores aggredi, ab eis receſſit, & Jeroſolymam cedit, Act. 13. 13.

1 Metaphraſtes apud Sur. 29. Jun. 2 Concil. [illegible] 5. p. 49.
3 Ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι. *Juſſit abduci*. Senec. de ira, lib. 1. cap. 16. *Conſcendit tribunal ſonans Piſo, & juſſit duci utrumque*. Heſych. Ἀπαχθῆναι, εἰς θάνατον ἀχθῆναι.
4 Ἐκέλευσεν ἀπαγχθῆναι. Fragment. de Paſch.
5 Baron. Fromond. elii. 6 Joſeph. Antiqu. lib. 19. cap. 7.
7 3. Reg. 5. 9. 8 Joſeph. Antiqu. lib. 20. cap. 3. p. 690. 9 Joſeph. Antiq. lib. 19. c. 7.
10 Antiqu lib. 17. cap. 9. & de Bello lib. 1. cap. 21. in Lat. p. 772. 773. 11 Eraſm. Camer.
12 Γενόμενος σκωληκόβρωτος. Cantabrigenſ. legit: Καὶ καταβὰς ἀπὸ τοῦ βήματος γενόμενος σκωληκόβρωτος ἔτι ζῶν, οὕτως ἐξέψυξε.

CAPUT XIII.

S.S. Paulus, & Barnabas ad Gentiles mittuntur, S. Paulus cæcitate percutit Magum, qui ſibi obſtiterat. Converſio Sergii Pauli Proconſulis. S. Paulus Antiochiæ in Piſidia prædicat. Huic Judæi reſiſtunt; ille vero ad Ethnicos ſe ſe convertit,

1. ERant autem in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ, & doctores, in
quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyreneñſis,
& Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus. 2 Mi-
niſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus: Se-
gregate mihi Saulum, & Barnabam, in opus, ad quod aſſumpſi eos. 3 Tunc je-
junantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos. 4 Et ipſi qui-
dem miſſi a Spiritu ſancto abierunt Seleuciam: & inde navigaverunt Cyprum. 5
Et cum veniſſent Salaminam, prædicabant verbum Dei in ſynagogis Judæorum. Ha-
bebant autem & Joannem in miniſterio. 6 Et cum perambulaſſent univerſam inſu-
lam uſque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pſeudoprophetam, Judæum,
cui nomen erat Barjeſu, 7 Qui erat cum Proconſule Sergio Paulo, viro pruden-
te. Hic, acceerſitis Barnaba, & Saulo, deſiderabat audire verbum Dei. 8 Reſi-
ſtebat autem Elymas magus (ſic enim interpretatur nomen ejus) quærens avertere
Proconſulem a fide. 9 Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu ſancto in-
tuens in eum, 10 Dixit; O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, ini-
mice omnis juſtitiæ; non deſinis ſubvertere vias Domini rectas. 11 Et nunc ec-
ce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem uſque ad tempus.
Et confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat, qui ei
manum daret. 12 Tunc Proconſul cum vidiſſet factum, credidit admirans ſuper
doctrina Domini. 13 Et cum a Papho navigaſſent Paulus, & qui cum eo erant,
venerunt Pergen Pamphyliæ. Joannes autem diſcedens ab eis, reverſus eſt Jeroſo-
lymam. 14 Illi vero pertranſeuntes Pergen, venerunt Antiochiam Piſidiæ; & in-
greſſi ſynagogam die ſabbatorum, ſederunt. 15 Poſt lectionem autem legis, &
Prophetarum, miſerunt principes ſynagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, ſi quis
eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite. 16 Surgens autem Paulus,
& manu ſilentium indicens, ait: Viri Iſraelitæ, & qui timetis Deum, audite:
17 Deus plebis Iſrael elegit patres noſtros, & plebem exaltavit, cum eſſent inco-
læ in terra Ægypti, & in brachio excelſo eduxit eos ex ea; 18 Et per quadra-
ginta annorum tempus mores eorum ſuſtinuit in deſerto. 19 Et deſtruens gentes
ſeptem in terra Chanaan, ſorte diſtribuit eis terram eorum, 20 Quaſi poſt qua-
dringentos, & quinquaginta annos: & poſt hæc dedit judices uſque ad Samuel
Prophetam: 21 Et exinde poſtulaverunt regem, & dedit illis Deus Saul filium
Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta. 22 Et amoto illo, ſuſcitavit
illis David regem: cui teſtimonium perhibens, dixit: Inveni David filium Jeſſe,
virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. 23 Hujus Deus
ex ſemine ſecundum promiſſionem eduxit Iſrael ſalvatorem Jeſum, 24 Prædicante
Joanne ante faciem adventus ejus baptiſmum pœnitentiæ omni populo Iſrael. 25
Cum impleret autem Joannes curſum ſuum, dicebat: Quem me arbitramini eſſe?
non ſum ego, ſed ecce venit poſt me, cujus non ſum dignus calceamenta pedum
ſolvere. 26 Viri fratres, filii generis Abraham, & qui in vobis timent Deum,
vobis verbum ſalutis hujus miſſum eſt. 27 Qui enim habitabant Jeruſalem, &
principes ejus, hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne ſabbatum
leguntur, judicantes impleverunt; 28 Et nullam cauſam mortis invenientes in eo,
petierunt a Pilato, ut interficerent eum. 29 Cumque conſummaſſent omnia, quæ
de eo ſcripta erant, deponentes eum de ligno, poſuerunt eum in monumento.
30 Deus vero ſuſcitavit eum a mortuis tertia die: qui viſus eſt per dies multos
his, 31 Qui ſimul aſcenderant cum eo de Galilæa in Jeruſalem: qui uſque nunc

ſunt.

ſunt teſtes ejus ad plebem. 32 Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres
noſtros repromiſſio facta eſt: 33 Quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris, re-
ſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego
hodie genui te. 34 Quod autem ſuſcitavit eum a mortuis, amplius jam non re-
verſurum in corruptionem, ita dixit, quia dabo vobis ſancta David fidelia. 35
Ideoque & alias dicit: Non dabis, Sanctum tuum videre corruptionem. 36 David
enim in ſua generatione cum adminiſtraſſet voluntati Dei, dormivit: & appoſitus
eſt ad patres ſuos, & vidit corruptionem. 37 Quem vero Deus ſuſcitavit a mor-
tuis, non vidit corruptionem. 38 Notum igitur ſit vobis, viri fratres, quia per
hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiabitur; & ab omnibus, quibus non potui-
ſtis in lege Moyſi juſtificari. 39 In hoc omnis, qui credit, juſtificatur. 40
Videte ergo, ne ſuperveniat vobis, quod dictum eſt in Prophetis: 41 Videte
contemptores, & admiramini, & diſperdimini: quia opus operor ego in diebus
veſtris, opus, quod non credetis, ſi quis enarraverit vobis. 42 Exeuntibus autem
illis, rogabant, ut ſequenti ſabbato loquerentur ſibi verba hæc. 43 Cumque di-
miſſa eſſet ſynagoga, ſecuti ſunt multi Judæorum, & colentium advenarum, Pau-
lum, & Barnabam: qui loquentes ſuadebant eis, ut permanerent in gratia Dei.
44 Sequenti vero ſabbato pene univerſa civitas convenit audire verbum Dei. 45
Videntes autem turbas Judæi, repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ a Pau-
lo dicebantur, blaſphemantes. 46 Tunc conſtanter Paulus, & Barnabas dixerunt:
Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indi-
gnos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes, 47 Sic enim præ-
cepit nobis Dominus: Poſui te in lucem Gentium, ut ſis in ſalutem uſque ad ex-
tremum terræ. 48 Audientes autem Gentes gaviſæ ſunt, & glorificabant verbum
Domini: & crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. 49 Diſ-
ſeminabatur autem verbum Domini per univerſam regionem. 50 Judæi autem con-
citaverunt mulieres religioſas, & honeſtas, & primos civitatis, & excitaverunt
perſecutionem in Paulum, & Barnabam: & ejecerunt eos de finibus ſuis. 51 At
illi, excuſſo pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. 52 Diſcipuli quoque re-
plebantur gaudio, & Spiritu ſancto.

℣. 1. PROPHETÆ, & DOCTORES.] Hi Prophetæ homines erant prophetiæ dono repleri, qui futura prænunciabant, & Scripturas explicabant. Vidimus jam tunc temporis prophetiæ munus in Eccleſia [1] commune fuiſſe. *Doctores* [2] fideles erant in iis, quæ ad Religionem ſpectant, apprime imbuti, qui populum publice quidem in cœtibus, privatim vero in domibus erudiebant, Scripturas interpretabantur, & Catechumenos ad Baptiſma recipiendum diſponebant. Tales fuerunt in urbe Alexandriæ Pautenus, S. Clemens, Origenes, quibus demandata fuit cura ſcholarum celeberrimæ illius Civitatis. Hi ex æquo reſpondebant illis, qui apud Judæos Rabbini, vel Magiſtri in Synagogis appellabantur. In præcipuis Urbis locis non deerant Doctores, qui Religionis ſcholas tenerent. Illi quidem Epiſcopi B non erant, ſed erant tamquam lingua Epiſcoporum iis in locis, ubi Epiſcopi adeſſe non poterant.

Non deſunt complures [3], qui credant, Prophetas, & Doctores hoc in loco unum, & idem ſignificare: & profecto non abhorret a fide paſſim eos, a quibus fideles erudiebantur, & qui Scripturas interpretabantur, ſpiritu quoque Prophetiæ fuiſſe repletos. Turrianus de hierarch. ordin. l. 1. cap. 20. credit *Prophetas* deſignare Epiſcopos, *Doctores* vero Sacerdotes. Grotius hic, Prophetarum nomine intelligit viros Spiritu Sancto repletos, qualis erat Agabus, qui futura vaticinabatur; *Doctorum* autem nomine Epiſcopos intelligit, quos variis Antiochiæ Eccleſiis præfuiſſe arbitratur: putant enim, quemadmodum Judæi in majoribus civi- A tatibus plures Synagogas habebant, ita & Chriſtianos ibi plures habuiſſe Eccleſias, quarum ſingulis Epiſcopus, vel Doctor aliquis præerat.

SIMON, QUI VOCABATUR NIGER.] Hic erat Propheta, & Doctor, & ex iis unus, qui impoſuit manus Saulo, & Barnabæ ad officium, ad quod eos Spiritus Sanctus deſtinabat. Credunt nonnulli [4], hunc eumdem eſſe ac Simonem Cyrenæum, qui JESU CHRISTI Crucem geſtavit: verum hujus ſententiæ nullum adeſt argumentum, niſi ſola nominum ſimilitudo, quæ ipſa non ſatis aperta eſt: quandoquidem a S. Luca, Simon Cyrenæus ſemper dicitur *Simon*, hic vero, *Simeon* S. Epiphanius hæreſ. 20. cap. 4. quemdam *Nigrum* memorat inter ſeptuaginta Diſcipulos. Simonis Nigri neque in Divino Officio, neque in Martyrologiis uſquam meminit Eccleſia.

LUCIUS CYRENENSIS.] Natus Cyrene prope Ægyptum. Uſuardus, & Ado putant, hunc ab Apoſtolis conſtitutum fuiſſe primum Cyrenenſem Epiſcopum. Latina Eccleſia illius feſtivitatem celebrat octavo Idus Maii. Hic recenſetur etiam inter ſeptuaginta Diſcipulos. Sed vitam illius, ac mortis tempus ignoramus. Credunt quidam de hoc ad Romanos 16. 21. S. Paulum loqui: ſed magis veriſimile eſt, Apoſtolum de S. Luca verba facere.

MANAHEN.] Frater collactaneus Herodis Tetrarchæ [5] plane ſublimi loco natus erat, & inſignem aliquam in terra dignitatem ſperare poterat. Et hic ex ſeptuaginta Diſcipulis fuiſſe exiſtimatur. Latini diem feſtum illius peragunt nono Kalendas Junii, & ferunt, illum

1 Act. 11. 28. 1. Cor. 14. 2 Διδάσκαλοι 1. Cor. 12. 28. 29. Epheſ. 4. 11. Apoſtolus ſe Nationum Doctorem vocat. 1. Timoth. 2. 7. & 2. Timoth. 1. 11. 3 Lorin. Fromond. Sanct.
4 Apud Cornel. a Lapide in Matth. 5 Hic eſt Herodes Tetrarcha, qui S. Johannem interfici juſſit, & ad quem Pilatus J. C. in ejus paſſione miſit.

Antiochiæ humanis deceſſiſſe [1]. Judæi loquuntur [2] de quodam Manahen, qui alter erat Princeps, aut Vicegerens Principis Sanhedrin ſub Hillal, quam dignitatem exuit, ut Herodi Magno famularetur. Manahen, de quo hic agitur, erat fortaſſe filius ejuſdem.

ỷ. 2. MINISTRANTIBUS ILLIS DOMINO.] Cum miniſterii ſui munere perfungerentur, vel eum prædicarent [3], aut orarent [4], aut jejunarent, aut hæc omnia facerent. Quandoquidem Prophetæ erant, atque Doctores, munus eorum erat docendi, prophetandi, Scripturas explicandi, laudes Domino concinendi, prædicandi. Græca vox [5] ſæpe etiam ſignificat Sanctum Sacrificium offerre, & pro omni Liturgia uſurpatur; quod plures Catholicos Interpretes impulit [6], ut id in hoc ſenſu intelligerent. Videntur autem tres hi Doctores, Lucius, Simon, & Manahen Epiſcopi fuiſſe; quandoquidem impoſuerunt manus Saulo, & Barnabæ, et illos ad Evangelium prædicandum dimitterent. At quid Epiſcopo magis proprium, quam quotidie formidabile Domino ſacrificium offerre: *omnis Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans*, ait S. Paulus ad Hebr. 10. 11.

SEGREGATE MIHI SAULUM, & BARNABAM.] Ut Evangelium Gentilibus prædicent [7]: ad id enim Dominus utrumque deſtinaverat, atque ex hiſtoriæ hujus decurſu innoteſcet, quo zelo, & quo eventu præclara ſuum munus obierint. *Separate mihi*: loquendi ratio eſt ex Moyſe deſumpta, quam ille adhibet, de iis loquens, quæ a communibus uſibus ſeparantur, ut Deo uni inſerviant. Ita illi ſeparantur omnia hominum, & animantium primogenita [8], omneſque terræ fructuum primitiæ. Præcipit, ut ſibi de medio filiorum Iſrael, Sacerdotes, atque Levitæ ſeparentur [9]; æternum Templi, atque Tabernaculi ſui miniſterio vacaturi. In Novo Teſtamento hoc ipſum ferme deprehenditur. Dicit Dominus Ananiæ, Saulum vas eſſe electum, atque deſtinatum, ut nomen ſuum prædicet exteris nationibus, & coram populo Iſrael [10], & S. Paulus de ſeipſo ait, ſe ab utero Matris ſuæ ſeparatum, atque deſtinatum fuiſſe ad ſanctum, atque neceſſarium verbi miniſterium [11]. Hactenus S. Lucas generatim narravit hiſtoriam eorum, quæ primis Eccleſiæ temporibus contigerunt; hic vero incipit S. Pauli hiſtoriam, & pergit ad primum uſque, & ſexageſimum JESU CHRISTI annum, ſextum videlicet poſtquam Apoſtolus martyrium fuerat perpeſſus.

ỷ. 3. TUNC JEJUNANTES, & ORANTES IMPONENTESQUE EIS MANUS.] Adverte circumſtantias hujus ordinationis Apoſtoli S. Pauli, & S. Barnabæ. 1. non ordinantur, niſi ex præcepto, & afflatu Spiritus Sancti: *Dixit eis Spiritus Sanctus*, nam tunc temporis, inquit S. Chryſoſtomus hic, nihil humanitus fiebat, cum aliquid tanti momenti eſſet ſuſcipiendum: & S. Timotheus Epiſcopus ordinatus fuit poſt explicitam revelationem [12]. 2. hi Prophetæ, atque Antiochenæ Eccleſiæ Doctores jejunant, & orant, antequam illis manus imponant illis, quos ordinabant, neceſſarias impetraturi gratias, ad miniſterii eorum munus digne adimplendum. Hæc manuum impoſitio illa fortaſſe eſt, quæ confert Epiſcopatum [13], & Eccleſia hanc ordinationem habuit, tamquam exemplar earum omnium, quas habuit deinceps. Ad has jejunio, atque oratione, tum miniſtri, tum ordinandus ſe ſe diſponunt, eaque cæremonia inter Miſſarum ſolemnia peragitur.

Putant quidam, illos tunc propria Apoſtolos fuiſſe ordinatos; & alii aſſerunt, hanc non eſſe ordinationem proprie dictam, ſed ſimplicem miſſionem [14], ut abirent, Evangelium Ethnicis prædicaturi. Auctor Scholaſticæ hiſtoriæ ait, Paulum, & Barnabam ſtatim ac Spiritus Sancti juſſu ſeparati fuerunt, Jeroſolymam diſceſſiſſe, atque Apoſtolorum manu ordinatos fuiſſe. S. Leo etiam credit ab Apoſtolis fuiſſe ordinatos, & Arator illos a S. Petro ordinatos fuiſſe arbitratur: quod tamen loci hujus textui videtur oppoſitum. Qui nullam iſthic ordinationem eſſe putent, innituntur illis S. Pauli apud Galatas verbis [15], ubi ait, ſe non ab hominibus, neque ex eorum voluntate, ſed a JESU CHRISTO, atque Deo Patre ipſius Apoſtolum factum fuiſſe: & addit [16]; Evangelium, quod ipſe prædicat non profectum eſſe ab hominibus, ſed ſe illud ex uno JESU CHRISTO per revelationem didiciſſe. Sed hac in eadem occaſione nonne vere JESUS CHRISTUS, & Deus Pater illius, S. Paulum ad Apoſtolatum, & Evangelii prædicationem evocant? Doctores, & Prophetæ Antiocheni divinæ ſunt voluntatis miniſtri.

Contendunt alii [17], eam vocem, quam Vulgata vertit: *imponentes eis manus* ſimpliciter ſignificare, *illos communibus totius Eccleſiæ ſuffragiis eligentes*. At Seldenus fuſius oſtendit in ſtylo Hebræorum, vel potius Græcorum, qui Sacras Scripturas verterunt, immo apud Prophanos ipſos, & Chriſtianos Auctores, Græcum verbum *Cheirotonein* ſignificare potius ordinare, præficere in dignitate, vel munere aliquo conſtituere; quod apud Hebræos paſſim reali fiebat manuum impoſitione ſuper illum, qui in aliqua dignitate, vel Provincia conſtituebatur [18]. Chriſtiana Religio cum primitus habita fuerit, tamquam Judaicæ quædam reformatio, atque omnis illius diſciplina ordinata fuerit ab Apoſtolis, qui Judæi nati erant [19]; apud Hebræos, non apud Gentiles quærenda eſt origo plurorumque rituum noſtrorum, & ſignificatio plurimarum vocum, quas diſciplinæ conſuetudo in ordine Hierarchiæ conſecravit.

Eo tempore [20] videtur S. Paulus ad tertium uſque Cœlum raptus fuiſſe, ibique ea audiiſſe myſteria, quæ non licet homini loqui [21]. Fatetur ille, ſe neſcire, utrum cum corpore, an extra corpus raptus fuerit; hoc eſt utrum abſolute a corpore ſuo ſeparatus fuerit perfunctoria morte [22]; an ſolum elevatus ſuper ſenſus extaſi quadam, & raptu, qui ad tempus prohibuit, ne ad ea, quæ circum ipſum fiebant, attenderet. Ibi ipſa ſublimes eas didicit veritates, quibus replatus erat, & quas nobis aperuit in Epiſtolis, præſertim vero myſterium vocationis Gentilium, quod ſe per revelationem percepiſſe profitetur, Ephes. 3. 3.

ỷ. 4. ABIERUNT SELEUCIAM.] Urbem ad Mediterraneum ſitam in Syria cum portu e conſpectu Cypri Inſulæ, decem circiter leucas procul ab Antiochia. Illic navem conſcenderunt, ut in Inſulam Cyprum traducerent, cujas erat Barnabas [23], & ubi plurimi erant Judæi. Paulus, & Barnabas Spiritu Sancto repleti ab illo ducebantur, & eo proferebant pedem, quo Dux Cœleſtis agebat.

ỷ. 5. SALAMINAM.] Inſulam univerſam luſtrati ſunt

1 Uſuard. Adon. Bolland. 24. Maii. 2 Liber Juchaſim fol. 19. apud Ligf. 3 Chryſoſtom. Oecum. Eraſm. Vatab. Cajet. 4 Syr. Arab. Ligfoot, Grot. 5 Λειτουργούντων αὐτῶν τῷ Κυρίῳ. 6 Sanct. Cornel. alii. 7 Sanct. Cornel. Menoch. Tirin. alii. 8 Exod. 13. 12, 35. 5. 9 Num. 8. 14. 10 Act. 9. 15. 11 Rom. 1. 1. Galat. 1. 15. 12 1. Timoth. 4. 14. 13 Vide Chryſoſtom. Oecumen. hic, & S. Leon. Epiſt. 11. ad Dioſcor. Alexand. Salmeron. Sanct. Cornel. Fromond. alios. 14 Cajet. hic, Arias, & Eſtius, Suarez 3. tom. 3. in 3. partem diſp. 74. quæſt. 1. Legion. in Galat. 1. alii.

15 Galat. 1. 1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem &c.* 16 Ibid. verſ. 11. 12. 17 Eraſm. in Act. 14. 22. & Anglica, Tigur. Beza, Gallica reform. Belgica aliæ apud Selden. lib. 3. de Synedr. cap. 14. pag. 313. 314. edit. Amſtel. 1679.

18 Maimonid. tract. Sanhedr. cap. 4. 19 Grot. ad Act. 6. 3. 11. 30. 14. 12. 20. 28. & in Epiſt. ad Tit. 1. 5. Selden. de Synedr. pluribus locis, & alii. 20 Fromond. hic. Tillemont. S. Paul. Act. 9. Pearſ. Baron. 21 2. Cor. 12. 2. 3. 4.

22 Auguſt. de Geneſ. ad Litter. lib. 12. cap. 27. 23 Act. 4. 36.

ſunt ab ortu in occaſum, & Paphum venerat, quæ poſt Salaminam, totius Inſulæ celeberrima ferebatur. Salamina eſt Metropolis Inſulæ Cypri, nunc *Conſtantia*, hodie vero *Famagoſta* appellata.

IN SYNAGOGIS JUDÆORUM.] Ut plurimum a Judæis incipiebant, ſi iis in locis, quo pergebant, fuiſſent Judæi; ne illos pertinaciores efficerent, ſi illos ſe negligere oſtendiſſent. Verum Ethnicos quoque audiebant, ubi ſeſe offerebat occaſio; præſertim vero cum Judæi ſalutis verbum reſpuerent.

HABENTES IN MINISTERIO JOHANNEM.] Qui Marcus dicebatur, de quo ſuperius cap. 12. 25. locuti ſumus, ut illis opem ferret, & miniſtraret. Hic in temporalibus egeſtatibus famulabatur ipſis, ut tranquilla magis, & otioſa Evangelicæ prædicationi vacarent. Hic conquirebat domicilia, & annonæ, & cæterarum rerum, quibus indigebant. Poterat ipſe etiam pro modulo ſuo, & captu ſimplices erudire, atque ſeacantis rebus ſupplere, quibus attendere non poſſent Paulus, & Barnabas, gravioribus negotiis occupati [1].

℣. 6. USQUE PAPHUM.] Urbem ſitam in occidentali extrema parte Inſulæ, Salaminæ penitus oppoſita, quæ erat in littore Orientali. Omnem igitur Inſulam ſecundum longitudinem peragrarunt.

INVENERUNT QUEMDAM VIRUM MAGUM PSEUDOPROPHETAM JUDÆUM, CUI NOMEN ERAT BAR-JESU.] vel juxta quædam exemplaria [2] *Bar-Jeu*. Syriaca Verſio, *Barſhuma* [3], Æthiopica *Tarieſa*; Lucifer Calaritanus, *Bar-Jeſuba*; Græcum exemplar, quo Beda, aliique nonnulli utebantur, *Bar Jeſus*, hic eſt *Elymas*. Hic Judæus dicebatur, *Filius Jeha*, vel *Filius Jeſue*: hoc enim ſignificat *Bar-Jeha*, vel *Bar-Jeſu*. *Elymas* nomen eſt artis; eaque vox Arabice Magum ſignificat; unde conjicere licet, Judæum hunc advenam in Cypro Inſula fuiſſe, & fortaſſe illuc ex Arabia veniſſe. Magi nomen tunc temporis non adeo inviſum erat. Hujuſmodi homines perquirebantur propter miros effectus, quos ſuis carminibus, & præſtigiis operabantur, ſeu ad morbos pellendos, ſeu ad Dæmones ejiciendos, ſive ad res perditas inveniendas. Dæmon tunc temporis plurimos ſuſcitavit Magos, ut veris JESU CHRISTI, atque Apoſtolorum illius miraculis fidem abrogaret. Joſephus Antiq. l. 8. c. 2. verba facit de quibuſdam exorciſtis in natione ſua, qui vere Magi erant, & qui Salomonis nomen præſeferebant, quaſi artis hujus præcepta ab eo Rege accepiſſent.

℣. 7. CUM PROCONSULE SERGIO PAULO.] Qui nomine Claudii Imperatoris Cypro Inſulæ præerat. Strictè quidem Proconſulis nomen minime convenit ei viro, qui ſimpliciter Cypro præfuit; at Græci non adeo religioſi ſunt in titulis Romanorum: neque refugiunt, hac in re potius excedere. Cæterum aliquando etiam quidam ex Ciliciæ Proconſulibus huic Inſulæ præfecti fuerant, quorum nomen ſucceſſoribus fortaſſe remanſit. Hic Proconſul, vel Prætor, vel Præſes, quocumque nomine illum voces, aliunde non cognoſcitur. Sacer Auctor illum *prudentem* fuiſſe teſtatur, & deſideraſſe *audire Verbum Dei* ex ore SS. Pauli, & Barnabæ, quorum nomen jam in omnem Inſulam percrebuerat, propter eorum prædicationem, atque miracula. Illos etiam audiit, licet in oppoſitum Magus Bar-Jeſus eniteretur, & ſeſe converteret: ſed quid deinceps factum, non ſatis liquet. Putarunt quidam, illum fuiſſe primum Narbonenſem Epiſcopum. Sed eruditi quidam cenſent, illum, qui ea in Eccleſia tamquam primus Epiſcopus colitur, Proconſule noſtro duobus ſæculis eſſe recentiorem [4].

℣. 8. RESISTEBAT AUTEM ILLIS ELYMAS.] Bar-Jeſus, de quo locuti ſumus, Paulo, & Barnabæ reluctabatur, veritus, ne quam apud Proconſulem inanibus præſtigiis ſibi comparaverat auctoritatem, amitteret. *Elymas* Arabice Magum ſignificat [5]. Credunt quidam, ipſum fuiſſe ex Elymaide, ſeu ex terra Elam, vel ex Perſide, ubi Sapientes *Magi* appellantur [6]. Ludovicus de Dieu cogitans apud Judæos, Magiæ aquæ, & igni fuiſſe interdictum, & virum hunc Judaicam Religionem profiteri, *Elymæ* nomen dedit ex Hebraica [7], vel Chaldaica voce *Chaluma*, quæ ſanatorem ſignificat; quæ ſignificatio aliquam habet ſimilitudinem cum nomine *Bar-Jeſu*, quod filium ſalutis, aut valetudinis interpretantur: ſed prior Etymologia omni procul dubio melior cenſetur.

℣. 9. SAULUS, QUI & PAULUS.] Notandum eſt, hactenus Apoſtolum a S. Luca Saulum ſemper fuiſſe appellatum, ab eodem vero inferius, Paulum ſemper vocari. Quæritur hujus rei ratio. Putant quidam [8] illum Paulum fuiſſe vocatum in converſione Sergii Pauli Cypri Proconſulis, quod exiſtimavit inſigniſſimum eſſe triumphum, cujus in nomine ſuo memoriam æternam conſervare voluit. Non ſecus, ac Veteres Romanorum Imperatores ex ſuperatis Provinciis nomen ſibi ſumebant. Alii [9] putant, ab eodem Sergio Paulo hoc nomen illi fuiſſe inditum, in æſtimationis, atque amoris argumentum.

S. Johannes Chryſoſtomus [10] ait, illum immutaſſe nomen, ubi Antiochiæ ordinatus fuit; non ſecus ac S. Petrus pro *Cepha* Petrus appellatus fuit, a Jeſu Chriſto ad Apoſtolatum evocatus. S. Aſterius [11] cenſet; illum immutaſſe nomen, ubi ſenſus immutare cœpit, videlicet in converſione ſua. Alii plures [12] tenent, illum Pauli nomen, quod mere latinum eſt, non accepiſſe proprie, neque exuiſſe nomen Sauli, quod eſt Hebræum, niſi cum Gentilibus, præſertim vero Romanis, prædicare cœpit, quæ natio tunc temporis omni ferme terrarum orbi dominabatur. Denique non deſunt, qui putant [13], illum toto vitæ ſuæ tempore duplici hoc nomine fuiſſe nuncupatum, non ſecus ac plurimos alios Judæos, qui, & Græcum, & Syriacum, vel Hebraicum nomen habebant; vel etiam Græcum nomen, atque alterum latinum. Sed abjeciſſe nomen Sauli, ubi cum Ethnicis magis verſari cœpit. Pauli nomen multam habet ſimilitudinem cum nomine Sauli, non ſecus ac Jaſon cum Jeſu; Johannes cum Jano; Jeſkim cum Alcimo; Ananias cum Æneas; Silas cum Silvano: & ſic de aliis. S. Auguſtinus [14] non ſemel ait, S. Paulum humilitatis ergo hoc induiſſe nomen, quod *Parvum* ſignificat, ſed hæc ratio moralis potius, quam hiſtorica habetur. Eorum ſententia, qui putant, illum vetus Sauli nomen reliquiſſe, ut Paulus vocaretur, cum apud Gentiles prædicare cœpit, probabilior videtur.

℣. 10. PLENE OMNI DOLO, & OMNI FALLACIA.] Spiritus Sanctus inſpirat Sancto Paulo, ut his modis peccatores obduratoſque tractet. Elymam ſalubri pudore ſuffundit, ſi forte reſipuiſſet: *Non deſinis ſubvertere vias Domini rectas*; hoc eſt, minime ceſſas, quominus adverſeris divinis conſiliis, & ſubdolis ſermonibus, atque præſtigiis pervertas eos, qui Domini viam perquirere vellent. Chriſtianæ Religionis initio nihil magis obſtitit Evangelio, quam præſtigia, &

1 Fromond. Grot. alii. 2 Ita Edit. Sixt. V. & Mogunt. Colonienſ. Nuremberg. aliæ antiquiores. Sic & Hieronym. lib. de nominib. Hebr. Beda. Vide Sanct. Brugenſ. & Mill.

3 Ludovicus de Dieu hoc nomen interpretatur *filium inflationis*, ſeu *filium alterum*. Alii, *filium nominis*, virum celebrem. 4 Bolland. 22. Mart. 5 אמגושא *Magus*. In verſione Arab. Pentateuchi עלים ponitur pro Hebr. חרטמים Geneſ. 41. 8. Exod. 8. 19. Deduci poteſt ab Hebr. עלם *abdere*: quia Magiæ myſteria profitebatur. 6 Beza hic. 7 Ludov. de Dieu חלימא pro חלם *Sanare*.

8 Hieronym. in Epiſtolam ad Philemon. Auguſt. Confeſſ. lib. 8. cap. 4. Beda retract. in Acta. Ita plures a recentior. 9 Baron. ann. 35. §. 12. 13.

10 Chryſoſtom. homil. 28. in Acta. Ita Theophylact. Oecumen. & Theodoret. in Rom. 1. verſ. 1.

11 Aſter. homil. 8. pag. 137. Vide & Ambroſ. ſerm. 51. 12 Auguſt. ſerm. 315. cap. 5. Fromond. Grot. hic. 13 Bez. Druſ. Ita Origen. ſeu potius Rufin. in Epiſt. ad Rom. pag. 458.

14 Auguſt. de Spiritu, & Litt. cap. 7. & ſerm. 15. pag. 420. & in Pſalm. 72.

falſæ Pſeudo-Chriſtorum, & Pſeudo-prophetarum miracula, atque Hæreticorum infandæ libidines, qui Chriſtianorum nomen prætexebant. Bar-Jeſus ex prioribus illis erat; etiam Domini pervertebat ſcandala immiſcens, in quæ offenderent, qui nimia cum ſimplicitate ambulabant, deſideratne. Græcus [1] appoſita interrogatione legit: *Non deſines ſubvertere vias Domini rectas?*

℣. 11. Eris cæcus usque ad tempus.] & confeſtim caligo quædam ob oculos illius effuſa eſt; quærebatque aliquem, a quo manuduceretur. Hæc pœna ad tempus tantummodo erat duratura, & ſolummodo, ut cor illius flecteretur, atque pœnitentiæ Spiritus illi immitteretur. Et ſane ferunt, illum egiſſe pœnitentiam [2]: attamen Scriptores quidam [3] putant, vel converſum non fuiſſe, vel ſaltem converſionem ejus non fuiſſe diuturnam, quoniam Auctor Libri nominum divinorum c. 8. quod S. Dionyſio Areopagitæ tribuitur, nonnihil ex Mago Elyma profert contra ſecundam S. Pauli ad Timotheum epiſtolam. Verum cum hoc opus, quod Elymæ tradunt, neque ab Origene, neque a S. Chryſoſtomo cognitum fuerit, atque Auctor Libri de nominibus divinis ſit Scriptor parum accuratus, & parum tutus, haud hæſitanter illius teſtimonium rejici poteſt; quandoquidem ſuppetit teſtimonium Johannis Chryſoſtomi, & Origenis, qui de converſione Bar Jeſu verba faciunt, quin de ejuſdem apoſtaſia loquantur. Idem S. Lucæ textus in hunc locum ejuſdem converſionem indigitat. Cur enim perfunctoris cæcitate percutitur, ſi ab eo cæcitas evaneſcenda non erat?

℣. 13. Venerunt Pergen Pamphyliæ.] Paphi in Cypro Inſula navem conſcenderunt, & occaſum verſus progreſſi pervenerunt in oras Pamphyliæ, quæ Provinciæ eſt Aſiæ minoris ſatis procul a Cypro Inſula poſita. Adverſo flumine Ceſtro enavigarunt, ut aſſequerentur Pergen; nam ea Civitas non erat maritima [4]; vel ſaltem cum navi deſcendiſſent Attaliæ, terreſtri itinere Pergen contenderunt, quæ non procul aberat. Hæc Civitas inſignis eſt Dianæ Templo in monte prope Urbem poſito [5].

Johannes autem discedens ab eis.] Johannes Marcus laboribus, & periculis [6], quæ plerumque cum longis itineribus, & Evangelii prædicatione apud Judæos indociles, atque Ethnicos qui Idololatriam adamabant, fatigatus Jeroſolymam rediit. Cum ergo in Pamphyliam veniſſet a Paulo, & Barnaba receſſit; & Jeroſolymam ad Matrem [7] reverſus eſt. Hæc illius inconſtantia, & levitas S. Paulo minime placuerunt, qui deinde noluit, ut ſecum iterum Johannes Marcus veniret. Act. 15. 38.

℣. 14. Antiochiam Piſidiæ.] Plures erant in Aſia Civitates Antiochiæ, & duodecim ferme numerabantur. Hæc autem erat in Piſidia Aſiæ Minoris Provinciæ Pamphyliæ contermina; ad cujus Boream Phrygia, ad Auſtrum vero Pamphylia protendebatur. S. Paulus cum S. Barnaba magis, magiſque intra eam regionem progrediebantur.

Ingressi Synagogam die Sabbathorum [8].] Sabbatho videlicet, quamvis hic aliqui de die Dominica intelligant [9]: Sed plerique [10] hoc explicant de uno ex Sabbathis, quæ illi Antiochiæ in Piſidia tranſegerunt; nam licet Judæi quotidie ter in Synagoga congregarentur oratum, tamen illuc adeſſe minime tenentur, ibique Lex ſolemniter non recitatur, non prædicatur, neque hæ peraguntur ceremoniæ, quæ hoc in loco memorantur. Verſiculi 43. & 44. ubi legimus Paulum & Barnabam rogatos fuiſſe, ut iterum ſequenti Sabbato loquerentur hanc explicationem confirmant.

℣. 15. Post lectionem Legis, & Prophetarum, miserunt Principes Synagogæ,] qui illos incitarent, ut rurſus loquerentur. Hæc vetus eſt conſuetudo, atque apud Judæos generalis, ut Sabbatho in Synagogis Lex & Prophetæ legantur [11]. Synagogæ Principes, Seniores, illi, quorum erat loqui, & erudire, hunc honorem deferebant hoſpitibus, quos doctos crederent, ut illos ad loquendum invitarent, quemadmodum in Eccleſia Chriſtiana Epiſcopi alii aliis viciſſim in Eccleſiis ſuis honorem hunc deferebant, & qui acceſſerat hoſpes, rogabatur, ut loqueretur, & ſacrificium offerret. Cum S. S. Paulus, & Barnabas multos jam dies in ea eſſent Urbe, cumque intellectum eſſet, eos in Lege apprime eſſe eruditos, fieri non poterat, quominus urbanitatis ergo ad loquendum invitarentur.

℣. 16. Viri Israelitæ, & qui timetis Deum.] Iſraelitæ, cum nativitate, tum Religione, & eos Proſelyti ad Judaicam Religionem converſi; vel ſimpliciter Proſelyti *portæ*, vel domicilii, hoc eſt qui Idololatriam abdicaſtis, &, quin legis obſervantiæ vos met addixeritis, Legem naturalem obſervatis, ut olim Naaman [12], & mox Cornelius Centurio [13]. Hujuſmodi Proſelytis minime intercludebatur aditus in Synagogas: illis permittebatur, ut Legis lectionem audirent, non autem ut Paſcha celebrarent, atque dierum feſtorum Iſrael participes eſſent.

℣. 18. Per quadraginta annorum tempus.] Illorum mores paſſus eſt, quia tamen probaret, illos non dereliquit, neque ſimul omnes perdidit quemadmodum merebantur; ſed quadraginta annos patientiam habuit, omnemque eorum indocilitatem, murmurationem, inobedientiam pertulit. Græcus typis editus [14] huic ſenſui conformis eſt [15]; ſed optimi quidam MSS. legunt *aluit eos annis quadraginta*; illos bonis cumulavit, & ſuis tamquam illorum Pater, atque nutriit, quod ex Deuteronomio deſumptum eſt cap. 1. ℣. 31. & quod ſenſum exſtruit longe meliorem.

℣. 19. Destruens gentes septem] in terra Chanaan illis earum terras diſtribuit. Cum Joſue in Chananitidem Hebræos introduxiſſet, populi ſeptem numero deleti fuerunt: *Chananæi, Hethæi, Gergeſæi, Amorrhæi, Hevæi, Pherezæi, & Jebuſæi*. In aliis Scripturæ locis undecim recenſentur populi, qui terram Chanaan incolebant, & quorum terras Deus Hebræis ſpoponderat, ſed quidam fuerunt, quos Joſue non vicit, & quidam, qui fuga ſibi conſuluerunt, vel cum aliorum turba fuerunt permixti; ex. g. *Aradii, Aracæi, Gergeſæi, Sinæi, Amathæi, & Samaræi*. Gen. 10. 15.

℣. 20. Quasi post quadringentos, & quinquaginta annos.] Hoc cum ſuperioribus connectendum eſt; *Deus Plebis Iſrael elegit Patres noſtros* in Abraham, illis promiſit terram Chanaan, & poſt quadringentos, & quinquaginta annos ab illius promiſſione, & nativitate Iſaac, qui promiſſionum Filius erat, atque hæres, illos introduxit ad poſſeſſionem Regionis illius, quam illis jampridem ſpoponderat.

---

1 Οὐ παύῃ διαστρέφων τὰς ὁδοὺς Κυρίου τὰς εὐθείας. 2 Origen. in Exod. ex edit. Huet. p. 22. 23. Chryſoſt. in Acta homil. 28. Iſidor. Grot. alii. 3 Baron. ad an. 46. Sanct. & From. & Cornel. hic.

4 Strabo, lib. 14. eam locat 60. ſtadiis, vel duabus circiter leucis a mari diſſitam.

5 Strabo ibidem. 6 Chryſoſt. Gres. Men. Tir. Fromond. alii. 7 Vide Act. 12. 12.

8 Τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων. 9 Martianæus in Notis in hunc locum.

10 Sanct. Cornel. Fromond. alii paſſim. In 1. Macchab. 1. 32. 34. 41. 9. 34. 43. *Dies ſabbathorum*, certe ſignificat diem Sabbathi. Vide quoque Matth. 12. 2. *Quod non licet facere ſabbathis*. Ita & verſ. 5. 10. 11. 12. & paſſim.

11 Act. 13. 27. *Ignorantes voces Prophetarum, quæ per omne ſabbathum leguntur*. Vide Philon. de vita Moſ. lib. 3. & Legat. ad Cajum. 12 4. Reg. 5. 17. 18. 13 Act. 10. 2. 15. 16. 26. & 17. 4.

14 Ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς ἐν τῇ ἐρήμῳ. 15 Alex. Cant. G. L. Ἐτροφοφόρησεν αὐτούς, Lat. *Ac ſi nutrix aluit*. Ita & Syr. Arab. Æth. Heſych. Author. Conſtit. Apoſt. lib. 7. cap. 36. Ἐτροποφόρησεν (lege ἐτροφοφόρησεν αὐτοὺς ἐν τῇ ἐ[illegible]), Et ita Deut. 1. 31. Editiones 70. Rom. Venet. Cod. Alex. Syr. Calarit. Athan. Vide Mill. hic. & Ludov. de Dieu.

Digitized by Google

ret. Ulterius nativitatem Iſaac ſtatuit anno ab orbe condito 2108 ingreſſum vero in terram promiſſam anno 2553. Ita meliores Interpretes hoc explicant [1].

℣. 21. DEDIT ILLIS SAUL ANNIS QUADRAGINTA,] ex quo unctus fuit, & conſecratus a Samuele uſque ad mortem illius. Hoc temporis intervallo Samuel non modicam obtinuit in regimine partem, & David ab eodem Propheta Rex fuit inunctus. At S. Paulus quum ad examen revocet jura Davidis, & Saulis reprobationem, ait, Regem hunc quadraginta annos regnaſſe ab anno orbis conditi 2909. uſque ad 2949. Vide Commentarium in 1. Reg. 13. 1.

℣. 22. DAVID VIRUM SECUNDUM COR MEUM.] virum, qui mihi jucundus eſt, qui talis eſt, qualem opto ad id muneris, ad quod illum deſtino. S. Paulus ſibi alludere ad ea, quæ in primo Regum libro 13. 14. leguntur: *quæſivit Dominus virum juxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, ut eſſet Dux ſuper populum ſuum*: & ad ea Pſalmi 88. 21. verba *exaltavi electum de plebe mea: inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum*. Peccata, in quæ lapſus eſt David, dum regnaret, effecerunt, ut ad tempus Domini gratiam amitteret: ſed per pœnitentiam, atque humilem reditum ſuum ad Deum, meritus eſt, ut in ſe præclarum, ſpecioſumque hoc nomen confirmaretur, Viri ſecundum cor Dei [2].

℣. 23. HUJUS DEUS EX SEMINE EDUXIT SALVATOREM JESU [3].] Ad hoc S. Paulus prolixa illa præfatione tendebat. Oſtendere cupit Judæis, JESUM verum eſſe Meſſiam, & ſolum Salvatorem Iſrael, idque ſecundum Scripturas, quæ ex ſemine David Iſraelitis ſalutem pollicentur. Inde prodire debebat *germen* illud, de quo toties Prophetæ [4] loquuntur, & quod populi ſui ſalus, atque felicitas erat futurum.

℣. 24. PRÆDICANTE JOHANNE,] ut populum ad Meſſiam recipiendum præpararet. Johannis fama apud omnes Judæos etiam remotiſſimos quales ſunt illi, qui in Piſidia incolebant, & ad quos tunc S. Paulus prædicabat, late percrebuerat: Ille enim in populo habitus fuerat tamquam ex præcipuis nationis ſuæ luminibus; ideoque teſtimonium illius apud Judæos nonnisi maximi momenti eſſe debebat. At certum eſt, illum numquam pro Meſſia fuiſſe habitum. Immo illum pro virili exploſiſſe eorum ſententias, quibus ſuſpicio oborta erat, ſe Meſſiam eſſe; immo palam, nec ſemel prædicaverat, JESUM illum eſſe, qui communibus omnium votis tandiu, atque tantopere expetebatur. Utitur S. Paulus hoc S. Johannis Baptiſtæ teſtimonio, ut Judæos, qui Antiochiæ in Piſidia erant, converteret.

℣. 25. CUM IMPLERET CURSUM SUUM] miniſterium ſuum, vitam ſuam [5] dicebat: *quem me arbitramini eſſe*. Opinamini fortaſſe, me eſſe Meſſiam; at veſtra vos fallit opinio: non ſum; ſed venit alius poſt me, qui omnem ſpem, atque expectationem veſtram replebit. Hic eſt JESUS CHRISTUS, cujus non ſum dignus ſolvere corrigias calceamentorum. Hæc eadem ſunt verba, quæ in Evangelio leguntur [6], & quæ oſtendunt, S. Johannem ſe tamquam minimum inter JESU CHRISTI ſervos habuiſſe. Neque illos hæreſe ſinit, quærentes, quinam ille ſit, de quo loquebatur; hunc turbis, quæ circa ipſum ad Jordanem aderant, digito oſtendit, ad eum præcipuos ex diſcipulis ſuis miſit [7], ut miraculoſa illius facta conſpicerent, atque illum cognoſcerent, & in illius ſequelam concederent, ubi ipſe ex humanis deceſſiſſet.

℣. 26. VOBIS VERBUM SALUTIS HUJUS MISSUM EST.] Patres noſtri promiſſiones acceperunt; vos earum complementum obtinuiſtis. Prophetæ Meſſiæ adventum prædixerunt, Johannes Baptiſta illum annuntiavit, deſignavit, manu ſua oſtendit. Ad vos felix hoc nuncium adfertur, veſtrum eſt fructum capere ex ea felicitate, quæ vobis offertur. Ab ipſo JESU CHRISTO miſſi ſumus, ut Evangelium ſuum vobis nuntiemus, atque vos participes efficiamus ſalutis, quam mortalibus omnibus vult impertire. Veſtra intereſt vos tanto favore dignos præbere. Quidam [8] pro *Salutis verbo* Dei Filium intelligunt, Verbum carnem factum, in mundum ad noſtram ſalutem miſſum. Sed prior ſenſus minus a Litteræ ſenſu recedit.

℣. 27. HUNC IGNORANTES.] Jeroſolymitani cum hunc minime agnoviſſent Meſſiam eſſe, & Mundi Salvatorem, neque aſſecuti fuiſſent Prophetarum verba, qui multifariam, atque palam eumdem prædixerant, adimpleverunt præter voluntatem Prophetias, illum morte damnantes. Profecto ſi JESUS CHRISTUS mortem non ſubiiſſet, proditus, derelictus, cruciatus, flagellis cæſus, ſpinis coronatus, Cruci confixus non fuiſſet; quomodonam in ipſo inveniſſemus virum illum dolorum, ſaturatum opprobriis, pedes, manuſque perforatas habentem, pro ſceleribus noſtris morientem, & velut agnum ad mortem abreptum? quomodo ille fuiſſet piaculum pro totius mundi peccatis; quomodo reſurrexiſſet, & in gloriam ſuam fuiſſet ingreſſus. Hæc omnia, humilitas æque, & gloria ipſius palam nobis fuerant prædicta. Ita etiam textum vertere poſſumus [9]: *qui habitant Jeroſolyma adimpleverunt, quia neſcirent, Prophetias, illum damnantes*; ita ut vox illa, *ignorantes* ad damnationem, non ad JESU CHRISTI perſonam referatur [10].

℣. 29. CUMQUE CONSUMMASSET . . . . DEPONENTES DE LIGNO.] Videtur S. Paulus iiſdem Judæis, qui JESUM CHRISTUM Cruci affixerant referre, quod eumdem de Cruce depoſuerint, atque in ſepulchrum intulerint. Verum cum hoc in loco minime accurata narratio requiratur eorum, quæ tunc acciderant, ſufficit S. Paulo tam rudi, ut ajunt, craſſaque Minerva, referre, quin ejus circumſtantias operoſius perſequatur. Illius enim conſilio ſufficiebat oſtendere, JESUM CHRISTUM Judæorum odio Cruci fuiſſe confixum, mortuum eſſe, atque in ſepulchrum elatum, atque inde cum ex propria virtute reſurrexiſſet, deinde compluribus apparuiſſe, qui cum ipſo ad Paſchatis feſtivitatem ex Galilæa Jeroſolymam venerant.

℣. 31. TESTES EJUS SUNT;] adhuc vivunt, & ſe illum vidiſſe; eum attrectaſſe; cum eo collocutos eſſe; cum eodem bibiſſe, & manducaſſe teſtantur. Hoc minime antiquum eſt, ambiguum, a noſtris hiſce temporibus procul poſitum. Teſtes adſero complures, qui adhuc inter vivos verſantur. Neque S. Paulus, neque S. Barnabas JESUM CHRISTUM, dum viveret, cognoverant; immo neque poſt Reſurrectionem viderant.

℣. 33. DEUS ADIMPLEVIT FILIIS NOSTRIS.] Græcus [11]; *Deus adimplevit hoc nobis, qui ſumus illorum Filii*. Si Vulgatam ſequamur, dicemus oportet, S. Paulum innuere eos, qui tunc temporis cum filiis ſuis vivebant, incœpiſſe videre promiſſionum complementum; ſed filios eorum hoc perfruituros majori bono, quod omnia plane adimpleta videbant. Profecto JESU CHRISTI Regnum non ſatis refulſit, niſi poſt mortem Apo-

1 Beda, Sanct. Cornel. Fromond. Barth. Petit. Grot. Jun. Deuſ. Lud. Glaſſ. alii.
2 Aug. quæſt. 8. ad Dulcit. Fromond. hic.   3 Græc. Ἤγειρε τῷ Ἰσραὴλ σωτῆρα Ἰησοῦν. *Suſcitavit Iſraeli ſervatorem Jeſum*. At plerique MSS. Vulgatæ conſonant: Ἤγαγε, *Eduxit*. Ita plerique. Et pro σωτῆρα Ἰησοῦν plures legunt, σωτηρίαν Ἰησοῦ; vel ſimpliciter, σωτηρίαν, ſine Ἰησοῦ. *Per ſtirpem David ſalutem Iſraeli peperit*.   4 Iſai. 11. 1. Jerem. 23. 5. 33. 15. Ezech. 34. 29. Zach. 3. 8. 6. 12. ex Hebr.
5 Confer Act. 20. 24. *Dummodo conſummem curſum meum, & miniſterium verbi*, &c. Et 2. Timot. 4. 7. *Curſum conſummavi, fidem ſervavi, &c.*   6 Joan. 1. 27. Matth. 3. 2. Marc. 1. 7. Luc. 3. 16.
7 Joan. 7. 18. 19. 20.   8 Syr. Lyr. Menoch.   9. Τοῦτον ἀγνοήσαντες, καὶ τὰς φωνὰς τῶν προφητῶν... ἀγνοήσαντες ἐπλήρωσαν.   10 Ita Syr. Arab. Ludov. de Dieu, Hemm. Cnatchbul.
11 Ὅτι ταύτην ὁ Θεὸς ἐκπεπλήρωκε τοῖς τέκνοις αὐτῶν ἡμῖν, At plures MSS. legunt: Τοῖς τέκνοις ἡμῶν. *Filiis noſtris*, juxta Vulgatam. Ita Alex. Cantab. Barber. 6. Æth. Heb. Codex Bedæ, alii quidam apud Bez. Edit. Sixti V. *Filiis veſtris*. Clem. VIII. *Filiis noſtris*. Aliqua alia, *Filiis ſuis, aut filiis Iſrael*. Vide Brug. hic

Apoſtolorum, tertio tandem, quarto, & quinto ſæculo Eccleſiæ. Primum, alterumque ſæculum magis quidem, & merito, & ſanctitate eorum, qui JESU CHRISTI Eccleſiam componebant, floruerunt: ſubſequentia vero magis glorioſa, atque illuſtria fuerunt propter numerum, & dignitatem eorum, qui Evangelicam doctrinam amplexi ſunt.

SICUT IN PSALMO SECUNDO &c.] Complura exemplaria [1] legunt *in Pſalmo primo*, & alia [2] *in Pſalmis*; quin vel primum, vel ſecundum afferant, ad evitandam omnem contentionem, quam hac de re futuram intuebantur; aliis aſſerentibus, allatum locum eſſe depromptum ex Pſalmo primo juxta Hebraicum textum [3], aliis vero affirmantibus, ad alterum ſpectare juxta Græcorum diſtributionem: ſe autem hæc nominum eſt mera difficultas. In commentariis in Pſalmos oſtendimus, hos nequaquam ſemper ita fuiſſe diviſos, uti nunc ſunt, & ſæpius vel ex pluribus unum, vel ex uno nonnumquam plures factos fuiſſe. Ævo Kimchi [4], qui duodecimo, vel decimo tertio vivebat ſæculo, ipſa etiam Hebræorum exemplaria in Pſalmorum diviſione ſibi non ſatis conſtabant. Plurima enim unum dumtaxat Pſalmum ex primo, & altero componebant. Ea tamen lectio, quæ habet *in Pſalmo primo*, melior videtur, & antiquior: quæ vero legit *in Pſalmo ſecundo*, videtur quædam fuiſſe deinde addita caſtigatio. Origenes, Tertullianus, S. S. Cyprianus, Juſtinus, Hilarius, Hieronymus legebant *in Pſalmo primo*.

FILIUS MEUS ES TU: EGO HODIE GENUI TE.] Satis patet, S. Paulum hæc verba ad JESU CHRISTI Reſurrectionem transferre, quam ille reſpicit velut alteram recentis vitæ nativitatem. Orientis Reges diem, qua ad ſolium evehebantur, tamquam natalitium celebrabant: immo & dies hæc Regis natalitia dicebatur [5]. Jeſu Chriſti Reſurrectio habetur tamquam glorioſa dies Regni humanitatis ejuſdem cum divinitate conjunctæ, quo in ſenſu belle nativitas ejus poteſt nuncupari. Quoad hujus loci verba, Patres [6] illa ut plurimum explicant de Æterna Verbi generatione, atque [7] nonnulli ad temporalem etiam transferunt nativitatem: ſed quocumque modo intelligantur, perfecte Jeſu Chriſto conveniunt. In æterna generatione *hodie* genitus eſt a Patre. Hoc *hodie* omnem ſignificat æternitatem, in qua nihil præteritum eſt, futurum nihil. In generatione autem, vel nativitate temporali, *hodie* diem nativitatis ſignificat, qua in mundum prodiit, & æternitatem, in qua ſemper ſubſiſtit. Hoc ipſum ajo de illius Reſurrectione; ubi *hodie* duo ſignificat, & Dei-hominis regenerationem, & Dei æternitatem. Humanitas Regnum incipit, quod nondum viderat [8]: divinitas ibi imperium continuat, quod numquam interruperat.

℣. 34. DABO VOBIS SANCTA DAVID FIDELIA.] Adimplebo ea, quæ Davidi pollicitus ſum: dabo vobis Sanctuarium fidele, & permanens; vel jusjurandum fidele. Fideliter exequar, quidquid jurejurando illi ſpopondi. Apoſtolus ſecutus eſt hoc in loco Verſionem Septuaginta [9]; ſed Hebræus [10] legit: *dabo vobis miſericordias David, quæ ſunt fideles*; hoc eſt; videbitis complementum promiſſionum miſericordia refertiſſimarum, quas feci David, & quæ numquam antiquabuntur, neque ſuo carebunt effectu. At quænam hæ ſunt promiſſiones [11]? illi æternum propitius ero, & fœdus, quod cum illo percuſſi, non delebitur, *& ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus: & thronum ejus ſicut dies Cæli*. Atqui, niſi reſurrexiſſet Jeſus Chriſtus æternum regnaturus, quomodo dici poſſent adimpletæ promiſſiones, quas Deus fecerat David? Ubi eſſet hoc Regnum, hoc æternum ſolium, quod illi pollicetur?

℣. 35. NON DABIS SANCTUM TUUM VIDERE CORRUPTIONEM.] Hæc verba ex Pſalmo 15. ℣. 10. a S. Petro [12] jam uſurpata fuerant ad Jeſu Chriſti Reſurrectionem probandam. Et ſane, de quo alio explicari poſſent? quinam eſt ille mortalis, qui poſt mortem minime computruerit; & ipſe David huic malo obnoxius fuit ℣. 36.

℣. 39. AB OMNIBUS, QUIBUS NON POTUISTIS IN LEGE MOYSI JUSTIFICARI.] Sane plurima erant peccata, quorum remiſſionem Lex non pollicebatur, & quæ antiquis ſacrificiis expiari non poterant; atque id genus erant illa omnia, quibus pœna mortis addita fuerat; puta idololatria, adulterium, perjurium, blaſphemia, cædes, aliaque non pauca. Sed ex his omnibus ſceleribus Jeſu Chriſti ſanguine poſſumus expiari; dummodo eam fidem habeamus, quæ ſit cum charitate conjuncta; & dummodo per Pœnitentiam, Baptiſmum, juſtam, atque innocentem vitam participes efficiamur meritorum Salvatoris.

℣. 40. IN PROPHETIS.] In Propheta Habacuc c. 1. 5. Conſuevit S. Lucas librum duodecim Minorum Prophetarum ſub Prophetarum nomine generatim, vel nomine Libri Prophetarum appellare [13].

℣. 41. VIDETE, CONTEMPTORES, ET ADMIRAMINI.] Græcus [14]: *videte vos, qui contemnitis, admiramini, atque deliteſcite*. Septuaginta [15] in Habacuc, unde hic locus depromptus eſt: *videte, qui contemnitis, conſiderate, obſtupeſcite, & evaneſcite*. Hebræus [16]: *videte inter gentes, conſiderate, admiramini, obſtupeſcite*. Habacuc hoc in loco minitatur Iſraelitis Chaldæorum adventum, atque ipſorum Urbis excidium: *Opus operor in diebus veſtris: opus, quod non credetis, ſi quis enarraverit vobis*. Has minas S. Paulus transfert ad Judæos incredulos; & ait, niſi ſe veritati dediderint, malaipſis impendere, illorum ſimilia, quæ Hebræis Nabuchodonoſor, & Chaldæis perculerant. Verba Apoſtoli aliud non erant, niſi imago vocis Jeſu Chriſti, eaſque minas nequaquam vanas eſſe probavit eventus, cum Romani Jeroſolymam adorti ea fanda, infandaque omnia peregerunt, quæ nemo unus ignorat.

℣. 42. ROGABANT, UT SEQUENTI SABBATHO LOQUERETUR.] Synagogæ principibus, ac cœtui univerſo S. Pauli ſermo adeo placuit, ut rogatus fuerit in Synagogam redire, ibique & in ſequenti Sabbatho ſermonem habere. Græcus, [17] typis editus legit: *Gentiles eum orarunt, ut ad ipſos Sabbathi inter utrumque ſeque-*

1 Complut. Gr. Lat. Ald. Frob. Oecumen. Tertull. lib. 4. contra Marcion. Cyprian. Hilar. Hieronym. Vide Brug. & Mill. hic. 2 Exemplar. Gr. Beda, Codd. Latini aliquot apud Eraſm. & Brug. &c.
3 Vide Hieronym. ſeu alium ſub ejus nomine, in Pſalm. 1. & 2. & Origen. Fragm. in nov. edit. Hexapl. ad cap. 1. Pſalm. 4 Kimchi in Pſalmos. Vide & Origen. loco proxime citato.
5 Vide Geneſ. 40. 20. Matth. 14. 6. Oſee 7. 5. Heinſ. exercit. ſacr. p. 48.
6 Auguſt. in Pſalm. 2. Chryſoſtom. Theophylact. Oecumen. in Hebr. 1. Cyprian. lib. 2. Teſtimon. alii paſſim. Vide Sanct. & Cornel. hic, & alios in Pſalm. 109. 3.
7 Hebr. 1. 5. Vide Interpp. ibidem. 8 Matth. 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*. Vide Juſtin. Dialog. cum Tryphon. 9 Δώσω ὑμῖν τὰ ὅσια Δαυὶδ τὰ πιστά.
10 Iſai. 55. 3. Διαθήσομαι ὑμῖν διαθήκην αἰώνιον, τὰ ὅσια Δαυὶδ τὰ πιστά.
11 חסדי דוד הנאמנים 12 Pſalm. 88. 29. 30. Vide Sanct. hic.
13 Act. 2. 31. 14 Vide Act. 7. 42. *Scriptum eſt libro Prophetarum*. 14. 25. *Huic conſonant verba Prophetarum, &c.* 15 Ἴδετε, οἱ καταφρονηταί, θαυμάσατε, καὶ ἀφανίσθητε. Quid. A. ἴδετε, οἱ καταφρονηταί, καὶ ἐπιβλέψατε, καὶ θαυμάσατε. Alii, καὶ θαυμάσατε, καὶ ἐπιβλέψατε.
16 Ἴδετε, οἱ καταφρονηταί, καὶ ἐπιβλέψατε, καὶ θαυμάσατε θαυμάσια, καὶ ἀφανίσθητε.
17 ראו בגוים והביטו והתמהו תמהו 18 Παρεκάλουν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι. At plura exemplaria omittunt, τὰ ἔθνη. Et pro εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον. Ms. Cantabrig. legit, εἰς τὸ ἑξῆς σάββατον. Aliqui Εἰς τὸ ἑξῆς, &c. Scaliger, Caſaub. Grot. Glaſſ. legi vellent, Εἰς μεταξὺ σαββάτων, ideſt dies inter duo ſabbata.

loquerentur : quod enuimes patitur difficultates, Licet enim minime negemus, quoſdam fortaſſe in cœtu Gentiles fuiſſe, quemadmodum plane quidam erant proſelyti, non ſatis liquet, cur Ethnici potius quam Judæi caperent, ut S.S. Paulus, & Barnabas illuc reverterentur; quoniam Apoſtolus nihil ad eos dixeret, & nihil protulerat, quod ad ipſos peculiariter pertineret. Secundo plurimi Græci MSS. Cophtus, & Arabs, non ſecus ac Vulgata *Gentilium* non meminerunt, ſed habent ſimpliciter *rogabant* &c.

Sabbathum intermedium, nova eſt difficultaria otigo: eliis eſſerentibus, non deeſſe mendum in textu, & legendum eſſe: *rogarunt, ut loqueretur adhuc diebus qui poſt eam diem uſque ad Sabbathum ſequens*. Judæi pietetis ergo ter quotidie in Synagogam conveniunt, preces aliquot recitaturi [1]; idque præcipue feriis ſecunda, & quinta. Illis diebus, inquiunt, aptabat populus adhuc S. Paulum de eodem argumento audire loquentem. Alii [2], quin textum immutent, credunt, ea in hebdomada Neomeniam, vel menſis alicujus Kalender, vel aliam quamlibet contigiſſe feſtivitatem, qua ipſi ſimul erant conventuri, & qua cupiebant, ut S. Paulus loqueretur. Liquet, Judæos plerumque omnes feſtos dies *Sabbathi* nomine appellare. Eruditi quidam Interpreter [3] et ipſis etiam Proteſtantibus Vulgatæ lectionem tuentur, atque apud Græcos Auctores ſimiles oſtendunt locutiones, quæ ſignificant, non quod eſt inter utrumque, ſed quod priori ſuccedit, & illud conſequitur. Illud vero denique omnem auferre videtur dubitationem, quod S. Lucas infra ℣. 44. explicite ait: Sabbatho inſequenti omnem ferme Civitatem ad S. Paulum audiendum conveniſſe.

A

℣. 43. Multi Judæorum, et colentium Advenarum.] Primus S. Pauli ſermo complures convertit, & Judæos indigenas, & Gentiles ad Judaicam Religionem converſos, vel ſimpliciter Proſelytos forium quemadmodum in ℣. 16. explicuimus. Paulus, & Barnabas *ſuadebant eis, ut permanerent in gratia Dei*; in doctrina Evangelica, quam receperant, & in gratia, quæ e Deo donati fuerant, qui illorum mentem, animumque aperuit, ut has veritates audirent, atque adamarent. Sedulo pretioſum hoc depoſitum ſervate, & efficite, ut ſemen, quod jecit Deus in corda veſtra, fructum ferat [4]. Hujuſmodi homines adhuc erant Catechumeni; & S. Paulus eorum Baptiſmum differebat, donec magis ea callerent, quæ ad Religionem pertinent, atque in fide convaleſcerent.

B

℣. 44. Sequenti Sabbatho [5] pene universa civitas convenit.] Cum Judæi, tum Ethnici fama eloquentiæ Pauli, atque doctrinæ illius novitate illecti.

℣. 45. Videntes turbas Judæi.] Invidentes, quod Ethnici Apoſtolos ſollicite audirent, perinde ac ſi doctrina, quam prædicabant ad illos ſpectaret, & irritati, quod videbant Gentiles in Synagogam ſine ordine, ſine lege, tumultuoſe, & catervatim irruentes, indignati ſunt. Illud vero majorem Judæis illis crucem figebat, quod S. Paulus fortaſſe jam ad Ethnicos locutus fuerat, eiſque ſpem aperuerat, futurum ut ipſis Evangelii, ac fidei januam panderet, quin illos cogeret, ut Moſaicis Legibus ſubjicerentur: quod efficeret, ut Gentiles quidem ſummopere illum audirent; Judæi vero in Ethnicos ſumma flagrarent invidia.

C

Contradicebant blasphemantes.] Aſſerebant, Jeſum non eſſe Meſſiam, dicebant Paulum, & Barnabam tenebriones eſſe, atque Pſeudo-prophetas: Jeſum vero ſceleſtiſſimum hominem ob nefaria ipſius flagitia extremo affectum ſupplicio jactitabant. Græcus legit [6] *contradicebant iis, quæ dicebat S. Paulus contradicentes, & blasphemantes*: quod contradicendi effectationem, & pertinaciam quamdam ſignificat.

D

℣. 46. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei.] Ita enim præceperat Dominus: *ite*, ajebat ille Diſcipulis ſuis [7], *ite ad oves, quæ perierunt domus Iſrael*: & Matth. 15. 24. *non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael.... non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Denique poſt Reſurrectionem ſuam juſſit, illos Evangelium prædicare *in omnes gentes, incipientes ab Jeroſolyma* [8], & a Judæis. Æquum erat, ut promiſſionum filii, Patriarcharum poſteri, Jeſu Chriſti fratres, progenies Abrahami, & David, prima eſſet, cui ſalutis Evangelium prædicaretur, *ſed*, addit S. Paulus, *quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ* [9]; quandoquidem vos auditu abnuentes per, incredulitatem veſtram voſmetipſos judicatis, atque in vos contorquetis damnationem e Domino, & Chriſto ejus prolatam in eos, qui oculos luminibus, & animum præceptis ejus obſtruerent, *ecce convertimur ad gentes; ſic enim præcepit nobis Dominus*, Matth. 28. 19. *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et Marc. 16. 15. *prædicate Evangelium omni Creaturæ*. Denique Luc. 24. 47. *oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jeroſolyma*.

℣. 47. Posui te in lucem gentium.] S. Paulus nullum profert Jeſu Chriſti verbum præcipientis, ut Gentilibus Evangelium prædicaretur; Judæi, qui illi contradicebant, teſtimonium illud in ludibrium vertiſſent: ſed Iſajam profert, qui de Meſſia loquens explicite cap. 49. 6. ait, illum futurum Domini lucem inter gentes, earumque fore Salvatorem, & liberatorem uſque ad extremos fines terræ, quæ verba Judæos quidem furore, Ethnicos vero maxima lætitia cumularunt.

℣. 48. Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam.] Quidam hæc verba intelligunt, quaſi innuerent certitudinem prædeſtinationis ad gloriam ac Cœli Beatitudinem. Illi omnes fidem receperunt, qui gratuito, & efficaciter ad gloriam erant prædeſtinati [10]. Deus illis tunc elargitus eſt dona, & gratias, quas illis ab æterno præparaverat, & perſtitit deinceps ſuam illis opem conferre, atque perſeverantiam tribuere, qua indiguerunt, ut ad eum finem, ad quem a Deo deſtinati erant, pervenirent.

Credunt alii, iſthic præcipue, atque directe agi de prædeſtinatione, & vocatione ad vitam fidei, & gratiæ. Cum Deus eos homines ad fidem prædeſtinaſſet; dedit illis ſuæ gratiæ donum; animum, & mentem aperuit, atque illis amorem, & ſenſum veritatis, quæ illis prædicata fuerat, inſpiravit. Denique ſuavi quidem, ſed vehementi vi illos illexit, ut Evangelium amplecterentur.

E

Grotius, Tilenus, Hammondius, Medus, Clericus, aliique nonnulli [11] tenent, hic minime agi de prædeſtinatione Dei, neque ad gloriam, neque ad fidem; ſed dumtaxat de illis diſpoſitionibus, quibus præditi erant illi, ad quos S. Paulus prædicabat. Alii quidam erant Judæi pertinaces, qui contra Jesum Chri-

1 Vide Ligfoot. hic, & Leon. Mutin. cærem. Jud. part. 1. cap. 11.

2 Bertram. Lucubr. Frankendal. 7. 3 Monian. Capell. Eraſm. Tigur. Æth. Ludov. de Dieu; alii,

4 Vide Hebr. 12. 15. *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei*. 1. Petr. 5. 12. *Conteſtans, hanc eſſe veram gratiam Dei, in qua ſtatis*. Vide & Act. 14. 3. 20. 24. 32.

5 Τῷ δὲ ἐρχομένῳ σαββάτῳ. Alii melius: Τῷ τε; vel τῷ δ' ἐχομένῳ σαββάτῳ. Ita Alex. Laud. 3. & alii. Ἐχομένῳ ſignificat *ſequens*. Vide infra cap. 21, 15. & 26. Luc. 13. 33.

6 Ἀντέλεγον τοῖς ὑπὸ τοῦ Παύλου λεγομένοις, ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες. Verum hæc vox ἀντιλέγοντες in pluribus MSS. deſideratur. 7 Matth. 10. 6. 8 Luc. 24. 47. & Act. 2. 8.

9 Priceus plures loquendi modos, huic ſimiles, e probatis Auctoribus Græcis, & Latinis congeſſit,

10 Auguſt. paſſim, Cajetanus, Carthuſianus, Eſt. Fromond.

11 Vide Vaſquez, tom. 1. 1. part. diſput. 89. cap. 12. Stapleton Antidot. in Acta, Leſſ. de prædeſtinat. et reprobat. Angel. ſect. 3. apud Sacch. hic. Vide et Cornel. Menoch.

ctum blaſphemias evomebant, vel Ethnici, qui Apoſtolos irridebant; alii vero Judæi dociles, vel Ethnici Deum metuentes. Hi vocantur *præordinati ad vitam*, diſpoſiti ad vitæ verbum recipiendum, prorſus oppoſiti aliis, qui verbum ipſum aggrediebantur, vel irridebant, & qui *ſe æterna vita indignos cenſebant*; ℣. 46. hoc eſt, qui per nequitiam ſuam hac gratia præbebant indignos, et veritati ob oculos ſuos effulgenti adverſabantur. Sed hæc ſententia minime excludit gratiam prævenientem, quemadmodum Grotius animadvertit; Scriptura enim ſæpe inquit, homines facere, quod nonniſi per gratiæ auxilium faciunt, & hoc a Jeſu Chriſto in Evangelio vocatur, *trahi a Patre Cœleſti*. Alii pleriqne, quos protulimus, nihil hoc in loco ſupernaturale videntur agnoſcere; quod certe a Patrum abhorret ſententia; peculiariter vero S. Chryſoſtomi, qui iſthic fatetur, non deeſſe Dei prædeſtinationem, qui eos prænovit, qui ſui erant futuri, eoſque ad vitam prædeſtinavit, quin ullam ipſis ingereret neceſſitatem. Vide hom. 30. in Acta pag. 274.

B

Gnatcbullus Græcum aliter vertit [1]: *& omnes, qui congregati fuerunt*, ut S. Paolum audirent, *in vitam æternam crediderunt*. Eam vocem, quam de Prædeſtinatione intelligimus, perinde accipit, ac innueret ſimplicem externam eorum diſpoſitionem, dum illis ſe ſe conjunxerant, qui audiebant Apoſtolos. Sed in Novo Teſtamento [2] verbum *taſſo*, vel *tattomai* ſemper *conſtituere*, *præſcribere*, *imperare* ſignificat; quod fere idem valet, ac verbum ὁρίζω, quod [3] ad innuendam prædeſtinationem ad gratiam, fidem, vel gloriam uſurpatur. Ita minime recedendum eſt a ſenſu, C quem Vulgata exhibet, & quem recepit Eccleſia.

℣. 50. Concitaverunt mulieres religiosas, A et honestas.] Proſelytas, quæ Deum verebantur, & Muyſis Leges ſequebantur; Matronas pias, & locupletes [4], ex earum genere, quæ bonæ, & honeſtæ dicentur. Compluies Ethnicæ mulieres in Judæorum ſacra tranſibant, atque proſelytę fiebant. Hę facilius, quam homines, religioni illi initiabantur, quod circumciſioni minime erant obnoxiæ. Hujuſmodi mulieres magis pertinaces ſunt, & ſuperſtitioſæ, & minus, cum de religione agitur, argumentis flecti poſſunt, quam homines; & Patres animadvertere, perpaucas in Eccleſia hæreſes fuiſſe, vel ſchiſmata, quæ vel non inceperint, vel aucta non fuerint a mulieribus, opibus, & nobilitate præſtantibus. Hæ igitur, de quibus ſermo fuit, Civitatis principes concitarunt in S. Paolum, & Barnabam; juſſeruntque de Urbe ejici, tamquam raccentes, & pernicioſæ doctrinę ſatores.

℣. 51. Excusso pulvere pedum.] Juxta Jeſu Chriſti præceptum Matth. 10. 14. ut oſtenderent, ſe nihil velle cum illis habere commune [5], eoſque ſuæ tradere nequitię, atque pertinaciæ. S. Hilarius putat, hoc eſſe maledicti genus, & quoddam ſymbolicum anathema contra Judæos incredulos. Lightfoot ratetc, Hebræos Ethnicorum Urbes, atque agros habuiſſe, tamquam Regionem immundam, atque pollutam. Apoſtoli pedum pulverem excucientes ſuper Judæos Antiochiæ in Piſidia, ænigmatice deſignabant, ſe eorum agros, atque urbem tamquam immundos, atque pollutos habere.

Iconium.] Urbs eſt Lycaoniæ quinquaginta circiter leucas in ortum procul ab Antiochia Piſidiæ. Iconii plures erant Judæi, eaque Civitas inter præcipuas Provinciæ illius ferebatur.

---

1 Καὶ ἐπίστευσαν, ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. Mſſ. Marchionis Velez legunt προτεταγμένοι, juxta Vulgatam. 2 Vide Matth. 28. 16. Luc. 7. 8. Act. 15. 2. 22. 10. 28. 23. Rom. 13. 1.
3 Ὁρίζω, vel προορίζω. Vide Act. 17. 26. Ὁρίσας προτεταγμένους καιρούς.
4 Τὰς σεβομένας γυναῖκας, καὶ τὰς εὐσχήμονας. In S. Marco 15. 43. Joſeph ab Arimathæa vocatur Εὐσχήμων βουλευτής, *Nobilis decurio*. Et mox Act. 17. 12. Ἑλληνίδων γυναικῶν καὶ τῶν εὐσχημόνων. *Mulieres ethnicas, & honeſtas*: vel, *proſelytas nobiles*: *mulieres pias, & divites*. 5 Vide Hieron. Chryſoſt. Theoph. in Matth. Aug. quæſt. 7. in Matth.

CAPUT XIV.

SS. Paulus, & Barnabas Iconii. Converſiones quas ibi efficiunt. Judæi eiſdem reſiſtunt. S. Paulus Lyſtræ ſanat hominem claudum a nativitate. Populus illis ſacrificia offerre vult, exiſtimans Deos eſſe: mox vero illos lapidibus obruit; qui aufugiunt, & plurimis in locis Eccleſias conſtituunt. Redeunt Antiochiam Syriæ, ubi diu commorantur.

1. Factum eſt autem Iconii, ut ſimul introirent in ſynagogam Judæorum, & loquerentur, ita ut crederet Judæorum, & Græcorum copioſa multitudo. 2 Qui vero increduli fuerunt Judæi, ſuſcitaverunt, & ad iracundiam concitaverunt animas gentium adverſus fratres. 3 Multo igitur tempore demorati ſunt, fiducialiter agentes in Domino, teſtimonium perhibente verbo gratiæ ſuæ, dante ſigna, & prodigia fieri per manus eorum. 4 Diviſa eſt autem multitudo civitatis: & quidam quidem erant cum Judæis, quidam vero cum Apoſtolis. 5 Cum autem factus eſſet impetus Gentilium, & Judæorum cum principibus ſuis, ut contumeliis afficerent, & lapidarent eos, 6 Intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ, Lyſtram, & Derben, & univerſam in circuitu regionem, & ibi evangelizantes erant. 7 Et quidam vir Lyſtris infirmus pedibus ſedebat, claudus ex utero matris ſuæ, qui numquam ambulaverat. 8 Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet, ut ſalvus fieret, 9 Dixit magna voce: Surge ſuper pedes tuos rectus. Et exilivit, & ambulabat.

Turbæ

10 Turbæ autem cum vidiſſent, quod fecerat Paulus, levaverunt vocem ſuam[1],
Lycaonice dicentes; Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos. 11 Et vo-
cabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipſe erat dux ver-
bi. 12 Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros, & coronas an-
te januas afferens, cum populis volebat ſacrificare. 13 Quod ubi audierunt A-
poſtoli, Barnabas, & Paulus conſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas clamantes,
14 Et dicentes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homi-
nes, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum,
& terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt; 15 Qui in præteritis genera-
tionibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas. 16 Et quidem non ſine teſtimo-
nio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias, & tempora fructife-
ra, implens cibo, & lætitia corda noſtra. 17 Et hæc dicentes, vix ſedaverunt
turbas, ne ſibi immolarent. 18 Supervenerunt autem quidam ab Antiochia, &
Iconio Judæi: & perſuaſis turbis, lapidanteſque Paulum, traxerunt extra civita-
tem, exiſtimantes eum mortuum eſſe. 19 Circumdantibus autem eum diſcipulis,
ſurgens intravit civitatem, & poſtera die profectus eſt cum Barnaba in Derben.
20 Cumque evangelizaſſent civitati illi, & docuiſſent multos, reverſi ſunt Lyſtram,
& Iconium, & Antiochiam, 21 Confirmantes animas diſcipulorum, exhortanteſ-
que, ut permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos in-
trare in regnum Dei. 22 Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias presby-
teros, & oraſſent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem cre-
diderunt. 23 Tranſeunteſque Piſidiam, venerunt in Pamphyliam. 24 Et lo-
quentes verbum Domini in Perge, deſcenderunt in Attaliam: 25 Et inde navi-
gaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei, in opus, quod compleverunt.
26 Cum autem veniſſent, & congregaſſent Eccleſiam, retulerunt quanta feciſſet
Deus cum illis, & quia aperuiſſet Gentibus oſtium fidei. 27 Morati ſunt autem
tempus non modicum cum diſcipulis.

℣. 1. FACTUM EST ICONII . . . . UT CREDERET &c.] Cum eſſent Iconii Synagogam ingreſſi ſunt, & plures cum Judæos, tum Græcos converterunt. De more Judæorum Synagogas ingreſſi ſunt, qui tamen Judæis tantum prædicarent. Græcis vero[1] hoc eſt Gentilibus privatim prædicabant, eorumque plurimos, non ſecus ac Judæorum convertebant. S. Lucas Græcos appellat omnes Aſiæ minoris Ethnicos; omnes enim Græce loquebantur, eoſque Hebræi, ut plurimum, Græcorum nomine nuncupabant. Credunt plures vulgò in hoc primo vel fortaſſe in altero S. Pauli itinere, quo Iconium acceſſit ab eo converſam fuiſſe S. Theclam, in Eccleſia inſignem adeo, & quæ tamquam Sanctarum Martyrum prima[2] colitur. Aſſerunt, illam nobili natam fuiſſe loco, & ea omnia, quæ nobilem decent mulierem, illi fuiſſe com- B perta[3]. Hæc jam deſponſata erat, ubi S. Paulus Iconium acceſſit, qui in corde illius amorem Virginitatis[4] accendit, quamobrem plures illa pugnas cum ex parentibus, tum ex Sponſo perpeſſa, ex illis ſtrenue triumphum retulit. Affirmant etiam, ad beſtias damnatam fuiſſe, illo adnitente, qui ſibi uxorem eam depoſcebat[5], Leones vero, quin in illam irruerent, ad pedes ipſius procubuiſſe. S. Gregorius Nazianzenus Carm. 4. inquit, illam ex igne etiam divinitus fuiſſe ereptam, & S. Chryſoſtomus hom. 25. in Acta ait, illam totius Mundi pretio emiſſe libertatem audiendi, videndique S. Paulum, qui tunc in carcere detinebatur. Ethnica autem erat, antequam Chriſtiana Religione initiaretur.

℣. 2. QUI VERO INCREDULI.] Suſcitarunt animos Ethnicorum contra eos, qui cum ex Ethnica, tum ex A Judaica Religione fuerant converſi. Celebris Græco-Latinus Cantabrigenſis MS. legit: *Sed capita Synagogæ Judaicæ, & primores ex eorum cœtu excitarunt perſecutionem contra juſtos, & irritarunt Ethnicos contra fratres, ſed Dominus quamprimum reddidit pacem*[6], quod additum fuiſſe videtur ad ea concilianda, quæ ſuperius immediate dicuntur, SS. Paulum, & Barnabam diu Iconii permanſiſſe, libere prædicantes &c.

℣. 3. MULTO IGITUR TEMPORE.] Invitis Judæis, atque Ethnicis perſequentibus ibi permanſerunt, donec ad extremum ventum eſt: at ibi viderunt vitæ ſuæ inſidias ſtrui, atque lapides in ſe diſtringi; nec non Ethnicorum Principes hujuſmodi conſiliis manum adhibere, optimum factu cenſuerunt, illinc diſcedere. In epiſtola ad Timotheum generatim verba facit S. B Paulus de iis, quæ Iconii perpeſſus, 2. Timot. 3. 11.

TESTIMONIUM PERHIBENTE VERBO GRATIÆ SUÆ.] Evangelio videlicet ſuo, quod in Actis[7] non ſemel verbum gratiæ appellatur. Miracula, quæ S. Pauli prædicationem comitantur ſatis, & illum a Deo miſſum, & doctrinæ quam ille prædicabat veritatem probabant. S. Lucas nullum ex his miraculis peculiariter adfert. Verum ſine illis non potuiſſet S. Paulus eas, quas fecit converſiones perficere, neque tamdiu inimicorum ſuorum vim ſuſtinere. Fideles cum Judæi, tum Ethnici miraculorum eorumdem veritatem profitebantur. Judæi vero obdurati, & Gentiles nequam, qui in eorum partes conceſſerant, illa præſtigia, atque illuſiones eſſe dicebant. Ita ℣. 14. *Diviſa eſt multitudo Civitatis: & quidam quidem erant cum Judæis, quidam vero cum Apoſtolis.*

℣. 5. CUM FACTUM ESSET IMPETUS GENTILIUM, & JU-

1 Vide Chryſoſtom. homil. 30. in Acta. Fromond. hic. 2 Iſidor. Peluſ. lib. 1. Epiſt. 109. Evagr. hiſt. lib. 3. cap. 8. Ita & Græci recentiores. 3 Method. Conviv. Virg. p. 94.
4 Auguſt. contra Fauſt. lib. 30. cap. 4. Ambroſ. de Virgin. lib. 2. 5 Vide Ambroſ. lib. 2. de Virgin.
6 Hæc poſtrema verba legebantur pariter in Græco Bedæ exemplari, & in alio Anglic. adhuc occurrunt.
7 Act. 20. 24. 32. Vide quoque 13. 43. & 18. 23.

& Judæorum cum Principibus ſuis.] Hoc eſt cum Principibus Ethnicorum Magiſtratuum, tum capitum Judeicæ Synagogæ: cumque jamjam vim facturi eſſent in SS. Paulum, & Barnabam, ut illos conviciis laceſſerent, & lapidibus peterent; cenſuerunt Apoſtoli hoc perinde futurum, ac tentare Deum, ſi diutius permanere voluiſſent in ea Civitate, tot periculis obnoxii. Receſſerunt ergo in tutiores locos, juxta illud Salvatoris præceptum: *cum perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in aliam*, Matth. 10. 23.

℣. 6. Confugerunt ad Civitates Lycaoniæ, Lystram, & Derben.] Provincia illa non exceſſerunt; ſed in oppida proxima, aliaſque Civitates ſe ſe contulerunt: *& univerſam in circuitu Regionem*. *Lyſtra* eſt ad Boream, Derbe vero ad meridiem Iconii; utraque in Lycaonia. Plinius tamen l. 5. c. 32. Lyſtram in Galatia conſtituit, & Strabo l. 12. Derben in Iſauria. Earum Provinciarum limites non iidem fuere. Græca quædam exemplaria [1] ad hujus verſus finem addunt, populum univerſum S. Pauli prædicatione fuiſſe commotum, & Paulum ac Barnabam aliquandiu Lyſtræ permanſiſſe.

℣. 8. Quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat claudus ex utero matris suæ.] Cujus ideo malum curari minime poterat. Cum hic homo ad S. Paulum audiendum acceſſiſſet, illectus fortaſſe miraculorum, quæ ille operabatur, fama, & ſpe ſanitatum, ut curaretur ab Apoſtolo, in ipſa populi turba interiori lumine eum Paulus cognovit; ex quo intellexit præclaras hominis illius diſpoſitiones; vel fortaſſe illum agnovit Paulus ex quadam confidentiæ, & ſollicitudinis ſpecie, quæ in oculis, ac toto illius vultu enitebat [2]. Igitur S. Paulus ℣. 8. *intuitus eum & videns quia fidem haberet, ut ſalvus fieret, dixit magna voce: ſurge ſuper pedes tuos. Et exilivit, & ambulabat*. Græca quædam exemplaria legunt [3]: *dico tibi: in nomine Domini Jeſu Chriſti ſurge*. Vel ſimpliciter, *in nomine Domini ſurge*, quod deſumptum videtur ex Actorum cap. 3. ℣. 6.

℣. 10. Lycaonice.] In univerſa Aſia minori homines Græce loquebantur; ſed plures erant Dialecti; & Provinciæ magis remotæ non adeo purum putum Græcum ſermonem habebant. S. Lucas igitur innuere vult hos populos Græca quidem lingua, ſed admodum corrupta fuiſſe locutos, & longe alia ab ea, quæ in cultioribus, & florentioribus Græciæ Civitatibus vigebat. Paulus Erneſtus Jablonski eruditam de Lycaonica lingua Diſſertationem elucubratus eſt, ubi ait, Lycaones eadem lingua fuiſſe locutos, ac Cappadoces: Cappadocum vero linguam Syriaca fuiſſe permixtam, quod a veri ſpecie minime abhorret, propter Cappadociæ, Syriæ, & Meſopotamiæ propinquitatem.

Dii similes facti hominibus.] Credebant Ethnici ſe hoc ſcire doctos experientia, quam eventus compluſes confirmaſſent. Credebant, Deos ſæpius hominibus apparuiſſe, atque urbes, & Provincias luſtraſſe, vel ut punirent homines, vel ut remunerarentur, vel ut iiſdem opem ferrent [4], vel alia de cauſa, quæ in maximum cedit dedecus, & Diis, quibus tribuitur, & hominibus, qui per ſummam ignaviam hoc crediderunt. Nequaquam a fide alienum vero, Dæmonem aliquando ſub humana ſpecie apparuiſſe, vel mortalium oculis illuſiſſe, ut hi commentitia numina ſua ſibi apparuiſſe arbitrarentur. Certo certius affirmari poteſt, fictitia hæc numina numquam reipſa apparuiſſe, quorum pars eſt in Inferno una cum Dæmone, & Angelis ejus: verum ſufficit hoc fieri poſſe, quod Ethnici hoc crediderint.

℣. 11. Vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium.] Barnabas fortaſſe formoſus erat, ſtatura corporis procera, & decoro oris habitu; S. Paulus vero eloquens erat, atque diſertus. Ethnici Jovem, tamquam Deorum Principem, & maximum; Mercurium vero tamquam illorum nuntium, & eloquentiæ præſidem venerabantur [5]. S. Barnabas prædicandi curam S. Paulo relinquebat, & prope illum in ſilentio permanebat. Jupiter numquam ſine Mercurio pergebat, quemadmodum ex Plauti Amphytrione innoteſcit [6]: vir facundia præſtans, Mercurius humana carne indutus, Mercurius alter appellabatur.

S. Paulus de ſeipſo teſtatur, ſe neque procero corporis habitu, neque oris decora ſpecie fuiſſe: ſed inimici illius Epiſtolas ejuſdem graves, fortes, atque vehementes eſſe contendebant: *quoniam quidem epiſtolæ inquiunt graves ſunt, & fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis* 2. Cor. 10. 10. Verum eſt S. Pauli ſermones non ea compte fuiſſe elegantia, neque eo lepore, iiſque lenociniis adſperſos, quales erant Græcorum Oratorum ſermones: *ſermo contemptibilis*. Spernebat ille inania hæc, & futilia Rhetorum ornamenta, quæ vim, atque majeſtatem veritatum, quas prædicabat, vel imminuiſſent, vel infirmaſſent: *ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ſed in oſtenſione Spiritus virtutis*, 1. Cor. 11. 4. Verum ſi quid deerat ſermonibus illius, quoad orationis calamiſtros, atque cincinnos, nihil ſane deerat, quoad ejuſdem robur, ſuccum, & nervos: *nam & ſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia*, 2. Cor. 11. 6. S. Hieronymus [7], qui durius culum aliquid fatetur eſſe in S. Pauli ſtylo, neque deeſſe mendum contra Græcæ linguæ munditiam; fatetur tamen, ubi illius legis Epiſtolas, ſibi videri tot audire tonitrua, quot verba. S. Chryſoſtomus [8] ait, illius Epiſtolis Judæos ac Ethnicos in ejus admirationem rapi. S. Auguſtinus [9] egregie oſtendit, Sacros Auctores præſertim vero S. Paulum omnem poſſidere eloquentiam, quæ in hoc ſcribendi genere valeat optari: *audeo dicere omnes, qui recte intelligunt, quod illi loquuntur, ſimul intelligere, non eos aliter loqui debuiſſe*. In ipſa divinarum Scripturarum caligine, & ſimplicitate non deeſt majeſtas ſua, & eloquentia. Non igitur injuria Lyſtrii, ubi viderunt miraculum claudi a nativitate curati, & ubi S. Paulum audiverunt, hunc Mercurium eſſe putarunt.

℣. 12. Sacerdos Jovis, qui erat ante Civitatem.] Satis intelligis pro Sacerdote Jovis, qui erat ante Civitatem, intelligendum eſſe de Sacerdote Templi Jovis, quod prope Civitatem ſitum erat. Acceſſere igitur voluerunt hunc Sacerdotem, qui Paulo, & Barnabæ victimas ſacrificaret: adductis ergo *tauros, & coronas*, duos fortaſſe tauros, alterum Jovi, Mercurio alterum, ſacrificandos, & coronas pro victimis; quia ut plurimum coronabantur [10], vel eorum cornua inaurabantur [11]: *victima ad ſupplicium ſaginantur*;

---

1 Καὶ ἐκινήθη ὅλον τὸ πλῆθος ἐπὶ τῇ διδαχῇ. Ὁ δὲ Παῦλος, καὶ Βαρνάβας διέτριβον ἐν Λύστροις. Ita Cantabrig. Gr. Lat. Codd. Gr. teſte Beda, Laud. 3. Quid. Lat. teſte Eraſmo.

2 Beda, Cornel. Fromond. Menoch. alii. 3 Ita plures MSſ. apud Mill. ad verſ. 8. Vide & Bedam.

4 Homer. apud Grot. hic. Καί τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι.
Παντοῖοι τελέθοντες ἐπιστρωφῶσι πόληας.
Ovid. Metamorph. 1. *Et Deus humana luſtro ſub imagine terras*. Vide & Themiſt. orat. 9. apud Priceum hic,

5 Horat. lib. 1. Od. 10. *Mercuri, facunde nepos Atlantis . . . .*
Te canam magni Jovis, & Deorum
Nuntium, curvæque lyræ parentem.

6 Vide Ariſtid. de Demoſthene, & Themiſt. orat. 1. apud Grot. hic. 7 Hieronym. ad Hedibiam, quæſt. 11. & ad Algaſiam quæſt. 10. 8 Chryſoſtom. de Sacerdotio lib. 4. cap. 7.

9 Auguſtin. lib. 4. cap. 6. 7. de Doctrina Chriſtiana. 10 Ovid. Metamorph. lib. 15.
Victima labis egens, & præſtantiſſima forma
Siſtitur ante aras, & vittis præſignis, & auro. 11 Minutius in Octavio.

ginantur; hoſtiæ ad pœnam coronantur. Dii quoque [1], atque delubrorum januæ, immo & ipſi etiam ſacrificuli non ſecus ac victimæ coronis decorabantur [2]: *ipſos Deorum honori ſacrificantes ſumpſere coronam, victimis ſimul coronatis*. Itaque hæ coronæ, pro commentitiis numinibus Jove, & Mercurio, ſive pro victimis, ſive pro Sacerdote, vel janua domus, ubi Paulus, & Barnabas erant, poterant inſervire.

Narrat Ovidius Metam. lib. 1. cum Jupiter aliquando ſub hominis ſpecie in Lycaonia apparuiſſet, atque populi certatim illi victimas obtuliſſent, Regem, qui ibi gentium imperitabat, hoc in jocum vertiſſe, atque ut periculum faceret, utrum, qui Jupiter exiſtimabatur, vere Deus eſſet, illum ad cœnam invitaſſe, humanamque carnem coram illo appoſuiſſe. Sed Jovem facto iratum, Regem illum in Lupum convertiſſe, qui ſtatim inter nemora aufugit, quin ultra inter homines auderet prodire. Lycaoniæ populi, ubi erat Lyſtra, certe hujus facti memoriam ſervabant, & verebantur, ne quod ſimile ſibi malum accideret, ſi negligerent Deos, qui ad ipſos accedere dignabantur.

℣. 13. SCISSIS TUNICIS EXILIERUNT.] In luctu [3], atque repentinis malis; vel cum blaſphemia aliqua audiebatur, veſtes ſcindebantur [4]. Paulus, & Barnabas dolentes vicem, atque dementiam horum populorum, quos Idololatriæ caligine cupiebant eruere, tunicas ſuas, interiores ſcilicet veſtes a ſuperiori parte ad pectus uſque ſciderunt. Conatus Lyſtrenorum illis eſt ſacrilegium, blaſphemia, impietas, atque inauditum Idololatriæ genus, ideoque horrorem ſuum, atque indignationem teſtantur.

℣. 14. ET NOS MORTALES SUMUS.] Græcus [5]: *nos quoque ſumus homines, iiſdem, ac vos infirmitatibus obnoxii*. Nullum meremur Latriæ cultum, qui uni Deo omnipotenti debetur. Ovid. Metam 14.

Nec Dea ſum, dixit, nec ſacri thuris honore
Humanum dignare caput, ne neſcius erres.

AB HIS VANIS CONVERTI AD DEUM VIVUM.] Abſit; nos eos non recipiemus umquam honores, quos uni Cœli, ac terræ Creatori tribuendos eſſe prædicamus. Deo uni jus eſt exigendi cultum veſtrum. Neque nos, neque alia Creatura, neque numen aliquod commentitium illos citra ſacrilegium poteſt appetere.

℣. 15. DIMISIT OMNES GENTES INGREDI VIAS SUAS.] Hæc verba preſſius intelligenda non ſunt. Certum eſt, inter gentes non defuiſſe plures Sanctos viros, qui ante Moyſis Legem vixerunt, neque erant ex progenie Abrahæ. S. Paulus igitur hic innuit, Deum dereliquiſſe corpus gentium Idolis ſervientium, quia ad eas miſerat, vel Prophetas, qui illas erudirent, vel Legislatores, qui illis Leges traderent. Illis minime conceſſit ea lumina, quæ largus, effuſeque Judæorum nationi donavit; neque voluntatem ſuam ipſis in Bibliis Sacris revelavit, neque tot, tantaſque illis gratias contulit, quibus electum populum cumulavit. At num idcirco inexcuſabiles ſunt? Deus dedit illis Legem naturalem in corde eorum inſculptam; illam conſulere, illam ſequi potuerunt. Non tamen illis naturale lumen illuminans omnes homines; contulit illis ſenſum interiorem, atque ſecretum, quo bonum approbarent, reprobarent malum; atque illis ſe ſe in omnibus naturæ, & creaturarum ſuarum effectis mirabilibus prodidit; *invisibilia Dei a Creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles*, Rom. 1. 20. Eos ſibimet tradidit, non impulit illos in malum [6]. Cognoverunt illi virtutem, & vitium, bonum, & malum, atque ultro, & libere malum bono præferre voluerunt, quod ſatis ſuperque eſt, ut illis omnis excuſatio auferatur [7]. Eorum ſcelus eſt, quod abuſi fuerint luminibus, quibus a Deo donati fuerant, & creaturam pro Creatore fuerint venerati, atque Deo, quem cognoverant, illum, quem debebant, cultum detulerint, Leges naturales violaverint, atque in ſemet conſcientiæ ſuæ ſtimulos oppreſſerint, quibus corripiebantur de malo, quod libere adeo operabantur [8].

℣. 16. ET QUIDEM NON SINE TESTIMONIO.] Deus ſeipſum non abſcondit Gentilibus populis; illorum intererat eumdem cognoſcere, eos bonis cumulavit: cur ergo eum non colebant, quemadmodum ex ipſis animi grati officium efflagitabat? cur non utebantur luminibus, quæ ipſe afferebat? ſi interierunt, ſi erraverunt in cogitationibus ſuis, cuinam, niſi ſemetipſis [9] iraſci debent?

IMPLENS CIBO, & LÆTITIA CORDA NOSTRA.] Hic eſt affluenter nobis victum, porumque ſuppeditans [10], panem, & vinum, quod lætificat cor hominis [11]; *Numquam Deus* [12], *aut alendis hominum corporibus, aut docendis, juvandiſque eorum mentibus defuit*. Plus quidem aliis, aliis vero minus concedit, ſed dat omnibus, quod ſatis eſt, ut illos inexcuſabiles præbeat: *ſufficit tamen, ſicut Dominus judicavit quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium*.

℣. 18. SUPERVENERUNT QUIDAM.] Videntur hi omnes perveniſſe die eadem, & fortaſſe eodem tempore, quo Paulus, & Barnabas vacabant erudiendis populis Lyſtræ, atque prohibendo, ne ſibi honores divini præberentur. Hi Judæi, qui ex illis erant, qui utrumque Apoſtolum, & Antiochiæ Piſidiæ, & Iconio ejecerant, cum audiviſſent illos prædicare Lyſtris, illuc venerunt, ut inde etiam illos expellerent. Profeſſi ſunt, eos, non homines ſolum, verum ſceleratos homines, impios, & blaſphemos eſſe, qui Dei, & Meſſiæ nomen homini cuidam tribuebant propter ſcelera extremis afficiendo ſuppliciis: hos vero ſeductores eſſe, qui populos præſtigiis, fictiſque miraculis ſuis fallebant, ita ut Lyſtris veneratione, atque exiſtimatione repente in furorem immutata, eos lapidibus petere cœperint, præſertim vero Paulum, qui veluti magis potentem verbo, & miraculis conſiderabant.

LAPIDANTES PAULUM TRAXERUNT EXTRA CIVITATEM.] Lapidum ictibus obrutus fuit, atque pro mortuo in Civitate relictus [13]; cumque mox plebs furens extra urbem pertraxit, in ſterquilinium projiciendum. De hoc facto loquitur S. Paulus in altera ad Corinthios Epiſtola 11. 25. *ſemel lapidatus ſum*.

℣. 19. CIRCUMDANTIBUS EUM DISCIPULIS.] Diſcipuli, quos Lyſtræ collegerat, hoc eſt Judæi, Ethnicique converſi circa illum congregati ſunt, cumque clavaſſent eum, in Urbem adduxerunt. Non abhorret a fide, Lyſtrios non adeo in ira exarſiſſe, ut vellent omnino Paulum, & Barnabam de medio tollere, cum Magiſtratuum metus, & Leges, quæ fortaſſe citaviſſent nefas, illos retinerent. Barnabas, ut videtur, aufugit, atque ex populi furentis manu elapſus eſt. Paulus vero, cum aliquot lapidum ictibus proſtratus fuiſſet, & pro mortuo relictus, ſtatim ſterrum ſuorum

1 Plin. lib. 16. cap. 4. Baruc. 6. 9. 2 Plin. lib. 16. cap. 4. Æneid. 2.
Hic Helenus caſis primum de more juvencis
Exorat pacem divum, vittaſque reſolvit
Sacrati capitis.
3 2. Reg. 1. 2. & 3. 31. Geneſ. 37. 34. Levit. 10. 6. & 21. 10. 4 Matth. 26. 65. Vide Jerem. 36. 24.
5 Καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι. 6 Auguſt. quæſt. in Joſue lib. 6. quæſt. 18. & alibi ſæpius. Vide in cap. 1. Epiſt. ad Rom. 7 Vide Sanct. Eſt. Fromond. Bartholom. Petri.
8 Auguſt. Epiſt. olim 49. nunc 102. quæſt. 2. Proſper. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 4. 5. &c. Rom. 1. 21. 22. 23. *Qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut glorificaverunt, aut gratias egerunt, &c.*
9 Vide Proſper. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 4. 5. Eſt. Fromond. hic.
10 Gen. Sanct. Fromond. 11 Eccli. 39. 33. 36. Pſalm. 103. 1.
12 Proſper. de vocat. Gent. lib. 2. 13 Λιθάσαντες, *Cum lapidaſſent, traxerunt extra civitatem*. Gloſſ. Lyran. Carthuſ. Vatab. Sanct. alii.

ope adjutus, ſe ſe collegit, & ſecreto in Urbem ra- A
ductus fuit, quin oppidani illum ad necem ulterius
quærerent, cum primus furor, & fervor ſubſediſſet, at-
que Magiſtratus hos populi tumultus compeſceret. In-
terpretum pleri que credunt [1], S. Paulum repente di-
vinitus ex vulneribus fuiſſe convaluiſſe, ita ut poſtridie
iter ſuſcipere, & Apoſtolicos labores perſequi value-
rit. Sed fortaſſe aliquot lapidum ictibus ita obtur-
batus, ut licet ad necem minime percuſſus eſſet,
tamen conſurgere non poſſet, neque fugam arripere,
niſi poſtquam ſe ſe recepit, atque animum rurſus col-
legit. S. Lucas minime hoc narrat iis verbis, quæ
miraculum inſſe oſtendant.

Profectus in Derben.] Urbem ejuſdem Pro-
vinciæ Lycaoniæ, ſed quæ Iconio magis erat meridio-
nalis, ubi SS. Paulus, & Barnabas nihilo mitius ſecum B
actum iri ſperare poterant, quam in oppidis finitimis.

℣. 21. Reverſi sunt Lystram, & Iconium, &
Antiochiam.] Pericula eos minime perterruerunt:
S. Paulus Lyſtræ quidem lapidatus fuerat, Iconio vero
aufugerat, ut idem ſupplicium, quod ſibi & Barnabæ
impendebat [2], evitaret. Ejecti etiam fuerunt Antio-
chia Piſidiæ Judæorum opera [3], attamen has repetunt
Urbes, tamquam periculum ipſum, & mortem provo-
caturi. Hæ veræ ſunt animæ Chriſtianæ, & Apoſtolicæ,
nullo in diſcrimine vitam habentes, dummodo munera
ſuo perfungantur [4]: *nec facio animam meam pretioſiorem,
quam me, dummodo conſummem curſum meum, & mi-
niſterium Verbi, quod accepi a Domino Jeſu.*

℣. 22. Confirmantes animas discipulorum.]
Non ſatis eſt Evangelici Verbi ſemen effudiſſe; irri- C
gandum eſt, excolendum, & adverſus frigus, procel-
las, feroceſque belluas defendendum. Hi, qui in il-
lis Civitatibus recens converſi fuerant, cum inter Ju-
dæos, atque Ethnicos perſequentes, vexanteſque ver-
ſarentur, ope, atque ſolatio indigebant. Illis hoc
in mundo non promittit Apoſtolus felicitates, pacem,
commoda, voluptates, ſed illos in fide confirmat,
atque oſtendit, nonniſi per ſalebras atque ærumnas viam
ad Dei Regnum patere. Quæ veritas in omnibus Scri-
pturis ſæpius reperitur, & quam S. Paulus ob diſcipu-
lorum ſuorum oculos crebro propoſuit [5]. Hæc immo
via eſt, quam ipſe etiam Jesus Christus ſecutus eſt:
*nonne oportuit pati CHRISTUM, & ita intrare in gloriam
ſuam?* Luc. 24. 26. S. Barnabas in epiſtola ſua hæc pro-
fert verba, tamquam a Jesu Christo prolata: Qui mea D
viſione frui, & in gloriam meam ingredi cupiunt, me,
per afflictiones, atque tormenta poſſideant, ne-
ceſſe eſt.

℣. 23. Et cum constituissent illis per sin-
gulas Ecclesias Presbyteros,] cum precibus
atque jejuniis, quemadmodum factum fuerat, cum ipſi
SS. Paulus, & Barnabas fuerant ordinati [6]. Græcus [7]
exprimit manuum impoſitionem, quam vulgata ordi-
nationis nomine comprehendit. Nomine Presbytero-
rum conſentiunt Interpretes hoc in loco, non ſecus ac
in aliis pleriſque Actorum, ubi hæc vox occurrit, in-
telligendos eſſe Epiſcopos. Videri poſſunt a nobis ad-
notata ſuperius cap. 11. ℣. 30. immo videntur, præci-
pue ut Epiſcopos in qualibet Eccleſia ab ipſis inſtitu-
ta ſtatuerent, per tot pericula reverſos fuiſſe in Civi-
tates Lyſtræ, Antiochiæ, & Iconii; cum enim Spiri-
tus Sancti afflatu ſe alio avocari intelligerent, neque
valerent amplius per ſe recentibus illis Eccleſiis regun-
dis invigilare, operæ ſe facturos pretium cenſuerunt,
ſi impoſuiſſent Epiſcopos, qui eas regerent, eaſque in-
ter tot undique emergentia pericula, & inimicos cir-
cumundique obſtrepentes, tuerentur.

℣. 24. Loquentes verbum Dei in Perge.] Ex
Derbe Lyſtram venerunt; Lyſtra Iconium; Iconio
Antiochiam Piſidiæ, Antiochia Pergem Pamphyliæ,
ex Perge tandem Attaliam, non obſcurum ejuſdem
Provinciæ portum. Ita illi tres Aſiæ Minoris Provin-
cias peragrarunt, Pamphyliam videlicet, Lycaoniam,
atque Piſidiam. Perge prima eſt Aſiæ minoris Civi-
tas, ubi prædicarunt, ſupra Act. 13. 13.

℣. 25. In Attaliam: & inde navigaverunt
Antiochiam.] Syriæ, unde biennio ante præter
propter diſceſſerant. Attalia maritima eſt Pamphyliæ
Civitas. Paulus, ac Barnabas in Syriam reverſi ſunt,
Antiochenæ Eccleſiæ rationem eorum, quæ ex ordina-
tionis & miſſionis ſuæ tempore contigerant, atque de
Apoſtolicorum laborum ſuorum eventu, reddituri.

Traditi gratiæ Dei.] Commendati fuerant
gratiæ, & omnipotenti Domini auxilio, ubi miſſi
fuerunt ad gentes prædicaturi.

℣. 26. Quanta fecisset Deus cum illis.] Mi-
racula, & converſiones, quas per illos Deus fuerat ope-
ratus; præſidium, quo illos tutatus fuerat, atque
opem, quam illis tot inter pericula conceſſerat. Deo
uni acceptam referunt prædicationis ſuæ gloriam: *neque
qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incre-
mentum dat, Deus*, 1. Cor. 3. 7. & 1. Cor. 15. 10. *abun-
dantius illis omnibus laboravi: non ego autem, ſed gra-
tia Dei mecum.* Litterali ſenſu, *Dominus magna fecit
nobiſcum, vel in nobis*, ſignificare etiam poteſt: Do-
minus nos gloria cumulavit, nos ſua protectione, at-
que auxilio dignatus eſt. Videri poſſunt ſimiles loquen-
di rationes pluribus in locis Veteris Teſtamenti: *Deus
tuus fecit tibi hæc magnalia, & terribilia, quæ viderunt
oculi tui*, Deut. 10. 21. Et Pſal. 125. 2. *tunc dicent in-
ter gentes: magnificavit Dominus facere cum eis. Ma-
gnificavit Dominus facere nobiſcum*. & SS. Virgo apud
S. Lucam 1. 49. *fecit mihi magna, qui potens eſt &c.* In
me ostenderunt miracula ſua. Senſum hunc iſti loco tri-
buunt Grotius, & Ludovicus de Dieu. Eadem locutio
invenitur etiam infra cap. 15. ℣. 4.

Et quia aperuisset Gentibus.] Quomodo Deus
gentibus fidei januam aperuiſſet, & permiſiſſet, ut illis
Evangelium prædicaretur, eiſque fidem tribuiſſet; cor,
mentemque ad credendas amandaſque ſalutis veritates
aperuiſſet. Eadem ferme occurrit loquendi ratio 1. *Cor.*
cap. 16. ℣. 9. & 2. *Cor.* cap. 2. ℣. 12. & *Coloſſ.* 4. 3. ubi S.
Paulus ait, ſibi Deum januam aperuiſſe, ut Gentili-
bus prædicaret; hoc eſt, ſe ab eodem ad id miſſum,
atque illum omnes obices abſtuliſſe, qui prohibere po-
tuiſſent, ne Dei Verbum in Ethnicorum animis fru-
ctum perficeret. Præbuit illis cor intelligens [8], eiſ-
que cor abſtulit lapideum [9], illis apparuit etiam non
quærentibus, eoſque [10] ſua miſericordia prævertit,
cum ab eadem maxime abeſſent.

℣. 27. Tempus non modicum.] Non ſatis li-
quido conſtat, quandiu ibi permanſerint, nec quid ibi
egerint. S. Lucas nihil refert ex iis, quæ poſt ſextum,
& quadrageſimum ad primum uſque, & quinquageſi-
mum Jesu Christi annum acciderunt, quo noviſſime
habitum fuit Jeroſolymitanum Concilium; hoc ad de
quinque annorum intervallo nihil penitus ait. Dum
hoc temporis ſpatium flueret, Evangelium ipſe fortaſ-
ſe prædicavit in Provinciis Antiochiæ finitimis uſque
E in Illirium; ubi ſe prædicaſſe alibi ipſe teſtatur [11].
Certum eſt, S. Lucam plures vitæ, itinerumque S.
Pauli circumſtantias omiſiſſe. S. Paulus ad Corin-
thios [12] ſcribens gloriatur, ſe pluribus laboribus,
præ alio quolibet fuiſſe confectum, pluribus verbe-
ribus affectum, ac ſæpius in carcerem conjectum:
Sæpe ſeipſum in mortis diſcrimen adductum vidit,
nunc in fluminibus, nunc in mari, nunc a Judæis, vel
falſis fratribus, nunc a Latronibus. Inter cætera vero
refert, ſe ab Judæis quinquies quadragenas una minus
acce-

1 Lyran. Fromond. Cornel. Menoc. Sanct. alii. 2 Act. 14. 5.
3 Act. 13. 50. 4 Act. 20. 24. 5 Rom. 8. 17. 2. Timot. 2. 11. & 3. 12. &c.
6 Act. 13. 3. 7 Χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ᾽ ἐκκλησίαν, προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν.
8 2. Macc. 1. 4. *Adaperiat cor veſtrum in lege ſua.* 3. Reg. 3. 12. *Da ſervo tuo cor docile.*
9 Ezech. 11. 19. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.*
10 Iſai. 65. 1. 2. Rom. 10. 20. 11 Rom. 15. 19.
12 2. Cor. 11. 23. & ſeq.

accepiſſe, bis ſe a Romanis virgis fuiſſe cæſum, ter naufragium paſſum, atque noctis dieique unius ſpatio in maris imo ſubſediſſe, vel potius in alto mari fuiſſe ſine cymba, forſitan aliqua tabula vel fracti navigii A fruſto vectum fuiſſe. Hæc omnia illa paſſus fuerat, antequam alteram ad Corinthios daret epiſtolam, hoc eſt anno Jesu Christi 55.

CAPUT XV.

Judæi converſi adnituntur, ut Legis cæremoniæ a Neophytis Gentilibus obſerventur. S. S. Paulus, & Barnabas Jeroſolymam concedunt, eaque de re Apoſtolos conſulunt. Jeroſolymitanum Concilium, a quo Gentilibus lis adjudicatur. Cupit S. Paulus viſere locos, ubi prædicavit. A Barnaba propter Johannem Marcum ſecedit.

1. ET quidam deſcendentes de Judæa, docebant fratres: Quia niſi circumcidamini
ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari. 2 Facta ergo ſedi-
tione non minima Paulo, & Barnabæ adverſus illos, ſtatuerunt, ut aſcen-
derent Paulus, & Barnabas, & quidam alii ex aliis, ad Apoſtolos, & presbyteros
in Jeruſalem ſuper hac quæſtione. 3 Illi ergo deducti ab Eccleſia, pertranſibant
Phœnicem, & Samariam, narrantes converſionem Gentium: & faciebant gaudium
magnum omnibus fratribus. 4 Cum autem veniſſent Jeroſolymam, ſuſcepti ſunt
ab Eccleſia, & ab Apoſtolis, & ſenioribus, annuntiantes, quanta Deus feciſſet cum
illis. 5 Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, di-
centes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſervare legem Moyſi. 6
Conveneruntque Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc. 7 Cum autem ma-
gna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis, quo-
niam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes ver-
bum Evangelii, & credere. 8 Et qui novit corda Deus, teſtimonium perhibuit,
dans illis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis, 9 Et nihil diſcrevit inter nos, & il-
los, fide purificans corda eorum. 10 Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere
jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare
potuimus? 11 Sed per gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmo-
dum & illi. 12 Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant Barnabam, & Pau-
lum, narrantes, quanta Deus feciſſet ſigna, & prodigia in Gentibus per eos. 13
Et poſtquam tacuerunt, reſpondit Jacobus, dicens: Viri fratres, audite me. 14
Simon narravit, quemadmodum primum Deus viſitavit ſumere ex Gentibus popu-
lum nomini ſuo. 15 Et huic concordant verba Prophetarum, ſicut ſcriptum eſt:
16 Poſt hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David, quod decidit, & diruta
ejus reædificabo, & erigam illud: 17 Ut requirant ceteri hominum Dominum, &
omnes gentes, ſuper quas invocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.
18 Notum a ſæculo eſt Domino opus ſuum. 19 Propter quod ego judico, non
inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, 20 Sed ſcribere ad eos,
ut abſtineant ſe a contaminationibus ſimulachrorum, & fornicatione, & ſuffocatis,
& ſanguine. 21 Moyſes enim a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus,
qui eum prædicent in ſynagogis, ubi per omne ſabbatum legitur. 22 Tunc pla-
cuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere
Antiochiam cum Paulo, & Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barſabas, & Si-
lam, viros primos in fratribus. 23 Scribentes per manus eorum: APOSTOLI,
& ſeniores fratres, his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus, ex
Gentibus ſalutem. 24 Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes, tur-
baverunt vos verbis, evertentes animas veſtras, quibus non mandavimus: 25
Placuit nobis collectis in unum, eligere viros, & mittere ad vos cum chariſſimis
noſtris Barnaba, & Paulo. 26 Hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro no-
mine Domini noſtri Jeſu Chriſti. 27 Miſimus ergo Judam, & Silam, qui & ipſi
vobis verbis referent eadem. 28 Viſum eſt enim Spiritui ſancto, & nobis, nihil
ultra imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria: 29 Ut abſtineatis vos ab im-

moſatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, a quibus cuſtodientes vos, bene agetis. Valete. 30 Illi ergo dimiſſi, deſcenderunt Antiochiam: & congregata multitudine tradiderunt Epiſtolam. 31 Quam cum legiſſent, gaviſi ſunt ſuper conſolatione. 32 Judas autem, & Silas, & ipſi cum eſſent Prophetæ, verbo plurimo conſolati ſunt fratres, & confirmaverunt. 33 Facto autem ibi aliquanto tempore, dimiſſi ſunt cum pace a fratribus ad eos, qui miſerant illos. 34 Viſum eſt autem Silæ ibi remanere: Judas autem ſolus abiit Jeruſalem. 35 Paulus autem, & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, & evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. 36 Poſt aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes viſitemus fratres per univerſas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo ſe habeant. 37 Barnabas autem volebat ſecum aſſumere & Joannem, qui cognominabatur Marcus. 38 Paulus autem rogabat eum (ut qui diſceſſiſſet ab eis de Pamphylia, & non iſſet cum eis in opus) non debere recipi. 39 Facta eſt autem diſſenſio, ita ut diſcederent ab invicem, & Barnabas quidem aſſumpto Marco, navigaret Cyprum: 40 Paulus vero electo Sila profectus eſt, traditus gratiæ Dei a fratribus. 41 Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias: præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum.

℣. 1. NISI CIRCUMCIDAMINI, NON POTESTIS SALVARI.] Gentilium, qui ad Chriſtianam Religionem quotidie convertebantur, cum quotidie numerus augeretur, Judæis converſis alia ſuboriri cœpit invidia, non propter eorum converſionem, ſed quod circumciſionem minime recipiebant, neque putabant, ſe ad Legis cæremonias obſervandas teneri. JESUS CHRISTUS hac de nihil decreverat, & Apoſtoli diutius dubitaverant, utrum incircumciſi Gentiles Baptiſmo eſſent abluendi, licet alioquin Deum metuerent, atque frugi vitam traducerent. Vidimus ſupra, quid in Cornelii Baptiſmate contigerit.

Apud Judæos ævi illius duæ erant hac de re ſententiæ, affirmantibus aliis, nullam ſalutem ſperandam illis eſſe, qui minime circumciderentur, neque legi obſervandæ ſeſe ſubmitterent, aliis affirmantibus in Deum (B) fidem atque naturalis Legis exercitationem ad beatitudinem promerendam ſufficere. Narrat Joſephus Antiq. l. 20. c. 2. mercatorem quemdam nomine Ananiam cum Izatem Adiabenorum Regem convertiſſet, minime coegiſſe illum, ut circumciderertur, dicentem hoc minime neceſſarium eſſe, ſi vellet Moyſis leges ſervare; ſed alium Judæum, cui nomen Eleazar, cum quadam die Regem illum nactus eſſet, Moyſis libros legentem, hanc ſibi licentiam vendicaſſe, ut eidem diceret, non ſatis eſſe eos libros perlegere; ſed hos obſervari oportere, neque circumciſionem ullo pacto eſſe differendam; cui e veſtigio Princeps obtemperavit. In Eccleſia Chriſtiana eadem ferme erat ſententiarum diviſio, ac apud Judæos. Sed clementior ſententia (C) vicit, quemadmodum infra videbimus; pro qua ſæpe jam Deus miraculorum fulgore voluntatem ſuam fuerat teſtatus.

S. Epiphanius hær. 28. Philaſtrius hæreſ. c. 36. atque poſt illos alii complures aiunt, ſectatores Cerinthi, qui deinde propter hæreſim ſuam inſignes fuit, auctores fuiſſe tumultus illius, quem iſthic legimus: nam antequam illi Jeroſolyma Antiochiam venirent; fideles ſumma cum lætitia Evangelii progreſſus audierant, atque citra invidiam viderant Ethnicos in Eccleſiam confluentes. Sed ubi Cerinthi Sectatores illuc pervenerunt, turbas, atque diſſidia ſerere non deſtiterunt. Cerinthii iidem Jeroſolymæ probare adnixi ſunt, Ethnicos, qui fidem amplecterentur, eſſe cogendos, ut circumciſionem reciperent, & Legis cæremonias obſervarent. Sed Apoſtoli eorum pertinaciam videntes (A) tandem & Principem, & Sectatores illius ex Eccleſia ejecerunt.

℣. 2. FACTA ERGO SEDITIONE . . . ADVERSUS ILLOS.] Græcus [1] ad litteram. *Cum magna ſeditio atque contentio, Pauli, & Barnabæ in illis excitata fuiſſet*, Paulus, & Barnabas contra hos turbidos homines inſurrexerunt, atque ſe Gentilium recens ad fidem converſorum partes tueri oſtenderunt adverſus eos, qui novum his jugum imponere adnitebantur. Hoc ad ſeditionem uſque minime exarſit; licet ſententiis ſejuncti eſſent, in charitate tamen erant conjuncti. Vetus Cantabrigienſis MS. paulo fuſior eſt, quam textus noſter. Ait autem: *aſſerebat Paulus Ethnicos, qui in fidem venerant, permanere debere eo in ſtatu, in quo erant*, quin circumciderentur, *ſed qui Jeroſolymis venerant, ſuaſerunt Paulo, Barnabæ, aliiſque nonnullis,* (B) *ut Jeroſolymam pergerent ad Apoſtolos, ſenioreſque conſulturi, ut ex eorum vocis oraculo hæc quæſtio dirimeretur*. Docet S. Paulus ad Galat. 2. 2. circumſtantiam quamdam, quæ hoc in loco non legitur, videlicet ſe per revelationem admonitum fuiſſe, ſibi hoc iter ſuſcipiendum eſſe. Quod ille una cum Barnaba, & Tito ſuſcepit anno decimo quarto a primo itinere, quod poſt converſionem ſuam fuerat ingreſſus. Noluit autem circumcidere Titum, quem ſecum ducebat; adeo confidebat ei cauſæ, quam tuebatur.

AD APOSTOLOS, & PRESBYTEROS,] vel Seniores. Vide ſupra cap. 11. ℣. 30. Quæritur, utrum omnes Apoſtoli interfuerint concilio, quod primum omnium in Eccleſia habitum fuit? Credunt nonnulli [2] ibi (C) omnes fuiſſe, aſſerunt alii [3] Petrum dumtaxat, Jacobum, Johannem, Paulum, & Barnabam ibi interfuiſſe. Et ſane horum dumtaxat hic mentio habetur, eorumque tantum in Epiſtola ad Galatas meminit S. Paulus ad Gal. 2. 9. Supponit S. Johannes Chryſoſtomus in Acta hom. 33. non defuiſſe etiam alios quoſdam. Ibi fuerunt etiam Presbyteri, vel Seniores, & plurimi Jeroſolymitanæ Eccleſiæ fratres, quibus nullum erat in Concilio jus ſuffragii, ſed qui ibi aderant dumtaxat tamquam auditores.

℣. 3. ILLI ERGO DEDUCTI AB ECCLESIA.] Honoris, & amicitiæ ergo illos extra Urbem deduxerunt [4]. Sed tres dumtaxat Jeroſolymam profecti ſunt; videlicet Saulus, Barnabas, & Titus. Phœniciam ſecus mare emenſi, inde per Samariam verterunt iter, ut Jeroſolymam accederent. Ubique inveniebant Ethnicos, vel Samaritanos converſos, quibus narrabant, & co

[1] Γενομένης δὲ στάσεως, καὶ συζητήσεως οὐκ ὀλίγης τῷ Παύλῳ, καὶ τῷ Βαρνάβᾳ πρὸς αὐτούς.
[2] Clem. Conſtit. lib. 6. c. 12. Lorin. ſubdubitat. Fromond.
[3] Baron. ad an. 51. Vide Cornel. hic.
[4] Fromond. Grot. Men. alii plerique.

& ea quæ contigerant, & ad quæ tranſigenda Jeroſolymam ſe ſe conferrent. Omnes autem maximo ſtudio cauſam hanc ſuſcipiendam cenſebant, quoniam agebatur, utrum jugum legis eſſet excutiendum, an recipiendum. De omnium denique Eccleſiarum libertate agebatur.

℣. 4. QUANTA DEUS FECISSET CUM ILLIS.] Quam benignum ſe ſe illis præbuiſſet, & quam gloriam illis procuraſſet. Vide cap. 14. ℣. 27.

℣. 5. QUIDAM DE HÆRESI PHARISÆORUM,] & Cerinthianorum [1] aſſerentium Chriſtianæ Religioni circumciſionem, atque legis totius obſervantiam eſſe conjungendam. Verſiculus hic ſuperiori ita connecti putaſt. *Nuntiarunt, quanta Deus feciſſet cum illis* (℣. 3.) *Sed*, addiderunt illi, *quidam ex Phariſæorum ſecta, qui crediderunt* Antiochiæ, *ſurrexerunt dicentes, quia oportet circumcidi eos &c.* Credunt alii, S. Lucam hic ℣. 5. narrare, quod Jeroſolymæ factum fuerat ab Cerintho, ejuſque diſcipulis, qui in eadem ſententia verſabantur, ac illi, quos antea miſerat Antiochiam, & qui Apoſtolorum ſententiam ibi præſtolabantur.

℣. 7. CUM MAGNA CONQUISITIO FIERET.] Poſtquam ſedulo utriuſque ſententiæ rationes ad examen vocatæ fuiſſent, & diſcuſſum, quid conſequi poſſet ex conceſſa libertate, ne ceremoniæ legis obſervarentur, vel ex impoſita Gentilibus circumciſionem recipiendi neceſſitate, quæ ſimul, totius Legis obſervandæ officium complectitur [2]; auditiſque narrationibus, & rationibus cum Pauli, & Barnabæ, tum Cerinthi, & ſociorum ejus, S. Petrus protulit ſententiam, in quam univerſum concilium pedibus abiit. Spiritus Sancti præſentia, & JESU CHRISTI promiſſio, qua Eccleſiæ ſuæ pollicitus eſt, a ſe illam numquam derelictam iri, minime excludunt legitimas præcautiones, quæ diligenter ineundæ ſunt, ne aliquis error obrepat. Deus numquam tentandus eſt, nemo poteſt ambigere, quoniam Apoſtoli, & SS. plerique concilium hoc conſtituentes Spiritu Sancto fuerint afflati; illi autem ſeriò omnia perquirunt, ſedulo ad trutinam revocant, accuratiùs propoſitum argumentum diſcutiunt, quamvis Deus plurimis miraculis ſe ejus ſententiæ, quam Paulus tuebatur, fautorem, Auctoremque oſtendiſſet. Eccleſia in Conſiliis ſuis eamdem ſemper methodum ſecuta eſt; atque ſtudio, & examine diligenti uſa eſt, antequam de certiſſimis etiam fidei articulis ſententiam proferret. Hæc veritati, atque neceſſitati earum rerum, quæ pertinent ad Religionem, obſervantia debetur.

SURGENS PETRUS] veluti Concilii Princeps, etiam ante S. Jacobum, qui aderat, & erat Jeroſolymitanus Antiſtes. Ait autem, ſe jampridem electum fuiſſe, ut per os ſuum Gentiles Evangelii verbum audirent. Loquitur præcipue de converſione, & Baptiſmo Cornelii, quæ jampridem contigerant, ſexdecim videlicet ante id tempus annis [3]. Deus Petro voluntatem ſuam aperuerat primum quidem ea viſione, qua mappam cujuslibet generis animantium mundorum, atque immundorum refertiſſimam obtulit, quibus ille veſci jubebatur; ſecundo per eam revelationem, qua Deus juſſerat, Cornelium mittere in Joppem ſervos ad Petrum conquirendum: tertio, per deſcenſum Spiritus Sancti in Cornelium, ſocioſque ipſius, ipſum etiam ante Baptiſmum.

℣. 8. TESTIMONIUM PERHIBUIT.] Deus, qui corda novit, neque ſecundum ſpeciem judicat, ita ut falli poſſit, gentibus teſtimonium perhibuit, noſtrumque judicium prævertit, illis Sanctum ſuum Spiritum tribuens, quin circumciſionem recepiſſent, atque Legis ceremoniis obſervandis ſe ſe ſubjeciſſent. Si igitur Deus e re non cenſuit illis ceremoniarum jugum imponere, numquid affirmare dubitabimus, illas neque-

A quam neceſſarias eſſe, ut gratia obtineatur, atque ut Ethnici ad ſalutem perveniant?

℣. 9. NIHIL DISCREVIT INTER NOS, & ILLOS, FIDE PURIFICANS CORDA EORUM.] Illis æque, ac nobis Spiritum ſuum elargitus eſt, cum antea corda eorum purificaſſet fide, non autem ceremonialibus Legis operibus. Per fidem, & charitatem, quam illis contulit, ea perfecit, quæ Lex facere non potuiſſet. Eorum fides illis promeruit, quod Lex ipſa illis elargiri minime potuiſſet, hoc eſt juſtificationem, & Spiritus Sancti gratiam, quam Deus neque Judæis, neque Apoſtolis conceſſit, niſi poſt Baptiſmum. Cum de fide loquitur, minime excludit charitatem, ſine qua fides mortua eſt, neque bona opera moralia, ſine quibus nihil proficit fides: ſed de fide tantum loquitur, tam- B quam univerſæ noſtræ juſtificationis fundamento. Hæc prior eſt gratia, per quam reliquas omnes obtinemus [4]. Sanctius per fidem hoc in loco Evangelium intelligit, quatenus Legi ceremoniali opponitur. Gentiles per fidem, per Chriſtianæ Religionis profeſſionem, per Chriſtianorum virtutum exercitationem juſtificantur.

℣. 10. QUID TENTATIS DEUM?] Cur recentia voluntatis, atque potentiæ illius ſigna poſtulatis; perinde ac illa, quæ hactenus habuiſtis, minime ſufficerent [5]? Cur ambigitis, utrum per fidem poſſit Deus homines ſalvos facere? Iſraelitæ in deſerto Deum tentabant, nova ex illo miracula poſtulantes. Qui Ethnicos ad circumciſionem recipiendam cogere adnitebantur poſt ea omnia, quæ in eorum gratiam fecerat Deus, ſimili ratione operabantur.

C IMPONERE JUGUM.] S. Petrus jugum non ferendum appellat circumciſionem, & Leges ceremoniales, non autem Leges morales, atque naturales, quæ in Libris Moyſis continentur? Hæ quidem Judæis peculiares non ſunt, ſed omnibus hominibus communes, atque divina favente gratia ab omnibus omnes poſſunt obſervari. Neque preſſius intelligendum eſt, quod dicitur, *quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus*, perinde ac ſi nemo ceremoniales Leges potuerit obſervare. Innuit ſolum, difficillimum eſſe obſervare [6] eaſdem, & fieri moraliter non poſſe, quin & invitus decidas, licet diligentiſſime præcaveas, in erratum aliquod vel commiſſionis, vel omiſſionis adverſus eas ex. g. Leges, quæ Legales ſordes atque expiationes reſpiciunt. Judæi enumerant ducenta, & duodeviginti præcepta af- D firmativa, trecenta vero & quinque ſuper ſexaginta negativa, quæ ſimul collecta quingenta ſunt, & octoginta tria. Alia ſexcenta & tredecim enumerant; at quomodonam tot minutæ præceptiones poſſent adimpleri?

℣. 11. PER GRATIAM DOMINI JESU CHRISTI CREDIMUS SALVARI, QUEMADMODUM & ILLI,] Ethnici videlicet. Gratia ſæpe pro Evangelio uſurpatur. Per JESU CHRISTI fidem, atque Evangelicarum veritatum exercitationem ſperare debemus, nos ad ſalutem perventuros, non ſecus ac Ethnici ſalvi ſunt. Ceremoniæ deinceps neque illis, neque nobis ad ſalutem proderunt: ſed ſpem omnem in Evangelio, & JESU CHRISTI gratia collocare debemus. Innuit, Judaicas ceremonias penitus eſſe abolendas. S. Auguſtinus [7] E ea verba, *quemadmodum & illi*, refert ad Judæorum Seniores. Per JESU CHRISTI gratiam nos, ac Patres noſtri ſalutem ſperare debemus. Vel quemadmodum Patres noſtri per JESU CHRISTI gratiam tantummodo ſalvi facti ſunt; ita Gentiles ſperare non poſſunt, alia ſe via ad ſalutem perventuros.

℣. 13. POSTQUAM TACUERUNT, RESPONDIT JACOBUS.] Jeroſolymitanus Epiſcopus. Ordo poſcebat, ut poſt S. Petrum ipſe loqueretur; quandoquidem concilium in Eccleſia illius habebatur [8]. Credunt nonnulli [9], S. Petrum primum, veluti Apoſtolorum Princi-

 pem

1 Epiphan. hæreſi 28. 2 Galat. 5. 3. *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* 3 Statuitur Cornelii baptiſmus an. J. C. 35. & Concilium Jeroſolymitanum an. 51. 4 Auguſt. de prædeſt. c. 7. D. Thom. 2. 2. qu. 7. art. 2. Fromond. 5 Grot. Fromond. Cornel. Men. 6 Grot. Fromond. Cornel. alii. 7 Aug. lib. 1. c. 21. ad Bonifacium. Vide et lib. 2. contra 2. Epiſt. Pelag. c. 21. et Cornel. hic. et Piſc. 8 Chryſoſt. homil. 33. in Acta. 9 Chryſoſt. hic. et Sanct. ad verſ. 15.

pem, opinionem ſuam attuliſſe, atque eum ſententiam ſuam ille probaſſet iis præſertim miraculis, quæ in Ethnicorum gratiam Deus fuerat operatus, & quorum ipſe teſtis, & quodammodo inſtrumentum fuerat, S. Jacobum, cui contingebat ſecundo loco loqui, tamquam Epiſcopo Jeroſolymitano, alteram protuliſſe rationem, ex Prophetiis perſpicue vocationem Gentilium ad fidem memorantibus, depromptam.

S. Johannes Chryſoſtomus in Homilia 33. in Acta Sapientiam, ſuavitatem, & perfectionem orationis S. Jacobi hac in occaſione admiratur. Ait autem, eos in quorum manu auctoritas eſt, ſinere debere, ut alii proferant, quod magis moleſtum eſt, ut ipſi deinde afferant, quod mitius. Concilii vero ea tandem fuit deliberatio, ut S. Jacobi ſententiam maxime ſequeretur.

℣. 14. DEUS VISITAVIT SUMERE [1].] Dominus jam mentem ſuam aperuit, Gentilibus æquum ſe præbens, illis prædilectionis ſuæ ſpecimen tribuens, illos ad fidem per interioris gratiæ, & Spiritus Sancti effuſionem appellans. Hæc unica ratio ſatis eſſet, ut præſens quæſtio dirimeretur. At non deeſt altera, quæ robore priori minime cedit; vox ſcilicet Prophetarum, qui & ipſi Gentilibus ſuffragantur. ℣. 15. *huic concordant verba Prophetarum*.

℣. 16. POST HÆC REVERTAR.] Hæc verba ex Amos 9. 11. deſumpta ſunt. Propheta hic juxta ſenſum hiſtoricum loquitur, vel de proſperitate Regni Juda eo tempore, quo Ezechias, vel Joſias Imperii ſummam obtinebant, vel de reditu ex captivitate, atque Aſmonæorum Imperio [2]. Verum omni caret dubitatione, hoc in ſenſu Prophetiam numquam omnino fuiſſe adimpletam. Ea igitur intelligenda eſt in ſenſu, in quo a S. Jacobo explicatur, affirmante, illam Gentilium converſionem reſpicere; *ſuper quos invocatum eſt nomen* JESU CHRISTI, qui ad illum pertinent, qui populus Domini appellantur; hoc enim textus verba ſignificant [3].

S. Jacobus Apoſtolus hunc locum Amos protulit ex verſione Septuaginta; Hebræus vero ita legit: *in illa die ſuſcitabo domum David, quæ eſt everſa . . . . . ut poſſideat reliquias Idumææ* [4], *& omnes gentes, quoniam vocati ſunt ex nomine meo; vel quoniam vocatæ ſunt ex nomine meo*; nam hoc vel ad gentes, vel ad poſteros David referri poteſt. Sed quocumque in ſenſu intelligantur hæc verba, verum eſt tamen, externas gentes domui David numquam vere ſubjectas fuiſſe, neque Domini populum appellatas, niſi ſub JESU CHRISTI Evangelio.

℣. 18. NOTUM A SÆCULO.] Converſio, & vocatio Gentilium, illorum fides, & reditus ad Deum, ſupernaturale opus eſt gratiæ. Deus eſt, qui errantem hominem vocat, qui mentem ejus illuminat, qui cor illius tangit, qui validis illecebris illum permovet, ut errorem quidem relinquat, veritatem autem amplectatur. Hoc Dei opus neque recens eſt decretum, neque inditium inconſtantiæ ipſius. Si hactenus paſſus eſt, gentes vias ſuas ſequi, quin ad eas loqueretur, & illas ad ſe revocaret; ſi hodie eaſdem vocare cœpit, eiſque veritatem ſuam tradere cognoſcendam; hoc ille effecit, ut æterna decreta exequeretur: *notum a ſæculo eſt Domino opus ſuum*; ſemper voluit, quod hodie facit; itaque necquiquam id prohibere conamini [5]; ille omnipotens eſt, atque ſapientiſſimus.

℣. 19. JUDICO NON INQUIETARI [6],] cenſeo Ethnicos, qui ad fidem convertuntur, vel qui jam converſi ſunt, minime cogendos eſſe, ut circumciſionem recipiant: alioquin enim ultro obices ſtatueremus Evangelicæ prædicationi, noſtrorumque laborum felicitati; & divinæ voluntati adverſaremur.

℣. 20. UT ABSTINEANT SE A CONTAMINATIONIBUS SIMULACRORUM,] hoc eſt a carnibus victimarum, Idolis immolatarum, quemadmodum infra ℣. 29. explicatur. Has autem *contaminationes* appellant, quoniam pollutæ ſunt, quippeque immundis, atque abominabilibus Numinibus dicatæ; & polluunt animas eorum, qui eiſdem infirma conſcientia veſcuntur, vel qui credunt, Idolum eſſe aliquid, vel tandem, qui ſcandalum videntibus ingerunt: alioquin enim ſi clanculum, & citra ſcandalum hujuſmodi carne veſcaris, minime peccas. Idolum enim tandem nihil eſt, & quod illi mactatur, ideo neque purius eſt, neque impurius [7]. Sed Apoſtoli e re cenſuerunt, hoc abſolute interdicere, ad omne Idololatriæ periculum evitandum: Ethnicorum ſacrificiis, ut plurimum, convivia ſuccedebant, in quibus carnes cæſarum victimarum comedebantur; quarum carnium qui particeps fieret, particeps ſacrificii cenſebatur [8], atque Idololatra. Interdictum eſt, ne immolatæ carnes manducarentur propter effecta [9]; hoc enim in ſe non aliud eſt, quam mera cæremonia, non ſecus ac illæ, quibus in hoc ipſo cœtu Gentiles onerari minime cupiebant.

ET FORNICATIONE.] Plures Judæi, atque Ethnici credebant, ſimplici fornicationi Lege naturali minime interdictum fuiſſe [10]; alii vero oppoſitum affirmabant. Ad omnes contentiones tollendas, operæ ſe facturos pretium cenſuerunt Apoſtoli definitores, & hac in re Moſaicæ Legis [11] interdictum corroborantes. Præterea impudicitiæ, quæ apud Ethnicos paſſim admittebantur, non modicum conſtituebant objicem, ne illi cum Judæis conjungerentur. Hi illas horrebant, atque perſuaderi non poterant, ut in communionem ſuam reciperent homines, qui hujuſmodi flagitia ſibi licere arbitrabantur, & quæ reipſa nonniſi Moyſis Lege erant prohibita, cujus tamen jugum illis minime imponebatur. Niſi addita fuiſſet hæc exceptio, non defuiſſent fortaſſe, & Gentiles, qui hoc ſcelus tamquam aliquid minime vetitum reſpicerent, & Judæi, qui Moyſis Legem quodammodo antiquatam videntes, ſibi licere exiſtimaſſent in hanc libidinem ruere. S. Jacobus igitur prudenti conſilio cenſuit, fornicationi penitus eſſe interdicendum.

Interpretes quidam minime aſſecuti rationem, propter quam hoc illhic prohibitum fuerit, inter alia, quæ ad diſciplinam tantummodo pertinent; *fornicationis* nomen intellexere, alii quidem [12] de Idololatria, quæ ſæpius hoc nomine in Scripturis indigitatur [13], alii de nuptiis inter conſanguineos iis in gradibus, qui in Lege prohibentur; alii [14] de oblationibus, quæ ex libidinis pretio ad Deum afferebantur, quod Deuteronomii 23. 17. Lege permiſſum eſt. Calvinus hoc intelligit de concubinatu, qui ab Ethnicis licitus habebatur; ſed inutile eſt, ad hujuſmodi ſolutiones confugere.

ET SUFFOCATIS ET SANGUINE.] Lex Moyſis [15] vetat uſum ſanguinis crudi, vel cocti, & carnium minime jugulatarum, atque cruore ſuo non emundatarum. Judæi ſanguinem adeo horrebant, ut qui eodem utebantur, ab illis tamquam immundi, atque naturalis Legis violatores haberentur. Re quidem vera Dominus ab initio prohibuerat Noe ſanguinis uſum [16]; in Lege vero interdictum idem apertis adeo verbis inſtauraverat [17], ut videretur minime intelligendum eſſe, veluti ſimplex aliqua lex cæremonialis. Cenſet igi-

1 Ἐπεσκέψατο λαβεῖν. S. Iren. *Excogitavit*. Alii, Ἐξηγήσατο. Alii, Ἐξελέξατο.
2 Vide noſtrum Commentarium in Amos. 3 Confer Geneſ. 48. 16. Deut. 28. 10. 2. Reg. 6. 2. Iſai. 4. 1. &c. 4 וירשו את שארית אדום Septuaginta legunt אדם *Adam*, pro אדום *Edom*. Οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων. 5 Ham. Cornel. Menoch. Eſt. alii.
6 Μὴ παρενοχλεῖν. *Non vexari, non obturbari, non moleſtia affici oportere, &c.*
7 Vide 1. Cor. 8. 8. & 10. 25. 8 Tertull. de Idolat. *Si propter ſacrificium vocatus aſſiſtam, ero particeps idolatriæ*. Vide Grot. hic. 9 Vide Origen. lib. 8. contra Celſum.
10 Vide noſtrum Commentarium in Geneſ. 38. 16. & in Exod. 20. 13. Grotium in Act. 15. 20. & Matth. 5. & Sanct. in verſ. 19. hujus capitis. 11 Deut. 23. 17. 18. Vide & Exod. 22.
12 Beza. 13 Ligfoot. Chron. p. 99. Hamm. 14 Heinſius.
15 Geneſ. 9. 4. 5. Levit. 3. 17. 7. 26. 27. Deut. 12. 16. 23. 15. ultimo.
16 Geneſ. 9. 4. 5. 17 Levit. 7. 26. 27.

Igitur S. Jacobus, hunc morem in Eccleſia ſervandum, atque eidem Gentiles converſos ſubjiciendos, ut quoad fieri poſſet, omnes auferrentur obices, quominus corda, atque animi Judæorum, Ethnicorumque ſimul coaleſcerent [1], & utrique ad earum legum obſervantiam revocarentur, quæ tamquam primævæ, & naturales [2] habebantur, & tamquam effectus juris naturæ, omnem cædem, ac vim prohibentis: primum enim earum legum conſilium erat, ut hominibus ſanguinis, & cædis horror immitteretur.

Cæterum hoc interdictum pluribus ſæculis habitum fuit, non tamquam ſimplex diſciplinæ inſtitutum ad pacem fovendam, & evitandum, quidquid Judæos laceſſeret, adinventum; plurimi etiam Martyres vitæ ipſius impendio ab hujuſmodi eſcis abſtinere voluerunt [3]: *inter tentamenta Chriſtianorum botulos etiam cruore diſtentos admovetis, certiſſimi ſcilicet illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis*. Et Religionis noſtræ Apologiſtæ illis, a quibus Chriſtiani accuſabantur, quaſi pueros comederent, reſpondebant, ne licere quidem animantium ſanguine veſci [4]. Apoſtolicæ Conſtitutiones de gradu movent Epiſcopum, vel Sacerdotem, qui carnem cum ſanguine, hoc eſt animal ſuffocatum comederit; Laicum vero, qui in hoc erratum deciderit, anathemate percutiunt. Gangrenſe Concilium can. 2. Conſtantinopolitanum in Trullo c. 68. Synodus Vormatienſis ſub Ludovico Pio c. 65. Epiſtola Zachariæ Papæ ad S. Bonifacium Maguntinum Archiepiſcopum, Adam Bremenſis c. 20. & complurimi Pœnitentiales hoc ipſum interdictum complectuntur; eademque videtur conſuetudo plurimis in locis uſque ad decimum, vel undecimum ſæculum. Sed in Africa ex ipſo jam S. Auguſtini [5] ævo non amplius vigebat. Græci ad hanc quoque diem cavent, ne purum ſanguinem præparatum, & a carne ſeparatum manducent [6].

Vulgata, & Græcus typis editus [7] memorant explicite tamquam duo diverſa interdicta, & illud, ne quis *ſuffocatis*, & ne quis *ſanguine* veſcatur. Omnia ferme Mſſ. Exemplaria excepto Cantabrigienſi, & Græci Patres omnes fere ſimiliter legunt, & duo iſta diſtinguunt. At S. Irenæus l. 3. cap. 12. Tertullianus de Monog. cap. 5. S. Cyprianus ad Quirin. l. 3. S. Auguſtinus contra Fauſtum l. 32. S. Pacianus apud Baron. an. 51. S. Hieronymus in cap. 5. Galat. Ambroſiaſter in Galat. 2. ſimpliciter legunt interdictum ſanguinis comedendi. Et S. S. Auguſtinus l. 32. cap. 13. contra Fauſtum, & Gaudentius ſerm. 15. vocem illam *a ſuffocatis* gloſſema aliquod eſſe putant, ad explicandam *ſanguinis* vocem. Sed Græcorum, Latinorumque exemplarium conſenſus maximi debet eſſe ponderis, quoniam omnia ſimul generatim legunt hodie: *a ſuffocatis, & ſanguine*; neque ullam ſatis validam rationem videmus, quam ob rem lectionem hanc rejiciamus.

Poſt vocem illam *a ſanguine* Græca complura exemplaria, & Latini quidam Patres [8] legunt: *& alteri, ne feceris, quod tibi factum non volueris*. At nemo adeo ſenſus eſt expers, qui non intelligat, hanc ſemidocti alicujus viri additionem fuiſſe, qui credidit, hoc deeſſe S. Jacobi ſententiæ, ut in omnibus Judæi cum Ethnicis conciliarentur. Credit S. Johannes Chryſoſtomus hom. 33. in Acta, per *ſanguinem* Apoſtolos intelligere cædibus eſſe interdictum, neque aliter id explicat Tertullianus in libro de caſtitate; quæ explica-

A tio apud Græcos non erat infrequens [9], & S. Cyprianus Teſtim. l. 3. hunc in locum legit: *a ſanguinis effuſione*. Verum neceſſum non erat, ut in Concilio Jeroſolymitano prohiberetur ſcelus generatim adeo, & Lege naturali, & duodecim tabulis Romanorum interdictum.

℣. 21. Moyses enim.] Zelotæ igitur Hebræi non conquerantur, quaſi Moyſes deſeratur, ejuſque lex abrogetur, contra Jeſu Chriſti mentem, qui in mundum ſe veniſſe profeſſus eſt, Matth. 5. 17. ad eamdem non antiquandam, ſed perficiendam. Moyſes, & Lex ſemper ſubſiſtunt non ſolum in Judæorum Synagogis, ubi quolibet Sabbatho legitur; verum etiam in Chriſtianorum Eccleſiis, ubi legitur, & colitur tamquam egregias morum leges, hiſtoriam ad nos erudiendos maxime utilem, & plurimas Meſſiæ figuras, in Patri-
B archarum actis, & in eorumdem Prophetiis, in promiſſionibus in eorum gratiam inſtitutis, & in legibus, quæ ad ſacrificia, feſtoſque dies pertinent, complectens. Itaque libertas, quam Gentilibus concedimus, nullum Moyſi judicium poteſt afferre [10].

Quidam [11] hoc ita explicant: decretum hoc ſcriptis mandandum eſt, atque in omnibus fidelium cœtibus legendum eodem ferme pacto, quo Moyſes Sabbatho in Judæorum Synagogis recitatur. Alii [12] ita per paraphraſim efferunt. Judæi Moyſem præconiis efferunt, eumque ſumma cum obſervantia in Synagogis ſuis, ubi quolibet ſabbatho legitur, audiunt. Nobis vero alia ſunt inſtituta; non recedimus ab iis, quæ a Jeſu Chriſto fuimus edocti. S. Chryſoſtomus hic, non oportet hæc præcepta irrogare Judæis converſis; hæc enim
C ſatis norunt ex libris Moyſis, qui quolibet Sabbatho in Synagogis leguntur. Sufficit ergo, ut a Gentilibus Neophytis intelligantur.

Sed prior explicatio ſimplicior videtur: eaque una dumtaxat afferri poteſt difficultas, quod Eccleſia Chriſtiana Synagogæ nomine iſthic deſignari videtur, quo omnes dicuntur conveniſſe homines ſingulis Sabbathis ad legem legendam. Sed Grotius oſtendit, in Oriente Sabbathi diem fuiſſe diu cœtus diem, non ſecus ac diem Dominicum, ibique Veteris Teſtamenti Biblia perlegi conſueviſſe: quemadmodum nos ipſi adhuc Sabbathis ante Paſcha, & Pentecoſtem conſuevimus. Concilium Laodicenſe can. 59. circa ann. 330. præcepit, ut Evangelium, non ſecus ac Veteris Teſtamenti libri in Eccleſia legeretur. Ad illud uſque
D tempus, Grotius ait, neque Evangelia, neque novi Teſtamenti libri legebantur.

℣. 22. Placuit Apostolis, et Senioribus cum omni Ecclesia.] Apoſtoli, Epiſcopi, & Presbyteri, qui in cœtu aderant, hoc decreverunt, quod mox populus, & univerſa Eccleſia [13] approbavit, minime diſſentiens, atque concurrens in electionem, quæ habita fuit Legatorum quorumdam, a quibus Antiochiam concilii decretum perferretur. Hoc ipſum fieri conſuevit in ſeptem Diaconorum electione: populus [14] etiam cum Apoſtolis ſaltem per approbationem conſenſit. Electus ergo fuit *Iudas*, cui nomen Barſabas, & *Silas*, qui cum S. S. Paulo, & Barnaba Antiochiam miſſi fuerunt teſtes eorum, quæ Concilium decreverat. Paulus, & Barnabas fidem fortaſſe invenire mi-
E nime poterant apud Cerinthios, qui circumciſionis neceſſitatem tuebantur. Sed *Iudas*, & *Silas* hactenus ea in quæſtione neutri ſententiæ adhæſerant. Creditur *Iudas, qui cognominabatur Barſabas*, frater fuiſſe Joſephi Barſabæ, qui cum Matthia propoſitus fuit, ut alte-

---

1 Aug. contra Fauſt. lib. 2. c. 13. Fromond. Grot. alii. 2 Tertull. de monogamia: *In Chriſto omnia revocantur ad initium . . . & libertas ciborum, & ſanguinis ſolius abſtinentia, ſicut ab initio fuit*. Ita & lib. de jejunio. 3 Tertull. Apologet. 4 Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 5. c. 1. Octav. apud Minut. *Tantum ab humano ſanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis ſanguinem noverimus*.

5 Auguſt. lib. 2. contra Fauſt. cap. 13. *Ubi Eccleſia Gentium talis effecta eſt, ut in ea nullus Iſraelita carnalis appareat, quis jam hoc Chriſtianus obſervat? . . . & qui forte pauci adhuc tangere iſta formidant, a cæteris irridentur*. 6 Zonar. ad Gang. Canon. Αἷμα ἐξεπίτηδες ἑψόμενον, καὶ πηκτόμενον. Ita & Balſamon. Vide Boch. de anim. ſacr. part. 1. lib. 2. c. 2. 7 Καὶ τοῦ πνικτοῦ, καὶ τοῦ αἵματος.

8 Ita Cant. Gr. Lat. Stephan. 2. PP. & alii quidam; Æthiop. Iren. Cyprian. Raban.

9 Ambroſiaſter in Galat. 2. 10 Grot. Hamm. Le Clerc.

11 Vide Gloſſ. Interlin. Sanct. Zeger. 12 Cornel. Menoch. Tirin.

13 Cornel. Grot. Fromond, Menoch. 14 Act. 6. 5.

[illegible] in Judæ proditoris locum eligeretur [1]. Silas alio nomine Sylvanus [2], ille eſſe dicitur, qui in prima, & altera S. Pauli ad Theſſalonicenſes [3] epiſtola memoratur. S. Petrus huic crediderat primam epiſtolam ſuam, quam Romæ ſcripſerat, ubi illum *fratrem fidelem* appellat [4]. S. Lucas hoc in loco ait, duos hoſce legatos fuiſſe *viros primos in fratribus*; unde illos ex ſeptuaginta diſcipulorum numero fuiſſe conjiciunt.

℣. 23. HIS, QUI SUNT ANTIOCHIÆ, ET SYRIÆ, ET CILICIÆ.] Antiochia erat Syriæ Metropolis, quæ Provinciæ Ciliciæ erat contermina. In illis Provinciis plures erant Ethnici ad fidem converſi, qui cum diſcipulorum Cerinthi, aliorumque Judæorum, qui pro litterali, & rigoroſa Legis obſervantia zelo erant ſuccenſi, ſermonibus fuiſſent permoti, indigebant auctoritate Apoſtolorum confirmari. Epiſtola ſcripta eſt nomine *Apoſtolorum*, *Seniorum*, vel *Presbyterorum*, & *fratrum* Jeroſolymæ ad innuendum unanimem totius Concilii conſenſum. Sed Vulgata ad litteram, & plurima Græca exemplaria legunt [5]: *Apoſtoli*, & *Seniores fratres*; vel *Apoſtoli*, & *Seniores noſtri fratres*: quod innueret, ſimplices fideles in Epiſtolæ hujus capite minime fuiſſe memoratos. Et revera quod dicitur, *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*, non de fidelium communitate, ſed de Apoſtolis tantum, atque Presbyteris poteſt intelligi.

℣. 24. AUDIVIMUS, QUIA QUIDAM.] Ex Seniorum ſententia, Cerinthus, atque Sectatores ejus Jeroſolyma egreſſi, in omnes Eccleſias turbas immiſerunt, aſſerentes, Gentilibus ad Chriſtianam religionem converſis circumciſionem eſſe recipiendam; quam ob rem complures retrocedebant, atque Evangelii progreſſus inhibebatur &c.

℣. 25. CUM CHARISSIMIS NOSTRIS.] Hæc illis addunt, ut epiſtolæ ad auferendam omnem ſuſpicionem, quæ Judæis oboriri poſſet contra puritatem ſententiarum eorumdem; quoniam illi acriter ſemper tueri ſuerant libertatem eorum, qui recens fuerant converſi, atque ita ſibi Judæorum invidiam conflaverant.

℣. 28. VISUM EST SPIRITUI SANCTO, ET NOBIS.] Hoc decretum minime putetis eſſe humanum judicium, quippe eſt ejuſdem Spiritus ſancti deciſio. Itaque hanc ea recipite, qua par eſt, obſervantia. Spiritus ſanctus cœtui noſtro præfuit juxta ea, quæ Salvator ſpoponderat, ſe videlicet nobiſcum futurum per Spiritum ſanctum ſuum ad finem uſque ſæculorum [6], atque ipſum ad nos miſſurum Spiritum ſanctum ſuum, a quo de omnibus rebus erudiremur [7]; denique ſe ipſum inter nos futurum, ubi in nomine illius congregaremur [8]. Non deſunt [9], qui hæc verba: *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*, in hoc intelligant ſenſu: viſum eſt nobis, nobis inquam, qui Spiritu ſancto repleti ſumus. Hoc intelligitur de Apoſtolis, Epiſcopis, & Presbyteris, quibus eſſe poteſt jus ſuffragii in Conciliis, non autem de ſimplicibus fidelibus, qui iiſdem aſſiſtere poſſunt. Immo & hæc Spiritus ſancti inſpiratio non neceſſario intelligenda eſt tamquam realis, & actualis, qualis erat in Apoſtolis, atque Prophetis. Sufficit, ut adſit Spiritus ſanctus, & regat eos, qui concilia componunt, ac vetet, ne in deciſionibus ſuis decipiantur.

NIHIL ULTRA IMPONERE VOBIS, QUAM HÆC NECESSARIA.] Legis cæremoniæ, onera, & ſarcinæ vocantur, quo ipſo nomine Salvator Phariſæorum traditiones appellat, Matth. 23. 4. *alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea movere.* Quin ergo circumciſionis, aliarumque Legalium cæremoniarum jugum im- A ponerent, prohibent ſolum uſum carnium Idolis immolatarum, ſanguinis puri, ſeu crudi, ſeu cocti, & ſuffocatorum. Hæ ſunt ſolæ cæremoniales leges, quas impoſuerunt illis, qui ex Ethnica pravitate recens in Chriſtianam Religionem tranſierunt. Fornicationis interdictum alterius eſt generis; non aliud eſt, quam inſtauratio legis naturalis, & poſitivæ, quæ apud Gentiles quodammodo obtenebrata erat oblivionis caligine. Hæc autem interdicta triplici de cauſa erant neceſſaria. Primum ne Judæorum mentes nimium averterentur, qui impelli minime potuiſſent, ut eos in Religionis cœtum reciperent, atque verſarentur cum iis, qui a ſanguine, & ſuffocatis minime abſtinuiſſent. 2. ad evitandum, & periculum, ne qui iterum in Idololatriam relaberentur, & ſcandalum infirmorum, ſi Eth- B nici Chriſtianis ſacris initiati perſtitiſſent manducare carnes Idolis immolatas, atque conviviis in eorum honorem habitis intereſſe. 3. vero ad coercendam libidinem, atque impudicitiam, quæ apud Ethnicos peſſime graſſabatur, & quæ non amplius tamquam mala habebatur.

℣. 29. AB IMMOLATIS SIMULACRORUM.] Hoc ipſum ſuperius ℣. 20. vocavit *contaminationes ſimulacrorum*.

ET SANGUINE.] Ut immitteret Deus hominibus horrorem cædis, prohibuerat ſanguinis uſum [10]. Credit Grotius hic ad ℣. 20. hoc vetitum viguiſſe diutius inter homines, donec cum Idololatria late in omnes terras ſe ſe effudiſſet, negligi cœpit. Illud autem Deus lege ſua inſtauravit, atque in Palæſtina a Ju- C dæis diligentius fuit obſervatum. Apoſtoli præceptum hoc inſtaurarunt pro iis, qui recens Chriſtianæ Religioni nomina dederant; illudque in Occidente pluribus in locis ad decimum uſque, vel undecimum ſæculum obſervatum eſt, & Græci Schiſmatici adhuc illud obſervant, quemadmodum adnotatum eſt. Non defuerunt noviſſimo ſæculo eruditi quidem viri, qui voluiſſent, in Eccleſia præcepti ejuſdem obſervantiam iterum inſtaurari. Populi Barbari, Scythæ, Sarmatæ, Biſaltæ, Geloni, Maſſagetæ, aliique brutorum ſanguinem, vel crudum, vel cum lacte commixtum epotare conſueverant. Scindebant etiam venam in crure equorum, atque inde ſanguinem bibendum hauriebant [11].

Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
D *Maſſagetes.*

Americani populi ad hanc quoque diem hominum, & animantium ſanguinem bibunt, & Minutius Felix ait, in Bellonæ myſteriis humano ſanguine initiari conſueviſſe. Scythæ in fœderibus ſanciendis [12] nonnumquam humanum epotabant ſanguinem; atque fortaſſe ut a Barbaris his moribus fideles averterent Apoſtoli, ſanguinis interdictum voluerunt.

Interdictum vero e ſuffocatis ex priori oritur. Prohibetur enim non purus dumtaxat cruor, & ab animalium corpore ſeparatus: ſed prohibetur etiam in animalium carne permixtus, ne quis crederet, mortem ſanguinis effuſione illatam vetitum quidem eſſe; non autem illam, ubi ſanguinis nulla eſſet effuſio. Ferunt, Græcos etiam, aliaſque nationes crediſſe, animan- E tium ſuffocatorum carnes teneriores fuiſſe, & delicatiores illis, ex quibus ſanguis hauſtus fuiſſet [13]; quod cum adverſarentur legi, omnem ſanguinis uſum prohibenti, Apoſtoli eo cenſuerunt explicite prohibere, ne quis ſuffocatis veſceretur.

Non loquor de Rabbinorum explicatione, ex Geneſi 9. 4. verba: *carnem cum ſanguine non comedetis*, intelligentium de animali adhuc vivente, quod Ethnici nonnumquam in quibuſdam Bacchi feſtivitatibus manduca-

1 Act. 1. 23. 2 Hieronym. Grot. Fromond. 3 1. Theſſal. 1. 1. & 2. Theſſal. 1. 1.
4 1 Petr. 5. 12. 5 Græc. Vulg. Οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ Πρεσβύτεροι, καὶ οἱ ἀδελφοί. Alii, οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ Πρεσβύτεροι ἀδελφοί. Ita Alexand. Cantab. Barberin. 1. Colbert. 2. Iren. Pacian. Athan. & Vulg.
6 Matth. 28. 20. 7 Joann. 14. 26. 8 Matth. 18. 20.
9 Cornel. Grot. Piſc. alii. 10 Geneſ. 9. 4. 11 Claudian. in Rufin. Vide & Virgil. Georg. lib. 3. Plin. l. 18. c. 10. Clem. Alex. l. 3. Pædagog. Lucan. l. 3. Senec. Oedip. alii.
12 Herod. lib. 4. cap. 70. 13 Athenæus apud Grot. ad verſ. 20.

Digitized by Google

ducabant. Hæc explicatio nimis eſt violenta, neque Joſephus, neque Veteres Judæi eam ita intellexerunt [1]. Vide Commentarium noſtrum in allatum Geneſeos locum.

BENE AGETIS [2].] His rebus non utentes. Hoc non eſt ſimplex conſilium, ſed præceptum quemadmodum temporum, & perſonarum circomſtantiæ ſatis probant; præceptum vero, conſuetudine, & Eccleſiæ Paſtorum auctoritate deinceps moderandum.

℣. 30. ILLI ERGO DIMISSI DESCENDERUNT ANTIOCHIAM.] Sed antequam diſcederent, S. Paulus exposuit Apoſtolis; atque fidelibus doctrinam, quam hactenus inter gentes prædicaverat, atque cum præcipuis viris cum Barnaba, atque Tito egit de quibuſdam rebus maxime neceſſariis, atque difficilibus, & quas fideles vulgo capere non poſſent. Apoſtoli nihil invenerunt, quod illius doctrinæ vel adderent, vel auferrent; atque ſumma affecti lætitia ſunt propter gratiam illi a Deo collatam, intelligentes, illum conſtitutum fuiſſe Apoſtolum gentium, quemadmodum S. Petrus fuerat Judæorum; & *dederunt illis manus* in perfectæ charitatis ſignum, atque in hoc convenerunt, ut Paulus, & Barnabas Gentilibus prædicarent, ſe vero Judæis prædicaturos. Illis dumtaxat commendarunt, ut pauperum curam gererent, quam provinciam S. Paulus egregie procuravit, quod ipſe nos docet in Epiſtolis ſuis [4].

Docet quoque aliam hujus itineris circumſtantiam, hoc eſt, Judæos converſos [5], qui legi ſubjicere admittebantur libertatem, quam Jeſus Chriſtus nobis procuravit, ſummo niſu conatos eſſe, ut a S. Paulo circumcideretur Titus diſcipulus ejus, itineris comes, & ex nativitate Gentilis. Sed illis reſtitit, & aſſentiri noluit; neque hoc cæteri Apoſtoli ab illo expetierunt.

℣. 31. GAVISI SUNT SUPER CONSOLATIONE.] Paulus, Barnabas, Judas, & Silas, ubi Antiochiam pervenerunt, Apoſtolorum epiſtolam, Ethnicis converſis obtulerunt, eoſque ſumma lætitia affecerunt, ubi audierunt illi, ſibi legis jugum minime imponi, neque eripi libertatem ſibi a Salvatore procuratam.

℣. 32. PROPHETÆ.] Repleti Spiritu ſancto, & qui donum receperant Sacras Scripturas interpretandi, atque in populo loquendi; quippe nomen prophetarum hæc omnia complectitur [6].

℣. 34. VISUM EST SILÆ IBI REMANERE.] Hic verſiculus omnino deeſt in multis Veteribus Græcis, atque Latinis [7] Mſſ. in Arabica verſione, Syriaca, & Cophta. Zegerus, & Dominus Millius putant, hanc notam eſſe, quæ ex margine in textum obrepſit, & Eraſmus ait, ſe hunc verſiculum in uno dumtaxat e ſuis Exemplaribus, & ibi ſolum in margine inveniſſe.

℣. 35. PAULUS, ET BARNABAS DEMORABANTUR ANTIOCHIÆ.] Creditur hoc accidiſſe eo temporis intervallo, quo S. Petrus cum Antiochiam veniſſet, ut ibi fratres viſeret, ibi ſtatim cum Ethnicis Chriſtianæ Religioni initiatis converſatus eſt, atque comedit, quin ullum ſibi negotium faceſſerent mundæ carnes, vel immundæ [8]. Sed aliquot diebus poſt, cum Jeroſolyma Judæi quidam Antiochiam veniſſent, a Gentilibus ſecedere cœpit, neque cum illis ultra conveſci, anſam ita præbens, ut crederetur, legis obſervantiam neceſſario requiri, & quod ædificaverat, quodammodo evertens. S. Petri exemplum Judæi converſi ſecuti ſunt, & S. ipſe Barnabas cum aliis in illud ipſum ſe pertrahi patiebatur. Verum S. Paulus veritus hujus ſimulationis effectus, S. Petrum coram coarguit, atque omnibus audientibus dixit, illum immerito exemplo ſuo cogere velle Gentiles, ut vitam ſuam ſecundum Judæorum legem componant. Hoc factum non obfuit charitati, quæ maxima erat inter utrumque Apoſtolum; profuit vero quammaxime ad Eccleſiæ ædificationem. Verum de hoc facto fuſius erit ſermo in cap. 2. Epiſtolæ ad Galatas.

℣. 36. POST ALIQUOT DIES.] Non ſatis liquet, quamdiu Paulus, & Barnabas Antiochiæ permanſerint, ſed S. Lucæ verba ibi illos ultra unum, vel duos menſes minime permanſiſſe videntur innuere. Ubi conſolatus fuiſſet, atque confirmaſſet Antiochenam Eccleſiam, Paulus Barnabæ conſilium ſuum aperuit, redeundi ad eas inviſendas Eccleſias, quarum fundamenta anno ſuperiori jecerant in Cypro, in Pamphylia, in Piſidia, & in Lycaonia; Salaminæ, Paphi, Perge, Iconii, Lyſtræ, Derbe, Antiochiæ in Piſidia, & alibi. Zeli ipſius ardor illum quieſcere minime patiebatur.

℣. 38. PAULUS AUTEM ROGABAT.] Videns Paulus, Barnabam deſiderio flagrare ſecum ducendi Johannem Marcum conſobrinum ſuum, precibus, lenibuſque verbis uſus eſt, ut illum ab ea ſententia dimoveret. Oſtendit ei, Johannis Marci inconſtantiam tantam eſſe, ut illius nulla ratio haberi poſſit; ſe ab illo fortaſſe, vel ipſa prima die, ut olim derelictum iri, ac denique illum mereri, ut levitas animi ſui, ac repulſa puniretur [9]. Hæ rationes Barnabam nihil moverunt, ideoque cum uterque in ſententia ſua permaneret, alter ab altero receſſit. Tenet S. Chryſoſtomus, penes utrumque partes rationis fuiſſe, neque nobis integrum eſſe vult, dijudicare, utri eorum potior eſſet.

℣. 39. FACTA EST DISSENSIO.] Græcis [10]; *exorta eſt irritatio*, exacerbatio, commotio, quæ tamen eo uſque minime pervaſit, ut læderetur charitas, vel aliquid deperiret de exiſtimatione, obſervantia, & amore, quibus alter alterum proſequebatur [11]. Ea fuit ſententiarum varietas, quæ a charitate, immo, & ab amicitia minime abhorret. S. Paulus conſtantior erat, & juſtitiam quærebat. S. Barnabas indulgentior, atque humanitatem potius ſequebatur. Pauli ſeveritas Marco profuit, eo quod illum conſtantiorem, atque certiorem conſilii effecit; profuit etiam ſuavitas Barnabæ, ne animos deſponderet, & ne poſt primum errorem in deſperationem decideret. Voluit providentia, ut diſſenſio inter Paulum, & Barnabam oborta in majorem Evangelii progreſſum, & Eccleſiæ ædificationem cederet; cum enim duo hi ſummi viri receſſiſſent, ſeorſim majorem terrarum partem peragrarunt, atque Evangelii lucem longe pluribus Provinciis attulerunt.

Credunt, Johannem Marcum mox ad S. Paulum rediiſſe, & hunc illum eſſe, qui a S. Paulo in Epiſtola ad Coloſſenſes 4. 10. Marcus Barnabæ conſobrinus vocatur, quem illis commendat, & quem recenſet in numero eorum, qui ſibi opem, atque ſolatium ferebant, cum Romæ in vinculis detineretur. De ipſo quoque loquitur in Epiſtola ad Philemonem ℣. 24. & in altera ad Timotheum 4. 2. Græci, & Latini eum colunt die 27. Septembris, eumque dicunt Epiſcopum Biblidis in Phœnicia.

De Sancto Barnaba in Actis ultra mentio non fit; verum, en quid illi, quod ſciamus, poſt hoc tempus acciderit. Cum Antiochia diſceſſiſſet una cum Johanne Marco, Cyprum petiit Patriam ſuam, ibique plane Eccleſias inviſit, quas cum S. Paulo inſtituerat. Inde quidem contendunt Mediolanum, atque in Longobardiam veniſſe, eumque tamquam Apoſtolum ſuum, & primum Epiſcopum Mediolanenſes celebrent. Verum illorum traditiones, & argumenta nequaquam adeo

1 Joſeph. Antiqu. lib. 1. cap. 4. Verſiones 70. Aquil. Symmach. & Ananias Gamal. Fil. in Gemar. Babyl. tit. de Synedr. Vide Grot. hic. 2 Mſſ. Cantabrigenſis addit: Φερόμενοι ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι. Et Tertullianus: *Vectante vos Spiritu ſancto*. Iren. *Ambulantes in Spiritu ſancto*.
3 Vide Galat. 11. 2. 7. 9. 10. 4 1. Corinth. 16. 1. 2. & ſeq.
5 Galat. 2. 1. 2. 5. 6 Vide Act. 3. 1. 1. Cor. 12. 28. Grot. Cornel. Fromond.
7 Mſ. Alexand. Laud. 3. Baroc. Cant. 2. Pet. 1. Hun. 1. Sin. Cov. 2. 3. Ment. Mag. & aliis.
8 Galat. 2. 2. 12. 13. 14. &c. 9 Vide Chryſ. homil. 34. in Acta.
10 Ἐγένετο οὖν παροξυσμός. 11 Auguſt. in Pſal. 31. Hieron. adverſ. Rufin. lib. 3. cap. 1. Chryſoſtom. homil. 34. D. Thom. 2. 2. qu. 37. art. 1. ad lib. 3. Grot. Fromond. alii.

adeo certa ſunt, ut nihil deſiderandum ſuperſit [1]. S. Johannes Chryſoſtomus in 2. Cor. 8. hom. 18. Theodoretus in 1. Cor. 8. 18. aliique plures credunt Barnabam Corinthum una cum Tito miſſum fuiſſe anno 57. atque ita Sanctus iſte cum S. Paulo rediiſſet, poſtquam ab invicem receſſerant, quemadmodum dictum eſt. S. Paulus quidem ad Corinthios de illo verba facit, tamquam de viro, illis apprime cognito, ſibi vero intime familiari. Extat adhuc Epiſtola, quæ S. Barnabæ nomine circumfertur, ex qua liquet, poſt Jeroſolymitanum excidium vixiſſe, hoc eſt anno Jesu Christi 70.

Epiſtulæ hujus hoc eſt argumentum. Probat Legem ab Evangelio abrogatam, atque legales cæremonias inutiles eſſe. Auctor ſeipſum appellat, tamquam noviſſimum, & veluti purgamentum eorum, ad quos ſcribit. Ab illis petit, ut pro ſe Dominum orent, eoſque charitatis, & pacis filios appellat. In altera vero Epiſtolæ parte præclara illis morum præcepta ſuppeditat. Veteres complures [2], Epiſtolam hanc ſummis laudibus proſecuti ſunt, eamque veluti divinum ſcriptum habuerunt; hodie vero ambigitur, utrum Barnabæ ſit; at de epiſtolæ antiquitate nemo unus ambigit. S. Hieronymus in libro de nominibus Hebraicis, nominum eorum, quæ in hac epiſtola occurrunt poſt Apocalypſim, tradit explicationem. Alexander Monachus, qui vitam illius non ſatis tamen accurate conſcripſit, ait, illum a Judæis Salaminæ lapidibus obrutum fuiſſe; qua in re illum Græci ſequuntur in Menulogiis ſuis [3]. Corpus illius ea in Inſula inventum fuit, Zenone imperante [4] ſub annum 488. ſupra cujus pectus erat S. Matthæi Evangelium, quod S. Barnabas propria manu conſcripſerat. Hæc ferme ſunt, quæ de Sancti hujus viri vita, & morte certiora inveniantur. Græci, atque Latini Sancti hujus feſtum diem celebrant tertio Idus Junii.

℣. 40. Paulus electo Sila.] In Barnabæ locum terreſtri itinere profectus eſt in ea loca, ubi antea prædicaverat; Syriam videlicet, atque Ciliciam tranſverſo itinere emenſus eſt, ut Derben in Lycaoniam veniret. De Sila, qui alter Silvanus dicebatur, in Epiſtolis S. Pauli inſignis, verba jam fecimus.

℣. 41. Præcipiens custodire verba Apostolorum, & Seniorum.] Tota hæc periodus in Græcis cum typis editis, tum MSS. in Syriaca verſione, & Latinis quibuſdam exemplaribus deſideratur. S. Hieronymus in Epiſtola ad S. Auguſtinum [4] licet & præcedentia, & ſubſequentia afferat verba, verſ. hujus non meminit, qui neque S. Chryſoſtomo, neque ab Hugone Cardinali in Commentariis ſuis in Acta explicatur. Denique videtur huc migraſſe ex capite 16. 4. ubi de verbo ad verbum invenitur. Fatendum eſt tamen, nonnihil ex illo & in Veteri Græco MS. Cantabrigienſi [1], & in illis Marchionis de Velez inveniri.

---

1 Vide Tillemont. Not. 4. in S. Barnabam.
2 Vide Euſeb. lib. 3. cap. 25. hiſt. Eccleſ. Hieronym. de Viris Illuſtr. Origen. lib. 1. contra Celſ. Clem. Alexandr. alii. 3 Alex. Monach. apud Sur. 11. Jun. Theodoret. Lector. lib. 2. Cedr. t. 1. p. 353.
4 Hieronym. Auguſtin. Epiſt. 75. inter Auguſtin. p. 172. n. 9. 1 Cantabr. Παραγγέλλων τὰς ἐντολὰς τῶν πρεσβυτέρων. Velez. Παραγγέλλων τὰς ἐντολὰς τηρεῖν τῶν Ἀποστόλων, καὶ τῶν πρεσβυτέρων.

CAPUT XVI.

S. Paulus Timotheum circumcidit. Prohibitus in Aſia, & Bithynia prædicare, in Macedoniam vocatur. Philippos venit. Loris cæditur, & cum Sila in carcerem truditur. Noctu carcer aperitur. S. Paulus cuſtodem carceris convertit. Magiſtratus illis libertatem donat.

1. Pervenit autem Derben, & Lyſtram. Et ecce diſcipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis, patre Gentili. 2 Huic teſtimonium bonum reddebant, qui in Lyſtris erant, & Iconio fratres. 3 Hunc voluit Paulus ſecum proficiſci: & aſſumens circumcidit eum, propter Judæos, qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes, quod pater ejus erat Gentilis. 4 Cum autem pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Jeroſolymis. 5 Et Eccleſiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie. 6 Tranſeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati ſunt a Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia. 7 Cum veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permiſit eos Spiritus Jeſu. 8 Cum autem pertranſiſſent Myſiam, deſcenderunt Troadem. 9 Et viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt: Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam, adjuva nos. 10 Ut autem viſum vidit, ſtatim quæſivimus proficiſci in Macedoniam, certi facti quod vocaſſet nos Deus evangelizare eis. 11 Navigantes autem a Troade, recto curſu venimus Samothraciam, & ſequenti die Neapolim: 12 Et inde Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ civitas, colonia. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot, conferentes. 13 Die autem ſabbatorum egreſſi ſumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio eſſe, & ſedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant. 14 Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo. 15 Cum

Cum autem baptizata eſſet, & domus ejus, deprecata eſt, dicens: Si judicaſtis me
fidelem Domino eſſe, introite in domum meam, & manete. Et coegit nos. 16
Factum eſt autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem ſpiri-
tum pythonem obviare nobis, quæ quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis divi-
nando. 17 Hæc ſubſecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Iſti homines ſervi
Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis. 18 Hoc autem faciebat mul-
tis diebus. Dolens autem Paulus, & converſus, ſpiritui dixit: Præcipio tibi in
nomine Jeſu Chriſti exire ab ea. Et exiit eadem hora. 19 Videntes autem domi-
ni ejus, quia exivit ſpes quæſtus eorum, apprehendentes Paulum, & Silam, per-
duxerunt in forum ad principes: 20 Et offerentes eos magiſtratibus, dixerunt: Hi
homines conturbant civitatem noſtram, cum ſint Judæi: 21 Et annuntiant morem,
quem non licet nobis ſuſcipere, neque facere, cum ſimus Romani. 22 Et cucur-
rit plebs adverſus eos: & magiſtratus, ſciſſis tunicis eorum, juſſerunt eos virgis
cædi: 23 Et cum multas plagas eis impoſuiſſent, miſerunt eos in carcerem, præ-
cipientes cuſtodi, ut diligenter cuſtodiret eos. 24 Qui cum tale præceptum ac-
cepiſſet, miſit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum ſtrinxit ligno. 25
Media autem nocte, Paulus, & Silas orantes, laudabant Deum, & audiebant eos
qui in cuſtodia erant. 26 Subito vero terræmotus factus eſt magnus, ita ut mo-
verentur fundamenta carceris, Et ſtatim aperta ſunt omnia oſtia: & univerſorum
vincula ſoluta ſunt. 27 Expergefactus autem cuſtos carceris, & videns januas a-
pertas carceris, evaginato gladio volebat ſe interficere, æſtimans fugiſſe vinctos.
28 Clamavit autem Paulus voce magna, dicens, nihil tibi mali feceris: univerſi e-
nim hic ſumus, 29 Petitoque lumine, introgreſſus eſt; & tremefactus procidit
Paulo, & Silæ ad pedes: 30 Et producens eos foras, ait: Domini, quid me o-
portet facere, ut ſalvus fiam? 31 At illi dixerunt: Crede in Dominum Jeſum:
& ſalvus eris tu, & domus tua. 32 Et locuti ſunt ei verbum Domini, cum om-
nibus, qui erant in domo ejus. 33 Et tollens eos in illa hora noctis, lavit pla-
gas eorum; & baptizatus eſt ipſe, & omnis domus ejus continuo. 34 Cumque
perduxiſſet eos in domum ſuam, appoſuit eis menſam, & lætatus eſt cum omni
domo ſua credens Deo. 35 Et cum dies factus eſſet, miſerunt magiſtratus licto-
res, dicentes: Dimitte homines illos, 36 Nuntiavit autem cuſtos carceris verba
hæc Paulo: Quia miſerunt magiſtratus, ut dimittamini: nunc igitur exeuntes, ite
in pace. 37 Paulus autem dixit eis: Cæſos nos publice, indemnatos, homines
Romanos miſerunt in carcerem, & nunc occulte nos ejiciunt? Non ita: ſed ve-
niant, 38 Et ipſi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem magiſtratibus lictores verba
hæc, Timueruntque, audito, quod Romani eſſent: 39 Et venientes deprecati
ſunt eos, & educentes rogabant, ut egrederentur de Urbe. 40 Exeuntes au-
tem de carcere, introierunt ad Lydiam: & viſis fratribus conſolati ſunt eos, &
profecti ſunt.

℣. 1. PERVENIT DERBEN, ET LYSTRAM.] In A Lycaonia, ubi aliquanto ante una cum S. Barnaba prædicaverat, Act. 14. 6.

DISCIPULUS QUIDAM ERAT IBI NOMINE TIMOTHEUS.] Non ſatis liquet, utrum hoc Derbe, vel Lyſtræ contigerit. Origenes in Rom. 16. inquit, hoc Derbe accidiſſe; at S. Johannes Chryſoſtomus in Rom. hom. 19. Theodoretus in Rom. 16. 21. & poſt illos Græci omnes, aliorumque Interpretum pleríque putant hoc Lyſtræ factum: pro qua ſententia plane ſtare videtur S. Lucæ textus; quandoquidem ait, S. Paulum, ubi Derben veniſſet, & mox Lyſtram, ibi inveniſſe Timotheum; & ℣. 2. ait, eos, qui in Lyſtris erant, huic præclarum teſtimonium perhibuiſſe. Capite 20. 4. innuere videtur, Timotheum fuiſſe Theſſalonicenſem: *Theſſalonicenſium vero Ariſtarchus, & Secundus .... & Timotheus.* Hunc ſenſum B ſequitur Grotius, ratus, Timothei familiam Theſſalonicæ originem inveniſſe; Origenes in Rom. 16. 21. ex quodam S. Pauli loco, quem perperam intellexit [1], credidit, Timotheum Apoſtoli hujus fuiſſe conſanguineum.

Timothei mater *Eunices* dicebatur [2], & Religione Judæa erat: Pater vero ejus Gentilis, vel *Græcus* juxta Authographi nomen [3]. Grotius animadvertit, non potuiſſe Judæos uxores alienigenas ducere, niſi ſe ſe legi ſubmitterent; poterant vero Judææ mulieres alienigenis viris nubere, dummodo pii eſſent, & non Chananæi, inquit Fromondus: atque ita Eſther nupſit Aſſuero. Igitur Timothei Pater fortaſſe Ethnicus erat, verum naturales leges, quemadmodum Cornelius Centurio ſervabat. Credit S. Johannes Chryſoſtomus, illum in infidelitate ſua obiiſſe, eo quod illius nulli S. Paulus

1 Rom. 16. 21. *Salutat vos Timotheus adjutor meus, Lucius, & Jaſon, & Soſipater cognati mei.* Hæc verba, *cognati mei*, neceſſario ad Timotheum non referuntur. 2 2. Timoth. 1. 5.
3 Πατρὸς δὲ Ἕλληνος.

Paulus meminerit. Græcus [1] ait, matrem Timothei *Judæam fuiſſe mulierem, & fidelem*: ſed Græci quidam MSS. legunt: *mulierem viduam Judæam*, & alii ſimpliciter, *mulierem viduam*; quin addant *Judæam*; SS. Hieronymus Ep. 15. Auguſtinus apud Mill. & pleri que Latini MSS. legunt [2] ſimpliciter *viduæ* pro *Judææ*, ſed hoc librarii mendum, vel caſtigatio fuiſſe videtur.

℣. 2. HUIC TESTIMONIUM BONUM.] Timotheo videlicet, quippe qui ab ipſis uſque incunabulis in virtute fuerat innutritus a matre, & avia fidelibus [3]. Timotheus adhuc erat adoleſcens; nam cum poſt ſeptem, vel octo annos S. Paulus illum Epheſi Epiſcopum reliquiſſet, eidem ſcripſit [4]: *nemo adoleſcentiam tuam contemnat*. Sacras Litteras e puero didicerat [5], & meritum illius jam tunc inſigne ferebatur; quoniam de illo non Lyſtræ tantum in Patria ſua, verum etiam Iconii, ſumma cum laude hominis virtus celebrabatur.

℣. 3. HUNC VOLUIT PAULUS SECUM PROFICISCI.] S. Paulus, qui jam itineris ſocium habebat Silam, voluit, ut Timotheus etiam ſecum veniret, eumque circumcidit, ut omnem Judæis prætextum adimeret, ne e Timotheo abhorrerent, illum audire abnuerent, & cum eo verſari dedignarentur. Hujuſmodi enim erant Judæi, ut pleri que cum incircumciſo viro nullam habere voluiſſent neceſſitudinem, neque paſſi fuiſſent, illum in publicum prodire, & multo minus in Synagogis verba facere. Paulus ergo, ut Judæorum animos conciliaret, omnemque illis animi repugnantiam auferret, Timotheum circumcidit, licet Jeroſolymæ Titum [6] circumcidere noluerit, quamquam hoc Judæi enixius efflagitarunt. Credit S. Chryſoſtomus hom. 5. in 1. Tim. Timotheum a S. Paulo nonniſi ob explicitum Domini imperium circumciſum fuiſſe; & S. Auguſtinus ad Hier. ep. 82. animadvertit, S. Paulum, qui Titum circumcidere noluerat, ut oſtenderet circumciſionem minime eſſe neceſſariam, circumcidendo Timotheum oſtendere voluiſſe, has cæremonias malas non eſſe, & poſſe citra ſcelus exerceri, donec temporis decurſus illas pauletim antiquaſſet. Fidei, & Religioni utilitas, illum coegerunt, ut tunc faceret, quod fidei ejuſdem utilitas prohibuerat, ne alio tempore faceret [7], ſe Judæum ferebat apud Judæos, ut facilius Legis ſervitutem diſcuteret [8], & ipſa circumciſione, contra camdem circumciſionem utebatur.

SCIEBANT OMNES, QUOD PATER EJUS ERAT GENTILIS.] Ideoque Timotheum octava die circumciſum non fuiſſe, licet ex Judæa matre natum: nam ex Talmudiſtarum ſententia, non poterat mater invito patre filium circumcidere. Ita licet Timotheus e puero Sanctas litteras didiciſſet, & pietatem fuiſſet profeſſus, a Judæis tamen ſemper, tamquam Ethnicus habitus fuiſſet.

℣. 4. TRADEBANT EIS.] Docebant Ethnicos ad Chriſtianam Religionem converſos, ut explerent, quod ab Apoſtolis in Jeroſolymitano Concilio præceptum fuerat, Act. 15. 29. Ea in regione, ubi tunc erat S. Paulus in Lycaonia, finitimiſque Provinciis, ubi cum S. Barnaba prædicaverat plurimi erant, qui recens fuerant converſi. Celebris Cantabrigienſis MS. legit: *liberrime prædicabant Dominum* JESUM CHRISTUM, *& tradebant ſimul præcepta, quæ Apoſtoli, & Presbyteri Jeroſolymæ ſanxerunt*.

℣. 6. PHRYGIAM, & GALATIÆ REGIONEM.] In his Provinciis plane, quemadmodum ubique facere conſueverat, prædicavit, vel ſaltem ibi confirmavit diſcipulos, quos fidei fortaſſe fuerat adeptus aliquot annis ante, cum Evangelium a Ponto in Illiricum uſque percoluiſſet [9]. Hoc certum eſt, ubi aliquot poſt annos in Galatiam, & Phrygiam reverſus eſt, ibi diſcipulos inveniſſe, quos confirmavit in fide [10]. Illos igitur antea ad fidem converterat. Ipſa etiam epiſtola, quam ad Galatas ſcribit, illum in hac provincia prædicaſſe teſtatur. Ibi præclarum fidei, & zelo fidelium ejus provinciæ perhibet teſtimonium, ubi ait, ſe tamquam Angelum de Cœlo demiſſum, vel tamquam ipſum JESUM CHRISTUM acceptum fuiſſe; et fuiſſe futurum, ut libenter illi, ſi potuiſſent, oculos ſibimet convelleterent, quos eidem traderent [11]; licet tunc caro ipſius tentationibus vexaretur, atque infirmitate eſſet confecta; quod Apoſtoli ærumnas, & cruciatus, quibus affectus fuerat, ſignificat [12]. Galatia ad boream, Phrygia vero ad occaſum eſt Lycaoniæ; utraque vero Aſiæ minoris Provinciæ.

VETATI SUNT A SPIRITU SANCTO LOQUI VERBUM DEI IN ASIA.] Non in Aſia minori, quam late patet; nam Galatia, Phrygia, Piſidia, Lycaonia, & Pamphylia in Aſia minori continebantur, in quibus provinciis Paulus jam prædicaverat. Verum hoc intelligendum eſt de Aſia proconſulari, quæ Joniam tantum, Æoliam, & Lydiam complectebatur. Ulterius hoc ad Lydiam tantum coarctari vellet; alii vero ad Joniam, ubi Epheſus [13].

Quæritur, cur Spiritus Sanctus vetuerit factum adeo egregium, Evangelii videlicet prædicationem. Numquid Spiritus Dei divinæ inerat gloriæ? an Aſiatici tantum boni minime merebantur, & nequaquam digni erant, qui Divinum hoc Verbum audirent, quemadmodum Galatæ, & Lycaones? Origenes [14] inde hoc factum putat, quod illi nondum ad divinum hoc ſemen recipiendum erant diſpoſiti. Prævidebat Spiritus S. futurum, ut illi tunc temporis hunc favorem repellerent, cuique ob noxius culpæ futuros propter hunc contemptum inquit S. Gregorius Magnus hom. 4. in Evang. ita videmus infra JESUM CHRISTUM imperantem, ut S. Paulus [15] celeriter Jeroſolyma excedat, eo quod Judæi recepturi non erant teſtimonium, quod ille De eo eadem cieitate erat perhibiturus. In Aſia adhuc plurimi erant, qui marabantur, ut pateretur Deus, illos in infidelitate ſua interire; S. Gregorius in Jo. l. 28. c. 6. inquit.

S. Leo in l. 2. de gentium vocatione cap. 6. ait, quæſtionem hanc ejuſdem eſſe generis, ac illas: cur Dei filius pluribus ante ſæculis in mundum non venerit; cur mortalium myriades in ignorantia, atque infidelitate abire paſſus fuerit; cur tot adhuc ſint populi, qui Evangelium minime cognoſcunt; cur in una Civitate, eademque familia alter quidem credit, atque convertitur; alter vero in infidelitate, & ſcelera permanet? hæc eſt Judiciorum Dei altitudo, qui Dominus eſt & initii, & conſummationis fidei, & qui minime tenetur hanc alicui præbere, ex quo per Protoparentis noſtri ſcelus omnes in tenebras ignorantiæ cecidimus. Exercet ergo vel miſericordiam, vel ſeveritatem ſuam, ſemper tamen juſtiſſime, & quando, & erga quos, & quomodo illi placet. Voluit ille tunc temporis Macedones Aſiaticis præferre, ſed poſt aliquot tempus permiſit, ut S. Paulus veniret Epheſum, ubi biennio permanſit [16], atque utiliter ſalutis verbum prædicavit.

℣. 7. CUM VENISSENT IN MYSIAM.] Ex Phrygia in Myſiam venerant, quæ poſita erat Bithyniam inter ad Boream, Phrygiam ad Ortum, Æoliam ad Auſtrum, & mare Mediterraneum ad occaſum; *tentabant ire in Bithyniam* ad Myſiæ Boream: *& non permiſit eos Spiritus Jeſu*; eaſdem ob cauſas, propter quas vetuit, ne in Aſia proprie dicta prædicarent. Spiritus Sanctus regere debet præconum Evangelii conſilia, atque conatus;

1 Τινὸς γυναικὸς Ἰουδαίας πιστῆς. Quidam. Χήρας Ἰουδαίας. Valen. Χήρας, omiſſo Ἰουδαίας.
2 Vide Zeger. & BuKentop. Lux de luce. 3 2. Timoth. 1. 5.
4 1. Timoth. 4. 12. 5 2. Timoth. 3. 15. 6 Galat. 2. 3. 4.
7 Greg. in Job. lib. 28. cap. 6. 8 1. Cor. 9. 20. *Factus ſum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer.* 9 Rom. 15. 19. 10 Act. 18. 23. 11 Galat. 4. 14. 15. 16.
12 Theodoret. in Galat. 4. 13 Auctor de locis Actuum poſt libr. Hieronym. de locis Hebr. alii plures.
14 Origen. homil. 9. in Levit. Vide & apud Caſſian. Collation. Abb. Moyſi cap. ult. Sanct. hic, Beda, & Cornel. 15 Act. 22. 18. 16 Act. 19. 10.

sus: non debent illi sequi proprium, ſed Jesu Spiritum, Sanctum Spiritum a Jesu ad Diſcipulos ſuos miſſum [1]. Græcus typis editus ſimpliciter legit [2], *&* *Spiritus non permiſit illis*; ſed complures præſtantiſſimi MSS. Syriaca verſio, Cophta, Æthyopica, SS. Cyrillus, Athanaſius, Hieronymus, aliique plures a Vulgata non recedunt: *Spiritus Jeſu*.

℣. 8. CUM PERTRANSISSENT MYSIAM, DESCENDERUNT TROADEM.] Quin Boream contenderent Bythiniam verſus, venerunt in Troadem partem Phrygiæ minoris, ubi navem conſcenderunt. Troas Provincia eſt, quæ a veteri Troja ibi ſita, atque deinceps reædificata, verum numquam priſtinum ſplendorem adepta, nomen accepit. S. Paulus, ejuſque ſocii navem conſcenderunt in portu Troadis, quæ Civitas alio nomine Aleaandria Troas vocabatur, ab Antigono ſecus mediterranei littus Sygeum inter, & *Lectum* promontorium ædificata. Hæc deinde in Alexandri Magni honorem, Alcaandriæ fuit appellata. Rite igitur diſtinguendum eſt inter Provinciam, & Civitatem [3] nominis ejuſdem.

℣. 9. VIR MACEDO.] Angelus Macedonis ſpecie illum orevit, ut in Macedoniam ad Evangelium ibi prædicandum accederet: *tranſiens in Macedoniam adjuva nos*. Primum quidem Angelum hunc & voce, & veſtitu vere Macedonem judicavit: fortaſſe etiam cum S. Paulus ex eo ſciſcitatus fuiſſet, quis erat, reſpondit, ſe ex Macedonia eſſe, quin aliquid ultra adderet, ſed credunt Interpretes [4], hunc fuiſſe Angelum Provinciæ illius Patronum, qui S. Pauli petebat auxilium. Patres Veteres crediderunt, ſingulis Provinciis, & Regnis ſingulos præeſſe Angelos, a quibus regantur: quæ ſententia de Synagoga in Chriſtianam Eccleſiam migravit. Vide noſtram de Angelis Diſſertationem. Hæc omnia in ſomnis contigerunt: at S. Paulus, qui Spiritu Sancto repletus erat, facile intellexit, quid vellet Deus, atque diſtinxit hoc ſomnium divinitus immiſſum ab aliis, quæ accidunt vulgo.

℣. 10. STATIM QUÆSIVIMUS PROFICISCI.] Minime ambigentes, quominus hæc eſſet Domini voluntas, S. Lucas hujus libri Auctor iſthic loqui incipit perſona prima; quod fidem adſtruit, ipſum in Troade S. Paulo comitem ſe addidiſſe [5], & ab eo numquam deinceps receſſiſſe [6].

CERTI FACTI, QUOD VOCASSET NOS DEUS.] Græcus textus [7] non ſonuit plenam certitudinem, ſed conjecturam ex facto, vel alia re antecedenti deſumptam. Arguerunt ex hoc ſomnio, hanc Dei eſſe voluntatem. Ex hac circumſtantia conjecturam fecerunt, hoc a Deo exquiri. Inter ſe conſilium inierunt, & ſtatuerunt, hanc eſſe divinæ voluntatis declarationem.

℣. 11. RECTO CURSU VENIMUS SAMOTHRACIAM.] Inſulam Ægæi maris e conſpectu Troadis, & Thraciæ. Ita illi de Aſia in Europam per ſuperiorem Ægæi maris partem tranſmiſerunt. Ex omnibus maritimis S. Pauli itineribus ſatis liquet, quomodo tunc temporis imperfecta eſſet ars navigandi. De littore ad littus appellunt, quin audeant alto ſe credere pelago, atque ita longiſſimam efficiunt viam ſuam.

SEQUENTI DIE NEAPOLIM.] Macedoniæ urbem Thraciæ finibus proximam non procul ab oſtio fluminis Strymonis in mare dilabentis. Poſtridie vero *Philippos* venerunt, quæ ex ea parte prima occurrit Civitas Mscedoniæ. Hæc a mari remotior eſt, & ad Boream Neapolis Thraciæ quatuor circiter leucas ab ipſa diſtat.

℣. 12. QUÆ EST PRIMA PARTIS MACEDONIÆ CIVITAS COLONIA.] Urbs Philippi ita dicta fuit a Philippo Macedonum Rege. Hæc eſt prima Romana Colonia, quæ de Thracia in Macedoniam venientibus occurrit. Non ait, bene primam eſſe Civitatem; namque jam invenerant *Neapolim*, ſed primam eſſe Coloniam. Romanæ Coloniæ duplici erant in diſcrimine; aliæ quidem poſitæ in eo ſolo, ubi nulla antea Civitas fuerat; vel ubi Civitas aliqua eſſe deſierat, eæque Romanis Civibus replebantur. Aliæ vero Civitates erant, quo milites, vel alii Romanorum ſubditi transferebantur, ubi illis, & in urbe domicilia, & in agro arva colenda diſtribuebantur. Philippi ex poſteriorum harum numero erat ad Coloniæ dignitatem evecta primum quidem a Julio Cæſare, mox vero a Cæſare Auguſto; quapropter in nummis, Claudio Imperante, cuſis appellatur: *Colonia Auguſta, Julia, Philippenſis* [8]. Utriuſque generis Coloniæ Romano Civitatis Jure fruebantur, atque Romanis legibus parebant. S. Paulus, quippe qui civis erat Romanus, libenter Philippis permanſit; nam qui hoc præditi erant privilegio, majori ibi in honore, quam alibi habebantur. Cenſuit Apoſtolus exiguo hac dignitate uti præclare ſe poſſe in gratiam Evangelii.

DIEBUS ALIQUOT CONFERENTES.] Græcus [9]: *Ibi fuimus aliquot diebus commorantes*. Vox illa Vulgatæ *conferentes*, innuere videtur, paucis illis diebus eos conſilium iniiſſe, quomodo Macedonibus Evangelium prædicarent; vel illos cum aliquibus ejus Urbis civibus conſueviſſe, ut illos ad ſalutis veritates percipiendas diſponerent. Latina quædam exemplaria legunt [10], *conſiſtentes*.

℣. 13. DIE SABBATHORUM.] Iis in locis, ubi Judæi nullam habebant Synagogam, Sabbatho egrediebantur, & vel ſecus mare, vel ad aliquam fluminis ripam ſeorſim ſe ſe conferebant, ut ſimul preces ſuas effunderent, atque Legem perlegerent. Ex textus verbis videtur, Judæis, qui Philippis degerant nulla fuiſſe ædificata Synagoga [11], ſeu propter exiguum eorum numerum, ſeu quod a Magiſtratibus ædificandi facultatem obtinere minime potuerant. Habebant autem tantummodo locum deſignatum, quo paſſim ſe ſe conferebant ad Religionis ſuæ exercitationem. Illuc Paulus conceſſit, atque collocutus cum mulieribus, quas ibi invenit, expectavit, donec cœtus coaleſceret, quippe in agro, non autem in ſacro aliquo loco habebatur: *Egreſſi ſumus*, inquit ille [12], *foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio eſſe, & ſedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant*. Hoc autem in Synagoga minime licuiſſet.

Attamen plerique Interpretes [13] putant, hunc orationis locum veram fuiſſe Synagogam. Græci enim, & Romani Judæorum Synagogas ſæpius *Proſeuchas*, hoc eſt orationes, vel orationis locos appellant: Juvenalis Satyr. 3.

Ede ubi conſiſtas, in qua te quæro Proſeucha.

Tertius Macchabæorum liber cap. ult. ait, Judæos Ægypti periculo, quod ipſis graviſſimum impendebat, liberatos columnam erexiſſe, & *Proſeucham* prope Alexandriam ædificaſſe. Teſtatur Philo l. 3. de Vita Moſis, Judæos in ſingulis Civitatibus habere *Proſeuchas*, vel *Proſeuſtras*, vel orationis locos. Joſephus

1 Hieronym. lib. 2. cap. 6. contra Pelag. *Nota quod Spiritus Jeſu, Spiritus Sanctus ſit.*
2 Καὶ οὐκ εἴασεν αὐτοὺς τὸ πνεῦμα. Alii: Καὶ οὐκ εἴασεν αὐτοὺς τὸ πνεῦμα Ἰησοῦ, vel τοῦ Ἰησοῦ. Ita Alex. Cantabrigenſ. Pet. alii plures. Vide Mill.
3 Vide Strab. lib. 13. pag. 405. Plin. lib. 5. cap. 30. Cellar. Geogr. antiqu. lib. 3. cap. 3. p. 54. 55.
4 Sanct. Grot. Cornel. Menoch. Fromond. alii.   5 Iren. lib. 3. cap. 14. Ita Interpp. paſſim.
6 Hieron. de Viris illuſtr. cap. 7.   7 Συμβιβάζοντες. *Conjicientes*. Pagn. Bez. Cames. *Colligentes*. Illyric. Grot. Bez. Piſc. *Conſentientes, pariter ſtatuentes*. Ludov. de Dieu.
8 Vide Patin. p. 99. & Spon. Miſcell. p. 175. lib. 2. cap. 13. Le Clerc. hic.
9 Ἦμεν διατρίβοντες.   10 Edit. Sixti V. & aliæ plurimæ Latinæ.
11 Clerir. hic. Piſcat. Druſ. Heinſ. Vide infra 17. 1.
12 Οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι. Cantabr. Ἐδόκει. *Videbatur*. Alii: Ἐνομίζομεν. *Putabamus*.
13 Vide Hamm. Ludov. de Dieu, Cornel. a Lap. Sanct. Fromond. alios.

quoque in lib. de vita ſua, de Proſeuchis verba facit; quas ait, ingentes ædes eſse ad maximam populi multitudinem capiendam idoneas. Hæ autem Proſeuchæ loci erant ſine tecto in Theatri formam elaborati, fortaſſe cum gradibus, ſedibuſque amphitheatrali more diſpoſitis [1].

Verti igitur hic locus ita poteſt: *ivimus prope eum locum, ubi dicebatur eſſe Proſeucha*. Hoc illi vel ex Ethnicis, vel ex ipſis Judæis didicerant. Conſueverant Hebræi Synagogas, vel Proſeuchas ſuas extra Civitates ad mare, vel prope flumen ædificare, quæ teſte S. Epiphanio hæreſ. 80. Samaritanorum etiam erat conſuetudo. Verumtamen hi loci non procul aberant ab Urbe propter Sabbathi requiem. Vide, quæ dicta ſint de itinere, eo die abſolvendo, Actorum 1.12. Salmeron, & Toletus credere videntur, hunc Religionis locum quidem fuiſse, non autem Judæorum, ſed Ethnicorum.

LOQUEBAMUR MULIERIBUS.] Præſtolantes, donec tempus eſſet, Synagogam ingrediendi, & populus illuc introiſſet: nam in Synagogis homines non poſſunt videre mulieres, neque ad eas loqui: & ſi Sanctus Paulus palam in cœtu prædicaſſet, S. Lucas non ita fuiſſet locutus.

℣. 14. LYDIA PURPURARIA.] Mulier, quæ Lydia dicebatur, purpuræ Mercatrix. Hic Græci textus [2] ſenſus eſt: illa vendebat lanas, & veſtes coloris purpurei. Lorinus, Grotius, & Camerarius credunt, *Lydiæ* nomen ſignificare mulierem ex Lydia. Hæc mulier ortum duxerat Thyatyræ, quam Geographus Stephanus Lydiæ attribuit. Lydiæ mulieres inſignes ferebantur purpurearum veſtium [3] artifices. Non deſunt, qui crediderint, *purpurariam* ſignificare mulierem purpuram nentem. Sed Græcus explicite ait [4], *Lydiam* nomen illius fuiſſe, & patria fuiſſe *Thyatyrenam*. Hæc mulier non erat Judæa ex nativitate, ſed proſelyta, ac metuens Deum. Romanum Martyrologium hujus ſanctæ mulieris meminit Auguſti die tertia.

CUJUS DOMINUS APERUIT COR.] Deus gratia ſua mentem illius illuſtravit, & in cor ejus veritatis amorem immiſit: fruſtra enim Evangelii præco ad corporis aures verba facit, niſi Spiritus ſanctus ad cor loquatur, ut inde omnem auferat duritiem, & ſurditatem [5].

℣. 15. CUM AUTEM BAPTIZATA ESSET.] Nos rogavit, ut non alibi, quam apud illam habitaremus. Hæc igitur mulier die eadem baptizari voluit, qua audivit Apoſtolum, & poſtquam ſacro Baptiſmate fuit regenerata, enixius flagitavit: *ſi judicaſtis me fidelem Domino eſſe*, ajebat illa, & ſi creditis me non indignam beneficio, quod mihi contuliſtis me baptizantes; ne & illud mihi denegetis, domi meæ domicilium veſtrum collocandi. *Et coegit nos*. Hoc eximium eſt exemplar, quo hoſpitalitatem exercere docemur.

℣. 16. EUNTIBUS NOBIS AD ORATIONEM PUELLAM QUAMDAM &c.] Cum alia die hebdomadæ ad eumdem orationis locum extra Civitatem proficiſceremur, ancillam quamdam invenimus, quæ in ſe Spiritum Pythonem habebat, hoc eſt, Spiritum nequam, quo afflata futura vaticinabatur. Ethnici Apollini tribuebant Spiritus hujus effectus. Et qui eodem afflati erant ventriloqui appellabantur, hoc eſt, de imo ſtomachi loquentes. Re enim vera Pythoniſſæ de imo ventre loquebantur nonnumquam, quin os aperire, vel linguam movere cernerentur. Quædam etiam furebant, quodammodo eorum capilli erigebantur, oculi, vox, facies immutabatur [6]; & tunc verba proferebant, quæ nec illæ quidem intelligebant. In his omnibus non deerat dolus, atque vis imaginationis, & ſæpe etiam Diaboli operatio ad rudes, ſimpliceſque populos decipiendos.

Inter ceteras Pythoniſſa ea celeberrima ferebatur, quæ in Delphico Templo aderat. In medio Templi immanis erat hiatus, unde ferebatur ventus vehemens, atque ingens egredi, qui Pythoniſſæ mentem alienabat inſidentis Tripodi juxta os hiatus ejuſdem. Cum illam Dæmon agitaſſet, proferebat ea, quæ oracula appellabantur, & erant plerumque carmina ambigua, & æquivoca. *Python*, quo nomine Græci Apollinem vocant, plane fluit ex Hebraica voce *pethen*, quæ ſignificat *ſerpentem*, aſpidem. Fabulæ ferebant, ab Apolline Serpentem Pythonem occiſum fuiſſe, quod illi fecit nomen *Pythii*, vel Pythonis, ex quo deinde appellati fuerunt, qui hoc ſpiritu afflati crediti ſunt.

Moyſes ſeveriſſime interdixerat, ne Magi, & ventriloqui conſulerentur [7]; quod harum ſuperſtitionum antiquitatem oſtendit. Nihil illis apud Ægyptios, nihil apud Hebræos, nihil apud Græcos vetuſtius occurrit; quæ pernicioſiſſima ars adhuc in Oriente paſſim viget, ubi palam exercetur. Sors, vel potius divina Providentia permiſit, ut hæc Pythoniſſa offenderet S. Paulum, & ſocios illius, ut potentia nominis JESU CHRISTI magis eluceret. Domini ancillæ hujus eam fortaſſe per urbem deducebant, ut futura portenderet quibuſcumque vellent, & inde pecuniam lucrabantur, & ſibi victum quæritabant.

℣. 17. ISTI HOMINES SERVI DEI EXCELSI SUNT.] Mirum videtur, quod Dæmon, mendacii pater, qui infenſiſſime oderat S. Paulum, & ſocios, & cujus maxime intererat, illis abrogare fidem, eorumque prædicationi reſiſtere, quandoquidem ubique imperium illius evertebant, hoc in loco illos laudibus celebret. At non ita difficile dæmonis artem deprehendere eſt. Si perſuadere poterat, eos homines bonos, & pios eſſe, quales reipſa erant, maximam fidem ſibi conciliabat, præſertim vero apud Judæos, qui Magos, atque ariolos contemnebant, & perhorreſcebant. Quod ſi Gentiles ſerio acciperent laudes, quibus ille Apoſtolos proſequebatur, inutilem efficiebat Apoſtolorum prædicationem, atque miraculum; quoniam inde illi arguiſſent, Dæmonem cum his conjuraſſe, & horum prodigia non aliud eſſe, quam magiæ effectus, eorumque doctrinam prorſus eſſe diabolicam. Sin autem Judæi minime illi credidiſſent, quemadmodum minime credituri videbantur, & ſi teſtimonium illius reſpexiſſent tamquam teſtimonium Spiritus nequam, ſemper in animis eorum non ſatis bonus gignebatur effectus, quoniam S. Paulus apud illos in ſuſpicionem vocabatur, quod a Spiritu nequam probaretur, & celebraretur. Si prænoſcebat futurum, ut S. Paulus ſibi ſilentium indiceret; minime dubitabat, quin hoc S. Paulo ingentem

1 Epiphan. hæreſ. 80. l. 3. pag. 1068.   2 Πορφυρόπωλις.   3 Vide Plin. l. 7. c. 56.

4 Γυνὴ ὀνόματι Λυδία, πορφυρόπωλις. πόλεως Θυατείρων.

5 From. Sanct. Cornel. Menoch. Tirin. Aug. de Grat. & lib. arbit. cap. 21. *Manifeſtatum eſt operari Dominum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit*. Vide Barth. Petr. hic.

6 Æneid. 6. . . . . *Subito non vultus, non color unus,*
Non comptæ manſere comæ, ſed pectus anhelum:
Et rabie fera corda tument, majorque videri
Nec mortale ſonans: afflata eſt numine quando
Jam propiore Dei . . . . .
At Phœbi nondum patiens immanis in antro.
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum; tanto magis ille fatigat
Os rabidum fera corda domans, fingitque premendo
. . . .
Horrendas canit ambages antroque remugit
Obſcuris vera involvens.

7 Deuter. 18. 10. Levit. 20. ult. 19. 31. Vide & 1. Regum 28. 7. 9.

gentem conflaret perſecutionem, atque quamprimum Philippis ejiceretur; hæc erat ſumma votorum Dæmonis. Ad ſummum Dæmon Apoſtolo inaniter ſibi cumplacendi anſam tribuere poterat, unde non modicam ille victoriam reportaſſet.

℣. 18. SPIRITUI DIXIT.] Spiritui videlicet immundo, qui per ancillæ hujus os loquebatur. *Præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti exire ab ea*. Duplicis generis erant Pythoniſſæ, aliæ Spiritu Pythonis repletæ quibuſdam in occaſionibus, velut Delphicus illi, quæ nonniſi tripodi inſidens vaticinabatur: Aliarum ars omnis erat, manes evocare, vel cogere Dæmones, ut per magicas invocationes ſecum loquerentur. Denique non deerant etiam, quibus inerat familiaris dæmon, quo afflabantur, & a quo numquam deſerebantur, qualia hæc erat. S. Paulo loquente deſeruit illam ſpiritus, & hæc ſtatim citra furorem, atque enthuſiaſmum naturali modo loqui cœpit. Non liquet, utrum aliquo ſigno Dæmon oſtenderit, ſe a puella egredi, & ſeparari, extraordinariam quamdam in eadem efficiens agitationem: vel utrum illa ſimpliciter declaraverit, ſe a ſpiritu derelictam fuiſſe, vel tandem, utrum ex oris habitu, atque ſermone illam jam liberatam eſſe intellexerint. S. Lucas hoc minime narrat.

℣. 19. APPREHENDENTES PAULUM, ET SILAM.] Rapuerunt illos ad Magiſtratus, penes quos urbis, vel Coloniæ erat imperium. Iſthic non memorantur Timotheus, & S. Lucas, licet eſſent ex comitatu S. Pauli; fortaſſe quod habebantur dumtaxat tamquam domeſtici, vel Miniſtri eorum Apoſtolorum [1]. *Perduxerunt in forum*, ubi Magiſtratuum aderant tribunalia juxta Romanorum conſuetudinem.

℣. 20. CUM SINT JUDÆI.] Chriſtiana Religio primitus quidem ab Ethnicis habita fuit, veluti quædam Judæorum ſecta, vel reformatio. Plerique ex illis, qui eam profitebantur, eamque prædicabant, ex Judaica Religione deſumpti erant. Ipſe etiam Jeſus Chriſtus Judæus erat, & in Judæa natus, atque innutritus. Chriſtiani vero ſequebantur præcipuas Judæorum Leges, Deum eumdem venerabantur, eadem admittebant Biblia; neque aliquid ultra requirebatur, ut cum Judæis confunderentur. Svetonius, aliique plures, Chriſtianos Judæorum nomine appellarunt. Narrat ille, Claudium Roma ejeciſſe Judæos [2], ibi diſſidia ferentes auctore Chreſto, quo nomine Jeſum Chriſtum appellat. Judæi ipſi ſibi laudi verterunt meritum primorum Chriſtianorum, puta S. Jacobi Apoſtoli Epiſcopi Jeroſolymitani [3], & Therapeutarum [4], qui ex veterum ſententia Judæi erant, ad Chriſtianam Religionem converſi.

Ita Philippenſes, ut Paulo, & Silæ invidiam conflarent apud Magiſtratus Civitatis ſuæ, ajunt, hos eſſe Judæos, qui in eam coloniam novam Religionem invehere ſtudent, quod Legibus Romanis, atque Imperatorum menti adverſabatur: *Deos aut novos, aut alienigenas coli, confuſionem habet Religionum*, ajebat Cicero [5]; & vetus aderat Senatus Conſultum [6], *ne quis conſecraretur, niſi a Senatu probatus*. Mæcenas [7] ſerio Auguſtum monuerat, ut veterem Religionem tuerentur, ac ſeveriſſime in eos animadverteret, qui res novas ſtuderent immittere. Hæc quippe in Republica nonniſi conjurationes, diſſidia, diſſenſiones parere poſſunt, quæ vulgatæ ſunt omnium malorum origines.

Hæ rationes generatim ſumptæ in Politicia eximiæ ſunt; & ſi Ethnicorum Religio non adeo palam

A corrupta fuiſſet, atque nefaria; ſi Chriſtiana Religio luminibus rationis, veritatis, recti ordinis, juſtitiæ palam conſentanea minime fuiſſet; ſi hæc Religio defectionis, diſſenſionis, ſeditionis animos in Rempublicam ſeviſſet, jure Principes illi bellum indixiſſent, & eos proſcripſiſſent, qui & eam prædicarent, & eamdem profiterentur. Sed licet non adeo intus, & in cute hanc explorare voluiſſent, facili negotio ibi deprehendere poterant characterem veritatis, æquitatis, pacis, ordinis, ſubmiſſionis legitimis poteſtatibus, quæ res apud Magiſtratus ipſos amorem, & obſervantiam conciliare videbatur. Ibi enim animadvertiſſent illam ſexcenta auferre mala, quæ boni Principes nonniſi inviti patiuntur; ab ea coerceri impotentiam, ambitionem, impudicitiam, morum pra-
B vitatem: verbo, ad Rempublicam felicem, Principem vero pacatum, tutumque efficiendum nihil magis conducere poſſe, quam Religionem Chriſtianam; quæ ſine rumore, ſine violentia, ſine tumultu in Rempublicam introducebatur. His poſitis Principum intererat non eam perſequi, ſed tueri, atque pro viribus illam confirmare: & Leges, quibus quælibet nova Religio damnatur [8], neque bonæ, neque juſtæ ſunt, niſi quatenus certæ innituntur ſcientiæ, veterem Religionem unice bonam eſſe, & veram. Atqui Ethnica Religio pro vera Religione haberi minime poterat: quippe ſuperſtitio erat, omniumque flagitiorum congeries rationi, æque ac ſanæ morum doctrinæ oppoſita.

℣. 22. SCISSA TUNICIS EORUM JUSSERUNT, EOS
C VIRGIS CÆDI.] Tunica, vel interior eorum veſtis, diſſecta fuit a collo ad renes uſque, vel zonam, ut virgis humeros, & terga cæderent juxta Romanorum conſuetudinem, cujus extant apud Veteres Auctores veſtigia [9]. Judæi ipſi lacerabant, non exuebant tunicam, ubi aliquem flagris verberarent [10]. Fatetur S. Paulus ad Corinthios, ſe ter virgis fuiſſe cæſum [11]: at S. Lucas hujus unius tantum meminit flagellationis.

℣. 23. CUM MULTAS PLAGAS.] Poſtquam multis illos verberibus affeciſſent, vel plura illis vulnera inuſſiſſent: nam ℣. 33. probat, illos flagellis laniatos fuiſſe, & ad ſanguinem uſque cæſos. Judæi novem, atque triginta dumtaxat verbera infligebant [12]: ſed Romani hac lege non coercebantur, atque ad libidinem noxios plectebant: immo S. Paulus ait, ſe immodi-
D ce flagellis cæſum fuiſſe. *In plagis ſupra modum*, 2. Cor. 11. 23.

℣. 24. MISIT EOS IN INTERIOREM CARCEREM.] Carceris cuſtos, ne hi captivi elabi poſſent, non in vulgatum carcerem illos trudere voluit, ſed in penitiorem illos coegit, atque, ne effugiendi viam quærerent, pedes eorum in compedibus poſuit, tormenti genus: duæ quippe ſunt tabulæ, quæ & conjungi, & ſeparari poſſunt ad varia intervalla, ubi foramina ſunt, in quibus captivorum pedes inſeruntur ad majorem, minoremve diſtantiam divaricandi, prout majori, vel minori pœna rei ſunt afficiendi. Qui hoc ſupplicio plectebantur, in tergum ſtrati procumbere debebant, quippe habebant pedes, & crura miſerabili modo divaricata [13]. Hi compedes nonnumquam *lignum* ſim-
E pliciter vocantur, vel *nervus*, *cippus*, *numella*. Lex eum, qui in compedibus poſitus eſt, vocat [14] *ad malam manſionem extenſum*; videlicet juxta Scholiaſtem pedes habentem clauſos in duarum tabularum foraminibus. Plautus hoc tormentum appellat *ligatam cuſtodiam*. Et Prudentius de S. Vincentio ait:

1 *Ἐγνώκασι εἰς τὴν ἀγορὰν ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας.*
2 Sveton. in Claudio, cap. 25. *Judæos impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expulit.*
3 Joſeph. Antiqu. lib. 20. cap. 8.
4 Philo de vita contemplativa.
5 Ciceron, lib. 2. de Legib. Vide & L. 30. §. ſi quis de pœn. Paul. recept. ſent. 5. 21.
6 Tertull. Apolog.
7 Apud Dion. Caſſ.
8 Servius in Æneid. 8. *Cautum fuerat, & apud Athenienſes, & apud Romanos, ne quis novas introduceret religiones. Unde & Socrates damnatus eſt, & Judæi, & Chaldæi, orbe pulſi.*
9 Vide Grot. hic. Dionyſ. Halyc. Plutarch. in Cicerone. In Camillo: Valer. Max. *Veſte ſciſſa, ſpoliare corpora.* T. Liv. *Lacerantibus veſtem lictoribus.*
10 Miſchna, tract. Maccoth. per 3.
11 2. Cor. 11. 25. *Ter virgis cæſus ſum.*
12 Vide 2. Cor. 11. 24. ex Deut. 25. 3.
13 Vide Chryſoſt. tom. 2. homil. 80. p. 815.
14 L. *Si hominem*, D. *Depoſiti*. Scholiaſt. Ξύλον εἰς ὃ ἐμβάλλουσι τοὺς πόδας.

Lignoque plantas inſeris
Divaricatis cruribus.

℣. 26. SUBITO TERRÆMOTUS FACTUS EST.] Symbolum præſentiæ Dei, vel Angeli. Totus Sinai contremuit, ubi Dominus apparuit Moyſi, leges ſuas rogaturus Exod. 19. 18. terra quoque tremuit, ubi Angeli ad JESU CHRISTI Reſurrectionem deſcenderunt [2]. Angelus tempore eodem omnes carceris portas aperuit, & omnia fregit vincula eorum, qui in carcere detinebantur. Non permiſit tamen Deus, ut libertate egrediendi uterentur; ſatis fuit, infinitam ſuam poteſtatem oſtendere, ut Apoſtolorum ſuorum gloria, Evangeliique ſui veritas magis eluceret.

℣. 27. VOLEBAT SE INTERFICERE.] Ratus captivos omnes elapſos, ac ſibi capite luendam eorum fugam. Carcerum cuſtodes, ubi captivi fugam feciſſent, ejuſdem ſupplicii pœna afficiebantur, qua fugitivi erant afficiendi [a]. Ethnici ſine ulla religione ſibimetipſis manus conſciſcebant, quod factum & Philoſophi probabant, & Religio Ethnica minime damnabat. Grotius ait, apud Hebræos etiam problematicæ quæſtionis fuiſſe genus: utrum ſibimet manus inferre liceret [3].

℣. 28. UNIVERSI HIC SUMUS.] Plures erant in eodem carcere captivi, non ſecus ac in contiguis aliis carceribus. Terræmotus, atque vinculorum fractio celeriter adeo, atque inopine contigerat, ut nemini præſens adeo ſpiritus fuerit, & mens, ut fugam capeſſeret.

℣. 29. PROCIDIT PAULO, ET SILÆ.] Non ambigens, quominus ad eorum meritum, atque innocentiam probandam hoc miraculum Deus fuiſſet operatus. Admiratione autem captus eſt, eorum virtutem, atque probitatem intuitus, quod cum fugam corripere poſſent, ibi ſubſediſſent, cumque prohibuiſſent, ne ſuo ſe gladio confoderet: antequam intelligeret, & videret, quid de captivis ſuis factum eſſet. Credunt quidam [4], iſthic non deeſſe miraculum; quod S. Paulus, qui in penitiori, atque remotiori carcere poſitus erat, ſupernaturali lumine vidit cuſtodem carceris, qui extrinſecus erat, & in tenebris, & qui ſibi necem conſciſcere meditabatur. At quin miracula multiplicemus, fidei conſonum eſt, cuſtodem, ubi repente evigilaſſet, ad carceris januas, præſertim illuc, ubi Paulus, & Silas detinebantur, cucurriſſe; quas cum patentes vidiſſet, terrore captum clamaſſe, atque dixiſſe, ſuomet gladio ſe conficere velle, quod Paulus prohibuit elata voce, teſtatus neminem egreſſum fuiſſe.

℣. 30. PRODUCENS EOS FORAS.] E carceris imo adduxit in veſtibulum carceris, vel in domum ſuam carceri proximam. Homo aliquid fortaſſe jam audierat de Religione, quam Paulus, & Silas prædicabant, atque de miraculis, & converſionibus, quæ fuerant operati; præſertim vero de eo, propter quod in carcerem fuerant conjecti. Hæc omnia tunc temporis in memoriam illi venerunt, atque hoc illi conſilium immiſerunt, ut ſe traderet viris iſtis, quorum ſanctitas tot miraculorum fulgore probabatur.

℣. 31. CREDE IN DOMINUM JESUM.] Hæc fuit omnium præceptorum, quibus illum imbuerunt, concluſio: ℣. 32. oſtenderunt illi Idololatriæ vanitatem, atque eidem probarunt veritatem Dei unius Cœli, ac terræ Creatoris; Jeſum Chriſtum Æternum Æterni Patris Filium humanam induiſſe carnem, atque pro nobis animam efflaſſe, & reſurrexiſſe; ipſum unum eſſe verum Salvatorem mundi: ejus ſalus acquitatur, Evangelium eſſe credendum, obſervanda præcepta a Jeſu Chriſto tradita, in fide, & veritate perſeverandum, peccata per pœnitentiam expianda, ad Deum per ſinceram cordis converſionem redeundum, Baptiſma recipiendum, atque Jeſu Chriſti Religionem profitendam. Hoc illa continent verba: *crede in Dominum JESUM.*

℣. 33. LAVIT PLAGAS EORUM.] Pauli ſcilicet, & Silæ, qui inhumane flagellis cæſi fuerant, atque Magiſtratuum plagis affecti. ℣. 33. *& baptizatus eſt ipſe, & omnis domus ejus continuo.* Deus illis fidem adeo illuſtratam conceſſit eo tempore, quo Paulus ad eos locutus eſt, ut pares fuerint Baptiſmati recipiendo, quod adultis conferri minime debet, niſi poſtquam ſatis edocti, atque probati fuerint juxta Salvatoris verba, Matth. 28. 19. *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quidam crediderunt [5], hunc carceris cuſtodem, ejuſque familiam eumdem eſſe ac *Stephanum*, vel Stephanam de quo S. Paulus in 1. ad Corinthios 1. 16. verba facit; *baptizavi autem, & Stephanæ domum; cæterum neſcio, ſi quem alium baptizaverim.* Videtur tamen hic Stephanas Corinthius potius fuiſſe, quam Philippenſis.

℣. 34. APPOSUIT EIS MENSAM [6].] hoc eſt epulas illi appoſuit. Verum Græca vox ſignificat ipſam menſam apponere, tunc enim menſis accumbebant, & menſa lancibus cooperta afferebatur, atque ſuſtollebatur, atque ita in ſingula fercula recens menſa immutabatur. Paulus, & Silas jejunio, verberibus, & ſanguinis effuſione confecti erant. Nondum illuxerat dies, cum illis epulæ allatæ ſunt. Deinde vero iterum ſunt carcerem ingreſſi, quin aliquis intelligere potuiſſet, quid ea nocte, & in ea domo factum fuiſſet.

℣. 35. MISERUNT LICTORES] Græce [7] *virgiferos.* Lictores proprie erant Magiſtratuum ſervi, ſecuri virgarum faſciculo circumdatam ante Conſulem deferentes. Sed in Provinciis Magiſtratus ſinguli ſingulos habebant Lictores, cum uno tantum baculo, aut virga ad populum ſummovendum, & Magiſtratui viam aperiendam. Hi lictores ergo a Magiſtratibus miſſi carceris cuſtodi nuntiarunt: *dimitte homines illos*: ſeu quod Magiſtratus pœnitentia ducti fuiſſent quæſtionis indignius in hos homines habitæ; ſeu quod aliqui et amici Pauli, & Silæ, fortaſſe ipſe Timotheus, & S. Lucas adniſi fuiſſent, ut ſocios extraherent, atque diligentius certiores feciſſent magiſtratus de iis, quæ contigerant: ſeu denique ad illorum aures allatum fuiſſet miraculum, quod noctu contigerat, & uniuſcujuſque, & juſtitiæ intereſſe illos dimittere, judicaſſent.

℣. 37. CÆSOS NOS PUBLICE.] S. Paulus, quin conquereretur, paſſus fuerat ſe comprehendi, flagellis cædi, & in carcerem trudi. Nunc vero, ubi dimittitur, de Magiſtratuum iniquitate conqueritur, ait ſe Romanum eſſe Civem, neque inde egreſſurum, niſi Magiſtratus ſe ſe apud illum excuſent, ejuſque publicæ innocentiam profiteantur. Quorſum igitur hoc egit Paulus? volois ſimul conſulere, & gloriæ Evangelii, & veritati, & innocentiæ ac famæ ſuæ, & Neophytorum ſuorum fidei. Gloriæ Dei atque Evangelii intererat, ut qui illud prædicabat, juſtus atque irreprehenſibilis haberetur. Indigebat S. Paulus bona fama, ut Domini ſui gloriam, atque majorem Religionis progreſſum procuraret [8]: intererat etiam recens converſis exploratum eſſe Magiſtrum ſuum, non tamquam ſontem, aut ſeductorem, ſed unice pro juſtitia, & Dei cauſa tuenda hæc pertuliſſe. Denique opere pretium erat, & ut Ethnici eo rubore ſuffunderentur, quem illorum injuſta perſecutio atque impotentia merebatur.

Narrat Plato, Critonem, aliosque Socratis amicos, ubi hunc in carcere poſitum inviſiſſent, ſuaſores extitiſſe, ut fugam arriperet; pollicitos etiam, ſi opus eſſet, ſe uſuros, ut invitis cuſtodibus illum extraherent. Crito illuc die quadam ſolus acceſſit, & quæcomque potuit, validiſſima protulit argumenta, hæc illi fugam perſuaſurus: verum Socrates numquam hujus adhæſit conſilio [9], dicens, minime fas eſſe malum pro malo evitare; ſe teneri legibus Patriæ ſuæ. Nihil

[a] Matth. 28. 2. [b] Grot. hic. *Solebant Commentarienſes, ſi effugiſſent vincti, eandem pati pœnam, quam vincti paſſuri fuerant.* L. ad Commentarienſem, C. de cuſtodia reorum.

3 Vide Grot. de jure B. & P. lib. 2. cap. 19. art. 5. 4 Fromond. ad verſ. 28. & 29.

5 Oecumen. hic. Gagn. 6 Παρέθηκε τράπεζαν. 7 Τοὺς ῥαβδούχους.

8 Aug. lib. de bono viduitatis, c. 22. *Nobis neceſſaria eſt vita noſtra, aliis autem fama noſtra.*

9 Vide Platon. in Critone.

Nihil juſtitiæ præferendum, neque ſe proprio dadecori ſuperſtitem fuiſſe, ſi e carcere ea elapſus fuiſſet via, quæ hominem juſtum minime decerat. Socrati deerat tantum fides in Deum, melior finis, & melior cauſa: cæterum ipſe præſtantiſſime, & ſentiebat, & loquebatur.

S. Paulus hic ait, ſe Romanum eſſe Civem. Sæpius hoc ſibi vendicavit decus [1], atque ſemper in rem eodem uſus eſt, non ut illo abuteretur, ſed ut veritati, & Religioni prodeſſet. Hic generatim loquitur: *homines Romanos*, quaſi Silas etiam Romanus eſſet: at credunt communius [2], uni Paulo hanc dignitatem adhæſiſſe. Sæpius in hujuſmodi occaſionibus pluralis numerus pro ſingulari uſurpatur, veluti cum S. Matthæus ait, latrones cum Jesu CHRISTO crucifixos huic illuſiſſe [3]; licet unus tantum illuſerit, quemadmodum aperte S. Lucas 23. 39. teſtatur. Romani Civis decus tunc temporis ſummo in honore erat, præſertim vero in Romana Colonia, qualis erant Philippi. Per leges [4] virgis cædi non poterat, niſi morte damnaretur; multo vero minus die non dicta, neque audita cauſa. *Facinus eſt vincire Civem Romanum*, ait Cicero in Verrem Orat. 5. *ſcelus verberari*. Claudius Imperator non multo poſt Rhodios ſua libertate privavit, quod Cives quoſdam Romanos injurioſius tractaſſent [5].

At undenam S. Paulus Civitate Romana gaudebat? Liquet, illum fuiſſe ex tribu Benjamin, atque majori ex parte vitam ſuam Jeroſolymæ traduxiſſe. Veruntamen natus erat Tarſi in Cilicia, quæ titulum, & privilegia Romanæ Coloniæ meruit, quod ſumma fide Julium Cæſarem fuerat ſecuta [6]. Tenent alii, eam urbem libertate dumtaxat, non autem Romanæ Coloniæ nomine, vel Romanæ civitatis jure fuiſſe donatam. Cajus Caſſius in Cæſaris odium illam perſecutus eſt, omnibuſque exuit privilegiis; ſed triumviri hoc eſt Auguſtus, Antonius, & Lepidus priſtino illam jure donarunt [7]. In nummis nullum eſt veſtigium, Tarſum ante Caracallæ, vel Heliogabali [8] Imperium, Romanam fuiſſe Coloniam, unde conjicitur Civitatis Romanæ jus non ad omnes Tarſenſes, ſed tantum ad quoſdam privatos pertinuiſſe, veluti ad S. Pauli parentem, quem hoc privilegio gaviſum fuiſſe nemo inficiari poteſt, licet quomodo hoc ille ſibi pepererit, minime liqueat.

Veteres quidam [9] crediderunt, S. Paulum natum fuiſſe Giſcalæ, quæ Galilææ exigua Urbe eſt. Ajunt, ea Regione a Romanis igni ferroque vaſtata, incolas una cum S. Paulo, qui adhuc infans erat, Tarſum in Ciliciam traductos fuiſſe; atque ita illum non quatenus Tarſenſem nativitatis jure Civem eſſe Romanum [10]. Photius Ep. 102. credere videtur, S. Paulum ideo Romanum Civem fuiſſe, quod erat ex Tribu Benjamin; innixus fabellæ cujuſdam Veteris Græci Auctoris, aſſerentis, urbem Romam, populumque Romanum originem duxiſſe ex viro quodam, cui nomen *Ros* ex tribu Benjamin, qui in Italiam ſedem rerum ſuarum tranſtulerat, antequam Roma ædificaretur. Sed inutile eſt hujuſmodi inanes chimæras perſequi. Non ſatis pro certo aſſerri poteſt, Urbem Tarſum tunc Romanam fuiſſe Coloniam, cumque ea res dubitatione prorſus non careat, dici poteſt & Patrem, vel avum S. Pauli hoc ſibi & poſteris ſuis jus emiſſe, tamquam titulum nobilitatis; atque ita S. Paulum ex nativitate Civem fuiſſe Romanum. Videbimus infra [11], hoc privilegium ſæpius numerata pecunia comparari conſueviſſe.

℣. 38. TIMUERUNT.] Romani, quorum Imperium tunc in omnem fere cognitum terrarum orbem patebat, ſeveriſſime perſequebantur injurias, quibus afficiebantur, qui Romanæ Civitatis jure pollebant. Leges eorum volebant populi Romani majeſtatem vindicari quodammodo, in Civium ſuorum perſona laceſſitam [12].

℣. 39. DEPRECATI SUNT EOS.] Vel [13] conſolati ſunt eos [14], atque dolorem ſuum teſtati ob ea, quæ illis contigerant, atque ſimul orarunt, ut ex Urbe excederent, ne populus illis offenſus exacerbaretur.

℣. 40. INTROJERUNT AD LYDIAM] hoſpitam ſuam, ubi Lucam, Timotheum, & recens converſos invenerunt, quos Paulus, & Silas conſolati ſunt, illis narrantes, quid accidiſſet, euſque hortati ſunt [15], ut in fide perſeverarent; & Philippis egreſſi ſunt operæ pretium minime rati, citra neceſſitatem recentibus ſe ſe objicere perſecutionibus. S. Paulus Jeroſolymam tendens, Philippis iterum tranſiit poſt quinque, vel ſex annos; & anno decimo poſt primum iter ſuum ſcripſit ad Philippenſes, qui ſemper S. Paulo adhæſerunt, atque bonis ſuis tulerunt non ſemel opem indigenti. Bis ad illum pecunias miſerunt Theſſalonicam [16], & item ſemel Corinthum [17], et quæ etiam multo poſt, cum Romæ captivus detineretur [18].

1 Vide infra c. 22. 25. 28. 23. 27. 2 Grot. Vide infra cap. 22. 25.
3 Matth. 27. 44. 4 Lege Porcia, & Sempronia, apud Cicer. pro Rabirio. 5 Dio, lib. 60.
6 Dio, Chryſoſt. orat. 34. Vide Spanh. l. 9. p. 785. de præſtant. & uſu numiſm.
7 Dio, Caſſ. l. 47. p. 342. Vide & Appian. Civil. 5. 8 Vide Cellar. lib. 3. c. 6. Geogr. antiq. Vide & Grot. ad Act. 22. 28. 9 Hieronym. in Epiſt. ad Philemon. & de Viris Illuſtr. c. 5.
10 Act. 22. 3. 11 Act. 22. 28. 12 Vide Grot. Fromond.
13 Παρεκάλεσαν αὐτούς, καὶ ἐξαγαγόντες ἠρώτων ἐξελθεῖν τῆς πόλεως. 14 Grot. Lud. de Dieu.
15 Παρεκάλεσαν, ſignificat, *conſolati ſunt*, vel *hortati*. 16 Philipp. 4. 16.
17 2. Cor. 11. 9. 18 Philipp. 4. 9. 14. 18.

CAPUT XVII.

S. Paulus primum Theſſalonicam, mox Berœam proficiſcitur. Judæi illum perſequuntur. Athenas venit. In Areopago loquitur. Dionyſii Areopagitæ, aliorumque nonnullorum converſio.

1. CUm autem perambulaſſent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Theſſalonicam, ubi erat ſynagoga Judæorum. 2 Secundum conſuetudinem autem Paulus introivit ad eos, & per ſabbatha tria diſſerebat eis de Scripturis, 3 Adaperiens, & inſinuans, quia Chriſtum oportuit pati, & reſurgere a mortuis: & quia hic eſt Jeſus Chriſtus, quem ego annuncio vobis. 4 Et quidam ex eis crediderunt, & adjuncti ſunt Paulo, & Silæ, & de colentibus, Gen-

tilibuſque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ. 5 Zelantes autem
Judæi, aſſumentesque de vulgo viros quoſdam malos, & turba facta, concitave-
runt civitatem: & aſſiſtentes domui Jaſonis quærebant eos producere in populum.
6 Et cum inveniſſent eos, trahebant Jaſonem, & quoſdam fratres ad principes
civitatis, clamantes: Quoniam hi, qui Urbem concitant, & huc venerunt, 7
Quos ſuſcepit Jaſon, & hi omnes contra decreta Cæſaris faciunt, regem alium
dicentes eſſe, Jeſum. 8 Concitaverunt autem plebem, & principes civitatis au-
dientes hæc. 9 Et accepta ſatisfactione a Jaſone, & a cæteris, dimiſerunt eos.
10 Fratres vero confeſtim per noctem dimiſerunt Paulum, & Silam in Berœam.
Qui cum veniſſent, in ſynagogam Judæorum introierunt. 11 Hi autem erant no-
biliores eorum, qui ſunt Theſſalonicæ, qui ſuſceperunt verbum cum omni avidita-
te, quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent. 12 Et multi quidem
crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honeſtarum, & viri non pauci. 13 Cum
autem cognoviſſent in Theſſalonica Judæi, quia & Berœæ prædicatum eſt a Paulo
verbum Dei, venerunt, & illuc commoventes, & turbantes multitudinem. 14
Statimque tunc Paulum dimiſerunt fratres, ut iret uſque ad mare: Silas autem,
& Timotheus remanſerunt ibi. 15 Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt
eum uſque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam, & Timotheum, ut quam
celeriter venirent ad illum, profecti ſunt. 16 Paulus autem cum Athenis eos expectaret,
incitabatur ſpiritus ejus in ipſo, videns idololatriæ deditam civitatem. 17 Diſ-
putabat igitur in ſynagoga cum Judæis, & colentibus, & in foro, per omnes
dies ad eos, qui aderant. 18 Quidam autem Epicurei, & Stoici philoſophi diſ-
ſerebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult ſemini-verbius hic dicere? Alii
vero: Novorum dæmoniorum videtur annuntiator eſſe: quia Jeſum, & reſurrectio-
nem annuntiabat eis. 19 Et apprehenſum eum ad Areopagum duxerunt, dicen-
tes: Poſſumus ſcire, quæ eſt hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina? 20 Nova
enim quædam infers auribus noſtris: volumus ergo ſcire, quidnam velint hæc eſ-
ſe: 21 (Athenienſes autem omnes, & advenæ hoſpites, ad nihil aliud vacabant,
niſi aut dicere, aut audire aliquid novi.) 22 Stans autem Paulus in medio Areo-
pagi, ait: Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. 23 Præ-
teriens enim, & videns ſimulachra veſtra, inveni, & aram, in qua ſcriptum e-
rat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.
24 Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic cœli, & terræ
cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, 25 Nec manibus humanis
colitur, indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & om-
nia: 26 Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam fa-
ciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, 27 Quæ-
rere Deum, ſi forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe ſit ab uno-
quoque noſtrum. 28 In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus: ſicut &
quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: Ipſius enim, & genus ſumus. 29 Genus
ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare, auro, & argento, aut lapidi ſcul-
pturæ artis, & cogitationis hominis, Divinum eſſe ſimile. 30 Et tempora qui-
dem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubi-
que pœnitentiam agant, 31 Eo quod ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem
in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum a
mortuis. 32 Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem ir-
ridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. 33 Sic Paulus e-
xivit de medio eorum. 34 Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt; in qui-
bus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis.

℣. 1. CUM PERAMBULASSENT AMPHIPOLIM, & APOLLONIAM:) Philippis S. Paulus cum ſociis meridiem verſus proceſſit in Macedoniam. Primum quidem Amphipolim profecti ſunt, Urbem prope mare ſitam inter utrumque brachium, quod efficit fluvius Strymon, in mare ſe exonerans. Apollonia vero magis eſt meridionalis, atque a mari remotior, ſita ſecus fluvium Echedorum. Non videtur S. Paulus in illis Urbibus ſubſtitiſſe, fortaſſe quod ibi Judæi non aderant. A Judæis enim incipiebant ut plurimum in Evangelii prædicatione, Act. 13: 46.

Theſſalonica vero inſignis eſt Civitas Macedoniæ caput ad ſinum Thermaicum. Stephanus Byzantinus auctor eſt, illam a Philippo Macedonum Rege ornatam, auctamque fuiſſe, atque Theſſalonicam appellatam in monumentum victoriæ, quam cumulatiſſimam de Theſ-

ſalia

ſalis repotravatat : sote quod sampus *Theſma* vocabaut. Vatum Strabo, Tzetzes, & Zonates putant Urbi nomen factum a *Theſſalonica* Caſſandri coojugu, & Philippi filia. Ibi uun pauci adetant Judæi, quandoquidem Synagogam ibidem poſſidebant.

℣. 2. DISSEREBAT EIS DE SCRIPTURIS, ℣. 3. ADAPERIENS &c.] Ingreſſus de more Paulus Synegogam Sabbathu, ibi de Scripturis collocutus aſt, oſtendens, oportuiſſe JESUM CHRISTUM pati, eas explicans Scripturas, quæ ad Meſſiam pertinebant, easque transferens ad JESU CHRISTI perſonam, illum verum eſſa Salvatorem omnium votis expetitum oſtendit. Plurimi [1] cradont, neque iojuria, *adaperiens* de Scripturis aſſe intelligendum. Illis explicabat, ad litteram, *aperiebat* Scripturæ locos, atque oſtendebat Meſſiæ, & facienda, & ferenda, ea quæ JESUS CHRISTUS & feceret, & pertolerat [2] : ita auferens Crucis ſcandalum, qui maximus erat obex Judæorum converſioni [3]. *JESUM Crucifixum, Judæis quidem ſcandalum; Gentibus autem ſtultitiam*.

℣. 4. DE COLENTIBUS, GENTILIBUSQUE,] Plurimi Græci, qui Deum metuebant, nobileſque mulieres; plurimi Proſelyti, qui Synagogæ interfuerunt, & S. Paulum diſſerentem audierunt. Textus Latinus ſimilis eſt nuo paucis Græcis MSS. [4] : *magna multitudo hominum timentium Deum, & Gentilium*; ſed Græcus typis editus aum adfert ſenſum, quem primum attulimus; *magna multitudo Græcorum*, vel *Gentilium timentium Deum*, vel Proſelytorum, qualis erat Cornelius, aliique plures, quos ſuperioribus capitibus vidimus [5]. Hi erant Gentiles, qui, quin circumciſionem ſaciperent, pietati ſtudebant, Idololatriam abdjicebant, & Leges naturales ſequebantur. Hebræi illos appellant *Proſelytos foriam*, vel *domicilii*. Complures etiam nobili loco natæ mulieres ſe le converterant, immo generatim plures erant mulieres, quam homines, quæ inter Proſelytos recenſebantur : earum quippe ſexus ſuopte ingenio ad ſuperſtitionem, metum, & curiuſitatem proaior eſt. Matronæ complures ſuves habebant Judæas, a quibus cultum, & Dei unius Religionem edocebantur.

℣. 5. ZELANTES AUTEM JUDÆI.] Judæi ficto zelo, atque turpi invidia compulſi quoſdam ſecum ſumpſerout improbos eitos de populi fæce; ad litteram [6] *homines quoſdam de medio foro inertes; ſordidam plebem circa, & theatris aſſuetam*, quemadmodum Tacitus loquitur, *vel trivialem popularium facem*, quemadmodum illos Apulejus appellat. Judæi non adeo multi erant, ut poſſent in Urbem ciere turbas. Excitarunt ergo eos homines e trivio, de quibus locuti ſumus, atque obſiderunt domum *Jaſonis* Judæi, ad CHRISTI fidem converſi, ubi S. Paulus una cum Sila hoſpitio fuerat exceptus. Hic eſt Jaſou ille, de quo in Epiſtola ad Romanos ſermo eſt [7], & quem S. Paulus ſuum eocat conſanguineum. Videbimus infra quas prætexerint uafariæ cauſas tenebriones iſti, ut S. Paulum vexarent.

Hic Apoſtolus docet [8] Deum confirmaſſe verba ſue miraculis, variiſque effectibus potentiæ Spiritus Sancti; ſe ibi multa perpeſſum aſſe, plurimos ibi ad fidem convertiſſe, & eos qui converſi ſunt, ipſius certa tamquam u Deo ipſo profecta excepiſſe ſumma cum gaudio, licet maximis tribulationibus urgerentur; ita ut deinde pro exemplo fuerint aliis Macedoniæ, & Achajæ chriſtianis. S. Paulus illos materuis viſceribus, & paterno amore proſequebatur, optaſſetque non ſolum illis Evangelii cognitionem communicare; verum etiam propriam pro illis vitam effundere. Illos de pluribus rebus erudiebat [9], præſertim vero de Antichriſto, & du manuum labore, qua de re illis præbebat exemplum, die, ac nocte manibus ſuis laborans ne gravis eſſet alicui. Ille bis etiam a Philippenſibus accepit ea, quorum indigebat; adeo ſollicitus erat, ut nonniſi gratis prædicaret.

℣. 6. HI SUNT, QUI URBEM CONCITANT.] Ita ſeditioſi, & perſecutores loquuntur : aliis vitio vertunt eas turbas, quarum ipſi uni Auctores ſunt, & ſaluti rebelles nos traducunt, quos ipſi vexant, & opprimunt. Pro iis verbis, *qui orbem concitant*; Græcus [10] legit, *qui omnem terrarum orbem*, vel *terras omnes, quæ coluntur ſuſque deque ſubvertunt*. In Vulgate legendum eſſet *orbem* pro *urbem*.

Judæis Jeroſolymitanis poſt JESU CHRISTI mortem non ſatis fuit Apoſtolos, atque fideles perſequi, illos in exilium conjicere, proſcribere, enecare, injuriis, & contumeliis proſcindere; palam, & in Synagogis ſuis [11] nuncios quoſdam alegerunt, quos in omnes terrarum plagas miſerunt, qui nuntiarent, novam obortam eſſe hominum ſectam, qui Chriſtiani dicebantur, & qui Atheiſmum tuebantur, omneſque Leges evertebant. Auctorem illius fuiſſe hominem quemdam, cui nomen JESUS, qui propter ſcelera ſua Cruci fuerat affixus : ſed cum noctu diſcipuli obrepſiſſent, hos abſtuliſſe corpus illius, & ubique promulgaſſe, illum ſurrexiſſe : doctrinam vero illorum omnino impiam eſſe, deteſtabilem, atque ſacrilegam. Falſus hic rumor a Judæis affuſus occaſionem præbuit, ut Chriſtiani citer plurimis perſecutionibus agitarentur; neque ante ducentos annos deleri umquam potuit ea labes, quam hujuſmodi calumniæ univerſo in terrarum orbe Chriſtiano nomini offuderant [12]. Dicunt, Judæos Vormaciæ, ad Rhenum, ſervare adhuc unam ex his epiſtolis, quæ quocumque miſſæ fuerunt contra JESUM CHRISTUM ejuſque diſcipulos [13]. Huic ergo rumori forraſſe, atque ejuſmodi epiſtolis in omnes Judæorum Synagogas miſſis Theſſalonicenſes innixi ajunt, Paulum, & ſocios ejus homines eſſe univerſum orbem turbantes, doctrinam recantam, recentem Dominum, novumque Regem prædicando.

℣. 7. CONTRA DECRETA CÆSARIS FACIUNT, REGEM ALIUM DICENTES ESSE JESUM.] Improbi hi Judæi ſubdule reticent veram cauſam, propter quam adverſus Apoſtolos irati ſunt. Non ajunt, hoc negotium eſſe, quod mere ad ſuam Religionem pertinet; tunc enim Gentiles nullo ſe intereſſe negotio putaſſent : Verum hos Reipublicæ turbatores eſſe dicunt, ipſi etiam Cæſari infenſos. Tenent, JESUM eſſe Meſſiam vel omnium hominum Regem; ideoque Imperatorem minime agnoſcunt. Ars hæc craſſa erat, & facile oſtendi poterat, JESU CHRISTI Regnum non eſſe de hoc mundo, & Cæſarum Imperio nihil officere. Sed populus concitatus nullam audiit rationem, concurrit ſtatim ad Jaſonis domum, eumque una cum iis, qui apud illum hoſpitabantur, comprehendit.

℣. 9. ACCEPTA SATISFACTIONE A JASONE.] Vulgata ad litteram ſignificat Jaſonem, alioſque populo ſatis feciſſe; hoc eſt ex plurimorum Interpretum ſententia [14], plebem concitatam deliniiſſe oſtendando, homines illos nequaquam eſſe publicæ quietis perturbatores. Regnum, de quo loquebantur, eſſe mere ſpirituale; JESUM CHRISTUM non eſſe Regem terrenum; ſed Deum in Cœlis regnantem, & neminem Cæſarum mandatis magis obtemperare, quam qui tamquam poteſtatis eorumdem obtrectatores arguebantur. Sed eruditi complures Græcum [15] ita vertunt : *accepta cautione*

[1] Chryſoſt. hic. Grot. Pricæ.
[2] Confer. Luc. 24. 26. 27.
[3] 1. Cor. 1. 23.
[4] Cant. Alexandr. Pet. 3. Colb. Vulg. Τῶν τε σεβομένων, καὶ Ἑλλήνων πολὺ πλῆθος. At Græcus impreſſus legit : Τῶν τε σεβομένων Ἑλλήνων.
[5] Vide Act. 13. 42. 43. 16. 14. 17. 17.
[6] Τῶν ἀγοραίων τινὰς. Vide Grot. & Pricæ. hic.
[7] Rom. ult. 21.
[8] 1. Theſſal. 1. 5. & ſequ. & 11. 13. 14. & ſequ.
[9] 2. Theſſal. 2. 5. 3. 7. &c.
[10] Οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες.
[11] Juſtin. Dialog. Origen. in Jerem. homil. 12. Hieronym. in Iſai. &c.
[12] Vide Origen. lib. 6. contra Celſ. & Tertull. ad Nation. lib. 1. c. 4. & lib. 3. contra Marcion. c. 23.
[13] Grot. in Act. 28. 22.
[14] Vide Sanct. From. Cameræ. Vatab.
[15] Καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν παρὰ τοῦ Ἰάσονος, καὶ τῶν λοιπῶν, ἀπέλυσαν αὐτούς.

ſione a Jaſone &c.[1] Vadimonium præbuerunt, atque illud ſiſtere polliciti ſunt, ſi opus eſſet: at opus non fuit; nocte enim eadem fratres Paulum, & Silam extra Civitatem adduxerunt, qui ſtatim ac ex Judæorum oculis elapſi ſunt, ex eorum mente evanuerant. Jaſon plane erat ille, quemadmodum diximus, de quo S. Paulus loquitur in Epiſtola ad Romanos [2], & quem ſuum propinquum appellat. A

℣. 10. In Berœam.] Ubi aderat Judæorum Synagoga: Berœa ſita erat ſecus eumdem ſinum, ac Theſſalonica, ſed magis meridiem verſus.

℣. 11. Hi autem erant nobiliores.] Neque meliori ingenio præditi, quam Theſſalonicenſes. Græca vox [3] generoſitatem ſignificat nobilitatem generis, ſenſuum, animi generoſitatem, clementiam, magnanimitatem, æquitatem, optimam inſtitutionem. B Hi magis erant inſtructi, exculti, melius educati, & ad humanitatem magis compoſiti, quam Theſſalonicenſes ideoque magis ad ſalutis verbum recipiendum parati. Illud reipſa facilius receperant, eo quod illi minores obices ſtatuerunt, & quod gratiam, quam in eorum animos effudit Deus, illos paratiores invenit. Creditur Soſipater S. Pauli conſanguineus, de quo hic loquitur in Epiſtola ad Romanos 16. 21. fuiſſe ex eorum numero, qui primum converſi ſunt. Hanc Græca colit Eccleſia una cum S. Jaſone S. Pauli hoſpite Theſſalonicenſi, quarto, vel tertio Kalendas Maii.

Quotidie scrutantes Scripturas.] Aſſerebat S. Paulus, Jesum Christum eſſe Meſſiam a Prophetis promiſſum, atque in omnibus Scripturis præſignatum. C Hoc unum agebatur, ut oſtenderentur loci, qui afferebantur, ad Meſſiæ adventum ſpectare, & mox ad Jesum Christum traducerentur. Judæi hactenus generalem quamdam habuerant de Meſſiæ qualitatibus notionem, quæ licet vera eſſet, poterat tamen illuſioni eſſe obnoxia, eo quod plures eadem abutebantur. Ideæ magnitudinis, atque potentiæ, quas illi conceperant, adverſabantur aliis characteribus infirmitatum, & paſſionum, qui in Scripturis deprehendebantur. Hæc omnia ſimul erant concilianda. S. Paulus cum Judæis congregabatur, bona fide legebantur Scripturæ, inter ſe comparabantur, atque in Jesu Christo divina, & humana naturæ diſtinguebantur; æternum illius Regnum in Cœlo, ac temporale Imperium in Eccleſia ſuper terram, nativitas, vita, mors, miracula, Reſurrectio, Aſcenſio ejuſdem, & in iis omnibus reperiebatur D omnium difficultatum, atque dubitationum ſolutio, & ea omnia, quæ ſibi oppoſita videbantur, ſimul conciliabantur. Itaque homines illi nequaquam temere fidem præbuerunt in re tanti momenti, & S. Paulus ſapientiæ ſpiritu ſemper afflatus minime inibat vias inſuetas, atque prodigia, ut illos perſuaderet; ratione tantum, & Scripturarum auctoritate utebatur, miracula in illud tempus, quo neceſſaria erant, reſervans.

℣. 12. Mulierum Gentilium honestarum.] Plures Græcæ mulieres honeſto loco natæ; vel potius plures ex numero Gentilium; proſelytæ mulieres, quæ licet Judææ non eſſent, Deum tamen venerabantur, atque bona opera exercebant.

℣. 14. Paulum dimiserunt.] Judæi Theſſalonicæ, E ubi audiverunt Evangelii progreſſus Berœæ, illuc emiſſarios ſuos miſerunt, ut inde S. Paulum ejicerent; in illum enim præſertim illorum odia exarſerunt. Fratres ergo illum uſque ad mare dimiſerunt, ut alii ignorantes, quorſum ille vertiſſet iter, & putantes illum jam navem conſcendiſſe, eum non amplius perſequerentur. Attamen ne hæc naſcens Eccleſia deſereretur, S. Paulus reliquit Berœæ Silam, atque Timotheum, qui novos fideles in fide confirmarent, eoſque perfecte erudirent.

℣. 15. Usque Athenas.] Illuc mari ne, an terreſtri itinere profectus eſt? hac in re diſſentiunt Interpretes. S. Johannes Chryſoſtomus hom. 37 in Acta, aliique nonnulli [4] credunt, ipſum ſimpliciter ad maris littus proceſſiſſe, ut hoſtes falleret. Græcus ſuperiori verſ. ita verti poteſt [5]: *dimiſerunt eum, tamquam iturum ad mare*. Sed Theodoretus [6], aliique plures [7] cenſent, mari eo conceſſiſſe, quod mihi quidem veritati propius videtur; terreſtris enim via prælonga eſt, neque legimus, in toto illo itinere Paulum umquam ſubſtitiſſe, neque alicubi prædicaſſe a Berœa Athenas uſque, inter quas octoginta ferme leucæ intercedunt. At vix credi poteſt, S. Paulum, ſi terreſtri itinere profectus fuiſſet, toto eo tempore nullibi fuiſſe prædicaturum. Inſignis Græco Latinus Cantabrigienſis MS. hic habet [8]: *tranſivit per Theſſaliam, ſed prohibitus fuit ibi prædicare verbum*. Sed MS. illa additamentis, & Gloſſematibus, quibus nulla eſt auctoritas, eſt cumulatiſſimum. Hoc unum inde inferri poteſt, illum, qui hunc locum adjecit, ex eorum fuiſſe numero, qui S. Paulum terreſtri itinere Berœa Athenas profectum fuiſſe opinabantur.

Athenæ tunc erat Civitas celeberrima, & propter ſcientias, quæ ibi docebantur, & propter confluentes undique ex Imperio Romano diſcipulos, & magiſtros, qui illuc tamquam ad omnium ſcientiarum, atque artium emporium ſe ſe conferebant. Poſtquam ea Urbs Imperio adempta fuit, atque militiæ, & mercaturæ negotiis non amplius vacavit; omnem tranſmiſit curam ad litteras excolendas, qua in re tantam ſibi nominis celebritatem comparavit, quantam antea, & incolarum virtute, & rerum cum mari, tum terra geſtarum multitudine fuerat adepta. Tunc illa ferebatur, tamquam generalis omnium humaniorum artium, atque diſciplinarum ſedes, neque poterat S. Paulus ſpecioſius ſibi theatrum eligere, ubi Evangelium annuntiaret, neque locum, ubi novarum rerum ſtudioſiores nanciſcerentur homines, neque unde doctrina ſua facilius, & celerius propter undique doctos, & curioſos homines confluentes, in omnes terrarum plagas effunderetur.

Accepto mandato.] Berœenſes, qui S. Paulum Athenas uſque fuerant ſubſecuti, ſtatim domum ſuam ſe receperunt; quibus etiam atque etiam Paulus commendavit, ut Silam, atque Timotheum, qui Berœæ permanſerant, quamprimum Athenas mitterent; nam in Urbe frequenti adeo, & affluenti, qualis erant Athenæ, eorum indigebat ope, tum ut in prædicatione laborem imminuerent, tum ut egeſtatibus ipſius conſulerent; ut ille, cum victus ſibi comparandi curam abjeciſſet, liberius prædicationi vacaret.

℣. 16. Incitabatur spiritus ejus.] Quodammodo irritabatur [9], ſtimulis excitabatur, affligebatur fluctuans inter indignationem, & miſericordiam, zelo flagrans, quod Urbem adeo florentem, atque doctam in Idololatriæ errore, atque in flagitiis immerſam videret: *videns idololatriæ deditam*. Græca vox ſignificat [10] plenam Idololatriæ; vel locum, ubi magna eſt Idolorum copia; Civitatem Idolis cumulatam, atque ſuperſtitionibus exundantem; vel Civitatem Idololatriæ prorſus deditam, atque Idolis mancipatam. Profecto Veteres Auctores nobis Athenas deſcribunt, tamquam omnium Græciæ Civitatum ſuperſtitioni addictiſſimam. Refert Strabo l. 9. Athenienſes perhumanos fuiſſe erga advenas, gratioſos, atque hoſpitalitatem non erga homines ſolum, verum etiam erga aliarum Regionum Deos exercuiſſe. Quamobrem tot aliorum populorum Deos Athenis receperant, quemadmodum in ipſis comœdiis exprobrantur. Pauſanias in Atticis, & Joſephus Hiſtoricus l. 2. contra Appion. teſtantur, illos famam occupaviſſe populi Græ-

1 Ita Budæus, Bez. Grot. Pricæus, Cornel. alii. 2 Rom. 16. 21.
3 Εὐγενέστεροι τῶν ἐν τῇ Θεσσαλονίκῃ, id eſt, ἐπιεικέστεροι. S. Chryſoſt. hic.
4 Grot. Tillem. Cajet. &c. 5 Πορεύεσθαι ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν. Vulg. legit Ἕως Uſque.
6 Theodoret. in Epiſt. ad Theſſalonic. p. 364. 7 Fromond. Cornel. Cleric.
8 Παρῆλθε δὲ τὴν Θεσσαλίαν, ἐκωλύθη γὰρ ἐπ' αὐτοὺς κηρύξαι τὸν λόγον.
9 Παρωξύνετο, &c. 10 Κατείδωλον οὖσαν.

li Græciæ Religioſiſſimi; quo eodem teſtimonio illos Sophocles in Oedip. exornat. Simulacrorum, atque Idolorum frequentia tanta erat Athenis, ut de hac urbe dici poſſint ea, quæ de Roma Petronius: *noſtra Regio tam præſentibus plena eſt numinibus, ut facilius poſſis Deum, quam hominem invenire*. Pauſanias, & poſt hunc S. Gregorius Nazianzenus in orat. fun. S. Baſilii inquiunt, plura Athenis, quam in reliqua Græcia Idola fuiſſe.

℣. 17. DISPUTABAT IN SYNAGOGA.] Incipiens de more prædicare Judæis, ne conquererentur ſe negligi a Sancto Paulo, ſi apud Ethnicos tantum prædicaſſet. Sed erudierat Judæos, & Gentiles timentes Deum, qui aderant in Synagogis, in publicis compitis palam prædicabat, quo confluebant cujusvis generis homines, ibique cum illis colloquebatur, iiſdem B Evangelium annuntians.

℣. 18. EPICUREI, ET STOICI.] Tunc Athenis, quatuor erant præcipuæ Philoſophorum ſectæ. Accademici, Peripatetici, Stoici, & Epicurei. S. Lucas de noviſſimis his duabus tantum verba facit, eo fortaſſe, quod a Religione magis abhorrebant. Epicurei non credebant, Deum terras creaſſe, neque illas Providentia ſua regere, nec animas poſt mortem ſubſiſtere, neque poſt hanc vitam ſupplicium, vel præmium aliquod ſupereſſe. Denique non aliud bonum, neque malum aliud agnoſcebant, niſi quæ in hanc vita contingunt. Stoici vero hominis libertatem negabant, & omnia fatali quapiam neceſſitate contingere arbitrabantur. Sapienti ſuo eam dignitatem cæteris omnibus ſuperiorem conferebant, quam ille ſibi ſoli deberet; & C huic unum Jovam ſuperiorem eſſe putabant [1], immo & illi hoc dumtaxat præ Sapientibus ſuis tribuebant, quod diutius felix eſſet, bonus, & potens. Affirmabant etiam quodam in ſenſu, Stoicum ſapientem aliquid eſſe ſupra Deum, quoniam Deus ex natura ſapiens eſt, Sapiens vero eſt ſapiens ex propria virtute, atque conatu [2]. Hæc erant eorum Philoſophorum dogmata, ad quos S. Paulus erat locuturus, unde cum appareat maximum illud diſcrimen, quod aderat inter illorum, atque Apoſtoli principia, facile judicare quiſlibet poteſt, quantæ operæ eſſet, illos in ſuam ſententiam pertrahere. Univerſum illorum ſyſtema ſtirpitus erat convellendum.

QUID VULT SEMINI-VERBIUS HIC DICERE.] Græcus ad litteram [3]: *Hic ſeminum collector*. Credunt Grammatici, hoc nomen proprie ſignificare aviculam, quæ ſeminibus ſecus viam collectis veſcitur. Hoc proverbium per irriſionem eum ad eos transfertur, qui æque, & inique loquuntur, atque ſine judicio quidquid dicitur, colligunt, atque temere id ſimiliter effundunt; tum ad eos, qui vitam ducunt, vaſcantes iis, quæ in nundinis ſuffurantur, colligentes quidquid amittitur vel D omittitur, vel rapientes, quidquid ſuper aras relinquitur [4]. S. Paulus apud hujuſmodi homines loquebatur adeo inaudita, ut minime mirum videri poſſit, ſi verboſus homo judicaretur, quaſi ea minime ſciret, quæ diceret; Crucis enim doctrina ab Ethnicis ſtultitia habebatur; *gentibus ſtultitiam* 1. Cor. 1. 23.

NOVORUM DÆMONIORUM VIDETUR ANNUNTIATOR ESSE.] Hoc eſt novorum Deorum; vel cum Græco textu [5]: *Dæmoniorum externorum*: ſed Græci Dæmoniorum nomine, Deos more ſuo intelligebant. Antiquis Athenarum Legibus [6] vetitum erat, uti ferunt, E

A ne Dii novi, atque externi in urbem introducerentur; at deinde Athenienſes in eo Religionem ſuam maxime collocarant, ſi nullum Deum in Urbe ſua reſpuerent; cumque ſummo alicui viro, ſimulacrum conſecrabant, illud etiam numini alicui dedicare conſueverant [7]. Ita Mithridates Platonis ſtatuam ponens, illam Muſis dedicavit. Ita quot erant in Urbe ſigna, vel ſimulacra, tot erant quodammodo numina [8].

Athenienſes, S. Paulum loquentem, audientes de Jesu CHRISTO Filio Dei, qui omnem Judæam prodigiorum ſuorum admiratione repleverat, qui reſurrexerat, & in Cœlo regnabat; rati, hoc eſſe novum aliquod numen, quod ipſe in Civitatem inducere ſtuderet, illum in Areopagum adduxerunt, vel ut damnarent tamquam impium, atque Legum regionis illius B violatorem, vel ut doctrinæ ſuæ rationem redderet, atque conſilium ſuum judicibus aperiret. Credit S. Johannes Chriſoſtomus [9], illuc abreptum fuiſſe damnandum. Scimus, quanti ſteterit Socrati ſatis aperte contemptum, quo omnes Athenarum Deos excipiebat, præſetuliſſe. His verbis ille damnatus fuit [10]: *Socrates Leges iis violavit, quas hæc Urbs a majoribus excepit, Deos, quos illa colit, negans eſſe Deos, atque in illam novos Dæmones*, vel novos Deos *introducens*. *Violavit juſtitiam, adoleſcentiam corrumpens*. *Morte damnetur*. Plato ex Ægypto reverſus, non auſus eſt palam proferre ea, quæ ibi de Divinitate didicerat, Areopagum veritus, teſte S. Juſtino Martyre [11], licet maxima eſſet Athenis libertas, in eo cultu, qui falſis numinibus deferebatur, non licebat tamen inſcio Areopa- C go, vel ſtatuam dedicare, vel aram ponere, vel recentem aliquam in civitatem ſuperſtitionem inducere [12].

℣. 19. AD AREOPAGUM DUXERUNT.] Areopagus celeberrimum eſt, atque vetuſtiſſimum Græciæ tribunal. Ferunt, Martem, & Neptunum peroraſſe apud Judices Areopagi propter Halirrothium Neptuni Filium a Deo Marte interfectum, qui duodecim Deorum ſententia fuit abſolutus [13]. Cephalus [14], Dedalus [15], & Oreſtes variis ſubinde temporibus tribunalis ejuſdam judicium ſubiere. Hinc de illius antiquitate judicium eſto. Antiquitus ibi eæ tantum cognoſcebantur cauſæ, quæ de cæde eſſent: Verum Solon voluit, ut omnia magni momenti negotia ibi diſceptarentur [16]. S. Pauli ævo cum priſtinus Athenarum fulgor, atque poteſtas cecidiſſet; Areopagus imago erat dumtaxat D concilii illius, quod olim fuerat, & nihil erat, niſi magni nominis umbra. Erat tamen adhuc primum Athenarum Tribunal, ejuſque Judices ſcientiæ laude atque meritis præſtantes ferebantur, ita ut Ciceronis ævo Romani quoque ſibi honori ducerent, ſi inter Areopagitas cenſerentur.

Locus, ubi congregabantur, erat ſuperior pars Civitatis prope Martis Templum. D. Spon in itineribus ſuis ait, fundamenta loci illius, ubi Areopagus habebatur, hemicycli ſpeciem referre, extructa ex quadratis lapidibus in adamantum cuſpidam excisis, aream ſuſtinentia paſſuum centum, & quadraginta longitudinis. Hoc ædificium aggeris altitudinem minime excedebat; medium aſſurgebat quoddam Tribunal in rupe exciſum, fortaſſe ubi Concilii Præſes ſederet: circum undique E vero ambiebatur ſedilibus in eadem rupe exciſis, ubi Senatores in ordinem ſedebant. Ita Areopagus non erat aula quædam, vel Templum; ſed area, & Platea, ubi Judices congregabantur. Ajunt, Areopagum

non-

1 Horat. *Sapiens uno minus eſt Jove*. 2 Senec. Epiſt. 73. Vide Grot. & Heinſ. & maxime Diogen. Laert. in Zenone, & Stanley. hiſt. Philoſoph. t. 2. pag. 617. & ſeq.
3 Ὁ σπερμολόγος, Harpocration. *Λέγεται τὸ μικρὸν ὀρνιθάριον ἀλλοιῶδες σπερμολόγος, ὀνομαζόμενον, ὡς ὄρνεον, ἀπὸ τοῦ τὰ σπέρματα ἀναλέγειν.* 4 Vide Euſtat. et Ulpian. apud Grot. hic. Vide et Ludov. de Dieu, & alios.
5 *Ξένων Δαιμονίων καταγγελεύς*, 6 Serv. in Æneid. 8. Vide & Diogen. Laert. in Socrat. lib. 2.
7 Vide Caſaubon. in Diogen. Laert. lib. 3.
8 Cicero in Verrem. *Apud omnes Græcos hic mos eſt, ut honorem hominibus habitum in monumentis hujuſmodi, nonnulla Religione Deorum conſecrari arbitrentur*.
9 Chryſoſtom. in Acta. Fromond. Baron. Cornel. alii. 10 Diogen. Laert. lib. 2. in Socrate.
11 Juſtin. Parænet. ad Græcos. 12 Harpocration, & Suidas in Εὐθύνη ſeqq.
13 Vide Pauſan. lib. 1. pag. 37. 52. Apollodor. lib. 3. pag. 197. Servius in Virgil. Georg. 1.
14 Apollodor. lib. 3. pag. 200. 15 Idem pag. 206.
16 Vide Plutarch. in Solone, & Marſham Can. Ægypt. ſæcul. 18. pag. 604. 605.

nonniſi noctu cogi conſueviſſe, ne Judicum oculi ad A miſerationem flecterentur eorum ſqualore, qui illos ad pietatem movere potuiſſent: oratoribus vero interdicta fuiſſe eloquentiæ artis ornamenta, ne Judices præverterent, & veritati officerent. Hoc autem S. Pauli ævo non amplius conſueverat.

℣. 21. ATHENIENSES AUTEM,] & advenæ, qui erant in ea Civitate, in id unum vacabant, ut nova vel nunciarent, vel audirent. Cum univerſa ea Civitas doctis viris, Philoſophis inertibus repleta eſſet, atque illuc undequaque curioſi, & advenæ appellerent, magis ibi quam uſpiam rerum novarum nuncia apperebantur. Docet experientia, maximas Civitates vulgo hoc morbo laborare. Hoc Romæ S. Hieronymus, Alexandriæ Philo, Pariſiis Lyranus exprobrant. Demoſthenes Athenas damnat, propter immodicam B rerum novarum audiendarum aviditatem. Theophraſtus in Charact. nobis reliquit imaginem eorum hominum, qui huic uni rei ſtudebant, quos Plutarchus ab hoc vitio avertere conatus eſt, illos corripiens.

℣. 22. PER OMNIA QUASI SUPERSTITIOSIORES.] Pietatis, & Religionis exceſſus in impietatem, atque ſuperſtitionem degenerat. Veteres omnes teſtantur, hoc Athenienſium ſtudium erga pietatem, & cultum cujuslibet generis Deorum. S. Paulus etiam illos hac de re quodammodo redarguit: ſed ita ſermonem inſtituit, ut ſibi neque Judices, neque Athenienſes debeant ſubiraſci. Græca vox [1], quæ vertitur *ſuperſtitioſiores*, in bonam æque, ac malam partem accipitur, & pro religioſo homine, & pro ſuperſtitioſo. S. Paulus ait, ſe illos videre nimis religioſos, & Deorum C cultui nimis deditos. Si peccatis, ea nimio pietatis exceſſo peccatis.

℣. 23. PRÆTERIENS & VIDENS SIMULACRA VESTRA [2],] vel objecta cultus veſtri, aras, delubra, ſigna veſtra. Græca vox generalis eſt: *inveni aram, cui inſcriptum eſt: Ignoto Deo*. Hæc ara certe vero Deo dicata non erat, neque ea fuerat mens Athenienſium: ſed inde S. Paulus arripit occaſionem, illis Deum verum, Deum Iſrael annunciandi, qui vere illis erat ignotus, & qui unus cultum, & adorationem illorum merebatur. De hac ara Deo ignoto dicata fuſius verba faciemus in peculiari Diſſertatione.

℣. 24. DEUS QUI FECIT MUNDUM.] Miram in modum, atque ſapienter novit S. Paulus ſe ſe aptare illis, quos alloquitur. Hoc in loco minime perſua- D dendum eſt Judæis, qui jam Dei exiſtentiam, Providentiam, mundi creationem, & liberatoris neceſſitatem intelligunt. Hoc agitur, ut Ethnicis, atque Philoſophis hæc veritas perſuadeatur. Primum rem agere inſtituit, quam plerique confitebantur: a Deo ſcilicet Mundum eſſe creatum: unde arguit, illum in manufactis hominum delubris non habitare. Illatio perſpicua eſt, atque neceſſaria. Quod continetur, minus eſſe debet continenti; Deus qui in Templo continetur, neceſſario minor eſt Templo: at Mundi creator recto major eſt mundo ipſo; ergo in Templo contineri non poteſt. Epicureus reſpondiſſet, Mundum caſus effectum fuiſſe, non Dei opus: ſed ea opinio apud Ethnicos ipſos adeo fidem amiſerat, ut illi impugnandæ S. Paulus minime moraretur, contrariam ſententiam E tamquam certiſſimam ſupponens. Concluſio vero, quam elicit, Philoſophis nequaquam fuit penitus ignota: Sapientiores enim crediderunt, Templa non pro Diis eſſe, ſed pro hominibus, & hominis cor verum eſſe Templum divinitatis [3]. *Non Templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis ſtruenda ſunt; in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore.*

℣. 25. NEC MANIBUS HUMANIS COLITUR.] Operibus videlicet manuum hominis, Fanis, Aris, Sta- A tuis, Sacrificiis. Deus horum omnium non indiget [4], neque materialis, neque corporeus, neque limitibus circumſcriptus, neque ſanguinis ſitiens, nec thymiamatum odore, vel muſices illecebra delectandus. Si noſtrum expetit famulatum, nos hoc illi debemus, licet illius ipſe minime egeat. Cultum ſpiritualem a nobis petit. Si corporea illi præſtamus officia, ideo præſtamus, quod anima agere minime poteſt, niſi per corpus; neque aliter nobis licet extrinſecus cordis noſtri ſenſum teſtari.

Textus ad litteram habet [5]: *Deus non colitur, ſed ſervitutem non excipit per manus hominum*. Quaſi Deus famulis indigeret, a quibus geſtaretur, indueretur, inungeretur, aleretur, purgaretur. Ethnici enim Diis ſuis pro omnibus vitæ neceſſitatibus miniſtros tri- B buebant, nec deerant populi, qui diis ſuis, & menſam in Templis inſtruerent [6], & conjuges ſuas eorum libidini proſtituerent [7]: quæ omnia incredibilia viderentur, niſi illa ex Ethnicis intelligeremus. *In Capitolium perveni*, inquit apud S. Auguſtinum l. 6. c. 10. de Civ. Seneca, *pudebit publicatæ dementiæ . . . alius horas Jovi nuntiat, alius lictor eſt, alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur ungentem. Sunt, quæ Jovi ac Minervæ capillos diſponant, longe a Templo, non tantum a ſimulacro ſtantes, digitos movent ornantium modo. Sunt, quæ ſpeculum teneant, ſunt qui ad vadimonia ſua Deos advocent, ſunt, qui libellos offerant, & illis cauſam ſuam doceant. Doctus archimimus ſenex jam decrepitus, quotidie in Capitolio mimum agebat, quaſi Dii libenter ſpectarent, quem homines deſie-* C *rant*. Hoc eſt, Deo per manus hominum inſervire.

℣. 26. FECITQUE EX UNO.] Græcus [8]: *naſci fecit ex uno ſanguine omne genus humanum*. Athenienſes, ad quos S. Paulus loquebatur, ſe patrii ſoli filios, atque indigenas ferebant, neque ex alio quovis populo originem duxiſſe gloriabantur: *Vetuſtas ea eſt*, ait Cicero in Orat. pro Flacco, *ut ipſa ex ſe ſe ſuos Cives genuiſſe dicatur; & eorum eadem terra parens, altrix, Patria dicatur*. Apoſtolus verbo chimæricam hanc evertit ſententiam, dicens, omnes homines ab unius ſanguine profectos eſſe, & unum omnium communem eſſe parentem. Addit etiam, *fecit inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*; ideoque perperam Athenienſes inter ſe, & externos injurioſum ſtatuebant diſcrimen [9]; nemo enim in aliqua terra externus eſt, quia terra o- D mnis data fuit incolenda a ſummo Domino, cui de eadem abſolute diſponendi jus eſt.

DEFINIENS STATUTA TEMPORA, & TERMINOS HABITATIONIS EORUM.] Deus ſtatuit ætatem, & diuturnitatem cujuſquam populi, atque terram ab illo incolendam [10]. Quaſi diceret: nequicquam originis veſtræ jactatis antiquitatem, regionis pulchritudinem, urbis, atque Reipublicæ diuturnam incolumitatem; hæc enim omnia ab eo, quem vobis enuntio, obtinuiſtis. Ipſe Creator veſter, & Creator illius, a quo ſumpſiſtis originem. Ipſe regionis veſtræ Dominus eſt: ipſe eam vobis ex mera tradidit miſericordia.

℣. 27. QUÆRERE DEUM, SI FORTE ATTRECTENT EUM.] Hoc eſt illius conſilium nos creantis, nobis vitam tribuentis, atque certam regionem incolendam E deſignantis. Vult, ut primum vacemus inquirendo, cognoſcendo, amando, atque illi inſerviendo. Totus hic S. Pauli ſermo arte, ac ſapientia refertus eſt. Athenienſes refellit, eorumque ſententias, quas maxime amabant, confutat; ita tamen, quin illos laceſſat, atque irritet. Dicit ſolum, nos omnes ex eadem progenie natos eſſe, & Deum ſingulis populis terram, quam incolunt, diſtribuiſſe. Minime veretur ſtatim eam impugnare ſententiam, quæ hactenus prævaluerat. Statim ac principium ejus admittitur, Athenienſium præ-

---

1 Κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ. Vide Grot. et Hammond. hic.
2 Τὰ σεβάσματα ὑμῶν. 3 Seneca Moral. Philoſoph. Lactant. lib. 6. cap. 25.
4 Euripid. Hercul. furente apud Grot. hic.
5 Οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται. 6 Dan. 14. Ariſtophan. Plut. act. 3. ſcen. 2.
7 Vide Joſeph Antiqu. lib. 18. cap. 4. de Paulina Romana, & Herodot. lib. 1. cap. 181.
8 Ἐξ ἑνὸς αἵματος. Vox αἵματος, in pluribus MSS. deeſt. 9 Vide, ſi placet, Ariſtid. Panathenaic. apud Priccæum hic ad verſ. 21. 10 Ita Sanct. Cornel. Grot. Fromond. alii.

præjudicium corruit, atque ex ſemetipſo intercidit. Quoniam apud doctos viros loquitur, prudenter eorum ingeniis utitur ad veritatem inſinuandam. Athenæ plenæ erant hominibus, qui vitam ſuam ratiocinando, & philoſophando impendebant. Ait illis, hoc primum eſſe, atque potiſſimum hominis negotium. A Creatore homines fuiſſe creatos, ut quærant Deum, *ſi forte attrectent eum, aut inveniant*: quæ loquendi ratio ſatis exprimit Philoſophorum conatus, ut ad veram, ſolidamque cognitionem pervenirent. Sed addit, *quamvis non longe ſit ab unoquoque noſtrum*, quod quæ timet ſæpe illum non invenimus, vel quod non bene quærimus, vel quod ibi quærimus, ubi non eſt. Quid reliquum erat, quod diceret? niſi; vobis oſtendam, ubi eſt. Et ſane eo uſque ſuum auditorem adducit. Ciet illius curioſitatem, eamque jucunde allicit, ſpem offerens illi oſtendendi breviorem viam, qua ad finem in omnibus ſtudiis ſibi propoſitum facilius perveniat.

QUAMVIS NON LONGE SIT AB UNOQUOQUE NOSTRUM. ℣. 28. IN IPSO ENIM VIVIMUS, &c.] Hæc omnia cognita jam fuerant a Philoſophia celeberrimis, neque poterant non maxime valerent apud Judices Areopagi, qui omnes eruditi erant viri, atque optimis Philoſophiæ præceptis imbuti. Vetuſtiſſimum quoddam oraculum fuerat [1]: *omnia Deo plena ſunt; Deus ſe ſe prodit ubique*. Deus, ait Seneca epiſt. 41. *prope te eſt; tecum eſt, intus eſt*; quam ſententiam ex ipſo Zenone Stoicorum duce didicerat [2]. In Deo, & per Deum vitam habemus. Ille nobis rationabilem animam, motum, actionem, vitam, ſenſum, & ipſum eſſe tribuit. Ille nos creavit, ille nos tuetur, ille unicus eſt fons exiſtentiæ, & operationum animarum noſtrarum, noſtrorumque corporum. Hæ veritates in ſimplici reſpective Creaturæ, & Creatoris notione continentur.

SICUT ET QUIDAM VESTRORUM POETARUM.] Poetæ quidem erant quodammodo Ethnicæ Religionis Prophetæ. Illi Deorum geneſim, ac præcipuas eorumdem cultus cæremonias ſervabant. S. Paulus hoc in loco Aratum profert, qui concivis Poeta ſuus fuerat, qui & ipſe ex Cilicia ducebat originem. Hic eſt totus hujus Scriptoris locus [3]: *Ab Jove incipiendum eſt, cujus oblivisci nefas eſt. Omnia Jovis ſunt plena. Ille vias, Plateas, & hominum cœtus replet. Maria omnia, & portus Jove plena ſunt, & ubique Jove indigemus.* S. Paulus iſthic falſum Deum Jovem minime celebrat, neque illi aliquam tribuit realitatem. Nomen illius pro Dei nomine uſurpat, quemadmodum conſueverat cum Ethnicis, coram quibus loquebatur; atque in illos ex propriis eorumdem principiis argumentum contorquet. Si verum eſt, Jovem Deum eſſe ubique, & nos jugiter indigere influxu, & concurſu illius, ut exiſtamus, vivamus, ſubſiſtamus. Deus igitur corporalis non eſt, non abeſt e nobis, & iis rebus afficitur, quæ ad nos pertinent. Si erga Deum ſumus id, quod cenſet Aratus; qua obſervantia, quo amore, quo grati animi ſenſu e nobis colendus eſt? Lucanus etiam hoc ipſum ferme dicebat l. 9. Pharſal.

Jupiter eſt quodcumque vides, quocumque moveris.

Et item:

. . . . *Jovis omnia plena.*

Stoici, atque Platonici aſſerebant, Mundi animam eſſe ipſum Deum, Creaturis omnibus vitam, eſſentiam, & motum conferentem. Eorum ſententiæ opti-

A mum poteſt ſeorſum admittere; verum eſt enim, Deum eſſe verum omnium principium; et ſi corporali, atque diviſibili ratione intelligatur, ita ut Deus per partes in creatis rebus diviſus ſit, quemadmodum nonnumquam Poetæ innuere velle videntur; hoc Deo injurium erit, & nullo pacto probari poterit. Virgilius Georg. 4.

. . . . . *Deum namque ire per omnes,*
Terraſque, tractuſque maris, Cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

S. Pauli exemplum iſthic prophanum Auctorem, Ethnicumque Poetam proferentis non probare poſſe videtur, qui in ſcriptis ſuis, ubi de rebus ad Religionem ſpectantibus agunt, Auctorum, quos Eccleſia B damnavit, utuntur teſtimonio. Id facere nonnumquam cogimur ipſa cauſæ noſtræ utilitate, & veritatis hoſtes propriis illorum armis confodiamus, quemadmodum egregie hoc in loco præſtitit S. Paulus. Veritas ipſa in ore Ethnici, vel Hæretici fit mendacium; eaque de captivitate quodammodo eruitur, ubi in lucem ſuam profertur, atque ad errorem evertendum impenditur. Auctor eſt S. Clemens Alexandrinus l. 6. Strom. S. Paulum ſuaſiſſe, ut nonnumquam Ethnicorum libri legerentur, inter cæteros vero Sybillæ, atque Hyſtaſpis, & illius ſermonem quemdam hac de re adfert. Verum a fide non abhorret, S. Clementem, qui nonnumquam libris parum certis habebat fidem, hoc ex pravo quodam fonte hauſiſſe; & eos, qui commentitia Sybillarum, atque Hyſtaſpis ſcripta concio- C nati ſunt, hanc etiam fabulam, & hunc S. Pauli ſermonem fuiſſe commentos, ut operi ſuo famam conciliarent.

℣. 29. GENUS ERGO CUM SIMUS DEI.] Si nos qui Creaturæ tantum ſumus, & qui, ut Poeta veſter locutus eſt, genus Dei; ducimus tamen nos auro, & argento nec non perfectiſſimis quibuſque materialibus imaginibus eſſe præſtantiores, quid porro de ipſa Divinitate erit exiſtimandum? Non ne injuriam illi infert, qui credit ſatis digne ſub imagine corporea exhiberi poſſe, & aſſerit, illam hujuſmodi figuris adnexam permanere? Ethnici enim doctiores minime credebant, materialem Idolum eſſe Deum, ſed Dei tantum imaginem; populus vero arbitrabatur divinitatem in ſimulachris habitare, quæ colebat, & venerabatur: atque ut pluri- D mum opinabatur, Deos ſimiles eſſe imaginibus, quibus exhibebantur, ideoque illos corporeos eſſe credebat. S. Pauli argumentum illuc tendit, ut oſtendat, quam ridiculum ſit numen corporeum, atque apud Areopagitas tener, Deum hominum Creatorem, neque corporeum eſſe, neque ſub ſenſibili forma poſſe exhiberi. Deus corporeus non poteſt eſſe auctor hominis rationalis, qui ex corpore, & anima conſtat, & qui credit, ſe toto Cœlo ea omnia ſuperare, quæ magis pretioſa habentur in terris. Marmor, aurum, & argentum, licet ſumma artificis cura elaborata, numquam exhibere hominem potuerunt niſi imperfectiſſime, idque ſolum ſecundum alteram hominis partem, quæ minus eſt, & magis rudis; igitur potiori jure non poterit homo ſub corporea imagine exhibere divi- E nitatem.

℣. 30. TEMPORA HUJUS IGNORANTIÆ DESPICIENS DEUS [5].] Deus iratus in hæc tempora ignorantiæ. Hactenus Deus neglexit quodammodo, atque contempſit hæc cæcitatis, & ignorantiæ tempora, quibus natio-

1 Oracul. apud Porpyr. Πάντα Θεοῦ πλήρη, πάντη Θεὸς ἐγγὺς φαείνει. 2 Zeno apud Laert.
3 Arati Phenomen. apud Hieronym. in Epiſt. ad Tit. 1. & Tull. lib. 2. de nat. Deorum.
4 Ovid. de Ponto lib. 2. Eleg. 8.

Felices illi, qui non ſimulacra, ſed ipſos
Quique Deum coram corpora vera vident.
Quod quoniam nobis invidit inutile fatum
Quos dedit ars vultus effigiemque colo.
Sic homines novere Deos quos arduus Æther,
Occulit, & colitur pro Jove forma Jovis.

Arnob. lib. 6. *Simulacra hæc omnia ſuperiorum ſunt imagines numinum. Ergo & in Cœlo habitare dicendus eſt Deus talis, ad cujus formam, & ſpeciem ſimulacri hujus ſimilitudo directa eſt.*
5 Τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδών.

nationes omnes Idolorum cultui erant mancipatæ. Paſſus eſt, illas ſequi vias ſuas [1], atque errare in cogitationibus ſuis. Nunc vero incœpit miſericordiæ ſuæ oculos in illas convertere. Illis pœnitentiam jubet annunciari, eas hortatur, ut errorem abjiciant, & ad ipſum revertantur [2]. Græcum ita vertunt nonnulli [3]. *Diſſimulans Deus hujus ignorantiæ tempora*. Quin præteriti temporis rationem habeat, vult vos ad ſe revocare, & vobis pœnitentiæ gratiam concedere. Ludovicus de Dieu ita vertit: *Deus iratus &c.* quam ſignificationem nonnumquam Græce vox in Scripturis admittit [4].

℣. 31. EO QUOD STATUIT DIEM, IN QUO JUDICATURUS EST &c.] Hoc præcedentibus ſubnectendum eſt. Irritatus Deus contra Idololatras populos, illos hodie ad pœnitentiam revocat, eiſque univerſale minitatur judicium, in quo per JESUM CHRISTUM, quem omnium mortalium Judicem conſtituit, univerſum terrarum orbem eſt judicaturus. S. Paulus poſtquam Areopagitis oſtendit Idololatriæ vanitatem, eos terret divini Judicii adſpectu, quemadmodum aliae [5] eadem conſideratione Felicem Præſidem deterruit. Sin autem ſequaris eam verſionem, quæ ſuperiori ℣. ita legit: cum neglexiſſet, vel diſſimulaſſet Deus vetera illa ignorantiæ tempora &c. hoc ita eſt intelligendum: poſtquam diu gentium errores diſſimulavit, illas tandem ad pœnitentiam revocavit Deus; quoniam Judicii die in illas ſeveritate ſua eſt uſurus, quarum Judicem JESUM CHRISTUM Filium ſuum conſtituit &c. Poſtquam hic Judex in terram venit, illas ad pœnitentiam evocare dignatus eſt, atque tempus eſt ut illæ tandem ad id ſerio animum advertant.

IN VIRO, IN QUO STATUIT &c.] in JESU CHRISTO, qui a Patre poteſtatem accepit omnem terrarum orbem judicandi: *dedit poteſtatem Filio judicium facere, quia Filius hominis eſt*. Joan. 5. 27. Salvatorem hominem dumtaxat appellat, eo quod auditores divinitatem illius minime intelligere poterant [6]; neque margaritas ante porcos projicere volebat. Cæterum JESUS CHRISTUS Judicium ſuum ſub humana forma debet exercere, tamquam Eccleſiæ ſuæ caput [7]. Addit S. Paulus; *fidem præbens omnibus* circa ea, quæ de Judicio a JESU CHRISTO exercendo dixit, *ſuſcitans eum a mortuis*. Et ſane hoc argumentum ex JESU CHRISTI

A Reſurrectione deſumptum eximium eſt, atque excellens, quo omnes Fidei noſtræ articuli, & omnia doctrinæ JESU CHRISTI capita confirmantur. Si JESUS CHRISTUS reſurrexit, Meſſias eſt, Filius Dei, Deus, Judex viventium, & mortuorum; ipſe enim nobis has omnes veritates revelavit, atque ad eas comprobandas ex mortuis reſurrexit.

℣. 32. QUIDAM IRRIDEBANT.] Hi procoldubio erant Epicurei, qui animæ immortalitatem negabant. Platonici, Stoici, aliique Philoſophi licet Reſurrectionem minime crederent eo modo, quo Hebræi, hæc tamen eorum principiis minus adverſabatur. Stoici igitur, & Platonici [8] fortaſſe dixerunt: *audiemus te de hoc iterum*.

℣ 34. DIONYSIUS AREOPAGITA,] unus ex Judi-
B cibus, vel Senatoribus, coram quibus S. Paulus loquebatur. Putant quidam [9], illum Principem, vel Præſidem fuiſſe Areopagi. Auctor Dialogorum, quæ S. Cæſario fratri S. Gregorii Nazianzeni tribuuntur q. quæſt. 112. putat, illum ex origine Thracem fuiſſe: at longe fidei propius videtur, illum fuiſſe Athenienſem, quemadmodum S. Joannes Chryſoſtomus l. 4. de Sacerd. c. 7. teſtatur. Hic fuit primus Athenarum Epiſcopus, quemadmodum liquet ex S. Dionyſio Corinthio [10], qui vivebat ſub annum JESU CHRISTI 170. Conſtitutiones Apoſtolicæ l. 7. c. 46. & Græca, atque Latina Martyrologia illum a S. Paulo ad hanc dignitatem provectum ferentur. Martyrologia Uſuardi, & Adonis ex Ariſtidis Apologia dicunt, illum vitam, ſuam glorioſo martyrio coronaſſe. Inquiunt Græ-
C ci [11], hunc flammis addictum fuiſſe, & Domitiano Imperante hoc accidiſſe putant. Græci vero recentiores perperam illum confundunt cum S. Dionyſio Pariſienſi, qui ſub Decio martyrii palmam obtinuit. Hilduinus S. Dionyſii Abbas complura edidit miracula, & plures S. Pauli ſermones, quos habuit Athenis, ad S. Dionyſii converſionem ſpectantes [12]; ſed hæc omnia nullius ferme ſunt auctoritatis.

ET MULIER NOMINE DAMARIS.] SS. Johannes Chryſoſtomus l. 4. de Sacerd. c. 7. & Aſterius orat. 8. credunt, hanc S. Dionyſii conjugem fuiſſe. Putat Grotius pro *Damari* legendam eſſe *Damalim*, quod mulieris nomen eſt, *Vitulam* ſignificans. Poſtrema hæc verba in Veteri Cantabrigienſi MS. non extant.

1 Act. 14. 15. *Dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*. 2 Sanct. Cornel. Fromond.
3 Grot. Tirin. Hammond. Eraſm. Vatab. Sanct. Piſc. alii. 4 Vide Deut. 3. 26. Pſal. 77. 32.
5 Act. 24. 25. 6 Fromond. Origen. Tract. t. in Matth.
7 Auguſt. ſerm. 214. n. 9. in nov. edit. p. 947. nunc primum edito. Vide & ſerm. 127. olim 64. de verbis Domini, c. 7. n. 10. 8 Vide, ſi placet, Clem. Alex. lib. 5. Stromat. Origen. lib. 4. contra Celſ. Diogen. Laert. in Theopompo. Grot. de verit. Rel. Chriſt. l. 2. art. 10. & not.
9 Aſterius orat. 8. Cornel. Menoch. 10 Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 3. c. 4. & lib. 4. c. 23.
11 Men. 3. Octobr. 12 Vide apud Sur. 9. Octobr.

CAPUT XVIII.

S. Paulus Corinthi. Manibus ſuis laborat. Judæos relinquit, ut Gentiles erudiat. Ad Proconſulem adducitur. Syriam petit; inde Jeroſolymam, mox Galatiam, & Phrygiam. Apollo a Priſcilla, & Aquila inſtruitur.

1. POſt hæc egreſſus ab Athenis, venit Corinthum: 2 Et inveniens quem-
dam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Ita-
lia, & Priſcillam uxorem ejus (eo quod præcepiſſet Claudius diſcedere
omnes Judæos a Roma) acceſſit ad eos. 3 Et quia ejuſdem erat artis, mane-
bat apud eos, & operabatur (erant autem ſcenofactoriæ artis) 4 Et diſputabat
in ſynagoga per omne ſabbathum, interponens nomen Domini Jeſu, ſuadebatque
Judæis,

Judæis, & Græcis. 5 Cum veniſſent autem de Macedonia Silas, & Timotheus, inſtabat verbo Paulus, teſtificans Judæis eſſe Chriſtum Jeſum. 6 Contradicentibus autem eis, & blaſphemantibus, excutiens veſtimenta ſua, dixit ad eos: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego ex hoc ad Gentes vadam. 7 Et migrans inde, intravit in domum cujuſdam, nomine Titi Juſti, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta ſynagogæ. 8 Criſpus autem archiſynagogus credidit Domino cum omni domo ſua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur. 9 Dixit autem Dominus nocte per viſionem Paulo: Noli timere, ſed loquere, & ne taceas. 10 Propter quod ego ſum tecum: & nemo apponetur tibi, ut noceat te: quoniam populus eſt mihi multus in hac civitate. 11 Sedit autem ibi annum, & ſex menſes, docens apud eos verbum Dei. 12 Gallione autem proconſule Achajæ, inſurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, 13 Dicentes: Quia contra legem hic perſuadet hominibus colere Deum. 14 Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judæos: Si quidem eſſet iniquum aliquid, aut facinus peſſimum, o viri Judæi, recte vos ſuſtinerem. 15 Si vero quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus, & lege veſtra, vos ipſi videritis: Judex ego horum nolo eſſe. 16 Et minavit eos a tribunali. 17 Apprehendentes autem omnes Soſthenem principem ſynagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat. 18 Paulus vero cum adhuc ſuſtinuiſſet dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam (& cum eo Priſcilla, & Aquila) qui ſibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum. 19 Devenitque Epheſum, & illos ibi reliquit. Ipſe vero ingreſſus ſynagogam, diſputabat cum Judæis. 20 Rogantibus autem eis, ut ampliori tempore maneret, non conſenſit, 21 Sed valefaciens & dicens, iterum revertar ad vos, Deo volente, profectus eſt ab Epheſo. 22 Et deſcendens Cæſaream, aſcendit, & ſalutavit Eccleſiam, & deſcendit Antiochiam. 23 Et facto ibi aliquanto tempore profectus eſt, perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes diſcipulos. 24 Judæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Epheſum, potens in ſcripturis. 25 Hic erat edoctus viam Domini: & fervens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt Jeſu, ſciens tantum baptiſma Joannis. 26 Hic ergo cœpit fiducialiter agere in ſynagoga. Quem cum audiſſent Priſcilla, & Aquila, aſſumpſerunt eum, & diligentius expoſuerunt ei viam Domini. 27 Cum autem vellet ire Achajam, exhortati fratres, ſcripſerunt diſcipulis, ut ſuſciperent eum. Qui cum veniſſet, contulit multum his, qui crediderant. 28 Vehementer enim Judæos revincebat publice, oſtendens per Scripturas, eſſe Chriſtum Jeſum.

℣. 1. VENIT CORINTHUM.] Non ſatis liquet A quandiu S. Paulus Athenis permanſerit, ſed non potuit ibi minus quam tres menſes permanſiſſe. Opus erat, ut Theſſalonicenſes, qui eum illuc adduxerant, domum reverterentur, & Timotheus Theſſalonica Athenas veniret, & Athenis Theſſalonicam reverteretur, atque S. Paulum ſolum relinqueret [1], fortaſſe quod Silas venire non potuerat. Apoſtolus ſæpius ad Judæos, atque Philoſophos Athenarum locutus, videns neutros ex præceptis ſuis fructum percipere, atque Evangelium ea in Civitate non ſatis proficere, inde egreſſus eſt, ut ſe conferret Corinthum. Athenienſes, quemadmodum S. Chryſoſtomus in Acta hom. 39. animadvertit [2], mirum in modum optabant res novas audire, quæ ad Religionem, Theologiam, & Philoſophiam pertine- B nent. Quidquid novum erat, atque inauditum, eos voluptate afficiebat; non ita tamen, ut illos converteret. Cum enim aſſueti eſſent de qualibet re diſceptando, maxime ſeria Religionis argumenta tamquam Philoſophica ſcita pertractabant [3], ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.

Corinthus ſita ad Iſthmum, Peloponneſum inter & Atticam, caput erat Achajæ, vel Peloponneſi, celeberrima propter duplicem portum, atque ſuam cum duplici mari negotiationem, cum Jonio ſcilicet per Lechæum portum in ſinu Criſſæo ſitum, cum Ægæo vero per portum Cenchræum in ſinu Saronico [4]. Hanc Romani jam everterant tempore belli Achaici: ſed Julius Cæſar illam ex ruderibus excitavit; eaque brevi inter pulcherrimas Urbes Græciæ fuit adnumerata. Urbs hæc Athenas mercibus, non ſcientiis ſuperabat, habebat tamen plurimos Oratores, atque Philoſophos, & Græcarum Civitatum una maxime libidini atque voluptatibus dedita ferebatur.

℣. 2. INVENIT JUDÆUM NOMINE AQUILAM.] Aquila in Ponto natus Romæ ſedem ſuam collocaverat, ubi victum ſibi quæritabat arte ſua, Tabernaculorum ſcilicet conficiendorum. Inde una cum aliis Judæis ab Imperatore Claudio ejectus fuit [5] per occaſionem tumultus, quem ibi ciebant Judæi, *impulſore Chreſto*, inquit Suetonius. Non ambigimus, quo minus hic *Chreſtus* ſit JESUS CHRISTUS; nam Ethnici illum ſæpius hoc nomine appellabant, quemadmodum *Chreſtianos* dicebant, & quominus Judæi, qui pertinaces mordicus in ſententia ſua permanebant, in Urbe

1 Vide 1. Theſſal. 3. 1. 2. 5. 2 2. Timot. 3. 7. 3 Vide Strabo. lib. 8. p. 262.
4 Sueton. lib. 5. c. 25. in Claudio. *Judæos impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expulit.*

Roma magnos exciverint tumultus contra fratres ſuos, A & contra Gentiles, qui Chriſtianæ Religioni nomina dabant. S. Paulus mox Aquilæ domum reliquit, ut apud Juſtum prope Synagogam incoleret. Aquila quidem Judæus erat converſus; Juſtus vero Ethnicus, ſed qui fidem amplexus fuerat. S. Paulus duodeviginti menſes Corinthi permanſit, unde egreſſus, ut Jeroſolymam ſe ſe conferret, comites habuit Aquilam, & Priſcillam, a quibus primum hoſpitio fuerat exceptus [1]. Simul Epheſum pervenerunt, ubi illos S. Paulus reliquit, ut Evangelium prædicarent, & fideles, qui ibi jam aderant, confirmarent. Illi huic ea in Civitate præclara præſtiterunt officia eouſque, ut caput pro Pauli vita, quemadmodum ipſe teſtatur, in diſcrimen adduxerint [2]. Illi Romam jam redierant, cum Apoſtolus ſcripſit Epiſtolam ad Romanos [3]; quoniam B ibi eiſdem præclaris cum laudibus ſalutem dicit. Denique in Aſiam jam fuerant reverſi, cum S. Paulus alteram ſcripſit ad Timotheum epiſtolam, ubi eum rogat, ut verbis ſuis illos ſalvere jubeat [4]. Ibi etiam ad mortem uſque permanſiſſe creduntur; quoniam Romana Martyrologia illos ibi die octava Julii martyrio coronatos teſtantur. Priſcilla nonnumquam *Priſca* etiam vocatur. Congeſſimus autem in unum locum ea omnia, quæ ad illuſtres hos ſanctiſſimoſque conjuges ſpectant, ne ſæpius de iiſdem verba facere teneremur.

℣. 3. QUIA EJUSDEM ERAT ARTIS,] ac Aquila, apud quem permanebat. Non ſatis conſentiunt Critici, quænam fuerit S. Pauli ars: aſſerentibus aliis, illum artificem fuiſſe tabernaculorum [5] ſeu tentoriorum pro militibus, aut viatoribus, quæ ex pellibus, aut lana fiebant, & C quibus Veteres utebantur. S. Johannes Chryſoſtomus in 2. Tim. hom. 4. atque Theodoretus Græcar. affect. L. 1. illum corii ſectorem appellant. Alii [6] putant illum tapetes, vel magna aulæa, aut cortinas confeciſſe, quibus ad theatra præcipue exornanda utebantur. Judæi olim, ipſi etiam litterati, vulgo arti alicui vacabant, ut victum ſibi compararent, ne alicui graves eſſent. Doctores inter prima Patris erga filios officia recenſent, efficere, ut liberi aliqua arte imbuantur. Et Rabbinus Juda ait, Patrem, qui hoc erga Filium ſuum munus non expleat, perinde notum eſſe, ac ſi eum ſuffurari doceat. In numero doctorum virorum apud illos occurrunt coriarii, ſutores, Sarcinatores, Piſtores, Amanuenſes. Rabbinus Juſe erat Coriarius, Rabbinus Juda Piſtor, Rabbinus Jo- D chanan ſutor. Hujuſmodi artes, quæ a nobis humiles, & contemptibiles habentur, non ita ab illis cenſebantur [7]; & ſane humilitatis idea, quam mortales de iis artibus conceperunt, merus eſt vanitatis, & opinionis effectus: re enim ipſa nulla ars turpis eſt [8], niſi virtuti, pudori, vel utilitati proximorum adverſetur. Putat S. Auguſtinus tract. 120. in Joan. n. 3. S. Paulum Tabernaculorum conficiendorum artem didiciſſe, poſtquam ad Apoſtolatum evocatus fuit, ne gravis eſſet illis, quibus prædicabat Evangelium. De opere vero Monach. c. 13. loquitur, quaſi ignoraſſet, vel ſaltem dicere noluiſſet, quam artem S. Paulus exerceret; eique ſufficit aſſerere, illum nihil niſi bonum atque utile feciſſe.

℣. 4. SUADEBAT JUDÆIS, & GRÆCIS,] vel po- E tius Judæis, atque Ethnicis, vel Proſelytis, illis videlicet ex Gentilibus, qui Deum verebantur, & qui aderant in Synagoga, ſalutis verbum audituri. S. Paulus primus eſt, qui Corinthi fidem plantaverit [9], & ipſe ait, Deum prædicationem ipſius plurimis illuſtraſſe miraculis [10]. Ibi convertit Stephanam, vel Stephanum, & domum ejus, quam Achajæ primitias appellat [11]; eos autem baptizavit una cum Criſpo, & Cajo [12]; non enim miſſus erat ad baptizandum ſed ad prædicandum.

℣. 5. CUM VENISSENT SILAS, & TIMOTHEUS.] Vidimus ſupra, S. Paulum ab illis recedere coactum fuiſſe, cum præcipitem arripere fugam debuit, ut Judæorum vim evitaret [13]. Cum Timotheus Athenas veniſſet, S. Paulus illum iterum Theſſalonicam miſerat [14], ratus, eam Eccleſiam præſentia illius magis quam ipſe ejuſdem ope indigere; licet tum maxime indigeret eadem, prout res ſe tunc habebat. Denique Silas, atque Timotheus Theſſalonica reverſi, illum Corinthum convenerunt, quorum adventus eum lætitia ſumma affecit, quod illi narrarunt ſtatum Eccleſiæ Theſſalonicenſis, de quo ſummopere ſollicitus erat. Primam ex epiſtolis illius ad ejus Eccleſiæ fideles ſcripſit paulo poſt Timothei reditum. Hæc enim prima eſt Epiſtolarum S. Pauli; altera vero ad eamdem Eccleſiam data, paulo poſt priorem ſcripta fuit, cum adhuc S. Paulus eſſet Corinthi: eaque eſt nominibus Silæ, & Timothei, una cum nomine S. Pauli non ſecus ac ſuperior, inſcripta.

Deinceps Scripturæ non meminit amplius *Silæ*. Latina martyrologia illius diem feſtum colunt die 13. Julii. Ado inquit, illum in Macedonia obiiſſe, atque per martyrium ex humanis deceſſiſſe, videtur innuere. Græci illius memoriam peragunt die 30. Julii eumque Apoſtoli nomine dignantur, quod illi tribuitur etiam, & a martyrologiis Uſuardi, & Adonis, & a quibuſdam Galliarum Eccleſiis. Immo fatendum eſt, poſt S. Barnabam neminem ex his diſcipulis dignitatis hujus nomen melius fuiſſe promeritum. Non deſunt, qui ad Silam referant, quod a S. Paulo dicitur ad Corinthios: *miſimus etiam cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias, non ſolum autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ.* 2. Cor. 8. 18. Sed hoc de S. Luca a pluribus intelligitur.

INSTABAT PAULUS.] Græcus [15]: coarctabatur quodammodo, & vim patiebatur propter Spiritum Sanctum, qui illum urgebat, atque excitabat; ſimilis homini, qui vehementi animi perturbatione agitatus ſe ſe cohibere non poteſt. S. Paulum intus urebant, & zelus, & cupiditas, fratres ſuos ad Dominum revocandi; at dolore conficiebatur, quod inutilem operam navaret, atque inveniret corda obdurata, & gratiæ, atque verbo Dei obſtructa.

℣. 6. EXCUTIENS VESTIMENTA SUA.] Judæos reliquit, tunc ſolum, cum ad frugem revocari non poſſe intellexit. Tunc excuſſit veſtimenta ſua ſuper illos ſymbolico hoc facto innuens nullam amplius cum illis inire velle conſuetudinem juxta ea JESU CHRISTI verba [16]: *quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel Civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris.* Apoſtolus addit: *ſanguis veſter ſuper caput veſtrum.* Si in interitum ruitis, vobis metipſis iraſcimini. Vos admonui, vos edocui, vos adhortatus ſum; video jam in vos ultionem Domini ingruentem. Clamavi, tuba perſonui, commonefeci; ſi vobiſmetipſis non conſulitis, & decidit gladius in capita veſtra, ſuper vos erit ſanguis veſter [17].

℣. 7. MIGRANS INDE] ex domo Aquilæ, ubi antea commorabatur [18], ſe ſe contulit apud Ethnicum quemdam Chriſtianæ Religioni initiatum, nomine *Titi Juſti, cujus domus erat conjuncta Synagogæ*; quaſi innuere vellet, ſe invitum relinquere fratres ſuos, paratum ſemper, ut illis opitularetur. Græcus typis editus *Juſti* dumtaxat legit, non autem *Titi*; Syriaca vero legit *Titi*, non autem *Juſti*. MSS. quidam, Cophtus, & Arabs cum Vulgata legunt *Titi Juſti*, vel *Titum Juſti filium*. Vetus Cantabrigienſis MS.

---

1 Infra verſ. 18. 2 Rom. 16. 4. 3 Rom. 16. 3. 5. 4 2. Tim. 4. 19
5 Ἦσαν σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην. *Conficere tabernacula*, ſeu *tentoria*. Vat. Grot. Eraſm. Zeger. Ita PP. & alii paſſim. 6 Vide Eraſm. Camer. Vatab. Eſt. *Conficiebat aulæa.*
7 Vide Druſ. Grot. Ligfoot. Rab. Abrab. Zachus lib. Juchaſim. Sanct. Cornel. Baron.
8 Heſiod. Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος. 9 1. Cor. 3. 6. 10. 10 2. Cor. 12. 12.
11 1. Cor. 16. 15. 12 1. Cor. 1. 14. 16. 13 Act. 17. 9. 10.
14 Theſſal. 3. 1. 2. 5. 15 Συνείχετο τῷ πνεύματι. *Coarctabatur*, *conſtringebatur*, *angebatur Spiritu*
16 Matth. 10. 14. Luc. 10. 11. 17 Ezech. 33. 3. 4. Vide pariter 2 Reg. 1. 16 Matt. 27. 25.
18 Chryſoſt. homil. 39. in Acta Fromond. alii.

Digitized by Google

ſisMS. vetuſto charactere legit *Titi*, vel *Titii*; ſed charactere quodam recentiore additum fuit *Juſti*. Dominus Millius credit, *Juſti* gloſſema eſſe, quod ex margine in textum migravit. Putat S. Johannes Chryſoſtomus in Ep. ad Tit. 1. Titum, ad quem ſcripſit S. Paulus, eumdem eſſe ac illum, qui hic memoratur. Neque aliter ſenſit Grotius [1]: ſed oppoſitam ſententiam omnes fere amplectuntur. Ex hiſtoria nihil didicimus de hoc Tito Corinthio.

℣. 8. Crispus autem Archisynagogus.] Archiſynagogus præerat in populi cœtu, legem interpretabatur, licita ab illicitis ſecernebat, inobedientes mulctabat, rebelles excommunicabat, celebrabat conjugia, declarabat divortia, eodem ferme pacto, quo hodierna die apud Judæos *Chacham-Rab* Magiſter ſapiens [2]. Criſpus dicitur [3] a S. Paulo creatus fuiſſe Epiſcopus Inſulæ Eginæ prope Athenas, ejuſque feſtivitatem quarto nonas octobris veneratur Eccleſia.

Multi Corinthiorum.] Novimus Stephanam, Cajum, Juſtum, vel Titum, & fortaſſe Soſthenem, & Epænetum, qui Corinthi converſi ſunt. At videtur S. Lucas hic præſertim innuere velle Gentiles, qui fidem amplexi ſunt, poſtquam a Judæis S. Paulus receſſit.

℣. 10. Nemo apponetur tibi.] Græcus [4]: *nemo injiciet manum* [5] *in te, ut tibi noceat*; vel nemo inimicis tuis adhærebit, ut te lædat; nam quodcumque illi admitantur, *populus eſt mihi multus in hac Civitate*. Irriti non erunt labores tui, plurimos Corinthi convertes.

℣. 11. Annum & sex menses.] Corinthi, vel in finibus illius permanſit; non enim fidei conſonum eſt, illum totum hoc temporis ſpatium impendiſſe in Urbe prædicantem. Aderat & in Cenchris Eccleſia portu Corinthiaco, nam S. Paulus ſeu in hoc, ſeu in alio itinere, hoſpitio exceptus fuit a Phœbe, Eccleſiæ illius Diaconiſſa [6]: & ſecunda ad Corinthios epiſtola, ad Corinthios ſimul, & omnes Achajæ Fideles data eſt [7].

℣. 12. Gallione autem Proconsule Achajæ.] Ad Proconſulis hujus Tribunal a Judæis S. Paulus adductus fuit. Hoc accidit ſub finem duodevigeſimi menſis, quo S. Paulus Corinthi permanſit, anno 53. Jesu Christi. Gallio Proconſul, vel Præſes Achajæ frater erat Senecæ Philoſophi, qui Præceptor erat Neronis. Primum illius nomen fuerat *Marcus Annæus Novatus*; ſed cum per adoptionem ingreſſus eſſet in familiam Gallionis a Tiberio in exilium ejecti, nomen induerat *Lucius Junius Gallio*, eratque vir ſuavis, atque jucundus [8]; & ad eum frater Seneca libros ſuos de ira dedicavit. Hic fraternæ calamitatis particeps fuit, quemadmodum, & gratiæ fuerat; atque Neronis juſſu una cum fratribus fuit interfectus. Corinthus cum totius Achajæ eſſet Metropolis, ibi Gallio ut plurimum ſedebat. Judæi irritati, quod a Paulo derelicti fuiſſent, qui plurimos jam Ethnicorum converterat, illum ad Gallionis Tribunal arripuerunt, eum accuſantes, *quia contra Legem his perſuadet hominibus colere Deum*. In Provinciis Judæi minime illud jus obtinebant, quod in Judæa, in illos ſcilicet animadvertendi, qui leges infringerent. Si enim hoc illis Corinthi jus fuiſſet; profecto S. Paulum in Synagoga damnaſſent, & ſupplicio affeciſſent.

℣. 13. Contra Legem.] Permiſerant Imperatores, ut Judæi ſecundum Moyſis Leges vitam traducerent. Accuſabatur S. Paulus, quod neque ſecundum Moyſis, neque ſecundum Romanas Leges viveret, namque Judæus eſſet, neque Gentilis, & complures ſibi

A ſimiles diſcipulos colligeret. Hi Judæi non ſunt, quoniam circumciſionem minime recipiunt, & Legis cæremonias non obſervant: non Ethnici, quia Idolorum cultum perhorreſcunt. Nulla eſt Lex, qua talis Religio probetur.

℣. 15. Si quæstiones sunt de Lege vestra,] nolo de illis judicare; non enim Judex conſtitutus ſum, ut hujuſmodi cauſam cognoſcam. Permittebant quidem Imperatores Judæis, ut ſecundum ſuas Leges vivant; non prohibent vero, ne alii, ſinguli propriam Religionem ſequantur. Si Paulus reus eſt, quod Judæus non eſt, Leges hoc reſas non citant. Profecto nullum adhuc contra Chriſtianam Religionem edictum emanaverat; & Leges, quibus novæ Religiones damnabantur, varias ejuſdem Religionis ſectas non reſpuebant. Chriſtiana Religio una cum Judaica permiſſa
B cenſebatur, cujus nonniſi tamquam reformatio, aut ſpecies quædam habebatur.

℣. 16. Minavit eos a Tribunali.] Verbum *minare*, pro *ducere*, non adeo commune eſt apud purioris Latinitatis Auctores. Invenitur tamen apud Auſonium, Feſtum, & Apulejum, atque illum Vetus Latinus Scripturarum Interpres ſæpe uſurpavit [9]. Græcus legit [10]: *repulit eos*, rejecit, juſſit, a Tribunali recedere.

℣. 17. Apprehendentes omnes Sosthenem.] Soſthenes fortaſſe erat Criſpi Archiſynagogi ſucceſſor. In hunc textum plures difficultates inſurgunt. S. Chryſoſtomus [11], aliique nonnulli putant, Soſthenem a Judæis virgis fuiſſe cæſum, quod Chriſtianus eſſet,
C & S. Pauli amicus. Putant, hunc illum eſſe Soſthenem, cujus nomen una cum nomine S. Pauli in fronte primæ ad Corinthios Epiſtolæ invenitur [12]: ſed Græcus typis editus [13]. *Græci omnes apprehendentes Soſthenem Principem Synagogæ percutiebant eum &c.* Similiter legit etiam S. Auguſtinus ep. 93. n. 7. nov. edit. qui hoc utitur exemplo, ut oſtendat, impios etiam, non ſecus ac pios viros poſſe exagitari.

Beda etiam in exemplari Græco ſuo legebat, Soſthenem ab Ethnicis fuiſſe percuſſum. Credidit, hos, cum vidiſſent, a Gallione aures minime præberi Judæis Sancti Pauli accuſatoribus, voluiſſe, ut illis magis adhuc illuderent, contumeliis afficere Principem Synagogæ eorum, ſeu hoc fecerint ſimpliciter in odium Judæorum, vel ob S. Pauli amicitiam. Hæc ſententia
D eſt etiam S. Auguſtini, Cajetani, Lyrani, Grotii, aliorumque nonnullorum. Denique non deſunt [14], qui putent, Judæis a Gallione recedere juſſis, Proconſulis Miniſtros Soſthenem, alioſque Judæos ictibus quibuſdam percuſſiſſe, ut celerius inde recederent: Ego vero libentius S. Johanni Chryſoſtomo adhæſerim, aſſerenti, Soſthenem amicum fuiſſe, vel etiam ſecretum S. Pauli diſcipulum, licet eſſet Archiſynagogus, & a Judæis fuiſſe percuſſum, quod hunc Apoſtolum amore, & obſervantia proſequeretur.

℣. 18. Dies multos.] Non liquet, quamdiu poſt hoc factum ibi permanſerit. Quilibet pro libidine ſerius, ocyus illum abiiſſe putant. Hoc autem liquet, illuc hac vice duodeviginti menſes Corinthi permanſiſſe.

Navigavit in Syriam.] Simul Jeroſolymam
E profecti ſunt, & inde in Aſiam migrarunt, & Epheſi aliquandiu ſubſtiterunt, quemadmodum infra videbimus.

Sibi totonderat in Cenchris caput.] Cenchræ vicus erat prope Corinthum cum portu in Ægæo mari, & Aſiam verſus. Illic S. Paulus navem conſcendit, ut in Syriam, & Paleſtinam proficiſceretur.

1 Grot. in Epiſt. ad Tit. 2 Leo Mutinen. par. 1. c. 3. 3 Conſtit. Apoſt. l. 7. c. 46.
4 Οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε. 5 Ita Arab. Grot. Pagn. Lud. de Dieu, alii.
6 1. Rom. 16. v. 2. 7 2. Cor. 1. 1. 8 Senec. l. 4. nat. q. & Tacit. annal. 15.
9 Exod. 3. 1. 1. Reg. 30. 20. 2. Reg. 6. 3. 4. Reg. 4. 24. Iſai. 11. 6. 20. 4. Jerem. 31. 24. Thren. 3. 2. Jacob. 3. 4. 10 Ἀπήλασεν αὐτούς. Millius putat, interpretem legiſſe Ἤλασεν. *Minavit*, pro *minatus eſt*. At errorem ſuum correxit. 11 Chryſoſt. in Act. homil. 39. Oecum. Fromond. Sanct. Eſt. alii hic. Theodoret. in 1. Cor. 1. 1. 12 1. Cor. 1. 1.
13 Ἐπιλαβόμενοι δὲ πάντες οἱ Ἕλληνες Σωσθένην τὸν Ἀρχισυνάγωγον. At plura MSS. non legebant Græci, Ἕλληνες; & Exemplar Angel. legit, *Judæi*.
14 Quid. apud Cornel.

Dum Corinthi permaneret, votum Deo nuncupaverat ſimile voto Nazaræorum [1]; ſcilicet, ut vino, & liquore omni, qui ebrietatem inferre poſſit, immo etiam ſiccis uvis abſtineret, neque ſibi capillos attonderet toto eo tempore, quo votum illud permanebat. Hoc plerumque integri menſis erat [2] ſpatium, quo elapſo Nazaræus ad Tabernaculi portam capillos ſibi tondebat, & ſacrificia quædam in Lege præſcripta offerebat. Hoc vulgo Jeroſolymæ, atque in finibus illiur fieri conſueverat: ſed cum S. Paulus procul eſſet a Paleſtina, atque adiiſſet tempus, voto ſuo ſibi præſcriptum, ad Corinthi portam ſibi capillus totondit, antequam navem conſcenderet, & deinde diſceſſit, in Jeroſolymitano Templo abſoluturus, quidquid ad votum ſuum pertinebat, & ſua ſacrificia oblaturus.

Non abhorret a veritatis ſpecie hoc facto Judæis oſtendere voluiſſe, tantum abeſſe, ut ipſe Legem everteret, ejuſque abrogationem prædicaret: at potius illam religioſiſſime coleret. Non deſunt eruditi quidam [3], qui putant, S. Paulum ad Feſtum Paſchatis diem celebrandum Jeroſolymam conceſſiſſe: alii vero [4] ad diem Pentecoſtes. S. Lucas dumtaxat ait [5], ipſum ibi proximum feſtum diem celebrare voluiſſe: at Paſcha eo anni tempore contingabat, quo difficillimum fuiſſet Corintho Jeroſolymam adnavigare, quin ille maximis ſe ſe objiceret periculis.

Alia quoque in hunc locum occurrit difficultas, utrum S. Paulus, an Aquila, capillos ſibi totonderit propter Nazaræatus votum in Cenchris. Authographus textus hoc de Aquila videtur aſſerere, quoniam nomen iſtud propius adjacet verbo *totondit*; & videtur S. Lucas de induſtria memoraſſe Aquilam poſt Priſcillam, ad omnem ambiguitatem auferendam, quæ ex nominum multitudine ſuboriri potuiſſet. Atque quoad fieri poteſt, conjungit *Aquila* cum *totondit*, ne quis decipiatur. S. S. Johannes Chryſoſtomus in Acta hom. 40. & Iſidorus Hiſpalenſis l. 2. divin. offic. hoc de Aquila intellexerunt, eoſque Grotius, Hammondius, Zegerus, Eraſmus, Baronius, aliique nonnulli ſecuti ſunt. At S. Hieronymus apud Aug. ep. 75. nov. edit. S. Auguſtinus ep. 82. n. 8. Beda in Acta hic, aliorumque Interpretum plurique tenent, S. Paulum hoc voviſſe, ſibi comam totondiſſe, & Jeroſolymam profectum eſſe, ut rite votum ſuum adimpleret. Certo liquet, Aquilam eo uſque non proceſſiſſe. Proximitas nominis *Aquilæ* verbo totondit, ejuſque poſt *Priſcillam* translatio infirma ſane ſunt argumenta. *Priſcilla* ante virum ſuum memoratur aliis etiam in locis, unde nihil inferri poteſt. Præcipuum hujus Periodi ſubjectum eſt S. Paulus, & ad illum referenda ſunt, quæcumque ibi narrantur. Veteres libri quidam Bedæ ævo, & ad hanc quoque diem Æthiops in plurali legunt, *capillos ſibi totonderant*: meliores vero hodierna die editiones parentheſi ea verba concludunt. (*& cum eo Priſcilla, & Aquila.*)

℣. 19. Venit Ephesum.] Tranſverſo itinere Ægeum mare emenſus eſt, & nunc primo appulit Epheſum, Aſiæ Minoris Metropolim. Antea jam illuc ſe ſe conferre conatus fuerat; ſed tunc Spiritus Sancti afflatus illum inhibuerat [6]. Epheſus tunc temporis Urbs erat Aſiæ florentiſſima, Oratoribus, atque Philoſophis affluens; & Chriſtiana Religio ibi fere penitus ignorabatur. Credunt quidam, S.S. Petrum, & Johannem Evangeliſtam illuc jam antea acceſſiſſe. Sed hac re nihil incertius eſt, & Eccleſiæ illius vere inſtitutor S. Paulus fuiſſe videtur. Ita hoc crediſſe videntur S. Irenæus l. 3. cap. 3. atque Theodoretus in Epheſ. 1. pat. S. Paulus hanc rationem ſuæ prædicationis inſtituerat, ut in alieno ſolo minime ædificaret [7], neque illic prædicaret, ubi alii jam prædicare incœpiſſent. Verum, ſi ille eam inſtituit Eccleſiam, id minime accidit primo hoc ipſius itinere; quo illac tantum per-

A tranſivit; ſed poſtea illuc data opera rediit, atque ibi triennio permanſit.

℣. 21. Iterum revertar ad vos.] Adimplevit promiſſionem ſuam, & ſub anni ejuſdem finem illuc reverſus eſt. Græcus textus typis editus ita legit: ſed valere juſſit, illis dicens, *oportet, ut proximam feſtivitatem Jeroſolymæ peragam; deinde vero ad vos revertar* &c. Sed hæc verba in pleriſque Veteribus MSS. deſiderantur [8].

℣. 22. Descendens Cæsaream.] Cum navi Cæſaream appuliſſet, inde Jeroſolymam profectus eſt. Epheſi navem conſcendit, ac mari Cæſaream Palæſtinæ venit, quæ fere leucis triginta abeſt a Jeroſalem. Beda in Acta an. & quidam Recentiores [9] crediderunt, illum Epheſo profectum Cæſaream Cappadociæ, atque

B iſthinc Antiochiam Piſidiæ. Credit S. Johannes Chryſoſtomus, Epheſo illum veniſſe Cæſaream, & Cæſarea Antiochiam Syriæ conceſſiſſe; atque inſignis Cantabrigienſis MS. initio capitis 19. Actuum ait, S. Paulum, cum vellet Jeroſolymam pergere, a Spiritu ſancto admonitum fuiſſe, ut in Aſiam reverteretur; atque ita ſupponit hoc in itinere Apoſtolum Jeroſolymam uſque non perveniſſe.

Hoc autem maxime mirum iſthic videtur, quod S. Lucas non ſatis explicite memoraverit, S. Paulum Jeroſolymam fuiſſe profectum; licet illac, præſertim iter ſuum inſtituiſſet. Ait enim ſolum [10], *deſcendens Cæſaream, aſcendit, & ſalutavit Eccleſiam, & deſcendit Antiochiam*. At quonam aſcendit? Credunt nonnulli, ipſum aſcendiſſe ad Eccleſiam Cæſareæ in Palæ-

C ſtina [11]; vel ſimpliciter ex navi ea in Urbe aſcendiſſe, ibique fideles, quos invenit, ſalutaſſe. Sed plerique [12] tenent, eumdem Cæſarea Jeroſolymam fuiſſe profectum; ſatis enim S. Lucas ſenſum aperuerat, dicens, S. Paulum Jeroſolymam contendiſſe. Hic vero ſi, *aſcendit*: ſatis ergo intelligimus, illum Jeroſolymam aſcendiſſe. Hebræi, ut plurimum verbis *aſcendendi*, & *deſcendendi* utuntur, ubi ſignificare volunt Cæſarea Jeroſolymam, vel Jeroſolyma Cæſaream venire. Immo aſcendendi verbum nonnumquam abſolute uſurpatur, ut ſignificet Jeroſolymam pergere, ubi aliquis eſt in Palæſtina, ex. gr. Joann. 7. 8. 10. *aſcendere ad diem feſtum: ut autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum*; & Joan. 12. 20. *Erant autem quidam Gentiles ex his, qui aſcenderunt, ut*

D *adorarent*; & S. Paulus in Actis c. 24. 11. *ex quo aſcendi adorare in Jeruſalem*.

Descendit Antiochiam] Syriæ. Ita quemadmodum jam dictum eſt, ab omnibus fere intelligitur. *Antiochia* ſine addito de Antiochia Syriæ, & *Cæſarea* de Cæſarea Palæſtinæ in Scripturis intelliguntur.

℣. 23. Perambulans ex ordine Galaticam regionem.] Antiochia Syriæ in Galatiam, & in Phrygiam profectus eſt: utrum vero illac terra, an mari acceſſerit, S. Lucas non adfert: verum Galatiam priorem memorans, innuit, illuc terreſtri itinere fuiſſe profectum. Galatia enim prior occurrit a Syria per Ciliciam in Phrygiam venientibus. Ibi gentium aliquot jam diſcipulos collegerat S. Paulus, quemadmodum vidimus in cap. 16. 6. libri hujus.

E ℣. 24. Judæus autem quidam nomine Apollo.] Alexandria Epheſum venit; eo tempore, quo S. Paulus Jeroſolymam conceſſerat, ibique invenit Aquilam, & Priſcillam, quos ibidem Paulus reliquerat. Hic Apollo Judæus erat Alexandrinus, vir diſertus, & eloquens, atque ſacris in Scripturis verſatus. Attamen Catechumenus erat adhuc, & S. Johannis Baptiſtæ ſolummodo Baptiſmum cognoverat, Jesu Christi Baptiſmo nondum ablutus, neque Spiritu ſancto donatus. Saltem Spiritum hunc per Sacramenta minime acce-

---

1 Numer. 6. 18. Ita Auguſt. Hieronym. Grot. Fromond. alii paſſim.
2 Joſeph. lib. 2. de bello, cap. 16. Maimonid. apud Peſir. Var. Lect. 23.
3 Grot. in Act. 18. 21. Ian & Hamm. 4 Pearſon. Tillemont. 5 Mox verſ. 21. in Græco.
6 Act. 16. 6. 7 Rom. 15. 20. 8 Vide Mill. hic, & Prolegom. 1202.
9 Lyran. Gagn. 10 [illegible]
11 Vide Camet. Lud. de Dieu Æthyop. Med. l. 2. Diſſert. de Templis, p. 410.
12 Cornel. Menoch. Fromond. Grot. Ham. alii paſſim.

acceperat : nam cenſet S. Chryſoſtomus hom. 40. ipſum non ſecus, ac Centurionem Cornelium bonis operibus ſuis, & zelo, quo JESUM CHRISTUM prædicabat, Spiritum eumdem promeruiſſe.

Mirum eſt poſt viginti annos a JESU CHRISTI Aſcenſione, quo tempore hæc acciderunt, in Ægypto, atque Alexandriæ, cujas erat Apollo, non defuiſſe Sapientes Judæos, & ad JESUM CHRISTUM converſos, qui S. Johannis tantum Baptiſma cognoſcerent. Si Apollo Salvatoris Doctrinam noverat eo uſque, ut hanc & aliis prædicaret; quomodonam Baptiſmi illius neceſſitatem ignorabat? Nondum ſcripta erant Evangelia, vel ſaltem non bene cognita erant, & fortaſſe Apollo nondum Apoſtolum aliquem invenerat, a quo, uti oportebat, erudiretur. Videbimus infra cap. 19. ℣. 1. & ſeq. exemplum inſigne in diſcipulis, quos S. Paulus Epheſi invenit, qui S. Johannis tantum Baptiſma receperant, & ipſum ferme Spiritus ſancti nomen ignorabant.

℣. 26. DILIGENTIUS EXPOSUERUNT.] Aquila, & Priſcilla, qui diutius S. Pauli hoſpites fuerant, ſatis ſuperque ab illo ea perceperant, quæ Apollinem docerent; qui licet Scripturarum eſſet peritus, minime dedignatus eſt, ab illis Dei vias diligentius agnoſcere [1]. Ita nonnumquam eligit Deus, quidquid in Mundo infirmiſſimum, atque humillimum eſt, ut fortia quæque confundat. Tunc fortaſſe Apollo JESU CHRISTI Baptiſma recepit.

℣. 27. EXHORTATI FRATRES.] Cum illum in eo conſilio confirmaſſent, quod inierat in Achajam migrandi, Corinthum videlicet, unde Aquila, & Priſcilla paulo ante diſceſſerant, ad civitatis illius diſcipulos ſcripſerunt, ut Apollinem eo, quem merebatur honore, acciperent. Vetus Cantabrigienſis MS. [2] legit: *Advenæ quidam Corinthii cum Epheſi eſſent, atque Apollinem audiviſſent, illum obteſtati ſunt, ut ſecum Corinthum adnavigaret, & Apolline non abnuente, Epheſii ad fideles ſcripſerunt, ut illum reciperent; qui cum in Achajam veniſſet, Eccleſiis maxime profuit.*

CONTULIT MULTUM.] Fideles in fide confirmavit, quam illis S. Paulus prædicaverat. Ita Apollo irrigavit,

A vit, quod plantaverat Apoſtolus [3]: *ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Apollo nondum S. Paulum agnoverat, niſi ex nomine, & fama: nondum enim illum viderat. Græcus addit [4]: illum maxime profuiſſe *per gratiam*, quæ erant in ipſo per lumina, zelum, ac fidem ſuam, cum enim Deus copioſiſſimam ſuper labores ejus gratiam effunderet, ipſe lætatus eſt, fructum ejuſdem conſpiciens: *Deus autem incrementum dedit.* Neque enim qui plantat, neque qui rigat aliquid, eſt, niſi unus, qui incrementum dat, Deus, 1. Cor. 3. 7.

Si Apollinis Corinthum adventus maximam attulit utilitatem propter præcepta, quæ ibi fidelibus tradidit, præbuit etiam occaſionem cujuſdam veluti diſſidii, quo inter ſe dicebant; ego quidem ſum Pauli,

B & ego Apollinis. Hoc tamen diſſidium non obfuit, quominus Paulus, & Apollo charitatis vinculis maxime inter ſe eſſent conjuncti. Ubi audiit Apollo, S. Paulum Epheſi eſſe, convenit illum, & fortaſſe ab eodem Apoſtolus hanc diſſenſionem, & hos Corinthiorum ſermones audivit. Saltem hoc certe liquet, Apollinem Epheſi una cum S. Paulo fuiſſe [5], cum hic primum ad Corinthios ſcripſit Epiſtolam; ubi de hac diſſenſione conqueritur, quæ inter illos obrepſerat. In eadem epiſtola ait, ſe enixius Apollinem oraſſe, ut Corinthum reverteretur, cui tunc perſuadere minime potuerat, licet hic polliceretur, futurum, ut per temporis opportunitatem illuc rediret. Credit S. Hieronymus ad Tit. 3. Apollinem dolore affectum ob eam diſſenſionem, quæ ex ipſius evaſione Corinthi pererebuerat,

C buerat, inde excedere voluiſſe. Receſſit igitur in Cretam una cum Zena Legis Doctore, qui & ipſe JESU CHRISTI Eccleſiis ædificandis operam impendebat. Cumque per epiſtolam a Paulo ad Corinthios datam diſſidium illud ſubſediſſet, illuc Apollo reverſus eſt. Hic idem Pater ait, illum fuiſſe Corinthi Epiſcopum [6]; Græci vero [7] illum Dyrrachinum Antiſtitem faciunt: ſed in Menæis [8] ſuis eum ſecundum Colophonis in Aſia Epiſcopum dicunt. Petrarius illum Præſulem fuiſſe ait Conenſem in Phrygia, innixus auctoritati Petri de Natalibus. Hæc ea ſunt, quæ de Apolline ſcimus.

---

1 1. Cor. 1. 27. 2 Vide Mill. hic. 3 1. Cor. 3. 6.
4 Συνεβάλετο πολὺ τοῖς πεπιστευκόσι διὰ τῆς χάριτος. Quid. omittitur. Vide Mill. hic, & Proleg. 419.
5 1. Cor. 16. 12. 6 Hieron. ad Tit. 3. 7 Menolog. Cauiſ. t. 2. p. 929.
8 Menæum, pag. 134.

CAPUT XIX.

S. Paulus Epheſi. Ibi baptizat diſcipulos, qui S. Johannis Baptiſma tantum receperant. Curatio miraculoſa, quam ibi operatur. Exorciſtæ Judæi. Græci converſi peccata ſua confitentur, ſuoſque Magiæ libros flammis addicunt. Aurifices excitant Epheſios in Sanctum Paulum, ſed Magiſtratus illos demulcet.

1. FActum eſt autem, cum Apollo eſſet Corinthi, ut Paulus peragratis ſuperio-
ribus partibus veniret Epheſum, & inveniret quoſdam diſcipulos: 2 Di-
xitque ad eos: Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt
ad eum: Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus. 3 Ille vero ait: In quo
ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt: In Joannis baptiſmate. 4 Dixit autem Pau-
lus: Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui ven-
turus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Jeſum. 5 His auditis, bapti-
zati ſunt in nomine Domini Jeſu. 6 Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, ve-
nit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. 7 Erant
autem omnes viri fere duodecim. 8 Introgreſſus autem ſynagogam, cum fiducia
loquebatur per tres menſes, diſputans, & ſuadens de regno Dei. 9 Cum autem

quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitu-
dine, diſcedens ab eis, ſegregavit diſcipulos, quotidie diſputans in ſchola tyran-
ni cujuſdam. 10 Hoc autem factum eſt per biennium, ita ut omnes, qui habita-
bant in Aſia, audirent verbum Domini, Judæi, atque Gentiles. 11 Virtuteſque
non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: 12 Ita ut etiam ſuper languidos
deferrentur a corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores,
& ſpiritus nequam egrediebantur. 13 Tentaverunt autem quidam & de circum-
euntibus Judæis exorciſtis, invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen
Domini Jeſu, dicentes: Adjuro vos per Jeſum, quem Paulus prædicat. 14 Erant
autem quidam Judæi Scevæ principis ſacerdotum ſeptem filii, qui hoc faciebant.
15 Reſpondens autem ſpiritus nequam dixit eis: Jeſum novi, & Paulum ſcio: vos
autem qui eſtis? 16 Et inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum,
& dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent
de domo illa. 17 Hoc autem notum factum eſt omnibus Judæis, atque Gentilibus,
qui habitabant Epheſi: & cecidit timor ſuper omnes illos, & magnificabatur no-
men Domini Jeſu. 18 Multique credentium veniebant confitentes, & annuntiantes
actus ſuos. 19 Multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt li-
bros, & combuſſerunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, invenerunt
pecuniam denariorum quinquaginta millium. 20 Ita fortiter creſcebat verbum Dei,
& confirmabatur. 21 His autem expletis, propoſuit Paulus in Spiritu, tranſita
Macedonia, & Achaja ire Jeroſolymam, dicens: Quoniam poſtquam fuero ibi, o-
portet me & Romam videre. 22 Mittens autem in Macedoniam duos ex mini-
ſtrantibus ſibi, Timotheum, & Eraſtum, ipſe remanſit ad tempus in Aſia. 23 Fa-
cta eſt autem illo tempore turbatio non minima de via Domini. 24 Demetrius e-
nim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præſtabat artifi-
cibus non modicum quæſtum: 25 Quos convocans, & eos, qui hujuſmodi erant
opifices, dixit: Viri, ſcitis, quia de hoc artificio eſt nobis acquiſitio: 26 Et vi-
detis, & auditis, quia non ſolum Epheſi, ſed pene totius Aſiæ, Paulus hic ſua-
dens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non ſunt dii, qui manibus fiunt.
27 Non ſolum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, ſed &
magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, ſed & deſtrui incipiet majeſtas ejus,
quam tota Aſia, & orbis colit. 28 His auditis, repleti ſunt ira, & exclamave-
runt dicentes: Magna Diana Epheſiorum. 29 Et impleta eſt civitas confuſione, &
impetum fecerunt uno animo in theatrum rapto Gajo, & Ariſtarcho Macedonibus,
comitibus Pauli. 30 Paulo autem volente intrare in populum, non permiſerunt
diſcipuli. 31 Quidam autem & de Aſiæ principibus, qui erant amici ejus, miſe-
runt ad eum rogantes, ne ſe daret in theatrum: 32 Alii autem aliud clamabant:
Erat enim Eccleſia confuſa; & plures neſciebant, qua ex cauſa conveniſſent. 33
De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis. Alexander
autem manu ſilentio poſtulato, volebat reddere rationem populo. 34 Quem ut co-
gnoverunt Judæum eſſe, vox facta una eſt omnium, quaſi per horas duas claman-
tium: Magna Diana Epheſiorum. 35 Et cum ſedaſſet ſcriba turbas, dixit: Viri
Epheſii, quis enim eſt hominum, qui neſciat Epheſiorum civitatem cultricem eſſe
magnæ Dianæ, Joviſque prolis? 36 Cum ergo his contradici non poſſit, oportet
vos ſedatos eſſe, & nihil temere agere. 37 Adduxiſtis enim homines iſtos, neque
ſacrilegos, neque blaſphemantes deam veſtram. 38 Quod ſi Demetrius, & qui
cum eo ſunt artifices, habent adverſus aliquem cauſam, conventus forenſes agun-
tur, & proconſules ſunt, accuſent invicem. 39 Si quid autem alterius rei quæ-
ritis; in legitima Eccleſia poterit abſolvi. 40 Nam & periclitamur argui ſeditionis
hodiernæ: cum nullus obnoxius ſit (de quo poſſimus reddere rationem) concurſus
iſtius. Et cum hæc dixiſſet, dimiſit Eccleſiam.

℣. 1. PERAGRATIS SUPERIORIBUS PARTIBUS.] Peragravit Galatiam, Phrygiam, de quibus ſermo fuit cap. ſuperiori ℣. 23. & forraſſe etiam Lycaoniam, & Lydiam; & ut omnia verbo complectar, omnes locos, ubi prædicaverat, & qui erant locus viam ab Antiochia Epheſum A verſus Boream Galatiam uſque aſcendendo, & ad meridiem Epheſum uſque deſcendendo. Credit S. Johannes Chryſoſtomus hom. 40. in Acta, Paulum Cæſaream uſque in Cappadociam fuiſſe profectum: hæ provinciæ ſuperiores vocantur, habita ratione Epheſi, atque Urbium Maritimarum. Videbatur enim ad has
eſſe

Digitized by Google

eſſe deſcenſum, e mari vero ad illas aſcendi. In libris Macchabæorum [1] hæ *Provinciæ ſuperiores* vocantur, quæ circa Euphratem, atque ultra fluvium eumdem patent. Adnotavimus jam in ℣. 21. cap. præcedentis, Cantabrigienſem MS. hoc in loco legere [2], Paulum Jeroſolymam cogitaſſe, & a Spiritu ſancto prohibitum fuiſſe, & juſſum in Aſiam reverti. Itaque ubi Provincias ſuperiores emenſus eſt, Epheſum venit.

℣. 2. SI SPIRITUM SANCTUM ACCEPISTIS CREDENTES?] Hi diſcipuli plane erant Judæi Aſiatici, qui Epheſi nati erant, & qui ſecundo ſupra vigeſimum ante id tempus circiter anno, cum Jeruſalymam veniſſent, ibi S. Johannis Baptiſmum receperant, eoque in ſtatu, uſque dum S. Paulus Epheſum venit, permanſerant [3]. Quærit ex illis Apoſtolus, utrum ſidem recipientes Spiritum ſanctum receperant; nam credebant in JESUM CHRISTUM, quem Johannes Baptiſta nuntiaverat, ſed JESU CHRISTI Baptiſmate abluti non fuerant: eo fortaſſe quod nullos invenerant diſcipulos doctiores ſe, a quibus neceſſitatem Baptiſmatis JESU CHRISTI edocerentur. Putat Sanctius, illos fortaſſe S. Johannis Baptiſma ab eodem Apolline recepiſſe, qui & ipſe primum, non aliud Baptiſma cognoverat. Videns S. Paulus, hujuſmodi homines Chriſtianam Religionem profiteri, de eorum Baptiſmate minime dubitavit; ſed cum Epheſi nullus fuiſſet Apoſtolus, vel Epiſcopus, quem ille noſſet, ſciſcitatus eſt, utrum confirmationis Sacramentum recepiſſent: quod ab Apoſtolis, & ab Epiſcopis tantum tribuebatur [4]. Hoc Sacramentum extraordinariæ, atque ſupernaturales gratiæ concomitabantur, quæ erant tamquam pignora, & ſymbola interioris Spiritus ſancti præſentiæ, qui per manuum impoſitionem in anima recipiebatur. Ideo dixit illis: *Spiritum Sanctum accepiſtis credentes?* Sacramentum ab effectis deſignat.

NEQUE SI SPIRITUS SANCTUS EST, AUDIVIMUS.] Hi Neophyti non didicerant SS. Trinitatis myſterium, neque in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti fuerant baptizati: alioquin minime ignoraſſent, quid eſſet Spiritus ſanctus. Eumdem etiam preſſius loquendo ignorare non poterant, quoniam ſæpe de eodem in veteri Teſtamento ſermo eſt, & Judæi omnes fatentur, Prophetas Spiritus ſancti lumine afflatos locutos fuiſſe. At ignorabant, in Eccleſia tale Sacramentum adeſſe, quod Spiritum ſanctum communicaret. Non audivimus loquentes de confirmatione, vel Spiritu ſancto, qui per eamdem confertur, vel de ſupernaturalibus donis, quæ per manuum impoſitionem communicantur.

℣. 3. IN QUO ERGO BAPTIZATI ESTIS?] Græcus [5] *ut igitur*, quem ob finem, quo conſilio *baptizati eſtis*, quid per hunc Baptiſmum intendiſtis? numquid fieri voluiſtis Johannis, an JESU CHRISTI Diſcipuli? In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; an ſolum Baptiſmo Pœnitentiæ voſmet diſpoſuiſtis ad peccatorum veſtrorum veniam recipiendam: ſimpliciter inquiunt, ſe *Johannis baptiſmate* fuiſſe ablutos, hoc eſt baptiſmate, quod ille contulit, & eo conſilio, quo contulit, ut pro Meſſia peccatorum veniam impetrarent [6], S. Spiritus baptiſmum, quem Johannes ſpoponderat, præſtolantes [7]. At plane hanc Præcurſoris promiſſionem non ſatis fuerant aſſecuti; nam libenter recepere baptiſma, ſtatimac S. Paulus dixit illis: *Johannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt in* JESUM.

℣. 5. BAPTIZATI SUNT IN NOMINE JESU.] Vel a S. Paulo, vel ab aliis Diſcipulis; Paulus enim ſecum adduxerat Cajum [8], Ariſtarchum, atque Timotheum [9], Eraſtum, & fortaſſe etiam Titum [10]: baptizati fuerunt *in nomine Domini* JESU, quod non innuit a baptizantibus nomen JESU tantum fuiſſe prolatum, quemadmodum veteres nonnulli crediderunt, ſed communis Baptiſmi formula prolata fuit: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ita ut ea verba, *in nomine* JESU, non aliud ſignificent, niſi baptiſmum a JESU CHRISTO inſtitutum, atque præſcriptum, quemadmodum vulgo Theologi intelligunt. Vide noſtram hanc de re Diſſertationem. Inde perſpicue ſequitur, S. Johannis Baptiſmum & quoad effectos, & quoad formam longe alium fuiſſe a S. Johannis baptiſmate.

℣. 6. CUM IMPOSUISSET EIS MANUS.] Ut illis Confirmationis Sacramentum conferret, tamquam Apoſtolus, & Epiſcopus, hoc enim Eccleſiæ Præſulum munus eſt; *venit Spiritus Sanctus ſuper eos*, non ſolum inviſibili, interiorique modo, eorum animam luce, & vi replens; verum etiam per exteriores effectus, & miraculoſa dona, quæ illis elargitus eſt, quippe *loquebantur linguis*, quas antea non intelligebant; & *prophetabant* futura portendentes, Scripturas interpretantes, atque piæ lætitiæ, ac fervoris magnitudine ſolemniter Dominum laudibus celebrantes.

℣. 8. INGRESSUS SYNAGOGAM.] De more ſemper incipiens Evangelium Judæis annunciare, neque ad Gentiles ſe ſe convertens, niſi Judæis renuentibus. Crebro in eorum Synagogam venit trium menſium ſpatio, ſed eorum videns incredulitatem, & exiguum fructum, quem apud eos referebat, ab eis receſſit, atque ſeorſim diſcipulorum ſuorum cœtum habere inſtituit.

℣. 9. IN SCHOLA TYRANNI CUJUSDAM [11].] Antiquitus aderant viri quidam, qui hoc nomine appellabantur. Suidas loquitur de Sophiſta, & Rhetore, cui nomen Tyrannus. Græcus [12] ad litteram habet, uti in Vulgata *Tyranni cujuſdam*: quæ loquendi ratio fidem adſtruxit, apud eruditos quoſdam [13], Tyranni nomen iſthic appellativum eſſe, non enim obtinuit mos, ut propriis nominibus *quidam* adjiciatur. Putant igitur, S. Paulum quotidie diſputaſſe, & docuiſſe in quieto quodam loco, & hujuſmodi exercitationem aptiſſimo, quod illi ſuppeditabat Princeps quidam, vel præſtantiſſimus aliquis urbis illius Civis, Tyrannus quidam, vir Princeps, nobilis. Verum hæc ſententia labanti innititur fundamento. Minime mirum eſt, ut nomen *quidam* proprio nomini addatur, ubi perſona non ſatis agnoſcatur. Quidam Simon de Cyrene, juſtus quidam, Lazarus quidam, Mnaſon quidam ex Cypro, quidam Ananias, Tertullus quidam Rhetor: quæ omnia exempla ex Evangelio, vel Actis deſumpta ſunt. Ad hæc nomen Tyranni ſupremo tantum Principi defertur, qui proculdubio Epheſi non aderat. Denique nomen Tyranni jam tunc tantum ſibi odii pepererat, ut minime deferri poterat ad eum Principem, de quo nonniſi cum laude verba eſſent facienda. Græci quidam MSS. legunt pro *Tyrannus*, *Tyrannios*; & alii [14] inquiunt, Paulum ibi a quinta ad horam uſque decimam docuiſſe, hoc eſt a decima matutina Gallica, uſque ad quartam circiter pomeridianam ante Solis occaſum.

℣. 10. PER BIENNIUM.] Præter tres illos menſes, quibus in Judæorum Synagogam aſcenderat. Ita S. Paulus Epheſi diutius, quam alibi permanſit; ibi enim plures errores, atque ſuperſtitiones [15] evellendas invenit, & fortaſſe, ibi magis, quam alibi proficiebat. Hic fortaſſe aderat Apollonius Thyanæus præſtigiis ſuis celeberrimus, quem Dæmon, JESU CHRISTO opponere velle videbatur. Omnes hunc ſequebantur [16], alii ſcientiam, alii corporis habitum, alii veſtium elegan-

1 1. Macch. 3. 37. 6. 1. & 2. Macc. 9. 23. 25. 2 Θέλοντος δὲ τοῦ Παύλου κατὰ τὴν ἰδίαν βουλὴν πορεύεσθαι εἰς Ἱεροσόλυμα, εἶπεν αὐτῷ τὸ πνεῦμα ὑποστρέφειν εἰς τὴν Ἀσίαν. Διελθὼν δὲ τὰ ἀνωτερικὰ, &c.
3 Vide Fromond. hic. 4 Fromond. Eſt. Corn. l. Menoch. Tir. Sanct.
5 Εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε. 6 Act. 2. 38. 7 Act. 1. 5. Joan. 1. 33.
8 Act. 19. 29. & 20. 4. 9 Act. 19. 22. 10 2. Cor. 7. 13. 14.
11 Ita Syr. Arab. Grot. Cornel. Zegar. Fromond. Druſ. Camer. alii paſſim.
12 Τυράννου τινός. 13 Lyran. Eraſm. Cajet. Gagn. Contzen. &c.
14 Steph. 8. Cantabr. Græc. Lat. Ἀπὸ ὥρας πέμπτης ἕως δεκάτης.
15 Chryſoſtom. homil. 42. 16 Philoſtrat. vita Apollon. lib. 4. cap. 1.

tilibuſque multitudo magna , & mulieres nobiles non paucæ. 5 Zelantes autem
Judæi , aſſumentesque de vulgo viros quoſdam malos , & turba facta , concitave-
runt civitatem : & aſſiſtentes domui Jaſonis quærebant eos producere in populum.
6 Et cum inveniſſent eos , trahebant Jaſonem , & quoſdam fratres ad principes
civitatis , clamantes : Quoniam hi , qui Urbem concitant , & huc venerunt ; 7
Quos ſuſcepit Jaſon , & hi omnes contra decreta Cæſaris faciunt , regem alium
dicentes eſſe , Jeſum . 8 Concitaverunt autem plebem , & principes civitatis au-
dientes hæc . 9 Et accepta ſatisfactione a Jaſone , & a cæteris , dimiſerunt eos.
10 Fratres vero confeſtim per noctem dimiſerunt Paulum , & Silam in Berœam .
Qui cum veniſſent , in ſynagogam Judæorum introierunt . 11 Hi autem erant no-
biliores eorum , qui ſunt Theſſalonicæ , qui ſuſceperunt verbum cum omni avidita-
te , quotidie ſcrutantes Scripturas , ſi hæc ita ſe haberent . 12 Et multi quidem
crediderunt ex eis , & mulierum Gentilium honeſtarum , & viri non pauci . 13 Cum
autem cognoviſſent in Theſſalonica Judæi , quia & Berœæ prædicatum eſt a Paulo
verbum Dei , venerunt , & illuc commoventes , & turbantes multitudinem . 14
Statimque tunc Paulum dimiſerunt fratres , ut iret uſque ad mare ; Silas autem ,
& Timotheus remanſerunt ibi . 15 Qui autem deducebant Paulum , perduxerunt
eum uſque Athenas , & accepto mandato ab eo ad Silam , & Timotheum , ut quam
celeriter venirent ad illum , profecti ſunt. 16 Paulus autem cum Athenis eos expectaret,
incitabatur ſpiritus ejus in ipſo , videns idololatriæ deditam civitatem . 17 Diſ-
putabat igitur in ſynagoga cum Judæis , & colentibus , & in foro , per omnes
dies ad eos , qui aderant . 18 Quidam autem Epicurei , & Stoici philoſophi diſ-
ſerebant cum eo , & quidam dicebant : Quid vult ſemini-verbius hic dicere ? Alii
vero : Novorum dæmoniorum videtur annuntiator eſſe : quia Jeſum , & reſurrectio-
nem annuntiabat eis . 19 Et apprehenſum eum ad Areopagum duxerunt , dicen-
tes : Poſſumus ſcire , quæ eſt hæc nova , quæ a te dicitur , doctrina ? 20 Nova
enim quædam infers auribus noſtris : volumus ergo ſcire , quidnam velint hæc eſ-
ſe : 21 (Athenienſes autem omnes , & advenæ hoſpites , ad nihil aliud vacabant ,
niſi aut dicere , aut audire aliquid novi . 22 Stans autem Paulus in medio Areo-
pagi , ait : Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video . 23 Præ-
teriens enim , & videns ſimulachra veſtra , inveni , & aram , in qua ſcriptum e-
rat : IGNOTO DEO . Quod ergo ignorantes colitis , hoc ego annuntio vobis .
24 Deus , qui fecit mundum , & omnia , quæ in eo ſunt , hic cœli , & terræ
cum ſit Dominus , non in manufactis templis habitat , 25 Nec manibus humanis
colitur , indigens aliquo , cum ipſe det omnibus vitam , & inſpirationem , & om-
nia : 26 Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam fa-
ciem terræ , definiens ſtatuta tempora , & terminos habitationis eorum , 27 Quæ-
rere Deum , ſi forte attrectent eum , aut inveniant , quamvis non longe ſit ab uno-
quoque noſtrum . 28 In ipſo enim vivimus , & movemur , & ſumus : ſicut &
quidam veſtrorum Poetarum dixerunt : Ipſius enim , & genus ſumus . 29 Genus
ergo cum ſimus Dei , non debemus æſtimare , auro , & argento , aut lapidi ſcul-
pturæ artis , & cogitationis hominis , Divinum eſſe ſimile . 30 Et tempora qui-
dem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus , nunc annuntiat hominibus , ut omnes ubi-
que pœnitentiam agant , 31 Eo quod ſtatuit diem , in quo judicaturus eſt orbem
in æquitate , in viro , in quo ſtatuit , fidem præbens omnibus , ſuſcitans eum a
mortuis . 32 Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum , quidam quidem ir-
ridebant , quidam vero dixerunt : Audiemus te de hoc iterum . 33 Sic Paulus e-
xivit de medio eorum . 34 Quidam vero viri adhærentes ei , crediderunt ; in qui-
bus & Dionyſius Areopagita , & mulier nomine Damaris , & alii cum eis.

℣. 1. CUM PERAMBULASSENT AMPHIPOLIM , & APOLLONIAM :) Philippis S. Paulus cum ſociis meridiem verſus proceſſit in Macedoniam . Primum quidem Amphipolim profecti ſunt , Urbem prope mare ſitam inter utrumque brachium , quod efficit fluvius Strymon, in mare ſe exonerans . Apollonia vero magis eſt meridionalis , atque a mari remotior, ſita ſecus fluvium Echedorum. Non A videtur S. Paulus in illis Urbibus ſubſtitiſſe , fortaſſe quod ibi Judæi non aderant. A Judæis enim incipiebant ut plurimum in Evangelii prædicatione , Act. 13. 46.

Theſſalonica vero inſignis eſt Civitas Macedoniæ caput ad ſinum Thermaicum . Stephanus Byzantinus auctor eſt, illam a Philippo Macedonum Rege ornatam, auctamque fuiſſe , atque Theſſalonicam appellatam in monumentum victoriæ, quam cumulatiſſimam de Theſ-
ſalis

ſalis reportaverat : ante quod tempus *Theſma* vocabatur. Verum Strabo, Tzetzes, & Zonaras putant Urbi nomen factum a *Theſſalonica* Caſſandri conjuge, & Philippi filia. Ibi non pauci aderant Judæi, quandoquidem Synagogam ibidem poſſidebant.

℣. 2. DISSEREBAT EIS DE SCRIPTURIS, ℣. 3. ADAPERIENS &c.] Ingreſſus de more Paulus Synagogam Sabbatho, ibi de Scripturis collocutus eſt, oſtendens, oportuiſſe JESUM CHRISTUM pati, eas explicans Scripturas, quæ ad Meſſiam pertinebant, easque transferens ad JESU CHRISTI perſonam, illum verum eſſe Salvatorem omnium votis expetitum oſtendit. Plurimi [1] credunt, neque injuria, *adaperiens* de Scripturis eſſe intelligendum. Illis explicabat, ad litteram, *aperiebat* Scripturæ locos, atque oſtendebat Meſſiæ, & facienda, & ferenda, ea quæ JESUS CHRISTUS & fecerat, & pertulerat [2] : ita auferens Crucis ſcandalum, qui maximus erat obex Judæorum converſioni [3]. *JESUM Crucifixum, Judæis quidem ſcandalum ; Gentibus autem ſtultitiam*.

℣. 4. DE COLENTIBUS, GENTILIBUSQUE.] Plurimi Græci, qui Deum metuebant, nobileſque mulieres ; plurimi Proſelyti, qui Synagogæ interfuerunt, & S. Paulum diſſerentem audiverunt. Textus Latinus ſimilis eſt non paucis Græcis MSS. [4] : *magna multitudo hominum timentium Deum, & Gentilium* : ſed Græcus typis editus eum adfert ſenſum, quem primum attulimus : *magna multitudo Græcorum*, vel *Gentilium timentium Deum*, vel Proſelytorum, qualis erat Cornelius, aliique plures, quos ſuperioribus capitibus vidimus [5]. Hi erant Gentiles, qui, quin circumciſionem reciperent, pietati ſtudebant, Idololatriam abdicabant, & Leges naturales ſequebantur. Hebræi illos appellant *Proſelytos fortium*, vel *domicilii*. Complures etiam nobili loco natæ mulieres ſe ſe converterant, immo generatim plures erant mulieres, quam homines, quæ inter Proſelytos recenſebantur : earum quippe ſexus ſuopte ingenio ad ſuperſtitionem, metum, & curioſitatem pronior eſt. Matronæ complures ſervas habebant Judæas, a quibus cultum, & Dei unius Religionem edocebantur.

℣. 5. ZELANTES AUTEM JUDÆI.] Judæi ficto zelo, atque turpi invidia compulſi quoſdam ſecum ſumpſerunt improbos viros de populi fæce ; ad litteram [6] *homines quoſdam de medio foro inertes ; ſordidam plebem circo, & theatris aſſuetam*, quemadmodum Tacitus loquitur, *vel trivialem popularium fæcem*, quemadmodum illos Apulejus appellat. Judæi non adeo multi erant, ut poſſent in Urbem ciere turbas. Excitarunt ergo eos homines e trivio, de quibus locuti ſumus, atque obſederunt domum *Jaſonis* Judæi, ad CHRISTI fidem converſi, ubi S. Paulus una cum Sila hoſpitio fuerat exceptus. Hic eſt Jaſon ille, de quo in Epiſtola ad Romanos ſermo eſt [7], & quem S. Paulus ſuum vocat conſanguineum. Videbimus infra quas prætexerint nefarie cauſas tenebriones iſti, ut S. Paulum vexarent.

Hic Apoſtolus docet [8] Deum confirmaſſe verba ſua miraculis, variiſque effectibus potentiæ Spiritus Sancti ; ſe ibi multa perpeſſum eſſe, plurimos ibi ad fidem convertiſſe, & eos qui converſi ſunt, ipſius verba tamquam a Deo ipſo profecta excepiſſe ſummo cum gaudio, licet maximis tribulationibus urgerentur ; ita ut deinde pro exemplo fuerint aliis Macedoniæ, & Achajæ Chriſtianis. S. Paulus illos maternis viſceribus, & paterno amore proſequebatur, optaſſetque non ſolum illis Evangelii cognitionem communicare ; verum etiam propriam pro illis vitam effundere. Illos de pluribus rebus erudiebat [9], præſertim vero de Antichriſto, & de manuum labore, qua de re illis præbebat exemplum, die, ac noctu manibus ſuis laborans ne gravis eſſet alicui. Ille bis etiam a Philippenſibus accepit ea, quorum indigebat ; adeo ſollicitus erat, ut nonniſi gratis prædicaret.

℣. 6. HI SUNT, QUI URBEM CONCITANT.] Ita ſeditioſi, & perſecutores loquuntur : aliis vitio vertunt eas turbas, quarum ipſi uni Auctores ſunt, & veluti rebelles eos traducunt, quos ipſi vexant, & opprimunt. Pro iis verbis, *qui urbem concitant* ; Græcus [10] legit, *qui omnem terrarum orbem*, vel *terras omnes, quæ coluntur ſuſque deque ſubvertunt*. In Vulgata legendum eſſet *orbem* pro *urbem*.

Judæis Jeroſolymitanis poſt JESU CHRISTI mortem non ſatis fuit Apoſtolos, atque fideles perſequi, illos in exilium conjicere, proſcribere, enecare, injuriis, & contumeliis proſcindere ; palam, & in Synagogis ſuis [11] nuncios quoſdam elegerunt, quos in omnes terrarum plagas miſerunt, qui nuntiarent, novam obortam eſſe hominum ſectam, qui Chriſtiani dicebantur, & qui Atheiſmum tuebantur, omneſque Leges evertebant. Auctorem illius fuiſſe hominem quemdam, cui nomen JESUS, qui propter ſcelera ſua Cruci fuerat affixus : ſed cum noctu diſcipuli obrepſiſſent, hos abſtuliſſe corpus illius, & ubique promulgaſſe, illum reſurrexiſſe : doctrinam vero illorum omnino impiam eſſe, deteſtabilem, atque ſacrilegam. Falſus hic rumor a Judæis effuſus occaſionem præbuit, ut Chriſtiani viri plurimis perſecutionibus agitarentur ; neque ante ducentos annos deleri umquam potuit ea labes, quam hujuſmodi calumniæ univerſo in terrarum orbe Chriſtiano nomini offuderant [12]. Dicunt, Judæos Vormaciæ, ad Rhenum, ſervare adhuc unam ex his epiſtolis, quæ quocumque miſſæ fuerunt contra JESUM CHRISTUM ejuſque diſcipulos [13]. Huic ergo rumori fortaſſe, atque ejuſmodi epiſtolis in omnes Judæorum Synagogas miſſis Theſſalonicenſes innixi ajunt, Paulum, & ſocios ejus homines eſſe univerſum orbem turbantes, doctrinam recentem, recentem Dominum, novumque Regem prædicando.

℣. 7. CONTRA DECRETA CÆSARIS FACIUNT, REGEM ALIUM DICENTES ESSE JESUM.] Improbi hi Judæi ſubdole retinent veram cauſam, propter quam adverſus Apoſtolos irati ſunt. Non ajunt, hoc negotium eſſe, quod mere ad ſuam Religionem pertinet ; tunc enim Gentiles nullo ſe irretiri negotio paſſi fuiſſent : Verum hos Reipublicæ turbatores eſſe dicunt, ipſi etiam Cæſari infenſos. Tenent, JESUM eſſe Meſſiam vel omnium hominum Regem ; ideoque Imperatorem minime agnoſcunt. Ars hæc craſſa erat, & facile oſtendi poterat, JESU CHRISTI Regnum non eſſe de hoc mundo, & Cæſarum Imperio nihil officere. Sed populus concitatus nullam audiit rationem, cucurrit ſtatim ad Jaſonis domum, eumque una cum iis, qui apud illum hoſpitabantur, comprehendit.

℣. 9. ACCEPTA SATISFACTIONE A JASONE.] Vulgata ad litteram ſignificat Jaſonem, alioſque populo ſatis feciſse ; hoc eſt ex plurimorum Interpretum ſententia [14], plebem concitatam deliniſse oſtendendo, homines illos nequaquam eſse publicæ quietis perturbatores. Regnum, de quo loquebantur, eſse mere ſpirituale ; JESUM CHRISTUM non eſse Regem terrenum ; ſed Deum in Cœlis regnantem, & neminem Cæſarum mandatis magis obtemperare, quam qui tamquam poteſtatis eorumdem obtrectatores arguebantur. Sed eruditi complures Græcum [15] ita vertunt : *accepta cautione*

1 Chryſoſt. hic. Grot. Pricæ. 2 Confer. Luc. 24. 26. 27.
3 1. Cor. 1. 23. 4 Cant. Alexandr. Per. 3. Colb. Vulg. Τῶν τε σεβομένων, καὶ Ἑλλήνων πολὺ πλῆθος. At Græcus impreſſus legit : Τῶν τε σεβομένων Ἑλλήνων.
5 Vide Act. 13. 42. 43. 16. 14. 17. 17. 6 Τῶν ἀγοραίων τινάς. Vide Grot. & Pricæ. hic.
7 Rom. ult. 21. 8 1. Theſſal. 1. 5. & ſequ. & 11. 13. 14. & ſequ.
9 2. Theſſal. 2. 5. 3. 7. &c. 10 Οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες.
11 Juſtin. Dialog. Origen. in Jerem. homil. 18. Hieronym. in Iſai. &c.
12 Vide Origen. lib. 6. contra Celſ. & Tertull. ad Nation. lib. 1. c. 4. & lib. 3. contra Marcion. c. 23.
13 Grot. in Act. 28. 22. 14 Vide Sanct. From. Camerar. Vatab.
15 Καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν παρὰ τοῦ Ἰάσονος, καὶ τῶν λοιπῶν, ἀπέλυσαν αὐτούς.

tibus a *Jaſone &c.* [1] Vadimonium præbuerunt, atque illud ſiſtere polliciti ſunt, ſi opus fuiſſet: at opus non fuit: nocte enim eadem fratres Paulum, & Silam extra Civitatem adduxerunt, qui ſtatim ac e Judæorum oculis elapſi ſunt, eorum motus evanuerunt. Jaſon plane erat ille, quemadmodum diximus, de quo S. Paulus loquitur in Epiſtola ad Romanos [2], & quem ſuum propinquum appellat.

℣. 10. IN BERŒAM.] Ubi aderat Judæorum Synagoga: Berœa ſita erat ſecus eumdem ſinum, ac Theſſalonica, ſed magis meridiem verſus.

℣. 11. HI AUTEM ERANT NOBILIORES.] Neque meliori ingenio præditi, quam Theſſalonicenſes. Græca vox [3] generatim ſignificat nobilitatem generis, ſenſuum, animi generoſitatem, clementiam, magnanimitatem, æquitatem, optimam inſtitutionem. Hi magis erant inſtructi, exculti, melius educati, & ad humanitatem magis compoſiti, quam Theſſalonicenſes ideoque magis ad ſalutis verbum recipiendum parati. Illud reipſa facilius receperunt, eo quod illi minores obices ſtatuerunt, & quod gratiam, quam in eorum animos effudit Deus, illos paratiores invenit. Creditur Soſipater S. Pauli conſanguineus, de quo hic loquitur in Epiſtola ad Romanos 16. 21. fuiſſe ex eorum numero, qui primum converſi ſunt. Hunc Græca colit Eccleſia una cum S. Jaſone S. Pauli hoſpite Theſſalonicenſi, quarto, vel tertio Kalendas Maii.

QUOTIDIE SCRUTANTES SCRIPTURAS.] Aſſerebat S. Paulus, JESUM CHRISTUM eſſe Meſſiam a Prophetis promiſſum, atque in omnibus Scripturis præſignatum. Hoc unum agebatur, ut oſtenderentur loci, qui afferebantur, ad Meſſiæ adventum ſpectare, & mox ad JESUM CHRISTUM traducerentur. Judæi hactenus generalem quamdam habuerant de Meſſiæ qualitatibus notionem, quæ licet vera eſſet, poterat tamen illuſioni eſſe obnoxia, eo quod plures eadem abutebantur. Ideæ magnitudinis, atque potentiæ, quas illi conceperant, adverſabantur aliis characteribus infirmitatum, & paſſionum, qui in Scripturis deprehendebantur. Hæc omnia ſimul erant concilianda. S. Paulus cum Judæis congregabatur, bona fide legebantur Scripturæ, inter ſe comparabantur, atque in JESU CHRISTO divina, & humana natura diſtinguebantur; æternum illius Regnum in Cœlo, ac temporale Imperium in Eccleſia ſuper terram, nativitas, vita, mors, miracula, Reſurrectio, Aſcenſio ejuſdem, & in iis omnibus reperiebatur omnium difficultatum, atque dubitationum ſolutio, & ea omnia, quæ ſibi oppoſita videbantur, ſimul conciliabantur. Itaque homines illi nequaquam temere fidem præbuerunt in re tanti momenti, & S. Paulus ſapientiæ ſpiritu ſemper afflatus minime inibat vias inſuetas, atque prodigia, ut illos perſuaderet; ratione tantum, & Scripturarum auctoritate utebatur, miracula in illud tempus, quo neceſſaria erant, reſervans.

℣. 12. MULIERUM GENTILIUM HONESTARUM.] Plures Græcæ mulieres honeſto loco natæ; vel potius plures ex numero Gentilium; proſelytæ mulieres, quæ licet Judææ non eſſent, Deum tamen verebantur, atque bona opera exercebant.

℣. 14. PAULUM DIMISERUNT.] Judæi Theſſalonicæ, ubi audiverunt Evangelii progreſſus Berœæ, illuc emiſſarios ſuos miſerunt, ut inde S. Paulus ejiceretur; in illum enim præſertim illorum odia exarſerunt. Fratres ergo illum uſque ad mare dimiſerunt, ut alii ignorantes, quorſum ille vertiſſet iter, & putantes illum jam navem conſcendiſſe, eum non amplius perſequerentur. Attamen ne hæc naſcens Eccleſia deſereretur, S. Paulus reliquit Berœæ Silam, atque Timotheum, qui novos fideles in fide confirmarent, eoſque perfecta erudirent.

℣. 15. USQUE ATHENAS.] Illuc mari ne, an terreſtri itinere profectus eſt? hac in re diſſentiunt Interpretes. S. Joannes Chryſoſtomus hom. 37 in Acta, aliique nonnulli [4] credunt, ipſum ſimpliciter ad maris littus proceſſiſſe, ut hoſtes falleret. Græcus ſuperiori verſ. ita verti poteſt [5]: *dimiſerunt eum, tamquam iturum ad mare*. Sed Theodoretus [6], aliique plures [7] tenent, mari eum conceſſiſſe, quod mihi quidem veritati propius videtur; terreſtris enim via prælonga eſt, neque legimus, in toto illo itinere Paulum umquam ſubſtitiſſe, neque alicubi prædicaſſe a Berœa Athenas uſque, inter quas octoginta ferme leucæ intercedunt. At vix credi poteſt, S. Paulum, ſi terreſtri itinere profectus fuiſſet, toto eo tempore nullibi fuiſſe prædicaturum. Inſignis Græco Latinus Cantabrigienſis MS. hic habet [8]: *tranſivit per Theſſaliam, ſed prohibitus fuit ibi prædicare verbum*. Sed MS. ille additamentis, & Gloſſematibus, quibus nulla eſt auctoritas, eſt cumulatiſſimus. Hoc unum inde inferri poteſt, illum, qui hunc locum adjecit, ex eorum fuiſſe numero, qui S. Paulum terreſtri itinere Berœa Athenas profectum fuiſſe opinabantur.

Athenæ tunc erat Civitas celeberrima, & propter ſcientias, quæ ibi docebantur, & propter confluentiam undique ex Imperio Romano diſcipulos, & magiſtros, qui illuc tamquam ad omnium ſcientiarum, atque artium emporium ſe ſe conferebant. Poſtquam ea Urbs Imperio cauta fuit, atque militiæ, & mercaturæ negotiis non amplius vacavit; omnem tranſmiſit curam ad litteras excolendas, quæ iure tantam ſibi nominis celebritatem comparavit, quantam antea, & incolarum virtute, & rerum tum mari, tum terra geſtarum multitudine fuerat adepta. Tunc illa ferebatur, tamquam genitalis omnium humaniorum artium, atque diſciplinarum ſedes, neque poterat S. Paulus ſpecioſius ſibi theatrum eligere, ubi Evangelium annuntiaret, neque locum, ubi novarum rerum ſtudioſiores nanciſceretur homines, neque unde doctrina ſua facilius, & celerius propter undique doctos, & curioſos homines confluentes, in omnes terrarum plagas effunderetur.

ACCEPTO MANDATO.] Berœenſes, qui S. Paulum Athenas uſque fuerant ſubſecuti, ſtatim domum ſuam ſe receperunt; quibus etiam atque etiam Paulus commendavit, ut Silam, atque Timotheum, qui Berœæ permanſerant, quamprimum Athenas mitterent; nam in Urbe frequenti adeo, & affluenti, qualis erant Athenæ, eorum indigebat ope, cum ut in prædicationis laborem inſumerent, tum ut egeſtatibus ipſius conſulerent; ut ille, cum victus ſibi comparandi curam abjeciſſet, liberius prædicationi vacaret.

℣. 16. INCITABATUR SPIRITUS EJUS.] Quodammodo irritabatur [9], aculeis excitabatur, affligebatur fluctuans inter indignationem, & miſericordiam, zelo flagrans, quod Urbem adeo florentem, atque doctam in Idololatriæ errore, atque in flagitiis immerſam videret: *videns idololatriæ deditam*. Græca vox ſignificat [10] plenam Idololatriæ; vel locum, ubi magna eſt Idolorum copia; Civitatem Idolis cumulatam, atque ſuperſtitionibus exundantem; vel Civitatem Idololatriæ prorſus deditam, atque Idolis mancipatam. Profecto Veteres Auctores nobis Athenas deſcribunt, tamquam omnium Græciæ Civitatum ſuperſtitioni addictiſſimam. Refert Strabo l. 9. Athenienſes perhumanos fuiſſe erga advenas, gratioſos, atque hoſpitalitatem non erga homines ſolum, verum etiam erga alienarum Regionum Deos exercuiſſe. Quamobrem tot aliorum populorum Deos Athenis receperunt, quemadmodum in ipſis comœdiis exprobrantur. Pauſanias in Atticis, & Joſephus Hiſtoricus l. 2. contra Appion. teſtantur, illos famam occupaviſſe populi Græ-

1 Ita Budæus, Bez. Grot. Pricæus, Cotuel. alii.
2 Rom. 16. 21.
3 Εὐγενέστεροι τῶν ἐν τῇ Θεσσαλονίκῃ, id eſt, ἐπιεικέστεροι. S. Chryſoſt. hic.
4 Grot. Tillem. Cajet. &c.
5 Πορεύεσθαι ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν. Vulg. legit: Ἕως Uſque.
6 Theodoret. in Epiſt. ad Theſſalonic. p. 384.
7 Fromond. Cornel. Cleric.
8 Παρῆλθε δὲ τὴν Θεσσαλίαν, ἐκωλύθη γάρ, εἰς αὐτοὺς κηρύξαι τὸν λόγον.
9 Παρωξύνετο, &c.
10 Κατείδωλον οὖσαν.

li Greciæ Religioſiſſimi ; quo eodem teſtimonio illas Sophocles in Oedip. exornat. Simulacrorum, atque Idolorum frequentia tanta erat Athenis, ut de hac urbe dici poſſint ea, quæ de Roma Petronius : *noſtra Regio tam præſentibus plena eſt numinibus, ut facilius poſſis Deum, quam hominem invenire*. Pauſanias, & poſt hunc S. Gregorius Nazianzenus in orat. fun. S. Baſilii inquiunt, plura Athenis, quam in reliqua Græcia Idola fuiſſe. A

℣. 17. DISPUTABAT IN SYNAGOGA.] Incipiens de more prædicare Judæis, ne conquererentur ſe negligi a Sancto Paulo, ſi apud Ethnicos tantum prædicaſſet. Sed erudiebat Judæos, & Gentiles timentes Deum, qui aderant in Synagogis, in publicis compitis palam prædicabat, quo confluebant cujusvis generis homines, ibique cum illis colloquebatur, eiſdem Evangelium annuncians. B

℣. 18. EPICUREI, ET STOICI.] Tunc Athenis quatuor erant præcipuæ Philoſophorum ſectæ. Accademici, Peripatetici, Stoici, & Epicurei. S. Lucas de noviſſimis hic duabus tantum verba facit, eo fortaſſe, quod a Religione magis abhorrebant. Epicurei non credebant, Deum terras creaſſe, neque illas Providentia ſua regere, nec animas poſt mortem ſubſiſtere, neque poſt hanc vitam ſupplicium, vel præmium aliquod ſupereſſe. Denique non aliud bonum, neque malum aliud agnoſcebant, niſi quæ in hanc vitam contingunt. Stoici vero hominis libertatem negabant, & omnia fatali quapiam neceſſitate contingere arbitrabantur. Sapienti ſuo eam dignitatem cæteris omnibus ſuperiorem conferebant, quam ille ſibi ſoli deberet ; & huic unum Jovem ſuperiorem eſſe putabant [1], immo & illi hoc duntaxat præ Sapientibus ſuis tribuebant, quod diutius felix eſſet, bonus, & potens. Affirmabant etiam quondam in ſenſu, Senicum ſapientem aliquid eſſe ſupra Deum, quoniam Deus ex natura ſapiens eſt, Sapiens vero eſt ſapiens ex propria virtute, atque conatu [2]. Hæc erant eorum Philoſophorum dogmata, ad quos S. Paulus erat locuturus, unde cum appareat maximum illud diſcrimen, quod aderat inter illorum atque Apoſtoli principia, facile judicare quilibet poteſt, quantæ operæ eſſet, illos in ſuam ſententiam pertrahere. Univerſum illorum ſyſtema ſtirpitus erat convellendum. C

QUID VULT SEMINI-VERBIUS HIC DICERE.] Græcus ad litteram [3] : *Hic ſeminum collector*. Credunt Grammatici, hoc nomen proprie ſignificare aviculam, quæ ſeminibus ſecus viam collectis veſcitur. Hoc proverbium per irriſionem eum ad eos transfertur, qui æque, & inique loquuntur, atque ſine judicio quidquid dicitur, colligunt, atque temere id ſimiliter effundunt ; tum ad eos, qui vitam ducunt, veſcentes iis, quæ in nundinis ſuffurantur, colligentes quidquid amittitur vel omittitur, vel rapientes, quidquid ſuper aras relinquitur [4]. S. Paulus apud hujuſmodi homines loquebatur adeo inaudita, ut minime mirum videri poſſit, ſi verboſus homo judicaretur, quaſi ea minime ſciret, quæ diceret ; Crucis enim doctrina ab Ethnicis ſtultitia habebatur : *gentibus ſtultitiam* 1. Cor. 1. 23. D

NOVORUM DÆMONIORUM VIDETUR ANNUNTIATOR ESSE.] Hoc eſt novorum Deorum ; vel cum Græco textu [5] : *Dæmoniorum externorum* ; ſed Græci Dæmoniorum nomine, Deos more ſuo intelligebant. Antiquis Athenarum Legibus [6] vetitum erat, uti ferunt, E ne Dii novi, atque externi in urbem introducerentur ; at deinde Athenienſes in eo Religionem ſuam maxime collocarunt, ſi nullum Deum in Urbe ſua reſpuerent ; cumque ſummo alicui viro, ſimulacrum conſecrabant, illud etiam numini alieni dedicare conſueverant [7]. Ita Mithridates Platonis ſtatuam ponens, illam Muſis dedicavit. Ita quot erant in Urbe ſigna, vel ſimolacra, tot erant quodammodo numina [8].

Athenienſes, S. Paulum loquentem, audientes de Jesu CHRISTO Filio Dei, qui omnem Judæam prodigiorum ſuorum admiratione repleverat, qui reſurrexerat, & in Cœlo regnabat ; rati, hoc eſſe novum aliquod numen, quod ipſe in Civitatem invehere ſtuderet, illum in Areopagum adduxerunt, vel ut damnarent tamquam impium, atque Legum regionis illius violatorem, vel ut doctrinæ ſuæ rationem redderet, atque conſilium ſuum judicibus aperiret. Credit S. Johannes Chriſoſtomus [9], illuc abreptum fuiſſe damnandum. Scimus, quanti ſteterit Socrati ſatis aperte contemptum, quo omnes Athenarum Deos excipiebat, prætuliſſe. His verbis ille damnatus fuit [10] : *Socrates Leges nos violavit, quas hæc Urbs a majoribus excepit, Deos, quos illa colit, negans eſſe Deos, atque in illum novos Dæmones*, vel novos Deos introducens. *Violavit juſtitiam, adoleſcentiam corrumpens. Morte damnetur*. Plato ex Ægypto reverſus, non auſus eſt palam proferre ea, quæ ibi de Divinitate didicerat, Areopagum veritus, teſte S. Juſtino Martyre [11], licet maxima eſſet Athenis libertas, in eo cultu, qui falſis numinibus deferebatur, non licebat tamen inſcio Areopago, vel ſtatuam dedicare, vel aram ponere, vel recentem aliquam in civitatem ſuperſtitionem invehere [12].

℣. 19. AD AREOPAGUM DUXERUNT.] Areopagus celeberrimum eſt, atque vetuſtiſſimum Græciæ tribunal. Ferunt, Martem, & Neptunum perorasse apud Judices Areopagi propter Halirrothium Neptuni Filium a Deo Marte interfectum, qui duodecim Deorum ſententia fuit abſolutus [13]. Cephalus [14], Dedalus [15], & Oreſtes variis ſubinde temporibus tribunalis ejuſdem judicium ſubiere. Hinc de illius antiquitate judicium eſto. Antiquitus ibi eæ tantum cognoſcebantur cauſæ, quæ de cæde eſſent : Verum Solon voluit, ut omnia magni momenti negotia ibi diſceptarentur [16]. S. Pauli ævo cum priſtinus Athenarum fulgor, atque poteſtas excidiſſet ; Areopagus imago erat duntaxat concilii illius, quod olim fuerat, & nihil erat, niſi magni nominis umbra. Erat tamen adhuc primum Athenarum Tribunal, ejuſque Judices ſcientiæ laude atque meritis præſtantes ferebantur, ita ut Ciceronis ævo Romani quoque ſibi honori ducerent, ſi inter Areopagitas cooſerentur.

Locus, ubi congregabantur, erat ſuperior pars Civitatis prope Martis Templum. D. Spon in itineribus ſuis ait, fondamenta loci illius, ubi Areopagus habebatur, hemicycli ſpeciem referre, extructa ex quadratis lapidibus in adamantum cuſpidem cæſis, aream ſuſtinentia paſſuum centum, & quadraginta longitudinis. Hoc ædificium aggeris altitudinem minime excedebat ; medium aſſurgebat quodam Tribunal in rupe exciſum, fortaſſe ubi Concilii Præſes ſederet : circum undique vero ambiebatur ſedilibus in eadem rupe exciſis, ubi Senatores in ordinem ſedebant. Ita Areopagus non erat aula quædam, vel Templum ; ſed area, & Platea, ubi Judices congregabantur. Ajunt, Areopagum non-

1 Horat. *Sapiens uno minus eſt Jove*. 2 Senec. Epiſt. 73. Vide Grot. & Heinſ. & maxime Diogen. Laert. in Zenone, & Stauley. hiſt. Philoſoph. t. 2. pag. 617. & ſeq.
3 Ὁ σπερμολόγος. Harpocration. Λέγεται τοιμηρὸς ὀρνίθιον καλεῖσθαι σπερμολόγον, διατρωγόμενον, ὡς ἔοικεν, ἀπὸ τοῦ τὰ σπέρματα ἀναλέγειν. 4 Vide Euſtat. et Ulpian. apud Grot. hic. Vide et Ludov. de Dieu, & alios.
5 Ξένων Δαιμονίων καταγγελεύς. 6 Serv. in Æneid. 8. Vide & Diogen. Laert. in Socrat. lib. 2.
7 Vide Caſaubon. in Diogen. Laert. lib. 3.
8 Cicero in Verrem. *Apud omnes Græcos hic mos eſt, ut honorem hominibus habitum in monumentis hujuſmodi nonnulla Religione Deorum conſecrari arbitrentur*.
9 Chryſoſtom. in Acta. Fromond. Baron. Cornel. alii. 10 Diogen. Laert. lib. 2. in Socrate.
11 Juſtin. Parænet. ad Græcos. 12 Harpocration, & Suidas in Ἐπιθέτους ἑορτάς.
13 Vide Pauſan. lib. 1. pag. 37. 52. Apollodor. lib. 3. pag. 197. Servius in Virgil. Georg. 1.
14 Apollodor. lib. 3. pag. 200. 15 Idem pag. 206.
16 Vide Plutarch. in Solone, & Marſham Can. Ægypt. ſecul. 18. pag. 604. 605.

nonniſi noctu cogi conſueviſſe, ne Judicum oculi ad miſerationem flecterentur eorum ſqualore, qui illos ad pietatem movere potuiſſent: oratoribus vero interdicta fuiſſe eloquentiæ artis ornamenta, ne Judices præverterent, & veritati officerent. Hoc autem S. Pauli ævo non amplius conſuaverat.

℣. 21. ATHENIENSES AUTEM,] & advenæ, qui erant in ea Civitate, in id unum vacabant, ut nova vel nuntiarent, vel audirent. Cum univerſa ea Civitas doctis viris, Philoſophis inerribus repleta eſſet, atque illuc undequaque curioſi, & advenæ appellerent, magis ibi quam uſpiam rerum novarum nuncia appetebantur. Docet experientia, maximas Civitates vulgo hoc morbo laborare. Hoc Romæ S. Hieronymus, Alexandriæ Philo, Pariſiis Lytanus exprobrant. Demoſthenes Athenas damnat, propter immodicam rerum novarum audiendarum aviditatem. Theophraſtus in Charact. nobis reliquit imaginem eorum hominum, qui huic uni rei ſtudebant, quos Plutarchus ab hoc vitio avertere conatus eſt, illos corripiens.

℣. 22. PER OMNIA QUASI SUPERSTITIOSIORES.] Pietatis, & Religionis exceſſus in impietatem, atque ſuperſtitionem degenerat. Veteres omnes teſtantur, hoc Athenienſium ſtudium erga pietatem, & cultum cujuslibet generis Deorum. S. Paulus etiam illos hac de re quodammodo redarguit: ſed ita ſermonem inſtituit, ut ſibi neque Judices, neque Athenienſes debeant ſubiraſci. Græca vox [1], quæ vertitur *ſuperſtitioſiores*, in bonam æque, ac malam partem accipitur, & pro religioſo homine, & pro ſuperſtitioſo. S. Paulus ait, ſe illos videre nimis religioſos, & Deorum cultui nimis deditos. Si peccatis, ex nimio pietatis exceſſu peccatis.

℣. 23. PRÆTERIENS & VIDENS SIMULACRA VESTRA [2],] vel objecta cultus veſtri, aras, delubra, ſigna veſtra. Græca vox generalis eſt: *inveni aram, cui inſcriptum eſt: Ignoto Deo.* Hæc ara certe vero Deo dicata non erat, neque ea fuerat mens Athenienſium: ſed inde S. Paulus arripit occaſionem, illis Deum verum, Deum Iſrael annuntiandi, qui vere illis erat ignotus, & qui unus cultum, & adorationem illorum merebatur. De hac ara Deo ignoto dicata fuſius verba faciemus in peculiari Diſſertatione.

℣. 24. DEUS QUI FECIT MUNDUM.] Mirum in modum, atque ſapienter novit S. Paulus ſe ſe aptare illis, quos alloquitur. Hoc in loco minime perſuadendum eſt Judæis, qui jam Dei exiſtentiam, Providentiam, mundi creationem, & liberatoris neceſſitatem intelligunt. Hoc agitur, ut Ethnicis, atque Philoſophis hæc veritas perſuadeatur. Primum rem agere inſtituit, quam pleri que confitebantur: a Deo ſcilicet Mundum eſſe creatum: unde arguit, illum in manufactis hominum delubris non habitare. Illatio perſpicua eſt, atque neceſſaria. Quod continetur, minus eſſe debet continenti; Deus qui in Templo continetur, neceſſario minor eſt Templo: at Mundi creator recto major eſt mundo ipſo; ergo in Templo contineri non poteſt. Epicureos reſpondiſſet, Mundum caſus effectum fuiſſe, non Dei opus: ſed ea opinio apud Ethnicos ipſos adeo fidem amiſerat, ut illi impugnandæ S. Paulus minime immoretur, contrariam ſententiam tamquam certiſſimam ſupponens. Concluſio vero, quam elicit, Philoſophis nequaquam fuit penitus ignota: Sapientiores enim crediderunt, Templa non pro Diis eſſe, ſed pro hominibus, & hominis cor verum eſſe Templum divinitatis [3]. *Non Templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis ſtruenda ſunt; in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore.*

℣. 25. NEC MANIBUS HUMANIS COLITUR.] Operibus videlicet manuum hominis, Panis, Aris, Statuis, Sacrificiis. Deus horum omnium non indiget [4], neque materialis, neque corporeus, neque limitibus circumſcriptus, neque ſanguinis ſitiens, nec thymiamatum odore, vel muſices illecebra delectandus. Si noſtrum expetit famulatum, nos hoc illi debemus, licet illius ipſe minime egeat. Cultum ſpiritualem a nobis petit. Si corporea illi præſtamus officia, ideo præſtamus, quod anima agere minime poteſt, niſi per corpus; neque aliter nobis licet extrinſecus cordis noſtri ſenſum teſtari.

Textus ad litteram habet [5]: *Deus non colitur, vel ſervientem non excipit per manus hominum.* Quaſi Deus famulis indigeret, a quibus geſtaretur, indueretur, inungeretur, aleretur, protegeretur. Ethnici enim Diis ſuis pro omnibus vitæ neceſſitatibus miniſtros tribuebant, nec deerant populi, qui diis ſuis, & menſam in Templis inſtruerent [6], & conjuges ſuas eorum libidini proſtituerent [7]: quæ omnia incredibilia viderentur, niſi illa ex Ethnicis intelligeremus. *In Capitolium perveni,* inquit apud S. Auguſtinum l. 6. c. 10. de Civ. Seneca, *pudebit publicatæ dementiæ . . . alius horas Jovi nuntiat, alius lictor eſt, alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur ungentem. Sunt, quæ Junoni ac Minervæ capillos diſponant, longe a Templo, non tantum a ſimulacro ſtantes, digitos movent ornantium modo. Sunt, quæ ſpeculum teneant, ſunt qui ad vadimonia ſua Deos advocent, ſunt, qui libellos offerant, & illos cauſam ſuam doceant. Doctus archimimus ſenex jam decrepitus, quotidie in Capitolio mimum agebat, quaſi Dii libenter ſpectarent, quem homines deſierant.* Hoc eſt, Deo per manus hominum inſervire.

℣. 26. FECITQUE EX UNO.] Græcus [8]: *naſci fecit ex uno ſanguine omne genus humanum.* Athenienſes, ad quos S. Paulus loquebatur, ſe patrii ſoli filios, atque indigenas ferebant, neque ex alio quovis populo originem duxiſſe gloriabantur: *Vetuſtate ea eſt,* ait Cicero in Orat. pro Flacco, *ut ipſa ex ſe ſe ſuos Cives genuiſſe dicatur; & eorum eadem terra parens, altrix, Patria dicatur.* Apoſtolus verbo chimæricam hanc evertit ſententiam, dicens, omnes homines ab unius ſanguine profectos eſſe, & unum omnium communem eſſe parentem. Addit etiam, *fecit inhabitare ſuper univerſam faciem terræ;* idcoque perperam Athenienſes inter ſe, & externos injurioſum ſtatuebant diſcrimen [9]; nemo enim in aliqua terra externus eſt, quia terra omnis data fuit incolenda a ſummo Domino, cui de eadem abſolute diſponendi jus eſt.

DEFINIENS STATUTA TEMPORA, & TERMINOS HABITATIONIS EORUM.] Deus ſtatuit ætatem, & diuturnitatem cujuſquam populi, atque terram ab illo incolendam [10]. Quaſi diceret: nequicquam originis veſtræ jactitatis antiquitatem, regionis pulchritudinem, urbis, atque Reipublicæ diuturnam incolumitatem; hæc enim omnia ab eo, quem vobis annuntio, obtinuiſtis. Ipſe Creator veſter, & Creator illius, a quo ſumpſiſtis originem. Ipſe regionis veſter Dominus eſt: ipſe eam vobis ex mera tradidit miſericordia.

℣. 27. QUÆRERE DEUM, SI FORTE ATTRECTENT EUM.] Hoc eſt illius conſilium nos creantis, nobis vitam tribuentis, atque terram regionem incolendam deſignantis. Vult, ut primum vacemus inquirendo, cognoſcendo, amando, atque illi inſerviendo. Totus hic S. Pauli ſermo arte, ac ſapientia refertus eſt. Athenienſes refellit, eorumque ſententias, quas maxime amabant, confutat; ita tamen, quin illos laceſſat, atque irritet. Dicit ſolum, nos omnes ex eadem progenie natos eſſe, & Deum ſingulis populis terram, quam incolunt, diſtribuiſſe. Minime veretur ſtatim eam impugnare ſententiam, quæ hactenus prævaluerat. Statim ac principium ejus admittitur, Athenienſium præ-

1 Κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ. Vide Grot. et Hammond. hic.
2 Τὰ σεβάσματα ὑμῶν. 3 Seneca Moral. Philoſoph. Lactant. lib. 6. cap. 25.
4 Euripid. Hercul. furente apud Grot. hic.
5 Οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται. 6 Dan. 14. Ariſtophan. Plut. act. 3. ſcen. 2.
7 Vide Joſeph Antiqu. lib. 18. cap. 4. de Paulina Romana, & Herodot. lib. 1. cap. 181.
8 Ἐξ ἑνὸς αἵματος. Vox αἵματος, in pluribus MSS. deeſt. 9 Vide, ſi placet, Ariſtid. Panathenaic. apud Priceum hic ad verſ. 21. 10 Ita Sanct. Cornel. Grot. Fromond. alii.

præjudicium corruit, atque ex ſemetipſo intercidit. Quoniam apud doctos viros loquitur, prudenter eorum ingeniis utitur ad veritatem inſinuandam. Athenæ plenæ erant hominibus, qui vitam ſuam ratiocinando, & philoſophando impendebant. Ait illis, hoc primum eſſe, atque potiſſimum hominis negotium. A Creatore homines fuiſſe creatos, ut quærant Deum, *ſi forte attrectent eum, aut inveniant*: quæ loquendi ratio ſatis exprimit Philoſophorum conatus, ut ad veram, ſolidamque cognitionem pervenirent. Sed addit, *quamvis non longe ſit ab unoquoque noſtrum*, quod quærimus; ſæpe illum non invenimus, vel quod non bene quærimus, vel quod ibi quærimus, ubi non eſt. Quid reliquum erat, quod diceret? niſi; vobis oſtendam, ubi eſt. Et ſane eo uſque ſuum auditorem adducit. Ciet illius curioſitatem, eamque jucunde allicit, ſpem offerens illi oſtendendi breviorem viam, qua ad finem in omnibus ſtudiis ſibi propoſitum facilius perveniat.

QUAMVIS NON LONGE SIT AB UNOQUOQUE NOSTRUM. ℣. 28. IN IPSO ENIM VIVIMUS, &c.] Hæc omnia cognita jam fuerant a Philoſophis celeberrimis, neque poterant non maxime valere apud Judices Areopagi, qui omnes eruditi erant viri, atque optimis Philoſophiæ præceptis imbuti. Vetuſtiſſimum quoddam oraculum fuerat [1]: *omnia Dei plena ſunt; Deus ſe ſe prodit ubique*. Deus, ait Seneca epiſt. 41. *prope te eſt; tecum eſt, intus eſt*; quam ſententiam ex ipſo Zenone Stoicorum duce didicerat [2]. In Deo, & per Deum vitam habemus. Ille nobis rationabilem animam, motum, actionem, vitam, ſenſum, & ipſum eſſe tribuit. Ille nos creavit, ille nos tuetur, ille unicus eſt fons exiſtentiæ, & operationum animarum noſtrarum, noſtrorumque corporum. Hæ veritates in ſimplici reſpectiva Creaturæ, & Creatoris notione continentur.

SICUT ET QUIDAM VESTRORUM POETARUM.] Poetæ quidam erant quodammodo Ethnicæ Religionis Prophetæ. Illi Deorum geneſim, ac præcipuas eorumdem cultus ceremonias ſerebant. S. Paulus hoc in loco Aratum profert, qui concivis Poeta ſuus fuerat, qui & ipſe ex Cilicia duxerat originem. Hic eſt totus hujus Scriptoris locus [3]: *Ab Jove incipiendum eſt, cujus oblivisci nefas eſt. Omnia Jovis ſunt plena. Illic vias, Plateas, & hominum cœtus replet. Maria omnia, & portus Jove pleni ſunt, & ubique Jove indigemus.* S. Paulus iſthic falſum Deum Jovem minime celebrat, neque illi aliquam tribuit realitatem. Nomen illius pro Dei nomine uſurpat, quemadmodum conſueverat apud Ethnicos, coram quibus loquebatur; atque in illos ex propriis eorumdem principiis argumentum contorquet. Si verum eſt, Jovem Deum eſſe ubique, & nos jugiter indigere influxu, & concurſu illius, ut exiſtamus, vivamus, ſubſiſtamus. Deus igitur certe corporalis non eſt, non abeſt a nobis, & iis rebus afficitur, quæ ad nos pertinent. Si erga Deum ſumus ea, quod cenſet Aratus; qua obſervantia, quo amore, quo grati animi ſenſu a nobis colendus eſt? Lucanus etiam hoc ipſum ferme dicebat l. 9. Pharſal.

Jupiter eſt quodcumque vides, quocumque moveris.

Et item:

. . . . *Jovis omnia plena.*

Stoici, atque Platonici aſſerebant, Mundi animam eſſe ipſum Deum, Creaturis omnibus vitam, eſſentiam, & motum conferentem. Eorum ſententia opti- A mum poteſt ſenſum admittere; verum eſt enim, Deum eſſe rerum omnium principium; at ſi corporali, atque diviſibili ratione intelligatur, ita ut Deus per partes in creatis rebus diviſus ſit, quemadmodum nonnumquam Poetæ innuere velle videntur; hoc Deo injurium erit, & nullo pacto probari poterit. Virgilius Georg. 4.

. . . . *Deum namque ire per omnes,*
Terraſque, tractuſque maris, Cœlumque profundum,
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

S. Pauli exemplum iſthic prophanum Auctorem, Ethnicumque Poetam proferentis eos probare poſſe videtur, qui in ſcriptis ſuis, ubi de rebus ad Religionem ſpectantibus agunt, Auctorum, quos Eccleſia B damnavit, utuntur teſtimonio. Id facere nonnumquam cogimur ipſa cauſæ noſtræ utilitate, & veritatis hoſtes propriis illorum armis confodiamus, quemadmodum egregie hoc in loco præſtitit S. Paulus. Veritas ipſa in ore Ethnici, vel Hæretici fit mendacium; eaque de captivitate quodammodo eruitur, ubi in lucem ſuam profertur, atque ad errorem evertendum impenditur. Auctor eſt S. Clemens Alexandrinus l. 6. Strom. S. Paulum ſuaſiſſe, ut nonnumquam Ethnicorum libri legerentur, inter cæteros vero Sybillæ, atque Hyſtaſpis, & illius ſermonem quemdam hac de re adfert. Verum a fide non abhorret, S. Clementem, qui nonnumquam libris parum certis habebat fidem, hoc ex pravo quodam fonte hauſiſſe; & eos, qui commentitia Sybillarum, atque Hyſtaſpis ſcripta concin- C narunt, hanc etiam fabulam, & hunc S. Pauli ſermonem fuiſſe commentos, ut operi ſuo famam conciliarent.

℣. 29. GENUS ERGO CUM SIMUS DEI.] Si nos qui Creaturæ tantum ſumus, & qui, ut Poeta veſter locutus eſt, genus Dei; ducimus tamen nos auro, & argento nec non perfectiſſimis quibuſque materialibus imaginibus eſſe præſtantiores, quid porro de ipſa Divinitate erit exiſtimandum? Non ne injuriam illi infert, qui credit ſatis digne ſub imagine corporea exhiberi poſſe, & aſſerit, illam hujuſmodi figuris adnexam permanere? Ethnici enim doctiores minime credebant, materiale Idolum eſſe Deum, ſed Dei tantum imaginem [4]; populus vero arbitrabatur divinitatem in ſimulacris habitare, quæ colebat, & venerabatur: atque ut pluri- D mum opinabatur, Deos ſimiles eſſe imaginibus, quibus exhibebantur, ideoque illos corporeos eſſe credebat. S. Pauli argumentum illuc tendit, ut oſtendat, quam ridiculum ſit numen corporeum, atque apud Areopagitas tenet, Deum hominum Creatorem, neque corporeum eſſe, neque ſub ſenſibili forma poſſe exhiberi. Deus corporeus non poteſt eſſe auctor hominis rationalis, qui ex corpore, & anima conſtat, & qui credit, ſe toto Cœlo ea omnia ſuperare, quæ magis pretioſa habentur in terris. Marmor, aurum, & argentum, licet ſumma artificis cura elaborata, numquam exhibere hominem potuerunt niſi imperfectiſſime, idque ſolum ſecundum alteram hominis partem, quæ minus eſt, & magis rudis; igitur potiori jure non poterit homo ſub corporea imagine exhibere divi- E nitatem.

℣. 30. TEMPORA HUJUS IGNORANTIÆ DESPICIENS DEUS [5].] Deus iratus in hæc tempora ignorantiæ. Hactenus Deus neglexit quodammodo, atque contempſit hæc cæcitatis, & ignorantiæ tempora, quibus natio-

1 Oracul. apud Porphyr. Πάντα Θεοῦ πλέα, πάντη Θεὸς ἐστὶ φαίνεται. 2 Zeno apud Laert.
3 Arati Phænomen. apud Hieronym. in Epiſt. ad Tit. 1. & Tull. lib. 2. de nat. Deorum.
4 Ovid. de Ponto lib. 2. Eleg. 8.

Felices illi, qui non ſimulacra, ſed ipſos,
Quique Deum coram corpora vera vident.
Quod quoniam nobis invidit inutile fatum,
Quos dedit ars vultus, effigiemque colo.
Sic homines novere Deos, quos arduus Æther
Occulit, & colitur pro Jove forma Jovis.

Arnob. lib. 6. *Simulacra hæc omnia ſuperiorum ſunt imagines numinum. Ergo & in cœlo habitare dicendus eſt Deus talis, ad cujus formam, & ſpeciem ſimulacri hujus ſimilitudo directa eſt.*
5 Τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδών.

Judæis, & Græcis. 5 Cum veniſſent autem de Macedonia Silas, & Timotheus,
inſtabat verbo Paulus, teſtificans Judæis eſſe Chriſtum Jeſum. 6 Contradicenti-
bus autem eis, & blaſphemantibus, excutiens veſtimenta ſua, dixit ad eos: San-
guis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego ex hoc ad Gentes vadam. 7 Et
migrans inde, intravit in domum cujuſdam, nomine Titi Juſti, colentis Deum,
cujus domus erat conjuncta ſynagogæ. 8 Criſpus autem archiſynagogus credidit
Domino cum omni domo ſua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & ba-
ptizabantur. 9 Dixit autem Dominus nocte per viſionem Paulo: Noli timere,
ſed loquere, & ne taceas. 10 Propter quod ego ſum tecum: & nemo appone-
tur tibi, ut noceat te: quoniam populus eſt mihi multus in hac civitate. 11
Sedit autem ibi annum, & ſex menſes, docens apud eos verbum Dei. 12 Gal-
lione autem proconſule Achajæ, inſurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, & ad-
duxerunt eum ad tribunal, 13 Dicentes: Quia contra legem hic perſuadet ho-
minibus colere Deum. 14 Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad
Judæos: Si quidem eſſet iniquum aliquid, aut facinus peſſimum, o viri Judæi,
recte vos ſuſtinerem. 15 Si vero quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus, &
lege veſtra, vos ipſi videritis: Judex ego horum nolo eſſe. 16 Et minavit eos
a tribunali. 17 Apprehendentes autem omnes Soſthenem principem ſynagogæ,
percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat. 18 Paulus
vero cum adhuc ſuſtinuiſſet dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Sy-
riam (& cum eo Priſcilla, & Aquila) qui ſibi totonderat in Cenchris caput:
habebat enim votum. 19 Devenitque Epheſum, & illos ibi reliquit. Ipſe vero
ingreſſus ſynagogam, diſputabat cum Judæis. 20 Rogantibus autem eis, ut am-
pliori tempore maneret, non conſenſit, 21 Sed valefaciens & dicens, iterum re-
vertar ad vos, Deo volente, profectus eſt ab Epheſo. 22 Et deſcendens Cæſa-
ream, aſcendit, & ſalutavit Eccleſiam, & deſcendit Antiochiam. 23 Et facto ibi
aliquanto tempore profectus eſt, perambulans ex ordine Galaticam regionem, &
Phrygiam, confirmans omnes diſcipulos. 24 Judæus autem quidam, Apollo no-
mine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Epheſum, potens in ſcriptu-
ris. 25 Hic erat edoctus viam Domini: & fervens ſpiritu loquebatur, & doce-
bat diligenter ea, quæ ſunt Jeſu, ſciens tantum baptiſma Joannis. 26 Hic ergo
cœpit fiducialiter agere in ſynagoga. Quem cum audiſſent Priſcilla, & Aquila,
aſſumpſerunt eum, & diligentius expoſuerunt ei viam Domini. 27 Cum autem
vellet ire Achajam, exhortati fratres, ſcripſerunt diſcipulis, ut ſuſciperent eum.
Qui cum veniſſet, contulit multum his, qui crediderant. 28 Vehementer enim
Judæos revincebat publice, oſtendens per Scripturas, eſſe Chriſtum Jeſum.

℣. 1. VENIT CORINTHUM.] Non ſatis liquet A
quandiu S. Paulus Athenis permanſerit, ſed non potuit ibi minus quam tres menſes permanſiſſe. Opus erat, ut Theſſalonicenſes, qui eum illuc adduxerant, domum reverterentur, & Timotheus Theſſalonica Athenas veniret, & Athenis Theſſalonicam reverteretur, atque S. Paulum ſolum relinqueret [1], fortaſſe quod Silas venire non potuerat. Apoſtolus ſæpius ad Judæos, atque Philoſophos Athenarum locutus, videns neutros ex præceptis ſuis fructum percipere, atque Evangelium ea in Civitate non ſatis proficere, inde egreſſus eſt, ut ſe conferret Corinthum. Athenienſes, quemadmodum S. Chryſoſtomus in Acta hom. 39. animadvertit [2], mirum in modum optabant res novas audire, quæ ad Religionem, Theologiam, & Philoſophiam pertine- B
rent. Quidquid novum erat, atque inauditum, eos voluptate afficiebat; non ita tamen, ut illos converteret. Cum enim aſſueti eſſent de qualibet re diſceptando, maxime ſeria Religionis argumenta tamquam Philoſophica ſcita pertractabant [3], ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.

Corinthus ſita ad Iſthmum, Peloponneſum inter & Atticam, caput erat Achajæ, vel Peloponneſi, celeberrima propter duplicem portum, atque ſuam cum duplici mari negotiationem, cum Jonio ſcilicet per Lechæum portum in ſinu Criſſæo ſitum, cum Ægæo vero per portum Cenchræum in ſinu Saronico [4]. Hanc Romani jam everterant tempore belli Achaici: ſed Julius Cæſar illam ex ruderibus excitavit; eaque brevi inter pulcherrimas Urbes Græciæ fuit adnumerata. Urbs hæc Athenas mercibus, non ſcientiis ſuperabat; habebat tamen plurimos Oratores, atque Philoſophos, & Græcarum Civitatum una maxime libidini atque voluptatibus dedita ferebatur.

℣. 2. INVENIT JUDÆUM NOMINE AQUILAM.] Aquila in Ponto natus Romæ ſedem ſuam collocaverat, ubi victum ſibi quæritabat arte ſua, Tabernaculorum ſcilicet conficiendorum. Inde una cum aliis Judæis ab Imperatore Claudio ejectus fuit [5] per occaſionem tumultus, quem ibi pariebant Judæi, *impulſore Chreſto*, inquit Suetonius. Non ambigimus, quo minus hic *Chreſtus* ſit JESUS CHRISTUS; nam Ethnici illum ſæpius hoc nomine appellabant, quemadmodum *Chreſtianos* dicebant, & quominus Judæi, qui pertinaces mordicus in ſententia ſua permanebant, in Urbe

[1] Vide 1. Theſſal. 3. 1. 2. 5. [3] 2. Timot. 3. 7. [4] Vide Strabo. lib. 8. p. 162.
[5] Sueton. lib. 5. c. 25. in Claudio. *Judæos impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expulit.*

Roma magnos exciverint tumultus contra fratres ſuos, & contra Gentiles, qui Chriſtianæ Religioni nomina debant. S. Paulus mox Aquilæ domum reliquit, ut apud Juſtum prope Synagogam incoleret. Aquila quidem Judæus erat converſus; Juſtus vero Ethnicus, ſed qui fidem amplexus fuerat. S. Paulus duodeviginti menſes Corinthi permanſit, unde egreſſus, ut Jeroſolymam ſe ſe conferret, comites habuit Aquilam, & Priſcillam, e quibus primum hoſpitio fuerat exceptus [1]. Simul Epheſum pervenerunt, ubi illos S. Paulus reliquit, ut Evangelium prædicarent, & fideles, qui ibi jam aderant, confirmarent. Illi huic etiam Civitati præclara præſtiterunt officia eouſque, ut caput pro Pauli vita, quemadmodum ipſe teſtatur, in diſcrimen adduxerint [2]. Illi Romam jam redierant, cum Apoſtolus ſcripſit Epiſtolam ad Romanos [3]; quoniam ibi eiſdem præclaris cum laudibus ſalutem dicit. Denique in Aſiam jam fuerant reverſi, cum S. Paulus alterem ſcripſit ad Timotheum epiſtolam, ubi eum rogat, ut verbis ſuis illos ſalvere jubeat [4]. Ibi etiam ad mortem uſque permanſiſſe creduntur; quoniam Romanæ Martyrologia illos ibi die octava Julii martyrio coronatos teſtantur. Priſcilla nonnumquam *Priſca* etiam vocatur. Congeſſimus autem in unum locum ea omnia, quæ ad illuſtres hos ſanctiſſimoſque conjuges ſpectant, ne ſæpius de iiſdem verba facere teneremur.

℣. 3. QUIA EJUSDEM ERAT ARTIS,] ac Aquila, apud quem permanebat. Non ſatis conſentiunt Critici, quænam fuerit S. Pauli ars: aſſerentibus aliis, illum artificem fuiſſe tabernaculorum [5] ſeu tentoriorum pro militibus, aut viatoribus, quæ ex pellibus, aut lana fiebant, & quibus Veteres utebantur. S. Johannes Chryſoſtomus in 2. Tim. hom. 4. atque Theodoretus Græcar. affect. l. 2. illum corii ſectorem appellant. Alii [6] putant illum tapetes, vel magna aulæa, aut cortinas confeciſſe, quibus ad theatra præcipue exornanda utebantur. Judæi olim, ipſi etiam litterati, vulgo arti alicui vacabant, ut victum ſibi compararent, ne alicui graves eſſent. Doctores inter prima Patris erga filios officia recenſent, efficere, ut liberi aliqua arte imbuantur. Et Rabbinus Juda ait, Patrem, qui hoc erga Filium ſuum munus non expleat, perinde noxium eſſe, ac ſi eum ſuffurari doceat. In numero doctorum virorum apud illos occurrunt coriarii, ſutores, Sarcinatores, Piſtores, Amanuenſes. Rabbinus Juſe erat Coriarius, Rabbinus Juda Piſtor, Rabbinus Jochanan ſutor. Hujuſmodi artes, quæ a nobis humiles, & contemptibiles habentur, non ita ab illis cenſebantur [7]; & ſane humilitatis idea, quam mortales de iis artibus conceperunt, merus eſt vanitatis, & opinionis effectus: re enim ipſa nulla ars turpis eſt [8], niſi virtuti, pudori, vel utilitati proximorum adverſetur. Putat S. Auguſtinus tract. 122. in Joan. n. 3. S. Paulum Tabernaculorum conficiendorum artem didiciſſe, poſtquam ad Apoſtolatum vocatus fuit, ne gravis eſſet illis, quibus prædicabat Evangelium. De opere vero Monach. c. 13. loquitur, quaſi ignoraſſet, vel ſaltem dicere noluiſſet, quam artem S. Paulus exerceret; eique ſufficit aſſerere, illum nihil niſi bonum atque utile feciſſe.

℣. 4. SUADEBAT JUDÆIS, & GRÆCIS,] vel potius Judæis, atque Ethnicis, vel Proſelytis, illis videlicet ex Gentilibus, qui Deum verebantur, & qui aderant in Synagoga, ſalutis verbum audituri. S. Paulus primus eſt, qui Corinthi fidem plantaverit [9], & ipſe ait, Deum prædicationem ipſius plurimis illuſtraſſe miraculis [10]. Ibi convertit Stephanam, vel Stephanum, & domum ejus, quam Achajæ primitias appellat [11]: eos autem baptizavit una cum Criſpo, & Cajo [12]; non enim miſſus erat ad baptizandum ſed ad prædicandum.

℣. 5. CUM VENISSENT SILAS, & TIMOTHEUS.] Vidimus ſupra, S. Paulum ab illis recedere coactum fuiſſe, cum præcipitem corripere fugam debuit, ut Judæorum vim evitaret [13]. Cum Timotheus Athenas veniſſet, S. Paulus illum iterum Theſſalonicam miſerat [14], ratus, eam Eccleſiam præſentia illius magis quam ipſe ejuſdem ope indigere; licet tum maxime indigeret eadem, prout res ſe tunc habebat. Denique Silas, atque Timotheus Theſſalonica reverſi, illum Corinthum convenerunt, quorum adventus eum lætitia ſumma affecit, quod illi narrarunt ſtatum Eccleſiæ Theſſalonicenſis, de quo ſummopere ſollicitus erat. Primam ex epiſtolis illius ad ejus Eccleſiæ fideles ſcripſit paulo poſt Timothei reditum. Hæc enim prima eſt Epiſtolarum S. Pauli; altera vero ad eamdem Eccleſiam data, paulo poſt priorem ſcripta fuit, cum adhuc S. Paulus eſſet Corinthi: eaque eſt nominibus Silæ, & Timothei, una cum nomine S. Pauli non ſecus ac ſuperior, inſcripta.

Deinceps Scriptura non meminit amplius *Silæ*. Latina martyrologia illius diem feſtum colunt die 13. Julii. Ado inquit, illum in Macedonia obiiſſe, atque per martyrium ex humanis deceſſiſſe, videtur innuere. Græci illius memoriam peragunt die 30. Julii eumque Apoſtoli nomine dignantur, quod illi tribuitur etiam, & a martyrologiis Uſuardi, & Adonis, & e quibuſdam Galliarum Eccleſiis. Immo fatendum eſt, poſt S. Barnabam neminem ex his diſcipulis dignitatis hujus nomen melius fuiſſe promeritum. Non deſunt, qui ad Silam referant, quod a S. Paulo dicitur ad Corinthios: *miſimus etiam cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias, non ſolum autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ*. 2. Cor. 8. 18. Sed hoc de S. Luca a pluribus intelligitur.

INSTABAT PAULUS.] Græcus [15]: coarctabatur quodammodo, & vim patiebatur propter Spiritum Sanctum, qui illum urgebat, atque excitabat; ſimilis homini, qui vehementi animi perturbatione agitatus ſe ſe cohibere non poteſt. S. Paulum intus urebant, & zelus, & cupiditas, fratres ſuos ad Dominum revocandi; at dolore conficiebatur, quod inutilem operam navaret, atque inveniret corda obdurata, & gratiæ, atque verbo Dei obſtructa.

℣. 6. EXCUTIENS VESTIMENTA SUA.] Judæos reliquit, tunc ſolum, cum ad frugem revocari non poſſe intellexit. Tunc excuſſit veſtimenta ſua ſuper illos ſymbolico hoc facto innuens nullam amplius cum illis inire velle conſuetudinem juxta ea JESU CHRISTI verba [16]: *quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel Civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris*. Apoſtolus addit: *ſanguis veſter ſuper caput veſtrum*. Si in interitum ruitis, vobis metipſis iraſcimini. Vos admonui, vos edocui, vos adhortatus ſum: video jam in vos ultionem Domini ingruentem. Clamavi, tuba perſonui, commonefeci; ſi vobiſmetipſis non conſulitis, & decidit gladius in capita veſtra, ſuper vos erit ſanguis veſter [17].

℣. 7. MIGRANS INDE] ex domo Aquilæ, ubi antea commorabatur [18], ſe ſe contulit apud Ethnicum quemdam Chriſtianæ Religioni initiatum, nomine *Titi Juſti, cujus domus erat conjuncta Synagogæ*; quaſi innuere vellet, ſe invitum relinquere fratres ſuos, paratum ſemper, ut illis opitularetur. Græcus typis editus *Juſti* dumtaxat legit, non autem *Titi*; Syriaca vero legit *Titi*, non autem *Juſti*. MSS. quidam, Cophtus, & Arabs cum Vulgata legunt *Titi Juſti*, vel *Titum Juſti filium*. Vetus Cantabrigienſis MS.

1 Infra verſ. 18.   2 Rom. 16. 4.   3 Rom. 12. 3. 5.   4 2. Tim. 4. 19
5 Ἦσαν σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην. *Conficere tabernacula*, ſeu *tentoria*. Vat. Grot. Eraſm. Zeger. Ita PP. & alii paſſim.   6 Vide Eraſm. Camer. Vatab. Eſt. *Conficiebat aulæa*.
7 Vide Druſ. Grot. Ligfoot. Rab. Abrah. Zachus lib. Juchaſim. Sanct. Cornel. Baron.
8 Heſiod. Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος.   9 1. Cor. 3. 6. 10.   10 2. Cor. 12. 12.
11 1. Cor. 16. 15.   12 1. Cor. 1. 14. 12.   13 Act. 17. 9. 10.
14 Theſſal. 3. 1. 2. 5.   15 Συνείχετο τῷ πνεύματι. *Coarctabatur*, *conſtringebatur*, *angebatur Spiritu*
16 Matth. 10. 14. Luc. 10. 11.   17 Ezech. 33. 3. 4. Vide pariter 2 Reg. 1. 16 Marc. 27. 25.
18 Chryſoſt. homil. 39. in Acta Fromond. alii.

ſit MS. vetuſto charactere legit *Titi*, vel *Titii*; ſed charactere quodam recentiore additum fuiſſe *Juſti*. Dominus Millius credit, *Juſti* gloſemma eſſe, quod ex margine in textum migravit. Putat S. Johannes Chryſoſtomus in Ep. ad Tit. 1. Titum, ad quem ſcripſit S. Paulus, eumdem eſſe ac illum, qui hic memoratur. Neque aliter ſenſit Grotius [1]: ſed oppoſitam ſententiam omnes ferme amplectuntur. Ex hiſtoria nihil didicimus de hoc Tito Corinthio.

℣. 8. CRISPUS AUTEM ARCHISYNAGOGUS.] Archiſynagogus præerat in populi cœtu, legem interpretabatur, licita ab illicitis ſecernebat, inobedientes mulctabat, rebelles excommunicabat, celebrabat conjugia, declarabat divortia, eodem ferme pacto, quo hodierna die apud Judæos *Chacham-Rab* Magiſter ſapiens [2]. Criſpus dicitur [3] a S. Paulo creatus fuiſſe Epiſcopus Inſulæ Eginæ prope Athenas, ejuſque feſtivitatem quarto nonas octobris veneratur Eccleſia.

MULTI CORINTHIORUM.] Novimus Stephanam, Cajum, Juſtum, vel Titum, & fortaſſe Soſthenem, & Epænetum, qui Corinthi converſi ſunt. At videtur S. Lucas hic præſertim innuere velle Gentiles, qui fidem amplexi ſunt, poſtquam e Judæis S. Paulus receſſit.

℣. 10. NEMO APPONETUR TIBI.] Græcus [4]: *nemo injiciet manum* [5] *in te, ut tibi noceat*; vel nemo inimicis tuis adhærebit, ut te lædat; nam quodcumque illi adnitantur, *populus eſt mihi multus in hac Civitate*. Irriti non erunt labores tui, plurimos Corinthi convertes.

℣. 11. ANNUM & SEX MENSES.] Corinthi, vel in finibus illius permanſit; non enim fidei conſonum eſt, illum totum hoc temporis ſpatium impendiſſe in Urbe prædicantem. Aderat & in Cenchris Eccleſia porto Corinthiaco, nam S. Paulus ſeu in hoc, ſeu in alio itinere, hoſpitio exceptus fuit a Phœbe, Eccleſiæ illius Diaconiſſa [6]: & ſecunda ad Corinthios epiſtola, ad Corinthios ſimul, & omnes Achajæ Fideles data eſt [7].

℣. 12. GALLIONE AUTEM PROCONSULE ACHAJÆ.] Ad Proconſulis hujus Tribunal a Judæis S. Paulus adductus fuit. Hoc accidit ſub finem duodevigeſimi menſis, quo S. Paulus Corinthi permanſit, anno 53. JESU CHRISTI. Gallio Proconſul, vel Præſes Achajæ frater erat Senecæ Philoſophi, qui Præceptor erat Neronis. Primum illius nomen fuerat *Marcus Annæus Novatus*; ſed cum per adoptionem ingreſſus eſſet in familiam Gallionis a Tiberio in exilium ejecti, nomen induerat *Lucius Junius Gallio*, eratque vir ſuavis, atque jucundus [8]; & ad eum frater Seneca libros ſuos de ira dedicavit. Hic fraternæ calamitatis particeps fuit, quemadmodum, & gratiæ fuerat; atque Neronis juſſu una cum fratribus ſuis interfectus. Corinthus cum totius Achajæ eſſet Metropolis, ibi Gallio ut plurimum ſedebat. Judæi irritati, quod a Paulo derelicti fuiſſent, qui plurimos jam Ethnicorum converterat, illum ad Gallionis Tribunal arripuerunt, eum accuſantes, *quia contra Legem hic perſuadet hominibus colere Deum*. In Provinciis Judæi minime illud jus obtinebant, quod in Judæa, in illos ſcilicet animadvertendi, qui leges infringerent. Si enim hoc illis Corinthi jus fuiſſet; profecto S. Paulum in Synagoga damnaſſent, & ſupplicio affeciſſent.

℣. 13. CONTRA LEGEM.] Permiſerant Imperatores, ut Judæi ſecundum Moyſis Leges vitam traducerent. Accuſabatur S. Paulus, quod neque ſecundum Moyſis, neque ſecundum Romanas Leges viveret, neque Judæus eſſet, neque Gentilis, & complures ſibi ſimiles diſcipulos colligeret. Hi Judæi non ſunt, quoniam circumciſionem minime recipiunt, & Legis ceremonias non obſervant: non Ethnici, quia Idolorum cultum perhorreſcunt. Nulla eſt Lex, qua talis Religio probetur.

℣. 15. SI QUÆSTIONES SUNT DE LEGE VESTRA,] nolo de illis judicare; non enim Judex conſtitutus ſum, ut hujuſmodi cauſam cognoſcam. Permittunt quidem Imperatores Judæis, ut ſecundum ſuas Leges vivant; non prohibent vero, ne alii, ſinguli propriam Religionem ſequantur. Si Paulus reus eſt, quod Judæus non eſt, Leges hoc nefas non citant. Profecto nullum adhuc contra Chriſtianam Religionem edictum emanaverat; & Leges, quibus novæ Religiones damnabantur, varias ejuſdem Religionis ſectas non reſpuebant. Chriſtiana Religio una cum Judaica permiſſa cenſebatur, cujus nonniſi tamquam reformatæ, aut ſpecies quædam habebatur.

℣. 16. MINAVIT EOS A TRIBUNALI.] Verbum *minare*, pro *ducere*, non adeo commune eſt apud purioris Latinitatis Auctores. Invenitur tamen apud Auſonium, Feſtum, & Apulejum, atque illum Vetus Latinus Scripturarum Interpres ſæpe uſurpavit [9]. Græcus legit [10]; *repulit eos*, rejecit, juſſit, a Tribunali recedere.

℣. 17. APPREHENDENTES OMNES SOSTHENEM.] Soſthenes fortaſſe erat Criſpi Archiſynagogi ſucceſſor. In hunc textum plures difficultates inſurgunt. S. Chryſoſtomus [11], aliique nonnulli putant, Soſthenem a Judæis virgis fuiſſe cæſum, quod Chriſtianus eſſet, & S. Pauli amicus. Putant, hunc illum eſſe Soſthenem, cujus nomen una cum nomine S. Pauli in fronte primæ ad Corinthios Epiſtolæ invenitur [12]: ſed Græcus typis editus [13]. *Græci omnes apprehendentes Soſthenem Principem Synagogæ percutiebant eum &c.* Similiter legit etiam S. Auguſtinus ep. 93. n. 7. nov. edit. qui hoc utitur exemplo, ut oſtendat, impios etiam, non ſecus ac pios viros poſſe exagitari.

Beda etiam in exemplari Græco ſuo legebat, Soſthenem ab Ethnicis fuiſſe percuſſum. Credidit, hos, cum vidiſſent, a Gallione aures minime præberi Judæis Sancti Pauli accuſatoribus, voluiſſe, ut illis magis adhuc illuderent, contumeliis afficere Principem Synagogæ eorum, ſeu hoc fecerint ſimpliciter in odium Judæorum, vel ob S. Pauli amicitiam. Hæc ſententia eſt etiam S. Auguſtini, Cajetani, Lyrani, Grotii, aliorumque nonnullorum. Denique non deſunt [14], qui putent, Judæis a Gallione recedere juſſis, Proconſulis Miniſtros Soſthenem, aliosque Judæos ictibus quibuſdam percuſſiſſe, ut celerius inde recederent: Ego vero libentius S. Johanni Chryſoſtomo adhærerem, aſſerenti, Soſthenem amicum fuiſſe, vel etiam ſecretum S. Pauli diſcipulum, licet eſſet Archiſynagogus, & a Judæis fuiſſe percuſſum, quod hunc Apoſtolum amore, & obſervantia proſequeretur.

℣. 18. DIES MULTOS.] Non liquet, quamdiu poſt hoc factum ibi permanſerit. Quilibet pro libidine ſerius, ocyus illum abiiſſe putant. Hoc autem liquet, illuc hac vice duodeviginti menſes Corinthi permanſiſſe.

NAVIGAVIT IN SYRIAM.] Simul Jeroſolymam profecti ſunt, & inde in Aſiam migrarunt, & Epheſi aliquandiu ſubſtiterunt, quemadmodum infra videbimus.

SIBI TOTONDERAT IN CENCHRIS CAPUT.] Cenchræ vicus erat prope Corinthum cum porto in Ægæo mari, & Aſiam verſus. Illic S. Paulus navem conſcendit, ut in Syriam, & Palæſtinam proficiſceretur.

1 Grot. in Epiſt. ad Tit. 2 Leo Mutinen. par. 1. c. 3. 3 Conſtit. Apoſt. l. 7. c. 46.
4 Οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε. 5 Ita Arab. Grot. Pagn. Lud. de Dieu, alii.
6 1. Rom. 16. 1. 2. 7 2. Cor. 1. 1. 8 Senec. l. 4. nat. q. & Tacit. annal. 15.
9 Exod. 3. 1. 1. Reg. 30. 20. 2. Reg. 6. 3. 4. Reg. 4. 24. Iſai. 11. 6. 20. 4. Jerem. 31. 24. Thren. 3. 2. Jacob. 3. 4. 10 Ἀπήλασεν αὐτούς. Millius putat, interpretem legiſſe: Ἠπείλησεν. *Minavit*, pro *minatus eſt*. At errorem ſuum correxit. 11 Chryſoſt. in Acta, homil. 39. Oecum. Fromond. Sanct. Eſt. alii hic. Theodoret. in 1. Cor. 1. 1. 12 1. Cor. 1. 1.
13 Ἐπιλαβόμενοι δὲ πάντες οἱ Ἕλληνες Σωσθένην τὸν Ἀρχισυνάγωγον. Ac plura MSS. non legebant *Græci*, Ἕλληνες; & Exemplar Angel. legit., *Judæi*.
14 Quid. apud Cornel.

Dum Corinthi permaneret, votum Deo nuncupaverat ſimile voto Nazaræorum [1]; ſcilicet, ut vino, & liquore omni, qui ebrietatem inferre poſſit, immo etiam ſiccis uvis abſtineret, neque ſibi capillos attonderet toto eo tempore, quo votum illud permanebat. Hoc plerumque integri menſis erat [2] ſpatium, quo elapſo Nazaræus ad Tabernaculi portam capillos ſibi tondebat, & ſacrificia quædam in Lege præſcripta offerebat. Hoc vulgo Jeroſolymæ, atque in finibus illius fieri conſueverat: ſed cum S. Paulus procul eſſet a Palæſtina, atque exiſſet tempus, voto ſuo ſibi præſcriptum, ad Corinthi portam ſibi capillos totondit, antequam navem conſcenderet, & deinde diſceſſit, in Jeroſolymitano Templo abſoluturus, quidquid ad votum ſuum pertinebat, & ſua ſacrificia oblaturus.

Non abhorret a veritatis ſpecie hoc facto Judæis oſtendere voluiſſe, tantum abeſſe, ut ipſe Legem everteret, ejuſque abrogationem prædicaret: ut potius illam religioſiſſime coleret. Non deſunt eruditi quidam [3], qui putant, S. Paulum ad Feſtum Paſchatis diem celebrandum Jeroſolymam conceſſiſſe: alii vero [4] ad diem Pentecoſtes. S. Lucas duntaxat ait [5], ipſum ibi proximum feſtum diem celebrare voluiſſe: at Paſcha eo anni tempore contingebat, quo difficillimum fuiſſet Corintho Jeroſolymam adnavigare, quin ille maximis ſe ſe objiceret periculis.

Alia quoque in hunc locum occurrit difficultas, utrum S. Paulus, an Aquila, capillos ſibi totonderit propter Nazaræatus votum in Cenchris. Authographus textus hoc de Aquila videtur aſſerere, quoniam nomen iſtud propius adjacet verbo *totondit*; & videtur S. Lucas de induſtria memoraſſe Aquilam poſt Priſcillam, ad omnem ambiguitatem auferendam, quæ ex nominum multitudine ſuboriri potuiſſet. Atque quoad fieri poteſt, conjungit *Aquila* cum *totondit*, ne quis decipiatur. S. S. Johannes Chryſoſtomus in Acta hom. 40. & Iſidorus Hiſpalenſis l. 2. divin. offic. hoc de Aquila intellexerunt, eoſque Grotius, Hammondius, Zegerus, Eraſmus, Baronius, aliique nonnulli ſecuti ſunt. At S. Hieronymus apud Aug. ep. 75. nov. edit. S. Auguſtinus ep. 82. n. 8. Beda in Acta hic, aliorumque Interpretum plerique tenent, S. Paulum hoc voviſſe, ſibi comam totondiſſe, & Jeroſolymam profectum eſſe, ut ita votum ſuum adimpleret. Certe liquet, Aquilam eo uſque non proceſſiſſe. Proximitas nominis *Aquilæ* verbo *totondit*, ejuſque poſt *Priſcillam* translatio infirma ſane ſunt argumenta. *Priſcilla* ante virum ſuum memoratur aliis etiam in locis, unde nihil inferri poteſt. Præcipuum hujus Periodi ſubjectum eſt S. Paulus, & ad illum referenda ſunt, quæcumque ibi narrantur. Veteres libri quidam Bedæ ævo, & ad hanc quoque diem Æthiops in plurali legunt, *capillos ſibi totonderunt*: meliores vero hodierna die editiones parentheſi ea verba concludunt. (*& cum eo Priſcilla, & Aquila.*)

℣. 19. VENIT EPHESUM.] Tranſverſo itinere Ægæum mare emenſus eſt, & nunc primo appulit Epheſum, Aſiæ Minoris Metropolim. Antea jam illuc ſe ſe conferre conatus fuerat; ſed tunc Spiritus Sancti afflatus illum inhibuerat [6]. Epheſus tunc temporis Urbs erat Aſiæ florentiſſima, Oratoribus, atque Philoſophis affluens; & Chriſtiana Religio ibi fere penitus ignorabatur. Credunt quidam, S. S. Petrum, & Johannem Evangeliſtam illuc jam antea acceſſiſſe. Sed hac re nihil incertius eſt, & Eccleſiæ illius vere inſtitutor S. Paulus fuiſſe videtur. Ita hoc credidiſſe videntur S. Irenæus l. 5. cap. 3. atque Theodoretus in Epheſ. 1. par. S. Paulus hanc rationem ſuæ prædicationis inſtituerat, ut in alieno ſolo minime ædificaret [7], neque illic prædicaret, ubi alii jam prædicare incœpiſſent. Verum, ſi ille eam inſtituit Eccleſiam, id minime accidit primo hoc ipſius itinere; quo illac tantum pertranſivit; ſed poſtea illuc data opera rediit, atque ibi triennio permanſit.

A ℣. 21. ITERUM REVERTAR AD VOS.] Adimplevit promiſſionem ſuam, & ſub anni ejuſdem finem illuc reverſus eſt. Græcus textus typis editus ita legit: eos valere juſſit, illis dicens, *oportet, ut proximam feſtivitatem Jeroſolymæ peragam; deinde vero ad vos revertar* &c. Sed hæc verba in pleriſque Veteribus MSS. deſiderantur [8].

℣. 22. DESCENDENS CÆSAREAM.] Cum navi Cæſaream appuliſſet, inde Jeroſolymam profectus eſt. Epheſi navem conſcendit, ac mari Cæſaream Palæſtinæ venit, quæ fere leucis triginta abeſt a Jeruſalem. Beda in Acta 20. & quidam Recentiores [9] crediderunt, illum Epheſo profectum Cæſaream Cappadociæ, at-

B que iſthinc Antiochiam Piſidiæ. Credit S. Johannes Chryſoſtomus, Epheſo illum veniſſe Cæſaream, & Cæſarea Antiochiam Syriæ conceſſiſſe; atque inſignis Cantabrigienſis MS. initio capitis 19. Actorum ait, S. Paulum, cum vellet Jeroſolymam pergere, a Spiritu ſancto admonitum fuiſſe, ut in Aſiam reverteretur; atque ita ſupponit hoc in itinere Apoſtolum Jeroſolymam uſque non perveniſſe.

Hoc autem maxime mirum iſthic videtur, quod S. Lucas non ſatis explicite memoraverit, S. Paulum Jeroſolymam fuiſſe profectum; licet illuc, profectum iter ſuum inſtituiſſet. Ait enim ſolum [10], *deſcendens Cæſaream, aſcendit, & ſalutavit Eccleſiam, & deſcendit Antiochiam*. At quonam aſcendit? Credunt nonnulli, ipſum aſcendiſſe ad Eccleſiam Cæſareæ in Pale-

C ſtina [11]: vel ſimpliciter ex navi ea in Urbe aſcendiſſe, ibique fideles, quos invenit, ſalutaſſe. Sed plerique [12] tenent, eumdem Cæſarea Jeroſolymam fuiſſe profectum; ſatis enim S. Lucas ſenſum aperuerat, dicens, S. Paulum Jeroſolymam contendiſſe. Hic vero ait, *aſcendit*: ſatis ergo intelligimus, illum Jeroſolymam aſcendiſſe. Hebræi, ut plurimum verbis *aſcendendi*, & *deſcendendi* utuntur, ubi ſignificare volunt Cæſarea Jeroſolymam, vel Jeruſalyma Cæſaream venire. Immo aſcendendi verbum nonnumquam abſolute uſurpatur, ut ſignificet Jeroſolymam pergere, ubi uliquis eſt in Palæſtina, ex. gr. Joann. 7. 8. 10. *aſcendere ad diem feſtum: ut autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum*; & Joan. 12. 20. *Erant autem quidam Gentiles ex his, qui aſcenderunt, ut*

D *adorarent*; & S. Paulus in Actis c. 24. 11. *ex quo aſcendi adorare in Jeruſalem*.

DESCENDIT ANTIOCHIAM] Syriæ. Ita quemadmodum jam dictum eſt, ab omnibus fere intelligitur. *Antiochia* ſine addito de Antiochia Syriæ, & *Cæſarea* de Cæſarea Palæſtinæ in Scripturis intelliguntur.

℣. 23. PERAMBULANS EX ORDINE GALATICAM REGIONEM.] Antiochia Syriæ in Galatiam, & in Phrygiam profectus eſt: utrum vero illuc terra, an mari acceſſerit, S. Lucas non adfert: verum Galatiam priorem memorans, innuit, illuc terreſtri itinere fuiſſe profectum. Galatia enim prior occurrit e Syria per Ciliciam in Phrygiam venientibus. Ibi gentium aliquot jam diſcipulos collegerat S. Paulus, quemadmodum vidimus in cap. 16. 6. libri hujus.

E ℣. 24. JUDÆUS AUTEM QUIDAM NOMINE APOLLO.] Alexandria Epheſum venit; eo tempore, quo S. Paulus Jeroſolymam conceſſerat, ibique invenit Aquilam, & Priſcillam, quos ibidem Paulus reliquerat. Hic Apollo Judæus erat Alexandrinus, vir diſertus, & eloquens, atque ſacris in Scripturis verſatus. Attamen Catechumenus erat adhuc, & S. Johannis Baptiſtæ ſolummodo Baptiſmum cognoverat, JESU CHRISTI Baptiſmo nondum ablutus, neque Spiritu ſancto donatus. Saltem Spiritum hunc per Sacramenta minime acce-

1 Numer. 6. 18. Ita Auguſt. Hieronym. Grot. Fromond. alii paſſim.
2 Joſeph. lib. 2. de bello, cap. 26. Maimonid. apud Petit. Var. Lect. 23.
3 Grot. in Act. 18. 21. Ita & Hamm. 4 Pearſon. Tillemont. 5 Mox verſ. 21. in Græco.
6 Act. 16. 6. 7 Rom. 15. 20. 8 Vide Mill. hic, & Prolegom. 1202.
9 Lyran. Gagn. 10 Καὶ κατελθὼν εἰς Καισάρειαν, ἀναβὰς καὶ ἀσπασάμενος τὴν Ἐκκλησίαν, κατέβη εἰς Ἀντιόχειαν. 11 Vide Camer. Lud. de Dieu Æthyop. Med. l. 2. Diſſert. de Templis, p. 410.
12 Cornel. Menoch. Fromond. Grot. Ham. alii paſſim.

acceperat : nam cenſet S. Chryſoſtomus hom. 40. ipſum non ſecus, ac Centurionem Cornelium bonis operibus ſuis, & zelo, quo JESUM CHRISTUM prædicabat, Spiritum eumdem promeruiſſe.

Mirum eſt poſt viginti annos a JESU CHRISTI Aſcenſione, quo tempore hæc acciderunt, in Ægypto, atque Alexandriæ, cujus erat Apollo, non defuiſſe Sapientes Judæos, & ad JESUM CHRISTUM converſos, qui S. Iohannis tantum Baptiſma cognoſcerent. Si Apollo Salvatoris Doctrinam noverat eo uſque, ut hanc & aliis prædicaret; quomodonam Baptiſmi illius neceſſitatem ignorabat? Nondum ſcripta erant Evangelia, vel ſaltem non bene cognita erant, & fortaſſe Apollo nondum Apoſtolum aliquem invenerat, a quo, uti oportebat, erudiretur. Videbimus infra cap. 19. ℣. 1. & ſeq. exemplum inſigne in diſcipulis, quos S. Paulus Epheſi invenit, qui S. Iohannis tantum Baptiſma receperant, & ipſum ferme Spiritus ſancti nomen ignorabant.

℣. 26. DILIGENTIUS EXPOSUERUNT.] Aquila, & Priſcilla, qui diutius S. Pauli hoſpites fuerant, ſatis ſuperque ab illo ea perceperant, quæ Apollinem docerent; qui licet Scripturarum eſſet peritus, minime dedignatus eſt, ab illis Dei vias diligentius agnoſcere. Ita nonnumquam eligit Deus, quidquid in [1] Mundo infirmiſſimum, atque humillimum eſt, ut fortia quæque confundat. Tunc fortaſſe Apollo JESU CHRISTI Baptiſma recepit.

℣. 27. EXHORTATI FRATRES.] Cum illum in eo conſilio confirmaſſent, quod inierat in Achajam migrandi, Corinthum videlicet, unde Aquila, & Priſcilla paulo ante diſceſſerant, ad civitatis illius diſcipulos ſcripſerunt, ut Apollinem eo, quem merebatur honore, acciperent. Vetus Cantabrigienſis MS. [2] legit : *Advenæ quidam Corinthii cum Epheſi eſſent, atque Apollinem audiviſſent, illum obſecrabant, ut ſecum Corinthum adnavigaret, & Apolline non abnuente, Epheſii ad fideles ſcripſerunt, ut illum reciperent : qui cum in Achajam veniſſet, Eccleſiis maxime profuit.*

CONTULIT MULTUM.] Fideles in fide confirmavit, quam illis S. Paulus prædicaverat. Ita Apollo irriga- A. vit, quod plantaverat Apoſtolus [3] : *ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Apollo nondum S. Paulum agnoverat, niſi ex nomine, & fama : nondum enim illum viderat. Græcus addit [4] : illum maxime profuiſſe *per gratiam*, quæ erant in ipſo per lumina, zelum, ac fidem ſuam, cum enim Deus copioſiſſimam ſuper labores ejus gratiam effunderet, ipſe lætatus eſt, fructum ejuſdem conſpiciens : *Deus autem incrementum dedit.* Neque enim qui plantat, neque qui rigat aliquid, eſt, niſi unus, qui incrementum dat, Deus. 1. Cor. 3. 7.

Si Apollinis Corinthum adventus maximam attulit utilitatem propter præcepta, quæ ibi fidelibus tradidit, præbuit etiam occaſionem cujuſdam veluti diſſidii, quo inter ſe dicebant; ego quidem ſum Pauli, B & ego Apollinis. Hoc tamen diſſidium non obfuit, quominus Paulus, & Apollo charitatis vinculis maxime inter ſe eſſent conjuncti. Ubi audiit Apollo, S. Paulum Epheſi eſſe, convenit illum, & fortaſſe ab eodem Apoſtolus hanc diſſenſionem, & hos Corinthiorum ſermones audivit. Saltem hoc certe liquet, Apollinem Epheſi una cum S. Paulo fuiſſe [5], cum hic primum ad Corinthios ſcripſit Epiſtolam; ubi de hac diſſenſione conqueritur, quæ inter illos obrepſerat. In eadem epiſtola ait, ſe enixius Apollinem oraſſe, ut Corinthum reverteretur, cui tunc perſuadere minime potuerat, licet hic polliceretur, futurum, ut per temporis opportunitatem illuc rediret. Credit S. Hieronymus ad Tit. 3. Apollinem dolore affectum ob eam diſſenſionem, quæ ex ipſius evaſione Corinthi percre- C buerat, inde excedere voluiſſe. Receſſit igitur in Cretam una cum Zena Legis Doctore, qui & ipſe JESU CHRISTI Eccleſiis ædificandis operam impendebat. cumque per epiſtolam a Paulo ad Corinthios datam diſſidium illud ſubſediſſet, illuc Apollo reverſus eſt. Hic idem Pater ait, illum fuiſſe Corinthi Epiſcopum [6]: Græci vero [7] illum Durachinum Antiſtitem faciunt: ſed in Menæis [8] ſuis eum ſecundum Colophonis in Aſia Epiſcopum dicunt. Ferrarius illum Præſulem fuiſſe ait Coneuſem in Phrygia, innixus auctoritati Petri de Natalibus. Hæc ea ſunt, quæ de Apolline ſcimus.

1 1. Cor. 1. 27. 2 Vide Mill. hic. 3 1. Cor. 3. 6.
4 Συνεβάλετο πολὺ τοῖς πεπιστευκόσι διὰ τῆς χάριτος. Quid. omittunt. Vide Mill. hic, & Proleg. 439.
5 1. Cor. 16. 12. 6 Hieron. ad Tit. 3. 7 Menolog. Caniſ. t. 2. p. 929.
8 Menæum, pag. 134.

CAPUT XIX.

S. Paulus Epheſi. Ibi baptizat diſcipulos, qui S. Johannis Baptiſma tantum receperant. Curatio miraculoſa, quam ibi operatur. Exorciſtæ Judæi. Græci converſi peccata ſua confitentur, ſuoſque Magiæ libros flammis addicunt. Aurifices excitant Epheſios in Sanctum Paulum, ſed Magiſtratus illos demulcet.

1. FActum eſt autem, cum Apollo eſſet Corinthi, ut Paulus peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum, & inveniret quoſdam diſcipulos : 2 Dixitque ad eos : Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum : Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus. 3 Ille vero ait : In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt : In Joannis baptiſmate. 4 Dixit autem Paulus : Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens : In eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Jeſum. 5 His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu. 6 Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. 7 Erant autem omnes viri fere duodecim. 8 Introgreſſus autem ſynagogam, cum fiducia loquebatur per tres menſes, diſputans, & ſuadens de regno Dei. 9 Cum autem

quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitu-
dine, diſcedens ab eis, ſegregavit diſcipulos, quotidie diſputans in ſchola tyran-
ni cujuſdam. 10 Hoc autem factum eſt per biennium, ita ut omnes, qui habita-
bant in Aſia, audirent verbum Domini, Judæi, atque Gentiles. 11 Virtuteſque
non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: 12 Ita ut etiam ſuper languidos
deferrentur a corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores,
& ſpiritus nequam egrediebantur. 13 Tentaverunt autem quidam & de circum-
euntibus Judæis exorciſtis, invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen
Domini Jeſu, dicentes: Adjuro vos per Jeſum, quem Paulus prædicat. 14 Erant
autem quidam Judæi Sccvæ principis ſacerdotum ſeptem filii, qui hoc faciebant.
15 Reſpondens autem ſpiritus nequam dixit eis; Jeſum novi, & Paulum ſcio: vos
autem qui eſtis? 16 Et inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum,
& dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent
de domo illa. 17 Hoc autem notum factum eſt omnibus Judæis, atque Gentilibus,
qui habitabant Epheſi: & cecidit timor ſuper omnes illos, & magnificabatur no-
men Domini Jeſu. 18 Multique credentium veniebant confitentes, & annuntiantes
actus ſuos. 19 Multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt li-
bros, & combuſſerunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, invenerunt
pecuniam denariorum quinquaginta millium. 20 Ita fortiter creſcebat verbum Dei,
& confirmabatur. 21 His autem expletis, propoſuit Paulus in Spiritu, tranſita
Macedonia, & Achaja ire Jeroſolymam, dicens: Quoniam poſtquam fuero ibi, o-
portet me & Romam videre. 22 Mittens autem in Macedoniam duos ex mini-
ſtrantibus ſibi, Timotheum, & Eraſtum, ipſe remanſit ad tempus in Aſia. 23 Fa-
cta eſt autem illo tempore turbatio non minima de via Domini. 24 Demetrius e-
nim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præſtabat artifi-
cibus non modicum quæſtum: 25 Quos convocans, & eos, qui hujuſmodi erant
opifices, dixit; Viri, ſcitis, quia de hoc artificio eſt nobis acquiſitio: 26 Et vi-
detis, & auditis, quia non ſolum Epheſi, ſed pene totius Aſiæ, Paulus hic ſua-
dens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non ſunt dii, qui manibus fiunt.
27 Non ſolum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, ſed &
magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, ſed & deſtrui incipiet majeſtas ejus,
quam tota Aſia, & orbis colit. 28 His auditis, repleti ſunt ira, & exclamave-
runt dicentes: Magna Diana Epheſiorum. 29 Et impleta eſt civitas confuſione, &
impetum fecerunt uno animo in theatrum rapto Gajo, & Ariſtarcho Macedonibus,
comitibus Pauli. 30 Paulo autem volente intrare in populum, non permiſerunt
diſcipuli. 31 Quidam autem & de Aſiæ principibus, qui erant amici ejus, miſe-
runt ad eum rogantes, ne ſe daret in theatrum; 32 Alii autem aliud clamabant.
Erat enim Eccleſia confuſa; & plures neſciebant, qua ex cauſa conveniſſent. 33
De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis. Alexander
autem manu ſilentio poſtulato, volebat reddere rationem populo. 34 Quem ut co-
gnoverunt Judæum eſſe, vox facta una eſt omnium, quaſi per horas duas claman-
tium: Magna Diana Epheſiorum. 35 Et cum ſedaſſet ſcriba turbas, dixit: Viri
Epheſii, quis enim eſt hominum, qui neſciat Epheſiorum civitatem cultricem eſſe
magnæ Dianæ, Joviſque prolis? 36 Cum ergo his contradici non poſſit, oportet
vos ſedatos eſſe, & nihil temere agere. 37 Adduxiſtis enim homines iſtos, neque
ſacrilegos, neque blaſphemantes deam veſtram. 38 Quod ſi Demetrius, & qui
cum eo ſunt artifices, habent adverſus aliquem cauſam, conventus forenſes agun-
tur, & proconſules ſunt, accuſent invicem. 39 Si quid autem alterius rei quæ-
ritis; in legitima Eccleſia poterit abſolvi. 40 Nam & periclitamur argui ſeditionis
hodiernæ: cum nullus obnoxius ſit (de quo poſſimus reddere rationem) concurſus
iſtius. Et cum hæc dixiſſet, dimiſit Eccleſiam.

℣. 1. PERAGRATIS SUPERIORIBUS PARTIBUS.] A Peragravit Galatiam, Phrygiam, de quibus ſermo fuit cap. ſuperiori ℣. 23. & fortaſſe etiam Lycaoniam, & Lydiam; & ut omnia verbo complectar, omnes locos, ubi prædicaverat, & qui erant ſecus viam ab Antiochia Epheſum verſus Boream Galatiam uſque aſcendendo, & ad meridiem Epheſum uſque deſcendendo. Credit S. Johannes Chryſoſtomus hom. 40. in Acta, Paulum Cæſaream uſque in Cappadociam fuiſſe profectum: hæ provinciæ ſuperiores vocantur, habita ratione Epheſi, atque Urbium Maritimarum. Videbatur enim ad has
eſſe

eſſe deſcenſum, a meri vero ad illas aſcendi. In libris Macchebæorum [1] hæ *Provinsia ſuperiors* vocantur, quæ circa Euphratem, atque ultra fluvium eumdem patent. Adnotevimus jam in ℣. ei. cap. præcedentis, Cantabrigienſem MS. hoc in loco legere [2], Paulum Jeroſolymam cogitaſſe, & e Spiritu ſancto prohibitum fuiſſe, & juſſum in Aſiam reverti. Itaque ubi Provincias ſuperiores emenſus eſt, Epheſum venit.

℣. e. SI SPIRITUM SANCTUM ACCEPISTIS CREDENTES?] Hi diſcipuli plane erant Judæi Aſiatici, qui Epheſi nati erant, & qui ſecundo ſupra vigeſimum ante id tempus circiter anno, cum Jeruſolymam veniſſent, ibi S. Johannis Baptiſmum receperant, eoque in ſtatu, uſque dum S. Paulus Epheſum venit, permanſerant [3]. Quærit ex illis Apoſtolus, utrum fidem recipientes Spiritum ſanctum receperant; nam credebant in JESUM CHRISTUM, quem Johannes Baptiſta nuntiaverat, ſed JESU CHRISTI Baptiſmate abluti non fuerant: eo fortaſſe quod nullos invenerant diſcipulos doctiores ſe, a quibus neceſſitatem Baptiſmatis JESU CHRISTI edocerentur. Putat Sanctius, illos fortaſſe S. Johannis Baptiſme ab eodem Apolline recepiſſe, qui & ipſe primum, non aliud Baptiſma cognoverat. Videns S. Paulus, hujuſmodi homines Chriſtianam Religionem profiteri, de eorum Baptiſmate minime dubitavit; ſed cum Epheſi nullus fuiſſet Apoſtolus, vel Epiſcopus, quem ille noſſet, ſciſcitatus eſt, utrum confirmationis Sacramentum recepiſſent; quod ab Apoſtolis, & ab Epiſcopis tantum tribuebatur [4]. Hoc Sacramentum extraordinariæ, atque ſupernaturales gratiæ concomitabantur, quæ erant tamquam pignora, & ſymbola interioris Spiritus ſancti præſentiæ, qui per manuum impoſitionem in animam recipiebatur. Ideo dixit illis: *Spiritum Sanctum accepiſtis credentes?* Sacramentum ab effectis deſignat.

NEQUE SI SPIRITUS SANCTUS EST, AUDIVIMUS.] Hi Neophyti non didicerant SS. Trinitatis myſterium, neque in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti fuerant baptizati: alioquin minime ignoraſſent, quid eſſet Spiritus ſanctus. Eumdem etiam preſſius loquendo ignorare non poterant, quoniam ſæpe de eodem in veteri Teſtamento ſermo eſt, & Judæi omnes fatentur, Prophetas Spiritus ſancti lumine afflatos locutos fuiſſe. At ignorabant, in Eccleſia tale Sacramentum adeſſe, quod Spiritum ſanctum communicaret. Non audivimus loquentes de confirmatione, vel Spiritu ſancto, qui per eamdem confertur, vel de ſupernaturalibus donis, quæ per manuum impoſitionem communicantur.

℣. 3. IN QUO ERGO BAPTIZATI ESTIS?] Græcus [5] eut *igitur*, quem ob finem, quo conſilio *baptizati eſtis*, quid per hunc Baptiſmum intendiſtis? numquid fieri vultis Johannis, an JESU CHRISTI Diſcipuli? In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; an ſolum Baptiſmo Pœnitentiæ vosmet diſpoſuiſtis ad peccatorum veſtrorum veniam recipiendam: ſimpliciter inquiunt, ſe *Johannis baptiſmate* fuiſſe ablutos, hoc eſt baptiſmate, quod ille contulit, & eo conſilio, quo contulit, ut pro Meſſia peccatorum veniam impetrarent [6], S. Spiritus baptiſmum, quem Johannes ſpoponderat, præſtolantes [7]. At plane hanc Præcurſoris promiſſionem, non ſatis fuerant aſſecuti; nam libenter recepere baptiſma, ſtatimac S. Paulus dixit illis: *Johannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens; in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt in JESUM.*

℣. 5. BAPTIZATI SUNT IN NOMINE JESU.] Vel e S. Paulo, vel ab aliis Diſcipulis; Paulus enim ſecum adduxerat Cajum [8], Ariſtarchum, atque Timotheum [9],

A Eraſtum, & fortaſſe etiam Titum [10]: baptizati fuerunt *in nomine Domini* JESU, quod non innuit a baptizantibus nomen JESU tantum fuiſſe prolatum, quemadmodum veteres nonnulli crediderunt, ſed communis Baptiſmi formula prolata fuit: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ita ut ea verba, *in nomine* JESU, non aliud ſignificent, niſi baptiſmum e JESU CHRISTO inſtitutum, atque præſcriptum, quemadmodum vulgo Theologi intelligunt. Vide noſtram hanc de re Diſſertationem. Inde perſpicue ſequitur, S. Johannis Baptiſmum & quoad effectus, & quoad formam longe alium fuiſſe a S. Johannis baptiſmate.

℣. 6. CUM IMPOSUISSET EIS MANUS.] Ut illis Confirmationis Sacramentum conferret, tamquam Apoſtolus, & Epiſcopus, hoc enim Eccleſiæ Præſulum

B munus eſt; *venit Spiritus Sanctus ſuper eos*, non ſolum inviſibili, interiatique modo, eorum animam luce, & vi replens; verum etiam per exteriores effectus, & miraculoſa dona, quæ illis elargitus eſt, quippe *loquebantur linguis*, quas antea non intelligebant; & *prophetabant* futura portendentes, Scripturas interpretantes, atque præ lætitia, ac fervoris magnitudine ſolemniter Dominum laudibus celebrantes.

℣. 8. INGRESSUS SYNAGOGAM.] De more ſemper incipiens Evangelium Judæis annunciare, neque ad Gentiles ſeſe convertens, niſi Judæis renuentibus. Crebro in eorum Synagogam venit trium menſium ſpatio, ſed eorum videns incredulitatem, & exiguum fructum, quem apud eos referebat, ab eis receſſit, atque ſeorſim diſcipulorum ſuorum cœtum habere

C inſtituit.

℣. 9. IN SCHOLA TYRANNI CUJUSDAM [11].] Antiquitus aderant viri quidam, qui hoc nomine appellabantur. Suidas loquitur de Sophiſta, & Rethore, cui nomen Tyrannus. Græcus [12] ad litteram habet, uti in Vulgate *Tyranni cujuſdam*: quæ loquendi ratio fidem adſtruxit, apud eruditos quoſdam [13], Tyranni nomen iſthic appellativum eſſe, non enim obtinuit mos, ut propriis nominibus *quidam* adjiciatur. Putant igitur, S. Paulum quotidie diſputaſſe, & docuiſſe in quieto quodam loco, & hujuſmodi exercitationem aptiſſimo, quod illi ſuppeditabat Princeps quidam, vel præſtantiſſimus aliquis urbis illius Civis, Tyrannus quidam, vir Princeps, nobilis. Verum hæc ſententia labanti innititur fundamento. Minime mirum eſt, ut nomen

D *quidam* proprio nomini addatur, ubi perſona non ſatis cognoſcatur. Quidam Simon de Cyrene, juſtus quidam, Lazarus quidam, Mnaſon quidam ex Cypros, quidam Ananias, Tertullus quidam Rethor: quæ omnia exempla ex Evangelio, vel Actis deſumpta ſunt. Ad hæc nomen Tyranni ſupremo tantum Principi deferetur, qui proculdubio Epheſi non aderat. Denique nomen Tyranni jam tunc tantum ſibi odii pepererat, ut minime deferri poterat ad eum Principem, de quo nonniſi cum laude verba eſſent facienda. Græci quidam MSS. legunt pro *Tyranno*, *Tyrannio*; & alii [14] inquiunt, Paulum ibi a quinta ad horam uſque decimam docuiſſe, hoc eſt a decima matutina Gallice, uſque ad quartam circiter pomeridianam ante Solis occaſum.

℣. 10. PER BIENNIUM.] Præter tres illos menſes,

E quibus in Judæorum Synagogam aſcenderat. Ita S. Paulus Epheſi diutius, quam alibi permanſit; ibi enim plures errores, atque ſuperſtitiones [15] evellendas invenit, & fortaſſe, ibi magis, quam alibi proficiebat. Hic fortaſſe aderat Apollonius Thyanæus præſtigiis ſuis celeberrimus, quem Dæmon, JESU CHRISTO opponere velle videbatur. Omnes hunc ſequebantur [16], alii ſcientiam, alii corporis habitum, alii veſtium elegan-

1 1. Macch. 3. 37. 6. 1. & 2. Macc. 9. 23. 25. 2 Θέλοντος δὲ τοῦ Παύλου κατὰ τὴν ἰδίαν βουλὴν πορεύεσθαι εἰς Ἱεροσόλυμα, εἶπεν αὐτῷ τὸ πνεῦμα ὑποστρέφειν εἰς τὴν Ἀσίαν. Διελθὼν δὲ τὰ ἀνωτερικὰ, &c.
3 Vide Fromond. hic. 4 Fromond. Eſt. Cornel. Menoch. Tir. Sanct.
5 Εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε. 6 Act. 2. 38. 7 Act. 1. 5. Joan. 1. 33.
8 Act. 19. 29. & 20. 4. 9 Act. 19. 22. 10 2. Cor. 7. 13. 14.
11 Ita Syr. Arab. Grot. Cornel. Zegar. Fromond. Druſ. Camer. alii paſſim.
12 Τυράννου τινός. 13 Lyran. Eraſm. Cajet. Gagn. Cnarchul. &c.
14 Steph. B. Cantabr. Græc. Lat. Ἀπὸ ὥρας πέμπτης ἕως δεκάτης.
15 Chryſoſtom. homil. 42. 16 Philoſtrat. vite Apollon. lib. 4. cap. 1.

elegantiam, alii vivendi rationem admirati. Civitates A ad illum mittebant Legatos, ut illi ſuam offerrent amicitiam; oracula etiam, quæ magis celebrabantur, laudes illius concinebant. Apud Epheſios palam concionem habebat, eoſque hortabatur, ut omnibus rebus valedicerent, atque omnem curam, ac tempus ad Philoſophiam, ſeriamque vitam traducerent; Epheſii quippe luxum, voluptates, atque choreas miſere deperibant. Credebatur ille ſupernaturalem naturæ cognitionem obtinere, & ipſos avium concentus intelligere. Cum atra lues Epheſum depopularetur, illuc ad eam ejiciendam accerſitus, ſpopondit, ſe die eadem tetro morbo illos liberaturum. Eos omnes in Theatrum adduxit, ubi cum conſpexiſſet quemdam ſenecta opertum, populo imperavit, ut in hunc lapidibus irruerent. Obtemperatum eſt, licet ægre, ſed aliquanto poſt cum lapides, quibus infelix ille obrutus fuerat, juſſiſſet auferri, pro illo mortuus canis repertus eſt; atque ita ab Apollonio Epheſii peſte liberati ſunt. Ut præſtigiatori adeo callido, qualis erat Apollonius, aliquis B opponeretur, ſane requirebatur vir zelo, doctrina, opere, & ſermone maxime potens, qualis erat Apoſtolus. Quænam vero fuerint S. Pauli miracula, inferius viſuri ſumus.

ITAUT OMNES, QUI HABITABANT IN ASIA.] Ne credas, S. Paulum ſemper Epheſi permanſiſſe; pergebat ille in Urbes, agroſque finitimos; ubicumque urbs erat, ſe Dei gloriam, & Judæorum, vel Gentilium ſalutem procurare poſſe: utriſque enim promiſcue prædicabat.

℣. 12. ITA UT DEFERRENTUR A CORPORE EJUS C SUDARIA [1], & SEMICINCTIA.] Ita ut ſudariola, & lintea, quæ corpus illius tetigerent, morbos curarent. *Sudaria* proprie ex plurimorum nota melioris Interpretum [2] ſententia, eas ſignificant vittas, quibus homines caput obvolvebant, fere in eorum diadematum formam, quæ Reges tamquam dignitatis ſuæ inſigne deferebant. Regum ſudaria magis erant pretioſa, atque propter colorem ſuum magis præſtantia: ſed opinio eſt, hominum vulgus aliquid circum caput deferre conſueviſſe, quemadmodum alibi vidimus [3]. Eodem nomine *ſudariorum* appellabantur lintea, quibus mortuorum capita obnubebantur, Joan. 11. 44. & 20. 7.

Semicinctia zonæ ſunt, vel balthei, quos orientales ad hancquoque diem deferunt. Martialis de *ſemicinctio quodam* verba facit.

Det tunicam dives; ego te præcingere poſſum;
Eſſem ſi locuples, munus utrumque darem.

D Verbum hoc ſignificat etiam ventrale cinctum, quale in tabernis artifices deferunt [4], vel tunicas illas, quas Veteres in agris deferebant ſeminudi, & quæ a renibus ad genua fluentes femora cooperiebant. Theophylactus, & Oecumenius putant, *ſudarium* vittam eſſe, qua caput obnubebatur; ſemicinctium vero mucinium, quod manu deferebatur, & quo lacrymæ, ſudor, & id, quod ex naribus defluit, abſtergebantur.

Sed eam explicationem præferrem, quæ hoc de iſta zona cenſet intelligendum, cui maxime favet Latina etymologia, quæ Theophylacti, & Oecumenii ſententiæ palam adverſatur. Martialis allata verba perſpicue zonam deſignant. Petronius de homine quodam loquens, qui ſuſpendio vitam ſibi eripere cupiebat, ait, ab eodem *ſemicinctium* fuiſſe præparatum. S. Iſidorus Hiſpalenſis [5], diſtinguit *cinctum*, quod latiſſimam zonam illi ſimilem, de qua locuti ſumus, & quæ nuda a renibus ad genua protegebat, ſignificat, a *ſemicinctio*, quæ minus lata zona eſt, veluti Orientalium balthei, & a *cingulo*, quæ pariter zona eſt utraque illa minor. Heſychius denique [6] ſemicinctium explicat de vitta, zona, baltheo.

Sudaria ergo, aut vittæ capitis S. Pauli, ejuſque zonæ deſumebantur, atque ægrotis applicabantur, qui inde convaleſcebant. Sanctius credit, has illius vittas eo abſente, atque inſcio, ubi illas reliquiſſet, fuiſſe ablatas, ſed Bartholomæus Petrus putat, eaſdem ad eum allatas fuiſſe, ut exoratus eas tantummodo tangeret, & illis miraculoſam virtutem morborum curandorum communicaret. Ita adimplebatur Domini verbum, dicentis [7], futurum, ut Apoſtoli ſimilia, & majora etiam ſuis miracula operarentur. S. Johannes Chryſoſtomus [8] non ſemel ait, his vittis mortuos fuiſſe reſuſcitatos, & ipſam S. Pauli umbram quodvis ægritudinum genus curaſſe, atque de morte triumphaſſe [9].

℣. 13. TENTAVERUNT QUIDAM DE CIRCUMEUNTIBUS JUDÆIS EXORCISTIS.] Ut obſeſſos quoſdam nomine JESU CHRISTI, quod experientia teſte maximam in Dæmonem vim habere didicerant, curarent: Domini noſtri ævo non deerant apud Judæos quidam, qui hoc profitebantur; quoniam cum ſibi Judæi probro vertiſſent, a ſe Dæmonia ejici in nomine Beelzebub; *filii veſtri*, reſpondit, Matth. 12. 27. *in quo ejiciunt? ideo ipſi Judices veſtri erunt*. Loquitur Joſephus Antiq. l. 8. cap. 2. de Eleazaro quodam, qui energumenos curabat, naribus illorum annulo ſuppoſito, in quo radix quædam continebatur, quæ e Salomone indigitata ferebatur. Odore illius victus energumenus in terram decidebat: exorciſta vero tunc Dæmonem adjurabat, ne ulterius in obſeſſi corpus reverteretur, verbis ſuis immiſcens nomen Salomonis, & eos recitans exorciſmos, qui ab eo Rege fuerant inventi. Hoc autem fieri ſe vidiſſe coram Veſpaſiano, filiis ejus, & pleriſque ducibus, & militibus copiarum illius aperte teſtatur. Alibi etiam loquitur [10] de radice quadam, cui nomen Baaras, quæ naſcitur in Judæa, & quæ virtutem habet Dæmonum ejiciendorum, ubi energumenorum corporibus applicetur.

Denique S. Epiphanius hæreſ. 30. de Magis, atque veneficis, qui ævo ſuo plurimi apud Judæos erant, verba facit, atque teſtatur, illos gloriari conſueviſſe, ſe amorem, & odium immittere poſſe, ignis vim cohibere, atque elementis imperare. Homines hujuſmodi non in Judæa tantum erant, verum etiam in aliis Provinciis de Civitate in Civitatem circumeuntes, & promittentes, ſe filtra componere poſſe, morbos curare, atque Dæmones ſuis exorciſmis expellere. Quemadmodum vero ſexcentis locis experti fuerant præſtigia ſua inutilia fuiſſe, & caruiſſe effectu propter crucis, & nominis JESU CHRISTI virtutem: exorciſtæ illi, de quibus S. Lucas verba facit, conſilium inierunt Dæmones in nomine JESU ejiciendi, ſed illis non paruit Dæmon: & in ipſo etiam Evangelio Luc. 9. 49. videmus, JESU CHRISTI ævo, illos nomine ejuſdem ad Dæmones ejiciendos uſos fuiſſe. Illis quidem Apoſtoli adverſabantur, ſed Salvator Apoſtolis imperavit, ne eos prohiberent, dicens: *qui enim non eſt adverſus vos, pro vobis eſt*.

Iſthic vero non revocamus ad examen, utrum Judæi vere Dæmones ejicerent in nomine Jehovah, & utrum hujuſmodi exorciſmi apud illos religioſi eſſent, atque E ab omni ſuperſtitione immunes. S. Thomas [11], aliique plures poſt illum credunt, ſi exorciſmi, quos illi Salomonis eſſe ferebant, ab eo Rege fuiſſent inventi, antequam in Idololatriam laberetur, licitos fuiſſe, legitimoſque; ſin autem, magicos, & illicitos. Inde vero probantur ea præſtigia fuiſſe, atque tenebrionum eorum cum Dæmone colluſio: primo, quod neque veteris Teſtamenti, neque novi, Biblia uſpiam illa probant: ſecundo, quod in Sacris Bibliis nullibi dicitur Salo-

1 *Ἀπὸ χρωτὸς αὐτοῦ σουδάρια*. Theodoret. in 1. Cor. 12. 9. *Οὐ γὰρ τῶν ἱματίων αὐτοῦ ταῖς σκιαῖς ἐξέλαυνε*.
2 Theophylact. Oecumen. Druſ. Sanct. Hamm. Vide Ludov. de Dieu hic.
3 Vide Ezech. 24. 17. & Diſſertationem de Hebræorum veſtibus.
4 Salmeron. Le Clerc. 5 Iſidor. lib. 19. Etymol. *cinctus eſt lata zona; & minus lata ſemicinctium & utriuſque minima, cingulum*. 6 Heſych. & Suidas. *Σιμικίνθιον, φακιόλιον, ζωνάριον, ἀδιον*.
7 Joan. 14. 12. 8 Chryſoſt. in Rom. homil. 8. in 1. Cor. homil. 6. & in 1. Timoth. hom. 16.
9 Chryſoſt. tom. 5. homil. 6. p. 99. 10 Joſeph de Bello lib. 7. cap. 25. in Lat.
11 D. Thom. quæſt. 6. de potentia art. 10. ad 5.

Salomonis carmina, & exorciſmos inveniſſe: tertio, quod Judæorum religio numquam res hujuſmodi probavit, Moyſe, eirca omne diſcrimen, quodvis magiæ, præſtigiis, incantationis genus prohibente [1]: & quod ſicubi in veteri Teſtamento Energumeni occurrunt, nullibi ad eos curandos exorciſmi adhibentur. Quarto denique S. Lucas hic ait ℣. 19. eorum complures, qui curioſas artes exercuerant, libros ſuos attuliſſe, qui omnibus inſpectantibus flammis addicti fuere. Quod præcipue ad hos exorciſtas refertur, & ad alios, qui eque, ac iſti ſecretis magiæ præſtigiis ad populos fallendos abutebantur.

℣. 14. JUDÆI SCEVÆ PRINCIPIS SACERDOTUM SEPTEM FILIIS [2].] Hic *Sceva* plane caput erat alicujus familiæ Sacerdotalis; Principis enim Sacerdotum nomine vocabantur capita viginti quatuor magnarum familiarum [3] Sacerdotalium. Credunt nonnulli, hunc fuiſſe primum ex Sacerdotalibus Judæis, qui erant Epheſi. Verum fidei propius eſt, hos advenas fuiſſe, quoniam S. Lucas ſuperius ait verſ. 13. illos de Urbe in Urbem circumire conſueviſſe, ut exorciſmos ſuos exercerent. Principes Sacerdotum vocabantur etiam Summi Sacerdotes de gradu dejecti, & filii eorum. Novimus quemdam ſummum Sacerdotem, cui nomen Jeſus filius Sſah; qui novem, aut decem annis ante JESU CHRISTI nativitatem vivebat [4]. Loquitur etiam Joſephus de alio Sacerdote, qui Jeſus dicebatur filius *Sepha* [5], qui non minima pars fuit in noviſſima Judæorum contra Romanos, Nerone imperante, defectione. Credit Grotius, hoc nomen *Sceva* ab origine Hebraica ſluere, quod *juramentum* ſignificat.

℣. 15. JESUM NOVI.] Novi vim exorciſmorum, qui a Chriſtianis in JESU CHRISTI nomine fiunt: fides eorum, qui illis utuntur, eorumque preces additæ ſacri nominis virtuti, mihi ſunt formidabiles. At neque vos, neque adjurationes veſtras timeo, licet & nomen Jesu [6], & nomen Pauli Diſcipuli ejuſdem mutuetis. Veteres Patres ſæpius loquuntur de vi exorciſmorum, qui a Chriſtianis adhibentur. S. Juſtinus Martyr in Apolog. ait, Dæmones audito JESU CHRISTI nomine contremiſcere, atque exorciſmorum vi cogi, ut loco cedant, illos Chriſtianis reſiſtere minime poſſe, eoſque debere infirmitatem ſuam confiteri, ubi in illos JESU CHRISTI nomen profertur, ait Tertullianus [7]. *Credite illis ſalium*, addit idem, *cum verum de ſe loquantur, qui mentientibus creditis, ne ad ſuum dedecus mentiuntur.* Dæmon JESU CHRISTI nomine torquetur, ait Prudentius in Apoth. contra Jud. & exorciſtarum verba, tamquam fulminis ictus, formidat.

. . . . *torquetur Apollo*,
Nomine percuſſus Chriſti, nec fulmina verbi
Ferre poteſt. Agitant miſerum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei reſonans miracula Chriſti.

℣. 16. INSILIENS IN EOS, DOMINATUS EST AMBORUM.] Ibi fortaſſe duo tantum erant Scevæ Diſcipuli, vel ex ſeptem elegit Dæmon duos, qui in nomine JESU CHRISTI ipſum adjurare fuerant conati. Animadvertit Porphyrius de Sacrif. c. 3. eos, qui magicis carminibus operam collocant, ſæpius a Dæmone vexari, quod ab immundis rebus abſtinere neſciunt; additque eos, qui nefarii illius ſpiritus vim eludere cupiunt ab iis omnibus abſtinere, a quibus poſſunt coinquinari.. Plurima exemplaria pro *dominatus eſt amborum*, legunt, *dominatus eſt eorum* [8]. Sed vetus MS. Alexandrinus, & Cantabrigienſis, aliique plures a Vulgata non recedunt: *dominatus eſt amborum*.

℣. 18. MULTI CREDENTIUM VENIEBANT [9].] Hi homines baptiſmo fuerant abluti, & in JESUM CHRISTUM credebant; ſed fortaſſe neſciebant, quodnam peccati genus eſſet Magia, & curioſæ illæ artes, quæ paſſim Epheſi florebant. Quod nuper acciderat filiis Scevæ a Dæmoniaco male habitis, illis oculus aperuit, qui criminis magnitudinem intelligentes ad Paulum acceſſerunt, ea confitentes mala, quæ per eam perniciosam artem commiſerant. Quæritur, utrum ea confeſſio ſimplex eſſet publica, & generalis ſcelerum eorumdem declaratio [10]; an eſſet Sacramentalis, & peculiaris ſingulorum peccatorum confeſſio, quæ illi recens Chriſtianæ fidei initiati ante converſionem ſuam perpetraverant [11]. Hac in re abeunt in diverſa Interpretes, neque textus ſatis apertus eſt, ut alterutram ſententiam potiori jure amplectamur. Hoc certe non dubitandum eſt, quominus ea vere fuerit peccatorum confeſſio, & quilibet teneatur, propria ſcelera confiteri ad veniam promerendam; quemadmodum poſt Græcos Patres hoc in loco Grotius ipſe confitetur, & probat [12].

℣. 19. MULTI EX EIS, QUI FUERANT CURIOSA SECTATI.] Non ait S. Lucas, hos homines fuiſſe ex numero fidelium; neque illos hactenus ſuos magiæ libros ſervaſſe. Videntur immo illi potius ſimplices fuiſſe Cathecumeni, vel etiam Ethnici, & Judæi, quibus cum ſalubrem timorem filiorum *Scevæ* injeciſſet exemplar, conſilium inierunt religionem quidem Chriſtianam amplectendi, magiam vero, inaneſque hujus artis curioſitates abdicandi [13]. *Curioſarum* artium nomine intelliguntur, magia, aſtrologia judiciaria, faſcinationes, præſtigia, ars amuleta quædam, vel magicas figuras conficiendi, quarum ope, vel ab omnibus malis immunes fore, vel in alea, & cœptis ſuis felicem ſibi non defore exitum putabant.

Docent antiqui, Epheſios hujuſmodi artibus in paucis fuiſſe nobilem, *Litteræ Epheſiæ* in adagium abierant, eoque nomine magici quidam characteres [14], & quædam voces appellabantur, quibus vis ineſſe & victoriæ deferendæ, & a periculis ſervandi credebatur. Plutarchus l. 7. Sympoſ. qu. 5. teſtatur, eos, qui a Dæmone obſeſſi erant, cogi conſueviſſe, ut ea verba proferrent. Ait Euſtathius in Odyſſ. Φ, eas barbaras, & ænigmaticas fuiſſe voces inſcriptas in pedibus, zona, & diademate Dianæ, cujus numen Epheſi colebatur. Ex vero magicæ, atque ſuperſtitioſæ Epheſiorum notæ a S. Clemente Alexandrino l. 5. Strom. & Heſychio afferuntur. *Aſion* tenebræ, *Cataſcion* dies, *Lix* terra, *tetras* quaternarius, vel annus; *damnamenus* Sol, vel domitor, *Aiſion* veritas, vel felicitas. Per has litteras, vel hæc nomina cæteris, & in publicis ludis, & in equorum certamine ſe præſtare poſſe credebant Epheſii.

DENARIORUM QUINQUAGINTA MILLIUM.] Si hi argentei eſſe dicuntur, ſicli, quorum ſinguli duos, atque triginta ſolidos, & denarios quinque reddunt, eorum quinquaginta millia ſummam efficient Gallicarum librarum 81041. Sin autem denarii Romani eſſe putantur, quorum ſinguli decem Pariſienſibus ſolidis æſtimantur; quinquaginta mille denarii ſummam reddent Librarum 25000.

℣. 20. CRESCEBAT VERBUM DEI.] Jugibus S. Pauli, ſociorumque ejus prædicationibus, & miraculorum

1 Deut. 18. 11. 2 Græc. Τινὲς Σκευᾶ Ἰουδαίου ἀρχιερέως ἑπτά. Cantabrigenſ. ſic habet, ἐν οἷς καὶ υἱοὶ Σκευᾶ τινὸς ἱερέως ἠθέλησαν τὸ αὐτὸ ποιῆσαι, ἔθος εἶχον τοὺς τοιούτους ἐξορκίζειν, καὶ εἰσελθόντες πρὸς τὸν δαιμονιζόμενον ἤρξαντο ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα λέγοντες, &c. 3 Grot. Fromond.
4 Mill. Proleg. 974. 5 Joſeph. de Bello lib. 2. cap. 25. pag. 8ac.
6 Vide Chryſoſtom. hic. 7 Tertull. Apologet. *Credite illis cum verum de ſe loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad ſuum dedecus mentitur.* 8 Κατακυριεύσας αὐτῶν ἴσχυσε κατ' αὐτῶν. Alex. Cantabr. Velez. Barber. 2. Steph. c. 8. m. & alii non pauci. Ἴσχυσε ἀμφοτέρων. 9 Πολλοί τε τῶν πεπιστευκότων, Quid. Πεπιστευκότων, *Qui crediderant*. Cantabr. Πιστευόντων, Et ita Vulg. *Credentium*.
10 Ita Eraſm. Cajet. Vega lib. 13. de juſtif. cap. 28. apud Sanct. hic. Lorin. Bart. Petr. Fromond.
11 Ita Oecumen. Salmeron. P. Sot. Gagn. Caſtro, Valent. Stapleton. in Acta. Bellarm. lib. 2. cap. 4. controverſ. Sanct. Cornel. hic. 12 Vide Grot. hic. 13 Vide Sanct. & Cornel. Fromond. Vide & Chryſoſt. Oecumen. Bed. hic. 14 Suid. Ἐφέσια γράμματα.

lorum ejuſdem fama, quæ tamen magis, magiſque in eundem, Judæos, & Gentiles irritabat. Ad Corinthios ſcribebat S. Paulus [1] ingentem Evangelio portam patere. Verum etiam non deeſſe plurimos adverſarios; ſe quidem ſingulis momentis variis obnoxium eſſe periculis, atque jurejurando teſtatur, nullum abire diem, quo mortem ſibi imminere minime videat [2]: *quotidie morior*. Addit etiam aliquid, quod a S. Luca iſthic non adfertur, ſe videlicet in arena beſtiis objectum fuiſſe [3], & nonniſi peculiari Dei ope inde evaſiſſe. De his omnibus fuſius verba faciemus in prima ad Corinthios epiſtola. Cum ille Epheſi permaneret, fortaſſe ad Galatas ſuam ſcripſit epiſtolam, quod alibi fuſius ad examen vocabitur.

℣. 21. TRANSITA MACEDONIA, & ACHAJA.] Per Macedoniam, & Achajam Jeroſolymam, atque inde Romam ſe ſe conferre decrevit. Illuc zelus, & Spiritus Sanctus, quo ferveſcebat, rapiebatur. Hoc ille conſilium iniit anno JESU CHRISTI 56. Sed inſequenti dumtaxat anno illud explevit. Primum quidem navem conſcendere cupiebat, ut in Macedoniam transfretaret, ac inde Corinthum Achajæ caput ſe conferret; ibi non modicum temporis intervallum fortaſſe hyemem traducturus [4]. Epheſo poſt Pentecoſtem diſceſſit [5], anno JESU CHRISTI 55. Jampridem Romam videre concupierat [6], & Deum indeſinenter precibus fatigabat, ut ad hoc aliquam ſibi propitiam viam aperire dignaretur; ſummopere cupiens Eccleſiæ illius fideles inviſere, ut & apud illos non ſecus ac apud alias gentes fructum aliquem perciperet. Credit S. Johannes Chryſoſtomus [7], a Deo illi revelatum fuiſſe futurum, ut hoc iter ille ingrederetur; verum minime prævidebat, quo pacto Providentia divinitus illum eo loci eſſet perductura.

Tempore eodem Epheſi ſcripſit primam ad Corinthios epiſtolam, cum ibi audiiſſet diſſidium, quod inter fideles obrepſerat, aliis quidem dicentibus; ego ſum Petri; aliis: ego ſum Pauli; & aliis, ego Apollinis. Intellexit etiam ex Stephano, Fortunato, & Achaico, qui ipſum Epheſi convenerant [8], abuſus aliquot in Eccleſia gliſcentes, quaſdam inter fideles contentiones obortas; & quod maximum, audiit ea in urbe Chriſtianum quemdam inceſtum cum Noverca Patris ſui uxore perpetraſſe: ad quæ auferenda flagitia primam ad Corinthios ſcripſit epiſtolam, quam attulerunt Stephanus, Fortunatus, & Achaicus, de quibus locuti ſumus. Hortatus etiam atque etiam Apollinem eſt S. Paulus, ut illuc reverteretur, cui tamen tunc perſuadere non potuit [9].

℣. 22. MITTENS IN MACEDONIAM TIMOTHEUM, & ERASTUM.] Aliquandiu permanſit adhuc in Aſia, fortaſſe ut colligeret eleemoſynas, quæ ſimul pro pauperibus Jeroſolymæ Chriſtianis conferebantur. Præceperat autem Timotheo, ut Corinthum [10] proficiſceretur, atque inde Epheſum ad ipſum reverteretur, 1. Cor. 16. 11.

Eraſtus, de quo iſthic primum occurrit ſermo, quæſtor erat Corinthi, vel fortaſſe Antiochiæ. S. Paulus Corinthi erat, cum illum quæſtorem appellavit [11]. At ſi Eraſtus Epheſius erat, Apoſtolus Corinthi illum deſignare potuit ex munere, quo olim in ſua civitate fuerat perfunctus. Græci nuperi putant, illum hoc munus Jeroſolymæ exercuiſſe: at quomodocumque ſit, Eraſtus S. Paulo adhæſit, & fortaſſe munus ſuum abdicavit, ut Deo perfectius inſerviret. Poſt illius iter Macedonicum, de quo S. Lucas hic verba facit, non ſatis liquet, utrum cum Timotheo Epheſum redierit. Liquet tamen, inſequenti anno illum Corinthi fuiſſe una cum S. Paulo Apoſtolo, atque S. Timotheo, quandoquidem utriuſque nomine S. Paulus Romanos ſalvere jubet [12]. Ille autem hunc Apoſtolum ſubſecutus fuiſſe videtur uſque ad noviſſimum iter, quo Corinthum profectus eſt, cum Romam ad martyrium ſubeundum concederet. Ibi Eraſtum S. Paulus reliquit [13]; & deinceps, quid de eodem acciderit, exploratum non eſt. Uſuardus, Ado, & Romanum Martyrologium teſtantur, illum a S. Paulo in Macedonia fuiſſe relictum, atque Macedonicum Epiſcopum creatum, qui deinde Philippis Martyrio fuit coronatus. Græci recentiores illum Paneadis Epiſcopum fuiſſe dicunt, eumque in pace animam efflaſſe ferunt, cum univerſum terrarum orbem Evangelium annunciaturus luſtraſſet. Eum Apoſtolum vocant, atque in numero Diſcipulorum duorum, & ſeptuaginta recenſent.

℣. 24. DEMETRIUS ARGENTARIUS FACIENS ÆDES ARGENTEAS [14] DIANÆ.] Epheſium Dianæ Templum inter Mundi miracula recenſebatur. Ducenti, & viginti anni inſumpti fuerunt, ut hoc opus perficeretur, licet totius Aſiæ minoris ſumptibus ædificaretur. Ibi aderant centum, & viginti ſeptem columnæ a totidem Regibus poſitæ, quarum longitudo erat pedum quadringentorum, & viginti quinque, latitudo vero ducentorum, & viginti. Templum illud locupletiſſimis muneribus, pulcherrimiſque ſignis decoratum erat, atque ad illud exornandum peritiſſimorum artificum induſtria ultra duo ſæcula inſudaverat [15]. Illud incendit Eroſtratus nocte eadem, qua Magnus Alexander natus eſt: at deinceps reſtitutum fuit, & ipſe Alexander Epheſo potitus pollicitus fuerat, ſe illud in priſtinum fulgorem, ac decus revocaturum, ſi Templi ejuſdem fronti nomen ſuum inſcriberetur, quod illi denegatum fuit. Nero autem Templi hujus opes, atque theſauros diripuit.

Viatores, qui ex omnibus terrarum partibus illuc accedebant, exiguas celeberrimi illius Templi imagines [16], atque thecas, ubi Dea exhiberetur, ſecum domum referre geſtiebant. Plurima in Urbe Templi hujus ſimulacra vendebantur, & Demetrius aurifex inde potiſſimum lucrum percipiebat. S. Paulus ubique Idololatriam inſectabatur, ejuſque vanitatem ſuis ſermonibus, atque miraculis detegebat, plurimoſque ad Chriſtianam fidem convertebat. Hinc Demetrius exarſit, atque in illum eam, quam hic legimus, ſeditionem excivit. Crediderunt quidam [17], parvulas has Dianæ ædiculas nummos fuiſſe, vel numiſmata quædam, in quibus Templi Dianæ Epheſiæ imago cuſa eſſet: extant profecto numiſmata quædam, ubi Templum illud, & Dea exhibentur [18]; at non credimus, ea numiſmata apud aurifices venalia fuiſſe. Hæc erat pecunia in urbe ſignata, & qua paſſim in univerſa Provincia utebantur; ſed ædiculæ, de quibus loquimur, publice proſtabant. Putant nonnulli [19], eas fuiſſe quædam veluti lipſanaria, ubi Dianæ Idolum claudebatur; quod collo pendulum tamquam amuletum aliquod deferebatur.

℣. 27. IN REDARGUTIONEM VENIRE.] Non ſolum verendum eſt, ne ars noſtra contemnatur, & magnæ Deæ Templum ſpernatur, ſed decidat in contemptum. Textus ad litteram [20]: *ne pars noſtra*, lucrum, quæſtus, id, quod hac in re ad nos pertinet, *decidat in contemptum*. Non ſolum periculum imminet, ut jacturam faciamus ejus, quod ex hac negotiatione lucrum percipiebamus; verum periculum eſt, ut Deæ cultus penitus deſeratur. Non Deæ cultus, neque honor, ſed propria tantum uti-

1 1. Cor. 16. 9. 2 1. Cor. 15. 30. 31. 32.
3 Chryſoſtom. in 1. Cor. 15. & Theodoret. ibidem. 4 1. Cor. 16. 5. 6.
5 1. Cor. 16. 8. 6 Rom. 1. 10. & 16. 23. 7 Chryſoſtom. hom. 42. in Acta. From. hic.
8 1. Cor. 16. 17. 9 1. Cor. 16. 12. 10 1. Cor. 4. 18.
11 1. Timoth. 4. 20. *Ærarius civitatis*. Græc. Ο'ικονόμος. 12 Rom. 16. 22. 23.
13 2. Timoth. 4. 20. 14 Quid. Veteres MSS legunt in margine: Γουν κιβώρια μικρά.
15 Vide Plin. lib. 36. cap. 14. Strabo lib. 10. 16 Ita Sanct. Grot. Cornel. Menoch. Tir. Eraſm. Camer. Caſaub. alii. 17 Beza, Piſcat. Fromond.
18 Duchoul. pag. 85. 86. 19 Chryſoſtom. Vatabl. Vide & Sanct.
20 Οὐ μόνον δὲ τοῦτο κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν.

utilitas, & quæſtus Demetrium impulit.

A ℣. 28. MAGNA DIANA EPHESIORUM.] Hæc Diana minime exhibebatur, velati arcum, & ſagittas tenens, venatricis more, ſuccincta, & Lunæ imaginem fronte deferens: ſed hæc vocabatur *multa habens ubera*; quoniam quidam in locis exhibebatur, uberibus ab humeris [1] ad pedes uſque refertam. Alibi pingebatur cum ſinu, & ventre uberibus cooperto, ejuſque inferior pars imaginem referebat cujuſdam veluti ſtylobatis per interpollata ſpatia avium, boumque capitibus, & dimidiatis cervorum corporibus [2] exornati. Hæc omnia vero inſiſtebant Deæ pedibus, qui infra ea omnia ſigna nudi videbantur. Plura illius ubera fœcunditatem, atque abundantiam illius indigitabant; hominum æque, atque beſtiarum altricem illam eſſe portendebant [1]: *& ut ex ipſa quoque effigie monſtraretur omnium tam beſtiarum, & viventium eſſe nutricem*. Canes vero, & cervi ſignificabant, illam venatus, nemorumque Deam eſſe. Sæpius etiam illius numiſmata, & imagines plurimis emblematibus replebantur, varias ejuſdem qualitates indigitantibus. At hæc dicta ſufficiant. Cæterum apud Ethnicos Diana inter magnas deas recenſebatur: *Magna Diana Epheſiorum*; nam Dii alii apud illos majores erant, minores alii. Majores duobus hiſce verſiculis complexus eſt Ennius:

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars;
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

B Alii vero erant *Dii minorum gentium*. Priores illi ab omnibus Gentilibus colebantur; aliis vero in peculiari tantum regione, vel Urbe thura adolebantur.

℣. 29. IN THEATRUM.] Theatrum pluribus in Civitatibus locus erat, quo populus ad agendum de Republica cogebatur [4]. Theatra hæc ingentes erant areæ, hemicycli formam referentes; & quæ maximam populi vim capere poterant. In Urbibus, ubi deerant aptiores loci, in Theatro populi concilium habebatur.

RAPTO GAJO, ET ARISTARCHO.] Quos illi noverant S. Pauli ſocios eſſe, & miniſtros. Gajus, vel Cajus fortaſſe Macedo erat, atque domi ſuæ S. Paulum exceperat Corinthi, ubi rerum ſuarum ſedem ſtatuerat. Non deſunt, qui credant [5], hunc eſſe Cajum illum, cui S. Johannes tertiam ſcripſit epiſtolam; ſed præſtat duos Cajos diſtinguere, & aſſerere, illum, ad quem S. Johannes ſcribit, alium eſſe Cajum, qui in Derbe natus erat, & ipſum S. Pauli diſcipulum [6]. Hic fortaſſe ille eſt, quem Apoſtolicæ conſtitutiones l. 7. cap. 46. ferunt, conſtitutum fuiſſe Epiſcopum Pergamenum in Aſia; alter vero Cajus Epiſcopus Theſſalonicenſis fuit ſecundum traditionem, quæ ab Origene in Rom. 16. refertur.

Ariſtarchus etiam Macedo erat, atque Theſſalonicenſis. Hic S. Paulum Epheſum comitatus eſt, ibique cum illo permanſit biennio, quo ille ibi commoratus eſt, laborum, atque periculorum Apoſtolatus ejuſdem ſocius. Parum abfuit, quominus occideretur eo in tumultu, de quo hic S. Lucas verba facit. Inde vero Epheſo cum Apoſtolo egreſſus, hunc in Græciam ſubſecutus eſt, atque inde in Aſiam, illinc in Judæam, & ex Judæa Romam. Ado, & Martyrologium Romanum illum Theſſalonicenſem Epiſcopum fuiſſe teſtantur; at Græci contendunt, hunc Antiſtitem fuiſſe Apamææ in Syria, & Romæ ſub Nerone capite fuiſſe damnatum ſtatim poſt S. Paulum, cui ſemper conſtantiſſime adhæſerat. Non ſemel adhuc in Apoſtoli Epiſtolis Sancti Ariſtarchi nomen occurret.

℣. 30. NON PERMISERUNT DISCIPULI.] Ut Paulus ſe ſe populo oſtenderet, veriti, ne vis illi inferretur, atque lapidibus obrueretur. In turbulentis illis populi cœtibus jura, legeſque ſilebant.

℣. 31. QUIDAM DE ASIÆ PRINCIPIBUS.] Miſerunt ad eum rogantes, ne in theatrum veniret. Credidit [7] S. Johannes Chryſoſtomus, hos Aſiarchas fuiſſe Chriſtianos, ſed jure tenent Interpretes, illos Ethnicos fuiſſe. Hoc ſatis innuit S. Lucas, qui, ubi verba fecit de fidelibus, qui S. Paulum remorari conabantur, in theatrum prodire cupientem, addit etiam, ab Aſiarchis amicis ſuis fuiſſe prohibitum. Hi Aſiæ principes erant Ethnici Aſiæ pontifices honoris ergo electi, ut eorum ſumptibus ſolemnes, publicique ludi celebrarentur [8], ad quod munus ſemper eligebantur, qui in qualibet Civitate, vel etiam in tota Provincia, opibus, & nobilitate magis eluceren.

℣. 33. DE TURBA DETRAXERUNT ALEXANDRUM.] Judæis adjuvantibus, qui illum in theatrum impulerunt eum in locum, unde ab omnibus audiri poſſet, cum vellet verbis ſuis Judæos tueri, atque omnem tumultus illius culpam in ſolos Chriſtianos rejicere [9]: hi quippe invicem, ut plurimum confundebantur; ſciebat enim, Judæos non minus, quam Chriſtianos Idolis eſſe infenſiſſimos. Credunt [10], hunc Alexandrum illum eſſe, de quo verba fecit S. Paulus in 2. ad Timotheum 4. 14. qui cum ærarius eſſet faber, Apoſtolo ſemper adverſatus eſt, & tandem ab eodem anathemate percuſſus; ad quam ſententiam probandam nonniſi futiles, & infirmæ conjecturæ afferuntur [11]. Non ſatis liquet, utrum pro S.

C Paulo ſtaret, an contra illum, neque utrum illum arguere, an pro eodem vellet perorare. Si hic ille eſt, oportet jam tunc illum fuiſſe Chriſtianum; quod ex textu minime liquet, aſſerente, illum eſſe Judæum. Poterat autem eſſe Judæus ad Chriſti fidem converſus. Denique ut verbo me expediam, nihil certum.

Græcus verti poteſt [12]: *inſtantibus ſuis Alexander productus illum Judæis*, tanquam Patronum ſuum. Illum oratorem ſuum conſtituerunt, & voluerunt pro ſe eum loqui [13]: at ſenſus, quem Vulgata exhibet, a pleriſque Interpretum probatur. Si dixeris, a Judæis Alexandrum productum fuiſſe, ut ſuam cauſam peroraret, Judæus fuiſſe, atque in Judæorum partibus deſcendus erit: & ea ſententia, quæ illum cum Alexandro ærario fabro confundit, eo iu corruet.

D ℣. 35. CUM SEDASSET SCRIBA TURBAS, DIXIT.] Credunt quidam [14], Alexandrum verba feciſſe; ſed Græcus ſatis oſtendit, ſcribam fuiſſe locutum. Sed hic Scriba longe alius fuiſſe dicitur ab eo, quem apud nos hoc nomen ſignificat. Non deſunt, qui putant [15], illum Urbis fuiſſe Præfectum; alii Ducem, qui militibus militare ſymbolum tribuebat, & quid facto opus eſſet, illis præſcribebat; vel Scribam publice nomina, & præmia victorum in publicis ludis recitantem. Videtur autem hic vir fuiſſe præſtans, & gravis, quandoquidem auctoritate ſua populi tumultum lenit. Græci quidam MSS. [16]: pro: *cum ſedaſſet*, legunt *cum manu* populo annuiſſet; vel potius: *cum populo metum injeciſſet*.

EPHESIORUM CIVITATEM CULTRICEM ESSE MAGNÆ
E DIANÆ, JOVISQUE PROLIS.] Græcus [17]: *quis neſcit urbem Epheſiorum eſſe æditaam* (vel Neocoron) *magnæ Deæ Dianæ, & ſimulacri a Jove profecti?* Nomen Neocorus frequens reperitur in numiſmatibus, & antiquis inſcriptionibus ad illum honorem innuendum, quam fuerant

1 Vide Hieronym. Prolog. Ep. ad Epheſ. & Minut. Felic. in Octav. & Triſtan. tom. 1. p. 352. & tom. 2. p. 526. 2 Duchoul. Relig. des Rom. p. 86. 3 Hieron. loco citato.
4 Vide, ſi placet, Grot. & Druſ. hic. 5 Beda, in 3. Epiſt. Joan. Ado in Martyrol.
6 Vide Tillemont. in S. Paul. art. 45. & not. 29. 7 Chryſ. in Act. homil. 42. Vide & Bezam hic.
8 Vide, ſi placet, Grot. & Hammond. hic, & Salmaſ. 9 Chryſoſtom. homil. 42. Fromond. alii.
10 Ita Hugo, Baron. Grot. Bez. Hamm. alii. 11 Sanct. Cajet. Tir.
12 Προεβίβασαν Ἀλέξανδρον, προβαλόντων αὐτὸν τῶν Ἰουδαίων. Vulg. legit: Προεβίβασαν,
13 Vide Eraſm. Hamm. Zeger. Syr. 14 Eraſm. Baron.
15 Syr. Arab. Druſ. Lud. de Dieu. 16 Cantab. Laud. 3. Κατασείσας τῇ χειρὶ. Græc. impreſſ. Καταστείλας. S. Lucas utitur ſæpe κατασείειν, pro manu innuere, ſilentium indicere; at hoc verbum cum dandi caſu conſtruitur. Act. 12. 17. 13. 16. 19. 33. 21. 40. 17 Τίς [illegible] τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος, καὶ τοῦ Διοπετοῦς. Auctor Vulgatæ legiſſe videtur: Διὸς παιδὸς, *filia Jovis*.

Digitized by Google

fuerant adeptæ Civitates quædam, altaria extruendi, ludoſque publicos in quorumdam Deorum honorem celebrandi. Quod privilegium Senatuſconſulto, vel principum gratia illis erat permiſſum, & quod ab illis Civitatibus tanto habebatur in pretio, ut illud in nummis, atque inſcriptionibus ſuis præſeferrent, atque inter cæteros titulos ſibi magis præclarum exiſtimarent. Hujus rei ſexcenta occurrunt exempla, præcipue vero in Aſiæ Civitatibus. Græca vox *Neocoros* vulgo Latine redditur *æditnus*, Sacriſta; ille, qui curam gerit eorum, quæ ad Templorum honorem, & cultum pertinent, ludorum, pomparum, cæremoniarum, laudum Deorum, atque ornatuum [1] Epheſii Dianam præcipue venerabantur, atque ſe illius *Neocoros* eſſe gloriabantur.

Addunt, Numinis hujus ſimulacrum de Cœlo fuiſſe dilapſum, eaque erat populorum ſententia, Dianam Epheſiam humanarum manuum opus non eſſe, ſed immediate a Cœlo in terras deſcendiſſe. Inde autem hæc profecta erat opinio, quod vetuſtum adeo ſimulacrum illud erat, ut cum neque ſculptorem, neque originem illius cognoſcerent, Sacerdotes illud, tamquam præclarum Jovis munus eſſe jactitarent. Hoc ipſum de numine illo, quod Peſſinunte adorabatur, atque de Diana Taurica, & ancilibus, vel clypeis ſacris, a Numa adinventis de Palladio [2], de Cerere in Enna Sicula [3], & de Deo Elagabalo ferebatur [4].

S. Iſidoros Peluſiota l. 4. Ep. 207. refert, Ethnicos, ut fidem adſtruerent, Idola ſua de Cœlo delapſa fuiſſe, nonnumquam morte affeciſſe, vel in ignotas, remotaſque terras relegaſſe ſculptores, a quibus ædificata fuerant, ut cum populi ſimulacrorum auctores minime cognoſcerent, facilius ſibi perſuaderi paterentur, illa de Cœlo fuiſſe profecta. Narrat, quemdam Ægypti Regem, cum aliquando plures ſcitos artifices collegiſſet, qui eximium Dianæ ſimulacrum elaborarent, poſtquam opus abſolutum fuit, ſculptoribus cœnam inſtruxiſſe eo in cœnaculo, cujus pavimentum in præceps ruere debebat, ubi illi menſæ accubuiſſent. Sculptores ergo ita omnes enecati fuerunt, atque humo inſepulti. Sed factum non adeo ſecrete latuit, ut fama in vulgus minime emanaverit: ideoque e voto Regi non ceſſit, ut Diana ſua tamquam numen de Cœlo delapſum haberetur.

Sed ut ad Epheſiam Dianæ ſtatuam revertamur, Plinius, qui l. 16. cap. 40. de eadem Hiſtoricorum more verba facit, teſtatur non ſatis conſtitiſſe apud Veteres, quanam ex materia eſſet conflata. Dionyſius Periegetes ait, veterem Dianæ ſtatuam ab Amazonibus poſitam non aliud fuiſſe, quam ulmi truncum; Callimacus ex quercu, Vitruvius ex cedro, Xenophon de exped. Cyri ex argento, alii quidam ex ebeno factam fuiſſe putant. Alii vero, qui illam propius viderant, eam ex ligno vitis [5] factam aſſerebant, & hanc adhuc eſſe veterem, ac primam illam affirmabant, quæ numquam fuerat immutata, licet Templum ſepties flammis fuiſſet abſumptum. Plinius ſimulacrum illud a Canetia factum fuiſſe dicit, & addit, illud eſſe perforatum, ut in plurima illius foramina nardus inſtillaretur ad lignum alendum, atque ſervandum. Neque mireris, audiens, hoc ſimulacrum ex ligno vitis perfectum fuiſſe; quandoquidem Plinio eodem auctore [6] ſatis magnæ, craſſæque vites olim fuerunt, atque in eodem Epheſi Templo ſcala aderat, ex uno tantum vitis trunco elaborata, per quam uſque ad ſummum Templi verticem patebat aſcenſus. Templum Jovis Metaponti columnis ex vite torno elaboratis fulciebatur, & Populoniæ formoſum erat Jovis ſimulacrum ex eodem ligno poſitum.

℣. 37. NEQUE BLASPHEMANTES DEAM VESTRAM.] Homo iſte, qui Ethnicus erat, nullo habebat in diſcrimine mendacia concinnare [7]. Non quærit, utrum Paulus, ſociique illius de Diana fuerint obloc uti, & affirmaverint, falſum illud numen, atque ſignum nihil aliquod in ſe habere, quod populi obſervantiam mereretur. Si Paulus hoc dixiſſet, nihil falſum imputaſſet; id ſolum ait, quod multitudini leniendæ opinatur idoneum.

℣. 38. CONVENTUS FORENSES.] Pro cauſis minoris momenti. Qui putant, juſtas ſibi eſſe querelas, ad Judices confugiant, qui illis jus dicent. Si de rebus majoris momenti peragitur, habetis *Proconſules*, vel Provinciæ Præſidem, ad quem illos rapere poteſtis. Unus tantum in qualibet Provincia erat Proconſul, ſed pluralis iſthic pro ſingulari uſurpatur. Græcus ita verti poteſt [8]: *hi dies ſunt cœtus*, vel ſeſſionis: *habemus Proconſules*; quibus juſta eſt querela, ad illos accedant, & jus ſibi fieri depoſcant. Aliter [9]: *hujuſmodi homines opifices ſunt*; Demetrius, ſociique illius non habent populi congregandi auctoritatem. Hoc ad ſolos Proconſules ſpectat.

℣. 39. LEGITIMA ECCLESIA.] In legitimo cœtu; qui ſingulis menſibus habetur, ſancto Chryſoſtomo teſte [10], aliter in cœtu rite a Magiſtratibus congregato [11], & ubi omnia citra tumultum tranſiguntur. Cujuslibet Civitatis magiſtratus ea, quæ ad Rempublicam ſpectabant, adminiſtrare conſueverant.

℣. 40. CUM NULLUS OBNOXIUS SIT.] Nam quamvis generatim minime liceret populis hujuſmodi habere cœtus citra Proconſulis, vel Magiſtratuum Imperium, Lex tamen ſuas patiebatur exceptiones; puta, ſi incendium oboriretur, ſi hoſtes ingruerent, & ſimilia quædam contingerent. Hic vero nihil erat ſimile [12]. Græcus aliter poteſt intelligi: cum nemo ſit, qui jus habeat populum congregandi; vel potius [13], cum nemo ſit in Civitate, qui huic tumultui occaſionem præbere potuerit, nullus proditor, nullus incendiarius, nullus contra Deos blaſphemator &c.

---

1 Vide Tiriſian. Comment. hiſtor. tom. 1. p. 39. 40. 41. Hamm. Perit. Var. Lect. Eraſm. &c.
2 Plutarch. in Parallel. 3 Apud Ciceron. 4 Apud Herodian.
5 Ita Mutianus ter Conſul, apud Plin. ibid. & Theophyl. lib. 5. hiſt. c. 19.
6 Plin. lib. 14. cap. 1. 7 Chryſoſtom. Fromond. Cornel. Menoch.
8 Ἀγοραῖοι ἄγονται, καὶ ἀνθύπατοί εἰσι. Vide Grot. Hamm. Camer. Piſcat. Druſ. hic. Caſaub. in Theophylact. Caracter. Περὶ ἀπονοίας. 9 Syr. Arab. Ludov. de Dieu.
10 Chryſoſtom. hic, Zeger. Fromond. 11 Grot. Eraſm. Cornel. alii.
12 Eraſm. Zeger. Grot. alii. 13 Μηδενὸς αἰτίου ὑπάρχοντος . . . τῆς συστροφῆς ταύτης.

CAPUT XX.

S. Paulus Troade. Adoleſcentem ex tertia contignatione in præceps lapſum reſuſcitat. Evangelium pluribus in Regionibus annunciat. Aſia diſcedit. Dolor Fidelium, quos relinquit.

1. POſtquam autem ceſſavit tumultus, vocatis Paulus diſcipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus eſt, ut iret in Macedoniam. 2 Cum autem perambu-

perambulaſſet partes illas, & exhortatus eos fuiſſet multo ſermone, venit ad Græ-
ciam: 3 Ubi cum feciſſet menſes tres, factæ ſunt illi inſidiæ a Judæis navigatu-
ro in Syriam: habuitque conſilium, ut reverteretur per Macedoniam. 4 Comi-
tatus eſt autem eum Sopater Pyrrhi Berœenſis, Theſſalonicenſium vero Ariſtarchus,
& Secundus, & Gajus Derbeus, & Timotheus: Aſiani vero Tychicus, & Tro-
phimus. 5 Hi cum præceſſiſſent, ſuſtinuerunt nos Troade: 6 Nos vero naviga-
vimus poſt dies azymorum a Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus
quinque, ubi demorati ſumus diebus ſeptem. 7 Una autem Sabbathi, cum con-
veniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis profecturus in craſti-
num, protraxitque ſermonem uſque in mediam noctem. 8 Erant autem lampades
copioſæ in cœnaculo, ubi eramus congregati. 9 Sedens autem quidam adoleſcens
nomine Eutychus ſuper feneſtram, cum mergeretur ſomno gravi, diſputante diu
Paulo, ductus ſomno cecidit de tertio cœnaculo deorſum, & ſublatus eſt mortuus.
10 Ad quem cum deſcendiſſet Paulus, incubuit ſuper eum: & complexus dixit:
Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt. 11 Aſcendens autem, frangenſque
panem, & guſtans, ſatiſque allocutus uſque in lucem, ſic profectus eſt. 12 Ad-
duxerunt autem puerum viventem, & conſolati ſunt non minime. 13 Nos autem
aſcendentes naves, navigavimus in Aſſon, inde ſuſcepturi Paulum: ſic enim diſpo-
ſuerat ipſe per terram iter facturus. 14 Cum autem conveniſſet nos in Aſſon, aſ-
ſumpto eo, venimus Mitylenen. 15 Et inde navigantes, ſequenti die venimus
contra Chium, & alia applicuimus Samum, & ſequenti die venimus Miletum. 16
Propoſuerat enim Paulus tranſnavigare Epheſum, ne qua mora illi fieret in Aſia.
Feſtinabat enim, ſi poſſibile ſibi eſſet, ut diem Pentecoſtes faceret Jeroſolymis.
17 A Mileto autem mittens Epheſum, vocavit majores natu Eccleſiæ. 18 Qui
cum veniſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit eis: Vos ſcitis, a prima die, qua
ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, 19 Serviens
Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt
ex inſidiis Judæorum: 20 Quomodo nihil ſubtraxerim utilium, quo minus annun-
tiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos, 21 Teſtificans Judæis, at-
que Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chri-
ſtum. 22 Et nunc ecce alligatus ego ſpiritu, vado in Jeruſalem: quæ in ea ven-
tura ſint mihi, ignorans. 23 Niſi quod Spiritus ſanctus per omnes civitates mi-
hi proteſtatur, dicens: quoniam vincula, & tribulationes Jeroſolymis me manent.
24 Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretioſiorem quam me, dum-
modo conſummem curſum meum, & miniſterium verbi, quod accepi a Domino Je-
ſu, teſtificari Evangelium gratiæ Dei. 25 Et nunc ecce ſcio, quia amplius non
videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſivi prædicans regnum Dei. 26
Quapropter conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum a ſanguine omnium. 27
Non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis. 28 At-
tendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos, re-
gere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. 29 Ego ſcio, quoniam intra-
bunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. 30 Et ex
vobis ipſis exſurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe. 31
Propter quod vigilate memoria retinentes, quoniam per triennium nocte, & die non
ceſſavi, cum lacrymis monens unumquemque veſtrum. 32 Et nunc commendo vos
Deo, & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare, & dare hæreditatem in ſan-
ctificatis omnibus. 33 Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſicut
34 Ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt,
miniſtraverunt manus iſtæ. 35 Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes, opor-
tet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Jeſu, quoniam ipſe dixit: Bea-
tius eſt magis dare, quam accipere: 36 Et cum hæc dixiſſet, poſitis genibus ſuis
oravit cum omnibus illis. 37 Magnus autem fletus factus eſt omnium: & pro-
cumbentes ſuper collum Pauli, oſculabantur eum, 38 Dolentes maxime in verbo,
quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non eſſent viſuri. Et deducebant eum
ad navem.

℣. 1. POSTQUAM CESSAVIT TUMULTUS.] Tumultus, qui Epheſi obortus erat propter aurificem, coegit S. Paulum, ut iter in Græciam maturaret. In 1. ad Corinthios 16. 8. ſcripſerat, ſe poſt Pentecoſten diſceſſurum; ſed videtur hoc facto coactus fuiſſe, ut aliquot fortaſſe diebus iter præverteret. S. Lucas ſatis aperte ait, illum ſtatim, poſtquam ſedata fuit ſeditio, diſceſſiſſe.

UT IRET IN MACEDONIAM,] ad Eccleſias, quas ibi inſtituerat inviſendas, & ad eleemoſynas colligendas, quæ ſeorſim pro fidelibus Jeroſolymitanis fuiſſent ſepoſitæ. Sed quin Epheſi navem conſcenderet, profectus eſt Troadem in Phrygiam [1], ubi fideles aderant, quos antequam Aſia egrederetur, voluit inviſere. Secum Timotheum adduxit, & uterque ſimul in Græciam transfretavit, 2. Cor. 1. 1.

℣. 2. AD GRÆCIAM,] hoc eſt Achaiam: ſed non immediate illuc profectus eſt. Per Macedoniam enim pertranſiit, quemadmodum ſuperiori ℣. dictum eſt. Ipſe Paulus nos docet [2], ſibi plurima ferenda fuiſſe ab infidelibus pericula, & multas etiam a fidelibus adhuc imperfectis ſollicitudines. Verum illum conſolatus eſt Titi adventus, qui eum ſumma affecit lætitia, eidem optimum Corinthiacæ Eccleſiæ ſtatum annuntians. Paulo poſt cum eſſet adhuc in Macedonia, Titum remiſit Corinthum [3], eique alteram tradidit Epiſtolam, ad Corinthios conſcriptam [4]. Ipſe etiam illuc acceſſit aliquanto poſt, quemadmodum illis promiſerat [5], atque tunc tertio illuc acceſſit [6]. Quid ibi fecerit, non ſatis aperte liquet. At S. Auguſtinus ep. 118. c. 6. opinatur, illum præcepiſſe quidquid ad Sanctum Euchariſtiæ ſacrificium pertinebat; præſertim vero, ut Jeſu CHRISTI corpus a jejunis, & non in communi menſa reciperetur; quemadmodum fieri conſueverat, cum primam ad Corinthios daret Epiſtolam.

℣. 3. MENSES TRES] tum Corinthi, tum Athenis, & in Achaja. Hoc tempore omnes inviſit Eccleſias, & præparatas collegit eleemoſynas. Hoc etiam temporis intervallo, & antequam ab Achaia diſcederet, Epiſtolam ſuam ſcripſit ad Romanos. Inde autem conjicere eſt, Corinthi eam conſcriptam fuiſſe [7], quod Corinthi diutius, quam alibi permanſit, & quod Romanis ſalutem dicit nomine complurium virorum Corinthiorum.

FACTÆ SUNT EI INSIDIÆ.] Decreverat Paulus mari in Syriam, & Jeruſalymam concedere quæ prima erat itineris ſui meta, eaque breviſſima erat via: ſed ubi audiit, ſibi a Judæis inſidias in via fuiſſe poſitas, ſeu Piratas monuiſſent, qui in ejus navem impetum facerent, eum vero comprehenderent, & opes, quas ad pauperes Jeroſolymitanos afferret diriperent, ſeu latrones inſtruxiſſent in Urbibus, quo in itinere S. Paulo appellendum erat, decrevit terreſtri itinere, quoad poſſet, in Syriam proficiſci. Itaque per Macedoniam Troadem venit, ubi navem conſcendit, ut in Syriam, & Jeroſolymam ſe ſe conferret. Univerſum illius iter in hoc, & ſequenti capite videbimus. Corintho Philippos uſque, Macedoniæ Civitatem, illum comitati ſunt Sopater, vel Soſipater, Ariſtarchus, Secundus, Cajus, Timotheus, Tychicus, & Trophimus [8]. Philippis vero S. Paulus illos rogavit, ut illum præverterent, atque mari Troadem venirent, ubi ipſum præſtolarentur. Interim vero ille cum S. Luca, aliiſque nonnullis Philippis permanſit, ibique cum illis Paſcha celebravit, neque ex ea urbe diſceſſit, niſi poſt dies Azymorum, vel Paſchatis octiduum.

℣. 4. SOPATER.] Græcus Typis editus [9] ſimpliciter legit *Sopater Beroenſis*, & plurimi MSS. legunt. *Soſipater Beroenſis*, & alii non pauci: *Sopater Pyrrhi filius Beroenſis*. Soſipater, & Sopater idem eſt nomen: at veroſimile valde videtur Pyrrhi Patris illius nomen textui additum fuiſſe poſt longiſſimum tempus ab aliquibus ex primis fidelibus, qui Soſipatri familiam noverant; nam ſi Pyrrhi nomen ibi fuiſſet ab initio, quomodo inveniretur ad hanc uſque diem MSS. ubi amplius non legitur? cum de propriis nominibus agitur, plerumque accidit, ut aliquid addatur, vel auferatur. Creditur hic Soſipater ille eſſe, quem S. Paulus ſuum conſanguineum appellat, & quem Romanis etiam atque etiam commendat [10]. Ille erat ex Berœa, hoc eſt fortaſſe ex urbe cognomine in Macedonia, ubi S. Paulus prædicaverat. Græcus textus typis editus, ait, Soſipatrum Pauli comitem acceſſiſſe *uſque in Aſiam* [11]; quæ verba neque in Verſione Arabica, neque in Vulgata, neque in aliquibus Græcis MSS. leguntur. Immo nec apparet, quomodo preſſius dici poſſit, vel Soſipatrum, vel alium ſecutos fuiſſe S. Paulum in Aſiam; quandoquidem illum Troadem præverterunt. Non abhorret igitur a veri ſpecie, hæc verba in Græco textu addita fuiſſe.

ARISTARCHUS] de quo verba fecimus cap. ſuperiori ℣. 29.

TIMOTHEUS] inſignis S. Pauli diſcipulus, de quo fuſius ſermo erit in argumento epiſtolarum, quas ad illum S. Paulus conſcripſit.

TYCHICUS] a S. Paulo vocatur [12] dilectus frater, fidelis Domini miniſter, & in Dei miniſterio ſocius. Hic erat ex Provincia Aſia S. Pauli familiaris, quo hic uſus eſt, ut ſuas deferret epiſtolas, atque de Eccleſiarum ſtatu ſibi nuntium adferret. Immo Cretam uſque illum mittere voluit, ut illius Eccleſiæ curam gereret, atque Titi munus expleret [13]. Quædam martyrologia illius feſtivitatem ſtatuunt Paphi in Cypro decimotertio Kalendas Maii. Græci ut plurimum illum Colophonis Epiſcopum fuiſſe dicunt in Aſia Provincia, eumque inter Septuaginta diſcipulos memorant.

De Trophimo ſermo erit in ℣. 29. cap. 21.

℣. 5. SUSTINUERUNT NOS TROADE] quo S. Paulus illos præmiſerat. S. Lucas prima iſthic uſus perſona oſtendit ſe Pauli ſocium eo in itinere fuiſſe. Vidimus jam [14] Troadem Minoris Phrygiæ Urbem fuiſſe in parva Troadis Provincia.

℣. 6. NAVIGAVIMUS,] poſt Paſchatis octiduum: Per hæc verba oſtendit S. Lucas, S. Paulum adhuc obſervaſſe Azymorum conſuetudinem ſeptem Paſchatis diebus Judæorum more. *Navigavimus a Philippis*, ut in Aſiam transfretaremus, atque Troadem eos conveniremus, quos S. Paulus illuc præmiſerat.

℣. 7. UNA SABBATHI:] die Dominico, cum diſcipuli conveniſſent ad panem frangendum; vel ut ſimul accumberent menſæ [15], vel potius ut Euchariſtiam celebrarent [16], quæ ſæpius his vocibus deſignatur, *frangere panem*; vel denique [17], ut ſimul charitatis convivium inſtitueremus, quod ut plurimum Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI communio vel comitabatur, vel ſequebatur. Diei Dominici occurſus, hora veſpertina, S. Pauli prædicatio, accenſæ lampades ſatis indigitant, de majori aliqua re, quam de vulgari cœna, hic verba fieri.

DISPUTABAT CUM EIS,] vel potius [18], colloquebatur cum illis, atque in mediam uſque noctem ſuum ſermonem produxit. Audiit eorum quæſtiones, eiſque reſpondit. Omnem illis dubitationem ademit, quidquid obſcurum, vel difficile in ſacris myſteriis eiſdem videbatur, explicuit. Sermones illi quidem minime elaborati erant; ſed familiaria, utilia, & ſeria colloquia.

℣. 8. LAMPADES COPIOSÆ IN COENACULO.] Tum pro-

1 2. Cor. 2. 12. 2 2. Cor. 7. 5. 3 2. Cor. 8. 16.
4 Theodor. Tillemont. 5 1. Cor. 16. 5. 6 2. Cor. 12. 14.
7 Origen. in Epiſt. ad Rom. Theodoret. ibid. Athan. Synopſ. 8 Rom. 16. 21.
9 Σώπατρος Βεῤῥοιαῖος. Alii, Σωσίπατρος Βεῤῥοιαῖος. Alii, Πύῤῥου Βεῤῥοιαῖος.
10 Rom. 16. 21. Origen. Eſt, alii. 11 Συνείπετο αὐτῷ ἄχρι τῆς Ἀσίας Σώπατρος.
12 Epheſ. 6. 21. 22. & Coloſſ. 4. 7. 13 Vide Tit. 3. 12. 14 Act. 16. 8. 15 Gloſſa ordin. Lyr.
16 Aug. Ep. olim 86. nunc 36. c. 12. n. 28. Hieron. Ep. 18. Sanct. Syr. Cornel. Ham. Piſc. Arab. Æth.
17 Fromond. Ben. 18 Διελέγετο αὐτοῖς, . . . παρέτεινέ τε τὸν λόγον.

propter cœtus illius celebritatem, in quo, quemadmodum dictum eſt, poſt cœnam Euchariſtia fuerat celebrata, tum propter loci decentem, & magnitudinem, qua tot utriuſque ſexus ea nocte convenerant, denique ad calumnias evitandas, quæ contra conventus, & convivia Charitatis a primis Chriſtianis inſtituta, nequiter ſerebantur.

℣. 9. SUPER FENESTRAM,] quæ erat aperta, vel propter calorem, vel ad lampadum, & funalium odorem diſſipandum. Adoleſcens ille ſuper feneſtram aſcenderat, fortaſſe ut facilius audiret, quoniam aula confluenti diſcipulorum multitudine erat referta: *cecidit de tertio cœnaculo deorſum, & ſublatus eſt mortuus.* Cecidit in atrium, vel viam ſubjectam, atque ex lapſu miſere contritus fuit; cum enim ſopore captus eſſet, lapſus ipſe fuit gravior.

℣. 10. INCUBUIT SUPER EUM.] Se ſe ſuper illum proſtravit, ut olim Eliſæus ſuper filium hoſpitæ ſuæ Sunamitidis [1], quaſi ut illum foveret, eumque curſus animaret Deum enixius rogans, ut illi vitam reddere dignaretur. Et complexus dixit: *nolite turbari: anima enim ipſius in ipſo eſt.* ſenſit, a Deo illum jam reſuſcitatum fuiſſe. Quoſdam in illo motus deprehendit, ex quibus eum adhuc vivere judicaret [2]; vel locutus eſt tamquam certus miraculi, quod mox erat eventurum; quemadmodum Dominus noſter in Evangelio Matth. 9. 24. de Jairi filia ait: *non eſt mortua puella, ſed dormit*: quoniam tanta eum facilitate illam ſuſcitaturus erat, quanta ſi illa ſopore caperetur. Putat Clericus in Notis Gallicis in Nov. Teſtam. adoleſcentem hunc ex lapſu mortuum non fuiſſe, & ubi S. Lucas illum mortuum fuiſſe teſtatur, vertit, *erat veluti mortuus*; & ℣. 12. ubi dicitur, *adduxerunt autem puerum viventem*, ita explicat, adduxerunt puerum bene valentem. At nonne hoc eſt palam Scripturarum textui vim inferre?

℣. 11. FRANGENS PANEM, & GUSTANS.] Aliquid diluculo comedit, poſtquam tota fere nocte locutus eſſet, ut ſe ſe ad diſceſſum diſponeret. *Guſtare* apud S. Lucam ſignificat primam eſcam, quæ in die ſumitur. Vide ſupra cap. 10. ℣. 10. Fromondus credit, illum iterum Euchariſtiam celebraſſe feria ſecunda ſub diluculum, cum jam illam celebraſſet die Dominica ſub veſperam, & in aula eadem, at vix crediderim, eodem in cœtu bis Sancta myſteria celebrata fuiſſe.

℣. 13. NAVIGAVIMUS IN ASSON INDE SUSCEPTURI PAULUM,] qui eo uſque terra proceſſerat. *Aſſon* [3] vel *Aſſos* maritima erat Civitas Miſiæ [4], vel Troadis [5] de hoc enim inter Geographos non conſtat. Apollonia quoque vocabatur [6]. Qui mari ex Troade Aſſon pergebat, longiorem circuitum emetiebatur, quam qui terreſtri itinere illuc concederet propter promontorium, quod in mare protendebatur. Terreſtri vero itinere octo fortaſſe vel decem intererant leucæ.

℣. 14. VENIMUS MYTILENEN.] S. Paulus cum illis navem conſcendit in Aſſo, & inde Mytilenem in Inſula Lesbo venerunt. Facile una die mare traducere potuerunt.

℣. 15. CONTRA CHIUM] aliam Ægæi maris inſulam, in quam non deſcenderunt. Sed craſtina die *Samum* appulerunt. Vel potius cum Græco textu [7] cum perveniſſent e conſpectu Sami Inſulæ, Trogilii prope Samum in anchoris ſteterunt. Græcus textus, & plura exemplaria Græca [8] omittunt Trogilium. Aderat ejuſdem nominis promontorium in Jonia, ex quo tres parvæ inſulæ Samo finitimæ denominabantur [9]. Promontorium illud Epheſum inter, & Mæandri oſtium eminebat. Veritati magis conforme videtur, S.

A Paulum, ſociosque parvæ Trogilii Inſulæ potius, quam cognomini promontorio appuliſſe: non enim promontorium locus eſt aptus, ubi e navi deſcendas.

VENIMUS MILETUM.] Urbem celebrem in littore, & Provincia Cariæ, duodecim, vel quindecim circiter leucas procul ab Epheſo.

℣. 17. VOCAVIT MAJORES NATU ECCLESIÆ:] Græce, *Presbyteros*, quæ vox non ſolum majorem natu ſignificat, ſed etiam Sacerdotem, Epiſcopum, virum in dignitate conſtitutum. Minime ambigitur, quominus hoc in loco majores natu, vel Presbyteri iidem ſint, quos ℣. 28. *Epiſcopos vocat*. S. Irenæus [10] inquit, ab illo accerſitos fuiſſe Sacerdotes, atque Presbyteros non Epheſi tantum, verum etiam Eccleſiarum finitimarum, quod veriſimillimum videtur. S.

B Timotheus Epheſinus Epiſcopus tunc aderat cum S. Paulo [11]: itaque credendum eſt, Epheſi pro illo alium fuiſſe Epiſcopum, qui eo abſente Eccleſiæ cum Presbyteris præeſſet; & finitimarum etiam Civitatum Epiſcopos illuc acceſſiſſe.

℣. 18. QUOMODO VOBISCUM PER OMNE TEMPUS.] Cantabrigienſis MSS. habet [12]: *Triennio & ultra, quomodo vobiſcum fuerim per hoc omne tempus.* S. Paulus, quin officeret modeſtiæ, poterat ſeipſum diſcipulis ſuis, tamquam exemplar proponere. Non loquebatur, niſi ex afflatu Spiritus Sancti, & nihil magis aberat ab vanitate, atque oſtentatione quam ea vivendi ratio, quam apud illos inſtituerat. Illos etiam teſtes vocat ſuæ humilitatis, ſuarum tentationum, & lachrymarum. Humana ſuperbia ex hujuſmodi rebus non

C creſcit, quæ nimis proprio amori adverſantur.

℣. 19. TENTATIONIBUS.] *Tentationes* [13] ſignificare poſſunt, vel calamitates, quas in illum inimici excitaverunt, vel eas, quibus Deus illum objecit ad virtutem ejus probandam: vel ea denique, quas Judæi in illum exercuerunt, ut cum a JESU CHRISTO divellerent, atque minis deterrere, & promiſſionibus allicere conati ſunt, ut Evangelium abdicaret.

℣. 20. NIHIL SUBTRAXERIM UTILIUM.] Vobis aperui, quidquid ſaluti veſtræ utile futurum exiſtimavi. Non metus, non aliqua humana ratio me potuit impellere, ut reticerem eas veritates, quæ vobis utilitatem poterant afferre. Pro veſtra ſanctificatione nihil non tentatum reliqui [14]. O perfectum optimi Paſtoris exemplar! Doctrinæ, & zeli plenus effluenter,

D diſcrete, ſine invidia, ſine metu communicat, quod Deus, & charitas illi inſpirant. Bonus Paſtor, ajebat S. Bernardus, ſemper in pera panem geſtare debet, atque canem ſemper dicto habere parentem. Canis ejus eſt zelus, quem regere ac moderari oportet: peram autem pane replere, mens eſt utilibus cognitionibus referta. Debet ſemper paratus eſſe, ut gregi ſuo eſcam ſuppeditet.

℣. 21. JUDÆIS ATQUE GENTILIBUS.] A Judæis incœpit, atque tres menſes illis prædicavit [15]: ſed eorum obdurationem videns, ad Ethnicos ſe ſe convertit, quin tamen Judæos penitus negligeret; ſemper paratus, ut illos erudiret, ubi aures præbere vellent. At non amplius, ut olim in Synagogam eorum, ita frequens acceſſit. Utriſque prædicabat pœnitentiam pri-

E mum, & mox fidem in JESUM CHRISTUM: quippe illius converſio, qui Idololatriam deſerit, & veri Dei cultum amplectitur, complectitur quidem fidem in Deum, non autem ſemper fidem in JESUM CHRISTUM. Judæi quidem in Deum credebant, non ita vero in JESUM CHRISTUM; ideoque monendi erant, ut converterentur, atque crederent & in illum. Ethnici Deum non noverant, & nefarie vivebant: ab idololatria erant divellendi, atque impellendi, ut per pœniten-

1 4. Reg. 4. 32. 2 Sanct. Grot. Bez. alii.
3 Gr. Ἄσσον; alii Νάσον; alii Θάσσον, vel Θάσσος. 4 Strabo, Stephan.
5 Plin. l. 5. c. 96. 6 Idem l. 5. c. 30. 7 Τῇ δὲ ἑτέρᾳ παρεβάλομεν εἰς Σάμον, καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ, &c. 8 Omittunt Trogillium Alex. Laud. 3. Pet. 3. Copht. Æth. Hieronym. Beda, alii. 9 Plin. lib. 5. c. 31. Vide Strabon. l. 14.
10 Iren. l. 3. c. 14. Vide Chryſoſt. homil. 44. initio. Τοὺς ἄρχοντας μεταπεμψάμενος. Eraſm. Vatab.
11 Vide Rom. 16. 21. Ligf. Tillem. 12 Ὡς τριετίαν, ἢ καὶ πλεῖον . . . πῶς μεθ' ὑμῶν τὸν πάντα χρόνον.
13 Gr. Πειρασμοῖς. 14 Eraſm. Vat. Bez. 15 Act. 19. 8. 9. 10.

tiam ad Deum confugerent, ac tandem crederent in JESUM CHRISTUM [1] per fidem, & charitatem impios juſtificantem. In Evangelio etiam [2], non ſecus, ac iſthic homines ad pœnitentiam primum, mox ad fidem in Evangelium perducuntur.

℣. 22. ALLIGATUS EGO SPIRITU.] Ego ſum tamquam alligatus, & vinctus vi Spiritus ſancti, qui me Jeruſolymam adducit [3]. Suavem in me vim exercet, victrici me trahit illecebra, cui non reſiſto, & cui reſiſtere minime licet, quamvis liber ſim; alioquin enim Dei voluntati mihi exploratę adverſari arbitrarer. Aliter: ita ſcio me Jeroſolymæ victum iri, ut jam in vinculis eſſe ducam [4]. In ſpiritu jam ſum velut homo contumelioſo addictus ſupplicio, cujus imago ita ob oculos illius verſatur, ut jam per ſpiritum quaſi eodem ſupplicio affectus patiatur.

℣. 23. NISI QUOD SPIRITUS SANCTUS.] Non ſatis ſcio, quid mihi Jeroſolymæ eventurum ſit; hoc unum ſcio, me a Spiritu ſancto in omnibus Civitatibus, per quas tranſeo, admoneri per Chriſtianos prophetas, qui Spiritu illius afflati ſunt, mihi nonniſi catenas, atque perſecutiones eſſe expectandas. Sequenti capite ℣. 10. 11. videbimus, quomodo prophetæ Chriſtiani undique S. Paulo annuntiarent, Jeroſolymæ vincula eſſe præparata.

℣. 24. NEC FACIO ANIMAM MEAM PRETIOSIOREM, QUAM ME.] Præſto ſum, ut meam vitam, & me ipſum objiciam pro Dei mei gloria. Se tamquam a vita ſua diſtinctum conſiderat: vitam vero tamquam maximum bonum, cujus jacturam homo ſubire queat. At quantumcumque hoc bonum ſit, me minimum afficit, cum de Domino agitur, pro quo illud libentiſſime impendam. Græcus ſimpliciter legit [5]: *non exiſtimo animam meam*, vel vitam meam *pretioſam eſſe*. Hæc apud me tanti non eſt, ut meis erga Deum officiis cenſeam eſſe præferendam. In Hebræorum ſtylo *animam pretioſam habere* [6] ſignificat, illam ſumma cura tueri: e contra vero illam in pretio non habere, eamdem objicere, atque prodigere ſignificat [7].

CONSUMMEM CURSUM.] Græcus typis editus addit [8], *cum lætitia*; ſed hæc additio aliunde huc migraſſe videtur, & in præſtantiſſimis Græcis Mſſ. antiquiſque Verſionibus non invenitur.

℣. 25. EGO SCIO.] S. Paulus ita credebat, minime ratus, ſe effugere poſſe catenas, & ſupplicia, quæ ſibi Jeroſolymæ præparata erant, & quæ a Spiritu ſancto ubique ſibi prænuntiabantur, quin inde liberatum iri præmoneretur. Attamen ex pluribus Epiſtolarum illius locis videtur, illi non ſolum fuiſſe conſilium in Aſiam revertendi, ſed etiam illuc rediiſſe [9], eaque eſt eruditiſſimorum Criticorum ſententia [10].

℣. 26. MUNDUS SUM A SANGUINE OMNIUM.] Pro virili adniſus ſum, ut omnium ſaluti conſulerem, & nemo ex vobis vel periit, vel peribit, cujus interitus mihi vitio vertatur. Si quis in ſcelus, vel in infidelitatem ceciderit, hoc mihi vitio verti non poterit: *non enim ſubterfugi, quominus annuntiarem omne conſilium Dei vobis*. Videtur alludere ad eum Ezechielis locum, ubi ait [11]: *Terra cum induxero ſuper eam gladium, & tulerit populus terræ virum unum de noviſſimis ſuis, & conſtituerit eum ſuper ſe ſpeculatorem*, ut hoſte adveniente admoneatur; *& ille viderit gladium venientem ſuper terram, & cecinerit buccina, & annuntiaverit populo* malum imminens: *audiens autem quiſquis ille eſt ſonitum buccinæ, & non ſe obſervaverit, veneritque gladius, & tulerit eum: ſanguis ipſius ſuper caput ejus erit . . . . quod ſi ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina: & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam; ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram*. Vide etiam Act. 8. 6.

℣. 28. IN QUO SPIRITUS SANCTUS POSUIT VOS EPISCOPOS REGERE ECCLESIAM DEI.] Variant hoc in loco Mſſ. Plerique cum Vulgata legunt [12]; *Eccleſiam Dei*; alii plures, *Eccleſiam Domini*. Syrus, Theodoretus in ep. ad Philipp. atque auctor Dialogorum, qui S. Athanaſii nomine circumfertur, *Eccleſiam Chriſti*, alii, *Eccleſiam Domini Dei*; quæ varietas minimi momenti eſſe videtur: ſed immo eſt, vel maximi propterea, quæ ſequuntur, *quam acquiſivit Sanguine ſuo*. Nam ſi legas *Eccleſiam Dei*, inde ſequetur proculdubio, JESUM CHRISTUM eſſe Deum, cui, ut adverſarentur veritati, fortaſſe nonnulli librarii vel per inſcitiam, vel per nequitiam, *Dei* nomen in nomen *Chriſti* [13] mutarunt. Grotius hanc ſibi occaſionem elabi non paſſus eſt, ut exemplarium varietatem oſtenderet, atque aſſereret, *Domini Eccleſiam* pro *Eccleſia Dei* eſſe legendam contra omnium Latinorum exemplarium conſenſum, & plerorumque Græcorum, immo, & fere omnium Græcorum, Latinorumque Patrum fidem; quemadmodum Millius oſtendit [14]. Veteres, quibus de Divinitate Salvatoris noſtri maximopere perſuaſum erat, palam Dei ſanguinem appellabant [15]; quæ loquendi ratio apud illos nihil grave ſonabat.

Inquit Apoſtolus, Epiſcopos conſtitutos eſſe *regere Eccleſiam Dei*, non quod ſingulis Epiſcopis Eccleſiæ regimen generatim demandatum ſit: ſed quod ſingulæ Eccleſiæ ſingulis peculiariter demandatæ ſunt Epiſcopis. Eccleſiæ omnes Principem habent JESUM CHRISTUM, & S. Petri ſucceſſores in Romana Eccleſia viſibiles ſunt in terris illius Vicarii, & Eccleſiæ capita. Epiſcopalis ordo inſtitutus fuit a Spiritu ſancto, & omnis Eccleſia JESU CHRISTI ſanguine parta, & redempta fuit tamquam Sponſa Sponſi ſui ſanguine empta. Hoc enim in loco videtur Apoſtolus ad Hebræorum conſuetudinem alludere, qui uxores ſuas vel argento, vel ſervitute earum parentibus præſtita, ſibi comparabant. Nihil magis poteſt Epiſcopis amorem, atque benevolentiam erga ſuas Eccleſias immittere, quam hæc cogitatio. Fideles ſingulos, ex quibus Eccleſia componitur, Dei Sanguine fuiſſe redemptos, & JESUM CHRISTUM noviſſimo Judicio ex Paſtoribus rationem expetiturum pretioſi hujus Sanguinis vel neglecti, vel polluti. Epiſcopi hoc in ℣. iidem ſunt, ac Presbyteri ℣. 17. licet Presbyterorum, & Epiſcoporum officia ſemper inter ſe fuerint diſtincta, eorum tamen nomina ſæpius apud antiquos confundebantur. Vide Epiſtolam S. Pauli ad Philippenſes c. 1. ℣. 1.

℣. 29. LUPI RAPACES.] Græcus [16]: *lupi graves*: Lupi, qui vos vorabunt, cum eſſe deberent Paſtores, qui vos tuerentur. Vixi inter vos, quin alicui gravis eſſem: venient poſt me, qui vos devorabunt. Aliter: *lupi graves*, lupi noxii, crudeles, violenti, qui gregem diſſipabunt, quin illum in paſcua deducant. Hæ Apoſtoli prædictiones ad unguem adimpletæ ſunt

---

1 Rom. 4. 5. Vide Sanct. & From. hic.
2 Marc. 1. 15. *Pœnitemini, & credite Evangelio.*
3 Vide Cornel. From. Menoch. Tirin. alios.
4 Grot. Zegcr. Hamm. Le Clerc.
5 Οὐδὲ ἔχω τὴν ψυχήν μου τιμίαν ἐμαυτῷ.
6 1. Reg. 26. 21. Prov. 26. 6. Iſai. 13. 12.
7 Grot. Cornel. Camer. Vat. Syr. alii.
8 Τελειῶσαι τὸν δρόμον μου μετὰ χαρᾶς. Additum forte ex Hebr. 13. 17.
9 Philipp. 1. 25. 26. 2. 24. Philem. verſ. 22. Hebr. 13. 23.
10 Capell. hiſt. Apoſt. Tillem. S. Paol. art. 35. Fromond. in Acta hic. S. Chryſoſtom. Theodoret. Pearſon. Uſſer. Mauduit. Cornel. a Lapide, apud Tillemont. Not. 74. in S. Paulum.
11 Ezech. 33. 3. 4. 5.
12 Græc. impreſſ. Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Alii: Τοῦ Κυρίου. Ita Alex. Cantab. Colb. &c. Ammonius in Catena. Iren. l. 3. c. 14. Lucif. Calar. Didym. l. 2. de Spir. ſancto, apud Mill. hic.
13 Scholiaſt. Mſ. in Colleg. novo apud Mill. hic. Πολλοὶ τὸ ἠγνόησαν, μᾶλλον δὲ τὸ ἐναντίον πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀπεχθῶς διεστραμμένοι, διαβάλλουσι τοὺς λέγοντας αἷμα, αἷμα Θεοῦ, &c.
14 Mill. Var. Lect. hic, & Proleg. 1365.
15 Ignat. Mart. Epiſt. ad Epheſ. initio. Μιμηταὶ ὄντες Θεοῦ ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι Θεοῦ.
16 Λύκοι βαρεῖς.

ſunt in plurimis Hæreticis, fictiſque Chriſtianis, qui primis illis ſæculis inſurrexerunt, & Eccleſiam miſerrime depopulati ſunt.

℣. 30. EX VOBIS IPSIS EXURGENT.] Lupi rapaces, Hæretici, homines corrupta doctrina imbuti. Ex hoc fuerunt numero Nicolaitæ, aliique Pſeudo-Apoſtoli, de quibus in Apocalypſi cap. 2. 3. loquitur S. Johannes, qui Epheſi Eccleſiam vexantes, illius innocentiam diripere moliebantur. Aderant quoque in Pergamena Eccleſia Nicolaitæ, & falſi Doctores, doctrinam Balaam propugnantes, Apoc. 2. 14. Thyatiræ Eccleſia a Pſeudo-Propheti ſſa falli, atque in errorem induci paſſa fuerat, atque S. Johannes Dei iram minitatur, Apoc. c. eo. Eccleſiæ hæ erant in Aſia minori, pleræque a S. Paulo fuerant inſtitutæ; & Apoſtoli conſilia hoc in loco tradita ad eas omnes ſpectant. Apoſtolus in Epiſtolis ſuis loquitur etiam de Hymeneo, & Alexandro [1], quos Dæmoni tradere debuit, ut eorum blaſphemias compeſceret; quemadmodum etiam de Phigello, Hermogene, & Philete [2], quos deſertores appellat.

UT ADDUCANT DISCIPULOS POST SE.] Hic eſt Hæreticorum character; Superbia, vanitas, libido celebris ſibi nominis comparendi, in partes ſuas populum pertrahendi, ſeorſim ab Eccleſia ſecedendi, altare altari objiciendi.

℣. 31. PER TRIENNIUM] Non expletum: aliquot enim defuerunt menſes. Ibi fortaſſe ultra annos duos tres tantum, vel quatuor menſes fuerat. Vide Act. 19. 8. 10.

℣. 32. COMMENDO VOS DEO, ET VERBO GRATIÆ.] Ita ille Evangelium pluribus in locis appellat [3]. Verbum, quod vobis prædicavi, Evangelium, quod annunciavi, ſanctæ veritates, quibus eſtis imbuti, me abſente vobis præſidio ſint, atque ſolatio: ille, qui unus potens *eſt ædificare*, quod incœpimus, Spiritu ſuo, atque gratia cumulet. Græcus habet [4], *qui potens eſt ædificare ſuper fundamentum*, quod poſuimus, perficiet fidem, quam opera noſtra, atque noſtris prædicationibus vobis eſt impertitus.

℣. 33. ARGENTUM NULLIUS CONCUPIVI.] Integritatem ſuam illis in mentem revocat, ut adverſus Pſeudo-Paſtores, vel potius eos lupos graves, de quibus ℣. 29. locutus eſt, illos præmuniat. Paſtoris a Deo miſſi, ac Divino Spiritu repleti intereſt id quærere, quod Deo, & gregi ſuo confert, quin propriam perquirat utilitatem. Ita Samuel ex Iſraelitis quærebat, utrum [5] ullo eo tempore, quo illis præfuerat, ab eis munera petierit, utrum aliqua acceperit, utrum quid per vim arripuerit.

℣. 34. MINISTRAVERUNT MANUS ISTÆ [6].] Epiſcopis, atque Presbyteris audientibus, oſtendit vitæ laborioſæ, integræ, atque occupatæ exemplum. Labor meus, & meo, & ſociorum meorum victui ſufficit: neminem ergo pudeat victum labore manuum ſuarum ſibi comparare. Quis magis ſerio, vel majori cum utilitate aſt occupatus ac fuerit S. Paulus, quis æquiores afferre poteſt rationes, ut labori minime vacet?

℣. 35. SIC LABORANTES OPORTET SUSCIPERE INFIRMOS.] Græca vox [7] proprie ſignificat fulcire illum, qui lapſatus eſt. Oportet, Paſtores optimis exemplis ſuis eos regant, qui adhuc in fide labaſcunt, atque ab illis procul ſemoveant, quidquid iiſdem ſcandalum poteſt ingerere. At nihil efficere poteſt, ut populus paſtores ſuos magis deſpiciat, quam ubi illos nimium commodo, utilitati, atque voluptati deditos videt. Paſtor non ſibi, ſed gregi ſuo vivat, opus eſt. In hoc omnem curam debet tranſmittere, ut bonorum

A ſuorum, quietis etiam, atque utilitatis impendio ovibus ſuis ſpiritualia bona procuret.

MEMINISSE VERBI DOMINI: BEATIUS EST MAGIS DARE, QUAM ACCIPERE.] Hæc verba non ſunt in Evangelio: ſed S. Paulus illa, vel ab aliquo diſcipulo, qui JESUM CHRISTUM viderat, acceperat; vel ex peculiari revelatione didicit, vel ex aliquo Evangelii loco per illationem deduxit. Ex. gr. cum Salvator ait, Luc. 14. 12. melius eſſe ad cœnam pauperes invitare, & eos, qui par pari referre non poſſunt, quam invitare divites: Qui pauperi beneficus eſt, meritum ſibi in Cœlis acquirit, qui vero convivio excipit divites, in terris cumulatam jam recipit remunerationem. Tamen magis veritati conſonum videtur, ſententiam hanc in primorum fidelium memoria viguiſſe. Eamdem legi-

B mus in Conſtitutionibus Apoſtolicis l. 4. c. 3. cum eo, quod ſequitur: *væ illis, qui habent, & habere diſſimulantes ab aliis recipiunt ea, quæ ſibimet dare poſſent.*

Cæterum quacumque in occaſione ea verba Salvator protulerit, & ex quocumque fonte hauſerit, certiſſimam ſemper ſententiam, atque pulcherrimum ſenſum admittit. Si illam de terrenis bonis juxta S. Pauli mentem explicemus: præſtat ſemper eo eſſe in ſtatu, quo aliis gratificari poſſis, quam ea in neceſſitate, ut alii tibi gratificentur. Alterum eſt copiæ, & opum; alterum vero paupertatis, atque indigentiæ ſignum. Ad hæc qui large, effuſeque ſua bona diſtribuit, amicos ſibi in hoc mundo conciliat; in alteram vero vitam coronas, & præmia promeretur. Liberalitas, & bonitas Divinæ ſunt virtutes, neque Deo magis ſimiles fieri

C poſſumus, quam duplicis illius virtutis exercitatione. Hoc Salvatoris præceptum rationi innititur, ejuſque veritatem ipſi etiam Philoſophi [8] exploratam habuerunt, quin ullam rationem haberent æternorum bonorum, quæ nobis procurat liberalitas, ubi juxta ſolidæ Religionis præcepta exerceatur. Perſis jucundius erat dare, quam accipere, ait Thucydides l. c. atque apud illos turpius erat, quod petebatur, elargiri non poſſe, quam non poſſe obtinere id, cujus egebant: *Gaudet magis ſapiens dato, quam alios accepto*, ait Seneca ep. 81.

℣. 36. POSITIS GENIBUS.] Quod Interpretes [9] hoc in loco animadverterunt de veteri conſuetudine, flexis genibus non orandi inter Paſcha, & Pentecoſtem, quo tempore hoc accidit, & cujus rei origo ad ipſum uſque Apoſtolorum tempus refertur, intelligendum

D dumtaxat eſt de precibus ſolemnibus, quæ in cœtu fiebant: nam in orationibus privatis, & ubi extra ordinem caſus aliquis ingrueret, qualis hic fuit, numquam nefas fuit in genua procumbere. Mos hic apud primos Chriſtianos familiaris erat, & fuit ſemper in Eccleſia communis.

℣. 37. PROCUMBENTES SUPER COLLUM PAULI.] Hæc amoris ſigna ſemper in uſu poſita fuerunt inter amicos, ubi alii ab aliis recederent; ejuſque conſuetudinis non unum in Scripturis extat exemplum. Labanus filias, nepoteſque ſuos complectitur, ubi ab eis in montibus Galaad recedit, Gen. 31. 28. Eſau, ubi invenit fratrem Jacob de Meſopotamia redeuntem, Geneſ. 33. 4. irruit in collum ejus, atque inter amplexus,

E & oſcula lacrymis non abſtinuit. Verum ſexcenta id genus proferri poſſent. Plutarchus rationem eam deſcribens, qua ad Julium Cæſarem conjurati acceſſarunt [10], ait, alios quidem manus, alios pectus, alios caput illi fuiſſe deoſculatos. Theodoſius Imperator, ut oſtenderet obſervantiam, gratamque animum ſuum erga Meletium Antiochenum Epiſcopum illius, & oculos, & labia, & pectus, & caput, & manum dexteram oſculabatur [11].

---

1 1. Tim. 1. ult. 2 2. Tim. 2. 15. 3 Act. 14. 3. 25. 15. 40. 20 24.

4 Τῷ δυναμένῳ ἐποικοδομῆσαι. Chryſoſt. Οὐκ εἶπεν, οἰκοδομῆσαι, ἀλλ' ἐποικοδομῆσαι [illegible]. 5 1. Reg. 12. 3. 6 Αἱ χεῖρες αὗται. Cant. Syr. Æthiop. Χεῖρες μου.

7 Ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων. 8 Auctor. Nicomach. 3. apud Grot. hic. Plutarch. ex Epicuro, Ptolem. Lagi apud Aelian. Var. hiſt. l. 13. c. 13. Vide, ſi places, Pricæum hic.

9 Vide Grot. Fromond. Cornel. 10 Plutarch. in Bruto. 11 Theodoret. hic.

CAPUT XXI.

Iter S. Pauli Mileto in Phœniciam, & inde Jeroſolymam. Agabus illi portendit, quid Jeroſolymæ eventurum ſit, quod tamen ab itinere illum non deterret. S. Jacobus illi auctor eſt, ut cum aliis quatuor Nazaræatus votum expleat in Templo. Judæi illum comprehendunt ſed ex eorum manibus a tribuno eripitur. Ad populum loquitur.

1. CUm autem factum eſſet, ut navigaremus abſtracti ab eis, recto curſu ve-
nimus Coum, & ſequenti die Rhodum, & inde Pataram. 2 Et cum
inveniſſemus navem transfretantem in Phœnicen, aſcendentes navigavi-
mus. 3 Cum apparuiſſemus autem Cypro, relinquentes eam ad ſiniſtram, na-
vigavimus in Syriam, & venimus Tyrum: ibi enim navis expoſitura erat onus.
4 Inventis autem diſcipulis, manſimus ibi diebus ſeptem: qui Paulo dicebant per
Spiritum, ne aſcenderet Jeroſolymam. 5 Et expletis diebus profecti ibamus,
deducentibus nos omnibus cum uxoribus, & filiis uſque foras civitatem: & poſi-
tis genibus in littore, oravimus. 6 Et cum valefeciſſemus invicem, aſcendimus
navem: illi autem redierunt in ſua. 7 Nos vero navigatione expleta a Tyro de-
ſcendimus Ptolemaidam: & ſalutatis fratribus, manſimus die una apud illos. 8
Alia autem die profecti, venimus Cæſaream. Et intrantes domum Philippi evan-
geliſtæ, qui erat unus de ſeptem, manſimus apud eum. 9 Huic autem erant
quatuor filiæ virgines prophetantes. 10 Et cum moraremur per dies aliquot,
ſupervenit quidam a Judæa propheta, nomine Agabus. 11 Is cum veniſſet ad
nos, tulit zonam Pauli; & alligans ſibi pedes, & manus, dixit: Hæc dicit Spi-
ritus ſanctus: Virum, cujus eſt zona hæc, ſic alligabunt in Jeruſalem Judæi, &
tradent in manus Gentium. 12 Quod cum audiſſemus, rogabamus nos, & qui
loci illius erant, ne aſcenderet Jeroſolymam. 13 Tunc reſpondit Paulus, & di-
xit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non ſolum alligari,
ſed & mori in Jeruſalem paratus ſum propter nomen Domini Jeſu. 14 Et cum
ei ſuadere non poſſemus, quievimus, dicentes: Domini voluntas fiat. 15 Poſt
dies autem iſtos præparati, aſcendebamus in Jeruſalem. 16 Venerunt autem &
ex diſcipulis a Cæſarea nobiſcum, adducentes ſecum apud quem hoſpitaremur
Mnaſonem quemdam Cyprium, antiquum diſcipulum. 17 Et cum veniſſemus Je-
roſolymam, libenter exceperunt nos fratres. 18 Sequenti autem die introibat
Paulus nobiſcum ad Jacobum, omneſque collecti ſunt ſeniores. 19 Quos cum ſa-
lutaſſet, narrabat per ſingula, quæ Deus feciſſet in Gentibus per miniſterium ip-
ſius. 20 At illi cum audiſſent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides,
frater, quot millia ſunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt
legis. 21 Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas a Moyſe eorum,
qui per Gentes ſunt, Judæorum: dicens non debere eos circumcidere filios ſuos,
neque ſecundum conſuetudinem ingredi. 22 Quid ergo eſt? Utique oportet con-
venire multitudinem: audient enim te ſuperveniſſe. 23 Hoc ergo fac, quod ti-
bi dicimus: Sunt nobis viri quatuor, votum habentes ſuper ſe. 24 His aſſum-
ptis, ſanctifica te cum illis: & impende in illis ut radant capita, & ſcient om-
nes, quia quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens le-
gem. 25 De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos ſcripſimus, judi-
cantes ut abſtineant ſe ab idolis, immolato, & ſanguine, & ſuffocato, & for-
nicatione. 26 Tunc Paulus, aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis
intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offer-
retur pro unoquoque eorum oblatio. 27 Dum autem ſeptem dies conſummaren-
tur, hi, qui de Aſia erant Judæi, cum vidiſſent eum in templo, concitaverunt
omnem populum, & injecerunt ei manus clamantes: 28 Viri Iſraelitæ, adjuva-
te: hic eſt homo, qui adverſus populum, & legem, & locum hunc, omnes
ubi-

ubique docens, inſuper & Gentiles induxit in templum, & violavit ſanctum lo-
cum iſtum. 29 Viderant enim Trophimum Epheſium in civitate cum ipſo, quem
æſtimaverunt, quoniam in templum introduxiſſet Paulus. 30 Commotaque eſt ci-
vitas tota, & facta eſt concurſio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant
eum extra templum: & ſtatim clauſæ ſunt januæ. 31 Quærentibus autem eum
occidere, nuntiatum eſt tribuno cohortis: Quia tota confunditur Jeruſalem. 32
Qui ſtatim aſſumptis militibus, & centurionibus, decurrit ad illos. Qui cum vi-
diſſent tribunum, & milites, ceſſaverunt percutere Paulum. 33 Tunc accedens
tribunus apprehendit eum, & juſſit eum alligari catenis duabus: & interrogabat
quis eſset, & quid feciſset. 34 Alii autem aliud clamabant in turba. Et cum
non poſset certum cognoſcere præ tumultu, juſſit duci eum in caſtra. 35 Et
cum veniſset ad gradus, contigit, ut portaretur a militibus propter vim populi.
36 Sequebatur enim multitudo populi, clamans: Tolle eum. 37 Et cum cœpiſ-
ſet induci in caſtra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te?
Qui dixit: Græce noſti? 38 Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumul-
tum concitaſti, & eduxiſti in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum? 39 Et
dixit ad eum Paulus: Ego homo ſum quidem Judæus a Tarſo Ciliciæ, non igno-
tæ civitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum. 40 Et
cum ille permiſiſset, Paulus ſtans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno
ſilentio facto, allocutus eſt lingua Hebræa, dicens;

℣. 1. VENIMUS COUM.] Ægei maris Inſulam ad meridiem Mileti, unde diſceſſerunt. Hinc *Rhodum* profecti ſunt, aliam ejuſdem maris Inſulam, Coloſſo ſuo celeberrimam: iſthinc vero Pataram, maritimam Lyciæ civitatem. Cum omnes loci ſatis cogniti ſint, operæ pretium non reor ſignanter eorum ſitum inquere. Conſule, ſi lubet, Tabulam itinerum S. Pauli huic libro præpoſitam. A

℣. 2. IN PHOENICEM.] Tyrum Phœniciæ caput.

℣. 3. CUM APPARUISSEMUS CYPRO.] Auſtrale hujus Inſulæ littus legimus, quin tamen umquam appelleremus. Eam igitur ſiniſtrorſum relinquentes, Patara Tyrum profecti ſumus. Græcus ad litteram [1]: *Cum apparuiſſemus ad altitudinem Inſulæ Cypri*, vel cum hæc Inſula nobis apparuiſſet. Illam eminus intuiti ſumus, quin tamen ad illam accederemus. B

℣. 4. DICEBANT PER SPIRITUM.] Spiritu Sancto afflati, Paulum monebant, ne Jeroſolymam ſe ſe conferret: vel potius, Paulo annunciabant Spiritus Sancti luce illuſtrati, illum Jeroſolymæ comprehenſum iri, eumque ex propria charitate, atque ingenio etiam, atque etiam hortabantur, ne illuc pergeret [2]. Si enim præcepiſſet illi Spiritus Sanctus, ne illuc proficiſceretur, auſus ne fuiſſet Apoſtolus Spiritui reluctari? Diſtinguenda ergo ſunt ea, quæ per illos Spiritus Sanctus dicebat, ab illis, quæ ipſi proprio marte aſſerebant: vel hoc ita explicandum eſt. Monebant, ne Jeroſolymam iret, ſi in carcerem trudi nollet [3]. Prædictiones carcerum, & vinculorum conditionales erant, ſed ille jampridem certus erat conſilii. Vide Act. 20. 23. C

℣. 5. POSITIS GENIBUS.] Ut Deo S. Pauli iter commendarent. Hæc erat Judæorum conſuetudo: in communi flexis genibus, ſub dio præſertim vero ſecus maris littora preces ſuas effundebant: *omiſſis Templis per omne littus, quocumque in aperto aliquando jam preces ad Cælum mittunt.*, ait Tertullianus de jejun. qui alibi [4], eas *orationes litterales* appellat.

℣. 6. CUM VALEFECISSEMUS.] Græcus [5]: cum ultro citroque *vale dixiſſemus, & reddidiſſemus*; vel cum alii alios complexi fuiſſemus. In amplexus mutuos ruerunt, & Judæorum, ac primorum Chriſtianorum more pacis oſculum ſibi dederunt.

℣. 7. DESCENDIMUS PTOLEMAIDAM.] Quæ alio nomine dicitur *Acco* maritima civitas ad Carmeli montis boream poſita, prope oſtium exigui fluminis Beli, in mare defluentis. Illic fuit finis Paulinæ navigationis.

℣. 8. VENIMUS CÆSAREAM.] Ptolemaida terreſtri itinere Cæſaream petiit, licet, & mari illuc ſe ſe conferre potuiſſet: fortaſſe autem naves, quemadmodum cupiiſſet, nullas invenit. Hæc eſt Cæſarea Palæſtinæ, quæ alibi Stratonica turris vocatur, de qua non ſemel locuti ſumus. Ptolemaidam inter, & Cæſaream, duodecim circiter interſunt leucæ, hoc eſt una, eaque ſolida itineris dies.

DOMUM PHILIPPI EVANGELISTÆ.] Hic Philippus eſt unus ex ſeptem Diaconis, qui Samaritanis Evangelii lucem primus attulit [6], & qui Eunuchum Candacis Æthiopum Reginæ baptizavit [7]. Vocatur autem *Evangeliſta*, vel Evangelii præco, fortaſſe quod quin alicui hæreret Eccleſiæ, quo Spiritu Sancto rapiebatur, prædicaturus ſe ſe conferebat [8]. In ipſis Eccleſiæ primordiis aderant hujuſmodi Evangeliſtæ, qui fortaſſe erant Presbyteri, vel quidam veluti Coepiſcopi. S. Paulus de Evangeliſtis verba facit, eoſque poſt Apoſtolos, atque Prophetas recenſet [9]. Hortatur Timotheum, ut Evangeliſtæ munere perfungatur [10], atque miniſterii ſui, Epiſcopatus videlicet, fideliter ſatagat, quaſi diceret: habeto zelum, atque ſcientiam Evangeliſtæ, omnem vero Epiſcopi vigilantiam.

℣. 9. VIRGINES PROPHETANTES.] Hæ quatuor S. Philippi filiæ virginitatem voviſſe feruntur [11]; vel ſaltem Religionis ergo virginitatem ſervaſſe, quod Judæis ignotum videtur fuiſſe. Alii [12] crediderunt, illas tamquam Prophetides in populo ſermonem habere, & Scripturas explicare conſueviſſe. Quidam tamen prophetandi verbum hoc in loco explicant, quaſi Deo laudes concinere: alii vero, quaſi futura portendere ſignificaret. Credit S. Hieronymus [13], illas virginitatis

1 Ἀναφάναντες δὲ τὴν Κύπρον, Alii: ἀναβάντες. Alii, ἀναφανέντος τῆς Κύπρου. Vide Ludov. de Dieu, Grot Glaſſ. 2 Carthuſian. Sanct. Cornel. Tirin. Camer.
3 Grot. Eſt. 4 Tertull. adverſ. nation. 1. apud Grot. hic. Vide & Philon. adverſ. Flacc.
5 Καὶ ἀσπασάμενοι. 6 Act. 6. 5. 7 Act. 8. 5.
8 Act. 8. 38. 9 Vide Grot. hic. 10 Epheſ. 4. 11.
11 2. Timoth. 4. 5. 12 Hieronym. lib. 1. c. 24. contra Jovin. Fromond. Grot.
13 Eſtius. 13 Hieronym. Ep. 78. cap. 16. Vide & Oecumen. hic.

tatis merito Prophetiæ gratiam obtinuiſſe. Cum S. Paula Cæſaream venit anno 386. inviſere voluit exiguam Philippi domum [1], & cubicula quatuor filiarum ejus, quæ apud fideles ſummo in cultu habebantur. Auctoros Martyrologiorum credunt, S. Philippum Diaconum, ac tres illius filias obiiſſe, & Cæſareæ fuiſſe tumulatas; quartam vero Epheſi obiiſſe [2]. Hæc fortaſſe eſt Sancta Hermiones, quam alii S. Philippi Apoſtoli filiam fuiſſe putant. Cajus vetus Theologus in diſputatione ſua contra Proculum caput Montaniſtarum ſub annum 212. ex eodem Proclo referebat, S. Philippum, & quatuor filias illius Propheriſſas Jerapoli in Phrygia permanſiſſe, & eorum ſepulchrum una cum Parentis ipſarum tumulo ævo ſuo adhuc ibi fuiſſe [3]. Verum a fide non abhorret, Proclum confudiſſe S. Philippum Diaconum, & quatuor illius filias, cum S. Philippo Apoſtolo, qui filiam unam, vel & alteram habebat, & qui certe Jerapoli fuit tumulatus. Policrates Epheſinus Epiſcopus, Apoſtolum hunc, cum duabus ex filiis ſuis ibi fuiſſe conſepultum teſtatur [4].

℣. 10. PROPHETA NOMINE AGABUS.] Hic jam prædixerat famem, quæ Claudio imperante graſſata eſt. De hoc verba fecimus Act. 11. 8.

℣. 11. TULIT ZONAM PAULI.] Conſueverant Prophetæ futura figurativis actionibus portendere, non ſecus, ac verbis; vel verba ſua factis ſymbolicis conjungere, quæ ob oculos eorum explicite magis eam rem, quam annunciabant, ſtatuerent. Ita Pſeudopropheta Sedecias ſibi ferrea cornua elaboravit, dicens futurum, ut Rex Iſrael Syros in ventum projiceret, atque diſſiparet, quemadmodum Taurus furens obvium quidlibet diſpergit [5]. Jeremias prope Euphratem humo ingeſta occulit zonam, qua renes præcingi conſueverat ad Judæorum captivitatem indigitandam [6]. Alia etiam in occaſione juga ſumpſit, eaque dono dedit multorum Principum Legatis, qui in aulam Regis Juda venerant [7], ut illis annuntiaret futurum, ut a Nabuchodonoſor ſub jugum mitterentur &c.

IN MANUS GENTIUM.] Romanorum; Judæis quippe non erat amplius integrum capitis cauſas cognoſcere, neque vitæ, neciſque jure fruebantur amplius [8]. Agabi Prophetia ad litteram fuit adimpleta, Act. 20. 33.

℣. 12. ROGABAMUS.] S. Lucas ſe ſe cum Cæſareæ fidelibus conjungit, ut adniteretur deterrere S. Paulum, ne Jeroſolymam pergeret. Quidam adſunt caſus, ubi Spiritus Sanctus ſuſcepti alicujus operis malos exitus detegit, non ut illud deſeramus, ſed ne animis deſpondeamus, & vi, & conſtantia noſmet muniamus ad illud explendum, quin oblata pericula nobis negotium faceſſant. Ita Dominus noſter toties Apoſtolis ſuis eas prædixit ærumnas, & perſecutiones, quas in Evangelii prædicatione erant ſubituri; quod profuit, ut majori conſtantia, atque animo pericula eadem ſubirent. Malum, quod antea prævifum eſt, minori nos afficit anguſtia.

℣. 13. FLENTES, & AFFLIGENTES.] Græcus [9], *flentes, & conterentes cor meum?* cur me affligitis, atque fletibus veſtris exanimatis?

℣. 14. DOMINI VOLUNTAS FIAT.] Quoniam tibi Deus detegit voluntatem ſuam, atque decrevisti, temet in id periculum objicere, quod ille tibi minitatur, fiat voluntas ejus. Credendum eſt, illum tibi hoc inſpiraſſe conſilium, ut temet & periculo objiceres, de quo toties te monitum voluit. Ita Salvator, ubi Patrem oraſſet, ut Paſſionis Calicem a ſe removeret [10], ſe ſe illius voluntari ſubmiſit, atque libenti animo omni tormentorum generi ſemet ſubjecit.

℣. 15. PRÆPARATI.] Græcus [11]: *cum ſarcinas complicaſſemus*: ea omnia collegimus, quæ Jeroſolymam erant deferenda, quo S. Paulus plurimas afferebat eleemoſynas.

℣. 16. MNASONEM CYPRIUM ANTIQUUM DISCIPULUM.] Latina quædam exemplaria [12] legunt *Jaſonem*, MS. Cantabrigienſis *Naſonem*, ſed vera lectio eſt *Mnaſonem*. Hic erat Judæus, a Domino noſtro converſus, & ex duorum, & ſeptuaginta Diſcipulorum numero. Martyrologia Adonis, Uſuardi, & Romanum eum vocant Jaſonem, & Cypri obiiſſe dicunt. In quodam loco textus *Adonis Naſo* vocatur [13]; & complura Uſuardi exemplaria, illum nomine eodem appellant [14]. Hic longe alius eſt a Jaſone Theſſalonicenſi hoſpite S. Pauli, de quo ſermo fuit, Act. 17. 5.

℣. 18. AD JACOBUM.] S. Jacobus Minor Mariæ filius, conſobrinus Domini noſtri ſecundum carnem, & Jeroſolymitanus Epiſcopus, fortaſſe ſolus erat ex Apoſtolis ea in civitate, cum alii alio conceſſiſſent, in varias Provincias prædicaturi. Ad illum venit S. Paulus officii ergo, & ut rationem redderet, quem exitum prædicatio ſua nacta fuiſſet; (Nam hi duo Apoſtoli fortaſſe in Concilio Jeroſolymitano ſe ſe cognoverant.) Et denique, ut illi numeraret eleemoſynas, quas pro Eccleſiæ illius pauperibus collegerat. S. enim Jacobi intererat illas diſtribuere, quippe qui ſingulorum egeſtatem optime noverat. *Seniores omnes* apud illud convenerunt, cum ut audirent, quid S. Paulus de ſuis itineribus, atque prædicationibus referret, cum ut ſecum de Evangelii progreſſu gratularentur; fama enim proculdubio eorum auribus acciderat, nuncia fructus uberrimi, quem hic Apoſtolus perceperat. Hi Seniores illi ſunt, qui S. Jacobo in Epiſcopalibus muneribus opem ferebant, & conſtituebant Eccleſiaſticum Jeroſolymitanæ Eccleſiæ Senatum, cujus ille erat Epiſcopus. De his Senioribus, vel Presbyteris actum eſt alibi, Act. 1. 30. 14. 22. 15. 2. 4.

℣. 20. MAGNIFICABANT DEUM.] Deo omnem gloriam acceptam referebant. S. Paulus, qui fuerat miniſter, atque magni hujus operis inſtrumentum, hoc loco quadam veluti oblivione ſiletur. Sapientiæ, atque ſolidæ pietatis intereſt, modicas laudes iis etiam tribuere, qui boni ſunt, eaſque merentur. Vanitas quippe offendiculum eſt, quod ut vitetur, ſuadet charitas.

QUOT MILLIA SUNT IN JUDÆIS.] Græcos [15]: *Vides quoties decem Judæorum millia crediderunt*. Longe plures, quam qui in Apoſtolorum Actis videntur, Judæi fidem amplexi ſunt. Sacer Hiſtoricus ſemper accuratius attulit Gentilium, & alienigenarum, quam Judæorum converſiones. Illi enim quodammodo tamquam recentia tropæa habebantur, quæ ſemper majori nos voluptate, quam propriæ hæreditatis conſervatio nos afficere conſueverunt. At omnes illi Judæi converſi, vel ſere omnes, Evangelium cum Legis exercitatione conjungebant, nec modica eorum perfectionis pars in eo poſita erat, ut ſumma fide Moyſis Legem explerent. Hoc ipſum JESUS probaverat, dicens, ſe veniſſe, non ut Legem ſolveret, ſed adimpleret, Matt. 5. 17. Apoſtoli nolebant illos a Legum cæremoniis divellere; ſufficiebat illis teſtari, has ad ſalutem neceſſarias non eſſe, & non per illas, ſed per fidem in JESUM CHRISTUM, per gratiam, charitatem, Baptiſmum peccatorum remiſſionem obtineri: *illa Sacramenta, nec tamquam neceſſaria debere appeti, nec tamquam ſacrilega debere damnari*, ait S. Auguſtinus ep. 82. nov. edit. Cæremoniæ Synagogæ una cum JESU CHRISTO mortuæ erant.

---

1 Hieronym. Epiſt. 27. Epitaph. Paulæ. 2 Vide Adon. & Martyrolog. Rom.
3 Apud Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 31. 4 Polycrat. apud Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 31.
5 3. Reg. 22. 10. 11. 12. 6 Jerem. 13. 4.
7 Jerem. 27. 2. 3. Vide & Jerem. 18. 4. Iſai. 20. Ezech. 4. 12. &c. 8 Joan. 18. 31.
9 Κλαίοντες καὶ συνθρύπτοντές μου τὴν καρδίαν. Cantabrigenſ. Θορυβοῦντες. Tertull. & Hieronym. Ep. ad Heliodor. *Conturbantes.* 10 Matth. 26. 42. 11 Ἀποσκευασάμενοι ἀνεβαίνομεν εἰς Ἱερουσαλήμ. Alii, παρασκευασάμενοι. Cantabrigenſ. Gr. Ἀποταξάμενοι. Lat. *Refecimus nos*. Alii plures. Ἐπισκευασάμενοι. Vide Mill. hic.
12 Ita Edit. Lat. Sixti V. & Græc. Mſſ. Velez. 13 Adon. Martyr. p. 116.
14 Molan. Vide Not. 24. Tillemont. in S. Paul. 15 Πόσαι μυριάδες εἰσὶν Ἰουδαίων. Alii plures, Ἐν τοῖς Ἰουδαίοις. Ita Vulg. Alex. Laud. Colb. Æthiop. Alii, Ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ. Ita Cantab. Syr. Hieronym.

erant, ſed nondum, obſervantibus ſe, mortem inferebant. *Lex Moyſis mortua erat, ſed nondum mortifera*, præſertim vero Judæis, quibus diuturna conſuetudo eas cæremonias tamquam naturales effecerat. Gentilibus enim non ſolum Legis jugum minime imponebatur; verum vehementiſſime obſiſtebat cum Judæis, qui hoc illis jugum imponere, tum Gentilibus, qui ſe ſe iiſdem ſubjicere non tenebant. Vide S. Paulum ad Galatas.

℣. 21. QUIA DISCESSIONEM DOCEAS.] In hujuſmodi accuſatione manifeſtum erat mendacium. S. Paulus numquam ſuaſerat, vel præceperat Judæis eorum locorum, ubi prædicaverat, ut Legem abdicarent, Moyſis cæremonias abjicerent, & veterem conſuetudinem nationis deſererent. Non adverſabatur, quominus hac in re ſinguli animi, pietatiſque ſuæ ingenium ſequerentur [1], dumtaxat eorum omnium rituum ad ſalutem inutilitatem oſtendens. Aſſerebat, cæremonias ſine fide, charitate, bonis operibus, pœnitentia, Baptiſmo ad ſalutem nihil profuturas. Hæc ille ubique docebat. Docebat, JESUM CHRISTUM illos a Legis jugo liberaſſe; verum non ademiſſe facultatem jugum idem ferendi, ſi vellent. Docebat, cæremonias inutiles quidem eſſe, non noxias, non malas; licet noxium eſſet & malum credere, illas ad ſalutem eſſe neceſſarias [2].

℣. 22. OPORTET CONVENIRE MULTITUDINEM.] Oportet, prodeas coram Eccleſia congregata, & ex Judæis converſis compoſita, ut illis errorem auferas eorum, quæ contra te dicta ſunt. Opus eſt, non ſolum illis ſenſus tuos oſtendas, verum etiam operibus tuis indices, te nolle damnare tamquam pravas Legis cæremonias. Quidam hunc locum ita explicant *Et oportet convenire multitudinem*. Fieri non poteſt, quominus multitudo conveniat, atque ſimul congregetur, ut te accuſet tamquam Moſaicæ Legis inimicum; ubi te adveniſſe cognoverint. Sed eorum adventum, & criminationem præverte, atque illis os obſtrue, ea agens, quæ prorſus adverſantur eorum de te exiſtimationi.

℣. 23. HABENTES VOTUM SUPER SE.] Votum videlicet Nazaræatus, quod quamprimum erant adimpleturi, ſe ſe tondentes, atque in Templo hoſtias e Lege præſcriptas offerentes [4]: ℣. 24. *His aſſumptis ſanctifica te cum illis, & impende in illis, ut radant capita*. Ut hoc facilius intelligas, operæpretium eſt, ſcire apud Judæos pietatis opus fuiſſe, aliquid contribuere in ſumptus oblationum Nazaræorum, ut meriti eorumdem participes fierent: eodem ferme pacto, quo in Chriſtiana Religione ille, qui neque ſatis virium, neque animi habet, ut per vota ſolemnia ſe ſe conſecret Deo; huic bono operi confluunt ex bonis ſuis, opem afferentes vota eadem nuncupanti. Joſephus commendare volens [5] Herodis Agrippæ religionem, ait, illum plures Nazaræos totondiſſe. Maimonides [6] ait, hujuſmodi liberalitatis genus apud Judæos non infrequens fuiſſe. Qui particeps fieri cupiebat meriti Nazaræorum, ad Templum ſe ſe conferebat, atque Sacerdoti in hæc verba pollicebatur: eo tempore iſte, vel ille Nazaræatum ſuum adimplebit; ego vero vel omnes, vel partem explebo ſumptus tonſuræ, vel Nazaræatus ejuſdem. Hoc palam videtur in iis omnibus, quæ a S. Paulo hic fiunt. Se ſe cum illis purificat. *Sanctifica te cum illis*, eo quod licet Nazaræatus votum non feciſſet, tamen ſacrificia oblaturus erat, quæ peculiarem puritatem efflagitabant. Credunt quidam [7], illum votum hoc abſolviſſe, atque effeciſſe, ut ſibi capilli tonderentur, ſed S. Lucas nihil ait, unde iſtud colligere poſſis.

IMPENDE IN ILLIS, UT RADANT CAPITA [8].] Radere caput hoc in loco ſignificat univerſam Nazaræatus cæremoniam, quæ in eo poſita erat, ut qui voverat, ad Tabernaculum, vel Templum [9] accederet, ibique offerret agnum anniculum in holocauſto immolandum, ovem quoque anniculam ſine macula, victimam piacularem futuram, ac tandem arietem mundum in ſacrificium gratiarum actionis offerendum. Afferebat etiam caniſtrum azymis oleo unctis plenum, placentas quoque ſine fermento, & cum oleo ſubactas, atque vinum ad harum rerum omnium libationes perficiendas neceſſarium. Præter hujuſmodi oblationes, quæ neceſſario requirebantur, Nazaræus quoque ſecundum facultates ſuas id offerebat, quod Domino voverat juxta fortunarum ſuarum facultatem, ubi Nazaræatus votum nuncupaverat. Deinde Sacerdos ea, de quibus ſermo fuit, animalia mactabat, quæ donec igni altaris ſuperimpoſita cremabantur, Nazaræi capillos tondebat, eoſque projiciebat in ignem, quo pacificæ victimæ partes abſumebantur. S. Paulus igitur ſumptus erogare debebat, ut hæc animantia, & oblationes pro quatuor Nazaræis compararentur. Utrum vero, vel omnes ille ſumptus præſtiterit, vel partim; quandoquidem minime cogebatur integros ſumptus impendere, S. Lucas non adiecit.

℣. 25. NOS SCRIPSIMUS.] Nun inde cenſemus, Gentiles Chriſtianæ Religioni initiatos Legis cæremoniis obſervandis teneri; non enim volumus recens illis jugum imponere. Noſti quid ſeptimo ab hinc anno in Concilio Jeroſolymitano ſtatutum fuerit, cui tu ipſe intereras: hodie vero nihil ultra ab illis petimus. Verumtamen Judæorum error auferendus eſt, atque illis oſtendendum, Legis cæremonias a te minime improbari, tamquam malas, aut illicitas. MS. Cantabrigienſis, & S. Augustinus [10] hoc in loco non memorant *ſuffocatum*, quod in plurimis exemplaribus deeſſe jam animadvertimus in cap. 15. ℣℣. 20. 29.

℣. 26. PAULUS PURIFICATUS.] Templum cum quatuor Nazaræis ingreſſus eſt, & Sacerdoti indicit diem, quo votum illorum explendum erat, & victimæ nomine eorum offerendæ. Hujus cæremoniæ Moyſes non meminit: at ſapienter inſtituta fuerat, ut ſcirent Sacerdotes, utrum Nazaræi fideliter ea, quæ polliciti fuerant, adimpleſſent, & utrum illis aliquid accidiſſet, quod poſſet Nazaræatus eorum complementum, eorumque ingreſſum in Templum differre. Ex S. Lucæ texto non ſatis liquet, utrum quatuor iſti Nazaræi ſacrificia ſua eadem die, an diverſa eſſent oblaturi.

Contineri non poſſumus, quin hoc in loco S. Pauli docilitatem admiremur; qui coram S. Petro reſtiterat, quia Gentilibus occaſionem tribuebat credendi, Legis cæremonias eſſe obſervandas [11]; & acri etiam vehementia in Galatas inſurrexerat, quod cæremoniarum jugum ſuſcipere vellent: cujus inutilitatem ad ſalutem ubique prædicabat, ſemper fidei, charitatis, virtutumque moralium vim celebrans; hodie, ea quo audiit a S. Jacobo, & Jeroſolymitana Eccleſia, Judæis fratribus ſcandalum ingeſſiſſe ea, quæ de ipſo ferebantur; ſcilicet ipſum Legem evertere, ac docere, illam non eſſe amplius obſervandam: ſemet eidem ſubjicit, & non invitus eas obſervat cæremonias, quarum everſor ferebatur. Se omnibus omnia præſtabat, Judæum cum Judæis, cum Ethnicis Ethnicum, ut omnes JESU CHRISTO lucrifaceret, 1. Cor. 9. 20.

℣. 27. CUM SEPTEM DIES CONSUMMARENTUR.] De horum ſeptem dierum ſenſu quæſtio eſt apud Interpretes. Tenent alii [12], S. Paulum cum ſe ſe ſubjeciſſet, ut vidimus, ſumptibus purificationis quatuor Nazaræorum erogandis, ſe etiam adegiſſe, ut ſeptem dies Nazaræatus officium exerceret, ut cum illis in Templum venire poſſet; verum cum ſub ſeptem dierum finem factum illud, de quo verba facimus jam accidiſſet, exequi votum ſuum minime potuit, neque ſatisfacere iis, quæ pro quatuor Nazaræis fuerat pollicitus.

---

1 Vide Rom. 7. 2 Vide Auguſt. Epiſt. 82. n. 9. 10. 11.
3 Vide Fromond. 4 Num. 6. 13. 5 Joſeph. Antiq. l. 19. c. 5.
6 Apud Maim. in Num. 6. & Patr. Var. Lect. 1. 1540.
7 Hieronym. in Epiſt. ad Galat. 2. Fromond. Druſ. Sanct. Cornel. Vat. Tir. alii.
8 Δαπάνησον ἐπ' αὐτοῖς ἵνα ξυρήσωνται τὴν κεφαλήν. 9 Num. 7. 18. 10 Aug. Ep. 82. n. 9. & in Speculo. 11 Galat. 2. 13. 12 Gror. Sanct. Cornel. Tir. Vat.

ctus. Credunt alii [1], *ſeptem* hos dies eſſe octidui Pentecoſtes, quibus Apoſtulus Jeroſolymæ inter Judæos verſatus eſt, quin ab aliquo prohiberetur, niſi poſtrema die, qua Judæi Aſiatici illum in Templo cognoverunt, & comprehenderunt. Cenſent quidam [2], *ſeptem dies* ſignificare hebdomadas ſeptem, quæ Paſcha inter, & Pentecoſtem effluxerunt; ſed poſtrema hæc ſententia nimis aliena videtur: probatior vero [3] atque vulgatior ea eſt, quæ cenſet, S. Paulum comprehenſum fuiſſe ſub finem dierum ſeptem, ex quo Jeroſolymam venerat. Supponimus autem, illum comprehenſum fuiſſe die quinta ſub veſperam, quo tempore juxta Judæorum conſuetudinem ſexta dies incipiebat. Poſtridie vero, die ſexta ante Sanhedrin adductus fuit, nocte inſequenti Antipatridem adductus, & die ſeptima Cæſaream. Poſt dies quinque (*Act.* 29. 1.) Pauli accuſatores in eamdem Civitatem venerunt, eaque erat dies duodecima, ex quo S. Paulus pervenerat Jeroſolymam, *Act.* 24. 11.

℣. 28. ADVERSUS POPULUM, & LEGEM, & LOCUM HUNC.] Docet, quoad Chriſtianam fidem, Judæum populum nullum præ Ethnicis privilegium obtinere, Deum Ethnicis æque, ac Gentilibus gratiam ſuam fuiſſe impertitum, & coram Deo utroſque nullo eſſe in diſcrimine. Hæc ſane dogmata ex univerſa ad Romanos epiſtola, & illa etiam ad Galatas aperte videntur: at S. Paulus minime cenſebat, ante JESU CHRISTI adventum, & Evangelii prædicationem Judæis non fuiſſe maxima præ Gentilibus privilegia: Immo hæc nemo magis quam ille celebraverat. Secundo arguunt, illum contra legem docere; hoc eſt docere, quod Legem obſervare non liceret amplius; quod ipſum falſum eſt, quemadmodum ſuperius oſtendimus. Tertio dicebant, illum de Templo obloqui, ac dicere, Deum nullam materialem domum habere; quemlibet Sanctorum Deo eſſe repletum, ac tandem manufactum illud Templum eſſe evertendum. Namque vel hæc dixerit Paulus, vel minime dixerit, illi vertebantur ea, quæ JESUS CHRISTUS dicere non dubitaverat [4]; neque ambigebant, quominus hac in re non ſecus ac in reliquis, Diſcipuli eadem ſentirent, quæ præceptor. Ob hoc crimen JESUS CHRISTUS damnatus fuerat, eodemque præclare contra S. Stephanum abuſi fuerant Judæi [5]: neque dubitarunt, quominus eumdem in S. Paulo nanciſceretur effectum, ut hic a populo occideretur.

GENTILES INDUXIT IN TEMPLUM.] Judæi Epheſi aliorumque Aſiæ locorum, qui Jeroſolymam ad Feſtum Pentecoſtes diem venerant, & qui Paulum in Patria ſua fuerant perſecuti, cum illum Jeroſolymæ cognoviſſent ſimul cum Ethnico quodam ad Chriſtianam fidem converſo, qui Trophimus dicebatur; rati ſunt, hunc ab illo in Templum introductum fuiſſe; & quin ad examen factum hoc revocarent, in plebo quæ maxima erat in Templo ſub finem octidui Pentecoſtes, audacter ita ſe rem habere teſtati ſunt. Joſephus Antiq. l. 6. c. 6. docet, extra Templum lapideum fuiſſe podiolum, vel murum tribus cubitis elatum, ultra quem non licebat Ethnicis procedere; qui ut admonerentur, per intervalla poſitæ fuerant columnæ quædam, eiſque inſculptæ erant inſcriptiones, alibi quidem Græcæ, alibi Latinæ, quæ propoſita mortis pœna interdictum illud præſeferebant [6].

℣. 29. TROPHIMUM EPHESIUM.] Ethnicum converſum, & quem perfecte cognoverant, quippe qui ex eadem erant Civitate. Trophimus S. Paulum Epheſo in Græciam comitatus fuerat, & inde cum eodem in Aſiam [7] ingreſſus anno 58. illinc Jeroſolymam cum eodem anno ipſo venit, ubi agnitus fuit a Judæis Epheſiis, quemadmodum iſthic legimus. Nonnulli [8] contendunt, S. Paulum, cum Hiſpaniam prædicaturus concederet, per Galliam tranſiiſſe, atque ibi reliquiſſe Trophimum tamquam Arelatenſem Epiſcopum. Quod ſi verum eſt, oportet, S. Trophimum inde mox diſceſſiſſe, atque ad Apoſtolum in Aſiam rediiſſe: quandoquidem hic anno JESU CHRISTI 65. Timotheo ſcribit, ſe Mileti Trophimum reliquiſſe [9] ægrotantem. Græci Sancti hujus diem feſtum celebrant poſtridie Idus Aprilis, & credunt, Romæ capite imminutum fuiſſe ſtatim poſt S. Paulum Magiſtrum [10] ſuum, quem una cum S. S. Pudentio, & Ariſtarcho in omnibus itineribus fuerat ſubſecutus.

℣. 30. TRAHEBANT EUM EXTRA TEMPLUM.] Fortaſſe ut eum lapidibus obruerent judicio zeli, & quin aliquam juris formulam obſervarent. Tenet Fromondus, Judæos violaſſe jus aſyli, quo Templum fruebatur, vi S. Paulum ex ſancti loci illius ſeptis extrahentes. Certum eſt, eo tempore Templum adhuc jus aſyli obtinuiſſe [11]: Sed neque illi, qui ſancto huic loco injurii eſſent, neque blaſphemi, nec ii, qui ſponte cædem patraverant, hoc privilegio frui poterant. Præcipit explicite Moyſes, Exod. 21. 14. ut de altare Domini divellatur homicida, qui inſidias ſtruxerit, & certus conſilii hominem interfecerit. Imperavit Salomon, ut inde extraheretur Joab [12], cumque inde egredi nollet, illum ibidem juſſit interfici. Judæi non ſemel lapides arripuerunt, ut in Templo JESUM CHRISTUM peterent, aſſerentes, illum blaſphemaſſe Deum [13]. S. Paulus habebatur tamquam Legis everſor, Moyſis inimicus, in Deum blaſphemus, violator Sanctitatis Templi, quod polluiſſe dicebatur, Ethnicum introducens. Fictæ erant hujuſmodi criminationes: quæ ſi veræ ſupponantur, quemadmodum cenſebant illi, non merebatur amplius S. Paulus, ut aſyli jure perfrueretur, quod juxta Legum mentem inſontibus tantum, & calamitoſis per nefas exagitatis erat profuturum.

STATIM CLAUSÆ SUNT JANUÆ.] Templi portæ a Levitis cuſtodiebantur. Statim ac S. Paulus inde egreſſus eſt, Levitæ januas clauſerunt, ne tumultu gliſcente milites, & populus promiſcue in eum ſanctum locum ingrederentur; ibique aliqua pollutio, vel ſanguinis effuſio contingeret. Eorum vero, quæ extra Templum fiebant, Romanorum militum, qui turrim Antoniam obtinebant, curare intererat, ne quid mali accideret.

℣. 31. QUÆRENTIBUS EUM OCCIDERE, NUNTIATUM EST TRIBUNO.] Cum Judæis nullum amplius eſſet vitæ, neciſque jus in noxios, ſæpe ſine juſtitiæ forma ultionem ſuam exercebant judicio, quod zeli appellabant, & quod Romani Præſides apud illos tolerabant. Ita S. Paulum occidere adnitebantur, ut olim jam S. Stephanum interfecerant [14]. Romani, qui inquietum, turbidumque Judæorum ingenium noverant, in Antonia turri, quæ arcis inſtar Templo hærebat, præſidium ſtatuerant ad celeriter coercendos tumultus, qui ibi plerumque, præſertim vero in præcipuis Civitatibus [15] oboriebantur. His etiam diebus præſidium in armis erat ſub Templi porticibus, ut facilius tumultum vix orientem comprimeret. Ex S. Luca videtur neque Tribunus, neque milites in area, vel ſub porticibus Templi tunc fuiſſe, cum hoc accidit: ſed non procul aberant; celeriter enim accurrere potuerunt, antequam vis ulla in S. Paulum fieret: quod in eam nos deducit conjecturam, ut id die non feſto accidiſſe cenſeamus.

℣. 32. MILITIBUS, ET CENTURIONIBUS.] Hi Centuriones centum hominibus præerant; ipſi vero Tribuno parebant. Tribunus autem erat Claudius Lyſias, qui de Turri Antonia cum militibus cucurrit, atque Tribu-

1 Beza. 2 Vide Bezam, Piſcator. 3 Chryſoſtom. Beda. Lyran. Vatab. Fromond. Tillemont. alii. 4 Matt. 24. 2. 26. 61. 5 Act. 6. 13.
6 Joſeph. Antiq. lib. 15. c. 14. p. 545. Vide & Philon. Legat. ad Cajum, p. 703.
7 Act. 20. 4. 8 Vide Baron. an. 61. Bolland. 1. Februar. 9 2. Timot. 4. 20.
10 Menæa ad 4. April. 11 Philon. de Legat. ad Cajum. [illegible]
12 3. Reg. 2. 28. . . . 31. 13 Joan. 8. 59. 10. 31. 14 Act. 7. 56. 57.
15 Joſeph. Antiq. lib. 20. c. 4. p. 690. & lib. 7. p. 697. & lib. 2. de Bello, c. 20. p. 794.

Tribunus non ſine vi de Judæorum manibus eripuit Paulum, quem illi trahebant, lapidibus obruendum.

℣. 33. CATENIS DUABUS.] Altera quidem pedes, altera vero manus vinctæ fuerunt, vel ſimpliciter quælibet manus ſingulis catenis vincta erat, quibus ſinguli etiam erant milites alligati, a quibus ille adducebatur. Hæc enim erat Romanorum conſuetudo [1], quemadmodum vidimus cap. 12. 6. ubi de S. Petro locuti ſumus, duplici catena alligato, quarum unaquæque ſingulis militibus erat commendata, Actor. 12. 6.

℣. 34. JUSSIT, EUM DUCI AD CASTRA [2].] In arcem, in Antoniam Turrim, ubi Romanum aderat præſidium [3], quemadmodum dictum eſt.

℣. 35. CUM VENISSET AD GRADUS.] Per quos de Turri Antonia deſcenſus erat in Templum, & in aream, ubi tunc S. Paulus verſabatur; nam Turris illa in loco elatiori, quam Templum aſſurgebat, quemadmodum ex hoc liquet ℣. & altero 32. *decurrit ad ipſos*, celeriter deſcendit.

℣. 36. GRÆCA NOSTI?] Lyſias non erat Romanus, quemadmodum inferius oſtendit, dicens [4], ſe numerata pecunia Romanæ Civitatis ſibi jus comparaſſe. Plane Græcus erat, quod Lyſiæ nomen oſtendit. Gaviſus eſt autem audiens, quod S. Paulus Græce loqueretur, ut ex eodem intelligere poſſet cauſam tumultus, qui propter eumdem erat obortus.

℣. 38. NONNE TU ES ÆGYPTIUS?] Joſeph. Antiqu. l. 20. cap. 6. ait, hunc Ægyptium fuiſſe Pſeu-

A do-Prophetam, qui veneficiis ſuis populum fefellerat, & qui in deſerto triginta virorum millia collegerat. S. Lucas iſthic quatuor millium dumtaxat meminit: ſed loquitur tantum de ſicariis, vel latronibus [5], hoc eſt armatis furibus, qui fortaſſe prætoriam ſeductoris illius cohortem componebant. Promiſerat ille ſectatoribus ſuis, futurum ut vi Jeroſolymam ingrederetur, inde Romanum præſidium detruderet, atque ſuum imperium ſtatueret. Dixerat, ſe verbo Civitatis muros everſurum, & populum hunc ſuper Olivarum montem adduxit ejus miraculi, quod patraturus erat, teſtem futurum. Sed cum illuc perveniſſent milites Felicis Judææ Præſidis, illos undique armis circumdederunt, ex quibus quadringentos interfecerunt, captis ducentis. Reliqui vero fuga elapſi ſunt, &

B eorum Caput cum perpaucis in autum ſe ſe recepit. Hoc uno, vel & altero anno ante id tempus acciderat.

℣. 39. JUDÆUS, A TARSO.] Tarſus erat Ciliciæ Metropolis. S. Paulus Jeroſolymam adductus fuerat adhuc puer, ut ibi ſtudiis imbueretur. Vide ſupra cap. 16. ℣. 37. 38.

℣. 40. ANNUIT MANU [6].] Quamvis manus catenis eſſent onuſtæ, eas tamen movere poterat. Catena enim erit oblonga, & miles alteram extremam catenæ partem deferebat. Ad illos locutus eſt linguæ Hebræa, hoc eſt, lingua Regionis illius, quæ Syriaca erat, vel commixtio quædam ex Hebraica ſimul, atque Syriaca. Cantabrigienſis MS. [7] locutus eſt ad eos *lingua propria*.

---

1 Senec. Ep. 5. & l. de tranquill. anim. c. 10. 2 Εἰς τὴν παρεμβολήν. 3 Joſeph. de Bello, lib. 6. cap. 6. Grot. Sanct. Fromond. alii. 4 Act. 22. 28. 5 Τοὺς τετρακισχιλίους ἄνδρας τῶν σικαρίων. 6 Hoc non legitur in 3. Exemplari Petavii, neque in editione Euthalii. Mill 7 Τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ.

CAPUT XXII.

S. Pauli concio, Narrat converſionem, atque miſſionem ſuam, ut Gentilibus prædicaret, Exclamant Judæi, illum de Mundo auferendum. Tribunus eum virgis cædi jubet. Sed Paulus ſe Romanum Civem aſſerens ſolvitur a Tribuno, qui Judæorum proceres congregat.

1. VIri fratres, & patres, audite, quam ad vos nunc reddo, rationem. 2 Cum
audiſſent autem, quia Hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præſtiterunt
ſilentium. 3 Et dicit; Ego ſum vir Judæus, natus in Tarſo Ciliciæ, nu-
tritus autem in iſta civitate, ſecus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ le-
gis, ſicut & vos omnes eſtis hodie: 4 Qui hanc viam perſecutus ſum uſque ad mor-
tem, alligans, & tradens in cuſtodias viros, ac mulieres, 5 Sicut princeps ſacerdo-
tum mihi teſtimonium reddit, & omnes majores natu, a quibus & epiſtolas accipiens,
ad fratres Damaſcum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jeruſalem, ut puniren-
tur. 6 Factum eſt autem, eunte me, & appropinquante Damaſco media die, ſubito
de cœlo circumfulſit me lux copioſa: 7 Et decidens in terram, audivi vocem dicen-
tem mihi: Saule, Saule, quid me perſequeris? 8 Ego autem reſpondi: Quis es
Domine? Dixitque ad me: Ego ſum Jeſus Nazarenus, quem tu perſequeris. 9 Et
qui mecum erant, lumen quidem viderunt; vocem autem non audierunt ejus, qui lo-
quebatur mecum. 10 Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me:
Surgens vade Damaſcum: & ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere. 11
Et cum non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus a comitibus, ve-
ni Damaſcum. 12 Ananias autem quidam, vir ſecundum legem teſtimonium habens
ab omnibus cohabitantibus Judæis, 13 Veniens ad me, & aſtans dixit mihi: Saule
frater, reſpice. Et ego eadem hora reſpexi in eum. 14 At ille dixit: Deus patrum
noſtrorum præordinavit te, ut cognoſceres voluntatem ejus, & videres juſtum, & au-
dires vocem ex ore ejus: 15 Quia eris teſtis illius ad omnes homines, eorum, quæ
vidiſti,

vidiſti, & audiſti. 16 Et nunc quid moraris? Exurge, & baptizare, & ablue pec-
cata tua, invocato nomine ipſius. 17 Factum eſt autem revertenti mihi in Jeruſalem,
& oranti in templo, fieri me in ſtupore mentis. 18 Et videre illum dicentem mihi:
Feſtina, & exi velociter ex Jeruſalem: quoniam non recipient teſtimonium tuum de
me. 19 Et ego dixi: Domine, ipſi ſciunt quia ego eram concludens in carcerem, &
cædens per ſynagogas eos, qui credebant in te: 20 Et cum funderetur ſanguis Ste-
phani teſtis tui, ego aſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficien-
tium illum. 21 Et dixit ad me: Vade: quoniam ego in nationes longe mittam te.
22 Audiebant autem eum uſque ad hoc verbum, & levaverunt vocem ſuam dicen-
tes: Tolle de terra hujuſmodi: non enim fas eſt eum vivere. 23 Vociferantibus au-
tem eis, & projicientibus veſtimenta ſua, & pulverem jactantibus in aerem, 24
Juſſit tribunus induci eum in caſtra, & flagellis cædi, & torqueri eum, ut ſciret,
propter quam cauſam ſic acclamarent ei. 25 Et cum aſtrinxiſſent eum loris: di-
cit aſtanti ſibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum, & indemnatum licet vo-
bis flagellare? 26 Quo audito, Centurio acceſſit ad tribunum, & nuntiavit ei,
dicens: Quid acturus es? hic enim homo civis Romanus eſt. 27 Accedens au-
tem tribunus, dixit illi: Dic mihi, ſi tu Romanus es? At ille dixit: Etiam.
28 Et reſpondit tribunus: Ego multa ſumma civilitatem hanc conſecutus ſum. Et
Paulus ait: Ego autem & natus ſum. 29 Protinus ergo diſceſſerunt ab illo, qui
eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, poſtquam reſcivit, quia civis Roma-
nus eſſet, & quia alligaſſet eum. 30 Poſtera autem die volens ſcire diligentius,
qua ex cauſa accuſaretur a Judæis, ſolvit eum, & juſſit ſacerdotes convenire, & om-
ne concilium, & producens Paulum, ſtatuit inter illos.

℣. 1. Viri fratres, et patres.] Ad omnem concionem loquitur, ex adoleſcentibus, ſenibuſque, ex populo, Sacerdotibus, atque Magiſtratibus conflatam. Vide ſupra Act. 7. 2. ſimile exordium.

℣. 2. Magis præstiterunt silentium.] Quia hæc lingua ab univerſa multitudine intelligebatur; Græca vero non ita in populo communis erat. Libentius audierunt eum verba facientem de iis, quæ ad Religionem ſpectabant, & quæ præſertim ad vocationem Gentilium pertinebant ea lingua, quam Romani minime noverant. Si S. Paulus cauſam ſuam perorans oſtendiſſet, quo in contemptu apud Hebræos eſſent Ethnici, & quo odio Judæi Gentiles perſequerentur; ſique ſi hæc ea in lingua dixiſſet, quam Tribunus, & milites noverant, uſuſque eſſet infenſis, acerbiſque vocibus, nimium quantum periculi in accuſatorum, atque inimicorum ſuorum caput ille vertiſſet? Sed ex mera charitate, atque prudentia Hebraice loqui voluit, ut ea Judæis, quam de ſe opinionem imbuerant, evelleret.

℣. 3. Secus pedes Gamalielis.] Docet Philo [2] apud Judæos Eſſenios in ſcholis pueros ad Magiſtrorum ſuorum pedes ſedere; Magiſtros vero, veterum Philoſophorum more, Legem illis allegorice explicare. Auctor Commentarii in Epiſtolas S. Pauli, qui Sancti Ambroſii nomine circumfertur [a], ait, apud Hebræos morem hunc viguiſſe, ut Magiſtri ſedentes in Cathedris ſuos auditores in ſcholis erudirent. Diſcipuli vero, qui ſtudiis majoribus vacabant, ſubſelliis inſediſſe, Tyrones vero tegetibus. Rabbini [3] adagiali quodam dicto, ut adoleſcentes hortentur ad Magiſtrorum Cathedras frequentius inviſendas, ajunt: *cooperiaris pulvere pedum eorum*. Ne vos pudeat ex pedum veſtrorum Magiſtrorum pulvere ſordeſcere, illos audiendo. De Gamaliele locuti ſumus in Acta cap. 5. 34. Strabo l. 14. narrat, Tarſenſibus in deliciis adeo fuiſſe ſcientias, ut non ſolum in Patria illas excolerent, ſed aliò etiam pueros ſuos mitterent, ut eiſdem operam darent. Loci quidam quorumdam Poetarum Græco-

A rum, qui in S. Pauli epiſtolis inveniuntur, S. Hieronymum [4] in eam mentem adduxerunt, ut crederet, Apoſtolum hunc humanioribus litteris ſtuduiſſe. Tarſi Græce loquebantur, & ibi eam linguam a puero uſque didicerat Apoſtolus.

Eruditus accurate.] In perfectiori modo Leges noſtras ſervandi; hoc eſt, in Phariſæorum ſchola innutritus, quæ ex Joſephi de bello l. 1. cap. 4. teſtimonio, inter omnes Judæorum ſectas accuratiſſima cenſebatur. Alibi nos S. Paulus explicite ſe Phariſæum fuiſſe teſtatur, Act. 23. 6.

Æmulator Legis.] Hoc de ſemetipſo teſtimonium non ſemel perhibet: non autem per jactantiam, ſed potius cum pudore, & verecundia, utpote qui immodico zeli ſui fervore euſque proceſſerat, ut per nefas B Jesu Christi Eccleſiam perſequeretur. Hac autem in concione maximi intererat circumſtantiam eam afferre, ut intelligerent Judæi, ſe non per contemptum Legis in Jesu Christi tranſiiſſe caſtra, atque onus Evangelii Gentilibus prædicandi ſuſcepiſſe: ſed validis ſe adductum fuiſſe cauſis, miraculo, inaudito vocationis genere, explicito Domini imperio, cui reſiſtere nefas erat. Græcus typis editus [5], & MſſS. Syrus, Araba, Æthiops legunt *æmulator Dei*, pro *æmulator Legis*; ac non abhorret ſenſus. Zelo ſuccenſus pro Dei gloria, pro Legibus, & nomine illius.

℣. 5. Sicut princeps Sacerdotum.] Non temere loquor. Qui opera mea ad Eccleſiam perſequendam ſunt uſi, vivunt adhuc. Apud omnes conſtat, mihi ab illis & litteras, & mandata fuiſſe tradita. Caiphas C erat Summus Sacerdos, qui S. Paulum Damaſcum miſerat. Obierat ille forteſſe, at plures adhuc temporis illius Senatores [6] vivebant, quatuor enim, & viginti dumtaxat anni ex eo tempore exciderant. Putat Sanctius, S. Paulum adhuc ſervaſſe Authographum litterarum, quas olim a Summo Pontifice acceperat.

℣. 7. Saule, Saule.] Exemplaria quædam hic addunt: *durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. In univerſam hiſtoriam hanc videri poteſt cap. 9. ℣. ℣. 1. 2. 3. &c.

Ego

2 Philo de Eſſæis, lib. quod omnis probus liber.
3 Pirke Avoth. c. 1. § 4. הוי מתאבק בעפר רגליהם
5 Ζηλωτὴς τοῦ Θεοῦ. Vulg. Τοῦ νόμου.
a Ambroſiaſter in 1. Cor.
4 Hieronym. Epiſt. ad Galat. 4. 24.
6 *Omnes majores natu*. Totum Synedrium. Vide Act. 10. 12. & 26. 12. *Cum poteſtate, & permiſſu Principum Sacerdotum*.

℣. 8. EGO SUM JESUS NAZARENUS.] Credunt quidam [1], Salvatorem deſcendiſſe de Cœlo, & palam S. Paulo appruiſſe, & lucem, qua circumdatus fuit, de glorioſo illius corpore emicuiſſe.

℣. 9. VOCEM NON AUDIERUNT.] Audierunt quidem fragorem quemdam tamquam tonitru, at nihil diſtinctius audierunt. Vide Act. 9. 7. Græcus typis editus legit [2]; Viderunt lumen, *atque terrore illis incuſſo*; ſed vocem non audierunt &c.

℣. 10. QUÆ TE OPORTEAT FACERE.] Græcus [3]: *quid tibi imperatum eſt, ut facias*. S. Paulus compendiaria via iſthic adfert, quod ſibi tunc dictum fuerat. Vide Act. cap. 9. ℣. 7. & Act. cap. 26. ℣. 26. & ſeq.

℣. 11. CUM NON VIDEREM PRÆ CLARITATE LUMINIS.] Ut aſſolet, cum magna lux, vel ignis (B) ardens, obiectos oculos inſtrinxit... Alibi docet S. Paulus, ob oculos illius quaſdam veluti ſquamas coaluiſſe, quæ ad impoſitionem manuum Ananiæ mox deciderunt, Act. 9. 18.

℣. 14. UT VIDERES JUSTUM.] Antonomaſtice Jeſum CHRISTUM, Meſſiam, qui a prophetis juſti nomine deſignatur [4]. Græca quædam exemplaria legunt [5], *ut videres juſtitiam*, vel *id, quod juſtum eſt*. Ananias, quid facto opus ſit, te erudiet; docebit, qua in re vera juſtitia conſiſtat; vel denique edocebit te juſtitiam veram, qui eſt JESUS CHRISTUS, fons omnis juſtitiæ, qui hoc nomine appellatur, non ſecus ac alibi ſalus, veritas, ſanctitas dicitur. Eo hoc loco, *& videres juſtum, & audires vocem ex ore ejus*, inferunt, S. Paulum re ipſa JESUM CHRISTUM vidiſſe.

℣. 15. AD OMNES HOMINES.] Cum Judæos, tum (C) Ethnicos indiſcriminatim. Hoc non legitur cap. 9.

℣. 16. ABLUE PECCATA TUA.] Adora, & roga illum, quem perſequebaris, atque in illius baptiſmate, peccatorum tuorum remiſſionem recipe. Contritio, dolor, charitas S. Pauli, quæ baptiſmum illius præceſſerunt [6], proculdubio peccatorum remiſſionem illi promeruerunt [7]; ſed Baptiſmus recentem addidit innocentiæ, atque puritatis illius gradum. Videri poſſunt a nobis de Cornelii Baptiſmate dicta, Act. 10. 3. Spiritus ſanctus gratia ſua baptiſmatis effectum quodammodo prævertit; verum Sacramentum illud minime excluſit. S. Paulus jam in cordis ſui præparatione, & per obedientiam, cui ſemet ſubjecerat, illud receperat. Etſi explicite non concupierat illud recipere, (D) quoniam ipſum nondum noverat, hoc jam inierat conſilium, ut ea omnia faceret, quæ ſibi in JESU CHRISTI nomine fuiſſent imperata.

℣. 17. REVERTENTI MIHI IN JERUSALEM.] Hæc circumſtantia nuſpiam alibi occurrit, niſi fortaſſe de hac loqui voluit Apoſtolus in altera ad Corinthios epiſtolæ ca. 12. ubi ait, ſibi extraordinarias revelationes contigiſſe, & ſe ad tertium uſque Cœlum raptum fuiſſe. Diſſentiunt Interpretes de tempore itineris, de quo hic Paulus verba facit. Alii quippe [8] credunt, hoc fuiſſe primum iter, quo triennio poſt converſionem Jeruſalem venit [9]: alii [10] putant, ſecundum iter fuiſſe [11], cum fidelium eleemoſynas Antiochia Jeroſolymam attulit: alii tandem hoc explicant de tertio (E) itinere, quod illuc ſuſcepit, poſtquam ſolemniter Gentilium Apoſtolus declaratus fuit [12]; quod probabilius videtur, quoniam Dominus ea in viſione dixit illi: *vade, quoniam ego in nationes longe mittam te*. Sed primam ſententiam præferrem, quæ da eo explicat itinere, quo S. Paulus triennio poſt converſionem ſuam profectus eſt Jeroſolymam. Sermonis decurſus ultro nos in hanc ſententiam impellit.

℣. 18. NON AUDIENT TESTIMONIUM TUUM.] Cor illorum nimis obduratum eſt, & voluntas nimis nefaria; neque merentur, ut illis auferam cor illud lapideum, eiſque converſionis gratiam conferam, cum jam verbum meum, vocationem, primaſque gratias contempſerint. Cum prædicabis, non credent; & prædicatio tua non proderit, niſi ut illorum ſceleri, atque damnationi fiat major acceſſio [13]. Ita Spiritus (B) Sanctus prohibuit S. Paulum, ne in Bithinia prædicaret, Act. 16. 6.

℣. 19. DOMINE IPSI SCIUNT.] Me olim infenſiſſimum Eccleſiæ tuæ fuiſſe perſecutorem. Non credent, me converti potuiſſe, & Eccleſiam tuam ingredi, niſi validiſſimis cauſis impulſum. Ita futurum videtur, ut me libentius, quam alium quemlibet audiant. Sciunt, me Evangelium olim impugnaſſe, & facile mihi fidem habebunt, ubi illis narravero, qua de cauſa palinodiam cecinerim [14]. Vel: Domine permitte, ut pro viribus adnitar fratres meos de erroris ſui caligine revocare. Norunt, neminem Evangelio tuo me fuiſſe infenſiorem; meis fortaſſe æquas rationibus aures adhibebunt. S. Paulus Judæis oſtendit, ſe non ex propria motu, ſed expreſſo Dei mandato hanc ſubiiſſe Evan(C)gelii ad Gentiles prædicandi provinciam [15].

℣. 20. SANGUIS TESTIS TUI.] Complura Græca Exemplaria [16] legunt, *primi Martyris tui Stephani*; & alia omittunt, *conſentiebam*. *Martyrio* nomen Græce *teſtem* ſignificat, ſed Eccleſiæ conſuetudo illum conſecravit, ad eum virum innuendum, qui ſanguine ſuo Evangelio teſtimonium perhibet, & qui vitam ſuam pro veritate, atque juſtitia profundit.

℣. 21. IN NATIONES LONGE MITTAM TE.] Declaraverat JESUS CHRISTUS S. Paulo per os Ananiæ [17], ſe illum deſtinaſſe, ut nomen ſuum coram populis infidelibus prædicaret; cujus rei memoria Apoſtolorum quam excidit. Toto vitæ ſuæ tempore Gentilium converſioni adlaboravit, & licet, ut plurimum, Judæis primum prædicaret, & nihil pro eorum converſione (D) intentatum relinqueret, videntur tamen labores illius minoribus benedictionibus a Deo tunc fuiſſe cumulati, quam cum Gentilibus prædicabat. Eventus ſatis probavit ea, quæ hic dicuntur: *ego in nationes longe mittam te*; quoniam prædicavit in Syria, in Arabia, in Judæa, in Phœnicia, in Cilicia, Pyſidia, Lycaonia, Pamphylia, Galatia, Phrygia, Macedonia, Græcia, Italia, in Ægei Maris Inſulis, immo ex nonnullorum ſententia in ipſa etiam Hiſpania, ita ut cum S. Hieronymo dicere poſſimus [18], illum in omni ferme terrarum orbe prædicaſſe ab Erithræo mari uſque ad Oceanum: cum Mundus exiguis prope finibus contineretur, cum cæli ejuſdem magnitudine collatus.

(E) ℣. 22. USQUE AD HOC VERBUM.] Donec dixit, ſe a Deo ad prædicandum Gentilibus miſſum eſſe.

Non

---

1 Vide D. Thom. 3. p. quæſt. 57. art. 6. ad 3. & 1. Cor. 15. 8. Fromond. hic. Sanct. ad verſ. 14.
2 Τὸ μὲν φῶς ἐθεάσαντο, & ἔμφοβοι ἐγένοντο, &c.
3 Περὶ πάντων ὧν τέτακταί σοι ποιῆσαι. Alii τί σε δεῖ ποιῆσαι.
4 Vide ſup. Act. 7. 52. *Qui prænuntiabant de adventu Juſti*. Et Act. 3. 14. 1. Joan. 2. 1. 3. 7. Iſai. 41. 2. 10. 45. 8. 51. 4. 53. 11 62. 1. 2. &c.
5 Græc. impreſſ. Καὶ ἰδεῖν τὸ δίκαιον, Sed Ald. Frob. Oecum. Æth. Cod. Lincol. ἰδεῖν τὸ δίκαιον. Vide Eraſm. Druſ.
6 Vide Chryſoſtom. homil. in Acta p. 182. & t. 5. homil. 15. p. 173. 176. & in Acta homil. 1. p. 12. Auguſt. ſerm. 169. cap. 8.
7 Concil. Trid. Seſſ. 14. cap. 4. *Docet præterea etſi contritionem hanc aliquando charitatem perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni, ſine ſacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe aſcribendam*. Vide Auguſt. ſerm. 149. nov. edit. num. 7. & lib. 1. de Baptiſmo contra Donat. cap. 8. & lib. 4. cap. 21. & alibi.
8 Fromond. Sanct. Cornel. Chryſoſtom. Hamm.
9 Galat. 1. 18. Act. 9. 25. 26.
10 Barth. Petr.
11 Act. 11. 30. 12. 1.
12 Act. 15. Gal. 2. 7.
13 Vide Barthol. Petr. & Fromond. hic, & Commentat. ad Act. 16. 6. 7.
14 Grot. Fromond. alii.
15 Cornel. Eſtius.
16 Στεφάνου τοῦ μάρτυρός σου, Alii, Τοῦ πρωτομάρτυρος, vel τοῦ πρώτου μάρτυρος. Vide Mill. hic.
17 Act. 9. 15. 16.
18 Hieronym. in Amos 5.

Non quod prohiberent Judæi, ne Ethnicis prædicaretur, & Proſelyti fierent; nam Salvator Phariſæos exprobrat, quod terras, & maria circuirent, ut Ethnicum unum converterent [1]: ſed contendebant, illis, qui in Judaicæ, vel Chriſtianæ Religionis ſacra tranſirent, Legis cæremonias, atque ritus eſſe amplectendos; quod S. Paulus diſcipulis ex Ethnica ſuperſtitione converſis jugum minime imponebat, illos neque circumciſioni, neque aliis Legis officiis ſubjiciens. Prædicabat illi libertatem eam, quam nobis procuraverat Jesus Christus, & quin Judæos converſos damnaret, qui malebant adhuc vetus cæremoniarum jugum ferre; aſſerebat Gentilibus, qui in Evangelium crederent, jugum illud minime eſſe ſubeundum. Hoc autem Judæos in illum maxime irritabat; atque ideo tamquam Legis everſor habebatur.

Tolle de terra.] Juxta Judæorum dogmata S. Paulus eo ſupplicio erat afficiendus, quo populi ſeductorem affici jubet Moyſes, ubi populum in novam Religionem conetur [2] impellere. Præcipit autem, ut ab omni populo lapidibus obruatur: & ſi Jesus Christus miſſionem ſuam certiſſimis argumentis non probaſſet, neque voluntatem ſuam, quoad cæremonias antiquandas, eo pacto oſtendiſſet, quod nullum dubitandi locum relinquit; Judæorum hac in occaſione zelus, & factum improbandum non eſſet. Quicumque ante Jesum Christum prædicaſſet ea, quæ tunc a S. Paulo prædicabantur, meritus fuiſſet, ut juxta Legis ſeveritatem pœna afficeretur.

℣. 23. Projicientibus vestimenta sua.] Tamquam præ rabie, ac furore dementibus, qui neque ſeipſos continere poterant, neque malam voluntatem ſuam exequi; quoniam S. Paulus erat in poteſtate Tribuni, & ſub Romanorum, atque Juſtitiæ præſidio. Videntur nonnumquam hujuſmodi motus, quos impetus, & furor elicit in irritata plebe pulverem in aerem projicientis, atque veſtes ſuas jactitantis, ut ſuam indignationem, atque furorem indigitet [3]. Hæc quidem non facta ſunt ex deliberato conſilio, ſed ex immodica perturbati affectus vi emanarunt.

℣. 24. Jussit flagellis cædi, & torqueri [4].] Hæc erat, ait Grotius, Romanorum conſuetudo, ut quæſtio haberetur flagellis cædendo, non autem virgis, ſed loris, aut funibus. Tribunus, qui Hebraice non noverat, minime intellexerat, quid in concione S. Paulus dixiſſet, ſed ex populi furore arbitratus ipſum aliquid protuliſſe contra Legem, vel populum; ipſe cognoſcere voluit, quid eſſet. Eum igitur vinciri, atque exui juſſit, ut flagellis cæderetur. At ab omni juſtitiæ ſpecie abhorrebat, hoc illum ſupplicio afficere citra quæſtionem quamlibet, & dumtaxat propter populi tumultum, cujus cauſa ignorabatur. Populi, qui accuſator erat, intererat de quanam re ageretur proferre; ut populo non autem ex S. Paulo debebat cognoſcere Judex, quid verſaretur in cauſa.

℣. 25. Cum astrinxissent eum loris, dicit astanti Centurioni.] Cui Tribunus imperaverat, ut Paulum cædi juberet: *ſi hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?* Adverſatur communi omnium nationum juri, hominem indemnatum, atque indicta cauſa ſupplicio afficere: Romanis vero Legibus adverſatur, Romanum Civem flagellis cædere. *Porcia Lex ab omnium Civium Romanorum corpore amovet flagella*, ait Cicero Orat. pro Rabir. qui in Verrem 5. loquens de Romano Cive juſſu Verris flagellis cæſo, licet ſingulis momentis ſe Civem Romanum eſſe teſtaretur, exclamat. *O nomen dulce libertatis! o jus eximium noſtræ Civitatis! o Lex Porcia, Legeſque Semproniæ!* Vide ſupra c. 37.

Pro his verbis; *cum aſtrinxiſſent eum.* Græcus legit [5]; *Cum extendiſſet illum loris*, quod alii aliter explicant. Quidam credunt, S. Paulum ad renes uſque ſpoliatum fuiſſe, ejuſque manus columnæ alligatas, ut dorſum tenderet, quin moveri poſſet [6]. Putant alii, manus illius alligatas fuiſſe paxillo humi defixo ſeſquipedalis, vel bipedalis altitudinis; ita ut facie pronus eſſet in terram, & militibus tergum aperta præberet [7]. Alii [8] denique cenſent, illum capite, & pedibus a militibus adſtrictum, atque extenſum fuiſſe, facie in terram verſa, ut ab aliis militibus per omne corpus loris cæderetur, quæ flagellandi ratio adhuc apud Orientales in more eſt poſita, & olim apud Romanos obtinuerat. Tiberius [9] calamitoſum quemdam humi ſtratum virgis cædi juſſit. Leges Romanæ, quæ vetabant, ne Civis Romanus cæderetur, vetabant etiam, ne catenis vinciretur [10]; at non videtur S. Paulus vinculis ſuis ſolutus fuiſſe.

℣. 28. Ego multa summa.] Hoc jus numerata pecunia redimebatur, & Tacitus l. 5. hiſt. innuere videtur Claudio imperante, abuſum hunc obrepſiſſe, quod ipſum explicite a Dione perhibetur. Vendidit, inquit ille, jus Romanæ Civitatis, primum quidem magno pretio, mox vero vili: *Nomen Civium Romanorum*, ait Salvianus l. 5. de Dei gubern. *aliquando non ſolum magno æſtimatum, ſed & magno emptum: nunc ultro repudiatur, ac fugitur. Nec tantum vile; ſed etiam abominabile pene habetur.*

Ego autem & natus sum.] S. Paulus Romanæ civitatis jure haud fruebatur, præciſe tamquam Civis Tarſenſis. Hæc quidem libera erat civitas, ſed nonniſi multo poſt in Coloniam Romanam aſſumpta fuit, quemadmodum ſupra cap. 16. 37. oſtendimus: & ſi generatim Tarſenſes omnes cives Romani fuiſſent; profecto Tribunus, cui S. Paulus ℣. 3. dixerat ſe Tarſi natum, hunc in vincula minime conjeciſſet, flagellis cædendum. Potuerat autem fortaſſe Pater, vel Avus S. Pauli hoc ſibi, atque hæredibus ſuis jus promeruiſſe, quod in bellis contra Brutum, & Caſſium, vel contra Antonium bellatis de Auguſto meritus fuiſſet per quam optime. Hoc vero certum eſt, S. Paulum ex nativitate ſua hanc Romani Civis dignitatem obtinuiſſe, quod eorum confirmat opinionem, qui familiam ejus in terris locupletem, atque inſignem fuiſſe arbitrantur.

℣. 30. Jussit Sacerdotes convenire.] Ut intelligeret, quo nomine S. Paulus accuſaretur, illos fecaſſe in Antoniam turrim, ubi permanebat, vel in alium aliquem locum acceſſivit, ubi cum illis agere poterat; cum enim Ethnicus eſſet, ei minime licebat Templum ingredi, ubi Sacerdotum, & Sanhedrin, & Concilii conventus habebantur. Græcus typis editus ſententiæ huic ſuffragatur [11]; *præcepit Summis Sacerdotibus, atque univerſo Concilio, ut venirent.* Sed complures, iique optimi MSS. cum Vulgata legunt; *juſſit Sacerdotes convenire.* Quemcumque in locum illi convenerint, certum eſt, Tribunum adfuiſſe, ac milites illuc ingreſſos eſſe, ne Paulum de eorum manibus eriperent.

1 Matth. 23. 15. 2 Deut. 13. 10. 3 Lyran. Dionyſ. Pisc.
4 ... 5 ...
6 Cornel. Menoch. Piſc. 7 Ludov. de Dieu.
8 Arab. Æthiop. Vide noſtram Diſſertationem de ſuppliciis Deuteronomio præfixam.
9 Sueton. in Tiberio. *Exploratorem vin, ſtratum humi pene ad necem verberavit.*
10 Auguſtin. lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 19.
11 ... Alii: ...

CAPUT

CAPUT XXIII.

Sanctus Paulus coram Sacerdotibus cauſam ſuam agit. Summi Sacerdotis juſſu alapa illi impingitur. Conſilium dividit ſe Phariſæum dicens. Detegit conjurationem in vitam ſuam. Mittitur Cæſaream ; ad Felicem Præſidem.

1. INtendens autem in concilium Paulus ait : Viri fratres , ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum , uſque in hodiernum diem . 2 Princeps autem ſacerdotum Ananias præcepit aſtantibus ſibi percutere os ejus . 3 Tunc Paulus dixit ad eum : Percutiet te Deus paries dealbate . Et tu ſedens judicas me ſecundum legem , & contra legem jubes me percuti ? 4 Et qui aſtabant dixerunt : Summum ſacerdotem Dei maledicis ? 5 Dixit autem Paulus : Neſciebam fratres , quia princeps eſt ſacerdotum : Scriptum eſt enim : Principem populi tui non maledices . 6 Sciens autem Paulus , quia una pars eſſet Sadducæorum , & altera Phariſæorum , exclamavit in concilio : Viri fratres ego Phariſæus ſum , filius Phariſæorum , de ſpe , & reſurrectione mortuorum ego judicor . 7 Et cum hæc dixiſſet , facta eſt diſſenſio inter Phariſæos , & Sadducæos , & ſoluta eſt multitudo . 8 Sadducæi enim dicunt , non eſſe reſurrectionem , neque Angelum , neque Spiritum : Phariſæi autem utraque confitentur . 9 Factus eſt autem clamor magnus . Et ſurgentes quidam Phariſæorum , pugnabant , dicentes : Nihil mali invenimus in homine iſto : Quid ſi Spiritus locutus eſt ei , aut Angelus ? 10 Et cum magna diſſenſio facta eſſet , timens tribunus , ne diſcerperetur Paulus ab ipſis , juſſit milites deſcendere , & rapere eum de medio eorum , ac deducere eum in caſtra . 11 Sequenti autem nocte aſſiſtens ei Dominus , ait : Conſtans eſto : ſicut enim teſtificatus es de me in Jeruſalem , ſic te oportet & Romæ teſtificari . 12 Facta autem die collegerunt ſe quidam ex Judæis , & devoverunt ſe dicentes , neque manducaturos , neque bibituros , donec occiderent Paulum . 13 Erant autem plus quam quadraginta viri , qui hanc conjurationem fecerant : 14 Qui acceſſerunt ad principes ſacerdotum , & ſeniores , & dixerunt : Devotione devovimus nos nihil guſtaturos , donec occidamus Paulum . 15 Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio , ut producat illum ad vos , tamquam aliquid certius cognituri de eo . Nos vero prius quam appropiet , parati ſumus interficere illum . 16 Quod cum audiſſet filius ſororis Pauli inſidias , venit , & intravit in caſtra , nuntiavitque Paulo . 17 Vocans autem Paulus ad ſe unum ex Centurionibus , ait : Adoleſcentem hunc perduc ad tribunum , habet enim aliquid indicare illi : 18 Et ille quidem aſſumens eum , duxit ad tribunum , & ait : Vinctus Paulus rogavit me hunc adoleſcentem perducere ad te , habentem aliquid loqui tibi . 19 Apprehendens autem tribunus manum illius , ſeceſſit cum eo ſeorſum , & interrogavit illum : Quid eſt , quod habes indicare mihi ? 20 Ille autem dixit : Judæis convenit rogare te , ut craſtina die producas Paulum]in concilium , quaſi aliquid certius inquiſituri ſint de illo . 21 Tu vero ne credideris illis , inſidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta , qui ſe devoverunt non manducare , neque bibere , donec interficiant eum : & nunc parati ſunt , expectantes promiſſum tuum . 22 Tribunus igitur dimiſit adoleſcentem , præcipiens ne cui loqueretur , quoniam hæc nota ſibi feciſſet . 23 Et vocatis duobus Centurionibus , dixit illis : Parate milites ducentos , ut eant uſque Cæſaream , & æquites ſeptuaginta , & lancearios ducentos , a tertia hora noctis : 24 Et jumenta præparate , ut imponentes Paulum ſalvum perducerent ad Felicem præſidem . 25 (Timuit enim , ne forte raperent eum Judæi , & occiderent , & ipſe poſtea calumniam ſuſtineret , tamquam accepturus pecuniam . 26 Scribens epiſtolam continentem hæc : CLAUDIUS Lyſias optimo præſidi , Felici , ſalutem : 27 Virum hunc comprehenſum a Judæis , & incipientem interfici ab eis , superve-

niens cum exercitu eripui, cognito, quia Romanus eſt; 28 Volenſque ſcire cauſam, quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum. 29 Quem inveni accuſari de quæſtionibus legis ipſorum, nihil vero dignum morte, aut vinculis habentem criminis. 30 Et cum mihi perlatum eſſet de inſidiis, quas paraverant illi, miſi eum ad te, denuntians, & accuſatoribus, ut dicant apud te. Vale. 31 Milites ergo ſecundum præceptum ſibi, aſſumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem. 32 Et poſtera die dimiſſis equitibus, ut cum eo irent, reverſi ſunt ad caſtra. 33 Qui cum veniſſent Cæſaream, & tradidiſſent epiſtolam præſidi, ſtatuerunt ante illum & Paulum. 34 Cum legiſſet autem, & interrogaſſet, de qua provincia eſſet: & cognoſcens quia de Cilicia, 35 Audiam te, inquit, cum accuſatores tui venerint. Juſſitque in prætorio Herodis cuſtodiri eum.

℣. 1. EGO OMNI CONSCIENTIA BONA.] Donec credidi, JESU CHRISTI Religionem malam eſſe, illam nimis etiam perſecutus ſum; ex quo autem illius veritatem, & ſanctitatem perſpexi, in eamdem profugi, eamque ad mortem uſque ſuſtinui. Novit Deus mentem meam; ille æquitatis meæ teſtis eſt. Bonus fui Judæus, donec ratus ſum eſſe debere Judæus; factus ſum Chriſtianus, zelo ſuccenſus, ubi Deus mihi Religionis hujus veritatem oſtendit. Vide 1. *Timoth.* 1. 13. & *Philip.* 3. 6. ubi ait, ſe in Judaica Religione irreprehenſibilem vitam duxiſſe, & cum ignorantiæ caligine verſaretur, Eccleſiam Dei eſſe perſecutum: *qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus; ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.*

℣. 2. PRINCEPS SACERDOTUM ANANIAS.] Ananias Nebedæi filius [1], Pontificatum geſſit ab anno Mundi 4050. ad annum 4066. eique Iſmael Phebæi filius ſucceſſit, ideoque Pontificatum geſſit annos ſexdecim. Quod iſthic legimus apud S. Lucam, accidit anno JESU CHRISTI 58. ſecundum Æram Vulgarem, Mundi vero 4061. vel 62. quoniam Æra Vulgaris incipit anno Mundi 4003. anno videlicet tertio poſt veram JESU CHRISTI nativitatis Epocham. Summus hic Sacerdos S. Paulo alapam juſſit impingi, fortaſſe, quod minime exorſus erat orationem ſuam, ea, quam ſibi deberi obſervantia exiſtimabat; vel eo, quod ille gloriabatur ſe conſcientiæ ſuæ ſtimulis ſemper paruiſſe, neque a cordis ſui æquitate umquam receſſiſſe in iis omnibus, quæ hactenus fuerat operatus. Ratus eſt Ananias, hunc ſermonem eſſe quamdam irriſionis ſpeciem, qua ipſe, & conventus omnis laceſſebatur. Vel denique, quod Judæos *fratrum nomine* dumtaxat appellaſſet, quod ille nimis familiare exiſtimat in eo, qui coram judicibus cauſam agebat.

℣. 3. PERCUTIET TE DEUS PARIES DEALBATE.] Ad litteram [2]: *paries calce illite*, vel gypſo. Hæc adagialis eſt loquendi ratio, hypocritam ſignificans. Comparat JESUS CHRISTUS Phariſæos ſepulchris dealbatis [3], quo nomine S. Paulus injuſtum hunc Judicem appellat, qui cum ſediſſet, rationes illius, qui accuſatus fuerat, auditurus, illum tamquam ſontem indicta cauſa condemnat, cum vix jam ad loquendum os aperuiſſet. Cur ſedes tamquam Judex, cum adverſarius ſis? Cur te juſtitiæ caput jactas, cum injuſtitiam committas? *Tu ſedens judicas me ſecundum Legem, & contra Legem jubes me percuti?*

S. Paulus ea in occaſione minime adimplet, quod JESUS CHRISTUS Apoſtolis præcipit, Matth. 5. 39. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram*; neque illud, quod ipſe ait, 1. Cor. 4. 12. *perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus.* Verum cor paratum ei erat, non ſolum, ut & alteram præberet genam, verum etiam, ut quodvis tormenti genus pro veritate ſubiret, quin eorum amorem abjiceret, a quibus torquebatur [4]. Perſona ea, quam exhibebat, & cauſa, quam perorabat, non patiebantur, ut honorem ſuum negligeret, atque per nefas ſibi contumelioſos eſſe inimicos pateretur, quin illis eorum ſaltem iniquitatem oſtenderet. Ad Evangelii progreſſum illius exiſtimatio, & honor maxime erant profutura, & cauſa ipſius non alia porro fuerat, quam Religionis. Modeſta, ac ſuavis reſponſio, qua illos excepit, a quibus admonitus fuit, eum Summum eſſe Sacerdotem, ſatis ſuperque oſtendit, cor ipſius hilaritate fuiſſe cumulatiſſimum, atque in ſermone ipſius nullam eſſe iram, nullam acrimoniam.

Cæterum hæc verba: *percutiet te Deus paries dealbate*; non imprecationis genus ſunt, ſed prædictionis: *minus intelligentibus convicium ſonat; intelligentibus vero prophetia eſt*, ait S. Auguſtinus [5]. Utitur Apoſtolus eo jure, quod Spiritus Sanctus confert Prophetis, ut cum auctoritate, & conſtantia apud Reges ipſos, viroſque Principes loquantur, eorumque vitia liberrime perſtringant. Videas oportet, quo animo Elias, & Eliſæus apud Reges Iſrael loquantur, & qua libertate Iſajas, Jeremias, & Ezechiel in Sacerdotum, Principum, & populi Juda errores invehantur. Teſtatur Joſephus, Ananiam miſere fuiſſe interfectum inter primos poſt Judæorum defectionem, in conjuratorum manu, quorum dux ejuſdem filius erat [6].

℣. 5. NESCIEBAM FRATRES.] Mirum videtur, quod S. Paulus ſummum tunc temporis Sacerdotem minime cognoverit. Locus, quem in cœtu ille occupabat, oſtendere, ut videtur, illi debebat, quinam hic eſſet, qui, ſi non eſſet Summus Sacerdos, ſaltem erat præſes Sanhedrin, auguſtioris videlicet in univerſa natione Senatus. Ut Paulus excuſaretur, variæ excogitatæ ſunt rationes; alii dixerunt [7], a S. Paulo cognitum quidem fuiſſe Summum Sacerdotem; ſed cum eo nondum minime cognita fuiſſet illius vox, qui præceperat, ut cæderetur, in eum, qui locutus fuerat, ea quæ iſthic leguntur, ab eodem dicta fuiſſe. Putant alii [8], S. Paulum ſimpliciter ſe ſe excuſare, quod non animadvertiſſet. Non conſiderabam me ad Summum Sacerdotem loqui. Alii [9] hæc in ironico ſenſu intelligunt: numquam exiſtimaveram, hominem adeo furentem Summum eſſe Sacerdotem: veniam peto; in illo furoris exceſſu eum non cognoſcebam. Alii [10]: non agnoſco amplius illum tamquam Summum Sacerdotem; alium habeo Pontificem, æternum, & immortalem JESUM CHRISTUM. In Synagoga nullum eſt amplius verum Sacerdo-

1 Plutarch. Grot. Tillemont. &c. Joſeph. Antiqu. lib. 8. cap. 5.
2 Τοῖχε κεκονιαμένε. Alii: Κεκονιαμένε. 3 Matth. 23. 27.
4 Auguſtin. lib. de Mendacio cap. 15. & lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 19. p. 191. nov. edit.
5 Auguſtin. lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 19. Vide Eſt. Grot. Alii. Vide Reſponſ. ad Orthodox. 125. & Chryſoſtom. t. 5. orat. 47. 6 Joſeph. lib. 2. de Bello cap. 32. pag. 812.
7 Clericus. 8 Grotius. 9 Chryſoſtom. in Acta hom. 48. Auguſtin. Epiſt. 138. num. 13. Lorin. Camer. Celsin. Beat. 10 Beda, Eraſm. Cloppenb. Epiſt. ad Capell. Vide & Cyprian. Epiſt. 55. & Auguſtin. lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 19.

cerdotium. Sed hic ſenſus ſpiritualis potius, quam A litteralis videtur.

Credunt quidam [1], Ananiam vere non fuiſſe Summum Sacerdotem, ſed in Joſephi, aut Iſmaelis locum obrepſiſſe, atque ſeipſum nomine, & dignitatis illius honoribus indignum præbuiſſe Pontificatum emendo. Namque juxta Gamalielis præceptoris S. Pauli ſententiam [2], Judex, qui Magiſtratum obtinet pecunia, Judex non eſt, neque judicis honorem, & nomen meretur. Verum hæc ratio duplici ex parte laborat: primum, quod ſatis ex hiſtoria liquet, Ananiam tunc vere Summum Sacerdotem fuiſſe: 2. Quod minime innotelcit, quomodo per pecuniam ad Pontificatum obrepſerit; quod etiam ſi verum fuiſſet, debuiſſet tamen S. Paulus illum vereri, atque obſervare juxta Apoſtoli ejuſdem doctrinam [3]. Denique ſimplicior, at- B que probabilior ſententia ea eſt, S. Paulum, qui totta viginti quinque annos nonniſi paucis diebus Jeroſolymæ adfuerat, & quitres, vel quatuor annos prorſus inde abfuerat, atque ex noviſſimo hoc itinere ſeptima, vel octava ante hoc tempus die illuc acceſſerat, profecto ignorare potuiſſe, quinam tunc eſſet Summus Sacerdos, idque eo magis, quod jampridam minime, vel ordo ſucceſſionis Summorum Pontificum ſervabatur, vel Pontificatuum diuturnitas certa erat. Poſtremus hic ſenſus æquior videtur, atque probatior [4].

PRINCIPEM POPULI TUI NON MALEDICES.] Populi Principem, Rabbini vulgo intelligunt caput Sanhedrin [5]: ſed æque explicari poteſt de Rege, Judice, Principe, Summo Sacerdote: verbo, de illo, qui ſummam obtinet auctoritatem, vel etiam, qui ma- C gnam habet auctoritatem, licet alteri majori in Republica ſubordinatam. Hoc in ſenſu Summus Sacerdos jure Princeps populi a S. Paulo vocatur.

℣. 6. SCIENS, QUIA UNA PARS ESSET SADUCÆORUM.] Sanhedrin compoſitum erat ex iis omnibus, qui apud Judæos magis enitebant. Phariſæi, & Saducæi duæ erant ſectæ, quæ ibi gentium dominabantur. Non ignorabat S. Paulus, quomodo Judices ſui eſſent affecti, ſed licita calliditate utitur [6], Phariſæos ſimul, Saducæoſque componens, ut ex periculo elabatur, bonamque cauſam tueatur. Hac arte in partes ſuas pertraxit Apoſtolus eos, qui ex inimicis ſuis magis erant timendi, immo potiorem Judicum ſuorum partem, atque tempeſtivam adeo, & ſuæ cauſæ utilem digreſſionem inſtituit, ut ſi jure judicium habitum D fuiſſet, ille proculdubio ſalutari littera fuiſſet recreatus. Sed nimius utriuſque partis furor ſuſpicionem ingeſſit Lyſiæ Tribuno, ne malum aliquod eidem S. Paulo accideret; quem ideo ſtatim de Concilio eduxit. S. Gregorius Papa [7], & S. Thomas [8] credunt, ubi ſimiles, adſuerint rationes, licere citra ſcelus inter iniquos ſerere diſſidia, quod iniquorum conſenſio Reipublicæ, & Eccleſiæ æque noxia eſt, ac bonorum diſſenſio funeſta. Nihil omittendum eſt, ut pacis ſpiritus in Eccleſiis foveatur: at prodeſt ſæpe, ut pacis inimici inter ſe diſcrepent ſententiis, atque negotiis. Attamen præceptum hac pace uſurpandum eſt, & ſatendum, ubi exerceatur, non exigua mala illinc poſſe emanare.

EGO PHARISÆUS SUM, & FILIUS PHARISÆORUM.] E Græcus typis editus [9] *ego Phariſæus ſum, & filius Phariſæi*: ſed complura, eaque optima exemplaria Græca numero multitudinis cum Vulgata legunt, *Filius Phariſæorum*. Quidam [10] hoc de ſpirituali filiatione interpretantur. Filios, vel diſcipulos Phariſæorum, quemadmodum in Scripturis *filii Prophetarum* dicuntur, Prophetarum [11] diſcipuli. Sed plerique credunt, illum ex ea fuiſſe familia, in qua plures Phariſæi numerabantur.

DE SPE, & RESURRECTIONE MORTUORUM.] S. Paulus cauſam ſuam ex ea amplificat parte, quæ magis ſibi prodeſſe poteſt. Dei Spiritus, & charitas non prohibet, quominus aliquando humanas rationes, & ſerpentis prudentiam adhibeamus. Populus, qui S. Paulum comprehenderat ſupra cap. 21. ℣. 28. eum accuſabat, quod adverſus populum, & legem, & Templum doceret, atque in Templum gentiles etiam induceret. Videtur, a S. Paulo ad hæc capita redigendam fuiſſe quæſtionem, atque his in rebus ſuam integritatem probandam. Sed longius principium ducit, & quæſtionem hanc curioſius pertractat. Tenet, ſibi ab inimicis mortem intentari, quod ſpem alterius vitæ, atque mortuorum Reſurrectionem profiteatur. Et ſane ea in re Saducæi Pauli doctrinam maxime laborare cenſebant, & hac una de re ab illis damnatus fuiſſet. Jure ergo, ut illorum judicium reſpueret, & ex eorum manibus elaberetur, dicebat, ſibi ob hanc rem impendere damnationem: Phariſæi autem, licet generatim mortuorum crederent Reſurrectionem, tamen JESU CHRISTI Reſurrectionem acriter impugnabant.

Non loquitur vero de altera difficultate, quæ ad Phariſæos, & Saducæos æqua pertinebat, quod videlicet docebat, Legis cæremonias ad ſalutem minime eſſe neceſſarias. Phariſæorum, & Saducæorum intererat priori in articulo inter ſe convenire, ut deinde ille ad alteram deſcenderet. Id tamen certum erat, nihil abſolutum iri; atqui ea in re ipſum non modice profecturum. Primo quidem Tribuno oſtendebat, minime agi de quæſtionibus ſpeculatricis, & problematicis, de quibus inter judices eoſdem conſtabat. Secundo vero cum Phariſæorum partes majorem in Sanhedrin eum obtinerent, abſolvi poterat, quin ad alterius articuli examen deveniretur, in quo non ita facile utrique parti ſatisfacere potuiſſet. At non permiſit Providentia, quemadmodum viſuri ſumus, ut hæc res illum inveniret finem, quem inventura videbatur.

℣. 7. SOLUTA EST MULTITUDO.] Græcus [12]: *concilium abiit in diverſa*: ſed Latinus textus innuere videtur, conventum abiiſſe, ac ſe ſe diſſipaſſe.

℣. 8. NON ESSE RESURRECTIONEM, NEQUE ANGELUM, NEQUE SPIRITUM.] Fatebantur Saducæi, Deum eſſe unum, inviſibilem, ſpiritualem: ſed præter hunc non Angelos, non Spiritus, non animas ſeorſim a corporibus ſubſiſtentes, admittebant; ideoque Corporum reſurrectionem negabant. Admittebant quidem Pentateucum, ubi ſæpe de Angelorum apparitionibus ſermo eſt: ſed Angelorum nomine, vel Dei ejuſdam apparitiones intelligebant, vel ſpectra illius virtute compacta, in quibus agebat, & loquebatur; vel ſimplicem impreſſionem, quam in ſenſu, ac hominum mente gignebat, & quam homines ſpirituales eſſe ſubſtantias a Deo diſtinctas putabant [13]. Non negabant illi animarum exiſtentiam; fatebantur, nos animatos eſſe, & rationis participes: ſed credebant, animam una cum Corpore mori, diſſipari, extingui [14]. Non deſunt, qui putent, illos minime credidiſſe, Deum eſſe incorporeum [15]; & non agnoviſſe Spiritum Sanctum, ideoque ab iiſdem ejectos fuiſſe Prophetas, qui ſe Spiritu Sancto afflatos dicebant [16]. Conſule, ſi lubet, noſtram de Phariſæis, & Sadducæis diſſertationem.

Phariſæi utraque confitentur, Angelorum ſcilicet, atque Spirituum exiſtentiam, & mortuorum Reſurrectionem. De duabus tantum rebus loquitur S. Lucas, *utraque*; quippe unum putat, eumdemque Saducæorum,

1 Quid. in Catak. Ligf. Chronolog. Beza in Synopſi. 2 Talmud. tit. de Synedr.
3 Rom. 13. 1. 2. & ſeq. Tit. 3. 1. 4 Chryſoſtom. Lyran. Dionyſ. Cajet. Sanct. Cornel. Menoch. Fromond. alii. 5 Vide Selden. de Synedr. lib. 2. cap. 15. art. ult.
6 Vide Chryſoſtom. in Acta homil. 49. Grot. Sanct. 7 Gregor. Magn. lib. 34. Moral. cap. 4. & ſuper Paſtoral. cap. 23. 8 D. Thom. 2. 2. quæſt. 37. art. 2. ad 1.
9 Ἐγὼ Φαρισαῖός εἰμι, υἱὸς Φαρισαίου. Alii: Τῶν Φαρισαίων. 10 Fromond. hic.
11 4. Reg. 2. 3. &c. 12 Καὶ ἐσχίσθη τὸ πλῆθος. Velez. Ἐλύθη τὸ πλῆθος. Ita Vulg.
13 Vide Grot. Eſt. Bez. Camerar. 14 Joſeph. de Bello lib. 2. cap. 12. & Antiq. lib. 18. c. 2.
15 Arnob. lib. 3. pag. 100. 16 Vide Scalter. Epiphan. hæreſ. 14.

rum errorem, Angelorum, & Spirituum exiſtentiam A negantium. Mortuorum reſurrectio, quam negabant, clarus eſt articulus [1].

℣. 9. QUIDAM PHARISÆORUM.] Græcus [2]: *Scribæ, qui erant in partibus Phariſæorum*: ſed alia exemplaria cum Vulgata legunt: *quidam Phariſæorum*: & alia: *ſcribæ & Phariſæi*: vel quidam ex *ſcribis qui erant in partibus Phariſæorum*. Scribæ ſunt Legis Doctores, Judæorum ſapientes. Non omnes Phariſæi erant Scribæ: ſed plurimi erant Scribæ ex eorum ſecta. Iique fere ſemper contra JESUM CHRISTUM, ejuſque Apoſtolos in Evangelio conjuncti videntur.

QUID SI SPIRITUS LOCUTUS EST EI.] Græcus [3]: *Non pugnamus contra Deum, ſi ſpiritus vel Angelus illi locutus eſt*. Sed plura, eaque optima exemplaria, Cophtus, Syrus, Æthiops Ammonius, S. Iſidorus B Peluſiota: *non pugnamus contra Deum*. Putabant Phariſæi, Spiritum Sanctum potuiſſe ſenſibili ratione, vel ſimpliciter interiori afflatu S. Paulum alloqui; vel Angelum illi apparere potuiſſe; vel denique JESU CHRISTI animam reverti potuiſſe, & cum eo loqui; nam quemadmodum ℣. 8. adnotatum eſt, S. Lucas videtur *Spiritum*, & *Angelum* eadem in categoria numerare.

Ita hæc de Spiritu Sancto iſthic intelligendum non eſt; ſed anima a corpore ſejuncta, & Angelus ex Phariſæorum ſententia ſpecie non differebant. Bonorum animæ ſiebant tamquam Angeli, animæ vero impiorum tamquam Dæmones [4]. Vide Matth. 8. 30. 31.

℣. 10. JUSSIT MILITES DESCENDERE.] De arce, vel turri Antonia, ubi armati fuiſſe creduntur Tribu- C ni expectantes imperium, qui forteſſe id, quod accidit, præſenſerat. Concilium vel in atriis introitu, vel in aula quadam proxima habitum fuit.

℣. 11. ASCENDENS ET.] S. Paulus jampridem cogitaverat eam in urbem proficiſci, ut ibi JESU CHRISTO perhiberet teſtimonium. Hoc ille aliquot ante menſes ad Romanos ſcribens declaraverat, & Spiritus Sanctus interioſece illi pollicitus fuerat [5], futurum, ut huc iter ſuſciperet: at minime prævidebat Apoſtolus, quo pacto immueret Providentia, ſibi iter illud eſſe ingrediendum.

℣. 14. DEVOTIONE DEVOVIMUS NOS.] Græcus [6]: *per nos graviſſimis anathematibus ſubjecimus*. Jure jurando, & graviſſima quælibet in caput noſtrum imprecantes male polliciti ſumus, ne biberemus, & man- D ducaremus, niſi hunc nationis, legiſque noſtræ inimicum tolleremus. In nos ſæviſſima quoque decidant mala, anathemati ſubjiciamur, de fratrum noſtrorum ſocietate divellamur, ex hac vita exturbemur, niſi hominem hunc occidimus. Judæis non deerant quædam hujuſmodi excommunicationes, quibus ſibi metipſis quarumdam rerum, vel ſacrarum, vel communium uſum interdicebant [7]. Suppetit rei hujus exemplum in Judæis de captivitate reverſis, ſe ſe anathemati ſubjicientibus [8], ſi umquam a Domini lege receſſerint; & in Eſſenis, qui graviſſimis, horrendisque ſacramentis ſe ſe adigunt, ut conſtanter ſectæ ſuæ ſuiſque inſtitutionibus hæreant [9]. Quod ſi ſponte ab illis receſſerint, vel ſi ſcelus aliquod commiſerint, quod mereatur, ut ea eorum ſocietate careant, mi- E ſere animam efflare coguntur; eo quod Sacramento jurarunt, neque verentur, ſe ex aliquam fratrum manu eſcam non recepturos. Ita jumentorum inſtar herbas abrodere tenentur, & quamprimum ad extremam inediam rediguntur: ita ut nonnumquam eorum fratres miſeratione ducti eos recipiant, eiſque ſuppeditent eſcam, rati, pœnitentiam quam illi egerunt, ſatis eſſe ad veniam promerendam.

Philo de leg. ſpecial. aſſerit, non deeſſe Judæos, qui jurejurando ſe adſtringunt ad homicidium aliquod, vel aliud quodpiam ſcelus perpetrandum, cum nullo converſandum, nemini benefaciendum; minime advertentes, hujuſmodi juramento ex adverſo opponi naturæ juriſjurandi, & Divinæ menti illud permittenti, & in nomine cujus concipitur. Hujuſmodi ſacramentis filii parentibus ſuis, quam debebant opem inficiebantur [10], & qui alieno ære oppreſſi erant, nonnumquam creditores ſuos [11] illudebant, quemadmodum vidimus in S. Matthæum 15. 5.

℣. 15. NUNC ERGO NOTUM FACITE TRIBUNO.] Quadraginta hi viri, qui ſeipſos devoverant, non erant fortaſſe ex Phariſæis, vel neſciebant, quid ſuperiori die contigiſſet. Fidei magis conſonum videtur Sadducæos fuiſſe, qui ob id in iras eruperant, quod Phariſæi Paulo magis faviſſe [12] videbantur.

℣. 16. FILIUS SORORIS PAULI.] Paulum hac de re certiorem fecit. Non ſatis liquet, quomodo adoleſcens hic Jeroſolymam venerit; nec unde hanc audierit conjurationem: verum facere non poſſumus, quin divinam Providentiam admiremur, quæ S. Paulum ex tanto, tam manifeſto, & quod adeo inevitabile videbatur, periculo S. Paulum eripuit.

℣. 17. PERDUC AD TRIBUNUM.] Non negligit S. Paulus omnes rationes, opeſque humanas quæ ſibi a Dei bonitate exhibentur. Illius in Deum confidentia minime cæca eſt, ſed ſapiens, & prudens. Deum tentaret, qui naturales, atque humanas ſubſidia negligeret, ubi iiſdem uti poſſet; atque divina preſtolaretur miracula, ubi non aliæ deeſſent rationes, quibus ex periculo emergeret [13].

℣. 19. APPREHENDENS MANUM ILLIUS.] non ſine amicitiæ, & benevolentiæ ſignis, ſperans fortaſſe, adoleſcentem hunc ſibi pecuniam promiſſurum, ut Paulum in libertatem vindicaret [14].

℣. 23. MILITES, EQUITES, LANCEARIOS.] Sub tertiam horam noctis, hoc eſt, nonam, vel decimam veſpertinam parati ſint pedites, equites, & Sagittarii. Græcus pro Sagittariis [15] legit potius *Satellites* illos, qui ducis, vel Principis alicujus latus obſident. Alia vero exemplaria legunt [16], *haſtatos*, milites haſtis, vel miſſilibus, quæ dextera manu ejaculantur armatos. Exiſtimat Grotius, hos fortaſſe advenas fuiſſe milites, atque levis armaturæ copias auxiliares. Creduntur autem hi pedibus meruiſſe ſtipendia. Hæc omnia militum manus miſſa fuit ad S. Paulum ducendum.

℣. 24. AD FELICEM PRÆSIDEM.] Claudius Felix, vel quemadmodum a Tacito hiſt. 5. appellatur, Antonius Felix, ita vocatus quod ſervus fuiſſet Imperatoris *Claudii*, & Matris ejuſdem *Antoniæ*, frater erat Pallantis potentiſſimi libertorum Imperatoris Claudii, & ipſe quoque libertus. Jonathas filius Annæ ſummi Sacerdotis illum popoſcerat, & obtinuerat, Judææ Præſidem anno Domini 52. cui Provinciæ præfuit ea auctoritate, qua Rex, & ea inſolentia, qua libertus, quem neque timor, neque pudor coercerent [17]. Credebat fratri Pallantis nihil non licere. Hic duos annos in carcere habuit S. Paulum, licet illius innocentiam ſatis exploratam haberet, ſperans non mediocrem argenti vim, ut illum in libertatem aſſereret.

TIMUIT

---

1 Theophyl. hic. Grot. Fromond. Menoch. alii. Chryſoſtom. hic. 2 Ἀνεστάντες δέ τινες τῶν γραμματέων τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων. Alii: Τινὲς τῶν Φαρισαίων. Alii: Τινὲς τῶν γραμματέων τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων. Vide Mill. hic.
3 Εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ, ἢ Ἄγγελος, μὴ θεομαχῶμεν. Vide Mill. hic, & Proleg. 918.
4 Joſeph. de Bello l. 7. c. 25. Vide pariter Philonem pluribus in locis, & noſtram Diſſertationem de bonis & malis Angelis. 5 Act. 19. 21. 6 Ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν ἑαυτούς.
7 Vide Selden, de Synedr. lib. 1. c. 7. 8 1. Eſdr. 8. 26. 9. 29.
9 Joſeph. de Bello, lib. 2. c. 7. in Lat. 12. in Gr. 10 Matth. 15. 5.
11 Origen. tom. 11. in Matt. p. 245. 12 Fromond. hic. 13 Vide Auguſt. lib. 2. contra Petilian. cap. 97. Chryſoſtom. homil. 49. in Acta. 14 Fromond. Menoch.
15 Καὶ δεξιολάβους. *Satellites*. Phavorin. Suid. Henric. Steph. Hamm. Mont. Bez. Druſ.
16 Δεξιοβόλους. Syr. Arab. Alexand. 17 Tacit. hiſt. 5. *Falix per omnem ſævitiam, & libidinem jus regium ſervili ingenio exercuit*.

℣. 25. TIMUIT ENIM.] Totus hic ℣. deeſt in Græco typis edito, & in MSS. neque legitur in exemplaribus Marchionis de Velez, quæ utique ad Vulgatæ lucernam caſtigata fuiſſe videntur.

CONTINENTAM HÆC.] Græcus [1]; *continentem hanc formam*, Epiſtolam, cujus hoc exemplar eſt, vel ſenſus.

℣. 26. OPTIMO PRÆSIDI.] Græcus [2]; *potentiſſimo Præſidi*. Hic communis erat titulus illius dignitatis.

℣. 27. CUM EXERCITU [3],] cum præſidio, cum manu quadringentorum, & ſeptuaginta militum. ℣. 27. *superveniens cum exercitu eripui, cognito, quia Romanus eſt*. Lyſias iſthic veritatem diſſimulat; cum Paulum de Judæorum manibus eripuit, ignorabat, eum eſſe Civem Romanum; quod tunc ſolum audiit, cum illum alligari juſſit, ut loris cæderetur cap. 22. 25.

℣. 29. DE QUÆSTIONIBUS LEGIS IPSORUM.] Hic Tribunus, qui neque Judæus erat, neque litteratus, non intellexit ſatis perſpicue, quod in Phariſæorum, & Saducæorum concilio diſceptatum fuerit: de Religione, atque ſcholaſtica doctrina quæſtionem eſſe cognovit.

℣. 31. ANTIPATRIDAM,] urbem ab Herode magno ædificatam in memoriam Antipatri parentis ſui, Joppem inter & Cæſaream ſecus viam, qua Jeroſolyma in hanc poſtremam urbem iter patet. Antipatrides antea *Capharſaba* appellabatur [4], eamque Joſephus centum & quinquaginta ſtadiis a Joppe abfuiſſe teſtatur, hoc eſt leucis circiter ſeptem. At ſumma uſus diligentia dicamus oportet eos milites, ut noctis unius ſpatio, vel non multo ſecus Antipatridem pervenirent; liquet enim, illos cum Jeroſolyma tertia hora noctis diſceſſiſſent poſt Pentecoſtem, Antipatridem ita maturato perveniſſe ut eadem die Jeroſolymam reverterentur, cum interim Paulus ipſa die Cæſaream adduceretur. Hoc pacto S. Paulus iter ſuum Jeroſolyma Cæſaream uſque abſolviſſet, & milites bis iter Jeroſolyma Antipatridem uſque perfeciſſent intra noctem, atque ſolidam diem, quod non ita facile intellexeris: quandoquidem a Jeroſolyma ad Cæſaream undeviginti ſaltem leucæ interſunt, tribus paſſuum millibus in ſingulas leucas recenſitis [5].

Hoc tamen minime impoſſibile eſt. Quidam ex his militibus equites erant, immo ex ℣. 24. videntur, equi non defuiſſe, quibus Paulus veheretur. Qui illum Cæſaream adduxerunt, omnes equites erant, & equos in via fortaſſe mutarunt. Res ipſa celeritatem expetebat, & hanc Lyſias procul dubio militibus ſuis commendaverat, ne Judæi ex eorum manibus Paulum eriperent, eumque interficerent. Crediderunt quidam [6], neque S. Paulum, neque milites Antipatride egreſſos fuiſſe, niſi poſtridie, ex quo illuc pervenerant. Sed huic ſententiæ Actorum textus adverſari videtur; & S. Paulus ipſe inferius ait, ſe duodecima tantum ante id tempus die Jeroſolymam perveniſſe, Act. 24. 11.

℣. 32. DIMISSIS EQUITIBUS.] Paulo equitibus tradito, pedites atque haſtati Jeroſolymam reverſi ſunt. Ab Antipatride Cæſaream uſque non tantum erat periculum, neque indigebat Paulus quadringentorum militum præſidio. Satis ſuperque illi erat ſeptuaginta equitum manus.

℣. 34. IN PRÆTORIO HERODIS CUSTODIRI.] S. Lucas *Prætorium* vocat domum, ubi Felix Præſes commorabatur, non ſecus ac in Evangelio ædes illæ, ubi Pilatus habitabat, ſimpliciter *Prætorium* dicuntur. Hoc latinum eſt nomen, quod ſignificat domum unius ex præcipuis Romanis Magiſtratibus. Cæſareæ *Prætorium* dicitur *Herodis Prætorium*, quia domus erat magnifica ab Herode Magno ædificata, ubi Præſides ſedem ſuam conſtituerant. Ibi erant carceres, in quos S. Paulus conjectus fuit.

1 Περιέχουσαν τὸν τύπον τοῦτον, 2 Κρατίστῳ ἡγεμόνι.
3 Σὺν τῷ στρατεύματι. 4 Joſeph. Antiqu. lib. 13. c. 23.
5 Itinerar. Burdigal. Cornel. a Lapide. Tillemont. Not. 54. in S. Paul. Cellar. lib. 3. cap. 13. p. 530. 531.
6 Vide Menoch. alios.

CAPUT XXIV.

Tertullus Judæorum advocatus S. Paulum accuſat coram Felice. S. Paulus cauſam ſuam perorat, & adverſarium confutat. Loquitur de juſtitia, caſtitate, noviſſimo judicio, atque Præſidem Felicem perterret. Porcius Feſtus Felici ſuccedit.

1. POſt quinque autem dies deſcendit princeps ſacerdotum, Ananias, cum ſe-
nioribus quibuſdam, & Tertullo quodam oratore, qui adierunt præſidem
adverſus Paulum. 2 Et citato Paulo, cœpit accuſare Tertullus, dicens:
Cum in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam providentiam;
3 Semper, & ubique ſuſcipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione.
4 Ne diutius autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia.
5 Invenimus hunc hominem peſtiferum, & concitantem ſeditiones omnibus Judæis
in univerſo orbe, & auctorem ſeditionis ſectæ Nazaræorum: 6 Qui etiam tem-
plum violare conatus eſt, quem & apprehenſum voluimus ſecundum legem no-
ſtram judicare. 7 Superveniens autem tribunus Lyſias, cum vi magna eripuit
eum de manibus noſtris, 8 Jubens, accuſatores ejus ad te venire: a quo pote-
ris ipſe judicans, de omnibus iſtis cognoſcere, de quibus nos accuſamus eum.
9 Adjecerunt autem & Judæi, dicentes hæc ita ſe habere. 10 Reſpondit autem
Paulus (annuente ſibi Præſide dicere:) Ex multis annis te eſſe judicem genti
huic ſciens, bono animo pro me ſatisfaciam. 11 Potes enim cognoſcere, quia
non plus ſunt mihi dies, quam duodecim, ex quo aſcendi adorare in Jeruſalem:

12 Et

12 Et neque in templo invenerunt me cum aliquo diſputantem, aut concurſum
facientem turbæ, neque in ſynagogis. 13 Neque in civitate: neque probare
poſſunt tibi, de quibus nunc me accuſant. 14 Confiteor autem hoc tibi, quod
ſecundum ſectam, quam dicunt hæreſim, ſic deſervio Patri & Deo meo, credens
omnibus, quæ in lege, & Prophetis ſcripta ſunt: 15 Spem habens in Deum,
quam & hi ipſi expectant, reſurrectionem futuram juſtorum, & iniquorum. 16
In hoc & ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum, & ad homines
ſemper, 17 Poſt annos autem plures, eleemoſynas facturus in gentem
meam veni, & oblationes, & vota. 18 In quibus invenerunt me purificatum
in templo: non cum turba, neque cum tumultu. 19 Quidam autem ex Aſia Judæi,
quos oportebat apud te præſto eſſe, & accuſare ſi quid haberent adverſum
me: 20 Aut hi ipſi dicant, ſi quid invenerunt in me iniquitatis, cum ſtem in
concilio. 21 Niſi de una hac ſolummodo voce, qua clamavi inter eos ſtans:
Quoniam de reſurrectione mortuorum ego judicor hodie a vobis. 22 Diſtulit autem
illos Felix, certiſſime ſciens de via hac, dicens: Cum Tribunus Lyſias deſcenderit,
audiam vos. 23 Juſſitque Centurioni cuſtodire eum, & habere requiem,
nec quemquam de ſuis prohibere miniſtrare ei. 24 Poſt aliquot autem
dies veniens Felix cum Druſilla uxore ſua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum, &
audivit ab eo fidem, quæ eſt in Chriſtum Jeſum. 25 Diſputante autem illo de
juſtitia, & caſtitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix reſpondit: Quod
nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accerſam te. 26 Simul & ſperans,
quod pecunia ei daretur a Paulo, propter quod & frequenter accerſens
eum, loquebatur cum eo. 27 Biennio autem expleto, accepit ſucceſſorem
Felix Porcium Feſtum. Volens autem gratiam præſtare Judæis Felix, reliquit
Paulum vinctum.

℣. 1. POST QUINQUE DIES.] Summus Sacerdos A Ananias, aliique inimici S. Pauli ad Tribunum Lyſiam rurſus venerunt efflagitantes, ut iterum Paulum produceret, ut quadraginta conjurati in illum impetum facere, eumque occidere poſſent, quemadmodum juramento ſe ſe devoverant. Verum ſtupor illis inceſſit, ubi audierant, eum noctu extra Jeroſolymam tranſlatum fuiſſe, & conjurationem ſuam fuiſſe detectam. Conſilium igitur inierunt, Cæſaream proficiſcendi, quo pervenerunt die quinta poſt S. Paulum captum, & duodecima poſt Apoſtoli illius adventum Jeruſalymam, quemadmodum ipſe inferius ait ℣. 11. Ita vero ordo recenſeri poteſt dierum, qui a S. Luca memorantur: Ait ille [1], S. Paulum Jeroſolymæ fuiſſe comprehenſum, *cum ſeptem dies jam jam complerentur*, hoc eſt ſub finem diei B quintæ ab adventu illius, die autem craſtina, ſexta videlicet, adductus fuit coram Senhedrin; & nocte inſequenti Antipatridem tranſlatus; & poſtridie, quæ ſeptima erat dies, Cæſaream pervenit. Poſt quinque dies hoc eſt duodecima die, ex quo Jeruſolymam venerat, Ananias, aliique Cæſaream venerunt, ut illum coram Felice accuſarent, infra ℣. 11.

De Judæorum adverſus Paulum odio judicium ferri poteſt ex Summi Sacerdotis, & complurimorum Seniorum, vel Senatorum ſollicitudine, qui ipſi Cæſaream veniunt, ut Pauli damnationem perſequantur. Hi ſecum adduxerunt *Oratorem nomine Tertullum*, qui coram Felice agerent cauſam; nam cauſæ ut plurimum Latine diſceptabantur [2], & in provinciis aderant Romani, vel externi advocati, qui Leges, juriſque C formulas melius callebant, quam qui in provinciis permanebant, eorumque opera in judiciis tranſigendis utebantur. Non deſunt tamen complures, iique eruditi Interpretes [3], qui credunt, Tertullum æque ac S. Paulum Græce fuiſſe locutos. Græca lingua ibi gentium vulgatiſſima erat, & perpauci erant honeſti viri, qui illam ignorarent.

ADIERUNT PRÆSIDEM ADVERSUS PAULUM.] Se accuſatores illius profeſſi ſunt; qui genuinus eſt textus Græci ſenſus [4]: ſed latinus Interpres id alio in ſenſu intellexiſſe videtur: ad Præſidem acceſſerunt, ut Paulum accuſarent.

℣. 3. CUM IN MULTA PACE.] Felix aliquot bonis Judæam cumulaverat, Eleazarum latronum Principem, vigeſimum jam annum Provinciam univerſam vaſtantem comprehenderat [5]; Seductorem Egyptium, qui ſe Prophetam ferebat, & quem triginta fere hominum B millia ſequebantur, diſſipaverat [6]. Hic ille eſt, de quo ſermo fuit cap. 21. 38. Hoc autem Tertullo ſuppeditabat laudum materiem, quibus Felicem proſequeretur. Potuiſſet etiam, idque potiori jure, illum accuſare propter ſexcenta mala, quibus Provinciam affecerat; nemo enim hoc iniquius, & crudelius ſua abuſus fuerat auctoritate: ſed orator initio dicendi pro virili ſtudere debet, ut Judicis ſibi benevolentiam conciliet, eumque in ſuas partes pelliciat.

ET MULTA CORRIGANTUR PER TUAM PROVIDENTIAM.] Hoc nonniſi de latrociniis intelligi poteſt, quæ uti dictum eſt, Præſidis hujus cura ſublata fuerant. Græcus [7]: *cum multa præclare facta per Providentiam tuam in Nationi hujus gratiam contigerint*. Vulgatæ ſenſus melior videtur, eumque Syrus, Arabs MS. C Alexandrinus, aliique nonnulli ſequuntur.

℣. 5. AUCTOREM SEDITIONIS SECTÆ NAZARÆORUM [8].] Univerſus hic Tertulli ſermo non aliud

1 Act. 21. 27. Ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι.
2 Vide Dion. lib. 57. & Sveton. in Tiberio, c. 71. & Torrent. & Beroald. in eum Svetonii locum & Fromond. hic. Cornel. 3 Beda, Eraſm. Gagnei. Bez. 4 Ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι κατὰ τοῦ Παύλου. Grot. le Clerc, Pric. 5 Antiq. lib. 20. c. 6. de Bello, lib. 2. c. 22. p. 796.
6 Antiqu. l. 20. c. 6. p. 695. c. 7 Καὶ κατορθωμάτων γινομένων τῷ ἔθνει τούτῳ διὰ τῆς σῆς προνοίας. Plures Codd. Alexand. Barber. Colb. Laud. Syr. Arab. Διορθωμάτων. *Correctiones. Multa in melius reſtituta*. Grot.
8 Grot. Πρωτοστάτην τε τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως. Anteſignanum hæreſis Nazaræorum. Textus de ſeditione non loquitur.

liud eſt, quam mendaciorum, calumniarumque contextus. S. Paulum accuſat quaſi caput illius ſectæ, quam *Nazaræorum* appellet. Felix, qui octavum jam aut nonum annum Judææ præerat, minime ignorare poterat, quinam eſſent illi, qui a Judæis Nazaræi appellabantur. Nomen Chriſtianorum, qui Nazaræi iſthic nuncupantur, nimis ingens erat ibi gentium, eorumque fama late ſerie percrebuerat, ut ad illius aures minime perveniſſe credendum non ſit. Sed Tertullus iſthic duo aperte falſa profert, dicens primo, Paulum eſſe caput Sectæ Nazaræorum; ſecundo, ſectam hanc eſſe ſeditioſam. Paulus neque caput, neque princeps Apoſtolorum erat; ideoque multo minus caput Religionis Chriſtianæ, quæ non aliud eſſentiale caput, aliumque inſtitutorem agnoſcit, niſi eumdem JESUM CHRISTUM. Qui vero hanc Religionem profitebantur, adeo ab omni ſeditionis, & defectionis cogitatione abhorrebant, ut immo pacem ubique prædicarent, atque patienter quodlibet perſecutionum genus ferrent. Utitur vero Tertullus graviſſimis, & infenſiſſimis nominibus, *publicam peſtem* nefarium, & ſeditioſum hominem Paulum appellans, licet nemo umquam magis, quam Apoſtolus iſte, ab hujuſmodi flagitiis abhorruerit.

Primis illis temporibus Chriſtiana Religio habebatur tamquam Judæorum ſecta, qualis erat ſecta Phariſæorum, & Sadducæorum. Ethnici ubique ſemper Chriſtianos cum Judæis confundebant. Apoſtoli, atque primi Religionis hujus præcones, erant Judæi, & plerique eorum, qui eamdem profitebantur, Legem Moyſis ſervabant, omnes Hebræorum ſacros libros recipiebant, & caput ſuum ferebant JESUM CHRISTUM, & ipſum ex gente Hebræorum. Nonniſi poſt Jeroſolymitanum excidium, & cum multitudo Gentilium, qui ad fidem fuerant converſi, Judæorum numerum longe ſuperavit, tunc Chriſtiana Religio a Judaica cœpit diſtingui: & nomen Nazaræorum, quo primum Chriſtiani appellati fuerant, deinceps peculiari ſectæ, vel Chriſtianorum hæreſi adhæſit, qui propter nefarios errores ab Eccleſia divulſi fuerant.

℣. 6. TEMPLUM VIOLARE CONATUS EST.] Hæc prima eſt calumnia, quæ S. Paulo adſperſa fuit, ubi Jeroſolymæ fuit comprehenſus. Leviſſima ducti conjectura arguerant, ab illo in Templum Gentiles introductos fuiſſe. Quod ſi illi probaſſent, S. Paulus, atque Trophymus, qui ab illo in Templum introductus dicebatur, mortem [1] fuiſſent meriti. Facti hujus teſtes erant afferendi, quibus productis acta, atque tranſacta res jam fuiſſet. Hic ℣. & qui ſubſequitur, cum octavi parte in plurimis Græcis exemplaribus deſunt [2]; eoſque in Latinis etiam quibuſdam ſe minime legiſſe Beda teſtatur.

VOLUIMUS SECUNDUM LEGEM NOSTRAM JUDICARE.] Hoc aliud mendacium Tertulli eſt. Cum Judæi Paulum comprehendiſſent, illum extra Templum pertraxerunt, eumdem interfecturi [3]. Poſtridie vero cum ad Sanhedrin productus fuiſſet, nulla habita fuit quæſtio, ut juridice damnari poſſet. Inter judices oborta contentione, illum jam jam trucidaſſent, niſi celeriter a Tribuno ex eorum manibus ereptus fuiſſet [4]. Tertullus loquitur quaſi Judæus: *voluimus ſecundum legem noſtram judicare*, quia loquebatur pro principibus Sacerdotum. Poterant Judæi adhuc ſecundum leges ſuas eos judicare, qui graviter illas violaſſent, eoſque morte dignos pronunciare, non ita tamen iiſdem vitam auferre [5]; ſed illos ad Provinciæ Præſidem, vel illius miniſtros ducere debebant, qui ſententiam Sanhedrin confirmarent, atque expleri juberent. Ita illi cum JESU CHRISTO fecerunt; atque id ipſum faciendum fuiſſet cum S. Paulo, ſi aliquam juris ſpeciem ſervare voluiſſent.

℣. 8. POTERIS IPSE JUDICANS COGNOSCERE.] Res eſt adeo manifeſta, ut neque ipſe eam inficiari audere poſſit, ſi juridice interrogetur. At credunt, Græcum innuere velle [6]; facile eum cogi poſſe tormentis, quæſtionibus, & minis [7], ut veritatem confiteatur.

℣. 9. ADJECERUNT.] Se vades præbuerunt eorum, quæ dixerat orator ſuus: verum, cur non produxerunt teſtes, ſi quos habebant? Poterant ne ſimul & actores eſſe, & teſtes? Græcus [8]: *conſenſerunt*, affirmarunt ea vera eſſe, quæ diceret Tertullus. Sed plerique optimorum Mſſ. Vulgatæ conformes ſunt.

℣. 10. EX MULTIS ANNIS.] S. Paulus minime adulatur Felici; ait ſimpliciter, illum, quippe qui multis ab hinc annis, octo videlicet, aut novem illi Provinciæ præfuerat, præ alio quovis melius cognoviſſe conſuetudinem, & populorum ingenia; quod ipſi miram gignebat confidentiam, cum coram illo cauſam ſuam eſſet peroraturus. Græcus typis editus ſimpliciter cum Vulgata legit, Felicem Judicem, vel *Præſidem* Judæorum fuiſſe ex multis annis: ſed complures Græci Mſſ. S. Chryſoſtomus, atque Theophylactus legunt, *Judicem Juſtum*, quod indignum aſſentationis videretur genus: liquet enim, Felicem maxime nefarium fuiſſe. Credit S. Johannes Chryſoſtomus hom. 50. in Acta, S. Paulum innuere voluiſſe animum Felicis paratum ad juſte judicandum, niſi adverſarii, & accuſatores ſui exiſtimatione omnium, atque calumniarum vi, effeciſſent, ut injuſtitiam potius ſequeretur. Alii vero credunt, illud eſſe epithetum de more Judicibus additum, & quod nihil rerum æquitati vel addit, vel aufert. Sed illos dumtaxat admonet, quid illis facto opus ſit. Liquet, quod in Hebræorum ſtylo *judicare* ſummam Imperii obtinere ſignificat.

℣. 11. PLUS DIES QUAM DUODECIM.] Vidimus jam ℣. 1. quomodo duodecim hi dies numerari poſſint. S. Paulus id extricat, quod Tertullus confuderat. Si quis advocatum hunc audierat, videri jam illi poterat, S. Paulum nebulonem eſſe, ac tenebrionem, qui jamdiu Provinciam omnem turbaret. Paulus vero oſtendit, ſe duodecimo tantum ab hinc die Jeroſolymam acceſſiſſe. Quinque dies Cæſareæ traduxerat, duos in manu Lyſiæ Tribuni; reliqui erant adhuc quinque, quibus liber Jeroſolymæ fuerat verſatus. Quod temporis intervallum profecto ſatis non eſt, ut ingens aliqua excitetur ſeditio ea in Civitate, ubi ſtatam ſedem non habes.

℣. 12. NEQUE IN TEMPLO, NEQUE IN SYNAGOGIS.] Præter Templum quadringentæ, & ſexaginta Synagogæ Jeroſolymæ fuiſſe dicuntur [9], quæ erant quædam veluti gymnaſia, ubi palam Lex docebatur, & quo confluebat populus, ut Sacrorum librorum lectionem audiret, & preces effunderet. Citra crimen potuiſſet S. Paulus illic cum aliis verſari, atque de more diſceptare de Scripturarum ſenſu: at hoc ille non fecerat, & exiguo eo temporis ſpatio, quo ea in urbe liber permanſerat, omnino alia ipſi fuerant tranſigenda.

℣. 13. NEQUE PROBARE POSSUNT.] Negat S. Paulus, quidquid contra ſe fuerat allatum. Cum adverſarii accuſationes ſuas minime probaſſent, poterat Apoſtolus omnia inficiari, & in mera infitiatione conſiſtere. *Actoris eſt probare*, rei vero, argumenta in ſe allata diluere.

℣. 14. SECUNDUM SECTAM, QUAM DICUNT HÆRESIM.] Animadvertimus jam, Hebræos, atque Ethnicos Chriſtianam Religionem reſpexiſſe tamquam Judaicam aliquam ſectam. Græcus legit [10]: *ſecundum hanc viam, quam ſectam appellant*; Secundum Chriſtianam Religionem, quam accuſatoribus meis libet ſectam, vel Hæreſim appellare; & quæ omnino aliud eſt, quam hæreſis, & ſecta. Nam illa neque Moyſem tamquam Legis-

1 Vide adnotata in Act. 21. 28. 2 Vide Zeger. & Mill. not. in hunc locum.
3 Act. 21. 30. 4 Act. 23. 10. 5 Joann. 18. 31.
6 Δυνήσῃ αὐτὸς ἀνακρίνας περὶ πάντων τούτων ἐπιγνῶναι. Vide Grot. Cornel.
7 Συνέθεντο δὲ, &c. Alii plures: Συνεπέθεντο. Adjecerunt. Vide Mill.
8 Ὄντα σε κριτὴν τῷ ἔθνει τούτῳ ἐπιστάμενος. Sed alii plures: ὄντα σε κριτὴν δίκαιον τῷ ἔθνει, &c. Vide Mill. hic.
9 Vide noſtram Diſſertationem de ſcholis Hebræorum. 10 Κατὰ τὴν ὁδὸν ἣν λέγουσιν αἵρεσιν.

Legiſlatorem, neque Leges illius tamquam ſuas leges agnoſcit. Si Chriſtiana Religio Legi Moyſis innititur, moralibus tantum innititur Legibus. Sectæ nomen plerumque in malo ſenſu uſurpatur; ſed iſthic Interpres æquiori ſenſu illud uſurpavit. Tertullianus, atque S. Cyprianus ſæpe hoc in ſenſu illum explicant, in quo Chriſtiana Religio jure ſecta prorſus Divina vocari poteſt [1].

PATRI, ET DEO MEO.] Servio Deo, qui eſt Pater meus; vel ſervio Cœleſti Patri, qui eſt Deus meus. Hebræi ſæpius Deum Patrem abſolute, vel Patris Cœleſtis nomine appellant. Pleræque Græca Exemplaria legunt [2]: *Deo Patrum meorum*, quæ vera videtur lectio. Latina quædam exemplaria legunt [3]: *Patri Deo meo*, alia omittunt *meo*.

℣. 15. QUAM ET SI EXPECTANT.] Generalem bonorum, malorumque Reſurrectionem. Licet apud Judæos univerſa Sadducæorum ſecta minime crederet Reſurrectionem mortuorum, hanc tamen populus univerſe credebat. Sadducæi vero non adeo multi erant [4].

℣. 16. IN HOC ET IPSE STUDEO.] Cum mihi perſuaſum ſit de Religionis meæ veritate, ac ſpe generalis Reſurrectionis, in id incubui indeſinenter [5], ut conſcientiam meam ab omni ſordium genere emundem, & eam vitam vivam, quæ & Deo, & hominibus placeat. Vide eamdem ſententiam 2. Cor. 8. 21. & Rom. 12. 17. Ubi tibi perſuaſum ſit, rationem Deo eſſe reddendam omnium, & ſingulorum vitæ tuæ actionum, omniumque cordis tui cogitationum; næ tu quidem integram ſcelerique puram vitam duces, jugiter invigilans, ne Supremum Judicem lædas: *in omnibus operibus tuis*, Sapiens inquit [6], *memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*.

℣. 17. POST ANNOS PLURES.] Quinque jam effluxerant anni, ex quo Jeroſolymam S. Paulus non venerat, & cum poſtremo illuc acceſſerat, breviſſime ibi commoratus fuerat, dum fratribus ſuis ſalutem diceret, Act. 18. 22.

OBLATIONES, ET VOTA.] Græcus [7] legit ſimpliciter: *oblationes*, neque meminit votorum. Latinus Interpres fortaſſe innuere voluit oblationes, quas pro Nazaræis ſe ſe erogaturum ſpoponderat Apoſtolus. Vide Act. 21. ℣. 23. 24. S. Paulus Jeroſolymam venerat, ut illuc afferret eleemoſynas, quas in Græcia collegerat, atque ut in Templo Deo offerret ſacrificia: ſed illius mens, quæ primum quidem generalis erat, mox determinata fuit a S. Jacobo urbis ejus Epiſcopo, qui illi perſuaſit, ut pro quorumdam Nazaræorum purificatione ſumptus erogaret.

℣. 18. IN QUIBUS INVENERUNT ME.] Diluit calumniam, quam Tertullus effuderat, dicens, a Paulo Templum fuiſſe pollutum ℣. 6. Verum eſt, me in Templo fuiſſe, atque ibi me fuiſſe comprehenſum: ſed Judæus ſum, & nulla prohibeor lege, quominus illuc ingrediar. Mundus eram ſecundum legem, atque illuc acceſſeram, ut Deo meas preces effunderem, atque victimas ſacrificarem.

℣. 19. QUIDAM EX ASIA JUDÆI.] (Addendum eſt) in me hac calumniam adſperſerunt, & me in Templo comprehenderunt, a me illuc Ethnicos introductos fuiſſe aſſerentes. Hujuſmodi homines *oportebat hic adducere*, ut in me teſtarentur, neque accuſatores ad te venire opus erat, nulla criminis afferentes argumenta, nulla teſtimonia. Complures [8] hæc verſiculo 18. adnectunt. *Quidam autem ex Aſia Judæi me invenerunt in Templo non cum turba, neque cum tumultu. Oportebat hos apud te præſto eſſe, & accuſare, ſi quid haberent adverſum me*. Ita legerunt S. Joannes Chryſoſtomus, Eraſmus, Cajetanus, & complures Græci MSſ. Alii penitus omittunt ea verba: *quidam ex Aſia Judæi*. Quædam Latina exemplaria addunt, *& apprehenderunt me clamantes, & dicentes: tolle inimicum noſtrum*, quæ omnia deſumpta ſunt ex cap. 21. 36. Verum nulla nos cogit neceſſitas, ut ad hujuſmodi ſolutiones confugiendum cenſeamus. Textus Vulgatæ ſatis perſpicuus eſt, ubi per ellipſim intelligas, *hi ſunt*, quod non ægre ſubintelligitur [9].

℣. 20. AUT HI IPSI CUM STEM IN CONCILIO.] Hi profiteantur, utrum me noxium invenerint, cum in eorum concilium productus fui coram Sanhedrin Jeroſolymitanum ſupra c. 23. Hic ſenſus eſt Græci textus [10], qui verax videtur propter ſermonis decurſum. Summus Sacerdos Ananias, aliaque membra Sanhedrin, qui huc acceſſerunt, ut damnationem meam perſequerentur, teſtari poſſunt, utrum me crimine alicujus ſontem invenerint in Sanhedrin, cum illuc coram ipſis productus fui. Profecto, ex quo S. Paulus ſe Phariſæum eſſe profeſſus eſt, atque de mortuorum reſurrectione diſceptatum eſt, Concilium in diverſas abiit ſententias, & nihil contra illum decrevit. Videtur autem Ananias, aliique Seniores, qui Cæſaream venerunt, fuiſſe ex Sadducæorum ſecta, non ſecus ac Caiphas, coram quo poſt Domini noſtri Aſcenſionem producti fuerunt Apoſtoli, Act. 5. 17.

℣. 21. NISI DE HAC SOLUMMODO VOCE.] In omni oratione mea hoc unum verbum quidam impugnarunt: *quoniam de reſurrectione mortuorum ego judicor hodie a vobis*: immo Sadducæi tantum ob illud verbum exarſerunt in me, cum alii Senatores in meas partes concederent. In hoc S. Pauli ſermone non deeſt quædam ironia [11]; nam apud Hebræos minime criminis loco habebatur Phariſæum eſſe, & mortuorum credere reſurrectionem: quaſi diceret; in Sanhedrin nihil mihi objecerunt, niſi quod mortuorum crederem Reſurrectionem. Innuit, Ananiam, & Seniores alios, qui aderant, eam minime credidiſſe.

℣. 22. CERTISSIME SCIENS DE VIA HAC [12].] Ubi accuratius de hac ſecta cognovero, tunc Judicium proferam &c. Senſus hic plures habet ex Interpretibus eruditis ſectatores [13]: ſed alii [14] ita intelligunt: diſtulit cauſæ hujus judicium, certo ſciens, Chriſtianam Religionem minime eſſe ſeditioſorum, & facinoroſorum hominum ſectam; & S. Paulum præſertim iis in rebus, de quibus eum criminabantur, omni culpa vacare.

℣. 23. HABERE REQUIEM.] Imperavit Centurioni Præſes, ut minus arcta cuſtodia Paulum teneret, ei liberiorem relinqueret, quam antea, facilitatem, ut a ſuis inviſeretur. Poſtrema hæc vox in Vulgata non extat, ſed in Græco legitur. Quidam [15] per illa verba, *habere requiem*, intelligunt *auferre vincula*, quibus onuſtus erat. Græcus hunc ſenſum pati poteſt, ſed non abſolutè efflagitat. S. Lucas, aliique Paulini comites proculdubio Cæſaream venerant, ſtatim ac illuc eum adductum fuiſſe intellexerunt, ut pro virili eum inviſerent, eique miniſtrarent.

℣. 24. CUM DRUSILLA UXORE SUA.] Felix cum breve iter ſus ſuſcepiſſet, mox Cæſaream reverſus, S. Paulum loquentem audire concupivit. Uxor illius Druſilla, de qua hic ſermo, meretur, ut eam Lectori cognoſcendam tradamus. Hæc in paucis tunc temporis erat

1 Tertull. de Pallio. Divinam ſectam.
2 Τῷ πατρῴῳ Θεῷ, vel τῷ πατρῴῳ τῷ Θεῷ.
3 Vide Zeger. Eraſm. Mill. Beda, Syr. Verſionem Italicam antiq.
4 Joſeph. Antiq. lib. 12. cap. 2. Εἰς ὀλίγους ἄνδρας οὗτος ὁ λόγος ἀφίκετο, τοὺς μέντοι πρώτους τοῖς ἀξιώμασι.
5 Ἐν τούτῳ δὲ αὐτὸς ἀσκῶ.
6 Eccli. 7. 40.
7 Καὶ προσφοράς.
8 Græc. impreſſ. 19. Εὗρόν με ἡγνισμένον ἐν τῷ ἱερῷ οὐ μετὰ ὄχλου, οὐδὲ μετὰ θορύβου. Τινὲς δὲ ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι. Alii: Οὐδὲ μετὰ θορύβου τινὲς ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι. Euthal omittit, & Mill. omittendum cenſet. Τινὲς δὲ ἀπὸ Ἀσίας Ἰουδαῖοι. Vide Mill. & Bezam, & Ludov. de Dieu.
9 Vide Eraſm. Zeger. Var. Lud. de Dieu.
10 Εἴ τι εὗρον ἐν ἐμοὶ ἀδίκημα, στάντος μου ἐπὶ τοῦ συνεδρίου.
11 Fromond. Zeger. Bez. alii.
12 Verſ. Italic. antiq. *Sciens de vi*.
13 Grot. Bez. Fromond. Hamm. Le Clerc.
14 Chryſoſtom. Lyran. Hugo, Dionyſius, Fromond, Cornel. alii.
15 Grot. Bez. Græc. Ἔχειν τε ἄνεσιν. Vide & Fromond. & Le Clerc. ad Act. 26. 29.

sia erat flagitioſiſſima : filia Agrippæ I. Regis Judæorum, de quo ſupra ſermo fuit [1], qui S. Jacobum occidit, S. Petrum in carcerem conjecit, & qui a Deo percuſſus fuit, dum Cæſareæ haberet concionem. Druſilla ejus filia, cum ſextum annum ageret, deſponſata fuerat Epiphani filio Antiochi Regis Comagenæ, qui ideo ſpoponderat Agrippæ, ſe in Judæorum Sacra tranſiturum. At cum ille fidem præſtare nollet, Agrippa filius [2], & Druſillæ frater hanc illi in uxorem tradere noluit, ſed illam anno Jesu Christi 53. dedit conjugem Azix Regi Emeſæ, qui conditionem circumciſionis ſubeundæ minime reſpuit [3]. Cum illam vidiſſet Felix, eam miſere deperiit, & ejuſdam Judei Cyprii, qui ſe Magum ferebat, opera, illi perſuaſit, ut virum ſuum abdicaret, & Felici nuberet, quod, illa non diſſentiente, deinde adimpletum eſt [4]. Non deſunt, qui credant, illam Felici, qui Ethnicus erat, nubentem a Judæorum Religione diſceſſiſſe. Attamen S. Lucas eam iſthic *Judæam* nominat, quæ vox & nativitatem ejus, & Religionem poteſt innuere. Suetonius [5] loquens de Felice ait, illum tres Reginas, hoc eſt, tres e Regio ſanguine uxores duxiſſe. Prima fuit Druſilla Agrippæ Regis, de quo locuti ſumus, Filia : altera Druſilla Antonii, atque Cleopatræ neptis [6] ; tertiam vero non novimus.

℣. 25. De justitia, et castitate, et de judicio futuro.] Felix ſuas injuſtitias, ſuaſque libidines exprobrari ſibi ſenſit. Ante quidem Druſilla conjux tribus ante id tempus annis obierat [7] : ſed conjugium Druſillæ cum Felice legitimum haberi non poterat. Felicis vero impotentia ſatis innoteſcit ex Joſephi, atque Taciti hiſtoria. S. Paulus ſemper zelo ſuccenſus, quin quæreret, quomodo Præſidis, ejuſque conjugis gratiam iniret, elegit imo, quidquid aptius credidit ad eos perterrendos, ut tandem reſipiſcerent. Apud illos igitur locutus eſt de Juſtitiæ officiis, atque de neceſſitate conjugalem ſaltem ſervandi caſtitatem, & ea omnia relinquendi, quæ pudori adverſantur. His addit ea, quæ Religio docet de poſtremo judicio, de mortuorum Reſurrectione, & de ratione, quam viventium quilibet de factis, & cogitationibus ſuis Deo eſt redditurus.

℣. 26. Sperans, quod pecunia daretur ei.] Sciebat, S. Paulum Jeroſolymam attuliſſe eleemoſynas, quemadmodum Apoſtolis ipſe fuerat profeſſus [8] ; & illum Romani Civis filium, & ea in Provincia conſanguineos habere, & a Chriſtianis illum tamquam præcipuum Evangelii ſui præconem haberi. Credidit ille hoc non diu paſſuros, ut Paulus in carceris ſquallore verſaretur, quin ad eum redimendum pecuniam adferrent. Tertullianus etiam ait, Felicem hac de re ſecreto cum S. Paulo fuiſſe locutum [9].

℣. 27. Biennio expleto.] Quæritur, quænam ſit epocha, vel initium horum duorum annorum? Hoc alii petunt ex Felicis regimine : ſed Felix decem, vel undecim annos huic Provinciæ præfuerat. Baronius illos a Neronis initio recenſet : ſed cum S. Lucas de hoc Imperatore ne verbum quidem fecerit, veritati neconſonum videtur, illum iſthic de Regni ipſius initio verba facere? Fromondus hoc intelligit de duobus annis, quibus Nero Felicem in Judeæ Provincia confirmavit. Licet de facto conſtaret, minime fidei congruum videretur, iſthic verba fieri de poſtremis his duobus annis, quin ſuperiorum alla ratio haberetur. Fatendum erga eam pleriſque [10], S. Paulum biennio Cæſareæ in carcere permanſiſſe, & nonniſi biennio, ex quo S. Paulus in eam Urbem venerat, Felici Feſtum ſucceſſiſſe.

Porcium Festum.] Hic Felicis ſucceſſor in Judæam venit anno Jesu Christi 60. Neronis vero ſexto, vel ſeptimo. Seq. cap. videbimus, quomodo ille erga S. Paulum fuerit affectus. Hic animum appulit, ut fures, qui in Judæa graſſabantur, & latrones, qui palam, & manipulatim armati vicos, pagoſque ferro & flamma vaſtabant, perſequeretur [11], ſuis copiis arma eſt etiam contra Pſeudo Prophetam quemdam, qui ad ſe in Deſertum populum pertrahebat. Salvator perſpicue hæc Judææ mala portenderat, Marc. 24. 5.

Volens gratiam præstare Judæis.] Felix e Provincia recedens, cui Regia auctoritate, atque ſervili impotentia præfuerat, quemadmodum Tacitus hiſt. l. 5. ait : *per omnem ſævitiam, ac libidinem jus regium ſervili ingenio exercuit* ; ſub regiminis finem aliquid facere voluit, quo Judæorum gratiam iniret. Deprehenderat ille in Judæorum animis graviſſimum odium adverſus Paulum, ideoque hunc Cæſareæ in carcere reliquit, eumque Feſto tradidit. Verum hoc minime obfuit, quominus primates ex Judeis Cæſarienſibus Romam pergerent Felicem coram Nerone accuſaturi tot malorum, quibus nationem ipſorum vexaverat [12] : & dignam ſcelere luiſſet pœnam, niſi Imperator victus eniam Pallantis precibus, qui frater erat Felicis, & qui licet e aulis excuſſiſſet Claudius, quo imperante abſolutam exercuerat poteſtatem, ingentem adhuc in Neronis aula obtinebat exiſtimationem, qui quamplurima illi debebat, quoniam auctor fuerat honorum & Agrippinæ, & Neronis ipſius.

1 Act. 12. 1. 2. 3. 21. 22. 23.
2 De quo ſermo cap. 25. 13.
3 Antiquit. lib. 20. cap. 5. pag. 693.
4 Vide Joſeph. loco citato.
5 Sueton. in Claudio, cap. 28.
6 Tacit. Hiſtor. lib. 5. cap. 9.
7 Anno 54. J. C. Neronis primo. Joſeph. Antiquit. lib. 20. cap. 5. ad finem.
8 Act. 24. 17.
9 Tertull. de Fuga in perſecut. cap. 12.
10 Beda hic, Oecum. Prolog. Gloſſ. Lyran. Carthuſ. Onuphr. Cornel. Pearſ. Valaſ. Salmer. Ligf. Chronol. alii. Vide Tillemont. Not. 56. in S. Paul.
11 Vide Joſeph. de Bello, l. 2. c. 24. p. 798. & l. 7. c. 32. & Antiq. l. 20. c. 7.
12 Joſeph. Antiq. l. 20. c. 7.

CAPUT XXV.

Feſtus Jeroſolymæ. Negat ſe illuc perducturum Paulum : recens S. Pauli criminatio, & defectio. Optio illi relinquitur, utrum Jeroſolymæ velit judicari. Hic ad Cæſarem appellat. Coram Agrippa loquitur.

1. FEſtus ergo cum veniſſet in provinciam, poſt triduum aſcendit Jeroſolymam a Cæſarea. 2 Adieruntque eum principes ſacerdotum, & primi Judæorum, adverſus Paulum : & rogabant eum, 3 Poſtulantes gratiam adverſus eum, ut juberet perduci eum in Jeruſalem, inſidias tendentes, ut interficerent eum in via. 4 Feſtus autem reſpondit ſervari Paulum in Cæſarea ; ſe autem maturius

turius

turius profecturum . 5 Qui ergo in vobis (ait) potentes ſunt , deſcendentes ſi-
mul , ſi quod eſt in viro crimen , accuſent eum . 6 Demoratus autem inter eos
dies non amplius quam octo , aut decem , deſcendit Cæſaream , & altera die ſe-
dit pro tribunali , & juſſit Paulum adduci . 7 Qui cum perductus eſſet , circum-
ſteterunt eum , qui ab Jeroſolyma deſcenderant Judæi , multas , & graves cauſas
objicientes , quas non poterant probare , 8 Paulo rationem reddente : Quoniam
neque in legem Judæorum , neque in templum , neque in Cæſarem quidquam pec-
cavi . 9 Feſtus autem volens gratiam præſtare Judæis , reſpondens Paulo , dixit :
Vis Jeroſolymam aſcendere , & ibi de his judicari apud me ? 10 Dixit autem
Paulus : Ad Tribunal Cæſaris ſto , ibi me oportet judicari : Judæis non nocui ,
ſicut tu melius noſti . 11 Si enim nocui , aut dignum morte aliquid feci , non re-
cuſo mori : ſi vero nihil eſt eorum , quæ hi accuſant me , nemo poteſt me illis
donare . Cæſarem appello . 12 Tunc Feſtus cum concilio locutus reſpondit , Cæ-
ſarem appellaſti ? ad Cæſarem ibis . 13 Et cum dies aliquot tranſacti eſſent , A-
grippa rex , & Bernice deſcenderunt Cæſaream ad ſalutandum Feſtum . 14 Et
cum dies plures ibi demorarentur , Feſtus regi indicavit de Paulo , dicens : Vir
quidam eſt derelictus a Felice vinctus , 15 De quo cum eſſem Jeroſolymis , adie-
runt me principes ſacerdotum , & ſeniores Judæorum , poſtulantes adverſus illum da-
mnationem . 16 Ad quos reſpondi : Quia non eſt Romanis conſuetudo damnare a-
liquem hominem , priuſquam is , qui accuſatur , præſentes habeat accuſatores , lo-
cumque defendendi accipiat ad abluenda crimina . 17 Cum ergo huc conveniſſent
ſine ulla dilatione , ſequenti die ſedens pro tribunali , juſſi adduci virum . 18 De
quo , cum ſtetiſſent accuſatores , nullam cauſam deferebant , de quibus ego ſuſpi-
cabar malum . 19 Quæſtiones vero quaſdam de ſua ſuperſtitione habebant adver-
ſus eum , & de quodam Jeſu defuncto , quem affirmabat Paulus vivere . 20 Hæ-
ſitans autem ego de hujuſmodi quæſtione , dicebam ſi vellet ire Jeroſolymam , &
ibi judicari de iſtis . 21 Paulo autem appellante , ut ſervaretur ad Auguſti cogni-
tionem , juſſi ſervari eum , donec mittam eum ad Cæſarem . 22 Agrippa autem
dixit ad Feſtum : Volebam , & ipſe hominem audire . Cras , inquit , audies eum .
23 Altera autem die , cum veniſſet Agrippa , & Bernice , cum multa ambitione ,
& introiſſent in auditorium cum tribunis , & viris principalibus civitatis , jubente
Feſto , adductus eſt Paulus . 24 Et dicit Feſtus : Agrippa rex , & omnes , qui
ſimul adeſtis nobiſcum viri , videtis hunc , de quo omnis multitudo Judæorum in-
terpellavit me Jeroſolymis , petentes , & acclamantes non oportere eum vivere am-
plius . 25 Ego vero comperi nihil dignum morte eum admiſiſſe . Ipſo autem hoc
appellante ad Auguſtum , judicavi mittere . 26 De quo , quid certum ſcribam do-
mino , non habeo . Propter quod produxi eum ad vos , & maxime ad te , rex A-
grippa , ut interrogatione facta habeam , quid ſcribam . 27 Sine ratione enim mihi
videtur mittere vinctum , & cauſas ejus non ſignificare .

℣. 1. ASCENDIT JEROSOLYMAM .] Feſtus fortaſſe Cæſareæ ex nave deſcendit , vel ſaltem Tyrum , aut Ptolemaidam venit . Cum autem triduo Cæſareæ permanſiſſet , ubi Felix Præceſſor ſuus ut plurimum permanebat , Jeroſolymam venit , Provinciæ caput , ut ejuſdem ſtatum cognoſceret , atque Provinciæ poſſeſſionem adiret .

℣. 2. ADIERUNT EUM .] In Græco idem occurrit verbum , quod ad examen vocavimus cap. 24. 1. ubi animadvertimus , illud proprie ſignificare [1] , coram Judice prodire ad aliquem accuſandum , & ſe illius actorem profitendum . Iſmael Phabæi filius Ananiæ Summo Sacerdoti ſucceſſerat .

℣. 3. POSTULANTES GRATIAM .] Ut hac auſpicatiſſimum ſuum ad Provinciam adventum inſigniret . Petitio quidem non improbanda videbatur . Paulus Jeroſolymæ captus fuerat , & accuſatus , quod Judæorum Leges violaſſet : Feſtus vero nuper eam in regionem acceſſerat , neque illius mores cognoverat . Ex eo igitur petunt , ut Paulum Jeruſolymam remittat , ubi ejus quæſtio peragatur : hæ ſane , quas prætexunt , cauſæ ſpecioſæ videntur . Attamen Feſtus , qui fortaſſe omne illud negotium cognoverat , Judæorum petitionem eluit , quorum conſilium erat , ut latronum more in via in illum impetu facto eum a viventium numero exturbarent . Nihil autem facilius erat quippe cum univerſa Provincia latronibus eſſet referta ; illum perdere poterant : quin veri ſceleris auctorem in ſuſpicionem adducerent .

℣. 5. QUI IN VOBIS POTENTES SUNT .] Alii [2] : *qui ex vobis Cæſaream venire poſſunt* , illuc veniant , eum accuſaturi , ſi quod ſcelus patravit . At Græcum typis editum ſimpliciter legit [3] , *ſi quid eſt in hoc homine* ; MSS. plures : *ſi quid abſurdum commiſit* , juſtitiæ , atque rationi non conſentaneum .

℣. 6. DIES NON AMPLIUS QUAM OCTO , AUT DECEM .] In hoc dierum numero variant exemplaria . S. Chry-

1 Ἐνεφάνισαν αὐτῷ .

2 Græc. Οἱ δυνατοὶ ἐν ὑμῖν , συγκαταβάντες , etc. Ita Syr. Eraſm. Vatab. Grot. Piſcat. Ludov. de Dieu , Bez.

3 Græc. impreſſ. Εἴ τι ἐστὶν ἐν τῷ ἀνδρὶ τούτῳ . Alii : Εἴ τι ἐστὶν ἄτοπον ἐν τῷ ἀνδρὶ τούτῳ .

A S. Chryſoſtomus legit *dies decem*; Græcus typis editus *pluſquam decem*; alia *pluſquam octo*: alii item, *pluſquam octo, vel decem*; denique Syrus, Copbtes, Ethiops, MS. Alexandrinus, aliique a Vulgata non recedunt [1].

SEDIT PRO TRIBUNALI.] Hi Provinciarum Præſides Judices quidam erant, ſed qui, ſi opus foret, bellum etiam nonnumquam gerebant. Feſtus ſedit pro tribunali; cauſa enim, de qua agebatur, magni erat momenti; quippe in qua accuſabatur Paulus, quod legem violaſſet, quod facinus morte erat luendum. Negotia vero momenti minoris minori etiam cum ſolemnitate tranſigebantur [2].

℣. 7. MULTAS & GRAVES CAUSAS [3].] Antiquis criminibus illud etiam rebellionis, & ſeditionis addiderunt, quoniam S. Paulus illis ſeq. ℣. reſpondens, ſe B nihil contra Legem, vel contra Cæſarem feciſſe teſtatur. Intellexerant illi ad Præſidem permovendum, alias afferendas eſſe rationes, quam quæſtiones legis, atque commentitias Sanctitatis Templi violationes.

℣. 9. IBI JUDICARI APUD ME.] Feſtus fortaſſe illuc quamprimum erat rediturus, vel etiam illic ſedem ſuam, ut plerimum conſtituturus. Cum hoc negotium plurimos jampridem annos obtineret, & Judæi S. Pauli accuſatores non libenter Cæſaream venirent cauſam acturi, Præſes illis gratificari voluit, ſe Paulum Jeroſolymæ judicaturum pollicitus. Fortaſſe etiam hic luſus eſt, atque Præſidis prætextus, ut hac ſe ſe exoneret cauſa, eamque Sanhedrin dijudicandam relinquat.

℣. 10. AD TRIBUNAL CÆSARIS STO.] Feſtus illi dixerat: *vis Jeroſolymam aſcendere, & ibi de his judicari apud me?* at S. Paulus videbat, hæc omnia in id C tendere, ut in Judæorum manibus traderetur. Non aliud, inquit ille, novi Tribunal quam Tribunal Cæſaris, vel illius, qui nomine ejuſdem Provinciæ præeſt. Quandoquidem de me judicium abnuis proferre, Cæſarem appello. Juxta communes juriſprudentiæ regulas tunc appellatur, ſolum cum ſententia prolata fuit, at S. Paulus hic utitur jure, quo Cives Romani perfruebantur, Cæſarem appellandi, ubi de capite ageretur, & judicum ſententiam prævertendi, ubi judices contra legem aliquid conarentur [4]. At Feſtus palam contra Leges agebat, S. Paulum, qui Civis Romanus erat a ſuo ad Judæorum infenſiſſimorum inimicorum ejus, Tribunal remittens. Apoſtolus igitur jure D ait: *ad Tribunal Cæſaris ſto*, non alium novi Judicem, quam te; non ab alio, quam a te judicandus ſum: & quandoquidem me ad Judæorum Sanhedrin remittis, Cæſarem appello.

℣. 11. NEMO POTEST ME ILLIS DONARE.] Imperatoris præſidio fruor; nulla poteſtas in terra mihi vim poteſt inferre. *Lege Julia [5] de vi publica damnatur, qui aliqua poteſtate præditus Civem Romanum ad Imperatorem appellantem necavit, necarive juſſerit, torſerit, verberaverit, condemnaverit, in publica vincula dari juſſerit*. Plinius junior ad Trajanum ſcribens ait, ſe Romam miſiſſe Chriſtianos quoſdam, quoniam Cives erant Romani [6].

Qui controverſias tractant iſthic ſe ſe expedire minime poſſunt, viam inquirentes, qua explicent, E quomodo S. Paulus, qui Apoſtolus erat, atque ideo ab omni laica juriſdictione immunis ex ipſius JESU CHRISTI privilegio, Eccleſiaſticam libertatem læſerit, ſe ſe Neroni ſubmittens, qui Princeps erat Gentilis.

A Credunt nonnulli [7], Eccleſiaſticam libertatem, atque Sacerdotum, & Epiſcoporum privilegia vigere ibi tantum, ubi Principes Chriſtiani, & Eccleſiæ ſubjecti, non autem ubi Ethnici, qualis erat Nero, dominantur; ideoque S. Paulum nihil Eccleſiæ, Eccleſiaſticoque juri obfuiſſe, Cæſarem appellando. Bellarminus, qui primum hanc ſententiam, quæ ſcita quidem videtur, argumentis probaverat, eam mox reliquit, ut aliam ſequeretur apud Doctores alios ſatis communem, qui credunt, S. Paulum minime cognoviſſe Neronem, tamquam ſuum Superiorem, & Judicem; ſed ſolum ad Tribunal illius traduxiſſe Judæos actores ſuos, qui legitime huic Principi erant ſubjecti. S. Athanaſius de fuga c. 74. aſſerere videtur, illum ea in occaſione peculiare cœlitus imperium obtinuiſſe. S. Augu- B ſtinus ep. 185. animadvertit, illum hoc facto totius Eccleſiæ utilitati conſuluiſſe, non propriæ incolumitati, Paſtoribus præclarum tribuens exemplum, quid facto opus ſit, calamitoſis temporibus, ubi Eccleſia ab infidelibus, vel Hæreticis Principibus opprimitur; ut videlicet confugiant ad ſæcularium poteſtatum patrocinium contra Eccleſiæ inimicorum impotentiam. Tunc ille præſtitit, ait S. Joannes Chryſoſtomus hom. 51. in Acta quod potuit, reliquam Providentiæ curam relinquens.

℣. 12. CUM CONCILIO [8] LOCUTUS.] S. Chryſoſtomus, & Hammondius credunt, illum hac de re cum illis, qui ex Judæorum conſilio, vel Sanhedrin illic aderant, deliberaſſe. Sed Vulgatior ſententia eſt, ipſum cum conſiliariis, vel aſſeſſoribus ſuis iniiſ- C ſe conſilium. Nam Provinciarum Præſides, qui non ſemper erant ſciti Juriſconſulti, ut plurimum aliquos ſecum peritos juris adducebant homines, quorum conſiliis in rebus difficilioribus uterentur. Hi conſiliarii aderant poſt velum quoddam inter illos, atque Præſidis Tribunal obtentum [9].

AD CÆSAREM APPELLASTI.] Pauli appellatio abſoluta non erat, ſed tantum dixerat, ſi Jeroſolymam remittendus eſſet, ſe Cæſarem appellare. Feſtus autem cum Conſilio ſuo ait, illum ad Cæſarem iturum, & illius appellationem admitti. Non difficile hanc amplexus eſt occaſionem Præſes, ut negotio adeo gravi, atque difficili ſe ſe expediret.

℣. 13. AGRIPPA REX & BERENICE,] venerunt Cæſaream, ut novi Prætoris adventui gratularentur. D Agrippa Filius erat Agrippæ I. Judææ Regis, qui S. Jacobum occiderat, & qui eodem ſupplicio S. Petrum affeciſſet, niſi ex eo periculo divinitus fuiſſet ereptus. Agrippa II. de quo loquimur, cum per ætatem par non fuiſſet, ut Patri morienti in Judææ Regnum ſuccederet, Claudius Imperator illi permiſit Regnum Chalcidis, Templi curam, & jus novos Sacerdotes eligendi, & de gradu deturbandi. Illi etiam pro Chalcidis Regno Trachonitidem tradidit anno JESU CHRISTI 53. quam illius ditionem Nero adhuc adauxit. Agrippa pro virili adniſus eſt, ne Judæi a Romanis deficerent: verum illorum ingenia cohibere non potuit; ideoque copiis ſuis cum Titi exercitu conjunctis, ſociatiſque viribus Jeroſolymam obſedit: poſt cujus excidium diu etiam ſuperſtes vixit.

E Berenices illius ſoror nupſerat primum Herodi Regi Chalcidis Patruo ſuo; poſt mortem vero viri ſui, qui obiit anno JESU CHRISTI 48. apud Agrippam fratrem ſuum receſſit, de quo nuperrime ſermo fuit, ibique diutius permanſit. Denique, ut pravos rumores ex-

1 Vide Mill. not. in hunc verſ.
2 Grot. hic. *Erant quæ de plano fieri poterant; majora non niſi pro tribunali. Hæc inter ſe opponentur apud Suetonium, Paulum & Papinianum.*
3 Πολλὰ καὶ βαρέα αἰτιάματα. Plures MSſ. Αἰτιώματα. Ita Steph. omnes. Alex. Leud. alii plures.
4 L. ante D. De appellationibus ſuſcipiendis. *Ante ſententiam appellari poteſt in criminali negotio, ſi Judex contra Leges hoc faciat.* Vide Grot. hic. 5 Pauli recept. ſent. lib. 5. t. 26. *Lege Julia de vi publica damnatur, qui aliqua poteſtate præditus, civem Romanum ad Imperatorem appellantem necavit, necarive juſſerit, verberaverit, condemnaverit, in publica vincula duci juſſerit.*
6 Plin. lib. 10. Ep. 97. *Fuerunt alii ſimilis amentiæ, quos quia cives Romani erant, annotavi in urbem remittendos.* 7 Baribol. Petr. hic. Lorin. Figeh. Bellarm. 8 Alii melius: *Cum conſilio*. Gr. Μετὰ τοῦ συμβουλίου. 9 Vide Grot. hic, & ad Matth. 27. 19.

tingueret, qui de illius vivendi ratione percrebuerant, & qui in fratrem illius recidebant [1], iterum nupſit Polemoni Regi Ponti, qui ut illam duceret, in Judæorum ſacra tranſierat. At non multo poſt ab eodem receſſit: quamobrem magis invaluit ea fama, quæ de illa antea [2] pervaſerat. Hæc erat cum Fratre ſuo, & hoc anno JESU CHRISTI *60.* & etiam anno *66.* Narrat Joſephus de Bello l. 2. c. 26. illam Jeroſolymæ tunc temporis fuiſſe, quo venerat, ut votum ſuum Nazaræorum voto ſimilem adimpleret. Habes, puto, quinam eſſent Agrippa, & Berenices. A

℣. 16. DAMNARE ALIQUEM.] Non erat mos Romanorum, hominem indicta cauſa damnandi. Hæc lex eſt naturalis æquitatis, omnibus cultis populis communis: ſed Romani diligentius, quam exteri, inſtitutum hoc obſervabant [3]. Superiori ℣. Græcus typis editus ſimpliciter legit [4]: *poſtulantes adverſus illum juſtitiam:* ſed MSS. plures legunt, *damnationem illius*; Et ex decurſu patet, hanc eorum mentem fuiſſe. Græca vox ſæpius pro punitione, atque damnatione uſurpatur. B

℣. 18. DE QUIBUS EGO SUSPICABAR.] Ex Judæorum ſollicitudine, & diuturna Felicis quæſtione arbitrabatur Feſtus, Paulum perduellionis reum eſſe. Credi non poterat, ut homo bis ex Judæorum manibus divulſus, & Cæſaream biennio ante adductus, qui ſemel quidem coram Sanhedrin apparuerat, & iterum etiam coram Provinciæ Præſide; qui duos annos jam in vinculis ſqualebat, contra quem Summus Sacerdos, atque proceres nationis ſe accuſatores fuerant profeſſi, non eſſet ſceleſtus aliquis vir, atque maximopere nefarius. Ita ex rerum ſpecie Feſtus judicabat. Attamen C fatetur ille, ſe nihil iniquitatis in illo deprehendiſſe, ubi illius cauſam diligentius ad examen revocavit.

℣. 19. DE SUA SUPERSTITIONE.] Feſtus de Judæorum Religione, tamquam Gentilis verba facit. Externi populi Judaicæ Religionis cæremonias meræ ſuperſtitionis loco habebant. Agrippa & Berenices erant Judæi; & Feſtus, quin illorum aliquam rationem haberet, coram illis cum Religionis eorum contemptu loquitur; ſeu quod Regi, & Reginæ ſorori illius ſe ſuperiorem arbitraretur, ideoque eorum rationem minime ſibi habendam cenſeret, ſeu quod crederet illos minime gravate laturos, ſi ſuperſtitionem vocari audirent, argumentum quæſtionis inter S. Paulum, & Pontifices obortæ: nam Nobiles viri nonnumquam, ubi ea, quæ ad Religionem pertinent, contemnunt, ſe inde creſcere arbitrantur. Illis hæc negotium minime faceſſit, eamque Sacerdotibus, atque Theologis relinquunt, quos plerumque nullo habent in diſcrimine, & aſpernari conſueverunt.

℣. 20. HÆSITANS] hoc jam conſilium ceperat, ut Paulum Judæis traderet, eumque illorum judicio objiceret [5], niſi hic Cæſarem appellaſſet. Feſtus hac in re mentitur.

℣. 21. AD AUGUSTI COGNITIONEM,] vel potius Neronis. Auguſtus hoc in loco non eſt nomen proprium, ſed Imperii, non ſecus ac nomen Cæſaris. Poſt Auguſtum nomen hoc ſæpius Romanis Imperatoribus tributum fuit. Utitur hoc in loco S. Lucas Græca voce *Sebaſtos*, Auguſtus, ſacer, venerabilis; ſed ubi de Imperatore Auguſto verba facit, utitur nomine *Augouſtos*, Luc. 2. 1.

℣. 22. VOLEBAM & IPSE.] Nomen Pauli ibi gentium inſigne erat, atque Chriſtianorum exiſtimatio in Judæa late percrebuerat. Agrippa agitur ea curioſitate non abſimili ab ea, qua Herodes Tetrarcha JESUM CHRISTUM videre deſideravit, Luc. 23. 8.

℣. 23. IN AUDITORIUM [6],] in locum, ubi Præſes eos admittit, qui ſecum de negotiis ſuis loqui volunt; & ubi jus ille dicere conſuevit.

℣. 25. NIHIL DIGNUM MORTE.] Cur igitur abſolutum judicio non dimittebat; quandoquidem actores in illum nihil probare poterant, & ille ob id unum Cæſarem appellaverat, ne in eorum manus decideret?

℣. 26. QUID SCRIBAM DOMINO [7]?] Imperatori. Auguſtus, atque Tiberius *Domini* titulum a Romanis ſibi delatum conſtantiſſime reſpuerant. *Auguſtus ipſe* palam edictum propoſuerat, quo vetabat, ne hoc nomine, quod injurium arbitrabatur, ab ullo appellaretur [8]. Hoc ipſum fecit Tiberius [9], qui ſæpe dictitabat, ſe Dominum eſſe ſervorum dumtaxat, Imperatorem vero, aut Ducem militum, Senatus quidem Principem, aut Caput; ne vero Domini titulus ſibi tribueretur, hoc acerrime prohibuerat. Nero non ita modeſtus fuit, atque nomen Domini deinceps vulgo ſequentibus Imperatoribus tribui conſuevit [10].

---

1 Juvenal. Satyr. 5.

> *Deinde adamas notiſſimus, & Berenices*
> *In digito factus pretioſior: hunc dedit olim*
> *Barbarus inceſtæ, dedit hunc Agrippa ſorori, &c.*

2 Vide Joſeph. Antiqu. lib. 26. c. 5. 3 Tulli. in Verrem. 3. Athenagor. ad Anton. & Commod. Imper. *Si præſens Sthenius reus factus eſſet, ſi manifeſto in maleficio teneretur. Tamen cum accuſator non adeſſet, Sthenium condemnari non oporteret.* 4 Ver. 15. Gr. Αἰτούμενοι κατ' αὐτοῦ δίκην. Alii plures: Κατ' αὐτοῦ καταδίκην, aut αἰτούμενοι καταδίκην. Omiſſo κατ' αὐτοῦ. 5 Act. 24. 9. 10.

6 Εἰς ἀκροατήριον. 7 Τῷ Κυρίῳ. 8 Sveton. lib. 2. c. 53. Xiphil. lib. 55.

9 Sveton. lib. 3. c. 27. Dio lib. 57. 10 Vide Sveton. Plin. Epiſt. Martial. alios.

CAPUT XXVI.

S. Pauli ſermo coram Agrippa Rege. Suæ converſionis narratio. Feſtus ait ſcientiam illi mentem turbaſſe. Agrippa vero illius innocentiam confitetur.

1. AGrippa vero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipſo. Tunc
Paulus extenta manu, cœpit rationem reddere. 2 De omnibus, quibus
accuſor a Judæis, rex Agrippa, æſtimo me beatum, apud te cum ſim
defenſurus me hodie, 3 Maxime te ſciente omnia, & quæ apud Judæos ſunt con-
ſuetudines, & quæſtiones: propter quod obſecro patienter me audias. 4 Et qui-
dem vitam meam a juventute, quæ ab initio fuit in gente mea in Jeroſolymis, no-
verunt omnes Judæi; 5 Præſcientes me ab initio (ſi velint teſtimonium perhibe-
re) quoniam ſecundum certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus. 6 Et
nunc in ſpe, quæ ad patres noſtros repromiſſionis facta eſt a Deo, ſto judicio ſubje-
ctus,

ctus, 7 In quam duodecim tribus noſtræ, nocte, ac die deſervientes, ſperant devenire. De qua ſpe accuſor a Judæis, rex. 8 Quid incredibile judicatur apud vos, ſi Deus mortuos ſuſcitat? 9 Et ego quidem exiſtimaveram, me adverſus nomen Jeſu Nazareni debere multa contraria agere. 10 Quod & feci Jeroſolymis, & multos ſanctorum ego in carceribus incluſi, a principibus ſacerdotum poteſtate accepta: & cum occiderentur, detuli ſententiam. 11 Et per omnes ſynagogas frequenter puniens eos, compellebam blaſphemare: & amplius inſaniens in eos, perſequebar uſque in exteras civitates. 12 In quibus dum irem Damaſcum cum poteſtate, & permiſſu principum ſacerdotum, 13 Die media in via, vidi, rex, de cœlo ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſe me lumen, & eos, qui mecum ſimul erant. 14 Omneſque nos cum decidiſſemus in terram, audivi vocem loquentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me perſequeris? durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. 15 Ego autem dixi: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris. 16 Sed exurge, & ſta ſuper pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum, quæ vidiſti, & eorum, quibus apparebo tibi, 17 Eripiens te de populo, & gentibus, in quas nunc ego mitto te, 18 Aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, & de poteſtate ſatanæ ad Deum, ut accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos, per fidem, quæ eſt in me. 19 Unde, rex Agrippa, non fui incredulus cœleſti viſioni: 20 Sed his, qui ſunt Damaſci primum, & Jeroſolymis, & in omnem regionem Judææ, & Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. 21 Hac ex cauſa me Judæi, cum eſſem in templo, comprehenſum tentabant interficere. 22 Auxilio autem adjutus Dei, uſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori, atque majori, nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moyſes, 23 Si paſſibilis Chriſtus, ſi primus eſt reſurrectione mortuorum, lumen annunciaturus eſt populo, & Gentibus. 24 Hæc loquente eo, & rationem reddente, Feſtus magna voce dixit: Inſanis, Paule: multæ te litteræ ad inſaniam convertunt. 25 Et Paulus: Non inſanio (inquit) optime Feſte, ſed veritatis, & ſobrietatis verba loquor. 26 Scit enim de his rex, ad quem & conſtanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum geſtum eſt. 27 Credis, rex Agrippa, prophetis? Scio, quia credis, 28 Agrippa autem ad Paulum: In modico ſuades me Chriſtianum fieri. 29 Et Paulus: Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, ſed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego ſum, exceptis vinculis his. 30 Et exurrexit rex, & præſes, & Bernice, & qui aſſidebant eis. 31 Et cum receſſiſſent, loquebantur ad invicem, dicentes: Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid fecit homo iſte. 32 Agrippa autem Feſto dixit: Dimitti poterat homo hic, ſi non appellaſſet Cæſarem.

℣. 1. PAULUS EXTENSA MANU.] Cum Paulo facta fuiſſet facultas ea, quæ vellet proferendi, ut cauſam ſuam peroraret, manum extendit dexteram, atque illam pallio exſolvit[1], cum interim ſiniſtra manus pallio eodem, & ejuſdem angulo involuta permaneret, quod in lævum humerum rejectum dexteræ manus motum impedire potuiſſet. Communis dexteræ manus componendæ ratio erat, duos minores digitos complicare[1], tribus aliis extentis. Catenæ, quibus ille actu adſtrictus erat[2], fortaſſe lævam dumtaxat manum onerabant; vel ſi manus utraque vincta erat, profecto vincula non adeo arcta erant, & gravia, ut loquendi actionem, & motum impedirent. Et ſane captivi ſatis longis catenis vinciebantur, alteri quarum extremæ parti miles etiam adſtrictus erat, numquam a captivo recedens. B

℣. 22. O REX AGRIPPA.] Agrippa Rex erat Trachonitidis ad Paleſtinæ Boream, & Jordanis orientem, & Damaſci meridiem. S. Paulus hoc in ſermone Agrippam tantum alloquitur, fortaſſe honoris ergo, A propter regiam illius dignitatem, vel potius quod Feſtus illi dixerat, Paulum ipſum ob id fuiſſe accerſitum, ut Agrippæ narraret criminationes, quæ in ipſum ingerebantur, & rationes, quas prolaturus erat, ut cauſam ſuam peroraret. Hoc profecto verum erat præſidis conſilium.

℣. 3. CONSUETUDINES, & QUÆSTIONES.] Agrippa Judaicam Religionem profitebatur, illius mores, & ritus apprime noverat. Accuſabatur autem S. Paulus, quod Templum violaſſet, & doceret, JESUM CHRISTUM reſurrexiſſe, hunc Meſſiam eſſe, & Chriſtianam Religionem unice veram eſſe. Poterat quidem S. Paulus facile cauſam ſuam probare coram homine, qui judicium ferre poſſet de omnibus rationibus, quas afferret in hos articulos, quorum aliqui ritus, & conſuetudines reſpiciunt, aliqui Religionis dogma, atque eſſentiam.

℣. 4. AB INITIO[3],] ex quo Tarſo illuc veni, ut ſtudiis meis operam navarem, atque Legum noſtratum ſcientiam ibi perciperem. Nec ſatis liquet, quam æ-

1 Apulei. Metam. lib. 2. 2 Act. 26. 29. 31. 3 Ἀπ' ἀρχῆς.

ſtem agens illuc venerit.

℣. 5. CERTISSIMAM SECTAM NOSTRÆ RELIGIONIS.] S. Paulus id confirmat, quod alibi jam animadvertimus, Chriſtianam Religionem tunc temporis habitam fuiſſe, non niſi reformationem quamdam, vel ſectam Judaicæ Religionis. Apoſtolus ubique ſe Judæum dicit, & de hac tamquam de ſua Religione verba facit. Loquitur de Secta Phariſæorum juxta ideam, quæ apud Judæos percrebuerat, a quibus Joſepho l. 1. c. 4. de Bello teſte accuratiſſima, & probatiſſima inter eas omnes, quæ tunc maxime florebant, ab omnibus habebatur.

℣. 6. IN SPE :] eo quod promiſit Deus Patribus noſtris, ſe poſt hanc vitam illis Reſurrectionem, & novum ſæculum permiſſurum. Apud Agrippam loquebatur, qui non ſatis aperte hoc intelligebat. Sermonis decurſus mentem Pauli aperit, qui loquitur de Reſurrectione mortuorum, præſertim vero de Salvatoris Reſurrectione. Doctrinam Reſurrectionis mortuorum Hebræi plerique ſemper crediderunt, eaque aperte in Pſalmis, atque in Prophetis perſpicue memoratur: ſed magis adhuc aperte videtur in libris poſt captivitatem ſcriptis, puta, in libro Sapientiæ, & Macchabæorum. Domini noſtri ævo Phariſæi credebant Metempſychoſim pro animabus juſtis; eaque tamquam Reſurrectionis ſpecies quædam haberi poterat. Sed Reſurrectio, quam JESUS CHRISTUS, ejuſque Apoſtoli prædicabant, omnino erat alia: namque generalis eſt pro bonis æque, & malis, atque in omnem æternitatem permanſura.

S. Paulus hic addit; *duodecim Tribus noſtræ noſte, ac die deſervientes ſperant*, effectum promiſſionum Dei ſe conſecuturas. Supponebat ergo, duodecim tribus de captivitate reverſas fuiſſe, & Judæos tunc etiam in Religione ſua ſalvos fieri potuiſſe, licet Evangelium in Judæa ſeptimo ab hinc, & vigeſimo anno jam prædicatum fuiſſet [1]. Ad hoc uſque tempus bona eorum fides, qui non ſatis perfecte Chriſtianæ Religionis præceptis fuerant imbuti, eos ſalvos facere poterat. Judaicæ ceremoniæ nocuæ non erant, & Lex ſcripta tunc proprie abrogata fuit, quoad extrinſecas ceremonias, cum Templum everſum eſt.

QUID INCREDIBILE &c.] Loquitur ad accuſatores ſuos, qui aderant, & qui Saducæi erant; nam poſt ea, quæ Jeroſolymæ contigerant in Sanhedrin [2]; Phariſæi non amplius perſecuti fuerant Paulum, & Saducæi tantum illum accuſaverant, quemadmodum liquet ex duabus ſuperioribus ſermonibus, quorum alterum coram Felice [3], alterum coram Feſto [4] habuit. Exemplaria quædam ita legunt [5]: *quid incredibile vobis videtur, quod Deus mortuos reſuſcitet?*

℣. 10. DETULI SENTENTIAM.] Græcus innuere videtur [6], S. Paulum judicem fuiſſe contra Chriſtianos, atque ſuffragiis ſuis illos damnaſſe. Verum eruditi quidam critici [7] putant, hoc in loco ſimplicem approbationem, vel conſenſum innuere, quem S. Lucas bis alibi magis perſpicue adhuc expreſſerat, dicens [8], Paulum conſenſiſſe morti Stephani, illam ex corde approbaſſe, atque pro virili illam tamquam bonum aliquod opus procuraſſe.

℣. 11. COMPELLEBAM BLASPHEMARE,] & abdicare nomen JESU CHRISTI, & ego ipſe blaſphemias, & contumelioſa in Sanctum hoc nomen verba proferebam: alibi enim confitetur, ſe blaſphemum, & perſecutorem fuiſſe [9]. S. Paulus hæc omnia narrat, ut Agrippæ Regi oſtendat, ſe non levi adductum cauſa Chriſtianam Religionem amplexum fuiſſe, immo ſe præ ceteris ab illa magis abhorruiſſe, & in eamdem non niſi miraculorum vi, atque veritatis perſpicuitate fuiſſe compulſum.

℣. 12. CUM POTESTATE, & PERMISSU [10],] hoc eſt cum poteſtate a Principibus Sacerdotum obtenta. Obtinuerat ille Epiſtolas a Sanhedrin, ut comprehenderet, & in carcerem truderet, quicumque Chriſtianam Religionem profiterentur [11]. Sanhedrin in Judæa ſolum poteſtatem habebat, & ſolum ubi de Religione ageretur, eaque poteſtas in hoc uno erat poſita, ut in Synagogis puniret, atque in privatos carceres conjiceret. Ulterius principum, vel Præſidum Provincialium auctoritas requirebatur.

℣. 13. SUPRA SPLENDOREM SOLIS.] Creditur hic ſplendor de glorioſo JESU CHRISTI corpore, qui tunc S. Paulo apparuit, emanaſſe. Vide *Matth.* 17. 2.

℣. 14. HEBRAICA LINGUA,] videlicet Jeroſolymitana, quæ commixtio quædam erat Chaldaicæ, Hebraicæ, & Syriacæ. S. Paulus videtur Græce apud Agrippam locutus. Græca tunc in maxima Orientis parte ea erat lingua, qua in commerciis utebantur.

℣. 16. EORUM, QUIBUS APPAREBO TIBI.] Pollicetur Paulo JESUS CHRISTUS, ſe rurſus deinceps illi appariturum [12], vel ſaltem illi revelaturum ea, quæ ab ipſo erunt prædicanda [13], ſeu Dominus illi in ſomnis, in extaſi, in viſione, vel aliter loqueretur; quæ circumſtantiæ minime leguntur in capitibus 9. 22. ubi eadem hiſtoria narratur.

℣. 18. APERIRE OCULOS EORUM.] Judæorum æque, & Gentilium, ut utrique credant in me, & per fidem a poteſtate Dæmonis liberentur, & peccatorum ſuorum remiſſionem recipiant. Agrippa huic ſtylo jam aſſueverat, illumque perfecte intelligebat: ſed Feſtus, aliique Gentiles ejus ſenſum minime aſſequebantur. Judæi in tenebris erant, eo quod non videbant Prophetias in JESU CHRISTI perſona adimpletas, & quod illum tamquam Meſſiam habere nolebant: Ethnici vero in longe teterrima caligine immerſi erant, in infidelitate, flagitiis, idololatria. Opus erat, ut primum inanibus Diis abdicatis, mox Dei unius unitatem, ac veritatem edocerentur; deinde Liberatoris neceſſitatem intelligerent, ac tandem cognoſcerent, JESUM CHRISTUM hunc eſſe Salvatorem, qui unus veram illis libertatem, ſolidamque felicitatem poſſet procurare. Miraculorum via, qua ut plurimum S. Paulus utebatur, ſane compendiaria erat, conjuncta cum interioribus gratiis, quæ tunc copioſiores erant, eo quod magis iiſdem indigebant, & difficilius obices oppoſiti poterant ſuperari.

SORTEM INTER SANCTOS.] Hoc nomine Chriſtianos jam appellavit ſupra ℣. 10. quo ipſo eos ſæpe in epiſtolis appellat; quod oſtendit, illos ea in regione hoc nomine vulgo intelligi conſueviſſe. Annitebatur S. Paulus, ut in JESU CHRISTI Eccleſia Judæos ſimul, Ethnicoſque conjungeret, & utriſque fidei in hac vita, in altera vero gloriæ hereditatem (hæc quippe vera eſt Sanctorum hæreditas) procuraret.

℣. 19. NON FUI INCREDULUS.] En qua de cauſa ſententiam immutavi, JESU CHRISTI Religionem amplectens. Hactenus fueram tamquam furens, & infenſiſſimus ſanctorum hoſtis: ſed inſignibus adeo voluntatis divinæ teſtimoniis victam me dedi.

℣. 20. DAMASCI PRIMUM.] Prædicavit Damaſci, & in finibus Arabiæ deſertæ triennium; mox vero Jeroſolymam venit, Gal. 1. 17.

DIGNA POENITENTIÆ OPERA.] His verbis illud explicat, quod ℣. 18. dixerat, *ut accipiant remiſſionem peccatorum*. Ne credatur autem agi de ſterili, & languida fide, addit etiam pœnitentiam, reditum ad Deum, dolorem, fructus pœnitentiæ, vitæ mutationem, virtutis opera.

℣. 21. HAC EX CAUSA.] Judæi me voluerunt interficere. S. Paulus univerſas criminationes ſuas ad hæc quatuor capita redigit, primo mortuorum reſurrectionem, II. Reſurrectionem JESU CHRISTI, III. quod

1 Id contigit an. 60. J. C.
2 Act. 23. 6. 7.
3 Act. 24. 15.
4 Act. 25. 2. 7. 8. 19. 20.
5 Τί; ἄπιστον κρίνεται παρ' ὑμῖν. Quid? Incredibile vobis videtur.
6 Κατήνεγκα ψῆφον. Detuli calculum.
7 Grot. Camerar. Bez. Piſ. Lud. de Dieu. Fromond. alii.
8 Act. 8. 1. 22. 20. Συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ.
9 1. Timot. 1. 13.
10 Μετ' ἐξουσίας καὶ ἐπιτροπῆς.
11 Act. 9. 2.
12 Cornel. Men. Grot. Vide 2. Cor. 12. 2. Act. 18. 9. 23. 11.
13 Hammond.

quod JESUM CHRISTUM tamquam Meſſiam prædicaret, IV. quod indiſcriminatim Judæis ſimul, atque Ethnicis prædicaret pœnitentiam. Non ſe tuetur adverſus eas accuſationes, quibus Templum polluiſſe, & Cæſarem læſiſſe dicebatur [1]; ſeu quod Feſtus illi loquendi copiam ultra non fecerit; ſeu quod Paulus hæc accuſationis capita neglexerit, quod ab iiſdem adverſarii etiam receſſerant, quoniam illa probare non poterant.

℣. 22. AUXILIO ADJUTUS DEI,] uſque adhuc vixi. Licet me perſequerentur Judæi, atque ſtruerent inſidias, & quamvis mihi adverſarentur Gentiles, numquam ceſſavi, quominus viginti annis Evangelium Gentilibus æque, & Judæis prædicarem. Jure ſuo fatetur illbic S. Paulus, ea tot periculis, ſe ereptum divino, & prorſus miraculoſo præſidio.

℣. 23. SI PASSIBILIS CHRISTUS:] Dixerunt Prophetæ, CHRISTUM mortem eſſe ſubiturum, quæ vera eſt Græci textus ſignificatio [2], ubi nomen paſſibilis uſurpatur pro eo, qui pati debet. Prophetæ palam Meſſiæ mortem, atque paſſiones prædixerant; attamen Judæi, ſaltem plerique, hoc pacto illas minime intellexerant. Humiliationes, cruciatus, mors, contemptus, & dolor, quæ in JESU CHRISTI vita, ac paſſione plurima fuerunt, maximi fuerunt converſioni eorum obices. Præſtolabantur illi Meſſiam glorioſum, potentem, victorem, vindicem.

PRIMUS EX RESURRECTIONE.] Primus, qui a mortuis reſurgeret, non amplius moriturus. Elias reſuſcitavit filium viduæ e Sareptis hoſpitæ ſuæ; mortuus quidam in Eliſæi ſepulchrum conjectus revixit; JESUS CHRISTUS ad vitam revocavit filium viduæ Naim, & Lazarum, aliosque plures, qui omnes iterum mortui ſunt, ſed JESUS CHRISTUS reſurrexit, ne amplius moreretur. Prophetæ Meſſiæ Reſurrectionem, æternumque illius Regnum prædicentes explicite prænunciaverant, illum primum futurum, qui non ultra moriturus reſurgeret.

LUMEN ANNUNCIATURUS.] Alludere videtur ad eos Prophetarum locos, ubi JESUS dicitur lumen gentium, & lumen Jeruſalem: *ſurge, & illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum*, Iſa. 60. 1. & 49. 6. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea, &c.* quæ loquendi rationes Agrippam minime fallebant.

℣. 24. INSANIS PAULE, MULTÆ TE LITTERÆ AD INSANIAM CONVERTUNT.] Partes quidam [3] crediderunt, Feſtum indignantem, quod S. Paulus ad Agrippam dumtaxat loqueretur, quin ad ſe orationem converteret, illum arte interpellavit, eumque per inſaniam neſcire dixit, quid diceret. Aliunde fortaſſe dixeras, S. Paulum doctrina præſtare; nam in hoc ſermone Apoſtolus nullam Græcæ, vel Latinæ litteraturæ eruditionem oſtendit. Vel judicavit Feſtus ea iis vocibus, quibus ille utebatur, & quæ ab illo dicebantur, magna eſſe myſteria, quoniam ipſe nihil intelligebat; ignotus enim ac barbarus homini Romano ſermo erat, audire loquentem de mortuorum reſurrectione, fide, Baptiſmo, peccatorum remiſſione, Dæmone &c. Hæc omnia Feſto ænigmata videbantur; & credidit, Paulum hominem eſſe, qui præ nimia ſtudiorum ſeriei are de mentis ſanitate dejectus fuiſſet. Creditur enim, imo docet etiam experientia, quorumdam mentes nimia ſtudiorum aſſiduitate fuiſſe corruptas [4]. Animadvertit Ariſtoteles Probl. ſect. 30. eos homines, qui nimis ſerio ſtudiis ſe mancipant, inde melancolicum quemdam habitum contrahere, a quo tandem in phreneſim, atque inſaniam adducuntur. *Ariſtoteli nullum magnum ingenium ſine mixtura dementiæ fuiſſe*, inquit Seneca de Tranquil. Animi.

℣. 25. VERITATIS, & SOBRIETATIS VERBA.] Non per inſaniam, atque ebrietatem hæc loquor. Græcus [5]: *veritatis, & prudentiæ verba.*

℣. 26. LATERE EUM NIHIL HORUM ARBITROR.] Agrippa, cum Judæus eſſet, ignorare non poterat, mortuorum reſurrectionem commune haberi apud Hebræos dogma. Sciebat, Prophetas polliceri, Meſſiam & Chriſtianos aſſerere, JESUM CHRISTUM illum eſſe, quem Prophetæ polliciti fuerant. Ignorare non poterat, quid poſt mortem, & Paſſionem ejus in Judæa contigiſſet: id quippe adeo percrebuerat apud mortales omnes, ut ad illius aures non pervenire minime potuerit.

℣. 28. IN MODICO SUADES ME CHRISTIANUM FIERI.] Hoc ille ait, oris habitu, & vocis ſono ad irriſionem compoſito. Me perſuadere velles, ut in tuam Religionem concederem. Aliter; *velles parvo tempore, vel paucis rebus, vel paucis verbis mihi perſuadere, ut Chriſtianam Religionem amplecterer.* Græcus [6] pari poteſt hos omnes ſenſus, qui probi ſatis ſunt, præſenti occaſione non abnormes. S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 17. & S. Chryſoſtomus hom. 56. ad Pop. hæc verba veluti ſerio dicta intellexerunt, quaſi Agrippa Apoſtoli ſermone victus faterelur, parum deeſſe, quominus in Chriſtianorum ſacra tranſiret.

℣. 29. OPTO APUD DEUM, & IN MODICO, & IN MAGNO.] Ibi eadem occurrit verſionum varietas, quæ in ſuperiori ℣. Parum abeſt . . . . utinam nihil abeſſet! vel: velles pro re parva . . . ego vellem, & pro re magna. Denique: velles paucis verbis, vel parvo tempore mihi perſuadere . . . . id vellem non parvo ſolum tempore, ſed in æternum; non paucis verbis, ſed omnibus nervis, ac viribus meis &c.

EXCEPTIS VINCULIS.] Qui credunt [7], Felicem S. Paulo ademiſſe catenas [8], putant, *vincula* hoc in loco eum ſimpliciter ſtatum innuere, in quo S. Paulus in cuſtodia poſitus erat, quin tamen vinctus eſſet. Putant alii, eum a Feſto iterum vinculis adſtrictum fuiſſe, ſed reor, illum numquam vinculis fuiſſe ſolutum; & capite 24. 23 Felicem permiſiſſe tantum, ut liberius, quam antea inviſeretur. De catenis, & carceribus ſuis S. Paulus gloriabatur [9], ſed cum Agrippa ſecundum illius præjudicia verba facit. Credunt nonnulli [10], Agrippam Chriſtianam Religionem ingreſſum fuiſſe, cujus rei nullum ſupereſt argumentum.

℣. 30. QUI ASSIDEBANT.] Conſiliarii Feſti (vide ſupra c. 25. 12.) cum ſeorſim receſſiſſent, & cum Rege Agrippa, & Feſto locuti fuiſſent, confeſſi ſunt, in S. Paulo nihil eſſe, quod vel mortem, vel carcerem mereretur.

℣. 32. DIMITTI POTERAT.] Poterat S. Paulus relinquere appellationem ſuam, eoque in caſu Feſtus illum judicare, atque abſolutum dimittere: ſed donec vigebat provocatio, Præſidis poteſtas non amplius vigebat, neque illum vel damnare, vel abſolvere poterat [11].

---

1 Act. 25. 8. 2 Εἰ παθητὸς ὁ Χριστός. Vide Eraſm. Eſt. Menoch. Ludov. de Dieu, Bez. Grot. alii. 3 Chryſoſtom. Oecumen. Vide Sanct. hic. 4 Theognetus Comic. in viſis apud Athen. lib. 15. cap. 3. pag. 671. 5 Ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα. 6 Ἐν ὀλίγῳ με πείθεις Χριστιανὸν γενέσθαι. 7 Grot. Bez. Le Clerc, Fromond. hic, & ad Act. 24. 23. 8 Act. 24. 23. 9 Chryſoſtom. homil. 52. in Acta. 10 Vide Chryſoſtom. loco citato. Gagn. Salmeron. 11 Grot. hic. *Appellatione poteſtas judicis, a quo appellatum eſt ceſſare incipit ad abſolvendum, non minus quam ad conſervandum, crimina enim integra ſervanda ſunt cognitioni ſuperioris.*

CAPUT XXVII.

S. Paulus Romam vinctus mittitur. Cretam pervenit, unde vela dantur, licet ille oppoſitum ſuadere adnitatur. Navis, in qua erat, furenti tempeſtate agitatur; atque naufragium facit. Paſſi tamen naufragium omnes evadunt incolumes.

1. UT autem judicatum eſt navigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum re-
liquis cuſtodiis centurioni nomine Julio cohortis Auguſtæ. 2 Aſcenden-
tes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Aſiæ loca, ſuſtuli-
mus, perſeverante nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi. 3 Sequenti
autem die devenimus Sidonem. Humane autem tractans Julius Paulum, permiſit
ad amicos ire, & curam ſui agere. 4 Et cum ſuſtuliſſemus, ſubnavigavimus
Cyprum, propterea quod eſſent venti contrarii. 5 Et pelagus Ciliciæ, & Pam-
phyliæ navigantes, venimus Lyſtram, quæ eſt Lyciæ: 6 Et ibi inveniens cen-
turio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, tranſpoſuit nos in eam. 7 Et
cum multis diebus tarde navigaremus, & vix deveniſſemus contra Gnidum, pro-
hibente nos vento, adnavigamus Cretæ, juxta Salmonem: 8 Et vix juxta navi-
gantes, venimus in locum quemdam, qui vocatur Boniportus, cui juxta erat ci-
vitas Thalaſſa. 9 Multo autem tempore peracto, & cum jam non eſſet tuta na-
vigatio, eo quod & jejunium jam præteriiſſet, conſolabatur eos Paulus, 10
Dicens eis: Viri, video, quoniam cum injuria, & multo damno, non ſolum
oneris, & navis, ſed etiam animarum noſtrarum, incipit eſſe navigatio. 11 Cen-
turio autem gubernatori, & nauclero magis credebat, quam his, quæ a Paulo
dicebantur. 12 Et cum aptus portus non eſſet ad hyemandum, plurimi ſtatue-
runt conſilium navigare inde, ſi quomodo poſſent, devenientes Phœnicem, hye-
mare, portum Cretæ reſpicientem ad Africum, & ad Corum. 13 Aſpirante
autem Auſtro, æſtimantes propoſitum ſe tenere, cum ſuſtuliſſent de Aſſon, le-
gebant Cretam. 14 Non poſt multum autem miſit ſe contra ipſam ventus Ty-
phonicus, qui vocatur Euro-aquilo. 15 Cumque arrepta eſſet navis, & non
poſſet conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur. 16 In inſulam autem
quamdam decurrentes, quæ vocatur Gauda, potuimus vix obtinere ſcapham. 17
Qua ſublata, adjutoriis utebantur, accingentes navem, timentes, ne in Syrtim
inciderent, ſummiſſo vaſe ſic ferebantur. 18 Valida autem nobis tempeſtate ja-
ctatis, ſequenti die jactum fecerunt: 19 Et tertia die ſuis manibus armamenta
navis projecerunt. 20 Neque autem ſole, neque ſideribus apparentibus per plu-
res dies, & tempeſtate non exigua imminente, jam ablata erat ſpes omnis ſalutis
noſtræ. 21 Et cum multa jejunatio fuiſſet, tunc ſtans Paulus in medio eorum,
dixit: Oportebat quidem, o viri, audito me, non tollere a Creta, lucrique
facere injuriam hanc, & jacturam. 22 Et nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe,
amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis. 23 Aſtitit enim
mihi hac nocte Angelus Dei, cujus ſum ego, & cui deſervio, 24 Dicens: Ne
timeas, Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere: & ecce donavit tibi Deus omnes, qui
navigant tecum. 25 Propter quod bono animo eſtote viri: credo enim Deo,
quia ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi. 26 In inſulam autem quamdam
oportet nos devenire. 27 Sed poſteaquam quartadecima nox ſupervenit, navi-
gantibus nobis in Adria circa mediam noctem, ſuſpicabantur nautæ apparere ſibi
aliquam regionem. 28 Qui & ſummittentes bolidem, invenerunt paſſus viginti:
& puſillum inde ſeparati, invenerunt paſſus quindecim. 29 Timentes autem, ne
in aſpera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fie-
ri: 30 Nautis vero quærentibus fugere de navi, cum miſiſſent ſcapham in mare, ſub
obtentu quaſi inciperent a prora anchoras extendere, 31 Dixit Paulus centurioni, &
militibus: Niſi hi in navi manſerint, vos ſalvi fieri non poteſtis. 32 Tunc abſciderunt

mili-

milites funes ſcaphæ, & paſſi ſunt eam excidere. 33 Et cum lux inciperet fieri,
rogabat Paulus omnes ſumere cibum, dicens; Quartadecima die hodie expectantes
jejuni permanetis, nihil accipientes. 34 Propter quod rogo vos accipere cibum
pro ſalute veſtra: quia nullius veſtrum capillus de capite peribit. 35 Et cum
hæc dixiſſet, ſumens panem, gratias egit Deo in conſpectu omnium: & cum fre-
giſſet, cœpit manducare. 36 Animæquiores autem facti omnes, & ipſi ſumpſe-
runt cibum. 37 Eramus vero univerſæ animæ in navi ducentæ ſeptuaginta ſex.
38 Et ſatiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum in mare. 39 Cum au-
tem dies factus eſt, terram non agnoſcebant: ſinum vero quendam conſiderabant
habentem littus, in quem cogitabant, ſi poſſent, ejicere navem. 40 Et cum
anchoras ſuſtuliſſent, committebant ſe mari, ſimul laxantes juncturas gubernaculo-
rum; & levato artemone ſecundum auræ flatum tendebant ad littus. 41 Et cum
incidiſſemus in locum dithalaſſum, impegerunt navem: & prora quidem fixa ma-
nebat immobilis, puppis vero ſolvebatur a vi maris. 42 Militum autem conſi-
lium fuit, ut cuſtodias occiderent; ne quis, cum enataſſet, effugeret. 43 Cen-
turio autem volens ſervare Paulum, prohibuit fieri: juſſitque eos, qui poſſent
natare, emittere ſe primos, & evadere, & ad terram exire. 44 Et cæteros
alios in tabulis ferebant: quoſdam ſuper ea, quæ de navi erant. Et ſic factum
eſt, ut omnes animæ evaderent ad terram.

℣. 1. NAVIGARE EUM CUM RELIQUIS CUSTODIIS [1]. A] Græcus legit [2], *ubi decretum fuit, ut navem conſcenderemus*, eo quod S. Lucas cum Ariſtarcho [3], de quo locuti ſumus c. 19. 29. in illa erant ſocietate. S. Paulus, & alii captivi ſingulas in utraque manu, vel in alterutra ſolum catenas habebant, quarum altera extrema pars alligata erat uni, vel & alteri militum, a quibus cuſtodiebantur. Neſcio vero, utrum hic in navi mos ſervaretur, ubi periculum non erat, ut captivi effugerent.

COHORTIS AUGUSTÆ.] Juſtus Lipſius in Tacit. l. 2. hiſt. *Auguſtæ* legionis nomen in veteri marmore invenit; Cohortes vero nomen ſuum ex legione, in qua erant, deſumebant. Julius Cohortis hujus Dux ſemper ſumma complexus eſt benevolentia S. Paulum. B

℣. 2. NAVEM ADRUMETINAM.] Adrumetum Urbs erat Africæ, caput Provinciæ Byzacenæ. Sed navis ea, quam S. Paulus conſcendit, in Aſiam erat profectura, quemadmodum hic S. Lucas teſtatur: eumque Phœniciæ littora legerit, minime videtur Adrumetum in Africam tunc tendere potuiſſe, cui potius terga vertebat. Legendum ergo eſt *Adramittum* pro Adrumetu, quemadmodum in Græco impreſſo legitur. MSS. etiam plerique eo modo legunt, qui ad Adramittum potius, quam Adrumetum videtur accedere [4]. Primum Ducis navis illius conſilium fortaſſe erat Adramittum uſque vela dare, atque inde per Macedoniam in aliquem Adriatici maris portum, & mox in Italiam tranſfretare, ſed deinde ſententia ceſſit. Cum enim Myræ in Lycia navem offendiſſet, quæ in Italiam vela C dabat, in illam conſcendit, & Adramittinam reliquit, quam fortaſſe primum arripuerat, donec commodior ſibi præberetur occaſio, ut breviori itinere Italiam verſus proficiſceretur. Adramittum autem maritima eſt Myſiæ Civitas in Aſia minori ex Lesbi Inſulæ conſpectu.

℣. 3. AD AMICOS IRE.] Cuſtoditum a milite, qui catenæ illius erat adſtrictus. Inviſit S. Paulus Chriſtianos Sidonia, ut ab illis eam peteret opem, cujus in itinere indigebat.

℣. 4. SUBNAVIGAVIMUS CYPRUM.] Quin ſupra Cyprum navigaremus: illam ſiniſtrorſum reliquimus, cum eamdem dextrorſum relinquere potuiſſemus. Inſulæ hujus littus alterum circuivimus, quin directe Myram Lyciæ tenderemus.

℣. 5. VENIMUS LYSTRAM.] Quæ eſt Lyciæ. Videtur in textu non deeſſe mendum [5], nam Lyſtra Lycanniæ Civitas eſt, non Lyciæ. Ita Græcus textus [6] legit, *Myram Lyciæ*, & ſane Myra Urbs eſt in Lycia ad mare ſita. Conſuli poteſt Tabula Paulini itineris, huic libro præpoſita. Credit Grotius, Myram nimis a mari abfuiſſe, ita ut portum habere non poſſet, ideoque iſthic non Lyſtram, neque Myram, ſed *Limyram* legendum eſſe, quæ certe portus eſt in Lycia. Verum cum Grotii caſtigatio nullius MS. fide probetur, Myræ nomen rejiciendum non eſt. Hæc Civitas viginti tantum a mari aberat ſtadiis [7], hoc eſt duobus millibus, & quingentis paſſibus, quod non adeo magna diſtantia eſt, ut Civitas illa maritima appellari non poſſit: immo Limyra etiam ad æquam circiter a littore diſtantiam, Strabone l. 14. teſte poſita eſt.

℣. 6. NAVEM ALEXANDRINAM.] Ex decurſu liquet [8], navem hanc annona fuiſſe refertam, quam Alexandria Romam vehebat. Liquet, Ægyptum Romanorum horreum fuiſſe.

℣. 7. CUM TARDE NAVIGAREMUS.] Fortaſſe propter magnum navis onus, vel potius adverſam ventorum vim, prohibente nos vento [9], *& vix deveniſſemus contra Gnidum* Urbem, vel Promontorium Aſiæ e conſpectu Inſulæ Cretæ in extrema parte Peninſulæ Cariæ. Grotius, aliique hoc intelligunt de Inſula Gnido intra Inſulam Cretam, & promontorium, de quo non locuti ſumus. *Adnavigavimus Cretæ juxta Salmonem*; hoc eſt navigavimus ſecus Orientalem hujus Inſulæ extremam partem, verſus promontorium Salmonem, alio nomine Sammonem, vel Samonium, hodie Salomonis [10]. Videnda eſt Tabula.

℣. 8. BONI-PORTUS, CUI JUXTA ERAT CIVITAS THALASSA.] Locus, qui Bonus-portus dicitur [11], vel formoſus portus, & a Stephano formoſum littus [12], ſitus erat verſus borealem Inſulæ extremam partem.

Ve-

1 Gr. Καί τινας ἑτέρους δεσμώτας. 2 Α'πεκλεῖσ ἡμᾶς.
3 Infra verſ. 12. Coloſſ. 4. 10. Philemon. verſ. 23. 24. 4 Græc. impreſſum: Ε'ν πλοίῳ ἀδραμυττηνῷ. Manuſcripti ἀδραμυντηνῷ, vel ἀδραμυτηνῷ, vel Α'δραμυντηνῷ, vel ἀτραμυτηνῷ, vel ἀδραμυττηνῷ.
5 Iſidor. Gloſſ. ordin. Hugo. Gagnei. Varab. Salmer. Zeger. Baron. Fromond. Barth. Petr. Tillem.; Eraſm. alii.
6 Εἰς μύρα τῆς λυκίας. Alii: Σμύρναν τῆς λυκίας. Velez. Vulg. Copht. Λύστραν τῆς λυκίας Alex. Λύστρα. Codd. aliqui: Λύστραν τῆς Κιλικίας. Æth. Λύστρα τῆς Α'σίας. 7 Strab. lib. 14.
8 Infra verſ. 38. 9 Syr. Grot. 10 Strabo. Mela, Samonium. Plin. Sammonium, Dionyſ. ver. 110.
11 Καλοὶ λιμένες. 12 Καλὴ ἀκτή.

Verumtamen ſitus ejuſdem non ſatis agnoſcitur, quemadmodum latet etiam, ubi erat *Thalaſſa*, de qua ſtatim inita ſermo eſt. Græcus pro *Thalaſſa* legit [1] *Laſſaa*, vel juxta nonnullos MSS *Laſſam*, vel *Laſeam*, vel *Theſſalam*, vel *Alaſſam* in oppoſita Inſulæ parte, ubi urbs *Liſſos* cognoſcitur.

℣. 9. QUOD JEJUNIUM PRÆTERIISSET.] Interpretum plerique [2] hoc intelligunt de jejunio ſolemnis expiationis, quod fiebat die decima menſis Tiſri [3]; hoc eſt ſub finem Septembris, vel initium Octobris. Hoc jejunium erat jejunium magnum, ſolemne Judæorum jejunium: fiebat autem initio anni civilis, & poſt omnium frugum meſſem, quo tempore mare mediterraneum maxime procelloſum eſt. S. Lucas opus hoc ſcribebat in Chriſtianorum gratiam, quorum plerique Judæi erant converſi, qui huic ſtylo aſſueverant, & B quibus epocha, *jejunium præterierat*, haud comperta eſſe non poterat. Poſt hoc jejunium nulla amplius in hoc mari expectanda erat ſerenitas. Non defuerunt [4], qui hoc jejunium de hyemali intelligerent quatuor temporum jejunio, quaſi tunc temporis hoc jam fuiſſet inſtitutum. Notat Baronius an. 58. hoc eſſe jejunium decimi Judæorum menſis, qui Januario reſpondebat. Sed tunc temporis non ſatis fuiſſet dicere navigationem tutam non eſſe, quemadmodum ait S. Lucas; ſed dicendum fuiſſet, nullo pacto fuiſſe navigandum [5].

℣. 10. CUM INJURIA, & MULTO DAMNO [6].] Et ex Spiritu Prophetico [7], & ex naturalibus ſignis, quæ ex temporum diſpoſitione proficiſcuntur præſentio, nos minime citra periculum, & damnum navigationem hanc expleturos, citra periculum pro corporibus noC ſtris, *cum injuria*: & citra damnum pro navi, & mercibus, *multo damno*. Noſmet objicimus omni procellarum, fluctuumque ſerentium ludibrio.

℣. 11. GUBERNATORI, & NAUCLERO.] Gubernator ille eſt, qui gubernaculo præeſt, & nautis, quæ ſunt facienda, præcipit. Nauclerus vero dux eſt, omnibus qui in navi ſunt imperans, cui omnia concredita ſunt.

℣. 12. RESPICIENTEM AD AFRICUM, & AD CORUM.] Urbs, & portus Phœnicis ſunt ad meridiem Inſulæ Cretæ in parte illi oppoſita, ubi *Boni-portus*, & *Laſæa* ſtatuuntur. Portus hic patebat maxime ventis, qui Lybs, vel *Africus*, & *Corus* dicuntur [c]. Primus de Lybia, vel Africa in Ægæum mare perflat, ideoque occiduus eſt ventus: *Corus* vero, vel *Caurus*, Græce *Argeſtes* [9], & ipſe quoque ab occaſu, ſed æſtivo, D ſeptentrionem inter, & occidentem ac utriuſque particeps, maxime flabat. Diligentius locorum ſitum agnoſceremus oporteret, ut aſſereremus, quomodo duo illi venti in eum portum flarent. Spectabat ille Boream inter, & Occaſum, an Occaſum inter, & meridiem?

HYEMARE.] Hyemem ibi traducere, vel potius cum Græco textu [10]; ibi procellas, atque tempeſtates evitare. Vox eadem, quæ Græce hyemem, procellas quoque ſignificat.

℣. 13. ADSPIRANTE AUSTRO . . . . CUM SUSTULISSENT DE ASSON.] Novimus in Creta Inſula Urbem, cui nomen *Aſſos*, vel *Aſon*, vel *Aſum*, & de ea Plinius l. 4. c. 12. verba facit: verum illam memorat E inter Urbes continentis, non autem maritimas, quamobrem Interpretes quidam [11] Græcum textum verterunt [12]: *cum ſuſtuliſſent* anchoras, *adnavigarunt Inſulæ Cretæ*, ut a Boni-portu Phœnicem venirent, quo cupiebant appellere.

A ℣. 14. VENTUS TYPHONICUS.] Græce *Euroclydon*, ventus ſcilicet vehemens Orientem inter, & Boream perflans. Typhon Græce, & Latine proprie ſignificat tempeſtatem, vel turbinem, cum nubes magno cum impetu aliæ ſuper alias decidentes perniciosiſſimos pariunt ventos, quibus naves conteruntur, atque vertuntur, non ſecus ac ſi fulmine percuterentur. Fatetur Ariſtoteles Meteor. lib. 3. hos ventos eſſe fulmini ſimillimos, & hac in re fere diſſimiles, quod non accenduntur. Cæterum vero omnem fulminis impetum ac vim obtinent [13]: *Typhon defert ſecum aliquid abruptum a nube gelida convolvens, verſanſque, & locum ex loco mutans rapida vertigine: præcipua navigantium peſtis, non antennas modo, verum ipſa navigia contorta frangens*. Plinius ita ventum B Typhonem, vel Typhonicum deſcribit, & fortaſſe ventus boream inter, & occaſum perflans S. Paulum in littus Inſulæ Melitæ conjecit, ubi navis illiſa pependit.

EURO-AQUILO.] Ventus eſt Orientem inter, & Boream perflans. Hic navem, qua S. Paulus vehebatur, in alterutram Syrtem impulit, quæ ſunt ad Melitæ meridiem, ubi naufragium fecit. Græca exemplaria typis edita legunt [14]: *Euroclydon*, hoc eſt ventum procelloſum, tempeſtates cientem, ſed Vulgatæ lectio melior videtur, eamque MS. Alexandrinus, atque Æthiops ſequuntur.

℣. 16. QUÆ VOCATUR CAUDA.] Vel Clauda Græce [15]: Ptolomæus eam *Claudos* appellat. Plinius vero, Solinus, Stephanus, Procopius *Gaudam*; eaC que ſita eſt prope meridionalem, atque occiduam extremam partem Inſulæ Cretæ.

OBTINERE SCAPHAM.] Scapha exigua eſt navicula magnarum navium commodo inventa, & plerumque earum lateri adhærens. Ne illa tempeſtatis vi frangeretur in majorem navem illiſa; vel ne majori navi illidens officeret, maturato ſublata fuit, atque in navi poſita.

℣. 17. ADJUTORIIS UTEBANTUR NAVEM ACCINGENTES,] Ne fluctibus concuſſa, & de ſuperiori fluctu decidens fatiſceret; nam idem naves ex ſuperiori parte accinguntur nonnumquam, ne cum nimium onuſtæ de ſuperiori decidant parte, uti nonnumquam aſſolet, dehiſcant. Nautæ igitur rudentibus illam extrinſecus cinxerunt, ne ſi illideret, frangeretur; D neque adeo facile tabulæ ſejungerentur funibus, fortibuſque rudentibus diligenter adſtrictæ. Græcus etiam [16] verti poteſt: *adhibuerunt auxilia*. Nautas, opifices, qui erant in navi, vel funes, trochleas omniaque inſtrumenta, quæ hujuſmodi cum adeſt occaſio impenduntur, ut naufragium, ſi fieri poteſt evitetur.

TIMENTES, NE IN SYRTIM INCIDERENT.] Syrtis nomine vulgo intelliguntur aræ quædam arenoſæ inſignes prope Africæ littora, quarum altera major, minor altera Syrtis vocatur. Inde vero hoc nomen ad omnes reliquos ſcopulos, atque aras, quæ in aliis maribus inveniuntur, extentum eſt. Navis, in qua erat S. Paulus Euro-aquilone impulſa timere debebat, ne in majorem, minoremve Syrtim illiſa frangeretur. Recta igitur Africæ littora legebat.

E SUBMISSO VASE.] Non magnum navis malum demiſerunt, ſed carcheſium, & dolonem, quæ omnia facillime demittuntur; nam magnus navis malus, cui cætera impoſita ſunt, minime demittitur. Exemplaria quædam legunt [17]: *vela remiſerunt*, Græcus, & Lati-

---

1 Λασαία, vel Λασία, vel Λασίν, vel Ἄλασσα. Auth. Gloſſ. ordinar. *Theſſala*.
2 Fromond. Oecumen. Sanct. Eſt. Zeger. Grotius, Hamm. Druſ. alii plerique.
3 Levit. 16. 29. 23. 27.
4 Bellarm. lib. 2. de bonis oper. cap. 19. Cornel. hic.
5 Vide Philon. Legat. ad Caj. & Cæſar. lib. 5. apud Sanct. hic.
6 Μετὰ ὕβρεως, καὶ πολλῆς ζημίας.
7 Chryſoſtom. Fromond. Cornel. alii.
8 Κατὰ λίβα, καὶ κατὰ χῶρον.
9 Χῶρος, vox eſt non Græca origine, ſed Latina, *Corus*, vel *Caurus*: Græcis Ἀργέστης. Grot. hic.
10 Παραχειμάσαι. Eſt. ἀνευθέτου τοῦ λιμένος ὑπάρχοντος πρὸς παραχειμασίαν. Vide Grot. Heinſ.
11 Vide Bez. Grot. Ludov. de Dieu. Camerar. Fromond. Tillem. Not. 21. in S. Paul, &c.
12 Ἄραντες ἆσσον παρελέγοντο τὴν Κρήτην. Omittunt ἆσσον. Syr. Arab.
13 Plin. lib. 2. c. 48.
14 Ὁ καλούμενος εὐροκλύδων. Alex. Εὐρακύλων. Vide Grot. Hamm.
15 Νησίον καλούμενον Κλαύδην.
16 Βοηθείαις ἐχρῶντο, ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον. Vide Cajet. Grot. Heinſ.
17 Græc. impreſſ. Χαλάσαντες τὸ σκεῦος. Syr. Chryſoſt. alii apud Bed. & Mill. Τὰ ἱστία.

Iatious ſatis vage : demiſeruot, vel remiſerunt inſtrumentum : quod plerique de malo intelligunt, tamquam præcipua navis parte. Et alii demiſſio ſecum adfert demiſſionem etiam rudentum, velorum ; & omnes ſimul colligit ſententias, ac explicationes, quæ huic loco appinguntur [1].

℣. 18. Jacturam fecerunt.] Metuentes, ut navis pondus imminuerent, atque prohiberent, ne navis in imum ſubſideret. Iis in occaſionibus mercer primum in mare projiciuntur, mox armamenta, & deinque commeatus ; quemadmodum hoc in loco fieri videmus.

℣. 19. Armamenta.] Sine quibus navim regere poterant, arma ſuperflua, & quidquid in navi reſervatur, & abſolute illi neceſſarium non eſt. Vertunt quidam : navales ſocios ; ſed hac voce homines ſimpliciter ſignificarunt miniſtri milites, & nautæ : ſed maluimus armamentorum nomine Græci Textus ſignificationem [2] cum Vulgata reddere.

℣. 20. Neque Sole, neque sideribus.] Quod maxime incommodum erat nautis, præſertim vero hujus temporis, ubi nautica pyxis nondum erat inventa, atque ſydera obſervari conſueverant.

℣. 21. Multa jejunatio.] Hi omnes, qui verſabantur in navi, ſummo erant mœrore confecti, naufragium, ac mortem præſtolantes, nec cibum capere quærebant ; commeatus enim non deerant, & nihil cogebat eos, ut jejunarent.

℣. 24. Donavit tibi Deus.] Igitur S. Paulus a Deo petierat, ut eos omnes, qui ſecum erant in navi, incolumes preberet ; nam Angelus a Deo mittitur nunciaturus, illum voti fuiſſe damnatum. Si Apoſtolus, cum adhuc eſſet in mortali corpore, meritus eſt, ut ducentorum, & ſeptuaginta quinque virorum vita illi concederetur ; quid nobis exiſtimandum eſt de ejuſdem apud Deum auctoritate hoc tempore, quo in Cœlis glorioſus eſt [3] ? Voluit Deus hac apparitione majorem Paolo conciliare exiſtimationem apud eos, qui erant in navi, et illum obſervantius audirent, atque converterentur. Teſtatur enim S. Johannes Chryſoſtomus, non modicam ſaltem eorum partem in Chriſtianorum ſacra tranſiiſſe.

℣. 26. In Insulam quamdam.] Angelus nomen Inſulæ illi minime revelavit ; ſed hæc Melita erat, quo aliquot diebus poſt tempeſtatem projecti fuerunt.

℣. 27. Quartadecima nox.] Ex quo tempeſtas incœperat, quæ orta fuerat aliquot diebus, poſtquam Boniportu deceſſerant. Conferentes hoc cum iis, quæ dicta ſunt ℣. 9. quod jejunium jam præteriiſſet, conjicimus, S. Paulum nonniſi ſerius Melitam attigiſſe, videlicet ſub finem Octobris ; quippe menſis decimi jejunium eo anno verſus ſecundam, & vigeſimam Septembris diem contigiſſe cenſetur [4]. Si ergo ſupponamus, navim procella agitatam fuiſſe Octobri medio, quinque circiter, ac viginti diebus poſt jejunium ſolemne, Melitam pervenire potuit ſub exitum menſis ejuſdem.

Navigantibus nobis in Adria.] Mare Adriaticum preſſius ſumptum, atque ſecundum Vulgatam illius ſignificationem ultra Venetum ſinum minime patet : ſed ubi latius intelligatur, accipitur etiam nonnumquam pro mari Siculo, & Ionio [5], quo in ſenſu hoc in loco explicandum eſt. Ventus navim de Inſula Cauda, vel Clauda impulerat occaſum verſus, & ad Africæ littora, mox vero ad boream, & in mare Adriaticum ; inde rurſus occaſum verſus, ita ut ad Boream inſulæ Melitæ frangeretur. Sed ab immemorabili tempore ajunt, S. Paulum naufragium feciſſe in exiguo quodam ſcopulo, qui adhuc littus S. Pauli vocatur, eaque terræ lingua eſt bimaris ; Dithalaſſus locus ℣. 41. Vide Tabulam.

Suspicati sunt.] Græcus [6] ; ſuſpicati ſunt, terram ad ſe venire ; loquendi ratio apud nautas, & poetas communis, qui dicunt, terram, vel accedere, vel recedere, ubi navis ipſa ad terram accedit, vel inde recedit. Virg. Æn. 3.

Provehimur portu, terræque, urbeſque recedunt.

Suſpicati ſunt terram accedere, non quod illam viderent, nam nox erat concubia, & ipſi in profundis tenebris, atque caligine verſabantur, ſed fortaſſe ex telluris odore, vel frigore, aut ventis.

℣. 28. Passus viginti.] Græcus [7] : viginti orgias ; vel viginti ulnas. Ulna vero eſt ſex pedum, eaque menſura eſt utriuſque brachii porrecti, vel humanæ altitudinis.

℣. 29. De puppi anchoras quatuor.] Ut navis curſum inhiberent, ne in ſcopulum ventorum vehementia illideretur : qua de cauſa puppi jecerunt, non ex prora, quod fieri conſuevit, cum portus attingitur : quatuor vero projiciunt anchoras, ut firmius navis curſum coerceant.

℣. 30. Cum misissent scapham.] Quatuor jam de puppi anchoras projecerant, & ſimulabant alias etiam de prora demittere velle, ubi ad terram propius acceſſiſſent, vel ſaltem demittere funes, quibus alligatæ erant anchoræ, ex parte pendentes, quippe qui non ſatis erant longi, ut ad eum uſque locum pertingerent, cui illas alligare cupiebant.

℣. 31. Vos salvi fieri non potestis.] Deus S. Paulo revelaverat, neminem ex illis, qui erant in navi, periturum : ſed non promiſerat, ſe ob id patraturum miracula, ut ſalvi fierent, licet omnibus humanis ſubſidiis carerent. Mens illius erat, ut omnes in navi permanerent, atque mutuis ſe ſe firmarent auxiliis, & nihil intentatum relinquerent, quod ars, atque induſtria ſuggererent. Hæc Dei promiſſio tacitam laboris, nauticique ſubſidii conditionem complectebatur [8].

℣. 33. Jejuni permanentes nihil accipietis.] Hoc ad litteram intelligendum non eſt : nihil aliquis comediſſe dicitur, ubi parum comedit [9]. De more non manducaverant, neque menſæ in navi aſſederant, ſinguli in ſingulas horas naufragium, & mortem præſtolantes. Naturaliter fieri non poteſt, ut aliquis poſt quatuordecim dierum inediam non moriatur : non utique ſeptimo lethalis inedia, Plinius l. 11. ait, duraſſe & ultra undecimum pleroſque certum eſt. Attamen S. Johannes Chryſoſtomus hom. 43. in Acta hoc preſſius putat intelligendum.

℣. 34. Nullius vestrum capillus.] Hebraica locutio ſignificans [10] nullum detrimentum patiemini, hoc tamen ſuppoſito, ut mea conſilia amplectamini.

℣. 35. Gratias egit.] Oſtendit illis Paulus exemplo ſuo, quod comedere poſſent, & mors illis metuenda non eſſet ; hæc cœna communis eſt, non Euchariſtica [11]. Gratias agit Deo, & Judæorum more panem frangit [12].

℣. 38. Jactantes triticum in mare.] Navis enim frugibus erat onuſta, quippe quæ Alexandria diſceſſerat, ubertimo videlicet Romanorum Civium horreo.

℣. 39. Terram non agnoscebant.] Nautæ illi numquam fortaſſe Melitæ appulerant ; vel noſcebant hanc Inſulam eſſe ; ſed illius nomen, ejuſque portus non noverant.

Habentem littus.] Non deſunt enim ſinus, ubi navi aſcendi minime poteſt, quippe qui præruptis ondi-

1 Vide Chryſoſt. Syr. Bez. Grot. Menoch. &c. 2 Τὴν σκευήν. Armamenta, omne id, quo navis erat inſtructa, ornata, onerata. 3 Hieronym. contra Vigilant.
4 Bucher. Cycl. Tillemont. Not. 60. in S. Paul. 5 Strabo, Ptolem. Ovid. Stat. Procop. Grot. Cornel. Bochart. Chan. lib. 1. cap. 26. 6 Ὑπενόουν προσάγειν τινὰ αὐτοῖς χώραν.
7 Ὀργυιὰς εἴκοσι. 8 Vide Gregor. lib. 1. cap. 8. Dialog. Sanct. From. hic.
9 Ita Interpp. paſſim. 10 1. Reg. 14. 45. 3. Reg. 1. 52. Matth. 10. 30. Luc. 21. 18.
11 Chryſoſtom. hic. Hieronym. lib. 2. cap. 4. contra Jovin. Fromond. alii. 12 Vide Matth. 15. 36. Marc. 8. 6. Joann. 6. 11. &c.

undique rupibus circumſepti. Littus hoc arenoſum erat [1], atque aptiſſimum, ut illuc navis illiſa penderet.

℣. 40. Cum anchoras ſuſtuliſſent.] Vidimus jam, quatuor de puppi, & quaſdam etiam de prora anchoras in mare fuiſſe projectas. Illas igitur eruerunt, ut vento uterentur, ac navi motum præberent, quæ anchorarum pondere ſubſtiterat. Græcus verti poteſt [2] *præciderant anchoras*, cum nulla amplius eſſet ſpes navis ſervandæ, anchoras quoque neglexerunt, inutile ſibi pondus futuras.

Laxantes juncturas [3].] Naves quædam in quolibet latere ingentem deferebant ferro obductam tabulam, quam gubernaculum appellabant, non ſecus ac illud, quod in puppi ad navem regendam conſtituebatur. Ubi ferreæ illæ tabulæ in aquam demittebantur, obſtabant ne navis tanta facilitate a vento ſubverteretur, tunc præſertim, cum non adeo eſſet onuſta. Similes etiam in minoribus navigiis nonnumquam viſæ ſunt [4]; & Bochartus [5] oſtendit aperte, habuiſſe veteres duplex hoc in navibus ſuis gubernaculum.

Levato artemone.] Artemon exiguum eſt malum in poſteriori navis parte, cui parvum adnectitur velum. Non auſi ſunt majora ventis dare vela, ne nimia vi in littus impulſi deferrentur. Cæterum majus etiam malum everſum jam fuerat ℣. 17.

℣. 41. In locum Dithalaſſum.] Vel promontorium, quod hinc, & inde mare alluitur. *Dithalaſſos* Græce idem eſt, ac *bimaris* latine. Grotius hoc intelligit de terræ lingua a continente ſejuncta exiguo maris alveolo: at fallitur: locus enim, obi fracta eſt Sancti Pauli navis, terræ lingua eſt ex utroque latere maris fluctibus patens.

Puppis ſolvebatur.] Quoniam hæc una expoſita erat maris, ventorumque furori, qui in proram, vel in anteriorem navis partem agere non poterant, cum hæc in arena inſideret, ita cum navis immobilis eſſet, atque fluctuum vi cedere non poſſet, periculum erat, ne momento quovis confringeretur, atque fatiſceret.

℣. 42. Ut custodias occiderent.] Ne quia A nando fugam corriperet, ideoque Centurio, & milites illius rationem reddere tenerentur. Cum hujuſmodi ingruerent occaſiones, qui belli capti fuerant, & in navi erant, ſæpe obtruncari conſueverunt. Vidimus jam *cuſtodias* alibi verſ. 1. uſurpatas pro captivis in cuſtodia poſitis, quæ Latina vox eſt, atque hoc in ſenſu apud complures optimos Auctores invenitur [6].

℣. 43. Volens ſervare Paulum.] Vel quod Civis erat Romanus, vel quod ſingulari illum benevolentia, atque exiſtimatione proſequebatur, meritum, atque virtutem illius admiratus. Nondum tamen illum adeo perfecte noverat, quemadmodum eum deinde cognovit.

Eos, qui poſſent natare.] Nautas, ſocios navales, alioſque. Captivis procul dubio dempta ſunt catenæ, ut & ipſi nando ſibi conſulere poſſent. B Romani milites exerceri conſueverant natatione [7], ut ubi opus eſſet, præſertim vero in navalibus prœliis, aliquod inde haurirent commodum.

℣. 44. Alios in tabulis ferebant.] Qui noverant natare, aliis opem ferebant, ut ad terram confugerent, illis tabulas ſuppeditando, illos quodammodo ferendo, ducendo, ac tabulas eaſdem regendo. Græcus ſimpliciter ait, Centurionem dixiſſe, ut quilibet pro virili ſibi conſuleret [8]; *alii quidem nando, alii ſuper tabulas, & alii ſuper ea, quæ in navi reperiebantur.* At patet, mulieres, pueros, ægros, & eos etiam, qui terrore correpti expaverant, minime his rebus uti potuiſſe, niſi qui natare noverant, illis opem tuliſſent, & adduxiſſent in littus.

Credunt quidam [9], hoc naufragium unum eſſe ex C tribus illis, de quibus loquitur S. Paulus 2. ad Corinthios 11. 25. Sulpitius Severus ep. 1. putat, ea in occaſione Apoſtolum tres dies, atque noctes in maris imo fuiſſe; vel quemadmodum S. Paulus ait, & quidam Sulpitii Severi MSſ. legunt, diem unum, & noctem unam. Verum hoc minime probari poteſt, quoniam epiſtola, de qua ſermo eſt, ſcripta fuit triennio, antequam hoc naufragium contingeret.

---

1 Ἔχοντα αἰγιαλὸν. Αἰγιαλὸς, ſignificat *arenoſum*. 2 Τὰς ἀγκύρας περιελόντες. Syz. Ludov. de Dieu. *Amputarunt anchoras*. 3 Ἀνέντες τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων.
4 Grot. Le Clerc. hic. 5 Bochart. de animal. part. 2. lib. 4. cap. 2.
6 Sueton. in Domitiano, Paul. in L. Carcer; & Venul. L. Ne quis, &c.
7 Vegetius. Vide Fromond. hic. 8 Οὓς μὲν ἐπὶ σανίσιν, οὓς δὲ ἐπί τινων τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου.
9 Lyran. alii quid. apud Fromond.

CAPUT XXVIII.

S. Paulus Melitam pervenit, ubi a vipera mordetur, quin aliquid mali patiatur. A barbaris tamquam Deus habetur. Inſulæ Principem, alioſque plures ægrotantes curat. Poſt tres menſes navem conſcendunt Romam verſus, atque Puteolos primum, & mox Romam perveniunt. S. Paulus Judæis aperit adventus ſui cauſam, & biennio illis prædicat Jeſum Chriſtum.

1. ET cum evaſiſſemus, tunc cognovimus quia Melita inſula vocabatur. Barbari vero præſtabant non modicam humanitatem nobis. 2 Accenſa enim pyra, reficiebant nos omnes, propter imbrem, qui imminebat, & frigus. 3 Cum congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera a calore cum proceſſiſſet, invaſit manum ejus. 4 Ut vero viderunt Barbari pendentem beſtiam de manu ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida eſt homo hic, qui cum evaſerit de mari, ultio non ſinit eum vivere. 5 Et ille quidem excutiens beſtiam in ignem, nihil mali paſſus eſt. 6 At illi exiſtimabant eum in tumorem convertendum, & ſubito caſurum, & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes ſe, dicebant eum eſſe Deum. 7 In locis autem illis erant prædia principis inſulæ, nomine

minc Publii, qui nos ſuſcipiens, triduo benigne exhibuit. 8 Contigit autem, patrem Publii febribus, & dyſenteria vexatum jacere. Ad quem Paulus intravit; & cum oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſalvavit eum. 9 Quo facto, omnes qui in inſula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur: 10 Qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, & navigantibus impoſuerunt, quæ neceſſaria erant, 11 Poſt menſes autem tres, navigavimus in navi Alexandrina, quæ in inſula hyemaverat, cui erat inſigne Caſtorum. 12 Et cum veniſſemus Syracuſam, manſimus ibi triduo. 13 Inde circumlegentes devenimus Rhegium: & poſt unum diem flante Auſtro, ſecunda die venimus Puteolos; 14 Ubi inventis fratribus rogati ſumus manere apud eos dies ſeptem, & ſic venimus Romam. 15 Et inde cum audiſſent fratres, occurrerunt nobis uſque ad Appii forum, ac tres Tabernas, Quos cum vidiſſet Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam. 16 Cum autem veniſſemus Romam, permiſſum eſt Paulo manere ſibimet cum cuſtodiente ſe milite. 17 Poſt tertium autem diem convocavit primos Judæorum. Cumque conveniſſent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil adverſus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Jeroſolymis traditus ſum in manus Romanorum. 18 Qui cum interrogationem de me habuiſſent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla eſſet cauſa mortis in me. 19 Contradicentibus autem Judæis, coactus ſum appellare Cæſarem, non quaſi gentem meam habens aliquid accuſare. 20 Propter hanc igitur cauſam rogavi vos videre, & alloqui. Propter ſpem enim Iſrael catena hac circumdatus ſum. 21 At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te a Judæa, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit, aut locutus eſt quid de te malum. 22 Rogamus autem a te audire, quæ ſentis: nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur. 23 Cum conſtituiſſent autem illi diem, venerunt ad eum in hoſpitium plurimi, quibus exponebat teſtificans regnum Dei, ſuadenſque eis de Jeſu ex Lege Moyſi, & Prophetis, a mane uſque ad veſperam. 24 Et quidam credebant his, quæ dicebantur: quidam vero non credebant. 25 Cumque invicem non eſſent conſentientes, diſcedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad patres noſtros, 26 Dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos; Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perſpicietis. 27 Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos. 28 Notum ergo ſit vobis, quoniam Gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei, & ipſi audient. 29 Et cum hæc dixiſſet, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter ſe quæſtionem. 30 Manſit autem biennio toto in ſuo conducto; & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum. 31 Prædicans regnum Dei, & docens, quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto, cum omni fiducia, ſine prohibitione.

℣. 1. MELITA INSULA.] Græca quædam exemplaria, & Latina complura legunt *Mitylenem*: alii, *Militinam*, alii *Meliternam*. S. Hieronymus in Hebraicis nominibus *Mitylenem*, & *Militinam*, & in quibuſdam epiſtolarum ſuarum editionibus [1] *Mitylenem*; ſed recentiores editiones habent *Melitam*. Eraſmus, Cajetanus, Conſtantinus Porphyrogenitus putant, S. Paolum naufragium feciſſe prope Inſulam Melitam in mari Adriatico ſecus Illyrii littora, quatuor paſſuum millibus procul ab Epidauro; cujus ſententiæ potiſſimum argumentum illud eſt, quod S. Lucas ſupra c. 27. 27. ait, illos in Adriatico mari navigaſſe. Verum animadvertimus jam eo tempore Adriatici maris nomine non Venetum dumtaxat ſinum, verum etiam mare Siculum, & mare Jonium intelligi conſueviſſe. Ad hæc ventus Euro-Aquilo, quo acti metuebant, ne in Africæ Syrtes illiſi frangerentur, illos in Inſulam Melitam, non autem in Venetum ſinum debebat impellere. Via, quam S. Paulus Melita egreſſus ſecutus eſt, oſtendit, de A Inſula Melita hoc in loco eſſe ſermonem. Illinc Syracuſas adnavigavit; inde Rhegium, ac tandem Puteolos. Denique navis Alexandrina, quæ hyemem Melitæ traduxit, oſtendit, hanc non eſſe Melitam Illyricam; ſi enim in Adriaco mari fuiſſet hyemandum; navis profecto in Epidauri portum potius ſe ſe recepiſſet, qui quatuor dumtaxat paſſuum millibus abeſt a Melita [2].

Inſula Melita Siciliam inter, & Africam jacet. Veteres Geographi nonnulli hanc Africæ, alii Siciliæ tribuunt. Sub Romanis Siciliæ ſubdita erat, & ab Inſulæ hujus Prætore pendebat: habebat tamen inde temporis proprium Præſidem, qui ℣. 7. & in veteri quodam epitaphio, *Princeps Inſulæ* appellatur [3].

BARBARI VERO.] Meliteoſes ex origine Phœni- B cum, vel Carthaginenſium erant Colonia; neque ambigi poteſt, quin vetus eorum lingua fuerit Punica, vel Africana. Ajunt, hodie quoque linguæ hujus veſtigia deprehendi in antiquis inſcriptionibus, quæ Punicis characteribus ſunt expreſſæ, & in agri incolarum ſer-

mone,

1 Ep. ad Oceanum Epitaph. Fabiolæ. 2 Vide Boch. Canaan. l. 2. c. 26.
3 Quintinus apud Boch. loc. cit. A, ΚΑΤΙΟΣ ΚΥΡ. ΙΠΠΕΥΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΠΡΩΤΟΣ ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ.

mone, qui Arabicas, Hebræaſque voces nonnullas intelligunt [1]. Credit Bochartus, hos incolas reliquias eſſe Arabum Africæ, qui dominati ſunt huic Inſulæ, antequam a S. Johannis Equitibus poſſideretur. Certum eſt, Græcos Siciliæ, & Afros diutius de Inſulæ Melitæ poſſeſſione decertaſſe, antequam eadem Romani potirentur. Græca Numiſmata, & Inſcriptiones, quæ ibi extant, certo probant, linguam eam diutius in more fuiſſe poſitam, etiam poſtquam Romanis paruit.

Populus Melitenſis hodie linguam Barbaricam loquitur, hæc eſt Arabicam, neque aliam linguam intelligit. Verum eſt, Valetæ, qui locus eſt, ubi Equites permanent, Italice ſermonem haberi, ſed populus, qui in agris verſatur, hanc linguam minime intelligit. Verum quoque eſt, duplicem eſſe Græcorum parœciam in Valeta victrici: verum hi Græci ſunt, qui cum Equitibus Rhodo illuc appulerunt, & qui eorum fortunam ſecuti ſunt. Quamvis Melitenſes variis ſubinde Principibus ſubjecti fuerint, Catholicæ Religionis tamen integerrimam fidem ſemper coluerunt. At quinam ergo ſunt hi Barbari, de quibus Sanctus Lucas verba facit? Plane ſunt reliquiæ incolarum Afrorum, vel Phœnicum, qui in Inſula permanſerant, & qui cum neque Græce, neque Latine loquerentur, Barbari appellati ſunt Græcorum more, qui antiquitus hoc nomine eos omnes vocabant, qui non Græce, deinde vero, qui nec Græce, neque Latine loquebantur. S. Paulus, aliique, qui ex naufragio evaſerant, primum excepti fuerunt ab Inſulanis agreſtibus, qui hoc in loco *Barbari* dicuntur; ſed ſtatim Inſulæ Præſes, qui Romanus erat, illos in Urbem acceſſivit, Græcis, atque Latinis frequentem.

℣. 2. REFICIEBANT NOS OMNES.] Tot laboribus confectos: Græcus [2], exceperunt nos omnes domi ſuæ. Non deſunt eruditi quidam Interpretes, qui credunt, non deeſſe in Latino mendum, & legendum *recipiebant*, pro reficiebant.

PROPTER IMBREM, QUI IMMINEBAT.] Propter pluviam, quæ jam jam lapſura videbatur, vel quæ jam labebatur, vel propter frigus, quod ſæviebat. Ubi ex aquis emerſerunt humentes, madidique, illis imber etiam ſuperadditus fuit.

℣. 3. SARMENTORUM MULTITUDINEM.] Græcus [3] explicatur non de ſarmentis tantum, verum etiam de quovis genere aridorum ramorum, atque faſciculorum.

VIPERA A CALORE CUM PROCESSISSET.] Hæc vipera propter frigus rigens inter ramos latuerat, neque illam viderat S. Paulus, eos rapiens, ut in ignem projiceret. Sed ubi calor anguem excivit, hic in Pauli manum proſiliit vehementer, ut ea ligna ſuper focum accommodaret.

INVASIT MANUM EJUS.] Eum apprehendit, atque voluminibus ſuis irretivit. Credunt Patres complures [4], Paulum a vipera demorſum fuiſſe, & ſane ſi demorſus non fuiſſet, expectaſſent ne Inſulani fore ut illico moreretur, atque illis admiratio inceſſiſſet, ubi viderunt illum nullo incommodo affectum? Non tactus, ſed morſus viperæ lethalis eſt. Græcus profecto non legit, manum Pauli a vipera demorſam fuiſſe, & legit ſimpliciter, viperam manui illius adhæſiſſe; & Bochartus de Anim. l. 3. cap. 2. aſſerit, dente viperino Paulum minime læſum, ſed oppoſita ſententia longe probabilior eſt, propter alias hujus hiſtoriæ circumſtantias. Veritati ne conſonum eſt, animal illud calore irritatum S. Pauli manum invaſiſſe, quin eamdem morderet, atque paſſam fuiſſe, ut excuſſum in flammas decideret, quin alicui noceret?

A ℣. 4. ULTIO NON SINIT EUM VIVERE.] Barbari credebant, Deum numquam pati, ut ſcelus impune abeat, & ſerius, ocyus, impios iniquitatis ſuæ pœnas luere. Hac in re illi rudes erant omnino, neque noverunt, ingentem Dei iram in altera vita exerceri, & ſæpius in vita hac nocentiores ad mortem uſque impune evadere. Græca vox [5], juſtitiam proprie ſignificat: verum etiam pro divina ultione uſurpatur. Hanc Ethnici [6], Deam eſſe putabant, Jovis filiam, atque a Diis ipſis in honore habitam, quippe quæ Deorum, hominumque Regi narrat injurias, quibus e mortalibus afficitur, earumque ultionem perſequitur. Hæc aureo ſæculo familiariter inter homines verſata eſt: ſed poſtquam boves, quibus ad agros colendos utebantur homines, mactari inceperunt, receſſit illa, ac in cœlum B receſſit [7]. Auctor Eccleſiaſtici c. 39. 35. viperam cum ſcorpionibus, & carnivorarum ferarum dentes inter divinæ iræ inſtrumenta recenſet; & Ægyptii [8] credebant, aſpidem, qui Thermuthis appellabatur, bonis quidem parcere, impios vero laceſſere.

℣. 5. EXCUTIENS BESTIAM IN IGNEM.] Græci vulgo viperam vocant *therion*, beſtiam, unde *theriacum*, quæ viperina carne fit. Prudentius Hamartig. ca r. 2. ait, S. Paulum eam procul in aerem projeciſſe:

Excuſſamque procul decutis aſpidem:
Abjectus coluber verberat aera.

℣. 6. EXISTIMABANT EUM IN TUMOREM VERTENDUM.] Viperæ venenum pernicioſiſſimum eſt omnium, idemque præſentiſſimum. In ſanguine inflammationem, atque ebullitionem miram adeo gignit, ut demorC ſa corpora intumeſcant, atque acutiſſimis doloribus conficiantur, propter quos clamores edunt, non ſecus ac inter flammas comburerentur. Græcus [9] ait, Barbaros expectaſſe, ut *Paulus comburetur, vel repente mortuus in terram decideret*, & ſane qui de viperæ natura, & morſuum illius effectibus ſcripſerunt, ajunt, eos, qui mordentur, graviſſima ferre tormenta, atque mirum in modum intumeſcere [10]. Non ſemper ſtatim mors ſubſequitur, ideoque Barbari hæc in ambiguo ponunt, ut vel in tumorem verteretur, vel efflaret animam. Veteres profecto quidam docent, non deeſſe viperas quaſdam, quæ in eodem fere momento inferunt mortem; alias vero vitam adhuc in aliquot horas relinquere. Effectus autem viperini morſus pendet, & e vipera eadem, quæ magis, minuſve in iram excitata D eſt, magis minuſve repleta, & ſaturata, ſed pendet etiam ab illius, qui demorſus eſt, humoribus, ætate, atque temperamento.

Ajunt [11], in Inſula Melita nullam eſſe viperam, neque aliquod virulentum animal; quæ vero aliunde illuc adferuntur, ibi vivere non poſſe, præſertim eo in loco, ubi S. Paulum vipera momordit. Hæc quædam eſt caverna, unde quotidie lapidis, terræque particulæ educuntur, quæ in varias terrarum partes afferuntur, ad virulenta animalia ejicienda, atque exterminanda, & ad ſerpentum, ſcorpionumque morſus, vel prævertendos, vel præſenti veluti pharmaco curandos. Dici nequit hæc regionis illius naturalis eſſe proprietas: Melitenſium enim opinio videntium viperam manui S. Pauli circumvolutam, ſatis probat ſerpentes E ibi æque, ac alibi noxios fuiſſe. Sed hæc virtus accepta refertur benedictioni, atque precibus Apoſtoli, qui pro hac Inſula privilegium illud dicitur obtinuiſſe. Refert Viator quidam, pueros ibi audacter citra noxam, atque periculum attrectare ſcorpiones.

Hac in Inſula plurimæ inveniuntur viperæ, & angues petrificati, quorum linguæ, oculi, & viſcera cor, a quibus geruntur a quolibet veneno tueri feruntur, quæ

1 Joan. Quintin. Heduus Ep. ad Sophum ſcripta Melitæ an. 1533. apud Boch. Canaan. lib. 1. cap. 26.
2 Προσελάβοντο πάντας ἡμᾶς. Vide Bedam. 3 Φρυγάνων πλῆθος.
4 Syr. Arab. Tertull. Scorpiac. *Paulus morſum viperæ ſprevit*. Ambroſ. Hexaemer. lib. 6. cap. 6. Prudent. *Retulit ad manum vibrato capite ſpicula dentium*. Arator. lib. 7. hiſt. Apoſt. Oecum. alii.
5 Ἡ δίκη. 6 Heſiod. oper. & dies verſ. 254.
7 Arati Phenomen. & Nazian. car. 3. 8 Ælian. hiſt. anim. lib. 10. cap. 31. Vide Bochart. de anim. ſacr. part. 2. lib. 3. cap. 2. 9 Αὐτὸν μέλλειν πίμπρασθαι, ἢ καταπίπτειν ἄφνω νεκρόν.
10 Nicander. Theriac. verſ. 240. Dioſcorid. lib. 6. Paul. Æginet. Aetius, alii apud Boch. loco citato.
11 Quintinus Æduus. Baron. an. 58. Fromond. alii.

quæ virtus etiam ineſſe dicitur earum ratum raſuris, & pulveri, vel raſuræ ex rupe cavernæ illius S. Pauli. Nonnumquam etiam ex Melita in Siciliam allatæ ſunt viperæ, quæ ſtatim ac ibi adſueverunt, venено infeſtæ ſunt. E contra vero Siculæ viperæ Melitam allatæ ſtatim veneni ſui jacturam ſecere.

Esse Deum.] Credidarunt, hunc Herculem eſſe, qui mala omnia avertebat, & qui præcipue Inſula Melita colebatur [1]. Nemo neſcit, primum ex Herculeis laboribus illud fuiſſe, quod cum puer adhuc in incunabulis eſſet, angues contriverit. Lyſtrenſes aliquot annis ante Apoſtolum ipſum Mercurium eſſe crediderant, Act. 14. 11.

℣. 7. Principis Insulæ nomine Publii.] Grotius, & Bochartus non ſine multa varietatis ſpecie credunt, hunc Publium Inſulæ a Romanis fuiſſe præfectum; & nomen *Principis Inſulæ* nomen eſſe dignitatis. Vide dicta in primum capitis hujus verſ. Credunt, hunc Publium, & pleroſque Inſulanos converſos fuiſſe [2]; & Ado, quem Latini quidem ſequuntur, putant, Publium, cum S. Paulo adhæſiſſet, ab eodem Epiſcopum fuiſſe ordinatum, atque ad Evangelium prædicandum miſſum, qui cum Athenas perveniſſet, eam Epiſcopali jure rexit Eccleſiam, ibique martyrio coronatus ad cœleſtem gloriam evolavit. Sed hæc ſententia probari minime poteſt, nam S. Publius Athenienſis Epiſcopus non niſi ſub Marci Aurelii tempore martyrio affectus fuit [3].

℣. 8. Febribus, & Dysenteria.] Duo hi morbi in ſene conjuncti efficiebant, ut curatio valde eſſet difficilis; malum vero multæ aleæ refertum. Hunc Sanctus Paulus curavit intra tres eos dies, quo Publius Julium Navarchum, omneſque illius ſocios muneribus cumulavit. Oportet ſane Publium opibus præſtitiſſe, atque admodum fuiſſe liberalem, ut toto eo tempore ducentos, & ſeptuaginta ſex homines tridon convivio exceperat.

℣. 10. Multis honoribus.] Vel potius nos affluentat munerati ſunt; omni honorum genere cumularunt [4] in grati animi officium ob eas curationes, quas paſſim in Inſula fecerat S. Paulus.

Post tres menses.] Si ſupponas, illos ſub finem Octobris Melitam perveniſſe, quemadmodum ſuperius dictum eſt, inde ſub Februarii initium diſceſſerunt. Nimia maturare quidem tunc mari vela creduntur, ſed non deſunt anni, quibus menſis ipſe Februarius ſuavis eſt, & navigationi percommodus.

Cui erat insigne Castorum.] Hæc navis longe alia erat ab ea, quam Myræ in Lycia conſcendarant: illa, quam Melitæ invenerunt, pro inſigne Caſtorem, & Pollucem ferebat. Græcæ [5]: *cui erat inſigne Dioſcuri*, vel filii gemini Jovis, & Ledæ. Caſtor erat major natu, Pollux vero minor, quorum ſtella procellas diſjicere putabatur, & quæ a Nautis ſummo cum honore colebatur. Antiquitus oblongæ naves quoddam animali inſigne deferebant in prora, & præterea Deos cuſtodes, vel tutelares in puppi. Dioſcori, vel Caſtor, & Pollux erant in prora, & in inferiori parte navis, atque ab illis navis denominabatur [6]. Virgilius Æneid. 10. loquitur de quadam navi, quæ Tigris appellabatur eo quod proram habebat Tigris imagine exornatam.

. . . *Ærata Princeps ſecat æquora Tigri.*

Aliam vero Centaurum [7], aliam chimeram ſimili ex cauſa nuncupat. Navis, quæ Ganimedem abſtulit *Aquila*, quæ vero Europam, *Taurus* appellabantur: ac inde ortæ fabulæ, ubi Ganimedes ab Aquila, a Tauro Europa ablati dicuntur.

Dii vero navis patroni, atque tutelares alii erant omnino: iique in puppi, & in poſteriori navis parte collocabantur. Perſius Sat. 6. *ingentes de puppe Dii*: & Ovidius l. 1. Triſt. Eleg. 3.

. . . . *puppique recurvæ*
Inſilit, & pictos verberat unda Deos.

Et Virgilius de navi eadem, quam Tigrim appellavit, verba faciens, Apollinem tutelare numen illius fuiſſe teſtatur:

. . . . *aurato fulgebat Apolline puppis.*

Auctor eſt Herodotus l. 3. c. 37. a Phœnicibus tutelares naium ſuarum Deos *Patæcos* fuiſſe appellatos. Hi vero Dii in gratiarum actionis ſignum, ubi in portum ventum erat, coronis redimiri conſueverant. Virgilius:

Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.

℣. 12. Cum venissemus Syracusam.] Melita Italiam venientibus via brevior eſt juxta orientalia Siciliæ littora, ut Siciliam inter, & Italiam prætervehantur. Triduo venerunt Syracuſas urbem celebrem in Siciliæ ora poſitam. Inde Rhegium in ora Italiæ, quæ Calabria dicitur e conſpectu Siciliæ. Vide Tabulam.

℣. 13. Flante Austro venimus Puteolos.] Auſter eorum itineri favebat. Puteoli urbs eſt Campaniæ ad octavum a Neapoli lapidem. Naves Alexandrinæ, ut ut plurimum ad eam civitatem appellebant [8], quæ quinquaginta circiter leucas abeſt a Roma. S. Ignatius Martyr [9], Romam veniens martyrium paſſurus, cupiebat Puteolis appellere, ut S. Pauli veſtigia legeret, ſed non permittente Deo hoc illi ſolatium, felices vocabat eos fideles, qui ibi permanebant.

℣. 14. Ibi inventis fratribus.] Chriſtianis, quorum plurimi aderant jam in Italia, quemadmodum liquet ex Epiſtola ad Romanos, aliquot ante hoc iter annos conſcripta: *Rogati ſumus manere*: Græcus verti poteſt [10]; *ſolatio ab illis affecti fuimus, ſeptem dies apud illos permanentes*. Vel ſumma cum voluptate apud illos dies ſeptem commorati ſumus.

Sic venimus Romam.] Textus ad litteram [11] vertitur a Vulgata: at ſignificat; iter Romam verſus arripuimus; quod a ſequentibus patet:

Usque ad Appii forum.] Secundo & quinquageſimo lapide a Roma. Hinc liquet, quinam fuerit primorum Chriſti fidelium fervor, quis eorum amor, & obſervantia erga Apoſtolos, præſertim vero erga S. Paulum, quem ex fama tantum, & ex Epiſtola ab hoc ad illos conſcripta cognoverant. *Forum Appii* dicebatur locus quidam, ubi Appii Claudii erat ſimulacrum [12], a quo ſtrata fuerat via omnis, quæ Appia dicitur, & quæ Romam inter, & Capuam intercedit. Hoc Appii forum inſignis erat locus prope mare, ubi ſemper plurimi nautæ, atque ad eam [13] verſabantur.

Tres tabernae.] Hic alius erat locus ſecus Appii viam ad tertium ſupra trigeſimum lapidem, vel leucas undecim procul ab Urbe. Alii obvii occurrerunt Paulo uſque ad forum Appii, alii vero uſque ad tres Tabernas.

Cum venissemus Romam.] Credimus hoc accidiſſe ſub finem Februarii. Antiqua Martyrologia [14] ajunt, illum in Urbem veniſſe die ſexta Julii. Arator vero [15] qui

1 Grot. & Heinſ. Bochart. 2 Vide Chryſoſtom. homil. 54. in Acta. Gregor. in Job. lib. 27. cap. 11. & Recentiores plures. 3 Vide Tillemont. Not. 64. in S. Paul.
4 Humin. Faumond. Vide 1. Timoth. 5. 17. *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt.*
5 Παρασήμῳ Διοσκούροις. 6 Scaliger. Boch. Canaan. Grot.
7 Æneid. 5. *Ingenti mole Chimeram.*
. . . *Et*
Centauro invehitur magna.
8 Grot. ad Act. 27. 6. Baron. ad an. 59. 9 Acta Martyr. Syncera p. 705. 706.
10 Παρεκλήθημεν ἐπ' αὐτοῖς ἐπιμεῖναι ἡμέρας ἑπτά. 11 Εἰς τὴν Ῥώμην ἤλθομεν.
12 Iſidor. Peluſ. Ep. 337. Sanct. Cornel. 13 Horat. lib. 1. Satyr. 5.
. . . . *Inde forum Appii*
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
14 Beda, Ado, Uſuard. Vide Baron. 15 Arator.
Pullulat interea nitidi coma frondea veris.
Qua juveneſcit humus ſenio, fugiente pruina.

qui ſexto vivebat ſeculo, in menſem Martium id rejicit. Græcus addit [1]: *Centurio captivos Præfecto Prætorii tradidit*. Afranius Burrus Claudio imperante factus fuerat Prætorii Præfectus anno JESU CHRISTI 51. Huic non modica pars fuit in Nerone ad Imperium evehendo, & quamdam deinceps etiam in hujus Imperatoris animum auctoritatem ſervavit, qua pro virili prava Principis ſtudia coercere adnitebatur. Obiit anno JESU CHRISTI 62. duobus circiter annis antequam S. Paulus Romam veniret. Illius ſapientiam, atque modeſtiam celebrant hiſtorici, cujus rei argumentum eſſe poſſe videtur facultas, qua Paulo permiſit *manere ubi vellet cum cuſtodiente ſe milite*.

MANERE SIBIMET CUM CUSTODIENTE SE MILITE.] Illi permiſſum fuit, ut maneret in Civitate, & extra communem carcerem, ſemper tamen catena dexteræ manus alligata, cujus alteram partem militis læva tenebat, qui illum cuſtodiebat, ejuſque rationem reddere tenebatur; quam conſuetudinem non ſemel jam ſupra animadvertimus; & videre etiam apud Athenæum, qui aſſerit, Marinum Aquilinum alligatum fuiſſe Baſterne, qui vir erat quinque cubitorum, vel pedum ſeptem cum dimidio altitudine præſtans, & qui obequitans illum poſt ſe trahebat [2]. Narrat Joſephus Antiq. l. 18. c. 8. Agrippæ militem fuiſſe permiſſum, cum quo vinctus erat, ita ut in carcere non permaneret, & liceret illi amicos, qui ipſum convenerent, alloqui. Seneca de Tranquil. l. t. c. 10. omnes Mundi hujus homines tot veluti captivos eſſe putat ſingulis militibus alligatos. Miles vero, qui captivum deducit, eſt in ſenſu quodam parum adeo liber ac ipſe captivus: *alligatique ſunt etiam qui alligaverunt, niſi tu forte leviorem in ſiniſtra catenam putas*. S. Chryſoſtomus hom. 54. in Acta, credit, militem hunc illi adjectum fuiſſe, non ut prohiberet, ne Paulus fugeret; ſed potius, ut illum ab omni Judæorum impetu præſtaret incolumem.

℣. 17. PRIMOS JUDÆORUM.] Romanæ Synagogæ Principes, qui præ ceteris meliori exiſtimatione fruebantur. Vidimus ſupra [3], ab Imperatore Claudio Urbe ejectos fuiſſe Judæos propter tumores quoſdam, qui illos inter atque Chriſtianos fuerant oborti. Illoc plane reverſi ſunt ſtatim poſt Imperatoris obitum, qui accidit anno quinto, antequam Paulus Romam veniret. Ex ipſa etiam epiſtula, quam Apoſtolus biennio ante [4] Romanis ſcripſit, jam tunc plurimi Judæi, atque Chriſtiani Romæ fuiſſe videntur. Rogavit ergo S. Paulus Judæorum primos, ut ſe convenirent; cum fortaſſe nondum eam adeptus eſſet libertatem, quam deinde obtinuit eundi, quo vellet cum milite, qui illum ſequebatur, & privata in domo, quam conduxerat, permanendi. Hoc enim accidit tertia die, ex quo Romam ingreſſus eſt, & difficile videtur brevi adeo temporis intervallo Prætorii Præfectum cognoſcere potuiſſe Pauli cauſam, atque tantam cum illo inire conſuetudinem, ut illum extra carcerem quocumque vagari permitteret. Quomodocumque ſit, Paulus feſtinavit loqui ad Judæos, antequam horum animus ab ipſo averteretur, ſi quid litterarum Jeroſolymitani illis dediſſent, ut in ipſos ſuſpicionem, atque ſimultatem contra S. Paulum ingererent.

Ait illis, ſe quin aliquid mali, vel contra populum, vel contra Religionis conſuetudines feciſſet, fuiſſe comprehenſum, atque *traditum in manus Romanorum*; hoc eſt illos in ſe tanta uſos fuiſſe impotentia, ut Romani veriti, ne ab illis trucidaretur, ipſum de manibus eorum arripuerint [5]. Addit etiam ℣. 18. integritatem ſuam plane cognitam fuiſſe a Romanis Præſidibus, Felice, & Feſto, qui illum in libertatem vindicaſſent; præſertim vero Feſtus, niſi ipſe Cæſarem

A appellaſſet. Ait etiam, *contradicentibus Judæis* huic Præſidum benignitati, ſe coactum fuiſſe, ut licet invitus ad externam poteſtatem confugeret, cum non ſemel in vitæ diſcrimen adductus fuerit, & pluribus ſceleribus accuſatus, quorum illi ne unum quidem probare potuerunt. S. Lucas iſthic ſummam dumtaxat refert ſermonis S. Pauli apud Judæos; ut credendum eſt, ab eo accuratiſſime narrata fuiſſe ea, quæ Jeroſolymis acciderant, ex quo Jeroſolymam venerat, uſque dum Cæſaream navem conſcendit.

℣. 20. PROPTER SPEM ISRAEL.] Hæc vera cauſa fuit, propter quam comprehenſus, & in carcerem conjectus fuit: quod videlicet prædico, Meſſiam [6], ſpem Iſrael, in JESU Nazareni perſona veniſſe, vel eo quod prædico mortuorum reſurrectionem [7], quæ eſt totius B populi Iſrael expectatio. Hæc erat profecto vera cauſa, propter quam ſacerdotum, & Saducæorum Principes in S. Paulum exarſerant, quemadmodum non ſemel jam dictum eſt [8].

℣. 21. NEQUE ALIQUIS FRATRUM.] Nemo Judæus ex Judæa inde huc venit, neque ullam contra te epiſtolam accepimus. Diſceſſerat S. Paulus ex Palæſtina eo anni tempore, quod ſatis hyemem verſus proceſſerat, & licet in itinere tot calamitatibus actus fuerit, maturatu Romam pervenerat hoc ſuppoſito, quemadmodum diximus, ipſum menſe Februario illuc appuliſſe. Non ita facile Judæi Palæſtinæ celerius Romam nuntios, vel epiſtolas mittere potuiſſent. Hyems non erat navigationi apta. Verum credi non poteſt, quominus quamprimum ad eos ſcripſerint, at- C que lites contra ipſum criminationes itereverint.

℣. 22. AUDIRE, QUÆ SENTIS DE SECTA HAC.] quæ ubique impugnatur. Profecto omnes Synagogæ Chriſtianam Religionem convellere ſtudebant, & de illis ejiciebantur, qui ſe JESU CHRISTI diſcipulos profiterentur: atque miſerant in omnem terrarum orbem epiſtolas, ut JESU CHRISTO, atque doctrinæ illius fidem omnem penitus abrogarent [9]. Judæi Romæ fortaſſe non viderant epiſtulam, quam S. Paulus biennio ante ſcripſerat ad fideles Romæ, hoc eſt Gentiles converſos: eaque in Synagoga perlecta non fuerat; quam etiamſi legiſſent, hoc minime abeſſe poterat, quominus cuperent S. Paulum audire. Omnino aliter ſenſus noſtros per os nostrum, & viva voce explicamus, quam in epiſtula ex longinquis regionibus ad eas gen- D tes, quas numquam vidimus, data.

℣. 23. TESTIFICANS REGNUM DEI.] Hoc nomine Hebræi vocabant Regnum Meſſiæ, ac tempus adventus ejuſdem, eaque locutione ſæpe in Evangelio Salvator utitur ad Evangelii prædicationem, populorum converſionem, Eccleſiæ ſuæ inſtitutionem innuendam. Conabatur igitur S. Paulus Judæis probare, JESUM CHRISTUM verum eſſe Meſſiam, atque Regnum illius in omni terrarum plaga Judæorum, & Gentilium affluenti converſione conſtitui. Illis fortaſſe narravit ea, quæ ipſe fecerat, eaque prodigia, quibus prædicationem ipſius Deus ſuam fuerat dignatus, ac ingentem Gentilium numerum, qui vitæ verbum receperant. Ex Scripturis illis oſtendit opus eſſe, ut jam Meſſias venerit, & JESUM CHRISTUM ad unguem ea adimpleſſe, E quæ de Liberatore Iſrael ibi portendebantur.

EX LEGE, & PROPHETIS.] Judæi ita omnia Veteris Teſtamenti Biblia dividebant [10]. Lex continet quinque Moyſis libros; Prophetæ vero cetera.

A MANE USQUE AD VESPERAM;] idque non ſolum prima ea die, ſed multis etiam deinceps; nam conventus hi ſatis diu habiti fuerunt; donec S. Paulus videns, inter illos non ſatis convenire, eoſque obtrectare iis omnibus, quæ ille afferebat, profeſſus eſt, illis obtrectantibus, Deum Gentilibus veritates ſuas communicatu-

1 Ὁ ἑκατόνταρχος παρέδωκε τοὺς δεσμίους τῷ στρατοπεδάρχῃ. Verum hæc verba non leguntur in MS. Alex. Syr. S. Jo. Chryſ. aliiſque exemplaribus. Zegerus, Millius, aliique nonnulli ea rejiciunt veluti gloſſema textui additum. 2 Athen. apud Grot. hic. 3 Act. 18. 2. Vide Sueton. lib. 5. cap. 25. Id evenit an. circiter 49. J. C. & 9. Claudii. 4 An. 58. J. C. 5 Act. 21. 31. & 22. 22. 23. & 23. 10. &c. 6 Vat. Cornel. Men. Tir. alii. 7 Grot. Fromond. 8 Act. 23. 6. 24. 15. 26. 6. 9 Vide Juſtin. Dialog. p. 234. 235. Origen. lib. 6. contra Celſ. Euſeb. & Hieron. in Iſai. 18. 2. 10 Matt. 7. 12. 22. 13. 22. 40. Luc. 16. 16. Act. 24. 14.

caturum ; ſe illis Evangelium prædicaturum, & illos inde uberrimum fructum laturos.

℣. 26. AURE AUDIETIS, & NON INTELLIGETIS.] Hæc verba ſæpe de Judæis pervicacibus dicuntur : hæc illa Iſajas 6. 10. de ævi ſui Judæis protulerat, & Salvator, atque Apoſtoli jure ſuo eadem tranſtulerant ad eos, ad quos loquebantur [1]. Hoc ipſum Hebræis immo & Chriſtianis pluribus hodie exprobrari poteſt, ſanctas veritates legentibus, atque audientibus, quin verum ſenſum aſſequantur, aut permoveantur. Locum hunc non ſemel explicuimus.

℣. 28. GENTIBUS MISSUM EST HOC SALUTARE.] S. Paulus Romæ loquitur fortaſſe conſtantius, ac vehementius, quam olim in Judæa ; quippe qui Imperatoris præſidio fruebatur, & Judæi non ſatis magnam Romæ auctoritatem obtinebant [2]. Quandoquidem Evangelium repellitis, illud annuntiabo Gentilibus juxta Veterum Prophetarum promiſſiones, & illi ſe ſe magis dociles præbebunt, quam vos fuiſtis.

℣. 29. MULTAM HABENTES QUÆSTIONEM?] aliis quidem S. Paulum defendentibus, aliis eum damnantibus. In ea Judæorum concione plurimi erant Chriſtiani, qui Pauli doctrinam contra Judæos incredulos, atque pertinaces, a quibus impugnabatur, propugnabant. Verſiculus hic in plurimis Græcis exemplaribus, in Alexandrino MS. Cophro, Syriaca Verſione, aliiſque pluribus deſideratur ; neque abeſt ſuſpicio, quod ſuppoſitus [3] fuerit.

℣. 30. MANSIT BIENNIO TOTO IN SUO CONDUCTO,] pro quo ille pecuniam perſolvit, S. Chryſoſtomo teſte hom. 55. in Acta, non ex alieno, ſed ex proprio labore, prout ſtatus in quo verſabatur, illi permittebat, ut quæſtum faceret. In hac domo eos omnes admittebat, qui illum audituri accedebant : atque aperte Evangelium prædicabat, itaut captivitas ipſius ad fidei propagationem non modice contulerit [4], & nomen illius in ipſa Neronis aula, ubi complures erant Chriſtiani, celebre evaſerit [5]. Ferunt donec ibi permanſit, cum Seneca Philoſopho neceſſitudinem iniiſſe [6]; immo editæ ſunt epiſtolæ quædam Senecæ ad S. Paulum, & Pauli ad Senecam, quas S. Auguſtinus [7], & Hieronymus [8], veras credidiſſe videntur : Verum eruditis viris hodie perſuaſum eſt, illas ſuppoſititias eſſe, Apoſtolo & Seneca indignas.

Philippenſes, qui ſemper peculiarem erga S. Paulum benevolentiam teſtati fuerant, cum audiviſſent, illum Romæ captivum eſſe pro JESU CHRISTO, ad eum miſerant Epaphroditum Apoſtolum, vel Epiſcopum ſuum, qui ad eum pecunias aliquot attulit, eique illa præſtitit officia, ut graviſſima pro eo ſubierit pericula, ex quibus in graviſſimum incidit morbum. Ubi curatus fuit Philippos rediit, & illi S. Paulus tradidit epiſtolam ad Philippenſes, unde has omnes circumſtantias didicimus [9]. Ex epiſtolæ hujus titulo liquet Timotheum tunc Romæ fuiſſe cum illo, atque ſperaſſe, ut quamprimum de captivitate eriperetur.

Tempore eodem, quo S. Paulus Romæ verſabatur, convertit Oneſimum ſervum Philemonis S. Pauli neceſſarii. Oneſimus cum Domino ſuo furtum feciſſet, a Coloſſenſium Civitate in Phrygiam aufugerat, mox Romam, ubi cum reperiſſet S. Paulum, illi erratum ſuum confeſſus, ſe ſe convertit, atque in Eccleſia nominis celebritatem ſibi comparavit. S. Paulus illum ad ejus Dominum remiſit cum epiſtola ad Philemonem, quæ adhuc extat, & unde hanc diſcimus hiſtoriam. Ibi etiam ait Apoſtolus, ſecum fuiſſe Epaphram, Ariſtarchum, S. Lucam, Demam, & Marcum [10].

Philemon in S. Pauli gratiam Oneſimum recepit, ejuſque fugam, & furtum condonavit, & paulo poſt illum Romam ad S. Paulum remiſit, ut ipſi in vinculis poſito famularetur. Sed Apoſtolus cum ab Epaphra, & ab epiſtolis ab Oneſimo ſibi Laodicea allatis, audiiſſet, quoſdam Pſeudo-Apoſtolos adniti, ut in Coloſſenſi Eccleſia errores ſpargerent, ad Eccleſiam ejuſdem fideles ſcripſit, ut illos edoceret, atque contra doctorum nequitiam præmuniret. Ad illos etiam miſit Tychicum, qui fidelis erat miniſter Domini, una cum Oneſimo, quem ſecundo ad Philemonem remiſit, atque illis tradidit eam ad Coloſſenſes, quam adhuc habemus, Epiſtolam.

Adhuc Romæ, vel ſaltem in Italia erat, cum ſcripſit Epiſtolam ad Hebræos. Verum iſthic operæ pretium non duco, fuſius verba facere de iis, quæ adverſus hoc opus opponuntur ; latius enim in præfatione commentariorum verba faciemus, atque omnia diligenter explicabimus. Sub idem tempus vel fortaſſe paulo ante ipſe in libertatem vindicatus fuerat : quomodo vero libertatem fuerit adeptus, non ſatis liquet, quoniam neque ipſe, neque S. Lucas, neque vetus aliquis Scriptor aliquid memoriæ commendavit. Non liquet etiam, quid ille ad mortem uſque fecerit : ſed perfecte novimus, illum varia itinera ſuſcepiſſe, Evangelii lumen in plurimos locos effudiſſe, iterum catenas, cruciatus, certamina, carceres, inſidias fuiſſe perpeſſum ad illud uſque extremum vitæ ſpatium, quo Deus laboribus illius coronam imponere dignatus eſt pretioſa morte, cum illi caput fuerit obtruncatum Romæ anno 66. JESU CHRISTI ; Neronis vero decimo tertio.

---

1 Matt. 13. 14. 15. Marc. 4. 12. Luc. 8. 10. Joan. 12. 40. Rom. 11. 8.
2 Chryſoſt. Fromond. 3 Vide Mill. hic. & Proleg. 981. Eraſm.
4 Philipp. 1. 12. 5 Philipp. 4. 22. 6 Vide Baron. ad 61. n. 11.
7 Aug. Ep. olim 54. nunc 153. n. 14. c. 5. 8 Hieron. de Viris Illuſtr. c. 12.
9 Philipp. 1. 12. 13. 11. 25. 4. 15. 16. 18. &c. 10 Ad Philem. verſ. 23. 24.

FINIS ACTORUM APOSTOLICORUM.

VARIANTES LECTIONES
QUATUOR EVANGELIORUM
E VETERIBUS MSS. DECERPTÆ.

POST noſtri in S. Matthæi Evangelium commentarii editionem ad manus meas pervenit vetuſtiſſimus Abbatiæ Corbejenſis codex Mſ. n. 195. ſæculo ſexto uncialibus literis exſcriptus, in quo verba ſæpiſſime altera ab alteris ſejuncta non ſunt, & modis diſſluens eſt orthographia. Continet iſte quatuor Evangelia, qualia erant ante S. Hieronymi correctionem, ſeu interpretationem. Cum autem eo uterentur ad evangelium in Miſſa canendum, plures, præcipue vero in S. Matthæo, ſuperadditæ fuerunt correctiones, quo S. Hieronymi Vulgatæ conformior redderetur. Hæ tamen correctiones tum ob atramenti, cum ob characteris diſcrimen ab ipſo opere facile diſcerni queunt. Quatuor autem Evangeliſtæ alio omnino ordine, ac in noſtris exemplaribus, in illo collocantur. Occurrit primo S. Matthæus, cujus priora undecim capitula excidere. 2. S. Joannes; 3. S. Lucas, vel Lucanus, ut ibi appellatur; & 4. S. Marcus. Præcipuas hujus Mſ. variantes lectiones collegimus; ſi enim omnes adnotare placuiſſet, totus fuiſſet exſcribendus; nam in ſingulis ferme verſiculis, ſi verborum ordo, & vocabula æquivalentia ſpectentur, obviam habentur.

Hujus Mſ. & aliorum, qui in antiquis bibliothecis adhuc inveniri poſſent, auxilio, nullus dubito, quin veteris Italicæ textus quoad Evangelia reſtitui poſſet. Lucas Brugenſis vetuſtum Abbatiæ Malmundarienſis Mſ. veterem Vulgatam continentem laudat. P. Martianæus Congregationis S. Mauri Benedictinus veterem S. Matthæi textum e duplici antiquo Mſ. S. Germani de Pratis altero, & altero Corbejenſi, ſed a noſtro ob ejus antiquitatem, & characterem longe diverſo depromptum edidit. Corbjenſis, qui in P. Martianæi manus incidit, 800. annorum antiquitatem non excedit, & litteris Saxonicis, ſeu Merovingicis ſcriptus eſt; noſter verò exaratus characteribus Latinis, quadratis, uncialibus, & ſexto ſæculo, ut doctiores opinantur. Martianæi codex veterem S. Matthæi Italicam tantummodo, ut videtur, continet; noſter quatuor Evangelia. Noſtrum autem conferentes Mſ. cum Martianæi editione S. Matthæi animadvertimus noſtrum cum Mſ. S. Germani de Pratis, cujus variantes ad oram ſuæ editionis poſuit Martianæus, magis convenire. Has omnes variantes conferentibus patebit, quam verè dixerit S. Hieronymus Præfat. in Evang. tot olim varietates in Exemplaribus occurriſſe, ut tot diverſa exemplaria cenſeri poſſent, quot codices haberentur. *Si Latinis exemplaribus fides eſt adhibenda, reſpondeant, quibus? Tot enim ſunt exemplaria pene, quot Codices.*

VARIANTES LECTIONES

E vetuſtiſſimo Corbejenſi Mſ. num. 195. quatuor Evangelia continente decerptæ.

Undecim priora S. Matthæi capita deſiderantur.

CAPUT XII.

℣. 1. PEr *ſegetes ſabbatis . . . Servientes*, pro, *ſurientes*;
8. Dominus eſt enim ſabbati, Filius hominis.
24. Niſi in Belſebul.
27. Judices erunt veſtri.
37. Unuſquiſque enim ex verbis ſuis condemnabitur!
41. Ninevitæ reſurgent in judicium . . . Ecce plus quàm Jona.
42. Ab ultimis partibus terræ . . . . Ecce plus quàm Salomon.
43. Et non invenit:
45. Introeuntes habitant in eo . . . . Pejora magis quàm priora.
46. Hæc eo loquente ad turbas . . . Loqui cum eo;
47. Quærentes loqui tecum.
48. Mater mea, an fratres mei?

CAPUT XIII.

℣. 1. EXiit Jeſus & ſedebat. *recent. manu*, Exiit de domo.
2. In naviculam aſcenderet ſedere, & omnes turbæ ſtabant.
4. Volucres, & comederunt ea.
14. Implebitur in eis Prophetia Iſaiæ.
22. Sollicitudo ſæculi, & voluptas divitiarum, *recent. manu*, Fallacia
30. Colligate ea faſciculos.
32. Majus fit omnibus holeribus.
33. In farinæ menſuris tribus.
35. Eructabo abſconſa ante conſtitutionem mundi;
36. Parabolam tritici, & zizaniorum agri.
38. Filii ſunt nequitiæ.
44. Quem cùm invenit homo.
45. Homini negotianti, quærenti bonam margaritam.
47. Rete miſſo in mare, quod ex omni genere piſcium collegit.
48. Cùm autem eſſet impletum, eduxerunt id ad litus, & ſedentes elegerunt optimos in vaſis, malos autem projecerunt foras.
51. Dicunt ei utique.
55. Filius Joſeph fabri, . . . Judas, & Simon?

CAPUT XIV.

℣ 3. FRatris ſui Philippi.
5. Habebant eum.
6. In medio triclinii.
8. Dixit: Da mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ:
9. Herodes propter juramentum, & propter ſimul recumbentes, *recent. manu*: Propter juramentum autem, &c.
10. Miſitque, & decollavit eum, & allatum eſt caput, &c. Puella autem attulit matri ſuæ.
13. Quo audito Jeſus ſeceſſit inde in navicula.
14. Et vidit turbam multam miſertus eſt illi, *recent. manu*. Exiens vidit, &c.
21. Exceptis pueris, & mulieribus.
22. Præcedere transfretum.
23. Dimiſſe turbam, & aſcendit.
24. Erat enim illis ventus contrarius;
27. Conſtantes eſtote, nolite timere, ego ſum.
28. Super aquam.
32. Cùm aſcendiſſet.
33. Verè Filius Dei eſt.
36. Quicumque tetigerunt. ſalvi facti ſunt.

CAPUT XV. MS. XLV.

℣. 2. CUm manducant panem.
6. Et non honorificavit patrem ſuum, &c. Irritum feciſtis verbum Dei.
8. Plebs hæc me labiis honorat.
14. Cæci ſunt duces cæcorum . . . . Si cæco ducatum dederit.
20. Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem. (*Hæc non leguntur niſi recent. manu.*)
Egreſſa à finibus illis.
26. Non licet accipere panem filiorum, &c.
30. Claudos, cæcos, debiles, mutos, ... Et curavit eos omnes.
32. Quia triduum eſt jam quod perſeverant mecum;
33. Et ſaturentur turbæ.

35. Præ-

Digitized by Google

35. Præcepit turbæ diſcumbere in terra:
39. Magedam.

CAPUT XVI.

℣. 2. RUbicundum eſt enim cum nubibus cęlum.
3. Tempeſtas erit; rubicundum eſt enim cum triſtitia cęlum.
8. Quibus cogitantibus dixit Jeſus.
10. Septem panum, & quatuor millia hominum.
12. Non dixit, à fermento, ſed à doctrina Phariſæorum. *recent. manu.* A fermento panum, ſed à doctrina.
13. Quem me dicunt homines eſſe Filium hominis?
18. Dico tibi tu es petrus.......Non prævalebunt ei. (vel *ejus.*)
19. Quæcumque ligaveris .. erunt ligata, &c.
20. Quod ipſe eſſet Chriſtus.
21. Poſt tertium diem reſurgere.
22. Cępit increpare, & dicere: Abſit à te, propitius (eſto) tibi: non erit iſtud.
23. Vade retro poſt me, Satana :: . Recent. manu. *Quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.*
24. Poſt me vult venire, abneget ſe ſibi.... Tollat crucem *meam*. Recent. manu. *ſuam*.
26. Commutationem animæ ſuæ.
27. In majeſtate Patris ſui.

CAPUT XVII.

℣. 3. APparuit illis Moyſes, & Helias conloquentes cum eo.
5. Inumbrabit eos. *recent. manu.* Obumbrabit.
9. Dixeritis viſum.
11. Venturus eſt reſtituere omnia.
12. Fecerunt ei quanta voluerunt.
Sic & Filius hominis neceſſe habet pati ab eis.
14. Aliquotiens in aquam.
16. Quouſque patiar vos, quouſque ero vobiſcum?
21. Futurum eſt ut Filius hominis tradatur.
23. Qui didragma exigebant.
24. Ait, utique. Et intranti domum prævenit eum Jeſus.

CAPUT XVIIII.

℣. 2. ET Jeſus vocavit puerum, & ſtatuit eum in medio.
3. Et efficiamini ſicut pueri.
4. Sicut puer iſte.
5. Unum puerum talem .... me accepit.
7. Væ autem huic mundo ... venire ſcandala:
8. Bonum eſt enim tibi in vitam venire.
9. Unum oculum habentem in vitam intrare:
13. Gaudebit in eam magis, quàm in nonagin ta, & novem.
15. Quod ſi peccaverit in te.
16. Adhibe tecum unum, vel duos.
17. Quod ſi non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. Recent. manu. *Si non audierit, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi, &c.*
19. Si duobus convenerit ex vobis ſupra terram:
21. Si peccaverit in me frater meus, quotiens remittam ei? uſque ſepties?
23. Simile eſt habitum Regnum Cęlorum.
26. Patientiam habe, & omnia reddam. Miſertus .:
29. Patientiam habe in me, & reddam tibi.

CAPUT XIX.

℣. 1. FActum eſt cùm locutus eſſet Jeſus ſermones iſtos; tranſtulit ſe à Galilæa.
4. Qui fecit hominem, & feminam fecit eos; *recent. manu additur*: Ab initio.
6. Quod ergo Deus conjunxit in uno, homo.
7. Et dimittere uxorem.
Ibid. Qui dimiſſam duxerit, fornicatur,
10. Si ita eſt cauſa viri.
11. Sunt enim ſpadones:
Ibid. Caſtrati.
13. Oblati ſunt ei pueri ... & prohibebant.
14. Sinite infantes .. talium eſt Regnum Cęlorum;
15. Et impoſitis illis manibus.
16. Et ecce unus acceſſit ad eum, & ait.
Ibid. Quid faciam. *recent. manu*. Quid boni faciam;
17. At Jeſus dixit ei... Sed ſi vis in vitam venire.
18. Non occides, non mœchaberis, non furtum facies;
20. Dicens illi. *recent. manu*. Dicit.
21. Vade, vende omnia bona tua, & da;
24. In Regno Cęlorum,

25. Auditis autem Diſcipuli his verbis mirabantur, & timebant valde dicentes: Et quis poteſt ſalvus fieri?
27. Et ecce nos reliquimus.
28. In generatione cùm venerit.
29. Aut ſorores, aut matrem, aut filios. *recent. manu.* Aut uxorem.
30. Multi autem ſunt noviſſimi.

CAPUT XX.

℣. 1. SImile eſt enim.
3. Egreſſus autem: .... invenit alios.
6. Circa autem undecimam horam exiit.
11. Et accipientes murmuraverunt.
15. Aut non licet mihi facere quod volo?
17. Aſcendens Jeſus Jeroſolymis... Diſcipulos, & ait illis.
18. Et condemnabunt me morte. *recent. manu.* Eum;
19. Gentibus ad dolendum.
21. Ipſe autem dixit ei... Ait & illa.
22. Reſpondens autem illis Jeſus. Neſcitis quid, &c.
24. Audientes Deum contriſtati ſunt de duobus.
25. Poteſtatem habent.
26. Inter vos autem non erit ſic.... erit veſter miniſter:
28. *Addit*: Vos autem quæritis de puſillo, creſcere, & de majore minores eſſe. Intrantes autem, & rogati ad cœnam, nolite recumbere eminentioribus locis, ne fortè clarior te ſuperveniat, & accedens qui te vocavit ad cœnam dicat tibi: adhuc deorſum accede, & confundaris. Si autem in loco inferiore recubueris, & ſupervenerit humilior te: dicit tibi qui te vocavit ad cœnam: accede adhuc ſuperiùs, & erit hoc tibi utiliùs.
29. Quod Jeſus tranſit.
31. Miſerere nobis, Domine Fili David.
34. Miſertus autem illis.

CAPUT XXI.

℣. 1. IN montem Oliveti.
3. Dominus operam eorum deſiderat, & confeſtim remittet eos.
5. Et pullum novellum ſubjugalem.
7. Et impoſuerunt ſuper eum veſtimenta, & ſedebat ſuper eum Jeſus.
8. Straverunt in via.
19. Videns arborem unam ficus ſecus viam, venit ad illam.
21. Tolle te, & jacta te in mare, fiet.
31. Dicunt ei: noviſſimus.
32. Vos autem videntes nec pęnitentiam habuiſtis, poſt quod non credidiſtis.
34. Ut acciperent de fructibus ſuis:
37. Forſitan verebuntur, &c.
41. Malè perdet eos, & vineam locabit illis colonis qui reddant fructus temporibus ſuis.
42. A Domino factus hic eſt mirabilis in oculis noſtris:
℣. 44. *Deeſt in Mſ. hunc ſupplevit recentior manus.*
46. Timuerunt populos.

CAPUT XXII.

℣. 1. ET noluerunt venire.
4. Tauri & ſaginata mea occiſa ſunt.
5. Alii in villam, alii, &c.
7. Ille autem rex cùm audiſſet, iratus eſt, & miſit exercitum ſuum.
13. Tunc Rex dixit miniſtris: Tollite illum manibus, & pedibus, & mittite eum, &c.
15. Ut caperent eum in verbo.
18. Quid me tentatis? Oſtendite, &c.
30. Neque nubent, neque uxorem ducent.. Sicut Angeli in Cęlo.
34. Convenerunt ad eum.
37. In toto corde.
42. Cujus Filium dicunt David. *recent. manu*. Cujus filius eſt? Dicunt ei: David.

CAPUT XXIII.

℣. 4. ONera gravia, & imponunt, &c. *Addit recentior manus*. Et importabilia.
5. Fimbrias veſtimentorum ſuorum.
6. Primum diſcubitum in conviviis.
14. Occaſione longa orantes, propter hoc accipietis amplius judicium.
16. Templi, debitor eſt.
18. Debitor eſt.
23. Hæc oportuerat facere.

24. Liquantes culicem, &c.
25. Plena ſunt rapina, & intemperantia;
33. Generatio viperarum.
38. Ecce relinquitur vobis domus veſtra, *omittitur* Deſerta.

CAPUT XXIV.

℣. 1. Structarum Templi.
4. Vos ſeducat ullo modo.
6. Audient enim prælia.
7. Et erunt fames, & terræ motus: *omiſſo*, peſtilentiæ;
13. Qui autem permanſerit uſque ad finem.
15. Abominationem deſolationis, quod dictum eſt à Daniele.
16. Fugiant in montibus.
21. Erit enim tribulatio magna. *omiſſo*, Tunc.
28. Ubicumque enim fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ.
30. Plangent ſe.
32. Folia naſcuntur.
35. Verbum autem hoc non præteribit.
36. Neque Filius. (*Additum.*)
38. Manducantes, & bibentes, & uxores ducentes, uſque in eum diem.
℣. 41. *Omittitur omninò.*
42. Neſcitis qua die.
43. Qua hora fur venit.
45. Quiſnam eſt fidelis;
46. Quem veniens Dominus ejus inveniet ita facientem;

CAPUT XXV.

℣. 1. Simile æſtimabitur... quæ acceperunt lampades ſuas, & prodierunt, & venerunt obviam ſponſo,
6. Surgite obviam ei.
14. Peregre proſectus.
15. Proſectus eſt. Continuò autem qui quinque, &c.
16. Et operatus eſt in eis alia quinque.
17. Lucratus eſt in eis alia duo.
18. Qui unum accepit, fodit & abſcondit pecuniam Domini ſui.
22. *Omittit*: quia in pauca fuiſti fidelis;
26. Nequam, & piger.
27. *Omittit*: Cum uſura; *ſed addit recentior manus*.
29. Et quod habet auferetur ab eo.
36. *Omittit*: Nudus, & cooperuiſtis me.
40. Quandiu feciſtis uni horum minimorum, & mihi feciſtis.
41. Quem præparavit pater meus Diabolo. *Omittit*, & Angelis ejus.

CAPUT XXVI.

℣. 5. NE in die feſto tumultus fieret in populo.
9. Venundari, & dari. *Omittit* multò.
10. Quod ut cognovit Jeſus dixit: quid moleſti eſtis mulieri?
14. Judas Scarioth.
17. Prima autem Azymorum.
24. Bonum erat homini illi non naſci.
29. De hac creatura vitis.
33. Si omnes ſcandalizabuntur in te, ego numquam ſcandalizabor.
36. Donec eo illuc orare.
38. Suſtinete & vigilate mecum.
39. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.
40. Sic non potuiſti.
41. Ut non veniatis in tentationem:
42. Pater meus, ſi non poteſt hoc tranſire à me, niſi illud bibam, fiat voluntas tua.
44. *Omittit*, Tertiò.
46. Ecce appropinquat.
50. Cui dixit Jeſus. Ad quid veniſti, amice?
52. Qui accipiunt gladium, & gladio utuntur, gladio peribunt.
53. Aut non putas me poſſe modò rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquàm duodecim millia Angelorum.
58. Ut videret exitum rei.
60. Et non invenerunt eum. Et cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent, non invenerunt quicquam in eo.
65. Nunc audiſtis blaſphemiam ejus.
67. *Omittit*: Alii autem palmas in faciem ejus dederunt, *quod ſupplevit recentior manus*.
73. Nam & loquela tua ſimilis eſt ei.
74. Tunc cœpit devotare, & jurare.
75. Rememoratus eſt...... egreſſus foras, amariſſimè ploravit.

CAPUT XXVII.

℣. 3. COnſilium acceperunt.
4. Peccavi quod tradiderim ſanguinem juſtum;
5. Seceſſit, & abiit, & laqueo ſe ſuſpendit;
6. Non licet eos mittere in loculum.
7. Conſilio autem accepto inter ſe.
8. Acheldemach,
19. *Omittit*: Per viſum.
24. A ſanguine hujus. *Omiſſo* Juſti;
26. Jeſum flagellis cæſum.
29. Et adgeniculantes ſe ante eum, deludebant eum.
32. Hominem Cyrenæum venientem obviam ſibi, nomine Simonem.
35. *Omittit*: Ut impleretur quod dictum, *uſque ad finem verſus*.
40. Vah qui deſtruebat Templum Dei, & in triduum illud reædificabat, ſi Filius Dei es, deſcende nunc de cruce.
41. Cum Scribis, & Phariſæi dicebant.
43. Liberet eum, ſi vult eum.
46. Lama ſapthani.
49. Elias, & liberabit eum.
52. Sanctorum dormientium ſurrexerunt;
55. Mulieres à longè videntes.
56. Maria Jacobi, & Joſeph, & mater fil. Zebed.
63. Poſt tertium diem reſurgam.
65. Habetis cuſtodes, ite cuſtodite ſicut ſcitis.

CAPUT XXVIII LXXIII.

℣. 1. QUæ luceſſit in prima Sabbathorum.
3. Et veſtimenta ejus candida ſicut nix. A timore autem ejus commoti ſunt qui cuſtodiebant, & facti ſunt ſicut mortui.
7. Ecce dixi vobis.
12. Conſilium acceperunt, & pecunias copioſas dederunt militibus.
19. Et Filii, & ſancti Spiritus.
Evangelium S. Matthæi in MS. 1074. capita diviſum eſt;
In fine. Evangelium ſecundùm Matthæum explicit; incipit ſecundùm Joannem. Sequuntur Capitola Joannis numero XXXVI.

EVANGELIUM JOANNIS.

CAPUT I.

℣. 3. SIne illo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo vita eſt.
9. Venientem in hunc mundum, (10.) In hoc mundo erat.
11. In ſua propria venit.
14. Plenum gratiæ & veritatis.
21. Interrogaverunt eum iterum: Quid ergo?... Ne ergo Propheta es tu?
26. Medius veſtrum ſtat.
31. Ut manifeſtetur plebi Iſrahel.
34. Quia hic eſt electus Dei.
36. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.
43. Proficiſcens invenit.
45. Joſeph qui eſt à Nazareth.
48. Sub arbore ficus vidi te.
50. Sub arbore ficus.

CAPUT II.

℣. 1. IBi invitata,
3. Et vinum non habebant, quoniam conſummatum eſt vinum nuptiarum.
7. Et vocatis Jeſus miniſtris dixit eis: Implete, &c.
8. Et fecerunt ſicut dixit illis.
10. Cum inebriati fuerint, id quod deterius.
12. *Omittit*: Et Diſcipuli ejus.
15. Et fecit quaſi flagellum de veſte.

CAPUT III.

℣. 6. QUod natum eſt de carne, caro eſt, quia de carne natum eſt, & quod natum eſt de ſpiritu ſpiritus eſt, quia Deus ſpiritus eſt.

8. Sic

8. Sic eſt omnis qui natus eſt ex aqua, & Spiritu;

16. Ut Filium ſuum unigenitum mitteret.

18. Qui non credit in ipſum jam judicatus eſt.

19. Hoc eſt autem judicium Dei, quia lux venit in hunc mundum.

20. Qui mala agit:

23. Et adveniebant ei, baptizabantur ab eo:

36. Qui autem non credit Filio.

CAPUT IV.

ỳ. 6. JEſus autem fatigatus ex itinere ſedebat ſuper puteum. *recent. manu*. Sedebat *ſic* ſuper, &c.

11. Puteum hunc.

13. Ex hac aqua quam ego dabo ei.

18. Hoc verum dixiſti.

21. Veniet hora, neque in monte hoc.

24. Et eos qui adorant, in ſpiritu, &c.

28. Et dixit hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit omnia.

32. Quem vos non ſcitis.

36. Congerit fructum, &c.

42. Hic eſt Salvator mundi. *Omiſſo*, verè.

45. Galilæi univerſi.

47. Deſcende prius quàm moriatur puer.

50. Ait illi Jeſus. . Et credidit ille homo.

52. Melius habuit.

53. Cognovit ergo Pater quia dixit ei Jeſus, &c. *Omiſſo*; Quia illa hora erat, qua.

CAPUT V.

ỳ. 2. EST autem Jeroſolymis in inferiore parte natatoria piſcina, quæ dicitur Hebraicè Berseta.

4. Angelus autem deſcendebat, & movebat aquam, & quicumque prior deſcendiſſet in natatoriam, ſanus fiebat.

6. Quia jam multum. Tempus feciſſet in languore.

7. Reſpondens ei languens . . . mittat me in natatoriam;

9. Et ſurgens ſublato grabato ſuo ambulabat.

13. Jeſus autem declinavit.

23. Qui non honorificat Patrem, non honorificat Patrem qui miſit Filium *recent. manu*. Qui non honorificat Filium.

24. A morte in vitam æternam.

28. Dico enim vobis, nolite mirari hoc:

32. Alter eſt qui teſtimonium perhibet de me: *Omittit quid ſeq.* Et ſcio quod verum eſt teſtimonium quod perhibet de me.

33. Vos ipſi miſiſti ad me, & teſtimonium perhibuit Joanne de me.

37. Neque ſpeciem ejus vidiſtis.

39. Scrutamini Scripturas in quibus vos putatis vitam æternam habere:

41. Gloriam ab hominibus.

43. In nomine Patris mei veni, & non accepiſti. Si alius venerit.

44. Quomodo poteſtis vos credere, gloriam ab invicem quærentes. Et gloriam quæ ab illo ſolo eſt Deo, &c.

CAPUT VI.

ỳ. 1. TRans mare Galilææ, illius Tiberiadis. Sequebatur autem illum multitudo, quia, &c. . . . De his qui infirmabantur.

7. Ducentorum denariorum panes non ſunt, ut unuſquiſque modicum accipiat.

9. Sed hæc quid ſunt inter tantos homines?

10. *In illo loco*.

13. Ex illis quinque panibus.

15. Cùm cognoviſſet quia incipiunt venire, & rapere, &c.

19. Stadia viginti, vel triginta.

21. Confeſtim navis facta eſt ad terram quam ibant:

22. Quia non introivit Jeſus ſimul cum Diſcipulis ſuis in navem, ſed ſoli Diſcipuli ejus.

23. Aliæ verò . . . panem quem benedixerat Dominus;

30. Quid enim operaris?

32. Panem de cęlo illum verum. Dei enim panis eſt, qui de cęlo deſcendit, & dat vitam huic mundo,

39. Non perdam nihil ex eo.

43. Nolite murmurare invicem.

44. Adtraxerit eum.

45. Eſt ſcriptum enim in Prophetis.

50. Hic eſt autem panis qui de cęlo deſcendit;

51. De Cœlo deſcendit.

52. Hujus mundi vita . . . hic panis quem ego dabo:

53. Carnem. (*recent. manu*. ſuam.) Ad manducare:

54. Ut vobis ipſis.

55. Et biberit meum ſanguinem:

57. *Poſt hunc verſum addit*: Si acceperit homo Corpus Filii hominis quemadmodum panem vitæ, habebit vitam in illo.

60. Docens *Sabbata* in Cepharnaum.

61. Cognovit autem Jeſus.

63. Quid ergo cùm videritis:

64. Nam caro non prodeſt. Spiritus, & vita eſt:

65. Sciebat enim Jeſus. *recent. manu*. Ab initio:

66. Nemo poteſt venire, niſi fuerit, & datum deſurſum à Patre, *Additus*, ad me, *recent. manu*.

67. Et amplius cum illo non ambulabant.

68. Dixit ergo illis duodecim.

69. Verba vitæ æternæ Domine habes.

70. Filius Dei vivi.

72. Incipiebat enim tradere eum unus, cùm eſſet:

CAPUT VII.

ỳ. 1. NOn enim habebat poteſtatem in Judæam ambulandi.

4. Nemo quid facit in occulto. Quid facit quærit ipſe;

5. Neque enim tunc fratres ejus.

9. Hæc cùm dixiſſet illis.

12. Seducit populum.

18. Gloriam ſuam propriam.

19. *Recent. manu ad marg.* Et nemo ex vobis facit legem.

26. Et nihil dicunt, numquid fortè verè cognoverunt.

28. Clamabat autem in Templo Jeſus dicens. *omittit*, Quem vos neſcitis.

35. Dixerunt ad ipſos: . . . . ; Numquid in diſperſionem Græcorum incipit ire, & docere Græcos?

37. In noviſſimo autem die illo magno diei feſti, ſtabat Jeſus.

39. Quam incipiebant accipere credentes in eum. *Ibid.* Quia Jeſus nondum fuerat honorificatus.

46. Numquam ſic locutus eſt quiſquam homo.

51. Niſi audierit primum ab ipſo, & cognoverit quid facit.

53. *Omittitur totus hic verſus*.

CAPUT VIII.

ỳ. 1. JEſus autem aſcendit in montem Oliveti. (2). Et mane cùm factum eſſet, iterùm venit in Templum . . & cùm conſediſſet, docebat eos.

3. Mulierem in mœchatione deprehenſam, quam cùm ſtatuiſſent in medio, dixerunt ad Jeſum: (4.) Magiſter, hæc mulier deprehenſa eſt in mœchatione, (5.) in lege autem præcepit nobis Moyſes ut qui in adulterio deprehenditur, lapedetur; tu autem quid dicis de ea?

6. Hæc dicebant tentantes eum, ut haberent cauſam accuſandi eum.

Ibidem Jeſus autem inclinato capite digito ſcribebat in terram.

7. Cùm autem interrogarent expectantes eum quid diceret; erexit ſe . . . quiſque veſtrum ſine delicto eſt, prior in eam lapidem jactat.

8. Et iterum inclinans ſe, digito ſcribebat in terram.

9. Illi igitur cùm audiſſent, paulatim ſecedebant ſinguli, incipientes à ſenioribus omnes receſſerunt, & relictus eſt ſolus Jeſus. Et ecce mulier illa in medio erat.

10. Cumque erexiſſet ſe Jeſus, dixit ad eam: Mulier, ubi ſunt qui te perduxerunt? Nemo te lapidavit. Et illa reſpondens dixi: Nemo, Domine.

11. Nec ego te damnabo, vade ex hoc jam noli peccare.

12. Iterum locutus eſt eis, &c.

20. Qua nondum erat hora ejus.

23. Ego de ſuperioribus ſum.

26. Hæc eloquor in hunc mundum:

28. Sicut docuit me Pater, hæc eloquor.

31. Si vos manſeritis in verbo meo, verè Diſcipuli mei eſtis:

35. Filius manet in æternum;

40. Hominem qui veritatem locutus eſt vobis, quam audivit à Deo.

41. Nos ex proſtitutione non ſumus.

44. Ex ſuis propriis loquitur, quia mendax eſt ſicut pater ejus.

45. Ego quia veritatem dico, non creditis mihi.

46. Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?

47. Propterea vos me non auditis, quia non eſtis ex Deo.

49. Inhonoratis me.

50. Non quæro claritatem meam;

51. Non

52. Non guſtabis mortem, *omiſſo*, in æternum, *quod ſupplevit recentior manus*.

53. Numquid tu major es quàm Abraham, qui mortuus eſt?

54. Si ego clarificavero meipſum, claritas mea nihil eſt.

58. Ante Abraham ego ſum.

CAPUT IX.

℣. 4. QUando non poteſt operari.

5. Cum in hoc mundo ſum, lux ſum hujus mundi.

6. Et ſuperunxit illud ſuper oculos ejus.

8. Alii dicebant: Hic eſt. (9) Alii autem dicebant, quia ſimilis eſt ei.

11. Et abii, & lavi, & vidi.

15. Lutum poſuit mihi ſuper oculos. Et lavi, & ecce video.

16. Quomodo poteſt peccator hæc facere ſigna? Et ſchiſma erat in eis.

18. Non credebant Judæi de illo quoniam cæcus fuit, & vidit, donec evocarentur parentes ejus.

19. Et interrogaverunt eos: Hic es filius? &c. quomodo ergo videt modo!

22. Jam enim decreverunt ... extra ſynagogam eſſet.

24. Da honorem Deo.

25. Quia cæcus eram, & modò video.

32. A ſæculo numquam auditum eſt.

39. Ut qui non vident, videant.

CAPUT X.

℣. 1. QUi non intrat per januam in cohortem ovium:

3. Et ſuas oves vocat nominatim, & producit illas. (4) Cùm autem oves ſuas omnes produxerit... & oviculæ eum ſequuntur.

6. Non cognoverunt quod loquebatur illis.

7. Ego ſum janua ovium.

8. Non audierunt eum ſures oves meas. (*vitiosè*) *correxit*: non audierunt eos oves.

9. Ego ſum janua... Et introibit, & exiet.

10. Ut furetur, & occidat, & perdat. *omittit prior manus*: Et abundantiùs habeant.

13. Mercenarius autem fugit, quia conductus eſt.

15. Sicut cognoſcit me Pater, & agnoſco Patrem.

16. Et alias oviculas habeo ... & fiet unus Grex, & unus Paſtor.

18. Poteſtatem habeo ſumendi eam. Hoc præceptum accepi à Patre.

22. Facta eſt autem dedicatio in Jeroſolymis.

23. In porticu Salomonis in Templo.

31. Suſtulerunt lapides Judæi.

34. Nonne ſcriptum eſt in lege, quia ego dixi:

35. Ad quos ſermo fiebat Dei.

38. Quod ſi facio, & non vultis mihi credere, operibus credite, & cognoſcetis, quis in me eſt Pater, & ego in eo. Ubi erat Joannes prius baptizans, & manebat illic.

CAPUT XI.

℣. 3. O*Miſſus totus. Supplevit recens manus ad marginem*.

4. Sed pro gloria Dei, ut clarificetur Filius Dei in ipſo.

5. Diligebat Jeſus Lazarum, & Mariam, & ſororem ejus.

6. In eodem loco biduò.

12. Ut à ſomno ſuſcitem eum.

17. Quatriduo in monumento habentem.

18. Ferè à ſtadiis quindecim.

25. Licet moriatur, vivit.

29. Et veniebat ad eum.

32. Ut venit ubi erat Jeſus, & vidit eum, &c... ſi eſſes hic, non eſſet.

39. Quatriduum enim habet.

40. Videbis claritatem Dei.

41. Jeſus autem levavit oculos ſuos ſurſum, & dixit:

44. Et exiit ille mortuus... Facies ejus ſudario conligata erat.

45. Qui venerant ad Mariam, & qui viderant.

47. Quod hic homo talis ſigna facit: Si relinquimus eum ſic.

49. Cùm eſſet Princeps Sacerdotum anni illius.

50. Neque cogitatis quia expedit vobis.

51. Quod incipit Jeſus moriens pro gente mori:

52. Qui ſunt diſperſi colligant in unum.

55. Propterea autem erat Paſcha.

56. Quia non veniet ad diem feſtum:

CAPUT XII.

℣. 3. LIbram unguenti piſtici.

4. Judas Simonis Iſcariotis qui incipiebat eum tradere.

6. Non quod de pauperibus cura eſſet illi... exportabat.

8. Non ſemper habetis.

9. Et turba multa... audivit.

13. Flores palmarum.

18. Quia Lazarum vocavit.

19. Quia nihil proficit. Ecce unus populus ſequitur poſt illum.

20. Et erant Græci quidam ex his qui aſcenderant in die feſto ut adorarent.

24. Niſi granum tritici &c.

27. Pater, libera me, ex hac hora.

29. Quæ ſtabat, dicebat: Tonitruum factum eſt.

31. Nunc princeps mundi mittetur deorſum.

35. Adhuc modicum tempus, lux eſt in vobis.

37. Non credebant ei.

41. Quando vidit majeſtatem ejus.

42. Interim tamen ex principibus.

46. In hunc mundum veni.

47. *Omittit*: Sed ut ſalvificem mundum.

49. Ipſe mihi præceptum dedit quid dicam:

50. Et ſcio quia præceptum ejus.

Sic eloquor.

CAPUT XIII.

℣. 1. QUi erant in hoc mundo, uſque in finem:

2. In cor Simonis Scariothi ut traderet eum Judas ſciens.

7. Cognoſces poſtea.

9. Non tantum pedes, ſed etiam manus, & caput:

11. Qui traditurus erat eum.

14. Quantò magis & vos.

20. Qui accipit eum quem miſero.

21. Turbatus eſt ſpiritu.

23. Quem diligebat valde (24) Innuit ergo ei Simon Petrus, & dixit ei: Interroga quis eſt? (25.) Recumbens autem ille.

28. Hoc autem nemo diſcumbentium ſcivit quid dixerit ei.

32. Et Deus clarificabit eum in ſemetipſo, & continuò clarificabit eum. *Omittit*: Si Deus clarificatus eſt in eo.

34. Præceptum novum.

CAPUT XIV.

℣. 3. ET averſo vos ad meipſum.

7. Si cognoviſtis me, & Patrem meum cognoviſtis, & a modo noſtis eum, & vidiſtis eum.

9. Tantum temporis vobiſcum ſum.

10. Pater autem qui in me manet ipſe loquitur, & opera quæ facio ipſe facit.

12. Propter opera credite mihi:

13. Ut clarificetur Pater in Filio.

14. Et ſi quid petieritis à Patre meo in nomine meo, ego faciam.

15. Præcepta mea cuſtodite.

16. Ut vobiſcum ſit in æternum.

17. Vos autem noſtis eum quia apud vos manet, & vobiſcum eſt.

18. Venio ad vos.

21. Qui habet præcepta mea:

22. Non ille Scariothi, ſed alius... quia nobis incipis manifeſtare teipſum? Et non huic mundo?

26. Paraclitus ille Spiritus ſanctus... quæcumque dixero. *Omiſſo*, vobis.

27. Pacem meam relinquo vobis ... non quomodo hic mundus dat.

28. Gauderetis, quoniam vado, &c.

30. Jam non vobis multa loquar.

31. Ut cognoſcat hic mundus ... ſicut præceptum dedit mihi.

CAPUT XV.

℣. 2. OMnem qui adfert fructum ... ut fructum plurimum adferat.

4. Non poteſt ferre fructum à ſe, niſi manſerit in vite: ſic & qui in me non manet.

6. Si quis in me non manſerit, præciſus eſt ſicut palmes, & miſſus eſt foras, & aruit.

7. Quodcumque volueritis, petite.

12. Ut diligatis invicem qua dilectione dilexit vos.

18. Quia me priorem odio habuit.

21. Sed

21. Sed hæc omnia facient circa vos.
22. Excuſationem non habent de peccato. (*Omiſſo,*) ſuo.
24. Si opera non feciſſem in illis.

CAPUT XVI.

℣. 2. Extra ſynagogas facient vos.
9. Quia non credunt in me.
11. Quia Princeps hujus mundi judicatus eſt:
13. Ille ſpiritus veritatis deducet vos in omnem veritatem.
Quæcumque audierit loquitur;
16. Quia eo ad Patrem.
18. Quid eſt hoc modicum?
19. Quia incipiebant eum interrogare ... quæritis ad invicem.
20. Quoniam vos flebitis, & lugebitis ... triſtitia veſtra in gaudium veniet.
21. Quia venit dies ejus;
22. Nemo auferet à vobis.
23. Me non interrogabitis quidquam.
24. Ut gaudium veſtrum ſit impletum.
27. Quia vos me amatis, & credidiſtis ... à Deo Patre exivi, (28.) & veni in hunc mundum.
30. In hoc dixi vobis, quia à Deo exivi.
32. Uniſquiſque in ſua.
33. In hoc autem mundo preſſuram habebitis, ſed gaudete quoniam ego vici mundum.

CAPUT XVII.

℣. 3. Deum, & quem miſiſti, &c.
4. Opere conſummato quod dediſti.
11. In hoc mundo ... *recens. manu* Quos dediſti mihi ut ſint unum ſicut & nos.
16. *Ab hoc verſiculo uſque ad novum Cap.* XVIII. *Codex Mſ. truncatus eſt.*

CAPUT XVIII.

℣. 11. In vaginam ſuam ... nonne bibam illum?
18. Ad carbon. ... *recentiori manu*. Et calefaciebant ſe.
22. Unus adſtans ex miniſtris dedit palmam Jeſu dicens: Sic reſpondes Principi Sacerdotum?
28. Ad Caipham in Prætorium ne polluerentur.
40. Rabbi Barabam.

CAPUT XIX.

℣. 2. Et milites connstam coronam de ſpinis impoſuerunt.
3. Dabant ei palmas;
5. *Recent. manu.* Et dicit eis; Ecce homo:
14. Erat autem præparatio Paſchæ hora autem, hora quaſi ſexta.
15. At illi clamaverunt ... Principes Sacerdotum.
23. Unicuique militi partem. Tunica autem quæ erat contexta de ſuperiori per totum, non erat conſutilia.
24. Dixerunt ergo ad alterutrum ... ut Scriptura impleatur: partiti ſunt, &c.
26. Et Diſcipulum adſtantem quem diligebat.
29. Perticæ circumponentes.
31. Quoniam paraſceve, cœnam paraverunt, ne remanerent, &c. Erat enim magnus dies illius ſabbathi.
32. Et illius quidem primi fregerunt crura, & alterius ſimul, qui crucifixus erat, &c.
34. Latus ejus percuſſit.
36. Offum non comminuentis ab eo.
37. In quem compunxerunt.
38. Quia erat diſcipulus, &c. Occultè autem... Venerunt ergo & tulerunt eum.
39. Venit ergo Nicodemus.
40. Adligaverunt cum aromatibus ... ſicut conſuetudo;
42. Propter paraſceven, quia, &c.

CAPUT XX.

℣. 2. Quem diligebat Jeſus.
3. Et veniebant.
5. Cum ſe inclinaſſet, & proſpexiſſet, vidit.
9. Non enim ſciebat ... quia oportet eum reſurgere à mortuis.
10. Abierunt ergo apud ſe diſcipuli.
11 *Omittit*, foris.
Plorans, ut ergo ploravit.
16. Et converſa illa dicit Hebraicè, Rabboni, quod interpretatur magiſter. Domine.
19. Et januæ eſſent clauſæ, ubi erant Diſcipuli collecti.
20. Et gaviſi ſunt Diſcipuli.

CAPUT XXI.

℣. 2. *Deeſt folium à* ℣. 23. *excluſo, uſque ad* ℣. 8. *Capitis XXI.*
9. Vident carbones incenſos, & piſcem, & panem ſuperpoſitum.
10. Quos nunc cepiſtis.
12. Nemo tamen audebat.
13. Quis ipſe eſt Dominus.
15. *Omittit* Plus his?
16. Quia diligo te ... oves meas.
17. Domine, omnia tu ſcis, tu noſti quia amo te.
18 Cùm eſſet junior, præcingebat ſe ... te præcinget.
20. Quem diligebat Jeſus, & qui recubuit ... & dixerat ei: Domine, quis eſt qui tradet te.
22. Si ſic volo, & in manere donec venio, quid ad te.
23. Sic ſermo apud fratres ... ſed volo manere cum donec veniam, quid ad te.
25. Et alia autem multa fecit Jeſus, quæ ſi ſcriberentur, nec ipſum arbitror mundum capere eos libros, qui ſcriberentur.

Evangelium ſecundum Joannem explicit.
Incipit Evangelium ſecundùm Lucanum. Amen,
Capitula Evangelii Lucani ſunt LXXVIII.
Capitula Evangelii Lucani explicit.

Incipit ejuſdem Argumentum.

Eſt quidem Lucas Antiochenſis Syrus, arte Medicus, Diſcipulus Apoſtolorum, poſtea verò Paulum ſecutus eſt uſque ad confeſſionem ejus, ſerviens Domino ſine crimine. Uxorem numquam habuit, filios numquam procreavit, LXXIV. anno obiit plenus ſancto Spiritu. Igitur cùm jam deſcripta eſſent Evangelia, per Matthæum quidem in Judæa, per Marcum in Italia, ſancto inſtigatus Spiritu in Achajæ partibus, hoc deſcripſit Evangelium, ſignificans per principium ante ſuum, alia eſſe deſcripta. ſed & ſibi maximam neceſſitatem incumbere, Græcis fidelibus cum ſumma diligentia omnem diſpoſitionem narratione ſua exponere.

Propterea ne Judaicis fabulis deſiderio teneretur, neve hæreticis fabulis, & ſtultis ... ſollicitationibus ſeducti exciderent à veritate, (*a*) perquam neceſſariam ſtatim in principio ſumpſit à Joannis nativitate, quæ eſt initium Evangelii præmiſſus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & fuit ſocius ad perfectionem populi, item inductionem baptiſmi atque paſſionis. Sed ejus profectò diſpoſitionis exemplum meminit Malachiel (*b*) Propheta ultimus de duodecim.

Poſtmodum Joannes Apoſtolus ſcripſit Apocalypſim in inſula Patmo, deinde Evangelium in Aſia. Item Lucas ſcripſit Actus Apoſtolorum.

Explicit Argumentum.

(*a*) Legendum eſt: *Itaque perquàm neceſſarium ſumpſit principium Evangelii à nativitate Joannis, qui eſt præmiſſus, (ſeu præcurſor) Domini noſtri Jeſu Chriſti, & qui fuit ſocius, &c.* (*b*) Facile alludit ad verba Malachiæ III. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.*

INCIPIT EVANGELIUM SECUNDUM LUCANUM.

CAPUT I.

℣. 1. Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare rerum narrationem, quæ in nobis completæ ſunt;
5. Et uxor illi de filiabus.
10. Populi orabat foris.
13. Et ait illi Angelus Domini dicens: ne timeas ...; quoniam ecce obſecratio tua audita eſt.
17. Et incredibiles ad prudentiam juſtorum.
19. Et dixit ei: Ego enim ſum Angelus Gabriel qui adſto,

22. Pro.

20. Pfopter hoc quod non credis verbis meis.
28. Ingreſſus ad eam Angelus, benedixit eam, & dixit illis ..... Inter mulieres.
32. Ipſa autem ut vidit eum mota eſt in introitu ejus, & erat cogitans quod ſic benedixiſſet eam.
34. Ego enim neſcio virum.
35. Spiritus ſanctus ſuperveniet te. :.. obumbrabit me, (*lege*) te. Quod naſcetur, ſanctum vocabitur.
36. Quæ vocabatur ſterilis. (37.) Quia non eſt impoſſibile Deo omne verbum.
38. Contingat mihi ſecundùm verbum tuum, diſceſſit ab illis Angelus.
39. In civitatem Judææ.
45. Quoniam perficientur omnia quæ dicta ſunt tibi à Domino.
50. Miſericordia ejus in progeniem, & progeniem.
51. Mente Cordis ipſorum.
54. Puerum ſuum memorari miſericordiæ. *Addit* ſuæ, *recens manus*.
59. In die octava ut venirent circumcidere.. :. & vocaverunt eum in nomine patris ejus Zachariam.
61. Dixerunt ad illam, nemo eſt qui vocetur hoc nomine. *Addit recens manus*: In cognatione tua.
63. Et accepit pugillarum, & ſcripſit ..., ..., & mirati ſunt omnes.
64. Et continuò reſoluta eſt lingua ejus, & apertum eſt os ejus.
66. Quid utique erit puer iſte.
70. Sicut locutus eſt per os ſanctorum Prophetarum qui ab ævo ſunt.
71. Et liberavit nos ab inimicis noſtris.
72. Et rememorari teſtamenti ſancti ſui.
77. Ad dandam ſcientiam plebis ejus.

CAPUT II.

℣. 2. UT profiteretur univerſus orbis terræ. (2.) Hæc profeſſio prima facta eſt à præſide.
4. De domo, & patria David.
5. Cum Maria deſponſata ſibi uxore cum eſſet in utero habens.
7. Quia non erat locus in diverſorio;
Majeſtas circumfulſit illos.
12. Et hujus hoc ſignum vobis.
22. Ut ſtatuerent Domino.
24. Par turturum, & duos pullos, &c.
28. *Omittit*: In ulnas ſuas.
33. Et erat Joſeph, & mater ejus;
34. Signum quod contradicetur.
35. Ut revelentur multorum cordium cogitationes.
38. Et hæc ipſa hora ſtans confitebatur Domino .... redemptionem Jeruſalem.
43. Et non cognoverunt Jeſus, (*lege* Joſeph) & mater ejus.
44. Exiſtimantes autem Jeſum ſecum comitari.
48. Et viſo illo expaverunt ..... quid feciſti nobis ſic? Dolens & triſtis quærebamus te.
49. Et ait ad illos: .... Quia in Patris mei oportet me eſſe.

CAPUT III.

℣. 7. GEnerario viperarum.
9. Omnis arbor non faciens fructum, excidetur.
11. Qui habet bonas eſcas faciat ſimiliter.
16. Fortior me, cujus non ſum dignus calceamenta portare.
21. Cum baptizatus eſſet omnis populus, & Jeſu baptizato.
22. Filius meus es tu, ego hodie genui te. *recens. manu*. Filius meus dilectus in te complacuit mihi.
23. Quod putabatur, filius Joſeph.. Heliæ, Matthiæ.
25. Anum, Sedi, Naggæ.
26. Oſchæ, Judæ.
28. *Addit* Jozes *inter* Her, & Jeſu.

CAPUT IV.

℣. 1. AGebatur in ſpiritu in deſertum.
4. Non in ſolo pane vivet homo.
5. In montem altum.
11. Ne fortè perdas ad lapidem.
18. *Omittit*: Sanare contritos corde.
19. Dimittere conquaſſatos in requiem, prædicare annum Domini acceptum.
22. Filius Joſeph Fabri.
27. Neman Syrus.
30. Ille autem per medium illorum, & ibat.
35. Scio te quis es, tu ſanctus Dei.
38. In domum Simonis, & Andreæ.
39. Febri, & rem ſit eam.

CAPUT V.

℣. 2. NAves ſtare ſecus ſtagnum.
3. Rogavit eum ut duceret à terra aliquantulum.
7. Ita ut mergerentur.
10. Homines vivificans. *recen. manu*. Capiens.
11. Ad terram naviculis.
12. Vir plenuus lepra, & ipſe procedens in faciem rogabat.....
14. Ut ſit in teſtimonis hoc vobis.
17. Erant Pharifæi docentes.
20. Remiſſa ſunt tibi peccata tua.
21. Quis poteſt dimittere peccatum.
23. Remiſſa ſunt tibi peccata tua, aut dicere .:..:.
30. Et murmuraverunt .... & peccatoribus manducat, & bibit.
39. *Omittitur*; *ſed ſupplevit recentior manus*.

CAPUT VI.

℣. 1. PEr ſemina ſata.
2. Quid facitis ſabbathis non licet.
9. Interrogabo vos.
10. Et circumſpectis illis omnibus in ira.
11. Repleti ſunt iniquitate ..,. quid facerent de Jeſu.
16. Quid factus eſt proditor.
17. Et Jeruſalem, & trans fretum, & maritima Tyri, & Sidonis.
20. Quoniam ipſorum eſt, &c.
21. Beati qui nunc eſuriunt, & ſitiunt, quia ſaturabuntur.
22. Et cùm ſeparabunt vos, & ejicient, & exprobrabunt nomen veſtrum.
30. Et qui aufert à te quæ tua ſunt, noli prohibere.
35. Mutuum date, nihil deſperantes.
36. Eſtote miſericordes. *Omiſſo*, ergo.
37. Nolite judicare, & de vobis non judicabitur. Nolite condemnare, ut non condemnemini.
38. Menſuram bonam, commodatam, confeſtam dabunt ſuperfluentem in ſinum veſtrum.
40. Ut ſit ſicut magiſter.
42. Ejiciam feſtucam de oculo tuo, & ecce in oculo ſuo trabes ſubjacet.
44. Neque legunt de ſpinis ficus, neque de rubo vindemiant uvam.
45. Os ejus loquitur.
48. Inliſit flumen domui illi.
49. Alliſit flumen domui illi.

CAPUT VII.

℣. 1. ET factum eſt cùm impleſſet omnia verba in aures plebis.
3. Ut veniret, & liberaret.
7. *Omittit*: Propter quod & meipſum non ſum dignum arbitratus ut venirem ad te; *quod ſupplevit recens manus*.
9. In nullo tantam fidem inveni in Iſrael.
10. Invenerunt ſervum ſanum.
16. Viſitavit plebem ſuam in bono.
18. In omni confini regione.
24. Arundinem à vento moveri.
25. In veſte pretioſa ſunt, & in deliciis ſuperabundant; in domibus Regum ſunt.
28. Nam qui minor eſt in Regno Dei.
30. Non baptizati. (31.) Cui ego ſimiles dicam.
33. Neque manducans, neque bibens, & dicitis.
44. Aquam pedibus mihi non dediſti.
46. Oleo non unxiſti pedes meos; hæc autem unguento unxit.

CAPUT VIII.

℣. 10. VObis datum eſt ſcire myſterium Dei.
14. Euntes ſimul ſuffocantur.
15. Et fructum afferant per patientiam.
17. Nec abſconſum niſi cognoſcatur.
18. Videte quomodo auditis.
22. Trans ſtagnum, & levaverunt.
Et complebatur fluctibus navicula; & periclitabantur.
26. Enavigaverunt autem ad.
29. Nam vinctus catenis, & compedibus cuſtodiebatur, & ruptis vinculis agebatur in loco deſerto.

32. Ro-

Digitized by Google

31. Rogaverunt eum ut in illis irent, & permiſit illis;
32. Comprimebatur ut ſuffocarent eum.
43. Mulier in profluvio ſanguinis.
45. Turbæ te comprimunt tam magnæ, & dicis, &c.
46. Nam & ego cognovi virtutem exiſſe de me,
47. Quia non latuit illum, venit tremens.
53. Scientes eam mortuam eſſe.
55. Et convertit ſpiritum ejus.

CAPUT IX.

℣. 3. NEque peram, neque calceamentum, neque panem;
4. Ibi manete, & inde proficiſcimini.
5. Pulverem de pedibus veſtris tacutite.
7. Conſternabatur eo quod diceretur.
9. Hic qui eſt de quo audio talia.
12. Ut eant circa caſtella, & villas, & reficiant ſe, & inveniant eſcas.
13. Niſi eamus, & emamus;
16. Benedixit ſuper illos.
24. Salvabit illam.
25. Se autem perdat, aut detrimentum faciat:
29. Et dum orat, facta eſt ſpecies aſpectus ejus altera, & veſtitus ejus albus refulgens.
35. Hic eſt Filius meus electus.
36. Et dum vox fit.
37. Factum eſt autem per diem deſcendentibus.
44. Omnibuſque mirantibus ſuper omnia quæ faciebat, dixit ei Petrus: Domine, quare nos non potuimus ejicere illum? Quibus dixit: quoniam ejuſmodi oratione ejicitur, & jejunio. Dixit autem ad Diſcipulos ſuos: ponite vos in auribus veſtris.
45. Et erat occultum inter ipſos ut non ſentirent, & timebant, &c.
48. Quicumque me receperit, non me recipit, ſed eum qui me miſit. *Deeſt folium in Mſ. à ℣. 40. hujus Capitis uſque ad ℣. 21. Capitis decimi.*

CAPUT X.

℣. 21. EXultavit Jeſus in Spiritu Sancto, & dixit: confitebor tibi Domine Pater Cœli . . . . quia ſic bona voluntas fuit ante te.
22. Nemo ſcit quis eſt Filius: . . . & quis Pater, niſi Filius, &c.
27. Diliges Dominum tuum in toto corde tuo, &c. *Omittit*: Ex omni mente tua.
31. Sacerdos autem fortuitò deſcendebat:
40. Satagebat circa miniſterium:
41. *Omittit*: Sollicita es, & turbaris erga plurima.
42. Quæ non auferetur illi.

CAPUT XI.

℣. 2. PAter ſancte qui in Cœlis es, ſanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum.
4. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.
6. Quia amicus venit meus de via ad me, & non habeo.
8. Propter autem importunitatem: . . dabit illi quantos deſiderat.
11. A quo autem Patre ex vobis petet Filius ejus piſcem.
13. Dabit bonum datum petentibus ſe.
14. Et erat dum ejicit dæmonium, & illud fuit mutum, & cùm ejeciſſet mutum dæmonium, locutus eſt mutus, & omnes turbæ ſtupuerunt.
15. In Belſebul.
20. Sed ſi in digito Dei.
23. Qui non eſt mecum adverſum me eſt, & qui non colligit mecum ſpargit.
24. Perambulat loca quæ non habent aquam:
26. Et regreſſi inhabitant, & fit hujuſmodi hominis vita multò pejor priore.
28. At ille dixit ad eos: Beati qui audiunt verbum Dei, &c.
30. Ita erit, & Filius hominis in generatione hac, & ſicut Jonas in utero ceti fuit, ſic & Filius hominis in corde terræ.
31. Et ecce Salomone plus hic.
32. Et ecce plus Jona hic.
34. Cùm fuerit oculus tuus ſimplex:
35. Si ergo lumen quod in te eſt tenebræ ſunt, tenebræ tuæ quantæ ſunt!
36. *Totus verſus omittitur.*
37. Et cùm Jeſus loqueretur turbæ, rogavit illum quidam Phariſæus ut cum illo pranderet.
38. Quare non priùs baptizatus eſt priùs quàm manducaret.
41. Tamen quod ſupereſt date eleemoſynam.
44. Quia eſtis monumenta quæ non parent.
45. *Ab hoc verſu deeſt folium uſque ad verſum ſeptimum Capitis duodecimi.*

CAPUT XII.

℣. 8. ET Filius hominis confitebitur in illo cum Angelis.
9. Denegabitur & ipſe coram Angelis Dei.
10. In Spiritu autem Sancto qui dixerit, non remittetur ei.
11. Nolite ſolliciti eſſe qualiter reſpondeatis, aut dicatis.
12. Spiritus enim . . . quid oporteat dicere.
16. Uberes fructus attulit poſſeſſio.
18. *Omittit*: Et bona mea.
19. Habes multa bona, epulare in annos multos:
20. Dixit autem.
21. Et non eſt in Deo dives.
24. Pluris eſtis avibus.
26. *Omittit*: Si ergo neque quod minimum eſt poteſtis:
27. Non laborant, non neunt, neque texunt: Ideo dico vobis Salomon.
28. Vos minimæ fidei:
29. Aut quid bibatis, nolite ſolliciti eſſe.
30. Hæc enim gentes hujus mundi inquirunt.
31. Quærite regnum Dei. *Omiſſo*, primùm.
35. Sint autem lumbi veſtri adcincti.
36. Confeſtim aperiatis ei.
37. Jubebit illos diſcumbere.
38. Si venerit veſpertina vigilia, & ita invenerit. Beati ſunt quia jubebit illos diſcumbere, & tranſiet, & miniſtrabit eis; ſi ſecunda, & ſi tertia, beati ſunt.
41. Hanc ſimilitudinem.
42. Quis eſt fidelis diſpenſator.
45. Percutere pueros, & ancillas.
47. Et non præparavit ſecundùm voluntatem ejus . . . . *Omittit uſque ad*, vapulabit paucis.
49. Neſcitis quia ignem veni mittere, &c. quid volo ſi accendatur!
50. Baptiſma habeo baptizari, & quomodo turbor uſque dum perficiatur.
52. In una domo: & duo in tres dividentur:
58. Cum adverſario tuo ad Magiſtratum . . . . . ne fortè condemnet te apud judicem, & judex.
59. Noviſſimum quadrantem, &c.

CAPUT XIII.

℣. 1. VEnerunt autem in ipſo tempore quidam:
4. Putatis quod ſoli ipſi debitores fuerunt:
5. Non dico vobis: ſi non pœnitueritis, ſimiliter peribitis.
7. Terram evacuat:
8. Domine remitte illam . . . & mittam cophinum ſtercoris.
13. Magnificabat Deum:
18. Gaudebat in præclaris quæ videbat fieri ab ipſo.
21. Quod acceptum mulier abſcondit in farinam, donec, &c.
24. Intrare per anguſtum oſtium.
32. Et ſequenti conſummabor. (33.) Ite quia non capit Prophetam, &c.
34. Sæpe volui congregare filios.

CAPUT XIV.

℣. 8. CUm invitatus fueris, quid ad nuptias, non diſcumbas in primo loco.
12. Dicebat autem & invitatori . . . neque vicinos, neque divites.
17. Dicere invitatis: Venite jam paratum eſt.
18. Et cœperunt omnes excuſare ſe.
19. Eo probare illa, & ideo venire non poſſum.
23. Exi in vias, & circa ſepes.
28. Nonne prius ſedens computavit, &c. Si habet ad conſummandum.
29. Et non potuerit explicare, omnes qui videbunt dicent, hic homo cœpit ædificare, &c.
31. Nonne ſedens prius cogitat ſi poterit . . . . obviare ei . . . . venit adverſum ſe?

32. Ro-

32. Rogans pacem.
35. Neque in terra, neque in ſterquilinio utile eſt.

CAPUT XV.

℣. 1. ERant autem appropinquantes ei omnes publicani.
2. Quod hic peccatores reciperet, & manducaret cum illis.
4. Nonaginta & novem in montibus, in deſerto, & ibit ad illam quæ erravit, donec inveniat.
6. Congratulamini mecum, quia inveni ovem meam.
7. In uno peccatore ... quam in nonaginta novem juſtis.
8. Si perdiderit unum, nonne accendet lucernam, & ſcopa mundabit domum ſuam, &c.
10. Gaudium erit coram Angelis, in uno peccatore ...
12. Et dixit adoleſcentior: Pater.
14. Facta eſt fames per regionem illam.
17. Quanti mercenarii patris mei.
22. Stolam illam primam.
23. Adducite vitulum illum ſaginatum.
26. Interrogavit quæ eſſent.
27. Occidit vitulum illum ſaginatum.
30. Devoravit ſubſtantiam tuam.
32. Epulari autem nos, & gaudere oportet.

CAPUT XVI.

℣. 3. QUis Dominus meus auferet à me.
4. Cognovi quid faciam.
6. Centum Batos olei ... accipe litteras tuas.
8. Prudentiores ſunt quàm filii Lucis in hac generatione.
16. Omnes in illud vim faciunt.
22. Ut moreretur Lazarus mendicus.

CAPUT XVII.

℣. 2. UTilius eſt autem illi ne naſceretur, aut lapis mola, &c.
3. Si peccaverit frater tuus increpa illum ... & ſi pœnitentiam habuerit, dimitte illi.
6. Diceretis huic arbori: eradicare, & transfretare in mare, utique obaudiſſet vobis.
7. Aut oves paſcentem.
9. Numquid gratias habet ſervo quod fecit quæ ſibi imperaverat?
11. Dum vadit ... per mediam Samariam, & Galilæam, & Jericho.
14. Quod ut vidit ... dum vadunt mundati ſunt.
17. Dixit: Hi decem mundati ſunt; novem ubi ſunt ex illis? Non erat qui rediret, & gratias ageret Deo, niſi ...
24. Nam ſicut fulgur coruſcans de ſub cœlo, ita erit.
28. Similiter factum eſt in diebus Lot.
29. *Omittit*, & Sulphur.

CAPUT XVIII.

℣. 4. SI Deum non timeo.
5. Ne in noviſſimo veniat, & conſtringat me.
9. Tamquam juſti eſſent, & ſpernebant cæteros, ſimilitudinem iſtam.
10. Unus Publicanus, & unus Phariſæus.
11. Vel etiam ſicut hic Publicanus.
12. Omnium quæcumque poſſideo.
13. Domine Deus, propitiare mihi peccatori.
14. Dico vobis quia deſcendit hic Publicanus juſtificatus in domum ſuam, magis quam ille Phariſæus.
18. *Omittit*, Princeps.
20. Non adulterium committes.
28. Ecce nos relictis rebus noſtris ſecuti ſumus te.
30. Qui non recipiat ſepties tantum in hoc tempore. In ſæculo autem venturo vitam æternam poſſidebit.
31. Duodecim diſcipulos, & ait illis.
33. Et expuent in eum, & flagellatum occident illum.
34. Et erat verbum abſconditum ab eis, ex his quæ dicebat.
35. Et unus cæcus ſedebat.
37. Jeſus *Nazarenus*, (ſic paſſim,) non *Nazarenus*.

CAPUT XIX.

℣. 2. ET ipſe dives erat.
4. Quia illa parte erat tranſiturus.
5. Et factum eſt dum tranſit Jeſus, vidit illum ſurſum aſpicientem. Quia in domo tua oportet me prandere hodie.
7. Omnes murmuraverunt quod ad hominem peccatorem diverterit manere.
8. Et ſi quid alicui fraudavi.
9. Ait autem Jeſus ad illos, quod hodie.
11. Hæc illis audientibus adjiciens dixit ſimilitudinem, eo quod.
13. Et vocavit decem ſervos, & dedit illis.
22. Te judico, o infidelis ſerve, ſcribas, &c. homo auſterus ſum, tollo quod non poſui, & meto.
26. *Omittit*, Et abundabit.
29. Cum appropinquaſſet Bethphage, & Bethaniæ.
34. Dominus operam ejus deſiderat.
38. Dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictus Rex: pax in cœlo, & gloria in excelſis.
39. Magiſter increpa illos.
43. Inimici tui vallo; & circumibunt te & obſidebunt te vallo undique; (44.) Et ad terram proſternent te.
Ibid. Non relinquent lapidem ſuper lapidem in te univerſè.
45. *Addit*: Et menſas nummulariorum effudit, & cathedras vendentium columbas evertit.
47. Scribæ, & principales plebis.

CAPUT XX.

℣. 3. INterrogabo vos, & ego, reſpondete mihi.
6. Certum eſt enim Joannem Prophetam fuiſſe.
8. Neque ego dico, in qua poteſtate, &c.
10. Coloni autem illum cæſum dimiſerunt inanem.
11. Illi autem, & hunc quoque cæſum, & ſine honore dimiſerunt inanem.
12. Et addidit tertium mittere, & illum vulneratum ejecerunt.
13. Filium meum cariſſimum, forſitan hunc verebuntur.
20. Et cum receſſiſſent, miſerunt qui ſe juſtos eſſe ſimularent, ut apprehenderent ſermones ejus ... poteſtati, & Magiſtratui præſidis.
℣. 30. *Omittitur*.
31. Et tertius accepit illam ſimiliter, & omnes ſeptem non reliquerunt filios. 32. Noviſſimè, &c.
34. Filii hujus ſæculi generantur, & generant:
35. At hi qui digni habentur ſæculi illius, & reſurrectionis ... neque nubunt, neque nubuntur, neque ducunt uxores.
36. Neque enim morientur, nam ſunt ſimiles Angelis Dei, quia reſurrectionis filii ſunt.
37. Quoniam verò reſurgunt mortui, Moyſes oſtendit ſicut dixit: Vidi in rubo Dominum Deum Abraham.
40. Et amplius non ſunt auſi.
43. Inimicos tuos ſub pedibus tuis.
44. Si David in ſpiritu Dominum illum vocat, quomodo ...
47. Qui fingentes longam orationem, & devorant panes viduarum.

CAPUT XXI.

℣. 6. NOn relinquetur lapis ſuper lapidem hic in pariete qui non deſtruatur.
7. Et quod ſignum cum futura erunt.
9. Sed non ſtatim finis in illis.
11. Signa magna erunt, & tempeſtates.
12. Injicient in vos manus ſuas.
15. Cui non poterunt reſiſtere adverſarii veſtri.
19. In patientia veſtra acquiretis animas veſtras.
21. Fugiant à facie ejus in montibus.
23. Væ his qui in utero habent, & ubera dant.
24. Dum impleantur tempora gentium.
26. Nam virtutes quæ in cœlo ſunt movebuntur.
28. Incipientibus fieri reſpirabitis, & levabitis capite.
34. Et ebrietate, & cogitationibus ſæcularibus.
37. Exiens avocabatur in monte qui vocatur Oliveti.

CAPUT XXII.

℣. 4. PRincipibus Sacerdotum, & Scribis, quomodo illum tradent.
5. Et pacti ſunt ut pecuniam illi darent, & quærebant opportunitatem temporis ut traderet eum illis ſine turba.
7. Neceſſe erat immolari in Paſcha.
11. Et dicetis: Pater familias, dicit tibi Magiſter.
12. Vobis oſtendet in ſuperioribus locum ſtratum, magnum, ibi parate.
15. Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam hoc patiar.
17. Accipite hoc, & dividite inter vos.
19. Hoc eſt Corpus meum verum, tamen ecce manus, &c. *Omittit*: Quod vobis traditur, *& quod ſequitur uſque ad* ℣. 21. *excluſivè*, veruntamen, &c.
23. Conquirebant inter ſe, quis eſſet hoc facturus.
25. Et qui poteſtatem habent benegerentes eorum, benigni vocantur.
27. Aut qui miniſtratur in gentibus quidem, qui recumbit, in vobis autem non ſic; ſed qui miniſtrat?
Ego

Digitized by Google

Ego autem in medio veſtrum ſum, quaſi miniſter.

31. Expetivit ut vos ventilet ſicut triticum, rogavi pro te, &c.

32. Confirma fratres tuos, & rogate ne intretis in tentationem.

33. Dixit autem ei Petrus: Domine, &c.

35. Sine ſacello. (36.) Qui habet ſacellum.

36. Et qui habet tunicam, vendat eam, & emat gladium.

37. Oportet impleri in me, quod ut cum iniquis deputatus eſt: & de me quæ ſunt finem habent.

39. Et egreſſus inde, ibat ſecundùm conſuetudinem ſuam, &c.

42. Dicens: Pater, non mea voluntas, ſed tua fiat: ſi vis, transfer hunc calicem à me.

47. Adpropians oſculatus eſt Jeſum.

49. Quod cùm viderent hi... quod ſciebat, dixerunt: Domine, ſi percutiemus in gladio?

51. Sine uſque hoc; & extendit manum ſuam Jeſus, & tetigit eum, & redintegrata eſt auris ejus.

52. Et ad eos qui ad ſe venerant, dixit Jeſus Principibus Sacerdotum, &c.

56. Intuens illum, dixit ei: Et hic de eis eſt qui cum ipſo erat ſemper.

58. Et tu cum illis eras ſemper, qui reſpondit: Non ſum ego.

59. Et intervallo facto horæ unius, alius quidam contendens dixit.

61. Ter me negabis hodie.

63. Et viri qui tenebant illum velaverunt eum, & percutiebant eum, & illudebant eum dicentes: prophetiza.

66. Et ut factus eſt dies, convenit presbyterium plebis.

CAPUT XXIII.

℣. 2. SUbvertentem gentem noſtram, & ſolventem legem noſtram, & prophetas, & prohibentem tributa dare Cæſari.

6. Interrogavit, ſi à Galilæa homo eſſet.

11. Cum exercitibus ſuis.

21. Dicentes. Crucifige illum.

25. Voluntati eorum. Suſceperunt ergo Jeſum, & portans ſibi crucem ducebatur. (26.) Et cum ducerent eum.

27. Multitudo populi & mulierum.

28. Filiæ Iſrael, nolite flere me, ſed vos ipſas flete, & filios veſtros.

29. Et ubera quæ non nutrierunt?

31. Si in humido ligno hæc faciunt.

37. Si tu es Rex Judæorum, libera te.

38. Litteris Græcis, & Hebraicis. Omittit, & Latinis. Rex Judæorum hic eſt.

39. Unus autem dependentibus latronibus ... Nonne tu es Chriſtus? libera te, & nos.

42. Domine, memor eſto mei, &c.

46. Hæc dicens, tradidit ſpiritum.

47. Centurio, & qui cum eo erant, quod fiebat, magnificabant Deum dicentes.

50. Qui erat Decurio juſtus & bonus.

54. Et dies erat cœna pura, & ſabbatum, &c.

55. Subſecutæ ſunt autem duæ mulieres.

CAPUT XXIV.

℣. 1. POrtantes quæ paraverunt, *Non legit*, aromata.

3. Non invenerunt corpus. *Omiſſo*, Domini Jeſu.

4. Dum mente conſternarentur de iſto. in veſte ſplendida.

5. Viventem cum mortuis. (6.) Rememoramini qualiter locutus ſit vobis. *Omittit*, Non eſt hic, ſed ſurrexit.

8. Rememoratæ ſunt verborum horum.

9. Et egreſſæ nuntiaverunt hæc omnia.

12. Et abiit apud ſemetipſum mirans factum. Et ecce, &c.

13. Quod aberat ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Jeruſalem, nomine Ammaus, & Cleophas.

14. Et ipſi fabulabantur de his omnibus quæ acciderant.

15. Et factum eſt dum fabularentur, & ipſe Jeſus pervenit, & ibat cum illis.

17. Quos confertis ad invicem, & eſtis triſtes?

18. Tu ſolus peregrinus in Jeruſalem, non cognoviſti.

21. Nos autē ſperabamus quia ipſe incipit liberare Iſrael.

24. Ipſum verò non viderunt.

27. Et erat incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis interpretans.

29. Quoniam ad veſperum jam jam declinavit dies

31. Ipſe autem nuſquam comparuit ab eis.

34. Quod verè ſurrexit à mortuis Dominus, & viſus eſt à Simone.

36. Stetit in medio eorum. (37.) Conturbatique & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre. (38.) Dixit autem ad illos: quid turbati eſtis?

41. Habetis hic aliquid manducare?

43. Et manducans coram ipſis, dixit ad eos.

45. Ut intelligerent quæ ſcripta ſunt.

47. Remiſſionem peccatorum in omni gente.

49. Mitto promiſſa patris mei in vos.

51. Receſſit ab eis. *Omittit*, Et ferebatur in Cœlum.

52. Et ipſi regreſſi ſunt. *Omittit*, Adorantes.

53. Laudantes Deum. *Omittit*, & benedicentes. *Non legit*. Amen.

Explicit Evangelium ſecundùm Lucanum.

Incipiunt Capitula Evangelium ſecundùm Marcum.

Sunt autem Capitula XLVII.

INCIPIT EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM.

CAPUT I.

℣. 2. ECce mitto Angelum meum ante te, & ante faciem tuam, qui præparabit viam meam ante te.

5. Omnis regio Judææ, & omnes Jeroſolymitæ.

10. Deſcendentem ſuper illum, & manentem, & vox de cœlis, tu es Filius meus chariſſimus.

12. Et protinus ſpiritum tulit eum in deſerto.

13. *Omittit*, Et quadraginta noctibus.

14. Prædicans Evangelium Dei.

15. Quoniam adimpleta ſunt tempora, & appropinquavit.

18. Protinus relictis omnibus.

19. Et ipſos in navicula aptantes retia.

24. Scio te quis ſcis ſanctus Dei.

27. Mirati ſunt omnes, & conquirebant quænam eſſet hæc doctrina poteſtatis, & quoniam ſpiritibus immundis imperat.

28. Et exiit rumor iſte in omnem regionem Galilææ.

29. Egreſſus autem de Synagoga Jeſus, venit in domū, &c.

30. Et retulerunt illi de illa

32. Ad eum malè habentes variis languoribus, & Dæmoniis apprehenſum. (33.) Et omnis civitas conveniebat.

34. Curabat multos malè habentes variis languoribus, & qui dæmonia habebant, ejiciebat illa.

36. Et conſecuti ſunt illum Simon, &c.

39. Et in omnibus finibus Galilææ.

40. Leproſus deprecans eum, & dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare, & iratus extendens manum ſuam, & tangens eum, dixit: Volo, &c.

43. Et ſtatim dimiſit illum.

44. Oſtende te Sacerdotibus.

CAPUT II.

℣. 2. ITa ut non caperet uſque ad januam.

4. Nudaverunt tectum ubi erat Jeſus, & ſummiſerunt grabbatum in quo jacebat paralyticus.

12. Numquam taliter vidimus.

14. Vidit Jacobum Alphei.

15. Factum eſt diſcumbentibus illis in domo ejus ... multi qui & ſecuti erant eum.

16. Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat. *Omiſſo*: Magiſter veſter.

18. *Omittit*. Tui autem Diſcipuli non jejunat.

21. Nemo autem adſumentum novum panni adſuit veſtimento, &c.

22. Alioquin diſrumpit vinum utres, & vinum, & utres peribunt.

23. Factum eſt autem iterum cum Sabbatis tranſire per ſegetem. Diſcipuli verò ejus cœperunt vellere ſpicas, & & manducare.

24. Ecce quid faciunt Sabbathis Diſcipuli tui quod non licet illis.

25. Nec hoc legiſtis quid fecerit David.

26. Niſi Sacerdotibus. (28.) Dico autem vobis: Filius hominis Dominus eſt etiam Sabbathi.

27. *Omittitur*.

CAPUT III.

℣. 3. CIrcumſpiciens eos cum indignatione contriſtatus eſt ſuper illum, & emortua illorum corda, dixit homini, &c.

5. Et reſtituta eſt manus ejus ſtatim.

6. Adverſus eum ut illum perderent.

9. Ne comprimeret eum multitudo.

12. Et comminabatur eos, ne eum manifeſtarent, ſciebant enim eum.

15. Dedit eis poteſtatem curandi valetudines.

18. Et Lebbæum, non Taddeum.

19. Judam Scarioth.
21. Ita ut non poſſet manducare panem.
21. Et cùm audiſſent de eo Scribæ, & Prætéri, exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam extentiar eos.
22. Quoniam Beelſebub habet Principem Dæmoniorum, & per eum ejicit Dæmonia.
26. Et ſi Satanas Satanam expellit dividitur ſuper regnum ejus non poteſt ſtare, ſed finem habet.
31. Ecce mater tua, & fratres tui, & ſorores tuæ foris quærunt te.

CAPUT IV.

ỷ. 1. ITa ut in navem aſcendens ſederet proximè littus, & turba ſtabat in littore.
4. Dum ſeminat aliquid cecidit ſecùs viam; & venerunt aves, & comederunt ea.
7. Et increſcentibus ſpinis, ſuffocatum eſt, & fructum non dedit.
8. Fructum aſcendentem, & creſcentem, unum triceſimum, & aliud ſexageſimum, aliud verò centeſimum.
9. Et dicebat: Qui habet aures audiat, & intelligens intelligat.
10. Interrogaverunt eum Diſcipuli ejus quæ eſſet hæc parabola.
11. Noſſe myſterium Dei. Illis autem qui foris ſunt, in parabolis dicitur.
15. Si autem qui ſunt circa viam, quibus ſeminatur verbum.
19. Et ſollicitudines victus, & delectationes mundi incedentes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficiuntur.
20. Unum triceſimum, & unum ſexageſimum, unum verò centeſimum.
21. Numquid accenditur lucerna.
22. Non enim eſt abſconditum, ſed ut manifeſtetur, neque factum eſt occultum, ſed ut in ſtolam veniat.
34. Seorſum autem Diſcipulis exolvebat eare.
39. Comminatus ex vento, & mari, & dixit: Obmuteſce. Et ceſſavit.
40. Quiſnam hic eſt cui mare, & venti obaudiunt.

CAPUT V.

ỷ. 7. JEſu, Fili Dei ſummi, adjuro te per Deum vivum.
10. Et deprecabantur eum ſpiritus immundi multum, ne expelleret eos de regione.
13. Et ſtatim Dominus Jeſus miſit illos in porcos.
15. Veſtitum, & ſanæ mentis ſobrium; & timuerunt.
19. Jeſus autem non permiſit ei.
21. Et cùm transfretaſſet ultra iterum Jeſus, convenit ad illum turba multa circa mare.
22. Et venit quidam Archiſynagogus, & vidit eum, & procidit ad pedes ejus. *Omittit*, Nomine Jairus.
Veniens tange eam de manibus tuis, ut ſalva ſit, & vivat.
28. Dicens intra ſe: Vel ſi veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero.
32. Et circumſpiciebat Jeſus videre quæ hóc fecerat.
33. Et tremens, quod fecerat occultè ſciens factum, ipſa venit, & procidit.
38. Et vidit flentem turbam, & lamentantem multum.
40. Ipſe verò abjecta turba foras, aſſumpto patre, & matre puellæ.

CAPUT VI.

ỷ 2. ET cœpit die ſabbathi docere in ſynagoga.
7. Miſit illos per binos, dans illis poteſtatem fugare ſpirituum immundorum.
8. Neque nummos in zonis. (9.) ſed calceatos gallicu- las, & ne induerentur binas tunicas.
14. Et ideo virtutes in illo efficiuntur.
15. Alii autem dicebant quod Helias venit, alii verò quod unus de Prophetis.
23. Et juravit illi multa, quia quodcumque petieris, &c.
26. Et contriſtatus eſt Rex ut audivit; propter jusjurandum autem.
28. Attulit caput ejus in lance.
31. Erant enim quidam euntes, & redeuntes, & nec manducandi ſpatium habebat.
33. Concurrerunt illuc, & venerunt illuc.
34. Et exiens, & vidit Jeſus turbas multas, miſertus eſt illis ſicut oves quibus non erat paſtor.
35. Et hora jam multa eſt.
36. Emant ſibi quod manducent.
37. Emimus panes ducentorum denariorum;
52. Erat enim cor eorum colluſum.
53. *Omittit*: Et applicuerunt.
55. Et circumcurrentes univerſam regionem.
Cœperunt in grabbatis ferre omnes malè habentes, circumferebant autem eos ubicumque audiebant Jeſum eſſe.

CAPUT VII.

ỷ. 1. QUidam de Scribis ab Jeroſolymis.
2. Manducare panem, vituperaverunt eos.
3. Judæi, niſi pugillo laverint manus, non manducant panem, &c.
4. Et à foro cùm venerint niſi baptizentur, cibum non accipiunt.
5. Quare Diſcipuli tui non ſequuntur traditionem ſeniorum, ſed non lotis manibus manducant panem.
6. De vobis hypocritis, dicens: Populus autem labiis..; cor autem eorum longè habetis à me.
7. Vanè autem colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum, baptizantes urceos, & calices. (8.) & alia ſimilia quæ multa facitis, derelinquentes præceptum Domini, tenentes traditionem hominum.
9. Ut traditionem veſtram ſtatuatis.
12. Iam non miſſum facitis illum quicquam facere..
13. Per traditionem veſtram ſtultam quam tradidiſtis;
15. Quod eum poſſit communicare.
24. *Omittit*: Et Sidonis.
26. Erat enim Græca, Syrophæniſſa genere.
31. Ad mare Galilææ, ac inter medios fines decapolis:
35. Et loquebatur confidenter.
37. Et ſurdis præſtat auditum, & mutis loqui.

CAPUT VIII.

ỷ. 2. MIſereor ſuper iſtam turbam, quoniam triduum eſt jam quod hic ſunt, & non habent quod manducent. (3.) & dimittere eos jejunos in domum nolo, ne fatigentur in via, quoniam quidam ex eis de longinquo venerunt.
9. Ad quatuor millia hominum.
10. Venit in partes Magedam, (*Nihil* de Dalmanutha.)
15. Videte à fermento Phariſæorum.
16. Cogitabant ad alterutrum quod panes non haberent.
17. Quid cogitatis in cordibus veſtris quia panes non habetis? Nondum intelligitis, nec perſpicitis? ſic obtuſa ſunt corda veſtra.
Ibid. Nec in mente habetis de quinque panibus quos fregi in quinque millia hominum, quot cophinos fragmentorum tuliſtis.
22. Et venerunt Bethaniam, & afferunt illi cæcum.
27. Et profectus eſt Jeſus in Cæſarea Philippi.
32. Quem ſuſcipiens Petrus cœpit obiurgare eum.
34. Et convocata turba cum Diſcipulis ſuis ait: Si quis poſt me vult ſequi, abneget ſe ſibi, & tollet.
36. Et damnum faciat animæ ſuæ.
39. Sunt quidam hic circumſtantium me.

CAPUT IX.

ỷ. 1. IN montem altiſſimum ſecretò ſolus, & transfiguratus, &c.
4. Nos hic eſſe. Si vis faciam hic tria tabernacula, &c.
6. Et ecce vox exivit dicens.
14. Et gaudentes ſalutaverunt eum:
Deeſt medium folium à verſu 16, uſque ad 19. & iterum à ỷ. 22. ad 24. & à ỷ. 27. ad ỷ. 33.
38. Et poterit malè loqui de me.
41. De his puſillis modicis credentibus, bonum eſt illi.
46. Mitti in gehennam; ubi ignis inextinguibilis ubi vermis illorum non morietur, & ignis non extinguetur.
48. Omnis enim victima ſale ſalietur, *Omittit*: Omnis enim igne ſalietur.

CAPUT X.

ỷ. 1. IN fines Judææ trans Jordanem, & convenit turba ad eum, ſicut conſueverat, & iterum docebat eos.
2. Et accedentes quidam interrogabant, &c. *Omittit*, Phariſæi.
4. Permiſit nobis libellum repudii dare ſcriptum, & dimittere, ab initio autem maſculum & feminam fecit Deus, & dixit.
8. Propter hoc relinquet.
9. Quod Deus conjunxit, homo non disjungat.
12. Et ſi mulier exeat à viro, & alii nupſerit, mœchatur ſuper illum; & qui dimiſſam ducit, mœchatur.
16. Et convocans eos, imponebat manus ſuper illos, &c.

17. Pro-

17. Procurrens quidam, adgeniculans ante eum.
22. Ille autem contriſtatus eſt in hoc verbo, & receſſit, & abiit triſtis, erat enim habens multas poſſeſſiones, & pecunias.
23. In Regnum Dei introibunt? Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem in regnum Dei.
24. Diſcipuli verò ejus pavebant.
25. *Omittitur, aut potius poſt ℣. 23. tranſponitur Vide ℣. 23.*
27. Apud homines impoſſibile eſt; apud Deum autem poſſibile.
28. Ecce nos miſſum fecimus omnia, &c.
30. Nunc in hoc tempore. Qui autem reliquerit domum, & ſorores, & fratres, & matrem, & filios cum perſecutionibus, in venturo vitam æternam accipiet.
32. Præcedebat illos Jeſus, & pavebant ſequentes.
35. Ut quodcumque petierimus te, præſtes nobis.
40. Non eſt meum dare: aliis paratum eſt.
41. Cœperunt indigne ferre de Jacobo, &c.
45. Nam & Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.
46. Filius Thimeæ, Bar-thimæus cæcus ſedebat circa viam.
47. Quod Jeſus Nazaræus eſt.

CAPUT XI.

℣. 4. Foris in tranſitu, & ſolverunt eum.
9. *Omittit:* Dicentes hoſanna.
13. Venit videre ſi quid eſſet in ea.
23. Sed crediderit futurum, fiet quodcumque dixerit; Credite quoniam accipietis, & erit vobis.
26. Dimittat delicta veſtra.
30. De Cœlo eſt, an ex hominibus?

CAPUT XII.

℣. 1. Et fodit torcular… & locavit eam colonis?
2. Et miſit ad colonos… ut darent illi ex vinea fructum.
6. Quia forſitan filium meum, &c.
11. A Domino factus eſt hic, & eſt mirabilis in oculis noſtris.
14. Et venientes Phariſæi interrogabant eum ſubdolè, Magiſter.
15. Videns verò Jeſus verſutias eorum.
20. Fuerunt ergo apud nos ſeptem fratres.
21. *Omittit:* Et tertius ſimiliter.
23. Cui eorum manebit uxor?
26. In libro Moyſi, in rubo, &c.
28. Quod eſt præceptum primum? (29.) Reſpondens autem Jeſus dixit ad eum: Omnium primum mandatum hoc eſt.
29. Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt.
30. *Addit:* Ex omnibus viribus tuis.
38. Videte à Scribis, qui volunt:
40. Domos viduarum, & orphanorum occaſione longa orantes, hi accipient majus judicium.
41. Et cùm ſediſſet Jeſus contra gazophylacium, videbat quomodo turbæ mittebant pecuniam.
43. Plus omnibus miſit in gazophylacium munus;

CAPUT XIII.

℣. 1. Et quales ſtructuræ Templi?
2. Hæc omnia magna ædificia… qui non deſtruatur, & in triduo illud reſuſcitetur ſine manibus.
3. Interrogaverunt eum ſecretò.
4. Cùm hæc omnia conſummabuntur.
6. Deinde voſmetipſos tradent in conciliis.
9. Cùm autem perduxerint vos, nolite cogitare:
13. Qui autem toleraverit uſque in finem.
14. Stantem ubi non oportet… qui in Judæa ſunt, fugiant in montibus. (15.) Et qui in ſuperioribus, non deſcendant.
17. Væ autem peregrinantibus, & nutrientibus:
19. Quales non fuerunt ab initio, à creatura uſque modo, neque erunt poſt hæc.
20. Et niſi breviaſſet Deus dies propter electos ſuos.
29. Quoniam in proximo eſt in januis.
34. Dans ſervis ſuis poteſtatem unicuique opus ſuum,
37. Ecce autem vobis dico, vigilare.

CAPUT XIV.

℣. 1. Erat autem futurum Paſcha poſt biduum;
2. Tumultus orietur populi.
4. Diſcipuli autem ejus indigne ferebant:
14. Ubi eſt refectorium, ubi cum Diſcipulis meis manducem Paſcha?
15. Demonſtrabit ſtratum grande paratum. Illic parate nobis.
19. Dicere ſinguli; numquid ego? & alius; numquid ego?
22. Et dixit: Accipite, & edite: Hoc eſt Corpus meum.
23. Et accepit calicem, & benedixit, & dedit eis, & biberunt ex eo omnes.
24. *Omittit:* Novi Teſtamenti.
25. Non bibam de generatione vitis.
27. Omnes vos ſcandalizari habetis, quia ſcriptum.
29. Et ſi omnes ſcandalizati fuerint; ſed ego non ſcandalizabor.
33. Pavere, & tædiari.
38. Surgite, & orate ut tranſeat à vobis tentatio.
39. Et iterum abiit orare. (40.) Et veniens invenit eos dormientes.
41. Dormite jam & requieſcite, adeſt enim conſummatio: & venit hora.
42. Ecce proximat traditor meus;
43. Cum gladiis & fuſtibus a Principibus Sacerdotum miſſi.
44. Tenete eum, & ducite diligenter.
45. Ait illi: Rabbi. Et oſculatus eſt eum.
47. Et unus de circumſtantibus exempto gladio percuſſit ſervum.
48. Cum gladiis, & fuſtibus.
51. Amictus ſindone ſupra nudum corpus.
56. Et non erant convenientia teſtimonia. (57.) Et alii exurgentes.
58. Ego deſtruam Templum Dei manufactum, & poſt triduum illud ſuſcitabo non manufactum. Et non erant æqualia teſtimonia illorum.
61. Ille autem tacuit, & nihil reſpondit. Iteratò ait: Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti?
65. Et miniſtri cum voluntate alapis eum cædebant.
68. Et exiit foras, & gallus cantavit.
71. Ille autem cœpit devotare, & jurare, quia non novi.
72. Priùs quàm gallus cantet, ter me negabis.

CAPUT XV.

℣. 1. Duxerunt in atrium, & duxerunt Pilato.
4. Vide quanta te accuſant.
7. Cum ſeditioſis clauſus.
11. Principes autem Sacerdotum perſuaſerunt turbæ, & magis Barabbam dicerent.
13. At illi clamaverunt dicentes: Crucifige eum.
15. Pilatus autem dimiſit illis Barabbam. *Omittit:* Volens populo ſatisfacere.
17. Impoſuerunt ei factam ſpineam coronam.
19. Et percutiebant eum de arundine in caput.
21. Et angariaverunt Simonem Cyrenæum tranſeuntem, Patrem Alexandri, ut tolleret. *Omittit:* Et Rufi.
23. Murratum vinum.
24. Mittentes ſortem. *Omiſſo* Super eis, quis quid tolleret.
25. Erat autem hora diei tertia, & cuſtodiebant eum.
26. Et erat ſuperſcriptio criminis ſcripta: Rex Judæorum.
34. Lama ſapthani.
36. Circumpoſuit arundini, & dabat… ſi venit Helias, & deponit eum.
39. Cùm autem videret Centurio qui ſtabat contra eum, quod ſic clamans emiſit ſpiritum.
44. Et advocans Centurionem interrogavit ſi jam defunctus.
47. Notaverunt locum ubi ponebatur.

CAPUT XVI.

℣. 4. Et venerunt, & invenerunt revolutum lapidem;
5. Viderunt adoleſcentem amictum ſtolam candidam, & expaverunt.
6. Videte, ecce locum ejus ubi poſitus erat.
7. Sicut dixi vobis.
8. Et exeuntes illæ profugerunt à monumento.
10. Illa autem præcurrens nuntiavit.
(*Hic deſunt aliquot verſus in Ms.*)
18. Super languentes manus imponent, & bene ſe habebunt.
19. Receptus eſt in Cœlum.

Explicit Evangelium ſecundùm Marcum.

VARIANTES LECTIONES

E duobus antiquis Mſſ. altero S. Gatiani Turonenſis nu. 8. & altero Marmotienſi nu. 87. Primo mille annorum antiquitas, ſecundo 800. adſcribitur. Dicitur uterque antiquam Italicam, quæ ante S. Hieronymum obtinebat, continere. Hæ variantes a R. P. D. Leone Chavalerio, S. Mauri ad Ligerim Priore ad nos miſſæ ſunt. Mſ. S. Gatiani ſic innuimus, *Gat.* Marmutienſem, *Mm.* veterem Italicam a Martianæo editam, *Verſ. Ital.* & Mſ. Corbejenſem ab eodem editum, *Corb.*

Variantes Lectiones Evangelii S. Matthæi.

CAPUT I.

Gat. In nomine Dei ſummi. Amen.

Cap. I.

℣. 6. *Gat.* Salamonem;

7. Salamon ... Roboas. *Ita maj. M. & S. Germ. à Martianæo edit.*

Abiud, ... Aſaph. *Mm.* Aſa.

10. Amos.

15. Nathan.

16. Qui dicitur Chriſtus. *Ita Gaudent. Brix. tract. 3. Lect. Evang.*

19. Cùm eſſet homo juſtus. *Ita Mm. & S. Germ.*

20. Quod enim ex ea naſcitur. *Mm.* Ex ea natum eſt. *S. Germ.* Ex ea naſcetur. *Cypr. l. 2. teſtim.* Quod enim ex illa natum fuerit.

23. *Mm.* In utero concipiet. *Tertul. de carne Chriſti, cap. 21.* Concipiet in utero.

25. *Mm.* Vocabunt nomen ejus Jeſum.

CAPUT II.

℣. 2. *Mm.* Venimus cum muneribus adorare eum. *Cypr. l. 2. teſtim. cap. 12.* Cum muneribus adorare illum. *Ita & Codex S. Mauri, Foſſat. & Miſſalia antiqua.*

5. *Gat.* In Betlem Juda, ſic enim ſcriptum eſt: Et tu Betleem. *Mm.* In Betleem Juda, ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam dicentem: Et tu.

6. *Gat.* Exiet Rex. (*Dux* ſuperſcribitur.) *Mm.* Exiet Rex qui.

7. *Gat.* Tunc Herodis clam vocavit Magos diligenter exquiſivit ab eis. *S. Germ. à Martianæo edit.* Occulte vocavit Magos, & diligenter exquiſivit ab eis.

8. *Gat.* De puero hoc, & cùm inveneritis eum ... ut ego veniam, & adorem. *Ita Mm.* Et cùm inveneritis. *S. G.* Ut & ego veniam, & adorem.

12. *Gat.* Sed per aliam viam reverſi ſunt. *Ita Mm.*

13. *Gat.* Quærat puerum illum perdere. *Mm.* Puerum iſtum ad perdendum eum.

14. *Mm.* Et fugit. *S. Germ.* Et abiit. *Syr.* Fugit.

15. *Gat.* Uuſque ad mortem Herodis. *S. Germ.* Ad conſummationem Herodis.

22. *Gat.* Timuit illuc ire. *Ita Mm. & S. Germ.*

23. *Gat.* Quia dicitur Nazareth.

CAPUT III.

℣. 1. *Gat.* In deſerto Judæ. *Ita & Mm.*

3. *Gat.* Per Prophetam ... ſemitas ejus. Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas. Ipſe enim Joannes. (*Additum videtur ex Luc. c. 3. 5.*)

7. *Mm & S. Germ.* Ab ira futura.

9. *Gat.* Quia poteſt Deus. *Mm.* Quia potens eſt Deus.

10. *Gat.* Ad radices. *Ita S. Germ.*

11. *Mm.* In aqua, & pœnitentia.

16. *Gat.* Deſcendentem de Cœlo ſicut columbam venientem ſuper ſe. *Ita Mm.*

17. Mihi benè complacui. *Mm. & S. Germ.* In quo benè placui, ipſum audite. *Gaud. Brix. reſponſ. ad Paul. Diac.* In quo benè complacui.

CAPUT IV.

℣. 4. *Gat.* Scriptum eſt enim quia non in ſolo pane. *Ita Mm.*

6. *Mm.* De te ut cuſtodiant te, & in manibus.

10. *Mm.* Vade retrò, Satanas. *Ita & Verſ. Ital. à Martian. edit. & Mſ. Cantabrig. Ita & Hilar. Dacius, alii Latini.*

12. *Mm.* Quia Joannes traditus eſt. *Ita Gaudent. ad Neophyt. ſerm. 8.*

15. *Gat. Mm. & Ital. Verſ.* Galilææ gentium.

16. *Gat.* In regione, & in umbra mortis. *Ita Corb. à Martianæo edit. Ita Gaudentius, & Syr.*

18. *Gat. & Mm.* Rete in mare.

20. *Gat. & Mm.* Retibus ſuis.

25. *Mm. addit:* Et Idumæa.

CAPUT V.

℣. 1. *Gat.* Sediſſet ibi, acceſſerunt.

2. *Mm. & S. Germ.* Aperuit os ſuum, & docebat;

5. *Gat.* Lugent nunc, quoniam, &c. *Ita Æthiop.*

9. *Gat.* Quoniam ipſi Filii Dei.

11. Cùm vos maledixerint homines. *Ita Gat. & Mm.*

12. *Mm.* Eſt; ſic enim.

13. *Gat.* Niſi ut projiciatur foras. *Mm. & S. Germ.* Nihil valet, niſi, *omiſſo* ultra.

16. *Mm. & S. Germ.* Et magnificent Patrem.

22. *Mm. & Verſ. Ital. à Martianæo edita;* Fratri ſuo ſine cauſa. *Ita Cypr. teſt. l. 3. c. 8. Hilar. in hunc loc. Aug. de ſerm. Domini in monte l. 1. c. 19. Hier. l. 2. adverſ. Pelag. & l. 1. in Matt.*

Gat. Qui dixerit fratri ſuo, fatue. *Ita & Corb. & Cypr. lib. 3. teſtim. n. 8.*

24. *Mm.* Et tu venies & offeres.

29. *Gat.* In gehennam ignis.

39. *Mm.* Reſiſtere à malo.

40. *Gat.* In judicio contendere.

41. *Gat. & Mm.* Angarizaverit.

43. *Gat. Mm. & Ital. Verſ.* Et odies.

46. *Gat. & Corb. à Martianæo edit.* Diligatis eos.

CAPUT VI.

℣. 4. *Gat. Mm. S. Germ. Corb.* In abſconſo.

6. *Gat.* Cùm orabis.

11. *Gat.* Quotidianum. (*aliàs*, ſuperſubſtantialem, *eadem manu.*) *Mm. & Ital. Verſ.* Quotidianum.

13. *Gat.* Et ne patiaris nos induci in tentationem. *Ita Cypr. l. 3. teſtim. n. 40. & Ambroſ. l. 5. de ſacram. c. 4. n. 29 & Aug. lib. 2. de ſerm. Domini in monte, c. 9. n. 30. Multi autem peccando ita dicunt: Ne nos patiaris induci in tentationem: exponentes videlicet quod dictum ſit, inducas.*

Gat. & Mm. & Ital. Verſ. omittunt Amen.

14. *Mm.* Peccata veſtra.

15. *Gat.* Hominibus peccata eorum; nec Pater veſter cœleſtis dimittet.

16. *Gat. & Mm.* Demoliuntur enim facies. *Ita & Hieron. hic Gat. Ambr. Ital. Verſ.* Ut pareant hominibus.

18. *Gat.* Ab hominibus jejunans, ſed Patri tuo qui videt in abſconſo reddet tibi.

21. *Gat.* Ubi enim fuerit theſaurus tuus, ibi erit. *Mm. & S. Germ.* Ubi eſt enim theſ.. ibi erit.

23. *Gat.* Quantæ ſunt.

25. *Gat.* Quid manducetis, aut quid bibatis, &c. Et corpus quàm veſtimentum. *Ita & Corb.*

Mm. Veſtiemini.

26. *Gat.* Quomodo non ſerunt. *Ita & Mm.*

Mm. Veſtiebatur.

31. *Mm.* Quid operiemur.

CAPUT VII.

℣. 9. *Gat.* A quo ſi petierit. *Mm.* A quo petit.

23. *Mm.* Jurabo illis. *Ità Hilar. lib. 9. de Trinit. num. 65. & Albert. Magn.*

25. *Gat.* Et impegerunt. *Ita & Mm. & Cypr. l. 3. teſtim. n. 96. & Lucifer Calarit.*

CAPUT VIII.

℣. 9. *Gat.* Servo meo dico, fac hoc. *Ita Mm. & S. Germ.*

10. *Gat.* Apud nullum inveni.

12. *Gat.* Regni hujus ejicientur. *Ita Mm. & S. Germ.*

13. *Gat.* Puer ejus in illa hora.

16. *Gat. & Mm.* Ei omnes malè habentes, & ejiciebat ſpiritus immundos verbo. *Ita & Hilar.* Spiritus immundos.

20. *Gat.* Nidos ubi requieſcant. *Ita Mm. & Verſ. Ital.*

24. *Gat.* Fluctibus, erat autem illis ventus contrarius; Ipſe autem dormiebat.

28. *Mm.* Trans fretum maris;

29. *Gat.* Perdere nos.

30. *Gat.* Paſcentium. *Ita Mm. & S. Germ.*

31. *Gat.* Nos, mitte. *Ita Mm. omiſſo* hinc;

CAPUT IX.

℣. 11. *Mm.* Manducat, & bibit Magiſter.

15. *Mm.* Jejunabunt in illis diebus.

16. *Mm.* Fortitudinem ejus. *Vulg.* plenitudinem.

17. *Gat.* Rumpentur ... effundetur ... peribit. *Ita Corb.* & *verſ. Ital.*

32. *Gat.* Mutum & ſurdum dæmonium. *Ita Mm.* & *S. Germ.*

34. *Gat.* Belſebub *S. Germ.* In Belaebul.

35. *Gat.* Infirmitatem in plebe. (*altera manu*,) Et multi ſecuti ſunt eum. Videns. *S. Germ.* Infirmitatem in populo, & multi ſecuti ſunt. *Ita Gothic.*

38. Mittet (*aliàs*, ejiciat) operarios.

CAPUT X.

℣. 3. *Gat.* Alphæi, & Judas Zelotes, Simon. *Ita S. Germ.* & *Mm.*

8. *Gat.* Ejicite. Quod gratis.

9. *Gat.* Neque pecuniam, neque æs in zonia.

10. *Mm.* In via, neque pecuniam, neque duas tunicas.

22. *Gat.* Omnibus hominibus propter. *Ita Mm.* & *S. Germ.*

23. *Gat.* In aliam, & cùm in aliam perſequentur vos, fugite in tertiam amen dico. *Ita Mm. ſed Verſ. Ital.* In aliam. Quod ſi in aliam perſequentur vos, fugite in alteram.

25. *Gat.* Et ſervus ſicut Dominus ejus ... Belzebub. *Mm.* Belaebud. *Verſ. Ital.* Belaebul.

26. *Gat.* Quod non revelabitur, & occultum quod non ſcietur.

29. *Gat.* Sine voluntate Patris veſtri. *Ita Cypr. l. 3. teſtim. n. 6.* & *Verſ. Ital.*

37. *Gat.* Plus quàm me. *Ita S. Germ.*

CAPUT XI.

℣. *Gat.* & *Mm.* Jeſus omnia verba hæc, præcipiens.

3. *Gat.* Ait illis: Euntes dicite: Tu es. *Mm.* Euntes dicite illi: Tu es.

8. *Gat.* Veſtitum indumentis. Ecce qui mollibus. *Mm.* Veſtitum in domibus, &c.

23. *Gat.* In te manſiſſent *Gaudent. Brix. ad Neophytraſt. 9. de Lect. Exod.* Manſiſſent utique.

CAPUT XII.

℣. *Gat.* Quando intravit ... quos manducare.

10. *Gat.* Homo erat manus habens. *Mm.* Homo erat ibi, manum habens.

20. *Gat.* Fumigans. (*aliàs*, fumigantem.) Donec ejiciatur ad judicium. *Mm.* Fumigantem.

22. *Gat.* Et homo Dæmonium habens. *Ita Mm.* & *S. Germ.* & *Hilar.*

31. *Mm.* Blaſphemiæ remittentur.

35. *Gat.* & *Mm.* De bono theſauro cordis ſui. *Ita* & *Æthiop.*

37. *Gat.* Ea verbis tuis.

42. *Mm.* Cum viri generationis hujus.

45. *Mm.* Spiritus nequiores quam ſe.

48. *Mm.* Ipſe ait.

49. *Mm.* Mater mea quicumque.

CAPUT XIII.

℣. 1. *Gat.* Mare Galilææ.

3. *Corb.* Seminare ſemen ſuum.

8. *Gat.* Sexageſimum aliud trigentiſimum. *Mm.* Sexageſimum aliud tricentiſimum.

11. *Mm.* & *S. Germ.* Myſterium regni.

12. *Gat.* & *Mm.* Etiam quod habet.

14. *Gat.* & *Mm.* Ut adimpleretur in.

17. *Gat.* Cupierunt videre quæ vos videtis. *Mm.* Voluerunt videre quæ vidiſtis.

23. *Gat.* Centeſimum fructum, aliud ſexagiſſimum, porrò aliud trigentiſſimum. *Mm.* Trigentiſſimum.

30. *Gat.* Meſſoribus meis colligite ... & colligate ea faſciculos. *S. Germ.* Ea faſciculos. *Mm.* Ea faſciculis.

34. *Gat.* Diſſere nobis parabolam tritici, & zizaniorum. *Corb.* Diſſere nobis. *S. Germ.* Tritici & zizaniorum.

42. *Gat.* Et mittet eos ... Ignis. *Mm.* Ignis ardentis.

51. *Gat.* Etiam Domine. *S. Germ.* Utique Domine.

52. *Gat.* Iterum ſimilis eſt homini. *Mm.* Iterum ſimile.

55. *Gat.* Fabri filius Joſeph, & mater ejus ... Jacobus, & Johannis, & Joſeph, Semeon, & Judas. *Mm.* Filius Fabri Joſeph, nonne mater ejus quæ dicitur Maria ... Jacobus, & Johannis, & Joſeph, Simon, & Judas. *Corb.* Filius Joſeph Fabri.

58. *Gat. Mm.* & *S. Germ.* Et ideo non fecit.

CAPUT XIV.

℣. 2. *Gat.* Nonne hic eſt Joannes Baptiſta, quem ego decollavi. *Mm.* Numquid hic eſt. *Chryſ.* Hic eſt Joannes quem ego decollavi. *Corb.* Ego ipſe decollavi.

6. *Gat.* & *Mm.* Fratris ſui Philippi.

9. *Gat.* & *Corb.* In medio convivio. *Mm.* & *S. Ger.* In medio triclinio. *Sicut* & *Bibl. Goth.*

8. *Gat.* & *Mm.* & *Verſ. Ital.* Inquit in diſco caput.

9. *Gat.* Rex propter juramentum, & eos qui pariter recumbebant. *Mm.* Rex Herodes propter juramentum, & propter ſimul recumbentes. *S. Germ.* Propter ſimul recumbentes.

11. *Gat.* Et illa attulit. *Mm.* Et illa tulit.

12. *Mm.* Illud in monumento.

21. *Gat.* Mulieribus & pueris. *Mm.* & *Verſ. Ital.* Pueris & mulieribus.

22. Juſſit Diſcipulos. *Mm.* & *S. Germ.* Juſſit Jeſus Diſcipulos. *Corb.* Diſcipulis.

29. *Gat.* Supra mare ut veniret ad Jeſum. *Mm.* Supra mare ... ad Dominum.

32. *Gat.* Aſcendiſſet Jeſus in navicula. *Mm.* Aſcendiſſet in navicula.

33. *Gat.* Adorabant. *Hilar.* Adorabant. *In Mm. deeſt folium integrum.*

35. *Corb.* Adoraverunt eum, & confeſtim miſerunt.

CAPUT XV.

℣. 4. *Gat.* Patrem tuum, & matrem tuam ... morietur. *Corb.* Moriatur.

11. *Gat.* Sed ex ore procidit.

27. *Gat.* & *Corb.* Catuli. *Ita Ambroſ.*

30. *Gat.* & *Corb.* Ante pedes ejus.

32. *Gat.* Turbæ huic quis. *Corb.* Huic turbæ quondam. *Ita Ambroſ.*

33. *Gat.* Panes tanti ut. *Mm.* In deſerto ut ſaturentur turbæ tantæ. *Verſ. Ital.* Ut ſaturentur turbæ.

CAPUT XVI.

℣. 2. *Gat. Mm.* & *S. Germ.* Erit cras, rubicundum eſt enim Cœlum cum nubibus.

4. *Gat.* Noſtis judicare ... non poteſtis. *Mm.* Exiſtimare. *S. Germ.* Æſtimare.

8. *Gat. Mm.* & *S. Germ.* Inter vos.

22. *Mm.* & *S. Germ.* Increpare, & dicere.

25. *Gat.* Animam ſuam inveniet.

26. *Gat.* Proderit homini. *Cypr.* Proderit tibi.

27. *Gat.* Secundum opus ejus.

CAPUT XVII.

℣. 1. *Gat.* Et educit. *Mm.* & *S. G.* Et factum eſt poſt.

3. *Gat. Mm.* & *S. Germ.* Apparuit.

4. *Mm.* Nobis hic eſſe.

5. *Gat.* & *Mm.* Nubs lucida. Idacius Clarus mihi complacuit.

13. *Gat. Mm.* & *Verſ. Ital.* Dixit eis.

17. *Gat.* Increpavit ei.

19. *Gat.* Dicetetis monti huic tranſi hinc.

23. *Gat.* Exigebant. *Hilar.* Qui didrachma exigebant. *Ita Origen. in Bibl.*

CAPUT XVIII.

℣. 7. *Gat.* & *Verſ. Ital.* Venire ſcandala.

8. *Gat.* Ad vitam debilem, vel claudum intrare quàm ... in gehennam ignis. *Mm.* & *Verſ. Ital.* Venire quàm. *Corb.* In gehennam ignis. *Epiphan.* Expedit tibi intrare in Regnum Cœlorum.

9. *Gat.* Uno oculo (habentem) ad vitam. *Verſ. Ital.* Unum oculum habentem.

10. *Gat.* De puſillis iſtis qui in me. *Mm. S. Germ.* & *Corb.* De his puſillis credentibus in me. *Hilar.* Qui credunt.

12. *Gat.* In montibus & vadet ... quæ erraverit. *Mm.* In deſerto & vadet ... quæ erraverit. *Albert. Magn.* Relinquit in deſerto.

13. *Gat.* Gaudebit ſuper eam. *Mm.* & *Verſ. Ital.* Gaudebit.

15. *Mm.* Et arguet eum. *Ita Hilar.*

17. *Gat.* Sicut Gentilis, & Publicanus.

19. *Mm.* Iterum amen dico vobis.

20. *Gat. Mm.* & *Verſ. Ital.* Ibi, & ego ſum.

24. *Mm.* Ponere cum ſervis ſuis.

25. *Gat.* Venundari uxorem ... & reddere debitum. *Mm.* & *Verſ. Ital.* Reddi debitum.

26. *Gat.* & *Mm.* Rogabat ... in me Domine. *S. Ger.* Domine patientiam.

27. *Mm.* Miſertus eſt autem ... & omne debitum. *S. Ger.* Omne debitum.

Digitized by Google

28. *Mm.* Servi illius.
38. *Gat. & Mm.* Nuntiaverunt.

CAPUT XIX.

℣. 1. *Mm.* Jeſus omnia verba hæc.
3. *Mm* Suam niſi ob fornicationem, quacumque.
4. *Gat* Qui fecit ab initio maſculum, & fœminam, ab initio fecit eos. *Mm & S. Germ.* Qui fecit ab initio. *Corb.* Qui fecit maſculum, & fœminam fecit. *In Heron. Gat. & Mm.* Nomen illud, *hominem*, deeſt.
5. *Gat. Mm & S. Germ.* Relinquet homo. *Corb.* Remittet,
7. *Gat.* Dimittere uxorem. *Mm.* Dimittere uxores.
8. *Mm.* Veſtras dico,
9. *Gat.* Ob cauſam fornicationis .. duxerit adulterium committit *Mm.* Adulterium committit, *Sicut & Tertull. l. 4. adv. Marc.*
10. *Mm.* Cauſa viri, *Ita S. Germ.*
12. *Gat. & Mm.* Se ipſos enuchizaverunt. *Ita Bibl. Goth.*
14. *Gat. & Mm.* Sinite parvulos venire ad me, & nolite eos prohibere.
18. *Mm* Non homicidium facies, ut in Deuteronomio, non falſum teſtimonium dices, non furtum facies; honora,
23. *Gat.* Intrare in,
25. *Mm.* Mirabantur & timebunt, *Hilar.* Admirantur, & metuunt valde,
27. *Gat.* Nos qui reliquimus omnia, *Mm.* Nos dimiſimus omnia, *Ita Aug.*

CAPUT XX.

℣. 5. *Mm.* Abiit circa:
8. *Mm.* Mercedem ſuam ... à noviſſimis uſque.
15. *Mm.* Licet mihi in meis quod, *Corb.* Favere de re mea.
19. *Gat. Mm. & Verſ. Ital.* Ad deludendum. *Ita S. Chryſoſt.*
25. *Mm.* Convocavit eos ... ſcitis quod ..., & contumaces,
27. *Gat.* In vobis eſſe primus;
30. *Mm.* Audientes ... clamarent.

CAPUT XXI.

℣. 1. *Gat & Mm.* Appropinquaſſet Hieroſolymis, veniſſet Bethfage ... Diſcipulos ſuos.
5. *Gat. & S. Germ.* Pullum ſubjugalem.
7 *Gat.* Et impoſuerunt ei. *Mm.* Poſuerunt ei.
9. *Gat.* Oſanna Filii David ... qui venturus eſt in Altiſſimis. *Mm.* Oſanna Fili David in excelſis. *S. Germ.* In excelſis. *Hilar.* Fili David.
15. *Gat. Mm. & Verſ. Ital.* Fecit Jeſus & ... Oſanna Fili.
17. *Mm.* Manſit & docebat eos de regno Dei mane,
20. *Gat.* Aruit ficulnea.
21. *Gat.* Tolle te, & jacta te.
25. *Gat.* Baptiſmum Johannis, *Mm.* Baptiſmum Johannis unde fuit? De Cœlo erat an ... intra ſe.
28. *Gat.* Homo qui habebat ... dixit illi Fili ... in vineam meam. *Mm.* Homo quidam qui habebat ... in vineam meam. *S. Germ.* In vineam meam.
31. *Gat.* Præcedunt vos in regno Dei. *Mm.* Præcedunt vos.
33. *Mm.* Turrem in medio ejus.
37. *Mm.* Dicens forſitan verebuntur;
38. *Mm.* Et habeamus.
39. *Mm.* Occiderunt, & ejecerunt extra vineam; *Ita Lucifer Calarit.*
40. *Gat.* Agricolis. *Corb.* Colonis illis.
42. *Gat.* Nunquam non legiſtis in ſcripturis ſi lapidem; *Mm.* In ſcripturis in Pſalmo: lapidem.

CAPUT XXII.

℣. 6. *Gat.* Contumelia adfectos. *Mm.* Afflictos; *Lucifer Calarit.* Contumelia.
10. *Mm.* Quotquot invenerunt. *Ita Lucifer Calarit.*
13. *Mm.* Alligate eum manibus, & pedibus, & mittite in,
16. *Gat. & S. Germ.* Perſonas. *Mm.* In perſonam.
24. *Mm.* Moyſes mandavit nobis ſi quis ... & non.
25. *Gat.* Mortuus eſt.
27. *Gat. Mm & Corb.* Noviſſima.
32. *Gat. & S. Germ* Sed Deus viventium;
33. *Gat. & Mm.* Audientes Scribæ.
36. *Gat.* Quod eſt primum mandatum magnum.
37. *Gat.* In tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & in tota mente tua. *Origen.* Ex totis viribus tuis. *Mm.* Ex tota anima tua.
38. *Mm.* Magnum & *Hilar.* Hoc eſt magnum;
40. *Mm.* Pendet tota lex.
45. *Gat. & Mm.* David in ſpiritu vocat:

CAPUT XXIII.

℣. 5. *Gat.* Fimbrias veſtimenti ſui, *Mm.* Fimbriam veſtimenti ſui,
6. *Gat.* Primos diſcumbitos. *Mm.* Accubitas.
14. *Deeſt iſte verſus in manuſcriptis Gat. Mm. & Verſ. Ital. nec in Hieron. legitur.*
15. *Gat.* Quia circumitis mare, & aridam ut faciatis unum proſelytum. *Mm.* Qui circumitis mare, & aridum, & cum.
16. *Gat.* In Templum ... debitor eſt. *Mm.* Debitor eſt.
18. *Gat.* In altario ... debitor eſt. *Mm.* In altare ... debitor eſt
21. *Gat.* Qui jurat in: *Mm.* Qui juravit.
25. *Mm.* Pleni ſunt rapina.
26. *Gat.* Id quod intus eſt. *Mm.* Et id quod foris eſt,
27. *Gat.* Appareant,
28. *Gat.* Apparetis.
32. *Gat. & Mm.* Et vos impletis.
33. *Gat.* Effugetis.
34. *Gat & Mm.* Et flagellabitis:
37. *Gat.* Sub halis ſuis &, *Mm.* Sub alas ſuas &; *Sypri* Sub alas ſuas.

CAPUT XXIV.

℣. 3. *Gat.* Conſummationem ſæculi.
4. *Mm* Seducat ullo modo.
7. *Mm.* Regnum ſuper regnum. *Ita Cypri.*
10. *Gat & Mm.* Invicem ſe tradent.
12. *Gat. & Mm.* Abundabit. *Gat.* Refrigeſcet:
15. *Mm* Abominationem, quæ dicta eſt a Daniele Propheta ... qui legit, & intelligat.
21. *Mm. & Corb* Ab initio ſæculi.
23. *Gat. Mm. S. Germ. & Cypr.* Aut ecce illic;
27. *Gat. Mm. & Cajet.* Fulgor exit.
29. *Mm. & Cypr.* Movebuntur.
30. *Gat. Mm. & Cypr.* Plangat ſe omnes ... cum virtute magna.
32. *Gat. & Mm.* Ficus ... æſtus.
37. *Gat. & Mm.* Sicut enim fuit in:
38. *Gat.* Bibentes, nubentes, & nuptum tradentes uſque ad diem. *Mm.* Bibentes, & uxores ducentes uſque in eum diem.
41. *Mm.* Relinquetur. Duo in lecto unus aſſumetur, & unus relinquetur. Vigilate. *Corb* Duo erunt in lecto jacentes, unus admittetur, & alter adſumetur. *Bibl. Goth.* In lecto unus aſſumetur.
42. *Gat.* Qua hora, vel qua die Dominus. *Mm.* Qua die, vel qua hora.
43. *Gat.* Perfodiri. *Mm.* Veniret ... perfodiri,
44. *Mm. & Corb.* Quia neſcitis qua hora.
49. *Gat. Mm. & Corb.* Cum ebrius.

CAPUT XXV.

℣. 9. *Gat.* Dicentes non, ne fortè non.
11. *Gat.* Noviſſimè veniunt.
22. *Gat.* Acceſſit alter, & qui.
24. *Mm.* Scio homo durus es.
25. *Gat.* Et timens ego abii.
27. *Gat. Mm.* Mittere pecuniam ... cum uſuris quod meum eſſet. *Corb. & Mm. & Origen.* Cum uſuris.
30. *Mm.* Ibi erit.
34. *Gat.* Poſſidere regnum quod vobis præparatum eſt à conſtitutione mundi. *Mm. Corb. Origin. Lucifer Calarit.* Poſſidete paratum vobis regnum ab origine. *Niceph.* Poſſidete regnum quod.
36. *Gat.* In carcerem fui; *Cypr.* In carcere fui, *Gaudentius Brix.* Eram.
41. *Gat. & Mm.* A ſiniſtris ejus erunt.
43. *Gat. & Corb.* Et non veniſtis ad me.
46. *Mm.* Tunc ibunt hi.

CAPUT XXVI.

℣. 3. *Gat.* Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Seniores ... qui vocatur Chaipas, *Mm.* Qui dicitur Caiphas.
7. *Gat.* Ejus recumbentis. *Mm.* Ipſius recumbente ipſo;
9. *Gat. Mm & Corb* Pretio multo.
10. *Gat. & Verſ. Ital.* Opus bonum.
11. *Gat. Mm. & Corb.* Habebitis ... non ſemper habebitis.
13. *Gat.* In toto orbe. *Gat. & Mm.* Dicetur & quod fecit hæc in memoriam ipſius. *Mm.* Narrabitur.
14. *Gat. Mm. & Verſ. Ital.* Qui dicitur Judas Scarioth;

56. *Gat.*

Digitized by Google

16. *Gat.* Traderet eis *Mm.* Occaſionem ut eum morti traderet.

17. *Gat.* Azymorum . . . Domine ubi vis . . . . manducare Paſcha. *Mm.* Azimorum. *Hilar. in Matth.* Paſcha manducare.

19. *Gat.* Sicut præcepit. *Mm.* Præparaverunt;

20. *Gat.* Diſcubuit.

21. *Mm.* Comedentibus illis dixit Jeſus.

24. *Gat.* Traditur. *Mm.* Per quem tradetur. *Euthym.* Per quem proditur.

25. *Gat.* Qui traditurus erat eum, & dixit . . illi Jeſus; *Mm.* Traditurus eſt eum dixit . . illi Jeſus;

26. *Gat. & Mm.* Hoc eſt enim.

28. *Gat.* Effunditur.

29. *Gat. & Mm.* Vobis quia non bibam.

31. *Gat. & Mm.* Gregis ſui.

36. *Gat.* Gethſemani . . . ſedete hic donec eam illuc orare. *Mm.* Gethſamani . . . vadam & illuc orem. *Hilar. in Matth. cap.* 31. Donec eam illuc orare.

39. *Mm.* Sicut tu vis. *Hilar. ibid.* Sed ſicut tu vis.

40. *Gat.* Potuiſtis.

41. *Gat.* Ne intretis.

43. *Gat.* Iterum ad Diſcipulos ſuos, & . . . . gravati à ſumno. *Mm.* Gravati de ſumno. *S. Germ.* Gravati ſumno.

47. *Gat.* Et ſeniores populi.

50. *Gat.* Cui dixit Jeſus: Amice, ad quod veniſti fac tunc. *Mm & Verſ. ital.* Ad quod veniſti?

52. *Gat. & Mm.* In gladio.

53. *Gat.* Non poſſum modo rogare. *Mm.* Non poſſum ego rogare.

55. *Gat.* Jeſus ad turbas . . . *Gat. & Mm.* Veniſtis cum;

56. *Gat. & Mm.* Diſcipuli ejus omnes.

57. *Gat & Mm.* Convenerunt.

58. *Gat. & Mm* Finem rei. *Bibl. Corb.* Ut videret finem rei.

60. *Gat.* Veniſſent.

61. *Gat.* Templum Dei, & poſt triduum diem reædificare illud. *Mm* Templum hoc Dei, & poſt tertium diem reſuſcitare illud.

63. *Gat.* Filius Dei vivi.

64. *Gat.* Cum nubibus. *Mm. & Verſ. ital.* Virtutis, &c.

64. *Gat.* Cum nubibus. *Mm. & Verſ. ital.* Virtutis, &c.

65. *Gat.* Hic blaſphemavit, ... audiſtis blaſphemiam ejus. *Mm.* Audivimus blaſphemiam ejus.

66. *Gat.* Reſponderunt omnes, & dixerunt:

70. *Gat.* Coram hominibus dicens, neſcio quid dicis neque intelligo. *Mm* Coram hominibus.

72. *Mm* Non noviſſet hominem.

73. *Gat. & Mm* Qui ibi ſtabant. *Gat.* Re vera & tu;

74. *Mm.* Cœpit devotare, & jurare.

75. *Gat.* Flevit amare.

CAPUT XXVII.

℣. 1. *Gat.* Conſilium fecerunt.

3. *Gat.* Quia damnatus eſt, pœnitentia ductus. *Mm.* Pœnitentiam motus.

5. *Gat. & Mm.* Seceſſit.

6. *Gat.* Tunc Principes Sacerdotum. *Gat. & S. Ger.* In corbanam. *Mm & Corb.* In corbanam.

8. *Gat.* Propterea . . . . . . ager ille lingua eorum Haceldemach, quod eſt. *Mm. S. Germ. & Corb.* Acheldemach. *Mm.* Quod eſt.

9. *Gat.* Adimpletum . . . erat per . . . XXX. ſtateres. *Mm. & S. Germ.* Quod appretiaverunt.

11. *Gat.* Eum Pilatus.

12. *Mm.* Nihil reſpondebat;

13. *Gat.* Quanta iſti adverſum te teſtimonia teſtificantur. *Mm.* Quanta adverſum te teſtificantur, & dicunt teſtimonia.

14. *Gat.* illi ullum verbum. *Verſ. ital.* Et unum verbum.

16. *Gat.* Habebant autem tunc vinctum. *Mm.* Habebant autem unum vinctum. *Gat.* Barabas.

18. *Gat. & Toph.* Quod propter invidiam.

19. *Gat. & Mm.* Nihil ſit tibi. *Hilar. in hunc loc.* Nihil tibi ſit.

20. *Gat.* Populo ut.

22. *Mm.* Quid ipſo faciemus de.

23. *Mm.* Pilatus.

24. *Mm.* Nihil proficere ſed magis tumultum fieri; *Mm. & Gat.* Manus ſuas coram omni populo. *Mm.* A ſanguine ejus.

26. *Gat.* Illis ut eum crucifigerent. *Mm.* Ut crucifigeretur;

27. *Gat.* Duxerunt. Jeſum in prætorium, & congregarent.

28. *Gat.* Et exeuntes eum, & veſtierunt eum tonica porphorea, & clamidem coccineam circumdederunt ei, & plectentes. *Mm.* Ei, & veſtem purpuream, & plectentes.

29. *Gat.* De ſpinis texuerunt, & poſuerunt ſupra caput . . . . & genu poſito illudebant dicentes. *Mm.* Illudebant dicentes.

30. *Gat.* Expuentes in faciem ejus.

32. *Gat.* Cyrineum venientem obviam ſibi, nomine Simonem. *Mm.* In obviam illis.

37. *Gat. & Mm.* Hic eſt Rex Judæorum.

40. *Gat. Mm, Corb. & Hilar.* Deſtruebas . . . . reædificabas. *Gat.* Va qui . . . ſalva teipſum. *S. Germ.* Deſtruit . . . reædificas.

41. *Gat.* Diludentes cum Scribis, & Phariſæis: *Mm. & Verſ. ital.* Illudentes eum cum Scribis, & Senioribus.

43. Confidat in Deo. *Mm.* In Domino.

46. *Gat.* Heli, Heli Lamazabathoni. *Mm.* Heloi, Heloi Lamathzabacthani. *Verſ. ital.* Heli, Heli, Lamazabathani.

48. *Gat.* Impoſuit inarundinem;

49. *Gat.* An veniat Helias liberare eum: alius autem accepta lancea pupungit, & aperuit latus ejus, & exivit ſanguis, & aqua Jeſus autem. *Mm.* Si veniat Helias liberare eum, alius autem accepta pupungit latus ejus, & exivit aqua, & ſanguis.

52. *Gat.* Sanctorum dormientium reſurrexerunt, qui exeuntes. *Mm.* Qui dormierunt *Gaudent. ſerm* 10. *de lect. Exod.* Et multa corpora Sanctorum dormientium ſurrexerunt, & exeuntes.

55. *Gat.* Fuerant. *Mm.* A longè videntes quæ ſecutæ fuerant.

56. *Gat.* Et Joſeph, & mater:

57. *Gat.* Ab Arimathia . . fuerat: *Mm.* Fuerat;

58. *Gat & Mm.* Dari corpus.

63. *Gat. & Mm.* Poſt tertium diem:

65. *Gat.* Habetis milites, ite.

66. *Mm.* Cum cuſtodibus, & diſceſſerunt:

CAPUT XXVIII.

℣. 3. *Gat. & Mm.* Sicut Fulgor, veſtimenta ejus candida ſicut nix.

5. *Gat.* Jeſum Chriſtum qui. *Mm.* Angelus Domini dixit . . . . Jeſum Chriſtum.

7. *Gat.* Surrexit à mortuis, ecce præcedet vos . . . & ecce dixi vobis. *Mm* Ecce precedit vos. *Corb.* Dixi vobis. *Cajetan.* Quia ſurrexit à mortuis.

8. *Mm.* Et exierunt mulieres cito.

10. *Gat. & Mm.* Sed ite.

15. *Gat.* Erant inſtructi, & devulgatum eſt. *Mm. & Verſ. ital.* Erant docti.

19 *Gat. & Mm.* Ergo nunc docete. *Hilar. lib. de Trinit.* Euntes nunc docete.

20. *Gat.* Obſervare . . . . Amen. *Mm.* Obſervare . . . ecce vobiſcum . . . ſæculi. *S. Germ.* Ecce vobiſcum.

Explicit Evangelium ſecundùm Matthæum.

VARIANTES LECTIONES EX MARCI EVANGELIO.

Gat. *Item incipit Evangelium ſecundùm Marcum.* Mm. *Item nunc orditur Evangelium*

JESU CHRISTI.

CAPUT I.

℣. 1. *Gat. & Mm.* Evangelii Domini noſtri Jeſu Chriſti.

3. *Mm.* Semitas Dei noſtri.

5. *Mm.* Ad illum omnis Judæa, &c.

6. *Gat. & Mm.* Circa lumbos ſuos.

8. *Gat. & Mm.* Vos in aqua . . . . Vos in Spiritu Sancto.

10. *Mm.* Aſcendit.

12. *Gat.* Emiſit eum in deſerto. *Mm.* Expulit.

14. *Gat.* Regni &c.

21. *Gat.*

21. *Gat.* Sabbatn ingreſſus. *recens. man.* Sabbatis; *Mm* Introgreſſus.

22. *Gat.* Scribæ, & Phariſæi;

23. *Mm.* In Synagoga Judæorum.

24. *Mm.* Scio te qui ſis.

25. *Gat. & Mm.* Exi ab homine ſpiritus immunde, &.

27. *Gat. & Mm.* Quæ eſt .... Quia in poteſtate, & ſpiritibus.

29. *Gat. & Mm.* Egrediens .... venit.

32. *Gat.* Cùm occubuiſſet ſoi ...... malè habentes, & erat.

34. *Gat.* Doloribus. *recens. man.* langoribus. *Mm.* Langoribus.

36. *Gat. & Mm.* Subſequuitus eſt;

39. *Gat.* Et in omni Galilena. *recens. man.* per omnem; *Mm.* Et omnis Galilæa.

40. *Gat.* Leproſus quidam, & deprecans eum genuſlexo, dixit ſi. *Mm.* Dixit: Domine, ſi,

44. *Gat.* Principibus.

45. *Gat. & M.* Eſſe.

CAPUT II.

℣. 1. *Mm.* Capharnaum poſt dies &.

2. *Gat. & Mm.* Caperet domus, neque;

8. *Gat.* Spiritu ſancto, quia.

10. *Gat.* Tunc ait.

12. *Mm.* Coram omnibus tulit ita ut;

14. *Gat. & Mm.* Levin Alphei.

15. *Mm.* Multitudo, qui.

17. *Mm.* Peccatores in pœnitentiam, &;

18. *Gat. & Mm* Cur Diſcipuli.

20. *Gat.* Venient.

21. *Gat.* Nemo enim adſumentum ...; adſuit ...; adſeret. *recent. man.* Auſert. *Mm.* Nemo enim comiſuram panni novi adſuit .....ſuferet.

22. *Gat.* Novellum vinum in ....diſrumpet vinum novum utres veteres, & .... debet, & utraque ſervantur, & factum eſt. *Mm.* Vinum novellum in .. rumpet ... debet, & utraque ſervantur, & factum eſt.

23. *Gat. & Mm.* Cum ſabbathis.

24. *Gat.* Quid faciunt Diſcipuli tui ſabbathis quæ non licet eis facere, &.

25. *Gat.* Ait illis; Numquid legiſtis. *Mm.* Ait illis Jeſus, numquam.

26. *Gat.* Prepoſſitionis ... non licebat ei manducare niſi ſolis Sacerdotibus, & dedit ei. *Mm.* Non licebat ei manducare, niſi ſolis ... & dedit his qui cum ipſo erant.

CAPUT III.

℣. 4. *Gat.* Eis ſi licet.

5. *Gat.* Manus illius ſanitati ſicut altera ...; exeuntes;

9. *Gat.* Ut naviecla præſto eſſet illi. *Mm.* Ut in navicula ſibi deſervirent.

11. *Mm* Et ſpiritus immundos ... projiciebant ſe ei.

15. *Mm.* Valetudines. *Gat. & Mm.* Dæmonia, & ut circum euntes prædicarent Evangelium, &.

16. *Gat. & Mm.* Impoſuit Simoni nomen Petrum;

21. *Gat* Audiſſent Diſcipuli. *Mm.* Diſcipuli ſui.

22. *Gat.* Beelzebub .... hic ejicit. *Mm.* Beelzebud.

24. *Gat. & Mm.* Non poterit.

25. *Mm.* Non poterit .... ſtare ſed finem habet. Nemo;

27. *Mm.* Prius alligaverit.

29. *Gat.* Non habet in ſe remiſſionem, neque in hoc ſæculo. neque in futuro. ſed.

33. *Mm.* Et qui ſunt fratres mei;

CAPUT IV.

℣. 6. *Gat.* Exortum eſt, ſole autem orto exæſtuavit ... non haberet. *Mm.* Æſtuavit ..... non habuit.

7. *Gat.* In ſpinis, & creverunt ſpinæ.

8. *Gat. & Mm.* Trigeſimum ..... ſexageſimum ... centeſimum. *recent. man.* Sexagenteſimum.

10. *Gat. & Mm* De parabolis.

15. *Gat. & Mm.* In corde eorum.

19. *Gat* & *Mm.* Efficiuntur.

24. *Gat.* Remetietur vobis, qui;

25. *Gat.* Non habet, auferetur.

26. *Gat. & Mm.* Si homo jactat;

30. *Gat* Cui comperabolæ.

31. *Gat.* Quod ſeminatum fuerit in terra, aſcendit. *Mm.* Minimum eſt.

34. *Mm.* Loquebatur omnia;

40. *Gat.* Quis putatis.

CAPUT V.

℣. 4. *Mm.* Dominare.

7. *Gat.* Dei ſummi.

9. *Mm.* Nomen eſt mihi. Et.

12. *Gat.* Spiritus dicentes: Si ejicis nos, mitte; *Mm.* Spiritus immundi dicentes, mitte.

13. *Gat.* Impetu grex porcorum præcepit. *Mm.* Impetu habiit.

14. *Gat.* Quid eſſet facti. *Mm.* Quod eſſet facti.

15. *Gat.* Venerunt ..... vexabantur. *Mm.* Venerunt.

19. *Gat.* Et Jeſus non admiſit eum. *Mm.* Et non dimiſit eum.

40. *Gat. & Mm.* Et impediuntur.

41. *Gat. & Mm.* Tabitha cumi.

42. *Gat.* Obſtupuerunt omnes ſtupore maximo; *Mm.* Obſtupuerunt parentes ejus ſtupore maximo.

CAPUT VI.

℣. 2. *Mm.* Ibat in.

3. *Gat. & Mm.* Nonne iſte eſt Fabri filius, & Mariæ; *Gat.* Frater Jacobi ... ſcandalizantur in eo.

5. *Mm.* Et ideo non poterat illic multam virtutem facere.

11. *Gat* Non receperint vos, exeuntes.

16. *Mm.* Johannis hic.

19. *Gat.* Herodis autem inſidiabatur. *Mm.* Herodis autem.

22. *Gat.* Illi multa, quia.

27. *Gat* Miſſo ſtatim ſpeculatore.

30. *Mm.* Quæcomque egerant.

34. *Gat.* Et exiens inde vidit. *Mm.* Et exiens inde Jeſus vidit turbam, &c.

38. *Gat & Mm.* Dicunt ei: Quinque panes, &;

43. *Mm.* De piſcibus ſimiliter erans.

46. *Gat.* In montem ſolus orare.

47 *Gat.* Solus erat in.

51. *Gat.* Omnes qui viderant eum. *Mm.* Omnes enim qui viderunt, & magis.

53. *Mm.* Pervenerunt in terram Genezat;

54. *Gat. & Mm.* Egreſſiſſent. *Gat.* Cognoverunt eum viri loci illius, &.

56. *Gat.* Introiebat. *Mm.* Introeat ....; in civitates, & in plateas.

Deſunt hic omnia in Mſ. maj. Monaſt. uſque ad ℣. 29. Cap. VII. Evang. ſecundùm Luc. foliis integris dilaceratis.

CAPUT VII.

℣. 15. *Gat.* Proderit.

18. *Gat.* Omne quod extrinſecus.

19. *Gat.* Quoniam non intravit in cor ejus, ſed in ventrem, & in ſeceſſum exiit purgans,

20. *Gat.* Coinquinant.

28. *Gat.* Catelli edunt.

29. *Gat.* Illi Jeſus: Propter ...; & exiit;

32. *Gat.* Et mugillatum.

37. *Gat.* Facit .... facit.

CAPUT VIII.

℣. 1. *Gat.* Turbæ huic. *recent. man.* ſuper turbam;

15. *Gat.* Eis Jeſus dicens: Videte, cavete ... Phariſæorum, & Saducæorum, & fermento.

19. *Gat.* Quomodo.

23. *Gat.* Et adprehendens manum cæci duxit eum; ... & ſpuens ...... ſi aliquid videret.

33. Satanas ..... ſed quæ hominum.

34. *Gat.* Vult poſt me venire deneget ſeipſum.

36. *Gat.* Univerſum mundum.

CAPUT IX.

℣. 1. *Gat.* Adſumpſit Petrum .... ſeorſum ſolus.

2. *Gat.* Candida velut.

5. *Gat.* In timore exterriti;

12. *Gat.* Helias jam venit.

14. *Gat.* Videns eum .... occurrentes.

16. *Gat.* Spiritum immundum qui.

17. *Gat.* Duxi Diſcipulis.

19. *Gat.* Diſcerpſit eum conturbans, & eliſus;

24. *Gat.* Surde & mute ſpiritus, tibi præcipio.

35. *Gat.* Conſpexiſſet dixit.

40. *Gat.* Aquæ frigidæ (tantum) in .... quia non perdet.

42. *Gat.* Mitti in gehennam ignis inextinguabilis, ubi;

48. *Gat.* Ignis ſalietur, & omnis victima ſalietur.

39. *Gat.* Inſalſum ..... condietur ... ſalem, &.

CAPUT X.

CAPUT X.

℣. 6. *Gat.* Illos Deus dicens: Propter.
7. *Gat.* Adherebit uxori ſuæ.
14. *Gat.* Regnum Celorum, *recent. man.* Dei,
18. *Gat.* Niſi ſolus Deus.
28. Scimus te, quid ergo erit nobis reſpondens.
32. *Gat.* Eſſent ventura.
37. *Gat.* Et unus ad.
38. *Gat.* Ego bibiturus ſum.
39. *Gat.* Calicem quem bibo,
41. *Gat.* Indignati ſunt de.
49. *Gat.* Vocat te magiſter.

CAPUT XI.

℣. 1. *Gat.* Ad montem Oliveti.
2. *Gat.* Introeuntes in illud.
3. *Gat.* Facitis hoc? dicite,
8. *Gat.* Inſtraverunt,
13. *Gat.* Venit videre ſi.
20. *Gat.* Cùm transfretaſſent.
31. *Gat.* Dicet nobis: Quare.
33. *Gat.* Hæc facio.

CAPUT XII.

℣. 13. *Gat.* Quoſdam cum Herodearus ex Phariſæi,
14. *Gat.* Doces: Dic ergo nobis licet.
20. *Gat.* Erant apud nos, &c.
25. *Gat.* Erunt tanquam.
27. *Gat.* Viventium.
28. *Gat.* Conquirentes, quoniam..... cum magiſter quod eſt.
42. *Gat.* Vidua paupercula..... paupercula;

CAPUT XIII.

℣. 1. *Gat.* Structuræ Templi, &c.
2. *Gat.* Vide has magnas.
6. *Gat.* Ego ſum Chriſtus, &c.
13. *Gat.* Suſtinuerit uſque in.
18. *Gat.* Ut ne fiat ſuga veſtra hieme, vel ſabbato, erunt.
19. *Gat.* Tribulationis, tales.
22. *Gat.* Signa magna, &c.
37. *Gat.* Dico: Vigilate; omnibus dico: Vigilate.

CAPUT XIV.

℣. 1. *Gat.* Et azemorum poſt... & occiderent eum dolo;
3. *Gat.* Nardi piſtici.
7. *Gat.* Habebitis...... habebitis,
10. *Gat.* Scariothis......... Chriſtum illis;
11. *Gat.* Pretium ſe.
17. *Gat.* Cum XII. Diſcipulis ſuis.
19. *Gat.* Singillatim: Numquid ego ſum?
25. *Gat.* Quoniam non bibam de germine ...... bibam vobiſcum novum in regno Dei.
27. *Gat.* Omnes vos ſcandalizamini in iſta nocte.
29. *Gat.* Fuerint, ſed.
32. *Gat.* Venerunt..... nomen eſt Gethſamani.
34. *Gat.* Vigilate mecum.
35. *Gat.* Procidit in faciam ſuam ſuper.
37. *Gat.* Venit ad eos, & invenit..... Vigilare mecum
40. *Gat.* Ingravati à ſumno.
43. *Gat.* Scarioth..... miſſi à Summis.
44. *Gat.* Ducite.
47. *Gat.* Summi Pontificis.
54. *Gat.* Uſque in ...... & calefaciebat ſe ad ignem;
58. *Gat.* Poſt triduum.
60. *Gat.* Interrogabat quicquam.
64. Blaſphemiam ejus: quid.
65. *Gat.* Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit: & miniſtri.
72. *Gat.* Verbi Jeſu quod dixerat ei.

CAPUT XV.

℣. 4. *Gat.* Non reſpondens quicquam.
7. *Gat.* Nam in carcere qui.
8. *Gat.* Illis per diem ſolemnem ut dimitteret unum vinctum. Pilatus.
11. *Gat.* Baraban peterent dimittere eis.
12. *Gat.* Vultis ut faciem.
13. *Gat.* Dicentes: Crucifige, crucifige eum.
15. *Gat.* Reddidit illis Jeſum, *recent. man.* tradidit.
16. *Gat.* Duxerunt Jeſum intro in atrium,
24. *Gat.* Super ea.
27. *Gat.* Crucifigerunt.
29. *Gat.* Va qui deſtruit........ ædificat.
32. *Gat.* Si Chriſtus........ credamus ei.
33. *Gat.* Super univerſam terram.
34. *Gat.* Helui, Helui Lamazabathani.
35. *Gat.* Helcani vocat iſte.
36. *Gat.* Unus eſt eis, &c.
38. *Gat.* In duas parte.
43. *Gat.* Audaciter.
45. *Gat.* Corpus Jeſu Joſeph.
47. *Gat.* Magdalenæ, & Maria Jacobi, & Maria Joſeph.

CAPUT XVI.

℣. 1. *Gat.* Ungerent eum.
8. *Gat.* Tenior, & pavor.
9. *Gat.* Nam Jeſus mare.
15. *Gat.* In mundum prædicate.
18. *Gat.* Non eos nocebit.
20. *Gat.* Proſequentibus ſignis...... Amen.

Explicit Evangelium Cata Marcum.

ITEM INCIPIT EVANGELIUM CATA LUCAN.

CAPUT I.

℣. 3. *Gat.* Adſequuto à.
7. *Gat.* Proceſſerant ætate in.
9. *Gat.* Poneret, in Templo ingreſſus.
11. *Gat.* Altaris ſupplicationis.
13. *Gat.* Zacharias, quia ecce exaudita eſt.
17. *Gat.* Parare Domino.
20. *Gat.* Tacens, *recenſ. man.* Mutus.
22. *Gat.* Annuens eis.
28. *Gat.* In mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.
29. *Gat.* Ipſa autem quæ cùm vidiſſet turbata eſt.
30. *Gat.* Et dixit ei Angelus Domini oc.
30. *Gat.* Et id quod naſcitur ex te.
41. *Gat.* Exultavit in gaudio infans.
45. *Gat.* Sunt à.
46. *Gat.* Magnificavit.
50. *Gat.* In progenie, & progenies.
54. *Gat.* Memorari miſericordia.
56. *Gat.* Apud illam quaſi.
59. *Gat.* Et vocaverunt.
63. *Gat.* Et poſtulans, *recent. man.* Accepit;
66. *Gat.* Quid putas.
67. *Gat.* Impletus eſt...... prophetabat.
71. *Gat.* Salutem & liberavit nos ex Inimicis.
74. *Gat.* De manibus.
77. *Gat.* Plebis ejus.
80. *Gat.* In ſpiritu, & gratia Dei erat cùm illo; & erat in.

CAPUT II.

℣. 1. *Gat.* Ut cenſum diſcriberetur, *recent. man.* Profiterentur.
2. *Gat.* Hæc deſcriptio; *recent. man.* Profeſſio...... Cyrino nomine.
3. *Gat.* In ſuam regionem.
4. *Gat.* Et patria David.
5. *Gat.* Prægnante de Spiritu ſancto.
9. *Gat.* Circa eos.
10. *Gat.* Nuncio vobis.
13. *Gat.* Cum Angelis multitudo exercitus;
14. *Gat.* In excelſis.
16. *Gat.* Feſtinanter.
17. *Gat.* Cognoverunt eum de verbo:
20. *Gat.* Paſtores laudentes, & benedicentes Dominum.
23. *Gat.* Omne maſculum.
25. *Gat.* Nomine Simeon.
28. *Gat.* In ulnas ſuas.
29. *Gat.* Nunc dimitte.
35. *Gat.* Multorum cordium cogitationes:
37. *Gat.* Et hæc erat vidua.......... ſerviens Deo die ac nocte.
38. *Gat.* Adſiſtens confitebatur......... redemptionem in Hieruſalem.
40. *Gat.* Erat cum illo.
48. *Gat.* Dolentes & triſtes quærebamus te.
49. *Gat.* Neſcitis quia.

CAPUT III.

CAPUT III.

℣. 10. *Gat.* Faciemus ut vivamus? Reſpondens.
13. *Gat.* Quàm conſtitutum eſt vobis, exigatis.
16. *Gat.* Vos in pœnitentia, venit autem.
19. *Gat.* Faciebat Herodis.
22. *Gat.* Super eum. Et vox facta eſt dicens: Tu es...; complacuit mihi.
23. *Gat.* Melchi.
26. *Gat.* Mathuſalem.
27. *Gat.* Manathæ.
31. *Gat.* Mecha...... Mathathia.
35. *Gat.* Serug.
37. *Gat.* Mathuſalem.

CAPUT IV.

℣. 2. *Gat.* Temptatur.
5. *Gat.* Diabolus, &c.
6. *Gat.* Ad illum......cui voluero.
18. *Gat.* Eo quod.
27. *Gat.* In Hieruſalem......ſub Nemsu.
34. *Gat.* Qui ſis.
35. *Gat.* Exi ab homine, *recent. man.* Ab illo.
36. *Gat.* Pavor magnus in omnibus, & conloquebatur;
41. *Gat.* Dæmonia etiam á multis.

CAPUT V.

℣. 1. *Gat.* Geneſar.
2. *Gat.* Retia in mare;
3. *Gat.* Ducere puſillum;
4. *Gat.* Relaxate.
7. *Gat.* Annuebant...... ut mergerentur;
10. *Gat.* Nolite timere.
16. *Gat.* Sedebat in deſerto.
23. *Gat.* Peccata tua an.
24. *G.* Dimittere peccata;
27. *Gat.* Leuvin...... Ad thilonneum.
34. *Gat.* Poſſunt. *recent. man.* Poteſtis jejunare;

CAPUT VI.

℣. 4. *Gat.* Non licebat eis manducare niſi ſolis, Sacerdotibus; aut non legiſtis in lege quia Sacerdotes in Templo Sabbatum violant, & ſine crimine ſunt? Et dicebat.
7. *Gat.* Accuſare illum.
8. *Gat.* Stetit & ſurgens.
20. *Gat.* Pauperes ſpiritu, quia.
23. *Gat.* Multa copioſa eſt in cœlo Dominum hæc faciebant.
24. *Gat.* Qui haberis;
29. *Gat.* Percuſſit. *recent. man.* Percuſſerit.
38. *Gat.* Confeſtam & ſuper effluentem.
42. *Gat.* Perſpicies ejecere feſtucam.
45. *Gat.* Theſauro cordis ſui, profert mala;
46. *Gat.* Quem dico vobis?
48. *Gat.* Domum ſuam, qui.
49. *Gat.* Supra harenam ſine...... ejus domus magna.

CAPUT VII.

℣. 1. *Gat.* Cùm impleſſet omnia verba hæc.
3. *Gat.* Et ſanaret.
6. *Gat.* Centurio rogans amicos dicens: Domine, noli vexari, Magiſter.
7. *Gat.* Intres; ſed dic verbo:
8. *Gat.* Servo meo dico: Fac;
10. *Gat.* Languebat.
13. *Gat.* Vidiſſet Jeſus.
14. *Gat.* Adoleſcenti, tibi dico.
24. *Gat.* & *Mm.* Vento moveri.
25. *Gat.* Sed exiſtis;
26. *Mm.* Etiamque.... & amplius quàm Propheta;
28. *Mm.* Regno Cælorum,
29. *Gat.* Omnis populus, &c. *Mm.* Omnes populi audiens &c.
30. *Gat.* & *Mm.* In ſemetipſis.
31. *Gat.* & *Mm.* Cui ergo.
34. *Gat.* Vorator. *Mm.* Vorator.
35. *Mm.* Ab omnibus à filiis ſuis.
37. *Gat.* Quod accubuit. *Mm.* Jeſus accubuit.
39. *Gat.* & *Mm.* Sciſſet....: qualis mulier.
42. *Gat.* Cum plus. *Mm.* Cum amplius.
45. *Gat.* Intravit, non ceſſit.
48. *Gat.* Ad illam Jeſus .... peccata tua.
49. *Gat.* Recumbebant. *Mm.* Decumbebant.

CAPUT VIII.

℣. 1. *Mm.* Per civitatem, & caſtellum.
2. *Mm.* Spiritus immundis.
3. *Gat.* Chuſziæ....: eis de. *Mm.* Chuſæ:
5. *Gat.* & *Mm.* Ecce exiit. *Gat.* Comedunt.
6. *Gat.* Super petroſa.
10. *Gat.* Audientes, non audiant, & non intelligant.
12. *Gat.* Secus viam ſunt ſeminati. Hi ſunt. *Mm.* Secus viam ſunt. Hi ſunt.
13. *Gat.* & *Mm.* Radicem.
14. *Mm.* Non fecerunt.
16. *Gat.* Accendens lucernam, operuit eam vaſo...... ut. *Mm.* Lucernam accenſam operit eam vaſo.
20. *Gat.* Illi: Ecce mater.
21. *Mm.* Verbum audiunt, audiunt & faciunt:
23. *Gat.* & *Mm.* Navigantibus autem illis, dormivit...: complebatur navicula fluctibus, & periclitabantur. *Mm.* Obdormivit.
24. *Mm.* Tranquilitas magna dixit,
28. *Mm.* Jeſu Chriſte Fili.
29. *Gat.* In deſerta loca. *Mm.* In deſerto;
30. *Mm.* Quia multi intraverunt.
33. *Gat.* In mare.
35. *Gat.* Hominem à quo dæmonia exierunt veſtitum ſans mente. *Gat.* Sanæ mentis.
36. *Gat.* Quæ viderant, & quomodo,
38. *Mm.* Rogavit.
39. *Mm.* Fecerit Deus.
43. *Gat.* In fluvio......, quæ in medicis. *Mm.* Quæ medicis:
47. *Gat.* Et procedens ad pedes...... indicavit. *Mm.* Narravit.
49. *Gat.* Vexari illum. *Mm.* Vexare Magiſtrum;
52. *Gat.* & *Mm.* Non eſt tamen mortua, ſed.
53. *Gat.* Quia mortua eſſet. *Mm.* Quia mortua eſt.

CAPUT IX.

℣. 1. *Mm.* Convocavit autem XII. Apoſtolos, & dedit.
4. *Mm.* Manete donec exeatis.
6. *Gat.* Exeuntes autem circumibant.
10. *Gat.* Bethſaida. *Mm.* Bethzaida.
11. *Gat.* Qui curari indigebant.
14. *Mm.* Diſcumbere ſuper terram per convivia centenos, & quinquagenos.
19. *Mm.* De Senioribus.
22. *Mm.* Pati à Senioribus, & reprobari à Principibus.
27. *Gat.* Verè ſunt aliqui qui hic ſtantes. *Mm.* Quia ſunt aliqui hic ſtantes.
28. *Gat.* & *Mm.* Ferè poſt dies octo:...... Johannem & Jacobum.
29. *Gat.* Et factum eſt dum oraret ſpecies ......, reſulgens. *Mm.* Et factum eſt dum oraret facta eſt ſpecies....; reſulgens.
33. *Gat.* Ut diſcederunt.
36. *Mm.* Quæ audierant.
35. *Gat.* Meus electus.
39. *Gat.* & *Mm.* Vix diſcedit:
41. *Gat.* Vobiſcum. *Mm.* Generatio prava & infidelis.
46. *Gat.* & *Mm.* Cogitatio inter eos. *Mm.* Erat.
50. *Gat.* Sinite eum, & nolite prohibere.
55. *Gat.* Illos; Et abierunt.
56. *Mm.* Venit ad animas perdere;
57. *Mm.* Euntibus illis.
60. *Mm.* Sinite mortuos ſepelire:
62. *Gat.* & *Mm.* In aratrum, & aſpiciens;

CAPUT X.

℣. 6. *Gat.* Super illam. *Mm.* Eam.
8. *Gat.* Adponunt.
11. *Gat.* Adhæſit de civitate. *Mm.* In pedibus extergimus... ad propinquavit in vos regnum,
12. *Gat.* In die judicii.
13. *Mm.* In cinere pœniterent.
18. *Mm.* Fulgor deſcendentem de Cælo;
21. *Gat.* Sic fuit placitum.
22. *Gat.* & *Mm.* Qui ſit..., & qui ſit;...; revelare ſe:
24. *Gat.* Capierunt.
30. *Gat.* Suſpiciens......; ſemi vivo relicto. *Mm.* Suſpiciens.
35. *Mm.* Ego revertens reddam.
38. *Gat.* & *Mm.* Dum iret.
40. *Gat.* & *Mm.* Non eſt cura quod;
42. *Mm.* Maria autem bonam.

CAPUT XI.

℣. 2. *Gat.* Pater noſter. *Mm.* Pater ſancte ſanctificetur à

3. *Gat.*

3. *Gat.* Quotidie.
4. *Mm.* Et nos dimittimus.
5. *Gat.* Habet. *Mm.* Habens.
8. *Gat.* Amen dico vobis.
11. *Gat.* Ex vobis Patrem petiit Filius ejus panem .... aut ſi piſcem. *Mm.* Ex vobis Filius patri petit panem, num quid lapidem porriget ei? aut piſcem.
13. *Mm.* Spiritum bonum datum petentibus.
15. *Gat.* Belzebul. *Mm.* Beelzebud.
18. *Gat.* Me in Belzebul ejicere me. *Mm.* Ejeciſſe me.
22. *Gat.* & *Mm.* Aufert.
23. *Gat.* & *Mm.* Adverſus me. *Gat.* Diſpergit à me.
24. *Gat.* Ab homine perambulat per loca inaquoſa, & quærens requiem. *Mm.* Perambulabat per loca inaquoſa quæ non habent requiem, & non.
28. *Gat.* Dixit quippè hii beati ....., cuſtodiunt. *Mm.* Dixit ad eos beati .... cuſtodiunt,
31. *Gat.* Plus Salomone hic.
32. *Gat.* Plus eſt Jona hic. *Mm.* Jona hic,
34. *Mm.* Si autem oculus tuus nequam.
36. *Gat.* & *Mm.* Tuum lucidum.
41. *Mm.* Ecce munda.
42. *Gat.* Vobis Scribæ, & Phariſæi. *Mm.* Vobis Phariſæis ..... oportuerat.
43. *Gat.* Phariſæi quia. *Mm.* Phariſæi qui.
46. *Gat.* & *Mm.* Portari.
48. *Gat.* & *Mm.* Teſtificamini conſentitis.
54. *Gat.* & *Mm.* Ex ore ejus.

C A P U T XII.

℣. 1. *Gat.* & *Mm.* Quæ eſt.
5. *Mm.* Occidit ..... etiam dico.
6. *Gat.* Depondio. *Mm.* Paſſeres aſſe veniunt depondio.
7. *Gat.* & *Mm.* Plures eſtis vos.
8. *Gat.* Fecerit in me coram. *Mm.* Fecerit coram ..... in illo.
12. *Gat.* Quid oporteat dicere, *Mm.* Quæ oporteat vos dicere.
14. *Gat.* & *Mm.* Ei ò homo! *Gat.* Inter vos.
20. *Gat.* & *Mm.* Repetent.
22. *Gat.* & *Mm.* Veſtiamini.
24. *Gat.* Magni vos plures, *Mm.* Magis pluris.
29. *Mm.* Extolli.
30. *Mm.* His omnibus indigetis.
31. *Mm.* Quærite regnum Dei. *Gat.* Dei; .... & hæc.
32. *Gat.* & *Mm.* Cui complacuit Patri meo.
35. *Gat.* Ardentes; & vos.
36. *Mm.* Et pulſaverit oſtium confeſtim.
38. *Mm.* Et ſi venerit veſpertina vigilia, & ita invenerit, beati ſunt ſervi illi, qui jubebit illos diſcumbere, tranſiens miniſtrabit illis. Et ſi venerit in ſecunda & vigilia, & ſi in tertia, & ita invenerit, beati. *Gat.* Et ſi in tertia vigilia venerit, beati.
39. *Gat.* Sineret perfodiri. *Mm.* Sinet perfodiri.
41. *Gat.* & *Mm.* Similitudinem. *Gat.* *recent. man.* Parabolam.
45. *Gat.* & *Mm.* Pueros & ancillas;
46. *Gat.* & *Mm.* Qua ignorat ...... cum hypocritis.
47. *Mm.* Non facit ſecundum .... multum. *Gat.* Multum.
49. *Gat.* Niſi accendatur.
50. *Gat.* Baptiſmi autem.
51. *Gat.* Mittere in terram.
55. Æſtus erit, & ita fit. *Mm.* Calor erit, & ita fit.
58. *Gat.* & *Mm.* Tradat apud Judicem.
59. *Gat.* & *Mm.* Noviſſimum quadrantem reddas. *recent. man.* Minutum.

C A P U T XIII.

℣. 4. *Gat.* In ſyloam. .... ipſi omnes debitores erant pro omnibus habitantibus in. *Mm.* In ſyloam .... Ipſi debitores fuerant per omnes inhabitantes in.
10. *Gat.* In Synagogis eorum docens in ſabbathis. *Mm.* In Synagogis.
11. *Mm.* Nec enim omninò poterat à ſurſum aſpicere. *Gat.* Aſpicere.
12. *Gat.* & *Mm.* Cùm vidiſſet Jeſus, vocavit ad ſe.
14. *Gat.* Curaret Jeſus turbæ, quia ſex. *Mm.* Turbæ, quia ſex ... non dies ſabbati.
15. *Gat.* & *Mm.* Non ſolvet?
19. *Gat.* Simile eſt Regnum Dei grano.
21. *Gat.* In farina ſatis tribus, donec fermentaretur totum. *Mm.* Donec fermentatum eſt totum.
27. *Gat.* Omnes operamini iniquitates: *Mm.* Omnes qui operamini iniquitates.
28. *Gat.* & *Mm.* Ubi erit. *recent. man.* Ibi.
35. *Gat.* Vobis; non videbitis me. *Mm.* Vobis, non me videbitis a modo donec dicatis: Benedictus.
Gat. Cùm dicatis.

C A P U T XIV.

℣. 3. *Mm.* Curare aut non.
4. *Gat.* Adprehenſum hominem ſanavit. *Mm.* Adprehenſum Johannem ſanavit eum,
10. *Gat.* Ad cœnam vocavit. *recent. man.* Invitavit. *Mm.* Vade in ... ad cœnam vocavit.
21. *Gat.* & *Mm.* Domine ..... ut locutus es.
23. *Gat.* Compelle intrare quoſcumque inveneris, ut. *Mm.* Convoca intrare quoſcunque inveneris, ut.
30. *Gat.* Perficere.
31. *Gat.* Et non vadens prius .... Regi qui. *Mm.* Non vadens.
33. *Gat.* Sic erit omnis, ..., renunciaverit. *Mm.* Renunciaverit.
34. *Gat.* Sal quoque evanuerit.

C A P U T XV.

℣. 1. *Gat.* Adpropinquantes Publicani. *Mm.* Applicitiſi Publicani.
7. *Gat.* Quod plus gaudium.
8. *Gat.* Et vertet domum, & quæret. *Mm.* Et ſcopis mundabit domum.
9. *Gat.* & *Mm.* Dragmam meam quam.
10. *Mm.* Et Angelis.
11. *Gat.* & *Mm.* Habebat.
17. *Gat.* & *Mm.* Mercenarii patris.
20. *Gat.* & *Mm.* Occurrens cecidit ſuper.
21. *Gat.* Tous, fac me unum de mercenariis tuis dixit. *Mm.* Fac me ſicut unum.
28. *Gat.* Noluit venire ...... egreſſus eſt, cœpit. *Mm.* Egreſſus eſt, cœpit.
29. *Gat.* Ecce quot annis. *Mm.* Ecce quot anni.
30. *Mm.* Tuam cum.
32. *Gat.* Gaudere te oportebat, quod frater tuus mortuus revixit. *Mm.* Gaudere oportet, quod frater tuus erat, & revixit.

C A P U T XVI.

℣. 4. *Gat.* & *Mm.* Quid faciam ..... in domus.
6. *Gat.* Batos olei ...... accipe litteras tuas.
7. *Mm.* Scribe cito 80.
8. *Gat.* & *Mm.* Feciſſet; dixit autem ad Diſcipulos ſuos, Filii .. .... ſunt filiis lucis in vita ſua.
10. *Gat.* & *Mm.* In modico & in majus ...; & in majus.
15. *Gat.* & *Mm.* Apud Deum.
16. *Gat.* Johannem, ex quo regnum Dei evangelizantur. *Mm.* Johannem prophetaverunt; ex quo regnum Dei evangelizantur.
21. *Gat.* & *Mm.* Divitis ..... ſedet.
28. *Gat.* & *Mm.* Teſtificetur.

C A P U T XVII.

℣. 1. *Mm.* Væ homini illi per quem veniunt ſcandala;
3. *Gat.* Peccaverit frater. *Mm.* Dimittetur illi:
6. *Gat.* Diceretis huic arbori, morire, & eradicare. & tranſplantare in mare. *recent. man.* Tranſportare. *Mm.* Morire, eradicare ...... & obediret vobis.
7. *Gat.* Aut ovis paſcentem cui .... dicit illi. *Mm.* Col .... dicit illi.
9. *Gat.* Fecit quæ ſibi imperaverat. *Mm.* Fecerat.
10. *Gat.* Univerſa ...... quia ſervi. *Mm.* Univerſa ..... ſervi ..... facere non facimus.
21. *Gat.* Hic Chriſtus aut .... intra vos. *Mm.* Inter vos.
23. *Gat.* & *Mm.* Nolite exire.
26. *Gat.* & *Mm.* Et adventus Filii hominis.
33. *Gat.* Salvare. *Mm.* Vivificavit.
34. *Gat.* Illa nocte erunt duo in lecto, unus.

C A P U T XVIII.

8. *Mm.* Verumtamen quoniam Filius hominis veniens putans invenire fidem in terra?
9. *Mm.* Qui ſe confidebant quòd eſſent juſti, & ſpernabant cæteros ..... *Gat.* Aſpernabant.
10. *Gat.* Aſcendebunt in.
11. *Gat.* Dicebat; Deus ..... cæteri homines.
14. *Gat.* Amen dico vobis ..... ſuam magis ille Phariſæus, ab illo. *Mm.* Amen dico vobis .. ſuam magis ab illo.
16. *Gat.* Receperit.
17. *Mm.* Ad me venire, talium eſt.

ac. *Gat.*

30. *Gat.* Non mœchaberis, non falſum,
34. *Gat.* & *Mm.* Ibunt.
28. *Gat.* Relinquimus.
29. *Gat.* Reliquerit aut parentes. *Mm.* Reliquerit domum aut fratres, aut uxores.
40. *Gat.* Apud ſe.
43. *Gat.* Et ſequutus eſt eum:

CAPUT XIX.

℣. 4. *Gat.* & *Mm.* Sycimorum.
13. *Mm.* Dicentibus.
14. *Mm.* Legationem, dicentes,
15. *Mm.* Miſit vocari ......quis.
21. *Gat.* Quia timui te, quod homo auſterus es, tollis ubi non poſuiſti, & metis ubi non: *Mm.* Quia timui te, quod homo .... quod poſuiſti metis ubi non.
23. *Gat.* & *Mm.* Illud.
26. *Gat.* Auferetur.
28. *Mm.* Prædicabat aſcendens.
29. *Gat.* Adpropinquaret Betphague, & Bethaniæ.
31. *Gat.* Vos interrogare voluerit. *Mm.* Vobis interrogare voluerit.
34. *Mm.* Neceſſarius eum habet.
35. *Gat.* Pullum ad Jeſum.
37. *Gat.* Turbæ diſcedentium .... videbant. *Mm.* Turbæ diſcendentes.
39. *Gat.* Quidam de Turbis. *Mm.* De turba.
42. *Mm.* Et quidem ſi.
43. *Gat.* Foſſa &.
44. *Gat.* Filios qui. *Mm.* Sternent.
46. *Gat.* & *Mm.* Orationis vocabitur.
47. *Gat.* Populi.

CAPUT XX.

℣. 3. *Gat.* Autem dixit........Interroga;
4. *Gat.* & *Mm.* Baptiſmum Johannis unde erat, de cœlo, an.
5. *Gat.* Inter ſe.:... *Mm.* Inter ſe........ dicet nobis quare non.
10. *Mm.* Ederent illi.
11. *Mm.* Dimiſerunt, &.
12. *Gat.* Inter ſe........ *Mm.* Qui eum.
14. *Gat.* Qui & illi.
20. *Gat.* Se eſſe juſtos ſimilarent. *Mm.* Similarent.
23. *Mm.* Autem Jeſus dolum.
24. *Mm.* Denarium ut videam cujus habet.
26. *Gat.* Reſpondere ... in reſponſis. *Mm.* In reſponſis:
28. *Gat.* & *Mm.* Dicentes. Moyſes... ſine filiis fuerit ut,
30. *Gat.* & *Mm.* Sine filiis.
32. *Gat.* & *Mm.* Noviſſima omnium defuncta eſt.
33. *Mm.* Omnes enim habuerunt.
34. *Gat.* Generantur, & generant. *recent. man.* Traduntur & nubunt ad nuptias. *Mm.* Nubent & tradent ad nuptias, generantur & generant.
35. *Gat.* Nubunt. *Mm.* Nubunt, neque ducunt.
36. *Gat.* & *Mm.* Neque ultra jam mori poterunt; ſunt autem ſimiles Angelis, & filii ſunt Dei; quia reſurrectionis filii ſunt.
37. *Gat.* Quia verò reſurgent mortui; Moyſes. *Mm.* Quia verè reſurgent mortui; Moyſes.

CAPUT XXI.

℣. 4. *Gat.* & *Mm.* Ex abundantia ſibi.
8. *Gat.* & *Mm.* Sum Chriſtus, &.
12. *Gat.* & *Mm.* Trahentes in Synagogis ſuis, & cuſtodis, tradentes ad Reges.
14. *Gat.* Ergo vos in *Mm.* Quemadmodum quid reſpond.
17. *Gat.* Omnibus hominibus propter.
20. *Gat.* & *Mm.* Adpropinquavit deſolatio ejus. *Gat. recent. man* Veſtra.
21. *Gat.* & *Mm.* In montes .... diſcendant.
23. *Gat.* Væ his qui in utero habent, & quæ ubera dant in illis diebus. *Mm.* Væ vobis quæ in utero habent, & quæ ubera dant.
32. *Gat.* Hæc omnia fieri.
33. *Gat.* & *Mm.* Non præteribunt,
34. *Mm.* Detinentur.
36. *Mm.* Effugere,
37. *Gat.* & *Mm.* Requieſcebat.
38. *Gat.* Manificabat.

CAPUT XXII.

℣. 3. *Gat.* Cognominatur Scarioth unus de. *Mm.* Scarioth unus de.
9. *Gat.* Paremus tibi, & *Mm.* Paremus Paſcha, &c.
20. Poſtquam cœnatus eſt dicens, Hic eſt Calix novi Teſtamenti in ſanguine meo, quod pro vobis fundetur.
21. *Mm.* Tradentis mecum.
22. *Gat.* Sicut quod diffinitum eſt.... traditur. *Mm.* Sicut diffinitum eſt.
23. Quærere ex eis inter ſe qui. *Mm.* Quærere ex eis qui;
24. *Gat.* Facta autem hæc contentio. *Mm.* Facta autem hæc contentio.
25. *Gat.* Super eos benigni. *Mm.* Super benefici.
26. *Gat.* Sicut junior, & qui præceſſor eſt fiat ſicut miniſtrator. *Mm.* Sicut junior, & prius eſt, fiat ſicut qui miniſtrat;
27. *Mm.* Recumbit? In gentibus quidem recumbit, in vos autem non ſic, ſed qui miniſtrat; Ego autem.
30. *Mm.* Thronos XII. judicantes.
31. *Gat.* & *Mm.* Jeſus Simoni: Simon.
36. *Mm.* Non habet gladium, vendat. *Gat.* Emat ſibi gladium.
37. *Gat.* Et quod cum injuſtis. *Mm.* Et cum injuſtis.
44. *Mm.* Decurrentes in.
46. *Gat.* Illis: Surgite, & orate.
49. *Gat.* & *Mm.* Percutiemus.
51. *Gat.* & *Mm.* Dixit ei: Sinite.
52. *Gat.* & *Mm.* Tanquam ad latronem veniſtis;
58. *Mm.* Ait: Ego non ſum.
61. *Gat.* Domini ſui ſicut dixit.
63. *Mm.* Ei dicentes: Et.
68. *Gat.* Reſpondebis mihi, neque dimittetis,
70. *Mm.* Dixerunt ergo omnes, tu autem es.

CAPUT XXIII.

℣. 2. & *Mm.* Gentem noſtram, & ſolventem Legem, & Prophetas, & prohibentem .... dicentem Chriſtum.
7. *Mm.* Quia &.
10. *Mm.* Etiam Principes Sacerdotum conſtanter;
15. *Gat.* & *Mm.* Illum ad vos.
17. *Gat.* & *Mm.* Neceſſe autem erat.
19. *Gat.* & *Mm.* Miſſus fuerat in.
21. *Mm.* Dicentes: crucifige eum.
22. *Gat.* Iſte homo....... inveni.
23. *Mm.* Invaleſcebant vocibus.
24. *Gat.* Petitiones.
27. *Gat.* & *Mm.* Multitudo populi.
29. *Mm.* Quoniam venient.
30. *Gat.* & *Mm.* Cooperite nos.
32. *Gat.* Ut crucifigerentur.
33. *Gat.* & *Mm.* Qui dicitur Calvariæ:
35. *Gat.* Expectantia ...... Principes Sacerdotum cum Sadducæis .... ſeipſum ſalvum facit. *Mm.* Expectans ... Saducæis .... ſe non ſalvum facit.
37. *Gat.* Si tu es Chriſtus Rex.
39. *Gat.* Ex his qui pendebat. *Mm.* Ex hiis qui pendebant.
44. *Mm.* Hora tertia, & tenebræ.
51. *Gat.* Judeæ, hic acceſſit. *Mm.* Judæ.
54. *Mm.* Paraſceven. *Mm.* Paraſceven.
55. *Gat.* Cum ipſo venerant .... fuerat. *Mm.* Cum ipſo erant.

CAPUT XXIV.

℣. 6. *Mm.* Vobiſcum.
8. *Gat.* Verborum horum.
10. *Gat.* Mariæ Jacobi, & Joſeph, & cæteræ. *Mm.* Mariæ Jacobi, & cæteræ.
13. *Gat.* Æmavus. *Mm.* Duo viri ex illis:
14. *Gat.* Loquebantur de his.
15. *Gat.* Confabularentur .... & ibat;
17. *Gat.* Ad alterutrum.
18. *Gat.* Nomen erat Cleophas, dixit ad eum .... non cognoviſti omnia quæ facta ſunt in ea in diebus hiis.
19. *Gat.* Et verbo coram Deo, & omni plebe.
20. *Gat.* Principes Sacerdotum, & Principes noſtri.
21. *Gat.* Quia ipſe.....ex quo hæc. *Mm.* quod ipſe.
23. *Gat.* & *Mm.* Qui dicerent.
24. *Gat.* Ipſum autem non viderunt.
25. *Mm.* Et duri corde.
26. *Mm.* Nonne oportuit.
27. *Gat.* & *Mm.* Et erat incipiens. *Mm.* Interpretare.
28. *Gat.* & *Mm.* Ad caſtellum quo ibant. *Mm.* ipſe voluit.
29. *Gat.* Adveſpereſcit & inclinata eſt, jam declinat dies, & intravit manere cum illis. *Mm.* Et rogaverunt illum...., quoniam ad veſperam jam declinat dies.

30. *Mm.*

30. *Mm.* Accepit Jeſus panem.
32. *Mm.* In vobis de Jeſu dum.
36. *Gat.* Iſte autem Jeſus ſtetit .... pax vobis.
38. *Gat.* & *Mm.* Conturbati eſtis. & quare cogitationes aſcendunt in corde veſtro.
39. *Gat.* Pedes meos quoniam habentes. *Mm.* Pedes meos.
41. *Gat.* Autem credentibus ei præ gaudio, & mirantibus dixit. *Mm.* Quod edam.
45. *Mm.* Senſus eorum ut.
46. *Gat.* & *Mm.* Sic ſcriptum eſt Chriſtum pati.
47. *Gat.* & *Mm.* Prædicare.
49. *Gat.* Repromiſſionem patris uſque dum induamini virtutem ex alto. *Mm.* Abexcelſo.
50. *Gat.* Foras uſque in Bethaniam à
51. *Gat.* Et elevatus eſt in cœlum.
52. *Gat.* Adorantes eum reverſi ſunt. *Mm.* Adorantes reverſi ſunt.
53. *Gat.* Benedicentes Deum, Amen. *Mm.* Benedicentes.

Gat. *Finitum Evangelium cata Lucan.*

ITEM NUNC ORDITUR EVANGELIUM
ſecundùm Johannem.

Initium ſancti Evangelii ſecundùm Johannem. Gloria tibi Deus.

CAPUT I.

ỳ. 3. *Gat.* Sine illo.
4. *Gat.* & *Mm.* In illo vita eſt.
8. *Gat.* Non enim erat ipſe lumen;
11. *Gat.* & *Mm.* In ſua propria.
15. *Gat.* Perhibet ab ipſo...... facta eſt, qui prior; *Mm.* Et non ſciebam eum quia.
18. *Gat.* Unquam, niſi unigenitus. *Mm.* Unquam niſi unigenitus filius ſolus qui eſt.
24. *Gat.* & *Mm.* Et qui venerant ex Phariſæis interrogaverunt.
26. *Gat.* Baptizo vos in :...autem veſtrum ſtet quem.
27. *Gat.* Dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus. *Mm.* Dignus ut ſolvere corrigiam calceamenti ejus.
30. *Gat.* Qui prior.
31. *Gat.* & *Mm.* Manifeſtaretur Iſrael.
38. *Gat.* Videns eos ſequentes, dicit. *Mm.* Videne eos ſequentes, dicit.
41. *Mm.* Hic fratrem ..:. Meſſiam qui dicitur Chriſtus.
42. *Gat.* Filius Iohna. *Mm.* Filius Johannis.
45. *Gat.* Et prophetiis. *Mm.* Et Prophetis.
47. *Gat.* & *Mm.* Ecce vir Iſraelita.
51. *Gat.* & *Mm.* Diſcendentes ad Filium hominis.

CAPUT II.

ỳ. 1. *Gat.* In Chanaan.
11. *Mm.* Primum ſignorum.
25. *Gat.* Ut qui teſtimonium. *Mm.* Ut teſtimonium;

CAPUT III.

ỳ. 3. *Gat.* Niſi qui natus fuerit. *Mm.* Niſi renatus fuerit.
4. *Gat.* In utero matris...... & naſci. *Mm.* In utero matris..:..& naſci.
6. *Gat.* & *Mm* Quod autem ex ſpiritu.
8. *Mm.* Natus eſt aqua Spiritu ſancto.
11. *Mm.* Videmus teſtificemur.
14. *Mm.* In ſolitudine.
16. *Gat.* & *Mm.* Hunc mundum ..:. unicum daret pro ſæculo, & omnis.
17. *Gat.* In hunc mundum ut judicaret. *Mm.* In hunc mundum.
18. *Mm* Non judicabitur.
23. *Gat.* In ænon .... adveniebant multi, & baptizabantur. *Mm.* In ænon juxta Salim trans Jordanem ...... adveniebant.
31. *Gat.* Super omnes, & de ſurſum loquitur, nam qui de terra eſt, terra eſt & ex terra loquitur: qui de Cœlo venit ſuper omnes eſt. Et quod vidit. *Mm.* Supra omnes eſt, & de ſurſum loquitur; nam qui de terra eſt, ex terra loquitur. Et quod vidit,
35. *Gat.* & *Mm.* In manu ejus.

CAPUT IV.

ỳ. 1. *Gat.* Faceret & baptizabat.
2. *Gat.* & *Mm.* Ipſe Jeſus.
3. *Gat.* & *Mm.* Judæam terram, &c.
4. *Mm.* Ire per.
6. *Gat.* Sedebat ſuper. *Mm.* Sedebat ſupra.
9. *Gat.* & *Mm.* Cum ſim mulier.
12. *Gat.* Puteum iſtum, &c;
13. *Gat.* & *Mm.* Biberit ex.
17. *Gat.* & *Mm.* Non habes virum.
18. *Gat.* Et nunc unum quem habes; *Mm.* Et hunc quem habes.
21. & *Mm.* Veniet hora.
23. *Gat.* Veri adoratores. *Mm.* Viri adoratores.
43. *Gat.* & *Mm.* Et venit in.
46. *Gat.* & *Mm.* Fecit de aqua vinum.
47. *Gat.* Cùm audiſſet quia Dominus.
50. Diſcende, *reconi. man.* vade filius......, credidit homo ſermonem quem. *Mm.* Diſcende filius....credidit homini quem.
52. *Gat.* Hora quaſi ſeptima.
54. *Gat.* & *Mm.* Cùm veniret.

CAPUT V.

ỳ. 2. *Gat.* & *Mm.* Super probatica.
4. *Gat.* Angelus enim deſcendebat, & movebat aquam, & quicumque prius deſcenderet in natoria ſanus fiebat quaqnunque teneretur infirmitate. *Mm.* Angelus autem Domini.......& movebat aquam, & qui cunque prius diſcenderet in natatoria poſt motionem aquæ...... teneretur infirmitate.
9. *Gat.* Factus eſt, & ſuſtulit. *Mm.* Factus eſt homo, & ſuſtulit.
10. *Mm.* Sanus fuerat.
13. *Gat.* Jeſus autem declinabat à *Mm.* Jeſus autem declinavit ſe à.
14. *Gat.* & *Mm.* Filius eadem ſimiliter.
19. *Gat.* & *Mm.* Sermonem meum audit ... non veniet, ſed tranſiet à morte ad vitam....ad vitam.
28. *Gat.* & *Mm.* Vocem ejus, &c.
29. *Gat.* Quia bona.......malè egerunt. *Mm.* Malè egerunt.
34. *Mm.* Ab hominibus teſtimonium.
42. *Gat.* Sed cognovimus quia dilectionem non habetis.
43. *Gat.* Non accepiſtis me. *Mm.* Non accepiſtis me.
45. *Gat.* & *Mm.* Vos accuſet Moyſes.... jam ſperaſtis.

CAPUT VI.

ỳ. 1. *Mm.* Tiberidianis.
4. *Gat.* In proximum. *Mm.* Proximus;
10. *Gat.* Omnes diſcumbere......, viri quaſi.
11. *Gat.* Quantum valebant.
25. *Mm.* Quomodo huc.
26. *Gat.* Quia quæritis me..:.:. ſigna & prodigia, ſed quia manducaſtis ex panibus meis. &c. *Mm.* Quia quæritis me..... ſigna; ſed quia manducaſtis panem, &c.
27. *Mm.* Significavit.
32. *Mm.* Verus enim panis.
36. *Gat.* Vidiſtis, &c.
39. *Gat.* & *Mm.* Mihi Pater, non perdam ex eo quicquam, ſed reſuſcitabo illud in.
42. *Gat.* Eſt, filius Joſeph cujus nos..:..:diſcendit? *Mm.* Eſt, filius Joſeph Jeſus cui nos....diſcendit?
44. *Gat.* Suſcitabo.
45. *Gat.* Audit à Patre meo, &c. *Mm.* Audit à Patre, &c.
50. *Gat.* & *Mm.* Panis qui de cœlo diſcendit.
53. *Gat.* Loquebantur ergo.
56. *Mm.* Verus cibus...,.... verus eſt potus.
62. *Gat.* Murmuraverunt.
65. *Mm.* qui eſſent credentes.
72. *Gat.* Dicebant enim Judam Simonis Scariothis:.. de XII. *Mm.* Dicebat enim Judam Simonem Scariothem.. de XII.

CAPUT VII.

℣. 1. *Gat.* Perambulabat Jeſus in Galilæam. *Mn.* Perambulabat Jeſus Galilæam.

3. *Gat.* Quæ tu facis.

4. *Gat.* Nemo ergo in occulto facit.... mundo huic; *Mm.* Nemo ergo in,

7. *Gat. & Mm.* Quia opera.

25. *Mn.* Numquid hic eſt.

29. *Mm.* Ego autem ſcio eum, & ſi dixero quia neſcio eum, ero ſimilis vobis mendax, & ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe me ſcit. Quærebant.

33. *Gat.* Principes & Phariſæi miniſtros, *recent. man.* Iudæi. *Mn.* Principes & Iudæi miniſtros.

35. *Gat.* Iturus eſt docere gentes!

Gat. & Mm. Multi eum audiſſent.

46. *Mm.* Numquam loquutus eſt homo ſicut hic homo loquitur. Reſp.

52. *Gat. & Mm.* Scrutare & vide.

CAPUT VIII.

℣. 6. Inclinato capite deorſum ſcribebat digito ſuo in terram. *Mm.* Inclinato capite ſcribebat digito ſuo in terram.

12. *Mn.* Lumen vitæ in ſe.

14. *Gat. & Mm.* Unde veni aut quò.

16. *Gat & Mn* Juſtum eſt.

25. *Gat. & Mm.* Principium quod loquor.

27. *Gat. & Mn.* Patrem eis eſſe Deum dicebat.

41. *Mn.* Vos facite.

43. *Gat.* Non cuſtoditis.

44. *Mn.* Mendax eſt ſicut & Pater ejus.

45. *Gat.* Ego autem quia veritatem. *Mm.* Ego quia veritatem.

46. *Gat. & Mm.* Dico, quare vos non.

48. *Gat.* Es Dæmonium.

52. *Gat.* Et Prophetæ mortuis ſunt, & tu.

54. *Gat. & Mm.* Noſter eſt.

55. *Mm.* Et mandata ejus.

59. *Gat. & Mm.* Ut jactarent.

CAPUT IX.

℣. 8. *Gat.* Ante quia ....., nonne hic eſt? Alii autem nequaquam.

11. *Gat. & Mm.* Et vidi.

14. *Mm.* Sabbatum in illo die quando.

15. *Gat.* Lutum poſuit ſuper oculos meos.

18. *Gat.* Qui viderant. *Mm.* Qui viderant eum.

24. *Gat.* Ergo hominem qui cæcus erat ....., quia homo. *Mn.* Qui erat cæcus.

26. *Gat. & Mm.* Tuos oculos.

27. *Gat.* Et non audiſtis.

31. *Gat.* Non exaudivit Deus, ſed qui ejus cultor eſt...... hunc exaudivit. *Mm.* Deus non exaudivit; ſe qui ejus cultor eſt.

34. *Gat. & Mm.* In peccato natus es.

40. *Gat.* Et audierunt ex Phariſæis qui. *Mm.* Et audientes ex Phariſæis qui.

CAPUT X.

℣. 1. *Mm.* Per januam in....... ſed aſcendit in aliam partem, ille.

3. *Gat.* Oſteatis.

4. *Mm.* Oves eduxerit.

7. *Mm.* Vobis, ego ſum janua;

8. *Gat.* Venerunt ante me fures ſunt ..., ſed non exaudierunt eos.

9. *Gat.* Oſtium ovium, per me ſi quis intraverit.

10. *Mm.* Et amplius habeant.

11. *Mm.* Tradat pro.

15. *Gat.* Cognoſco Patrem. *Mm.* Novi Patrem.

16. *Gat.* Accipiam eam.

18. *Mm.* Habeo accipiendi eam.

22. *Gat.* Facta autem tunc ſuot enchenia.

28. *Mm* De manu Patris mei.

35. *Mn.* In hunc mundum ..... quia blaſphemat.

36. *Mm.* In hunc mundum .... quia blaſphemat.

38. *Gat.* Et non vultis mihi credere. *Mm.* Et mihi non vultis credere.

CAPUT XI.

℣. 1. *Gat. & Mm.* Sororum ejus.

4. *Gat.* Pro gloria Domini. *Mm.* Propter gloriam Deo.

6. *Gat.* Quia Lazarus infirmatur......, in eo loco biduum. *Mm.* Quia infirmatur.

8. *Gat.* Nunc.

11. Exſuſcitem eum.

17. *Mn.* Jam quartum diem.

22. *Gat.* Petieris à Deo.

26. *Mn.* Et omnis qui credit in me.

27. *Gat.* Dei, qui.

28. *Gat.* Magiſter venit, &.

31. *Gat.* Et abiit.... quia vadet ad.

32. *Mm.* Erat Jeſus, cecidit.

33. *Gat.* Qui erant eum, ... fremuit. *Mm.* Ut audivit eam ... fremuit.

39. *Mm.* Jam putet.

42. *Gat. & Mn.* Propter turbam quæ.

44. *Gat.* Ligatis manibus, & pedibus inſtitis ..... & dimittite ab ire. *Mn.* Ligatis pedibus, & manibus ejus inſtitis.

45. *Gat.* Ad Mariam et viderunt quæ fecit, crediderunt. *Mm.* Ad Mariam videntes quæ fecit, crediderunt.

50. *Gat.* Expedit nobis.

54. *Gat.* Effrem & illic morabatur. *Mm.* Moratur.

56. *Gat.* Qui putatis quia non venit. *Mm.* Quia non veniat.

CAPUT XII.

℣. 2. *Gat.* Fecerunt ei cœnam, & Martha ibi miniſtrabat...... unus ex.

5. *Gat.* Non venit. *Mm.* Non vendidit.

6. *Mn.* Habebat, & quæ mittebantur auferebat.

7. *Mm.* Sine illam.

8. *Gat. & Mm.* Habebitis...... ſemper habebitis.

15. *Mm.* Venit tibi ſedens.

17. *Mm.* Turba de eo quando.

25. *Mm.* Et qui perdiderit animam.

28. *Mm.* Clarifica Filium tuum.

29. *Gat.* Factum, Angelus enim ei.

35. *Gat.* Neſcit quo vadit. *Mm* Neſcitis quod vadat;

40. *Gat. & Mm.* Et intelligant corde.

41. *Gat.* Gloriam Dei.

45. *Gat.* Qui miſit me. Ego lux.

47. *Gat.* Salvum faciam.

CAPUT XIII.

℣. 2. *Gat.* Cum Diſcipulus jam miſiſſet in corde ut ... Simon Scariothis.

10. *Gat.* Non indiget ut lavet, ſed eſt. *Mm.* Qui ſemel lavatus eſt non indiget ut iterum lavet, ſed eſt.

11. *Gat.* Dixit: Et vos mundi eſtis, ſed non omnes.

13. *Mn.* Et ſum.

14. *Gat.* Ergo lavi. *Mm.* Magiſter, quanto magis debetis, & vos alter.

20. *Gat.* Qui accipit eum ſi quem. *Mm.* Qui accipit eum quem

27. *Gat.* Et tunc introivit. *Mm.* Et poſt buccellam acceptam introivit.

34. *Gat.* Sicut & ego dilexi vos, ita & vos. *Mm.* Sicut & ego dilexi vos, ut & vos.

35. *Mm.* Cognoſcent homines.

36. *Gat.* Non potes tu ſequi me.

CAPUT XIV.

℣. 1. *Gat. & Mm.* Credite in Deum.

2. *Mm.* Alioquin dixiſſem.

3. *Gat.* Paravero.... & ubi ſum ego, & vos ſcitis:

5. *Gat.* Viam noſſe.

7. *Gat.* Me, & Patrem meum cognoviſſetis. *Mm.* Me, forſitan & Patrem meum utique cognoviſſetis.

9. *Mn.* Non noſtis.

13. *Gat. & Mm* Petieritis in:

14. *Gat. & Mm.* Petieritis in.

17. *Gat.* Quem hic mundus .... neſcit eum: *Mm.* Quia qui non videt eum, neſcit eum.

19. *Gat.* Non videbit.

22. *Gat.* Huic mundo. *Mm.* Quod nobis manifeſtas te, & non huic mundo.

27. *Gat.* Pacem meam relinquo vobis, non quomodo. *Mm.* Pacem meam relinquo.

29. *Gat.* Credatis, quia ego ſum. Jam

30. *Mm.* Loquor vobiſcum, quia venit enim;

CAPUT XV.

2. *Gat. & Mm.* Non facientem fructum ..... omnem qui adfert.

4. *Gat. & Mm.* Sic & vos.

5. *Mm.* Vos autem palmites eſtis; qui .... hic adfert.

6. *Gat.* Aruat & colligent eos ..... mittent & ardent. *Mm.* Areſcens, & projectus, & colligent eum ..... mittunt & ardet.

15. *Gat.*

Digitized by Google

15. *Gat.* Dico vos. *Mm.* Dico vobis ſervos, ſed amicos quia... quid facit.
16. *Gat.* & *Mm.* Petieritis à Patre meo in:

CAPUT XVI.

℣. 2. *Gat.* Extra Synagogam facient vos. *Mm.* Eas quæ in Synagogis facient vobis.
3. *Gat.* & *Mm.* Facient, quia.
13. *Gat.* Docebit omnem..... loquitur... hæc loquetur, & quæ adventura ſunt.
17. *Mm.* Diſcipuli ejus...., hoc, quid.
18. *Mm.* Hoc, quid dicit.
19. *Mm.* Dixit de hoc conquiritis inter vos.
20. *Mm.* Plorabitis vos.
Convertetur.
23. *Gat.* A Patre meo in. *Mm.* Patri meo in.
27. *Gat.* Ego à Deo exivi, à Patre & veni in. *Mm.* Ego à Patre meo à Deo exivi, & veni.
32. *Mm.* Ut relinquetis, & non ſum ſolus.
33. *Gat.* Quia ego vici. *Mm.* Habetis........ quia ego vici.

CAPUT XVII.

℣. 5. *Gat.* Eſſet.
6. *Gat.* & *Mm.* Sermonem meum.
8. *Mm.* Ipſa acceperunt,... crediderunt verè quia:
11. *Mm.* Et ons noum ſumus, Pater eum.
12. *Mm.* Peribit niſi.
15. *Gat.* Ex malo. *Mm* Quia non rogo... ex malo.
21. *Mm.* Ut omnes unum ſint, ſicut & nos unum ſumus, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut ipſi in nobis in unum ſint.
22. *Mm.* Do illis.
23. *Gat.* Dilexi eos:

CAPUT XVIII.

℣. 3. *Mm.* A Pontificibus Phariſæis miniſtros miſos venerunt illuc.
4. *Gat.* & *Mm.* Quid quæritis.
8. *Gat.* Jam dixi.
9. *Gat.* Impleatur. *Mm.* Impleatur ſermo quem dixi;
11 *Gat.* & *Mm.* Non vis bibam.
14. *Mm.* Dedit.
23. *Mm.* Perhiben de.
28. *Gat.* & *Mm.* Ad Caipham in.
31. *Gat.* Ergo Iudæi: Nobis. *Mm.* Ergo eis Nobis;
32. *Mm.* Quia eſſet morte moriturus.
36. *Gat.* De mundo...... ne traderer.
38. *Gat.* Exivit ad Iudæos, & dicit eis.... ego nullam cauſam mortis invenio in eo. *Mm.* Ad Iudæos foras, & dicit ad eos ego.
39. *Mm.* Conſuetudo vobiſcum, ut unum dimittam vobis vinctum in Paſcha.

CAPUT XIX.

℣. 3. *Mm.* Et palmas.
4. *Gat.* Exiit iterum, *Mm.* (Deeſt hic verſiculus in *Mm.*)
6. *Mm.* Non invenio cauſam.
13. *Gat.* Lithoſtratus *Mm.* Lithoſtrotus.
14. *Gat.* Dicit eis: Ecce. *Mm.* Dicit eis Judæis.
17. *Gat.* Golgota: & cum eo.
24 *Gat.* Impleatur. *Mm.* Impleatur,....: & ſuper veſtem.
27. *Gat.* Ecce mater mea. *reliqu. man.* tua;
28. *Mm.* Quia jam omnia ..... dicit.
31. *Gat.* Et tollerunt.
32. *Mm.* Qui ſimul crucifixus eſt.
33. *Gat.* Et viderunt...... & non freg.
35. *Gat.* & *Mm.* Quia verè dicit.
38. *Gat.* Occulte autem........ 39. Nicodimus;
40. *Gat.* Eum linteis.. ... ſicut conſuetudo eſt.
42. *Gat.* Propter cena pura Judæorum. *Mm.* Ubi poſuerunt.

CAPUT XX.

℣. 1. *Gat.* Eſſent & vidit.
Mm. Lapidem ſublatum ab oſtio monumenti.
2. *Gat.* Quem diligebat.
8. *Gat.* & *Mm.* Et illi alius Diſcipulos:
9. *Gat.* Sciebat ſcripturam quia oportet. *Mm.* Sciebat quia oporteret.
13. *Gat.* Dominum meum, & neſcimus. *Mm.* Dominum meum de monumento, & neſcio.
15. *Gat.* Quid? quem.
16. *Gat.* & *Mm.* E hebraicè Rabboni quod dicitur Magiſter. Et occurrit, (& cucurrit) ut tangeret eum. Dicit ei Jeſus
19. *Gat.* Diſcipuli propter..... in medio eorum, & dixit eis: Pax vobiſcum.
20. *Gat.* Et latus ſuum.
23 *Gat.* Remittentur eis, & quorum detenueritis detenta ſunt,
26. *Mm.* Pax vobiſcum.
27. *Gat.* Deinde Thomæ, porrige digitum.
29. *Gat.* Vidiſti me, & credidiſti: Beati qui me non viderunt.
31. *Gat.* Quoniam Jeſus........ ut credentes vitam æternam habeatis in.

CAPUT XXI.

℣. 2. *Gat* A Channan.
4. *Gat.* Mane autem jam facto ſtetit in.
5. *Gat.* Pulmentarium non habetis.
6. *Gat.* Navis rete, & invenietis. Miſerunt ergo & jam...... à multitudine. *Mm.* Invenietis. Dixerunt ergo? Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus, in verbo autem mittemus rete. Miſerunt ergo retia, & jam.
8. *Mm.* In mare. Non enim.
10. *Gat.* Præhendiſtis.
11. *Gat.* Toti eſſent.
12. *Gat.* Auſus eſt. *Mm.* Ei, tu ... Dominus eſſet.
13. *Gat.* Accepit panem, & dedit eis. *Mm.* Accepit panem, & benedixit, & dedit eis.
14. *Gat* Manifeſtavit ſe Jeſus cum Diſcipulis. *Mm.* Manifeſtatus eſt cum Diſcipulis.
Gat. & *Mm.* At ille ait: Etiam.... dicit ei Jeſus paſce oves meas.
17. *Gat.* & *Mm.* Tu omnia ſcis quia amo te dicit ei Paſca Agnos meos.
19. *Gat.* Eſſet Dominum.
22. *Gat.* Donec venio.
23. *Gat.* Exivit ergo hic ſermo... non moritetur... donec venio quid ad te, tu me ſequere.
25. *Gat.* Et alia multa quæ non ſunt ſcripta, quæ ſi ſcriberentur..... capere eos qui ſcribendi ſunt libros.

Explicit Evangelium cata Joannem.

INDEX RERUM.

QUÆ IN QUATUOR EVANGELIIS, ET APOSTOLORUM ACTIS CONTINENTUR.

AAron; ad Sacerdotium explicita voluntatis Dei declaratione vocatus. 664. An ejus ſucceſſores ſomnio electi fuerint? *ibid.*

Abel; ejus ſanguinis effuſio quomodo Judæis imputata? 212.

Abiathar, ſummus pontifex Judæorum, an Davidi panes propoſitionis dederit? 301.

Abila, Abilene metropolis, ejus ſitus. 482.

Ablutiones in uſu apud Judæos quo in caſu? 90. Inter Turcas & Perſas 314

Abominatio deſolationis in templo ab Antiocho Epiphane locata. 229. Quænam fuerit illa, quæ ibi poſita fuit ante dirutam à Romanis Jeroſolymam. *ibid.* & ſeq.

Abraham. Deus ei apparet in Meſopotamia. 711. Patriam ſuam, & cognatos derelinquit in terram Chanaan profecturus. *ibid.* Eo venit ut advena. Fœdus a Deo cum illo percuſſum. *ib.* Agrum emit a filiis Hemor filii Sichem. 711. An mſtantinas preces adhibuerit? 693. An ejus anima ſucceſſive tranſmigrarit in plures nationis Judaicæ viros celebres. 588. Meſſiæ divinitatem agnovit. 526. Ejus adventum ardenter concupivit. 585. An eum in limbo cognoverit? *ibid.* Juſti in Abrahæ ſinum delati. 468. Dialogus inter hunc Patriarcham, & improbum divitem. 469. Credentium pater eſt. 91. Judæi filii ejus ſunt ſecundum carnem, at non ſecundum ſpiritum, ejus opera non facientes. *ibid.* Gentes per fidem ejus filii evaſere. 95.

Abſalon figura fuit Judæ proditoris. 618.

Abſolutio differenda juxta prudentiæ, & chriſtianæ charitatis regulas. 698. Niſi converſis danda. 601.

Abyſſini ab Eunucho a S. Philippo baptizato ad fidem perducti. 722. Ejus converſionis hiſtoriam in baptiſmi Cæremonia legunt. *ibid.*

Achimelech, filius, & vices gerens Abiathar, quando David panes propoſitionis comedit. 101.

Acta Apoſtolorum a quo compoſita, quonam in idiomate, quando, & cur? 655. Hic liber ſemper canonicus habitus fuit in Eccleſia. 856. An a S. Petro dictatus fuerit? *ibid.* Quanti æſtimandus. *ibid.* Quinam illum corruperit? *ibid.* Pſeudo-Acta Apoſtolorum ab hæreticis exarata. *ibid.*

Acta priorum ſæculorum Eccleſiæ unde corrupta. 670.

Acta Pilati de morte Chriſti an certa extiterint? 670. Quid contineant ea, quæ nobis reliqua ſunt. 671. An ſuperſint authentica? 696. Alia Pilati acta ab Imperatore Maximino edita. *ibid.*

Actiones gratiarum quomodo a Judæis reddantur Deo poſt comeſtionem. Canticum gratiarum actionis Jeſu Chriſto adſcriptum. 246.

Adam repræſentatus per hominem inter Jeruſalem & Jericho vulneribus affectum. 443. Doctores Judæi cenſent ejus animam ſucceſſive tranſmigraſſe in plures eorum nationis illuſtres viros. 588.

Ades idem ac Serapis, vel Pluto, ab Ethnicis habitus minorum dæmonum princeps. 158.

Admiratio in Jeſu Chriſto non fuit ignorantiæ effectus. Philoſophi ſuæ felicitatis partem in nihil admirando ponentes. 200.

Adommim, vallis Judææ homicidiis *ibidem* perpetratis celebris. 443.

Adoptio quando cœperit apud Judæos obtinere. 348. Jeſus Chriſtus Joſephi filius per adoptionem. Hæc adoptio ſufficiens fuit, ut in omnis S. Joſephi familiæ jura ſubiret. 349. Noſtra ſpiritualis adoptio eſt omnino gratuita quoad Jeſum Chriſtum. 525. Jura huic adoptioni adnexa. *ib.*

Adoratio; vox accepta pro quocumque publico religionis actu; quid ſit adorare Deum in Spiritu & veritate? 547. 548.

Adrumetum, urbs Africæ, & Byzacenes Metropolis. 823.

Adulteri morte apud Judæos puniti. 575. Quomodo lapidibus obruerentur. 579. Mulier in adulterio deprehenſa, & ad Jeſum Chriſtum adducta. 578. Circumſtantiæ, quæ de ejus vita narrantur. 579. Ejus crimen his circumſtantiis imminutum *ibidem*. Phariſæi eam interficere volebant per prætenſum zeli. *ibid.* Neque a ſuis accuſatoribus, neque a Jeſu Chriſto damnatur. 530. Ejus hiſtoriæ veritas. 578. Cur in pluribus exemplaribus deſideretur. *ib.*

Adulterium; in hoc caſu permiſſum divortium. 199. Cogitatione patratur. Phariſæi adulterium nonniſi conſummatum peccatum eſſe cenſebant. 107.

Ælia, urbs e veteris Jeruſalem ruderibus ædificata; ejus ſitus. A quibus habitata fuerit? Judæi emunt illam e longinquo proſpiciendi facultatem. 489.

Afflictiones à Judæis cenſebantur alicujus peccati ſequela. 455. Cur Deus juſtos affligat? *ibid.* Afflictionum utilitas; per eas in Dei regnum ingredi debemus. 758. An baptiſmus ignis explicandus ſit de hujus vitæ afflictionibus? 291.

Afranius Burrus, Prætorio præfectus, cum S. Paulus Romam advenit. Ei permiſit extra carcerem degere. 830.

Africanus, vetus Auctor; traditio, quam accepiſſe debeat quoad binos fratres ab Evangelio S. Joſepho attributos. 349.

Agabus, propheta Chriſtianus; famem generalem vaticinatur. 740. Et S. Paulo fore ut Jeroſolymæ in vinculis conjiciatur. 800. An S. Virginis nuptiis adfuerit? An Carmelitarum inſtitutum ingreſſus fuerit? 374.

Agape, convivia Charitatis à primis Chriſtianis in commune inſtructa. In iis Euchariſtiam recipiebant. 691.

Agnus. Sacrificium perpetuum agni in templo quotidie mane & veſpere oblati. An S. Joan. Baptiſta ad hoc ſacrificium alluſerit Jeſum Chriſtum Dei Agnum appellans? 530.

Agnus Paſchalis, duabus horis poſt meridiem immolatus die 14. Niſan, & ejuſdem diei veſpere comeſtus. 544. Quomodo à Iudæis comedi deberet? *ibid.* Nullum illius os confringi debebat. 646. Vinum benedictum in agni paſchalis cœna. 494. Ieſus Chriſtus illum non comedit poſtremo vitæ ſuæ anno. 60. & ſeqq. Hic agnus Ieſu Chriſti figura. 464. Offerebatur in Templo, cum Salvator animam efflabat in cruce. 28.

Agonia Ieſu Chriſti; ejus cauſa. 497.

Agrippa, rex Trachonitidis, & filius Agrippæ regis Judæorum. Cæſaream ad inviſendum Feſtum proficiſcitur. 817. S. Paulus coram eo cauſam ſuam perorat, eique converſionem ſuam narrat. 819. S. Pauli innocentiam agnoſcit. An Chriſtianam fidem amplexus fuerit? 821. Copias ſuas Titi militibus unit ad Jeruſalem obſidendam. 817.

Akiba, Rabbinus, a Phariſæis dicitur è quatuor eorum ſectæ auctoribus. Quando vixerit? 2. Morte dignos cenſebat, qui illotis manibus comedebant. 575.

Alabaſtrum quodcumque vas, in quo veteres liquores ſervabant, appellatum. 242.

Alexander, Iudæi apoſtatæ cognominis filius, & ſucceſſor Tadi in Iudææ præfectura. 691.

Alexander Epheſius populo loqui vult in ſeditione adverſus S. Paulum excitata. Quis, & a quo eſſet. 791.

Alimenta; unde ſit diſtinctio inter cibos puros & impuros. Qui putantur impuri, an animam fœdare poſſent? 314.

Aloes duplicis generis. 645. Quonam genere J. Chriſti corpus conditum fuerit? *ibid.*

Alogi hæretici Verbi hoſtes, qui S. Ioannis Evangelii auctoritatem negabant. 513.

Ambitio, vitium in Phariſæis regnans. 222. Quænam debeat eſſe Chriſtianorum ambitio? *ibid.*

S. Ambroſius quid cenſuerit de baptiſmo in nomine Ieſu Chriſti collato. 665. Effectus, quos pedum ablutioni adhærere putat. 611.

Amen; mos primorum Chriſtianorum eorum preces, & Evangelii lectionem claudendi hac voce. 512.

Amor Dei erga homines; is ille, ut eis filium ſuum dederit. 540. Dari nequit major dilectio, quam vitam ſuam pro amicis ſuis dare. 621. Amor Dei ſaltem inceptus in hominis corde ad peccatorum ſuorum remiſſionem obtinendam

nendam neceſſarius. 541. Amor Dei eſt præceptum Jeſu Chriſti quonam in ſenſu? Solus ſufficit ad ſalutem. 622. Noſtras preces efficaces reddit. 182. Hujus præcepti exceſſio. 219.

Amor Dei, & proximi, duo priora legis præcepta. Omnibus holocauſtis excellentiora ſunt. 330.

Amor proximi ſacrificia abſque hoc amore inutilia. 106. Inimicos, & perſecutores amplectitur. *ibid.* Ad quid adſtringat? 219.

Amor inimicorum, ad miſericordiam obtinendam neceſſarius. 107. Nos Dei filios reddit. 112.

Amor juſtitiæ a gratia inſpiratur. Ejus præmium. 101.

Amor paſtorum pro Eccleſia quinam eſſe debeat? 652.

Amram, pater Moyſis: ei Deus revelavit Moyſem fratrum ſuorum liberatorem futurum. 708.

Ananias, Damaſci diſcipulus: an eſſet Sacerdos, vel Diaconus, & e numero 72. diſcipulorum J. C. 725. Saulum inviſit, ei viſionem reddit, & baptiſmum confert. 726. An fuerit Damaſci Epiſcopus? 725.

Ananias, & Saphira pretii cujuſdam latifundii, quod vendiderant, partem retinent. 701. Mentiuntur, & rei fiunt peccati contra Spiritum Sanctum. *ib.* Ad S. Petri pedes occumbunt. *ibid.* An impœnitentes mortui ſint? *ibid.*

Ananias, Zebedæi filius, & ſummus Sacerdos Judæorum colaphum S. Paulo impingi imperat. 808. Hunc accuſat Felici Judææ Præſidi. 812. An eſſet Saducæus. 814. Ejus mors. 809.

Ananus Summus Sacerdos S. Jacobum interficiendum curat contra regionis leges, & moritur. 638.

Ananus in media Jeroſolyma lapidibus obrutus Zeli judicio. 579.

Anathema mors ſequebatur apud Judæos. 454.

Angaria, ſtationes publicæ populi impenſis apud Perſas. 110. Earum uſus apud Turcas. *ibid.* Judæi angariis ſubditi ſub Romanis: angariæ, pro quatuor temporum jejunio. *ibid.*

Angeli, qui Deo ſervierunt in deſerto. 96. Saducæi negant Angelorum exiſtentiam. 577. Quid Angelorum nomine intelligerent? 809. Eorum exiſtentia putabatur fundamentalis articulus in Judæorum religione. 273. Angeli a Deo ſolo perfecte noſcuntur. Nomina iiſdem indita ab actionibus, quæ viſæ ſunt ab iiſdem fieri, accepta. 307. Primus eſt Tobias, qui eos nomine proprio deſignaverit. 353. Hæc nomina Hebræis ignota ante Babylonicam captivitatem. *ibid.* Nomina Angelorum, quos Cabaliſtæ Patriarchis præceptores tribuunt. 354. Diverſitas ſententiarum de tempore, & modo, quo Angeli creati ſunt. *ibid.* Eorum natura omnino ſpiritualis. 355. Patrum nonnulli eiſdem ſubtilia corpora tribuerunt. 354. Varii ſexus a Rabbinis crediti, & morti ſubditi. 355. Angeli natura ſua immortales. 356. Eorum munia juxta Patres, & Rabbinos. *ibid.* Varii ſtatus Angelis commiſſi poſt Babelicam confuſionem. 357. Subordinatio inter Angelos. 358. Variæ Patrum ſententiæ quoad eorum hierarchiam. 356. Angelorum ſermo: qua ratione colloquantur. *ibid.* Quomodo fiant eorum apparitiones. 173. Eorum apparitiones in veteri teſtamento. 713. Apparent in carne aliena. 509. Lex Moyſi data Angelorum miniſterio. 713. Dolent, & gaudent peccatorum perditione, & converſione. 461. Cultum a Judæis Angelis exhibitum Chriſtiani ſunt imitati. 360. Quinam a S. Paulo damnetur. 306. Quomodo & quare Simon Magus Angelos coleret? *ibid.*

Angeli cuſtodes. 357. In ſcriptura, ac Ethnicis noti. 893. Judæi ſingulis hominibus Angelum bonum & alterum malum tribuunt. 356. Quinam Auctores idem cenſuerint? 193. Non ſolum in ſingulos homines, ſed etiam in ſingula vitia. 363. Malorum, & bonorum Angelorum numerus. 358.

Angeli mali. Nomina a Scriptura eorum principi tradita. 360. Lapſus malorum Angelorum juxta librum Enoch. 361. Rabbinorum ſomnia quoad eorum naturam, & originem. *ibid.* Quorumdam Patrum, & recentiorum Græcorum quoad hoc ſententia. 362. Angelorum malorum rebellio. *ibid.* Intervallum quod inter eorum creationem, & Lapſum interceſſit. Subordinatio inter eos. 363. Eorum munia. Locus & natura eorum ſupplicii *ibid.* Cultus a paganis eiſdem exhibitus. *ibid.* Vide *Dæmones*.

Angelus, qui probaticæ piſcinæ aquam movebat. 553. Bonuſne eſſet, an malus. *ibid.* An ſub forma ſenſibili deſcenderet? & quando? 554.

Angelus e cœlo dilapſus ad amovendum lapidem ſepulchri J. C. 267. Sermo, quem ſanctis mulieribus habet. *ibid.* An plures eiſdem apparuerint? 343.

Angelus Synagogæ quiſnam eſſet apud Judæos? 98.

Anima a pluribus antiquioribus credebatur omnino ſpiritalis. 355. A Saducæis putabatur mortalis. 178. Ejus immortalitatis argumenta. *ibid.* Quam J. Chriſtus contra Saducæos demonſtrat. 218. Hic articulus fundamentalis habebatur in Judæorum religione. 279. Ethnici & Judæi putabant animam inviſere ſepulchra prope corpora. Quæcumque detrimenta cum animæ detrimentis nequeunt comparari. Ejus amiſſio reparari non poteſt. 319.

Animæ initio mundi juxta Rabbinos creatæ. 436. Phariſæorum & Saducæorum ſententia de animarum exiſtentia, earumque natura. 810. Variæ illarum revolutiones. 437. A Phariſæis hodiernis admiſſæ. 276. Animarum præexiſtentia a Judæis credita J. Chriſti ævo. 356. Philo cenſebat aerem animabus duarum ſpecierum refertum. 588. Animarum apparitio poſt mortem. 509. Platonicorum quoad hoc ſententia. 809. Poſſeſſio dæmonis improborum animabus tributa. 436. Dei juſtitia requirit, ut animæ poſt hanc vitam, vel præmio, vel ſupplicio afficiantur. 470. Judæorum de hoc ſententia. 469.

Animalia. Veteres uſibus ſacris nonniſi animalia nondum domita adhibebant. 526. Horrebant Judæi animalia ſuffocata. 762. In Bacchi feſtis animalia diſcerpebantur, & cruda comedebantur. 764. Gentiles animalibus impuris deſignati inter Rabbinos, & ab iis, quæ S. Petrus Joppe vidit. 732. An Jeſus Chriſtus poſitus fuerit in præſepio inter duo animalia. 405.

Anna, vel *Ananus*, Caiphæ ſocer, quo jure ad ſe Jeſum Chriſtum adduci juſſerit? An ab eo Judas acceperit proditionis ſuæ pretium? 634. Dum vixit, ſummi pontificis titulum retinuit. Quinque filios habuit hac eadem dignitate præditos. 697.

S. Anna ſemper habita B. Virginis mater. 351.

Anna propheteſſa: ejus elogium. 408. Ejus miniſterium. Meſſiæ nativitati teſtimonium reddit. 409.

Annulus, ornamentum nobilibus perſonis proprium. 464.

Antichriſti, qui apparuerunt in Judæa ante & poſt dirutam a Romanis Jeroſolymam. 208.

Antichriſtus a quibuſdam Patribus acceptus pro abominatione poſita in loco ſancto. 530. A Judæis feſtinatoreexcipitur. 358.

Antigonus Sochæus, auctor ſectæ peculiaris Judæorum: quid ſuos diſcipulos doceret? Hinc Saduceiſmus. 577.

Antiochia Syriæ ampliſſima, & pulcherrima Orientis urbs. 739. Antiochiæ Fideles primum Chriſtiani appellati. 230. Eleemoſynæ ab iis miſſæ ad fideles Jeroſolymitanos. 740. An ibi primitus plures Epiſcopi, ac plures Eccleſiæ? 747. Inibi prophetæ. *ibid.* Eorum munia. 748. S. Paulum & S. Barnabam Gentium Apoſtolos conſtituunt. *ibid.*

Antiochia Piſidiæ. Hujus orbis Judæi invitant SS. Paulum & Barnabam ad ſermonem habendum in eorum Synagoga. 750. Sermo ad illos ab Apoſtolis habitus. *ibid.* Seditio in illum & S. Barnabam excitata. Pulverem pedum ſuorum in eos excutiunt. 754.

Antipater, prior natu Herodis, ejus juſſu interfectus. 81.

Antipatrida, urbs ab Herode magno condita in memoriam ejus patris Antipatri. Ejus ſitus. 811.

Antonia, turris in ambitu Templi Jeroſolymitani, a Romanis cuſtodita. Ejus ſitus. 803.

Apelles, hæreſiarcha: evangelium ſub ejus nomine. 51.

Apis, præcipuum Ægyptiorum numen. Vitulus aureus ab Hebræis ad inſtar Apidis conflatus. 714.

Apocalypſis S. Petri, & S. Pauli. 657.

Apollo, cognomento Pythius a Græcis cur appellatus? 770.

Apollos Judæus, origine Alexandrinus. 784. Epheſi prædicat non agnoſcens niſi S. Joannis baptiſma. *ibid.* A Priſcilla, & Aquila fide imbuitur. J. Chriſti baptiſmum recipit. Cujus urbis Epiſcopus fuerit? 785. Fideles Corinthi ob eum in partes diviſi. 787.

Apollonius Thyanæus; ejus præſtigiæ Epheſi S. Pauli miraculis, & concionibus exagitatæ. 787. Quanti æſtimaretur ab Epheſiis hic impoſtor. *ibid.*

Apoſtoli Jeſu Chriſti; eorum nomina & electio. 303. Eorum prædeſtinatio omnino gratuita ad gratiam Apoſtolatus. 622. In quo eſſent prophetis, & juſtis veteris teſta-

mentes feliciores ? 364. Sali, & lucernæ comparantur, 302. Omnia relinquunt pro Jeſu Chriſto. 325. Præmium accipiunt in centuplum. 302. Jeſum Chriſtum ſequuntur. 568. Binos ad Evangelium prædicandum mittit. 311. Poteſtas & inſtructiones eis traditæ. 140. & ſeqq. Specialis protectio eiſdem promiſſa. 245. Eorum miſſio. 436. Secum mulieres ducebant e regionis more. 433. Commoda illos recipientium. 142. Unctio, qua ægrotos liniebant, an eſſet Sacramentum unctionis a J. Chriſto inſtitutæ ? 345. Utrum ipſi ſe baptizaverint, an a confratribus baptizati fuerint ? An eorum baptiſmus peccata remitteret ? 541. Eorum agendi ratio a J. Chriſto defenditur contra exprobrationes diſcipulorum S. Joannis. 134. Accuſantur, quod non jejunarent, ac Sabbatum violarent. 145. Mittuntur mare Bethſaidam, & appellunt in regionem Genezareth; conciliatio Evangeliſtarum ſuper hoc. 561. An in eorum manibus multiplicatio panum facta ſit ? 152. Quid a Jeſu Chriſto quærant ſuper coronatum. An Metempſycoſin crediderint ? 517. Eorum idea de Meſſia, ejuſque regno. 495. Eorum contentiones quoad præcipuas hujus regni dignitates. 191. Humilitatis typus a J. Chriſto eiſdem propoſitus. ibid. Lectiones eiſdem factæ ſuper hanc virtutem. 325. Eis illam docet eorum pedes lavans. 610. Prædictio eorum quæ paſſuri erant pro J. Chriſti nomine. 141. S. Petrus clavium poteſtatem non accepit reliquis Apoſtolis eamdem non accipientibus. 182. Eis promittit futurum, ut majora, quam ipſe, miracula patrarent. 617. Eis miſſionem Spiritus ſancti pollicetur. ibid. Eis pacem dat. 618. Pro eis rogat. 630. Quid eos docere debeat Spiritus Sanctus. 626. Omnes eorum petitiones quomodo eſſent exaudiendæ. 336. Scandalum paſſi ſunt in paſſione Salvatoris, non tamen fidei jacturam fecerunt. 346. Eorum fuga. 448. Nuncium eis Chriſtus mittit de ſua reſurrectione. 341. Eis reſuſcitatus apparet. 269. Eos ſcripturarum ſanctarum intelligentia replet. 510. Sufflat ſuper eos, eiſque Spiritum Sanctum largitur. 649. Eis apparet ſuper quemdam Galilææ montem. 268. Eos mittit ad prædicandum evangelium omnibus nationibus. 269. Eis poteſtatem dat remittendi peccata. 648. Admiranda piſcatio. Cum eis comedit. 651. Eis poſtremo apparet, 343. Miraculorum donum eis promittit. 302. Atque iterum Spiritum Sanctum. 530. Eos in montem Olivarum ducit, unde in cœlum eis videntibus aſcendit. 679. An ad imitationem electionis Sacerdotum Hebræorum S. Matthiam ſorte elegerint ? 664. Spiritus Sanctus in illos deſcendit. 683. An illum in Templo receperint ? 318. An ſoli donum linguarum receperint ? 685. Teſtimonium reddunt reſurrectionis J. Chriſti. 699. Nova Spiritus Sancti ſuper eos effuſio. ibid. An baptizarent ſub invocatione ſolius nominis J. Chriſti ? 661. An omnes uti S. Petrus poteſtatem habuerint ægros umbra eorum ſanitate reſtituendi. 701. Ingens eorum miraculorum numerus. ibid. A Caipha in carcerem conjiciuntur; ſed ab Angelo liberantur. 703. Reperiuntur docentes in Templo. ibid. Sanhedrin eorum interfectionem decernit, ſed a Gamaliele eorum vita incolumis ſervatur. ibid. Synedrii juſſu cæduntur flagris. 704. Sibi ſervant miniſterium verbi, ſeptem diaconis tradentes curam fidelibus miniſtrandi, quibus manuum impoſitione ordinem conferunt. 706. Eorum diſperſio. 344. An omnes concilio Jeroſolymitano adfuerint ? 761. Evangelium per totum orbem annunciatum viventibus Apoſtolis. 233. Nonniſi data occaſione ſcripſere. 5. Eorum Epiſtolarum collectio in Eccleſia vetuſtiſſima. 6. Cur veteris teſtamenti textum aliter citarint ? 157. Pſeudo-Acta Apoſtolorum ab hæreticis compoſita, vel corrupta. 656. Quando judicarint duodecim tribus Iſraël, 302.

Apoſtoli Judæorum; eorum munia. 424.

Apparitiones veteris teſtamenti à quibus factæ. 528. Quomodo fiant bonorum, vel malorum Angelorum apparitiones, 173. Nonniſi temere negari poſſunt aliquæ ſpirituum apparitiones. 509. Fatales cenſebantur à Judæis. 247. Patres nonnulli agnoverunt apparitiones animarum poſt earum à corpore ſeparationem. Platonicorum ſuper hoc ſententia. 229. Variæ J. Chriſti apparitiones poſt ejus reſurrectionem. 648. Cur Judæis incredulis non apparuerit ? 616.

Appius; via & forum hujus nominis. 829.

Aquila, Judæus Ponticus, ad fidem converſus, & Roma cum reliquis Chriſtianis ejectus. 781. Hoſpes fuit S. Pauli Corinthi. ibid. Apollinem fidem edocuit. 785. Epheſi evangelium prædicavit. 981. Ejus mors. ibid.

Aratus, poeta paganus, à S. Paulo in Areopago citatus, credebat Jove omnia eſſe plena. 779. Apoſtoli exemplum illos juſtificat, qui de religione diſſerentes Auctores ab Eccleſia damnatos citant. ibid.

Arbores bonæ & malæ ex earum fructibus notæ, quid deſignent ? 123.

Archelaus magni Herodis filius: de eo explicari poteſt, quod J. Chriſtus ait de homine, qui in regionem longinquam proficiſcitur regnum accepturus. 484.

Archiſynagogus quis apud veteres, ejuſque munus. 535.

Archontici, hæretici, patrem Cain eſſe dicebant dæmonem natum e Sabaoth Judæorum Deo. 584.

Areopagus Athenarum, celeberrimum & vetuſtiſſimum Græciæ tribunal. Ejus deſcriptio. Homicidii cauſæ tantum primitùs in eo diſcutiebantur. Noctu tantum celebatur. S. Pauli ſermo in Areopago. 771.

Arimanius, Deus malus a Perſis in natura agnitus; ad quem demulcendum ſacrificia ab eiſdem facta. 364.

Arimathæa eadem ac *Ramathaim Sophim* in monte Ephraim. 504.

Ariſtarchus, diſcipulus S. Pauli, Epheſi tractus eſt ad theatrum in ſeditione a Demetrio excitata. Romæ capite plexus eſt ſub Nerone. 791.

Artes curioſæ, quibus Epheſii valde dediti erant; quid hoc nomine intelligatur. 789.

Aſaph tempore Babylonicæ captivitatis ſcribebat. Ejus ævo carebant Synagogæ. 97.

Aſcenſio J. Chriſti omnes tollit apparentes contradictiones, quæ in Scriptura quoad Meſſiam occurrunt. 635. Hoc feſtum diutius ante quintæ feriæ aſſixum. 680.

Aſiarchi, pontifices pagani e ditioribus uniuſcujuſque Aſiæ civitatis ſelecti. Eorum impenſis ludi publici celebrabantur. 791.

Aſia; Spiritus Sanctus D. Paulo prohibet, ne in quadam Aſiæ provincia prædicet; cur ? 768.

Aſmodeus, nomen a Judæis dæmonum principi olim tributum. 157.

Aſperſio quo caſu ab Hebræis uſitata. 685. An primi Chriſtiani per aſperſionem baptizarentur ? 691.

Aſſidæi; eorum Synagoga ſub Macchabæis cognita. 248.

Aſſon, urbs maritima Myſiæ, vel Troadis. 795.

Aſtra, nomine virtutis cœlorum, vel exercitus cœli deſignata. 232. Omnia prope fuerunt idololatriæ Hebræorum objectum. 714.

Athenæ, urbs celebris, & habita veluti generalis omnium ſcientiarum academia. Urbs erat reliquis Græciæ urbibus ſuperſtitioſior; quoſcumque deos admittebat. 776. 777. An his publicus cultus exhiberi poterat haud permittente Areopago ? 777. Se filios dicebant propriæ eorum terræ. 778. Ab Epimenide peſte expiati, & liberati. 659. Deo ignoto aram erigunt. ibid. Quem Deum ſub hoc nomine adorarent ? ibid. An aliquam dei Hebræorum cognitionem haberent ? 660.

Atrienſes, primi ordinis captivi, quibus ingentis domus cuſtodia committebatur. Apud veteres maximo in honore erant. 183.

Attalia, urbs maritima Pamphyliæ. 758.

Aſylum; aſyli jus in Templo Jeroſolymitano innocentibus tantum ſerviebat. 802.

Avaritia Chriſtiano indigna. 318. Animam in obſcuritate detinet. ibid.

Auguſtus, cenſum ſuorum ſubditorum haberi jubet. 404. Domini nomen recuſat. Ejus nomen ejus ſucceſſoribus tributum. 818.

Azizus, rex Emeſæ, circumciſionem recipit, ut uxorem haberet Druſillam Agrippæ regis Judæorum filiam. 814.

Azotum, celebris urbs Philiſtinorum; ejus ſitus. Eo tranſlatus S. Philippus Diaconus. 752.

Azymi panes nomine Paſchatis appellati. 59. Quando Judæi tenerentur iiſdem uti. 60. Hos Eccleſia non ſemper adhibuit in ſacrificio altaris. 64. Prima dies azymorum pro die antecedente. ibid.

B*Aaras*, radix oriens in Judæa, & cui Judæi adſcribunt virtutem dæmones ex hominum corporibus expellendi. 788.

Balaam; ejus prophetia de Meſſia per totum Orientem illius nativitatis ævo diffuſa. 81. Magorum regio eadem ac Balaam. 55.

Ballila, nomen janitrici tributum ſummi Pontificis Caiphæ. Quando quærat a S. Petro, an ex diſcipulis J. Chriſti eſſet ? 635.

Baptiſmus

Baptiſmus pro paſſione J. C. 453.
Baptiſmus Judæorum, quo caſu apud eos uſitatus? 28. Origo baptiſmi Proſelytarum. Cæremoniæ in eo obſervatæ. Privilegia illi adnexa. 286. Juxta Phariſæos ſolus Meſſias, vel Elias, aut aliquis propheta poterat ſolemniter baptizare. 529.
Baptiſmus S. Joannis alius a Judæorum & J. C. baptiſmo. 289. Eratne divinus, an humanus? 485. Quomodo illud adminiſtrabat? 92. Illum recipientes an peccata ſua ſingulatim fateri deberent. 587. Hujus baptiſmi effectus. 91. Eo mortuo adhuc viguit. 587.
Baptiſmus Jeſu Chriſti in aquis Jordanis; hujus baptiſmi circumſtantiæ. 289.
Baptiſmus Chriſtianorum Probatica piſcina adumbratus. 575. Ex aqua e J. C. latere prodeunte. 353. Quando inſtitutus; & quando ab Apoſtolis acceptus. 673. Ejus forma in Eccleſia Græca & Latina. 661. Nunquam validus fuit ſub invocatione ſolius nominis J. C. 663. Quænam fuerit quoad hoc S. Ambroſii ſententia. *ibid.* An eum ita contulerint Apoſtoli. 661. An conferendus in nomine trium perſonarum SS. Trinitatis. 569. Quænam ejus effectus. 538. Hi verò dependentne ex diſpoſitionibus illum recipientis. 690. Quænam his neceſſaria. 569. Poteſtne iterari. 292. Quodcumque crimen poſt baptiſmum commiſſum an debeat cenſeri contra Spiritum Sanctum. 292.
Baptiſmus Spiritus Sancti & ignis quid ſit. 590. Hæretici ignem aquæ baptiſmo adjungentes. *ibid.*
Baptiſmus per aſperſionem aliàs in Eccleſia toleratus. 691.
Baptiſmus per immerſionem in uſu in Oriente. *ibid.*
Baptiſmus nomine J. C. collatus pro baptiſmo, quem ipſe inſtituit. 663.
Barabbas, latro homicida, J. Chriſto collatus. 255. Huic præfertur. 256.
Barbari a Judæis appellabantur omnes transeuphratei. 174. Sic etiam Græci appellabant Græce vel latinè non loquentes. 857.
Barcokeba; Synedrium ad eum mittit poſtulatum, quis eſſet? 358.
Bar jeſu, Judæus magus, & pſeudo propheta. An Elymaidenſis eſſet? 749. Sergium Paulum, ne fidem amplecteretur, deterrere conatur. *ibid.* S. Paulus eum cæcum ad tempus reddit: ejus converſio. *ibid.*
S. Barnabas e tribus Levi, & alius a Barſaba, de cujus apoſtolatu ſorte actum eſt. 699. Ejus nomen ſignificat conſolationis, prophetiæ, vel fluentis ſermonis filium. An fuerit e numero 70. diſcipulorum, & S. Pauli condiſcipulus. *ibid.* Hæreditatem vendit, cujus pretium ad Apoſtolorum pedes defert. 701. S. Paulum ad apoſtolos ducit. 727. Antiochiam venit ad fideles confirmandos. 739. Eo ducit S. Paulum. *ibid.* Apoſtolos Gentium initiatur. 746. Ejus iter in Cyprum. 749. Lycaonii eum Jovem putant. 756. A S. Paulo diſcedit. 765. Ejus mors. Epiſtola S. Barnabæ. *ibid.* Evangelium ab hæreticis ejus nomine editum. 53.
S. Bartholomæus idem ac Nathanael: hujus conjecturæ argumenta. 539. A nonnullis acceptus pro uno ex duobus primis J. C. diſcipulis. 530. Pſeudo Evangelium ab hæreticis ejus nomine ſcriptum. 539.
Baſilides negabat crucifixum fuiſſe J. Chriſtum. Evangelium ſub ejus nomine. 693.
Bartimæus, cæcus lucì prope Jericho reſtitutus. 385.
Batanea, antiqua regio Baſan, aliquando accipitur pro ingenti regionis transjordanicæ parte. 529.
Batbus, menſura Hebræorum, quantum caperet. An eadem ac Athenienſium metreta. 466.
Beatitudo in ſcriptura nomine regni ſæpius deſignata. 88. Varia juxta meritorum varietatem. 504. Varii ejus gradus in cœlo. 495.
Beelzebub, vel *Deus Muſca*, Philiſtinorum numen. 545. Sub imagine hujus inſecti adoratus. 306. J. Chriſtus accuſatur, quod dæmones in nomine Beelzebub expelleret. 446. Habitus à Judæis dæmonum princeps. 157.
Benedictio quomodo a Judæis daretur? 521.
Beræa, urbs Macedoniæ in ſinu Thermaico. Judæi Beræenſes Judæis Theſſalonicenſibus humaniores, & doctiores. 776. Ratio & auctoritas ſcripturarum S. Paulo ſatis ſunt, ut eos ad fidem convertant. *ibid.*
Berenice, Agrippæ II. ſoror, & uxor Herodis regis Chalcidis; ejus mala vivendi ratio. 817.
Bethabara, domus tranſitus, urbs prope Scythopolim, & trans Jordanem; an. ibi S. Joannes baptizaret? 529.
Bethania, vicus ad radices montis Oliveti, ad meridiem Jeruſalem. 511. 598. An illius eſſent domini Lazarus ejuſque ſorores? *ibid.* Nulla noſcitur urbs hujus nominis trans Jordanem. 529. J. Chriſtus an Bethaniæ in cœlum aſcenderit? 518.
Betharan, vicus transjordanicus, a Bethabara diverſus. 529.
Bethlehem ad meridiem Jeruſalem, duabuſque leucis diſſita. 404. J. Chriſti nativitas in antro ad extremitatem urbis Bethleem. 405.
Betheſda, domus miſericordiæ, cur ſit appellata piſcina ovium. 553.
Bethphage, parvus vicus Jeroſolymæ propinquus ad radices montis Olivarum. 510. Ibi coquebantur panes, qui in Templo offerebantur. 356. Ejus ſitus. 483.
Bethſaida, domus piſcationis, ſic appellata Siloe piſcina. 553.
Bethſaida, ſeu Julias, 305. urbs Galilææ, ad littus orientale maris Geneſareth trans Jordanem ſita. 311. Dio judicii cum ea durius agetur quam cum urbibus Idololatriæ addictis. *ibid.* Ejus induratio. 441.
Bithynia, Aſiæ minoris provincia; cur ſpiritus Jeſus non permittat D. Paulo eò Evangelium ferre? 769.
Blaſphemi apud Judæos lapidibus obruti. Teſtes primi lapides in eos jaciebant. 726. Non fruebantur aſyli jure Templo Jeroſolymitano conceſſo. 805.
Blaſphemia morte apud Hebræos punita. 249. Quænam ſit blaſphemia contra Spiritum Sanctum. 294. An natura ſua irremiſſibilis ſit; 295.
Blaſphemia in Deum. 293. Qui aliquod nomen ſacrum pronunciabant, a Rabbinis damnati, tanquam blaſphemiæ rei. 249.
Blaſphemia pro contumelia in proximum. 325.
Boanerges, filii tonitru, nomen a J. Chriſto SS. Jacobo & Joanni Zebedæi filiis tributum. & cur? Neque Hebræum eſt, neque Syrum. 512. Facta parum certa alluſione innixa, quam de hoc nomine Patres inſtituerunt. *ib.*
Bona a primis Chriſtianis contemnebantur. An liceat ea jure tueri? 180.
Bona cur appellata divitiæ iniquitatis: inſumenda, ut amici in cœlis acquirantur. 467. Infelicitas illis adhærentium. 455. Bona potius amittenda, quam charitas. *ib.*
Bona a primis Chriſtianis in commune poſſeſſa. Adſtricti non erant ad ea vendenda: eorum pretium ad apoſtolorum pedes deferebant. 699.
Bonoſus Macedoniæ Epiſcopus, Virginitatis Mariæ hoſtis. 77.
Bonum; quænam illius origo juxta Judæos. 512.
Booz, Salmonis filius: an J. Chriſtus plures avos cognomines habuerit? 74.
Boves à veteribus conſulto alebantur ob ſolemnia ſacrificia. 464.
Byſſus ſerici genus e piſce *Pinna* vocato deſumpti. 468.

Cabaliſtæ eorum ſtudium in nomine detegendo aliquorum 70. Angelis, qui Dei nomen ſecum ferunt. Angelos Patriarchis præceptores tribuunt. 354.
Cæſar. Tributum Cæſari ſolvendum. 453. Ei reddendum, quod ad illum pertinet. 517.
Cæſarea; duæ hujus nominis urbes in Palæſtina; earum ſitus. Cæſarea ſine addito Cæſaream Palæſtinæ ſemper deſignat. 738.
Cæſarea Philippi ſita prope fontes Jordanis, & a Philippo Tetrarcha Auguſto imperatori dicata. 185.
Caja Cæcilia, Tarquinii priſci uxor, prima confecit tunicas rectas. 643.
Cajaniſtæ putant Judæos e Diabolo natos, & Moyſis legem a malo dæmone latam. 584.
Cain, omnium excommunicatorum primus. 454. Judæi e ſtirpe Caïn juxta quoſdam hæreticos: illi patrem adſcribebant dæmonem e Sabaoth Judæorum Deo progenitum. 584.
Cainan ſupereſt in J. Chriſti genealogia. A S. Luca, an ab ejus amanuenſibus inſertus ſit? 414.
Cainitæ: horum hæreticorum ſententiæ: 54. Judam proditorem tamquam ſanctum colebant. 245. Evangelium quod illi tribuebant. 58.
Caiphas, ſummus Pontifex Judæorum, & e Sadducæorum ſecta. 337. Summum pontificatum emit. 241. Prædicit fore, ut Chriſtus pro toto populo moriatur. 601. An in hac occaſione prophetiæ ſpiritum habuerit? 571. An primus quæſtionem habuerit de Jeſu Chriſto? 248. Eum veluti

veluti blaſphemum damnat. *ibid.* Morte dignum illum cenſet. 636. An veſtes ſuas diſcerpens contra legem egerit? 549. Teſtium depoſitionem contra S. Stephanum recipit, eumque interrogat. 711. Apoſtolos in carcerem conjici juſſit. 702. Saulo litteras dat, quibus ſuſius Chriſtianos caperet. 724. A Vitellio Judææ præſide exauctoratur. 691.

Cajus: duo Caji S. Pauli diſcipuli. 791.

Calix pro dolore, & hujus vitæ malis. 707. pro eo, quod quis patitur. 634.

Calumniari pro perſequi. 811.

Calvarius mons ad Septentrionem Jeruſalem, ubi Chriſtus cruci affixus eſt. 503.

Camelus, variæ hujus vocis ſignificationes. Quonam in ſenſu ſumpta ſit à J. Chriſto loquente de obſtaculis in quæ divites offendunt ob eorum ſalutem. 201.

Cana, urbs tribus Zabulon juxta Thabor & Diocæſaream. Nuptiæ Cana. 537.

Cananæi. Judæi Cananæos appellabant omnes populos a Canaan profectos. 315.

Candaces, vulgare Ethiopiæ reginarum nomen. 751.

Canstias ſculptor, qui Dianæ Epheſiæ ſtatuam confecit. 791.

Canon librorum novi Teſtamenti a primi ſæculi fine ſtatutus. 6. 7.

Cantica apud Judæos conſulto compoſita ad laudandum Deum in caſibus extraordinariis. 414.

Cantica J. Chriſto adſcripta a Priſcillianiſtis. Quodnam ſit canticum, quod poſt Euchariſtiæ inſtitutionem cecinit? 146.

Capharnaum, urbs ad occidentale maris Tiberiadis littus ſita: ſpiſſe creditur S. Joſephi patria, 85. Ibi J. Chriſtus incolatum ſuum ſtatuit. 418. Hujus urbis incredulitas. 441. Filius Officialis hujus urbis a J. Chriſto ſanitate reſtitutus. 551. Ieſu Chriſti ſermo in hac urbe. 562. Incolæ ſcandalum patiuntur ſuper eo. Quid de corporis ſui myſterio eis dixit. 565. Ejus oppoſitio Evangelio Sodoma crimnoſiorem eam reddidit. In quo aliis Judææ urbibus prælata fuerit? 155.

Capitatio ab unoquoque Iſraelita pro Templo debita. 189. Quando, & qua ſeveritate exigeretur. *ib.* Eam ſolvit I. Chriſtus. 190. Capitatio Romanis ſoluta a Judæis. 215.

Captivi. Captivorum Judæorum numerus poſt captam a Romanis Ieruſalem. 489.

Cardiacus, morbi genus. 586.

Cathedra Moyſis pro ejus doctrina vel auctoritate. 220.

Caverna ad extremitatem urbis Bethleem locus nativitatis I. Chriſti. 405.

Caverna in rupe effoſſæ pro mortuorum ſepulchris. A Judæis impuræ cenſebantur. 129.

Caverna montis Olivarum, ubi I. Chriſtus apoſtolis ſuis ſua myſteria communicavit. 680. Caverna Melitæ inſulæ, ubi S. Paulum vipera momordit. 818.

Cedar, regio Arabum Cedarenorum ad Orientem Jeruſalem, & trans montes Galaad. 715.

Cedron torrens ad Orientem Ieroſolymæ, eique valde propinquus. Unde hoc nomen ſumpſerit. 633.

Cenchreus, portus Corinthi ad ſinum Saronicum ſitus. 781. Eccleſia Cenchreæ. 783. Ibi S. Paulus ſibi crines præcidit. *ibid.*

Centuplum: quomodo fideles in hoc mundo centuplum recipiunt bonorum, quæ pro Ieſu Chriſto reliquerunt. 355.

Centurio Ethnicus. 156. Ejus ſervus ſanatus, ac ejus fides a I. Chriſto celebrata. 557.

Centurio in morte I. Chriſti converſus. 504. Sub nomine S. Longini ab Eccleſia cultus. 645.

Ceremonia legis cum I. Chriſto mortuæ. 800. Non fuerunt penitus abrogatæ, niſi poſt templi Ieroſolymitani everſionem. 820.

Cerinthus & ejus Evangelium. 51. Docet ab Ethnicis converſis legis ceremonias obſervandas. Ab Apoſtolis cum ſuis ſectatoribus ab Eccleſia ejicitur. 760.

Chachamim. Sapientes a Judæis appellantur eorum Synagogæ principes. Eorum jura Domini noſtri ævo. 96.

Chagigath appellabantur a Judæis victimæ per octavam Paſchatis immolatæ. Hæc oblatio meræ pietatis erat. 636.

Chaos inter paradiſum & inferos. 469.

Charan, urbs ad Chaboræ in Euphratem influxum ſita: Ibi ſedem ſuam figit Abraham. Hæc urbs Craſſo deleto celebris. 711.

Charitas: charitatis Chriſtianæ regulæ, quas Ethnici admirati ſunt. 425. Legem & prophetas complectitur. 219. Charitatis regula in judiciis ſequenda, & in eo, quod proximo debetur. 122. Sine Charitate nulla victima utilis eſt ad ſalutem. 106. Ad quid ea adſtringat illos qui læſi ſunt. *ibid.* Sanctam vim Deo infert charitas. 196. Charitatem fraternam aggredi invidiæ cauſa eſt peccatum contra Spiritum Sanctum. 198. Charitas inter Ethnicos ignota. Ea eſt verus Chriſtiani character. 614. Cur I. Chriſtus novum appellet charitatis præceptum. 613.

Chaſid, miſericordia, ex hoc nomine ortum Eſſeniorum nomen. 280.

Chomer, menſura Hebræorum, quantum caperet. 466.

Chori Angelorum decem ab Hebræis recenſentur. 359. Variæ Patrum ſententiæ de chororum Angelorum numero & ordine. 348.

Chriſtiani, fideles Antiochiæ primùm appellati. Utrum hoc nomen acceperint ab Apoſtolis, vel a I. Chriſti hoſtibus. 739.

Chriſtiani, ſub variis nominibus in Eccleſia, & inter I. Chriſti hoſtes noti. 739. Primi Chriſtiani ſe bonis omnibus abdicabant. 699. Eorum unio: an adigerentur ad bona eorum vendenda. Pretium eorum ad apoſtolorum pedes deferebant. *ibid.* Quare bona ſua venderent. *ibid.* In fractione panis perſeverabant. 691. Eorum in templo cœtus. *ibid.* Eorum habitudo in orando. 478. An per immerſionem baptizarentur. 691. A Judæis inſectantur. 718. Per eorum diſperſionem in omnem terram fides diffunditur. *ibid.* Solis Judæis primò Evangelium annunciarunt. 739. Judæorum impoſturæ contra primos Chriſtianos. 775. Eis maledicunt ter in ſingulos dies. 425.

Chriſtiani in medio perſecutionem orti. 259. Eorum munia. 461. Quænam eſſe debeat eorum ambitio. 222. Parati eſſe debent ad omnia patienda pro juſtitia, & tuenda charitate. 109. An eis liceat bona ſua jure tueri. *ibid.* veri Chriſtiani character. 322. Vigilantia omnibus chriſtianis neceſſaria. 333. Qui in ſpiritu Ieſu Chriſti vivunt, comparati ramis vineæ ſepi adhærentibus. 620. Et Sali ſatuo comparati improbi Chriſtiani. 462. An omnes Chriſtiani ante I. Chriſti tribunal comparebunt. 343. Ieſus Chriſtus pro omnibus chriſtianis orat. 631. Per mutuam eorum charitatem agnoſcentur I. Chriſti diſcipuli. 614. Tota Chriſtiani gloria in humilitate conſiſtit. 615. Argumenta lætitiæ chriſtianorum. 627. Per crucem I. Chriſti probantur. 408. Character, quo a Judæis diſtinguuntur. 472. Vigilantia Chriſtianis commendata. 452. Eis licet in bello juſto arma ferre citra periculum in infidelitatem & crimen incidendi. 412. Felices Chriſtiani, qui pro I. Chriſto inſectati ſunt. 424. Quommodo perſecutionibus uti debeant. 325.

Chriſtus: pſeudo chriſti, qui poſt mortem J. Chriſti uſque ad Templi everſionem apparuerunt. 332.

Chuza a nonnullis creditus dux ille, cujus filius à Jeſu Chriſto Capharnai reſtitutus eſt ſanitati. 551.

Cilicium, lugubris habitus e camelorum pilis contextus. Complures Patres opinati ſunt S. Joannem cilicio indutum fuiſſe. 89.

Cinnereth idem ac *Genezareth*, ſeu *Tiberias*. 561.

Circumciſio a Patriarchis, non autem a Moyſe invecta. Poterat dari die Sabbathi. 572. Uxoris Judææ non poterant filios ſuos circumcidere viris invitis. 765. Poſt I. Chriſtum inutilis eſt ad ſalutem. 760. Paſſim non iterabatur. Iterata fuit erga Samaritanos. 286.

Ciſterna, ubi Veteres vinum ſervabant. 329.

Civis. Civium Romanorum privilegia. 773. Eorum titulus olim magni habitus. *ibid.* Sub imperio Claudii pecunia conferri cœpit. 806. In cauſis criminalibus ad imperatorem provocandi jus habebant. 817.

Claſſis: vigintiquatuor Sacerdotum Judæorum claſſes. 293. Claſſes, in quas S. Matthæus diſtribuit totam I. C. genealogiam. Difficultates hinc exortæ. 76. Statuendus eſt Joachim in ſecunda claſſe, ut completa reddatur. *ibid.*

Claudia Proſcula, nomen uxoris Pilati. Chriſtiana dicitur a nonnullis. Unde ejus ſomnium de Ieſu Chriſto? 255.

Claudius: ſub ejus imperio cœptus eſt emi civis Romani titulus. 806.

Claves aliquando in Scriptura ſupremam poteſtatem ſignificant. 182. Mos Hebræorum Doctoribus in eorum promotione claves tradendi. 183. Cœli claves S. Petro datæ. 182. Poteſtas clavium in Eccleſia. 195.

Clavis ſcientiæ in manibus Doctorum legis inutilis. 448.

Clav.

Cleopatra, quinta ſoror Herodis magni, & Herodis Antipæ mater. 81.

Cleophas, S. Joſephi frater juxta nonnullos. Utrum fuerit pater, vel ſponſus Mariæ Cleophæ. 643.

Cleophas unus e diſcipulis, quibus I. Chriſtus apparuit in itinere Emmaus: quis eſſet? Ejus domus in Eccleſiam mutata. 507. & 508.

Climas; ejus mutatio ſanguineum ſudorem aliquando inducit. 381.

Cohors Romana, decima legionis pars. 256. Quingentis vel 600. hominibus conſtabat. *ibid.*

Columba, Symbolum ſimplicitatis; in quo eam imitari debeamus. 143. Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie apparuit in I. C. baptiſmate. 530. In Iordanem deſcendit. 747. Adumbrata fuit arcæ columba. 92. An alba eſſet. An Spiritus Sanctus eidem hypoſtatice unitus fuerit. 290.

Columba aurea a Samaritanis in eorum templo adorata. 548.

Colonia; duplex Romanorum coloniarum genus. 769.

Coloſſenſes; ad eos S. Pauli Epiſtola. 831.

Columnæ extra Templum Ieroſolymitanum inſcriptæ, quæ Gentilibus aditum vetabant. 802.

Colybiſtæ, nummularii, cur ſic appellati? Eorum commercium uſurarium. 211. A I. Chriſto e templo eiciuntur. 210. Eorum menſarum numerus & uſus juxta Rabbinos. *ibid.*

Commune pro impuro. 313.

Communio; Veterum ſententia de Iudæ communione. 245. An primorum Chriſtianorum communio eſſet communio corporis I. C 691.

Concilia; his Deus adſtat in eorum decretis. 196. Spiritus Sancti adſiſtentia conciliis promiſſa non excludit juſtas præcautiones, quæ adhibendæ ſunt ne in errorem incidatur. 248. Primum Jeroſolymæ concilium quare coactum? 760. An ei adfuerint omnes apoſtoli. *ibid.* Ei præſedit S. Petrus. 761. Hujus concilii deciſio, an Spiritus S. dictata. 764 Ad fideles miſſa. *ibid.*

Confeſſio peccatorum apud Judæos neceſſaria ad obtinendam remiſſionem. 90. In quo ea, & quomodo ab eis fieret; eam exigebat S. Joan. Baptiſta ab iis qui ad eum veniebant. *ibid.* Recipientes S. Joannis baptiſmum fatebantur ſingula peccata contra legem commiſſa. Uſus confitendi ſingula peccata ſua apud Judæos & Chriſtianos ævo Apoſtolorum vigens; Judæi decies exomologeſin faciebant ſolemnis expiationis die; quomodo hodie confiteantur. *ibid.*

Confidentia in Deo obſtare debet, ne ſollicite cogitemus ad ea, quæ nobis neceſſaria ſunt. 120. Hujus confidentiæ argumenta. *ibid.*

Confirmatio vulgò baptiſmum ſequebatur. Peculiares gratias primis Chriſtianis conferebat. 690. Olim manuum impoſitione conferebatur. 720. Hujus Sacramenti effectus. *Ibid.* Ordinarii illius miniſtri ſunt Epiſcopi. *ibid.*

Conſilia Evangelica; qui ea ſequuntur, in centuplum remunerantur. 202.

Conſilium, idem ac magnum Synedrium Judæorum; quas cauſas cognoſceret. 105.

Conſolatio plorantibus promiſſa. Eam non merentur lacrymæ proprium commodum reſpicientes. 201.

Conſtantinus pacem Eccleſiæ reddit. Nationum tempus uſque ad ejus regnum duravit. 489.

Continentia illam petentibus conceſſa. Eunuchus qui continentiam ſervat propter regnum cœlorum. 200.

Converſio S. Pauli. 724. Eſt maximum gratiæ opus 725.

Corban: juſjurandum per Corban. 314. 176. Quam inhumanè hoc juramento uterentur Phariſæi. *ibid.* Juramentorum, & votorum per Corban obligatio. *ibid.*

Core, reus peccati contra Spiritum Sanctum. 92.

Corinthus, urbs metropolis Achajæ, & commercio celebris. Ejus ſitus. 781. Voluptuoſior exteris Græciæ urbibus cenſebatur. *ibid.* Fideles Corinthi inter ſe diviſi propter S. Paulum & Apollinem. 788. S. Pauli Epiſtolæ ad Corinthios. 790.

Cornelius Centurio Romanus, & Proſelyta. Ejus opera bona. Ob ejus fidem juſtificatus fuit ante baptiſmi receptionem. 730. Angelus ei apparet. & jubet, ut S. Petrum Joppem mitteret. 731. A S. Petro in fide inſtruitur. 734. Spiritum Sanctum cum ſuis familiaribus, & amicis recipit. Eorum baptiſma. 736. Cornelii domus in Eccleſiam mutata. Primus fuit è gentibus ad fidem converſis. An Cæſareæ Epiſcopus fuerit; ejus mors. *ibid.*

Corozaim, urbs Galilææ citra mare Tiberiadis; ejus induratio. 441.

Correctio fraterna; regulæ in ea ſervandæ. 471.

Creatio toti Trinitati communis, cur Verbo attributa? Ab Epicureis caſui adſcripta. 523.

Creatura; hujus vocis extenſio in ſtylo Hebræorum. Evangelium omnibus creaturis prædicatum. 344.

Craſus, rex; quid ei reſponderit Solon. 119.

Crimen; Judæi aliquando ſeſe obſtringunt juramento ad crimen committendum. 810. An quodcumque crimen poſt baptiſmum ſit contra Spiritum Sanctum. 292. Ea non condonabat olim Eccleſia, niſi poſt diuturnam pœnitentiam. *ibid.* An extent crimina natura ſua irremiſſibilia? *ib.*

Criſpus, Synagogæ Corinthi princeps, ad fidem a S. Paulo perductus; & Æginæ inſulæ Epiſcopus initiatus. 783.

Crucifixi, verberabantur apud Romanos, antequam cruci affigerentur. 641. A Judæis non affigebantur, niſi poſtquam eiſdem fauces eliſiſſent, vel eos lapidibus obruiſſent. 645. Paſſim nonniſi 3. vel 4. paſſus a tellure elevabantur. 644. Secum deferebant condemnationis ſuæ titulum. 643. Eorum ſpolia ad carnifices pertinebant. *ibid.* A Judæis è cruce deponebantur ante noctem. 645. Romani aliquando eorum crura frangebant, ut eorum mors citior eſſet. *ibid.*

Crux, vulgare latronibus, ſeditioſis, ſervis, & infimæ plebi ſupplicium. 256 Deſcriptio crucis veterum, & crucis J. Chriſti. 257. Quomodo damnati in cruce tollerentur. 256. A Judæis non affigebantur niſi poſt obitum. Crucis ſupplicium a Conſtantino abrogatum. *ibid.*

Crux; unde veniat uſus tollendi cruces in Chriſtianorum cœmeteriis. 130.

Crux; boni vel mali Chriſtiani per J.C. crucem probati. 408. Perſeveranter ferenda. 437. Eam non ferentes J. Chriſto indigni. 846. Ferenda J. Chriſtum ſequendo. 318.

Cuthais hoc nomine Judæi innuebant virum profanum, impium; ſic Jeſum Chriſtum appellant. 584.

D*Elmanutha*; ejus ſitus. 178.

Damars, S. Dionyſii Areopagitæ uxor, S. Pauli prædicatione ad fidem converſa. 780.

Damnati; quænam ſit eorum pœnarum natura & magnitudo. 321.

David, inter Jeſu Chriſti avos illuſtriſſimus: 74. Homo juxta cor Dei. 751. Cur a S. Matthæo recenſeatur ante Abraham in genealogia J. Chriſti? 74. Meſſias eſt filius David; cur David cum dominum ſuum appellet? 219. Quomodo eſſe poteſt Meſſiæ pater & ſervus. 330. David propoſitionis panes comedit in caſu neceſſitatis. 255. Duo rami familiæ David iterum uniuntur Ioſephi & Mariæ connubio. 351. Ieſus Chriſtus eſt propter utrumque filius David. 349. David a filio ſuo Abſalone Ieroſolyma ejectus eſt figura Ieſu Chriſti ab uno e ſuis Diſcipulis prodito. 633. Credebant Phariſæi Davidis animam ſucceſſive varios illuſtres viros animaſſe. 528. Promiſſa Davidi a Deo facta per I. C. reſurrectionem completa: 752. An ex numero illorum fuerit, qui in morte I. C. revixerunt? Ejus tumulo Ieroſolymæ pepercerunt Chaldæi. 689.

Debitores; duorum debitorum parabola. Debitores in captivitatem redacti, donec ſolvendo eſſent. 196. Eorum punitio apud Romanos. 197.

Decapolis trans Iordanem & mare Tiberiadis. 325. Quibus urbibus conſtaretur; earum ſitus. 98.

Decretum: I. Chriſti mors æterno decreto ſtatuta; quod tamen non imminuit crimen Iudæorum, qui illum enecarunt. 688.

Decurio; hæc vox apud Romanos ſignificabat belli ducem, & juſtitiæ miniſtrum. Uter eſſet Ioſeph ab Arimathæa. 341.

Demetrius, aurifex Epheſius, ædiculas Dianæ vendebat. 790. Epheſi in S. Paulum ejuſque ſocios ſeditionem excitat. *ibid.*

Derbe, urbs Lycaoniæ in medio Iconis. 756.

Deſideria mala; ea credebant innocentia Phariſæi: Apud deum ita rea ſunt, ac actiones perfectæ. 104. 107.

Deſolatio; bina Ieroſolymæ deſolatio a prophetis prædicta. 229. Quænam fuerit abominatio deſolationis locatæ in loco ſancto ante dirutam Ieruſalem. *ibid.*

Deus; ei Hebræi nullum nomen peculiare tribuebant. Ab Ethnicis appellabatur Deus inviſibilis, incertus &c. 660. Ei obediendum potius quam hominibus. 698. Omnibus

nibus hominibus gratias paravit, eaſque ſine perſonarum acceptione diſtribuit. 734. Omnes ad pœnitentiam vocat. 775. Primos legis ſuæ tranſgreſſores ſevere plerumque punit. 705. Operibus manuum hominum non honoratur. 778. Cultu ſpirituali eſt adorandus. *ibid.* Ab unoquoque noſtrum non longe abeſt. *ibid.* Vult diligi abſque diviſione. 330. Ejus perfectio noſtræ typus eſt. 98. Ejus providentia nos docet noſtros inimicos diligere. 181. Talentum ſingulis ab eo commiſſum, cujus rationem poſcet die judicii. 238. Paratus ſemper eſt ad nos audiendos. Non negat preces noſtras exaudire, nonniſi quia vel malum petimus, vel male. 822. Quam ſenſibilis ſit peccatorum amiſſioni, vel converſioni. 194. Quo in ſenſu jubeat Chriſtus, ut petamus ſanctificari nomen ejus. 115. 116. Vim illi infert charitas. 196. Ei reddendum, quod ad illum pertinet. 217. Deus comparatus patrifamilias operarios in vineam ſuam mittenti. 204. Quomodo ſe geſſerit quoad Judæos, & Gentiles, quos ad Eccleſiam ſuam vocavit. 205. Quomodo urſum imputet peccata ſemel commiſſa. 197. Quomodo velit orari. 478. Nemini gratias ſuas debet. 418. Cur Deus juſtos affligi permittat. 455. Ejus ira tunc maxime a peccatore timenda, quando illum ſibi ipſi deſerit. *ibid.* Deo reddendum, quod illi debitum eſt. 330. Dei amor omnibus holocauſtis excellentior. 387. Nos gratuito dilexit filium ſuum nobis tradens. 541. An ſit cauſa indurationis peccatoris. 608. Duæ voluntates in Deo. 564. Nemo eorum, quos Jeſu Chriſto dedit, peribit, *ibid.* Cur omnes ad ſe non trahat. 567. Surdus eſt precibus peccatoris. 590. Aliquando illum exaudit in indignatione ſua. *ibid.* Adorandus in ſpiritu & veritate 548.

Deus meſſori comparatus; mors uniuſcujuſque noſtrum tempus eſt ejus meſſis. 306. An Saducæi Deum corporeum crederent. 278.

Deus; Hebræi addunt Dei nomen rebus, quarum volunt exaggerare magnitudinem, pulchritudinem &c. 714.

Deus; ara Athenis Deo ignoto erecta. 659. Quinam eſſet Deus hic ignotus. *ibid.* & *ſeq.*

Diaconi ſeptem inter primos fideles ſelecti, & manuum impoſitione ab Apoſtolis initiati. 707. An omnes eſſent e Græcorum numero? An fuerint I. C. diſcipuli ab initio. *ibid.* Euchariſtiam diſtribuebant in primorum Chriſtianorum Epulis. *ibid.*

Diana majoris ſubſellii Dea apud Paganos. Quænam eſſet Diana Epheſia. 790. Ejus templi deſcriptio. Nummus ejus imagine cuſus. *ibid.* Ejus ſtatuæ materies. 791. Ejus Neocori magni ab Epheſiis habiti. *ibid.*

Dii, *Dæmones* a Græcis appellati. 777. Deorum pluralitas in religione pagana permiſſa. 606. Ethnici Deos majores, & minores habebant. 791. Eos corporeos credebant. 779. Eis miniſtros aſſignabant ad omnia vitæ neceſſaria. 778. Credebant eos ſæpe hominibus apparere. 794. Romani Deos coluerunt omnium populorum a ſe devictorum. 605.

Dii incerti ab Ethnicis adorati. 660. Dii tutelares in obſidionibus invocati. Eorum nomina plerumque ignota. *ibid.* Ethnici deos ſuos tutelares in navium ſuarum puppibus deferebant. Eos corona redimibant, cum in portum perveniebant. 829.

S. Dionyſius, judex Areopagi, aram Athenis erexit Deo ignoto. 659. Prædicatione S. Pauli converſus, & cum S. Dionyſio Pariſienſi Epiſcopo perperam confuſus. Ejus martyrium ſub Domitiano. 789. An eclypſin in morte J. C. viderit, admiratus ſit, & ſcripſerit. 70.

Dioſcori, ſeu Caſtor & Pollux, gemini Jovis, & Ledæ filii, ab Ethnicis contra procellas invocabantur. 829.

Diſcipuli S. Joannis apoſtolos exprobrant, quod non jejunarent. 533. Contentio Judæorum, & diſcipulorum S. Joannis quoad hujus baptiſmum. 542. Inſtructiones a S. Joanne diſcipulis ſuis datæ. 543. Eos mittit ad J. Chriſtum, & cur. 148. Poſt ejus obitum illius corpus tollunt, & ubi illud ſepeliant. 172.

Diſcipuli J. C. quinam primi fuerint. 530. Eorum numerus, & miſſio. 441. Eorum nomina in libro vitæ ſcripta. 442. Nomine puerorum deſignati. 592. Infantes eorum humilitatis typus. *ibid.* Ex eis plures deſerunt J. Chriſtum. 568. Cur. 566. An antea in ipſum credidiſſent 568. Quinam ex eis cum J. Chriſto ſummi pontificis domum ingreſſus ſit. 635. Diſcipuli, quibus J. Chriſtus apparuit in via Emmaus, quinam eſſent. 507. Illum agnoſcunt in fractione panis An Euchariſtiã receperint. 508. An omnes donum linguarum die Pentecoſtes acceperint, 685. Eorum numerum Apoſtolorum prædicatione augetur. 696. Nova ſpiritus ſancti in illos effuſio. 699.

Diſpoſitiones ad recte orandum. 476.

Divinitas animæ locum non tenuit in Chriſti humanitate. 525.

Divortium primævis matrimonii legibus oppoſitum. 249. Mulierum Judæarum exempla, quæ a ſuis viris ſeceſſerunt. 252. Cur a Moyſe Judæis permiſſum? Utrum J. Chriſtus illud præceperit, an permiſerit in caſu adulterii. 107.

Divortium ſecretum apud Hebræos aliquando in uſu. 78.

Doctores Legis, Patres appellati. 222. Quando vocati cœperint Rabbini. *ibid.* Eorum character. 592. Sunt pſeudo paſtores. *ibid.* In eorum promotione eis in manus tradebantur claves, & tabulæ. 448. Quid illis exprobret J. Chriſtus? *ibid.* Eorum docendi in Synagogis ratio. 416. Jus ſermonem in iis habendi ſedentes ſoli habebant. 457. Eorum vanitas. 467. Eorum deciſiones de frequentibus manuum lotionibus. 314. Cœca ſubmiſſio, quam Judæi legis doctoribus exhibebant. Illis contradicentes morte digni a Rabbinis judicati. 175.

Doctores; primi Eccleſiæ Doctores; eorum munia. An a prophetis differrent. 747.

Doctrina Evangelica manna adumbrata. 563. Eſſe debebat fidelium omnium eſca. *ibid.* Eam oportet credere, ut comprehendatur. 578.

Dæmon cur in ſcriptura impurus appellatus? 85 An perfecte J. Chriſtum agnoverit ante ejus reſurrectionem. 298. J. Chriſtum tentat in deſerto. 416. An viſibiliter? An re vera in Templum, & in montem tranſtulerit. 298. Cultus, quem ab eo petit, erat latriæ cultus. 95. A J. Chriſto victus, ut nos inſtrueret. 94. Extenſio ejus potentiæ in eos, quos poſſidet. 136. Ejus conatus in Eccleſiam inutiles. 182. Ab initio fuit homicida. 583. Mendacii & Judæorum pater eſt. *ibid.* An Eva fuerit a dæmonum principe tentata. 584. Cum eo ſemper præliandum. Arma a Chriſtiano illi opponenda. 461. Nihil poteſt abſque Dei permiſſu. 495. Cur hujus mundi princeps appellatur. 416. Morbi dæmoni adſcripti. 456.

Dæmones, a Deo ſolo perfecte cognoſcuntur. Cur ſpiritus immundi appellentur. 306. Eorum fides inutilis. 344. Nomine tenebrarum deſignati. 498. Eorum apparitiones. 509 Eorum numerus Angelorum numero comparatus. 358. A malis Angelis per nonnullos diſtincti. Cur principes poteſtatis aeris appellati? Quas pœnas patiantur. 362. Ignis natura, quo ſunt affligendi. 364. Plures Patres cenſuerunt nonniſi poſt judicii diem fore cruciandos. 129. Honores divini ab Ethnicis eiſdem exhibiti. 364. Non pelluntur niſi precibus & jejunio. 320. Judæorum ſententia de dæmonum manſione; & de eorum potentiæ extenſione. 161. Aliquam inter eos ſubordinationem Judæi agnoſcunt. 157. Dæmonum legio pro ingenti numero. 306. Unde eorum acceſſio regioni Geraſenorum. 307. Cur rogabant J. Chriſtum, ne in abyſſum illos detruderent. 362. Homo qui J. Chriſtum non ſecutus dæmones in ejus nomine pellebat. 322. An dæmones agere poſſint in corpora inhumata. 382.

Dæmoniaci an apud Judæos a cœtibus religioſis excluderentur. 307. Dæmoniacus in regione Geraſenorum ſanatus. 308.

Dona Spiritus Sancti aquæ vivæ nomine deſignata. 575.

Donum Dei pro Spiritu Sancto. 546.

Doſitheus, Judæus ſchiſmaticus, & Saducæorum caput juxta Rabbinos. Poſt J. Chriſtum vixit. 577.

Drachma, drachmæ amiſſæ parabola. 462. Duarum drachmarum tributum in templi ſervitium exactum. 189. J. Chriſtus ab hoc tributo exemptus. *ibid.*

Druſilla, Agrippæ I. Judæorum regis filia, & uxor Aziz Emeſæ regis. Virum ſuum deſerit, ut duceret Felicem Judææ Præſidem. An Judaicam religionem abjecerit. 814.

Ebionitæ, auctores, vel corruptores pſeudo-Actuum Apoſtolorum. 657. Carnem horrebant. 493. Eorum Evangelium. 54.

Eccleſia; eam J. Chriſtus acquiſivit ſanguine ſuo. 796. Ipſe caput eſt omnium Eccleſiarum. Quam diligendæ ab Epiſcopis eorum Eccleſiæ. *ibid.* Ad Synagogæ exemplar primum fundata. Primi ejus miniſtri. 740. Pleraſque conſuetudines ſuas a Judæis accepit. 748. Eccleſiæ janua Gentibus aperta. 753. In eam ingreſſi omnes ad vitam æternam prædeſtinati. *ibid.* Quando cœperit e Gentibus conflari. 736. Sub idea cœnaculi repræſentatur. 459.

Arcæ

Digitized by Google

Arcæ comparata. 91. Urbe in monte ſita adumbrata. Quænam illius fundamenta. 117. Paſſim nomine regni cœlorum deſignatur. 88. Ejus cum J. Chriſto unio nomine matrimonii expreſſa. 215. Parvus numerus electorum inter eos qui vocati ſunt. 116. Æternùm ſubſiſtet. 183. Clavium poteſtas a J. Chriſto ei tradita. Quænam Eccleſia, cui Chriſtus vult deferri incorrigibiles? Eccleſiæ excommunicatio ab excommunicatione Synagogæ diverſa. 195. Traditiones Eccleſiæ; earum neceſſitas. Characteres quibus a Judæorum traditionibus diſtinguuntur. 175. S. Petrus viſibile Eccleſiæ caput. 182. J. Chriſtus eſt ejus paſtor. 597. Nemo niſi per eum ingredi in illam poteſt. ib. In ea Judæos & Gentes coegit. ibid. Ex electis & reprobis conflata eſt. 564. Pro ſuis miniſtris precatur; ejus preces ſemper exauditæ. 590. Unio eſt verus illius character. 635.

Eccleſia, olim ſuper martyrum corpora ædificatæ, morem invexerunt defunctos in Eccleſiis tumulandi. 428.

Eclypſes; duæ eclypſes die obitus J. Chriſti; ſupernaturalis altera, altera naturalis. 160.

Egregori, ſeu *vigilantes*, nomen a Chaldæis Angelis tributum. 360.

Eleazarus, exorciſta Judæus Joſephi ævo. Quomodo dæmones e corporibus ejiceret? 788.

Electi pro credentibus in Chriſtum. 205. Ab impiis in hoc mundo oppreſſi. 477. Grano a palea ſejuncto comparati. 91. Parvus electorum numerus. 456.

Electi ab Angelis e quatuor mundi partibus coacti. 233.

Electiones Epiſcoporum in Eccleſia a populo. 665.

Elias a Judæis expectatus ad vias Meſſiæ parandas. 320. In fine mundi veniet Antichriſtum deleturus. S. Joannes Baptiſta hujus prophetæ ſpiritu repletus. 528. Hunc prophetam repræſentabat. 320. Elias teſtis transfigurationis J. Chriſti. 186. Ejus adventus ante judicium a Domino noſtro, & prophetis confirmatus. Quinam erit ejus prædicationis & miraculorum effectus. 187. Credebant Phariſæi Eliæ animam diverſos ſucceſſive animaſſe. 528.

Eliſabeth, e ſtirpe Aaron, quo pacto S. Virginis conſanguinea. 349. Poſt conceptum S. Joannem Baptiſtam ſe abdit. 596. A S. Virgine inviſitur. 598. Per revelationem didicit nomen, quod filio ſuo indidit. 400. Ejus receſſus in deſertum. 402.

Elymas, vox Araba, Magum ſignificans. 740.

Emmanuel, nobiſcum Deus; nomen a prophetis Meſſiæ tributum. 79.

Emmaus, parva urbs leucis Jeroſolyma diſtans. 507. Apparitio J. Chriſti diſcipulis Emmaus euntibus. 343. Emmaus aquæ calidæ balnea ſignificat. 507.

Ennon, urbs, vel tractus Galilææ, ad meridiem Scythopolis. 542.

Enoch; quid liber Enoch afferat de malorum Angelorum lapſu. 361. Cujus naturæ hodie ſit ejus corpus. 726.

Epaphras, Philippenſis Epiſcopus, pecuniam D. Paulo affert, eumque Romam comitatur. 831. Et S. Paulus tradit Epiſtolam ſuam ad Philippenſes. ibid.

Epheſus, florentiſſima Aſiæ urbs. 784. Ab Apollonio Thyanæo peſte liberata. 788. Epheſi ingens Magorum numerus. 789. Literæ Epheſiæ inter Veteres æſtimatæ. ibid. Templum Dianæ Epheſi. 790. Epheſii ſuorum Neocororum titulum jactabant. 791.

Epheſus. Eccleſia Epheſi a S. Paulo fundata. 784. Epheſi diſcipuli, qui ſolum Joannis baptiſma receperant. 787. A S. Paulo in nomine J. Chriſti baptizantur. ibid. S. Paulus Epheſinæ Eccleſiæ Sacerdotes Mileti cogit. 795.

Ephrem, urbs parva Tribus Juda, Bethel propinqua, eadem ac Ephron. Eo ſe recipit J. Chriſtus. 602.

Epicuræi; eorum ſententiæ Sadducæorum ſententiis conformes. 173. Inter Judæos Epicuræi nonnulli degebant Salomonis ævo. ibid. Cum iis Athenis diſſerit S. Paulus. 777.

S. Epiphanius. J. Chriſti genealogia juxta S. Epiphanium. 351.

Epimenides, celebris magus. Aræ in Attica extructæ poſt Athenas ab eo expiatas. 659.

Eraſtus, urbis Corinthi theſaurarius, ac dein Macedoniæ Epiſcopus; in Macedoniam cum Timotheo a S. Paulo mittitur. 790.

Eroſtratus Dianæ Epheſiæ templum comburit. ibid.

Eſdras; precum ab eo poſt reditum e captivitate compoſitarum formulæ. 693.

Eſſeni; unde eorum nomen. 280. Eorum ſectæ origo; an deſcenderint a Jonadab Rechabitarum patre. ibid. Deſcribuntur. 281. Eorum incolatus? ibid. Sententiæ Eſſenorum ſecta a Pythagoræorum ſecta non longe abſimilis. ibid. Eorum ſcholæ & docendi ratio. 283. Quomodo periculum faciebant virorum & mulierum, qui in eorum ſectam ingredi debebant. ibid. Tria Eſſeniorum genera. ib. Jurejurando ſe adſtringebant ad eorum ſectæ adhærendum. 810. Inedia conficiebant, quos excommunicaverant. 180. Adeo bonæ fidei erant, ut juramentum horrerent. 108. Eſſeni contemplativi fuere primi Ægypti Chriſtiani. 281.

Eſcha ab Africano dicitur uxor Mathan & Melchi, & mater Jacob & Heli. 350.

Evangeliſta; quid eſſet in exordio Eccleſiæ. 799. Cur veteris Teſtamenti textum aliter citaverint. 324.

Evangelium; gratis annunciari debet. 305. Et recipi infantis docilitate. 324. Præmium illius miniſtris debitum. 641. Ab viventibus apoſtolis per totum orbem prædicatum fuerit. 344. Evangelii prædicatio ſemini comparata. 305. Gratia neceſſaria, ut fructum edat. ibid. Gentibus excluſis Judæis annunciatum fuit. 753. Vetat S. Paulo Spiritus Sanctus, ne illud annunciet in Aſia & Bithynia. 768. Cur noluerit Deus, ut toti Mundo prædicaretur. ibid. Canon quatuor Evangeliorum receptus in Eccleſia in primi ſæculi fine. 6. Textus originalis Evangeliorum. 7. Eorum verſiones. 8. Evangelia apocrypha. 47. Evangelium Hebræorum & Nazaræorum idem ac S. Matthæi. 14.

Euchariſtia, manna præſtantior. 365. Ratio carnalis, qua Judæi conceperunt promiſſionem a J. Chriſto in Synagoga Capharnaum factam. An eam tantum in figura promiſerit. 566. Vita æterna illam comedentibus promiſſa. 565. Inſtitutio Euchariſtiæ per J. Chriſtum. 245. Veritas corporis & ſanguinis J. Chriſti in Euchariſtia. ibid. An Judas eam ſumpſerit cum reliquis apoſtolis. ibid. Vetus conſuetudo Euchariſtiam conſecrandi in fermentato. 65. In epulis primorum Chriſtianorum diſtributa. 691. Omnes fideles ad eam ſumendam adſtricti. 566. Quomodo diſponit. ibid. Intima J. Chriſti unio cum eam ſumentibus. ibid. Hujus unionis fructus. 568. Vetus mos eam vino conſecrato immiſcendi unde ortus. 613.

Eva an a Dæmonum principe creata fuerit. 384. Sub ejus nomine evangelium. 52.

Eunuchi; qui ſe Eunuchos reddunt, ab Eccleſia tanquam homicidæ damnati. Eunuchi propter regnum cœlorum. 200.

Eunuchus aliquando ſignificat aulæ principis miniſtrum. 721.

Eunuchus reginæ Æthiopiæ, Jeroſolymam profectus ad dominum adorandum. Qua occaſione erat proſelytus. 728. S. Philippus Iſaiæ prophetiam ei explicat, & fide imbuit. ibid. Illum baptizat. 722. An Spiritum Sanctum receperit per manuum impoſitionem? Regionis ſuæ apoſtolus evadit. ibid. An fuerit primus e Gentibus ad fidem converſus. 736.

Eutychus adoleſcens Troadis a S. Paulo in vitam revocatus. 795.

Excommunicati; primi Chriſtiani eis vale non dicebant. 218. Fame enecti ab Eſſenis. 180.

Excommunicatio apud Judæos in incorrigibiles uſitata. 294. Excommunicandi poteſtas Eccleſiæ tradita. Excommunicationes Eccleſiaſticæ aliæ ab illis Synagogæ. 195. Excommunicatio etiam injuſta timenda. 424. Excommunicationis apud Judæos antiquitas. ibid. Tria apud illos excommunicationum genera. ibid.

Exorciſmi inter Judæos ad pellendos e corporibus dæmones uſitati. Eorum inventionem Salomonis adſcribebant; an ſuperſtitione carerent. 788. Vis exorciſmorum, quos adhibent Chriſtiani. 789. Septem exorciſtæ filii Scevæ, qui dæmones expellere in nomine J. Chriſti aggrediuntur. 788.

Exorciſmi Eccleſiæ quonam ſpiritu ab ea adhibeantur? 385. Eorum poteſtas. Quare aliquando effectu careant. 387.

Exorciſtæ Judæorum quomodo J. Chriſti ævo dæmones expellerent. 158.

Expiatio; purificationes, & confeſſiones apud Judæos ſolemnis expiationis die uſitatæ. 285.

Explicationes arbitrariæ Scripturarum tendunt ad evertendum, quod magis certum habetur; hujus rei exempla. 382.

F

Acies: traditio quoad ſanctum Sudarium Romæ ſervatum. 308.

Fadus Judææ Præſes manum diſſipat Theudæ adhærentem. 703.

Famos

Fames ſpiritalis, peccatoris aberrantis ſequela. 467. Accipitur etiam pro juſtitiæ amore. Præmium eidem promiſſum. 101.

Fames ab Agabo prænunciata, quæque Imperante Claudio contigit. An in omnem terram ſeſe diffuderit? Auxilia Judæis durante hac caritate parata. 742. Præſagium fuit everſionis Jeroſolymitanæ per Romanos. 228.

Familia; filiæ hæredes apud Hebræos nubere debebant in ſua familia. An ut huic legi obediret, Joſepho nupſerit Maria. 348.

Felix, Claudii Imperatoris libertus, ac dein Judææ Præſes. 810. Rapinas, quæ in Judæa patrabantur, coercet. 812. Ejus facinora, & injuſtitiæ. 810. Tres reginas uxores duxit. 815. S. Paulus a Judæis coram eo accuſatus. 814. Terretur audiens ea, quæ Apoſtolus de judicio extremo ei dixit. Vexationum accuſatur a Judæis Cæſareenſibus. 815. Abſolvitur fratris ejus Pallantis precibus. *ibid.*

Feſtum: an Judæi dies feſtos expectarent, ut reos morti traderent? 241. Actiones, quas Judæi putant vetitas die feſto. 743. Feſti dies a Judæis ſæpe Sabbathi nomine deſignati. 753.

Feſtus Felici ſucceſſit in regimine Judææ. 815. S. Paulum Jeruſalem mittere recuſat. 816. Ejus provocationem ad tribunal Cæſaris admittit. 817. Ab Agrippa inviſitur. *ibid.* S. Paulum, veluti inſanum habet. 821. Ejus innocentiam agnoſcit; eumque Romam captivum mittit. *ibid.*

Ficus: tempus quo maturefcunt. 324. Ficus præcoces. An eas his quærebat J. Chriſtus in ficu cui maledixit. *ibid.*

Ficus ſterilis a J. Chriſto maledicta. 327. Figura Judæorum reprobatorum ob ſterilitatem bonorum operum. 326. Ficus infructuoſæ parabola. Ejus ſenſus. 455.

Fides eſt merum Dei donum. 471. Infantis docilitate recipienda. 324. Fidei excellentia. 309. Cum J. Chriſtus advenerit, an fidem in terris inveniet? 477. Utrum Eccleſia permittat, ut infideles vi ad fidem trahantur. 460. Quo in ſenſu fides in Scriptura accipiatur. 827. Fides ſine bonis operibus nihil eſt. Orandum cum fide. 540. Fidei meritum a J. Chriſto celebratum: nihil illi impoſſibile eſt. 238. Humilis eſſe debet, & illuminata. 649. Semet J. ſu Chriſto per fidem alere. 583. Qui carent fide in Jeſum Chriſtum, jam judicati ſunt. 541. Quænam debeat eſſe fides ad vitam æternam promerendam. 565. Fides in omnem terram diffuſa primorum Chriſtianorum diſperſione. 718. Quid contineat fides in J. Chriſtum. 772. Cur Deus fidem omnibus non concedat? 570 Per fidem in I. Chriſtum Patriarchæ & prophetæ ad ſalutem pervenere. 698. Cur Iudæis denegata. 564. Fidei janua an omnibus ſit aperta? 527. Miraculorum fides. 186. Obtinet quidquid nil hæſitans poſtulat. 212.

Fides I. Chriſti reſurrectione confirmata, & ab omnibus ad vitam æternam prædeſtinatis recepta. 780. 753.

Figura, quæ I. Chriſti mortem, & reſurrectionem deſignarunt. 508.

Filiæ hæredes in familia ſua nubere lege tenebantur. Mariæ filia hæres familiæ ſuæ. 348.

Filius; hujus nominis extenſio in Scripturis. 414. Et in ſtylo Hebræorum. 74.

Filius hominis; cur I. Chriſtus ſic appellatus in pluribus Evangelii locis. A Iudæis ſic vocati homines plebei. 128.

Flagellatio; quomodo facta ſit I. Chriſti flagellatio, ignoratur. 256. An eam pertulerit, veluti antequam crucifigeretur? 640. Incertus eſt flagellorum, quæ pertulit, numerus. 641. An in tota paſſione pluries flagellis cæſus fuerit? 256.

Flaminius e Senatu ejectus, eo quod in convivio reum capite plecti juſſerit. 171.

Flumina aquæ vivæ exeuntes e corde credentium in I. Chriſtum ad dona Spiritus Sancti deſignanda. 575.

Fons: Hebræi hoc nomine appellant omnes viventium aquarum ſcaturigines. Fons Iacob. 545 Fons Siloe. 588. Fons ſaliens uſque ad vitam æternam quid ſit? 546.

Formula orationis a I. Chriſto nobis traditæ. Eſt evangelii compendium. 185 Formula precum apud Iudæos & paganos e ſynonymis & repetitionibus conflata. *ibid.* Iuramenti & voti per Corban formula. 176.

Fornicatio non jampridem Iudæis interdicta juxta Rabbinos. 107. Plures Iudæi & Pagani eam non cenſent lege naturali interdictam. 762. Legis Doctores eam traditione tantum vetitam putant. 156. Concilium Ieroſolymitanum legem naturalem tantum renovavit, cum eam Gentibus Neophytis prohibuit. 762. Fornicatio pro Idololatria. 583.

Fortis armati parabola. 445.

Fortis armatus: miniſter cui veteres ingentis domus cuſtodiam committebant. 158.

Frater pro matrueli, vel agnato. 380.

Fratres J. Chriſti utrum eſſent filii Ioſeph, an ſororum S. Virginis. In eum minime credunt. 568. A nonnullis crediti primi S. Ioſeph liberi, & ab hæreticis liberi, quos ipſum volunt e S. Virgine ſuſcepiſſe. 168.

Frigus; hujus cauſa æſtate in Palæſtina ros ibi decidens. 635.

Frumentum. Ieſus Chriſtus grano frumenti comparatus. 607.

Fructus pro operibus & doctrina. Bonæ & malæ arbores ex earum fructibus cognitæ. 813. Gloria Dei eſt videre nos ſalutis fructus gignentes. 620.

Fuga aliquando in perſecutionibus permiſſa. In quibuſdam circumſtantiis criminalis eſt. 144.

Funera quomodo olim apud Iudæos celebrarentur. 135. Poſtremis tantum reipublicæ temporibus in ea inſtrumenta muſica invecta. *ibid.* Hebræorum mos omnes occurrentes ad funus invitandi. 351.

G*Abbatha*; vox Syra ſignificans locum, ubi Pilatus I. Chriſtum condemnavit. Idem ne eſt ac cubiculum Synedrii in Templo. 641.

Gabriel vim Dei ſignificat. 396. Zachariæ promittit filii nativitatem: Nazareth miſſus eſt. 394. Ejus cum Maria colloquium. 396.

Gadara, urbecula Pereæ, alia a Geraſa. 229. Ejus ſitus. *ibid.*

Gajus, S. Pauli hoſpes Corinthi, ac dein Theſſalonicæ Epiſcopus. Ad theatrum Epheſi pertractus eſt in ſeditione a Demetrio excitata. 791.

Galatæ; epiſtola S. Pauli ad Galatas. 790.

Galilæa, urbs Gentium trans & ad Orientem Iordanis. Ieſu Chriſti præſentia honorata. 96. An Chriſtus e Galilæa venit. 504. Prophetæ inde orti. 285.

Galilæi; primi fideles hoc nomine notati inter I. Chriſti hoſtes. 739. Belligeri. 498. Herodianorum ſententiam eos ſequi ſuſpicio vigebat. 285. Ii, quos Pilatus interfecit, erant ſacile Iudæ Galilæi diſcipuli. *ibid.* Pilatus eorum ſanguinem cum eorum victimarum ſanguine commiſcuit. 455.

Gallio, Senecæ frater, & Achaiæ proconſul accuſationes Iudæorum Corinthi contra S. Paulum audire recuſat. 783. Iuſſu Neronis interfectus eſt. *ibid.*

Gamaliel, princeps Iudæorum, & ſectæ Phariſæorum: ejus vitæ circumſtantiæ. Curavit, ut Synedrium conſilium mutaret Apoſtolos interficiendi. 703. An tunc Chriſtianus eſſet. *ibid.* S. Paulus ad Gamalielis pedes. 804. S. Stephani corpus honorifice tumulari curavit. 203.

Garizim. Patriarchæ an in monte Garizim religionis actus exercuerint? 547. Templum in hoc monte extructum, & ab Hircano dirutum. Ibi Samaritani Deo cultum reddebant Idololatriæ mixtum. 548.

Gehenna; nomen inferis tributum propter vallem Hinnon. 106. I. Chriſtus primus eſt, qui hanc vocem uſurpavit. *ibid.*

Gaza, duæ urbes cognomines in parte meridionali Iudæa. Gaza vetus ab Alexandro Magno everſa. 721.

Genealogia: Iudæorum mos genealogias ab hominibus tantum deducendi. 348.

Genealogia J. C. per ejus matrem. Nomen Cainan in ea vel a S. Luca, vel ab ejus amanuenſibus inſertum. 414. S. Matthæus in eam invexit rectos tantum I. Chriſti avos. 74 Omiſſio ab eo facta. *ibid.*

Genealogia Sanctæ Virginis eadem ac illa S. Ioſeph. 348.

Generatio; quo in ſenſu vox hæc aliquando in Scriptura uſurpetur. 74. Generatio pro tota vitæ ratione. 466. Duæ Meſſiæ generationes ab Hebræis vulgo parum intellectæ. 573

Geneſar, regio feraciſſima, unde ei nomen Geneſareth. 289.

Geneſareth eadem ac Tiberias. 312.

Genii; cenſebant Ethnici ſingulos homines genium cuſtodem habere. 193.

Gentes, a Iudæis Græci vocati. 178. Creaturæ nomine alii deſignati. 344. Vocari pariter Gentes ſæculi. 451. A Iudæis immundi putabantur. 314. Ethnici contacta ſe pollutos cenſebant. 738. Inſcriptiones extra Templum Ieroſolymitanum aditum Gentibus vetantes. 802.

Digitized by Google

ſoi. Gentes, qui eo veniunt Deum adoraturi, unde eſſent? 605.

Gentes à primis Chriſtianis vocati extranei. 305. Filio prodigo adumbrati. 463. Et mulier Chananæa. 178. Et aſina, ſuper quam J. Chriſtus Jeruſalem ingreſſus eſt. 510. Deus eos reliquit incedere in viis ſuis. 757. Eorum vocatio ad fidem Judæis exclusis. 457. Ea eſt æternæ prædeſtinationis effectus. 761. Hora undecima vocati ſunt, & primi mercedem receperunt. 205. Deus eos leniter enegit ingredi ad patrisfamilias convivium. 460. Per fidem evaſerunt filii Abraham. 205. Omnes ad vitam æternam prædeſtinati fidem amplexati ſunt. 755. Cum Judæis J. Chriſti gregem conſtituunt. 594. Cæremoniarum legis obſervantia exonerati ſunt. 764.

Geraſeni; eorum territorium idem ac Gadarenorum. Eorum juxta quoſdam origo. 129. Cur dæmones eorum regioni adhærerent. 308.

Gergeſa, Judææ urbs ad mare Tiberiadis. 431.

Gethſemani, vallis pinguis. 633. Ibi J. Chriſtus agoniam patitur. 547.

Giſcala, urbecula Galilææ, & locus nativitatis S. Pauli juxta veteres quoſdam. Hujus urbis incolæ Tharſum Ciliciæ tranſlati. 773.

Gloria major aut minor in cœlo juxta meritorum diverſitatem. 482. Tota Chriſtiani gloria in humilitate conſiſtit. 6 5.

Glorificare Deum pro obedire illius mandatis. 630.

Gnoſtici Verbi æternitatem negabant. Evangelium, quo utebantur. 512.

Golgotha, cranium; hujus nominis mons ad Occidentem Jeruſalem, ubi J. Chriſtus cruci affixus fuit. Unde venit ejus nomen. 502.

Gomorrha, minus criminalis, quam ii, qui Domini legem cognitam contemnunt. 142.

Græci aliquando Ethnici vocati. 706. Murmur Græcorum in Hebræos locum dedit ſeptem diaconorum electioni. *ibid.* Diſperſio Græcorum trans Euphratem per totum imperium ab Alexandro Magno in Græcia fundatum. 574. Græci Antiochiæ converſi, chriſtiani appellantur. 759.

Granum quantum poſſit in tellure multiplicare. 164. Verbum regni grano comparatum. *ibid.* Zizania tritico immixta, hæreticorum & reproborum figura. 165. Granum a palea ſejunctum electorum figura. *ibid.*

Gratia omnibus neceſſaria 301. Et omnibus parata? 194. Noſtræ fidei principium eſt. 252. Qui gratia bene utitur, illius augmentationem meretur. 179 Qui eam inutilem reddunt, impietatis rei. 180. Ratio de illa in judicio extremo reddenda. 179. Humilibus datur. 400. Nemini debetur. 396. Leniter vim infert voluntati. 461. Voluntas ſub efficacioris gratiæ impreſſione libera. 429. Semper ei reſiſti poteſt. 564. Inceſſanter petenda, & fideliter eidem reſpondendum. 699. Deum in gratiarum ſuarum diſtributione nullius acceptio nem reſpicit. 734. Ratio efficax, qua gratia in noſtra corda operatur. 715. Nos omnes à Jeſu Chriſto illam accepimus. 550. Et gratiæ pro gratia redditæ. *ibid.* Gratia ſemper egemus; ſine illa nihil agere poſſumus. 620. Cur omnibus non detur? 567. Gratiæ ſuis effectibus carentes. 564. Gratia abundans Apoſtolorum prædicationi adnexa. 697. Et in primos fideles diffuſa. 629. Gratiæ triumphus in S. Pauli converſione. 715.

S. Gregorius Turonenſis Hiſtoriam peculiarem affert de Joſepho ab Arimathia. 674.

Grotius credit, ultimum Evangelii S. Joannis caput eſſe Eccleſiæ Epheſinæ opus. 514. Ejus ſententia de peccato contra Spiritum Sanctum. 293.

H*Abitus mali* magno illis ſtant, qui ſunt iis irretiti. 46,.

Haceldama, ager pretio proditionis Judæ in valle Tophet emptus. 682. Cœmeterium peregrinorum ad meridiem Jeruſalem. 553. Eo Judæi projiciebant quibus ſepulturam denegabant. *ibid.*

Hebræi; eorum mos genealogias nonniſi per viros deducendi. 348. Evangelium Hebræorum idem ac S. Matthæi. 23. Epiſtola S. Pauli ad Hebræos. 831.

Hebron, urbs Sacerdotalis in montibus partis meridionalis Judæ 397. Zacharias & Eliſabeth Hebronem incoluiſſe creduntur. *ibid.*

Hecate minorum dæmonum regina juxta paganos. 158.

Hecuba ex regina janitrix, vel nutrix. 635.

Hæreditas; an primi fideles hæreditates vendere cogerentur? Earum pretium ad apoſtolorum pedes ferebant 699.

Hæreſis; inter hæreſis & ſectæ nomina differentia. An Phariſæi cenſendi hæretici? Crimen hæreſis an eſſe poſſit peccatum contra Spiritum Sanctum. 270 293.

Hæretici; eorum character. 706 Hæreticorum conatus contra Eccleſiam a S. Paulo in Aſia fundatam. *ibidem*. Hi ſunt malæ arbores ex earum fructibus notæ. 123. Zizania tritico immixta deſignati 166. Et nomine pſeudo prophetarum. 123. Eos hoſpitari, vel ſalutare recuſabant primi Chriſtiani III.

Helena Adiabenorum regina opem fert Judæis fame laborantibus. 740.

Helena meretrix, Simonis Magi ſocia. 668. Eam eſſe jactabat primam intelligentiam, & Spiritum Sanctum. *ibid.* An ei erecta fuerit ſtatua? 669.

Heli, a veteribus quibuſdam dicitur pater S. Joſeph: 350. An idem ſit ac Jacob vel Joachim S. Virginis pater? 351. S. Joſeph filius, id eſt gener Heli. 350.

Helleniſtæ; Judæi peregrini, qui Græce loquebantur, & à Judæis Palæſtinæ hoc nomine diſtincti. Cum S. Paulo Jeroſolymæ diſputant. 573. Eum meditantur neci tradere. 728.

Helvidius, hæreticus, Virginitatis Mariæ hoſtis. 77.

Hemorrhoiſſa fimbriam pallii J. Chriſti contingens ſanatur. 308. Ei Cæſareæ ſtatuam erigit Philippus. 135. Vel Paneadi 434.

Herbæ: iis utebantur olim Judæi ad pellendos dæmones. 158.

Hercules in inſula Melita adoratus. Melitenſes S. Paulum Herculem eſſe ducunt. 819.

Hermæ ſectatores hæretici igne baptizantes. 291.

Hermon mons transjordanicus; eo a Dæmone J. Chriſtum tranſlatum quidam credunt 89.

Herodes; varii principes cognomines in novo Teſtamento; eorum genealogia. 81.

Herodes Magnus; ejus character. 81. Novum templum Jeroſolymæ magnifice extruit. 332. An Herodianorum ſectæ nomen dederit? 282. An eum veluti Meſſiam haberent? 283. An fuerit apud Judæos Summus Pontifex? 284. Feſtum Romæ in ejus honorem celebratum. 283. Turbatur nuncio nativitatis Meſſiæ. 81. Ædificandam juſſit Antipatridam in patris ſui Antipatri memoriam. 818. Herodis Prætorium Cæſareæ. *ibid.* Primus fuit J. Chriſti perſecutor. 84. Quando Innocentium cædem mandaverit? 85. Archiva combuſſit, ubi Judæi regeſta genealogica ſervabant. 74. Ejus crudelitatum & impietatis pœna, & mors. 84. Ob idem à Judæis feſtum inſtitutum. 283.

Herodes Antipa, magni Herodis & Cleopatræ filius, Tetrarcha Galilææ. 81. Hujus principis deſcriptio. 283. Character. 417. An fuerit Herodianorum caput. 284. Vel ſectæ Saducæorum. *ibid.* An habitus Meſſias? 183. Ejus inceſtum cum Herodiade connubium. A S. Joanne Baptiſta arguitur. 171. Cujus caput amputari juſſit. 171. J. Chriſti miracula Jo. Baptiſtæ reviviſcenti attribuit. Credebat Metempſycoſin. 170. Cupit videre J. Chriſtum, eumque contemptum ad Pilatum remittit. 501. An de J. Chriſti nece cogitaverit? 457. Pilato reconciliatur; eorum diviſionis cauſa. 501. Ejus exilium Lugduni. 583. In Hiſpania moritur. *ibid.*

Herodes Agrippa, rex Judææ, magni Herodis nepos, & Ariſtobuli filius, bellum Eccleſiæ indicit, ut placeret Judæis 742. An Meſſias habitus? 284. S. Jacobum interficit; & S. Petrum conjicit in carcerem. 743. Cur ejus ſupplicium, diſtulit? *ibid.* Cæſaream proficiſcitur, quamdiu ibi moratus. 744. Honores divinos ſibi exhiberi patitur. *ibid.* Ab Angelo percutitur, & à vermibus corroſus Cæſareæ moritur. 745. Feſtum Romæ in ejus honorem celebratum. 283.

Herodias, Mariamnæ & Ariſtobuli filia. 81. Ejus inceſtum cum Herode Antipa connubium. 170. Caput S. Jo. Baptiſtæ peti curat, & obtinet. 171. Ejus exilium Lugduni. 311.

Herodiani, Judæ Galilæi diſcipuli, negabant ſolvendum Romanis tributum. 330. Eorum ſententiæ. 836. Probatio. 284. Quæſtio J. Chriſto ab iis facta de tributi ſolutione. 316. Excidii Ieroſolymæ & templi cauſa fuerunt. 217. Variæ veterum & recentiorum de Herodianis ſententiæ. 282. An differrent à Saducæis? *ibid.* A quo Herodæ nomen ſumpſerint. *ibid.* Cavendum à fermento Herodianorum. 317.

Hierarchia; tres Angelorum hierarchiæ, & varii chori, quibus conſtatæ. 359.

Hillel, Phariſaiſmi pater a Rabbinis habitus. 274. Ejus ſchola ſ. Chriſti ævo. Ob quamcumque cauſam divortium permittebat. 190

Hircanus, princeps, & ſummus Sacerdos Judæorum, Phariſæis adverſus, viræ pœna jubet recipi Sadoc ſententias. 279. Samariam capit, & templum Garizim evertit. 548.

Holocauſtum Dei & proximi amore minus excellens. 643. Holocauſta quotidie in octava Paſchatis, oblata, & Paſchatis nomine in Scriptura vocata. 636.

Homicida voluntarii aſyli jure in templo Ieroſolymitano non fruebantur. 801.

Homo, tribus partibus juxta Ægyptios compoſitus. 362. Homines in ſacrificium oblati juxta Paganos. 507. Homines tenebrarum nomine deſignati. 413. An unicuique adſit angelos ſuus bonus & malus? 193. An omnes homines extremo judicio ſiſtentur. 839. Eorum poſt reſurrectionem ſtatus. 370.

Hormaſus unus e Diis Perſarum. 364.

Hoſanna, lætitiæ Hebræorum clamor, J. Chriſto Jeruſalem ingredienti uſurpatus, In feſtis Tabernaculorum uſitatus. 210.

Hoſpitalitas quomodo olim exercebatur. 548.

Humilis, in regno cœlorum major. 191.

Humilitas in quo conſiſtat. 459. Humiliter orandum. 478.

Hymnus J. Chriſto a Priſcillianis adſcriptus: hymnus, quem poſt Euchariſtiæ inſtitutionem cecinit. 246.

Hypocriſis; a fermento hypocriſis cavendum. 450.

Hyſſopus; duo hyſſopi genera. 261.

J*acob*; numerus perſonarum, quæ cum eo in Ægyptum profectæ ſunt. Agrum emit a filiis Hemor. 712. Sichem capit. 545. An ibi fuerit tumulatus? 712. An orationem veſpertinam inſtituerit? 693. Fons Jacob. 545.

Jacob, filius Mathan & Eſthæ, & S. Joſeph ſecundum naturam pater. 350. An idem ſit cum Heli? 373.

Jacobitæ; eorum mos & ratio per ſortem in electionibus procedendi. 666.

S. Jacobus Major Zebedæi, & Salomæ filius, ejus ad apoſtolatum vocatio. 98. J. Chriſtum ſequitur. 298. Ob ejus zelum tonitru filius appellatus. 559. Libri apocryphi S. Jacobo adſcripti. 53. ab Agrippa neci traditur. Nullum argumentum eſt in Hiſpanias illum exiiſſe. 742.

S. Jacobus Minor, Alphæi, & Mariæ filius, cognomento juſtus, & primus Epiſcopus Jeruſalem, a quibuſdam creditus adoleſcens ille, quem comprehenſo J. Chriſto capere volebant, cur appellatus frater Domini. Epiſtola canonica ſub ejus nomine. 139. Protoevangelium S. Jacobi in Eccleſiis Orientalibus lectum. 352. Poſt S. Petrum in Concilio Jeroſolymitano ſententiam dicit. 762. S. Paulum inviſit. 800.

Jairus unus e principibus Synagogæ Capharnaum. 308. Ejus filia a J. Chriſto ad vitam revocata. *ibid.*

Jaſon, Judæus converſus, & Pauli ac Silæ hoſpes Theſſalonicæ. 775. Eos eripit e manibus Magiſtratus hujus urbis. *ibid.*

Iconium, orbs Lycaoniæ. 754. Ibi S. Paulum & S. Barnabam lapidibus obruere volebant. 756.

Idola; jactabant Ethnici idola ſua e cœlo dilapſa. 792. An crederent Deos ſuos in ſuis idolis habitaſſe. 779. Ingens idolorum numerus Athenis. 777.

Idololatria nomine fornicationis in Scriptura frequenter expreſſa. 762.

Idumæi, cum Judæis confuſi, poſtquam circumciſionem recipere coacti ſunt. 299.

Jechonias, filius Joachim quando captivus Babylonem ductus ſit. 76. An liberos habuerit. 254.

Jehovah; Rabbinorum ſomnia de hujus nominis furto. 858.

Jeremias; an ipſius ſit prophetia de J. C. ſanguinis pretio, quam S. Matthæus illi adſcribit. 399.

Jeruſalem; itinera Jeroſolymam verbis *aſcendere* & *deſcendere* paſſim deſignata. 784. Ingens Synagogarum numerus Jeroſolymæ. 708. Ejus induratio. 226. Eam J. Chriſtus triumphans ingreditur. 605. Quando Apoſtoli Jeroſolyma diſceſſerint. 679. Ejus ruinæ per Romanos præſagium. 329. Hoc excidium poſtremi judicii figura. 333. Jeruſalem ſola omnibus prophetis interficiendis par. 457. Omnes Judæi ter in anno ad eam pergere tenebantur. 409. Lacrymæ a J. Chriſto effuſæ mala inruente eidem rententata. 483. Romanorum armis circumdata. *ibid.* Ejus excidium. 488. Splendorem imperante Conſtantino recepit. An Judæi Jeroſolymam ingreſſi ſint. 489.

Jejunium Hebræorum uſque ad veſperam: quod diutius ſervavit etiam Eccleſia. 94.

Jejunium Phariſæorum. 478. Affectabant videri triſtes. 118. eorum jejunia ſupererogationis feria II. & V. *ibid.*

Jejunium J. C. 40. diebus. 94.

Jejunium Eccleſiaſticum cur inſtitutum. 814. Jejunium feriæ IV. & VI. antiquitus obſervatum. 478. An abſtinentia a potu jejunio eſſentialis. 94. Dæmones, qui nonniſi jejunio pelluntur. 321.

Jeſus Chriſtus, Ejus nativitas Bethleem; 404. Dies & locus ejus nativitatis. E ſinu matris prodiit intacto ejus virginitatis ſigillo. An fuerit inter duo animalia in præſepio. *ibid.* Hæretici, qui ejus incarnationis veritatem negarunt. 162. Pſeudo-Evangelium nativitatis & infantiæ ſalvatoris. 48. Cur paſſus ſit peccatores inter ſuos avos. 74. Ejus genealogia. 73. In cenſu deſcriptus fuit. 404. An filius ſit David per Joſeph & S. Virginem. 349. In ſe iterum univit regis & Sacerdotis privilegia. *ibid.* Jeſu Chriſti fratres. 168. Se ſubdit circumciſionis legi. 407. Amplitudo nominis Jeſu, quod recepit. *ibid.* Magorum adoratio. 81. Templo præſentatur. 407. In Ægyptum transfertur. 84 Quamdiu ibi moratus ſit. 85. Quomodo creſcere potuit ſcientia & ſapientia. 409. Primum ejus iter Jeroſolymam. In templo reperitur in medio doctorum. *ibid.* Joſeph, & Mariæ parens. 410

Baptizatur a S. Joanne in Jordane. 414. Spiritus S. in ſpecie columbæ deſcendit ſuper eum. 259. Ductus eſt in deſertum a quonam ſpiritu, 416. Ibi 40. dies jejunavit, 44. A dæmone tentatur. 416.

An viſibiliter. 598. A dæmone ſuper Templum, ac deinde ſuper montem transfertur, ut iterum eum tentaret. Ejus victoriæ. 95. Quodnam fuerit ejus prædicationis exordium. 734. Ejus primi diſcipuli. 530. Ad nuptias Canæ invitatur. 533. Miraculum ibi patrat. 534. Nummularios e Templo ejicit. 536. Inviſitur a Nicodemo. 538. Quando ſuum baptiſmum inſtituerit? an apoſtolos baptizarit. 679. Cauſa ejus itineris in Galilæam. 96. Quando eò ſe contulerit. *ibid.* Poſt S. Joannis captivitatem ſecedit. 298. Ejus cum Samaritana colloquium. 546. Abrogationem cæremoniarum legis prædicit. 547. Ingreditur Sichem, ubi quædam miracula patrat. 550. Docet in Synagoga Nazareth. 410. E Nazareth ejicitur. 55. Sedem ſuam figit Capharnaum. 536. Filium miniſtri Herodis regis ſanitati reſtituit. 551. Vocat Andream & Simonem, & duos filios Zebedæi. 298. E corpore poſſeſſi dæmonem expellit. *ibid.* Socrum S. Petri curat. 558. Admiranda apoſtolorum piſcatio. 420. Leproſus & paralyticus prope Capharnaum ab eo ſanati. *ibid.* S. Matthæum vocat ad Apoſtolatum. 421. Paralyticum 30. annorum ſanat. 554. Accuſatur a Judæis, quod Sabbatum violaret. *ibid.* Sabbatho hominem aridam manum habentem ſanat. 441.

E diſcipulis ſuis 12. Apoſtolos ſeligit. 424. Sermo ab eo illis habitus in monte. *ibid.* Ejus ratio docendi populum ab illa Scribarum & Doctorum legis diverſa. 298. Deſcendens de monte leproſum ſanat. 126. Laudat fidem Centurionis Ethnici, ejuſque ſervum ſanat. 428. Filium viduæ Naim ad vitam revocat. *ibid.* Prandit in domo Simonis Phariſæi, & alias Bethaniæ. 429. Tuetur mulierem peccatricem, eique illius peccata remittit. 430. Dæmoniacum cæcum & mutum ſanat. 249. Magiæ a Phariſæis accuſatur, & quod dæmones expelleret in nomine Beelzebub. *ibid.* Varias parabolas populo proponit. 164. Cur Judæis nonniſi per parabolas loqueretur? *ibid.* Ventis imperat, & tempeſtatem ſedat, qua ejus diſcipuli agitabantur. 129. E corporibus duorum hominum dæmones pellit in regione Geraſenorum, quos in gregem porcorum immittit. *ibid.* Hæmorrhoiſſa contactu fimbriæ ejus veſtis ſanata. 135. Filiam Jairi ad vitam revocat. *ibid.* Duobus cæcis viſum reddit. 130. Apoſtolos ſuos ad Evangelium prædicandum mittit. 138. Ratio conciliandi Evangeliſtas ſuper ejus receſſum in deſertum Bethſaidæ. 572. Multiplicatio 5. panum & 2. piſcium. *ibid.* Ambulat ſuper aquas. 312. Ejus iter in tractum Geneſar. 174. Sermo ab eo Judæis habitus in Synagoga Capharnaum. 562. A nonnullis e diſcipulis ſuis deſeritur. 568. A S. Petro filius Dei agnoſcitur. *ibid.* Ægroti contactu fimbriæ veſtis ejus ſanati. 174. Mulieris Chananææ fidem remuneratur. 177. Surdum & mutum ſanat. 315. Septem pa-

num

Digitized by Google

num multiplicatio : 316. Difficultates ſuper ejus iter in regionem Magedan. *ibid.* Cœcum Bethſaidæ ſanat. *ibid.* Variæ Judæorum ſententiæ quoad ejus perſonam. 581. S. Petrus ejus divinitatem fatetur. *ibid.* Et primatum concedit ſuper reliquos apoſtolos. *ibid.* Claves cœli S. Petro datæ. 182. Cur eis actaverit, ne ſe Meſſiam eſſe proderent. 183. Quibus conditionibus homines ad ſuam ſequelam vocet? *ibid.* Se ſequentibus promiſſum præmium. 184.

Ejus transfiguratio. 185. Qui in monte transfiguratus ſit? *ibid.* Ejus cum Moyſe & Elia colloquium. 186. Teſtimonium ab alto ei redditum. 187. Infantem a dæmone muto poſſeſſum ſanat. 380. Fidei meritum extollit. 188. Apoſtolis paſſionem ſuam prænunciat. *ibid.* Hemiſiclum pro Templo ſolvit. *ibid.* Suis diſcipulis infantem proponit in humilitatis exemplar. 192. Regulæ ab eo præſcriptæ pro correctione fraterna. 194. Poteſtas clavium Eccleſiæ data. 195 Parabola Apoſtolis propoſita, ut injuriarum remiſſionem ſuaderet. 196. A Samaritanis rejectus eſt. 438. Diſcipulos 70. eligit, & ad evangelium prædicandum mittit. 441. Samaritanus charitate fervens, J. Chriſti figura. 443. A Martha convivio excipitur: Maria ad ejus pedes. *ibid.* Formula orationis, quam diſcipulis ſuis tradit. 445. Patrimonium inter duos fratres dividere recuſat. 451. Ejus paſſio baptiſmi nomine deſignata. 453. Mulierem 18. annis inclinatam ſanat. 456. Hydropicum die Sabbathi curat. 459. Matrimonium ad ſuam primævam inſtitutionem revocat. 384. Ejus fratres in eum non credunt. 567. Ad feſtum Tabernaculorum pergit. 571 Phariſæi ad eum ducunt mulierem in adulterio deprehenſam. 578. Quænam eſſet ſententia, quam ſcripſit in terra. 579. Eſt lumen Mundi. 580. Dicit ſe natum ante Abraham. 586. Eum lapidibus obruere volunt Judæi: *ibid.* Se reddit inviſibilem. *ibid.* Sabbato cœcum natum ſanat. *ibid.* Duos leproſos prope Samariam curat. 473. Diſcipulos ſuos bene precandi rationem docet. 483. Lazarum ad vitam revocat. 601. Quomodo prædixerit Caiphas, quod ipſe pro populo moritur. 602. Cœcum prope Jericho ſanat. 325. A Zachæo domi excipitur. 481. Jericho exiens duos cœcos curat. 308. Maria Marthæ ſoror ſuper ejus caput & pedes nardum effundit. 256.

Jeruſalem triumphans ingreditur. 81n Luget intuens mala huic urbi intentata. 483. Nummularios e templo ejicit. 220. Ficui maledicit. 231. Quid quærat a Sacerdotibus de Joannis baptiſmate. 232. Herodiani conantur eum comprehendere in ſermone. 216. Quæſtiones a Sadducæis illi propoſitæ. 257. Templi everſionem prædicit. 287 Diſcipulos ſuos ad vigilantiam hortatur. 331. Parabolæ 10. Virginum, & 10. talentorum. 237. Sacerdotum principes conſilium ineunt illum encandi. 241. Judas ſpondet pro ſtata pecunia ſe illum traditurum. 243. Mittit diſcipulos ad parandum paſcha. 244. Ultima ejus cœna cum ſuis Apoſtolis. 610. An paſcha legale tunc celebrarit? 59. Euchariſtiam inſtituit. 245. Veritas ejus corporis & ſanguinis in Euchariſtia. 494. Quinam ſit hymnus quem cecinit poſt Euchariſtiæ inſtitutionem. 246. Diſcipulorum pedes abluit. 610. In hortum Olivarum pergit. 497. Ejus agonia. 247. Quid eſſet? In quo ſtatet ejus ſudor ſanguineus? 378. Judas oſculo eum tradit. 248. Milites, qui eum venerant capturi, retro proſternit. 613. Apoſtolorum ſuorum fuga 248. Aurem Malcho reſtituit. *ibid.* Capitur, & ad Annam, mox ad Caipham ducitur. 498. A Caipha morte dignus judicatur. 337. Contumeliæ illi illatæ. 498. A S. Petro negatur. 250. Ejus innocentia a Juda Sacerdotibus declarata. 252. Coram Pilato ſiſtitur. 500. Hic ſtatim eum interrogat. 255. Et innocentem eſſe fatetur. 638. Remittitur ad Herodem, a quo contemnitur. 501. Ei præfertur Barabbas. 255. A Pilato verberibus cædi jubetur; 640. Et cruci damnatur. 556. Qua hora damnatus fuerit? 642. Deſcriptio Crucis. 257. An in ea nudus omnino affixus? 259. Clavorum numerus. 258. Inter duos latrones crucifixus. 340. Pro ſuis interfectoribus orat. 503. Super ejus tunicam jaciuntur ſortes. 643. Titulus condemnationis ſuæ cruci impoſitus. 260. Quas contumelias in cruce paſſus ſit? 503. In illum blaſphemiæ. 340 Bono latroni cœlum promittit. 503. Matrem ſuam S. Joanni commendat. 644. Tenebræ poſt ejus crucifixionem terram operuerunt. 262. Ejus mors. *ibid.* Quot annos tunc ageret? 585. Annus & dies ejus mortis. 256. Prodigia ejus mortem ſecuta. 263. Ejus latus a milite Romano percuſſum. 645. Ejus tumulus Joſephi ab Arimathia cura. 264. Ejus ſepulchri deſcriptio. 265. 342. Ejus deſcenſus ad inferos. 688.

Ejus reſurrectio. 343. Qua hora? 266 E tumulo egreditur ſigillum non frangens. *ibid.* Variæ ejus apparitiones poſtquam revixit. 652. Sancti, qui poſt ejus reſurrectionem apparuerunt. 263. Sanctis mulieribus apparet. 268. Apparet Mariæ Magdalenæ. 343. Duobus diſcipulis Emmaus euntibus ſe comitem dat. 507 Agnoſcitur in fractione panis. *ibid.* Apoſtolis ſuis apparet: 509. Quomodo ingreſſus ſit in locum, ubi erant congregati. 648. S. Thomæ apparet, eique ſuam infidelitatem exprobrat. 650. Cum diſcipulis ſuis manducat. *ibid.* In quo Galilææ monte diſcipulis ſuis apparuerit. 267. Ultima ejus apparitio diſcipulis ſuis. 343. Diſcipulos ſuos in montem Olivarum ducit. 679. Ejus Aſcenſio. *ibid.* Unde in cœlum aſcendit? quo die? *ibid.* Quo modo ſedeat ad dexteram patris. 344. Veteris teſtamenti figuræ, quæ illius mortem & reſurrectionem indicarunt. 508. An a Tiberio propoſitus fuerit ſenatui, ut in Deorum numerum referretur. 673.

Jeſu Chriſtus. Ejus divinitas. 581. Ejus incarnatio facta eſt abſque ulla duarum naturarum commixtione. 581. Venit ad omnes homines illuminandos. 523. Ad legem perficiendam. 203. Ad mundum damnandum. 590. Ad omnes homines cum Deo reconciliandos. 734. Dedit eis, qui eum receperunt, ut eſſent filii Dei. 525. Omnia ab eis plenitudine accepimus. 527. Nihil poſſumus abſque ejus gratia. 620. S Jo. Baptiſta, omnibuſque prophetis præſtantior. Angeli, qui ei ſerviebant in terra. 543. Qui in eum non credunt, jam judicati ſunt. 541. Vita æterna credentibus in eum promiſſa. 564. Deus in illo ſuum characterem & ſigillum impreſſit. 562. Ejus miracula probant eum eſſe unctum Domini. 735. Ingens ejus miraculorum numerus. 654. Quo in ſenſu ſumpſit nomen filii hominis. 228. An a dæmone ante illius reſurrectionem cognitus? An vere dæmones expulerit. 389. Eſt paſtor bonus. 592. Oves ſuas novit, & pro eis dat vitam ſuam. 594. Judæi & Gentes in ejus Eccleſia coacti. *ibid.* Eſt omnium Eccleſiarum caput: Eccleſiam ſanguine ſuo acquiſivit. 796. Ejus unio cum Eccleſia nomine connubii expreſſa. 815. Unus eſt cum patre ſuo. 595. Spiritus ſanctus ab ipſo, non ſecus ac a patre procedit. 623. Eſt via, veritas, reſurrectio, & vita. 616. Pro omnibus mortuus eſt. 602. Omnes ad ſe ſequendum vocat. Ejus jugum legis jugo levius. 183. Fides in J. Chriſtum omnes Patriarchas & prophetas ſalvos fecit. 698. In ejus nomine orandum. 627. Statutus eſt judex vivorum & mortuorum. 735. Ejus ſecundi adventus præſagia. 232. Quo in ſenſu dixit ſe diem ejus ignorare. 814. Putarunt veteres eum media nocte venturum. 237 Quo in loco omnes judicabit. 239.

S. Ignatius, Epiſcopus Antiochenus, a quibuſdam creditus infans a J. Chriſto apoſtolis propoſitus, ut ſimplicitatis exemplar. 191.

Immerſio. Primi Chriſtiani per immerſionem baptizabantur. 691.

Impœnitentia finalis, natura ſua irremiſſibilis. 293. An ſit peccatum contra Spiritum Sanctum. *ibid.*

Impoſitio manuum in duorum Sacramentorum adminiſtratione uſitata. 720. Ejus effectus. *ibid.*

Impoſſibilitas pro difficili. 324.

Imprecationes : mos Judæorum imprecationes in eorum Synagogis proferre contra Chriſtianos. 425.

Incarnatio Verbi a Patriarchis optata. 585. Mariæ annunciata. 397. Cur ſpiritui ſancto tributa. 398. Hæretici Incarnationem Verbi negantes. 562.

Incorrigibiles apud Judæos excommunicati. 194.

Increduli Dei verbo judicati. 608. Incredulitatis Judæorum cauſa. *ibid.*

Ingratitudo reviviſcere aliquo pacto facit peccata remiſſa. 197.

Injuria a Chriſtiano patienter toleranda. 180. Condonatio injuriarum præceptum pro omnibus Chriſtianis. *ibid.* Remittendæ ex animo. 197. Et quoties. 196.

Innocentes Herodis juſſu interfecti quando? eorum numerus, & cultus. 85.

Inſcriptiones, e veterum more deferebant rei, 660. In-

ſcriptio Cruci J. Chriſti affixa fuit veluti ſententia in eum pronunciata. An illam potuiſſet mutare Pilatus. *ibid.*

Interpretes, quos Apoſtoli habuerunt, an probent ipſos donum omnium linguarum non accepiſſe? 686.

Interrogare pro precari. 499.

Inutile pro malo, damnoſo. 160. Deo ratio reddetur de verbis inutilibus. *ibid.* Crimen eorum, qui ſe proximo inutiles reddunt. 238. Quid ſit ſervus inutilis. 472.

Joachim ſemper habitus S. Virginis pater. 351. Idem eſt ac Heli a S. Luca genealogiæ S. Virginis inſertus. 352.

S. Joannes Baptiſta; ejus nativitas promiſſa. 377. Ejus conceptio a Græcis celebrata. 340. Fuit propheta, & in ſinu matris ſanctificatus. *ibid.* An rationis uſum habuerit ab incunabulis. 402. Adoleſcens in deſertum ſecedit. *ibid.* Inde egreditur, & baptizat prope Jericho. 415. Variæ ſententiæ de ejus eſca, & veſtibus. 89. 90. Ejus baptiſmus, ut ad pœnitentiam diſponeret, inſtitutus. 92. Baptizabat per immerſionem. *ibid.* A Judæis habitus veluti maximum nationis ſuæ lumen. 751. Fuit miſſus a Deo ad vias Meſſiæ præparandas. 519. Legatio Synedrii ad eum miſſa. 528. An Meſſiam agnoſceret, antequam illum vidiſſet? 529. Meſſiam in Jordane baptizat. 92. Teſtimonium quod J. Chriſto reddit. 297. Spiritu Eliæ repletus fuit. 320. An jus haberet baptizandi? 227. Utrum baptizaret Bethaniæ ſeu Betharan, an Bethabaræ? 412. Mittit qui quærant a J. Chriſto, an eſſet Meſſias? 418. An de hoc dubitaret? 148. Formula precum, quam diſcipulis ſuis dedit. 415. Arguit Herodem Tetrarcham, quod Herodiadem rapuiſſet. 170. Ejus captivitatis cauſa. *ibid.* Quando? 549. Ab Herode interficitur. 178. Ejus corpus a diſcipulis ſuis tumulatum. 172. Ejus ſepulturæ locus. *ibid.* Diſcipuli S. Joannis in Oriente. 289. A nonnullis creditus Angelus incarnatus. 150. Gladio igneo armatus ad januam paradiſi erit baptiſmi ignis miniſter. 290.

S. Joannes Evangeliſta, Zebedæi & Salome filius; ejus ad apoſtolatum vocatio. 139. Omnia deſerit J. Chriſtum ſecuturos. 420. Ob ejus zelum tonitru filius vocatur. 432. Queritur de homine, qui Chriſtum non ſequens dæmones in ejus nomine ejiciebat. 321. Ejus mater pro eo præeminentiam petit a J. Chriſto. 209. Ejus nuptiæ J. C. præſentia honoratæ. Semper virgo permanſit. 534. An cum J. Chriſto in ſummi Pontificis domum ingreſſus fuerit. 634. Ei J. Chriſtus matrem ſuam commendavit. 644. Creditus adoleſcens ille, qui aufugit a militibus, qui J. Chriſtum comprehenderant. 337. It ad ſepulchrum. 647. Aliæ ejus vitæ circumſtantiæ. 511. Ejus Evangelium, ſemper habitum canonicum. 513. Quo anno ſcriptum. *ibid.* An a Platone deſumpſerit, quod ait de verbo. *ibid.* An ſit auctor ultimi capitis Evangelii ſui? 514. Opera eidem falſo tributa. *ibid.* Quomodo biberit Calicem J. Chriſti? 207. Acta S. Jo. Evangeliſtæ. 657. Quo fundamento creditus non mortuus. 283. Ejus mors omnibus ferme certa. 518. Ejus mortis annus. *ibid.* Evangelium eidem falſo tributum. 52. Ejus tumulus Epheſi. 518. Pars ejus reliquiarum Mediolani. 519. Manna ad ejus ſepulcrum. 517.

S. Joannes Damaſcenus; genealogia, quam de J. Chriſto exhibet, nullius eſſe poteſt auctoritatis. 352.

Joannes, Anani filius, & Præſes tractuum Acrabatene, & Gophnitici, idem eſt forte ac Jonathas, Caiphæ ſucceſſor in ſummo Judæorum Sacerdotio. 697.

Joannes Marcus conſobrinus S. Barnabæ. 744. Alius a S. Marco Evangeliſta. 170. SS. Paulum & Barnabam ſequitur. 745. Jeruſalem redit. 750. Cauſa eſt, quod S. Paulus a S. Barnaba ſecedit. 765. Cum S. Barnaba in Cyprum pergit. *ibid.* Poſt S. Marcum moritur. 270.

Joel; ejus prophetia de adventu Spiritus Sancti die tantum Pentecoſtes completa. 287.

Jonadab, Rechabitarum pater, an ſit etiam Eſſeniorum? 180.

Jonas, ſignum prophetæ Jonas. 447.

Joſaphat, Dei judicium; vallis hujus nominis in Palæſtina non noſcitur. 539.

Joſeph a ſuis fratribus venditus. 731. Ei regni ſui regimen tradit Pharao. 721. Jacob & familiam ejus in Ægyptum acceſſit. *ibid.* Sichem ſepultus eſt. *ibid.*

S. Joſeph an eſſet e Capharnaum? 86. an e Bethleem. 404. Julii Africani ſententia de duobus patribus ab Evangeliſtis ei tributis. 349. Quinam eſſet ejus verus pater. 373. An ex eadem domo eſſet, ac Sancta virgo? 348. Et ejus virginitatis cuſtos. 398. An Mariam duxerit, cum jam Verbum concepiſſet. 375. Ejus ſollicitudo, quod Mariam prægnantem inveniſſet. Cur voluiſſet eam occulte dimittere? 77. Quo in ſenſu appelletur juſtus. *ib.* Ejus iter Bethleem, ut in cenſu deſcriberetur. 405. Admonetur ab Angelo, ut in Ægyptum fugiat. 84. Quamdiu ibi moratus fuerit. 116. In urbe Nazareth ſedem fixit. 86. Quænam fuerit ejus ars. 168. An aliam uxorem præter Mariam duxerit. 374. Hæretici aſſerentes, quod ex ea liberos ſuſceperit. 77. An Jeruſalem adierit, ut reliqui Judæi ter in ſingulos annos. 409. An J. C. paſſionis tempore adhuc inter vivos degeret? 432. An pater fuerit Mariæ Cleophæ. *ibid.* Filii, quos ante matrimonium cum ſancta Virgine ſuſcepit, vocati Jeſu Chriſti fratres. 409. Ejus mors. Quinam ejus ſepulturæ locus? ubinam ejus reliquiæ. 417.

Joſeph ab Arimathæa e numero 70. diſcipulorum J. C. 264. Magni Synedrii membrum. 640. J. Chriſti corpus petit, & obtinet, ac ſepulturæ mandat. 664. An a Judæis comprehenſus fuerit? & ab Angelo libertati reſtitutus? 674.

Joſeph Barſabas e numero 70. diſcipulorum J. C. Ejus vitæ circumſtantiæ. 682. Oblatus fuit, ut in Judæ locum ſuccederet. *ibid.*

Joſeph Hiſtoricus; ejus error de improborum animabus. 380.

Joſue piè induſtrius, ut Iſraelitas Domino fideles redderet. 568.

Iſaac: Credunt Rabbini illum meridianas preces inſtituiſſe. 693.

Iſaias: Ejus prophetia, quoad Mariæ integritatem. 79.

Iſraelitæ; eorum numerus, cum in Ægyptum venerunt. 715. Anni eorum ſervitutis in Ægypto. 711. Cur Pharao conſilium iniit eorum progeniem delendi? Quando eos perſequi deſtiterit? 713. Moyſes illos eruit ab oppreſſione. *ibid.* Vitulum conflant ad inſtar Apidis. 714. Eorum idololatriæ præcipua objecta. *ibid.* In deſertum deferunt idola Moloch, & Rempham. *ibid.* An ibi Domino ſacrificia obtulerint. *ibid.*

Jubilæum apud Judæos tubarum ſonitu annunciatum. Meſſiæ adventus Jubilæo comparatus. 417.

Juda, cognomine *Sanctus*, auctor collectionis Traditionum Judaicarum. 275.

Judæa pro meridionali Palæſtinæ parte ſumpta. 98. Sæpe totius terræ nomine deſignata. 261.

Judas; unde cognominatus *Iſcariotes*. 140. Ab avaritiæ dæmone poſſeſſus. 493. Quo in ſenſu a J. C. filius perditionis appelletur. Potuit converti etiam poſt ejus criminis complementum. 630. Ejus incredulitas illum reddidit patrem Judæorum, qui illum imitati ſunt. 584. Queritur de Mariæ ſororis Marthæ profuſione. 557. Pretium, quo convenit cum principe Sacerdotum, ut illis Jeſum Chriſtum tradat. *ibid.* Corpus & ſanguinem J. Chriſti ſumit. 610. Veterum ſententiæ de Judæ communione. An a Juda ceperit J. Chriſtus ſuorum diſcipulorum pedes abluere. 245. Sacerdotes convenit an ad illos J. Chriſti corpus detulerit? 623. Ad capiendum J. Chriſtum cum militibus accedit. 633. A quo traditionis ſuæ pretium acceperit. 634. Eum oſculo tradit. 336. Quando nummos ad Sacerdotes retulerit. 253. Ager traditionis ejus pretio emptus. 682. Ejus pœnitentia inutilis. 253. Variæ de ejus mortis tempore, & genere ſententiæ. *ibid.* Laqueo ſe ſuſpendit, & ejus corpus in latrinam projectum eſt. *ibid.* A nonnullis hæreticis Sancti honoribus cultus. 245. Evangelium eidem attributum. 54.

Judas Gaulonites, ſeu Galilæus, caput ſectæ Herodianorum, & Zelotum, domini noſtri ævo vigentium. 239. Hujus ſententiæ argumenta. 704. Principibus alienigenis tributum recuſari volebat. 189. Deficit tempore cenſus a Quirino habiti. Romanorum bellum in Judæam invexit. 704.

Judas, cognomento *Barſabas*, e 70. diſcipulorum numero, mittitur ad Fideles Antiochenos ad ferendam Jeroſolymitani Concilii Epiſtolam. 763.

Judas S. Pauli Damaſci hoſpes. Ejus domus in Eccleſiam mutata. 725.

Judæi in quibus aliis nationibus excelluerint. 161. Ve-

rus

tus Iudæorum Politia. 740. Præcipuum eorum officium, cum liberos haberent, fuit illos aliquam artem edocere. 780. An alias veſtes præter pallium & tunicam haberent. 331. Lege tenebantur pallium fimbriis ornatum deferre. 221. Vittas e pergamena in medio fronte deferebant; quibus vim ineſſe contra ſortilegia, morboſque credebant. Hodiernus earum uſus in eorum Synagogis. *ibid.* Eorum mos veſtes ſuas excutiendi in teſtimonium contra aliquem. 142. In quo conſiſtere vellent theſauros ſuos. 115. Uxores emebant vel pecunia, vel reali ſervitute. 796. Quare Moyſes illis divortium permiſerit? 107. Maledictionis pœna eis vetitum ſues alere. 129. Frequentes eorum lotiones. 175. Eorum purificationes. 535. Baptiſmus. 285. Eorum ſalutandi ratio. 142. Redditus, quorum decimas ſolvebant. 223. An nummum peculiarem habuerint, quo eorum tributa ſolverent. 330.

Judæi. Eorum religio in nulla exiſtimatione inter Ethnicos. Accuſabantur adorare aſinum, vel ſuem, vel cœlum; & cur? 660. Tres in claſſes totius mundi populos dividebant. 574. Reliquas nationes veluti ſtirpem maledictam ſpectabant. 525. Nullum cum Ethnicis commercium habebant. 127. Eorum contactu ſe pollutos cenſebant. 636. Ingens Iudæorum numerus in Orientis provincias translatus. 687. Finis eorum Schiſmatis cum Samaritanis ad Meſſiæ tempus dilatus. 549. Qua conditione aliquando principibus extraneis ſervirent. 418. Eorum reges Romanis ſubditi. 477. Eorum noctes in quatuor vigilias diſtributæ. 173. Eorum prima vigilia ab Occaſu ſolis incipiebat. 171. Eorum precum repetitionibus teſtatarum formulæ. 115. Quomodo ſe tenerent, dum orabant. 328. Eorum precum loca. 97. Eorum Synagogæ deſcribuntur. 98. Solebant Synagogas conſtruere ad maris litus, vel fluminum oras. 769. Locus, ubi de religione diſceptabant. 300. Ter in anno tenebantur Jeroſolymam ſe conferre. 409. Eorum feſta tubarum ſonitu annunciata. 114. Actiones quas vetitas credunt die feſto. 260. Quot interdicta die Sabbathi enumerent. 155. Quænam hujus diei cultui addiderint. 156. Poterant hoſtes repellere, non autem aggredi die Sabbathi. 302. An hoc die jejunarent? 478. Quomodo inter eos fieret reconciliatio. 106. Quo pacto correctionem fraternam exercerent. Communione eos privant, qui ad bonam frugem redire contemnunt. 194. Civiles eorum excommunicationis effectus, *ibid.* Mos excommunicandi apud eos vetuſtus. 424. Tria apud illos excommunicationum genera. 405. Eorum ratio benedicendi. 581. Gratiarum actiones poſt eorum prandia. 246. Eorum mos ægrotos ungendi, & Deum pro iis orandi. 311. Quam opem ſperarent ab interceſſione Sanctorum apud Deum. 477. Preces quas fundunt morientes. 294. Quam curam ſemper habuerint ſepulturæ mortuorum. 224. Quomodo inter eos funera fierent. 235. Polluebantur ad mortuum, vel tumulum accedentes. 448.

Judæi; eorum de animarum poſt obitum ſtatu ſententia. 230. An alteram ab hac vitam ſperarent? 442. Eorum ſententia de hujus vitæ malis & bonis. 469. Paupertatem veluti cœleſtem maledictionem habebant; 101. Et quoſcumque morbos, tanquam alicujus peccati pœnas. 132. Mortuorum reſurrectionem credebant. 599. Quam ideam haberent de paradiſo. 469. Credunt purgatorium ab inferno non differre, niſi ob ſuppliciorum diuturnitatem. 294. Fatentur dari apparitiones, ſpectra, bonos malosque Angelos. 173. Singulis hominibus bonum, malumque Angelum attribuunt. 364. Decem Angelorum choros agnoſcunt. 359. Eorum ſententia de dœmonum incolatu, ac potentia. 161. An inter dœmones ſubordinationem fateantur. Cur Beelzebub dœmonum principem appellent? Ethnicorum oracula dœmoni Samaeli adſcribunt. 257. An ſub lege S. Trinitatis myſterium agnoverint? 522. Quam ideam habuerint de Spiritu Sancto. 294. Reſurrectio generalis, quam Meſſiæ tempore expectant Judæi. 343. Duplicem Meſſiam confinxerunt. 549. J. Chriſti ævo animarum præexiſtentiam & metempſycoſin credebant. 356. Quomodo libros Sacros diſtribuant? 510. Eorum traditio de figura Moyſis. 186. Eorum traditiones a quibus collectæ. 175. Illæ traditiones erroris Millenariorum origo. 202.

Judæi in varias ſectas ſeceſſerunt ad imitationem philoſophorum Græcorum. 273. Eorum Scholæ, atque docendi ratio. 804. Doctoribus legis cæce adhærebant. 175. In eorum promotione claves accipiebant. 182. Rabbinorum titulus inter eos recens. 221. In nomine Domini jurare debebant. 108. Eorum juſjurandum per cœlum ab Ethnicis deſumptum. 109. Juramentum per Corban inter eos uſitatum; hujus juramenti formula. 176. Quomodo juramentis abuterentur; 810. Ingens inter eos Magorum numerus 788. Eorum exorciſtæ quomodo dœmones expellerent? 158. Nazaræatus cæremoniæ apud Judæos. 801. Docent nunquam remitti peccatum, quod ore confeſſi non fuerint. Quo caſu tenerentur fateri ſingillatim peccata ſua. 355. Decies in die peccata confitebantur expiationis ſolemnis die. 288. Eorum Apoſtoli ad colligendas in Synagogis pecunias deſtinati. 138. Varia eorum tribunalia J. Chriſti ævo. 805. Eorum ratio jus dicendi. 107. Judicium zeli ſemper permiſſum in legis prævaricatores. 252. Poſtremis eorum Reipublicæ temporibus an jus vitæ & necis haberent. *ibid.* Quando & cur illud amiſerint? 637. Adulterii pœnæ inter Judæos. 579. Flagrorum pœna a lege caſtigata. 256. Crucis ſupplicium apud eos vigens. 645. Obſervationes de Judæorum paſchate. 257. 258. Quo die illud celebrarint anno mortis J. Chriſti. 59.

Judæi ex Ægypto egreſſi, J. Chriſti figura. 84. Filii prodigi parabola deſignati. 464. Jeſus Chriſtus eos comparat filiis, qui neque choreas ducere, neque plorare volunt. Eorum induratio. 151. Cur J. Chriſtus illis loqueretur in parabolis. 164. Argumenta, quibus J. Chriſtus illis miſſionem ſuam probat. 555. Variæ eorum ſententiæ quoad illius perſonam. 571. Tenebras lumini prætulerunt. Jam judicati ſunt. 541. Ex iis non ſunt, quos Deus Jeſu Chriſto dedit. 563. Neque ex ejus ovium numero. 595. Cur in illum non crediderint? 594. Quænam eorum indurationis cauſa. 484. Eorum cœcitas omninò voluntaria. 443. Alicujus peccati arguere J. Chriſtum nequeunt. 584. Eum eſſe Samaritanum, & a dœmone obſeſſum accuſant. *ibid.* Abraham, & prophetarum filii ſunt, filii fœderis, ſed id operibus non comprobant. 582. A Moyſe legem acceperunt, quam non obſervarunt. 715. Ethnici iis excluſis in Eccleſiam vocati. 457. Sunt peccati captivi. 583. Veritas ab iis rejecta; cur. *ibid.* Eorum reprobatio. 456. Adumbrata maledictione, qua J. Chriſtus ficui maledixit. 455. I. Chriſtum occiderunt per ignorantiam. 694. Executi ſunt æternum decretum, quo ejus mors ſtatuta fuit. 688. Eorum iniquitatum menſura Meſſiæ nece ad cumulum redacta. 457. Omnes prophetas perſecuti ſunt. 715. Quomodo effuſio ſanguinis Abel illis poſſit imputari. 224. J. Chriſti diſcipulos accuſarunt, quod illius corpus e ſuo ſepulcro rapuerint. 268. S. Spiritui reſiſtunt. 715. Primi ſunt, quibus oportuit verbum Dei annunciare. 722.

Judæi teſtes doni linguarum SS. Apoſtolis impertiti. 687. Hos ebrietatis accuſant. *ibid.* His probat S. Petrus I. Chriſtum, quem neci tradiderant, eſſe Meſſiam. 688. Eos hortatur, ut pœnitentiam agant. 690. Tria millia baptiſmum recipiunt, quomodo, & quando. 691. An hi donum linguarum acceperint. *ibid.* Iudæi cum S. Stephano diſputantes. 708. Eum accuſant blaſphemiæ in Deum & Moyſem. *ibid.* Et judicio zeli lapidibus obruunt. 716. Cur odio habuerint S. Paulum. 806. Quas illi inſidias tendant. 794. Seditionem in illum excitant. 802. Eum accuſant apud Felicem Iudææ Præſidem. 812. Primos Chriſtianos communione privant, ac ter in die maledicunt. 425. Eorum ruinæ præſagium. 474. Turbis agitantur ante obſeſſam a Romanis Ieroſolymam. 228. Mala a zelotis ciſdem illata. 230. In obſidione Ieroſolymitana ad incitas redacti. 489. Eorum calamitas poſt captam Ieroſolymam. 232. Eorum excidium extremi judicii figura. 202. Cur Deus noluerit eos a Romanis penitus deleri. 231. Ingens Iudæorum captivorum numerus per totum Romanum imperium diſperſus. 489. Anti-Chriſtum feſtinanter excipient. 558. Eorum converſio in mundi fine. 457.

Judex; parabola Iudicis, qui viduæ precibus flectitur. 483.

Judicare pro damnare. 541.

Judicium; regulæ in judiciis ſequendæ. 573. Quænam judicia a I. Chriſto vetentur? 121. Tria judiciorum genera apud He-

Hebræos. 626. Leges, quas Judæi in ſuis judiciis ſequi debent. Noctu judicia ferre eis non licebat. 635.

Judicium, idem ac minus Synedrium Judæorum, de quibus cauſis judicaret. 105.

Judicium poſtremum meſſis idea repræſentatum. 166. Excidio Jeruſalem per Romanos adumbratum. 313. Signa quæ illud præcedent. 239. Extremi judicii præſagia. 332. Quatuor perſonarum ordines in extremo judicio. 239 In eo Jeſus Chriſtus apparebit ne omnibus velut homo, an electis tantum ut Deus? 556. Dies, quo eveniet, quomodo J. Chriſto abditus. 233 Quando venturum ſit, incertum. 475. Ubi habebitur? 239.

Judicium zeli a lege permiſſum in eos, qui populum in idololatriam pertrahebant. 716. Approbatum apud Judæos contra legis prævaricatores; juris formam non requirebat. S. Stephanus zeli judicio lapidibus obrutus. 248.

Julius centurio in cohorte Auguſta, cui S. Paulum Romam ducendum committitur. 823.

Julias, ſeu *Bethſaida*; ejus ſitus. 172.

Jupiter, præcipuus, & maximus Deus. S. Barnabas Jupiter creditur. 736. Credunt Ethnici omnia eſſe Jove plena. 704.

Jupiter Græcus a Samaritanis in templo Garizim adoratus. 659.

Jusjurandum a Phariſæis ob minimas cauſas permiſſum. 108. Quonam in caſu illud non licere putabant? J. Chriſtus vetat jusjurandum. 275. Juramentum per cœlum & creaturas. 109. Cur Deus voluerit juramentum per ſuum nomen fieri. 108.

Juſti baptiſmum ignis non recipient niſi ad januam paradiſi. 295. Quo in ſenſu juſti pœnitentia non egeant? 463. Cur Deus juſtos affligat? 455.

Juſtificare pro damnare. 155.

Juſtitia veritatis nomine deſignata. 541. Veluti numen ab Ethnicis habita. 828. In quo Judæi atque Pagani juſtitiam conſiſtere putarent. 625. Juſtitia pro miſericordia. 78.

Juſtus: varii hujus vocis ſenſus in ſcriptura, & Patribus. 78.

Izates, rex Adiabenorum, ad Judaiſmum converſus opem fert Judæis annona laborantibus. 740.

K *Ananias* ſignificare poteſt zelotem, vel Chananæum. 424.

L *Acrymæ*: earum utilitas. 101. J. Chriſtus lacrymas fundit, antequam Lazarum in vitam revocaret. 600. Antiquorum mos cum conſanguineis plorandi ad mortuorum tumulos. *ibid.*

Lampas: parabola lampadis ſub modio. 305. Deſcriptio lampadarum Antiquorum. 537. Earum uſus in nuptiarum cæremoniis, & in prœliis. *ibid.*

Lapidatio; quodnam eſſet lapidationis ſupplicium apud Rabbinos. 580 An hæc eſſet vulgare ſupplicium adulterii. 579. Et blaſphemi. 715.

Bonus Latro, an primò in J. Chriſtum blaſphemarit? Ejus converſio. 503. Ejus baptiſmus in J. Chriſti ſanguine. *ibid.* Omnium hominum primus paradiſum ingreſſus eſt. Ejus in Eccleſia cultus. *ibid.*

Lazarus Marthæ & Mariæ frater an eſſet Bethaniæ dominus. 598. In morbum incidit. *ibid.* Ejus mors. *ibid.* J. Chriſtus Marthæ fidei ejus reſurrectionem condonat. 600. Ejus tumuli deſcriptio. Quomodo manibus pedibuſque ligatis egredi potuerit. Peccatoris converſi figura eſt. 601. Ejus reſurrectio typus eſt, & argumentum reſurrectionis futuræ. *ibid.* Judæi illum occidendi conſilium ineunt. 604.

Lazarus idem ac Eleazarus, qui opem Dei ſignificat. 468. Lazari, & divitis improbi parabola. *ibid.*

Legio Romana, 6000. virorum corpus. Vox hæc aliquando pro ingenti numero poſita. 548.

Legiſtæ, vel interpretes legis, iidem ac Scribæ. 258.

Lepram Judæi naturalem morbum eſſe non credebant. 126. Proſelytæ a Rabbinis veluti lepra Iſrael ſpectati. 553.

Leproſi ab hominum commercio per legem excluſi. Eorum morbus tanquam a Domino immiſſum ſupplicium habitus. Jeruſalem adire debebant, ut a lepra mundarentur. 126. Quo in loco a Sacerdotibus examinarentur? *ibid.* Eorum oblationes. *ibid.* Quo pacto hominum commercio reſtituerentur. 420. Leproſus a J. Chriſto curatus prope Capharnaum. Cur J. Chriſtus illi vetet curam ſuam annunciare. 126. Decem leproſorum curatio. 473.

Levi idem ac S. Matthæus. 421.

Levitæ ad Templi januas excubias agebant. 403.

Lex ſæpe in Evangelio innuit omnes veteris teſtamenti libros. 342. Varie accipitur in Scriptura. 103.

Lex talionis a J. Chriſto abrogata 109.

Liberalis: principes olim liberalis titulum ſumebant. 495.

Liberalitas; virtus hæc qualitas eſt divina, quæ nos Deo ſimiles reddit. Perſarum liberalitas. 797.

Libertas noſtra ſupremo dominio, quod Deus in noſtra corda exercet, perfecta. 419. In nobis remanet poſt peccatum Adæ, ac etiam ſub omnipotenti gratiæ impreſſione. 564. Libertas, quam veritas eam cognoſcentibus procurat. 582.

Liberum arbitrium in nobis ſub efficaciori gratiæ impreſſione ſervatum. 715.

Lictores, apparitores ante Conſules, & Magiſtratus ambulantes. 772.

Libri Scripturæ olim in plura parva capitula diviſi. 342. Librorum ſacrorum diſtributio Domini noſtri ævo. 510.

Ligare pro defendere. 103.

Lilith Adami uxor juxta Rabbinos, & quam infantium inimicam putant. Judæorum præcautiones, ut ejus crudelitatem avertant. 361.

Lintea, quæ ad J. C. corpus ſepeliendum inſervierunt. 646.

Lithoſtrotos locus, ubi Pilatus J. Chriſtum damnavit. An eſſet aula ſynedrii in templo. 642.

Locuſta herba comeſtibilis, & qua S. Joannem ſe aluiſſe in deſerto tradunt. 89.

Longinus, nomen inditum militi, qui J. C. latus perfodit. Ejus converſio; ac martyrium in Cappadocia. 645. Centurio ad crucem converſus ſub nomine Longini ab Eccleſia cultus. *ibid.*

Loth; vana curioſitas uxoris Loth. 474. An in ſtatuam ſalis fuerit converſa. *ibid.*

Lotio; frequentes Judæorum, Phariſæorum præcipue lotiones. 313.

S. Lucas; utrum primo fuerit Ethnicus, an Judæus? 345. An fuerit e 70. diſcipulorum numero? Quando S. Paulum ſequi cœperit. *ibid.* Quando, ubi, & cur evangelium ſuum ſcripſerit. 346. Iſtud evangelium a S. Paulo dictatum. 656. An Græce ſcripſerit. 346. Ubique ſcripturam laudat ſecundum Septuaginta. 347. Actorum librum Pſeudo-Actis Apoſtolorum editis ab hæreticis oppoſuit. 655. Quando a S. Petro hic fuerit illi dictatus. Cur hiſtoriam martyrii S. Pauli non ſcripſerit. 656. Sacerdotalem J. Chriſti genealogiam tradere non intendit. 382. Quam ille ſcripſit, eſt genealogia B. Virginis. Quid inde ſequatur? 350. Cur genealogiam texens Mariæ nomen tacuerit? *ibid.* Ejus evangelium ſolum a Marcionitis admiſſum, & mutilatum. 346. Ejus ſtylus. 347. Ejus mortis locus & genus. 345. Opera eidem adſcripta. 346. Perperam creditus unus e diſcipulis, quibus Emmaus euntibus J. Chriſtus apparuit. 507.

Lucifer, ut fulgur e cœlo dilabitur. 443.

Lucius Cyrenenſis, propheta Eccleſiæ Antiochenæ; ejus vita & mors incompertæ. 745.

Lumen. Meſſias a prophetis lucis nomine deſignatus. J. Chriſtus eſt mundi lux. 580. Increata lux eſt omnes homines illuminans. Abſque hac luce nos tenebræ tantum ſumus. 524. Apoſtoli quo in ſenſu lux Mundi appellati. 303. Judæi tenebras luci prætulerunt. 548.

Lumen ſeparationis quid eſſet apud Judæos? 504.

Luna. Signa in luna ante Jeroſolymæ per Romanos excidium. 490.

Lunatici a J. Chriſto curati. Eorum morbus a Judæis lunæ influentiis adſcriptus. Ab Epilepticis non niſi quoad majus, & minus differunt. 98.

Luſtrationes aqua pura, ignis, & thuris, apud omnes populos in uſu. 285.

Lycaonii: eorum idioma Syriaco ac etiam Cappadoci immixtum. 756.

Lydda, urbs Paleſtinæ, ad ſeptemtrionem, & 10. leucis a Jeruſalem, nomine Dioſpolis deinde cognita. 728.

Lydia, mulier proſelyta a S. Paulo Philippis converſa. 769.

Lyſanias, Abilene Tetrarcha, quinam fuerit? 411.

Lyſias, Tribunus, & origine Græcus. 803. Civis Romani titulum emit. 806. S. Paulum e manibus Judæorum

Jero-

Digitized by Google

Jeroſolymæ eripit. 803. Eum Magis ſubjicit. 806. Fe coram Judæorum concilio ſiſtit. *ibid.* Illum ex horum manibus iterum eripit. 810. Eum Cæſaream mittit. *ibid.* Epiſtola, quam de eo Felici Judææ Præſidi ſcribit. 811.

Lyſtra urbs Lycaoniæ ad ſeptemtrionem Iconii. 756. Ibi S. Paulus curat hominem a nativitate claudum. *ibid.* Hujus urbis incolæ Ss. Paulo, & Barnabæ Sacrificium offerre volunt. *ibid.* Cur alterum Jovem, alterum Mercurium crediderint? *ibid.* Ibi S. Paulus lapidatur. 757.

M*Achærus*, arx citra Jordanem ſita, ubi S. Joannes capite minutus fuit. 314.

Madian. Fit regionis Madian, eorum ſitus. Moyſis fuga in Madiam. 783.

Magdalena eadem ac mulier peccatrix. 429. A dæmonæ liberatur. *ibid.*

Magdon, urbs citra, & ad Orientem Maris Tiberiadis. 387. Eadem ac Magdala, vel Mageddon juxta nonnullos. 578. Ejus ſitus. *ibid.*

Magi in ſenſu generico pro quocumque divinatorum, & Magorum genere. Perſarum magi ex inceſtu nati eſſe debebant. Quanti in regione haberentur; ignem perpetuum alebant; eorum præcipuum ſtudium; ratio, qua ſacrificia offerebant. 54.

Magi ex Oriente profecti ad adorandum I. Chriſtum. Eorum regio, ac profeſſio. 55. Dum adorabant, & expectabant Meſſiæ adventum. 81. Eorum qualitas & numerus. Nomina eiſdem tributa toti antiquitati ignota. Natura Syderis, quod illis apparuit. 57. Quando illud illis apparuerit? 58. An ſoli illud viderint. *ibid.* Quomodo illud ſequi decreverint. 59. Quando Bethleem pervenerint. 57. An munuſcula J. Chriſto obtulerint? Myſtica & naturalis horum munerum explicatio. 83. In patriam redeunti quodnam iter ſuſceperint. *ibid.* A S. Thoma baptizantur, & ad Evangelii prædicationem adhibentur. Eorum mors & cultus. 57.

Magi: quænam horum poteſtas. 386. Frequentes aderant inter Judæos. 788. Eorum ars ab antiquis æſtimata. Plures ſuſcitavit dæmon, quos Apoſtolis opponeret. 748. Moſa abiit Eccleſiæ illata. *ibid.* Ingens Magorum numerus Epheſi. 789. Nomina barbara, quibus ad ſeducendum populum utebantur. *ibid.* Peccata ſua S. Paulo fatentur, & Magicos libros comburunt. *ibid.*

Magiſtratus Templi utrum Levitarum eſſent, an miniſtrorum Romanorum. 697.

Mahometani credunt cruci affixam tantum repræſentationem I. Chriſti. 642. Eorum juris dicundi ratio. 107.

Malchus, hebraice regem ſignificat: ſervus hujus nominis, cui S. Petrus auriculam amputavit. 634.

Malthace, Samaritana, quarta magni Herodis uxor, Archelai, & Philippi Tetrarchæ mater. 81.

Manus, quo pacto veteres manus componerent, cum pro concione loquerentur. 819. Manus ſcandali ſubjectum abſcindenda. 325.

Manus. Judæorum mos manus extendendi & imponendi in benedictionibus. 418. Ante comeſtionem eas abluere tenebantur. 313. Quod prætermiſiſſe Apoſtoli accuſati. 175. Mos Phariſæorum manus frequenter abluendi. Qui ſæpe comedunt illotis manibus, digni morte a Rabbinis judicati. *ibid.* Mos ethnicorum manus abluendi, ut ſe ab effuſo ſanguine purgarent. An Pilatus ad hunc morem alluſerit manus ſuas abluens ante J. Chriſti mortem? 255. Hujus legis extenſio, & fundamentum. 314.

Manus communes pro manibus pollutis. 313.

Mamma cur aliquando ſanguinem reddant. 379.

Mammon, divitiarum Deus. 559. Hujus nominis in lingua hebraica extenſio.

Manahem a nonnullis creditus dux ille, cujus filium Capharnai ægrotantem I. Chriſtus curavit. 551.

Manahen frater collactaneus Herodis Tetrarchæ, & propheta in Eccleſia Antiochena; e 70. diſcipulorum numero. 748.

Manaſſes, nomen viro mulieris in adulterio deprehenſæ tributum. 579.

Manna improprie vocata panis cœli, erat J. Chriſti, & doctrinæ evangelicæ figura. 563. Manna ad S. Jo. Evang. tumulum olim collecta; ejus effectus. 516.

S. Marcus Evangeliſta, & interpres S. Petri alius a Joanne Marco S. Barnabæ conſanguineo: an fuerit e numero 70 diſcipulorum. 270. Ejus iter Romam. Ejus Evangelium ad fidelium preces conſcriptum, & a S. Petro probatum. 271. Quando illud ſcripſerit? Romæne, an in Ægypto, vel Aquilejæ? In quo idiomate? *ibid.* S. Matthæi abbreviator fuit. 272. Originale S. Marci Pragæ & Venetiis ſervatum. Miſſio S. Marci Aquilejam. *ibid.* Ejus mortis annus, locus, & genus. Therapeutæ primi S. Marci diſcipuli. *ibid.* An hic auctor poſtremi capituli Evangelii ſui? 342.

Marcion. Evangelium Marcionis. 52. Primum locum ei hæretici tribuerunt in regno cœlorum. 86.

Mardochæus; hujus ævo Judæi Synagogas habebant. 97.

Mariamne, filia ſummi Pontificis Simonis, tertia magni Herodis uxor, & Philippi Herodiadis ſponſi mater. 81.

Maria, Sancta Virgo, familiæ ſuæ hæres, & ejuſdem domus ac S. Joſeph. 348. Quomodo S. Eliſabethæ conſanguinea. 349. Mariæ genealogia a S. Luca edita. 350. Joachim & Anna Mariæ parentes ſemper habiti 351. Maria deſponſata Joſeph, cum Angelus illi verbi incarnationem annunciavit. 374. An votum ediderit Virginitatis? 397. Ejus fides. *ibid.* Ejus humilitas. Dei mater evadit. 398. An teneretur adeſſe Bethleem ad cenſum. 404. Jeſus Chriſtus ex illius ſinu egreditur ejus virginitatis ſigillum non infringens. 405. Ejus iter Hebron. 398. Ejus canticum. 399. J. Chriſtum ad Templum defert, & ad eum redimendum 5. ſiclos erogat. 407. Ejus iter Jeroſolymam. 409. Quomodo Joſeph & Maria amittere potuerint Jeſum Chriſtum. 410. Maria ad nuptias Canæ invitata. 532. Filio ſuo repræſentat, quod convivis deficeret vinum; cur? 534. Tunica inconſutilis, quam J. Chriſto confecit. Commendatur Maria a I. Chriſto S. Joanni: an tunc vidua eſſet. 643. Ejus mors Epheſi, vel Jeruſalem. 408. Tria evangelia nativitatis Mariæ. 48. Libri Gnoſtici ſub titulo interrogationis Mariæ. 52.

Maria Cleophæ prope crucem, uxorne, an filia eſſet Cleophas? 641.

Maria Magdalena eadem, ac mulier peccatrix, & alia a Maria ſorore Lazari. 264. An vere a ſeptem dæmonibus fuerit obſeſſa? 274. Perſeverantior Apoſtolis, qui venerunt ad ſepulcrum. 648. Prima vidit Jeſum reviviſcentem. 274. Ei apparet. 648.

Maria ſoror Lazari an eſſet Domina Bethaniæ. 598. Unguento caput & pedes I. Chriſti perfundit. 242. Ad I. Chriſti pedes aſſidet. 443. Vitæ contemplativæ ſymbolum eſt. *ibid.* Ejus profuſio ab Apoſtolis damnata, & cauſa proditionis Judæ. 243. Differt a muliere peccatrice. 604.

Maria mater Joannis Marci: ejus domus erat vulgare Apoſtolorum hoſpitium; in Eccleſiam deinde converſa. 744.

Maria: variæ de tribus Mariis ſententiæ. 365. Quæſtionis ſtatus poſt 15. ſæculum. 366.

Martha Bethaniæ I. Chriſtum excipit. 443. An cum Maria illius domina eſſet? 598. Conqueritur de Maria ſorore ſua, cur? Vitæ activæ Symbolum eſt. 444. I. Chriſti divinitatem fatetur. 600.

Martyrium eſt glorioſius teſtimonium, quod Deo & veritati reddi poſſit. 653.

S. Matthias, unus e primis I. C. diſcipulis forte electus eſt ad locum Judæ implendum. De ejus vita circumſtantiæ. 683. An idem ſit ac Zachæus. 686. Libri eidem falſo adſcripti. 52.

S. Matthæus idem ac Levi filius Alphæi. 82. Ejus vocatio ad apoſtolatum. 132. Ejus obedientia comprobata contra eos, qui levitatis illum accuſant. 133. Cur nominaverit David ante Abraham in genealogia I. Chriſti, quam ſcripſit. Cur de illius nativitate locutus non ſit? 74. Cur Jeremiæ adſcribat prophetiam Zachariæ de pretio ſanguinis Jeſu Chriſti. 254. Ejus Evangelium rogantibus fidelibus ſcriptum. 12. Quo anno? Illud Syriace ſcripſit. 13. An temporum ſeriem ſecutus ſit. 15. Ejus evangelium ab Ebionitis aliiſque hæreticis corruptum. Verſio Græca quæ extat antiquiſſima, verum auctoris ignoti. 13.

Mediatio Sanctorum in mediatione I. Chriſti comprehenſa. 698.

Medicus. I. Chriſtus eſt medicus omnipotens, omnibus remedia ſalutis offert. 541.

Mel Sylveſter in Palæſtina commune. Variæ de melle, quo ſe alebat S. Joannes in deſerto, ſententiæ. 90.

Mendacium nomine injuſtitiæ deſignatum. 578. Dæmon pater mendacii e propria natura illud educit. 583. Quid ſit mentiri Spiritui Sancto. 701.

Mercurius Deorum nuncius, & eloquentiæ Deus. 756. S. Paulus creditus Mercurius. *ibid.*

Meroz a Barach excommunicatus ad 400. tubarum clangorem. 425.

Meſſias a prophetia lucis nomine deſignatus. 580. Et in ſcriptura nomine juſti. 715. Tempus adventus Meſſiæ, ejuſque vindictæ deſignatum nomine Regni Dei. 455. In toto Oriente, & a Judæis expectabatur eo tempore, quo apparuit. 414. Ejus adventus jubilæo comparatus. 417. Fuit finis legis, & omnium prophetiarum complementum. 400. Nomina, a ſcriptura Meſſiæ indita, contenta in nomine Jeſu. 407. Error Herodianorum ſtabat in aſſerendo Herodem eſſe Meſſiam. 287. Confuſio, quam in Judæorum mente pariunt binæ Meſſiæ generationes. 575. Cur a deſponſata naſci voluerit? 77. Idea, quam Judæi & Apoſtoli habebant de Meſſiæ regno. 191. Non ambigebant Judæi, quin eſſe deberet Deus. 81. Meſſiæ æternitas a Prophetis probe indicata. *ibid.* Eſt verum ovilis oſtium. 592. Samaritani Meſſiam expectabant non ſecus ac Judæi. Duplex Meſſias a quo inventus? 549. Traditio Rabbinorum quoad frequentem Meſſiæ ſeceſſum in montem Olivarum. 490. Reſurrectio generalis a Judæis expectata ævo Meſſiæ. 486. Apoſtolorum contentio quoad primas ſedes in ejus regno. 191. Meſſias filius David. Cur David eum appellet dominum. 519.

Metempſycoſis in toto ſeculo florente J. Chriſti ævo admiſſa. 277. Ab Apoſtolis, Phariſæis, & reliquis Judæis vivente Chriſto credita. 436. Rabbinorum de metempſycoſi ſententia. 437. Phariſæi juſtorum metempſycoſin admittebant. 89.

Metreta, Athenienſium menſura quid caperet? 534.

S. Michael, Eccleſiæ & Synagogæ caput. 359. Prærogativæ, quas ſupra cæteros Angelos illi tribuunt Judæi, *ibid.*

Miletum, urbs celebris ad oram, & in provincia Cariæ ibi S. Paulus cogit presbyteros Eccleſiæ Epheſinæ. 795.

Miliſia ab antiquis Chriſtianis damnata. 412.

Millenarii terminum Millenariorum origo. 495. Eorum opiniones e traditionibus Judæorum depromptæ. 103.

Minæ: minæ hebraicæ & Græcæ valor. Decem minarum parabola. 422.

Miniſtri: Sacramentorum virtus a miniſtri diſpoſitione non pendet. Eorum inviſibilis miniſter eſt J. Chriſtus. 590.

Miracula non ſemper ſunt ſanctitatis ea patrantium argumentum. 590. Illa improbi quandoque edunt. 589. Miraculorum fides. 492. Virtus miraculorum repræſentata velut agens anima prædita. 424. Vana eorum excuſatio, qui miracula petunt ut ſe convertant. 470. Miraculorum fructus. 699. Primum J. Chriſti miraculum. 535. Cur J. Chriſtus vetaret, ne ejus miracula vulgarentur? 299. Miraculorum donum aliis præter J. Chriſti diſcipulos conceſſum. 382. Non patranda niſi ad procurandam Dei gloriam, & proximi ſalutem. 344. Peccatum contra Spiritum Sanctum an conſiſtat in tribuendo dæmoni J. Chriſti miracula. 292. 293.

Miſericordia illam erga proximum exercentibus promiſſa. 101. Horum verborum, *facere miſericordiam & veritatem*, ſenſus. 526. Miſericordia Chriſtiana imperata magis extenſa, quam Judæorum miſericordia. 108. Operum miſericordiæ meritum. 139. Miſericordia ſacrificio præferenda. 133.

Miſna: collectio traditionum Judaicarum. Ejus auctor. 175.

Mnaſon, Judæus origine Cyprius, & e numero 72. diſcipulorum J. Chriſti differt a Jaſone S. Pauli hoſpite Theſſalonicæ. 800.

Moloch, a Judæis in deſerto adoratus. 784.

Moneta Imperatorum Romanorum in omnes provincias illis parentes diffuſa. 217. An peculiaris nummus haberetur pro ſolutione tributi, præcipue vero apud Judæos. *ibid.* Denarius pro quocumque nummorum genere. *ibid.*

Mons quadrageſimæ; locus deſertus ad ſeptemtrionem Jericho, ubi J. Chriſtum 40. dies jejunaſſe tradunt. 127.

Montes fidei merito tranſlati. 188.

Mors, nomine ſomni deſignata. 307. Sic eam appellabant Ethnici, ut ejus horrorem imminuerent. 599. Mors pro ſtatu calamitatis, ſeu peccati. 464. Argumenta vigilantiæ ab incertitudine mortis deſumpta. 452. Mora veluti Meſſia tempus repræſentata. 306. Ethnici abſque ſcrupulo mortem ſibi inferebant. An id permiſſum crederent Judæi? 772. Annus J. Chriſti emortualis. 585.

Mortui. Judæorum mos inviſendi conſanguineos defunctorum, ut eos conſolarentur, & cum illis plorarent. 599. Mos abluendi eorum corpora apud Græcos, Romanos, Judæos, & primos Chriſtianos in uſu. 758. Ratio mortuos ſepeliendi apud Hebræos. 601. Pro mortuo, qui terræ mandatus non ſit, orare non poſſunt. 645. Ad eorum tumulos mortuos plorabant. 600. Mortui contactu ſe pollutos cenſebant. 448. Extra urbes eos ſepeliebant. 428. Judæi & Pagani putabant eorum animas incolere tumulum prope corpora ſua. 601. Reſurrectio mortuorum contra Sadducæos a J. Chriſto probata. 330. Eorum ſtatus poſt reſurrectionem. 486. Miniſtri olim in Eccleſia deſtinati ad ſepeliendos mortuos. 718. Unde profectus inter Chriſtianos mos ſepeliendi mortuos in Eccleſia. 428.

Moyſes: ejus ortus. 712. Ægyptiorum oraculo prædictus. 713. Super Nilum exponitur, & inde a Pharaonis filia educitur. 782. Scientiæ, quas didicit in Ægypto: evaſit potens in opere & ſermone: ultionem ſumit de fratre ab Ægyptio injuria affecto, an tunc miſſionem haberet, ut eos e jugo Ægyptiorum liberaret? *ibid.* Angelus ei apparens in rubo, eumque in Ægyptum mittens. Fratres ſuos ex oppreſſione eruit, eiſque Meſſiæ adventum promittit. 713. Deus illi oſtendit arcæ fœderis exemplar. 784. Divortium permittens legibus primævis derogavit. 324. Jactabant Phariſæi ab eo traditiones ſuas accepiſſe. 102. Re vera apparuit ad Domini noſtri transfigurationem. 186. Auctores, qui de ejus morte dubitarunt. *ibid.* Cathedra Moyſis pro ejus auctoritate. 331. Judæos infidelitatis & incredulitatis accuſabit. 558.

Mulier Chananæa rejecta primum a J. Chriſto, mox filiæ ſuæ curationem obtinet. Fuit figura Judæorum ad fidem vocatorum. 178.

Mulier peccatrix unguentum effundit ſuper J. Chriſti pedes. Ingens ejus fides ei meretur peccatorum veniam. 430. An confundi debeat cum Maria Magdalena, & Maria Lazari ſorore. 429.

Mulieres plerumque in genealogiis Hebræorum omiſſæ: Cur S. Matthæus J. C. genealogiæ mulieres inſeruerit. 74. In Judæorum cenſibus vulgo non comprehendebantur. 681. Nubere poterant viris alienigenis, dummodo Chananæi non eſſent. 767. An viros ſuos repudiandi jus haberent. 324. Inter Judæos emebantur uxores. 796. Poſt partum impuræ cenſebantur. 407. Non poterant ingredi Templum niſi uſque ad atrium mulierum. 331. Mulieres Templo ſervientes. 409.

Mulieres ab Eſſenis in eorum ſectam receptæ. 580. Ratio qua probabantur. *ibid.* Per tres annos. *ibid.*

Mulieres J. Chriſtum & Apoſtolos ſequentes e more Judæorum. Poſtrema officia ſalvatori reddidere, & ejus mortis teſtes fuerunt. 263. Conciliatio Evangeliſtarum &c. de tempore, quo ad tumulum venere. 266. Angelus illis apparuit. 267. Jeſus Chriſtus, cum revixiſſet, illis ſe obvium dedit. 268. Cum Apoſtolis poſt J. Chriſti aſcenſionem congregatæ. 680. An die Pentecoſtes linguarum donum acceperint. 685.

Mulieres in Æthiopia dominabantur. 721. Janitrices apud antiquos. 635. Initium vel fomitem dederunt pleriſque ſchiſmatibus & hæreſibus. 754.

Mundus pro hominibus carnalibus, qui nullum guſtum habent pro veritate. 627. J. Chriſtus pro mundo non orat. 630. Damnatur a J. Chriſto: eos tantum amat, qui illi addicti ſunt. 568. Ejus promiſſionum vanitas. 122.

Mundus effectus caſus juxta Epicuræos. 777. Quæ ſententia a Paganis etiam improbata. 778. Stoici & Platonici volebant animam mundi eſſe ipſummet Deum. *ibid.*

Muſica inſtrumenta in funeribus obtinebant. 135. Iis Judæi nonniſi poſtremis reipublicæ temporibus in luctu non ſunt uſi. *ibid.*

Muſtum, vinum dulce, quodque veteres mane hauriebant. Illud conficiendi ratio. 687.

Myrrha: vinum myrrhatum odorum, & a veteribus magni habitum. 344. Mos myrrham miſcendi vino, quod morti addictis propinabatur. 358.

Myſteria Regni parvulis revelata. 152. Apoſtolis patefacta. 305. Judæi, & mundi ſapientes indigni, qui ea cognoſcerent. 306. Qui ea agnoſcunt, ad gratias debent. 252. Impiis non exponenda. 124. Cur Ethnici religionis ſuæ myſteria occulerent. 164.

Mytilene, urbs inſulæ Lesbos. 795.

N*Aim*, urbs ad radices & ad meridiem montis Thabor ad torrentem Cedron. Ibi viduæ filius ad vitam revocatur. 428.

Napluſa, eadem ac Sichar, tribus leucis a Samaria. 545.

Nardum ſpicatum præ reliquis æſtimatum 338. Martha Lazari ſoror liquorem nardi ſpicati ſuper pedes & caput J.

C.

C, effundis. *ibid.* Mos veterum nardum potionibus immi- ſcendi. 241.

Nathan, filius David. Familia Nathan cum familia Salomonis iterum conjuncta matrimonio Joſeph & Mariæ. 283. Maria familiæ Nathan hæres. 348.

Nathanael, idem ac S. Bartholomæus. 531. Hujus conjecturæ argumenta. Ejus colloquium cum J. Chriſto. 531. Cujus divinitati teſtimonium reddit. 534.

Nationes: Judæis in tres claſſes omnes mundi nationes dividebant, Judæos, Græcos, & Barbaros. 574. Jeruſalem a Gentibus polluta uſque ad finem temporis Nationum. 489. Apoſtoli ad omnes Nationes miſſi. 344. Omnes datæ ſunt J. Chriſto in hereditatem. 619.

Nazaræi: Judæi vulgo perfectiores. 86. In quo ſtaret Nazaræorum votum? Crines ſibi non tondebant eorum voto durante. 783. Oblationes, quas facere tenebantur ad adimplendum Nazaræatum. 606. Solebant Judæi eorum ſacrificiorum impenſis conferre, ut meritis eorum voti participes fierent. *ibid.*

Nazaræi: fideles ſub hoc nomine noti, ex quo S. Matthæus Evangelium ſuum ſcripſit. 86. Per contemptum ſic appellabantur ab hoſtibus Ieſu Chriſti. 739. Iis ſub hoc nomine Iudæi maledicebant. 425. Quo in ſenſu vaticinati ſunt prophetæ, quod I. Chriſtus Nazaræus vocabitur? 86.

Nazaræi hæretici, ob legis obſervantiam zelo accenſi. Evangelium Nazaræorum idem ac S. Matthæi. 83. 813.

Nazareth, Galilææ vicus ad radices Thabor: ibi nata eſſe S. Virgo creditur. 86. An quod ibi I. Chriſtus moratus fuerit, appellatus ſit Nazarenus? *ibid.* Incolarum Nazareth incredulitas. 234. Eos proinde I. Chriſtus arguit. 417. Ob falſum pro legi zelum decernunt e montis cacumine I. Chriſtum præcipitem agere. *ibid.* Hujus urbis incolæ contemptim audiunt I. Chriſtum, qui eos deſerit. 55. An aliquid boni e Nazareth oriri poſſit? 533.

Nero nomen Dominis, quod ejus præceſſores recuſarant, ſumit. 815.

Neſtoriani: Eorum patriarcha ſorte electus: ratio ad ejus electionem procedendi. 606.

Netzer, flos. I. Chriſtus a prophetis ſic appellatus. 86. An ad hoc verbum alludens S. Matthæus I. Chriſtum Nazarenum vocarit? *ibid.*

Nicanor, unus e 7. primis Diaconis: ejus mors. 707.

Nicodemus, Senator Ieroſolymitanus, & magni Synedrii membrum, I. Chriſtum inviſit. 538. Eorum colloquium. *ibid.* Eum contra Phariſæos tuetur. 575. I. Chriſti corpus aromatibus condit, & tumulat. 646. A Iudæis in exilium miſſus. 538. Evangelium Nicodemi. 50.

Nicolaus, Proſelyta Antiochenus, & unus e 7. primis Diaconis; ejus vitæ circumſtantiæ. 707. Inter Iudæorum pſeudo prophetas recenſitus. 228.

Ninivitæ, Iudæorum accuſatores die judicii. 447.

Nobe, urbs Tribus Ephraim, ubi David panes propoſitionis comedit. 423. Deſcriptio tabernaculi Nobe. *ibid.*

Nomen pro perſona ſæpe poſitum in Scriptura. 698. A quibus inderetur liberis apud Iudæos. 75. A patre vel matre illud accipiebant. 397. Indebatur ſolemniter cum circumciſione. 400. Iudæi Palæſtinæ vulgo duo nomina ſumebant. 599. Varia nomina primis fidelibus impoſita: à quo appellati Chriſtiani. 739.

Nomina ſacra, ſeptem juxta Rabbinos. Aliquod ex his proferentes, tanquam blaſphemi condemnati. 249.

Novatus januam pœnitentiæ claudebat lapſis poſt Baptiſmum. 192.

Novum pro perfecto. Quo in ſenſu præceptum charitatis novum vocet I. Chriſtus. 614.

Nox in quatuor vigilias apud Iudæos diviſa I. Chriſti ævo. 573. Ius dicere noctu eis non licebat. 635. Noctis finis apud Veteres erat ſecundus galli cantus. 337. Cœtus Iudæis noctu interdictus. *ibid.*

Nubes, quâ die Aſcenſionis I. Chriſtus involutus fuit, lumen erat ex ejus corpore glorioſo refulgens. 694.

Nuptiæ pro quocumque convivio. 459. Rex filii ſui nuptias celebrans. 225. Gentes rejectis Iudæis ad eas vocati. Mali Chriſtiani, qui ſine veſte nuptiali illis intereſſunt. *ib.*

Nuptiæ Canæ an S. Ioannis Evangeliſtæ eſſent? Cur Chriſtus illis intereſſe voluerit? 534.

O*bedientia* exigenda & reddenda humiliter. 410.

Obſeſſiones dæmonum an eatent reales? 382.

Octava. In feſtis Iudæorum octavam habentibus primos & poſtremus dies ſolemniter, & cum ſacrificiis extraordinariis celebrabantur. 574.

Oculus, corporis & animæ lampas. 467. Oculus ſcandali ſubjectum eruendum. Occaſiones peccati fugiendæ. 321. Oculus bonus & nequam quid innuat in Hebræorum ſtylo. 205. Oculus nequam pro deſignando avaro, vel invido. 385.

Oeconomus e ſervorum numero antiquitus electus. Parabola œconomi infidelis. 466.

Oliva. Traditio Rabbinorum de frequenti Meſſiæ in montem Olivarum ſeceſſu. 490. An ibi I. Chriſtus cœlum conſcenderit? 680. Hujus montis antrum, ubi apoſtolis myſteria ſua communicavit. An extremum judicium fiet in monte Olivarum? *ibid.* Veſtigia pedum I. Chriſti an hujus montis cacumine impreſſa. *ibid.*

Onkelos ab Hebræis habitus tanquam Auctor inſpiratus: an Trinitatis myſterium agnoverit? 521.

Omomi, herba, qua Perſæ utebantur ad ſacrificandum dæmoni. 364.

Oneſimus, Philemonis ſervus, Romæ à S. Paulo converſus. 831.

Onix petra eadem ac alabaſtrum. Vaſa onychina, in quibus veteres thymiamata locabant. 242.

Operarii à patre familias diverſis diei horis in vineam miſſi. 204.

Operarii olim ab Eccleſia illi vocati, qui ſepeliendis mortuis erant deſtinati. 718.

Opis urbs Babyloni propinqua, thymiamate celebris. 312.

Oraculum. Moyſis nativitas ab Ægyptiorum oraculo prædicta. 718.

Oratio Dominicana eſt Evangelii compendium. 285.

Oratio neceſſaria ad quoſdam dæmones pellendos. 188.

Oriens: quam regionem Orientis nomine vulgo intelligat ſcriptura. 190.

Origanum, hyſſopi ſpecies, creſcens veluti arbuſtum in Palæſtina. 644.

Ozer, theſaurus: hujus vocis extenſio in lingua Hebræorum. 467.

Ozias, vel *Azarias*, filius Amaſiæ: cur S. Matthæus eum filium Ioram dicat. 75.

P*alæſtina*: ejus extenſio. 718. An Græcus eſſet lingua vulgaris in Palæſtina Domini noſtri ævo. 15.

Palea, à tritico ſejuncta & combuſta, Iudæorum reprobatorum, & impiorum igni æterno damnatorum figura. 92.

Pallas, Claudii Imperatoris libertus, & frater Felicis Iudææ Præſidis. 819.

Paneades, urbs origines Iordanis verſus ſita, & poſtea *Cæſarea Philippi* vocata. 317.

Panis pro quocumque alimento. 459. Et pro omnibus ad vitam neceſſariis. 216. Felices, qui regno Dei panem comedent. 457. Cujus naturæ panis ſit, quem in Oratione Dominica petimus. 216. Parabola trium panum, quos amicus mutuo dedit. 445. Panum multiplicatio. 192.

Panis azymus fiebat apud Judæos mane 14. Niſan. 243. Panes, qui Templo offerebantur, coquebantur Bethphage. 385. Quando Eccleſia azymis uti cœperit in altaris ſacrificio? 55.

Panis faciei, ſeu *Propoſitionis*, quos David Nobe comedit. 308.

Panis cœli pro fide in I. Chriſtum & doctrina Evangelica. 562. Excellentia panis, quem ſumimus in altari. 565. Omnes Fideles eo ſe alere tenentur. 566.

Panther, unus ex avis I. Chriſti juxta S. Damaſcenum. Patrem I. Chriſti eum eſſe dicunt Iudæi. 362.

Paphos, urbs ad extremitatem occidentalem inſulæ Cypri ſita. 749. In ea S. Paulum cæcitate percutit magum illi reſiſtentem. *ibid.*

Paſcha: paſchatis nomen in ampliſſimo ſenſu in ſcriptura ſumptum. 59. Obſervationes in Iudæorum paſcha. 243. Iudæorum mos ſe in paſchate purificandi. 602. Reum liberandi vigilia, vel per octavam paſchatis in memoriam liberationis ex Ægypti ſervitute. 584. Bibendi vinum benedictum in convivio paſchali. 493. I. Chriſtus paſcha legale non comedit poſtremo vitæ ſuæ anno. 59. Annus I. Chriſti emortualis incidit in Sabbathum. 685. Hujus ſententiæ argumenta. 60. & ſeq. Paſcha in regno Dei completum. 493.

Parabola: hujus vocis in ſtylo Hebræorum extenſio. 277. Cur I. Chriſtus judæos inſtruens parabolis uteretur? 265. Iis utebantur Pagani ad abdenda eorum religionis myſteria. 164.

Parabola conſuetudinibus regionis, ubi eas I. Chriſtus pro-

pronunciavit, mnixæ. 464. ficus non edentis fructus. 456. Trium panum ab amico commodatorum. 445. Servorum vigilantium, & fidelium Oeconomorum. 164. Fortis armati. 158. Serentis. 164. Zizaniæ. 165. Convivii patris familias. 459. Divitis avari. 452. Improbi divitis & Lazari. 468. Boni paſtoris. 595. Ovis, & drachmæ amiſſarum. 462. Grani ſinapis. 166. Seminis. 305. Lucernæ ſub modio. ibid. Fermenti. 166. Theſauri abſcondiri, & reperti in agro. Margaritæ ingentis pretii. 107. Retis bonos & malos piſces continentis. ibid. Æris alieni 10000. talentorum. 396. Operariorum variis diei horis in vineam miſſorum. 203. Duorum filiorum ad vineam miſſorum. 215. Vineæ vinitoribus locatæ. 213. Vinitorum patris familias ſervos & filium necantium. 329. Petra angularis. 513. Decem minarum. 483. Duorum obæratorum. 464. Oeconomi infidelis. 464. Filii prodigi. 465. Regis filii ſui nuptias celebrantis. 215. Decem virginum. 236. Talentorum ſervis diſtributorum. 538. Pii Samaritani. 443. Iniqui judicis, qui viduæ importunitatibus ſe flecti ſinit. 476. Phariſæi & publicani, qui Templum adeunt oraturi. 478.

Paradiſus; hujus vocis ſignificatio. 503. Quam ideam de paradiſo Judæi haberent? In locis ſubterraneis eum locabant. 468. Ignis a nonnullis veteribus ad paradiſi januam poſitus. 590.

Paralyticus, Capharnaum curatus, & per tectum ad J. Chriſti pedes demiſſus. 300. Paralyticus 38. annorum prope Probaticam piſcinam curatus. 554.

Paranymphi; eorum munus apud veteres. 421. Dabantur ſponſo ante matrimonii cæremonia durante. 153. Apoſtoli J. Chriſti paranymphi. ibid.

Parcere; lex Moyſis nemini parcendi poteſtatem concedebat. 638.

Parentes à Phariſæis crudeliter habiti. 196. Traditionibus abutebantur, ne eis indigentibus opem ferrent. ibid. Revera illis ſuccurrendum e præcepto honorandi parentes. ibidem.

Parmenas, unus e ſeptem primis diaconis; ejus mors. 707.

Parthi, pro omnibus populis trans Euphratem & Tigrim. 686.

Paſſio J. Chriſti baptiſmi nomine deſignata. 453. Paſſionis J. C. hora. 560.

Paſſiones humanæ; miſsodi affectus quos gignunt. 378. An eas J. Chriſtus expertus ſit. ibid.

Paſtores ab Angelo admoniti de nativitate Meſſiæ. 406. Bethleem adeunt, eumque adorant. 408. Eorum ſumma, & fides. 406.

Paſtores; horum munia. 569. Ob timorem ſchiſmatis auctoritate ſua moderate uti debent. 166. Triplex amor, quem debent Deo & ovibus ſuis. 652. Abſolvere non debent peccatorem, niſi prius J. Chriſtus illum ad vitam per gratiam ſuam revocaverit. 601. Boni paſtoris parabola. 592. Bonus paſtor oves ſuas cognoſcit, & pro iis dat vitam ſuam. 593. Veri paſtoris exemplar. Mali paſtores gregem ſuum deſerentes. ibid.

Patientia; quomodo vita in medio perſecutionum per patientiam ſervanda. 460.

Pathmos maris Ægæi inſula; eo relegatus fuit S. Joannes Evangeliſta; & ibi Evangelium ſuum ſcripſit. 312.

Patriarchæ per fidem, quam in J. Chriſtum habuere, ſalvati. 698. J. Chriſtus in limbum deſcendit, ut eos inde erueret. 698. Ex eorum interceſſione apud Deum opem ſperabant Judæi. 470. Cabaliſtæ eis Angelos præceptores aſſignant. 354. An in monte Garizim religioſa ſua acta exercuerint? 947. Adventum Meſſiæ ardenter concupierunt. 585. An eum in limbo cognoverint. ib. Samaritani Patriarcharum ſtirpi extranei. 546.

Patrimonium. Filii Judæorum jus habebant illud petendi, cum ad pubertatem perveniſſent. 463.

S. Paulus ortus Tarſi in Cilicia, ſeu Giſcalæ juxta quoſdam veteres. 773. Unde civis Romani titulum ſumpſerit? ibidem. Jeroſolymæ ad Gamalielis pedes educatus eſt. 804. Phariſæus erat, & Phariſæi filius. 808. Ejus character. 726. Converſio. 723. Deus illud ad prædicandum Gentibus deſtinat. 726. Ab Anania baptizatur. 727. An ante baptiſmum Spiritum Sanctum acceperit. 726. In Synagogis Damaſci prædicat. 727. Elabitur à Judæis illum occidere molientibus. ibid. Parum fructus percipit in Arabia. ibid. Ejus iter Ieroſolymam. Raptus eſt in Spiritu, dum eſſet in Templo. ibid. Ad Apoſtolos ducitur à S. Barnaba. ibid. Judæi Græci conantur illum interficere, ſecedit Cæſaream. ibid. Antiochiam venit cum S. Barnaba. 739. An fidelibus Chriſtianorum nomen dederit. ibid. Eleemoſynas Fidelium Antiochiæ Ieruſalem defert. 740. Apoſtolus Gentium initiatus eſt. 748. Ad tertium cælum raptus. ibid. Pauli nomen ſumit. 749.

S. Paulus, & S. Barnabas. Eorum iter in Cyprum. 748. Hujus inſulæ præſidem convertunt. 749. Ad prædicandum Gentibus proficiſcuntur. 753. Iconii plures convertunt. 755. A Lycaoniis S. Paulus Deus Mercurius creditur. 756. Lapidibus impetitur. 757. SS. Paulus & Barnabas Epiſcopos ſtatuunt in Eccleſiis, & Antiochiam Syriæ revertuntur. 758. Inſurgunt in eos, qui paganos neophytos legis cæremoniis ſubjicere volebant. 760. De hoc Apoſtolos conſulunt. 761. Ad fideles Antiochenos concilii Ieroſolymitani epiſtolam deferunt. 763. S. Paulus Petro in faciem reſiſtit. A S. Barnaba ſejungitur. 765.

S. Paulus cum Sila Syriæ & Ciliciæ Eccleſias inviſit. 766. Timotheum circumcidit, & itinerum ſociorum comitem ſibi adjungit. 767. Vetatur à S. Spiritu prædicare in Aſia proconſulari, & in Bithynia. 768. Viſione, quam Troade habuit, impulſus in Macedoniam tranſit. 769. Philippis convertit mulierem proſelytam nomine Lydiam. ibid. Virginem Spiritu Pythone infeſtam liberat. 771. Verberatur, & cum Sila in carcerem conjicitur. ibid. Cuſtodem, totamque ejus familiam convertunt. 772. Theſſalonicæ & Beræ J. Chriſtum annunciant. 774. A Judæis Theſſalonicenſibus ſeditionis accuſantur. 775. A Iaſone e manibus magiſtratus hujus urbis eripiuntur. ibidem. Mare Athenas pergit S. Paulus. 776. Coram Areopago ſiſtitur. Sermo quem ibi habuit. 777. Dionyſius & Damaris converſi 780. Corinthi cum Aquila manibus ſuis laborat. Quænam eſſet ejus ars? 781. Scribit ad Theſſalonicenſes? 782. Ducitur ante Proconſulem; qui Judæos ejus accuſatores audire renuit. 783. Ejus iter in Syriam. ibid. ſibi crines amputat ob votum ab eo editum. 784. Epheſi Eccleſiam ſtatuit; ibique Priſcillam & Aquilam ad Evangelium prædicandum relinquit. ibid. Epheſum redit. 786. In nomine J. Chriſti eos baptizat, qui ſolum Ioannis baptiſma ſuſceperant. 787. Apollonius Thyanæus obiit. 788. Ingentia illius miracula. ibid. Magos Epheſi convertit. 789. Beſtiis in amphiteatro exponitur. Ad Galatas & Corinthios ſcribit. 790. Seditio in eum Epheſi excitata. ibid. Ejus iter in Græciam. Ad Romanos ſcribit. In Syriam tranſit. 694. Adoleſcentem Troade ad vitam revocat. Miletum vocat Sacerdotes Eccleſiæ Epheſinæ. 795. Sermo quem illis habet. ib. Eſt boni paſtoris exemplar. 796.

S. Paulus in Phœniciam, atque inde Ieroſolymam tranſit. 799. Agabus ei prædicit, quæ Ieroſolymæ illi erant eventura. 800. Seditio à Judæis in illum excitata. 801. A Lyſia Tribuno ex eorum manibus eripitur. Judæis converſionem ſuam narrat, & miſſionem ad prædicandum Gentibus. 804. Juſſu Lyſiæ verberatur. 805. Coram Synedrio ſiſtitur. 806. Summi Pontificis juſſu colaphis cæditur. 808. A Lyſia Cæſaream mittitur. 810. A Judæis accuſatur apud Felicem Judææ Præſidem. 812. Timorem incutit Felici ei de extremo judicio loquens. 815. Iterum accuſatur apud Feſtum Judææ Præſidem. 816. Ad Cæſarem provocat. 817. Captivus Romam mittitur. 823. Naufragium patitur. 826. In inſulam Melitam appellit. 827. Hujus inſulæ incolæ, ubi à vipera mordetur. 828. Ibi creditur Deus Herculeus. 829. Romam advenit. 830. Ibi Judæis prædicat Verbum Dei. ibid. A Philippenſibus Romæ opem refert. 831. Ad Philippenſes, Philemonem; & Coloſſenſes, & Hebræos ſcribit. ibid. Poſtremi ejus labores pro Evangelii propagatione; ejus mors. ibid. Loca, ubi prædicavit. 806. An Simonem Magum precibus ſuis dejecerit? 671. Epiſtolæ inter ipſum & Senecam ſuppoſitæ. 851. Acta, & Apocalypſis S. Pauli ab Hæreticis edita. 657. Evangelium ſub ejus nomine à Marcionitis admiſſum. 52.

Pauper. Non credunt Hebræi Spiritum Sanctum unquam ſuper pauperem quieviſſe. 788.

Pauperes ſpiritu quinam ſint? Beatitudo eis promiſſa. 501. Pauperes veluti cæli janitores repræſentati. 467. Ad manducandum invitandi præ divitibus. Ratio, quam J. Chriſtus habebit de operibus miſericordiæ erga illos exercitis. 459. Pauperibus ſpiritu prædicare eſt Meſſiæ character. 416.

Pauperes ad patrisfamilias convivium intrare coacti. 459.

Paupertas; quam ideam de illa Judæi haberent. Paupertatis timor magnus virtuti obex. In quo conſiſtat paupertas ſpiritus. 138. Paupertatis commoda. 468.

Peccata per baptiſmum remiſſa vivente J. Chriſto. 548. J.

Chriſtus

Chriſtus nequit alicujus peccati convinci. 584. Peccata quotidiana per orationem dominicam remiſſa. 117.

Peccator. Peccatoris ſibi ipſi derelicti ſtatus. 462. Pœna, quam in ſuo ſtatu ſuffert. *ibidem*. Quam afficiatur Deus in peccatoris errore, atque reditu. 461. ſolus peccatorum ſuorum dolor illum non reddit verè pœnitentem. 287. Ceſſare debet à malo, & bona opera exercere. 288. Quo in ſenſu verum ſit Deum non exaudire peccatores. Illos in indignatione ſua exaudit. 590.

Peccator converſus Lazaro ad vitam revocato adumbratus. 607. Peccator induratus; ejus induratio omnino voluntaria. 607.

Peccatum voluntatis, & actus. 104. Duo peccatorum genera in hac vita Judæi agnoſcunt: in altera admittebant peccata, quæ remittuntur, & quæ non remittuntur. 194. Phariſæi omnia peccata gravia cenſebant nunquam remitti. 468. Judæi morbos omnes veluti alicujus peccati ſequelas reſpiciebant. 131. Credebant peccatorum confeſſionem neceſſariam ad eorum remiſſionem obtinendam. 90. Judæi in eorum peccato defuncti. 581.

Peccatum in Scriptura ſtultitiæ nomine deſignatum. 315. Et tenebrarum. 503. Lucis hoſtes nos efficit. 541. Captivos reddit ea perpetrantes: hujus captivitatis gravitas. 582. Deus bis peccata non punit. 197. Qua conditione Deus nobis offerat noſtrorum peccatorum remiſſionem. 117. Extenſio poteſtatis illa remittendi S. Petro conceſſæ. 182. Poteſtas hæc non eſt ſimplex morbos curandi poteſtas. 649. An ſit peccatum aliquod, quod natura ſua remitti non queat? 291. Quodnam ſit peccatum contra Spiritum Sanctum. 158. An omnia crimina poſt baptiſmū commiſſa ſint peccata contra Spiritum S. Quoniam ſint, quæ præcipue Spiritum S. perſonam lædunt. 292. An eleemoſyna ſatis ſit ad expianda peccata? 447. An ea remittat pedum ablutio. 611. Remiſſio non obtinetur niſi per amorem ſaltem inceptum. 430. Vera pœnitentia conſiſtit in fugiendis peccatis, & virtutibus contrariis exercendis. 288.

Pella, urbs transjordanica, eo ſe receperunt primi Chriſtiani obſeſſa Jeroſolyma. 474.

Pentatheucus: An Sadducæi alios Scripturæ libros præter Pentatheucum admitterent? 278.

Pentecoſtes, ſeu *Feſtum legis* à Judæis celebratum in memoriam legis in Sinai traditæ. Dies Pentecoſtes à 16. Lunæ enumerari. 684. Feſtum Pentecoſtes ſemper in Eccleſia die Dominico celebratum. In quem diem inciderit anno I. C. emortualis? 635. Cur Spiritus Sanctus voluerit die Pentecoſtes deſcendere? *ibid.*

Perfectio Dei eſt noſtræ typus. 112. Pſeudo Evangelium perfectionis. 57.

Perges, urbs Pamphyliæ, Dianæ templo celebris. 750.

Perſæ: abſolutio quædam apud eos vigens. 314. Nunquam iter ſuſcipiunt abſque commeatu. 311. Duos Deos in natura agnoſcunt, bonum, & malum. 364. Eorum li[illegible]s. 397.

Perſecutiones: regnum cœli promiſſum iis, qui perſecutionem pro juſtitia patiuntur. 102. Aliquando permiſſum illam effugere. 143. Crimen eſt in quibuſdam circumſtantiis illam fugere. 101. Pro juſtitia toleranda patienter ac perſeveranter. 143. Chriſtianiſmus inter perſecutiones ortus. 221. Sunt hæreditas Chriſtianorum, & futuræ illorum felicitatis pignus. 315. Nomine ignis deſignantur. 453.

Perſecutores à J. Chriſto inter eos recenſiti, quos diligere debemus. 112.

Perſeverantia non ſemper vocationis gratiam ſequitur: Bonis operibus promerenda. 564. Neceſſaria iis, qui pro juſtitia patiuntur. 144. Orandum perſeveranter. 481. Patiendum perſeveranter pro J. Chriſto. 330.

Pharao, Ægypti rex, ex oraculo didicit naſciturum Hebræum, qui plura mala Ægyptiis inferet. 713. Edictum promit pro Hebræorum ſtirpe exterminanda. 712.

Phariſæi; Major ſecta Judæorum. 273. Exactior habebatur. 804. Eorum character. 591. Eorum origo. 273. Sadducæis recentiores. 274. Eorum ſententiæ. 275. Extabant Phariſæi cujuſcumque tribus, familiæ, conditionis. 274. Eorum vanitas & hypocriſis. *ibid* Longiores fimbrias, quam cæteri, deferebant. 273. Traditionibus abutebantur contra legem & humanitatem. *ibid.* Eorum auctorem Moyſem eſſe dicebant. 276. Eorum jejunia ſupererogatoria. 275. Frequentes eorum ablutiones. 274. Septem Phariſæorum claſſes. 275. Metempſycoſim tuebantur. An Judaiſmi hæretici cenſendi? 276. Vana eorum diſtinctio inter juramenta. 223. Reditus, e quibus decimam ſolvebant. *ibid.* Inimicos habebant, quicumque eorum orationis non eſſent. 461. Eorum avaritia. 467. Nomine pſeudo-prophetarum deſignati. 123. Eorum ratio docendi populum. 124. Vittæ e pergameneis [illegible] in medio fronte delatæ. 102. Eorum fermentum. 450. A quo cavendum. 317. Triſtitiam affectabant in jejunando. 118. Eorum affectatio in publice orando. 124. An eleemoſynas ad tubæ clangorem erogarent? *ibid.* J. Chriſtum magiæ accuſant. 158. In eum murmurant. 462. Conſilium ineunt illum perdendi. 156. Ad J. Chriſtum mulierem in adulterio deprehenſam ducunt. 578. Eorum conſilium. 569. J. Chriſti invectivæ in eorum vanitatem & exceſſus. 212. Eos dicit hypocritas & ſepulchra dealbata. *ibid.* Contemnunt Dei conſilium rejicientes Jo: Baptiſtæ baptiſmum. 370. Sunt falſi paſtores. 593. Quomodo J. Chriſtus potuit eſſe quoad eos ovile oſtium. *ibidem*. Minantur ſe communione privaturos eos omnes, qui J. Chriſtum Meſſiam eſſe agnoſcerent. 589. Cœcus natus tuetur eum eſſe prophetam. *ibidem*. Eum ejiciunt e Synagoga. 590. In quo criminoſiores eſſent magis Pharaonis. 292. Quærunt interficere I. Chriſtum; quo prætextu? 571. Prophetæ, quos perſecuti ſunt. Illorum iniquitatis menſura Meſſiæ morte cumulata. 224.

Phariſæus Templum ingreſſus ad orandum. 478. Defectus in ejus precibus. *ibid.*

Philacteria, cur ſic appellata? 221. Ea deferebant Phariſæi in fronte, & in brachiis. 274. An eorum univerſalis eſſet uſus apud Judæos. 221.

Philemon, S. Pauli amicus, ab hoc epiſtolam recipit; Oneſimo fugam ejus, & furtum remittit. Eum Romam mittit, ut Apoſtolo in vinculis ſerviret. 831.

S. *Philippus* Apoſtolus; ejus vocatio ad apoſtolatum. 531. Quærit videre I. Chriſti patrem; an eum videre corporaliter crederet. 616. Ejus tumulus Hierapoli. 732. Hujus Sancti acta. 661. Evangelium ei falſo tributum. 53.

S. *Philippus*, unus e 7. primis diaconis, & Cæſareæ in Palæſtina natus. 706. Cognomento Evangeliſta, cur? 799. In regionem Samariæ ad prædicandum pergit. 719. Ei adhæret Simon Magus. *ibid.* Admonetur ab Angelo, ut iret in viam, qua Ieroſolyma Gazam itur. Ibi Eunuchum offendit, fidem docet, & baptizat. 721. Quatuor ejus filiæ prophetides. An hæ votum virginitatis edidiſſent. Earum tumulus Cæſareæ. 799.

Philippus Tetrarcha & magni Herodi filius; ejus ditio. 414.

Philippi, urbs Macedoniæ, ad dignitatem coloniæ à Julio Cæſare & Auguſto evecta; ibi Judæi Synagogam habebant. 769. S. Paulus ad hujus Eccleſiæ fideles ſcribit. 831.

Philoſophi veritatem à nobis valde diſſitam, & longe poſitam ſupra nos credebant. 638. Eos omnes, qui non erant eorum diſcipuli, veluti extraneos reputabant. 305.

Phinees. Putabant Phariſæi ejus animam diverſos viros ſucceſſive animaſſe. 528.

Phinees auctor zelotum apud Judæos. 139.

Phlegon auctor paganus an loquatur de tenebris, quæ in Salvatoris obitu contigerunt.

Phœbe diaconiſſa Eccleſiæ Cenchrenſis, & hoſpes S. Pauli. 783.

Photina nomen, quo Græci vocant Samaritanam, quam allocutus eſt Chriſtus ad puteum Iacob; erat e Sichar, ſeu Samaria. 546. quinque viri, quos habuit, an fuerint legitimi? 547. Ob ſuam docilitatem Meſſiam agnoſcere meretur. 549. Sichimitis illum annunciat. 550. An Carthaginem converterit, ſancti, & martyres ejus familiæ. *ib.*

S. *Petrus*, Ioannis vel Ionæ filius, an S. Andrea natu major eſſet? 139. Fuerit primum S. Ioannis diſcipulus? 531. Vocatio S. Petri ad apoſtolatum. 298. A S. Andrea ducitur ad I. Chriſtum, à quo vocatur *Cephas*. 531. Ieſum Chriſtum Meſſiam eſſe fatetur. 318. Ejus divinitatem. 437. Ejus miranda piſcatio. 420. A ſalvatore ſtatuitur in Eccleſiæ ſuæ fundamentum. 181. Ejus primatus ſuper reliquos apoſtolos fuit ejus confeſſionis remuneratio. 182. Primatus iſte a reliquis apoſtolis cognitus. 342. Poteſtas ligandi atque ſolvendi à I. Chriſto illi tradita. 182. Hujus poteſtatis extenſio. *ibid.* Scandali ſubjectum I. Chriſto evadit ejus pœnis obſtans. 183. Appellatur ob hoc Satan. 318. Teſtis eſt transfigurationis. 585. Siclum reperit in ore piſcis quem templo ſolvit pro ſe & magiſtro ſuo. 190. Oratio Ieſu Chriſti, ut non deficeret ejus fides. 496. I. Chriſtus prædicit fore ut illeum neget. 247. A Petro an I. Chriſtus inceperit lavare ſuorum diſcipulorum pedes. 610. Ieſum Chriſtum negat. 249. Per hunc lapſum fidem non amiſit. 495. A Ieſu Chriſto Eccleſiæ ſuæ caput conſtituitur;

tur. 653. Eſt paſtorum paſtor. *ibid.* Ejus fides eſt totius Eccleſiæ fides. 496.

S. Petrus. Sermo, quem diſcipulis habet. Eis proponit electionem ſucceſſoris Iudæ. 681. Sermo quem habet Iudæis die Pentecoſtes congregatis. 687. Eorum tria millia convertit. 690. Cum S. Ioanne in templum it ad orandum. 693. Claudum ad templi januam curant. *ibid.* Sermo, quem S. Petrus cœtui habet. *ibidem* Quinque virorum millia eo prædicante convertuntur. *ibid.* SS. Petrus & Joannes captivi coram Synedrio ſiſtuntur. *ibid.* Eorum conſtantia. *ib.* Eis prohibetur prædicare in nomine J. Chriſti. 698. Nova S. Spiritus effuſio in eos, omneſque diſcipulos. *ibid.* S. Petrus Ananiæ, & Saphiræ fraudem detegit. 702. Ad ejus pedes occumbunt. *ibid.* An à Deo eorum mortem poſtularit? *ibid.* Ejus umbra ægrotos curat. 703. Cum Joanne Samariam mittitur. 704. Samaritanis Spiritum Sanctum impertitur ſuper illos manus imponens. Simon Magus ei pecuniam offert, ut miraculorum donum obtineret. 720. S. Petrus eum hortatur ad peccati ſui pœnitentiam peragendam. *ibid.* An ſuis precibus illum dejecerit? 671. Fideles Palæſtinæ inviſit. 728. Æneam paralyticum curat. *ibid.* Thabitam Joppe ad vitam revocat. *ibidem*. In ſolarium Domus aſcendit ad orandum. 731. Videt linteum animalibus impuris refertum, quæ Deus ei jubet, ut comedat. 732. Cornelium in fide inſtruit. 734. Eum, totamque ejus familiam in nomine J. Chriſti baptizat. 735. Agrippæ juſſu in vincula conjicitur. 743. Ab Angelo è carcere liberatur. *ibid.* Concilio Jeroſolymitano præſidet. 761. Fideles Antiochiç inviſit. A S. Paulo reprehenditur. 765. Ejus iter Romam. 271. Ejus mors. 653. Ejus vincula in Eccleſia honorata. 744. An auctor ſit Evangelii S. Marci, vel illud tantum dictaverit, ſeù probaverit? 271. An S. Lucæ Acta Apoſtolorum dictaverit? 656. Acta & Apocalypſis S. Petri. 657.

Pilatus Judææ Præſes; ejus character. 643. Judæ Galilæi diſcipulos interficit. 455. Coram eo ſiſtitur I. Chriſtus 500. Eum ad Herodem mittit. 501. I. Chriſtum interrogat. 333. Innocentem eum reperit. 638. Barabbam ei præfert. 639. I. Chriſtum Iudæis tradit crucifigendum. 641. An ad Templum illum judicaturus proceſſerit? 641. An I. Chriſtum cruci expreſſe damnaverit. 592. Ad quem morem abluerit manus ſuas abluens? 256. Acta Pilati, Epiſtolæ eidem adſcriptæ. *ibid.* Quænam horum operum auctoritas? 673.

Pinna, piſcis teſtaceus e quo educitur byſſus. 468.

Piſcina ovium ad Orientem Ieruſalem & prope portam gregis, eadem ac piſcina Siloe. 553. An in ea abluerentur oves, ſeu exta victimarum, quæ in Templo offerebantur. *ibid.* Unde ei nomen *Betheſda* ſeu *Bethſaida*? *ibidem*. Ejus aquarum virtus. *ibid.* Turbabantur ab Angelo *ibid.* Quando? *ibid.* An adhuc hodie exiſtat? *ibid.* Est baptiſmi figura. 554. Paralyticus 38. annorum à I. Chriſto prope hanc piſcinam curatus. *ibid.*

Plantæ ſanguinis ſudorem educentes: 380.

Planta à Patre cœleſti avulſæ figura legum cæremonialium à I. Chriſto abrogatarum. 177.

Plato ab Ethnicis rex minorum dœmonum habitus. 158.

Platonici; eorum ſententia de animarum à corpore ſejunctarum ſtatu, earumque apparitionibus. 129. Angelos cuſtodes agnoverunt. 293. Eorum opinio de mundi renovatione errorum Millenariorum origo. 193. 202. In Deo agnoſcebant Verbum illi inferius. 522. Animam mundi ipſummet Deum eſſe volebant. 779.

Plenitudo. Omnes accepimus plenitudinem I. Chriſti. 527.

Pleroma, rerum omnium principium juxta Nicolaitas, & Valentinianos. *ibid.*

Plica polonica, morbus crudelis, unde proveniat? Ejus effectus; quo pacto curari poſſit? 380.

Pluvia ignis & ſulphuris, quæ Pentapolis urbes abſumpſit. 474.

Poëta, a Paganis habiti veluti prophetæ eorum religionis. 779.

Politia veterum Hebræorum. 740.

Polygamia matrimonii inſtitutioni adverſa. 599.

Porta, quæ ducit ad ſalutem, arcta eſt. 456. Quid ſit. 122. Deus eam nemini claudit. 456. Porta in medio tecti in Palæſtina. 420. Antiquorum mos ſuarum domuum januas mulieribus committendi. 634. Quænam eſſet porta ſpecioſa, ubi SS. Petrus & Ioannes claudum curarunt. 693.

Portæ in Scripturæ ſtylo vires paſſim deſignant. Portæ inferi; vani earum conatus contra Eccleſiam. 182.

Porta magni habitæ apud Veteres: 158.

Poſſeſſi, multiplices. 307 Non omnes e religionis cœtibus erant excluſi. *ibid.* Exorciſmi, quibus utuntur Iudæi ad pellendos demones. 788.

Poſſeſſio dæmonum à quibuſdam Iudæis improborum animæ tributa. 437.

Præcepta, quæ Deus Noe dedit poſt diluvium. Proſelytæ domicilii hæc præcepta ſervare tenebantur. 286.

Prædeſtinatio duplex: 442. Hujus myſterii altitudo. 595.

Prædeſtinati cum reprobis in Eccleſia immixti. 564. Quomodo Deus prædeſtinatorum ſalutem velit. *ibid.*

Prædicatores; eorum miſſio apud Judæos. 212.

Praexiſtentia animarum Domini noſtri ævo à Iudæis credita. 588.

Præſagia. Putabant veteres ſiniſtri nihil ditioni accidere, quin aliquod præceſſiſſet præſagium. 490. Everſionis Ieroſolymæ præſagia. 488.

Prætorium à Romanis appellabatur Præſidum provinciarum domus. 636 Cur Iudæi qui I. Chriſtum ad Pilatum duxere, prætorium ingredi recuſarint? *ibid.*

Precari humiliter. 478. Et perſeveranter. 122.

Preces ſecreto faciendæ. Phariſæi hypocritæ affectantes orare publicitus. 114. Iudæi orabant in communi. 97. Vulgo preces fundebant ſuper tectum domus in locis, ubi non aderat Synagoga. 98. Quomodo Iudæi & primævi Chriſtiani orantes ſe tenerent? 111. Iudæi & Pagani precum ſuarum meritum ponebant in verborum multitudine. 115. Qua diſpoſitione orandum? *ibid.* Orationis, quam I. Chriſtus nobis dedit formula. *ibid.* Hæc eſt Evangelii compendium. *ibid.* Dęmones, qui nonniſi oratione pelluntur. 188. Quænam ſit oratio, quam S. Ioannes Baptiſta diſcipulos ſuos docuit. 445. Locus & hora precandi apud Deum. 693. Eccleſia morem ſervavit orandi mane, meridie, & ſero. *ibid.* Formula precum ab Eſdra compoſitarum. *ibid.* Preces noſtræ nihili valent, niſi I. Chriſti precibus unitæ ſint. 698. Orandum in nomine I. Chriſti. 627. Deus aliquando in indignatione ſua improborum preces exaudit. 589.

Preces J. Chriſti ſemper exauditæ. 601. Pro ſua humanitate orat. 267. Pro ſuis apoſtolis. 630. Et pro omnibus ſuis, qui in eum credere debent. 631. Oravit, ſicut & mortuus eſt pro omnibus hominibus. 630. Ejus oratio pro incredulis, & reprobis inefficax. *ibid.*

Princeps Sacerdotum pro capite unius e 24. familiis Sacerdotalibus. 788.

Princeps dæmonum quo nomine à Iudæis vocaretur. 157. Idea, quam Ethnici de eo habebant. *ibid.* Nomen à Scriptura illi inditum. 360.

Principes Sacerdotum quinam eſſent apud Iudæos. Conſilium habent contra I. Chriſtum. 241. Decernunt cum Phariſæis eum interficere. 601. Eorum nemo in I. Chriſtum credidit. Falſus eorum zelus ad illum perſequendum. 572. Emittunt, qui eum caperent, ut illum morti traderent. 573.

Priſcilla, uxor Aquilæ, & S. Pauli hoſpes Corinthi. 781. S. Paulus eam reliquit Epheſi cum Aquila, ut ibi Evangelium prædicaret. *ibid.* Ejus mors. *ibid.*

Prochorus, unus e 7. primis Diaconis, & primus Nicomedienſis Epiſcopus. Ejus martyrium. 706.

Propheta; hujus vocis extenſio in Hebræorum ſtylo. 123. Prophetam appellant quemcumque Deus aliqua gratia extraordinaria honorat. 589.

Prophetæ ſæpe Angelorum nomine in Scriptura deſignati. 857. An poſſent extra Ieruſalem neci tradi. 457. Iudæi prophetarum necis rei. 448 Eorum ſepulchra à Phariſæis extructa. 224. Prophetæ poterant à lege Sabbathi remittere. 589. Actiones Symbolicæ, quibus plurumque prophetias ſuas comitabantur. 800. Per fidem in I. Chriſtum ſalvi facti ſunt. 698. Omnes prophetæ teſtimonium illi reddiderunt. 694. Objecta, quæ ſibi propoſuerunt in ſuis prophetiis. *ibid.* Iudæi prophetarum filii. *ibid.* Iudæi nullam peculiarem ſectam habuerunt, quamdiu habuere prophetas. Religionis cętus apud prophetas. 273. Ingens prophetarum numerus in Eccleſiæ primordiis. 666.

Pſeudo propheta; ab his cavendum. Eorum vaticinia mendacii referta. 123. Apud Iudæos a Synedrio judicabantur. 697. Pſeudo prophetæ, qui ante Templi everſionem apparuerunt. 332.

Prophetia; quatuor varii modi, quibus adimpleri poſſunt. 84. Non ſemper cauſa ſunt, ut res accidant. *ibidem*. Varia prophetiarum genera apud Hebræos. 688. Bonis æque ac improbis communes eſſe poſſunt. 123. Prophetiæ ſpiritus an ſubſtiterit uſque ad I. Chriſti mortem apud Hebræos? 602.

Prophe-

Prophetizare: hujus vocis extenſio in ſtylo Hebræorum. 401.
Proſelyta, Judæi eos ſtt baptiſmum recipere. 90. Tres cæremoniæ eſſentiales ad efficiendum proſelytam juſtitiæ. 378.
Proſelyta domicilii & juſtitiæ. 605. Proſelytæ domicilii præceptis à Deo Noe traditis poſt diluvium ſubditi. 285. Eorum munia. 605. Baptiſmus proſelytarum in uſu apud Judæos. Prærogativæ quibus fruebantur ratione baptiſmi juſtitiæ. 186. Recentium Rabbinorum ſententiæ quoad proſelytas. *ibid.*
Proſelyta porta ais permittebatur Synagogam ingredi, non autem feſtorum Iſraelis participes eſſe. 750. horum munia. 730.
Proſeucha, vel *Synagoga*, precen, ſeu precum locus: vox hæc paſſim uſurpata ad ſonuendas Judæorum Synagogas, 769. Earum antiquitas apud Hebræos. Earum ingens numerus poſt captivitatem Babylonicam, & poſt Macchabæos. Senes illis præſidentes. Earum deſcriptio. In iis permittebantur docti populum erudire. 98.
Proto-Evangelium S. Iacobi in Orientis Eccleſiis lectum. 352.
Pſalmi, pro omnibus moralibus Scripturæ libris poſiti. 510. Non ſemper ita fuerunt diviſi, ut ſunt hodie. 751.
Ptolemais, urbs: ejus ſitus. 799.
Publicani, ad tributa exigenda deſtinati. Duplicis erant generis. 112. Eorum munia. 412. Lex illis non vetabat Templi ingreſſum, niſi eſſent pagani, vel polluti. 478. In maximo contemptu erant apud Judæos. 812. Eorum munera reſpuebant tanquam ſanguinis pretium. 253. Publicani I. Chriſtum ſequentes. 301.
Publicanus Templum ingreſſus ad orandum. 478. Exit juſtificatus. 479. Veri pœnitentis typus. *ibid.*
Publius, inſulæ Melitæ Præſes, à S. Paulo converſus. Ejus pater ab hoc Apoſtolo curatus. 828.
Purgatorium, à Judæis cognitum, ab inferis omnino ſupplicii diuturnitate differre credebant. 594. A veteribus ad paradiſi januam poſitum. 590.
Purificatio: ad eam veteri lege tenebantur mulieres poſt partum. Ei Maria ſe ſubjicit. 407.
Purificationes in uſu apud omnes populos, præcipue verò apud Judæos. 581. Quando & quomodo hi ſe purificarent? *ibid.* Sexcenta & tredecim præcepta habent impuritates & purificationes legales ſpectantia. 430. Urnæ quibus in purificationibus utebantur. 135.
Purpura Tyri cæteris pulchrior & pretioſior. 468.
Pythagoras cur philoſophiam ſuam in obſcuritate abdiderit. 822.
Python, nomen à Græcis Apollini judicum, & ab Hebræo Pethon, quod ſerpentem ſignificat, derivatum. 770. Spiritus Pythonis: effectus hujus ſpiritus. *ibid.* Varia Pythoniſſarum genera. 771. Pythoniſſa templi Delphici non prophetabat niſi ſuper tripodem ſedens. Pythoniſſa Philippenſis à S. Paulo liberata. *ibid.*

Q*Uaternio* perperam acceptus pro nomine dignitatis militaris apud Romanos. 743.
Quæſtio veterum ſuppliciorum Romanos addita. 806.
Quirinus; cenſus, quem habuit decem annos poſt magni Herodis mortem, & antequam Judææ Præſes eſſet. 404.

R*Abbi*, titulus Doctoribus Hebræis datus quando cœperit apud Judæos vigere? 881.
Rabbini, quid de traditionibus cenſeant. 172. Volunt, quod legis doctoribus æqua ſubmiſſio præſtetur. *ibid.* Proximum non putant eos, qui eorum nationis non ſunt. 111. Eorum ſomnia de furto jactato, quo Jeſus è Templo nomen Jehovæ rapuit. 458. Eorum ſententia de metempſycoſi. 436. Quodam lapidationis ſupplicium juxta Rabbinos. 580. Varios ſexus inter Angelos agnoſcunt. Eos corporeos, & morti ſubjectos credunt. 555.
Rachel, objectum ejus doloris Ramę. S. Matthęus illud innocentium ſtragi applicat. 85.
Rachel, Simonis Magi mater. 668.
Rahab cur à S. Matthæo in genealogia J. Chriſti relata; ea eſt, quæ exploratores Jericho excepit. 74.
Raka, vox injuriæ: quænam ejus vera ſignificatio. 105.
Rama, urbs Tribus Benjamin ad Septemtrionem Jeruſalem. Rachel Ramæ luget filiorum ſuorum captivitatem. 85. Vox hæc paſſim pro colle accipitur. *ibid.*
Raphael, Dei medicus appellatus. An ipſe deſcenderet Probaticæ piſcinę aquas moturus. 554.
Rechabitæ perperam cum Eſſenis confuſi. 280.
Reconciliatio iis etiam, qui læſi ſunt, præcepta. Sacrificia ante reconciliationem inutilia. 106. Quomodo apud Judæos fieret? *ibidem.*
Regeneratio in aquis baptiſmi. 538. Regenerationis ſpecies adnexę proſelytarum baptiſmo, & aliquibus paganorum cęremoniis. *ibid.*
Regeneratio pro ſecundo I. Chriſti adventu. 301.
Regeſta genealogica ſollicitè apud Hebręos ſervata. Herodes archiva, ubi ſervabantur, comburi juſſit. 74.
Religio. Cur Pagani ſuę religionis myſteria abderent. 262. Locus, ubi Judęi de religione agebant. 300. Traditiones religioni neceſſarię. 176. Grano ſinapis comparata. 266. Per ſpiritum exercetur. 549.
Rempham, falſum numen, quod Hebręi adorarunt, quodnam eſſet. 714.
Reprobatio Judæorum, regenerationis nomine expreſſa. 302
Reprobi; eorum cum electis immiſtio zizaniis ſata in medio tritici adumbrata. *ibid.* Cum electis in Eccleſia commixti. 564. Deus eorum ſalutem vult voluntate conditionali. *ibid.* Oratio I. Chriſti inefficax pro reprobis. 630.
Reſtitutio cui facienda. Per leges Romanas fieri debebat in quadruplum. 467.
Reſurrectio, pro tranſitu ſtatus calamitatis ſeu peccati in ſtatum adverſum. 464. Item pro auxiliatione. 549.
Reſurrectio Lazari. 601. Marthę fidei conceſſa. 600. Reſurrectioni futurę typus eſt & argumentum item converſionis peccatoris. 601.
Reſurrectio I. Chriſti appellata ejus nativitatis dies. 752. Per eam executus eſt Deus ea, quæ Davidi promiſerat. 752. Quomodo à Judæis negata. 167. I. Chriſti reſurrectio omnes antilogias, tollit quæ apparent in Biblis quoad Meſſiam. 616. Ea omnes noſtræ fidei articuli probantur. 780.
Reſurrectio Sanctorum in I. Chriſti morte. 265. Quid de ea credendum; & quid in diſputationem cadere poſſit? 72. Quinam tum revixerint. *ibid.* Eorum reſurrectio utrum ante, an poſt Chriſti reſurrectionem contigerit? *ibid.* Cujus naturæ eſſent eorum corpora? An cœlum conſcenderint. *ib.*
Reſurrectio mortuorum ab univerſa Hebræorum natione credita. 599. A Saducæis negata. 217. Et olim à Samaritanis. 547. A J. Chriſto Saducæis probatur. 218. Hominum ſtatus poſt reſurrectionem. *ibid.* Cur regeneratio vocetur? 301. Reſurrectio univerſalis Meſſiæ tempore à Judæis expectata. 186.
Romani: eorum antiqua jus dicendi ratio. 107. Eorum æquitas quoad hoc. 817. Cultus religioſus eorum vexillis præſtitus. An ii ſint, qui abominationem deſolationis in loco ſancto locaverint. 229. Judæos jure vitæ & necis privant. 637. Tributum illis à Judæis ſolutum. 189. An ii beneficium ſtatuerint Templo ſolvendum. 293. Crucis ſupplicium apud Romanos. 648. Flagrorum pœna apud eos pariter vigens. 806. Dies à media nocte olim ordiebatur. 642. Omnium populorum à ſe devictorum Deos adorarunt. 605. Deos incertos habebant, & altaria eiſdem ſacra. 660. S. Pauli Epiſtola ad Romanos. 794.
Ros, è tribus Benjamin, à quo vult Photius Romam, & populum Romanum originem traxiſſe. 773.
Ruth, cur à S. Matthæo in I. Chriſti genealogia relata. 74.

S*Abbath*, an quis creditus Judæorum Deus, & Dæmonis pater. Unde ſtirps Caio exiit. 584.
Sabbathum: obſervantia Judæorum die Sabbathi: an eo die poſſent ante ſextam horam manducare. 155. An Judæis hoc die fugere liceret. 230. Sabbathi requies miſſi, vel novarum frugum oblationi numquam obſtitit. 685. Iter quod Sabbatho conficere licet. Ad 2000 cubitos nonniſi poſt Moyſem decretum eſt. 680. Sabbatho hoſtes repellere, non autem aggredi licebat. 302. Prophetæ poterant quibuſdam in caſibus ab eo remittere. 517. Sabbatho jejunabant Judæi. 478. Hujus diei requies ad aſtrorum ortum ordiebatur. 504. I. Chriſtus Sabbathi dominus. 424. Sabbathum ſecundo-primum quodnam eſſet. 423. Sabbathum ante Paſchatis diem magnum Sabbatum appellatum. 424. Sabbatum diutius fuit dies ſacra in Eccleſia Orientali. 763.
Sabii, nomen diſcipulorum S. Joannis in Oriente. Animadverſiones in eorum originem, eorum Sacerdotes, & ſententias. Quatenus S. Joannis baptiſmum receperunt. Cultus idololatricus, quem Cruci exhibent. 289.
Sacan, Babyloniorum feſta, quibus Domini captivis ſuis ſerviebant. 452.
Sacrificia apud paganos plerumque conviviis ſubſecuta. 714. An Hebræi aliquod ſacrificium Deo in deſerto obtulerint. 714. Sacrificia expiabant ſola, ſecundum Phariſæos, omnia peccata, quibus pœnam lex non aſſignabat.

Amor

Amor proximi neceſſarius ad reddenda ſacrificia utilia ad ſalutem. 106.

Sacrificia victimarum humanarum. 207.

Sacrificium altaris quouſque celebratum in Eccleſia in fermentato. 64.

Sadoc, auctor ſectæ Saducæorum: an fuerit ſchiſmaticus. 577.

Saducæi, una e ſectis Judæorum. 90. Habiti veluti gens parum pia. 448. Eorum ſectæ origo. 577. An Phariſæis antiquiores ſint. *ibid.* An ſint Sadoc ſeu Doſithei diſcipuli. An primum fuerint Samaritani & ſchiſmatici. *ibid.* Quid de ſpirituum exiſtentia, & animæ immortalitate crederent. De præmiis & pœnis alterius vitæ. *ibid.* De mortuorum reſurrectione. 697. De Spiritu Sancto. De Dei natura. 579. An eum ſub hirci forma adorarint. *ibid.* Eorum ſententiæ. 817. Credebant vindictam uſque ad talionem ſibi permiſſum. 209. An alios libros præter Pentateuchum, canonicos agnoſcerent. 579. Sanctis Scripturis abutebantur. 518. Quid quærant à I. Chriſto quoad mortuorum reſurrectionem. 5 7. Eorum potentia Apoſtolorum ævo. 809. Eorum ſecta ab Epicuri ſecta non abludebat. 702. Saducæi recentiores à Judæis tanquam hæretici ſpectati. 579.

Salamina, Cypri metropolis, dicta deinde Conſtantia, & hodie Famaguſta. 749.

Salim, urbs Galilææ ad meridiem Scythopolis, alia ab ea, in qua regnavit Melchiſedech. 542.

Saliva. Credunt Rabbini ſalivam hominis jejuni oculorum malis proficuam eſſe. An liceret ea uti die Sabbathi. 589.

Salome, S. Jacobi & S. Joannis Mater: præeminentia, quam pro eis à I. Chriſto poſtulat. 206.

Salome filia Herodiadis S. Ioannis Baptiſtæ caput petit & obtinet. Ejus mors ſecundum Metaphraſt m. Ejus tempus, & modus ignorantur. 178.

Salomonis exorciſmi, quorum inventionem illi adſcribunt Judæi. 381. Ejus nomen invocabant conjurantes dæmones, ut ea obſeſſorum corporibus exirent. *ibid.* Salomonis familia cum familia Nathan iterum conjuncta Joſephi & Mariæ matrimonio. I. Chriſtus fuit è ſtirpe David, licet non eſſet Salomonis filius ſecundum carnem. 351.

Samaritani, Iſraelis ſtirpi extranei. Deo cultum idololatria immixtum reddebant. 546. Deum ignotum in templo Garizim adorabant. 619. Eorum in religione inconſtantia. 547. Pentateuchum tantum recipiebant. 548. An Deum corporeum crederent. An S. Spiritum, exiſtentiam ſpirituum, & corporum reſurrectionem negarent. *ibid.* Perfecte neque Deum, neque Meſſiam agnoſcebant. *ibid.* Eorum à Judæis averſio. 545. Judæi contactu iis pollutos cenſebant. 544. Meſſiam, non ſecus ac Judæi expectabant. 546. I. Chriſtum recipere recuſant. 439. Cur hic apoſtolis vetuerit illis evangelium annunciare. 140. Finis eorum cum Judæis ſchiſmatis ad Meſſiæ tempus remiſſum. 549.

Samaritani, qui Hebræis dociliores fuerunt. 550. Credunt in Jeſ. Chriſtum. *ibid.* Comprehenduntur in Dei fœdere cum Hebræis. Ad S. Philippi prædicationem convertuntur. 719. Spiritum Sanctum recipiunt. 720.

Sammael, nomen, quo Judæi nunc dæmonum principem appellant. Ei paganorum oracula adſcribunt. 157.

Sammea, Rabbinus; ejus ſchola Domini noſtri ævo. Ejus ſententia de divortio. 199.

Samothracia, maris Ægæi inſula e conſpectu Troadis & Thraciæ. 769.

Samuel, quomodo J. Chriſti mortem, & Meſſiæ glorificationem prædixerit? 695.

Sanaballat Templum Garizim ædificat, ut illud Jeroſolymitano opponeret. 547.

Sanctificare pro præparare. 630.

Sanguis populi, qui animantium ſanguinem bibebant, 764. Scythæ in eorum fœderibus humanum ſanguinem bibebant. *ibid.*

Sanguis; Judæi ſanguinem horrebant. 762. Oblationes, quæ ſanguinis pretium eſſent, rejiciebant. 253. Deus illis ſanguinem prohibuit, ut homicidii horrorem illis inſpiraret. 762. Gentes neophyti ab Apoſtolis huic interdicto ſubmiſſi. 763. Illud diutius in Eccleſia ſubſtitit, & adhuc in Oriente ſubſiſtit. 762.

Sanguis: ſudor ſanguineus J. Chriſti in ejus agonia. 497. Quomodo contigerit? 379.

Sanguis & aqua, quæ è I. Chriſti latere exierunt: an ſeparatim fluxerint. Novum & vetus fœdus, baptiſmum & Euchariſtiam adumbrant. 645.

Saron: hujus regionis ſitus. Triplex planities Saron in Scriptura cognita. Vicum Saron. Incolæ Saron ad fidem converſi. 728.

Satan ſuperbit, & innocentiam, in qua creatus fuerat, amittit. 583. Alios dæmones in ſuam defectionem pertrahit. *ibid.* An Eva ab Angelo Satan tentata fuerit. *ibid.* Quomodo verbi Dei fructum impediat? 305. Quomodo contra ſeipſum diviſus. 303.

Saul rex Iſrael: cujus naturæ illius eſſet obſeſſio. 383.

Saulus: ejus blaſphemiæ contra nomen Chriſtianum, 830. Eccleſiam perſequitur. 708. Veſtes S. Stephanum lapidantium cuſtodit. 716. Poteſtatem accipit à Principibus Sacerdotum Chriſtianos capiendi. Ejus converſio. 753.

Scaliger; ejus error de ſudoribus ſanguineis. 380.

Sceva, caput unius è 24. Familiis Sacerdotalibus. Scevæ filii Dæmones in nomine J. C. expellunt. 788.

Schibta, dæmonis genus juxta Rabbinos. 386.

Scientia; quomodo I. Chriſtus potuerit creſcere ſapientia. 409. Scientiæ clavis inutilis in manibus doctorum legis. 448.

Scientia ſalutis ſapientibus negata, & parvulis conceſſa. 152. Nemini debetur. *ibid.*

Scorpio albus in ovi formam. 445.

Scriba I. Chriſtum interrogans: Quomodo à regno Dei non longe abeſſet. 130.

Scribæ è diviſione Scholarum Hillel, & Schammai profecti. 874. E quacumque Tribu erant. 82. Eorum ratio docendi populum, 298. Eorum munus. Eorum auctoritas poſt captivitatem Babylonicam imminuta. 82. Quomodo ſuper Cathedram Moyſis ſederent? 250. Eorum vanitas. 331. Severum judicium ſubibunt. 487. Nomine pſeudo-prophetarum deſignati. 123. I. Chriſtum recuſant, quod in nomine Beelzebub dæmones expelleret. 303. Ad eum mulierem in adulterio deprehenſam ducunt. 598. Confuſi recedunt. 579.

Sculptores, aliquando occiſi, vel relegati, cum Dei ſimulacrum effeciſſent; cur? 792.

Seah, menſura Hebræorum quid caperet? 166.

Secta quid ſit? hæreſis eſt in lingua Græcorum. 576. Tres præcipuæ ſectæ inter Hebræos. 878. In quo inter ſe differrent? 874. Eorum antiquitas. Nulla extitit ante Babyloniam captivitatem. 873. Vox hæc apud Patres in utramque partem uſurpata. 814.

Seleucia, urbs Syriæ, ad mediterraneum ſita, duabus leucis ab Antiochia, 748.

Seleuciani, hæretici, qui igne baptizabant, 291.

Semen: ſeminis parabolæ. 305. 306.

Semicinctium quid ſignificet? 788.

Seneca, Epiſtolæ ſuppoſitæ S. Pauli ad Senecam, & Senecæ ad S. Paulum. 831.

Sepher Toledoth Jeſu, titulus fabulæ, quam de J. Chriſti vita ediderunt Judæi. 74.

Septem pro ingenti numero in ſcriptura. 343.

Sepulchrum. Deſcriptio ſepulchri I. Chriſti. 267. Sigillum quod ei appoſuerunt Judæi. 266. Angelus e cœlo dilapſus ad tollendum lapidem illud claudentem. I. Chriſtus inde exivit integro ſigillo. *ibid.* Maria Magdalena, SS Petrus & Ioannes ad ſepulchrum. 647. Sanctæ mulieres, quæ pariter eo ſe contulere. 266.

Sepulchra; Hebræorum mos ſepulchra dealbandi, ut ea vitarentur. Phariſæi ſepulchra dealbata. 184.

Sergius Paulus, Cypri Proconſul, ſeu Præſes, ad fidem à SS Paulo, & Barnaba converſus. 749. An nomen ſuum S. Paulo communicarit. Fuerit primus Narbonenſis Epiſcopus. 750.

Serpens, ejus prudentia in quo conſiſtat? In quo illum imitari debemus? 143. Relatio inter I. Chriſtum crucifixum, & ſerpentem æneum in deſerto elevatum. *ibid.*

Serpentes, cujus morſus ſudorem ſanguineum eliciunt, 381.

Servitus mortis nomine deſignata. 244. Anni ſervitutis Iſraelitarum in Ægypto. 720.

Servus aliis præpoſitus, munus ei à veteribus commiſſum. Servus infidelis cum hypocritis punietur. 535. Talenta ſervis commiſſa. 538. Servus inutilis habitus, cum nihil ſupererogatorium faceret. 472. Servorum vigilantium parabola. 452.

Sichar eadem ac *Sichem*, ſeu *Naploſa* tribus leucis à Samaria. 545. An ex hac urbe eſſet mulier, cum qua I. Chriſtus collocutus eſt ad puteum Iacob. *ibid.* Hujus urbis incolæ rogarunt I. Chriſtum, ut ibi moraretur: an aliquod miraculum ibi ediderit? 550.

Sicera

Sicera propriè ſignificat vinum è palma. Hujus vini uſus in Oriente communis. 394.

Sidon, die judicii minus ſevere habita, ac urbes Judæorum, quæ Evangelium rejecerunt. Cur J. Chriſtus illud Sidoniis non annunciarit? 147.

Signum, quodnam erit illud, quod J. Chriſtus apparere faciet die judicii. 433.

Silas e numero 70. diſcipulorum. Concilii Ieroſolymitani epiſtolam ad fideles Antiochenos deſert. 763. Cum S. Paulo Syriæ Ciliciæque Eccleſias inviſit. 766. Ejus martyrium. 782.

Siliqua, ſiliquarum natura, quibus filius prodigus ſe alere cupiebat. 463.

Siloe, ſignificat miſſum: fons cognominis ad orientem, & ad radices mœnium Jeroſolymæ. 588. Aqua Siloe ad Templum in Tabernaculorum feſto delata. 574. Cæcus natus ſe abluens in fonte Siloe curatur. 588. Eſt baptiſmi ſymbolum. *ibid.*

Turris Siloe mœnibus Jeroſolymæ adnexa. 455.

Simeon Hillelis filius, & pater Gamalielis juxta nonnullos. 407. An legis Sacerdos eſſet? 408. An viſum receperit accipiens J. Chriſtum in Templo. Ejus canticum. *ibid.* Ejus prophetia Jeſum & Mariam reſpiciens. *ibid.*

S. Simon Apoſtolus cur cognomento zelotes? An fuerit e ſecta zelotum, qui Domini noſtri ævo vigebant. 140.

Simon Phariſæus alius a Simone leproſo. J. Chriſtum convivio adhibet in urbe Naim. 429. Parabola a J. Chriſto illi propoſita mulieris peccatricis occaſione. 430.

Simon Cyrenæus Judæuſne eſſet, an Paganus? 258. Cogitur J. Chriſti crucem ferre. 257. Tenet Baſilides eum loco Chriſti fuiſſe crucifixum. 642.

Simon quinam ſit, cui J. Chriſtus in Emmauntis itinere apparuit. 507.

Simon cognomento *Niger*, propheta & doctor Eccleſiæ Antiochenæ, & a Simone Cyrenæo diverſus. 747.

Simon S. Petri hoſpes Ioppe. Ejus ars eum cogebat extra urbem habitare. 730.

Simon Magus e Gitton in regione Samariæ. 667. Fingit ſe credere in J. Chriſtum, & baptiſmum recipit. *ibid.* Pecuniam Apoſtolis offert, ut miraculorum donum acquireret. 720. Progreſſui evangelii opponitur; ejus errores. 718. Eos non docuit niſi renunciato Chriſtianiſmo. *ibid.* Meretricem Tyri in Phœnicia emit. 720. Eam dicebat eſſe primam intelligentiam, & Spiritum Sanctum. 669. Ejus impietates, & præſtigia. *ibid.* Ejus impoſturæ. 670. Conatur in aëra volare, & SS. Petri & Pauli precibus deprimitur præceps. 721. Statua ei Romæ erecta. *ibid.* Ejus diſcipuli a paucis cogniti ſub nomine Chriſtianorum. *ibid.* An ſcriptoribus Ethnicis ignotus fuerit. 667. Ejus opera. 669.

Simonia, a Simone Mago invecta, peccatum eſt contra Spiritum ſanctum. 720.

Simoniani, Simonis Magi diſcipuli: eorum evangelium. 53.

Simplicitas Chriſtiana in quo conſiſtat? Infans ſimplicitatis exemplar. 191.

Sodoma a crimine, & impœnitentia deprehenſa. 474. Pluvia ſulphurea, qua abſumpta fuit. 408.

Sol an ante everſam a Romanis Jeroſolymam obſcuratus ſit. 490. Ante poſtremum judicium reverà obſcurabitur. 238.

Solon philoſophus quid Crœſo reſponderit. 120.

Somnus, frater mortis. 135. Ad mortem innuendam uſurpatus. 448.

Sopater, Pyrrhi Berrhœenſis filius, & diſcipulus S. Pauli, cum eo in Syriam pergit. 794.

Sors pro omni eo, quod volente Domino accidit. 682. Sors in ſe mala non eſt. Libri ſacri ſorte conſulti. 666. Electiones per ſortem ſcripturæ exemplis comprobatæ. 665. Sortes apud Judæos jactæ, ut Sacerdotum munera ſtatuerentur. 459. An ad imitationem electionis Sacerdotum Hebræorum Apoſtoli S. Matthiam ſortitò elegerint? 664. Sors ſanctuarii inter Jacobitas. 666.

Soſthenes caput Synagogæ Corinthi, à Judæis verberatur eo quod S. Paulum pluris faceret. 783.

Statua Dianæ Epheſiæ. 718.

Statua Imperatorum Romanorum habitæ abominatio deſolationis locata in loco Sancto. 230. Ethnici e cœlo dilapſas putabant pleraſque numinum ſuorum ſtatuas. 792.

Stephanus, nomen cuſtodis S. Pauli & Silæ Philippis in vinculis detentorum. 772.

S. Stephanus primus è ſeptem Diaconis ab Apoſtolis ſtatutis; ejus elogium. An è numero fuerit 70. diſcipulorum. 706. Ingens ejus miraculorum numerus. Judæi in illum inſurgunt. 708. A falſis teſtibus accuſatur blaſphemiæ in Deum & Moyſem. 709. Ad concilium trahitur. *ibid.* Oratio Synedrio ab illo habita. 711. J. Chriſtum in ſua gloria videt. 715. Zeli judicio lapidibus obruitur. *ibidem.* Sauli converſio fructus fuit orationis, qua pro perſecutoribus ſuis Deum precatus eſt. 716. Ejus ſupplicii locus. *ibidem.* Ejus corpus à Gamaliele honorificè ſepelitur. *ibid.*

Sterilitas, ut opprobrium à Judæis ſpectata. 396.

Stoici una è præcipuis ſectis philoſophorum Athenienſium; eorum ſententiæ. 777. In Deo Verbum agnoſcebant, quod eſſet omnium rerum principium. 522. Regnum Chimericum Sapientum Stoicorum. 638. S. Paulus cum eis loquitur. 777. A quibus ducitur in Areopagum. *ibid.* Volebant mundi animam eſſe ipſummet Deum. 779. Sapientia Stoici. 777.

Stola, veſtis longa viris & mulieribus in Oriente communis. 464.

Succeſſio; regulæ à Moyſe ſtatutæ quoad ſucceſſiones. 451.

Sudarium variè accipitur apud veteres. 788.

Sudor quomodo fiat? 379. Differentium liquorum & colorum. 380. Eorum cauſæ. 381. Sudores ſanguinei extraordinarii. *ibid.*

Subditi naturales vocati filii regni. 189.

Superſtitio, Ethnici Judæorum religionem ſuperſtitionis arguebant. 818.

Suſanna, nomen mulieris adulteræ ad J. Chriſtum ductæ. Ejus vitæ circomſtantiæ. 579.

Sycomorus arbor; fructus ejus natura. 480.

Synagoga, numerus capitum Synagogæ non determinatus apud Hebræos. 447. Caput Synagogæ; ejus munia. 783.

Synagoga vineæ comparata. 104. Ejus reprobatio ficu à J. Chriſto maledicta figurata. 225.

Synagoga, loca, ubi Judæi ad orandum, & legem exponendam conveniebant. In earum antiquitatem animadverſiones. 97. Politia à Judæis in eorum Synagogis obſervata. 740. Ratio in eis docendi, & legendi ſcripturam. 416. Judæi ter in die in Synagogis coeunt. 749. Vetus Judæorum mos in eis legem die Sabbathi legere. *ibid.* Aliquando invitabantur peregrini ad ſermonem in eis habendum. 416. Judæi & Samaritani Synagogas ad mare, vel flumina locabant. 769. Ingens Synagogarum numerus Jeroſolymæ. 708. Variæ ſententiæ ſuper Synagoga libertinorum. *ibid.*

Syri; feſta ablutionis pedum ab eis celebrata. 612. Evangelium ſecundum Syros. 53.

Syrophœnicia, Phœnicia mediterraneæ nomine cognita. Syrophœniſſa à J. Chriſto primum rejecta; ejus fides remunerata. 315.

Syrtes, ſinus arenoſi ad oras Africæ, omnes reliquorum marium ſcopulos paſſim deſignant. 854.

T*Abernaculum teſtimonii*; Deus ejus typum Moyſi oſtendit. 714.

Tabernacula; feſtum Tabernaculorum quotannis celebratum in memoriam itineris per deſertum. 570. Maſculi omnes tenebantur hoc feſto venire Jeruſalem. *ibid.* Duo vaſa alterum vino, alterum aqua referta ad Templum Tabernaculorum feſto deferebantur. 574.

Tabitha, mulier fidelis Ioppenſis, ejus opera bona. 718. A S. Petro ad vitam revocatur. *ibid.*

Talentum Hebræum, ejus valor, 696. Parabola 10000. talentorum. *ibidem.* Parabola talentorum ſervis commiſſorum, ut ex eis lucrum facerent. 238.

Tatianus; Tatiani Evangelium. 52.

Templum; cor hominis eſt verum divinitatis templum. 715.

Templum Ieroſolymitanum; David conſilium init templum Domino ædificandi. Honos hic Salomoni ſervatus. 714. Lapidibus electis conſtructum, & muneribus ditatum. 488. Ejus januæ à Levitis cuſtoditæ. Inſcriptiones extrinſecæ, quibus aditum Gentibus vetabant. 802. Ad claudis ingreſſus prohibitus. 693. Aſylum innocentibus tantùm erat. 802. Pia ſervitia à mulieribus quibuſdam in eo præſtita. 409. Quinam eſſent Templi Magiſtratus. 493. Cubicula Sacerdotibus in eo aſſignata. 511. Judæi omnes ter in anno eo ſe conferre tenebantur. 409. Ab Herode reædificatum. 536. Tributum Judæis impoſitum in templi ſervitium. 330. Juramentum per Templum. 223. Quomodo à pecuniam commutantibus pollutum. J. Chriſtus eos inde ejicit. 281. Abominatio deſolationis in templo locata. 230. Ejus excidii prædictiones & præſagia. 332. An Apoſtoli in Templo Spiritum S. receperint? 511. Ejus everſio per Romanos,

manos. 488. Ejus poſtremum excidium ſub Iuliano Apoſtata. 217.

Templum Garizim à Sanaballat conſtructum, & ab Hircano everſum. 548. In eo Samaritani Teraphim Labani adorabant. *ibid.* Deorum & Imperatorum ſtatuæ in eo erectæ. *ibidem.*

Templum Dianæ Epheſiæ. 790.

Tenebræ, quæ in I. C. morte contigerunt. 66. An fuerint ſolis eclypſis? *ibid.* Quid à S. Dionyſio de eis dictum afferant. Quid Pagani de illis ſcripſerint? Quid credendum. *ibid.* & *ſeq.*

Tenebræ pro dæmone. 498.

Tentationes I. C. 93. & *ſeq.*

Teraphim Labani à Samaritanis in templo Garizim adorati. 548.

Tertullus, Iudæorum orator, cauſam agit coram Felice contra S. Paulum. 812.

Textus veteris Teſtamenti, cur aliter ab Apoſtolis & Evangeliſtis laudatus. 158.

Thabor, mons citjordanicus; eo à Dæmone I. Chriſtum tranſlatum quidam cenſent. 95. An in hoc monte Chriſtus transfiguratus ſit? *ibidem.* Urbs Thabor. *ibid.*

S. Thaddæus, vel *Judas*, cognomento *Lebbeus*, filius Cleophæ & Mariæ S. Virginis ſororis. 139. Falſum Evangelium eidem tributum. 53. Epiſtola canonica ſub ejus nomine. 234.

Thalith, pallium lineum ad Iudæorum morem. 337.

Thallus, auctor paganus, quid dixerit de tenebris in morte I. Chriſti? 68.

Thamar cur à S. Matthæo in I. C. genealogia relata. 74.

Thare, pater Abraham in terram Chanaan pergit. Ejus mors Charan. 711.

Tharſus, urbs Ciliciæ, quando coloniæ Romanæ titulum acceperit? 773.

S. Thecla, Iconienſis, à S. Paulo ad fidem converſa. Prima fuit Virgo martyr. 770.

Theophilus vir ortu & muneribus illuſtris. S. Lucas ei dicat Evangelium ſuum, & Apoſtolorum Acta. 391. Unde eſſet? 678.

Therapeutæ, vel *Eſſenii contemplativi* fuere primi Chriſtiani in Ægypto. 285. Et primi S. Marci diſcipuli. 278.

Thermutis, nomen, quo Ioſephus appellat Pharaonis filiam, quæ Moyſem educandum ſuſcepit. 718. Ægyptii hoc nomine vocant aſpidis genus bonis parcentia, & improbos necantis. 828.

Theſſalonica, urbs metropolis Macedoniæ ad ſinum Thermaicum ſita, unde nomen ſuum ſumpſerit? 775. S. Pauli amor erga fideles Theſſalonicenſes. *ibid.* Epiſtola à S. Paulo ad eos miſſa. 782.

Theudas, Iudæus ſeditioſus, & qui negabat ſolvendum Romanis tributum. 216. Duo pſeudo prophetæ cognomines: varia tempora, quibus vixere. 619.

S. Thomas, Indorum apoſtolus, ubi erat, quando I. Chriſtus apoſtolis apparuit. 649. An Spiritum ſanctum abſens licet acceperit. *ibid.* Credere recuſat I. Chriſtum revixiſſe. *ibid.* Acta S. Thomæ. 657. Ejus mortis genus & tempus incognita. 139. Pſeudo-Evangelium ſub ejus nomine, idem ac illud Infantiæ Salvatoris. 53.

Tiberias: maris Tiberiadis extenſio. 560. Idem eſt ac mare Cinereth. 561.

Timon, vel *Timotheus*, unus è ſeptem primis Diaconis: Epiſcopus Boſtrenſis ſuit juxta Græcos. Ejus martyrium. 707.

S. Timotheus, Lyſtrenſis, à S. Paulo circumciditur, & itinerum ſuorum comes ſumitur. 763.

Titus Ethnicus, ad fidem converſus, & S. Pauli hoſpes Corinthi. An idem ſit ac ille, cui S. Paulus ſcribit. 783.

Tonitru appellatum vox Dei in Scriptura. An auditum fuerit in I. Chriſti baptiſmo. 606.

Traditiones Synagogæ: negari nequit Hebræos bonas traditiones habuiſſe. 455. Lex traditionibus Phariſæorum corrupta. 574. A quo collectæ. *ibid.* iis abutebantur. 176.

Traditiones Eccleſiæ; characteres quibus à Phariſæorum traditionibus diſtinguuntur. Earum neceſſitas pro religione. 175. Quænam eæ ſint, quas recipit, vel rejicit Eccleſia. 175.

Transfiguratio I. Chriſti noctu contigit. 438. Super quem montem? 319.

Tributum. Herodiani tributo oppoſiti. 217. An liceat illud Cæſari ſolvi. *ib.* An Iudæi peculiarem nummum haberent pro ſolutione tributi. 330. Qua ſeveritate pro Templo exigeretur. 589. Tributum Iudæis à Romanis impoſitum. 816.

Trinitas; hujus myſterii revelatio eſt religionis Chriſtianæ prærogativa: an Iudæi illud agnoverint? 522.

Troas provincia & urbs cognomines in Phrygia minori. Viſio, quam S. Paulus Troade habuit. 769.

Trophimus, Ethnicus converſus Epheſi, anſam præbet Iudæis accuſandi S. Paulum, quod introduxerit Gentes in templum. An fuerit Arelatenſis Epiſcopus. 802.

Tunica, veſtis interna Iudæorum: an Phariſæi fimbrias in tunicis deferrent? 331. Variæ tunicæ ad uſum veterum. 643. I. Chriſti tunica inconſutilis, & à S. Virgine texta *ib.* Sors in I. Chriſti tunicam jacta. 259.

Tychicus, diſcipulus, & Epiſtolarum S. Pauli ordinarius lator. Cum eo in Syriam pergit. 794.

Tyrus; cur I. Chriſtus ibi non prædicaverit? 152.

Tyrannus: hoc nomen olim omnibus principibus tributum. 788 Tyrannus Epheſi, apud quem S. Paulus docuit. *ib.*

V*Alentinus* rebaptizabat eos, qui extra ſectam ſuam fuerant, & per ignem trajiciebat. 591. Valentini Evangelium. 53.

Vallis Joſaphat, an ibi poſtremum judicium fiet? 439.

Vallis Hinnom figura inferni ob ignem perpetuum, quod in ea alebatur. Victimæ humanæ, in Moloch honorem ibi combuſtæ. 106.

Ventus, an de vento intelligi debeant hæc verba: *Spiritus ubi vult ſpirat?* 539.

Ventriloqui Magi è ſtomacho imo loquentes. Antiquiſſimi apud Ægyptios, Hebræos, & Græcos. Eorum ars communis adhuc eſt in Oriente. 770.

Vermis immortalis, qui damnatos rodet. 322.

Veronica; ab aliquibus ſic appellata Hemorroiſſa à I. C. curata. 434. Popularis traditio de Veronica, an Sancta hujus nominis extiterit? 502.

Verſio, variæ librorum novi Teſtamenti verſiones 8. Verſiones Syriaca & Latina cæteris antiquiores. *ibidem.* Verſio Itelica *ibid.*

Virginitas. Virginitatis votum Iudæis incognitum. 799.

S. Virgo, Ioſepho jam ſponſa erat, cum in ſinu ſuo Verbum concepit. 77. Cum ejus ſponſus eam gravidam cognoviſſet, voluit eam dimittere. *ibid.* Ejus innocentiam intelligit. *ibid.* Cur Deus voluerit eam fuiſſe matrimonio copulatam? 78. Hæretici illius virginitatis hoſtes. 77.

Viſitare: vox hæc in Scriptura in bonam & malam partem uſurpata. 483.

Ulphilas, Epiſcopus Arianus, auctor verſionis Gothicæ novi Teſtamenti. 10.

Unio Patris cum I. Chriſto eſſe debet exemplar unionis Apoſtolorum & omnium Chriſtianorum inter ſe. 630.

Unio J. Chriſti cum ſua Eccleſia nomine matrimonii expreſſa. 815.

Vocatio Gentium Iudæis excluſa. 180.

Voluntas: duæ voluntates in I. Chriſto. 564. Sunt peccata voluntatis, non ſecus ac actionis. 105.

Voluntas Dei abſoluta ſemper efficax. Eum precando ut voluntas ejus fiat, rogamus, ut ea in nobis exequatur. 412.

Voluntas Dei noſtræ fidei principium. 152.

Votum Virginitatis Iudæis incognitum. 799.

Vox cæli pro tonitrui. 190.

Ur, urbs Meſopotamiæ inter Niſibim & Tigrim. 711.

Z*Acharias*, Ioiadæ filius, à Ioas in Templi atrio interfectus. 524.

Zacharias videns, Barachiæ filius, à nonnullis acceptus pro juſto cognomine, inter Templum & altare occiſo. 579.

Zacharias, ejus prophetia de pretio ſanguinis I. Chriſti 223. An eam à Ieremia mutuatus ſit. *ibid.*

Zacharias, pater familiæ Abiæ, an ſummus Pontifex fuerit? 394. Ejus incolatus Hebron. 398. Gabriel Angelus ei apparet, & filii nativitatem promittit. 393. In pœnam ejus incredulitatis ſurdus & mutus evadit. 396. Ejus canticum. 401 Ejus mortis cauſæ juxta plures Antiquos. 525.

Zacharias, filius Baruch, Iuſtorum poſtremus, à Zelotis in medio templi occiſus. 225.

Zachæus publicanorum caput, an Ethnicus eſſet? I. C. in ædibus ſuis recipit. 981. An Cæſarienſis Apoſtolus & Epiſcopus fuerit? *ibid.* Perperam cum S. Matthia confunditur. 683.

Zedech, juſtitia, an hinc Sadducæi nomen ſumpſerint? 277.

Zelotes: Phinees zelotum caput, hujus nominis ſecta Domini noſtri ævo. An ab hac ſecta S. Simon cognominatus fuerit Zelotes. 139.

Zelotes iidem ac Herodiani Iudæ Gaulonitæ diſcipuli: cauſa fuerunt excidii Iudæorum. 585. Quæ patrarunt in Templo, appellata abominatio deſolationis. *ibid.*

Zelus: judicium zeli à Iudæis approbatum quo in caſu? 715. Contra leges tranſgreſſores. 252. S. Stephanus zeli judicio lapidatus. 714.

Zena Doctor legis, cum Apolline incumbens ad Eccleſias I. Chriſti ædificandas. 785.

Zenodorus, Zenodori ditio inter Philippum & Lyſaniam diviſa. 418.

Zorobabel, à Iudæis acceptus pro dominatore Iſrael, cujus nativitatem in urbe Bethleem Michæas prædixit. 83.

F I N I S.

Digitized by Google

Google